CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM

AUCTORE R. P.

CORNELIO CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII POSTEA ROMÆ PROFESSORE

EDITIO

XYSTO RIARIO SFORTIÆ

CARDINALI ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

TOMUS IV.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN ECCLESIASTEN, CANTICUM CANTICORUM, ET LIBRUM SAPIENTIÆ.

NEAPOLI

APUD I. NAGAR EDITOREM

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M. D. CCC. LV.

COMMENTARIA
IN ECCLESIASTEN.

ARGUMENTUM.

Tria hic de more paucis præmittenda sunt: primum, quæ et quanta sit libri auctoritas, ac quis Auctor; secundum, quæ eius materia, quæ methodus, quis finis et scopus; tertium, quæ eius partitio, quot membra et partes.

Ecclesiastes Protocanonicus.

Quæritur ergo primo, quæ et quanta huius libri sit auctoritas, quis et qualis eius Auctor? Respondeo: Auctoritas huius libri est Canonica sacræ Scripturæ; semper enim hunc librum Hebræi, æque ac Græci et Latini habuere in Canone librorum sacræ Scripturæ, nec umquam hac de re dubitatum est; unde semper recensitus est inter libros Protocanonicos, tamquam Canonicus primæ classis. Id patet ex Canone Apost. Can. ult. ex Conc. Laodiceno et Carthag. III. ac Florentino et Tridentino, sessione 4. S. Athanasio, S. August. S. Hieronymo in prologo Galeato, Innocentio primo, Gelasio et cæteris, qui catalogum librorum Canonicorum texuere. Excipio pauculos hæreticos, quos sine nomine recenset Philastr. hæres. 132. et Iacob Christopol. præfat. in Cant. ac nonnullos Iudæos, qui, teste S. Hieronymo in fine Comment. opinati sunt hunc librum favere sectæ Epicureorum, scriptumque a Salomone, cum veneri et ventri indulgeret, quos secutus est Theodorus Mopsuestenus ex monacho apostata, et Nestorii magister, qui videns vanitatem mundi, ac præsertim luxuriam, quam monachus spreverat, et apostata factus repetierat, hoc libro damnari, dixit Salomonem composuisse Ecclesiasten, *cum Prophetiæ gratiam non accepisset, sed tantum illam prudentiæ gratiam, quæ altera est.* uti refertur in Synodo V. Constantinopolitan. Actione 4. Hi ergo Ecclesiastæ obiiciebant quatuor: primum, quod creaturas Dei bonas condemnare videatur ut vanas. cap. 1. Secundo, quod eodem capite videatur docere æternitatem mundi, cum ait: *Nihil sub sole novum;* et: *Terra in æternum stat.* Tertio, quod cap. 2. dicat: *Nil esse melius quam comedere et bibere;* quod plane videtur esse pecuinum, Epicureum et voluptuarium; atque huc impegisse Epicurum testatur Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. *Hinc,* inquit, *Epicuri mentem subiit casus, cum hoc dictum non intellexisset: Vanitas vanitatum, etc.* Quarto, c. 3. 19. videtur suspectus de animæ mortalitate, cum dicit: *Unus interitus est hominis et iumenti.*

Quatuor ei obiecta

Verum ad illa singulis quibusque locis respondebo, ac longe aliam fuisse Salomonis mentem demonstrabo. Lymphaticus Martinus Lutherus, pariter excucullatus, qui malo suo genio actus, effutire, imo insanire ausus est in colloquiis convivalibus: *Auctorem Ecclesiastæ videri sibi ocreis et calcaribus destitutum equitare tantum in soccis, Ecclesiasten esse sicut Tholmud ex variis libris consarcinatum. Adhæc sententias Salomonis quas mensæ recumbens funderet, fuisse ex ore loquentis exceptas, et postea in libros digestas:* nimirum homo temulentus et assiduus calicum remex Salomonem ex suo metiebatur ingenio: Ipse enim non nisi bene potus, et quasi ebrius dictare et scribere consueverat, ideoque eius scripta insulsa, vomitu, asotia, sordibus, dicteriis, conviciis referta sunt, ut non in libris, sed in scyphis studuisse, eaque inter pocula exarasse, imo eructasse et evomuisse videatur. Unde recte de eo cecinit noster Andreas Frusius:

Lutheri de Ecclesiaste censura.

Biblia quæ tua sunt, sunt pocula bacchica, Luther:
Est apotheca tua bibliotheca tua.

Auctor ergo libri huius Canonici primus, et primarius est Spiritus sanctus, qui hæc suggessit et inspiravit Salomoni; Salomon vero eadem prolocutus, deinde conscripsit, aut suo scribæ scribenda dictavit; perinde ut David pater eius Psalmos et ore cecinit, et calamo conscripsit, ac posteritati consignavit; uterque enim tam viva voce, quam scripto docuit populum. Ita censent passim Doctores et Interpretes. Idque patet primo, ex ipso libri initio: *Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Ierusalem:* quæ verba non sunt titulus libri, sed ipsum libri exordium, ac prima eius pars; secundo, idipsum patet ex cap. 12. ubi de se Salomon loquens in tertia persona, diserte asserit: *Ecclesiastes, cum esset sapientissimus, docuit populum, et enarravit quæ fecerat: quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos:* quid clarius? tertio, quia passim Salomon hic de se loquitur in prima persona, dicens: *Ego Ecclesiastes fui rex, vidi, consideravi, locutus sum, reputavi, verti, converti, consideravi, etc.* Hallucinatur ergo R. Moyses Kimchi tractatu de Scriptura sacra, et nonnulli Hebræi, præsertim Thalmudici, quos citat et sequitur Eugubinus in capite 1. Genesis, ac citat eosdem Melchior Canus l. 2. de locis, cap. 11. qui censent Salomonem ore dumtaxat hæc sua scita et parabolas enuntiasse, quas deinde vulgi ore tritas et mente conservatas, post multa sæcula collegerit et conscripserit Isaias, ut scripto ea posteritati mandaret; errant, inquam, uti ostendi Proverb. 15. 1. Cur Salomon hic se vocet Ecclesiasten, dicam cap. 1. v. 1. Interim audi obiter S. Gregorium Nyssenum hic, homilia 1. tres huius nominis causas recensentem: prima est, quia docet Ecclesiastica, quæ spectant ad salutem animæ; secunda, quia in unum cœtum cogit Ecclesiam, ut hanc eius concionem audiat, qua illam in pietate instruat; tertia, quia repræsentat Christum, qui est verus Ecclesiastes, id est Ecclesiæ fundator, doctor, gubernator, concionator; quartam addit S. Gregorius Thaumaturgus c. 1. v. 1. quod docet totam Ecclesiam.

Auctor lib. Salomon.

Probatur 1.

2.

3.

An scripserit Isaias?

Ecclesiastes dicitur quatuor de causis.

Porro Hebræi, teste S. Hieronymo, quos sequuntur moderni nonnulli, tradunt Salomonem hunc librum scripsisse pœnitentem, eum scilicet de luxuria et idololatria sua pœnituit, adeoque ex hoc libro probant eum pœnituisse. Hic enim liber videtur symbolum pœnitentiæ, dum in eo accusat vanitatem luxuriæ omniumque mundi voluptatum præsertim dum trecentas habens concubinas et 700. uxores, id est universim mille, eas abdicare et damnare videtur, dicens c. 7. 29. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni:* et v. 27. *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Idololatriam vero suam damnare videtur, dum ait: *Vanitas vanitatum,*

An scriptus a Salomone pœnitente? Asserunt aliqui

et omnia vanitas; idola enim in Scripture vocantur *vana* et *vanitas*; quia cum nil sint nisi statuæ et simulacra aurea vel argentea, nil habent veri numinis, nil spiritus, nil vitæ et virium. Addit noster Pineda Salomonem post pœnitentiam, ut eam testaretur, primo scripsisse Ecclesiasten, deinde Proverbia, ac ultimo loco Canticum Canticorum.

Negant Bellar. et alii. Verum hæc traditio incerta est et dubia. Unde Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 5. quem alii sequuntur, censet Salomonem ante lapsum tres hosce libros scripsisse:
1. primo, quia ipse nullam in iis lapsus sui facit mentionem, imo diserte contrarium asserit, dum cap. 2. dicit usque ad eam ætatem secum perseverasse sapientiam: *Et supergressus sum opibus*, inquit, *omnes, qui ante me fuerant in Ierusalem: sapientia quoque perseveravit mecum;*
2. secundo, quia nullum prorsus idololatriæ aut pœnitentiæ suæ dat indicium; quod enim per *vanitas vanitatum* non intelligat idola, et idololatriam, patet ex sequentibus totoque libro, ubi vanitatem hanc genericam per species explicans, ostendit eam sitam in opibus, deliciis, honoribus, cantibus, poculis, etc. Nec idoli aut idololatriæ usquam meminit: quod tamen facere debuisset, si de ea vere pœnituisset, ut eius scandalum et pravum exemplum, quod subditis dederat, aboleret. Ipse enim regum Israelis primus invexit idola in Iudæam; quæ deinde in ea perdurarunt per trecentos annos usque ad Iosiam regem, qui ea sustulit, atque huius mali origo et choragus exstitit Salomon. An non ergo ea destruere, detestari, et omnibus invisa efficere debuisset, si vere pœnituisset? sic enim post natam in Israel idololatriam, ut ab ea omnes avocent, in idolorum vanitatem detonant Baruch cap. 6. Isaias cap. 44. et seq. cæterique Prophetæ ad unum omnes; tertio, quia si Salomon iam habebat mille concubinas, erat utique totus enervis, carnalis et effœminatus, ut Spiritus sancti non esset capax, nec tam alta de mundi vanitate, de Dei timore, de æternitate posset meditari et eructare, uti hic facit. *Malum enim virum non est fas esse interpretem numinis*, ait Philo lib *Quis rerum divinarum hæres.* Denique Ecclesiasticus cap. 47. narrans gesta Salomonis, prius eius scripta, posterius eius lapsum enarrat. Idem facit Ioseph lib. 8. Antiq. c. 2.

Chaldæus censet prædici hic schisma Israelis a Iuda. Chaldæus vero Paraphrastes censet Ecclesiasten a Salomone conscriptum, cum ex Dei oraculo, 3. Reg. 11.12. et 29. didicisset regnum suum tam dives, felix et gloriosum futurum, et discindendum per schisma Ieroboam, qui sub Roboam Salomonis filio decem Tribus a duabus dispescuit, et ad se traduxit regnumque Israel divisum a regno Iuda, cui præfuit Roboam, constituit. Igitur censet Salomonem hic regni sui vanitatem per schisma declarandam deplorare. Audi eum ex interpretatione Complutensi (nam in Bibliis Regiis hæc desiderantur in Chaldæo) c. 1. v. 2. *Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel, regnum Rehabam filii sui cum Ieroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, ait: Vanitas vanitatum mundus iste. Vanitas vanitatum id omne, cui ego et pater operam dedimus, etc.*

Refellitur. Verum hoc oraculum de schismate regni Salomonis contigit post lapsum eiusdem. Fuit enim pœna eius luxuriæ et idololatriæ a Deo iuste decreta. Quare quæ priori sententiæ, Hebræorum opinantium hunc librum a Salomone conscriptum post lapsum, obstant, etiam huic opinioni Chaldæi officiunt. Adde nullam toto libro schismatis futuri mentionem fieri.

Argumentum Ecclesiastis. Quæritur secundo, quæ huius libri sit materia, quis stylus, quæ methodus? Respondeo. Argumentum Ecclesiastis est, ait S. Greg. Thaumaturgus his initio suæ Paraphrasis, ostendere *quam vana et inutilia sint omnia hominum negotia et studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur*, ut homines traducat a sensibilibus ad ea quæ sub sensum non cadunt, ait Nyssenus, puta ad cælestia et spiritualia, ait S. Bernardus serm. 1. in Cantica. *Nequicquam*, inquit S. Hieronymus, in *mundi rebus putemus esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus.* Atque in hoc sensu apex virtutis consistit. Quocirca S. Chrysostomus homilia 3. ad Populum: *Virtus*, ait, *est omnia humana despicere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare præsentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt, et somnium, et si quid hic vilius. Virtus hominem quasi mortuum ad huius vitæ res efficit, et ad nocentia quidem animæ saluti tamquam mortuum operatione carere, ad spiritualia vero sola vivere et operari.*

Porro veteres tres Salomonis libros ita materia et argumento distinxerunt, ut in Proverbiis autument tractari Ethicam, in Ecclesiaste Physicam, in Canticis Theologiam. Ita Origenes Prologo in Cantica. S. Basilius homilia 1. in Proverbia, S. Ambrosius in Psalmum 36. S. Hieronymus hic et Epistola ad Paulinum: *Salomon*, inquit, *pacificus et amabilis Domino mores corrigit* (nempe in Proverb.) *naturam docet* (in Ecclesiaste) *Ecclesiam iungit et Christum* (in Cant.) Accedit Olympiodorus, et alii Patres initio Catenæ in Proverb. qui dividunt Salomonis tres libros in tria rerum genera, nempe: in *Ethica, Physica*, et *Hyperphysica*. Ratio eorum fuit, quod in Ecclesiaste Salomon describat cæli, solis, elementorum, aeris, maris, terræ, ventorum mutationes, circuitus et vicissitudines, quod est obiectum Physicæ, scilicet corpus generabile et corruptibile. Verum paucis rem acu tangens Olympiod. initio Catenæ Proverb. respondet, *Ecclesiasten rerum naturalium ratione obiter delibata, præsentis vitæ vanitatem ob oculos ponere.* Quæ fere eadem verba sunt Didymi initio Catenæ in Ecclesiasten: *Ecclesiastes*, inquit, *in eo est, ut rerum naturalium inhærens contemplationi, vitæ præsentis detegat vanitatem.* Et Catena Græcorum in Proverb. initio asserit: *Ecclesiasten concionando blande provocare ad universitatis contemplationem, et ea tractare quæ ad animam aliquatenus in virtutum studio progressum faciunt.*

Distinctio trium librorum Salomonis.

Fixum ergo maneat librum hunc ethicum esse; Physica enim tangit in ordine ad Ethicam, ut scilicet ex rerum naturalium motu, mutatione, interitu, doceat earum vanitatem, ac consequenter vanos pariter esse homines, qui illis inhiant, ac vana eorum studia, futilia et stulta eorum consilia, cassos et stultos eorum labores, quibus acervandis opibus, vel vinis, vel villis, vel deliciis, vel honoribus per omnem vitam desudant, sui finis ac veræ felicitatis obliti. Hæc enim consistit in Dei timore, obedientia et cultu. Unde Lyranus censet argumentum Ecclesiastis esse, assignare ultimum hominis finem summumque bonum, in quo sita est hominis felicitas. Cum enim hac de re fuerint diversissimæ, quas recenset M. Varro libro de Finibus, puta ducentæ philosophorum opiniones et sententiæ; Epicurus enim felicitatem sitam censebat in voluptate, alii in sanitate, alii in honore, alii in scientia, alii in divitiis, alii in amicis, etc. Salomon docet hos omnes a scopo et veritate aberrasse, ac veram felicitatem sitam esse in vanitatis mundique contemptum, et veritatis, id est veræ sapientiæ Deique cognitione et cultu, qui consistit in legis virtutisque studio, puta in pietate, temperantia, modestia, humilitate, patientia in adversis, eleemosyna, resignatione et spe in Dei providentiam, eiusque religione et observantia. Hæc sunt quæ toto hoc libro pertractat, inculcat et commendat Salomon.

Vera felicitas in quo sita.

Verum enimvero Deus præ cæteris Prophetis, unum Salomonem huius vanitatis mundi præconem elegit et constituit, eo quod ipse omnes omnium bonorum et gaudiorum mundi voluptates expertus, meram in omnibus vanitatem repererit. Ne quis enim diceret, illique obiiceret: mira asseris de vanitate omnium creaturarum; nescio an ita, ut dicis, res sese habeant; multas enim mihi contigit experiri, imo multas ne novi quidem. Occurrit Salomon: Ego omnes expertus sum et quasi manibus tractavi, ac experientia didici in omnibus nullum verum esse gaudium, sed meram vanitatem, umbram et fucum. Quare ordinate singula recensens, subiungit singula esse vana. Unde Nyssenus ait: *In Ecclesiaste est ordinata quædam totius vitæ Salomonis confessio, et omnium operum enarratio.*

Hinc Georgius Ederus Œconom. Bibl. lib. 2. hunc librum vocat *Soliloquium Salomonis*, quod in eo solus Salomon loquatur de rebus sublimibus; qualia sunt Soliloquia S. Augustini, Thomæ a Kempis, S. Bonaventuræ et aliorum, in quibus anima sola secum vel cum Deo colloquitur.

Ordo lib. Salomonis.

Quod ad ordinem et methodum: Ordo librorum Salomonis hic est: In Proverbiis instituit puerum, eumque docet prima et communia Ethices, morumque honestiorum rudimenta. In Ecclesiaste informat iuvenem proficientem, eumque a terrena vanitate ad cælestem veritatem traducit. In Canticis docet virum perfectum unire se Deo, ut illi totus per amorem et contemplationem inhæreat, in eaque conquiescat. Ita censent Origenes, Nyssenus, Theod. S. Gregorius Præfatione in Cantica et alii passim. Audi Auctorem Catenæ Græcorum, initio Prover. *Proverbia*, inquit, *spectant ad hominem spiritualis vitæ viam primum ingressum, Ecclesiastes ad animam aliquatenus in virtutum studio progressam, Cantica ad animæ in virtutibus iam consummatæ statum.* Audi et luculentius S. Bernardum sermone 1. in Cantica: *Deinde cum duo*, inquit, *sint mala, quæ vel sola, vel maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi, et superfluus sui; pesti utrique duo illi libri Ecclesiastes et Proverbia obviare noscuntur; alter sarculo disciplinæ prava quæque in moribus et carnis superflua resecans, alter luce rationis in omni gloria mundi fucum vanitatis sagaciter deprehendens, veraciterque distringens a solido veritatis. Denique universis humanis studiis ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, eiusque observare mandata.* Et post nonnulla: *Depulsis ergo duobus malis duorum lectione librorum, competenter acceditur ad hunc sacrum theoricumque sermonem* (Canticorum) *qui cum sit amborum fructus, nonnisi sobriis mentibus et auribus omnino credendus est. Alioquin ante carnem disciplinæ studiis edomitam et mancipatam spiritui, ante spretam et abiectam sæculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sancta præsumitur.* Igitur ex mente S. Bernardi in Ecclesiaste pellitur vanus amor mundi, in Proverbiis superfluus amor sui, in Canticis præscribitur castus amor Dei. Quocirca Salomon utitur hic stylo virili, acri, vehementi et vere regio, qualis et materiam et auctorem decebat.

Tres Salomonis libri notant tres abrenuntiationis gradus.

Paphnutius Abbas apud Cassianum Coll. 3. c. 6. tres Salomonis libros triplici abrenuntiationi gradatim ita accommodat: « Prima est, inquit, qua corporaliter universas divitias, mundique facultates contemnimus; secunda, qua mores et vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuimus; tertia, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus, quæ tria ut simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum dixit: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Primum dixit: Exi de terra tua, id est de facultatibus mundi huius, opibusque terrenis; secundo de cognatione tua, id est de conversatione et moribus vitiisque prioribus quæ nobis a nostra nativitate cohærentia, velut affinitate quadam et consanguinitate cognata sunt: tertio de domo patris tui, id est de omni memoria mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. » Et sub finem capitis: « His tribus abrenuntiationibus proprie tres libri Salomonis aptantur. Nam Proverbia primæ abrenuntiationi conveniunt, quibus concupiscentiæ carnalium rerum ac terrena vitia resecantur; secundæ abrenuntiationi Ecclesiastes, ubi universa quæ aguntur sub sole vanitas pronuntiatur; tertiæ, Canticum Canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens, verbo iam Dei cælestium rerum contemplatione coniungitur. » Simile habet S. Hieronymus ad Paulinum, cuius verba recitavi initio Proverbiorum.

Salomon typus Christi tripliciter.

Allegorice, B. Petrus Damiani serm. 1. de Nativitate B. Virginis hæc tria Salomonis nomina, tresque eius libros adaptat Christo, qui inquit: « Filius Regis et Rex, nec solum Filius Dei, sed etiam Deus, Salomon, id est pacificus, est nobis in hoc exilio; Ecclesiastes, id est concionator, erit in iudicio; Idida, id est gloriosus, erit in regno; in exsilio amabilis, in iudicio terribilis, in regno admirabilis; in exsilio pius, in iudicio iustus, in regno gloriosus. Vide autem si non ubique rex: in exsilio rector morum, in iudicio discretor meritorum, in regno præmiorum distributor; simulque considera, quia non Ecclesiastes, non Idida, sed Salomon tam gloriosum opus facere prænotatur. »

An carmine scriptus Ecclesiastes?

Censet S. Gregor. Nazianz. Poemate 33. et Damasc. libro 4. de fide cap. 18. Ecclesiasten, æque ac Proverbia et Cantica, Hebræo carmine et metro esse conscripta. Audi Nazianzenum: *Quinque metris constant, Iob, David, tres Salomonis, Concio* (Ecclesiastes) *et insignes Cantus, Proverbia sacra.* Verum, cum in Ecclesiaste Salomon agat concionatorem, melius alii censent non metro, sed oratione soluta eum scripsisse. Est enim hic perpetua concio eaque incitata et acris de vanitate mundi, in qua omnes affectus concitat, ut eam lectori ad vivum repræsentet et persuadeat. Quocirca in ea utitur crebris et pungentibus interrogationibus, contentis exclamationibus, cæterisque figuris Rhetoricis. Subinde tamen immiscet carmina, vel quasi carmina, quale est illud: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas: Tempus tacendi, tempus loquendi, etc. Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* Adde omnia possa dici carmina et metra generali acceptione, quia scilicet sententiosa sunt acuta et arguta, æque ac brevia et concinna. Qua ratione S. Hieronymus Præfatione in Iob, asserit in sacra Scriptura, præsertim Hebræa esse *rhythmum quemdam dulcem, et tinnula numeris pedum solutum.* Sic omnis numerosa oratio dici potest metrum et carmen. Huc facit quod liber hic refertus sit elegantibus parabolis, similitudinibus, ænigmatibus, quæ quid vatidicum et divinum resonant, ac plus significent, quam prima fronte ostentant. Sic Lucilium suum a stylo simili commendans Seneca Epist. 59. *Loqueris*, inquit, *quantum vis, et plus significas quam loqueris. Hoc maioris rei indicium est: apparet quoque animum nihil habere supervacui, nihil tumidi.*

Denique Prophetæ vocantur *vates* et *poetæ*, ac proinde prophetia ipsorum vocari potest *metrum* et *carmen*. Salomon autem fuit Propheta, et veras proprieque dictas edidit prophetias, uti ostendi Proverb. 30. 1. Quamquam in Ecclesiaste vix sit ullam talem invenire. Quod ergo ait S. Augustinus l. 17. de Civitate c. 20. *Salomonem in tribus suis libris prophetasse*, vel synecdochice accipe, quod scilicet in partibus quibusdam triplicis huius sui voluminis proprie prophetarit, puta Proverb. 30. 1. et 2. ac in Canticis, ubi perpetua est prophetia de Christo et Ecclesia; vel ample accipe τὸ *prophetasse* pro Dei eloquia reserasse, Dei voluntatem explicuisse, divinas sententias et Canonicos libros dictasse. Sic enim omnis Canonica Scriptura vocatur *prophetia* a S. Petro ep. 2. c. 1. v. 20. Denique Chaldæus censet Salomonem hic vere prophetasse de futuro schismate Ieroboam; sic enim habet ex editione Compiut. *Verba prophetiæ quæ prophetavit Ecclesiastes: ipse est Salomon, filius David, rex*, etc. Ex interpretatione vero Costi: *Verba præsagitionis, quam vaticinatus est concionator Salomon, filius David, rex Ierusalem. Cum divinationis spiritu prævideret Salomon rex Israel regnum Rehabam filii sui cum Ieroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis et templo vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, etc.* Igitur Ecclesiastes uti Proverbiis est altior, perfectior et sublimior, sic et iisdem obscurior est et difficilior. Quocirca Philastrius asserit, *Ecclesiasten paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum cælestis scientiæ quærentibus continere.* Et sanctus Ambrosius lib. de Tobia capite 13. iubet huic libro inhærendum, ut qui bonus sit ad omnia magister.

Finis Ecclesiastes.

Finis et scopus huius libri est, docere veram sapientiam; scilicet qua secernamus vanitatem a veritate; nimirum ut cognoscamus vana esse omnia quæ in terris se ostentant, alliciunt et abblandiuntur; vera vero et solida

esse quæ in cælis sunt, ut ex hac dispari cognitione assurgamus ad mundi, utpote vani, contemptum, ac ad cæli Deique, utpote veri solidique, amorem et desiderium. Tanta enim est vanitatis in hoc mundo exterior species et forma, tanta illecebra, tantus fucus, ut mens hominum, nisi a Deo et Salomone edoceretur, in ea vanesceret, falsaque sumeret pro veris, vanisque concupiscentiis et peccatis absumeretur, et velut fumus in mortem secundam evanida contabesceret. Hunc ergo vanitatis rerum omnium fucum et larvam detegit hic Salomon, docetque terrena et vana spernere, ac cælestia ut vera ambire, in quo consistit vera sapientia. Ita censet S. Augustinus lib. 20. de Civitate c. 3. « In hac vanitate, inquit, cui quantum satis visum est intimandæ totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc solem. In hac ergo vanitate, numquid nisi iusto Dei rectoque iudicio similis eidem vanitati factus vanesceret homo? in diebus tamen vanitatis suæ interest plurimum utrum resistat, an obtemperet veritati, et utrum sit expers veræ pietatis, an particeps; non propter vitæ huius vel bona acquirenda, vel mala vitanda vanescendo transeuntia, sed propter futurum iudicium, per quod erunt et bonis bona, et malis mala sine fine mansura. » Deinde ista subiicit: « Denique iste sapiens hunc librum ita conclusit, ut diceret: Deum time, et mandata eius observa; quia hoc est omnis homo; quia omne hoc opus Deus adducet in iudicium in omni despecto, sive bonum, sive malum. Quid verius et salubrius dici potuit? Deum, inquit, time, et mandata eius custodi; quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. » Hucusque S. Augustinus. Unde S. Hieronymus Commentaria in Ecclesiasten scripsit ad Blæsillam S. Paulæ filiam primogenitam, hoc fine, ut ei mundi contemptum persuaderet. Audi eum in præfatione Comment. « Memini me ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem, ut eam ad contemptum mundi huius provocarem, et omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo; rogatum ab ea ut in morem Commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere quæ legebat. Itaque quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc percussus obmutui. Nunc in Bethleem positus, augustiori videlicet civitate, et illius memoriæ et vobis reddo quod debeo. »

S. Hieron. vanitatis præco. Deus est veritas, creatura est vanitas.

Porro crebra huius vanitatis mundi prædicatio S. Hieronymum, S. Paulinum, Pammachium, S. Paulam, ac Romanam nobilitatem ad mundi contemptum, et ad secessum in Bethleem pertraxit. Ergo Salomon hoc libro lectorem a vanitate, id est ab amore mundi avocat, traducitque ad amorem Dei; Deus enim est ipsa veritas, entitas, soliditas, stabilitas, æternitas. Unde S. Gregorius Nyssenus lib. de Vita Mosis, agens de visione Dei in rubo ardenti Mosi exhibita, veritatem definit esse ipsum Deum. Sic enim ait: « Hæc enim est (ut ego sentio) veritatis definitio, firma eius qui est intellectio; falsitas enim est phantastica quædam circa id quod non est comprehensio, quasi subsistat quod non est; veritas autem est eius quod vere est firma intellectio. Longis autem spatiis temporum altiori per quietem animo meditari oportet, ut firmiter intelligere possis quid sit quod vere est, quod natura sua est: quid quod non est, quod solum esse videtur, cum per se atque natura sua minime subsistat. Illustrat idipsum visione Mosis. Mihi enim videtur magnus ille Moses ea in visione didicisse, nihil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, et a qua omnia dependent, vere subsistere. In nullo enim cæterorum impendentia (independentiam vocant Scholastici) perspici potest, ita quod absque participatione veri entis possit esse. Solum id eodem modo semper se habet, numquam augetur, numquam minuitur, æqualiter ad omnem mutationem, tam ad peius quam ad melius immutabile: peius enim ibi aut malum non est, melius inveniri non potest. Quare solum nulla re alia indiget, et solius cuncta indigent; solum cuncta appetunt, solo cuncta participant, et quæ participant per participationem et sunt et bene sunt. Quod autem participatur, numquam imminuitur. Id igitur profecto est quod vere est, et huius veri entis intellectio, ad quam tunc accesserit Moses. »

Alcuinus qui et Albinus, vanitatis præco.

Denique Albinus, præceptor Caroli Magni Præfat. in Eccles. ait se Commentarium in eumdem scribere ut extractos a monasterio ad munia Ecclesiastica Onias sacerdotem, id est Episcopum, Candidum presbyterum, et Nathanaelem diaconum a mundi vanitatibus præmuniret; utque de vana possessione divitiarum in huius sæculi deliciis sapientissimum Salomonem totum composuisse hunc librum; quem hortatur ut semper pro magistro habeant in manibus.

Quæritur tertio, quænam huius libri sit partitio, quæ et quot partes? Hugo Victor. et post eum Richar. de S. Victor. l. 3. super Apocal. p. 2. c. 7. censent tres libri esse partes, quibus triplex hominis vanitas describatur: prima mutabilitatis, secunda mortalitatis, tertia curiositatis; aut ut S. Bonav. vanitas naturæ, culpæ et miseriæ.

Duæ libri partes.

Verum dico duas primarias Ecclesiastis esse partes. Prior est a c. 1. usque ad c. 7. qua ostendit omnes res mundi sublunares, quas homines vani magnas æstimant, inanes esse et vanas, ac proinde vanam esse felicitatem quæ in iis collocatur. Posterior a c. 7. porrigitur usque ad finem, qua depulsa vanitate, demonstrat veritatem veramque felicitatem sitam esse in virtute, ac Dei timore et cultu. Igitur primo statim capite eos refellit, qui scientia summum bonum metiebantur; secundo item ac tertio capitibus eos redarguit, qui in voluptate finem bonorum, ut Epicurei collocarunt; quarto capite, eos qui in honoribus; quinto et sexto eos confutat, qui in divitiis et opibus felicitatem posuere. Prior itaque hæc capitum sex portio in refellendis alienis occupatur; altera vero totidem capitum pars in confirmanda sua sententia versatur. Igitur c. 7. de tribus bonorum generibus disserit: *Animi*, inquam, *corporis et fortunæ*, deque contrariis malis. Quis horum omnium sit usus, atque res omnes nostræ a divina pendeant providentia, luculenter ostendit. Hinc ad finem usque libri de vita pie ac iuste transigenda, quo tandem Deo coniungamur, et felicitate perfruamur æterna, concionatur.

Axiomata vitæ prudentis.

Porro in hisce multa statuit axiomata vitæ, iuxta veritatem veramque prudentiam instituendæ, qualia sunt: Humanam scientiam non efficere hominem felicem: vitam esse brevem et mille mutationibus obnoxiam; humanos errores moresque per sæcula succedentia, et circulantia quasi in orbem redire, atque eosdem fuisse omnibus sæculis communes: nihil sub sole esse novum: voluptatem efficere stultitiam et stultos: felicitatem non esse sitam in dominatu, in uxore et filiis egregiis, in longiore vita aut funeris pompa; adeoque illam non esse quærendam in præsenti vita, sed in futura et æterna: virtutem præstare opibus, robore, aliisque corporis dotibus: cogitandum esse Dei iudicium et providentiam: felicitatem parari obedientia divinæ legis, operibus misericordiæ, mortificatione cupiditatum, animi lenitate et pace: principem esse colendum: principem debere esse iustum, sobrium, placidum, cupiditatum dominum, sapientes et probos honorantem, liberalem, et qui subditis de annona cæterisque vitæ commodis abunde prospiciat; quippe qui se mortalem sciat, et eiusdem cum subditis esse naturæ et sortis: cogitandum de ingruente senio et morte: denique sapientem et felicem esse, qui illud ubique præmeditatum habet et observat: *Deum time, et mandata eius observa. Hoc est enim omnis homo.*

Decem vanitates decem capitibus notantur.

Rursum hunc librum cum Lyrano minutius sic dividas per singula capita, ut in illo totidem pene, puta decem vanitates recenseantur: nimirum in capite primo, immo-

deratum sciendi studium; in secundo, appetitio deliciarum; in tertio vitæ longioris desiderium; in quarto et quinto, ambitio dominii dignitatisque; in parte quinti et in sexto toto, cupiditas divitiarum; in septimo, divinandi ars ac præscientia futurorum; in octavo, venatio laudis et famæ; in nono, fortunæ consectatio; in parte noni et in decimo toto, corporis robur; in undecimo et duodecimo, specimen ætatis floridæ.

Interpretes Ecclesiastæ. Interpretes qui in Ecclesiasten commentati sunt exstant permulti, tam veteres quam neoterici. Ad sexaginta numerat Fabian. Iustinian. in calce indicis sui universalis, ubi catalogum Interpretum S. Scripturæ contexit. Illustriores hic recensebo, quorum opera usus et adiutus sum, sicut S. Hieronymus initio Comment. suorum recensere solet Origenem, Didymum, Apollinarium, etc. quos toto opere secuturus sit, ne identidem illos commemorare sit opus: nimirum humilitatis est agnoscere unde profeceris; æquitatis, cuique quod suum est reddere; gratitudinis, beneficium beneficio rependere, ac laudem doctrinæ et doctori refundere. Ea de causa cum sententias Auctorum recito, ipsis sæpe eorum verbis utor, ut intuenti liqueat illa ipsorum esse, non mea. Præclare Plinius Præf. ad Vespasianum: *Obnoxii profecto*, inquit, *animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura.* Præclarius S. Basilius epist. 4. ad Greg. Nazianz. *Neque vero*, inquit, *ad discendum verecundum esse oportet, nec ad docendum malignum: quod ab alio tute didiceris, nequaquam clam habendum; cuiusmodi facere mulieres improbæ solent, quæ ex aliis ipsæ quæsitos liberos, viris suis tollendos subiiciunt patrem ementientes. Auctorem vero ipsum prodere grata commemoratione decet, eorumque ipsius scientiæ parentem.*

Primus ergo post Septuag. Aquilam, Symmach. Theod. et Syrum Interpres est Chaldæus Paraphrastes, qui putatur fuisse Ioseph cæcus. Sicut enim Onkelos Pentateuchum, et Ionathan Prophetas: sic Ioseph cæcus libros Salomonis cæterosque Hagiographos, puta Iob, Psalmos, Regum, Ruth ex Hebræo in Chaldæum convertit, satis genuine et consentanee ad Vulgatam Latinam, qua ratione utilis est; nam cum voces Hebrææ seorsum fideliter reddit, quia tamen Iudæus post Christum exstitit, hinc iudaizat, et pleraque ad Iudaicam Synagogam et superstitionem detorquet, ac hinc inde miscet fabellas Rabbinicas: multa ex eis succidit, et expurgavit Arias Montanus in Chaldaica Paraphrasi, quam Bibliis Regiis attexit, at non omnia.

Secundus tempore, sed dignitate primus est S. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, ob miraculorum gloriam cognomento Thaumaturgus, qui Ecclesiasten per metaphrasin *brevissimam et admirabilem*, ait Suidas, explicuit. Divinus enim sua sapientia, facundia, acumine, novitate lectorem mire docet, mulcet, pungit et stimulat.

Tertius est R. Haccados, quem passim citat Galatin. lib. de Arcanis fidei; sed hic allegoricus potius est quam litteralis, et allegorias habet somniis non absimiles.

Quartus est S. Gregorius Episcopus Nyssenus, frater S. Basilii, qui octo Homilias disertas sane et doctas in Ecclesiasten elaboravit, quibus ipsemet Ecclesiasten agit, ac lectorem ad vanitatis mundi contemptum, velut Orator Christianus exstimulat.

Quintus est S. Hieron. qui more suo litteræ inhærens, genuinum primo eius sensum dilucide reddit, deinde mysticum attexit: merito sui ævi Phœnix, ac in S. Script. explicanda doctor maximus, Ecclesiæ totius elogio celebratur.

S. Hieron. bis vertit libros Salomonis. Nota: S. Hieronymus bis transtulit Ecclesiasten, Proverbia, et Cantica: primo, corrigendo veterem et antiquam Vulgatam editionem Latinam iuxta versionem Septuag. a qua manavit; quare Græcos Septuag. in Latinum transtulit, itaque veterem editionem suæ puritati restituit; secundo, immediate illa ex Hebræo transferendo in Latinum. Hæc ita se habere docet ipse S. Hieron. hic in Proœmio; ac diserte lib. 2. contra Ruffin. ubi sic ait: *Salomonis etiam libris, quos olim iuxta Septuag. additis obelis et asteriscis in Latinum verteram, ex Hebræo transferens, et dedicans SS. Episcopis Chromatio et Heliodoro, hæc in præfatiunculæ meæ fine subscripsi: si cui sane*

A *Septuag. Interpretum magis editio placet, habet iam a nobis emendatam.* Prior ergo versio S. Hieronymi facta est ex Græco; posterior ex Hebræo iussu Damasi Pontif. quam proinde recepit Ecclesia, estque Vulgata nostra editio Latina. Utraque exstat in Commentario S. Hieronymi, in quo tamen non posteriorem suam interpretatur vel modestiæ ergo, vel quia nova erat; sed priorem Septuag. utpote veterem et vulgatam tunc editionem, quæ a posteriori, puta a Vulgata moderna satis discrepat, ac proinde Comment. S. Hieronymi parum facit ad elucidationem Vulgatæ modernæ. Porro S. Hieron. in posteriori accommodat se Sept. ubi ab Hebræo nihil vel parum distant: alias sequitur Aquilam, Symmach. et Theodotionem, sed præ omnibus Hebraicam veritatem, cuius sensum verum et genuinum, ut clare repræsentet, subinde non verbum verbo, sed sententiam sententia quasi paraphrastice exprimit: hoc enim est munus fidelis et genuini interpretis, uti suis locis videbimus.

Sextus est Olympiodorus, partim Paraphrastes, partim
B Scholiastes, partim Commentator, qui breviter, sed utiliter Ecclesiasten explicuit: ita enim explicat ut lectorem ad virtutem et pietatem excitet.

Septimus est Salonius Eucherii filius, et Salviani discipulus anno Domini 470. qui mystice et breviter Ecclesiasten explanat. Idem facit Albinus, sive Alcuinus, Bedæ discipulus, et Rabani magister. Salonii Commentarius in Proverbia et Ecclesiasten idem plane ad verbum exstat in Honorio Augustodunensi Presbytero, qui teste Trithemio et Bellarmino, floruit anno Dom. 1220. nisi quod initium libri sit transpositum. Nam quæ de tribus nominibus Salomonis initio Ecclesiastis, eadem Honorius ponit initio Proverbiorum. Rursum paucula in fine Proverbiorum, quæ ponit Salonius, decurtat et omittit Honorius. Reliqua, ut dixi, sunt eadem ad verbum. Porro Salonius editus exstat t. 5. Bibl. Patrum; Honorius vero tomo sive sæculo 12. iuxta editionem Coloniensem.

Octavus est Hugo de Sancto Victore, qui ex S. Greg.
C (huius enim Commentarii manuscripti in Ecclesiasten exstant in monasterio Cavensi) homil. 19. in Ecclesiasten conscripsit, quibus floride et acute singulas quatuor priorum capitum sententias, imo singula verba discutit, exsugit, ac mel sacræ Ethices ad morum conformationem elicit et conficit. Fuit Hugo vir apprime doctus, facundus et religiosus, monasterii sancti Victoris (unde vocatus est de S. Victore) Parisiis Abbas, coævus et familiaris S. Bernardo, sui sæculi lumen, adeo S. Augustini doctrinam et phrasim æmulatus, ut *Augustini lingua* sit nuncupatus. Moriens cum allata S. Eucharistia, ob stomachi nauseam eam sumere non posset, eam adorans: *Ascendat*, inquit, *Filius ad Patrem, et servus ad Dominum suum.* Itaque factum.

Nonus est S. Bonaventura, qui scholastice Ecclesiasten pertractat.

Decimus est Hugo Carensis, primus e sancti Dominici Ordine Cardinalis, qui obiter litteram perstringens, mystico sensui se mancipat, in eoque rimando acutus est, acer
D et copiosus.

Undecimus est Nicolaus Lyran. qui hebraice non ad amussim peritus, passim sequitur Rabbinos, præsertim R. Salomonem, uti ipsemet fatetur in fine lib. different. veteris ac novi Testamenti. Hos secuti sunt Dionys. Carth. Cardin. Caietanus, qui duobus suis Rabbinis in Testamento veteri, ac Erasmo in novo plus æquo confidens, novam eorum versionem edit et suopte ingenio nove explicat, a Vulgata et Patribus sæpe discedens. Item Franciscus Titelmannus, vir eruditus et religiosus, Ioannes Ferus, Gerardus Moringus, Hier. Osorius, Ioannes Campensis, Isidorus Clarius, Franciscus Vatablus, ac e societate nostra Ioannes Lorinus breviter, sed accurate; et Ioannes Pineda, qui ut fusissime, ita plenissime Ecclesiasten explanavit. Ego ex omnibus hisce succum exprimam, mellilegium faciam, illudque methodice, paucis clare more meo lectori hauriendum proponam; ac non pauca ex meipso addam, quæ æterna Patris Sapientia mihi suggerere dignabitur.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proponit thema libri: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; illudque probat primo ex rerum omnium circulatione: omnia enim, etiam sol, spiritus, flumina in orbem eunt et abeunt; quare nihil sub sole novum. Secundo v. 12. ex scientiis et studio sciendi, in quo magna elucet vanitas; quia qui addit scientiam, addit et laborem et dolorem.

1. VERBA Ecclesiastæ, filii David, regis Ierusalem. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanita-
tum, et omnia vanitas. 3. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? 4.
Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat. 5. Oritur sol, et occidit, et ad
locum suum revertitur: ibique renascens, 6. Gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem: lustrans universa in
circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. 7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redun-
dat: ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant. 8. Cunctæ res difficiles: non potest eas ho-
mo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod
futurum est: quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. 10. Nihil sub sole novum: nec valet quis-
quam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. 11. Non est priorum
memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.
12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalem, 13. Et proposui in animo meo quærere et investigare sapien-
ter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in
ea. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. 15. Perversi difficile corri-
guntur, et stultorum infinitus est numerus. 16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum,
et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem; et mens mea contemplata est multa sapienter, et
didici. 17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam: et agnovi quod
in his quoque esset labor et afflictio spiritus: 18. Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit
scientiam, addit et laborem.

Vers. 1. VERBA ECCLESIASTÆ, FILII DAVID, REGIS IERUSALEM.) *Ecclesiastæ*, id est Salomonis. Patet ex ipso verborum tenore et sententia, hunc non tam esse libri titulum, uti censuere S. Gregorius Nyssen. Homil. 1. Hugo Victor. et Hugo Cardinalis, Dionysius, et alii, quam ipsum libri exordium. Hic enim liber incipit, hicque ad marginem notatur primus primi capitis versus. Inde tamen desumptus est libri titulus et nomenclatura, ut vocetur Ecclesiastes, quod nomen stolide improbat Luther. in Colloq. Conviv. dicens hunc librum non esse Ecclesiasten, sed *Politica* vel Œconomica Salomonis nuncupandum: qua in re tali Ecclesiæ Patribusque omnibus, qui eum Ecclesiasten vocavere, contradicit, eosque inscitiæ arroganti supercilio coarguit.

Verbi etymon. VERBA.) *Verbum* dicitur a verberatu, quod verberata lingua intra palatum aere, omnis oratio proferatur, ait P. Consentius et S. Augustinus. Varro vero verbum a ve-

Verbum quasi verum. ritate deducit, quasi verum; quod verum nos loqui oporteat. Talia sunt verba S. Scripturæ sive verba Dei, puta oracula verissima, gravissima, saluberrima. Unde Aben Ezra: *Verba Ecclesiastæ*, hoc est, inquit, non vulgaris; sed ex corde ad animum ascendentia, utpote quæ vanitatem a veritate secernant, viamque ad veram felicitatem digito ad fontem intento omnibus palam demonstrent.

ECCLESIASTÆ.) Hebr. קהלת *Coheleth*, id est congregatoris, collectoris, concionatoris. Radix enim קהל *Cahal* significat congregare cœtum, et ad eum verba facere. Unde קהלה *kehilla* vocatur congregatio, cœtus, Ecclesia, concio. Concio enim tum cœtum populi, quam orationem ad populum significat.

Salomon cur vocatur Ecclesiastes? Resp. I. Quæres primo, cur Salomon hic hebr. vocetur *Coheleth*, græce, indeque latine Ecclesiastes? Respon. primo Iacob. Christopol. Præfat. in Cant. eum vocari *Coheleth*, id est collectorem, quod gnomas et scita dicta Davidis patris sui, cæterarumque Patriarcharum et Prophetarum hoc libro conservarit, et in unum collegerit. Verum hoc parum est probabile. Salomon enim cum esset sapientissimus mortalium, non eguit aliunde corradere sapien-

A tiam, qua ipse a Deo donatus et repletus erat: suam ergo hic promit, et non alienam.

Secundo, Caiet. censet Salomonem dici *Coheleth*, id est collectorem, quod omnes vanitatis mundi modos et species hoc libro collegerit, easque ad vivum oculis subiecerit, atque ut addit Arias Montanus quod enumerans singulas res mundi, mox subiiciat ciphram 0. dicens iteransque: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Ciphra enim 0. si sola ponatur, esto multiplicetur, nil valet, nullumque indicat numerum, ideoque vanitatis et nihili est index et nota. Verum hoc arctius et frigidius est. II.

Tertio, alii, eo quod, inquiunt, anima Salomonis (*Coheleth* enim est fœmininum) cunctas in se scientias congregasset, vel potius Deus congregatas, et in unum collectas in Salomonis sinum effudisset. Aut ut Nyssenus, quod Ecclesiastes colligat omnia quæ ad probam Ecclesiæ pertinent administrationem, hoc est per quæ quis probe et ex virtute vitam instituat. Aut ut David de Pomis, quod universas Philosophorum de summo bono in quo sita est felicitas, sententias (quas Varro lib. de Finibus ducentas enumerat) summatim perstringat et confutet. Aut ut alii, III.

B quod universas voluptates rerum omnium, quas expertus est, congreget, earumque vanitatem ostendat.

Quarto, melius alii censent Salomonem dici Ecclesiasten, quod ex confuso hominum cœtu et tumultuante turba fecerit Ecclesiam ordinatam, pacatam et piam concionando et persuadendo ei, ut relictis vanis spebus et rebus amet et colat Deum verum. Ita S. Gregorius 4. Dialog. 4. *Hic liber*, inquit, *concionator dicitur; in concione vero sententia proponitur, per quam tumultuosæ turbæ sententia comprimatur. Sed concionator verax quasi extensa manu tumultus omnium sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in eiusdem libri termino ait: Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata eius observa. Hoc est* enim *omnis homo.* IV.

Quocirca Salomon hic repræsentat Christum, qui ceu verus Ecclesiastes Ecclesiam sanctam formavit, instituit, docuit tam verbo quam exemplo. Ita Nyssenus et Olympiodorus: *Ecclesiastes*, inquit, *vocatus est, tanquam*

cunctos mortales in Ecclesiæ cœtum vocans, et in concordiam nectens.

V. Genuinæ. Quinto et genuine, Salomon dicitur *Coheleth* et *Ecclesiastes*, id est congregator et concionator, quod populi cœtum convocans, ad illum concionatus sit de vanitate rerum mundanarum, deque veritate virtutis et timoris Dei. Ita S. Athan. in Synopsi, Salon. S. Greg. l. 4. Dialog. c. 4. Bonav. et alii, quodque eamdem concionem scriptis mandans, ad universam Ecclesiam sæculorum omnium transmiserit. Omnis enim Ecclesia et Respubl. omni ævo et sæculo sua habuit comitia, suos populi cœtus, suas conciones, in quibus principes, senatores vel oratores perorabant de iis quæ ad Rempub. vel ad civium certorum causas litesque spectabant. Ita fecere Græci; Athenienses sub Solone, qui universa n se statuta permisit concionis arbitrio; Spartani sub Lycurgo, Romani sub Romulo, et magis sub Consulibus; Hebræi sub Mose, Iosue, Davide, Salomone et cæteris.

Porro cathedra, ex qua Salomon concionabatur, erat solium regale quod ipse ad hanc rem extruxit, 3. Reg. 7. 7. *Porticum quoque solii,* inquit, *in qua tribunal est, fecit Salomon, et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem.* Similis concio Salomonis ad populum in dedicatione templi ab eo ædificati recensetur 3. Reg. 8. 14. Audi S. Athanasium: *Ecclesiastes,* ait, *vocatus est, quia ad populum ipse concionatus est, et quæ spiritus sunt, locutus;* at ut ait Thaumaturgus, *quia his verbis universam Dei Ecclesiam affatur.*

Principes erant concionatores. Sic Moses legislator et dux Israelis crebro concionatus est ad populum, cum ei legem Dei promulgaret et inculcaret, ut patet Exodi c. 20. et seq. Imo Deuteronomium non est aliud quam ardens et contenta concio, qua Moses moriturus Israelem ad studium legis cultumque Dei adhortatur. Similem eadem de re concionem ad populum habuit successor Mosis Iosue, iam moriturus, c. ult. et Iob. c. 29. Samuel 1. Reg. 12. 7. Mathathias 1. Machab. 2. 49. ac David Ps. 48. 2. *Audite,* ait, *hæc omnes gentes; auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, etc. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.* Similis concio Davidis est Psal. 77. 1. Sic fecit et Ezechias mittens præcones per totum Israelem, ut eum ad Dei cultum et Pascha solemne reducerent, 2. Paral. 30. imo ipsemet rex ad ipsos Sacerdotes et Levitas concionatus est, exhortando eos ad purgationem templi et legis zelum, 2. Paral. 29. 5. Ezechiam avum suo zelo et concione imitatus est Iosias rex, 4. Reg. 23. v. 1. et 2. Paral. 34. v. 31. *Stans,* ait, *in tribunali suo, percussit fœdus* inter Israelem et Deum. Similem exhortationem ad Patres Concilii Nicæni habuit Constantinus Magnus, uti refert Eusebius in eius Vita; ac Theodosius per litteras ad Patres Concilii Ephesini; Carolus Magnus ad Saxones, etc. ac avorum memoria Iagello Poloniæ rex, qui Lithuanos ingenti zelo concionando, et præmiis invitando ab idolorum cultu ad Christi fidem convertit anno Domini 1387. ex quo deinceps prognati reges Poloniæ, ac nominatim modernus Sigismundus III. aviti regni æque ac pietatis hæres, Iagellonides cognominantur. Ita Cromerus l. 15.

Talis ergo Ecclesiastes fuit rex Salomon: sapientiæ enim eius fama exciti, certatim ad eum docentem ex toto orbe confluebant nationes et principes, ac inter eos regina Saba, 3. Reg. 4. Igitur non ad solos Iudæos, sed ad totam Ecclesiam, id est, ad cœtum vel concionem ex cunctis mortalibus contractam hic concionatur, docetque in quo sita sit vera sapientia, scilicet in rerum vanarum contemptu, ac veritatis verique Dei cultus studio, ut ab amore caducorum eos abducat, et ad desiderium æternorum transferat. Quocirca, ut notat Titelmannus, Salomon hic veri concionatoris munia strenue obit, dum statim a principio thema proponit: *Vanitas vanitatum, etc.* Idipsum subinde repetens et inculcans in sermonis progressu, et circa illud pertexens totum sermonem; et quamvis (quod peritus concionator facit) digrediatur nonnumquam ad alia, eodem tamen recurrit, diligenter ac particulatim

A demonstrans veritatem primæ propositionis, quam sic plene probat, ut conclusionem ad extremum et clausulam reponat. Præterea falsa, quæ obstant argumento proposito, refellit, veritatem confirmat, damnat vitia, virtutes laudat, prædicat, demum instat opportune, importune, arguit, obsecrat, increpat; prout Ephesinum Ecclesiasten Timotheum Paulus ut faciat obtestatur, 2. Timoth. capite 4. v. 2.

Cur vocatur Coheleth, id est, concionatrix. Quæres secundo, cur Salomon hebr. vocetur *Coheleth* fœminine? Est enim *Coheleth* Benoni, id est participium activum fœmininum in coniugatione *Cal*, significans *congregatrix* vel *concionatrix*. Respondent aliqui Novatores, ut Avenarius et Forsterus in Lexicis Hebr. *Coheleth* vocari non Salomonem, sed Ecclesiam vel Synagogam: illam enim hic e Salomone concionantem induci. Sed errant: Coheleth enim esse nomen non Ecclesiæ, sed Salomonis, patet ex eo quod sequitur: *Filii David, regis Ierusalem;* unde clare vertit Chald. *Verba Coheleth, ipse est Salomon.* Ita S. Greg. Thaumaturgus, S. Hier. Nyssen. Olympiod. et cæteri omnes.

B

Resp. I. Dico ergo, primo, *Coheleth* esse nomen masculinum, non fœmininum. Patet primo, quia est nomen Salomonis, qui vir est, non fœmina; secundo, quia toto hoc libro *Coheleth* tribuuntur verba et epitheta masculina, non fœminina, excepto uno loco cap. 7. 29. Quem locum nonnulli suspicantur corruptum. Hinc sequitur *Coheleth* non esse hoc loco Benoni, id est participium fœmininum in *Cal*, sed esse *Toar*, id est nomen verbale masculinum; perinde ac apud Latinos hæ voces doctus, eruditus, auditus, visus, sæpe non participia sunt, sed nomina. Ita censent Marinus, Mercerus et alii in Lexicis, et confirmant ex eo quod Hebr. קהל *Cohal* non sit usitatum in *Cal*, sed in *Niphal* et *Piel*. *Coheleth* ergo nequit esse Benoni *Cal*: nomen ergo sit oportet. Imo nonnulli suspicati sunt *Coheleth* dici quasi קהל עת *Cohel et*, id est, *collector* vel *censor temporis*, eo quod Salomon tam suæ, quam aliorum ætatis tempora, et temporaria bona voluptatesque hoc libro metietur, numeret et æstimet, dicens omnia

C esse vana. Aut quasi קהל תלמוד *Cohel Talmud*, id est, *collector doctrinæ*, et ultima littera *Tau* valeat *Talmud*, uti Hebræi in abbreviaturis per unam litteram initialem, totam dictionem significant.

II. Dico secundo: Nomen *Coheleth*, licet sit masculinum, habet tamen puncta, formam et terminationem fœmininam, puta Benoni sive participii fœminini in *Cal*. Ita censent omnes hebraice periti.

Causa I. Porro causa huius rei varia a variis affertur. Primo multi afferunt hanc, quod Hebræi sæpe permutent nomen fœmininum cum masculino, et vice versa masculinum cum terminatione fœminina, quando rei præstantiam et pulchritudinem denotare volunt, qualis est hæc concio Salomonis, quæ proinde vocatur *Coheleth*, q. d. *concionatrix*, ob elegantiam sermonis. Solent enim Hebræi rebus eximie pulchris tribuere genus fœmininum, quia imago et ancilla pulchritudinis, eiusque maxima illecebra est fœmina. Concionatrix ergo idem est quod pulcher et exi-

D mius concionator. Solent enim fœminæ in dicendo esse disertæ, gratiosæ, elegantes, patheticæ, efficaces, ideoque viris persuadere quicquid volunt. Sic Psal. 67. 12. *Dominus dabit verbum Evangelizantibus*, hebr. est המבשרות *hammebasseroth*, id est evangelizatricibus fœminine, quo significat excellentissimos a Deo prædicatores constituendos. Et Aggæi 1. 13. *Nuntius Domini de nuntiis Domini,* hebr. est במלאכות *bemalachot*, id est *denuntiatricibus Domini.* Vide ibi dicta, ac Riberam ibidem. Sic Exodi 22. 18 *Maleficos* (hebr. est *mecascephoth*, id est, *maleficas* fœminine) *non patieris vivere.* Similia sunt 2. Reg. c. 13. v. 39. in Hebræo et alibi.

II. Secundam dant alii, quod sapientia hic sit quasi concionatrix, ac per os Salomonis concionatur, ut vis et energia concionis significetur, quasi eius anima et forma sit ipsa sapientia. Hæc enim hic fuit quasi anima sapientissimi Salomonis. Simili modo Salomon Prov. cap. 9. v. 1. et cap. 8. vers. 1. et seq. Et Ecclesiastes cap. 24. 1. et

seq. ipsam sapientiam loquentem et concionantem inducit ad maius concionis pondus.

III. Tertiam dant alii, quod Salomon fuerit *Coheleth*, id est vir, sed declinans in fœminam, cum virile suum robur, quod hic ostendit, inflexit ad amorem fœminarum, factusque est effœminatus et quasi fœmina. Hoc enim fore prævidebat Spiritus sanctus, ideoque ei nomen *Coheleth* indidit. Sic Isaias Principes mulierosos Israelis vocat *mulieres*, cap. 3. v. 12. *Mulieres*, inquit, *dominatæ sunt eis*; et Nahum cap. 3. 13. *Ecce populus tuus, mulieres in medio tui.* Sic Homerus Iliade 2. *O pepones*, inquit, *mala probra Achivæ, non amplius Achivi*. Homerum de more secutus Virgil. 9. Æneid. *O vere Phrygiæ*, ait, *neque enim Phryges.*

IV. Quartam dant nonnulli, quod a matre Bethsabee hæc didicerit Salomon. Hæc enim eum puerum docebat fugere ventrem et venerem velut vanitates, uti patet ex illo Proverb. 31. 1. *Visio, qua erudivit eum mater sua*, etc. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges. Noli regibus, o Samuel, noli regibus dare vinum*, etc.

Filii David, regis Ierusalem.) Græci habent: *Regis Israel in Ierusalem*; sed perperam, ait S. Hieron. Notat S. Hieron. tres Salomonis libros, scilicet Proverbia, Ecclesiasten et Cantica gradatim hominem ad perfectionem provehere: primum enim esse incipientium; secundum, proficientium; tertium, perfectorum: *Primi libri titulus*, ait S. Hieronymus, *vocat Salomonem filium David, regem Israel; secundi, filium David, regem Ierusalem. In tertia non dicitur rex vel filius David, quia plurimi sunt rudes, pauciores metropolitæ, rari qui superna tantum desiderent: propter primos ac secundos paterna dignitas, regnique proprii auctoritas indicatur: perfectis, quia non timore erudiuntur discipuli, sed amore filius, proprium nomen sufficit, et æqualis magister est, et nescit se esse regem, qua etiam de causa observatum est, nullum toto Canticorum libro Dei nomen exprimi ex iis quæ possunt timorem incutere, sed nomina omnia amoris.*

S. Ambros. Præfat. in Lucam, et lib. de Isaac cap. 4. quem sequitur Hugo de S. Victore, triplicem hunc statum et gradum adaptat tribus Patriarchis, Abraham, Isaac et Iacob. Primus obediens fuit; secundus puteos fodit; tertius scalam, cui Deus innitebatur, ac per eam ascendentes et descendentes Angelos vidit, Genes. 28. 12. Alii eidem accommodant tres prisci tabernaculi et templi partes, puta atrium, Sanctum et Sanctum Sanctorum. Incipientes enim sunt in atrio paradisi, proficientes in Sancto, id est in ingressu eiusdem, perfecti sunt quasi in ipso cælo empyreo.

Censent Chald. et alii nonnulli Salomonem scripsisse Ecclesiasten, post schisma decem Tribuum, quod fecit Ieroboam earum se regem constituens, ideoque Salomonem se hic vocare regem Ierusalem, id est duarum Tribuum, non Israel; sed errant. Hoc enim schisma contigit post mortem Salomonis, sub Roboam eius filio.

Vocat ergo se regem Ierusalem: Primo, quia illa erat metropolis duodecim Tribuum, ac proinde regni totius caput. Sic Nabuchodonosor a Ieremia vocatur rex Babylonis, id est monarchiæ Chaldæorum, cuius caput erat Babylon. Et Sardanapalus vocatur rex Ninives, id est Assyriorum, quorum metropolis erat Ninive. Secundo, quia in Ierusalem erat Academia, vigebatque studium sapientiæ, quam hic docet Salomon. Tertio, quia in eadem erat aula regia, in qua regnare solet luxus, avaritia, invidia, fastus, omnisque vitiorum et cupiditatum vanitas, a qua cives et aulicos suos hic avocat Salomon.

De etymo et splendore Ierusalem dixi Heb. 7. 1. Genes. 14. 18. et alibi. Vide et Iosephum et Adrichomium in descriptione Ierusalem.

Mystice, Ecclesiastes est Christus, qui electis suis persuadens contemptum vanitatis mundi, et amorem cæli, est rex Hierosolymitarum, id est videntium et contemplantium Deum, ideoque pace fruentium. Ierusalem enim

A hebr. idem est quod visio pacis.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.) S. Aug. lib. de Quantit. animæ cap. 33. et de vera religione cap. 21. et 33. Vers. 2.
et alibi legit: *Vanitas vanitantium*, id est, vanitati servientium rebusque vanis inhiantium. Hi enim sunt vanitantes suetique vani, sicut ea quæ dilexerunt, aut vanitantium, id est fallentium, et vana specie decipientium: *Vanitas*, ait S. August. est fallacia et *vanitantes* sunt falsi vel fallentes. Idem tamen S. August. l. 1. Retract. c. 7. ait, quod, licet ista expositio vera sit, mendosa tamen sit lectio, cum iuxta Græcum legendum sit: *Vanitas vanitatum*. Chald. *Vanitas vanitatum sæculum hoc: Vanitas vanitatum omne, quod laboravi, omnino vanitas.* Aquila, Symmach. Theod. cæterique interpretes, ait S. Hieron. vertunt: Ατμος ατμων, id est: *Vapor vaporum, et omnia vapor.* Syrus: *Inanitas inanitatum, et omnis res inanitas.* Arabicus: *Vanitas vanitatum, universitas rerum vana.* Alii: *Nihilum nihil, et omnia nihil.* Sic et Nyssenus.
B Gregor. Thaumaturgus metaphrastice vertit: *Quam inania sunt nulliusque pretii cuncta hominum studia, simul ac negotia!* Anonymus: *Cunctæ res otiosæ, viles, erroneæ, mendaces. Sublimis prorsus*, ait S. Chrysost. serm. contra Concub. *et in cælis digna vox, quam Salomon ad se reversus, et quasi ex umbrosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respicere valens, emisit tandem.* Idem Parænetica ad Eutropium: *Hunc*, inquit, *versiculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in ingressibus; quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos, istud oportet quotidie salutare carmen, et in prandiis, et in cœnis, et in conventu unumquemque proximo suo canere, et a proximo suo libenter audire: Quia vanitas vanitatum est, et omnia vanitas.*

Grammatice et etymologice vanitas est vacuitas, inanitas, levitas a qua res dicitur evanida, dum cito perit et evanescit. Vanitatis etymon.
C Audi Nonium Marcellum lib. 4. « Vanum, inquit, leve, inane, Virg. Georg. l. 1. Sed illos expectata seges vanis elusit aristis. Vanum est mendax. Virg. Æneid. 1. Ni frustra augurium, vani docuere parentes. Sallust. Iugurthæ bello: Mauri vanum genus. M. Tull. de Offic. lib. 1. Nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur, nec vero quicquam est turpius vanitate. Idem Tuscul. lib. 3. Tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Vanum, insidiosum, subdolum. Virg. Æneid. lib. 2. Nec si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. Vanum, obscurum. Virg. Æneid. 4. Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. M. Tull. de Repub. lib. 5. Ut nostra vero ætas cum Rempub. sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescentem vetustate. »

Donatus vero et Aruntius ita distinguunt hæc tria falsum, vanum et fictum: « Falsum, inquiunt, est, quo tegitur id quod factum est; vanum quod fieri non potest; fictum, quod non est factum et fieri potuit. Falsum est fi-
D ctum mendacium simile veritati; vanum nec possibile, nec verisimile; fictum totum sine vero, sed verisimile. Falsum loqui mendacis est, fictum callidi, vanum stulti. Falsum loqui culpæ est, fictum virtutis, vanum vecordiæ. Falsis decipimur, fictis delectamur, vana contemnimus. »

Vanitas ergo opponitur rei velut umbra; res enim, puta corpus, est ipsa veritas, cuius vanitas est eius umbra. Quare sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem, ne evanescat, et in nihilum abeat. Omnis enim res creata in fieri, esse et conservari pendet a Deo, sicut radius a sole. Quare sicut sole se subducente radius evanescit, sic Deo manum, id est, operationem et conservationem suam subducente, res creata redit in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem educta est.

Vanus, ait Servius, *dicitur quasi vacuus, et quasi vanno eventilatus.* Ovidius 3. Amor.

Ceres sterilem vanescit in herbam.

Hinc vanus vocatur stultus, quasi mente vacuus, qui in rebus inanibus studium collocat. Vanus quoque dicitur mentiens et infidus, qui levia inaniaque pro gravibus et veris astute componit.

Vanus ergo est vanidicus, vaniloquus, levis, mendax. Hinc vanitas vocatur, *levitas, mendacium, fallacia.* Vanitati opponitur veritas, fidelitas, constantia. Unde Cicero lib. 2. de Natura Deorum: *Nulla igitur*, ait, *in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia.* Et lib. 2. de Legib. *Animi labes nec diuturnitate vanescere* (id est evanescere, aboleri) *nec manibus ullis elui potest.* Et ad Herennium libr. 2. *Vana est ratio, quæ ex falsa causa constat.*

Vanitatis sex significata.

Vanitas ergo multa significat: nam vanitas primo, est inanitas; secundo, brevitas; tertio, mutabilitas; quarto, interitus; quinto, mendacium; sexto, fraus et fallacia, quæ omnia huic loco congruunt. Unde pari modo vertas: *Inanitas inanitatum, et omnia inanitas; brevitas brevitatum, et omnia brevitas; mutabilitas mutabilitatum, et omnia mutabilitas;* et sic de cæteris, q. d. Omnia quæ in mundo, præsertim sublunari existunt, sunt summe inania, brevia, mutabilia, corruptibilia, mendacia, falsa et fallacia. Ex adverso super lunam in cælo apud Deum omnia sunt solida, longa, immutabilia, incorruptibilia, vera et fidelia. Vanitas enim terrestrium opponitur veritati cælestium, quod in illis sit inanitas, in his soliditas: in illis brevitas, in his æternitas: in illis mutabilitas, in his immutabilitas: in illis interitus, in his constantia et constans existentia: in illis mendacium, in his veritas: in illis fallacia, in his fidelitas. O prima summaque veritas, veraque soliditas, solida charitas, chara æternitas, Deus meus et omnia, da ut nulla nos moveat vanitas, nec vana inanitas, nec inanis carnalitas, nec carnalis fugacitas; sed totos nos ad se rapiat tua veritas veraque felicitas.

Porro Hebræi utuntur abstractis pro concretis ad significandam rei excellentiam. Sic *Sanctum Sanctorum* ab eis vocatur *Sanctitas Sanctitatum*, id est eximie et summe sanctum ac venerandum. Sic Deus ait Abrahæ Genes. 12. 2. *Erisque benedictus*, hebr. *Eris benedictio*, id est, affluens omni benedictione, ut non tam benedictus, quam ipsa benedictio nuncupari possis. Psal. 110. 3. *Confessio et magnificentia opus eius:* hoc est, opus Dei ita magnificum est, ut ipsa magnificentia dici queat: ideoque adeo laudabile, ut ipsa confessio, id est laus vocari possit. Sic 1. Corinth. 1. 30. de Christo dicitur: *Factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio;* hoc est, factus est summus et sapientissimus iustificator, sanctificator, redemptor noster. Sic ergo dicitur creatura quælibet *vanitas vanitatum*, id est vanissima, idque triplici de causa.

Creatura vanissima tribus de causis.

Prima est, quia respectu Dei creatoris, qui est pelagus entitatis omnisque perfectionis, creatura omnis est quasi non ens et nihilum, iuxta illud: *Substantia mea tamquam nihilum ante te*, Psalm. 89. 4. et: *Omnes gentes quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei*, Isaiæ cap. 40. v. 17. et:
I. *Luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*, Iob. cap. 25. v. 5.

II. Secunda, quia nulla res creata hominem potest beare, aut eius desiderium, utpote immensum, exsatiare. Vera enim satietas et felicitas sita est in solo Deo, utpote quaquaversum infinito. Si alibi eam quæris, vane et frustra quæris.

III. Tertia, quia homo sua stultitia rebus creatis abutitur ad vanitates, ut scilicet vanas suas concupiscentias illis expleat, quibus sibi interitum præsentem et æternum accersit. Id clare ostendit Sapiens ex idolis dicens Sap. 14, 11. *Creaturæ Dei* (quæ a Deo bono bonæ creatæ sunt) *in odium factæ sunt* (vitio hominum, iis quasi diis inhiantium) *et in tentationem pedibus insipientium* (offendentium in illarum abusu, nimio amore et cultu.) *Initium enim omnis fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illarum corruptio vitæ est. Supervacuitas* (vanitas) *enim hominum hæc adinvenit.*

Habel Hebr. quid?

Hebr. pro *vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, est: הבל הבלים הכל הבל *habel habalim haccol habel.* Vanitas dicitur הבל *hebel*, vel *habel* a rad. הבל *habal*, id est vanus fuit, viluit, evanuit. Unde הבל *hebel*, ait Pagninus, est res quæ non est quippiam, aut quæ cito desinit, ut vapor, aut flatus qui exit ab ore. *Habal* cognationem habet cum אבל *abal*, id est luxit, a lugeo; lugemus enim res evanescentes, puta homines, cum moriuntur; et cum בהל *bahal*, id est exterritus est: mors enim vanitatem vitæ amantibus est omnium terribilium terribilissimum, ait Philos. et cum בלה *bala*; id est inveteravit, vetustate corruptus et consumptus est, iuxta illud Ovidii 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Tempus enim cito senectam, vetustatem, mortem et interitum rebus omnibus adducit; et cum נבל *nabal*, id est cecidit, defloruit, emarcuit. Sicut enim rosa mane roseo colore et odore vernans, vespere marcescit: sic iuventus eiusque decor in morte vel senecta deperit, marcescit, evanescit. Hæc enim omnia tendunt ad vanitatem et nihilum. Ab hebr. *habel*, id est vanitas, nonnulli per aphæresin derivant latinum *bulla*, qua nihil est vanius, ut videre est, cum pueri ex smegmate et aqua per fistulam, eam halitu suo (quem significat *habel*) inflando educunt; hæc enim ascendens in aerem illico tenuem vanescit in auram. Unde illud: *Homo bulla.* Ab *habal* quoque derivant græcum φαυλιζω, id est vilipendo: et φαυλιζομαι, id est vileo, vilesco; et φαυλος, id est vilis, vanus, contemptus, homo nihili. *Hebel* ergo et *habel* hebr. idem est quod vanitas, nihilum, flatus, res nihili et nullius momenti, ait Nyssenus. Unde quædam antiqua Hispaniensium Hebræorum versio, teste Pineda, sic legebat: *Nada de nada, dix cohelet: nada e nada, toda es nada.* Hinc *Abel* hebr. dicitur *Habel*, id est vanitas, quia occisus a Cain cito periit et evanuit, ideoque primum vivumque fuit speculum vanitatis et brevitatis vitæ humanæ; quia *in imagine* (instar umbræ) *pertransit homo.* Et: *Universa vanitas omnis homo vivens*, Psalm. 39. 6. quod sic explicat Hugo, q. d. In homine existit trina omnisque vanitas, scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ;* quæ ipsa late exaggerat.

ματαιοτης quid?

Græce Septuaginta vertunt: Ματαιοτης ματαιοτητων, τα παντα ματαιοτης id est: *Vanitas vel inanitas inanitatum, et omnia inanitas;* ματαιοτης enim derivatur a ματην, id est frustra, inaniter, incassum, in vanum, abs re, sine fructu, futiliter, ideoque stulte; unde a ματην derivant italicum *matto*, id est stultus. Sensus est, q. d. Homines vani quasi cerebro vacui et stulti sectantur vanas opes, honores, delicias frustra et sine fructu, quia illas sæpe non obtinent; et esto obtineant, diu iis gaudere, iisque se satiare nequeunt, imo illa hominem ad finem suum, ad quem a Deo creatus et ordinatus est, puta ad æternam felicitatem non conducunt, sed sæpe abducunt, et in gehennam deducunt. Stultus enim est, qui rebus futilibus se occupat, qui laborat frustra, ac labores suos prodigit, imo per labores seipsum perdit et damnat, cum iisdem facile se salvare et beare potuisset, si eos Deo impendisset: Ματαιοτης, sive *vanitas*, inquit Nyssenus, *hic est vel verbum, quod non cadit sub cogitationem et intelligentiam, vel res inutiles, vel consilium, quod non potest consistere, vel studium, quod non pervenit ad finem;* vel ut in summa dicam, id quod in quavis re utili non potest constare.

Vapor quid?

Aquila, Symmach et Theod. vertunt: Ατμος ατμων, τα παντα ατμος, id est: *Vapor vaporum, omnia vapor;* ατμος enim, ait S. Hieron. significat vaporem fumi et auram tenuem, quæ cito resolvitur. Vapor est exhalatio calida et humida vi solis ab aqua, vel aqueo educta, ut docet Arist. 1. Meteor. Rursum vapor est causa materialis omnium eorum quæ in alto vel imo generantur, ait Albertus Magnus de Passione aeris; hinc omnia, æque ut vapor, evaporant et evanescunt. Unde illud nostri Iusti Lipsii funebre carmen, quod ipse vivens composuit, et moriens sepulcro

suo velut sapientiæ et eloquentiæ suæ Epitaphium inscribi iussit:

Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, verbo ut absolvam, nihil.

De vaporis natura audi disserentem S. Gregor. Nyssen. in Hexamer. sive in historia sex dierum longiuscule ante finem: « Quoniam igitur vaporis concretio atque conglobatio nubes est: vapor autem tenuium partium humoris exspiratio atque exhalatio est: omnino necesse est, cum ardore nubes exusta fuerit, tenue illud et individuum vaporis corpus, etiamsi humidam qualitatem non conservet, non tamen, quod ad ipsum attinet subiectum, ad interitum et abolitionem transire, ad nihilum redactum. Quatuor enim circa vaporem considerantur, humidum, frigidum, grave, quantitas. Ex his quæcumque igni contraria sunt, vi prævalentis conficiuntur et e medio tolluntur. Neque enim humidum, neque frigidum, si in igne versetur, tale permanet. »

Vita est vapor. Ad hanc Aquilæ, Symmach. et Theod. versionem respexit S. Iacobus in Epist. c. 4. 15. dicens: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinde exterminabitur.* Vide ibi dicta. Hinc et Psal. 77. 33. ubi nos habemus: *Defecerunt in vanitate dies eorum*; Chald. vertit: *Consumpti sunt dies vitæ vestræ tamquam vapor oris in hieme.* Igitur sicut fumus et vapor quo altius ascendit, eo fit tenuior, citiusque evanescit: sic homo quo ad altiores honores et plures vitæ annos provehitur, eo citius obit et emoritur.

Res vanæ similes ciphræ: Significat ergo hæc gnome nihil sub cælo esse solidum, nihil stabile, nihil durabile; sed omnia esse inania, inconstantia, mutationi perpetuæ obnoxia, brevia, caduca, circulantia, in orbem euntia et abeuntia: Quare similis esse ciphræ 0. inquit Arias Mont. quæ si a numero solido separetur, nil efficit, nec numerus est, sed inanis exilisque circulus; sic enim omnia sub cælo per se nude spectata, inania sunt, parvique, imo nullius valoris et pretii. Rursum quo magis ciphram solam multiplicas, eo inanius plura inania concervas: quid enim efficiunt, aut significant 000000? utique nihil. Sic pariter quo plures opes, honores, cæterasque res vanas concervas, eo inanior et vanior, ac vano superbiæ vento fastuque turgidior efficeris. At sicut ciphro, addito numero solido, eum adauget, v. g. si ciphræ 0. præfigas 2. efficis viginti; si 3. triginta; si 6. sexaginta; si 9. nonaginta; sic pariter si vanitas veritati adhæreat et copuletur, id est, si homo Deo se iungat, et ad eius honorem opes in se vanas concervet et expendat, efficiet actus nobiles charitatis, eleemosynæ, cæterarumque virtutum, quibus Deo honorem, proximis vitam, sibi salutem æternam conciliabit. Denique sicut ciphræ ordine collocatæ, quo loco situque uno remotiores sunt a numero solido, eo in decuplum immediate præcedentem adaugent. Unde 0. additum 2. eum adauget in decuplum: nam 20. faciunt viginti, quæ sunt decuplum binarii; si deinde secundum 0. subnectas viginti, augebis in decuplum; nam 200. faciunt ducenta, quæ sunt decuplum vicenarii; si ulterius tertium 0. subiungas, ducenta augebis in decuplum, nam 2000. faciunt duo millia, quæ sunt decuplum ducentorum. Insuper si quartam ciphram 0. tribus præcedentibus annectas, augebis duo millia in decuplum: nam 20000. faciunt viginti millia, quæ sunt decuplum duorum millium; si quintam ciphram 0. ordine consequenti addas, facies ducenta millia, quæ sunt decuplum viginti millium, et ita consequenter. Sic pariter quo plura temperantiæ, patientiæ, fortitudinis, ac præsertim humilitatis et charitatis opera vitæ tuæ in se vanæ, attexis, eo maioribus gratiæ et gloriæ increscentis merita et coronam tuam adauges; ac præcipue quo a numero solido, id est a Deo per crebros magisque demissos actus humilitatis te elongas, et profundius in abyssum tuæ vilitatis descendis, eo tuum tuorumque operum et virtutum valorem et pretium maioribus, et quasi decuplatis lucris apud Deum intendis, ac in dies prioribus meritis longe augustiora accumulas. Unde Arias Montanus censet Ecclesiasten hebr. dici *coheleth*, id est collectorem, quod arithmetice vanitates rerum singularum, adiecta ciphra 0. puta hoc lemmate: *Vanitas vanitatum*, enumeret. *Ubi putatis*, inquit Hugo Victor. *mens erat huius hominis, cum hæc diceret? Homo erat, sed super hominem erat in claritate insolita* (lucis divinæ) *etc. In hanc igitur iste supra omnia caduca et transitoria mente raptus, vidit universorum nihil esse quod maneat, et quasi stupore novæ huius atque insolitæ visionis territus, exclamavit; Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Universitatem enim intuebatur, et totam vanitati subiectam, eiusque vanitatem omnium vanitatum vanitatem, id est, omnem vanitatem in se continentem, quasi genus omnium generum* (eo quod omnia in se rerum genera contineat) *appellavit. Omnia enim vanitas, et ex omnibus universitas, et universa vanitas.*

Advertite ergo, o filii Adæ, audite Salomonem, et Salomonis parentem Davidem regem intonantem: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Psal. 4. Ut quid diligitis et ambitis opes, honores et delicias terrenas, quæ vanæ sunt et mendaces, imo ipsissima vanitas et mendacium? illico enim evanescunt, et sui amatores in æternæ gehennæ incendia detrudunt. Ut quid non ambitis opes et honores cælestes, quæ in æternum durant, et vos perpetua felicitate beabunt? ut quid servitis mundo vano et fallaci? quænam hæc amentia? ut quid non servitis Deo vero et fideli in promissis? Mundus enim est vanitas vanitatum et omnia vanitas; Deus est veritas veritatum et omnia veritas. Mundus est vanitas. Deus veritas.

Ratio a priori est, quod Deus solus sit ipsum esse per essentiam, id est, essentiæ pelagus immensum, solidissimum, æternum, independens, immutabile, optimum, sapientissimum, perfectissimum quaquaversum per omnes entis gradus et species. Cæteræ vero res omnes a Deo creatæ, ac præsertim sublunares, esse ab eo participant diminutum, dependens, instabile, temporale, caducum, umbraticum, mutabile, miserum, errans, imperfectum. In Deo ergo solo est veritas essendi, in creaturis vero umbra duntaxat et vanitas essendi. Unde Deus ait Exodi cap. 3. vers. 14 *Ego sum qui sum*, sive *ego sum Iehova*. Vide quæ ibi hac de re fuse dixi, ubi ostendi, quod sicut Dei nomen est *ens*, vel *qui est*, sic creaturæ nomen est *non ens*, *non sum*. Ratio a priori.

Quocirca S. Athanas. in Synopsi sacræ Script. asserit, *hunc librum quosvis instruere ad pietatem, et universa transcendere, atque hortari ut æternorum memoriam servemus, et sciamus futurum aliquando ut mundus hic præsens finiatur.* Additque hoc libro *confutari vanam et aberrantem Ægyptiorum philosophiam. Videtur ergo*, inquit, *in hoc libro de naturali philosophari theoria, etc. Deiicit etiam Ægyptiorum religionem circa divinationem ex hominis nativitate, dicens: Qui observat ventum, non seret.*

Obiectio. Obiiciebant hæretici initio Ecclesiastæ citati, quod videatur hic criminari et damnare vanitatis omnes creaturas, cum tamen ipsæ a Deo vero et bono veræ et bonæ creatæ sint. Unde occasionem sumpsere Manichæi dicendi, creaturas corporeas esse vanas et malas, ac a Deo malo creatas. Respondeo primo, plane et genuine, creaturas in Resp. 1. se veras quidem et bonas esse; sed si cum Deo creatore comparentur, vanas esse et umbraticas. Infinitis enim partibus a Deo superantur; sicut umbram suam in immensum superat sol. Unde Nyssen. *Hoc*, inquit, *tendit vox Ecclesiastæ, non oportere ad hanc sensibilem intueri vitam, quæ si conferatur cum ea quæ vere est vita, non est, nec potest subsistere.* Et S. Hieron. *Aspiciens*, inquit, *elementa et rerum multiplicium varietatem, admiror quidem corporum multitudinem; sed recogitans omnia transire et suo fine senescere, solumque Deum idem semper esse quod fuerit, cogor non semel, sed bis dicere: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Et S. Gregor. lib. 5. in 1 Reg. 1. 12. *Vanitas vanitatum et omnia vanitas. In comparatione etenim æternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia: quidquid enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto*

est; quia difficile habetur et cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina et omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi mansura blandiuntur, sed amatores suas cito transeunda decipiunt. Dicat ergo Propheta Samuel: Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, q. d. Stulte appetuntur bona sæculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri.

II. Respondet secundo, S. Chrysostomus ad illud Ephes. 4. *In vanitate sensus*, homil. 12. non tam creaturas esse vanas, quam vana hominum studia, quæ in iis plus æquo desudant, nec eas ad debitum finem referunt: *Quæ*, inquit, *a Deo facta non sunt, sed nostri opificii. Cælum non est vanum, neque terra, neque sol, neque ipsum corpus nostrum. Absit hoc: sed quid vanum est? Plantavi mihi vineas, constitui mihi cantores, coacervavi aurum et argentum, etc.* Eleganter vero addit: *Rerum tuetur naturas solidas, et in bono constantes; humanas vero depravatæ nostræ naturæ artes et inventiones suggillat, quæ non solum animos nostros, sed creaturas ipsas corrumpunt et depravant.*

III. Tertio, respondet S. Athanas. in Synopsi, non hic damnari creaturas, sed concupiscentiæ circa eas vanitatem et inconstantiam, præsertim dum in iis ultimum suum finem, omneque bonum et felicitatem Deo posthabito collocant: *Non*, inquit, *ut creaturam criminaretur, sed ut æterna contemplatus, temporariorum desideriorum admoneret esse vanitatem.* Quocirca Olympiod. non simpliciter *vanitatem*, sed *vanitatem vanitatum* dictam esse censet, *ut manifeste nos doceret voluptatem hominum, quæ circa mundana versatur, vanitatem esse.* Idemque in Præfatione. *Ut consilia*, inquit, *hominum reprehendat, qui in hoc mundo spem suam collocasse videntur.* Thaumaturgus vero in sua paraphrasi pathetice exclamat: *Quam vana et inutilia sunt ea omnium hominum negotia et studia quæ in humanis rebus suscipiuntur!*

Hoc est quod ait S. August. lib. de Vera relig. c. 21. *Nisi sunt vanitates, non erunt alia vanitas;* idque explicat exemplo arundinis in aquam immersæ, quæ cum appareat fracta, nulla est arundinis perversitas, sed vel iudicii, vel visus deceptio fractam opinantis: sic esse non est vanitas aut perversitas rei visibilis, quod ad speciem fulgeat; sed animi carnalis et pravi, qui illi totum se mancipat, illisque contra Dei legem voluntatemque utitur et abutitur.

Accedit Vatablus: « Una sententia, inquit, damnat omnes omnium opiniones, qui felicitatem alibi quam in Deo ponunt. » Et mox: « Non hic damnantur creaturæ Dei, sed pravus affectus et cupiditas hominum, qui non sumus contenti præsentibus istis creaturis Dei, et earum usu, sed semper anxii sollicitique accumulare divitias, honores, gloriam, famam, quasi perpetuo hic victuri, fastiditis interim illis quæ adsunt, et alia ex aliis semper affectantes. Hæc est enim summa vanitas et miseria, se usu bonorum præsentium fraudare, et frustra affligi de futuris. »

Hæc de gnome ista summatim dicta sint: nunc singula eius verba ad bilancem revocemus, et penitius libremus et expendamus.

Vanitas vanitatum, quid? VANITAS VANITATUM.) Caietanus vertit: *Vanitas, vanitates: Salomon enim*, inquit, *subiungit introducendo nunc aliquam vanitatem, nunc multas vanitates simul; nusquam vero introducit unam aliquam vanitatem excessivam, quam appellet vanitas vanitatum*, q. d. In omnibus rebus est vanitas, imo non una vanitas, sed multæ vanitates in ea confluunt. Verum longe melius Noster, Septuag. Chaldæus, Syrus, Arabicus, cæterique omnes vertunt per regimen genitivi *vanitas vanitatum*, quod primo Gratian.

I. Expositio. de Pœnitentia distinct. 2. c. finali in calce, per vanitatem accipiens mutabilitatem, exponit, q. d. Vanitas mutabilitatis et mutationum continuarum est in rebus omnibus; omnes enim sunt in continuo motu, fluxu et permutatione, numquam in statu et requie. Audi Gratianum: *Hinc etiam*, ait, *Ecclesiastes: Cuncta quæ sub sole fiunt, id est quæ temporum vicissitudinem recipiunt, non tantummodo vanitas quæ omni creaturæ ratione mutabilitatis inest, sed etiam vanitas vanitatum varietate permutationis, quam recipiunt, esse dicuntur.*

Hic sensus appositus est, sed arctior; nam præter mutabilitatem multæ aliæ sunt vanitates in rebus.

Secundo, alii exponunt, q. d. Mundus hic est vanitas vanitatum, hoc est, universitas et complexio omnium vanitatum; conflatur enim ex singulis singularum rerum vanitatibus. Ita Hugo Victor. quem audi: « Tantum elevatur Canticum Canticorum a Cantico, quantum canticum a verbo, et deinceps verbum a silentio: et tantum sæculorum sæculum a sæculo, quantum sæculum solum a momento, vel item momentum a nihilo; simili que progressione hic per contrarium facta, tanto vanitas vanitatum deterior est a simplici vanitate, quanto simplex vanitas ab essentia solida et permanente. Sic per inculcationem legi potest sententia: Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum et omnia vanitas, ut in omnibus omnimoda vanitas exprimatur, et ex omnibus summa quædam confici intelligatur, quæ omnem contineat vanitatem, ut quasi singula quæque per se vanitas sint, et universitas ex omnibus collecta, sit vanitas vanitatum. Sic in creatione rerum, cum opera sua compleret Deus, unumquodque opus per se bonum dicitur et novissime universitas, perfectis omnibus, valde bona nominatur. » II.

Tertio et genuine, cum dicit Salomon, *Vanitas vanitatum*, est Hebraismus, significans vanitatis præeminentiam et summitatem. Hebræi enim cum quid præcellens et summum in aliquo genere significare volunt, illud congeminant per regimen genitivi, ut cum dicitur: Canticum Canticorum, hoc est carmen excellens, Deus deorum, Rex regum, Dominus dominantium, cælum cælorum, Sabbatum Sabbatorum, Sanctum Sanctorum, sæculum sæculorum, Virgo Virginum, mysterium mysteriorum, seu Sacramentum Sacramentorum, græce apud Dionysium Cælestis Hier. c. 3, τελετὴ τελετῶν, puto Eucharistia. Dicitur ergo: *Vanitas vanitatum*, id est summa, maxima, plenissima, vanissima vanitas, scilicet est mundus hic sublunaris, sive res omnes terrenæ. Audi Nyssenum hic hom. 1. *Dicitur*, inquit, *Vanitas vanitatum, id est, exsuperans in vanitate; perinde ac si quis dicat Mortuo magis mortuum, et inanima magis inanimum: ita etiam vanitas vanitatum ostendit inseparabilem in vanitate exsuperantiam.* Unde inferius homines vana sectantes comparat pueris facientibus domos in arena quæ mox arena corruente corruunt: *Hoc est*, inquit, *humana vita: arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena est quicquid est ex iis; quibus magno studio per carnem fruimur, in quibus, ut quæ minime valeant subsistere, vanæ laborantes infantiles animæ, et in unoquoque eorum multos labores tolerantes, si solum arenæ locum reliquerint, quæ in carne, inquam, transigitur vitam, tunc agnoscent quam in hac re vanum posuerint studium. Nam cum vita materiali simul manet delectatio: secum autem nihil trahunt præter solam conscientiam.* III Significatio.

Audi S. Chrys. hom. 55. ad Popul. Antioch. « Vanitas vanitatum non simpliciter vanitas, sed per excellentiam. Salomoni, quæso, credamus, ut res apprehendamus, in quibus non est vanitas, ubi veritas, ubi cuncta firma sunt atque stabilia, ubi sunt omnia supra petram ædificata, ubi senectus non est, nec transitus. » Idem Chrysostomus in Psalmum 4. « Quis est adeo excors, ut quærat nomina, quæ rebus destituuntur? et persequatur inania quæ oportet fugere? Nonne omnia mentiuntur et decipiunt? Ideo dixit Ecclesiastes: Omnia vanitas. »

DIXIT ECCLESIASTES.) Loquitur Salomon de se quasi de tertia persona: primo, ut significet primarium auctorem libri esse Spiritum sanctum; qua ratione Balaam de se ait: *Dixit auditor sermonum Dei*, Num. 24. 3. et 8. Ioannes c. 21. v. 7. ait de se: *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus;* secundo, id facit modestiæ et humilitatis ergo, qua de causa sanctus Paulus de se quasi de alio ait: *Scio hominem in Christo raptum in Paradisum,* Salomon de se in tertia persona loquitur, cur?

2. Corinth. c. 12. vers. 2. tertio, ut res adeo ingentes, salutiferas et admirabiles, obvias tamen, et quæ quotidie in oculos occurrunt, sed præ hominum stupore non advertuntur, quasi de longinquo ostendat. Ita Hugo Victor. et Bonaventura.

Omnia vanitas quid? ET OMNIA VANITAS.) In Hebr. non est τὸ et, sed subintelligitur a Nostro, Septuag. et aliis. Hebræa ergo sic habent: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas,* vel omne *vanitas,* vel omnis *vanitas,* vel *totum vanitas.*

I. Explicatio. Primo genuine hanc gnomen de universo, sive mundo, præsertim sublunari, cum Chaldæo sic exponas collective, q. d. Universum hoc quod oculis circumlustro, cum tota rerum suarum congerie, est *vanitas vanitatum*, id est summa et extrema (ut vertit Vatablus) vanitas, et *omnia*, quæ in eo existunt, sunt *vanitas*, id est mera, nuda, pura, integra vanitas. Sic enim non decrescit, sed potius accrescit, vis, et nervus sententiæ per τὸ *omnia vanitas;* tum quia τὸ *omnia* significat nullam plane rem in mundo esse expertem, sed plenam vanitatis; quis enim excipiat dicatque: Mundus quidem est vanitas vanitatum, id est refertus variis vanitatibus; at non singula, quæ in eo sunt, vana; occurrit illudque confutat, dicendo: Imo singula et omnia quæ in eo sunt, vanitas; tum quia τὸ *vanitas* idem est quod mera, imo ipsissima vanitas, hoc est, vanissima vanitas. Unde ex Chald. vertunt Reg. *omnino vanitas.*

Secundo, potest hæc gnome accipi distributive, et adaptari singulis rebus mundi, q. d. Non tantum totus mundus, sed et singulæ partes, imo singulæ res mundi sunt *vanitas vanitatum*, id est vanissimæ; *et omnia* quæ in eis sunt, id est, omnia earum accidentia, dotes, formæ, species et qualitates sunt mera *vanitas.*

Unde posset ex Hebræo sic verti: *Vanitas vanitatum*, omnis *vanitas;* sicque exponi per metathesin, q. d. *Omnis vanitas,* id est, omnis res mundi in se vana est *vanitas vanitatum,* id est, plenissima vanitatibus.

Igitur sicut Xerxes ex sublimi specula contemplans suum exercitum, qui continebat ad decies septies centena millia hominum, illacrymans dixit: *Post centum annos nemo ex his omnibus in vita superstes erit:* sic Salomon ex alto felicitatis suæ, aut potius sapientiæ solio aspiciens mundum hunc sublunarem, et omnia quæ in eo sunt, vidensque eorum vanitatem exclamat, et toti mundo, imo sæculis omnibus inclamat: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* O miseri vanique mortales, ut quid vanis inhiatis et intabescitis? ut quid vanis incubando cum vanitate evanescitis? Nonne vides, o homo, nonne sentis, nonne manu tangis res omnes esse vanas, fugaces, fallaces? Quænam ergo dementia illas tanto ardore prosequi, illis tanto affectu adhærere, illis inniti? cum nihil sit in eis solidum, nihil magnum, nihil durabile, quod hominem beare, aut immensam animi eius capacitatem et desiderium exsatiare valeat. Esto enim res omnes bonæ, et consequenter veræ, a Deo bono et vero creatæ sint; tamen in se et ex se non bonæ nec veræ, sed malæ et vanæ sunt; quia ex se nihil sunt, ideoque in nihilum proclives: continua enim declinatione devergunt, ut in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem eductæ sunt, revolvantur et relabantur. A Deo ergo habent quod bonæ, quod veræ sunt; quia omne suum esse, omnem essentiam et existentiam a Deo acceperunt. Hæc rursum multa vanitate permista est: ideoque Salomon in hac gnome τὸ *vanitas*, iterat, triplicat, imo quintuplicat; quinquies enim repetit nomen vanitatis, ut multiplicem et quasi innumeram creaturarum vanitatem demonstret; quia enim ipsæ a Deo hauserunt esse participatum, imminutum, limitatum, modicum et remotum, præsertim quæ sublunares et terrestres sunt; hinc illud habent assiduo motui, agitationi, alterationi, defectui, miseriæ, interitui obnoxium, ideoque vanum et quasi umbraticum, aut nullum præ Deo, qui est plena et omnimoda entitas, veritas, stabilitas, beatitudo et perfectio, ac præ Dei cultu, felicitate, et rebus æternis, quæ Dei veritatem et felicitatem participant. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quocirca hæc propositio: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* cum sit generalis, vera est in rebus et obiectis tam lætis quam malis et tristibus. Hæc enim, æque ut illa, sunt vana, id est, exilia et brevia præ Deo, præ æternis gaudiis et pœnis. Salomon tamen prius duntaxat in sequentibus prosequitur; proposito enim hoc quasi libri themate: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas;* illud deinde ex singularum rerum inductione demonstrat, scilicet ex vanitate et circulatione ventorum, solis, fluminum, et fusissime rerum humanarum; ac post singulas sæpe iterat suum thema, suamque conclusionem perurget: *Vanitas* ergo *vanitatum, et omnia vanitas.* Subinde tamen eam reticet, et lectori inferendam relinquit. Hinc.

Vanitas vanitatum est homo, cur? Tertio, hæc gnome appropriari potest homini, propter quem totus hic mundus, et omnia hæc vana creata sunt, quique parvus quidam est mundus, imo ad hominem solum eam arctat Chald. Caietan. et alii, q. d. Homo est vanitas vanitatum, id est, universitas vanitatis, et omnia quæ in homine existunt, sunt mera et inanissima vanitas. Quid ergo est homo? est microcosmus vanitatum, est epitome et compendium vanitatum omnium, quæ per res cæteras sparsæ et distributæ sunt. Hoc autem a patre Davide didicerat Salomon, qui Psal. 38. 6. quo hic alludit Salomon, ait: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Verumtamen in imagine* (instar umbræ et umbraticæ imaginis) *pertransit homo.* Homo ergo est *universa vanitas, si vivens* (*multo magis mortuus*, ait S. Hieronymus) quia sicut rerum omnium essentiam, sic et vanitatem in se comprehendit: nam subit iniurias corruptibilitatis, ut res inanimatæ; necessitatem nutritionis, accretionis, mortis cum viventibus; sensibilium affectionum et patibilium alternationem qualitatum cum sentientibus; alternationem cogitationum, voluntatum, studiorum, consiliorum cum Angelis; et insuper peccatorum, quæ nefanda et cum natura pugnantia sunt, atrocitatem: ut de morbis et ærumnis sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, ut docent medici, et naturalis historiæ Scriptores, et qui deplorant lapsi hominis calamitates. Ita noster Lorinus, et alii passim ex S. Gregor. homil. 29. in Evang. *Omnis creaturæ,* inquit S. Gregorius, *aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur.* Hinc

Gnomæ Philosoph. de vanitate. Græcorum. a Davide et Salomone idem didicere et docuere Philosophi. Antistrophæ ergo Salomoni sunt hæ eorum sententiæ: Persii: *O curas hominum, o quantum est in rebus inane!* Aristotelis, qui rogatus quid esset homo, sic eum definivisse fertur: *Homo est vanitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina, reliquum vero pituita et bilis;* alius: *Homo est mancipium mortis, viator transiens;* Sophoclis in Aiace: *Video,* ait, *nos nihil aliud esse nisi simulacra, quotquot vivimus, aut tenuem umbram;* Theognis: *Delectare,* ait, *anima mea, mox alii erunt viri; ego vero terra nigra ero;* Pindari: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, id est, *umbræ somnium est homo.* Philosophus quidam rogatus quid esset mundus, respondit: *Mundus est scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum.* Zeno Imperator, audita suorum clade, fugiens exclamavit: *Ludibrium*

Latinorum. *Dei est homo.* Etenim ut ait Plautus: *Dii nos quasi pilas, homines habent.* Plinius scribit Apellem pinxisse Alexandrum Magnum tenentem fulgur manu, quasi imperio penetrantem ab ortu ad occasum; quia instar fulguris illico ubique victor in triumphis gloriosus apparuit, et mox veneno et morte victus, velut inglorius disperiit. Unde Iuvenalis de eius sepulcro Satyra 10.

Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis,

Sarcophago contentus erit: mors sola fatetur.
Quantula sint hominum corpuscula.

Trismegisti: *Exue vestem* (corpus) *corruptionis vinculum, vivum mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum circumcertibile, velamen opacum.* Seneca Consolat. ad Marciam c. 11. *Quid est homo? imbecillimum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, et ad omnem fortunæ contumeliam proiectum.* Idem in Proverb. *Homo vita commodatus, non donatus est.* Idem Præfat. in libr. 1. Natural. quæst. *Hoc est punctum,* inquit, *quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini!* Imo quam ridiculi sunt mortalium puncto inhiantium animi! Et mox: *Cum te in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, et quasi magnum aliquid agatur, equitem modo altiora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere: It nigrum campis agmen, formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, minima etiam, cum illis utrinque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur; at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit.* Et post nonnulla: *Illic incipit Deum nosse. Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet.* Hoc ille Platonice.

Arabum Proverbium est: *Homo est filius defectus,* id est deficiens et plenus defectibus; Hebræorum: *Omnis homo mendax,* id est vanus, deficiens, fallax, errans, et ad mentiendum proclivis. Psal. 115. 11.

Democritus semper ridebat, Heraclitus semper flebat hominum vanitatem.

Denique Democritus, quoties domo egrediens in publicum prodibat, semper ridebat: Heraclitus vero semper flebat. Rogati cur, responderunt se ridere et flere vanitatem mundi, vanasque hominum occupationes, curas et studia. Alteri enim omnia quæ agimus miseria, alteri ineptiæ videbantur.

C Magis pie et pathetice exclamat S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ: *O mortalium fragilis et caduca natura! et nisi Christi fides nos extollat ad cælum, et æternitas animæ promittatur, cum bestiis ac iumentis corporum una conditio est, idem occubitus iusto et impio.* Et alibi: *Sine Christo vanum omne quod vivimus.*

Vanitates mundi duodecim.

Quæres: Quæ et quot in mundo rebusque omnibus creatis sunt vanitates? Respondetur esse multas et pene innumeras; sed illustriores cæteris esse duodecim, contrarias totidem veritatibus, verisque bonis in Deo et cælo existentibus, quæ inspectores movent ad sui contemptum et Dei amorem.

I. Prima est, exiguitas: nimirum quod omnis creatura et creata voluptas sit modica; omnis enim creatura modicum esse accipit a Deo, ac consequenter modicum bonum: bonum enim esse ipsum consequitur, estque proprie passio entis. Quantum ergo est ens, tantum est eius bonum, non maius, non minus. Huic opponitur immensitas Dei, omniumque eius bonorum, quæ profluit ex immensitate essentiæ divinæ. Sperne ergo honorem modicum, quem homines, qui sunt quasi formicæ terræ, tibi offerunt, et rependet tibi Deus honorem suum qui est immensus. Sperne delicias gulæ modicas, quæ ad spatium gutturis dumtaxat, quod vix est unius digiti, se extendunt et fruere Deo, qui est mare deliciarum. Sperne opes terræ modicas, et posside regnum cælorum. Hoc facit quod globus terræ et aquæ (et omnium quæ in eo sunt) ita sit exiguus, ut, comparatus cum toto mundo, eam illo eamdem proportionem habeat, quam unitas habet ad myriadum undecim millia, et 623. myriades, uti docui Baruch 3. 25.

II Secunda est, utilitas: scilicet quod omnis creata voluptas, præsertim humana et carnalis sit terrea, vilis, et sordida; cum increata quæ est in Deo sit cælestis, sublimis, angelica, divina. Amas aurum et argentum? scis quid

A amas? amas terram rubram et albam, ait S. Bernard. Amas purpuram, byssum et margaritas? scis quid amas? amas excrementa piscium, concharum et vermium. Amas lautas mensas? scis quid amas? amas cadavera porcorum, vitulorum, anserum, perdicum, etc. Amas puellam? putidum scortum, vel saccum stercorum amas.

Tertia est, insatiabilitas: quod omnis creata voluptas titillet animum, non satiet, sed irritet, ut alia sine fine concupiscat. Est ergo quasi hydrops, qui quo plus bibit, eo magis sitim acuit, iuxta illud: III.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Divina vero mentem satiat, omneque eius desiderium explet; quia anima, creata ad Dei imaginem, Dei est capax: unde re, quæ Deo minor est, qualis est omnis creatura, expleri nequit. Audi S. Augustinum in Confess. lib. 1. c. 1. *Creasti nos Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quocirca Athanas. in Synopsi: *Per id,* inquit, *quod ista vanitatem esse dicit, futurorum æternitatem significat,* ut ab illo ad hanc mentem
B animumque transferamus.

Quarta est, brevitas: quod omnis creata voluptas sit temporalis, caduca, momentanea, statimque evanescat; divina vero perpetua sit et æterna, duretque quamdiu durabit Deus, qui est eius obiectum, auctor et causa. Unde Psalm. 77. v. 33. dicitur: *Defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione:* Hebr. *cum pavore.* Chald. *cum stupefactione* tantæ festinationis et celeritatis. Lege cap. 5. Sapientiæ, ubi impii in inferno voluptatum suarum brevitatem sero agnoscentes, deplorant se illi inhiasse, quæ transiit, imo transvolavit ut avis, ut navis, ut nuntius percurrens, ut fumus, etc. IV.

Quinta est, instabilitas: quod omnis creata voluptas sit fluxa, nec habeat consistentiam, sed consistat in continuo motu et fluxu. Nam *omnia prætereunt more fluentis aquæ.* Nullam ergo habent constantiam, nisi in perpetua sui agitatione et inconstantia: sunt ergo constans inconstantia: divina vero consistat in statu eodem semper et uniformi, quia Deus est constans, stabilis et immutabilis. Venaris opes, delicias, gloriam? venaris ventos, insequeris umbram, ædificas in arena. Audi Apostolum 1. Co-
C rinth. cap. 7. 29. *Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura huius mundi.* In quæ verba Theoph. *Commonefacit,* inquit, *figuram appellans, omnes huius mundi res, oculos tantum attingere, oculorumque pabulum esse, atque superficiem fluxam, nihil stabile aut subsistens habentem.* V.

Sexta est, falsitas: quod nulla creata voluptas sit sincera, pura, mera et liquida, sed multis molestiis, doloribus et amaritudinibus permista. Paras convivium? quot dies sollicitus es, ut epulas compares, appares, disponas? et quid tandem? Extrema gaudii luctus occupat. In Deo est purum merumque gaudium, mel sine felle, vinum sine aqua. VI

D Quocirca terrena omnia plena sunt fuco, quia exterius insignem speciem et pompam præ se ferunt, interius vero vacua sunt et inania. Quare vani et vacui cerebro sunt qui iis inhiant; sentiunt enim et tacite dicunt illud quod est apud Osee cap. 12. v. 8. *Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Divitiæ enim sunt divitis idolum, id est numen, sed inane et vanum. Audi Nyssenum: *Vanitas eorum dicitur, quorum nullus usus, quæ magno studio et contentione facta sunt, nullo scopo proposito, ut quæ in campo arenoso fiunt ædificia, quæ fit adversus stellas iaculatio, ventorum venatio, cursoris adversus suam umbram decertatio, quando contendit quispiam umbræ suæ verticem ascendere, et si quid eiusmodi invenimus in iis quæ facta sunt temere, quæ quidem omnia vanitatis verbo subiiciuntur.* Denique sic omnia paucis concludit: *Vanitas est res inutilis, vel consilium quod non potest consistere, vel studium quod non pervenit ad finem, etc.*

Septima est, insensibilitas: quod omnis creata voluptas VII.

animam non pervadat, nec penetret, imo in se non attingat, sed tantum corpus sensusque afficiat, et per eos animam obiter perstringat: quare similis est pomis Sodomæ, quæ mox ut tanguntur, in favillam et cinerem abeunt; ac præstigiis magorum et sagarum, quibus Dæmon epulum instruit in specie opiparum, sed revera falsum et inane; unde eo peracto, tam esuriunt quam ante.

Audi Solinum Polyhist. cap. 44. de Pomis Sodomæ post cœleste eius incendium: *Ad speciem fulgent*, inquit, *mandi tamen non possunt; nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, et fatiscit in vagum pulverem.* Talis est omnis vana terræ voluptas: divina vero voluptas ipsam animam occupat, pervadit et replet; Deus enim solus animæ, hoc est menti et voluntati illabi potest. Vide Hieronym. Plat. de Bono status relig. lib. 3. cap. 4. *Vanum est quod non confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti*, ait Guiliel. Paris. tract. de Univers. c. 52.

VIII. Octava est, infidelitas: quod omnis creatura infidelis sit, sæpeque spem quam promittit non præstet: sic agri, vineæ, prata, sæpe non præstant fruges, quas in semente promittunt. Deus autem fidelissimus est, promissa sua præstat, imo superat plus dans quam sit pollicitus. *Beatus* ergo *vir, cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas*, Psal. 39. 5. nam ut dicitur Psal. 101. 4. *Defecerunt sicut fumus dies mei.* Ubi eleganter Cassiodorus: *Fumum videmus de flamma quidem egredi, sed in auras liquidas tenuissime dissipari, nec substantia eius manet: quamvis ex corporali incendio generatus esse videatur. Merito ergo dies peccatorum globis fumiferis exæquantur, quos involutis ac tetris actionibus decepti homines perdiderant. quod maxime ad superbiam mundi respicit, quæ quanto plus extollitur, tanto amplius evanescit.* Et Psal. 36. 2. ab impiorum felicitate avocans, eam ait instar fœni et olerum subito exarescere: *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident*; et v. 20. eamdem comparans fumo: *Inimici Domini*, ait, *mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Quam fumi similitudinem exponit eleganter S. August. *Fumus*, inquit, *a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum erumpens intumescit. Sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior: ab illa enim magnitudine non fundata et solidata, sed pendente et inflata, et in auras, atque in ventos dilabitur, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Quando enim plus erectus est, quanto extensus, quanto diffusus undique in maiorem ambitum, tanto fit exilior et deficiens, et non apparens.* Sed Augustin. Nebiens. ex Hebr. vertit: *Sicut pretiosiora arietum consumentur sicut fumus.* Clarius Chald. *Sicut gloria vervecum*, inquit, *qui cibo impinguantur, at finis eorum decollatio; sic impii confundentur, et in fumo gehennæ consumentur.*

IX. Nona est, incertitudo: quod omnis creaturæ voluptas sit incerta. Quam sunt divitiæ incertæ, quæ o fure rapi, ab incendio comburi, a mari hauriri possunt! Quam sunt honores incerti! tam incerti quam homines hominumque voluntates, a quibus pendent. Cum enim res omnes creatæ incertæ sint, nullam certitudinem amanti præstare possunt. At divina voluptas tam certa est, quam certus est Deus, cui inhæret, et a quo in nos dimanat. Oremus ergo cum Psalte: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*, Ps. 118. 37. ubi Chald. vertit, *ne videant falsitatem*, vel mendacium. Quo loco eleganter S. Hilarius rogat: *Quos oculos, et a qua vanitate orat averti? Orat averti et animi et corporis oculos; eos scilicet qui in theatralibus ludis captivi incubant; eos qui vestium pretia mirantur; eos quos auri splendor et gemmarum varietas occupat.*

X. Decima est, fallacia: nam omnis creatura separabilis est, sæpeque post unum annum, mensem vel diem, et semper in morte ab amante separatur, eamque deserit; at divina inseparabilis est. Beati enim in cœlo numquam a

A summo bono eaque beatitudine avelli aut separari possunt; falsa ergo cum creaturis amicitia est, vera cum Deo, Angelis et Sanctis. Ama amicos, qui te numquam amare bonisque omnibus cumulare desinent, si tu prior eorum amicitiam non repudies. Falsa illa similis est segeti pulchræ, sed aurugine percussæ, ideoque sterili et siccæ, de qua Virgil. 1. Georg.

Illos, scilicet agricolas,
Expectata seges vanis eluxit aristis.

Unde Seneca Epist. 80. *Omnium istorum*, inquit, *personata felicitas est. Contemnes illos, si despoliaveris.* Et nervosius Epist. 115. *Miramur*, ait, *parietes tenui marmore inductos, cum sciamus quale sit quod absconditur, oculis nostris imponimus; et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur, omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice, et disces sub ista tenui membrana dignitatis quan-*
B *tum mali lateat.*

Et S. Chrysost. in illud Psal. 4. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Hic*, inquit, *et idololatriam et flagitiosam vitam videtur exprimere. Vanum enim dicitur illud quod est inane, cum nomen quidem fuerit, res non fuerit. Sic apud Gentiles multa quidem Deorum nomina, res vero nequaquam. Nec minus in humanis rebus nomen est divitiarum, res nullo modo; nomen Principatus, et remanet nudum et exile nomen. Quis enim adeo vecors est, ut nomina quærat quæ rebus destituuntur, et inania persequatur quæ fugere oporteat?* Hoc est illud Psal. 61. 10. *Vani filii hominum, mendaces in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Hebræa habent: *Mendacium filii viri*; Chal. *Nihil hominum filii: mendacium viri filii*, id est viri principes, vel felicissimi hominum; neque unus tantum, sed in *idipsum* simul omnes, omnia humana adeo vana sunt, ut *de vanitate*, id est præ vanitate, *decipiant*, id est fallaciora et menda-
C ciora se ostendant, q. d. Si in una lance bilancis ponas omnes filios hominum, etiam magnates et principes, qui felicissimi videntur, in altera vero colloces vanitatem, hæc vanitatis lanx illi principum præponderabit, q. d. Omnes principes, omnis eorum felicitas et gloria ipsa vanitate est levior, vanior et inanior.

Undecima est, infirmitas: quia omnis creata voluptas infirma est. Amas mulierem pulchram? morbo ecce corripitur, deflorescit, decoloratur, fit turpis, putida, fœda. Amas Deum? incorruptibilis est, immortalis, sanissimus, qui suos sanctos, sanissimos, perpetuo vegetos, iuvenes et florentes efficit, iuxta illud Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius.* Omnis ergo mundi gloria est velut puerorum pappus (puta carduorum flos et lanugo) qui cum suo ortu canescit, senescit (unde et senecio vocatur) vanescit: ad minimum enim auræ motum in tenues villos, floccosque volantes abit. XI.

D Duodecima est, pernicies: creata enim voluptas noxia est et exitialis, ducitque ad dolores præsentes et æternos; at voluptas divina utilissima est et salutifera, ducitque ad gaudia sempiterna. Ergo creatas *sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.* Dicito cum Demosthene: *Ego tanti pœnitere non emo. Delectare in Domino:* quia *delectationes in dextera eius usque in finem.* Vide dicta Isaiæ 24. 10. ad illa: *Attrita est civitas vanitatis.* XII.

Plura vide apud Didacum Stellam et Innocent. III. Pont. lib. de Vanitate et contemptu mundi. Hugonem Victor. Hugon. Cardin. Bonavent. Dion. Carthus. et Titelmannum in hanc Salomonis gnomen.

Vis huius sententiæ et harum vanitatum exempla? Accipe apposita et pathetica. Primus in theatrum vanitatis mundi prodeat Gilimer Wandalorum rex, æque ac Salomon Hebræorum, qui a Belissario victus, captus et in triumphum ductus est, de quo audi Procopium l. 2. de Bello Wandal. « Erat autem intra triumphi captivos Gilimer ipse, purpuream quamdam vestem humeros ami-

ctus, una cum omnibus consanguineis ac Wandalis, quod proceritate corporum et pulchritudine præstarent. Postquam vero Gilimer in hippodromo constitit, ac Imperatorem in alta sede constitutum, populumque circumstantem conspexit, ac demum seipsum in quod fatum pervenerit, considerasset, neque flevit, neque aliter conquestus est; tantum illud Hebræorum voluminum memoravit: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Nec mora, ipse pariter et Belisarius iussi ab his qui Imperatoriam purpuram sustinebant, Iustinianum supplices adoraverunt. » Sed et ipse Belisarius eiusdem vanitatis factus est speculum et præco, cum post tot tantasque victorias et triumphos, iussu Theodoræ Imper. violentas manus iniiciens in S. Sylverium Pontif. iusta numinis vindicta eo miseriarum redactus est, ut excæcatus et bonis exutus stipem mendicare coactus sit, ac dicere: *Da obolum Belisario, quem extalit virtus, excæcit invidia*; uti ex Volater. Crinito, Pontano, et aliis narrat Baronius tom. 7. anno Christi 561.

Vanitatis exemplum. Lotharius Imper. Caroli Magni ex Ludovico patre nepos, qui Lotharingiæ nomen dedit, cum ipsa prius Austrasia diceretur, imperio quindecim annis iuste et pie administrato, recordatus sermonis, quem Ludovicus ipsius pater moriens habuerat de mundi vanitate, quam scilicet ipse quoque experiendo cognorat, humana omnia deserere constituit, atque ex illis imperii fluctibus in portum religiosæ quietis se recipere. Quamobrem mirante toto orbe terrarum in Cluniacensi monasterio se conclusit, ubi reliquam vitam transegit in paupertate et obedientia, regno prius inter tres filios diviso. Contigit hoc anno Domini 855. atque eodem vitam religiosam cum pia morte commutavit. Laudatus invenitur a Rabano lib. de Anima, et ab Angelomo Præfat. in Cant. Ita ex Reginone Baronius anno Domini 855. et Hier. Platus lib. 2. de Bono status relig. c. 26.

Fulgentius Romam veniens anno Domini 500. cum videret Theodorici regis aulam et Romanæ Curiæ gloriam: *Quam speciosa*, inquit, *potest esse Ierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria præstabitur sanctis contemplantibus veritatem?* Ita habet eius vita apud Surium 1. Ianuarii.

Sancto Benedicto mundi vanitas et exilitas, Dei vero veritas et maiestas in raptu hoc schemate a Deo ostensa est, uti narrat S. Gregor. l. 2. Dialog. cap. 36. « Noctu, ait, ad fenestram stans et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res in hac speculatione secuta est; quia sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri. » Causamque et modum huius visionis subiicit S. Gregorius dicens: « Quia animæ videnti Deum angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo: fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur; et dum sub se conspicit, exaltata comprehendit, quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. »

Sic S. Franciscus in oratione raptus mente in Deum, et corpore in aere pendulus, aiebat: *Quis ego sum, Domine, quis tu? Ego abyssus vanitatis, ignorantiæ, malitiæ et nihili; tu abyssus veritatis, sapientiæ, bonitatis et rerum omnium. Deus ergo meus et omnia.* Igitur sicut se habet vanitas ad veritatem, radius ad solem, gutta ad mare, vapor ad terram, umbra ad corpus, punctum ad totum universum; sic se habet mundus ad Deum. Quid ergo tu, o homo, es ad Deum, qui huius mundi et universi non es millesima, nec multarum millionum millesies millesima pars et portio? ait S. Chrysost.

S. Salvius Episcopus, vita functus raptusque in cælum, cum ibi Beatorum gaudia contemplatus esset, Dei iussu remissus ad corpus, quasi ex gravi somno experrectus, convocatis omnibus exclamavit: *Audite o dilectissimi, et intelligite quia nihil est, quod cernitis in hoc mundo, sed sunt iuxta id quod Salomon Propheta cecinit: Omnia vanitas. Felix est, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei mereatur in cælo.* Quocirca vitam deinceps in magna sanctitate instituit, in eaque cursum feliciter consummavit, uti fuse narrat oculatus et auritus testis Gregor. Turon. lib. 7. Histor. cap. 1.

Gnomen hanc Salomonis crebro usurpabat S. Dominicus: quare ubique privatim et publice magna libertate et spiritu omnes, etiam magnates ad sæculi contemptum, et ad Christi amorem excitabat. Ita habet eius Vita. Eum imitentur omnes Religiosi.

Noster Thomas Thecdidactos lib. 1. de Imitatione Christi cap. 1. « Vanitas vanitatum, inquit, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cælestia. Vanitas igitur est divitias perituras quærere, et in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire, et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi, et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, et de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solum attendere, et quæ futura sunt non providere. Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit, et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. »

B. Iacoponus in sæculo vir nobilis, iuris Doctor, celebrisque causarum patronus, sed superbus, avarus, et vanitatum mundi mancipium, cum uxorem suam in festis ludisque publicis ruina theatri oppressam, aspero ad carnem cilicio indutam deprehendisset, tam subito eius casu quam asperitate vitæ compunctus, sæculo valedicens, vexillum crucis in S. Francisci ordine secutus, mirus exstitit sui mundique vanitatum contemptor, imo irrisor, anno Domini 1300. Inter alia hunc de rerum vanitate rhythmum composuit, in quo inter cætera ita canit:

Quid mundus militat sub vana gloria,
Cuius prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur eius potentia,
Quam vasa figuli quæ sunt fragilia, etc.
Dic ubi Salomon olim tam nobilis?
Vel ubi Samson dux invincibilis?
Quo Cæsar abiit celsus imperio,
Vel dives splendidus totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio,
Vel Aristoteles summus ingenio?
Tot clari proceres, tot rerum spatia,
Tot ora præsulum, tot regna fortia,
Tot mundi principes, tanta potentia,
In ictu oculi clauduntur omnia.
Superna cogita, cor sit in æthere.
Felix qui potuit mundum contemnere.

Ita noster Raderus in eius Vita, et Annales Minorum.

Huic non absimilis fuit ille, qui mundi vanitate perspecta et despecta, ita cecinit in libro qui inscribitur: *Lavacrum conscientiæ*: Logicus.

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis;
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Claudat Tragœdiam vanitatis mundi Eutropius, cuius initia fuere gloriosa, ultima vero tragica et funesta. Fuerat ipse Consul Constantinopoleos, atque Arcadii Imperatoris tutor et moderator, qui eum et per eum totum orbem regebat, ut cuncti in eum magis quam in Arcadium respicerent, cunctique eius gratiam ambirent. Incidit suo luxu et fastu in odium militum et civium, ipsiusque Arcadii, quorum iras et strictos enses metuens, profugit ad Ecclesiam quasi ad asylum, ac sub altari delituit. Instabant milites, eumque ad necem reposcebant, imo vi ab altari extrahere conabantur, eo quod ipse paulo ante ius asyli

Ecclesia lege lata abrogare voluisset. Intervenit S. Ioannes Chrysostomus, Ecclesiæ Præsul, qui ut ius asyli tueretur, et Ecclesiasticam mansuetudinem in profugum ostenderet, hac oratione (quæ exstat sub finem tom. 5. et inscribitur *ad Eutropium*) furentes in eum animos deliniivit: « Semper quidem, frater, sed nunc præcipue competenter dicetur: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas: ubi nunc est refulgens consulatus ambitio? Ubi resplendentes ad invicem siderum toto orbe lampades? ubi equorum certamina? ubi diversorum munerum pompa? ubi corona et varius totius orbis ornatus? ubi tubæ et theatralis illa populi adolantis acclamatio? Repentini spiritus flatu tamquam folia cuncta decussa sunt, et arbor nuda derelicta est; et non solum nuda, sed et ab ipsis convulsa radicibus: tanta enim vi ventus incubuit, ut ipsius arboris abscideret nervos. » Pergit deinde cæteras vanitatis species enarrare: « Ubi nunc simulati illi amici? ubi variæ adulationum facies? ubi convivæ et prandiorum cœnarumque asseclæ? ubi parapsides? ubi electa vina et per totum diem tracta convivia? ubi coquorum exquisitæ artes? ubi denique omnis illa potentia, et clientum greges ad gratiam cuncta loquentium? Mox erant omnia illa ut somnium, et die exorto nusquam comparuerunt: umbra erat, et pertransiit; fumus fuit, et dissolutus est; bullæ aquarum fuerunt, ac disruptæ fuerunt: araneæ telæ erant, et discissæ sunt. Propter eaque iterum spirituale istud carmen canimus dicentes: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Hunc enim versiculum si saperent, qui in potentia versantur, in parietibus omnibus et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in ianuis, in ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent, et corde sentirent. » Et nonnullis interiectis, ita eius miseriam militibus furentibus repræsentat: « Intuemini, inquit, eum qui in tanto culmine erat, nunc usque ad ima deiectum; et eum qui orbem terræ extento nutu quatiebat, nunc lepusculi alienius aut ranæ timiditate attractum latitare, absque ullis vinculis ad basin columnæ huius astrictum, formidantem ac trementem, etc. » Hac oratione S. Chrysost. turbam furentem ad commiserationem commovit, et ad lacrymas inflexit, ut Eutropio parceret, et Arcadius iuraret se ei vitam condonaturum. Iureiurando igitur accepto eductus ex Ecclesia Eutropius, in exsilium mittitur. Sed rursus instante Gaina duce exercitus, eius æmulo, ac recrudescentibus odiis, Eutropius non tantum consulari dignitate et patricio gradu deiicitur, sed et bonis vitaque privatur, ac Chalcedone securi percutitur: statuæ plurimæ, etiam aureæ illi erectæ evertuntur, omniaque eius monumenta abolentur: nomen a fastis deletur, et perpetua notatus ignominia oblivione sepelitur. Ita miseri tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant, feriuntque summos fulmina montes.

Acervus exemplorum vanitatis. Denique audi Ascanium Martinengum in Gen. part. 2, pag. 1233. vanitatis mundi exempla pathetice coacervantem: *Vanitas vanitatum, etc.* ubi Nemrod fastus? ubi Nini inclytum nomen? ubi Asueri supra viginti septem provincias dilatata sedes? ubi Cyri tot laboribus comparata gloria? ubi Crœsi immensum aurum? ubi Darii partum vafre regnum? Xerxis innumerabiles copiæ sexdecim millium myriades excedentes? Alexandri vix Indico Oceano et Riphæis montibus terminatum imperium? Pompeii amplissima potentia? Cæsaris invicta fortuna? Augusti amplissima monarchia? Caligulæ fœdæ voluptates? Neronis inexcogitatæ illecebræ? *Vanitas vanitatum etc.* Ubi Semiramidis mirifica potentia? Helenæ species infausta? Hecubæ numerosa proles? Cleopatræ nimiæ deliciæ? Liviæ augusta felicitas? Agrippinæ numquam satiatæ vanitates? *Vanitas vanitatum etc.* Quonam loco conspici nunc possunt Babylon illa superba, Memphis immensa, Carthago Romani Imperii terror, Argos illustris, Athenæ disciplinarum nutrices, Corinthus pulchra, Sardis dives, Roma triomphans, Hierusalem sancta? *Vanitas vanitatum etc.* Quo abiere septem illa ædificia toto orbe decantatissima, quæ propter admirandam operis magnitudinem exstitere loco miraculi, ut nihil divinius ars humana posset confin- A gere aut excogitare? Scilicet Babylonis muri, Dianæ Ephesiæ templum, apud Rhodios solis Colossus, Ægyptiæ pyramides, sepulcrum Mausoli, turris Pharia, simulacrum Iovis Olympici? Quo Cyri Medorum Regia, Romana amphitheatra, et cætera mirifica ædificia, quæ nunc prostrata atque collapsa, vix quanta Roma fuerit ruinis edocent et prædicant? *Vanitas vanitatum.* Sed ut quid iubet exterarum rerum monumenta recensere, et nostrarum exempla non proferre? Ubi est amplissimum illud sapientissimi Salomonis imperium, quod vix a Dan ad Bethsabee terminabatur, cuius regia reginam Saba ad stuporem perduxit? Ubi immanes eiusdem divitiæ, qui in quotidianis sumptibus farinæ coros sexaginta (corus autem mille libras continebat) boves domesticos duodecim, campestres viginti, arietes centum, præter altilium ac ferarum quæ venatione capiebantur copiam immensam, absumebat; qui equorum quadraginta millia alebat in stabulis, curruum et equitum duodecim millia; qui præter omnia vectigalia sexcenta sexaginta sex talenta auri pro B munere exigebat (talentum autem erat pondere librarum sexaginta quinque) qui septingentas reginas ac trecentas concubinas alebat, in cuius tandem regno tanta erat copia argenti, quanta et lapidum; imo et pro nihilo argentum putabatur? Nonne ipse in tanta humanarum terrenarumque rerum exundantia, verum hoc de rebus sæculi iudicium tulit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas?*

Qui igitur hæc legis, et alta mente recondis, vanitati nuntium remitte, ne cum ea evanescas, veritatem amplectere, Deo iungere, æternitati semper consistenti cor mentemque affige, ut cum ea stabili stabilis perdures, ac cum beata in omne ævum beeris. *Lux enim perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et ÆTERNITAS TEMPORUM. Alleluia.* Audi Esdram l. 4. 2. 34. *Exspectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per ÆTERNITATEM TEMPORIS. Fugite umbram sæ-* C *culi huius: accipite iucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palam Salvatorem meum. Commendatum donum accipite et iucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit.*

QUID HABET AMPLIUS HOMO DE UNIVERSO LABORE SUO, QUO LABORAT SUB SOLE?) Subaudi, quam vanitatem vanitatum! Vers. 3

Pro *laborat* hebr. est עמל *amal,* id est laborat anxie et moleste; græce, μοχθεῖ, id est affligitur, in ærumnis agit, vitam ærumnosam ducit. *Labor* ergo hic laboriosam tam actionem quam passionem, omnemque dolorem, afflictionem, ærumnam sive corporis, sive animi significat. Sensus ergo est, q. d. Homo laborat assidue, et fatigat se, milleque curis et ærumnis affligit, sed in vanum et frustra: quia omni suo labore, cura et afflictione nihil acquirit nisi vanitatem, puta vanas opes, honores, delicias, quæ ocyssime in fumum abeunt et evanescunt. Unde hebr. est: *Quid residuum, vel superstes homini in omni labore suo quo laborat sub sole?* Sept. Vatic. *Quid super-* D *est homini in omni labore suo?* Complut. vero et S. Ambr. in Psal. 118. serm. 12. *Quæ abundantia homini in omni labore suo?* Syrus: *Quæ utilitas filio hominis in omni labore suo?* Arabicus: *Quæ præstantia homini in omni labore suo?* Aquila et Symmach. τι πλέον, id est: *Quid plus est homini*, vel *quid magis est homini?* Pagn. *Quæ utilitas homini?* Alii: *Quid reliquum post laborem? quid præmii? quid mercedis? quid magnum? quid amplum? quid excellens refert homo ex omni labore suo quo laborat,* et velut in pristino assidue se defatigat? Chaldæus Paraphrastes: *Nam quid tandem reliquum est homini, postquam a vita discessit ex omnibus studiis suis, quæ eum sub sole in hac vita occupatum tenuerunt præter studium legis, quo aliquando futuris sæculis diligentiæ suæ a Domino præmium ferat?* Hebr. enim יתרון *itron*, variæ amplæque significationis est: unde significat *amplius, reliquum, superstes, superabundans, exsuperans, excellens, præstans mercedem, præmium, etc.* Tigur. *Quantum*

(quantulum, quam modicum, vile et exiguum) *enim homini reliquum est post omnem laborem, quem perfert sub sole!*

To *enim* et *nam*, ut habet Chald. non est in Hebr. Septuag. et Vulgata, sed intelligitur. Dat enim causam cur omnia sint vanitas vanitatum, id est mera vanitas; quia scilicet ex omni labore et studio, quo ea anxie et laboriose prosequitur homo, nihil fructus refert nisi vanitatem, fumum et nihilum. Hugo Victor. vero censet hoc versu esse illationem ex præcedenti, q. d. *Si omnia vanitati subiecta sunt, opera hominum a vanitate aliena esse quomodo possunt? Si quod Deus creavit* (vanitas est) *quomodo non multo magis quod homo facit?* Hinc patet hæc verba non esse impiorum negantium animæ immortalitatem, resurrectionem, et futura bonorum præmia, ut quidam autumat; sed esse ipsius Salomonis, uti S. Hieron. et cæteri omnes asseverant, ipsumque loqui de labore hominum, qui rebus terrenis vanisque inhiant; hic enim universus vanus est: non vero de labore Sanctorum, qui student pietati, virtuti et cultui Dei. Hic enim non vanus, sed verus utilisque est; quia parit æternam gloriam, iuxta illud: *Non sunt condignæ passiones* (quas tum patiendo, tum agendo et laborando subimus pro Deo) *huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

Expositio. I. τὸ amplius. Igitur hebr. *itron*, græcum περισσόν, latinum *amplius* multa notant, et multipliciter accipi possunt. Primo simpliciter et genuine, q. d. Quid post laborem continuum, gravem et molestum homini amplius superest, nisi vanitas vanitatum, puta exiguum lucrum, quod cito consumitur et evanescit? Erras, o miser homuncio, erras qui labore te defatigas et discrucias, quasi magna lucra relaturus, cum non nisi vanitatem sis reportaturus. Ita Hugo et Dionysius.

II. Secundo, nervosius alii τὸ *amplius* referunt ad laborem, q. d. Quid ex labore suo amplius habet homo, subaudi quam ipsum laborem, q. d. Ex labore nil acquirit homo, nisi laborem, indeque defatigationem, dolores et cruciatus, qua in re homo miserior et stolidior est cæteris animantibus et creaturis, quæ minus laborant, et suavius vivunt, cum homo plus laboret, et ærumnosius vivat. Aves enim non serunt, neque metunt, sed grana ab agricolis seminata colligunt, indeque læte vistitant, canunt, laudantque Deum; boves, oves, equi cibo illaborato, puta gramine quod sponte terra germinat, pascuntur. At homo noctu diuque laborat, seque eviscerat ac mille curis discruciat, ut se, uxorem et filios alat: et tamen post omnes hosce labores et sollicitudines, vix quidquam præter necessarium victum et vestitum acquirit. Adde opes et honores quos acquirit, sæpe tot curis et molestiis esse permixtos, ut magis labores sint et dolores quam honores et voluptates. Audi Senecam de brevitate vitæ, c. 2. *Quam multis graves sunt divitiæ? quam multorum eloquentia quotidiana, ostentandi ingenii specie, sanguinem educit? quam multi continuis voluptatibus pallent? quam multis nihil liberis relinquit circumfusus clientum populus?* Idipsum repræsentat illa inter onus et honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas. Ut enim S. Isidor. dixit l. 1. cap. 26. *Honor ex onere venit, aut potius de honore onus.*

III. Tertio, τὸ *amplius* accipias pro mercede, q. d. Ex omni labore quid mercedis refert homo? utique exiguum vel nihil, q. d. Salomon: Appello citoque vos, o mortales, ad rationes accepti et expensi supputandas. Expendistis tot annos maxime in laboribus ruralibus, fabrilibus, mercatoriis: quam ex omnibus mercedem tantis laboribus parem accepistis? utique nullam: labor enim superat omnem fructum quem percepistis. Huc facit illud Proverb. 11. v. 18. *Impius facit opus instabile* (Hebr. *opus vel laborem mendacii,* id est vanum, mendacem et fallacem, quia sterilem et inutilem) *seminanti autem iustitiam merces fidelis.*

IV. Quarto, τὸ *amplius* et hebr. *itron* accipias pro utilitate, commodo et emolumento, q. d. *Quid amplius*, id est quid utilitatis consecuti estis ex omni labore vestro? utique parum. Laborastis uti asini, et vix obolos aliquot comparastis. Unde Isidorus Clarius vertit: *Quem stabilem fructum referet homo, etiamsi multis modis se torqueat in hoc, ut fructum aliquem inveniat?* Ita S. Greg. Neocæs. Hugo Victor. et alii.

V. Quinto, potest τὸ *amplius* accipi non ut adverbium, sed ut nomen (tale enim est hebr. *itron*) comparativum significans *præ cæteris amplum*, *excellens et præstans*, q. d. Quid amplum, magnum et præstans e tot tantisque laboribus retulistis? utique nihil, sed viles et exiles duntaxat nummos vel fructus. Unde Arabicus vertit: *Quæ præstantia,* sive *quæ virtus,* aut *quod beneficium* vel *munus?* S. Ambr. in Psal. 118. ser. 12. et S. August. 20. Civit. c. 3. *Quæ abundantia homini?*

Sic *amplius* pro amplo et præstanti sumitur Matth. 5. 47. *Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?* Hoc est ut Vatabl. *Quid eximium facitis?* Et Rom. 3. 1. *Quid amplius Iudæo?* id est ut Tigurina. *In quo præcellat Iudæus?* S. Chrysost. et Theodor. *Quid honorificentius Iudæo?* Et 1. Thess. 5. 12. *Ut noveritis eos, qui laborant inter vos, ut habeatis illos abundantius*, id est, ut Ambrosiaster, *ut illis habeatis summum honorem.* Tigurina, *summo in pretio.* Theod. *plurimi eos facite.*

Nota τὸ *de universo labore suo*, q. d. *Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum,* ut ait Iob cap. 5. Sed ipse sibi hunc laborem aggravat et multiplicat sine fine, ex avaritia et cupiditate. Eumdem augent filii, amici, inimici, multaque alia quæ fuse recenset Eccli. c. 40. 1. et seq. *Occupatio* (molestia et labor molestissimus) inquit, *magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Universus hic ampliusque labor amplum exposcit præmium. Sed incassum; quia vile et exiguum ei redditur. Vide ibi dicta. Si quotidianæ occupationes quas Eccl. ibidem recenset, irascendi, contendendi, tumultuandi, fluctuandi, timendi nullum hominem non male habent, neque non acriter pungunt; quantum putas excruciabunt vanissimorum hominum mentes pertinacissimæ aliæ atque gravissimæ iræ, contentiones, tumultus, fluctuationes, timores et labores vere sui illorum proprii, vere sua vanitate et culpa, nulla vera honestave causa suscepti. Ita Pineda.

VI. Sexto, τὸ *amplius* et hebr. *itron* significat residuum, sive id quod post laborem remanet et superest, q. d. Quantulum est quod post tantos labores remanet et superest? utique exiguum, et modicæ durationis parvique ævi et temporis; quia labor durat usque ad senectam, imo per totam hominis vitam: quid ergo post eum in vita remanet quietis, recreationis et gaudii? utique perparum vel nihil; imo omne illud rursum in laborem et dolorem desinit, sicque omne vitæ huius mel in amarum fel vertitur.

Hæc sententia vera est in vita, verior in morte, verissima post mortem. In vita enim post labores parum vel nihil remanet; quia totam vitam occupant labores, mordaces curæ, et dolores, ut omnem pene ab ea quietem et gaudium excludant.

In morte verior est, quia in morte cum vita finitur omne vitæ gaudium. Unde illud: *Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis,* Psal. 74. 6.

Post mortem verissima, quia vani impiique homines, qui in hac vita vanitati vanisque cupiditatibus servierunt, laborarunt, sudarunt, in inferno videbunt se omni suo labore et sudore non aliud sibi comparasse, quam ignes et tormenta gehennæ. Unde illa eorum lamentabilis et inconsolabilis vox: *Ergo erravimus a via veritatis, etc. et lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus? Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid intulit nobis? Transierunt omnia ista tamquam umbra,* etc. Sapient. 5. 6. Hinc illa sarcasmus, sive hostilis irrisio impiorum apud Isaiam c. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem: accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis; de manu mea fa-*

ctum est hoc vobis in doloribus dormistis. Vide ibi dicta.

I. In Sole... Quo laborat sub sole.) Primo, q. d. Ego Salomon mentem elevans ad cælum, ibique supra solem vel in sole spiritu meipsum constituens, indeque in terram despectans, ac videns omnes homines hominumque labores, occupationes et studia, video omnia esse vana, nulliusque utilitatis et fructus; quare eorum misereor, et miseratione cordis tactus, eis inclamo: O miseri mortales! video opera vestra, vestras fabricas, vestras urbes, provincias, regna, imo totam terram esse instar puncti et centri, si cum vasta cælorum amplitudine conferatur: video vos velut formicas discurrere, laborare, satagere, ut granula pauca convehatis et in futuram ætatem recondatis. Video vos hac in re omnem vitam insumere. Omnibus ergo et singulis inclamo: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*; vanum est omne in quo laboratis, vani omnes labores vestri, in vanum consumitis vires vestras: quia ex omni labore vestro nil nisi alimoniam modicam consequemini, quam sine labore habent aves, oves et boves.

II. Secundo, proprie τὸ *sub sole* significat solem esse laboris moderatorem, dum oriens excitat hominem ad laborem, occidens ad quietem; dum laborantibus lumen et quasi facem præfert, dum suo suo assiduo et velocissimo motu ad motum et laborem exstimulat. Sol enim singulis horis conficit unum millionem et centum quadraginta millia milliarium, uti ostendi Genes. 1. v. 14. imo quotidie sol circuit totum cæli ambitum. Hinc illud Psal. 103 22. *Ortus est sol, etc. exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* Sol ergo laboris est index, symbolum, stimulus et exemplum. Hugo de Sancto Victore vero censet τὸ *sub sole* dici ad contemptum, et irrisionem vani et miseri laboris hominum qui luce solis oritur, et ea finiente sistere cogatur: *Consideravit Ecclesiastes*, inquit, *quam abiecta et misera sit mortalium conditio, qui in terræ superficie quasi vermes quidam vana curiositate reptantes, subito lumine desuper infuso quasi ad illusionem, excitantur captare quod vani appetunt, et eodem post modicum subtracto, subita rursum cæcitate obvolvuntur, et nequaquam ultra in effectum prodire possunt.*

III. Tertio, τὸ *sub sole* notat nil amplius habere laborantes ab otiosis; quia sub sole omnes, relicta præsenti vita, communem mortem subimus. Unde Seneca ep. 91. *Impares*, inquit, *nascimur, pares morimur.*

IV. Quarto, Hugo: *Sub sole*, inquit, id est sub tempore; sol enim suo motu describit dies, annos et tempora, q. d. Vanus est labor hominis, qui laborat tempori, cum natus sit ut laboret et vivat æternitati. Ita Hugo uterque, scilicet Carensis sive Cardinalis, et Victorinus. Addit Carensis: *Sub sole*, inquit, *quasi luce, non duce.*

V. Ex genuinus. Quinto et maxime, τὸ *sub sole* notat tum locum laboris hominum, qui est sub sole in terra, tum materiam laboris, quæ sunt res terrenæ, ideoque viles et vanæ, tum finem laboris hominum terrigenarum. Hi enim sub sole vane laborant ut subsolaria et sublunaria, id est, terrena et caduca bona conquirant. Quare τὸ *sub sole* innuit quærendos homini esse labores, qui supra solem durent, et beent laborantem in cælo, inquit Olympiod. Mondanus ergo, vanus et impius homo laborat sub sole, sibique parat mortem et gehennem: pius vero laborat supra solem, quia virtutum opera et merita conquirit, quibus vivat Deo, ab eoque donetur cælo et vita æterna. Unde S. Gregor. Thaumat. hunc versum sic paraphrastice vertit: « Neque enim facile quis vel unam aliquam recensebit utilitatem concinnatam ex omnibus, quæ homines super terram reptantes tanto corporum animorumque molimine parturiunt. Et licet in his temporalibus efficiant nihil, sed magis ab eis vincantur et fatigentur; ad contemplanda tamen supercælestia generosiores mentis oculos attollere nolunt. »

Opera ergo alia fiunt supra solem, alia sub sole: quæ ex gratia fiunt, opera, inquam, spiritus, supra solem sunt; quia non læduntur a temporis edacitate, et in cælum empyreum ævumque felix et perenne operantem deducunt: quæ vero a carne prodeunt, sub sole fiunt, cum a solis conversionibus atque annorum temporumque rubigine caro terrenæque res absumantur et consumantur. Omnia ergo sub sole sunt vanitas. Proinde supra solem, ait Paulinus Ep. 4. « est veritas: Ita et qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conversatione cælesti, et astrorum choros, vel cælorum polos, evolantes spiritu scandunt et supervadunt, celsioresque elementis agunt, non subditi rebus ac usibus elementorum, sed affixa in Christo vita superiores mundo fiunt, manentes in eo qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. »

Huc accedit Aben Ezra: *Corpus*, inquit, *et corporeus labor est sub sole, at animus sive spiritus eiusque labor est supra solem, quia a Deo originem habet, et ad eum redit.* Et Auctor Catenæ Græcor. *Si labor*, inquit, *is qui sub sole est, inutilis est, supra solem labores mittere oportebit; illo enim penetrant virtutum actiones.*

Denique noster Pineda, τὸ *sub sole*, inquit, antithesim habet cum homine, qui solus *sub sole* videtur non esse, utpote quem Deus iusserit erectos ad sidera et super sidera vultus tollere; ac minime pronum, intentum numquam esse sublunaribus subsolaribusve. Ergo indignum prorsus ut hominis labor, oculi, intentio ad ea quæ inferiora sunt, sese abiiciant; cum humanæ et liberæ hominis actiones neque a sole, neque ab hoc cælo pendeant, sintque ipsis cælestibus influxibus superiores ac nobiliores. Neque indignum tantum, sed miserum etiam; nam laboris in res sublunares impensi præmium sequi non potest animum hunc in regionem superam evolantem. Ergo videmur quasi de cælo audire Ecclesiastæ vocem hanc: Miseri *mortui, qui* non in *Domino moriuntur*, quorum est inanis labor: *opera enim illorum* non *sequuntur illos*, Apoc. 14.

Mystice S. Ambros. in Ps. 118. Octonario 12. « Sancti, ait, spiritualibus semper intendunt, et vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere. Unde Ecclesiastes ait: Quæ abundantia homini in omni labore suo, quo laborat sub sole, id est, quæ abundantia spirituali homini laboranti sub sole iustitiæ? et subiecit: Generatio vadit. et generatio venit. Vadit generatio, quia divites eguerunt et esurierunt. Qui ante abundabant gratia (Iudæi) propter perfidiam suam egere cœperunt. Qui autem pauperes erant populi nationum, iam per fidem satiantur et abundant, sicut scriptum est; Edent pauperes, et saturabuntur, Psal. 21. »

Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat.) Hebr. *Sæculum vadens, et sæculum veniens; et terra in æternum stans;* Septuag. *Generatio vadit vel proficiscitur, et generatio venit; et terra in sæculum stat;* Symmach. αἰωνία id est, *est æterna;* Syrus: *Generatio abit, et generatio venit; et terra in æternum stat.* Arabicus: *Generatio discedit, et generatio venit: et terra in æternum est.* Vers. 4

Explicat et probat id quod dixit vers. præcedenti, *sub sole* nihil homini esse residui ex omni labore suo ex eo quod generatio una præterit cum suo labore laborisque fructibus, et generatio nova advenit; quæ pari modo mox præteribit; terram autem eamdem semper manere, ut generationes hasce sibi assidue succedentes ipsa constanter in se recipiat. Terra enim est quasi centrum, quod Sensus I.
continet et sustinet tam homines quam elementa, cælos Genuinus
totumque universum; quare circa hoc centrum immobile moventur et gyrant assidue, tam hominum generationes et tempora sæculaque sibi continue succedentia, quam sol et cæli etiam venti et flumina, ac res universæ, ut v. sequent. explicat. Omnia enim hæc eo tendunt, ut vanitatem rerum terrenarum hominumque in iis laborantium ostendant ex continua utrorumque mutatione, circulatione et successione, qua una prætereunte et occidente advenit oriturque altera in terra et circa terram, quam ubi res ortæ contigerint, mox volvuntur et abeunt, novæque oriuntur pari celeritate volvendæ, et mox abituræ. Quare in terra nil oritur novi, quod curiosi homines quærunt; sed idem est semper rerum hominumque sibi succeden-

tium circuitus et circulus. Ita S. Hieron. *Quid est vanius,* (A) *inquit, hac vanitate, ut aliis morientibus nascantur alii, et homo numquam permaneat? cum tamen terra, quæ propter hominem facta est, in æternum stet.* Et Nyssenus: *Omne stadium,* inquit, *quod versatur in iis, quæ ad vitam pertinent, est plane puerorum ludus in arena* (hæc est terra) *in qua quæ ex iis, quæ fiunt, capitur oblectatio, simul desinit cum studio, quod ponitur in iis quæ facta sunt. Nam simul atque cœpit moveri arena, simul circumfluens nullum relinquit vestigium eorum, quæ fuerunt elaborata. Hoc est humana vita. Arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena est quidquid est, et in iis vane laborantes infantiles animæ, etc.* Cum vero arenam dicimus, intelligere quoque licet terram esse perpetuum quoddam theatrum, in quo peragitur fabula vanitatis, dicente Apostolo: *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.* 1. Corinth. 4. 9.

Terra est quasi arena puerorum.

Pro *spectaculum* græce est θέατρον, id est *theatrum facti sumus;* in theatro spectamur, in theatro huius mundi comœdiam, imo tragœdiam vitæ nostræ, quasi personati histriones agimus. Histriones enim, sive personæ comicæ et tragicæ sunt Imperatores, Reges, Principes, voluptuarii, epulones, divites, mercatores, egeni et mendici, viduæ, pupilli, orphani, domini, servi, milites, imbelles, pueri, senes, ulcerosus Lazarus, avarus epulo, sapientes, stulti, improbi et vanissimi mundanæ felicitatis sectatores. Hoc est quod ad mundi fugam adhortans Apostolus ait: *Præterit enim figura huius mundi,* 1. Cor. 7. 31. q. d. Mundus non habet rem, sed figuram et umbram. Vide ibi dicta.

II. Secundo, S. Gregor. Thaumaturgus hoc versu et sequenti censet notari brevitatem vitæ humanæ, ideoque hunc versum censet pendere a præcedenti; unde utrumque paraphrastice vertit: « Quid, inquit, est quod homines super terram reptantes, tanto corporum animorumque molimine parturiunt, atque ad cœlestia mentis oculos attollere nolunt? Atqui interim generatio præterit et generatio advenit, hoc est, transeunt anni tempora, transeunt et anni, » q. d. Abeunt et recedunt non modo privati homines, sed integræ generationes; et terra quidem velut hæres, superstes est universarum hominis facultatum, supellectilisque pretiosissimæ; nam abeunte homine, ipsa superstat humanæ vitæ spoliis onusta.

Ex adverso Franc. Vallesius Sacr. Philosoph. cap. 62. censet hic significari generationum perpetuitatem, per circulationem qua in orbem eunt et redeunt. Hoc, inquit, quod Ecclesiastes observavit nihil aliud est quam quod Aristot. in duobus ultimis capitibus secundi de ortu et interitu diserte tradidit: puta circularem esse rerum omnium mutationem, et hinc pendere mundi æternitatem; quia scilicet sola mutatio circularis potest esse perpetua; partes ergo mundi quæ per se sunt perpetuæ, ut solem et alia corpora cœlestia, nullam mutationem substantiæ subire, sed circulo volvi, accedereque et recedere eodem numero semper redeuntia: quæ vero corruptibilia sunt, fieri semper ex seipsis, circulo nascentia et intereuntia, numero semper alia, sed specie eadem, ut ex aere fit aqua, (D) et ex aqua aer. Hunc generationum abeuntium et redeuntium circulum quo mundus servatur, innuit Ecclesiastes dicens: *Generatio præterit, et generatio advenit.* Ita Vallesius. Verum error est contra fidem, dicere generationum successionem fore æternam.

III. Tertio, Lyran. Titelm. et alii hæc referunt ad difficultatem scientiarum, quæ nascitur ex difficultate rerum cognoscendarum, eo quod instabiles perpetuo gyrent, itaque fugiant stabilem oculi aciem mentisque contemplationem: talis enim est perpetua generationum, id est, rerum generabilium et corruptibilium mutatio, alternatio et vicissitudo; talis quoque est solis circulatio, ventorumque flatus, fluminum cursus, quasi hæc omnia spectent ad illud v. 8. *Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* Ideo, inquit Lyranus, fit mentio generationis prætereuntis, id est, brevissime labentis vitæ mortalium, ut cum vita brevis sit, ars vero longa, excludat hominem a perfecta acquisitione scientiarum. Ergo hæc sententia similis, aut fere eadem est cum illa Sap. 9. 16. *Difficile æstimamus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?*

IV. Quarto, Olympiodorus censet terram hic induci, ut quasi testis, imo quasi magister homine stabilior et sapientior redarguat hominum vanitatem, inconstantiam et improbitatem. Sic enim explicat: « Quid, homines, laboratis circa terrena, quando ipsa terra, sensu carens elementum, in longinquum tempus perdurat; vos autem secundum generationem peritis, et terra quidem in æternum stat accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis. »

Sic et Salonius. Accedit et Hugo Victor. *Quid est quod terra stat? Perseverat in eo quod facta est; servat naturam suam; conditionem suam non deserit; quod accepit, hoc retinet incorruptum. Quare igitur et tu non stetisti in eo quod factus es super terram?* Et rursum: *Ausculta, homo, et erubesce. Terra stat, et tu stare non potes?* Et (B) Nyssenus: *Ne sis terra magis inanimis; ne sis iis quæ sensu carent insipientior.* S. Hier. quoque et Albin. *Quid,* inquiunt, *hac vanius vanitate, quam terram manere, quæ hominum causa facta est, et ipsum hominem terræ dominum in pulverem repente dissolvi?* Igitur censent hi Auctores terram hic induci, ut ex ea discamus recte vivendi modum, scilicet ut ex eius firmitate discamus in agendo et patiendo firmitatem et constantiam. Item ex eius vilitate humilitatem, scilicet quod Adam factus dictusque sit ab Adama, id est homo ab humo, terrigena a terra, iuxta illud Ecclesiæ in die Cinerum: *Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris;* quod petitum est ex Genes. 3. 19. Rursum terra hic obiicitur ut palæstra, in qua velut stadiodromi decurrimus ad metam, et velut athletæ certamus pro præmio. Sic ergo curramus, sic certemus ut comprehendamus.

V. Quinto, alii censent vanitatis demonstrationem hic peti a similitudine terræ, solis, ventorum et fluminum, q. d. (C) Sicut terra eumdem semper tenet locum, ac sol, venti et flumina eumdem semper tenent cursum: sic homines eumdem servant semper vanitatis tenorem et cursum. Sicut enim generatio præterita præteriit et evanuit: sic et præsens et futura præteribit et evanescet, ut ex hominibus qui fuerunt et transierunt, iudicium facere possis de præsentibus et futuris, scilicet quod simili modo transibunt et morientur. Aut ut Rupertus, q. d. Vani et dementes sunt labores, quos homines avari in comparanda terra impendunt, cum tot generationibus prætereuntibus et advenientibus, hic terra semper maneat, nec ab ullo tolli sibique appropriari possit.

VI. Sexto nonnulli magis apposite censent terram, solem, ventos, flumina hic induci, ut probent id quod dicitur v. 10. nihil novi fieri sub sole, sed omnia in orbem ire et redire, ad retundendam hominum novitati et novis inhiantium curiositatem, quæ una in hominibus vanitatis pars est non minima. Huc accedit noster Pineda, qui sic exponit, q. d. Nihil, o homo, ex tuo tibi labore perventurum amplius poteris ex rebus aliis natura constantibus intelligere. Numquid habet generatio adveniens, quod generatio præterita non habuerit? Quid iuvenis putat se inventurum, quod senes non fuerint experti? Eadem terra, eadem vitæ semita calcatur omnibus; nam terra in æternum stat: sol ad occasum continenter currit anhelans; quid hodie invenit denuo, quod heri non habuerit? Idem hemisphærium occumbens deserit, idem invenit renascens. Vel hac ratione: Nihil magnum sub sole: quippe ex nulla re subsolari retulit beatitudinem generatio præterita, sicut neque referet generatio adveniens: non ex fluminum aqua, non ex terra: ergo cum nihil sub sole novum, nihilo plus erunt beati futuri homines, quam fuerunt præteriti. Nec dicas: Plus laborabo, et sic amplius quam illi fructus percipiam; quia eædem tibi, sive multum sive parum laboranti, vitæ leges sustinendæ sunt: eadem quæ aliis tui tibi laboris merces percipienda. Idem ortus et occasus tibi expectandus est.

Anagogice S. Gregor. in Psal. 5. Pœnit. ad illa: *In generatione et generationem anni tui. Generatio*, inquit, *vadit et generatio venit; terra autem in æternum stat. Hæc est namque instabilis vitæ istius permutatio, ut decedentibus aliis alii succedant, quibus postmodum simili modo deficientibus, alii non æquali conditione oriantur. Ex quibus tamen omnibus, quæ in sæculo fuerunt, vel futura sunt, generationibus vita illa et divina generatio perficitur, quæ in æternum claritatis Dei consortio perfruatur. In hac itaque annos, id est æternitatem Dei permansuram dicit Propheta; tunc videlicet, cum generatio quæ præcedit et quæ sequitur una facta fuerit, novissima utpote morte destructa, quæ antequam in victoria absorbeatur, nihil stabile, nihil solidum, nihil dimittit illæsum.* Sic et R. Isaac, in Midras *Coheleth*, id est, in expositione Ecclesiastis, ad hunc versum: *Generatio vadit, et generatio venit; terra autem in æternum stat; hoc est*, inquit, *regnum hoc ingreditur, et regnum hoc egreditur: Israel autem permanet*; et *hoc est: Terra autem in æternum manet.* Qui enim sunt veri Israelitæ, id est Sancti dominantes Deo, vocantur terra, ob stabilitatem et beatam æternitatem, qua in cælo perfruentur. Ita Galat. lib. 8. de Arcanis fidei c. 23.

Allegor. Generatio Iudæorum præteriit generatio Christianorum advenit; terra autem, id est Ecclesia in æternum stat: quia eadem est Ecclesia vetus et nova, ob eamdem fidem eumdemque Dei cultum. Ita S. Hieron. et Orig. in Psal. 89. 4. Generatio quoque tyrannorum et persecutorum præteriit; huic successit generatio Arrianorum et hæreticorum: sed contra omnes immota persistit terra, id est Ecclesia.

Tropol. nonnulli hic referunt ad generationem et genera vitiorum, quorum personas et larvas successive induit homo. Nam ut ait S. Hieron. Epist. 48. ad Marcellam: « Nunc ira personam leonis nobis imponit, nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat; lætamur ad nummum, amisso obolo contristamur, etc. Cum enim ad imaginem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus: et quomodo in theatralibus scenis unus atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: ita et nos tot habemus personarum similitudines quot peccata. »

Rursum generatio veteris hominis præterit, et generatio novi advenit per baptismum et pœnitentiam; itaque terra, id est anima in virtute fundata persistit, et permanet, adeoque beata æternitate donatur. Denique generatio laborum præterit, generatio præmiorum advenit in cælo, quæ est terra viventium, ideoque in æternum stat eius felicitas et gloria.

Ex omnibus hisce expositionibus, illa quam primo loco posui maxime genuina et litteralis videtur; proxime enim attingit scopum et finem Ecclesiastis, qui est ostendere omnia sub sole esse vana, ex eo quod omnia sint circolantia, eantque in orbem et abeant. Hoc enim significat To *generatio præterit, et generatio advenit*, q. d. Generationes sæculorum omnium gyrant euntque in circulum; quia generatio generationi succedit continuo, sicut pars posterior circuli priori continua serie succedit. Sicut ergo posterior pars circuli, dum volvitur, extendit priorem: sic posterior generatio excludit quamlibet antecedentem. Causam subiicit dicens: *Terra autem in æternum stat*, q. d. Terra est quasi centrum huius gyrationis et circuli; circa illam enim gyrant assidue omnes generationes, revolutiones et successiones sæculorum. Sicut ergo centrum in circulo immotum sit oportet; in centro enim figitur unus pes circini, et alter deinde pes in orbem circa centrum actus describit circulum; sic in rota axis qui est quasi centrum, immotus consistat oportet, ut circa eum rota rotari possit. Pari modo terra, quæ huius circuli et gyrationis generationum est centrum, immota stet oportet, ut in ea et circa eam gyrationes hæ assidue continuari et perpetuari queant: præsertim quia terra materiam et causam gyrationibus et generationibus hisce suppeditat. Omnia enim ex terra generantur. Ipsa rursum generationem plantarum, animalium, hominum prætereuntem in se recipit. Omnia enim corpora dum moriuntur, in terram ex qua orta sunt, velut in matrem suam redeunt, ut ex ea nova generatio novarum plantarum, animalium, hominum assidue germinare et procreari possit, dum ipsa pluvia irrigatur et solis radiis calefit, itaque fœcunda et fertilis efficitur. Quare terra similis est arbori, quæ, ut ait Plinius lib. 16. c. 20. et 21. *Cum semper retineat comam, eadem tamen folia non durant, sed subnascentibus aliis arescunt vetera.* Simili enim modo in terra subnascentibus aliis hominibus et animalibus, veteres arescunt et moriuntur. Et hoc innuit vox *generatio*: quicquid enim est generabile, idem est et corruptibile. Quæ enim generantur, oriuntur et crescunt, deinde decrescunt, senescunt et occidunt, iuxta illud Sap. 5. 13. *Nos nati continuo desivimus esse.* Hinc collige vanos homines esse, qui vano et corruptibili mundo incubant, utpote qui universos eorum labores et fructus absumit et corrumpit; perinde ac stolida est columba, non habet cor, ut ait Osee cap. 7. v. 11. quæ cum videat ova et pullos ex nido suo semper auferri, quotidie tamen in novis ibidem ponendis laborat.

Terra similis arbori.

Ex hoc deinde velut principio colligit Ecclesiastes v. 10. nihil sub sole esse novum, sed omnia pari modo gyrare, et tempore sibi a Deo præstituto oriri et occidere, ireque in orbem et abire. Unde vers. 11. concludit: *Non est priorum memoria: sed nec eorum quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.* Nunc singula verba ad incudem revocemus, et penitius examinemus.

GENERATIO hebr. est דור *dor*, a דור *dur*, id est duro, moror, vitam duco, item peregrinor, habito; quare *dor* idem est quod *duratio*, sæculum, peregrinatio, generatio, ætas, tempus vitæ, quo homo peregrinatur in mundo. Hinc secundo per metonymiam *dor*, id est generatio et sæculum, significat homines illa ætate et sæculo viventes; item omnia, quæ illo sæculo oriuntur, accidunt, et occidunt. Noster apte vertit generationem, ut notet rerum sublunarium tum corruptionem; quicquid enim generatur, idem corrumpitur, uti iam dixi: tum circulationem; generationes enim rerum quotannis cum sole innovantur, vaduntque in *orbem*. Denique unius generatio est alterius corruptio, ac vice versa unius corruptio est alterius generatio, ut ait Aristot. Hinc Forerius in c. 38. Isaiæ ad illa: *Generatio mea ablata est.* Hebr. *dor*, id est *generatio*, derivat a nomine דור *dor*, id est sphæra, circulus, pila; unde *dor*, inquit, seriem vitæ significat; nam revolutionem quasi sphæricam notat: nostra autem vita tota in revolutionibus et in vicissitudinibus consistit. In cap. 53. Isaiæ v. 8. *Dor*, inquit, Hebræis ætatem seu sæculum notat a volubilitate, quod ætas ætati et sæculum sæculo succedat, ut circulum videatur conficere. Nam ut ait S. August. in Psal. 38. ad illa: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum qui est:* non sunt, sed transeunt dies nostri, *et momentis transvolantibus cuncta rapiuntur.*

Hebr. dor quid?

Præterit hebr. est הולך *holech*, id est vadit, ambulat; Septuag. πορεύεται, id est *proficiscitur*. q. d. In hoc mundo non sumus consistentes, sed ambulantes et viatores; assidue enim proficiscimur tendimusque ad mortem, ac per eam ad immortalitatem. Hinc Arabicus. *discedit; Syrus, abit*; alii, *transit, labitur*, q. d. Humana et terrena cuncta accelerant iter, proficiscuntur, et quasi quopiam evolare vellent, inducta iam pedibus talaria nectunt, abeunt, discedunt. Noster apposite vertit, *præterit*; scilicet instar peregrini, qui terras perambulat, obit, relinquit et præterit. Omnes enim in hac vita peregrini sumus, et peregrinamur a Domino, atque, ut ait Apost. *Præterit figura huius mundi*, uti paulo ante dixi; quia mundus non habet substantiam consistentem, sed figuram prætereuntem et umbram fugacem, iuxta illud Poetæ Christiani: *Præterit una dies, nescitur origo secundi.* Et Cicero libro de Senectute: *Ætas præterita*, ait, *quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem*; quia ut ait ibidem: *Tempus præteritum num-*

quam revertitur. Et Virg. 8. Æneid. *O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.*

Terra autem in æternum stat.) Nonnulli per terram hic, æque ac Genes. cap. 1. accipiunt materiam primam quæ eadem stat, id est substat rerum formis, et generationibus tam prætereuntibus quam advenientibus. Ita Alexand. Alensis, Bonav. et Albertus. Verum hoc symbolicum et mysticum est. Constat enim ad litteram per terram elementum terræ significari. Pro *æternum* hebr. est עולם *olam* (unde latinum *olim*) id est sæculum, æternum; quod subinde non æternum absolute, sed respective, adeoque longum duntaxat tempus significat. Unde nonnulli sic explicant: *Terra in æternum stat,* id est stabit tamdiu, quamdiu eam incolent homines, quamdiu vivent in ea mortales. Sic Horat. ait lib. 1. Epistol. 10.

Serviet æternum, qui parvo nesciet uti.

Sæculum autem, ait Varro, *spatium centum annorum* (unde ludi sæculares) *ita dictum a sene, quod hoc sit spatium senescendorum hominum.* Æternum tamen hic absolute accipi potest. Terra enim in æternum stabit. Ita S. B Thomas 1. p. quæst. 10. art. 3. *Æternitas,* inquit, *vere et proprie in sola Deo est, quia æternitas immutabilitatem consequitur, ut ex dictis patet. Solus autem Deus est omnino immutabilis. Secundum tamen quod aliqua ab ipso immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliquam eius æternitatem, participant; quædam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod numquam esse desinunt, et secundum hoc dicitur Eccles.* 1. *de terra, quod in æternum stat; et sic æternitas Angelis attribui potest, secundum illud Psal. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*

Pro *stat* hebr. est עמד *amad,* id est, stat, permanet, perseverat, firma et stabilis est instar עמוד *ammud,* id est columnæ, quæ stat sub domo, illamque fulcit et sustentat. Sic enim terra velut columna, ac velut centrum sustinet omnes elementorum et cælorum orbes, totumque universum.

Terra accusabit impios. Rursum huic loco proprie congruit *Terra stat,* inquit C Hugo Victor. *ut venientes mittat, pertranseuntes portet, discedentes recipiat.* Salonius vero: *Terra stat,* inquit, *accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis.* In die enim iudicii terra quasi testis, muta voce accusabit impios coram Christo Iudice, ac vindictam de eis exposcet, quod se puram a Deo creatam suis sceleribus polluerint, maculaverint, violaverint. Unde illud Psal. 49. 4. *Advocabit cælum desursum, et terram discernere populum suum.* Hinc Moses cælum et terram in testes vocat sanctæ a Deo legis, et ab impiis violatæ: *Audite, cæli,* inquit, *quæ loquor; audiat terra verba oris mei.* Deut. 32. 1. Vide ibi dicta. Hinc Chald. hoc mystice sic vertit: *Dixit Salomon Rex in spiritu Prophetiæ: Generatio bona iustorum abiit de hoc sæculo, propter peccata generationis pessimæ impiorum, quæ facturi sunt post eos; terra autem in sæculum sæculorum stat, ut sustineat ultionem eorum quæ ventura sunt in sæculo propter peccata filiorum hominum.*

Hinc patet perperam nonnullos Iudæos censuisse τὸ *stat* D significare terræ æternitatem, quod illa increata sit et steterit ab æterno; quos recenset et refutat R. Moses lib. 2. Doctoris dubiorum c. 29. stare enim significat permanere, quod scilicet terra, postquam a Deo creata est, perstet in æternum.

Terra in æternum stat. Igitur τὸ *terra in æternum stat,* significat primo terram a sui creatione semper durasse, durare, et duraturam in æternum, cum generationes hominum, animalium, rerumque omnium non durent, sed una prætereunte, altera et altera continuo succedat. Hæc enim est antithesis inter generationes et terram, quod hæc perduret, illæ vero abeant et in terram redeant. Ideo enim terra durat, ut generationum harum sibi assidue succedentium sit mater, materia, locus, receptaculum, et causa efficiens; dum plantis, animalibus et hominibus interibus emorientibus, nova germinat et producit. Omnia enim hæc sunt proles, fœtus et filii terræ, ideoque inter se congeneres et quasi

A fratres, utpote terrigenæ ex eadem matre, scilicet terra geniti, quæ magna hominis est vilitas et humiliatio. Hinc Empedocles dixit terram et aquam esse materiam generabilium corporum, ut farinam et aquam; aerem vero et ignem efficientia magis quam accipientia esse, et vires præstare magis quam corpora rebus generandis. Unde de iis subiicit Salomon: *Oritur sol et occidit, etc. Lustrans in circuitu pergit spiritus.* Solis enim essecla est calor et ignis.

Hoc facit expositio Catenæ Patrum Græc. quæ hic Romæ exstat in Biblioth. Sfortiana, ubi eam vidi et legi quæ sic habet: « Quæ a Deo facta sunt, eadem manent ut sunt; e terra nasci, in terram abire, eamdem stare terram, solem universam terram circumeuntem, rursus in eumdem terminum recurrere, etc. ut in humanis sermonibus nugarum multum, utilitatis nihil reperitur. »

Terra ergo est velut stadium moventium et currentium, ideoque hebr. dicitur ארץ *arets,* a רוץ *ruts,* id est currere (quod italice dicitur *ruzzolare*) eo quod ad ipsam B fixam et stabilem currant et ferantur universa tamquam in centrum et quietam sedem, ipsaque sit velut stadium, in quo decurrunt ab ortu ad occasum homines, æque ac animalia resque universæ. Terra igitur in æternum stat, id est durat et permanet, nec præterit, uti prætereunt generationes sæculorum; de quibus dixit: *Generatio præterit, generatio advenit.* Hisce enim terram, utpote permanentem opponit, dicens: *Terra autem in æternum stat,* id est permanet et consistit, nec circa cæli orbes rotatur ut sol, de quo per antithesin subdit: *Oritur sol.* Unde Nazianz. orat. 4. *Terra,* inquit, *est quasi hypostasis generationum sibi succedentium:* quia iis substat, easque fovet et sustentat. Et Origen. Hom. 14. in Numer. ait Angelos promovere animalium nativitates, virgultorum ac plantarum incrementa, quasi communes terræ mundique aurigas.

Hinc secundo τὸ *stat* significat terram non moveri, sed firmam et immotam consistere contra veteres quosdam C philosophos, qui censuerunt cælum quiescere et terram moveri, quæ teste Cicerone lib. 2. Academ. quæst. et Plutarch. lib. 2. de Placitis Philos. cap. 13. et 15. fuit olim sententia Nicetæ Syracusii, Cleanthis Samii, Ecphanti Pythagorici, Heraclidi Pontici, ac hoc sæculo Nicolai Copernici. Hinc plures philosophi censuere lunam esse solidum, in eaque habitare homines. Audi Macrobium libr. 1. in Somnium Scipionis: *Denique illam* (lunam) *æthercam terram Physici vocaverunt, et habitatores eius Lunares populos nuncupaverunt; quod ita esse plurimis argumentis docuerunt.* Et Plato in Convivio, lunam vocat Cælum terrestre, et Terram cælestem. Audi et Lactant. libr. 3. de Falsa sapientia c. 22. *Xenophanes dixit intra concavum lunæ sitam esse aliam terram, et ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus. Habent igitur illi Lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis; et fortasse noster hic orbis alterius inferioris terræ luna sit. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, u-* D *trumne soli quoque suos populos daret, etc. sed credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo* (combustionis a sole) *committeret.* Hucusque Lactant. Edidit nuper ad hanc sententiam propugnandam opus de Magnete Guiliel. Gilbertus, Anglus et Medicus Londinensis, ubi libr. 6. probare contendit terram esse velut ingentem magnetem, qui non tantum polos cæli respicit, sed et proprios habeat polos, circa quos rotetur quotidie et circumagatur 24. horarum spatio, idque ad sui commodum, ut scilicet diversos cæli siderumque aspectus, et influxus ad rerum generationes opportunos recipiat. Rationes eius frivolæ sunt, scilicet prima, quod omnis generatio, inquit, 1.
non tam ex quiete quam ex motu fiat, sine quo universa rerum natura torpesceret; secundo, quod vires solis et lu- 2.
næ generationes efficiant; moveri ergo et rotari debet terra, ut illis se opponat, itaque eorum influxus hauriat et
suscipiat; tertio petitur ex terræ motibus, quos crebro 3.
experimur; illi enim videntur promanare ex interiore ter-

Terram volvi multi censuerunt.

Eorum argumenta.

ræ motu, qui telios terrestris globi spiritus commovet et excitat; quarto, quod animalia ipsa non vivant sine motu cordis, arteriarumque motione et agitatione perenni; ergo et terre viventium genitrix, similes motus et agitationes habeat oportet.

Refelluntur. Verum hæc sententia repugnat non solum Philosophiæ, sed et sacræ Scripturæ, quæ hoc loco aliisque asserit terram stare, firmamque et immotam consistere, ut Psal. 92. 1. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Iosue c. 10. 12. imperans soli ut sisteret, et a motu quiesceret: *Sol*, ait, *contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna.* Sol ergo movetur, non terra, Eccles. 48. 26. *In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi* (Ezechiæ) *vitam*, puta quindecim annos vitæ. Baruch 3. 32. *Qui* (Deus) *præparavit eam* (terram) *in æterno tempore*, hoc est, qui fundavit (hoc enim significat hebraice כון cun, id est præparare) terram ut duret in æternum. Psal. 23. 2. *Quia ipse super maria fundavit eam*, scilicet terram. Ps. 77. 69. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.* Ps. 118. 90. *Fundasti terram, et permanet.* Similia sunt Proverb. 3. 19. Isaiæ 51. v. 13. et 16. Iob 38. v. 4. 6. et 38. Huc facit quod S. Dionysius Areopag. Epist. ad Polycarpum, narrat in eclipsi, quæ contigit in Christi Passione, lunam in plenilunio oppositam soli, illico ad solem regressam se interposuisse inter solem et terram, itaque fecisse eclipsin. Denique congregatio Cardinalium sub Paulo V. anno Christi 1616. die quinta Martii, præsente Cardinali Bellarmino, ex hoc Salomonis loco damnavit, Copernici sententiam, quæ docet terram moveri.

Ad Primum. Ad primum respondetur terram non torpere, quia assidue ab agricolis colitur, subigitur, aratur, sarritur, etc. ut fruges et fructus proferat. Omitto ventorum flatus ac alterationes caloris et frigoris, siccitatis et humoris, quas per quatuor anni tempora assidue suscipit terra; alteratio enim est species motus, qui terram torpere non sinit.

Ad Secundum. Ad secundum respondetur solem et lunam moveri, ut terræ quiescenti influxus suos ad generationem necessarios imprimant. Causa enim efficiens accedere solet ad materiam, non materia ad causam efficientem. Agricola enim vadit ad agrum, non ager ad agricolam: faber vadit ad ferrum, non ferrum ad fabrum.

Ad Tertium. Ad tertium respondetur terræmotus non oriri ex motu naturali terræ, sed ex ventis et exhalationibus intra terræ viscera inclusis, qui dum erumpere et sursum ascendere volunt, eam succutiunt ut exitum quærant.

Ad Quartum. Ad quartum respondetur animalia habere animam, ideoque egere cordis et arteriarum agitatione et pulsu; terram autem esse inanimem, ideoque iis non egere, imo ea habere non posse. Qui enim hæc terræ dat, animam quoque illi det oportet. Plura vide apud nostrum Christ. Clavium in Sphæra. Vide et quæ de terra dixi Genes. 1. v. 1. Denique, audi S. Gregorium Thaumaturgum, qui paraphrastice vertens, et hunc versum cum seq. de sole, ventis et fluminibus connectens, et ex iis causas cur terra stet ita paucis assignat, v. 7. « Res ipsæ, inquit, recte comparantur fluxui torrentium, qui in immensum maris profundum ingenti strepitu incidunt. Sunt tamen quæ eadem manent semper, qualia sunt nasci e tellure, verti in terram, eamdem perpetuo consistere terram; solem, cum totam terram circumeat, perfecto circulo ad eamdem recurrere exitus sui metam; item flare ventos totque ac tantos amnes se in pontum effundere, ventosque irruentes neque cogere illum suos egredi fines, neque ipsos suis aberrare legibus. Et ea quidem uti conducibilia nostræ huic vitæ sic fieri congruebat. »

Rursum τὸ *terra in æternum stat*, significat terram non super aquas stare et fluitare, uti censuere nonnulli Philosophi et Theologi, sed sub iis stare firmamque consistere. Nam Thales, qui post Davidem 500. fere annis floruit sub Cyro, *indicavit*, ait Seneca l. 6. Natural. quæst. cap. 5. *totam terram subiecto humore portari, innatare et sustineri velut aliquod grande navigium his aquis quas premit.* Et alii apud Plutarch. l. 3. de Placit. Phil. cap. 15. censent, *terram aquis innatare instar platani foliorum, aut asserum, ideoque moveri.* Horum opinionem secuti sunt S. Athanas. Or. contra idola, S. Clemens l. 8. Recognit. S. Chrysost. in Ps. 133. S. Hilar. in Ps. 135. Euseb. in Ps. 23. Procop. in Genes. c. 1. Porro Anaximenes, ait Plutarchus, censuit *terram vectari aere*, cui incumbit, idque verisimile esse innuunt S. Basilius, Ambrosius et Damascenus, qui idipsum colligunt ex illo Iob 26. 6. *Qui appendit terram super nihilum.*

Verum utrumque confutat hic Salomon; τὸ enim *stat* significat terram firmam consistere, et substare aquis, aeri cæterisque elementis et cælis velut basin et centrum universi.

Ratio a priori est triplex, iuxta tria genera causarum; materialis enim causa stationis et immobilitatis terræ est ipsa eius opacitas, densitas et gravitas, quæ exigit infimum mundi locum, ut cælis et elementis cæteris magis diaphanis et levibus subsit et substet. Omnia enim gravia tendunt deorsum, sicut levia sursum. Quod ergo gravissimum est inter elementa, infimum poscit locum: gravissima autem est terra. (Immobilitatis terræ causa materialis.) Finalis est duplex: prior, ut terra sit quasi centrum elementorum, cælorum et universi; centrum enim debet esse in medio et imo circuli, ut æque distet a singulis circuli partibus. Rursum centrum in circulo est immotum; sic terra in medio mundi est immota: si enim ipsa moveretur, suumque centrum mutaret, totus mundus pariter excentricaretur, extraque suum locum moveretur. (Finalis duplex.)

Posterior est, ut terra substet hominibus, animalibus et plantis, eorumque generationibus prætereuntibus et advenientibus; hinc eadem firmaque consistat oportet. B. Alcuinus, sive Albinus Flaccus, præceptor Caroli Magni, disput. cum Pipino Caroli filio: *Quid*, inquit, *est terra? mater crescentium, nutrix viventium, cellarium vitæ, devoratrix omnium.* Causa efficiens est ipse Deus, creator et conservator universi, qui, velut Atlas mundum in vacuo sive nihilo sustinet, atque in mundi medio terram velut pilam in aere pendulam, sine ulla basi aut fulcro stabilem firmamque sustentat. (Efficiens.) Hoc est quod ait Psaltes Psal. 133. *Qui fundavit terram super stabilitatem suam;* Aquila et Symmachus, *super sedem suam*; S. Hieronymus et Chaldæus, *super basin suam*; melius alii, *super locum suum stabilem*, ut scilicet in centro suo stabilis et firma consistat. Unde S. Iustinus quæst. 130. ad Orthodoxos: *Sustinent*, inquit, *cælum aquæ, aquas terra, terram divinus nutus.* Sic et S. Basilius homilia 1. Hexam. et ex eo S. Ambrosius lib. 1. Hexam. c. 6. quem audi: *Voluntate Dei immobilis manet, et stat in sæculum terra secundum Ecclesiastæ sententiam; et voluntate Dei movetur et nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsidit, nec fulcris suis stabilis perseverat; sed Dominus statuit eam, et fundamento voluntatis suæ continet, quia in manu eius sunt omnes fines terræ.*

Theol. Causa symbolica et theologica est quod terra sit sedes Dei, imo scabellum pedum Dei; decet ergo eam esse immotam, utpote quæ sit thronus gloriæ, et scabellum immobilis et firmissimæ divinitatis. Eadem de causa cælum empyreum est immobile, quia ipsum est thronus gloriæ, in quo considet, et Beatis se ostendit Deus. Decet enim tam thronum quam scabellum throni divini esse immobile, ut Deum immobilem et iudicem quietissimum repræsentet. Atque hac ratione mundus sive universum est mobile, ideoque æternum; quia partes eius extremæ, puta summa et infima sunt immobiles, esto inter has medii orbes cælorum et elementorum rotentur ad tempus, propter usum hominum et animalium. Hoc est quod ait Deus Isaiæ 66. 1. *Hæc dicit Dominus: Cælum est sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est illa domus, quam ædificabitis mihi? et quis est ille locus quietis meæ?* Isaiam secutus Orpheus apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromat. ita de Deo canit:

Ipse autem in magno constans et firmus Olympo est:
Aureus huic thronus est, pedibus subnixaque terra.

Ridiculum est quod de Philistione et Mancte refert S.

Epiphanius hæres. 66. contra Manichæos : Philistion, inquit, Humeriferum (Deum) confingens docet eum humero gestare universam terram, et per triginta annos, lassato humero, in alterum humerum transferre, indeque terræ motus fieri. Addit simile de Manete parente Manichæorum: Luna, inquit Manes, augescit et decrescit ac deficit, dum impletur ab animis eorum, qui in cogitatione incredulitatis ipsius moriuntur. Deinde easdem animas e luna minore scapha devehi dicit, et in solem assumi, atque in Beatorum sæculum deponi. Hæ fuere fabulæ, Manetis et Philistionis.

Porro huic stationi et quieti terræ non officit terræ motus, quem subinde experimur, imo ipse confirmat id quod dixi, scilicet terram immotam consistere ex Dei voluntate et sustentatione. Inde enim sequitur Deum ad nutum, ut suam potentiam, vel indignationem in terrigenas ostendat, eosque sui metu percellat, terram ad tempus aliquod concutere, adeoque subinde totam terram quassare, eamque e centro suo convellere, uti accidisse in terræ motu qui accidit in Passione Christi, ad ostendendam indignationem necis Christi Filii Dei, censent Didymus in Catena Græc. in c. 9. Iob et alii, idque confirmant ex illo Iob 9. v. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ eius concutiuntur;* et ex Eccli. c. 16. 18. et Psal. 17. 8. etc.

Motus librationis terræ, unde.

Rursum graves Philosophi et Theologi censent huic stationi, sive consistentiæ terræ non officere motum trepidationis, quo eruditi mathematici opinantur moveri sive librari terram propter inæqualitatem partium eius magis minusque gravium, ob summum æquilibrium centri; quia hic motus tam lentus et exiguus est, ut ab hominibus sentiri nequeat. Sicut ergo libra censetur eodem loco consistere, etiamsi eius lances librentur, et ex inæqualitate ponderis nunc ascendant, nunc descendant; quia in eo, non obstante libra, situm locumque non mutat: sic multo magis terra stat et consistit eodem loco, etiamsi modice libretur. Imo eius consistentia, inquiunt, in hac libratione consistit, sicut libræ consistentia in libratione lancium consistit. Hoc ut intelligas, scito triplex in terra esse centrum:

Triplex terræ centrum

primum, rotunditatis terræ, quod est punctum medium in rotundo terræ globo, sicut centrum est punctum medium in circulo; secundum, centrum est gravitatis terræ, quod est punctum in medio terræ, a quo omnes circumiectæ partes terræ æqualiter quoad gravitatem distant, ita ut centrum non magis accedat ad partem unam quæ levior sit quam altera, sed præcise in gravitatis partiumque æque gravium sit medio; tertium, est centrum totius universi, quod est punctum in medio terræ æqualiter distans ab omnibus partibus peripheriæ, sive circuli et circumferentiæ cælorum. Hæc autem tria centra subinde reipsa sunt diversa, et loco situque a se invicem distant, cum centrum gravitatis terræ semper nitatur et tendat ad centrum totius universi, ut sit in imo sive infimo mundi loco; hunc enim velut sibi proprium appetit et exposcit. Ratio ergo iam dictæ librationis terræ (æque ac libræ) est inæqualitas ponderum, quæ nunc in una lance vel parte terræ, nunc in alia maiora sunt, ideoque nunc hanc, nunc illam partem degravant, et impellunt ad centrum universi, sive ad punctum medium universi, quod ab omnibus peripheriæ cælorum partibus æqualiter distat. Ad hoc enim mundi centrum sua gravitate feruntur omnia gravia, totaque terra. Quare differt, ac subinde loco situque distat, uti iam dixi, centrum rotunditatis terræ a centro gravitatis terræ, a quo omnes partes terræ quoad gravitatem æqualiter distant; centrum enim gravitatis terræ est, vel esse appetit centrum mundi: centrum autem rotunditatis terræ est punctum medium terræ, quod nonnihil a centro gravitatis terræ, et consequenter a centro mundi distare videtur; quia terra in una parte gravior est quam in altera; habet enim plura onera ac pondera, ut montes, rupes, mare, etc. in una parte, quam in altera; imo sæpe nova pondera accedunt uni parti, non alteri, ut cum mare in æstu unam partem terræ deserit et ad alteram fluit, eamque occupat et degravat, ideoque tunc mutatur aliquatenus centrum

A gravitatis terræ, ac consequenter movetur et libratur terra motu trepidationis, quo sese agitat et librat, donec hoc novum centrum gravitatis suæ movendo se coæat, et quiescat in centro totius universi. Hoc enim centrum universi præcise est punctum medium totius mundi, quod æqualiter ab omnibus orbium cælestium circumferentiæ partibus, velut centrum in circulo æqualiter distat; unde ad illud omnia gravia tendunt, præsertim terra terræque partes omnes. Quocirca nonnulli insignes Mathematici censent hanc terræ librationem esse veram causam æstus maris (non vero motum lunæ, utpote quæ noctu longissime abest, estque in alio hemisphærio, ita ut cum terra inter eam et mare interiecta sit, non videatur luna in mare posse agere, et causare æstum maris) dum enim libratur terra, mare ad partem terræ in libratione humiliorem, utpote centro viciniorem fluit et accurrit; et quia in libratione nunc una pars terræ est humilior, nunc altera, idcirco mare in æstu ad unam partem terræ fluit, in reciprocatione vero æstus ad aliam.

B Verum huic sententiæ obstat, quod hæc terræ libratio pro varietate ponderum accedentium huic parti vel illi, sit vaga et instabilis; æstus vero maris sit certus et stabilis. Addunt alii egregii Mathematici, censentque hanc fuisse causam diluvii tempore Noe, nimirum quod Deus globum terræ tunc ita libraverit, ut nunc ultra centrum universi eam depresserit, nunc eam super illud elevaverit. Cum enim eam depressit, illico maria et aquæ omnes confluentes ad centrum universi, operuerunt totam superiorem superficiem terræ, utpote depressam ac centro vicinam; cum vero eam elevavit, maria et aquæ omnes refluentes ad superficiem terræ inferiorem, utpote centro universi viciniorem, eam operuerunt; itaque non simul, sed successive texerunt totum globum terræ, ita ut in ea successive submersi sint omnes homines et animantia ubivis locorum. Nam sola pluvia 40. dierum, a Deo in terram immissa, non sufficit ad eam totam operiendam, ac præsertim ad hoc ut supra altissimos montes aqua emineret quindecim cubitis, uti dicitur Genes. 7. et 8. Verum

C hoc de diluvio maiori eget examine. Cæterum, sententiam hanc de motu trepidationis terræ, ita inter alios clare et solide a principiis geometriæ probare conatur noster Gabr. Vasq. in 1. 2. tom. 1. d. 81. c. 3. n. 20. Pro explanatione, ait, duarum difficultatum, notanda est doctrina quædam Archimedis mathematicorum facile principis; primum quidem terram et omnia gravia, quæ ipsi terræ innituntur, ita efficere corpus unum quod attinet ad gravitatem, ut ponderibus suis librentur, sicut dixit Ovidius lib. 1. Metamorphoseos in principio de ipsa terra: *Ponderibus librata suis.* Terram autem et cætera gravia, quæ terræ innituntur, ita gravitate sua tendere, et appetere coniungi centro individuæ magnitudinis totius mundi, ut quamvis alteri corpori gravi innitantur, et ab eo detineantur, ne penetrent et coniungantur cum centro, sua tamen gravitate perpetuo ad hoc conentur, ac proinde imprimant corpori sibi subiecto impetum, quo nitantur deorsum tendere, ac corpus sibi subiectum impellere, ut sibi

D ipsis cedat loco, quousque deorsum adeo se deprimant, ut sint coniuncta centro magnitudinis mundi. Neque vero hoc solum efficit unum corpus in aliud, quo impeditur et detinetur, verum etiam partes eiusdem corporis invicem conantur, et se mutuo impellunt impetumque imprimunt versus centrum mundi. Id quod in ipsa aqua conspicimus, cum gutta aliqua in pulverem cadit; omnes enim eius partes in modum orbis se contrahunt et comprimunt. Deinde ex eodem notandum est terram ita esse in centro universi, ut nullo corpore nitatur, sed ponderibus suis ita æque libretur, ut centrum suæ gravitatis, quod est indivisibile, penetret centrum magnitudinis totius universi, nec ultra tendere possit, sed ibi necesse sit quiescere. Nam si hoc modo non quiesceret, ascenderet, et ex seipsa a centro moveretur, quod est impossibile. Centrum quidem magnitudinis universi est punctum indivisibile æque distans ab ultima superficie circuli, et orbis supremi ex omni parte; centrum autem gravitatis ipsius terræ est indivisibile

illud, e quo si ducantur lineæ ad totam peripheriam ipsius terræ per lineam rectam, est æquale pondus ex utraque parte. Et hoc centrum in omni corpore gravi necesse est reperiri. Cum igitur hoc punctum, quod est centrum gravitatis terræ, penetrat punctum magnitudinis totius mundi, terra quiescit. Cumque hoc centrum gravitatis latitudinem non habeat, sed reipsa indivisibile sit, sequitur, si ex una parte terræ gravitas magis ponderet, mutari centrum gravitatis, et ita terram in eo statu quo antea erat non conquiescere. Nam impossibile est terram quiescere, nisi punctum centri suæ gravitatis penetret, et respondeat puncto totius orbis; alioquin sursum maneret. Sursum enim esse idem est, quod supra centrum magnitudinis universi quiescere; mutato igitur centro gravitatis, quantumvis parva mutatio sit, terra movebitur motu quodam trepidationis, ut aliud punctum gravitatis respondeat, et penetret punctum totius orbis, et ita rursus ponderibus suis æque ex omni parte librata quiescat. Porro gravitas terræ ex una parte potest magis ponderare, cum antea non magis ponderaret, quam ex alia, vel quia ipsa ex alia parte gravior reddatur nativa sua gravitate per physicam aliquam mutationem, vel quia ei adiungatur corpus aliquod; nam corpus illud innixum terræ gravitat supra ipsam, eique impetum imprimit, sicut et partes ipsius terræ sibi ipsis innituntur, et impetum imprimunt. Quare ex eo quod aliquod corpus ex una parte terræ coniungatur, mutabitur centrum gravitatis, et sequetur motus trepidationis in terra, ut diximus: et eo magis corpus illud ex illa parte ponderabit, quo maiorem impetum imprimat terræ; atque ideirco pars illa terræ magis tunc gravitabit, ac consequenter pro eo tempore maiori motu trepidationis terra movebitur; quia centrum suæ gravitatis longius distabit a centro mundi, ideoque ad illud omni nisu tendet, ut in illo quasi ultimo suo totiusque mundi centro conquiescat. Ita Vasquez geometrice et præcise.

Verum hæc inæqualitas ponderum, et consequenter inæqualitas gravitatis laterum terræ, tam modica est, si cum tam vasta terræ mole et globo comparetur, ut imperceptibilis et insensibilis sit. Deus enim ita aquam terræ opposuit, ut terra in omni sua parte æquale quasi sustineat habeatque pondus; quare motus hic librationis et trepidationis terræ, si quis est, adeo modicus est, ut insensibilis sit. Quocirca physice loquendo, idem est centrum rotunditatis terræ cum centro gravitatis terræ, ac consequenter utrumque coit et consistit in centro totius universi, ut proinde vere dicat hic Sapiens: *Terra autem in æternum stat*, uti erudite docet noster Christ. Clavius in cap. 1. Sphæræ.

Physice centrum terræ centrum est unum et idem.

Tropol. Tropologice Nyssenus homilia 1. sic exponit, q. d. *Stabiles estote et immobiles*, 1. Corinth. 15. 58. *In te inconcussa maneat temperantia, firma fides, immutabilis charitas, stabilis et immobilis in omni bono status, sic ut quæ est in te terra, stet in æternum. Si quis autem avarus pluribus divitiis inhiat, et quasi mare quoddam immensam expandens cupiditatem, lucris non potest satiari, is ad mare, quod hic est, aspiciens, morbum curet*; ut sicut mare omnes fluminum aquas recipiens non redundat, quia eas rursus foras per vapores, vel per fontes et flumina immittit: sic pariter dives opes et lucra, quibus abundat, in pauperes effundat.

Terra ergo docet hominum constantiam et perseverantiam in bono, contra omnes generationes persecutorum. Hæ enim prætereunt, esto una alteri succedat, ut hac ratione homo fidelis constanter teneat æternitatis ad quam aspirat (cuius pariter symbolum est terra) imaginem, iuxta illud S. Bernardi: *Si in prosperis non extollaris, neque in adversis deprimaris, sed eamdem animi constantiam tenoremque teneris, eris quamdam æternitatis tenens imaginem*. Idem S. Bernardus sermone 2. de Sancto Petro et Paulo: *Moses*, Deut. 32. *de quibusdam ait: Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent! In quibus utique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sane tribus eas assignari posse temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam diiudicantibus, novissima providentibus ad cautelam.*

Alleg. Allegorice ergo terra repræsentat Ecclesiam in persecutionibus; tropologice, animam sanctam in tentationibus constantem; anagogice, Ecclesiam triumphantem et constanti æternitate perfruentem, iuxta illud Psaltis: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Terra enim morientium est palæstra certantium, terra viventium est regnum Sanctorum, ait S. Augustinus. *In terra morientium spes mea Deus, in terra viventium portio mea Deus*, ait idem in Psalm. 103.

Rursum terra in æternum stans est B. Virgo Maria, quæ semper in gratia stetit, adeoque Christo usque ad crucem et mortem astitit, atque omnibus se invocantibus ope sua semper assistit. Ita S. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos c. 4. « Fons, inquit, ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, id est, dignitas terræ, mater Domini Virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur, ut qualis de limo terræ, talis homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret, id est in voluntate patris, ut eam impleret atque servaret. »

Vers. 5. ORITUR SOL, ET OCCIDIT, ET AD LOCUM SUUM REVERTITUR: IBIQUE RENASCENS (Hebr. et Septuag. *oriens*.)

Vers. 6. GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITUR AD AQUILONEM: LUSTRANS UNIVERSA IN CIRCUITU PERGIT SPIRITUS, ET IN CIRCULOS SUOS REVERTITUR.) Pro *ad locum suum revertitur*, hebr. est שואף *scioeph*, id est anhelat, anhelus tendit, inhiat, ardenter cupit; Septuag. ἕλκει, id est, *trahit*; Arabicus, *trahitur*; Aquila, *aspirat*; Symmach. et Theod. *recurrit*. Sol enim tanta velocitate rapitur ab ortu ad occasum, ut anhelare, et fessus anhelo spiritu ad occasum, quasi ad quietem rapi videatur, iuxta illud Psalmi 18. 7. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio eius: et occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat, etc.* quod ad litteram de sole, allegorice de Christo et Apostolis per orbem evangelizando velocissime discurrentibus, cunctosque Dei fide illuminantibus, eiusque amore inflammantibus dicitur. Sol ergo est quasi gigas veloci cursu currens et anhelans, ac quodammodo attrahens ventum, seu aerem præ desiderio redeundi. Certe, oriente sole, frigidior quam ante sentitur aura, ait noster Lorinus. Chaldæus vertit: *In nocte respicit, et vadit per viam abyssi, et oritur cras ex eodem loco, in quo heri ortus est*; alius: *Abyssinorum* (id est, ingentium et occultorum in adverso nobis hemisphærio locorum apud Antipodes) *iter conficit*.

Sol in cursu anhelat.

Loquitur de motu et cursu solis non tam annuo, ut vult Theoph. Alex. Epist. 3. Paschali, quam quotidiano. S. Hieronymus tamen, Hugo Victor, Bonaventura, Lyranus, Hugo Cardin. Carthusianus, Caietanus, Albinus, Thaumaturgus, Ioannes Arboreus de utroque cursu interpretantur, tum diurno, tum annuo, etiam prima verba textus, ita ut oriri sol censeatur, quando per vernale æquinoctium ingrediens ad nostrum polum consurgit; occidere, quando exiens per autumnale ad inferiora descendit; gyrare per meridiem (quæ sunt verba sequentia) quando in hiemalibus signis commoratur; flecti ad aquilonem, quando in æstivis, quæ polo boreali viciniora sunt, circumfertur.

Quæres: Quorsum hic solis ortus, occasus et gyratio inducitur?

Cur hic Solis motus inducitur? Resp. I.

Primo, hæc accipias plane ut sonant, quasi significet hic Salomon, vanitatem quamdam non solum terræ et terrigenis, sed et soli cælisque inesse, ut sit argumentum a minori ad maius, q. d. Soli ipsi et cælis inest vanitas, id est instabilitas. Omnes enim assidue rotantur et gyrant, et velut circulantes in orbem eunt et abeunt; quanto magis ergo homo et terrena omnia sunt vana et instabilia, atque transeunt et evanescunt! Unde Didymus et Nyssen. in Catena Græcor. *Hoc*, inquiunt, *sibi vult*: *huius uni-*

versilatis naturam respiciens, sive quæ in solo, sive quæ in mari, sive quæ in cælo sunt consideres, tuam ipsius naturam intelliges: nam *quemadmodum solis huius, sic et naturæ nostræ suus est ortus et casus*. Et S. Hieron. *Hoc autem, ait, ideirco dicit, ut doceat mutationibus temporum et ortu occasuque siderum humanam ætatem labi et interire dum nesciat.*

II. Secundo, potest hic versus referri ad generationem prætereuntem et generationem venientem, v. 4. ut significet rerum omnium circulationem, q. d. Omnia in mundo sunt circulantia atque in orbem eunt et redeunt: nihil ergo in eo est fixum et stabile, cui cor affigas. Antecedens probo, quia generationes gyrant et circulares sunt, dum assidue una præterit, altera advenit. Sic pariter sol gyrat, dum oritur et occidit assidue; sic et venti et flumina. Atque inde concludit v. 10. nihil sub sole esse novum, sed omnia in orbem ire et redire. Porro sicut in generationum circulatione, terra velut earum omnium subiectum iugiter stat: sic in solis circulatione idem permanet sol, solisque motus, itus et reditus. Idem est de ventis et fluminibus, qui omnes labuntur in mare, illudque omnia excipit, nec tamen redundat.

III. Tertio nervosius hic versus accipi potest, ut sicut v. praeced. dedit causam materialem generationum, scilicet terram; sic hic earumdem det causam efficientem, cur scilicet generationes in terra sibi assidue succedant. Causa enim est gyratio solis, qui nunc accedens suo lumine ver et calorem, quo herbæ germinant et animalia prolificant, adducit; nunc abscedens seque elongans hiemem affert et frigus, quo plantæ et animalia arescunt et emoriuntur. Cum enim sol motu anhelo et irrequieto iugiter moveatur, locum mutet, hemisphærium alternet, necesse est pariter iugiter moveri res sublunares, quæ ab eo pendent, earumque ortus et occasus alternare. Quare inconstantiæ ut fugacitatis rerum terrenarum causa est inconstantia et fugacitas solis. Ita S. Hieron. Alcuinus et Nyssenus, quem audi: *Mortalium vita conteritur die diei succedente, annique partibus ut conversionibus, solisque cursibus certis et definitis, nunc antecedentibus, nunc sensim recedentibus.*

Hinc sol hebr. et chald. dicitur שמש *semes*, id est *minister*, quod quasi minister subserviat Deo, et naturæ in rerum generatione, quodque nobis operantibus ministret et quasi facem præferat.

IV. Quarto Noster Pineda hunc versum refert ad antecedentem ignorantiam humanam, quæ notatur v. 8. Ex Astronomiæ enim scientia, quæ præstantissima et iucundissima est, nil aliud certius de illa haberi potest, quam quod sol cum cæteris sideribus oriatur et occidat, ac eosdem semper cursus repetat.

Denique Olympiod. « Certum, inquit, solis cursum dispositumque ostendit, ut nos ad illius contemplationem attollat, qui fabricatus est solem. Movetur autem circulari motu, ut nonnulli arguunt ex verbis Esdræ ita dicentis: magna est terra, et excelsum est cælum, et velox cursu est sol, et vertitur in circulo cæli, et in una die ad locum suum revertitur, q. d. Hic etiam sol, licet magnus, ad solem iustitiæ comparatus, vanitas est. Mystico autem sensu ita intellige. Oritur sol in cordibus fidelium, dirigens adhuc proficientes ad ea quæ agenda sunt; sed et in ipsis occidit, quando altitudines sententiarum inquirunt, atque ita maius desiderium cognitionis in illis accendit. »

Nota τὸ *renascens*, id est rursum oriens: ortus enim solis videtur eiusdem nativitas, quia sol ex aurora velut proles e matre nasci conspicitur, et a rudibus existimatur. Unde ænigma: *Filia cum matris, eadem mox gignitur ex me*; quod sicut dicitur de nive, quæ ex aqua gignitur et rursum in aquam resolvitur; sic etiam de sole dici potest, qui ex aurora et die nasci videtur, ac vicissim oriens auroram et diem progignit. Imo nonnulli Philosophi et Poetæ censuere vere solem nasci ex ignitis vaporibus coeuntibus. Unde Lucretius l. 5. auroram et solis ortum ita pingit:

Ætheris auroram defert, et lumina pandit,
Aut quia sol idem sub terras ille revertens
Anticipat, cælum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, et semina multa
Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.

Sic et Epicurus censuit solem in occasu interire et in ortu renasci, teste Cleomede l. 2.

Allegor. S. Chrys. hom. de Turture tom. 5. *Ortus est, inquit, nobis sol iustitiæ Christus, de S. Maria secundum carnem genitus: Oriens quippe* nomen *est illi*, Zachar. 3. 6. *Occidit vero, quando post crucem ad inferna descendit, et ad locum suum revertitur ipso dicente: Cum exaltatus fuero, universos traham ad me*, Ioann. 12. De hoc sole iustitiæ et Malachias pronuntiat dicens c. 4. *In diebus illis orietur sol iustitiæ, et sanitas erit in pennis.* Ubi plura hac de re dixi. Christus ergo velut sol ortus est in nativitate, occidit in morte, rursus ortus, et velut renatus est in resurrectione, inquit Olympiodorus: sol enim sua luce, splendore, calore, efficacia, vivificatione, symbolum est Dei et Christi, uti per multas analogias ostendi Isaiæ 45. v. 1. Rursum S. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 12. « Oritur, inquit, sol iustis, occidit autem iniustis; oritur tranquillitati piæ mentis, occidit iracundiæ; unde ait: sol non occidat super iracundiam vestram: hinc potest colligi, quia iisdem oritur et occidit, quorum et vitia sepeliat, et illuminet gratiam; mortuus est enim peccato ut Deo viveret; hoc est, peccato sumus in illo mortui, ut Deo in perpetuum viveremus. Vide apud mysterium præenuntiatum: Et oritur, inquit, sol et occidit, et in locum suum trahit; hoc est, quod ait Dominus: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Traxit enim ad se omnium studia, ut vel peccata nostra crucifigeret, vel bonum ingenium ad iustitiam provocaret. Adverte quemadmodum trahat ad se: Pater, volo ut ubi sum, et isti sint mecum. Et ad latronem ait; Hodie mecum eris in Paradiso. Adverte quomodo omnia trahat. Exaltatus est in cruce, et totus credidit mundus. »

Tropol. licet sol splendidissimum sit mundi astrum, *cæli oculus, temporum rector, siderum dux, vitæ dator, animantium pater*, ut ait S. Nazianz. Orat. 2. de Theol. et *expressa divinæ bonitatis imago*, ut ait S. Dionys. c. 4. de divin. nomin. tamen ille ipse vanitatis quoque est speculum et exemplum; primo, quia instabilis est semperque rotatur, oritur et occidit, idque quotidie et celerrime; nam quotidie totam terram circumit, quare ad vivum repræsentat brevitatem, ortum, occasum et interitum vitæ humanæ: sol enim continuo et velocissimo suo motu describit, definit et numerat horas, dies, menses et annos vitæ nostræ. Ita S. Hier. Nyssen. Olympiod. et alii.

Tropol. Sol vanitatis speculum. I.

Secundo, sol inconstantissimus est, dum singulis momentis locum et regionem mutat, ac vicissim singula Zodiaci signa percurrit; quare inconstantiæ humanæ est symbolum, ac nominatim repræsentat inconstantiam, et circumrotationem concupiscentiæ, ut habet textus Græcus Sapient. 4. 12 Ita R. Haccados apud Galatin. « Quamvis sol, inquit, cælestesque orbes irrequietis motionibus super suos axes volvantur, nihil novi, nihil perfectionis comparant; non aliter sane qui ad suas appetitiones habenas laxant, et iisdem veluti versatilibus suarum concupiscentiarum axibus circumrotantur, nihil commodi bonive nanciscuntur. Natura itaque appetitionibus ut animi motionibus inservire, inutilis prorsus vanitas est. » II.

Tertio, sol subinde altissime elevatur, ac in meridie coruscus refulget; sed illico descendit, lucemque et splendorem nobis minuit, eumque plane in occasu perdit: sic pariter homo subinde ad altos honorum gradus, celebritatem et gloriam attollitur; sed mox vertente rota fortunæ deprimitur, ac sæpe in vita, semper in morte omne eius decus perit et occidit. Ita Nis. Disce ergo a sole modestiam, ac in *die bonorum memor esto malorum, et memento paupertatis in tempore abundantiæ*, ut monet Eccli. cap. 18. 25. sol enim vespere tenebras patitur, imo abscedens eas inducit. Nam ut ait Plinius l. 2. c. 10. liquet, *non aliud esse noctem, quam terræ umbram.* Umbræ autem et tenebræ obscuritatis et adversitatis sunt typus. III.

Rursum sol interiectu lunæ patitur eclipsin, quæ defectus et felicitatis humanæ est typus. Denique Plin. l. 2. c. 12. *Quis, ait, cernens statos siderum labores, non suæ necessitati mortalis genitus ignoscat.*

IV. Quarto, sol, licet multis beneficus, aliis tamen est maleficus, qui nimio calore arefacit et exurit; quocirca sol, quo *exorto æstuaverunt, et aruerunt* bona Dei semina et virtutum germina, est diabolus eiusque tentationes, uti exponit Christus Marc. 4. v. 6. 15. et 17. ac ibidem S. Chrysost. et Naz. Orat. 4.

V. Quinto, in Hebr. repetitur vau conversivum, id est quod præterito vertit in futura. Unde sic ex Hebræo ad verbum cum Pagnino vertas: *Et orietur sol, et ingredietur, sive occidet sol;* ubi τὸ *et* connexim habet, et significat solem totum esse in eundo et redeundo, idque continue et constanter (futurum enim Hebræis significat continuationem et constantiam). Rursum pro *revertitur* hebr. est *onhelat,* quæ omnia symbolice significant hominem suis cupiditatibus abreptum, totum in ea ferri, præteritorum et futurorum oblitum; iis enim ardens, incitatissimo in eas cursu rapitur velut æstuans et anhelus. Hinc vulgus putat solem a bobus trahi, qui vespere fessi et anheli, in occasu solem secum ad stabulum ducant, ut ibi simul quiescant, uti refert Plin. l. 2. cap. 98. et Seneca l. 3. Natur. quæst. cap. 26. Poetæ vero fabulantur solem vespere anhelum in mare se immergere, ut eo refocilletur et refrigeretur, teste Strabone l. 1. Hinc illud Catulli l. 2.

Fabulæ de solis occasu.

Solis anhelantes abluit amnis equos.

Et illud Virg. 12. Æneid.

Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.

Et illud Boetii l. 3. de Consol.

Cadit Hesperias Phœbus in undas,
Sed secreto tramite rursus,
Currum solitos vertit ad ortus.

Sol typus veritatis et virtutis.

Verum enimvero idem sol homini magis veritatis veræque virtutis, quam vanitatis et vitii est schema et exemplum: primo, quia cælestis docet hominem cælestia cogi-
1. tare et amare; secundo, quia sua luce docet eum opera
2. lucis, id est virtutis operari, Ephes. 5. vers. 8 tertio, quia
3. ingenti sua velocitate, eaque continua et eiusdem semper
tenoris, docet hominem ad labores debere esse impigrum
et infatigabilem, ut in iis eodem semper tenore perduret;
4. quarto, quia suo calore, quo omnia vivificat, docet homi-
nem charitatem et zelum, quo spiritu apostolico prædi-
5. tus omnes ad Dei amorem inflammet; quinto, ab occasu
rediens ad locum suum, id est orientem *scioeph*, id est anhelat, hoc est summa aviditate, concitatione rapidissima, et ardentissimo desiderio fertur, et rapitur, anhelitu velut attracto eorum more, qui aliquo celerrime contendunt, aut citum alicuius operis finem consequi volunt. Hic solis anhelitus docet hominem labore fessum, vires animumque meditatione et oratione qua gratiam Dei attrahimus, innovare, ut per innovationem spiritus acuat desideria pia novaque opera continue novo animo, novo fervore et ardore ordiatur. Ut mysticus ergo sol numquam Zodiacum, id est institutum tuum exeas, et per illum discurrens, omnes vitæ exemplo illuminare contendas. Iam te per orationis exercitationes, supra res corruptioni obnoxias effer. Iam per honestas actiones te proximis subiice; sed postquam per aliquod tempus laboraveris, ad locum tuum, id est ad quietem propriæ inspectionis et emendationis revertere. Dic animæ tuæ singulis mensibus: *Convertere,* anima mea, *in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi*, Ps. 14. 7. Ubi nota Orientem vocari, *locum suum;* quia solis proprium, sive quia in Oriente a Deo creatus est sol, ut vult Severianus, sive quia in Oriente oritur et quasi nascitur. Locus enim nativitatis vocatur suus et proprius. Orientem ergo vocat quasi solis et diei incunabula; sive quia sol, ab Oriente declinans et occidens, semper Orientem repetit, ibique renascitur; sive quia in Oriente primo se videndum exhibet, nobisque apparet pulcherrimus, scilicet roseus, auricomus et flammeus. Huc facit illud Psal. 18. quod paulo ante citavi: *Exultavit ut gigas ad currendam viam,* quod ad litteram de sole dicitur; allegorice, de Christo et Apostolis. Unde S. Gregorius Nazianzenus Orat. quæ est in laudem S. Basil. eum soli comparans: « Laudatur, inquit, apud Davidem solis pulchritudo, et magnitudo, et cursus, et celeritas, et vis ac facultas; quippe qui sponsum splendore, gigantem magnitudine referat, ac longe lateque progrediendo tantam vim habeat, ut ab extremis extrema æque collustret, nec locorum intervallis ipsius fervor ullo modo minuatur. Basilio autem pulchritudo virtus fuit, magnitudo Theologia, cursus perpetua virtutis agitatio, per quotidianos ascensus ad Deum ferens; potentia, doctrinæ semen ac distributio. Itaque ne hoc quidem mihi dicere verendum est, in omnem terram sonum illius exiisse, atque in fines orbis terræ vim illius verborum; quod de Apostolis Paulus dixit a Davide mutuatus. »

Denique sol videtur quasi quidam corporum Deus, cum ipse omnibus corporibus summe emineat, et cumulum omnium bonorum impertiat; hinc iure optimo vocatur (quia revera est) fons omnis corporalis boni; quia nihil est in corporibus sibi subiectis, quod ab illo tamquam e fonte non effluat. An bonum est vita? sed sol omnia corpora vitæ capacia vivificat. An bonum est salus? sed suo motu mortalibus salutem affert. An bonum est diuturnitas? sed omnia conservat. An bonum est augmentum? sed omnia disponit atque gubernat. An bonum est pulchritudo? sed omnia suo splendore condecorat. An bonum est voluptas? sed sua venustate oculos mirifice recreat. Dulce enim lumen, ut est apud Ecclesiasticum, et delectabile est oculis videre solem. Ipse est qui terram fertilem reddit plantis, metallis, animalibus. Ipse aquam fœcundat piscibus. Ipse aerem suo splendore quasi veste condecorat. Ipse lunam, stellas et omnes orbes cælestes illuminat. Denique a supremo cælorum usque ad infima terrarum viscera, omnia suo influxu replet, fovet atque tuetur. O pulcherrima imago Christi mei! o formosissimum vestigium ducis mei! laudo eum qui in te posuit tabernaculum suum: glorifico eum qui te tam decorum, tam agilem, tam fortem, tam admirabilem creavit, ut in te atque in tuis effectis suam mihi eximiam charitatem ostenderet.

Christianus sit Sol mundi.

Esto et tu, o Christiane, instar Christi, perinde ac si ab eo relictus, imo factus esses sol mundi. Futurus es sol in cælo; nam *iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. Esto ergo et sol in terra: sol in contemplatione, sol in actione, sol in foro, sol in schola, sol in templo, sol in mensa, sol in cubiculo, ut omnes illumines, accendas, vivifices. Hæc et plura noster Alvarez de Paz libr. 3 de Natura perfect. part. 3. cap. 28 Sic sol oriens fuit S. Franc. Xaverius.

GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITUR AD AQUILONEM) Hebr. *Vadens ad Meridiem, et circuiens ad Aquilonem;* Sept *Vadit ad Austrum, et gyrat ad Aquilonem;* Syrus: *Abit ad meridiem, et circuit ad Aquilonem; Symmachus: Vadit ad meridiem, et circumit ad Boream*; alii: *Declinat, circumdat, deflectit, convertitur ad Septemtrionem;* Chald. *Vadit per omnem plagam Australem, in æquinoctio Aprilis, et in solstitio Iunii; circuiens per gyrum pergit spiritus ad plagam Septemtrionalem in æquinoctium Septembris, et in solstitio Decembris egreditur ab exitu Orientico mane, et ingreditur ad ingressum Occidentico in vespere.* Censet ergo Chald. hoc versu notari quatuor solis annique tempora, puta duplex æquinoctium, et duplex solstitium, scilicet æstivum et hibernum.

Nonnulli censent id dictum iuxta sententiam quorumdam veterum, qui, teste Arist. 2. Meteor. c. 1. putabant totum mundum secundum Septemtrionalem partem in sublime assurgere, secundum Meridionalem vero demissum esse non solum in cælesti, sed etiam in terrestri globo. Quare solem terram non circumcirca circuire, sed per diem Meridiem dumtaxat obire, noctu vero deflectere ad Septemtrionem, ut sub eius gibbo lateat et occultetur. Confirmant ex illo Isaiæ 14. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testa-*

menti, in lateribus Aquilonis; quasi scilicet Aquilo excelsior cœli pars sit. Verum hæc omnia repugnant Astrologiæ, Theologiæ et S. Scripturæ quæ docet orbem esse rotundum, ac proinde Septemtrionem non esse altiorem Australi parte, adeoque solem et cœlum plane in orbem rotari, ac totum terræ globum quaquaversum circuire et circumambulare.

Rursum alii dicunt solem quotidie moveri per Meridiem, cum movetur ad meridianum; cum enim ad eum pervenit est meridies, cum vero eum transit ab eoque recedit, declinare videtur ad Aquilonem. Sed errant, quia aliud est Meridianus, qui efficit meridiem; aliud Auster, sive plaga mundi meridionalis. Zodiacus enim oblique et lateraliter secat Meridianum inter Austrum et Aquilonem; quo fit ut sol decurrens Zodiacum et transiens Meridianum, nunc vergat et pergat ad Meridiem, nunc ad Aquilonem, iuxta signa meridionalia vel australia, quæ obit et percurrit, uti ad oculum videre est in sphæra.

Sol gyrat per meridiem ad aquilonem

Exploso ergo utraque hac sententia, potest hic locus accipi dupliciter, scilicet primo de motu solis quotidiano; de illo enim dixit: *Oritur sol, et occidit*, q. d. Sol dum ab ortu movetur in occasum, gyrat ad Austrum et flectitur ad Aquilonem; secundo de annuo, de diurno, et quotidiano accipiunt S. Gregor. Thaumaturgus, Nyssen. Hugo, Lyran. Valles. et Titelm. de Annuo, S. Hieron. Olympiod. Theophil. Epist. 3. Paschali, Caietan. Pineda et alii.

I. Quotidie

Primo ergo de quotidiano sic exponit Lyran. et S. Thomas scribens in c. 37. Iob per Aquilonem, inquiunt, intelligit nostrum hemisphærium, quod respicit polum arcticum sive septemtrionalem; per Austrum vero intelligit hemisphærium oppositum, in quo sunt Antipodes, quod respicit polum antarcticum sive australem, q.d. Sol oriens in nostro hemisphærio arctico per illud movetur ad Austrum, id est, tendit ad hemisphærium antarcticum, puta ad Antipodes; quo cum pervenit, rursum flectit ad Aquilonem, id est tendit, reditque ad nos, nostrumque hemisphærium quod est sub polo arctico. Verum sol gyrat proprie per Meridiem in nostro hemisphærio, dum nobis exhibet horas meridianas. Meridies ergo est in nostro horizonte, et pars nostri hemisphærii; quare per Meridiem non intelligit polum antarcticum et antipodes.

Iis qui habitant sub tropico cancri.

Quocirca magis præcise et apposite respondet Francisc. Vallesius de Sacra phil. c. 62. hunc solis gyrum ab Austro in Aquilonem verum esse, vereque apparere iis qui habitant sub tropico cancri (non vero iis qui habitant sub æquinoctiali in sphæra recta) uti habitant Itali, Hispani, Syri et Palæstini, apud quos hæc scripsit Salomon. Illi enim cum habeant sphæram obliquam, hinc oblique eis movetur sol gyrando ad Austrum, indeque flectendo ad Aquilonem: *Obliqua enim et fracta linea per Austrum pergit ad Boream, et ita ad Orientem revertitur*, ait S. Hieron. Idque Valles. hac ratione Mathematica demonstrat: Nam quacumque die convertit homo faciem ad eam partem qua oritur sol, et inde ducens per suum zenith lineam, describat circulum magnum, et imaginatione secet mundum in duas partes æquales, eam mundi medietatem ad quam spectabit sua dextra vocabit Meridiem; ad quam sinistra Septemtrionem aut Aquilonem; quia habebit polum a sinistris, et a dextris meridianum motum solis: quotidie autem sol postquam gyraverit per Meridiem, intersecans illum magnum circulum (qui est linea longitudinis) flectetur ad oppositam cœli medietatem; quare flectatur ad Aquilonem. Intersecare autem eam lineam quotidie constat, quia sol cum fertur per æquinoctialem, describit magnum circulum, duo autem circuli magni non possunt non intersecare sese per medium; cum vero recedere ab æquinoctiali non possit sol, nisi per triginta gradus, et obliquitas sphæræ dictis in locis maior sit (quod elevatio poli ab horizonte indicat) fit ut numquam percurrat sol circulum, qui non intersecet circulum illum magnum, etsi non per medium et in partes æquales. Si autem intersecat, certe flectitur antequam perficiat diurnum motum ad oppositam medietatem, et quæ spectet ad Aquilonem. Verissime ergo sol ex quo nascitur gyrat per Meridiem, et deflectens ad Aquilonem redit in locum suum.

Causa ergo cur habitantibus sub tropico cancri, sol, dum est in signis borealibus, videatur declinare ad Austrum, indeque reflecti ad Aquilonem, est obliquitas situs, æque ac zodiaci. Cum enim habitent in obliqua sphæra, hinc magis obliquum habent zodiacum, in quo perpetuo movetur sol, qui proinde circulando eis videtur obliquare cursum, nec directo motu, sed obliquo gyrare ad Austrum, inde regyrare ad Aquilonem, dum tendit ad occasum. Hanc obliquitatem innuit vox *gyrat*, et hebr. סובב *sobeb*, id est circuit. In obliquitate enim sunt gyri, flexus et circuitus, quibus sol oberrat. Cum enim zodiacus oblique secet æquinoctialem, æque ac meridianum, qui meridiem nobis efficit, ita ut pars eius superior ubi nobis oritur sol, tangat tropicum cancri, vicinaque sit circulo arctico, qui polum arcticum sive Septemtrionem respicit; inferior vero eius pars tangat tropicum capricorni, vicinaque sit circulo antarctico, qui polum antarcticum sive australem respicit; hinc fit ut sol oriens nobis in tropico cancri, dum est in signis borealibus, videatur mane ferri a septemtrionali oriente ad meridianum, id est, ad Meridiem, ac deinde declinare ad Aquilonem, ut tendat ad occasum; videatur, inquam, illi, qui sub verticali circulo, quem meridianus in meridie secat, consistit facie versa ad solis ortum; idque facit tum obliquitas situs et sphæræ, tum curvatura circuli zodiaci et circulationis in motu solis. Hic enim post meridiem curvatur, flectiturque a meridiano et meridie, ac magis accedit vergitque ad Aquilonem, ut pergat ad occasum; zodiacus enim in quo per suam lineam eclipticam semper movetur sol, a tropico cancri, qui respicit Septemtrionem, oblique tendit ad æquatorem, et ad meridianum, eumque oblique secat; quo facto oblique regyratur et reflectitur per Aquilonem in occasum, ubi sol occidit, dum, ut dixi, obit signa borealia.

Vallesio accedit noster Christoph. Clavius in sphæram de Sacrobosco, cap. 2. pag. 145. ubi docet partem australem et borealem, sive Meridiem et Septemtrionem tripliciter posse accipi respectu trium circulorum, scilicet zodiaci, æquatoris et circuli verticalis, qui scilicet utrumque polum ac zenith, id est, verticem capitis nostri transit, secatque hemisphærium nostrum in duas partes, australem, quæ est ad Austrum, et borealem, quæ ad Aquilonem vergit, atque tertia hæc acceptio borealis et australis valde servit horologiis. Audi Clavium: *A tribus circulis, scilicet zodiaco, æquatore et verticali proprie dicto, tripliciter sphæra ab astronomis dividitur in hemisphærium Boreale et Australe, etc. Ex hac acceptione verticalis efficitur, ut sol in signis Borealibus decurrens, iuxta eius ortum et occasum dicatur Septemtrionalis; reliquo vero diei tempore ante et post meridiem, Meridionalis vocatur.* Hunc sensum de motu solis diurno et quotidiano exigere videtur versio Vulgata, quæ habet, *gyrat per meridiem*; esto Hebr. et Septuag. habeant, *vadit ad Meridiem*. Unde,

II De motu annuo.

Secundo potest hic locus accipi de motu solis annuo, sive de accessu et recessu solis inter tropicos cancri et capricorni, ut sicut per τὸ *sol oritur, et sol occidit*; expressit motum solis diurnum, quo quotidie iuxta motum primi mobilis per duodecim horas diei ab ortu fertur in occasum: ita per τὸ *gyrat per Meridiem*, vel ut hebr. est *ad Meridiem, et flectitur ad Aquilonem*, exprimat motum solis annuum, q. d. Sol a tropico cancri gyrat ad Austrum et Meridiem, id est, ad tropicum capricorni, qui australis est, quia respicit polum antarcticum sive meridionalem; quo cum pervenit, rursus flectitur reditque ad Aquilonem, id est, ad tropicum cancri, qui respicit polum arcticum, sive borealem et aquilonarem. Sol enim inter hos duos tropicos semper movetur, cumque utrumque circumivit, annuum suum cursum circulumque explevit. Numquam enim sol hos duos tropicos excedit, eo quod hi duo tropici contineant terminentque zodiacum, in quo semper movetur sol. Quare sol, dum est in tropico can-

cri, obit sex signa æstivalia (quæ tamen Mathematici vocant Borealia, eo quod polum arcticum sive borealem respiciant, ait Clavius in c. 2. sphæræ pagin. 142.) quæ sunt: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo; Arietem ingreditur in Martio; unde 21. Martii facit æquinoctium ubique fere terrarum. Hisce sex decursis ingreditur tropicum Capricorni, eoque obit sex signa hiemalia (quæ tamen Mathematici vocant australia, eo quod polum antarcticum, qui Australis est, respiciant) quæ sunt: Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces; quibus decursis, cursu annoque expleto redit ad tropicum Cancri, eiusque sex signa æstiva iam dicta, itaque novum orditur cursum et annum. Libram ingreditur sol in Septembri; unde 24. Septembris facit æquinoctium autumnale.

Sol igitur gyrat per Meridiem, (Hebr. *ad Meridiem*; Sept. *ad Notum*, id est ad Austrum,) et flectitur ad Aquilonem.) Dum a tropico cancri qui Aquilonem respicit, obit semicirculum zodiaci illi tropico obiectum, sexque eius signa æstivalia, ac per ea decurrit tenditque ad tropicum capricorni; hic enim spectat ad Austrum, id est ad polum Antarcticum sive Australem; quo cum pervenit, rursus flectitur et regyrat ad Aquilonem, id est ad tropicum cancri, qui respicit polum Arcticum sive Aquilonarem. Rursum noster Pineda τὸ *per Meridiem*, quod habet Vulgata, exponit q. d. A Meridie vel trans Meridiem, vel ultra Meridiem. Forte planius sic exponi posset: *Sol gyrat per Meridiem*, id est, per signa æstivalia, quæ magnum Meridiem et æstum afferunt, ita ut sex signa tropici cancri iam recensita ab Ecclesiaste vocentur Meridionalia, quia æstivalia (esto a Mathematicis contrarie vocentur Borealia, quia respiciunt polum Arcticum sive Borealem, uti paulo ante dixi) ac vice versa sex adversa signa capricorni vocentur ab Ecclesiaste Aquilonaria, quia hiemalia et frigida (esto a Mathematicis vocentur Australia, eo quod polum Antarcticum sive Australem respiciunt.) Hebr. enim דרום *darom*, æque ac latinum *meridies*, sæpe notet plagam æstivam et calidam; talis enim est in Meridie: Aquilo vero hiemalem et frigidam; talis enim est Aquilo.

Denique multi et graves auctores qui censent mundum a Deo creatum in Septembri: tum enim tempus est fructuum, quos initio mundi creatos fuisse patet ex pomo vetito, quod comedit Adam (esto alii non minus probabiliter censeant mundum creatum in vere, cum omnia florent et amœna sunt, puta 25. die Martii, quo die incarnatus, et post 34. annos mortuus est Christus, ut hoc eodem die mundus a Deo creatus, a Christo recreatus et redemptus sit, uti dixi Genes. 1. et in Chronotaxi, quam Actis Apostol. præfixi ad annum Christi 34.) hi inquam, qui mundum in Septembri conditum volunt, sic exponunt, q. d. Sol cursum suum orditur in Septembri, ac *gyrat per Meridiem*, id est, decurrit per sex signa Australia Mathematicorum iam recensita, quæ sunt in tropico capricorni: quibus decursis, *flectitur ad Aquilonem*, id est, decurrit per sex signa Borealia, quæ sunt in tropico cancri. Hi ergo censent initium anni vulgaris primitus fuisse Septembrem, licet postea tempore Mosis, Deus sanxerit ut primus mensis sit Nisan, id est Martius, vel Aprilis, eo quod ille sit Paschalis; unde ab eo iussit Hebræos annum suum ordiri, Exodi 12. v. 1. et seq. quos postea Romani secuti sunt, donec Iulius Cæsar statuit ut annus inchoaretur a Ianuario; quod in honorem nativitatis et circumcisionis Christi secuti sunt Christiani.

Igitur hac phrasi, *gyrat per Meridiem*, id est versus Meridiem sive Austrum, *et flectitur ad Aquilonem*, significatur cursus solis annuus inter duos tropicos, cancri scilicet et capricorni. Semper enim sol movetur a cancro in capricornum, et a capricorno in cancrum: ab Aquilone in Austrum, et vicissim ab Austro in Aquilonem.

Summa, Ecclesiastes notat hic duplicem motum solis, scilicet primo communem et diurnum, quo motu primi mobilis quotidie movetur ab ortu ad occasum, et inde redit ad ortum; secundo proprium et annuum, quo spatio unius anni successive percurrit zodiacum in sua linea ecliptica, cuius una medietas declinat ab æquatore ad Austrum, altera ad Boream sive Aquilonem. Sic ergo sol una parte anni movetur a Borea ad Austrum, tuncque dicitur Borealis; altera ab Austro ad Boream, tuncque dicitur Australis. Movetur a Borea versus Austrum, cum percurrit semicirculum zodiaci ab ariete per cancrum usque ad libram, hoc est a Martio usque ad Septembrem, quo tempore percurrit sex signa Borealia iam dicta. Movetur vero ab Austro in Boream, dum percurrit alterum zodiaci semicirculum a libra per capricornum usque ad arietem, quo tempore obit sex signa Australia, quod facit in Septembri usque ad Martium. Breviter vult dicere Ecclesiastes solem proprio annuoque cursu nunc moveri ad Austrum, nunc ad Aquilonem, sicut motu diurno movetur ab Oriente in Occidentem, itaque successive obire, lustrare, fœcundare omnes mundi plagas. Nominat Austrum prius, quia Australis pars mundi dignior est, suavior, calidior et fœcundior Boreali: vult tamen dumtaxat dicere solem successive nunc moveri ad Austrum, nunc ad Aquilonem, imo nunc per Austrum, nunc per Aquilonem, nec curat an prius ad Austrum, num prius ad Aquilonem moveatur. Hæc videtur genuina et solida, iuxta sensum et phrasim Mathematicorum, huius loci expositio. Porro Ecclesiastes id dicit hoc fine et scopo, ait Pineda, q. d. Non contentus sol motu unius hemisphærii diurno, alias etiam cœli oppositas plagas tentat et percurrit, sed non ideo quicquam maioris quietis aut felicitatis adeptus ex annuo labore quam ex quotidiano, nihil in Meridie aut Aquilone amplius inveniens quam in Oriente aut Occidente. In quo repræsentatam vides cordis humani inconstantiam, et illam veluti innatam loca mutandi, ac novas semper stationes expetendi cupiditatem ut melius habere possit, ac lucri aliquid felicioris vel conditionis adipisci; sed frustra: locus enim cupiditatem non minuit, nec internas passiones animo exuit, sed potius exulcerat et molestias adauget iuxta illud: *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Vide S. Basil. Epist. 1. ad Gregor. Theol. et Senecam Epist. 28. qui egregie idipsum probat ex Socrate, Virgilio, Flacco, ac eumdem Senecam libr. de tranquillitate vitæ, ubi inter alia lib. 1. c. 12. citat laudatque illud Democriti: *Qui tranquille volet vivere, nec privatim agat multa, nec publice ad supervacua se ferat.* Quare qui in cella sua sedens cum Deo et Angelis versatur, hic in Deo suo conquiescit, ibique gaudet et fruitur, ideoque cella ipsi est præludium cœli, imo cœlum terrenum, uti S. Bernardo cella fuit instar cœli. [Scopus Ecclesiast.]

Igitur significat hic Ecclesiastes, solem moveri ab ortu in occasum, et gyrare per Austrum et Aquilonem, itaque quatuor mundi climata obire, perque totum mundi ambitum gyrare et circuire, ut scilicet lustret, illuminet, calefaciat, vivificet omnes homines, omniaque animalia et plantas, quæ in quavis orbis plaga, etiam alterius hemisphærii nostro oppositi, degunt et vivunt: illud enim gyrando obit lustratque sol. Acutum solis ænigma affert noster Pontanus vol. 3. progym. p. 1. c. 44. [Ænigma Solis.]

Quale animal dic esse putes, quod mobile totum
Est oculus, neque pars præterito ulla manet.
Quotidie gignit natum, sine matre creatum:
Qui tamen una ipso hac interit ille die.
Cuius item soror absente est genitore creata,
Partita imperium fratris, et interitum.

Sol enim totus est oculus, et sua luce gignit diem, sua absentia noctem, quæ est quasi soror diei; dies autem et nox alternis orbi imperant, ac sese invicem successive interimunt.

Symbolice rursum, velocissimus hic solis motus et gyrus, notat velocem debere esse hominis in omnes beneficentiam. Habet hac de re festivum solis et caliginis Apologum Cyrillus lib. 3. Apolog. mor. cap. 24. « Dum ortus sol, inquit, in primo principio Orientis copiosissima luce fusa, tenebras undique ab inhabitato hemisphærio mox fugasset, caligo deorsum ita eidem conquesta est dicens: Ut quid tanto largitionis impetu, tam repentina emissio- [Apologus Solis, id est velocis beneficentiæ]

nis influxu, radiorum tuorum fulgores super terram fudisti? Numquid non satis erat debita moderatione paulatim influere, et ita me curialius modesta contrarietate fugare? At illa respondit: Tenebra es, et ideo ignorantiæ cæcitate referta, sicut tenebra es locuta. Nimirum nescivisti modum liberalis donationis: nam cum magna voluntas in dando est, et facultas adsit, non minor est in effundendo velocitas. Sic qui effundere potuit et distulit, concupivit quod tenuit, nec voluntate plena dedit. Clarum est speculum liberæ voluntatis, effusæ celeritas donationis. Ea siquidem lucide panditur, quod virtus non quod datur, ametur: virtus autem in libera voluntate consistit. Audivisti ne quod in Proverbio fertur: Qui cito dat, bis dat; nempe bis, quia voluntatem et placidam rem. Aut certe bis dat, quia voluntate et re, unde voluntate non dedit, qui totum deforis ipsummet opera donare tardavit. Nam ubi ad dandum facultas affuit, et interfuit tarditas, ibi voluntas non fuit. Revera si dare diligitur, non tardatur. »

Exempla. Deinde ipsum exemplo fontium et cælorum commonstrat. « Attende, quæso, quanto impetu e natura dati fontes scatoriunt, venti funduntur, cælum ut dat beneficium vultor, et substantialis forma se totam materiæ et puncto temporis elargitur. Beneficium ergo quanto datur velocius, tanto datur lubentius; et quanto liberalius, tanto charius sumitur et iucundius possidetur. Quibus dictis, caligo disparuit. »

Vox *gyrat* significat cælum esse rotundum et sphæricum, ut in orbem a sole gyrari et circuiri possit. Hinc patet esse Antipodes, id est Aversipedes, qui scilicet nobis oppositos et adversos figant pedes, sive ut ait Cicero in somnio Scipion. *Adversa nobis urgent vestigia*. Multi olim negarunt esse Antipodes, ut Lactantius, S. Augustinus, Plinius, Aristot. Lucretius, S. Gregor. Nazianz. S. Chrysost. Theod. Theophilus, sed aliis et aliis personati rationibus. Lactantii enim lib. 3. Instit. 24. et lib. 7. c. 23. ratio erat, quod ridicule metueret ne nobis adversi quasi sursum penduli, caderent in cælum. Quare censuit ipse cælum non esse sphæricum, nec ambire totam terram, sed tantum nostrum hoc hemisphærium, in eiusque limitibus finiri. Sic et S. Chrysostom. homil. 14. et 27. in Epist. ad Hebr. Theodor. et Theoph. in cap. 8. ad Hebr. ac dubitat S. August. l. 2. de Genes. ad litter. c. 9. Ratio vero S. August. erat, quod putaret partem terræ oppositam operiri aquis, ideoque esse inhabitabilem: aut si pars aliqua aquis aperta non sit, eo non posse penetrari ob immensa marium spatia, quæ inter nos et illam interiacent. Quare non videri modum, quomodo homines ex Adam prognati eo pervenire potuerint. Ex Script. enim liquet nullos alios esse homines, quam qui ex Adam descendunt. Ita ipse l. 16. de Civit. c. 9. *Nimis absurdum*, inquit, *est ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate traiecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum*. Eadem fuit sententia et ratio S. Greg. Nazianz. Epist. 71. ad Posthumanium. Aristotelis denique ratio fuit, quod ex quinque terræ zonis duas tantum laterales censuerit esse habitabiles, puta illas quæ duobus tropicis cancri et capricorni subiacent. Nam mediam ob æstum, duas ultimas ob frigus censuit esse inhabitabiles: quare per illas in alium orbem non fuisse nec esse transitum; nemo enim tunc ultra Gades et columnas Herculis navigarat. Unde Carolus V. eas superans suo insigni inscripsit: *Plus ultra*. Ita Aristot. l. 2. Meteor. c. 5. et Plin. l. 2. c. 68.

(Margin: Antipodes olim multis incogniti. — Lactantio, cur? — S. Aug. cur? — Arist. cur?)

Antipodes esse probatur. Verum hæc omnes rationes elidit hic Ecclesiastes, qui asserit solem gyrare circa terram per omnes mundi plagas, ut lustret Antipodes. Idem clarius docet experientia: nam a centum et triginta annis Christophorus Columbus, cæterique illius asseclæ, navarchi Hispani et Lusitani, detexerunt novum orbem et Antipodes, puta Peru, Mexico, Brasiliam, etc. Vide nostrum Iosephum Acostam l. 1. de Novo orbe c. 1. et seq. Et nostros Conimbricenses in l. 2. de Cælo c. 14. q. 2. art. 2. et Christoph. Clavium in c. 1. Sphæræ Sacrobosci pag. 406. et 407. ubi docet terram in medio mundi sitam esse, ibique immobiliter quiescere, ut gravitatis centrum sit Antipodibus æque ac nobis.

Hinc rursum patet cælum esse sphæricum sive rotundum, et circa illud solem in orbem gyrari. Demonstrant id Physici et Mathematici. Lege Conimbr. lib. 2. de Cælo c. 4. q. 1. et Clavium in sphæram; quamvis id negare videantur nonnulli Patres, ut Iustin. q. 130. ad Orthod. (licet illud opus non videatur esse S. Iustini, sed alterius, qui eo, imo Origene sit posterior) S. Ambr. l. 1. Hexam. S. Chrysost. homil. 14. et 17. in Epist. ad Hebr. Theod. in cap. 8. ad Hebr. (qui tamen mutavit sententiam q. 20. in Genes.) Lactant. l. 3. instit. c. 23. Procop. in c. 1. Genes. et Theophilus in c. 8. ad Hebr. — Cælum esse sphæricum.

Alleg. Christus sol iustitiæ gyravit per Austrum, dum evangelizando obivit Iudæam quæ Australis est regio; deinde flexit ad Aquilonem, cum ad gentes infidelitate et torpore frigidas rigidasque misit Apostolos, qui eas splendore fidei illustrarunt, et calore charitatis inflammarunt. Ita S. Ambros. in Psal. 118. Octon. 12. « Ipse (Christus) oriens vadit ad Austrum, et gyrat ad Aquilonem. Ille utique oriens, qui ait: Oriens nomen est mihi; qui semper oritur piis, nunquam occidit. Ipse oriens populo Hebræorum, ad Austrum ivit, ad molliorem populum, luxuriæ magis ferventis corporis lubricum, quam impietatis immanitate prædurum: aut certe ad nobiliorem plebem, quæ erat genus electum, vindicans sibi Patriarcharum prosapiam; sed quia perseverabat in vitiis, nec emendabat errorem, ideo sol iustitiæ gyravit ad gentes, quæ ante eloquiis cælestibus defraudatæ, immanes et ignobiles habebantur. Aquilo enim gravis ventus, ut populi nationum, sed qui erant graves ante perfidia, nunc super aquilas leviores facti sunt fide atque pietate, postquam venit qui dicerat: Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni; Adduc; et Africo; Ne prohibeas. Et in Evangelio: Venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent in regno Dei: et ecce sunt novissimi, qui erant primi, et sunt primi, qui erant novissimi. Denique et ipse Psalmista ait: Mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni; hoc est, qui erant Aquilonis latus, populus factus est Regis æterni, qui solus est magnus Dominus. » Et inferius post nonnulla: « Vide ergo venientem solem nostrum ad Austrum, postea gyrantem ad Aquilonem, etc. ut fieret Deus omnia et in omnibus. Ideo sanctus cælum dicitur, quia vicinior eum semper claritas solis illustrat. Habet splendorem suum domesticum, ut tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesia et cælum dicitur, et mundus, quod habeat sanctos et Angelis et Archangelis comparandos, habeat etiam plerosque terrenos. Dicitur et orbis terrarum, qui est fundatus super maria, et super flumina præparatus. » — Alleg. de gyro Evangelii.

Rursum sol iustitiæ, fidei et Ecclesiæ ortus est in Oriente, puta Iudæa: inde translatus est in Occidentem, cum S. Petrus ex Syria migravit in Italiam, ac sedem Pontificiam Antiochia transtulit Romam. Idem gyravit ad Meridiem, cum sub idem tempus illustravit Ægyptum per S. Marcum, Æthiopiam per S. Matthæum, Africam per alios Apostolos: inde deflexit ad Aquilonem, sed tardius, cum S. Bonifacius, cum sociis et asseclis sub annum Domini 700 convertit Germaniam, Frisiam, Saxoniam, Daniam, Poloniam, Russiam, aliasque Aquilonares regiones. Apostoli ergo viriquæ Apostolici sunt Samsones et soles iustitiæ. Sicut enim sol hebr. et chald. dicitur שמש *scemes*, id est minister, a שמש *sciamas*, quod chald. et syriace significat *ministrare*, eo quod quasi minister calorem et vitam impertiat creaturis omnibus, ac sui præstantia Dei Domini sui præstantiam iis repræsentet: sic pariter idem hominibus et gentibus omnibus specialiter præstiterunt Apostoli; ideoque sunt Samsones. Hebr. enim שמשון *sciamscion*, idem est quod parvus sol, qui scilicet Hebræis in tenebris captivitatis optatus illuxit, eosque a Philisthæis suo robore liberavit.

Tropol. Olympiod. Per quatuor mundi climata, quæ sol percurrit, accipit quatuor virtutes cardinales, quas sol iustitiæ Christus fidelibus aspirat, scilicet per Austrum, qui a calida mundi regione spirat, prudentiam, quæ omnibus — Tropol.

actionibus calorem et vitam rationalem aspirat; per Aquilonem, fortitudinem: est enim hic ventus acer, expeditus et rigidus; per Eurum vel subsolanum, qui ab Oriente flat, et sole oriente subnascitur, ut ait Plinius l. 2. c. 47. iustitiam, quæ per omnes commeat extenditurque virtutes; per Zephyrum sive Lybem, qui flat ab Occidente, temperantiam, quæ refrigerat voluptates corporis et exsiccat. Omnes igitur animæ regiones illustrans interno splendore radiat sol iustitiæ. Hæc Olympiod.

Rursum locus solis est animus, sol vero est intelligentia spiritualis. Hæc oritur, quando a Deo cordi inspiratur; et occidit, quando radius lucis in pœnam imperfectionum nostrarum, vel ex Dei dispositione subtrahitur. Ad locum suum revertitur, cum ad propriæ infirmitatis considerationem animus redit; postmodum vero renascitur, cum iterum ex seipso ad cognoscenda superiora conscendit. Gyrat per Meridiem, cum beatitudinem cœlestium spirituum recogitat: flectitur ad Aquilonem, cum damnatorum dolorem considerat.

Denique solis annique continua gyratio ad vivum repræsentat rerum omnium, præsertim humanarum gyrum et circulationem, scilicet omnia quasi circulantia ire in orbem, abire, novaque redire. Unde Nyssen. *Ad solis*, inquit, *similitudinem nostræ quoque naturæ est ortus et occasus: una est omnibus via, unus ingressus vitæ circulus*; et B. Antiochus hom. 30. *Quid aliud*, ait, *est hominis vita, quam rota quæ perpeti rotatu versatur?* Idque significat etymon anni. Annus enim hebr. dicitur שָׁנָה *sciana* ab iteratione et revolutione: שָׁנָה *sciana* enim significat iterare, mutare, revolvere; græce vero annus dicitur ενιαυτος, απο του εν εαυτω ειναι, quod in seipsum eat, instar rotæ, iuxta illud Senecæ in Hercule furente: *Rota præcipitis volvitur anni*. Latine autem dicitur *annus*, inquit Servius, quasi *anus*, id est annulus, quod in se redeat. Unde Poeta:

Annus etymon.

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Nam ut ait Varro: *Ut parvuli circuli annuli, sic magni dicebantur anni*. Vel απο του ανανεουσθαι, id est, ab innovatione. Atteius Capito vero annum ait significare temporis circuitum, ab *am*, id est circum. *Am*, inquit Priscian. lib. 14. prisris significat *circum*. Unde Cato dixit *am terminum*, id est circum terminum; hinc ambio, id est circumeo; ambesus, id est circumesus; ambustus, id est circumustus. Idem docet Varro et Festus; noster vero Goropius Becanus annum a prisca voce Cimbrica *Anna*, id est circulus, derivat. *Anna* enim est vox circularis. Unde si eam invertas, et retrogrado ordine legas, sonabit pariter *anna*. Hinc Romanis *Anna*, Dea perenna nuncupata est, iuxta illud:

Idibus est Annæ festum geniale perennæ.

Hanc enim Deam invocabant quasi præsidem annorum, ut eius ope ad novum annum possent redire. Eleganter S. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 158. *Tempus*, inquit, *rotæ speciem imitatur, utpote quod in se torqueatur et convolvatur*. Nam ut ait Seneca de Brev. vitæ: *Præsens tempus brevissimum est, adeo ut quibusdam nullum videatur: in cursu enim semper est, fluit et præcipitatur; ante desinit esse, quam venit*. Porro hæc vitæ rota homini est laborum et dolorum rota, in qua assidue rotatur et torquetur instar Ixionis, quem Poetæ narrant ob stuprum a Iove rotæ alligatum, in ea perpetuo rotari et cruciari. Unde Seneca lib. de Vita beat. cap. 28. *Quid porro*, inquit, *nonne nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat, et involvit fugientes petentesque eadem, et nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit?* Et S. Greg. Nazianz. in Carm. *Munde amice*, ait, *non tamen omnino amice, quid me in contrarium proficisci contendentem trochi cuiuspiam instar versas?* Idem Epist. ad Sophronium: *Vides*, ait, *quæ sit conditio rerum nostrarum, utque rota quædam negotiorum humanorum cursus circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac mœrentibus; dum neque adversitas, neque prosperitas nobis constat, sed quam ocyssime in diversum mutatur et transilit, ut aquis ac litteris aquæ inscriptis fidere liceat citius quam humanæ felicitati.* Hæc est vertigo rerum humanarum: o stolidi qui illi se credunt, ac velut perennaturæ cor affigunt, veræ æternitatis obliti. Idem, Orat. de Pauperum amore: *Natura*, ait, *nihil est in rebus humanis firmum, et æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens; verum res nostræ velut orbe quodam volvuntur, alias sæpe uno eodemque die, atque etiam interdum hora, mutationes advehente*. S. Ambr. lib. de Abraham: *Bona*, ait, *huius sæculi instabilia sunt, et rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur*. S. Nilus in Parænesi: *Umbræ et rotæ tam tristia quam læta huius vitæ compara; nam sicut umbra non manent, et ut rota vertuntur*; ac subinde homines suosque heros in vertiginem fastus vel desperationis adigunt, pervertunt et evertunt, uti deplorat S. Petr. Damian. Epist. 45. *Ecclesiarum plane quoque Rectores*, inquit, *quibus potissimum huius rei cura debuisset incumbere, tanto mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulsu, ut eos a sæcularibus habitu quidem dividat, sed actio non discernat*. Et S. August. in Psal. 49. v. 8. *Hi in curribus, et hi in equis*, id est, ait, *hi volubili successione temporalium bonorum trahuntur, et hi superbis efferuntur honoribus, atque in his exultant*. Sapientius Villegisus primus Vangionum Archiepiscopus, plaustralis fabri filius, ut se in humilitate natalium contineret, ubique per cubicula rotas depingi curavit, crebroque sibi dicebat: *Villegise, memento quis fueris, quis sis, quid eris*. Ita Bruscius de Episc. ac nuper Leo XI. cum 27. Pontific. sui die, gradu et vita decederet, Confessario magno animi sensu dixit: *Quam satius modo mihi foret, si monasterii potius, quam cœli claves tenuissem?*

Vita est rota laborum et dolorum. Ixionæ.

Qui ergo stabilitatem optat, ut non cum mundo temporeque rotetur, sed stabilis semper, idemque sui similis inter omnes sæculi turbines perseveret, hic pedem mentis figat in Deo stabilique eius æternitate, qui, ut ait Boetius:

Ut sis stabilis, fige cor in Deo.

Tempus ab ævo
Ire iubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Deus enim est basis mundi, centrum solis siderumque, axis temporum. Circa Deum enim eiusque æternitatem, velut axem immotum assidue rotantur sol, cœli, sidera, elementa, omniaque orbis tempora et sæcula, atque ab eo continentur et sustentantur. Vis ergo in orbe esse stabilis, in ipso cor tuum defige, super cœlos mente conscende, terram pedibus calca. Vive Deo, vive Æternitati. *Quid suavius homini?* ait S. Bernard. tr. de Charit. cap. 48. *quid iucundius quam mundum contemnere, et se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistere, et mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre quod appetat?* Et S. Nilus in Parænesi: *Beatus qui voluptates calcat; metuunt enim dæmones cum eo certamen suscipere.*

Lustrans universa in circuitu pergit spiritus) Hebr. *Circuiens circuiens* (id est assidue circuiens) *vadit spiritus, et in circuitus vel gyros suos revertitur spiritus*. Sept. *Gyrat gyrans, vadit spiritus, et in circulos suos revertitur spiritus*. Sic et Syrus, nisi quod pro *vadit*, vertit: *abit*; et pro *in circulos*, vertit: *ad circulos suos*; Arab. vero vertit: *circumdat ambiens*, scilicet *sol* qui præcessit. Deinde subdit de spiritu, id est vento: *Discedunt venti, et ad circulos suos revertuntur venti*. Symmach. *Perambulans vadit ventus, et per quæ circumierat revertitur ventus*. Tigurina: *Adversis mundi plagis venti surgentes meant, et in circulos suos venti revertuntur*. Alius: *Conversione sua circumiens properat aer, et secundum circuitus suos revertitur aer*. Chaldaicam versionem recitavi superius.

Quæres: Quisnam hic spiritus? primo, multi per spiritum accipiunt solem, quod sol dicatur spiritus, tum ob velocitatem, tum ob radiorum et luminis subtilitatem, tum ob agendi vim et efficaciam; sol enim omnia lustrat, et sua luce collustrat, ac in circulos suos revertitur. Ita S. Hieron. Olympiod. Albinus, Hugo, Dion. Titelm. et nostri Conimbric. lib. 2. de Cœlo cap. 1. q. 2. art. 4.

Spiritus hic quis? Resp. 1.

Audi S. Hieron. « Sol dicitur spiritus, quod animet et spiret, et vigeat, et annuos orbis cursus expleat, ut ait

Poeta: Interea magnum sol circumvolvitur annum. Et alibi: Atque in se sua per vestigia volvitur annus. Sive quod lunæ lucentem globum et astra Titania

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

S. Dion. cap. 4. de Div. nom. *Ad generationem*, inquit, *visibilium corporum confert* (sol) *et ad vitam ipsam movet, et nutrit, et auget, et perficit, et mundat, et renovat*, instar spiritus.

An sol sit animatus. Hinc nonnulli censent solem esse animatum: idque S. Hieron. tribuit S. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. Ab hoc tamen errore seipsum liberat S. Hieron. epist. 59. ad Avitum, et in cap. 45. Isaiæ, ubi Origenem perstringit, quod cœlis animas tribueret rationales. Audi clare id docentem Isidorum de Natura rerum cap. 27. ubi censet solem esse animatum ex S. August. « Salomon, inquit, cum diceret de sole: Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur, ostendit solem ipsum spiritum esse, et quod animal sit, et spiret, et vegetet, et annuos orbes suos cursu expleat, sicut et Poeta ait: Interea magnum sol circumvolvitur annum. Et alibi: Lunæ lucentem globum, Titaniaque astra spiritus intus alit. »

Verum iam dogma est Ecclesiæ, hoc est Patrum in quinta Synodo Œcumenica, Theologorum et Philosophorum omnium, nec solem, nec cælos esse animatos. Verisimilius S. Thom. Opusc. 10. censet solem dici *spiritum*, quod spiritum sive intelligentiam habeat non informantem, sed assistentem, moventem et dirigentem: ubi S. Thomas per spiritum videtur accipere Angelum, qui soli assistit, eumque volvit.

II. Secundo, Valles. Sacr. Phil. cap. 62. Aben Ezra et alii, per spiritum accipiunt ignem. Hic enim ob puritatem, subtilitatem et igniendi vim videtur esse spiritualis; hic rursum calore suo efficit rerum generationes et transmutationes. Unde est elementum nobilissimum et maxime necessarium, sicque Salomon hic ignem inter tria cætera elementa velut Principem assignat. Verum hæc aliena et coacta videntur.

III. Genuine. Tertio, proprie et genuine per *spiritum* accipias aerem et ventum, quem causat sol, de quo proxime sermo præcessit. Nam ut ait Seneca lib. 5. Natur. q. cap. 6. *Aliquando per se ipse sol causa venti est, fundens rigentem aerem, et ex denso coactoque explicans.* Plinius lib. 2. cap. 47. ut seq. ventos a sole non solum impelli, sed et generari docet: *Sol*, inquit, *et auget et comprimit flatus. Auget exoriens occidensque: comprimit meridianis æstivis temporibus, itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur, qui aut nimio frigore aut æstu solvuntur, et imbribus venti sopiuntur.*

Hinc Symmach. pro *spiritu* vertit, *ventum*. Sic ut Tigur. Vatabl. et alii. Hæc est sententia S. Gregorii Thaum. Hugonis Victor. Caietan. Ioan. Ferl, Pinedæ et aliorum. Sensus est ergo, q. d. Spiritus, id est aer impulsus, sive ventus per omnia omnesque mundi plagas flando discurrit, et circuit, ac revertitur in circulos; id est ad sui principium, a quo rursum in orbem circumeat, et quasi circulum suum percurrat. Ventus, inquam, idem non numero, sed specie aut genere, q. d. Omnia in cælo, æque ac in terra sunt circularia, non stabilia; imo ipse sol, qui est quasi rex cælorum, ipse ventus qui in terra ut rex dominatur; ipsum mare et flumina, æque ac omnes generationes terrenæ, suam habent vanitatem, puta circulationem, mutationem, irrequietum statum, fugam, occasum, interitum. Alii per antithesim explicant, q. d. In sole, ventis, fluminibus stabilis est motus et naturæ cursus: at hominum gyri, casus, cupiditates, phantasiæ sunt instabiles et incertæ, semperque fluctuant. Meminit aeris et venti, quia hic rerum generationi et humanæ vitæ subservit et perutilis est; tum ad eventilandum aerem, quiete torpentem et putrescentem; tum ad vapores noxios difflandos; tum ad hominis respirationem et refrigerationem, eiusque spiritus, ne pigrescant, acuendos et roborandos.

Venti commoda. Unde Arist. lib. 6 Histor. Anim. cap. 29. et lib. 4. de Generatione anim. cap. 2. docet Aquilone forti et acri flante gigni masculos, Austro vero leni et tepido flante gigni fœminas. Denique *ventus est aeris flumen*, ait Apuleius. Apte ergo rerum humanarum tenuitatem, inconstantiam et fluxum repræsentat.

Ventus symbolum vanitatis. Spiritum ergo, sive ventum hic in scenam producit Salomon; tum quia is est unus inter causas generationis rerum, earumque vuriel etis; tum quia ipse sua invisibili tenuitate, summa celeritate, impulsu et instabilitate, clarum est symbolum humanæ instabilitatis, inconstantiæ et infelicitatis. Sicut enim flanti Euro ab Oriente illico opponit se Zephyrus flans ab Occidente; hunc vero infringit Auster flans a Meridie, cui mox adversatur Aquilo flans a Septemtrione: sic pariter prosperitati illico opponit se adversitas, virtuti invidia, opibus inopia, gloriæ calumnia, honori dedecus. Rursum sicut subinde pestilentes sunt venti morbosque hominibus afflant, sic pariter res terrenæ homini pestem et necem non raro afferunt, præsertim si immodice iis utatur.

Venti lustrant omnia, qua ratione. Porro dicitur hic spiritus, id est aer et ventus, lustrare omnia, et in circulos suos reverti; tum quia aer subtilitate sua omnia in terra et circum terram pervadit et penetrat, ac quasi lustret; tum quia aer cælo vicinus motu cælorum in orbem rapitur, et in circulos suos æque ac cæli revertitur; tum quia venti subinde sunt circulares, resque agitant in circulos, quales sunt turbines et typhones; tum denique quia venti suum habent ordinem, qui in urbem et circulum it et redit: iam enim flat Eurus ab Oriente, mox succedit illi Auster a Meridie, hunc excipit Zephyrus ab Occidente, hunc Aquilo a Septemtrione, aliique plures inter hos medii et collaterales. Unde nautæ orbem ventorum conficiunt ex 32. ventis collateralibus: describunt enim circulum, in quo ad quatuor mundi plagas quatuor ventos primarios inde flantes collocant, ac cuique adiungunt alios octo collaterales, ut universim sint 36.

Tropol. Quod multi putant esse litterale, per spiritum accipias spiritum hominis irrequietum, vagum et inconstantem: talis enim est phantasia, et quæ eam sequitur cupiditas hominis, ut nunc hoc cogitet et velit, nunc aliud et aliud, ac rursum ad prima quæ cogitavit et voluit, redeat, itaque gyret assidue, et in circulos suos volvatur. Ita Nyssen. Graphice hanc cordis ut spiritus instabilitatem depingit. S. Bernard. in Medit. cap. 9 « Nihil, ait, est in me corde meo fugacius, etc. Et dum per diversa requiem quærit, non invenit: sed in labore miserum a requie vacuum manet, sibi non concordat, a se dissonat, a se resilit; voluntates alterat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque alio et alio modo mutat et ordinat, quia vult et non vult, et numquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinum velociter volvitur et nihil respuit, sed quidquid imponitur molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit: sic cor meum semper est in motu et numquam requiescit, sed sive dormiam, sive vigilem, somniat et cogitat quicquid ei occurrit. Cor est quasi molendinum. Et sicut molendinum, arena si imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat et fatigat. » Et inferius post nonnulla: « Cumque elabitur ab illis et involvitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia; sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis; quoniam wunium Deum (qui ei sufficere poterat) dimisit. Per multa dispergitur, et huc illucque quærit ubi requiescere possit, et nihil invenit quo ei sufficiat, donec ad ipsum redeat. »

B. Petrus Damiani opusc. 12. c. 13. hanc spiritus vertiginem, rotationem et circulationem simili themate describit: « Mola, ait, in gyro ducitur, et farina profertur; unumquæque autem mundi huius actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit, atque ex se quasi farinas proiicit: quia seducto cordi semper minutissimas cogitationes gignit, » præsertim dum spiritu ventoque vanitatis et fastus rotatur et a-

gitatur: hic enim est turbo mentium.

Alii per ventos alternantes et sæpe contrarios accipiunt contrarios rerum casus et mutabiles, imo adversos fortunæ flatus, contra quos hunc clypeum suggerit Boetius l. 2. de Consol. Prosa 1. « Postremo æquo animo toleres oportet quidquid intra fortunæ aream geritur, cum semel jugo eius colla submiseris; quod si manendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu dominam sponte elegisti, nonne iniurius fueris, et impatientia tua sortem exacerbabis, quam permutare non possis? Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret, promovereris: si arvis semina crederes, feraces inter se annos sterilesque pensares? Fortunæ te regendum dedisti: dominæ moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotæ impetum retinere conaris. At omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, sors esse desistit. »

Vers. 7. OMNIA FLUMINA INTRANT IN MARE, ET MARE NON REDUNDAT.) Hebr. *Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non impletur*; Sept. *non est impletum*; Syrus: *Omnes torrentes præcipitantur in mare, et non impletur*; Arabic. *et mare non congregatur plenum.* Chald. *Omnes torrentes et fontes aquarum vadunt et currunt ad mare Oceanum quod circuit mundum.* Vel: *cuius ambitu tamquam annulo mundus continetur*, ut vertit Comus. Noster pro *torrentes* aptius vertit *flumina*, quia ex torrentibus concurrentibus nascuntur flumina, quæ in mare decurrunt, cum torrentes terra bibula sorbeantur, vel siccentur antequam ad mare perveniant. Ecclesiasten secutus Ecclesiast. c. 40. 11. *Omnia*, inquit, *quæ de terra sunt, in terram convertentur: et omnes aquæ in mare revertentur.* Sicut dixit de Sole et vento, quod gyrent semper et in suos orbes recurrant: sic hic ait de torrentibus, et inde nascentibus fluminibus, quod omnia decurrant in mare, indeque recurrant ad fluminum origines, ut hisce exemplis vanitatem, decursum et circulationem vitæ humanæ omniumque rerum terrestrium repræsentet. Unde S. Hieron. *Hebræi, ait, sub torrentium et maris nomine, per metaphoram de hominibus significari arbitrantur, quod in terram de qua sumpti sunt redeant, et torrentes vocentur, non flumina, eo quod cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum.* Hinc S. Gregor. Thaum. paraphrastice vertit: *Res autem ipsæ recte comparantur fluxui torrentium, qui in immensum maris profundum ingenti strepitu incidunt.* Eadem similitudine usa Thecuitis 2. Reg. 14. 14. *Omnes*, ait, *morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* B. Alcuinus Flaccus disp. cum Pipino Caroli magni filio: *Quid, ait, est mare? Audaciæ via, limes terræ, divisor regionum, hospitium fluviorum, fons imbrium, refugium in periculis, gratia in voluptatibus. Quid sunt flumina? Cursus indeficiens, refectio solis, irrigatio terræ.*

Mare Epitheta

Porro mare ex tot fluminibus influentibus non impletur, non crescit, non redundat, ut super littora sese effundet terramve superstagnet, sed velut gurges insatiabilis omnia sorbet, et ad semper sorbendum hiat: hinc Pontum dici putant παρὰ τὸ πιεῖν, quod aquas semper potet. Causam dat Arist. 2. Meteor. cap. 2. quod aquæ ex mari vi solis educantur, et vel siccentur, vel in vapores et nubes vertantur: quodque mare sit vastissimum, ut flumina eius respectu sint instar paucarum guttarum. Causam aliam dabit Eccles. v. seq. Hinc Proverbia: Aquam in mare deferre, Ligna in sylvam, Ululas Athenas, in Ægyptum frumentum, Crocum in Ciliciam; quæ dicuntur in eos qui operantur inutilia et superflua.

Mare primo est cupiditas insatiabilis.

Tropol. mare insatiabile notat insatiabilem cupiditatem hominis, quæ semper voluptates bibit, et tamen semper sitit, iuxta illud quod subdit Salom. v. 8. *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Ita Nyssenus. Unde S. Ambros. lib. de Tob. cap. 13. docet mare insatiabile esse cor avari: *Omnes*, inquit, *torrentes vadunt in mare, et mare non adimpletur. Mare istud fœnerator est omnium, patrimonia tamquam fluctus absorbet, et ipse nescit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad quæstum, fœneratore nemo utitur nisi ad dispendium. Illud multorum commodum est, hic universorum naufragium.*

Simili modo gula, luxuria, ambitio est mare quod omnia sorbet: gulosus enim et luxuriosus, æque ac superbus, est helluo patrimoniorum, et gurges opum rerumque omnium.

Secundo mors et infernus.

Symbolice Rabbini in *Midras coheleth*, id est Expos. Ecclesiastæ, sic exponunt, q. d. *Flumina intrant in mare, et mare non redundat*, id est, omnes mortui tendunt in infernum, et infernus numquam impletur, nec redundat, iuxta illud Prov. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia*, etc. *infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua.* Ita Galat. libr. 6. de Arcanis fidei, cap. 7. Simili modo mare typus est mortis et sepulcri; ad utrumque enim homines omnes seu flumina decurrunt, imo velut torrentes celerrime rapiuntur. Vide 1. Reg. 14. 14. Audi S. Augustin. in Psal. 109. ad illud: « De torrente in via bibet. Sicut torrens, inquit, pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, et currendo decurrit, id est cursum finit: sic est omnis iste cursus mortalitatis: nascuntur homines, moriuntur, et aliis morientibus alii nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? quid non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in abyssum? Quomodo enim fluvius repente collectus de pluvia de guttis imbrium, it in mare; nec apparet, quia nec apparebat, antequam de pluvia colligeretur: sic hoc genus humanum de occultis colligitur, et profluit in mortem. Rursum in occultum vergit, medium hoc sonat et transit. De hoc torrente bibit Christus, hoc est, natus est moriturus. »

Tertio amaritudo voluptatis.

Rursum Richard. Victor. tract. 1. de Statu inter. hominis c. 10 *Omnia flumina*, ait, *in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amarom mutatur; quia oblectamentum in fastidium vertitur: et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur*, iuxta illud: *Extrema gaudii luctus occupat.*

Denique audi M. Antonin. Imper. cognomento Philosophum, lib. 4. de Vita sua: *Ævum, ait, fluctus quidam est rapidus earum quæ fiunt rerum; simul enim unumquodque et apparet et præterit, et aliud subsequitur, mox item aliud succedet. Omne quod nobis accidit ita consuetum est et natum, ut rosa vere, fructus æstate. Eadem est ratio morbi, mortis, calumniæ, insidiarum, omniumque eorum quæ stultis vel gaudium, vel tristitiam afferunt.* Et post nonnulla: *Dictum Heracliti semper est memoria tenendum: Terræ mortem scilicet esse aquam, aquæ aerem, aeris ignem, idque vicissim.* Et pluribus interiectis: *Collige etiam quos tu ipse nosti unum post alium, cuius funus ipse curasses, mortuos, et quod heri fuit piscis, cras erit salsamentum, aut cinis. Momentaneum itaque tempus a natura esse constitutum considerandum est, æquoque animo e vita abeundum: perinde ac si oliva maturitatem consecuta decidat, arborem quæ ipsam tulit ac genuit, collaudet, et gratias agat. Similis esse debes promontorio, ad quod assidue fluctus alliduntur; ipsum autem persistit, utcumque undæ æstuantes circumferantur.* Unde concludit: *Proinde quoties inciderit quicquam, quod ad dolorem te provocet, recordare huius præcepti: Non illud infortunium esse appellandum, sed felicitati tribuendum, quod id fortiter feras.* Idem libr. 9. *Iam nos omnes terra occultabit: post ipsa quoque mutabitur, et res deinde aliæ item in infinitum mutabuntur. Enimvero qui fluctus mutationum et motuum considerabit, earumque celeritatem, is omnia mortalia contemnet. Torrentis instar cursus universi rapit omnia. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Pro *unde exeunt* hebr. est שהולכים *Sceholechim*, id est, *quo vadunt*, *quo*, id est ad quem locum, vel ex quo loco. Unde duplex hic est versio et duplex sensus: Duplex versio.
prior, ut significetur terminus ad quem tendunt flumina; I.
posterior, ut significetur terminus a quo ipsa exeunt et prodeunt.

Priorem secuti Septuag. vertunt: *Ad locum quo torrentes eunt, illuc ipsi revertuntur ad eundem*; vel ut habet versio Veneta: *Ad locum, inquam, maris pergunt flu-*

mina, ut iterum redeant et fluant. Et Syrus: *Ad locum quo abeunt torrentes, ibi revertuntur ad abeundum.* Et Arabicus: *Ad locum ad quem vadunt torrentes ad ipsum revertitur spiritus eorum; vadunt enim.* Sic et Paguin. Tigur. et alii.

Posteriorem secutus est Noster vertens: *Ad locum unde exeunt flumina.* S. Hieron. in Comment. ex Symmacho: *Ad locum de quo torrentes exeunt, illuc ipsi revertuntur ut introeant;* Chald. *Quasi ad locum enim ad quem torrentes vadunt et decurrunt, inde revertuntur et defluunt per cataractas abyssi.* Vel ut vertit Costus: *Cumque per cuniculos et abyssi commata, quo ex loco defluxerunt fluvii, eodem ferantur, Oceanus ipse nullo completur modo.*

Prioris versionis hic est sensus, q. d. Flumina continuo cursu ad mare feruntur, in illudque sese effundunt, quo fit ut iterum iterumque semper fluant: continuo enim novæ affluunt aquæ, quæ in mare defluunt: sicubi enim inhiberetur eorum fluxus in mare, sisterent, et alias affluere prohiberent; utpote suum locum et alveum occupantes et implentes. Unde ex Hebræo sic vertunt nonnulli: *Ad locum quo torrentes vadunt, illuc ipsi convertuntur ad eumdem,* q. d. Flumina defluendo continenter sequuntur suos alveos et lectos, atque illum, per quem semel cursum inchoarunt, constanter retinent, nec mutant umquam, quod sane mirum est.

Posterioris hunc sensum assignat Titelm. et alii nonnulli, ut eum priori coincidat, q. d. *Ad locum unde exeunt flumina,* id est ad suas scaturigines et exordia, *revertuntur,* id est rursus affluunt novæ fluminum aquæ, ut iterum fluant; quasi assignet causam perennitatis fluminum, hanc scilicet, quod defluentibus eorum aquis novæ ex montibus affluant, quæ per scaturigines rursum emanent, et decurrant in mare.

Verum hic sensus frigidior videtur et coarctior; hoc enim proprie non est reverti flumina ad locum unde exeunt. Adde videri tautologiam; idem enim est dicere: perenniter fluunt fontes et flumina, quod defluentibus fluminum aquis aliæ continuo affluunt; perennis enim fluxus non est aliud, quam priorum aquarum effluxus et novarum affluxus. Insuper iuxta hunc sensum non exponitur, nec datur ratio, cur mare ex tot fluminum influxu non redundet, quod sane difficile est et stupendum.

Genuinus secundus sensus.

Aptius ergo magisque connexe, profunde et nervose sic exponas, ut hic det causam non solum perennitatis fontium et fluminum, sed et cur mare ex tot tantisque in se influentibus non redundet; hoc enim magis admirabile est, quam perennitas fluminum. Causa hæc est, quod flumina in mare decurrentia rursum ex eo revertuntur, et recurrant ad sua principia unde exierunt, ut iterum fluant, revertantur, inquam, per æqualitatem, scilicet non in se eadem numero, sed in sui simili, sive eadem specie; aqua enim fluminis quæ ingreditur mare, non egreditur eadem numero, sed alia illi similis, puta aqua maris, quæ vicina est terræ et abysso. Sic enim per aliam partem exoneratur mare, ac rursum implentur fluminum fontes, ut iugiter emanent aquas ac perennent. Hunc esse sensum liquet primo, ex τὸ *revertuntur:* secundo, quia hæc est adæquata causa, cur mare ex tam numerosis amplisque fluminibus, quæ mare, imo plura maria efficerent, in se ingredientibus non redundet; quia scilicet tantum ex mari deorsum effluit, quantum sursum influit; tertio, quia Ecclesiastes hic ostendit vanitatem rerum humanarum ex earum circulatione et gyro, quod semper gyrent et in orbem eant. Hanc autem circulationem probat ex sole, cælis, elementis, scilicet quod sol et cæli in orbem gyrentur; quod aer et ventus in suos circulos revertantur: quod generationes hominum, animalium et plantarum ex terra nascantur et in terram redeant, ut ex ea rursum prodeant et germinent. Ergo cum ad eamdem circulationem probandam proferat flumina, eaque dicat reverti ad sua principia, necessum est ut id proprie intelligat, scilicet id fieri per circulationem, qua aquæ ex mari ad fluminum fontes remittuntur. Sic enim sol, cæli et venti ad sua principia suosque ortus redeunt. Denique ita hanc reversionem explicat S. Hieron. huius nostræ versionis auctor, S. Basilius, Theod. et alii plurimi mox citandi.

Resp. 1. 2.

Breviter, sed nervose S. August. l. 3. de Trin. c. 6. *Continua,* ait, *quasi fluvio latentium rerum ex occulto in promptum, ex prompto in occultum fit ubique circulatio.* Eleganter Ovidius l. 15. Metam.

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem.

Eadem similitudine utitur 3. de Arte. Egregie Basil. de Fame et siti. *Fluunt,* inquit, *tempora nec moratorem exspectant, festinat dies, ignavum et cessatorem prætereuntes; et quemadmodum fieri non potest ut decursum fluvii sistas, ac aquæ eius ad necessaria uti possis, nisi in primo occursu, et ubi sese obiicit, haurias; ita neque tempus necessariis circuitibus impulsum cohibere queas, aut iam elapsum ad caput revocare, aut usum illius habere, nisi quis cum se offert arripiat.* Hæc Basilius.

Homo est fluvius.

Tropol. homo est quasi fluvius assidue defluens in mortem, ut per eam refluat ad Deum immortalem, qui solus habet esse stabile, constans et æternum. Audi Eusebium l. 11. Præpar. c. 7. « Cum enim omnia sensibilia in fluxu sint, continue fluat atque corrompuntur, nec eadem umquam permanere possunt. Fluvium autem eumdem bis intrare, secundum Heraclitum, impossibile est. Quare nec mortalem substantiam si iterato consideres, eamdem habitu esse dices, sed mirabili commutationis velocitate modo dissipatur, modo contrahitur. » Ex quo infert: « Ridiculosi ergo sumus homines nunc timentes mortem qui multoties iam mortui sumus, et sæpe morimur, etc. Corrumpitur enim iuvenis in virum, vir in senem, puer in iuvenem, infans in puerum; et qui heri fuit, in eum qui est hodie: quique hodie est in crastinum; manet autem nullus idem. Nullus est idem: sed in uno momento circa phantasmata, circa unam et communem materiam influentem ac refluentem omni momento commutatur. Quomodo enim si sumus iidem, aliis numquam antea gaudemus? Alia modo amamus atque odimus, alia laudamus atque vituperamus, aliis verbis utimur, aliis passionibus movemur, non eamdem figuram, non eamdem de rebus sententiam habentes? Non enim possibile est, sine commutatione aliis nunc quam ante commoveri; nec qui aliss atque alias mutatur, idem profecto est. Quod si idem non est, nec est, sed fluit continua mutatione; sensus autem ignorantia ipsius entis fallitur, et esse putat quod non est; quis igitur vere est? quod æternum est, quod ortum non habet, quod incorruptibile, quod nullo tempore mutatur. » Et c. 6. Platon. ænigma proponit: « Plato quoque dicit: Quid est quod semper est et ortum non habet? et quid quod semper fit, est autem numquam? » Ac respondet prius esse Deum, qui semper est, at numquam est ortus; posterius esse creaturam et corpus, quod semper fit, et numquam est in statu suo consistens et stabile, sed continuo mutatur, fluit et defluit. Idipsum, apposito ceti marini et piscatoris Apologo, clura Parabolarum stipato, illustrat Cyrill. l. 4. Apol. mor. c. 8. cuius titulus: « Tuæ spei anchoram in bonis perpetuis tantum fige. Super maris undam, inquit, cetus grandissimus in insulam elevatus, cum terræ aridæ speciem mentiretur; piscator naticula fluctuans, terræ cupidus in portum sophisticum hunc pervenit, moxque ibi descendens parum levata pellicula manu, ex petra et ferro genito rogo, sibi pius, cœpit fovere corpusculum algore rigidum, labore fessum ac esurie desiccatum. Verum cum ignis acuta caliditas insensibili piscis transacta pinguedine, tandem in carnem sensibilem ardoris sensus descendisset; statim pisce commoto, terræ motum existimans nauta stupidus, relictis omnibus cucurrit ad ratem. Sic inde veritate comperta tutus de navicula, lamentabiliter ceto dixit: Ut quid ostensa ingenti mole, et stabilitate lethaliter simulata, et cute picta mentiebaris te portum? Ni certe notabile lignum

Æternis incumbe, non fluxis.

statim profugo subvenisset, in te confidentem me raptum subito non minus quam naufragum submersisses. Cui piscis respondit: Tu autem, quare ad quiescendum super rem mutabilem descendisti? At ille: Certe quia tellus esse, non animal videbaris. Tunc alter: Numquid omne quod videtur existit? an ignoras quod plura in sola sui apparentia, et non in veritate fundantur? Nam sophista videtur philosophus, et hypocrita sanctus. » Ex quibus hoc epimythium, Apologi finem et fructum declarans, colligit: « Propter hoc, carissime, tu qui maris incola periculose versaris in fluctibus, et perniciei castris undique obsessus, in ligno perfragili circumdaris, quo in necessitate confugias, cui te credas, ac ubi stabilius confidas prius ruminante diligentia videas, et clara prudentiæ circumspectione attendas. Nam si ex toto semel erraveris, præventus morte, correctionis tibi postmodum nullus locus erit. Sic ergo tutum stabilitate perpetue portum quærens, hunc meliorem, et bonis melioribus optimum prudenter eligas: ubi confidentia secura quiescas. Nonne sapiens architectus in terra stabili fodienda quærit fundamentum stabilius? Et navis pervigil gubernator, antequam suam anchoram accommodet, scrutator abyssi, plumbata cordula quærit tutissimum fundamentum? stultus enim est, qui super rem instabilem fabricat; et omnino amens, qui rebus mollibus se ab iisdem stabiliendum commendat. Vade igitur, et hinc disce nequaquam in perituris confidere, sed in æternis de cætero tuæ spei anchoram tantum fige. Quibus edoctus nauta consolatus discessit. »

Qua ratione flumina redeant ad suas origines. Resp.

Quæres primo: Qua ratione flumina ex mari revertuntur ad suas origines?

I. Respondeo primo, quod ex mari quotidie plurimi vapores vi solis educuntur, qui in aerem elati ibique vi frigoris in nubes densati et in aquas resoluti, decurrunt in flumina, eaque implent, ut iterum fluant. Ita Olympiod. Proc. Rupertus, Isidor. Caietan. Vatabl. et alii; unde pro *flumina* hebr. est *torrentes*; hi enim proprie fiunt ex pluviis vel nivibus in aquam resolutis et sic mare non redundat, quia magna pars maris evaporatur; tantum enim inquiunt, ex mari abit in vapores, quantum fluminum in illud intrat. Verum hoc remotum est et minus proprium.

II. Secundo, proprie et proxime, quia flumina in mare influentia ex illo per subterraneos meatus et venas sensim redeunt ad sui origines. Modum quo id fit mox explicabo. Hunc esse sensum liquet clare ex S. Hieron. in Comment. qui Vulgatam suam versionem ita interpretatur, ut ex sancto Basilio homil. 4. Hexem. Theodoret. serm. 2. de Providentia, imo et Plato in Phædone, ac Seneca libr. 3. Natur. q. cap. 15.

Audi singulos: S. Hieron. *Putant quidam*, inquit, *aquas dulces, quæ in mare fluunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula. Ecclesiastes autem noster, et ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, et matrice abysso in sua semper ebullire principia.* S. Basil. asserit Dei nutu aquas ex mari ad montium apices conscendere: *Aquæ*, inquit, *infra delabendi propensione defluunt remoratæ. donec in suam amplitudinem effunderentur, ubi tamquam compedibus adstrictæ non amplius diffusæ, nec decurrenti alluvie exundantes, sed subter mare fluitantes, per angustas fistulas in sublime subvectæ, ab agitante spiritu in altum impulsæ, superficie terræ vi disrupta erumpunt et emicant, deponuntque per transcolationem salsorem et amarorem, et potulentæ evadunt.* Theodoretus: *Aquæ naturam ne arbitraris sua sponte in altum scandere, sed Dei verbo obedientem summos montium vertices occupare. Creatori autem facillimum est factu, aquarum naturam non modo in montium vertices sed in medium quoque aerem subvehere, et amaram dulcedine condere, etc. eamque cuius naturalis motus deorsum fertur, sursum currentem ostendere.* Plato in suo Phædone Mosis, sive sacræ paginæ oraculi sententiam sequitur. ut in plurimis, inquiens: *Fontes ex ingenti illo barathro, quod intra terram est, partim per patentes quosdam poros, partim per terræ soliditatem excolatos sic iterum redundant, ut quantum una pars confluat, tantum altera fluat.* Seneca ab eodem idem recenset: *Quidam indicant terram quicquid aquarum emiserit, rursus accipere. et ob hoc maria non crescere; quia quod influxit, non in suam vertunt, sed protinus reddunt. Occulto enim itinere subit terras, secreto revertitur, colaturque transitu mare, quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, et pravitatem saporis in tanta soli varietate exuit, et in sinceram aquam transit.* Adde Rupertum et Hugonem Victor. Rupertus: *Terræ fundator*, inquit. *abyssum dispulit, ut competens aquarum subsidium per intimas eius venas large diffudit; et terra trahens aquas in omnes venas, copiosam sugit abyssi mammam.* Hugo Victor. super id Genes. 2 *Fons ascendebat e terra. etc. Fons iste, ait, potest intelligi abyssus, scilicet matris omnium aquarum, ex qua omnes fontes aquarum et fluminum egrediuntur.* Plures mox citabo.

B

Quæres secundo, quæ sit origo et causa fontium et fluminum, ac perennitatis eorum; cur scilicet iugiter emanent aquas? Resp. variae a variis dari origines et causas. — Quæ causa perennitatis fontium?

I. Sententia Aristot. esse iuges vapores.

Primo, Aristot. 1. Meteor. c. 13 cum suis asseclis censet fontes et flumina oriri ex aere et vapore, vi frigoris in aquam resolutis. Hinc in Alpibus aliisque montibus oriuntur pleraque flumina; quia circa montes et rupes multi coeunt vapores, qui vi frigoris densantur, et in aquam resoluti defluunt in valles, ibique coeuntes torrentes et flumina efficiunt, uti oculis meis conspexi, dum Alpes pertransirem.

Romæ insignis quidam Mathematicus e Societate nostra mihi asseveravit se perscrutatum esse Alpes ac Salinas Alpium, atque in earum summitate vidisse cavernas ingentes in rupibus, easque rimis plurimis intersectas, ut per eas aer copiose ingredi posset, in quibus vapor et aer calefactus, rupium et saxorum deinde frigore condensatus, et resolutus in aquam defluebat, et rivum perennem efficiebat, quo liquebatur sal, quod inferne ex eadem rupe effodiebatur. Continuo enim aer aeri ad impediendum vacuum succedebat, isque illico in aquam resolvebatur; sicut

C

videmus in hieme columnas, marmora et parietes in templis continuo sudare, et guttas stillare, utique ex aere in aquam resoluto. Accedit quod circa cacumina montium perpetui sint vapores, qui ad illa se colligunt et quasi colligant, hique roruIenti a rupe illico in aquam resolvuntur, qui ex variis locis in unum confluentes rivum, ac tandem torrentem, mox plurium influxu adaucti fluvium efficiant.

II. Esse status nives et pluvias.

Secunda fluminum causa, sunt pluviæ et nives: pluviæ enim in hieme crebræ et copiosæ magnam aquarum vim depluunt, quæ in cavernis montium amplis et multis collectæ, per angustos meatus et angusta fontium orificia sensim effluit, itaque continuationem fluminibus affert. Nives vero in Alpibus perpetuo solis calore per diem liquatæ, magnam aquarum vim fluminibus afferunt, adeo ut viri sapientes, inter quos fuit noster P. Leon. Lessius, censeant præcipuam fluminum causam esse hanc nivium continuam et ordinatam liquationem. Ingens enim et immanis vis nivium est in Alpibus, qui in longum latumque per plura centena milliaria extenduntur (sane ego cum sociis equitando per Alpes iuxta Tridentum, vix per decem dies eas per latum secare et transgredi potui, cum quotidie conficerem 30. circiter milliaria) quare nives per noctem decidentes in Alpes, per diem vi solis liquatæ, continuos torrentes, et hi confluentes continua flumina efficiunt. Argumento est, quod, dum sub hiemem ingentes sunt pluviæ, flumina excrescunt in duplum vel triplum, imo exundant, et late circumcirca restagnant, uti Romæ experimur in exundatione Tiberis. Idem fit dum liquantur nives Alpium in Martio; tunc enim Mosa, Rhenus, Oenus, Mænus, Athasis cæterique fluvii, qui in Alpibus nascuntur, mirifice intumescunt et sæpe exundant; quare in hieme crescunt in duplum, in æstate decrescunt in duplum. Alpibus consimiles sunt Apennini, Taurus, Olympus, Ardenna aliique montes plurimi et vastissimi.

D

Verum hæc non videntur sufficere ad perennitatem tot

tantorumque fluminum, quorum aliqui vastissimi sunt, et in latum ad viginti et plura milliaria extenduntur (qualis est fluvius quem Argenteum vocant in India) ut videantur non tam esse flumina, quam maria. Nulli enim vapores, nullæ nives et pluviæ ad perennem eorum cursum, tam amplam et vastum sufficere videntur: præsertim quia pluviæ per æstatem raræ sunt et modicæ. Adde plures fontes et flumina oriri in cacumine montium altissimorum, quibus nulli adiacent montes ultiores, ubi tantæ cavitates et receptacula nivium et pluviarum esse nequeunt; alios vero oriri in imo vallium, ubi nulli sunt montes vicini, nullæ nives, nullæ cavernæ aquarum pluvialium, idque tanta aquarum copia, ut statim sint navigabiles. Hinc et putei multi sunt profundissimi, in quorum fundo ex imis terræ venis scaturiunt aquæ vivæ quæ perennem puteis suggerunt aquam. Denique Script. hoc loco et Genes. 1. 9. et alibi aliam magis universalem, magisque adæquatam fontium et fluminum causam assignare videtur.

III.
Esse mare.

Tertia causa ergo plena et adæquata est hæc; matrix fontium, fluminum aliarumque aquarum est mare. Quod **B** ut intelligatur, notandum est primo, Deum prima die creationis aquæ et mundi, aut potius die tertia, qua secrevit aquas a terra, produxisse sub terra ingentes quasdam voragines sive receptacula aquarum, quas Script. *abyssum*, Philosophi, *barathrum* vocant, noster Interpres Deuter. 33. 13. vocat *abyssum subiacentem*, ubi Hebr. est: *Abyssus cubans inferior*.

Aqua terræ immissa quatuor de causis.

Fecit autem id Deus hoc usu et fine: primo, ut immensam vim aquarum quæ initio mundi terram operiebat, partim in illa reconderet, partim in ipsis maris alveis collocaret, quos tunc temporis etiam fecit, et a terra excavavit, sed non tantos nec tam profundos, ut soli illi omnem (1.) istam aquarum vim et molem caperent; alveum enim maris multis in locis valde modicum, parumque profundum experiuntur nautæ. (2.) Secundo, id fecit, ait Philos. lib. de Opificio mundi, ut terram, ne siccitate fatisceret, humore aquæ rigaret, contineret et coagularet. (3.) Tertio, ut ex terra aqueo humore perfusa, metalla et lapides coalescerent. (4.) Quarto, ad plantarum, herbarum et stirpium, item fluminum, fontium, omnisque aquæ tam fontanæ quam puteulis productionem. Lege S. Basil. homil. 4. Hexam. S. Ambros. libr. 2. et 3. Theodor. serm. 2. de Providentia, ac Senecam libr. 4. de Beneficiis cap. 5. et 6.

Aqua est quasi sanguis terræ.

Notandum secundo: Sicut terra est mater viventium et mixtorum terrestrium; sic mare est mater aquatilium, pota tot generis piscium, ostreorum, conchar um, etc. Igitur sicut in matris et cuiuslibet hominis corpore magna sanguinis copia est in hepate et corde, atque inde per plurimas venas in singula membra totumque corpus dispergitur: simili plane modo, ait Seneca lib. 3. Natur. q. cap. 15. ingentes illæ cavitates, sive voragines sub terra aquis refertæ sunt terræ quasi hepar, ex quibus aquæ per occultos meatus et cuniculos quasi per venas, per omnes terræ partes, totumque orbem disperguntur, ac certis locis in fontes et flumina, vel in genesi mundi vel posterioribus sæculis facta via erumpunt. Hoc enim est opus providentiæ Dei, qui ad terræ usus iam dictos, ubique gen- **D** tium certis locis fontes et flumina immiscuit et inspersit, perinde ac iisdem ventos statis locis et temporibus impertiit et distribuit. Hinc illæ phrases: *Terra suas habet venas: vena aquarum viventium: vena sulphuris, argenti vivi, auri, aurichalci, etc.* Terra enim est quasi animal quoddam quatuor humoribus apte distributis constans, sicut vicissim homo est instar terræ, adeoque microcosmus. Ita Seneca lib. 3. Natur. quæst. c. 15. et Plutarc. in Vita Pauli Æmilii.

Origo fluminum est abyssus.

Igitur assero matricem aquarum esse abyssum, id est, mare tum patens et publicum; tum latens et reconditum in cavernis, specubus, venisque terræ. Hæc enim est abyssus initio mundi a Deo condita, quam primitus aqua primogenita, ideoque dulci, implevit Deus, qua effluente per varias cavernas et venas versus origines fluminum, eius loco aqua e mari subintravit, et continuo subintrat: atque hac ratione semper ex abysso hac, sive barathro flu- **A** minibus et fontibus aqua subministratur. Hinc omnia maria, adeoque mare Caspium, quod terra interiacens a reliquo mari dispescuit, per subterraneos meatus Oceano iungi, illique ceu matrici cohærere Geographi, ut Plinius, Strabo, Dion. Mela, non dubiis indiciis deprehenderunt; præsertim ex eo quod plura ingentia flumina in illud influant, ipsum tamen cum sit modicum non redundet, quia scilicet eadem per subterraneos meatus ex illo in Oceanum defluunt: Oceanus ergo est matrix omnium fluminum et fontium, id est, omnium aquarum vivarum et fluentium.

Id ita esse probatur primo, quia hic est planus et obvius sensus huius loci, uti passim Interpretes docent. Idem innuitur Ecclesiast. c. 23. 39. *A mari*, inquit, *abundavit cogitatio eius, et consilium illius ab abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio. Ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso* Et cap. 40. 11. *Omnia quæ de terra sunt in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur.* Et Genes. 1. 9 *Dixit Deus: Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum, et appareat arida: Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.* Unus enim locus sunt mare cum suo abysso, sive cavitate subterranea. Et Psal. 32. 7. *Congregans sicut in utre aquas maris; ponens in thesauris abyssos.* Prob. I.

Secundo, quia id necessario dicendum est de fluvio paradisi qui in quatuor ingentia flumina dividebatur; necdum enim pluerat Deus super terram, ut ex pluvia vel vapore progigni posset, Genes. 2. 10. ut recte ibi observavit Rupert. Ex mari ergo illa eduxit Deus. Idem a pari vel simili dicendum videtur de reliquis terræ fontibus et fluminibus, saltem præcipuis et maioribus Sicut enim Deus tertio mundi die terram ornavit montibus, arboribus, plantis, herbis cæterisque seminibus; sic et eamdem, atque ac mare, ornavit fontibus et fluminibus ex abysso marina prodeuntibus, ad irrigandum et fovendum arbores, **C** plantas, herbas et germina a se producta, ut flores et fructus germinarent, idque plane significat Scriptura Genes. 2. 4. 5. et 6. *Istæ*, inquit, *sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus cælum et terram; et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret: non enim pluerat Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram; sed fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ.* Et Ecclesiasticus capite 24. vers. 39. verbis paulo ante citatis. Rursum Genes. 6. vers. 11. dicuntur *rupti omnes fontes abyssi magnæ*, id est barathri iam dicti, ad inducendum terræ universale diluvium; ad hoc enim non suffecit sola pluvia quadraginta dierum. II.

Tertio, quia alia ratio adæquata, cur mare ex tot fluminibus non redundet, dari nequit, nisi illa quam dat hic Sapiens, scilicet quod quantum aquarum ex fluminibus in mare influit, tantumdem effluit in abyssum: nam causa quam dat Arist. scilicet mare esse vastissimum, ideoque flumina illi parum addere, ac statim evaporari, non satisfacit. Plurima enim et maxima flumina assidue in mare gurgites suos effundunt: quare uno anno, uno mense, imo una hebdomada, continuo suo fluxu in tam vasto aquarum gurgite, quem in mare iugiter effundunt, multa maria efficerent, cum videamus vapores in aere et mari sæpe esse exiguos vel nullos; nec terram, quæ magis quam aqua evaporat, quicquam ex sua quantitate deperdere. Certe tot tantorumque fluminum per tot annos, imo per tot sæcula et annorum millia assiduus in mare illapsus, abyssum efficerent, ipsumque mare superarent. Cur ergo mare non intumescit supra omnes colles et montes! Sane Pontus augescit amnium accessu, eaque de causa se exonerat in Propontidem, teste Plinio lib. 2. c. 97. Causa ergo cur mare ex tot fluminibus non redundet, est, quia una eius pars abit in vapores et nubes, quæ in pluvias et nives resolutæ ad capita fontium et fluminum confluunt, et rivos efficiunt: alia vero eius pars partim abit in lacus III.

et flumina, quæ ex mari oriuntur, ipsoque sunt demissiora; partim effluit in cavitates subterraneas, ex quibus per venas plurimas, et per omnes terræ partes dispersas, et diffusas vel immediate, vel mediate ad capita fontium et fluminum confluit, ibique aquis pluvialibus, et nivalibus ac vaporalibus, id est iis quæ ex nive, vel aere et vapore in aquas convertuntur, commixta, rivos efficit: hæ enim eius venæ iam dictæ magnæ sunt et plurimæ; quare magnam aquarum vim convehunt, quæ dum in unum alveum confluit, rivos et torrentes, atque ex eorum confluxu flumina ingentia efficit, perinde ac in homine sanguis in hepate copiosus, per venas plurimas toti corpori inspersas, in omnes corporis partes dispergitur; ac si venam unam incidas, eo undequaque confluit, et magna copia effluit, ut totus in pelvim defluens illam impleat. Porro flumina plura mari esse demissiora, ex illoque oriri liquet ex Geographia et Geographis. Ino Plin. lib. 2. c. 103. *Subeunt terras*, inquit, *rursusque redduntur, Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia; et quæ in Æsculapii fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur; et in Atinate campo fluvius mersus, post viginti millia passuum exit, et in Aquileiensi Timavus*. Addit quid miri de Alphæo fluvio, qui in Elide sub mari labitur, et intactus emergit in Arethusa Siciliæ flumine.

IV. Quarto, alia quoque causa perennitatis tot fontium et fluminum dari nequit, quæ menti satisfaciat. Rursus, cur omnibus pene locis si fodias, inventurus sis aquam, eamque subinde loco profundissimo, quo nec pluvia nec vapor hic noster pertingunt, alia causa dari nequit, quam quod Deus mundi provisor et aquilex, aquas per venas in omnes mundi partes distribuerit: ubique ergo sunt venæ aquarum in terra, sicut in corpore ubique sunt venæ sanguinis. Et sicut hæ venæ connectuntur in hepate, indeque sugunt sanguinem; sic venæ aquarum prodeunt a mari, indeque sugunt aquas quæ e montibus erumpentes faciunt fontes, qui in valles confluentes, ibique coeuntes, faciunt rivos et flumina. Hanc quoque causam innuit hic Sapiens. Huc faciunt cavernæ, quas in montibus plurimas et maximas esse constat experientia, scilicet ad excipiendum hasce aquas, quæ in scaturigines defluant, ibique fontes et flumina efficiant.

V Quinto, id ipsum liquet ex sympathia multorum fluminum, quæ minus a mari distant, vel minus terra percolantur: quædam enim salsa sunt ut mare; quædam æstum maris æmulantur, ut unum in Gadibus, alterum Burdegalæ, tertium Antverpiæ.

VI. Sexto, favet experientia: nam tempore belli Mithridatici apud Apameam Phrygiæ urbem, quæ tamen longe distat a mari, novos lacus et fontes emersisse scribit Nicolaus Damasc. et ex iis fluvium unum salsum, qui magnam ostrearum et marinorum piscium copiam effudit. Prodibat ergo ex mari per cavitates subterraneas. Rursum Asclepiadorus narrat legatos missos a Philippo Macedone, ad scrutandum thesauros et venas auri, per subterraneam specum multis diebus deambulasse, vidisseque ingentes fluvios, et immania aquarum inertium receptacula. Alias ex hoc barathro aquarum inundationes Valentiæ et alibi factas narrant nostri Conim. in Meteora, tr. 9. c. 4.

VII. Denique hæc est expressa sententia S. Hieron. S. Basilii, Theod. Platonis, Senecæ, Ruperti, Hugonis Victor. quorum verba paulo ante recitavi; item Tertull. contra Hermogen. Salonii et Albini in hunc locum. Procopii, S. Aug. Bedæ in Gen. 2. v. 5. S. Greg. 30. mor. 2. Damasc. l. 2. de Fide c. 9. Isidor. 3. Orig. 20. Plin. l. 2. c. 65. Philonis l. de Mundi opificio. Magistri Sent. in 2. d. 14 in fin. S. Th. in 2. dist. 17. q. 3. a. 2. ad 4. et 1. p. q. 69. a. 1. ad 2. 3. et 4. S. Bern. serm. 13. in Cant. initio, Alberti in 2. Meteor. tr. 2. c. 11. Dion. in c. 8. Prov. Vallesii S. Philos. c. 63. Conimbr. loc. citat. Pinedæ et Lorini hic, Franc. Suarez l. 2. de Opere sex dierum c. 6. in fine; imo Arist. 1. Meteor. 13. ait hanc esse communem sententiam veterum Philos. Hinc Homer. Iliade 14. et 21. Oceanum vocat *fluviorum et rerum omnium principium*, imo *Deorum parentem*. Strabo, l. 1. eumdem vocat *terræ coronam*; alii, *zonam et cingulum orbis*; alii, *mammam viventium*. Audi Philonem l. de Mundi opif. *Liquet necessario humidam essentiam partem esse terræ omnia parientis, sicut mulieres opus habent menstruis; cuilibet etiam matri tamquam partem summe necessariam, natura scaturientes mammas addidit, præparans alimenta nascituris infantibus. Mulier autem etiam terra esse videtur; quapropter et priscis illis placuit, ut vocaretur* δημήτηρ, *composito ex matre et terra nomine: non enim terra mulierem, ut dixit Plato, sed mulier terram imitatur. Merito igitur terræ antiquissimæ matrum ac fœcundissimæ natura tamquam mammas dedit omnium fluenta fontiumque ut stirpes rigentur, et omnia animalia potum copiosum habeant.*

Obiicit Arist. contra hoc Platonis barathrum: Altior est origo fluminum, quam sit ipsum mare: quia flumina in mare velut inferius defluunt et descendunt: ergo fieri nequit ut ex mari rursum aquæ sursum ascendant ad originem fontium et fluminum. Hoc est enim contra naturam iuxta illud: *Sursum flumina*. Unde causa cur per artem non possint fieri fontes perpetui est, quod aqua altius sua origine ascendere nequeat. Obiectio

Respondetur: Eadem difficultas est in Aristotelis et aliorum omnium sententiis. Nam quidam fontes oriuntur in summis altissimorum montium cacuminibus quovis mari et terra altioribus, ut necesse sit aquam eo ascendere ex sua origine vel matrice, quæcumque illa assignetur, quædam tamen flumina quæ proxime et publice ex mari oriuntur, ipso mari sunt humiliora. Resp. I.

Igitur Iulius Scaliger Exercit. 46. respondet aquam esse extra locum suum naturalem, eo quod aeris locum occupat: aqua ergo superior, inquit, premit inferiorem, cupiens redire ad locum sibi debitum, ac premendo illam exprimit, facitque ut pressa exsiliat in montibus per fontes et flumina. Cum enim ex prima Dei creatione aqua deberet terram totam operire, deinde ob habitationem animalium pars terræ liberata sit ab aqua, hinc illa aqua accumulari debet alteri aquæ, et attolli occupareque locum aeris, ita ut ibi sit aqua extra naturalem locum: quare suo pondere incubat aquæ illi quæ est in cavernis, ut locum suum naturalem recipiat; aqua autem in cavernis compressa, per canales quasi tubos a Deo factos, in montibus erumpit altius quam sit mare premens; quia pondus maris maius est; quia cogit aquam erumpere per canales arctos, cum alius erumpendi non sit locus. Sic enim videmus in aquæductibus magnis, si canales arctentur, ut totam aquam simul effundere nequeant, impetu aquarum affluentium aquam protrusam, a canalibus solito altius exsilire. Huc accedunt Doctores nonnulli, qui opinantur aquam esse altiorem terra, atque aliud a terra habere centrum, ideoque altius in terra exsurgere.

Huc quoque pertinent nonnulli Patrum, qui censent aquam terra sublimiorem, ideoque illam vi divina quasi fræno per miraculum perpetuum contineri, ne terram obruat; ac ne id faciat, arenam velut compedes illi iniici et obiici a Deo. Ita opinantur S. Basil. hom. 4. Hexam. S. Chrys. in Catena Iob, Theod. in Psal. 103. S. Ambr. l. 3. Hexam. cap. 2. et 3. S. Thom. loc. iam cit. Eadem fuit sententia Lucretii et Cicer. l. 2. de Nat. deor. Verum idipsum confutant Mathematici, Philosophi et Theologi, qui docent aquam non esse altiorem terra, sed cum ea unum efficere globum, ideoque unum cum ea habere centrum. Ita Clavius in c. 1. Sphæræ, Perer. lib. 1. in Genes. Molina et Valentia in opere 3. diei, Conimb. lib. 2. de Cœlo q. 4. et alii passim. Causa cur aqua sursum ascendit

Vera ergo responsio et causa, cur aqua e mari sursum ad origines fontium surrepat et ascendat, est Dei voluntas, ordinatio et provida distributio, qui, ut dixi, aquam per omnia loca supera et infera ita distribuit, et dispertit ad usus terræ hominumque et animalium necessarios vel commodos (sicut aquileges et aquarum mensores aquas per canales et fontes distribuunt in urbes, agros et hortos) perinde ac sanguinem distribuit in corpore humano. Sicut enim hepar sanguinem natura sua gravem et deorsum vergentem, naturaliter vi animæ distribuit non

tantum deorsum in femora, tibias et pedes, sed etiam sursum in pectus, collum et caput: sic pariter mare naturaliter virtute a Deo sibi indita, aquas per venas et meatus disperdit in omnes partes terræ, superas æque ac inferas. Locus enim naturalis cuique est is quem illi assignat Deus, ait D. Thom. Et quid mirum aquam ascendere supra montes, cum primitus ascenderit supra cælos, ibique adhuc consistat? firmamentum enim dividit aquas superas ab inferis, Gen. 1. 6. Accedit quod montes sint e terra terrei, ac proinde maris locus naturaliter exigat iis esse superior, ut eos sibi subiciat. Terra enim imum poscit locum, aqua secundum, aer tertium: hinc aquæ initio mundi operuerunt totam terram; quare hic aquæ ascensus non est violentus, sed naturalis: tum quia fit a Deo auctore naturæ; tum quia aqua poscit esse supra terram, cuius pars sunt montes; tum quia hic aquæ ascensus fit ob bonum universi, ad quod omnes eius partes inclinant, consequenter et aqua quæ una est universi pars: tum denique quia aqua e mari per venas tuti terræ singulisque eius partibus superis et inferis, eo modo se impertit et inspergit, sicut sanguis ex hepate per venas in omnia membra supera et infera sese infundit et communicat per mutuam membrorum unionem et sympathiam.

Modus, quo aqua ascendit. I. At qua arte et modo Deus facit aquas ascendere ad origines fontium? Varii varios modos assignant: Primo, nonnulli probabiliter censent aquam ascendere terræ ex suctu, et venarum spongiosarum attractione, sicut videmus aridam spongiam humorem ex vase suo sucto ad partes superiores attrahere, ac pannum in dolium immissum sensim illud evacuare. Si enim ex alto linea vel lanea fascia pendeat in vas aquæ, aliove humore plenum, ima fasciæ pars ex vase suget aquam, et ex ima suget altera illi proxima pars, et ex hac altera illi vicina, et ita deinceps; eoque modo sensim aqua sursum proserpit et ascendit, donec ad summum fasciæ conscendat, ubi illam reflexam et deorsum vergentem sequens distillet in terram, itaque omnem ex vase aquam educat, et in terram stillando demittat. Addit Lyranus aquas maris terra percolatas fieri leviores, et altius posse ascendere, quam sit maris altitudo. Adiungit Albertus aquam in terræ venis calefactam evaporare, itaque per vapores sursum ascendere ad capita fontium, ibique vapores vi frigoris in aquam resolvi, ac fontes efficere. Sic venæ suo suctu trahunt sanguinem ex hepate sursum ad pectus et caput. Hac de causa Deus fecit varias in terra cavitates spongiosas, ideoque aquarum attractivas, quæ gradatim usque ad summos montes aquam e mari sugant quasi per siphones, ait Plinius; dico quasi, quia in siphonibus nasus, et, ut ita dicam, proboscis, hoc est, fistula exterior prominens ex qua aqua in terram defluit, debet esse longior et demissior fistula interiore, quæ ex vase aquam sugit; si enim exterior non sit longior, interior non suget aquam. In montibus autem orificium fontium non est demissius, sed altius mari, ex quo aquam sugit. Quare in hoc a siphonibus fontes discrepant. Causa est, quod in siphonibus, in fistulam exteriorem, per quam suctu attrahitur aqua ex vase, nisi sit longior, aer subintret, itaque impediat vacuum in fistula; ad quod impediendum si longior sit, ascendit aqua, cum aer illam ingredi, eiusque vacuum impedire nequeat. Secus est in venis aquarum tam latis et vastis in terra et montibus. Sic ergo aquæ a cavernis terræ sursum transmittuntur, et non tantum usque ad maris libramenta, sed etiam usque in altissimos montes distributim penetrant et assurgunt. Igitur sicut Deus indidit magneti vim attrahendi ferrum: sic in terræ venis est vis attractoria aquarum, et quasi magnetica.

Discrimen siphonum et fontium.

II. Secundo, alii censent aquam ex barathro sursum ascendere ad caput fontium vi flatuum subterraneorum, ventorum et spirituum in terra inclusorum. Sic enim mare ventis agitatum subinde altissime intumescit, et fluctus ad sidera tollit. Quid ergo mirum, si ad capita fontium eodem suo æstu agitatum, aquas per canales elevet? Ita S. Basil. S. Hier. Plato, Plinius, Vallesius et Pineda. Audi Plinium lib. 2. c. 65. qui ex Græcis Geometrica subtilitate sic colligit: « Ergo totas, omnique ex parte aquas vergere in centrum, ideoque non decidere, quoniam in interiora nitantur, quod ita formasse artifex naturæ debet; ut cum terra arida et sicca constare per se ac sine humore non possit, nec rursus stare aqua, nisi sustinente terra mutuo implexu iungerentur, hac sinus pandente, illa vero permeante totam intra, extra, supra, venis ut vinculis discurrentibus, atque etiam in summis iugis erumpente, quo spiritu acta, et terræ pondere expressa siphonum modo emicat, tantumque a periculo decidendi abest, ut summa quæque et altissima exsiliat. » Qua ratione manifestum est quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant.

III. Tertio, alii hunc ascensum tribuunt cælo et sideribus; sic enim luna causat æstum maris. Ita D. Thomas.

IV. Insuper alii plures sunt modi elevandi aquam, ut patet in aeoliis, et in machina Ctesibica, per quam in vasis conclusis aere plenis, si aliunde aqua per foramen infundatur, videmus aerem aquas in alio vase sibi superpositas sursum eiaculari, ut sibi locum quærat, et in aquarum locum subintret.

Denique hic aquarum ascensus, et per totam terram æqua distributio, sicut et ventorum, pluviarum, fulminum, grandinis, nivis, etc. stata generatio, et per singulas provincias divisio, est opus peculiare divinæ providentiæ, ait Theod. serm. 2. de Providentia, toti universo de aqua, salubritate et fœcunditate providentis, admiratione magis, contemplatione et gratiarum actione venerandum, quam nimis exacta et curiosa disquisitione scrutandum, ut subiungit Eccl. v. 8. et c. 7. v. 24. Dei enim sapientia et providentia est, quæ Prov. 8. 28. ait se ab initio librasse fontes aquarum, vel, ut Hebr. est *fontes abyssi*, ita scilicet aquas elevans ac suspendens, tum in nubibus, tum maxime in matrice fontium abysso, ubi ipsa loquitur, ut numquam fontium et fluminum cursus sistatur, quibus velut uberibus terra quasi mater animantia omnia potet, iisque alimenta præbeat, ait Philo lib. de Mundi opif. Hoc facit illud Psal. 103. 6. *Super montes stabunt aquæ*; Chald. *Erumpent super montes stagna aquarum.*

Obiectio II. Obiicies secundo: Aqua fontium et fluminum ab aqua marina plurimum differt, tum dulcedine, tum colore, tum levitate, tum aliis qualitatibus; ergo non videtur esse eadem, nec ab illa prodire.

Resp. I. Resp. primo: In genesi et creatione mundi, una ab alia non differebat, omnium enim eadem erat aqua, eaque dulcis; alioquin enim sua salsedine terram, quam operiebat, fecisset siccam, sterilem et adustam; die ergo tertia mundi, qua secreta est aqua a terra, et deducta in suos alveos et cavitates, factaque est mare, ac maris nomen accepit, effecta est salsa, idque ob hosce fines, scilicet primo, ne semper stando nec fluendo (uti stat mare) putresceret; secundo, ad connaturalem piscium qui ex mari nascuntur, generationem et nutritionem; tertio, ad faciliorem navigationem: aqua enim marina, quia salsa, gravior est aqua dulci, ideoque facilius fert et sustentat naves, earumque onera ingentia. Ita Conimbr. tract. 10. in Meteora, cap. 9. Mansit tamen aqua dulcis, quæ primitus fuerat in fontibus, fluminibus et sinibus subterraneis, eaque per suas venas in varias terræ regiones diffluente, marina salsa illi succedit, quæ pari modo per varios terræ meatus et anfractus percolata, fit dulcis, ut docet Arist. levis, ac alterius a mari coloris et qualitatis, maxime cum per mineralia sulphuris, ferri, æris, auri, vitrioli etc. labitur, quorum virtutes imbibit et contrahit, ideoque medicinalis efficitur, ut patet in fontibus Spadanis, thermis Aquensibus, cæterisque similibus. qui proinde tam inter se, quam a mari multis qualitatibus differunt et discrepant.

Symbolice rursum, perennis hic fluminum in mare decursus significat perennem debere esse hominis beneficentiam. Habet hac de re appositum Danubii et maris Apologum, multis rerum parabolis fœcundum Cyrillus lib. 3. Apolog. Mor. c. 23. cui titulus: « Quomodo beneficium liberalis debeat esse perpetuum. Semper inundanti Danu-

Apologus profusæ liberalitatis.

bio, ait, sic locutum est æquor: Quando tuæ manationis impetus cessabit? quando terminabitur influxus? quousque latices dabis? At ille paululum indignatus respondit: Profecto loqueris sicut mare, quia omnia flumina insatiabiliter recipis, nec tamen iusta crevisti. Nimirum tunc liberalitatis meæ cessabit influxus, cum insatiabilitatis tuæ terminabitur appetitus. Non enim minor est valetudo virtutis, quam defectio vitiositatis; et propter hoc, sicut cupiditati nihil satis est, ita liberalitatis nullus est finis. Responde mihi quomodo, ex quo, propter quod, et quid tribuat liberalis. Nonne ex inclinatione virtutis hoc præstat, ratione delectationis se totum communicat? Quoniam virtus, quemadmodum natura illam inclinat, semper peragit, nec umquam existit otiosa. Unde semper humilis, inclinatus, iustus, est innocens, rectus, misericors, prudens, pius, liberalis, beneficus et profusus. Similiter verus amor sine fine est. Charitas enim numquam excidit, et qui amicus est perpetuo diligit, numquam a dilectione retrahitur, nisi dilectio finiatur. Operatur enim amor magna, si est;
Eius modus. sin autem desinit operari, amor non est. » Deinde modum docet, quo quisque etiam pauper possit semper esse liberalis. « Attamen numquam deficit beneficium liberali ad dandum, cum sit virtute et amore ditissimus. Nempe si pecunia deficit, adest lingua: si deest census, adest manus. Si est cellarium vacuum, non est consilium diminutum. Numquam siquidem desunt virtuti divitiæ. Non ergo deficiat virtuosa voluntas, quia non deerit fructuosa facultas. » Denique exemplo naturæ, cæli et solis idipsum
Exempla. confirmat. « Attende, quæso, quam sint perpetuæ emanationes beneficiorum liberalis naturæ. Nonne cælum vitales virtutes semper inferioribus influit? Sol perpetuo lumen effundit, et semper gratissima tellus pascua gignit; et donec vixerit cor, membra singula calefacit, hepar nutrit, cerebrum animat. Igitur liberalis beneficii perpetuus est influxus. Quibus dictis, magis Danubius redundavit. »

Mystice mare est Christus et B. Virgo. Mystice, mare plenissimum et immensum sapientiæ virtutum et gratiarum omnium est Deus et Christus. Unde ipse ait Ioan. 7. 38. *Qui credit in me, etc. Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Item B. Virgo Maria. Unde S. Bonav. de Laud. Virginis, c. 7. *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat*, sic mystice exponit: *Sicut in mari aquarum, ita in Maria sunt congregationes gratiarum.* Insuper mare est sapientia, uti ipsa ait Eccli. cap. 24. v. 39. Vide ibi dicta.

Porro fontes et flumina sunt prædicatores et doctores, imo quilibet iusti et sancti, quin et peccatores, qui per orationem, gratiarum actionem aut pœnitentiam ad Deum omnis boni fontem in omnibus recurrunt, ut novum lumen et gratiam impetrent. Unde S. Thom. in c. 1. ad Rom. lect. 5. Redeunt, inquit, flumina, id est beneficia per gratitudinem ad suum principium unde exierunt, puta ad da-
Gratiæ recurrunt ad datorem Deum. torem Deum; itaque iterum fluunt, quia gratitudo de datis provocat liberalitatem Dei ad nova danda. Nam ut ait S. Chrysost. hom. 26. in Matth. *Optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum confessio.* Et iterum idem hom. 2. ad populum Antiochenum, *gratiarum actionem* vocat, *magnum thesaurum, inconsumptum bonum,* quasi diceret, *perennia fluenta.* Secus namque flumini non revertenti exaresceret mare: ingratis etiam exarescit Deus. Quippe ut S. Bernard. ait: *Ingratitudo est ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Et iterum: *Vias et occultos gratiæ canales obstruit;* quod ex Augustino in Soliloq. cap. 18. transcripsit.

Sane flumina plus reddunt mari, quam nos reddamus Deo: illi enim rem ipsam reddunt, nos tantum verba et verbalem gratiarum actionem. Imitemur ergo flumina in velocissimo ad mare rursu, ut incitatissimo cordis affectu, si non operum effectu, ad Deum per amorem, confessionem et laudem recurramus. Audi S. Bern. serm. 13. in Cant. initio: « Origo fontium et fluminum omnium mare est, virtutum et scientiarum Iesus Christus Dominus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ? sed et iuxta Annæ Canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde Sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid? casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus ususque nostros iugi et infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, et sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter inquis? qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quicquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, et Dei sapientiæ, deputa Christo. »

Rursum S. Greg. 3. Moral. c. 2. vel iuxta aliam editio- Actio recurrat ad orationem.
nem 4. per mare accipit vitam contemplativam, ad quam flumina, id est prædicatores cæterique sancti, qui vitam activam agunt, sæpe recurrant oportet, ut ex eo vim agendi sugant et hauriant; flumina, inquit, sunt fulgura, de quibus Iob ait cap. 38. 35. « Numquid mittes fulgura, et ibunt; et revertentia dicent tibi: Adsumus? quia post opera exteriora quæ sancti peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris sui flammam reficiant, et quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant, etc. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant, ipsi quippe illic flumina, qui hic fulgura sunt vocati: quia enim corda audientium rigant, dicuntur flumina; quia vero succendunt, fulgura vocantur. De quibus alias scriptum est: Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas. Et rursum: Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur; quia sancti viri, etsi a conspectu Creatoris sui, cuius claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad activæ vitæ ministerium veniunt, incessanter tamen ad secretum contemplationis studium recurrunt; et si in prædicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba se fundant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis revertuntur. »

Eleganter et nervose S. Bernard. ad fratres de Monte Dei: *Otiosum non est*, inquit, *vacare Deo*, imo *omnium negotiorum negotium; quoniam ex hoc vires perveniunt ad negotium*, et qui scit prudenter ad tempus quiescere, sciet postea strenue et utiliter laborare.

CUNCTÆ RES DIFFICILES: NON POTEST HOMO EAS EXPLICARE SERMONE. NON SATURATUR OCULUS VISU, NEC AURIS IMPLETUR AUDITU.) Sept. *Omnes sermones graves; non poterit vir loqui: et non satiatur oculus videndo, et non impletur auris ex auditu*; Syrus: *Omnes responsiones sunt laboriosæ; non satiabitur vir ad loquendum, neque saturabitur oculus ad videndum, neque impletur auris ad audiendum*; Arab. *Sermones omnes sunt diviși, non potest nisi loqui; et oculus non satiatur visu, et auris non impletur auditu*; alii: *Non satiatur oculus videndo, nec auris impletur audiendo.* Vers. 8

Pro *cunctæ res difficiles*, Hebr. est: *Omnes sermones* יגעים *ieghim*; Septuag. ἔγκοποι, id est laboriosi, graves, difficiles; Interpres Nysseni, *laborantes*. Minus recte Complut. et Regii legunt ἔγκωποι, per ω; vertuntque, *implicati*; nam ἔγκωποι, per ω, Græcis inusitatum et Lexicographis incognitum est; Symmach. κοπώδεις, id est operosi, molesti; Aquila, κοπιῶσιν, id est, *laborem afferunt*; alii: *Pleni laboris; lassitudine deficientes, vexati, fatigati.*

Primo, multi hanc gnomen exponunt de scientiis, q. d. Expositio. I.
Omnes scientiæ tam philosophicæ et naturales, quam Theologicæ et supernaturales, quæ sermone Doctoris docentur et discipulis explicantur, sunt difficiles et laboriosæ. Laborat enim Doctor ut eas apposite ad captum discipulorum eloquatur, laborat et discipulus ut eas hauriat et capiat, utque conceptum suum conceptui doctoris con-

formet et adæquet. Hunc laborem experiuntur nostrarum scholarum magistri, æque ac discipuli. Ita S. Hier. Olympiod. Salon. Lyran. Hugo, Caiet. et alii.

Ex adverso S. Gregor. Thaumaturgus censet hic hominum dicta et facta opponi gyrationi fluminum, ventorum et solis, quod hæc sit stabilis et hominum vitæ perutilis; illa vero instabilia sint et inutilia. Unde sic vertit: « Sol, venti, flumina suos non egrediuntur fines, nec e suis aberrant legibus; at vero quæ ab hominibus eiuculrata, sive verba, sive opera, mensuram modumque nesciunt. Quam frequens enim sermonum stultæque nugacitatis ferrago? citra omnem tamen commoditatem. Verumtamen ita se habet hominum genus, audiendo narrandoque fabulas, ut rerum elabentium, quamvis incertis, aspectibus expleri nequit. »

Rursum Chald. hanc gnomen limitat ad prophetias et prædicationes futurorum: hæ enim sunt obscuræ et difficiles. Unde sic vertit: « In omnibus verbis, quæ parata sunt ut fiant in sæculo, defatigati sunt Prophetæ antiqui, et non potuerunt invenire fines eorum; verum utique non B est facultas viro, ut loquatur quod venturum est post se; et non potest oculus videre omne id quod futurum est, ut accidat in mundo; et non potest auris impleri audiendo verba omnium incolarum terræ. »

II. Secundo, sermones accipi possunt pro rebus quæ sermone explicantur, per usitatam Hebræis metonymiam, uti accepit Noster; unde vertas: *Cunctæ res sunt laboriosæ*; id est laborant, defatigant se, suspirent et quasi gemunt; יגע *iaga* enim significat laborare cum anhelitu, defatigari, suspirare, gemere, ut sensus sit, q. d. Sicut sol, flumina, venti iam recensiti, sic et cæteræ res omnes assidue moventur, agitantur, laborant ac præ labore videntur defatigari, suspirare et gemere, adeo ut hunc eorum laborem et gemitum homo non possit condigne et plene verbis explicare. Considera enim laborem quem subeunt boves, equi, asini, cameli, cæteraque animalia et iumenta in arando, onera portando, currum trahendo, currendo, certando, pugnando, etc. atque videbis omnia sub onere sæpe suspirare ac gemere, ac subinde considere et exanimari. Hoc est quod ait Apostol. Rom. 8. 20. « Vanitati creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. » Ita noster Pineda.

III Gemina. Tertio et genuine, labor hic rerum non proprius et passivus, sed improprius et activus accipitur, q. d. Cunctæ res sunt laboriosæ, id est, molestæ homini; quia eum defatigant tum in earum acquisitione, possessione, usu et fruitione, tum in earum cognitione, quæ ex possessione et usu consequitur. Omnes enim res delassant hominem, ut eas capiat, possideat, utatur et gustet, itaque eas per experientiam cognoscat et intelligat; præsertim quia post magnum laborem, quo eas homo nanciscitur, illico abeunt vel pereunt, itaque modicum sui usum et gustum homini præbent, nec satiant eius oculos intuitu, vel aures auditu. Sunt enim instar fulminis, quod in momento se D ostendit et illico transit ac disparet. Unde Fonteius vertit:

Res nostris pereunt oculis ac auribus omnes:
Tamque cito fugiunt, ut nullas mente tenore
Atque videre diu, vel in illis dicere quicquam
Apposite certove queas, nec si sapis ausis.

Hinc Noster vertit: *Cunctæ res difficiles*, scilicet tum ad possidendum et fruendum, tum ad cognoscendum: τὸ enim *difficiles* idem est quod laboriosæ, molestæ, avaræ, morosæ, ut ægre et modice sui copiam præbeant, ac vix visæ et gustatæ aufugiant. Tales enim sunt omnes res terrenæ. Sic Cicero senes difficiles vocat morosos et molestos. Et Comicus meretrices difficiles vocat avaras, quæ sui copiam non faciunt nisi magnis precibus et pretiis. Hinc enim artem emungendi pecunias callent, si se difficiles præbeant; quibus proinde persimiles sunt omnes cæteræ mundi illecebræ.

Sensus ergo est, q. d. Sol, venti, flumina in orbem eunt A et abeunt, suisque gyris se implicant et involvunt; quare eos sistere et stetis frui est impossibile; easdem vero explicare et evolvere est perdifficile; perinde ac glomum filorum implicatum et intricatum explicare et extricare est difficile, etiam mendi peritis; sic difficile est explicare gyros fluminum, ventorum et solis per zodiacum, eorumque dare rationes et causas, cur scilicet in orbem eant et quotannis recurrent; cur fluminibus in mare intrantibus, illud tamen non redundet; cur venti in orbem eant, et nunc flent ab Oriente, nunc ab Occidente, nunc ab Aquilone, nunc a Meridie; sic cæteræ res omnes et captu et cognitu sunt difficiles. Unde *sermones*, ut est in Hebr. vel res, ut vertit noster Olympiod. transfert *rationes*: *Omnes*, inquit, *rationes difficiles*. Quis enim rationes et causas omnium rerum et motationum assignet?

Ad scientiam enim et rerum cognitionem hæc proprie pertinere patet ex τῷ *sermones laboriosi*, uti habent Hebr. Septuag. Chald. Syrus, Arabicus, et ex eo quod addit: *Non potest homo eas explicare sermone*. Et: *Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu*.

Præter vanitatem rerum ergo consistentem in earum perpetua agitatione, inconstantia et circuitione aliam hic assignat in homine, quæ ex priori consequitur, scilicet, quod homo partim ex innata sibi cæcitate et ignorantia, partim ex rerum ipsarum instabilitate, non possit in eis figere mentis oculum, easque plene perspicere et intelligere. Ipsæ ergo sunt *difficiles*, id est asperæ, avaræ, sui copiam negantes, ut fugiant et prætervolent quemlibet avide contuentem oculis, et auribus auscultantem; quare in iis mentem figere et conquiescere nequit homo, utpote vanis et illico evanescentibus: sed bonum, verum, stabile et æternum, puta Deum, in quo plane conquiescat, quærat oportet. Homo enim quia animal est rationale, naturaliter appetit scire, ait Arist. quare hominis, ut homo est, bonum et perfectio consistit in cognitione et scientia. Unde Herillus summum bonum constituebat in scientia, teste Lactant. l. 3. c. 3. Verum quia hominis anima corpori misero immersa est ideoque infima est in genere crea- C turarum spiritualium, ac per peccatum originale perdidit iustitiam originalem, quæ non tantum gratiam conferebat, sed et naturam intellectumque perficiebat; hinc magna ei inest cæcitas, ignorantia et difficultas cognoscendi res tum naturales, tum multo magis supernaturales et divinas; quæ ingens eius est vanitas et ærumna. Unde Socrates, teste Laertio in eius vita, dicebat *se hoc tantum scire quod nil sciret, et nostram cognitionem magis vocandam esse doctam ignorantiam quam perfectam scientiam*; quem secutus Nicolaus Cusan. Card. tres libros scripsit de *docta ignorantia*; quin et Philosophi dicti Academici, sive Sceptici, negabant hominem de rebus posse habere certam scientiam, cum tantum habeant dubiam opinionem. Unde ille (Empedocles, si recte memini) dicebat nivem revera non esse albam, sed tantum homini videri albam.

Mystice, idque vere explicat Olympiodorus: « Omnes rationes, inquit, tam quæ ad sæcularem, quam quæ ad di- Mystice. 1.
D vinam sapientiam pertinent, non sine labore tradi possunt; sæculares tamen ac mundanæ scientiæ plerumque discentibus detrimentum adducunt. Scientia vero Dei, ac divinus sermo semper est utilis: quem tamen non poterit homo pro dignitate explicare, licet alioquin prudens sit, nisi qui accepit donum doctrinæ, sapientiæque sermonem. Aliter: Semper fere divini verbi doctores laborant, atque in 2.
angustia sunt, ac plerumque ab ipsa doctrina retrahuntur, cum frustra se videant operam insumere, ac laborem solum lucrari ob auditorum inobedientiam aut desidiam. Prædicationis itaque officium deterret eos qui eum negligentia audiuntur. Aliter: Oportet prius facere, ac deinde 3.
alios docere. Labor est itaque non vulgaris atque exiguus, sed valde periculosus, quemquam alios ea docere, quæ prius ipse non fecerit. Quapropter homo perfectus ac prudens cum rei magnitudinem contemplatur, ab ipsa prædicatione resilit et retrahitur. Et S. Hier. Notandum, ait, quod omnia verba sint gravia, et magno labore discen-

tur, contra eos qui putant otiosis sibi et vota facientibus venire notitiam Scripturarum. » Hinc S. Basil. Epist. 68. confutat Eunomium dicentem se veritatem, imo Deum comprehendisse, proponens ei minutas quæstiones de natura formicæ, indeque concludit : « Si vero scientia minutissimæ formicæ naturam necdum es assecutus, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris? »

Causæ cur scientia hominis sit difficilis.

Porro causæ cur res omnes homini sint difficiles ad intelligendum, et consequenter ad eloquendum et explicandum, sunt variæ : Prima est, quod intellectus hominis sit corpori, et phantasiæ ac sensibus alligatus. Unde nihil intelligit nisi cuius habet phantasma in imaginatione : nullius
I. autem rei phantasma imaginatur, nisi quam oculis vidit, vel aure audivit, vel alio sensu percepit. Sensus autem solum percipiunt accidentia rerum, ut visus colorem, auditus sonum, gustus saporem, odoratus odorem, tactus calorem, etc. Sensus ergo non penetrant intima rerum, puta earum essentias, proprietates et differentias essentiales, quas penetrant Angeli. Hinc fit ut homo paucissimas rerum naturas cognoscat, sed tantum earum accidentia, ex quibus quasi per vestigia, et quasi per umbram discurrendo coniicit de ipsis naturis et substantiis quibus inhærent. Rursum sensus, nisi eminus, non pertingunt ad res subtiles et remotas, quales sunt Angeli, animæ, aer, venti, cœli, sol, luna, sidera, quæ tamen cognoscere et plane intelligere summe desiderat æque ac eloqui; sed non valet, quia elocutio respondet conceptui et intellectui, ac proinde rem non adæquat. Verbum enim oris respondet verbo mentis, imo sæpe illud non adæquat. Plura enim concipimus quæ eloqui non valemus. Conceptus autem noster non adæquat rem ipsam, præsertim quoad essentiam et substantiam; hanc enim non nisi per velamen accidentium conspicit et concipit.

II. Secunda est ipsa rerum agitatio, instabilitas, celer ortus et occasus. Hæc enim non faciunt diu sui copiam ad ea oculis perlustrandum, cæterisque sensibus pervestigandum. Unde Hippocrates initio Aphorismorum : *Ars longa*, inquit, *vita brevis, tempus præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile*. Hinc Isidor. et Campensis paraphrastice vertunt : *Non enim subsistunt, donec oculis, quantumvis diligenter contemplantis, vel auribus avidissime auscultantis, fiat satis*. Exemplum est in hyacintho gemma, qui ut ait Plin. l. 37. c. 9 *Primo quoque aspectu gratus, evanescit antequam satiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore*.

III. Tertia causa est animæ humanæ, præsertim post peccatum, depressio, hebetudo, ignorantia et cæcitas, de qua iam dixi. Unde Seneca Epist. 89. *Si Protagoræ credo*, inquit, *nihil in rerum natura est nisi dubium ; si Nausiphani, hoc unum certum est, nihil esse certi; si Parmenidi, nihil est præter unum; si Zenoni, ne unum quidem*.

Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu.) Hebraice : *Non satiatur oculus videndo, nec auris audiendo*. Elicit hanc gnomen ex præcedenti, q. d. Quia res omnes sunt difficiles ad intelligendum et eloquendum, hinc earum intuitu non satiantur oculi, nec auditu aures, et multo minus satiatur curiositas, sive cupiditas videndi et audiendi, quæ in homine est immensa. Ratio est, quod homo habeat mentem rationalem, quæ infinitarum rerum est capax, eo quod creata sit ad imaginem Dei, ac proinde nulla re nisi solo Deo satiari et expleri possit. Hæc ergo oculorum et aurium insatiabilitas in homine non provenit ex ipsis potentiis sensitivis, uti notant Philosophi; quia hæ secundum se limitatæ sunt. Unde in brutis visus et auditus, imo aviditas videndi et audiendi, limitati sunt, et facile satiantur; dum per eos nanciscuntur pabula, cæteraque naturæ suæ convenientia. Provenit ergo ex coniunctione cum intellectu et voluntate, quæ in homine insatiabilis est. Sensus ergo est, q. d. Adeo cœlorum, ventorum, solis, fluminumque gyrationes, cæteræque res omnes variæ et difficiles sunt, ut oculos et aures sui admiratione semper detineant, nec eorum cupiditatem, et sentiendi sciendique sitim expleant. Hinc S. August. in Soliloquiis c. 30. *Cum anima*, inquit, *creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet quod de creaturis desiderat adipiscatur, vacua tamen remanet; quia nihil est quod eam impleat, nisi tu, Domine ad cuius imaginem est creata*.

Apposite ad scopum suum Ecclesiastes nominat oculos et aures præ cæteris sensibus; quia hi duo nobilissimi sunt, et ad cognoscendum aptissimi. Unde visus et auditus sunt duo sensus disciplinæ; quia præ cæteris celerrimi sunt, certissimi et efficacissimi. Sentiunt enim ad magnam distantiam, et cum parva sui immutatione, et cum maiore in phantasiam impressione. Unde et nomen acceperunt. *Aurium*, ait S. Isid. l. 11. Orig. c. 1. *inde dictum nomen a vocibus hauriendis. Unde et Virg. vocemque his auribus hausi. Aut quia Græci aurem vocemque ipsam* αὐδὴν, *vocant, ab auditu. Per immutationem enim litteræ aures, quasi audes nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus earum facit sonum, quo sensum excipiant audiendi*. Et paulo superius : *Oculi inter omnes sensus viciniores animæ existunt. In oculis enim omne mentis iudicium est; unde et animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Oculi*, ait Cicer. l. 2. de Natur. deor. *tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes funguntur suo munere*.

Aurium etymon.

Audi Olympiod. « Audiendi sensus ac videndi principales regiique sunt, ac cæterorum sensuum maxime rationales; proprias namque operationes humanæ vitæ perutiles ac necessarios sine ulla satietate efficiunt. Gustus autem, odoratus ac tactus citius fatigantur ac tædio afficiuntur. »

Causa est quod visus et auditus sint magis spirituales, reliqui vero sensus magis corporales et crassiores.

Porro causa cur oculi et aures hominum sint insatiabiles, cum in brutis facile satientur, est, ut dixi, mentis infinita amplitudo, et cupiditas, quæ cum infinita scire cupiat, ut immensam suam capacitatem expleat, nec possit ea scire, nisi prius earum species hauriat; adeoque sentiat per aures et oculos, hinc infinita oculis videre et auribus audire concupiscit. Hæc ergo eorum in hac vita est vanitas, quam in futura explebit immensa Dei visi veritas. Accedit rerum quæ videntur et audiuntur exilitas et fugacitas, quæ visum et auditum non satiant sed irritant potius et cruciant. Unde S. Aug. ser. 23. de Verb. Apost. *Temporalia bona*, inquit, *non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia; concupita marcescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt*.

Exemplum insigne dat Seneca epist. 73. « Solebat Attalus, inquit, hac imagine uti : Vidisti aliquando canem missa a domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? Quicquid excepit protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis : quicquid expectantibus fortuna proiicit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius recti et attoniti (alii legunt *attenti*.) Hoc sapienti non evenit, plenus est; etiamsi quid obvenit, secure excipit ac reponit, lætitia fruitur maxima, continua, sua. »

Huc facit illud Prov. 27. 20 *Infernus et perditio numquam implentur; similiter oculi hominum insatiabiles*. Et Eccles. cap. 14. 9. *Insatiabilis oculus cupidi; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam*. Vide utrubique dicta. Præclare Hugo Victor. *Cor hominis*, inquit, *non sufficit toti orbi; quia cunctæ res difficiles, non valet homo eas comprehendere : et vicissim totus orbis non sufficit cordi hominis; quia oculus non saturatur visu, nec auris impletur auditu*. Et S. Ambros. lib. de Bono mortis cap. 7. *In vanum accipit animam suam (ut iam de huius vitæ dicamus molestiis) qui sæcularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum et bibendum surgimus, et nullus expletur, ut non post momentum esuriat ac sitiat. Quotidie lucrum quærimus, et nullus cupiditati modus ponitur : Non satiabitur*, inquit, *oculus visu, nec auris auditu : Qui diligit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris, et nullus est fructus abundantiæ. Cupimus*

quotidie scire nova, et quid est ipsa scientia, nisi quotidiani doloris adiectio?

Audi totum hunc Ecclesiastæ locum graphice explicantem nostrum Martinum de Roa lib. 2. Singular. cap. 4. *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone; non satiatur oculus visu, nec auris auditu adimpletur*; hoc est, cunctæ res duræ, morosæ, avaræ numquam se dant, numquam sui copiam faciunt, neque sui fruendi locum potestatemve relinquunt: atque ita non *potest eas homo explicare sermone*, hoc est, cum eas vix gustarit, vix oculis, vix auribus acceperit, quid in illis boni vel mali insit, aut cuiusmodi tandem sint, explicare non potest. Quantumvis enim attentissime contemplantis aut celerrime intuentis aspectum fugiunt, et aures avidissime auscultantis prætervolant. *Non satiatur oculus visu.* Cum neque oculis, neque mente comprehenduntur, nec sit qui eas explicare sermone possit. *Nec auris auditu adimpletur.* Contra vero quæ a Deo sunt bona, vera sunt, et quæ cor satiant. *Satiabor*, inquit David, *cum apparuerit gloria tua.* Audi Esdram Prophetam lib. 4. c. 10. quem Deus

B iubet in templum suum ingredi, et oculos pariter atque aures illius splendore, magnitudine, atque etiam pulchritudine pro arbitrio pascere: *Tu ergo*, inquit, *noli timere, neque expavescat cor tuum: sed ingredere, et vide splendorem et magnitudinem ædificii, quantum capax est tibi visus oculorum videre; et post hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.*

Vers. 9. et 10. QUID EST QUOD FUIT? IPSUM QUOD FUTURUM EST: QUID EST QUOD FACTUM EST? IPSUM QUOD FACIENDUM EST: NIHIL SUB SOLE NOVUM.) Aliqui ex Hebræo assertive vertunt, sed eodem sensu: *Id quod fuit, illud futurum est, et id quod factum est, illud fiet.* Syrus: *Quod est, ipsum est, quod factum est, et ipsum fiet.* Arabicus obscure: *Quæ res formans, format animam suam faciendo idem:* Chald. *Quod iam ab antiquo fuit, id certe post eventurum est: et quod primis illis temporibus factum est, id etiam sub sæculorum exitum fiet, neque hic sub sole neotericum quidquam reperies.*

C Distinguit solerter Euseb. lib. 11. Præpar. Evang. cap. 6. *Id quod fuit*, ab eo, *quod factum est*, sive esse a factum esse, ac per id *quod est*, vel *fuit*, intelligit res incorruptibiles, quales sunt sol, cæli, elementa, Angeli: hæ enim habent esse stabile; unde Dei stabilissimi nomen est: *Ego sum qui sum*; per id vero, *quod factum est*, accipit res corruptibiles, quas facit natura vel ars.

Probat nihil sub sole esse novum argumento a simili, q. d. Sicut res incorruptibilis eadem numero est quæ fuit, et quæ futura est, v. g. idem est sol præsens et futurus; sic res corruptibilis eadem specie est quæ facta est, et quæ facienda est: nam generationi hominum et animalium transeunti succedit alia et alia continuo similis, et eiusdem speciei: unde concludit: Ergo nihil novum est sub sole.

Hebræi apud R. Moysen lib. 2. Ductoris perplex. c. 29. et Hugo censent hic a Salomone astrui æternitatem mundi, non ex sua, sed ex gentilium, et præsertim uxorum suarum alienigenarum, quas offendere non audebat, sen-

D Caiet. opinio. tentia. Hos secutus Caietanus, seductus a suo Hebræo Interprete, censet Salomonem *argumentari ex æternitate temporis, res omnes in motu circulari consistere, tam secundum esse, quam secundum fieri; Salomonem autem concionando loqui, et uti opinione, quamvis falsa, probabili tamen secundum id quod probabilius est ex sensibilibus. Rationes enim naturales suadent æternitatem mundi.*

Refellitur. Verum errat tripliciter: primo, quod asserit probabilem esse opinionem de mundi æternitate; secundo, dum
1. ait eam astrui ex rebus sensibilibus, cum potius ex iis
2. mundi origo et creatio colligatur; tertio quod censet Sa-
3. lomonem, imo Spiritum sanctum, qui per os Salomonis hæc dictavit, uti ratione falsa, esto in speciem probabili, æternitatis mundi, ad probandam rerum omnium circulationem: hoc enim Spiritu sancto indignum est.

Huc pertinet error Origenis scribentis in hunc locum,

A teste Methodio, lib. de Resurrectione, et lib. 3. Periarchon, qui censet hic statui magnum Platonis annum, quo ipse putabat post duodecim (teste Cicerone 2. de Natura deorum) annorum millia omnia præterita fore revocanda, ut fiant præsentia, scilicet ut post aliquot sæcula iidem qui nunc vivimus redeamus, idemque quod nunc facimus, tunc quoque repetamus et faciamus; imo damnatos inferno tunc fore solvendos. Censebat enim ante hunc mundum præcessisse alios, et post eum alios secuturos, citans ad hoc illud Isaiæ 65. *Ecce ego creo cælos novos et terram novam.* Putant aliqui hunc errorem a falsariis affictum Origeni, eiusque libris insertum, eo quod ipse l. 4. contra Celsum eum damnare videatur. Ut ut est, Origenistarum fuit error, quos refellit S. Hieronymus Epistola ad Avitum, et S. August. libr. 12. de Civitate c. 13. Annus Platonicus.

Sic Epicurus, ait S. Hieronymus, asserit per innumerabiles periodos, eadem et eisdem in locis, et per eosdem fieri: et Pythagoras censuit animas in alia corpora migrare et remigrare: omissis manifestis hisce erroribus.

B Primo, R. Moses loco citato, censet hoc dici ad significandam æternitatem mundi a parte posteriori, scilicet mundum deinceps duraturum in æternum. Sed quid hoc ad scopum Ecclesiastæ, scilicet ad probandam mundi vanitatem, id est instabilitatem? huic enim directe opponitur mundi stabilitas et æternitas. Expositio I.

Secundo, melius ex adverso Eusebius lib. 11. Præp. Evang. c. 5. 6. et 7. censet hæc dici, ut notet mundi fluxum, fugam et corruptionem, scilicet res mundi cum tempore continuo fluere et præterire, aliasque succedere, et in futuro successuras quæ pari modo fluent et præteribunt, ideoque nihil sub sole novum, sed omnia veterascunt, senescunt, occidunt. II.

Tertio, Lyranus censet hic post solis, ventorum et fluminum circulationem, tria alia argumenta ad probandam mundi vanitatem proponi: primum esse, quod omnes res mundi sint ad fruendum et cognoscendum obscuræ, cum ait: *Cunctæ res difficiles, etc.* secundum quod non satient oculos et cor hominis, cum ait: *Non saturatur ocu-* III.

C *lus visu, nec auris impletur auditu:* tertium, quod nil in eis sit novum, sed omnia antiqua et vetera, cum ait: *Nihil sub sole novum.*

Quarto, alii referunt hæc ad scientias et opiniones q. d. Nullæ sunt novæ opiniones et scientiæ, sed quæ nunc videntur nasci, eadem olim extiterunt, esto tempore sint abolitæ, iuxta illud Comici in Eunucho: *Nihil est dictum quod non sit dictum prius. Unde præceptor meus Donatus*, inquit S. Hieronymus, *cum ipsum versiculum exponeret; Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.* Huc facit illud Platonis lib. 3. de Republica: *Nihil inauditum.* Et Aristot. l. 1. de Cælo text. 22. et 1. Meteor. c. 3. *Necessum est*, inquit, *ut infinities eædem recurrant opiniones mundi æternitate supposita*, quam ipse supponit et constanter adstruit. IV.

Verum hic sensus arctior est et minus appositus; non enim de rerum cognitione vel opinione, sed de rebus ipsis loquitur Eccles. cum ait: *Nihil sub sole novum*, esto ad

D scientias et opiniones, utpote cum ipsæ sint res et reales qualitates, hæc gnome extendi possit.

Quinto et genuine, Ecclesiastes hic redit ad thema initio propositum, scilicet ut probet omnia in mundo esse vana, ex eo quod omnia eant in orbem et abeant. Probavit id ex gyratione continua solis, ventorum et fluminum; nunc idipsum probat ex gyratione cæterarum rerum, quod scilicet omnia cum tempore eant et prætereant; idsoque post præterita succedant præsentia et futura, quæ pariter ibunt in præterita. Esto ergo futura iis, qui præterita non viderunt, videantur nova; sunt tamen antiqua visa, et trita iis qui olim vixerunt: res enim præteritæ in futuris sui similibus, quæ succedunt, videntur novæ, sed non sunt, quia resurgunt dumtaxat et renascuntur; unde Thuanus vertit: V. Et genuina.

Nempe omnia, quæ nunc
Miramur, priscis ea visa auditaque sæclis.

Et Horatius in Arte Poetica:

Mortalia facta peribunt;
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore.

Ita exponunt S. Hieronymus Olympiod. Albinus et S. Augus. 12. de Civitate c. 13.

Dicit hoc Ecclesiastes, ut retundat hominum vanitatem vanamque curiositatem, qua cetera fastidientes semper novis inhiant, ideoque circumvagantur ut nova congerant, sed frustra cum nihil sit sub sole novum, quia omnia in orbem eunt et redeunt. Hoc enim est thema, quod ab initio huc usque probare contendit; isto versu præcedenti obiter quasi per parenthesin iniecerit aliud vanitatis argumentum, scilicet rerum ad fruendum et cognoscendum difficultatem, quodque auris non impleatur auditu, nec oculus visu; quo tamen etiam hi versus referri possunt, ut scilicet ostendant aures et oculos, quia curiosos et novarum avidos, non satiari, eo quod nihil sit sub sole novum, q. d. Frustra laboras, o homo, incassum te crucias et torques, dum per omnia vagaris, ut aurium, oculorum et cordis tui curiositatem novorum avidam explens, cum nil novi sis reperturus, esto gyres ab Oriente ad Occidentem, sed omnia prisca et vetera. Hæc enim est mundi senescentis conditio; hæc temporis natura et ratio æque ac omnium temporalium, ut scilicet consistant in continuo fluxu et gyratione, utpote præterita abeant, succedant præsentia, sequantur futura, quæ dum abierint in præterita, alia succedent præsentia, aliaque similia sequentur futura. Hic est perennis temporis et temporalium circulus, hic gyrus et rotatio.

Igitur Ecclesiastes postquam descripsit circularem motum partium universi, puta cælorum et solis, aeris et ventorum, fluminum et fontium, nunc describit eumdem ex parte temporis: cui res omnes subiacent, cum eoque volvuntur et prætereunt, q. d. Nihil stabile, nihil constans sub sole; sed omnia æque ac tempus, cui subsunt, circularia sunt et præterfluunt. Vis ergo scire, o homo curiose, quid omni tuo curioso et molesto labore consecuturus sis, inspice præteritos et præterita: quod enim illi consecuti sunt, tu consequeris, non aliud; frustra nova quæris quæ non sunt, nec fuerunt, nec erunt. Unde Nyssenus: *Ad rogatum*, inquit, *brevis est responsio: Cogita quid sit quod est futurum et cognosces id quod fuit*, q. d. Semper homines sollicitat futurorum appetitus; præsentia enim fastidiunt, velut possessis saturi: anhelant ad futura, velut ad nova curiosi. *Novis*, inquit Seneca lib. 3. de Benef. c. 3. *cupiditatibus occupati non quid habeamus, sed quid petamus inspicimus; non in quod est, sed in quod appetimus intenti.* Hæc eorum vanitas fallit eos, quia nihil novi fit sub sole: nihil eximium habuerunt præteriti, nihil habebimus nos melius futuri; ex præteritis ergo colliges et metieris, quale quantumque bonum tibi tempus vitaque dabunt; colligent similiter ex nobis futuri. Notant Nyssenus et uterque Hugo Card. scilicet et Victor nullam præsentis temporis hic fieri mentionem, sed tantum præteriti et futuri, eo quod ex præsenti nil habeamus nisi unicum nunc indivisibile: quare præsens illico transit in præteritum, pertinet ergo ad præteritum, vel ad futurum, quasi nexus et copula utriusque; quia præsens nectit præteritum futuro.

Symbolice, Rabbini quidam (qui putant hunc sensum esse genuinum et litteralem, sed errant) apud Galat. l. 10. c. 2. et 4. hæc accipiunt de lege nova adumbrata in lege veteri, q. d. Id quod per tot figuras adumbratum est in lege Mosaica, hoc reipsa explendum est per Christum in lege Evangelica. Ita R. Barachias ibidem: *Quid est*, ait, *quod fuit? ipsum quod erit; sicut fuit redemptor primus, id est Moses, ita erit redemptor ultimus*, puta Messias sive Christus.

Et Procop. in c. 48. Isaiæ: *Quærunt nonnulli*, ait, *quomodo se nova fecisse asserat, cum, docente Ecclesiaste, nihil novum sub cælo sit; Christi ergo mysterium longe ea quæ cernitur creatura maius, quod a Paulo etiam absconditum nominatur, intellexit.* Accedit Chaldæus qui v. 11. sic vertit: *Præteritarum nationum memoria non ex-*

A *tat, neque earum quæ post futuræ sunt recordatio erit iis qui temporibus regis Messiæ victuri sunt.*

Anagog. Olympiod. hæc accommodat ad merita præsentis vitæ et præmia futuræ; quod enim quantumque præcessit meritum in terra, hoc tantumque nos sequetur præmium in cælo.

Rursum S. Hieronymus, S. Augustinus 12. de Civitate 13. et Hugo censent Ecclesiasten loqui (in sensu mystico et anagogico) de præscientia et prædestinatione in qua iam ea facta sunt quæ futura sunt: *Qui enim*, ait S. Hieronymus, *electi sunt in Christo ante constitutionem mundi in prioribus sæculis iam fuerunt*, scilicet in Dei mente et prædestinatione.

Denique Nyssenus notat τὸ *quod fuit* mystice de anima dici, quia creata est; τὸ *quod factum est*, de corpore, quod formatum est de terra: animam ergo dici futuram quod erat per sanctificationem; per hanc enim redditur ei gratia perdita per peccatum Adæ; corpus vero dici fore id quod factum est per resurrectionem, qua resurgent olim
B facti et nati, sed mortui; quod ut feliciter fiat, redeundum esse animæ et corpori ad statum quem prius habuerunt, scilicet ad puritatem et sanctitatem, in qua creati sunt a Deo in protoplasto Adamo.

NIHIL SUB SOLE NOVUM; NEC VALET QUISQUAM DICE- Vers. 10.
RE: ECCE HOC RECENS EST: IAM ENIM PRÆCESSIT IN SÆCULIS QUÆ FUERUNT ANTE NOS.) Septuaginta: *Non est omne* (id est *nullum est*) *recens sub sole, quis loquetur ac dicet: Vide hoc*, novum *est? Iam fuit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*; Syrus: *Quæ fuerunt ab æterno*, id est a priscis primisque mundi temporibus; Chaldæus: *Datur enim res de qua facile quisquam prædicit. Vide, novum inventum est; verumtamen veterum memoria id aliquando contigit.* Arabicus: *Et omne renovatum sub sole non potest loqui et dicere: Considera hanc rem, quia nova est, quæ iam facta est in præterito in sæculis ante nos.*

Quæres, quomodo nil sub sole sit novum, cum multa Nil no-
nova fiant per novas artes nove inventas, cum nova fiant vum sub
C prodigia, cum novus Christus novam legem, novaque in Sole quo
ea dederit præcepta, Sacramenta, et præmia; nova etiam sensu?
sunt miracula, de quibus dicitur Eccles. 36. *Innova signa, et immuta mirabilia.* Respondet primo S. Thom. 1. p. q. Resp.
73. art. 1. ad 3. hæc omnia præcessisse, et olim facta esse I.
vel in se, vel in suis causis, vel in sui similibus. *Præcesserunt*, inquit, *secundum similitudinem, sicut animæ quæ nunc creantur. Et similiter Incarnationis opus, quia, ut dicitur Philipp. 2. Filius Dei est in similitudinem hominum factus. Gloria etiam spiritalis secundum similitudinem præcessit in Angelis, corporalis vero in cælo præcipue Empyreo.*

Secundo, S. Hieron. hæc arctat ad hominem, q. d. Ho- II.
mini nihil accidit novi; solus enim homo, inquit, loqui et dicere potest, ut habent Hebr. *Vide hoc novum.*

Accedit Pineda, qui hæc ad hominum mores refert, quasi significetur mortalium studia et conatus ad felicitatem non esse novos, neque novas ad animi tranquillitatem vias iniri ab hominibus huius nostri sæculi. Tentata iam
D omnia a veteribus sub sole pro felicitate laborantibus, sed labore irrito. Favet Thaumat. interpretatio: *Quid in posterum fieri queat, quod non iam confectum fuerit, aut geratur ab hominibus? quid novum, quod nondum experimento compertum fuerit, dummodo insigne sit et memorabile.*

Tertio, plane et genuine hæc referas ad naturam et ar- III.
tem, sive ad opera ordinaria quæ fiunt a natura vel arte, Genuine
q. d. Nihil novum sub sole, id est, nihil novi accidit in naturali rerum cursu, scilicet cælorum, elementorum, siderum, ventorum, maris, hominum, animalium; item in artibus vitæ humanæ necessariis, quibus scilicet natura indiget, quales sunt fabrilis, agricultura, mercatura, vestiaria, pistoria, etc. Nil ergo obstat quin non tantum prodigia et miracula nova fiant, sed et artes miræ nove inveniantur, ut bombardaria, typographica, etc. quamquam utramque harum apud Sinas multis sæculis, antequam in Europa invenirentur, exstitisse, licet Europæis inferio-

rem, tradunt historiæ Sinensium, præsertim illa quæ a nostro Nicolao Trigautio conscripta est. Lege Polydorum Virgilium de Rerum inventione, qui singularum artium inventores assignat, scilicet nobis nostroque ævo cognitos. Addit S. Augustin. 12. Civit. 13. prodigia et monstra quæ iam fiunt olim facta, si non eadem, certe illis similia vel affinia.

Occurrit curiositati hominum otiosorum, quibus sua sors præsensque status displicet, placet alienus et remotus: quare optant videre aliud sæculum, dicuntque: Utinam vixissem sæculo Noe, Abrahæ, Mosis, Christi, Constantini, vel utinam viverem sæculo sequenti, multa utique nova et meliora experirer. Alii optant eiusque: Utinam vidissem Noe, Abraham, Mosen, Christum; vel utinam viderem Reges, Pontifices, Heroes post hæc sæculum secuturos; utinam viderem nova quæ sub iis facta sunt, vel fiunt. Mira enim per otium imaginantur quæ numquam exstiterunt nec exstabunt. Hos retundit hic Salomon, dicens: Quid vane desideras cernere præterita vel futura, esto præsentibus contentus, quia hæc similia, imo eadem sunt cum præteritis et futuris; nihil enim sub sole novum. Optas videre Noe, Abraham, Mosen, etc. at homines fuere similes nostris. Vides viros doctos, sanctos, Apostolicos; cogita te in illis videre Noe, Abraham, Mosen. Eumdem vides solem, idem cælum, eamdem terram quam ipsi viderunt. Vides similes arbores, plantas, frumenta, fructus, dumos, artes et artifices, quales ipsi viderunt, et quales posteri videbunt. Quid ergo novi quæris, cum in orbe nil sit novum? Ars enim et natura eadem produxit et producet semper quæ nunc producit.

Porro constat supernaturaliter in lege nova multa per Christum facta esse, et a Christianis fieri nova, ac in cælo omnia futura nova, iuxta illud Apocal. cap. 21. *Ecce nova facio omnia.* Mysteria enim incarnationis Verbi, mortis, crucis, Eucharistiæ, etsi multis veterum typis fuerint tenuiter præfigurata, tamen reipsa plane fuerunt nova, stupenda, inaudita, cum in Christo exstiterunt; Christus ergo novus homo, nova lege et gratia fecit hominem novum. Nam, ut ait S. Augustinus serm. 39. de Tempore: *Ille qui venit per crucis irrisionem, carnis perimere corruptionem, et vetustatem vinculi mortis nostræ sua mortis novitate dissolvere, mandato novo fecit hominem novum. Res enim vetus erat ut homo moreretur, quod ne semper valeret in homine, res nova facta est ut Deus moreretur.* Hoc est quod prædixit Ierem. c. 31. *Novum faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum.* Ita Olympiod. *Nihil*, ait, *novum est in hominum, animalium, plantarumque successionibus.* Et S Thom. in 4. Dist. 48. q. 2. art. 4. ad 4. ait Ecclesiasten loqui de cursu naturali rerum, et de his quæ a sole fiunt, et a solis virtute pendent. Sic et S. August. 12. Civit. c. 13.

Novus orbis priscis cognitus.

Hinc novum orbem, sive Indias veteribus fuisse cognitas ex Platone, Seneca et aliis ostendit noster Iosephus a Costa libr. 1. de novo Orbe, et Pineda libr. 4. de Rebus Salomonis, c. 16. idque patet ex classibus Salomonis euntibus in Ophir; sed obliterata deinde fuit itineris huius semita et memoria.

Quare nonnulli censent priscis pariter cognitam fuisse acum nauticam, sive calamitam et virtutem magneticam; per hanc enim, utpote semper vergentem ad polum, cognoscunt nautæ polum poliqua Aquilonaris elevationem, ac consequenter cæteras tres mundi plagas; unde sciunt in qua orbis parte plagaque versentur, et quo tendere debeant, ut ad locum sibi destinatum pergant. Plures auctores tamen negant acum nauticam iis fuisse cognitam; id enim volunt recens et nuperum esse inventum: sed alia ipsis navigandi, cursumque per mare dirigendi instrumenta, artes et modos concedunt, ac præsertim Chaldæorum et Ægyptiorum astronomiam, per quam exacte lunæ, stellarum, siderumque situm, motumque contemplantes, iuxta ea iter suum dirigebant. Vide Pinedam l. 4. de Rebus Salomonis, cap. 15 §. 4. et seq. Certe Astrolabium fuisse cognitum priscis, ac nominatim Ptolomæo, ab eoque vocari planisphærium docet noster Clavius initio li-

A bri de Astrolabio.

NON EST PRIORUM MEMORIA, SED NEC EORUM QUIDEM, QUÆ POSTEA FUTURA SUNT ERIT RECORDATIO APUD EOS, QUI FUTURI SUNT IN NOVISSIMO.) Id est posteriori tempore. Vers. 11.

Hebr. enim אחרון acharon, quod Noster vertere solet, *novissimum*, idem est quod *posterius, sequens*; Septuag. *Non est memoria primis, et quidem novissimis, cum facta fuerint, non erit memoria eorum cum eis qui futuri sunt in novissimo*; Chald. *Non est memoria generationum* (Costus vertit, *nationum*) *priorum, neque etiam posteriorum quæ futura sunt, erit recordatio cum generationibus quæ erunt in diebus Regis Messiæ*; Arabicus: *Non reperitur recordatio sæculorum præteritorum, neque faciendorum novissime*; Vatablus: *Non durat memoria rerum priorum, neque apud posteros memoria rerum quæ posthac erunt, durabit.*

Hæc gnome tum de rebus omnibus prioribus et posterioribus accipi potest; harum enim omnium est oblivio apud sequentes et posteros; unde Noster vertit in gene-B re neutro: *Sed nec earum quæ futura sunt erit recordatio*: tum proprie de hominibus hominumque dictis et factis, qui pariter statim oblivioni traduntur; unde S. Hieronymus et Sept. vertit masculine: *Sed nec eorum qui futuri sunt erit memoria.* Dicit hoc Ecclesiastes, primo, ut occurrat tacitæ obiectioni. Dicet enim quis, multa sub sole fieri nova, eo quod similia non legerimus, vel audierimus alias esse facta. Respondet Ecclesiastes illa esse facta, sed oblivioni tradita, eo quod rerum memoria cum rebus ipsis dilabatur et evanescat, præsertim post plures annos et sæcula. Unde Thuanus vertit:

Temporis exacti veniens oblivia tempus
Inducit; rerum quæ porro et cumque geruntur,
Vix minima ad seros manabit fama nepotes.

Secundo, ut eludat vanam in homine cupiditatem famæ, memoriæ et gloriæ apud posteros. Cum enim sciat homo sibi moriendum esse, nec posse se perenniter vivere, hinc optat vivere saltem in memoria et fama posterorum, sed frustra; quia et hoc cito effluit et perit. Hæc er-C go est nova vanitas rerum humanarum, quæ earum contemptum inducit; quod scilicet homo cito moriens et evanescens, ne sui quidem memoriam diu apud posteros relinquat, sed illa cum tempore rotatur et abeat. Hinc sæculum hebraice dicitur עולם olam, quasi occultum, vel quasi עולם ulem, id est occultans et abscondens, a radice עלם olam, id est abscondit, eo quod gesta prioris sæculi occultantur et absconduntur a sequenti sæculo. Vide Sapient. 5. v. 10. et seqq. Loquitur Ecclesiastes de memoria rerum naturalium et vanarum, quam vani homines consectantur, non de memoria virtutum operumque gratiæ, præsertim heroicorum; hæc enim perennat in multa sæcula, uti videre est in Martyrologio et festis Ecclesiæ, quæ quotannis celebrat memoriam Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Virginum; tum ut eos honoret, tum ut eorum virtutes fidelibus imitandas proponat. De his ergo dixit Christus: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis*, Lucæ 10. 20. et Psaltes: *In* D *memoria æterna erit iustus*, Psal. 111. 6. et Ecclesiast. c. 44. v. 14. *Nomen eorum vivit in generationem et generationem.*

Iusti ergo in cælo scribuntur, quia perennis erit eorum memoria et gloria. Vani vero et impii in terra et aqua scribuntur; quia illico conculcatur, deletur et diffluit eorum nomen et fama, iuxta illud Ieremiæ 17. 13. *Recedentes a te in terra scribentur*: et Psal. 9. 8. *Periit memoria eorum cum sonitu*; et Proverb. 10. 7. *Nomen impiorum putrescet.* Licet enim Alexander, Iulius Cæsar, Pompeius, Nabuchodonosor memoriam habeant apud posteros et famam; tamen hæc putida est et infamis, scilicet quod fuerint tyranni, raptores, impii et scelerati.

Loquitur Ecclesiastes a toto genere, sive de eo quod plerumque et plurimis accidit, esto in paucis sit exceptio, q. d. Omnia rerum, dictorum, factorum, animalium, hominum genera quæ priori sæculo exstiterunt, sequenti sæculo oblivioni traduntur, esto singulares aliqui viri ob

eximiam sapientiam, eloquentiam, aliamve dotem habeant famam posthumam per plura sæcula, ut Socrates, Plato, Aristot. etc. Sed hi perpauci sunt, et memoria eorum tenuis et rara apud paucos litteratos exstat, eaque plurium errorum et vitiorum nævo, ut libidinibus et falsorum deorum cultu maculata. Unde Apostolus Rom. 1. in eos detonat, dicens: *Qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, etc. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, etc. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua*, per pæderastiam aliasque infames libidines, quas ibidem recenset.

Huius oblivionis priorum sæculorum vivum exemplar et speculum est Roma. Cum ante octodecim annos eam ingrederer, quæsivi a viris in eius antiquitate versatis, in quanam Urbis parte exstitissent olim domus et palatia Iulii Cæsaris, Augusti, Pompeii, Scipionis, Vespasiani, Traiani, etc. ac responsum accepi de multis plane ignorari, de paucis coniecturam esse tali loco fuisse, sed obscuram et incertam. Vestigavi priscas Heroum statuas, mausolæa, titulos, pyramides, templa, basilicas, ac ex omnibus vix quidquam integrum reperi, nisi Pantheon M. Agrippæ, sed ruinarum veterum ruderibus in terram depressum, et magna ex parte sepultum. Ubi ergo trophæa et monumenta Romuli, Numæ, Servii, Tulli, Tarquinii, Collatini, Bruti, Metelli, Corvini, Publicolæ, Torquati, Camilli? evanuerunt ac si numquam fuissent; imo plurimorum nomina ignorantur, paucorum tenuis dumtaxat est memoria. Antiquissimæ et nobilissimæ familiæ Romanæ, ut Corneliorum, Lentulorum, Fabiorum, Pisonum, Ciceronum, Serviorum, Scipionum cæteræque ad unum omnes ita exstinctæ sunt, ut nulla prorsus supersit, imo plerarumque nomen ignoretur. Nimirum nova Roma sepelivit veterem, Christiana gentilem, sancta profanam, et *Romæ Roma sepulta iacet.* Ite nunc, veni mortales, æternate cum Romanis in terris nomina vestra, incidite illa in marmoribus, erigite in statuis, statuite in colossis; brevi hæc omnia delebit succedentis ævi oblivio. *Papæ, quam cito apud homines mortui gratia diffluit, et deserta apparet,* ait Euripides in Aiace. Et Naso 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

Et Horatius l. 2. Epist. 2.

Quæ priscis memorata Catonibus atque Cethegis,
Nunc situs informis premit, et deserta vetustas.

Nam et marmora vetustate videmus exesa: *Mors etiam saxis nominibusque venit. Ut in littore maris cumuli alii super alios appulsi, priores occultant: ita in vita quoque priora a sequentibus celeriter absconduntur*, ait M. Antonius Imperator l. 6. de Vita sua, et libr. 12. *Quam ridiculus et peregrinus, qui miratur ea quæ in vita fiunt.*

Anagogice, Olympiod. Beati, ait, in cœlis, divinæ visionis gaudiis absorpti, vix recordantur priorum laborum et dolorum quos in vita subierunt: sed neque multum considerunt damnatorum pœnas, sive eorum qui puniuntur in novissimis per omnem æternitatem; esto utrumque sciant, nec illa eos sapiat oblivio, nec ignorantia.

Tropologice, S. Hieron. ex Septuag. sic vertit sicque explicat: « Non est memoria primis, et quidem novissimis qui futuri sunt, non erit eis memoria cum his qui futuri sunt in novissimo: ille de Evangelio sensus est, quod qui in isto sæculo primi sunt, sint omnium novissimi. Et quia Deus, ut benignus et clemens, et minimorum quoque et omnium recordatur, his qui propter vitium suum novissimi esse meruerunt, non tantam dabit gloriam: quantam his qui se humiliantes novissimi in mundo esse voluerunt. Dicitur itaque in consequentibus: Non est memoria sapientis cum stulto in æternum. » Alludit ad parabolam operariorum primorum et novissimorum, Matth. 20.

Ex adverso alii hæc referunt ad decreta priorum et maiorum, quæ posteriores nepotes revellunt et obliterant. Agis rex, cum senex quidam videns leges antiquas elanguescere, pravasque alias surrepere diceret, Spartæ res sursum versum inverti, dicit per iocum: Hoc si fit, rationi convenienter fit; nam puer ipse audivi a patre meo sursum versum res sua ætate inversas esse, idemque is se puerum ex suo patre audivisse aiebat. Non ergo mirandum est, si posteriora prioribus deteriora eveniunt; sed si quando meliora aut similia obtingerent. Ita Plutarchus in Lacon.

EGO ECCLESIASTES FUI REX ISRAEL IN IERUSALEM, ET PROPOSUI IN ANIMO MEO QUÆRERE ET INVESTIGARE SAPIENTER DE OMNIBUS QUÆ FIUNT SUB SOLE.) Vers. 12 et 13. Septuag. *Ad inquirendum et considerandum in sapientia de omnibus quæ fiunt sub sole.* Sic et Syrus. At Arabicus: *Ego congregans* (alii, *ego concionator*) *factus sum rex super Israel in Ierusalem, et immutavi cor meum ut quæreret, et perspiceret cum sapientia de omnibus creatis sub sole.* Chaldæus multa ex suo admiscet quæ mox recensebo.

Fabulantur Rabbini Salomonem hæc dixisse, cum post lapsum, abdicato regno, factus pauper et quasi mendicus, dedidit se obsequio et doctrinæ dæmonis Asmodæi, qui præerat thesauris. Unde Elias Levita in Tisbi in voce *Asmodai*, ex Targum sic legit: *Ego Coheleth, Asmodai, rex dæmonum*; quasi Salomon hic ex ore dæmonis, sive dæmon per os Salomonis loquatur. Franc. Georgius more suo secutus Hebræos, Probl. 82. ait hæc dicta a Salomone: *Quando erat in deserto in cavea, et negotiabatur cum Asmodai.* Sed audi fuse Rabbinorum nugantium sensa sequentem et exprimentem Chaldæum: « Cum Salomon rex sedisset in throno imperii sui, rebus secundis, plus æquo elatus, edictum Dei transiliit, comparavitque equitia, lecticas et equites multos: magnam præterea auri et argenti vim congregavit, et affinitate cum exteris nationibus coniunctus est; quare vehementer commotus Dominus in eum Asmodæum dæmonum regem immisit, qui illum regno privarat, et annulum de manu eius extraxerat; perfectumque est ut ille vagus et profugus orbem peragraret, hominesque increparet, rediensque ad provincias et loca terræ Israel, atque continens lacrymas sic vociferabatur: Ego Ecclesiastes, olim Salomon, appellatus fui rex Ierusalem, animumque adieci ut postularem prudentiam a Domino, illo ipso die quo in Gibon apparuit mihi, ut probaret me, et sciscitaretur quidnam esset, quod eum rogandum existimarem. Neque vero ab eo aliud quicquam contendi, quam sapientiam; uti possem inter honestum et turpe in his omnibus rebus, quæ sub sole usui venire consueverunt, iudicium et scientiam adhibere, animadvertique facinorosa illa hominum opera, malum quiddam hominibus a Deo datum, ut in eo seipsos confligerent, etc. » Ita habet versio Chaldæi facta a Petro Costo et a Complut. licet in Bibliis Regiis multa ex his, quia fabulosa, e Chaldæo sublata sint: omissis hisce nugis et fabulis.

Primo Rabbini et nonnulli Catholici apud Hugonem Victor. hom. 5. censent hæc verba esse Salomonis, de lapsu suo pœnitentis: *Idcirca*, inquiunt, *noluit dicere: Rex sum in Ierusalem, quia deposita regni purpura de solio suo iam descenderat, contemptaque quam male tenuerat potestate, in habitu pœnitentiæ reatum suum plangebat, ideoque ait: Rex fui.* Addit Beda in fine tom. 7. c. de *Salomonis iudicium. Aiunt*, inquit, *libri Hebræorum Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Ierusalem, causa pœnitentiæ. Item eum aiunt venisse in templum, quod ipse ædificaverat, cum quinque virgis, de quibus quatuor legisperitis dederit, ut verberaretur ab illis qui communi consilio dixerunt, quod in Christum Domini manum non mitterent; unde frustratus ab illis, a se depositus est a regno.* Verum hæc Hebræorum narratio videtur fabella ab eis more suo conficta, ad astruendam Salomonis pœnitentiam et famam. Videturque adversari S. Script. quæ narrat Salomonem, regem perdurasse usque ad mortem, ac tum ei successisse Roboam filium. Probabilius alii censent Salomonem, retento regno et sceptro, pœnituisse, et pœnitentem hæc dixisse. Unde Hugo ponderat τὸ *fui*; hoc enim verbum videtur omnino sonare re-

gni modique contemptum, quasi quod antea tanti fecerat, nunc nihili faciat, imo nihil esse testetur: *Fui*, inquit, *iam non sum; quia etsi sum idipsum, iam nihil esse agnosco quod sum.*

Secundo, plane et genuine, hæc verba sunt Salomonis in regno regiisque opibus mundi vanitatem experti, ideoque ait: *Fui*, ut præteritis regni annis plenam vanitatis huius experientiam se accepisse demonstret. Igitur Salomon hîc a thesi descendit ad hypothesin, id est a generali mundi vanitate ad particulares, atque ut eas confirmet, asserit se omnes expertum, et in omnibus vanitatem deprehendisse. Ita S. Hieron. S. Gregor. Thaumaturgus et alii.

Ait ergo: Ego Ecclesiastes, id est concionator, qui Israeli totique mundo hic de vanitate mundi concionor, ut ab eius amore ad Dei cultum omnes traducam, iam per plures annos fui rex Israel, id est, rex populi Iudaici, sive duodecim Tribuum residens in eorum metropoli, puta in Ierusalem: ibi enim in regali solio post Davidem patrem meum consedi; quare omnibus hisce annis regni multa vidi, multa audivi, ac per sapientiam mihi a Deo inditam cuncta lustravi, cuncta examinavi, et in omnibus meram vanitatem agnovi: *Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.*

Primo, nonnulli censeat Salomonem hic confiteri suam curiositatem, qua res omnes, etiam minimas, nimis curiose voluit scrutari et intelligere, ideoque subiungere: *Hanc* (curiositatis) *occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.* Curiosi enim scrutantur inutilia et sæpe noxia, qualia sunt artes magicæ, quas Salomonem didicisse, cum coluit idola, id est dæmones, nonnulli autumant non improbabiliter: nam ut docet S. Hier. Præfat. in Ep. ad Ephes. Curiositas magicarum artium solet idololatriæ iungi, eiusque esse quasi appendix. Hinc de Manasse ad idola declinante dicitur 4. Reg. 21. 6. *Extruxit altaria, etc. ariolatus est, observavit auguria et fecit Pythones et aruspices multiplicavit.* Sic et Iulianus factus Apostata, colensque Deos gentium per magos dæmones de suis rebus, ac nominatim de successu belli Persici, quo ipse periit, consuluit, uti ex Procop. et aliis docet Baron. Rursum impudicitiæ solet iungi veneficium. Unde Quintil. Declamat. 4. *Veneficium*, ait, *tota vita meretricis est;* et auctor ad Herennium l. 4. *Maiores nostri*, ait, *quam impudicam iudicarunt, eam veneficii quoque damnatam existimabant.* Nam ut Apuleius ait l. 9. *Hæ sunt familiares mulierum artes;* Salomon autem summe fuit mulierosus et impudicus. Ita censet Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 12.

Huc spectat expositio S. Hieron. quem sequuntur Albin. Hugo Card. Dion. et Arboreus, scilicet Salomonem hic accusare suam curiositatem investigandi, non tam res naturales, quam fortuitas Dei providentiæ subiectas; cur scilicet hic sit dives, honoratus, felix; ille pauper, vilis, infelix; cur hic sit princeps, prælatus, rex: ille privatus, civis, rusticus; cur impii evehantur, pii deprimantur et affligantur. Audi S. Hieron. « Dedit Ecclesiastes primo omnium mentem suam ad sapientiam requirendam, et ultra licitum se extendens voluit causas rationesque cognoscere, quare parvuli corriperentur a dæmone: cur naufragia et iustos et impios pariter absorberent; utrum hæc et his similia casu evenirent, an iudicio Dei? et si casu, ubi providentia Dei? si iudicio, ubi iustitia Dei? Hæc, inquit, nosse desiderans, intellexi superfluam curam et sollicitudinem per diversa cruciantem a Deo hominibus datam, ut scire cupiant quod scire licitum non est. »

Secundo, melius alii censeat hic agi de vera sapientia, licitoque eius usu, sive per studium a Salomone acquisita, ut volunt Lyranus et Caiet. sive potius a Deo postulanti infusa; hac enim sapienter vestigabat res omnes, tam naturales, quam divinas, quæ sub sole fiunt. Ita Olymp. Accedit Chald. qui vertit: *Neque aliud a Deo postulavi quam sapientiam, ut possem inter honestum et turpe in his omnibus rebus, quæ sub sole usu venire consueverunt, iudicium, et scientiam adhibere.*

A Tertio et optime planeque, genuine hæc accipies de sapienti consideratione actionum et occupationum hominum, quibus se varii varie occupant sub sole in hac vita, q. d. Ego Salomon per sapientiam mihi inditam sapienter scrutatus sum singulas hominum sub sole occupationes, negotia, curas et studia, ut viderem an iis aliquid solidi, boni, gaudii et felicitatis reperire possem; nihil tale reperi, sed potius in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus. Hunc esse sensum liquet ex sequentibus, in quibus fuse singulas hominum occupationes, voluptates et studia ordine enumeret, ac sese per experientiam in singulis non nisi vanitatem et afflictionem invenisse commemorat. Dicit: *De omnibus quæ fiunt sub sole*, ut omnia se lustrasse ostendat, nullo prorsus excepto. Rursum ut exacte et clare, quasi in solari lumine, se ea perspexisse insinuet, q. d. Sicut sol cuncta clare lustrat et illustrat, sic et ego eadem sole illustrante perspicue conspexi; imo perinde ac si edito solis orbe consistens, omnia terrena longe sub me posita, velut exsilia aspexi et despexi. Præclare
B S. Chrys. Epist. 5. ad Theodorum lapsum: « Omnia, inquit, umbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quispiam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti undis submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, aliquos tabulæ unius auxilio ex fragmentis navis inventæ a morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus multiformi, atque multiplici genere cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se a tempestatibus atque turbinibus vitæ latius separarit, consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quam unam tantum nos sollicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? vidisti naufragia huiusmodi; pelagus undique declina, et excelsum illum huiuscemodi pelagi quære navigantem, et excelsum locum occupa, a periculo captivitatis immunem. »

C Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.) Septuag. *Quoniam distentionem malam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea;* Syrus: *Conversationem malam dedit Dominus filiis hominum, ut sollicitentur in ea;* Arabicus: *Deus enim dedit filiis hominum confusionem, ut occupentur in illa;* alii, *ut affligerentur in ea;* alii, *ut mitescerent in ea;* alii utrumque complexi: *ut illi* (Deo) *cum labore, sollicitudine, mansuetudine respondeant*, et satisfaciant. Unde R. Haccados vertit: *ut humilient se*, scilicet coram Deo creatore suo. Hebr. enim עָנָה *ana* significat affligi, prosterni, opprimi, humiliari, mansuescere, mansuete respondere. Unde ab *ana* derivatur עִנְיָן *inian*, id est, afflictio, sollicitudo, cura, humiliatio. Noster vertit: *Occupatio pessima*, id est, laboriosissima et molestissima, quæ hominem assidue affligit, torquet, cruciat velut in equuleo vel pistrino. Alii vertunt: *Negotiatio misera. Sept.* ait S. Hieron. *Aquila et Theodotion* περισπασμὸν *transtulerunt, quod in distentionem Latinus interpres expressit, eo quod* Vers 13
D *in varias sollicitudines mens hominis distenta laniatur.* Interpres Nysseni vertit: *Distractionem*, qua mens in varias quasi partes distrahitur et dissecatur; περισπασμὸς enim est distractio, divulsio, distentio, qua quis distrahitur, distinetur circa multa, distenditur, satagit. Hoc enim significat περισπᾶσθαι. Ad hæc περισπασμὸς verti potest *circumflexio*, ut persistat in metaphora circulationis et gyrationis sæculorum, temporum, hominum, rerumque omnium, q. d. In hac terrenæ occupationis, laborum et dolorum rota assidue circumflectuntur, rotantur et gyrantur homines, instar Ixionis, uti pluribus dixi v. 9.

Rursum Septuag. cap. 5. 2. hebr. *inian* vertunt πειρασμὸς, Occupatio pessima quæ?
id est, *tentatio.* Quæres: Quænam hæc *occupatio pessima* Resp. 1.
homini a Deo data? Primo S. Hieron. quem sequuntur Albin. Hugo Cardin. Dion. Arboreus, respondet esse curiositatem cognoscendi rerum utilia, imo vetita: *Ut scire cupiant*, inquit, *quod scire non est licitum*, ut scilicet velint nimia et difficili, longa et superba curiositate scrutari u-

mnia plene, tam mala, quam bona, quæ fiunt sub sole, ibique sistant, nec ad Creatoris cognitionem tendant vel assurgant. Hanc autem hominibus dedit Deus tum positive, quia scilicet indidit homini ingens scientiæ studium, moderandum tamen frænis rationis discretæ, sed homo eo abutitur ad nimiam curiositatem; tum obiective, quia scilicet obiecit oculis mentique hominum omnes res mundi, et ut dicitur c. 3. 11. *Mundum tradidit disputationi eorum*, quasi illum ceu ænigma hominibus natura sua curiosis scrutandum proponens.

ii. Secundo, melius alii per occupationem hanc intelligunt studium, sive speculationem rerum ad eas cognoscendas, et hauriendam earum scientiam. Hoc enim sciendi desiderium Deus homini indidit, ut eum a rebus carnalibus avocaret, et ad contemplanda sublimia, præsertim cælestia et divina traduceret. Eadem est pessima et molestissima, quia laboriosissima, adeoque sæpe spiritus et vires exhaurit, stomachum cerebrumque debilitat, vitamque minuit vel adimit. Ita Lyranus et S. Cyrill lib. 7. contra Iulian. et noster Lorinus. Probant, quia sermo præcessit de sapientia, et sapienti rerum investigatione, q. d. Ego Salomon dedi me sapienti speculationi rerum; quia hanc occupationem Deus homini indidit, cum ei indidit mentem rationalem res omnes scrutandi et cognoscendi avidam. Favet Symmachus qui vertit ἀσχολίαν, id est otium litterarium, ita dictum, quia summum est negotium, ut ait Seneca l. de Brevitate vitæ cap. 13. et 14. externa negotia cætera respuens, et laxamento quoque indigens; unde σχολὴ est schola, de cuius etymo ita canit Auson. Edyllio 32.

Et cessare licet: Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut otia musis.

Hinc rursus Hugo Victor. dicit occupationem hanc a Septuag. vocari *distentionem*; quia occupatio scientiæ distendit homines ut exterius intumescant, interius inanes evadant, ut foris maiores appareant, intus soliditatem amittant, seipsos considerare non valendo. Nam *scientia inflat* (uti ventus inflat utrem et follem) *charitas ædificat*. 1. Corinth. c. 8. v. 1. Verum minus congrue Salomonis sapientia illi a Deo indita, optimaque, qua sapienter, utiliter et iucunde contemplabatur omnia quæ sub sole fiunt, vocatur *occupatio pessima*.

iii. Genuine. Tertio, ergo genuine et aptissime, occupatio hæc est circa ea quæ sub sole fiunt, uti proxime antecessit, puta varia hominum negotia, studia, curæ, sollicitudines circa res terrenas, quibus alius in mercatura, alius in agricultura, alius in fabrili, alius in studiis, alius in aula, alius in alia re se occupat, ut vitæ alimenta, vel delicias, opes, honores et dignitates consequatur, q. d. Ego Salomon contemplatus sum omnia hominum sub sole studia, et curas quibus sese occupant, magnis continuisque laboribus et angoribus, circa res terrenas; hanc enim circa terrenas occupationem Adæ, id est, terreno homini, eiusque posteris indidit Deus, Hebr. *Elohim*, id est summus gubernator, iudex et vindex, ut occuparentur et distenderentur in ea, tum ad fugam otii, tum in pœnam peccati, iuxta illud Dei ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, Genes. 3. 17. Unde apposite hanc occupationem pessimam explicans, subdit Ecclesiastes: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.*

Dicit ergo Ecclesiastes occupationem sub sole, qua scilicet homines se occupant, circa res terrenas soli subiectas, ac quærunt bona subsolaria et sublunaria, puta terræ opes, voluptates, honores esse pessimam, id est molestissimam, laboriosissimam, summe cruciantem; tum ut bona hæc acquirant, tum ut conservent et augeant; tum dum ea amittunt, vel in morte relinquere coguntur.

Qua phrasi tacite per argumentum a contrario colligendum relinquit, occupationem supra solem, qua scilicet homo quærit bona cælestia, ac versatur cum Deo et Angelis, esse optimam, id est honestissimam æque ac iucundissimam. Hæc enim occupatio est prælibatio paradisi, ac prægustus vitæ beatorum et felicitatis æternæ: *Septem sunt*, ait Beda in Collectaneis, *quæ non inveniuntur in hoc mundo: vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, regnum sine commutatione; septem vero hæc inveniuntur in regno cælorum.*

Hunc esse sensum liquet ex Hebræo הוא *hu*, quod est exegeticum; exponit enim τὸ *omne quod fit sub sole* ab hominibus per τὸ *occupatio pessima*, ut sit epexegesis vel appositio. Unde ex Hebr. sic præcise vertas cum Vatablo: *Ut investigarem omne factum sub sole, id quod est occupatio misera, quam tradidit Deus hominibus ut occuparentur in ea*, ut sit quasi parenthesis. Latine sic verti posset: *Nam ea est occupatio misera, qua voluit Deus homines occupare.* Vel ut Tigurina: *Quam occupationem laboriosam Deus hominibus iniunxit, ut ea humiles redderet.* Hinc et Chald. vertit: *Et vidi quod omnia opera filiorum hominum sunt occupatio pessima, quam Deus dedit filiis hominum peccatorum, ut affligerentur in ea.* S. Greg. Thaumat. *Sane*, inquit, *diligenti indagine animadverti maxime variam esse rerum quæ in terris aguntur conditionem, didicique cum primis hominem ad laborem natum, plurimisque frustra occupari.* Deinde v. sequentem ita nectit et reddit: *Animum enim inferiora hæc omnia gravi, amarulento et abominato spiritu distendunt.* Clare quoque Olympiod. *Laboriosam occupationem dedit Deus filiis hominum ad magnam illorum utilitatem; quod in comparandis divitiis, et in acquirenda inani gloria, ac etiam in iis quæ ventri ac gulæ gratificantur, summopere laborandum. Si enim labores et angustias tantas subimus, ut possideamus quæ vana sunt, quonam flagitii progrederemur, si hæc ipsa otiosis nobis ultro advenirent? Suum igitur quisque est in pistrinum detrusus.*

Hæc enim occupatio pessima est quasi equuleus, in quo distenduntur, ut vertunt Septuag. et quasi pistrinum, in quo molam vertere coguntur assidue mortales. Unde Thuanus ita paraphrastice vertit:

Quippe hoc regnator Olympi
Pistrinum, in pœnas, vita mortalibus omni
Versandam sine fine dedit, sine fine movendam.

Et S. Paulinus Epistol. 4. ad Severum: *Considera*, ait, *huiusmodi mortalium vitam, et tota tibi species iumenti molentis occurret, ut ille pannis, oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ oculos mentis consutus per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum, laborioso miser statione versaturus.* Solebant olim capti in bello, puta mancipia, damnari (uti Samson a Philisthæis damnatus est, Iudic. 16. 21.) ad pistrinum ut molam rotarent, idque suo ævo factitatum scribit S. August. Epistol. 59. atque idipsum etiamnum factitant Saraceni. Tale prorsus pistrinum est vita hæc ærumnosa, ad quam omnes ob peccatum damnati sumus instar Ixionis. Et tamen sunt nonnulli, *qui malam negotiorum volvere saxum deputant voluptatem*, ait B. Petrus Damiani Opusc. 13. de Perfectione monachorum.

Occupationem hanc ærumnosam, Salomonem secutus Syracides graphice depingit cap. 40. 1. *Occupatio*, inquit, *magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Eius deinde partes sive species enumerat: *Tumultum, fluctuationem, iracandiam, furorem, zelum, timorem, contentionem, mortem, romphæam, oppressionem, famem*, etc.

Vox *occupatio* significat, primo, eam non esse unius horæ vel diei, sed continuam, assiduam et perpetuam per omnem vitam; secundo, eam totum hominem distinere et occupare, ut aliis vacare nec libeat, nec liceat; tertio, hominem tot laboribus et doloribus huius vitæ occupatum, et quasi obrutum, nullum in ea invenire solatium; ac proinde oculos mentis debere attollere ad Deum, eiusque opem et consolationem humiliter implorare. Ideo enim ipsa illi a Deo in pœnam peccati immissa est, ut coram Deo se Cur homini ea ta?

humiliet, supplexque veniam opemque postulet. Alias causas et fines ob quos Deus illam homini immisit, suggerit Olymp. scilicet ut homo ex ipsa sua occupatione, tam dura et molesta, sic secum ratiocinetur: Si quoquo te vertas, et circa bonum, et circa malum laborare oportet, eligendus est labor et occupatio, circa bonum, quem consequitur voluptas ineffabilis. Prudens enim est Sapientis dictum: *Ne labores citra præmium*; multo magis: *Ne laborem facias laboris præmium*, uti faciunt qui laborant in vitio et scelere; per hoc enim non nisi labores et dolores sibi accersunt.

Rursus ex duobus malis minus est eligendum; eligo ergo occupationem et laborem circa virtutem; quia is minor, quam labor impensus vitio: tum ob honestatem virtutis, tum ob gaudium et præmium, quod ex virtute consequitur. Dicat ergo sibi ipsi Sapiens: Omnia hæc mortalium vita dolore et mœrore est gravida, est equuleus, est pistrinum; ut quid ergo illa me occupem? vita futura omni gaudio et iubilo est opulenta; ut quid ergo eam non ambiam? cur omne studium ei non impendam? Quicumque te cœlo natum et destinatum agnoscis, terram desplce, terrena despice, vive Deo, vive cœlo, vive æternitati.

Vis nosse quid sint omnes mundi opes, voluptates, honores? Audi respondentem S. Gregor. Nazianz. in Carm. de Vitæ itineribus, dum illi hæc epitheta tribuit:

Lanugo, spectrum, ros, et levis umbra vaporque,
Flumineus fluxus, fluxus et æquoreus,
Somnia, fluctivagæ navis vestigia, ventus,
Penna celer volitans, pulvis et aura levis.
Circulus æquali qui motu cuncta volutat,
Constans atque rotans, fixus et interiens.

Unde concludit:

Nil autem hic firmum providit Christus ut esset,
Quo tua firmorum pectora tangat amor.

Et S. Athanas. in Synopsi S. Script. in Ecclesiaste: *Universa vanitas*, inquit, *et afflictio spiritus, et nihil amplius quam vanitas consilii, et inanis voluntatis conatus, futurorum bonorum æternitatem significat; quapropter universa transcendens, hortatur ut æternorum memoriam servemus.*

Vers 14. VIDI CUNCTA (opera, ut habent Hebr.) QUÆ FIUNT SUB SOLE, ET ECCE UNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.) Hæc verba pendent a v. 12. *Ego Ecclesiastes, etc.* Nam versus 13. quasi per parenthesim insertus est, uti ibidem dixi; minus congrue alii illa referunt artantque ad vers. sequentem, uti ibidem explicabo. Arabicus vertit: *Et cognovi omnes artes quæ fiunt sub sole, ecce omnes sunt vacua, et angustia spiritus.* Pro *vanitas* Aquila vertit ἀτμὶς, id est, vapor. Vide dicta initio capitis v. 2.

Pro *afflictio spiritus* Hebr. est רעות רוח *reut ruach*, ubi *reut* secundum diversas radices diverse a diversis exponitur. Primo enim si *reut* derives a רוע *rua*, id est, malum esse, conteri, affligi, idem erit quod malitia (id est miseria) contritio, afflictio, ut vertit Noster. Hinc Syrus vertit: *Sollicitudo spiritus*; Arabicus: *Angustia spiritus*; Chald. *Contritio spiritus*; vel ut Costus vertit: *Animi molestia*; alii: *Irritamentum spiritus*; alii: *Defatigatio spiritus*; Vatablus: *Fractio spiritus*, q. d. Ego Salomon contemplans omnia hominum studia, omnes occupationes et labores, invenio omnia non tantum vana, hoc est suscipi conatu irrito, casso labore, exitu vano ac nullo; sed etiam spiritum, id est, mentem hominis affligere, cruciare et conterere; singula enim tot curas, angores, ærumnas, molestias, labores homini afferunt, ut videantur nata ad affligendum illius animum. Ita S. Hieron. *Nihil aliud*, inquit, *deprehendi quam vanitatem et malitias, id est, miserias spiritus, quibus anima diversis cogitationibus affligitur.*

Rursum, alii *malitiam spiritus* sic explicant, q. d. Omnia quæ in mundo sunt, malefico et quasi venenato spiritu sunt plena; quia hominem affligunt, cruciant, necant. Unde Thaumaturgus vertit, uti transfert Brigitanus: *Animum inferiora hæc omnia gravi, amarulento et abominato spiritu distendunt.* Alii vero transferunt: *Spiritu prodigioso et exsecrando omnia hæc inferiora plena sunt, adeo ut ea colligere nemo queat, imo ne quidem cogitare, quanta res humanas absurditas invaserit*, q. d. Malus spiritus, puta diabolus, qui post peccatum homini et aeri huic dominatur, omnibus mundi illecebris se immiscet, facitque ut speciosiores et delectabiliores multo appareant, quam revera sint; itaque homines illicit, ut illis se oppleant et peccent, ac deinde virus suum per eas tum in corpus, tum in animum hominis instillat, ut corpus morbis, animum dolore et remorsu, cæterisque peccatorum pœnis affligat et cruciet. Hinc et S. Hieron. ad v. sequentem: *Cuncta*, ait, *quæ sub sole facta sunt, diaboli arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt, dum ad eius instinctum peccata peccatis cumulantur.*

Secundo, Aquila, Symmachus et Theod. *reut* derivantes a רעה *raa*, id est pascere, vertunt νομή, vel βόσκησις, id est, *pastio* vel *pastura spiritus*, id est, *venti*. Iam pastio tripliciter accipi potest: primo, obiective, q. d. Omnes mundi honores et illecebræ non sunt nisi perflantes venti, qui animum distendunt, sed pascere et satiare nequeunt, iuxta illud Ierem. 14. v. 6. *Onagri steterunt in rupibus* (ubi magis perflant venti) *traxerunt ventum quasi dracones*; quare tales sunt sicut chamæleon, qui, ut ait Plinius l. 8. c. 33. *Hianti semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aeris alimento.* Secundo active, q. d. Qui sequitur vanas mundi opes et honores, similis est pastori, qui pascit non oves, sed ventos, id est, illi qui tentant rem inutilem et impossibilem. Quis enim ventos pascere et regere queat? iuxta illud Prov. 10. 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes.* Tertio, pastio sumi potest pro depastio, q. d. Omnes res mundi non sunt aliud quam depastio, perditio, destructio et consumptio spiritus. Sicut enim bos depascitur gramen, sic illæ depascuntur et consumunt omnes animæ vires, omnes spiritus, omne gaudium.

Tertio, רעה *raa* Syrochaldaice significat *cogitare*: unde רעות *reut* a Pagnino vertitur *cogitatio*, a Sept. προαίρεσις, id est, libera electio et voluntas.

Est allusio ad hebr. רעה *raa*, id est pascere, eo quod cogitatio sit pabulum mentis, vel quod mens pascat regatque suas cogitationes, sicut pastor oves; sensus ergo est, q. d. Omnes mundi illecebræ, quæ cupidis videntur eximiæ, non sunt nisi earum cogitatio, et imaginatio, quam parit cupiditas; ex illa enim imaginantur sibi eis inesse ingentia gaudia, satiem et felicitatem, quæ revera non insunt: quare illecebræ non pascunt nisi eorum imaginationem, imo revera non sunt aliud quam imaginationes, et imaginaria gaudia et somnia; sicut enim somnians videtur sibi epulari, potare, saltare, ac revera non epulatur, non potat, non saltat: unde dum expergiscitur, ieiunum, sitibundum et cubantem se reperit magis quam ante: sic pariter mundi deliciæ videntur mentem exhilarare et satiare; at revera non exhilarant et satiant, nec solida menti dant gaudia. Unde Plato: *Spes mortalium*, ait, *sunt somnia vigilantium*. Et Platonem de more secutus Philo lib. de Ioseph: *Vigilantium imaginationes*, ait, *somniis sunt simillimæ, veniunt, absunt, occurrunt, refugiunt, et priusquam comprehendantur, avolant.* Rursum, προαίρεσις est libera voluntas, electio, propositum, delectus, animi sententia, secta. Significat ergo ait S. Hier. *quod agat unusquisque quod velit, et sibi rectum esse videatur, atque in diversa libero homines ferantur arbitrio: et vana sunt universa sub sole, dum invicem nobis in bonorum et malorum finibus displicemus.* Quisque igitur in mundo pro libito agit, et voluntatis corruptissimæ ductum sequitur: ex quo fit ut mundus iste sit velut carcer quidam insanientium, et singulorum quidem suis singulis erroribus, ac falsis opinionibus furentium. Et quod mirabile est, cum insaniant omnes, quisque solum se sapere, cæteros insanire existimat; sicut Proverb. 18. 2. scriptum: *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo.* Ita Pineda.

Spes hominum somnia vigilantium

Accedit Olympiod. qui vanitatem summam in eo ponit,

quod voluptuarii non ex necessitate, sed libera electione capessant voluptates illicitas, quibus, sibi accersunt æterna gehennæ tormenta. Ad hæc προαίρεσις verti potest *præsumptio spiritus*, id est, audacia ac superbia, qua elati multa magnaque, etiam vetita et supra vires audent et præsumunt. Ita S. August. homil. 1. de Serm. Domini in monte: *Vulgo*, inquit, *magnos spiritus superbi habere dicuntur, et recte quandoquidem spiritus ventus vocatur*. Nazianz. vero Orat. 40. *Præsumptio*, inquit, *spiritus est inconsideratus quidam animi impetus, et distractio hominis, ob veterem fortasse lapsum hac pœna mulctati*. Ubi Elias Creten. Nazianzenum exponit *de anima temere, atque inconsiderate impulsa ad mundi vanitatem, atque huius vitæ labori et ærumnis ob violatum Dei mandatum addicta*.

IV. Quarto, alii apud Pagnin. in Lexico raut vertunt, *societas* vel *amicitia*: רע *rea* enim est socius vel amicus, q. d. Dum quæris amicitiam hominum, vel societatem creaturarum, non aliud quæris quam amicitiam et societatem cum spiritu, id est cum vento, quem videre et tenere nequis ut eo fruaris, cum ille dicto ocyus perflet et diffluat et transeat. Ex hac rerum vanitate et afflictione colligit S. Cyprian. lib. 3. Testim. ad Quirinum cap. 11. Fidelem cœlestia tantum et spiritalia cogitare debere, nec attendere ad sæculum: utpote qui iam illi in Baptismo renuntiavit, idque multis Scrip. testimoniis confirmat.

Vers 8. Chrysost. Epist. 5. ad Theodorum Lapsum: *Sicut*, inquit, *in utero puellus, sic in mundo vivimus multis interclusi angustiis, venturique sæculi nec fulgorem, nec claritatem valentes contueri*. Quin et Pindarus Pyth. Ode 8. *Brevi*, inquit, *mortalium oblectatio crescit; itidem vero et cadit in terram, infausta consilio concussa: diei unius sunt homines. Quid est aliquis? quid vero nullus? umbræ somnium homines. Sed cum lux a Iove data accesserit, splendidum est lumen hominum et suavis vita*.

Vers 15. PERVERSI DIFFICILE CORRIGUNTUR, ET STULTORUM INFINITUS EST NUMERUS.) Hebr. ad verbum habent: *Quod depravatum, vel perversum est non poterit quis reconcinnare; et diminutio, vel defectus non poterit numerari*. Ita Vatabl. Alii: *Curvitas non potest dirigi, et defectus non potest numerari*. Alii: *Quod curvatum est non poterit rectificari, et quod defectum habet non potest numerari*, vel *in numerum venire*. Septuaginta: *Perversum non poterit adornari, et imminutio non poterit numerari*. Alii; *Perversum non potest componi, restitui, aptari, præparari, ornari, convenienter disponi, æquari*. Hæc omnia enim significat hebr. תקן *takan* scilicet id quod distortum, incurvatum, obliquum vel depravatum est corrigere, erigere et aptare, componere, inæqualitatem ad æqualitatem, curvitatem ad rectitudinem, difformitatem ad conformitatem et convenientiam redigere, ut partes inter se congruant et consentiant. Unde Hebr. vertunt, *regulare*, vel *rectificare*; Arabicus: *Perversum non potest dirigi, neque diminutum potest aggregari*. Noster solerter et clare neutrum vertit in masculinum, puta perversum in perversos, ac per imminutionem vel defectum accipit defectum sapientiæ, puta stultitiam quæ est in stultis. Unde vertit, *stultorum*. Hi enim sunt minuti, non capite, sed cerebro, hoc est sensu et sapientia. Unde et Syrus vertit: *Perturbatus non potest confirmari; et stultus* non *potest numerari*. Accedit Chald. cuius versionem inferius recitabo. Pro *stultus* hebr. est חסרון *chesron*, id est defectuosum, mancum, indigens; item defectus, penuria, egestas. Est metonymia frequens Hebræis, qua ponitur abstractum pro concreto, scilicet defectus pro deficientibus sensu. Rursum est auxesis; stulto enim deest sapientia, ac consequenter bona omnia, adeo ut ipse possit vocari *chesron*, id est, ipsa egestas: sicuti Ebion hæresiarcha dictus est, quasi אביון *ebion*, id est, pauper a summa paupertie, quam ipse velut perfectionis studiosus præ se ferebat, aut potius quod pauperrime de Christo sentiret, negans eius divinitatem, ut ait S. Ignat. Ep. ad Phil. *Si quis*, ait, *confitetur Iesum Christum nudum esse hominem, etc. inops est sensus cognomento Ebion*.

Pro *chesron* Septuag. vertunt ὑστέρημα, id est *defectus*.

A Sic et Symmach. *Defectus*, inquit, *non potest explere numerum*. Quare minus recte Complut. et Regii ὑστέρημα vertunt, *posteritas*: Posteritas, inquiunt, *non potest numerari*. Hebr. enim *chesron*, et græcum ὑστέρημα significat defectum, inopiam, penuriam, et partes posteriores eius qui deficit vinciturque, non autem progeniem vel posteritatem.

Iam si cum Hebræo aliisque in neutro legas: *Perversum non potest reconcinnari, nec defectus numerari*; primo, aliqui censent hoc dici contra illos qui putabant mundum factum casu, ideoque imperfectum esse: tunc autem sententiam cum interrogatione legi oportere, hoc modo: Quidnam deprehenditur in hoc mundo, quod imperfectum sit atque perversum, vel ita ut emendari oporteat illud? Quid vero etiam deficit in universo mundo, ut addendum annumerandumque sit? S. Hieronymus hæreticos illos hinc arguit, qui quasdam naturas introducerent quæ non reciperent sanitatem: Recta enim, inquit, ornatum recipiunt, et curva correctionem, nec perversus dicitur, nisi B qui depravatus a recto est. Perversum non potest reconcinnari. I.

II. Secundo, alii ex adverso censent hæc pertinere ad vanitatem rerum sublunarium, de qua v. præcedenti, eamque explicare et confirmare ex eo quod hæ res omnes, præsertim post peccatum Adæ, in eius pœnam depravatæ sint ac imperfectæ, diminutæ, deficientes, avoidæ, quas nemo possit redintegrare, ut partibus omnibus suisque numeris sint plenæ et absolutæ; nemo perficere, aut adipisci, ut iis beate fruatur; quia quod in iis depravatum est non potest corrigi, quod in iis deest (uti plurima desunt) non venit in numerum; quod enim non est, sed deest, non potest æstimari et numerari. Præclare S. Gregor. Nazianz. Orat. de Cura pauperum: « Nihil est in rebus humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens; sed omnia quadam veluti rota circumvolvuntur, diversas sæpe diebus singulis, etiam horis vicissitudines afferente, ut instabilibus ventis, et navigii mare secantis vestigiis et fallacibus noctis insomniis, C quorum brevis est gratia, et his quæ per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quam præsenti hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quod non fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consulunt in futurum; et propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, benignitatem et misericordiam, quæ nunquam deficit, complectuntur. »

Hinc rursum defectus rerum sublunarium numerari non possunt; quia sunt plurimi et innumerabiles, et tamen cum tot defectibus et egestatibus scateant, præ se ferunt et promittunt rerum abundantiam et copiam, quæ hominis cupiditatem satient et expleant, perinde ac Proverb. 9. 13. meretrix illa: *Stulta et clamosa plenaque illecebris, et nihil omnino sciens*; vel ut legunt Septuag. *Mulier insipiens et audax, et indiga buccellæ*, tamen ambitiose et mendaciter invitat ad *panem suavem*. Non aliter mundus panis egens, fame enectus, siti confectus mentitur convivium splendidum et opiparum, omnium deliciarum locuples atque refertum. Hæc ergo est earum vanitas. Ita D Pineda.

Huc accedunt illi qui priorem partem versus referunt ad indomabilem perversitatis et malignitatis rerum contumaciam, posteriorem vero ad stultorum illis obstinate inhiantium multitudinem, q. d. Omnia in mundo vana, id est molesta, absurda, perversa sunt; quibus accedit vanitas et stultitia hominum, illis stulte inhiantium, et iam se quam ipsa magis depravantium. Unde Thaumaturgus vertit: *Atque adeo ad tantam rerum deordinationem perventum est, ut nec vel ad integrum boni statum mundus reparari, nec quantis absurditatibus humana negotia involvantur possit cogitari*. Et S. Hieron. qui varios hic sensus conglomerat: *Tanta malitia*, inquit, *in mundi huius capacitate versatur, ut ad integrum boni statum mundus redire vix valeat; nec possit facile recipere ordinem et perfectionem suam, in quibus primum conditus est. Aliter; Omnibus per pœnitentiam ad integrum restitutis solus diabolus in suo permanebit errore. Cuncta enim quæ sub so-*

A *le facta sunt, illius arbitrio et spiritu malignitatis eversa sunt, dum ad eius instinctum peccatu peccatis cumulantur. Denique tantus numerus est seductorum, et eorum qui de grege Domini ab eo rapti sunt, ut supputatione non queat comprehendi.*

Porro res omnes per peccatum depravatæ sunt, tum a Deo, ut esset homini in pœnam et flagellum, ut patet Genes. 3. c. 18. tum a diabolo, quia illarum speciem magis illecebrosam, quam revera sit, homini ostentat, ut eum ad peccatum illiciat, uti dixi v. præcedenti: tum a concupiscentia hominis, quæ illis abutitur, illasque depravat et corrumpit, ut sese iis magis oblectet et expleat. Gula enim adinvenit novas ferculorum illecebras, novas mixtiones, nova condimenta eaque innumera, quibus simplex escarum natura corrumpitur et pervertitur. Luxuria adinvenit novas et portentosas libidines. Superbia adinvenit novos titulos, novas pompas, novos fastus. Curiositas adinvenit novas vestium formas, novos equorum rhedarumque apparatus, denique rerum omnium novitatem. Hinc

B

III. Tertio, aliqui referunt hanc gnomen ad humanæ naturæ per peccatum depravationem, q. d. Deus hominem, puta Adamum, creavit integrum et rectum, tum in natura, tum in sanctitate et gratia. Iustitia enim originalis non tantum sanctificabat Adamum, sed etiam humanam in eo naturam in se imperfectam, et ut ita dicam, mutilam, utpote in qua appetitus sensitivus sæpe adversatur rationi et menti, eo quod anima hominis partim sit animalis, habensque appetitus carnales eosdem, quos habent animalia; partim sit rationalis et spiritalis, habensque appetitus spiritales eosdem, quos habent Angeli; hanc, inquam, adversam et quasi mutilam hominis naturam inter se confligentem, et compugnantem iustitia originalis sanabat, corrigebat, perficiebat, subdens appetitus omnes rationi et menti. Verum sublata per peccatum hac iustitia, relapsus est homo in naturalem naturæ suæ imperfectionem, ut sensus rebellet rationi, concupiscentia voluntati, appetitus legi. Dicit ergo Salomon hanc naturæ depravationem esse tantam, ut a nullo hominum vel Angelorum possit corrigi et redintegrari, quodque eius defectus, propensiones in omnia vitia, miseriæ et ærumnæ sint tot et tantæ, ut a nullo queant enumerari: ideo ad omnes eos restaurandos opus esse gratia Christi; hæc enim omnes inchoate sanat in hac vita, ac perfecte sanabit in futura gloria. Viderunt hanc naturæ depravationem philosophi: sed eius causam, scilicet peccatum originale ignorarunt. Unde alii impie accusarunt Deum, qui hominem tam miserum creasset; alii naturam, quasi hominum esset noverca, non mater, ut Cicero lib. 3. de Republ. quem citat S. August. lib. 4. contra Iulian. c. 12.

Sanctitas et sanitas Adæ.

C

Hinc Nyssen. sic explicat, q. d. Vanitas iam dicta accidit non a natura, non a Deo, sed ab hominis electione, ut vertunt Septuag. Quia spiritus noster a suo ornamento et integritate libere discedens, factus est perversus, mancus, distortus; et *quod perversum est non poterit exornari*; id est, hæc hominis per peccatum corruptio et depravatio non est conveniens, nec congruit naturæ primitus a Deo institutæ et iustitia originali exornatæ, ac velut ad amussim rationis et legis Dei directæ.

D

IV. Quarto, perperam ex hoc loco argumentantur Donatistæ perversum esse baptismum qui male credenti confertur, aut a male credente, puta ab hæretico, impenditur, ac proinde non posse eum redintegrari, sed debere iterari ac de novo conferri. Audi Parmenianum obiicientem sancto Augustino lib. 2. contra Parmen. c. 16. *Qui male credidit non potest consequi baptismi Sacramentum; quia scriptum est: Perversum non potest adornare.* Cui resp. S. August. *Perversum non potest adornare; quia non ei adornatum valeret Sacramentum quod acceperat, si in fide perversa persisteret, sed potius ad supplicium: cum tamen ipsum Sacramentum per se etiam in perverso, quem non ornabat, sed iudicabat, integrum permaneret, et ideo nullo modo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam cum esset illius hominis corrigenda perversitas.* Baptismus ergo hæreticorum et impiorum est perversus, non in substantia, quia si debitam materiam et formam servent, verum et validum est Sacramentum, ideoque sine sacrilegio iterari nequit, ut eo quia rebaptizetur: sed in usu, quia graviter peccat tam impie conferens, quam impie suscipiens: quare non confert gratiam, sed imprimit characterem, per quem conferet quoque gratiam, cum per pœnitentiam sublatus fuerit peccati obex.

V. Quinto, Pagnin. in Lexico vertit explicatque in sensu formali: *Perversitas numquam poterit esse rectitudo*, hoc est, vitium numquam potest esse virtus; sive ut Græci in Catena: *Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem recipere non potest*, scilicet in sensu composito quamdiu in malitia persistit. Caietan. vero: *Tortum non potest aptari*: quod ipse non tantum de moribus, sed etiam de rebus physicis accipit, v. g. *quod agnus rapitur a lupo, quod segetes destruantur ab imbribus vel caumatibus*; nemo enim agnum a lupo laniatum redintegrare, vel segetes imbre disiectas, aut æstu exustas restaurare potest.

Verum hic sensus parergus est, futilis et impertinens. Quare sensus secundo loco recensitus imprimis est genuinus, deinde tertius.

Sed iuxta Vulgatam, quæ habet: *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Varius huius sententiæ occurrit nexus et sensus.

Perversi difficile corriguntur quo sensu? Resp.

I. Prima, censent aliqui esse occupationem, qua Salomon occurrat tacitæ obiectioni. Dicet enim quis: Si omnia in mundo sint vana, hominemque sibi indulgentem affligunt, ut quid ergo homines rationales vanitatem hanc videntes et audientes, iis tamen obstinate inhiant? Respondet causam esse hominum illecebris mundi inescatorum et dementatorum perversitatem et stultitiam, qua velut effrænes furentesque equi in sua damna et præcipitia ruunt; hæc enim ipsi utpote cupiditate cæci non vident, concupiscentia sua occupati non præsentiunt, sed postea pœnam sentiunt et sero pœnitent. Hinc colligit Salomon; Non ergo illis, utpote insipientibus, sed mihi sapienti, qui sedato rectoque iudicio omnia examinavi et iudicavi omnia esse vana; fidem adhibete.

II. Secundo, uterque Hugo Cardin. et Victor. ac Lyranus censent hanc gnomen nectendam præcedenti; illam enim explere, quasi vanitas illa de qua versu præcedenti: hic ea dumtaxat intelligatur, quam viri sapientes, præsertim rectores et reges, qualis erat Salomon, experiuntur in gubernando, scilicet, difficultates corrigendi subditorum cupiditates et vitia, quod perversi difficile corrigantur. Verum hic sensus nimis arctat gnomen præcedentem de vanitate rerum, cum illa in se sit indefinita, ampla et generalis. Huc accedunt illi qui hanc gnomen nectunt vers. 13 ibique per occupationem pessimam accipiunt studium sciendi, mentisque speculationem, q. d. Non tantum cognitioni et speculationi sua inest vanitas et afflictio spiritus, sed et praxi: frustra enim hominum perversorum mores corrigere velit sapiens, ideoque affligitur.

III. Tertio, alii censent hic probari vanitatem rerum ex vanitate et perversitate hominum, qui stultis suis concupiscentiis depravati, a fine suo et felicitate declinant, seque coniiciunt in æterna tormenta. Quid enim vanius, quam aberrare a suo fine? Quid stultius, quid miserius, quam sibi accersere ignes perpetuos? Alii ex adverso vanitatis censent rerum causam hic tribui, non Deo creatori, sed electioni ut habent Septuag. et perversitati hominum, qui res bonas a Deo creatas suo abusu distorquent in malum, ac depravant, itaque *harmoniacum mundi concentum vitiant et dissonum efficiunt*, aiunt Patres in Catena Græc.

IV. Quarto, Chald. hæc refert ad morientes in peccato; hi enim post mortem pœnitere et corrigi nequeunt: *Vir*, inquit, *cuius perversæ viæ sunt in sæculo, et moritur in eis, et non convertitur ad pœnitentiam*, non *habet potestatem corrigendi. Et vir deficiens in lege et præceptis in vita sua, post mortem suam non habet potestatem, ut commoretur cum iustis in paradiso voluptatis.* Verum hic sensus mysticus est potius quam litteralis. Huc accedit illa inter alias S. Hieron. expositio paulo ante recensita, nimirum

de improbis, quorum dux et auctor sit diabolus, qui pœnitentiæ incapax in suo permanet errore. Et illa Catena Græcor. *Perversus et in malitiam lapsus, dum in malitia est, virtutem recipere non potest; et qui gratia Dei est destitutus, haudquaquam piis Dei cultoribus potest adnumerari.*

V. *Et genuine.* Quinto et genuine, assignat hic Ecclesiastes per modum exempli, unam inter alias insignem vanitatem et afflictionem spiritus, quæ Ecclesiasten, id est, virum sapientem et concionatorem, præsertim rectorem et regem, cui reipublicæ et subditorum salutis cura incumbit, mire affligit et cruciat, nimirum quod ex officio simul et zelo summa cupiat reformare rempublicam, et subditos ab amore perverso vanitatis rerumque vanarum traducere ad amorem castum veri boni, puta Dei, virtutis et felicitatis; id tamen omni suo labore et conatu assequi nequeat nisi in paucis, eo quod plurimi sint perversi, qui difficile se corrigi sinunt, et stultorum, vanis stultisque cupiditatibus servientium infinitus sit numerus, iuxta illud Ierem. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Perversi enim sunt, qui habitum malitiæ peccando induerunt, in eoque occalluerunt.

Sensus ergo est, q. d. Ego Ecclesiastes, rex Israel, consideravi omnia quæ fiunt sub sole, omnes hominum mores, omnia studia; ac vidi in omnibus esse vanitatem et afflictionem spiritus, atque inter alias vidi unam insignem, quæ me meique similes reges et rectores maxime affligit et pungit, scilicet quod omni mea concione, omni lege et iussu, omni meo labore et conatu, parum et apud paucos proficiam; quia multo maior hominum pars fucata et fallaci vanitatis, vanarumque opum, deliciarum et honorum specie inescata, perverse et obstinate iis inhiat, ideoque corrigi non vult; quare stultorum vanis stultisque mundi illecebris incumbentium, iisque se inebriantium et dementantium numerus est innumerabilis.

Stulti ethice qui? *Stultos* vocat non physice, sed ethice, qui in veritate non speculativa, sed practica errant et delirant, puta impios suis cupiditatibus mancipatos, qui prave de rebus agendis æstimant, dum vana bona veris, brevia æternis, terrena cœlestibus anteponunt; hæc enim ingens est stultitia. Rursum *stultos* vocat eos qui in agendo sunt præcipites, temerarii, audaces, furiosi, quales non raro sunt potentes et divites, qui vanis mundi opibus incubant et abundant. *Mundus creatus etiam propter impios.* Conatur Eugubinus libr. 7. de Perenni Philos. c. 6. Cottæ apud Ciceronem argumentum contra providentiam dissolvere, quod, cum tantus sit numerus stultorum, non videatur a Deo mundus factus propter illos, ac proinde casu exstitisse, non ab illo. Contendit enim ostendere magnam proborum omni ætate multitudinem fuisse, maximam peccantium multitudinem pœnitere, paucos prodigiose malos esse: longe paucissimos esse, qui, si depravatissime vivant, non denique Deum quoquo tempore agnoscant et fateantur. Felicius alia succedit Eugubino respondendi via, dicendo plures improbos esse, pluris autem Deo censeri unum probum mille improbis. Ita Lorinus. Denique Deus mundum fecit primario propter se, ut in eo suam potentiam, sapientiam et bonitatem ostenderet; secundario propter Angelos et homines, præsertim probos, sed et propter improbos, ut scilicet hi ex mundo agnoscentes bonitatem Creatoris erga se eum redament, itaque eius gratiam et gloriam consequantur: quod si nolint, sentiant iustitiam eiusdem et vindictam, in qua æque ac in misericordia probis exhibita, Deus glorificatur.

Porro quam exiguus sit sapientum, id est proborum et salvandorum numerus, quam magnus vero stultorum, id est, impiorum et reproborum, patet ex illo Christi: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, Matth. 20. 16. et ex illo: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Matth. 7. 16.

Unde S. Chrysost. hom. 40. ad Pop. *Quot*, inquit, *esse putatis in civitate nostra* (Antiochiæ, in qua erant plus
A quam centum hominum millia) *qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicam: dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur, quin et de his dubito.* Rationem subdit: *Quanta enim in iuvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor? filii curam gerit nemo, nemo zelum habet*, etc. Vide dicta Iacobi c. 2. v. 13.

Quis prælatus id advertens non lugeat, non se affligat? Quam affligebat Paulum Iudæorum Evangelio salutique suæ obsistentium stulta cœcitas. Audi eum luctum suum pathetice expectorantem, Rom. 9. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ*, etc.

Anagog. filii Israel, id est, fideles et sancti soli Deo numerantur, et libro vitæ inscribuntur; at filii Esau, id est, infideles et improbi non computantur, nec veniunt in numerum Dei, sed scribuntur in libro mortis et diaboli.
B Audi Patres in Catena Græc. « Dei numerus quo sanctos numerat, spiritualem quamdam et definitam ordinationem significat: Numerans enim, inquit, multitudinem astrorum. Hoc eodem numero etiam Mosi iubet Dominus, ut numeraret filios Israel. David vero de hominibus quid ait? Illic reptilia quorum non est numerus. Et in Proverbiis Salomon: Multos enim confossos vulneribus prostravit, et innumerabiles sunt quos occidit. Quid igitur nunc dicitur ὑστέρημα, id est defectio, et qui occisi, et qui reptilia dicuntur, eiusdem sunt conditionis, illius nempe, quæ spirituali numero minime congruit. »

Similia habet S. Hieron. dum ait masculos, id est fortes et generosos, a Deo numerari; fœminas vero, id est molles et effœminatos non venire in numerum.

Vis consuetudinis. Moraliter hic disce quanta sit vis consuetudinis, sive in bonum, sive in malum: sicut enim bene agere assueti difficile pervertuntur, ita perversi male agere assueti difficilius convertuntur. *Diu*, ait Seneca epist. 59. *in vitiis*
C *iacuimus, diu difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti, ne ab alia imagine in aliam transeamus, ita nos stultitia tam pertinaciter tenet.* S. Hieron. vero, vel potius Rabanus (hic enim est Comment. Auctor) explicans illud Ier. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam*, etc. nervose ait: *Quidquid enim discitur, non naturæ est, sed studii, et propriæ voluntatis; quæ nimia consuetudine et amore peccandi quodammodo in naturam convertitur.* Et S. Chrysost. 2. Cor. c. 4. *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura.* Consuetudo enim ligat hominem, et quasi vinculis constringit ad id cui consuevit, iterandum et prosequendum, adeoque videtur verti in naturam. Unde Isaias c. 5. 18. *Væ*, ait, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Et S. August. idipsum expertus l. 8. Confess. c. 5. *Ligatus eram*, inquit, *non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me; quippe ex voluntate perversa facta est libido: et dum*
D *servitur libidini facta est consuetudo: et dum consuetudini non resistitur facta est necessitas.* Vide S. Bernard. serm. de Septem Spiritus sancti donis.

Idem S. Aug. in Enchirid. cap. 80. *Peccata*, inquit, *quamvis magna et horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur.*

Et S. Gregor. 4. Moral. c. 18. *Quot vicibus pravæ frequentationis homo astringitur, tot quasi vinculis ad mentem ligatur.*

Peccatum est summa stultitia, cur? Et stultorum infinitus est numerus) Το *et* Hebræis sæpe est causale, idemque valet quod *nam*, *quia*. Dat ergo causam cur perversi difficile corrigantur, quia scilicet stulti sunt: idque primo, quia peccant; peccatum enim est summa stultitia, quia sensum rationi, cupiditatem virtuti, præponit creaturam Creatori, id est obolum millioni, granum segeti, guttam mari, globulum terræ

toti cœlo. Quid stultius? secundo, quia peccata iterando, eorum habitum ac quasi necessitatem sibi inducunt; tertio, quia in iis obstinate perseverant, eaque sensim laudant, nec peccata æstimant, sed virtutes; quarto, quia corrigi se non sinunt, sed recte docentes et monentes spernunt et rident. Hinc a Salomone stultitia hæc moralis vocatur *egestas cordis*, et stulti vocantur *indigentes corde*, id est privati mente, hoc est, recto rationis mentisque usu, puta destituti vera prudentia sanoque mentis iudicio, ut patet Proverb. 10. 13. et 21. Sic Roboam ab Eccles. cap. 47. 28. vocatur *gentis stultitia*, et *imminutus a prudentia*.

Aliter R. Haccados apud Galatin. qui vertens ex Hebræo: *Egestas hominum non potest numerari*, sic explicat: Plurimi hominum sunt pauperes, qui non sunt experti opum deliciarumque vanitatem; unde putant illas ingens esse bonum, æstimantque se felices, si eas adipisci queant; sed errant, quia perverse iudicant de rebus sibi incognitis, quarum non habent experientiam, perinde ac cæci de coloribus. Quare illis non est fides adhibenda, sed mihi Salomoni, qui sum ditissimus, omnemque rerum humanarum abundantiam habui, ac omnia expertus et scrutatus in iis nullam felicitatem, sed meram vanitatem deprehendi. Verum hic sensus languet et friget.

Moral. hic disce, primo. prudentiam et virtutem hominem efficere *sapientem*, imprudentiam vero et cupiditatem eum efficere insipientem et *stultum*, uti passim hic et in Proverbiis utrumque vocat Salomon, et hisce nominibos discriminat, causas ibidem recensui. Idem per umbram videre, imo a Salomone didicere Philosophi, ut patet ex Socrate et Platone passim in Dialogis, atque ex Aristot. lib. 3. et 9. Ethic. Vere Dion. orat. 20. ita definit: *Stultus est, qui non est animi sui dominus; circumvolvitur enim, trahiturque facile a levi quacunque occasione et colloquio.* Et Seneca Epist. 9. docet: *Sapientem seipso contentum nulla re indigere, et tamen multis illi rebus opus esse: contra stulto nulla re opus est, nulla enim re scit uti, sed omnibus eget.* Idem Epist. 15. *Quam vitam*, inquit, *dici existimas stultam? nostram: quos cæca cupiditas in nocitura, arte numquam satiatura præcipitat: quibus si quid satis esse posset, fuisset; qui non cogitamus quam iucundum sit nihil poscere: quam magnificum plenum esse, nec ex fortuna pendere. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur.*

Concupiscentiæ sunt stultitiæ. Secundo, hinc disce concupiscentiam esse meram magnamque stultitiam; vitiosos enim sui asseclas facit stultos. Id patet in ira, quæ hominem ratione privat, facitque furere instar insani; in libidine, quæ sapientes dementat, uti dementavit Salomonem, Samsonem, Davidem: amor enim est cæcus et amens, ideoque amantes facit amentes, uti cernimus meretrices et puellas amore iuvenis alicuius captas, rationem cum iudicio perdere, ac velut mentis impotes, et amore amentes; in superbia, quæ superbos inflat, ut putent se omnibus esse sapientiores, ditiores, potentiores, etiamsi sint insipientissimi, pauperrimi et vilissimi. Nonne stulta est vox illa regis Babylonis, velut novi Luciferi: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* Isaiæ 14. 13. Et illa Pharaonis: *Meus est fluvius* (Nilus fœcundans Ægyptum) *et ego feci memetipsum*, Ezech. 2. Sic in avaritia, acedia, gula, invidia, cæterisque vitiis, atque in ipsis avaris, gulosis, acedis, invidis, etc. multa dictamina, æque ac opera stulta stolidaque reperies, ut si sincera indices dicere debeas, illos videri mente captos, fatuos, deliros.

Tertio, hinc collige non esse sequendam multitudinem; hæc enim est stultorum; sed paucitatem, hæc enim est sapientum: *Stultorum*, inquit, *infinitus est numerus*: *infinitus*, id est maximus et quasi innumerabilis, ut habent Hebr. Rursum *infinitus* syncategorematice, quia assidue singulis annis, imo diebus oriuntur et succedunt novi stulti, talesque succedent semper, quamdiu durabit hæc in mundo hominum vita.

Hoc est quod veteri adagio dicitur: *Loquendum ut multi, sapiendum ut pauci.* Vulgus enim sæpe de rebus, præsertim agendis sinistre iudicat, erronea habet dictamina, animos depressos, et in terrena demersos; vitiis et scandalis abundat, sapientiæ et veræ virtutis expers est, uti multis patrum gnomis et exemplis ostendi Numer. c. 11. v. 4. et c. 20. v. 3. Hac de causa viri sapientes, quales fuere olim Essæi, Ascetæ et Anachoretæ, turbas urbesque fugerunt, et in solitudine cum paucis Sanctis, imo cum Deo et Angelis conversati sunt. Hinc S. Antonius dictitabat *aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamentum; atque pisces quidem, cum terram attingunt, vitam amittere; monachos autem, cum urbes adeunt, gravitatem monasticam deperdere.* Ita refert Sozomen. lib. 1. Histor. c. 13. Viderunt id per umbram Philosophi, e quibus Seneca l. de Vita beata cap. 2. *Cum de beata vita agitur*, inquit, *non est quod mihi illud discessionum more respondeant. Hæc pars maior esse videtur; ideo enim peior est. Non tam bene cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optime factum sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit.*

Sapienti turba vitanda. Gnomæ.

Idem Epist. 7. *Quid*, inquit, *tibi vitandum præcipue existimem quæris? turbam. Nondum illi te tuto commiseris: ego certe confiteor imbecillitatem meam; numquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugavi redit. Quod ægris evenit, quos longa imbecillitas usque adeo affecit, ut numquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Utique quo maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Et pluribus interiectis: *Subducendus populo est tener animus, et parum tenax recti. Facile transitur ad plures. Socrati, Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset. adeo nemo nostrum, qui maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum luxuriæ aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat et emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat, malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem affricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publice factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. Utrum autem devitandum est, ne vel similis malis fias, quia multi sunt; neve inimicus, multis quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes; cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores.* Exemplis idipsum denique confirmat: *Democritus*, inquit, *unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Bene et ille, quisquis fuit* (*ambigitur enim de auctore*) *cum quæreretur ab illo quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ? Satis sunt*, inquit, *mihi pauci, satis est unus, satis est nullus. Egregie hoc tertium. Epicurus, cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc*, inquit, *ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili, condendo in animum tuum, ut contemnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes, cum placeas tibi? Si is es quem multi intelligunt, introrsus bona tua spectent.* Ac rursum Epist. 8. seipsum in exemplum statuens: *Secessi*, inquit, *non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus et primum a rebus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua quæ possint prodesse conscribo. Salutares admonitiones velut medicamentorum utilium compositiones litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus.*

Locutus sum in corde meo (Aquila et Symmach. Vers. 16.
cum mente mea; Chald. *In cogitatione cordis mei*) dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter,) Hebr.

Et cor meum vidit multam sapientiam et scientiam. Sic et Septuag. Chald. Syrus, Arabic. et cæteri. Tigurina: *Subduxi autem rationem eiusmodi apud animum meum: Ecce ego res magnas perfeci, et auxi sapientiam præ omnibus, etc.*

Hucusque Ecclesiastes probavit suum thema, nimirum omnes res mundi esse vanitates per rationes genericas et universales, nunc idem probat per rationes specificas et particulares: quare a toto rerum genere descendit ad singulas rerum species, in iisque vanitatem demonstrat. Est ergo hic inductio, qua singularum rerum vanitatem probat, indeque inducit et colligit omnia sub sole esse vana, nec quicquam ex eis posse animum hominis satiare et beare. Incipit autem a sapientia, tum quia illa cæteris rebus dignitate eminet, ac plus veritatis minusque vanitatis videtur habere; tum quia Philosophi totum studium, omneque suum decus posuere in sapientia. Unde Seneca de Brevitate vitæ: *Sine sapientiæ studio*, ait, *nulla potest esse vera et solida animi beatitudo;* tam denique et potissime, quia Salomon sapientiæ fuit studiosissimus, eamque a Deo præ rebus omnibus postulavit et impetravit, atque per eam omnium hominum occupationes, studia, et curas studiose contemplatus est, ut ipse ait v. 13. in eaque contemplatione animum suum pascebat et oblectabat, quare in ea videbatur sibi esse magnus sapiens et beatus. Verum super illam ipsam hic se suamque considerationem reflectens, invenit in illa quoque inesse vanitatem magnamque afflictionem spiritus. Ait ergo,

Locutus sum in corde meo.) Primo, sensus est, q. d. Perversorum et stultorum turbam, de qua v. præcedenti, devitans secessi in cordis arcanum, ibique cum sapientia ipsa conversatus, per eam omnia sapienter lustravi, consideravi, et expendi. *Loqui aliquis dicitur in corde suo*, ait Olympiod. *cum mentem ad cogitandum applicat, secum disputat et ratiocinatur.*

Secundo, loqui in corde notat magnam cordis, id est mentis, attentionem ad id quod homo sibi loquitur et cogitat, qualem habent cogitabundi, tristes et melancholici. Tertio, notat affectum et pathos, nimirum ingentem vel lætitiam et plausum, vel mœstitiam et molestiam. Utraque hic notatur in Salomone, q. d. Locutus sum in corde, mihi secreto gaudens et applaudens de sapientia tanta mihi cælitus infusa; sed dum per eam vana et molesta hominum studia inspicio, mihi molestiam mentisque afflictionem inflixi, uti mox plenius ostendam. Sic Anna amaro corde et flens largiter et attente orans loquebatur in corde suo: *Quia ex multitudine doloris et mœroris mei, locuta sum*, ait ipsa ad Heli, 1. Reg. 1. vers. 13. et 16.

Ecce magnus effectus sum) Magnus opulentia, magnus potentia, magnus animo, magnus imperio, magnus operibus et fabrica templi, magnus sapientia, magnus in mensis et ferculis, magnus comitatu et pompa equorum, curruum, famulorum et militum, magnus fama et gloria: fuit enim Salomon regum omnium sapientissimus, opulentissimus, potentissimus, deliciosissimus, magnificentissimus, famosissimus, gloriosissimus, ut patet 3. Reg. 10. et 11. unde vocatus fuit *rex magnus et rex regum*, teste Euseb. l. 9. de Præpar. c. ult. Hugo uterque Cardin. et Victor. putant hæc dici a Salomone ex iactantia, et vana sui complacentia. Melius alii censent hæc ab eo dici ex animi candore, et gratitudine erga Deum. Unde non ait: Ego magnum me feci, sed *magnus effectus sum*, scilicet a Deo. Legit interpres cum Sept. הגדלתי *hogdalti* in *hophal* passive, id est magnificatus sum: iam legunt הגדלתי *higdalti* in *hiphil* active, id est *magnificavi*, scilicet meipsum, vel potius sapientiam meam, ut sequitur. Unde Chald. vertit: *Ego auxi et addidi sapientiam super omnes sapientes, qui ante me fuerunt* (alii *præfuerunt*) *in Ierusalem*; alii: *Ego magnificavi et auxi sapientiam, etc.* alii: *Præcessi prudentia, et omnibus sapientibus præcellui*; Vatabl. *Ego res magnas perfeci.*

Ac præcessi omnes sapientia qui ante me fuerunt in Ierusalem.) Hebr. *super Ierusalem*, id est qui præfuerunt Hierosolymæ et Iudææ vel ut reges, sicut David et Saul; vel ut iudices et principes, ut Othoniel, Gedeon, Samson, Iephte, Heli, etc. vel ut Doctores et legisperiti, vel ut sacerdotes et Pontifices: quare dum eos sapientia antecellui, cæteros omnes mundi reges et philosophos eadem superavi: quia Iudæi, præsertim legisperiti et Pontifices philosophis omnibus fuere sapientiores. Unde 3. Reg. 3. 12. Salomon audit a Deo: *Dedi tibi cor sapiens, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit;* fuit ergo Salomon a toto genere sapientior Adamo, Abrahamo, Mose, Iosepho, Davide, cæterisque Patriarchis et Prophetis, etsi id hoc loco neget S. Hieron. Esto in certo genere, v. g. in Prophetia superatus sit a Prophetis, in Psalmodia et sanctitate a Davide. Et mox cætera addens Deus: *Dedi tibi*, inquit, *divitias et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* Pro *præcessit sapientia*, Hebr. est, *addidi sapientiam*, q. d. Sapientiam mihi cælitus inditam valde adauxi per experientiam, et quotidianam rerum speculationem. Ita Olympiod. Unde Symmach. vertit: *Superexcedebam sapientia.* Quam ampla fuerit sapientia Salomonis, ipsemet fuse explicat Sapient. c. 7. v. 17. et seq. Vide Sixtum Senensem verbo Salomon, et Pinedam l. 3. de Rebus Salomonis.

Et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.) *Contemplata est*, per speculationem et meditationem: *didici*, per experientiam. Hinc Orig. Proœm. in Cantic. docet sapientes Græcorum suam Philosophiam hausisse a Salomone: illo enim fuere posteriores, teste Clemente l. 5. Stromat. Scientia enim naturali, puta rerum Physicarum, Ethicarum, Œconomicarum et Politicarum Salomon omnes homines superavit: in supernaturali et divina superatus fuit a Mose, Prophetis et Apostolis.

Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam: et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus.) Syrus, *perturbatio spiritus;* Septuag. *electio vel præsumptio spiritus;* alii, *irritamentum spiritus;* Aquila, *pastio venti.* Vide dicta v. 14. Alienum est illud Caietan. *Traditur hic*, ait, *fructus scientiæ, quod ipsum studium sciendi est fractio spiritus, vel ratio præcipua frangendi spiritum. Ignorantes enim suos prosequuntur spiritus, suis aguntur impulsibus.* Hoc enim est veritas non vanitas, utilitas non noxa et vilitas, sancta stabilitas non rixosa levitas, cum ex adverso vanitatem et noxam sciendi hic astruat Salomon. Vers. 17.

Pro *errores* hebr. est הוללות *holelot*, quod Septuag. vertunt *parabolas;* Syrus et Arabicus, *proverbia;* Noster et Aquila, *errores;* Theodotion, *prolapsiones;* Caietan. *tricas*, sive intricationes operum et negotiorum, quibus multi se intricant, adeo ut se extricare nequeant; alii, *insanias;* Arias, *nugas;* Forerius, *furores;* Vivianus, *arrogantiam;* Thuanus, *insanos pectoris æstus;* Chald. *Et dedi cor meum ut scirem sapientiam et stultitiam regni, et scientiam et intellectum, probavi, et cognovi quod etiam hoc est contritio spiritus viro, qui diligenter laborat ut inveniat ea.*

Pro *stultitiam* hebr. est שכלות *sichlut*, quod si per *Samech* scribas significat stultitiam, sin per *sin* (quod idem valet quod *Samech*) significat prudentiam et intellectum, ut vertunt Septuag. et Chald. nimirum vani rerum mundi amatores, dum in iis conquirendis se putant sapientes, coram Deo stulti fiunt et delirant. Nam ut ait S. Paulus: *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum*, 1. Corinth. 3. 19.

Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem.) Ita Vers. 18.
legunt Codices Romæ emendati. Alii ex Hebræo legunt, *et dolorem;* utrumque verum, et eodem res redit: quia omnis labor est dolor, et omnis dolor est labor. Aquila vertit: *Et tormentum.* Septuag. Hebr. מכאוב *macob*, vertunt *flagella*, Psal. 31. 10. Tigurina vertit: *Qui auget scientiam, simul auget quod eum cruciat.*

Pro *indignatio* hebr. est כעס *caas*, id est ira, indignatio; Syrus, *furor;* Septuag. *cognitio;* Arabicus: *Nam in*

multitudine sapientiæ multiplicatur doctrina, et quod augetur doctrina augatur dolore. Chald. scripit hæc de ira Dei: *Quoniam vir*, inquit, *qui multiplicat scientiam cum peccaverit, ei non convertitur ad pœnitentiam, multiplicat iram ad faciem Domini; et qui addit scientiam et moritur in iuventute sua, addit dolorem proximis suis.* Costus vero sic ultima ex Chald. vertit: *Conflat in se invidiam et iram Domini, a quo ille scientia auctus fuerat: quod si vacante ætate moriatur, secum ipse intestinam animi molestiam adaugeat.* Auctor Catenæ Græcor. *Qui profundiorum*, ait, *causas inquirit, nec invenit, hic addit laborem. Hoc minime illis evenit, qui perfunctorie student.*

Repetendo exaggerat Ecclesiastes, et inculcat suum studium in vestiganda sapientia et scientia, ut ostendat se utramque penitus inspexisse, et in utraque deprehendisse vanitatem et afflictionem. Pro *prudentiam et doctrinam*, hebr. est *sapientiam et scientiam*. Sapientia, ait S. Augustin. et Theologi, est cognitio rerum altissimarum, puta divinarum et cœlestium: scientia vero, naturalium et humanarum, præsertim circa mores et res agendas. Sapientiæ opponit errores, id est falsas antiquorum sive Philosophorum, sive hæreticorum opiniones, ait R. Hœcados, quales sunt hæreses de Deo Deique providentia, omnipotentia, omniscientia, etc. Scientiæ opponit stultitiam, qua stulte quis iudicat de rebus agendis, et stulte operatur, dum vitium pro virtute, imo pro virtute sectatur. Rursum sapientia accipi potest practice, pro prudentia supernaturali, ad rite cognoscendum, colendum, amandum Deum per virtutes Theologicas: scientia vero pro prudentia naturali ad honeste vivendum, per virtutes morales, quibus quis fit fortis, temperans, castus, iustus, etc. Vice versa per errores accipias superstitiones, idololatriam, falsosque numinum cultus, vero Dei cultui oppositos: per stultitiam vero, imprudentiam, et incontinentiam vivendi: per gulam, luxuriam, fraudem, furtum, etc. Salomon enim passim in Proverbiis, Ecclesiaste et Sapientia per sapientiam et scientiam non tam speculativam quam practicam intelligit, puta Ethicam, quæ mores ad Deum rite colendum, et ad se, æque ac proximum legitime amandum, iuxta normam rectæ rationis et legis divinæ conformat: atque hanc maxime spectavit et sectatus est Salomon, ut eamdem alios doceret, uti hisce libris fecit. Sensus ergo est, q. d. Summo studio incubui, ut pervestigarem sapientiam et scientiam, tum speculativam, tum potius practicam, eamque secernerem ab erroribus et stultitia, hoc est, ut virtutes tum Deum, tum hominem et proximum spectantes, a vitiis illi adversis secernerem et distinguerem: ut hac ratione viam ad veram animi felicitatem vestigarem, sciremque quid in hac vita hominem beatum et felicem efficere posset. Verum post longam studium et examen, inveni in his quoque suam inesse vanitatem et afflictionem spiritus; quia *in multa sapientia multa inest indignatio, et qui addit scientiam, addit dolorem*: scientiæ enim et studio assecla est labor et dolor: quare qui addit scientiam, addit et dolorem; tum quia quamdiu durat scientia, durat et labor: tum quia crescente studio crescit pariter capitis corporisque totius, deficientibus spiritibus vitalibus, defatigatio, labor et dolor.

In scientia est indignatio

Quæres, quomodo in multa sapientia sit multa indignatio, atque in scientia dolor? nam ut docet D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 1. « In contemplatione veritatis, maxima delectatio consistit. Omnis autem delectatio dolorem mitigat, et ideo contemplatio mitigat tristitiam vel dolorem; et tanto magis, quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ; et ideo homines ex contemplatione divina, et futuræ beatitudinis in tribulationibus gaudent, secundum illud Iacobi 1. 2. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, etc. » Hæc S. Thomas.

Respondet Chald. per indignationem accipiendam esse iram et vindictam Dei, q. d. Deus indignatur sapientibus, qui cum sciant quid agere debeant, id tamen non agunt; sed perverse vivunt, nec agunt pœnitentiam. Sic et R. Salomon, ac ex parte S. Hieron. Olympiod. Albinus, licet magis in aliam sententiam devergant. Rursum alii accipiunt indignationem, id est iram et invidiam æmulorum, qui sapientibus sapientiam, famem et honorem invident, q. d. Cum quis studendo evadit sapiens et eruditus, concitat sibi aliorum invidiam, qui ægre ferunt illum sibi in doctrina et fama anteponi; quare illius sapientiæ et famæ detrahunt, eamque deprimunt. Hinc illud c. 7. 8. *Calumnia conturbat sapientem.*

Verum melius alii accipiunt indignationem ipsius sapientiæ, et dolorem scientiæ.

Primo ergo: *In multa sapientia est multa indignatio et* I.
dolor, ait D. Thom. loco citato ad 1. *vel propter difficultatem et defectum inveniendæ veritatis, vel propter hoc quod per scientiam homo cognoscit multa quæ voluntati contrariantur, et sic ex parte rerum cogitarum scientia dolorem causat; ex parte autem contemplationis veritatis, delectationem.* Studium enim sapientiæ evocat mentem ab omnibus sensuum voluptatibus, totamque ad contemplationem colligit et cogit. Hinc studiosi et speculativi speculando consumunt optimos spiritus, et calorem naturalem a stomacho in cerebrum ad speculandum avocant: quo fit ut stomachus calore destitutus cibos concoquere nequeat; sed indigestos cibos, crudosque eorum succos ad hepar et membra transmittat, ex quibus gignuntur catharri, flatus, febres, cacochymia, hemicrania, aliique plures morbi, ac subinde hectica et phthisis, aut hydrops ex abundantia pituitæ, atque hæc est causa, cur litterati plerique laborent stomacho, uti laboravit S. Gregor. S. Chrysost. S. Hieron. S. Bernard. etc. *Labores sunt scientiæ comites*, ait Nyssen. additque Salomonem non prius voluptatibus se dedisse, *quam gustatu austeriori et severiori vita, cum se præstitisset, et a risu alienum, gravemque et constantem, per quæ a studiosis maxime comparatur disciplina sapientiæ*; sed huius severitatis pertæsum, laxasse fræna voluptati et concupiscentiæ. Accedunt nocturnæ studiosorum vigiliæ et lucubrationes, abstinentia et ieiunia, lectio varia et multiplex, quæ cerebrum desiccant, accendunt et extenuant, ut illico in bilem concitetur.

Secundo, quia valde studiosi et sapientes vel nascuntur, II.
vel per studium et speculationem assiduam fiunt melancholici, morosi, tetrici, uti tradit Aristot. sect. 30. Problem. cap. 1. ubi docet summos sapientes et philosophos fuisse melancholicos, adeoque nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ extitisse (melancholia enim est quædam amentia.) Rursum ingeniosi propter spirituum multitudinem, fervorem, celeritatem, ait Pineda, accedente etiam sapientia, quæ ad deliberandum de rebus non longo spatio indiget, concitati sunt et indignabundi, quod dicebat Arist. inveniri in iis, quibus *atra bilis permulta et calida*, ut oppido flatulenta inest, qui fiunt *perciti et ingeniosi amasii, propensi ad omnem excandescentiam et cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores.* Qua de re sapienter disserit Plato lib. 2. de Repub. et in Theæteto: *Admodum*, inquit, *difficile est reperire hominem ingeniosum simul et præ cæteris mansuetum: nam acuti sagacesque, memoriosi ac dociles, ut plurimum in iracundiam impetusque præcipites sunt: proruunt enim atque captantur quemadmodum sine retinaculis navis, ut furiosi potius quam fortes existunt.*

Tertio, quia in scientiis innumeræ sunt tricæ, obscuri- III.
tates, antilogiæ, difficultates, quæ hominem studiosum faciunt tetricum, morosum, iracundum, præsertim dum videt se frustra laborare, nec veritatem assequi dum videt tot sententias et opiniones inter se pugnantes, nec in eis cernit quid verum sit et certum, sed omnia dubia et implexa. Rursum dum quo plura cognoscit, eo plures novas quæstiones et difficultates sibi incognitas exoriri advertit, adeoque quo plura scit, eo plura se ignorare perspicit: quæ res illi molestiam et bilem concitat. Insuper dum suæ sententiæ ab aliis contradici, eamque confutari videt, affligitur. Ita S. Hier. Thaumaturgus, Albinus, Olympiod. Vatablus. Audi S. Hieronymum: *Sapiens dolet tam in abdito quam in profundo latere* sapientiam, *nec ita se præbere mentibus ut lumen visui, sed per tormenta quædam*

et intolerandum laborem, iugi meditatione et studio provenire. Videas ergo sapientes inter ipsas vigilias et lucubrationes veluti excandescere atque indignari, adversus eas ipsarum rerum cognoscendarum difficultates, quas vel consequi, vel superare non possint, et quod in longiori conflictatione et lucta accidere solet, iam desperent de victoria, iam iterum aggrediantur et pugnent, nunc fessi et lassi subsistant desideantque parumper, nunc iterum assurgant et cum rerum difficillimarum cognitione luctam instaurent. Ita Pineda. Doctorum ergo magna licet rerum cognitio, tamen non tam est plena scientia, quam docta ignorantia. Doctores enim quo magis procedendo investigant rerum notitiam, eo magis se deprehendunt docte ignorantes, vel ignoranter doctos, quia vix alias rerum naturas clare perspicere possunt, sed tantum earum accidentia, quæ sensibus patent.

Hominum scientia est docta ignorantia.

IV. Quarto, quia scientia inflat facitque hominem tumidum et superbum: superbi autem proni sunt ad iracundiam, præsertim dum vident sibi vel a rationibus vel ab hominibus obsisti et contradici, aut obices suæ prætensioni opponi, ut non possint sententiarum suarum firmam assertionem aut præmia, quæ per eam præsumpserant, consequi. Rursum sapiens videtur mereri honorem et eminentiam: quare dum a minus sapientibus vel æmulis despicitur, ridetur, arguitur, censet sibi gravem fieri iniuriam, ideoque dolet, fit impatiens et irascitur. Vide Platonem in Theæteto. Ita uterque Hugo Card. et Victor. Lyran. Caiet. et alii. Sic videmus viros valde doctos proclives esse ad iram, impatientiam et anxietatem, levique verbo ad eam concitari.

V. Quinto, indignatur sapiens sibi, dum videt suam cæcitatem et infirmitatem ad perscrutandum tot tantasque rerum abditarum veritates, etiam ethicas et practicas, dumque longe maiorem difficultatem sentit ad eas opere explendum. Unde S. Hieron. et Olympiod. *Quanto magis*, inquiunt, *qui sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur, quod subiaceat vitiis, et procul sit a virtutibus, quas requirit; ac proinde dolet super delictis suis, cum sciat cui plus traditur plus exigi ab eo, et potentes potenter tormenta passuros.* Addit Hugo ex scientiæ acquisitione notitiam nobilitatis animæ suæ; unde indignetur in inferioribus occupari quæ sunt ea minus digna. Ad hæc fastidium vitiosum nonnullorum super nobilissimo studio sacrarum litterarum, sicut olim nauseabant Hebræi super divino cibo. Rursum honestam nauseam atque abominationem ad fœdas voluptates, ob gustatum suavem spiritualium rerum saporem. Postremo, iram cum indignatione in seipsum, in dæmonem, in vitia, in ea omnia quæ nos provocant ad peccandum, si multa adsit sapientia, hoc est rerum divinarum cognitio, beneque vivendi peritia multa. Idem iudicium de indignatione et iusto dolore, quem sentimus adversus aliena peccata: *Si ego contristo vos*, dixit Apostolus, *et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* 2. Corinth. 2. 2. Ita Lorinus.

Rursum sapiens irascitur discipulis et aliis, quos videt sapientiæ et prudentiæ expertes, ac sæpe incapaces disciplinæ et incorrigibiles. Videt enim maiorem hominum partem vitiosam, concupiscentiæ et vitiis suis indulgentem, aspernari sana sapientiæ monita et virtutum præcepta, quæ res sapientem, præsertim rectorem et doctorem, qualis erat Salomon, valde cruciat et affligit.

VI. Sexto, S. Hieron. Epist. 30 de Fabiola loquens, dolorem ponit in cupidine sciendi: *Iesu bone*, ait, *quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus? etc. Nec vero satiabatur audiendi cupidine, sed addens scientiam addebat dolorem, et quasi oleum flammæ adiiciens, maioris ardoris fomento capiebat.* Accedit S. Gregor. Nazianz. qui in Apolog. sic explicat, q. d. Quantum voluptatis quis studendo haurit, ex eo quod invenit, tantum mœroris refert, ex eo quod assequi non potest: perinde ac sitiens qui ab aquis delibatis avellitur, hic enim aquam, quam putat se habere, manibus tenere non potest; aut perinde ac qui fulguris splendore illustratus, illico ab eo disparente deseritur.

Denique maxime et potissime intendit hic Ecclesiastes significare studium sapientiæ et scientiæ, tum speculativæ, tum practicæ esse vanum, laboriosum et afflictum, dum in sola speculatione et cognitione rerum naturalium, ethicarum, puta virtutum et vitiorum consistit, nec ad ipsam virtutum operationem et exercitationem transit, ut fiat practice practicum. Virtus enim et vera sapientia ac scientia, quæ animæ dat quietem et satiem, non in arida speculatione, sed in honesta actione et operatione sita est; quæ si careat vana est, et mere capitis fatigatio; quia suo fine et fructu, qui est actio vitaque honesta quæ ducit ad felicitatem, destituitur. Hoc est quod proprie spectat hic Salomon, scilicet nudam sapientiam, et scientiam ethicam, non satiare, nec honestare, nec beare hominem, sed solum timorem et amorem Dei studiumque virtutum; cætera omnia esse vana. Unde cap. 12. 13. concludens ait: *Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* Addit Olympiod. homines non nasci sapientes, sed fieri studio et labore. Rursum adepta iam sapientia hominem stimulat et cruciat, ut id quod per sapientiam faciendum novit, hoc opere exsequatur, scilicet ut concupiscentiis suis resistat, ut arduos virtutis labores capessat, qua in re magnam sentit difficultatem et spiritus afflictionem, instar Ezechielis qui cap. 3. v. 3. et 14. iussu Dei comedit volumen, in quo erant lamentationes, carmen et væ, eratque in ore ipsius ut mel dulce, sed abiit postea amarus in indignatione spiritus sui; et instar S. Ioannis, qui Apoc. 10. v. 9 librum sumpsit in ore dulcem ut mel, sed qui fecit amaricari ventrem ipsius. Talis est scientia, quæ initio delectat, sed postea dolorem laboremque generat. Iam audi Olympiod. *Sapientiam et cognitionem non iam casualem esse dixit, sed spiritus electionem, monens nos nequaquam fati beneficio nasci aut fieri homines sapientes, sed sapientiæ desiderio ac labore, petitamque a Domino Deo sapientiam consequentes. Quod si quis adhuc scientiæ plus habere desiderat, addat, inquit, et studiosos labores. Aut etiam sic intellige: Qui adeptus scientiam cognitionemque delinquit, longe amplius puniendus est; ideo qui addit cognitionem, addit et dolorem.*

Tropol. Hæc accipias de cognitione sui; homo enim seipsum suasque infirmitates ad contemplandum, et multo magis ad recte operandum, considerans (quæ est vera sapientia et scientia) tot et tantas videt, ut ingentem tristitiam et iram contra seipsum concipiat, uti fuse explicat Auctor lib. de Anima et Spiritu apud S. August. tom. 3. cap. 49. *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem: quia*, inquit, *quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit: meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem*; quæ deinde multis prosequitur. Et S. Gregor. 28 Moral. cap. 24. *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem: quia quanto plus homo cœperit scire quid perdidit, tanto plus lugere incipit corruptionis suæ sententiam, quam invenit. Considerat namque unde, quo lapsus est: quod a paradisi gaudiis ad ærumnas vitæ præsentis; ab Angelorum societatibus venit ad curas necessitatum. Pensat in quot iam periculis iacet, qui prius sine periculo stare contempsit; luget exsilium quod damnatus patitur, et suspirat ad cælestis gloriæ statum, quo perfrui securus posset, si peccare noluisset.*

Tu ergo, o studiose, o religiose, o magister, o doctor, qui in arida speculatione annos perplures impendisti, vitam consumpsisti, vires exhausisti; expende, quæso, quam sis a vera sapientia alienus: si notitiæ rerum humanarum et divinarum minime virtutem iungis, et rationem disputandi sciens, viam humilitatis et perfectæ charitatis ignoras. Nam si vera sapientia (uti dixit Lactantius) non potest cuiquam sine scientia et virtute contingere, quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, et charitas ædificans in sui contubernium non retinet? Si sapientia (ut ait Nazianz.) ad Dei amorem non subvehit, et ex servis iam amicos ac filios efficit, quonam ratione te sapientem existimabo, quem veras Dei amor ser-

sum non novit, at Christus nec amicum nec filium agnoscit?

Lanfranci conversio.

Alia igitur via ad veram sapientiam quæ te beet, incedendum est, nimirum via humilitatis, charitatis, contemptus mundi, etc. uti fecit resipiscens Doctor Lan-francus, Berengarii Heresiarchæ antagonista et debellator, qui in Alpibus a prædonibus captus et indigne exagitatus, cum hanc iniuriam impatientius tulisset, in se reversus suamque insipientiam accusans et puniens, tradidit se vitæ monasticæ in cœnobio Beccensi, ut veram sapientiam, puta patientiam disceret, ubi plures annos incognitus delituit; agnitus tandem creatus est Prior, mox Abbas, tandem Archiepiscopus Cantuariensis, ac successorem reliquit suum discipulum S. Anselmum sub annum Domini 1060. Ita Trithemius tract. de Viris illust. ordinis S. Benedicti cap. 99.

Anagog. S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 1. docet scientiam infirmitatis suæ addere dolorem peregrinationis suæ, idque ex desiderio patriæ cœlestis et conditoris sui: « Proposuit, ait, scientiam scientiæ, præposuit scire infirmitatem suam magis quam scire mundi mœnia, fundamenta B terrarum et fastigia cælorum: et hanc apponendo scientiam apposuit dolorem, dolorem peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, et conditoris eius beati Dei sui. In hoc genere hominum, in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo, da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt et sitiunt iustitiam, sed satiati sunt et abundant: satiavit autem illos phantasma eorum, non veritas tua, quam repellendo resiliunt et in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio quam multa figmenta pariat cor humanum. Et quid est cor meum, nisi cor humanum? »

Et S. Gregorius in Ezech. lib. 1. hom. 10 « Mentem, A sit, quam Spiritus sanctus replet, in amaritudinem temporalium et delectationem æternorum commovet, etc. Irascitur secum de his quæ male egisse se recolit, et sibimetipsi displicet, cum ei ille placere iam cœperit, qui omnia creavit. Superna inhiat, terrena iam omnia per mentis despectum calcat. » Et paulo post: « Dedignatur itaque subiacere temporalibus, et ardenter suspirat æternis. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui apponit scientiam, apponit dolorem. Cælestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus de his quæ male egimus, nobis ipsis irascimur, et fit in multa sapientia multa indignatio: quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit; quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in huius exsilii miseria dolemus, vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit scientiam, addit dolorem. Quæ enim scire incipimus quæ sint cælestia gaudia, eo magis, ut errorum nostrorum laqueos possimus evadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio; quia si æterna iam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna iam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsum, conscientia accusat quod egit, damnat per pœnitentiam quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. » Igitur qui apponit scientiam, scilicet supernorum, apponit dolorem, scilicet imorum et terrenorum: nam ut ait S. Isidorus lib. 3. sentent. cap. 20. « Quantum quisque potuerit superna scire quæ appetat, tantum de infimis quibus inhæret, acrius dolere debet.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ecclesiastes fugiens laborem, quem senserat in studio sapientiæ, dat sese deliciis et voluptatibus; at in his quoque videns vanitatem, rursum v. 12. applicat se sapientiæ, iterumque in ea vanitatem experitur. Denique v. 18. perstringit vanitatem eorum, qui opes accumulant futuro hæredi, quem qualis sit futurus ignorant.

1. Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. 2. Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? 3. Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. 4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas. 5. Feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus: 6. Et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium. 7. Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem: 8. Coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum, ac provinciarum: feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda: 9. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseveravit mecum. 10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram: et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. 11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. 12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?) 13. Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. 14. Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat: et didici quod unus utriusque esset interitus. 15. Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod maiorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. 16. Non enim erit memoria sapientis similiter, ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus. 17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, 19. Quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum? 20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. 21. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæ-

sita dimittit: et hoc ergo vanitas, et magnum malum. 22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? 23. Cuncti dies eius doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas est? 24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. 25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego? 26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

Vers. 1. DIXI EGO IN CORDE MEO (ex Hebr. vertas cordi meo. Ita Syrus.) VADAM, ET AFFLUAM DELICIIS, ET FRUAR BONIS: ET VIDI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS.)

Pro *affluam deliciis*, hebr. est אנסכה בשמחה *anassecha besimcha*, quod dupliciter verti potest: primo, *tentabo te in gaudio*, ut *anassecha* derivetur ex נסה *nasa*, id est *tentavit*, cui annectitur pronomen affixum כה *cha*, id est te. Ita Septuag. Secundo, *miscebo gaudium*, vel *miscebo in gaudio*, scilicet vino; vel potius: *Effundam in gaudio*, scilicet cor meum, ut *anassecha* derivetur a נסך *nasach*, id est miscuit, fudit, effudit, libavit, cui de more annectatur in futuro *He* paragogicum. Hos secutus Noster vertit: *Affluam deliciis*, puta, vina, symposia et convivia frequentabo, quæ homines animales summa æstimant gaudia. Unde Tigurina vertit: *Lætus indulgebo potentis.* Sed eodem redit uterque sensus. Salomon enim alloquitur seipsum, cordique suo dicit: *Tentabo te in gaudio*, id est, o animo mi, qui in vestigatione sapientiæ afflictionem invenisti, probabo te epulis festivis et lætis, et videbo an in iis satiem, quietem et felicitatem, quam vestigas, invenias; genio ergo indulgebo, opipare vivam. Compiut. *Assuefaciam te deliciis.*

Rursum pro *fruar bonis* hebr. est *vide in bono*, id est vide bonum, id est gusta bonum, fruere bonis: visus enim quia omnium sensuum nobilissimus, hinc pro gustu et quovis sensu capitur, ut Ps. 33. 9. *Gustate, et videte* (id est *sapite*) *quoniam suavis est Dominus*: Tigurina: *Experiar quantum in eo bonum sit*; alii: *Videbis, o anima mi, universam bonorum cohortem, et eliges tibi optimum*; Septuag. hanc gnomen ita reddunt: *Dixi ego in corde meo: Veni nunc* (Olympiod. *age iam*) *tentabo te in lætitia, et vide in bona; et etiam hoc vanitas*; Pagnin. et Tigurinus: *etiam hoc inanitas est*; Syrus: *Dixi cordi meo: Veni et investigem te in lætitia, et vide bonum; et ecce etiam hoc vanitas*; Arabicus: *Ego dixi in corde meo: Veni ut narrem tibi in lætitiis, et videam te in sorte bona, et ecce hoc vanum est*; Chald. Compl.: *Mecum vero tacitus dixi: Eia probabo me deliciis, et vivens voluptatibus fruar*; Chald. Complut. *Videbo bona sæculi huius, et quando pervenit ad me tribulatio et tristitia, dixi in verbo meo: Ecce etiam hoc est vanitas*; Aquila, *vapor et fumus est*; Auctor Catenæ: *Omnino decrevi meipsum vitiis tradere, et voluptates experiri; et intellexi hæc omnia esse vana*; Nyssen. in Septuag. videtur legisse ἐν ἀφροσύνῃ; unde vertit: *Tentabo te in insipientia*. Sed legendum cum Compiut. Vatic. et Reg. ἐν εὐφροσύνῃ, vertendumque: *Tentabo te in lætitia*; sic enim habet Hebr. Chald. Syrus, Arab. et Vulgata. Iam

I. Primo Albinus, Hugo Cardin. Dionys. Vatablus, quin et Gregor. 4. Dial. cap. 4. censent Salomonem velut concionatorem hic non tam ex suo quam ex vulgi hominumque carnalium sensu et opinione loqui. Verum id refellunt verba ipsius: *Dixi ego in corde meo*, quasi intima cordis eius hæc fuerit cogitatio et electio.

II. Secundo, ex adverso Hugo Victorin. et Auctor Catenæ Græc. censent Salomonem desperantem de felicitate per studium sapientiæ, utpote laboriosum et molestum, acquirenda, totum hic sese dedere voluptatibus, ut in iis felicitatem meræque gaudia inveniat: *Ecce*, inquit, *qualiter desperata mens totam se in voluptatem proiicit, et carnis blandimenta iam solum bona vocat, quia in eis laborem et afflictionem non invenit, quasi malam reputans inquisitionem veritatis, in qua prius plus iusto per curiosita-A tem se distendens laboravit.*

III. Tertio, S. Hieron. censet hic sermonem esse de spirituali quoque lætitia, quæ vanitas dicatur, quod per speculum eam videamus et in ænigmate, non facie ad faciem, uti faciunt beati in cælo, 1. Corint. 13. Accedit Caiet. qui vertit: *Miscebo gaudium*: ubi inquit, τὸ *miscebo* significat Salomonem non voluisse se totum abiicere velut suem in voluptates, sed eas voluisse miscere cum studio sapientiæ, ut huius tædium illarum gaudio temperaret et condiret: sicut studiosi suos habent recreationes honestas, quibus corpus animumque reficiunt, ut studiorum laborem sufferre queant; iuxta illud Catonis:

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis perferre laborem.

IV. Quarto, et genuine Salomon vestigans mentis quietem, satiem et felicitatem per res omnes totius mundi, cum eam non invenisset in studio sapientiæ, ut dixi in fine c. præcedentis, utpote difficili et tetrico, adiecit animum eam vestigare in adversa parte, puta deliciis, commodis et voluptatibus: iis ergo se dedit non ex desperatione, nec ex intemperantia, sed experientiæ causa ut scilicet experiretur quid in eis esset veri gaudii et felicitatis. Ita Nyssen. qui docet Salomonem, *certo consilio facta sua prosequi*, B *atque volentem se ad voluptates demisisse*. Vult enim Salomonem adhuc sibi mente constitisse; et *remisisse se ad ea, quæ sensui censentur esse iucunda et delectabilia: non animi ad hæc attractum perturbatione, sed ut consideraret an ad veri boni cognitionem aliquid conferat sensus, qui in eis fuerit immoratus.*

Ait ergo Salomon cordi suo adhuc sapientiæ studioso, timido, verecundo, et a voluptatibus carnis alieno, sed ex sapientiæ studio molestiore, mœrenti et dolenti, quasi blandiendo, ut ad eas illud inflectat illique mœrorem leniat et abstergat: Eia age, cor meum, obsecro, solve nonnihil rigorem tui studii, et laboris severitatem adeo molestam tantisper sepone, experire suaviora vitæ instituta, voluptatibus te recrea, gusta quod tibi propono deliciarum poculum; vide an non iucundius sit austero sapientiæ vino; experientia disces, quod adeo scire aves, an in deliciis sita sit huius vitæ iucunditas et felicitas. Id vult Nyssen. dum ait: « Gustata severiore vita delapsus est ad iucundiorum participationem, et cum se præstitisset a ri-C su alienum, gravemque et constantem, per quæ a studiosis maxime comparantur disciplinæ sapientiæ; tunc se remittit ad ea quæ sensui censentur esse iucunda, non animo. »

Iam singula verba expendamus: *Dixi in corde meo*; id est cogitavi, deliberavi, decrevi tacitus apud me et secreto in corde meo, quod publice dicere non fuissem ausus: puduisset enim me profiteri vitam voluptuariam, eamque præferre sapientiæ, ne viderer Epicureus. *Vadam.* Hæc vox significat studium vagandi et oberrandi per omnia voluptatum genera. Cum enim voluptatis illa sit natura, ut animum non satiet, sed in fine sui cum expleta est voluptuarium amaricet et stimulo doloris configat, hinc facit eius animum ab ea resilire, aliaque quærere, et alia sine fine; quia ubique invenit voluptatem desinere in mœrorem, quem fugiens aliam et aliam semper vestigat iucunditatem.

AFFLUAM DELICIIS.) Hebr. *anassecha*, id est *effundam in gaudium*, scilicet cor meum; vel *potabo in gaudium* cor meum; vel *libabo gaudiu*, id est totum me dabo gaudio, et eo circumfluam: sicut vinum vel liquor, qui libatur Deo, totus Deo libatur, et ad pedem altaris in Dei hono-

rem effunditur. Per *gaudium* metonymice intelligit non solas gustus delicias, sed et quaslibet similes gaudium sensibus afferentes: scilicet risum, vinum, domos magnificas, hortos, pomaria, familiam splendidam, opes, auri argentique thesauros, cæteraque oculos oblectantia, quæ enumerat a v. 4. usque ad 10. Sic Matth. 25. 21. dicitur: *Intra in gaudium domini tui*, id est intra in epulum nuptiale bonis omnibus quæ gaudium cient, affluens, ut si in illud intras, in merum gaudium intrare videaris. Hinc aliqui hic vertunt: *Cooperiam me gaudio.* Hebr. enim נסך *nasach*, id est *effundere*, alludit uti litteris ita significato ad סכך *sochach*, id est tegere, abscondere, operire.

Et fruere bonis.) Hebr. *Et vide bonum*, q. d. *O corculum meum, vide*, id est gusta, et experire quanta bona sint reposita in deliciis et gaudiis, iisque oblectare et fruere. Theologi distinguunt uti a frui, quod utamur mediis, fruamur fine et summo bono. Præposterum ergo est utendis frui, hisque inferioribus bonis amore adhærescere, quod est, ait Hugo Cardinalis, amplexari aream pro pretio, homunculum pro amico, gaudiola pro sponsa, vestigia pro cervo, phantasma pro re, umbram pro corpore, viam pro fine, intuitus vanissimos pro summa veritate, stillas tenuissimas pro suavitatis abysso, creaturam pro creatore Deo.

Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.) Quia deliciæ sunt illecebrosæ, hæ hominem animalem vel nominetæ dumtaxat illico irritant, et ad sui concupiscentiam accendunt: idcirco antequam eas sigillatim recenseat, ne quis earum amore capiatur, statim earum antidotum subiungit, scilicet quod sint vanæ, imo mera vanitas, idque

Deliciæ vanæ. I. Primo, quia tenues sunt, breves, et exiles, atque palatum sensumque tantum titillant et irritant; perpetuo enim fluunt fugiuntque antequam capiantur, uti docet S. August. serm. 25. de Verbis Domini. Quare animam non explent nec satiant, ideoque mox in tædium et nauseam vertuntur, uti docet S. Gregor. hom. 36. in Evang. Hinc non tam bona censenda sunt quam minora mala. Comedis (Comedere est labor. Prob.) enim quia esuris, scilicet comestio minus te affligit quam esuries: pelle comedendo esuriem, et comestio tibi pœna erit. Ita S. Bernard. serm. de primordiis, mediis et novissimis: « Comedere appetis, inquit, quia fames te cruciat. Utrumque labor est, sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere quam esurire. Sic se habent universa sub sole, ut nihil sit in eis vere iucundum, sed ab uno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine relevetur utrumque, ac si prosiliat ab aqua in ignem et inde rursus in aquam resiliat, utpote qui neutrum ferre possit. Omnis siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est. Nemo in hoc sæculo nequam quod vult habere potest, quandoquidem nec iniquus iustitia satiatur, nec voluptuosus voluptate, nec curiositate curiosus, nec ambitiosus inani gloria. » Rursum cui hæc epulas tam studiose apparat? utique corpori. Et quid est corpus? Respondeat Solon unus e septem Græciæ sapientibus; *Corpus*, inquit, *cum oritur putredo est: cum vivit bellua: cum moritur, vermium esca.* Ito nunc et sagina carnem tuam, ut delicatum vermibus post mortem epulum appares.

Denique S. Basil. in Psal. 33. *In corporis voluptatibus*, ait, *plus molestiæ quam voluptatis inest. In nuptiis sterilitas, viduitas, zelotypia; in agricultura infœcunditas; in mercatura naufragia; in divitiis insidiæ. Ipsæ vero deliciæ et saturitas, et assiduus voluptatum usus multos et varios secum trahunt morbos, multiplices affectiones.* Huc facit Proverbium Arabum cent. 1. n. 67. *Non est in durante*, id est non est durans, in *æternum voluptas: sic miseriæ non sunt reliquiæ*, q. d. Nemini umquam tam bene et volupe est, ut sit durabile; ac vicissim nullum est malum, quod finem non habeat, sive nulla voluptas aut miseria perpetua vel diuturna est. Nota Arabismum: *Non est in durante*, id est, *non est durans*. Sic dicunt: *Deus est in potente*, id est, *potens est*: *ego sum in credente*, id est, *credens*. Ergo nihil voluptate brevius aut vanius. Ubi enim ab ea labia separata sunt, nullum eius superest vestigium.

Secundo, quia magno labore, cura et sumptu parantur, quorum molestia gravior et diuturnior est modica et brevi voluptate, quæ ex iis percipitur. Quot sunt qui ut convivium splendidum instruant, plures dies, septimanas et menses sollicite curant vina delicata, phasianos, cygnos, artocreas, bellaria omnis generis, et ad ea conquirenda apparandaque turbam famulorum, cocorum, totamque familiam occupant: atque plures centenos nummos, quibus plures pauperes ad aliquot menses ali potuissent, in unum prandium expendunt, ut paucos convivas opipare excipiant ad duas vel tres horas dumtaxat? Ego certe tam modicam brevemque voluptatem tantis curis, tantaque opum, temporis et famulorum iactura non emerem, diceremque: *Nocet empta dolore*, et tanto dolore, *voluptas*, præsertim, quæ mox in mœrorem, ex quo nata est, rursum convertitur. Aspice e convivio domum redeuntes, et videbis vino gravatos, tetricos, mœstos, anxios, quod in mensa aliquid vel dixerint, vel audierint, vel fecerint, vel passi sint incongruum, molestum, noxium. Vere Sapiens: *Extrema gaudii luctus occupat.* Hinc Chald. vertit: *Cum primum advenit super me angustia, et afflictio, dixi: Etiam hoc vanitas.* II.

Tertio, quia stomachum onerant, somnum impediunt, membra cætera affligunt et cruciant, ac statim in sordes et stercore vertuntur. Nam ut ait Nazianz. Orat. 38. *Deliciæ non sunt aliud quam pretiosum stercus. Pretiosum*, quia in pretio guloso, ab eoque magno pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieron. ep. 13. ad Paulinum: *Qui Christum*, inquit, *desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere, de quam pretiosis cibis stercus conficiat; quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina.* Et Nicetas in orat. 38. Nazianz. sub finem: *Omnis*, ait, *voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est.* Id ipsi didicerunt ex S. Paulo, qui Philipp. 3. 8. ait: *Propter quem* (Christum) *omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* III.

Vere Climacus Gradu 26. *Quod si undique*, inquit, *corrupto vino fœtet, epulis satur est, cogita infelicem animam in tali corpore tamquam in sepulcro defossam.* Vivacius S. Chrysostomus, homil. 29. in Matth. *Certe*, inquit, *si posses animam hominis deliciis dediti cernere, non dubitares multo melius esse in sepulcro iacere, quam his irretitum teneri, et gravi insensibilitatis operculo tamquam saxo premi.* Et postquam ebrios et gulosos cum mortuo quatuor iam dies sepulto comparavit, subdit: *Age igitur videamus caput ipsorum vinctum: etenim cum crebro ebrii sint, perinde ut mortui multis velaminibus et institis ligantur. Ita istis omnia sensuum organa concluduntur et vinciuntur.* Ac post nonnulla subiungit: *Vidistis mortuum, nunc et pollinctorem videte. Quis igitur pollinctor est? nempe nullus alius nisi diabolus, qui eos diligenter ita stringit et polit, ut non homines, sed ligna esse videantur.*

Quarto, quia mentem obruunt, hebetant, ineptam faciunt ac stupidam, ut orare, studere, operari, ratiocinari nequeant: denique faciunt ut homo non videatur esse homo rationalis, sed porcus et brutum irrationale. Quocirca recte S. Eucherius epist. ad Valerianum: *Anne aliquis*, inquit, *ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo a suibus aut pecore nihil differt, cum beatitudinem in corporis voluptate constituat, cui Deus venter est et gloria in pudendis eius?* Hinc et illud Horatii: *Epicuri de grege porcus.* Et Seneca: *Voluptas*, ait, *non hominis, sed pecoris bonum est.* Et Clemens Alex. Exhortat. ad Gentes: *Illi*, ait, *instar vermium in cœno et voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus et stultis pascuntur deliciis suilli quidem homines. Sues enim cœno magis delectantur, quam aqua munda, et in congestæ paleæ versuri cumulo est quædam eis insana delectatio, ut ait Democritus. Ne ergo porcis efficiamur similes, sed ut germani filii lucis intueamur lucem, et sursum aspiciamus, ne* IV.

nos esse adulterinos deprehendat Dominus sicut sol aquilas. Et S. Chrysost. hom. 58. in Matth. *Quid*, ait, *deliciarum fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, imo vero etiam multo maiores. Sus enim in luto volvitur et stercore nutritur: hic vero abominabilem magis sibi mensam construit*, iniquas commixtiones excogitans. *Hic nulla certe a dæmoniaco discrimine separatur, imprudens enim et furiosus pariter est. Et dæmoniacum quidem miseramur, hunc vero aversamur et odimus, quia sponte sibi furorem attrahit, et os, oculos, aures et cætera simpliciter sensuum instrumenta amarissimas voluptatis conficit cloacas.* Et post nonnulla: *Quanto melior asinus ebrioso, quanto canis præstantior? Omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt ultra quam satis est, etiamsi mille homines cogerent, numquam elabuntur: peiores igitur estis canibus et asinis, qui inebriamini.*

Denique Plato lib. 9. de Republ. voluptuarios vocat pecora, voluptates vero umbras et simulacra veræ voluptatis; sicut Stesichorus Poeta ait: Troianos verum ignorantes Helenam, de ipsius tantum imagine contendisse. Similes ergo sunt pomis Sodomæ, quæ exterius speciosa videntur, at ubi ea aperueris, in favillas et cineres resolvuntur, uti dixi Genes. 19. ex Iosepho et aliis.

V Quinto, quia febres, morbos et mortem creant. Nam ut ait Sapiens: *Plures occidit crapula, quam gladius. Propter crapulam*, ait Eccli. cap. 37. 34 *multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Vide ibi dicta. Præclare S. Chrysost. homil. 45. in Matth. *Quemadmodum*, ait, *acuti vepres utcumque capiuntur atque constringuntur, manus cruentant; eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis omnibus similiter membris efficiunt; steriles etiam sunt, nullum quemadmodum vepres fructum producentes, ac multo magis quam cætera pene omnia hominem conficiunt. Deliciis enim senectus citius surrepit, deliciis sensus obtunduntur, deliciis cogitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, corpus dissolvitur, maior stercoris copia reconditur, atque reponitur: ita ex ingenti afflictorum acervo, navigio nimium oneribus oppresso, crebra contingunt naufragia. Quid enim, responde, quæso, ita corpus pingue efficere studes? An ut te ad immolandum deducamus, an ut mensæ immolatum apponamus? aves certe pingues ad saniorem dietam inutiles sunt.* Et inferius: *Quare amentiam atque stoliditatem ipsorum inde maxime quispiam admirabitur, quia nec ita sibi parcere volunt, sicut utribus cæteri. Nam qui vina huc illucque traducunt, nolunt nimium utres implere, ne distenti rumpantur: isti vero ærumnosum ventrem nec utris quidem dignitate condonant, sed distentant et replent usque ad fauces duplices.*

VI Sexto, quia deliciæ pertrahunt hominem in gulam, ebrietatem, crapulam, et gehennam; adeoque signum reprobationis certum est, si quis in hac vita divitiis et deliciis abundet; prædestinationis vero e contrario, si quis utrisque careat, uti patet in divite epulone et Lazaro, Luc. 16. v. 25. ubi Abraham ait ad epulonem, suam et Lazari opem implorantem: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Causam dat S. Hieron. epist. ad Furiam de Viduit. serv. *Non Ætnæi ignes*, inquit, *non vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ et dapibus inflammatæ.*

Deliciarum ergo vanitas et noxa ex eo liquet, quod gulosus carnem suam saginat ad fomenta gehennæ: sicut herus saginat porcum ut mactet, iuxta illud Martial. l. 14.

Ille tibi faciat bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Hinc porcus dictus est, quod porrecto rictu pascatur, et terram, dum herbarum radices rimatur, latius porrigat. Gulosus ergo est Epicuri de grege porcus, quem impinguat dæmon ad saginam gehennæ. Exstat hac de re eleApologus gulosi gans Apologus vulpis et porci apud Cyrillum lib. 4. Apolog. mor. c. 2. *Lauto*, inquit, *porcus a suo domino enu-* A *tritus, cum impinguatus recumberet, ad eum vulpes veniens salutavit et dixit: Quomodo est tibi, frater? At ille respondit: Quid petis? Nonne cernis ut lætus, satiatus, incrassatus, numquam fatigatus, sed semper delectatus quiesco.* Sine cura ergo, procurante hero, semper vivo in crocsis. *Ut quid ergo tu tota die vaga et famelica circuis, et cum tali amico ad habitandum non venis?* Quibus auditis vulpes insensatum deridens, subiunxit: *Certe verum est, quod crassities obtundit sensum, tollit motum, et continuatæ deliciæ subvertunt intellectum. Propter hoc parum vidisti, nec umquam recte iudicasti. Nimirum iste homo piscator factus est super terram, sibi dulcedine adornat hamum, et ad mortem suaviter trahit incautum. Ille magnes effectus est hominis attractione, qui cum risu occidit, et sibis allectum deducit ad suspendium, et veluti venator callidus dulci fistula vocat ad laqueum. Replet enim ventrem tuum, ut te decoctum sapidius comedat. Dat furfures, ut pinguiorem te faciat; accommodat brodium, ut carnem amet. O si intrasses domum eius et diligentius cir-* B *cumspexisses, profecto ex aliis infumatis porcis ibi pendentibus, quos ita nutriverat, ab eo tibi præparatum incendium cognovisses. Bonis ergo et dulcibus cibis te ducit ad mortem, et hasce delicias convertet tibi in tristitias sempiternas.* Unde hoc epimythium abstinentiæ colligit: *Abiit a me talis amicus, qui subornat amore odium, et æternæ mortis sub mundi deliciis condit hamum. Abominor cibum eius, et manum blandientem repudio, ac ex animo eius solatium sperno. Nolo sane ut risu me conducat ad luctum, et suis falsis deliciis a me pellis separet vitale consortium. Calicem Pharaonis eligo, non ferendorum rastrum; sperno paleam, non flagellum: sagittam Ionathæ diligo, et Ioabi basium refugio. Quibus dictis, mox fugit.*

RISUM REPUTAVI ERROREM; ET GAUDIO DIXI; QUID FRUSTRA DECIPERIS?) Vers. 2. Deliciis subnectit apte risum, quia deliciæ et gaudia hominem solvunt in risum, q. d. Solent homines deliciis diffluere, indeque solvi in risus, cachin- C nos et inepta gaudia, quasi iam adepti summum suum votum, summum bonum et felicitatem rerum: ego deprehendi illos toto cælo aberrare; nec mentis quietem, multo minus felicitatem esse consecutos; sed potius ex iis gravatos, inquietos, anxios, et mœstos discedere: quare eorum risum dixi non esse risum, sed errorem, ac gaudium non esse gaudium, sed deceptionem.

Per *risum* ergo et *gaudium* accipe nimiam et effusam lætitiam, tum internam, tum externam, quæ risu, iocis, et cachinno proditur. Item delicias, divitias, rerumque splendorem et copiam, quæ lætitiam hanc risumque cient; per metonymiam, ut risus ponatur pro obiecto, vel causa risus, puta pro illecebris, quæ risum cient. Minus apte ergo Arboreus hunc risum aptat ad irrisores, et subsannatores, quasi in illos hic invehatur Salomon. Est apostrophe ad emphasin et pathos. Alloquitur enim risum et gaudium quasi personas stultas et fallaces, easque obiurgat, ac stultitiam et fallaciam exprobrat.

Pro *errorem* hebr. est מהולל *meholal*, quod R. Sa- D lomon vertit *mistum*, a radice מהל *mahal*, id est, *miscere*, iuxta illud Isaiæ 1. 22. *Vinum tuum mistum est aqua.* Alii vero censent passim litteram primam *mem* in *meholal* esse servilem, non radicalem; radicem enim esse הלל *halal*, id est ovavit, iubilavit, laudavit. Unde aliqui vertunt: *Risui dixi: Laudabilis esto;* quo respexisse videtur Syrus, dum vertit: *Risui dixi: Utilis sis.* Verum cæteri omnes contrarie vertunt. Unde *meholal* Noster primo vertit, *errorem*; secundo Chald. *derisionem*; tertio, Symmachus. *tumultum*; quarto, Septuag. περιφοράν, id est, *circumlationem, circulationem*; quinto, Nyssen. Olympiod. et alii vertunt, *amentiam*.

Primo ergo Noster vertit *errorem*, q. d. Risus est error, et ridiculi errant: quare longe absunt a vera sapientiæ et prudentia, quia temere, sine iudicio et debita mensura ob res et voluptates mundanas tam exiles et viles adeo gaudent sibique applaudunt, ut in effusum risum et cachinnos prorumpant, cum, ut paulo ante dixi, deliciæ

Risus est error, cur?

mœrorem pariant, fletumque potius ciere debeant quam risum. Nam ut ait S. Augustin. loco mox citando: *Qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant: et qui rident de rebus vanis, de malo suo rident.* Errant ergo, quia gaudent ubi dolere, rident ubi flere deberent: sicut infantes ludunt et rident, etiam dum parentes ipsorum moriuntur. Unde Physici docent risum oriri ex admiratione, admirationem ex ignorantia: hæc autem error est, vel errori coniuncta. Error ergo notat immodicam animi exsultationem, supra quam oporteat aut deceat, supra modum, supra mensuram, supra quam rerum merita et ordo patiantur. Errat enim qui de re et delectatione modica non modice, sed summe gaudendum iudicat, ideoque summe gaudet, ridet et cachinnatur. Rursum per *dixi errorem* intellige, *compescendum esse*: error enim corrigendus est, et quod nimium est in risu vel alia re, hoc refrænandum et compescendum est, ut sit metalepsis. Unde Thaumaturgus vertit: *Risum solutum compescui, et voluptatem ad temperantiam coercui, acerbeque ei succensui.* Risus enim immoderatus, error est, tum passive, quia revera errat uti iam dixi; tum active, quia ridentes errare facit, seducit et decipit, ut in delicias se effundant, ob quas mox summe dolebunt et lugebunt: quare utraque de causa frænandus et compescendus est.

Idem est ridiculus. Secundo, Chald. vertit: *Risum dixi derisionem in tempore tribulationis meæ*, vel ut Costus vertit: *De lætitia ipso calamitatis tempore dixi: Ridicula est:* quia ridiculum est ridere ob rem levem et nullius momenti. Risus enim hic dignus est qui irrideatur. Unde sapientes rident ridentes temere, sine ratione: quin et mundus suis ludicris provocans nos ad risum, irridet nos. Unde S. August. serm. in cap. Ieiunii: *Iste mundus*, ait, *aut ridet nos, aut irridetur a nobis; aut despicimur, aut contemnimus.*

Et tumultus. Tertio, Symmachus vertit: *Risum dixi tumultum, idque sine causa;* et Arabicus: *Risui dixi: Quæ est causa elationis tuæ?* Qui enim effuse rident, plaudunt et cachinnantur, magnos excitant strepitus, clamores et tumultus, iactantque inconcinne caput, brachia, totumque corpus, utpote agitati et concussi ab effrænata lætitia.

Moral. disce hic mundi illecebras plenas esse stulto clamore et strepitu. Itaque mundi risus, ait Pineda, tumultus est, vociferatio est; et cum animi tranquillitatem atque quietem illæ eius deliciæ polliceantur, nihil minus quam quietem efficiunt; quippe nihil aliud sunt quam animi commotio, perturbatio, fremitus, clamor, tonitru, et si quid aliud est, quod animi quieti et tranquillitati adversetur. Dicas mundanam vanitatem instar gallinarum vili ovo partu gracillare, atque perstrepere cantando. Quamquam is tumultus sive cantus non tam lætitiæ et risus, quam interni doloris, singultus et conceptæ vanitatis argumentum est. Sic de ea ipsa ave testatur Columella: *Parituras se gallinæ testantur crebris singultibus.* At doloris quæ causa alia, quam quod parto ovo venter vacuus vanissimum aerem susceperit? Ita Columella lib. 8. c. 5. Adde gallinas subinde parere ova subventanea, imo inania et vento turgida: talia prorsus sunt vana mundi gaudia. Nota τὸ *elationis tuæ*, ut vertit Arabicus. Risus enim effusior et iactantior signum est elevationis et fastus, qualem præ se ferre solent gloriosi et arrogantes, qui sua ostentant et iactant, spernentes alios et subinde Deum ipsum. Unde Hebr. *meholal*, significat superbiam, stultitiam, et impietatem arrogantium; ut patet Ps. 74. 4. *Dixi iniquis: Nolite inique agere;* hebr. est *laholalim al tohollu: Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

Et vertigo. Quarto, Sept. vertunt: Risum dixi περιφοράν, id est circumlationem, circuitum, circumvagationem, vertiginem, item errorem, hallucinationem.

1. Unde primo, Thaumaturgus per circumvagationem accipit risum solutum, temereque vagantem in ineptos iocos, cachinnos, gesticulationes, iactationes capitis, manuum cæterorumque membrorum, uti faciunt stulti. Se-
2 cundo, Olympiod. vertit: *Risui dixi: Circumvagare longius a me, ut abscede;* sed hoc alienius videtur. Tertio, mellius alii censent risum vocari circumvagationem, quod hominem extra modestiæ ac rationis fines educat, et in inconditos effusæ lætitiæ gestus prorumpere, errare et vagari faciat. Quarto, quod hominem intemperantem per 4.
omnia voluptatum genera, ut sese exsatiet, oberrare compellat, velut miserum mendicum et vagabundum; instar eius qui laborat capitis vertigine, ut in orbem ire et circulare semper optet. Unde S. Basil in Psalm. 1. in Catena Græc. citans hunc locum, risum vocat vertiginem: *Omnis anima*, ait, *quasi vertigine correpta ratiocinando vacillat, cum et cælestia in eligenda virtute animo versat, et cum præsentia intuens voluptatem præfert.* Quin- 5.
to, quod homini gravem errorem et hallucinationem inducat, uti dixi explicatione prima: περιφορὰ enim hic potius errorem, uti habent Hebr. et Vulgata, quam circulationem significat. Sexto, περιφοράν, sertas *circumlatio-* 6.
nem, id est delirium et amentiam. Unde

Quinto, Nyssenus vertit: *Risum dixi mentis emotionem;* Et mentis emotio vel insania
Olympiod. *Dixi risui amentiam*, q. d. *Insanus es ut emotæ mentis*, quia effuse ridendo indecore te geris formamque pervertis, ut ob gestus ridiculos merito videaris, amens et stultus. Additque *risum*, id est voluptates terrenas, vocari περιφοράν, id est circumlationem, *vel quod*, inquit, *ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena, quæ materiam suggerunt lætitiæ ac voluptati; vel mutato in α, non περιφοράν legimus, sed παραφοράν, hoc est insanam extasin mentisque excessum: insanire enim videntur, ac esse sui obliti, qui in loco miseriæ et lacrymarum, lætandum sibi esse falso existimant.* Et huiusmodi sunt, qui ut dixit Seneca cap. 12. de Vita beata: *Hilari insania insaniunt, ac per risum furunt.* Hinc vertunt nonnulli: *Risum dixi insaniam;* alii: *Risui asnetum vocavi amentem;* alii: *Risui et iucunditati dixi: Insanis, vel insanire facis.* Hebr. enim הלל *halal*, significat in altum attollere vocem laudando et iubilando; unde *Halleluia* est canticum lætitiæ, iubili et laudis. Hinc per catachresin *halal* significat stultescere, insanire. Solent enim stulti gloriabundi et iactabundi cum effuso clamore, risu et cachinno res suas supra fidem et veritatem celebrare et deprædicare, quod certum est amentiæ signum. Qui ergo de re nihili et voluptate vili adeo gaudet, ut in risum et cachinnum effundatur, est emotæ mentis, iactabundus et insanus; præsertim quia voluptatem expertam fastidiens, aliam et aliam inutilem et noxiam circumvagando quærit instar famelici, miseri et dementis, iuxta illud Sapient. 4. 12. *Inconstantia* (græce ῥεμβασμὸς, id est *turbo*) *concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Rationem dat Nyssen. risum ita describens: *Oris indecora dilatatio, tremorque spiritus et totius corporis concussio, et genarum diductio, dentiumque et linguarum et palati apertio, colliquæ et vocis præter rationem fractio, quæ simul cum fractione spiritus intersecatur, quid hoc aliud fuerit quam dementia?* Unde Græci hunc immoderatum et impotentem risum vocant [illegible], quod totum hominem quatiat; et Nazianz. in Car. Cygneis: *Risus*, ait, *est genarum impulsus et subsultatio cordis.*

Causa a priori Physice est, quod risus oritur ex petulantia quadam lienis, quando a sanguine fæcem maxime haurit: tunc enim extendit solvitque nervos et arterias, atque spiritus dispergit. Unde subinde his extenuatum corpus suopte nutu decidit. Hinc risu nonnullos legimus mortuos et animam exhalasse, uti Zeuxi et Verrio pictoribus eximiis contigisse docet Rhodigin. lib. 4. c. 48. Causa et ratio a priori.

Rursum Arist. lib. 3. de Part. anim. c. 10. causam risus assignat titillationem. « Rident enim celeriter, inquit, qui titillantur, quia motus celeriter ad eum locum perveniat, qui quamquam leviter calefaciat, tamen aperit, et mentem movet præter voluntatem. Causa autem cur homo animalium unus titilletur, et cutis tenuitas est, et quod solus animalium omnium rideat. Est enim titillatio risus per eiusmodi motum partis, quæ alam complet. Ictum etiam, traiectis præcordiis, in prœliis risum attulisse proditum est, scilicet ex calore, quem movet vulnus. » Titillatio causat risum.

Qui ergo immodice rident, immodicam habent titilla-

tionem, vel corporis, vel animi, ideoque in effusum risum solvuntur, quod animi sui impotis ut amentis est signum: mox enim titillatio hæc in dolorem, et risus in mœrorem convertitur; sicut candela exstincta, flamma vertitur in fumum, et lux in caliginem. Hinc videmus melancholicos effuse lætari et ridere, mox cessante lætitia et risu magis fieri tristes vel iracundos quam fuerint ante; unde Beda in Proverbiis: *Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram.* Plenius et clarius Conimbr. lib. 3. de Anima cap. 13. q. 1. art. 6. Physicas causas risus ita assignant: Offerente se nobis re iucunda, et quæ risum excitare queat, perfunditur animus gaudio et lætitia, qua infectum cor suum impatiens se dilatat, magnaque sanguinis effervescentiæ et vitalium spirituum fit diffusio, ad quam musculorum thoracis, ac præsertim diaphragmatis motus sequitur (est vero diaphragma membranula quædam, partim carnea, partim nervosa, præcordia a visceribus disiungens, quam Arist. 3. de Partib. animal. cap. 1. succinctoram vocat, eiusque munus esse putat impedire ne vapores, qui a ventriculo attolluntur, cor lædant) ad diaphragmatis autem agitationem ut porrectionem extenduntur simul musculi, qui a lateribus buccæ sunt, gestusque ille oris fit qui risus vocatur, quo animi gaudium et lætitia exprimitur. Erit igitur causa efficiens risus, principalis quidem anima, instrumentaria appetitus et virtus motum exsequens, simulque effusio sanguinis et spirituum, qui sunt quasi anteambulones risus; finis, gaudii seu lætitiæ explicatio; forma, ipsa oris ac faciei diductio. Ita vero hunc in modum risus definiri potest: *Risus est concitatio quædam animi ex re iucunda motus, ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis ut oris musculi impetu quodam moventur.* Sunt autem quidam ad risum proclives, alii severi. Nam cum obiectum risus sit res nova, ii quibus quodlibet novum videtur, ut pueri et plebs, ex causa hac facile rident; non ita senes et philosophi. Item quia obiectum risus est res iucunda et læta, ducuntur assidue in risum ii, qui suapte ingenio hilares sunt, quales fere esse solent, qui plurimum habent sanguinem, et eum dulcem, non biliosum aut melancholicum.

Modus quo causatur risus.

Quatuor causæ risus.

Sic Agelasti, id est, qui numquam in vita risere, fuerunt Anaxagoras, Heraclitus, Phocion, Aristoxenus, Socrates, Cato, Crassus, uti Cicero, Plinius, Ælianus, Laertius et alii testantur.

Agelasti qui?

Nota hæc de intempestivo nimioque risu dici; nam modicus et tempestivus hominem decet, eiusque naturæ congruit, ac serenum lætumque efficit. Unde Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 5. docet risum homini esse naturalem et congruam, si ei modus adhibeatur: *Concinna*, inquit, *et decora vultus per risum remissio, instar instrumenti musici est μειδίαμα, id est subrisio: inconcinna vero est dissolutio et cachinnatio.* Et Philo lib. de Præmiis et pœnis, ridendi affectum inter alios honestissimum dicit, ut qui repleat tranquillitate ac securitate totum animam. Risus ergo animum hilarem efficit. Unde Martial. l. 7. Epigr. 24.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.

Gelasinus, id est, diductio oris, et lineæ quæ ridendo efficiuntur; γέλως enim Græcis est risus. Hinc sicuti Vitulinæ et Lubentiæ, lætitiæ præsidibus, Romani divinos honores decreverunt, sic Risum in Deos retulerunt Græci, diemque festum instituerunt, et annuos ludos cum solemnibus sacris ei Deo fecerunt, præcipue Thessali et ex iis Hypatenses, qui veneratione cultuque γέλωτος θεοῦ valde celebres et insignes exstiterunt. Lycurgus quoque, severissimæ ac rigidissimæ auctor disciplinæ, Risus marmoreum simulacrum Spartæ in delubro posuit; sanxitque, ut cives sui militiæ laboribus perfuncti, ei Deo religiose supplicarent, ait Gyraldus Syntagm. 1. ubi elegans carmen Cœlii Calcagnini in Risum recitatur. Ita noster Pontanus in Atticis bellariis num. 113.

Risus Deus.

Ineptus ergo, immodicus, scurrilis, et inhonestus, qui ex obiecto turpi oritur, hic risus intelligitur, qui homines omnes, sed præsertim fideles, prædicatores et religiosos dedecet. Unde S. Aug. S. Basil. S. Bern. et alii notant legi sæpius de Christo, quod fleverit, numquam quod riserit. Hinc et eius voces sunt: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis.* Lucæ 6. 25. Hinc et notat S. Chrysostom. homil. 6. in Matth. in Scripturis non legi de Paulo, vel quolibet alio sancto, quod riserit. Excipit S. Chrysostomus Abraham, qui sanctus fuit et risit, accepto oraculo de Isaac sibi nascituro, Genes. 17. 17. Quocirca S. Basil. Reg. 31. ex Brevior. et S. Ephrem t. 1. tract. *Non esse ridendum*, p. 140. in edit. Vossii Romana, videtur omnem omnino in fidelibus, præsertim monachis, qui luctum profitentur damnare risum. Quærit enim sanctus Basilius: *An in universum ridere non liceat?* ac respondet: *Cum Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, admodum perspicuum est nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat, et maxime in tam magno numero eorum, qui per transgressionem legis Deum inhonorant, et in peccatis morti se dant, quorum vice mærere et gemere convenit.* Verum hoc intellige de multo, crebro, et effuso risu; item de necessario, unde caute ait: *In quo ridere debeat*, non *liceat*; modicum ergo et sanctum, qui ob conversionem peccatorum, de qua teste Christo gaudent Angeli, similive pia de causa nascitur, non vetat, uti patet ex eius Admonit. ad filium spiritualem. Nam ut ait Eccli. cap. 21. 23. *Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Vide ibi dicta. Refert sanctus Gregorius lib. 4 Dialog. cap. 14. 5. Isaac magnis virtutibus clarum tanta tamen lætitia perfusum, ut per eam suas virtutes celare, imo nonnullis obscurare videretur. Salomonem secuti sunt Philosophi. Celebris inter eos est Heraclitus, qui quoties domo egrediebatur, flebat, sicut Democritus vice versa ridebat; quod illi, omnia quæ agimus, miseriæ, huic ineptiæ viderentur. Plato lib. 3 de Republ. in risum nimis profusos damnat: *Nam effusum risum*, inquit, *vehemens mutatio sequitur.* Epictetus in Enchiridio: *Risus*, ait, *neque multus neque ob multa, neque solutus.* Dion. Philos. apud Stobæum serm. 72. *Risus continuus et intentus*, ait, *deterior est iracundia. Idcirco maxime viget in scortis et pueris stolidioribus. Mihi sane facies magis ornari videtur lacrymis quam risu; lacrymis enim ut plurimum bona aliqua doctrina coniungitur, risui vero lascivia: et flendo quidem nemo sibi concitavit auctorem contumeliæ, ridendo autem spem dedecoris auxit.* Sed errant stolidi Anabaptistæ cognomento Eiulantes, qui perpetuo flent ut ululant, dictitantes, nihil æque gratum esse Deo ac iugiter lacrymari et eiulare, uti refert Staphylus, et ex eo Gabriel Prateolus in Catal. Hæresum, verbo *Eiulantes.*

S. Basil. vetat omnem risum quo sensu?

Gnomæ de risu.

Et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?) Explicat risus errorem: scilicet, quod risus ut gaudium huius mundi non sit aliud, nisi mera fraus et deceptio: promittit enim animo quietem, lætitiam, felicitatem, ut non præstat, sed potius contraria affert, scilicet inquietudinem, mœrorem, miseriam. Hoc enim posterius hemistichium more Hebræo, explicat prius, uti crebro fit in Psalmis. Risus ergo idem est quod gaudium, error idem quod deceptio.

Hebr. et Septuag. habent: *Et gaudio dixi: Quid hoc facis?* Symmachus: *Quid ipsa facis?* Syrus: *Quid fecisti?* Arabicus: *Cur fecisti hoc?* Pagnin: *Quid boni facis?* Tigurina: *Lætitiam nescio quid parere;* Vatablus: *Quidnam est id quod affers?* Chald. *De gaudio sic censui: Quæ utilitas est viro, quod eo mirifice incensus fuerit?* alii clare, q. d. Quorsum tu effundis in risum, iocos et effusam lætitiam? Pineda vertit: *Quid hoc coquis?* q. d. Putas te coquere delicias, at nescis te coquere res amarissimas; putas te coquere epulum, at coquis morborum mortisque pabulum. Paras mel, at invenies fel. Sic facere pro coquere sumitur Gen. cap. 18. 7. ubi de Iacob coquente hœdum dicitur: *Festinavit et coxit* (hebr. *et fecit*) *illum:* facere enim coci est coquere. Gaudium ergo decipit perditque hominum, et simul ipsum cum homine decipitur, quia veram solidamque et permanentem lætitiam, quam promittit, non affert, sed illico desinit et in mœrorem convertitur. Per *gaudium* accipe delicias, et quasvis voluptates parientes gaudium, sed fallax, fucatum, et in vanum opi-

sione dumtaxat hominum iis inhiantium sitim, cum reipse potius pariant mœrorem et luctum. Unde pro *gaudio* Thaumaturgus vertit, *voluptati*; alii *iucunditati*: quare voluptates, quæ videntur esse, revera non sunt, nec mentis inopiam et aviditatem explent, uti fatentur et sero dolent damnati in inferno, Sapient. 5. 4. Audi Nyssenum: *Tamquam feræ alicui ad meos sensus adrepenti, voluptati statim resistebam et adversabar, dicens: Quid facis? quid naturæ virtutem effœminas? cur animi robur emollis? cur animæ vires enervas? cur affers interitum rationi? cur impurarum cogitationum serenitatis puritati caligine tua immittis tenebras?*

Salomonem secutus M. Aurelius Imper. ita de vanitate mundi ad suos peroresse dicitur: « Quæ sum expertus libere proferam, licet cum mei nominis nota, sed olim forsitan futuro sæculo profutura. Per omnia me vitia exercui, periculumque feci, possetne seipsam exsaturare humana malitia. Deprehendi quo plus cibi sumo, famem acriorem; quo bibo magis, ardentiorem sitim; quo sum in somno indulgentior, maiorem somni cupiditatem; quo plura mihi sunt adhuc, his plura concupiscere; quo quæro diligentius, minus invenire: nihil demum umquam obtinuisse, quod appetitum sedaret, ac non aliud habendi potius libidinem provocaret. »

Vers. 3. COGITAVI IN CORDE MEO ABSTRAHERE A VINO CARNEM MEAM, UT ANIMUM MEUM TRANSFERREM AD SAPIENTIAM, DEVITAREMQUE STULTITIAM, DONEC VIDEREM QUID ESSET UTILE FILIIS HOMINUM: QUO FACTO OPUS EST SUB SOLE NUMERO DIERUM VITÆ SUÆ.) Hebr. et Chald. *Donec probarem et viderem, quid ex eis esset bonum filiis hominum, ut facerent, cum ipsi subsistunt in hoc sæculo sub sole numero dierum vitæ suæ. Reputavi quid non bonum esset in hominibus, et quidnam operari possent dum in hoc mundo sunt, ex quo perpetuam in hac vita lætitiam voluptatemque consequantur*; Syrus: *Cogitavi in corde meo lætificare vino carnem meam: et cor meum cogitavit sapientiam, et tenuit stultitiam*; Arabicus: *Et speravit cor si posset trahere humanitatem meam, tamquam abstractionem vini: misit enim me cor meum ad sapientiam, et ad amplectendum gaudium per eam, etc.*

Nota: pro *ut abstraherem a vino carnem meam*, hebr. est: *Ad trahendum in vino* (vel *in vinum*) *carnem meam*.

Quod primo nonnulli sic explicant de mixtura sapientiæ cum voluptate, q. d. Ego Salomon expertus in solo sapientiæ studio magnum inesse laborem et dolorem, in solis vero voluptatibus magnam inesse vanitatem et vilitatem, statui utramque coniungere, alteramque altero miscere et temperare, sicque experiri an in hac mixtura animus conquiesceret, et quæsitam diu tranquillitatem felicitatemque reperiret: decrevi ergo trahere in vinum carnem meam, id est, indulgere carni potum vini ad excitandam lætitiam, et ad sufficiendos spiritus animales, qui necessarii sunt ad contemplationem et studium sapientiæ: cor vero et mentem statui dare sapientiæ, ut sic et caro suas vini delicias, ac cor sive mens suum sapientiæ pabulum epulumque nancisceretur. Ita ex R. Abraham Vatablus: *Cum vidi*, inquit, *quod sapientia sola generat dolorem, et quod risus solus non prodest, scrutatus sum viam ut concordarem utrumque, et traxi carnem meam in vinum, et intellectum meum in sapientiam*.

Verum incongrua videtur hæc expositio, tum quia nemo ex professo potest simul vacare sapientiæ et gulæ, præsertim vinolentiæ, iuxta illud S. Hieronym. *Non potes simul implere ventrem et mentem*; venter enim mero æstuans, offuscat hebetatque caput, ne possit contemplari, meditari et studere sapientiæ, idque optime sciebat Salomon; tum quia suum de huius mixturæ experimento iudicium utique more suo subiecisset Salomon, dixissetque: *Et inveni quod hoc quoque esset vanitas*; hoc autem non fecit.

Secundo, Chald. vertit: *Exploravi in corde meo attrahere in domum vini carnem meam*, vel ut vertit Costus, *ut inter epulas et pocula corpus meum producerem*. Sic et Syrus. Et Vatablus: *Indagavi ergo corde meo corpus meum diutina voluptate oblectare*, quasi trahere sit idem quod distendere, ac protrahere moram. Et Caietanus: *Trahere carnem in vino*, ait, *est esse bibacem, et numquam esse sobrium. Huiusmodi enim homines trahunt carnem suam in vino: et quoniam privantur actibus veræ vitæ rationalis, utpote numquam plene sobrii, idcirco non tam vitam quam carnem suam trahunt, non ducunt, usque ad mortem*. Accedit S. Hieronym. qui in Comment. vertit: *Consideravi in corde meo, ut traherem in vino carnem meam*; sicque explicat: *Volui vitam meam traducere deliciis, et carnem meam ab omnibus curis liberare, et quasi vino, sic voluptate sopire*. Deinde quod sequitur: *At cor meum deduxit me in sapientia*, ita cum posteriori nectit, ut significet luctum carnis et spiritus, sive vinolentiæ et sapientiæ in Salomone. Unde hebr. est: *Cor meum deduxit in sapientia*, id est, ait S. Hieronym. *Cogitatio mea et ratio naturalis retraxerunt me, et deduxerunt ad sapientiam requirendam stultitiamque calcandam, ut viderem quidnam boni illud esset, quod homines in vita sua possent agere curriculo. Eleganter autem voluptatem ebrietati comparavit. Siquidem ebrietas evertit animi vigorem: quam qui potuerit sapientia commutare, et* (*ut in quibusdam codicibus habetur*) *obtinere, is poterit ad scientiam rei istius pervenire, quid in hac vita appetendum sit, quid devitandum*.

Tertio, Sept. pro ביין *beiain*, id est *in vino*, legentes כיין *keiain*, id est *sicut vinum*, vertunt: *Consideravi si cor meum trahet ut vinum carnem meam, et cor meum deduxit me in sapientia, et ut obtinerem lætitiam*. Ubi nota pro *trahet* græce est ἑλκύσει, pro quo Thaumaturgus et alii nonnulli legunt ἐκλύσει, id est dissolvet; sed prior lectio conformis est Hebræo, Vulgatæ, Chaldæo, Syro, Arabico et cæteris. Sensus est, q. d. Cogitavi facere de vino, quod feci de risu, dicens: *Risum reputavi errorem*. Cogitavi ergo experiri, an sicut vinum attrahit carnem et palatum suo gustu et dulcedine, ita Sapientia suo decore et specie attraheret ad se cor et mentem, ut ipsa sapientiæ se dedens traheret ad se carnem, dominaretur voluptati, compesceretque omnes gulæ et vinolentiæ appetitus. Ita Moringus: *Cogitavi mecum*, inquit, *an animus et ratio sit efficax ad trahendam carnem meam sicut est vinum*, id est, quam est vinum efficax ad trahendam carnem et gulam. Olim enim dubitatum fuit an vinum fortius sit quam rex, quam mulier, quam veritas, ut patet 3. Esdræ 3. Accedit S. Gregor. Thaumaturg. *Cum eam*, inquit, *vim esse animæ cogitassem, ut temulentam corporis naturam atque instar vini diffluentem sistere possit, rursusque continentiæ cupiditatem domare, perspiciendum mihi esse constitui, quidnam tandem hominibus propositum sit serium, æqueque bonum et honestum*. Eam vero cum vino comparationem urget adhuc Olympiod. *Poculum*, ait, *quod bibentes haurimus, a conspectu nostro tollitur, et evanescit. Consideravi itaque num in prosperitatibus mundanis voluptatibusque humana mens esse possit ita virilis, ut absumere ac delere valeat, quasi vinum epotum, concupiscentias carnis*. Igitur Salomon erubescens se victum a vino, cogitat sic vincere vinum. Cogitat ergo experiri an non potentior sit mens ad vincendum vinum, domandamque gulam, quam vinum fuerit ad vincendam, et de statu rationis deiiciendam mentem. Ita Nyssen. *Si quando*, inquit, *sentiebam voluptatem sensim irrepere, ac blandiri, et sensus delinire; continuo resistebam increpans, quod me emollire ac effœminare vellet: ad hunc modum considerabam, quemadmodum motus corporis ratio vinceret, in ipsa secum natura pugnaret ac dissideret: cum alio mens, alio traheret caro, quin potius ratio carnis prudentiam absorberet. Sicuti cum sitientes exhauriunt poculum; neque enim remanet vinum in eo, sed mutatur in eum, qui bibit illud: quo facto expedita et certa exstitit mihi via, omni remoto errore, ad scientiam rerum*.

Quarto, et genuine S. Hieronymus, qui in Comment. verterat: *Ut traherem in vino carnem meam*; postea iussu Damasi Vulgatam eadem versionem, re melius consi-

derate vertit: *Ut abstraherem a vino carnem meam*; illamque versionem recepit et probavit Ecclesia. Hebr. enim משׁך *masciach*, significat trahere cum omnibus compositis (compositis enim carent Hebræi, ideoque pro iis utuntur verbo simplici, sive ipsa radice et themate) scilicet attrahere, protrahere, detrahere, abstrahere. Rursum ביין *beiain*, id est, *in vino*, non raro sumitur pro מיין *miiain*, id est, *a vino*; ב enim subinde capitur pro מן *min*, id est, *a*, *abs*, *de*; itaque hic accipiendam esse patet ex nexu et filo totius orationis. Præcessit enim, *risum reputavi errorem; et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Huic enim apte subiungitur: *Cogitavi abstrahere a vino carnem meam.* Per vinum enim æque ac per risum, symposia, convivia et quaslibet voluptates carnales, accipit per synecdochen. Ex vino enim sequitur luxuria, risus, tripudia, omnisque lascivia. Proprie tamen vinolentiam intelligit; hæc enim contraria est studio sapientiæ, quia fumus vini caput hebetat, offuscat, ac subinde ratione et iudicio privat, ut sapientiæ vacare nequeat. Per vinum ergo, immodicum vini usum accipe. Nam vinum modice sumptum acuit ingenium.

B

Sensus ergo est, q. d. Cum deprehendissem risum, omniaque mundi gaudia esse meras vanitates, errores et deceptiones, cogitavi abstrahere carnem meam a vino, cæterisque voluptatibus, ut vacarem sapientiæ, donec per eam viderem quid hominibus esset utile ad consequendam solidam lætitiam et felicitatem: *quo facto opus*, id est, quidque eos facere oporteat sub sole omnibus diebus vitæ suæ, ut in ea dicta lætitia et felicitate persistant constanter per totam vitam. Hunc esse sensum liquet ex Hebræo, Chald. Olympiod. et Patribus in Catena Græc. qui sic explicant: *Cogitavi qua ratione rerum intelligibilium studium superius carnis sensum intelligibili animæ parti obedire cogat, quasi tracto et cedente deteriore præstantiori;* alius ibidem: *Suspicans*, inquit, *voluptatis accessionem, non secus ac furis cuiusdam accessum, qui sese in thesauris animæ latenter insinuat.*

C

Iam singula verba expendamus: Pro *cogitavi*, hebr. est תרתי *tarti*, id est pervestigavi, exploravi, circumlustravi. Radix enim תור *tur*, significat indagare, per gyrum lustrare singula in orbem, circumspicere omnia circumcirca per ordinem. Unde תור *tor*, est *turtur*, quod caput assidue gyrat, ut omnia circumspiciat, quodque meditabunda quasi secum consultet et deliberet; licet alii a sono vocis quem gemendo edit, turturem dici autument. Significat ergo Salomon se non temere ex tempore hæc pronuntiare; sed magno examine prius omnia scrutatum, hæc maturo iudicio dictare. Ex vestigatione enim et examine per metalepsin intelligendum relinquit iudicium et decretum, quod post examen sequi solet. Τὸ *abstrahere a vino* notat magnam naturæ corruptæ ad vinum et voluptates inclinationem, ut ingenti vi et dolore ab iis abstrahi et avelli debeat, perinde ac si cutis illi abraderetur; sicut cani os, quod rodit, non nisi magna vi eripi potest. Pro *ut animum meum transferrem ad sapientiam*, hebraice est: *Cor meum conducens me in sapientiam*, per quam devitavi stultitiam, ut sequitur, et per quam, ut

D

Nyssenus legit: *Dominatum obtinui in lætitiam* (voluptatem). Unde R. Haccados: *Cor meum*, inquit, *duxit me per sapientiam, ne invalesceret super me calcaneus, qui me pessumdaret.* Hebr. enim נוהג *noheg*, significat proprie abducere, sive alio, et in contrarium ducere, uti puer a pædagogo a lusu abducitur ad scholam. Ait ergo Salomon: Statui carnem meam abstrahere a vino, ut mentem a deliciis corporalibus abducerem ad spirituales, puta a gula ad sapientiam; quo significat hæc duo esse contraria, et sibi invicem ex diametro adversari; quare eum qui vult vacare sapientiæ, debere renuntiare voluptati, cui quo magis renuntiat, eo arctius sapientiæ iungitur, eiusque fit capacior. Hinc Caietanus et Pagninus vertunt: *Ut cor assuefacerem sapientiæ.* Nam, ut aiunt Græci in Catena: *Qui sapientiæ ductum sequitur, voluptatibus imperat cum lætitia.*

Devitaremque stultitiam) Chaldæus: *Ut stultitiam*

A

iuvenum ediscerem; Septuag. videntur vertisse ἀφροσύνην, id est *stultitiam*, ut habet Noster, Hebr. Syrus et alii. Iam tamen in Septuag. legitur εὐφροσύνην, id est, *lætitiam*. Unde vertunt: *Ut obtinerem lætitiam*; Olymp. *Cor meum pollens* (abundans) *in lætitia:* Arabicus: *Misit me cor ad sapientiam, et ad amplectendum gaudium per eam.* Sed eodem redit sensus: per lætitiam enim, ineptam et effusam in voluptates carnales intelligunt, quæ non aliud est quam stultitia. Hinc emblema:

Ne hilarem insaniam insanias.
Ne rapiat mentem nimium damnosa voluptas,
Et tua iocando membra furore premat.
Non nisi ridenti vecors insania culta
Allicit, in flavo toxico melle gerit.

Rursum per *obtinerem*, non intelligunt *haberem, possiderem, fruerer*; sed *ut obtinerem*, id est ut dominarer lætitiæ sicut dux belli obtinet hostem, dum eum vincit et capit: hoc enim significat Græcum τοῦ κρατῆσαι ἐν εὐφροσύνῃ, id est, ut regerem imperio, ac dominarer in exsultantem lætitiam, ac immodice gestientem voluptatem compescerem. Unde Thaumaturgus; *Continentia*, ait, *in servitutem redigit cupiditatem;* et Nyssenus: *Ut dominatum obtinerem in lætitiam;* et Caietanus: *Ut retinerem stultitiam, ne bacchfaretur cor meum per eam.* Posset ex Hebr. verti: *Ut obtinerem*, id est, ut possiderem sapientiam; hanc enim significat שׂכלות *sichlut* per שׂ, licet per ס significet stultitiam, uti dixi cap. 1. v. 17. unde S. Hieronymus in Comment. vertit: *Ut obtinerem stultitiam*, hoc est, ut apprehenderem, caperem, subiicerem (hoc enim significat hebr. לאחז *leechoz*) stultitiam, quod idem est cum eo, quod idem in Vulgata vertit: *Devitaremque stultitiam.* Hostis enim vincitur et capitur, ut caveatur et vitetur ne lædere possit; gula vero et libido vincitur non tam resistendo, quam occasiones et illecebras fugiendo, quod ut Noster significaret, solerter vertit, *devitarem*. Minus recte ergo Olympiod. censet Salomonem hic significare, se sapientia sibi a Deo indita abusum ad indagandum voluptates carnales, ut eas obtineret, iisque se pasceret et immergeret.

Donec viderem quid esset utile filiis hominum) Hebr. *Quid esset bonum*: Chaldæus: *Quale esset bonum illud filiorum hominum*, quod scilicet eos tranquillet, lætificet et beet.

Quo facto opus est sub sole) Hebr. *Quod faciant sub sole*, id est quod facere debeant homines universi, si sapiunt et felices esse volunt; in quo occupare se debeant, quamdiu hic vivunt; quare hoc unum faciant oportet, huic uni totos sese impendant, hoc unum omnibus viribus prosequantur, iuxta illud Christi ad Martham: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium*: nimirum *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 11.

Numero dierum vitæ suæ) Significat Salomon se vestigasse hoc bonum, ait Nyssenus: « Quod non uni tantum ætati conveniret, sed perpetuum sit et non temporarium, et in vitam universam extendatur, et bonum sit omni ætati, primæ, et mediæ, et ultimæ, et omni numero dierum: nam propter nullum eorum, quæ fiunt in corpore, licet perpetua voluptate affici: sed bibendi voluptas simul desinit cum satietate, et in comedendis similiter saturatio exstinguit appetitum. »

Rursum, τὸ *numero* significat paucos esse hominis dies, et facile numerabiles. Sic enim *dies*, vel *homines numeri*, hebr. vocantur pauci, qui statim numerari queunt, uti dixi Genes. 34. 30. et Num. 9. 20. Hoc est quod ait Iob. cap. 14. 5. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.* Hinc vetus adagium: *Tota vita dies unus: Diarii omnes: Hemerobia voluptas et vana gloria.*

Moraliter hic nota, primo, studioso sapientiæ abstrahendam esse carnem a vino cæterisque carnis voluptatibus, uti fecit Daniel cum sociis, qui per hoc assecuti sunt magnam rerum scientiam, et Daniel donum Prophetiæ, Daniel 1. 8. et seq. ubi multa hac de re dixi. Idem fecere S. Hieronymus, S. Basilius, S. Gregorius, S. Chrysosto-

mne cæterique Doctores, quin et Philosophi, uti Crates, Zeno, Socrates; maxime vero Ascetæ et Anachoretæ, inter quos primas duplici titulo obtineat Esseni, de quorum continentia mira narrant Eusebius, Philo et Josephus. Secundo sapientia opus esse in omnibus suis actibus respicere finem, ut scilicet eos dirigat ad salutem et felicitatem; hic enim est finis ob quem creatus est, hoc summum eius bonum. Iugiter ergo cogitet illud: *Oculus in metam: Oculus in occipitio*, ut non tantum ea quæ in fronte, sed etiam ea quæ a tergo sunt, puta finem et futura respiciat. Et illud Aristotelis: *Voluptates specta non venientes sed abeuntes*. Venientes enim sua specie et fuco illiciunt, abeuntes mœroris aculeum menti infigunt. Et illud Sapientis: *Quod commodavit fortuna, tollet; quod mutavit natura, repetet; quod paraverit virtus, retinebit*.

Vers. 4. MAGNIFICAVI OPERA MEA, ÆDIFICAVI MIHI DOMOS, ET PLANTAVI VINEAS.) Redit ad vers. 1. *Dixi: Vadam, et affluam deliciis*. Suas ergo delicias quas experiri voluit, ut scrutaretur quid in eis esset veri gaudii et felicitatis, hic sigillatim enumerat, ac tandem, recensitis omnibus v. 11. subiungit, repetitque se in omnibus invenisse vanitatem et afflictionem spiritus: *Quæsivit in salsugine margaritam*, ait Nyssenus, *et non invenit*, ideoque idipsum confitetur, et toti mundo proclamat, ut omnes ab sua vanitate ad veritatem, veramque Dei timorem et cultum abducat, eoque efficacius persuadeat, quo expertus loquitur, et se sua longaque experientia, idipsum comperisse asseverat; licet enim v. 3. proxime præcedenti dixerit: *Cogitavi a vino abstrahere carnem meam*; tamen per vinum non accipit omnia oculorum oblectamenta, quibus hic se pascit, sed gulam duntaxat, vinolentiam et ebrietatem a qua se abstraxit, ut posset, serena liberaque mente vacare sapientiæ, ut per eam scrutaretur, quid utile esset filiis hominum et quo facto iis esset opus, hoc est quid facere debeant ad assequendam veram lætitiam et veram felicitatem per omnem vitam. Scrutatur ergo idipsum hic in fabricis, vineis, hortis, etc. quæ longe absunt a violentia, et amœnam habent mentis occupationem et recreationem. Unde S. Gregorius Thaumaturgus et Olympiod. hunc versum recte connectunt cum præcedenti. Sic enim ait Thaumaturgus: *Mirum me incessit desiderium, ut viderem in quo digna per hanc vitam occuparentur mortales. Quocirca nihil omnium, quæ admiratione digna censentur, omisi quod non tractarim. Extructa sunt in excelsum palatia, vineæ consitæ sunt, etc.*

MAGNIFICAVI OPERA MEA.) Multa, magna et magnifica opera extruxi, puta magnificas domos, vineas, hortos, etc. Sub magnitudine enim intelligitur multitudo, adeoque *magnus* hebr. idem sæpe est quod multus et magnitudo idem quod multitudo, uti alibi ostendi. Est enim ge quantitatis, quæ continua ponitur pro discreta, et vice versa. Unde Syrus vertit: *Multiplicavi opera mea*; et Chaldæus: *In extruendis sane Hierosolymæ magnificis operibus multus fui*; alii: *Multa numero, et magnitudine ingentia opera construxi*. Per opera intellige, tum tam publica in bonum Hierosolymæ vel regni erecta, qualia fuere templum, mœnia, fossæ, arces, turres, urbes, propugnacula, 3. Reg. 9. quam privata, quæ Salomon ad suam, non necessitatem, sed oblectationem et luxum splendide extruxit. Ait enim: *Opera mea: ædificavi mihi domos, et plantavi vineas*. Rursum per opera intelligit affabre facta, artificiosa, elaborata, expolita per ingens studium, artem et industriam. Unde Arabicus vertit: *Magnificavi artes meas*. Quidquid etiam in natura excellens est, quidquid in arte reconditum, hoc sibi ex Tyro, et circumquaque accivit Salomon.

ÆDIFICAVI MIHI DOMOS.) Qualis fuit illa, quam Salomon præ sua opulentia et magnificentia ædificavit tredecim annis, adeo splendida et admirabilis, ut ad eius intuitum obstupuerit regina Saba, 3. Reg. c. 7. et c. 10. v. 27. Similis fuit domus saltus Libani, et altera quam ædificavit filiæ Pharaonis, quam in sponsam acceperat. Vide Iosephum, octavo Antiquit. c. 5. vel iuxta aliam editionem 2. et Abulens. 3. Reg. 7. qu. 1. et seq. Plures alias ædificasse Salomonem, ut suo fabricandi desiderio satisfaceret, liquet ex hoc loco, et ex Chaldæo, qui vertit: *Ædificavi mihi domos plurimas*; et ex illo 3 Reg. cap. 9. v. 10. *Ædificavit quodcumque ei placuit; ut ædificaret in Ierusalem, et in Libano, et in terra potestatis suæ*; Hebr. est; *Ædificavit desiderium, quod desideravit Salomon ædificare*. Quæ phrasis notat ardens in Salomone ædificandi studium, ac dicam libidinem. Addit Chaldæus: *Feci thronum ex dentibus elephantis et sellam regni*.

Tropologice, vide Nyssenum qua ratione domus animæ spiritualis virtutibus extrui et ornari debeat, ideoque caveri ornatus nimius domus corporalis, ne in illum mens suas curas, opes et tempus insumat et exhauriat, ut parum ei supersit, quod in animæ fabricam impendat, uti fecit Nero, qui nulla in re damnosior fuit quam in ædificando, ait Svetonius c. 31. vitæ eius. Ædificavit enim Romæ palatium a Colle Palatino usque ad Esquilinum tam immane, ut esset instar urbis. Unde, ut idem Svetonius, scilicet c. 39. hoc in illam scriptum fuit Distichon.

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites:
Si non et Veios occupet ista domus.

Et Martial. Epigram. 2.

Unaque iam tota stabat in urbe domus.

Extant etiamnum eius ruinæ et rudera, quæ miram eius magnitudinem indicant. Sapienter Seneca epist. 90. *A natura*, inquit, *luxuria descivit, quæ quotidie seipsam incitat, et tot sæculis crescit, et ingenio adiuvat vitia*; *omnes istæ artes, quibus aut excitatur civitas, aut strepit, corporis negotium gerunt, cui omnia olim tamquam servo præstabantur, nunc tamquam domino parantur*.

PLANTAVI VINEAS.) Vinearum Salomonis in libris Regum nulla fit mentio; sed Canticorum 8. 11. ubi ait sponsa: *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos*; Hebr. *Salomoni in Baal hamon*, quod Aben Ezra ait esse nomen proprium loci prope Ierusalem, ubi maior pars populi vineas habebat præstantissimas. Alii, quibus favet Chaldæus, censent esse cognomen ipsius Ierusalem, quæ ob habitantium frequentiam sic vocata sit. Nam *Baal hamon* idem est quod *Dominus* vel *Domina multitudinis*, id est, plurimi populi. Porro hæc vinea tam fuit fertilis, tantique proventus ut ille quotannis æstimaretur mille argenteis. Subdit enim: *Tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu eius mille argenteos*. Rursum, nonnulli huc referunt vineas Engaddi laudatissimas, quod uvæ referrent saporem et odorem Cyprinum; Cyprus enim est arbor aromatica, idque putant significari Canticorum 1. 14 *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Verum an hæc comparatio dilecti cum Cypro et vineis Engaddi petatur a propriis Salomonis vineis, an ab alienis, non satis liquet, præsertim quia Engaddi procul aberat a Ierusalem, utpote vicinum Iericho. Sed quid vetat Salomonem in remotis Iudææ locis suas habuisse delicias, villas et vineas, uti olim habuere Romani Capuæ, et in tota Campania? Sane olim in sola Iudæa, adeoque in sola Engaddi erat vinea balsami præstantissima; balsamum enim frutex est, qui si acuto vitro, lapide, vel osse inciditur, stillat succum pretiosissimum, eximiæ suavitatis et virtutis ad sanandos morbos, quem Opobalsamum vocant, præferturque omnibus odoribus. Vide Adrich. in Engaddi. Sic in monte Libano erant horti amœnissimi, quos irrigabat fons hortorum, de quo Canticorum 4. Hic fons sensim excrescens efficiebat fluvium qui Sabbaticus vocabatur, eo quod mira Dei providentia Sabbato duntaxat flueret, reliquis sex diebus siccaretur, teste Iosepho l. 7. Belli 24. Vide Adrichomium.

Porro vinearum plantatio et cultura est honestissima, suavissima et utilissima, uti docet Columella, l. 3. c. 3. proferunt enim vina præstantia in magna copia. Sane eximia fuisse et delicatissima (qualia sunt Falerna Italorum) hæc Salomonis dubitare nequit, qui hæc eius verba et sequentia penitius introspicit: simulque eius indolem, ingenium et studium scrutandi omnia quæ in mundo sunt delicata, pretiosa, eximia, considerat.

Iam vero vites et botros in Palæstina esse ingentes et

eximios liquet ex botro, quem duo exploratores missi a Iosue ad eam explorandam, inde illum extulerunt, et in vecte ad eumdem detulerunt, Num. 13. 25. et ex vite Sorec præstantissima, de qua Isaiæ 5. 2. cuius uvæ non habebant acinum, uti testantur Hebræi, dabantque vinum rubens delicatissimum, adeoque vinum *Cos*, id est, optimi coloris, odoris et saporis, ait Adrichom in descriptione Terræ sanctæ in Dan. Item ex eo quod Israel dicatur quieta habitasse sub vite sua et sub ficu sua 3. Regum 4. 25. Vites ergo altæ sint oportet instar arborum et ficuum. Unde et Genesis 49. 11. Iacob benedicens Iudæ, ait: *Ligans ad vitem pullum suum*, ut scilicet ex ea oneret asinum.

Rursum, Salomon quicquid in orbe, adeoque in India erat rarum et pretiosum, per naves in Iudæam accersebat: quare non dubium, vites quoque pretiosas ex regionibus, ubi illæ eximiæ sunt, evocasse. Certe Plinius lib. 14. cap. 1. scribit in Africa interiore tantas gigni uvas, *ut magnitudinem infantium puerorum exsuperent*, et uvæ etiam *tumeant mammarum modo bumasti*. Dicitur enim græce uva *bumasti*, quod bovis mammas tumore et magnitudine referat; unde a Varrone lib. 2. de Re rustica c. 4. *Bumamma* vocatur, et a Macrobio l. 3. Saturnalium cap. ultimo, *Bumammia*. Strabo quoque lib. 2. c. 11. et 15. meminit botrorum bipedali magnitudine, atque bipedales in nonnullis Italiæ locis produci cernimus. Denique in Palæstina potentia gigni vina, omniaque rubra, nulla alba Romæ ab iis, qui illam lustravere, cognovi.

Prov. 14. Sub vineis et vinetis nonnulli intelligunt oliveta et ficeta; hæc enim iungi solent, adeoque in eodem sæpe campo feraci videre est oleas et ficus vitibus insertas et immixtas, uti in Lombardia est cernere, *Eccl.* 2. 4. *Plantavi vineas*.

Mystice, plantanda, putanda. colenda est cuique vinea animæ, tam suæ quam alienæ. Audi S. Ambrosium l. 2. epist. 7. « Rescindatur, ait, luxuries, deliciæ resecentur, et si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Recisa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat; ideoque scriptum: Tamquam agricultura homo imprudens, et tamquam vinea homo egens sensu; si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrum, castigemus illud, redigamus ad servitutem, non illud despiciamus: sunt enim membra nostra arma iustitiæ, sunt et arma peccati ».

5. FECI (alii *plantavi*, ac singulari arte et industria concinnavi) HORTOS ET POMARIA, ET CONSEVI EA CUNCTI GENERIS ARBORIBUS.) Hebr. *feci hortos et paradisos*. Hortus communium est olerum; unde *hortus* dicitur quasi *ortus*, quod in eo olera oriantur. Paradisus vero hortus est exquisitarum arborum, fruticum, florum, fontium, statuarum, avium, piscium, et vivariorum, caprearum, cervorum, ferarum, omnisque generis amœnitatum et deliciarum, quales fuere veterum Romanorum Luculli, Pompeii, Ciceronis, etc. in agro Tusculano et Tiburtino, quibus modo ibidem vel pares vel suppares sunt Estensium, Aldobrandinorum et similium, qui amœnitate et pretio certant cum hortis Alcinoi, si non superant, ubi hydraulicos non tantum organorum, sed et avium cantus meis auribus audivi. De voce Paradisi vide dicta Genesis 2. 8.

Noster vertit *pomaria*, quia in paradisis eminent arbores fructiferæ omnis generis, puta pomiferæ; pomum enim quemlibet fructum, qui molliori est cortice, significat, et a nuce distinguitur, quæ amygdala, avellanas et omnes fructus duri corticis continet. Subinde quoque pomum omnes fructus tam duri quam mollis corticis, nucesque omnis generis complectitur. Ita hic accipitur: *Cuncti generis arboribus*. Hebr. est et Græce: *Cuncti fructus arboribus*; non quod omnes essent fructiferæ, solasque fructiferas plantarit Salomon, cum et infructiferæ, ut cedrus, platanus, et cypressus foliorum copia, celsitudine, odore, aliisque dotibus miram afferant amœnitatem; sed quod præter has etiam plantarit fructiferas diversorum fructuum atque pomorum fertiles, ait S. Hieronymus.

Verisimile est Salomonem frutices et arbores pretiosas ex Arabia, Ægypto, India totoque orbe conquisitas, in suos Hierosolymitanos paradisos transtulisse; unde Iosephus libro 8. Antiquitatum, cap. 2. tradit plantam balsami dono allatam a regina Saba, feliciter a Salomone suo satam in solo, ubertim in Palæstina deinceps provenisse, atque adeo in tanta copia, ut postea scripserit Plinius lib. 12. cap. 25. *balsamum uni terræ Iudææ concessum*. Balsamum enim olim proprium fuisse Sabæ et Arabiæ Felici, ac felicissime provenisse, apud Mecham et Medinam præcipuas Arabiæ Felicis civitates, docet Prosper Alpinus, Dialogo de Balsamo, cap. 2. Strabo l. 16. Diodorus Siculus l. 2. Pausanias l. 9. et alii. Inde a regina Saba translatum in Iudæam ad Salomonem, eo plantante, felicissime provenit in Iericho. Inde translatum in Ægyptum irrigatum fonte, qui B. Virgini et puero Iesu scaturiit, cum fugiens Herodem eo secessit, copiose germinasse docent Baronius, Burch. Adrichomius et alii. Rursum verisimile est omnes frutices et arbores, præsertim aromaticas, quæ nominantur a Salomone in Canticis, ab eo plantatas in suis paradisis, ut cedros, cypressos, calamum, myrrham, thus, cinnamomum, aloen, favum cum melle, Canticorum 5. 1. id est cannam mellitam, sive sacchaream, ex qua eruitur saccharum, uti nonnulli transferunt.

Τὸ *consevi* innuit Salomonem, non tantum alienis, sed et suis manibus plantasse paradisos, uti fecit Cyrus minor in Sardiano paradiso, teste Cicerone de Senectute, de quo mox plura, et Diocletiano imperatore abdicato sponte imperio, Salonam in rus suum secessit, ibique plantationi et hortensi operi vacavit. Laertem Ulyssis patrem describit Homerus, Odyssea ult. repertum a filio agros colentem. Imo Noe vineam plantavit, primusque ex ea vinum expressit. Adam vero cæterique ante diluvium, ac post illud Abraham, Isaac, Iacob, cæterique Patriarchæ fuere agricolæ. Romæ celebres fuere Hortensii, ita dicti a cultu studioque hortorum. Similes hortensios habet hæc ætas, inter quos Lovanii olim vidimus Iustum Lipsium vacuum a studiis, tempus floribus in horto conserendis studiose impendere. Vide ipsummet lib. 2. de Constantia, cap. 2. et 3. ac Virgilium 4. Georg. ubi miro elegantia hortorum culturam et amœnitatem celebrat. Iamvero horti magnam utilitatem æque ac delectationem afferunt. Romæ videmus hortulanos plurimos, eosque opulentos; quia Itali magis herbis quam carnibus vescuntur et pascuntur. Inter eas *Brassica sunt decus hortorum* ait Columella. Sub τὸ *consevi*, intellige quoque *insevi*. Nam, ut ait Cicero de Senectute: *Non modo consitiones delectant, sed etiam insitiones*; et harum peritissimus erat Salomon, utpote qui omnium arborum, herbarum, fruticum vires et dotes calleret, sciretque quæ, cui, qua ratione deberent inseri et inoculari. Unde Fonteius vertit:

Posui ordine vites,
Inseruique pyros, ficus, cydonia, pruna,
Innumeras posui species, genus omne ferarum.

Porro Paradisos Salomonis fuisse eximios, ac superasse pensiles hortos Nitocris, quos ei velut uxori erexit Nabuchodonosor, mira arte et maiore sumptu, ut orbis miraculum habiti sint, de quibus Plinius lib. 15. cap. 4. facile persuadet Salomonis cupiditas, opulentia et magnificentia. Illi autem partim erant in urbe Ierusalem, puta in palatio regali Sionis, partim extra urbem ubi speciosiores sunt campi. Sicut Romani in suburbano excitabant hortos, quales fuere Cæsaris et Antonii prope Tiberim, de quibus Dion. lib. 47. Hinc Noster Vilalpandus tom. 3. part. 1. lib. 2. ex Ioseph lib. 6. de Bello c. 6. docet portam Ierusalem dictam *Genat*, sive *portam gregis*, fuisse pariter portam hortorum (גן *gan* enim hebr. hortum significat) per quam erat egressus et descensus in vallem Hennon amœnissimam, et torrentem Cedron hortis nobilem, atque ad vallem Iosaphat. Ibi ergo erant horti amœnissimi, qui rigabantur torrente Cedron. Unde illud sponsæ Cantic. 6. 10. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium*; Septuag. vertunt: *poma torrentis*. Unde ibidem ab Adrichom. in descrip. Ierusalem depingitur hortus regius, qui in Canticis dicitur *hortus conclusus*, in

quo erat fons Rogel et omnis amœnitas.

Tropol. Nyssen. hic invectivam habet in inutilem hortorum cultum, ostenditque quo ratione et quanta vanitate deliciæ quærantur in terra per ædificia, in aere per plantas, in aqua per piscinas et fontes; moderata tamen hortorum cultura et agricolatio amœna, laudabilis utilisque est, et a Deo Adamo in paradiso commendata, Genes. 2. 15. Nam ut ait S. August. lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 9. *Quid hoc opere innocentius vacantibus, et quid plenius magna consideratione prudentibus?* *Hortus*, ait S. Isidor. l. 17. Origen. cap. 10. nominatur, quod ibi semper aliquid oriatur. Nam cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus numquam sine fructu est. Olus ab alendo dictum, eo quod primi homines ab oleribus alerentur, antequam fruges et carnes ederent. Tantum enim pomis arborum et oleribus alebantur, sicut animalia herbis. Igitur sicut Adam excoluisset paradisum, si innocens in eo perstitisset, non tantum ad eorum fructuum, sed etiam ad perspiciendas per experientiam herbarum, fructuum, fruticum naturas, dotes et proprietates, atque ex iis assurrexisset ad clariorem Dei creatoris cognitionem, amorem, laudem et gratiarum actionem. Eodem prorsus modo suos paradisos excoluit Salomon. Unde dicitur *disputasse super lignis a cedro, quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete*, 3. Reg. 4. 33. quare ea manibus tractare, serere, excolere Salomoni volupe fuit, æque ac utile; sicut et fuit Herculi manu sua quercus conserere, ut scribit Plin. l. 16. c. 4. atque Agamemnoni plantare platanos, ut idem Plin. refert lib. 16. c. 44. et Cyro gloriari solito agrum se habere suis manibus consitum, et directos in quincuncem ordines, multasque arbores manu sua satas, teste Cicerone de Senectute. *Antiquitas*, ait Plin. lib. 19. cap. 4. *nihil prius mirata est quam Hesperidum hortos, ac regum Adonis et Alcinoi, itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ rex Cyrus fecit. Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam superbus Tarquinius nuntium illum sævum atque sanguinarium filio remisit ex horto.*

Porro Chald. ex versione Conimbr. et Costi multa hic paraphrastice addit. Sic enim habet: « Instituí in Iabne circumcirca vineas, ut ego et silentiarii mei aliquando epularemur, et vinum novum et vetus ad altare libaremus. Plantavi hortos irriguos et amœnitatis plenissima viridaria, ubi omnis generis olera seminavi, quæ ad victum et convivia, aut ad sanitatem usui forent: herbas quoque olfactu nobiles adieci, item et arbores steriles et aromata ferentes, quas ad me dæmones et nocentes Angeli ex India detulerant; omnes item arbores fructiferas. Horti autem termini erant a muro Ierusalem usque ad littus aquarum Siloach.

Silentiarii erant officiales intimi regis, qui quietem et silentium in aula procurabant, ac tumultus famulorum rerumque omnium compescebant, ne regis aures obtunderent, de quibus Iustinianus c. de Silentiariis, et Procopius lib. 2. Belli Persici: *Romani*, ait, *ad eu quæ quietis sunt in palatio, ministrum silentiarium vocant, sive domesticum arcanorum principis conscium.*

Verum hæc merito ex Chald. in Bibliis Regiis resecta et accisa sunt. Continent enim quædam dubia et apocrypha, quædam fabulosa et indigna, ut quod aiunt Salomonem arte magica usum, et per dæmones accepisse plantas peregrinas ex remotis terræ regionibus.

Denique in hortis et paradisis suis testatur Salomon v. 11. se invenisse vanitatem et afflictionem spiritus. Præter communem enim omnibus rebus terrenis vanitatem, paradisorum illa propria est, quod perpetuam exigant curam et culturam, ac iuge areolarum, pergularum, sepium, fontium, apothecarum, labyrinthorum, vivariorum, etc. instaurationem, in quam ingentes quotannis expendendi sunt sumptus. Rursum quod a multis, etiam Prælatis et Principibus visitentur, quos excipere oportet laute et splendide; quare paradisi non tam serviunt hero, quam hospitibus, cum quibus hero tempus perdendum est, et ope e profundendæ. Insuper in paradisis vacatur comessationi, symposiis, lasciviæ, luxuriæ, aliisque sceleribus. Denique paradisi, sæpe totam heri cogitationem, cupiditatem et sollicitudinem ad se rapiunt, ut de aliis, quæ illi incumbunt, cogitare nec liceat, nec libeat. Quocirca S. Carolus Borromæus dictitabat Episcopis et Prælatis non alium debere esse paradisum, quam Biblia et S. Scriptura.

Præclare S. Greg. Nazianz. Orat. 9. « Quousque, ait, vanitatem quæritis et mendacium? hanc scilicet vitam et delicias, et exiguam gloriolam et humilem potentiam, falsam prosperitatem; magnum aliquid et amplum esse existimantes; quæ quidem hanc rationem habent, ut non magis eorum sint a quibus obtinentur, quam eorum qui habituros se speraverunt: neque horum rursus magis, quam illorum apud quos ne in expectatione quidem umquam fuerunt; verum ut pulvis a turbine, sic ea ab aliis ad alios subinde ventilentur ac iactentur, et sicut fumus dilabantur, et tamquam insomnium homines deludant, umbræque instar manibus teneri nequeant, ac denique ita comparatæ sint, ut nec cum absint de iis consequendis desperent qui non habent, nec cum adsunt, fida sint et certa. »

Notum est illud sancti Augustini: *Homo* (Iob) *vicit in stercore, victus est* (Adam et Salomon) *in paradiso.*

ET EXTRUXI MIHI PISCINAS AQUARUM, UT IRRIGAREM Vers. 6
SYLVAM LIGNORUM GERMINANTIUM) Hebr. et Græc. *Sylvam producentem ligna:* Chald. *Sylvam quæ alit ligna ad incendendum*, id est sylvam cæduam. S. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. *Saltum germinantium*, scilicet ad inumbrandum, ad exhilarandum, ad fabriles usus, ad ignem, etc. Aliqui sylvam hanc referunt ad domum, quam Salomon ædificavit et indigitavit Saltum Libani, eo quod cedris a Libano allatis, inquiunt, ibique plantatis cincta foret.

Pro *piscinas* Aquila vertit λίμνας, id est paludes, stagna; Symmach. δεξαμενάς, id est cisternas, canales, aquarum conceptacula.

Piscinæ hic proprie capi possunt pro vivariis, in quibus Piscinæ
servantur et aluntur pisces. Pisces enim priscis erant in quid?
deliciis, imo nonnulli piscibus dumtaxat vescebantur, non Resp.
carnibus. Pisces enim sunt humidiores, frigidiores et fa- I.
ciliores ad digerendum; atque longe maior varietas est piscium, quam sit carnium. Tales fuere piscinæ Neronis, in quibus ipse piscabatur rete aureo, purpura coccoque funibus nexis, ait Sveton. cap. 30. et 31. vitæ eiusdem. Mira sunt quæ de piscium in piscinis mansuetudine et oblectatione scribit Plin. lib. 32. cap. 2. ubi inter cætera ait: *E manu vescuntur pisces in pluribus Cæsaris villis, etc. in Labradii Iovis fonte anguillæ inaures additas gerunt. In fonte Apollinis, quem Curium vocant, ter fistula evocati veniunt ad augurium. Hierapoli Syriæ in lacu Veneris æditnorum vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent.* Idem lib. 20. cap. 11. hoc pharmacum piscibus ægris assignat: *Pisces si ægrotent in piscinis, apio viridi recreantur.*

Secundo, per piscinas generatim accipi possunt cister- II.
næ, lacus, rivi et quævis aquarum receptacula. Hæc enim primo serviunt ad amœnitatem; aquæ enim pellucidæ et crystallinæ mire oblectant aspectum, præsertim dum in eis per cymbas navigatur. Secundo, ad refrigerium; in piscina enim lavabant se, imo natabant. Unde et κολυμβήθρα, id est lavacrum sive natatoria, vocabatur, qualis fuit natatoria Siloe, ad quam missus a Christo cæcus, in ea se lavans illuminatus est, Ioan. 9. Unde Plinius iunior lib. 5. epist. 6. ad Apollin. *Si natare*, inquit, *latius aut tepidius velis, in area piscina est.* Idem lib. 2. epist. 17. *Cohæret piscina calida mirifice, ex qua natantes mare aspiciunt.*

Tertio, per piscinas accipi possunt thermæ et balnea, III.
in quibus aquis calidis corpora abluebant, fovebant, et a frigidis morbis curabant. quales sunt thermæ Caroli Magni, quæ Aquisgrani calidissimæ e terra scaturiunt, ita ut balneantes earum æstum aqua frigida temperare debeant. Sic Romanorum magnificentia fuit in thermis, illæque erant opus imperiale et regium, quales fuere thermæ Diocletiani, Constantini, Antonini; quarum reliquiæ, pristi-

næ magnificentiæ indices, etiamnum intuemur.

IV. Quarto, in piscinis sive stagnis fiebant naumachiæ, sive ludi et prælia navalia ad spectantium oblectationem. Sic Nero, Tiberi in hortos Romæ declives inducto, piscinam sive stagnum effecit, in quo naumachia exercebatur, ad eius populique recreationem.

V. Quinto et maxime, hæ piscinæ et stagna serviebant ad irrigationem hortorum et arborum. Unde subdit Salomon: *Ut irrigarem sylvam lignorum germinantium.* Cum enim Iudæa sit sicca et aticolosa, ut fiat humida et fœcunda, aquarum irrigatione indiget; hæcque in Script. vocatur eius benedictio. Unde et piscina hebr. vocatur ברכה *berecha*, id est, benedictio. Hinc Axa petiit illam a patre suo Caleb, dicendo: *Da mihi benedictionem*, id est, irrigationem aquarum: *Terram australem et arentem dedisti mihi, iunge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius*, Iosue 15. 19.

Ita Thaumaturgus: *Piscinæ*, ait, *erant ingentes ad aquarum exceptionem confecti ad uberem et copiosam arborum irrigationem distributi.* Hinc ex piscinis fiebant aquæductus, quibus aqua per omnes hortorum areolas, perque officinas et cubicola magna arte, æque ac commoditate et iucunditate derivabatur. Sane Romanorum veterum magnificentia fuit in aquæductibus, quorum reliquias etiamnum spectamus. Hinc Chald. sic habet: *Adieci præterea ad domum convivii aquarii fistulas, ad arborum et herbarum irrigationem apprime commodas, fecique ex eis castella et aquæductus ad sylvam, variis arboribus consitam irrigandam.* Pleræque enim arbores irrigationem aquarum amant, excipe paucculas: nam *aquas oderunt cupressi, iuglandes, castaneæ, laburnum*, ait Plinius lib 18.

Porro quæ, quot et quales fuerint piscinæ Salomonis incertum est, quia nec Script. nec Ioseph eas exprimunt; tantum Iosephus lib. 6. Belli, cap. 6. nominat *Stagnum Salomonis.*

Piscinam probaticam, id est, ovinam sive pecuariam, in qua lavabantur oves immolandæ, opus fuisse Salomonis censent Vilalpando, Adrichom. et alii in descriptione templi; sed illa huc non pertinet, quia non Salomonis deliciis, sed usibus templi deserviebat. Piscinam sive natatoriam Siloe, in qua curatus est cæcus, Ioan. 9. opus fuisse Salomonis opinantur nonnulli. Oritur hæc piscina ex fonte Siloe vicino, qui e radice montis Sion scaturit; aqua eius clara, dulcis et uberrima cum silentio placideque fluit in torrentem Cedron, Isaiæ 8. 22. de quo ita scribit Salignacus lib. 10. c. 1. « Fontis huius aqua hodie adhuc ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotione fœtorem suum mitigant. Quin et eam Turcæ magni faciunt, quod eius usum oculorum visui conferre experiantur. »

Salomoni quoque aliqui tribuunt piscinas in Hesebon, eo quod earum pulchritudini comparet oculos sponsæ Christi ob claram Dei cognitionem, Cant. 7.

Denique sub piscinis accipe fontes, qui a loco altiore per canales deducti, in hortis et atriis exsiliunt magna intuentium voluptate; hi enim piscinam sive stagnum efficiunt. Celebris in Ierusalem erat fons Gion, isque duplex scilicet superior et inferior; oritur ex monte Gion, ubi Salomon in regem a Nathan Propheta et Sadoc Pontifice unctus fuit, 3. Reg. 1.

Mystice, piscinæ sunt merita Christi et S. Sacramenta, quæ merita Christi continent, quæ Christus Dominus quasi verus Salomon instituit, ut irrigent sylvam, id est Ecclesiam, in qua germinant omnes generis arbores, id est omnes eminentes sancti, tam Patriarchæ et Prophetæ quam Apostoli, virgines et martyres. Piscina superior est baptismus, inferior est pœnitentia.

Vers. 7. POSSEDI SERVOS ET ANCILLAS, MULTAMQUE FAMILIAM HABUI, ARMENTA QUOQUE ET MAGNOS OVIUM GREGES, ULTRA OMNES QUI FUERUNT ANTE ME IN IERUSALEM.) Sept. *Mercatus sum vel emi servos et ancillas, etc.* hebræum enim קנה *kana*, significat emere, comparare, possidere. Multa ergo mancipia emit Salomon, sicut iam emuntur Æthiopica: at præter Chananæa, Ægyptia, aliarumque gentium, Æthiopica quoque emisse Salomonem docet Iosephus lib. 8. Antiq. c. 2.

Per *servos*, tum mercenarios accipe, tum mancipia: hæc enim proprie possidentur, sicut iumenta agri et census. Unde a Platone vocantur *animata possessio*; a Plutarcho, *animata instrumenta.* Hinc Nyssen. vertit: *Possedi servos et ancillas tamquam caprarum et porcorum greges, utpote quod in pari ordine potestatis, et hæc et illa subiecta essent.* Per *familiam* accipe uxores, filios, vernas, id est, filios ex servis domi natos. Unde Hebr. est, *filios domus*: Septuag. *et vernaculi fuerunt mihi*; Arabic. *Et facti sunt filii gentis domus meæ*; Campens. *Et ex eis nati sunt mihi vernæ.* Horum copia facit tum ad heri splendorem et magnificentiam, tum ad imperium et operas, ut per eos tum domi, tum foris efficiat quicquid libet sive ad utilitatem, sive ad oblectationem. Servi enim ad nutum hero obediunt, omniaque eius negotia obeunt sive domestica, sive ruralia, sive forensia. Tales sunt agricolæ, coci, equisones, camelarii, rhedarii, pocillatores, pistores, fabri, textores, phrygiones, asseclæ, satellites, armigeri, cubicularii, silentiarii et tabellarii, etc.

Habuit Salomon innumeram servorum et ancillarum turbam. Noster Vilalpandus tom. 2. lib. 5. disp. 3. c. 51. numerat ad 48. hominum millia et sexcentos. Verum si præfectos, officiales et aulicos hic adnumeres, longe maior fuit copia, ut colligitur ex annona quotidiana aulæ Salomonis 3. Reg. 4. 22. « Erat, inquit, cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum et avium altilium. »

Armenta dicta quasi *armamenta ab armis*, quos habent validos ad onera ferenda, et ut armentur ad prælium. Unde Virgil. 4. Æneid.

Bello armantur equi, bello hæc armenta parantur.

Vel *armenta* quasi *aramenta*, puta iumenta quibus aratur; talia sunt equi, asini, cameli, vaccæ, boves, buballi. Porro equi Salomonis erant plurimi, ut patet ex eorum stabulis: *Habebat enim quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium*, 3. Reg. 4. 26 hoc est, habebat quadraginta millia equorum currilium in præsepiis, et duodecim millia equestrium. Est hypallage. Hunc esse sensum liquet 2. Paral. 9. 25. ubi dicitur: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis.* Cuique enim equo in stabulo communi suum erat præsepium, id est, locus præseptus, in quo ei dabatur pabulum. Habuit ergo Salomon universim quinquaginta duo millia equorum in stabulis.

Porro possedit Salomon, æque ac Saul, David cæterique prisci reges, magnos armentorum et ovium greges, tum ad cibum et vestitum, tum ad mercaturam, tum ad sacrificium, ut cum ipse mille hostias una vice immolavit, 3. Reg. 3. 4. adeo ut annuarum victimarum eius numerum admirata sit Regina Saba, 3. Reg. 6. 25. Sic Agag erat princeps Pastorum Saulis, 1. Reg 15. 2. sic *Mesa rex Moab nutriebat pecora multa et solvebat regi Israel centum millia agnorum et centum millia arietum cum velleribus suis*, 4 Reg. 3. 4 Priscorum ergo opes erant non auri, argenti, sed pecorum et pecudum; unde pecunia, quæ postea signata est effigie pecorum, quibus successit, nomen accepit. Ita Varro lib. 4. de lingua latina et Plin. l. 8 cap. 3. nimirum vivo adhuc mundo vivæ placebant divitiæ, et florentes crescentesque. Iam vero senescenti ac prope mortuo placent mortuæ, sepultæque æris, auri et argenti; qua in re ait Nyssen. limites a Deo præscriptos transgressus est homo, exenterans et eruderans terram, eruens quæ Deus voluit abscondi.

Porro, vanitas propria servorum et ancillarum est quod hero serviant, non ex amore, sed ex metu, vel spe mercedis et lucri; rursum, quod servili sint ingenio, magnaque egeant heri cura et assidua gubernatione, iuxta illud Eccl. 33. 25. *Cibaria, et virga, et onus asino; panis et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplina, et quæ-* Servorum vanitas

rit requiescere; laxa manus illi et quærit libertatem. Iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura et compedes; mitte illum in operationem, ne vacet. Insuper quod ad oculum dumtaxat serviant, ne sæpe sint infidi ac furaces. Huc facit insignis gnome R. Hillel in *Pirke avoth*, id est sententiis Patrum cap. 2. *Qui multiplicat carnem, multiplicat vermes; qui multiplicat divitias, multiplicat cum eis dolores; qui mulieres multiplicat, multiplicat fascinationes; qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem; qui multiplicat servos, multiplicat fures; qui multiplicat legem, multiplicat vitam; qui studium multiplicat, pariter sapientiam multiplicat; qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam; qui multiplicat iustitiam, multiplicat pacem; qui verbum legis acquirit, vitam in altero sæculo fœneratur æternam.*

Alleg. S. Hieron. Christus, inquit, qui verus est Salomon in aula, id est in Ecclesia sua, habet *servos qui habent spiritum timoris in servitute, et spiritalia magis desiderant, quam tenent. Ancillas vero eas animas appellat, quæ adhuc corpori terræque sunt deditæ: Vernas, qui servos et ancillas antecedunt, eadem tamen libertate donati sunt, nec nobilitati a Domino. Sunt autem alii ad instar boum et ovium, propter opera et simplicitatem, qui absque ratione et scientia Script. laborant quidem in Ecclesia, sed needum ad id pervenere, ut homines esse mereantur. et redeant ad imaginem conditoris; de quibus dicitur: Homines et iumenta salvabis, Domine*, Psal. 35 8.

Vers. 8. COACERVAVI MIHI ARGENTUM ET AURUM, ET SUBSTANTIAS REGUM AC PROVINCIARUM.) Septuag. ἤθροισα, id est collegi, coegi, congessi ubertim; Arabicus: *Aggregavi*; Chald. *Auri et argenti thesauros congregavi, conflavique ex auro postulato stateras et pondera æqui et boni. Census* (vel *peculia*, ut vertunt Compiut.) *quoque regum et provinciarum mihi in tributum illati sunt.* Aurum postulatum est sæpius igne excoctum, ideoque purgatissimum et optimum; hoc enim crebra ignis actione tubercula et pustulas contrahit, uti docet Sabel. ad cap. 44. Svetonii in Nerone, et Cuiacius lib. 7. observ. cap. 39. de quo dicitur Psalm. 11. 7. *Argentum igne examinatum, purgatum septuplum*, id est multipliciter, quale est aurum obryzum.

Quantæ opes Salomonis. Resp. I. Quæres, quæ et quantæ fuerint opes Salomonis? Resp. Id colligi posse primo, ex eo quod illæ ex singulari Dei promisso et dono ei obtigerint: dona autem Dei sunt eximia, superantque humana omnia. Audi Deum ad Salomonem loquentem: *Divitias autem et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui*, 2. Paral. 1. 12. quæ verba licet aliqui limitent ad reges Israel, alii aliis modis, tamen ipsa per se illimitata et absoluta sunt. Unde noster Vilalpanda multis ostendit Salomonem omnibus omnino regibus et monarchis fuisse opulentiorem; de quo mox plura.

II. Secundo, ex eo quod David pater eius pro fabrica templi reliquerit ei *mille millia talentorum argenti; mille millia*, id est decies centena millia, et *auri centum millia talenta*. Talentum Hebræorum, ut ostendi in fine Pentateuchi, dupla maius erat talento Attico; nam continebat *tria millia siclorum*, hoc est 125. libras auri, quæ faciunt *duodecim millia coronatorum Francicorum*. Addit noster Salianus in Annal. *et quingentos*. Unde hæc Davidis talentorum auri et argenti millia censet confecisse 2672. milliones, ac insuper 125. millia nummorum aureorum. Quibus si addideris 72. milliones ac 916. millia et 666. aureos, qui a populo liberaliter dati sunt, 1. Paral. 29. 4. hæ duæ summæ ascendent ad bis mille septingentos et 45. milliones, 51. millia et 666. aureos. Unde Budæus l. 4. de Asse, censet has Davidis opes Salomoni relictas, fuisse decies maiores quam Darii ultimi regis Persarum, quas eo victo occupavit Alexander. Darius enim tantum habuit 87. millia talentorum; quas autem Salomoni congregavit in infinitum ire. Sane hæc Davidis opum et millionum summa videtur pene incredibilis; continet enim tantum auri, quantum vix est in tota Europa; ac Iustum Lipsium meditantem opus de Amplitudine imperii Hebræorum, quasi antistrophon alteri quod ediderat de magnitudine imperii Romani, ab eo deterruerit, cum non caperet tantam opum magnitudinem. Quocirca aliqui opinantur talenta iam recensita fuisse minora, quibus favet Euseb. lib. 9. de Præpar. sub finem: *Talentum autem dico*, inquit, *quod siclum appellant.* Siclus habebat pondus quatuor drachmarum: quare si argenteus erat, valebat quatuor Iulios sive regales Hispanicos; sin aureus, valebat quatuor coronatos Francicos; hi enim pondus habent quatuor drachmarum. Verum sic summa hæc Davidis exilis fuisset: nisi dicas siclos hos non fuisse simplices, sed duplos, imo decuplos, quomodo regalia Hispanicus, si decupletur, facit Philippicum, dalerum vel aureum. Hæc David Salomoni reliquit pro templo: pro aula vero et propriis usibus ex amplissimis et continuis hostium, cum quibus per omnem vitam pugnavit, semperque victor exstitit, spoliis; item ex reditibus cæterisque erogationibus plurima addidit, adeo ut Iosephus l. 7. Antiq. c. 12. scribat: *Tantas divitias hæredi reliquit rex David quantas nullus alius rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium.* Subdit Hyrcanum Pontificem ex sepulcro Davidis accepisse tria talentorum millia; Herodem deinde magnam auri vim, etc. adeo ut nonnulli censeant cum Davide sepultos fuisse mille milliones.

Tertio, ex auro et opibus, quas ei deferebant naves ex Tharsis et Ophir, de quibus dicitur 3. Reg. 9. 26. 2. Paral. 8. 17. et 3. Reg. 10. 14. *Erat pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcenta sexaginta sex talenta auri, excepto quod negotiatores afferebant*, ut videantur illa sexcenta sexaginta sex talenta auri ex ipsis fodinis, per Salomonis servos quotannis erui solita; alia vero quorum nullus numerus, negotiatione et commercio earum gentium, quarum littora legebant Salomonis naves, Hierosolymam advectæ. Ita Pineda. III.

Quarto, ex tributis et vectigalibus, quæ pendebant ei quotannis, tum singulæ tribus Israel, quod aliqui ex 3. Reg. 9. vers. 15 coniectant fuisse tantumdem, quantum Hiram rex Tyri dedit Salomoni, scilicet 120. talenta auri, non quod tantum penderent singulæ tribus (hoc enim immane fuisset et impossibile) sed simul universæ; tum reges omnes circumcirca illi vectigales et subditi 2. Paralipom. 8 v. 8 et 3. Reg. 4. v. 21 et 24. IV.

Quinto, ex donis et muneribus; nam Hiram dedit ei centum et viginti talenta, non quotannis, ut aliqui putant, sed semel. Regina Saba dedit ei totidem 3. Regum 10. v. 10. et 2. Paralipom. c. 9. v. 23. dicitur: *Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis*, etc. *et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, et vestes et arma et aromata, equos et mulos per singulos annos.* V.

Sexto, ex sapientia Salomoni indita, qua census annuos agrorum, pecorum, redituum, negotiationum, etc. mira industria augebat præter communem aliorum morem; item ex summa pace, quæ in regno fuit perpetua per annos quadraginta. Hoc est quod de Sapientia dicitur Sapient. 8. v. 18. *In operibus manuum illius honestas* (id est divitiæ) *sine defectione.* Et Proverb. 8. 18. ait ipsa Sapientia: *Mecum sunt divitiæ et gloria, superbæ opes et iustitia.* VI.

Septimo, ex fabrica quas exstruxit. Certe aliqui opinantur eum in templum insumpsisse tria millia millionum auri. Fuit enim hoc templum mundi miraculum, ac quantum homini facere licet, Deo digna domus, et inter mortales gloriæ thronus. Hinc David veniens pro fabrica templi, reliquit Salomoni *tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi*, 1. Paralipom. cap. 29. v. 4. Quid ergo pro ipsa tantæ fabricæ machinæ eidem reliquisse credemus? Item ex sumptibus magnificis aulæ et familiæ pene innumerabilis, versu præcedenti recensitis, atque operariorum. Aluit enim per omnes fabricæ templi et domorum suarum annos triginta millia Israelitarum cædentium ligna in Libano, *et septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero* VII.

trium millium et trecentorum. Erant hi Tyrii, quos ei subministrarat Hiram rex Tyri, cui proinde Salomon præbebat *coros tritici viginti millia in cibum domui eius, et viginti coros purissimi olei per singulos annos*, 3. Regum cap. 5. vers. 11. et sequentibus. Insuper alebat equorum 52. millia cum suis equisonibus, rhedis et curribus, uti dixi vers. præcedenti.

Salomon ditior omnibus monarchis.

Denique noster Villalpando tom. 2. libr. 5. cap. 44. usque ad 52. singula obventionum Salomonis capita prudenter supputans, Salomonis opes, regum et monarcharum Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum etiam reditibus et opulentiæ confert et præfert, adeo ut æstimet Salomonis censum quadragies superasse censum regum Persarum. Salomon enim, inquit ipse, quotannis colligebat ex tributis 2226. talenta ex Ophir, præterea 450. talenta, quæ simul iuncta faciunt plus quam quadraginta quinque milliones aureorum. His iunge vectigalia portoriorum, pastionum, negotiorum, insuper spolia plurima et maxima, quæ David per omnem vitam pugnans retulit ex hostibus. Addunt aliqui annuum censum capitationis, quo quisque quotannis dimidium sicli ex lege dabat templo: hunc enim Iudæi singuli pendebant, tum qui in Iudæa erant, tum qui in toto orbe erant innumeri. Verum his census cedebat Pontifici et templo, non regi et aulæ.

Noster Lorinus, singulos Salomonis proventus præcise recensens, supputans et definiens, tandem concludit atque: « Horum omnium quæ in omni vita sua Salomon habuit, quorum Scriptura certum numerum designavit, summa est ter mille nongenti tres milliones, et septingenta sexaginta quinque millia, et nongenta viginti quatuor scutorum monetæ Romanæ argenti: quibus si addamus mille quadringenta quadraginta auri talenta per triginta sex annos multiplicata, erunt quater mille sexcenti octoginta sex milliones, ducenta triginta tria millia, centum viginti quatuor. Præter hæc vero, ut colligitur ex dictis, magnam valde aliam summam habebat ex aliis multis rebus collectam, quarum iniri summa non potest, ut ex vectigalibus, negotiationibus, muneribus, qualem et quantum nullus umquam monarcha vel respublica habuit. »

Verum præcisa hæc opum Salomonis supputatio difficulter ex Script. probari potest, ac nonnulla incerta, imo minus probabilia pro veris et certis supponit, ut quod Hiram quotannis dederit Salomoni 120. talenta, cum verius sit semel tantum dedisse; quod singulæ Tribus totidem talenta quotannis solverint Salomoni, cum verius sit universas simul non amplius persolvisse, etc.

Sufficit ergo dicere in genere opes Salomonis fuisse maximas et innumeras, utpote quæ repræsentarint opes spiritales Christi, qui verus est Salomon. Hæ enim maximæ sunt, puta gratiæ, dona, virtutes, ac coronæ cœlestis gloriæ innumeræ, quas Christus tum in se habet, tum in innumeros Sanctos, Prophetas, Apostolos, Martyres et Virgines partitur et distribuit. Hinc Salomon dicitur fecisse, ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta esset lapidum, 3. Regum 10. v. 27. ac collegisse ut aurichalcum aurum, et ut plumbum complevisse argentum, Ecclesiast. cap. 47. v. 20. et rursum 2. Paralipom. cap. 9. v. 20. *Argentum*, inquit, *in diebus illis pro nihilo reputabatur*, quæ licet per hyperbolem dicantur, tamen immanes Salomonis fuisse opes significant. Quo evasit tanta opum copia? Abiit, evanuit instar fumi, imo ex omnibus illis Salomon moriens ne obolum quidem secum detulit. Ite nunc cupidi, aurum auro cumulate, argento cistas oppleta, ac scitote hæc omnia vobis in morte relinquenda, nec quidquam nisi virtutem et beneficentiam vos comitaturum ad tribunal Christi.

Et substantias.) In Hebræo est סגולה *segula*, id est thesauros et res pretiosas, uti sunt gemmæ, cymelia, monilia. Hinc Septuag. vertunt: *Opes regum*; Syrus: *Possessionem regum*; Arabicus: *Mundos regum et regionum*; Vatabl. *Mundum pretiosum*; Tigur. *Peculium regum*; alii: *Thesaurum desiderabilem*; Campens. *Quæ proprie pertinent ad reges et provinciarum dominos*; Arias: *Peculium regum, regalium ærariorum gaza, et reconditoria aliorum principum.* Ergo Salomon a regibus et provinciis accipiebat non vulgaria, sed eximia et optima quæque, puta aurum præstantissimum, argentum nitidissimum, gemmas pretiosissimas, ac quidquid apud ipsos rarum, eximium et pretiosum erat. Hinc de Israel ait Deus: *Eritis mihi in peculium* (Hebr. *in segula*) *de cunctis populis*, Exodi cap. 19. v. 5. Vide ibi dicta, et 1. Petr. 2. v. 9. ad illa: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Porro Salomon concervavit has opes primo, iunior, ex dono Dei; unde τὸ *coacervavi* significat ingentes opum acervos et cumulos ab eo collectos. Deinde senescens ex avaritia, ait Nyssen. tuncque ex *neches*, id est, substantia a Deo data, stimulante cupiditate fecit *kenes*, id est, coacervationem et corrasionem opum, opprimens subditos per nimia tributa, quæ deinde in suos adulatores et parasitos, ac in mille uxores et concubines, cæterumque mensæ et voluptatum suarum luxum profundebat; qua in re peccavit contra legem Dei de rege ita sancientis, Deuteron. 17. 17. *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius; neque argenti et auri immensa pondera.* Atque hac de causa decem Tribus ob nimias eius exactiones rebellarunt, ac relicto eius filio Roboam, sibi Ieroboam regem constituerunt. 3 Reg. 12. v. 4 et sequent. *Pater tuus*, inquiunt, *durissimum iugum nobis imposuit*, etc.

Denique vanitas propria divitiis est prima, quod aurum et argentum nil sint nisi terra rubra et alba, ut ait sanctus Bernardus, cui sola hominum æstimatio dat pretium, quæ tamen coacervatur, id est, in acervos redigitur, ut ex ea conflati nummi in arcis recondantur, nec ulli sint usui vel commodo, sed in tenebrosis quasi argentuiis compactæ retrusæque delitescant. Unde D. Chrysostomus Orat. 4. disputans cum Alexandro, ait genium avarum opes non congregare, *sed dispendia facturum, aut divitiis congregatis usurum, sed vinctas et infrugiferas custodire opes, revera clausas in quibusdam occultis et tenebrosis carceribus.* Et Nyssenus homilia 4. urgens τὸ *coacervavi*: *Libenter*, inquit, *scirem quid emolumenti redibit ad eum qui hanc congregat materiam, et illud cernit in universo, quod nunc cernit in exiguo, neque animæ ullum affert lucrum. Numeravit, reposuit, sigillo obsignavit; cum ab eo peteretur, negavit; at cum si fides haberetur, etiam peieravit. Hæc est beatitudo, hic est finis eius, quod in ea ponitur studii.* — Vanitas opum. I.

Secunda, quod mille curis, timoribus, angoribus divitem cruciet, ne quis eas surripiat; ne naufragio, incendio, rapina pereant. Unde sanctus Gregorius: *Nolite*, ait, *amare quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.* Et sanctus Basilius apud Anton. in Melissa part. 4. cap. 34. *Quidquid vides* (o avare, inquit) *quidquid imaginaris, aurum est. Hoc tibi dormienti somnium, et vigilanti cogitatio est. Nam ut qui per insaniam delirant non ipsas res vident, sed quæ eis afflictio suggerit, imaginantur; sic animus tibi avaritia detentus nihil quam aurum et argentum videt, et suavius quidem aurum quam sol conspectui tuo se offert.* Audi et Senecam in Hercule Œteo, Actu 2. II.

O si paterent pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia, Coro
Pulsante fretum, mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.

Tertia, quod cupiditatem augeant in immensum; qui enim lucratus est centum aureos, mox cupit lucrari ducentos, illico trecentos, quadringentos, mille, ac deinde millionem, non unum, sed plures, iuxta illud: III.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quarta, quod opes gulæ, luxuriæ, superbiæ, rapinæ, omniumque scelerum sint occasio et stimulus, uti Salomoni fuerunt: nam ab opibus itur in luxum, a luxu in luxuriam, ab hac in hæresim, idololatriam et atheismum. Audi sanctum Chrysostomum, opum vanitatem, imo perversitatem graphice depingentem: *Divitias dico luxus omnis ac nequitiæ parentes, intemperantiæ omnis ac libi-* IV.

dinis patronas, vitii omnis inventrices, exitiosarum omnium voluptatum adiutrices, continentiæ hostes, pudicitiæ inimicas, clandestinas virtutis omnis fures. Sic recitat Chrysostomus verba D. Damasceni in Parallelis l. 2. c. 47. et ex Basilio sic adscribit: *Quousque tandem studio aurum erit animarum laqueus, mortis hamus, peccati illecebra? Quousque divitiæ bellorum parentes, ob quas arma cuduntur, enses acuuntur? Ob eas causas cognati naturam non agnoscunt, fratres infesta ac sanguinea oculis sese intuentur. Propter opes solitudo prædones alit, mare pyratas, urbes sycophantas? Quis mendacii pater est? quis falsæ conscriptionis artifex? quis periurii procreator? Nonne opes? Quis vobis ea, quæ vestra sunt, ad perniciem vestram convertit? Ad subsidium vitæ, ad vitiorum materiam et ad adiumentum opes concessæ sunt?* etc. Et iterum ex eodem: *Vide ne cum opes innumeris laboribus tibi cumulaveris, peccatorum materiam tibi atque aliis compares, sicque duplicem pœnam tibi accersivisse comperiaris, nempe tum ob eos quibus abs te iniuria illata est, tum etiam ob eos quibus vitiorum ansam et viaticum subministrasti.*

Vide et sanctum Basilium, homilia in Divites avaros, et Isidorum Pelusiotam libro secundo, epistola 146. ubi citat illud Isocratis: *Divitiæ vitii potius quam virtutis sunt ministræ, ut quæ licentiam quidem inertiæ afferant, iuvenes autem ad voluptates cohortentur.* Et mox: *Apud veteres hoc in more positum erat, ut post convivium lyram caperent, illudque canerent: O divitiæ, utinam nec in terra videamini, nec in mari!* Idque confirmat exemplo Aristidis, Platonis, Epaminondæ, ac Cratetis qui opes suas senatui cedens dixit: *Crates Cratetem libertate donat.*

V. Quinto, quod hominem periculo mortis præsentis et æternæ exponant: multi enim divites occiduntur ob pecunias, ut illas occidens surripiat; multi pariter ob easdem damnantur, unde Christus ait: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*, Matth. 19. v. 24. Quid ergo profuit Salomoni omnis hæc opulentia? imo quantum obfuit, cum in periculum salutis æternæ eum deduxit, imo reum gehennæ effecit? Quanto satius Salomon fuisset pauperior Iro, quam ditior Cyro? Quam mallet nunc mendicasse cum Lazaro, quam ingurgitasse se cum Epulone! Fuit enim ipse opum gurges, et patrimoniorum tot regum et populorum helluo. Meminerint principes, qui, ut se ditent, nimiis tributis populum gravant, et pauperum sanguinem sugere se in tribunali Christi velut homicidii reos accusandos fore, et ad mortem æternam damnandos. Nam ut ait Eccles. cap. 34. v. 25. *Panis egentium, vita pauperum: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum, qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario; fratres sunt.*

Feci mihi cantores ut cantatrices.) Hebr. שרים ושרות *sarim vesaroth;* quod si per sin scribitur, significat *principes et principissas.* Verum hic scribitur per scin; unde significat *inspectores* et *inspectrices*, item, *cantores et cantatrices*, qui iugiter notas musicas et rem canendam inspiciunt. Addunt aliqui significare *instrumenta musica:* his enim canunt cantores. Unde Pagninus vertit: *Feci mihi diversa instrumenta musica.* Et noster Pineda per *cantores et cantatrices*, ut proprie vertit Noster, accipit omne genus instrumentorum musicorum: quippe idem nomen substantivum, variatum per diversa genera, notat eius rei, quam nomen significat, omnem diversitatem et universitatem. Cum enim Hebræi non habeant nisi dua illa genera, masculinum et fœmininum; qui utrumque genus alicuius rei dicit, rem illam universam comprehendit; Isaiæ cap. 3. v. 1. *Auferam a Iuda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ.* Quem locum sic legit Cyprianus lib. 1. testim. ad Quirinum: *Auferam valentem et validam valentium panis et valentiam aquæ.* Berzellai ait 2. Regum cap. 17. v. 3. *Numquid audire possum ultra vocem cantorum et cantatricum?* ubi Chald. Complut. *Audiam multum vocem cythararum et hymnorum?* ubi cernis cantores et cantatrices accipi pro instrumentis musicis.

Porro David ad cultum Dei in templo, et Salomon ad suas delicias in mensa et aula, hæc fecere musices instrumenta, psalterium, organum, citharam, tibiam, tympanum, decachordum, tintinnabulum et cymbalum, chordas, tubam, fistulam, sambucam, quam nonnulli vocant *harpam*, alii *buccinam*, alii *tubam*, ut *Sambuca* dicta sit quasi שמש *scemes*, id est solis *bucca*, id est *tuba:* quod bucca inflata instar tubæ clangeret. Melius alii sambucam dictam volunt, quod ex sambuco arbore, vel potius arbusto fistuloso conficeretur, uti indicat S. Hieronymus ad Dardanum. Optime alii Sambucam censent esse vocem Hebræam. Nam Danielis cap. 3. v. 5. *sabbecha* quasi *sambuca* (littera enim *m* in dagbes absorbetur, et euphoniæ causa in *b* vicinam labialem commutatur et liquescit) radix enim סבך *sabach* significat implectere, implicare, perplectere, ons alteri inseritur, et iam adducitur, iam a Sambucina lexatur. Sambucæ etymon.

Verum plane et genuine, *cantores et cantatrices* accipe pro viris et fœminis, sive iuvenibus et puellis, canora canentibus, tum voce, tum instrumento musico: simul enim dum ore canunt, manu pulsant organum, cytharam, psalterium, aliudve instrumentum; itaque duplex plenaque fit harmonia ab uno eodemque cantore: quod si plures idem faciant, concinna et harmonica fit symphonia admirabilis et cælestis, quæ audientes rapit et mira oblectatione demulcet. Porro principes solent habere musicos in aula ad manum, ut quoties lubet iubeant eos canere, atque hac illorum modulatione curas suas et mærores dispellant; præsertim vero iis utuntur ad mensam vel a mensa, hicque vetus fuit mos, præsertim Syrorum et Ægyptiorum, ut pueros comatulos comptosque canentes mensæ adhiberent, qui sua tum forma et habitu decoro, tum voce modulata convivarum aures æque ac oculos pascerent. Unde Ecclesiasticus c. 32. *Gemmula carbunculi*, inquit, *in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo et moderato vino.* Vide ibi dicta.

Sensus ergo est q. d. *Feci*, id est comparavi, constitui, disposui, ordinavi, per choros distribui mihi cantores et cantatrices, qui statis horis et locis canendo me oblectarent. *Facere* enim generale est verbum significans quamlibet actionem, dispositionem, ordinationem. Rursum *feci* proprie, id est iussi fieri, et dato pretio confici curavi omnis generis instrumenta musica, pretiosa et affabre elaborata, quibus psaltores et psaltriæ, æque ac voce canerent, meque recrearent. Unde Chald. vertit: *Feci in domo Sanctuarii* (melius dixisset, in *aula*) *instrumenta musices, ut canerent in illis cantores et cantatrices.*

Et cantatrices.) Has plane pleneque deliciosi et effœminati adhibebant ad cantus delicias: fœminarum enim vox mollior est, dulcior et delicatior; quare virorum aures mentemque evirare et effœminare solet. Ita Antoninus Verus Imperator, ait Capitolinus cap. 8 Vitæ eius: *Adduxerunt secum* (e Syria) *fidicines, et tibicines, et histriones, scurrasque mimarios, et præstigiatores, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate.* Sic et apud Hebræos cantores erant servi et servæ. Audi Esdram lib. 2. cap. 7. v. 67. *Absque servis et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices* 245. Similes fuere apud Romanos. Unde Plautus in Sticho: *Fidicinas, tibicinas, sambucinas* (quæ sambuca canerent) *advexit secum forma eximia.* Et Livius lib. 9. Bell. Macedon. *Tunc psaltriæ sambucinæque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Similes cantatrices et psaltrias tum voce, tum instrumento musico, in deliciis habuisse reges Persarum docet Xenophon lib. 4. Pædiæ, Curtius lib. 5. Athen. l. 3. et Brisson. l. 4. de Regno Persar. adduntque eas cum cantu iunxisse brachiorum gestus, saltus, et numerosos corporis motus, qui sane parum casti erant, imo libidinis illices. Unde Ovidius de remedio amoris:

Enervant animos citharæ, cantusque lyræque,
Et vox, et numeris brachia mota suis.

Cantorum vanitas.

I. Porro vanitas propria cantorum prima est, quod cantus non sit aliud quam vox et sonus aerem verberans et transiens: ubi enim sonuit, abiit et evanuit.

II. Secunda, quod cantores suavitate et varietate modulationis vincantur ab avibus, præsertim a merula et philomela, quæ, cum sit avis vilis et pusilla, tamen cantu omnes aves et homines superat, ideoque non aliud nisi vox et cantus esse videtur.

III. Tertia, quod vox puerorum delicata et gracilis post paucos annos mutatur et crassescat, perdatque suam in canendo delicatam gratiam et venustatem.

IV. Quarta, quod voces puerorum et præsertim fœminarum animum effœminent, ac sensim ad impudicos amores invitent. Sicut enim Sirenes, sic et meretrices cantu amasios alliciunt, dementant et perdunt. Unde Proverb. 5. 3. dicitur: *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius; novissima illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps.* Quocirca S. Hieronymus ad Furiam mandat, *ut fidicinas et psaltrias et istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera Syrenarum carmina proturbet ex ædibus suis.* Et Nyssenus hic: *O improbum,* inquit, *et importunum artificium! quam densum acervatim immittit voluptatum fluentum, quod veluti quibusdam duplicibus torrentibus per auditum et visum inundat animas, ut videatur et audiatur malum! Cantus evertit auditum, cantus superat et prosternit oculum. Hinc muliebris sonus per factam cantuum harmoniam, secum sumit cor, et deducit ad vitium. Illinc visus tamquam aliqua machina bellica in oculos, eo quod in aures cantibus incurrerat iam fracto, incurrens evertit animam. Huius autem aciei dux est vinum, quod veluti quidam improbus sagittarius duplicibus telis hominem confodit, ad aures et oculos dirigens aculeos.* Huic cantus vanitati opponitur eiusdem veritas, qua olim Christiani in Agape sive convivio Eucharistico, Deo laudes et hymnos canebant, teste Tertull. Apolog. cap. 39. adinstar Christi, qui peracta ultima cœna ὑμνήσαντες, id est, *hymno dicto*, cum Apostolis exivit in montem Olivarum, Matth. cap. 26. v. 30. Unde Apostolus Ephes. 5. v. 18. *Nolite,* ait, *inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Vide ibi dicta.

ET DELICIAS FILIORUM HOMINUM.) Aliqui delicias has interpretantur *cantores et cantatrices* iam recensitos, ut sit epexegesis, qua exponatur finis et usus eorum, q. d. Cantores et cantatrices alteri rei non serviunt, nisi ad delicias ut oblectent deliciosos hominum filios. Unde Syrus vertit: *Feci mihi cantores et cantatrices, et suavitatem in filiis hominum;* Arabicus: *Feci mihi cantantes et cantatrices cum voluptate cum filiis hominum.*

Planius alii quaslibet mensarum, epularum, vinorum, pincernarum, vasorum, lancium, lavacrorum, thermarum, ut ait Chald. coronarum, tricliniorum sive lectulorum, in quibus veteres discumbebant, iuvenum complatorum convivis ministrantium, etc. delicias et lautitias accipiunt, quas graphice depingit Philo l. de Vita contempl. Unde pro *delicias* Aquila vertit τρυφάς, id est mollities, voluptates, luxus; Symmach. σπατάλας, id est cibos delicatos, cupedias, lautitias. Lyran. per delicias accipit speciosas uxores et concubinas Salomonis, easque plurimas, scilicet mille.

Deliciarum fallacia.

Tropolog. deliciæ sunt vanæ et fallaces; quia vita carnis in deliciis sæpe est mors animæ, rationis et spiritus. Non ego id assero, sed S. Paulus loquens de Vidua 1. Timoth. 5. 6. *Quæ in deliciis est,* inquit, *vivens mortua est.* Qui enim delectatur in carne, nequit delectari in Omnipotente. Iob 27. v. 10. Causam dat ibidem S. Gregorius 18. moral. cap. 8. *Utique se amores,* ait, *in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ charitatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant.* Similem causam dat S. Chrysost. homil. 13. in Epist. 1. ad Timoth. *Mortuus est,* inquit, *quisquis vivens cum deliciis degit. Quonam modo? Ventri solummodo vivit, sensibus cæteris mortuus. Neque enim aspicit quæ aspicienda sunt, neque audit quæ necessario audire convenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, nihilque in se vivere præter solam ventris ingluviem indicat: cæterum quemadmodum mortuus quispiam in lectulo iacens, complosis palpebris clausisque luminaribus, nullum omnino sensum habet, ita et hic, imo longe hic deterius quam ille effectus est. Ille enim bona æque ac mala eadem ratione non sentit; hic autem malorum tantum admittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his, quæ in futura vita servantur, movet, sed ad omnia perstat immobilis; atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quemdam obscurum et tenebrosum antrum præcipitatus, atque immunditia omni plenus, intimis et opacis vitiorum sinibus conditus, semperque in tenebris instar mortuus degit.* Et inferius in Morali: *Maiori nos in dies fœtore implemur, cum deliciis magis instamus, corpore nostro instar utris defluente; et dum quispiam huiusmodi satietate distentus, crebris ructibus etiam cerebrum violat, vapores undique ex corpore tetri exhalant, veluti ex fornace quadam calore intrinsecus fervescente, ut est sapientum sententia. Quod si et hi qui forinsecus sunt, ita indignantur et graviter ferunt, quid pati existimas cerebrum intrinsecus, dum iugiter eiusmodi vaporibus quatitur nec evaporare valet? Quid lacunas illas, iecur ac lienem? quid ipsa receptacula stercoris? et quod deterius est, latrinas caute curamus, uti obstruantur, ne stercus ad superiora exhalet: ventris autem nostri latrinas non emundare curamus; verum obstruimus atque oppilamus, et fumo ipso ad superna ascendente, ubi rex ipse sedem habet, cerebrum scilicet, desidemus, nullaque movemur cura. Cur id quæso? Nempe, quia ipsum non ut regem honestum ducimus, sed veluti immundum quempiam canem.* Et post nonnulla: *Merito igitur,* ait, *quæ in deliciis est vivens, mortua est; nihil enim vel loqui, vel audire convenienter potest deliciis obsessa animus: efficitur namque mollis, ignava, imbecilla, illiberalis, timida; interdum vero audaciæ, assentationis, imperitiæ plena; indignationis, iracundiæ, malorumque omnium receptaculum, bonis virtutibusque omnibus destituta. Quæ in deliciis,* inquit, *est, vivens mortua est.*

Non decent stultum deliciæ, Proverb. 19. v. 10. veræ scilicet, cælestes et divinæ, quas Deus habet in dextera sua, Psalm. 15. 10. et quas promittit sanguine Christi redemptis. Isaiæ 51. 3. puta delicias S. Script. Eucharistiæ, devotionis, amoris, futuræ beatitudinis, quibus affluebat sponsa Cantic. 8. 5. nam in illis, ut ait Psaltes Psalm. 35. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ,* Domine, *et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Inebriabuntur* vere, quia ut ait S. Augustinus: *Absorbebitur et perdetur mens humana, et fiet divina; quia torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Mundus hic nos potat calice, imo gutta voluptatis, quæ tamen sæpe plus aloes, quam mellis habet; sed in futuro potabit torrente dolorum. Tu, Domine, nos hic potas gutta doloris, sed in futuro potabis torrente, imo pelago voluptatum; *quoniam apud te est fons vitæ*, scilicet ipse *Deus erit ipsorum Deus*; ipse Deus replens in bonis desiderium animæ, erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Verbo dicam: Deus erit omnia in omnibus, Deus omnes gloriæ, omnes opum, omnes scientiæ, omnes gaudii, omnes deliciarum suarum thesauros in electos amicos suos; imo se totum transfundet, itaque animam gloria et gaudio inebriabit, ut nec illa nec se capere posset anima et cor nostrum, sed lætitia dirumperetur et dissiliret, ni Deus supra naturam ea fulciret. Cur ergo, infelix homo, per multa creata vagaris, delicias quæris, et non invenis? ama unum in quo sunt omnia. Si delectat honor, si divitiæ? *Gloria et divitiæ in domo eius;* si pulchritudo? *Fulgebunt iusti sicut sol:* si scientia, si libertas, si fortitudo? *Similes erunt Angelis Dei*; si satietas, si ebrietas? *Satiabimur cum apparuerit gloria tua;* si melodia? Ibi cum Angelis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, et perpetuum alleluia canemus: si societas, si amicitia? Ibi Sanctorum mira societas et omnium temporum æterna est longitudo. Et hæc

Veræ deliciæ in solo Deo et cælo.

omnia in omnes æternitates, quamdiu mundus, quamdiu infernus, quamdiu Angeli, quamdiu Deus erit Deus. O cara æternitas, æterna veritas, vera charitas, cara felicitas, Deus meus, amor meus, Deus meus et omnia; *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?* O cor humanum, cor indignum, cor ærumnas expertum, ærumnis obrutum, quomodo non totum te in hoc uno tuo bono, tua requie, tuo centro defigis, hoc unum omnibus votis et studiis prosequeris?

Scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda.) Hebr. est שדה ושדות *scidda vesciddot*, quod a variis varie vertitur; primo, Septuag. quos olim secutus

I. fuit S. Hieronymus, vertunt: *Ministros vini et ministras;* Olympiodor. *Propinatores et propinatrices: ut ex vario*, inquit, *propinantium aspectu, ac alternata mutatione appetitum sibi ad pocula provocaret; vel tanquam valde mollis existens, ac mulierosi hominis ingenium exprimens:* addit Nyssenus: *Iuventus exornata ad pulchritudinem, aut pueri per ornatum effæminati, aut etiam ipse sexus fæmininus versans in convivio benignis invitationibus flammam excitat indecoram;* Neocæs. *Pocillatores ex utroque sexu delectos et eximios, nec numero quidem complecti possint;*

II. secundo Syrus: *Feci mihi potatores et potatrices.* Sic et Arabicus.

III. Tertio, Chald. accipit thermas et balnea: *Feci*, inquit, *siphones qui effunderent aquas tepidas, et siphones qui effunderent aquas calidas.* Prisci enim Hebræi, Ægyptii, Syri, Persæ, Græci, Romani, ad nitorem et delicias crebro se lavabant in thermis et balneis, ut patet Iudith. 10. 3. Genes. 19. 2. Exodi 2. 5. Daniel. 13. 15. 2. Reg. 11. 2. et ex Brissonio l. 2. de Regno Persar.

IV. Quarto, R. Salomon vertit: *Quadrigam et quadrigas, vel plaustrum, et plaustra.*

V. Quinto, Reuchlinus in Lexico: *Honorem et magnificentias*, id est res splendidissimas et magnificentissimas.

VI. Sexto, Marinus et Novatores passim: *Symphoniam et concentum musicum.*

VII. Septimo, Aben Ezra, Campensis, Vatablus, Pagn. *Mulieres selectissimas et pulcherrimas bello captas.* Huc spectat Hutteri novatoris versio in Lexico, qui transfert, *Coniugem et liberos.*

VIII. Octavo, optime Noster vertit: *Scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda*, id est, quibus pincernæ, cæterique ministri mensæ, dum convivis ministrant, vina fundunt, temperant et ad bibendum porrigunt. Nam et Septuag. vertunt: *Feci mihi ministros vini et ministras;* et Aquila: *Feci vasculorum diversas species;* et Symmach. *Feci mensurarum diversas species et appositiones.* Unde S. Hieronymus in Comment. *Sive urceos, sive scyphos, sive crateres, qui in ministeriis ordinantur, auro gemmisque distinctos, Salomonem habuisse credendum est, et quod ex uno cratere aliis minoribus vasculis hauriretur, et per ministrorum manus potantium vinum turba exciperet.* Nimirum a שד *sciad*, id est mamma, dicitur שדה *scidda*, id est, scyphus et urceus, quod mammæ tumentis speciem referunt, atque vinum, uti mamma lac, propinant. Vinum enim est lac senum. Porro aurei erant, et plurimi Salomonis scyphi et urcei, iique variæ formæ et figuræ, qui a pincernis et iuvenibus nobilissimis tanto ordine, decore et elegantia ministrabantur, ut eos cernens Regina Saba obstupuerit, 3. Reg. 10. 5. Unde S. Hieron. in Tradit. Hebr. Genes. 40. *Nec vile*, ait, *putetur officium* (pincernæ) *cum apud reges barbaros usque hodie maximæ dignitatis sit, regi poculum porrexisse. Poetæ quoque de catamito et Iove scriptitant, quod amasium eum huic officio manciparit;* puta Ganymedem. Sic Athen. lib. 10. docet Menelai filium fuisse pocillatorem. Plura similium exempla refert l. 1. quin et Esdras fuit pincerna Assueri regis, 2. Esdræ 1. v. 11. Sic Romæ Cardinalium pocillatores cernimus viros nobiles et honoratos, atque a primariis hoc munus ambiri. Audi de vario poculorum genere S. Ambr. l. de Elia et Ieiun. c. 13. *Cernens*, ait, *poculorum diversorum ordines, aciem ordinatam putes, vasa exposita aurea et argentea (variarum sæpe in materia cornea, lignea, figulina, vitrea, crystallina, murrhina, lapidea, ærea, etc.) pompam arbitreris, cornu in medio vino plenum, non epularis, sed prœliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat. Primo minoribus poculis, velut velitari pugna præluditur; ubi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis; tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum, etc. cedunt pincernarum manus vina fundentium.*

Porro *scyphus* est vas potorium notum et celebre in conviviis; in scyphis enim æque ac pateris bibuntur vina: σκυφος, ait Athen. l. 11. dicitur quasi σκυθος, a Scythis, quod Scythæ eo uterentur præ cæteris, seseque inebriarent. *Urceus*, et diminutive urceolus, proprie est vas aquarium, quo vinum in scypho infusa aqua diluebant. Unde Martial. l. 4.

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa:
Stoicus hoc gelidam fonte petebat aquam.

Inde dictus græce κρατηρ, et latine crater a κεραννυμι, id est misceo, tempero, diluo, cuius præteritum est, κεκρακα; unde, κρατηρ ut κεραστης, id est pocillator, pincerna, qui vinum aqua aliis temperet, miscet et diluit.

Mystice S. Hieron. ex Aquila vertens κυλικα και κυλικια, id est calices magnos et parvos, sive crateres et scyphos, ut scilicet ex maioribus in minores vinum effusum convivis præberetur, hæc Christo adaptat, qui velut *Sapientia Patris in cratere misto*, Proverb. 9. *prætereuntes ad se convocat: Corpus dominicum*, inquit, *craterem magnum debemus accipere, in quo non mera divinitas, ut in cælestibus fuit; sed propter nos humanitate media temperata est, et per Apostolos minora* κυλικια, *id est, scyphos parvulos in toto orbe credentibus effusa sapientia est.*

Vers 9 Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.) *Omnes* tum reges, tum mercatores, tum quoslibet alios licet opulentissimos.

Τo *opibus* non est in Hebr. Sept. et Syro, sed intelligitur; sed pro opibus delicias et bonorum omnium copiam accipe. Nam Ops opis (unde opes) gentilibus erat filia Cæli ex Vesta, et soror uxorque Saturni, puta Tellus; quam, ut scribit Servius, Græci Rheam vocant, απο του ρειν, id est fluere, quod terra rebus omnibus affluat. Hinc Festus: *Ops*, inquit, *antiqui dicebant, quam nunc opulentam, ut testimonio est ei contrarium inops.* Et Cicero de Senectute: *Quibus*, ait, *nihil est opis in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas.* Sicut ergo opes sunt auri et argenti, sic sunt et deliciarum, vinorum, scyphorum, urceorum, etc. puta eorum copia et affluentia.

Hebræa ergo ad verbum habent: *Magnus evasi et auxi*, vel *cumulavi.* Quid? Varii varia supplent. Arabicus supplet *famam et statum: magnificata est*, inquit, *fama mea, et auctus est status meus maxime omnium, qui me præcesserunt in Ierusalem;* Symmach. supplet *magnitudinem: Magnitudine*, ait, *superavi omnes;* ut in Hebræo sit Heendiadys: *Magnus evasi et auxi* vel *superavi*, id est *magnitudine superavi;* S. Hieron. in veteri editione, quam habet in Comment. supplet *sapientiam: Et magnificatus sum*, inquit, *et adieci sapientiam;* Tigurina: *Cumulavi res meas;* Vatablus: *Auxi meipsum id est meam dignitatem et magnificentiam;* R. Haccados: *Maior fui aliorum regum consuetudine, sicut scriptum est: Feci mihi thronum eburneum, quod nusquam in aliis regibus factum est.*

Verum Noster optime supplet *opes* cum Chald. qui vertit: *Multiplicavi bona et addidi divitias*, vel ut vertit Coccius: *Deliciisque diffluens opes congessi cumulatiores, quam ante id tempus in Ierusalem habuerit nemo.* De deliciis enim et opibus fuit omnis sermo præcedens: atque opes, magnitudinem, famam, statum, res suaves, dignitatem et magnificentiam gignunt, ideoque tacite complectuntur. Repetit et inculcat id quod dixit versu præcedenti. Alludit ad illud 2. Paral. 9. 22 *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et sapientia.* Nimirum voluit Deus eum ita magnificare, ut in hac magnitudine melius rerum omnium vanitatem experiretur,

eamque efficacius aliis repræsentaret et persuaderet, ait Nyssen. Unde omnes reges superavit, iuxta illud 3. Regum 3. v. 13. *Ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* Et 2. Paral. 1. v. 12. *Ut nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* Breviter sed nervose S. Laurent. Iustin. de Ligno vitæ c. 3. *Fallax suavitas*, ait, *in temporalibus bonis, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor et periculosa inest iucunditas, cui initium sine prudentia, progressus absque rubore et finis cum pœno.*

SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM.) Hebr. *Sapientia quoque stetit vel astitit mihi*; alii: *Permansit mecum*; Syrus: *Sapientia mea surrexit sibi*; Arabicus: *Attamen permansit sapientia mea apud me*; Interpres Olympiod. *Stabilis mihi fuit.*

Sapientia hic, quæ? Resp. I. Qui putant Salomonem hunc librum scripsisse post lapsum et pœnitentem, hic laborant, ut sapientiam cum illo in lapsu perseverantem assignent. Igitur primo aliqui per *sapientiam* accipiunt humanam et animalem, puta solertiam in excogitandis novis voluptatum generibus, et augendis opibus, deliciis, luxu, pompa et gloria, quæ est sapientia mundanorum et peccatorum. Ita Nyssen. *Inveni*, inquit, *quidquid ad fruendum potest excogitari, et eruditus omni sapientia accessi ad faciendum earum rerum periculum. Itaque et visus opem tulit cupiditati, et liberum arbitrium repletum fuit iis quæ erant delectabilia*; et Hugo de sanct. Vict. *Quæ est ista sapientia*, ait, *quæ discursus amat et secretum fastidit? Vide ne forte similitudo fallat te: et non sit sapientia quod sapientia esse videtur*; et Olymp. *Adeo exaltatus sum, ut in nullo umquam consilio rationeque aberraverim*, q. d. Nullus ictus aut piscatus in voluptate scrutanda irritus mihi cecidit. Favet huic sententiæ Chaldæus qui vertit: *Sapientia quoque stetit in me, et ipsa auxiliata est mihi*; vel ut vertit Costus: *Opes congessi*, etc. *Idque acceptum fero sapientiæ meæ, quæ mihi auxilium præstabat.*

II. Secundum, Bonaventura, Titelm. et Dionys. respondent *sapientiam* hic accipi non practicam sed speculativam, quam Dionys. informem vocat, id est gratia, charitate et bonis operibus destitutam et vacuam; sicut et nunc, inquit, multi Theologi et Iuristæ non mediocriter docti, et prompti in allegandis Scripturis et documentis Patrum et iura, sunt detestabilis vitæ. Eodem pertinet quod ait Moringus, indicatque Glossa interlinearis perseverasse sapientiam contemplatione et iudicio speculativo, non praxi et usu morali. Abutens enim Salomon sapientia, reddidit eam animalem, sæcularem, diabolicam, terrenam. Hinc exaggeratur Salomonis peccatum, et in eius confessione pœnitentia magis declaratur, quod sciens ac prudens peccaverit, et adeo insignem sapientiam ad eius auctoris offensam converterit, idque cognoscat et præ se ferat.

III. Tertio, Thaumaturgus et Alcuinus pro *perseveravit*, ex Hebr. vertunt: *Stetit mecum*, illudque contrarie explicant; *stetit*, id est cessavit et imminuta est, q. d. Invalescente in me concupiscentia, sapientia in me crescens stetit, sensimque imminuta est et decrevit; quod enim ulterius non proficit, sed deficit, stare asserimus. Sic 4. v. 6. dicitur: *Stetit oleum*, id est cessavit, subsidit, defecit. Hinc Patres docent luxuriam Salomonis ponitam fuisse privatione sapientiæ. Nam et naturaliter voluptates hebetant rationem, mentem et sapientiam. Ita sanctus August. 3. doctr. Christ. c. 21. sanctus Ambr. Apol. 2. David c. 6. et 7. sanctus Gregor. 3. p. Pastor. Admon. 27. et alii.

IV. Quarto, alii per *sapientiam* accipiunt scientiam rerum naturalium, quam Deus Salomoni æque ac Adæ infudit, quæ in utroque post peccatum remansit, ut eamdem posteros docerent.

V. Quinto, Pineda, *sapientiam* accipit pro experimento et verissima rerum cognitione, q. d. *In* fruendis voluptatibus assistebat et auxiliabatur mihi sapientia, ut de rebus quarum capiebam experimentum recte censerem, verumque iudicium proferrem.

VI. Sexto, et genuine, *sapientia* hic, uti in Proverbiis
Genuine. cæterisque libris Sapientiæ, non speculative, sed practice accipitur pro prudentia, et sincero de rebus agendis iudicio practico, quod proinde cum recta voluntatis electione, ac virtute coniunctum est, imo illam imperat et producit. Unde Lyran. ait perseverasse sapientiam cum Salomone etiam deliciis vacante, donec immoderate iis usus, a mulieribus fuit deceptus, et ad idola adductus. Igitur videtur Salomon hic de se loqui eo statu, quo voluptatibus quidem indulgebat, sed moderate et honesto fine, scilicet ut indagaret et experiretur quid in singulis esset boni, et num aliqua re animus hominis satiari, conquiescere et beari posset. Nam dum paulo post iis immoderate usus Deum dereliquit, veram sapientiam et sanctitatem perdidit ac infatuatus est et depravatus, ut ait Scriptura 3. Reg. 11.

Hinc Hebræi pro *perseveravit*, habent *astitit*, q. d. In tot deliciis sapientia mihi astitit velut directrix et pædagoga, tum ne iis seducerer neque totum immergerem, tum ut sincere de earum vanitate, alibique quærenda vera felicitate iudicium proferrem. Unde Chald. vertit: *Sapientia auxiliata est mihi.*

Idipsum confirmatur ex præcedentibus, ubi plane significat se integre adhuc et incorrupta mente scrutatum omnia, studio veræ sapientiæ et felicitatis, ut in quo illa sita esset, inveniret. Unde cap. 1. v. 12. ait: *Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* Et v. 16. *Mens mea contemplata est multa sapienter, et didici: dedique cor meum ut scirem prudentiam; atque doctrinam, erroresque et stultitiam.* Et cap. 2. v. 3. *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam donec viderem quid esset utile filiis hominum.* Quod ergo ibi dixit, idem hic asserit dicendo: *Sapientia quoque perseveravit mecum:* quæ omnia significant Salomonem adhuc purum et illibatum hæc fecisse, studio non cupiditatis, sed experientiæ et disciplinæ: quamquam experientia hæc illi occasio fuit excessus, intemperantiæ et luxuriæ, qua per mulieres depravatum est cor eius: quam ad rem iuvit præsumptio sapientiæ, quod videlicet videret sapientiam secum perseverare, illique nimis præfidens lapsum non timeret, nec a sapientia et sanctitate se posse excidere crederet. Unde Hugo Victor. *Grandis fiducia*, ait, *ideo secure peccasti, ideo confidenter effudisti cor tuum in delicias voluptatis, quia sapientia perseverabat tecum. Quare enim intus positam quæreres, si ipsa foris vagum non reliquit?* Denique quis credat Salomonem iam luxuria et idololatria depravatum, suum hic iudicium de rerum vanitate proferre et conscribere? Quis credat Spiritum sanctum instrumento tam scelerato usum, hæc adeo sancta dictasse? Dicamus ergo Salomonem adhuc rectum, sapientem et sanctum hæc expertum esse, sensisse, sapuisse, iudicasse.

Allegor. S. Hieron. hæc exponens de Christo, cuius typus fuit Salomon, ait, non in Salomone, sed in Christo stetisse sapientiam, quasi plenam et omnibus sui partibus cumulatam, ut augeri non posset: *Qui profectum habet in sapientia*, inquit, *non ei stat sapientia; qui autem non recipit profectum, nec per momenta succrescit, sed semper in plenitudine est, iste dicere potest: Astat mihi sapientia.*

ET OMNIA, QUÆ DESIDERAVERUNT OCULI MEI NON NEGAVI EIS: NEC PROHIBUI COR MEUM QUIN OMNI VOLUPTATE FRUERETUR.) Pro *non negavi*, hebr. est לא אצלתי *lo atsalti*, id est, *non separavi, non servavi apud me*; Septuag. *Non abstuli; Arabicus: Non abscondi*; alii: *Non segregavi, non eripui, non removi a conspectu.* Vers. 10

Pro nec *prohibui*, alii vertunt: *Non compescui, non coercui, non refrænavi, non avocavi.* Notat spontaneam et incitatam oculorum cordisque ad voluptates inclinationem impetum et cursum, quem ipse non refrænerit, sed ei plenas laxarit habenas, intra limites tamen licitos honestatis et legis, ne quid illicitum vetitumve committeret. Iam

Primo, Chald. per oculos accipit senatores et iudices, I
quorum quæstionibus omnibus respondebat Salomon: sic enim habent in versione Complut. « Omnia quæ quæsie-

runt a me principes et iudices ordinarii ad mundandum et ad contaminandum, non prohibui ab eis interpretationem verborum: neque prohibui cor meum ab omni gaudio legis, quando tempus mihi vacabat; quoniam cor meum exultabat in sapientia, quæ data est mihi a facie Domini, et ab omnibus filiis hominum; et lætatus sum in ea magis quam in omnibus laboribus meis: et hæc est pars mea bona, quæ parata est mihi, ut pro ea recipiam retributionem perfectam in sæculo venturo ab omnibus laboribus meis. »

Verum hi oculi symbolici sunt. Unde tota Chaldæi versio symbolica est et mystica, non litteralis et genuina.

II. Secundo, R. Haccados apud Galatin. accipit oculos non corporis, sed mentis et spiritus: Intelligentiæ ait animi mei, oculis fræna laxavi, totumque me dedi vestigationi et contemplationi rerum spiritualium et cælestium, ac in ea miram cordis voluptatem hausi magisque lætatus sum quam in rerum corporearum sensu et gustu. Verum hic sensus pariter spiritualis est et mysticus.

III. Tertio ergo genuine ad litteram oculos corporis accipe, q. d. Quidquid oculis meis placuit, quidquid eis pulchrum et gratum videbatur, id eis indulsi, nil eis eripui, nil asservavi, sed permisi ut in res iucundas ad libitum plena potestate se effunderent, seque cupito rerum specie aspiciendo pleno ore et orbe exsatiarent, tamen intra limites honestatis: necdum enim eos transilieret Salomon, uti tandem iis simile indulgendo fecit.

Ait autem *desideraverunt*, hebr. שאלו *sciaalu*, id est *postularunt:* Symmach. ἐπεθύμησαν, id est *concupierunt;* quia oculi sunt concupiscentiæ indices et illices. Unde a S. Ioanne epistola 1. capit. 2. vers. 16. vocatur concupiscentia oculorum: quare oculos hic non nudos et solos, sed cum appetitu sensitivo et concupiscentia rerum, quæ oculis insidet vel assidet, accipe. Unde explicans subdit: *Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Per oculos ergo cor quoque, id est appetitum et voluntatem accipe, quia ubi oculus, ibi cor est et amor. Unde illud: *Oculos habentes plenos adulterii,* 2. Petri. 2. 14. Oculi enim sunt in amore duces, quia nullus sensus est cordi mentique vicinior et coniunctior, quam visus et oculus. Unde in eo proprie est sedes animi, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Hinc in oculo omnes animi affectus patent et cernuntur, nec ullus sensus eo celerius ac spiritualius operatur, ait Philo lib. de Special. legibus. Denique summa est sympathia cordis et oculorum. Unde illud vulgo tritum: *Oculi et cor proxenetæ* (id est conciliatores et mediatores) *peccati.* Et illud c. 11. vers. 9. *Ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum.* Ratio a priori est, quod oculus a Deo et natura cordi datus sit, quasi lux et dux suarum appetitionum et actionum. Sine oculo enim quasi cæcum est cor, nec quidquam visum velle vel appetere potest. Ignoti enim nulla cupido. Sicut ergo homo in tenebris sequitur lucernam præeuntem, quocumque illa ducit, sic cor sequitur oculum et visum. Hinc oculus quia celer, subtilis et versatilis est, quocumque se vertit et versat, eodem trahit et cor. Vice versa cor per oculum suos affectus pandit et enuntiat, atque per oculum velut nuntium alios ad se allicit et invitat. Oculus ergo movet imaginationem, imaginatio movet appetitum sensitivum, hic voluntatem: perinde ac avicula movet puerum, puer movet matrem, mater movet patrem ut aviculam prosequatur et capiat, pueroque tradat. Oculus enim similis est aviculæ, imaginatio puero, appetitus matri, voluntas patri. Audi hanc vagam et versatilem oculorum concupiscentiam graphice depingentem Hugon. Victor. hic homil. 1. *Fallaces,* inquit, *rerum fucos et lubricos captat aspectus: oblita sui foras funditur, ac tota se curiositati dedens circuit omnia, lustrat universa, si qua forte nova, si qua mira occurrunt: ad omnes rerum motus semper altera, semper præceps, procax, petulans; impatiens et lubrica, uritur mora impatientis, exspectans videre quod futurum est, et ad omnem rerum vicissitudinem, sive tristes, sive lætæ fuerint, inconstanti mentis fluctuatione variatur.*

Oculi affectus indices.

Ratio a priori.

Moral. hic disce primo, quam noxii sint oculi, si eis habenæ laxentur; ex adverso quam necessaria sit continentia oculorum, ut mentis integritas servetur. Oculi enim sunt portæ et fenestræ, per quas obiecta bona vel prava in animam ingrediuntur. Hinc per oculos David lapsus est in adulterium cum Bethsabee, et Salomon in amorem 700. concubinarum. Plura hac de re dixi alibi præsertim Thren. cap. 3. versu 51. ad illa: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Et Eccli. c. 25. v. 28. ad illa: *Ne respicias in mulieris speciem.* Et Ierem. 9. v. 21. ad illa: *Ascendit mors per fenestras.* Quocirca Iob c. 31. 1. *Pepigi,* inquit, *fœdus cum oculis meis,* id est, ut S. Chrysostomus legit homil. 34. in Matth. *Legem posui oculis meis* (fœdus enim hic legem et decretum significat) *ut ne cogitarem quidem de virgine.* Cogitationis enim origo est oculus et intuitus. Unde Eccli. 9. 5. *Virginem,* ait, *ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Quocirca Seneca de Remediis fortuitorum, in cæcitate constituit castitatem et innocentiam: *Oculos, perdidi,* inquit, *quam multis cupiditatibus via incisa est? quam multis rebus carebis, quas ne videres vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic urbem et mala omnia. Certa irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum.* Hinc Sancti gavisi sunt cæcitate, ac nonnulli eam a Deo postularunt et impetrarunt, ut S. Audomarus, S. Aquilinus, Maris Chalcedon.

Moral de custodia oculorum.

Secundo, quam noxium sit indulgere suis desideriis et affectibus; ex adverso quam salutaris sit eorum mortificatio. Salomon enim indulgens suis desideriis præcipitavit se in luxuriam et idololatriam.

Rursum quam periculosum sit velle experiri quidquid est licitum, nec terminos voluptatis sibi statuere, nisi in eo quod illicitum est. Facile enim terminos hosce et confinium liciti et illiciti, utpote exiguum et indivisibile, curiosus transgreditur, itaque in peccatum prolabitur, uti fecit Salomon. Sic qui nil vult cavere, nisi quod est peccatum mortale, venialia multa committit, per quæ vicinus fit mortalibus, ac tandem in ea corruit, iuxta illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19. 2. Vide ibi dicta: *Vis ergo cavere ab illicitis, tempera a licitis,* inquit quidam Sanctorum.

Et delectavit se in his quæ præparaveram.) Hebr. *Quia cor meum lætatum est in omni labore suo;* Symmachus: *Ex omni studio laborum meorum.* Nimirum magis oblectant quæ labore sunt parta, quam quæ ex hæreditate vel donatione ultro quasi dormienti obveniunt, tum quia magis propria sunt, tum quia caro steterunt, iuxta illud Psal. 125. 6. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et illud Psal. 127. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.* Hinc Beniamin carissimus fuit patri Iacob, quia ei fuerat Benoni, id est filius doloris, moriente in eius nixu matre, Genes. 35. 18. Quin et Aristoteles lib. 9. Ethic. c. 7. *Omnibus,* ait, *sua cariora sunt omnia, quæ summo labore confecta sunt.* Et Livius Decade 1. lib. 4. *Labor,* inquit, *et voluptas dissimillima natura societate quadam coniuncta sunt.* Et alius: *Sicut optimum cibi condimentum est fames, sic optimum virtutis veræque voluptatis obsonium est labor.* Regia est Alphonsi Aragonum regis apud Panormitani lib. 1. de gestis eius vox: *Regum cibus est honos, quem Dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisque sudoribus hominibus vendunt.*

Laboriosa pretiosa, cur?

Et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.) Hebr. et Septuag. *Et hæc fuit portio mea ex omni labore meo;* Campens. *In omni molestu conatu meo;* alii: *In corporis et animi mei defatigatione, assidua sollicitudine, et cura,* Eccles. 2. v. 10. et 11. voluptatis. Hæc omnia eleganti canis et vulpis Apologo, nervosis argumentis prægnanti, graphice repræsentat Cyrillus lib. 4. Apol. Moral. c. 3. cuius titulus: *De malo deliciarum. Sub meridiano æstu,* inquit, *ad canem aperto ore et inquieto pectore, sui cordis refrigerium attrahentem, iuvenis lupus dixit: O insensate, miser et sponte calamitati subie-*

Apologus deliciarum.

ctus, si tantum tibi placent angustiæ! ut quid cum Empedocle Siculo te non proiicis in fornacem? Nimirum si delectant tantum contra naturam pœnalitates, exspecta parum, quia in morte cuncta pœnalia invenies. Ut quid ergo in tantilla vita spretis refrigeriis, ex nunc ardes? Nam tu in nocte ovibus quiescentibus somnum nescis: illis tota die pabulantibus, panem tantum et aquam sumis; nocturno gelu et æstu diurno illis spisso vellere coopertis ac mutuo se foventibus, tu nuda pelle in aeris tempestate solus degis; illis sine timore iacentibus, tu suspensa palpebra hinc dentem, inde ungulam in aperto vigilans pertimescis. Quænam sunt interdum deliciæ tuæ, nisi acetosum lac, intestinum fœtidum, lectus lapideus, et suavis odor stercoris ovium? Quid plura? Infelicior es cunctis, et tu tibi mundum iam fecisti infernum. Surge, miser, et relictis pœnis quære delicias, ut saltem antequam vitam finias, stillicidio gustatæ consolationis delibato, experientia quid bonum sit agnoscas. Hisce rationibus lupus persuasit cani vitam otiosam et voluptuariam; unde subdit: *Canis autem huius valida exhortatione devictus, pro manumissione ad aviculas venit et dixit: Dudum servivi vobis, et obsessas undique miseriis steti vobiscum. Vadam ergo, ut iuxta lupi monita in deliciis aliquantulum requiescam. Quo audito, illæ gementes dixerunt: Quamquam simpliciores te sumus, tamen sapientia cum simplicibus conversatur* (Proverb. 3. v. 32.) *propter hoc rogamus te, ut antiquas amicas audias, et inimico tuo in æternum non credas: noscis utique quod callidus lupus, quem dente non deiicit, arte ferit: unde quia te rigida vita dudum hostem acerrimum habuit, nunc per hortamenta deliciarum invadit ut deliciis emollitum inveniat, ac delicatæ carni inimicum dentem callidius infigat.* Deinde gravia deliciarum damna recensentes: *An nescis, inquiunt, quod deliciis caro non solum emollitur, sed rigor etiam animæ frangitur, vitiorum ardor acuitur, virtutumque iugum curvatur, rumor passionum cor ipsum ingreditur, et rationis splendor obfuscatur? Nimirum deliciæ* (Iudic. 16.) *fregerunt Samsonem virum fortissimum, ac* (2. Reg. 11. 2.) *subverterunt Davidem virum sanctissimum, et* (3. Reg. 11.) *deceperunt Salomonem virum sapientissimum. Quidnam mali corporales deliciæ non faciunt? foris mollificant cunctos vestimentis, balneis et unguentis; intus vero replent eduliis, condimentis et vinis. Idcirco pes timorositate gravatur, calor humiditate obtunditur, et emollita cutis hinc inde levissime penetratur.* Ex quibus recte concludunt: *Igitur, frater mi, si delicias quæris, perniciem diligis et in dulci flumine lethaliter vis submergi. Venenum in saccharo appetis, et in æternas angustias risu et canticis vis deduci. Crede nobis, crede, et in huius vitæ deliciis omne malum latitare agnosce. Rigor enim carnis est valetudo virtutis. Qua audita, canis placatus cum ovibus quievit.*

Deliciarum damna.

Pars quinque significat.

I. *Pars* quinque significat. Primo pars est portio totius, totum enim dividitur in suas partes. Unde חלק *chelech*, id est pars, dicitur a חלק *chalac*, id est partior, divido, quod totum in suas partes partiendo dividatur. Alii *pars* a *pari* derivant, quod partes simul iunctæ æquales sint toti. Alii a *parum*, quod pars parum quiddam sit respectu totius.

II. Secundo, pars est sors cuique obveniens. Ex toto enim sortium, conditionum et rerum genere, toti hominum generi a Deo attributo, cuique ab eodem sua assignatur pars et sors.

III. Tertio, pars et hæreditas sive portio hæreditaria; tota enim hæreditas paterna in fratres hæredes dividitur, quorum cuique sua cedit pars; iuxta illud Ps. 15 v. 6. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei.*

IV. Quarto, pars est fructus, ut vertit Campensis, merces, lucrum cuique ex opere vel labore proveniens. Unde aliqui pars derivant a pario sive partu, quod pars a labore deducta et quasi parta sit.

V. Quinto, pars cuiusque est id quod illi est carissimum, puta bonum, quod ille præ cæteris adamat, sibi seligit et ambit. Sic Christus minatur Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* in regno cælorum. Ioan. 13. 8. et Psaltes: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, Psal. 72. 26.

Hic omnibus hisce modis accipi potest, sed magis secundo et quarto, et maxime quinto; Salomon enim suam sortem et sui laboris fructum assignat; hanc scilicet quod frueretur labore suo partis, tamquam parte, id est fructu laborum suorum, summe a se adamata. Sensus ergo est, q. d. Hanc partem, id est sortem fortunatam, hunc fructum, hoc summum meum in hac vita bonum, hanc felicitatem meam esse censui, si uterer labore meo, id est opibus et deliciis, quas labore meo acquisieram. Ubi nota vanitatem huius partis, tum quod pars esset gaudii non totum gaudium, ac proinde eum non satiaret, ideoque ex huius rei voluptate in aliam et aliam sine fine dilaberetur, satiem quæreus et non inveniens, eo quod illam non sit reperire nisi in Deo et cælo, iuxta illud: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Ps. 16. 15. tum quod pars hæc parum ei lætitiæ dederit, quæ scilicet laborem non excederet, sed ei commensa esset: quantum enim laboravit tantum labore suo deliciatus est sine ullo lucri auctario, imo cum damno, cum ex adverso Deus pro uncia laboris rependat talenta gaudiorum, iuxta illud: *Qui reliquerit patrem, etc. et secutus fuerit me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Matth. 19.

Mystice, Chald. hæc accipit de felicitate æterna: *Et hæc ipsa*, inquit, *fuit pars mea bona, quæ statuta ad accipiendum super eam præmium perfectum in sæcula venturo ex omni labore meo.* S. Hieron. *Oculi animæ*, ait, *et mentis intuitus contemplationem desiderant spiritalem, quam peccator ignorans prohibet a vera iucunditate cor suum. Huic se ergo Ecclesiastes totum dedit, et leves tribulationes in sæculo æterna gloria compensavit. Hæc enim portio nostra est, præmiumque perpetuum, si hic pro virtutibus laboremus.*

CUMQUE ME CONVERTISSEM AD UNIVERSA OPERA, QUÆ FECERANT MANUS MEÆ, ET AD LABORES, IN QUIBUS FRUSTRA SUDAVERAM, VIDI IN OMNIBUS VANITATEM ET AFFLICTIONEM ANIMI, ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE) Vers. 11.
Sensus clarus est, q. d. Cum reflexissem animum ad considerandum fructum operum et laborum meorum, puta hortorum, palatiorum, piscinarum, servorum, rhedarum, thesaurorum, auri, argenti, etc. vidi me labores meos frustra impendisse, eo quod in omnibus illis animi quietem, et felicitatem quam quærebam, non invenerim, sed vanitatem et afflictionem spiritus: nihil enim diu permanet sub sole, sed omnia sensim intereunt et evanescunt, itaque herum inanem relinquunt, imo afflictum, eo quod suis, quæ tanta labore paravit, privetur. Vide dicta v. 4. et c. 1. v. 2. Vere Seneca de Vita beata c. 14. *Ut feras*, inquit, *cum labore et periculo venamur et captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominum: ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere.* Vide eumdem toto libro de Brevitate vitæ. Ita Auctor Catenæ Græc. *Nam eiusmodi omnium*, inquit, *unus finis est, vanitas, cuius quod superest nihil in posterum reperitur. Nam simul atque operatio cessat, voluptas abraditur, nec aliquid in crastinum recondit, transactaque voluptatis operatione, ne vestigium quidem lætitiæ, aut voluptatis reliquiæ iis supersunt, qui voluptati vacabant.* Nazianz. in laudem Cæsarii: *Vidi quod hoc quoque esset vanitas. Omnia vidi, ait Ecclesiastes, humana omnia cogitatione peragravi, opes, delicias, potentiam, instabilem gloriam, sapientiam quæ magis suffugit quam tenetur, delicias iterum, sapientiam iterum, eadem sæpius revolvens, ventris voluptates, hortos, famularum greges, possessionum copiam: pincernas utriusque sexus, cantores et cantatrices, arma, satellites, gentes ad genua procumbentes, collecta tributa, regni supercilium, omnia denique tam ad vitæ usum necessaria quam superflua. Et quid post hæc omnia? Omnia vanitas, vanitas vanitatum et præsumptio spiritus, hoc est consideratus quidam animi impetus et distractio hominis, ob veterem fortasse lapsum hac pœna mulctati.*

ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE.) Hebr. *Et non est*

יִתְרוֹן *itron*, id est residuum, reliquum, remanens. S. Hier. in Comment. vertit: *Et non est abundantia sub sole;* idque mystice sic explicat: *Christus in sole posuit tabernaculum suum, itaque qui necdum ad solis claritatem, ordinem, constantiamque pervenit, in hoc Christus nec habitare poterit, nec abundare.* De Hebr. *itron* plura dixi cap. 1. v. 3. Præclare sanctus Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 3. *In hac vanitate*, ait, *cui quantum satis visum est intimandæ, totum istum librum vir sapientissimus depatuit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem.*

Vers. 12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM, ERRORESQUE ET STULTITIAM (QUID EST, INQUAM, HOMO UT SEQUI POSSIT REGEM FACTOREM SUUM?) Est parenthesis: τὸ enim *transivi ad contemplandam sapientiam*, pendet ab iis, quæ post parenthesim sequuntur, ibique eius nexus et sententia expletur. Ita re melius considerata vertit S. Hieronymus; nam primo verterat: *Quia quis est hominum, qui possit ire post regem nate factorem suum?* Dicit ergo se contemplatum sapientiam, ut eam sequeretur, et stultitiam, ut ea careret; se deprehendisse quod tantum sapientia præcellat stultitiæ, quantum lux tenebris: si tamen eadem cum Dei sapientia comparetur, exiguam et inanem esse.

Pro *transivi* hebr. est פָּנִיתִי *paniti*, id est faciem converti, respexi. Hæc vox notat tædium voluptatum et animum Salomonis fluctuantem ac veritatis avidum, q. d. Post expertam opum, deliciarum, rerumque corporalium vanitatem, ex desiderio et studio inveniendæ quietis et felicitatis; iterum converti animum ad intermissam sapientiæ velitationem: iterum tentaturus, an in ea quietem et felicitatem adeo optatam reperirem: ipsa enim mihi videbatur melior, dignior, excelsior, rebus omnibus corporeis: sed illico in ea quoque exilitatem et vanitatem deprehendens, per abruptum et patheticum epiphonema exclamo: *Quid est, inquam, homo ut sequi possit regem Factorem suum?* q. d. Quid est non tantum in opibus, deliciis, omnique magnificentia, sed et in sapientia humana Deo æquandum, aut præ Deo non vanum, exile, mancum et defectuosum? Qua ratione enim homo miser, ignorans et cæcus possit sequi, nedum assequi Deum creatorem suum, sua sapientia omnia quæ sunt vel esse possunt, lustrantem et comprehendentem? Et ut ait Gloss. Interlin. Quomodo homo imitari queat Deum in comprehensione sapientiæ? Ita S. Hier. *Dicit*, inquit, *se post delicias voluptatesque damnatas revertisse ad sapientiam perquirendam, in qua plus erroris stultitiæque repererit quam veræ certæque prudentiæ; non enim puto posse hominem tam liquido et pure scire sapientiam creatoris et regis sui, quam scit ille, qui conditor est. Itaque illa, quæ novimus, opinari nos potius quam tenere, et æstimare magis quam scire quod verum est.* Sic et Hugo Victor. Olympiod. S. Bonavent. Caietan. Lyranus, Arboreus et alii. Rursum hanc parenthesin referas apposite et genuine ad errores et stultitiam, q. d. Errores et stultitiam adiunxi sapientiæ: quia quis hominum est ita sapiens et circumspectus, ut instar Dei fixus maneat iugiter in sapientia, nec aliquando declinet in aliquem errorem et stultitiam, ut aliquid imprudenter, ignoranter et insipienter cogitet, dicat et agat? Sane nemo.

Porro cum triplex sit sapientia Dei, prima speculativa, secunda practica sive artificialis, qua res omnes creat, format, servat, gubernat, perficit; tertia activa sive moralis et ethica, qua omnes suas actiones, tum internas, tum externas prudenter, iuste et sancte iuxta dictamen rectæ rationis et legis æternæ exercet; in nulla harum homo Deum imitari et proxime sequi prævalet, sed ab illo in infinitum transcenditur et distat. Primo enim sapientia Dei speculativa, in infinitum omnem hominis scientiam et sapientiam superat et transcendit, quia Deo immenso est commensa. Secundo, idem facit sapientia Dei practica: quis enim creet, formet et faciat ea, quæ facit Deus? Imo quis ea quæ creat et facit Deus, modumque ea creandi et faciendi scrutari et penetrare valeat? Quid habent horti, domus, piscinæ a Salomone fabricata, ad cælum, solem, stellas, terram, mare, etc. a Deo creata? præsertim quia Christus lilium unum ultro nascens, comparans cum aureis et gemmeis Salomonis vestibus, dicit: *Quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Matth. 6. 29. Quis pervestiget arcana Dei consilia et decreta, cur hic sit dives, ille pauper, hic rex, ille plebeius, hic sapiens, ille insipiens, ac præsertim cur hic sit fidelis, ille infidelis, hic sanctus, ille impius, hic prædestinatus, ille reprobus? Omnes utique cum Apostolo exclamare debemus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!* Rom. 11. 33. Tertio, sapientiam Dei ethicam quis imitetur? quis enim sequatur, imo mente intelligat et comprehendat, quanta sit Dei bonitas, iustitia, patientia, magnificentia, sanctitas? Quis comprehendat charitatem Dei quam exhibuit nobis per Christum in eius incarnatione, prædicatione, passione, Eucharistia, totaque eius œconomia? Quantula est nostra, qui terræ vermiculi sumus, humilitas, si comparetur cum humilitate Christi? *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Philipp. 2. Quantula est nostra obedientia, si conferatur cum obedientia Christi, qui cum esset Rex gloriæ, Patri suo *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*? Quantula nostra patientia, si supputetur cum patientia Christi, qui atrocissimos dolores, summa opprobria, extremam paupertatem, denique omnis generis tormenta in cruce passus est divina patientia, mansuetudine et constantia? Idem cogita de cæteris omnibus sanctorum virtutibus, quæ Christi virtutibus collatæ, non aliud sunt, quam quod umbra ad corpus, quod vanitas ad veritatem, quod gutta ad mare, quod punctum ad cælum, quod granum areæ ad totum universum. Hic genuinus est sensus Vulgatæ versionis, cuius auctor S. Hieronymus in Hebræo legit עֹשֵׂהוּ *osehu*, id est factorem suum, vel עָשָׂהוּ *asahu*, id est, fecit illum. Pro quo iam alii punctis legunt, עָשׂוּהוּ *asuhu*, id est, fecerunt illum vel illud. Igitur S. Hieronymus sic ad verbum ex Hebræo transferendum censuit: *Quid est homo ut sequi possit regem, quem iam fecit illum; quem* scilicet hominem *fecit rex;* hoc est, cuius factor est Deus. Unde secundo in Vulgata clarius vertit *factorem suum;* τὸ enim *illum* ex pleonasmo Hebræi redundat: Hebræi enim pronomini relativo adiungunt demonstrativum, ad expressionem rei sive subiecti demonstrationem, ut *cuius semen eius in ipso est*, pro quo Latini dicunt, *cuius semen in semetipso est*, Genes. cap. 1. v. 11.

Huc facit explicatio R. Haccados, quæ talis est: Quis est tam perfectus tamque numeris omnibus absolutus, qui pari cum divina lege per omnia Dei præcepta passu contendere valeat? Et aliorum, qui sic explicant, q. d. Quis hominum est, qui cum Deo conditore suo pari de felicitate gressu certare, eiusque tranquillæ vitæ beatitudinem sibi arrogare audeat, cum ne quidem opera illius imitari queat, nec creaturas illius etiam abiectiores elegantia, efficacitate, cæterisque dotibus assequi et adæquare? Unde Campensis paraphrastice sic vertit: « Iterum me converti ad ea, ut saltem viderem quanta sapientia usus essem in omnibus illis, et deprehendi in vino insaniam multam, et in reliquis manifestam stultitiam. Quid enim est homo, ut imitatione regis Dei aliquid magnum conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeras fecit, æquare possit? »

Ex dictis liquet perperam Lyran. et Dionys. censere, Salomonem hæc dicere ex sententia Epicureorum et Simonidis, qui teste Aristotele Ethic. lib. 10. docuit hominem corpore constantem corporalia tandem debere sectari, nec ad spiritualia assurgere. Insolens enim hoc loco, et dura est personarum mutatio: antecedentia enim et sequentia indicant, omnia hæc ex una et eadem Salomonis persona menteque dici.

Melius Titelmanus hanc parenthesin refert ad magni-

fica opera Salomonis, de quibus sermo præcessit, q. d. Ideo a meis hisce operibus transeo ad contemplandam sapientiam, qui in illis nulla ratione possum æmulari Dei magnificentiam, possum autem imitari Dei sapientiam. Quid enim, inquit, erant illa, licet tam magnifica Salomonis ædificia, domus saltus Libani, et regis eius habitatio, si ad cæli structuram conferantur? Quid idem templum illud tam celebre, tam admirabile omnibus, si ad templum Dei non manufactum conferas? Quid horti illi manu consiti et plantati, si cum universa terra verbo Domini pulchre germinante, quasi latissimo et amœnissimo viridario uno comparentur? ita et in cæteris omnibus. Profecto nihil erat Salomon, quamvis tantus in omni gloria sua, ut regem factorem suum sequi posset. Atque iuxta hanc enarrationem redarguit hic Salomon, et irridet semetipsum, quemadmodum solemus interdum nos ipsos irridere, pro insaniis præteriti temporis, quod ea olim maximi fecerimus, quæ nunc æstimamus minimi.

Huc accedit Isidorus Clarius qui vertit: *Quid est homo, ut sequi possit regem in iis quæ fecit?* id est, qui imitatione regis aliquid magni conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeras et maximas fecit, æquare possit.

Hæc de versione Vulgata. Alii enim distinguunt regem a factore, sive Deo, aliterque vertunt: Unde

II. Secundo, Syrus sic reddit: *Et prospexi ego ad videndam sapientiam, transgressionem et stultitiam. Nam quis est ille vir, qui ingredietur post regem in iudicium? dein cum illo qui fecit ipsum?* Ubi per regem accipit Salomonem, per factorem vero Deum, q. d. Perspexi exilem esse hominum sapientiam. Quis enim eorum est, qui in sapientia mecum, qui rex sapientissimus a Deo constitutus sum, certare aut iudicio contendere valeat? Qua ratione ergo contendat cum Deo ipso? Alii hæc referunt ad pœnitentiam Salomonis, quasi suo exemplo ad eamdem hortetur subditos, quos suo scandalo induxerat ad idololatriam, q. d. Perspexi sapientiam sitam esse in Dei fide et cultu, perspexi et insipientiam sitam in perfidia et idololatria. Qui ergo secuti estis me desipientem et idola colentem, sequimini nunc resipiscentem et Deo adhærentem. At quis hoc faciat? Pauci utique; quia omnes proniores sunt ad malum quam ad bonum, pronius sequuntur prava quam sancta regum exempla. Ita Thaumaturgus, Olympiod. S. Hieron. et Albin. Audi Thaumaturgum: « Tandem expergefactus atque oculis restitutus, ea quæ in manibus habebam flagitiosa simul acerbitatisque plena esse perspexi, spiritusque non boni opificia. Proinde collectis et sapientiæ bonis et stultitiæ malis, magna hunc virum admiratione prosecutus fuerim, qui cum præceps ferretur, temereque vagaretur, postea mente recepta ad virtutem officiumque rediit. »

Sic et S. Hieron. atque ex eo Albinus: « Tandem, ait, in me reversus, et opera mea plena vanitate, plena sordibus, plena spiritu erroris intuitus sum; nihil enim quod in mundo putetur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quæ essent sapientiæ bona, et quæ stultitiæ mala, consequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrænans, virtutum possit esse sectator. »

III. Tertio, Septuag. pro *regem* vertunt *consilium*, quia Hebræum מלך *melech*, id est rex, significat quoque consultorem et consilium, eo quod regum sit consulere reipublicæ, uti multis ostendi Daniel. cap. 4. v. 24. vertunt ergo: *Quis est homo qui ingrediatur post consilium, simul quæcumque fecerunt illud.* Ita Complut. licet Vatican. deleant τὸ *simul.* Alii vertunt: *Simul quæcumque fecerint cum illo;* Aquila: *Quid autem homo ut sequatur consilium?* Arabicus: *Quis enim trahitur post consilium?*

Sensus est, q. d. Quis est homo, qui ita sapienter et consulto omnia sua agat, ut numquam a sapientia et consilio declinet in errorem et stultitiam, per quam aliqua insipienter et inconsulto admittat? Qui sensus idem est cum eo quem ingerit Vulgata, uti initio dixi, ac Thaumaturgus et S. Hieron. iam citati: consilium enim prudens est, relictis vitiis sectari virtutes. Aliter Olympiod. qui tripliciter explicat, ac proinde censet hic doceri, quantum differat sapientia a stultitia, id est, virtus a voluptate: per consilium accipit consultationem de modo implendi sua desideria et vota: *Quæramus*, ait, *an possit homo, qui elegerit sibi secundum hanc stultitiam vivere, complere sua desideria; hoc enim significat sequi post consultationem*, q. d. Ego Salomon meorum consiliorum et votorum, cui tantum suppetebat facultatum, compos non fui: ergo non est, quod quis alius se suorum compotem fore confidat. Quis ergo homo est, qui ibit post, vel qui sequi possit consilium sive consultationem suam? q. d. Nullus aut rarus: neque enim quicumque ditescere appetit, penitus hoc consequitur; nec qui gloriæ cupidus est, voti prorsus efficitur compos, ut eadem ratione in cæteris sese res habet: qui vero sapientiam adamarit, Deo duce feliciter ductus, sequitur penitus consultationem, hoc est, invenit quod affectat. Alter sensus Olympiod. est, ut Salomon attonitus erumpat in interrogationem: Quisnam est homo qui possit recipere, atque converti a desideriis suis, et inspicere motus electionis suæ, propositumque finem, ut diiudicet, utrum sapienter vivat, an stulte? Tertio, Olympiodorus exponit sic, q. d. Salomon elevatus extra corpus, et per sapientiam videns quod post exitum huius vitæ nemo potest redire ad vitam, et iterum frui iisdem rebus, quas dum viveret certo consilio exercebat, præposuit sapientiam stultitiæ.

Quarto, Chald. vertit: *Animo etiam lustravi sapientiam in regni administratione et intelligentiam; quid enim confert homini uti deprecatione lata iam a rege sententia, cum iam ut repetatur ab eo supplicium decretum est?* IV.
q. d. Nemo decretum a Deo in stultos, id est, voluptuarios supplicium effugere aut evertere potest: ergo sapientia præferenda est stultitiæ.

Factorem suum.) Legit interpres *asehu*, ut dixi: iam legunt עשׂהו *asahu*, id est, fecerunt illum vel illud. Unde varii varia supplentes varios dant sensus. Primo, Vatabl. et Pagnin. vertunt: *Quid est homo, ut veniat post regem, quod iam fecerunt?* sicque explicat, q. d. *Quid est homo ut veniat post regem, scilicet ut cognoscat, quod iam fecerunt facientes? hoc est quod gestum est ab hominibus et stulte et sapienter*, q. d. *Quis est ille homo privatus, qui exactius perspicere et cognoscere possit, quæ gesta sunt, quam ego cognosco, qui sum rex?*

Secundo, alii iuxta Septuag. sic explicant, q. d. Quotusquisque est, qui sequatur consilium sanctæ et sapientis vitæ, et impleat omnia ea, quæ illud fecerunt, id est omnia annexa et prævia consilio, quæ illud quasi pariunt et gignunt? Sane pauci sunt, ac forte præter me Salomonem vix ullus. Tam multa enim agenda consilium hoc circumstant, ut difficile sit omnia circumspicere, nedum servare et implere. Verti quoque potest; *Qui fecerunt illud*, q. d. Quis sequetur heroes illos eximios, qui consilium hoc sapientis et perfectæ vitæ capessiverunt, et reipsa moribus impleverunt; quales fuere Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, David, etc. Sane perpauci: plerique enim homines sequuntur suas cupiditates, et instituta vitamque parentum et maiorum, atque in opibus et deliciis, in quibus illi felicitatem suam posuere, hi quoque posteri eorum suam ponunt et collocant. Unde aliqui vertunt: *Quis est homo, etc. qui non sit facturus ea, quæ fecerunt alii.*

Tertio Arabicus vertit: *Quis enim trahitur post consilium, et sciet id quod fecerunt homines per ipsum?* Hebr. enim את *eth* significat *per, cum, ante, apud*, multaque alia, ut patet ex Lexicis.

Quarto, Caiet. Ratio, inquit, redditur, ut indicat particula (*quia*) cur Ecclesiastes verterit se ad videndam sapientiam et stultitiam, etc. seu ad discernendum inter sapientes et stultos, ac intricatos, quia illi per sapientiam venient post regem, et obedient ei (*quem iam fecerunt eum*) id est electum a se; hi per stultitiam et tricas redacti sunt in potestatem tyrannorum et malorum principum.

Quinto, planius Pagnin. vertit: *Nam quid est homo, qui*

venturus est post regem, qui non sit facturus quod iam fecerant alii ipsum? id est: Quis præsumat plus in posterum vel posse, vel prosperari quam rex, qui sum ego, cum frustra id hactenus alii conati sint: cœperunt enim, nec perficere potuerunt.

Sexta, simplicius Titelmannus vertit: *Quid est homo, ut possit sequi regem per ea quæ fecerunt?* hoc est: Quæ est hominis potestas, ut conetur assequi regem omnium Deum, et quasi videri illi æqualis per ea opera, quæ fecerunt homines vel facere possunt? q. d. Per nulla opera, aut in nullis operibus quæ ab hominibus possunt fieri, quispiam potest Deum assequi ut faciat parin.

Septimo, sublimius et divinius alii censent hic innui mysterium SS. Trinitatis. Sicut enim Genes. 1. dicitur in plurali: *Elohim bara*, id est *Deus* trinus in personis *creavit cælum et terram:* sic hic dicitur *rex fecerunt illum*, id est, tres regiæ et divinæ personæ fecerunt et crearunt hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut per memoriam similis sit Deo Patri, per intellectum Filio, per voluntatem et affectum Spiritui sancto. Ita Galatinus lib. 2. cap. 9. Quocirca tota hominis sapientia, iustitia et felicitas in eo consistit, ut se Deo assimilet, quoad potest. Nam ut ait Eccli. cap. 23. 38. *Gloria magna est sequi Dominum.* Quin et M. Antonius Imp. cognomento Philosophus, rogatus quodnam esset summum hominis bonum, respondit: *Si Deos imitetur: Deorum autem imitationem esse, quum paucissimis indigere, et quam plurimis benefacere,* uti refert Iulianus Apostata in Cæsaribus.

Moraliter hic et alibi S. Scriptura celebrat Deum, quo rex est et qua factor, id est, Dei gubernationem et creationem, sive Dei sapientiam et omnipotentiam, illaque opponit nostræ insipientiæ et infirmitati, ut hac ratione sternat nostram superbiam, præfidentiam, ingratitudinem, diffidentiam, anxietatem et nimiam sollicitudinem. Hinc Iob cap. 9. 4. *Sapiens corde est,* inquit, *et fortis robore: quis restitit ei, et pacem habuit?* Et vers. 10. *Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia quorum non est numerus.* Et vers. 14. *Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?* Vide Isaiam cap. 40. v. 12. et seq.

Vers. 13. ET VIDI QUOD TANTUM PRÆCEDERET SAPIENTIA STULTITIAM, QUANTUM DIFFERT LUX A TENEBRIS.) Pro *præcederet* et *differt*, hebr. est יִתְרוֹן *itron*, id est residuum, superans, dignitas, excellentia, ut dixi cap. 1. v. 3. Unde Sept. vertunt: *Et vidi quia abundantia* (Complut. *excessus*) *est sapientiæ super stultitiam* (Symmach. ἀπαιδευσίας, id est, carentiam disciplinæ, imperitiam, rusticitatem, insipientiam, ineptiam, temeritatem) *sicut abundantia lucis super tenebras;* Thaumaturgus: *Grande etenim sapientiæ insipientiæque interstitium, tantumque discrimen quantum diei est ac noctis;* Arabicus: *Tantum præstantiæ quantum præstat præstantia luminis super tenebras;* Syrus: *Et vidi esse lucrum in sapientia multo magis quam in stultitia, sicut præstantius est lumen tenebris;* Vatabl. *Et dignitas vel excellentia sapientiæ supra stultitiam;* Pagn. *Utilior est sapientia quam stultitia, sicut utilior est lux quam tenebræ;* alii: *Tanta est amplitudo, fructus, præmium, merces, sapientiæ præ stultitia, quanta est amplitudo, fructus, præstantia lucis præ tenebris, solis præ caligine, visus præ cæcitate;* Chald. *Vidi ego in spiritu prophetiæ quoniam excedit sapientia stultitiam, quantum lux diei tenebras noctis.*

Virtutis et lucis analogiæ. Nota apposite sapientiam, id est prudentiam, virtutem, sanctitatem conferri luci; stultitiam vero, id est imprudentiam, vitium et scelus conferri tenebris ob multas utrimque analogias.

I. Prima est, quod sicut lux est vera qualitas habens solidam essentiam et existentiam; tenebræ vero nil nisi lucis sunt privatio, ideoque nihil: sic et sapientia, id est virtus, solidam habet subsistentiam; tenebræ vero, id est vitia, virtutis tantum sunt privatio, nec solidam essentiam aut bonitatem habent. Ita Nyssen.

II. Secunda, sicut lux fugat tenebras, et tenebræ lucem; sic sapientiam pellit insipientia, ac virtus vitium, atque vice versa insipientia si dominetur, abigit sapientiam, et vitium virtutem. Ita Olympiod.

III. Tertia, summa est antipathia lucis et tenebrarum, quo fit ut nullam habeant societatem loci, temporis aut subiecti, iuxta illud: *Divisit lucem a tenebris,* Genes. 1. 4. Et: *Quæ societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. 14. Et Eccli. 16. 17. Græci Codices Complut. habent: *Lucem a tenebris divisit adamante*, id est, tanta firmitate et separatione lucem dispescuit a tenebris, ac si inter utramque murum adamantinum fabricasset.

IV. Quarta, lux est qualitas nobilissima, cælestis et divina; talis est et sapientia ac virtus: tenebræ vero sunt caligo horrida, infernalis et diabolica: talia pariter sunt insipientia et malitia.

V. Quinta, lux dirigit omnes hominis gressus et actiones; tenebræ vero utrosque impediunt. Sic sapientia dirigit omnes hominis operationes, quas insipientia perturbat et pervertit.

Notat secundo Pineda per lucem accipi posse solem et diem; quia sol efficit lucem, et lux diem; per tenebras vero noctem et caliginem, quia eam causant. Sapientia ergo et virtus similis est soli et diei: insipientia vero et vitium simile est nocti. Sicut enim sol mundum et res omnes illustrat; sic sapientia hominis animum iubare suo ac radiis illuminat, illique splendorem, dignitatem atque ornamentum mirabile addit. Rursum sicut sol inferiora ista suo calore fovet atque vegetat, varietatem pulchritudinemque efficit; sic sapientia suum ad corpus splendorem transmittit. *Sapientia* quippe *hominis lucet in vultu eius:* humanos sensus moderatur, modum oculis, ori, auribus adhibet, universisque actionibus temperationem et pulchritudinem: contra vero stultitia, cum semel animo insedit, caligine et tenebris omnia involvit, horrore atque squalore omnia deturpat, mentem obcæcat, sensus turpidos atque squalentes facit; toti corpori deformitatem intemperiemque offundit.

Plures analogias solis et sapientiæ, sive lucis et virtutis recensui Genes. 1. v. 3. et 16. Isaiæ 45. Eccles. 43. 2. Ephes. 5. 8. ad illa: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate; fructus autem lucis est in omni bonitate, iustitia et veritate,* Iacobi 1. 17. 1. Ioannis 1. 5. et sequent.

Symbolice, lux symbolum est oculi et visus, tenebræ vero excæcationis et cæcitatis: hinc sapientia, quæ lux est spiritualis, similis est oculo et visui; stultitia vero excæcationi et cæcitati. Quod enim est lux oculo, hoc oculus est corpori, et intellectus animæ. Unde sequitur: *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.*

SAPIENTIS OCULI IN CAPITE EIUS: STULTUS IN TENEBRIS (alii, *in tenebrositate*) AMBULAT: ET DIDICI QUOD UNUS UTRIUSQUE ESSET INTERITUS.) Campens. *Sapiens oculos habet in fronte, stultus velut cæcus palpitat:* Vatabl. *Circumspectus est sapiens, videt quid agendum sit, cum stultus cæcus sit et improvidus;* Chald. *Sapiens contemplatur in principio quod futurum est in fine: orans que infausta iudicia Dei ab hominibus avertit et retardat; sed novi quod si non oraverit sapiens, neque ex orbe infelix illud decretum depulerit, cum in mundum veniet vindicta, omnes eodem eventu conseri.* Pro *interitus* Hebr. est מִקְרֶה *micre*, id est *occursus*, eventus; Syrus: *Accidens unum accidit omnibus;* Arabicus: *Occursus unus occurrit omnibus eis;* Thaumaturgus: *Æqualis sors;* Scholiast. Græcus: *Unus finis;* S. Hieron. *Communis interitus, eadem plaga, eadem mors, pares angustiæ;* S. Aug. *Unus incursus;* Campens. *Idem exitus;* Tigur. *Eadem fortuna.* Vers. 14.

Explicat et confirmat quod dixit sapientiam esse lucem, stultitiam vero tenebras, ex eo quod sapientia sit quasi oculus in sapientis capite, omnia quæ circum illum sunt instar lucis illustrans; stultitia vero tenebras mentis Cimmerias stulto circumfundit.

Igitur huius adagii sensus est, q. d. Sapiens oculos lucidos habet in capite, seu speculatores, oculos, inquam, tum corporeos frontis, tum potius spirituales mentis, quibus ex alta quasi capitis arce et speculo omnia cominus

circumspicit, et eminus prospicit: quo fit ut omnia ipsi lucida et clara sint, atque in luce perpetua ambulet, utque omnibus provideat, noxia caveat, utilia capessat. Lux hæc est circumspectio, prudentia et providentia: stultus vero perinde ac si oculos haberet in calcaneo, non in capite, in talis, non in cerebro, damna vel commoda non prævidet, nec providet; sed velut in tenebris ambulans obvias voluptates sectatur, ideoque in multa noxia, imo in exitium corporis et animæ corruit, juxta illud Proverbior. 4. 19. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Ita S. Basil. in Psal. 33. Audi Nyssen. Orat. 2. in illud: *Faciamus hominem ad imaginem nostram: Genitus es*, inquit, *ut Deum videas et contempleris, non ut humi dejecta serpat vita tua, non ut pecudum voluptates consecteris, sed ut vitam cœlestem agas. Idcirco sapientis oculi sunt in capite ipsius. Cur autem non ad caput, sed in capite? nempe ut quæ excelsa ac sublimia sunt intueantur et spectent; qui autem ea non aspicit, sed terrena, is oculos humi defixos et sepultos habet.*

Sapientis oculi in capite.

Hinc Chaldæus vertit: *Sapiens contemplatur in principio id quod futurum est in fine.* Unde illud: *In occipitio oculus*, ut finem respiciat. Et Caietanus: Vident, inquit, oculi sapientis caput, id est principium operis, qui finis est, et consequenter media congrua. Finis enim est primum in intentione, quod hominem movet ad opus, velut medium ad finem, quem præconcepit assequendum. Quocirca Poetæ Janum, qui prudentiæ est typus, pinxerunt bifrontem, eo quod vir prudens antecedentia æque ac sequentia tempora rerumque eventus procul aspiciat et prævideat, sibique provideat. Igitur sapiens oculos habet in capite, quasi in cœlum defixos; stultus vero in pedibus, quasi in terram demersos. Huc faciunt veterum adagia: *In virtute oculi et manus*, id est prudentia et operatio: *Oculus vitæ est sapientia: Sal vitæ amicitia: Antidotum vitæ patientia.*

Secundo, sapiens oculos habet in capite; quia excelsa, cœlestia et divina contemplatur et spectat, eoque omnem mentis suæ cogitationem, omnem actionem, omne studium, omnem intentionem suam dirigit. Stultus vero oculos videtur habere in pedibus; quia non nisi terrena, vilia, exilia cogitat, amat, sectatur. Ita Olympiod. Caput, inquit, in corpore emicat et eminet: hinc oculos habere in capite, est superna et æterna contemplari. Et Thaumaturgus: *Nam qui virtutem*, ait, *sectatur, similis est homini clare sursum, et undequaque cernenti atque fulgidissimo jubare iter facienti. Contra qui vitiis erroribusque implicitus, comparandus est erranti in tenebris: cæcus enim est, et oculos illi tenebrosa opera sua effoderunt.* Et Auctor Catenæ Græcorum ex Nyssen. *Quando*, inquit, *speculatrix animæ vis rebus sensibilibus vacat, a natura situque suo avulsi luxantur oculi, et quamdiu per illos aspicit res infimas, in calcaneos migrant, illaque rerum sublimium contemplationis fit expers.* Sin autem vana quæ deorsum despiciens sursum aspiciat, oculos dicitur habere sursum in capite. Pulcherrime vero S. Basil. hom. 9 Hexam. sub finem: *Ut herbas depascatur et attondeat ovis, facta est; eoque caput acclinat ac deflectit in terram, ut spectet ventrem, et quæ sub ventre sunt: quando in hunc scopum felicitatis illarum exitus conspirat pastu ut exsatient ventrem, ac voluptate. Homo non item. Nec enim oculos in ventrem demittit. Ipsi etenim caput est spectans in sublime, quo cœlestem illam suam cognationem agnoscat et contempletur. Oculi nequaquam terræ innuunt. Cave igitur quidquam designes, quod generositati tuæ repugnet naturæ. Terrena hæc ne circumspicias, sed cœlestia, ubi Christus est. Si consurrexistis enim, ait, cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est. Hac enim conditione et lege formatus es. Tui corporis effigies rudimentum quoddam est, quo docearis ad quem sis finem conditus; ut Deum contemplere factus es, non ut humi repat vita tua, non ut pecudum ritu voluptate perfruaris: verum ut ad normam et institutum cœlestis vitæ tuam ipsius componas. Et hac gratia non inscite dixit sapiens Ecclesiastes: Sapientis oculi in capite sius. Cuiusnam oculi non sunt in capite? Atqui hic, in capite, hoc est, ut ea contemplentur, quæ in sublimi sunt. Nam qui non ad bona quæ in sublimi sunt, sed quæ in terra, respectat; is utique defigit detrahitve oculos in terram.*

Alludit ad primam hominis et animalium creationem, in qua homo creatus est erecto corpore et capite, ut oculis cœlum et cœlestia aspiciat et ambiat; cætera vero animalia creata sunt capite et oculis ad pedes, et terram depressis, quia non nisi terrena pabula et gramina cogitant, amant et sectantur, juxta illud Nasonis in Metamor. l. 1.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime, dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc nonnulla animalia, præsertim pisces, habent oculos in ventre; unde illud apud Homerum: *Solea oculata*, notantque stultos, *qui terrena sapiunt; quorum Deus venter est*, Philip. 3. 19. qui proinde recte Dagonistæ vocitantur.

Audi S. Ambros. lib. 6 Hexamer. cap. 9. « Ac primum omnium cognoscamus, humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cælum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere præstantissimumque esse omnium, tamquam inter elementa cælum, tamquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce autem hac regalem quamdam habitare sapientiam, secundum propheticum dictum, quia oculi sapientis in capite ejus: hanc esse cæteris tutiorem, et ex illa omnibus membris vigorem providentiamque proferri. Quid enim robur et validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut principis sui, imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol et luna in cælo, hoc sunt oculi in homine. Sol et Luna duo mundi lumina. Oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari; speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam et ex sopore membris cæteris citius excitantur, et vigilantes circumspectant omnia; viciniores enim sunt cerebro, unde omnis manat usus videndi. » Et nonnullis interjectis: « Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris. » Vide eumdem lib. de Arca Noe.

Oculorum elogium.

Oculos comparat Soli et Lunæ.

Hac de causa in baptismo inungitur caput baptizati. Audi S. Ambrosium tract. 2. de Sacramentis, et habetur de Consecrat. distinct. 4. can. 88. *Accepisti mysterium, hoc est unguentum super caput. Quare super caput? quia sapientis sensus in capite ejus.*

Tropol. Caietan. *Sapientis oculi*, ait, *sunt in capite*, id est, jugiter caput reflexe velut in speculo intuentur, eo quod sapiens primum noscat seipsum, omnesque mentis suæ cogitationes et intentiones exacte discutiat, itaque omnia in luce operetur. Huc facit vetus adagium: *Oculus in pectus*, q. d. inspice teipsum.

Tropol.

Sic demum qui sis, quantus, qua sorte videbis,
Et pede prudenter te metiere tuo.

Rursum, q. d. Sapiens ex oculis et capite dignoscitur, juxta illud c. 8. v. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Et proverb. c. 17. v. 24 *in facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ.*

Insuper oculi sapientis, id est Principis (hic enim præ cæteris pollere debet sapientia, qua subditos omnes sapienter regat) sunt in capite ejus: quia Princeps, qualis erat Salomon, uti capite, id est dignitate et auctoritate; sic et oculis, id est vigilantia et circumspectione, cæteris eminere debet, ut ex alto regni sui throno omnes sibi subditos circumlustret, ab eisque omnia noxia arceat, et profutura procuret. Hinc Ægyptii Dei Hieroglyphicum dabant: *Oculum in baculo*, oculo Dei providentiam, baculo potentiam denotantes. Unde illud: *Oculus in sceptro*, id

est, vigilantia sit in rege et principe. Ita S. Ambros. in Psal. 1. pro *oculi* legens *sensus*; *Sensus*, inquit, *sapientis in capite eius. Quod referri potest etiam ad Ecclesiæ præeminentes.* Idem Exhort. ad Virgin. *Oculi hominis in capite eius, id est*, inquit, *sapientiæ tuæ sensus.* Oculi enim typus sunt sapientiæ et sensus.

Allegor. Allegor. S. Hieron. Olymp. Salonius, Hugo et alii per caput accipiunt Christum, in quem iugiter oculi mentis nostræ intendant oportet, ut ab eo sapientiam discamus et hauriamus; *Qui in perfectum virum pervenerit*, ait S. Hier. *et meruerit ut caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, et eos in sublime elevans numquam de inferioribus cogitabit.* Et S. Gregor. 17. Moral. cap. 5. *Oculi sapientis*, inquit, *in capite eius, quia videlicet sapiens, quisque illum tota intentione considerat, cuius se membrum esse per fidem pensat.* Et lib. 20. 4. *Oculi*, ait, *sapientis in capite eius sunt, dum redemptoris sui semper opera, quæ imitari debeat, contemplatur.* Et ut idem ait Hom. 2. in Ezech. *Cum omnis nostra intentio in eum se erigit, ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat.* Hinc ait Psaltes Psal. 118. *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.*

Anagog. Anagog. Oculi spirituales eorum qui vacant vitæ contemplativæ sunt in capite, id est in parte superiori animæ, quæ mens et spiritus dicitur; extaticorum vero sunt in ipso apice mentis, quo ad Deum evolant in eumque se mergunt ut videantur deificari, unusque cum eo spiritus fieri; quia per ænigma vident Deum, in eoque futuræ felicitatis gaudia prælibant. Ita Lyranus, quin et S. Hieron. in cap. 51. Isaiæ et in c. 2. Daniel.

ET DIDICI QUOD UNUS UTRIUSQUE ESSET INTERITUS.) Hebraice est מִקְרֶה *micre*, id est occursus, accidens, casus, eventus, ut vertunt Septuag. Syrus, Chald. Vatabl. Pagnin. per quem S. August. lib. 20. Civit. cap. 3. accipit *ea mala, quæ bonis et malis videmus esse communia.* Olymp. vero accipit tam bona quam mala, q. d. Indifferenter sapienti et stulto, id est probo et improbo, obvenit morbus æque ac sanitas, opes æque ac inopia, honor æque ac contemptus, ac præsertim vita æque ac mors. Hinc Noster apte vertit, *interitus*; nullus enim eventus ita communis est omnibus, qui certo singulis obvenit, tam piis quam impiis, ac mors, iuxta illud Horatii:

Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas,
Regumque turres.

Mors ergo est *micre*, id est communis omnium nemine prorsus excepto, casus et occasus. Rursus mors est *micre*, id est occursus; occurrit enim non cogitantibus, et non exspectantibus, occupat incautos, intercurrit negotiis, deliciis et prosperitatibus hominum, ut cum in mediis versantur opibus, honoribus et gloria, mors eis ex latere obviet, hæcque omnia in momento succidat, ipsosque exultantes interimat.

Multi censent Salomonem hoc dicere non ex sua, sed ex aliorum, qui animæ immortalitatem negant, persona: *Ut repræsentet*, ait Nyssen. *obiectiones eorum qui ad hanc vitam sunt pusilli et abiecti animi, et qui ex virtute nihil credunt lucri accidere, quoniam in eumdem finem utrisque vita desinit.* Sic et Thaumaturgus, Olympiod. Hugo Victor. Lyran. et alii. Verum nil est quod cogat hoc dicere; imo sequentia et antecedentia indicant hic Salomonem ex se suaque mente loqui.

Sensus ergo est, q. d. Suggessit mihi mens vestigare quid intersit inter sapientiam et insipientiam, ac deprehendi sapientiam quoad animam quidem tantum superare stultitiam, quantum lux superat tenebras: in eo tamen pares reperi, quod quoad corpus utrisque, scilicet sapientibus et insipientibus, eadem sors et mors obveniat, atque ea eo tam sapientiæ, quam stultitiæ suam quoque inesse vanitatem, id est fugacitatem et interitum, quo evanescat, comperi. Omnia enim hæc eo spectant, ut ostendat omnibus in rebus, quæ sub sole in terra sunt, se invenisse vanitatem, ut inde concludat veritatem ambienti, mentem figendam esse in Deo et cælo, in quo nulla est vanitas, sed vera stabilitas et stabilis æternitas.

ET DIXI IN CORDE MEO: SI UNUS ET STULTI ET MEUS OCCASUS ERIT, QUID MIHI PRODEST QUOD MAIOREM SAPIENTIÆ DEDI OPERAM?) *Quid mihi prodest*, scilicet ad ad hanc vitam prorogandam in terra, cum sapientia mihi vitam hanc conservare eamque a morte præservare nequeat; sed *sapiens*, æque ac stultus, id est probus æque ac improbus, legem mortis omnibus communem et fatalem subire debeat: nam in altera multum proderit sapientiæ, id est virtutis studium, utpote quæ sapienti æternam felicitatem et gloriam conciliabit, cum stultitia, id est impietas, et scelera impio pariant gehennam et mortem æternam. Abstrahit ergo hic Salomon a futuro piorum et impiorum post hanc vitam statu, et tantum præsentem huius vitæ spectat, uti solent facere Philosophi et Physici; quia loquitur rudi sæculo et rudibus Iudæis. Unde signanter addit vers. sequent. *sub sole*, q. d. Omnia sub sole sunt vana. Si ergo quæris veritatem veramque felicitatem, quære eam *supra solem*, apud Deum in cælo empyreo. Toto enim hoc libro ostendit omnia terrena esse vana, id est morte finiri et evanescere: cælestia vero esse vera, id est durare, firmari, æternare. Vers. 15

Alii censent Salomonem hæc dicere ex mente stultorum, id est impiorum, qui præsentibus inhiant, futura non curant, nec credunt aut sperant: quibus favent Septuag. qui pro יוֹתֵר *iother*, id est maiorem, vertunt: *abundanter, et in abundantia.* Unde sic ex eis legit S. Hier. *Ut quid sapiens factus sum ego? Tunc abundanter locutus sum ego in corde meo, quoniam insipiens loquitur ex abundantia* (id est ex superfluente in ipso stultitia, ait Olympiod. Nam *garrulitatis fluxus tamquam ex fonte erumpunt stultitiæ*, ait S. Gregorius) *quoniam hoc quoque vanitas.* Et Syrus Septuag. more suo assectans: *Locutus sum*, ait, *in corde meo, quod hoc etiam vanitas sit, quia stultus multo magis loquitur;* Arabicus: *Quando locutus sum in corde meo præstantiam eius, quoniam stultus ex præstantia cordis sui loquitur.*

Verum *τὸ stultus* non est in Hebræo. Quocirca nostra Vulgata versio, eiusque interpretatio paulo ante recensita, verior et germanior est.

Denique Chaldæus thesin ad hypothesin deducens, per stultum accipit Saul, per sapientem vero ipsum Salomonem: unde vertit: « Et dixi in corde meo: Sicut evenit Sauli regi, qui declinavit in stultitia sua, et non custodivit mandatum, quod ei præceptum fuit super Amalec, et ablatum fuit ab eo regnum; mihi quoque veniet: et ad quid sapientior fui ego illo? Et locutus sum in corde meo, quod etiam hoc est vanitas, et nihil est nisi per sententiam verbi Domini. »

LOCUTUSQUE CUM MENTE MEA, ANIMADVERTI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS.) q. d. Atque ita mecum in corde meo ratiocinans et disputans, definivi quod etiam hoc esset vanitas, nempe in sapientia propter seipsam velle quiescere, et nolle ad finem ulteriorem, puta ad vitam æternam tendere, ad quem perducere debet sapientia. Hæc enim est lux et dux ad vitam iugem et beatam. Ita Titelm. et alii.

Aliter Septuag. qui hæc ad stultum referunt. Unde eos secuti S. Hieron. Thaumaturg. Olympiod. Albinus et alii censent hic esse correctionem; Salomonem, enim corrigere stultorum sententiam vers. præcedenti recensitam, q. d. Stulti, ex eo quod idem interitus eademque mors obtingat sapienti quæ stulto, inferunt: ergo nil prodest studere sapientiæ et virtuti. At ego hoc eorum iudicium vanitatem, id est vanum et stultum esse pronuntio.

NON ENIM ERIT MEMORIA SAPIENTIS SIMILITER UT STULTI IN PERPETUUM, ET FUTURA TEMPORA OBLIVIONE CUNCTA PARITER OPERIENT: MORITUR DOCTUS SIMILITER UT INDOCTUS.) S. Hieron. Thaumaturgus, Olympiod. Albinus et Hugo Victor. secuti Septuag. putant hic notari discrimen sapientis et stulti, sive pii et impii, quod sapientis memoria duret in perpetuum; stulti vero non sit illi similis, sed dissimilis, eo quod cum hac vita evanescat. Itaque negationem *non* referunt ad *τὸ similiter*, q. d. *Non e-* Vers. 16.

rit similiter, id est similis memoria sapientis et stulti in perpetuum, id est in futuro æternitatis sæculo, quod omnia præsentia tempora oblivione operiet et sepeliet: quare nunc moritur doctus similiter ut indoctus; negationem enim *non* per Hebr. ex initio versus hic repetendam censent, q. d. In futuro sæculo dissimilis erit memoria sapientis et stulti, id est probi et improbi; quia tunc florebit memoria sapientis, stulti vero oblivioni æternæ tradetur. Unde Chald. vertit: *Non est memoria in sæculo venturo prudentibus cum stultis; et simul atque homo e vivis decedit, et ea quæ temporibus suis occiderunt, et quæ post eum evenient, omnino oblivione conteruntur. Quare igitur existimabunt homines eumdem iustorum et sceleratorum eventum esse?* Sic pariter ultima hæc verba per interrogationem efferunt S. Hieron. in Comment. Olympiod. Arabicus, Vatabl. et alii, cum ex adverso Vulgata Latina ea assertive legat, dicatque: *Moritur doctus similiter ut indoctus;* quæ lectio Hebræo conformior, ideoque verior est.

Vulgatæ ergo sensus planus est, q. d. Esto sapientia natura sua præstet stultitiæ, hoc est virtus vitio, quantum lux præstat tenebris; tamen in hoc pares sunt, quod utramque succidat mors: adeo enim sapientia vitam conservare nequit, ut nec memoriam possit. Tempus enim omni homini sicut vitam, sic et memoriam tollit, eumque oblivione sepelit. Quare moritur sapiens æque ac insipiens, ac post mortem memoria utriusque illico oblivioni traditur et evanescit. Utrique ergo sua hæc inest deploranda vanitas, imo subinde stulti, id est improbi longiorem habent memoriam, maioremque famam, quam sapientes, id est probi; uti habuit Pharao, Nabuchodonosor, Alexander, cæterique Gentilium tyranni: ex quo viri cordati recte colligunt post hanc vitam superesse iudicium, vitamque alteram in qua a iusto iudice Deo probis præmia pro meritis, improbis supplicia reddentur. Hoc enim exigit Dei providentia et iustitia. Licet ergo ea sit dignitas Dei, tantaque eius in nos merita, ut etiamsi nulla probis præmia, nec improbis supplicia decrevisset, a quovis tamen omni amore, obedientia et cultu colendus foret: virtutis etiam tanta sit honestas et decor, ut per se expetenda et ambienda sit, nulla quoque proposita pœna vel præmio, imo etiamsi nulla superesset homini altera vita, sed anima cum corpore interiret; qua ratione S. Bonaventura diabolo suggerenti ipsum esse reprobum, ac proinde suadenti ut captaret huius vitæ voluptates, cum a futuris a Deo foret exclusus, respondit: *Si non datur frui Deo et virtute post hanc vitam, fruamur eo in præsenti;* tam enim vera et solida eius sunt gaudia, ut omnes mundi et carnis deliciæ cum eis non sint conferendæ: pax enim, serenitas et lætitia bonæ conscientiæ, quam parit virtus superat omnes mundi voluptates: his tamen non obstantibus, magna sapientiæ et virtuti hæc annexa est vanitas et miseria quod morte succidatur et finiatur. Unde nisi speraret aliam vitam beatam et æternam, valde foret ærumnosa, paucique eius labores et dolores utpote præmio carentes, capesserent. Quocirca ait Apostol. 1. Corinth. 15. v. 19. *Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus;* quia sine spe et fructu studemus mortificationi carnis, eiusque voluptates abdicamus, quibus cæteri indulgent.

Nota hæc omnia accipienda esse de vita et memoria præsenti apud homines, quam pari fine in morte terminant sapiens et stultus, probus et improbus, non vero de futura apud Deum. In illa enim erunt impares et dissimillimi probus et improbus. Nam *pretiosa* apud Dominum *mors sanctorum eius*, Psal. 115. Ex adverso *mors peccatorum pessima*, Psal. 33. similiter: *In memoria æterna erit iustus*, Ps. 111. Rursum: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum*, Sapient. 4. Ex adverso de impiis dicitur Ps. 87. 6. *Quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Et Psal. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Infernus etiam vocatur λήθη, id est oblivio et terra oblivionis, Psal. 87. 13. eo quod damnati, qui in eo degunt, reiecti, despecti et velut oblivioni æternæ traditi sunt. Hinc Poetæ fabulantur Lethen esse fluvium apud inferos, cuius latices si quis gustaverit, omnium rerum obliviscitur, de quo Lucanus 9.

Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
Infernis (ut fama) *trahens oblivia venis.*

Similia habet Virg. 6. Æneid. et Ovidius l. 4. Tristium Elegia 7. Quin et Varro ac Festus Lethum, id est mortem, derivant a Græco λήθη, id est oblivio, quam affert mors; licet Priscianus derivet a prisco verbo *leo*, id est deleo, quoniam mors omnia delet. Hinc et antiqua apud S. Hier. versio hoc loco sic habet: *Eo quod ecce diebus qui supervenient universa oblivio operiet;* quod Olympiod. sic explicat, q. d. In venturo sæculo quæcumque in hac vita nobis occurrerint, sive infirmitas, sive sanitas, sive divitiæ, sive paupertas, in oblivionem ibunt.

Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala Vers. 17.
(misera, ærumnosa, caduca, quæ in morte finem accipiant) universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.) Hebr. *Et odivi vitam, quod malum esset super me opus, quod factum est sub sole; quia omnia vanitas, et* רְעוּת *reut, id est molitia sive afflictio spiritus*, ut vertit Arabicus. Septuag. vertunt: προαίρεσις, id est *electio*, vel præsumptio spiritus; Chald. *Contritio spiritus*, vel ut Costus vertit: *Ægritudo animi*; Syrus: *Perturbatio spiritus*; Pagnin. *Cogitatio spiritus*; S. Hieron. *Pastio venti*; Caietan. *Fractio spiritus*; Campensis: *Cruciatus animi*: alii: *Irritamentum vel defatigatio spiritus*; alii, *Molestia animi*. Vide dicta v. 15. et cap. 1. vers. 14.

Hoc tædium vitæ sentiunt sapientes quoque et sancti, tum ob vitæ labores, molestias et dolores, tum ob eius brevitatem et finem, quod scilicet omnia eius bona finiantur in morte, tum ob eius cupiditates, tentationes et pericula peccati ac damnationis, quæ crebro suggerit, tum in perfectis ob desiderium fruendi Deo, quem tantopere diligunt, eumque intensissime semper amandi et laudandi. Unde hoc tædium sentiebat S. Paulus dicens: *Infelix ego homo: Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Roman. 7. Et: *Coarctor autem e duobus; desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*, Philip. 2. v. 23. Vide ibi dicta. Idem huius vitæ tædium et migrationis ad meliorem desiderium habuit S. Iob cap. 10. 1. Ionas c. 4. 8. Rebecca Genes. 27. 46. Elias 3. Reg. 19. 4. David Psal. 119. 5. Ieremias 20. 14. S. Augustinus obsessa a Wandalis sua Hippone, quin et Christus imminente passione, Marci 14. 33. Vide S. Cyprian. de Mortalitate, et S. Amb. l. de Bono mortis.

Porro alii aliam huius tædii Sapientis causam afferunt, scilicet quod videat stultorum stultitiam, id est impietatem et scelera, ob quæ dolet et ingemiscit. Unde Chald. vertit: *Odi certe improbam vitam degentes. Neque enim nisi gravate ferre possum nefaria illa facinora, quorum homines hoc in orbe sunt perquam studiosi.* Et Symmachus: *Malum mihi visum est opus, quod fit sub sole. Malum enim opus* (inquit Olympiod.) *laboriosam vitam peccatorum hominum intelligit.* Nyssen. et Thaumaturgus referunt ad ipsos exactæ vitæ labores et studia vanitatis: *Vitam* (inquit) *omnem meam exsecrari cœpi, quam in rebus vanis traduxeram; atque consumpseram terrenis laboribus intabescens: etenim omnia mihi magna cum molestia elaborata sunt.*

Rursus detestatus sum omnem industriam meam, Vers. 18.
qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me.

Quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus Vers. 19
sit: et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui. Et est quicquam tam vanum?) Hebr. *Odivi etiam ego omnem laborem meum, quem laboravi sub sole, eo quod dimittam illum homini, qui venturus est post me. Et qui scit utrum sapiens sit an stultus, qui dominaturus est in omni labore meo, quo laboravi, et in quo sapui sub sole?* id est, quem sapienter obivi sub sole, quo sapienter opes paravi. Interpres Nysseni: *Quem mea industria excogitavi.* Alius per antiphrasin

vertit: *Quo desipui*, vel *quo deceptus sum*; Chald. *Et obstupui in corde meo, et dixi: Hoc etiam vanitas*. Ita et Sept. nisi quod pro *qui dominaturus est*, vertant dubitanter, *utrum dominaturus sit*. Sic et Arabicus. Alius vertit: *An in libidinibus versaturus sit*, sive ea pro libito et libidine dominaturus sit, usurusque et abusurus opibus meis. Septuag. vertunt ἐξουσιάσεται, id est, *auctoritatem et principatum exercebit*; Interpres Nysseni: *Imperavit*; Complut. *Licentiosus erit*; alii: *Potestatem habebit*; Campensis; *Accipiet omnia mea*. Hebr. est verbum שלט *scialat*, id est, ad libitum pleno iure dominari. Unde *Sultan*, sive *Soldanus*, est rex vel imperator absolutus, qualis est Turca. *Odivi*, id est tæduit me, uti vertit Noster v. 17. nauseavi, abhorrui, detestatus sum.

Transit ad vanitatem studii ditandi filios et hæredes, quod magnam hominum partem detinet et occupat: transit autem accommode et opportune. Cum enim initio capitis recensuisset vanitates opum, hortorum, deliciarum, etc. ab iis transit ad sapientiam, in qua licet cæteris præstantiora hanc vanitatem se reperisse asserit, quod sapiens æque moriatur ac stultus; nunc, ne quis occurrat et dicat: Et si sapiens moriatur, relinquit tamen post se filios et hæredes, in quibus supersit eius nomen et fama, adeoque in quibus quasi in viva sui imagine superstes sit et vivat; respondet magnam et multiplicem in quærendo ditandoque hærede esse vanitatem.

Cura hæredes ditandi est vanitas.

I. Prima est, quod hac in re ingens sit uti cupido homini innata; sic et sollicitudo ac assiduus labor et dolor, adeoque tota vita insumatur in coacervandis opibus, quibus coacervans non fruitur, imo paulo post in morte eas deserere cogitur, ac inops reverti in terram, e qua inops processit, iuxta illud: *Nudus in hunc mundum veni, nudus revertar ad sepulcrum*. Et illud Apostoli: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus*, 1. Timoth. 6. 7. Unde Saladinus, qui magnis laboribus et præliis conquisierat regnum Syriæ et Ægypti, moriens iussit linteum, cui cadaver suum involvendum erat, in hasta erectum per castra circumferri, ac præconem per vias et compita proclamare: *Saladinus, Asiæ imperator, moriens nihil aliud ex tantis opibus secum auferet*. Ita Blondus Decad. 6. lib. 6. Talis ergo defraudat suum genium, ut alterius fauces hiantes impleat. Vere Seneca epist. 14. *De incremento*, inquit, *cogitat; oblitus est usus, fit ex Domino procurator*. Quocirca Plutarc. in Moral. eos comparat canalibus, qui aquam non sibi sed aliis servant: *Ut hi quoque aliis*, inquit, *ii aliis servent instar figlinorum canalium, qui nihil in se retinent aquæ, sed unusquisque proximo a se eam tradit, donec extrinsecus sycophanta aliquis aut tyrannus, fracto tubulo, alio deiiciat avertatque divitias*.

II. Secunda, quod ea relicturus sit alteri, et nesciat cui, an filio, an extero. Sæpe enim desunt filii, aut si sint, bonis paternis privantur, iuxta illud: *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea*, Psalm. 38. 7. Et: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cuius erunt?* Lucæ 12. 20. Sic Roboam opes sibi a patre Salomone relictas, ac regnum decem Tribuum amisit, 3. Reg. 12. 20. Insuper Sesac rex Ægypti, anno quinto post mortem Salomonis, diripuit eius thesauros. Unde sanctus Antonius apud sanctum Athanasium, citans hunc locum (licet paulo aliter translatum) sic suos adhortatur ad veritatis virtutisque studium: « Ad summam illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare divitias, cum lege mortis ab ipsis divellamur inviti, ut in libro Ecclesiastæ scriptum est: quia nescit homo quid sit post eum in labore suo. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cœlestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt; illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cœlum; sapientiam scilicet, castitatem, iustitiam, virtutem, sensum pervigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes mansionem nobis in terra quietorum, secundum Evangelium præparabimus. »

III. Tertia, quod nesciat an hæres, esto sit filius, cui opes tanta cura (ac subinde per fas et nefas, cum certo animæ suæ damnationisque periculo) coacervat, sit futurus sapiens an stultus, gratus an ingratus, custos an prodigus: sæpe enim filii, laute et luxuriose vivendo, illico dilapidant opes a parentibus tot annis, tantis laboribus partas. Idem faciunt nepotes, qui bona sibi a patruis, eo quod filiis careant, relicta atque magna sollicitudine coacervata, aleis, symposiis, nugis et pompis prodigunt, aut in meretrices effundunt. Quare quid vanius est? Videtur Salomon præsagiisse stultitiam Roboam filii sui, imo eius initia certaque indicia in ipso notasse: iam enim grandis natu, adeoque quadragenarius successit patri in regno. Unde Chald. vertit: *Et odi labores qui me in hac vita sub sole versarunt; quod enim relinquetur Roboam filio meo, qui mihi in regnum succedet, insurgens Ieroboam servus eius decem Tribus de manu illius auferet, et cum eo in societatem regni veniet*. Hinc Eccles. c. 47. 27. de Salomone ait: *Et dereliquit post se de semine suo gentibus stultitiam, et imminutum a prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo*. Sic sæpe filios a parentum sapientia et virtute degenerare experimur, adeoque commune fere est ut sapientum filii minus cæteris sapiant, imo desipiant. Unde illud: *Heroum filii noxæ*. Cuius rei causas physicas et ethicas recensui Eccli. 30. vers. 13.

IV. Quarta, quod hæres sæpe ignotus, ingratus, stultus et prodigus *dominabitur in laboribus, quibus desudavi*; ut scilicet ego fuerim opum mearum servus, ille sit dominus; ego in laboribus ut eas congererem desudaverim, ille iis voluptuarie dominetur et triumphet. Quocirca sapienter Olympiod. *Melius est*, inquit, *per seipsos, dum sumus in hac vita, dispensare divitias nostras in pauperum et egenorum necessitates, ut thesaurum indeficientem in cœlis nobis comparemus, quam alios in eorum hæreditatem transmittere, qualescumque demum eos fore contingat*. Et S. Chrysostom. homil. 9. de Pœnit. *Cupis*, ait, *hæreditatem bonam filiis relinquere? eleemosynam relinque*. Et S. Cyprian. tract. de Oper. et eleemosyna, longiuscule ante finem, loquens de vidua quæ filiis postpositis, farinam, quam habebat, in pane dedit Eliæ, 3. Reg. 17. ideoque ab eodem farinæ et olei multiplicationem accipere meruit: *Nec filiis*, ait, *abstulit mater, quod Eliæ dedit; sed magis contulit filiis, quod benigne et pie fecit*. Obiicit deinde sibi: *Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas*; ac respondet: *Atqui in hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt, pro quibus Dominum deprecerie; multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ*. Et post nonnulla: *Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo iusta operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui et temporarius et infirmus est; sed illum paree, qui æternus et firmus filiorum spiritualium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus servas; ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias sæculares divina maiestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus, paterna pietate consulere, secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis: Iunior fui et senui, et non vidi iustum derelictum, neque semen eius egens pane. Tota die miseretur et fœneratur, et semen eius in benedictione erit*. Et iterum: *Qui conversatur sine vituperatione in iustitia, beatos post se filios relinquit*, Proverb. cap. 20.

Mystice, S. Hieron. et ex eo Albinus (licet ipsi hunc sensum ut litteralem afferant) hæc exponunt de labore spiritali, quo diebus ac noctibus, vir sapiens in Scripturis laborat ut componat libros, ut memoriam sui posteris relinquat, et nihilominus in manus stultorum veniant, qui

frequenter secundum perversitatem cordis sui semina inde hæreseos capiant, et alienos labores calumnientur. Probat S. Hieronym. hunc esse magis convenientem sensum, etiam secundum litteram; quia subditur: *Et dominabitur in omni labore meo in quo laboravi, et in quo sapiens factus sum sub sole: Quæ enim*, inquit, *sapientia est, terrenas divitias congregare?* Sed hæc ratio non urget: sapientia enim apud Hebræos late sumitur pro quavis prudentia, solertia, industria, uti superius ostendi.

Vers. 20. UNDE CESSAVI, RENUNTIAVITQUE COR MEUM ULTRA LABORARE SUB SOLE.) *Renuntiavit*, hoc est, nuntium remisit ulteriori labori, valedixit labori, noluit amplius laborare. Sic dicimur renuntiare officio, vitæ, amicis, cum illa abdicamus. Unde Quintil. lib. 10. c. 7. *Mea sententia*, inquit, *civilibus officiis renuntiabit*, id est valedicet; et renuntiare deposita apud Ulpianum, est rerum depositarum curam et custodiam deponere. Hebr. est: *Et conversus sum ego ut abdicarem a corde meo omnem laborem, quo laboravi sub sole*; Symmach. *Circumegi me*; Syrus: *Et conversus sum ut lenirem essentiam cordis mei de omni labore, quo laboravi sub sole*; Arabicus: *Reversus sum ad contemnendam in corde meo universitatem laboris mei*; Schol. *Ut recusarem laborem*; alii: *Ut cohiberem cor meum a labore*; Chald. *Ut facerem desperare cor meum, super omnem laborem quem laboravi ad requirendum.* Hebr. enim יאש iaas in *piel* significat abdicare animum ab ea re, quam perficere satagebat, ac connotat diffidentiam et desperationem. Unde נואש noas in *niphal* passive significat obrui malo, ut quis desperet, et a cœptis desistat, quasi malum sit extremum et immedicabile, q. d. Actum est, conclamatum, desperatum, deploratum est.

Vers. 21. NAM CUM ALIUS LABORET IN SAPIENTIA ET DOCTRINA ET SOLLICITUDINE, HOMINI OTIOSO QUÆSITA DIMITTIT: ET HOC ERGO VANITAS ET MAGNUM MALUM.) Nonnulli hæc per parenthesin interiiciunt, hoc modo: *Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine* (*Hebr. in rectitudine*) *homini otioso quæsita dimittit. Et hoc ergo vanitas*, q. d. Vanitas est concervare opes hæredi. Nam illas magno labore et cura quæsitas otioso dimittit; cum alius, qui sapit, sibi vacet, sibique concervet sapientiam, doctrinam et rectitudinem, sive iustitiam. Favent Sept. qui vertunt: *Quid est homo quia labor eius est in sapientia et in scientia et in virtute; et homini, qui non laboravit in eo, dabit partem suam*; Campensis: *Quicquid sic illi partum est*. Ita Olympiod. Qui Septuag. ita exponunt, q. d. *Contempsi laborare circa res vanas, rationibus colligens, quod est alter labor dignus laude, qui stabiles congregat virtutum divitias. Est autem huiusmodi labor, quem laborat homo, ut acquirat sapientiam, scientiam et fortitudinem. Hunc igitur laborem ego potiorem ducens, conversus sum, ut renuntiarem cordi meo in omni labore, quem laboravi sub sole, hoc est circa res vanas*; sic et Thaumaturgus: *Cæterum*, inquit, *ubi eos* (vanos, qui opes coacervent hæredi incerto) *abiecerimus, tunc perspicuum erit vera hominis bona esse sapientiæ thesauros, et fortitudinis peculium: quod si quis, harum cura neglecta, alterius cuiuspiam rei cupiditate incitatur, hic et mala bonis anteponit, vitium pro benignitate et virtute consectatur.* Sic et Nyssen.

Verum Latini et Græci codices omnes, æque ac Hebræi, nullam hic ponunt parenthesin. Quare pergit Salomon multis amplificare vanitatem eorum, qui omne studium collocant in corrogandis opibus hæredi, quem nesciunt qualis futurus sit, sapiens an stultus, probus an improbus: τὸ *nam* significat hic dari causam eius quod præcessit, cur Salomon cessarit laborare, nuntiumque remiserit labori, quo ditandus erat hæres; quia scilicet hic labor cum sit negotiosus, otioso et inerti hæredi quæsita relinquit; quare laborans nil habet præter laborem et molestiam; otiosus vero hæres habet omnem laboris fructum, rerumque copiam; quod *vanitas est et malum magnum: malum*, id est miseria, indignitas, afflictio magna.

Porro quod ait: *Cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine*. Per hæc tria accipe tres egregias animæ dotes, quibus parantur opes, non solum spirituales, sed etiam corporales. *Sapientia* enim notat rerum cœlestium et divinarum studium, Deique religionem et cultum, qui a Deo meretur et impetrat omnia corpori necessaria, iuxta illud Christi promissum: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adiicientur vobis*, Matth. 6. Pro *doctrina* accipe prudentiam humanam, quæ prudenter dirigit negotia et actiones omnes, quo fit ut feliciter succedant pariantque copiosos fructuum opumque proventus. Pro *sollicitudine* accipe sedulitatem, diligentiam, industriam, quæ mire valet ad opes augendas. Per *sollicitudinem* hebr. est כשרון *kisron*, id est rectitudinem, congruentiam in rebus convenienter agendis, industriam: Septuag. vertunt [illegible], id est *virtutem, quæ viri fortis est, fortitudinem*; Arabicus vertit: *robur*; Scholiast. *vigorem*; Syrus, *prosperitatem*; Interpres Nysseni, *excelsi animi virtutem*; Thaumaturgus, *fortitudinis peculium, vel adeptionem*; Chald. *iustitiam*; Campensis, *frugalitatem*. His omnibus enim parantur, vel partæ augentur opes. Vanitas ditare hæredes

Hæc omnia augent rei vanitatem. Primo enim vanum et malum, id est miserum, est opes, quas tanta sapientia, prudentia, virtute parasti, relinquere homini otioso et inerti, qui nihil in eis laboravit, ut habent Hebræa. I.

Secundo, vanum et miserum est, ait S. Hieronymus, *quod sudor mortui deliciæ sunt viventis*, præsertim cum hæres vivens opibus, virtute defuncti partis, abutitur ad luxum et vitia, uti fecit filius prodigus, Lucæ 15. 13. ac faciunt nepotes, id est prodigi; quia enim nepotes sæpe patruorum vel avorum patrimonia prodigunt per gulam et luxuriam, hinc *prodigi* vocantur nepotes. Similiter mystice, posteri sæpe magistrorum suorum scripta vel opera contemnunt, imo vituperant, carpunt, perdunt. Causam dat Hugo Victor. *Quia subsequentium negligentia hoc paratum in usu assumere respuit, quod priorum sagax diligentia non sine grandi labore et cura acquisivit.* Præclare S. Chrysostomus apud Anton. in Melissa, p. 1. c. 35. *Inexplebilitas, ait, admodum violenta est, et avaritia præpotens; rapaces vitam hominum perturbant, et huius quidem rapinæ sunt, deliciæ autem aliorum; in ipsum cadit execratio, fruitio in alios; adversus ipsum eduntur suspiria, abundantia contingit aliis; adversus ipsum funduntur lacrymæ, ab aliis usurpantur pecuniæ; ipse apud inferos punitur, et alii sæpenumero in ipsius divitiis voluptuantes cantillant.* II. Gnomæ

Sapienter Demochares: *Non dives*, inquit, *sed divitiis utens beatus est*; et Democritus: *Multi divitum sunt procuratores, non domini divitiarum.* Ita Maxim. serm. 13.

Tertio, quod avari opes suas sæpe non filiis, sed exteris hæredibus, imo hostibus relinquant. Unde Chald. vertit: *Hominem enim invenias, cuius summum in sapientia cognitioneque rerum et iustitia est studium; is absque liberis ex hac vita migrans, cui non vigilaverit, sua tamquam illius partem derelinquet. Numquid et hoc vanitas et insigne malum?* Nam ut recte ait Salvian. initio libr. 4. de Gubernat. Dei: *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* III.

Præclare S. Ambros. lib. de Nabuth. cap. 4. hanc vanitatem avarorum exaggerans: « A vobis igitur, inquit, prius pœnam exigitis, quam pauperibus erogetis. Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas, et pauperes quidem non habent quo utantur; vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis; eruitis aurum de metalli venis, sed rursum absconditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa servantur, cum legeritis de avaro divite: Thesauros condit, et ignorat cui congregat eos? hæres otiosus exspectat, hæres fastidiosus increpat quod sero moriemini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum cui laboratis, gratias dereliquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, quotidianæ mensæ vestræ damna metuentes; propter illum diarna aggeratis ieiunia. »

Quarto, quod avari pauperes, et in eis Christum debita ex charitate alimonia defraudent. Pathetice Salvian. l. 4. IV.

ad Eccles. Cathol. « Omnis, inquit, egestuosus pro se tantum et in se eget: solus tantummodo Christus est, qui in

Antitheses avari et Christi

omnium pauperum universitate mendicat. Et cum hæc ita sint, quid ais, o homo qui Christianum te esse dicis, cum Christum egere videns, ut facultates tuas in quibuscumque non indigentibus dereliquias? Christus pauper est, et tu opes divitum cumulas; Christus esurit, et tu delicias affluentibus paras. Christus etiam aquam sibi deesse queritur, et a te apothecæ ebriosorum vino replentur. Christus rerum omnium egestate conficitur, et a te luxuriosis copiæ congregantur. Christus tibi et pro muneribus a te datis præmia sempiterna promittit, et tu nil præstaturis cuncta largiris. Christus tibi pro bonis bona immortalia, et pro malis mala æterna proposuit, et tu nec bonis cœlestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris; et credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis? Non credis igitur, sicut iam diximus libro superiore, non credis, etc. »

Vers. 22. QUID ENIM PROFUERIT HOMINI DE UNIVERSO LABORE SUO, ET AFFLICTIONE SPIRITUS, QUA SUB SOLE CRUCIATUS EST?

Vers. 23. CUNCTI DIES EIUS DOLORIBUS ET ÆRUMNIS PLENI SUNT, NEC PER NOCTEM MENTE REQUIESCIT. ET HOC NONNE VANITAS EST? } Campens. *Et hoc stultum est*; Hebr. *Nam quid est homini in omni labore et molitia cordis sui, quo ipse laborat sub sole? Quia cuncti dies sui in doloribus, et indignatio occupatio eius. Et quidem in nocte non dormit cor eius. Et hoc est vanitas.*

Pro *afflictione* hebr. est רַעְיוֹן *raion*, id est malitia, hoc est miseria, afflictio. Sept. vertunt: ἐν προαιρέσει, id est *in electione, vel voluptate cordis sui*; Pagnin. *in cogitatione*; alii, *in molimine, vel defatigatione cordis sui*, q. d. Quo fine, quo fructu avarus tanta et tam multa assidue molitur, seque defatigat? utique nullo. Campens. *in animi tormentis, quibus se torquet*; alii, *in contritione.*

Pro labore Aquila vertit βάσανος, id est tormentum, pœna, cruciatus, supplicium, quæstio, examen; Septuag. ἄλγημα, id est molestia, calamitas, tormentum doloris, mœroris et ægritudinis.

Avarorum vanitas.

1. Pergit exaggerare vanitatem et afflictionem avarorum, qui coacervant opes hæredi incerto earumque usu et fructu genium suum defraudant. His enim omnis labor, ipsæque opes non prosunt, sed valde obsunt; idque primo, quia talis perpetuo laborat, nec labore suo fruitur; quare tota eius vita est labor et cruciatus, imo laborum et dolorum continuus eculeus: *et cuncti dies eius doloribus pleni sunt.* Quia ut ait Hugo et Bonavent. *Pœnam magnam habet inquisitio, sed fructum inventio non habet.* Quare minus genuine Olympiod. hæc refert ad laborem bonorum æque ac malorum: *Advenit*, ait, *homini labor, quem laborat, sive bonus sit sive malus, ab electione consilii, ut in virtutem impensus laudandus sit, si vero in vitium, efficiat dies plenos dolorum et molestiarum.*

Constat enim ex antecedd. et sequent. hic tantum agi de labore malorum et avarorum, non vero bonorum. Præclare Salvian. lib. 2. contra Avaritiam in avaros, filios ditare satagentes, invehitur: *Quæ*, ait, *insania est, o miserrimi, ut hæredes alios quoscumque faciatis, vos ipsos vero exhæredetis; ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æterna mendicitate damnetis?* Quin et Plutarc. in Moral. *Avaritia*, ait, *vel molesta et morosa hera, parare cogit, frui prohibet et concupiscentiam cum excitet, voluptatem adimit; et plane multa possidens, ac numquam consequens ut bene sibi sit, refert balneatoris asinum, qui ligna et malleolos identidem adportans fumo semper et favilla oppletus in nullam lavacri, caloris munditiæque partem venit.*

Quocirca Palladius aurum vocavit doloris et curæ filium, nec ab illo tantum existimat natum, sed nutritum, educatum, fotum, perpetuoque cum illo, cum dolore nimirum ac labore divites agere vitam affirmavit. Prosper lib. 2. de Vita contemplat. cap. 13. *Divitias*, inquit, *qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

II. Secundo, quod cuncti dies eius ærumnis pleni sunt. Hebr. *Ira occupatio eius*; Chald. *Ira furoris est negotium eius*; Septuag. *Iracundiæ sunt dissensio eius*; Syrus: *Furor conversatio eius*; alios: *Indignatio negotiatio eius*: Campens. *Conatus eius tædio pleni*; Interpres Nyssenii: *Iræ sunt vexatio animi eius*; Arabicus: *Quoniam universitas dierum eius in confusione, plena doloribus et iracundia.*

Multa enim avaro occurrunt, quæ eius iram exacuunt et bilem accendunt, ut famulorum negligentia, sociorum perfidia, opum naufragia, hostium rapinæ, incendia, mercium corruptio, pretii decrementum, et mille talia, ob quæ irascitur, excandescit, tumultuatur, furit, sævit. Omne ergo divitum opus et labor non est aliud quam animi sui irritatio et excruciatio. O virum insignem in se discruciando et excarnificando occupatum! Vere Seneca Epistola 40. *Horum*, inquit, *qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis et suppurata tristitia, et quidem gravior; quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse agere felicem.*

Huc facit illud Iuvenalis Satyra 14.

Sed quo divitias hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis;
Ut locuples moriaris egenti vivere fato.

Rursus Seneca 108. *Desunt*, ait, *inopiæ multa, avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus est, in se pessimus.* III.

Tertio, quod nec per noctem mente requiescit, quia curæ et sollicitudines ne merces pereant, ne diripiantur, ne vilius vendantur, etc. eum quiescere non sinunt; cum pauper sua tenui sorte contentus per diem lætus vivat, noctu quietum altum dormiat. Igitur avarus per diem torquetur tristitia et ira, eaque multiplici; per noctem vero inquietudine, vigiliis et curis. Thaumaturgus: *Siquidem diu noctuque*, inquit, *semper urgentibus et corporis et animi laboribus, cor suum perpetuis et canidis curis lancinat, seque molestis negotiis et curis torquet et discruciat*; vel ut alius vertit: *Perpetuis animæ curis divexatur, pectore illi ob absurda negotia ingemiscente et palpitante*: et S. Cyprian. epist. ad Donat. *Inter divitias suas trepidas cogitationes incerto sollicitudo discruciat. Non cibus securo somnusve contingit; suspirat ille in convivio, et cum epulis marcidum corpus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma. Exigit pœnas pariter de possessori sublimitas.*

Nervosius S. August. tract. 9. in Ioannem: « O homo, inquit, qui laboras amando avaritiam? cum labore amatur quod amas; sine labore amatur Deus. Avaritia iussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes, et obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas quo impleas arcam, et perdas securitatem: securior forte eras antequam haberes, quam cum habere cœpisti. Ecce quod tibi iussit avaritia. Implesti domum, timentur latrones: acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amatur, acquiritur et tenetur. »

Avaritiæ schema vivum

Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 233. avaritiam sive opum cupidinem comparat hydræ, quæ multa capita et inexplebilem habebat ventrem; Briareo gyganti centimano, et Scyllæ omnia cum navibus sorbenti: ac tandem eam similem esse dicit mulieri amenti et improbæ, « Belluina forma præditæ, inquit, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium in loco capite habenti, perpetuo sibilantes ac mortiferum venenum evomentes, sexcentas item manus unguibus abundantes, quarum opera et adiumento alios lacerat, alios sagittis impetit, ab aliis pecunias extorquet, ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur dumtaxat, aut calumnias struit, verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et peierat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat. »

Insuper dat eidem oculos acres, asperos et igneos, aures occlusas ad gemitus pauperum; apodem, id est sine pedibus esse dicit, eo quod quem semel corripuerit, ab eo recedere nequeat, vel nesciat. Unde concludit: « Ecquis igitur acerrimo huiusmodi et inexplebili furore, atque innumera peccato et maledicto, ac dedecore, et intemperantias, ac petulantias nobis confluente capiatur? Ecquis

animum inducat tum in hac vita tam misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, ne requiem ullam aut somnum sentiat et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hic enim eos quos cepit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ne ne tantillum quidem interquiescere sinens; verum graviorem ipsis pœnam ingerens, quam ii luunt, qui ad metalla (quæ atrocissima pœna est) damnati sunt. Nam illis confecto opere, somno ac quiete frui licet: his ea somni quoque portam velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæva iis et inhumana edicta proponit: hos enim ad latrocinia mittit, illos ad cædes perpetrandas, etc. »

Hinc patet avaros esse auri servos et mancipia, imo deteriores servis. Servi enim defraudant genium suum, cibisque parcunt ut erogent pecuniam, qua se redimant et in libertatem asserant. At avarus defraudat genium ut opes recondat, et arcæ quasi carceri includat, ac simul se eidem mancipet: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*, ait Christus: miseriores ergo sunt Tantalo, qui in mediis aquis sitit: et Mida, qui auro pro esca utens fame periit. Vide Horat. l. 1. serm. Satyra 3. Haitonus Armenus in Histor. Tartariæ cap. 26. narrat anno Domini 1258. Caliphum ab Haolano hoste captum, fame mori coactum, cum illum conclavi auro gemmisque pleno inclusisset; eo quod auri cupidus, ex avaritia necessarios ad bellum sumptus non suppeditasset, ideoque victus in Haolani manus incidisset.

Quarto, quod avari ut filios vel nepotes ditent multas fraudes, usuras, iniquos contractus, crudelitatem in pauperes committunt, quibus sibi gehennam et æterna tormenta accersunt. Exaggerat hoc graviter Salvianus lib. 3. ad Eccles. Cathol. « Amate, inquit, non obsistimus, amate filios vestros, sed tamen secundo a vobis gradu: ita illos diligite, ne vos odisse videamini. Inconsultus namque et stultus amor est alterius memor, et sui immemor. Non accipiet, inquit Scriptura sacra, iniquitatem patris filius, neque pater accipiet iniquitatem filii sui. Et Apostolus: Unusquisque, inquit, onus suum portabit. » Unde sic concludit: « Relictæ itaque filiis divitiæ parentes non liberant de mendicitate; imo relicta immoderate filiis facultas, parentum est sempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parentibus magis noxii, quam filii nimis amati. Dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Etiamsi tam pius sit filius, ut refrigerandi supplicii paterni gratia communicare cum patre postea bona relicta cupiat, non valebit: reddere si quidem post mortem patri pietas filii non poterit, quod unicuique indevotio sua et infidelitas denegarit. »

Et paucis interiectis idipsum acrius exemplo Epulonis perurget: « Flammæ, ait, infelicium mortuorum divitiis non refrigerantur hæredum. Dives ille in Evangelio, qui purpura induebatur et bysso, absque dubio qui locuples in hoc sæculo ipse fuerat, etiam hæredes suos morte ditarat, sed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus ac talentis eius germani divites incubabant: et ille guttam refrigerii impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate; illi in gratulatione, sed ille in dolore: illi in divitiis, sed ille in tormentis: illi fortasse iugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix, o miseranda conditio! Bonis suis aliis præparat beatitudinem, sibi afflictionem; aliis gaudia, sibi lacrymas; aliis voluptatem brevem, sibi voraginem perennem. Ubi erant tunc affines, ubi propinqui, vel filii, si habuerat, vel germani quorum meminerat, et quos certe tanto amore dilexerat, ut eorum ne in supplicio quidem positus oblivisceretur? Quid ei proderant, quid suffragabantur? Torquebatur infelix, et opes suas aliis devorantibus, illa refrigerii guttam ardens petebat, et impetrare non poterat. »

Ac rursum post pauca in eorum stoliditatem miserandam exclamat: « O gravis nimium ac lugenda conditio! Pauper beatitudinem emit mendicitate, dives supplicium facultate. Pauper cum penitus nil haberet, emit æternas divitias egestate. O quanto has facilius tam multa rerum possessione dives potuerat comparare, qui inter tormenta æstuans et inter supplicia proclamans: Pater, inquit, Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, etc. »

NONNE MELIUS EST COMEDERE ET BIBERE DE LABORIBUS SUIS, ET OSTENDERE ANIMÆ SUÆ BONA? ET HOC DE MANU DEI EST.) Vers. 24. Quidam vertit: *Imo ego video quod hoc ipsum est de manu Dei*; Tigur. *Non enim aliud homini bonum obvenit ex labore suo, quam quod comedit; quod etiam video manu Dei exhiberi.*

Olympiod. Bonavent. et Hugo uterque, scilicet Cardinalis sive Carensis et Victorinus, imo S. Greg. 4. Mor. 4. et 4. censent hæc et sequentia dici ex sententia stultorum, puta Epicureorum qui pecuinam vitam agebant quorum hæc erat mens et vox:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Hoc ergo censebant esse de manu Dei, id est hoc esse bonum et donum felicitatis datum a Deo. Sic dives ille voluptuarius dicebat, Lucæ 12. 19. *Anima mea, comede, bibe, epulare, habes multa bona posita in annos plurimos.* Quin et Socrates dixit, *probos edere ut vivant, improbos vero vivere ut edant et bibant.* Ita Laert. lib. 8. et Aurelianus de Bonoso potatore aiebat, *eum natum non ut viveret, sed ut biberet*, teste Æliano lib. 12. variar. histor. cap. 29.

Verum nexus orationis poscit hæc dici ex mente eiusdem Salomonis, q. d. Ego videns vanitatem et stultitiam avarorum, qui corrogant opes hæredi incerto non sibi, dico satius esse comedere et moderate uti suis bonis, nec fraudare genium suum, sed ostendere, id est exhibere animæ suæ bona, id est commoda et iucunda, ut honeste genio indulgeat, hocque esse insigne Dei donum. Ita S. Hieron. Albin. Lyran. Dion. Titelm. et alii passim. Unde quidam ex Hebr. sic vertunt: *Et quis iustius comedet, aut quis festinabit* (*ad laborem meum*) *magis quam ego?* Sic ostendere sæpe in Script. significat exhibere, dare, præstare; donum enim quod datur, et cui datur, ostenditur, ut oculos sensusque eius pascat. Est metalepsis. Sic Psalmo 48. 8. Psaltes orat: *Ostende*, id est exhibe *nobis misericordiam tuam*; unde explicans subdit: *et salutare* (id est salutem vel salvatorem) *tuum da nobis.* Sic Exodi 33. 19. Deus dicit Mosi: *Ego ostendam omne bonum tibi*, id est, exhibebo tibi meam essentiam sive meipsum, ut me videas facie ad faciem, sed in corpore assumpto. Visio enim Dei continet omne bonum. Psal. 70. 20. *Quantas ostendisti*, id est immisisti, *mihi tribulationes.* Psal. 59. 5. *Ostendisti*, id est immisisti, *populo tuo dura.*

Tropol. Titelm. Ostendere, ait, animæ bona, non tantum significat exhibere commoda sibi, sed et aliis per opera misericordiæ; insuper vacare pietati; hæc enim est animæ pabulum, vita et salus. Unde Chaldæus vertit: « Igitur qua re alia summum hominis bonum censeri possit, quam ut edat et bibat, atque in luce omnium lautissime accipiat; et videre faciat animam suam bona ante filios hominis exsequendo mandata Domini, et ambulando in viis quæ rectæ sunt coram eo ut benefaciat ei ex labore suo. » Verum hoc mysticum est, non litterale, uti mox ostendam.

ET HOC DE MANU DEI EST.) Hoc scilicet comedere et ostendere animæ suæ bona. q. d. Frui velle fructu laboris proprii, neque avare illud hæredi recondere, insigne est donum et beneficium a manu Dei datum et acceptum: manus ergo, quia donationis et largitionis est instrumentum, hinc pro ipsa donatione et largitione sumitur metonymice: donum intellige naturale, quod manet ex naturalis prudentiæ dictamine, atque ex licito et liberali amore, quo quis amat seipsum.

Mystice S. Augustinus hæc accipit de Eucharistiæ sumptione; sic enim ait lib. 17. Civitat. 20. « Quid enim in hac sententia credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ pertinet, quam sacerdos ipse mediator Novi Testamenti exhibet, secundum ordinem

Melchisedech, de corpore et sanguine suo? »

Rursum S. Hieronymus et S. Gregorius 4. Mor. 4. hæc accipiunt de pabulo S. Scripturæ et Verbi Dei: Thaumat. quoque et Nyssen. de sapientia et doctrina quæ instar cibi animam pascit, exhilarat, roborat et beat. Thaumatur. enim sic vertit: « Neque enim summum et perfectum bonum in esculentia et poculentia consistit: at si alioqui maxime Dei beneficio alimenta mortalibus contingunt. Verum probitate præditus vir, sapientiamque Dei dono consecutus, cælesti voluptate fruitur. »

Et Anastasius Sinaita in quæst. et resp. de variis argumentis, quæst. 43. « Non carnaliter, inquit, comedere et bibere iubet Ecclesiastes, sed spiritualiter. Nam qui dixit: Ne decipiamini in saturitate ventris; quomodo ad ea quæ dixit avertenda, iubet lætari et ventri indulgere? Comedit autem quispiam et bibit spiritualiter, operans mandata Dei, cibum manentem in vitam æternam. »

Vers. 25 Quis ita devorabit et deliciis affluet ut ego?) Hebr. *Quis comedet et quis festinabit*, vel *accelerabit extra* (scilicet ad fructum laboris sui, puta ad epulas) *præ me*. Hebr. est verbum חוש *chus*, quod proprie significat *festinare*. Addit Pagninus, et *sentire vel sensibus frui*. Unde ipse vertit: *Quis comedet et sensibus* (præsertim gustu) *fruetur ut ego?* Symmachus vertit ἀναλώσει, id est, sumptus faciet vel consumet; Aquila, et eum secutus S. Hieronymus in Comment. contrarie vertit φείσεται, id est parcet: *Quis comedit*, inquit, *et quis parcit sine illo?* quia pro חוש *chus* per *scin*, legit חוש *chus* per *sin*, quod idem est quod חוש *shus*. id est parcere. Iam

Primo, Olympiod. Hugo uterque, Bonav. et Lorin. hæc censent dici ex sententia Epicureorum; hi enim ut lupi devorant et deliciis affluunt, uti fecit Salomon post lapsum.

Secundo, alii censent Salomonem hac phrasi uti, ut avarum et sordidum in alterum extremum et contrarium, in quo ipse aliquando fuerat, declinet, scilicet ad liberalem suorum opum usum. Sic enim Ethici (ut Aristoteles 2. Ethicorum) docent vitiosum in alterum extremum conari debere, ut ad medium virtutis perveniat; perinde ac virga curva in adversam plane partem flectitur, ut ad medium rectitudinis deducatur.

Tertio et genuine, Salomon hic suo exemplo confirmat id quod dixit versu præcedenti, allicitque avaros ut opibus labore suo partis moderate utantur, nec iis se defraudent, ut ea servent hæredi, q. d. Me accipite in exemplum usus et fruitionis bonorum, meque regem sapientissimum imitamini. Ego enim pro regali magnificentia devoravi, id est largiter comedi et deliciis circumfluxi. Quis enim me vixit sumptuosior, liberalior, magnificentior? ut vertit Campensis. Patet ex lib. 3. Regum, c. 4. Hinc et Tigurina vertit. *Quis enim comedit, et ad laborem quis promptior fuit quam ego?* Vatablus: *Quisnam edere debeat, et quis præparare debeat* (scilicet ad fruitionem opum labore meo partarum) *præterquam ego?* Devorare enim æque ac inebriare, subinde non in malam partem, ut gulam significat, sed in bonam, ut liberalem usum copiamque notet, accipitur, idemque est quod cibo et potu affluere, sed intra terminos temperantiæ et licitæ hilaritatis. Sic enim fratres Ioseph cum eo epulantes inebriati, id est exhilarati sunt, Genes. 43. 34. Sic et S. Ioannes devoravit, id est avide comedit, librum Apocalypsis, 9 Et virga Aaron devoravit virgas Magorum, id est serpens Aaronis devoravit serpentes Magorum. Utræque enim virgæ versæ erant in serpentes, Exod. 7. 12.

Mystice, hæc referas ad sapientiæ studium, uti dixi in fine versus præcedentis. Sapientia enim cælitus indita fuit Salomoni. Unde Chaldæus vertit: *Et quis, quæso, vel in sententia legis vigilantior, vel circa summi illius venturi iudicii diem sollicitus magis quam ego?*

Porro Septuag. pro ממני *mimmenni*, id est *præ me* vel *sicut ego*, legentes ממנו *mimmennu*, id est *ab illo*, id est sine illo, vertunt: *Quis enim comedat, et quis bibet sine illo?* scilicet Deo, q. d. Cibus et potus, quem edis et bibis, non tuum, sed Dei est donum, ab eius liberali manu acceptum, uti dixit v. præced. Illi ergo per gratiarum actionem referendum est.

Sic et Arabicus: *Quoniam*, ait, *quis manducet aut bibit extra ipsum*; sic et Syrus et Thaumat. *Nihil enim*, inquit, *saluti nostræ serviens, extra ipsius est providentiam*. Hinc Clemens Romanus l. 4. Constit. c. 4. monet viduas, pupillos et pauperes, ut illa quæ sibi dantur, cum omni metu, reverentia et gratiarum actione recipiant. *Quis enim vestrum*, inquit, *edit aut bibit sine ipso?* scilicet Deo. Citat enim hunc locum iuxta Septuaginta. Necdum enim extabat sancti Hieronymi eiusque Latina Vulgata versio. Et Olympiod. *Dona adiaphora*, inquit, *a Deo hominibus tribuuntur, qualia sunt divitiæ, bona valetudo, auctoritas; nihil ergo in hominibus invenitur boni, præter edendi bibendique voluptatem.*

Vers. 26 Homini bono in conspectu suo (Symmachus, *qui placuit ei*) dedit Deus sapientiam et scientiam et lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.) Hebr. est *malitia*, id est *afflictio spiritus*, de qua dixi v. 11. et c. 4. v. 14. Pro *peccatori*, Tigurina vertit: *aberranti a recto itinere* sapientiæ et felicitatis, vitæque iucundæ. Syrus vertit: *Quoniam viro cui est bonum in conspectu suo, dedit sapientiam, etc.* Arabicus: *Concessit enim homini bonum, et dedit huic faciem sapientiæ et gaudii; et dedit illi qui peccat confusionem, ut augeatur et congreget, ut det illud bono ante faciem Dei*; Chaldæus: *Quoniam viro cuius opera recta sunt, concedit in hoc mundo sapientiam et cognitionem, tandem quoque venturo sæculo lætitiam; improbo vero subiicit malum quoddam, ut opes congreget, congregetque res multas mancipii, ut aliquando ab eo receptæ, illi quem elegerit Deus, transcribantur. Hoc etiam est vanitas impio, et animi ægritudo.* Huc pertinet proverbium Arabicum. Centur. 1. numero 33. *Allide malum Medicum* (narangum) *malo punico*, id est, *pone in corde tuo sapientiam, et thesauriza in corde tuo scientiam.*

Insistit declarandæ vanitati avarorum, coacervantium opes suis filiis et hæredibus, eamque confirmat ex discrimine bonorum et peccatorum. Sensus est, q. d. Hoc est discrimen inter sapientem sive bonum et insipientem sive peccatorem, quod Deus sapienti, qui in conspectu suo bonus est, hoc est qui Deo placet et acceptus est, det sapientiam cognoscendi veritatem, scilicet veram uniuscuiusque hominis bonum situm esse in Deo, Deique cognitione, amore et cultu: et scientiam, qua prudenter opes congreget, easque dispenset ex legis Dei præscripto ad suam suæque familiæ sustentationem, et quod superest subventioni egenorum impendat; indeque lætitiam, quod veritati, id est Deo innixus vanas opes parvi pendat, easque rite distribuat ad usus honestos, quibus sibi Dei gratiam et gloriam conciliet. Unde Chaldæus vertit: *Deditque ei lætitiam cum iustis in futuro sæculo; peccatori autem Deus dedit afflictionem et curam*, ut laboriose et anxie coacervet opes, easque deinde relinquat hæredi, non quem ipse mente destinavit, sed ei qui placuit Deo, quem scilicet Deus designarit, qualis est pauper vel iustus aliquis liberalis qui eas in pauperes vel opera pia expendet. Symmachus vertit: *Ut dentur illi qui placuerit Deo*, iuxta illud Proverbiorum, cap. 13. v. 22. *Bonus relinquit hæredes filios et nepotes, et custoditur iusto substantia peccatoris*; vel ut legit S. Augustinus epist. 50. *Thesaurizantur iustis divitiæ peccatorum*. Et Iob c. 27. v. 16. *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta; præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, et argentum innocens dividet.*

Nota primo quod dicitur: *bonus in conspectu suo*, Albinus τό *suo* refert ad ipsum hominem bonum. q. d. Homo qui sibi ipsi in conscientia videtur bonus et probus. Verum τό *suo* refert ad Deum qui sequitur. Iam *bonus in conspectu Dei*, per hebraismum idem est quod placens Deo, gratus oculis Dei. Potest autem quis gratus esse Deo multis nominibus, et ob varias dotes tum naturæ, tum gra-

tiæ; ob dotes naturæ possunt etiam peccatores placere Deo; ob dotes gratiæ soli iusti, qui proprie dicuntur grati esse Deo, illique placere velut eius amici, filii et hæredes. Et sic hic accipitur. Opponitur enim peccatori, quamquam per peccatorem proprie hic intelligitur avarus, ac consequenter per bonum in conspectu Dei, liberalis, ut Psal. 117. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.*

Nota secundo: Pro lætitia, quam indit sibi placenti et grato Deus, peccatori dat afflictionem et curam, id est laborem, sollicitudinem, molestiam, difficultatem coacervandi opes. Hæc afflictio partim est pœna et hac ratione positive a Deo immittitur peccatori, ut illa ceu flagello eius peccata præsertim avaritiæ castiget, eumque ad bona cœlestia quærenda impellat et adigat, ait Olympiod. partim est culpa; quatenus ab avaritia proficiscitur, ciusque est affectus et actus; et sic non positive, sed permissive a Deo infligitur peccatori. Deus enim peccatum minus peccato maiore castigat: permittit ut peccator in pœnam præcedentium peccatorum labatur in avaritiam tantam, quæ illi mille curas, angores et dolores conciliet. Igitur sicut sapientia, virtus et liberalitas parit mentis lætitiam, et conscientiæ de bonis operibus exsultantis mirificum gaudium; sic insipientia, vitium et avaritia parit mentis angores, dolores et sollicitudines. Vere Seneca Epistola 23. *Huius* (bonæ mentis) *fundamentum quod sit quæris? Ne gaudeas vanis: fundamentum hoc esse dixi; etiam culmen est.*

Nota tertio: Hæc gnome significat quid sæpe fiat a Deo, non quid semper; nam subinde vice versa Deus iustos ad incrementum patientiæ et meriti sinit paupertate affligi, ut omni suo labore et cura vix sumptus ad alendam familiam necessarios parare possint; impiis vero dat copiam opum ultro et sine labore, qui proinde illis lætantur et epulantur, ut non raro facit in Novo Testamento: in Veteri enim fere faciebat contrarium. Iudæis enim promiserat copiam rerum temporalium, si sibi fideliter servirent.

Exempla Unde exempla huius sententiæ sunt in Hebræis, qui duce Mose exeuntes ex Ægypto, a Deo obtinuerunt opes et spolia Ægyptiorum, Exodi cap. 12. v. 36 Iidem duce Iosue, expugnantes Chananæos eorum divitias possederunt, ut patet ex libro Iosue, etc. Sic David possedit bona avari et stulti Nabal, ducens eius uxorem Abigail, 1. Reg. 25. vers. 42. Item opes Syrorum, Ammonitarum, 2. Regum 10. et 11. ac Moabitarum, 2. Regum cap. 8. vers. 4. et 11. Sic opes congestas a Diocletiano et Maximiano iratis hostibus Christianorum obtinuit Constantinus Magnus, qui ex eis basilicas et templa plurima Christianis magnificentissime exædificavit. Idem hodie sæpe fieri videmus. Sane hæreticorum opes perplures Deus ad Christianos, imo ad religiosos derivavit. Ita ex hæreticorum bonis erexit plura collegia Societatis Iesu, quæ hæresim convellerent, et hæreticos ad fidem orthodoxam converterent. Tale est collegium Augustæ Vindelicorum a Foggeris, quorum nonnulli tum Lutherani erant, erectum; tale quoque est collegium Gandavense in Belgio, ubi natus fuit Carolus V. et alia plura.

SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITUDO MENTIS.) Loquitur de peccatore et avaro, cui Deus dedit afflictionem et curam superfluam: nam bono et liberali dedit sapientiam et lætitiam, uti paulo ante dixit. Minus recte ergo Caietanus idipsum ad bonum et liberalem extendit, qui fruitur opibus labore suo partis. Licet enim, inquit ipse, sit hoc donum Dei, tamen *vanitas* vocatur; quia res modica est citoque evanescens. Minus apte quoque Hugo Victor. idipsum dilatat *ad vanitatem et cassam sollicitudinem iusti, requirentis divitias peccatoris, aut illas concupiscentis, et si acceperit, cor apponentis.* Pro *cassa sollicitudo mentis*, ex Hebræo vertas: *Pastio venti*, q. d. Opes et res omnes terrenæ non magis replent mentem quam ventus satiet famem. Audi S. Bernardum de Diligendo Deo: *Iustitia ratione utentis spiritus, cibus est vitalis et naturalis*; *pecunia vero* (et idem de aliis bonis diceret) *sic non replet vel minuit animi famem quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari quam satiari. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit vanitatem rerum ex tempore, cui omnes subiacent. Primo, ex eo quod singulæ cum tempore transeant, ac suas subeant vices et vicissitudines, idque multis exemplis per antithetorum combinationes demonstrat. Secundo vers. 14. ex eo, quod tempus, et res temporales comparatæ Deo, Deique operibus, utpote constantibus et perpetuis, sint vanæ et instabiles, fluidæ et caducæ. Tertio, vers. 16. quod tempus omnia mutans subinde inducat tyrannides et tyrannos, sub quibus regnant scelera et scelerati, affliguntur et exulant virtutes ac virtute præditi. Quarto, vers. 18. quod tempus hominibus omnibus adducat mortem, et interitum similem bestiis.

1. **O**MNIA tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo. 2. Tempus nascendi et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. 3. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. 4. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. 5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. 6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi. 7. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis. 9. Quid habet amplius homo de labore suo? 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12. Et cognovi, quod non esset melius, nisi lætari et facere bene in vita sua. 13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, ut timeatur. 15. Quod factum est ipsum permanet: quæ futura sunt, iam fuerunt: et Deus instaurat quod abiit. 16. Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiæ iniquitatem. 17. Et dixi in corde meo: Iustum et impium iudicabit

Deus, et tempus omnis rei tunc erit. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio, sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati. 20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. 21. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum. 22. Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB CÆLO.) Pro *tempus* hebr. est זמן *zeman*, id est tempus statutum, sive constitutum. Hebr. ergo sic habent. *Omni rei est tempus constitutum, et tempus omni voluntati* (id est omni volito, sive omni rei quam quisque optarit et voluerit) *sub cælo*. Septuag. *Omnibus tempus est et* καιρὸς, *id est opportunitas omni rei sub cælo*; Syrus: *Omni rei est tempus, et tempus omni negotio sub sole*; Arabicus: *Omni tempori et omni rei sub sole est tempus*; Chaldæus: *Omni viro veniet tempus, et hora omni negotio sub sole*; alii: *Cuique rei suum est præfinitum tempus, limitatum et determinatum*; Campensis: *Vicissitudo est suis spatiis, neque quidquam sub sole est stabile*; Symmachus: *Omni rei est hora; et omnis ministerii et negotii est tempus*; Thaumaturgus: *Per hoc tempus omnia contraria contingunt*; alii: *Omnibus est tempus, et suam opportunitatem habet quæcumque res sub cælo*.

Tempus tantum existit per instans præsens. Nota τὸ *transeunt*. Tempus enim consistit in continua successione et transitu. *Tempus* enim, ut ait Aristoteles, *est numerus* (mensura) *motus secundum prius et posterius*. Sicut ergo motus consistit in continua agitatione et successione, dum pars posterior assidue succedit priori, eamque protrudit et extrudit: sic et tempus quod non est aliud quam proprietas et mensura motus. Hinc collige quam parum veræ essentiæ et existentiæ habeat tempus, æque ac motus, atque res omnes, quæ motui et tempori subjacent. Tempus enim præteritum non est, sed præteriit; futurum non est, sed erit: solum præsens est et existit; præsens autem est dumtaxat unum indivisibile nunc, id est unum instans temporis. Unde apte dixit ille hominem et res temporales vere non existere ullo tempore, sed tantum in uno nunc, sive in uno instanti temporis. Porro Varro lib. 5. de Lingua Latina: *Tempus*, ait, *esse dicunt intervallum mundi et motus. Id divisum in partes aliquot maxime ab solis et lunæ cursu. Itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum; unde tempestiva: et a motu eorum, qui toto cælo conjunctus Deo mundus casu venit a quo tempus id ab hoc Deo, dies appellatur*. Hucusque Varro.

Cur hic temporis antitheta? Resp. 1. Quæres: Cur Salomon tam fuse agit de tempore, ejusque tam varias actiones et epitheta per quatuordecim antitheta assignat? Respondeo primo, ut omnium rerum vanitatem evincat ex tempore, cum quo, ut ait hoc versu et v. 9. omnia transeunt et evanescunt, idque ex decreto Dei; quia Deus præfinivit rebus singulis tempus quo oriantur, durent, occidant. Decrevit enim cuique tempus, quo existat, quando et quantum durare debeat; hanc enim statam periodum temporis cujusque rei significat hebr. *zeman*, quod Noster vertit, *tempus*. Unde Lyranus censet hæc dici (imo toto hoc capite non aliud doceri) ut liqueat felicitatem non esse ponendam in longævitate; nec eam esse appetendam, eo quod certa periodus durationis a natura, sive a Deo auctore naturæ, cuique rei sit præstituta, inter quas est periodus vitæ humanæ, qua debet homo esse contentus, sicut et cætera periodo sibi a Deo data.

II. Secundo, ex definita et præstituta a Deo rerum periodo, sive ex vicissitudine et successione contrarii, quod rebus singulis quolibet versu apponit, ostendit instabilitatem, mobilitatem et circulationem rerum omnium, scilicet omnia volvi cum sole, et in orbem ire cum tempore. Dicit *sub cælo*, ait sanctus Hieronymus, quia cæteræ *substantiæ spirituales nec sub cælo, nec tempore continentur*, quales sunt angeli. Unde non habent contraria, quæ eas mutent vel interimant, uti habent homines et res omnes sublunares quæ elementis contrariis et inter se pugnantibus constant, ideoque variant, mutantur et occidunt. Ex paucis autem hisce exemplis quæ assignat, similem antithesim temporis in rebus et actionibus omnibus cuilibet faciendam et assignandam relinquit. Est enim inductio imperfecta.

Tertio, innuit vanas esse et præposteras hominum curas, qui cum singulis rebus tempus et opportunitas, ut vertunt Septuaginta, præfinita sit a Deo et natura, prudenter expectanda vel patienter ferenda sit, ipsimet sua industria et sollicitudine nimia, illam præfinire, invertere vel antevertere volunt, qua in re frustra stulte, cassoque et irrito conatu laborant. III.

Quarto, Tertullianus libro de Virginibus velandis cap. 1. per tempus accipit gradus temporum, quibus tum natura in qualibet re, tum gratia in homine ad perfectionem provehitur: « Nihil, inquit, sine ætate est, omnia tempus expectant. Denique Ecclesiastes: Tempus, inquit, omni rei. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur. Deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur. Inde germinis tumor, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquamdiu et informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic et justitia (nam idem Deus justitiæ et creaturæ) primo fuit in rudimentis natura Deum metuens: dehinc per legem et Prophetas promovit infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem. Nunc per Paracletum componitur in maturitatem. » IV.

Denique, ex tempore semper transeunte, circulante et evanescente, evidenti demonstratione concludit omnes res, tempori subjectas, cum eo transire, gyrare et evanescere. In rebus enim temporalibus dominatur et regnat tempus. Hinc Varro libro 4. de Lingua Latina, ex Pythagora quatuor statuit rerum principia, scilicet corpus, locum, actionem et tempus: « Duo enim sunt, inquit, rerum exordia, status et motus; quod stat aut agitatur, est corpus; ubi agitatur, est locus; quod est in agitatu, est actio. Corpus est ut cursor; locus, stadium; qua currit, tempus; actio, cursio. Quare fit ut omnia sint quadripartita et ea æterna: nam neque unquam fuit tempus, quin fuerit motus (ejus enim intervallum est tempus) neque motus, ubi non locus et corpus (quod alterum est quod movetur, alterum ubi) neque agitatus ubi non sit actio. Igitur initiorum quadrigæ: locus, corpus, tempus et actio. » Hucusque Varro. V.

Ænigma temporis. Huc facit disceptatio septem Græciæ Sapientum, quam recitat Plutarchus in eorum convivio. Cum enim Æsopus, rogatus, *quid esset antiquissimum*, respondisset: *Tempus. Quid maximum? mundus. Quid sapientissimum? veritas. Quid pulcherrimum? lux. Quid communissimum? mors. Quid utilissimum? Deus. Quid damnosissimum? genius. Quid robustissimum? fortuna. Quid facillimum? quod suave est*. Thales, nonnulla corrigens et transponens, ita ad singula respondit: *Quid est antiquissimum? Deus; ortu enim caret. Quid maximum? locus; reliqua enim mundus continet, ab hoc continetur. Quid pulcherrimum? mundus; omnes enim ejus partes ordine aptæ sunt. Quid sapientissimum? tempus; id enim olim invenit, reliqua inveniet. Quid communissimum? spes; quibus enim reliqua omnia desunt hæc adest. Quid utilissimum? virtus; hæc enim reliqua etiam recte utendo utilia facit. Quid damnosissimum? animi vitium; hujus enim præsentia plurima bona cor-*

rumpuntur. Quid colidissimum? necessitas; ea enim sola est insuperabilis. Quid facillimum? quod est naturæ consentaneum; nam voluptates etiam sunt quæ sæpenumero respuantur. Cum Thaletis dicta omnes approbassent, Cleodemus; huiusmodi, inquit, Niloxenus quæstiones proponere et solvere regibus convenit.

Tempo-ris hiero-glyphi-cum stel-la. Hinc Ægyptii, et veteres Mythologi ac Philosophi mystici, hæc dabant temporis hieroglyphica et symbola: Stella est temporis hieroglyphicum, quia nihil in mundo toto statam temporis legem observat, quam stellæ et cœli, quæ cum semper moveantur, eodem semper temporis intervallo certisque periodis eo redeunt, unde moveri cœperunt. Ita Pierius Hierogl. 56. pag. 536.

Populus arbor. Per populum quoque arborem tempus indicabant; quod arbor ea bicoloribus sit foliis prædita, quibus præcipuæ ipsius temporis partes scilicet diem et noctem repræsentat. Ita Pierius Hierogl. 52. p. 505.

Falx. Falcem etiam attributam Saturno, cui tempora subiiciuntur, ad significandum tempus nonnulli volunt; quod tempus omnia metit, exsecatque et aufert. Ita Pierius Hierogl. c. 56. p. 536. Apposite Phocylides:

Temporibus semper cautus servire memento,
Nec reflare velis adversum flamina venti.

Serpens. Rursum Ægyptii temporis revolutionem significabant per serpentem convolutum, et ore caudam apprehendentem. Audi Claudian. lib. 2. Stilicon.

Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda deis annorum squalida mater,
Immensi spelunca ævi, quæ tempore vasto
Suppeditat, revocatque sinu, complectitur antrum
Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Et mox:

Scribit iura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt,
Ac pereunt, fixis tum legibus ille recenset.

Inverso-res tem-porum exosi. Porro prisci notabant inversores temporum, veluti vitæ præposteræ actores et duces. Ita notarunt Heliogabalum, qui traiecit dierum actus noctibus, et nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ, ita ut sero de somno surgeret, et salutari inciperet, mane autem dormiret. Ita Lampridius in eius vita. Seneca epistol. 123. *Sunt,* ait, *qui officia lucis noctisque pervertunt. Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in urbe antipodes, qui ut ait M. Cato,* nec *orientem umquam solem viderunt, nec occidentem.* Et inferius in quemdam lucifugam, qui sub noctem expergiscebatur, diluculo ibat cubitum ita acute et salse iocatur, *ut* dicat eum admodum frugaliter vivere, quippe qui nihil insumeret nisi noctem. Et quibusdam illum sordidum et avarum dicentibus: *vos,* inquit, *et lychnobium dicetis.* Est autem hæc vox ambigua, significans eum usque adeo non esse avarum, ut etiam lucernas absumeret, vel adeo parcum ut lucernis vitaret. Pericles Tolmidem belli ducem, alieno tempore molientem incursionem in Bœotiam, retinere tentavit dicens: Si non crederet Pericli, at non erraturum tamen, si prudentissimum consiliarium operiretur tempus. Verum Tolmides, respuens sanum consilium, temeritatem luit strage exercitus et sui cæde. Ita Plutarch. in Pericle.

Præfectus Adriani Imp. nomine Similis, præfecturæ renuntians, septem annos sibi vixit; unde hoc epitaphium suo sepulcro incidi iussit: *Hic situs est Similis, qui multos annos egit, septem autem vixit.* Ita Xiphilinus in Adriano.

Moral. de pretio tempo-ris. Tropol. hic disce quantum sit pretium temporis tam cito transeuntis et evolantis, quantaque eius habenda sit cura. A tempore enim hoc modico et fugaci pendet æterna nostra salus vel perditio, iuxta illud: *Momentum unde pendet æternitas.* Deus enim ab æterno cuique suum præstituit tempus, imo annum, horam et diem, v. g. ut sæculo primo, tali anno, mense, die et hora nascatur, ac post tot annos tali die et hora moriatur S. Petrus, S. Paulus, Nero, Vespasianus, Domitianus; sæculo secundo, S. Ignatius, S. Dionys. S. Polycarpus, Traianus, Adrianus, Antoninus; sæculo tertio, Constantius, Constantinus, Diocletianus, Maximian. etc. Sic cuique hominum præfixit certum sæculum, certum annum, certam diem, quo nasciturus, victurus et moriturus est. Utere ergo, o homo, si sapis, tempore tibi a Deo præstituto et admenso: aliud enim non habebis ex omnibus sæculorum voluminibus, per omnem æternitatem, imo nec horam, nec punctum temporis, quo pœnitentiam agere, merita comparare, et vitam æternam promereri valeas. Suum tempus habuere damnati, sed male expenderunt, et quo lucrari poterant cœlum, acquisivere Infernum. Quam vellent nunc sibi dari horam pœnitentiæ! quantos labores et cruces ultro susciperent, si ad vitam redire liceret! Sed frustra, clausa est ianua, transiit tempus eorum: tibi adhuc superest, vide ut illud rite expendas, nec sero male expensi te similiter pœniteat. Præclare Hugo Victor. hic et lib. de Vanitate mundi in fine: « Omnia, ait, tempus habent, videlicet certum et definitum, vel quando incipiant, vel quando finiantur; sive etiam quamdiu subsistant, ut prudens animus in his omnibus non putet aliquid esse, quod semper stare possit, ut in eo fiduciam ponat, sed potius veris et permanentibus bonis se conformans, ita rerum mutabilium vanitatem despiciat, ut licet unaquaque re pro tempore utatur dum præsens est, numquam tamen in eius transitu animum a statu suo declinare permittat. Ille enim prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem a sua stabilitate declinare. Male ergo fecit, cum quædam sibi quasi potiora ex omnibus ad iucunditatem elegit, et in eis felicem se esse posse credidit; quia et omnia suo tempore bene utenti bona sunt, et tamen omnia, quæ mutabilitati subiacent, licet in miseria qualemcumque consolationem præbeant, felicitatem tamen conferre non possunt. Nihil ergo suo tempore abiiciendum, et nihil non suo tempore eligendum. Sed sic animus ad usum temporis præparetur, ut tamen ad mutabilitatem temporis non mutetur. »

Audi sanctum Bernard. in Declamat. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Tempus hoc animabus non corporibus est assignatum, dies salutis utique non voluptatis. Omnia tempus habent: animabus nunc operam dare necesse est. Nam in carne qui seminat, solam exinde metet corruptionem.* Memento illius sancti Ambros. in Psalm. 1. *Tu dormis, et tempus tuum* non dormit, sed *ambulat.* Circa æternitatem enim volvuntur omnia tempora et sæcula, sicut rota circa axem. Audi et Senecam epistol. 121. *Nihil satis est morituris, imo morientibus; quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo unde nobis cedendum, hora nos omnis impellit.* Et mox: *Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit; ideo magnus animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat; nihil tamen horum, quæ circa ipsum sunt, suum iudicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et properans.*

Secundo, sapientis est omnia facere tempore opportuno, et captare occasiones bene agendi: insipiens enim non observat opportunitatem, ideoque insipienter et præpostere, ac sine fructu laborat et operatur. Vide sanctum Antiochum homil. 91. cuius titulus est: *Quod semper captanda sit temporis opportunitas.* Sapiens ergo ex animo evellit nimiam et intempestivam agendi sollicitudinem, ac tempus actioni opportunum exspectat, imo a Deo postulat, ut occasiones merendi, et heroicos virtutum actus exercendi sibi suggerat, iuxta illud Ephes. cap. 2. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus.* Sapienter Boetius libro 2. de Consol. metro 6. II. Sapiens sua facit opportune.

Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus;
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.

Et Ovidius lib. 1. de Remed. amor.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Hoc ut repræsentarent Poetæ, occasionem finxere esse Deum volubili rotæ, alatis pedibus insistentem, vertigine quadam celerrima se in orbem circum agentem, anteriore capitis parte crinita, ut prehendi posset, posteriori calva, ut teneri nequiret. Unde illud: *Fronte capillata est, a tergo occasio calva.* Vide dicta Ierem. 8. 7.

III. Tertio, nonnulli hæc accommodant inconstantiæ cogitationum et cupiditatum hominis, quibus favent Hebræa, quæ sic habent: *Omni voluntati* (id est cupiditati et voluptati hominis) *suum est tempus.* Hanc inconstantiam graphice hisce versibus depingit Horat. lib. 1. Epist.

Mea sic pugnat sententia secum?
Quod petiit, spernit, repetit quod nuper omisit,
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

IV. Aurea mediocritas. Quarto, Nyssenus et Olympiod. per tempus accipiunt modum sive mensuram, puta auream mediocritatem in omni actione servandam, iuxta illud Græcorum: μηδὲν ἄγαν, καιρὸς ἄριστος, id est: *Ne quid nimis, occasio res est optima.* Et illud Horat. libro 2. Carm. Ode 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Apologus temporis. Hanc Salomonis gnomen insigni cicadæ et formicæ Apologo, pulchris exemplis illustrato, graphice depingit Cyrillus lib. 4. Apol. moral. c. 4. « In fervore messis, inquit, cantans et quiescens cicada, cum vidisset formicam multo labore granum suis organulis attrahentem, compatiens ei dixit: Ut quid in tanto æstu, cum natura refrigerativam quietem et humectantem umbram requirat, tu non solum aridam circuis et tempestatem sustines: sed quod peius est, gravi onere te occidis? Nonne vides quod ego, in umbra viridi cum iubilo requiescens, in suffocante æstu refrigerantem cordis anhelitum capere vix possum? Quiesce ergo, donec messis transeat incentivum. Cui mox improvidæ, provida formica provide respondit: Omnia tempus habent, et suis spatiis universa transeunt sub cælo. (Eccles. cap. 3. vers. 1.) Quemobrem sicut quæque suo loco et tempore agenda sunt, ita et inquirenda. Nam si rei opportunum tempus negligens transierit, cum illo indiguerit, postea minime ipsum reperiet, eo quod hora debita sibi necessaria non quæsivit. Sic ergo, carissima, nobis utendum providentia est, ut vitæ quidem alimenta accommodata illo tempore vigiles colligamus, quando illa naturæ beneficentia, dum hæc quærimus, invenimus. Tempus autem colligendi est messis; unde nunc provide laboribus colligo, ut in arida hieme opulenta requie vivam: tu vero improvida futurum tempus negligens, in instabili puncto quietis nunc existis, imo nunc magis abuteris cantilenis; et cum folium, quo nunc delectaris quasi umbra transierit, gravis ardor famis simul cum egestate succedet, cum in messe nihil congregaveris. Nonne igitur diro improvidentiæ gladio vitam, quam multum diligis, peremisti? » Deinde hanc gnomen, *quod omnia tempus habent*, veris exemplis fontium, zodiaci, solis, terræ, vitis

Exempla. confirmat. « Sed attende, quæso, ut in suis rebus regularitate mirabili providentiæ natura ducatur. Nam venarum plenos fontes in pascuis animalium semper habet; ut, cum necesse fuerit, iis debitum ac præparatum provida distribuat alimentum. Etenim in circuitu zodiaco sol provido ductore conducitur, ut sic provideatur mutatis temporibus, cum providentia gignit. Similiter pro sequenti anno semel suaviores palma dactylos generet: sic et vitis liquorem dulcissimum pari ordine distillat. Ita quoque fontes, qui non semper scaturiunt, terræ virtute stellarum, diutine semel humiditate imbutæ, profusi cernuntur. Nonne totius naturæ ordo providentia gubernatur? Quid igitur ea spreta, quæ est vitæ tam commoda gubernatrix, futuroque neglecto de præsentibus tantum cogites? Ego certe, ni fallor, de futuris plus curo. Nam præteritum perdidi, præsens cæli cursu rapidissimo iam transivi et tantum quod superest futurum possideo. » Deinde epimythium, sive finem et fructum Apologi subiicit dicens: « His auditis, muta cicada rogavit formicam, ut hæc quid essent definitione monstraret. At illa libenter preces admittens ait: Providentia quidem (si verbum dignum habeo) est hæc: Arte vigili rationis, in hac vita transitoria temporalia iuste congregare, et congregata inviolabiliter conservare, ex quibus semper vivas in æterna et gloriosa quiete. Quo dicto, onerata processit ad nidulum suum. »

TEMPUS NASCENDI, ET TEMPUS MORIENDI.) Pro na- Vers. 2.
scendi hebr. est ללדת *loledet*, quod et nasci et gignere significat. Unde Septuaginta, Arabicus, Vatablus, Camp. Arias et alii vertunt: *Tempus gignendi, et tempus moriendi*; Chald. vero Costi: *Quandoque infinitum est tempus procreationi et soboli, quandoque moriendi.* Rabbini in Midres exponunt, q. d. Aliquando partus iungitur cum morte, cum scilicet fœtus mox post conceptionem in utero, aut post nativitatem iam in lucem editus moritur. Verum hæc expositio coactior et arctior est, æque ac illa Chaldæi. Complut. *Tempus est electum ad pariendum filios, tempus est ad occidendum filios rebelles et provocatores, ut obruantur lapidibus secundum verbum iudicum.* Melius Noster, Pagnin. Syrus, Clarius, Tigurina et alii vertunt: *Tempus nascendi*: huic enim directe per antithesin opponitur *tempus moriendi.* Hinc Thaumaturgus vertit: *Nata sunt aliqua, dein emoriuntur.*

Salomon suum thema, quod versu primo proposuit, scilicet, *Omnia tempus habent, et suis spatiis universa transeunt sub cælo*, probat per inductionem variorum exemplorum et contrariorum sibi vicissim succedentium, per quatuordecim eorum combinationes usque ad v. 8. ubi ex illis infert et concludit, omnia sub cælo esse vana, nec quidquam ex labore continuo homini relinqui, sed omnia transire et evanescere. Primum exemplum est, quod cuique rei viventi tempus a Deo et natura præfinitum sit nascendi et moriendi. Sicut enim omnibus quæ oriuntur, statutum est lex ut occidant et moriantur; sic pariter iisdem statutum est tempus oriendi et occidendi, sive nascendi et moriendi. Sic flores, frondes, germina oriuntur in vere, occidunt in hieme. Sic animalia et homines nascuntur in infantia, moriuntur in senecta. Atque hoc tempus ab homine mutari, prorogari, inverti nequit. Frustra ergo laborat senex, ut proroget sibi annos vivendi, recte operandi et merendi, cum illi moriendi instet tempus, et ut ita dicam, fatum: qui ergo sapit, dum vivit et viget, accumulet sibi virtutum et bonorum operum merita. Hæc igitur biga nascendi et moriendi est, qua omnes vehimur ad mortem, et per eam ad immortalitatem, vel beatissimam in cælis, vel miserrimam in gehenna. Tacite ergo hominem monet Salomon, q. d. Scias, o homo, qui natus es in mundo, tibi moriendum esse et exeundum de mundo; para te ergo, et virtutum opera compara, quæ post mortem iudici Christo offeras, ut propter ea ab illo cælo adiudicari, non vero ad gehennam damnari merearis. Hæc ut innueret Moses Genesi, id est ortui rerum, subiunxit Exodum, id est, exitum et occasum, ait Nyssen. et Olympiod. Igitur Salomon hæc dicit eo fine: *Ut temporaria vitæ nos admoneat*, ait Olympiod. *ut mentione mortis velut quodam stimulo nos expergefaciat, qui in carnalis vitæ profundum sunt immersi, et ad curam futurorum excitet*, ait Nyssen. Rursum nativitati subiungit mortem, quasi nullum sit tempus vivendi medium, ut innuat mox a nativitate hominem tendere ad mortem, et incipere mori, iuxta illud: *Nos nati continuo desivimus esse.* Sapient. cap. 5. v. 13. quia quot horis iam nati vivimus, totidem quasi passibus pergimus ad mortem. Ita *nascendo morimur, moriendo vivimus omnes.* Quid est vita? assiduus cursus ad mortem. Quid mors? transitus ad immortalitatem.

Tropolog. S. Hieron. Spiritualiter renascimur, ait, per timorem, iuxta illud Isaiæ cap. 26. v. 18. iuxta Septuag. *A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus et peperimus spiritum salutis:* morimur vero per amorem; dum enim crescimus ad amorem Dei, moritur timor, iuxta illud: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Ioan. 4.

Symbol. Hebrææ: Israeli, inquiunt, sive Synagogæ et populo Hebræorum tempus nascendi fuit, cum in Ægypto post mortem Joseph succrescere cœpit, Exodi 1. de quo Ezech. cap. 16. v. 4. ait: *Quando nata es, in die ortus tui.* Tempus moriendi fuit, cum in captivitate Assyriaca, Babylonica, et maxime Romana respub. Judæorum eversa et dispersa quasi interiit. Unde Ezech. 37. 12. Captivitas Judæorum comparatur sepulcro, captivi ossibus aridis, reduces in patriam resurgentibus. Melius, primi Christiani nascebantur in Ecclesia per baptismum, moriebantur gloriose per martyrium. His ergo tempus nascendi erat baptismus, moriendi martyrium.

Denique tempus nascendi Ecclesiæ Christi et Christianorum fuit tempus moriendi Synagogæ Judæorum; tunc enim hæc periit, cum illa nata mox peperit, adeoque cum ex sterili Ecclesia natus est Gentilium populus, amisit filios Synagoga, ait S. Hieronymus in cap. 5. Michææ.

Tempus plantandi, et tempus evellendi (Hebr. *eradicandi* vel *extirpandi*. Sic et Syrus et Arab.) quod plantatum est.) Campens. *Nunc amputamus quæ olim ut adolescerent curavimus;* Chald. *Tempus consitionibus et evulsionibus arborum suum est.*

Post opus naturæ (tempus scilicet nascendi et moriendi) subnectitur opus artis et artificis cooperantis naturæ, ait Hugo, puta tempus plantandi arbores, frutices, herbas, ut caules, betas, brassicas, etc. ac tempus eas evellendi, ut novæ plantentur. Tempus singulas plantandi juxta ortum certorum siderum, præsertim lunæ, ventorum, pluviarum, serenitatum, etc. exacte describit Columella lib. 2. de Re rustica cap. 8. et seq. ac Varro lib. 1. cap. 27. et seq. Ita Chald. Thaumaturgus et alii. Quare quod S. Hieronym. et Albinus exponunt, tempus plantandi esse tempus nascendi, et tempus evellendi esse tempus moriendi, quod præcessit, non litterale est, sed mysticum.

Tropol. Tempus plantandi virtutes est, cum statis temporibus oportet nunc vacare pœnitentiæ, ut in quadragesima; nunc lætitiæ spirituali, ut in Paschate; nunc operibus eleemosynæ, ut tempore pestis, famis, belli; nunc patientiæ, ut tempore morbi, tentationis, persecutionis; nunc operibus vitæ activæ, nunc contemplativæ prout obedientia vel necessitas ea requirit, et alternis injungit, ut sæpe oporteat relinquere Deum propter Deum, id est, orationem propter actionem. Obedienti ergo nunc quies contemplationis plantanda est, nunc evellenda et cum actione commutanda, cum id obedientia exigit. Rursum tempus eradicandi zizania est, cum concupiscentiæ, suggestiones dæmonis, ac tentationes carnis et mundi ex imaginatione et appetitu evellendæ sunt.

Symbol. Hebræi, inquit S. Hieron. hosce omnes combinationes referunt ad Synagogam et populum Israel: « Tempus, inquit, generandi et plantandi Israel, tempus moriendi et ducendi in captivitatem. Tempus occidendi eos in Ægypto, et tempus de Ægypto liberandi. Tempus destruendi templi sub Nabuchodonosor, et tempus ædificandi sub Dario. Tempus flendi et plangendi eversionem urbis, et tempus ridendi atque saltandi sub Zorobabel, Esdra et Nehemia. Tempus dispergendi Israel, et tempus in unum congregandi. Tempus quasi cingulum et baltheum circumdandi Deo populum Judæorum, et tempus ducendi eos in Babylonicam captivitatem, et ibi computrescere trans Euphratem. Lege περίζωμα Hieremiæ. Tempus quærendi illos et servandi, et tempus perdendi illos et projiciendi. Tempus scindendi Israel, et tempus iterum consuendi. Tempus tacendi Prophetas nunc in captivitate Romana, et tempus loquendi eos tunc quando etiam in hostili terra Dei consolatione et alloquio non carebant. Tempus dilectionis, qua eos sub patribus ante dilexit; et tempus odii, quando in Christum intulerunt manus. Tempus prælii, modo non agentibus eis pœnitentiam; et tempus pacis in futuro, quando intrante plenitudine gentium omnis Israel salvus erit. »

Aug. Tempus plantandi choros beatorum in cælo et reprobos eradicandi e terra, ut detrudantur in gehennam, ibidem perpetim arsuri, erit dies judicii; tunc enim *omnis*

A *plantatio, quam non plantaverit Pater meus cælestis, eradicabitur,* ait Christus Matth. cap. 15. v. 13.

Tempus occidendi, et tempus sanandi.) Syrus: *Tempus ad occidendum, et tempus ad vivificandum;* Thaumaturgus *Quæ nunc curabilia, dein lethalia fiunt.* Vers. 3

Primo, Hugo Victor. Tempus occidendi, inquit, oves et boves est, cum eos mactamus, ut eorum carnibus a Deo, ob corporum post diluvium debilitatem, indultis vescamur: tempus sanandi est, cum iis in quadragesima et jejunio abstinemus, eos servamus et quasi sanamus.

Secundo, et genuine tempus occidendi est, cum reus a judice ad mortem damnatur, item cum hostes justo prælio invaduntur; tempus sanandi, cum in prælio, aliove modo læsi, infirmique curantur, cum damna bello illata per pacem resarciuntur. Unde Arabicus vertit: *Tempus certandi, et tempus medendi:* et Chald. *Tempus sæpe expostulat omnia flammis et ferro miscere: aliud vero male habentibus mederi;* puta quo ægri curandi sunt.

Tempus flendi, et tempus ridendi: Tempus plangendi, et tempus saltandi.) Arabicus: *Fletui tempus,* Vers. 4
B *et risui tempus. Conquerendi tempus, et saltandi tempus;* Chald. *Tempore suo deflendi sunt ægri, et alio tempore hilaritate et risu colligendus est amicus. Statuta die lugendi sunt mortui, et alia die gaudio exsultandum est;* Thaumaturgus: *Lacrymatur, paulo post ridetur: nunc luctus, dein et tripudium.* Campens. *Interdum mæsti lugemus, interdum lætitia subsilimus;* Lyran. *Tempus flendi est,* inquit, *in infortuniis, tempus ridendi in fortunis.* Tempus ergo flendi et plangendi est in luctu, ob funera parentum vel amicorum, ob clades privatas vel publicas, ob pericula et adversa quælibet. Tempus ridendi et saltandi est in publica lætitia, puta in triumphis, victoriis, festis, epulis, nuptiis, ubi nota flere et ridere est privatum, plangere et saltare publicum. Sensus ergo est, q. d. Jam plangee in funere, jam saltabis in convivio, jam efferes ad funus tuam uxorem, jam aliam nuptiis secundis assumes; nunc funeralia convivia, nunc celebrabis nuptialia. Sic omnia con-
C trarietatibus plena sibi succedentibus, et ex disparibus nexa catena, viduitas cum nuptiis; sessitatio in pulvere tempore planctus, et saltatio atque tripudium lætiori tempore, publicoque gaudio, ait noster Pineda. Advertit Nyssenus in Caten. Græc. κοπετόν, id est, planctum seu pectoris tunsionem, intensionem addere in fletu et ejulatu; et ὄρχησιν, id est, saltationem, addere intensionem et amplificationem in lætitiæ foras erumpere gestiente, atque tripudio exsultanti.

Nota choros et choreas ex se non esse illicitas, imo subinde esse sanctas, uti fuere Davidis saltantis, ante arcam ex jubilo mentis in honorem Dei, 2. Regum 6. 14. et 16. et Hebræorum in gratiarum actionem ob transitum maris rubri, et submersum Pharaonem, Exodi c. 15. 20. Item illæ fœminarum ob cæsum a Davide Goliath. 1. Regum 18. cap. 6. Imo jusseret Deus, ut Hebræi quotannis celebrarent festum Tabernaculorum sacro tripudio, ac saltarent in tabernaculo coram Domino, uti ostendi Levit. 23. 40. Sic a saltu sacro Gentiles Romæ celebres erant
D Salii, in Creta Curetæ, in Phrygia Corybantes.

Verum magnus in choreis adhibendus est modus, ne in lasciviam et luxuriam abeant. Unde Judæis carnalibus permissæ sunt potius quam Christianis. Quare in choreas Christianorum invehuntur acriter omnes fere Patres, ut S. Basil. homil. 14. contra Ebriet. S. Ambros. lib. de Elia et Jejun. cap. 18. S. August. serm. 215. de Temp. S. Chrysost. hom. 48. et 56. in Genes. et 49. in Matth. Clemens Alexand. 2. Pædag. 20. Euseb. 13. de Præpar. cap. 12. Lactant. 6. Institut. 20. et alii. Quin et contra eas extant leges Imper. ut Constantini apud Euseb. in Vita eius cap. 48. Theodosii et Valentin. *de Spect.* cap. 5. Arcadii lib. omnes, C. *de feriis:* Leonis et Anthemii ibidem lib. ultim. Multo magis eas vetant leges Canonicæ, de Consecr. distinct. 1. c. *qui diebus,* et dist. cap. 3. *irreligiosa.* Quocirca Matth. Clingius in locis Theolog. c. de Choreæ: *Quid,* inquit, *est chorea? Est circulus cuius centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli eius.*

Tropol. S. Hieron. *Nunc*, inquit, *flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt, Lucæ 6. Plangendum est impræsentiarum, ut postea saltare valeamus illa saltatione, qua saltavit David ante arcam; quia qui in præsenti sæculo sua plangit peccata, ridebit potius in futuro*, iuxta illud Malach. 4. 2. *Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento*. Et Dydimus in Catena Græc. *Tempus præsentis vitæ*, ait, *flendo opportunum est; tempus vero ridendi in spe iacet.*

Nota in hisce antithesibus indicari ordinem contrariorum; prius enim est tempus flendi, posterius ridendi. Sic prius est tempus nascendi, deinde moriendi; prius est tempus plantandi, deinde evellendi; prius tempus tacendi, deinde loquendi, et ita de cæteris.

Vers. 5. TEMPUS SPARGENDI. (Hebr. *proiiciendi*; Septuag. *mittendi*; Syrus, *iaciendi*) LAPIDES, ET TEMPUS COLLIGENDI.) Campens. *Nunc diruimus vetera ædificia, nunc nova construimus*: mirum est aliquos pro *lapides* substituere *fructus*; unde Thaumaturgus vertit: *Nunc terræ fructus quis congregat, dein abiicit*. Iam

B Tempus spargendi lapides est, cum diruuntur domus, cum ex agro, horto, vinea lapides abiiciuntur, ne semina, herbas et plantas suffocent; tunc ergo ager elapidatur, cum lapidibus liberatur et purgatur. Tempus colligendi est, cum iidem lapides colliguntur et in acervum adunantur, ut ex iis fiat sepes aut murus agro, horto vel vineæ contra bestias et fures tutando.

Secundo, Arboreus hanc gnomen aptat ad fabricas Salomonis, quas nunc ædificarit, nunc destruxerit: sicut et hodie videmus homines opulentos sæpe domum, quam ædificarunt, destruere, hoc solo nomine, quod forma displiceat, ac novam novæ formæ velint exædificare; quæ sane sumptuosa est vanitas et inconstantia.

Tertio, Caietan. per lapides accipit pretiosos, puta gemmas, q. d. Tempus est colligendi gemmas et ornamenta, ac tempus est proiiciendi illa, puta in tempore vastitatis et excidii, iuxta illud Thren. 4. 1. *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capita omnium platearum*. Rursum, q. d.

C Hoc sæculo parvi fiunt gemmæ, et quasi sparguntur, mox alio sæculo colliguntur, magnoque habentur in pretio. Æstimatio enim hominum dat pretium gemmis, æque ac metallis, cumque illa sæpe variet, hinc sæpe variatur pariter pretium gemmarum.

Quarto, profundius Pineda hoc refert ad lapides sacculi, puta ad pondera quibus merces et nummi ponderabantur: hæc enim olim erant lapidea et lapides, Proverb. 16. 11. q. d. Est tempus quo homo vacat mercaturæ, ideoque colligat lapides, id est pondera quibus suas merces, æque ac nummos ponderet et mensuret. Vicissim est tempus, quo hominem iam opulentum et senem tædet mercaturæ, cupitque quietus sibi vivere et Deo, ideoque spargit abiicitque lapidea hæc pondera.

Tropol. Auctor Catenæ Græc. Lapides, ait, sunt virtutes, quibus vitia lapidamus et obruimus: « Quid enim aliud est temperantia, quam lapis, quo effrænis adhinniensque animæ affectus deturbatur atque prosternitur. Rursum lapides sunt sermones S. Scripturæ quibus hostem

D deiicere et obruere possimus: eosdem tamen in sinum animæ recolligere nos iubet, ut opportuno tempore illis in adversarios utamur, ut eiusmodi lapidum iactus nullo umquam tempore deficiant, neque umquam succumbamus.

Symbolice, primo, S. Hieron. refert nonnullos, qui sic exponunt, q. d. Legi severitatis successit lex clementiæ, puta legi veteri lex nova. In lege enim veteri rei adulterii aliorumque criminum iubentur lapidari: lex nova vero hunc rigorem legis veteris sustulit, cum Christus adulteram absolvit, et Pharisæis eam lapidare volentibus dixit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, Ioan. cap. 8. v. 7. Verum ipse hanc expositionem non probat, scilicet ut litteralem: ut mystica enim admitti potest.

Allegor. S. Hieron. Hoc tempore, inquit, lapides, id est, corda Iudæorum lapidea dispersa sunt a Christo, fide, veritate, salute; sed in fine mundi colligentur, cum ad Christum convertentur, et universi congregabuntur.

Anagog. Lapides electi sunt Sancti, quos Deus mittit in mundum, ut illum sanctificent; colligit vero, cum eos ad se per mortem recipit, ne videant mala gentis suæ, utque cælestem Ierusalem ædificent, ait S. Greg. 3. Dialog. cap. 37. in fine.

TEMPUS AMPLEXANDI, ET TEMPUS LONGE FIERI AB AMPLEXIBUS.) Arabicus, *separandi*. Communiter interpretes accipiunt amplexum coniugum, usumque matrimonii, q. d. Nunc tempus est dandi operam procreandis liberis, nunc abstinendi et continendi, cum scilicet vacandum est orationi, pœnitentiæ, ieiunio (ut in quadragesima) iuxta illud 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*. Item cum uxor est ægra, patitur menstrua, senex est, abest, etc. Ita S. Hieronym. Olympiod. Hugo, Bonavent. Lyran. Dion. et cæteri fere omnes. Sic Noe cum filiis omnibusque animalibus in arca abstinuit usu coniugii, ob communem in totius mundi per diluvium subversione luctum, uti dixi Gen.

B 8. 16. Hinc Chald. *Suo tempore ad uxorem est aditus; septem vero diebus luctus ab ea recedendum est*. Sic Tobias dixit Saræ sponsæ suæ capit. 8. *Surge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio; filii quippe sanctorum sumus*. Accedit Vatablus qui sic exponit, quod contrahamus matrimonium, aut non, sed maneamus cælibes, hoc pendet a Deo, matrimonium habet suum tempus.

Paulo aliter Thaumaturgus: *Nunc*, ait, *vir mulierem deperit, atque insano amore complectitur: nunc eam impense odit et aversatur*, præsertim post copulam, cuius rei physicam causam dat Aristoteles et Physici, uti post eam exosam habuit Thamar Amnon, *ita ut maius esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat*, 2. Reg. 13. 14. Hinc Campensis hoc loco vertit: *Nunc operam damus amplexibus, nunc ad amplexus nauseamus.*

Secundo, Hugo et Pineda, amplexum accipiunt amicorum et amicitiæ, q. d. Nunc tempus est amplexandi amicos colendique amicitiam; nunc ab iis abstinendi, ut cum

C absunt, moriuntur, vel infideles deprehenduntur, q. d. Instabilis est hominum amicitia, in eaque est vanitas vel mortis, vel absentiæ, vel perfidiæ, vel mœstitiæ. Stabilis vero est cum Deo, in eaque est veritas, sinceritas, constantia et beata æternitas. Illi ergo inhære, et in *illo veterasce*, Eccli. 2. 6.

Allegorice, tempus amplexus et coniugii fuit in lege naturæ et Mosaica, cum dictum est: *Crescite, et multiplicamini*, Genes. c. 1. Tempus vero continentiæ est in lege nova, cum dicitur: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum*, Matth. 19. *Quia præcepti veteris* (testamenti) *est, ut terra procreationibus impleretur: novi vero, ut continentia atque virginitate cælum impleatur*, inquit sanctus Isidor. lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 17. Sic et sanctus Hieron. et Olympiod.

Symbolice, tempus suum est vacandi sapientiæ, contemplationi et amplexibus Dei cum Maria; tempus pari-

D ter abstinendi eis, ut vacetur actioni cum Martha, puta ut serviatur necessitatibus corporis vel saluti proximorum. Ita S. Hieronym. et Hugo. Sic Moses accepturus legem, per 40. dies in monte collocutus est cum Deo; at postea peccante populo et idololatrante, descendit, ut eum corrigeret, Exodi cap. 32. vers. 7.

TEMPUS ACQUIRENDI (Hebr. *quærendi*) ET TEMPUS PERDENDI.) Arab. *Iacturam faciendi tempus*; Chald. *Tempus est electum ad quærendam pecuniam, et tempus est electum ad perdenda supellectilia*; Campensis: *Nonnumquam magno studio quærimus, quod paulo post perdamus.* Vers. 6

Primo, Hebræi hoc arctant ad Davidem et Salomonem, I.
q. d. Tempus acquirendi tribui Iudæ regnum Israel fuit sub Davide, tempus illud perdendi fuit sub Roboam filio Salomonis ob eius idololatriam, 3. Reg. 12.

Secundo, Olympiod. q. d. Tempus est quo rem tuam II.
perdas, et tempus est quo perditam rursum invenias, ut sit hysteron proteron. Primo enim ponitur τὸ *acquirendi*.

deinde *perdendi*, cum in re ipsa prius sit perdere, quam perditum acquirere.

III Tertio, Thaumaturgus, Nyssenus, Lyranus, Hugo, Bonavent. et alii hæc adaptant mercatoribus et lucra captantibus, q. d. Est tempus, cum mercatores lucra acquirant, est cum eadem perdant, ut cum naves mercium patiuntur naufragium, aut capiuntur ab hostibus, vel merces ipsæ corrumpuntur, aut ob aliarum appulsum minoris veneunt. Suadet ergo, ait Pineda, *ut æquo* ut iacturas animo patiamur, et sive cum fortuna, sive potius cum Deo supremo rerum arbitro et gubernatore lucri et iacturæ societatem ineamus, in rerum temporalium negotiatione et possessione. Nam *si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus*? Temperanda lucri lætitia cum amissionis et iacturæ ægritudine. Itaque ut ille alius sapienter dicebat: *Fortunæ obiicienda animi confidentia, et perturbationi ratio.* Neque magni facienda fortuna, quæ non *tam dono quam mutuo dat*, pro libito repetitura. *Non est enim valde optabilis* (ut refert ex Lacone quodam Cicero) *fortuna aptata rudentibus*, rei nimirum inconstanti, et vel cum ventis, vel cum fluctibus mille semper in discriminibus versanti.

IV. Quarto, et genuine, *τὸ perdendi* hic verbum est, non neutrum, sed activum, ut idem sit quod corrumpere, abiicere, dissipare; hoc enim significat Hebr. אבד *abbed.* Et sic eadem pene hæc est combinatio cum sequenti: *Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi*, q. d. Est tempus, cum res, puta annonam, fruges, opes compares et acquiras: est rursum tempus, cum easdem perdas et prodigas, ut cum ingruit tempestas in mari, pestis in terra, hostis in urbe. Rursum cum fruges ipsæ sunt corruptæ, aut cum alia de causa res nostras fastidimus, ideoque eas abiicimus et flammis tradimus. Ita S. Hieron. Albinus et alii.

Mystice, S. Athan. tract. in illud: *Profecti in pagum, qui ex adversa est, invenietis pullum*: primo exponit de Christo, q. d. Christus quæsivit hominem peccato Adæ perditum: *Quia*, inquit, *iam longo tempore perditum erat genus humanum, et peribat diaboli fraudibus. Tempus enim quærendi venit, et eximendi e captivitate*; secundo, de peccatore pœnitente, q. d. Require per pœnitentiam, quod perdidisti per culpam; aut, q. d. Acquire gratiam, perde peccatum; tertio, de iusto, q. d. Ut acquiras animæ salutem, perde et mortifica eius concupiscentiam; ut acquiras virtutes, perde vitia; ut acquiras cælum, perde terram; ut acquiras spiritualia, perde temporalia, iuxta illud Christi: *Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, Matth. 10. 39. *ut scilicet tempore martyrii neque possessionibus, neque liberis, neque parentibus, neque corpori, ne ipsi quidem animæ parcitum velimus, sed nos offeramus usque ad mortem, ut inveniamus animam nostram in regno cælorum. Qui igitur vult invenire animam suam, perdat eam in hoc tempore. Necessum est ergo in nobis perdi malitiam, ut quærentes virtutem eam inveniamus. Si quis enim non conquieverit ab ira, quomodo ad mansuetudinem exercebitur? si quis a se non exterminarit fornicationem, quomodo is ausit temperantiam profiteri? Quæsivi, inquit, quem diligit anima mea, quæsivi et inveni eam, et introduxi illum in domicilium matris meæ, et in cellam genitricis meæ.* Hucusque sanctus Athanasius.

Rursum Auctor Catenæ Græc. *Tempus*, ait, *acquirendi universa hæc vita est; acquirendi, inquam, Dominum, quem quærere nos oportet: e contrario autem id amittere debemus, cuius possessio iactura, cuius amissio lucrum est.*

Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi.) Syrus: *Tempus ad connectendum est, et tempus ad solvendum*; Thaumaturgus: *Nunc anxia servat custodia, quod dein fastidiens sponte proiicit.* q. d. Est tempus, cum res tuas custodias; est vicissim tempus, cum eas abiicias, cum scilicet corruptæ sunt, aut imminet tempestas, pestis, mors, hostis, latrones, etc. uti iam dixi. Aretius Campensis: *Nonnumquam*, ait, *comparcimus, quod postea dilapidemus.* Alienius Olympiod. Dispensator, ait, novit quo tempore pecunias apud se custodiat, quo expendat. Alii: Novit liberalis quando pecunias servet, quando eas in pauperes eroget.

Tropol. tempus custodiendi opes est, cum iuvant ad alendam familiam, et virtutem eleemosynæ operandam; tempus eas abiiciendi est, cum nocent animæ, eamque incitant ad gulam et luxuriam, aut a studio orationis et perfectionis avocant: unde Christus ad adolescentem: *Si vis*, ait, *perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus*, Matth. c. 19. v. 21. Ita Hugo.

Mystice, Hugo Victor. Tempus est, ait, cum Deus suos fideles a tentationibus et periculis custodit; rursum tempus est, cum eos illis exponit et obiicit, vel in pœnam peccati, vel ut probet et augeat eorum patientiam, fidem et virtutem.

Tempus scindendi (alii *lacerandi*) et tempus con- Vers 7
suendi.) Arabicus: *Tempus abscindendi, et tempus consuendi*; alii, *suendi*; alii, *resarciendi*; Campensis: *Quandoque discerpimus quod olim consuimus*; Chald. *Die sua super mortuo vestis conscindenda, et tandem etiam fracta est sarcienda.*

Tempus scindendi vestes Hebræis erat in gravi clade, vel audita blasphemia quapiam, uti Caiphas scidit vestes suas Christo asserente se esse Filium Dei, dicens: *Blasphemavit*, Matth. capit. 26. vers. 62. Vice versa cessante clade vestem laceratam consuebant. Tempus ergo scindendi est tempus luctus, tempus consuendi est tempus lætitiæ et gaudii. Rursum ut vestis quæpiam conficiatur, pannum apposite ad corpus scindere, deinde consuere oportet; ad hæc ut ex una veste alia concinnetur, v. g. ut ex tunica fiat thorax, eam scindere et pectori aptare ac deinde sarcire necesse est: sic Deus, qui fuit primus mundi sartor, Adæ e pellibus consuit tunicam, Genes. cap. 3.

Minus apte Thaumaturgus hæc refert ad scissionem corporis, q. d. Est tempus, quo corpus gladio conscindas et vulneres in bello, vel iudicio ad puniendum crimen; est rursum tempus quo illud conscissum redintegres, et quasi consuas. Alienius quoque Didymus in Catena Græc. *Homo*, inquit, *iam occidit, iam occiditur.*

Mystice, Hebræi. *Tempus*, inquiunt scindendi regnum Israel fuit sub Roboam, quo decem tribus ab eo desciscentes regem constituere Ieroboam 3. Regum 12. Tempus consuendi erit, cum in fine mundi omnes Israelitæ conversi ad Christum, in unam Ecclesiam et regnum numquam discindendum conspirabunt, Ezech. 34. 26.

Symbolice Hugo Victor. hæc refert ad fœderis et amicitiæ copulationem et dissociationem: *Habet enim*, inquit, *consutionem suam tempore suo consensus socialis, habet et scissionem in tempore suo zelus iustæ contradictionis.*

Sublimius idem Hugo inferius hæc refert ad copulationem naturæ et gratiæ: « Ea, inquit, quæ scinduntur substantialiter unum sunt: ea vero quæ consuuntur essentialiter quidem diversa sunt, sed mediante vinculo fili quasi accidentaliter unum fiunt. Sic enim omnis homo corruptibilibus et perituris unitur per naturam; sed efficitur particeps æternorum per gratiam. Sic quippe consuuntur humana et divina in unum, ut quæ duo fuerant per naturam, fiant unum per gratiam. Compunctio siquidem ipsa acus est, et dilectio filum. Et facit viam acus et perforat utrumque, ut filum utrumque contineat; neque enim consutio aliter fieri potuisset, nisi utrumque foraretur et utrumque contineretur, quia discederet alterum ab altero, et facile se ab unitate divideret, si utrumque vinculum non contineret. Propter hoc utrumque perforat acus compunctionis, et filum dilectionis connectit utrumque, ut stent simul et non discedant ab invicem. »

Rursum tempus scindendi est tempus excommunicandi, quo peccator impœnitens absciuditur ab Ecclesia ut per hanc pœnam et infamiam pœniteat, itaque rursus Ecclesiæ assuatur et uniatur, uti Paulus fornicarium abscidit, et pœnitentem rursum assuit Ecclesiæ, 1. ad Corinth. cap 5 et 2. Corinth. 2. Ita Auctor Catenæ Græcorum.

Allegorice discissum fuit Christi corpus in passione, consutum in resurrectione. Idem fiet nobis.

Tropol. Scindimus corde per pœnitentiam et resectio-

nem vitiorum, consuimus per novæ vitæ virtutumque texturam. Rursum societatem cum hæreticis vel improbis discindimus, ac Catholicis probisque sociamur, dum iniquos contractus rescindimus et æquos inimus. Denique Arrius laceravit tunicam, id est Ecclesiam Christi, quam S. Athanasius rursum consuit: uti S. Petro Alexandrino Episcopo Christus per visum ostendit. Vide eius Vitam apud Surium 26. Novemb.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.) Chald. Complut. *Tempus est electum ne proferantur verba contentionis, et tempus est electum ad proferendum verba contentionis.* Chald. vero Costi sic habet: *Aliquando ponendus est orationi et precibus modus: alias vero contentione verborum utendum.* Refert ergo ipse hæc ad precum studium vel silentium. Didymus in Catena Græc. *Homo*, ait, *iam loquitur, iam tacet.* Tempus tacendi est in schola, in precibus, in concione. Rursum cum superior, præceptor vel senior loquitur, subdito, discipulo, et iuveni tacendum et auscultandum est: cum doctor vel concionator iam senex voce, memoria, facundia, gratia destituitur, taceat, ac B lampadem munusque loquendi, docendi et prædicandi resignet iuniori iis pollenti. Tempus loquendi est doctori, cum docendum est; prædicatori, cum prædicandum; superiori, cum monendus vel corripiendus est subditus: patri, cum consilium, consolationem, vel directionem impendere debet proximo. Hinc Salon. *Verba tua*, inquit, *tantisper silentio premes, donec commoda loquendi sese afferat occasio.* Audi S. Hieron. *Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti: Discamus itaque et nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, et ad præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Nunc vero pro sæculorum quotidie in peius labentium vitio, docemus in Ecclesiis quod nescimus. Et si compositione verborum, vel instinctu diaboli, qui fautor errorum est, plausus populi excitaverimus contra con-* C *scientiam nostram, scire nos arbitramur, de quo aliis potuimus persuadere. Omnes artes absque doctore non discimus; sola hæc tam vilis et facilis est, ut non indigeat præceptore.*

Silentium docet loqui. Hac de causa Salomon præponit tempus tacendi tempori loquendi, quia tacendo discimus loqui. Quocirca Hugo Victor. Institut. moral. 16 *Non ait Salomon*, inquit, *tempus loquendi et tempus tacendi, sed tempus tacendi et tempus loquendi; quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur.* Unde S. Basil. in Reg. fus. c. 13. *Silentium*, ait, *est gymnasium bene loquendi.* Et B. Diadochus lib. de Perfect. spirit. cap. 70. *Præclara ergo res*, inquit, *est silentium, nihilque aliud quam mater sapientissimarum cogitationum.* Rursum S. Hieron. in Regul. monach. c. 22. *Ex hoc enim*, inquit, *in eremo edocti Ss. Patres, summa cum diligentia observant silentia tamquam sanctæ contemplationis consors.* Et S. Bernard. epistol. 88. *Iuge silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies,* D *cogit cælestia meditari.* B. Dorotheus serm. 20. *Cave a multiloquio, hoc enim sanctas ac rationabiles et a cælo advenientes cogitationes penitus exstinguit.* Denique silentium docet facere id quod iubet S. Bernard. in Specul. Monach. *Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam.* Et illud sancti Augustini: *Omne verbum prius veniat ad limam, quam semel ad linguam.* Albert. Magnus libr. de Virtutib. capite 31. *Ubi non est taciturnitas, ibi homo facile ab adversario superatur.*

Plura hac de re dixi Proverb. 25. 11. et Eccli. 20. 6. et 7. ubi citavi S. Gregorium et S. Ambrosium, hunc locum exponentes. Pluribus exemplis idipsum confirmat Zosymus Papa, ut habetur distinct. 36. cap. « Qui Ecclesiasticis: Hinc etiam, ait, idem Salvator noster, prius in medio Doctorum sedit, audiens illos et interrogans, et postea prædicare cœpit: quia prius quisque discere, et postea prædicandi officium usurpare debet. Hinc etiam Salomon A ait prius tempus tacendi, et postea loquendi: quia veritas prius tacendo discitur, et postea loquendo prædicatur. Hinc idem Dominus ait: Qui audit, dicat, Veni. Hinc etiam prius Apostolos docuit, deinde eos ad prædicandum misit, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Sic etiam prius post resurrectionem illis sensum aperuit, et Scripturas explanavit, et postea dixit eis: Euntes in mundum universum, etc. »

Scopus sententiæ. I. Porro, Salomon hanc gnomen ponit hoc fine. Primo, ut ostendat vanitatem sapientiæ et facundiæ, ob quam non raro superbiunt viri docti et eloquentes, præsertim doctores et prædicatores, cum ob dicendi gratiam plausum habent, et post se trahunt greges auditorum et discipulorum, qui ab ore eorum pendent. Hisce enim succedit tempus tacendi, cum ob senium, morbum aliamve causam deflorescit hæc docendi dicendique gratia, aut cum supervenit alius doctor vel concionator magis disertus, quem populus priore relicto sequitur: qua in re sæpe naufragium et auditorum, et nominis, et tranquillitatis patiun- B tur concionatores, qui proinde si vanam hanc populi auram sectentur, miserrimi sunt: illa enim instar venti mutatur, et nunc hunc, nunc illum sequitur, priorem deserens. Qui ergo sapit, hoc munus obeat pure ex obedientia et amore Dei, ac cum S. Francisco eadem quiete animi, et eadem alacritate concionetur paucis et multis, plebeiis et nobilibus: magnum cogitet se habere auditorem Deum, ac de eo dicat id quod Plato de Aristotele: *Hic unus mihi sufficit: pluris enim est, quam mille alii.*

II Secundo, ut doceat prudentem prudenter distinguere tempus quo tacendum est, et quo loquendum; quare cum fructu loqui et tacere; cum imprudens utrumque pervertat, ac loquatur cum tacendum esset, et taceat cum loquendum foret; ideoque sine fructu, imo cum damno tam suo, quam proximi loquatur vel taceat, iuxta illud: *Est tacens non habens sensum loquelæ: et est tacens sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non servabunt tempus*, Eccli. C c. 20. v. 6. Ita S. Gregor. 3. p. Pastor. Admon. 15. *Tempus tacendi*, inquit, *et tempus loquendi: discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.*

Vers. 8. Tempus dilectionis, et tempus odii.) Septuaginta: *Tempus amandi, et tempus odiendi;* Syrus: *Tempus ad amandum, et tempus ad odiendum;* Arabicus: *Diligendi tempus, et contumeliæ tempus;* Campensis: *Interdum amamus, interdum odio prosequimur amatum.*

Sensus est, q. d. Nihil in orbe, nihil etiam in hominis appetitu fixum et stabile, vel varianda omnia et vana; nam rem quampiam, puta amicum, quem nunc diligis, odio prosequeris, cum eum noxium, infidelem, contrarium experieris, aut certe cum mutato affectu tuo ille tibi displicebit. Sic dilectio et odium accipitur active: potest et accipi passive, q. d. Ne nimis confidas amico et amicitiæ, quod ab eo diligeris; quia is qui nunc te diligit mox odiet. Sic enim in hominibus hi affectus alternant, ut quod D nunc ardenter concupiscunt, mox ubi eo potiti fuerint, fastidiant, et subinde odiant. Quocirca Bias monebat: *Sic ama tamquam osurus, sic odi tamquam amaturus.*

Propria sapientis et iusti amoris causa et obiectum est virtus, odii peccatum: quare iusta tempus dilectionis est, cum proximum viderit vacare virtuti; odii, cum viderit eumdem declinare ad peccatum; tunc enim eum odit non ut hominem, sed ut peccatorem; imo proprie peccatum dumtaxat in eo odit, ut illud exterminet, proximumque ab eo liberet; aut certe si superior sit, illud iusta punitione ad aliorum terrorem vindicet. Unde Chaldæus vertit: *Tempus idoneum ut unus amet socium suum, et tempus idoneum ut odio habeat virum peccatorem*, præsertim qui te et alios in peccati societatem pertrahere satagit.

Denique, tempus amoris est in iuventute, quæ sanguine, calore et spiritibus abundans proclivis est ad amandum: tempus odii est in senectute quæ frigida, torpida, tristis et tetrica ad fastidium et odium propendet. Hinc

Synagogæ adhuc teneræ et iuvenculæ ait Deus: *Ecce tempus tuum, tempus amantium.* Hebr. דודים *dodim*, id est amorum vel uberum, Ezech. c. 16. vers. 8.

Tropol. nunc est tempus diligendi carnem ut animum, ut eam ad Dei gratiam et gloriam promoveamus; nunc odiendi eamdem, cum pravis eius cupiditatibus resistendum est, iuxta illud Christi: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, Lucæ cap. 14. 26. Ad hæc S. Cyprianus de Singular. Cleric. *Tempus amandi*, ait, *et tempus odio habendi. Ama fœminas inter sacra solemnia* (ut ad illa ipsas, o Clerice, admittas) *et odio habe in communione privata* (ne privatim cum illis verseris) *si vis Salomonis tenere doctrinam.*

Rursum S. Hieronym. Tropol. sic exponit: *Tempus est amandi post Deum liberos, uxorem, propinquos; et tempus odiendi eos in martyrio, cum pro Christi confessione rigidos impietas oppugnat inimica.* Sic et S. Ambrosius in Psalm. 118. Octon. 15. *Tempus amandi*, inquit, *et tempus odio habendi, hoc est tempus martyrii, quando ea quæ divina sunt omni charitati necessitudinum præferenda sunt, etc. ut quos dilexeris odisse, et quos oderis amare conveniat.*

Allegor. idem sanctus Hieronym. q. d. Tempore Salomonis amanda erat circumcisio et lex Iudaica, nunc tempore Christi odienda est et repudianda. Aug. idem, q. d. Tempus huius vitæ est, quo præsentia amamus, quæ in futura beatitudine fastidiemus et odio prosequemur.

Denique, Auctor Catenæ Græc. Amandi, ait, necnon odio habendi tota vita tempus est: sed amoris scopus non alius quam Deus; scopus odii, hostis vitæ nostræ dæmon.

TEMPUS BELLI, ET TEMPUS PACIS.) Hæc antithesis subaltera, et fere eadem est cum præcedenti. Tempus enim belli est tempus odii, et tempus pacis est tempus concordiæ et amoris. Unde Arabicus vertit: *Tempus belligerandi, et tempus pacificandi et salutandi*; Chald. *Tempus est electum ad præliandum, et tempus est electum ad faciendum pacem*; Campensis: *Interdum inimicitias exercemus, iterum amplectimur pacem.* Sensus ergo est, q. d. Tempus est quo bello parenda est pax, ut cum hostes rempubl. invadunt aut lædunt, cum seditiosi vel improbi turbant quietem communem, cum vitia et cupiditates in nobis aliisve resecanda sunt, quo facto tempus est pacis. Pax enim per se expetenda est, utpote quæ virtute, iustitia, bonisque omnibus temporalibus et spiritualibus florere facit rempubl. Hinc in Script. vocatur *Deus pacis, ut pax Dei*, scilicet donum singulare et proprium, Philip. 4. 7. Roman. 15. 33. Bellum vero suscipiendum est non propter se, sed
Belli etymon. propter pacem. Unde bellum dicitur per antiphrasin quasi minime bellum, id est pulchrum; vel a belluis, quasi belluinum; vel bellum quasi duellum (sicut pro *bonum* olim dicebant *duonum*) aut a Belo, qui primus bellum movit, uti alibi dixi ex Cassiodoro lib. 1. varier. epist. 30.

Rursum Thaumaturgus sic exponit, q. d. *Res humanæ nunc bello afflictantur, nunc tranquillæ et pacatæ sunt; tantaque est earum inconstantia, ut quæ modo secunda esse videbantur, celeri momento in certissima mala dilabantur.*

Mystice, S. Ambros. in Psal. 118. Octon. 15. *Tempus belli est*, inquit, *quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, qui in pace locus eius est.* Et Nyssen. in Caten. Græc. *Tempus pacis est tota vita, ut pax nobis*, inquit, *cum Deo sit, eo quod hostilem infestumque animum erga adversarium* (Satanam) *sumpserimus.*

Denique noster Alvarez de Paz lib. 2. de Vita spirit. part. 2. cap. 15. Omnes has Salomonis antitheses ea applicat, ut significet quemque sibi suæque perfectioni prius vacare debere, deinde in proximi salutem incumbere. Cogita, inquit, quia omnia tempus habent, et prius debes virtutibus adolescere, et ad perfectionem spiritalis ætatis pervenire, quam filios Deo generes et aliorum mater appelleris. Adverte, o anima, quia nunc in principio conversionis tuæ *tempus est nascendi*, et ad divinum amorem perveniendi, et postea erit *tempus moriendi* pro fratribus, ita ut cum Paulo possis dicere: *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres*, 1 Corinth. cap. 15. 31. Nunc *tempus est plantandi*, ac in teipsa virtutes inserendi; postea erit tempus evellendi de cordibus aliorum, quod perperam a veternoso hoste plantatum est. Nunc *tempus occidendi*, ut scilicet inordinatum tui amorem extinguas, et in matutino interficias omnes peccatores terræ: et deinde erit *tempus sanandi*, cum apta eris aliorum vulneribus mederi, et verbo doctrinæ infirmis mentibus curationem afferre. Nunc *tempus destruendi*, quæ male in sæculo ædificaveras; et postmodum erit *tempus ædificandi*, cum opes aggregaveris, quibus valeas virtutum arcem in aliis exstruere. Nunc *tempus flendi* propria delicta, et postmodum erit *tempus ridendi*, atque gaudendi de impiorum a te facta conversione. Quia de prædicatoribus ita scriptum est: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.* Nunc *tempus plangendi* propter propria mala, et deinde erit *tempus saltandi* ex devotionis affectu propter fratrum bona. *Tempus colligendi lapides* et parandi arma necessaria ad prælium, ac in posterum erit *tempus dispergendi* eos et infigendi in fronte Philisthæi. Nunc *tempus amplexandi* sponsum, qui pascitur inter lilia, ac deinceps erit *tempus longe fieri ab amplexibus*, cum charitatis dono perfecta, dicas cum Paulo: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Nunc *tempus acquirendi* dona quæ postea distribuas, et deinde erit *tempus perdendi* teipsam, hoc est laborandi et affligendi, ut lucrum animarum acquiras. Nunc *tempus custodiendi* arcem mentis tuæ, et postea erit *tempus abiiciendi* ex parte curam tui, ut aliorum quoque curam admittas. Nunc *tempus scindendi* cor tuum, et peccatorum dolore molliendi; ac deinde erit tempus consuendi, hoc est, in bonum proximorum conficiendi sermonem ex sententiis Scripturarum. Nunc *tempus tacendi*, et postea *tempus loquendi*: quia, ut inquit Hugo, prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferatur. Denique nunc *tempus dilectionis* Dei, et *tempus belli* adversus ea quæ huic dilectioni obsistunt; et in posterum erit *tempus* exercendi odii adversus ea quæ tunc dilectus odit, et *tempus* inter occupationes quietis et *pacis.*

QUID HABET AMPLIUS HOMO DE LABORE SUO.) Nisi hanc Vers. 9
contrariorum vicissitudinem iam recensitam, inconstantiam, lancinationem, vanitatem, quod est thema et argumentum totius libri initio propositum, ac deinde post singulas inductiones iteratum, velut epiphonema et conclusio. Unde Campensis vertit: *Quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus?* q. d. Nullum, quia omnia sibi invicem per vices temporum succedunt, cruciant et evanescunt. Unde infert Thaumaturgus: *Dicamus igitur*, inquit, *tam infructuosis laboribus aliquando longum valere*, ut scilicet utamur iis obiter velut in transitu, nimirum qualibet re in tempore suo, sed interim maneamus mente fixi in Deo et æternitate, ad illamque tendamus iugiter et aspiremus. Et S. Hieron. *Cum omnia*, ait, *suo labantur tempore, quid frustra conamur et tendimus, et brevis vitæ labores putamus esse perpetuos? nec contenti sumus secundum Evangelium malitia diei; nihilque in crastinum cogitemus. Quid enim possumus habere in hoc sæculo amplius laborando? in quo id tantum a Deo hominibus datum est, ut alius alia sectando habeat, in quo erudiri et exercere se possit.*

Rursus Nyssen. censet hæc de morte dici, quod omnes hominum labores eorumque fructus finiantur in morte, ut τὸ *de labore* sit idem quod *post laborem et vitam. Perinde*, inquit, *est, ac si diceret: Quid habet ex humanis omnibus laboribus, et quibus nihil ad eum redit, amplius? Agros colit, navigat, militaribus operibus affligitur, mercaturam exercet, damnum patitur, lucratur, litigat, pugnat, causa cadit, sententia data litem vincit, infelix censetur, beatus existimatur, domi manet, errat apud exteros. Quid ei, qui per hæc suam consumit vitam, amplius*

offert? Annon simul atque desiit vivere, omnia tecta sunt oblivione, et ab iis quorum studio tenebatur desertus abit nudus?

Insuper Chald. sic habet: *Quid amplius habet vir operans, qui laborat ut faciat thesauros, et ut congreget pecuniam, nisi adiuvetur desuper sidere bono?* Septuag. *Quæ abundantia est facientis quibus ipse laborat?* Syrus: *Quæ utilitas in opere, quo ipse laborat?* Arabicus: *Quid restat illi, qui facit omnibus in rebus quibus laborat?* Hæc enim omnia significat hebr. יתרון *itron*, uti dixi cap. 1. vers. 3. Senaus omnium est, q. d. Ex dictis temporum vicissitudinibus liquet, nihil homini ex omni labore remanere fixum et stabile, in quo conquiescat: ac proinde nihil superesse, nisi ut per illas omnes opportune decurrat, et cum transeuntibus transeat; quare nullam sibi in hac vita felicitatem statuat, cum nil in ea sit perpetuum, nil durabile, sed omnia temporalia, transeuntia et vana. Felicitatem ergo quærat in futura æternitate, ad eamque se paret serviendo Deo vero, in eoque omnes suas spes defigat, apud quem omnia sunt solida, firma, æterna.

Vers. 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.) Hebr. ענות *anoth*, id est, ut humilientur, affligantur, crucientur in ea.

Hæc gnome hebraice et græce iisdem verbis extat cap. 1. v. 13. (licet Noster pro *afflictionem* ibi vertat *occupationem*; pro *distendantur, occupentur*) ubi eam explicui; quare ibi dicta hic non repetam. Pertinet hæc gnome ad præcedentem interrogationem, et ad illam videtur esse responsio, aut certe tacitæ responsionis ratio et confirmatio. Unde Campensis vertit: *Quem fructum capit homo ex tam pugnantibus et molestis occupationibus? Deprehendi quod Deus illas immiserit animis hominum, ut ipsi se illis torqueant*; et Thaumaturgus cum vers. præcedenti vertisset: *Dicamus igitur tam infructuosis laboribus aliquando longum valere*; hoc versu rationem subdens, ait: *Siquidem omnia hæc mea sententia ad exagitandos homines venenatis aculeis armata sunt.* Sic et uterque Hugo, Caiet. Osorius, et alii.

Porro sanctus Hieronymus, et ex eo Albin. ac Titelm. hanc gnomen referunt ad sequentem de investigatione mundi, et rerum a Deo creatarum, q. d. Deus homini bene occupationem scrutandi res in mundo a se creatas indidit, ut ea honeste occupatus, Deum creatorem agnosceret, amaret, laudaret, itaque abstineret a curiosa rerum divinarum et abditarum vestigatione, atque ab omni vitio.

Denique Nyssen. hanc afflictionem a Deo homini datam censet, non per se, sed ex occasione, qua homo rebus Dei bonis abutitur nimio amore et studio, quo se affligit; perinde, inquit, ac si quis conviva cultro ad cibos secandos dato abuteretur ad sui vel aliorum necem. Sic et Olympiod. *Homo*, ait, *lapsus a recto, et a constanti ratione aversus, id quod est in unoquoque utile, vertit in contrarium.* Favet versio Chaldæi, qui in pœnam peccati hanc afflictionem homini impio datam opinatur: *Vidi*, inquit, *negotium castigationum et vindictam, quam dedit Dominus filiis hominis qui sunt improbi, ut affligantur in eo.*

Vers. 11. Cuncta fecit (Deus præcessit) bona in tempore suo.) Hebr. *Omne fecit pulchrum in tempore suo*; hinc mundus græce vocatur *κοσμος*, a rerum ornatu et pulchritudine. Docet vices temporum iam assignatas esse bonas, utpote factas et ordinatas congrue ad tempus quodlibet, ab optimo et sapientissimo Deo, ad creaturam, et hominis bonum et commodum.

Pulcher, vel ut prisci dixere *polcer*, a pollendo dicitur, quod polleat forma. Nam ut ait Cicero 4. Tuscul. *Pulchritudo corporis est apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate.* Sic pulchritudo mundi consistit in apta elementorum, cælorum, cæterarumque partium figura, dispositione, nexu, suam in mistis habens variegatam et omnigenam colorum suavitatem. Pulchritudo temporis et rerum temporalium consistit in congrua partium eius successione, proportione et nexu, quod scilicet tempus nascendi præeat, sequatur tempus crescendi, generandi, ac tandem finiat tempus moriendi. Sic pulchritudo anni est, quod hiemi frigidæ et rigidæ succedat ver tepidum, florens et virens (unde *ver* dicitur quod omnia *faciat virere*) veri succedat æstas messe fœcunda, æstati autumnus uvis, pomis, fructibusque diversicoloribus ornatus, et quasi picturatus. Sic ergo Deus fecit omne pulchrum in tempore suo, quia v. g. verna amœnitas pulchra est in vere, nec pulchra aut decora foret et commoda in hieme vel æstate; sic et frigus pulchrum est in hieme, non in æstate, etc. Hoc est quod dicitur Genes. 1. 10. et 12. *Et vidit Deus quod esset bonum*; bonum enim est decorum et pulchrum. Unde Septuag. hic vertunt: *Universa quæ fecit bona in tempore suo*; et Syrus: *Omne quod facit optimum in tempore*; et Arab. *Omnes res quas facit cognovit esse optimas*; Symmach. *Bonum unumquodque in tempore proprio*; Chald. *Dixit Salomon in spiritu prophetiæ: Omnia fecit Dominus bona in tempore suo.*

Est occupatio, qua occurrit tacitæ obiectioni. Dicet enim quis: Si creaturæ in se sunt vanæ et caducæ, qua ratione ergo a Deo vero et æterno creatæ sunt? Respondet creaturas, quatenus a Deo factæ sunt, esse bonas et pulchras; quatenus vero in seipsis subsistunt, vanas esse, et ad nihilum, ex quo a Deo per creationem eductæ sunt, sponte sua inclinare et vergere. Rursum vanas esse, quatenus homo iis abutitur, iis quasi summis bonis præ Deo, imo contra Deum, cor suum affigens, ut iis fruatur seque exsatiet, cum solus Deus mentem hominis exsatiare queat, ideoque homo creaturis dumtaxat uti, solo autem Deo frui debeat, uti docet S. August. et ex eo Theologi.

Et mundum tradidit disputationi eorum.) Campensis: *Et mundum hunc totum exposuit examinandum ingenio illorum*; Hebr. est, עולם *olam*, *tradidit in corde eorum*. *Olam* autem primo significat absconditum quid, ab עלם *alam*, id est abscondit; secundo, perpetuum et æternitatem, cuius finis nobis absconditus est; tertio, sæculum et mundum, sive decursum temporum rerumque omnium in mundo, quorum limites et termini nobis absconditi sunt; Syrus vertit: *Essentiam mundi*, id est naturam et substantiam mundi. — *Mundus datus disputationi qua ratione.*

Hinc multiplex oritur versio, et consequenter multiplex interpretatio.

Resp. I. Primo, aliqui apud Titelmannum vertunt: *Deus tradidit absconsionem in corde hominum*; *absconsionem*, id est ignorationem mortis; hæc enim summe homini est abscondita: unde prima antithesi v. 1. posuit tempus moriendi, ad quod hic alludit, q. d. Mors cuilibet certa imminet, sed incertus est nobis eius dies et hora; idque voluit Deus a nobis abscondere, ut vigilare nos doceret, sancteque vivere, ut scilicet ita vivamus quasi quotidie morituri.

II. Secundo, Caiet. et David de Pomis vertunt: *Perpetuitatis desiderium dedit Deus in corde hominum.* Quocirca nil inveniet homo in rebus terrenis, utpote caducis, quod hoc eius desiderium satiet; sed ad Deum et cælum animum attollat oportet, ut in eo defixus æternitatis desideratæ fiat capax et compos, contemnendo temporalia et sectando æterna. Et Didymus in Catena Græc. *Ævum*, inquit, *dedit illis, hoc est æternitatis disciplinam et scientiam, id est regnum cælorum, quod intra nos esse Dominus pronuntiavit: quod dum multiplici perturbationum operitur atque obsidetur tumultu, non facile ab hominibus invenitur.*

III. Tertio, et optime Septuag. Syrus et Arab. vertunt: *Et sæculum sive mundum tradidit in corde eorum.* Verum hic quæritur, quid sit *in corde eorum*? Primo, *eorum*, scilicet dæmonum, qui dominantur in mundo, ait Thaumaturgus, q. d. Deus mundum permisit diabolo cum asseclis suis, ut in eo usque ad diem iudicii dominetur, hominesque tentet. Unde a Paulo Ephes. 2. 2. vocatur *Princeps potestatis aeris huius*: et a Christo, *Princeps huius mundi*, Ioan. 12. 31. Audi Thaumaturgum: *Omnia hæc mea sententia ad exagitandos homines aculeis venenatis armata sunt, et malignus dæmon qui ab initio mundi usque ad finem nocendi semper est avidus, ringenti ore sæculum hoc circuit, et immodice contendit, si qua occasione nacta figmentum Dei perdere possit.*

Cor multa notat.

I. Secundo, melius alii τὸ eorum intelligunt *hominum* de quibus hic omnis est sermo: nam dæmonum nulla facta est mentio. Iam quia cor sedes et symbolum est multarum rerum, scilicet, primo amoris et oblectationis, secundo voluntatis et dominii, tertio electionis, quarto disputationis et examinis; hinc multiplex hic oritur sensus. Aliqui ergo sic exponunt, q. d. Deus quidem creavit mundum, et omnia quæ in mundo sunt pulchra et bona, illaque tradidit cordi hominis, ut eorum amore, usu et gustu modeste et honeste se oblectaret: sed hominis cor iis abutitur dum totum se in illa effundit, ideoque rebus pulchris a Deo creatis seipsum deformat, et sordibus peccatorum conspergit. Unde S. Hieron. sic exponit, q. d. *Dedit Deus mundum ad inhabitandum hominibus, ut fruantur varietatibus temporum, et non quærant de causis rerum naturalium, quomodo creata sint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari.*

II. Nyssen. vero censet hic significari: « Unde nam humana natura distracta sit a bono et recto, videlicet occasione accepta ex divinis beneficiis: nam Deus quidem ad bonum fecit omnia, hominibus autem dedit rationem, qua discernant id quod est melius: malo autem consilio recedentes a ratione et tempore, id quod est utile vertunt in contrarium. »

His adde expositionem Vatabli, quæ talis est: omnia opera Dei bona sunt, et facta in tempore suo, et quæ in hoc mundo fiunt, id est negotia huius mundi, id est cupiditatem et desiderium cognoscendi res huius mundi indidit menti hominum, et ita in hoc mundo negotiantur quasi semper victuri sint.

III. Tertio, alii cor accipientes pro voluntate et dominio, sic exponunt, q. d. Deus mundum adeo pulchrum conditum tradidit cordi, id est voluntati et dominio hominis, ut eius esset dominus, princeps, et quasi rex mundi, ut ad libitum uteretur herbis, plantis, arboribus, animalibus, auro, argento, metallis, etc. Sed homo hoc dominio abusus, rebellis fuit Deo summo omnium Domino. Ideoque hoc dominium non quidem omnino illi ademptum, sed valde a Deo accisum et imminutum est. Hinc noster Pineda sensate sic exponit: Deus dedit mundum et sæculum, omnesque sæculi et temporis vanitates in corde hominis, q. d. Deus effecit hominem microcosmum et parvum mundum, ut illam temporum varietatem et inconstantiam in seipso experiretur, ac præterea intelligeret nihil extra seipsum quærendum esse, atque in externo aliquo bono ponendam esse humanam felicitatem, sicut scriptum est: *Regnum Dei intra vos est.* Quicquid ergo boni et tranquillitatis aut voluptatis concupiscis, noli extra te quærere, sed in teipso et in corde tuo, cum perturbationes animi composueris, desideria clauseris, impetus effrænatos compescueris, ac externa omnia contempseris: animi tui bona propria tua sunt, perpetua sunt, et tecum illa portabis ubicumque tandem esse contigerit: non item illa externa, quæ breviter desinent.

IV. Quarto, alii accipiunt cor pro cordis, id est mentis electione, q. d. Deus mundum totum, omniaque contraria, quæ in eo sunt, tradidit electioni hominis, ut eligat in eo bona vel mala, prout ipsi libuerit, iuxta illud Eccli. 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, etc. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.*

V. Quinto, optime Noster cor accipit pro cordis, id est mentis examine, disputatione, meditatione, disquisitione, cognitione. Horum enim officina est cor, sive mens: Unde illud:

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram.

Idipsum evincit id quod sequitur: *Ut non inveniat opus quod operatus est Deus.* Disputaverunt enim Philosophi, et etiamnum disputant de mundo, dum alii eum ex aquis, alii ex atomis, alii ex terra, etc. conflatum dicere. Hinc tot eorum sectæ, Academicorum, Stoicorum, Scepticorum, Peripateticorum, etc. Adeoque quot sæpe Philosophi, tot sunt diversæ de mundo, cælis, stellis, ventis, etc. opiniones et sententiæ.

Porro duplici disputationi hominis mundum tradidit Deus, scilicet intellectus et voluntatis, cognitionis et dilectionis, speculationis et affectus.

Primo enim, Deus mundum quasi pilam pulchram obiecit obtutibus hominum, ut eius, rerumque in eo contentarum, puta cælorum, elementorum, ventorum, plantarum, animalium, etc. naturas, proprietates, vires, actiones, æque ac temporum varietates iam recensitas scrutarentur, itaque in iis agnoscerent laudarentque Dei creatoris pulchritudinem, sapientiam, beneficentiam, potentiam, ac in rebus agendis tempus cuique rei gerendæ a Deo destinatum et accommodatum disquirerent et captarent. Ita Didymus, S. Hieron. Titelm. et Franc. Valesius Sacræ Phil. c. 64. et 65. Porro Olymp. censet permisisse Deum, ut circa mundum sint solliciti et occupentur sapientes mundi huius, ne si assidue et tranquillo animo attendissent ad fabricam et structuram mundi huius, perspecta et cognita illius pulchritudine, visibilia hæc Deum esse vel Deos arbitrarentur. Item dedisse omnibus filiis hominum sæculi præsentis cognitionem, quod nempe cuncta esse cœperint ac desitura sint. Eorum vero, quæ ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc sæculum futura sunt, certam et manifestam scientiam non haberi.

Nyssen. vero et Hugo censent mundum a Deo datum disputationi, id est contemplationi et moderatæ pervestigationi hominum, sed ab eis per abusum evasisse materiam et obiectum curiosæ noxiæque disputationis et disceptationis, tam variæ, tam multæ, tam absonæ, tam temerariæ, tam impiæ de conditore ipso, de prudentia, et iudiciis ipsius, de felicitate, etc. inquirendo, disceptando, iudicando, et interim ad exactam rei quoque cuiuspiam naturalis notitiam vix ac ne vix quidem perveniendo ex omnibus, quæ fecit Deus a principio creationis, ac deinceps usque ad finem.

Secundo, Deus tradidit mundum disputationi hominis, ut homo secum disputans et ratiocinans de vanitate mundi, deque temporum rerumque omnium temporalium successione, rotatione et transitu; atque ex alia parte de Dei veritate, constantia, æternitate et omnimoda perfectione, inde concluderet sibique diceret: Ergo cor tuum et amorem avoca a mundo, et transfer ac defige in Deum: ille enim solus immensum tuum sciendi et amandi desiderium satiare et beare potest. Hoc enim fine mundus a Deo creatus hominique traditus est, ut per mundum transcenderet ad mundi opificem, in eoque omnes suas res et spes defigeret, itaque stabilem quietem et felicitatem perpetuam nancisceretur. Quocirca Nyssen. *Quicumque illis*, inquit, *quæ acceperunt, non ut oportet, et ad utilitatem usi sunt, non invenerunt opus Dei, quod fecit Deus ad scopum utilitatis, ab initio creationis usque ad universi consummationem, cum in iis quæ sunt, nihil sit mali.*

UT NON INVENIAT HOMO OPUS QUOD OPERATUS EST DEUS A PRINCIPIO USQUE AD FINEM.) q. d. Traditus est mundus disputationi hominum, ut videntes Dei opus tam pulchrum, tam sublime, tam perfectum et consummatum, non inveniant, id est invenire nequeant intimas eius dotes et perfectiones, quæ illi plurimæ insunt *a principio usque ad finem*, id est a capite ad calcem, ab imo ad summum, a fundamentis ad tectum, a centro terræ usque ad culmen cælorum; sed de illis iugiter disputent, et inter se disceptent: quo fit ut cogantur hoc opus admirari et obstupescere, ac multo magis eius opificem Deum, qui hanc mundi admirandi machinam, velut palatium magnificentissimum omnibus suis numeris absolutum exædificavit, ac summum illi fastigium imposuit manumque extremam addidit, ut ex hac admiratione omnes ad eius amorem, venerationem et cultum raperentur.

Secundo, alii contrarie exponunt, q. d. Deus mundi opera noluit condere plena et omni ex parte perfecta, ut omnimodam in eo consummationem non inveniret homo, ideoque iis mentem non affigeret, sed ad Deum assurgeret, in eoque suam felicitatem constitueret. Non inveniet

ergo homo hoc opus perfectum et utile, cui non aliquid perfectionis desit: non enim voluit Deus sua opera *ab initio usque ad finem*: id est ita perfecta, ut non aliquis illis desit numerus: nihil voluit esse perpetuum, et omni tempore utile ab initio usque ad finem, sed suo tantum tempore, id est brevi et præscripto. Ita Pineda.

Tertio, alii per interrogationem affirmative explicant, q. d. Quomodo non inveniet homo hoc Dei in mundo opus? imo vero si diligenter illud consideret, inveniet utique illud perfectum et numeris suis absolutum a principio usque ad finem, ut nihil usquam ei desit. Rursum inveniet idipsum a principio usque ad finem, id est semper et omni tempore quo singulas eius partes et membra perlustrari, ac singulorum naturam, usum et utilitatem attentius perpenderit.

Verum primus sensus est genuinus, ut patet ex sequent. sic enim explicat Salomon v. 14.

A PRINCIPIO USQUE AD FINEM.) Hoc est penitus ait Caietan. qui id refert ad τὸ inveniat, q. d. Tradidit Deus mundum disputationi hominum, ut homo penitus eius proprietates et conditiones, eorumque causas et effectus invenire nequeat, idenque iugiter velut dubius de iis disputet. Vatabl. vero, *ut non inveniat a principio usque ad finem*, id est, inquit, ut omnia quæ in mundo sunt perfecte et intime cognoscere et penetrare nequeat, pervadendo ea a principio usque ad finem. Chald. *Ne innotescat viro a principio, quid futurum sit in fine dierum usque ad sæcula sæculorum.* Additque: *Dies etiam extremus mortis sus latuit, ne homini exploratum esse possit, quid a capite ad rerum calcem eventurum esset.* Cui accedit Bonavent. et Carthus. *A principio*, inquit, *vitæ hominis usque ad mortem*, seu per totam *vitam*.

Melius alii referunt ad opus, eo sensu quo paulo ante dixi, q. d. Opus Dei, puta mundus hic adeo pulcher et perfectus creatus est, *a sui principio usque ad finem*, hoc est a primo creationis die usque ad sextum et ultimum, Genes. 1. ut eius pulchritudinem, harmoniam, connexionem, perfectionem homo invenire et comprehendere nequeat, imo ut a *principio usque ad finem*, id est a prima, id est minima et vilissima creatura usque ad ultimam, id est nobilissimam et præstantissimam, nullam, ne minimam quidem, plene perspicere et penetrare valeat. Quis enim comprehendat naturam doteaque omnes muscæ, culicis vel pulicis: nimirum:

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Vers. 12. et 13. ET COGNOVI QUOD NON ESSET MELIUS, NISI LÆTARI, ET FACERE BENE IN VITA SUA. OMNIS ENIM HOMO, QUI COMEDIT ET BIBIT, ET VIDET BONUM (id est fruitur bono) DE LABORE SUO, HOC DONUM DEI EST.) Hebr. *Et scio non esse melius in eis* (mundi operibus et creaturis) *quam lætari et facere bonum in vita sua.* Vatabl. *Cognovi quod nulla hominibus sit felicitas in eis, nisi ut gaudeant et beneficiis afficiant proximos.* Didymus in catena Græc. *Cognovi sane res per seipsas nullam vel bonitatem vel felicitatem continere, sed ipsas rerum rationes, id est scientiam atque veram illarum notitiam, propter quam naturam gaudere rationalem comparatum sit, atque ipsum benefaciendi exercitium hoc demum bonum faustum felixque hominibus est. Nihil enim sic nutrit et adaquat animam, quemadmodum virtutis pabulum scientiæque fluenta.*

S. Bonavent. hæc accipit dicta ex mente et persona non Salomonis, sed insipientium et Epicureorum. Verum Thaumaturgus, S. Hieronym. Albinus, S. August. uterque Hugo, Lyran. Caietan. Vatabl. Titelman. et cæteri omnes hæc accipiunt, ut dicta ex persona Salomonis, idque verba ipsa plane significant. Sensus ergo est, q. d. Ego Salomon contemplans partim rerum instabilitatem et vicissitudinem, quam successio temporis continue affert, uti dixi initio capitis: partim curiosam, molestam, inutilem hominum de mundo disputationem, cum impossibile sit res mundi penetrare et comprehendere, satius esse iudicavi modeste uti creaturis, secundum stata cuique tempora, quibus a Deo ad fruendum nobis offeruntur, atque in eorum moderato usu et gustu honeste me oblectare, itaque vitam agere in honesta lætitia et bonis operibus; quia hæc est voluntas Dei, cuius proinde donum est frugalis rerum creatarum usus, nec lasciviendo per abusum, nec fraudando genium per sordidam avaramque parsimoniam. Vide dicta cap. 2. 4. Repetit enim hic et inculcat quod ibi dixit. Lætitiam hanc opponit afflictioni spiritus, quam affert cupiditas et labor rerum humanarum, uti sæpius dixit.

Allegor. Nihil est melius quam comedere carnem, et bibere sanguinem Christi in Eucharistia. Ita S. Aug. l. 17. Civit. 20. ubi contendit hunc sensum esse litteralem. Nam Salomonem, ait, *non sapere carnales epulas voluptatis satis illud ostendit*, ubi ait (cap. 7.) *Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus.* Et paulo post: *Cor*, inquit, *sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo epularum.* Verum has gnomas suis locis ad litteram explicabo.

ET BENE FACERE.) Hæc vox tria significat: Primo, feliciter vivere, iucunde et hilariter vitam agere, quod græce vocant εὐπραττειν, ut sit fere idem quod lætari. Sic hic accipit Aben Ezra: *Facere bene*, inquit, *est frugali usu bonorum se exhilarare*; et Campensis: *Exhilarare*, inquit, *sese, bene facere sibi dum vivit*: et Bonav. sic distinguit: *Lætari*, inquit, *in fruendo, at facere bona delectabilia operando.* Verum cum hoc vult significare Scriptur. addere solet quippiam, ac dicere, facere bene sibi vel animæ suæ. Bene facere tria notat I.

Secundo ergo melius alii per facere bene censent notari beneficentiam. Ita S. Hieronym. *Habentes*, inquit, *victum et vestitum, his contenti simus: et quicquid supra habere possumus, in pauperibus nutriendis et egentium largitione consumamus.* Et Didymus in Catena Græcor. *Cognovi*, inquit, *animi tranquillitatem et beneficentiam maxima homini esse bona.* Et Mariegus: Cognovi, ait, nil melius quam bona concessa in honestos usus convertere, dum vita suppetit: primum in modestam sui tutelam; mox si quid superest, in largitiones pias et alienas necessitates erogare, iuxta illud Pauli, imo Christi: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Actor. 20. 35. vide ibi dicta. Nihil enim tam divinum quam benefacere, omnesque beneficiis sibi devincire. Sic et Vatablus, Arboreus, et alii. Sapienter ex Heraclito Maximus serm. de Beneficentia: *Opportuna beneficentia*, ait, *quasi cibus fami conveniens animi indigentiam* (ex avaritia, sacram, inquam, illam auri famem) *sanat.* Quin et Plutarch. lib. *de Suaviter vivendo secundum Epicurum*, ex eius mente asserit, suavius esse affici maleficio et iniuria, quam eodem alios afficere. Et Seneca l. 3. de Beneficiis c. 15. *Generosi animi*, ait, *et magnifici est, iuvare et prodesse; qui dat beneficia, Deos imitatur.* II.

Tertio plene et optime *facere bene* idem est, quod ex virtute operari, facere quod honestum est, Dei legem implere. Hoc enim significat facere bene vel bonum. Psalm. 33. 15. *Diverte a malo, et fac bonum*, 2. Paralip. 24. 16 et alibi. Ita Thaumaturgus: *Persuasum habeo*, inquit, *maxima hominis bona esse, iucunditatem mentis, et bonorum operum actiones*; et Chald. *Dixit Salomon rex spiritu prophetiæ: Perspectum mihi est, nihil aut melius aut præstantius hominibus datum, quam ut gaudio legis seipsos recreent, totamque vitam optimis operibus transigant.* Sic et Nyssen. Olympiod. et alii. III.

Apte nectit hæc duo, scilicet lætari et bene facere; ut indicet non esse veram lætitiam, nisi in bene faciendo; adeoque causam veræ lætitiæ esse, bene semper agere. Vis ergo semper lætari? Semper bene agito, sic enim semper eris lætus. Non enim est lætior mens, quam quæ sibi conscia recti: lætior, inquam, *nunc quidem per spem lætitiæ, postea autem bonæ lætitiæ fructu accepto, propria iis, qui digni sunt, lætitia*, ait Nyssen. et Auctor Catenæ Græcor. Hinc multi felicitatem constituerunt in lætitia. Unde Aristot. l. 7. Et hic vocem μακαριος, derivat a Χαιρειν, id est gaudere, lætari, quasi μαχαριος, hoc est beatus sit qui valde lætatur. Et S. Isidor. lib. 10. Origen. *Beatus*, ait, *dictus, quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, et nihil patiendo quod nolit. Ille autem vere beatus est, qui et habet omnia quæ vult bona; et nihil vult mali. Ex his*

enim duobus homo beatus efficitur. *Propter rerum rationes cognoscendas*, inquit, *et propter bonum operandum rationalem naturam lætari, natura comparatum est.* Et Thaumaturgus: *Hæc sola*, ait, *voluptas divinitus obvenit, si rebus gerendis iustitia præeat.* Hinc olim Anacharitæ, et nunc veri religiosi semper sunt læti, adeoque S. Antonius ex sola mentis lætitia a cæteris omnibus dignoscebatur, teste S. Athanas. in eius Vita. Vide Hieronym. Platum lib. 3. de Bono status religiosi cap. 2. et seq. Ex adverso voluptatum gaudiis γλυκυπικροις mellefelleis et amarulentis, sic scribit S. Chrysost. hom. de Compunctione: *Ut homines ægri*, inquit, *cum multis febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsens sibi aliquid quidem videntur quæsiisse solatii, multiplicatas vero flammas febrium sibi reparant: ita et nos agimus, cum conscientiæ stimulis agitamur, si mox externas gaudii et lætitiæ causas quæramus.* Idem homil. 65. ad popul. docet mundi gaudia parere tristitiam, gaudia vero spiritus durare et crescere: *Bona*, inquit, *est talis lætitia, omni mundana melior lætitia; ita ingentem omnibus gaudentibus proponit.* Et infra: *Propterea gaudio lætamur inutili, quod est mundi, quod statim extinguitur et infinitos parit mærores. Tristemur potius tristitia gaudii genitrice, non autem lætitia tristitiæ parente gaudeamus. Lacrymas fundamus multam seminantes voluptatem: neque risu rideamus, dentium stridorem nobis pariente. Affligamur tribulatione, ex qua indulgentia nascitur; neque delicias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur et angustia.*

Et videt bonum.) Id est gustat bonum, puta comedit, et bibit rem sapidam, ac illa fruitur, seseque oblectat. Visus enim, quia sensuum nobilissimus, metonymice pro gustu et quovis sensu sumitur.

Quare quod Nyssen. ait: *Videt bonum*, id est, *facit bonum*, puta vacat pietati et bonis operibus, mysticum est non litterale. *Quia*, inquit, *quod est cibus et potus corpori per quæ conservatur natura, hoc est animæ ad bonum aspicere, et hoc est vere donum Dei, in Deum defixos habere oculos; et sicut homo carnalis in comedendo et bibendo habet vires: ita qui ad bonum aspicit*, etc. Atque Auctor Catenæ Græcor. *Nihil sic nutrit, et adaquat animam, quemadmodum virtus et scientia.*

Hoc donum Dei.) Scilicet insigne et eximium. Hebr. *Donum Elohim ipsum*, q. d. Hoc donum est peculiare numinis et providentiæ: hanc enim significat *Elohim*; Campensis: *Donum Dei manifestum esse putet*; Chald. *Atque adeo qui ederit et biberit, si hic toto ævo indulserit; et filiis moriens fructus laboris sui reliquerit, hoc ipso videatur summo beneficio affectus a Deo*; Didymus in Catena Græcorum: *Exploratum habeo temporalium hanc rerum usum cælitus homini obvenire, dummodo iustitia actionum omnium dux sit.* Causam dat S. Chrysostom. homil. 4. in epist. ad Corinth. *Is*, inquit, *qui spirituali gaudio fruitur, a mærore arripi non potest; sed probe undique armatus ingruentia tela propulsat. Etenim quibusvis armis violentior est voluptas ea, quæ secundum Deum percipitur.* Et mox: *Contra vero qui terrenis voluptatibus affluit, a quibusvis arripi et expugnari potest, ac perinde ei accidit atque illi, qui imbecillibus armis instructus est, ac vel levissimo ictu sauciatur.*

Vers. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere vel auferre quæ fecit Deus ut timeatur.) Arabicus: *Cognovi omnes creaturas, quas creavit Deus futuras in æternum secundum ordinem et statum suum; neque potest addi eis, aut diminui ex eis:* Septuaginta: *Super illud non potest adiici, et ab illo non potest auferri*; Syrus: *Super illo non est addendum, et ab illo non est diminuendum.*

Quæres, quomodo hic versus nectatur et cohæreat præcedentibus?

Primo Caietan. Hebr. לעולם *leolam*, inquit, id est in *perpetuum*, verti potest *in sæculum*, q. d. Quidquid facit Deus, illud erit in suo sæculo, in sua temporis periodo, ut idem hic dicatur, quod v. 1. *Omnia tempus habent*: sed hoc frigidum est, obscurum et coactum. Sic enim dixisset בעולם *beolam*, id est in sæculo, non *leolam*, id est in sæculum, sive in perpetuum. Quare minus apte quoque vertit Campensis: *Quidquid facit Deus, erit quale ipse id esse volet.*

Secundo, Thaumaturgus hunc versum nectit cum eo quod immediate præcessit, scilicet moderate comedere, bibere, et frui labore suo, esse donum Dei, si nimirum illa fiant hoc fine, ut per ea tendamus ad bona cælestia et perpetua. Unde sic paraphrastice vertit: *Quamquam non inficias ierim ex Deo esse, etiamsi temporalibus fruamur, modo per ea duce iustitia ducamur in cælestia interrmoriturraque umquam opera.*

Tertio, Hugo Victor. per *opera Dei*, accipit iudicia Dei, præsertim prædestinationis electorum et reprobationis impiorum. Favet versio Chal. *Scio*, inquit, *in spiritu prophetiæ, quod omnia quæ fecit Deus in sæculo, sive bonum, sive malum, quidquid determinatum est ex ore eius, hoc erit in sæculum: neque est potestas viro, ut addat eis, nec habet potestatem minuendi; et in tempore quo venit vindicta in sæculo, Deus facit ut timeant filii hominis a facie eius.* Dilucidius ex Costa: *Pervidi etiam quæ fecit Dominus in hoc mundo probis et sapientibus*, etc. *ut eum observent homines et colant.*

Verum hæc omnia mystica sunt, non litteralia et genuina.

Quarto, noster Pineda hanc gnomen refert partim ad affectionum cordis humani vicissitudinem, qua nunc amat, nunc odit, nunc ridet, nunc flet, nunc congregat, nunc abiicit, etc. uti dixit initio cap. ut illi hic per antithesin opponat Deum, in quo est constans divinæ naturæ firmitas et æternitas, iuxta illud Iacobi 1. 17 *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Humana igitur opera sibi invicem in orbem succedunt abeuntque cum tempore; unde iis semper aliquid addimus, vel detrahimus, mutamus et mutamur in horas; vetera fastidimus, nova semper sectamur. At Dei cogitationes et opera firma sunt, sibi constant, durantque in perpetuum; voluntas eius immutabilis est; quod semel voluit semper vult, ac decreta a se tempore assequitur. Rursum hanc gnomen refert ad id quod præcessit: *Qui videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est*, ut significet Salomon, quæ cum frugalitate, moderatione, pietate coniuncta sint, ea opera Dei esse, Dei dona esse quæ ille largitur, ideoque non pendere ex illa temporaria et inconstanti fortuna, sed perpetua esse et constantia.

Quinto et genuine, hæc refert more Hebræo non ad proxime præcedentia, sed remotius et superius, puta ad v. 1. *Omnia tempus habent* etc. et ad v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Dat enim antithesin duplicem inter opera hominum et opera Dei: prior est, quod opera hominum non durent, nisi stato, illoque modico tempore; Dei vero opera durent in perpetuum. Posterior, quod homo pro tempore opera mutet, iisque aliquid addat vel detrahat; eo quod diminuta et imperfecta sint: Dei vero opera perfecta sint, ideoque nihil eis addi aut detrahi possit. Opera Dei intellige, tum creationem mundi, rerumque omnium, quæ in mundo sunt: tum earumdem conservationem, providentiam, et gubernationem, qua facit ut omnia stato tempore sibi succedant, nuncque sit tempus vivendi, nunc moriendi, nunc plantandi, nunc evellendi, etc. Hæc enim successio ex lege Dei est continua et perpetua. Igitur licet quoad individua singuli homines, eorumque opera in orbem succedant et abeant, aliis novis succedentibus; tamen Deus facit, ut quoad speciem eadem perdurent, scilicet ut successio individuorum cuiuslibet speciei, tam animalium, quam rerum et actionum quarumlibet sit perpetua iugiterque continuet, scilicet usque ad consummationem sæculi. Et hoc maxime spectat hic Salomon, ut patet tum ex connexione huius versus cum v. 1. et cæteris sequent. hucusque, tum quia ita se explicat v. sequenti dicens: *Quod factum est, ipsum permanet; quæ futura sunt, iam fuerunt; et Deus instaurat quod abiit.*

Ne quis enim num temporum rerumque mutationem putaret Deum, Deique decreta et opera mutari, occurrit, asseritque Deum, Deique opera et decreta esse immutabilia, ac sibi constare in perpetuum: quin Deus facit ut res incorruptibiles, quales sunt Angeli, animæ, cœli, in seipsis semper durent; corruptibiles vero durent non in se, sed in continua novorum individuorum successione. Deus enim procurat et efficit, ut sit constans perpetuaque temporum rerumque omnium in eo successio, ordo, vicissitudo: hoc enim pertinet ad *Elohim*, id est ad Dei numen et providentiam, eiusque proprium est munus et officium: perpetui enim gubernatoris est, omnia suo ordine perpetuare; quare homo nil ei addere potest, nil detrahere vel auferre; ideoque frustra ei reluctabitur vel obnitetur, quia certo eveniet id quod ordinarit, ac peribit omne id quod contra Dei ordinem molitus fuerit homo. Porro D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 2. ad 2. hanc gnomen extendit ad legem veterem, cui successit lex nova. Lex enim vetus per novam impletur, perficitur, et quasi perpetuatur: quamquam de lege proprie hic non sit sermo. Ita ut dixi, hanc gnomen explicat S. Hieron. *Nihil*, ait, *est quod in mundo novum sit. Solis cursus et lunæ vices et terræ, arborumque siccitas vel viror cum ipso mundo nata sunt, atque concreta. Et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, et iussit humanis usibus elementa servire, ut homines hæc videntes intelligant esse providentiam, et timeant a facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atque constantia intelligunt creatorem. Invisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas.*

Ex hac gnome, quod omnia opera Dei durent in perpetuum, D. Thom. 1. p. quæst. 104. art. 4. colligit nullam rem creatam annihilari: quia esto sit corruptibilis quoad formam, manet tamen quoad materiam primam. Idem quæst. 65. art. 1. ad 1. ex eadem docet creaturas quo magis appropinquant Deo, eo magis perpetuari et esse incorruptibiles: unde corpora mixta corrumpi substantialiter quoad formam, cœlos vero mutari quoad locum. Angelos vero in se mutari dumtaxat quoad actus internos cognitionis et volitionis. Vis ergo magis magisque firmari et stabiliri? mentem tuam magis magisque iunge Deo.

NON POSSUMUS EIS QUIDQUAM ADDERE, NEC AUFERRE.) q. d. Non possumus novas rerum species producere, quas non produxerit Deus; nec etiam species a Deo productas possumus auferre et interimere. Rursum non possumus statam temporum successionem, neque actioni et rei a Deo præstitutam, immutare vel invertere. Insuper nihil est in mundo superfluum; nihil etiam deest, quod faciat ad eius complementum. Ipsamet animalia noxia et venenata etiam homini prosunt: quia eum *aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent*, ait S. August. l. 3. de Genes. ad lit. cap. 17. Esto enim possit homo ex commixtione variarum specierum simplicium, novam mixti speciem producere, ut patet in pharmacis, in monstris, in mulis, leopardis, lyciscis, etc. hæc enim primitus non creavit Deus, sed ex commixtione ab hominibus procurata equorum cum asinis, nati sunt muli; ex commixtione leonum cum pardis, nati sunt leopardi; ex commixtione luporum cum canibus, nati sunt lyciscæ; tamen tota vis novas hasce species producendi est in natura utrique animali a Deo indita: ac proinde hæc ipsa primitus produxit Deus non formaliter in seipsis, sed causaliter quasi in semine et radice, puta in animalibus ex quorum commixtione ista nascuntur.

Tacite hac sententia Salomon hominem avocat a vano labore, æque ac timore; nam per eum nulla rei fit accessio sine Dei ope, nec ulla decessio sine Dei nutu et voluntate iuxta illud de iustis Psal. 33. 11. *Non minuentur omni bono*. q. d. Nemo iustis vel minimam partem voluptatis, gaudii, aut victus eripere poterit; quia Deus eos fortunat et prosperat. Omne enim Dei opus est efficax, ratum et firmum, cum vice versa omne opus hominis ex se sit inefficax, irritum et cassum.

QUÆ FECIT DEUS UT TIMEATUR.) Dum immensa eius potentia, sapientia ex operibus et gubernatione iugiter æstimatur et celebratur; Hebr. *Ut timeant* (homines) *a facie eius*; Arabicus: *Et Deus fecit ut terrerentur a facie eius*. Olymp. *Ut timeant faciem eius*; Campensis: *In hoc fecit ut nos illum revereamur*; Thaumaturgus: *Reverentia enim et admiratione digna sunt* Dei opera, ne consequenter ipse Deus multo magis, ut exsultemus ei cum tremore; S. Hieron. *Deus hæc omnia fecit, ut timeant homines ab eo quod semel disposuit in aliud declinare* (ut se totos divinæ dispositioni et legi subdant, nec aliud illi repugnans attentent) *pulchre autem temperavit dicens: Ut timeant a facie eius: vultus quippe Domini super facientes mala*, Psalm. 33. Alludit ad etymon *Elohim*. *Elohim* enim dicitur ab אלה *ala*, id est adiuravit, obligavit, obstrinxit, quod Deus omnia creando, creaturas iuramento sibi obstringat ad sui timorem, cultum, et amorem, uti dixi Genes. 1. Timor Dei enim in Script. comprehendit Dei metum, amorem, reverentiam, obedientiam, cultum illi quasi summæ maiestati, summæque potestati, providentiæ et beneficentiæ debitum. *Primus in orbe Deos fecit timor*, ait Statius. Unde et nonnulli, inter quos est S. Clemens Rom. epist. 1. nomen Deus sive θεὸς derivat a δέος, id est timor. Quis enim non timeat Deum fulminantem, tonantem, ventis, procellis et terræmotibus omnia quassantem? quis non amet dantem fruges, fructus, rerumque copiam? Sic Deus a Iacobo vocatur timor Isaac, id est quem timebat et reverebatur Isaac, Genes. 31. 42. Et Deus Malachiæ 1. 6. *Filius*, inquit, *honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Deo enim propter summum dominium et imperium necis et vitæ, cœli et gehennæ, debemus summum timorem; eidem quasi summo omnium patri debemus summum honorem, summam obedientiam et summum amorem. Hinc Iob c. 31. 23. *Semper*, inquit, *quasi tumentes super me fluctus timui Deum, ut pondus eius ferre non potui*. Et S. Ioannes Apoc. 15. 3. *Magna*, ait, *et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo.*

QUOD FACTUM EST, IPSUM PERMANET: QUÆ FUTURA SUNT, IAM FUERUNT: ET DEUS INSTAURAT ID QUOD ABIIT.) Vers. 15.
Hebr. *Id quod fuit iam est, et quod futurum est iam fuit, et Deus requirit id quod persecutioni subiacet*. Hoc enim est Hebr. נרדף *nirdaph*, quod quidam vir doctus vertit, *quod raptum est*, sed hallucinatus est: *nirdaph* enim censuit per metathesin esse נטרף *nitraph*, id est *raptum*, cum hæ duo litteris licet affinia, significatione tamen sint valde diversa; radix enim רדף *radaph* significat persequi, טרף *taraph* vero rapere.

Inculcat et confirmat id quod dixit versu præcedenti, nimirum perpetua esse Dei opera, perpetuamque rerum temporalium successionem, v. g. *Sol qui nunc oritur, et antequam nos essemus in mundo, fuit et postquam mortui fuerimus, oriturus est*, ait S. Hieron. Et: *Homo fuit, homo etiam est: arbor fuit, arbor etiam est*, ait Olymp. Idem dixit c. 1. v. 9 quare plura hic non addam.

Pro *Deus instaurat id quod abiit*, Hebr. est *Elohim quærit vel requirit persecutum vel insecutum*, id est præteritum, hoc est Deus restituit et restaurat ea, quæ a tempore insequenti abrepta sunt et iam præterierunt. Unde Campensis vertit: *Assidue ea quæ revocat, quæ velut fugata hinc abierunt*; et Vatabl. *Deus inquirit id quod ob insequenti propellitur. Inquirit*, id est, *instaurat*. Sic David Psal. 118. v. 167. petit se a Deo quæri, id est instaurari. Et Iob cap. 3. 4. rogat Deum, ut non requirat, id est restituat diem, qua natus erat: et S. Hieron. *Deus requirit id quod periit, quod expulsum est, quod esse cessavit*. Tempus enim præteritum pulchre dicitur a præsenti et futuro propelli, et ab eo velut insequenti persecutionem pati et fugari, sicut in flumine aqua præcedens a sequenti propellitur et fugatur.

Porro Thaumaturgus hanc gnomen refert ad præscien-

tiam et decreto voluntatis divinæ, quæ semper durant; sic enim vertit: *Iuxta præscientiam Dei ea quæ olim sunt facta, nunc existunt: et futura perinde certa sunt, atque si nunc sint facta*: et Campensis: *Quod fuit olim nunc est, et decretum fuit olim, ut etiam temporibus futurum esset*: insuper Hugo Victor. censet hanc gnomen accipiendam esse, *non solum de operibus Dei, quibus creaturam mundi disponit, quod sine mutatione et confusione ordinis maneant in æternum; sed etiam de dispositione iudiciorum eius quod legem providentiæ suæ non mutent, ut fiat quod ipse disposuit.*

Hinc et alii hanc gnomen et præcedentem accipiunt de iudiciis Dei, quibus bonos præmiat, improbos punit. Hæc enim licet Deus ad tempus intermittat, tamen mox rursum revocat et instaurat. Quocirca Septuaginta et Syrus vertunt: *Deus requirit eum qui persecutionem patitur*; Arabicus: *Et Deus requirit petitum*; Symmachus: *Deus inquirit pro iis qui vexati expelluntur*, q. d. Deus vindicat innocentis iniuste afflicti iniurias et necem, uti vindicavit cædes martyrum occidendo persecutores, Neronem, Decium, Diocletianum, etc. per hanc enim persecutorum necisionem, martyrum innocentia declaratur, eorumque nomen, fama, gloria et quasi vita restituitur et instauratur. Ita S. Hieron. *Et Deus*, inquit, *quæret eum qui persecutionem patitur; utitur hoc testimonio in persecutione Gentilium, ad consolandum eum qui in martyrio perseverat. Et quia omnes, iuxta Apostolum, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patiuntur, habent consolationem, quia Deus quærit persecutionem patientem: sicut requirit sanguinem interfecti, et venit quærere quod perierat, et erroneam ovem suis humeris ad gregem reportavit*; et Thaumaturgus: *Is qui iniuste læsus est*, inquit, *Deo auxiliatore utitur*; nam ut ait Eccli. c. 1. 29. *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio iucunditatis*: et Christus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. citat, urgetque hunc locum Lucifer Calarit. Episcopus in Apologia pro S. Athanasio.

Accedit Chald. Sed ipse hanc vindictam prorogat usque ad diem iudicii: *In die iudicii magni*, inquit, *futurus est Dominus, ut requirat egenum et pauperem de manu impii, qui persecutus est eum.*

Anag. Deus in resurrectione instaurabit corpus, quod periit, quodque passum est in martyriis, ut reviviscat et gloriosum resurgat. Ita S. Hieron.

Vers. 17. VIDI SUB SOLE IN LOCO IUDICII IMPIETATEM: ET IN LOCO IUSTITIÆ INIQUITATEM.) Campens. *In quo regnat impius*; alii: *In quo dominatur impietas vel iniquitas.*

Porro Codices Septuag. hic variant. Vaticani etiam habent: *Et adhuc vidi sub sole locum iudicii, illic impius: et locum iusti, illic pius*; quam lectionem secutus Arabicus vertit: *Cognovi quoque sub sole locum iudicii, ibi est enim apostata; et locum iusti, et ibi est fidelis*; nimirum pro ἀσεβής, id est impius, nonnulli legerunt εὐσεβής, id est pius. Sic quoque legit Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athanas. quod aliqui exponunt, q. d. Vidi paradisum præparatum piis, et gehennam præparatam impiis. Unde Thaumatur. *Vidi*, inquit, *in infimis partibus punitionis quidem barathrum impios recipiens, piis autem locum alium tranquillum*. Sic et Olympiod. qui dubitat an paradisus piorum sit in terra, an in cælo, eo quod dicatur hic esse *sub sole*.

Verum Codices Septuag. Complut. utroque loco legentes ἀσεβής, id est impius, sic vertunt: *Et adhuc vidi sub sole locum iudicii, illic impius, et locum iustorum, illic impius*; S. Hier. iuxta editionem priscam acceptam a Septuag. *Vidi*, inquit, *locum iudicii, ubi impietas; et locum iustitiæ, ubi iniquitas*; sic quoque Syrus: quæ sane lectio respondet Hebræo et Vulgatæ latinæ, ideoque vera est et genuina; accedit et Chald. *Iterum*, inquit, *sub sole vidi forum iudicii, in quo conscripti corrupti iudices innocuos condemnarent, nocentesque sententiis suis absolverent; et locum in quo invenitur iustus, præterea et impius, qui ei præest propter peccata generationis huius.*

Sensus ergo clarus est, q. d. Vidi in tribunali iudicii sedentem iudicem impium, qui iniustas proferret sententias; ideoque in loco, ubi regnare debebat iustum iudicium, vidi regnantem impietatem, ac in solio iustitiæ vidi præsidentem iniquum, qui contra ius et fas iudicaret, ideoque in eo vidi dominantem iniquitatem. Pro eodem sumit *iudicium et iustitiam*, atque, *iniquitatem et impietatem*, cum alioqui proprie impietas sit scelus contra Deum, iniquitas sit scelus contra æquitatem, quo iustitia et ius proximi violatur. Sed ut dixi, impietas hic accipitur pro iniquitate et iniustitia: puta pro iniusta iudicis sententia: hæc enim recte vocatur *impietas*, quæ lædit iustitiam, quæ non tantum proximus, sed et Deus qui iuris et iustitiæ omnis est auctor, violatur. Quare iniquus index facit ut in solio iustitiæ sedeat iniustitia, in eoque velut regina imperat et dominetur, ac thronum Christi occupet Antichristus.

Igitur per locum iudicii et iustitiæ, proprie hic publica tribunalia et subsellia iudicum intelliguntur, generatim tamen quivis locus iudicandi sententiamque proferendi, accipi potest, qualis est ubi lites mercatorum, agricolarum, opificum privatim dirimuntur. Porro hæc primo vocat *locum iudicii*, deinde *iustitiæ*, ut indicet iudices primo debere diligenti maturoque iudicio rem examinare, antequam æquam certamque pro iustitia ferant sententiam. Nota τὸ *sub sole*, q. d. Iniustitia non nisi sub sole, inter homines cupidos et avaros locum habet: nam supra solem in cælis habitat iustitia. Unde a Poetis fingitur Themis iustitiæ Dea assidere Deo supremo iudici. Hinc et illud Ovidii lib. 1. Metamorph.

Et virga cæde madentes,
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

Quasi ab iniustis hominibus avolans ad iustum Deum. Rursus τὸ *sub sole*, notat indignitatem et impudentiam iniquorum iudicum, quod in conspectu lucidissimi et purissimi solis, adeoque solis iustitiæ, puta Christi Domini, audeant impuram, tenebrosam et iniustam pronuntiare sententiam, itaque iustitiam, velut virginem castissimam suæ fidei commissam violare, iuxta illud Eccli. 20. 2. *Concupiscentia spadonis devirginavit iuvenculam: sic qui facit per vim iudicium iniquum.* Quocirca in eos detonat Isaias 59. 14 *Conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit; quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit, et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium.*

Difficultas hic est in nexu, qua ratione scilicet hæc gnome hic inseratur, et cohæreat cum præcedentibus.

Primo, aliqui nectunt cum τὸ *ut timeatur*, v. 14. q. d. Deus fecit omnia ut timeatur; sed tanta est improbitas hominum, ut ipsum non timeant, sed palam in tribunalibus eum eiusque veritatem et iustitiam, proferendo iniquas sententias, conculcent. Ita Ferus. Sed hoc longe petitum videtur.

Secundo, Hugo Victorinus, quem sequitur noster Lorinus, censet hic novum vanitatis genus recenseri. Cum enim vanitatem magnam recensuisset, altam in temporum rerumque omnium vicissitudine et fugacitate, quasi non *satis esset malorum ex hac inconstantia*, ait Campensis, subtexuit hanc maiorem de iudiciorum corruptela. Ex qua, sicut et ex priori, homines accipiunt occasionem murmurandi contra divinam providentiam, quod videant *iustum hic multa mala perpeti, et impium regnare pro scelere*, ait S. Hieron. Unde illi respondet Ecclesiastes v. 17. Deum hæc iniqua iudicia reformaturum, et iusto suo iudicio ius suum cuique restituturum.

Tertio, Thaumaturgus, Didymus et Olymp. censent hæc spectare ad pœnas impiorum et præmia piorum, quasi post recensitas hominum vanitates et pravitates, hic eorum congruum supplicium attexat. Citavi verba Thaumaturgi initio huius versus. Verum eorum versio, et consequenter explicatio plane dissonat ab Hebræo et a Vulgata.

Quarto, noster Pineda sic vertit, ut postquam dixerit

rerum omnium humanarum vicissitudinem esse summam inconstantiam, sola autem Dei opera firma et stabilia, nunc obiiciat firmiter et stabiliter visam sibi *sedere in loco iudicis impietatem*, et ubi maxime videbatur regnatura iustitia, *iniquitatem* dominari per summam tyrannidem, ac tam constanter exerceri iudicia iniqua, ut in hac re nulla esse vicissitudo videatur, neque tempus ullum iustitiæ caste et integre colendæ. Respondeat vero vers. 17. non defuturum suum quoque tempus sempiternæ legi et supremi arbitri iudicio, cum videlicet *iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.*

Quinto, alii qui secuti versionem Septuag. censent versu præced. agi de iudiciis Dei, quibus punit eos, qui insontes persequuntur, apposite cum iis hanc gnomen connectunt, utpote quæ explicet hanc persecutionem maxime cerni et sentiri in impiis iudicum sententiis, quibus innocentes opprimunt, ac proinde in eorum consolationem Deum hæc iudicia suo tribunali correcturum.

Sexto, et genuine hic versus pertinet ad v. 10. *Vidi afflictionem, etc.* ut patet conferenti utrimque verba, præsertim in Hebræo. Hebræa enim hic habent: *Et adhuc vidi sub sole in loco iudicii impietatem*, q. d. Vidi duplicem in hac mundi vanitate hominum afflictionem. Priorem recensui v. 10. scilicet quod homo affligatur continuo labore operum temporalium, quæ non constant nec durant, sed cum tempore volvuntur et abeunt: quare labor eorum et afflictio irrita est et vana; quia caret fructu, qui stabilis sit et perseveret. Posteriorem hic recenseo, quod scilicet in solio iudicii sæpe præsideat iudex impius, regnetque impietas, quæ pios et pietatem opprimat. Iungit hanc priori; quia illi similis est analogice. Illa enim afflictio laboris naturalis est et physica, hæc vero perversi iudicii moralis et ethica. Atque sicut illa oritur ex vicissitudine temporum, et fugacitate rerum temporalium: sic hæc pariter oritur ex vicissitudine iudicum et iudiciorum, quod scilicet probis iustisque iudicibus in solio succedant improbi et iniusti. Rursum sicut de illis dixit Deum instaurare id quod abiit, itaque res successivas perpetuare, non in individuo, sed in specie eadem: sic hic asserit Deum instauraturum iniqua improborum iudicia, cum ea publice condemnabit, et puniet iustisque læsis suum ius restituet.

Igitur hæc est sequela et nexus totius capitis, v. 1. proponit hoc thema capitis: *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo.* Illud deinde probat inductione per res naturales, dicens: *Tempus nascendi, et tempus moriendi: tempus plantandi, et tempus evellendi, etc.* Ex quibus concludit vers. 10. se in omni hac temporum successione, vidisse succedentem assidue laborem labori, et afflictionem afflictioni. Idem thema hic probat per res ethicas sive morales, scilicet ex eo quod in solio iudicii et iustitiæ iustis iudicibus per temporum successionem sæpe succedant iniusti, qui improbis patrocinentur, ac probos affligant et opprimant; sed his quoque succedat tempus divini iudicii iustissimi, quo Deus solio iudicii iustitiam ab improbis ademptam restituet, et iniquitatem ex eo deturbabit. Unde apposite ad thema: *Omnia tempus habent;* subdit sequenti v. 17. *Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus uniuscuiusque rei tunc erit*, q. d. Sicut res physicæ suum tempus habent, sic et ethicæ; sicut opera operibus in tempore succedunt, sic et iudicia iudiciis; adeoque omnia cum tempore transeunt et evanescunt; transit enim iustitia, cum a succedente iniquo iudice profligatur per iniustitiam; transit vicissim eius iniustitia, cum a Deo iudice arguitur et plectitur. Præclare S. Gregor. l. 26. Moral. *Summus locus*, ait, *bene regitur, cum is, qui præest, vitiis potius quam subditis dominatur.*

Iudiciorum iniquitatis schema.

Graphice hanc iudiciorum iniquitatem depingit S. Cyprian. lib. 2. Epist. 2. ad Donatum: « Sævit, ait, invicem discordantium rabies, et inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum, hasta illic et gladius, et carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus unum, supplicia plura quam membra sunt. Quis inter hæc vero subveniat? patronus? sed prævaricatur et decipit. Iudex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, et ut reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant ubique delicta, et passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. » Particulatim deinde modos iniustitiæ enarrat, subdens: « Hic testamentum subiicit, ille falsum capitali fraude conscribit; hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, utrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cum interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est; de quæsitore, de iudice pavor nullus: quod potest redimi, non timetur; esse iam inter nocentes innocuum crimen est: malos quisquo non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse posset integritas, ubi qui damnent improbos, desunt? soli tibi qui damnentur occurrunt. »

Porro, afflictio hæc ethica gravior duriorque est priori physica et naturali, quia nil magis cruciat homines quam si iudicentur, damnentur et puniantur ut nocentes, cum sint innocentes. Et quid indignius, quam si in solio iustitiæ sedeat et præsideat iniustitia? si in tribunali æquitatis regnet et dominetur iniquitas? si pietatem opprimat impietas, probitatem improbitas, innocentiam malitia, sanctitatem scelus, humanitatem tyrannis et sævitia? Audiant iudices et paveant Davidem, imo Deum summum iudicem iis intonantem: *Deus stetit in Synagoga deorum* (iudicum) *in medio autem deos diiudicat. Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? etc. Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* Psalm. 81. v. 1. ubi pro *deos* hebr. est *Elohim*, id est Angelos vel deos, quo significat iudicem debere esse quasi Angelum, imo Deum inter homines, ut liber ab omni carnis et sanguinis affectione iuxta Deum et veritatem sententiam ferat; itaque sit quasi *obambulans in terra Deus, et sanctus in carne Angelus.* Unde Philo l. de iudice, in eo requirit sinceritatem, et tranquillum animum nulli perturbationi obnoxium, ut imitetur Deum de quo ait Sapiens cap. 12. 18. *Tu autem, dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas.* Hinc et iniquus iudex hoc loco vocatur רשע *rascia*, id est inquietus, tumultuans, turbulentus; imo vocatur in abstracto רשע *rescia*, id est inquietudo, tumultus, turbatio, quia omnia miscet, turbat, offuscat, pervertit. Et Psalm. 74. 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Audiat Iosaphat regem graviter iis inculcantem: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* 2. Paral. 19 Hinc in Conc. Chalcedonensi et Ephesino c. 22. in subsellio quasi pro tribunali collocabatur codex Evangeliorum, ut Christi iudicis personam repræsentaret, quam in iudicando Episcopi præ oculis haberent, atque iustam ex eius mente sententiam proferrent. Sic Æthiopes feruntur in Senatu cathedram excelsam statuere, eamque vacuam, quasi in ea resideat Deus iudicii arbiter et moderator, quem proinde Senatores omnes in ferendis sententiis intueri, vereri, imitarique debeant. Ægypti reges de more iudices ad iusiurandum adigebant, et etiam si quid rex iuberet eos iudicare, quod iustum non esset, ne iudicarent, ait Plutarch. in Moral. qui et addit: At qui fieri potest, ut civitas iudices habeat incorruptos, ubi potestatem iudicandi magno vendit princeps? M. Antoninus Imperator dictitabat *privatos quidem homines multos habere iudices; principi autem nullum alium esse iudicem, quam Deum.* Ita Xiphilinus in eius Vita. Traianus Imperat. præfecto urbis strictum porrexit gladium, dixitque: *Cape ferrum hoc, et si quidem recte gessero imperium, pro me; sin aliter, contra me hoc utere.* Ita Niceph. libro 3. Histor. Eccles. cap. 23. Cambyses Sisannum iudicem, quod iniquam pecunia corruptus sententiam protulisset, excoriavit, corioque tribunal sive sellam iudiciariam in-

Evangelia in tribunali Conc. Ephes. cur.

stravit; ac in ea Othonem Sisamni filium iudicem sedere iussit, dicens: *Memento in qua sella sedeas et iudices.* Ita Herodot. lib. 5.

Vers. 17 Et dixi in corde meo: Iustum et impium iudicabit Deus (*in die iudicii*, ait Chald.) et tempus omnis rei tunc erit.) *Tunc*, scilicet in die iudicii, quo iudicabit Dominus. Per *iustum* quemlibet accipe, sed proprie innocentem iniuriam passum, et iniuste ab iniquo iudice condemnatum; per *impium* vero iniquum iudicem, qui insontem inique condemnavit. Hac gnome enim Salomon solatur se, et simul eos, qui insontes condemnantur, spe iudicii divini, quod scilicet Deus hæc iniqua hominum iudicia suo æquissimo iudicio reformabit et corriget, ac insonti suum ius et patientiæ coronam; iniquo vero iudici meritum supplicium, et pœnam talionis decernet ac reipsa irrogabit. Hoc enim est officium *Elohim*, id est numinis et providentiæ, ut iustis læsis suum ius et famam restituat, iniustos vero lædentes pro meritis castiget. Imo inde colligimus esse numen, foreque universale Dei iudicium; sic enim argumentamur: In hac vita sæpe innocentes a nocentibus damnantur et opprimuntur; ergo iustitia et rectus rerum ordo exigit, ut sequatur Dei iudicium, quo iniustitiæ hæ detegantur, corrigantur, damnentur, plectantur, ac innocentibus suæ innocentiæ iura et merita restituantur. *Tunc* ergo *stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et abstulerunt labores eorum.* Sapientiæ cap 5 quia ut inquit Ecclesiastic. cap. 35. v. 16 *Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. Iudicabit iustos et faciet iudicium, ut tollat plenitudinem superborum et sceptra iniquorum contribulet.* Ita explicat S. Hieron. quem audi: *Sub sole*, inquit, *isto veritatem et iudicium exquisivi, et vidi etiam inter iudicum ipsa subsellia non veritatem valere, sed munera*; sive aliter: *Arbitratus sum aliquid iustitiæ in præsenti sæculo geri; vel pium nunc pro suo merito recipere; vel impium pro suo scelere puniri, et e contrario reperi quam putabam. Vidi enim et iustum multa mala hic perpeti, et impium regnare pro scelere. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans, intellexi non per partes Deum, et per singulos iudicare, sed in futurum tempus reservare iudicium, ut omnes pariter iudicentur, et secundum voluntatem et opera sua ibi recipiant. Hoc est enim quod ait: Et tempus omni voluntati, et super omne factum ibi, id est in iudicio, quando Dominus cœperit iudicare tunc futura est veritas: nunc iniustitia dominatur in mundo. Tale quid et in sapientia, quæ filii Sirach inscribitur, legimus: Ne dixeris: Quid est hoc; aut quid est istud? omnia enim tempore suo, requirentur*, Ecclesiast. 39.

Et tempus omnis rei tunc erit.) *Tempus*, scilicet examinis, iudicii et tribulationis, quo innocenti læso patientiæ corona, nocenti et lædenti supplicium pro meritis irrogetur. Hoc ergo erit tempus iudicii Dei, sicut in hac vita tempus est libertatis et iudicii hominum, ut agant et iudicent quodlibet. Respicit ad v. 1. *Omnia tempus habent*, q. d. Impii et nocentes suum nocendi tempus habent, et innocentes patiendi; vicissim Deus habebit tempus utrumque iudicandi; sicut fures suum habent tempus furandi, et prætor suum habet tempus eos suspendendi.

Hebræa habent: *Et tempus omni voluntati, et super omne opus ibi.* S. Hieron. ex Septuag. in versione antiqua: *Tempus est omni voluntati* (alii, complacentiæ) *super omne factum*: ut sit hendiadys, per quam, omissa copula *et*, voluntas cum facto et opere copuletur, q. d. Tempus ibi erit iudicii extremi, quo scilicet Deus iudicabit omnem voluntatem, id est omnem actum voluntatis, puta quicquid libere volueris, et elegeris, ac insuper omne opus quod ex hac electione patraveris, a quo iudicio nulla cadit appellatio, nulla evasio, nulla excusatio; τὸ *super* notat iudicium hoc Dei superius fore et dominaturum omnibus hominum, etiam Regum et Imperatorum, operibus, ut illi omnes se subdere, et ab eo sententiam iustam æque ac inevitabilem, quam nemo evadere possit, recipiant. Hinc Pagnin. vertit: *Quia tempus omni est quod voluerit, et super omne opus ibi erit iudicium*; Tigurina: *Illic enim tempus est quo omni voluntati, et omnibus factis præmium condignum rependitur*; Vatabl. *Tempus est omni rei, idque iuxta omnia opera illic, q. d. Posteaquam omnia consideravi per verbum Dei, dixi apud me iudicaturum esse Deum iustos et impios, iuxta uniuscuiusque opera illic, id est in die iudicii, quia omnia fiunt suo tempore*; alius: *Est enim tibi tempus opportunum pro omni re et pro omni opere*; Syrus et Aquila: *Quia tempus omni negotio est et omnia opera ibi*; Arabicus: *Quoniam omni rei et omni operi tempus*; Chald. clare: *Quoniam iudicium paratur omni rei et omni operi, quæ fiunt in hoc sæculo iudicabuntur ibi.*

Dices, Apoc. 10. v. 6. Angelus in fine mundi, puta sub diem iudicii, iurat per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius*, quomodo ergo hic dicitur tunc tempus fore omni rei? Respondetur: In die iudicii non erit tempus amplius merendi, vel demerendi, sed tempus iudicandi et præmiandi, ut pro meritis quisque pœnam, vel præmium recipiat. Rursus tunc tempus non erit amplius, quia cessabit motus cælorum ac consequenter tempus, quod est mensura motus. Tempori ergo succedet æternitas gloriæ in iustis, et gehennæ in iniustis.

Hinc colligunt Doctores in die iudicii Deum revelaturum hominum conscientias, ut quisque videat tam sua, tum aliorum hominum quorumlibet dicta, facta, cogitata, et volita etiam secretissima; quia hoc exigit publica Dei iudicis iustitia, ut scilicet ex iis omnes videant iuste Deum cuique gloriam, vel supplicium condignum pro meritis decernere, iuxta illud Sibyllæ:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Ita censet S. August. tractat. 53 in Ioan. S. Basil. tractat. de Virginit. Lactan. lib. 7. c. 21. et 22. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 94. Anselm. in Elucidario, Magister Scholast. in 4. distinct. 43. vel 47. Hoc est quod ait S. Ioan. Apoc. cap. 20. vers. 12. *Et libri aperti sunt, etc. et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Vide ibi dicta.

Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis.) Vers. 18
Ita passim legunt Codices Latini; unde mirum in Vaticanis legi: *Dixi in corde filiis hominum*, nisi Chalcographorum sit mendum. Nam et Hebr. Chald. Septuag. Syrus, Arabic. et cæteri habent præpositionem *de*; sic enim habent Hebræa: *Dixi in corde meo de verbo filiorum Adæ.* Septuag. et ex iis S. Hier. in priori sua versione per *verbum* accipiunt loquelam hominis; unde vertunt: *Dixi ego in corde meo de loquela filiorum hominis, quia separabit illos Deus, et ut ostendat quia ipsi iumenta sunt.* Quod S. Hier. sic exponit: *Hoc solum* (discriminis) *inter homines et iumenta Deus esse voluit; quia nos loquimur, illa sunt muta: nos voluntatem sermone proferimus, illa torpent silentio*; et Thaumaturgus: *Discreta, ait, inter se solo vocis articulatione*; Olympiod. vero pro *separabit* vertens, *iudicabit*, exponit, q. d. De omni verbo tum oris, tum mentis, reddenda est ratio in die iudicii, de quo sermo præcessit, iuxta sententiam Christi Matth. 12. 36. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*; Septuag. de more secutus Syrus vertit: *Dixi ego in corde meo de colloquio filiorum hominum, quos creavit Deus*; et Arabicus: *Dixi autem ego in corde meo de verbis filiorum hominis, quod Deus iudicaverit ea, et ostendit eis quod sint bestiæ.* Verum Noster cum Chald. per *verbum*, melius accipit rem et negotium, per metonymiam Hebr. usitatam. Unde vertit, *de filiis hominum*. Sic et Pagnin. Tigur. Campensis, Vatablus et alii. Nota: Pro *ut probaret eos*, hebr. est לברם *lebaram*; quod secundo verti potest, *ut purgaret* vel *purificaret eos*; tertio, *ut eligeret eos*. Ita Pagnin. Quarto, *ut separaret, secerneret, diiudicaret eos*. Ita ex Septuag. Arabicus et Olympiod. Quinto, *ut crearet eos*. Ita Syrus et Vatabl. qui ברם *baram* derivant a ברא *bara*, id est creavit, quasi א, utpote littera quiescens, sit prætermissa. Ex hisce versionibus col-

ligas mortem et miserias corporis humani post peccatum, quibus homo similis est bestiis, hoc fine illi a Deo inflictas; primo, ut superbiam eius, qua contra Deum se erexerat, humiliaret et atereret; secundo, ut eius inobedientiam iudicaret et castigaret; tertio, ut eius cupiditates frænaret et purgaret: mors ergo et morbi sunt superbiæ remedium, inobedientiæ supplicium, concupiscentiæ frænum et piaculum, imo sal et nitrum. Nunc ad sensum.

Miseriæ hominis fines

Hæc sententia videtur imperfecta et pendula; quæritur ergo unde pendeat, ubi perficiatur et expleatur? Triplex est responsio: Primo enim aliqui censent eam pendere a v. sequenti; secundo, alii a v. præcedenti; tertio, alii censent illam in seipsa consistere, seseque explere.

Primo ergo, aliqui eam nectunt versui sequenti hoc modo, q. d. Ut Deus probaret hominum fidem et spem de futura vita et beatitudine, ostendendo et faciendo eos quoad corpus similes esse bestiis, idcirco constituit, ut unus sit interitus hominis et iumentorum, et æqua utriusque conditio. Hoc ipso enim probat et explorat eorum fidem et spem; dum alios videt ex hac hominis et bruti æqualitate non credere animam esse immortalem, sed censere eam cum corpore mori et interire, ac proinde desperare de futura vita et felicitate; alios vero ex adverso videt solerter secernere animam a corpore, ac sentire hominem quidem bestiis esse similem quoad corpus, sed dissimilem quoad animam; hanc enim immortalem habet homo, cum bestiis omnibus illa sit mortalis, pereatque cum corpore: quare satagunt animam excolere virtutibus, ut a Deo futura gloria donentur; hos ergo sibi adsciscit et beat Deus, illos vero reiicit et damnat. Hic nexus probabilis est; plane enim hæc sententia videtur spectare ad sequentia. Tantum ei obstat dispunctio, puta punctum, quod hunc versum a sequenti disparat et discriminat; et quod pro ideirco hebr. sit כי ki, id est quia: quæ vox significat versum sequentem non explere præcedentem, sed eius causam dare.

Secundo, alii nectunt eam v. præcedenti, sed vario nexu. Primo S. Hieron. sic nectit: *Non mirandum*, inquit, *in præsenti vita inter impium et iustum nullam esse distantiam, nec aliquid virtutis valere; sed incerto eventu omnia volvi; cum etiam inter pecudes et homines secundum corporis qualitatem nihil differre videatur, et sit eadem nascendi conditio, sors una moriendi.* Secundo, Aben Ezra, Caiet. et Dion. censent Salomonem hic non ex sua, sed ex Epicureorum sententia loqui, qui censent animam hominis æque ac brutorum cum corpore interire, ac proinde indulgendum esse voluptatibus huius vitæ; nec enim sperandas esse alias in futura. Huc accedit paraphrasis Thaumaturgi: *Quomodo ergo olim insipienter censui, apud Deum reputari, iudicarique similiter; nihilque differre iuste et iniuste agere; ratione præditum, vel brutum esse. Quia omnibus sine discrimine tempus dispensatur, et mors irrogatur.* Tertio, noster Pineda magis cordate censet Salomonem hic significare, quod Deus in die iudicii examinaturus sit cuiusque hominis vitam, an scilicet ille vixerit ut homo, an ut bestia; iniqui enim iudices, qui ut dixit v. 16. sontes iustificant, insontes condemnant, vivunt ut bestiæ, imo sicut feræ, similesque sunt leonibus et lupis, qui animalia cætera laniant et vorant, iuxta illud: *Leo rugiens et ursus esuriens; Princeps impius super pauperem*, Prov. 28. 15. et iterum Habac. 1. 13. et 14. *Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio iustiorem se? et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Maior enim piscis devorat minorem, idque impune nullo prohibente. Unde Campens. vertit: *Cum non invenirem causam aliam quare Deus hæc permitteret, visum est mihi velle illum huiusmodi humanis tumultibus hominem sic exercere, ut videat se in hac vita parum differre a brutis; non aliter enim inter se homines tumultuantur, nec maiori sæpe ratione, quam bruta inter sese.*

Tertia et genuina, hæc sententia per se consistit et in seipsa expletur, ut patet ex Hebræo qui sic habet: *Dixi in corde meo super verbo* (id est super re et negotio) *fi-*A *liorum Adam* (id fieri hoc fine) *ut probaret eos Deus.*

Vis et energia sententiæ consistit in τῳ *super negotio filiorum Adæ*, q. d. Corde meo considerans negotium, id est conditionem, naturam et sortem filiorum Adæ, quod scilicet ex adama factus sit Adam, id est ex humo creatus sit homo; ideoque similis bestiis in edendo, bibendo, generando, ambulando, dormiendo, moriendo, etc. Hoc, inquam, negotium hominum considerans, dixi de eo, ipsum hoc fine esse factum a Deo, ut per illud probaret homines; an scilicet credant et sperent animæ immortalitatem et gloriam suam æternam, q. d. Ut experiretur Deus hanc hominum fidem et spem, ostendendo eos exterius similes esse bestiis, quæ carent omni fide et spe; ideo dedit eis corpus terrestre, corruptibile et mortale, quale habent bestiæ; insipientes enim et carnales ex hoc colliciunt animam suam, æque ac corpus, similem esse animæ bestiarum, ac cum corpore morituram; ideoque dant se ventri et veneri; sapientes vero secernunt animam a corpore, ac animam hominis rationalem et immortalem esse censent, B bestiarum vero irrationalem et mortalem; ideoque satagunt vivere, non ut bestiæ, sed ut Angeli, ut eorum felicitatem adipisci mereantur. Ita Olympiod. *Monet nos per hæc*, inquit, *ne corpori indulgeamus, sed animam quæ prædita est ratione, qua similes Angelis sumus, virtutibus excolamus*; et Vatabl. *Æstimavi in corde meo conditionem hominum, ut Deus excellentissimos creaverit, simul cernens quomodo ipsi sese in pecudum conditionem abiecerint*; et Chald. *Dixi ego in corde meo propter negotium filiorum hominum, quibus adduxit Dominus plagas et infirmitates malas, ut tentaret eos, et ut probaret eos, fecit Deus; ut videret, si converterentur ad pœnitentiam, ut dimitteret eis, et sanarentur. Impii autem, qui sunt sicut iumenta, non convertuntur, ideoque corripiuntur, ut male sit eis.* Videtur Chald. pro דבר dabar, id est verbum, alia punctis legisse דבר deber, id est pestis, mortalitas, mors. Unde vertit: *Quod venient super eos percussiones et morbi mali*; pessimus enim est pestis.

C Porro, licet non sit necesse scrupulose scrutari hic omnium sententiarum inter se connexionem, eo quod Salomon hic varias vanitatis mundi species sigillatim recenseat, et ab una ad aliam plane diversam sine ordine et nexu transeat; tamen hoc loco commoda connexio et transitio assignari potest. Dixerat enim v. 16. inter alias vanitates, non minimam esse iniquitatem iudiciorum et iudicum qui reos absolvunt, ac insontes damnant et morte plectunt. Iam similem illi vanitatem attexit, scilicet quod homines quoad corpus sint similes animalibus et bestiis; adeo ut ipsimet vere animalia sint, et nonnullæ bestiæ et bruta esse videantur, præsertim quia unus est interitus hominum et bestiarum. Si dicas discrimen esse quoad animam, quod hominum anima sit immortalis, adeoque iudicanda a Deo, ut præmium, vel supplicium æternum recipiet, uti dixit v. 17. brutorum vero anima sit mortalis et pereat cum corpore: subiungit multis hoc esse obscurum et dubium, imo si externa et sensus spectes, videri falsum. Multi enim ex eo quod videant homines mori ut D bruta, censent animam hominum interire, uti interit anima brutorum. Hoc est enim quod ait v. 21. *Quis* (quotusquisque) *novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* atque hæc maxima hominis est vanitas, imo ærumna, error et vitium; nimirum quod animæ suæ nobilitatem et æternitatem ignoret, ac proinde non curet bene vivendo illi consulere, ut in æternum illam beet, sed voluptatibus illicitis se dedat, quibus æternum ignem illi accersit. Ne quis vero putet vere rem ita se habere, scilicet ex interitu corporis hominis, recte colligi interitum animæ eiusdem, addit Deum id fecisse, ut probaret et tentaret homines, hominumque de animæ immortalitate fidem et spem. Unde paulo ante clare dixit et edixit: *Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit*, quo clare significat animæ immortalitatem, eiusque promeritis iudicium, præmiumque vel supplicium æternum.

Et ostenderet similes esse bestiis.) Hebr. *ad vi-*

Homo videtur sibi bestia.

dendum quod ipsi iumenta ipsi sibi; quod varie accipi po-
test: primo, q. d. Ut videre liceat quod ipsi sunt iumenta;
1. ipsi, inquam, apud se. Unde Arabicus vertit: *Ostendit eos*
2. *quod ipsi sunt bestiæ*. Sic et Septuag. Complut. Secundo,
q. d. Ut ostenderet hominem in hominem grassari instar
3. bestiæ, iuxta illud: *Homo homini lupus*. Tertio, q. d. Ut
ostenderet, quod sicut homines sunt iumenta et bestiæ
cum bestiis, sic vicissim bestiæ sint bestiæ ipsis homini-
bus; dum in eos sæviunt eosque laniant et devorant, ut
4. faciunt leones, lupi, tigrides, pantheræ, etc. Quarto, pro
ipsi sibi verti potest *ipsis sibi*, q. d. Homo non tantum
quoad corpus, sed etiam quoad suam opinionem, secun-
dum animam ac mores bestiales, atque ignorantiam, quæ
eum facit propriæ oblivisci dignitatis; perinde ac si nihil
differret a bestiis, illis similis esse videtur. Sicut Nabucho-
donosor similis factus est bovi, partim quoad figuram cor-
poris, quia incedebat ut quadrupes, et herbis vescebatur
ut bos; partim quoad corruptam suam imaginationem,
qua sibi videbatur esse pecus, Daniel. 4. 22. Denique ho-
5. mo, qui vivit ut bestia, moritur ut bestia. Quinto, Caie-
tan. vertens: *Et ad videndum quod ipsi bestia ad ipsos*,
exponit, q. d. Homo est bestia ad seipsum, id est, homo
est politica quædam bestia; quoniam communicant homi-
nes inter se; sed alii dolose, ut vulpes; alii crudeliter, ut
lupi; alii superbe despiciendo cæteros, ut leones; alii gu-
lose, ut porci; alii libidinose, ut asini, etc. Pro *bestiis* enim
hebr. est בהמה *behema*, quod omne quadrupes, sive ci-
cur et mansuetum, uti sunt equi, oves et boves; sive agre-
ste et ferum, uti sunt lupi, leones, pardi, significat. Unde
elephas vocatur *behemoth*, id est bestiæ, in plurali quod
mole corporis multarum sit instar bestiarum, Iob. 40. 10.
Noster crebro vertit *iumenta*.

Homo ergo similis est bestiis, quæ impetu passionum non iudicio rationis aguntur, nec uni bestiæ, sed omnibus peior est bestiis. Bestiæ enim non sæviunt in bestias eiusdem speciei, sed in illas quæ sunt diversæ: at homo in hominem sævit. Homo igitur imitatur, imo superat canis invidiam, lupi voracitatem, leonis superbiam, tigridis sævitiam, asini acediam, serpentis malitiam, vulpis fraudulentiam, suis immunditiam, hirci luxuriam: ubi nunc est gloriatio tua, o nobilis? quid te iactas, o dives? quid pauperem spernis? quid ignobilem alloqui dedignaris, cum non tantum homini pauperi, sed et iumentis, porcis et hircis factus es similis, par et æqualis? Ita nunc auro splendidus, alto supercilio tumidus, equis rhedisque superbus, famulorum turba magnificus: sed inspice te, memento quia comparatus es iumentis insipientibus, et similis factus es illis.

Tropol. Vestes bestiarum pelliceæ, quibus Deus induit Adamum post peccatum, significant nos bestiarum indolem per illud induisse; ideoque cum eis exuturos corium mortalitatis, ait sanctus Augustinus in Psal. 103.

Vers. 19. IDCIRCO UNUS INTERITUS EST HOMINIS ET IUMENTORUM, ET ÆQUA UTRIUSQUE CONDITIO. SICUT MORITUR HOMO, SIC ET ILLA MORIUNTUR: SIMILITER SPIRANT OMNIA, ET NIHIL HABET HOMO IUMENTO AMPLIUS: CUNCTA SUBIACENT VANITATI.) Thaumaturgus: *Neque esse iura mortis severiora in alia animantia quam in homines*. Chald. hæc arctat ad hominem peccatorem. Sic enim vertit: *Quoniam occasus hominis peccatoris et occasus bestiæ immundæ, occasus unus est omnibus his; et sicut moritur bestia immunda, sic moritur iste, si non convertitur ad pænitentiam ante mortem, et spiraculum spiritus amborum simul iudicabitur omni modo et nihil amplius remanet de viro peccatore, quam de iumento immundo, neque est alia differentia inter ambos, nisi domus sepulturæ; quoniam omnia sunt vanitas.*

Hinc nonnulli opinati sunt impios tam quoad animam, quam quoad corpus interire, ut bruta. Verum hic est error; quare perperam Chald. hæc arctat ad peccatorem, cum Hebræa, Græca, Syra, Arabica habeant absolute et generatim: *Unus interitus est hominis et iumentorum.*

Pro *interitus* hebr. est מקרה *micre*, id est, accidens, ita Syrus; eventus, ita Sept. Sors, ita Arabicus, conditio, occursus, casus; puta iidem affectus, eædem cupiditates, iidem morbi et ærumnæ, iidem casus, iidem mores et vitia. Unde Olympiod. vertit: *Iumentorum itaque brutalis vita, quæ veneri indulget, vanitas mera est*. Noster tamen vertit, *interitus*, sive mors, quia ipsa est accidens omnibus hominibus commune, necessarium, certum, inevitabile; dies tamen eius et hora est anceps et incerta. Rursum mors homini est casus ultimus, in quem omnes alii humanæ vitæ casus recidunt, uti dixi c. 2. v. 14. et hoc voluisse Salomonem patet ex eo quod *micre*, id est accidens et casum hunc explicans subiicit: *Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur.*

In Eccles. loquuntur ex mente infidelium.

Nonnulli censent Salomonem hic loqui non ex sua, sed ex Epicureorum sententia, qui negant animæ immortalitatem: ita Thaumaturgus, Clarius et S. Greg. 4. Dialog. cap. 4. quem audi: « Concionator noster velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam proponit, dum dicit: Unus interitus est hominis et iumentorum et æque utriusque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumentis amplius. Qui tamen ex definitione rationis suam postmodum sententiam profert, dicens: Quid habet amplius sapiens a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Qui igitur dixit: Nihil habet homo iumentis amplius, ipse rursum definit, quia habet aliquid sapiens non solum amplius a iumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet ut pergat illuc ubi est vita. Quibus verbis primum indicat, quia hic hominum vita non est quam esse alibi testatur. Habet ergo homo hoc amplius iumentis, quia illa post mortem non vivunt; hic vero tunc vivere incipit, cum per mortem carnis visibilem hanc vitam consumat. » Probat deinde idipsum alio Ecclesiastæ testimonio. « Qui etiam longe inferius dicit: Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. Quomodo ergo unus interitus hominis et iumenti et æqua utriusque conditio? aut quomodo nihil habet homo iumentis amplius, cum iumenta post mortem carnis non vivunt; hominum vero spiritus pro malis suis operibus post mortem carnis ad inferos deducti nec in ipsa morte moriuntur? sed in utraque tam dispari sententia demonstratur; quia concionatur verax et illud ex tentatione carnali intulit, et hoc postmodum ex spiritali veritate definivit. »

Resp. negative.

Melius alii censent Salomonem ex sua mente et sensu loqui, q. d. Deus volens hominis fidem probare et explorare, fecit eum quoad corpus similem bestiis: idcirco sicut interit et moritur corpus bestiæ sic et hominis. Corpus enim hominis simile est corpori bestiarum: sicut in ortu et progressu, sic in occasu ac morte. Oritur enim et nascitur ex terra, progreditur sive continuat vitam spirando, puta per respirationem. Occidit et moritur, dum in terram, ex qua ortum est, redit. Ita S. Hieron. *Ne putaremus*, inquit, *dici de anima*, *intulit: Omnia facta sunt de terra, et revertentur in terram; de terra autem nihil aliud nisi corpus factum est*. Et S. Thom. 1. p. q. 75. art. 6. ad 1. notat hæc dici de corpore hominis, non de anima, idque hac ratione probat: *Nam anima brutorum*, inquit, *producitur ex virtute aliqua corporea* (virtute seminis per traducem: sicut enim lux unius candelæ lucem in alia accendit; sic anima vaccæ, ovis, lupi, leonis, etc. producit animam vituli, agni, lupi, leonis quem generat) *anima vero humana producitur a Deo, et ad hoc significandum dicitur Gen. 1. quantum ad alia animalia: Producat terra animam viventem. Quantum vero ad hominem dicitur; quod inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ. Et ideo concluditur Eccles. ult. Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Similiter processus vitæ est similis quantum ad corpus, ad quod pertinet, quod dicitur in Eccles. similiter spirant omnia. Et Sap. 2. Fumus et flatus est in naribus nostris, etc. sed non est similis processus quantum ad animam: quia homo intelligit, non autem animalia bruta; unde falsum est quod dicitur: Nihil habet homo iumento am-*

Homo similis bestiis corpore non anima.

plius; et ideo similis est interitus quantum ad corpus, sed non quantum ad animam. Hucusque Doctor Angelicus.

Rursum *idem est interitus hominis et iumentorum*, quia quantum per sensum et experientiam colligi potest, idem est modus generationis et corruptionis in iumentis, qui est in homine (simili enim modo procreantur et senescentia moriuntur iumenta, quo homines) excepta dumtaxat differentia perfectionis et subsistentiæ formæ humanæ, puta animæ rationalis, quam ex modo generationis et corruptionis hominis non colligeremus, nisi illa aliunde nobis innotesceret, puta ex spirituali operatione intellectus, quo etiam Deum et Angelos incorporeos intelligit, ac libera voluntatis, ex extasi et raptu, ex meritis et demeritis et maxime ex actibus gratiæ, atque ex fide et revelatione S. Scripturæ.

Moraliter S. Bernard. toto serm. 82. in Cantic. pulchre ex hoc loco docet quod anima hominis, quæ Deo similis est, creata in simplicitate, immortalitate et libertate, per peccatum in tribus hisce facta sit illi dissimilis, similisque bestiis: sic enim ait: « Inde (ex peccato) anima dissimilis Deo, inde dissimilis est et sibi; inde comparata iumentis insipientibus et similis facta est illis: inde quod legitur commutasse gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum; inde homines tamquam vulpes duplicitatis et fraudis foveas habent; et quia pares vulpibus se fecerunt, partes vulpium erunt; inde iuxta Salomonem unus exitus homini et iumento: quidni similiter exeat qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud: Quid mirum si similem sortimur exitum, qui et similem habemus introitum? unde enim hominibus nisi de similitudine bestiali ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conspectu et orto in vita et morte comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis. Quid, quod libera creatura sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur et obsequitur ut ancilla? Nonne et in hoc se assimilat et annumerat cæteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocavit, sed condidit in servitutem, servire suo ventri, appetitui obedire? »

Similiter spirant omnia.) Hebr. unus רוח *ruach*, id est, *spiritus est omnibus. Spiritus*, id est, halitus sive respiratio, ut vertit Symmach. Flatus, sive aura vitalis, ut vertit Vatabl. omnia enim animalia æque ac homo respirant, ac respiratione attrahunt aerem, ut calorem cordis et viscerum temperent, itaque, vitam conservant et prorogant: unde cum respiratio vel strangulatione vel externa impeditur, homo suffocatur et moritur. Vide Aristotel. libr. de Respiratione. Hinc anima nonnullis dicitur ab ἄνεμος, id est aura, ventus, ait Isidor. lib. 11. Origen. c. 1. licet ipse id refutet, additque: *Anima est vitæ, animus consilii; anima enim est spiritus qua vivimus*, ait Nonius, *animus quo sapimus*. Græce dicitur ψυχὴ a ψύχεσθαι, id est, a refrigerando. Unde Campensis vertit: *Nec apparet aliam hominis, aliam brutorum esse animam*, id est halitum vitalem.

Notant Rabbini nonnulli animam Hebr. tria habere nomina, quæ triplicem eius vim significent, scilicet נשמה *nesciama*, significare vim rationalem, quæ est radius divinitatis; נפש *nephes*, vim sensitivam; רוח *ruach*, vim vitalem. Hinc R. Abraham *nesciama* constituit in cerebro, *nephes* in iecore, *ruach* in corde: sicut Physici et Medici triplices constituunt in homine spiritus, scilicet rationales, qui subserviunt discursui et speculationi mentis; animales, qui subserviunt sensationi et ambulationi: vitales, qui subserviunt respirationi et vitæ. Verum hoc discrimen non est perpetuum: nam *ruach* significat quoque vim rationalem, ut patet v. 21. et cap. 12. 7. Imo Spiritus sanctus, qui non tantum est rationalis, sed et divinus, imo Deus, in Script. et a Rabbinis passim vocatur *ruach haccados*.

Et nihil habet homo iumento amplius.) Septuag. *Et quid abundavit homo a pecore? nihil.* Theodotion: *Quæ præstantia hominis?* Symmach. *Et quid amplius habet homo pecore?* Tigurin. *Nec habet homo quidquam præstantius pecore.* Alii: *Dignitas hominis supra belluis nulla*, scilicet quoad corpus, nam quoad animam homo habet vitam perennem et immortalem, quam non habent bruta. *Nihil* ergo subaudi quoad corporis mutabilitatem, mortem et externa omnia. Unde Chald. vertit: *Residuum viri pra iumento non est quidquam inter utrumque, nisi domus sepulcri.* Nobiles enim et divites inter homines splendida sibi erigunt sepulcra, qualia non eriguntur bestiis.

Cavendus hic est Comment. Vatabli vel potius Vatablo ab hæreticis insertus, qui sic explicat, q. d. *Humana ratio sola non deprehendit excellentiam hominis supra bellua; quia quidquid videtur oculo rationis in homine est vanissimum.* Hoc enim erroneum est et sapit Epicureismum. Nam certum est seclusa fide, sola ratione naturali, cognosci hominem præstare bestiis per animam rationalem et immortalem. Animam enim hominis esse immortalem multis rationibus naturalibus probant et evincunt Physici in lib. de Anima. Quocirca Doctores, qui Vatablum castigarunt, censoria virgula hunc locum notarunt, ac verba iam citata expunxerunt.

Mystice S. Hieron. Homo, inquit, est iustus, iumentum peccator, qui sæpe per Dei gratiam ac pœnitentiam iustum æquat, imo superat, de quo mox plura.

Et omnia (*omnia*, id est utraque, scilicet homo et iumenta; de his enim solis sermo præcessit) pergunt ad unum locum (in terram, ut sequitur) de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.) Septuag. et Syrus: *Omnia facta sunt de pulvere, et omnia revertentur in pulverem.* Nam hebr. pro *terra* est עפר *aphar*, id est pulvis, scilicet aqua mixtus, puta limus vel lutum. S. Hieron. *Omnia de humo facta sunt, et omnia revertentur ad humum.* Vers. 20.

Alludit, imo citat illud Genes. 3. 19. *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Vide ibi dicta. Hinc terra ab Eccles. cap. 40. 1. vocatur Mater omnium: quocirca Iunius Brutus accepto Delphici Apollinis oraculo eum dominaturum Romæ, qui primus osculatus fuisset matrem, illico osculatus est terram, ac deiectis Tarquiniis regibus, primus Romæ consul creatus est, teste *Livio* lib. 1. Simile somnium Iulio Cæsari orbis imperium portendisse narrat Sveton. in vita eius c. 7. Hinc quoque prisci Gentiles, teste Varrone lib. 4. de Lingua Latina, puerum recens natum in terra statuebant, et Opem deam (id est Terram) implorabant, quam et Levanam a levando de terra nuncupabant, et Faunam a favendo, et Fatuam a fando, quasi non ante contactum eius fari fas sit, et Maiam ac Bonam, denique Magnam matrem. Ita noster Lorinus.

Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus iumentorum descendat deorsum.) Hebr. Sept. et Syrus addunt, *in terram*; Arabicus: *ad profundam terræ*; Campensis: *Quotusquisque interim novit an anima hominis ascensura sit sursum; an anima reliquarum animantium cum corporibus interitura sit?* Vers. 21.

S. Gregor. 4. Dialog. cap. 4. Olympiod. Lyran. Bonavent. Caietanus et alii censent hæc dici a Salomone, non ex persona et mente sua, sed impiorum, puta Epicureorum negantium animæ immortalitatem; vel certe de ea dubitantium. Id enim verba præ se ferunt. Unde Thaumaturgus vertit: *Insipienter olim censui*, etc. *incertum esse, de animabus humanis, an in altum subvolaturæ sint, et de reliquis brutorum, an deorsum defluxuræ sint.*

Verum si antecedens de similitudine simili que interitu hominis et bestiarum, quod ex suo sensu posuit vers. 18. et 19. ac conclusionem quam ex eo elicit vers. 22. dicens: *Et deprehendi nihil esse melius quam lætari*, etc. intuearis, omnino censebis eum hic pariter ex sua mente sensuque loqui, ut scilicet significare velit homines, præsertim illius ævi rudes et animales, ex eo quod vident corpora hominum corrumpi et mori æque ac iumentorum, atque externa omnia simili modo se habere in homine ac in brutis; interna vero hominis, præsertim animam et spiritum

non pervident, idcirco vix perspicere animum hominis esse immortalem, cum brutorum sit mortalis. Sensus ergo est, q. d. Quis novit, id est quotusquisque novit et certo sibi persuadet spiritum, id est animam hominis post mortem corporis ascendere sursum ad Deum, qui illum creavit, ut illam velut immortalem iudicet, ac pro meritis immortalis illi præmium, vel supplicium decernat, ac reipsa tribuat; animam vero brutorum descendere in terram, ut corpore in pulverem resoluto intereat et evanescat, q. d. Pauci hoc noverunt idque ægre admodum, difficulter et dubie; adeo ut Aristoteles, vir summi ingenii a multis putetur de animæ immortalitate dubitasse. Ita S. Hieronymus: *Quis novit si spiritus filiorum Adam*, etc. *Non inter pecudes et hominem*, inquit, *secundum animæ dignitatem nihil interesse contendit, sed adiiciendo: Quis difficultatem rei voluit demonstrare? Pronomen enim, quis, in Scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut Isaiæ* 53. 8. *Quis enarrabit? Psal.* 14. 1. *Quis habitabit? Ierem.* 17. 9. *Quis cognoscet?*

S. Hieronymum de more sequitur Alcuinus, Salonius, Hugo Cardin. et passim Latini. Hinc et Chald. vertit: *Quis adeo sapientia excellit, ut ei exploratum esse possit, num animi hominum in cœlum pervolent, spiritus vero iumentorum descendat sub terram?* Atque hæc est insignis hominum vanitas, ignorantia et error, quem hic deplorat Salomon, quod scilicet ipsi, hoc est, animam suam eiusque conditionem non cognoscant, nesciantque an mortalis sit, an immortalis; an in cœlum, an in terram redditura sit. Nam philosophi, ac inter eos divinus Plato hac de re dubia, obscure, frivole locutus est. Plato enim in Phædro

Platonis de anima deliria

et alibi Deum vocat mundum, qui circulo fertur. In huius convexa parte ait existere ideas veras, quas animæ aliis subvecta contempletur, donec redire domum cogatur. Postea negat eodem reverti eam, nisi elapsis decem mille annis, donec alæ recrescant. Nisi quis sincere sit philosophatus, cur reditus detur post tres mille annos, etc. Homines assignat certis planetis quos quisque sequatur, ut cum eis lustret ideas mundi intellectualis. Epicurus quoque hoc Sorite ridebat mortem, dicens eam *nihil ad nos pertinere, quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu sit, id nihil omnino ad nos pertinere*, inquit Cicero lib. 2. de Finib. Soritis vitium et paralogismum detegit Tertull. lib. de Anima: *Dissolvitur*, inquit, *et caret sensu non ipsa mors, sed homo qui eam patitur. At ille dedit ei passionem, cuius est actio; quod si hominis est pati mortem dissolutricem corporis et peremptricem sensus, quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur?* Adde sensum animæ morte non exstingui, imo illa eam sentire ignes æternos, iisque uri in gehenna.

Spiritum ire sursum significat. I.

Nota: *Spiritum hominis ascendere sursum*, multa significat: Primo, animam hominis non esse e terra, nec ex traduce animæ parentum generari, uti generantur animæ brutorum, quæ proinde cum corpore moriuntur, et resolvuntur in terram, ex qua prodierunt; sed sursum e cœlo a solo Deo creari, et creando homini infundi: ideoque illam esse spiritualem et immortalem, ac proinde post mortem corporis ad Deum creatorem suum reverti et sursum ascendere, ut illi se sistat et reddat, iuxta illud cap. 12. 7. *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hinc animum hominis Poeta dixit esse *divinæ particulam auræ*. Et alias: *Igneus*, ait, *est illis vigor, et cœlestis origo.* Itaque ex hoc loco non infirmatur, sed potius confirmatur animæ hominis æternitas et immortalitas. Eamdem clare astruit c. 11. v. ult. et c. 12. v. 8. et 15.

II. Secundo, quod ascendat ad Deum velut ad suum iudicem, ut prout gessit in vita bonum vel malum, ab eo sententiam supplicii vel præmii accipiat. Licet enim Doctores graves, ut Domin. Soto in 4. dist. 45. art. 3 conclus. 2. Franc. Suarez. 3. par. tom. 2. quæst. 59. art. 6. disp. 52. sect. 2. Greg. de Valentia tom. 4. disp. 11. q. 1. punct. 2. Barthol. Sibylla in Quæst. peregrinis, Petrus Thyræus lib. 1. de Apparit. spirit. c. 14. num. 134. Henricus Henriquez lib. ult. Summæ cap. 25. § 1. et alii censeant animam post mortem hominis iudicium particulare subire, dum

A adhuc est in corpore, ac iudicari primo instanti post mortem ut peracto iudicio mox e corpore vel in cœlum, vel in infernum deferatur: tamen per catachresin dicitur animus ascendere sursum, quia ascendit ad Deum iudicem, qui sursum in cœlis habitat, ibique in throno gloriæ cum Angelis residet. Unde S. Augustinus vel quisquis est auctor, lib. de Vanitate sæculi cap. 1. *Cum anima*, inquit, *separatur a corpore, veniunt Angeli, ut perducant illam ante tribunal Iudicis.* Idem asserit S. Chrysost. homil. 4. in Matth. Quocirca Suarez loco citato ait animas dici ascendere in cœlum; quia elevantur intellectualiter ad audiendam sententiam iudicis, puta Christi hominis, quod ipse subinde per se, subinde per Angelos exercet, inquit Tyræus, esto iudicandi nec Christum, nec Angelos videant.

Tertio, significat animum hominis creatum esse a Deo, ut cœlo cœlestique felicitate fruatur: quare illam, si ex Dei lege vixit, ab eo cœlo gloriaque æterna donari et beari. Hinc Apost. ait quod Christo veniente ad iudicium, si- III
B *mul rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus*, 1. Thess. 4. 17. Ita S. Bonavent. Lyranus, Caietan. Dion. et alii.

Ad hanc expositionem accedunt, qui sic explicant, q. d. Quis novit, id est quis oculis conspexit, aut evidenti ratione et clara demonstratione cognovit, animam hominis esse immortalem et cœlestis gloriæ capacem; brutorum vero esse mortalem, et in terram ire? Multi enim non credunt, nisi quæ oculis conspiciunt, præsertim circa futura bonorum præmia in cœlo, et malorum supplicia in inferno. Unde dives epulo petebat ab Abraham mitti Lazarum ad fratres suos, qui testaretur eum torqueri in gehenna: cumque Abraham diceret: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos*, regessit: *Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent*, Luc. 16. 29. Sic Genes. 3. 7. de Adam et Eva post peccatum dicitur: *Cognoverunt* (id est senserunt et viderunt) *se esse nudos.* Ita Hugo: *Nemo*, inquit, *hominum hoc scit quemadmodum*
C *sciuntur ea quæ videntur et audiuntur; ut tanguntur et cæteris sensibus percipiuntur*: non enim *putant scire aliquid posse, nisi oculo carnis videatur et contingatur sensu.*

Porro Caiet. sic explicat, q. d. *Quis novit*, id est, nullus novit: *Nullus enim philosophus*, inquit, *hactenus demonstravit animam hominis esse immortalem, et nulla apparet demonstrativa ratio, sed fide hoc credimus, et rationibus probabilibus consonat.* Sic et Vatablus, Campensis, Ferus, quin et Scotus in 4. dist. 43. quæst. 2. Verum hos refellit Melchior Canus lib. ult. de locis cap. ult. et S. August. lib. de Immort. animæ, duodecim rationibus Physicis probat eam esse immortalem; atque passim alii verius censent ratione naturali demonstrari posse animam hominis esse immortalem, sed hanc rationem non capiunt nisi rari, qui celsi et perspicaci sunt ingenio. Quare multi fidelium potius fide credunt, quam per rationem sciunt animam esse immortalem.

Rursum R. Salomon exponit, q. d. *Quis novit*, id est, quis cogitat, quis advertit, quis considerat animam esse
D immortalem, ut ex hac consideratione moveatur ad sanctam vitam, ut animæ saluti consulat? q. d. Pauci id faciunt, pauci id practice sciunt. Sic de Deo dicitur Psal. 138. 1. *Tu cognovisti* (id est tu advertis, inspicis, consideras) *sessionem meam, et resurrectionem meam.*

Denique S. Hieronym. hæc exponit de Limbo patrum, ad quem tempore Salomonis post mortem descendebant animæ iustorum; multi enim ignorabant ubinam hic limbus foret, an sursum in cœlo, an deorsum in inferno, q. d. Quis novit quonam eant animæ eorum qui nunc moriuntur, an scilicet ascendant in cœlum, an descendant in infernum? Audi S. Hieronym. « Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et hominibus præparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. Unde et Iacob pariter ad inferos descensurum se dicit. Et Iob pios et impios in inferno queritur retentari. Et Evangelium, Chaos magnum interpositum apud inferos, et Abraham cum La-

xero et divite in suppliciis esse testatur; et revera antequam flammeam illam rotam, et igneam romphæam ad paradisi fores Christus cum latrone reseraret, clausa erant cœlestia, et spiritus pecoris hominisque æqualis utilitas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. »

Exempla de immortalitate animæ.

Moraliter hic disce quanta sit vanitas et cæcitas animæ, quæ seipsam suasque dotes et æternitatem non perspicit, nisi a Deo illuminetur. S. Augustinus, epistola 100. ad Evodium, narrat Gennadium medicum, dubitantem de immortalitate animæ, per Angeli apparitionem in somnis eamdem fuisse edoctum. Dicebat enim illi Angelus: « Ubi est modo corpus tuum? ille respondit: In cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse, at clausos et otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit: Scio. Tunc ille: Qui sunt ergo, inquit, isti oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, et continuo: Sicut, inquit, illi oculi carnis utique in dormiente atque in lectulo iacente nunc vacant, nec aliquid operantur; et tamen sunt isti quibus me intueris, et ista uteris visione: ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit qua vivas, sensusque quo sentias. Cave iam deinceps, ne dubites vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit huius rei dubitationem. Quo docente, nisi providentia et misericordia Dei? »

Simile exemplum probans animæ immortalitatem recenset Ioannes Moschus in Prat. Spiritual. c. 195. de Evagrio Philosopho, qui post mortem chyrographum pecuniæ in pauperes erogandæ, et post mortem recipiendæ a Synesio Episcopo acceptum, ipsi reddidit, dicens sibi iam esse satisfactum. Marsilius Ficinus disputans de immortalitate animæ cum Michaele Mercatu magni nominis Philosopho, uterque cum altero pactus est, uter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Prior decessit Marsilius Florentiæ, qui in hora mortis Mercato absenti longeque dissito apparens: O Michael, inquit, o Michael, vera sunt illa quæ de immortalitate animæ disseruimus. Qua dicta, ex oculis mirantis evanuit: atque exinde Mercatus licet probe vixisset, tamen perfectiori virtuti se dedit, ac philosophiæ valedicens, quod reliquum fuit temporis, mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit. Rem fuse narrat Baron. tom. 5. ad annum Christi 411.

Galenus ait animam esse mortalem.

Quin et Galenus, medicorum princeps, ex sympathia animæ cum corpore censuit eam esse mortalem. Vide eum tom. 4. lib. *Quod animi mores corporis temperantiam sequantur*, cap. 3. ubi docet quod anima in genere non sit aliud quam temperatura quatuor primarum qualitatum, puta caloris, frigoris, humiditatis et siccitatis. Anima vero rationalis, inquit, quæ species est animæ, non est aliud quam temperatura cerebri; unde cerebro nimis calefacto, vel frigefacto anima abit, et homo moritur. Cum ergo temperatura hæc intereat, videtur et anima rationalis interire. Ita ipse. Verum antecedens est falsum; anima enim rationalis non est temperatura qualitatum: sic enim esset corporea, cum sit spiritualis, imo purus spiritus. Unde Galenum refellit Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 124. Pythagoras vero, Plato et ceteri censuere eam esse immortalem. Unde et Heraclitus epist. ad Amphidamanta: *Non occumbet*, ait, *morbo Heraclitus, morbus occumbet Heracliti*, etc. *Corpus descendet ad fatalem locum; at animus non descendet, cum sit immortalis, in cœlum evolabit sublimis. Eum accipient æthærea domicilia, et Ephesios criminabor. Versabor non in hominibus, sed in diis.* Idem asserit Cicero in somnio Scipionis et Quintil. Declam. 10 § 18. ubi ait: *animam vero flammei vigoris impetum, perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant et quo sacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato; sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerato membris mortalibus, levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra; donec in alia fata sæculo pugnante transmigret. Deinde prioris corporis meminisse: inde evocatos prodire manes, inde corpus et vultus et quidquid videmus accipere, occurrere suis imagines caras aliquando, et oracula fieri, et nocturnis admonere præceptis, sentire quas mittamus inferias, et honorem percipere tumulorum.*

Eius ratio. Refellitur. Animam immortalem censent Pythagoras ceterique Philosophi.

Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum sub finem: « Admiror, inquit, Epicharmum qui aperte dicit: Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus. Superius manet in cœlo spiritus. Et Poetam Lyricum canentem: impiorum autem animæ sub cœlo volant in cruentis doloribus, sub malorum iugis inevitabilibus; piorum autem in cœlis habitant, cantibus beatorum principum canentes in hymnis. Non ergo hæc de cœlis anima ad ea quæ sunt deteriora demittitur. Deus enim fecit omnia ad ea quæ sunt meliora, sed ea quæ vitam elegit optimam ex Deo et iustitia, cœlum terra commutat. Plures Philosophorum sententias pro immortalitate animæ citat Eugubinus lib. 9. de Perenni Philos.

Præclare Alphonsus Aragon. rex revolvens opera Senecæ, rogatus cur animus hominis ita esset insatiabilis, respondit: *Animus hominis a Deo profectus, non prius conquiescit, quam eo redeat, unde profectus est.* Ita olim Lucretius:

Cedit enim retro de terra quod fuit ante
In terra, sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli fulgentia templa receptant.

Et Neotericus:

Cœli ratio in animo, terræ est in corpore.
Cui magnus animus est, ei magnum nihil.

Porro longe maior meliorque Philosophorum numerus censuit quidem hominum animas post mortem corporis ascendere sursum, sed huic sententiæ sua quisque addit commenta et fabellas. Ita censuit Trismegistus, Orpheus, Socrates, Musæus, Pherecydes Pythagoræ magister, Aratus, Homerus, Empedocles, Seneca, Virgilius, Phocylides, cuius est illud:

Defunctis superest vita, et dii deinde creantur:

quod respondet illi sententiæ Christi: *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, Matth. 22. 30. Citat eos Eugubin. lib. 9. Verum Plato addidit animas sapientum et fortium evehi in cœlum ad stellas, quæ eis ante descensum in corpora dominabantur: Aristoteles ad aerem; Virgil. 6. Æneid. ad Campos Elysios; Stoici ad Lunam, quos secutus Lucanus ita canit lib. 9.

Quodque patet terras inter lunæque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita, patientes ætheris imi
Fecit, et æternos animum collegit in orbes.

Horum errores recenset et refutat Tertull. lib. de Anima, cap. 54. Addit Greg. Nyssen. (vel potius Nemesius; huic enim adscribitur hic liber in Biblioth. Ss. Patrum tom. 9 editionis secundæ) lib. 2. Philos. c. 7. Ethnicos omnes, qui animam immortalem dixere, animarum transmigrationem in alia et alia corpora unanimi consensu docuisse, cum tantum circa animarum formas, locum et statum diversa sentirent. Fides vero Catholica docet animas impiorum ab initio mundi illico a morte in infernum detrudi; iustorum vero, quæ purgatione egent, in purgatorium amandari, ubi cum plene purgatæ fuissent, ante Christum in limbum patrum migrasse, post Christum vero statim in cœlum recipi, ut definit Concil. Florent. in Decreto unionis. Errant ergo Calvinus et Novantes, qui censent animas in antro delitescere, aut dormire usque ad diem iudicii extremi.

Denique immortalitas animæ coniuncta est cum numine, sive providentia et iustitia Dei; hanc enim decet impios, qui in hac vita opprimunt pios, in altera punire, ac pios præmiare. Hinc qui negant immortalitatem animæ, mox negant Numen, fiuntque athei. Vice versa, fides immortalitatis animæ et spes felicitatis eiusdem, hominem excitat ad omnem virtutem quantumvis arduam. Ita martyres ad martyrium accendebantur spe futuræ vitæ, ut patet in Machab. c. 7. Quin et Socrates iniuste damnatus ad mor-

Immortalitas animæ iuncta cum Numine.

tem, gaudebat quod animus corpore, velut carcere, liber inciperet sui esse iuris, meliusque quam ante victurus foret, uti refert Plato et Laert. in eius vita. *Cyrus moriens filiis suis ait: Nullo modo, filii, hoc umquam mihi persuasi, ut animus vivat, donec fuerit in corpore mortali; quum vero ab hoc solutus fuerit, moriatur*, ait Xenophon et Cicero in Catone. Alphonsus Aragonum rex maximum argumentum immortalitatis sibi videri dicebat, quod corpus in hac vita decrescere, ac per omnia membra suos quasi fines et terminos habere videret; animos vero quanto ad annos accederent, tanto magis intelligentia, virtute et sapientia crescere.

Mystice S. Hieron. Homo, inquit, est iustus: iumentum est peccator; aut homo est vir eruditus, iumentum est simplex et rusticus, de quibus dicitur Psal. 35. v. 8. « Homines et iumenta salvabis, Domine; et Psalm. 72. Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Et in omnibus Prophetis homines et pecora in Ierusalem salvanda dicuntur, et impleri terram repromissionis pecoribus et iumentis. Quis scit utrum sanctus, qui hominis appellatione dignus est, ascendat in cælum; et utrum peccator, qui iumentum vocatur, descendat in terram? fieri enim potest utrumque pro incerto vitæ huius et lubrico statu, ut et iustus concidat, et peccator resurgat; et nonnumquam evenit ut rationabilior et eruditus in Scripturis, id est, homo non circumspecte et ut scientia sua dignum est, vivat et deducatur ad inferos; et simplicior quisque atque rusticior, qui iumentum, hominis comparatione dicatur, melius vivat et martyrio coronetur, ac Paradisi sit colonus. »

Sic et Auctor Catenæ Græcor. Ascendere sursum, inquit, est ascendere ad sublimem virtutis statum; descendere deorsum, est ruere in profundum vitiorum, q.d. « Ne per ea quidem quæ iusti et iniusti faciunt dignosci plane ante iudicium possunt. Multi quippe iniusti ad iustitiam transierunt, et in sublime evecti sunt; et contra multi iusti iustitia exciderunt seseque in vitia demerserunt. »

Præclare S. Gregorius Nyssen. lib. de Virgin. c. 5. « Ut porcorum oculi, inquit, natura in terram conversi, mirificarum rerum cælestium aspectum non habent; sic animus corporis luxu perditus, cum ad humilia et ea quæ sunt pecudum inclinatus sit, non cælum amplius, neque reliquarum rerum convenientiam et decorem cernere poterit. Quare ut voluptatem divinam et beatam animus noster quietus ac liber maxime respiciat, ad nullas omnino res caducas et terrenas se ipse convertat, neque earum voluptatum particeps fiet, quæ ad communis vitæ indulgentiam comparatæ sunt, sed omnem potius amoris vim a rebus corporis ad eam traducet pulchritudinis contemplationem, quæ et corporis expers est et mente cernitur. »

Et Iulius Firmicus lib. 4. Astron. cap. 2 « Animus, inquit, qui immortalis est, si a vitiis ac libidinibus terreni corporis fuerit separatus, ac suæ originis et seminis constantiam retinens, vim suæ maiestatis agnoverit, omnia, quæ difficilia atque ardua putantur, facile divinæ mentis investigatione consequetur. Dic mihi quis in cælo iter maris vidit? quis attritu lapidum scintillam latentis ignis excussit? quis potestates cognovit herbarum? cui se tota natura divinitatis et ostendit et prodidit, nisi animo, qui ex cælesti igne profectus ad regimen et gubernationem terrenæ fragilitatis immissus est? Ipse huius scientiæ rationem, ipse computos tradidit, ipse solis ac lunæ et ceterarum stellarum, quæ a nobis errantes, et a Græcis vero planetæ dicuntur, cursus, regressus, stationes, societates, augmenta, ortus, occasus monstravit, et in fragilitate terreni corporis constitutus, brevi maiestatis suæ recordatione hæc omnia, ut traderet, non didicit, sed agnovit, » quod ultimum cum grano salis accipe, ne in Platonis errorem, scilicet scientiam nostram esse dumtaxat reminiscentiam eorum, quæ prius scivimus, incidas.

Vers 22 ET DEPREHENDI NIHIL ESSE MELIUS, QUAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SUO, ET HANC ESSE PARTEM ILLIUS. QUIS ENIM EUM ADDUCET, UT POST SE FUTURA COGNOSCAT?) Multi rursum censent Salomonem loqui in persona Epicureorum, aut sua, dum desiperet, et voluptatibus indulgeret. Ita Thaumaturgus, Olympiod. Bonaventura, Hugo Victor. et alii, quin et S. Greg. 4. Dialog. 4. quasi hic idem dicat quod Epicurus: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*. Audi S. Gregor. *Salomonis liber, in quo hæc scripta sunt, Ecclesiastes appellatus est; Ecclesiastes autem proprie concionator dicitur. In concione vero sententia promitur, per quam tumultuosæ turbæ seditio comprimatur. Et cum multi diversa sentiunt, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur; quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias, quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit; sed concionator verax, velut extensa manu, omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in eiusdem libri termino ait: finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time et mandata eius observa. Hoc est enim omnis homo*. Et post nonnulla: *Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo*. Et longe inferius subiungit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Si enim bonum est manducare et bibere, melius fuisse videbatur ad domum convivii pergere, quam ad domum luctus. Ex qua re ostenditur, quia illud ex infirmantium persona intulit, hoc vero ex rationis definitione subiunxit*.

Melius S. Hieron. Auctor. Catenæ Græc. Lyran. Hugo Victor. Titelm. et alii censent hæc dici ex persona Salomonis et sapientum, idque duplici sensu: priori, q. d. Supposita animi immortalitate, iudicio divino et cælesti felicitate, quæ pauci cognoscunt, deprehendi et conclusi nihil melius in hac vita esse, quam lætari hominem in opere suo, ut scilicet lætus incumbat operibus honestis et sanctis, præsertim charitatis et eleemosynæ; hæc enim sunt opera hominis qua homo est, puta rationi et menti conformia, quibus ad finem suum, puta ad cælestem gloriam perducatur.

Secundo et germane, ex similitudine hominis cum brutis, præsertim in morte colligit nihil esse melius quam nimiis vanisque curis et sollicitudinibus de rebus futuris valedicere, ac se dare honestæ et modestæ lætitiæ, uti faciunt cetera animalia, quæ nobis temperantiæ, fortitudinis, lætitiæ, ceterarumque virtutum dant exempla, q. d. Saltem, o vanissime homo, qui nihil præ brutis sublimius, nil melius sapis, conare tamen sapere quod sapiunt illa; pelle inanes animo curas, præsentibus utere frugaliter, futurorum cupiditatem abiice; et animum relinque liberum paratumque melioribus animi cogitationibus atque iucundissimæ animi tranquillitati. Ita Pineda, Lorinus et ceteri.

Lætari ergo in opere suo est frui bonis labore suo partis; frui, inquam, non ad libidinem, sed secundum rectam rationem, quæ dictat ut ex illis tibi primo, deinde aliis per eleemosynas ceteraque opera bona benefacias. Virtus enim parit veram solidamque lætitiam, intemperantia vero et vitium parit nauseam et mœstitiam. Ita S. Hieron. Lyranus et alii. Hic enim proprie est labor suus; quia nil tam nostrum, quam benefactum ex virtute: hoc enim est opus nostri liberi arbitrii gratia Dei adiuti et imbuti.

Et S. Hieron. *Nihil est ergo*, ait, *bonum in vita ista, nisi quod lætatur homo in opere suo faciens eleemosynam, et futuros sibi thesauros in regno cælorum præparans. Hanc solum habemus portionem, quam nec fur, nec latro valet, nec tyrannus auferre, et quæ nos post mortem sequetur*. Hoc enim sensu conclusionem hanc ex simili rerum vanitate intulit vers. 12. et cap. 2. v. 24. ubi simili modo dixit hanc esse partem, id est, sortem illius, ut scilicet sibi consulat, non suis hæredibus. Id clare significat Chald. dum vertit: *Tandemque perspicio nihil esse in hac vita melius quam ut exhilaretur homo in optimis operibus, comedatque et bibat, et animum lætitia afficiat. Hæc enim ei optima pars in hoc sæculo assignata est, ut futuram sibi vitam conciliet. Cur enim sic apud se loquitur*

homo? Quorsum mihi divitiarum erogatio, ut iustitiam colam? Satius est ut eas liberis meis relinquam, aut me ipsum extrema senectute colam. Quis enim ipsum adducet, ut videat quæ post eum futura sunt?

Mystice S. August. (licet ipse id velit esse litterale) lib. 17. de Civitate cap. 20. hanc gnomen accipit de Eucharistia, dum ait: *Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet; quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore et sanguine suo? id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Psalmo tricesimo nono eiusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: Sacrificium et oblationem noluisti; corpus autem perfecisti mihi, quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus eius offertur, et participantibus ministratur.* Probat id hac ratione: *Nam istum Ecclesiasten in hac sententia manducandi et bibendi, quam sæpe repetit, plurimumque commendat non sapere carnales epulas voluptatis, satis illud ostendit, ubi ait: Melius est ire in domum luctus, quam ire in domum potus,* Eccles. 7. Et paulo post: *Cor,* inquit, *sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo epularum.* Sic et Philastrius lib. de Hæresibus sub finem, ubi impugnat Epicureos.

QUIS ENIM EUM ADDUCET (ad hanc notitiam, ait Lyran.) UT POST SE FUTURA COGNOSCAT?) Campensis: *Quis indicabit illi quid post ipsum futurum sit?*

Varii varie hoc exponunt: Primo, Epicurei, q. d. Fruere bonis huius vitæ, indulge ventri et veneri, quia hæc certa sunt; futura vero bona, æque ac animæ immortalitas, dubia et incerta.

Secundo, q. d. Fruere bonis huius vitæ, dum vivis, quia post mortem non dabitur ad ea, nec ad vitam reditus. Ita Thaumaturgus. Additque Olimpiod. *Non dabitur reditus ad vitam, ut pœnitentiam agas.*

Tertio, Pineda censet hic tangi illam quæstionem, an scilicet animæ necdum beatæ cognoscant ea quæ circa suos in terris aguntur, iisque intersint? Respondet enim negative, non cognoscere, nec interesse. Eodem modo respondet S. August. lib. de Cura pro mortuis c. 13. et seq.

Quarto et genuine, q. d. Fruere honeste et modeste bonis tuis, nec futura, aut futuros hæredes respice; quia hæc est pars et sors tua, quam scis et tenes: quis enim te ad futurorum prænotionem adducet, ut scilicet cognoscas quales habiturus sis hæredes, cum illi tibi plane incerti et dubii sint? Quis rursum te adducet, ut cognoscas quo animæ tuæ post mortem iture ad limbum, perventura sit; an scilicet in cœlum, an in infernum? Sufficiat tibi honeste et modeste vivere, ut ad limbum et sinum Abrahæ deducaris, ubicumque ille sit. Quare noli te anxie vexare et excruciare, ut cognoscas quid post mortem animæ tuæ, vel hæredibus tuis eventurum sit. Ita S. Hieronym. Chald. Hugo Victor. Dion. et alii. Hoc enim sensu hanc clausulam, sive conclusionem usurpavit cap. 2. v. 24. Redit enim hic ad insignem et communem illam præ cæteris vanitatem, qua avari magno labore et cura opes congerunt, easque recondunt filiis, nepotibus, aliisque incertis, et sæpe ingratis stultisque hæredibus, itaque genium suum defrendant: hanc enim vanitatem identidem exagitat, ut v. 12. et c. præc. v. 18. 19. 20. 21. et seq. Insuper posito, quod homini culpiam non possit persuaderi animæ immortalitas, quod rudi illo sæculo frequens erat, persuadet ei saltem ut bonis suis recte et frugaliter utatur eaque ipsemet rite dispenset.

Denique hæc gnome torqueri potest in nimis anxios, qui curiose et scrupulose se vexant incertitudine suæ prædestinationis et reprobationis, itaque vel in desperationem, vel in amentiam aguntur; nam hoc dilemma semper animo versant: Nescis an sis a Deo prædestinatus, an reprobatus; nec potes Dei prædestinationem, vel reprobationem evertere, vel mutare. Si ergo ab æterno Deus te reprobavit, quidquid agas damnaberis; sin te prædestinavit, quidquid agas salvaberis. Quid ergo agam incertus et anceps? quo me vertam? quis mihi dicet an reprobus sim et damnandus, an prædestinatus et salvandus? quis scit an spiritus meus ibit sursum in cœlum, an deorsum in terram? Hisce recte oppones hanc gnomen Salomonis: fruere honeste et modeste tuis bonis et Dei donis ad tuam aliorumque salutem, et cave peccata, ac lætus Deo servito; ita certo salvaberis. Noli ergo scrutari secretum prædestinationis et reprobationis; hoc Dei est: illi ergo illud committe et resigna. Quis enim te adducet in altam illam divinitatis speculam, ut futura, quæ in eius præscientia et prædestinatione recondita sunt, prævideas et prænoscas? Hac ratiocinatione anxietatem hanc, et tentationem ex incertitudine prædestinationis conceptam, depulit S. Ægidius socius S. Francisci, vir magnæ prudentiæ et sanctitatis, et Thomas a Kempis lib. 1. de Imitatione Christi, cap. ult. de seipso narrat: Cum, inquit, quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus, in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc in se revolvit, dicens: O si scirem quod adhuc perseveraturus essem! statimque audivit intus divinum responsum: Quid, si hoc scires, facere velles? fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris; moxque consolatus et confortatus divinæ se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio, noluitque curiose investigare, ut sciret quæ sibi essent futura, sed magis studuit inquirere quæ esset voluntas Dei beneplacens et perfecta, ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione iniquorum iudiciorum et iudicum, de quibus egit cap. 3. v. 16. transit ad vicinam quamdam, eamque universalem et insignem mundi vanitatem et affectionem, scilicet calumniam, id est, mendacium, vim et fraudem, quæ ubique grassatur. Videmus enim ubique pauperes et imbecilles a divitibus et potentibus iniuste vexari et opprimi: inde vers. 2. transit ad affinem invidiam, ac v. 5. ad desidiam; mox v. 7. ad avaritiam eius, qui, cum hærede careat, laborat assidue, non sibi, sed incerto successori, cuius occasione v. 9. attexit damna solitudinis et commoda societatis: mox v. 13. proponit regum et reginarum vanitatem. Denique v. 17. præponit obedientiam stultorum victimis.

Hinc liquet argumenta huius capitis esse varia, nec inter se connexa: nam ab una vanitate transit ad aliam disparem et diversam, uti idem in Proverbiis, et Siracides in Ecclesiastico varias materias disparatas eodem capite sine nexu et ordine pertractant.

Si quis tamen omnino velit hæc connecti, ad unumque scopum redigi, dicat cum Lyrano, Pineda et aliis Salomonem, sicut cap. 1. ostendit vanitatem scientiarum humana industria acquisitarum, et cap. 2. deliciarum, et cap. 3. longævitatis sive desiderii longæ et diuturnæ vitæ, sic hoc cap. demonstrare vanitatem regendi et dominandi, quæ sita est in bonorum cupiditate et ambitu, ac libidine regnandi; huius enim vanitatem demonstrat sex argumentis: Primo, quod illa pariat tyrannides, scilicet pauperum calumnias et oppressiones, v. 1. Secundo, quod pariat invidiam, v. 4. Tertio, quod pariat desidiam et avaritiam, ut opes per fas et nefas corradat, quibus aliis præcellat, v. 4. et seq. Quarto, quod pariat leoninam solitudinem, qua superbe amicos præ se contemnat, velitque solus omnibus eminere, v. 7. et 8. Quinto, quod ex hac superbia oriatur stultitia, v. 9. et seq. Sexto, ex regni brevitate et instabilitate, quod sæpe rex regno deiiciatur, et pauper ad regnum evehatur, v. 14. Unde colligendum relinquit in tanta regnandi vanitate nullam inesse animi tranquillitatem, nec felicitatem. Quocirca v. 17. concludit nihil esse melius pietate et Dei cultu: in hoc enim sitam esse veritatem et stabilitatem, veramque et stabilem felicitatem.

1. **VERTI** me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. 2. Et laudavi magis mortuos, quam viventes. 3. Et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. 4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi: et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. 5. Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens: 6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi. 7. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole. 8. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis; nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. 9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ. 10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli! quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. 11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo, unus quomodo calefiet? 12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur. 13. Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum. 14. Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: et alius natus in regno, inopia consumatur. 15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. 16. Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum; et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo, sed et hoc vanitas et afflictio spiritus. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

Vers. 1. **VERTI ME AD ALIA, ET VIDI CALUMNIAS** (Syrus *oppressiones*) **QUÆ SUB SOLE GERUNTUR, ET LACRYMAS INNOCENTIUM, ET NEMINEM CONSOLATOREM: NEC POSSE RESISTERE VIOLENTIÆ, CUNCTORUM AUXILIO DESTITUTOS.**) Chaldæus: *Et conversus sum, et vidi omnes violentias quæ factæ sunt iustis, qui angustiati sunt in hoc sæculo sub sole, de manu tribulantium eos, et non est qui loquatur eis consolationes, neque qui redimat.*

Calumnia proprie est falsi criminis obiectio, ait Cicero Orat. 4. in Sallust. sive est alicuius in litibus per fraudem et frustrationem vexatio, sive, ut Nonius, est malitiosa et mendax infamatio. Unde actores in iudicio præstare debent iuramentum calumniæ, se scilicet nihil malitiose, mendaciter et fraudulenter dicturos vel acturos. Hæc est verbalis calumnia; realis vero est, cum quis alteri per vim aut fraudem nocumentum in bonis, fama, aut vita iniuste infert, sive in iudicio, sive extra iudicium; et sic calumnia accipitur hic, ut passim in Scriptura, ut significet violen-

A tiam, fraudem, insidias, circumventionem, oppressionem, uti dixi Prov. 28. v. 16. Hoc enim significat hebr. עשק *asciac*, Septuag. vertunt, *sycophantiam*, de qua voce ibidem multa notavi. Nocentissimum est hoc malum. Unde Proverbium: *Sycophantæ morsus immedicabilis.* Idem dicitur *vitilitigator*, quasi vitiosus litigator, obtrectator, calumniator, quales sunt, qui nil nisi contentiones, rixas et pugnas quærunt, de quibus Plinius in Prologo: *Ergo securi, ait, etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis et litigatoribus composuit; quid enim illi aliud quam litigant aut litem quærunt?*

Hebr. עשוקים *asciukim* abstractum est simul et concretum, tamque activum, quam passivum. Unde significat oppressiones, oppressos et opprimentes, quales sunt in litibus malitiosæ et cavillosæ interpretationes testamentorum, pactorum et decretorum, frustrationes, lites, ... fraudes. Arabicus ... accipiens pro ... gutturali ח, ... legens חשקים cha-

asciukim (עֹשֶׁק *chasciac* enim significat concupiscere, desiderare, amare) vertit: *Et conversus sum, et vidi desideria quæ fiunt sub sole, omnes simul, et vim derivantem a manu eorum qui ea requisierunt, et non reperitur eis consolator.* Totus mundus enim plenus est concupiscentiis et desideriis, ut ait S. Ioannes Epist. 1. c. 2. v. 16.

Quæ sub sole geruntur.) Omnes enim provinciæ, urbes, pagi pleni sunt calumniis, hoc est violentiis et fraudulentiis. Unde Ierem. c. 6. 6. *Hæc*, ait, *est civitas visitationis; omnis calumnia in medio eius*. Vide ibi dicta et Ps. 13. 4. *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Idipsum graphice depingit S. Cyprianus lib. 2. epist. 2. ad Donatum: *Paulisper*, ait, *tu crede subduci in montis ardui verticem celsiorem; speculare inde rerum infra te iacentium facies, et oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam sæculi et ipse misereberis, tuique admonitus, et plus in Deum gratus maiore lætitia, quod evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa; madet orbis mutuo sanguine; et homicidium, cum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cum publice geritur; impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.* Sic Daniel c. 6. per calumniam coniectus est in lacum leonum; S. Ioseph in carcerem; Susanna in mortis discrimen, Danielis 13. Unde de hac impiorum in pios potestate, imperio et grassatione queruntur apud Deum passim Prophetæ, ut David Ps. 72. Habacuc c. 1. 13. Iob 21. 7. Ierem. 12. 1. Hinc Philosophus: *Mundus*, ait, *est forum impostorum*, adde et tyrannorum, ut in eo pauperibus et oppressis cum damis dicere liceat illud Martialis lib. 14.

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum:
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Et lacrymas innocentium.) Hebr. est *asciukim*, id est, *oppressorum*. Verum Campens. Hebr. active vertit, *opprimentium: Vidi*, ait, *per Spiritum sanctum omnes deceptores in gehenna secundum opera eorum, quæ facta sunt sub sole, propter transgressiones legis, et ecce lacrymæ ipsorum flentium super animabus suis.* In gehenna enim *est fletus et stridor dentium*, Matth. 8. 12. præsertim iis qui insontes vexavere, eosque ad lacrymas adegere. Verum de iis hic non est sermo.

Et neminem consolatorem;) Sive quia tanta est calumniantium potentia, ut nemo ei se opponere valeat, vel audeat; sive quia ea est inhumana et prava hominum indoles, ut potentiori se iungant, et infirmiorem ruentem deserant, imo in ipsum impellant, iuxta illud Ps. 38. 10. *Domine quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum et pauperem a diripientibus eum.* Hoc enim est proprium Dei opusque Numinis. Et Ps. 61. 4. *Irruitis in hominem; interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ.* Talis erat Christus in passione: *Circumspexi*, ait, *et non erat auxiliator*, Isaiæ c. 63. 5. Quocirca Deus ab omnibus desertos in suam tutelam suscipit, protegit, vindicat, iuxta illud Ps. 71. 12. *Liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adiutor;* et Ps. 9. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor;* et Prov. 23. 10. *Ne attingas parvulorum terminos, et agros pupillorum ne introeas; propinquus enim* (Deus qui hebraice vocatur גּוֹאֵל *goel*, id est, redemptor et vindex, qualis olim erat propinquus, v. g. frater) *illorum fortis est. et ipse iudicabit* (vindicabit) *contra te causam illorum.* Symmachus vertit: *Non est eis* παραμυθούμενος, id est, qui in calamitate verbis adhortetur, et incommodum fortunæ leniat.

Nec posse (innocentes a violentis oppressos) resistere eorum violentiæ, utpote omni auxilio destitutos.) Hebr. *Et a manu calumniantium, vel opprimentium eos fortitudo*, scilicet non est; Chaldæus: *Et non est qui vindicet eos de manu molestantium eos in fortitudine manus et in virtute*; Pagninus: *Et de manu opprimentium eos viribus, non erat eis consolator*; Campensis: *Nec esset qui eos consolaretur, multo minus, qui de violentis opprimentium manibus eos eriperet*; alius: *Nec habent vim ullam contra manum illorum qui eos calumnia afficiebant*; alius: *Et in manu opprimentium est potentia*; alius: *Et de manu opprimentium eos potenti, non est eis consolator.* Horum enim vox est Sapientiæ 2. 11. *Sit fortitudo nostra lex iustitiæ*, ut quodlibet liceat, quodque possumus et volumus hoc legitimum iustumque habeatur; sit pro ratione voluntas, pro lege gladius, pro iustitia potentia, quod est tyrannorum axioma.

Et laudavi magis mortuos quam viventes.) Chaldæus addit: *Qui adhuc permanent in tribulatione.* Vers. 2.

Et feliciorem utroque iudicavi; qui necdum natus, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.) Campensis: *Quæ homines in homines designant*; S. Hieronymus: *Qui necdum expertus est omnia mala mundi*; Chaldæus: *Non enim scelerata illa opera vidit, quæ toto orbe sub sole fiunt*; Tigurina vero: *Qui nondum expertus est molesta negotia quæ fiunt sub sole.* Vers. 3.

Olympiod. Hugo Card. et Dion. censent hæc dici ex mente rudium, qui impatientes ad tantas mundi oppressiones, ex desperatione optant sibi mortem, ut iis liberentur. Melius S. Hieronymus, Alcuinus, Hugo Victor. et alii passim autumant hæc dici ex mente Salomonis et Sapientium, q. d. Feliciores, ideoque laudabiliores sunt iam vita functi, utpote exempti omni calumnia, hoc est iniuria, fraude et violentia quam viventes, cui illi semper expositi sunt, ac reipsa sæpe illa vexantur et cruciantur; utrisque autem feliciores sunt, necdum nati, quia non viderunt, id est non senserunt, nec experti sunt hæc mala quæ mortui senserunt, viventes adhuc sentiunt; melior ergo est illorum quam horum sors, illique hisce sunt fortunatiores. Addunt S. Bonaven. et Titelmannus hanc gnomen extendi ad cæteros homines viventes, qui ab iniuriis immunes oppressionibus aliorum quas passim vident, sensu compassionis condolent, iisque affliguntur et cruciantur; hisce enim feliciores sunt mortui, qui nullo sensu doloris, vel propriæ, vel alienæ calamitatis tanguntur.

Valde enim cruciat pios viros oppressorum afflictio et opprimentium violentia. Unde Mathathias, visa tyrannide Antiochi in Iudæos, exclamavit: *Væ mihi! ut quid natus sum videre contritionem populi mei?* 1. Machab. 2. 7. Sic passim Ieremias gemit et suspirat ob calamitates Iudæorum, mortemque optat, ne eas videat, cap. 20. 14. eamdem optat Elias, 3. Reg. 19. 4. Tobias, cap. 3. 6. Moses, Numer. 11. 15. Et S. Polycarpus, visa persecutione Imperatoris in Christianos, exclamat: *O bone Deus, in quæ tempora me servasti, ut hoc patiar?* Testis Eusebius lib. 5. Histor. cap. 19.

Et feliciorem (non positive, utpote qui non est, nec existit, ac proinde felicitatis non est capax; sed negative, id est minus infelicem) utroque iudicavi, qui necdum natus est.) Sanctus Hieronymus id refert ad animas: *Quæ*, inquit, *antequam ad nos in corpus descendant, versantur apud superos: et tamdiu beatæ sunt, quamdiu cælesti Ierusalem et choro perfruuntur Angelico.*

Verum hic est error Origenis, ex cuius sententia hic loquitur S. Hieronymus, non ex sua. Hunc enim errorem passim ipse impugnat epist. 8. ad Demetriadem, et 27. ad Eustochium, et 59. ad Avitum, et 61. ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosolymitani.

Rursum Origenes homilia 7. in Numeros, S. Bonaventura, Caietanus, Titelm. Vatablus et alii per necdum natum intelligunt abortivum, quales sunt parvuli, qui sine baptismo decedunt, suntque ad limbum, ibique feliciorem quam viventes agunt vitam.

Verum plane et simpliciter hic accipias eum qui necdum generatus, nec conceptus est, ac necdum exstitit in rerum natura. Unde Hebr. habent: *Qui necdum fuit*; Septuag. et Syrus: *Qui necdum est factus*; Chaldæus: *Qui adhuc non fuit, nec creatus est in sæculo.* Hic enim nullum sensum doloris habuit vel habet, sed habiturus est, si nascatur; cum mortui sensum doloris habuerint, viventes adhuc habeant.

Comparantur hic viventes et mortui cum non nato,

quoad bona malaque naturæ, non gratiæ; in his enim gratiæ, viventes superant mortuos et necdum natos, cum in illis superentur. Sensus ergo est, q. d. Si commoda et incommoda naturalia spectem quæ sunt tam in vita, quam in interitu; tam in eo qui vivit, quam in eo qui mortuus est, vel necdum natus; satius est, et optarim interiisse, et nunquam esse natum, quam vivere. Tunc enim caruissem omnibus calumniis et ærumnis vitæ, quas tantas tum in me, tum potius in aliis experior et video, iisque intime condoleo, ut omnia vitæ commoda et iucunda cum eis non sint comparanda. Simili sensu, ait Ieremias cap. 20. 14. *Maledicta dies in qua natus sum.* Vide quæ ibidem fuse hac de re dixi.

An præstet non esse, quam male esse? Melius est annihilari, quam peccare. cur?

Quæres an melius beatiusque sit non esse, quam male esse? Respondeo primo; Melius est mori, imo non esse ut annihilari, quam peccare. Peccatum enim, præsertim mortale, est malorum omnium summum, ac summa divinæ maiestatis offensio et iniuria. Melius est autem tollere hanc Dei iniuriam, quam privato huic homini dare esse, et vitam tam malam tamque noxiam. Sicut enim bonum Reipublicæ commune et publicum est reos læsæ maiestatis regiæ interfici: sic multo magis bonum publicum tam Dei, quam totius universi est reos læsæ maiestatis divinæ interimi, et, si fieri posset, annihilari. Omnis enim creatura appetitu naturali magis inclinatur in bonum Dei, utpote commune, quam in suum proprium, utpote privatum; ideoque magis appetit pugnare pro bono Dei, quam suo proprio; quare magis malum Dei, puta peccatum avertere satagit, quam suum esse conservare, imo suum esse exponit periculo pro bono Dei. Hinc iustus mallet in nihilum redigi, quam peccatum habere; quia peccatum peius est quam non esse: licet enim non esse nil habeat boni, tamen pariter nihil habet mali: peccatum autem nil habet boni et plurimum mali. Ex parte vero Dei et universi melius est reprobos esse etiam in tormentis gehennæ, quam non esse; quia in eis resplendet decor iustitiæ et gloria vindictæ divinæ, quod est bonum publicum universi; in eis enim culpæ respondet, et adæquatur pœna, in eaque resplendet maiestas divinæ iustitiæ et potentiæ. Quod si ad hoc possent attendere damnati, minus laborarent in tormentis, Deique iustitiam magis redderent commendabilem, ait noster Salmeron tomo 9. cap. 10. Sit ergo hoc primum axioma.

Satius est non esse, quam damnari.

Secundum esto: Satius est non esse quam damnari et cruciari in inferno; unde animæ damnatæ in inferno optant mori et annihilari, ut tanta gehennæ tormenta evadant, imo iuxta rectum id optabilius est. Quis enim prudens non mallet perire omnino ac nihil sentire, quam tot tamque atroces gehennæ ignes et dolores in æternum sentire, sine ulla spe consolationis et gaudii? Quid enim prodest esse, vivere et sentire, si non nisi in igne summisque doloribus sit, vivat et sentiat? Hinc communis illa damnatorum in die iudicii vox et lamentatio, ut dicant *montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos*, Apocal. 6. Docet id diserte Christus loquens de Iuda proditore: *Bonum* (id est melius et utilius) *erat ei*, inquit, *si natus non fuisset*, Matthæi 26. et Marci 14. Nam, ut ait ibidem S. Hieronymus: *Multo melius est non subsistere, quam male subsistere*. Et Auctor serm. ad Fratres in eremo apud S. Augustinum serm. 20. *Quare*, inquit, *illi melius fuisset, si natus non fuisset, nisi quia melius est omni esse carere, quam in inferno iacere?* Idem docent ibidem Theoph. Victor. Antioch. Anselmus, Beda, Lyranus, Franc. Lucas, Barradius et alii passim, quorum hoc est axioma: *Satius est non esse, quam miserum esse; satius est non vivere, quam vivere in supplicio*. Quin et S. Bernardus serm. 35. in Cant. ut S. Thom. in 4. Distinct. 50. qu. 2. art. 1. quæstiunc. 3. idem asserunt.

Contrarium videtur sentire S. August. lib. 3. de Lib. arbitrio, cap. 7. et 8. quem sequuntur Dionys. Arboreus et Titelmannus hic. Ratio eorum est, quod melius sit esse quam non esse: ergo est melius esse miserum, quam non esse. Quia miser saltem habet suum esse, quod est primum et summum hominis bonum, et fundamentum cæte-

A rorum. Verum hoc physice verum est, ac nude et simpliciter melius est esse quam non esse. Moraliter vero, et secundum prudentem æstimationem melius et eligibilius est non esse quam habere esse omni voluptate et bono vacuum, ac omni dolore et malo plenum, quale habent damnati in gehenna. Quid enim prodest esse physice in se bonum, si tot malis et doloribus undique circumplicetur et involvatur? Sicut, quid prodest mel, si plenum sit felle? quid prodest cibus optimus, si undique veneno sit infectus et vitiatus? Porro qui Deum diligit, mallet esse in inferno, quam non esse: quia vel sic pœnas sustinendo, gloriam Deo daret, et quia talis diligeretur a Deo, ut amicus et filius, quod summum est bonum. Unde Moses optavit, ex charitate et amore Iudæorum, deleri de libro vitæ, Exodi 32. et Paulus anathema fieri a Christo pro Iudæis, Rom. 9. Imo S. Anselmus: *Si hinc*, inquit, *inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem, et alterutrum mihi eligendum foret, mallem in infernum insilire, quam peccatum committere.*

Pueri in limbo malunt esse, quam non esse. Ratio a priori.

B Tertium axioma: Animæ puerorum, qui mortui sunt in peccato originali, deguntque in limbo puerorum, malunt esse, quam non esse. Ratio est, quia peccatum originale non est actus illorum proprius, nec ex actu proprio, sed alieno, puta Adami protoplasti contractum. Ita S. Thomas 1. 2. q. 83. art. 1. ad 5. *Melius*, inquit, *est sic esse animæ* (in peccato originali) *secundum naturam, quam nullo modo esse, præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere.* Favet S. August. l. 5. contra Iulianum, cap. 8. *Ego*, inquit, *non dico parvulos tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret*; et Lyranus: *Habebunt parvuli*, inquit, *vitam iucundiorem, quam in hoc mundo naturaliter haberi possit.* Scotus in 2. Distinct. 33. q. 1. censet *parvulos omnium rerum naturalium cognitionem habituros longe maiorem, quam omnes philosophi habuerunt.* Marsil. in 2. quæst. 20. articulo 5. ait eos *amaturos Deum super omnia.* Similia docent cæteri Scholastici in 2. Distinct. 33. qui parvulis tantum tri-C buunt pœnam damni, pœnam vero sensus adimunt: unde S. Bonav. asserit eos sua sorte contentos vivere.

Hinc colligit noster Lessius lib. 13. de Perfect. divinis, cap. 22. sub finem, parvulos hosce cognituros utcumque clare et distincte essentiam animæ suæ, et etiam naturas angelicas, etsi non tam perfecte; quodque semper laudaturi sint Deum ex sui et aliarum rerum creatione. Ad hoc enim a Deo conditi sunt, neque eo per peccatum aliquod proprium privari meruerunt; non tamen dicendi sunt beati, etiam beatitudine naturali, ut asseruit Pelagius; quia labes peccati originalis obstat, quominus beatitudinem naturalem obtineant, ob quam damnati sunt pœna damni, id est, carent visione Dei, quæ summa est pœna et miseria. Addit tamen eos nullum concepturos mœrorem ex amissione visionis beatificæ, eo quod illam sua culpa non amiserint. Hæc ille: alii aliter sentiunt; sed hæc alibi discutienda sunt.

Præstat mors vitæ miserrimæ.

Quartum: Multi in hac vita tot morbis, carceribus, tormentis, persecutionibus cæterisque ærumnis circumval-D luntur, ut si hæc in se spectes, et nude cum bona vita conferas, seposita fide et spe, melius sit eis mori, quam vivere. Satius enim est carere vita, quam eam habere tot malis oppressam. Nam ut ait Comicus: *Non est vivere, sed valere vita.* Quin et Iob cap. 3. 20. *Quare*, ait, *misero data est lux, et vita his qui in amaritudine sunt? qui expectant mortem, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum*; et Eccles. cap. 30. 17. *Melior est mors quam vita amara; et requies æterna, quam languor perseverans.* Sic Iob ærumnis obrutus optabat mortem et non esse, cap. 3. 4. *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus sum.*

Excipe fideles.

Dico seposita fide et spe, quia hæc suadet homini omnia adversa fortiter tolerare ob spem futuræ gloriæ, uti tolerarunt martyres. Hæc enim gloria tanta est, ut omnis tribulatio ei comparata sit exigua, iuxta illud Apost. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, 2. Corinth. 4. Quin et Christus: *Beati*, ait, *qui persecutionem patiuntur propter iu-*

stitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Matth. 5. A Unde dicebat sanctus Franciscus: *Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet.* Addo, etiamsi Deus nullum statuisset tolerantiæ præmium in futuro, imo etiam si anima interiret cum corpore, tamen fideli ex amore Dei, et virtute fortitudinis, fortiter sustinendæ forent omnes tribulationes, quas Deus illi immitteret, aut homini permitteret, velletque ab illo sustineri.

Ratio a priori. 1. 2. Ratio est, quia Deo creatura sese per omnia submittat, resignet et obediat oportet. Ipse enim summus omnium, ac vitæ necisque est Dominus. Rursum maius est bonum charitatis, fortitudinis et conformitatis cum voluntate divina, quam sit bonum vitæ, famæ, sanctitatis, etc. quod proinde priori cedat oportet, ut si per adversitates auferetur, libens ea fidelis subeat ex charitate, fortitudine, et obedientia, ob quas omnia adversa parvi æstimanda et sustinenda sunt. Christiano ergo philosopho dicendum cum S. Gregorio Nazianz. epist. 64. ad Philagrium: *Morbo crucior et gau-* B *deo, non quia crucior, sed quia aliis patientiæ sum magister.*

Sancti mori optant, ne videant tot mala. Quintum; Multi sancti desiderant mori ex affectu pietatis et charitatis, ne videant tot Dei offensas, itaque suas, et proximorum ærumnas et tentationes. Ita Apostolus: *Infelix ego homo*, inquit, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24 Et: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, Philip. 2. Sic David: *Hei mihi*, inquit, *quia incolatus meus prolongatus est*, Psalm. 119. 5. Sic loco beneficii a Deo datum fuit Ezech. 4. Reg. 20 19 et Iosiæ 4. Reg. 22. 21. prius mori, quam videre mala Iudæis inferenda a Chaldæis. Sic S. Augustinus, Hippone sua obsessa a Wandalis, petiit a Deo unum e tribus, scilicet aut urbem liberari obsidione, aut dari patientiam ad eam sustinendam, aut eripi ex hac vita, et tertium obtinuit, teste Poss. in eius vita.

Mystice Olympiod. Multo feliciores, inquit, sunt mortui peccato, et viventes Christo, quam qui vivunt in peccato, C et beatiores viventibus sunt mortui, tum iusti, quia labores deseruerunt, tum peccatores, quoniam lassabantur hic in peccatis, et futuram gehennæ pœnam sibi minuerunt: dum enim citius mortui sunt, pauciora secum detulerunt peccata. Hinc Thaumaturgus vertit: *Inter iniustos et impios, melius habent vita defuncti, quam superstites, et utriusque conditione potius eligeretur sors eius, qui futurus malus nondum natus est, neque humanam attigit improbitatem.* Et sanctus Ambrosius in Psal. 118 Octon. 18. *Mortuus*, inquit, *præfertur viventi, quia peccare desivit; mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nescivit.* Idem l. de Fide resurrectionis ex hoc Salomonis loco, ac simili Davidis Psalm. 119. 5 et Ieremiæ cap. 15 colligit fideli optandam esse mortem potius quam vitam: *Si igitur*, inquit, *viri sancti vitam fugiunt, quorum vita etsi nobis utilis, sibi tamen inutilis æstimatur, quid nos facere oportet, qui nec aliis prodesse possumus, et nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam usurario quodam cumulo gravescentem, onerari in dies peccatorum ære sentimus?* Citatque illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Quotidie morior*; D et illud Platonis in Phædone: *Philosophia est meditatio mortis.*

Antistrophæ, imo asseclæ Salomonis sunt hæ Philosophorum gnomæ; Plutarchi in consol. ad Apollonium: *O mors, Pæan medicus accedas. Portus enim procul dubio unicus es per terrarum orbem.* Ibidem refert ex Aristot. hoc Sileni dictum, quasi oraculum vulgari proverbio celebratum: *Non nasci omnium est optimum, mortuum autem esse longe est melius quam vivere.* Additque multis numen ipsum sic revelasse et testatum esse. Hine antiquis mel symbolum mortis, fel vitæ habebatur. Senecæ:

Mors est
Portus æterna placidus quiete.

Exempla. Agria, aut ut alii, Cydippa, sacerdos Veneris, a Cleobe et Pitone filiis ad Dianæ templum curru vecta, cum deam orasset ut illis pro pietate præmium daret, quod homini videretur optimum; mortuos in lecto mane reperit, ut refert Cicero Tuscul. 1. qui et addit Silenum pro magno A munere regem Midam docuisse, *non nasci hominem optimum esse, proximum autem quamprimum mori.* Idem Pindaro principi Lyricorum ab Apolline Delphico fuisse responsum, ut scilicet moreretur, hocque esse optimum, refert Suidas ut Plutarc. loco citato. Euripides in Bellerophonte: *Ego*, ait, *iuxta sententiam vulgo celebratam optimum esse dico: Non nasci hominem.*

Plato in Axiocho graphice humanæ vitæ miserias depingens narrat Agamedem et Trophonium cum Apollinis Pythii templum ædificassent, orasse pro mercede dari sibi quod optimum esset; cumque obdormissent, numquam deinde surrexisse. Idem accidit Iunonis Argivæ sacerdotibus: unde illa de Amphiareo:

Iupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, et iusti metas non attigit ævi.

Causiani et plures populi lugent in lucem editos, defunctos autem beatos prædicant. Hinc homo dum nascitur a B fletu vitam inchoat, ut indicet se nasci ad miserias vitæ, ac ex felici statu, quo nondum natus fruebatur, ad infelicem nascendi vivendique transire. Arimnestus, interrogatus *quod maximum homini bonum esset?* respondit: *Bene mori*, uti refert Stobæus ser. 119. ubi et hæc duo addit.

Aristoteles sæpe dicebat e *vita migrare esse optimum, velut e convivio non sitibundum, nec temulentum.*

Aristides cognomento Iustus, rogatus quousque deceat hominem vivere? *Tantisper*, ait, *dum deprehendat emori præstare, quam in calamitatibus vivere.*

Gorgias Senex, rogatus *an libenter moreretur? Maxime*, inquit, *nam tamquam ex putri et diffluente domuncula non invitus discedo.* Ita Stobæus ser. 125.

Bassus Senex: *Si quid incommodi aut metus in morte esse diceretur ab aliis, morientis hoc esse vitium dicebat, non mortis; mors enim nihil incommodi hominibus affert, sed ab omnibus incommodis ac fortunæ miseræ procellis liberat*, teste Seneca epist. 30.

Sublimius Alphonsus Aragon. rex cernens Gabrielem C Surrentinum adolescentem moribundum timore mortis perculsum: *Non est*, ait, *cur tantopere mortem timeas, cum hæc bene pureque morientibus sit vita, atque eius vitæ principium, quæ neque doloribus, neque metui, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subiecta est.* Ita Panorm. et Æneas Sylvius de Gestis ac dictis Alphonsi.

Polyænus non dolendum esse propter mortuos dicebat: *Eo quod melius sit mori, quam misere vivere.* Ita Maxim. ser. 35.

Lacæna quædam, cum filium audisset in acie cecidisse, ait:

Plorentur timidi; mi, infletus humabere, nate:
Et matre hac vere dignus es et patria.

Ita Plutarc. in Lacon.

Hæc nimirum e Salomone hausere Plato et Philosophi; Salomoni ergo, ut sapientiæ fonti, reddatur.

RURSUM CONTEMPLATUS SUM OMNES LABORES HOMINUM, ET INDUSTRIAS ANIMADVERTI PATERE INVIDIÆ PROXIMI; ET HOC ERGO VANITAS, ET CURA SUPERFLUA EST.) Vers. 4
D Id est, cura mala, molesta, anxia, imo pessima et summum affligens. Nam hebr. est רְעוּת רוּחַ reut ruach, id est afflictio spiritus. Septuag. *Præsumptio spiritus*; Complut. *Electio spiritus*; Tigur. *Negotium permolestum*; Campensis: *Animi molestissimum tormentum.* Vide dicta cap. 1. v. 14. Syrus: *Et vidi ego omnes laborantes, et omnes artifices operis; quia zelus viri a socio suo, et hoc quoque vanitas, et perturbatio spiritus*; Arabicus: *Et cognovi ego omnes labores, et universitatem roboris artium, quod invidia natura homini a proximo illius erit; hoc quidem vanum, et afflictio spiritus.*

Pro *proximi* hebr. est *socii*. Invidia enim est inter æquales, et homines eiusdem artis et sortis: hinc *figulus figulo invidet, faber fabro, cantor cantori, vicinus vicino*, ait Hesiod. in Oper. et Diebus; vide Aristot. 2. Rhetor. cap. 11. et 12. et Plutarch. Opusc. de Fraterno amore. Sic ab initio mundi Cain ex invidia occidit Abel fratrem suum; Esau persecutus est Iacobum; filii Iacob Iosephum fratrem; Core, Dathan et Abiron Mosen et Aaronem con-

tribules suos, Num. 16. Saul Davidem, Romulus Romæ conditor Remum fratrem occidit, de quo Lucan. lib. 1.

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

φθόνος enim parit φόνον, id est, invidia parit homicidium, imo parricidium, iuxta illud Pauli: *Plenos invidia et homicidio*, Roman. 1. 29. Notat tamen S. August. lib. 11. de Genes. 1. ad litteram, inferiorem subinde posse invidere superiori, quia optat ei comquari; ac vicissim superiorem inferiori, dum metuit ne ei comquetur, fiatque par pari.

A calumnia transit ad invidiam, vel tamquam ab effectu ad causam: invidia enim causat calumniam; invidus enim calumniatur facta alterius, ut ea obscuret, et sua præ illis illustret extollatque; vel tamquam a simili ad simile, sicut enim potentiores per calumniam, id est, vim et fraudem opprimunt infirmiores; sic invidi persequuntur sibi similes et æquales.

INDUSTRIÆ.) Hebr. כשרון *kisron*, id est rectitudo, congruentia, industria. Unde S. Hieron vertit: *fortitudinem et gloriam laborantium*; Auctor Catenæ Græc. *robur et virilitatem*; Septuaginta: *virtutem operis*; Pagnin. *congruentiam operis*; Caietan. *rectitudinem*; Campens. *conatum*; alii, *aptitudinem*. Symmach. vertit: [illegible], id est, vigorem, alacritatem, acrimoniam, vivacitatem, agendi facilitatem et velocitatem, quæ faciat hominem in opere efficacem, expeditum et terribilem. *Invidia petit magnos.* Invidia enim petit non viles et vulgares, sed industrios, magnanimos et eximios. Horum enim fulgor obstat splendori aliorum, eumque offuscat, qui proinde illi invident. Unde illud: *Alta petit livor, perflant altissima venti. Optima, cibus invidiæ.* Hinc Sidonius Apollinaris epistol. 4. lib. 4. ad Gaudentium ait: *O terque quaterque beatum te, de cuius culmine datur amicis lætitia, lividis pæna, posteris gloria, vegetis et alacribus exemplum, desidibus et pigris incitamentum.* at Apuleius lib. 1. Florid. *Quoniam in magna civitate, ait, hoc quoque genus invenitur; qui meliores obtrectare malint, quam imitari, et quorum similitudinem desperant, eorum affectant simultatem.* *Invidiæ emblema.* Exstat hac de re pulchrum emblema, in quo pingitur palma excelsa, ramis et dactylis luxurians, ad cuius radices inferne glomerantur ranæ et serpentes, qui eam arrodunt, vel coaxando convleiantur. subiicitur lemma: *Invidia integritatis assecla.* Unde carmen:

Palma caput tollit cælo ardua, cuius ad ima
Rana loquax stabulantur et hydri.
Oppugnant proceras, quorum via consona recto est,
Degeneres, atque invida lingua.

Meminit huius emblematis Plutarc. l. de Silentibus Pythiæ oraculis. Hinc Poetæ dixere vel finxere fortunam cum invidia colligatam. Audi Statium l. 5. Silv.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam invidiamque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare deas? nullamne notabit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, et sæva perturbet gaudia dextra.

I. INVIDIÆ PROXIMI.) Invidia hic tripliciter accipitur: primo mutua, qua superbi sibi invident, et se mutuo in eadem arte, scientia, officio æmulantur, ut alter alterum superare contendat, q. d. Labores hominum, quibus magna machinantur, sæpe non ex veritate veraque virtute, sed ex vanitate vanoque fastu et invidia promanant; ideo enim quisque laborat, omnesque vires animi et corporis in opere exerit, ut socium superet cæterisque emineat. Unde Hebr. habent: *Vidi omnem laborem et omnem industriam operis, quod ipsa sit zelus, vel æmulatio viri a socio suo*; Tigur. *Vidi omnem laborem et omnem industriam agendi mutuam esse æmulationem*; Pagnin. *Vidi omnem laborem et omnem congruentiam operis, quod esset invidia uniuscuiusque ad proximum suum*; Campensis: *Multa*, inquit, *experientia didici hominum conatus et studia non alia tendere, quam ut quisque vicino suo, quibus possit artibus, noceat, et rem propriam promoveat. Quod quid est aliud, quam molestissimis curis animum misere torquere?*

II. Secundo, invidia cum Lorino accipi potest active. Unde Chald. vertit: *Hoc quoque vanitas est peccatori* (invido) *et contritio spiritus* q. d. Vidi labores et industrias hominum proborum et sapientum, ex virtute susceptos, parere invidiam intuentium, quæ magna est vanitas et afflictio invidorum: *Invidia enim est animi invidentis serra*, ait Socrates: *et cordis rubigo*, ait Antisthenes apud Laert. lib. 6. c. 1. quia cor ipsum rodit, exedit, consumit. *Putredo ossium invidia*, ait Salomon Prov. c. 14. v. 30. *Zelus et iracundia imminuit dies*, ait Eccl. c. 30. vers. 26. Quocirca S. August. serm. 13. de Temp. *Invidia*, ait, *est animæ tinea, tabes, carnifex, vipera.* *Invidia vipera.* Unde Seneca: *Vellem*, inquit, *oculos invidorum esse ubique, ut omnium felicitatibus torquerentur.* Ita accipit S. Hieronym. dum ait: *Quid enim vanius, quid instabilius, quam homines non suas flere miserias, sed melioribus invidere?* Et Thaumaturgus, qui paraphrastice sic vertit: *Iam hoc* (calumniarum et calumniantium de quibus v. 1.) *exemplo meo liquidum sit, si qui in viros claros evadant, quanta eos proximorum sequatur invidia. Tametsi is qui maligni dæmonis æstrum et stimulum illum in præcordiis gerit, et ex aliena felicitate inconsolabilem mærorem concipit, nihil aliud inde consequatur, quam quod suam ipsius animam una cum corpore consumens discruciet.*

Quocirca, sapiens consilium et acutum ad invidiam profligandam, præsertim in scientia et eloquentia, suggerit Plinius Iunior, lib. 6. epist. 17. ad Restitutum: « Disertior ipse es, inquit, tanto magis ne invideris; nam qui invidet, minor est. Denique sive plus, sive minus, sive idem præstes, lauda vel superiorem, vel inferiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille non est, non potes ipse laudari; inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri quem excedis vel exæquas. »

III. Tertio et genuine invidiam, quatenus *vanitas est et afflictio spiritus*, accipe passive, q. d. Labores et industriæ virorum strenuorum, magna probe sancteque molientium, in se quidem vera est virtus et gloria, sed tamen secum vehit non levem vanitatem et afflictionem; nam sibi conciliat æmulorum invidiam, quæ heroica generosorum molimenta impedit et intervertit, ac eos affligit, prosequitur, cruciat et deprimit, ne eis videatur inferior. Ita S. Bonavent. Lyran. Hugo Victor. Caietan. Titelm. et alii. Hunc sensum exigit nostra versio, quæ habet: *Industrias animadverti patere invidiæ æmulorum*, ut ab eis industrii vexentur, et sæpe evertantur; patere enim invidiæ, idem est quod obnoxium esse invidiæ, pati invidiam, vexari ab invidis.

Denique plenus erit sensus, si tertio addas secundum, ac invidiam non solum passive, sed et active accipias. Ita S. Hieron. et ex eo Alcuinus: *Vidi*, inquit, *omnem fortitudinem et gloriam laborantium, et deprehendi bonum alterius esse alterius malum: dum invidus aliena felicitate torquetur, et patet insidiis gloriosus*, q. d. Opera gloriosa hoc vanitatis et afflictionis adiunctum habent, quod pariant invidiam, quæ torquet et exagitat tam invidos, quam eos quibus invidetur; dum ab invidis invidias et calumnias sustinere coguntur. Unde illud: *Invidia sibi et aliis est venenum.* Sic et Olymp. et Hugo Victor.

Socrates, rogatus *quid viris bonis molestum esset?* dixit, *Malorum felicitas. Quid malis? Bonorum prosperitas.* Ita Anton. in Melissa serm. 70. p. 1.

Aristot. rogatus *quid esset invidia? Est*, inquit, *fortunatorum antagonista.* Ibidem serm. 62.

Cleobulus, rogatus *quænam præcipue essent cavenda?* respondit: *Amicorum quidem invidia, inimicorum autem insidiæ.*

Modus vincendi invidiam 1. Porro modi declinandi, vel superandi invidiam sunt varii. Primum dat Crates Thebanus apud Laert. l. 6. c. 5. Si præclara quidem geres, sed gloriam, opes et honores contemnes; hæc enim tria fere pariunt invidiam. Cato senior, eos qui fortuna moderate sobrieque uterentur, dicebat minime peti invidia. Non enim, inquit, nobis sed bonis, quæ nos circumstant, invident homines. Externa bona extra hominem sunt, at insolenter utenti vitium intra hominem est, qui eo sibi conflant invidiam, vere sunt invidiosi. Ita

Plutarchus in Rom. apophth. et Stobæus serm. 36. *Divitiæ*, ait ille, *iniuriæ sunt pignora.*

Rursum prudenter monet Comicus: *Propter invidiam vela opulentiam*; et Cato in Distichis:

Invidiam nimio cultu vitare memento,
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

Vide quæ de invidia dixi Genes. 37. v. 4. et 5. Proverb. 19. 30. Eccles. 14. v. 8. Præclarius idem docet S. Basil. hom. de Invidia, ubi ostendit remedium invidiæ esse, nihil ex
2. fluxis hisce bonis quæ invidiæ sunt materia, magnifacere, sed vana et exilia, uti sunt, existimare. Secundum est, cedere honori et officio, cui æmuli invident. Ita D. Gregor. Nazianz. cum intelligeret se ob successum felicem in Ecclesia quorumdam odio laborare, respondit: *Absit ut mei causa aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tempestas, tollite et mittite me in mare.* Ita Eccles. Histor. lib. 11. 9. et Seneca epist. 105. *Invidiam*, ait, *effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si sciveris in sinu gaudere.* Sapienter Auctor Emblematum.

Falle vivens, sed non te.
Vixerit is bene, qui natus moriensque fefellit
Externos, solus cognitus ipse sibi.

Felix qui latuit, λαθεβιώσας, *latenter vive. Difficilis est gloriæ custodia.*

3. Tertium est, invidorum obloquia non verbis, sed factis retundere et superare; ideoque obloquia dissimulare et contemnere, imo ea accipere, ut virtutis testimonia, in eisque gloriari. Nemini enim invidetur, nisi qui præclara gerit, qui clarus est et eximius. Hinc Cicero 1. Catilin. *Invidia*, ait, *virtute parta, gloria putanda est, non invidia. Cæterum ego inter homines* (ait Chares) *tam diu mihi videor esse fortunatus, quamdiu invidiosus fuero. Invidiam non probo* (inquit Euripides) *velim tamen propter bona mihi ab aliis invideri.* Sapienter Philosophus: *Ora virtute obtura, non metu. Linguas non præscinde, sed cave.* Rursum, *Satius est ut quis sit invidiosus, quam miserabilis*, ait Herodot. in Thalia, et Pindarus in Nemeis, hymno 8. Unde Themistocles, dum adolescens, nihil adhuc præclari se facere dixit: nondum enim invideri sibi. Nam sicut cantharides vegeto maxime tritico innascuntur, et rosis pulchre florentibus: sic invidia maxime invadit bonos viros, et in virtute proficientes, et ingenii personæque gloriam eminentes: ita Anton. in Melissa part. 1. serm. 62. Sicut sol affert necessario umbram, et qui in sole ambulant eos statim sequitur umbra; sic virtus parit invidiam, et eos qui in gloria versantur, necessario sequitur æmulatio. Hinc *Parvulum occidit invidia*. Iob. 5. 2. quia sicut sol non eclipsat lunam, nec luna terram, sed e converso, terra lunam, et luna solem, id est, inferior superiorem, sic superiores virtute et gloria non invident inferioribus, sed inferiores superioribus. Invidia ergo signum est paupertatis et egestatis, quod quis eo, cui invidet, sit inferior, pusilli et parvi animi. Nam et *invidere ægritudinis est, et æmulari et obtrectare*, ait Cicero Tuscul. 3. Rursum Plutarch. lib. de Differ. odii et invidiæ asserit felicitatis animique magnitudine sæpe invidiam extingui: *Neque enim*, inquit, *credibile est Alexandro aut Cyro invidere quemquam sanctorum tam dominis.* Sapienter Beda in Proverb. *Nihil*, ait, *magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.*

Exemplum S. Bernardi. Quocirca S. Bernardus triplici ratione invidiam superandam esse, scilicet primo humilitate, secundo charitate, tertio auctoritate, non tam verbo quam facto docebat. Audi Auctorem vitæ eius lib. 1. sub finem: « Tanto ergo virum illum sanctum usque hodie apud Deum, et apud homines commendant sacrorum insignia virtutum, testimonia circumvallant sanctitatis, charismate sancti Spiritus illustrant, quodque maius his omnibus et difficillimum est in rebus humanis, hæc ei omnia sine invidia adesse videntur. Compescit autem ab eo invidiam, quod omni invidia maior est, in quantum nequitia cordis humani, hoc sæpe cessat homini invidere, quo non potest aspirare; sed et ipse omnem invidiam eius mortificet exemplo humilitatis, aut mutat in melius provocatione charitatis: aut si nequior, vel durior est, obruit pondere auctoritatis. » Et post nonnulla: « Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua, nonnunquam tamen est quod patiatur inimicantem sibi gratis iniquitate aliena. Charitas autem, quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, et sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate. »

Denique licet invidia afflictionem pariat ei cui invidetur, tamen eidem affert solatium et gaudium. Indicat enim tantum ipsi boni inesse, quantum adest invidiæ; sicut enim quantum crescit corpus, tantum crescit eius umbra: sic quantum crescit virtus, tantum crescit et invidia. Invidiæ ergo afflictionem sopiat invidendi causa, puta virtus et gloria. Quocirca Plutarch. libr. de Pernicioso pudore. taxat eos qui ob metum invidiæ a præclaris operibus cessant; *Quando sæpe non minore male audiendi, quam male patiendi metu ducti, honestatem prodiderunt nonnulli ob impatientiam infamiæ.* Idem per allegoriam Scyllæ et Charybdis repræsentat Annulus in picta poesi, dum ita canit:

Invidia obtrectans monstris est Scylla caninis;
Funditus at mergens paupertas, vasta Charybdis.
Incidet in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.
Allatrat livor mordax, absorbet egestas.
Ex utroque malo minus elige: qui sapit optat
Invidiosus enim *mage, quam miserabilis esse.*

Satius ergo est incidere in Scyllam, id est in invidiam, quam in Charybdim, id est in miseriam et inopiam, præsertim virtutum et meritorum. Invidiosum vocat eum qui ob opes et virtutes occasionem dat ut sibi æmuli invideant; invidos vero eos qui invidioso invident; adeoque præstat inopem esse et miserum, quam invidum; sed invidiosum præstat esse quam miserum. Plura de invidia vide apud S. August. serm. 83. de Tempor. Nazianz. orat. 12. S. Cyprian. tract. de Zelo et livore, S. Basil. homil. de Invidia. S. Chrysost. in cap. 12. epist. 1. ad Corinth. S. Ephrem. tom. 1. pag. 37. S. Gregor. 5. Mor. c. ult. et 3. p. Pastor. c. 11. B. Antiochum hom. 55. S. Bern. hom. 13. in Ps. 90. Anton. in Melissa serm. 62. Maxim. serm. 54.

STULTUS COMPLICAT MANUS SUAS, ET COMEDIT CARNES SUAS (S. Ambr. legit, *viscera sua*) DICENS.) Chald. Vers. 5
Stultus vadit et complicat manus suas in æstate, et non vult laborare: et in hieme comedet quidquid est ipsi, et etiam operimentum quod est super pellem carnis suæ: hoc enim divendit ut cibum comparet. S. Hieron. *Stultus continet manibus pectus suum*; Campens. *Stulti iunctis manibus desident otiosi, et quidquid habent consumunt*; Vatabl. *Absumit omnia sua.*

Complicat manus et edit carnes suas.

I. Invidus. Primo, aliqui putant hic pingi invidum: hic enim ex dolore et invidia complicat, stringitque manus, et carnes suas comedit, dum eas livore tabescens consumit, corque suum exedit. Ita Thaumaturgus et Ioannes Ferus. Unde symbolum Pythagoræ: *Cor ne edito*, id est ne curis vel livore te conficias.

II. Superbus. Secundo, alii censent hic pingi ambitiosum: hic enim superbe complicat manus, putans sibi otioso et inerti omnia deberi, et omnia ultro in sinum involatura. Superbia enim parit inertiam: unde superbos videmus pigros, nec velle laborare. Ita Lyranus.

III. Avarus. Tertio, æstimant nonnulli hic pingi avarum; hic enim arctat manus ne quidquam eroget, ac præ avaritia genium suum fraudat, ut macrescat et carnes suas exedat. Ita Hugo.

IV. Gulosus. Quarto, alii opinantur hic describi gulosum et libidinosum; hic enim per gulam et luxuriam, quam manibus perpetrat, lædit valetudinem, carnesque et vires suas exhaurit, uti docet Salomon. Prov. 5. 11. Unde Auct. Cat. Græcor. *Impius*, ait, *comedit carnes suas, dum exsatiat se malis, quæ ex carne nascuntur.*

V. Otiosus. Quinto et genuine, pingitur hic otiosus, piger et iners, qui complicatis manibus torpidus desidet, ac torpore, indeque consequente egestate, fame et inedia carnes suas consumit. Commode enim transit ab invido ad pigrum: quia multi ut vitent invidiæ morsus et damna, dant se

inertiæ, ut vivant tranquille, sed egentes et miseri. Ita S. Hieron. Campens. Caiet. et Titelm. Huc pertinet emblema Scyllæ et Charybdis, quod sub finem v. 4. recitavi. Audi S. Hieronym. *Totum quod disserit, hoc est, ut ostendat et eum qui laborat, et habet aliquid in mundo, patere invidiæ: et rursum eum, qui vivere vult quiete, inopia opprimi; et esse utrumque miserabilem, dum alius propter opes periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur.* Hinc Symmach. vertit: *Stultus complicatur manibus suis.* S. Clemens lib. 2. Constitut. Apost. c. 4. *Otiosus,* inquit, *manus suas complexus est, et carnes suas devoravit;* indeque concludit: *Si quis inopia premitur, quia edax, aut ebriosus, aut otio deditus sit, hic non est subsidio dignus, imo neque dignus Ecclesia Dei.* Unde colligit viduæ otiosæ, voraci et temulentæ, non esse largiendam eleemosynam. Symbolice Hugo Victor. *Complicat,* ait, *manus suas quasi pactum faciens cum otiositate;* Caietan. *Tamquam charas habens manus, ut illas complectatur servando ab exercitii labore;* Olympiod. *Tamquam complectens eas ob delectationem, eisque salutando blanditur;* comeditque carnes, quia caro eius egestate consumitur. Sic idem Salomon pigrum pingit conserentem manus eidemque nuditatem et famem minatur Prov. cap. 6. 9 et 10. et cap. 18. 8. et cap. 19. 24. et cap. 24. 33. et cap. 26. 15.

Hoc facit proverb. Hebræorum: *Fuit fames, et non transivit per ostium artificis;* quia opifices laborando lucrantur vitæ necessaria, itaque famem depellunt. Porro otiosus hic vocatur *stultus,* quia summa stultitia est otio se ad famem et tabem adigere.

Hinc S. Clemens lib. 2. Constit. cap. 63. suo et seniorum sacerdotum exemplo iuniores clericos ad laborem serio hortatur: *Etenim et nos,* inquit, *verbo Evangelii incumbimus, tamen exercere illa quasi adminicula operis huius non negligimus; partim enim nostrum sunt piscatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ, ne umquam otiosi simus.*

Edere carnes. quid? Resp. 1. COMEDIT CARNES SUAS.) Primo Chald. per carnes accipit vestes quæ tegunt carnes, q. d. Otiosus consumit vestes, dum eas vendit, ut victum comparet.
2. Secundo melius alii, *comedit carnes,* id est otio extenuatur et fit macilentus; otium enim succum corporis deterit et exhaurit, sicut exercitatio et labor eumdem adauget, facitque fortes et succulentos: quia *quantum otiositas sua impinguat, tantum subsequenti inedia maceratur; ideo comedit carnes suas,* ait Olympiod.
3. Tertio et optime, *comedit carnes suas,* id est, summa inedia et fame carnes suas consumit, ac subinde emoritur. Est hyperbole. Unde Vatab. et Camp. vertunt: *Omnia sua consumit.*
4. Quarto, comedere carnes significat rabiem famis, qua adacti otiosi, famelici in uxores, filios, et carnes suas grassantur, eorum opes devorant, imo subinde eos mordent et vorant, uti Iob ait c. 13. 14. *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* Potuit enim fieri, ait Philippus Presbyter ibidem, ut Iob præ vehementia doloris manus, sive labia sua dentibus laceraret, et se iam tormentis deficiente, animam exeuntem, velut efferendam, portaret in manibus. Similes phrases sunt Iob c. 19. 22. et c. 31. 31.

Sic Polypus brachia sua vorare perhibetur ab Oppiano lib. 2. licet idipsum neget et refutet Plinius lib. 9 cap. 9. et Arist. l. 8. Histor. anim. c. 2. Omnes enim otiosum pigrumque aversantur, nec ei succurrere dignantur. Ingeruot enim ei legem Apostoli: *Si quis non vult operari, nec manducet,* 2. Thes. 3. 10. Simili schemate ait Moses Deut. 28. 53. *Comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus;* sicut in obsidione Hierosolym. matres fame rabidæ comederunt proprios filios. Et Isaias c. 9. 19. *Et erit,* ait, *populus quasi esca ignis: vir fratri suo non parcet, et declinabit ad dexteram, et esuriet: et comedet ad sinistram et non saturabitur; unusquisque carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, et Ephraim Manassem, simul ipsi Iudam.*

Mystice S. Ambros. epist. 30. in editione Romana iuxta aliam edit. 36. « Stultus, ait, complicat manus suas, et devoravit viscera sua, id est corporalibus se implicavit negotiis, et devoravit viscera sua, sicut mors prævalens, et ideo non invenit vitam æternam. Sapiens autem attollens opera sua, ut lucerent coram patre suo, qui in cœlis est, non absumpsit, sed elevavit viscera sua, usque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientiæ saltatio, quam saltavit David; et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit; ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: sede a dextris meis. »

DICENS: MELIOR EST PUGILLUS CUM REQUIE, QUAM Vers. 6.
PLENA UTRAQUE MANUS CUM LABORE ET AFFLICTIONE ANIMI.) To *dicens* non est in Hebræo, Chaldæo, Græco, Syro, Arabico; unde Thaumaturgus, Sanctus Hieronymus, Olympiodorus, Albinus et Caietanus censent hic esse antithesin versus præcedentis, quasi ibi otiosus, qui complicat manus et fame tabescit, hic negotiosus describatur: isque duplex, scilicet nimis laborans, et moderatus in labore. Virtus enim consistit in moderatione, et in medio duorum extremorum vitiorum, quæ hic sunt otium et nimius labor, nimiaque sollicitudo: in medio horum duorum consistit mediocritas laborandi, quam dicit: *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.* Unde Thaumaturgus vertit: *Atqui præoptarit vir sapiens et cordatus alteram manum cum facultate et lenitate implere, quam utramque ærumna, et fraudulenti spiritus calliditate et versutia.*

Id reipsa verum est. Unde idipsum sæpe alibi docet Scriptura, ut: *Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas,* Psal. 36. 16. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles,* Prov. 15. 16. *Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate,* Prov. 16. 8. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio,* Prov. 17. 1. Victui necessaria sufficiunt, ut sicut sine paupertate, sic absque divitiis sit; quod Salomon a Deo poscebat. quin et Apollonius Tyaneus, cum diceret: *Concedite mihi, dii, pauca habere, et nullius indigere.*

Verum melius noster interpres hunc versum nexuit præcedenti, censuitque utrumque ad unum et eumdem pertinere, puta ad otiosum et pigrum, ac proinde per mimesin eius sensa hic exprimi, ideoque supplendum esse το *dicens.* Otiosus ergo hac sententia, quæ in se sæpe vera est, abutitur ad velandam suam pigritiam. Ita S. Bonav. Hugo Victor. Campensis, Titelm. Osorius et alii.

Hebr. ad verbum habent: *Bonum plenitudo manus cum quiete, præ plenitudine manuum duarum* (*vel plurium.* Hebr. enim חפנים *chophnaim,* cum sit tantum dualis, et duas manus, et plures manus significat; tamque est pluralis, quam dualis) *cum labore et afflictione spiritus.*

Ubi nota: *Plenitudo manus* est pugillus, sive parvus pugnus, puta tantum quantum quis digitis ad manum complicatis compressisque stringere et complecti potest. Unde hebr. כף *caph* significat manum curvam, qualis est in pugno sive pugillo.

Pro *plena utraque manu,* Hebr. est *plenitudo chophnaim.* id est, plenitudo duarum (vel plurium) volarum sive palmarum, puta manuum extensarum. Opponitur ergo pugillus unus, duabus manibus extensis, quæ non tantum pugilli duplum, sed quadruplum et amplius complectuntur. Hinc Symmachus vertit: *Melior est plenus pugillus cum requie, plenitudine utrarumque manuum cum labore;* Septuag. quos sequitur Syrus et Arabicus, vertunt: *Bona plenitudo pugilli requietis, super plenitudinem duorum pugillorum laboris, et præsumptionis spiritus;* Syrus: *Melior est plenus pugillus requie, quam plenæ manus labore et perturbatione spiritus;* Arabicus: *Plena palma requie, multo magis quam plenæ duæ palmæ labore et afflictione spiritus.*

Nonnulli sic explicant, q. d. Præstat duplo minus victus et sumptus etiam necessarii, si duplo quietis et otii adderetur, quam e contrario duplo amplius cibi, divitiarum et deliciarum, si de quiete et otio alterum tantum detraheretur. Verum hic sensus arctus est nimisque arithmeticus.

Sensus ergo genuinus est, q. d. Pugillus farinæ, vel escæ, id est, modicum et minimum cibi, quo frui possis cum quiete, præstat utraque manu plena deliciis, id est, præstat copiosissimis et lautissimis epulis, si eas comparare debeas cum labore et afflictione animi; quia melior est quies animi cum cibo modico, quam afflictio et tumultus animi cum cibo optimo et maximo: melior est pax mentis cum fame, quam perturbatio mentis cum satietate. Id verum esse liquet in Religiosis, qui feliciores sunt sua frugalitate cum quiete, quam reges et principes suis epulis cum tot curis. Tranquillitas enim animi est bonum altioris ordinis, quod omnes delicias omniaque bona corporalia longe superat et transcendit. Hoc verum est, sed inde perperam concludit otiosus et piger: Ergo mihi supersedendum est omni labore et afflictione; ergo cavenda est mihi vita laboriosa et industria, quæ concitat æmulorum invidiam; malo esse pauper, et carere invidia, quam præclara gerere, quæ mihi moveant invidiam. In qua collectione sive conclusione errat primo: quia ab uno extre-

Pigri paralogismus. I. mo nimii laboris declinat ad alterum extremum, puta ad morum otium et desidiam; cum mediam virtutis, puta moderati laboris sortem capessere deberet. Unde Campensis vertit: *Melius est paululum cum ignavia, quam multa conquirere laboriose*; qui manifestus est error, et dictamen acediæ.

II. Secundo, quia dum declinat invidiam passivam, incidit in activam, quæ peior est; paupertas enim impellit eum, ut aliena concupiscat et furetur, ut divitibus opes invideat et auferat: dum ergo non vult fieri per laborem et opes invidiosus, per desidiam et inopiam fit invidus, quod longe deterius est; pigri enim, quia inopes, industriis opulentorum invident tam industriam, quam opulentiam.

III. Tertio, quia otium et desidia mille ingerunt homini cogitationes, cupiditates, timores, sollicitudines quæ longe magis affligunt otiosum, quam labor negotiosum. Id docet Salomon Proverb. 21. 2. *Desideria occidunt pigrum. Noluerunt quidquam manus eius operari: tota die concupiscit et desiderat.*

IV. Quarto, quia licet in temporalibus subinde melius sit modicum cum requie, quam multum cum labore, tamen in spiritualibus id falsum est; si enim fidelis, præsertim sacerdos, vel religiosus, diceret: Volo quiescere in mea iustitia; nolo laborare, ut fiam sanctior; nolo crescere in gratia, meritis et gloria; nolo tendere ad perfectionem, graviter peccaret. Unde S. Chrysost. acriter invehitur in eos qui dicunt: Sufficit mihi, si salver, si in ultimo Angelorum choro in cælo consistam; imo vero, inquit, debes conari ut ad Cherubinos et Seraphinos eveharis.

1. Mystice, Olimpiod. tripliciter exponit. Primo, pugillus ait: Est indeficiens fides, quæ est in Dominum Iesum Christum. Duo autem pugilli intelligendi sunt, cum quis duobus dominis servire studet, Deo scilicet et mammonæ, et opprobria illa pati, quæ Propheta commemorat: *Usquequo claudicabit in utrumque poplitem?* 3. Reg. 18. Melius est ergo sine ulla controversia, quod hic prius ponitur. Aliter: Pugillus unus, unitas ipsa quæ materia caret: pugilli duo, materialia, quæ dividi possunt. Habetur præterea ipsa dualitas in Scripturis Sacris, immunda et impura. Nam immunda animalia bina ingrediebantur in arcam Noe. Melius ergo est unitatem sequi, ac officiosam vitam ducere cum quiete, hoc est sine inania gloriæ foen. quam oc-

2. cupari circa dualitatem, hoc est res materiales. Aliter: Contemplari possumus hominem fuisse olim pugillum, cum videlicet Deus pulverem de terra accipiens, ac velut pugillo concludens plasmavit hominem. Pugillus etiam fuit mulier: a latere enim Adam costam manu Deus apprehendens Evam plasmavit. Melior ergo est cælibatus pugillis duobus, hoc est, dualitate et copula coniugali. Quamvis enim coniugium damnandum non sit, cælibatus certe laudabilis et molestia carens. Hucusque Olymp.

Et afflictione animi. Hebr. רעות *reut* et afflictionem et malitiam significat. Posterius hoc secutus Thaumat. vertit: *Subdoli spiritus malitiam*. Et Chald. *Melior, ait, homini est plenus cibi pugillus in tranquillitate animi, et a furto et rapina alienus, pugillis duobus cibo refertissimis, vi et concussione conquisitis: nam et hos aliquando in iudicio repensurus est summa sua molestia et animi perturbatione*, q.d. Satius est parum iuste partum cum quiete, quam multa iniuste parta cum rapina et tumultu. Nam, ut ait S. Hier. *Iustitia requiem habet, iniquitas laborem.* Verum *reut* hoc toto libro non tam malitiam culpæ, quam pœnæ, id est afflictionem significat, uti cæteri passim vertunt: hæc enim directe opponitur quieti et tranquillitati.

Considerans, reperi et aliam vanitatem sub sole. Unus est, et secundum non habet, non filium, Vers. 7 et 8
non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.) A vanitate pigri fame tabescentis transit ad contrariam vanitatem avari sordida parcimonia tabescentis, qui semper laborat, ut corradat opes, nec sibi, nec filio, aut fratri, quibus caret, sed incerto et ignoto hæredi: hæc magna est vanitas; unde eamdem sæpius iterat et inculcat, ac perstringit Salomon, ut cap. 2. v. 18. et seq. cap. 3. v. 22. Vide ibi dicta.

Unus est.) Hoc est, unicus est, sive solus sine filio et fratre, hoc est, sine proximo et necessario hærede: unus enim pater multiplicatur, et fit multus in filiis; unde una eius hæreditas in multos filios dividitur, fitque multiplex. Licet enim iure Cæsareo laterales, puta nepotes, ab intestato succedant in bona patrui defuncti, usque ad decimum gradum inclusive; tamen non tenetur testator deficientibus, tum ascendentibus (uti sunt pater, avus, abavus) tum descendentibus (uti sunt filii et filiorum filii) instituere hæredes consanguineos in linea transversali, ut patet Institut. de Inoffic. testam. in princ. vers. *Soror* autem l. *frater* C. eod. tit.

Porro per unum maxime notat sordide avarum, qui nummos suos abscondit, solusque crebro inspicit, ne a quo furto subducantur. Unde a nullo eos videri sinit, qualis fuit Comicus ille Euclio, qui opes domi defodit, et anum domo extrudit, ne illa opum sit conscia; sic enim ait:

Exi, age, exi, exeundum hercle est hinc foras.
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
Oculos hercle istos improbos effodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram,
Quæ in occipitio quoque habes oculos pessima.

Huc accedit Olympiod. «Unum, inquit, hoc loco accipit, qui seipsum tantummodo fovet et diligit, qui ne habere quidem velit filios ac fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamvis natura nullos affines et consanguineos habeat, qui tamen secundum Dei præcepta charitatem sectatur, omnes homines quamvis externos esse sibi filiorum loco putat, et fratrum, iuxta illud: Esto orphanis tamquam pater, et tamquam maritus matri eorum.

Mystice, S. Ambr. lib. de Instit. virg. c. 10. hæc explicat de Christo: « Est unus, inquit, et non est secundus is de quo dictum est: Magister vester unus Christus est, unigenitus Dei filius, solus, primus, unus Deus, quod vult faciens, non quod imperator (videlicet ut Deus est) est unum quid cum patre, unicus sine peccato, solus sine adiutorio (in passione) non est finis laborum eius; quia pro omnibus advocatus est apud patrem, et infirmitates nostras suscepit, et pro nobis dolet et infirmatur: non satiatur oculus eius divitiis, quia ipse est altitudo divitiarum, sapientiæ et scientiæ Dei, in quo sunt thesauri mysteriorum cælestium. Non est finis omni populo eius, quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ perpetuæ vitæ acquirit ætatem. » Sic et Salonius et Alcuinus.

Verum Christo non convenit id quod sequitur: *In hoc quoque vanitas est*. Unde S. Ambros. idipsum applicat Christianis, qui, uno Christo relicto, vano serviunt sæculo, uti mox patebit; sane hæc allegoria litteræ et scopo Salomonis parum consona, imo dissona videtur. Unde Hugo Card. *Hæc*, inquit, *impositio potius quam expositio videtur*, nisi S. Ambr. et S. Hieron. auctoritate fulcire-

tur, ob quorum reverentiam illam repudiare non audeo.

Et secundum non habet.) Id est, deest ei legitimus hæres, puta filius vel frater. Unde Chald. clare vertit: *Et non est secundus præter eum, neque etiam filium, neque fratrem habet ad hæreditandum facultates eius.*

Et tamen laborare non cessat.) Hebr. Septuag. et Syrus: *Nec est finis omni labori eius*; Arabicus: *Nec in omni labore suo est confusus*, non pudet eum laborare assidue instar asini. Aquila vertit τέλος: quæ vox et finem et perfectionem significat, q. d. Nondum se satis opibus plenum perfectumque existimat, sed plura et plura semper appetit, nondum res suas confectas, nondum se vicisse difficultates et impedimenta fortunæ sortis autumat. Campensis: *Cupiditatibus eius nullæ divitiæ satisfaciunt.* Nimirum egenus est, qui egenum se æstimat, ideoque coacervare non cessat, esto sit ditissimus: *Miser est, qui se non beatissimum iudicat, licet imperet mundo*, ait Seneca epist. 9. Et Comic. *Non est beatus, esse qui se non putat*; nec miser, qui se non æstimat miserum. *Tuum quidem malum*, ait Marcus Antoninus Imp. cognomento Philosophus lib. 4. de vita sua: *Non est in alterius animo positum, neque in conversione ulla aut mutatione cæli: ubi ergo? in opinione de malis tua. Nihil igitur malum esse iudica, et omnia bene habebunt. Quod si corpus, quod animo tuo est proximum, secetur, uratur, suppuretur, putrescat; tamen ea pars, quæ iudicare de his debet, quieta sit: hoc est, existimet nihil esse neque bonum, neque malum, quod ex æquo potest bono atque malo accidere: nam quod ei qui secundum naturam vivit, ex æquo accidit; id neque secundum, neque contra naturam est.*

Nec recogitat dicens) Campensis: *Neque unquam ad se redit, ut apud se dicat: Quibus laboro?* Hæc verba non sunt in Hebræo et Græco, sed subintelliguntur: unde solerter ea supplevit Noster et Chald. Est hæc insignis incogitantia et dementia avarorum, quod non recogitent usum et fructum, imo vanitatem suorum laborum et curarum, quibus continuo frustra se vexant. Similis est illa divitis avari, qui proinde audit a Christo: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Lucæ 12. 19. Dementiam hanc clarius repræsentat Eccl. c. 11. v. 18. et seq. *Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis eius, in eo quod dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus, et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur.*

Cui laboro) Τὸ cui non est neutrum, q. d. Ad quam rem, quo fine, quo fructu laboro; sed masculinum, cui, scilicet homini vel hæredi; hunc enim significat hebr. מִי mi. Chald. *Cui tandem me excrucio?* Thaumaturg. *Ex eo lubens quæsiverim quam ob causam laboribus se conficiat.*

Et fraudo animam meam.) Defraudo genium meum, non audens uti opibus tanto labore meo partis, sed eis parcens; easque asservans incerto hæredi. Hebr. *Et deficere facio animam meam*; alii: *Imminuo animam meam*; Septuag. *Fraudo animam meam bonitate*, id est, iucunditate et voluptate sua; Syrus: *Perdere facio animam meam bona*; Arabicus, *bonum*; Chald. *Et non dicit in corde suo: Cui ego laboro et fraudo animam meam bonis? Surgam et faciam ex eo eleemosynam, et lætabor in hoc sæculo cum filiis hominum, et in sæculo venturo cum istis.*

Tropol. S. Ambros. de Institut. Virg. cap. 1. *Cur ergo*, inquit, *sæculo* (*et non uni Christo*) *laboramus et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii, nisi huic Domino servire deberemus?*

Avari ergo similes sunt Iudæis, qui avare colligentes manna, plus quam edere poterant, mox viderunt illud putrescere, et scatere vermibus, Exodi 16. Idem fit avaris, quos proinde obiurgans S. Iacob. c. 5. 2. *Divitiæ vestræ*, inquit, *putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Vide ibi dicta. Œnopola Chius aliis pretio vendebat vinum optimum, quæstumque faciebat non modicum, ipse acidum et vappam ad usum suum reservabat. Percunctabatur forte quispiam servum eius, quare ab hero fugisset? audivit eum in bonorum copia sibi quærere mala, id quod omnes sordidi et avari faciunt, quibus æque deest quod habent, quam quod non habent. Historiam hanc refert Plutarch. lib. de Tranquill. animi Alciat. Emblem. 85. hoc genus hominum simile facit asino, qui cum obsonia delicata tergo portet, ipse interim carduis pascitur.

Afflictio pessima) Septuag. *Distentio pessima*; Syrus: *Conversatio mala*; Arabicus: *Hoc vanum est et confusio mala*; Symmach. *Occupatio mala*; Campensis: *Hoc quidem infinite stultum est, et animi molestissimum tormentum.*

Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ.) Hebr. *Boni duo præ uno: est enim merces labori eorum*; Olympiodor. *Quibus est bonum pretium*; Septuag. *Boni duo super unum, quibus est eis merces bona in labore suo*; Syrus: *Meliores sunt duo uno, quibus est merces bona in labore suo*; Arabicus: *Duo boni meliores uno, cum habeant conversationem bonam in laboribus suis*; S. Hier. *Meliores duo quam unus*; S. Ambros. epist. 47. *Optimi duo super unum*; Chald. *Meliores iusti duo in generatione unico; et hi quidem ad siderum rationem seipsos componentes, et orbis annuntiantes paratam esse illis futuræ vitæ mercedem, optimam, sive laboris, quo seipsos, ut æquales suos enutrirent, impendio defatigarunt*; Vatabl. *Feliciores sunt duo unico*; Tigur. *Melius est duos coniunctos vivere, quam unum solum*; Campensis: *Quare meliorem et commodiorem iudicavi vitam duorum una viventium, quam unius solius: affert enim boni non parum ipsa societas*; alii: *Feliciores sunt duo quam unus*, q. d. Felicior est vita socialis, quam solitaria. Vers. 9.

Vox illativa *ergo* non est in Hebræo, Græco, Syro, Arabico; sed subintelligitur, uti solerter advertit vulgatus Interpres, ideoque eam expressit; sed difficile est illationem hanc ostendere, et ex antecedente sententia elicere: omissis variis variorum connexionibus.

Dico hanc esse illationis vim et energiam. Dixerat. v. præced. *Unus est, et secundum* (hebr. שֵׁנִי sceni) *non habet*, v. g. non *filium*, non *fratrem*; *et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima*, q. d. Unitati et solitudini hæc inest vanitas et afflictio, quod non habeat hæredem vel amicum, cui laboret, et cum quo laboret, seque recreet, ac bonis labore suo partis animam suam pascat et oblectet. Inde recte hic infert: *Melius est ergo duos* (hebr. שְׁנַיִם scenaim, quod plane respondet τῷ sceni v. præced.) *esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ*, ut scilicet simul laborent, simul se solentur et recreent, simul opibus labore partis communi, ideoque duplicato gaudio fruantur. Nam τὸ *melius est ergo esse duos simul, quam unum*, antithesis est eius quod dixit: *Unus est, et secundum non habet, etc. In hoc quoque vanitas est*, q. d. Quia tanta est vanitas solitarii avari, nec habentis hæredem et socium, hinc melius est esse duos, quam unum; quia melior est amica societas mœrore et mœsta solitudine.

Unitas ergo est vanitas, dualitas fratrum, vel amicorum est veritas, veraque fraternitatis vel amicitiæ iucunditas et felicitas: hæc enim vitam efficit longe suaviorem, utiliorem, honestiorem, tutiorem, homineque contra æmulos, hostium insidias, et quasvis fortunæ adversæ vices flatusque obvallat et munit. Ita S. Hier. Bonav. Hugo Victor. Titelm. et alii.

Igitur hæc sententia imprimis pertinet ad fratres et filios, quos v. præcedenti nominavit, q. d. Melius est esse duos fratres, quam unum solum; melius est esse duos, puta patrem et filium, quam solum patrem, vel solum filium; quia frater fratrem, pater filium, et filius patrem in labore adiuvat, solatur, roborat, eiusque, si moriatur, est

successor, defensor et hæres. Arctissima enim est societas inter fratres ac patrem et filium; quare ipsa cæterarum societatum est radix, origo et exemplar, uti mox ostendam. Hinc Chald. vertit: *Meliores sunt duo iusti in generatione magis quam unus*, etc. *In labore suo, quo laborant ad sustentandam generationem suam.*

Secundo, pertinet ad socios et amicos, q. d. Melius est duos esse simul socios et amicos, quam unum solum sine socio et amico. Ratio est, quod in defectum fratrum et filiorum, quos multis natura negat, eadem surrogarit socios et amicos, quos quilibet officiis et beneficiis sibi parare et procurare potest, q. d. Si tibi non sit filius, aut frater, eius loco para tibi amicum, ut non sis unus et solus, sed societate fruaris et gaudeas. Amicus enim erit tibi consolationi, utilitati et decori, perinde ac si esset frater, imo in locum fratris succedet: sicut enim *frater* dicitur quasi *fere alter*, ut ait Gellius l. 12. c. 10. sic amicus dicitur quasi alter ego. Nam *vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater*, Prover. 18. 24. Idem ex Salomone docet Plutarch. lib. de Fraterno amore: *Pleræque*, inquit, *amicitiæ nihil aliud sunt quam umbræ et imagines illius primæ, quam natura liberis erga parentes, fratribusque adversum fratres ingenuit; quam qui non veneratur et colit, an is fidem facit ullam, se aliis esse benevolum? aut qualis tibi videtur, qui socio in salutatione ac litteris nomen fratris tribuens, neque eadem quidem via cum fratre sibi ambulandum putat?* Addit deinde amicum esse quasi alterum fratrem. Huc accedit Olympiod. qui asserit liberalem in pauperes sua liberalitate eos sibi devincire, ut habeatur et colatur ab eis quasi frater, imo pater; quare quot pauperes alit, tot filios et fratres sibi creat. Sic Iob 29. 16. ait: *Pater eram pauperum.* Hinc Cyrus aiebat securissimos thesauros esse opes apud amicos depositas, teste Xenophonte l. 8. Cyripædiæ. Idem asserit Seneca l. 6. de Benef. cap. 3. probatque, ex eo quod opes in cistis servatæ, a furibus sæpe auferantur, amici autem auferri nequeant. Unde idem epist. 9. *Iucundius*, inquit, *est amicum facere, quam habere.* Amicum facit, qui illi benefacit. Et clare Martial. l. 5. 43.

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Nunc singula ad incudem revocem.

MELIUS EST ERGO DUOS ESSE SIMUL.) Per *duos* accipe quoque tres, quatuor et plures: plurium enim convictus et amicitia suavior et utilior est vita solitaria. Ita Thaumaturgus, Lyran. et alii; sequitur enim: *funiculus triplex difficile rumpitur.* Unde S. Hieron. in cap. 5. Matth. v. 45. *Quanto duo*, inquit, *uno differunt, si amore coniuncti sint; tanto etiam trium contubernium plus valet. Etenim vera charitas et nullo violata livore, quanto augetur numero, tanto crescit et robore.* Unde Philosophus aiebat: *Amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum satis fuit.* Dicit tamen: *duos*, ut innuat perfectam societatem, et amicitiam tantum consistere inter duos vel tres, hoc est inter paucos, iuxta illud Eccles. c. 6. 6. *Multi pacifici tibi sint, et consiliarius sit tibi unus de mille.*

Charitas ergo propter unum Deum omnes amat, sed ex omnibus hisce, amicitia paucos sibi in familiares et consiliarios deligit. Vide Plutarch. Opuscul. de Amicitia inter plures diffusa, quam idcirco marcescere, et in communem frigidamque benevolentiam abire docet.

HABENT ENIM EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUÆ.) Hebr. Septuag. Syrus et Arabic. *est enim merces labori eorum; labori*, scilicet sociali, id est societati. Unde Anton. in Melissa cap. 43. legit: *Est illis merces in labore communi*: et Thaum. *Qui vitæ*, inquit, *societatem inierunt, et rebus iisdem incumbentes, optimos fructus decerpere queunt, et prosperi successus voluptatem sibi invicem conduplicant.* Merces hæc est, quod duo suaviter, maioreque commodo et lucro, velut socii simul in communi laborent, quod societate mutui colloquii, consilii, consolationis, protectionis fruantur; quod alter alterum relinquere potest successorem et hæredem: quod unus non auderet, duo audent: quod unus præstare non valet, duo præstant. Sic in A mercatura societatis ingens est lucrum, dum collatis a duobus vel tribus in commune opibus industria et negotiatione, maior mercium conflatur copia, indeque maius lucrum.

Chald. Olympiod. et alii per laborem accipiunt dona, eleemosynas, officia et beneficia, quibus quis alium sibi devincit facitque amicum. Huius enim amicitiæ, magna donorum datorum est merces, magnaque danti affert commoda et emolumenta.

Mor. de bono societatis. Gnoma

Moraliter disce hic quantum sit bonum societatis et amicitiæ; per hoc enim unus fit quasi multus, et per multos operatur et negotiatur, ideoque multa et magna efficit. Id patet in societate civium et militum concordium, quæ inexpugnabilis est, cæteraque expugnat, iuxta illud Homeri: *Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir.* Et in societate religiosorum et cœnobitarum, quæ adeo potens est, ut magnas hominum, urbium, provinciarum conversiones, morumque in melius commutationes efficiet. Audi S. Chrysost. apud Maxim. hom. 6. de Fraterno B amore: *Nihil est concordiæ comparandum; unus enim quasi multiplicatur, si concordes fuerint duo aut decem, unus non est unus, sed illorum quisque decuplex redditur, invenies que in decem unum, atque in uno decem. Quod si hostes illis aliqui sint, qui in unum impetum fecerit, is quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget unus, at non premitur egestate: nam maiori parte et numero inopia obumbratur: illorum unusquisque viginti habet manus, ac viginti oculos, totidemque pedes, animos item decem; non enim suis tantum, sed illorum etiam membris quisque utitur in omnibus; ac si esatum forsit, idem rursus contingeret. Idem apud Persas et Romæ esse potest; quodque natura non potest, id amicitia potest. Si igitur mille habeas amicos, aut etiam duo millia amicorum, cogitare debes quo rursus evadat numerus. Hoc enim est admirabile, unum millesimum fieri: optabilius enim esset solem nobis extingui, quam amicis orbari. Etenim multi, solem videntes, in tenebris sunt: at qui multos habent amicos*, C *ne incidere quidem possunt in calamitatem*; nihil enim, nihil amicitia et charitate suavius esse possit: quid enim est quod non efficiat verus amicus? *quam voluptatem non afferat, quam utilitatem, quam securitatem!* Ibidem Dion. *Quot amicos pararis, tot oculos habes, quibus, quæ velis, videas: tot consilia, quibus de iis quæ conducunt, consultare et prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quam si cui Deus unum corpus habenti multas daret animas, quæ omnes illi providerent et consulerent.*

Hinc Psaltes: *Ecce*, inquit, *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Psal. 132. *Mala solitudo*, inquit S. Bonavent. *per inopiam delectationis*, uti est in avaro et superbo: *misera per defectum consolationis, laudabilis et honesta, per quietem contemplationis.* Porro Dion. Carth. Loquitur hic Salomon, inquit, secundum legem communem naturæ, non secundum præeminentiam gratiæ, quæ transcendit naturam, nec lege arctatur communi. Nam Anachoretæ, Carthusiani, Monachi vivunt solitarii; et tamen agunt vitam angelicam. D Unde Abbas Moses apud Cassian. collat. 1. cap. 7. docet pro puritate cordis et contemplatione sectandam esse solitudinem instar Christi qui *exiit in montem orare solus, et erat pernoctans in oratione Dei*, Luc. 6. Verum notat recte S. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 8. solitudinem et vitam contemplativam esse perfectorum dumtaxat, qui iam in virtute solidati, sibi sufficiunt, nec sociorum auxilio indigent, ideoque tales prius exercendos et perficiendos esse in vita sociali et cœnobitica. Unde S. Hier. epist. 4. ad Rustic. *Quid igitur?* ait, *solitariam vitam reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudavimus: sed de ludo monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint; qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit, qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est.* Ve-

rum nec his etiam in media Thebaide desunt socii et amici, imo vero plurium societas singulos munit et roborat, ut monasteria faciant repleantque, ac ordines numerosos velut castrorum Dei acies rite ordinatas efficiant. Lege vitas Patrum, Palladium in Lausiaca, Cassianum et similes. Denique audi S. Basilium cœnobialis et socialis vitæ religiosæ commoda recensentem in Constit. Monast. c. 19. *Primum*, inquit, *qui communionem ac consociationem hanc vitæ complectuntur, ad illud bonum, quod ex natura est, revertuntur.* [illegible] *vitæ communionem* [illegible] *propria et privata rei cuiuslibet possessio* [illegible] *omnis abest dissensio* [illegible] *ubi omnia* [illegible] *corpora, atque quibus necessario* [illegible] *Communis Deus* [illegible] *communis salus, communia* [illegible] *communia præmia et certa* [illegible] *ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem quod iure æquiparari possit? quid beatius* [illegible] *hac coniunctione, unitate et necessitudine aptius excogitari? quid elegantius fingi mutua inter se morum animorumque contemperatione?* Idipsum ad unum [illegible] hypothiposi repræsentat, dum subdit: *Homines ex diversis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem, adeo veluti in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum* [illegible] *inesse videatur, vicissimque plura corpora unius mentis instrumenta cernuntur. In his, qui infirma corporis valetudine sunt,* [illegible] *plurium animos infirmitatis* [illegible] *habet. Qui vero animo æger est, si compluros præsto sunt, a quibus curetur, et a quibus* [illegible] *erigatur. Hi æquabili iure inter se alii aliorum et famuli sunt et domini, et invicta libertate summam inter se serviunt servitutem, quam non necessitas, aut casus aliquis fortuitus violenter cum ipsorum mœrore invexit; sed cum gaudia liberæ animi voluntas induxit, quippe cum charitas ipsos, alioquin liberos, alios aliis subiectos efficiat, et tamen integram illis nihilominus libertatem conservet. Tales nimirum nos Deus esse voluerat, cum nos ab initio finxit, atque in hunc finem creavit.* Hac de causa Christus societatem duodecim Apostolorum instituit, per quam totum orbem ad se convertit. Hebræis celebre est Proverbium: *O chebreta, o temutha*, id est *aut societas, aut mors*. Id expertus S. August. Ita amorem suum erga amicum, ac dolorem ob eius mortem explicat l. 4. Confess. c. 6. *Mirabar*, inquit, *cæteros mortales vivere; quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, et me magis, quia ille alter erat, vivere, illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo: Dimidium animæ meæ; nam ego sensi animam meam, et animam illius unam fuisse animam in duabus corporibus, et ideo mihi horrori erat vita; quia nolebam dimidius vivere, et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur quem multum amaveram.*

Glossa

Idem a Salomone didicere et docuere Philosophi ut Plato in lib. de Republ. et Arist. 1. Polit. cap. 2. ubi ait: *Solitarius et nullius indigens aut Deus est, aut bestia*, hoc est divinis, aut bestialibus est moribus. Idem lib. 3. c. 7. *Singuli*, ait, *licet minus boni sint, iidem tamen in unum collecti meliores sunt, quam singuli eorum optimi, ut fit in cœna, quæ ex symbola multorum lautior est, quam ab uno instructa.* Euripides in Heraclide: *Solitaria manus*, ait, *invalida pugna est*; et: *Unus vir haud videt omnia.* Hinc illud tritum: *Unus vir, nullus vir*: Plutarch. asserit *ea quæ dederis amico redire ad te cum fœnore*: Socrat. apud Laertium ait: *amicum esse lucro potiorem*; Crassus apud Maximum serm. 6. *Agrum frugiferum*. Isocrates Admon. ad Nicoclem tria maxime requirit in amicitia; *Virtutem tamquam honestam, et familiaritatem ut iucundam, et usum tamquam necessarium.* Et Lacon. ille Antalcidas apud Plutarch. in Lacon. requirit: *Ut amicus loquatur iucundissima, præstet autem utilissima.*

Mystice S. Ambros. de Instit. Virgin. c. 11. et in hunc locum Eccles. sub finem tom. 2. per duos accipit Christum et Christianum, per unum, qui est sine Christo: *Optimi*, inquit, *duo super unum, quia est merces in labore ipsorum, ubi sunt duo optimi, super unum, nisi ubi Christus est, et is quem Christus tuetur? quoniam si ceciderit, qui cum Domino est Iesu, eriget eum Iesus.* Addit deinde Iesum non cadere, sed sese demittere ad mortem, ut se et nos resuscitet; communionis est enim nobis, ut nos calefaceret igne charitatis, quem venit mittere in terram, et seu Eliseus vitæ calorem daret.

Symbol. Olympiod. Melius est, ait, duos esse simul, hoc est corpus animæ consentire, illamque adiuvare in operibus virtutum, ut nec caro repugnet spiritui, nec spiritus de carnis mortificatione inani gloria efferatur et insolescat. Si enim corpus ab anima dissentiat, illud secum trahet in ruinam.

SI UNUS CECIDERIT, AB ALTERO FULCIETUR. VÆ SOLI! QUIA, CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM SE.) Vers. 10
Si ceciderit unus, socium suum stare faciet. Pro socium Septuag. [illegible] id est participem; Aquila φίλον, id est amicum. [illegible]: *Quoniam si ceciderit unus, elevabit part*[illegible] *suum. Et væ uni! anima eius cum ceciderit, et non* [illegible] *ei alter, qui eriget eum.*

SI CECIDERIT. [illegible] alterutro; tunc enim alter illum ipsum eriget [illegible] fulciet; vel uterque; tunc enim alter alterum [illegible] sua ope, industria et consilio fulciet [illegible] vel iam lapsum attollet. Hebr. enim [illegible] stare faciat, duo significat: [illegible] fulcire ne labatur; secundo [illegible] erigere. Utrumque [illegible] ceciderit, vel ad [illegible] vel initium sive periculum [illegible] Psal. 117.13. *Impulsus eversus* [illegible] *suscepit me*, ne caderem in [illegible] ab æmulis et hostibus. [illegible] sustinebit, ne prolabatur, prolapsum eriget, erectum fulciet et roborabit, ne iterum cadat. Hæc omnia significat hebr. iakim.

Rursum *si ceciderit*, subaudi in terram, fossam, aquam, ignem, vel in morbum, ut explicat Chald. vel in paupertatem, ut [illegible]; vel in carcerem aut servitutem, ut R. Moses, vel in perplexitatem et inopiam consilii, ut Olympiod. vel in peccatum, ut Dionys. vel in quamlibet aliam adversitatem et calamitatem, ut S. Hieron. Thaumat. Lyrae. et alii. [illegible] amicus quodlibet amici infortunium sublevare satagit. Audi Thaumaturgum: *Nam cum duo viri in idem negotium incumbant, acciderítque aliquid adversi uni, is non longe requirat auxilium: habet enim ad manum qui iuvet. Contra homini infeliciter agenti et refocillationis indigo, calamitas summa est, solitudo. Contubernales sane et qui in eodem cœnaculo victitant, si qua oriatur tempestas, statim eam sedant mutuis consolationibus, gemina nimirum felicitate.* Ostendit Salomon particulatim emolumenta societatis, atque ex multis tria dumtaxat per modum exempli recenset. Primum est, quod *si unus ceciderit, ab altero fulcietur*; secundum: *Si dormierint duo, fovebuntur mutuo*; tertium: *Si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei.* Primum consistit in relevando, secundum in conservando, tertium in defendendo, ait S. Bonavent.

VÆ SOLI! QUIA, CUM CECIDERIT, NON HABET SUBLEVANTEM SE.) Hebr. *Væ illi, qui unus* (id est solus) *est, quia cum ceciderit, non habet secundum qui stare faciat eum*; Chald. pro אילו *ila*, id est *væ illi*, legens aliis punctis אלו *illu*, id est *si*, vertit: *Nam si ceciderit unus ex eis super lectum et cubaverit ægrotans, alter surgere faciet socium suum oratione sua. Et si unus innocens solus fuerit in generatione sua, in tempore, quo decidet super lectum, et cubabit ægrotans, non erit illi in generatione sua socius secundus ad orandum super eum, sed in puritate sua surget ex ægritudine sua.*

Interiectio, væ, in Script. nota est non tam minantis vel dolentis, quam denuntiantis certam pœnam, vel cladem inevitabilem. Rursum τὸ *cum ceciderit* significat in-

fallibilem esse et lapsum, sive is perfectus sit, sive inchoatus, ut dixi. In huius enim vitæ fragilitate, periculis, infortuniis, quæ cuilibet sæpe, imo quotidie occurrunt, impossibile est quin quandoque quis in aliquam calamitatem, imo et culpam saltem venialem prolabatur. Porro Thomas Cantiprat. magnæ doctrinæ et experientiæ vir, l. 2. apum, cap. 11. §. 1. Religiosos adhortans ut numquam sint sine socio instar apum, quæ una vivunt, laborant, egrediuntur, subdit: *Quam vera sit hæc sententia: Væ soli! ego novi, qui triginta annis vices Episcopi in diversis diœcesibus habui; quia in hoc articulo, quo religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ numquam sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent.*

NON HABET SUBLEVANTEM se.) Imo multos habet impellentes in lapsum, ac de lapsu eius gaudentes, ridentes et subsannantes. Est ratio: Hæc enim est hominum conditio, ut si quem felicem viderint, et in altum attolli, illi applaudant: sin quem miserum ruere viderint, illum propellant, spernant, insultent, iuxta illud: *Felicitas multos habet amicos, felicibus multi sunt cognati. Viri infortunati procul amici, plures adorant solem orientem, pauci occidentem.*

Huius sententiæ veritatem cognovere tyranni, qui ut martyres superarent, eos a se invicem separabant, et quemque solum minis, promissis et tormentis urgebant ad negandum Christum, uti separarunt Primum a fratre Feliciano, Ruffinam a sorore Secunda, Cornelium Pontificem a clero et populo Rom. sed frustra; totus enim populus cum suo Pontifice in unam fidei confessionem conspiravit; quem proinde laudans S. Cyprian. epist. 1. ad Cornelium: *Quantum*, ait, *terroris et formidinis attulit* (Decius Imp. et persecutor) *tantum fortitudinis invenit et roboris. Unum* (Cornelium Pont.) *primo aggressus, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat; nam cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum; sed retusus adunati exercitus fide pariter et vigore, etc.* Et mox: *Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum, etc. ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota semel castra prodiisse?*

Ex hac Salomonis gnome: *Væ soli! quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se*, Concil. Toletanum undecimum, et habetur 7. quæst. 1. Can. 15. *Illud divini*, sancit ut sacerdoti celebranti semper alter assistat, ut quis *sacrificans habeat post se vicini solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille qui impleturus officia accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus a tergo semper habeat, qui vicem exsequatur intrepidus.* Idem iam ante sanxerat Soter Pontif. cap. *Nullus Episcopus*, de Consecr. dist. 1. Septima Synodus vero, ut habetur distinct. 81. Can. 24. *In omnibus*, vetat ne clericus solus sine socio cum muliere colloquatur: *Certe solum*, inquit, *ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius enim est duos esse simul, quam unum. Simul enim et fidelius et tutius res geritur. Væ enim uni! quia si ceciderit, non est qui erigat eum.* Hinc quoque Apostoli bini a Christo missi sunt ad evangelizandum, Lucæ 10. 1. Conc. Lateran. de statu monac. cap. *Monachi*, ex hac gnome decernit ne monachi soli in villis, oppidis, vel parochiis habitent, sed in conventu, vel cum fratribus: ne, inquit, inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum experiantur. Vetus est usus ut religiosi non soli, sed bini incedant, quod nuper edito hac de re decreto iussit S. D. N. Urbanus VIII. Unde S. Thom. Aquinas religiosum solum et sine socio vocabat dæmonem solitarium; patet enim hominum et dæmonum insidiis, insultibus, calumniis et sinistris suspicionibus. Exemplum clarum est in Loth, cum Abrahæ societatem deseruit: *Ecce enim*, inquit S. Chrysost. hom. 35. in Genes. *ut divisus est a iusto, et putabat se in maiori esse ubertate ac copia, ac potiora se assecutum et abundare; repente factus est servus, carens domo, carens et foco, ut discas quantum malum sit divisio, et quantum bonum concordia: et quod convenit non maiora temere capessere, sed potius humilitas diligenda est.* Ita sane accidit Loth, et ita omnibus illis eveniet, qui ut apud homines crescant et splendeant, alios fratres in opinione minuunt, et verbis tamquam nube quadam obnubilant. Quid miseri, ut se honore vestiant, honore fratres spoliant? quid insani, ut seipsos promoveant, aliorum bonam opinionem convellunt? quid amentes, ut soli luceant, alios obscurant? soli lucere volunt, et non soli lucebunt, sed soli sine luce permanebunt. Væ autem soli! quia, si ceciderit, non habet sublevantem se. Severum est, sed iustum Domini decretum, cuius iudicia abyssus multa, ut qui se non habitatione, non veste, sed corde et amore a fratribus separant, tempore necessitatis soli relinquantur, et tentationibus absorbeantur, permittit enim Dominus ut neque exemplis, neque consiliis, neque doctrina eorum proficiant, quos a se per odium et malam voluntatem abiecerant. Vide nostrum Alvarez de Paz plura incommoda vitæ solitariæ recensentem tractat. de Vitæ spirit. lib. 2. par. 4. cap. 24. et Iulium Nigronium Comment. Ascetico in Regulas communes Societ. Iesu, regula 43.

Hæc tropologica est solitudo, quam depingens S. Bernard. serm. de Fallacia præsentis vitæ: « Erraverunt, ait Propheta Psalm. 106. in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt. Solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Litteratus est, odit socium. Fortis est, aut formosus, dolet parem, et contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine sua; non enim solus habitare poterit super terram. Nec mirum quod solitudini huic inaquosum additur, ut dicatur, In solitudine, in inaquoso. Si enim in solitudinibus aquæ deesse solent, et loca deserta, sterilia quoque et arida esse consueverunt; sic superbiam impœnitentia comitatur. Elatum enim cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis: quia superbis Deus resistit; humilibus vero dat gratiam. » Eccles. 4. v. 9. et 10. *Væ soli.*

Mystice S. Gregor. lib. 4. in cap. 10. lib. 1. Reg. « Væ soli, inquit, quia si ceciderit, non est qui erigat eum. Solus namque est, qui a Deo relinquitur. Hunc certe cadentem nullus erigit, quia relictum a Deo sanctorum aliquis non assumit. Electus ergo quisque securus ascendit; quia solus non est. Qui enim per nos loquitur, nobiscum Matt. 5
est; nam et repromittit dicens: Ecce ego vobiscum sum ult.
omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Solus Ioan. 8.
quippe non erat, qui dicebat: Solus non sum, sed qui mi- 2. Cor. 13.
sit me, mecum est. Solus item non erat, qui exquirebat dicens: An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? »

Moraliter hinc rursum disce quanta sit utilitas societatis et amicitiæ. Audi S. August. vel quisquis est auctor (stylus enim humilior est, quam ut deceat S. Augustinum) lib. de Amicitia c. 5. *Disce*, inquit, *quid utilitatis habeat* (amicitia) *cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil difficilius inveniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum vitæ præsentis et futuræ: ipsa enim omnes virtutes sua ostendit suavitate, vitia sua virtute confodit; adversa temperat, componit prospera, ita ut sine amico inter mortales nihil fere possit esse iucundum; et homo bestiæ comparetur, non habens qui secum collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur: cui evaporet, si quid molestum mens conceperit; cui communicet, si quid præter solitum sublime vel luvorum accesserit.* Probat ex hac Salomonis gnome: *Væ soli! quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. Solus omnino est qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ iucunditas est habere, cum quo æque audeas loqui ut tibi? cui confiteri non timeas, si quid profeceris? cui cordis tui secreta committas, et commendes consilia? Quid igitur iucundius quam ita unire animum alterius, et unum efficere de duobus, ut nulla iactantia timeatur, nulla formidetur suspicio, nec correptus alter ab altero doleat; ne laudantem alter alterum adulationis*

notet vel arguat? Speciatim vero commoda vitæ socialis et cœnobiticæ recenset Thomas a Kempis theodidactus 1. part. ser. 2. *Qui*, inquit, *bonæ voluntatis est, et Deum quærit, inter Deum quærentes amplius proficiet, et firmius stabit. Ibi homo magis in virtute probatur et exercetur. Ibi frequenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora verbo et exemplo trahitur. Ibi suam imperfectionem considerare et lucere compellitur. Ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientia, illius patientia, movetur. Ibi confunditur inveniri tardior. Ibi invenit quos timet. Ibi habet quos diligit, et sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, ipsius fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi unus alterius est custodia. Ibi homo portat et portatur. Ibi multa audit et videt, unde doceatur.* Prosequitur deinde idipsum luculentius, dum subdit: *Ibi boni commendantur, ut meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur, ut referveant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundum suum libitum agere. Ibi diversa sunt officia, et multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, et ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi infirmus a fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans Christo servire lætatur. Ibi uno deficiente alius locum eius supplet. Ibi sana membra pro debilibus sollicitantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi homo habet multos pro se orantes, et in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot socios habet.*

Vers. 11 ET SI DORMIERINT DUO, FOVEBUNTUR MUTUO: UNUS QUOMODO CALEFIET?) Hebr. et Sept. *Si cubent duo, calor erit eis; unus quomodo calefiet? Et si requieverint duo, calefient*; Arabicus: *Et si dormierint duo, erit eis calor et æstus; et unus quomodo calefiet*: Campensis: *Si duo simul dormierint, alter alterum calefaciet.* Hoc significat nostrum: *Fovebuntur mutuo*; qui enim alium fovet calore suo, eodem fovetur et ipse: incalescit enim illo ipso calore, quem in altero conservat, eum coniungens cum alieno, et tam suum, quam alienum adauget: sicut duo ligna ardentia ignem fovent, et in se mutuo adaugent, qui in uno langueret et extingueretur. Unde vertit: *Si duo simul cubent, plus caloris erit eis.* Alter enim alteri vicissim addit suum calorem, itaque eum conservat, roborat, et quasi conduplicat.

Ad litteram ergo et physice gnome hæc clara est, intelligiturque ut sonat. In somno enim consistit magna pars sanitatis et roboris animalis. Unde vulgo dicitur: *Somnus nutrit æque ac cibus*, idque patet in gliribus, qui dormiendo pinguescunt: item in ursis, qui magnam hiemis partem dormiendo transigunt, tumque non alio cibo quam somno aluntur, teste Plin. et Arist. in Hist. anim.

Somnum dat calor, frigus vigiliam. Somnum autem conciliat calor: quare frigidi, ut senes, ægroti, nudi parum dormiunt. Notus est aphorismus Hyppocratis libr. 1. 14. et 15. *Evidenter vigilans calidior est exterius, interius autem frigidior: dormiens e contrario.* Id in me experior quotidie: noctu enim multas horas pervigilo, eo quod stomachus per senium et studium calore destituatur: qui vero stomachum habent calidum, ut iuvenes, totas noctes altum dormiunt. Rursum idem: *Ventres*, inquit, *hieme et vere calidissimi sunt natura* (per antiperistasin enim externi aeris frigidi circumstantis, internus stomachi calor se intendit et roborat, ut externo frigori resistat) ideoque *somni longissimi.* Vide Galenum l. 6. de Morbis vulg. com. 4. et 5.

Sensus ergo est, q. d. Si duo simul cubent, magis calefacient se mutuo, ideoque diutius dormient: solus vero, si frigeat, ægre calescet, ideoque parum dormiet.

Chald. hæc refert ad coniuges, quasi Salomon hic Iudæos animales hortetur ad coniugium, ut melius dormiant: *Si vir et uxor*, inquit, *cubitum discesserint, mutuum sibi hieme calorem præstant: unus autem qui tandem incalescet?*

Alii ut Arias hanc gnomen referunt ad debiles et ægros, qui, si foveantur calore secundi melius dormiunt. Sicut David in senio, cum non posset calescere, nec dormire, per societatem Abisag Sunamitidis et calorem et somnum sibi conciliavit.

Verum generatim hæc parœmia grammatice, sive in cortice litteræ loquitur de duobus quomodolibet simul cubantibus, in eodem sive lecto, sive stragulo, sive tentorio, sive cubiculo, uti cubant milites, et Hungari etiam nobiles, qui, ut expediti et fortes sint ad crebra cum Turcis bella, scamno vel pavimento pro lecto utuntur: duo enim vel plures in eodem cubiculo cubantes, non solum se mutuo, sed et totum cubiculum suo calore et halitu calefaciunt. Honesti enim et casti ex honestate et pudicitia nolunt in lecto admittere socium, nisi sint coniuges.

Symbolice vero et parabolice, hæc duorum simul cubantium parœmia notat fomentum et auxilium quod amicus amico præstat, præsertim debili et afflicto: afflictionis enim et adversitatis, ac consequenter timoris et mœstitiæ symbola et causæ sunt, nox, tenebræ, frigus et vigiliæ; sicut ex adverso fortitudinis, animositatis et lætitiæ symbola et causæ sunt, dies et lux, item calor et somnus. Id patet in senibus et iuvenibus. Senes enim ob frigus debiles sunt, meticulosi et melancholici; iuvenes vero ob calorem sunt robusti, audaces et hilares: quare expedit iuvenes iungi senibus, ut illi horum mœstitiam sua hilaritate discutiant, illi horum audaciam suo timore et prudentia temperent. Hoc voluit Thaumaturg. dum vertit: *Nam et per diem dicendi libertate festivi, et per noctem honesta gravitate fulgeat.* Dies enim felicitatis, nox adversitatis est symbolum.

Rursum hæc parœmia notat mutuam confidentiam, qua amicus curis et sollicitudinibus æstuans, eas in sinum amici deponit, in eoque quasi placide indormit et conquiescit. Ita S. Hier. et Lyran.

Tertio, hæc parœmia notat fervorem, quo amicus torpidior amici exemplo et cohortatione ad charitatis et virtutum opera inardescit, iuxta illud: *Frigidiores ferventiorum exemplo in virtute incalescunt.* Ita Olymp. Idem significat similis parœmia Salomonis, Prov. 12. 17. *Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui.* Vide ibi dicta.

Denique, amicitiæ typus est ignis et calor; quod enim hic præstat mundo, hoc amicus amico. Unde Plutarch. libr. de Adul. et Amic. *Sicut*, inquit, *optimum conditorum est ignis; sic Deus amicitiam vitæ admiscens, omnia læta, dulcia ac grata, ut essent amico præsente, atque fracta, facit.* Et Cicero de Amicitia: *Amicitia*, inquit, *hoc est vitæ humanæ quod sol est mundo.* *Ignis symbolum amicitiæ.*

Hanc gnomen eleganti apis et passeris apologo oculis subiicit Cyrillus lib. 2. Apolog. mor. cap. 7. cui titulus: « Contra appetitum singularitatis. Apis, inquit, inveniens passerem solitarium, præmissa salutatione dixit ei: Ut quid, mi frater, amaram diligis solitudinem, cum amicitiæ societas sit tam dulcis? At ille respondit: Nimirum minime placet multitudinis fluctuare procella, vel unus esse de turba. Nonne inter sidera sol est unus, et super omnia unus est Deus? Quo audito, cum subtiliter procedens illa singularitatis eius superbiam notasset; in hac causa taliter arguendo processit argumentosa: Quamquam unus, inquit, essentialiter sit, comparis tamen trinitatis hypostaticæ indivisibili societate gaudet. Sol autem lunam stellarum infimam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam splendoris in granditate conatur. Sic et primum mobile cum sit unum, lationis primariæ communicata virtute, secum cæteros orbes rapit, ne sit in officio suo singulare; quin et universitas mundi cunctarum suarum partium iunctura unitatis connectitur, ut nulla earum disiunctionis solitudinem ullatenus patiatur. Nonne anima naturaliter societatis amatrix mox dolet, si vel in puncto suum corpus deseruerit. Cum a principio Deus hominem creasset unum, mox statim dixisse fertur (Genes. 2. 18.) Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile. » Deinde idipsum exemplo oculorum, alarum, manuum, pedum demonstrat. « Propter hoc etiam duo creati sunt oculi, alæ duæ, manus totidem, ac pedes dualitate consimiles, ut pluralitate munerum et u- *Apologus societatis.* *Exempla.*

nitate formarum, membris omnibus ex simili adiutorio sit provisum. Ad quid nimirum constructæ sunt urbes, collectæ civitates, legisque fœdere adunatæ sunt politiæ, nisi ut communi obsequioso consortio, non solum sint sufficientes, sed etiam tranquilliæ res humanæ? Væ ergo soli! quia, cum instabili pede superbiæ ventilatus ceciderit societate privatus, sublevans adiutorium non habebit. Quin et animalia domestica turmatim vivunt: cætera quoque, quantum possunt, naturæ palatiam colunt; is qui fugit consortium, aut rabiosus est, aut ferus. Eremita vero socius est Deorum. Quibus dictis, tristem reliquit solitudinis amatorem. »

Mystice S. Hieron. per socium accipit Christum, qui instar Elisei nos peccatis mortuos vivificat: *Nisi*, inquit, *nobiscum Christus dormierit, et in morte quieverit, calorem æternæ vitæ accipere non valemus.* Rursum noster Alvarez de Paz lib. 3. de Natura perfect. part. 3. c. 33. Simul dormiunt, ait, Religiosi, qui in lecto religionis decumbentes, et charitate cooperti, simul orationi et sanctis occupationibus instant; isti enim mutuis desideriis et actionibus incalescunt: solus autem dormit, qui animo ab aliis segregatus orat aut occupatur; non enim habet penes se aliquem amore coniunctum, e quo calefiat.

ET SI QUISPIAM PRÆVALUERIT CONTRA UNUM (Symmach. *invaluerit super unum*) DUO RESISTUNT EI.) Hebr. *duo stabunt coram eo*, id est contra eum, ut se ei opponant bello, non solum defensivo, sed et offensivo. Est mimesis; per *resistunt* enim intelligitur, *oppugnabunt et expugnabunt eum.* Nam sicut unus fortior prævalet uni minus forti: sic duo minus fortes prævalent uni fortiori alterutro; quia *ne Hercules quidem contra duos*, et, ut aiunt Arabes: *Duo infirmi fortiores saxo.* Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Et si corroboretur unus, ipsi duo insurgunt adversus eum.* Septuag. Complut. clare: *Et si victus fuerit unus, duo stabunt contra eum.* S. Hieron. *Si robustior inimicus quis contra unum surrexerit, imbecillitas alterius amici solatio sustentabitur.* Thaumat. *Temere ac periculose sibi consulit, qui multos homines mutuo præsidio circumseptos adortus fuerit.* Huc facit proverbium Hebr. in *Ros chelec in sanhedrin*: *Duo arida ligna unum viride exurunt*, id est: *Duo invalidi facile superant unum valentem, si solus sit*; quia *ne Hector quidem duobus par est.*

Chald. hanc gnomen accipit de iustis, qui iram Dei concitatam ab impiis avertunt: *Quod erumpat*, inquit, *vir flagitiosus et potens, cuius reproba opera propensitate quadam ferantur in occasionem evehendæ in orbem vindictæ, prodibunt duo iusti ex adverso, qui meritis suis imminentem hanc vindictam avertunt.*

Verum hic agitur de eo qui resistit iræ non Dei, sed hostis invadentis amicum, ut patet ex verbis. Significat ergo tertium emolumentorum societatis et amicitiæ, quod est, amicum præstare munimen amico, dum eum contra invasorem tuetur et propugnat, etiam cum vitæ periculo, iuxta illud Prov. 18. 20. *Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Vide ibi dicta. Unde S. Leo, Serm. 4 de Ieiun. 7. mensis: *Ecclesiasticus miles*, ait, *etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen et felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum universale conficiat. Minore enim discrimine multi confligunt cum hoste, quam singuli; nec facile patet vulneri locus, quem apposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit; ut ubi una est omnium causa, sit una victoria.*

Hinc Ioab ait Abisai fratri suo: *Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium; si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi*, 2. Reg. 10. 11. Quin et Seneca l. 4. de Benef. cap. 18. *Nam quo alio*, inquit, *tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium et victimæ, ac bellissimus et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui, satis virium est: quæcumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent.* Unde concludit, plenumque dominium evincit. *Itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium; et dominari etiam in mari iussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc societatem tolle, et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.*

Hinc patet charitatem et amicitiam, licet non obliget ut quis vitam pro vita amici prodigat, vel periculo exponat, tamen idipsum permittere, imo suadere, quare generosæ et perfectæ charitatis et amicitiæ, æque ac fortitudinis et magnanimitatis actus erit, si quis id faciat: quia tunc non tam vitam pro vita amici, quam pro generosis tot virtutibus discrimini abiicit. Maius enim est bonum harum virtutum, quam sit vitæ. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 26 art. 4. ibique passim Theologi, ac noster Suarez pluribus rationibus confirmat. Quin et Philosophi, qui virtutes Christianas et supernaturales non agnovere, sed tantum naturales, qualis est civilis amicitia, idem docuere, ut Aristot. 9 Ethic. cap. 8 Cicero de Amicitia. Seneca epist. 9. *In quid, ait, amicum paro? ut habeam pro quo mori possim; ut habeam quem in exsilium sequar, cuius me morti opponam et impendam.* Tales amici inter Gentiles fuere: Pylades et Orestes, Nisus et Euryalus, Theseus et Pirithous, Damon et Pythias, Eucritus et Evephenus, Servius Terentius et D. Brutus, quos recenset Valer. Max. l. 4. c. 7. quorum unus pro altero ultro se neci obtulit, quod non tantum Philosophi, sed et Patres ac Theologi dilaudant, ut sanctus Augustinus 4. Confess. cap. 61. sanctus Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 12 sanctus Hieronymus in c. 7. Michææ; sed audi Aristot. libro 9 Ethic. cap. 8. *Verum est quod de probo viro dicitur, eum amicorum causa et patriæ multa agere, etiamsi mors sit oppetenda.* Et inferius: *Qui pro aliis mortem obire consueverunt, eligunt magnum quoddam honestum sibi ipsis.*

Heroicus actus mori pro amico.

Exempla.

FUNICULUS TRIPLEX (hebraice מְשֻׁלָּשׁ *mesciullas*, id est triplicatus. Est enim *paul piel*, id est participium passivum a שִׁלֵּשׁ *Seilles*, id est triplicavit) DIFFICILE RUMPITUR.) q. d. Funiculus simplex facile rumpitur; duplex difficulter; triplex difficilius: sic et homo, si solus sit, facilius ab hoste vincitur; si cum socio, difficulter; si cum duobus, difficilius. Syrus; *Filum trinum non cito discerpitur*; Arabic. *Filum triplicatum non laceratur subito*; Hebr. est: *Filum triplicatum non rumpitur in festinantia*, vel *in celeritate*; Chaldæus: *Quam pulchri sunt tres iusti in generatione, inter quos est pax, sicut funiculus fimbriæ ex tribus chordis, qui non cito rumpitur*; vel, ut vertit Coston: *Similes sane sunt propugnaculis triplici ordine, quæ nisi ægre expugnari nequeant*; vel, ut alii: *Sicut catena quæ contorta est ternis funibus, quæ non festinanter convelletur*; S. Ambrosius epist. 17. *Spartum triplex non cito rumpitur.*

TRIPLEX) Id est multiplex; difficilius enim rumpetur, si sit quadruplex, quintuplex, sextuplex, etc. Unde Symmachus vertit: *Funiculus triplex, aut quadruplex non cito rumpitur.* Dicit tamen *triplex*, tum quia funiculus solet triplicari, id est tribus filis vel liciis implecti, ad elegantiam et firmitatem; tum ut notet paucorum societatem, quales sunt duo, vel tres, esse robustam; tum ut symbola ternarii indicet, de quibus mox; tum quia triplex sæpe est tripliciter triplex. Solent enim restiarii primo funiculum ex tribus filis intorquere, deinde funiculum hunc triplicare, ac ex triplici unum contorquere, deinde triplicatum iam rursum triplicare, quin et crassos rudentes, quibus machinæ et moles sustinentur, ex funibus parvis sæpius triplicatis contorquent. Sensus ergo est, q. d.

Funiculus triplex, quis?

sicut funis ex pluribus filis implexus et intortus rumpi nequit, adeoque est validus, ut trabes, saxa et moles ingentes in altum attollat et sustineat, cum singula fila stupea tenuia sint, illicoque rumpantur; sic pariter vis duorum vel trium unita, fit bina, vel trina, adeoque valida, ut expugnari frangique nequeat. Rursum, sicut funiculi quo magis intorquentur, sæpiusque triplicantur, fiunt densiores et validiores, ut rumpi nequeant: sic quo arctior trium vel plurium est societas, quoque pluribus et maioribus amoris benevolentiæque officiis nectitur et stringitur, eo robustior est et inexpugnabilior, ut patet in acie castrensi rite associata et densata.

Addit sanctus Bonaventura τὸ *triplex* respicere et notare triplex emolumentum societatis iam recensitum.

Exemplum appositum est in Sciluro Scytha, qui moriturus, convocans filios 80. cum ipsi fasciculum iaculorum ab eo iussi frangere non possent, sed sigillatim unumquodque facile rumperent: *Pari modo*, inquit, *si concordes fueritis, validi invictique manebitis; si dissidiis dissociemini, imbecilles eritis, et expugnatu faciles.* Ita Plutarchus Apophth.

Moraliter, funiculus triplex significat perfectam amicitiam inter paucos, puta inter duos vel tres consistere; hi enim imitantur SS. Trinitatem, in qua trium personarum summa est unio et concordia, quæ inter plures solet languescere vel evanescere. Ita Auctor lib. de Amicitia, tomo 4. S. August. cap. 5. Hinc Christus Matth. 20. *Ubi*, ait, *fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, uti tribus pueris in fornace Babylonis, in Dei fide et laude consentientibus et constantibus accessit *quartus similis Filio Dei*, Daniel. 3. 92. Ad hoc significandum, ut recte notat Pineda, a poetis finguntur Gratiæ tres, quod tribus maxime videatur coalescere et conservari amicitia: nam et tertius amicus interveniens solet tollere omnem quotidiani convictus cum uno et eodem satietatem; tum etiam exorientes sæpiuscule expostulationes, et suspiciones inter amicos duos, facile sedantur et componuntur tertii interventu, hortatu et iudicio.

Tres Gratiæ cur?

I. Symbolice, primo, funiculus triplex est Sanctissima Trinitas, ait sanctus Paulinus, epist. 4. ad Severum, quæ est fons omnis societatis, amicitiæ et concordiæ, adeoque prima insolubilis et increata societas, et charitas, ideoque invictissima, quæ omnia domat et subigit. Ita sanctus Ambrosius epistol. 17. *Spartum triplex*, inquit, *non cito rumpitur. Tria enim quæ non sunt composita non rumpuntur. Trinitas incompositæ naturæ rumpi non potest, quia Deus unum est et simplex, et incompositum est quidquid est.* Addit Hugo Card. potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus sancti, quo triplici funiculo diabolus ligatus est, ut non possit nocere nolentibus. Accedit sanctus Basilius, qui libro 5. contra Eunomium volentem discindere Sanctissimam Trinitatem, et Patrem a Filio ac Spiritu sancto: *Trinitas*, inquit, *non disrumpitur, et est colenda in una et æterna gloria, eadem unam et solam deitatem ubique circumferens, irrupta, incissa, indivisibilis, adimplens omnia, omnia continens, in omnibus existens, creans, gubernans, sanctificans, vivificans. Hic divinus et maxime admirandus nexus non disrumpitur, ut scriptum est; Funiculus triplex* non *disrumpetur*. Porro R. Iohanam apud Galatin. libro 6. cap. 40. Funiculus triplex, inquit, hoc est mysterium Dei unius et trini, non cito rumpitur, hoc est non facile discutitur et enucleatur.

Brachmanes, sive Gymnosophistæ, apud Indos gestant funiculum ex tribus aliis contortum, quorum singuli rursum tribus liniis constant, ad tres personas in Sancta Trinitate significandas, ut unam esse naturam deitatemque indicent, extrema funiculi inter se uno nodo constringunt, uti referunt Maphæus, Osorius et alii de Rebus Indicis scribentes, ac Perpin. Orat. 8. de Deo trino et uno. Porro mysteria ternarii plura recensui Amos 1. v. 3.

II. Secundo, S. Hieronymus per funiculum triplicem accipit Sanctissimam Trinitatem, quatenus nos munit et roborat: item Christum, cuius sodalitas nos omnibus hostibus superiores efficit: *Melius est*, inquit, *in se habere Christum* (ceu socium) *quam solum patere diabolo, quod si et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus advenerint, non cito rumpetur ista sodalitas.* Sic et Salon.

III Tertio, alii accipiunt Incarnationem, in qua arctissimo nexu coniuncta sunt tria, puta anima, caro et Verbum; ac licet in morte Christi duo priora soluta sint, non tamen ab iis tertium, puta Verbum separatum est: et post resurrectionem redditus est funiculus triplex indissolubilis.

I. Tropologice primo, S. Gregor. 33. Moral. cap. 9. vel iuxta aliam editionem 12. per funiculum triplicem accipit fidem SS. Trinitatis: *Quia fides*, inquit, *quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.* Et S. Isidor. in Exod. cap. 46. *Funis triplex non rumpitur*, ait, *quæ est SS. Trinitatis fides, ex qua dependet, et per quam sustinetur omnis Ecclesia.*

II Secundo, S. Bernardus serm. 16. in Cantica, per funiculum triplicem accipit tria præcipua hominis membra, puta cor, os et manus, quæ inspirata a Spiritu sancto conspirant in bonum: « Hoc semel, inquit, contulit universitati, hoc quotidie singulis in nobis actitari sentimus, et cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, et ori ædificationis verbum, et manibus opus iustitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre viriliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post se ad regna cœlestia; si recte sentias, si digne proloquaris, si vivendo confirmes. »

Rursum Olympiodorus accipit animam, corpus et spiritum, quæ tria oportet connectere, et innectere Dei cultui et obsequio, ut docet Apost. 1. Thessal. cap. 5. v. 23.

III Tertio, sanctus Hieronymus accipit fidem, spem, et charitatem, in quibus consistit vera Dei religio. Sic et S. Paulinus epist. 4. ad Sulpicium, ubi monet ut hoc triplici spartio texamus opera nostra. Alii ex adverso referunt ad triplicem concupiscentiam, scilicet carnis, oculorum et superbiæ, quæ cum nectuntur, difficile rumpuntur, quibus irretita fuit Eva. Ita S. Bernard. ser. de Annuntiatione.

IV Quarto, Hebræi carnales apud Galatin. l. 2. c. 4. Funiculus triplex, inquiunt, est amor firmissimus inter maritum, uxorem et prolem.

V Quinto, alii accipiunt tres partes pœnitentiæ: contritionem, confessionem et satisfactionem, ex quibus funis gratiæ et charitatis conflatur. Rursum Hugo Cardin. Funiculus triplex, inquit, est charitas quæ tribus quasi partibus implectitur, quæ sunt rectitudo, amplitudo et fortitudo dilectionis. Amplitudo, ut omnes, etiam inimicos sinu charitatis amplectatur, iuxta illud Christi: *Diligite inimicos vestros*, Matth. 5. fortitudo, ut pro Deo suo omnia pati et mori non dubitet, iuxta illud: *Fortis est ut mors dilectio*, Cant. 8.

Rursum funiculus triplex est charitas ex triplici quasi fune composita, qua scilicet Deum propter seipsum amamus, et proximos propter Deum diligimus, et nostram salutem propter ipsum Deum amore complectimur; quæ proinde non facile tentatione ulla superatur, ac proinde par est ut proximis mutuo amoris nexu longamur, quorum viribus fulti adversarios quosvis vincamus.

MELIOR EST PUER PAUPER ET SAPIENS, REGE SENE ET STULTO, QUI NESCIT PRÆVIDERE IN POSTERUM. Vers. 13.) Thalmudici in Midras censent hic opponi genios, sive spiritus et Angelos homini a Deo assignatos, unum bonum, qui notatur hic per puerum pauperem et sapientem; vocatur *puer*, eo quod post 14. ætatis annum homini se insinuet: alterum malum, qui notatur hic per regem senem et stultum, eo quod antiquior sit, et a nativitate homini adsit, in eoque regnet. Vocatur *stultus*, quia rationi et sapientiæ adversatur; facit enim ut infans non nisi escam et sensibilia bona cogitet et appetat. Verum hæ sunt Thalmudicorum næniæ; fuit tamen multorum Hebræorum, Græcorum et Latinorum olim opinio, homini ab origine dari duos Angelos, bonum et malum, uti alibi dixi, eamdemque ex R. Barachia tradit hic S. Hier. Idem S. Hie-

ron. addit tres alias expositiones: primam Thaumaturgi, q. d. Præstat sapiens, licet puer et pauper, stulto, licet is rex sit et senex, quod hic sæpe regno excidat, ille ad regnum extollatur; secundam Laodiceni, q. d. Præstat puer sapiens futuræ vitæ bona et mala prævidens, quam rex stultus qui futura non cogitans, præsentibus et caducis, quasi magnis et perpetuis, delectatur; tertiam Origenis et Victorini, q. d. Puer pauper et sapiens est Christus, de quo Isaias cap. 9. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis;* rex senex et stultus est diabolus, qui in hoc mundo ab eius origine mundanis quasi rex imperat. Verum hoc tertium mysticum est; secundum vero tropologicum, primum litterale et genuinum.

Caietanus more suo acute hæc refert ad funiculum triplicem, quem, inquit, si implectas ex pueritia, paupertate et sapientia, robustior erit quam si alium triplices ex regno, senio et stultitia. Verum hæc subtilior quam solidior est expositio.

Rex pauper et puer, sed sapiens præstat diviti seni et stulto.

Dico ergo plane et genuine per antithesin conferri et præferri hic sapientiam stultitiæ, etiamsi principatu et senio ornatæ, quibus illa caret. Sensus igitur est, q. d. Tanti est sapientia, et sapiens, etiamsi pauper et puer, ut præstet stultitia et stulto, etiamsi is rex sit et senex. Sapientia enim tam excellens est, ut pueritiam et paupertatem, quæ videntur aspernabiles, faciat commendabiles; insipientia vero etiam regiam et senilem dignitatem, quæ per se laudabiles sunt, faciat vituperabiles: quare sæpe fit ut iuvenis pauper ob prudentiam evehatur ad regnum; rex vero senex et stultus ob imprudentiam eo deiiciatur, uti explicat versu sequenti: eo enim pertinent hic versus et duo sequentes. Sapientia ergo est velut aurum, quod æs, stannum cæteraque metalla inaurat, facitque aurata et quasi aurea: imo ipsa est instar lapidis philosophici, quo alchimistæ perhibent se æs aliaque metalla convertere in aurum: simili enim modo sapientia paupertatem et iuventutem, quæ in se viles et insipientes sunt, decorat et quasi inaurat, imo in se suamque dignitatem transmutat, dum eas velut informat et animat, ut videantur sapere esseque sapientia. Unde ipsa *linguas infantium facit disertas,* Sapientiæ 10. 21. pauperes vero per Dei timorem et amorem (hic enim est practica veraque sapientia) facit similes regibus, imo Verbo Deique Filio, ideoque hæredes gloriæ et regni sempiterni. Vice versa, stultitia regiam et senilem dignitatem, quæ instar auri refulget, dedecorat, ac in se velut in vile æs, aut plumbum commutat; dum per superbiam, avaritiam, similemve impietatem reges stultos et impios deiicit in terram, ac deinde in tartara: eosque facit folles et fumenta gehennæ.

Sapientia est lapis Philosoph. mutans æs in aurum

Transit a vanitate solitudinis et solitarii, per antithesin, ad vanitatem regni et regum; hi enim minime sunt soli, quia abundant famulis, militibus et sequacibus.

Alludit Salomon ad se, seipsumque hic tacite pingit; ipse enim puer creatus est rex, scilicet anno 12. ætatis, ut vult S. Ignatius epistola 6. ad Magnesianos, vel potius, ut Pineda et alii, anno 18. tumque opibus fuit exiguis, et quasi pauper præ opibus quas senex habuit; sed tamen ob sapientiam illi inditam præstantior fuit Saule, rege sene et stulto. Imo Salomon puer sapiens præstantior fuit se ipso iam sene et stulto; tunc enim per luxuriam et idololatriam desipuit, seseque et regnum perdidit, tumque Deus ad regnum decem tribuum evexit Ieroboam iuvenem tenuis fortunæ, sed sapientem, id est strenuum et industrium, 3. Regum 11. 27.

Significat ergo hæc gnome, primo, sapientiam iuvenum et pauperum præstare regno senum insipientium; secundo, sapientiam acui tum iuventute, tum paupertate; iuventus enim acri est ingenio, animoque vivido et generoso, adeoque magna meditatur et sperat, magnaque molitur, ut sese promoveat et evehat. Talis fuit Hermogenes qui anno 15. ætatis tantæ fuit sapientiæ et eloquentiæ, ut ad eum audiendum Antoninus Imper. ventitaret; unde illud: *Hermogenes inter pueros senex.* Rursum, iuventus est simplex et candida, ac modesta et humilis, præsertim si sit tenuis fortunæ et pauper, ideoque capacior sapientiæ. Unde Philosophus: *Paupertas, ait, est reparatrix sapientiæ.* Hinc Socrates, Diogenes, Crates, pluresque alii contempserunt divitias, ut philospharentur, et expeditius liberiusque vacarent sapientiæ. Paupertas ergo et iuventus acuunt sapientiam. Ex adverso ætas et opes, præsertim in regibus et principibus, obtundunt sapientiam; sunt enim occasio gulæ, luxuriæ, superbiæ, quæ hominem infatuant. Hinc tertio significat reges sæpe in senio infatuari, partim quia per opes deliciis, ventri et veneri per omnem fere vitam vacarunt; partim quia ex diuturnitate regnandi, fiunt nimis securi, superbi et tyranni, ideoque populo exosi, qui proinde non raro eos throno deponit, et alios sibi principes creat. Unde pro *stulto* hebr. est כסיל *kesil,* id est vanus et inconstans, qui mutatur ut luna; sic enim rex insipiens mutatur, tum per varias cogitationes et desideria, quibus instar Euripi æstuat, tum per varias fortunæ vices, quas vitæ huius mutabilitas parit: quales sunt populi murmura, seditiones, tumultus, quos cum providere nesciat, vel negligat, at secure, et oscitanter regno tot annis possesso indormiat, illo subinde spoliatur.

Exempla sunt; primo in Saule, qui iuvenis et pauper sapuit, ideoque evectus est ad regnum; sed senescens, per præsumptionem arrogans sibi ius sacrificandi, desipuit, ideoque regno deiectus est. Unde audivit a Deo: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israelis factus es?* 1. Regum 15. 17. I.

Secundo, in Davide, qui iuvenis et pauper, puta pastor ovium; sed sapiens, innocens et sanctus, Sauli seni, superbo et stulto in regno surrogatus est. Idem tamen senescens factus insolens, adulterium et homicidium commisit, ac regno pene per Absalonem filium deiectus est. Sic et Cyrus, inter pastores enutritus, sua iuvenili solertia et fortitudine paravit sibi regnum Persarum. II.

Tertio, in Salomone, qui Davidi seni iuvenis successit, floruitque sapientia et sanctitate; sed senior factus super omnes desipuit per luxuriam et idololatriam. III.

Quarto, in Ieroboam, qui iuvenis, pauper, profugus et exsul, sed prudens et sagax creatus est rex Israelis. Verum senescens vitulos aureos erexit et idololatriam in Israelem invexit, ideoque regno, vita et stirpe privatus est. IV.

Quinto, in Ioseph, qui iuvenis sapiens inclusus carceri futuram famem prævidit, et Pharaoni ignoranti prædixit, ideoque princeps Ægypti creatus, toti Ægypto, mox orbi in fame de alimentis prospexit; ad Ioseph enim hic alludi patet ex v. seq. V.

Sexto, Chaldæus exemplum statuit in Abraham et Nemrod: sic enim vertit: « Abraham qui fuit pauper, et erat in eo spiritus sapientiæ a facie Domini, et cognovit Creatorem suum, cum esset ætatis trium annorum, et noluit servire idolis, melior fuit Nemrod impio, qui fuit rex senex et stultus. Et quia noluit Abraham servire idolis, proiecerunt eum in medio fornacis ignis succensi, et accidit ei miraculum a Dominatore sæculi, et liberavit eum inde, et postea non fuit scientia in Nemrod, ut admonitus esset deinceps, ut non serviret idolis quibus antea serviebat. » Verum horum fides sit penes Chald. VI.

Denique significat hæc gnome reges et principes decere, ut sint pauperes, id est paupertatis et pauperum amatores, ne si avare opibus inhient, subditos expilent, et pauperes opprimant. Ita Moses, Samuel, Saul et David initio regni fuere pauperes; ac de rege sancit Deus, Deuter. 17. 17. *Non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum eius, neque argenti et auri immenso pondere.* Nam mulieres et opes nimiæ perdidere Salomonem. Sic pauperes adeoque agricolæ fuere Romulus et Remus Romæ conditores, Camillus, Fabius, Attilius, Cincinnatus, Scipio eiusdem principes et dictatores, cæterique quos recenset Valer. Max. lib. 4. cap. 4. De Mæcenate Cæsaris Augusti amico et principe scribit Dio l. 20. *In re familiari summa parsimonia usus est, et in re publica liberalissimus exstitit.* Lycurgus, Spartæ legislator, sanxit ut principes æque ac cives odissent avaritiam nimiasque opes; sic enim illius imperium æternum fore. Idem in principe Christiano requirit S. Ambros. lib. 1. Offic. Historiæ Indicæ nar-

Rex amet paupertatem cur.

rant apud Peruanos Ingas reges, antequam regnum ineant, per dies aliquot laceris indutos vestibus, velut pauperes et mendicos per urbem incedere, ut indicent paupertatem et pauperes sibi cordi curæque esse et fore. Simile est in auguratione Archiducis Carinthiorum. Archidux enim inaugurandus rusticano vestitu incedit: quem ubi rusticus e saxo conspicatur, rogat quis ille sit? respondent asseclæ esse Archiducem: ac post nonnulla ultro citroque dicta, rusticus Archiduci levem dans colaphum, iubet ut velut princeps legitime ius dicat; princeps vero rustico vestes suas donat: quod indicium est primitus non nisi agricolam fuisse electum in Archiducem. Ita Æneas Sylvius in descript. Europæ, et ex eo Petrus Greg. l. 7. de Rep. c. 15. n. 15.

QUI NESCIT PROVIDERE IN POSTERUM.) Ostendit in quo stultitia regis senis sita sit, nimirum in improvidentia; sapientia enim regis est providentia, qua tam sibi, quam regno in futurum prospiciat: sibi, ut se in regno confirmet, motus populi compescat, conatus exterorum regno inhiantium dissipat, cæteraque omnia sibi noxia quasi e specula prævideat et discutiat; regno, ut annona sit sufficiens, ut scelera et rapinæ arceantur, ut pax inter nobiles et plebem conservetur, etc. Unde S. Hieronymus vertit: *Qui nescit præcavere vicissitudinem*; Thaumaturgus: *Cui numquam in mentem venit tantam fieri posse vicissitudinem.*

Pro *providere* hebr. est הִזָּהֵר *hizaher*, quod Noster varie variis in locis vertit, scilicet, *fulgere*, *observare*, *præoccupare*, *cavere*, *custodire*. Septuag. nunc vertunt *fulgere*, ut Daniel. 12. 3. nunc *distinguere*, ut Ezech. 19. v. 20. et 21. nunc *custodire*, ut Psal. 18. 12. nunc *præcavere*, ut hoc loco; nunc *significare*, ut Ezech. 33. 3. nunc *prænuntiare*, ut Ezech. 33. 9.

Proprie *hizaher* est splendere: unde זֹהַר *zohar* vocatur claritas, splendor, fulgor; inde significat admonere seipsum, admoneri ab alio, alteriusque admonitionem recipere, ut vertit Pagn. Camp. Tigur. et alii (unde vertunt: *Qui admonitionem amplius non admittit*) inde prævidere, præcavere, circumspectum esse, monere, docere, instituere, quia salubris admonitio est quasi quædam illuminatio, splendor et fulguratio, id est, prænuntiatio et prævisio futuri; eadem est quasi radius et fulgor quidam prudentiæ et providentiæ. Qui enim regno diuturno superbiens non vult moneri, sed monentes spernit et odit, sæpe in rebellium vel hostium insidias incurrit, et vita regnoque spoliatur. Unde Chald. vertit; *Et ultra hæc non est cognitio ut admoneatur amplius*; Symmach. *Qui nescit præcavere vicissitudinem*; Syrus: *Qui nescit cavere amplius*; Arab. *Non cognovi quod reverteretur in semetipsum.*

Igitur improvidentia hæc in rege sene et stulto nascitur ex diuturna felicitate regnandi; hæc enim eum ita inebriat, ut dementet: præteritæ enim fortunæ memor, futuræ immemor, præsenti incertæ quasi certæ securus incubat, itaque facile insidiis æmulorum et hostium patet, iisque ex improviso obruitur. Felicitas enim facit securum et superbum, ut neminem putet sibi posse resistere: eadem cum senio facit eum oscitantem, et negligentem ad providendum, iuxta illud: *Bis pueri senes*: et: *Delirus senex*. Ex continua enim regni prosperitate, ita segniter et secure degit, ac si rotæ fortunæ et felicitati regni sui clavum infixisset, cum ex adverso nullum maius regi et regno sit periculum, quam a nimia securitate et præfidentia: hæc enim negligit prævidere insidias, machinationes, tumultus, bella aliaque adversa sibi regnoque imminentia, ideoque pariter negligit providere remedia ad ea præcavenda vel avertenda: hoc dum vident æmuli et hostes, incautum et securum per vim et dolum invadunt et opprimunt, uti quotidiana docet experientia.

Vers. 14. QUOD DE CARCERE CATENISQUE INTERDUM QUIS EGREDIATUR AD REGNUM, ET ALIUS NATUS IN REGNO INOPIA CONSUMATUR.) *Quod*, hebr. כִּי *ki*, id est quia, quoniam; dat enim causam cur puer pauper, sed sapiens, melior sit rege sene et stulto, eo quod ille per sapientiam subinde etiam e carcere, hoc est ex imo loco et statu evehatur ad regnum; hic vero regno deiiciatur, et ad inopem statum, vitamque redigatur. Natus enim in regno, idem est quod natus parente rege, regio sanguine prognatus; hic enim opponitur servo incarcerato, qui patre servo progenitus ascendit ad regnum.

Alludit ad Ioseph qui e carcere ob sapientiam et prævisionem futuræ famis evectus est ad principatum Ægypti, Genes. 41. Vice versa Sedecias rex Iuda, a Chaldæis captus, excæcatus, vinctusque ductus est in Babyloniam, 4. Reg. 2. et Nabuchodonosor natus in regno, id est filius regis, puta Nabuchodonosoris senioris, et in regno per triginta et plures annos confirmatus, ob insipientiam et superbiam regno, imo humana forma deiectus, mutatus est in bestiam, Daniel. 4. 30. Sic Servius Tullius, quartus a Romulo Roman. rex, a servo (unde dictus est Servius) Servi evecti ad regnum.
evectus est ad regnum. P. Ventidius, a Pompeio captus, e carcere prodiit Imperator exercitus Romani, ac victor de Parthis triumphavit, teste Valer. Maxim. lib. 6. cap. 10. Simile contigit Caio Mario, qui de Cimbris triumphum egit. Huc facit quod scribit Heraclides in libro de Politiis, in Cymmensium politia: Lydii, inquit, cum gravi dominatu premerentur, et audissent Cymmæ quemdam esse præstantem, missa legatione, in regnum accersiverunt, et in officina fabri plaustrarii servum inventum cum servitute, pretio soluto, assumpserunt. Similia recenset Lucius Florus l. 2. c. 19. et Paulus Æmilius in Dione. Plura exempla ex Plinio recensui Eccles. 10. 28. ad illa: *Servo sensato liberi servient.* Vere Plutarchus tractatu de Præceptis gerendæ Reipublicæ: *Servire qui nescit*, inquit, *dominari non potest.*

Huc facit ille Sacearum dies tragicus apud Persas quem ita describit Dio Orat. 4. de Regno: *Accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in regio thronum, et eumdem illi dant vestitum regium, et imperare sinunt, ac vivere et deliciari et concubinis uti illis regni diebus, et nemo illum vetat quidquam facere quæ velit: post hæc autem exutum, virgisque cæsum, suspendunt.* Deinde causam et significationem huius moris et ritus affert dicens: *Cuius rei putas hoc esse signum; et quamobrem fieri apud Persas? nonne ideo quod sæpenumero stulti homines et pravi talem potestatem et nomen adipiscuntur, deinde aliquanto tempore viventes turpissime atque ocyssime pereuntur?*

Huc alludens Barlaam, Iosaphat regi simili parabola vitæ huius vanitatem et fallaciam ad vivum repræsentat apud Damascen. in Histor. cap. 14.

Porro Chald. Compl. (nam in Regia hæc succisa sunt) pergit hæc adaptare Abrahæ et Nemrod. *Quoniam*, inquit, *provincia idolorum egressus est Abraham, et regnavit super terram Chananæorum; et in diebus regni Abraham factus est Nemrod pauper in sæculo:* ubi *regnavit*, idem est quod dives et potens effectus est: amplam enim Abraham habuit familiam, in qua quasi princeps regnabat; unde ex ea eduxit 318. milites, quibus quatuor reges profligavit, et Loth ab eorum manibus liberavit, Genes. cap. 14. alioqui certum est Abrahamum non fuisse regem super terram Chanaan. Rursum, quod Nemrod factus sit pauper incertum est: nam nusquam id legimus. Hæc quoad lectionem Vulgatam.

Hebræa enim, Septuag. et Syrus, Arabicus, Pagnin. Vatabl. et cæteri Hebraizantes non habent τὸ *alius*. Unde sic sonant: *Quoniam de domo vinctorum prodiit ad regnum, quia etiam in regno suo natus est pauper*; quod totum multi de uno et eodem accipiunt, varie vertunt et explicant: sed communiter sic, ut per carcerem accipiant uterum matris, q. d. Rex quoque dum nascitur ex utero matris, quasi ex carcere prodit vinctus et miser, puta secundinis religatus: nudus et pauper sicut cæteri homines: quare huius conditionis suæ memor in regno non insolescat, neo se super alios superbe efferat, sed modeste se gerat ne regno [illegible] primævam nuditatem et inopiam [illegible] Aben Ezra, Vatabl. Olympius et cæteri.

Verum hanc gnomen non de uno et eodem, sed de duobus invicem oppositis intelligi patet primo, ex eo quod det causam versus præcedentis, cur scilicet melior sit puer pauper, sed sapiens, rege sene et stulto. Causa hæc est, quod scilicet ille subinde per sapientiam ad regnum evehatur, hic ab eodem ob insipientiam deiiciatur, eo quod imprudenter, superbe et iniuste regnarit. Secundo, ex Chald. qui hæc de duobus, puta Abraham et Nemrod accipit, et ex Symmacho, qui vertit: *Alter enim exit de carcere ad regnandum; alter vero cum esset rex natus, paupertate oppressus est.* Tertio, ex S. Hieron. qui in veteri sua editione ex Septuag. sic vertit: *Quoniam de domo vinctorum egreditur, ut regnet, quia etiam in regno eius natus est pauper*, q. d. Rex senex, sed stultus, non advertit fieri posse ut aliquis ex his, quos ipse vinxerat, exeat ad regnum e carcere, ipse vero de regno excidat, quod insipienter ac inique gessit.

Unde mystice S. Hieron. per puerum sapientem et pauperem accipiens Christum, per regem senem et fatuum accipiens diabolum, sic explicat: *Iste* (Christus) *natus est in regno senis* (Diaboli, qui ante Christum regnabat per infidelitatem in mundo) *et idcirco dicit: Si esset de hoc mundo regnum meum, ministri utique mei certarent pro me, ut non traderer Iudæis; nunc autem non est de hoc mundo regnum meum*, Ioan. 18. *In illius itaque stulti senis regno, qui ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eius, natus optimus puer de domo vinculatorum* (*de quibus Ieremias in lamentationibus loquitur: Ut humiliaret sub pedibus suis omnes vinctos terræ,* Thren. 3.) *processit ad regnum, et abiit in regionem longinquam, et contra eos qui super se regnare nolebant, post aliquantum temporis rex reversus est. Præsaga itaque spiritu vidit Ecclesiastes omnes viventes, qui possent adolescentis participes esse, dicentis; Ego sum vita*, Ioan. 14. *vetere et stulto rege dimisso, Christum sequi. Simulque duo ex Israel populi significantur. Prior qui in adventu Domini fuerit, et posterior qui Antichristum pro Christo suscepturus est; quod prior non penitus sit abiectus. Prima quippe Ecclesia ex Iudæis et Apostolis congregata est, et in fine Iudæi, qui Antichristum pro Christo suscepturi sunt, non lætabuntur in Christo.*

Moral. de vanitate regnorum. Moraliter disce hic vanitatem regnorum et regum ex eo quod infimæ sortis homines, puta servi et incarcerati, subinde a vinculis exaltentur ad regnum; reges vero regumque filii a trono ad inopum statum locumque deiiciuntur. Hæc enim est fortunæ inconstantia, hæc vitæ huius instabilis alea, hæc regnorum mutabilis vicissitudo. Sicut enim mercatorum sæpe hic solet esse exitus, ut bonis cedant; navigantium, ut submergantur: ita qui diu rempubl. administrat, sinistrum aliquem casum sustinere cogitur. Casum, occasum patiens consolationis loco repetat illud Macrobii:

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum claritatis cum veneris,
Consistes ægre et citius quam descendas decides.
Gnome. *Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.*

Parva enim, ait Polybius, temporis intervalla in excelso fastigio collocant, et eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redigunt, atque eos maxime qui in aulis principum vitam agunt. Hi enim similes sunt calculis, in publicis consiliis dari solitis. Nam ut illi modo ænei, modo aurei dantur; ita aulici pro regis voluntate, nunc beati, nunc miseri fiunt. Agesilaus adhuc puer cum in gymnicis ludis loco parum honorifico locaretur a chori magistro, licet rex declaratus esset, paruit dicens: *Ostendam non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare.* Seneca lib. de Tranquillitate c. 3. *Officia si civis amiserit*, inquit, *hominis exerceat*; et anterius: *Habet ubi se, etiam in privato lare, explicet magnus animus.* Et inferius sapiens et providum dat consilium: *Non expectes, donec res te dimittant, sed ab ipsis te ipse disiungas.* Utilis est hæc mutatio; nam ut ait Mantuanus:

Pluribus excelsa, vel opum, vel honoris ob arce
Profuit, ad modicæ sortis cecidisse quietem,

In qua, ut ait Poeta:
Gaudebis minus, et minus dolebis.

Et hoc modo vilis mundus redditur iis qui æternum spectant: decepti enim a vanitate mundi, quærunt veritatem veraque bona in cælis, dicuntque illud Poetæ:

Inveni portum; spes et fortuna, valete:
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

Cogitantque illud Senecæ in Hercule furente:

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non æqua bonis præmia dividis!

Et illud Lucretii lib. 5. de Rerum natura:

Namque hos e summo quasi fulmen deiicit ictos
Invidia, interdum contemptim in tartara tetra.

Exempla. Sic Hermias Antiocho in deliciis, eo spectante et probante, occisus est, ait Polybius lib. 7. Seianus, Tiberii collega, hac ab eo sententia mulctatus est: *Seianum capite plecti placet; corpus in Gemonias proiici, eiusque liberos omnes interfici.* Ita Dio in Tiberio. Plautianus Severi Imp. pene collega misere interiit, et cadaver eius in viam contumeliose proiectum. Ita Zonar. tomo 2. Annal. *Inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est*, ait Curtius lib. 8. Merito exclamat Seneca:

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.

Arbores magnæ, ait Curtius, *diu crescunt, una hora exstirpantur. Stultus est, qui fructum earum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsius ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo etiam aliquando minimarum avium pabulum fuit, et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui non periculum sit etiam ab invalido. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: impone felicitati tuæ frænos facilius eam reges.* Manilius lib. 4. Astronom.

Quid numerem eversas urbes, regumque ruinas?
Inque rogo Crœsum? Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troia rogus? Quid Xerxem maius et ipso
Naufragium pelago? quid captos agmine reges?

Sesostris rex Ægypti, curru aureo vectus, iussit illum trahi a quatuor regibus a se devictis, quorum unus oculos in rotas assidue coniiciens, rogatus ab eo cur id faceret? Miror, ait, rotam volvendo, nunc in sublime attolli, nunc ad ima deprimi. Intellexit Sesostris notari ab eo inconstantiam fortunæ et felicitatis humanæ: quare eamdem sortem sibi obvenire posse considerans, statuit ne illi posthac currum traherent. Ita Niceph. lib. 18. cap. 29. Huc facit illud Iuven. Satyra 7.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul.
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Quocirca prudenter monet Ausonius:

Fortunam reverenter habe quicumque repente,
Dives ab exilii progrediere loco.

Plura hac de re dixi Eccli. c. 40. fere toto.

VIDI CUNCTOS VIVENTES, QUI AMBULANT (velut coambulones, comites et pedissequi) SUB SOLE, CUM ADOLESCENTE SECUNDO (Syrus *repetit*) QUI CONSURGET PRO EO.) Septuag. *Qui stabit pro illo*, scilicet rege sene patre suo, de quo sermo præcessit vers. præcedent. Unde Campens. *Vidi maximo numero homines sequi adolescentem illum, qui seni in regno successurus est.* Minus recte Chald. hanc gnomen arctat ad Roboam et Ieroboam: *Dixit*, inquit, *Salomon Propheta in spiritu prophetiæ a facie Domini: Vidi cunctos viventes, qui ambulant in sapientia sua, ut regnent Roboam sub sole, et dividant regnum eius, ut detur Ieroboam. Verumtamen cor Tribus Beniamin, et Iuda, fecit perfectum cum adolescente Roboam filio meo qui fuit secundus in regno meo, ut consurgeret et regnaret in loco possessionis suæ in Ierusalem.* Vers 15

Pergit vanitatem regnorum et regum ostendere, ex eo quod subditi regem senescentem, quasi mox moriturum, deserant, et filium eius, adolescentem a rege secundum, ipsoque eo mortuo regnaturum, sequantur, stipent, ho- Omnes ad iuvenem regem aspiciunt.

norent, eiusque gratiam ambiant, utpote a quo maiora et diuturniora sperent. Viderat Salomon id fieri in patre suo Davide, quem senem deseruit pene totus Israel, secutus Absolonem filium, regnum patris invadentem, 2. Regum 15. 13. Idem expertus fuit in seipso; nam eum velut senem delirantem sprevit populus: at ad Roboamum filium respexit, quia ipse *ex luxuria et idololatria factus est abominabilis suo populo, et contemptui habitus etiam a suis servis*, ut ait D. Thom. l. 3. de Regimin. princ. c. 8.

Ratio duplex, novitas et spes.

Ratio est duplex, scilicet novitas et spes. Omnes enim aulici, æque ac plebeii, avidi sunt novitatis: unde pertæsi diuturni regni regis sui, eiusque mores fastidientes, et forte ab eo læsi, ad novum iuvenemque regem sese convertunt: præsertim quia senes sunt avari, morosi, tetrici; iuvenes vero solent esse liberaliores, animosiores, ac maius dare specimen magnarum rerum, initio regni; hic ergo eis videtur novus beneficusque Iupiter, hoc oriens liberalitatis sidus: *spes*, quia qui a rege sene iam ditati sunt, plura ab eo non sperant; a iuvene vero noviter regnatu*ro*, nova et maiora exspectant. Hisce aliisque de causis semper gravis et molesta est aulicis populoque longa principum vita, et potestas, uti Romæ ad oculum subinde cernimus.

Nota τὸ *sub sole*, quia sicut sol oriens post longas noctis tenebras oculis intuentium gratissimus est: sic et novus rex subditis senem regem pertæsis. Unde Pompeius, cum Sylla sibi abnueret triumphum, respondit: *Ignorat Sylla quod plures adorent solem orientem, quam occidentem*. Quo audito, Sylla exclamavit: *Triumphet*. Ita Plut. in vita Pompeii. Aulici ergo et populus circumaguntur cum principibus novis, sicut heliotropium sese convertit et circumagitur cum sole; quare eis non confidant reges et principes. Vere Seneca: *Pauci reges, non regna colunt*. Et Timotheus apud Athenæum libr. 3. *Non cano vetera; nova si quæ sunt, eadem et meliora. Iupiter, qui iuvenis est, regnat; olim Saturnus imperabat.*

Vers. 16 INFINITUS NUMERUS EST POPULI OMNIUM QUI FUERUNT ANTE EUM (Hebr. *ante eos*; Symmach. *ante utrumque*; scilicet regem senem, et filium adolescentem) ET QUI POSTEA FUTURI SUNT NON LÆTABUNTUR IN EO; SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.) Hebr. *Non est finis omni populo, universis qui fuerunt ante illos; et etiam novissimi vel sequentes non gaudebunt in eo; quia etiam hoc vanitas et malitia spiritus*; Septuag. *præsumptio spiritus*; Syrus: *perturbatio spiritus*; Arabicus: *Nonne confusio omni populo erat, et omnibus qui præcesserunt eos; et numquam posteri gaudebunt eo; propterea hoc est vanum, et afflictio spiritus*. Chald. pergit hæc adaptare Roboam, quem ob duritiem fastidientes Israelitæ, crearunt regem sibi Ierobeam, quod valde afflixit Roboam. Iam

I. Primo, plane sic exponas, q. d. Infinita, id est plurima et quasi innumerabilis fuit hominum turba, quæ reges priores, qui fuerunt ante hunc adolescentem regem, eiusque patrem iam senem, secuta, illis adulata est, et applausit; posteri quoque qui plurimi erunt, hunc adolescentem non videbunt, nec incedentem prosequentur festivis acclamationibus, equis, rhedis, curribus; quare non est quod ipse iuveniliter hoc suo regno exsultet et insolescat, utpote a paucis honorato cognituque modice duraturo, et ad alios transferendo. Igitur regnum et rex iuvenis, eiusque applausus et triumphi, mera sunt vanitas et afflictio spiritus. Si sapit ergo, dicet sibi: Ecce iam quidem regno potior, mihique ut regi totus populus applaudit; sed quanta iam elapsa sunt sæcula, in quibus nulla fuit mei notitia! quot iam sine fine mortua sunt hominum millia, qui de me, neque vel fama, vel nomine quidquam cognoverunt! quanta item in sæculis post venturis erit hominum multitudo, apud quos, vel nulla omnino, vel admodum tenuis, atque ea apud paucissimos erit mei memoria? Quid igitur gestire volo, quasi magnum aliquid tenens, aut quid exsultare, quasi beatus; cum potius tanta hæc præsens exsultatio, mihi ita perpendenti vertatur in afflictionem spiritus?

II. Secundo et pressius, q. d. Infinita fuit populi multitudo omnium scilicet qui fuerunt ante eos. Hebr. *ante faciem eorum*, id est, qui velut anteambulones, honoris causa, cum gaudio, pompa et plausu præcesserunt regem adolescentem, eiusque patrem olim iuvenem; sed posteri id non facient, *nec lætabuntur in eo*, eo modo quo solet populus in rege suo oblectari et exsultare, sed eum vel deserent et fastidient, utpote pariter iam senescentem, aut dure et tyrannice regnantem, aut ex propria levitate oblivioni tradent, utpote iam mortuum et sepultum; sicque ad alium, qui successit, transibunt. Vide ergo hic vanitatem regni et regum; nimirum *sic transit gloria mundi*, instar stuppæ accensæ. Unde Campens. vertit: *Non minor fuit numerus eorum qui senem hunc olim sequerentur, cum regno præficeretur; ita et potestas huius qui nunc tantopere placet, gravis videbitur posterioribus; quare et ambitus ille suam habet vanitatem et animi tædia.*

Huc pertinet expositio Titelmanni et Clarii, qui censent adolescentem secundum esse puerum sapientem de quo v. 13. utrubique enim in Hebr. est ילד *ieled*, id est puer, iuvenis, adolescens. Sic ergo exponunt: Vidi maximo numero homines illum sequi adolescentem qui regi seni et stulto successurus est. Præcessit etiam ante iuvenem eumdem multitudo innumerabilis eorum qui senem assectabantur; sed postea gravis visa est illius potestas, ideoque desciverunt ab eo. Ad eumdem modum rex novus, qui pro alio assumptus est, quamvis habeat in principio qui ei cum gaudio plausuque adhærescant; postquam tamen fuerit in regno confirmatus, non lætabuntur illi in ipso, sed incipiet etiam videri gravis, perinde ut præcedentis auctoritas et potestas. Fit autem hoc, vel successoris vitio, quoniam non qualis futurus videbatur, cum assumeretur in regnum, permanet, sed in tyrannidem vergit, ob quam prior abiectus est, aut etiam in maiorem; vel subditorum, qui sine causa murmurant, licet mitius eos tractet, quam prior; aut cum sint iuniores, ideoque non experti sint tyrannidem regis prioris, hinc non lætantur in successore, sicut lætantur ii qui sub priore vixerant, et dura ab eo passi sunt. Duas alias expositiones affert Titelman. ex Hebræo; sed quia a Vulgata dissonant, hic eas omitto. Consule eum, si libet.

Summa significat quanta sit vanitas regnorum et regum, utpote in quibus nulla sit firmitas et constantia, sed necesse sit perpetuis angi curis, timoribus, sollicitudinibus, suspicionibus, odiis, insidiis.

Porro Thaumaturgus aliter exponit, aliamque vanitatem suggerit, scilicet morositatem et invidiam, quam rex adolescens ob favorem populi apud patrem senem, eiusque consiliarios et aulicos incurrit, adeo ut propterea subinde principatu deiiciatur, vel veneno perimatur, uti hoc sæculo non semel factum vidimus. Sic ergo vertit: « Nunnumquam enim evenit ut qui iuveni quidem, cæterum cordato, subsunt, mæstitiæ vacent, saltem maiores natu. Est enim illud proprium senum, ut morosi sint adversus adolescentiores, atque adeo etiam erga mores et acta iunioris principis, laudantes semper actum tempus. »

Alleg. S. Ambros. de Instit. Virg. cap. 11. et 12. legens per interrogationem hoc modo: *Vidi universos qui vivunt, qui ambulant sub sole cum iuvene secundo: quis resurget pro eo? Iuvenis secundus*, inquit, est Christus, qui est primus secundum divinitatem; secundus autem secundum carnem, quia post Adam, iuxta illud: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*, 1. Corinth. 15. *Quis enim pro Christo resurget, cum ille pro omnibus resurrexerit, et in illo omnes resurrexerint, cum spem resurrectionis acceperint?* et mox: *Non est finis omni populo eius; quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ, perpetuæ vitæ acquirit ætatem.* Rursum Auctor Catenæ Græc. per adolescentem secundum accipit Antichristum, quem pro Christo omnes Iudæi secuturi sunt in fine mundi, item Adamum, quem secuturi sunt omnes posteri ab eo propagati. Eadem ex Victorino et Origene habet S. Hieron.

SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS.) Syrus: *perturbatio spiritus*; alii: *tormentum spiritus*. *Hoc*, scili-

est mobilitas populi nunc cum rege patre, nunc cum filio ambulantis, illique applaudentis; nam cum relicto patre ad filium se transfert, subinde iram et vindictam patris incurrit, ut ob eo dure tractetur, vel graviore pœna mulctetur, ut omittam ambitum huac magnam habere servitutem, molestias et tædia. Ita Hugo Victor. Clarius, Vatabl. et alii.

Secundo et magis genuine, *hoc*, scilicet regnum et plausus regis adolescentis, quod scilicet *omnes viventes ambulant cum adolescente secundo*; hic enim plausus est aura popularis, quæ cito sive ætate et senio, sive mobilitate vulgi, sive regnandi vitio, libidine et fastu deflorescit, marcescit, mutatur et evanescit; tuncque adolescentem, cum videt se a suis deseri, cruciat et affligit. Unde Symmach. vertit: *Sed et hoc aura est et pastio venti.* Plausus enim populi et acclamationes non sunt aliud quam levis aura et ventus, qui cum sonitu perstrepit et abit. Ita Hugo Cardin. Lyran. Caietan. Titelman. et alii; qui tamen id arctant ad adolescentem regnum Patris invadentem, uti fecit Absalon.

Apologus nobilitatem non in regno, sed in virtute consistere.

Moraliter disce hic quanta sit regni, regulis prosapiæ et nobilitatis vanitas, quam proinde appositio burdonis et muli apologo oculis subiicit Cyrill. lib. 2. Apolog. Mor. c. 19. cui titulus: « Contra superbientes ex progenie seu nobilitate. Cum burdo, inquit, mulo occurrisset, eum spernendo se iactabat, quod a meliori patre genitus esset; cui mox ille, armati pedis calce retento, cum acumine rationis respondit ac dixit: Quidnam tibi inde amplius est, cum sis burdo? Bonum enim aut malum generationis ex assimilatis genituribus existit; ubi ergo hæc conformites tollitur, nihil, unde sis, differre videtur. Nam de dracone draconites pretiosissima gemma oritur, et de gallo serpentum nequissimus basiliscus generatur. Medicinalis rosa de spina producitur, et aurum de sulphure gignitur, et de flamma perlucida teter fumus suscitatur. Sed quoniam ex patre extolleris, is te quasi alterum asinum confitenditur genuisse. » Idipsum deinde ratione a priori demonstrat: « Igitur cum vera nobilitas tam in corporeis

Ratio a priori.

rebus, quam in spiritualibus, non sit aliud quam virtus possessa, mihi pluris est equinu fortitudine, quam tibi tantum generatione gaudere. Cæterum dum ex nobilitate carnis erigeris, mox dignitatem tam glorificatam animæ ventosa vitiositate perdis; et sic ex pretiositate vilis, ex luce nubilosus efficeris, ac de bona rerum nobilitate vilescis; acciditque tibi sicut albedini, quæ argento denigratur, et flammæ lucidit ate fœdatur. Sed aurum quanto pretiosius, tanto humilitatis pondere gravius est; ut lapis minor etiam pretiosior existit, uti et lignorum minima sunt pretiosissima, ut balsamus et cinnamomum. Vera igitur et gloriosa nobilitas est humilitas, quæ iam sursum elevans mentem Deo coniungit, virtute replet, gratia deificat et sapientia illustrat. Quibus dictis, obticuit. » Nota: Burdo vocatur, qui ex equo et asina nascitur, ait Sipontinus; mulus vero, qui ex asino et equa gignitur, teste Plinio l. 8. c. 44.

Vers. 17. CUSTODI PEDEM TUUM INGREDIENS DOMUM DEI, ET APPROPINQUA UT AUDIAS; MULTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA, QUAM STULTORUM VICTIMÆ, QUI NESCIUNT QUID FACIUNT MALI) Aliqui in Septuag. pro κακον, id est malum, legunt καλον, id est bonum. Ita Complut. quos secutus Syrus vertit: *Quia ignorant facere quod est bonum*; et Arabicus: *Quoniam ignorant quod faciunt optimum.* Ubi adverte Arabicum et Syrum passim sequi Septuag. ac proinde versiones utriusque non esse factas ex Hebræo, sed ex Græco Septuag. Hi enim Græce scribentes, ob monarchiam Græcorum ubique tum dominantium, qui linguam Græcam toto orbe sparsere, gentibus omnibus Hebræum idioma ignorantibus innotuere. Verum perperam hic legitur καλον pro κακον, id est, *bonum* pro *malum*; Hebr. enim est רע ra, id est malum, ut habet Vulgata latina.

Hæc verba pertinent ad initium capitis sequentis; unde Caiet. hic inchoandum censet cap. 5.

Congrue transit a vanitate regnorum et regum ad venerationem Dei; tum ut reges doceat modestiam et humilitatem, ne regno superbiant, sed regnum sceptrumque, ut par est, demisse et reverenter submittant Regi regum et Domino dominantium: tum ut subditos moneat metiri reverentiam Dei ex reverentia quam exhibent regibus. Si enim tanto concursu, plausu, studio, gaudio sequuntur adolescentem secundum, quanto sequi debent Deum regem universi? Rursum hoc refers ad novam speciem vanitatis, quæ cernitur in victimis rebusque sacris, q. d. Adeo vanitas rebus omnibus humanis se ingerit et inserit, ut religioni quoque et sacrificio pedem inferat. Nam multi sunt, qui ex legis monitique huius mei omissione, victimas offerunt Deo indignas et impuras: quia ipsi indigne et impure ad eas accedunt, quæ magna est vanitas, imo sacrilega impietas, ideoque Deum non placat, sed potius eius offensam magis irritat. Coactior est nexus Lyrani, qui censet hic nova ratione probari regni temporalis contemptum, ex eo quod Deus sit summe reverendus et colendus, regia vero potestas retrahat reges a Dei timore, reverentia et cultu.

Alludit ad ritum ingrediendi et orandi in templo. Hebræorum enim sacerdotes, ob reverentiam templi, nudis pedibus illud ingrediebantur, orabant et sacrificabant; unde pedes ante ingressum abluebant, nitoris et reverentiæ causa, uti ostendi Exodi 30. 19. Idem iam ante a Deo iussum fuerat Mosi, ut accessurus ad rubum, in quo per flammam ignis apparebat Deus, poneret calceamenta, Exodi 3. 2. et Iosue cap. 5. 16. Ubi Abulens. asserit eum *fuisse antiquiorem morem, ut sacra loca non intrarent calceatis pedibus, atque Iudæos* (etiam laicos) *id observasse post illam admonitionem Angeli factam Mosi.* Idem docet Ribera l. 2. de Templo, quod intellige de laicis religiosioribus. Hi enim religionis ergo, sponte sua Mosen et sacerdotes imitabantur, ac nudis pedibus, vel certe positis calceis ex corio factis, templum ingrediebantur, etiamsi nulla lege divina, vel humana, ad id obligarentur, uti Berenicen Herodis uxorem nudipedem templum ingressam narrat Ioseph. lib. 2. belli cap. 26. Hinc illud Pythagoræ: *Nudis pedibus rem sacram facito; et adorato.* Et Plato scribit triumphantes in ipso triumpho fronde coronatos, lotis manibus, nudis pedibus sacrificasse. Hinc et nudipedalia sacra, quorum meminit Tertul. Apolog. cap. 40. de quibus vide Gyrald. Syntag. 10. Porro Ægyptiorum sacerdotes sacrificabant calceati non corio, sed papyro, puritatis ergo, teste Herodiano lib. 2. et 5. Sacerdotes calceati lino. Apud Romanos quoque nefas erat Flamini uti calceis corineis, teste Gellio l. 10. cap. 15. Ratio eorum erat, quod impurum et indignum videretur, ut morticina, id est calcei facti ex pellibus animalium mortuorum, tangerent terram sanctam. Vide dicta Exodi 3. v. 2. et c. 30. v. 19. Neque id mirum; nam prisci Romani non tantum in templo, sed domi quoque, et in urbe, sine calceis incedebant nudipedes, uti docet vetus Schol. Iuven. ad vers. 111. Sat. 1. quin et insignes belli duces ac Philosophos, ut Phocionem, Germanicum, Socratem, Diogenem, Catonem Uticensem, nudis pedibus passim incessisse, tum paupertatis, tum tolerantiæ studio, docet Plutarc. in eorum vita, qui et in vita Lycurgi scribit Spartæ iuvenes omnes calceis caruisse, quo expeditiores essent. Adde et castiores; nuditas enim pedum ex frigido aere, et terra quam calcant, pedes frigefacit, qui per sympathiam frigus suum partibus cæterisque membris communicant, itaque in eis ardorem libidinis restinguunt. Hinc multi religiosi nudipedes incedunt, tum humilitatis et pœnitentiæ, tum castitatis causa.

Iudæi nudipedes in templo, cur?

Romani nudipedes.

Religiosi nudipedes studio castitatis.

Sensus ergo est, q. d. Cum ingrederis templum, vide ut modeste, honeste, caste, pure et reverenter incedas, cogitans te ingredi locum sacrum, in quo residet Divina Maiestas, ut illam adeas et audias: quare custodi pedem tuum, ne præceps sit, necubi ad lapides et offendicula impingat, ait sanctus Hieronymus et Salon. Alii: Ne offendas ad gradus quindecim, per quos ascendebatur ad templum; ne superbe et pompatice incedat, ne quo evagetur ad profana, vel illicita, ut curiose spectet fœminas, nobiles, etc. sed totum se pes, et pedis rector animus colligat, ad adeundum sacra, ut illis totus intendat. Sub pede enim oculos,

aures, totumque corpus et mentem intelligit per synecdochen. Nominat tamen præ cæteris pedem, quia pedum est ingredi in templum: custodia ergo pedum significat hic omnem modestiam, attentionem et reverentiam, tum externam, tum internam, debitam Deo in templo. Ita Olymp. *Custodi*, inquit, *totum corpus tuum* (*a parte enim totum significavit*) *nec instrumentis eisdem, quibus templum Dei frequentes, theatrales adito ludos, et obscœna spectaculo, et impia et profana loca. De aliis quoque humani corporis membris idem intellige faciendum.* Hunc esse sensum liquet ex eo quod subditur: *et appropinqua ut audias*, q. d. Custodi pedem ne quo evagetur, sed recte tendat ad audiendum Deum, eiusque legem quæ ad altare a sacerdote legitur et explicatur. Unde Campensis vertit: *Ingressurus domum Dei, vide diligenter quid faciendum sit tibi, et scito illum proxime tibi adesse et audire cuncta.*

Pedes sunt affectus, cur?

Symbolice, pedes, teste S. Gregor. S. August. S. Basil. Origene, S. Hieron. et aliis passim, notant affectus animi; quia sicut pedibus itur ad locum destinatum, sic affectibus itur ad opus externum. Affectus ergo sunt quasi pedes animæ, quibus ipsa se movet et promovet ad opus. Sensus ergo est q. d. Ingressurus templum custodi pedes, id est affectus animæ; ne quid animo volvas aut concupiscas Deo indignum, vetitum, ingratum, sed omnes cogitationes et affectus converte in Deum, ad eum puro corde, affectu et desiderio colendum, invocandum, amandum. Hinc Chald. vertit: *Tu, fili hominis, custodi pedes tuos in tempore, quo ieris in domum sanctuarii ad orandum, ne venias ea plenus peccatis ante Dominum, quoad convertaris.* Quocirca custodiam hanc pedis David explicat per innocentiam manuum et munditiam cordis: utramque enim requirit in ingressuris domum Dei, dum Psalm. 14. 1. interrogat: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* ac respondet: *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam*, id est, qui nullam rem vanam et caducam concupiscit, ait Theodoret. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Et Isaias c. 33. 15. *Qui*, inquit, *ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam, etc. regem in decore suo videbunt.* Vide ibi dicta, ita Salonius: *Quamvis*, inquit, *semper honeste et cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem animæ, id est gressum mentis, ut in conspectu Dei mundas preces effundamus. Quando igitur ingrederis Ecclesiam, custodi gressum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitationibus, ut oratio tua pura dirigatur.* S. Gregorius Neocæsar. *Porro*, inquit, *quantum ad Ecclesiam attinet, principio vitæ tuæ rationem habe, ut ipse rectus ambules.* Consonat S. Hieron. dicens: *Præcepta vitæ dat, et non vult offendere euntes ad Ecclesiam. Non enim ingredi in domum Dei, sed sine offensione ingredi, laudis est.* Uberius Titelman. *Cum ingredi volueris domum Dei, vide ut mundi sint pedes tui, neve (ut in Proverbio est) illotis pedibus in eam irruas, non attendens reverentiam quam debes exhibere erga locum sanctum divino cultui dedicatum, et divina præsentia peculiariter sanctificatum.* Hoc est custodire pedem, observare ut mundus introeas. Hinc illud Davidicum: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine*, Psal. 92. Caietan. ex Hebræo vertit: *Domi tuæ pulchruit sanctitas*, hoc est, inquit, *sanctitas et pulchritudo Christianorum.*

Reverentia in templo.

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quod templum sit locus Deo consecratus, ideoque Dei domus et thronus: quare sicut reveremur regem in throno; ita longe magis Deum in templo, velut domo sua residentem. Origo huius nomenclaturæ, quod scilicet templum sit et vocetur domus Dei, fuit visio Iacobo a Deo exhibita Genes. 28. 11. *Iacob enim vidit scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum; Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ. Cumque evigilasset de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est*, inquit, *locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli, appellavitque nomen urbis Bethel*, id est domus Dei. Chald. vertit: *Quam terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus ad quem voluntas est ob ipso Domino*; id est quem ut sibi placitum voluit, et ex omnibus selegit sibi Deus. Huc facit præceptum se promissum a Deo factum Mosi Levit. 19. *A sanctis* (Hebr. *a sanctitate*, id est a sanctuario) *meis timebitis.* Et c. 26. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, etc. Ambulabo inter vos et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Et Psalm. 64. 5. *Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate.* Et Ieremiæ c. 7. v. 2. *Audite*, inquit, *verbum Domini, omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto.*

A

Hinc particulatim nonnulli exponunt hunc locum de odio, q. d. Ingressurus templum, custodi pedem, id est affectum animæ tuæ ab odio; sed si *frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum*, ut iubet Christus Matth. c. 15. v. 23.

B

Deus enim est charitas, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, ut ait S. Ioan. quare si accedis ad Deum qui pura meraque est charitas, odium omne deponas necesse est.

Moral. de reverentia templi.

Moral. hic disce quanta reverentia debeatur locis sacris. Audi sanctum Chrysostomum hom. 15. in ep. ad Hebr. « In aulam, inquit, regiam intraturus et habitu, et oculis, et incessu, et in cunctis aliis componis et ornas temetipsum; in templum autem ingressurus, ubi vere aula regia est, et talis qualis est cælestis, rides? Tu quidem non vides: audi tamen, quia Angeli præsentes sunt ubique, maxime in domo Dei, ubi astant regi, et omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus. »

Quin et Seneca lib. 7. Natur. quæst. c. 30. et 31. *Egregie Aristot. ait numquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Deo agitur. Si intramus templo compositi, sed ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur,*

C

quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignoranter affirmemus, aut scientes mentiamur? Externa enim morum compositio, vel dissolutio, index est internæ, iuxta illud Eccles. 19. 27. *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Vide ibi dicta; ubi inter alia recensui sanctum Ambrosium noluisse quemdam promovere ad sacerdotium, eo quod ex immodesto et inconcinno eius incessu, coniiceret similem mentis immodestiam et inconcinnitatem qualem revera postmodum in eo deprehendit. Ita sanctus Martinus, teste Sulpicio in eius Vita, in templo semper genuflexus vel erectus, numquam vero sedens, pallido pavidoque vultu orabat. Rogatus causam dixit: *Non timebo consistens hic coram Deo meo?* Unde meruit ut crebro visitaretur a sancto Petro, Paulo, Agnete, Thecla, atque ab ipsa B. Virgine. In templo enim, quasi in domo, Deus ut paterfamilias residet, ut reverenter ad se accedentes audiat et exaudiat: quare ibi est liberalissimus, et

In templo Deus est liberalis, cur?

D

omnia quæ rite postulantur concedit, iuxta illud: *Quoniam illic* (in templo ait Theodoret.) *mandavit Dominus benedictionem* (omnis boni copiam) *et vitam usque in sæculum*, Psal. 132. vers. 2. Unde idem aiebat: *Replebimur in bonis domus tuæ*, Psalm. 64. vers. 5. Et: *In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*, Psal. 5. 8. Idem postulat et impetrat Salomon toto cap. 8. l. 3. Reg.

Ex adverso, Deus irreverentiam et iniuriam templo illatam excidio gentium et urbium ulciscitur, uti hac de causa excidit Hierosolymam et Iudæos. Unde Sophon. c. 1. v. 9. *Visitabo, ait, super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini iniquitate et dolo.* Et Amos cap. 6. v. 1. Væ intentat in *optimates ingredientes pompatice domum Israel.* Quare ubi violantur templa et religio, ibi certa imminet Dei ira et vindicta, certumque urbis vel religionis excidium.

Anagog. Pes significat vias, modos, rationes vivendi,

quas purissimas conservare oportet, ut ingrediamur in A templum cælestis Ierusalem. Nam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium*, Apoc. 21. v. 27. Si ergo eo ingredi optas, si regnare cum Christo, animi affectus comprime, eosque velut mentis pedes illuc dirige, audiendo et obediendo præceptis Dei, cui hoc placet magis quam victimæ stultorum.

Et appropinqua ut audias) Ex Hebræo varie vertunt. Primo Arabicus: *Anticipa proximum tuum ad audiendum*, q. d. Alacer et celeriter adito templum. Secundo, Syrus et alii hæc nectunt sequent. hoc modo: *Accedere ad audiendum melius est donis stultorum*; quod Noster vertit: *Melior est enim obedientia quam stultorum victimæ*. Tertio, Vatablus et Pagnin. *Quia propinquior et propensior est* (Deus) *ad audiendum preces tuas magis quam ad suscipiendum sacrificium quod darent stulti*. Quarto Campens. *Et scito illum* (Deum) *proxime tibi adesse et audire cuncta*

Verum melius vertit Noster: *Et appropinqua ut audias*, quia Septuag. vertunt: *Et propinquus ad audien-* B *dum*. Et Chald. id explicans: *Applica*, ait, *aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus*; templa enim eriguntur tres ob fines: primo ad sacrificandum; secundo, ad orandum; tertio, ad audiendum Dei verbum. Docet ergo ad templum eundum magis hoc fine, ut audiamus Deum, quam ut audiamur a Deo; imo ut audiamur a Deo, prius debere audire Deum, tam exterius per sanctas inspirationes cordi nostro loquentem: qua ratione enim Deus audiet eum qui ipsummet loquentem audire renuit? Vis ergo ut te audiat Deus, tu prior audi eum eiusque legi et iussis obedi. To enim *ad audiendum* hic sumitur in actu perfecto, significatque audire ita ut obedias. Audit igitur, qui audita percipit, et audita custodit opereque exsequitur. Hic enim habet aurem audientem et obedientem, ut ait Moses Exodi cap. 20. vers. 18. et Salomon Proverb. cap. 25. 12. Sive aures audiendi, ut ait Christus Matth. cap. 11. v. 15. Noster Lorinus hebr. קרב *karob*, id est *appropinquo*, vertit: *offer*: inde enim קרבן C *korban* vocatur *oblatio*, quia res offerenda appropinquat altari et Deo. Summa enim oblatio est audire et obedire Deo. Verum קרב *karab* significat afferre in coniugatione Hiphil, non in Cal, uti est *karob*. Adde non recte dici: *Offer victimam ad audiendum*. Mystice Haga Card. To *appropinqua* significat, inquit, ei exeundum de terra, qui res cælestes scit audire.

Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ.) Hebræa concise sic habent: *Et appropinqua vel appropinquare* (Hebr. enim קרב *karob* tam est modi infinitivi, quam imperativi) *ad audiendum præ dare stultos sacrificium*, quod Noster clare explicuit dicens: *Appropinqua Deo; multo enim melior est obedientia* (qua audis et obedis Deo) *quam stultorum victimæ*. Et Syrus: *Accedere ad audiendum melius est donis stultorum*. Et Arabicus: *Et sit sacrificium tuum præstantius donis insipientium*. Et clare Chald. *Applica aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus, et non* (facias) *sicut stulti, qui hostias pro peccatis offerunt*, D *neque tamen se a nefandis operibus, quæ manibus suis quasi concluserunt, avocant*. Sic et Tigur. Paulo aliter sanctus Hieronymus in veteri editione: *Super donum enim insipientium*, inquit, *sacrificium tuum*, scilicet erit, si Deum audieris, uti præcessit, quod eodem redit. Campensis vero hæc refert ad battologiam et multiloquium in orando: *Et scito*, inquit, *illum tibi proxime adesse et audire cuncta; quare cave ne multis verbis cum illo agas stultorum more*.

Porro, *melior est obedientia quam victimæ; quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*, ait S. Gregor. 35. Moral. 10. *Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante oculos eius repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat*. Quanto ergo præstat voluntas carne, tanto præstat obedientia victimis. Vide Hieron. Platum lib. 1. de Bono status relig. c. 4. et lib. 2 c. 5.

Simile est illud: *Misericordiam volui, et non sacrificium*. Oseæ 6. 6. Vide ibi dicta. Hanc Salomonis sententiam primitus Samuel obiecit Sauli, qui præter voluntatem Samuelis et Dei sacrificarat ideoque regno et vita privatus est: *Melior est enim*, inquit, *obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*, 1. Reg. 15. 22. Ubi vide S. Gregor. Deinde eamdem usurpavit David in persona Christi: *Sacrificium*, ait, *et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, etc. *Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei*, Psal. 39. 7. Hebr. 10. 5. ubi fuse hac de re egi.

Qui nesciunt quid faciunt mali.) Pagninus: *Qui nesciunt facere voluntatem eius*, scilicet Dei: hebr. enim רע *ra*, id est malum, chaldaice significat voluntatem: רעה *raa* enim chald. idem est quod hebraice רצה *ratsa*, id est velle, complacere. Vatabl. *Qui nesciunt facere nisi malum*; Campens. *Quorum opera sunt ingrata Deo, quæ faciunt*; Clarius: *Nesciunt aliud quam facere malum*; R. David: *Nesciunt aptare et corrigere malum quod habet sacrificium ipsorum*; alias: *Quia non ipsi scientes* (sed ignorantes et insipientes) *ad faciendum malum*. Sicut enim sciens et sapiens facit bonum, sic ignorans et insipiens facit malum; Hebræa enim concisa sunt, et nonnulla supplenda relinquunt; unde varie verti possunt. Noster cum Septuag. optime vertit supplendo τὸ *quid*. Sensus est, q. d. Obedientia est melior quam victimæ stultorum, id est impiorum; quia hi etsi victimas in se bonas offerant, tamen multa perpetrant mala quæ ipsimet sæpe nesciunt, vel non advertunt. Adeo enim præcipites feruntur ad explendas suas concupiscentias, ut quantum in eis mali insit, non advertant. Similiter dum offerunt victimas, multa ignoranter et irreverenter in oblatione committunt, ac imprimis quod peccatis oppleti nec de eis pœnitentes, sed iis immorantes contra legem et voluntatem Dei eas offerant, quo fit ut suis victimis magis Deum offendant, quam placent; sed ipsi hæc non advertunt, putantque Deum nudis victimis placari: qua in re graviter falluntur, ideoque insipientes sunt et stulti. Tales et hodie multi sunt apud Christianos. Hinc Chald. vertit. *Ideo Dominus animo placato ea non suscipiet, cum nec illi inter bonum et malum facere discrimen norint*. Hoc ipsum ignorant esse malum et peccatum, non obedientia et operibus bonis, ait S. Hieron. sed donis et victimis emendare velle, quod fecerint; præsumendo se per solas victimas iustificari, inquit Caietanus; et quod in male offerendo careat zelus discretionis iudicio, ait Olympiod. et quod putant se illa ipsa in re benefacere, ait Chartus. quia putant sine obedientia se solis externis muneribus placare Deum, ait Titelman. metiuntur enim Deum ex se et sui similibus, quasi Deus placetur donis et xeniis, uti placantur homines. Ignorant ergo quid Deo gratum sit, quid ingratum, idcirco totas se dant externis cæremoniis, nil de interna puritate et pietate curantes. Perversum ergo habent de virtute et de Deo iudicium, ac utrique insignem iniuriam irrogant, dum censent Deum colendum carnis victimis non in spiritu et veritate adorandum. Denique Thaumaturgus totum hunc versum applicat Ecclesiastæ, id est concionatori: sic enim vertit: *Porro Ecclesiastæ est munus imprimis ut vitæ suæ rationem habeat, et ipse rectus ambulet; dein pro insipientibus precetur, ut in posterum recepto intellectu, mala opera vitare discant*. Verum hæc versio ab Hebræo, Græco, Latino, Syro et Arabico dissonat.

Ab iisdem pariter dissonat, esto minus, Isidorus Clarius dum vertit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei qui propinquus est ut audiat. Ne des sacrificium stultorum, qui nesciunt aliud quam facere malum*; sicque explicat, q. d. Proxime adest Deus, ad audiendum omnia tua. Ne ergo multis verbis cum eo agas, stultorum more; quorum sunt Deo ingrata, quæ faciunt omnia, scilicet etiam [illegible] plenas habent manus sanguine, ob rapinas et [illegible].

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit dare præcepta de modo orandi et colendi Deum, ac tria assignat: Primum, ne temere quis multa effutiat coram Deo. Secundum, ne temere quid voveat, sed prudenter, idque expleat. Tertium, venerandam esse Dei providentiam, etiam dum permittit pauperes opprimi, ac vim inferri iustitiæ. Hinc inserit quædam de vanitate somniorum. Deinde v. 9. transit ad vanitatem avaritiæ; præsertim quod illa avarum numquam satiari sinat, quodque ille sæpe congerat opes in sui noxam et necem. Unde v. 17. concludit felicitatem non consistere in opibus, sed in frugali et honesto opum usu.

1. NE temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo; Deus enim in cælo, et tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui. 2. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. 3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde. 4. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. 5. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: Non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. 6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri: tu vero Deum time. 7. Si videris calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii. 8. Et insuper universæ terræ rex imperat servienti. 9. Avarus non implebitur pecunia: et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: et hoc ergo vanitas. 10. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? 11. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire. 12. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui. 13. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium, qui in summa egestate erit. 14. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. 15. Miserabilis prorsus infirmitas: quo modo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum? 16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumna atque tristitia. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: et hæc est pars illius. 18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo: hoc est donum Dei. 19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor eius.

Vers. 1. NE TEMERE QUID LOQUARIS, NEQUE COR TUUM SIT VELOX AD PROFERENDUM SERMONEM CORAM DEO. DEUS ENIM EST IN CÆLO, ET TU SUPER TERRAM; IDCIRCO SINT PAUCI SERMONES TUI.) Hebr. אל תבהל *al tebahel*, id est: *Ne acceleres ex sollicitudine*, et mentis æstu, ne præcipites, ne tumultueris, ne percellas sicut audaces, potentes et impudentes verba accelerant et præcipitant, ut iis velut grandinibus percellant, obruantque audientem, cogantque eum facere id quod ipsi petunt. Simili enim modo quidam fideles, sed rudes, in oratione verba multiplicant et præcipitant, quasi iis cogere velint Deum, ut det quod postulant; et sicut faciunt balbi et blæsi, qui quia celeres, habent phantasiæ motus; ut eos verbis nequeant assequi, et eloqui, quia phantasiæ celeritas linguæ tarditatem antevertit et prævolat: hinc balbutiunt. Conantur enim et solliciti sunt, ut celeritatem cogitandi celeritate loquendi adæquent, ideoque verba præcipitant, confundunt, balbutiunt, eoque magis quo celerius loqui satagunt, uti docet Aristot. sect. 3. Problem. in 30. Notatur ergo et carpitur hic præcipitatio oris, proveniens ex corde cupiditatibus et passionibus ardente et æstuante. Unde Septuag. vertunt: *Noli festinare in ore tuo:* Syrus et Arabicus: *Ne velox sis in ore tuo, et ne acceleret cor tuum ad proferendum verbum*; Noster: *Ne temere quid loquaris*; Symmach. *Ne sis προπετής, id est præceps, temerarius, pronus et corruens, audax effrænatus, immodestus, inconsideratus ad loquendum*; Tig. *Ne quid præcipitanter loquaris*; Cotus et Chald. vertit: *Ne inconsulto sermone prorumpas in verborum strepitum, neque præceps animus tuus feratur, ut vim et orationis aculeos effundas, cum tu ad Deum precaturus venis.*

Porro Georgius Cedrenus in Compendio hist. c. 9. taxans Origenem, quod libros plurimos non tam componeret, quam temere effunderet, aliter legit: *A librorum*, inquit, *compositione et multitudine syntacticus, quasi compositor, dictus fuit. Apparet eum non paruisse Salomonis dicto ita præcipientis: Fili, cave ne multos libros facias, neque festina loqui, neque properet animus tuus coram Deo verba facere.*

Verum hæc lectio ab Hebræo, Græco, Latino et cæteris dissonat.

Igitur temerarius et velox sermo coram Deo est præceps multiloquium, idque quadruplex: primo, quod fit de qualibet re in præsentia Dei; secundo, quod fit de ipso Deo; tertio, quod fit Deo per votum; quarto, quod fit coram Deo per orationem; hinc quadruplex oritur sensus. Multiloquium quadruplex.

Primo enim Thaumat. Olympiod. Bonavent. Hugo Card. censent hic præcipi silentium et moderationem linguæ in qualibet locutione, eo quod coram Deo, id est in Dei præsentia, agamus et loquamur quidquid agimus et loquimur. Audi Thaumaturg. *Tum etiam perpulchrum fuerit lingua parce, pectore autem constanter uti. Nam licet absurdis quibusdam motibus impetatur animus, dedecus tamen foret eos continuo effutire, motibusque esse minus compositis. Licet enim a cælo longe distemus (quod diligenter advertendum est) præsenti tamen auscultantique Deo loquimur. Graviter itaque loqui utilissimum.*

Nam ut docet Arist. lib. 4. Ethic. c. 3. Magnanimi habent motum tardum, vocem gravem, locutionem tardam stabilemque. *Nam neque qui circa pauca studet*, inquit, *est festinabundus; neque qui nihil magnum existimat, contentus et vehemens. Acuta autem vox, et celeritas ex his efficitur*, qui sunt pusillanimes.

Secundo, pressius S. Hieron. *τὸ coram Deo* exponit *de*

Deo Iubet, inquit, ne *aut loquentes, aut cogitantes, plus de Deo quam possumus opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram, quod quantum distat cælum a terra, tantum nostra opinio ob illius natura separatur.* Sic et Hugo Victor. Lyran. Titelman. Dion. et alii. Præclare Hugo Ætherianus lib. 2. de Hæresi: *Sicut*, inquit, *qui Ægyptiam palmam gustarit, mens eius obstupescit; sic lingua retardatur, cum dicendum est de Deo.* Lactantius lib. de Ira Dei, celebrat illam Platonis sententiam in Timæo: *Maiestas Dei tanta est, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit;* et illam Socratis: *Formam Dei non oportet conquiri.* Cui similis est illa Trismegisti ad Tatium: *Deum invenire difficile; eum inveneris, menteve concepe- ris, indicare in vulgus, nefas; enarrare verbis impossibile, ob nimiam et inæstimabilem eius potestatem.* Quocirca Cicero pro lege Manil. *Homini*, inquit, *timide de potestate Deorum et pauca dicenda sunt.*

Tertio, arctius alii apud S. Hieron. censent hic agi de voto, vetarique ne quid temere voveamus coram Deo, id est ipsimet Deo. Verum de voto agetur vers. 3.

Quarto ergo et genuine, agitur hic de oratione: hæc enim fit coram Deo: unde Campens. vertit: *Ne præceps sis in lingua tua oratura Deum.* Iubet ergo ne in oratione simus præcipites, verbosi et polylogi; ut quidquid in buccam venit, quidquid cor, vel concupiscentia suggerit, coram Deo promamus.

Rursum ne in oratione simus leves, impræmeditati et imprudentes; sed prius meditemur quid orare et postulare conveniat, ne petamus aliquid Deo indignum, vel nobis noxium. Sub oratione accipe quamvis Dei invocationem; sive ea fiat per iuramentum, sive per votum, sive per exorcismum, sive per aliam rationem et modum, q. d. Ne temere quid iures per Deum, ut eum invoces facisque testem rei vanæ, vel falsæ, nec præcipitanter quid voveas Deo; sed prius cogita an id quod voves, Deo gratum sit, ac tibi utile et facile, ut de executione non dubites; ne temere diabolum, vel res creatas per Dei nomen coniures, etc. Vetatur enim hic omnis irreverentia, quæ fit Deo per præcipitem nominis ipsius sanctissimi invocationem. Unde generale hoc præceptum particulatim de voto explicans, subdit: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*, etc. Ita Chald. *Non accelerabis*, ait, *super dictum tuum, ut confundas eloquia oris tui; et cor tuum non festinabit proferre loquelam in tempore, quo tu oras ante Dominum: namque Dominus imperat super omnem mundum, et sedet in solium gloriæ in cælis altissimis, et tu sedes super terram, propterea erunt verba oris tui modica.* Taxat Gentiles, qui putabant Deum flecti bellis sermonibus et orationibus, quibus Cicero et oratores flectebant iudices ad misericordiam vel vindictam, contra quos Christus Matth. 6. 7. *Orantes*, ait, *nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.*

Rursum Gentiles putabant Iovem et Deos dormire, vel alio profectum abesse, aut bibere in diversorio, vel aliis negotiis occupatum distineri: quare ut eum excitarent, et attentum facerent, multis magnisque clamoribus orabant, ut sacerdotibus Baal improperat Elias 3. Reg. 18. 27. *Clamate*, inquit, *voce maiore; Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.*

Vere Seneca lib. 2. de Benef. c. 1. *Vota*, inquit, *homines parcius facerent, si palam facienda essent.* Et rursum: *Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.*

Præclare Nyssen. in Orat. Dominicam: *Qui in tempore orationis*, ait, *in ea quæ animæ conducunt, intentus non est, sed vitiosis et perturbatis animi sui motibus Deum obsequi postulat, nugator quidem revera, atque blaterator est; quippe qui oret ut Deus suarum ineptiarum et vanitatum adiutor et minister fiat.*

Vetat ergo hic Salomon ne ex vitiosa animi cupiditate, libidine, petulantia, præcipitatione, inconsideratione quid oremus vel effutiamus coram Deo, sed prius prudenter iuxta dictamen rectæ rationis expendamus, quid et quale, quantumque a Deo petere oporteat, ne irreverentiæ crimen incurramus, ideoque sobrie et parce coram Deo loquamur. Deus enim est cardiognostes, id est cordium scrutator, ideoque magis attendit cor et mentem, quam linguam orantis. Maxime autem notatur et carpitur hic præceps in multiloquio, et oratione celeritas. Eamdem carpsit Prov. 29. 20. *Vidisti*, ait, *hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio.* Et S. Iacob. cap. 1. vers. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Festinatio indicat iudicium, quod loquens habet de sua ipsius sapientia, quasi aliis præferenda sit, neque sit diu sibi exspectandum in proferenda sententia, ne alius præverteat. Confusio illa verborum nascitur ex nimia præcipitatione loquendi*, ait recte noster Lorinus.

Probe cum Deo agendum.

DEUS ENIM IN CÆLO, TU SUPER TERRAM.) Septuag. *Quia Deus in cælo sursum, et tu super terram;* addunt aliqui *deorsum;* Campens. *Deus e cælo videt tua omnia qui in terra degis;* Olympiod. *Deus enim qui in altissima cælorum specula sedem habet, quæ in imo sunt, conspicit universa.* Sensus ergo est:

Primo, q. d. Noli in oratione verba multiplicare, et præcipitare, quasi Deum excitaturus ad audiendum, et concedendum quod petis, quia Deus e cælo cominus terram, et omnia, quæ in terra fiunt, intuetur. Quare cominus intuetur, et audit omnia, quæ postulas: *Cælum enim sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, ait ipse Isaiæ cap. 66. vers. 1. Quare sicut sedes vicina est scabello, sic cælum vicinum est terræ; at Deus residens in cælo, e vicino audit te in terra, quasi ad scabellum sedis suæ orantem. Ita Thaumaturg. Addit Caiet. Cælum semper est præsens terræ, nec terra a cælo elongatur, q. d. Deus numquam discedit, aut recedit a cælo, ac consequenter nec a terra: quare nulla est ratio festinandi, et accelerandi preces: Deus enim semper præsens et immotus consistit ut eas audiat. I.

Secundo, et nervosius, q. d. Deus in celsissimo cæli solio gloriosus residet, tu autem in humili vilique terra, supplex humi oraturus procumbis. Quare decet te reverenter cum timore et tremore, ac submisse paucisque Deum alloqui, et dicere cum Abrahamo: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Genes. 18. 27. Cum ergo sis vilis et infimus, par est, ut summam Dei maiestatem in cælo regnantem, summa demissione et veneratione interpelles. Unde Costus et Chald. vertit: *Nam in universum orbem principatum obtinet Deus, sedetque in summo cælo, velut in sede gloriæ: tu vero cum depressus humi iaceas, in dicendo moderatione utere.* Porro Vatabl. interpretatur: *Deus est verax, tu autem mendax, ignorans et insipiens.* Idcirco pauca, eaque præmeditata, coram Deo loquere, ne his te falsitatis, ignorantiæ et insipientiæ coarguat. II.

Tertio, sicut cælum complectitur, fovet, regit, illustrat et fœcundat terram, sic et Deus homines se invocantes: quare non multis verbis in oratione ad eum est opus, sed pio affectu, resignatione et fiducia, qua credamus et speremus ab eo omnia quæ poscimus, si nobis salutifera sint; in illius ergo sancta providentia, silentes et sperantes recumbamus, et securi conquiescamus. III.

IDCIRCO SINT PAUCI (et diligenti examinatione perpensi, ait Olymp.) SERMONES TUI.) Tum ob rationes iam dictas, tum quia Deus e cælo totam terram, et omnia, quæ in ea fiunt, velut exiguum globulum pellucidum pervidet, et perspicit, uti raptus in Deum, eumdem totum perspexit S. Benedictus, teste S. Gregor. 4. Dial. cap. 36. quare cum Deus tuas preces, ærumnas et desideria perspiciat, non est quod ea multis illi explices, utpote iam illi cognita. Secundo, quia sicut coram principe paucis agendum est, reverentiæ causa, sic magis coram Deo. Tertio, quia Deus e cælo pervidet affectum cordis, eumque poscit, non sonum, copiamque verborum. Unde Mosi silenti, sed summe desideranti dicebat: *Quid clamas ad me?* clamor enim in Dei auribus est vehemens affectus, et desiderium, Exodi 14. 15. Hinc S. Franciscus totam noctem orans, ac e terra

sublevatus in cœlum, non aliud dicebat, quam *quis tu, Domine? quis ego? Deus meus et omnia*; sed hæc verbis totum cordis affectum in Deum effundebat. Sic Martha et Maria Lazaro ægrotante, non aliud nuntiarunt Christo, quam: *Ecce quem amas infirmatur*, Ioan. 11. quem enim amas, non deseris: amanti sat est indicasse necessitatem et voluntatem amati. Et David Psalm. 141. 3. *Tribulationem meam*, ait, *ante ipsum pronuntio*, id est verbo enuntio; Arabicus: *Proieci inter manus eius voluntatem meam, detuli apud eum.*

IV Quarto, quia Deus, qui ex alto omnia uno mentis cernit in ictu, omniaque dicit et eloquitur unico mentis suæ verbo, videt et ridet nostrum in oratione multiloquium, postulata temeraria et stulta iudicia: quia *sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris*, ait ipse Isaia 55. 9.

B Hac facit symbolum Pythagoræ: *In astrum numquam digitum intendas*, id est de cœlitibus et summis viris nil temere loquaris. Et illud eiusdem: *Dei imaginem in annulo ne circumferas*, id est de divinis parce disseras. Et illud Syrorum: *Ne os et vultum contra solem obfirmes*, id est ne obluctaris Deo aut principibus; ne illis contradicas, aut maledicas.

Vers. 2. MULTAS CURAS SEQUUNTUR SOMNIA, ET IN MULTIS SERMONIBUS INVENIETUR STULTITIA.) *Et*, id est, *sic*: comparat enim curas sermonibus multis, et somnia stultitiæ, quod sicut ex curis sequuntur somnia, sic ex multis sermonibus stultitia; Hebr. *Vox inconstantis*, id est stulti; Tigur. *Nam in multa occupatione occurrit somnium, et in multis verbis stulti vox erumpit*; Campens. *Sicut diurnæ curæ gignunt somnium, ita multa verba stultam faciunt orationem*; Chald. *Quoniam sicut venit somnium propter cogitationes cordis in multis negotiis, similiter est vox stultorum in multis verbis otiosis*; vel ut vertit Costus: *Sic et stultorum vox ad verborum inanium varietatem fertur.*

C Hic versus pendet a præcedenti, eiusque dat causam, cur scilicet sermones coram Deo debeant esse pauci; unde iuxta quadruplex multiloquium coram Deo, initio versus assignatum, quadruplex hic oritur sensus.

Primo enim, absolute et generatim multi sermones possunt significare quodlibet multiloquium, et quamlibet garrulitatem, quæ fit coram Deo, id est Deo intuente et audiente, q. d. Vetui quodvis multiloquium, quia illud communiter comitatur stultitia, sicut curas multas comitantur somnia. Hæc enim est causa adæquata cur vetuerit multiloquium, et præcipitationem loquendi, quia scilicet in omni multiloquio invenitur stultitia: hæc enim illius partim est causa, partim effectus. Causa, quia qui multa garrit, multa impertinentia, futilia, vana et stulta, imo falsa effutit, quæ eum stultiorem efficiunt. Effectus, quia garrulitas prodit ex mente vaga, errante, inconstante, delira. Ita Lyran. Caiet. Titelm. Vatabl. et alii. Accedit Olympiod. qui sic exponit: *Sic ut qui per diem multis tentationibus curisque agitantur, per quietem subinde somniis conturbantur: ita et stultus in multiloquio peccans, sua*

D *ipsius voce arguitur.*

Secundo, multiloquium coram Deo, accipi potest garrulitas de Deo rebusque divinis, de qua sic exponit S. Hieronym. « Præcipit, inquit, ne aut loquentes, aut cogitantes, plus de Deo, quam possumus, opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram, quod quantum distat cœlum a terra, tantum nostra opinatio a natura illius separetur et idcirco debere verba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter, de quibus cogitat: ita qui plura voluerit de divinitate disserere, incidit in stultitiam. Vel certe sic: Verba nostra pauca ideo esse debere, quod etiam ea quæ nosse nos arbitramur, per speculum videmus, et in ænigmate, et velut somnia comprehendimus, quod tenere nos æstimamus.

1 Cor 13. Cumque plura (ut visum nobis fuerit) dixerimus, finem

Prov. 10. disputationis nostræ esse stultitiam. Ex multiloquio enim nos non effugere peccatum. »

Accedit auctor Catenæ Græc. qui et causam subdit: *Nec*

A *enim, inquit, fieri potest, ut homo qui sensili natura constat, et omnem suam cogitationem a sensibus mutuatur, is recte et citra errorem de Deo disputet*, Prov. 10. utpote spirituali et incorporeo.

Tertio, multiloquium coram Deo, potest accipi præcipitatio ad vovendum. Huius enim comes est stultitia, dum vel stulta, aut contraria vovet, et stulte vota tot et tanta explere non vult, imo non potest. Denique hæc vota prodeunt ex mente inconstante, insipiente et stulta.

Quarto, et magis presse ac proprie per multiloquium coram Deo significatur præcipitatio, et multiloquium precum, quæ procedit ex animo variis desideriis agitato, ac cupiditatibus et sollicitudinibus æstuante et perturbato: hoc enim significat Hebr. ויבהל tebahel v. præced. Talis enim oratio procedit ex anima cupida, perturbata, et stulta: ideoque multa similia effutit et precatur. Sensus ergo est, q. d. Sicut multitudo curarum præsertim inanium et futilium prodit ex mente inani et futili, ac variis

B desideriis æstuante, paritque somnia inania, futilia et perturbata: sic pariter multitudo sermonum et precum prodit ex mente vaga, instabili ac variis cupidinibus et passionibus iactata; ideoque inconstante et stulta, ac proinde multa contraria, perturbata et stulta effutit ac postulat, quæ eam stultam stultiorem efficiunt: quod enim nunc petit, mox renuit; quod nunc placet, mox displicet; quod nunc ait, mox negat. Ergo multiloquium in orando prodit augetque orantis stultitiam, id est mentis variis et inter se pugnantibus cupiditatibus agitatæ et impulsæ inconstantiam. Hanc enim significat Hebr. *kesil*. Sic enim ad verbum habent Hebræa: *Quia venit somnium in multitudine occupationis, et vox inconstantis, sive stulti in multitudine verborum.*

Porro apte comparat multas curas multis sermonibus, quia multæ curæ pariunt multos sermones: quæ enim mens cupit et curat, hæc eloquitur; somnium vere apposite comparatur stultitiæ. Primo, quia somnia sunt quæ- Somnium est stultitia.

C dam phantasiæ ludibria et deliria: vicissim stultitiæ et de- I.

liria sunt quasi mentis emotæ et aberrantis somnia. Sicut ergo somnia sunt deliria dormientium: sic stultitiæ sunt deliria æque ac somnia vigilantium.

Secundo, sicut somnia prodeunt ex animo curis agitato: sic stultitia ex anima variis cupiditatibus, quas per multiloquium prodit, æstuante. Vere Seneca in Octavia hanc somniorum dat causam: *Quæcumque*, inquit, *mentis cogitat infestus vigor, ea per quietem sacer, et arcanus refert, veloxque sensus.* Et Claudian. de raptu Proserp. II.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,

Tempora nocturno reddit amica quies.

Tertio, sicut in somniis mentis perturbatæ propter rerum variarum, ait Pineda, atque multarum imagines, atque phantasmata concursatio, et nonnullo ordine rerum et intelligentiæ servato, tumultuarie et confuse menti impressa, et memoriæ tradita, necesse est multa inesse deliria, et specierum atque simulacrorum ingentem perturbationem et confusionem, qualia sunt ebriosorum, et furentium hominum insomnia, quæ Hippocrates aliquando III.

D appellavit *peregrinas opiniones, quæ mentem exterrent*: ita sane multa verba non possunt non parere multam in narrando, pollicendo, vovendo, aut quidpiam aliud verbis et sermone tractando stultitiam, inconstantiam, et delirationem.

Quarto, quia crebræ stultitiæ et stultiloquia, pariunt stulta insomnia. Ita Olymp. « Ne, inquit, multiloquus esto ac nugax, neque stultitiam tibi insitam tuo profer sermone; quoniam multæ nugacibus adveniunt tentationes, quæ ipsos interdiu non solum vigilantes conturbent, sed per quietem quoque dormientes exterreant. » IV.

Porro Septuag. hic variant. Vaticani enim et Regii Græcum [illegible] vertunt: *Quia advenit somnium in multitudine sollicitudinis, et vox stulti in multiplicatione sermonum.* Sic et Syrus. Complut. vero: *Quoniam advenit insomnium in multitudine tentationis, et vox stulti in multitudine sermonum*; et Arabicus: *Nam somnium offert multitudinem tentationum, et vox stulti affert multitudinem*

sermonum; quod secutus B. Antiochus hom. 85. accipit hunc locum de insomniis immundis et obscœnis. Audi eum: Insomniis ne commodetis fidem; sunt enim hæc aliud nihil, quam mentis implenatæ ac deerrantis simulacra, imaginationes, et frustratoriæ ludificationes reproborum dæmonum, nobis ut imponant, et implenant sic misere seductos, ut inescent istis deliniamentis atque oblectent, ut deinceps nullo negotio hominem pertrahant ad captanda lenocinia illecebrosæ voluptatis, iuxta verbum Iudæ Apostoli Iacobi fratris de eiusmodi quibusdam dicentis: *Similiter et hi insomniis sua seclantes carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem vero blasphemant:* Ecclesiastes item præcipit dicens: *Insomnium in multitudine tentationis et vox stulti in multitudine sermonum.* Indecit: *Ne des os tuum ut exerrare facias carnem tuam, ut ne irascatur Deus super voce tua, et corrumpat labores manuum tuarum; quia in multitudine somniorum et vanitatem, et sermonum multorum.* Accedit Olymp. *Qui multis tentationibus per diem agitatur, multis subinde somniis, vel ad avaritiam, vel ad libidinem tentantibus per quietem conturbatur, sed tamen inutilibus et statim evolantibus: ita multiloquum et nugacem, ac multa blaterantem, multa videtur dicere, sed tamen inutilia omnia et nugatoria.*

Auctor vero Catenæ Græc. *De Deo,* inquit, *sint pauci sermones tui, id est veri et circumspecti. Nam qui documentum hoc amplecti contemnunt, iis longo tentationum agmine adveniunt somnia. Insomnii enim nomine dæmonem vocat, cum longo ille tentationum comitatu somno deditas animos opprimit atque perturbat. De quo Iobus cum Deo loquens ita dicit: Perterrefacis me in somnis, et obtundis me visionibus. David etiam hunc hostem vitare desiderans, ita sibi Dominum advocat: Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. Et quæ sequuntur.* Aliud: *Quemadmodum qui interdiu tentantur, etiam tum cum dormiunt perterrentur insomniis: ad eumdem quoque modum, eos stultam loquacitas redarguit, variisque tentationibus circumvolvit.* Denique Symmach. vertit: *Accedet somnium propter multitudinem iniquitatis,* quem parit tentatio vehemens; quæ enim per diem concupiscimus, hæc per noctem somniamus. Unde vinosi somniant de suis viris et cadibus, gulosi de sua crapula, scortatores de suis scortis, avari de suis usuris, etc.

Vers. 3. SI QUID VOVISTI DEO, NE MORERIS REDDERE: DISPLICET ENIM EI INFIDELIS, ET STULTA PROMISSIO: SED QUODCUMQUE VOVERIS, REDDE) Septuag. *Prout voveris votum Deo, ne moreris reddere.* Votum enim reddendum est integre, eo loco, tempore, modo, cæterisque circumstantiis, quibus conceptum et nuncupatum est. Unde Interpres Olymp. vertit: *Sicut vovisti etc. ne tardes reddere.*

Præclare Salvianus lib. 2. *Professio,* ait, *religionis non aufert debitum, sed auget: quia assumptio religiosi nominis, sponsio est devotionis, ac per hoc tanto plus quispiam debet opere, quantum plus promiserit promissione, secundum illud: Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Votum enim Deo nuncupatum mire placita res est Deo, adeo ut ipse non tantum promissione de re bona ac sancta sibi facta gaudeat, verum et rem illam voto sibi consecratam sine ulla mora ac celeriter exigat, ægreque ferat, si differatur, aut mora ei inilatur. Unde S. Ambros. l. 4. de Caio et Abel cap. 8. *Primo,* inquit, *voti gratia est celeritas solutionis.* Unde solutionem differre, perinde est aliquando, quod auferre, quod mihi videtur Sapiens hoc loco innuisse; nam ad celerem votorum solutionem hortatur: *Si quid,* inquit, *vovisti Deo, ne moreris reddere.* Et statim reddens huius celeritatis rationem: *Multo,* inquit, *melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere,* hoc est, post votum promissa morari: has enim moras tollendas esse præmonuerat; et tamen dicit *promissa non reddere,* quia perinde est morari promissa, ac negare, ut bene D. Ambros. l. cit. cap. 7. advertit: *Cum enim,* inquit, *moram facis, non reddis.* Quid enim magis profuit Caino sero offerre, quam non offerre?

Apte hæc gnome nectitur, et educitur e præcedenti. Qui enim inconsiderati et præcipites sunt ad loquendum, orandum, vovendum, hi post votum, dum considerant eius difficultatem, tardi sunt ad solvendum, quare sicut peccarunt præcipitatione in vovendo, sic longe gravius peccant tarditate in persolvendo.

Porro votum est promissio Deo facta, quæ ut sit valida, quinque requirit. Primo, ut sit deliberata; secundo, ut libera, hinc ait: *Si quid voveris;* tertio, ut vovens intendat se obligare; quarto, ut sit de re grata Deo: quinto, ut vovens possit se obligare. Hinc votum est actus religionis et latriæ: voto enim colitur Deus, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 5. Unde orationi hic votum subnectitur, præsertim quia orantes sæpe, ut impetrent quod postulant, Deo nuncupant vota, iuxta illud Isaiæ 19. *Colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino, et solvent.* Hinc Græci votum vocant εὐχὴν, id est orationem. Vide nostrum Lessium tract. de Voto.

Quocirca in baptismo, quo fideles profitentur se servaturos legem Christi, et abrenuntiant Satanæ, proprie non est votum; quia hæc non est promissio, sed propositum duntaxat et professio fidei et vitæ Christianæ. Eadem tamen sæpe a patribus vocatur votum, large sumendo nomen voti, pro proposito et professione. Unde ab iis eadem nunc vocatur sponsio, nunc promissio, nunc cautio, nunc iuramentum, nunc abiuratio, nunc professio, nunc contestatio, nunc votum, ut videri potest apud S. Basil. de Spiritu sancto cap. 27. Tertull. de Corona mil. c. 3. Gregor. hom. 29. in Evang. August. in Psal. 75. 8. Hieron. Apol. 1 contra Ruffin. et alios.

NE MORERIS REDDERE.) Campens. *Absque mora illud persolve.* Votum explendum est eo tempore, quod intendit mens voventis: si nullum certum determinaverit, mox ut commode potest, illud explere tenetur iuxta illud Deuter. 23. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore locutus es. Quocirca ruina est devorare sanctos, et post vota retractare.* Prov. 20. 25. Vide ibi dicta. Ratio est quod per votum vovens se obstringat ad rem quam vovit, illi præstandam; votum ergo est debitum, et vovens se facit debitorem Deo, reumque voti: quare peccat, si debitum hoc Deo exsolvere tardat. Iam enim post votum, res non tam est sua, quam Dei; transiit enim in ius Dei, cui per votum est consecrata; quare iniuriam ei facit, si rem eius, id est illi debitam et obligatam sibi retineat. Recte ergo ait: *Ne moreris reddere,* q. d. Cito, alacriter, et hilariter, persolve Deo, quod vovisti; *Hilarem enim datorem diligit Deus,* 2. Corinth. 9. Nam *bis dat, qui cito dat.* Vide S. Bernard. serm. 72. in Cant. Aliam rationem cur cito explendum sit votum, dat Olympiod. *Quia,* ait, *simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumveniet tentationum, quæ persolvere promissionem impediat, ita ut ne dormiens quidem, sine molestia sis futurus.* Qualem in sponsore describit Salomon Prov. 6. 2. Hinc pro *reddere.* Hebr. est שלם *sciallem,* quod proprie significat pacificare, pacem conciliare: qui enim debitum solvit, pacem cum creditore restaurat et firmat: sic vota solventes pacem cum Deo ineunt et sanciunt. Quocirca David: *Vota mea reddam,* inquit, *in conspectu omnium timentium eum.* Ps. 21. 26 Audi S. Ambros. libr. 2. de Cain et Abel cap. 7. *Si voveris votum non facias moram reddere illud. Cum enim moram facis, non reddis. Votum autem est postulatio bonorum a Deo cum solvendi muneris promissione. Et ideo cum impetraveris, quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdum, aut negligentibus irrepit oblivio impetratorum, aut timidis et elatis arrogare eventus sibi, et bonum quod agit, vel quod a Deo consequitur, propriis virtutibus vindicare, nec auctoris reputare gratiæ, sed ipse se suorum bonorum auctorem ducere, hebetis et elati cordis est.*

Hinc Apostolus de Viduis, quæ post votum castitatis

nubere voluut, ait: *Habentes damnationem, quia primam fidem* (promissionem et votum castitatis) *irritam fecerunt*, 1. Timoth. 5. 12. Ananias quoque et Sapphira, morte a S. Petro puniti sunt, quod votum paupertatis implere tardarent. Hinc Urbanus I. Pontifex, ut habetur 12. q. 1. cap. *Scimus*, docet Clericis omnia esse communia, quod eo tempore id voverint: « Quicumque vestrum, inquit, communem vitam susceptam habet, et vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino est pollicitus fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat; quoniam melius est non vovere, quam votum, prout melius potest, non perficere. Gravius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, et votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi, qui sine voto, aut fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera. Displicet enim Deo infidelis et stulta promissio. »

Alia est ratio cur votum sit cito solvendum, quod Deus, cum sit fidelissimus, fidelissimos exigat sui cultores. Si enim homini fides servanda est, multo magis Deo; alioqui enim videris Deum ridere et ludificare, eiusque honorem dedecori et ignominiæ exponere: quare Deus votorum violatores, velut infideles votifragos et sacrilegos graviter solet plectere et ulcisci, uti iam exemplis ostendi. Iidem sunt stulti; stultum enim est ultro se voto obligare ad rem quam nolis, vel non possis præstare; stultum est ultra vires quippiam promittere: *Insipiens enim est qui sui ipsius ignorat qualitatem*, ait Ptolomæus in Præfatione Almagesti, quid scilicet valeant humeri, quid ferre recusent. Porro stulta est voti promissio quando fit inconsiderate, præcipitanter, aut, cum vovet quis rem impossibilem, indifferentem, malam, minus bonam, quæ scilicet maius bonum impediat. Sic stultum fuit votum Iephte, quo vovit se Deo immolaturum quidquid revertenti sibi post victoriam, primum e domo occurreret; occurrit autem filia, quam eam immolavit: *Nam in vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius*, ait S. Hieronymus, et ex eo S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2.

Cavendus hic error Angelici in Summa, verbo *votum*, qui censet stultitiam indeliberationis, sive insufficientiam colligi ex eo, si quem post votum statim voti pœniteat. Multi enim deliberate voverunt, ideoque voto obligantur, quos tamen paulo post pœnitet voti, ut patet in apostatis a religione: quare docent Theologi ad votum illam deliberationem absolute sufficere quæ sufficit ad peccandum mortaliter.

Hebr. est: *Quia non est voluntas* (Dei) בכסילים *baccesilim*, id est, *in inconstantibus*, hoc est stultis, qui scilicet promittunt, et promissa non implent, vel revocant ex inconstanti mentis concupiscentia, iuxta illud Arabum: *Stabilimentum fidei est abstinentia: labefactatio fidei est concupiscentia.*

Causa enim cur multi vota non impleant, est mentis inconstantia, quæ facit eos pœnitere voti, iuxta illud Proverb. 25. 14: *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens*; Chaldæus hic vertit: *Quoniam propterea non est beneplacitum in stultis, quod differant vota sua*; Symmachus autem: οὐ χρεία ἀφρόνων, id est: *Non est opus insipientibus*, scilicet Deo: vel, *Nulla est utilitas insipientium*, qui tam leviter vovent, ut mox ea retractent, iuxta illud: *Homo apostata vir inutilis*, Proverb. 6. 12. Arabicus: *Non est voluntas Dei in divitibus*, quos divitiæ sæpe faciunt arrogantes, inconstantes et stultos: Tigurina: *Non enim Deus stultis delectatur*; Campensis: *Ne illum stultorum more, multa promittendo, graviter offendas.* Exstat hac de re Apologus apud Æsopum: *Vir pauper, inquit, ægrotans vovebat diis, si evaderet, boves centum in sacrificium oblaturum; sed dei tentaturi a morbo liberarunt. At ille surgens, quoniam bobus carebat, ex pasta boves centum a se formatos, in ara positos sacrificavit. Ipsum alturi in somniis adfuerunt dei dicentes: Abi ad littus ad eum locum; illic enim Atticas mille drachmas invenies. Ille autem excitatus, lætus et alacer ad demonstratum locum perrexit, aurum disquirens; sed illic in piratas incidit, ab ipsisque comprehensus est. Captus ergo, ut dimitteretur, piratas orabat, mille aeri talenta daturum ipsis promittens; sed, cum non crederetur, abactus, ab ipsis divenditus est mille drachmis. Affabulatio. Fabula significat mendacis hominum inimicum esse Deum.*

MULTOQUE MELIUS EST NON VOVERE, QUAM POST VOTUM PROMISSA NON REDDERE.) Ait, *non vovere* duntaxat; quia votum de non vovendo illicitum est. Qui enim vovet se non facturum votum, vovet se non facturum maius bonum, quod illicitum est, ideoque votum eius irritum, uti docet noster Franciscus Suarez, tom. 2. de Relig. lib. 2. de Voto, cap. 11. *Quam gravia vincula*, ait S. Ambros. lib. 9. in Lucam ad cap. 20. *promittere Deo et non solvere! Melius est non vovere, quam vovere et non reddere; maior est contractus fidei quam pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, et mittat te in carcerem.* Vers. 4.

Porro delirant hæretici nostri ævi, dum ex hoc loco damnant vota castitatis, religionis, ieiunii, ac voti reos absolvunt. Non enim ait Eccles. Bonum est non vovere, vel malum est vovere; sed: *Melius est non vovere, quam post votum promisso non reddere*, q. d. Melius est non vovere, quam votum facere et violare. Optimum est ergo votum facere et illud præstare. Hic enim est duplex actus religionis, cultusque Dei; primo, in eo quod rem Deo voveas et consecres; secundo, quod consecratam illi exhibeas. Nam idcirco displicet Deo infidelis et stulta promissio, quia placet fideliter et prudenter suscepta: et hac de causa melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere; quia bonum est promittere, et quod promiseris præstare, etsi ipsum *non promittere* dicatur melius non absolute, sed respective, quando scilicet non implendum est quod promittitur.

Melius ergo est opus factum ex voto, quam sine voto. Ratio est triplex: prima, quod votum sit actus religionis et latriæ, ut dixi, quæ inter morales prima et nobilissima est virtus; sicut charitas inter Theologicas. Quare actus, v. g. ieiunii in se simplex est virtute, puta actus temperantiæ; sed si accedat votum fit duplex, duplicisque valoris et meriti; accedit enim dignitas religionis et voti, quæ longe nobilior est temperantia. Quocirca, sicut religio melior est irreligiositate, ait Salvianus lib. 2. ad Eccles. Cathol. sic melius est ieiunium votum, quam non votum. Ita divus Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 6. Melius est opus ex voto, quam sine voto. Ratio I.

Secunda, quod qui facit opus, actum duntaxat dat Deo; qui vero addit votum, simul cum actu dat vim et potentiam, puta voluntatem et libertatem. Hanc enim per votum tradit Deo, ut non liceat contrarium ei, quod vovit, velle. Facit ergo sicut ille, qui dat principi non solum fructus, sed totam arborem cum fructibus, ait S. Anselmus lib. de Similit. Hinc Psaltes Psal. 75. *Vovete*, ait, *et reddite Domino vestro.* Ubi S. Augustinus: *Quisque, ait, quod potest voveat et reddat; non sitis pigri ad vovendum: non enim viribus vestris implebitis.* Dabit enim vires implendi, qui dat devotionem vovendi. II.

Tertio, quod votum voluntatem ex se flexilem et inconstantem in actu virtutis, quam vovet, roboret et confirmet, quo fit, ut actus qui ex voto prodit sit firmior, robustior et constantior, ideoque melior et perfectior, iuxta illud S. Bernardi de Præc. et Dispens. *Felix necessitas quæ ad meliora compellit.* Audi S. Augustinum de Virginitate c. 8. *Neque enim ipsa, inquit, virginitas, quia virginitas, sed quia Deo dicata est, honoratur; quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur, ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vovet et servat continentia pietatis.* Idemque paulo infra. *Honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur.* III.

NE DEDERIS OS TUUM UT PECCARE FACIAS CARNEM (Arabicus, *humanitatem*) TUAM: NEQUE DICAS CORAM ANGELO: NON EST PROVIDENTIA: NE FORTE IRATUS DEUS CONTRA SERMONES TUOS, DISSIPET CUNCTA OPERA MA- Vers. 5.

NUUM TUARUM) Primo, multi hæc accipiunt de voto temere facto votique violatione; de voto enim proxime sermo præcessit. Hinc Tigurina vertit: *Ne committas, ut os tuum præbeat carni tuæ occasionem peccandi;* Vatablus: *Ne habenas laxes ori tuo ut peccet:* Isidorus Clarius: *Ne totum te peccato involvas;* clare Chald. *Ne violes verbum oris tui, nec sis causa gehennæ super carnem tuam, et in die iudicii magni non poteris dicere coram Angelo crudeli, qui arguet te, quoniam ignorantia est; ne irascatur furor Dei super omnia verba tua, quæ dicta sunt in ignominia, et dissipet opera manuum tuorum.*

Sensus ergo est, q. d. Ne dederis os tuum ad temere vovendum quippiam, quod ægre præstare poteris, ut peccare facias carnem tuam, dum illa transgreditur votum difficilis religionis, ieiunii, castitatis, pœnitentiæ per gulam, luxuriam, etc. vel *carnem*, id est teipsum, dum per infirmitatem carnis tuæ violabis votum. Neque dicas coram Angelo, qui tibi velut custos semper adest, quemque ubique revereri debes: *Non est providentia*, id est Deus non cognoscit, vel non curat res humanas, ac proinde nec vota mea. Hebræa habent: *Ne dicas, Error est*, id est casu et errore fortuito regitur mundus, non certa numinis providentia; unus omnium rerum, ac proinde mei quoque voti fortuitus est error; vovendo ergo erravi, quare errorem hunc iam a me agnitum, mihique molestum et difficilem corrigam, votumque erroneum rescindam. Aquila vertit ἀκούσιον, id est *non spontaneum est*, q. d. Non sponte vovi, sed per errorem et improvidentiam votum mihi excidit: ergo eo non obligor. Hic enim gravis est error et grave scelus, imo sacrilegium, cuius testes, accusatores, et vindices erunt Angeli, cœli, sol, sidera, terra et elementa, in quorum conspectu votum nuncupasti, et deinde violasti.

Suadet ergo Salomon, ut qui cupit vovere, prius prudenter consideret suas vires, inclinationes, conditiones, an votum facile explere possit, ut plane sese per Dei gratiam illud expleturum confidat; ne, si improvide votum emittat, sero illum pœniteat, ac votum violet, seseque excuset, dicendo: Improvide vovi, erravi vovendo, non cogitabam votum fore mihi tam difficile. Hæc enim frigida et frivola est excusatio. Sapientis est prævidere futura: itaque amputare τὸ *putabam*, et *non putabam*.

Sunt enim nonnulli ardentiores, ideoque levioris et inconstantioris ingenii, qui, dum ferventer orant, aut sentiunt divinæ motionis impulsus et cœlestis consolationis æstus, illico cupiunt vovere magnas vitæ austeritates, magnas eleemosynas, statum religionis rigidæ, ut Carthusianam, vel vitam Anachoreticam. At ubi fervor hic et æstus transiit, sentiunt se imbecilles et invalidos, nec habere tantas naturæ et gratiæ vires, quantas votum requirit; quare sero dolent, votique pœnitent, ac tandem illud violant, ruuntque in omnem carnis licentiam. Hos hic monet Salomon, ne in illo devotionis æstu præpropere voveant, sed sinant illum defervescere, tumque prudenter et diserte considerent eo, quid, quantum, et quamdiu vovere conveniat, imo votum non emittant, nisi prævio confessarii aut viri prudentis consilio et consensu.

Hæc expositio plane inhæret litteræ, eamque cum præcedentibus de voto optime connectit: quare germana omnino et genuina videtur, eamque sequuntur Gloss. interl. Titelm. Pineda, Lorinus, et Doctor Hebræus. S. Hieronymus, quem audi: *Hebræus ita sensit, quod non potes facere, ne promittas. Non enim in ventum dicta transeunt, sed a præsenti Angelo, qui unicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum; et tu, qui putas ignorare Deum quod pollicitus es, provocas eum ad iracundiam, et omnia opera tua dissipentur.*

Audi nunc et alias aliorum expositiones probabiles.

Secundo, Olympiodorus, Thaumaturgus et Salonius exponunt, q. d. Ne dederis os tuum gulæ, vel verbis incautis aut libidinosis, præsertim cum mulieribus, quibus caro tua excitetur ad luxuriam. Sic et Hugo Card. Lyran. et Titelmannus hæc exponunt de vitanda gula et luxuria.

Tertio, S. Hieronymus, Salonius, Alcuinus et Glossa exponunt, q. d. Noli quærere calvas excusationes, quibus des occasionem carni tuæ ad peccandum, hoc est, ne dicas: Non ego peccavi, non ego me inebriavi, non ego fornicatus sum, sed natura infirma, et per concupiscentiam corrupta ad illud invitum me impulit; nam ita in Deum naturæ conditorem peccatum tuum regeris, ipsumque facis peccati, æque ac naturæ tam fragilis, auctorem, quæ est horrenda blasphemia, ideoque Deum graviter offendit et ad vindictam irritat. Audi S. Hieronymum: arguit eos, *qui de vitio carnis queruntur, et aiunt se corporis necessitate compulsos ea facere, quæ nolint, secundum dictum Apostoli*, Rom. 7. *et vanas excusationes quærunt et dicunt: Non ego pecco, sed quod habitat in carne mea peccatum.*

Quarto, S. Bonaventura refert ad negationem divinæ Providentiæ, q. d. Ne dederis os tuum, ut dicat coram Angelo: Non est Providentia, non est Numen voluptatum et scelerum vindex; itaque securus ruas in omnia vitia carnis. Negatio enim Numinis hominem impellit ad omnem gulam et luxuriam.

Quinto Dion. Carth. et ex eo Caietanus; quia triplex est oris usus, scilicet comedere, osculari, loqui; tria quæ in his peccantur, vult involvi; gulam, impudica oscula, et verba, ut iuxta dictam editionem Hebræam subdi, ne quis hæc excuset, tamquam errore atque involuntarie facta, caveatque id serio dicere; quoniam, qui adest Angelus novit, qua mente sic ipse loquatur, et quam in Dei vergat iniuriam.

Sexto, Moringus generalius hanc gnomen accipit, quasi dictam, non tantum contra gulam et luxuriam, sed et contra omnia vitia carnis, quæ recenset Apostolus Galat. 5. 19. ne quis ea excuset per carnis suæ fragilitatem ac violentiam quamdam, vel necessariam carnis concupiscentiam.

Septimo, nonnulli censent hic præcipi ne quis votum vocet errorem, ac errare eos qui voveat, quasi aut id non liceat, aut non debeat reddi votum. Verum primus sensus, ut dixi, est genuinus.

NE DICAS CORAM ANGELO.) Crudeli, inquit Chaldæus, hoc est coram diabolo. Melius, alii Angelum bonum accipiunt, qualis est custos cuique a Deo deputatus. Hic enim Providentiæ est administer: quare qui illam negat tam Angelo quam Deo est iniurius. Unde nonnulli hinc probant custodiam Angelorum circa homines. Rursum ex hoc loco concludit divus Thomas 1. p. q. 57. art. 2. Angelos habere cognitionem et providentiam rerum creatarum. Angelum ergo nominat, quia hic est Providentiæ divinæ executor, æque ac tutor et vindex; perinde ac si quis dicat: Ne dicas coram prætore: In hac civitate non est iustitia; quia prætor qui est iustitiæ tutor et vindex, hanc iniuriam a se depellet, teque ob eam iuste capiet et puniet.

Denique nonnulli, ut Pineda, hæc accipiunt de Angelo peculiari, cui a Deo (unde S. Hieronymus: *Non enim*, inquit, *in ventum dicta transeunt, sed a præsente Angelo, qui unicuique comes adhæret, statim perferuntur ad Dominum*) commissa sit cura orationum et votorum Deo offerendorum, qualem vidit Ioannes Apocal. 8. 3. *Et alius Angelus*, inquit, *venit, et stetit ante altare aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus aromatum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Fuit enim vetus Origenis et aliorum opinio, certos diabolos certis vitiis præesse, ad eaque homines instigare. Unde in Script. et in Vitis Patrum crebro nominatur spiritus vel Angelus blasphemiæ, luxoriæ, superbiæ, gulæ, avaritiæ, acediæ, etc. atque ex adverso certos Angelos præesse certis virtutibus, ad easque homines provehere, ut unus Angelus sit orationis, alius humilitatis, alius temperantiæ, alius castitatis, etc. qua de re alibi dixi.

In Vita S. Onuphrii, qui per 70. annos in eremo angelice vixit, quam scripsit oculatus testis Paphnutius Abbas,

legimas Deum per Angeles de amnibue providere hominibas, præsertim religiosis voto abstrictis, solitariis et eremitis: *Omnipotens Deus*, inquit, *non derelinquit sperantes in se: circumdat eos armis potentiæ suæ, ut hos incursio Satanæ non valeat prosternere, quos protegit celsitudo divinæ misericordiæ. Quopropter ad eos Angeli Dei iugiter mittuntur, ac per manus illorum quæcumque necessaria crebrius eis administrantur.* Et mox: *Certissime scias, a fili, quoniam Angeli Dei sanctis ac iustis viris quotidie famulantur, atque virtute superna corpora et animæ illorum iugiter illuminantur.* Paulo post narrat B. Onuphrius se ab Angelo habente speciem viri pulcherrimi ductum in eremum, cum diceret: *Noli pavescere; ego enim sum Dei Angelus, tibi ad custodiendum ab ortu tuo Providentia divina destinatus, ut, iubente Deo, tecum manerem, et te in hanc eremum ducerem. Perfectus esto, humilis incede coram Domino, cum gaudio labora, cor tuum in omni custodia conserva, esto sine querela, in bono opere persevera. Ego vero te non derelinquam, donec animam tuam in præsentia summæ maiestatis offeram.* Et post nonnulla: *S. Angelus quotidie mihi panem afferebat, et aquam pro mensura ministrabat ut corpus meum confortaretur, ne deficeret, et iugiter in Dei laude perseveraret, etc. Omni die Dominico vel Sabbato Angelum Domini paratum invenio, sacrosanctum Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi secum deferentem, de cuius manibus mihi pretiosissima donantur munera, vitæque meæ salus perpetua. Verum etiam omnes, qui vitam spiritalem ducunt in eremo monachi, tali participantur gaudio. Hi vero sancti Eremitæ, qui hanc solitudinem habitant, si fortasse aliquando videre hominem desiderant, illico in cælum ab Angelo deportantur: visionem illic animæ iustorum fulgentium sicut sol in regno Patris eorum, ibi multitudinem contemplantur Angelorum, suasque animas cœtibus mixtas beatorum. Quare omnes qui in agone contendunt, tota mente, toto corde, totis viribus in bono opere fervent, quatenus gloriam cælestis patriæ cum Christo et cum sanctis mereantur possidere.*

Angeli proprii religiosorum et Anachoretarum

Exemplum S. Onuphr.

Subdit Paphnutius de morte S. Onuphrii: « Post hæc surrexit, et Dominum lacrymans oravit, genua flexit atque subito dixit: In manus tuas, Deus, commendo spiritum meum. Cumque hæc dixisset, lumen splendidum corpus eius obumbravit, et in ipsius claritate luminis anima sancta carne soluta est. Repente vero vocem Angelorum multorum audivi laudantium Deum, et in discessu sanctissimæ animæ S. Onuphrii, æthera scilicet Angelicis canticis resonantia, gaudium ineffabile astris intulerunt, per quæ cælestes exercitus animam militis inclyti cælis invexerunt. »

Denique, quam Angeli ab initio mundi fuerint administri et executores divinæ Providentiæ, præsertim in populo fideli, collectis omnibus e tota S. Scriptura exemplis, ostendi Exodi 23. 20. et seq. Hoc est, quod ait Apostolus: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Hebr. cap. 1. v. 14.

Mystice Dion. per Angelum accipit sacerdotem, de quo ait Malachias c. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.* Sacerdotis ergo est, docere populum Dei, legem et Providentiam, sive Numen vindex bonorum et malorum omnium. Fides enim huius Providentiæ hominem refrænat ab omni scelere, et ad amorem virtutis decus exstimulat.

Non est Providentia.) In Deo non est nomen, non est Deus, qui omnium habeat providentiam; Deo enim ita agnata est providentia, ut, si hanc tollas cum Epicuro, Democrito, et atheis, tolles et Deum. Deus enim ignorans et improvidus, non est Deus, sed idolum saxeum vel ligneum. Aquila vertit ἀκούσιον, quod si Deo attribues, sensus est, q. d. Deus non libere, sed coacte, vel necessitate fatali, ac proinde sine providentia operatur; sin homini assignes, sensus est, q. d. Non sponte, sed coacte vovi; ergo voto non teneor.

A Hebraice est כִּי שְׁגָגָה ki scegaga, id est, *quia error*, vel incogitantia, improvidentia, inconsideratio est sive numinis, q. d. Non est providentia Numinis, sed omnia errore et casu fortuito fiunt in mundo, sicut Democritus censebat mundum factum esse ex fortuito concursu atomorum. Sic dicuntur planetæ errare in cælo, et aves bovesque in montibus. Sive hominis, q. d. Improvide et inconsiderate vovi. Septuag. *Quia ignorantia est*, q. d. ignorans feci et vovi; Chaldæus: *Imprudens feci*; igitur voto non obligor; Arabicus: *Et ne dicas quod coram Deo est corruptio cognitionis*, ut non cognoscat vota et facta nostra; Campensis: *Neque putes Angelum, qui tua observat, rem tam æstimaturum levem, qui præ multitudine verborum vix sciebas, quid promitteres.* Nam, ut ait Olympiodorus: *Qui in ipsa fæce nequitiæ volutantur, ita providentiam Dei negant et aspernantur, ut dicant dedignari Deum curare ac scire, quæ hic ab hominibus scelera committantur.* Eleganter Arias vertit:

Quod iam vovisti, errorem ne dicito, neve
B *Excuses, præsente illo, qui cuncta fideli*
Verba hominum stylo in tabulis notat Angelus.

Angeli ergo curam habent et providentiam votorum nostrorum; ac sicut de eorum conceptione et adimpletione lætantur, sic de eorum violatione dolent et indignantur; ac utrumque in tabulis memoriæ consignant, ut ad Deum referant, qui pro meritis cuique præmia vel supplicia decernet; unde psallebat David: *In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo*, Ps. 137. 1.

Porro Providentiæ opponuntur duo extrema sibi contraria, scilicet fatum et fortuna. Providentia enim est libera, fatum necessarium: quare qui Deum subiicit fato, Deum et providentiam a medio tollit. Absit ergo a fideli illa Tragici vox:

Providentiæ opponitur fatum et fortuna

Fatis agimur, cedite fatis.

Quare eos qui fatum adstruunt, fatuos æstimat S. Augustinus tract. 37. in Ioann. et lib. 5. de Civitate cap. 9. C Rursum providentiæ opponitur casus et fortuna: licet enim respectu causarum secundarum præter mutuam intentionem, quasi fortuito concurrentium, sit casus et fortuna, quæ causant effectus contingentes et fortuitos, tamen respectu Dei nullus est casus. Nam, ut ait Sapiens cap. 14. 3. *Tua autem providentia, Pater, cuncta gubernat.* Quocirca Deo nihil est fortuitum, quia omne prævisum et provisum. *In regno Providentiæ nil licet temeritati*, ait Seneca, quia nil temere fit, sed omnia consulto et ex certa providentia: *Ubi maximus est intellectus, ibi minima est fortuna*, ait Boetius, quia intelligens et sapiens omnia agit cum deliberatione et consilio; unde Deo nihil est fortuitum, nullus casus, nulla fortuna, sed hominibus, quibus multa improvise et inopinato accidunt. Deus enim omnes causas secundas, etiam contingentes, prævidet, ordinat, et combinat.

Ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.) Pro *dissipet* D hebraice est חִבֵּל chibbel, id est, ut Septuaginta, *disperdat*; Chaldæus, Arabicus et Syrus, *corrumpat*; Vatablus, *maledicat*; Tigurina, *destruat*; Marinus, *devastet*. Proprie *chibbel* est disrumpet magna vi et dolore. Quomodo in Deo sit ira, scilicet, non ut passio, sed ut appetitus iustæ vindictæ, contra Epicurum docet Lactantius lib. de Ira Dei, cap. 4. Vere S. August. 1. Confessionum c. 9. Deum compellans: *Pœnitet*, inquit, *te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium.* Iam

Sensus est primo, q. d. Ne Deus ob istum hoc votifragii et negationis Providentiæ scelus, omnia opera bona, eorumque merita, quæ antea cum operes fecisti, aboleat et mortificet. Ita Olympiodorus: *Ne*, inquit, *et fructum operum tuorum amittas. Iratus enim Deus delet de libro vitæ, si quid est, quod pia videamur nobis laudabiliterque fecisse.* Et Clarius: *Quod tu tam leve putas, Deum sic offendit; ut non solum orationem tuam, sed propter eam et alia opera sit execraturus.*

Secundo, ut ait S. Hieronymus: *Ne Deus talia sententi-*

tem tradat in reprobum sensum, ut faciat ea quæ non conveniunt.

Tertio, addit Olympiodorus Deum votifragos ut eos qui negant Numen, solere punire paupertate, infortuniis, morte, itaque fortunas eorum et opera corrumpere. Denique Arabicus vertit: *Ne irascatur Deus in stultitiam tuam, et corrumpantur artes manuum tuarum*, id est opera exquisita, quæ contento studio, arte, ingenio meditatus es moliius es, perinde ac si tua contentus providentiam divinam penitus non agnosceres, diceresque superbiens: Manus mea excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia. Intelligi quoque possunt cuncta, quæ quis sibi comparaverit, vel corporis, vel animi bona, etiam virtutes ac merita, quorum merito facit iacturam, qui neget Dei providentiam, inquit noster Lorinus.

Ita videmus religiosos, qui dum in religione votorum observantes viverent, ac mira gratia docendi, dicendique apud homines pollerent, cum ab ea desciscunt, fiuntque apostatæ, omnem hanc gratiam deperdere, fierique odium et probrum Dei, æque ac hominum. Exempla crebra spectavimus et in dies spectamus. Hinc nonnulli vertunt: *Deus putrefaciat opera tua*. Sic enim Isaias cap. 10. 26. Noster Hebr. חבל *chibbel* vertit *computrescet*. Apostasia enim est putredo, id est, corruptio et infamia, quæ apostatas facit viles, infames et putridos, ac opera eorum non tantum præsentia, sed et præterita, quæ in religione heroica ediderant, putrefacit, id est conspurcat, infamat, corrumpit. Hebr. *chibbel* est contrariæ significationis; significat enim ligare et dissolvere, ac disrumpere cum vehementia et dolore, uti fit in parturientibus, a quibus quasi disrumpitur proles, dum paritur. Unde *chibbel* sæpe significat parturire, et habere dolores parturientis. Utrumque huic loco convenit: nam et votifragi negantesque numen videntur habere ligatam linguam, mentem et manum, ut qui erant ante eloquentes, sapientes, et in omni opere potentes, per hoc scelus fiunt elingues, insipientes, inertes et ad omne bonum impotentes. Rursum eorum opera disrumpuntur cum ingenti eorum confusione et dolore, qualis est parturientium.

Moraliter hic disce, quam Deum offendat negatio numinis et providentiæ, quamque graviter eam negantes puniat et ulciscatur. Deus impiis dicentibus: *Non videbit Dominus nos, dereliquit Dominus terram suam*, minatur: *Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor*, Ezech. 8. 18. et cap. 10. David Psalm. 10. 13. *Propter quid*, inquit, *irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.*

Providentiæ demonstratio.

Porro providentiam esse ex dissona elementorum, cœlorum, animalium rerumque omnium consonantia, ordine, motu, constantia demonstrant Patres. Audi Lactant. lib. 3. cap. 10. *Quis enim non sentiat mundum hunc tam mirabili ratione perfectum, aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil est quod possit sine ullo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Navis sine gubernatore abit pessum. Et corpus relictum ab anima defluit. Nedum putemus tantam illam molem, aut construi sine artifice, aut stare sine rectore tamdiu posse.* Audi Damascen. in histor. Barlaam cap. 17. *Si navis sine gubernatore non potest subsistere, sed mox submergitur, et domus modica sine provisore: mundus quomodo constat tanto tempore, creatura sic magna, sic bona et mirabilis, sine gloriosa quadam ac magnifica atque mirabili gubernatione, et sapientissima providentia? Ecce enim cœlum quantum tempus habet, et non denigratum est; terræ virtus non est lassata ex tanto tempore; fontes non desierunt fluere, ex quo facti sunt; mare tot et tanta suscipiens flumina non supergreditur mensuram. Cursus solis, et lunæ non mutantur: ordines diei et noctis non pervertuntur.* Audi Philonem libr. de Somniis: *Credendum est sicut in curru aurigam, aut in navi gubernatorem: ita in rebus omnibus superstare eum, qui est, corporibus, animabus, animantibus, mentibus, Angelis, cunctis, quæ terra, vel aere, vel cœlo continentur, naturis, tum visibilibus, tum invisibilibus; totum enim mundum ex se pendentem regit.*

Providentiæ officia.

Similiter vero providentiæ officia ex officiis singulorum in choro, et membrorum in corpore, et famulorum in aula, ita graphice depingit S. Athanas. lib. contra Idola: « Ut in choro, qui constat ex diversis hominibus, viris, puellis, fœminis, senibus, iuvenibus, sub uno præsule et moderatore, quisque quantum potest, cantat pro sua natura, ille quidem ut vir, iste vero ut puer, alius ut senex, alius quemadmodum iuvenis, omnes tamen unam absolvunt harmoniam; vel ut nostra anima eodem tempore sensus nostros pro cuiusque officio exercet, et ad unam rem oblatam simul movetur, adeo ut oculus videat, auris audiat, manus palpet, olfactus odores accipiat, gustus delibet, sæpe quoque interea ne aliæ quidem corporis partes in otio sunt, adeo ut inter ista pedes quoque obambulent; vel ut in præsentia regis imperantis simul et ad omnia oculos intendentis, omnes sunt in obsequio; est qui agros colat, est qui ad aquæductus aquarum properet, alius item pabulatum proficiscitur, alius ad curiam pergit, alius ad concionem ingreditur, et alii eodem modo sese referunt, eaque omnia ad præsentiam unius moderatoris, et disciplinam fiunt, et constituuntur: ita quoque omnia in universa rerum natura geruntur. »

S. Maxim. serm. 48. citat illud Platonis: *Deus omnia, et secundum Deum, fortuna, et occasio humana gubernat universa.* Et illud Socratis:

Si quid cura potest, cura: *at si Deus ipse iubendo*
Te curat, cur tu sollicitus tibi sis?

Pulchrius Aristot. vel quisquis est Auctor de Mundo: *Quod*, inquit, *in exercitu est Imperator, in domo paterfamilias, in choro præcentor, in navi navarchus, in corpore oculus, in curru auriga, hoc in mundo est Deus.* Plura vide apud S. Chrysost. Theod. Salv. Synesium et nostrum Lessium lib. de Numine et Providentia.

UBI MULTA SUNT SOMNIA, PLURIMÆ SUNT VANITATES, ET SERMONES INNUMERI: TU VERO DEUM TIME.) Transit a providentia ad somnia; sive a religione ad superstitionem. Vers. 6

Sicut enim cultores providentiæ sunt cultores veri numinis veræque religionis: sic negantes providentiam sunt irreligiosi et athei, quibus agnati et vicini sunt superstitiosi, quales sunt observantes somnia. Ab illis ergo ad hos congrue sermonem traducit, quia olim multi multum tribuebant somniis, idque quod somniarent, censebant divinum et immissum a Deo: unde iuxta somnia dirigebant vitæ suæ rationes et actiones. Contra eos hic docet somnia esse somnia, id est meras vanitates, nugas, inania spectra et phantasmata. Quare asserit non esse observanda, nec timenda somnia, sed Deum Deique providentiam, ubique excubantem, ad præmiandum bonos et puniendum malos. Unde Syrus vertit: *Quoniam in multitudine somniorum et vanitatum et sermonum multi errores.* De vanitate somniorum multa dixi Eccli. 34. 1. et seq. Memorabile et terribile est quod scribit B. Antiochus homil. 84. Anachoretam quemdam insignem per somnium a diabolo illusum; cum enim in somno vidisset Christum et Christianos in tenebris, Mosen vero et Iudæos in luce, apostatavit a fide, factusque Iudæus se circumcidit, et carnali vitæ se dedit: quare punitus a Deo, et a vermibus corrosus, corpus Iudæis, animam diabolo tradidit.

Adde ex somniis vanis non raro oriri vanitatem et levitatem vovendi, æque ac vota (de quibus sermo præcessit) violandi, æque ab eorum obligatione excusandi. Multi enim moventur ad vovendum quippiam ex eo, quod de eo noctu somniarint, quod fœminis est frequens. Alii a votorum persolutione se excusant, quod somniarint ea non esse persolvenda: quæ omnia somnia sunt vanitates, errores et dementiæ. Unde Septuag. vertunt: *Quia in multitudine somniorum et vanitatum, et verborum plurimorum*, subaudi vota multa fiunt, vel excusantur; et S. Hieron. ex Hebræis sic exponit, q. d. *Nec superiora facias, de quibus iam dictum est: Ne facile somniis credas. Cum enim diversa videris per nocturnam quietem, et variis anima fuerit exagitata terroribus, sive incitata promissis,*

te ea contemnas, quæ somnii sunt, et solum Deum time. Qui enim somniis crediderit, vanitatibus se et ineptiis tradet. Aliter: Quia dixi ac præcepi: Non des os tuum, ut peccare facias carnem tuam, et quæras varias excusationes. Hoc nunc infero: Quoniam in somnio vitæ istius, et in imagine umbræ nubis, qua vivimus, multa possumus invenire quæ nobis verisimilia videantur, et nostra excusare peccata. Propterea admoneo et id solum caveas, ne putes absentem Deum, sed eum timeas, et scias cunctis operibus tuis adesse præsentem, teque liberi arbitrii conditum non cogi, sed velle, quod facias.

Huc accedunt alii, qui hic censent dari rationem, cur non temere sit vovendum vel loquendum, scilicet eo quod, uti plerumque insomnia, sic et verba pleraque vana sint. Unde Thaumat. vertit; *Sentiet sicut somniorum, ita verborum maiorem partem esse vanam.*

Et Olymp. Irascitur, ait, Deus somniantibus, id est frustra laborantibus et loquacibus, quasi admoneri se somniis existiment ad vota concipienda et proferenda.

Alii, ut Moringus, hæc referunt ad negantes providentiam, q. d. Negare providentiam non est aliud quam somniare atque garrire, id est nil veri et solidi asserere, sed falsum prorsus et erroneum, quale somnium, comminisci.

Tropol. Chald. per somnia accipit falsa oracula et doctrinas erroneas, quasi hic pseudoprophetæ opponantur veris prophetis, et falsi doctores veracibus. Sic enim vertit: *Tot autem somniis pseudoprophetarum et divinorum vanis responsis, infinitisque impiorum sermonibus fidem ne adhibeas; sed sapientes et iustos cole, et ab eis disciplinam quære, Deumque time.*

Et sermones innumeri.) Dum somnia aliis et aliis enarrantur, varieque a variis coniectando explicantur. Insuper omnia multis suspicionibus, historiis, fabulis, coniecturis recensendis materiam suggerunt.

Tu vero Deum time.) Timor enim Dei iudicis et vindicis, valet ad refrænandam vanam somnii divinationem, docet Dei providentiam, adigit ad solvenda vota, carnis concupiscentiam castigat, linguam effrænem refrænat. Quocirca timor Dei est initium, promotio et perfectio sapientiæ omnisque virtutis, uti pluribus ostendi Eccl. 1. 10. et seq. ac in Prov. crebro.

Vers. 7. Si videris calumnias egenorum (Arabicus *stultitiam*
adversus pauperem) et violenta iudicia, et subverti
iustitiam (Sept. *Direptionem iudicis et iustitiæ*; Compl.
Rapinam iudicii; S. Hieron. *Ruinam iudicii*; Thaumat.
Iudices subdolis strophis circumvenire leges) in provin-
Vers. 8. cia, non mireris super hoc negotio, quod excelso ex-
celsior est alius; et super hos quoque eminentiores
sunt alii, et insuper universæ rex terræ imperat
servienti.) Hæc spectant ad τὸ *Ne dicas coram Angelo:*
Non est providentia. Estque occupatio. Occurrit enim tacitæ obiectioni hominum dicentium: Si est providentia eaque iusta, cur ergo permittit calumnias egenorum, violenta iudicia, et subverti iustitiam? Cur ea non impedit et tollit, aut illico punit et plectit? ut inde discant homines eam revereri Deumque timere. Respondetur hoc non esse mirandum; iuste enim de causa hæc permitti a Deo ut postea acrius plectantur. Cæterum solari nos debere, quod existat unus cunctorum rex iudexque, qui vicarios iudices ipsos diiudicabit, interim dissimulans, non ignorans, illos ipsos adhuc expectans ad pœnitentiam, oppressos exercens ad patientiam, præparansque ad coronam.

Ita sanctus Hieronymus, Olympiod. Alcuinus, Salonius, Bonavent. Hugo, Lyranus, Lorinus et alii.

Non mireris super hoc negotio.) Hebr. *Ne obstupescas super voluntate*, id est super re volita, vel ab oppressore positive, vel a Deo permissive. Unde Pagnin. accipit voluntatem Dei: *Ne mireris*, ait, *de voluntate divina permittente tot violentias.* Tigurina: *Ne mireris divinam voluntatem*; Vatablus: *Ne mireris super hac re quæ fit divino nutu*; Chald. *Non mireris*, ait, *in corde tuo, quomodo voluntas Domini sit super omnia hæc.* Quod innocentes opprimantur a nocentibus mirati sunt Ieremias, c. 12. Habacuc c. 1. David Ps. 72. Sed Salomon edoctus a patre et magis a Deo crebroque expertos, idipsum non miratur, nec mirandum esse docet, ait S. Athanas. Apolog. de Fuga sua, quia nil mirum est nisi novum: pauperes autem a potentioribus opprimi non est novum, vel insolitum, sed tritum, frequens et communi sæculorum omnium usu confirmatum. Adde hoc permitti a sapientissima Dei voluntate ad maiorem iustorum virtutem et gloriam, et impiorum ignominiam ac pœnam. Olympiodorus vertit et explicat, q. d. *Ne indigneris, aut fluitare mundum sine ulla providentia suspicaris.*

Quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii.) Hebraice et Græce: *Quia excelsus desuper excelsum custodiens est, et excelsi super eos*; Campens. *Habet enim oppressor ille superiorem, qui ea quæ facit diligenter observat, et supra utrumque illorum alii superiores sunt.* S. Hieronymus in veteri editione: *Quia excelsus super excelsum* (Vatabl. *observat*) *et excelsior est super illos* scilicet Deus, ait S. Hieronymus; alii Angelus aiunt, q. d. Etsi iudices et principes sinant opprimi iustitiam et iustos, tamen iis a Deo præpositi sunt Angeli urbium et provinciarum præsides et custodes, qui eos subinde monent, castigant, deponunt, uti deposuerunt Nabuchodonosor, iuxta illud: *Ecce vigil et sanctus de cælo descendit; clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem*, Daniel 4. v. 10. et v. 14. *In sententia vigilum*, id est Angelorum Babyloniæ præsidentium, *decretum est.* Aut certe iidem Angeli, Dei nutu, vindictam iniustorum et præmium iustorum differunt usque ad diem iudicii. Sic et Albinus, Glossa, Caiet. Vatabl. Unde Arabicus vertit: *Quoniam excelsus conservabit te super rem excelsam, et illis qui se efferunt super præstantius est.* Audi S. Hieron. *Ne mireris, excelsus quippe super excelsum hæc respicit Deus, qui angelos suos super iudices et reges terræ posuit: qui possunt utique prohibere iniustitiam, et magis in terra valere, quam quævis hominum potestates; sed quoniam servat in finem iudicium, ideo nunc exspectat et differt sententiam.* Grassetur ergo licet nunc impietas et impii iudices impune, sed non impune abibunt: dabunt enim tandem pœnas iudici nunc prospectanti, atque eius ministris nunc testibus tantæ iniquitatis. Hæc sane interpretatio admirationem tollit, cur divina providentia violenta iudicia et calumnias pauperum permittat, aut non statim puniat. Hucusque S. Hieron., et ex eo Pineda.

Planius hæc omnia accipias cum Lyrano, Dionys. et Hugone Card. non de Angelis, sed de hominibus, puta de principibus subordinatis, quorum minor maiori gradatim subest usque ad summum, qui est rex vel imperator, q. d. Si inferior iudex permittit iudicium et iustitiam, appellatio et recursus est ad superiorem alium et alium gradatim, quorum quisque potest et debet inferioris sibi subordinati et subditi iniustitiam corrigere et castigare. Unde Chald. vertit: *Quia Deus potens super cælos altissimos observat opera filiorum hominis, tam bona quam mala, et a facie eius mittuntur viri magnifici et robusti, ut potestatem exerceant in improbos, et ut sint præpositi magistratus super eos.*

Secundo, hæc ad pœnam talionis et inopiam potentiorum referas, q. d. Si inferior iudex innocentem opprimat, iusto Dei iudicio talione punietur, ut pari modo a superiore suo opprimatur, sicut videmus tyrannos, instar minorum piscium, a maioribus tyrannis devorari, iuxta illud Ierem. 30. 16. *Omnes qui comedunt te, devorabuntur, et universi hostes tui in captivitatem ducentur, et qui te vastant vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.* Quod S. Hieron. eo loco impletum intelligit, cum Assyrios vastaverunt Babylonii, Babylonios et Chaldæos Medi Persæque. Sic Isaias c. 33. 1. Assyriis minatur: *Væ qui prædaris! nonne et ipse prædaberis?* In universumque Proverb. 22. 16. *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori et egebit.* Potentiores enim sæpe potentia sua abutuntur, easque inferiores inique opprimunt. Ea enim est hominum vitiata conditio, ideoque non admiranda, sed miseranda et lugenda. Hæc expositio quoque apposita est illique favet hebr. גבה *gaboah*, id

est excelsus, superbus, tumidus, qui inferiores despicit, premit et deprimit, iuxta illud Iacobi 2. v. 6. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad iudicia?* Quis ergo hoc miretur; quod commune est, et natura quasi insitum divitibus et potentibus? Vermis enim potentiæ et divitiarum est superbia, ait S. Augustin. fastus et tyrannis.

Tertio, alii exponunt, q. d. Non mireris inter iudices aliquos reperiri improbos, quia rex non potest omnia solus iudicare, sed constituit viceroges, et hi constituunt gubernatores urbium, et hi constituunt iudices, subinde non satis notos vel iniquos, eo quod pecuniam offerant. Igitur in tanta tamque multiplici iudicum subordinatione et turba non mirum aliquos irrepere pravos, qui iura ob munera corrumpant. Mirandum magis non plures et plura

Ambitio insatiabilis

corrumpi; nam omnes ad maiora aspirant, et Eccles. 5. 7. super hos quoque ambitio non habet terminum. Audi Senecam ad Lucilium epist. 86. *Relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habens terminum.* Et alibi: *Nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur quod non est ad præfecturam usque perductus, et si desit consulatus, nec hoc quidem sufficit: cupiditas enim non unde venerit respicit, sed quo tendit.* Idem lib. 2. de Beneficiis: *Numquam,* inquit, *improbæ spei quod datur satis est; omnia meruisse se existimat, nec satis pretio æstimatum putat. Maiora enim cupimus, quo maiora venerint, insatiatioque concitatior est: ambitio enim sine cupiditas, ut flammæ infinita vis acrior est, quo ex maiori incendio emicuit.*

Vers. 8.

ET INSUPER UNIVERSÆ TERRÆ REX, IMPERAT SERVIENTI.) Pro *insuper*, hebr. est יִתְרוֹן *itron*, quod vertit Olympiod. *Superfluum terræ;* Compint. *Abundantia terræ:* Septuag. Vatic. *Et præstantia terræ in omni est rex agri culti;* Syrus: *Hæreditas terræ in omnibus est rex qui agrum colit;* Symmachus: *Et amplius terræ in omnibus rex est regioni cultæ.* Rex hic accipi potest proprie, q. d. Si omnes iudices et principes sint iniusti et violenti, respubl. recurrit ad regem, ut is eos in ordinem redigat.

Verum melius per regem accipias Deum: hic enim solus imperat universæ terræ, q. d. Omnes iudices, principes et reges subiecti sunt serviuntque Deo qui cum sit iustissimus, omnes iudices et reges, adeoque ipsas iustitias iudicabit æquissime, ac læsis suum ius lædentibus iusta supplicia irrogabit. Læsus ergo ad Dei tribunal provoca, eiusque sententiam patienter expecta.

Pulchre et sapienter Horat. 3. Ode 1. monet dicens:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Hinc pauperes a iudicibus et principibus læsi clamant in cælum, et a Deo exaudiuntur, iuxta illud Proverb. 22. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, et configet eos qui confixerunt animam eius.* Ita S. Hieron. Alcuinus, Bonavent. Hugo, Lyranus et passim alii.

Pro *imperat* Interpres legit לִשְׂרָה *lisro*, id est *ad imperandum*, hoc est *imperat;* שָׂרָה *sara* enim est dominari, imperare. Est enallage modi, ponitur enim infinitivus pro indicativo.

Iam pro ר substituentes vicinum ד pro *lisro*, id est *imperat* legunt לְשָׂדֶה *lesade*, id est ager. Sic enim habent: וְיִתְרוֹן אֶרֶץ בַּכֹּל הוּא מֶלֶךְ לְשָׂדֶה נֶעֱבָד *veitron erete baccol hu melech lesade nebad*, et ita legerunt Sept. Syrus, Arabicus; quod varii varie vertunt et explicant.

Primo, Tigurina: *Et post omnia terræ Deus semper sui similis expectandus est, ut rex agri qui colitur,* ut scilicet orbem hunc quasi agrum suum lustret, iudicet et puniat, vel præmiet; zizania, id est iniustos, tradendo ignibus gehennæ; triticum vero, puta iustos, colligendo in horreum cæli.

Secundo, Vatablus: *Porro excellentia terræ super omnia est, rex agro servit,* q. d. *Ratio agriculturæ est potissima omnium conditionum vivendi; nam ipse etiam rex colit aut colendum curat agrum, idque necessario* Et Isidor. Clarius: *Residuum quod colligitur ex terra in omni re, est rex propter agrum cultum*, hoc sensu: Nemo non abunde vivere potest ex cultura terræ, etiamsi rex sit, cum omnis victus, quo opus habet humana natura, ex terra colligatur, q. d. Quid tot opibus opus? quorsum tam multæ lites, quando parvo contenti queamus esse ac regie vivere, id est copiose satis et otiose, absque fori molestiis? Laus utique agriculturæ maxima.

Sic et Arias ac plures alii censent hic consuli studium agriculturæ; per hoc enim vitantur lites forenses, in quibus non raro innocens et iustus causa cadit. Unde Campensis vertit: *Summum quod terra præstare homini potest, est agellus aliquis, qui colenti eum satis esse possit ut ex eo vivat, et cui illa contigit, et eo contentus est, is plane rex est;* uti fuit Abraham, Isaac, Iacob, Iob, primique reges orbis. Huc facit vetus oraculum;

Cui servit ager tibi, quorsum tanta requiris?

Tertio, Titelm. vertit *Præterea rex est in omni terra ad colendum agrum,* q. d. Rex imperat in sua terra et regione, eamque ab iniuriis tuetur, ut possint agri coli, quorum messe subditi vivant.

Quarto, Caiet. hebr. יִתְרוֹן *itron* vertens *superfluum*, sic traducit et explicat. Sicut ager producit herbas superfluas, quæ non evelluntur ante messem, ne simul evellatur et triticum; sic Deus ex certa scientia et providentia permittit calumnias et scelera violentorum, ad iustorum probationem et profectum, ut eos in die iudicii vindicet et coronet. Sciant ergo principes mundum quasi agrum sibi a Deo traditum, ut eius sint coloni, eumque iustitia et omni virtute excolant; itaque iustitiæ fruges Deo mundi Domino, velut censum persolvant. Sed sicut colonus permittit zizania ad tempus, ita recta gubernandi ratio poscit permittere nonnulla crimina, donec opportunitas sit ea evellendi. Sic et S. Hieronym. qui in veteri editione vertit: *Et amplius terra in omnibus est rex in agro culto.* Et Olympiod. qui vertit: *Super omnes rex est Dominus agri elaborati;* idque dupliciter explicat, tum de Deo, tum de homine; *Deus,* inquit, *instar viridarii mundum sibi hunc excoluit et ornavit, et in eo dominatur, ut agri Dominus, cuius et assiduam providentiam gerit. Non itaque decet opinari mundum carere gubernatione regnantis, ob eas, quæ inter homines fiunt, iniquitates, imo revocare in mentem oportet, quod cum mundus hic ager nuncupetur, iuxta evangelicam parabolam, Deus hominem mundi huius regem dominumque constituit, sicut scriptum est: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Admonet itaque nos hoc loco Ecclesiastes dignitatis nostræ, ut debitam venerationem Deo exhibentes, qui nos regia honestavit corona, pie officioseque vivamus. Aliter: Quandoquidem Deus universi huius mundi est dominus et possessor, veluti agri cuiusdam, diligentia summa elaborati, idcirco seduli caveamus, ne demoliamur vineam Domini Sabaoth, aut iniquis actionibus, aut impiis dogmatibus, aut perniciosis doctrinis. Omnibus enim præest, omnia speculatur agri Dominus et possessor elaborati.* Addit Olympiod. Iudices et principes iniusti, inquit, non aliud censendi sunt quam superfluitas terræ, hoc est inutilis globus et massa, gleba et cinis, quem Deus evertet in die iudicii, trudetque in gehennam, iuxta illud: *Quid superbis, terra et cinis?* Ecclesiast. 10. 9.

Quinto, Pagnin. vertit: *Et utilitas, cultura terræ in omnibus est, et rex propter agrorum utilitatem est servus.* Alii: *Rex agro servit, vel fit servus.* Clarius: *Etiam rex agro obligatus est,* quia ex illo tum se et suos nutrit, tum ampla tributa colligit. Chald. *Et laudabilior est terræ cultura super omnia, quoniam in tempore, quo filii regni, et rex habitat in ruribus a facie illorum; si ille rex non habet frumentum ad comedendum, fit servus subiectus uni agricolæ.* Alii vertunt: *Rex propter agrum factus est,* q. d. Agricultura adeo est utilis adeoque a priscis exercita, ut ex agro promoti sint ad solium et sceptrum, atque ex agricolis facti sint reges, quorum exempla plura recensui c. 4. 14.

Sexto, sic vertas et explices, q. d. Quia lites et oppres-

siones pauperum fere oriuntur ob bona terræ, scilicet ob opes et fruges, quas dat agricultura; hinc unius cuiusque regioni præficitur rex, ut ipse inferiorum iudicum iniusta iudicia impediat, corrigat, emendet.

Verum Vulgata versio, uti planior, ita verior et germanior est iuxta sensum quem initio assignavi, cui tamen cæteras sex, excepta quinta, iam assignatas adaptare est facile.

Rex est liberum arbitrium. Mystice, Richard. Victor. de Statu inter. hom. cap. 6. « Quisnam, ait, est iste rex qui omnibus imperet? Est, inquit, liberum hominis arbitrium, cui omnia corporis membra ei ad nutum deserviunt, et appetitus si aliquando rebellent, potest ab actu refrænare, et refrænatos gravi ultione percutere; et eorum audaciam forti castigatione frangere ut emollire. Investigemus igitur quanam ratione rex hic interioris reipublicæ nostræ Deo sit subiiciendus, et ab omni quod non decent, avocandus. »

Rex est, qui suos regit affectus. Tropol. Docet hic Salomon regem verum esse, quem regit non ira, non libido, non avaritia, sed ratio, continentia et iustitia. Hic enim imitatur Deum, qui iustitiam B regit, imo iudicat et vindicat. Hic dominatur iræ, affectibus, animo ac sibi ipsi quasi victor sui, ideoque Rex terræ est et Dominus mundi. Hic superior est regibus, imo rebus omnibus creatis, ideoque regum est Rex. Audi S. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 14. ad illa: *Anima mea in manibus meis semper. Quicumque proprium corpus subegerit, nec ab ira et aliis passionibus turbari animam suam, rector sui congrua vi permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens Rex dicitur, quod regere se noverit, et arbiter sui iuris sit, nec captivus trahatur in culpam.*

Lege S. Chrysost. lib. 5. de Compar. regis et monachi, ubi monachos passionum dominos regibus comparat, imo anteponit. Audi et Ciceronem in laudem Cæsaris, hæc gratulando, vel adulando, dicentem Orat. pro Marcello: « Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ et naturam et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla enim est tanta vis, tanta C copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, etc. hæc qui faciat non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. »

Audi deinde Senecam in Thyeste:

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia;
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.
Rex est, qui metuit nihil:
Hoc regnum sibi quisque dat.

Vers. 9. AVARUS NON IMPLEBITUR PECUNIA, ET QUI AMAT DIVITIAS FRUCTUM NON CAPIET EX EIS. ET HOC ERGO VA- D NITAS.) Commode ab oppressionibus pauperum, et iudiciorum corruptione transit ad avaritiam, velut ab effectu ad causam; quia enim iudices avari sinunt se muneribus corrumpi hinc pervertunt iudicia; quare ministra prætorum avaritia est calumnia, ait Cicero l. 1. ep. ad Quintum fratrem. Rursum divites avari, ut se ditent, expilant et opprimunt pauperes. Igitur avaritiæ vanitatem, æque ac iniquitatem hic ostendit. Addit Thaumaturgus: *Sicut,* inquit, *facultates per rapinam partæ ac per vim extortæ, perniciosissimæ et sceleratissimæ sunt: sic etiam homini, pecuniarum cupiditate flagranti, numquam satietas, nec proximorum benevolentia proveniet, quamlibet maximam argenti vim acquisierit;* quia scriptum est: *Victoriam et honorem acquirat qui dat munera, animam autem aufert accipientium,* scilicet corda eorum rapit, ut illa largientem redamare cogantur.

AVARUS NON IMPLEBITUR PECUNIA.) Hebr. *Amans ar-* A *gentum non satiabitur argento.* Ita Septuag. Syrus et Arabicus.

Avaritia insatiabilis, cur? Ratio a priori est quod animus hominis sit immensus, ut cupiditas avari sit maior capaciorque toto orbe, quare auro totius orbis impleri nequit. Hinc avaritia est insatiabilis et inexplebilis; quo enim plus acquirit, eo crescit, et plura appetit. Unde *avarus* dicitur quasi *auri avidus,* ait S. Isidor. Avaritia ergo est auri sacra fames, quæ proinde similis est hydropico, qui quo plus bibit, eo plus sitit, quod potus in eius corpore putrescens, ob calorem quem gignit putredo, salsuginosus effectus, os stomachi assidue pungat, itaque salsedine sua illius sitim semper exacuat. Addit Aristot. 1. Polit. cap. 6. aliam causam, scilicet quod avarus amet opes, non ob luxum, aut quid aliud, sed propter seipsas; quare cum amandi in eo non sit finis, hinc et avaritiæ non est finis. Hinc S. August. serm. 40. de Sanctis, veras virtutum divitias a falsis auri et argenti discriminat, quod illæ sui famem satient, hæ augeant; « Illæ, inquit, veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit, B non egebit, dum iuxta Apostolum, habens victum et vestitum his contentus est. Istas vero terrenas divitias insulsum est putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantum enim magis quisque ardebit egestate avaritiæ, quanto magis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ quibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantum fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditate divitem? Tu potes quia minus indigeres, si magis haberes. Unde bene quidam dixit: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes avari, vel cupidi, velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus quantum plus bibit, tantum amplius sitit; ita avarus, vel cupidus acquirendo non satiatur. » Iuvenal Satyra 14.

Quocirca Galenus lib. de Dignoscendis animi morbis, c. 9. docet insatiabilitatem esse causam paupertatis et indigentiæ, item mœroris et mœstitiæ. Hinc Proverbium C Syrorum et Arabum: *Non est in toto orbe pauper, qui sit adeo miser, sicut est dives, qui non expletur pecuniis suis.* Hinc avaritia ab Apostolo vocatur *idolorum servitus,* et avarus *idololatra,* quia aurum quasi idolum suum adorat et colit. Ephes. 5. 5. Quin et Ovid. aurum vocat Deorum maximum, imo solum et unicum. Sic enim canit Eleg. 12.

At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes, victa iam pietate, colunt.

Octo causæ cur avarus non satietur. Hugo Card. octo refert causas cur avarus opibus non satietur, suntque hæ: quia infinita est cupiditas; quia exhaurit affectum avari; quia quo crescit magis crescunt arcæ, cellaria, stabula, etc. quia quo magis crescit, crescit flamma cupiditatis; quia cum eius augmento advenit nova indigentia, ut custodum, arcarum, serarum, clavium, timor amittendi, dolor de amissione, etc. quia non habet proportionem cum animo et corde nostro, ut nec sapientia vel gratia cum bursa; quia nequit esse duobus in locis, in bursa et in mente; quia famem cordis non satiat pecunia, quæ est in bursa, ut nec panis manens in cophino. D Denique sanctus Gaudentius Episcopus Brixiensis, ser. 14. ad Neophytos tom. 2. Biblioth. Ss. Patrum: *Qui amat,* ait, *pecuniam non satiabitur ea. Prædatoris enim rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat.*

Vere ergo, ait S. Hier. *dixit Flaccus: Semper avarus eget.* Audi S. Bern. hunc locum sapienter et pie pertractantem, tract. de Dilig. Deo post medium: « Qui diligit pecuniam non saturabitur pecunia; qui autem esuriunt, et sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur. Iustitia siquidem, ratione utentis spiritus, cibus est vitalis et naturalis; pecunia vero sic non replet, vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus

quoent. Benedic, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono, prævenit, sustinet, implet. »

Et qui amat divitias (hebr. est הָמוֹן *hamon*, id est, copia, tumultus, turba tam hominum quam opum, qualis est Mammon) *fructum non capiet ex eis*; quia eis non audet uti in bonum suum, vel aliorum, sed eas avare recondit in arca, ibique eas quasi defodit et sepelit, ut lucem non videant. Unde S. Hieron. vertit: *Non fruetur eis*; Arabicus: *Qui amat censum multitudine eius non satiabitur*; Syrus: *Qui diligit mammonam, non possidebit illud*; sed magis possidebitur ab illo. Avarus enim opum non est dominus sed servus et mancipium. Vide S. Ambrosium lib. de Naboth. cap. 4. Est miosis; minus enim dicitur et plus significatur: *Fructum non capiet*, id est, damna multa et magna accipiet. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*. Græce φιλαργυρία, id est cupido argenti 1. Tim. 6 Porro Chaldæus hic vertit; *Qui amaverit congregare divitias copiosiores, non est ei laus in sæculo venturo, nisi fecerit ex eis eleemosynam, propterea que non est ei merces proventus ad comedendum*. Nam, ut ait S. Gregor. 3. part. Past. Admon. 21. *fructus ei ex illis* (opibus) *caperetur, si eas bene spargere non amando voluisset; qui vero eas diligendo retinet, hic utique sine fructu derelinquet*. Qui sementem nimis amat, non mandat terræ, ideoque nec metit. Pecunia enim quasi semen fructificat seminanti pro Deo redemptionem peccatorum, emptionem regni cælorum, promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ; qui amat animam, perdit, sic et qui pecuniam effundit, qui eam ut semen terræ mandat. Sere ergo copiosam summam, ut metas copiosam messem; sere opes in pauperes, ut longe maiores percipias in cælis. Vide quæ de avaritia dixi Eccl. 10. 9. et seq.

Et hoc ergo vanitas. (Campens. *Quisquis talis, insigniter vanus est*. Vide dicta cap. 1. v. 2. Nam, ut acute ait Plutarch. in Moral. *cupiditates cum voluptate coniunctæ sunt; at avaritia, cum concupiscentiam excitet, voluptatem adimit, et velut molesta ac morosa hera parare cogit, frui prohibet*.

Felix qui contemnit opes. Ex hoc loco collige veritatem, veramque virtutem et felicitatem non consistere in opibus, sed in contemptu opum, quem affert paupertas spiritus, ut pulchre docet S. Ambr. l. 3. epist. 10. Idem cognovere per umbram Philosophi. Socrates dixit se non admirari divitem superbum et arrogantem, nisi experiretur illum divitias dispensasse, et in alios effudisse. Hinc Seneca epist. 10. *Qui cum*
Gnomæ. *paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est*, hinc Plutarchus: *Ut qui vestes flagellant, corpus non attingunt; sic qui paupertatem exprobrant, hominem non tangunt, sed externa calumniantur*; hinc Epictetus: *Ut qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare; ita et pauperes, quibus divitiarum nota est natura, non student ditescere*. Videntur isti legisse illud Salomonis: *Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis*.

Ratio a priori. Ratio a priori est duplex, scilicet immensa hominis cupiditas, et auri opumque exilitas vilitasque, quæ tantæ cupiditati longe est impar et inferior, ut eam explere nequeat, iuxta illud: *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, Psal. 33 11.

Vers. 10 Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas; et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?) Hebr. *In multitudine boni* (cum multiplicantur bona) *multi comedentes illud*; Septuag. *In multitudine bonitatis, multiplicati sunt qui comedunt eum*. Advolant enim ad rem bonam et sapidam, sicut muscæ ad mel. Arabicus: *In multitudine panis multiplicantur ii qui comedunt illum*.

Dupliciter, adeoque contrarie hæc gnome ab Interpretibus accipitur. Primo, ut significet laudem liberalitatis; secundo, ut significet vanitatem divitiarum et avaritiæ.

Primo, ergo Olympiod. de Liberalitate sic exponit: *Quibus legitimo honestatis iure opes atque divitiæ augescunt, multiplicantur etiam, qui illis utuntur et pauperibus impertiunt. Nam, quid prodest impudenti avaro ac tenaci sua turpis utilitas, quæ oculorum solo intuitu pecuniis uti permittit? Solo namque intuitu principatum tenet in pecuniis. Quid melius* (inquit Orator) *et quid præstantius bonitate et beneficentia?* Favet Syrus, qui pro eo quod sequit. *Et quid prodest possessori*, etc. vertit: *Quæ iustitia nisi*, etc. Caietan. *Quæ rectitudo?* Syrus: *Factum est felix possidentibus se; quoniam de capite meo vidi oculis meis*. Sic et Lyran. Hugo Card. Glossa. Dionys. Huc spectat Thaumaturg. dum vertit: *At probitas* (beneficentia) *familiares suos maiorem in modum oblectat, fortesque efficit, rem unamquamque perspiciendi facultatem præbens*.

Secundo et genuine, significat vanitatem opum et opulentorum avarorum, q. d. Ut quid, o avare, tantis curis opes congeris, cum tu ex eis non nisi tuum ventrem impleturus sis? ad hoc autem modicum sufficit; reliquum quod congeris non tibi, sed aliis congeris; quia sicut ubicumque est cadaver, eo convolant vultures et aquilæ, Matth. 24. 28 sic ubi sunt opes, eo convolant egeni et parasiti, ut eas devorent. *Cadavera lupi, muscæ mel, prædam, non hominem, sequitur turba ista*, ait Seneca. Quare tu, dives avare, non tam opum tuarum es herus et dominus, quam procurator et dispensator, ait idem epist. 4 et ep. 89. *Infelices*, ait, *quod non intelligitis, vos maiorem famem habere, quam ventrem*; et ep. 114. *Furor est quod nemo nostrum unum se esse cogitat. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? cui tot regionum vina conduntur? Si unusquisque se numeret et metiatur corpus, sciet se multum capere, nec diu posse*.

Rursum cruciat avarum, quod videat opes suas, tanto labore partas, adeoque [illegible], tam prodige a tot tantisque consumi; cum ipse ex iis nil aliud voluptatis sapiat, quam quod eas cernat et oculos pascat, non ventrem. Sicut enim ubi multi sunt pisces, ibi multi sunt mures, qui eos rodunt; sic ubi multæ sunt opes, ibi sunt multi procuratores, famuli, parentes, hospites, amici, adulatores, soci, lixæ, adde et fures qui eas absumunt. Ita S. Hier. Olympiod. Alcuinus, Hugo uterque et alii.

Huc accedit Glossa, quæ sic exponit, q. d. Qui multas opes congregavit, non potest illis uti ad gloriam et magnificentiam, si solus sit: sed ad hoc opus est convocare plurimos, ut per eos opes dispersæ latius splendeant, puta servos, ancillas, clientes, magnates, milites, uti fit in aulis regum et principum.

Expertus est idipsum in se Salomon, qui tantas opes habuit, sed pariter tot devorantes eas, ut quotidie absumerent triginta coros similæ, sexaginta coros farinæ, decem boves pingues, viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum et altilium, 3. Reg. 4. 23. Ut enim alios taceam, alebat quotidie 70. millia portantium onera, et 80. millia latomorum, ibidem cap. 5 15. Sic et hodie videmus reges opulentos tot habere aulicos, officiales, milites, etc. ut opes regiæ ad omnes alendos vix sufficiant, quare illi, reges licet, pauperiores sunt mercatore, qui paucas opes habet, sed liberas et ab omni debito oneréque immunes.

Alexander Magnus cum orbem subiugasset, audiens plures alios esse mundos ingemuit: *Et quando*, ait, *illos subiiciam?* Tanta est ambitio et avaritia. Quare vere de eo lusit Satyricus Iuven. Sat. 10.

Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit.

Denique audi S. Bernard. hunc locum pertractantem de Convers. ad Cleric. c. 12. « Hinc, ait, divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigerat usu suo, utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremo ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas, et usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit et sollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, sed nullis, cum

parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se non tam insipientiæ quam infidelitatis esse videtur. »

Praxis ditescendi.

Œconomice monet hæc gnome divites, ut sint opum frugales œconomi, quales sunt mercatores; quia ubi sunt multæ opes, domestici et famuli liberalius eis utuntur, itaque eas cito exhauriunt multitudine ad prodigalitatem illecti, sed tandem sentiunt illud: *Sera in fundo parsimonia.* Quare principes, quibus frugales et providi sunt œconomi, licet census habeant modicos, ditescunt; quibus vero sunt prodigi, vel improvidi, licet opes habeant ingentes, depauperantur. Igitur ratio ditescendi consistit in prudenti et frugali œconomia. Sane hac ratione Hollandi ad tantas opes, quantas videmus, evaserunt, quia attenti sunt ad rem, et minima curant; quare tantum efficiunt uno aureo, quantum alii tribus vel quatuor: *Divitiæ*, inquit ille, *non quantitate, sed usu et frugalitate metiendæ.*

Et quid prodest possessori?) Hebr. est כשרון *kisrou*, id est, quæ congruentia, rectitudo, industria, commoditas, utilitas hero? Septuag. *Quæ virtus aut fortitudo possidenti bona? quia principium*, vel potius *principatus* (hoc enim est ἀρχή) *videre oculis suis:* Olympiod. *Principatus est illi, ut videat oculis suis*, q. d. Quæ utilitas ex bonis tanta virtute et strenuitate partis, quando principatum avarus gerit solo intuitu, nec alium habet usum dominii, quam quod opposita contemplatur? Arabicus: *Quæ iustitia. etc.* Syrus: *Et factum est felix possidentibus se;* Symmach. *Quæ utilitas inest habenti ea bona, nisi ut tantummodo spectet oculis suis?* Campens. *Quid habet amplius, cuius sunt divitiæ, quam quod videt alios eas consumere?* alii, *nisi aspectus oculorum eius*, q. d. Dives ex tot opibus pascit oculos dumtaxat, non mentem, nec ventrem. Opes ergo illi non sunt, nisi inanis aspectus et vana visio, iuxta illud Horatii 1. sermone 1. Sat. 1.

Mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Et mox:

Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere saccis
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.

Audi S. Chrys. hom. 2. ad Pop. « Avarus, ait, custos est, non dominus; pecuniarum servus, non possessor. Facilius enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defosso auro communicaret. Velut enim quodam mandante et iubente nihil de repositis tangere: sic cum omni diligentia ea servat et continet, a suis tamquam alienis abstinens, quippe sunt aliena: quæ enim aliis erogare numquam pateretur, neque in necessariis impendere etiamsi infinitas sustineret pœnas, quomodo hæc esse propria putare posset? Quomodo vero eorum habet possessionem quorum nec usum, nec fructum cum libertate habet? »

Apologus avari ex talpa.

Porro avarus ita servit opes suas, ut ab iis exerceatur, ne veras sapientiæ et liberalitatis opes videat. Quocirca eius symbolum est talpa, de quo pulcher exstat Apologus apud Cyrillum lib. 3. Apol. Moral. c. 2. cui titulus: *Rerum terrenarum cupidos esse cæcos.* Talpæ, inquit, incusabant naturam, quod oculorum usum visumque sibi denegasset, quem dedisset basilisco et hyænæ. Cui natura respondit, se id iuste et sapienter fecisse: « Nam latebras incolis, ait, et terrena totaliter dilexisti, nec non amore terrestrium perdidisti cælestia, et diligendo odibiles tenebras lumine caruisti. At nescis quod avaritia monstrosa, quia nimis adamavit terrestria, perdidit cælestia, et habet oculos et non videt. Nam ut cæca dimisit vera bona pro falsis, fixa pro fluidis, cælestia pro terrenis; sic et infinita maximaque bona pro minimis, gloriosa pro miseris, secura pro dubiis, sancta pro pessimis, et gaudiosa pro afflictivis commutavit. Congregat quidem stulta exterius, sed intus depauperatur; in augis se tenet defluentibus, terram possidet et a diris inferis possidetur. Quia et vorat ut evomat, amat quo pereat, acquirit quod perdat, curat quod doleat, et se onerat, ut velocius in abyssum descendat. Si audias (Genes. 3.) homo, avaritia occæcatus, deliciarum mox perdidit paradisum. Nam cum animus a Deo aversus apparentium tantum cupiditatem concepit, illico mentis lumen intus perdidit, et foris talpeis oculis reseratis nuditatis suæ dumtaxat pauperiem videt. Quin etiam (3. Reg. 15. 9.) Saul contuitu rationis orbatus, dum pecora concupivit, regali gloria caruit. Et male possessis bestiis, nos secum pares amisit. » Idem novo et chamæleontis apologo confirmat. « Quam bene profecto chamæleon corvo, carnis eius cupiditate ipsum infestanti respondit: O si vitiositatis interiecta caligine, visum prudentiæ tibi cupiditas non abstulisset, utique attenderes quod te, si me possides, perdes. Habes igitur talpa cur sic fueris fabricata, cum compositionis tuæ ratio avaritiæ sit imago. Quibus auditis, una cum verbis querimonia cessavit. »

Et Chamæleonte.

Novem damna avaritiæ

Ostendit hic Ecclesiastes vanitatem opum et avaritiæ novem rationibus. Prima est, quod avarus non impleatur pecunia; secunda, quod fructum non capiat ex ea; tertia quod ubi multæ sunt opes, sint et multi qui eas consumant; quarta, quod nil voluptatis ex eis capiat, nisi quod eas videat; quinta, quod saturitas divitis non sinit eum dormire; sexta, quod divitiæ conserventur in malum domini sui: septima, quod dives sæpe relinquat filium et heredem pauperem; octava, quod nudus revertetur ad sepulcrum; nona, quod vitam omnem transigat in curis, labore, ærumna et tristitia. Hinc concludendum relinquit in opibus frustra requiri, aut collocari animi quietem et felicitatem, uti pulchre ex hoc loco docet S. Thom. q. 2. articul. 1. ad 3. Huc spectant decem avarorum vanitates, quas recensui Eccles. 14. v. 3.

Vers. 11

Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire.) Septuag. et Arabicus: *Dulcis est somnus servi, qui toto die operatur et laborat*, præsertim in agro colendo. Hebr. enim עבד *obed*, alludit ad agrum נעבד *nebod*, id est laboratum et cultum v. 8. Campens. *Suavis est somnus ei qui laborando se exercet;* Vatabl. *Qui labore manuum victum sibi parat.*

Quinta opum vanitas.

Est hæc quinta opum vanitas; quod opes pariant otium, inertiam, gulam et crapulam, item curas et anxietates, indeque ἀγρυπνίας, sive vigilias, ut dives ob stomachum cibo onustum, indigestionem et cruditatem, æque ac curas et sollicitudines, noctu dormire nequeat, sed in mente anxius curis, in stomacho flatibus, in capite vertigine et doloribus torqueatur: cum ex adverso paupertas cogat ad opus et laborem atque ad frugalem cibum: quo fit ut pauper per diem labore fessus, curarum expers noctu placide et suaviter dormiendo conquiescat. Nam, ut ait Galenus l. 1. de Symptomat. caus. cap. 8. *natura poscit ut qui laboriosius se exercuerunt, eos altior somnus premat, tamquam multæ vires iis cum laborent, a principio defluxerint.* Quocirca nihil ita somnum conciliat, ut exercitium, labor et lassitudo, adeo ut suppleat vicem cibi. Lassus enim dormit, *sive parum, sive multum comedat.* Audi S. Chrys. de Virginit. c. 70. *Dulcis illi somnus non propter lectum mollem; sternitur enim humi, vel super paleas: non propter libertatem. quia ne temporis quidem punctum ei liberum est: nec propter otium, nam laboribus et ærumnis conficitur assidue: sed hi ipsi labores, et quod coactus prius necessitate somno se dederit, sunt in causa cur adeo dulciter dormiat.* Idem hom. 2. ad Popul. *Cur*, ait, *addidit, sive parum comedat? Ambo*, inquit, *hæc vigiliam inducere solent, indigentia et crapula: illa quidem arefaciens et palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc vero anhelitum angens, et elidens, et multos inferens dolores; sed tanta est laborum medicina, quod si etiam ambo adsint, servus dormire potest.* Inde S. Chrysost. colligit pulchra quædam, vel theoremata, vel axiomata. Primum est, verum voluptatem qualis est somni dulcedo, emi non auro, non deliciis, non otio, sed exercitio et labore: illius enim esse mercedem. Secundum pauperes magis honestam æque ac iucundam agere vitam in paupertate et labore, quam divites in otio et luxu; quia

per diem vilis cibus pauperi esurienti magis sopit, quam omnes deliciæ diviti saturo et nauseanti; per noctem vero pauper suaviter dormit, cum dives pervigilet, ac crapula et curis mille torqueatur; tertium, pauperes sanlores et robustiores esse divitibus, qui proinde mendice, id est misere vivere coguntur: *Divitibus enim*, inquit, *in iucunditate multæ ægritudines irruunt; pauperes autem a medicorum manibus immunes sunt. Si vero nonnunquam et in imbecillitatem incidunt, brevi seipsos instaurant mollitie omni liberi, et corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus. Thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorium ab insidiis tutum.* Vide Titelm. hic divitum noctes insomnes, ac corporis animique tormenta graphice describentem.

Mystice, somnus est quies conscientiæ, quam possidet operans virtutum opera, qua caret dives, qui bonis terrenis inhiat. Audi Cassian. collat. 24. cap. 6. *Et revera si comparare volueris suaveolentem virginitatis florem, et tenerrimam castimoniæ puritatem tetris ac fœtidis libidinum volutabris, quietem securitatemque monachorum periculis et ærumnis, quibus mundi huius homines implicantur, paupertatis nostræ requiem edacibus divitum tristitiis, ac pervigilibus curis, quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus consumuntur, suavissimum iugum Christi, onusque levissimum facile comprobabis.* Hinc Septuag. hoc loco vertunt: *Dulcis est somnus servi*, id est obedientis, qualis est religiosus qui se ab omni cura liberavit, imo secutus Psaltis consilium iactavit super Dominum curam suam, Psalm. 54. v. 23. ideoque dormit in utramque aurem pacatissimus.

Sive parum, sive multum comedat.) Non quod si notabilis in comedendo sit excessus, non possit somni quoque difficultatem pati, sed quia propter fatigationem et stomachum valentiorem, quamvis paulo largius vescatur, indormiscit facile: nec quia parcior sit cibus, laboret in somno capiendo, laboribus lassatos, nam *fessos sopor irrigat artus*. Vehemens enim labor calorem concitat, humor liquatur calore; cerebrum calor petens ibi refrigeratur, ac densatus conciliat somnum; nimius item labor cum spiritus consumat, fit ut refrigeratum corpus opprimatur somno.

Ita ex Arist. Galeno. Tertull. Platone, Plutarc. Plinio et aliis noster Lorinus.

Saturitas autem divitis non sinit eum dormire.) *Saturitas* hic tum ciborum et deliciarum, tum divitiarum copia accipi potest: hæc enim parit diviti avaro mille curas et sollicitudines, quæ non sinunt eum dormire. Cura enim, sollicitans animum, agitat in cerebro spiritus vitales, itaque vigiliam parit iuxta illud Virgil. I. Georg.

Somnos abrumpit cura salubres.

Unde Septuag. vertunt: *Et ei qui repletus est ditescendo* (Complut. *Et repleto ditari.* Olympiod. *Et pleno divitiarum*) *dormire*. Et Arabicus: *Aviditas in divitiis non permittit ei ut dormiat.* Nam ut ait S. Augustin. in epist. 8. Iove. *Implevisti domum, timentur latrones; acquisivisti aurum, perdidisti somnum*; et Thaumat. *Ecce pauper*, inquit, *quamvis senex sit, nec habeat quo ventrem suum expleat, placido tamen somno refocillatur*, cum interim *avaro vigiliæ cruciatusque animi quietem excludant.*

S. Hieron. et ex eo Alcuinus et Olympiodor. utramque saturitatem, sive copiam tam ciborum quam curarum accipiunt, q. d. Dives dapibus distentus redundante crapula, et inconcto cibo in stomachi angustiis eructante; atque insuper cogitationibus ut curis pungentibus lancinatus, dormire non valet. Sicut enim cibi indigesti in stomacho, sic et curæ atque anxiæ sollicitudines in mente molestos cient flatus et tumultus, qui omnem quietem eripiunt. Audi S. Ambros. in Psalm. 1. *Quomodo potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui usuras computat? qui hypothecas numerat?* Idem de Naboth. c. 6. *Naturæ*, inquit, *ipsius nescit munia, nec somni novit vicem; excitat eum cupiditas; exagitat cura pervigil aliena rapiendi; torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcundarum perturbat, sollicitat abundantia. Ne ipse quidem Deus ipsum dormire permittit; interpellat cogitantem, excitat dormientem. Sed ne ipse se quietum esse patitur, qui in ubertate fructus sollicitatur, et vocem egentis emittit. Quid faciam, inquit? Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi?*

Porro Chald. mystice per somnum accipit mortem et per operantem colentem Deum: « Suavis, ait, somnus viri qui colit Dominum mundi, et est quies in domo sepulcri eius, sive paucos annos vixerit, sive multos, postquam servivit Domino mundi in sæculo hoc, ad sæculum venturum mercedem operum manuum suarum hæreditabit, et sapientia legis Domini erit viro diviti in sapientia. Ecce quemadmodum studuit in ea in sæculo hoc et sollicitus fuit in doctrina: sic requiescet super eum in domo sepulcri eius; et non deseret eum solum, quemadmodum non sinit uxor virum suum ut dormiat solus. »

Igitur curæ sunt velut apum aut vesparum examen, quod suo murmure et bombis, ac multo magis aculeatis ictibus assidue pungit, vellicat, ac tantum non enecat avarum.

Rursum, sicut culices, licet exigui, agminatim volitantes et in hominem involantes, suo armantur tuba et lancea: tuba qua resonant: lancea qua feriunt: sic multo magis utraque armata in avarum noctu involant plurima anxiarum curarum agmina instar sciniphum Ægypti, Exodi 8. v. 17. Hinc curæ a Poetis vocantur *mordaces* et *edaces*. Audi S. Bernard. serm. 39. in Cant. tumultuantem avaritiæ currum graphice depingentem: « Avaritia rotis et ipsa vehitur quatuor vitiorum: quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro iumenta trahentia, tenacitas et rapacitas: et his unus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola siquidem avaritia, quoniam conducere plures non patitur uno contenta est servitore. Ipse vero, iniuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, urgendis sane iumentis trahentibus flagris utitur acerrimis, libidine acquirendi et metu amittendi. » Hinc est ergo quod avari et divites, astu splendide epulati, metuunt tota nocte insomnes; et pauperes labore diurno fatigati, et frustulo panis contenti placidos hibernis noctibus somnos producant.

Moraliter hic disce quam parcitas, æque ac labor sit utilis et suavis: hinc vita agricolarum laboriosa eosdem facit robustos, hilares, honestos, sanos, sanctos; quare suavius et melius dormiunt. Magna enim somni est utilitas et suavitas: somnus enim vires restaurat et nutrit, æque ac cibus. Hac de causa: *somnus dimidium vitæ nobiscum partitur*, ait Philo. Unde S. Basil. apud Ant. in Melissa p. 1. cap. 42. *Gratias age*, ait, *illi qui nos mirabiliter per somnum ab assiduis laboribus recreat, et modicæ quietis beneficio rursus ad vigorem virium reducit.* Hinc Sicyonii pingebant somnum leonem domantem. Pausanias in Corinth. *Nullus*, ait, *tam sævus est dolor, qui non sopiatur somno*: causamque reddit, quod tum sopiantur sensus, qui dolores sentiunt; iidem somno roborantur, ut facilius dolores et labores ferant in vigilia: *Somnus*, ait Cicero, lib. 2. de Divinatione, *est omnium laborum perfugium et famis domitor*; ait Menander: *Est otium animæ, tamquam onus deponentis, seque recreantis, et in secessum abdentis*; ait Themistius: *Est vitæ portus*; ait Seneca in Herc. fur. *Est donum deorum et laborum oblivio*; ait Plutarch. de Superstit. *Est suave velamen oculorum et mentis*; ait Poeta: *Est iunior et puerilis Deus*; ait Euclides apud Stob. serm. 6 Hoc somni bonum avaro excutit avaritia et diviti crapula: *Saturitas enim divitis non sinit eum dormire. Excitat enim eum cupiditas, excitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia*, ait S. Ambros. de Naboth. c. 6. In eo ergo impletur illud Ierem. 16. v. 13. *Servietis diis alienis* (mammonæ et ventri) *die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Idem locum habet in superbo, invido, rixoso, goloso et quovis peccatore.

Hae est quod sit Siracides c. 31. 23. *Vigilia et cholera, et tortura viro infrunito; somnus saturitatis in homine parco; dormiet in mane, et anima illius cum ipso delectabitur.* Vide ibi dicta. Quocirca S. Hieron. vel quisquis est auctor exhortat. ad Virg. c. 35. *Tanta*, ait, *sit in sumendo cibo sobrietas, tanta talisque parcitas, ut venter potius conqueratur quam gaudeat. Non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructum potius saeuntio quam nimia repletio inducat.*

Unde S. August. l. 10. Confess. 31. ait: *Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*; ut sicut medicamenta non sumuntur ad satietatem, sed ad salutem corporis, ita alimenta non ad satietatem, sed ad eiusdem corporis sustentationem sumantur. Idque servabat S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cui (ut in eius vita legitur) nunquam curæ fuit, ut pasceret corpus, sed ut sustentaret. Qui autem propter Dominum dabat carni suæ panem arctum et aquam brevem, meruit pane vitæ et intellectus refici, cum fuerit sapientia clarus, et sui temporis doctor eximius.

In mensa mens alenda. Hinc Patres docent in refectione corporis partem potiorem dandam esse refectioni mentis, in pia lectione, vel cogitatione. Audi S. Bernard. ad fratres de Monte Dei: « Cum manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suavitatis Domini vel Scripturarum aliquid quod eam pascat meditando, vel saltem memorando, secum ruminet et digerat. » Et S. Basil. « Inter epulandum hoc cavere convenit, ne helluantium speciem præbeamus, sed et constantiam et mansuetudinem ubique retineamus atque in percipiendis voluptatibus æquabilem continentiam; ne tum quidem porro iis animis esse feriatis nos oportet, ut commentatione rerum divinarum vacemus: quippe qui alimentorum naturam, corporisque aliti opificium, argumentum habeamus divinas laudes exordiendi; utique cum in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata ab eo sint inventa, qui omnia moderatur et regit. » Hæc S. Basil. epist. 1.

Vers. 12. EST ET ALIA INFIRMITAS PESSIMA, QUAM VIDI SUB SOLE, DIVITIÆ CONSERVATÆ IN MALUM DOMINI SUI.) *Infirmitas*, id est miseria, afflictio, ærumna; S. Hieron. *Languor pessimus*; Symmach. *Morbus malus*; Olymp. *Gravis et intensus morbus*; S. Amb. in Psal 1. *Languor malus*; Syrus: *Infirmitas mali*; Arabicus: *Est aviditas*; Vatabl. *Est malum atrox*; alii: *Est ægritudo mala*; Campens. *Inveni aliud tristissimi mali genus.*

CONSERVATÆ IN MALUM.) Malum hic tum culpæ accipi potest. Unde Aquila vertit: *In malitiam eius.* Opes enim divitii sunt occasio superbiæ, gulæ, luxuriæ, rapinæ omniumque scelerum; tum potius pœnæ. Unde Olympiod. vertit: *In perniciem suam.* Tigur. *A suis possessoribus in ipsorum exitium.*

Sexta opum vanitas. Est hæc sexta opum et avaritiæ vanitas, quod sint perfidæ, ipsumque divitem affligant, ac subinde strangulent et necent, eo quod necis ipsius sunt causa vel occasio; cum divites sæpe litibus vexantur, opibus mulctantur, quin et occiduntur, ut divitiis spolientur, sive a prædonibus, sive ab iniustis iudicibus et principibus, sive a sociis, etc. uti Naboth occisus est ab Achab, ut eius vineam possideret, 3. Regum c. 21. Narrat Plutarchus in Parall. Brennum Gallorum regem rogasse suos milites, ut in sinum avarissimæ virginis, quam adamabat, amantem tamen plus auri, quam regis, aurum, quod gestabant, immitterent: quo factum est ut magna vi auri vivens obrueretur. Ita auro suo suffocantur opulenti.

Quocirca Thaumaturgus vertit: *Reconditas opes conservare esse sexcentorum malorum occasiones sibi ipsi custodire.* Timocreon Græcus Poeta lyricus scripsit carmen adversus Plutum deum divitiarum, in quo ita canit: *Utinam, o cæce Plute, neque in terra, neque in mari, neque in continenti compareres; sed Tartarum habitares et Acherontem! Propter te enim omnia inter homines mala.*

Audi S. Ambr. in Psal. 1. « Avaritia languor, inexplebilis cupiditatis languor. Istæ divitiæ sunt, ut dicit Ecclesiastes: Est languor malus, quem vidi sub sole, divitias custodiri in malum possidentis eas. Dic mihi, o Ecclesiastes, qua ex causa malus hic languor sit? Respondebit: Quia multos avara spes devorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est, nescit satiari argento qui concupiscit argentum. Distendunt divitiæ, non expleat, et si quis satiatus fuerit divitiis, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidem omnes dies eius in tenebris et luctu, et iracundia multa, et languore, et ira. »

Unde concludit: *Malus ergo languor, qui bonam aufert mentis quietem.* Quocirca per *malum domini* accipi etiam potest cura, sollicitudo, afflictio, quam opes afferunt hero, dum ut ait S. Ambr. libr. 1. de Cain et Abel, avarus *elementa concutit, mare sulcat, et terram effodit, cælum votis fatigat, nec sereno gratus, nec nubilo, condemnat proventus annuos fœtusque terrarum arguit.*

Denique Chald. per malum hoc avari accipit supplicium futuri sæculi: « Est, inquit, perniciosum malum, quod vidi sub sole, cui medicina non est: homo qui divitias congregat, neque eas ad pietatem confert, parum sane providens dirum finem. Hæc enim substantia illi in perniciem venturo sæculo servatur. »

In futura enim vita avari torquebuntur summa paupertie, inopia, fame, siti in igne gehennæ, uti torquetur dives epulo; quod repræsentarunt Poetæ per Tantalum, qui sitiens in mediis aquis usque ad os pertingentibus, numquam tamen sinitur ore eas haurire, et sitim restinguere.

Audi Salvian. l. 1. ad Eccl. Cathol. « Avaro, inquit S. Scriptura, nihil est scelestius, et pessimum ac feralissimum morbi genus, divitiæ conservatæ ad malum domini sui; verum est: quid enim peius, aut quid miserius, quam si quis præsentia bona in futura mala convertat, et quæ ad hoc a Deo data sunt, ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipsa quæratur mors ac damnatio sempiterna. »

Tropolog. Hugo per divitias accipit copiam scientiarum et virtutum, quæ conservantur in malum domini, cum ipse iis ad vanitatem vel gloriam, vel lucri abutitur.

Noster Alvarez de Paz lib. 1. de Vita spirit. p. 2. c. 13. per divitias accipit copiam gratiarum ac mediorum omnium ad perfectionem, quibus abundant religiosi; sed dum iis per acediam uti negligunt, cedunt illis in maiorem damnationem, Eccles. 5. 12. *Divitiæ conservatæ in malum domini sui.*

Hanc gnomen illustri Pavonis et Corvi Apologo, aureis gnomis velut gemmis interstincto, repræsentat S. Cyrill. lib. 3. Apolog. Mor. c. 16. « Pavonem, inquit, pennis aureis undique spoliatum cum corvus aspiceret, deridens pomposum et olim divitem, dixit: Ubi est miris picta luminibus desiderabilis tua penna? quonam abiit alarum splendentium gloria? quove plumarum gemmantium fugit mirabilis ornatura? At ille animus patiens, illusoriis verbis indignatus, respondit: Quamquam insatiabilis humanæ cupiditatis vorago pennarum opes absorbuerit, naturæ tamen beneficio ars reparatrix non deerit vere liberalis. Unde licet pennis modo privatus sim, spem tamen exsuperandi non perdidi, tu vero semper miser es. Cui ille: In adversis ut video, calamitas tua calamitatibus non eruditur. » Amentiam deinde Pavonis exaggerans subdit: « Iam decaudatus es, et unde acciderit non vidisti; depauperatus es, et unde damnum evenerit non sensisti. Malum minime te docuit: quamobrem absque moderamine crescit. Revera prædilecta penna odibilem te reddidit, et placida cauda te dehonestavit, atque adeo tua tibi opulentia, quid nisi paupertas fuit? etenim quia hanc habuisti, perdidisti, et iterum concupiscis unde cum doloribus expolieris infelix. » Unde hoc Epimythium, velut scopum fructumque Apologi colligit: « Quare non habere melius est quam rem desideratam perdere, dignas certe gratias lætus ago naturæ, quod penam mihi pauperem dederit, ac tali natura puto me esse divitem. Nam hoc modo meus sum, et nemini in prædam dilectus. Nigra penna illustrat me, et pluma paupercula me ditat, ac spreta caudula tu- Apologus de opum nota

taine. Verum te divitiæ tuæ pauperem faciunt, desiderabilitates odiosum, deliciæ dolorosum, gloriositates inhonestum, felicitates miserum et excrescentiæ minoratum. Maledictæ igitur sunt tales divitiæ, quæ suum depauperant, decaudant et vituperant possessurum. Quarum nempe convertitur in nuditatem possessio, in dolorem dulcedo, in confusionem gloriatio, et decor in deformitatem. Gaude igitur, si prudens es, quod hostiles opes amiseris, nec eas ultra appetas, sed sapientum iudices te, si illis careas. Quibus eruditum ditavit depauperatum magister.»

Vers. 13. PEREUNT ENIM IN AFFLICTIONE PESSIMA.) Tó pereunt nequit referri ad τὸ domini sui; sic enim dicendum fuisset; perit dominus; quare referendum ad τὸ divitiæ. Unde Hebr. habent. Periit opulentia illa in occupatione mala; et vetus editio S. Hieron. habet: Perierunt divitiæ illæ in distensione pessima.

Sensus est, q. d. Opes sæpe conservantur in malum domini sui; quia illi pereunt, id est ab eo vi, vel fraude, vel naufragio aliove casu auferuntur, eumque pauperem relinquunt, affligunt et cruciant; ac subinde perire faciunt perduntque, dum propter eas vita spoliatur. Unde illud sancti Augustini: Quod non capit Christus, rapit fiscus; et: Avarus, dum colligit, colligitur; dum vult esse præda, fit præda, ait idem sanctus Augustinus in Psalm. 38. Apposite Plutarchus opusc. de Cupiditat. divit. Cupiditatem avarorum nuncupat asininam et fornicariam; quia sicut asinus ad balnea ligna comportans, fumo semper oppletus et favilla; in nullam lavacri, caloris munditiæque partem venit; sic avaritia hominem eviscerat labore, ut ditescat, et tamen numquam divitiis suis satiatur. Comparat præterea cum muribus, qui vorant in metallis Chrysitidem, nec eam reddunt nisi mortui et dissecti; item cum figlinis canalibus, qui nihil in se retinent: sic enim avari coacervant multa, ut hæredibus relinquant, et hi aliis, sicque deinceps.

Præclare S. Chrysost. hom. 20. in epist. ad Hebr. « Intuere, ait, quanta fiant mala propter pecunias, quod affectione et passione quadam tenemur circa eas: verbi gratia, si perdit aliquis pecunias, vitam ducit omni morte peiorem. Quid doles, o homo? quid lacrymaris? quia te a cura custodiendi superflua liberavit Deus? quia non sedes tremens et metuens? Dic itaque si te quispiam alliget ad thesaurum, præcipiens ut illi semper assideas, vigilem curam alicuis impendas, nonne doleres et difficulter ferres? Te teipsum alligaveras vinculis pessimis, et quia illa servitute liberatus es, doles. Idem hom. 33. Propterea Deus abstulit tibi divitias, ut te liberet a pessima servitute. Nam et pater optimus, cum viderit filium amore meretricis cuiusdam deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, illam meretricem de medio auferens in exilia longinqua detrudit. Talis est etiam abundantia divitiarum. Curam igitur de nobis gerens verus pater et optimus Dominus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. »

Pro afflictione pessima hebr. est in occupatione mala, quod aliqui accipiunt de vitio et peccato, q. d. Divitiæ sæpe pereunt diviti, eo quod per scelus, puta per usuram, fraudem, rapinam, iniustum contractum sint comparatæ, iuxta illud S. Hier. epist. 160. ad Hedib. quæst. 1. Dives, aut iniquus est, aut iniqui hæres; et illud Platonis lib. 5. de Legib. Sermo nobis rectus, id est verus, quod admodum divites non sunt boni; et Menandri: Numquam vir æquus dives evasit cito. Unde Chald. vertit: Quia enim malis artibus comparaverat, in filium eius non confirmabitur, nec illi quicquam erit reliquum.

Melius tamen Noster per occupationem malam accipit afflictionem pessimam; et Septuag. Distentionem pessimam; Campens. Pereunt divitiæ postquam dominus suos graviter afflixerunt. Affligitur enim avarus sollicitudine in conservando et augendo suas opes, dolore vero ac mœrore in perdendo, dum videt eas sibi a furibus, vel principibus, vel amicis, vel æmulis, vel casu adverso eripi.

GENERAVIT FILIUM QUI IN SUMMA EGESTATE ERIT.) Hebr. Græce, Syre et Arabice: Et non est in manu eius quidquam; Tigurin. Qui prorsus nihil habuerunt; Campens. Neque enim ipsis, neque filiis eorum quidquam reliquum fuit; Chald. Et liberis post mortem dimissa hæreditas omnino peribit. Est nova hæc divitis avari afflictio, Septima.
quod videat divitias perire non tantum sibi, sed et filio, ut eum in summa egestate relinquat: quia scilicet pereunt opes, sive furto, sive casu aliquo parenti; aut quia filius eas prodige consumpsit: vel quia filius patrem secutus sordide opibus inhiat, nec audet iis uti, sed fame et ærumnis tabescit, ut opes intactas conservet. Porro communiter magis affligit parentes egestas ac damnum filiorum, quam propria. Hinc in Anglia vidimus Catholicos nonnullos, qui fortes steterant in tormentis, a fide defecisse, ne spoliarentur bonis et nobilitate, ne cogerentur filios relinquere pauperes et ignobiles. Durum enim parenti est a filiis et nepotibus iugiter audire: Tui causa sumus miseri, egeni, exsules, ignobiles: tu perdidisti et exstinxisti decus familiæ nostræ. Per te periit nobilitas totius prosapiæ nostræ; cum ex adverso homini si solus sit et illiberis, facile sit et gloriosum ob amorem Dei, fidei et religionis orthodoxæ perdere fortunas, nobilitatem et vitam. Hoc enim est laus et gloria martyrii.

Est hæc septima vanitas opulentiæ et avaritiæ; sequitur octava.

SICUT EGRESSUS EST NUDUS DE UTERO MATRIS SUÆ, Vers. 14.
SIC REVERTETUR, ET NIHIL AUFERET SECUM DE LABORE Octava
SUO.) Arabicus: Et nihil reperit ex labore suo, ut vadat portans illud in manu sua; sic fere et Hebr. Septuag. et Syrus. Unde S. Hieron. Nihil accipit ut teneat in manu ipsius; Vatabl. Ut discedat sicut venit; Campens. Ita nudi ro revertentur unde prodierunt, nec illi quidquam eorum hinc secum asportabunt, quæ tantis molestiis acquisierunt, q. d. Tam pater depauperatus qui genuit filium, quam filius, quem in egestate reliquit, nudi revertentur in terram moriendo, sicut ex ea nudi prodierunt nascendo, nec quidquam eorum, quæ tanto labore corrogarunt, secum auferent, iuxta illud: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc, Iob. 1. vers. 20. S. Cypr. tract. de Mort. legit: Nudus exivi de utero matris, nudus etiam redibo sub terram; et illud: Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia neque auferre quid possumus, 1. Timoth. 6. 7. et illud: Dives cum interierit non sumet omnia (non omnia, id est nihil, est Hebraismus) neque descendet cum eo gloria eius, Psal. 48. 18. Omnes ergo opes, omnes pompæ, omnia bona huius mundi sunt exuviæ cuique exuendæ in morte. Idem videre Philosophi. Seneca libr. de Moribus: Omnes infantes, inquit, terra nudos excipit. Plinius, initio lib. 7. comparans hominem cum cæteris animantibus, quod inter cuncta nudum et inermem natura genuerit: Hominem, inquit, tantum nudum, et in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus.

Nota: Tò sicut vim habet comparationis et illationis, q. d. Ex eo quod nudi nascimur, liquet vestes, opes cæteraque bona, quæ mundus hic nobis ministrat, non esse nobis propria, sed commodata, et ad usum concessa, quamdiu hic vivimus: quare non licet nobis, dum abimus et morimur, ea nobiscum asportare, perinde ac famulus qui init domum principis, accipit gladium, pallium et vestes principe dignas; at ubi domum deserit, eadem in illa reponit et reddit, quasi ad tempus servitii commodata et aliena, non propria.

Porro Chald. exponit divitem e vita egredi nudum, quia egreditur sine meritis bonorum operum, quæ neglexit ex avaritia, acedia, gula, etc.

MISERABILIS PRORSUS INFIRMITAS.) Hebr. mala, id est Vers. 15.
pessima, infirmitas, de quo v. 12. Alius vertit: Etiam malum hoc dolorosum; Tigurin. Malus est ille morbus; Vatabl. Istud etiam supplicium laboris plenum; Campens. Sed et hoc etiam triste malum est; Chald. Malus morbus, cui non est medicina, vel cui mederi non possumus. Est epiphonema humanæ miseriæ, quam per sequentia exaggerat; licet enim eam omnes mortales experiantur, tamen maxime sentiunt divites et avari, quibus in morte grave tormentum est, opes adeo adamatas et tanto labo-

re partes relinquere, nec quidquam ex eis posse secum, vel ad viaticum efferre.

QUOMODO VENIT SIC REVERTETUR.) Pro *quomodo* hebr. est כל עמת *col ummat*, quod Caiet. vertit: *Omnis contra*, vel *e regione*; unde vertit: *Omnis contra*, vel *iuxta quod venit, sic abit*, q. d. Quilibet homo eo modo quo venit nascendo sine opibus, sic ibit moriendo; venit obviando nuditati, nudus ibit obviando pariter nuditati quæ nudum natum, nudum pariter morientem recipiet. Est prosopopœia: fingitur enim nuditas, quasi persona et mater omnes homines nudos in vitam emittere, dum nascuntur, et nudos recipere, dum moriuntur. Alius vertit: *Omni pacto*, vel *omnibus modis sicut venit, sic abit*; Tigurin. *Omni respectu, sive oppositione qua venit*, id est *plenissime, eo prorsus modo quo quisque in mundum venit, ita egredietur*; Campens. *Omnes quo modo intraverunt in mundum, ea et relicturi sunt mundum*; Campens. *Omnium rerum est vicissitudo.* עמת *ummot* enim significat coniunctionem, consequentiam, necessitudinem, societatem, similitudinem. Unde עמית *umit* vocatur socius. Igitur ad verbum proprie sic vertas: *Omni congruentia et similitudine sicut venit, sic revertetur.* Forte etiam Massoretæ male per diastolen duabus dictionibus scripserunt *col ummat*, cum per sistolen una dictione scribendum videatur כלעמת *kilammat*, id est ad verbum, *secundum congruentiam*, vel similitudinem, id est *sicut*, similiter, uti vertit Noster, Sept. Chald. Syrus, Arabicus, cæterique omnes. Summa *kilummot*, significat summam congruentiam, convenientiam, similitudinem in nuditate nascendi et moriendi, quod homo, sicut prorsus nudus natus est, sic prorsus nudus moriatur, et abeat e mundo. Hinc Gentiles olim morienti obolum dumtaxat in os inserebant, ut eum pro naulo solveret Charonti, qui defunctorum animas per Stygem et Acheruntem devehit ad inferos, ut refert Lucian. Dial. de Luctu, quo significabant eum plene nudum, solum, ab omnibus desertum, et omnium rerum inopem, gementem et plorantem, omniumque iniuriis expositum, uti natus fuerat, ita mori et redire ad terram communem omnium matrem, æque se sepulcrum. Chald. addit eum redire, ut venit, expertem meritorum: *Sicut*, ait, *venit in mundum homo meritis privatus, sic in aliud sæculum pergit.*

QUID ERGO PRODEST EI QUOD LABORAVIT IN VENTUM?) Pro *prodest* Hebr. est יתרון *itron*, quod Septuag. vertunt; *Quæ abundantia, qua laborat in ventum?* Syrus, in *spiritum*; Symmach. *Quid igitur amplius ei qui laboravit?* Vetus editio S. Hieron. *Quæ abundantia eius qui in ventum laborat?* Arabic. *Quæ præstantia et qui laborat ventis?* Tigurin. *Quid operæ pretium contigit ei qui vane labores impendit?* alii: *Quid utilitatis, vel quid supererit ei?* Campens. *Quid proderit animum hic variis curis afflixisse?* Chald. *Quænam accessio ei esse potest, quod laboravit, ut ventum aucuparetur?* Olympiod. *Quid laboras in ventum, cum sint divitiæ prorsus instabiles, et aquatili bullæ cum detumescit persimiles?*

Sic Zach. 6. regna splendida eorumque opes et gloria comparantur vento, quia instar ventorum fugacia sunt, contraria, et contra se mutuo conflictantia: impetuosa, abeuntque illico in fumum et ventum. Addit Titelm. Quia ventus dispergit congregata, ut nullus sit eorum usus; et Thaumat. Ventus, ait, notat impetum et ardorem quo dives congregavit opes, illico cum opibus transire, et tenuem vanescere in auras. Iam cogita quanta sit miseria, afflictio et mentis ægritudo operario, qui post asininos plurium annorum labores, sine mercede, sine veste, nudus domo exturbatur! Quanta sit agricolæ, qui post assiduos et maximos hiemis labores nudus, infirmus et famelicus agro messeque sua expellitur, ac scito similem esse divitis avari in morte.

Vers. 16. CUNCTIS DIEBUS VITÆ SUÆ COMEDIT IN TENEBRIS, ET IN CURIS MULTIS, ET IN ÆRUMNA ATQUE TRISTITIA.) Septuag. *Et quidem omnes dies eius in tenebris, et in luctu, et iracundia multa, et languore, et insania*; Syriac. *Et etiam omnes dies suos in tenebris comedit, et in furore multo, et in ira, et tristitia atque infirmitate*; Arabicus: *Et propterea omnes dies eius in tenebras et lamentationem, et in iram multam, et infirmitatem, et amaritudinem.*

Lyranus hanc gnomen refert ad divitem qui perdidit divitias, v. 12. et 13. Inde enim oratio continuo filo deducitur huc usque, q. d. Dives avarus, qui perdidit opes suas, versatur in tenebris et luctu, id est iugi dolore et squalore contabescit.

Alii tamen passim generatim accipiunt de avaro qui collectis opibus avare inhiat, q. d. Avarus non tantum cum moritur, aut cum perdit opes, sed et cum vivit opibusque abundat, misere et sordide vivit. At cur *comedit in tenebris?*

Respondet primo Chald. *In tenebris habitat, ut panem suum solus comedat.* Addit Gloss. Interl. *Absconditè et in mœrore*, q. d. Solus secreto in tenebris comedit, ne in publico cogatur splendidius cum aliis vivere. Avarus degit in tenebris I.

Secundo, quia odes per diem distinetur negotiis, mercimoniis et lucris, ut non prandeat nisi obiter, sed tantum cœnet noctu, uti in Belgio plures mercatores facere scio. Ita Caietanus. II.

Tertio. Hugo tres affert causas: primam, quia differt comedere in cœnam propter hospites: secundam, ex pudore, quia tam viliter comedit, ut pudeat eum in die et luce comedere; tertiam, ex avaritia, ne bis comedat per diem; sic veteres, ex temperantia semel tantum, teste Platone, comedebant in die, idque vespere, ut diem totam darent actioni vel studio et contemplationi, uti fecere Esseni, sive primi Christiani Alexandriæ sub S. Marco, teste Iosepho, Euseb. S. Hieron. et aliis. Idem fecit S. Anton. S. Hilarion, et plures Anachoretæ, quos pudebat per diem comedere instar animalium, quia mentem pascebant deliciis Angelorum: vespere ergo cibum sumebant. Idem etiamnum faciunt nonnulli viri valde studiosi et religiosi. III.

Quarto, notat avaritiem luminis. Avari enim ut oleo parcant noctu exiguum habent lumen, ad quod operantur et comedunt. Unde Lucianus in Timone graphice depingit eos, *qui parcerent asservarentque ad fuliginosam et uris angusti lucernulam ac sitienlarum scirpulum usuris invigilantes.* Novimus mercatores ditissimos qui famulos, magnis clamoribus obiurgabant, quod ellychnium densius facerent ad maius lumen, querentes illud plus olei augere et consumere. Ac rogati causam, responderunt se minima ista curando et cavendo ad tantas opes evasisse. IV.

Quinto et genuine, tenebræ notant avari sordes et squalorem vitamque obscuram, atram, tristem et mœstam. Unde eas explicans subdit: *Et in curis multis, et in ærumnis atque tristitia*; harum enim symbolum et causa sunt tenebræ, sicut ex adverso lux symbolum et causa est liberalitatis, alacritatis et lætitiæ. Unde Septuag. habent: *Omnes dies eius in tenebris et luctu*; Arabicus: *In tenebris et lamentatione*; Thaumatur. *Huiusmodi homini dies tenebræ sunt, ac vita luctus*; Campens. *Sordide vixit.* V.

Mystice, avarus vivit in tenebris, id est in ignorantia, ait Olympiod. in malis culpæ et pœnæ, ait Dion. S. Ambros. lib. de Nabuth. c. 8. notat a S. Luca avaro recte dici: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te. Nocte enim anima avari reposcitur, quæ a tenebris incipit, et in tenebris perseverat. Avaro semper nox est, qui sicut luna mutatur; dies iusto, cui dicitur: hodie mecum eris in paradiso*; et: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris.*

ET IN CURIS MULTIS.) Hebr. *In ira multa*; Septuag. *In indignatione multa:* hanc enim pariunt curæ multæ. Unde dicta est *cura, quod cor edat*, vel cor urat, ait Festus; hinc cura vocatur *edax* et *mordax*: *Cura*, ait Donatus, *est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum.* Vere S. Bern. *Humana vita*, ait, *plena est dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum.*

ET IN ÆRUMNA.) Hebr. *Et in infirmitate*, vel *languore*, vel *dolore suo*; Chald. *In ægrotationibus*; Septuag. *In iracundia*; Olympiod. *In tristi iracundia:* ægritudines animæ enim præcipuæ sunt in tristitia et ira; Vatablus: *Quia præ indignatione et ira frequenter incidit in morbum*; Campens. *Seipsum crucians.*

A Ærumna est molestia, miseria, afflictio perseverans. *Ærumnosus a rumine dictus, quod per inopiam miser factus esuriat et sitiat*, ait Isidor. l. 10. Orig. q. d. Ærumnosus est, qui nihil habet quod comedat et ruminet; Festus vero: *Ærumnulas*, inquit. *Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum quia C. Marius retulit usum, Muli Mariani postea appellabuntur. Itaque ærumnæ labores onerosos significant, sive a græco sermone deducuntur; nam* αἴρειν *græce, latine tollere dicitur.* Hæc Festus. Cic. 4. Tuscul. 29 *Ærumna*, ait, *ægritudo laboriosa.* Idem l. 2. de Finibus 187. *Vel Herculis perpeti ærumnas (sic enim maiores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas etiam in Deo nominaverunt) exigerem ex te.* Plaut. Amphitr. *Uno ut labore exsolveret ærumnas duas.* Sic Poetæ *ærumnas* vocant labores. Plaut. in Persa: *Superavit ærumnis ærumnas Herculis.*

Plurimæ sunt ærumnæ avari: una non minima est, quam refert R. Haccados, scilicet quod in paupertate et B omnium rerum indigentia velit vivere, ut possit mori in opulentia, ac rerum, quas relinquere cogitur, abundantia et copia: quare *avaritia neque copia, neque inopia minuitur*, ait S. Hieron.

Atque tristitia.) Sic et Syrus; Arabicus: *In amaritudine*: Hebr. *In indignatione*, vel *furore*, quæ est ira bulliens, fervens et spumans instar maris æstuantis. Unde Septuag. vertunt: *In insania*; Campens. *Simultates exercent.*

Cognatæ sunt et sociæ passiones, ira et tristitia; ira enim parit tristitiam, dum iratus nequit malum, ob quod irascitur, depellere. Vicissim tristitia gignit iram; tristis enim irascitur malo quod illi tristitiam affert. Unde Olympiod. *Tristis*, ait, *iracundia stimulatur, et levi occasione in contentionem surgit, et excandescit animi gravi ægritudine occupatus.* Adde atram bilem naturaliter mixtam esse cum flava; quare ubi abundat una, abundat et altera: atra autem bilis in corpore causat melancholiam et tristitiam in animo; flava vero iram et indignationem. Curis avarus C angitur, ait Hugo Cardinalis, ut acquirat: ærumna, ut conservet; tristitia, si amittat; sæpeque præ indignatione incidit in morbum. Vel in curis multis, inquit Bonaventura, propter sollicitudinem, sicut et solitudinem in tenebris; in ærumna, propter expensarum tenuitatem; in tristitia, propter expendendi necessitatem. Eleganter Vivianus vertit:

Vita tenebris obsita,
Vix dulcia quidquam pertulit,
Omnia querelis, omnia
Angore plena, atque miseris
Contentionum fluctibus.

Et S. Hieron. *Languor est pessimus pro perituris opibus cogitatione torqueri, et in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus, casso illas labore conquirere.* Unde Lucian. in Somnio sive Gallo exclamat: *O miser cuiusmodi vivit vita! pallet totusque exaruit, atque extenuatus est curis: neque enim auditum est illum alioqui male habere. Hostibus eveniat ad hunc modum divites esse.*

Hinc divitiæ a Christo vocantur *spinæ*, Matth. 13. 22. quia ut spinæ acutissimæ, acres dolorum aculeos animo æque ac corpori infligunt et infigunt, quibus hominem assidue stimulant et pungunt, uti pulchre docet S. Gregor. hom. 15 in Evang. Audi et S. Chrys. hom. 3. in epist. 2. ad Thes. « Irrationalium camelorum cibus sunt spinæ, alimonia sunt ac sumptus ignis ad nihil utiles: tales sunt divitiæ, nulli sunt usui nisi ad incendium camini; ad incendium eius diei, qui ardebit velut clibanus, ad alimoniam affectionum irrationalium, utpote iniuriarum memoriam et iram. Talis est etiam camelus spinis vescens; fertur etiam ab his qui talia viderunt, nullum esse ex omnibus iumentis, quod ita iniuriam acceptam tenaciter contineat, ita difficilis iræ sit, ita malum illatum recordetur, ut camelus. Tales sunt divitiæ, irrationales animi affectiones pascunt: rationales vero pungunt ac vulnerant, quemadmodum spinæ faciunt. »

A Idem hom. de Avaritia. t. 5. « Divitiæ, ait, dum includuntur et defodiuntur, acrius rugiunt quam leones, perturbantque omnia. Quod si eas e tenebris eduxeris, et in egenorum ventres disseminés, ex feris bestiis fiunt oves, quæ fuerant insidiosæ duces: pro scopulis, fiunt portus; pro naufragio, tranquillitas. »

Hanc gnomen, quæ ad litteram dicitur de avaris, a pari adaptes superbis, gulosis, acedis, invidis, iracundis, quin et vanis scientiarum studiosis. Hi enim noctes diesque pervigilant, ut honores, delicias, otium, eminentiam, vindictam et vanam scientiam assequantur, atque ita omnem ætatem frustra consumunt, misereque eam traducunt *in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.*

Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat Vers 17.
quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus; et hæc est pars illius.) Hæc gnome et sequens explicatæ sunt cap. 2. et 3. quare paucis eas expediam. Est enim conclusio subinde B repetita, qua ex vanitate opulentiæ et avaritiæ concludit se experientia didicisse satius esse moderate et honeste opibus, labore suo partis uti, quam eas avare recondere in nullum vel incertum incerti hæredis usum. Hebr. *Ecce quod vidi ego bonum quod est pulchrum comedere et bibere et cernere bonum.* S. Hier. *Cernere iucunditatem*, id est frui iucunde et læte rebus labore suo partis. Arabic. *Hoc est bonum; quod est optimum, comedere*, etc. Syrus: *Bonum erit quod et decorum est*; Vatabl. *Bonum est et honestum.* Camp. *Meo ergo iudicio suavius est comedere, bibere et frui bonis inter has miserias, quibus affligimur sub sole paucis diebus illis vitæ nostræ, quos nobis Deus concessit; quia nihil amplius ex omnibus accepturus est homo.* Chald. vero per cernere bonum vel bonitatem accipit, tam benefacere, quam frui bonis; unde vertit: *Ecce quod mihi visum est bonum, filii hominum, et quod pulchrum est eis, ut faciant in hoc sæculo, ut comedant et bibant ex laboribus suis, et non extendant ma-* C *num suam ad violentiam et rapinam; et custodiant verba legis, et ut misereantur pauperum et peregrinorum, ut videant bona in omnibus laboribus suis: quibus laboraverunt in hoc sæculo sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit eis Deus sidere bono, quoniam hoc est pars illius, et non est alius præter eum.* Et Thaumat. *Non negaverim etiam opes bonas esse: Dei enim donum est, si homo læte perfruatur laboribus suis, modo opes illæ a Deo sint concessæ. Talis enim benefico in omnes est animo, et in munere divino exsultat, et omnem vitam suam bonis operibus ac largitionibus adornat.*

Vivianus stricte, sed acute:

Dixi hunc beatum, qui lare
Nitente vitam temperet
Modico labore et gaudio.

Nam, ut ait S. Hier. et ex eo Alcuinus: *Licet parva voluptas sit in fruendo, tamen in eo qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi desiderio peritura comparat, tantummodo est sollicitudinum magnitudo.* D Et Olymp. *Decet*, ait, te, o *avare, etiam id cogitare, quod paucos et numerabiles tibi dies ad vivendum dederit Deus.*

Numero dierum.) Symmach. [illegible], id est calculo, quasi calculo et suffragio Dei, diu stet sua cuique dies. Rursum quod calculo decreti divini numerati et definiti sint cuique dies vitæ, iuxta illud: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt*, Iob 14. 5.

Et hæc est pars illius) *Pars*, id est sors, uti dixi superius. Alleg. et Anagog. Olymp. Pars liberalis est hæreditas gloriæ in cælis illi decreta, et stabilis perpetuo duratura: *Ea vero est*, ait, *dispergere pauperibus opes suas, et de huiusmodi dispensatione solidam lætitiam sapere.*

Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque Vers 19.
substantiam, potestatemque ei tribuit (eximendo ei avaritiam, et dando ei cor lætum et liberale, ut audeat suis frugaliter et liberaliter uti et frui) ut comedat ex

RIS, ET FRUATUR PARTE SUA, ET LÆTETUR DE LABORE suo, HOC EST DONUM DEI) Pro *potestatem ei tribuit*, Hebr. est הִשְׁלִיטוֹ *hielito*, id est, *dominari eum fecit suis divitiis*; Tigur. *Eumque dominum præfecit, ut comedat ex eo*; Campen. *Dederit ei animum*. Debet enim homo prius dominari animo suo, id est cupiditati suæ ut dominetur suis opibus. Significat avaros opum non esse dominos, sed servos; liberales vero esse dominos.

Nam ut ait Seneca: « Avari non tam dicendi sunt habere divitias, quam haberi ab illis. Divitiæ apud sapientem in servitute sunt, apud stultum in imperio. Chald. Omnis quoque homo, cui dedit Deus divitias et substantiam, et potestatem dedit ei Deus, ut comedat ex eo in hoc sæculo, et ut faciat ex eo eleemosynam, et ut recipiat mercedem perfectam patris sui in sæculo venturo, et gaudeat in labore suo cum iustis; ecce hoc donum est, quod datum est ei sidere bono suo a facie Domini. »

Et Thom. « Dei beneficio homini contingit ut laboribus suis cum animi oblectatione perfruatur, divinitus acceptas, ac non vi extortas opes possidens. Neque enim ille mœroribus afficitur, nec ut plurimum malis et perditis cogitationibus vitam suam metitur, in omnibus rebus animi tranquillitate fruens, atque ob Dei donum lætitia gestiens. »

HOC DONUM EST DEI) Campens. *Hoc ingens donum Dei est*, longe maius quam sint ipsæ opes.

Bonus usus opum est donum gratiæ Dei. Hinc S. Prosper probat bonum usum opum esse donum Dei; sic enim ait l. 1. de Vocat. gent. c. 29. « In libro vero Ecclesiastæ dicitur, quod et habere necessaria, et eis bene uti, donum sit Dei. Non est, inquit, bonum homini, nisi quod manducet et bibat, et ostendat animæ suæ bonum in labore suo. Et quidem hæc vidi ego, quia a manu Dei est. Quoniam quis manducabit aut parcet absque illo? Item in eodem libro legitur quod corda et opera iustorum in manu sint Dei, et tantum in studiis suis proficiant, quantum ille donaverit. Quantumcumque laboraverit homo ut quærat, non inveniet: et quodcumque dixerit sapiens ut sciat, non poterit invenire; quia universum hoc dedi in cor meum, et cor meum universum hoc vidit, quia et iusti, et sapientes, et operationes eorum in manu Dei. In libro autem sapientiæ de eodem gratiæ opere dicitur, quoniam ipse et sapientiæ dux est, et sapientum emendator. In manu eius enim et nos et sermones nostri et omnis sapientia et operum scientiæ et disciplinæ. De continentia quoque quod ex Dei habeatur munere eadem Scriptura sic loquitur: Ut scivi quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. »

Iam si bonus usus opum est donum gratiæ Dei: ergo pariter donum Dei est bonus usus scientiarum, honorum, officiorum, statuum, præfecturarum, etc. eoque maius, quo maius bonum est scientia, honor, officium, status, præfectura, etc. quam sint opes: præsertim, quia iisdem ad maius reip. bonum vel malum uti, vel abuti possumus; ad utrumlibet enim magis idoneæ sunt, quam sint opes.

Vers. 19 NON ENIM SATIS RECORDABITUR DIERUM VITÆ SUÆ, EO QUOD DEUS OCCUPET DELICIIS COR EIUS) q. d. Talis non multum recordando dierum, scilicet molestiarum huius vitæ, affliget se, quia Deus dat ei lætitiam, ut late rebus suis fruatur. Syrus: *Quia Deus sollicitat illum in lætitia cordis sui*; Arabicus: *Quia Deus attrahit illum lætitiis cordis sui*; Chald. *Neque vero tantum ætate provehitur quisquam, ut dierum suorum reputationem facere possit, quot ex illis felices et quot calamitosi illucebunt; non enim ex voto et arbitratu hominibus dati sunt, sed a Domino decretum præscriptum est, quot ille dies in luctu, quotque in animi tranquillitate sit transacturus*: Campens. *Parum qui talis est recordabitur incommodorum vitæ suæ, Deus enim exercet cor eius hilaritate*; Vatabl. *Quia Deus exaudit eum in lætitia cordis sui*; alii: *Quia Deus rependit in lætitiam cordis sui*; vel *respondet in lætitia cordis eius*. Hebr. enim עָנָה *ona* (unde מַעֲנֶה *maane*) proprie significat respondere, rependere, q. d. Dives, qui liberaliter suis ad suum et aliorum commodum utitur, laborat quidem in opibus colligendis et honeste ex-

A pendendis; sed Deus ex æquo respondet labori ipsius, eique rependit lætitiam æqualem, imo maiorem, quam sit labor. Sicut enim in concentu musico basso respondet altus, et quantum ille deprimit et aggravat vocem, tantum hic erigit, exaltat et exsultat; sic pariter Deus liberali temperat dolores et gaudia, tristitiam et lætitiam huius vitæ, ut hæc illi ex æquo respondeat, imo præponderet; quantum ergo tristitia eum deprimit, tantum et amplius lætitia eum exaltat, ut exsultet, itaque ex utrisque concinna fit musica et harmonia, quæ tam iustum liberalem quam Deum et angelos oblectat. Iam

Primo, hanc gnomen referas ad brevitatem vitæ. Unde Vatablus vertit: *Parum sollicitus est quantum vixerit, aut victurus sit*, quia semper est lætus.

Secundo, eamdem referas genuine cum Campensi ad vitæ ærumnas, labores, dolores, quos non cogitat, non æstimat, et quasi non sentit liberalis; quia suis commode utens hilarior est, itaque gaudet, nec tristes in animo de longitudine dolorum et laborum admittit cogitationes.

B Tertio, eamdem referas partim ad præteritos, partim ad futuros vitæ dies, q. d. Avarus dolet de præteritis, sollicitus est de futuris; metuit enim ut opes deficiant: at liberalis iucunde exigit præteritos vitæ dies, et iucundos sperat futuros. Quocirca avaro et infelici vita est longa, liberali vero et felici brevis videtur.

Quarto, Chald. refert ad computum et comparationem dierum lætorum et tristium, q. d. avari computant plures dies tristes, quam lætos: at liberalis plures lætos quam tristes.

Quinto, Olympiod. bimembrem faciens sententiam censet hic duas afferri rationes, quæ avaro persuadeant bonum opum usum. Prior est, quod vita hæc sit brevis et molestiis plena. Secunda, quod bonus opum usus sit Deo gratissimus, ac mentem utentis et benefacientis mire lætificet, iuxta illud: *Iucundus homo qui miseretur et commodat*, Psal. 111. 5.

Denique R. Salomon et ex eo Caiet. vertunt: *Non recordatur dierum vitæ suæ, quia Deus præbuit testimonium* C *felicitatis ipsius divitis iugiter illius mentem exhilarando*. Verum hebr. *maane* proprie significat *respondet*, non *præbet testimonium*.

Tropolog. Olymp. accipit hanc gnomen de divitiis spiritualibus, quales sunt opera virtutum, præsertim orationis et contemplationis, et crebra dignaque perceptio Eucharistiæ. Hæc enim Angelicis deliciis animam oblectat, sopitque omnes dolores et mœrores. Ita enim teste sancto Hieronymo, spiritualis vir deliciis purissimæ contemplationis perfusus obliviscitur dierum vitæ suæ, quos quia cœlestes consolationes angustant, non tam transire quam volare conqueritur. Hinc magn. Anton. orans, et has divinas voluptates experiens, cum solis ortus cœpisset infundi, solebat proclamare: *Quid me impedis, sol, qui ad hoc iam oriris, ut me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* His videlicet querimoniis noctem, quam contemplando transegerat, brevitatis accusans, et solem ab oratione abstrahentem, et ad aliquam necessariam oc-D cupationem vocantem compellans. Vere iucunda vita, quæ vitam mortalem abbreviat, non aliquid ex eius spatiis demendo, sed mentem nostram summis voluptatibus inescando; iucunda vita, qua Deo inhæremus, et fonti immensæ suavitatis immergimur. Quid enim prohibet, o homo, licet inter mundi huius miserias commoreris, illud Ambrosii dicere: *Potes et hic esse et adesse ad Dominum, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide non specie vias eius sequaris, si ad ipsum confugias. Est enim refugium et virtus, cui David: Ad te confugi, et non sum deceptus*. Ita S. Ambr. de Fuga sæculi c. 8.

Anagog. Beati in cœlo non recordantur dolorum et laborum præsentis vitæ, ita ut eos sentiant et doleant; quia Deus immensa lætitia implet cumulatque corda eorum, quæ omnem excindit dolorem, metum, tristitiam, curam, etc. Iuxta illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit ostendere vanitatem et ærumnas avari, qui cum bonis abundet, iis tamen avare genium suum defraudat, et sæpe bona tanto sudore collecta extraneo relinquit: unde eo meliorem pronuntiat abortivum, aliaque addit vanitatis eius et infelicitatis argumenta. Eamdem materiam tractavit præced. capitibus; quare hic brevis ero.

1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: 2. Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus. 4. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen eius. 5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali: 6. Etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis; nonne ad unum locum properant omnia? 7. Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur. 8. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? 9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias; sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus. 10. Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius: et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. 11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

Vers 1. Est et aliud malum (Septuag. πονηρία, id est malitia, id est miseria, afflictio) quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines.) Hebr. *multum super homines*; Chald. *super filios hominum*; Symmach. *apud homines*; Arabicus, *sub cælo*; Septuag. *sub homine*: quia scilicet homines sponte illi incubant, et in eo iacent, ut videantur velle esse mali, id est vani et miseri, sicut scabiosus gaudet fricando suam scabiem et pruritum, esto per hoc scabiem suam foveat et augeat. Idem malum est *super hominem*, quia illi dominatur illumque cruciat et vexat. Unde Tigur. vertit: *Est malum principatum obtinens inter homines*; alius: *Est malum multum magnum apud homines.*

Vox *aliud* non est in Hebr. Græco, Syro, Arab. sed explicationis gratia ab Interprete additum. Significat enim aliam avaritiæ ærumnam, et vanitatem distinctam ab ea quam recensuit capite præced. vers. 12. scilicet, quod opes sæpe congregentur in malum divitis, et avaritia perdat avarum herum suum. Hic ergo aliam eius vanitatem, sive vanitatis speciem attexit, scilicet quod avarus inter opes suas egeat, easque alieno, qui eas prodiget, relinquat. Licet enim in fine cap. præced. dixerit ingens bonum ut Dei donum esse suis uti et frui, tamen contrariam avari vanitatem, qui suis non audet uti, non recensuit, quod proinde hic facit.

Porro avaritia hæc frequens est apud homines, præsertim Iudæos, quibus hæc scribit Salomon. Unde etiamnum videmus Iudæos nil nisi lucre et opes cogitare, easque per usuras, per fas et nefas prosequi. Audi S. Hieronymum in illud Isaiæ 2. 7. *Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum eius: utraque*, inquit, *gens et Iudæorum et Romanorum per hæc verba avaritiæ suggillatur. Quod historiæ quoque tam Græcæ narrant, quam Latinæ, nihil Iudæorum et Romanorum gente esse avarius*, illo scilicet ævo.

Vers 2. Vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed extraneus vorabit illud, hoc vanitas et miseria magna est.) Septuaginta; *Hoc vanitas est et languor pessimus*; Arabicus: *Hoc vanum est et infirmitas immunda*; Vatablus: *gravis dolor.*

Et honorem.) Honorem iungit divitiis tamquam filiam matri, et effectum causæ. Opes enim dant honores, hinc opulentos videmus ab omnibus honorari et coli. Unde Chald. vertit, *gloriam facultatum*; Arab. *nobilitatem*: alii, *splendorem dignitatis*, quem conciliant diviti opes.

Substantiam.) Nove Caiet. ceu Iudæo credulus vertit, *gemmas. Et nihil deest animæ suæ*, id est desiderio et voto suo, q. d. habet opes et rerum copiam, quantum quis iuste et honeste optare potest.

Dices: Quomodo ergo dicitur vers. 7. *Anima eius non implebitur*? Resp. primo, quia avarus suis non audet uti. Itaque habet opes quoad dominium, sed non quoad usum et fructum. Unde S. Hieron. epist. 103. ad Paulin. *Avaro*, ait, *tam deest quod habet, quam quod non habet.* Secundo, quia insatiabilis est, et quo plura habet, eo plura desiderat instar canis semper hiantis. Audi Senecam epist. 72. *Vidisti canem missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem: quidquid excepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis: quidquid exspectantibus natura proiecit, id sine voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti et attenti. Hoc sapienti non evenit, plenus est, etiamsi quid obvenit, secure excipit ac reponit; lætitia fruitur maxima, continua, sua.*

Nec tribuit ei potestatem Deus.) Hebr. *Nec dominari fecit eum Deus*; hinc fit ut opum suarum sit servus, non dominus. Unde Tigurina: *Deus non instituit illum dominum*; Campens. *Sed animum eis utendi illi non tribuit.*

Nota τὸ *nec tribuit*, vel potest accipi permissive, ut sermo sit de culpa avaritiæ. Ad hanc enim Deus avarum non cogit, sed permittit ei pravum usum liberi arbitrii ut se dedat avaritiæ, ait Olympiod. quomodo Deus dicitur tradidisse Philosophos, ob superbiam, in passiones ignominiæ. Rom. 1. 26. vel positive, ut sermo sit de pœna avaritiæ: hanc enim Deus avaro infligit, dum eum bonis suis spoliat, vel uti prohibet, sive per morbum immissum, ut vult Lyran. sive quo alio modo, ut vult Thaumat. et Caiet.

Sed homo extraneus (S. Hieron. *alienus*; Tigurina, *externus*; Campensis, *ignotus*) vorabit illud.) Id est, ut explicat Eccles. cap. 14. *Congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur*, idque variis fit modis; unum assignat hic Chald. dum periphrastice ita vertit: *Non dedit ei potestatem dominus ob peccatum suum, ut gustaret ex eis; sed morietur absque liberis, et non misertus est proximi sui, ut heredem eum sibi constitueret; etenim uxor eius tradetur viro alieno, qui hereditabit eas et comedet eas. Omnis huius rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fece-*

rit ex illis quidquam boni, et conversæ sunt ei divitiæ eius, ut essent in vanitatem et in ægritudinem malam.

Alii modi sunt cum fures et prædones avaro opes abripiunt, aut litigatores per lites illi auferunt, aut potius cum deficientibus vel exclusis filiis externus in hæreditatem eius, per vafritiem se insinuat et subintrat. Vox *vorabit*, notat prodige ab extraneo consumi, quæ avare ab hero collecta sunt, ut sæpe fieri videmus. Sic enim congrua talionis pœna Deus avaritiam et avaros castigat. Avarus ergo ditat alium, non se; externum sæpe, non filium, iuxta Italorum proverbium quod citat Tiraquellus: *Ditant hominem hæc quatuor*, scilicet, ut inquiunt Itali: *Il morto, il porco, il porto e l'orto.*

Tropol. Noster Alvarez de Paz libr. 1. de Vita spirit. p. 2. c. 13. hanc gnomen adaptat religiosis tepidis qui cum omnibus bonis spiritualibus abundent, tamen per acediam iis uti fruique negligunt, quia sub sole degunt, id est affectus suos in terrena defigunt, nec eos ad cælum attollunt; quare hæc eorum bona devorat extraneus, id est diabolus, dum ea in ipsis inutilia, imo exitialia efficit, ut scilicet ipsis cedant in maiorem damnationem, Eccles. 6 2.

Apolog. divitis avari. Huius rei veritatem eleganti divitis et fortunæ Apologo, pulchris exemplis adornato, demonstrat Cyrill. lib. 3. Apol. mor. c. 4. cuius titulus: « Contra eos qui non sunt contenti, cum satis habeant: In secundis, inquit, rebus, cum homo sibi factus sufficiens et dives, minime contentus amplius sitiret, et secum tempestuosus plus quæreret, fortunam obviam habuit, quæ ei dixit: Ut quid, charissime, non quiescis, cum iam tribuerim tibi satis? At ille respondit: Sua nimirum dulcedine trahit bonum, et donec additum fuerit, est molestum. Cui illa: Recte, inquit, video quod pauper effectus es, postquam cupiditate plus sitis. Nam si satis haberes, amplius nullatenus quæreres. Plus enim cupit ille cui quidem satis non est. Ecce te depauperavit avara voluntas, exinanivit cupiditas, exspoliavit sitibunda tempestas. Attamen si totum invenires aurum male conditum Salomonis, amplius non habebis. Sed illud, quo bene utimur, hoc demum habemus. Nam fossus humi census non est hominis, sed telluris. Igitur cum ad usum opes proficiunt, tunc habentur. Usus autem usque ad finem sufficientiæ extendendus est. Quoniam si ultra quod satis est comedas, natura mox evomet, et si plus quam requirit necessitas indueris, gravatus sustinere non potes ». Probat idipsum exemplo Hebræorum, eamdem

Exemplum. mannæ mensuram colligentium et comedentium: « Nescis quod (Exod. 16.) filiis Israel in deserto ex manna viventibus, magnis et parvis, divitibus et pauperibus, eademque cunctis cælestis edulii mensura dabatur, nec collectum plus inveniebat avarus, nec minus, qui fuerat pigritatus? nimirum quoniam una est sufficientia omnibus, et universalis provisor eamdem hominibus opulentiam necessitatis largitus est. Non enim plus habet dives quam pauper, sed tantum in qualitate titulorum utriusque est differentia. » A-

Oraculum. struit idipsum oraculo Apollinis: « Nam audisti olim Apollinis idolum pastori Lydiæ regi factum, per Achatem sciscitanti, si quis eo in mundo felicior existeret, deliciosas eius divitias confutans respondere: ipsi nimirum superbienti Arcadium senem pauperem prætulit, qui numquam agri sui terminos exiverat, dixitque plus laudari et probari securitate ridens tugurium, quam curis et sollicitudinibus tristem aulam, paucasque glebas pavoris expertes, quam arva latissima metu referta, unumque tutela facile iugum boum, quam equitatum impensis voracibus o-

Axioma nerosum. » Denique Epicuri sententia Apologum concludit: « In veris divitiis multiplicandis nihil esse adiiciendum pecuniæ, sed avaritiæ subtrahendum. Tanto namque dignoscitur quis esse ditior, quanto in eo cupiditas est minor; quibus dictis, ab eruditore docto disparuit. »

Vers. 3 SI GENUERIT QUISPIAM CENTUM LIBEROS, ET VIXERIT MULTOS ANNOS ET PLURES DIES ÆTATIS HABUERIT, ET ANIMA ILLIUS NON UTATUR BONIS SUBSTANTIÆ SUÆ, SEPULTURAQUE CAREAT, DE HOC EGO PRONUNTIO QUOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVUS.) *Centum*, id est, *plurimos*; ponitur numerus definitus pro indefinito. Olim licita erat et usitata polygamia; unde ex multis uxoribus centum et plures poterat filios generare. Sic Achab genuit 70. filios, 4. Reg. 10. 1. Roboam vero 88. 2. Paral. cap. 11. 21. Porro filii, quos natura dedit in gaudium parentibus, avaro augent molestiam; cruciatur enim in expensis quas facit, ut illos alat; item curis, ut illis de hæreditate provideat.

NON UTATUR BONIS.) Hebr. Chald. et Theod. *Non satietur bonis*. Vetus translatio ex Septuag. Non *impleatur ex bonitate*. Græce est, ἀγαθωσύνης, quod bonitatem, id est iucunditatem æque ac beneficentiam, significat. Thaumat. *Animum suum impinguare negligit.* Addit Chald. *Eo quod pepercit divitiis suis; et non emit ex eis nomen bonum*, per eleemosynas aliaque beneficentiæ opera et monimenta.

SEPULTURAQUE CAREAT.) Magnus est honos, ideoque magna cura sepulturæ apud omnes gentes. Avarus autem caret sepultura decenti et digna; quia ex avaritia illam sibi nec in vita, nec in morte per testamentum curavit: unde hæredes, qui eius opibus inhiant, illam negligunt. Est hæc iusta Dei pœna, qua avarum punit, ut qui pecunias sepelivit, careat ipse sepultura. Ad hæc avari, præsertim mercatores, sæpe apud exteros moriuntur ignoti, miseri, insepulti.

Adde: avarus, quia nulli fuit beneficus, omnibus invisus est, ideoque decus sepulcri ei negant. Denique avari ob opes non raro a prædonibus occiduntur, itaque vel in cloacas, vel in aquas, vel in fossas insepulti abiiciuntur. Exemplum est in avaro rege Ioakim, de quo ait Ier. c. 22. 17. *Tui vero oculi ad cor et avaritiam, etc. propterea hæc dicit Dominus, etc. Non plangent eum; væ frater, et væ soror! non concrepabunt ei: væ domine et væ inclyte! Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem.* Avarus ergo caret sepultura, hoc est honore et pompa funeris, ad quam pertinent parentum et amicorum luctus, præfici et præficæ, qui eum plangant, exsequiæ, monumentum, epitaphium, etc. hæc enim negant avaro, quia avarus est, ideoque omnibus vilis et exosus. Audi S. Hieron. *Significat quod dives de sua morte non cogitet, et cum omnia possideat, etiam in extructione sepulcri avarus sit, sive quod sæpe propter istas divitias occisus insidiis, insepultus abiiciatur; sive quod melius puto, quod nihil boni facti et honoris egerit, ex quo sibi queat apud posteros memoriam comparare, et non vitam silentio transire, velut pecudes, cum habuerit materiam, per quam potuerit apparere quod vixerit.*

Ex adverso, de Christo liberali et vitæ suæ pro nobis prodigo ait Isaias cap. 11 *Erit sepulcrum eius gloriosum.* Denique olim sepulturæ privatione damnabantur reipublicæ patriæque hostes, item sui suorumque parricidæ. Tales sunt avari, qui sua avaritia se, suos patriamque conficiunt et quasi interficiunt. Vide Durantum Casellium lib. 2. Variar. cap. 3.

QUOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVUS.) *Melior*, id est melioris conditionis, potior, felicior. Unde Thaumat. *Melior est ista conditio intempestivi fœtus.* S. Hieronymus; *Deterioris conditionis est abortivo.*

Mystice S. Ambros. hæc adaptat Christo, qui non in suo, sed in alieno, puta Iosephi ab Arimathæa sepulcro sepultus est. Sic enim ait in c. ultimum Lucæ: « Non habebat Christus tumulum suum. Etenim tumulus his paratur, qui sub lege sunt mortis; victor mortis tumulum suum non habet. Quæ enim communio tumulo et Deo. Denique Eccles. cap. 6. de eo qui meditatur in bonis: Et sepultura non est illi. Specialis igitur præter communem omnium mortem mors Christi est, et ideo non cum aliis sepelitur, sed tumulo solus includitur. » Verum hæc allegoria parum litteræ respondet. Quæ enim comparatio avari et abortivi cum Christo?

Abortivus est, qui ex utero prodit mortuus, aut agens animam. Hebr. vocatur נפל *nephel*, id est deciduus, caducus, marcidus, minime vitalis, instar immaturi fructus, qui ex arbore decidit inutilis; radix enim נפל *naphal* significat labi et cadere. Syrus pro *abortivo* vertit: *peccatorem*, quo modo S. Paulus se persecutorem olim fidelium

vocat abortivum, 1. Corinth. 15. 8. sed hoc mysticum est: abortivus enim proprie est fœtus imperfectus, informis, infirmus, languidus, abortu natus, et ante maturum partum eiectus, qualis vel mortui sunt, vel parum vitales; quo respiciens S. Iob 10. 19. ait: *Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret: fuissem, quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.* Huc facit illud Hippocratis apud Gellium lib. 3. c. 16. *Est et non est octimestris partus; quia illico moritur et esse desinit; aut certe misere vivit trahitque animam.* Unde Campens. vertit: *Iudicavi illo fortunatiorem, qui matre abortiente eiectus est.* Hinc in iure abortivus habetur pro non nato.

Avarus similis abortivo. Comparat avarum abortivo, quia sicut hic vivens non vivit, imo non vivit ad vitam, sed ad mortem; nam conceptus in utero illico moritur, nec nascitur, ut videat lucem, eaque fruatur, sed ut ex ea abeat et excedat; sic et avarus vivens non vivit, quia opibus bonisque vitæ frui non audet, imo nec gaudet, sed iis quasi mortuus, vitæque gaudiis defunctus, funestam instar abortivi et moribundi vitam agit in sordibus, squallore et mœrore.

Præfert autem abortivum avaro, eo quod abortivus, sicut caret bonis et gaudiis huius vitæ, sic pariter caret malis et doloribus eiusdem: at avarus carens bonis et gaudiis abundat malis: puta laboribus, timoribus, mœroribus, curis et angoribus, quos et pariunt opes et avaritia. Hoc est quod dixit cap. 4. 2. *Et laudavi magis mortuos quam viventes; et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.*

Vers. 4. Frustra enim venit et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen eius.) Pro frustra Hebr. est הבל *hebel*, id est, vanitas, de quo c. 1. 2. Unde Sept. et Syrus vertunt: *In vanitate quippe venit et in tenebris vadit, et in tenebris nomen eius abscondetur*; Olymp. *occultabitur*; alii: *In tenebrositate nomen eius operietur*; Arab. *Veniet enim cum vanitate et in tenebras discedet, et abscondetur nomen eius in tenebris*; Thaumat. *Ut enim abortivum vane advenit, ita et absque omni satietate et fructu clanculum abit*; Tigur. *Is enim ut res inanis prodit, ac in tenebras abit, tenebræque nomen eius occultant*; Vatabl. *Hic enim in vanitatem, id est in mundum, qui mera est vanitas*, prodit et vadit ad mortem; Campensis: *Hic enim ut nugamentum aliquod, a conceptu in utero aliquousque obscure progressus est, sic tamen ut ne nomen quidem eius ulli cognitum fuerit.*

Denique Chald. sic vertit: « Quoniam in vanitate venit ad hoc sæculum, et in vanitate ibit ad sæculum venturum, et in tenebris nomen eius operietur, eo quod non habet meritum, et nomen bonum non acquisivit, ut memoriam sui ab iniuria mortalitatis assereret.

Ad litteram loquitur de abortivo, uti censent Thaumat. Lyran. Clarius, Campensis et alii; consequenter tamen loquitur de avaro; hunc enim comparat abortivo, uti censent Olympiod. Bonav. Hugo uterque, Caiet. Titelm. et alii. Sensus ergo est, q. d. Sicut abortivus frustra venit in mundum, quia natus, vel iam mortuus est, vel post unum alterumve diem moritur, itaque a luce vitæ pergit ad tenebras mortis, ibique oblivione perpetua sepultus delitescit, adeo ut ne nomen eius quidem sciatur; sic pariter avarus frustra venit in mundum, quia luce vitali gaudiisque vitæ non fruitur, sed quasi ea non vidisset, sordidus miser et famelicus pergit ad tenebras mortis, ibique perpetua oblivione sepelietur. Uterque ergo frustra venit in mundum et vitam, quia fine et fructibus vitæ, puta iucunditate et gaudiis huius lucis et vitæ frustratur et destituitur; abortivus quidem per naturam, avarus vero per voluntatem et avaritiam; sed abortivus natus est duntaxat frustra et in vanum; et avarus, non tantum frustra, sed ad miserias ærumnasque maximas.

Pergit ad tenebras.) Id est, ad sepulcrum, ait Lyran. ad mortem, ait Bonav. et Titelmannus, ad nominis obscuritatem et oblivionem, ait Chald. ad ærumnas et mœrores, in quibus vivit avarus, ait Hugo Victor. ad sordes et squallorem, ait Pineda, quod nullis huius vitæ commodis perceptis, in angulo et in abscondito sordidus et squallidus contabescat, nec magis notus, quam si nunquam in apertum emersisset ex tenebris, ut etiam vivens adhuc mortuus censeatur. Nulla illius in humanæ politiæ ratio ducitur, nulli natus reipublicæ bono, non patriæ, non amicis, non sibi. Omnia hæc eodem recidunt.

Denique avarus æque ac abortivus pergit ad tenebras, id est ad limbum et infernum, orcum et tartarum, ubi sunt cimmeriæ et perpetuæ tenebræ, ob quas infernus græce vocatur ᾅδης, quasi ἀϊδής ab α particula privativa et ἰδεῖν, id est videre, quod privatus sit visu, imo omnes suos privet, lumine et visu. Audi Plutar. in illud: « Latenter vive: Qui solem Apollinem esse credunt, ex maiorum et priscorum mysteriis, Delium et Pythium eumdem cognominant. Cæterum eum, qui adversæ partis est dominus, sive Deus is est, sive dæmon, Haden, id est Orcum appellant, quod mortui in locum tenebrosum et obscurum demigremus, ad densæ noctis somnique inertis regem. »

Mystice, avarus æque ac abortivus in utero mortuus frustra venit, quia non pervenit ad finem suum ad quem a Deo creatus est, scilicet ad æternam felicitatem; in vanum ergo accepit animam rationalem, in vanum factus est homo. Rursus, avarus pergit ad tenebras ignorantiæ et imprudentiæ, quibus occæcatus non considerat se suamque conditionem, aut finem, ideoque pergit ad tenebras densissimas et ardentissimas gehennæ. Unde Chald. vertit: *Lumen quoque legis non vidit, neque cognovit distantiam inter bonum et malum ut discerneret inter hoc sæculum et futurum.* Hic est error communis et gravissimus hominum, quod non discernunt hanc vitam a futura, quod pluris æstimant momentum temporis, quam totam æternitatem: vivunt ergo tempori præsenti, et moriuntur æternitati, imo vivunt miserrimæ et gehennali æternitati. O error, o stupor!

Oblivione delebitur nomen eius.) Hebr. *In tenebris nomen eius operietur*, id est memoria eius cito peribit, obscurum et ignotum erit nomen eius, imo abortivo nullum nomen imponetur: quia Hebræi nomen non imponebant ante octavum diem, quo circumcidebatur infans; fiebatque Hebræus et membrum Synagogæ, sicut modo infans per baptismum fit Christianus membrumque Ecclesiæ, tumque ei inditur nomen. Sic Romani masculis octavo die nomen imponebant, fœminis nono, teste Plutarc. Probl. 102. Græci vero utrisque decimo septimo die, teste Arist. l. 7. Hist. animal. c. 12. Porro Barbari nonnulli, ut Atlantes, nulla pueris dabant nomina, ut ait Plin. l. 11. cap. 5. Sic avari nomen et memoria illico datur oblivioni, tum quia invisum et exosum est nomen eius, tum quia vadit ad gehennam, quæ est terra oblivionis. Psal. 87. 6. Ad hæc abortivis nullum erat proprium sepulcrum, nullusque titulus nominis inde; sed sine titulo, sine pompa, sine ritu in commune parentum sepulcrum, aut communem omnibus terram proiiciebantur, teste Plutarc. Consol. ad uxorem. Unde sepulcrum eorum a Fulgentio Placiade et Rutilio Gemino in Astyanacte vocatur Suggrundarium. Sic pariter avarus sæpe caret honore et pompa funeris et sepulcri, uti paulo ante dixi.

Non vidit solem.) Proprie hoc dicitur de abortivo, Vers. 5.
metaphorice de avaro; quia abortivus vel mortuus prodit ex utero, vel semimortuus, ideoque quasi cæcus non videt solem, vel certe modice et sine voluptate, imo cum dolore videt. Avarus similiter etsi videt solem, tamen eo non fruitur, quia in curis, labore et squallore tenebrosam et mœstam agit vitam. Pulcre Vivianus de Abortiva vertit:

Non astra vidit aurea,
Sensitve solem nivido
Iubare micantem.

Magnum gaudium viventi est videre solem, ac cæco magnus dolor eum non videre. Unde Tobias iam cæcus cap. 5. 12. *Quale, ait, gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* Hoc gaudio privatur abortivus et avarus.

Neque cognovit distantiam boni et mali.) Quia abortivus distantiam hanc nequidem sensu, multo minus

intellectu percipere et diiudicare potuit: avarus vero sola mala, puta labores et sollicitudines expertus est, pauca vel nulla bona; unde distantiam utrorumque non percepit.

Rursum non æstimavit veri boni, id est virtutis, præstantiam, ac veræ felicitatis magnitudinem, quantum scilicet distat bonum a malo, virtus a vitio, cælum a gehenna.

Pro *distantiam* hebr. est נחת *nachat* quod Noster videtur derivasse a radice נחה *nacha* id est deduxit, q. d. deductionem boni a malo, et distantiam. Proprie *nachat* significat quietem a rad. נוח *noach* id est, quievit. Unde Noe nomen accepit, dicente patre Lamech: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum*, Genes. cap. 5. vers. 29. Noe ergo idem est quod quies, consolatio.

Hoc etymon secuti Septuag. vertunt: *Nec cognovit requiem huic super hunc*; Syrus et Arabicus: *Requies est illi melior quam isti*; puta, melius quiescit abortivus quam avarus. S. Hieron. *Requies huic magis quam illi*; Campens. *Liber fuit ab illis quibus avarus assidue torquetur*. Sensus est manifestus.

Vers 6. Etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis: nonne ad unum locum properant omnia?) Hebr. est: *Si vixerit mille annos* פעמים *paamoim*, id est, ut Syrus: *duabus vicibus*, id est, mille annos duplicatos sive duplices, ut in Comment. vertit S. Hieron. id est, bis mille annos. Idem voluere Septuag. dum verterunt: *Et si vixit mille annorum reditus*, id est, mille annos iteratos et redeuntes, puta geminatos. Male ergo in Regiis τὸ *reditus* referitur ad sequentia hoc modo: *Reditus et bonitatem non vidit*. Arabic. pro *paamaim* in duali legit פעמים *peamim* in plurali, id est, *multis vicibus*. Unde vertit: *Et si vixerit universalitatem millium annorum*, id est, etsi multa annorum millia, imo myriades vixerit. Est hyperbole, vel potius concessio rei impossibilis. Ætas enim hominis porrigi nequit ad bis mille annos, ac nemo ex primis hominibus qui fuerunt præ omnibus polychronii attigit annum millesimum. Mathusalem, qui summe omnium fuit Macrobius, pervenit ad annum 969. dumtaxat; sed esto, inquit, avarus bis mille annis viveret, quod tamen est impossibile. Hæc sententia pendet, ac posset referri ad v. præced. q. d. Avarus non videt distantiam boni a malo, sed tantum mala continua, etiamsi bis mille annis viveret. Verum ex Hebræo liquet referendam esse ad τὸ *Nonne ad unum locum properant omnia?*

Sensus ergo est, q. d. Avarus abortivo non est felicior, sed infelicior tam in vita, quam in morte. In vita, quia etsi ille, diutius vivat, imo esto per impossibile des illi bis mille annos vitæ, totidem annos ærumnæ et quasi mortis vitalis illi dabis. Omnes enim dies exigit in curis et angoribus et mœroribus. In morte, quia in maiori angustia moritur, quam abortivus, quia cogitur deserere opes ita adamatas, et tanto labore partas; tum quia timet gehennam sibi præparatam; quia *ad unum locum properant omnia*, scilicet ad mortem; ibi enim desinunt omnes anni, omnes curæ, omnes opes avari. Esto ergo bis mille annis vivat, ita exueti quid habebit? nil nisi tormentum malus, eo quod labores et opes partæ non possint eum tutari a morte, nec comitari post mortem ad aliam vitam: quare dum eas in morte relinquere cogitur, mire cruciatur, præsertim quia, ut addit Chald. nil virtutis et meriti secum defert. Audi Chald. *Etsi duobus millibus annis vixerit vir, et in lege non laboravit, et sacramento apud Dominum obstrictus, iudicium et iustitiam non fecit, in die mortis suæ animo eius decidet in gehennam ad locum unum, quo omnes peccatores vadunt.*

Avarus ergo sua avaritia corrumpit omnia bona, quæ in vita et in morte, quæ in hoc sæculo et futuro sibi comparare posset, si bonis suis commode sanctaque uti nosset. Quare uterque, avarus scilicet et abortivus, vadunt ad eamdem mortem et ad eumdem infernum; sed abortivus ad limbum, ubi pueri in peccato originali mortui carent quidem visione Dei, sed carent et pœna sensus; avarus vero vadit ad gehennam, ubi damnati cruciantur igne per omnem æternitatem. Deterior ergo longe est sors avari, quam abortivi, qui suis curis, usuris, lucris non aliud facit quam aggerere sibi folles et fomenta, quibus magis ardeat in gehenna. Avarus ergo nec in vita hac fruitur bonis, nec in futura; sed in utraque cruciatur malis, in hac temporariis, in futura æternis. Nota τὸ *properant*; quia vita nostra non est aliud quam continuus cursus ad mortem, ac per eam ad immortalitatem vel beatissimam in cælo, vel miserrimam in inferno.

Omnis labor hominis in ore (Hebr. et Arabicus *ad os*, Complut. *in os*) eius; sed anima eius non implebitur.) Vers 7.
Chald. *Omnis labor hominis est propter escam oris sui, pro quo ipse laborat, et per verbum Domini nutritur; neque tamen anima esculentis et poculentis satiari potest*; Campens. *Nullus fructus est alius humani laboris quam cibum ori suppeditare, animi tamen cupiditati omnino satisfieri non potest*; Vatabl. *Et tamen desiderium habendi non expletur*. Arias:

Ventris causa, orisque homini labor omnis aditur,
Os tamen expletur numquam, sit quamlibet arctum:
Ventris et ingluvies et habendi plura cupido.

Alius:

Nullo auri pretio, nulla est satiabilis esca.

Gnome hæc tripliciter exponi potest: Primo, de labore; secundo, de loquela; tertio et genuine, de cibo.

Primo, ergo de labore varii varie exponunt. Primo, q. d. I.
Omnis labor hominis, omnis miseria et calamitas est in ore hominis, id est, æstimatur gravis vel levis prout ori et palato illius sapit, prout ab ore eius extollitur et exaggeratur, vel minuitur et parvipenditur; prout os et cor, id est, animus eius fuerit affectus; ac si is male sit affectus uti passim fit, non impletur, sed in deterius vertit quæ accidunt; sin is bene sit affectus, uti est in sanctis, salutarem ex omnibus colligit fructum. Ita Moriagus. Similis huic est illa gnome Psal. 147. 16. *Qui dat nivem sicut lanam*, quod nonnulli sic explicant, q. d. Deus facit nivem et frigus hibernum sentiri, prout quis magis vel minus vestitus est, ut v. g. pauperes minus vestiti minus sentiant rigorem hiemis, divites vero magis eumdem persentiscant.

Secundo, alii exponunt, q. d. Deus cuique admetitur II.
laborem non super vires, sed iuxta cuiusque os, id est, modum et conditionem, ut scilicet illi plus non imponat, quam ipse sustinere, et quasi ore suo devorare possit.

Tertio, alii, q. d. Quisque laborem suum habet in ore, III.
id est, quisque loquitur crebro de sua occupatione et labore, v. g. arator de agricolatione, faber de fabricis suis, sutor de sua calceorum sutura, medicus de suis curationibus; at numquam quis vel labore, vel arte sua, vel lucro eiusdem satiatur.

Huc pertinet sensus S. Bonavent. Os, inquit, hians significat desiderium, q. d. Omnis homo laborat, ut impleat os, id est, ut satiet suum desiderium; sed frustra, quia hoc est insatiabile et expleri nequit.

Porro de loquela et sermone varii pariter varie explicant: Primo, Olymp. *Omnis labor*, inquit, hominis scilicet animalis, et peccato infecti est in ore eius; quia os eius semper laborat, ut proferat aliquid scelerati, scilicet, contumelias, iurgia, blasphemias, fraudes. I

Secundo, Hugo Victor. q. d. Omnis homo quia homo est, præcellit cætera animalia duobus, scilicet ratione et ore, id est sermone; quare conatur os, id est, sermonem suum expolire, ut concinne, polite, ornate dicat, ut polleat eloquentia: at quanta vis illa sit, numquam cupiditatem eius explet. Sola enim Dei gratia et charitas cor hominis implet. Simili modo S. Hier. exponit de eo qui multa didicit, et tamen semper cupit discere. II.

Tertio, Cassian. collat. 14. cap. 9. asserit omnem laborem hominis esse in ore ipsius, hoc est in eo compescendo per silentium, et ut omnium seniorum instituta atque sententias intento corde, et quasi muto ore suscipiamus, ac diligenter pectore condamus, atque ad perficienda ea potius quam ad docenda festinemus; quoniam ex hoc cenodoxiæ præsumptio, ex illo fructus spiritalis scientiæ pullulabunt. III.

Quarto, Hugo Cardin. Omnis, inquit, hominis labor est in ore verificando, sanctificando, custodiendo. Verum omnes hæ expositiones ingeniosæ potius sunt verborum adaptationes, quam sinceræ et genuinæ mentis Salomonis explicationes; quare locus ingenii magis sunt quam Scripturæ sensus.

Igitur mens Salomonis est agere non de labore nec de sermone, sed de cibo, uti explicat Chald. Campens. et cæteri.

I. Sensus igitur primo esse potest de cibo et potu, ut ostendat eorum vanitatem, ideoque in eis non consistere felicitatem, uti animales, et Epicurei censent, quin et ipse Salomon c. 2. v. 9. et 25. dicens: *Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego?* quæsivit in iis felicitatem, sed non invenit. Eo ergo videtur hic respicere, æque ac ad c. 5. quod proxime præcessit, v. 17. ubi dixit: *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, etc.* Sensus ergo est, q. d. Maior hominum pars constituit felicitatem in cibo et potu, puta in delicata comestione et potatione, ideoque labor eorum omnis est in ore. Hebr. *ad os*, ut scilicet os et palatum hisce suis deliciis oblectent; at *anima eorum non implebitur*, tum quia gula insatiabilis est et impleri nequit, unde helluones quo plus bibunt, eo plus bibere cupiunt, eoque magis helluantur, ut videantur ore semper hiare ad potum; tum quia deliciæ corporales animam spiritualem et Dei capacem satiare et explere nequeunt. Ita Olympiod. Titelm. Caietan. Atque ita explicat ipse Salomon Prov. 16. 26. dicens: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum;* Hebr. *Quia incurvavit se ad ipsum os suum.*

II. Genuinus. Secundo, magis presse et genuine hæc pertinent ad avarum, de quo omnis sermo præcessit, q. d. Avarus laborat assidue, ut congreget opes, quibus os et ventrem satiet; sed frustra, quia venter et gula insatiabiles sunt. Ita S. Hieron. « Omne, ait, quod laborant homines in hoc mundo ore consumitur, et attritum dentibus, ventri traditur digerendum; cumque paululum gulam delectaverit, tamdiu videtur tribuere voluptatem quamdiu gutture continetur; cum vero in alvum transierit, desinit inter cibos esse distantia. Et post hæc omnia non impletur anima comedentis, sive quod rursum desideret quod comedat, sive quod nullam utilitatem anima ex refectione corpusculi capiat. »

Rursum, et potius est occupatio. Occurrit enim tacitæ obiectioni avari dicentis: Laboro perpetim, ut conquiram necessaria ori meo et meurum impleam, ut victum vestitumque comparem; sed confutat hoc Salomon, aitque: Ex ore tuo condemno te, o avare nequam. Nam os tuum defraudas, ut opes aggeras. Unde Syrus vertit: *Prohibuit omne, quo laborat homo in ore eius, et anima eius non est impleta.* Rursum ut os et ventrem impleas, paucis opus est, sed ut animam, id est, cupiditatem et avaritiam, tuam expleas, perpetuo labores et anxius, idque in vanum, quia avaritia tua nullis limitibus coercetur, sed in immensum se porrigit, ideoque insatiabilis est, et expleri nequit. Ita Thaumaturgus. Cupiditatem ergo tuam implere vis, at non potes; laboras igitur in vanum ac tentas rem impossibilem. Facis enim perinde, ac si quis totum alveum maris una aquæ gutta implere conaretur. Ut quid ergo tot labores miser exantlas? ut quid in vanum te tot curis fatigas et crucias? ut quid frustra teipsum tot ærumnis atteris et consumis? ut quid tui ipsius es tortor et carnifex?

Denique ut summatim sensum complectar, hæc est vanitas et stultitia avari, ut cum propter os suum laboret, illud tamen rebus etiam necessariis defraudet, utque cupiditatem habendi implere velit, nec possit.

Mystice, per os accipe ingenium et desiderium hians sciendi, per animam vero mentem, quæ nulla scientiarum copia expleri potest. Ita S. Gregor. homil. 40. in Evang. *Bene*, inquit, de doctis et negligentibus per Salomonem dicitur: *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur; quia quisquis hoc solummodo laborat, ut sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione suæ scientiæ mente vacua ieiunat.* Ad hoc idem hom. 18. in Ezech. citat illud Prov. 16. *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. Os enim nostrum*, inquit, *nos compellit ad laborem, quando per hoc quod aliis dicimus, a vitiis refrænamur; quia turpe nimis, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare.*

QUID HABET AMPLIUS SAPIENS A STULTO? ET QUID PAUPER (Tigurin. *humilis*; alii, *afflictus*; omnia hæc notat עני *ani*) NISI UT PERGAT ILLUC UBI EST VITA? Vers. 8.
In hebræo non est τὸ *nisi*, sed tantum *et quid pauper sciens pergere coram vita*, vel *contra vitam*, aut *coram viventibus*, vel *contra viventes?* Olympiod. *In conspectu vitæ*; alius: *Pauper est sciens ire obviam vivis*; Tigur. *Scit vitam agere inter viventes*; Campens. *Scit sua industria victum sibi parare inter illos cum quibus vivit.* Hebr. enim חיים *chaim* plurale, et vitas, et vitam, et viventes significat. Hinc ex Hebræo amplo et ambiguo varii varie transferunt (vide eas apud Lorinum si lubet) sed perplexe, ambigue et insipide, cum Noster clare, certe et sapide verterit subaudiendo τὸ *nisi*; unde ei astipulantur Septuag. dum vertunt: *Quoniam abundantia sapienti super insipientem, eo quod pauper novit ire ad faciem vitæ*; Syrus: *Quia est lucrum sapienti præter illud quod est stulto, quia pauper cognoscit ire ad vitam*; Arabicus: *Quid habet præstantius sapiens, quam stultus? quia pauper cognovit cursum coram vita*, id est, ut sciat hic vivere, ut sciat quomodo hic bene et feliciter vitam agere debeat? Alius, q. d. Pauper pergit ut ostiatim mendicet ad comparandum sibi victum necessarium ad vitam. Verum hoc frigidum est æque ac insulsum.

Est antithesis stulti avari et sapientis pauperis. Scriptura enim sæpe per pauperem indicat sapientem et iustum, per divitem vero insipientem, avarum et iniustum; quia, ut ait S. Hieron. *Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres*; pauper vero, quia modicis contentus, spernit opes, et cor ad veras in cælo Dei opes transfert, hinc sapiens est et iustus.

Sensus ergo est, q. d. Sapiens et pauper in vita et morte, atque labore victum comparandi ut satient os et ventrem pares sunt; hac tamen re pauper sapiens antecellit diviti avaro et stulto, quod pauper pergat ad vitam, dives vero ad mortem, eamque triplicem. Hebr. enim *chaim* est plurale, ideoque triplicem vitam significat, scilicet naturalem animæ, spiritualem gratiæ, cælestem gloriæ.

Primo ergo de vita naturali sic exponas, q. d. Pauper contentus moderato victu et vestitu pergit ad veram vitam, quæ sita est in animo suis contento, quieto, hilari. Talis enim vivit agitque vitam suavem iucundam et longævam. At dives avarus oculos declinans in terram, in eaque velut serpens et repens et proserpens, ut aurum et argentum, id est (ut ait Habacuc c. 2.) densum terræ lutum colligat, vacuus miser et infelix continuo labore se consumit, nec audet partis frui, sed semper veteribus aggerere satagit, quare vivit vitam ærumnosam, quæ potius mors dicenda est, quam vita, ac mox ad communem omnibus mortem nudus et inops tendit, quæ stulta est vanitas. Ita S. Hieron. Hugo. Card. et Glossa; paulo aliter Vatabl. censet enim hic moneri pauperem, ut paupertate sua tranquilla, sapiente et sancta contentus cupiditatem omnem abiiciat: *Quid enim iuvat*, ait, *pauperem doctum apud homines ambulare prudenter coram ipsis hominibus in hoc mundo, si laboret cupiditate habendi?* Hoc eodem redit, quo prius, prius tamen simplicius et germanius est.

Secundo, de vita spirituali exponas, q. d. Pauper contemnens opes terrenas ambit spiritales, studetque virtutibus et meritis congregandis, iuxta illud Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni?* Pauper ergo vivit vita gratiæ.

At dives avarus totus opibus incumbit; unde gratiæ et virtutum fit inops et egenus, atque per usuras, fraudes, contractus iniustos committit peccata mortalia: quibus animæ mortem incurrit. Ita S. Bonav. Lyran. Carth.

Unde Olympiodorus per vitam accipit Christum, ad quem pauper, qui ab ipso prædicatur beatus, incedit per

virtutum semitas; cum dives stultus mancipet se voluptatibus more pecudum. Quare per vitam hic mystice accipias Eucharistiam, quæ deliciose mentem pascunt pauperes, longe magis quam divites corpus suis epulis. De Eucharistia enim ait Christus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Ioan. 6. 59. et vers. 48. *Ego sum panis vitæ etc.* Thaumaturg. vero ait pauperem tendere ad vitam, quia tendit ad paupertatem et opum contemptum, in quo vitæ integritas et rectitudo consistit: *Insipientis*, ait, *proprium est, ut nimium concupiscentiis indulgeat, ideoque reprehenditur. Sapiens ab eis sponte sibi temperat. Fere autem vitæ rectitudo homini recto ad inopiam dux est itineris.*

Tertio, pauper per vitam gratiæ tendit ad vitam gloriæ, et avarus per primam mortem culpæ et avaritiæ tendit ad mortem secundam gehennæ; uti Lazarus mendicus ab Angelis ductus est in cælum, dives vero epulo sepultus est in inferno, Lucæ 16. Ita Chald. *Etenim*, ait, *quid amplius est sapientibus in hoc sæculo quam stultis, et quid est pauperi, nisi ut studeat in disciplina legis Domini, ut cognoscat quomodo futurum sit ut eat omnino coram iustis in paradisum Eden*, puta voluptatis, in quo a Deo positus fuit Adam, qui fuit typus et præludium paradisi gloriæque cælestis.

Tropolog. ex eo quod ait pauperem pergere ad vitam, disce viam ad vitam esse paupertatem, sub qua humilitatem intellige. Unde hebr. עני *ani*, tam humilem, quam pauperem significat; paupertas enim est mater humilitatis: unde pauperes experimur humiles, divites vero superbos. Nam ut ait Phocilides:

Fastus opes sequitur, sequitur petulantia magnos.

Hac de causa S. Franciscus se suumque ordinem fundavit in paupertate, ut eumdem funderet in humilitate. Utraque ergo dux est et via ad veram vitam; unde eam primus innuit Christus, ut eam nos doceret: *Ego autem*, inquit, *mendicus sum et pauper*; et: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Ita sanxit Deus mira congruentia et sapientia. Congruum enim est ut qui contemnunt terrestria occupent cælestia. Audi S. Ambros. ser. 74. de Natal. Martyr. *Possumus*, ait, *et nos dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem*; adde humilitatem, paupertatem, patientiam: *his enim itineribus pervenitur ad vitam.* Ita S. Benedicto, ut scribit S. Gregorius 2. dialog. c. 37. vita functo, duobus ex eius grege monachis visum est videre viam quamdam amplam et rectam palliis stratam innumerisque luminibus coruscantem; et senem quemdam ostantem qui diceret: *Hæc est via, qua dilectus Dei Benedictus ascendit ad cælum.* Hanc viam S. Bernard. hom. *Ecce nos reliquimus omnia*, nihil aliud esse censet, quam paupertatis et vitæ religiosæ formulam ab eo institutam, quam ut ille servans, ascendisset in cælum, sic omnes qui eum sequerentur.

Vers 9. MELIUS EST VIDERE QUOD CUPIAS, QUAM DESIDERARE QUOD NESCIAS) Hebr. *Bona est visio oculorum, præ ambulare animæ*, id est præstat videre oculis rem certam, quam variis animæ cogitationibus, concupiscentiis, desideriis vagari et oberrare per res plurimas et incertas. Septuag. Complut. Ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμῶν ὑπὲρ πορευόμενον ψυχήν, id est: *Bona est visio oculorum superambulans animæ*, id est, quæ superat animæ desiderium, q. d. Bonum est cernere et præsens habere obiectum, quod, dum absens est, anima cupit et desiderat; præsentia enim superat absentiam rei, æque ac visio rei visæ superat spem et desiderium rei videndæ. Verum melius et conformius ad Hebræa Codices Vatican. pro ὑπὲρ πορευόμενον per systolen legunt: ὑπὲρ πορευόμενον per diastolen. Unde vertunt: *Bonum est aspectus oculorum super ambulantem anima.* S. Hier. *In anima*; Olympiod. *Quam ambulare iuxta voluntatem animæ*; Tigurina: *Quam ut quis desiderium sequatur*; Vatablus: *Quam quod æstuet anima.* Thaumaturgus tamen priorem versionem Complut. secutus explicat, *Superambulans*, id est prævalens animæ, illamque trahens in rei visæ concupiscentiam, quæ magna stultaque est vanitas. Unde sic vertit: *Irritant quorumdam oculos ferculorum spectacula: sed cum inane sit hoc vivendi studium, perniciosæ illecebræ animum in steriles occupationes trahunt.*

Syrus: *Melior est visio oculorum quam anima*; Arabica: *Oculus est essentia bonus præstantior animo lucido*; Pagn. *Melior est visio oculorum, quam ut eat anima per viam stultorum*; Chald. *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias, sed et hoc vanitas est et præsumptio spiritus.*

Vel ut vertit Costus: « Melius est homini ad futurum sæculum gaudere, iustitiam colere, et summo iudicii die bonam mercedem operum suorum recipere, quam hanc vitam in calamitatibus et animi perturbationibus ingredi; hoc enim scelerato homini vanitas est et afflictio spiritus »

Omissis variis variorum explicationibus, parum probabilibus quinque magis probabiles subiicio. Nam *videre oculis*, ut habent Hebr. quinque significat: Primo, aspicere et contemplari rem præsentem; secundo, prævidere futura: tertio, iudicare de rebus, oculus enim iudicat de coloribus rebusque visis; quarto, experiri: experientia enim capitur visu; quinto, frui, gustare, tenere et possidere. Oculus enim fruitur re visa, eamque visu suo quasi tenet suique iuris facit, possidet et comprehendit. Iuxta hæc quinque significata quintuplex oritur sensus.

Primo, Isidorus Clarius et Campensis primam videndi I.
significationem secuti vertunt: *Melius est contemplari oculis divitias præsentes, quam industria sola fretum in diem more pauperum vivere: certe falleris qui hoc putes: non enim aliud aspectus divitiarum adfert, quam animæ stultæ curas et tormenta.* Ex adverso Christus iubet nos non sollicitos esse de crastino, sed crastini curam resignare Deo, Matth. 6. Censent ergo hic Auctores hanc gnomen proferri ex mente divitum, non Salomonis: unde ipse eam corrigit dicens: *Sed et hoc vanitas est et afflictio spiritus.*

Secundo, Symmachus secundam videndi significationem II.
secutus vertit: Βέλτιον προβλέπειν ἢ ὁδεύειν αὐταρέσκως, id est: *Melius est providere quam ambulare ut libet*; ut vertit S. Hier. qui sic explicat. q. d. Melius est per rationem (hæc enim est oculus animæ) agenda prospicere, quam voluntatem et desideria cordis sequi, uti faciunt illi qui ambulant in voluntate cordis sui, ut ait Ezech. c. 11. v. 21. in Hebr. Sic et Olympiod. *Longe melius est*, inquit, *perspicaces habere oculos animæ ac rationis, luce Spiritus sancti illustratos, quam pergere iuxta voluntatem animalis hominis, qui in tenebris ambulat*, iuxta illud Matth 6. v. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, hoc est*, inquit, *si rationalis animæ vis luce fuerit illustrata, appetitus sensitivi licentiam in ordinem suum rediget.* Et illud Proverb. c. 19. v. 2. *Ubi non est scientia animæ, non est bonum.* Et: *Qui festinus est pedibus offendet.* Hæc Olympiod. Sic et Salonius, Alcuinus, Hugo Victor. et alii explicant, q. d. Satius est cuncta per rationem præmeditata agere, quam temere sequi stultas animi cupiditates, æstusque vagorum et noxiorum desideriorum. Huc pertinet versio Tigurina: *Melior est providentia, quam ut quis desiderium sequatur.* Accedit Hugo Cardin. qui censet hic significari meliorem esse providentiam seu scientiam prævisionis, qua scitur quid sit cupiendum, quid non; quam temerariam præcipitemque concupiscentiam eorum quæ concupisci non possunt, nisi ab ignorantibus ea, qualia sunt temporalia bona, quæ ceu putre lignum et squama piscis, lucent dumtaxat in tenebris et sunt indigna scitu. Lyranus non hinc longe abit, nisi quod proprie vult reprehendi superstitiosam et vanam futurorum præscientiam. Nec dissentit Dionys. exprimens res superstitiosas, magicas, frivolas, falsas, quas nescire, quam scire, magis expedit, cum contra studendum magis sit cognitioni eius quod appeti debet, videlicet finis ultimi ac mediorum ipsius.

Tertio, iuxta tertium significatum *videre*, ut significet III.
iudicare, definire et dimetiri, sensus est, q. d. Melius est certum sibi valorum, opumque limitem præfinire, qui suo

ingenio et statui sit accommodatus et quasi commensus, ac eo contentum vivere, quam sinere animam vagari ad alia et alia semper cogitanda et desideranda, nec ullum cupiditati suæ terminum præfigere.

IV. Quarto, iuxta quartam significatum *videre*, ut sit idem quod experiri, sensus est, q. d. Melius est videre, id est experiri, quis labor, quæ occupatio, quis status, quæ quantæque opes tibi tuæque indoli conditionique conveniant et sufficiant, in iisque tranquilla mente conquiescere, quam cupiditati habenas laxare, ac desiderare plus semper et plura sine mensura quæ nescias qualia sint: et an tibi conveniant sintque salutaria.

V. Genuino. Quinto, et magis apposite ac genuine iuxta quintam significatum *videre*, ut sit idem quod uti, frui, gustare, tenere, occupare, possidere, sensus est, q. d. Melius est videre, id est uti et frui præsentibus et certis, quæ oculis cernis et manu tangis, quam desiderare absentia et incerta, quæ nescis an ea obtinere queas, et an tibi satiam felicitatemque sint allatura. Pergit enim opponere et præponere pauperem sapientem diviti stulto, quod ille videat ea quæ cupit, id est possideat et fruatur opibus cupitis, licet modicis, sed præsentibus, iisque contentus quiete, hilariter et feliciter vivat: hic vero desideret id quod nescit, id est insatiabili opum absentium et sæpe impossibilium acquirendarum cupiditate flagrat, quarum usum et fructum per experientiam ignorat et nescit, id est non sentit, non gustat, non gaudet, non fruitur, sed perinde illi sunt, ac si illas nesciret, ipsique incognitæ et inviæ forent; quod quid est aliud, quam stulta vanitas et præsumptio? ob spem enim incertarum privat se fruitione certorum: vane præsumit id ad quod stulte aspirat, cum sæpe id assequi nequeat: quare frustra laborat, seque eviscerat circa opes, quarum commoda et iucunditatem non experitur, nec unquam experietur. Avaritia enim opes et spes vanas sibi fingit, quas nunquam consequetur, certa iis nunquam utetur et fruetur.

Huc pertinet versio et expositio Pagnin. *Melior est visio oculorum, quam ambulare animæ* (id est præstat rebus præsentibus, quas ob oculos habes, frui, quam animo huc illuc vagari, et nunquam satiari; Caietan. *Melior est aspectus oculorum quam ambulatio animæ*,) id est, melius est præsens bonum, et quod oculis videtur, quam futurum, quodque solo desiderio habetur; ambulatio siquidem animæ, inquit, gressibus desiderii ac spei fit.

Vatablus: *Melius est aspectus oculorum quam quod æstuat anima*, id est, melius est esse contentum præsenti fortuna, licet modica, quam multa, licet maxima, desiderare, ac modo hoc, modo illud in votis habere: *Melior est columba præsens in mensa, quam anser in aere volitans.* Melius est pauca occupare quietum, quam cupidum anxiumque nova semper ambire et persequi.

Nota τὸ *quod nescias*, id est cuius naturam, conditionem, commoda et incommoda ignores, non sentias, non gustes, non experiaris, nec satis habeas perspecta; si enim ea perspiceres, utique ea non desiderares nec cuperes. Hoc enim exigit antithesis: *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias*, id est quod non cupias; si enim scires eius vanitatem et vilitatem, utique illud non cuperes, sed fugeres.

Mystice, melius est videre quod cupis, id est ambire cælestem gloriam, in qua videbis Deum, eiusque visione, quam cupis, satiaberis, erisque beatus, quam desiderare quod nescias, id est ambire terrenas opes, pompas et dapes, quarum vilitatem, pericula et damna ignoras et nescis, id est non attendis, non consideras, non perspicis, præsertim quod te trahent in ruinam et gehennam.

Unde Auctor Catenæ Græcæ hanc gnomen sic exponit, q. d. *Melior est scientia Dei, quam fluxa et corruptibilis voluptas, vel quam animæ cupiditatibus morem gerere.* Aut iuxta versionem Symmachi: *Melius est in ea quæ sunt futura prospicere, quam ex rebus his præsentibus oblectationem quærere.*

Et hoc vanitas est et præsumptio spiritus.) Syrus: *Hoc vanitas est et perturbatio animi;* Arabicus: *Hoc*

A *vanum est et afflictio spiritus;* Chald. *Contritio spiritus;* Caietan. *Fractio spiritus;* alii: *Cogitatio spiritus;* Aquila et Theod. *Pastio venti;* Tigurina: *Molestia animi;* Campens. *Certe falleris qui hoc putas: hoc enim non aliud est quam animi stultæ curæ et tormenta.* Vide dicta cap. 1. vers. 2.

Qui futurus est, iam vocatum (Arabicus, *denominatum;* alii, *nominatum;* Caiet. *Iam vocatus est nomine suo*, id est, cognitus est; res enim per nomen suum cognoscitur. Est catachresis) est nomen eius, et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere.) Hebr. *Quod fuit, iam vocatum est nomen eius*, sed *fuit* idem est quod *futurum est.* Hebræi enim sæpe commutant tempora; et præteritum accipiunt pro futuro: alioqui enim hic esset inepta tautologia. Quis enim nescit id quod fuit esse nominatum et cognitum? At quod futurum est, fuisse prænominatum et præcognitum, hoc mirum est, eximium, Deoque dignum; unde clare Campensis vertit: *Qua ratione fuit olim unumquodque priusquam* B *esset, nomine suo notum et scitum fuit, quod hic velit nolit homo futurus esset, nec poterit nisi frustra contendere cum Deo, qui ipso fortior est, quare sic condidit est.* Unde Vers. 10.

I. Primo, Chald. hanc gnomen accipit de rebus creatis, quod ex eis nihil novum, sed omnia iam olim a Deo decreta sint, ideoque de iis non posse hominem cum Deo contendere. Hebræa enim habent in genere neutro: *Quid est quod fuit, iam vocatum est nomen eius.* Sic et Septuag. Chald. ergo sic vertit: *Quod fuit in sæculo, ecce iam vocatum est nomen eius, et notum est filiis hominum a die quo factus est primus homo, et omnia decreta sunt a verbo Domini, et non est potestas viro, ut stet in iudicio cum dominatore sæculi, qui fortior illo est.* Verum Hebr. Noster, Septuaginta, Syrus, Arabicus hanc gnomen arctant ad hominem, nec extendunt eam ad cæteras res creatas. Unde aiunt: *Et scitur quod homo sit.*

II. Secundo ergo, alii censent hæc dici contra ambitiosos, C q. d. Quid, o ambitiose, te iactas de nobilitate, opibus, scientia, dignitate; cum ante te a mundi initio hucusque multi fuerint a Deo effecti vocatique nobiliores, opulentiores, scientiores, digniores te, cum quibus, utpote te fortioribus et præstantioribus, non poteris iudicio contendere, ut illis te præferas, sed illis te submittas et inferiorem agnoscas oportet. Unde nonnulli cum Aben Ezra exponunt, q. d. Iniqui, improbi et stulti sunt avari conatus, qui maiora semper tentat et molitur, ut opulentissimos opibus æquet, imo superet, cum id factu sit impossibile.

III. Tertio, alii autumant hæc dici contra curiosos, qui arrogant sibi futurorum prænotionem tamquam sese velint in eorum præscientia æquare Deo, cum eoque iudicio quasi contendere, uti sibi illam arrogant astrologi iudiciarii, similesque coniectores et divini. Ita Lyranus et ex eo Titelman. Congrue, inquit, transit ab avaritia opum ad avaritiam scientiæ, puta ad curiositatem et immodicum sciendi desiderium, quo homo vult scire arcana et futura, ut sit similis Deo, et alter quasi Deus; sicut esse voluit A- D dam comedens ex ligno scientiæ boni et mali. Sic et S. Bonav. Hugo uterque, Dionys. et alii.

IV. Quarto, melius alii opinantur hæc dici de iis qui sua sorte non contenti obmurmurarent divinæ providentiæ, quod ab ea aliam sortem meliorem non sint nacti, qui proinde, ut ait Olympiod. *inconsultius quærunt: Quare Deus hunc hominem paupertate oppressit, illi vero magnas opes effudit?* Contra hos ergo docet omnes res, ac præsertim hominem in omnibus subiicere ordinationi divinæ, ut pauper sit vel dives, nobilis vel ignobilis, sanus vel æger, felix vel infelix, etc. ac proinde in nulla rerum sorte, casu vel statu contra Deum obmurmurare posse, utpote qui cuivis prout libet cuncta partitur tamquam summus omnium Dominus et sapientissimus optimusque omnium gubernator. Unde Thaumat. hunc versum et sequentem sic vertit: *Quæ nunc facta sunt, iam cognita sunt, perspicuumque est hominem iis, quæ supra se sunt, reluctari et obsistere non posse. Cæterum nugæ et ineptiæ inter ho-*

mines versantur, eorum, qui iis utuntur, amentiam ar-
guentes, scilicet murmurationes et curiositates, de quibus cap. sequent. vers. 1. Et Auctor Catenæ Græc. *Omnia*, inquit, *a Deo sunt, ipsi quoque cuncta fuere præcognita, nomenque sortita apte suum cuique respondens, illudque vitæ institutum accepere a Deo, quod maxime unicuique conducere prævidit. Quis igitur sit, qui eius resistat voluntati? ut propterea irritum conamque sit investigare deinceps cur hic divitiis affluat, ille paupertate prematur, et cætera quæ sunt generis eiusdem.* Et inferius: *Nemo ergo dicere ausit, inquit Ecclesiastes, quare sum ego huiuscemodi corpori agglutinatus, aut cur non evasi Angelus? Nisi forte sit acceptio personarum apud Deum. Nam sermones huiuscemodi multa redundant vanitate.*

Igitur sub substantia, intelligit accidentia; sub re, omnia attributa et affecta rei, puta sub homine, omnes hominis conditiones et qualitates, quales sunt paupertas, opulentia, miseria, felicitas infirmitas, sanitas, omnesque variæ fortunæ in hac vita sortes et casus, qui quales futuri sint, et cuique obventuri præuovit et præordinavit Deus.

V. Quinto, maxime accommode et genuine hæc referes ad avarum, cuius vanitatem toto hoc capite ostendit, quique desiderat quæ nescit, an obtenturus sit, iisque fruiturus, uti proxime præcessit; arguit enim eorum stultitiam, qui præsentibus non contenti, inhiant semper futuris, ut res suas augeant, q. d. Solent avari congerere opes ingentes, ut sibi suæque posteritati, famæ et gloriæ in futurum per longa temporum spatia prospiciant; suæ enim industriæ præfisi censent se suas opes, palatia, prædia stabilire posse in multa sæcula, ac nomen suum æternare quasi Deo non subsint, nec eo indigeant, sed sua solertia cuncta quæ cogitant perficere possint; qua in re errant graviter, suamque vanitatem, æque ac stultam præsumptionem, uti præcessit, ostendunt. Quia quidquid futurum est, soli Deo notum est, ab eoque provisum et ordinatum; quisquis etiam futurus est, iam Deo notus est, decretumque, ne sit, non Angelus, nec Deus futurorum præscius et omniscius, sed Adam ab Adama, id est homo ab humo, hoc est terrenus, miser, fragilis, instabilis, multis fortunæ casibus obnoxius, ac brevi moriturus, qui proinde cum Deo fortiore se contendere nequit, nec præscientia et prævisione futurorum, nec stabilitate et constantia, nec exemptione, ut a Dei iure et regimine sit exemptus, sed per omnia eius providentiæ et ordinationi se subiiciat, oportet ut illa opum mensura, illa rerum sorte, illa spatio vitæ, illa posteritate et fama sit contentus, quam Deus illi admetiri ordinarit et prædestinarit. Deus enim sæpe ordinat ut diviti nascatur filius vel nepos pauper, imo ut ipse dives illico fiat pauper, miser, ærumnosus, ac moriatur. Vis tota est in τὸ *futurus*, et in Hebr. voce *Adam*, quæ significat hominem omnibus miseriis, casibus et ærumnis subiectum. Unde Vatablus vertit: *Qua ratione fuit, olim vocatum est nomen eius*, id est, inquit: *Qua ex materia olim factus sit, nomen eius ostendit.* Adam enim significat quod factus sit ex Adama, hoc est, quod sit terrenus a terra. Et Isidorus Clarius: *Cum diu*, inquit, *per fas et nefas inhiaverit homo caducis rebus honoribusve, nomenque eius per omnem terram propagatum fuerit; tamen in morte notum fiet quod fuerit homo mortalis, nec potuerit in iudicium intrare cum Deo fortiore se.*

Hunc esse sensum liquet ex proxime præcedentibus, et ex c. sequenti, v. 4. Omnia enim hæc spectant ad futura tempora, quæ sibi assecurare volunt avari. Sed sciant *quoniam homines sunt*, ait David Ps. 9. 21. et Isaias c. 31. 3. *Ægyptus homo est et non Deus.* Narrat ex Varrone S. Augustin. l. 12. de Civitat. c. 5. capitale fuisse apud Ægyptios dicere Serapidem fuisse hominem, cum tamen sepulcrum eius et ossa exstarent in Ægypto; quia scilicet illum colebant ut Deum, negabant ergo hominem fuisse. Tanta est hominum superborum vanitas et amentia! Tales ergo contendunt cum Deo, imo hominem Deo æquare, illique divinitatem, ac rerum futurarum et arcanarum præcognitionem Deo propriam, sacrilega arrogare satagunt. Similes sunt avari, qui opes suo labori adscribunt, imo debitam sibi locupletem filiorum posteritatem asserere, ac subinde coram Deo impudenter allegare non verentur.

Mystice, Sanctus Hieronymus hanc gnomen accipit de Christo: « Aperte, inquit, de Salvatoris prædicatur adventu, quod qui futurus est antequam in corpore cerneretur, iam vocatum est in Scripturis nomen eius, et cognitum Prophetis et sanctis Dei, quia homo sit, et iuxta hoc quod homo est, non possit se conferre cum Patre, et in Evangelio dicat: Qui me misit maior me est, Ioan. 14. unde et in consequentibus præcipitur: Ne ultra quam de eo nobis scriptum est requiramus, ne velit homo plus scire quam Scriptura testata est. »

VERBA SUNT PLURIMA, MULTAMQUE IN DISPUTANDO HABENTIA VANITATEM.) Hebr. *Multiplicantia vanitatem.* Sic et Septuag. Syrus et Arabicus. Thaumaturgus: *Quoniam homines nugas excogitant.* Chald. Castl.: *Sunt certe in hoc sæculo res innumerabiles vanitatis plenissimæ. quibus operam dare quid compendii homini accidere potest?* utique hoc verissimum esse experimur. Tigur. *Multæ sunt res quæ inanitatem augent.* Vers. 11.

Aliqui hanc gnomen referunt ad Philosophos, ut Platonem, Aristotelem, etc. qui sibi scientiam omnium arrogarunt, omnia naturæ secreta scrutantes, de omnibus verbose disputantes, quasi vellent cum Dei omniscientia contendere, eamque sibi subiicere, ideoque evanuerunt in cogitationibus suis, Roman. 1. Unde Vatablus vertit: *Possunt multa Philosophorum verba afferri, sed quæ nihil quam vanitatem augeant.* Ita Dionys. Alii accipiunt verba obmurmurantium divinæ providentiæ, quod se pauperes, miseros, infaustos effecerit. Ita Hugo. Alii ad curiosos referunt, qui de omnibus volunt disserere et loqui, imo disputare et contendere.

Magis apposite, ut dixi, hæc referas ad avaros, qui de suis opibus modisque eas augendi, conservandi, perpetuandi plurima cogitant, loquuntur, disputant. Rursum solent avari, præsertim divites et potentes, solliciti esse de futuris, futuraque opulentia et posteritate, ideoque, ut ea præsciant, non raro consulunt augures, mathematicos, genethliacos, magos et divinos, qui eos per fictas suas divinationes, verius assentationes vanis spebus implent, uti Romæ ab Astrologis etiamnum videmus fieri. Horum ergo vaticinia, coniectationes et divinationes vocat hic *verba plurima multam habentia vanitatem.* Idem apud Hebræos erat frequens, qui in Ægypto degentes, apud quos vigebat astrologia, hanc ex astris divinandi artem et vanitatem didicerant, æque ac a Chananæis et Philisthiim vicinis suis. Eos ergo redarguit hic Salomon, æque ac Ierem. c. 10. v. 2. et Isaias c. 2. v. 2. *Augures*, inquit, *habuerunt ut Philisthiim.*

Mystice, sanctus Hieronymus pergit hæc accipere de Christo, sicque explicat: « Cum ignoret homo de statu suo, et quæcumque videtur scire et cernere, non ut se res habet veritas, sed per speculum et umbram et imaginem videat, nec futura cognoscat, et per multiloquium non effugiat peccatum, silentium ponat ori suo, et credat eum venisse qui scriptus est, quomodo, et quantus, et qualis venerit non requirens. »

Hebræi hoc loco constituunt dimidium libri; unde ab initio huc usque numerant versus 112. et totidem computant ab hoc loco usque ad finem libri.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex brevitate vitæ ostendit vacondum esse non vanitati, sed veritati et sapientiæ, euius varia dat dogmata, ut sciamus quæ in vita eligenda sint, qualia sint audire sana consilia, iram comprimere, bonis suis moderate uti, non plus sapere quam oportet, iustis subvenire, levibus et maledicis sermonibus aurem non præbere. Denique vers. 27. docet præ omnibus cavendum esse a mulieribus, velut a veneno mortifero.

1. Quid necesse est homini maiora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? 2. Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa; et dies mortis die nativitatis. 3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. 4. Mulior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. 5. Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia. 6. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. 7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti; sed et hoc vanitas. 8. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. 9. Melior est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. 11. Ne dicas: Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio. 12. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. 15. In die bona fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum iustas querimonias. 16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: iustus perit in iustitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. 17. Noli esse iustus multum; neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas. 18. Ne impie agas multum: et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. 19. Bonum est te sustentare iustum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit. 20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. 21. Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. 22. Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias servum tuum maledicentem tibi. 23. Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis. 24. Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar; et ipsa longius recessit a me, 25. Multo magis quam erat: et alta profunditas, quis inveniet eam? 26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam et rationem: et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentium. 27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. 28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem. 29. Quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. 30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum; et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?

Vers. 1. QUID NECESSE EST HOMINI MAIORA SE QUÆRERE, CUM IGNORET QUID CONDUCAT SIBI IN VITA SUA, NUMERO DIERUM PEREGRINATIONIS SUÆ ET TEMPORE, QUOD VELUT UMBRA PRÆTERIT? AUT QUIS EI POTERIT INDICARE QUID POST EUM FUTURUM SUB SOLE SIT?) Hebr. *Quid Adam*, id est, *homini est residuum?* Auctor Catenæ Græc. *Docet*, ait, *omnia, quæ in hoc mundo sunt, esse vana, neque aliud quam umbram, atque universa post mortem cæca oblivione obscuranda, et consepelienda fore.*

Pro *maiora* hebraice est יוֹתֵר *ioter*, quod idem est cum *itron*, de quo dixi c. 1. v. 3 ac proprie significat *residuum, id quod superest et superfluum*, idem *amplius, præstans*, eximium. Crebro iterat hanc vocem Ecclesiastes, ut rerum singularum vanitatem ostendat, ex eo quod fugaces sint et evanidæ, nullaque sit, quæ post se relinquat *itron*, id est residuum quid, sed omnia instar vaporis, umbræ et somnii illico prætereant, diffluant et evanescant. Hinc primo, aliqui per *maiora* accipiunt *aliena*, q. d. Cura tua, non aliena; hæc enim, quia ad te non pertinent, te supergrediuntur, tuoque statu et cura sunt maiora; secundo, alii: *Maiora*, inquiunt, sunt quæ tuum captum et vires transcendant, qualia sunt curiosa, subtilia, sublimia, quæ ad virtutem et beatitudinem nos non iuvant, iuxta illud Eccl. 3. 22. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi Deus,*

A *illa cogita semper*. Unde illud Ptolomæi in Præfat. Almagesti: *Qui scientiam suam ultra astutiam, quæ in ipsa est, extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus*; tertio et genuine, *maiora* accipe *futura*; hæc enim *iother*, id est homini post mortem residua, item superflua, quæ multa, ampla et magnifica avarus corrogare non cessat, q. d. Noli, o avare, in futuras ætates curas tuas extendere, ut opes familiamque tuam stabilias, amplamque et splendidam efficias per multa sæcula, itaque illam quasi æternes. Hæc enim maiora te sunt. Sufficiat tibi per vitam comparare necessaria ad victum et vestitum, futurorum curam Deo et posteris relinque, ac dicito:

Maneat nostros ea cura nepotes.

Quid hic, miser, opes, prædia, status, dignitates, beneficia, officia coacervas, quasi hic perpetuo victurus, cum brevi sis moriturus, et hæc omnia terræ relicturus? Quid hic magna spectas? exiguum est quod hic cernis. Quid longe speras? breve est quidquid hic vides: æterna cogita. Ita Thaumaturgus. Spectant enim hæc ad nimias avari curas et sollicitudines de futuris, uti dixi in fine capitis præcedentis. Unde Hebr. Chald. et Pagninus hanc gnomen illi attexunt, caput vero septimum inchoant a verso 2. ibique pariter ordiuntur tertiam libri sectionem. Melius tamen Latini et Græci ex hac gnome ordiuntur caput 7. quia ipsa est commoda transitio et nexus capitis præcedentis cum hoc septimo. Generatim enim ostendit

homini non esse ambienda maiora et futura, sed honeste et modeste utendum præsentibus, quantum vitæ brevitas requirit; ita ut post se honestatis et virtutis nomen ad aliorum exemplum relinquat. Unde subdit: *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* Ita S. Hieronymus.

Sapienter S. Ephrem tractatu de Pœnitentia post medium: « Vanitas, inquit, rerum humanarum est hæres, quoniam ipsius est distractio et occupatio varia. Filiam genuit distractionem avaritia et voluptas, atque luxuria et ambitio; benevolamque se præbet matri supra vires. Vince serpentis astutiam, et benevolentiam serva Domino. Sume ea quæ vanitatis sunt, et tribue illa Deo, ut tuorum evadas hæres in futuro sæculo. Facultates tuas atque pecunias Deo appone, et vanitas hæreditatis depulsa erit. »

Thaumaturgum secutus Olympiodorus et alii hæc referunt ad astrologos et divinos, qui ex astris similibusque rebus conantur coniectare futura, quos sæpe avari et potentes, qui magna ambiunt, consulunt, et iusto Dei iudicio illorum adulatione decipiuntur, dum mendacia et falsa opum et honorum oracula ab eis accipiunt. *Quam multa*, ait Cicero libr. 2. de Divinatione, *ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari a Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiamnum credat iis quorum prædicta quotidie videt re et eventis refelli.* Nam Pompeius victus a Cæsare, fugiens in Ægyptum, coram uxore et filiis misere a servo occisus est; Crassus apud Charras a Parthis interfectus; Cæsar in Curia a suis mactatus. Vere Actius in Astyanacte:

Nihil credo auguribus, qui aures verbis ditant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Igitur hanc gnomen ponit Salomon, ut carpat avari curiositatem, avaritiam et inconstantiam. Triplici ergo fine triplicique de causa eam assignat: prima est, ut comprimatur curiositas humanæ mentis et prurigo quædam sciendi, vel futura, vel quæ ad nos non pertinent; secunda, ut damnetur concupiscentia oculorum, rerum nimirum, quæ oculis lenocinantur, splendidissimarum; tertia, ut notetur inconstantia humanæ concupiscentiæ, numquam contentæ sorte sibi a Deo constituta. Ita Pineda.

CUM IGNORET QUID CONDUCAT SIBI IN VITA SUA.) Hebr. *Quid bonum in vita*; Syrus: *Quid melius.* Sic et Arabicus; Chaldæus: *Quis enim est qui sciat quid sit bonum viro in hoc sæculo, nisi laboret in lege quæ est vitæ æternæ*; lex enim semper vivit, et sui custodem ducit ad vitam æternam. Probat non esse quærenda maiora tribus argumentis: primum est hoc, petitum a minori, q. d. Ut quid mortalis avare et arroganter quærit maiora, qui non capit minora? ut quid scrutatur futura, qui ignorat præsentia? ut quid vestigat curiose, qui non agnoscit necessaria sibi ad vitam hanc honeste transigendam? Hoc est quod ait Sapiens c. 9. 16. *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cælis sunt, quis investigabit?* Digni multi, qui rideantur a vetula quapiam, quemadmodum Thales, impingentes pedibus, dum alte tollentes oculos, superiora contemplantur; ad ea vero quæ sunt ante pedes non attendentes. Vix est qui noscat quid sibi maxime in hac vita utile sit, coniux an, utrum pecuniæ, possessiones et id genus alia, ait Olympiodorus. Et tamen hæc ipsa quæ homini bona iucundaque videntur, sæpe ei sunt noxia, tristia, funesta, milleque ei curas, mœrores et angores afferunt; ut vere nesciat homo utrum sit melius habere uxorem, opes et prædia, an iis carere; multo ergo magis ignorat maiora et futura. Unde Socrates de cœlo et sideribus disserere nolebat, dicens: *Quæ super nos, nihil ad nos*, teste Laert. in eius Vita.

NUMERO DIERUM PEREGRINATIONIS SUÆ.) *Numero*, id est paucitate; hæc enim parvi est numeri facileque numerabilis. Hebr. *Numero dierum vanitatis suæ*, qui scilicet cito cum homine obeunt et evanescunt; *vanitatis* ergo, id est vitæ vanæ, quæ cito instar fumi transit et evanescit. Unde Arabic. vertit: *Numerus dierum vitæ vanitatis suæ præterivit seductione*; Campens. *Numero dierum quibus hic vanitate vivitur*, q. d. Numerus dierum vitæ tuæ, o avare, brevis est; cur ergo tu tuis vanis curis et angoribus illam breviorem efficis? Audi Senecam de brevitate vitæ c. 17. *Miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore quod maiore possideant, operose assequuntur quæ volunt, anxii tenent quæ assecuti sunt; nulla interim numquam amplius rediturі temporis est ratio. Novæ occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio, miseriarum non finis quæritur, sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt, plus temporis alieni auferunt*; et c. 15. *Sapientis ergo multum patet vita, non idem illum, qui cæteros, terminus includit, solus generis humani legibus solvitur, omnia illi sæcula ut Deo serviunt. Transivit tempus, aliquid hoc recordatione comprehendit; instat, hoc utitur; venturum est, hoc præcipit. Longam illi vitam facit, omnium temporum in unum collatio: illorum brevissima ac sollicitissima ætas est, qui præteritorum obliviscuntur, præsentia negligunt, de futuro timent. Cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.*

Qui sapis ergo vitam hanc brevem propriis, præsentibus, tibique salutiferis impende, non alienis, non futuris, non vanis, inutilibus vel noxiis. Est hæc secunda ratio, qua probat non esse scrutanda maiora et futura, q. d. Homo in hac vita peregrinus est, et peregrinatur assidue, ut ad patriam cælestem perveniat; ut quid ergo adeo sollicitus est de commodis huius vitæ tam brevis et fugacis? In modica enim via modico opus est viatico. Peregrinus peregre hospes est et advena; ut quid ergo hospitio immoratur, in eoque sedem et patriam constituit? Peregrinus velit nolit, pertransit, nec nisi unam noctem pernoctat in hospitio: summo enim mane pergit ulterius: ut quid ergo in terra peregrini, curas et cogitationes omnes defigimus in hac vita, quæ non nisi hospitium est unius quasi noctis? Peregrinus laborem et tædium peregrinationis sentiens anhelat ad patriam; ut quid nos tot labores et dolores in vitæ huius peregrinatione assidue tolerantes non anhelamus ad cælum, sedes ubi fata quietas ostendunt nobis? Vive ergo tibi, non posteris; vive Deo, non mammonæ: vive cœlo, non sæculo: vive non tempori, sed æternitati. Vide S. Basilium in Psalmum 4. et homil. 23. de non adhærend. rebus sæculi. Ita Sancti omnes æstimavere se hic peregrinos, dicentes cum Davide: *Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei*; uti Abraham, Isaac, Iacob, peregrinati sunt in Chanaan, *confitentes quia hospites et peregrini sunt super terram; qui enim hæc dicunt significant se patriam inquirere*, ait Apostolus Hebr. 11. 9. et 13. Vide ibi dicta. Hinc sapienter infert S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 4. *Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beate vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri et miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset, ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quod si amœnitates itineris et ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conversi ad fruendum his, quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, et perversa suavitate implicati alienaremur a patria, cuius suavitas faceret beatos; sic in huius mortalitatis vita peregrinantes a Domino. Si redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur; hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna et spiritualia capiamus.* Vide Climachum gradu 3. et S. Cyprianum libro de Mortalitate.

Peregrini hic anhelamus ad cælum.

ET TEMPORE QUOD VELUT UMBRA PRÆTERIT.) Hebr. *Et ponet eos* (dies tuos Deus) *sicut umbram*; Septuag. *Fecit eos in umbra*; Syrus: *Transivit* (homo) *illos tamquam umbra*; Chaldæus: *Omnis numerus dierum vitæ vanitatis suæ, quibus vixerit in tempore mortis suæ reputati sunt umbra*; Tigurina: *Quos transigit* (alii, *peragit*) tam-

quam umbram; Campensis: *Deus enim fecit dies hominis* A
similes umbræ.

Tempus simile umbræ.

Est tertia ratio probans non esse ambienda maiora,
quia scilicet modico hic vivimus tempore, ut modicis con-
tenti studeamus virtuti, meritisque cumulandis, quibus as-
sequamur beatam æternitatem. Recte tempus comparatur
1. umbræ. Primo, quia sicut umbra comitatur motum solis,
sic et tempus; motus enim diurnus solis facit diem, men-
struus mensem, annuus annum. Unde et in horologiis
per umbram styli, sive indicis indicatur horarum nume-
rus. Umbra ergo est aer carens sole, quod fit alicuius cor-
2. poris obiectu, præsertim nubium. Secundo, quia sicut um-
bra, ascendente sole, decrescit, adeo ut in meridie sit exi-
gua et quasi nulla; sic crescente tempore, decrescunt et
minuuntur anni vitæ, ut cum illud ad summum quasi ad
3. zenith venerit, hi finiantur et desinant. Tertio, sicut um-
bra videtur habere magnam molem, v. g. umbra hominis
mane longe maior est homine ac repræsentat gigantem,
revera tamen ipsa minimum, imo nihil habet substantiæ,
cum umbra nil sit nisi privatio lucis: sic pariter tempus B
parum habet existentiæ; per se enim non existit sed tan-
tum per unicum punctum, sive instans præsens, puta per
unicum nunc, quod continuat tempus futurum cum præ-
terito. Hinc Gabriel Vasquez censuit tempus non esse ens
reale, sed ens rationis; quia tempus in se non existit, sed
in mente hominis illud numerantis; quia consistit in nu-
mero et computu partium, v. g. horarum sibi succeden-
tium et continue decurrentium: unde proprie partes tem-
poris sunt præteritum et futurum, quæ revera non exi-
4. stunt. Quarto, quia sicut umbra celerrime præterit, sic
et tempus: hoc enim æque, ut umbra sequitur solem;
sol autem celerrimus est, adeo ut qualibet hora milliones
milliarium peragat et amplius: pari ergo celeritate præ-
5. terit tempus, unde illud: *Volat irrevocabile tempus.* Quin-
to, sicut umbra obscura est, sic et vita nostra tenebris,
6. miseriis et erroribus obvoluta est. Sexto, tempus vitæ no-
stræ est quasi umbra æternitatis Dei, qui ab illa, sicut
umbra a sole, dimanat, iuxta illud Psalm. 89. 8. *Posuisti*
seculum nostrum in illuminatione vultus tui. Hinc vicis- C
sim mors vocatur *umbra vitæ*, quia mors sequitur vitam,
velut umbra, sicut ipsa vita, velut umbra sequitur solem
æternitatis vitæque divinæ; et quia mors atra est, tristis,
7. funesta, horrida instar umbræ. Septimo, sicut umbra num-
quam stabilis consistit, sed assidue iuxta ascensum vel de-
scensum solis mutatur, crescit vel decrescit; sic et homo
numquam in eodem statu permanet, sed per singulos dies,
8. imo momenta mutatur et variatur. Octavo, sicut sol a-
scendens ad summum cæli suam umbram sensim minuit,
tandem in meridie eam conficit et disperdit: sic et homo
dies vitæ suæ vivendo minuit, et cum ad summum eius
diem venerit, omnino conficit et consumit. Hinc S. Hier.
legit: *Faciat ea quasi umbram*; alii: *Perfecit* vel *confecit*
9. *eos tamquam umbram.* Nono, umbra est res levissima, quæ
evanescens nullum in terra sui relinquit vestigium: sic et
homo moriens. Hinc sponsa Canticorum 2. 16. suspirans
aiebat: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*, id est
donec aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbræ tem- D
poris et mortalitatis, ait S. Gregorius.

Aut quis ei poterit indicare quid post eum fu-turum sub sole sit?) Puta quales avarus et dives habiturus sit filios, nepotes, hæredes; quid de opibus et prædiis suis futurum sit, cum ignoret quid sibi ipsi sequenti anno, imo sequenti die eventurum sit; forte enim bonis omnibus et vita ipsa spoliabitur. Ita Olymp.

Quarta est hæc ratio, cur homo maiora et futura quærere non debeat; quia scilicet omni sua cura et studio non potest futura cognoscere et prævidere, itaque providere et prospicere. Hæc enim incerta sunt et a futuris rerum casibus pendent, ideoque mille mutationibus sunt obnoxia, uti quotidie experimur, quæ proinde prænosse, præfinire, ordinare et gubernare solius est Dei. Hoc enim est opus divinæ Providentiæ proprium et adæquatum.

Hinc patet Salomonem per *maiora* accepisse futura, ac de futurorum scrutinio et Providentia hic agere, ut initio dixi.

A Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa: et (id est *sic* pariter melior est) dies mortis die nativitatis.) Est elegans paronomasia טוב שם משמן *Tob scem missemen*, q. d. *Melius est nomen quam unguentum*; semeo enim et oleum et unguentum significat, ait S. Hieronymus. Unde Symmachus vertit: *Melius est nomen bonum quam unguentum bene olens*; Septuag. vero Arabicus et Syrus: *Bonum est nomen* (Arabicus addit unum) *super oleum bonum.* Vers. 2.

Hinc Hebræi inchoant tertiam libri partem, ideoque *Tob* maiuscula *Teth* notant; sequuntur enim hic multæ comparationes, quibus meliora cum minus bonis comparantur, quæ omnes incipiunt a *Tob*, id est bonum, sive melius.

Hæc gnome recte priori nectitur, tamquam conclusio ex illa educta, q. d. ait S. Hieronymus: « Considera, o homo, dies tuos breves, et quia cito esse soluta carne cessabis; fac tibi famam longiorem, ut quo modo unguentum nares odore delectat, sic ad tuum vocabulum cuncta posteritas delectetur. » B

Duo ergo significat: primo, q. d. In hac vita non stude opibus alterive vanitati, sed nomini, famæ et gloriæ; hæc enim præstantior et fragrantior est opibus, imo unguentis rebusque pretiosis; secundo, q. d. Stude virtuti; hæc enim parit nomen et famam, hæcque magis redolet quovis balsamo: nomen enim et fama quod pariter opibus, nobilitate, scientia aliave re vana, tenue est, fucatum et evanidum. Unde cito diluitur et evanescit: *Fucis parta gloria, sicut non est vera gloria, ita nec diuturna est*, ait Plutarchus in Cat. Et Cicero 2. Officiorum: *Fundamentum*, ait, *perpetuæ commendationis et famæ est iustitia sine qua nihil potest esse laudabile*; et Seneca epist. 79. *Gloria est umbra virtutis, etiam invitos comitabitur.* Hinc Lyranus explicat, q. d. Bonum honestum quale est nomen bonum, præferendum est delectabili, quale est unguentum. Per unguentum enim omne deliciarum genus significat, ait Olympiodorus.

Nomen bonum simile unguento.

C Igitur virtus, et ex ea nomen et gloria apte comparantur unguentis pretiosis, quibus, teste Plinio lib. 13. c. 25. et lib. 36. c. 32. Orientales, præsertim Iudæi, utebantur in conviviis, tum ad refrigerium, tum ad fragrantiam, tum ad membrorum fomentum, lenimen, sanitatem et robur:
primo quia, sicut unguentum fovet, recreat et firmat cor-
pus; sic fama animam. Unde Thaumaturgus vertit: *Fa-* i.
ma bona suavior est animæ quam oleum corpori. Animam enim fama oblectat eiusque vires erigit ad sudendum maiora; præsertim ut quam plurimos ad se suamque virtutem, imo ad Christi cultum amoremque pelliciat. Solent columbarii, ait S. Basilius, columbam palumbriam, id est allectricem fragranti odore delibutam ad extraneas emittere, quæ odore eius captæ eamdem ad columbarium revolantem sequuntur, ibique capiuntur. Sic pariter anima sancta et religiosa illam fragrantiam virtutum spiret, ut per illam omnes ad se, imo ad Christum et religionem pelliciat. Sed Audi S. Basilium epistol. 175. ad Iulittam: « Ars quædam est aucupandi columbas; videlicet talis, D ubi unam ceperunt, qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt et ad humanum convictum assuefaciunt, deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus: illa vero per unguenti fragrantiam agrestem illum, ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius ipsa est domestica. Bene olentem namque sequuntur et reliquæ, atque ita in potestatem columbarii veniunt. Quamobrem autem litterarum istarum istud exordium esse volui. Quoniam Dionysium filium, aliquando Diomedem nactus, divino unguento animæ illius alas perunxi, et ad honestatis tuæ gravitatem misi, ut et teipsam illi iungeres, et ad nidum acciperes, quem ipse apud nos compegit. »

Secundo, quia sicut unguentum longe lateque sui sper- ii.
git odorem; sic et fama. Vulgo dicitur; *Tria se faciunt sentiri; Mulier, ventus et unguentum*, iuxta illud Proverbiorum c. 27. v. 16. *Qui retinet eam* (fœminam rixosam) *quasi qui ventum teneat, et oleum dextræ suæ vocabit.* E-

leganter S. Bernardus serm. 71. in Cantica. *Habent*, ait, *mores colores suos, habent et odores; odorem in fama, colorem in conscientia.* Hinc dicebat Paulus: *Christi bonus odor sumus; aliis in vitam, aliis in mortem,* 2 Corinth. cap. 2. 15. et eodem capite v. 14. *Odorem notitiæ Christi* appellat famam Christi eiusque religionis et fidei, quam ipse sua sanctitate et zelo ubique spargebat. Hinc de eo dicitur Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum; oleum*, id est, *unguentum*, ut vertit Vatablus et alii: unguentum enim fragrat, non oleum. Unde sequitur: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Audi S. Augustinum lib. 3. de Doctrina Christiana c. 12. *Odor bonus bona fama est, quisquis bonæ vitæ operibus abundaverit, dum vestigio Christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit.* Rursum S. Basilius Orat. in S. Gordium: *Quemadmodum*, ait, *suavia aromata odoramento proprium quiddam per aerem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris et iucundus est.*

B E contrario: *Memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrescet,* Proverb. 10. 7. Porro odoratior est fama quam unguenta, quia hæc ad modicam distantiam modicumque tempus sentiuntur; fama vero spargitur per varias gentes, ac durat post mortem per multa secula, imo post mortem inclarescit, cum subinde per æmulorum invidiam in vita tegatur et obscuretur.

III. Tertio, quia sicut unguenta pretiosa sunt, adeo ut olim in regum thesauris præcipue haberentur, ut patet de Ezechia, 4. Reg. 20. 13. sic et fama pretiosior est opibus omnique pretio. Unde Cato:

Omnia si perdas, famam servare memento.

Hinc S. August. ser. 49. de Diversis monebat quod et ipse studiose observabat, dicens: *Propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis.* Et sanctus Bernardus: *Proximis*, ait, *debemus famam, nobis conscientiam.* Hinc Theodoricus, rex Gothorum, apud Cassiod. lib. 3. var. epist. C 11. de Argolici præfecti urbis parente ait: *Affectans famæ commoda, pecuniæ neglexit augmenta.*

IV. Quarto, unguenta pretiosissima erant, quibus ungebantur reges, sacerdotes et Pontifices: unde significat nomen bonum præstare dignitate regia, sacerdotali et pontificia; quia hæc sine virtute et sanctitate esse potest, sine qua nequit esse bonum nomen. Unde Chald. vertit: *Melius est nomen bonum, quod acquirunt iusti in hoc seculo, quam oleum unctionis quo ungebantur capita regum et sacerdotum.* Hinc rex Iosias non a regno, sed a virtute eiusque fama et gloria commendatur ab Eccles. c. 49. 1. *Memoria Iosiæ*, ait, *in compositione odoris facta opus pigmentarii:* ubi ostendi memoriam et famam Iosiæ comparari fragranti thymiamati, quod adolebatur Deo. Vir sanctus ergo mysticus est rex et Pontifex, imo maior, Deoque gratior, quam rex vel Pontifex. Quocirca R. Simeon in Pirke Avoth. c. 4. *Tres*, ait, *sunt coronæ: prima, legis; secunda, sacerdotii; tertia, imperii; sed his omnibus eminet et præfulget corona boni nominis et famæ.* D

Et dies mortis die nativitatis.) Syrus: *die generationis.* Theamat. *Vitæ exitus melior quam ortus.* Copulativum et idem est quod *sic:* copulat enim similia, uti passim accipitur in Proverbiis. Unde Vatablus unica sententia hanc gnomen sic effert: *Præstantius est nomen unguento redolente; sic dies mortis die quo natus est ille.* Et Campensis: *Gratior est fama bona post mortem die quo quis nascitur.* Comparatur ergo nomen bonum morti, unguenta pretiosa nativitati, illudque his præfertur, quia nomen bonum, maxime post mortem, splendescit; per mortem roboratur et confirmatur, cum in vita sit dubium et anceps: multi enim famam, quam initio vitæ acquisierant, in fine perdiderunt. Unde Eccles. c. 11. 30. monet ne quis ante mortem laudetur: *Ante mortem*, inquit, *ne laudes hominem quemquam.* Unguenta vero comparantur nativitati; quia unguenta sunt symbola deliciarum, quibus enutriuntur pueri et puellæ, præsertim re-

A gum et principum. Hinc et eosdem unguentis pretiosis perungebant Hebræi aliæque gentes, ut satis colligitur ex illo Ezech. 16. 9. *Lavi te aqua, etc. et unxi te oleo.* Sic et prisci Romani pueros recens natos in testudineis alveis calida aqua abluebant, mox oleo et butyro perungebant, ait Alexander ab Alexand. l. 2. Genial. c. 15. sic et infantes Christiani in Baptismo oleo, in Confirmatione chrismate inunguntur. Quin et S. Bernard. in Sententiis asserit tres magos Christo infanti obtulisse aurum, thus et myrrham: aurum eius paupertati sublevandæ; thus ad pellendum stabuli fœtorem; myrrham ad consolidanda infantis membra; licet S. Hieron. Leo, August. Raban. D. Thom. et alii passim mysticas magisque sublimes horum trium donorum causas afferant. Rursus in nativitate infantium fiebant convivia et hilaria, in quibus de more convivæ unguentis pretiosis ungebantur.

Prisci ungebantur.

Sensus ergo est q. d. Sicut nomen bonum præstat unguentis pretiosis, etiam balsamicis; sic dies mortis, qui iustis affert bonum nomen, præstat die nativitatis, quo B unguentis fuere deliboti. Rationes tres affert S. Hieron. *Ostendit*, inquit, *melius esse exire de seculo, et carere tribulationibus atque incerto vitæ statu, quam ingredientem mundum hæc omnia sustinere; vel certe quod in morte quales simus notum sit, in exordio vero nascendi qui futuri simus ignoretur; aut quod nativitas alliget corpori libertatem animæ, mors resolvat.*

Hinc et Chald. cum nomen bonum iustorum comparasset unguento regum et sacerdotum, subdit: *Et dies quo moritur homo, et vadit in domum sepulturæ in nomine bono*, q. d. Vir iustus et sanctus variis virtutum meritis fragrans non minus redolet apud Deum, Angelos et Sanctos; quam rex vel Pontifex sacro Chrismate inunctus, idque maxime feliciter peracto mortis agone, cum iam securus victor et triumphans pergit ad coronas et gaudia cœlestia: tunc enim virtutum suarum odore, fama et laude perfundit Ecclesiam militantem et triumphantem, totumque cœlum et terram, iuxta illud: *In memoria æterna erit iustus.*

C Propria ergo dies mortis hic præfertur diei nativitatis ob nomen et gloriam æternam, quam iusto conciliat in cœlis æque ac in terra: hoc enim significat τo *melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa; et* (id est, *sic et*) *dies mortis* melior est *die nativitatis.* Hinc sanctorum gloria incipit in morte, sicut fletus et gemitus in nativitate. Quantam post mortem gloriam adepti sunt S. Paulus, S. Athanasius, S. Chrysost. S. Basil. S. Gregor. S. Bernard. S. Dominicus, S. Franciscus cæterique Sancti, qui miraculis coruscant ac templis, altaribus, officiis, hymnis, canticis, organis, votis, statuis, concionibus, totiusque populi invocatione et cultu publice coluntur, honorantur, celebrantur? Quin et Romani prisci, ut significarent defunctum post se suavem suarum virtutum memoriam famamque posthumam relinquere, in eius rogum mel et unguenta pretiosa ex cinnamomo, cedro cæterisque aromatibus confecta infundebant, uti dixi, Eccli. 49. 1. Rursum in funus spargebant flores et coronas, uti etiamnum D faciunt Christiani. Addebant ludos funebres, pugnas gladiatorum, comœdias, etc. Accedebant elogia, encomia et orationes in laudem defuncti. Denique regibus, principibus cæterisque de republ. bene meritis summos honores decernebant, imo eos in Deorum numerum per apotheosin (cuius ritum describit Herodian. lib. 4.) referebant, eisque aras, templa, hostias et sacerdotes dicabant sacrabantque; unde vocabantur Divus Augustus, D. Antoninus, D. Adrianus, etc. In cuius locum Pontifices Christiani substituere canonizationem Sanctorum, quæ vita functis velut Sanctis publicus invocationis honos ab Ecclesia defertur.

Gloria Sanctorum incipit a morte

Porro Olympiodor. non tantum Sanctis, sed et impiis meliorem esse censet diem mortis die nativitatis. Sic enim hanc gnomen explicat: « Natalitius dies in turbulentum huius vitæ pelagus nos inducit, ubi draco ictibulum suum posuit; transitus vero dies e stadio nos abducit. Et si quidem peccator fuerit, qui decedit, peccare ultra iam desi-

nit; qui vero fuerit iustus, vita perfruetur æterna. »

Sic Thraces, teste Herodoto, fletu prosequebantur suorum natales, risu vero diem obitus. Audi Alexandrum ab Alex. l. 2. Genial. c. 25. « Siquidem apud Thraces Trausosque, ac Celsos et Causianos assuetum erat, ut, puero in lucem edito, circumdati cognati affinesque puerum lamententur et afflicti iaceant, ac recentes calamitates et vitæ incommoda cui tantum restet malorum quæ mox ille passurus advenit, plangant. Iidem in funere exultantes iubilant; scilicet cui defuncto omnibus incommodis et infortuniis, quæ vita fert, ex hac luce et imminentibus malis, atque omnis sævitia fortunæ tandem excedere datum sit. Quod ab Indis quoque servari meminimus. Nam Gymnosophistæ et Brachmanes caste et pie viventibus diem mortis natalem vitæ ducebant. »

[Vers. 3.] MELIUS EST IRE AD DOMUM LUCTUS (Syrus *flendi*) QUAM AD DOMUM CONVIVII: IN ILLA ENIM (quisque) FINIS CUNCTORUM ADMONETUR HOMINUM, ET VIVENS COGITAT QUID FUTURUM SIT.) Hebr. *In qua est* (Tiguria. *cernitur*) *finis omnis hominis, et vivens ponet ad cor suum;* Symmach. *Attendet mente;* Vatabl. *Et vivens perpendet mortem, cum illuc venerit;* Septuag. *Eo quod hic est finis omnis hominis, et qui vivit dabit bonum ad cor suum: Bonum*, scilicet cogitatum et consilium de agenda pœnitentia et mutanda in melius vita uti explicat Chald. Syrus: *Et qui vivus est dat bonum* (Arabicus, *bonitatem*) *cordi suo;* Olympiodor. *Utilius est ire ad domum funebris luctus, quam ad domum convivii, propterea quod hic est futurus finis omnium hominum, et vivens offert bonum in mentem suam;* Campens. *In illa enim videtur quem finem sit habiturus omnis homo:* Thaumaturg. *Et satius fuerit lugere, quam convivari; et adesse mœrentibus, quam vino se obruentibus. Qui enim finem suum recte secum cogitarit, non tanto studio, quæ huius vitæ sunt, complexabitur.*

Porro Chald. paraphrastice fuseque sic vertit: *Melius est hominem molestia affectum, ut eum consoleris, adire, quam ad domum convivii et poculorum, in quo susurrones adsunt, contendere; luctuosa enim domus omnibus in scopum et finem, ut eo proficiscantur, proposita est: omnibusque mortis decretum statutum est. Igitur in ærumnosam domum se recipiens vir iustus, ad pœnitentiam adducetur, et mortis sermones in animum inducet suum: et si aliquo in errore versetur, illum deserens, ad Deum faciet conversionem.* Pro *convivii*, Arabicus vertit, *compotationis;* et hoc proprie significat Hebr. משתה *misté*, et Græcum συμπόσιον. Unde Cicero de Senectute: *Bene*, inquit, *maiores nostri accubitionem epularum, quod amicorum et vitæ coniunctionem haberet, convivium nominarunt melius quam Græci* (potuit addere et quam Hebræi) *qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.*

Hæc gnome parallela est et subalterna præcedenti: *Melior est dies mortis die nativitatis.* Huic enim recte subnectas: *Melius ergo est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Iam Chald. censet hic suaderi ut eatur ad domum luctus, ad consolandum lugentem; alii, ad celebrandum exsequias et funus defuncti. Hoc enim est optimum opus pietatis amico præstandum, iuxta illud Tobiæ 4. 18. *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue.*

Rursum alii hanc gnomen nectentes præcedenti exponunt, q. d. Dies funeris et luctus melior est die convivii; quia in illis laudantur virtutes defuncti, nomenque et fama eius celebratur et propagatur, quæ potior et præstantior est omni voluptate, quæ ex deliciis convivii percipitur.

Verum ratio, quam subdit Ecclesiastes, alio nos ducit quam ita in Comment. reddit S. Hieron. *Quia ibi recordatione conditionis nostræ et fragilitatis humanæ, ex præsenti cadavere commonemur:* nam quisque sibi a defuncto tacite dici censet: *Memor esto iudicii mei, sic enim erit et tuum; mihi heri et tibi hodie*, Eccl. 38. v. 23.

[Funus præstat convivio, cur?] Sensus ergo est, q. d. quia melior est dies mortis die nativitatis; hinc consequenter melius est ire ad domum funebris luctus, quam ad domum convivii natalitii, quod scilicet celebratur ob natum infantem et filium: quia in illa ex spectaculo funeris et defuncti homo admonetur mortis suæ, ut cogitet se propediem simili modo moriturum et funus futurum, ideoque ad illud honeste vivendo et bonis operibus incumbendo sese præparet et disponat: in hac vero deliciis, vinis et gaudiis sermonibusque vanis dissolvitur animus, et ad crapulam omnemque levitatem, dissolutionem et intemperantiam impellitur. Porro convivia in natalitiis festive celebrare ob gaudium nati filii commune fuit Hebræis, Romanis, Græcis cæterisque nationibus, ut patet ex convivio Abrahæ, in ablactatione Isaac, et ex Plutarch. Cicer. Athen. l. 4. et aliis.

[Exempla] Huius sententiæ veritatem expertus est noster B. Franciscus Borgia tertius Societatis Iesu Generalis, qui cum esset dux Gandiæ, iussu Caroli V. ducens corpus Isabellæ Imperatricis defunctæ ad locum sepulturæ, aperto sarcophago, corporis, dum viveret, pulcherrimi fœditatem horroremque intuitus, compunctus statuit ducatui mundoque valedicere, se religiosam vitam complecti.

Sic S. Bruno in funere doctoris Parisiensis, audiens eum in feretro surgentem et proclamantem: *Iusto Dei iudicio accusatus, iudicatus et condemnatus sum*, in eremum secessit et ordinem Carthusianorum instituit. Sic Iosaphat rex visis senibus et ægris brevi morituris, ab iis discens sibi quoque esse moriendum, a Barlaam ad veram fidem et vitam Eremiticam est traductus, ut narrat Damasc. in Histor. cap. 5. Auctor. serm. ad fratres in eremo apud S. Augustin. serm. 48. asserit se, viso Cæsaris cadavere putri et verminoso, mire fuisse commotum et compunctum. S. Ioannes Eleemosynarius Patriarcha Alexand. sepulcrum sibi fieri curavit, sed imperfectum, et monitorem constituit, qui quotidie sibi in aurem suggereret: *Monumentum tuum usque hodie est imperfectum, domine; iube ergo illud perfici; incertum est enim qua hora fur ingrediatur, nempe mors.* Ita Leont. in eius Vita. Carolus Quintus quinque annis ante mortem sarcophagum sibi fieri iussit, eumque cum funebri supellectili secum quocumque pergeret, deportari, ut eum quotidie intuens iugiter sibi mortis memoriam repræsentaret, quæ eum a peccatis cohiberet, et ad opera sancta instigaret, uti refert Lipsius lib. 2. Monit. c. 14. ubi simile narrat de Maximiliano I. avo Caroli Quinti. Vide Climachum gradu 6. qui inter cætera ait: *Probatus quidem ille est, qui mortem singulis diebus exspectat; sed ille sane sanctus, qui hanc singulis horis desiderat.*

Hinc Ægyptii in conviviis, ut eorum luxum, mentis dissolutionem et gaudia temperarent, circumferebant cranium mortui convivis insusurrantes: *In hanc figuram respice: similis enim illius eris*, teste Herod. lib. 2. Porro mira est hominum cæcitas, ut cum eant ad domos luctus, ac videant alios quotidie mori sciantque se pariter morituros, tamen de morte sua non cogitent, nec ad eam se præparent, quasi illa longe absit, cum sæpe sit vicina. Causam dat S. Ephrem sermon. de Recordat. mortis: « Negligentes, ait, et contemptores occæcati cum sint peccati fraude diebus suis procedentibus existimant procul abesse mortis horam, nihil de suo hinc exitu laborantes; verum annos multos et tempora longa sibi præscribunt. Similes autem sunt eorum qui nocte intempesta iter suscipiunt: qui quidem arbitrantur procul abesse ab imminenti præcipitio et prærupto loco, donec præcipitatis ipsis experientia dubitationem solverit. Qui igitur vitæ huius fallaciam mundo mentis oculo perspexerit, et sublimior his effectus, qui in huius vitæ rebus studium atque operam ponunt; intelliget omnino quod sive edat, sive bibat, sive dormiat, sive laboret, sive contempletur omni die ac hora ad senium et finem temporalis vitæ a natura impellatur; unde tamquam stercora atque quisquilias quæcumque despicit; studetque ab huius vitæ affectione seipsum avocare, ut nullam cum rebus humanis societatem habeat. »

Paralogismus diaboli. Hic est paralogismus diaboli, qui plurimos seducit, nimirum quolibet anno persuadet homini illum hoc anno non moriturum. Dicit enim illi: Facile potes adhuc per annum vivere. Ad hoc tibi suppetunt vires sat validæ. Ergo hoc anno non morieris: idem dicit persuadetque homini anno sequenti, et tertio, et quarto, ac singulis sequentibus, quo fit ut homo numquam se ad mortem paret, putans se illo anno non moriturum; ita fit ut annus morti a Deo decretus adveniat, ac mors hominem imparatum et incogitantem invadat. Remedium huice assignat S. Ephrem tract. de Vita Spirit. num. 40. ubi suadet omnibus vivam præsentemque memoriam mortis. « Beati, ait, qui lugent, quia consolabuntur. Inclinemus nos ad sepulcra et conditionis nostræ occulta perspiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium acervos, craniaque carnibus exuta cum reliquis ossibus cernemus. Et hæc considerantes nos ipsos in illis, velut in speculo quodam contemplabimur. Ubi iuventutis flos et pulchritudo? ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum cogitantes carnis desideria fugiamus, ne in resurrectionis ac iudicii die confundamur. » Et num. 45. « Quotidie diem mortis tuæ expecta et ad ingrediendum illud iter te para; quæ enim hora minime putas, veniet mandatum horribile, et væ tunc imparatis! Bona est compunctio cordis, quoniam animis hominum medetur. Qui luctum sectatur non facile peccabit: et qui cordis compunctione tangitur, non cogitat mala. Nam ex compunctione oritur fletus: in fletu autem a peccatis declinamus. »

Ex hac gnome colligit S. Hieron. Olympiod. et S. Greg. 4. Dial. 4. Ecclesiasten, cum superius cibum et potum laudavit, id fecisse non ut voluptatem gulamque commendaret, sed ut temperantiam honestumque eius usum avaritiæ et nimiæ parcitati præferrat. Pulchre S. Chrysost. homil. 62. ad Populum, duplicem domum, scilicet luctus et gaudii, depingit: « Et si vultis, inquit, duas domos describamus, hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium, mente utramque ingrediamur, videamus utra melior. Invenietur enim lugubris sapientiæ plena: nuptialis autem plena confusionis. Nam vidi turpia verba, incompositos risus, incompositiores locutiones; et vestes et incessus deformitate plenos: verba multæ fatuitatis et stultitiæ plena, et aliud omnino nihil; risus omnis et derisio, quæ sunt illic non nuptias dico, absit; sed quæ sunt in nuptiis, tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præsentes, hi quidem ut equi hinniunt; hi autem ut asini calcitrant: multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil. Diaboli pompa, cymbala et tibiæ, et cantica fornicationis et adulterii plena; at non ita illic ubi luctus: omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompositum: si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba Philosophiæ plena. » Vide eumdem homil. 15. ad Populum.

Domus luctus passio Christi. Mystice, domus luctus est passio Christi; huius enim meditationi utilius est se dare, quam quibusvis gaudiis non solum carnalibus, sed et spiritualibus. Christi enim passio sopit tentationes gulæ, libidinis, iræ, superbiæ, omniumque vitiorum, animat ad patientiam in cunctis adversis, excitat ad fortitudinem, charitatem, cæterasque virtutes. Unde martyres stimulo et exemplo passionis Christi excitabant se ad superandos aculeos, ignes, bestias omniaque diaboli tormenta, ut Christo vicem rependerent et amorem amori, vitam vitæ, mortem morti redderent.

Et compunctio. Rursum domus luctus est contritio et compunctio cordis, qua nihil est melius, id est nihil utilius, nihil sanctius, et quod mirum est, nihil iucundius, uti norunt experti: suavissimus enim animæ est contritionis dolor, suavissimæ compunctionis lacrymæ, superantes omnes mundi delicias, de quibus Christus Matt. 5 *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Vide Climac. gradu 7. et S. Basilium de Gratiarum actione, ubi pulchre combinat luctum sanctum cum gaudio, ostenditque beatos esse eos qui lugent, et tamen eosdem mire quoque gaudere. Causam affert, asserens sanctorum luctum et lacrymas a fervore charitatis prosilire, qua toti erga Deum flagrant; simul et de conservorum peccantium damno, sed ultra propriæ damnum lætitiæ, ut contingit lætis de sua in littore salute, qui dolent simul iacturam eorum quos marinis fluctibus immergi conspiciuntur. Igitur luctus hic exhilarat: tum quia manat ab amore, tum quia signum est puræ sanctæque conscientiæ, quæ semper læta est quasi iuge convivium; tum quia certam dat fiduciam promissæ a Christo consolationis et gloriæ æternæ. Hinc S. Chrys. in 1. ad Timoth. homil. 14. docet domum luctus esse monasterium, ubi est iugis meditatio mortis, cinis, cilicium, solitudo, ieiunia, chamæunia, luctus sine risu. *Et monasterium.* Idem hom. 59. ad Pop. « Vere, ait, lugendi domus est monasterium, ubi saccus, et cinis, et solitudo, ubi risus non est, neque sæcularium turbula negotiorum; ubi ieiunium et stratum humi cubile, omnia pura a nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione et vexatione: portus est tranquillus; sunt tamquam faces ab excelso loco procul advenientibus trahentes, in portu sedentes, et omnes ad suam habentes tranquillitatem, neque sinentes fieri naufragia ad se respicientibus, eo contuentes in tenebris non permittentibus versari. Ad eos abi, hospitare, accede, sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere quam aliorum caput. »

Vers. 4. MELIOR EST IRA RISU, QUIA PER TRISTITIAM VULTUS CORRIGITUR ANIMUS DELINQUENTIS.) Ex ratione subiecta patet sub ira intelligi tristitiam. Hæ enim duæ passiones sunt, imo sorores ex eadem matre, scilicet odio mali nascentes ac se mutuo comitantes. Unde Campensis vertit: *Melior est tristitia quam risus.* Unde et Septuag. *Bona ira super risum, quia in malitia* (pro κακία, id est *malitia*, Aquila legit κακώσει id est *afflictione*: vetus translatio, *mærore*) *vultus bonum fiet*, vel *beneficabitur cor*, id est *iucundabitur*, vel *amendabitur cor*, uti legit vetus translatio. Complut. *Honorificabitur cor*; Thaumaturgus: *Anima ad rectum honestumque componitur*; Campensis: *Cor admonetur officii sui.* Pro ira Hebr. est כעס *caas*, id est *indignatio*, fervens ira. Unde Syrus vertit: *Melior est furor risu, quia per amilitiam faciei melius efficietur cor*: Arabic. *Nam per malum faciei sanatur cor*; Tigurina: *Melior est indignatio risu, quia tristitia pariet lætum cor*; alii: *Exhilarabit cor*. Iam ad sensum,

Ira primo Dei. I. Primo, Chald. hanc gnomen accipit de ira non hominis, sed Dei. Unde vertit: « Melior est indignatio, qua indignabitur Dominus mundi adversus iustos in sæculo hoc, quam risus, quo ille deridet improbos. Dum enim contristatur vultus maiestatis, venit penuria et vindicta in sæculum ad beandum cor iustorum, qui orabunt ante Dominum mundi, et ipse miserebitur ipsorum. »

II. Secundo, Symmachus vertit: *Melior est ira risu, quia per tristitiam melior fiet animus*, scilicet eius qui afficitur tristitia propter Deum, quique aliorum suffert iras, iuxta illud: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2. Corinth. 6. 10. Et Thaumaturgus: *Sed et risui, ait, præferenda est ira prudens, et tempestiva indignatio, quandoquidem severitate vultus corrigitur anima. Et hæc causa est ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tetricæ; insipientium vero elatæ et affusæ.* Et S. Hieronym. *Risus, ait, dissolvit sapientem, ira corripit et emendat; irascamur et nobis, si quando peccamus, irascamur et aliis: per tristitiam quippe* (ira mixtam) *melior fiet animus.*

III. Tertio, Hugo Victor. physice hanc gnomen explicat, q. d. Melior est ira et tristitia risu: quia tristitia calorem et spiritus revocat ad cor, itaque illud roborat, attentumque et vegetum efficit ad omnem bonitatem et virtutem: lætitia vero et risus calorem et spiritus a corde ad partes extimas avocant, itaque illud dissolvunt, enervant, debileque et languidum reddunt, ut ad opera fortia sit impotens et ineptum.

IV. Quarto, noster Pineda per iram accipiens tristitiam, hanc gnomen nectit præcedenti, quasi eius det causam, q. d. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; quia domus luctus salutarem inlicit homini tristitiam, quæ risu et gaudio longe utilior est. Cadaver e-

nim est quasi mutus doctor docens hominem sapere, vanam vitam contemnere, meditari mortem, vitia carnis fugere, studere continentiæ. Suo enim tabe, putore, vermibus viventium mores carnales et fœdos arguit, et obiurgat. Qua de causa prisci solebant cadaver, gravi pulloque habitu vestitum, ante hostium in vestibulo domus collocare teste Sueton. in Augusto, ut omnibus transeuntibus salutarem luctum veramque morum mutandorum Philosophiam ingereret. Verum hebr. כעס caas proprie significat iram, indignationem, furorem, ut vertunt Sept. Syrus, Arabicus et cæteri, non tristitiam.

V. Genuine. Quinto ergo, proprie et genuine Noster vertit: *Melius est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis*, vel subditi, vel socii; loquitur enim de ira, non qua quis sibi, vel dæmoni, sed delinquenti irascitur, illique vultum severum, tristem, iratum ostendit, ut eius delictum castiget et emendet, q. d. Melius est indignari peccanti, quam arridere. Satius est delinquenti irasci, eiusque delictum vultu, verbisque gravibus, severis, mordacibus instar lixivii castigare et eluere, quam risu illud fovere et augere. Ita S. Hieronym. Salon. Olympiod. Lyranus et alii passim. Occasione enim domus luctus, de qua vers. præcedent. pergit ostendere tristitiæ luctusque commoda. Hanc gnomen esse veram patet in detractione: hanc enim dissipat vultus tristis, fovet lætus, iuxta illud Proverb. 25. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem*. Idem patet in educatione filiorum et filiarum, de qua Eccles. c. 7. 26. *Filiæ*, ait, *tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas*; et cap. 30. 9. *Lude cum filio et contristabit te*. Hunc esse sensum liquet ex eo quod se explicans mox subdit Ecclesiastes: *Melius a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi; quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*.

Hinc Isidor. Pelus. lib. 3. epistol. 338. docet iram subinde esse bonam et cotem virtutis, ut cum quis peccantis et peccatoribus irascitur, eosque arguit et punit, ut fecit Moses Exodi 32. occidens adorantes vitulum aureum; et S. Petrus occidens Ananiam et Sapphiram votifragos, Act. 5. et Paulus fornicarium tradens Satanæ, 2. Corinth. 2. Cum ex adverso Heli filiis delinquentibus non irascens, sed dissimulans et arridens, cum filiis a Deo punitus sit morte 1. Reg. 4. Prælati ergo, qui carent ira ad arguendum peccantes, inepti sunt ad regimen, dum omnibus se placidos exhibent, uti docet S. Gregor. 3. parte Pastor. c. 17. ubi pulchre ostendit in regendo mansuetudini iungendam esse severitatem, ut una alteram temperet et frænet, vel acuat. Hinc illud: *Qui bilem* non *habet, cor non habet*. Ita Paulus cum increpasset Corinthios quod in cœtu suo tolerassent fornicarium, huius increpationis iræ et tristitiæ fructum ostendit, dicens 2. Corinth. 7. 8. « Quoniam etsi contristavi vos in Epistola, non me pœnitet; etsi pœniteret, videns quod Epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit; nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. »

Sapiens est vultu severo. Moraliter disce hic sapientes et sanctos mente vultuque esse gravi ac severo, ac abdicare a se omnem levitatem et risum. Sic de S. Martino legimus: *Faciem eius non fuscavit mæror, nec levigavit risus*. S. Bernard. in formula

Gnomæ. honestæ vitæ ita sancit: *Risus tuus sit, aut indicans levitatem animi, aut provocans, rarus tamen. Et ipse sit quidem eductus interdum, effusus numquam*. Idem de Inter. domo, cap. 65. *Ubi risus et iocus abundant, ibi perfecta charitas non regnat. Si sanctimonialis perfecte Christum diligeret, non rideret, sed cum desiderio illius indesinenter ploraret: quia qui perfecte Christum diligit et timet, non ridet, sed amore eius luget*. Idem ser. 4. de Adventu: *Christum super Lazarum et super civitatem flevisse et in orationibus pernoctasse legimus, risisse vero aut iocatum nusquam*. De ipsomet S. Bernard. scribit Auct. vitæ eius l. 3. c. 2. *De risu dicimus, quod ex ore eius frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se a primis annis suæ conversationis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; et risui suo stimulum magis adhibere quam frænum*.

Cor sapientum, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia.) Vers. 5. Hebr. *Cor sapientum in domo luctus, et cor inconstantium sive stultorum in domo gaudii*; Arabicus: in *domo lætitiarum*; Campens. in *domo convivii*. Hæc gnome sequitur ex præcedentibus. Cum enim melior sit domus luctus domo gaudii, et tristitia risu, sequitur sapientem qui vere cognoscit eligitque quod est melius, malle domum luctus, velut scholam sapientiæ; stultos vero domum gaudii velut ludum dissolutionis et stultitiæ; quare hæc gnome sat clara est ex dictis paulo ante, et c. 2. v. 1. Iam

Primo, Chald. uti præcedentem gnomen, ita et hanc explicat de compassione et consolatione lugentium, illamque arctat ad luctum eversi templi. Sic enim habet: « Cor sapientum triste propter destructionem domus Sanctuarii, et propter captivitatem populi domus Israel, et cor stultorum in gaudio domus divisionis eorum; comedunt, et bibunt, et deliciis affluunt et non ponunt in corde suo afflictionem fratrum suorum. » I.

Breviter ergo sensus erit, q. d. Sapiens vadit ad lugentes, ut bene de eis mereatur, eos solando, instruendo, iuvando: stultus vero vadit ad gaudentes, ridentes, comessantes, ut se deliciis et gaudiis oppleat.

Secundo, Olympiod. asserit sapientes lugere ob instantem mortem, stultos vero in vanis vitæ voluptatibus exsultare. Sic enim ait: « Vir sapiens est funebri luctu secum animo deputans sese natum de corruptibili carne brevi ex hac vita migraturum: mortales cæteros, qui eadem sunt nati conditione, affectu pio prosequitur. Contemnit autem quæcumque suis oculis observantur, ut casui mortique subiecta. Stultus autem cum mentis hebetudine solida putet esse quæ sunt in mundo, neque illorum mutationem intelligat, proptereaque futuri exitus sit securus, deliciis affluit, voluptatibus indulget. » II

Tertio, sanctus Hieronym. accipit de his qui gaudent agere cum iis qui se delinquentes corripiunt, eorumque delicta lugent, uti Samuel lugebat casum Saulis, 1. Regum cap. 15. vers. 35. et S. Paulus lugebat eos qui non egebant pœnitentiam, 2. Corinth. cap. 12. v. 21. cum ex adverso stultis magis placeant assentatores et irrisores. Audi sanctum Hieronymum: « Cor igitur sapientis vadat ad domum talis viri, qui se corripiat delinquentem, ut adducat ad lacrymas, qui provocet proprie lugere peccata, et non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur et decipit, ubi non conversionem audientium, sed et plausus quærit et laudem. Talis præceptor plangitur: dives in sermone, non dives in opere, qui quia saturatus est, propterea recipit consolationem suam. Denique huic expositioni etiam sequentes versiculi concordant. » III.

Quarto, plene et adæquate Thaumaturgus hanc gnomen generatim de quovis pio luctu et quavis lætitia vana accipit; ait enim: *Et hæc causa est ob quam sapientum animæ contractæ sunt ac tetricæ, insipientum vero elatæ et effusæ*, scilicet quod severitate vultus corrigatur anima, uti præcessit, risu vero dissolvatur. IV.

Igitur melior est luctus lætitia, sive luges tua peccata, cupiditates passiones et miserias, sive aliena, quibus totus mundus plenus est: quare sapiens in hac valle lacrymarum lugendum potius censet, quam vane gaudendum, præsertim quia vidit plurimos in infidelitate et sceleribus vivere, ac ruere in gehennam et damnari. Contra stultus ineptæ se dat lætitiæ, risibus, iocis, conviviis, tripudiis, etc. Breviter universa stringendo sensus est, q. d. Sapiens gaudet reprehendi de erratis suis, gaudetque severitate

vitæ, gravitate vultus, maturitate verborum et actionum, atque studet compunctioni et austeritati: stultus vero gaudet adulationibus, deliciis, omnique voluptate et dissolutione. Sapientia enim *non invenitur in terra suaviter viventium*, ait Iob c. 28. sed insipientia et stultitia; quia ut explicat sanctus Greg. *Qui in hoc mundo suaviter vivunt, ita adhuc stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciant, unde ceciderunt.*

Sic S. Arsenius iugiter lugebat lacrymisque diffluebat. Sic et S. Ephrem, cuius omnes tractatus non nisi pium luctum et lamenta resonant. Ratio a priori est, quod sapiens in domo luctus discat sapientiam, id est gravitatem, modestiam, continentiam, refrænationem concupiscentiæ, patientiam, constantiam, charitatem, omnemque virtutem: stultus vero in domo gaudii discat suam stultitiam, id est dissolutionem, levitatem, gulam, crapulam, luxuriam, omnemque intemperantiam. Audi S. Chrysostom. hom 62. ad Popul. « Ubi namque tristitia, ibi prorsus et Philosophia. Qui antea dives erat et multum tumidus, post luctum quemlibet se sustinebit alloquentem: postquam timor et tristitia, quasi quidam acrior ignis in ipsius inciderit animam et duritiam emollierit, tunc humilis fit, tunc exorabilior, tunc mundanam sentit mutationem, tunc ad omnia patiens erit. In theatro autem omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium et superflua dierum consumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla. At in carcere non ita, sed illic humilitas, supplicatio, Philosophiæ profectus, sæcularium contemptus, omnia conculcata sunt et contempta, et tamquam infanti pædagogus adest timor, ad omnia congrua dirigens eum. »

Ratio a priori.

Symbolice ibidem S. Chrysost. ex hac gnome colligit domum luctus et consequenter sapientiæ esse adversitates et tribulationes, ut sensus sit, q. d. Sapiens gaudet adversis, in iisque quasi in domo sua commoratur; stultus vero lætis et prosperis; quia *gaudet adversis agitata virtus*; per adversa enim firmatur, roboratur, crescit, perinde ac arbores ventis agitatæ magis se firmant, altioresque agunt radices, natura id eas docente: ut contra hostem suum, puta ventum sese muniant et arment. Hoc est quod ait S. Iacob. initio epist. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Vide ibi dicta.

Tropol. S. Gregorius 18. Moral. c. 24. ait iustos lugere, quia nullam sæculi lætitiam admittunt, anhelantes ad Deum et gaudia cœlestia, ideoque gemere se dicere cum Psalte: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei et delectatus sum*, Psalm. 67. *Hæc est igitur*, ait, *amaritudo sapientum, quia dum spe in alto erecti sunt, nullis hic gaudiis animum sternunt. Hinc enim scriptum est: Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.* Rursum S. Bernard. de Gradibus superbiæ, tertium gradum ponit ineptam lætitiam. *Proprium*, ait, *superborum est læta semper appetere et tristia devitare, iuxta illud: Cor stultorum ubi lætitia.* Eius deinde hæc dat indicia: *In signis scurrilitas: in fronte hilaritas: vanitas apparet in incessu. Pronus ad iocum, facilis ac promptus in risu. Cunctis quippe, quæ in se contemptibilia, et ideo tristia noverat, a memoria rasis, bonisque si qua sentit in se adunatis, vel simulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat nisi quod libet, nec attendit, si licet iam risum tenere, iam ineptam lætitiam dissimulare non valet. Ut enim vesica collecto turgida vento, punctoque perforata exiguo, si stringitur, crepitat dum detumescit: et ventus egrediens non passim effusus, sed strictim emissus, crebros quosdam sonitus reddit; sic monachus, ubi vanis scurrilibusque cor suum cogitationibus impleverit, propter disciplinam silentii non inveniens ventus vanitatis, qua plenius egrediatur, inter angustias faucium per cachinnos excutitur. Sæpe vultum pudibundus abscondit, claudit labia, dentes stringit, ridet non volens, cachinnatur invitus. Cumque os pugnis obstruxerit suis, per nares adhuc sternutare auditur.*

Vers. 6. MELIUS EST A SAPIENTE CORRIPI, QUAM STULTORUM ADULATIONE DECIPI.) Hebr. *Melius est audire increpationem sapientis, super virum audientem canticum stultorum.* Ubi notat Thaumaturgus unum sapientem opponi et præponi omnibus stultis, q. d. Increpatio una unius sapientis præstat omnibus centies omnium stultorum. Pro *canticum* Sept. vertunt: *carmen*; Syrus: *cantum*; Arabicus: *cantilenas*; Campensis: *Qui patienter audit obiurgationem sapientis, melior est quam is qui audit assidue cantillantem stultum.*

Igitur primo, Taumatur. et Olympiodor. carmen vel canticum stultorum accipiunt proprie pro suavi cantilena, quæ animum dissolvit et effœminat. Unde Thaumatur. vertit: *Hinc etiam longe optabilius est increpationem et castigationem unius sapientis ferre, quam totius chori improborum hominum cantu aures demulcentium fieri auditorem*: et Chald. *Melius est sedere in domo doctrinæ et audire increpationem viri sapientis in lege, quam vir qui ambulat ad audiendam vocem tripudii stultorum.*

Verum Noster recte per carmen vel canticum accipit adulationem, tum quia hæc directe opponitur increpationi; tum quia ipsa est canticum Sirenum compositum ad decipiendum audientem: tum quia carmina et cantica sæpe sunt meræ adulationes fictæque laudes audientium, præsertim divitum et potentum. Gnome hæc pertinet ad illam v. 4. *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Sapiens enim severo vultu et verbis arguit amicum, vel proximum delinquentem, ut eum emendet: stultus vero delinquenti adulatur et arridet; itaque eum in delictis fovet, præsertim dum vitia eius vocat virtutes. Nam ut ait Seneca ep. 45. *Temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur; in his magno periculo erratur.* Unde de talibus Isaias queritur c. 3. 12. *Popule meus, qui te beatum prædicant, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant*; et Ezech. c. 13. 18. *Væ qui consuunt pulvillos sub cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas!* Nam, ut pulchre ait Cassiod. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves; hæc sagitta leviter volat, cito infigitur.*

Igitur correptio sapientis est quasi sal, vel nitrum eluens animæ morumque maculas, aut sicut absinthium, quod ori amarum est, sed stomacho suave, dum eum purgat, stringit et confortat. Eius ergo amarities et fel desinit in mel suavitatemque virtutis, consolationis et gaudii; stultorum vero adulationes sunt in ore mel, sed desinunt in fel peccati, mortis et gehennæ; eo enim audientem deducunt, idque videntem et scientem; sæpe enim scit eos adulari et mentiri; videt enim in se non esse illas dotes quas illi adulantes attribuunt. Quocirca S. August. in Psal. 59. *Plus persequitur*, ait, *lingua adulatoris, quam manus persecutoris.* Et Cicero epist. 1. ad Quintum fratrem: Lenista, inquit, clemens adulator est, adulatio lethale mulsum, mellea præfocatio. Vide quæ de correptione et adulatione dixi Proverb. 27. 6. ad illa: *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici*; et alibi sæpius. Adulatores ergo sunt velut sirenes, quæ suavi cantu audientes incantant et necant; sunt sicut lamiæ et sagæ, quæ suis laudibus, velut veneficiis, hominem fascinant et dementant; sunt sicut retia et laquei, quibus capiuntur pisces et aves; sunt sicut vulpes, quæ cauda blandiuntur gallinis, ut incautas capiant et vorent.

Melior ergo est increpatio sapientis cantico et adulatione stultorum, *quia hæc effœminat animum, illa colligit et confirmat*, ait Olympiodor. Illa docet sapere, hæc decipit, et in errorem, scelus, mortem et gehennam inducit; quia et reipsa decipit, dum quos a fronte laudat et vene-

rator, a tergo vituperat et irridet. Audi S. Hieronym. ad Rusticum: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint, et quodammodo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiorum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*

Apologus adulationis et appetitus laudis.

Hanc gnomen festivo corvi et vulpis Apologo, bellis parabolarum gnomis sententioso, venustat Cyrillus l. 2. Apol. mor. c. 27. cui titulus: « Contra eos qui appetunt adulatione laudari: Corvus, inquit, reminiscens priora facinora sua, subtiles fraudes et magnas calliditates suas, hinc fastu tumidus et adulationis avidus, cœpit auram laudum quærere. Cum igitur adulationis cupidus invenisset vulpem sub umbræ refrigerio quiescentem, post salutationis officium, interrogatus ab ea quid quæreret, respondit: In bonis meis laudum præconem meorum ob inimicam invidiam non inveni; cui illa ingenii sui calliditate subtili, quid vellet percipiens, amentem deridens sic dixit: Satis video; quod ubi superbia tetra vecordiæ nube mentem obnubilat, cuncta sagacitas parum iuvat. Nimirum factus es vacuus, postquam suscipere cœpis ventum. Hunc enim folles, cum inanes sunt, attrahunt, at eo vacui mox replentur; iam certe mortis factus es hospitium; quoniam vanæ laudationis pestiferum sitis flatum. » Deinde variis

Emblemata

ambiemetibus adulationis vanitatem et noxam graphice depingit: « Quid enim est adulatio aliud quam astri nascentis aura lucida, septemtrionalis procella, melodia sirenica, cantatio lethifera, fallaciæ fistula, et vox hyenæ valde mendax. Siquidem dum suavi sonitu auris tympanum perculit, lucernam rationis exstinguit, flatu draconico serenum virtutis corrumpit, ac brutino dente nihil in anima viriditatis relinquit. Dulciter sonat, suaviter intrat, lethaliter occupat, irremediabiliter, totum vastat. Sed crede mihi, deterior est dulcis cantus adulationis, quam amarus morsus detractionis. Nam adulatio bona interiora perdit: detractio vero tantum exteriora; illa substantiam, hæc famam inficit, illa volentem percutit, hæc renitentem ferit; illa semper, cum placuit, nocuit; hæc ad meliora-

Ratio a priori.

tionem sæpe, si est patiens, profecit. » Addit dilemma, quo dicta ratione a priori demonstrat: « Cæterum aut tecum habes laudationis materiam, aut non habes; si hanc habes cur mendicas cum diversis, et vis a vento habere, quod in te contines a virtute? attamen si indignus laudaberis velut in ironia, laus tibi fiet opprobrium, et commendatio vertatur in confusionem. Mendax enim laus vituperium est. Et eo ipso, quo quis ventosæ laudis concipit appetitum, vera laudatione indignus efficitur; appetere enim laudari, fœdum superbiæ vitium est, quod dum spargi desoris per apparentiam diligit, alienum semper outum et labium concupiscit. Scis tandem quod magna laus sit, linguatæ vocis laudem spernere; et solida gloria mundanæ lucis gloriam fugere. Tota namque res veræ laudationis, est virtus. His dictis, auditoris appetitum in odium vertit.»

Vers. 7.

QUIA SICUT SONITUS (strepitus, fragor, crepitus, uti vertit Campensis et alii) SPINARUM ARDENTIUM SUB OLLA, SIC RISUS STULTI; SED ET HOC VANITAS.) Auctor Catenæ Græc. *Nam stultorum hominum risus expressam præ se fert imaginem spinarum multarum, quæ, dum flammam concipiunt, crepero strident sonitu, hiscuntque totæ.*

In Hebræo est pulchra paronomasia. Ait enim שׁיר *scir*, id est canticum sirenum, puta adulatio stultorum; similis est סירים *sirim*, id est spinis, sub סיר *sir*, id est olla crepitantibus, q. d. Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla crepitantium molestus est, brevis, fumosus et inutilis; ita blandæ adulantium voces molestæ sunt, cito desinunt, mentem obnubilant, ac mox in dolorem et amaritudinem conscientiæ atque in tormenta præsentia et æterna gehennæ vertuntur. Ita Olympiodorus et sanctus Hieronymus.

Adulationes sunt spinæ.

I. Igitur cantica et adulationes assentatorum recte comparentur spinis sub olla crepitantibus. Primo, quia sicut hic crepitus stridulus est, auresque obtundit, aliqua aliud affert commodi; sic prorsus adulantium laudes non sunt nisi creperæ voces, et stridores inanes buccarum adulationum tumidarum et crepitantium, quæ viris cordatis ingratæ sunt et molestæ. Unde sicut ex crepitu spinas, sic ex adulatione stultum agnoscas, ait Olympiodor. Rursum risus stulti sonorus, effusus et cachinnans similis est sono spinarum stridentium et crepitantium; utrimque ergo nil est nisi inanis vocis strepitus et crepitus.

Secundo, sicut spina tangentem pungit, sic et adulationes animam lædunt et sauciant, dum eam ad curas sæculi spinosas cohortantur, vel futuro eam incendio præparant, ait S. Hieronymus. II.

Tertio, sicut spinæ implexæ implectunt manum vestesque tangentis, sic et adulationes perplexam reddunt animam multisque eam difficultatibus et sceleribus involvunt. Unde Symmach. vertit: *Per vocem imperitorum vinculis quispiam colligatur*, hoc est ait S. Hieron. *Ad vocem talium præceptorum magis auditor innectitur, dum vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur*, Proverb. 5. Huc facit illud Nahum, 1. 10. *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur sicut stipula ariditate plena.* III.

Quarto, sicut spinæ flamma est subita, atque illico cum sonitu transit, sic et gaudium ex adulatione conceptum cum ea finitur et evanescit. Ita S. Bonavent. IV.

Quinto, sicut spinæ creant fumum, sic adulatio mentem obnubilat. Ita Olympiod. V

Sexto, et valde apposite, sicut flamma spinarum illico transiens et desinens, ollam et carnes in ea non calefacit, nec ab eis frigus et cruditatem aufert, sed potius per antiperistasim illud auget; sic et adulationes corda audientium dolore scelerum et amore virtutum non accendunt, sed potius in suo peccatorum frigore obdurant. VI

Septimo, sicut subita flamma spinarum statim in favillas et cineres vertitur, sic adulatio sæpe vertitur in irrisionem. Quem enim adulantes in facie laudant, hunc a tergo vituperant. VII

Plane contrariæ sunt increpationes sapientum; nam primo modestæ sunt et graves sine strepitu et crepitu: secundo, pungunt ut sanent, non ut lædant; tertio, sunt candidæ et liberæ, non implexæ; quarto, constantes sunt et durant; quinto, mentem non obnubilant, sed illuminant; sexto, eamdem amore Dei et virtutis accendunt instar carbonum iuniperi; septimo, nullam post se favillam vanitatis relinquunt, sed semper sui similes sunt in gravitate et ardore.

Denique Chald. vertit. *Quid enim aliud est vox stultorum risus et iocos agentium, quam spinarum sub aheno ardentium quidam quasi strepitus et sonus? Et hoc quoque vanitas est.* Unde S. Basil. Reg. 17. infusius Disp. censet hac gnome damnari risum immodicum prorumpentem in cachinnos, corpore subsultante, velut constantiæ et gravitati plane contrarium. Sic et S. Ambros. exhort. ad virgin. quem audi: « Quid autem idem Ecclesiastes monuerit nos omnes de immoderatione ridendi, consideremus. Sicut vox, inquit, spinarum sub olla, ita risus stultorum. Nempe spinæ, cum ardent, sonant, et cito exuruntur, ut nullus caloris sit effectus. Unde et de Iudæis dictum est: Exarserunt sicut ignis in spinis. Exusti sunt enim suo risu, et conflagrarunt in Domini passione, quando in aulam eum iocabantur incendium, dicentes: Speret in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum nunc, si vult eum. Et deridentes percutiebant calamo caput eius, et spinis eum coronabant, atque acetum ei ut biberet offerebant. Ille risus Synagogam incendit in æternum. Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia sonat, et ollam sui corporis urit. »

SED ET HOC VANITAS.) Identidem hoc suum thema vanitatis infert et ingerit Ecclesiastes. Sed quid τὸ *hoc*? Campensis accipit increpationem sapientis: huic enim sua quoque inest vanitas vel superbiæ, vel inefficaciæ, dum non corrigitur correptus; vel noxæ, dum sibi accersit odia et damna. Melius referes ad risum stulti; hic enim vanus est et ineptus. Et quia adulatio, ait Hugo Card. evacuat adulantem, atque illum cui fit adulatio.

Vers. 8 CALUMNIA CONTURBAT SAPIENTEM, ET PERDET ROBUR CORDIS ILLIUS.) Septuag. *Quoniam calumnia circumfert sapientem, et perdit cor uxoris eius*; Aquila et Theodor. *fortitudinis eius*; Complut. *generositatis eius*. Hoc enim est τὸ [illegible], pro quo nonnulli legunt [illegible], id est, bonum tenorem, vigorem et constantiam cordis illius. Syrus: *Quoniam accusatio perdit sapientes et perdit cor dentium illius*; Arabicus: *Quoniam stultus convertit mentem sapientis, dissolvit cor fortitudinis eius*; Thaumat. *Summum malum calumnia, quæ sapientum maxime animabus insidiatur, generosam ac densam illam virtutum sylvam exstirpare molitur.*

Pro *calumnia* hebr. est עֹשֶׁק *osce*, id est calumnia, item oppressio, et quævis iniuria sive verbis, sive factis, pure vi et fraude fiat.

Pro *conturbat* hebr. est מְהוֹלֵל *meholel*, quod si accipias quasi positum pro מְחוֹלֵל *mecholel* (litteræ enim ה et ח sunt affines et charactere et sono, utraque enim est nota aspirationis) significat: dolore afficit, affligit, cruciat, uti partus cruciat parturientem; alioquin *meholel* proprie significat: dedecorat, ingloriam facit, dehonestat, perturbat, obscurat. Radix enim הלל *halal*, in Piel significat laudare, celebrare, gloriosum facere; in Poel vero significat contrarium, scilicet vituperare, vilem, ingloriam, infamem facere. Aquila vertit, *seducet*; Chald. *decipiet*; Pagnin. *insanire facit*; Tigur. *ad insaniam adigit*; alius, *errare facit*, ut scilicet per impatientiam aberret a sapientia et virtute, labaturque in vindictam, eamdem aliaque scelera, uti insinuat Chald. Syrus, *perdit*; Septuag. *circumfert*, circumagit, rotat; vulgo, *volta il cervello*. Varietas hæc versionum gnomen hanc valde illustrat, exaggerat, amplificat. Olympiodorus, *vexat*; Arabicus, *convertit*; Thaumaturg. *insidiatur*. Pro *perdet robur cordis illius*, Hebr. est, *perdet cor donum*: quod S. Hieronym. Caiet. et alii explicant, q. d. Donum pervertit cor et mentem sapientis, iuxta illud: *Munera excæcant oculos sapientum*, Deuter. 16. 19. Verum hic non agitur de donis, sed de calumnia; quare melius explicat Tigur. q. d. *Calumnia frangit cor sapientis præclaris dotibus ornatum*; et Campens. *Mali, si obiurgantur, perdere conantur eum, qui cor habet tam insigni sapientiæ dono exornatum*; Chald. *Sermone depravato prudentiam sapientis animi labefactat, quæ a Deo cælitus homini data est in donum.* Unde Noster, Sept. Arabic. et Syrus: *Perdit robur, vel vigorem cordis eius*; hoc ergo est *cor donum* vel *cor doni* (utrolibet enim modo vertas ex Hebræo) id est, cor donatum a Deo, multisque donis ab eo exornatum.

Hæc sententia uti et sequentes, licet ut disparatæ accipi possint, velut dogmata sapientiæ, tamen cum præcedenti necti potest; hoc modo, ut explicet τὸ *sed et hoc vanitas*, q. d. Increpatio delinquentis facta a sapiente, licet sancta, suam tamen habet adiunctam vanitatem, scilicet quod delinquens ab eo increptus illi indignetur, atque illi talionem reponat, cumque verum illi crimen obiicere nequeat, obiicit falsum, fingitque in eum calumniam quæ eum affligit et turbat. Ita Caiet. Unde Camp. vertit: *Quia mali si obiurgentur quod alios opprimant, affligunt sapientem*; et Chald. *Violentia quoque illudit sapienti, ut non ambulet in viis eius.* Alii hanc gnomen referunt ad v. 2. *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* Alii, q. d. O sapiens, monui te ut caveas adulationem, nunc pariter moneo ut caveas illi oppositam calumniam.

Minus recte Olympiod. hanc gnomen sic accipit, q. d. Etiam sapientes et perfecti pulsantur absurdis, impiisque cogitationibus contra providentiam Dei, dum vident pios hic ab impiis affligi et opprimi. Melius S. Bonav. eam accipit de dolore sapientum, dum vident proximos innocentes per calumniam vexari. Hic enim est zelus compassionis, quem habebat Apost. dicens: *Quis scandalizatur et ego non uror?* 2. Corinth. 11. Optime eam accipias de calumnia et accusatione iacta in ipsum sapientem; hæc enim sæpe eum conturbat, cruciat et affligit. Ita Syrus, S. Hieron. Albinus, Salon. et alii.

Calumnia turbat sapientem

Notat S. Hieron. hanc gnomen accipi de sapiente non perfecto, sed proficiente; hic enim per calumniam conturbatur: *Sapiens quippe perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia conturbatur*, sed eam constanti animo tolerat et superat, uti Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, Actor. 5.

Vis exempla? Accipe. Mosi irrogata fuit calumnia a Core, Dathan et Abiron, quod ambiret principatum sibi, et pontificatum Aaroni fratri suo, quæ eum pupugit et turbavit, iuxta illud: *Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius*, Psalm. 105. 32. præsertim quia per calumniam hanc excitatum est murmur populi; unde Moses questus est Deo magno animi dolore, dixitque: *Ne respicias sacrificia eorum; tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quemquam eorum*, Num. 16. 15. Sic Ieremias prophetans Ierusalem tradendam Chaldæis, a Iudæis calumnias iuges audiebat, quod esset pseudopropheta, amicus Chaldæorum, proditor patriæ. Unde assidue gemit et luget, uti videre est cap. 10. v. 11. et seq. c. 20. v. 8. et seq. Hinc et David orat. Psal. 118. 134. *Redime me a calumniis hominum ut custodiam mandata tua.* Ubi S. Ambros. *Qui opprimitur*, ait, *calumnia, non facile potest custodire mandata divina; tristitiæ necesse est plerumque aut timori cedat et affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore.* Ita S. Basil. calumniam sibi de hæresi impactam valde sensit. Sic enim scribit epist. 82. *Ad hasce litteras animatus, ut par erat, et ad tam inopinam ac subitam immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram: palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, et plane patiebar, quod animo solet parum forti accidere; indicandum enim quod verum est, et tamen venia dignum. Deinde parum aberat quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspectique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum, sed verba quædam plausibilia ad ornatum et cultum eorum, quibus uti velis, conficta; affectum vero illarum secundum veritatem non inesse cordi humano.*

Ratio a priori. I. Ratio a priori prima est, quod homo ex eo quod sit rationalis, ingenuæ et nobilis naturæ, summe appetat honorem et famam; huius enim cupido illi intima est, ut qui illam tangit, tangat pupillam oculi, imo pungat medullam animæ; quare multi malunt perdere vitam quam famam. Sapientis autem honor situs est in sapientia et innocentia; quare qui illam tangit per calumniam, pungit intima animæ ipsius. Hinc Eccles. c. 26. v. 6. *Timuit calumniam mendacem.* Hinc adagia: *Invidia integritatis assecla; calumnia dira pestis.* Hinc et emblema cuius titulus: *Calumniæ morsui nullum est remedium:*

Natura cunctis prompta est medicina venenis:
Hæc superant linguæ vulnera facta manu.
Quod semel emisit rabiosa calumnia virus,
Ante necat, quam in fuso veneno putes.

II. Secunda, quod calumnia sæpe homini auferat opes, libertatem et vitam. Calumnia enim violati edicti regii coniecit Danielem in lacum leonum. Calumnia adulterii adegit Susannam ad periculum necis infamis. Calumnia hostilitatis in Assuerum conficta ab Aman, Mardochæum et Iudæos omnes addixit morti, ut patet ex libro Esther.

III. Tertio, quod calumnia viri sancti grave creet scandalum, ac impediat fructum concionum, lectionum, omniumque operum ipsius; quare illa tunc refellenda est, uti docet S. Basil. hom. de Invidia, et S. Gregor. l. 8. epist. 45. Ita Paulus calumniam pseudoapostolorum, suam doctrinam vitamque carpentium confutavit 2. Corinth. 10. et 11. ac Christus calumnias Scribarum et Pharisæorum contra se iactatas assidue dissipavit, ut patet Ioan. 5. 5. et seq.

Adde calumniam vix ita elui posse, quin nota remaneat. Quocirca Medius, Alexandri Magni parasitus, impium et diabolicum hoc consilium suis dabat: *Quodlibet crimen in quemvis intendite; ut maxime enim sanet vulnus, qui læsus est, manet tamen cicatrix.* Sicut scelestus ille dux, potius latro, suis militibus dicebat: *Rapite, spoliate tam*

amicos quam inimicos. Nam ut qui spoliati sunt, sic agant apud principem, ut restituere cogamur, semper tamen aliqua prædæ portio remanebit apud nos. Hinc Theoridas cum gladium cote acueret, rogatus an esset acutus: *Acutior,* ait, *calumnia.* Ita Plutarch. in Lacon.

Modus refellendi calumniam. I. Porro modi et media refellendi, vel superandi calumniam sunt varii. Primus est, si illam contrariis actibus, tuisque moribus refellas: accusaris quod sis superbus, gulosus, luxuriosus, avarus, etc. esto humilis, sobrius, castus, liberalis, ut omnes ex actibus tuis videant calumniam esse falsam; unde singularis calumniæ confutatio est vitæ innocentia et sanctitas. Quocirca Demosthenes, teste Stobæo, ser. 40. dictitabat calumniam aliquantisper quidem audientibus mali suspicionem ingerere: progressu vero temporis nil ea imbecillius esse.

II. Secundus, si Deo tuam innocentiam resignes, eiusque iudicium, quo tuam innocentiam declaret, efflagites, ut fecit David in Psalmis, ut Psalm. 42. 1. *Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso eripe me;* et Psalm. 7. v. 9. et Psalm. 25. 1. et Psalm. 34. 1. et 2. et Psalm. 35. 3. Deus enim innocentiæ est tutor et vindex; unde multis in hac vita, sed omnibus in die iudicii innocentibus diffamatis quasi nocentibus, innocentiæ famam restituet. Dicito ergo cum Apostolo: *Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die; qui autem iudicat me Dominus est, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo,* 2. Corinth. 4.

Exempla. Ergo Deus innocentibus per calumniam læsis, vel etiam occisis famam restituit, uti restituit Danieli, Susannæ, Ioseph, Mardochæo. Legimus in vita S. Irenes virginis et martyris Portugal. quod ob calumniam fornicationis sit occisa, sed post mortem Deus eius virginitatem revelaverit, eamque multis miraculis testatam fecerit. Adscripta est Sanctis in Martyrologio Romano die 20. Octobris. B. Marina virgo, inter viros monasticen professa, ac Marinum se nuncupans, a filia ab alio violata, fornicationis secum commissæ falso accusata, ac prole ei quasi patri tradita, ab Abbate monasterio eiecta, publicam egit pœnitentiam: sed post mortem per sexum agnita fuit eius innocentia, ac calumniatrix correpta a dæmone, non nisi calumniam confessa, ac ad sepulcrum Marinæ veniam petens, ab eo liberari potuit; quin et Deus pluribus miraculis eius castitatem et sanctitatem comprobavit, uti habet eius Vita sane admirabilis.

III. Tertius, si magno et infracto animo opiniones et dicteria hominum despicias, dicasque cum S. August. epistol. ad Secundinum: *Senti de Augustino quod libet, sola coram Deo conscientia me non accuset.* Vis enim et noxa calumniæ non in calumniante, sed in patientis sensu consistit. Ostende ergo te eam non sentire, sed ridere, atque eam depuleris. Audi S. Chrysost. hom. 2. ad Popul. *Sicut,* ait, *voluptas non in ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est, hoc et de contumelia dico, quod contumelia* non a *contumeliantium sententia, sed a patientium affectu constituitur vel destruitur; verbi gratia: multa quidam in te fanda atque nefanda contumeliose egit; si contumelias riseris, si verba non susceperis et vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, etsi innumeris undique telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus; non enim a manu tela torquente, sed a corporibus patientibus vulnera fiunt; sic et hic non a contumeliantium insania, sed a patientium contumelias imbecillitate iniuriæ, et iniuriarum contumelia constituuntur. Si enim philosophari sciamus, nec contumelia affici possumus, nec quidquam grave pati. Ille iniuriam intulit, non sensisti, nec doluisti, non es iniuriam passus, sed et magis percussisti, quam percussus es; cum enim qui contumeliam intulit plagam suam ad patientium animam non pervenientem viderit, ipse maiorem in modum roditur, et tacentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conversa infertur.* Quin et Aristoteles, teste Laertio lib. 5. absens a quodam maledictis lacessitus: *Absentem,* inquit, *etiam verberet.* Idem loquaci eidem illi maledicenti, dicentique: *Non te satis obtudi? Hercle,* inquit, *non tibi animadverti.* Porro M. Antoninus Imper. cognomento Philosophus lib. 9. de Vita sua, hoc remedium dat calumniæ et impudentiæ: *Si cuius impudentia offenderis,* inquit, *statim percontare teipsum, an possit fieri ut nulli sint in mundo impudentes; non potest autem hoc fieri; ne igitur postula id quod fieri nequit; est enim iste quoque unus ex impudentibus iis quos esse in mundo oportet. Idem de versuto infideli, omni denique quocumque modo vitioso in promptu sit tibi cogitare. Nam si recorderis necessario id genus hominum esse, singulis æquiorem te præbebis. Id quoque utile est statim cogitare, quam homini natura virtutem contra id peccatum dederit. Remedium enim tribuit contra ingratos mansuetudinem; contra aliud vitium aliud auxilium. Omnino autem licet tibi in viam reducere eum qui erravit; nam omnis qui peccat, eo errat, quod a proposito aberrat. Denique quid inde tibi damni allatum est? Invenies quidem nullum eorum quibus irasceris, tale quippiam fecisse quo mens tua sit futura deterior, atqui in hoc unico situm erat, ut malum tibi atque damnum accideret. Quid vero malum aut novum accidit, si indoctus homo agit suo modo? Vide ne tu tibi ipse potius sis reprehendendus, qui non præsenseris fore ut ita peccaret.*

Denique calumniam dulcorant Dei solatia. Experientia enim constat viros perfectos, qui patienter, imo hilariter ferunt calumnias, sui contemptus, falsas accusationes, humiliationes, mortificationes, persecutiones, iniurias, multas a Deo haurire illuminationes et consolationes spirituales, itaque ita subinde repleri et obrui, ut nolleant calumniis carere, sed in illis quasi in epulis delicientur et exsultent. Ita Abbacyrus apud Climachum, gradu 4. de Obedientia, in monasterio per quindecim annos assiduis calumniis et iniuriis exercitatus, moriens dixit: *Gratias ago Domino, et vobis, Fratres, quod me ad salutem meam tentastis iugiter; hac enim ex causa immunis a tentatione dæmonum hactenus mansi.* Macedonius vero cum similiter exerceri postulasset et in Novitiorum ordinem redigi, idque impetrasset, causam rogatus, hanc dedit: *Numquam,* inquit, *ita me bello omni levigatum sensi, divinique luminis dulcedinem in meipso vidi.* S. Franciscus F. Leoni dixit: *Hæc est vera lætitia, si calumniis, probris verbis et verberibus afflicti, hæc omnia amore Christi libenter toleramus.* S. Ignatius, fundator Societ. Iesu, exsultabat in carcere in quem per calumniam coniectus erat, dicebatque hanc esse veram viam ad sanctitatem et perfectionem, idque diserte docet Regula 11. Summarii Constit. — Calumnias dulcorant Dei solatia.

Melior est finis orationis quam principium.) Hebr. Septuag. Syrus et Arabicus: *Bonum est novissimum verbi præ principio eius verbi,* id est sermonis, vel rei. Sæpe enim verbum metonymice pro re verbo significata sumitur. Unde Chald. *Melior est finis negotii quam principium eius: quoniam in principio iudicari nequit quis tandem exitus consequetur; at rei optimæ eventus facile homini perspicitur, quam sit auspicatus;* Tigurina: *Potior extrema negotii pars principio;* Camp. *Melior est finis rei quam principium.* Per orationem ergo non solum precem, ut Lyran. sed et concionem, lectionem, narrationem, exhortationem, et quemvis sermonem, imo quamvis actionem, quodvis negotium accipe. Thaumaturgus: *Sermo non in principio, sed cum ad calcem pervenerit laudandus est.* Nonnulli hoc gnome idem putant dici quod illo dictum est v. 2. *Melior est dies mortis die nativitatis;* hæc enim est principium, illa finis vitæ hominis; sed hoc remotum et longe petitum videtur. — Vers. 9.

S. Hieron. huius sententiæ quatuor dat sensus litterales, et quintum mysticum. Primus est, inquit, q. d. *Meliores sunt in dicendo epilogi, quam exordium.* In his enim dicentis sollicitudo finitur, in illo incipit.

Secundus, q. d. *Qui incipit audire sermonem, et ad præceptorem vadit, in principio est; qui vero extrema audit, consummatus est atque perfectus.* Ita discipuli in scholis, qui finem Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Theologiæ

audiunt, doctiores sunt quam qui earumdem principiis aures operamque navant.

Tertio, q. d. *Hebræus*, ait, *ita hunc locum cum sequenti versiculo disseruit: Melius est te finem considerare negotii, quam principium, et patientem esse, quam impatientiæ furore raptum.*

Quarto, q. d. Melius est finire sermonem et tacere quam proloqui: *Discamus*, inquit, *ex hac sententiola nullam in hominibus esse sapientiam, cum melius sit tacere quam proloqui*; et *quia cum finita fuerit oratio, intra semetipsum recogitat auditor quid sit dictum, cum autem cœperimus loqui, necdum quid utilitatis accepit.* Ubi tacite insinuatur vanitas sermonum et rerum, nimirum, quod, cum finiuntur et desinunt, optimæ sint, non autem cum sunt aut incipiunt.

Quintum adde, q. d. Melior est finis principio, quia finis perficit ac coronat opus; finis fructum et præmium operis affert, ideoque illi corona imponitur. Rursum, q. d. Melius est in opere bono perseverare, quam illud inchoare; imo præstat non inchoare, quam non perseverare. Unde ex Hebr. vertas: *Melius est posterius verbo priori, sive principio;* sicque hanc gnomen poteris nectere præcedenti, q. d. Sapiens increpans delinquentem, etsi ab eo calumniam patiatur, non tamen ab increpando cesset, sed illam constanter urgeat et prosequatur, quia melior est finis increpationis principio; tum quia perseverantia in bono melior est inchoatione; tum quia falsitas calumniæ in fine patefit: tum quia per perseverantiam increpationis sæpe vincitur duritia delinquentis, itaque ut delicta relinquat et emendet, iuxta illud Prov. 28. 23. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud* eum, *magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.* Lyran. vero qui per orationem accipit preces, sic vertit, q. d. Melior est finis orationis calumniam passi, quia ipse orare et precari cœpit tristis; et in fine succedit Dei consolatio, quæ fit constans et patiens, de quo proximo versu. Insuper hæc gnome monet sapientem, ut finem laborum operumque semper intueatur; ideoque patienter et hilariter ferat, vel capessat, agatque media ad finem opportuna spe finis et fructus: sic æger sumit amarum pharmacum intuitu finis, scilicet sanitatis; sic miles laborat spe promotionis ad maiores. Sæpe enim initia tenuia et dura sunt, sed finis amplissimus et lætissimus consequitur, iuxta illud:

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ita Aben Ezra. Hinc quidam vertit: *Melius est cogitare finem rei quam principium*, iuxta illud:

Quidquid agas prudenter agas, et respice finem.

Maxime ergo hæc gnome docet perseverantiam in cœpto opere bono; hæc enim sola coronatur, iuxta illud Christi: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10. Unde Hugo hanc gnomen intorquet in eos qui finem concionis, orationis vel missæ, aut scientiæ quam discunt, non exspectant; hi enim oleum et operam perdunt, præsertim quia solet Deus in fine orationis, ad præmiandam constantiam et perseverantiam magna lumina, magnos affectus, magnas opes rei, quæ petitur, conficiendæ infundere. Ad hæc, in oratione exaudiuntur, et obtinent quæ postulant, ut promittit Christus Lucæ 8. 11. et seq. Denique S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. *Multi*, ait, *vocati, pauci electi. Incipere multorum est, perseverare paucorum: unde et grande præmium eorum qui perseveraverint;* nimirum magnum, imo summum est perseverantiæ donum, uti docet Conc. Trident. et S. August. lib. de Bono perseverantiæ. Audi S. Bernard. Epist. 129. ad Genuenses: « Et nunc quid restat, charissimi, nisi ut admoneamini de perseverantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. De-

Perseve-rantiæ [illegible]

A nique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Mystice, idem S. Hieron. *Dum*, ait, *in isto sæculo sumus, quod scimus, omne principium est: cum autem venerit id quod perfectum est, in novissimis et consummati erimus*, q. d. In terra bonum inchoatur, in cælo perficitur. Vide 1. Corinth. 13.

Tropol. Olympiod. *Melior*, ait, *est finis orationis in qua agitur de virtute principio: neque enim solum cœpisse pulchrum est; verum multo magis rei cœptæ finem imposuisse.* Sic et Albinus: *Melior est*, ait, *consummata iustitia quam inchoata.* Sic et S. Bonavent. Hugo et Dionys.

Symbolice Hugo: Tota, ait, lex scripta unica censetur oratio, cuius principio, qui est timor, melior est finis, puta charitas: timor enim est seta amoris; quia sicut seta, ait S. August. filum in foramen, sic timor amorem in animam inducit.

MELIOR EST PATIENS ARROGANTE.) Hebr. *Melior est longus spiritu, quam altus spiritu; longus spiritu* est longanimis. Unde Septuag. *Bonum est longanimis super excelsum spiritu;* Syrus: *Melior est longanimitas altitudine spiritus*; Arabic. *Exspectans melior elato in spiritu tribulationis*; Campens. *Melior est homo patiens, quam qui libere alios carpit.*

B

Gnomen hanc nectas præced. q. d. Ideo finis orationis et correptionis melior est principio, quia facit hominem longanimem et patientem, dum longanimiter fert infirmitates et calumnias delinquentis, et patienter eius emendationem exspectat: patiens ergo melior est arrogante, qui delinquenti irascitur, eumque superbe obiurgat, ideoque non emendat, sed in vitio magis obdurat. Nota: *melior est patiens*, non quasi arrogans sit minus bonus, sed quod longe illi præstet esse patientem, quam impatientem et arrogantem; imo sicut patiens est optimus, sic arrogans est pessimus.

Vis exemplum illustre? Accipe S. Chrysost. homil. 7. de Fide Annæ matris Samuelis, quæ probra Phenennæ æmulæ suæ orando leniter et fortiter tolerabat, sic scribit: « Gubernator clavo assidens servat navim, undarum incursus gubernandi prudentia depellens: sic mulier illa, cum ira et angor in animum ipsius facerent impetum, et rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tamquam nauclerus gubernaculis assidens, persuasit eam tempestatem magno animo perferendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenum, hoc est votorum pretioso thesauro onustum. » Maximus serm. de Ira: « Ut naves, ait, egregiæ sunt, non quæ sereno cælo navigant, sed quæ tempestati resistunt, et in portum evadunt; sic homines iræ ac furori resistentes, magni sunt atque fortes. »

C

Secundo, q. d. Melior est corripiens delinquentem, ideoque recipiens ab eo calumniam, eamque patienter tolerans, quam delinquens arrogans, qui per fastum et impatientiam corripientem respuit et calumniatur.

D Tertio, Chald. vertit: *Melior est ante Dominum vir qui subigit concupiscentiam suam, quam vir qui ambulat in tumore spiritus.* Hinc S. Hieron. hanc gnomen combinat cum v. 4. quasi eum limitet: « Quia, ait superius, iram concesserat, dicens: Melior est ira quam risus, ne putaremus iram, quæ in passione est, laudari; nunc præcipit iram penitus esse tollendam: ibi enim pro correctione in peccantes, et eruditione in minores, iram posuit; hic vero impatientiam refrænavit. Patientia autem non solum in angustiis, sed et in lætioribus necessaria est, ne plusquam condecet exaltemur. Videtur mihi, et qui nunc excelsus appellatur spiritu, in Evangelio pauperi spiritu esse contrarius, qui in beatitudine ponitur. » Sic et Olympiod.

Quarto, Thaumaturgus hanc gnomen ad orationis modestiam sermonisque refert. Sic enim totum hunc versum reddit: *Sermo non in principio, sed cum ad calcem pervenerit, laudandus est. Morum probatur modestia, non fastus aut supercilium.* Sunt enim qui initio orationis mo-

deste demittunt oculos, vultum, vocem, sed sensim ea attollunt ac in fine verba superba, minacia, indignabunde prorumpunt, præsertim dum non impetrent quod postulant.

Primus sensus maxime connexus et genuinus est.

Moral. quanta sit dignitas patientiæ docet Tertull. et S. Cyprian. tract. de Patientia. Vide dicta Iacob. 1. 4. ad illa: *Patientia autem opus perfectum habet*. Et Prov. 16. 32. ad illa: *Melior est patiens viro forti*. Et cap. 19. v. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur*.

Denique audi S. Gregor. par. Past. admon. 10. « Per hoc quoque impatientiæ vitium plerumque mentem arrogantiæ culpa transfigit: quia dum despici in mundo hoc quisque non patitur, bona si quæ sibi occulta sunt, ostentare conatur; atque sic per impatientiam, usque ad arrogantiam ducitur, dumque ferre despectionem non potest, detegendo semetipsum in ostentatione gloriatur. Unde scriptum est: Melior est patiens arrogante, quia videlicet eligit patiens quælibet mala perpeti, quam per ostentationis vitium bona sua occulta cognosci. At contra eligit arrogans bona de se vel falsa iactari, ne male possit vel minima perpeti. »

Vers. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.) Hebr. *Ne præcipites in spiritu tuo ad excandescendum, quia excandescentia in sinu stulti requiescit*; hebr. enim כעס *caas* significat iram ardentem, excandescentiam. Unde Septuag. et Syrus vertunt, *furorem*. *Ira* enim *brevis furor* est, ac parit furorem diuturnum, qui per cædes, rapinas, incendia grassatur, vastatque omnia tam privata, quam publica; Arabicus: *Ne curras, ut irascaris in spiritu tuo, quia ira in gremio stultorum requiescit*; Thaumaturg. *Furor et primus indignationis impetus cohibendus est, ne præceps in iram (cui stulti serviunt) feratur*; Symmach. *Noli per verba tua ad iracundiam provocare*. Nam, ut ait S. Ephrem tract. de Virtute sap. de Ira: *iræ* et irati *proprium est vanis rumusculis permoveri, et levicula de causa rixas provocare*.

Cohæret hæc gnome præcedenti, ex eaque velut conclusio educitur, q. d. Melior est patiens iniuriam arrogante, qui illico iniuriam irroganti irascitur, seseque ulciscitur. Ne ergo ob illatam tibi iniuriam sis velox ad irascendum: hoc enim est stultorum, sed patienter eam tolere, eamque patientia et prudentia tua non tam verbis, quam factis contrariis refelle et confuta.

Nota: Pro *ne sis velox* hebr. est אל תבהל *al tibahel*, id est, ne percellaris, ne trepides, ne festines, ne præcipites, uti fervent et præcipitent apes, dum illico irascuntur et aculeum infigunt, itaque stulte se exarmant et inutiles reddunt. Indicat hæc vox causam iræ esse mentis levitatem, timorem, trepidationem, præcipitantiam: hæc enim visa vel audita aliqua levi iniuria, timet famam vel res suas perdere; ideoque pusillanimes, parvi iudicii et animi, quales sunt fœminæ, pueri, stulti, cito irasci; graves vero, cordatos magnoque animo et iudicio præditos, puta sapientes ægre tardeque irasci: quia gravitate sua et constantia indignum censent cito irasci, atque ob rem levem, nec satis consideratam perturbari.

Vetat ergo hæc gnome non omnem iram, sed citam et subitam, eoque nomine tacite lentam tardamque permittit: hac enim irascimur peccatoribus et peccatis, eosque corripimus, castigamus, plectimus. Unde ira a natura data est homini quasi *cos fortitudinis*, ait Cicero 4. Tuscul. *Et quasi bonarum actionum ministra*, ait S. Basil. Orat. contra Iram; ac *virtutis instrumentum et ancilla*, ait S. Greg. 5. Moral. 31. Tam ergo vitiosum est esse ἀπαθεῖς, quam προπεῖς id est, carere omni ira, quam præcipites esse ad iram.

Porro Chald. accipit iram, qua peccator irascitur, dum a Deo punitur. Sic enim habet: « Et in tempore, quo veniet super te correctio de cælis, ne festines in anima tua, ut irascaris, neque dicas verba blasphemiæ adversus cælestem. Si tu patienter sustines, dimittetur tibi; si tu eris contumax, et irascaris, scito quoniam furor in sinu stultorum requiescit, donec perdat. »

A Verum melius alii passim hæc intelligunt de ira, qua irascimur homini, aut creaturæ noxam aliquam inferenti. Nam ut ait S. Ambros. 1. Offic. cap. 6. *Qui cito movetur iniuria, facit se dignum videri contumelia dum vult indignus videri*.

Porro sub ira vetatur vindicta quam parit ira q. d. Ne sis velox ad irascendum, ut in verba aspera aut facta, verberaque quibus te vindices illico prorumpas. Ita S. Ambr. exhort. ad Virg. *Quam pulchrum*, inquit, et *illud: Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit: hoc est: Etsi causa sit, quæ moveat indignationem, non sit festina vindicta, ne immoderatius calor indignationis exæstuet. Non potest igitur auferre quod naturalis est motus, sed moram inserit, ut medicina consilii temperet iracundiam*. Probat ex illo: *Irascimini et nolite peccare*, Psalm. 4. 5. Hinc et S. Hieron. *Ira*, inquit, *iuncta superbiæ semper desiderat ultionem*. Duo ergo vetat hæc gnome, primum, ne cito irascamur; secundum, ne irati cito prosiliamus in aspera verba

B vel verbera, sed os et manus cohibeamus ab iræ et vindictæ executione.

Porro causæ cur cita ira vetetur sunt hæ: Prima, quia mora iram vel solvit, vel mitigat. Ira enim est instar flammæ, quæ simul tota exardescit simulque deflagrat et desinit. Unde Seneca l. 3. de Ira cap. 1. *Mora*, ait, *lentum præcipitis mali remedium*. Et S. Hieron. hic dum sic explicat: *Non quod concedat tardius irascendum, idcirco nunc dicit: Ne festines in spiritu tuo irasci, sed quod cum furens et recens fuerit ira dilata, facilius sedatum possit auferre*. Secunda, quia mora impedit ne ira prosiliat in lites, rixas, cædes cæteramque vindictam. Tertia, quia mora dat tempus menti, ut rationes excogitet, quibus ira sedetur. — Ira cita vitanda, cur? Ratio. 1. 2. 3.

Salomonem secuti sunt Plato et Philosophi. Plato iratos monebat ut seipsos in speculo contemplarentur. Nam cum faciem suam furibundam per omnia phrenetico similem viderent, eo dedecore territi, in posterum ab ira sibi

C facile temperabant, aut certe eam tardabant. Item: *Sapiens*, ait, *cum vituperatur, non irascitur; cum laudatur, non extollitur*. Ita Laertius in eius Vita. Aristoteles: *Iram*, ait, *cohibe, quia sicut fumus oculos, sic ira rationem offuscat, ut verum cernere nequeat*. Ita Stobæus ser. 18. Seneca l. 4 de Ira c. 15 *Nihil minus*, inquit, *quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est; inde est quod Socrates servo ait: Cæderem te, nisi irascerer*. Cato iratum ab insano nil differre aiebat, nisi mora; sentiens iram esse brevem insaniam. Ita Plut. l. de Cohibenda Ira. — Gnomæ

Athenodorus hoc monitum dedit Augusto Cæsari, cum ei valediceret: *Ira correptus nil dicas aut facias, donec 24. litteras Alphabeti Græci percurreris*. Ita Plutarch. in Apophth. Rom. qui et addit Augustum approbando respondisse: *Silentii sunt tuta fidi præmia*. S. Ambros. Theodosio Imper. qui ex subita ira iusserat Thessalonicenses ob deiectam suæ statuam occidi, suggessit ut sanciret sententiam necis ab Imp. in aliquem latam, non nisi

D post triginta dies executioni mandari. Sententia enim in innocentem lata revocari potest; at vita innocentis occisi revocari nequit.

Denique S. Iacobus c. 1. 19 *Sit autem*, ait, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram*.

Quia ira in sinu stulti requiescit.) Hugo Card. τὸ *requiescit* exponit *sedatur*, vacat, cessat, sicut quiescunt fluctus, dum sedatur et tranquillatur mare; atque quiescunt passiones et tumultus dum pacantur, ut sit antithesis eius, quod præcessit, q. d. Ne sis citus ad iram, sed nec nimis tardus, quia illud est præcipitis, hoc vecordis, stulti et stupidi. Qui enim caret ira, caret mente, ait Sapiens. Et Aristot. Ethic. c. 5. *Iræ vacuitas*, ait, *minime laudabilis Nam qui non irascuntur pro quibus oportet et ut oportet, et cum oportet, et quibus oportet, fatui sunt; nam neque sentire neque dolere videntur*.

Secundo, Chald. *Requiescit*, inquit, quia iræ pœna et

vindicta in caput stulti irascentis retorquetur, illique incumbit et in eo requiescit; ut eum pessumdet et perdat, dum cogitur subire supplicia ob ea quæ temere in ira dixit et perpetravit.

Verum τὸ *quia* non antithesim, nec pœnam, sed caussam notat, q. d. Noli cito irasci, quia hoc est stultitiæ et stultorum; Hebr. *kesilim*, id est inconstantium qui facile mutantur. Ira enim in sinu stulti quiescit, ut ipse statim velut ex sinu eam promat et prodat. Porro sinum non aliud quam ipsam animam appellat, ait Olympiod. Caussam dat S. Greg. 5. Moral. c. 30. *Per iram*, ait, *sapientia perditur, ut quid, quoque ordine agendum sit omnino nesciat, sicut scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit cum mentem permovendo confundit.*

Exemplum est in Nabal, qui vere Nabal, id est stultus, stulta indignatione contra Davidem exardescens, eadem enectus et mortuus est, 1. Reg. 25. v. 25. et 38. *Ira enim est signum insipientiæ*, ait S. Hieron. *quia quamvis aliquis potens existimetur et sapiens, si iracundus sit; insipiens arguitur*. Unde Campensis vertit: *Ne inducas in animum tuum, ut cito irascaris: solent enim fere esse stulti, qui proni sunt ad iram.*

Ira in sinu quid? Resp. I. Nota: Τὸ *in sinu* multa notat. Primo, quod stultus iram habeat familiarem, et ad manum, ut illico eam exerat, q. d. tam facile irascitur, quam quis e sinu chartam extrahit; cum e contrario sapiens iram habeat in corde et cerebro, ut non nisi prævia ratione lente eam educat.

II. Secundo, iram esse in stulti sinu, velut in proprio suo loco et sede, in qua fixe moretur et habitet, unde significat pronitatem et habitum irascendi, q. d. Stultus cum minime re tangitur, ex innata, vel per irascendi consuetudinem insita sibi ira continuo irascitur, vociferatur, litigat, pulsat, verberat. Ita Olymp. *Caveto*, ait, *ne molem iracundiæ concipias habitum, ita ut transeat in affectum cordis*, ut ait Psaltes.

III. Tertio, iram esse amicam stulto, ab eoque foveri ot eam ad pectus, quasi in sinu gestet, brachiis complectatur et stringat, ei serviat et obsequatur prætexendo calvas rationes, ob quas videatur iuste irasci. Ita Thaumat. *O quam solers est iracundia ad fingendas causas furoris!* ait Seneca lib. 1. de Ira c. 16.

IV. Quarto, iram eius in animæ sinu esse reconditam, ideoque profundam, occultam, intimam, gravem, diuturnam et implacabilem. Huic affines sunt gnomæ sapientum, ut S. Iob c. 5. *Stultum interficit iracundia.* Salomonis Proverb. 27. 3. *Grave saxum et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Eccles. c. 22. 17. *Super plumbum, quid gravabitur? et quod illi aliud nomen, quam fatuus?*

Vers. 11. NE DICAS: QUID PUTAS CAUSÆ EST, QUOD PRIORA TEMPORA MELIORA FUERE, QUAM NUNC SUNT? STULTA ENIM EST HUIUSCEMODI INTERROGATIO.) Hebr. *Quia non a sapientia* (incitatus) *hoc interrogares*: Vatablus: *Quia non prudenter interrogares*; Campens. *Non enim est prudentis viri talia interrogare. Meliora*, intellige tum physice, id est ditiora, fertiliora, feliciora; tum ethice, id est iustiora, sapientiora, sanctiora. Sic Daniel c. 2. 32. et seq. primum Monarchiæ Assyriorum sæculum vocat *aureum*; secundum Chaldæorum, *argenteum*; tertium Græcorum, *æreum*; quartum Romanorum, *ferreum*. Porro ultimum Antichristi sæculum erit *plumbeum*, id est molestissimum, miserrimum, pessimum et periculosissimum. Iam

Primo, Thaumat. hanc gnomen ad sequentem comparationem operum et sapientiæ refert. Unde sic vertit et explicat: *Errant, autem qui asserunt priscis meliorem* (ditiorem) *vitam concessam, non intelligentes quantum a possessionibus opum sapientia differt*; de hoc enim proxime fiet sermo.

Secundo, Chald. hanc gnomen præcedentibus de calumnia, iniuria et ira nectit; unde sic vertit: *Cum iniuriam, pateris, ne dicas: Qui fit quod antiquitus res erant in tuto, et prima illa sæcula essent præstantissima, illiusque ætatis homines recte factis nobis præluxerint, quo nomine omnia ad eos prospera et iucunda dimanarent?* Sic et Clarius et Campensis. Porro hoc stultum est interrogare; tum quia omni sæculo fuere multi scelerati, iniurii, tyranni; tum quia quisque sui sæculi iniurias aspicere, modumque eas prudenter et patienter ferendi, vel superandi excogitare debet, non vero retrospicere ad tempora præterita, quæ ad eum non pertinent, nec iniurias sui ævi ab eo auferre queunt.

Huc accedunt illi, qui censent hoc esse murmur insipientium et stultorum, divinam providentiam incusantium, quod priscis dederit sapientiam, probitatem, frugalitatem, ideoque rerum copiam, pacem, vires et robur, quæ posteris subtraxerit: cum constet Deum ex parte sua affatim cuique ætati providisse de bonis, tam animi, quam corporis. Hinc S. Bonavent. censet hæc dici de frugalitate priscorum, qui sine auro et argento vivebant pacifice ex frugibus terræ, cum postea effossa ab avaris metalla omnium fuerint irritamenta malorum.

Tertio Olympiod. sic explicat: « Quotidie sic stulti homines loqui solent, dicunt enim: Patrum nostrorum temporibus illis priscis loqui Deus hominibus modo per Angelos, modo per Prophetas solebat; licebat antiquis patribus uxores multas accipere, multas divitias possidere, quæ tamen nobis Evangelica lex coercuit. Sunt præterea qui dicunt: Olim me Deus auxilio suæ gratiæ protegebat, nunc vero me penitus solum dereliquit; ideoque bona operari non possum. Hæc autem omnia sunt insipientium verba. Est et alios ita blaterantes audire: Tempestate nostra mundus hic malis hominibus est refertus, alii sunt boni dies, alii vero mali. » Hosce deinde castigans subdit: « Cæterum qui duce virtute suam moderatur vitam, de vita in vitam transit, ac de fide in fidem proficit operibus bonis, neque apud illum est aliqua dierum differentia, sed congruis rationibus novit evertere, quas paulo ante adduximus, stultorum hominum quæstiones. »

Quarto, S. Hieronym. quem sequuntur more suo Salonius et Alcuinus, *tres* affert expositiones, quarum prima est litteralis, secunda tropologica, tertia allegorica; ait ergo: *Nec otius sæculum præsenti præferas, quia unus utriusque est conditor Deus, virtutes bonos dies viventi faciunt, vitia malos. Ne dicas ergo meliores fuisse dies sub Moyse et sub Christo, quam modo sunt. Nam et illo tempore plures fuerunt increduli, et dies eorum mali facti sunt, et nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Salvator: Beatiores sunt qui me non viderunt et crediderunt.* Aliter: *Sic debes vivere ut semper præsentes dies meliores tibi sint, quam præteriti, ne cum paulatim decrescere cœperis, dicatur tibi: Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Et iterum: *Incipientes spiritu, nunc carne consummamini.* Aliter: *Ne dicas meliora tempora olim Moysis quam nunc Christi; legis fuisse, quam gratiæ. Si enim hoc volueris quærere, imprudenter facis; non videns quantum distet Evangelium a veteri testamento.*

Omnia hæc apposita sunt et eodem tendunt. Summa, hæc gnome dirigitur et distringitur in homines otiosos, inertes et querulos, qui inopiam, malitiam et infelicitatem sui ævi desidiose lamentantur, ac præteritos, et præterita sæcula præ suo laudant et celebrant; hoc enim homini innatum est vitium, ut nauseet ad præsentia, amet absentia et præterita, iuxta illud Cornelii Galli de arte Poetica: *Laudat præteritos, præsentes despicit annos*: et illud Taciti lib. de Orat. *Vitium est malignitatis humanæ, ut vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio; ut vetera antiquaque miremur, nostrorum temporum studia rideamus et contemnamus.* Et illud Horatii l. 2. ep. 1.

Et nisi quæ terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit.

Rursum senes solent præterita narrare et extollere, ac præsentia iuvenum facinora ex φιλαυτίᾳ parvipendere, teste Arist. l. 2. Rhet. 13. et Plut. tract. de seipso laudando. Unde Poeta: *Senectus*, ait, *difficilis, querula est, laudatrix temporis acti.* Nonnulli etiam rudes et plebeii ipsa tempora incusant quasi ipsa hanc infelicitatem afferant, qua in re stolide errant, cum non temporum, sed homi-

num otiositas et malitia incusanda sit. Idem enim omnibus fuit et est sol, idem cælum, eadem sidera et elementa, idem solis et cælorum motus, eadem temporum series et vicissitudo: nec quisquam ex cæli solisve impulsu, sed ex propria virtute aut vitio probus est aut improbus. Alii de Deo queruntur, quod priscis meliora dederit tempora, quam sibi suisque, uti paulo ante indicavi. Itaque suos mores improbos, ideoque infaustos et miseros blaspheme in Deum, cælum vel astra reiiciunt, cum sibi ea imputare deberent, qui insignis est error et stultitia. Adde quod stulte se crucient de rebus præteritis, quæ revocari nequeunt, ac interim negligunt præsens virtutis studium. Insuper noster Emmanuel Sa stultam ait hanc esse interrogationem, eo quod interrogent rem, quæ in se clara est et manifesta; nam constat res omnes in deterius ruere, ut videmus priscas arbores, homines, animalia olim vegeta et florentia nunc consenescere, languescere, emori. Idem videre est in Ordinibus, Religionibus et statibus Ecclesiæ. Primi enim fideles et religiosi tempore Apostolorum longe sanctiores fuere præsentibus, ut patet de Essæis sub S. Marco.

Denique nihil novum sub sole, unde sicut prisci suas habuere virtutes et vitia, sua commoda et incommoda; sic eadem vel similia habent et posteri. Nam ut sapienter ait Plinius Iunior lib. 6. epist. 21. *Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam nostrorum temporum, ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effœta est natura, ut nihil laudabile iam pariat*; sed sicut nos miramur priscos et prisca, sic posteri nostros et nostra mirabuntur, iuxta illud S. Hier. epist. 114. *Ingenium quasi vinum probatur antiquitate.* Unde illud: *Vino veteri utere*; et: *Sapientia est in antiquis.*

Porro constat legem novam meliorem esse veteri et prisca, puta tempus Christi et gratiæ præstare tempori Mosis et Iudaismi. Ad hæc, nonnulla sæcula posteriora, sapientiora et meliora fuisse prioribus, quale fuit sæculum tertium, et quartum, quo floruere S. Athan. S. Aug. S. Hieron. S. Basil. S. Chrys. S. Nazianz. cæterique Ecclesiæ doctores Græci et Latini. Certe nostrum hoc sæculum multa præcedentia superat, tum in doctrina, eaque omnigena, tum in artibus eximie excultis, tum in rebus bellicis, tum in virtute, religione et sanctitate. Sane numquam ita excultæ fuere artes, disciplinæ et scientiæ universæ, uti hoc ævo: numquam tot religiosæ familiæ doctrina, religione et zelo floruere, uti hac ætate; numquam tot navigationes, merces et opes etiam Indiæ Orientis et Occidentis extitere, uti nostro sæculo.

Demum Salomonis ætate stulta erat hæc interrogatio. Salomon enim opibus, sapientia, regno, felicitate et gloria superavit omnes priscos: quare optimum sub eo sæculum egerunt Israelitæ, ideoque falso tunc morosi nonnulli senes et Aristarchi dixerunt: *Quid causæ est quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt?* Occurrunt et respondent nonnulli Salomonem hæc scripsisse post lapsum et de lapsu pœnitentem, cum iam idololatriam in Israelem invexisset, de qua proinde pii querebantur, dicentes: Quo abiit prisca Abrahæ, Mosis, Davidis fides et religio? Abiit, evanuit: *O domus antiqua, quam dispari domino dominaris!*

Verum valde dubium et incertum est Salomonem hæc scripsisse post lapsum: nullum enim lapsus, nec pœnitentiæ, toto opere dat indicium. Adde: si pœnituit, et pœnitens hæc scripsit; ergo et priscam religionem abolita iam idololatria restituit: hoc enim exigebat vera eius pœnitentia. Certe ipse toto hoc libro non aliud facit, quam prædicare idolorum rerumque creatarum vanitatem, ac Dei unius veritatem veramque fidem, timorem et cultum, ut proinde nemo hac de re queri, ac priscam religionem ab eo labefactatam lamentari posset.

Vers. 12. UTILIOR EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM.) Hebr. *Bona est sapientia cum hæreditate* (sic et Septuag. μετὰ κληροδοσίας, id est, *cum hæreditatis distributione*, sive hæreditaria parte et sorte) *et amplius, vel abundantia, vel excellentia est videntibus solem*; Arabicus: *Sapientia bona est in immutatione suæ sortis, et bonitas eius prodest iis qui aspiciunt solem*, scilicet iustitiæ, puta Christum per fidem. Ita S. Hieron.

Chald. addit mansuetudinis præ sapientia et opibus elogium, quasi hæc spectent ad mansuetam calumniæ et iniuriæ tolerantiam, de qua v. 8. et 9. Sic ergo vertit: « Bona est sapientia legis cum hæreditate; sed longe melius est ut sit vir in mansuetudine cum viris habitatoribus terræ, qui viderunt bonum et malum sub sole in sæculo hoc.

Hæc guome nectitur præcedenti: quia enim ibi in Hebræo sapientiæ facta est mentio, cum ait: *quia ex sapientia hoc non interrogares*; hinc de more in sapientiæ laudem mox excurrit, eamque cum opibus utilem ac potentem ostendit. Quia enim visus est cap. 2. v. 8 opes vituperare, easque vanas pronuntiavit; hinc earum usum et commoda hic recenset, si nimirum sapientiæ coniunctæ ab ea honeste expendantur. Addit Thaumaturgus responderi hic querelæ conquerentium tempora priora fuisse meliora, id est, ditiora (licet Bonav. contrarie exponat, scilicet *meliora*, id est, pauperiora et frugaliora, ideoque probiora et iustiora) dicendo: Esto priora tempora fuerint ditiora, posteriora tamen sunt sapientiora. Sapientia autem melior est divitiis. Iam quoad sensum

Primo. Thaumat. censet hic sapientiam apponi et præponi divitiis, q. d. Utilior est sapientia cum divitiis, id est, præ divitiis, aut potius *cum divitiis*, scilicet collata et comparata, q. d. Si sapientiam compares cum divitiis iis utique utilior deprehendetur. Favet Syrus enim vertit: *Melior est sapientia vestibus armorum, magis videntibus solem.* Verum alii passim censent divitias hic non opponi, sed componi et coniungi cum sapientia. Hoc enim significat Hebr. עם im, Græcum μετὰ, et Latinum cum.

Secundo ergo, R. Haccados per sapientiam cum hæreditate accipit sapientiam hæreditariam, q. d. Utilior est sapientia a parentibus quasi hæreditarie accepta, quam hæreditas opum; hæc enim sine sapientia parum prodest: at sapientia etiamsi sola sit et inops, opes sibi acquirere et comparare novit.

Tertio. Caiet. q. d. Sapientia cum hæreditate id est, cum divitiis hæreditariis utilior est divitiis proprio labore et mercatura partis, quia hæ per mille curas impediunt studium sapientiæ; illæ non, quia sine labore per hæreditatem obveniunt.

Quarto et genuine, q. d. Sapientia cum divitiis utilior est, quam sint solæ divitiæ, aut subinde etiam sola sapientia divitiis destituta; quia utiles quidem sunt opes, sed utilior est sapientia, utilissima vero est, si opes adiunctas habeat, quia iis sæpe tuenda est dignitas sapientiæ. Si enim doctor, princeps, Episcopus, Pontifex sit pauper, licet sit sapientissimus et sanctissimus, tamen a vulgo, infidelibus et hæreticis despicitur; sin vero sit dives, timetur et colitur iuxta illud: *Dives locutus est, et omnes tacuerunt*, etc. *Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic?* Rursum opes serviunt beneficentiæ ad iuvandum egenos, ad propagandum Dei cultum, fidem et pietatem, uti cum propagavit Constantinus et Carolus cognomento Magni, Theodosius, cæterique sapientes et opulenti Imper. ac Pontifices, inter quos nuper excelluit Greg. XIII. qui Pontificali munificentia ædificatis plurimis collegiis et seminariis, Dei cognitionem et cultum mire ubique dilatavit; cuius proinde virtus, fama et gloria toto orbe perennat, et perennabit in omnia sæcula. Ita S. Hieron. Alcuinus, Lyranus, Hugo Card. et alii. Hinc et Arist. 1. Ethic. c. 10. docet divitias instrumentum esse ad felicitatem acquirendam aptissimum, easdemque materiam virtuti præbere.

ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM.) Id est, viventibus: hi enim vident solem. Innuit divitias tantum prodesse in hac vita, qua solis usura fruimur: in cælo enim nullus erit earum usus. Unde quidam hac phrasi putat notari longævitatem; q. d. Utilior est sapientia cum divitiis, magisque prodest, si diu videat solem, id est, si sit longævæ et diuturnæ vitæ. Verum hoc alienum est et coactum, æque ac illud Titelmanni, qui sic vertit: *Præcedit vel vincit videntes solem*, q. d. Sapientia antecessit omni-

bus creaturis, quæ sub sole sunt, eumque intuentur. Τὸ *solem* notat opes sapientem facere clarum et splendidum, præsertim dum publice in conspectu solis opes in pauperes, vel pios usus expendit.

Mystice Olympiod. Sapiens, inquit, contemplando solem in Creatoris eius contemplationem assurgens, divina luce perfunditur. Sapientia cum hæreditate ergo est fides cum operibus, quæ perducit ad contemplandum solem iustitiæ. Sic et S. Ambros. epist. ad Sabinum, per hæreditatem hoc loco accipit fidem. S. Hieron. vero hæreditatem accipit pro conversatione bona, per quam fimus hæredes cœli. « Vult igitur Ecclesiastes, inquit, docere quanto differant hi qui solem mereantur videre iustitiæ, et habent sapientiam cum conversatione bona, ab his qui absque sapientia vitæ tantum et conversationis studium commodaruut. Quod qui-
Dan. 12. dem a Daniel ostendit dicens: Intelligentes sermones meos fulgebunt ut luminaria cœli; sive ut Theodotion interpretatus est: Quasi splendor firmamenti: Qui vero fecerint sermones meos, quasi stellæ cœli. » Idem S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. docet his verbis innui meliores esse dies posteriores, quam priores; quia in lege sapientiam carnis mors sequebatur, accidens in Evangelio: sapientiam spiritus hæreditas expectat æterna.

Vigilantius hæresiarcha (quem nostri Luterani et Calvinistæ sequuntur) hanc gnomen torsit contra religiosos, qui paupertatem vovent: Utilior, inquit, est sapientia cum divitiis; ergo sapientia cum paupertate minus utilis est, egena et sterilis. Respondeo: id verum est de paupertate involuntaria et coacta, non autem de voluntaria et religiosa, qua ut totam se Deo dedat, opes sponte abdicat, ac studio perfectionis sequitur consilium Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Matth. 19. 21. Hæc enim paupertas animum erigit super opes omnesque res terrenas, ut iis expedita et mundo celsior, in cœlo spes et opes suas defigat, totamque se uniat Deo. Opes ergo utiliores sunt ad vitam activam et beneficentiam: paupertas vero utilior est ad studium sapientiæ vitamque contemplativam, uti docent non solum omnes Patres, sed et ipse Arist. diserte l. 10. Ethic. 8.

Audi S. Hieron. lib. contra Vigilant. « Quod asserit eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam eos qui possessionibus venumdatis semel omnia largiuntur, non a me, sed a Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem et naviculam et rete dimittit: Iste quem tu laudas, secundus et tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda. »

Vide eumdem epist. 26 ad Pammachium, et 28. ad Lucinium, et 34. ad Iulianum, ubi inter cætera ait: « Unus (Crates Philosophus) multarum possessionum pretium proiecit in pelagus, dicens: Abite in profundum malæ cogitationes, ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Philosophus gloriæ avidus et popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit, et tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex tota offeras? Teipsum vult Dominus hostiam vivam placentem Deo; te, inquam, non tua, quod si teipsum Domino dederis, et Apostolica virtute perfectus sequi cœperis Salvatorem, tunc intelliges ubi fueris, et in exercitu Christi, quam extremum tenueris locum. »

S. Hieronymo concinit S. August. lib. de Bono coniug. « Bene faciebant, ait, qui de sua substantia Christo et discipulis eius necessaria subministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur. »

Idem docet Cassianus collat. 24. cap. 33. et S. Gregor. 31. Mor. cap. 17. et S. Ambros. lib. 1. Offic. 30. Unica gnome rem tetigit nodumque solvit S. Hilarion, teste S. Hieronym. in eius Vita, qui opes sibi ab Oriono oblatas respuens: *Nemo, ait, melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.* Vide Bellarm. l. 2. de Monachis c. 46. in resp. ad 3. Hæc paupertas ævo Salomonis rudibus Iudæis totiqua mundo erat incognita, quia a Christo verbo et exemplo in orbem est inducta. Christus ergo uti cætera legis dogmata suis præceptis et consiliis complevit et auxit: sic et hanc Salomonis gnomen: *Utilior est sapientia cum divitiis,* sublimi sua sanctione perfecit et transcendit dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* Matth. 5. Utilis ergo est sapientia sola, utilior est sapientia cum divitiis et beneficentia, at utilissima et perfectissima est sapientia cum opum mundique totius contemptu, ut tota Deo adhæreat, imo medullitus inhæreat.

SICUT ENIM PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PE- Vers. 13
CUNIA.) Heb. *Sicut in umbra sapientiæ, sic in umbra pecuniæ,* scilicet confidit vel conquiescit et secure obdormit homo. Unde Chald. *Quia sicut custoditur homo in umbra scientiæ, sic custoditur in umbra argenti, in tempore, quo facit ex eo eleemosynam;* S. Hier. in Comment. *Quia quomodo umbra sapientiæ, sic umbra argenti;* Syrus: *Umbraculum sapientiæ, sicut umbraculum argenti;* Arabicus: *Sapientia in umbra sua, sicut umbra argenti.* Videntur hi omnes pro בצל *betsel,* id est, *in umbra,* legisse כצל *ketsel,* id est, *sicut umbra.*

Sensus est clarus, q. d. Utilior est sapientia cum divitiis et pecunia, quia utraque instar umbræ eum protegunt, suntque ei velut umbraculum: Primo, ut eum refrigerent in æstu solis, id est, tentationis et tribulationis, æque ac prosperitatis et abundantiæ, ne ullum ex rerum inopia vel copia ardoris, puta concupiscentiæ, vel impatientiæ damnum sentiat, sed ab utraque animum intactum servet, eumque ad Deum in cœlum sustollat, idque in hac vita quæ non nisi umbra est veræ vitæ. Unde Sponsa Cant. 2. suspirat dicens: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ,* ait S. Hieron. Secundo, ut eum, imo omnes qui ad se confugiunt, abscondant et protegant ab incursu hostium, a quibus eum eruit sapientia, tutatur vel redimit pecunia. Tertio, ut eum roborent ad ardua capessenda; sic enim B. Virgini Deum concepturæ ait Gabriel: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* ut in te arduum hoc incarnationis Verbi opus peragat, Lucæ 1. Quarto, umbra plantis, animalibus et hominibus ardore solis tabescentibus dat respirationem et vitam; sic eamdem dat quoque sapientia, ut sequitur. Unde mystice, sapientia est Christus, de quo ait Ierem. Thren. 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.* Ubi multa in hanc rem annotavi. Ita S. Hieronymus.

Porro Septuag. implexe vertunt: *Quia in umbra eius* (græce αὐτῆς, scilicet περιουσίας, id est, *abundantiæ,* quæ præcessit) *sapientia sicut umbra argenti,* q. d. In umbra abundantiæ protegitur homo a sapientia, sicut protegitur ab argento et divitiis, uti vertit Vulgata et cæteri. Thaumaturgus tamen sic interpretatur, q. d. *Sapientia opibus tanto est clarior, quanto umbra sua splendidius apparet argentum,* q. d. Tanto præstat sapientia argento, quantum argentum præstat argenti umbra; scilicet sicut umbra argenti tantum est umbra, sic argentum tantum est umbra sapientiæ. Olymp. vero sic legit: *In umbra ipsius sapientia, sicut umbra argenti;* sicque mystice explicat: Argentum, inquit, significat disciplinam et scientiam: huius umbra est sermo doctoris, qui discipulum docendo ad scientiam perducit, sicut umbra perducit ad corpus, quod facit umbram; umbra sapientiæ vero est practica vita; hæc enim est velut prævia introductio et umbra, quæ nos ducit ad sapientiam, id est ad rerum divinarum contemplationem q. d. Sicut sermo doctoris deducit discipulum ad scientiam; sic vita activa et virtutibus exercita manu ducit hominem ad vitam contemplativam, puta Martha ad sororem Mariam.

HOC AUTEM PLUS HABET ERUDITIO ET SAPIENTIA, QUOD VITAM TRIBUUNT POSSESSORI SUO.) Eruditio et sapientia sunt idem, vel fere idem, ut dixi initio Proverb. puta ipsa prudentia et virtus. Unde S. Hieronym. in Comment. vertit: *Quod amplius est scientiæ sapientiæ vivificabit habentem se;* Chald. *Et augmentum cognitionis sapientiæ vi-*

vificabit dominum suum; Hebr. *Et excellentia scientiæ* (quæ est) *sapientia vivificabit possessores suos*; Septuag. *Et abundantia scientiæ sapientiæ vivificabit eum qui ab ea*, scilicet sapientiam didicit, et sapiens evasit; Syrus; *Et præstantia sapientiæ cognitionis vivificabit Dominum suum*; Arabic. *Præstantia cognitionis sapientiæ vivificat illum qui accenditur ab ea*; Campens. *Hoc habet supra divitias sapientia, quod sapientem perducat ad vitam æternam*; Thaumatur. *Vita hominis non ex caducarum et fragilium opum collectione et possessione, sed ex sapientia provenit.*

Potest tamen eruditio, sive cognitio, vel scientia a sapientia distingui, ut illa sit intelligentia rerum humanarum, hæc divinarum: illa sit in agendo, hæc in contemplando. Ita Lyran. et Hugo; illa sit actus sapientiæ, hæc habitus. Ita Dionys.

Sapientia dat triplicem vitam.

Porro prudentia et sapientia homini tribuit vitam triplicem: Primo, corporalem, facit enim ut corpus noxia vitando et sobrie vivendo sit sanum, vegetum, robustum; secundo, spiritalem, ut scilicet anima vivat iuxta dictamen rationis, prudentiæ, legis divinæ, gratiæ et charitatis; tertio, gloriosam, quia perducit hominem ad vitam et gloriam sempiternam. Hoc est quod dicitur Prov. 4. 10. *Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.* Et c. 3. 18. *Lignum vitæ est, qui apprehenderint eam*, cum ex adverso hoc cap. v. 18. dicatur: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Et Eccles. 4. 12. *Sapientia filiis suis vitam inspirat; qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt.* Et Baruch cap. 3. 28. *Et quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Vide quæ hisce locis annotavi.

Quin et Cicero Tuscul. 3. *Quid*, ait, *est sapientia? Est sanitas animæ.* Et Comicus in Trinum: *Sapientia ætatis condimentum est; sapiens ætati cibus est.* Et alius: *Lux vitæ sapientia.* Et alius: *Ter geminæ sorores sunt, sapientia, sanitas, sanctitas.*

Pro *possessori suo*, hebr. est בעליו *bealau*, quod verti potest *marito vel sponso suo*, vel potius *sponsis suis*; est enim plurale, q. d. Sapientia viro, qui illam sibi despondet, et velut sponsam coniugio copulat, affert dotem amplam, si non auri et argenti, certe vitæ multiplicis non qualis qualis, sed iucundæ, sanctæ, beatæ et æternæ, quam illi conciliat, iuxta illud: *Longitudo dierum in dextera illius, et in sinistra illius divitiæ et gloria*, Prov. 3. 16. Sic D. Henricus Suso per visum sapientiam sibi velut sponsam despondit, et cum ea veram vitam in dotem accepit, uti dixi Eccli. 15. 2.

Denique sapientia non tantum viventibus vitam conservat, auget, prolongat, sed et mortuos ad vitam resuscitat, cum peccatores per pœnitentiam ad vitam gratiæ revocat, uti Christus, Apostoli, virique Apostolici multos ad vitam tum corporalem, tum spiritalem revocarunt, et in dies revocant.

Vers. 14. CONSIDERA OPERA DEI, QUOD NEMO POSSIT CORRIGERE, QUEM ILLE DESPEXERIT.) Symmach. *imminuerit*; Hebr. *Vide opus Dei, quia quis poterit dirigere, vel rectum efficere, quod, vel quem ipse curvarit et obligarit?* Nam אשר *ascer* tam in neutro. *quod*, quam in masculino, *quem*, significat; Septuag. *Vide opera Dei: quoniam quis poterit adornare quem Deus perverterit?* Syrus: *Vide opus Dei; quia quis potest confirmare illum qui est perturbatus?* Arab. *Considera artes Dei; quis enim potest decorare eum quem mutat Deus?* Tigur. *Quis potest reconcinnare* (alii, *aptare*; alii, *æquare*, vel *ad æqualitatem revocare*; Campens. *restituere*) *quod ipse depravavit*, id est, ut Vatabl. *quem perverti sinit*; Caiet. *quod tortum fecit ille*; Camp. *quod perdidit ille*; alius: *quod ille deflexit.* Hinc suspicari quis posset vulgatum Interpretem quoque vertisse: *deflexerit*, nisi omnes Codices constanter legerent: *despexerit.* Iam

Primo, aliqui cum Caietano hanc gnomen explicant de curvatura cælorum, elementorum, totiusque globi terræ et mundi, q. d. Deus curvavit omnes cælorum et elementorum orbes, eosque fecit rotundos et sphæricos; quis er-

A go eos quadrare, vel rectos efficere poterit? Similiter motus, gyros et tramites solis, lunæ et cæterorum Deus fecit circulares; quis ergo eos mutare et rectos facere queat, ut non per Zodiacum, sed recta linea ab Oriente in Occidentem decurrant? Ita David de Pomis hæc refert ad obliquationem motuum cælestium, ex qua subinde provenit obliquatio et pravitas morum humanorum. Sic et Hebræi in Midras Coheleth, quos in fine huius versus citabo fusius.

Secundo, Chald. accipit de hominibus curvatis et distortis, vel quoad pedes, vel quoad totum corpus, puta claudis, mutilis vel mancis. Unde vertit: *Contemplare opera Dei et potentiam eius, qui facit cæcum, et gibbosum, et claudum, ut sint mirabilia in sæculo; quoniam quis potest vel unum ex eis corrigere, nisi Dominus qui sic eos contorsit?* Et Olymp. *Quis potest corrigere quæ prave sunt obliquata, ut claudos, nisi Deus mundi auctor?* Sic et S. Hieronym. qui citat illud Exodi 4. 11. *Quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego?* Thaumaturg. *Quis poterit reparare quæ iuste a Deo videntur*
B *neglecta?* Auctor Catenæ Græc. *Quis resarcire et instaurare valeat quæ Deus iusta ratione neglexisse et præteriisse videtur?* q. d. Nemo potest corrigere defectus naturales ex peccato Adæ, vel propria contractos, v. g. Nemo potest cæco dare visum, surdo auditum, claudo tibias rectas. Ne ergo nos misera horum vanitas cruciet et torqueat, quia ei humanitus succurri non potest; illius ergo remedium a Deo, non ab homine petendum est. Ita Clarius, Caietan. Arboreus, Merlugus. Huc facit priscus Apologus: Asellus querebatur se carere cornibus, cauda simius. Talpa hæc audiens: *Qui potestis conqueri*, ait, *cum cæcitatem meam videatis; malum utique vestris longe maius et acerbius*; Epimythion: *Æquius infortunia nostra perferimus, cum aliorum graviora cernimus.*

Tertio, melius alii hæc accipiunt de curvitate spiritali morum. Cum enim dixerit Salomon sapientiam possessori dare vitam quam et ipse aliis communicare queat, ne quis obiiciat: cur ergo sapientes non convertunt et vivi-
C ficant omnes sceleratos, qui in mundo sunt? Occurrit et respondet quod nemo possit corrigere eum quem Deus obliquarit et despexerit.

Nota, primo, Deum proprie et positive neminem curvare et flectere ad peccata; hic enim est error non solum blasphemus, sed et stolidus; qua ratione enim Deus, qui est ipsa increata puritas, bonitas, sanctitas, ad peccatum et scelus hominem flectat, ac flectendo peccet? Sapienter et nervose Fulgent. ad Monimum: *Deus*, ait, *peccatorum non est auctor, quorum est ultor.* Unde Calvinus, Melanchton et similes, qui Deum faciunt auctorem omnium operum tam malorum, quam bonorum, ut opus Dei sit tam proditio Iudæ, quam vocatio Petri et conversio Pauli; hi, inquam, Deum negant esse Deum, et Deum suum faciunt diabolum. Hic enim est auctor et incentor omnis mali.

Deus pervertit impium quo sensu.

Deus ergo dicitur despicere et pervertere impium eo modo, quo dicitur excæcare, obdurare, tradere in reprobum sensum, scilicet indirecte, permissive et obiective;
D quia scilicet in pœnam præcedentium peccatorum, primo, permittit impium sequi cupiditates suas illicitas ut iis totum se dedat; secundo, ei gratiæ suæ copiam subtrahit, eumque quasi deserit; unde Noster apte hic vertit, *despexerit*; tertio, occasiones voluptatum, cæcitatis et duritiei ei obiicit, bona quidem illas, sed quibus impium abusurum seque obduraturum præscit, uti fuse ostendi Exod. 7. 3. et Rom. 1. 24.

Igitur proprie peccator seipsum pervertit, obdurat, excæcat; Deus vero improprie, quia scilicet eum in sua perversitate deserit et derelinquit. Quare prius peccator deserit et despicit Deum, quam deseratur et despiciatur a Deo. Nam ut ait S. August. ad art. sibi falso impos. art. 7. *Qui* (Deus) *nisi prius deseratur, neminem deserit, et multos desertores ad se convertit*; et Fulgent. l. 1. ad Monimum cap. 13. *Iuste deseritur a Deo, qui deserit Deum;* et ex utroque Concil. Trid. sess. 6. c. 11. *Deus sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab eis deseratur.* Hinc Deus ta-

libus improperat, dicens: *Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo,* Prov. 1. 24. et: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris,* id est, cum eo qui se pervertit perverse te geres, o Domine, Psal. 17. 27. Et: *Si ambulaverint ad me perversi, et ego ambulabo ad eos perversus in furore* meo, Levit. 26. 23. iuxta Septuag.

Perversus in corrigibilis quo sensu?

Nota secundo, Deum despicere perversos, non quod omnia gratiæ, etiam sufficientis, et ad peccata vitanda necessaria auxilia iis subtrahat: sic enim necessario persisterent in sua perversitate, et persistendo non peccarent: omne enim peccatum est liberum non necessarium. Rursum, sic perversi non essent in via salutis, sed in termino, uti sunt dæmones; quia scilicet obstinati sunt in sua malitia, et prorsus e gratia Dei deserti et despecti. Dicitur ergo eos negligere et despicere, eo quod rara et exigua eis det gratiæ auxilia, raras illuminationes, leviores impulsus, ut se convertant, quæ comparata cum eorum perversitate et obstinatione, adeo parva sunt, ut videantur a Deo derelicti et despecti, ac traditi peccato et diabolo.

Nota tertio, neminem posse corrigere obduratum vel despectum a Deo, tum quia illa gratiæ auxilia, quæ ei dat Deus, adeo, ut dixi, sunt modica et infirma, ut cum eis solis difficillimum sit eum corrigi, ac moraliter, sive prout communiter accidit, sit quasi impossibile eum converti: tum quia homini id est impossibile, si Deus non concurrat, ac benignioribus gratiæ oculis eum aspiciat et illustret, sed solito more deserat et despiciat. Est ergo impossibilitas hæc non absoluta, sed conditionata et in sensu composito non diviso. Et hoc proprie non intendit Salomon, q. d. In talibus non ad hominis utpote invalidi, sed ad Dei potentissimi opem et gratiam recurrendum est. Deus enim Paulum, Magdalenam, Matthæum, Pelagiam pœnitentem, Mariam Ægyptiacam, quos per multos annos despexerat, benignius aspiciens correxit, et ad magnam sanctitatem evexit.

Hunc esse sensum patet ex c. 1. v. 15. *Perversi difficile corriguntur*, ubi difficile vocat, quod his impossibile; utrobique enim eadem sunt verba in Hebræo. Ita passim Interpretes ac Scholastici, ut D. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. ad 3. Suarez, Vasquez Valentia, Bellarm. et Molina. 1. p. q. 23. art. 5. in fine. Huc est quod de Pharaone ait S. August. propos. 62. in epist. ad Rom. *Non ergo illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat*; quia scilicet Deus obduratis non omni hora, vel momento dat gratiam qua mollire possint suam obdurationem, sed certis et statis horis illi placitis: qua si tunc utantur, possunt Deo vocanti et pulsanti obtemperare. Porro licet obdurati non semper habeant auxilium gratiæ, quo obdurationem excutiant, et convertantur, habent tamen semper illud, saltem in actu primo, sibi a Deo præparatum ad hoc, ne novum peccatum committant, utque novæ tentationi resistere valeant: si enim a Deo vires et gratiam resistenti postulent; utique impetrabunt, alioquin enim necessario peccarent: imo consentiendo tentationi non peccarent; quia sine gratia illi resistere nequeunt: nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. Nam ut ait S. August. Peccatum adeo est voluntarium, ut si non sit voluntarium non sit peccatum; sicut homo, nisi sit rationalis, nequit esse homo.

Huc facit illud S. Isidori l. 2. de Summo bono cap. 16. « Deserente Deo, nullus pœnitere potest; nonnulli autem ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. Consilio immundorum spirituum hoc fit, nam quia ipsis negatum est per prævaricationem regredi ad iustitiam, obserare aditum pœnitentiæ hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum revertantur: sed eos habeant socios perditionis; illud quibuscumque fraudibus agentes, ut aut deserantur a Deo, aut flagelli immanitate desperent. Ingemiscendum est iugiter, et excussa omni securitate lugendum, ne Dei secreto et iusto iudicio deseratur homo, et perdendus in potestate Dæmonis relinquatur. »

Nota quarto, nonnullos Theologos velle ex hoc gnome probare Deum ante omnem prævisionem demeritorum, reprobos ex mero suo beneplacito reprobasse: per despectionem enim accipiunt reprobationem, sed perperam; aliud enim significat despectio, ut iam dixi. Nam S. August. S. Prosper et passim Theologi docent Deum neminem reprobasse ante demerita: reprobatio enim est iudicium et sententia Dei de demeritis, qua peccatores ob peccata damnat ad gehennam; nam omne iudicium et supplicium irrogatur propter demerita. Pœna enim præsupponit culpam.

An reprobus salvari possit.

Nonnulli tamen, ut Suarez, Bellarm. et alii, hanc gnomen extendunt ad reprobationem, idque duplici modo et sensu: Priore, de reprobatione positiva et completa, q. d. Cum Deus aliquem ob scelera reprobavit et damnavit ad gehennam, impossibile est ut quis eum corrigat et salvet. Ratio est, quia impossibile est ut quis mutet Dei sententiam et decretum, ac pariter impossibile est ut scelera, quæ ponuntur iam facta vel futura, non sint facta vel futura. Posteriore, de reprobatione permissiva et inchoata, q. d. Cum Deus quem collocat in illa serie circumstantiarum et gratiarum, in qua prævidet eum peccaturum, et in peccato moriturum, ideoque a se reprobandum et damnandum, nemo potest eum transferre ad contrariam seriem gratiarum, qua prævidet in ea positos bene usuros gratia, in eaque morituros, ideoque salvandos, in qua Deus collocat omnes prædestinatos et electos, q. d. Nemo potest quem constitutum in serie eorum qui ob peccata prævidentur damnandi, transferre in seriem salvandorum, nec vice versa. Solius enim Dei est has series constituere, et salvandos prædestinare, damnandos vero ob scelera reprobare. Verum, ut dixi, de reprobatione hic proprie, et per se non agitur, sed tantum consequenter, quatenus scilicet obdurati cæterique, qui in peccata usque ad mortem persistunt (qui hic vocantur despecti a Deo) a Deo reprobantur et damnantur. S. Bonav. affert in exemplum filios Heli, quos pater corrigere non potuit; quia Deus eos, utpote perversos despiciens, voluit occidere. Additque ista opera consideranda esse ad timorem. Quis enim non paveat, ignarus an forte gratia congrua ad resurgendum a suis sceleribus privetur? Hic ergo usurpare licet illud Habacuc 3. *Consideravi opera tua, et expavi.* Hæc Bonav.

Moral. Hugo ex hoc loco taxat prædicatores, qui indignantur, si auditores non corriguntur: si autem corriguntur, inflantur, quasi hic sit fructus suæ eloquentiæ; cum cogitare debeant se duntaxat lucernam exhibere, cibos porrigere, præcones agere, tuba canere, campanam pulsare, Deum vero interius mentes mutare et convertere.

Porro S. August. de Corrept. et grat. c. 15. docet omnes perversos esse corripiendos, tum quia nescimus an sint reprobi, an vero electi, qui se correptione nostra convertent: tum quia superioris officium est corrigere subditum peccantem, esto ipse se non emendet ad aliorum instructionem et correctionem.

Audi S. Gregor. hunc locum pertractantem lib. 11. Moral. c. 5. « Mutum est os omne quod loquitur, si ille interius non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur. Hinc Salomon dicit: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit; nec mirum si a corde reprobo prædicator minime auditur, dum nonnumquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. » Subdit deinde ex textu Iob: « Bene autem subditur: Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset? Qui cum iudicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed qui eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi a semetipsis exire non possunt. »

Denique Hebræi in Midras Coheleth, id est in Expos. Eccles. hoc loco, quos citat Hieron. a S. Fide, ex Iudæo Christianus l. 1. contra Iudæos c. 7. quem dicavit Benedicto XIII. Pont. (Petro de Luna) cuius erat medicus anno 1412. (exstat tom. 4. Biblioth. S. Patrum) Hebræi, inquam, inducunt R. Iuda narrantem quod Deus Adamum, eadem hora qua illum creavit, circumduxerit per universas arbores paradisi, dixeritque illi: Respice opera mea, quam pulchra sunt; omne quod creavi, amore tui creavi. Vide ergo ut non pecces, ne causam dissolvendi mundum mihi præbeas: quia si pecces, nemo est qui reparare possit, nisi iustus Messias per mortem suam, cuius tu proinde eris causa: quasi hic Salomon ad historiam illam alludat, imo eam refricet. Verum hæc apocrypha sunt, et Iudaicas fabulas redolent. Esto eadem ad verbum citet Galat. lib. 6. de Arcanis fidei c. 10. illaque tribuat R. Azariæ.

Vers 15. IN DIE BONA FRUERE BONIS, ET MALUM DIEM PRÆCAVE. SICUT ENIM HANC, SIC ET ILLAM FECIT DEUS, UT NON INVENIAT HOMO CONTRA EUM IUSTAS QUERIMONIAS.) Hebr. *In die mala vide* (id est gusta, fruere) *bonum, et malam diem, vide* (prævide, præcave) *hanc enim e regione, vel ex adverso* (id est congruum, quasi oppositum et antithetum. Symmach. *simile*) *illius fecit Deus ad hoc verbum* (hac de causa) *ut non inveniat homo post eum* (verti potest, *post se*) *quidquam*, quod scilicet Deo quasi post tergum obiiciat et occlamet, iuxta illud: *O Iane* (bifrons) *a tergo quem nulla ciconia pinsit*. Forte Noster מאומה *meuma*, id est *quidquam*, accipit quasi derivatum a מום *mum*, id est labes, vitium, macula, de qua quis queri et auctorem culpare valeat. Septuag. *In die bonitatis vive in bono, et vide in die mali, vide; et quidem huic congruenter istud fecit Deus de loquela, ut non inveniat homo post eum quidquam*. Syrus: *In die boni esto melior, et in die mali vide: etiam hoc adversus hoc fecit Deus de colloquio, quo nullam rem inveniat filius hominis post se*. Arabicus: *In die ultimo vive in bonis, et considera diem mali; considera cum illo, quod hoc fecit Deus, propterea quod verba quadrant huic, ut ne inveniat homo, neque respiciat post se ullam rem*.

Chald. vero per bonum intelligit eleemosynam; unde sic vertit: *In die quo benefecerit tibi Deus, tu quoque esto in bonis, et benefac omnibus qui sunt in sæculo, ut non veniat super te dies mala; vide et contemplare, hanc quoque contra illam fecit Deus, ut arguat homines sæculi, ut non inveniat homo post se aliquod malum in sæculo illo*. Vatabl. *Tempore felici sis lætus, et tempore aspero circumspice* (quod nempe Deus immiserit afflictionem: nam hæc cum illis Deus temperat) *ut nihil* (certi) *homo post ipsum* (Deum) *inveniat*. Id est, ita ut non possit reprehendere Deum, nec dicere: Aberravi ob nimiam lætitiam, et tamen Deus me non revocavit. Hæc Vatabl. Iam quoad sensum

In die bona fruere bonis. I. Primo, S. Hieron. « Scio, inquit, me audivisse in Ecclesia ab eo qui putabatur habere scientiam Scripturarum, ita hos versiculos edissertos: Dum in hoc præsenti sæculo es, et boni aliquid operis potes facere, labora, ut postea ipse securus in die malo, id est in die iudicii torqueri alios videns; sicut enim præsens sæculum fecit Deus, in quo nobis fructum bonorum operum possumus præparare. Ita et futurum, in quo nulla boni operis datur facultas. Visus est quidem suadere, cum diceret, audientes. »

Hunc sensum probat Alcuinus, Hugo et Dion. minus apte Lyran. sic exponit, q. d. Diebus festis et solemnibus lautius vive; iis vero qui deputati sunt afflictioni, quales sunt quadragesimales, abstine.

II Secundo. S. Hieron. refert hæc ad libertatem arbitrii, ut possit eligere bonum vel malum. Quia enim Salomon dixit multa esse mala tam in natura, quam in moribus, ne quis id miratur, subdit orbem hunc ex contrariis, puta bonis et malis constare, iisque velut antithetis honestari et ornari, ut ex iis homo bona eligat, mala respuat. Audi S. Hieronym. « Et bona, inquit, et mala prout tibi evenerint sustine. Nec putes vel bonorum tantum, aut malorum in mundo esse naturam, cum ex diversis mundus iste contrariis subsistat: calidis et frigidis, siccis et humectis, duris et mollibus, tenebrosis et lucidis, malis et bonis. Hoc autem fecit Deus, ut haberet sapientia locum intelligendo bonum et vitando malum, et liberum homini relinquatur arbitrium, ne se dicat insensibilem et stolidum a Deo esse generatum, sed eum ideo fecisse diversa, ut homo queri de sua conditione non posset: simulque hoc testimonium consequenter superioribus copulabitur, in quibus ait: Quis poterit adornare quod perverterit Deus? »

Tertio et genuine, refer hæc partim ad vanitatem mundi, utpote in quo ubique mala admixta sunt bonis, puta tristia lætis, calumnia laudibus, infortunia bonæ fortunæ: partim ad Dei providentiam quæ adversa prosperis contemperavit; ne si semper homini obvenirent adversa, concideret animo et desperaret, aut si semper prospera, superbiret et insolesceret, atque hac ratione nullam haberet homo iustam contra Deum querendi occasionem, partim ad prudentiam, quam docet hic hominem, ut sciat quomodo se gerere debeat in prosperis æque ac adversis. Sensus ergo est, q. d. Cum hic mundus vanitate et varietate plenus sit, ideoque in eo mala bonis et tristia lætis sint permixta, tu, o homo, si sapis in die bono, id est prospero, felici et læto, moderate fruere tua prosperitate, sed simul prævide et præcave diem contrarium adversitatis et tristitiæ, atque contra eum te obarma, ut rationes et modos eum declinandi, vel sustinendi, vel superandi adinvenias: Deus enim sapienter hunc cum illo composuit et opposuit; tum ut mundum his quasi antithetis ornaret; tum ut homini lapso continentiæ, pœnitentiæ, patientiæ cæterarumque virtutum continuam exercitationem præberet. Unde non habet homo, quod iuste contra eum queratur; si enim id faciat, ingratus erit Deo in prosperis, iniquus in adversis: quare se in Dei providentiam resignet, illam laudet, et in omnibus gratias agat, itaque semper læte et sancte vivat. Ratio a priori est, tum vanitas et varietas rerum sublunarium, tum quod homo post lapsum perdiderit mentis perfectæ constantiam et æquilibrium, ideoque nunc nimis attollitur, hilarescit et superbit; nunc nimis deprimitur, tristatur, et fit pusillanimis, ut vix umquam in medio virtutis æquanimitatis consistat: quare ad hoc eius vitium sanandum Deus nimis sese attollenti adversa, quæ eum deprimant; nimis vero depresso prospera, quæ eum erigant, immittit. Rursum hæc vicissitudo non sinit eum torpere, esseque desidem in studia virtutis, cum nunc prospera, nunc adversa eum concutiant et exagitent, ut contra illa se obarmet continentia, contra hæc vero patientia. Denique hac ratione discit homo se plene Deo resignare, in eum sperare, ac totus ab eo pendere, ut dicat cum S. Iob cap. 2. vers. 11. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala cur non suscipiamus?* Et cap. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, sic factum est. Sit nomen Domini benedictum*. Et cum S. Paulo: *Scio abundare, scio et penuriam pati*. Solomonem de more secutus Siracides, c. 11. 27. *In die bonorum*, ait, *ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum*. Nam, ut idem ait cap. 33. 15. *Contra malum bonum est, et contra mortem vita, et contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo et duo, et unum contra unum*. Vide utrobique dicta. Unum enim contrarium temperat et moderatur alterum, illudque ad auream mediocritatem, quæ homini salutaris sit totique mundo, reducit. Nam, v. g. adversa deprimunt lasciviam et fastum prosperitatis, prospera extollunt deiectionem et angustias adversitatis, de quo eleganter Olympiod. *Consonum est quod videtur dissonum; et æquale, quod inæquale videtur*. Congruunt ergo et conspirant mirifice in unicam unius mundi, uniusque hominis sapientissimam providentiam, ait S. Hieron. *Diversa contraria, calida et frigida, sicca et humecta, dura et mollia, tenebrosa et lucida, mala et bona*. Ita Pineda.

Idem a Salomone didicere Philosophi: *Contrariis rerum æternitas constat*, ait Seneca epist. 108. ex Cleanthe et Cicerone. Additque: *Optimum est pati quod emendare*

Mundus contrariis constat

III.

Cur?

Gnome.

non possis, et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur, intextum est, et sic alloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur. Duc me, parens celsique domitor poli, quocumque placet; nulla parendi mora est. Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens, malusque patiar quod pati licuit bono. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt: sic vivamus, sic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deos quam se.

Vide eumdem lib. 2. de Benef. cap. 29. hominum contra Dei providentiam querelas recensentem et refellentem. Plutarchus de Tranquill. animi: In lyra, ait, sunt soni acuti et graves; sic in vita nostra res calamitosæ prosperis permixtæ concinnam edunt harmoniam. Scite Lyram vitæ nostræ utrimque pulsat Deus: quare non tantum patienter, sed et hilariter ac iucunde modulos hosce divinos audiamus.

Sapienter S. Gregor. hom. 19. in Ezechiel. longiuscule ante fin. « Discamus, inquit, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est conditor noster, nosque adoptivos filios ad hæreditatem regni cælestis nutrit, et non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. » Unde concludit: « Si itaque fratres charissimi, sic per præcepta Dominica et per Sanctorum exempla gradimur, ut nos nec prosperitas elevet, nec adversitas frangat, habere nos ante omnipotentis Dei oculos palmas hinc et inde monstramus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. »

Vers. 16. Iustus perit in iustitia. HOC QUOQUE VIDI IN DIEBUS VANITATIS MEÆ: IUSTUS PERIT IN IUSTITIA SUA, ET IMPIUS MULTO VIVIT TEMPORE (Syrus: *prolongatus est*; Aquila: *longævus est*) IN MALITIA SUA.) Arabicus: *Quod erit iustus perditus in iustitia sua, et erit impius perseverans in malitia sua. In iustitia* et in *malitia* potest accipi primo materialiter, q. d. Iustus perit, cum sit innocens et mereatur longam vitam; impius multum vivit, licet sit nocens et mereatur citam mortem. Secundo, formaliter et causaliter, q. d. Iustus perit propter iustitiam, uti propterea occisi sunt martyres ob fidem a tyrannis; impii vero prolongant vitam propter suam malitiam, quia scilicet libere dominantur, rapiunt, epulantur, omniaque ad vitam prolongandam commoda per fas et nefas sibi accersunt.

Apte nectitur hæc gnome præcedenti, quia utraque recenset vicariam rerum contrariarum successionem. *Dies vanitatis* vocatur præsens hæc vita; quia vanitati, id est inanitati, mutationi, morti, miseriis, peccatis obnoxia. Perperam Bonavent. Hugo et Glossa pro *vanitatis* legunt *nativitatis*.

Sensus clarus est, tum ex ipsis verbis, tum ex rerum experientia; videmus enim non raro iustos cito occidere, impios vero esse felices et longævos. Sic Isaias ait c. 57. *Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Idem ait Sapiens cap. 2. v. 12. et 20. Ierem. cap. 2. 21. et cap. 12. v. 7. et 8. Hebræi apud Galat. lib. 6. 10. per iustum accipiunt Christum, cuius brevem vitam citamque mortem censent hic prædici, qui mortuus est in iustitia, id est, iustus et innocens, ut peccatores iustificaret et vivificaret: *Consummatus* ergo *in brevi explevit tempora multa*, Sapient. c. 9. ubi v. 7. et sequent. pluribus de causis brevitatis vitæ piorum agetur. Sic Abel cito occisus est a Cain, Manasses vero impius regnavit annos 50. cum Iosias pius tantum 31. David 40. Ezechias 29. Accedit quod iusti ieiuniis, pœnitentiis, vigiliis, orationibus, studiis extenuent corpus, spiritusque vitales consumant; itaque tabescant et moriantur, cum impii corpus epulis saginent. Subinde tamen iustis Deus prolongat vitam, impiis abbreviat, iuxta illud: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*, Psal. 54. 24. Et: *Honora patrem et matrem, ut sis longævus super terram*, Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Ita vices utrasque alternat Deus, ut vitæ huius vanitatem et futuræ veritatem homines agnoscant, et ad illam anhelent. Adde Deum piis propitium, brevitatem vitæ huius pensare longitudine maiore melioris vitæ in cælo; impiorum vero longævitatem permittere iratum, ut scelera indeque pœnas acriores in gehenna sibi accumulent. Audi S. Hieron. « Huic simile est quod ait Salvator, Matth. 10. Qui invenit animam suam, perdet eam; et qui perdiderit animam suam, propter me, inveniet eam. Machabæi pro lege Dei atque iustitia visi sunt in sua perire iustitia, et martyres, qui sanguinem suum fudere pro Christo. E contrario, qui ex illo tempore suillam carnem comederunt, et post adventum Domini sacrificaverunt idolis suis, hi visi sunt in hoc sæculo vivere, et propter suam malitiam perseverare longævi. Sed Dei in occulto patientia est, et tribulare nunc Sanctos, ut recipiant mala in vita sua, et peccatores non visitare pro scelere, et quasi ad victimam reservare, ut et illis possit æterna bona restituere, et his mala inferre perpetua. Hebræi iustos pereuntes in iustitia sua filios Aaron suspicantur, quod dum putant se iuste agere alienum ignem obtulerint; et impium longævum in malitia sua Manassem dicunt; qui post captivitatem restitutus in regno, longo deinceps vixerit tempore. »

Porro Thaumaturg. vertit: *Et ego olim non recte ambulans, cognovi quomodo iustus in iustitia sua perseverans usque ad mortem non excidat, insidiosusque et impius cum scelere suo commoriatur.* At vero S. Cyrill. de Adoratione in spiritu lib. 7. Fieri, ait, potest ut quamvis id fiat quod lex iubet, tamen lex ipsa violetur, nisi lege quis recte utatur: hocque illud est, opinor, quod ait Salomon: *Est iustus qui perit in iustitia sua.*

Chald. autem: « Omnia vidi in diebus vanitatis meæ, quod a facie Domini decernuntur bona et mala, ut sint in sæculo per causam siderum, quibus creati sunt filii hominum; quod si iustus periit in iustitia sua in hoc sæculo, iustitia eius servata est in sæculo venturo; et est vir impius cuius dies prolongantur in peccatis suis, et numerus operum suorum pessimorum servatur ei in sæculum venturum, ut ultio sumatur ab eo in die iudicii magni. »

Denique Hebræi hic in Midras, sive in Glossa, quos citat Hieronym. a S. Fide lib. 1. contra Iudæos c. 7. et Galatin. lib. 6. cap. 10. per iustum accipiunt Mosen, de quo hanc narrant historiam, imo fabulam: « Iustus perit in iustitia sua. Hoc, inquiunt, dicitur de Mose, qui quidem factus est similis filio cuiusdam mulieris quæ, cum esset (ex fornicatione) prægnans, eius criminis causa, posita in vinculis peperit filium, et mortua est; ille filius eius iam nutritus in carcere remansit; post aliquod temporis spatium, dum Rex per ostium carceris transiret, iuvenis ille clamavit dicens: Domine Rex. Hic natus et nutritus sum, cum, ego nihil peccaverim, cuius delicto sum hic? Et Rex ei: propter delictum matris tuæ. »

Vers. 17. NOLI ESSE IUSTUS MULTUM (id est plus æquo et nimis, unde sequitur) NEQUE PLUS SAPIAS, QUAM NECESSE EST, NE OBSTUPESCAS.) Nota: Proprie nullus est nimis iustus, aut nimis temperans, nimis fortis, castus, vel prudens: quia quo maior est iustitia vel virtus, eo est perfectior: τὸ ergo *nimis* significat iustitiam et virtutem degenerare in vitium per excessum, sicut calor naturalis, si sit nimius, ut iustam complexionis temperiem excedat, degenerat in morbum fitque febris. Ita nimis fortis dicitur temerarius; nimis temperans, insensibilis: nimis prudens, callidus. Porro Aristot. l. 5. Ethic. c. 4. et 5. docet omnes virtutes consistere in medio duorum vitiorum extremorum, excepta iustitia; hæc enim, ait, non consistit inter contraria vitia, sed inter duo inæqualia, scilicet inter lucrum et damnum, seu inter iniuriam facere, et pati, quæritque inter hæc æqualitatem et medium. Potest tamen quodammodo dici etiam iustitia versari inter contraria vitia, quia v. g. qui debet alteri centum aureos, si tantum solvat 50. peccat per defectum, facitque creditori iniuriam; sin solvat amplius, puta 150. non facit quidem in-

iniuriam, sed sibi ipsi iniquus est; imo potest iniuriam facere uxori, filiis et familiæ, si opes prodigat, cum eorum detrimento, ut nimirum quinquaginta aureos ad illam alendam necessarios det alteri, cui ad hoc non obligatur. Talis ergo proprie erit nimis iustus, peccabitque per excessum iustitiæ ex una parte, scilicet creditoris, et per defectum ex altera, scilicet familiæ; quia enim excedit dando 50. creditori, hinc deficit in alendo familiam. Ita Franc. Valles. S. Philos. cap. 67. Iam

Ne sis nimium iustus, quo sensu? Respond. Patres et Interpretes varias huius loci dant explicationes, easque appositas et probabiles. Prima est: Noli esse, id est apparere nimis iustus, ut tuam iustitiam venditans, iactes, ostentes instar Pharisæi iactantis et despicientis

I. Publicanum, velut peccatorem, Lucæ 18. 11. Ita Theourgus: *Porro, eu, qui sapiens est, aut iustus, ne videatur sibi ipsi immodice iustus vel sapiens, ne forte, admisso peccato uno, consequenter pluribus implicetur.* Et S. Augustinus in Sententiis num. 365 *Divinitus dictum est: Noli esse iustus multum; quoniam,* inquit, *non est iustitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis iustus, ipse nimis fit iniustus. Quis est autem qui se facit iustum, nisi qui dicit se non habere peccatum?* Quales erant Pelagiani, qui dicebant se esse iustos suis meritis per vires naturæ, non Christi, per vires gratiæ, adeoque se posse vitare omne peccatum etiam veniale. Similia habet S. Augustinus tractatione 95. in Ioannem. Sic quoque explicat Olympiodorus, Alcuinus, Bonaventura, Lyranus, Caietanus et alii.

II. Secundo: Noli esse iustus multum, id est, noli nimis rigide tueri vel prosequi ius tuum vel alterius: quia summum ius summa est iniuria. Ita Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 320. *Hoc sensu,* ait, *dictum est: Noli esse iustus multum, noli iustum severe ac rigide prosequi, verum per bonitatem id exsupera.* Additque: Unde ille e septem Græciæ Sapientibus (Bias, vel, ut alii, Solon) *furatus est illud suum μηδὲν ἄγαν, id est, ne quid nimis, et modus optimus,* q. d. Utere subinde epikia, sive æquitate et discreta moderatione iustitiæ; idque primo in iustitia vindicativa, sive punitiva, noli esse nimius iuris et iustitiæ exactor, censor aut ultor; quia tales sunt rigidi et truces, qui nullam fratribus ex infirmitate peccantibus dant veniam, peccantque contra præceptum Christi: *Nolite iudicare et non iudicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini,* Matthæi 7. 1. Ita S. Hieronymus: *Si quem rigidum,* ait, *et trucem ad omnia fratrum peccata conspexeris, ut nec in sermone peccanti, neque propter naturalem interdum pigritiam moranti det veniam, hunc scito plus iniustum esse, quam iustum est. Nam inhumana iustitia est fragilitati conditionis hominum non ignoscens.* Et Bachiarius ep. de Recipiendis lapsis ad Ianuarium circa medium, tom. 3. Biblioth. SS. Patrum: *Noli nimium esse iustus: Quid erubescis,* ait, *coniungi homini peccatori? Respice illum qui dicit: Noli nimium esse iustus. Magister noster a latronibus vulneratum non solum cura dignum iudicat, verum etiam ad stabulum suum et ovile reducit.* Secundo, in iustitia distributiva, noli esse nimis iustus, id est, cave ne nimis timeas beneficia vel præmia dare indigno, quo fiet ut eadem etiam deneges digno; tertio, in iustitia commutativa, q. d. Cave tantopere timeas alteri suam mercedem et lucrum suo tribuere, ut tibi inferas damnum. Licet enim iustitia consistat in æqualitate iuris et debiti indivisibili, ac proinde contra eam proprie non peccetur per excessum, sed tantum per defectum, ut docet Aristoteles loco iam citato; tamen quoad operationem et executionem iustitiæ potest peccari per excessum, cum scilicet quis solvit debitum eo tempore, quo non obligatur, cum magno Reipublicæ vel suo detrimento, ut, cum quis gladium reddit furioso, quo ipse grassatur in civium cædem. Ita sanctus Augustinus in quæstionibus Veteris Testamenti, quæstione 15. *Nimia in iustitia,* ait, *incurrit peccatum; temperata vero iustitia facit perfectos; quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. Hic ergo iustus non est multum, qui Dei imitator est.* Audi S. Ambrosium lib. 1. de Pœnitentia cap. 1. *Etenim qui studet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere, et quodammodo pensare humeris, non abiicere. Nam pastor ille Evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abiecisse; et Salomon ait: Noli iustus esse nimium. Debet enim iustitiam temperare moderatio.* Cassem argentem subiicit: *Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio habes, qui contemptui se non compassioni medico suo putet futurum? Ideo Dominus Iesus nobis est compassus, ut ad se vocaret, neque deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Reficit ergo Dominus Iesus, non excludit, neque abiicit: meritoque tales discipulos elegit, qui Dominicæ voluntatis Interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur; et, cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eam denegant, ut sunt doctores Novatianorum qui mundos se appellant.* Igitur recte ait S. Hildebertus epist. 23. *Quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit, culpa est totam persequi culpam; magnum quid et divinum sapit offensus clemens; bonus princeps, ita crimen insequitur ut quem punit, hominem reminiscatur.*

Huc pertinet expositio Ferrandi Diaconi Carthag. qui S. Fulgentio comes et familiaris, doctrina et sanctitate floruit anno Christi 480. (exstat tomo 5. Biblioth. SS Patrum) scripsitque Paræneticum ad Reginum Comitem, qua ratione dux queat esse religiosus, in quo Regula 5. in fine egregie hanc gnomen pertractat: « Diligere solita, inquit, et horrere vehementer insolita, nimia est iustitia, non laude, sed reprehensione dignissima, si placet sapientissimi sententia Salomonis: Noli esse multum iustus, neque sapias plus quam necesse est, ne obstupescas, ne remaneas frigidus. Quis remanet frigidus? cui fervor subtrahitur charitatis. Noli ergo esse multum iustus. »

Deinde regulam Innocentiæ sextam hanc Duci statuit: *Quidquid dixeris, gesseris et disposueris, ut Deo et hominibus placeas, Noli esse iustus multum:* casus particulares subiungit: *Incurrit aliquis gravissimam facinoris culpam? meretur iudicialem sentire censuram? Tempera, dux optime, impetum severitatis, et dum reo supplicia inferuntur, interioribus auribus pietas dicat: Noli esse multum iustus. Amicitiæ alius immemor, debito exhibere neglexit officia, dignus est abiici, meretur sentire asperam læsionem? Cohibe, obsecro, rectum dolorem, noli retribuere similia. Ne æstimes quasi inimicum; sed corripe adhuc velut amicum, respondente tibi sapientissimo Salomone: Noli esse multum iustus. Esto ergo iustus, sed noli esse multum iustus. Esto iustus, ut corripias inquietos; noli esse multum iustus, ut consoleris pusillanimes, ut suscipias infirmos, et patiens sis ad omnes.* Et post nonnulla: *O quanta, dux sapientissime, dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leviter attingenda! quanta quoque sacerdotum intercessionibus concedenda ab illo qui sapienter audit! Noli esse multum iustus.* Iuxta illud S. Bernardi ad Eugen. *Rector omnia videat, multa dissimulet, pauca castiget.* Subdit deinde Ferrandus: *Inter alia denique detractionis abscondito iaculo neminem vulnerabimus, nec in moribus bene viventium sollicitius inquiremus; unde culpentur, si loquatur unicuique nostrum per Spiritum Sanctum fidelis Scriptura: Noli esse multum iustus.* Unde concludit: *Nullius onus portans per patientiam fit importabilis omnibus, paulatimque odio crescente multorum animam primitus seditionibus, deinde publicis aperit præliis, cupiendo esse multum iustus, vere factus iniustus et nomine aut officio ducis indignus. Necessarium proinde sermonem, dux optime, sæpius repeto. Noli esse multum iustus.*

Huc facit proverbium Arabum: *Non est iustitia celeritas iustitiæ,* q. d. Non est iudici præcipitanda sententia, ne postea deprehendatur iniusta.

Tertio, noster Lorinus et Pineda sic exponunt. q. d. Noli divina iudicia curiosius scrutari, ut censorem divinæ iustitiæ agere videaris, dicendo: Cur Deus permittit in- III.

stum perire in iustitia sua, et impium in malitia prolongare vitam? unde subdit: *Neque plus sapias quam necesse est*; Septuag. *Noli argumentari plus quam oportet*, ut velis disputare cum Deo, iuxta illud Ieremiæ 12.1. *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: Verumtamen iusta loquar ad te, quare via impiorum prosperatur?*

IV Quarto, noli esse nimis iustus, id est nimis bonus, nimis lenis, nimis placidus, ut peccata dissimules, nec iis resistas. Ita Chald. *Ne sis iustus nimium, ait, in tempore quo reus est peccator mortis, ut clementer agas erga eum, non occidens eum: nec sapiens fias sic amplius, iuxta sapientiam improborum, et ne discas vias eorum: ad quidnam pervertes viam tuam?* Ita quoque Hebræi hic in Midras sive Glossa, et R. Haccados: Nimis iustus, id est bonus, inquiunt, fuit Saul, qui pepercit Agag, et melioribus armentis contra præceptum Dei, ideoque regno et vita excidit, 1. Reg. 15. 8.

V Quinto, plane, plene et adæquate, q. d. Noli nimius esse et excedere modum in iustitia, tum proprie dicta, tum generatim accepta, hoc est in virtute. Virtus enim consistit in modo, et medio duorum extremorum, quæ proinde vitia sunt. Ita S. Gregorius Nazianzenus in Distichis: « Cave, sit, ne, vel nimis rigidam iustitiam, vel incurvam, vel versutam prudentiam habeas. Optimus enim omnibus in rebus est modus. Animi perfidiam rege, ne alioqui a fortitudine ad temeritatem desciscat. » Idem in præceptis ad Virgin.

In medio porro virtus est fixa malorum:
Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutae.

Idem Orat. 26. « Ne magnopere iustus sis, ait, nec supra modum sapiens. Par etenim iustitiæ atque sapientiæ detrimentum affert, seris tam in actione, quam in sermone animi impetus; a bono nempe et a virtute propter excessum excidens. Hanc enim defectus et excessus pariter labefactant, non secus ac regulam additio aliqua aut subtractio. Nemo igitur sapientior sit, quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec præcepto divino sublimior. Id vero qua tandem ratione consequemur? nempe, si modesti et compositi esse curremus, naturæ leges comprobemus, rationem ducem sequamur, ordinem et disciplinam non aspernemur. » Quin et Aristot. 4. Ethic. cap. 6. virtutem definit esse mediocritatem.

Et Horatius:

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Et illud Hesiodi:

Mensuram serva, modus in re est optimus omni

Hunc sensum exigit antithesis v. seq. *Ne impie agas multum*. Hebr. *Ne pecces multum*. Rursum hoc sensu congrue hæc gnome nectitur præcedenti: *Iustus perit in iustitia sua*, q. d. Noli esse nimis in rigore iustitiæ, pœnitentiæ, orationis, contemplationis, cæterarumque virtutum, ne tibi mortem, vel naturalem, vel violentam ab iis, qui hunc rigorem iustitiæ non ferunt, accersas. Favet quoque causa quam subdit: *Ne obstupescas*: nimius enim rigor mentem hebetat, et corpori stuporem inducit.

Huc pertinet expositio Aben Ezræ: Nimis iustus est, inquit, qui nimiis ieiuniis, orationibus, laboribus corpus extenuat, imo enecat et ad summum stuporem desolationemque adducit. *Nihil minus expedit, quam agrum optime colere*, ait Plinius libr. 18. cap. 6. quia sic omnis eius succus et vigor exhauritur, ut fiat effœto sterilis: sic qui nimiis laboribus mentem, vel animum excolunt, illum enervant et stupidum efficiunt. Unde S. Bernardus serm. 4. in Psalm. *Qui habitat: Sicut*, inquit, *iste corporeus sol, licet bonus sit et valde necessarius, tamen et fervor eius, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, et splendor infirmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis; sic etiam sol iustitiæ est. Unde et dicitur: Noli nimium iustus esse, non quod iustitia bona non sit; sed quia, dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratia temperari, ne forte elationis, aut indiscretionis vitium incurramus.* Et S. Ephrem epist. ad Ioannem monachum de Patientia: *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est*: A ne obstupescas, hoc est, inquit, ne maiora te præsumas: noli tentare ea quæ vires tuas, tum naturæ, tum gratiæ superant, ne oneri succumbas et facile te pœniteat. Exemplum affert de monachis quibusdam, qui maioris perfectionis studio cellam relinquentes, contra monita Superiorum, in aridissimam solitudinem se contulerunt: sed ibidem fame et frigore confecti, aliqui etiam enecti fuere. Sapientior fuit S. Macarius, qui ut ibidem refert S. Ephrem, a spiritu quodam stimulatus, ut pergeret in interiorem eremum, diu illi restitit, tandemque ei obsequens, egressus in eremum vidit ibidem duos homines nudos, quos compellans: *Quomodo*, ait, *fieri potero monachus? Et illi ad eumdem: Nisi quis renuntiaverit omnibus qui in mundo sunt, non poterit fieri monachus. Ad quos ille: Ego, inquit, infirmus sum, et non ita valeo, ut vos. Cui illi: Si nequeas ut nos, sede in cella tua, et peccata tua defleas*, q. d. Esto cellita, si nequis esse eremita; cœnobitam age, si non vales anachoretam, iuxta illud tritum: *Si equum agere nequis, agas asinum*. Hac in re peccant sæ- B pe novitii, qui ex novitio fervore, sed indiscreto, illico volunt esse perfecti et summi in sanctitate, ideoque nimiis ieiuniis, orationibus, pœnitentiis se conficiunt, ut ægrotent, indeque fiunt tepidi aut scrupulosi.

Igitur nimirum in iustitia omnique virtute cavendum, singulisque modus est adhibendus, excepto amore. *Nam modus amandi Deum est amare sine modo*, ait S. Bernardus; hæc de amore Dei intellige per se: nam per accidens, ne scilicet nimis debilitetur cerebrum et corpus, modus quoque contemplationi et amori adhibendus est.

Denique nonnulli per iustitiam accipiunt religionem, q. d. Ne sis nimis iustus et sapiens, id est nimis religiosus et curiosus in scrutandis divinis; *ne obstupescas*, id est ne fias superstitiosus, vel hæreticus, vel scrupulosus et delirus. Religio enim, si sit nimia, a seipsa degenerat, fitque superstitio. Hinc Plutarchus in Camillo: *Pietas*, inquit, *sive religio medium est inter contemptum numinis et superstitionem. Pietas autem et quod aiunt: Ne quid* C *nimis, optimum est.*

Neque plus sapias quam necesse est.) Hebr. *Ne tibi sapias amplius quam par est*, vel, *ne te sapientem æstimes excellenter*, sive plus æquo. Arabicus: *Ne sapias sapientiam superfluam*; Olympiod. *Ne nimium sapias*; Campens. *Ne sapias ultra modum*; Tigur. *Ne maiorem tibi sapientiam arroges*. Sensus est, q. d. Ne nimis sapere velis in invenienda et tuenda nimia tua iustitia, qua velut rigidus iustitiæ censor iudicare et censere præsumas mores, actiones, iudicia non solum hominum, sed et Dei; quia et legem ipsam, quasi illa velis esse legalior et iustior, uti paulo ante dixi ex Nazianz. Unde Septuag. vertunt: *Noli argumentari plus quam oportet*. Sanctus Hieronymus: *ne quæras amplius*. Rursum qua velis plus sapere cæteris, tum in sanctitate, rigore et perfectione virtutis, tum in quavis alia re. Unde Vatablus vertit: *Ne plus æquo tribuas tibi*, ut nolis auscultare aliis etiam sapientioribus et superioribus, sed tuum iudicium omnibus præ- D feras, teque plus omnibus sapere æstimes, quæ ingens est arrogantia et præsumptio. Unde Apostolus huc alludens: *Non plus sapere*, ait, *quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Rom. 12. vers. 3. Vide ibi dicta. Sanctus Cyprianus lib. 3. Testim. c. 53. ex Septuag. legit: *Noli argumentari plus quam oportet*; indeque probat arcana Dei non esse curiose scrutanda, ideoque fidem nostram simplicem esse debere. Chald. vertit: *Ne sis nimis sapiens in scientia impiorum, qui sunt in generatione sua, ne discas eorum vias, ne forte declines vias tuas*. Filii enim huius sæculi sapientiores sunt filiis lucis, ait Christus, sed in generatione sua; quia scilicet sapientes sunt in malo ac mille rationes excogitant, quibus mala quæ machinantur perficiant.

Ne obstupescas.) Nimia enim sapientia degenerat in insipientiam et stuporem, sicut nimium studium cerebrum fatigat et hebetat; eo quod optimos spiritus consumat: unde nimis studiosi fiunt stolidi, subinde deliri et amentes, aut ægri, citoque moriuntur. Hinc Hebr. est: *Ut*

quid devastaberis vel *desolaberis?* qualis est obstupescens, qui a seipso, et ab anima sua quasi desertus et desolatus est: Symmach. *Ut non augaris nimium*: Syrus: *Ne admireris*; Arabic. *Ne impie efficias*; S. Hieron. *Ne turberis*; Thaumat. *Ne admisso uno peccato consequenter pluribus implicetur*; Tigur. *Quare teipsum stupidum efficias?* Camp. *Ne forte et tu similiter pereas.* Alius vertit: *Ut quid inflabis te?* Chald. *Ad quiduam pervertes viam tuam?* Caiet. explicat quod nimis sapientes, vel iusti, utpote parum ad praxim et vitam socialem communemque apti soleant deseri ab iis qui negotia tractant, vel deliberent et consilium quærunt. Verum hoc frigidius est.

Vis exempla? Accipe: Philosophi, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, Rom. 1. 22. Adam et Eva insipientes et stupidi facti sunt, dum nimis sapere voluerunt, ideoque comederunt pomum arboris scientiæ boni et mali. Sic Festus ait Paulo: *Multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Actor. cap. 26. 24. Sic Salomon ipse nimis sapientiæ suæ præfidens, stuporem et stultitiam idololatriæ incurrit. Unde Eccles. c. 47. 22. de Salomone ait: *Incitari stultitiam tuam*; et v. 27. *Dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam et imminutum a prudentia Roboam.* Vere Isaac presbyter libr. de Contemptu mundi c. 51. *Qui, ait, de sapientia elevatur, tenebrosos ignorantiæ laqueos patietur.*

Denique perperam Hugo Cardinalis hæc verba refert ad versum sequentem, q. d. Ne impie agas multum, ut peccata peccatis addas, ne obstupescas, id est fias stupidus et durus, ut excitari nequeas ad meliora. Sic et Bonaventura: Prohibet, ait, præcipitium impietatis, quia hæc reddit hominem stupidum in affectu, durum et crudelem in actu, et cæcum in intellectu, atque ut Lyranus, facit hominem desperare.

Vers. 18. Ne impie agas multum, quid. NE IMPIE AGAS MULTUM, ET NOLI ESSE STULTUS, NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO.) Syrus: *Ne odiosus efficiaris multum, ne sis stultus, ne forte moriaris sine tempore tuo*; Thaumat. *Noli esse audax vel temerarius, ne te mors ante diem abripiat.* Auct. Catenæ Græc. *Ne immatura mors intempestivam tibi manum iniiciat*; Chald. *Ne ambules post cogitationes cordis tui, ut impie agas, neque longe facias viam tuam a domo doctrinæ legis, ut sis stultus, ne forte causa mortis sis animæ tuæ, ut succidantur dies vitæ tuæ, ut moriaris, antequam perveniat tempus tuum. Ut moriaris*, Hebr. אל תרשע *al tirscia*, id est: *Ne sis inquietus*, vagus, turbulentus, et concupiscentiis variis abripiaris æstibusque animi instar maris procellosi fluctues. R. David et R. Abraham: *Ne te multum occupes in negotiis mundanis, ne te distrahas, ne vagaris*; Campens. *Ne esto nimis iustitiæ tenax, neque esto exlex, ut nec in minutissimis scrupulose crucieris, nec maxima temerarius transilias.* Hæc gnome est antithesis præcedentis, ut patet conferenti utramque, præsertim in Hebr.

Sensus clarus est, q. d. ait S. Hieronymus: *Noli peccatis addere peccata, ne provoces Deum etiam hic tibi inferre iudicium*, citamque mortem. Peccata maxime gravia et atrocia intellige. Hæc enim significat Hebr. רשע *rascia*, et Latinum *impie agere, quæ* duplicis sunt generis, scilicet primo, impietas in Deum per superstitionem, hæresim, blasphemiam, idololatriam, etc. Ita Olympiodorus. Secundo, sævitia et crudelitas in proximum. Ita Bonaventura, Lyranus et alii. Hæc enim duo, utpote noxia reipublicæ et hominum societati, solet Deus punire in hac vita, et castigare morte uti castigavit totum orbem idololatria et iniustitia plenum diluvio tempore Noe; Pentapolim igne cœlesti; Core, Dathan et Abiron hiatu terræ, Numer. 16. Absalonem patri Davidi rebellantem suspendio. Nam ut dicitur Ps. 54. v. 24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*: ergo *ne impie agas multum*; hoc est, sicut te docui, ne nimis sis iustus, sic te moneo ne nimis sis iniustus. Cave ergo a peccatis gravibus, præsertim Deo vel proximo iniuriis. Nam omne peccatum, etiam veniale et minimum, in hac fragili vita vitare est impossibile, scilicet ut ait Poeta: *Quisque suos patitur manes, felix qui minimis urgetur.*

ET NOLI ESSE STULTUS.) Stulte inhærendo vanis voluptatibus, et addendo peccata peccatis, nec pœnitendo cum periculo mortis et gehennæ, quæ peccatores non cogitant, nec prævident, sed libere et secure peccant quasi non esset mors et infernus, ideoque improvidi subito in eum corruunt. An non hæc summa est stultitia? *Si enim*, ait S. Hieron. *novit hirundo pullos de succo oculare chelidoniæ, et dictamnum capreæ appetunt vulneratæ, cur nos ignoramus medicinam pœnitentiæ propositam esse peccantibus?* Unde Septuag. vertunt: *Noli esse* σκληρός, id est, *durus*; Arabic. *Ne sis inurbanus, scelestus*; Hugo: *Ne sis divinorum ignarus.*

NE MORIARIS IN TEMPORE NON TUO.) Id est, ne moriaris intempestive, præmatura et anticipata morte, eaque sæpe violenta, puta vi ab hominibus, vel a Deo vindice tibi illata. Homines valde scelerati, ait sanctus Hieronymus, moriuntur in tempore non suo: quia vel iudicum, Dei vindicta de vita tolluntur ante naturalem vitæ terminum, quem attigissent, nisi ita incisus et præreptus fuisset, scilicet, *ante fatale tempus*, inquit Tigurina. Nam, ut vertit Campensis; *Tales ut plurimum pereunt male.* Adde inquietudines et passiones, et perturbationes iræ, invidiæ, superbiæ etc. quibus assidue agitantur impii, vitam eorum abbreviant. Sic filii et posteri Heli mortui sunt in tempore non suo. Audi S. Script. *Non erit senex in domo tua omnibus diebus. Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit*, 1. Reg. 2. 31. et 33. iuxta illud Prov. 10. 28. *Timor Domini apponit dies, et anni impiorum breviabuntur.* Mori in tempore non suo quid? Expos. I.

II. Secundo, *in tempore non suo*; quia impios imparatos, utpote destitutos virtutibus et meritis, subita et repentina invadit mors. Ita Olympiodor. Dicitur hoc tempus non suum, quia sibi incongruum, animo noxium, et saluti æternæ damnosum. Hoc enim est tempus peccati et diaboli, quo ipse peccatorem possidet ut rapiat ad tartara.

III. Tertio, *in tempore non suo*; quia impii nullo tempore exspectant mortem, putantque ab ea se longissime distare; ergo incogitantes et pavidos improvisa mors aufert. Vide Pererium in cap. 25. Genes. disputat. 7.

Mystice Auctor Catenæ Græcor. exponit, q. d. *Ne immoretur in corde tuo cogitatio impia, ne forte in impietatem anima prolapsa ignoratione moriatur.*

Tropol. Tropolog. disce hic quod summum bonum est mori in tempore suo, hoc est, quando quis constitutus in gratia paratus est ad mortem, ut per eam transeat ad beatam immortalitatem. Hanc Deus concedit iis qui solliciti sunt et strenui, ut se in gratia conservent, eamque augeant. Vice versa summum malum est mori in tempore non suo, hoc est quando quis degit in peccato mortali, præsertim in consuetudine et statu peccati. Hic enim imparatus est ad pœnitentiam, et ad bonam mortem, ideoque per eam tendit ad mortem secundam in gehenna. Hoc Deus infligit iis qui in impietate crescunt, et peccata peccatis accumulant. Hos enim Deus despicit, occæcat, obdurat, ac tandem reprobat. Quare prædestinationis signum, imo effectus est mori tempore suo, id est, in statu gratiæ; reprobationis vero mori in tempore non suo, id est, imparatum in statu peccati. Quam multi reprobi salvarentur, si morerentur in tempore suo, id est, cum sunt in statu gratiæ: iam autem damnantur, quia moriuntur in tempore non suo; id est, in statu peccati. Quam multi vicissim prædestinati et electi damnarentur, si Deus eos raperet in tempore non suo; v. g. si Petrum rapuisset, illico ut negavit Christum; si Paulum, cum persequeretur Ecclesiam; si Magdalenam, cum voluptatibus indulgeret: iam autem per gratiam, qua eos prædestinavit et elegit, sinit eos vivere in tempore non suo, ut rapiat eos in tempore suo, cum scilicet per gratiam sunt sui amici et filii. Hæc ergo summa est gratia, utpote gratia prædestinationis et electionis divinæ. Hinc disce summe cavendam esse consuetudinem peccandi, ut si in peccatum aliquod lapsus sis, non in eo iaceas, sed illico per pœnitentiam resurgas. Hoc est quod monet Eccles. c. 21. v. 1. *Fili, peccasti, non adiicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittan-*

tur. Vide Bellarmin. de Arte bene moriendi. Viri quidam timorati nuper sodalitatem instituerunt hac de re, in qua quisque quotidie certas pro se cæterisque sodalibus Deo fundit preces, ut sibi cuisque felicem sanctamque in tempore suo concedat mortem; quæ sane pia et utilis est praxis ad assecurandum sibi ultimum et decretorium illud vitæ momentum, ex quo pendet tota æternitas; ideoque sodalitas hæc per plures provincias sparsa est, multaque hominum millia, qui pro se mutuo ac felici sodalium omnium morte quotidie obsecrant, complectitur. Horum illud axioma est: *Sic vive quasi quotidie moriturus. Cum mane surgis, cogita te illo die moriturum.*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quod fuit dictamen S. Marcellæ, teste sancto Hieronymo in eius epitaphio ad Principiam eius filiam.

Vers. 19. BONUM EST TE SUSTENTARE IUSTUM: SED ET AB ILLO (impio, de quo sermo præcessit) NE SUBTRAHAS MANUM TUAM: QUIA QUI TIMET DEUM, NIHIL NEGLIGIT.) Pro *iustum* Titelman. et Vatabl. censent legendum *istum*, quia sic legunt Hebr. et Chald. Verum omnes Codices etiam Sixtini legunt *iustum*, quia per *istum* intelligunt *iustum*. Hebræa ergo sic habent; *Bonum est quod apprehendas in hoc* (id est *hunc*, scilicet iustum) *et eam ab hoc* (id est alio, puta impio) *ne quiescere facias manum tuam, quia timens Deum egredietur ad omnia hæc*. Septuag. *Bonum est inhærere in hoc, et quidem ab hoc ne contamines manum tuam; quoniam timentibus Deum egrediuntur omnia.* Ubi pro μιανῇς, id est *contamines*, per diæresin videtur legendum μὴ ἀνῇς, uti legit Scholiastes, id est, *ne dimittas.*
21 Sic enim legunt Hebr. Chald. Latina. Arabicus vero de more Sept. secutus legit: *Ne contamines. Res bona est*, inquit, *ut amplectaris hanc concionem, et tenens eam, et propterea ne macules manum tuam hoc*. Nonnulli per *hoc* et *hoc* accipiunt iustum in neutro genere, id est iustitiam, q. d. Bonum, imo optimum est ut sustentes iustum, id est, ut iustitiam et sanctitatem supra te tollas, humerisque et capiti tuo impónas, nec ab ea manus amoveas, sed ambabus eam amplectaris, exerceas, tuearis; hoc enim unicum est negotium tibi a Deo impositum et commendatum. Alii per *hoc* et *hoc* accipiunt duo, quæ præcesserunt, q. d. Sustenta hoc, scilicet, ut non sis nimis iustus et severus, nec subtrahe manum ab hoc, id est a secundo, ne scilicet impie agas multum, id est ne sis nimis indulgens et laxus, severitatem clementia temperes: sic Dei sanctam providentiam, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, imitaberis. Verum pro *hoc* hebr. est זה ze, id est *hic* vel *iste*, in masculino genere, puta iustus, nisi alio puncto legas *zo*, id est *hoc, istud;* quocirca

Sustenta iustum.

i. Primo, Thaumat. per iustum accipiens Deum, sic apto præced. de iusto et impio hanc gnomen connectit, dum vertit: *Bonum maximum est Dei adiutorio niti, et sic omne cavere peccatum. Execrabile etiam immaculata pollutis contingere manibus. Atqui obedienti et timenti Dominum omnia adversa licebit effugere.* Et Auctor Catenæ Græcor. *Cæterum*, inquit, *maximum illud est, si succurrentem Deum, manumque iacenti porrigentem vicissim tu apprehendas, ut ab illo pendens nunquam peccato manum tuam porrigas: nam incesta manu contingere, quæ ab omni sunt labe aliena, scelestum plane est et abominabile; at qui timore Dei confixus, Deo subditus est, is adversa omnia facile vitat.*

ii Secundo, Olympiodor. q. d. Bonum est iustum, id est, iustitiam apprehendere et virtutem comparare, nec manus scelere contaminare; qui autem id facit, Deumque timet, evadet tentationum certamina. Vel ut Caietan. Egredietur ad omnia, id est, ad omnes virtutes, quas studiose exercebit, nec erit una alterave duntaxat contentus. Rursum Midras sive Glossa Hebræa, hic, per *hoc* et *hoc* accipit diversa, imo universa legis præcepta, q. d. Ita serva unum præceptum, ut non omittas aliud, sed universa simul exacte observes; sic non morieris in tempore non tuo, sed universa mortis præmaturæ discrimina tutus evades.

iii. Tertio, Hugo Cardin. q. d. Bonum est sustinere iustum, qui sæpe te corripit et castigat, nec ab illo subtrahere obsequium, vel subsidium, sed tanto alacrius illud exhibere, quanto ille diligentior est in corripiendo, et curando salutem tuam.

Quarto, S. Hieronym. asserit sustentare accipi posse pro sustinere: *Ut iusti animus præparetur, ut quodcumque evenerit librato mentis sustineat*, q. d. Iustus æquo fortique animo sustinet omnia tam adversa, quam prospera: ideoque implorat Dei opem; si enim eum habeat protectorem, nec elevabitur prosperis, nec deprimetur adversis. IV.

Quinto, Vatablus: *Bonum est ut hoc*, inquit, *teneas ita* (nempe, quod non sis nimium iustus) *ne manum tuam ab isto retrahas, id est, a iustitia et sapientia, quas non debes spernere, sed utrique operam diligenter dare; namque timens Deum expediet se ab universis his*, id est, facile cavebit, ne sit nimium iustus, aut ne non nimium studeat iustitiæ, recedatque ab extremis. V.

Huc accedunt Hebræi, qui exponunt, q. d. Bonum est apprehendere partem sapientiæ et stultitiæ: quia qui timet Deum utraque viriliter utitur. Una ergo manu apprehendere unam, altera alteram, id quod timor Dei edocebit: cuius ductu tutus incedes, et evades extrema pericula. Et clarius q. d. *Ut hæc pericula* (nimiæ iustitiæ, sapientiæ, impietatis, stultitiæ) *vites*, nil melius est quam ut firmiter credas, et perpetuo in memoria habeas, quod qui reverentur Deum, omnia hæc mortifera mala effugient.

Sexto, Chald. *Bonum est*, inquit, *te adiungi negotiis mundi huius, ut retribuas beneficentiam animæ tuæ in via negotiatorum: et etiam ab hoc libro legis, ne dimittas partem tuam; quonia qui timet Dominum, exit de manibus omnium dilectorum illorum.* Unde aliqui per *hoc* et *hoc* accipiunt theoricam et practicam, q. d. Ita vaces theoricæ et contemplationi, ut non omittas actionem et praxim, sed manus operi et beneficentiæ admoveas. Contemplatio enim dirigenda est ad actionem et exercitium virtutum. VI.

Septimo, et genuine Sanctus Hieronymus, Alcuinus, Glossa interlin. Titelman. et alii, q. d. Bonum est sapientes et iustos ope et opibus sustentare, sed et a stultis quoque impiisque peccatoribus ne subtrahe manum et beneficentiam; quia qui timet Deum, nihil negligit, sed omnes occasiones bene agendi et benefaciendi capessit et captat, ut imitetur Deum, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos*. Matth. 5. v. 45. q. d. Quibus, et quotquot potes benefacere, benefacito; qualesque illi sint, sive sapientes et iusti, sive stulti et impii, sic non eris iustus nimis, nec nimis impius. Eleemosyna enim corrigit nimiam iustitiam et severitatem, atque expiat, si quid impie gesseris. Videtur huic gnomæ contradicere illa Eccles. 12. 15. *Da bono, et non recipias peccatorem; benefac humili, et non dederis impio:* sed ibidem respondi, et locum explicui. Verum ut candide dicam, quod sentio, non videtur hic agi proprie de eleemosyna corporali, sed spirituali, ut sensus sit, q. d. Sustenta iustum ne velit esse nimis iustus, itaque limites iustitiæ excedat fiatque iniustus: manum quoque ne subtrahas ab impio, ne impie nimis agat et stulte operetur; sicque nihil boni negligas, quod tam in iusto in iustitia sustentando, quam in impio ab impietate prohibendo et revocando efficere possis. Hunc esse sensum liquet primo, quia eum exigit connexio huius sententiæ cum præcedenti; atque τὸ *iustum* plane respicit refertque iustum, de quo versu præced. dixit: *Noli esse iustus multum*. Similiter τὸ *sed ab illo ne subtrahas manum*, plane refert impium, de quo dixit: *Ne impie agas multum, et noli esse stultus.* Rursum idipsum arguit, quod dicit: *sustenta*, non da eleemosynam. Hebr. *apprehende iustum*, scilicet nutantem et labentem, ne in iniustitiam propter nimium fervorem prolabatur. Denique id convincit ratio, quam subiicit vers. 21. *Non enim est homo iustus in terra qui faciat bonum, et non peccet*, q. d. Ideo sustenta iustum, quia non est iustus quisquam adeo sanctus, qui non aliquando cespitet et peccet. VII.

QUI TIMET DEUM NIHIL NEGLIGIT) Hebr. *exibit ad omnia*; Syrus: *sequitur omnia*, q. d. Non est tardus et piger, sed sedulus et alacer, ut aggrediatur omne bonum omnemque beneficentiam, item omne opus arduum, q. d.

Timens Deum nil negligit.

Iustus forti est animo, ideoque difficultates, tentationes et tribulationes non fugit, sed intrepide iis procedit obviam, easque vincit et superat: sicut Deus Iacob *certamen forte* (cum Esau) *dedit, ut vinceret.* Sap. 10. Unde S. Hieron. explicat, q. d. *Qui timet Deum, nec elevatur prosperis, nec opprimitur adversis.* Rursum ex Hebr. vertas: *Qui timet Deum, exibit cum omnibus*; vel ut Pagnin. *de omnibus,* id est, evadet omnia mala. Ita Thaumat. Olymp. et alii; vel omne bonum opus ad optatum finem perducet; aut ut Septuag. *Exibunt omnia,* id est, omnia feliciter succedent timenti Deum. Unde Arabicus vertit: *Qui timet Deum exit ab omnibus rebus iustificatus*; Symmach. *Timens Deum pertransibit omnia*: Tigurina: *Expediet se ex universis istis*; Vatablus: *Facile recedet ab extremis.*

Moral. Moraliter disce hic, quod sicut negligentiæ mater est securitas, sic timor est industriæ et diligentiæ. Hoc vero consistit in quatuor, ait Hugo, scilicet in studio, labore, sumptu, tempore. Diligens enim nulli parcit studio, labori, sumptui, tempori, sed omne, quod res poscit, illi impendit. Rursum timens Deum nihil boni vel mali negligit, sed omne bonum capessit, et omne malum evitat, quantum scilicet humana fragilitas patitur. Nam non est iustus, qui non peccet venialiter, ut subdit v. 21. Iustus tamen satagit venialia fugere quoad potest, nihilque vel minimum præterit, vel negligit. Nam, ut sapienter ait S. August. lib. de Decem chordis cap. 11. *Sic et modica peccata attendite, quia modica sunt, et cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arenæ amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat: quam minutæ sunt guttæ pluviæ! nonne flumina implent et domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere.* S. Bernardus autem sic inquit: *Non solum gravia, sed et levia cavenda sunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt, sicut solent de parvis et minimis guttis immensa flumina crescere.* Ita sanctus Bernard. lib. Meditat. cap. 45. quod intellige non formaliter, sed dispositive: venialia enim peccata disponunt ad mortalia; sunt enim sicut pulvis in oculos iniectus, qui eos in principio obnubilat, deinde excæcat penitus; sunt sicut seminatores discordiæ, qui affectuum rempublicam turbant, et animam totam inquietant; sunt imbres, qui non quidem charitatem exstinguunt, at robur eius et fervorem consopiunt; sunt ægritudines, quæ mentem debilitant; sunt fœtores, qui spiritum Dei contristant, et nos a bono eius familiaritatis avertunt.

Qui ergo Deum timet, nihil negligit, sed maiora peccata ut maiora fugiet, et minora ut semina maiorum, vitabit. Temerarium enim est unum pedem hostis intra domum admittere, qui post unum alterum ponet, et miserum habitatorem ex ea cum iniuria expellet. Ita diabolus solet a parvis incipere, et ad maiora procedere; et postquam ab anima timorem leviorum peccatorum depulit, metum etiam graviorum ablegare. Vide dicta Eccles. 19. v. 1. ad illa: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ex adverso, stultus, qui Deum non timet, audacter transilit de peccato in peccatum, velut equus exoculatus, qui nihil timet, quia nihil videt; unde vulgo dicitur: *Nullum animal audacius equo cæco,* ait Hugo.

Vers. 20 Sapientia dat robur. SAPIENTIA CONFORTAVIT SAPIENTEM SUPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS.) Hebr. *Sapientia validavit sapientem præ decem dynastis, vel dominantibus in urbe*; Syrus: *Sapientia roborat sapientem, melior decem principibus, qui sunt in urbe*: Tigurina: *Sapientia plus virium suppeditat quam decem potentes*; Camp. *Plus iuvat, quam possint decem primates*; Thaumat. *Nec tantum valent in civitate potentissimorum virorum præsidia, quantum sapientia; ea solet nonnumquam etiam omittentibus facere, quæ oportebat, ignoscere.* Laborant hic interpretes in nexu huius sententiæ cum præced. S. Hier. sic nectit, ut occurrat tacitæ obiectioni. Dicet enim quis: Sum tenuis fortunæ et pauper, quomodo ergo opibus meis sustentabo iustum? Huic respondet: *Quos non potes opibus, consilio adiuva, solatio fove. Plus enim potes in angustia constituto præstare sapientia, quam quilibet maximæ potestatis. Atque hoc ipsum cum prudentia facito. Grandis quippe libra iustitiæ est, et cui, et quantum, et quamdiu, et quali, vel in re, vel in consilio tribuere.*

Planius et plenius sic nectas, ut det causam; unde tantum robur sit sapienti, ut sustentare queat tam iustum, quam impium nutantes et labantes in peccatum, eurque ipse nihil boni negligat, sed validus vegetusque sit ad omne bonum. Causa nimirum est, quod sapientia confortet sapientem, ut plus efficere queat unus sua sapientia, quam decem principes suis opibus et potentia in civitate; hæc enim corporea est, fragilis, infida et incerta: sapientia vero spiritualis est, stabilis, fida et certa. Exemplum est in Ioseph, de quo hunc versum explicat Chald. *Sapientia Iosephi,* inquit, *filii Iacobi, plurimum ei præsidii et prudentiæ coram fratribus suis decem iustis attulit, qui cum in timore Domini multum possent, nihil in illos molitus est mali, quo tempore in Ægypto essent; neque etiam violenter in fratrem irruerunt, qui tum eorum animos exsuperarat.* Ita habet Chald. Compl. et Costi, licet in Bibliis Regiis habeat: *Sapientia auxiliabitur sapienti, qui subegerit concupiscentiam malam.* Rursum exemplum est in Iacob patre Iosephi, de quo ait Sapiens cap. 10. 10. *Hæc* (Sapientia) *profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, etc. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Ratio a priori est, quod sapientia mille excogitet et suggerat rationes, quibus sustentet iustum æque ac impium, ac quodlibet opus arduum aggrediatur et perficiat. Rursum quod sapiens, id est iustus et sanctus, sit Dei os et organum, per quod loquitur Spiritus sanctus ad movendum audientium corda, quocumque ei libuerit, uti patuit in S. Petro et S. Paulo, cæterisque Apostolis et viris Apostolicis, qui orbem converterunt et ex impio fecere pium. Quare ut dicitur cap. 9. 1. *Melior est sapientia quam arma bellica.* Et: *Vir sapiens, fortis est; et vir doctus, robustus et validus: quia cum dispositione initur bellum, et erit salus ubi multa consilia sunt,* Prov. 24. 5. et c. 21. 22. *Civitatem fortium ascendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ eius.* Vide ibi dicta.

SUPER DECEM PRINCIPES.) Id est primores, dynastas, qui sunt in civitate. Hebr. enim est שליטים *Scialitim*; unde Soltan sive Soldanus, id est Princeps et Imperator, qualis fuit Soldanus Ægypti, Babylonis, Syriæ, etc. *decem,* id est multos, imo universos. Denarius enim est complementum numerorum simplicium, qui *articuli* vocantur, eosque primo componit et combinat. Unde δεκὰς dicitur, quasi δεχὰς a δέχεσθαι, quod omnia contineat et comprehendat. Sic Iob c. 19. 3. ait: *En decies,* id est multoties et continuo, *confunditis me.* Alludit tamen ad decem primores urbis, de quibus dicitur Ruth c. 4. v. 2. *Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis*; hosce enim non tantum ut testes sessionis hæreditatis adhibitos fuisse, uti volunt Lyranus et Abulensis, sed etiam ut seniores, id est senatores et iudices, patet ex eo quod subdit: *Dixitque ad eos: Sedete hic. Quibus sedentibus locutus est ad propinquum, etc.* causam sessionis cum eo coram decem senatoribus peragens, uti recte ibidem observavit Feverdentius. Esto Iosephus, quem citat et sequitur Carolus Sigon. lib. 7. de Republ. Hebr. c. 7. innuat apud Hebræos septem fuisse civitatis principes: varii enim in urbe sunt magistratus, variis rebus causisque præpositi; unde in uno erant septem, in alio decem Senatores. Sic apud Romanos erant septemviri, erant et decemviri, sed in diversis tribunalibus, adde et in diversis temporibus. Audi Livium libr. 3. *Anno trecentesimo altero, quam Roma condita erat, iterum mutatur forma civitatis ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat.* Porro nugatur R. Salomon, dum explicat de Iosia, q. d. Iosias rex sapiens et pius ob suam sapientiam et pietatem, potentia et robore superavit decem reges antecessores suos.

Mystice Salonius per sapientem accipit Christum, qui robustior est maiusque auxilium fidelibus præstat, quam

decem principes, id est omnes Angeli: *Decem enim inquit* Salon *fuerunt ordines Angelorum; sed unus secidit per superbiam, et idsirco boni Angeli semper ad hoc laborant, ut de hominibus numerus adimpleatur, et perveniatur ad perfectum numerum, id est denarium.* Hoc cum grano salis accipe. Nam Ecclesia tantum agnoscit novem choros cælestium spirituum, e quibus nonnulli cum Lucifero eeciderunt, factique sunt dæmones: cæteri, duce sancto Michaele, in fide et gratia persliterunt, factique sunt Angeli. Unde hic locus a censoribus in Salonio notatus et castigatus est. Excusandus tamen est Salonius, quod decimum chorum separaverit a novem choris sanctorum Angelorum, feceritque eorum qui prolapsi sunt et facti dæmones, q. d. Novem chori sunt sanctorum Angelorum, decimus est dæmonum.

NON EST ENIM HOMO IUSTUS IN TERRA, QUI FACIAT BONUM ET NON PECCET.) Hebr. *Et non peccabit*, id est qui numquam sit peccaturus; Thaumaturg. *Et quis est qui non impingat alicubi?* Caietan. hanc gnomen nectit præcedenti dupliciter: Primo, referendo eam ad decem *principes civitatis*, q. d. Hisce robustior est sapiens, quia hi ut homines subinde errant et peccant: et sapiens confortatus a sapientia, dum eam sequitur, errare et peccare nequit. Secundo, referendo eam ad *το sapientia*, q. d. Sine sapientia, vel seclusa sapientia non est homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet, q. d. quod iustus faciat bonum et non peccet, id habet a sapientia: quare si eam secludas, vel si iustus eam deserat, illico bonum deseret et peccabit. Hoc est quod dicitur Sap. 9. 19 *Per sapientiam sanati sunt, quicumque tibi placuerunt ab* initio.

Planius eam referas ad v. 19. ut ibi dixi. Cum eo enim optime cohæret, eique dat causam, q. d. Sustenta iustum ne labatur, vel ut lapsus resurgat, quia non est iustus, qui ita constanter bonum faciat, ut ex innata fragilitate aliquando non peccet. Eget ergo sustentatore, qui eum fulciat, ne cadat absolute; aut certe ne in peccatum gravius cadat, vel si in illud corruerit, ipsum erigat. Hoc est quod ait sanctus Iacobus cap. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*; et: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, 1. Ioan 1. 8. Vide utrobique dicta.

Excipe ex communi totius Ecclesiæ sensu et consensu, Christum et B. Virginem Hi enim numquam peccaverunt, sed semper bonum operati sunt. Quocirca ex hoc loco docet Concil. Milevit Trident. totaque Ecclesia iustum non posse vitare omnia peccata venialia. Esto enim singula seorsim sumpta vitare queant, non tamen universa simul sumpta. Quare necessarium est ut aliquando venialiter peccent, non definite hic et nunc, sed indefinite. Sicut sagittarius, licet peritissimus sit, non potest centies continuo sagittando scopum configere; sed necessum est ut fatigatus, deficiente attentione, aliquando ab eo aberret.

Porro impia et stolida est explicatio Calvini et novatorum, qui ex hoc loco contendunt hominem etiam iustum, eo quod concupiscentia sit infectus, in omni opere bono aliquid concupiscentiæ et peccati admiscere, ut in omnibus emineat quædam ἀταξία, inordinatio, labes et confusio. Hoc enim dogma adimit homini mentem, consilium, prudentiam, bonitatem, virtutem, sanctitatem et omne bonum, atque hominem non tantum in bestiam, sed et in dæmonem transformat. Solus enim dæmon cum damnatis, ex desperatione, et odio ac furore, quo flagrat in Deum, non potest velle quidquam boni, adeoque nihil potest agere nisi superbire, irasci, invidere, furere et peccare. Vide Bellarm. lib. 4. de Iustificatione. Argute Hugo Card. asserit non esse qui faciat bonum simul et non peccet: quia pueri, inquit, non peccant quidem, sed non faciunt bonum; adulti vero esto faciant bonum, tamen aliquando peccant. Solidius S. Athan. tract. de Incarnat. verbi contra Paulum Samosat. et S. Hieronym. cap. 2 ad Ephes. hanc gnomen accipiunt de peccatis, non tantum venialibus, sed et mortalibus, quod scilicet ea omnia nemo suis viribus vitare possit, ut vere sit iustus. Indeque evincunt necessariam fuisse Christi incarnationem, ut Christus sois meritis nos iustificaret, ac gratiam ad vitandum omne peccatum mortale nobis impetraret et conferret.

SED ET CUNCTIS SERMONIBUS QUI DICUNTUR, NE ACCOMMODES COR TUUM: NE FORTE AUDIAS SERVUM TUUM MALEDICENTEM TIBI. Vers 22.

SCIT ENIM CONSCIENTIA TUA, QUIA ET TU CREBRO MALEDIXISTI ALIIS.) Septuag. v. 23. ita reddunt: *Etenim frequenter malignabitur in te, et multis modis mala officiet cor tuum, nempe quia tu etiam maledixisti aliis.* Aquila: *Quia frequenti tempore male habebit cor tuum*, si nimirum attenderis et curaveris quid quisque dicat. Hebr. קלל Vers 23 *kolal* significat vilem facere, extenuare, deprimere, detrahere, maledicere, exsecrari, mala imprecari, similiaque dicere et facere quæ suggerit animi amaritudo, turbatio, impatientia, ira et odium. S. Hieron. hanc gnomen præcedenti nectens sic explicat: *Sapientiæ auxilio confortatus, vel ad bona, vel ad mala præpara cor tuum, et non cures quid de te loquantur inimici, qualis foris opinio sit. Quomodo enim prudentis viri est murmurantem famulum non audire; sic et sapientis hominis est sapientiam præviam sequi, et vanos non considerare rumores;* Thaumat. *Ne maledicta de te iactata commordeant animum, ne in multis postea actionibus, ad referenda convicia ipse quoque abducaris.*

Sapientia ergo roborat cor sapientis, ut ad animi pacem et generositatem tuendam non curet rumores, nec quid de se servi aliive dicant et maledicant, imo ad ea non attendit, nec audire vel scire cupit; quia si attendat, audit subinde mira et indigna, ideoque ab iis, de quibus numquam cogitasset: quare surda aure omnia præterit, despicit et spernit, sciens hominum plebeiorum, præsertim servorum, genus esse vile, impatiens, garrulum, parvi animi et iudicii, dicax et procax; quare magno celsoque animo illa dissimulat et negligit. Unde Olympiod. in Septuag. pro *multis modis mala officiet cor tuum*, legens, *descensibus plurimis affliget cor tuum*, sic explicat: *Convicium persæpe, cum auditur, animum turbat. Si igitur quispiam in convicientem ira succendatur, in multos cadit labiturque descensus, a sublimi sede rationis detractus in iracundiæ passionem, atque ita tristi turbulentia implet cor suum.*

Sic David Semei et cæterorum maledicta surda aure præteriit: *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones*, ait ipse Ps. 37. 14. Verba enim non sunt verbera, aerem feriunt, non hominem, nisi qui iis attendit morde̲tur, sauciatur. Idem ex Salomone docuere Philosophi. Augustus Cæsar conviciis in se iactis non irascebatur, sed arridebat, ait Senec. l. de Clement. c. 10 Fabius Maximus, sequens Annibalem, a suis Annibalis pædagogus vocabatur. At ille mora suo perrexit, itaque Annibalem fregit; unde dicebat: *Qui dicteria conviciaque metuit, timidior est iis qui fugiunt hostes.* Ita Plutarch. in Apopht. Tiberius Cæsar convicia dissimulabat, dicens *in libera civitate liberas esse linguas*, ait Sveton. in eius Vita. Aristippus maledicum insequentem fugiens, cum ab eo rogaretur: Cur fugis? *Quia*, inquit, *tibi facultas est maledicendi, mihi vero non est audiendi.* Titus Imp. *Nihil ago*, inquit, *ob quod reprehendi merear; ea vero, quæ de me falso dicuntur, prorsus negligo.* Ita Xiphilinus in eius Vita. Plutarch. libr. de Cohibenda ira: *Accurate*, inquit, *scrutari inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia servi negotia, omnes amici actiones, omnia filii studia, omnes uxoris susurros; ea vero res iras gignit multas, atque continuas et quotidianas, quarum summa eo redit ut morosi intractabilesque reddamur. Euripidis esse, Deum res magnas curare, exiguas fortunæ dimissas sinere.* Philippus Macedo primoribus sibi obtrectantibus: *Gratias*, inquit, *iis habeo, quia eorum obtrectatione fio melior, dum factis conor illos mendacii convincere.* Ita Plutarch. in Apopht. Unde Seneca l. 3. de ira c. 24. *Dicat itaque*, inquit, *quisque sibi quoties lacessitur; Numquid potentior sum Philippo? illi tamen impune maledictum est.*

Convitium surda aure excipe

Gnomæ.

Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum divus Augustus potuit? ille tamen contentus fuit a conviciatore suo secedere. Quid est, quare servi mei hilarius responsum, et contumaciorem vultum, et non pervenientem usque ad me murmurationem flagellis et compedibus expiem? Qui enim eunus aures lædi nefas sit: ignoverunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe et alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit: inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori credamus: stultiori remittamus.

QUIA ET TU CREBRO MALEDIXISTI.) Remedium suggerit, tum ad tolerandam, tum ad fugiendam maledicentiam. Solent enim illi qui superioribus aliisve sunt molesti et maledicunt, subditos pariter experiri fastidiosos, et ab iis maledictis impeti. Hæc enim est iusta talionis pœna, qua Deus qui nullum peccatum sinit impunitum, tales congrue punit et ulciscitur, iuxta illud Christi: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7. 2. Et: *Sicut feci, sic reddidit mihi Deus*, Iudic. 1. 7. Et: *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, Sap. c. 11. v. 17. *Qui dicit quæ vult, audit quæ non vult*, ait Comicus.

Vers. 24. CUNCTA TENTAVI IN SAPIENTIA. DIXI: SAPIENS EFFICIAR, ET IPSA LONGIUS RECESSIT A ME.

Vers. 25. MULTO MAGIS QUAM ERAT: ET ALTA PROFUNDITAS (Hebr. *Profundum profundum*, id est, summa profunditas sapientiæ) QUIS INVENIET EAM?) Arabicus et Syrus: *Profunditatem profunditatum eius quis inveniet?* Salomon hic sermonem reflectit ad seipsum et sapientiam, eiusque profunditatem admiratur: quo enim magis sapientiam indagavit, eo magis eius profunditatem deprehendit: uti nautæ quo magis mare ingrediuntur, eo illud profundius experiuntur; et mons eminus intuenti, demissus, cominus vero, excelsus videtur. Quare fatetur se cum ad summum sapientiæ apicem contenderet, quo plus in eius scrutinio progressus est, profecit et perrexit, eo magis ab eius comprehensione defecisse: quia quo plura in sapientia cognovit, eo plura in ea obscura, scrutanda et pernoscenda conspexit, uti sæpe superius dixit et confessus est: quare hic plura non addam. Ita S. Hier. qui asserit Salomonem *ultra omnes homines quæsisse sapientiam, et ad finem illius tentasse pervenire*, sed frustra, cum illa instar abyssi fundo et fine careat, sitque immensa atque in divinitatis oceano, puta in intimis divini pectoris visceribus latissime diffusa, et profundissime abscondita. Thaumatur. hæc refert ad pœnitentiam Salomonis; unde vertit: *Omnia hæc mihi iam olim comperta; sapientiam enim a Deo consecutus eram; sed eam, heu! quanto damno meo abieci! ad similem enim illi pristinæ amplius pertingere non valeo.*

Sapientia est profunda. Porro S. Hieronym. sapientiam hanc accipit scientiam divinitatis, q. d. Tentavi scrutari Dei maiestatem; sed quo magis eam penetravi, eo profundiorem et magis impenetrabilem reperi: alii, ad curiositatem vestigandi et sciendi ea quæ humanum captum superant: Chald. ad scrutinium legis divinæ, adventus Messiæ, ac diei mortis et diei iudicii. Planius et aptius ad sequentia referas, scilicet ad scrutandum rerum creaturum vanitatem, ut nosset ubi esset vera voluptas et felicitas, q. d. Scrutatus sum res omnes, et in omnibus vanitatem reperi, nec quidquam, quod animum hominis inexplebilem explere et beare posset: quo plus veram satiem et felicitatem in iis quæsivi, eo minus reperi, et longius a vera sapientia et felicitate me elongavi, ac præsertim dum inter fœminarum complexus et voluptates eam quæsivi. Hunc esse sensum patet ex sequentibus.

Hanc profunditatem sapientiæ graphice depingit Baruch c. 3. 15 Salomon. Proverb. 30. v. 4. Ecclesiast. c. 1. 2. et c. 24. 7. et seq. Iob. 11. 7. *Forsitan*, inquit, *vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius, et latior mari.* Idem facit toto cap. 28. Sic studiosi Theologiæ, initio, ut principia eius intelligunt, videntur sibi multa scire, et valde esse sapientes; at ubi pergunt fiuntque professores, vident ubique difficultates, ac cernunt se longe plura ignorare quam scire.

Tropologice S. Gregor. 32. Moral. cap. 4. asserit quod sancti viri, « quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos esse se deprehendunt; quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in ipsis latebat, inveniunt, et tanto magis foris sibi deformes apparent, quanto magis pulchrum est, quod intus vident. » Citatu deinde hoc loco Eccl. sic explicat: « Quæsita enim sapientia longe recedere dicitur, quia appropinquanti altior videtur; qui vero hanc nequaquam quærunt, tanto se ei propinquos æstimant, quanto et eius rectitudinis regnum ignorant: quia siti in tenebris mirari lucis claritatem nesciunt, quam numquam viderunt. »

LUSTRAVI UNIVERSA ANIMO MEO, UT SCIREM ET CONSIDERAREM, ET QUÆRERERM SAPIENTIAM ET RATIONEM. ET UT COGNOSCEREM IMPIETATEM STULTI, ET ERROREM IMPRUDENTIUM.) Hebr. הוללות *holelot*, id est, *insanientium*, vel potius *insaniarum* Ubi in Hebræo eædem voces sunt, quæ hic Septuag. *iactationem*, vel *circumlationem*, Symmach. *cogitationem tumultuosam*, q. d. Ait S. Hier. *Quotidie mecum uniuscuiusque rei rationem ponens, nullum invenire cogitatum potui, qui non cogitatione perversa extrinsecus turbaretur.* Vers.

Pro *lustravi*, Aquila vertit, *circumambulavi;* Hebr. *circuivi*; Symmach. *Pertransivi universum sensu meo*, q. d. Omnia circumspexi et circumlustravi. Contrarie, ideoque non ad litteram Olymp. *Vir sapiens*, ait, *cum ad intelligendum aliquid, vires intendit collecta mente omnia in circuitu rationibus lustrat, neque item recta linea fertur ad sensibilia prospectando sed clausis sensuum fenestris, ac recedens in suæ mentis penetralia deambulat in circuitu. Ibi arcano reflexu in se rediens intellectus sese speculatur ipsum, et quod intelligendum obiicitur.*

Pro *stulti*, Noster legit כסיל *kesil*: iam alio puncto legunt כסל *kesel*, id est *stultitia*, eodem sensu: aut potius legens *kesel*, id est *stultitia*, vertit, *stulti*: quia vero censuit abstractum de more poni pro concreto. Hæc gnome patet ex dictis c. 1. v. 17. ubi in Hebræo eædem voces sunt, quæ hic. Ait ergo: Circumlustravi omnia, ut scirem scilicet rerum naturam et vanitatem ac præsertim impietatem stulti, ut mox explicat: ibi enim pro *cognoscerem* in Hebr. est idem verbum, quod hic, scilicet דעת *daat*, id est *scirem*, ut scilicet ex hac vanitatis et stultitiæ scientia considerarem, et quærerem veritatem veramque sapientiam, in qua scilicet sita sit vera hominis beatitudo et felicitas; simul et rationem, id est, modum et media eam assequendi, qui est scopus et argumentum totius huius libri; ideoque laboravi, ut cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium, qui vanis, caducis et exilibus voluptatibus, præsertim venereis muliarum (ut sequitur) illecti a sapientia, salute et felicitate aberrant, ac stulte in certum mortis præsentis et æternæ periculum se coniiciunt. Ita S. Hieron. Alcuinus, Lyran. et alii, qui censent hic significari quod summum sapientiæ impedimentum sit luxuria et amor mulierum. Addit S. Hieron. Salomonem quæsisse quodnam in rebus humanis summum esset malum, ac deprehendisse esse mulierem: hanc enim caput esse malorum omnium. Thaumat. vero censet Salomonem ex desperatione sapientiæ, cum illam videret adeo profundam et quasi fugientem a se, tradidisse seipsum concupiscentiæ mulierum, et in luxuriæ volutabrum incidisse.

Pro *rationem*, Hebr. est חשבון *chesbon*, id est cogitationem, numerum, summam, rationem, ait S. Hieron. Septuag. λογισμον et ψηφον, id est suffragium, vel potius summam, computum, et supputationem. R. David accipit rationem disputandi, quam docet Logica. S. Bonavent. sapientiam tribuit appetitui, rationem operibus. Hugo Card. sapientiam dat rebus occultis, per rationem accipit causam et probationem. Plane per rationem accipias viam et modum assequendi sapientiam et felicitatem, ut dixi. Minus recte Olymp. per rationem accipit Arithmeticam, et

Chesbon Hebr. quid?

scientiam eorum quæ per numeros computantur, vel vestigantur, præsertim in Genethliacis observationibus et coniecturis. Posset quoque ratio pro computu accipi, q. d. Dum omnes res creatas ad numerum et calculum revoco, dum earum pretium et valorem expendo, invenio in omnibus esse vanitatem, errorem et stultitiam. Ita S. Hier.

Denique *chesbon* significat ingenium, excogitationem, inventionem, artem, industriam, q. d. Ut excogitarem et invenirem artem et industriam recte et feliciter vivendi; hæc enim summa est ars. Sicut enim summa est ars bene moriendi, sic et summa est ars bene beateque vivendi; hæc enim illam parit et gignit. Septuag. et ex iis S. Ambros. lib. de Bono mortis c. 7. ex correctione Sixtina, sic legit: *Circuivit cor meum, ut considerarem et quærerem sapientiam et numerum, et ut scirem impii lætitiam, et molestiam, et iactationem, et inveni ego eam amariorem morte;* Chald. *In tantam tamque immensum spatium profundi* (sapientia) *aufugit, ut nulla sit eamdem arripiendi facultas. Denique in eam deductus sum desperationem, ne amplius* B *requirerem, neque cogitarem quam canæ impiorum lætitiæ, quam frivola consilia, quamque misera vita. Cumque sic haberem, lethali concupiscentia irretitus, in hoc ipsum volutabrum incidi.* Vere Hugo: Errant, ait, mortales, dum verum arbitrantur, quod est falsum; bonum, quod est malum; magnum, quod est parvum; seque res possidere, a quibus potius possidentur: magni autem refert, si quis id cognoscat, ut damnet et caveat.

Vers. 27. ET INVENI AMARIOREM MORTE MULIEREM, QUÆ LAQUEUS VENATORUM EST, ET SAGENA COR EIUS, VINCULA SUNT MANUS ILLIUS: QUI PLACET DEO, EFFUGIET ILLAM: QUI AUTEM PECCATOR EST, CAPIETUR AB ILLA.) Per mulierem Chald. accipit uxorem viro molestam; Olymp. adulteram; alii meretricem. Melius cum S. Hieron. et Thaumat. accipias quamvis fœminam illecebrosam, et ad luxoriam illicem.

Sensus est, q. d. Lustrans omnes mundi vanitates et voluptates, nullam inveni vaniorem, fallaciorem et amariorem muliere, quæ iuvenes virosque ad se trahit et illicit: errorum insaniarumque maximum, *et quod universa* C *antecedat mala, quodque impietatis, stultitiæ, erroris, vecordiæ teneat principatum, atque omnium malorum caput* Fœmina amarior morte. Cur? *est mulier*, ait S. Hieron. Hæc enim primo amarior est morte, quia mors semel enecat; at mulier quotidie, imo singulis horis et momentis, ita amasium importunis suis postulationibus, querelis, clamoribus, litibus, rixis cruciat, ut videatur eum enecare, sed ita ut ille mortis dolores, agones et angores iugiter sentiat, numquam vero moriatur, sed vivus semper in longa et viva morte persistat. Expertus est id Salomon tum post lapsum, tum ante lapsum, cum mulieres deperire et multiplicare cœpit. Experto credendum est, ait S. Hieron. Denique fœmina viro sæpe est causa mortis, uti Dalila fuit Samsoni. Notus est Medeæ furor in Iasonem, prius adeo a se amatum. Graphice describit et exaggerat quantum malum sit mulier, dum eam componit et præponit morti, quæ omnium terribilium est terribilissimum, ait Aristot. Hoc est quod de D fœmina dicitur, Prov. 2. v. 18. *Inclinata est ad mortem domus eius, et ad inferos semitæ ipsius.* Vide ibi dicta; et Prov. 5. 11. ubi ostendi luxuriam parere paralysin, apoplexiam, phthisin, morbum venereæ luis, et mille alios quibus torquetur et strangulatur luxuriosus. Unde Gentiles Libitinam, id est Venerem coluerunt, quasi præsidem mortis et Deam exsequiarum, ait Plutarch. in Numa. Et Athenienses Venerem adorabant, quasi Parcarum maximam, eique cognomen dederunt ἀνδροφόνοι, id est, virorum homicida, teste Pausania l. 1.

Est laqueus. Secundo, fœmina est *laqueus venatorum;* quia quot in ea sunt corporis ornamenta, tot sunt iuvenum laquei, et mentis irretiendæ irritamenta. Rursum, ut ait Comicus in Asin. Fœmina similis est aucupi: *Esca*, inquit, *est meretrix, lectus illex est, amatores aves.* Hinc Venus a venando, vinciendo et vinculis dicta est, ait Varro: unde et Venus vinculis circumdata pingebatur, eo quod omnes amore sibi devinciret, irretiret et illaquearet, teste Lucret. l. 4.

A Tertio, *sagena est cor illius:* primo, quia toto corde, mente, animo meditatur mille meretricias artes et dolos, Est sagena. quibus amasios illiciat, capiat et perdat. Rursum, cor, id est intentio illius, est viros illaqueare. Secundo, cor accipe non solum, sed cum oculis sive oculatum. In oculis enim radiat cor et amor: quare oculi fœminæ illices sunt et pestiferi instar basilisci, ait S. Basil. in cap. 3. Isaiæ, qui solo visu enecat intuentes se. Hinc vulgo dicimus oculum fœminæ esse spiculum, illudque ignitum:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina,

ait Virgil.

Hinc Complut. vertunt: *Retia et scandala habet in corde sua.* Vere Bacchides alloquens fœminas: *Viscus merus*, ait, *vestra est blanditia.* Et Comicus in Trucul. *In melle*, ait, *sunt linguæ vestræ, sed corda in felle;* uti Lamia illa inescavit Menippum, ut eum deinde devoraret, de qua mira narrat Philostrat. l. 4. c. 8. Quare sapienter Ovid. l. 1. de Arte.

B *Fallite fallentes, ex magna parte profanum*
Sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadant.

Porro damna omnia meretricis ac libidinis, Poeta hisce duobus versibus complexus est in Emblemate, cui titulus: *Libido vetita.* Sic enim de ea respective canit;

Corpus, opes, animam, consortia, fœdera, famam,
Debilitat, perdit, necat, odit, destruit, aufert.

Helinandus apud S. Antoninum l. 6. histor. tit. 13. c. 6. v. 54. *Mulier*, ait, *dicitur a molliendo, ut et malleus; quia sicut faber per malleum mollit ferrum, sic diabolus per mulierem mollit et malleat universam terram;* de quo Ierem. c. 50. 23. in sensu mystico; *Contritus est malleus universæ terræ;* additque caute vitanda esse hæc undecim, quæ sunt:

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Unde legitur in vitis Patrum non habendam familiaritatem cum fœmina, puero, vel hæretico. Vide dicta Proverb. C 6. 24. et sequent.

Quarto, *vincula sunt manus illius;* Aquila: *Vinctæ sunt manus eius;* Chald. *Ligatæ sunt manus eius, sic ut non faciant opus;* Hebr. *asurim* et vincula et vinctos significat. Unde vertas: *Vincti sunt in manibus eius*, q. d. Multi capti sunt ab ea, perinde ac si colligati essent in carcere, iuxta illud Proverb. 7. 22. *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorat quod ad vincula stultus trahatur;* quam proinde S. Basil. l. de Virg. comparat magneti. Sicut enim ferrum trahit magnes, sic virum sua trahit Agnes. Unde Thaum. vertit: *Si vel manum tantum manui connexuerit, non minus stricte retinet, quam si vinculis constrictas traheret.* Hinc tactus mulieris est ignitus et pestifer. Audi S. Hier. l. 1. contra Helvidium: *Ioseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus eius, et quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abiecit.*

Quinto, *Qui placet Deo, effugit illam;* Chald. accipit D de adultera. Unde vertit: *Vir qui dimiserit eam libello repudii, liberabitur ab eo.* In lege enim veteri non licebat viro tenere adulteram, ut dixi Prov. 18. 22. Vide dicta Prov. 22. 14. ad illa: *Fovea profunda os alienæ; cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Ergo: *Quid aliud est mulier nisi mali natura boni colore depicta?* ait S. Chrys. hom. 19. in Matth. Magnum ergo Dei donum est ab ea liberari, quod Deus suis sanctis concedit. Præmium enim sanctitatis est castitas.

Porro unicum remedium huius mali est fuga. *Fugite fornicationem*, ait Apost. id est, fugite aspectus et colloquia fœminarum. Nam, ut ait Tertull. de Veland. Virg. *Eiusdem libidinis est videri et videre. Tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quam sanctæ virginis si a viro visa sit.* Idem Apolog. c. 4. *Democritus*, ait, *excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur.*

Porro Lyran. Sicut, ait, qui expeditus est a vinculis, facile currere potest; sic qui fœmineos effugit laqueos, facile potest rectum virtutis iter percurrere. Ex adverso, qui cum mulieribus versatur, sibi nectit retia, quibus implicatur, ne in via Dei pergere queat, uti docet S. Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 13. et 14. Vide quæ de malitia mulierum dixi Proverb. toto c. 7. Eccles. cap. 24. cap. 25. et cap. 26. Vide et Tiraquellum lege 9. connubiali.

Mystice, mulier est voluptas et concupiscentia, quæ amarior est morte; quia hominem totaliter cruciat, ac mortem parit tam temporalem in hac vita, quam æternam in gehenna. Ita S. Ambros. Bonav. et alii.

Vers. 28. ECCE HOC INVENI, DIXIT ECCLESIASTES, UNUM ET ALTERUM, UT INVENIREM RATIONEM.

Vers. 29. QUAM ADHUC QUÆRIT ANIMA MEA, ET NON INVENI. VIRUM DE MILLE UNUM REPERI: MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI.) *Mille*, id est plurimis; ponitur enim numerus definitus pro indefinito: *Ecce hoc inveni*, id est invenire volui, vestigare et reperire disposui. Significatur actus inchoatus, non perfectus: nam mox subdit se non invenisse quod quærebat. Ita Glossa interl. Aut τὸ *inveni* pertinet ad id quod sequitur: *Virum de mille unum reperi*, q. d. Cum satagerem ut invenirem rationem et modum, quo quis beatus in vita evadat, quem adhuc quæro et non invenio; hoc unum tamen inveni et agnovi, quod vix unus e mille rationem hanc et modum cognoscat et attingat. Vatabl. per rationem accipit resolutionem dubii, quod Salomon quærebat. Olympiod. accipit fortem virilemque mentem et animam, q. d. Quæsivi viriles animos, atque inter viros tales paucos; inter fœminas nullos reperi quia omnes enervi et effœminato ingenio esse comperi. Locus obscurus variis varie explicandi, et ad mysticos sensus confugiendi ansam dedit. Dico breviter hanc gnomen ad præced. spectare de vanitate, malitia et noxa mulierum, q. d. Dum universa in urbe lustro et circumspicio, ecce hoc inveni, *unum et alterum*, Hebr. *unum ad alterum* inter se conferendo, q. d. Rebus omnibus a me sigillatim consideratis, et exacte inter se collatis ad hoc, *ut invenirem rationem*, id est modum et methodum recte, sapienter et feliciter vivendi in quolibet statu et sexu, puta tam inter viros, quam inter mulieres, fateor me considerando virorum et fœminarum vitam, illam necdum invenisse, sed adhuc investigare et quærere eo quod in omnibus videam deficere prudentiam, castitatem, virtutem: nam inter viros vix unum inter mille inveni vere virum cordatum, sapientem, fidum et constantem, hoc est inter multos viros paucos aliquos cordatos reperi: inter mulieres autem nullam rectam, ait Chald. virilem, cordatam, fidam, castam et vere sapientem inveni. Habuit enim Salomon mille uxores et concubinas, e quibus nullam reperit viraginem castam, prudentem et sapientem, sed omnes illices ad luxuriam et idololatriam. Intellige ergo hæc de mulieribus Salomonis, quod scilicet ipse spectata et deprehensa fœmineæ naturæ mollitie, inconstantia, imprudentia, pronitate ad luxuriam, aliisque vitiis fœmineis, inter suas nullam invenerit viraginem sapientem, pudicam, constantem: non negat tamen alios alibi tales invenisse, vel inventuros esse, præsertim in lege nova. Nam si naturam fœmineam non in se nudam, sed gratia sanatam et roboratam consideres, uti fuit in S. Catharina, S. Agnete, S. Lucia cæterisque sanctis virginibus, utique invenies viragines, quæ Christi gratia roboratæ viros virtute, castitate et fortitudine superarunt, et instar Angelorum in terris vixerunt. Adde hic latere secretum: quod a nemine animadversum est. Pro virum enim Hebr. est אדם *Adam*, de quo paulo post dicit, *quod fecerit Deus hominem* (Hebr. *Adam*) *rectum*. Alludit ergo ad Adam in puritate, innocentia, sanctitate et sapientia conditum a Deo, q. d. Quæsivi virum similem Adæ in sinceritate, castitate, rectitudine, et e plurimis paucissimos, imo e mille unum duntaxat inveni; nam cæteri a rectitudine Adæ defecerunt, suntque hypocritæ, impuri, fallaces, scelerati; licet enim nullus post lapsum ad rectitudinem justitiæ originalis in qua creatus est Adam, ut liber sit ab omni concupiscentia et peccato veniali, assurgere possit, nonnulli tamen assurgunt ad rectitudinem, simplicitatis, gratiæ et sanctitatis Adæ, sed pauci. Ad utramque vero assurrexit Christus de quo mox plura. Ita Theodoret. *Equidem*, inquit, *diligenter perscrutatis mulieribus omnibus, ne in una quidem inveni pudicitiam* (alii vertunt, *sapientiam*: utrumque enim significat σωφροσύνην) *et in multis millibus virum quis noverit pudicum, mulierem non item*. Et S. Hieron. *Mulierem bonam*, ait, *omnino invenire non potui omnes enim ad luxuriam, et non ad virtutem me duxerunt*. Et post nonnulla opponit eis paucos viros, qui *non appropinquarunt ad mulierem et purissimi permanserunt*. Sic et Olympiod. Salon. et Auct. Imperfecti apud S. Chrysost. hom. 19. in Matt. ubi explicans illud Matth. 19. *Si ita est causa viri cum uxore, non expedit nubere*. Fœminam ita definit: *Quid est autem aliud mulier nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta*. Huc facit versio Campensis: *Laboravi*, ait, *usque in hanc horam, ut conferendo officium fœmineum cum ingenio et moribus, bonam et prudentem aliquam invenirem; sed nihil successit: ex mille viris unum inveni tolerabilem, ex mille autem fœminis nullam*.

Sapiens vix unus vir, mulier nulla.

Hinc nonnulli prisci fœminas non esse homines, sed humanum prodigia et monstra censuerunt. Unde et Plato aliam a viris eis dat originem. Sic enim ait in convivio. *Masculum genus ipso rerum primordio Solis fœtus erat, fœmineum, Telluris; utriusque vero sexus particeps* (Androgini) *Lunæ: utrique enim Luna est particeps*. Addit Auctor Catenæ Græcæ, q. d. *Cum homines universos perlustrassem penitusque inspexissem, in omnibus pene reperi ea quæ muliebre potius decerent ingenium; sed fortem in ipsis mentem virilemque rationem non inveni, ut non in mulieribus solum virilis mens non inveniatur, sed ne in iis quidem, qui homines cum sint, in muliebres mores degenerarunt, quamtumvis homines videri velint*. Est hyperbole qua utitur Salomon acriterque fœminas perstringit, ut ab iis animum sapientis abstrahat, ne eis se effœminate subdat mollitia fœminam superans, sed sese virum præstet memor suæ conditionis et virilitatis. Expertus enim ipse quam dulce venenum sit mulier, ab ea omnes absterret. Itaque hæc gnome mulierum taxat vitia, sed maxime lenocinium et impudicitiam, quod scilicet facillimæ sint, ut castitatem suam prostituant, si a viris sollicitentur, imo quod ipsæ viros illiciant et sollicitent. Salomonem secuti sunt cæteri sapientes et Philosophi: unde Diogenes Cynicus, media die lucerna accensa ambulans per urbem, rogatus quid quæreret: *hominem quæro*, scilicet virum prudentem, sapientem, virtute præditum. Ausonius in Epigram.

Gnome.

Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus: mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per devia sidat.

Herodotus in Polyhymnia: *Multi*, inquit, *sunt homines, viri pauci*. Multi habent humanam naturam, pauci virilem fortitudinem. Isaias c. 59. v. 16. ait: *Vidit Dominus quia non est vir*. Et Jerem. cap. 5. v. 1. *Circuite vias Jerusalem, et quærite in plateis an inveniatis virum*; quin ut ait S. Chrysostom. hom. 23. in Genes. *S. Scriptura hominem vocare solet, qui virtutem colit, cæteros autem neque esse putat*.

Denique alludit Salomon ad illud Davidis patris sui, Ps. 13. v. 2. et 4. quo post lapsum Adæ ait omnes homines esse peccato corruptos, et depravatos: *Corrupti sunt*, inquit, *et abominabiles facti sunt in studiis suis*, etc. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*.

Porro Bonavent. refert hæreticos quosdam ex hac gnome docuisse nullam fœminam salvari, eo quod Christus virilem, non fœmineum sexum assumpserit, dixeritque:

Qui (non *quæ*) *crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Armeni vero censuerunt in cælo nullas fore fœminas, sed omnes sanctas resurrecturas in sexu virili, teste Gabriele Prateolo in Catal. Hæres. quos diu ante confutavit S. August. 22. Civit. 27. Vide quæ dixi Ephes. 4. 13. ad illa: *Donec occurramus in virum perfectum.*

Chald. vero hæc refert partim ad sidera, partim ad homines, qui fuerunt ab Adam usque ad Abraham. Sic enim vertit: « Contemplatus sum sidera unum cum altero, ut invenirem rationem filiorum hominum et quid erit in fine illorum. Et est alia res quam adhuc quæsivit anima mea, et non inveni virum perfectum et iustum a diebus Adam, usquequo natus est Abraham iustus, et inventus est fidelis et iustus inter mille reges, qui congregati sunt, ut facerent turrim in Babylone, et mulierem rectam in omnibus his mulieribus regum non inveni. »

Hic igitur est sensus Grammaticus, sive superficialis corticis litteræ, sub quo arcana latet medulla, puta sensus reconditus et sublimis de Christo, isque non tam mysticus, quam litteralis, sed parabolicus, quem tetigit Albinus. Est enim hæc parabola, sive ænigma et ænigmatica prophetia de Christo. Plane enim ænigmatis speciem habet τὸ *virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Unde addit se laborasse, ut *inveniret rationem quam adhuc,* inquit, *quærit anima mea et non invenit,* uti solet ænigmatis explicatio et solutio quæri. Hinc et subdit: *Et quis cognovit solutionem verbi?* puta huius ænigmatis de Verbo Dei incarnando. Denique hac de causa tam fuse et operose omnia lustrando, se summam hanc sapientiam, puta Verbi incarnati vestigasse connumerat, quæ scilicet nos verbo et exemplo veram sapientiam, et viam ad salutem doceret, atque a vanitate rerum et voluptatum ad veritatem veramque beatitudinem perduceret. Hanc eamdem vocat חֶשְׁבּוֹן *chesbon*, id est ingeniosam excogitationem, inventum, artem et industriam, quam scilicet Deus miro consilio excogitavit et adinvenit, ad ostendendam magnificam suam prudentiam, potentiam et beneficentiam erga homines. Quid enim ingeniosius Verbi incarnatione, in qua stupende et divina arte æternus Pater Verbum carni, Deum homini, cælum terræ, elementiam iustitiæ associavit? Sicut ergo Salomon de Christi incarnatione, passione, redemptione et resurrectione ænigma proposuit Prov. 30. 4. dicens: *Quod nomen est eius, et quod nomen filii eius, si nosti?* et versic. 19. *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia;* Hebr. *viam viri in virgine:* sic idem hoc loco simile ænigma de Christo proposuit, dicens: *Virum de mille unum reperi.* Hoc enim proprie soli Christo competit; Christus enim solus est unus vir, cui nullus in natura, persona, gratia et gloria æquari, vel assimilari potest. Ipse enim est Deus homo: quare eius humanitas subsistit in persona non humana, sed divina Verbi. Hoc enim est *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu,* etc. 1. Timoth. 3. 16.

Christus novus Adam.

Ipse ergo solus est alter, et novus Adam, ut habent Hebr. sicut docet Apostolus Roman. 5. 14. et 1. Corinth. 15. 41. Idque primo, quia sicut primus Adam nomen accepit ab Adama, q. d. homo ab humo, ex qua formatus est; sic Christus in terra, et ex terra carnem accepit, sed mentem et deitatem detulit ex cælo, iuxta illud: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis,* 1. Corin. 15. 47. ut illud: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* Ioan. c. 1.

Secundo, sicut Adam non a parentibus generatus, sed a Deo immediate productus et creatus est; sic et Christus non ex generatione patris et matris, sed ex virgine formatus est inoperante Spiritu sancto.

Tertio, sicut Adam rectus et integer quoad gratiam et iustitiam originalem creatus est; sic et Christus, qui Adamum longe superavit, eo quod hanc rectitudinem et immunitatem ab omni labe et peccato adeptus sit ex vi nativitatis suæ, quia scilicet conceptus est ex Spiritu sancto, cuius operatione humanitas eius unita fuit personæ Verbi; ac proinde nullius peccati, sed solius gratiæ fuit capax, imo illam omnigenam omnisque generis iure suo exegit.

Quarto, sicut Adam fuit parens generis humani, in illudque iustitiam originalem propagasset, si Deo obediens in illa perstitisset; sic multo magis Christus parens est Ecclesiæ, puta omnium fidelium et iustorum, imo eorum peccato Adæ perditorum et damnatorum liberator est et redemptor, atque in eos suam gratiam et iustitiam per universa sæcula propagavit, et in dies propagat, uti fuse docet Apostolus Rom. 5. 14. et sequent. et 1. Corinth. 15. 45. *Factus est,* ait, *primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.*

Denique Christus solus est unus e mille, id est electus ex omnibus hominibus ad omnium salutem, ut sit Salvator mundi. Unde sponsa ei accinit Cantic. 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*

Nihil horum ulli alteri competit quam Christo imo nec B. Virgini. Unde addit Salomon: *Virum de mille unum reperi,* puta Christum, *mulierem ex omnibus non inveni,* quæ scilicet instar Adæ immediate a Deo creata rectitudinem et sanctitatem habeat ex vi nativitatis suæ, ut eam in alios transfundat sitque omnium redemptrix, iustificatrix, salvatrix, nulla enim talis est mulier, ne quidem B. Virgo. Huc pertinet explicatio D. Thomæ in c. 3. ad Galat. lect. 6. ad illa verba: *Quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus,* etc. *Ipse,* ait, *solus est singularis, qui non subiacet maledictioni culpæ. Unde Eccles. 7. Virum de mille unum reperi, scilicet Christum qui esset sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino a peccato immunis esset, ad minus originali vel veniali.* Verum in editione S. Thomæ Veneta anni 1555. et altera Parisiensi anni 1539. et alia anni 1532. additur hæc exceptio; *Excipitur purissima et omni laude dignissima virgo Maria.* Sed esto ea omittatur, uti eam alii Codices omittunt, verba Doctoris Angelici prius citata si B. Virgini applicentur, cum grano salis accipienda sunt, scilicet de debito contrahendi peccatum, non de ipso reali peccato. B. Virgo enim ex communi lege, qua statutum erat omnes ex Adamo carnali generatione propagatos, ab eo peccatum originale contrahere, peccatum hoc contrahere debuisset (generata enim fuit ab Anna et Ioachim) nisi singulari privilegio, tamquam futura Dei mater a Deo præventa, ab hac lege exempta fuisset. Eximi autem omnino decebat eam quæ mox futura erat mater Dei et Christi, id est salvatoris et sanctificatoris omnium. Quis enim credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati, imo mancipium diaboli?

Rursum adverte: Non negat Salomon aliquam mulierem esse omnis peccati expertem, sed tantum asserit nullam talem se reperisse: quia scilicet Salomon ignoravit quæ, qualis et quanta futura esset Messiæ mater, an scilicet a parentibus generanda, an a Deo instar Evæ ex homine formanda, an virgo opera Spiritus sancti conciperet, an ullo modo generaret Messiam. Hoc enim primum Isaiæ c. 7. revelatum legimus, dum ait: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ignoravit ergo Salomon an eadem a peccato originali foret eximenda: unde ait se non invenisse, id est non cognovisse ullam mulierem omnino rectam ab omni peccato immunem, alioquin B. Virginem viraginem fore eximiam, quæ suum et sapientum omnium captum superaret, sat indicat Proverb. 31. 10. dicens: *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius.* Sensim enim procedente tempore Deus uti mysteria fidei, sic et B. Virginis dotes et privilegia Ecclesiæ revelavit et patefecit.

Tropol. 8. Hieronymus: « In multis studiosis, inquit, et quotidiana meditatione sudantibus vix invenitur cogitatus purus, et viri dignus vocabulo. Possumus et cogitatus pro viris accipere, mulieres pro operibus, et dicere quod difficile cogitatio alicuius pura inveniri queat. Opera vero, quia per corpus administrentur, aliquo semper errore commixta sint. » Sic et Salonius. Tropol.

Vers. 30. SOLUMMODO HOC INVENI, QUOD FECERIT DEUS HOMINEM RECTUM, ET IPSE SE INFINITIS MISCUERIT QUÆSTIONIBUS. QUIS TALIS UT SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI?) Pro *solummodo* Hebraice est: *Tantum vide*, quæ vox attentionem lectoris excitat. Vox *rectum* significat rectitudinem non tantum naturæ, ut vult Caietan. sed et gratiæ sanctificantis ac iustitiæ originalis; utraque enim dotatus fuit Adam. Unde Olympiod. habet *prorsus rectum*.

Pro *quæstionibus*, Hebr. et Chald. est חשבנות *chiscebonot*, id est *cogitationibus*; Græce λογισμοῖς, id est *ratiocinationibus*; Compl. *considerationibus*; alii, *cogitationibus variis*; hoc est, ut ait Olympiodor. Obliquis vivendi rationibus, in quas se dissecant homines, dum hic avaritiæ, ille superbiæ, alius gulæ, etc. se addicit. Symmach. vertit, πολυπραγμοσύνην, id est curiositatem vel variam negotiationem. Thaumatur. disputationes leviculas circa dictiunculas, vel res levis momenti, quibus subinde tempus terunt sapientiæ studiosi vel professores. Hugo Card. explicat tam de his quæ scire studemus, nec sciri possunt definite in hac vita, tum de curis ac sollicitudinibus et concupiscentiis, quas et quærimus, et de illis ratio quæritur in iudicio. Carthusianus proprie quæstiones intelligit non utiles ac licitas tantum, sed curiosas ac superstitiosas. Titelmannus vult quæstionum nomine contineri omnem difficultatem, perplexitatem, miserias, in quas homines post primum parentem, qui naturam ipsam involvit, se quoque ipsi involvunt. Alii vim facientes in voce quæstionum, rixas accipiunt pugnasque carnales.

Omnia hæc nomine *quæstionum*, Hebr. *chiscebonot*, id est *cogitationum*, accipi possunt; qua de re rursus dicam inferius. *Infinitis*; nam ut ait S. Bonav. nihil explere potest hominis cupiditatem, nihil stabilire ipsius instabilitatem; quia cecidit a veritate in ignorantiam, a bonitate in malitiam, a potestate in impotentiam. Chald. plane vertit: *Verumtamen vidi quid invenerim. Creavit enim Dominus Adamum illum primum fortitudine et iustitia præstantem; sed serpens et Eva eum fefellerunt, ut fructu arboris vesceretur, quem edentes in sapientes evaderent, et haberent notitiam boni et mali; ex quo effectum est ut in se et posteros occasionem mortis adsciscerent. Et hunc solum in perquirendis quæstionibus illis fructum sunt consecuti, ut mortem in omnes terræ incolas inveherent.* Causam dat versus præcedentis. q. d. Causa cur ex omnibus hominibus et fœminis vix ullum invenerim per omnia rectum et sapientem, qui veram ad felicitatem viam iniret, est quod Deus quidem fecerit Adam rectum, sed ipse a rectitudine hac desciscens, se et posteros inquinavit peccatu et concupiscentia, quæ infinitas ei cogitationes, desideria, curiositates et quæstiones suggerit, ut numquam animo conquiescat; quia enim ab uno Deo descivit, hinc in diversa et plurima distractus est, et mens eius post creaturas varias vaga abit; cumque in nulla reperiat requiem et satiem, aliam semper et aliam cogitet et concupiscit, ubique quærens quietem et nusquam inveniens; quare mille cogitationum et quæstionum, id est curarum, cupiditatum, curiositatum, passionum, tumultuum fluctibus et æstibus, instar Euripi assidue iactatur et fluctuat, et ut ait Lucretius libro 5.

Semper et in curis consumit inanibus ævum.

Adam creatus est in iustitia originali.

Nota: Ex hoc loco liquet Adamum creatum esse in gratia et iustitia originali. Idem liquet ex iis quæ dicit Sapiens c. 2. 23. et 34. et Eccles. c. 17. v. 1. et 2. et Apost. Ephes. 4. 23. et Coloss. 3. 10. Quare perperam censuerunt Pelagiani Adamum e Deo conditum esse talem, quales nos nascimur et sumus. Minus quoque recte Alex. de Alex. Marsil. Altisiod. Bonav. Scotus in 2. distinct. 29. opinati sunt Adamum creatum esse in puris naturalibus, deinde dotatum gratia, quam mox peccando perdiderit. Igitur tacite Salomon hic refellit hæreticos, qui Deum faciebant peccati et depravatæ naturæ auctorem, atque Gentiles, qui naturam censebant homini esse novercam, quod eum tam parvum miserumque formasset, cum hoc vitium non sit naturæ, sed culpæ, uti passim docet S. Augustinus contra Pelag. qui lib. 4. contra Iulianum cap. 40. ait Philosophos *rem* (corruptionem hominis) *vidisse, sed causam ignorasse*. Vide Theodoret. lib. 3. de Curan. Græc. affect. Præclare S. Cyrillus Catechesi 2. *Plantatio quidem bona*, ait, *sed fructus ex voluntate malus; atque ideo plantator quidem in culpa non est, vinea autem comburetur, quoniam in bonum plantata est, et in malum fructificavit. Fecerat enim hominem rectum, sed ipse quæsivit quæstiones multas. Et Apostolus dicit: Ipsius enim factura sumus, creati in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut ambulemus in illis. Creator itaque, cum sit bonus, bonos creavit. Creatura vero voluntate propria in amaritudinem conversa est. Ego plantavi vineam fructiferam totam veram, quomodo conversa est in amaritudinem vitis aliena?* Ier. 2. 21.

Nota secundo: Rectitudo hæc opponitur curvitati, obliquitati, tortuositati, corruptioni, depravationi, quam post peccatum per concupiscentiam incurrit homo. Concupiscentia enim eius mentem a rectitudine rationis, legis, virtutis et voluntatis Dei distorquet, ut concupiscat inhonesta, turpia, noxia, vetita, quam in se sentiens S. Paulus: *Video*, ait, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati*, Roman. 7. 23 Hæc est hominis animique distortio et claudicatio, qua uno pede mentis rectus, altero pede concupiscentiæ claudus incedit. Rectitudo ergo sopiebat, imo tollebat concupiscentiam, Adæque mentem adæquabat dictamini rectæ rationis, prudentiæ, honestatis et legis divinæ.

Nota tertio: Aliqui per rectitudinem accipiunt simplicitatem et sinceritatem; ita Thaumaturgus, q. d. Deus creavit hominem rectum, id est simplicem, sincerum, candidum, non falsum, fucatum, fictum, fraudulentum; sed talis per peccatum evasit. Hæc enim est ferrea ætas, in qua ut canit Ovid. 1. Metamor.

Irrupit in ævum
Omne nefas, fugere pudor, verumque fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque dolique,
Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi.

Qualis hæc iustitia.

Noster Pineda per rectitudinem accipit pudicitiam, cuius iacturam paulo ante in mulieribus texuit, et quæstiones infinitas refert ad fœmineas lites et tricas; sed ut ipse fatetur, hæc arctior et humilior est hominis rectitudo; plena enim et adæquata est mentis per gratiam et virtutem quamlibet, ac præsertim per iustitiam originalem integritas, conformitas, iustitia et sanctitas. Unde S. Thomas 1. p. q. 95. *Deus*, inquit, *fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires et animæ corporis. Prima autem subiectio erat causa secundæ et tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur, ut docet S. Augustinus* lib. de Natura et Gratia cap. 15. et libr. de Corrept. et Gratia c. 11. *Rectitudo hominis in eo est, ut carni spiritus utpote inferiori superior præsit et imperet, et hæc illi iussa adsit atque obtemperet*, ait Rupert. in c. 1. Genes et S. August. lib. 14. de Civit. cap. 11. et 27. *Fecit*, ait, *Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset, bonum non habens voluntatem.* Et S. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. *Cum boni creati simus, et boni a Deo ipsi vitio nostro sumus ad peiora delapsi, et quod in paradiso rectum in nobis fuerat, egredientibus de paradiso depravatum est.* Vide D. Thom. loco iam citato ac ibidem Suarez, Vasquez, Valentia, Molina cæterosque Scholasticos. Rectum enim dicitur, quod suam regulam adæquat. Adam ergo creatus est rectus, quia rationi et legi Dei per omnia conformis: hæc enim rectitudo efficiebat in eo omnium virium et potentiarum consonam harmoniam, mirumque consensum et quasi concentum; cum iam post peccatum in nobis experiamur rebellionem carnis et spiritus, mirumque virium omnium dissonantiam, luctam et pugnam. Deus ergo fecit hominem rectum, quia in ipso creationis momento Adamo gratiam sanctificantem infudit, eumque iustitia originali vestivit. Gratia efficiebat Deiformem, imo

In quo sita.

Dei filium, Angelorum fratrem, creaturarum Dominum. Originalis iustitia per iugem Dei assistentiam omnes animæ vires, puta intellectum, memoriam, voluntatem, item sensus et appetitus omnes ita moderabatur, contemperabat, et puras pacatasque efficiebat, ut nulla inter eas esset discordia, nullus ne minimus quidem defectus. Erat ergo Adam tunc memoria tranquillissimus, intellectu perspicacissimus, voluntate rectissimus, sensibus obedientissimus, appetitu subiectissimus, in quo corpus animæ iussum sine ulla contradictione sequebatur, sensus et appetitus rationi parebant, et ratio divini numinis ducebatur imperio. Unde Prosper lib. 2. de vita Contemplat. *Non inquietabat*, inquit, *molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis moli, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremo quid eo felicius fuit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus?* Iam vero post lapsum soluta hac potentiarum harmonia, homine distemperato corpus animæ imperium subire detrectat, et si illa vult abstinere, hoc manducare; si illa vigilare appetit, istud dormire; si animam laborare, corpus otiari, et socordia consumi delectat. Iam sensus et appetitus rationi non parent, sed tamquam servi rebelles adversus illam insurgunt, et (quod miserabilius est) deceptam et captivam pertrahunt. Iam ratio divinas leges præterit, sui Creatoris iussa contemnit; quæ proinde illud Ierem. audit: *Fregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam.* Quid moror, et hominis morbos enarro? *Omne caput languidum, et omne cor mærens. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*, Isaiæ I.

Et ipse (Adam cum posteris: unde Hebr. Septuag. Syrus, Arabicus, S. Hieron. in Comment. Campen. Vatabl. et alii habent *ipsi* in plurali) INFINITIS SE MISCUERIT QUÆSTIONIBUS.) Hebræa: *Et ipsi quæsierunt* חשבנות *chiscebonot*, id est *cogitationibus*: Symmach. vertit, *curiositates*; Caiet. *rationes*; alii, *astutias*, artes, affectus pravos. Apposite per quæstiones infinitas accipias plurimas Philosophorum de hominis fine, summoque bono ac felicitate, in quo scilicet illa sita sit, opiniones et pugnantes sententias. Thaumat. accipit quæstiones numquam finiendas, quod cum homines ad indagandam sapientiam sint nati, ipsi tamen in verbositate omnem ætatem conterant. R. Salomon per quæstiones accipit uxorias lites et rixas, q. d. Adam, cum solus erat, rectus erat et pacatus; cum ei addita est Eva, incidit in uxorias lites: verum hoc frivolum est et Rabbinicum. Tale est et illud versionis Tigurinæ: *Deprehendi*, ait, *quod Deus Adamum probum condiderit, ipsi autem plures facti cogitationes vanas persecuti sunt.* Non solum enim posteri Adæ, sed et ipse Adam post lapsum id fecit, ut *se infinitis miscuit quæstionibus*, ut habet Vulgatus. Acute Hugo Card. licet minus genuine ad litteram, per quæstiones accipit tormenta: tot enim tormentis et aculeis cruciatur homo, quot cupiditatibus servit, præsertim uxoriis et fœmineis. Unde illud S. Hieron. contra Iovin. *Qui non litigat, cælebs est.* Et illud Iuvenalis:

> *Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,*
> *In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.*

Nota: Τὸ *miscuerit* habet auxesin, ut recte advertit Pineda, q. d. Homo adeo quæstionibus, id est cogitationibus, curis, cupiditatibus et litibus immersus, imo absorptus est, ut videatur totus compositus et compactus ex quæstionibus, querimoniis, litibus, rixis, vix aliquid purum et meracum in homine cerni possit, quod non sit confusaneum et miscellum ac perturbatum. Ergo multarum rerum confusionem et perturbationem videtur significare, cum humanorum studiorum et passionum agitatio cælum terræ miscet, et omnia confundit.

Quæres: Cur Noster hebr. חשבנות *chiscebonot* vertit *quæstionibus*, et non *cogitationibus*? Respondetur: Quia τὸ *quæstionibus* multa significat huic loco congrua et opportuna. Primo enim, quæstiones significant varias Philosophorum de felicitate et summo hominis bono disputationes et opiniones; dum alii illud in honore, alii in opibus, alii in sanitate, alii in scientia, alii in prosperitate, alii in amicitia, etc. collocarunt. Salomon enim totus hic est in describenda rerum vanitate, et inquirenda veritate veraque felicitate, qua scilicet in re homo recte, honeste et beate vivere queat, atque illam vix in ullo mortalium se reperisse commemorat; eo quod homo rectus a Deo conditus rectitudinem et Deum unum, in quo solo eius felicitas sita est, peccando deseruit, ideoque felicitatem in variis rebus creatis, ad speciem formosis et delectabilibus quærat, et nusquam inveniat, cum in eis non consistat. Homo ergo ab una *chesbon*, id est, cogitatione et ratione Deo adhærendi, eaque feliciter vivendi, uti dixi v. 28 deflexit in *chiscebonot*, id est, in multas cogitatiunculas, quæstiunculas, ratiunculas, quas ipse sibi excogitavit et finxit quasi ibi beatam vitam inventurus, sed revera non nisi tricas, spinas et ærumnas invenit; quia relicta vera arte bene beateque vivendi, vanas et fallaces artes beatæ vitæ sibi commentus est. I.

Homo multis se miscet quæstionibus

Secundo, quæstiones significant continuas sollicitudines et curas, item lites et rixas huius vitæ, quibus homo non tantum cum æmulis, vicinis vel amicis; sed etiam secum ipse litigat et rixatur, dum mente cælestia, carne terrena cogitat et concupiscit. II.

Tertio, quæstiones significant curiositates, quibus plenus est homo, ut omnia præsertim nova, aliena, peregrina et incognita scrutari velit, ideoque infinitis molestiis se implicat. Hinc rursum quæstiones notant difficultates et molestias quaslibet, quibus se homo vel sponte vel coacte immiscet. Accedit Hugo, qui per quæstiones accipit equuleos, et tormenta; hæc enim vocantur quæstiones, quia per ea veritas criminis in iudicio exquiritur et exprimitur a reo: *Quæstio tenet eum qui in ius vocatus est*, ait Papinianus. III.

Quarto, quæstiones significant cupiditates, quibus scatet homo, per metalepsin: quæstiones enim notant cupiditatum originem et fontem, scilicet quod prodeant ex curiositate quærendi, et sciendi, puta ex pruritu sentiendi et experiendi quid in qualibet re sit bonum, iucundum et delectabile. Alludit ad primam quæstionem serpentis, quam movit Evæ dicens: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de ligno scientiæ boni et mali?* Genes. 3. Ad quam quæstionem in curiositatem gustandi pomi exarsit Eva, illudque comedit, ac eodem maritum nosque omnes perdidit, atque suam curiositatem et concupiscentiam in posteros omnes transfudit. Vis ergo excludere concupiscentiam? Exclude curiositatem, claude oculos, aures, mentem, dicitoque cum Propheta: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*; ne visam concupiscant, et gustare velint instar Evæ. IV

Quinto, Noster Lud. Molina per quæstiones accipit perplexitates, cæcitatem et ignorantiam, quam per peccatum incurrit homo; qui enim ignorat, is quærit id quod ignorat et nescit. Quæstio ergo notat ignorantiam, imprudentiam, insipientiam hominis in rebus, tum speculativis, tum potius practicis. Omne enim peccatum prodit ex quadam ignorantia, id est imprudentia; quod scilicet homo non satis consideret peccati damna et pœnas gehennæ, quibus se obnoxium reddit. Nam si has prudenter consideraret et ponderaret, uti debet, utique non peccaret. Sed audi Molinam 1. p. tract. de opere sex dierum disp. 27. sub finem: Quæstionum nomine intelligit anfractus, difficultates et ambiguitates, quæ amissa iustitia originali per peccatum primorum parentum, eoque ipso recedente a natura humana concentu, rectitudineque illa maxima, qua condita fuerat, atque ignorantiæ vulnere simul suscepto, in humana vita sunt consecuta. Unde sequitur quod homo in iustitia originali longeque sublimiori statu, quam sit ille, in quo nunc est, fuerit conditus. V.

Sexto, quidam per quæstiones accipit questus, id est, VI

querelas et querimonias, quas pariunt miseriæ et dolores huius vitæ homini lapso. Verum sic quæstiones sine diphthongo forent, iam autem scribuntur cum diphthongo.

Rursum accipit quæstiones non tam active, quam passive pro rebus quærendis ab homine, ad quas scilicet interroganti Deo, homo in die iudicii respondere debebit; ut quæstio hic per catachresin responsionem significet. Interrogabit enim Deus quemque, et quæret: Cur tot beneficiis meis ingratus fuisti? cur sanguinem Christi mei profanasti? cur gratiam eius et vocationem respuisti? cur hoc peccatum perpetrasti? cur proximum læsisti? cur adulterium commisisti? cur furatus es? cur occidisti? cur concupisti tot tantaque illicita? atque ad singula respondere debebit homo pavidus et anxius; et quia iustam responsionem dare non poterit, audiet sententiam damnationis ad gehennam, cui proinde infelix in hac vita, dum peccat, se immiscet, et obnoxium reddit.

Insuper alius per quæstiones accipit tentationes, sophismata et captiones diaboli, quibus quasi laqueis animam irretit, convincit et capit, sicut sphinx suis quæstionibus implicatis transeuntes illaqueabat, capiebat et occidebat. Verum hæ quæstiones accommodatitiæ et mysticæ sunt potius quam litterales et genuinæ.

Denique quæstiones Salomon opponit rectitudini et homini recto, quia scilicet in statu innocentiæ mens eius erat recta sine ulla culpa, æque ac corpus sanum ab omni pœna liberum; quare per quæstiones significat tum culpas et peccata, tum pœnas et tormenta quas peccando et desciscendo a primæva rectitudine homo sibi asctivit; qua de causa necesse fuit invenire virum unum electum ex mille, puta Christum qui illum a quæstionibus et distorsionibus hisce expediret eumque primæ rectitudini et æquitati restitueret. Unde subdit:

Quis talis, ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?) Hebræi, Chald. Hier. Vatablus Campens. cæterique Hebraizantes hanc gnomen referunt ad initium capitis sequentis. Unde ab ea inchoant cap. 8. Hinc Chald. vertit: *Quis vero tanta effertur sapientia, ut adversus prudentiam Domini possit consistere, et in Prophetorum sermonibus germanam interpretationem cognosceret?* Septuag. Syrus et Arabicus vertunt: *Quis novit sapientes?* cui quæstioni mox respondet c. 8. v. 1. Sapientem ex vultu internosci: *Sapientia hominis*, ait, *lucet in*

A *vultu eius.* Verum melius Vulgata, Septuag. Syrus, Arabicus et alii passim hanc gnomen nectunt præcedentibus, idque varie et vario sensu.

Primo, Caiet. q. d. Quis talis est, ut sapiens sit, q. d. Nullus vel vix ullus est vere sapiens, uti paulo ante dixit. Huc pertinet versio Camp. *Quis conferendus cum eo qui iudicium habet de rebus?*

Secundo, Hugo Card. explicat, q. d. Quis talis est ut sapiat; talis scilicet rectus, uti dixit paulo ante, qui scilicet sciat non se quæstionibus miscere ac involvere, ex quibus nequeat extricare se, verum eas amplecti ex quibus norit expedire, easque solvere, nec nisi res honestas ac pias sobrie scrutari. Addit antonomastice intelligi vel Christum, vel Salomonem sapientis nomine: per *solutionem verbi*, non solum divinæ Scripturæ, iuxta illud: *Quis est dignus accipere librum, et solvere signacula eius?* Sed eius de quo sumus in iudicio interrogandi: quia qui custodierint et viderint iusta, invenient, quid respondeant; Sap. 6. 11.

Tertio, Titelman. q. d. Si sapis, attende diligenter ad ea quæ dixi de periculo et malitia mulierum, de paucitate virorum, quodque non Deo, qui rectos nos condidit, sed
B nobis ipsis depravationis culpa sit danda.

Quarto, plane et simpliciter, q. d. Quis æquetur sapienti, qui hæc quæ iam dixi difficilia et a paucis cognita, cognoscit et penetrat, ac præcipue infinitas quæstionum tricas, quibus alii se miscent, devitans cognoscit *solutionem verbi*? scilicet quæstionis paulo ante a me propositæ, puta de ratione et modo inveniendi vitam beatam et felicem, ait Caiet. sequendo unum virum de mille, puta Christum Dominum. Aliter S. Hieronym. qui per verbum accipit S. Script. et Chald. Prophetam: alii *verbi*, id est verborum, id est rerum, problematum, vel quæstionum difficilium. Ita Albinus, Olympiodorus et Vatablus. Est conclusio significans non nisi a sapiente difficultates propositas posse resolvi: hanc enim esse laudem et dotem sapientiæ ac sapientis, ac proinde eum rarum esse et vix unum e mille reperiri. Simili epiphonemate David claudit Ps. 106. dicens: *Quis sapiens et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?* Identidem enim ad sapientiæ elogia recurrit Salomon, ut eam omnibus apprædicet, omnesque ad eius studium impellat.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sapientiæ dat signa et effecta; illam enim lucere ait in vultu, verbis moderatis, iuramenti legisque custodia, et opportunitatis observatione; hæc enim præstat et efficit sapientia. Deinde v. 9. quædam vanitatis genera recenset, præsertim quod impii tractentur ut pii. Denique v. 15. laudat vitam moderatam quæ opibus suis fruitur, et a se anxias curas et curiositates omnia scrutandi ablegat.

1. Sapientia hominis lucet in vultu eius, et potentissimus faciem illius commutabit. 2. Ego os regis obser-
vo, et præcepta iuramenti Dei. 3. Ne festines recedere a facie eius, neque permaneas in opere malo:
quia omne, quod voluerit, faciet. 4. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest:
Quare ita facis? 5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapien-
tis intelligit. 6. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio: 7. Quia ignorat præteri-
ta, et futura nullo scire potest nuntio. 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem
in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. 9. Omnia hæc considera-
vi, et dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.
10. Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi
iustorum operum; sed et hoc vanitas est. 11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ti-
more ullo filii hominum perpetrant mala. 12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patien-
tiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. 13. Non sit bonum
impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. 14. Est et alia
vanitas, quæ fit super terram: sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii,

qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant: sed et hoc vanissimum iudico. 15. Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet et biberet, atque gauderet; et hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole. 16. Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem, quæ versatur in terra; est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. 17. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

Vers. 1. SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU (sicut in speculo, ait Hugo) eius.) Vatablus explicat de vultus serenitate et hilaritate; Caietan. de maiestate et auctoritate; Clarius de gratia, a qua vocari solet vultus gratiosus et festivus. Olympiodorus accipit vultum animi, non corporis, q. d. Sapiens habet animæ suæ faciem luce magna conspicuam, iubare scilicet divinæ sapientiæ illustratam. Verum hoc mysticum est. S. Hieronym. hanc gnomen nectens ultimis verbis cap. præced. sic legit, sicque plane clareque exponit: « Quis ita, ut sapiens? et quis novit solutionem verbi? Sapientia hominis illuminabit vultum eius, et fortis faciem, etc. Supra docuerat difficile bonum hominem inveniri, et venientem contra eliserat quæstionem, a Deo bonos homines conditos, sed sponte sua ad peccatum delapsos. Nunc quid boni homini dederit Deus, quasi gloriabundus enumerat, sapientiam scilicet, atque rationem providentiæ, occulta Dei nosse mysteria, et arcana eius sensu cordis intrare. Oblique autem de se loquitur quod nemo ita fuerit sapiens, ut ipse, et nullus sic fecerit problematum solutiones, et sapientia eius a cuncto laudata sit populo, quæ non solum non intrinsecus latuerit, sed et in superficie corporis et speculo vultus eluxerit, ultraque omnes homines prudentia mentis in facie sua pinxerit. »

Sapientia lucet in vultu I. Porro, sapientia lucet in vultu tripliciter: Primo, quia, ut ait S. Hieron. et Albinus, anima seipsam suasque passiones et affectus imprimit corpori, præsertim vultui per naturalem sympathiam, qua forma materiam, potа anima corpus sibi adaptat et adæquat. Animus ergo sapiens sapientiam prodit, imo fingit et pingit in vultu, sicut sigillum sui figuram fingit et pingit in cera. Id patet ex physiognomia. Unde signa physiognomica sapientiæ et insipientiæ, virtutum et vitiorum, quæ in vultu totoque corpore relucent, recenset Aristoteles in Physiognomicis. Quocirca Thuanus vertit:

Nempe micat rosea sapientis fronte coruscus
Fulgor, et ex vultu feritas et ruga facessit.

Vultus ergo est viva imago, imo speculum et simulacrum animi, uti communis habet sapientum sententia. Intellige communiter ita fieri, at non semper; nam ut ait Comicus: *Multis mortalium facies est ingenua, mens vero intus illiberalis reperitur.*

II. Secundo et potius, quia sapientia, id est prudentia et virtus, non tantum animum, sed et corpus, præsertim vultum ad omnem honestatem et decorem componit et efformat, facitque ut in eo reluceant gravitas, modestia, comitas, probitas, pietas, scilicet in fronte serenitas, in genis verecundia, in oculis candor, in ore prudentia et gratia, in toto vultu hilaritas et lætitia, mixta prudenti sanctaque maturitate. Unde Hebr. est: *Sapientia hominis illuminabit vultum eius;* Chaldæus: *Sapientia viri sapientis illustrat splendorem faciei eius inter iustos.* Sic et Sept. Syrus, Arabicus et cæteri. Arias:

——Hominis faciem sapientia luce
Perfundit, mutatque iras vultumque superbum,
Atque supercilium demit, redditque modestum.

Et alius:

Namque gravis facies animi est sapientis imago.

Si scilicet natura sit comis, placida et æquabilis. Comes enim sapientiæ est humanitas et modestia.

Rursum sapientia lucet in facie sapientis, quia eam facit omnibus amabilem, iuxta illud Iob 29. 24. *Lux vultus mei non cadebat in terram.* Lux enim symbolum est maiestatis et causa venerationis. Sic Esther ait Assuero c. 15. 16. *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ; valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum.* Porro *residebat ille super solium regni sui indutus vestibus regiis, auroque fulgens et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.* Ibidem v. 9. Sic Iudæi viderunt faciem sancti Stephani quasi Angeli, Actorum c. 6. 15. Sapientia ergo sanctitati iuncta est quasi sol, iubar suum in vultum diffundens. Unde *inexstinguibile est lumen illius,* Sapient. 7. 10.

Tertio, quia Spiritus sanctus per gratiam animam inhabitans et illustrans, lucem eius, imo suam diffundit in vultum et corpus, sicut lucernæ lux per vitrum vel cornu translucet; et sicut lumen gloriæ beatorum non tantum mentes, sed et corpora efficit fulgida et gloriosa. Adde, Spiritus sanctus eximiis viris in quorum mentibus, velut in templis augustis habitat, specialem vultus claritatem et fulgorem sæpe aspirat: sic in vultu Christi radiabat fulgor divinitatis, teste S. Hieron. cuius radios S. Petro, S. Iacobo et Ioanni afflavit in transfiguratione; in vultu S. Antonii radiabat splendor sanctitatis, teste S. Athanas. Sic faciem S. Ignatii fundatoris Societatis Iesu radiantem et splendidam se vidisse asseruit B. Philippus Nerius, aliique viri sapientes et sancti. Sic Deus in Sina colloquens cum Mose, illi cornua, id est, radios lucis affixit, Exodi 34. 30. Sic facies B. Virginis erat simulacrum probitatis, norma et forma virtutis, teste S. Ambros. Unde sequitur: *Et* (id est *quia*) *potentissimus faciem illius commutabit.* Et Psalm. 66. 2. *Illuminet* (Deus) *vultum suum super nos.* Sicut enim sol creaturas, sic Deus homines sanctos luce sua collustrat. Vide dicta Proverb. c. 17. v. 24. ad illa: *In facie prudentis lucet sapientia.* Et Proverb. cap. 27. v. 19 ad illa: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* III.

ET POTENTISSIMUS FACIEM ILLIUS COMMUTABIT.) Primo, q. d. Princeps aut tyrannus, aut quis alius potens vel minis, vel præmiis flectet constantiam faciemque sapientis et sancti, ut a sapientia et probitate ad insipientiam et improbitatem deflectat. Rursum sapiens si principi serviat, et ab illius vultu nutuque pendeat, necessum est ut sæpe vultum cum eo mutet, sicut umbra mutato corpore figuram suam mutat et variat; quare si sapit, non principi terreno sed cœlesti, apud quem nulla est vicissitudinis obumbratio, Iacobi c. 1. v. 17. se mancipet; quod monet Sapientia, dum subdit: *Ego os regis observo.*

Secundo et genuine, per potentissimum accipe Deum. Dat causam cur sapientia luceat in vultu sapientis: quia scilicet Deus illum immutat, illique suam sapientiam et lucem aspirat, præsertim in oratione et colloquio cum Deo patre luminum, uti in eadem radios suos aspiravit faciei Mosis. Sic vultus S. Dominici ex oratione prolixa spirabat amorem; S. Francisci, contemptum mundi et Christum crucifixum; S. Catharinæ Senensis, devotionem et compunctionem, ut solo vultu intuentes compungerent, et ad pietatem Deique amorem inflammarent. Sensus ergo est, q. d. Deus potentissimus commutare solet faciem sapientis, ut impudicitia, pervicacia, tristitia, feritas, truculentia, et si quis alius antea in ea erat pravus affectus, in probum, puta in pudorem, modestiam, pudicitiam, lætitiam, pietatem, etc. commutetur, ut qui per naturam, vel exercitium et vitium prius fuerat vultu tetrico, torvo, minaci, vago, lascivo, iam sapientiæ dono eumdem habeat hilarem, serenum, placidum, stabilem, pudicum, sanctum.

Sic Deus post orationem mutavit faciem mœstam Annæ matris Samuelis, ut deinceps æquabili semper facie, læta hilarique consisteret, 1. Reg. 1. 18. et faciem Esther pallidam ob metum Assueri, Esther 15. 10. et Danielis c. 7. 28. Porro S. Bonavent. docet Deum mutare faciem exteriorem mutando interiorem, id est animæ seu rationis partem superiorem Dei capacem. Aliter Emmanuel Sa, q. d. Deus sapientem ita quandoque mutat et deiicit, ut non videatur esse sapiens.

Moral. Hugo Card. Deus, ait, commutat eum qui malus est, ut evadat bonus: qui turpis, ut pulcher; qui debilis, ut fortis; qui viator per gratiam, ut comprehensor per gloriam, secundum quadruplicem statum incipientium, proficientium, perfectorum, pervenientium. Dionys. vero, q. d. Sapiens Dei dono subditis faciem commutabit, et pro subditorum rerumque exigentia nunc iratam, nunc blandam, nunc tristem induet, uti Christus induit, cum ementes eiecit e templo; et cum Magdalenæ apparuit ut hortulanus; discipulis in Emmaus euntibus ut peregrinus.

Anagog. Lyran. Deus, ait, faciem mortalem in resurrectione commutabit in immortalem et gloriosam. Legit noster Interpres עָז az, id est potens per antonomasiam, id est potentissimus, puta Deus; iam alio puncto legunt עֹז oz, id est potentia, fortitudo, robur, durities, impudentia. Durus enim facie vel fronte, ab Hebræis vocatur *impudens*. Unde

Primo, Caiet. vertit: *Et fortitudo vultus illius commutabitur*; quod sic exponit, q. d. Nullus etiam dynasta ita sapit, quin aliquando desipiat, ut muneribus, precibus aliave re corrumpi se sinat, ut subditos affligat, etc. sicque vultus etiam ipsius, id est auctoritas, apud eos mutatur et emittitur. Unde Chald. vertit: *Et impudens facie, immutantur eius vias de bono in malum*. Sic Catilina impudentiam et sævitiam spirabat vultu, etiam iam occisus: *Etiam mortuus Catilina*, ait Sallustius, *retinebat faciem quam habuerat vivus.*

Secundo, Clarius vertit: *Et impudentia* (Vatablus, *duritia*) *faciei illius commutabitur*; quia dum sapientia hominem possederit, abigit impudentiam a mente et fronte. Et Titelm. sic vertit et explicat: *Sapientia hominis lucere faciet vultum ipsius, et fortitudinem, id est impudentiam vel crudelitatem, feritatem et barbariem vultus eius mutabit.* Campensis: *Crudelitatem pellit.*

Tertio, Vatablus, q. d. Sapientia fortitudinem et arrogantiam, impudentiamque faciei hominis immutabit; quia faciet ut ipse sibi videatur vilis, abiectus, despectus, quamvis ab aliis plurimi fiat.

Quarto, Septuag. יִשָּׂנֵא iesanne legentes per *sin*, id est audietur, non יְשֻׁנֶּא iescienne per *scin*, id est commutabitur, vertunt ἀναιδής, id est *impudens* (Vatic. legunt, *imprudens*, atque impudentia est imprudentia, puta stolidites) *vultu odietur:* Syrus: *Cuius facies audax est, odiosus efficitur;* Arabicus: *Qui non habet verecundiam contumelia afficiet faciem suam*, q. d. In vultu sapientis lucet pudor et sapientia, in vultu stolidi insipientia; ideoque ille amabitur et colitur, hic odietur et contemnetur. Unde ut explicat Olympiod. *Facie sua punietur*, cum scilicet impudens contentiosis sermonibus sophisticisque captiunculis sese efferens, redargutus, impudentiæ pœnas dabit. Thaumaturgus: *Sapientiæ indicium ex hominis vultu apparet, velut et livor impudens, statim ut videtur aliquis, prodit dignum esse, in quo inhabitet.* S. Hieron. in Comment. *Improbus facie sua odietur;* improbitas est audacia et impudentia.

Vers. 2. EGO OS REGIS OBSERVO, ET PRÆCEPTA IURAMENTI DEI.) Septuag. Syrus et Arabicus vertunt in imper. *Os regis observa;* quia pro שׁוֹמֵר sciomer, id est observo, legerunt alio puncto שְׁמוֹר scemor, id est observa. Unde ex Hebræo sic vertendum censuere: *Ego*, scilicet moneo vel iubeo, *os regis observa*. Pendet hic versus a præcedenti, ex eoque velut practica conclusio educitur, q. d. Quia Deus potentissimus os et faciem sapientis, sui oris et faciei luce immutat, illique suam sapientiam, virtutem

A et splendorem aspirat, hac de causa: Ego sapientia, vel ego sapiens os et faciem Dei regis mei observo; tum ut illi os et faciem meam, ab eius ore et facie illustratus, conformem. Unde frequenter in Psalmis orat David, ut Deus *illuminet vultum suum super nos;* quia *in lumine eius videbimus lumen*. Sicut enim qui ambulat in sole, luce solis collustratur; sic qui versatur cum Deo luce divina perfunditur; tum ut ab ore eius divina iussa et præcepta sapientiæ excipiam, quibus meam mentem vultumque imbuam, illustrem, sanctificem, quæque in opus conferam, ut Deum meum per gratiam laborando hic sequar, et in cœlo per gloriam comprehendendo assequar.

Porro τὸ *ego* refer ad sapientiam, de qua est omnis sermo, vel ad Salomonem, qui in se typum hic sapientiæ et sapientis exprimit; quod eodem redit, uti liquet ex verbis S. Hieron. initio vers. 1. citatis. Sæpe enim Salomon, æque ac Siracides, per prosopopœiam ipsam sapientiam loquentem inducit, elegantiæ et energiæ causa.

Igitur primo et genuine, per regem accipe Deum, qui B est Rex regum. Nec enim Salomon habebat in terra regem superiorem se, cuius os et iussa observaret. Sensus ergo est, q. d. Ego sapientia sollicite ambulo cum Deo rege meo, ac studiose observo; ac mei studiosos, puta sapientes et sanctos exacte observare iubeo os eius, id est legem ex Dei ore manantem, et *præcepta iuramenti Dei*, quæ scilicet ipse iuramento confirmavit, ut testaretur hanc esse intimam suam voluntatem, ut scilicet homines hæc eius præcepta diligentissime servarent, quæque nos vicissim solemni professione, velut iuramento servaturos in circumcisione vel baptismo promisimus, et quasi iuravimus.

Nota: Τὸ *observo* significat sedulum et exactum studium divinæ voluntatis, legisque scrutandæ et adimplendæ, ut quid, quantum, quomodo, quibus circumstantiis Deus hoc illudve fieri iubeat, minutim vestigemus, et ad amussim omnia et singula compleamus. Sic famuli observant os regis, id est singula eius iussa et verba, imo sin- C gulos eius gestus et nutus nictusque oculorum, ac ubi perceperunt quid velit, illico ad id explendum non tam eunt, quam currunt et volant.

Mystice, S. Bonavent. Os, inquit, Patris est Christus (sicut Christi os est doctor et prædicator) cuius minima dicta, imo gestus et nutus studiose audire, mente condere, meditari, et opere explere debemus. Nam ut ait Christus: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Sic Beata Virgo *conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, Lucæ 2. 19. Sic quisque deberet observare os Domini, ut ad minimam voluntatis divinæ significationem totum se fingeret et componeret. Hoc est *sollicitum ambulare cum Deo*, quod unice a nobis requirit Deus, uti docet Mich. c. 6. 8. ideoque convenit assidue dicere cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus;* et cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?* et cum Psalte: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

Secundo, per regem cum Olympiodor. et aliis accipi potest quilibet rex, princeps et magistratus, qui regendi vi- D ces, ius et auctoritatem a Deo accepit, q. d. Ego sapientia observo, et meos observare doceo os, id est leges et iussa regum ac magistratuum, qui quasi vicarii Dei regunt rempublicam. His enim se obedituros in eorum inauguratione promiserunt, et iurarunt subditi. Ergo par est ut eis iuxta iuramenta præstita pareant et obsecundent, iuxta illud Prov. 24. 21. *Time Dominum, fili mi, et regem;* quia Dominus iussit ut regi obediae. Unde Sept. et Arabicus vertunt: *Os regis custodi;* Syrus: *conserva;* Chald. *Custodi os tuum super sententiam regis;* Tigurina: *Equidem moneo ut os regis observes, præsertim propter iuramentum Dei;* quia, ut ait Vatablus, fidem iureiurando regi præstitimus. Alii: *Meum est observare præceptum regis.* Porro nonnulli prius hemistichium a posteriore adversative disiungunt, q. d. Observa os, id est præcepta regis, sed magis observa iuramenta, quibus obstrictus es Deo; ut si rex aliquid Deo contrarium præcipiat, dicas: *Obedire magis oportet Deo quam hominibus.* Unde Campens. *Quæ*

rex mandavit, observet, et præstet si quid Deo in testem vocato iuraverit. Et Thaumaturgus: *Magna diligentia verba regis attendenda sunt, sed iusiurandum per nomen Dei omnibus modis fugiendum.*

Tertio, nonnulli hanc gnomen arctant, et attribuunt familiaribus et consiliariis regum et principum, quasi eis indicet hic Salomon fidelitatem et silentium ne eorum secreta consilia evulgent, qui iuramento eis promiserunt, quasi quilibet eorum hic inducatur ut loquens, dicatque: Ego os, id est secreta, quæ ex ore regis mei audivi, secreta servo. Unde S. Hieron. censet hic Salomonem loqui in persona cuiusvis sapientis, qui paret legibus et regibus. Hic enim est regendi, et rei bene gerendæ nodus et nervus, si consilia serventur secreta. Id norunt Persæ, de quibus scribit Ammian. l. 21. *Nemo consiliorum*, inquit, *est conscius præter optimates taciturnos et fidos, apud quos silentii quoque colitur numen*, q. d. Silentium adeo religiose observant et colunt, ac si illud esset unicum eorum numen, hinc silentiarii nuncupabantur, et revera erant. Huc pertinet illud Raphaelis Tob. 12. 7. *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Huc quoque spectat expositio Olympiod. *Est*, inquit, *os regis custodire, divina mysteria silentio occultare, neque indignis atque profanis auditoribus illa explicare.* Idem tropologice sic exponit: Bonum est ut non studeamus extra os et faciem Dei ambulare, sed omnia nostra opera sic peragamus, ut Deum vereamur, tamquam præsentem iudicem et inspectorem.

Et ob præcepta (Hebr. *verbum*; S. Hieron. *loquelam*) iuramenti Dei) repete, *observo.* Aliter S. Hieron. in Comment. et Symmachus qui hæc nectunt cum sequentibus: *Ne festines.* Unde Arabicus: *Ne festines*, ait, *in iuramento memoriæ Dei*; Symmachus: *Transgredi iuramentum Dei*, q. d. Ne festines et sis præceps ad iuramentum, quia iuramentum in Dei æque ac tua memoria inscriptum, et quasi insculptum servatur, ut si illud transgrediare Deum vindicem sis experturus. Noster vero, Septuag. et Arabic. *verba* vel *præcepta* vocant *iuramenti Dei*, scilicet quibus Deus quasi iureiurando te obligavit, hoc est arctissime et severissime te obstrinxit, minando pœnas æternas et promittendo regnum cæleste, nec non cum pacto et sanguine fœderis, Exodi 23. 4. quæque te servaturum, cum ad eius religionem et Ecclesiam accederes, spopondisti et quasi iurasti. Hinc Patres professionem fidei, quæ fit in baptismo, vocant sponsionem, iuramentum, votum, eaque acriter urgent fideles ad servandum præcepta Dei. Est enim crebrosis similis illi Ps. 118. 106. *Iuravi* (id est firmiter decrevi, proposui, promisi; unde sequitur) *et statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

Audi S. Chrysost. homil. in illud Sapientiæ: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, unde tu, Christiane, delicatus es miles, si putes te sine pugna posse vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti*, per sacramentum militare, puta per Baptismum et professionem vitæ Christianæ in Ecclesia militante cui adscriptus es quasi miles et athleta Christi. Tertull. l. de corona militis c. 3. *In Ecclesia*, ait, *sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et Angelis eius*, q. d. Sacramento militari in Baptismo renuntiavimus diabolo, et nos addiximus Christo, quasi eius milites auctorati. S. Basil. exhort. ad Baptismum: *Tesseram ducis sub se militantibus dant, etc. nisi characterem in te agnoscat Angelus quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* S. Aug. l. 4. de Symbolo ad Catechum. c. 1 *Huic* (diabolo) ait, *vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et Angelis eius conscribentibus dixistis: Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus: Scitote vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen, non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non iure vos attrahat in servitutem suam. Deprehenderis enim et detegeris, Christiane, quando aliud agis et aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens promissionis tuæ fidem: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli quibus renuntiasti?* Narrat Victor Uticensis lib. 3. Wandal. duos fratres Christianos a Wandalis Arrianis fuisse suspensos, molibus lapidum ad pedes appensis; cumque unus eorum peteret deponi darique sibi inducias, alter metuens ne fidem negaret, exclamavit: *Noli, noli frater, non ita iuravimus Christo. Accusabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus; quia super corpus eius et sanguinem iuravimus, ut pro eo invicem patiamur.* Unde prior confirmatus constanter edixit: *Adigite suppliciis quibus vultis, et pœnis Christianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego.*

Professio in Baptismo est quasi iuramentum.

Ne festines recedere a facie eius, neque permaneas in opere malo; quia omne quod voluerit faciet.) Vers 3

Tò *ne festines*, Arabicus, Olympiodorus et alii nectunt præced. q. d. Ne festines in iuramento Dei, id est ne præceps sis ad iurandum; sic enim exponeres te periculo peierandi.

Melius Noster, Septuaginta, Syrus et cæteri passim nectunt sequent. q. d. Serva iuramenta, idest præcepta Dei, quibus solemni professione in circumcisione vel baptismo, quasi iureiurando, summa religione te Deo ad illa servanda obstrinxisti: quare, si quæ ingruat tentatio, adversitas, persecutio, *ne festines*, hebr. אל תבהל *al tebahel*, id est ne trepides, ne percellaris, ne præcipites recedere a facie eius, *tamquam a conspectu eius possis aufugere*, ait Campensis, uti ab eo fugit Cain, Genesis 4. 16. sed non effugit; neque *permaneas*; Campensis: *Ne pertinax persista in opere malo*, ut contra legem Dei in aliquo scelere ad quod concupiscentia, socii vel hostes te illecebris vel minis impellunt, persistas, excutiendo metum Numinis et vindictæ Dei; quia etsi is eam ad tempus differat, tamen suo tempore omne quod voluerit faciet, ac sibi rebelles et reos puniet, et morte præsenti et æterna mulctabit.

Pro *in opere malo*, Hebr. Septuag. Syrus et Arabicus habent, *in verbo malo*. quod proprie accipi potest de peccatis oris et linguæ, uti est murmur, detractio, oblocutio. Unde Thaumaturgus intelligit de blasphemia: sic enim vertit: *Sermonibus Dei, licet molestum quid imperantibus decet obedire, cavereque ab omni in Deum blasphemia. Nam quamvis inferat tibi aliquid, non tamen tuum fuerit reprehendere, neque contradicere decretis Monarchæ vel Regis.*

Porro Chald. vertit: *Et in tempore iræ Domini ne desinas orare coram eo, sed cito vade in conspectu eius et ora, et quære misericordiam ab eo ut non stes in verbo malo: Quia Dominus totius sæculi quodcumque voluit fecit*; id est ut clarius vertit Cosius: *Ut non luctuosum quippiam eveniat; ipse enim totius mundi Dominus omnia secundum animæ sententiam facere potest.*

Secundo, hæc omnia a v. 2. ad v. 9 non tantum de Deo, sed et de rege sive magistratu accipi possunt, q. d. Ne opponas te regi eiusque decretis, ut eis obloquaris vel resistas; quia rex potens est, et quodcumque voluerit faciet, ut te sibi adversantem vel bonis, vel civitate, vel libertate, vel vita mulctet et privet. Ita Vatablus, Campensis, Caietanus et alii. Porro Caietanus explicat, *tò ne festines*, q. d. Ne nimis velociter adeas conspectum regis, vel ab eo leviter abeas, ne levitate hac et indecentia regem offendas; sed etsi quid contra eum dixeris, ne persistas in eius ditione, sed cito ex ea te proripias, ne te comprehendat et plectat. David de Pomis vero, q. d. Ne festine adire regem, vel ab eo abire, ne nimis crebro te eius vultui sistas, nec nimis raro. Nam, ut ait Plutarchus: *Cum rege agendum est quasi cum rogo*, ut nec nimis prope ad eum accedas, ne comburaris; nec nimis longe, ne ab eo non calefias, id est eius amorem, favorem et beneficia non sentias. Sidonius quoque Apollinar. lib. 3. Epist. reges flammis comparat *quæ sicut*, inquit,

Regem adi quasi rogum.

paululum a se remota illuminant, ita satis admota comburunt. Sic enim Alexander Clitum nimis familiarem, Tiberius Seianum, Nero Senecam occidit. Porro Vatabl. sic exponit: Si recesseris a rege statim redi in gratiam eum eo ne cogaris permanere in opere malo; cum rex quidquid vult valeat. Alii exponunt, q. d. Ne fastidiose, et arroganti ac philosophico supercilio recedas a rege, nolens eum adire etiam ab eo evocatus, quasi eo superior et sapientior, ac celsior rege et mundo universo, uti Diogenes aspernatus est Alexandrum Magnum. Senec. Epist. 103. *Multis,* ait, *fuit periculi causa Philosophia insolenter iactata et contumaciter. Vitia tibi detrahat, non aliis exprobret, non abhorreat a publicis moribus, nec ita agat, ut quidquid non facit, damnare videatur; licet sapere sine pompa, sine invidia.* Vide Plutarchum libro qui inscribitur: *Cum Principibus Philosopho esse disserendum.* Denique noster Pineda censet hæc spectare ad familiares et consiliarios regum et principum, ut eis hic Salomon duo salutaris suggerat monita: primum, ne in dando regi consilio sententiam præcipitent; sed præmissa deliberatione, mature eam pronuntient. Nam, ut ait Livius lib. 22. *Omnia non properanti clara certaque sunt; festinatio improvida est et cæca;* et l. 31. *Nihil magni discriminis consiliis tam inimicum quam celeritas;* secundum, ut in sententia non sint pertinaces, nec sui cerebri, sed si viderint ab aliis saniora dari consilia, illa probent et sententiam mutent. Sic enim ipsi se non suo honori, sed regis et reipublicæ commodis studere ostendent, quæ propria est senatoris et consiliarii laus.

Vers 4. ET SERMO ILLIUS POTESTATE PLENUS EST; NEC DICERE EI QUISPIAM POTEST: QUARE ITA FACIS?) Hebr. *In quo verbum regis, ibi est potestas,* q. d. Verbum regis et iussum armatum est potestate, adeoque est ipsa potestas, ut instar fulminis statim exsequatur quod iusserit dictumque eius sit factum: hinc Seleucus cognominatus est *Ceraunius,* id est fulmineus. Unde Thuanus:

Nam iusserit ille, iubentis
Vel dicto citius, vocem mox facta sequentur.

Alii vertunt: *iuxta dictum regis est potestas,* q. d. Mensura dicti vel iussi regis est potestas: tantum potest, quantum dixerit et iusserit; tantum valet, quantum volet. Audi Esdram lib. 3. c. 4. 3. *Rex super omnia præcellit et dominatur eorum: et omne quodcumque dixerit illis faciunt; et si miserit illos ad bellatores, vadunt et demoliuntur montes et muros et turres. Iugulantur et iugulant, et regis verbum non prætereunt, et ipse unus solus si dixerit: Occidite, occidunt, etc.* Et Plutarchus ad principem ineruditum: *Pravitas a potentia,* ait, *celerem nacta cursum, omnes animi motus in facta expellit. Ac sicut fulgur tonitru posterius erumpit, prius tamen videtur, sic in imperiis supplicia accusationibus antevertunt, nisi gravitate præpedita ratio compescat reprimatque potentiam.*

Imperiosi exempla. Vis ambitiosæ regum potestatis exempla? Accipe: Cyrus Gynden fluvium navi traiiciens, eo quod periisset unus ex equis suis, ira in fluvium excandescens illum ut perderet in 130. alveos derivavit, uti fuse narrat Seneca lib. 3. de Ira c. 21. Impotentior fuit Xerxes, qui Hellespontum, quod oborta tempestate pontes suos disiecisset, conviciis oneravit, trecenta verbera illi indigi, quin et compedes iniici iussit, teste Herodoto l. 7. Modestior et sapientior fuit Canutus rex Angliæ, qui ad littus maris sedens, mari imperans: *Unda,* inquit, *iubeo ne pedes meos tangas,* sed ab ea non obediente madefactus Anglos suos docuit, non se, sed unum Christum esse regem, cui venti et mare obediunt. Quare Vintoniæ in Basilica S. Petri et Pauli coronam regiam, Christo crucifixo imposuit, nec postea ea coronari sustinuit, teste Polydor. Virg. l. 7. Histor. sub finem. Stolidior fuit Pharao dicens: *Meus est fluvius* (Nilus) *et ego feci memetipsum,* Ezech. 29. 3. et rex Tyri, dicens: *Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris,* Ezech. cap. 28. vers. 2. et rex Babylonis, dicens: *In cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum, etc. similis ero Altissimo,* Isaiæ 14. 13. Annon insanæ sunt hæ regum, suæ potestati etiam elementa et cæ-

A los subiicientium, voces?

QUI CUSTODIT PRÆCEPTUM, NON EXPERIETUR QUIDQUAM MALI.) Hebr. *non cognoscet,* scilicet per experientiam et sensum *verbum malum,* id est rem malam, puta iram regis et pœnam legis; Arabicus, *verbum immundum.* Aliter Olympiodorus et S. Ambrosius in Psalm. 41. q. d. Iustus non *cognoscit malum,* culpæ scilicet ut illud faciat, approbet, vel ullo consensu recipiat, aut aliqua societate in se transferat. Hinc disce obedientiæ vim et fructum, quod scilicet obedientem reddat immunem ab omni malo, et quasi inviolabilem, adeo ut etiamsi rex aut superior illi infensus velit eum rigidis strictisque arctare præceptis; obediens tamen omnia capessens, superet et transcendat magna animi virtute, laude et merito, ideoque Deus omnia illi efficit facilia, utilia et honorifica, etiam illa quæ ad eum deprimendum excogitata videntur; obedientibus enim velut *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,* Rom. 8. Docet idipsum egregie S. Ephrem tomo 2. Parænesi 16. de Perfectione et Obedientia, ac S. Chrysostomus homilia 84. in Ioannem; et Dorotheus, Doctr. 5.

B Licet ergo patiatur vel communes, vel privatas et proprias vitæ ærumnas; tamen illas non pœnas esse censet, sed exercitia virtutis, augmenta meritorum, et exempla intuentium vel posterorum. Quare cum Paulo sibi placet, imo gloriatur in infirmitatibus et tribulationibus, Rom. 8. 28. 2. Corinth. 12. 5. Igitur obediens et iustus flagellantem Deum intuetur, ut patrem; corripientem, ut amicum; castigantem, ut præceptorem; amara propinantem, ut medicum, dicitque cum S. Augustino: *Hic ure, hic seca, ut in futuro parcas.*

Vers 5. TEMPUS ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGIT.) Hebr. *Tempus et iudicium,* id est, ut Septuaginta et Arabicus exponunt per hendiadin: *Tempus iudicii.* Iudicium in Script. multa significat; in iudicio enim iudicum multa fiunt, quæ nunc omnia simul, nunc unum ex omnibus seorsim per synecdochen significat vox iudicium; unde nunc significat interrogationem et accusationem, defensionem et responsionem; nunc sententiam iudicis, nunc pœnam

Iudicium multa significat.

C ab eo inflictam. Rursum, quia iudicium forense statum est, determinatum, certum et fixum. Hinc *iudicium* per catachresin significat rem statam et certam, item morem, legem, consuetudinem, normam, regulam, statam, conditionem, officium, functionem, ministerium. Iam

Primo, Thaumaturgus exponit de die iudicii, quem in omnibus actionibus menti suæ proponit sapiens. Unde vertit: *Equidem sapiens ante oculos semper habet iustum iudicium suo tempore futurum, et prænoscit omnia humanæ vitæ opera supernæ retributionem exspectare.* De S. Hieron. refertur illum dixisse: *Sive comedo, sive bibo, sive vigilo, sive dormio, sive quid aliud facio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad iudicium.* Utique qui sapit, id ipsum facit, itaque *disponit sermones* (et actiones omnes) *suos in iudicio,* id est iuste, legitime et exacte, maturo iudicio, ut in die iudicii habeat quod iudici pro se respondeat. Sic quoque Olympiodorus, Hugo, Lyranus, Titelmannus et alii.

Tempus observa. I.

D Secundo, alii hæc ad consiliarium regis referunt, q. d. Si rex illicitum quid iubeat, vir sapiens scit quid prudenter regi respondere debeat, ne vel illicitum quid admittat, vel regis iram incurrat, uti fecerunt tres pueri iussi adorare statuam auream, Daniel. 3. Daniel ipse c. 6. lata lege, ne quis per 30. dies adoraret Deum, nisi regem. Caietanus ex adverso hæc refert ad regem, quem sapiens cognoscit captare tempus et iudicium, id est occasionem iudicandi contra eum quem plectere destinat, uti Salomon captavit tempus plectendi Semei et Adoniam, 3. Reg. c. 2. 22. et 42. Verum hic sensus dissonat a Vulgata quæ vertit *responsionem.* II.

Tertio et genuine, q. d. Sapiens ita exacte præcepto tam Dei, quam regis et magistratus obedit, omnes eius circumstantias loci, temporis, modi, personarum, etc. observans, ut nil sit quod in eo carpi queat; sed si qua in re a quopiam culpatur, illico habeat quod iure respondeat, quoque suam obedientiam tueatur et demonstret, adeo ut III

si in *iudicium*, vocetur, coram iudicibus iustam facti sui rationem reddere possit. Hinc Noster sagaciter pro *iudicium* vertit, *responsionem*. Ita S. Hieronymus: *Præcepit*, inquit, *regis imperium*, *id est Christi*, *conservandum*, *et scire quid*, *ut quare*, *et quo tempore iubeat*, ut scilicet omnes imperantis circumstantias, articulos, nutus exacto iudicio observemus, ne vel minima elabatur occasio, qua eius voluntatem integre non exequamur, sed vocanti, imo iubenti illico nos sistamus et respondeamus cum Samuele: *Ecce ego*; et cum S. Augustino: *Da quod iubes, et iube quod vis.*

Igitur *tempus et iudicium* intelligit et observat *sapiens*, quia vocatus, interrogatus vel iussus a Deo sive rege quidpiam respondere, dicere vel agere, omnia respondet, dicit et agit suo tempore, ac maturo eam iudicio, id est magna cum ratione, prudentia et circumspectione. Aut planius, quod tamen eodem redit, sapiens observat *tempus et iudicium*, hoc est *tempus iudicii*, ut vertunt Septuaginta: id est tempus iustum, congruum, aptum, opportunum respondendi, dicendi vel agendi. Unde Noster hebr. משפט *mispat*, id est iudicium, quod hic vertit, *responsionem*, v. seq. vertit, *opportunitas*. Hæc ergo tria, scilicet iudicium, responsio, opportunitas hoc loco idem significant, scilicet tempus iustum et opportunum ad respondendum.

Denique noster Pineda censet hic notari formam et ideam perfecti obedientis, ut intelligere iudicium idem sit quod studiosi animi voto, promptitudine, consideratione accelerare, ut antevertat præcepti et obedientiæ tempus, atque avide illud exspectet, et quod in se est, advocet, maturet, adducat, ac denique antequam mandata accipiat secum tacitus cogitet, si hoc vel illud grave ac difficile iubeatur, qua fronte, quo animo, qua responsione accepturus sit, ac sæpe illam suo animo responsionem fingat, et paratissimam habeat: *Ecce ego præsto sum*, *mitte me*; nam ut ait S. Bernard. *Verus obediens parat aures auditui*, *linguam voci*, *manus operi*, *pedes itineri*; *et sic se totum intra se colligit*, *ut mandatum peragat imperantis.* Ita ipse serm. de Obedientia.

Moral. S. Bonavent. Sapiens, ait, observat tempus bene operandi, ut apte respondeat interroganti, et ignoranti, ut notat Hugo vel docendo, vel consulendo, vel obediendo, vel Dei flagella patienter excipiendo, et mores corrigendo, vel accusationes et criminationes humiliter confitendo, vel ad beneficia Dei gratias agendo, vel inspirationi Dei cooperando, et in melius proficiendo.

Rursum et proprie disce hic sapientem observare tempus, id est opportunitatem bene agendi, et implendi id quod præceptum est, adeoque magnam sapientiæ et prudentiæ partem, consistere in captanda opportunitate rei bene gerendæ; dum enim illa se offert, res facile et feliciter conficitur; dum vero illa abest, cum magna difficultate frustra res tentatur, nilque promovetur, sed infeliciter omnia cedunt. Hinc infert magnam habendam esse rationem temporis huius vitæ, utpote quod breve est, et semel elapsum irrevocabile, et e quo pendet tota cuiusque æternitas, eaque vel beatissima vel miserrima.

Narrat Lud. Blosius l. 4. Spirit. grat. c. 4. de S. Mechtilde, quod a Sanctis sibi apparentibus audierit: « Eia, quam felices vos estis, qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis! quia si homo sciret quanta uno die promereri possit, mox ut e somno evigilaret, tanto gaudio cor eius dilataretur pro eo, quod dies illa illuxisset, in quo Deo vivere et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, ut tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet alacrior et fortior redderetur. Qui enim parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Opera enim illorum sequuntur illos. » S. Bernard. ad Scholares: « Nemo, ait, vestram parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat; licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam glo-

A riam miseratio conditoris indulget! donec transeat tempus quo divinam debueras propitiare pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. » Et rursum: « Nil pretiosius tempore, et heu! hodie eo nil vilius invenitur. Transivit dies salutis, et nemo recogitat: nemo sibi perire diem et numquam rediturum causatur; sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. » Vis Gentilium sensa et gnomas de pretio et brevitate temporis? Accipe Virgil. 3. Georg. Gnomæ

Et fugit interea, fugit irrevocabile tempus.

Idem Æneid. 10.

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Ovidius Metamor. 10.

Labitur occulte, fallitque volabilis ætas.

Et:

Nihil est annis velocius.

B Et rursum;

Eunt anni more fluentis aquæ
Utendum est ætate, cito pede labitur ætas.

Seneca in Hipp.

Volat ambiguis mobilis alis
Hora .... senescimus, effugit ætas.

Seneca l. 1. Ep. 1. *Maxima*, ait, *pars vitæ elabitur male agentibus*, *tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? Fac ergo*, *mi Lucili*, *quod facere te scribis*, *omnes horas complectere. Omnia aliena sunt*, *tempus tantum nostrum est*; *in huius rei unius fugacis ac lubricæ possessionem natura nos mittit*, *ex qua expellitur quicumque vult*; *et tanta est stultitia mortalium*, *ut quæ minima et vilissima sunt*, *certe reparabilia*, *imputari sibi cum periere patiantur*, *nemo se indicat*, *quidquam habere*, *qui tempus accepit*, *cum interim hoc unum est*, *quod nec gratus quidem potest reddere.* M. Varro censebat nullam iacturam esse graviorem præsertim scienti,
C quam temporis. Bias apud Laert. l. 1. c. 6. dicere solitus erat vitæ tempus ita metiendum, quasi et diu et parum victuri sumus iuxta illud S. Hieron. *Sic vive tamquam semper moriturus*; *sic stude tamquam semper victurus.* Democritus pretiosissimum impendium dixit esse tempus. Zeno dicebat nihil magis hominibus deesse, quam tempus, ait Laert. l. 7. c. 1. at tamen multi illud alea, ludis, iocis prodigunt, quasi eo abundent. Theophrastus semper habebat in ore: *nullum sumptum esse pretiosiorem tempore.* Simonides interrogatus quantum temporis vixisset: *Tempus quidem exiguum*, inquit, *annos autem multos*, ait Stobæus serm. 96. Sic Barlaam apud Damascen. in Histor. c. 18. rogatus a Iosaphat regis filio quot annos vitæ haberet, respondit: 45. licet enim sim 70. annorum, tamen tantum ex eis 45 Deo in monastica vita servivi: illud autem solum tempus vitæ computo; quod enim in vanitate et otio transigitur, tempus mortis est, non vitæ. Alius: *Sicut flumen sistere non potes, sic nec tempus. Sicut*
D *unda undam perpetuo propellit, ita dies diem trudit.* Ut ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quia noctu clanculumque faciunt utrumque; ita iuventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, et senectutem non sentimus advenire, sed advenisse: perinde ac qui nave vehuntur, progrediuntur sensim sine sensu. Vetus adagium est: *Nosce tempus.* Et: *Cum pluit, molendum. Fronte capillata est, a tergo occasio calva.* Ægyptii pro annuo circuitu pingebant serpentem; quia is, ut ait S. Cyrillus, in longitudinem porrigitur, et multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumque series, taciteque proserpit nullo edito strepitu. Caudam supprimebat serpens, quia omnia tempora nobis incerta sunt. Præsens enim cum instabile sit et velocissime transcurrat, vix percipitur: præteritum intueri non possumus. Futurum longe minus, quia nondum est, et eius finis prorsus est incognitus. Ita Pierius lib. 14. p. 130. Nemesianus Ecloga 3. *Omne tempus abit*, *tempus rapit*,

usus in pretio est. Plura de pretio et cura temporis dixi c. 3. 1. et Ephes. 5. 16.

Vers. 6 OMNI NEGOTIO (Hebr. *voluntati*, id est rei volitæ) TEMPUS EST ET OPPORTUNITAS (Symmach. *tempus commoditatis et modus;* Hebr. Syrus, Arabicus et Septuag. *tempus et iudicium*) ET MULTA HOMINIS AFFLICTIO.) Dat causam cur cor sapientis intelligat et observet tempus, quia scilicet scit cuique rei suum esse tempus et opportunitatem; quamque ergo captat suo tempore opportuno. S. Hieron. vero censet hic doceri sapientem sive iustum cognoscere quod Deus omnia disponat ad suam cæterorumque utilitatem, etsi scire nequeat quid ei obventurum sit; quare quicquid iusto acciderit, id cum æquo, imo lubenti animo excipere, velut ordinatum sibique missum a Deo. Ergo Dei iudicia exosculatur, et ex omnibus bene agendi beneque de Deo merendi occasionem captat.

ET MULTA HOMINIS AFFLICTIO.) Theod. et Arabicus pro רעת *raat*, id est afflictio, legentes דעת *daat*, id est scientia, vertunt: *Quia scientia hominis multa super eum;* quod Olympiod. refert ad rerum cognoscendarum multitudinem: *Immensa*, inquit, *cum sit ipsa sapientia, premit hominem atque obruit. Si enim voluerit omnia scire, vasta mola irruens super eum, angit eius mentem ac suffocat.*

Idem deinde explicat de ignoratione temporis, loci et modi, quando scilicet, ubi et quomodo peragendum sit extremum iudicium. Verum Septuag. Syrus, Arab. Chald. et cæteri cum Nostro legunt *raat*, id est *afflictio;* Vatabl. *infelicitas;* Clarius: *Varia et periculosissima mala*, non tam culpæ, ut vult Caiet. quam ærumnæ et pœnæ. Significat cuique tempori, perinde ac rei sublunari inesse suam vanitatem et afflictionem: hoc enim toto libro probare contendit. Porro vanitas et afflictio tempori propria est ea quam subdit: *Quia ignorat præterita et futura*, q. d. Omnibus in rebus, locis et temporibus magna est afflictio, præsertim in tractandis et expediendis negotiis arduis; sed tamen sapiens sua sapientia eam prævidet, et evitat vel superat. Proprie et præcise Hugo Victor. afflictionem explicat difficultatem adinveniendi congruam responsionem, qua placari possit iratus rex, cuius voluntati sive iustæ, sive iniustæ, sapiens consiliarius obstitit. Alii afflictionem explicant cruciatum timoris et supplicii, qui invadit inobedientem, qui præcepta Dei vel regis transgressus est. Chald. refert ad diem iudicii; sic enim habet ex versione Costi: *Cuiuscumque rei vicissitudo bona est et mala, et sane iusta sententia universus orbis iudicabitur, quo tempore a Domino statuta est futura toto orbe vindicta propter varia hominum ex malefactis mire sibi placentium peccata.* Clarius Campens. *Statuit Deus tempus pro sua voluntate, quo de omnibus iudicaturus est, et antequam illud adveniat, variis et periculosis malis expositi sumus.*

Hic sensus valde appositus est; tum quia Hebr. est משפט *mispat*, id est iudicium, tum quia hoc sensu omnia optime connexa sunt, omniaque fluunt ex illo v. 2. iuxta Septuag. *Observa os regis*, etc. *Quia omne quodcumque voluerit faciet, et sermo illius potestate plenus est*, q. d. Observa præcepta Dei, quia ipse in die iudicii exactam eorum a te reposcet rationem; quia potentissimus est, citius te puniet, imo damnabit ad gehennam, idque faciet cum ei libuerit: ipse enim solus est Dominus vitæ et mortis; quare cum volet, mortem tibi accelerabit, ut te iudicet et damnet: hac de causa potestatis in mortem inducitur mentio, v. 8.

Vers. 7. QUIA IGNORAT PRÆTERITA, ET FUTURA NULLO POTEST SCIRE NUNTIO.) *Magna* (inquit Hieron.) *afflictio generi humano, ut Poeta ait: Nescia mens hominum fati sortisque futuræ. Aliud sperat, aliud evenit, de altero loco exspectat hostem, et ulterius iaculo vulneratur.* Quævis præterita et futura hic accipi possunt; proprie tamen ea significantur, quæ spectant ad dandam congruam Deo vel regi responsionem, de qua dixi vers. 5. et ad negotia quæ homini incumbunt opportuno tempore prudenter expedienda: licet enim nonnulla præterita sciat homo, tamen illa pauca sunt, et sæpe ad rem non pertinentia; quia longe plura sunt quæ ignorat, præsertim quæ ad rem eius faciunt. Dion. accipit præteritam sanctorum patientiam, æque ac supplicia de impiis sumpta.

Pro *præterita*, Hebr. est, *futura*, et sic vertunt Sept. *Quia*, inquiunt, *non est qui cognoscat quid futurum sit; sicut enim erit, quis annuntiabit ei?* Arab. *Quoniam non reperitur qui cognoscit evitandum; nam quis ei commemorabit rem ut erit?* Chald. Costi: *Nullus scire umquam potuit quis suus exitus consequatur. Cum enim ita Domino visum fuerit, ut illum ad supplicium deposcat, quis eum certiorem faciet?* Syrus vero vertit in præterito. *Quia non est qui cognoscit ad quid est factus, et quid fiet post se quis ostendet illi?* Quare Syrus æque ac Noster pro שיהיה *sceiie*, id est *quid erit*, videtur legisse שהיה *scehaia*, id est *quid fuit*, vel quid factum et præteritum est; aut potius ex textu nexuque sententiæ sagaciter collegit prius illud opponi posteriori, ideoque prius vertendum per præteritum (quasi ש includat vau conversivum, quod vertit futurum in præteritum) posterius proprie per futurum. Sic ergo ad verbum ex Hebræo vertes: *Nam non ipse sciens quod factum est, quia quod erit quis annuntiabit ei?* Sicque sensus recte cohæret, q. d. Afflictio magna incumbit sapienti, ut congruam Deo, aut regi interroganti vel examinanti det responsionem, utque actiones et res omnes congrue et opportune peragat, ac negotia quæ illi incumbunt suo tempore prudenter expediat, eo quod ignoret præterita quæ illum edocere queant, quid facto sit opus, æque ac futura, quis scilicet eius actionis vel consilii sit futurus exitus. Prudentia enim consistit in præteritorum memoria, præsentium consideratione, et futurorum provisione: ideoque sapientis cor intelligere tempus, id est differentias temporis, quid scilicet præteritum sit, quid futurum.

NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITUM, Vers. 8. NEC HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS, NEC SINITUR QUIESCERE INGRUENTE BELLO, NEQUE SALVABIT IMPIETAS IMPIUM.) Hebr. et Septuag. *Non est homo potestatem habens in spiritum, ut prohibeat spiritum, et non est potestas in die mortis, et non est emissio in die belli, et non salvabit impietas herum suum;* Septuag. *Eum qui ab ea*, supple est et vocatur impius; Arabic. *eum qui participat eam;* Tigur. *Suos consortes.* Facile est hanc gnomen nectere præcedentibus: potest enim referri ad τὸ *afflictio magna.* Summa enim hominis afflictio est mors, quæ hic describitur; aut ad τὸ *futura:* ignoratur enim futuræ mortis locus, dies, modus; ita Thaumat. aut ad τὸ *omni negotio tempus est et iudicium*, ut habent Hebr. q. d. Sicut definitum est a Deo tempus iudicii, quo ipse a quolibet exiget rationem factorum, sic definitum est et tempus mortis, quod nemo potest sistere vel prolongare; aut ad τὸ *observa os regis*, vers. 1. ut habent Septuag. q. d. Observa præcepta Dei, ac regis sive principis; quia ipse si illa violes, habet in te ius necis et vitæ, cui obsistere nequis: quare stude illi per omnia placere, ne quid boni facere potes, facito, ut in hora mortis a Deo evocatus, lætus confidensque ad eum emigres. Paulo aliter S. Hieron. q. d. *Non est lugendum si futura scire non possumus, et sæpe ab iniquis potentioribus opprimamur, cum morte omnia finiantur, et superbus ac potens qui cuncta populatus est, non valeat animam suam retinere, cum rapitur.* Aliter quoque Caietan. qui censet hic triplici similitudine ostendi, quam homini inutilis sit impietas sua, q. d. Sicut nemo potest flatum venti cohibere, nec diem mortis vitare, nec in prælio actu decertans alium pro se substituere; sic nec impietas valet impium liberare.

PROHIBERE SPIRITUM.) Quæres quis hic sit spiritus? I.
Primo, Olympiod. et Caiet. per *spiritum* accipiunt ventum, q. d. Sicut nemo potest cohibere ventum, sic nec prohibere vel arcere mortem, ut sequitur. Comparatur enim mors cum vento in efficacitate, quod utrique nemo possit resistere.

Secundo, Thaumat. accipit Angelum, mortis scilicet II.
præsidem, qui solet animam homini morienti extorque-

re: *Neque ullus*, inquit, *tam fortis, qui Angelum animam suam extorquentem, et separaturum a corpore prohibere queat.* Angelus hic præses mortis Hebr. vocatur אבדון *abdon*, Græce ἀπολλύων, Latine *Exterminans*, Apocal. 9. 11.

III. Tertio, Dionys. accipit animam animæque motus et impulsus, quos homo in aliis præsertim potentioribus reprimere nequit, imo sæpe nec in seipso. Quis enim omnes mentis evagationes, desideria, fluctus, impulsus, æstus præsertim concitatiores et ardentiores, uti sunt iræ et indignationis moderetur, vel frænet et comprimat? Unde Campensis vertit: *Nemo tam potens est, ut animum suum contineat*, iuxta illud Proverb. cap. 27. vers. 4. *Et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

IV. Quarto, Olymp. accipit dona et impulsus Spiritus sancti; licet enim illa prohibere possimus ne in actum exeant, iuxta illud: *Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*, 1. Cor. 14. 32. tamen quin illa nobis immittantur, ut illa sentiamus, esto non consentiamus, impedire nequimus. Adde impulsus Spiritus sancti esse tam copiosos B et validos, ut illis resistere, et non consentire perdifficile sit et quasi impossibile, quales fuere immissi S. Paulo in sua conversione, S. Magdalenæ, et S. Matthæo, et similibus. Hinc Idacius contra Varimadum accipit Spiritum sanctum, quem nemo prohibere potest, quin operetur id quod destinat. Unde S. Hier. *Spiritus*, ait, *qui universa dispensat, non potest a quoquam hominum prohiberi, et leges accipere spirandi.*

V. Quinto et magis apposite, per Spiritum accipias animam et halitum vitalem, quem nemo in homine cohibere
Genuine
et claudere potest, ne e corpore exeat et homo moriatur: unde explicans subdit: *Nec habet potestatem in die mortis.* Ita S. Hier. *Non est*, ait, *in potestate, anima nostra ne auferatur a nobis, et egredientem ad imperium Domini spiritum prohibere. Nihil prodest ora concludere, et vitam retinere fugientem. Cumque interitus, inimicus vitæ nostræ et hostis advenerit, inducias accipere non possumus. Nec reges quondam in sæculo et omnia nostra impietate vastantes, poterant obvias morti ferre manus: sed in cinerem terramque solventur.* Et Chald. *Nullus est dominus qui dominetur spiritui spiramenti* (spiritui vitali, quo respiramus) *ut prohibeat spiraculum vitæ, ne egrediatur a corpore humano; neque est dominium in die mortis, ut liberet vir proximum suum, neque auxiliatur in bello, neque liberat impietas habentem se in die iudicii magni;* solus enim Deus est, qui habet potestatem in corpus et animam ac ius necis et vitæ, iuxta illud: *Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos et reducit*, 1. Reg. 2. 6. idemque habet claves mortis et inferni, Apoc. cap. 1. v. 18. Unde Daniel ex Deo, prædicens Baltassari regi mortem cap. 5. *Deum*, inquit, *qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas, non glorificasti:* Deus enim ad libitum *aufert spiritum* principum, Psal. 75. vers. 13.

Nec habet potestatem in die mortis.) Hebr. *Non est potestas in diem mortis:* S. Hier. in Comment. *Non est potens*, id est habens potestatem, ut vertit Noster: quod dupliciter exponas: Primo, q. d. Non est dynasta, princeps vel magistratus, qui imperet morti. Ita Chald. *Non est imperator*, ait, *in die mortis ut eripiat quisquam servum suum.* Magistratus enim præcipit sibi subditis quod vult, sed nullus est magistratus qui possit præcipere morti, ut hunc illumve tangat. Secundo, q. d. *Non est potens*, id est rex vel princeps, qui se liberare queat a morte. Ita S. Hier. *Nec reges*, ait, *quondam in sæcula et omnia nostra impietate vastantes poterant obvias morti ferre manus.* Porro Thaumaturg. per potestatem accipit non vires sed artes: *Nec*, inquit, *ars ulla et astutia invenitur, quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione submoveat.*

Misso in prælio.
Nec sinitur quiescere ingruente bello.) Hebr. et Græce. *Nec est* (Hebr. משלחת *mislachat*, Græce ἀποστολή.) *missio, immissio, submissio vel dimissio in prælio*,
I. quod varii varie explicant. Primo Caietan. q. d. In acie A dum confligitur, nemo potest alium loco suo submittere et substituere, ut ipse immunis evadat; sic nec in hora mortis hero licet servum, aut filium sibi substituere ut ipse immunis evadat; sed ipse mortis agonem obire compellitur.

Secundo, Chald. vertit: *Neque vasa armorum auxiliantur in prælio;* Symmach. *Non est construere aciem in prælio;* Tigur. *Neque telorum emissionem habet in bello;* Olympiod. cui consentit Pollux et Budæus, græcum ἀποστολή vertit: *Non est navigatio*, vel *classis in die belli*, q. d. Moribundo nulli adsunt milites, nullæ classes, nulla suppetunt tela, quibus invadentem mortem velut hostem, arcere et repellere valeat. II.

Tertio, Syrus: *Non est liberatio in die belli;* alius: *Non est manumissio in bello:* Thaumatur. *In medio*, ait, *bello captis fuga omnis præclusa perspicitur;* sed necesse est occumbere et mori. III.

Quarto, Arabicus: *Neque inveniet epistolam in die belli*, q. d. Nemo accipiet dimissorias litteras, quæ eum immunem a morte faciant, ut mors iis visis illum a se liberum dimittat. Arabicus enim more suo sequens Sept. ἀποστολή accepit pro litteris dimissoriis, uti accipiunt Iurisconsulti, de quo Alciat. de Verbor. et verbor. significat. nisi dicas Arabicum pro ἀποστολή legisse ἐπιστολή, id est epistola. Omnia hæc eodem tendunt, scilicet Grammatice in cortice litteræ significatur subditos, cum a rege avocantur ad bellum, non posse illud subterfugere, sed debere in prælio certare ac mortis periculo se offerre, imo sæpe cadere et mori, quia non est locus effugii. IV.

Sed parabolice (est enim hæc parabola) per hoc significatur neminem posse agonem mortis devitare vel in alium, v. g. servum aut filium sibi substituere, eumque pro se vadem vel prædam morti offerre, sed per se vadimonium hoc obire debere. Unde Campens. vertit: *Neque est ulla spes elabendi ex illo prælio, quod nobis cum morte ineundum est.* Atrox enim est hoc prælium cuique stato tempore subeundum; quia in eo non tantum cum morte, C sed et cum diabolo, imo dæmonibus omnibus confligendum est; tunc enim agitur summa rei ac certatur de æternitate, de cælo, et inferno; unde utrimque confligitur acerrime. Huc allusit Thaumaturg. cum pro spiritu vertit Angelum mortis præsidem. Audi S. Chrys. hom. 54. in 14. cap. 5. Matth. *Quid faciemus*, ait, *cum minaces Angeli, et rescindentes animam a corpore, virtutes ac potestates nos invadent?* Et S. Ephrem serm. de Vanitate sæculi, t. 3. *Quando*, ait, *Dominicæ copiæ atque satellites advenerint, quando admirabiles exercitus invaserint atque apprehenderint, quando divini nuntii atque emissarii animam ex corpore migrare iusserint etc.* Similia habet S. Greg. hom. 39. in Evang. S. Basil. in Psal. 33. Cyrill. Alexand. oratione de exitu animæ, et alii. Belli, imo duelli huius cum dæmonibus in agone mortis initi, exemplum illustre in Chrysaorio repræsentat S. Greg. 4. Dialog. 38. Unde S. Martinus moriens vidensque diabolum: *Quid*, inquit, *hic astas, cruenta bestia? nihil in me funesti reperies.* D

Neque salvabit impietas impium.) Vatablus, *protervia*, id est audax et petulans reluctantia: Aben Ezra, *agitatio*, q. d. Audaces sua protervia hic aliquando discutiunt iudicium et sententiam mortis, sed apud Deum nil tale poterunt. Ipse enim protervium omnium sternet et profligabit. Impius ergo agitet se, ut volet, in omnes partes se versat, non tamen mortem effugiet. Vatabl. *Astutia impio non valet contra Dominum.* Lyran. intelligit artes magicas et superstitiones, quibus impii cupiunt amoliri mortem, aut certe prolongare vitam, sed frustra. S. Bonav. per impietatem accipit hypocrisin; Moringus tyrannidem, fastum et arrogantiam, quæ adeo mortem non arcet, ut potius eam advocet, eamque tyrannis et superbis accersat: qui enim alios cruciant et necant exosi sunt omnibus, et ab iis quos læserunt cruciantur et necantur. Osorius accipit improbitatem opibus stabilitam, qua impii putant se posse mortem effugere, sed incassum. Igitur hæc omnia significant mortem, quam inobedientibus, et

A præcepta sua transgredientibus infligit Deus, sat rex vel princeps, amplum in homines habere potestatem et imperium, a quo nemo ulla vi, pervicacia, arte, dolo, prece, aut pretio se eximere et subducere valent. Mors ergo est quasi rex et monarcha mundi invincibilis, omnia vincens et sibi subiugans, iuxta illud Iob. 18. 14. *Calcet super eum quasi rex interitus*; et Apoc. 6. 8. *Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame et morte.* Ex his concludendum relinquit Salomon illud, quod initio proposuit v. 2. iuxta Septuag. *Observa os regis et præcepta iuramenti Dei, etc. quia omne quod voluerit, faciet, et sermo eius potestate plenus est.* Non est ergo alia potestas in mortem, nisi Dei et regis: inde enim sequentia hucusque educuntur et pendeat.

Porro, impietas generetim sumpta est quælibet grandis iniquitas, proprie tamen est infidelitas et numinis violatio. Unde S. Greg. 25 Moral. c. 10. « Impios, inquit, B S. Script. proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impiis discernuntur; quia cum omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius. Peccator enim dici etiam, qui in fide pius est, potest. Unde Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Impius vero proprie dicitur, qui a religionis pietate separatur. De talibus Propheta ait: Non resurgent impii in iudicio. »

Vers 9 OMNIA HÆC CONSIDERAVI, ET DEDI COR MEUM IN CUNCTIS OPERIBUS, QUÆ FIUNT SUB SOLE. INTERDUM DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM SUUM.) Identidem repetit Salomon se omnia sub sole considerasse, et in omnibus reperisse vanitatem, ut non temere, sed ex certa scientia et longa experientia id pronuntiasse videatur, ac proinde cuncti fidem ei adhibeant, omniaque ut vana aspiciant et despiciant.

INTERDUM DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM SUUM.) *Suum* intellige vel reciproce ipsius dominantis, vel absolute, puta hominis, *cui dominans dominatur ad mala fa-* C *ciendum ei*, aiunt Complut. *in ipsius perniciem*, ait Tigur. *ut ipsum damno molestiaque afficeret*, ait Olympiod. Sic et Thaumaturgus, Chald. et S. Hieronym. q. d. Subinde qui præsunt, sunt tyranni vel nimis rigidi, qui subditos affligunt, depauperant et mille modis vexant, idemque vicissim ab illis vel ab aliis, quia et ab ipso Deo affliguntur, vexantur et non raro deponuntur, vel occiduntur, uti contigit Pharaoni, Sennacherib, Antiocho, Herodi, Holoferni, Roboam et aliis pluribus. Atque hac ratione demonstrat id quod v. præced. dixit: *Neque salvabit impietas impium*, quia tyrannis non salvat, sed perdit tyrannos. Pendet hæc gnome a τῷ *consideravi et vidi*, scilicet inter alias vanitates mundi etiam hanc, quod scilicet *interdum dominatur homo homini in malum suum*. Patet id ex Hebræo, Chald. Aquila, Septuag. Syro, Arabico, Vatabl. Pagnino et aliis. Aquila et Syrus vertunt: *Consideravi tempus, quo dominatus est homo homini.* Pagnin. et alii clare: *Totum istud vidi trahens cor meum ad omne opus, quod factum est sub sole tempore illo, quo homo* D *dominium exercet in hominem in malum suum*; quia enim v. 2. dixit: *Ego os regis observo*, regemque extulit, nunc in regno quoque magna inesse vanitatem, ærumnas et pericula ostendit. Unde Thaumat. vertit: *Obstupesco itaque, quoties aspicio quot et quanta in proximum damna homines comminiscuntur.* Dominium Adæ in homines et animalia ante peccatum erat plenum, suave, utile tam imperanti, quam iis quibus imperabat: at post peccatum ingressa in utrosque concupiscentia, cœpit utrisque esse molestum, difficile milleque curis et periculis scatens. Hæc iusta est pœna peccati hominis ut qui noluit obedire Deo, sentiat quoque sibi subditos molestus, difficiles, rebelles; præsertim dum ipse in eos imperiosus est et sævus vel severus. Vere Tragœdus:

Dominium molestum.

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.

Et Claudianus ita tyrannum pingit:

A *Instat terribilis vivis, morientibus hæres,*
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies: oritur, præda cessante, libido, etc.

VIDI IMPIOS SEPULTOS, QUI ETIAM DUM ADHUC VIVERENT, IN LOCO SANCTO ERANT, ET LAUDABANTUR IN CIVITATE QUASI IUSTORUM OPERUM: SED ET HOC VANITAS EST.) Pergit describere impietatis et impiorum præsertim principum vanitatem, q. d. Vidi principes impios sepeliri magna pompa funeris et mausolei, qui dum viverent, partim ob regium splendorem et potentiam, partim ob fucum sanctitatis, quod in Ierusalem urbe sancta, ac in loco sancto, puta in templo et cœtu sacerdotum, scribarum, legis doctorum virorumque religiosorum, versarentur; partim ob amicorum et adulatorum assentationem, e populo rudi et imperito, qui externis hisce signis capitur, habebantur et colebantur velut probi et sancti, non tantum in vita, sed etiam post mortem; sed et hoc vanitas est: Quid enim prodest regi, vel principi coli a populo, si Deo ob improbitatem sit exosus? Quid iuvat cor- B pus tumulari in mausoleo aureo, si anima ardeat in flammis gehennæ? Quid confert ab hominibus laudari in terra, si ab Angelis et Sanctis universis vituperetur in cœlo, atque a dæmonibus probris omnibus afficiatur in inferno? Vere ait ille: *Alexander laudatur ubi non est, sed cruciatur ubi est.* Divitis epulonis nomen a fratribus celebrabatur in palatio, sed anima cremabatur a dæmonibus in tartaro: quid ergo eum iuvat laus, quæ non nisi cruciatum eius adauget? Hinc Chald. vertit: *Et in veritate vidi peccatores, qui sepulti sunt et exterminati de mundo, de loco sancto, ubi iusti habitant, et abierunt, ut comburantur in gehenna, et oblivioni traditi sunt inter habitatores urbis; et ecce sicut fecerunt, factum est eis. Etiam hoc vanitas.* Adde: Tempus tandem detegit impiorum hypocrisim ac tum vanissima illa sanctitatis umbra larvaque evanescit, cerniturque veritas et vere simulationis fictio, verusque eorum iniquitas et impietas, quæ maius, imo æternum eis dedecus et infamiam conciliat; qui ergo prius C eos, vel errore, vel metu, vel adulatione laudaverunt et coluerunt, hi postea, detecta hypocrisi, acerbius eos insectantur et exsecrantur.

Porro, Hebræi Codices hic variant propter affinitatem litteræ ב et כ: quidam enim legunt וישתבחו *istabbechu*, id est *laudabantur*, vel laudabant seipsos se curabant se a parasitis laudari. Alii legunt וישתכחו *istackecku*, id est, *oblivioni traditi sunt*. Priori modo legit Noster, Septuag. Arab. et S Greg. 32. mor. cap. 10. vel 11. Posteriori legit Chald. Syrus, Tigurina, Clarius, Caietan. Pagnin. et recentiores partim Hebræi, partim Latini. Hinc nonnulli, ut Clarius, Caiet. Campens. Vatablus, censent hic esse antithesin; priorem enim versum pertinere ad impios, posteriorem ad pios, q. d. Vidi impios gloriosos in vita, et post mortem honorifice sepultos, ac laudatos a posteris velut sanctos; vice versa vidi oblivioni traditos eos qui recta sanctaque operati sunt; sed et hoc vanitas est, quia impiis non prodest vana et mendax laus hominum, nec piis obest hominum oblivio: nam *in memoria* D *æterno* (æque ac gloria) *erit iustus* apud Deum, et cælites universos. Unde Pagninus vertit: *Et tunc vidi impios sepultos, et qui post eos venerunt, et ambulaverunt in loco sancto, oblivioni traderentur in civitate, in qua rectam fecerunt; sed et hoc vanitas est.* Verum totum gnomen ad solos impios spectare liquet ex Septuag. Syro, Chald. et Arabico; præsertim cum recentiores, qui de piis et impiis accipiunt, inter se non consentiunt, sed singuli singulas et diversas ab aliis cudunt versiones, quas hic operose recenset noster Lorin. Tota ergo gnome significat fictionis et hypocrisis impiorum vanitatem.

Porro sententia hæc generalis pertinet quidem ad omnes hypocritas et impios, magis tamen ad potentes et principes, sive sæculares sive Ecclesiasticos, puta Episcopos et Prælatos, ad quos illam refert S. Hieron. *Nemo quippe*, inquit, *audet accusare maiorem: propterea quasi sancti et beati, et in præceptis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum; si*

enim peccaverit, non creditur; si convictus fuerit, non punitur. Unde ait: *In loco sancto erant,* id est versabantur in gradu sacro, vel officio sancto, v. g. erant sacerdotes, religiosi, Episcopi, etc. Huc alludens Isaias c. 26. vers. 10. *In terra sanctorum,* ait, *inique gessit et* (idcirco) *non videbit gloriam Domini.* Vide ibi dicta et Olympiod. quem audi: *Quia sæpe homines scandalizantur, et iniquam rem putant eosdem esse impios, qui et potentes fortunatique sint; ideo profundius, inquit, super hac re contemplatus sum, et vidi demum postremam impiorum ruinam, cum scilicet non tantum corpore, sed et anima moriantur. Quod enim ait hoc loco, in sepulcra inductos, in supplicia et tormenta intelligit. Eis vero qui in sepulcra hæc inducantur, nihil potentia profuit, nihil quod habiti olim iusti et sancti fuerint, nihil quod in templa Dei sacra ministeria muneraque obierunt. Docet itaque nos Ecclesiastes nequaquam scandalizari, propterea quod in hominum vita enormem statuum conditionumque dissidentiam cernamus, cum contra potius spectare debeamus ad eam, quæ in futuro sæculo est, retributionem.* Hoc est quod ait Psalmes Ps. 9. 25. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et*

Hypocritæ vanitas. *iniquus benedicitur.* Et Zachar. c. 11. 17. *O pastor et idolum!* Hæc denique est abominatio desolationis stans in loco sancto Matth. 24. 15. Ita Hugo. Scribit Sulpitius in vita S. Martini c. 8. ipsum, cum videret defunctum quemdam a populo ad altare coli, ut martyrem, cuius nec vita, nec nomen, nec certa memoria exstabat, orasse Deum ut quis esset, vel cuius meriti sepultus, ostenderet: *Tum conversus,* inquit, *ad lævam, vidit prope assistere umbram sordidam, trucem; imperat nomen meritumque ut loqueretur, nomen edicit, crimen confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret.* Quid profuit illi vanus hic et erroneus populi cultus, nisi ut patefacto scelere, publica illi crearetur infamia, ac martyris decus verteretur in latronis dedecus?

Vers. 11. ETENIM QUIA NON PROFERTUR CITO CONTRA MALOS SENTENTIA, ABSQUE TIMORE ULLO FILII HOMINUM PERPETRANT MALA.) Hebr. Chald. Sept. *Ideo plenum est, vel repletum cor filiorum hominis in eis ad faciendum mala;* Aquila, ετολμησαν, id est *audet;* Tigurina: *Cor hominum audacia plenum est;* Symmachus: *Intrepido corde filii hominum malefaciunt.*

Pro *sententia* Hebr. est פתגם *pitgam,* quod Septuag. vertunt, *contradictio;* Arabic. *insultatio;* Syrus, *ultio;* Thaumatur. hunc versum et sequentem ita reddit: *Quia enim divina providentia non subito omnes plectit, ob æquanimitatem, qua malos tolerat, et non statim in delictis ulciscitur; idcirco vir impius nihil referre putat, si frequenter et graviter peccet, confidens se innoxium evasurum, sed non intelligit quod etiam post multum temporis malum non latebit impunitum. Bonum ergo maximum est pie colere Deum.* Olympiod. *Quia non sunt qui sedulo ac vehementer contradicant, acrique reprehensione compescant facientes malum,* etc. Potest ergo hæc sententia et contradictio accipi non solius Dei, sed et hominum, præsertim iudicum et magistratuum, qui peccata sæpe dissimulant nec castigant. Olympiodor. et alii hanc gnomen, omittentes το *etenim,* quod in Hebræo clare non exstat, nectunt cum eo quod præcessit: *Et hoc vanitas est,* q. d. Hoc quoque quod subiicio vanitas est, scilicet, quod per longam impunitatem homines audacter perpetrant mala; quia per hoc augendo peccata, augent sibi supplicia atque abutentes longanimitate Dei, serius irritant eius iram et vindictam, eamque ardentiorem in se concitant. Verum aptius dispungit Noster, additque το *etenim.* Hæc enim gnome dat causam, cur impii in sua impietate dominentur, laudentur et celebrentur; quia scilicet Deus eos ad tempus sinit impunitos, quo fit ut nec Deum verentes nec homines, impune et audacter agant quod lubet, grassentur in pios, opes accumulent, veneri et ventri indulgeant: hinc fit ut ab hominibus velut felices et beati laudentur et colantur. Atque hic unus est modus e multis, quo Deus dicitur peccatores excæcare et indurare; sicut mater nimis indulgens filio, eumque peccantem non castigans, occasio est ut filius deteriora perpetret, tandemque scelus committat, ob quod capite plectatur vel suspendatur. Sic sol suo calore indurat lutum. Ita docet S. August. ser. 88. de tempore, et S. Basil. Orat. *Quod Deus non sit auctor malorum.* Porro Deus differt peccatorum vindictam, ut ostendat suam longanimitatem et clementiam, qua peccatores invitat ad pœnitentiam, ut nonnulli eam agnoscentes de factis pœniteant et vitam mutent; cæteri vero abutentes Dei patientia, thesaurizant sibi *iram in die iræ et revelationis iusti iudicii Dei,* ut ait Apostol. Rom. 2. 5. et Iob c. 24. 23. *Dedit ei Deus,* inquit, *locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Qui hoc facit improbus est, et sæpe reprobus ac filius perditionis et gehennæ; ideoque cum in profundum peccatorum venerit, negat Dei providentiam et numinis vindictam; ac si quid postea mali illi irrogetur, casum æstimat non peccanti vindictam a Deo immissam. Vide Plutarchum lib. de Sera numinis vindicta.

Moral. hic disce malos castigari, magnum esse eorum et reipublicæ bonum; non castigari vero, magnum malum; quocirca magistratus, quibus incumbit reipublicæ cura, ex officio eos castigare debent. Deus vero qui nulli obstringitur, sed altiores suæ providentiæ habet rationes, iustis de causis castigationem sæpe differt, ac tarditatem supplicii gravitate compensat, iuxta illud Ecclesiast. c. 5. et sequent. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, et ne dixeris: Quomodo potui? Aut quis me subiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccavi: et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu* (quamvis nondum pœnas dederis) *neque adiicias peccatum super peccatum.* Hinc S. Petrus Epist. 2. c. 3. v. 2. tales vocat *illusores secundum proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus eius?* Quibus ipse respondet versic. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini, ut fur,* etc. Et Malach. cap. 2. v. 3. impios producit dicentes: *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est Deus iudicii?* Quibus respondens Deum exspectare tempus opportunum ac statum vindictæ tempus quo iuxta quantitatem delicti irrogabit pondus supplicii, vel in hac vita, vel certe in die iudicii iuxta illud Apoc. 14. 15. et seq. *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora, ut metatur; quoniam aruit messis terræ,* et (sine mora) *misit falcem suam, et demessa est terra.* Et iterum: *Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ eius. Et* (statim) *misit Angelus falcem suam acutam, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum.*

Exemplum illustre est in Ephrem, sermon. cui titulus: *Confessio et reprehensio sui,* ubi narrat de seipso, quod cum iunior ex impiorum licentia et impunitate dubitaret de Dei providentia, eam edoctus fuerit mira visione et experientia, tandemque audierit Angelum dicentem: *De iniquitate tua pœnitentiam age certoque scias unum esse oculum cuncta perlustrantem.* Rem totam fusius narravi Gen. 42. 21. Porro quam iniquum et stultum sit Dei patientia abuti ad peccandum pertase docet S. Leo, ser. 12. de Quadragesima: *Abutuntur,* inquit, *quidam patientia Dei, et qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio;* non autem ut liberior sit ad peccandum licentia: *Misericordiam igitur Dei nostri non ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit non recipit; neque enim quidquid differtur, aufertur aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quæsivit;* et Tertul. l. de Pœnitent. c. 7. *Absit,* inquit, *ut ita aliquis interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum; quia patet ad pœnitendum, et ex redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco*

deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur. Quid enim indignius, quam ex divina misericordia desumere argumentum ad divinam iustitiam provocandam? Et quia Deus libenter excipit pœnitentes, data opera velle fieri peccatores? Et S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 9. *Proposita*, inquit, *spe agendæ pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant, pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento; quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur*, q. d. Quis umquam ad virtutem balsami explorandam lucalentam plagam suo capiti inflixit? quis ad vim antidoti probandam, venenum intrepidus bausit? amens esset qui hoc ageret. Ita plane amens censeri debet qui peccat, ut ad divinam misericordiam confugiat, seu qui ex divinæ misericordiæ

Gnomæ de impunitatis noxa. largitudine inducitur ad peccandum. Idem de damno noxaque impunitatis et tardæ vindictæ, a Salomone didicere et sensere Plato cæterique Philosophi. Plato in libro de Republ. passim docet reipublicæ regimen pœna et præmio contineri; quæ si tollas et impunitatem concedas, omnes leges et iura violari et rempublicam everti. Idem docet Arist. 10. Ethic. cap. ult. et in Polit. Plutarchus de Sera Num. vind. *Ex impunitate sceleratorum*, ait, *derogatur fides divinæ providentiæ*. Cicero pro Sextio: *Effrænatus furor*, inquit, *alitur impunitate diuturna*. Et pro Milone: *Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem?* Et lib. 3. Offi. *Quotusquisque reperiatur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?* Vulgus enim hominum magis agitur pœna et præmio, quam amore virtutis, ut si illa cessent, hic elanguescat. Polybius l. 1. sub finem: *Si veniam*, inquit, *aut impunitatem concesseris, si benignitate improbum fueris promeritus, id omne dolum fraudemque existimando, ergo beneficum longe magis fiet infidus.* Cato sentiebat nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat; impunitæ enim iniuriæ exemplum omnibus minari iniuriam. Nam si liceret impune lædere, nullus erit tutus ab improborum violentia: quocirca magistratus, qui maleficos impunitate donent, docet lapidibus esse obruendos, utpote reipublicæ nocentissimos. Ita Plutarchus in Apophthegmat. Roman. Fronto Consul sub Nerva Imperatore dictitabat male eum imperare, qui nemini quidquam concedat, sed longe peius, sub quo maxima licentia sit quibuslibet. Inhumanitatis enim est, si princeps nihil indulgeat amicis, sed perniciosissimum est illis licere quidquid libet. Ita Dion. in Nerva.

Vers. 12 ATTAMEN PECCATOR, EX EO QUOD CENTIES (est hysterologia Hebraica, sic enim verba transponenda et ordinanda sunt: *Attamen ex eo quod peccator centies*) FACIT MALUM, ET PER PATIENTIAM SUSTENTATUR EGO COGNOVI QUOD ERIT BONUM TIMENTIBUS DEUM, QUI VERENTUR FACIEM EIUS.) Campena. *Qui Deum reverentur*, q. d. Si Deus tam patiens et benignus est erga peccatores, ut eos diu toleret et expectet ad pœnitentiam, quanto magis clementior et benignior erit timentibus eum vel innocentibus, qui graviter non peccarunt: vel pœnitentibus, qui de commissis criminibus dolent, et committenda studiose cavent! Hinc unus inter multos est finis, et fructus divinæ impunitatis et longanimitatis erga impios, scilicet ut ex illa metiantur pii, quantam ab eo clementiam et beneficentiam sperare et exspectare debeant. Ita S. Hieron. Albinus, Lyranus, Bonav. Hugo et alii. Mutuatus est hoc Salomon a Davide patre suo dicente Psal. 30. 23. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!*

Secundo et pressius, noster Pineda exponit, q. d. Deus impiorum peccata dissimulat, piorum statim castigat; attamen ne inferas inde meliorem esse sortem impiorum, quam sit piorum: tum quia ingens Dei beneficium est, levia piorum delicta castigare, ne in graviora proserpant; tam quia pii, sicut equi generosi a semita devii, levi flagello Dei admoniti contremiscunt et in viam virtutis redeunt, cum impii, velut muli pervicaces flagello recalcitrent: ideoque Deus hanc piorum docilitatem, reverentiam et obedientiam magnis gratiarum donis remunerabitur. Audi Auctorem 2. Machab. 6. 13. « Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet, propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet, corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. »

Denique noster Mendoza in 1. Reg. cap. 4. v. 3. censet τὸ *attamen*, notare antithesin piorum et impiorum, quod sicut v. præced. dicuntur impii Dei longanimi patientia abuti, et ad peccandum effundi, ita hoc v. dicantur pii eadem recte uti, et a peccando revocari, q. d. Filii hominum, hoc est peccatores, absque timore perpetrant mala; quia non profertur cito contra illos sententia. Attamen ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius, ex eo quod peccator centies facit malum et per patientiam sustentatur, quasi præcipuo quodam studio et benevolentia a Deo coronentur, qui eum colunt, timent ac venerantur, non quod sit Dominus, iudex et ultor, sed quod patiens, longanimis et misericors et quod videntes humana flagitia, tamen divina supplicia non experiantur. Hoc est bonorum ingenium ut ex hac longanimitate divina, qua peccatores ad pœnitentiam expectat, et dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, multo magis ad amandum et timendum Deum excitentur.

CENTIES.) Id est sæpissime; ponitur enim numerus definitus pro indefinito. Recte vertit Interpres cum Syro; Hebr. enim habent מאת meat, id est centies. Septuag. legerunt מעת meet, id est ex tempore, unde vertunt: *Qui peccavit facit malum ex tunc*, id est a iuventute sua, ait Olympiodor. et Arabicus: *Qui peccaverat iam fecerat malum ex eo tempore*. Aquila, Symmachus et Theodor. legerunt מת met, id est mortuus est: א enim medium in מאת meat, cum sit litera quiescens, sæpe omittitur: unde vertunt: *Peccans malus mortuus est longa ætate ei concesso*, q. d. Peccator mortuus est in consuetudine peccati longo usu cum ætate roborata; qui enim peccata iterat, per longam ætatem non fit melior, sed deterior ac callum peccati obducit; itaque pene necessitatem peccandi induit, quo fit ut in peccatis plurimis moriatur, et ad ingentia in gehenna tormenta damnetur.

PER PATIENTIAM SUSTENTATUR.) Hebr. מאריך לו maarich lo, id est *prolongat ipsi*, scilicet tum suam patientiam Deus, unde Symmachus vertit: *Longanimitate præstita ei*; tum peccantis vitam, ætatem et spatium pœnitendi: vel *elongat ab ipso*, scilicet vindictam, dum eam in longum tempus prorogat et differt: *Patientia Dei prædicatur, non in hoc quod malum aliquod patiatur, sed quod exspectet malos ut convertantur*, ait S. Augustin. libr. de patientia. Interim eorum malitia utitur, ut per eam piorum levia peccata castiget et purget, eorumque patientiam exerceat, ac merita et coronam adaugeat. Septuag. vertunt: *Ex tunc et ex longitudine eorum*, q. d. Peccator iam tunc, id est ab olim, scilicet a puero, mox ab ortu, ubi cœpit uti ratione, peccare inchoavit, indeque longa consuetudine peccata quasi in naturam vertit; nam ut ait S. Gregor. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Quantum ergo Deus prolongat patientiam suam et peccatori vitam, tantum ipse prolongat suam culpam et impœnitentiam.

ERIT BONUM TIMENTIBUS.) Tum in hac, tum potius in futura vita. Unde Chald. vertit: *Et in tempore quo peccator operatur malum centum annis a facie Domini, datur ei tempus, ut convertatur. Manifestum est mihi in Spiritu Sancto, et scio ego quod erit bonum in sæculum venturum timentibus Deum, qui timent a facie eius, et faciunt voluntatem eius.* Porro Olympiod. per bonum accipit bonas cogitationes et opera quas Deus se timentibus inspirat:

Cum enim, inquit, *vivant in conspectu Dei, caveantque sibi in omni sua actione et cogitatu, tamquam Deo iudice cuncta cernente, omnium bonorum operum et conceptuum Deus illis causa existit.* Thaumatur. de ipso Dei timore interpretatur: *Illud*, inquit, *præstantissimum bonum, pio Dei timore præditum esse.*

Simplicius bonum accipias pro læto et iucundo, q. d. Esto Deus piorum levia errata castiget, mox tamen eos longe lætiori et iucundiori sorte eos consolabitur, vel in terra, vel in cælo, iuxta illud Eccles. 1. *Ad tempus sustinebit patiens, et postea redditio iucunditatis.* Cum ergo a Deo castigaris et affligeris, afflictionem hanc accipe velut pignus et arrham instantis lætitiæ, et proximæ tibi consolationis. Quem enim Deus castigat, mox solatur et mulcet, uti mater puero post castigationem blanditur; quin et Christus *favos post fella gustavit*, ait Tertull. nimirum post hyemem succedit æstas, post noctem dies, post bellum pax, post pugnam victoria, post nubila Phœbus, post tempestatem serenitas. Hoc est quod iustis promittit Isaias c. 3. 10. dicens: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet, væ impio in malum! retributio enim manuum eius fiet* ei. Unde de eodem subdit Salomon.

Vers. 13 NON SIT BONUM IMPIO, NEC PROLONGENTUR DIES EIUS, SED QUASI UMBRA TRANSEANT, QUI NON TIMENT FACIEM DOMINI.) Præsentem et omnia intuentem, ut coram ea mobuient magna cum reverentia, metu et tremore, ait Olympiod. Hebr. *Non erit bonum*; sed Hebræi sæpe utuntur futuro pro imperativo, vel optativo, unde Noster apte vertit: *Non sit bonum*, scilicet quod sustentetur a Deo, et exspectetur ad pænitentiam, ait Hugo; quia patientia Dei non utitur ad pœnitentiam, sed abutitur ad maiorem iniquitatem et culpam.

BONUM.) Intellige, tum prolongationem vitæ, uti sequitur: ita S. Hieron. et Caiet. tum bona corporis, uti sunt sanitas, robur, opes, prosperitas, filii, familia copiosa: ita Lyran. et Dionys. tum animæ, uti est multiplex Dei gratia in hac vita, et gloria in futura: ita Thaumat. Bonavent. Hugo.

Summa, *bonum* significat hic quidquid lætum est, iucundum et prosperum. Congrua est hæc impiorum pœna, ut scilicet priventur omni bono, qui a summo bono et fonte omnis boni, puta a Deo sponte et impie se averterunt; sicut qui soli claudit fenestram, meretur eius luce privari et degere in tenebris.

Imprecari liceat mala malis. Quomodo? Respond. Quæres, quomodo sapiens hic mala precetur, et quasi maledicat impio, cum hoc videatur esse contra vel præter charitatem? Dixi hac de re in Prophetis fuse; nunc breviter. Respondetur, primo, maledictiones has esse non tam imprecationes, quam prædictiones et prænuntiationes

I. futurarum pœnarum, impio a Deo decretarum: *Non sit* ergo, id est *non erit bonum impio*, ut habent Hebr. Chald. Syrus. Arabic. et alii. Ita S. Hieronymus, Thaumat. et Olympiod. atque hac ratione recte hæc gnome annectitur præcedenti, q. d. Cognovi quod timentibus Deum accident bona ingentia, non timentibus vero mala.

II. Secundo, imprecari impio privationem bonorum temporalium, ut per eam ad cor redeat et vitam mutet, vel certe minus peccet; cum bonis, quibus privatus est, iam abuti nequit ad luxum, fastum, gulam, luxuriam, non est præter, sed secundum charitatem. Sic enim impiis imprecatur Psaltes: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine*, Psal. 82. vers. 17. Sic hodie videmus multos per paupertatem, morbos, adversitates converti ad Deum, qui opibus, sanitate, rebusque prosperis insolescebant et abutebantur ad omne scelus. Talibus ergo imprecari morbum vel inopiam bonum est et salutiferum.

III. Tertio, proprie Prophetæ et Apostoli ex zelo iustitiæ et honoris divini mala precantur impiis in impietate perseverantibus et morientibus, id est optant eos velut reos læsæ Maiestatis Divinæ puniri pœnis, tum temporalibus, tum æternis, ut hac ratione satisfiat iustitiæ se plectantur rei, utque honorem quem peccando Deo abstulerunt, tormenta merita patiendo restituant. Sancti enim conformant se per omnia voluntati divinæ iam certæ, et fixæ circa impiorum punitionem. Cum ergo Deus velit, fixeque decreverit impios punire et damnare, idipsum Sancti quoque volunt, præsertim dum ipsi sunt præcones et ministri, imo os Dei, per quos scilicet Deus suas leges promulgat, ac transgressoribus pœnas præsentes et æternas intentat, quales fuere Prophetæ et Salomon hic, qui cum dixisset impios abuti longanimitate Dei, ut diutius et gravius peccent, zelo sanctæ iustitiæ indignans huic eorum abusui, precatur et optat dicens: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius*, utpote quibus abutitur ad peccandum, et ad Deum, qui dies ei prolongat ad pœnitentiam, magis offendendum. Sic Sancti, in die iudicii assidentes Christo, sententiam damnationis in impios fulminabunt, Matth. cap. 19 v. 27.

NEC PROLONGENTUR DIES EIUS.) Ut minus peccent, minusque Deum offendant, *atque statim morte subtracti, cruciatus recipiant, quos merentur*, ait S. Hieronym. *quia æternis suppliciis transmittentur*, ait Olympiod. Porro Chald. *Neque erit*, ait, *ei longitudo in sæculo futuro, et in sæculo hoc præscindentur dies vitæ eius, fugient et succidentur velut umbra.*

Impii dies ut umbra transeunt. SED QUASI UMBRA TRANSEANT.) Hebr. *Non prolongabit dies, sicut umbra*, non prolongat dies suos, sed ante vesperam pertransit. Septuag. pro כ, id est *sicut*, legentes affine ב, id est *in*, vertunt *in umbra*; sensus est, q. d. Sicut umbra, abeunte die et sole, sub vesperam evanescit; sic et impii cito transeant et evanescant, ne perveniant ad vitæ vesperam, puta ad senectutem. Rursum sicut umbra abeunte corpore, cuius est umbra, abit; sic et ipsi abeunte vita et tempore, quod est umbra æternitatis et vitæ beatæ, cum eo pariter abeant. Tertio, sicut umbra nihil est tenuius, nihil vanius, nihil fugacius; sic et vita, præsertim impiorum. Plura hac de re dixi superius, et Isaiæ 38. v. 8. et seq. ubi egi de umbra Ezechiæ crescente per miraculum in horologio Achaz. Causam appositam dat Olympiod. *Peccator*, inquit, *diu non erit in vita; quia totum tempus vitæ suæ, quantumvis longum sit, non reputavit esse umbram, sed sollicito studio comparare sibi studuit, quæ fluxa et temporaria sunt, tamquam essent perpetuo durantia. Vel aliter ita intellige: quamquam peccator in præsenti vita per patientiam Dei* (velut umbram) *protegi quodammodo defendique videatur potius, quam puniri, paulo post tamen æternis suppliciis transmittetur.* Verum hoc posterius mysticum est. Addit Caiet. Sicut umbra non est corpus, sed tenue simulacrum corporis; sic impius non tam est homo, quam inane hominis simulacrum et umbra, quia inanem speciem tantum habet hominis, non veritatem, eo quod non vivat, ut homo ratione præditus, sed ut bestia ratione carens. Verum hoc subtilius est, quam solidius. Sæpe sancta Scriptura vitam præsentem comparat umbræ; quia vere talis est, si comparetur vitæ veræ et æternæ, ad quam proinde suspirans sponsa Cantic. 2. 16. *Dilectus meus mihi*, inquit, *et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ.*

Gnomæ. Huc facit illud Ausonii in Heroum tumulis in 47. *Pulvis et umbra sumus*: et illud Pindari in Pithiis, hymno 8. *Umbræ somnium homines.* Denique audi S. Hieron. versionem Septuag. exponentem: *Non prolongabit dies in umbra, hoc est dies vitæ suæ, qui quasi umbra viventibus sunt; non enim hi qui multo tempore vivunt, prolongant dies suos, sed qui grandes eos faciunt bonorum operum magnitudine. Unde et Iacob quasi se peccatorem confitens dicit: Parvi et mali dies mei; sicut et in Psalmo confitens: Dies*, inquit, *mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui. Non quod longam vitam quæsierit in præsenti (in quo omne quod vivimus breve, et umbra est et imago; in imagine enim perambulat homo) sed quod de futuro timeat, ne longitudo vitæ ipsius, ubi vera est vita, brevietur.*

EST ET ALIA VANITAS QUÆ FIT SUPER TERRAM: SUNT IUSTI, QUIBUS MALA PROVENIUNT, QUASI OPERA EGERINT Vers. 14

IMPIORUM; ET SUNT IMPII, QUI ITA SECURI SUNT, QUASI IUSTORUM FACTA HABEANT; SED ET HOC VANISSIMUM EST.) *To hoc* refert, vel ad solam impiorum securitatem, hæc enim vanissima et fallacissima est, vel ad alternationem sortis iustorum et impiorum; quod scilicet iustis obveniant debita impiis, et impiis debita iustis. Vox *alia* non est in Hebræo, Septuag. Syro, Arabico, sed intelligitur. Alias enim et alias vanitates successive recenset hic Ecclesiastes. Porro hæc vanitas similis est illi v. 10. Est tamen alia et diversa ab illa, eo quod ibi dumtaxat dixerit impios laudari, ut pios; hic vero addit impiis bona et prospera quælibet obvenire, piis vero mala et adversa. Unde ait: *Sunt iusti quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum;* Hebr. *Sunt iusti quibus attigit ad eos tamquam opus impiorum; et sunt impii quibus attigit eis, sicut opus iustorum,* q. d. Sunt iusti quos tangit, vel ad quos pertingit sors adversitatis, qua digni sunt impii; et sunt impii quos tangit sors prosperitatis, quam merentur et qua digni sunt iusti. Septuag. *Est vanitas, quæ facta est super terram, quia sunt iusti, quia venit super eos quasi factum impiorum: et sunt impii, quia venit ad eos quasi factum iustorum;* Campens. *Eveniunt iustis mala, quæ impios ferre decebat.* Porro nonnulli censent hæc dici ex persona non Salomonis, sed imperitorum et impiorum. Ita Thaumaturg. Lyran. et Olympiod. quem audi: *Nunc Ecclesiastes personam eius inducit, qui a scandalo labitur in errorem, aitque: Vidi iustos in hac vita ab iis malis correptos, quæ potius impiis debebantur, ut puta ægritudine, paupertate vel alio difficili casu adveniente. Contraque,* inquit, *vidi quæ piis deberentur ad impios pervenisse: idcirco talis insipiens tamquam contemptor factus divinæ providentiæ, et hoc,* inquit, *vanitas est. Sapiens autem eventus rerum prospiciens, et quæ singulis pro dignitate retribuantur plane novit, atque intelligit Deum nequaquam casu hæc permittere evenire, sed ut iusti maiori præmio coronentur, impii vero graviori pœna torqueantur. Notanter autem hic vanitatem supra terram se vidisse ait: In cælo siquidem nihil est vani.* Verum melius alii censent hæc, uti et cætera, dici ex persona Ecclesiastæ, puta Salomonis, uti ipsa verba præ se ferunt.

Vanum pios affligi, impios prosperari.

Quæres, qua ratione vanitas sit, quod piis eveniant ma-
1. la, impiis bona? Primo, Symmac. pro *vanitas* vertit ἄπο-
ρον, id est *difficile cognitu;* ait S. Hieron. proprie *dubium,*
perplexum, controversum, iuxta illud Davidis: *Labor est*
ante me, donec intelligam in novissimis eorum, Ps. 72.
16. q. d. Vanum est velle scrutari Dei iudicia quibus pios
affligit, impios prosperat; quia hæc iudicia sunt difficilia
2. cognitu, imo inscrutabilia. Secundo, Thaumaturgus va-
nitatem exponit gravem et perniciosum errorem eo quod
impius habeatur ut pius, et pius ut impius; inde enim rudes
accipiunt ansam vel accusandi Dei providentiam, vel
deserendi probitatem et impietatem amplectendi. Sic somnium
vanum vocamus mendacem errorem et fallacem.
3. Tertio, Hugo per vanitatem accipit partim infelicitatem,
quia, ait, nihil infelicius felicitate peccantium; par-
tim fortuitum, quia quasi fortuito casu bona impiis, ma-
4. la piis obveniant. Quarto, alii per vanum accipiunt mo-
lestum et asperum; unde Campensis vertit: *Certe hoc*
vehementer molestum est. Accedit Lyran. Vanum est, in-
5. quit, quia irrationabile. Quinto, sanctus Hieronymus per
vanitatem accipit inconstantiam rerum humanarum: sunt
6. enim vanitates, quæ varia feruntur eventu. Sexto, sanc-
tus Bonaventura vanum dicit, quando bonis et malis pro-
veniunt bona, quia indignum propter malos: vanius quan-
do bonis et malis bona, quia iniustum pariter et indi-
gnum; ideo Habacuc hoc adeo indigne tulit, ut videre-
tur Deum arguere, cum diceret: *Quare non respicis su-*
per iniqua agentes, et taces devorante impio iustiorem se?
7. Habacuc 1. v. 3. et 4. Septimo, Pineda: Hoc vanum est,
inquit, quia in talibus eventibus, nihil perpetui, nihil solidi
est, cui animam affigere possimus: quare cuique conten-
dendum est ad bona stabilia et æterna. Omnia hæc vero
sunt et huic loco congrua: maxime tamen vanitas hic est
rei iniquitas, ac iniquæ distributionis cura. Iniquum enim

videtur piis mala, impiis bona tribui, cum pii bona, impii mala mereantur, si rem spectes in se et imperitorum rudiumque sensu, qui per hoc sæpe impelluntur, ut impietatem præ pietate colant, sectentur, suspiciant; at si spectes Dei providentiam, non iniquum hoc, sed prudens et sanctum est, ob æquissimas quas ipse habet, rationes, ac præsertim duas. Prior est, ut impii ob modica, quæ bene agunt, bona huius vitæ loco mercedis recipiant, cæteroquin malefactorum pœnas gravissimas daturi in inferno: pii vero ob modica, quæ male agunt, ærumnis huius vitæ castigentur et purgentur, ut purgati, ob multa bona opera quæ fecerunt, beentur in cælo; aut si plane puri sunt adversis exerciti splendidiorem patientiæ in cælo coronam recipiant, uti contigit sancto Iob. Qua de re vide sanctum Augustinum lib. 5. Civit. cap. 15. et 16. ubi felicitatem cælestem beatorum componit, et anteponit felicitati terrenæ Romanorum. Posterior est, ut Deus nos doceat omnia quæ in hoc mundo sunt, sive adversa, sive prospera esse vana, id est inania et mendacia, cum adversa piis, prospera impiis, id est indignis eveniant; vera vero bona non esse nisi in cælo, et vera mala non nisi in inferno, iuxta illud sapientis: *Nullum bonum nisi æternum, nullum malum nisi æternum.* Ita beata Dionysia martyr inter ictus virgarum, et sanguinem toto corpore fluitantem, filiolum unicum trepidantem ad martyrii consortium hac voce animabat: *Illa pœna timenda est, quæ numquam finitur; illa desideranda vita, quæ semper habetur.* Qua ille solidatus martyrium fortiter obiit, uti refert Victor. Utic. lib. 3. Wandal. Hinc tacite concludendum relinquit Ecclesiastes sapienti despicienda esse tam prospera, quam adversa huius vitæ; ambienda vero bona cælestia, et summe cavenda mala gehennalia. Unde non mirandum si prospera impiis, adversa piis eveniant: quia Deus id facit, ut ostendat quam utraque sint vana, id est parva, exilia, brevia et caduca: quare piis non esse hac de re dolendum, sed potius gaudendum; quia ex hoc velut certo divinæ prædestinationis signo, cognoscunt sibi sortem felicissimam paratam in cælo. Ita Chald. *Vidi,* inquit (in Spiritu sancto, quia malum quod accidit iustis in sæculo hoc) *non est propter peccata eorum, sed ad removendum ex eis culpam levem, ut sit merces eorum integra in sæculo venturo; et quod contingit peccatoribus non est meriti eorum, sed ad retribuendum eis mercedem meriti levis, quod fecerunt, ut comedant mercedem suam in sæculo hoc, et ut perdant partem suam in sæculo venturo.* Et Midras, sive Glossa Hebr. hic: *Felices iusti,* inquit, *quibus accidit iuxta facta impiorum, quia amplissima illis merces et gloria est reposita. Contra: væ impiis quibus accidit iuxta facta piorum, quia attolluntur, ut gravius corruant!* Et S. Hieron. *Inter cæteras vanitates,* inquit, *quæ in mundo varia feruntur eventu, etiam hoc deprehendi, quod iustis ea frequenter eveniunt, quæ impiis evenire debuerant; et impii tam feliciter in hoc mundo degunt, ut eos putes esse iustissimos. Docet exemplum Evangelicum divitis purpurati et pauperis Lazari.* Subdit S. Hier. *Hebræi iustos quibus eveniunt mala, et impios quibus accidunt opera iustorum, filios Aaron interpretantur et Manassem quod illi sacrificantes perierunt, et ipse post tanta mala et captivitatem in imperium restitutus est.* Verum Hebræi errant: nam filii Aaron iniuste egerunt, dum temulenti obtulerunt Deo incensum ignis alieni contra præceptum Domini, Levit. 10. Manasses quoque in carcere pœnitens gratiam Dei meruit, ac proinde iustificatus in regnum restitutus est. Sapienter Philo libro de Confusione linguarum: *Insignis,* ait, *pœna et vindicta impietatis est connivere Deum, atque etiam indulgere peccantibus, nec solum eis impunitatem, verum magnam et diuturnam prosperitatem concedere.* Hæc enim eos facit quasi ebrios et amentes, ut ultro in sua damna ruant, suamque perniciem sibi accersant. Ex adverso pius et sapiens in adversis æque ac prosperis sui similis est, sobrius, modestus, tranquillus, ideoque magnus: *Ut pumilio,* ait Seneca, *etiamsi in monte consistat, pusillus est; colossus etiam in puteo magnus: ita sapiens, in quo-*

Impii prosperantur, pii affliguntur ob duas causas.

cumque fortuna suis bonis magnus est stultus et in summa fortuna humilis. Ut apparatus scenæ quia commodato datus est, statim redditur, et sine querela: ita quidquid in vita contigit magnificum, sive serius, sive mox a fortuna repetatur, æquo animo reddemus, si his tamquam commodatitiis utimur. Idem: *Ut grando illisa tectis dissultat magno quidem fragore, verum nulla noxa; sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem.*

SUNT IMPII QUI ITA SECURI SUNT.) *Securi*, id est prosperi, rebus omnibus abundantes et felices, ut explicat S. Hieronymus; felicitas enim facit securos; magna enim pars felicitatis est de bono, quo te beatum putes, esse securum; unde securitas opponitur curæ et sollicitudini, ac securus dicitur, qui sine cura est, quasi seorsum vel separatus a cura. Opponit enim pios impiis, quod illis infelicia et adversa, his felicia et prospera eveniunt. Patet id ex Hebr. Septuag. Syro et cæteris. Verum hæc falsa fictaque est felicitas et securitas; nam *cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. 1. Thessal. c. 5. 3. Præclare S. Greg. l. 9. Moral. c. 27. *Sancti*, ait, *ita incerti sunt, ut confidant; atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant.* Spes ergo eorum mixta est timori, spes facit magnanimos et hilares, timor humiles et sollicitos. Vide eumdem S. Gregor. l. 24. Moral. c. 12. 7. et l. 6. epist. 22. ad Gregoriam cubiculariam Augustæ, quæ petebat revelationem, quod sibi remissa essent peccata, cui respondet sanctus Gregorius hoc votum esse inutile et noxium, quod incertitudo remissionis auget in nobis studium pœnitentiæ et bonorum operum. Vide et S. Augustinum de Corrept. et Gratia c. 13. et in Psal. 147. Terror, inquit, securitatem parturit: quomodo enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parturit.

SED ET HOC VANISSIMUM IUDICO.) Hebr. *et etiam hoc vanitas est*, scilicet per antonomasiam, puta vanitas vanissima, id est summa et maxima, ob causas quas paulo ante dedi.

Moraliter hic disce quam vana et quam noxia impiis sit prosperitas. Audi Eusebium Emissenum homilia de S. Epiphodio et Alex. « In hoc mundo, prævalente malitia, iniquitate dominante, pauper affligitur, dives multiplicatur. An tu hunc potentem voces, qui in mortem suam fortis est, cui proventuum felix umbra præsentium, æternorum congregat causas malorum? quis beatam dixerit validam in iugulum suum dextram? quis probabiliter laudat velocem ad ardua præcipitia festinantem? quis eius miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? Perinde est si aliquem mireris per impia et iniqua, per opes et divitias operantem, ac si quempiam videas inaurato atque gemmato sibi poculo venena miscentem. » Subdit deinde: « An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obscœnus, cupidus et cruentus, pro eo quod vias Domini aspernatur, per suas ire permittitur, dexteræ angustiis offensus, et sinistræ latitudine delectatus flagitiis involvitur, sceleribus inficitur, spoliis contaminatur, et inter hæc se beatissimum putat? ex hoc quoque infelicior, quod se non intelligit infelicem. Quid his faciat medicina cælestium mandatorum, quæ non sanat nisi volentes? Pigri itaque ad curam salutis, alacres ad militiam mortis et captivitatis, ut dictum est: Exultant in rebus pessimis, et de sui perditione lætantur; similes illis, qui forte sumentes exitiabiles herbarum succos, cum risu perire dicuntur. Seneca epist. 39. Magnanimi est, inquit, magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia; illa enim utilia vitaliaque sunt, at hæc, eo quo superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. Plinius l. 16. c. 35. Hedera, ait, complexu necat arbores; ita fortuna prospera dum blanditur, strangulat et perdit. » Adagiographus: « Solent arbores, inquit, protinus emori, si quando præter solitum fœcundæ fuerint. Ita fortuna præter morem blanda se favens exitium imminere sæpenumero significat. Quemadmodum non raro fit, ut, cœlo maxime sereno, subitus imber subito cooriatur; ita rebus maxime prosperis se lætis sæpe gravissima rerum incidit perturbatio. »

LAUDAVI IGITUR LÆTITIAM, QUOD NON ESSET BONUM Vers. 15.
HOMINI SUB SOLE, NISI QUOD COMEDERET, ET BIBERET ATQUE GAUDERET: ET HOC SOLUM SECUM AUFERRET DE LABORE SUO IN DIEBUS VITÆ SUÆ, QUOS DEDIT EI DEUS SUB SOLE.) Multi censent hæc dici ex persona non sapientis, sed insipientis voluptarii, qui pertæsus confusionis rerum humanarum, quod bona impiis, mala piis eveniant, tradiderit se voluptati, uti tandem fecit Salomon. Ita Lyranus, Hugo, Titelmannus, Caietanus: quin et Thaumaturgus quem audi omnia ab hoc versu usque ad finem capitis paucis complectentem: « Putabam autem aliquando bonum summum in cibo potuque situm, eumque Deo gratiorem qui per omnem vitam iis quam maxime frueretur, et refrigeraretur; eamque lætitiam solam admirabar, atque adeo nihil aliud cogitabam, ne vel nocte vel die ab illa re, ad hominum luxum inventa me abducerem. Tandem ex iis unum hoc comperi, neminem huius farinæ ullo pacto, quantumvis laboret, ad bonum, quod vere bonum est, perventurum. » Verum melius S. Hieronymus, Chaldæus, Olympiodorus, Glossa, Hebræus, Hugo et cæteri censent Salomonem continue hic ex suo sensu loqui. Idem enim hic dicit quod dixit cap. 2. v. 12. et cap. 5. 17. Nimirum laudat hic usum opum et deliciarum, sed moderatum, frugalem et honestum. Audi Chaldæum: « Et laudavi ego gaudium legis, quia non est bonum homini in sæculo hoc sub sole, nisi tantum comedere, et bibere, et gaudere de labore suo, et pro parte sua, quæ data est ei ex cælo; atque non extendere manum suam in rapinas et violentiam; et hoc conducet illum in pacem ad sæculum venturum, et accipiet mercedem perfectam pro labore suo, quo laboravit in integritate omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit illi Dominus in sæculo sub sole. »

Beatus qui suis lætatur.

ET HOC SOLUM SECUM AUFERRET.) Tò *auferret* significat nos bonorum huius vitæ proprie et plene non esse dominos, sed usufructuarios, ut iis velut alienis et commodatis utamur ad vitam, in morte ea aliis ipsique Deo, qui verus est Dominus, resignaturi. Hebr. *Et hoc saltem adhærebit ei*; Septuag. *Et ipsum simul aderit ei*: Campensis: *Hoc enim accipiet homo tamquam suum*; Arabicus: *Et hoc discedet cum ipso.* Aliter Syrus: *Et ipse*, inquit, *defatigatur sibi in labore suo.* Videtur ipse pro ילונו *ilvennu*, id est, *adhærebit* vel *copulabitur ei*, legisse ילאנו *ileunu*, id est *laborabit* vel *fatigabitur sibi*, a radice לאה *laa*, id est *laboravit*.

ET APPOSUI COR MEUM UT SCIREM SAPIENTIAM, ET Vers. 16.
INTELLIGEREM DISTENTIONEM, QUÆ VERSATUR IN TERRA: EST HOMO QUI DIEBUS AC NOCTIBUS SOMNUM NON CAPIT OCULIS.) Per *sapientiam*, Chald. accipit studium legis; Thaumaturgus, studium quærendi et captandi plures novasque voluptates; Olymp. studium scientiarum naturalium; S. Hieronymus, studium scrutandi divina iudicia, v. g. cur Deus iustos affligat, impios prosperet; cur hunc eligat, illum negligat. Ample per *sapientiam*, accipias studium scrutandi omnes res a Deo creatas; has enim scrutatus est Salomon, tum studio cognoscendi singularum naturam, dotes, causas; tum ut perspiceret num quæ res animum hominis tranquillare, satiare, et beare posset. Unde explicans, subdit: *Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem.* Hæc omnia ad finem capitis explicata sunt c. 1. v. 17. c. 7. 3. et 12. Repetit enim Salomon alternantes animi sui motus æstusque, quibus res omnes perscrutatus est, ut inveniret animi quietem et satiem; cumque in nulla eam reperiret, sed meram in singulis vanitatem, hinc unius pertæsus ad aliam et aliam se transtulit, ac præsertim a lætitia et deliciis ad studium sapientiæ, ut honestius et sublimius; sed illico in hac quoque vanitatis et molestiarum aculeos, spinasque se reperisse testatur.

DISTINCTIONEM.) Aliqui legunt *dissensionem*, idque ex-

plicant de variis sapientum sententiis et opinionibus inter se pugnantibus. Alii, ut Lyranus, Hugo et Glossa interl. legunt *distinctionem*, idque explicant de differentia inter bonum et malum, sapientem et stultum, prosperitatem impiorum et adversitatem piorum, deque diversis hominum gradibus, conditionibus, moribus.

Verum legendum est cum Romanis *distentionem*; Hebr. enim est עִנְיָן *inian*, id est occupatio, distentio, sollicitudo, afflictio, de qua dixi c. 1. v. 13. *Hanc occupationem pessimam* (id est molestissimam) *dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea*, dum alii assidue vacant congregandis opibus, alii prædiis excolendis, alii fabricis erigendis, alii honoribus sectandis, alii vanis scientiis, etc. adeo ut nec diu, nec noctu quiescant, aut somnum capiant. Unde subdit:

EST HOMO QUI DIEBUS AC NOCTIBUS SOMNUM NON CAPIT.) Id est, exiguum capit et quasi nullum. Est hyperbole; homines enim sine somno vivere nequeunt, q. d. Parum dormit, imo semper sollicitus est; quia totus intendit suæ occupationi; puta suo lucro, suo honori, suæ
Vigilia Demosth. et Aristot. scientiæ, suæ arti, suo officio, etc. Hinc Demosthenes aiebat se plus olei in lucubrationibus nocturnis, quam per diem vini consumpsisse. Aristoteles dormiens manu tenebat pilam æneam, ut illius e manu dormientis elapsæ, et in subiectam pelvim cadentis sonitu excitaretur, itaque ad nocturnas lucubrationes vigil rediret. Ita habet eius Vita. Idem fecere nonnulli Christiani et religiosi. Celebre fuit in Oriente monasterium Acœmetarum, id est insomnium, et noctu in oratione et meditatione pervigilantium, ac iugiter diu noctuque psallentium, tripartito ordine et tempore, monachis scilicet in tres cœtus divisis, ordinequе trino sibi vicissim succedentibus. Primo, erectum fuit hoc
Acœmetarum. Acœmetarum monasterium Constantinopoli, sub Leone I. Pontif. anno Domini 459. vocati sunt iidem Studitæ, a Studio viro consulari, qui eiusmodi monasterium erexit, teste Nicephoro lib. 15. cap. 23. Inter eos monasticam vitam egit S. Ioannes Calybita. Ita Baronius anno Domini 459. Simile Acœmetarum monasterium fuit S. Columbani et S. Galli, aliaque plura in Germania, Gallia, Hybernia; nimirum hæ sunt non vanæ, sed sanctæ religiosorum vigiliæ, imo cœlestes Angelorum terrestrium Deo psallentium et militantium excubiæ.

Vers. 17. ET INTELLEXI QUOD OMNIUM OPERUM DEI NULLAM POSSIT HOMO INVENIRE RATIONEM EORUM QUÆ FIUNT SUB SOLE: ET QUANTO PLUS LABORAVERIT AD QUÆRENDUM, TANTO MINUS INVENIAT: ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE.) Opera Dei intellige tum omnipotentiæ et magnificentiæ, ut vertit Chaldæus, tum potius providentiæ circa homines, uti dixi initio versus præcedentis ex S. Hieronymo, quem sequuntur
A Albinus, Lyranus, Hugo et alii.

ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE.) Potest clarius ex Hebræo verti: *Si dicat*, id est apud se statuat, *etiam vir sapientissimus, dare operam, ut cognoscat, non poterit invenire*. Ita Vatablus et Campensis: *Quin et sapiens ipse*, ait, *si conetur cognoscere, frustra laborabit*. Iam hanc gnomen audivimus c. 3. 11. quare ibi dicta hic non repetam. Huc spectat vetus Apologus quem recenset noster Pontanus, volumine 3. Progym. p. 1. cap. 40. Invehebatur in caudam suam ranæ, quod deses et otiosa, et a reliquo corpore se trahi sineret, neque iter ostenderet ut oculi, nec mandata acciperet ut aures, nec hostem insequeretur ut pedes, nec dimicaret ut dentes, sed esset velut inutilis appendix ad posticam partem corporis. Respondit cauda: Et tamen ego inutilis, ut tu calumniaris, muscas abigo, patrono alludo, pudenda contego, totique corpori sum ornamento. Epi-
B mythyon: nihil a Deo nisi sapienter factum et provide, quamvis homines multis in rebus id non videant. Exemplum huius sententiæ clarum est in quadratura circuli, in qua se torserunt tot sæculis Mathematicorum ingenia, nec veritatem extorserunt, adeo ut hæc eis crux fixa esse videatur. Nam quadraturam circuli mechanice, hoc est modum practice efficiendi quadratum, quod sit æquale circulo, sive cuius capacitas æqualis sit capacitati circuli cuiuslibet, invenit tradiditque Archimedes libro de Circuli dimensione, theor. 1. p. 128. in edit. Paris. Estque hic: Accipe peripheriam, sive circumferentiam circuli, illamque ex curvo in directum extende, sive fac lineam rectam æqualem peripheriæ circuli, eique in fine lineam rectam, quæ semidiametro circuli sit æqualis, ad angulos rectos annecte, ac denique extremitatem utriusque lineæ iam dictæ linea recta transversa connecte ac habebis triangu- Quadratura circuli mechanice scitur, mathematice nescitur.
C lum qui sit æqualis circulo. Triangulo autem cuilibet æquale quadratum describi posse mathematice certum est, modumque id faciendi demonstrat Euclides libr. 1. propositione 42. et lib. 2. prop. 14 et lib. 9. propositiones 33. Vide ibidem Clavium 301. quare sic fiet quadratum æquale circulo. Hinc mechanici facile ex hac praxi, commensurando lineam rectam cum peripheria circuli, conficiunt triangulos et quadrata, quæ sint circulo æqualia. Verum mathematice idipsum demonstrare, uti suas propositiones demonstrat Euclides, hoc est rationem mathematicam afferre, quæ demonstret modum inveniendi lineam, quæ sit æqualis peripheriæ circuli, nec Archimedes, nec Euclides, nec quis alius hucusque invenit, etsi plurimi in eo annos plurimos desudarint. Quadratura ergo circuli practice et mechanice scitur; at eius ratio et mathematica demonstratio ignoratur.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex eo quod bona malaque æque accidant pio ac impio, infert neminem scire an amore, an odio sit dignus, sed omnia in futurum servari incerta; idcirco sapientis esse studere candori et puritati ac bonis operibus: præsertim quia sicut pisces capiuntur hamo, sic homines tempore malo. Denique v. 14. ostendit sapientiam præstare fortitudine, et tamen in paupertate non æstimari.

1. OMNIA hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem: Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. 2. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant iusto et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti: sic ut bonus, sic et peccator: ut periurus, ita et ille qui verum deierat. 3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt: unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur. 4. Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo. 5. Viventes enim sciunt se esse

morituros: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum. 6. Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur. 7. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. 9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole. 10. Quodcumque facere potest manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. 11. Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus. 12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. 13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam. 14. Civitas parva, et pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. 15. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. 16. Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba eius non sunt audita? 17. Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos. 18. Melior est sapientia quam arma bellica: et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

Vers. 1. OMNIA HÆC TRACTAVI IN CORDE MEO, UT CURIOSE INTELLIGEREM: SUNT IUSTI ATQUE SAPIENTES, ET OPERA EORUM IN MANU DEI; ET TAMEN NESCIT HOMO UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT.) Ita hoc caput ordiuntur Biblia Romana ac pleraque Latina; licet Regia Hebr. Chald. Septuag. et Thaumaturgus ordiantur cap. 9. a τῷ *sunt iusti*; ac præcedentem sententiam iungant fini capitis 8. Pro *ut curiose intelligerem*, Hebr. est לָבוּר *labur*, id est, *ut depurarem*; id est, pure clareque perspicerem. S. Hieron. in priori versione transtulit, *ut considerarem*; Pagn. *ut declararem*; Tigur. *ut clare discernerem*. Minus recte Caietan. *ut eligerem*. Melius Symmach. *ut ventilarem*. Complut. in Lexico, *ut probarem*, vel *examinarem*. Pendent hæc a fine præc. Unde illius fini hæc annectit Caietan. et cap. 9. inchoat a v. 2. Continuat enim hic Ecclesiastes, et amplificat, id quod dixit c. præcedenti, scilicet bona et mala tam piis obvenire quam impiis; unde ex eis cæterisque discerni non posse quis sit pius et amore dignus, quis impius et odio dignus.

Pro *opera eorum* Hebr. est עֲבָדֵיהֶם *abadehem*, quod Pagnin. vertit: *Servitia eorum*; Vatabl. *Servi eorum*; Chald. *Discipuli eorum*, q. d. Iusti et sapientes, eorum discipuli vel asseclæ, sunt in manu Dei. Verum sic dicendum fuisset עַבְדֵיהֶם *abdehem*; iam autem dicitur עֲבָדֵיהֶם *obodehem*, id est *opera eorum*, ut vertunt Noster, Sept. Syrus, Arab. Camp. et alii. Sept. eleganter vertunt ἐργασίας, id est opera artificiosa ad lucrum et quæstum affabre elaborata, qualia sunt insignium artificum: talia sunt opera iustorum, quæ licet mundo despecta, Deo tamen sunt pretiosa ac cælo elaborata, ideoque eis mercedem cælestem retribuet.

Iustorum opera in manu Dei quintupliciter.

IN MANU DEI.) Primo Hugo: *In manu Dei*, hoc est, ait, in dispositione, conservatione, iudicio et voluntate
1. Dei, item ut hostiæ Deo acceptæ. Secundo, Dionys. *In*
2. *manu Dei*, id est, ait, oblata sunt et commissa Deo, ut creatori et iudici, adde et *remuneratori*. Tertio, genuine
3. in manu Dei, id est in protectione, cura et amore Dei. Ita Olymp. qui hæc superioribus ita apte connectit: « Dixerat, inquit, superius quarum rerum cognitio sit abstrusa, ut nos averteret ab inutili ac vana perquirendi sollicitudine. Nunc autem proponit qua in re satisfacere sibi possit sapientis intuitus et cognitio, quod videlicet iusti sapientesque homines una cum operibus suis sub umbra Dei, et protectione suæ dexteræ conquiescant. Neque enim permittit Deus illos impetentium viribus devastari. Probi namque homines et officiosa opera proteguntur a Deo, at vero de impiis scriptum est: Et ipsi de manu tua repulsi sunt. »

Sapientes ergo, id est prudentes et iusti, licet non sint in prosperitate ut impii, sed in adversitate, ideoque mundo neglecti et contempti; sunt tamen in manu, id est favore, cura, custodia et ope Dei, quia adversa eis immittit ex amore, ut eos virtutibus et meritis augeat. Hoc sensu dicit Deus Isaiæ 46. 16. *In manibus meis descripsi te*, ut te velut oculis meis præsentem iugiter intuear, et manibus iuvem, protegam, promoveam. Vide ibi dicta. Hinc rursum opera sancta iustorum sunt in *manu Dei*; quia a manu, id est ab ope et gratia Dei promanant (uti docet S. Prosper l. 1. de Vocat. gent. cap. 24.) qui proinde ea copiose remunerabitur et coronabit. Quarto, opera 4.
iustorum sunt *in manu Dei*, id est Deo certo cognita et explorata, cum ipsis iustis sint incerta et dubia, ut sequitur. Ita Lyranus. Quinto, *in manu*, id est in pleno arbi- 5.
trio et potestate æque ac scientia, providentia et gubernatione Dei, ut eos suo stato tempore ad eius salutem immittat: sicut ante diluvium immisit Enoch et Noe; post diluvium Abraham, Isaac, Iacob; Hebræis captivis in Ægypto misit Mosem et Aaronem; in terra sancta misit Davidem et Prophetas; contra Arrianos misit S. Athanas. contra Pelagianos S. August. contra Nestorium S. Cyrill. contra Eutychetem S. Leon. contra Albigenses S. Domin. contra Lutherum S. Ignatium cum sociis. Sic dicitur Psal. 30. 16. *In manibus tuis tempora mea*. vel ut alii vertunt: *Sortes meæ*. Et: *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, Prov. 21. 1. Et: *In manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia et operum scientia et disciplina*, Sap. 7. 16. et cap. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*; ubi hac de re plura. Huic gnomæ affinis est illa Cæcilii Poetæ lib. 35. *Deum quis non summum putet, cui in manu sit, quem esse dementem velit, quem sapere, quem insanire, quem in morbum inici, quem contra amari, quem aversari, quem expeti.* Porro manus Dei est mens, voluntas et potestas Dei; in mente est scientia et providentia; in voluntate libertas; in potestate imperium. Hinc Vespasiano prandenti humana manus illata in triclinium, et mensæ supposita protendit imperium, ait Svet. in eius Vita. Et Prophetæ pinguntur manu cælitus immissa, quasi a Deo excipientes prophetiam, uti dixi initio Prophet.

Nescit homo an amore, an odio sit dignus.

ET TAMEN NESCIT HOMO UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT.) Hebr. *Etiam amorem, etiam odium non sciens* Sic et Sept. Syrus, Arabicus et Recentiores. S. Hieron. in veteri editione vertit: *Et quidem charitatem, et quidem odium non est cognoscens homo*. Quæ verba quia more Hebræo sunt simplia et indefinita, a variis varie definiuntur et explicantur.

1. Primo, Symm. vertit: *Et insuper neque amicitias neque inimicitias scit homo*; et Camp. *Nec quisquam novit quos habiturus sit amicos, vel inimicos*, q. d. Nescit homo quis eum amet, quis odiat, ac proinde nescit quem ut amicum diligere, quem ut inimicum odisse, id est cavere et fugere debeat. Ita Chald. *Etiam amor*, ait, *quo dilexerit eos aliquis, et etiam odium, quo eos prosecutus fuerit, decretum est; omne in providentia decretum est, ut sit ante eos* Accedit Thaum. q. d. Qui colit gratiam et

amicitiam hominum, nescit quamdiu eam conservaturus sit propter inconstantiam voluntatis humanæ, qua fit ut amor levi de causa vertatur in odium.

II. Secundo, alii referunt ad obiecta amoris et odii, q. d. Nescit homo sensualis quid vere sit bonum, quid malum; quid virtus, quid vitium, ac proinde nescit quid amare et sequi, quid odisse et cavere oporteat. Vis est in Hebr. אדם adam, id est homo terrenus, qui terrena sapit, et cælestia non capit: hic enim carnis voluptate ducitur, non virtutis honestate; quare ignorat verum virtutis bonum, et fucatum voluptatis bonum cupide amplectitur. Ergo amat odienda, et odit amanda. Ita Olympiod. Accedit R. Salomon et Hæbræi qui exponunt, q. d. Vulgus hominum nescit cor disponere ad amandum Deum, et quæ odia digna sunt odiendum; sed omnia hæc sunt ante sapientes et iustos, qui norunt amare Deum et odia habere mala: nimirum nescit amare qui Deum non amat; nescit hoc impius, scit pius et sapiens.

III. Tertio, Isidor. Clarius explicat, q. d. Id quod diligit homo et odit, est in manu et potestate Dei, ut illud vel tribuat homini, vel neget et avertat, atque homo id suo marte percipere nequit. Verum Noster solerter et sapienter intellexit hic agi de amore et odio non hominum, nec creaturarum, sed Dei. De eo enim proxime dixit: *Opera eorum in manu Dei*, q. d. Opera nostra sunt in manu Dei, et tamen nescit homo an amore Dei, an odio sit dignus; quia scilicet Deus opera nostra manu sua certo quidem servat, sed clausa et secreta tenet, nec qualia illa sint homini ostendit: verum in futurum iudicium patefaciendo ea reservat; quare usque ad illud homini sunt incerta et incognita.

Dices: in Hebr. est: *Et omne vel omnia ante eos*, vel *ad faciem eorum*; quomodo ergo Noster vertit: *Et omnia in futurum servantur* incerta? Respondeo: Quia τὸ *omnia ante eos* significat omnia opera longe antecedere hominis oculos, id est conspectum et cognitionem, ut ea perspicere nequeat; quia scilicet in cælo, in mente et præscientia Dei servantur remota et recondita. Ita Chald. Sic Psaltes ait Ps. 138. 6 *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam*. Et v. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe, etc. et omnes vias meas prævidisti*. Unde Camp. vertit hic: *Omnia hæc hominem latent*. Et Symmach. *Omnia coram eis incerta*; aut certe τὸ *omnia ante eos*, id est omnia *ante eum*, scilicet Deum; quia enim *Elohim*, id est *Deus*, Hebræis est plurale; hinc pariter in plurali ait: *ante eos*, id est ante eum, scilicet Deum, qui in plurali vocatur *Elohim*. Unde Tigur. vertit: *Ipsi autem Deo omnia sunt proposita*. Et Chald. *Non est qui sciat id quod erit homini. Omnia in providentia* [Dei] *est ut sit ante eos*. Quare Noster optime vertit: *Et omnia in futurum servantur incerta*. Hunc sensum exigit versio Vulgata, quam per 1200. et amplius annos recepit et probavit tota Ecclesia: quin et probant Novantes, ut Beza, Mercerus, et ut videtur, Calvinus lib. 3. Instit. c. 2. parag. 38. Atque si quis antecedentia et sequentia inspiciat, perspiciet hanc versionem et sensum esse aptissimum. Denique ita explicat S. Hieronym. vir in exponendis Scripturis eruditissimus, et Ecclesiæ calculo doctor maximus. Eum ergo audi: *Porro hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui quos Deus diligeret, quos odisset, et inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguo fluctuare utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futura igitur scient; et in vultu eorum sunt omnia. Id est antecedit eos, cum de vita hac decesserint, notitia istius rei; quia tunc est iudicium, nunc certamen. Et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Iob; an per odium ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum*. Igitur ex hoc loco patet incertitudo gratiæ contra hæreticos et Ambrosium Catharinum, scilicet homines, etiam iustos non esse certos omnino se esse in gratia Dei, sive iustos et amicos Dei; etsi enim huius rei probabilia signa et coniecturas non leves habeant, quæ aliquam certitudinem eis afferant, non tamen habent tantam, quæ excludat omne dubium, et formidinem oppositi; licet enim sibi nullius peccati sint conscii, tamen sciunt Deum plura videre, ideoque forte peccatum in conscientia sua cernere quod ipsi non cernunt. Quare dicunt cum S. Paulo: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, 1. Cor. 4. Rursum etiamsi sciant se amare Deum, tamen nesciunt an hic amor sit naturalis, an supernaturalis charitatis, quæ sola iustificat. Hæc sententia est de fide. Nam ita definitum est in Conc. Trid. sess. 6. c. 9. et can. 12. Negat id Lutherus, Fides specialis hæreticorum.
Calvinus, Bucerus, Kemnitius, cæterique Novantes, qui cavillantur hunc locum male esse traductum in versione Vulgata. Docent enim iustum fide divina credere debere, non tantum in genere Christum satisfecisse pro nobis, sed etiam in particulari sibi per Christum remissa esse peccata, ideoque se esse iustum et sanctum, imo prædestinatum et electum ad gloriam; ac proinde non posse ab ea excidere, nec peccare, ne fides eius falsa sit; hanc enim fidem specialem esse fidem iustificantem, ideoque eam requiri ad cuiuscumque iustificationem sibi certo persuadent.

Verum hic stolidus est error, et fides summe infida. Refellitur.
Nam ut cætera taceam, hæc fides est impossibilis et falsa. Credit enim certo quod anceps et dubium est, et sæpe falsum. Multi enim apud hæreticos habent hanc fidem, et tamen vivunt in adulterio, odio, iniustitia, rapina, aliisque gravissimis peccatis; qui licet credant se iustos, revera tamen sunt peccatores et scelerati. Rursum multi ab hac hæresi convertuntur ad fidem orthodoxam, tuncque hanc fidem imo perfidiam deponunt, ac fidem orthodoxam illi contrariam amplectuntur; quomodo ergo in hæresi crediderunt se ab ea non posse excidere, cum de facto excidant? Ambrosius Catharinus vero, licet longe absit ab hac hæresi, tamen ex alio capite cum ea censet hominem iustum certum esse de sua gratia et iustitia. Utrique urgentur et convincuntur hoc loco Ecclesiastæ. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit*. Sed respon- Responsio hæreticorum.
dent, Salomonem non absolute negare iusto certitudinem charitatis et gratiæ, sed tantum negare eam posse cognosci et certo constare ex eventis externis, v. g. quod iusto omnia feliciter cedant, iniusto infeliciter, cum utraque utrilibet indifferenter obveniant, ut sequitur: aut, ut Catharinus et Vatabl. negare dumtaxat id scire posse hominem naturaliter, sive ut homo est, non autem supernaturaliter, sive ut filius Dei est; sic enim eum scire posse se iustum ex testimonio Spiritus sancti, ut docet Apost. Rom. 8. 15.

Verum hæc frigida et frivola esse prob. primo, ex eo Refellitur.
quod Salomon loquatur non de homine in se quoad naturam, sed de iusto quoad gratiam. Ait enim: *Sunt iusti et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo* (scilicet iustus et sapiens, ut præcessit) *utrum amore an odio dignus sit*, q. d. Iusti opera sunt in manu Dei, et tamen id ipse nescit; ideoque pariter nescit an amore Dei an odio dignus sit. Iustus enim non tantum externa sua spectat, sed etiam internam conscientiæ et Spiritus sancti testimonium, idque multo magis; huius enim respectu dicitur iustus, esseque in gratia Dei. Ergo etiam cum hoc testimonio nescit ipse se esse in gratia, dignumque amore, etiamsi revera sit in gratia et dignus amore Dei.

Secundo quia asserit iustorum opera esse in manu Dei id est in mente, memoria, et intellectu divino, qui ut manus ea in se certissime claudit et continet, ne a quoquam alio videantur, ut ea suo tempore patefaciat, laudet et remuneretur; et tamen nescire iustum an odio dignus sit, an amore. Ubi clara est antithesis, q. d. Opera iusti ita sunt ex mente et scientia Dei, ut absolute non sint in mente et scientia hominis. Alioquin enim si scientiam accipias, quæ ex eventis externis habetur, æque nescit Deus eu homo amore, an odio sit dignus, ac id ipsum nescit homo. Externa enim illa signa prosperitatis, vel adversitatis, signa sunt gratiæ et iustitiæ plane indifferentia et incerta, cum promiscue obveniant impio et pio. Ergo ex

iis Deus scire nequit an quis sit amore vel odio dignus, sicut ex iis id scire nequit homo.

III. Tertio, quia subdit universaliter: *Sed omnia in futurum servantur incerta*; omnia, scilicet tam supernaturalia, quæ proprie in *manu Dei* sunt, quam naturalia, tam interna, quam externa; et consequenter an prospera vel adversa, quæ maxime oculis patent, quæque maxime spectant homines, ex odio vel amore Deus homini immittat; et hoc tantum vult Salomon in ratione hac inadæquata similia piorum et impiorum eventus, quam subdit, q. d. Homo communiter spectat externa, et externos eventus felicitatis vel infelicitatis sibi obvenientes; et tamen nescit an Deus illos sibi immittat ex amore an ex odio. Ergo pariter nescit an ipse amore, an odio sit dignus. Reliqua enim argumenta et signa, quibus idipsum dignosci posset, æque ac hoc iam recensitum homini obscura et ambigua sunt: τὸ ergo, *sed omnia in futurum servantur incerta*, significat hæc ignorari ab homine non solum ratione præsentium eventuum, sed simpliciter et absolute; si enim alio modo homini constarent essentque certa, falso dicerentur incerta.

IV. Quarto, idipsum docet alibi crebro S. Scriptura, Patres et tota Ecclesia. Vide Bellar. tom. 3. l. 3. de Iustit. c. 4. et seq. et t. 1. libr. 2. de Verbo Dei, c. 12. ac ibidem Iacobum Gretserum, qui et valide confutat ineptam expositionem Iunii, dicentis quod homo nesciat an amore, an odio dignus sit, non ipsemet (quisque enim novit, inquit, seipsum et suam conscientiam) sed alius quilibet, qui alterius externos eventus prosperos vel adversos conspicit. Nimirum voluit Deus hac incertitudine gratiæ nos continere in humilitate et sollicitudine; ut cum timore et tremore salutem nostram operemur, ut monet Apost. Philip. 2. 12. atque satagamus ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus, ut S. Petrus exhortatur. Ita S. Aug. vel quisquis est auctor (sat enim liquet non esse S. August.) l. de Spiritu et anima c. 59. *Væ mihi*, ait, *misero, qui in regione umbræ mortis nescio finem meum, nescio si dignus sum amore vel odio!* Porro loquitur Salomon proprie de amore et odio, quo iustus amatur ob præsentem iustitiam, et iniustus odio habetur ob præsentem statum peccati in quo degit, uti applicat S. Hier. S. Bern. ser. 1. de Sept. S. Th. 1. 2. q. 12. art. 5. et alibi crebro, ac Bonav. qui negat hic agi de amore prædestinationis et odio reprobationis; quia, inquit, nullus dignus est prædestinatione, nec quisquam meretur prædestinari. Prædestinatio enim præcedit omnem gratiam omneque meritum, imo ipsa omnis gratiæ et meriti est origo et causa. Potest tamen extendi hic amor et odium ad prædestinationem et reprobationem; illa enim summus est amor Dei, hæc summum odium, et utraque in futurum iudicii diem servatur incerta, q. d. Nemo scit an sit prædestinatus an reprobus, vel potius reprobandus; licet enim prædestinationis gratiam et amorem nemo mereri queat, dici tamen potest eo dignus non ex merito, sed ex gratia Dei; quia scilicet Deus illum dignatus est prædestinare et asciscere in sortem Sanctorum, illaque eum dignum efficit, ut loquitur S. Paul. Ita hunc locum de prædestinatione et reprobatione accipit S. Ber. ser. 5. de omnibus Sanctis, et S. Th. c. 8. ad Rom. sub finem, Hugo, Dion. et alii. Excipe, nisi cui speciali dono revelata sit sua iustitia vel prædestinatio, uti salutis suæ revelationem habuere S. Anton. teste S. Athan. S. Franc. teste S. Bon. S. Galla, teste S. Greg. 4. Dial. c. 3. et alii plures, quos eodem libro recenset S. Greg.

Denique licet iusti non habeant certitudinem scientiæ se esse iustos, habent tamen certitudinem coniecturæ et fiduciæ, quæ crescente gratia et bonis operibus pari passu crescit, adeo ut eximii sancti de eo vix dubitent, atque securi, *ut cum longa mœroris anxietate formido fuerit consumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascatur*, ait S. Greg. l. 6. reg. epist. 23. ad Theoctistam; et S. Cypr. lib. de Moral. et l. contra Demetrianum: *Viget*, inquit, *apud nos spei robur et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens, et immobilis virtus et de Deo suo semper anima secura.* Et S. Aug. in illud Ps. 149. *Exsultabunt sancti in gloria, etc. Est quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione.* Ita S. Antonius fidens aiebat: *Ego Deum meum non timeo, sed amo.* Et pauper ille apud Thaulerum dicebat se securum in Deo conquiescere. Historiam fuse ex eodem enarravi Rom. 12. 2. Quin et S. Paulus Rom. 8. 35. ita exsultans gloriatur: *Quis nos separabit a charitate Christi, etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, etc.*

Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant iusto et impio.) Vers. 2.
Hebr. *Omnia ante faciem eorum, omnia sicut omnibus*, vel *quodlibet cuilibet*, id est omnia eveniunt consimiliter omnibus. Tigur. *Omnibus eadem prorsus usu veniunt*; Camp. *Cunctæ res eodem intereunt modo; unus est eventus iusto et impio.* Sept. pro secundo הכל *haccol*, quod Noster vertit, *universa*: alii, omnia, per affinitatem litteræ ב cum כ aliis punctis legerunt הבל *habel*, id est *vanitas*: unde vertunt: *Omnia ante faciem eorum vanitas in omnibus*: id est ut Syrus: *Omne quod est ante eum vanitas est*; et Arabicus: *Omnes res ante eorum facies sunt vanæ in omnibus eorum negotiis.* Identidem enim operum hominis, rerumque omnium vanitatem inculcat Eccles. Verum Biblia Hebr. quasi omnia habent הכל *haccol* non הבל *habel*. Quare Noster τὸ *omnia ante faciem eorum*, optime cum Symmacho, ut solet, interpretatus est; *sed omnia in futurum servantur incerta*. Nam, ut dixi v. 1. τὸ *ante eos*, idem est quod eos loco vel tempore antecedit, ideoque eorum conspectum et cognitionem fugit, ac proinde eis est incognitum et incertum, quale est id quod futurum est; hoc enim quasi a fronte nos in Dei præscientia antecedit, nosque quasi subsequentes, ut ad illud perveniamus, exspectat. Hoc ergo est *ante eos*, id est prævertit et præcurrit, eorum cognitionem; præcurrit inquam, tum ad Dei præscientiam et providentiam, tum ad Dei iudicium, ut ibi homines reos præstoletur, ac sontes vel insontes ostendat. Unde Chald. vertit: *Omne in Dei providentia decretum est ut sit ante eos.* Alii repetunt τὸ *non*, quod præcessit, q. d. Opera hominum non sunt ante faciem eorum, id est non cognoscuntur ab eis qualia sint, bona an mala. Verum hoc duriusculum videtur. Sic incerta et dubia nobis manet pœnitentia et salus Salomonis, Tertul. Origen. Berengarii et plurium talium. Sic Doctor ille Parisiensis, qui ab omnibus habebatur probus, mortuus ex feretro publice se improbum proclamavit dicens: *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*; qua voce perculsus S. Bruno cum sociis in Carthusiam secessit. Porro recentiores hic varie ex Hebræo vertunt, et explicant. Arias et Guarinus: *Amorem et odium nescit homo omnium qui ante eos sunt.* R. Salomon: Iusti vident opera sua ante oculos proposita, ex iisque sciunt se esse iustos, cum id carnales et impii nesciant. David de Pomis vertit: *Omnia in facie eorum*, q. d. Ex facie et vultu liquet et lucet probitas hominis vel improbitas. Alii, q. d. Etsi homo omnia habeat ante oculos, tamen nescit discernere inter bonum et malum, odium ab amore, signa probitatis ab improbitatis. Alii aliter. Ita nimirum in multa abeunt, qui a Vulgata, id est a veritate deviant.

Eo quod universa æque eveniant iusto et impio.) Ratio hæc ut dixi, non plena et adæquata, sed partialis est et inadæquata, communis tamen, et oculis mentibusque hominum obvia, ideoque illam præ cæteris assignat Salomon. Iusti enim ex aliis signis, puta ex interna conscientiæ et Spiritus sancti testimonio, ex bonis operibus, ex affectu pio in Deum coniectant et quasi cognoscunt an esse iustos et amore Dei dignos. Verum hæc interna sunt, nec oculis hominum patent, ac ipsis iustis sæpe æque incerta sunt atque externa, puta externi eventus prosperi vel adversi. Sicut enim hi impio æque obveniunt ac pio, sic et illi. Impii enim sæpe nullos sibi faciunt peccati scrupulos; sed plane sibi videntur in conscientia tranquilli, ac amant Deum et res pias amore quodam humano et naturali, atque ex eodem dant eleemosynas, suntque benefici

in omnes; et tamen sunt in statu peccati mortalis. Unde liquet hæc signa interna, æque ac externa esse incerta, dubia et ambigua. Vide Franc. Suarez tom. 3. de Gratia l. 9. a num. 14. ad 18. sed maxime num. 18. ubi exacte expendit τo *eo quod* Porro Hebraice est: *Unus est eventus iusto et impio;* Chald. hoc et præced. ita reddit: *Omne ex providentia pendet, atque ex cœlo decretum est* (Compint. *ex sidere:* sed hoc favet Astrologis iudiciariis, quos Ecclesia reprobat) *quod futurum est, ut fiat omnibus eventus unus innocenti et peccatori.*

Dices: Deus Levit. 26. et alibi sæpe promittit Hebræis eventus prosperos, puta victoriam, pacem, copiam frugum, si legem suam servent sintque pii; sin eam violent sintque impii, minatur eis bellum, famem, pestem omneque malum ac utrumque uti promisit; ita reipsa eis præstitit: quomodo ergo unus est eventus iusto et impio? Resp. primo: Pro *eventus* Hebr. est רִקְמָה *micre*, id est accidens, occursus, eventus, de qua voce dixi c. 4. 14. Iam per accidens intellige id quod communiter accidit, qualis est mors, morbus, fames, sitis, frigus, æstus, etc. Hæc enim tam piis accidunt quam impiis. Unde Campensis vertit: *Cunctæ res eodem interibunt modo, nec quidquam ob interitu liberum est.* Nam per eventum maxime hic intelligi mortem patet ex sequentibus: *Nemo est qui semper vivat,* etc. et ex dictis c. 2. 14. et cap. 3. 19. Identidem enim hanc mortis vanitatem et ærumnam extremam, tam piis quam impiis communem, refricat et inculcat. Respond. secundo illa promissa Hebræis facta Levit. 26. et alibi spectant, non tam singulos seorsim, quam totum populi cœtum; ut si is coleret Deum, non idola, eiusque leges servaret, Deus daret ei pacem et rerum abundantiam; si eas violaret, coleretque idola, puniret eum peste, fame et bello. Quare si maior pars populi coleret idola, Deus in totum populum mittebat pestem, famem, vel bellum quæ tam pios, utpote qui erant pars istius reipublicæ et populi noxii, quam impios affligebant. Itaque tunc quoque unus erat eventus iusto et impio: nec enim fames, nec pestis, nec bellum discernit pium ab impio, sed promiscue obvios quosque invadit. Sicut in excidio urbis pii æque ac impii spoliantur, capiuntur, necantur. Sic enim in prælio tam occisus est pius Iosias, quam impius Achab, 3. Reg. 22. 34 et 2. Paral. 35. 23. Resp. tertia: sæpe Deus in lege veteri piis separatim prospera, ut fruges et opes in præmium pietatis largiebatur, eadem impiis negabat in pœnam impietatis; at non semper, sed prospera impiis, adversa piis immittebat, uti Davidi persecutionem Saulis, Danieli Babyloniorum, Susannæ senum, Machabæis Antiochi, Eliæ et Prophetis Iezabelis et idololatrarum; quia tum maioribus bonis patientiæ, martyrii et gloriæ æternæ eos cumulabat. Unde tunc quoque una ex parte idem, sed alia ex parte adversus plane erat eventus pio, quam esset impio. Porro Hebræi hanc gnomen arctant ad Noe et Pharaonem socerum Salomonis, narrantque eumdem eventum accidisse iusto Noe et impio Pharaoni scilicet claudicationem; Noe enim, cum ex arca exscendisset, casu cecidisse factumque claudum; Pharaonem quoque, cum in throno Salomonis sederet, velletque descendere, prolapsum claudicasse; sed hæc sunt næniæ et fabulæ Rabbinorum.

Minus inepte iidem antitheses sequentes ita secernunt, ut iustus et impius spectatur in opere, mundus et immundus in corpore, bonus et peccatur in corde, periurus et verum deierans in ore, sacrificans et sacrificia contemnens in fide et religione. Verum nimis minutim hæc distinguunt, cum omnia sint quasi synonyma et epitheta iusti ac impii. Ex hoc loco S. Thomas, 1. 2. q. 114. art. 10. probat bona temporalia per se sub meritum non cadere, sed tantum quatenus referuntur et conferunt ad beatitudinem. *Ut sicut iurans, sic et qui iuramentum timet,* id est fugit et cavet ne aliquando peieret: *iurans,* id est peierans; qui enim crebro iurat, et assuescit ad quidvis iurandum, necesse est ut sæpe peieret; imo semper peierat, quia iurando temere quidvis sine discrimine veri vel falsi, semper periculo peierandi se exponit. Adde Hebræos carere verbis compositis, ideoque pro iis uti simplici: נִשְׁבָּע *nisba* ergo, id est *iuro*, significat quoque peiero, deiero. Sic Zachar. 5. 3. dicitur: *iurans iudicabitur,* hoc est peierans damnabitur. *Deierat,* id est iurat; deierare enim est per Deum iurare, vel sancte iurare ait Donatus. Unde illud comici de Casina: *Per Deos omnes et deas deieravit.* Hinc subinde deierare est iurare ac promittere aliquid cum contestatione, ut 1. Reg. 20. 17. *Addidit Ionathas deierare David.*

Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, Vers. 3.
quia eadem cunctis eveniunt: unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur.) Thaumat. et Olympiod. censent hæc esse verba stultorum et impiorum. Melius S. Hieronym. et alii censent esse ipsius Ecclesiastis. Iterat enim et confirmat quod dixit v. præced. q. d. Res pessima, id est, valde noxia et molestissima est, quod eadem obveniunt piis et impiis, indeque homines impleantur malitia et contemptu, ut pietatem, quin et Deum contemnant, itaque ad inferos detrudantur. *Pessimum* ergo hic proprie accipi potest, q. d. Par piorum et impiorum eventus, multorum scelerum est occasio. Ita S. Hieron. Bonavent. Hugo, Dion. et alii, vel improprie *pessimum,* id est molestissimum, quod pios valde affligit. Sic Matth. 6. ait Christus: *Sufficit diei malitia,* id est molestia et afflictio, *sua.*

Pro *contemptu* Hebr. est הוֹלֵלוֹת *holeloth,* id est. *insania,* ut vertit Pagnin. *vesania,* ut Vatabl. *tricis,* ut Caietan. Septuag. περιφορά, id est *circumlatione,* hallucinatione, vita errabunda, erratione ac turbatione mentis ob externas cogitationes et curas, ait Budæus Thaumat. *erroribus et fraudibus;* Olympiod. *Huc et illuc in circuitu ambulant, nec desistunt fatigari.* Aquila πλάνη, id est *errore,* Symmach. αὐθάδεια, id est *procacitate,* ait S. Hieronymus. Alii, *vana exultatione et gloriatione.* Vide dicta cap. 1. 17. Notat impietatem et stultitiam hominum usque ad insaniam, qui *lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis,* Prov. 2. 14. et excusant: *Excusationes in peccatis,* Ps. 140. v. 4. quia proenciter malum operantur, in eoque gloriantur, quasi numinis contemptores.

Post hæc ad inferos.) Hebr. *Post hoc ad mortuos,* id est, ad statum locumque mortuorum, puta ad inferos; ad illos enim tempore Salomonis omnes mortui descendebant, q. d. Impii vivunt adeo insolenter, ut de morte non cogitent quasi semper victuri, et numquam morituri; itaque cum minime cogitant, imparati morte abripiuntur, descenduntque ad inferos, ut malitiæ suæ dent pœnas in gehenna. Ita Chald. *Et post,* inquit, *dies hominis servatur ei, ut corripiatur cum mortuis iuxta iudicium peccatoris.*

Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei ha- Vers. 4
beat fiduciam. Melior est canis vivus leone mortuo.) S. Hieronymum more suo secutus est Symmach. qui clare vertit: *Quis enim in æternum potest perseverare vivens? cum,* ait S. Hieron. *subito rapiamur interitu, et dum ignorant homines ad inferna descendant.* Explicat hic eventum piis et impiis omnibus maxime communem, scilicet mortem, quæ ad oculum ostendit rerum omnium vanitatem; nam omnia facit mori et evanescere; unde mortis ideam et effectus hic graphice depingit usque ad v. 7. Hebræa ad verbum habent: *Quia cuius, quod sociabitur ad omnes viventes, est spes?* utique nullius, q. d. Nullus est qui speret se socium et coævum fore omnibus viventibus, hoc est ut clare vertit Noster: *Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam.* Pro יְחֻבַּר *iechubbar,* id est *sociabitur,* nonnulli Codices per metathesin legunt יִבָּחֵר *iebuchar,* id est *eligetur:* unde cum Pagnino vertas: *Quia cui electo inter omnes viventes est spes?* Electus enim in Scriptura vocatur iuvenis robustus, cuius electa, id est florida, et vegeta est ætas, q. d. Cui iuveni est spes, quod semper manebit in flore et robore ætatis iuvenilis? utique nulli; cum versetur inter viventes sed mortales, qui omnes cum tempore senescunt et flaccescunt.

Porro Chald. vertit: *Etenim quis est vir qui associabitur omnibus verbis legis? ad acquirendam vitam venturi sæculi est illi spes.* Recentiores more suo dum ex Hebræo novas cudunt versiones, a sese invicem et a Vulgata, et a vera Salomonis mente in varie vagaque abeunt. Titaum. censet hæc dici in persona impiorum, qui censent animam interire cum corpore, ideoque viventem, licet obscurus is sit et squalidus, mortuo esse anteponendum. Melius Olymp. censet hic agi de impiis, quos paulo ante dixit in morte ad inferos descendere. Causam hic subdit, eo quod nullus sit, qui semper vivat, sed omnes mori debeant, ac post mortem ad inferos descendere. Aut, q. d. impii cum moriuntur inter iustos, qui soli, licet mortui, vivere censendi sunt, locum non habebunt in æterna vita. Optime de omnibus tam piis quam impiis accipias, q. d. Nemo prorsus hominum est, qui semper vivat, sed omnibus incumbit fatalis eventus, puta mors. Unde S. Hier. Albin. Bonav. Lyran. Hugo, Dionys. et cæteri censent hæc dici ex persona et mente Salomonis. Hæc meditans S. Hieron. et morti S. Paulæ applicans in eius epitaphio, gemens exclamat: *O mortalium fragilis et caduca natura, et nisi Christi fides nos extollat ad cælum, ut æternitas animæ promittatur, cum bestiis ac iumentis corporum una conditio est, idem occubitus iusto et impio.*

Melior canis vivus leone mortuo, cur.

MELIOR EST CANIS VIVUS LEONE MORTUO.) Hebr. *Melius est cani vivo, quam leoni mortuo.* Ita Symmach. Est parabola, quæ grammatice in cortice litteræ significat animal quodlibet, licet vilissimum, qualis est canis, si vivat, nobilius esse animali præstantissimo, qualis est leo, si mortuum sit. Parabolice vero per hoc significatur hominem vilissimum, si vivat, præstare homini præstantissimo, si mortuus sit; qua ratione dixit S. Aug. vivam muscam, vel culicem, aut pulicem unum nobiliorem esse cælo, quia prædita sunt anima et vita, qua caret cælum, ut superius dixi. Hinc canis qui metuit leonem vivum, illi mortuo insultat, allatrat, laniat, devorat: sic et vilissimi mortalium mortuos, licet tyrannos et reges potentissimos, dicteriis allatrare et mordere non verentur. Hinc illud: *Leoni mortuo insultant lepores.* Et Comicus: *Mortuus pluris pretii, quam ego sum.*

Quæres, quo nexu hæc parabola cum præcedenti cohæreat? Resp. primo posse referri ad impios, quos vers. præced. dixit *ad inferos*; Hebr. *ad mortuos* descendere, q. d. Impii etiamsi in hac vita epulentur et triumphent, tamen mox moriuntur et ad inferos descendunt, tumque eorum vita in mortem, id est, felicitas in summam miseriam convertitur; quia sicut canis vivus melior est leone mortuo, ita vilissimus mortalium præstantior est impiis, quantumlibet divitibus et potentibus, si hi moriuntur, ille vivat. In morte enim finitur omnis eorum opulentia et potentia; sicut enim leo, generosus licet, moriens in cineres et vermes abit; sic et reges ac tyranni, qui proinde nil post se relinquunt nisi splendidum sepulcrum, vel nisi suam pellem, uti facit leo. Unde illud: *Leoninæ exuviæ.*

Secundo, generalius referas ad v. 2. *Universa æque eveniunt iusto et impio*; inde enim omnia hæc contexuntur, q. d. Summa vanitas rerum humanarum est, quod idem eventus obveniat pio et impio, cuius exemplum clarum est in morte: hæc enim certa utrique obvenit. Nemo enim prorsus est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam. Quanta autem hæc sit vanitas, quantumque vivans præstet mortuo, et vita morte, liquet ex eo quod canis vilissimus, si vivat, melior sit leone, qui rex est animalium, si mortuus sit.

Tertio, hinc educit quam magni facienda sit vita, ac hæc collocanda, et in lætitia bonisque operibus expendenda; cum mors homini omnem lætitiam omnemque operandi facultatem adimat. Unde vers. 10. concludit: *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quo tu properas.* Canis enim in operando, currendo et venando acer est, solers et providus, adeo ut cum satur est, futuræ fami provideat, et ossa quæ supersunt recondat, eaque in terra defodiat, quæ esuriens deinde effodit et rodit. Idem faciat sapiens.

Quarto, hinc resolvitur quæstio, qua nonnulli quærunt quis honorabilior sit rex, princeps, Episcopus, Pontifex, præteritus, an præsens; et uter alteri in loco et cultu sit anteferendus? v. g. Si ad vitam rediret Carolus V. an anteferendus foret Philippo IV. regi præsenti? Respondendum enim negative, quia Carolus iam defunctus est uti vita sic et regno; quare amplius non est rex nec imperatur. Rex autem est Philippus IV. ille ergo colendus ut rex, non Carolus. Mors enim succidit uti vitam sic et regnum, regiamque dignitatem et cultum. Hæc est vanitas regum rerumque omnium in hoc orbe; sic transit gloria mundi: *Melior est canis vivus leone mortuo.*

Tropol. canis est peccator, leo iustus.

Tropol. canis est peccator in hac vita potens pœnitere et evadere sanctissimus, cuius proinde sors melior est sorte leonis, id est, cui in morte omne bene agendi tempus et occasio præciditur. Ita S. Hier. et ex eo Albinus et Salonius. Canis enim est rixosus, vorax et luxuriosus; unde notat deditos rixæ, gulæ et luxuriæ, qui excitati a Deo vocationi eius obsequuntur, et pœnitent, sicut canis hero fidissimus et obsequentissimus est. Audi S. Hieron. qui in veteri versione aliter vertit, aliterque disponit, scilicet τῇ *fiducia* vel confidentia combinat cum cane et leone: *Confidentia*, inquit, *est quoniam canis vivens melior est leone mortuo*: quod sic ad litteram explicat: « Quia supra dixerat cor filiorum hominum impleri malitia et procacitate, et post hæc omnia morte finiri; nunc eadem complet et repetit, donec vivunt homines, eos posse fieri iustos, post mortem vero nullam boni operis dari occasionem. Peccator enim vivens potest melior esse iusto mortuo, si velit in eius transire virtutes, vel certe eo qui se in malitia, potentia, procacitate iactabat, et mortuus fuerat; melior potest quis pauper esse, et vilissimus. Quare? quia viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare; mortui vero nihil valent ad id adiicere quod secum semel tulere de vita: et oblivione obvoluta sunt omnia, iuxta illud quod in Psalmo scriptum est: Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde. »

Rursum Olympiod. exponit, q. d. Iustus, licet pauper, vilis et abiectus, præstat superbissimis regibus, qui dum viverent omni gloria præcelluerunt. Sic Lazarus mendicus, cuius ulcera lingebant canes, melior fuit divite Epulone; quia ille ab Angelis in sinum Abrahæ deductus est, hic sepultus in inferno.

Tertio, alii exponunt, q. d. Iustus vivens licet minimus et abiectissimus, præstat iustis magni nominis et famæ iam mortuis; quia in vita strenue operando eos meritis et fama superare potest. Huc accedit Hebræus interpres S. Hieron. qui ipso teste ex Rabbinis sic exponebat, q. d. Utilior est doctor, licet indoctus, si adhuc vivat et doceat, præceptore perfecto, si is mortuus sit, etiam Mose; licet hæc eius expositio minus probetur ipsi S. Hieronymo.

Canis vivus est pœnitens fervens, leo mortuus est iustus torpens.

Quarto, optima hæc parœmia adaptatur peccatoribus pœnitentibus, sed ferventibus, et innocentibus, sive iustis, sed remissis et tepidis; canis enim immundus est, sed acer et fervens: leo vero mortuus typus est remissi et languidi, ut sensus sit, q. d. Melior est peccator, sed fervens in pœnitentia, quam iustus vel innocens, remissus in sua iustitia, et præfidens torpensque in sua innocentia, iuxta illud S. Gregorii: *Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.* Uti patet in Paulo, Matthæo, Magdalena et similibus, qui multos innocentes sanctitate longe superarunt, atque universim Gentiles conversi ad Christum, Iudæos fide et virtute altissime transcenderunt; unde S. Hieron. sic explicat, q. d. Melior est Gentilis vivens Christo, quam Iudæus mortuus Deo. Iam enim Iudæorum, quorum insigne et stemma erat leo, Genes. cap. 49. v. 9. religio, fides, lex per Christum mortua et mortificata sunt. Accedit Drogo Cardin. Hostiens. serm. 1. de Sacram. Domin. Pass. Paulo ante medium tom. 12. Biblioth. Ss. Patrum: *Melior est canis vivus leone mortuo*, hoc est, inquit, *Melior est canis*, id est pœnitens, *humilis, vivens Deo, mortuus mun-*

do, quam leo, id est, *superbus reprobus, mortuus Deo, vivens sæculo.*

Symbolice, leo mortuus est dæmon. Symbolice S. Eucherius de Spirital. form. cap. 5. Leo mortuus, ait, est cacodæmon, cui nulla est spes vitæ et salutis; canis vivus est peccator, sed qui converti et sanctificari potest, ideoque spem felicitatis habet. Accedit Lyran. Canis vivus, ait, est exosus, dicax et mordax, qui dum vivit monitis, metuque mortis corrigi potest. Leo mortuus est superbus et tyrannus defunctus, cui nulla superest spes correctionis et salutis. Petrus Blesensis serm. 30. applicat conversioni S. Augustini, qui cum de philosopho et oratore, ac doctore erroris, evasit doctor veritatis, ac custos Dominici gregis, factus est de leone mortuo canis vivus. Canis enim est vigil, latrans, sagax, fidelis, lingua medicus: talis quoque fuit S. August. Addit S. Augustinum iam conversum non desiisse esse leonem, licet mortuum, hoc est mortificatum a Samsone, puta a Christo: unde in eius ore mellis repertum fuisse favum regularis et religiosæ doctrinæ, Iudic. 14. 8. Denique S. August. in quæst. ex utroque testamento quæst. 39. explicat, q. d. Melior est Gentilis quam apostata a fide. Audi eum: « Melior est canis vivus leone mortuo; quia sicut leo omnibus feris fortior est, ita Christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac desciverit, amittit salutem, ita ut deterior Gentili sit. Potest enim fieri ut credat Gentilis et acquirat salutem, quam perdidit apostata; quia deterius est amisisse salutem, quam non habuisse: canem autem Gentilem significatum ostendit Salvator dicens: non licet accipere panem filiorum et mittere canibus, » Matth. 15. Porro melior est gallina mortua cane vivo: quia illa in vita despecta, post mortem honoratur: nam infertur mensis regum et principum: hic vero vivus carus est hero, at mortuus in sterquilinium abiicitur: ita iusti in hac vita despecti post mortem honorantur; nam inferuntur aulæ mensæque Dei in paradiso: impii vero in vita honorati post mortem ab omnibus despiciuntur, et in barathrum tartari præcipitantur. Vicissim leo mortuus melior est cane vivo, puta Christus, qui est Leo de tribu Iuda occisus fortior est Cerbero, sive cane infernali, puta diabolo; quia eum catenis alligavit, ac morte sua mortem occidit, infernum clausit, cælum reseravit, iuxta illud Osee 13. 14. *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne.* A Poetis enim canis in inferno ponitur trium capitum, immanis magnitudinis, ideoque vocatur *triceps Cerberus*, quasi κρεοβόρος, id est, carnem vorans, quem describit Virgil. 6. Æneid. Hinc et sancti defuncti, qui sunt quasi leones et ursi mortui, meliores, feliciores et potentiores sunt canibus vivis, id est, hominibus dicacibus et profanis: qua de re audi exemplum memorabile. S. Ursus Episcopus Fanensis (quæ civitas est insignis in Pentapoli Umbriæ) religiose colitur in ea urbe et diœcesi die 15. Maii, quo cum omnes vacent ab operibus, solus bubulcus in agro Fanensi deprehensus fuit arans fundum: unde admonitus cur festum violaret S. Ursi civitatis patroni; cum irrisione respondit impudenter: *Si ipse est ursus, ego sum canis;* non distulit ira Dei condignum blasphemo inferre supplicium: nam illico ipse velut alter Core, Dathan et Abiron, solo dehiscente, cum aratro et bobus terræ hiatu absorptus est eo loci ubi nunc dicitur, Villa Rosciani, ubi adhuc inexplebilis voraginis monstrantur vestigia. Atque extat in publicis tabulis huius miraculi fides, quod et traditione continua a patribus acceptum, usque hodie communi omnium Fanensium ore celebratur. Denique tanta est vis humilitatis, ut humilem qui se æstimat canem non vivum, sed mortuum, præstantiorem faciat leone non mortuo, sed vivo, puta superbo. Hoc opus Dei est admirandum, ita scilicet ut verus humilis, qui se canem mortuum et prorsus inutilem putat, hac existimatione, non in pusillanimitatem cadat, sed magna et mirabilia opera faciat: superbus vero qui se de fortitudine iactat, animi pusillitate pressus nihil eximium moliatur; at si aggressus fuerit, id nequaquam perficiat.

(Margin notes: Christus leo præstat Cerbero. — S. Ursi exemplum.)

Vers. 5. VIVENTES ENIM SCIUNT SE ESSE MORITUROS: MORTUI VERO NIHIL NOVERUNT (Arabic. *non reperiuntur*) AMPLIUS: NEC HABENT ULTRA MERCEDEM; QUIA OBLIVIONI TRADITA EST MEMORIA EORUM.) Tigur. *Quia memoria ipsorum deleta est.* Hæc gnome apte nectitur præcedenti; probat enim canem vivum præstare leone mortuo, ac vitam præstare morte, ex eo quod mors homini cum vita adimat omnem cognitionem, omnem gustum et sensum, omnem mercedem et meritum, quibus pollet hæc vita. Est ergo hypotyposis, sive viva descriptio mortis, eiusque effectuum et damnorum, ad hoc inducta, ut homo vivens cogitet se brevi moriturum, ideoque in voluptates se non effundat, sed eas refrænet cogitatione mortis, atque ad mortem et iudicium ac cælestem gloriam, velut finem sibi præstitum honeste vivendo, et sanctis operibus vacando, se præparet: *Quia viventes*, ait S. Hieronym. *metu mortis possunt bono opere patrare; mortui vero nihil valent ad id addicere, quod semel secum tulerunt de vita.* Porro Thaumat. et ex eo S. Hieron. ac Titelm. censent ab hoc versu usque ad 11. loqui Salomonem in persona non sua, sed Epicureorum et Atheorum, qui censent animam hominis cum corpore interire, ideoque dum vivunt in omnes voluptates et scelera se effundunt, dicentes: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur,* Isaiæ 22. 13. Verum quia nil tale hic Salomon significat, atque in vers. proximo præced. et sequent. in sua persona loquitur, quibus hic versus et sequens plano tenore respondet, dicendum videtur eum hic ex sua mente loqui, quod etiam mox probat S. Hieronym. alioqui enim de aliis Scripturis idem passim dicere liceret, et sic Scripturarum auctoritas passim valde redderetur incerta.

Mortui nil sciunt quo sensu? Resp. I. Sed quomodo ait: *Mortui vero nil noverunt amplius?* Caietan. explicat in sensu formali, puta mortui nil sciunt; quia cognitio est vita et vitalis actio. Verum hoc nimis subtile est et argutum. Dico ergo, primo, id verum esse; quia mortui naturaliter sciunt, vel scire possunt ea quæ hic geruntur, v. g. de filiis suis, de domibus, opibus, officiis, etc. quæ hic reliquerunt, quia non repugnat etiam in limbo olim illos ea scire potuisse revelante Deo, vel Angelis, vel hominibus, qui hinc ad eos decedunt.

II. Secundo, mortui nil noverunt, id est, nullum habent sensum, vel gustum voluptatum et rerum huius vitæ: non sentiunt, non experiuntur, non gustant illa quæ senserunt et gustarunt in hac vita, præsertim quia anima corpore soluta iam nec gustum, nec sensum habet; sed instar Angeli tota spiritalis est, nec nisi mente utitur ad intelligendum res spirituales alterius vitæ. Ita S. Bonav. *Nesciunt*, ait, *quæ sunt in hoc mundo*, non *recordantur vel curant*, nec *afficiuntur ad ea*, neque, *quod paulo post scribitur, habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur.* Porro anima separata a corpore magis apta est intelligere, quam dum esset unionria corpori; quia corpus hebetat mentis et intellectus operationes. Unde Angeli, quia corpore carent, toti sunt intelligentes et perspicaces. His similis est anima separata, iuxta illud Christi: *Erunt sicut Angeli Dei*, Matth. 22. 30. Anima enim ex se est substantia spiritualis et intellectualis; cuius operatio propria est intelligere, sed retunditur in corpore per sensus et corporeas sensationes, quibus soluta et expedita libere totam se dat intellectioni. Unde S. Hieron. epist. 61. ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosol. *Non possumus,* inquit, *incorporalem et æternam animam, in modum glirium immobilem torpentemque sentire.* Quin et Cyrus apud Xenophon. et Cicer. l. de Senect. *Mihi,* ait, *nunquam persuaderi potuit tum animam esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset.* Vide S. Thom. 1. p. quæst. 89. et Scholast. in 4. dist. 45. ac nostros Conimbric. tract. de Anima separata disp. 5. art. 1. ubi docent animam separatam per species, tum in vita acquisitas, tum potius in separatione a Deo infusas, posse distincte cognoscere omnes res naturales, puta cuncta sensibilia; item seipsam, suosque actus internos ac potentias; ad hæc alias animas, quin et Angelos, eorumque naturales proprietates et operationes, exceptis cordium cogitationibus utpote ex suo genere occultis. Hoc enim illius naturæ spirituali connaturale, et quasi debitum videtur. Porro animæ damnatæ

(Margin note: Anima separata scit omnes res naturales.)

Anima damnata scit tantum sua tormenta.

in inferno non cognoscunt nisi sua tormenta, et illa quæ tormenta adaugent, uti Dei in se iram, dæmonum furorem, præteritas voluptates et scelera, quibus has pœnas sibi accersiverunt. Unde Lyran. Hugo et Dionys. sic explicant, q. d. Mortui, id est, damnati boni noverunt amplius. Animæ vero in purgatorio cognoscunt suum statum, certæque sunt de sua salute. Unde Deum iugiter amant et laudant: parentum vero vel amicorum in hac vita viventium eventus, pericula, actiones, orationes non cognoscunt, nisi Angeli eas illis revelent, vel morientes eis nuntient. Quare ordinarie frustraneum est illas invocare, uti docet D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. et magis diserte Franc. Victor. in Relect. Orant tamen pro nobis nostrisque necessitatibus, quas in genere, utpote eas dum viverent experti, cognoscunt. Unde Ieremias degens in limbo patrum visus est Iudæ Machabæo orare pro Iudæis; quin et Iudæ dedit aureum gladium promittens ei victoriam contra Nicanorem, 2. Machab. 15. 12. ac anima S. Severini, æque ac Paschasii, in purgatorio existens operabatur miracula, quæ recenset S. Gregor. 4. Dial. c. 40. et B. Petrus Damiani, epist. 13. c. 7. Animæ denique beatæ, quæ fruuntur Deo, in eo res nostras, ac præsertim orationes cognoscunt. Unde utile et sanctum est eas invocare, uti contra Lutherum docet fides Ecclesiæ. Vide Bellarm. lib. 1. de Sanct. beat. c. 18. et 19.

Animæ in purgatorio non sunt invocandæ, cur?

Animæ beatæ sciunt omnia in Deo.

Mystice Chald. sic vertit: *Quoniam iusti norunt quod si peccaverint, futuri sunt ut reputentur ut mortui in sæculo venturo; propterea custodiunt vias suas, et non peccant: quod si peccant, convertuntur in pœnitentia: et peccatores nesciunt quidquam boni de sæculo venturo, et non est eis merces bona post mortem eorum; etenim oblivioni data est memoria eorum inter iustos.* Huic affinis est explicatio Olympiod. qui tamen de hac vita, non de futura explicat: *Viventes*, inquit, *quorum intellectus humore vivido irrigatur, cum secum reputant temporarium esse huius vitæ curriculum, officiose vivunt, confirmati spe vitæ æternæ; qui vero in peccato mortui sunt ignorantiæ nebula occupati, vivunt sine ratione, pecorum more.* Ubi nota vitam hanc caducam et brevem non aliud esse quam cursum ad mortem, et per eam ad immortalitatem; quare qui id nescit, vel non cogitat aut curat, is non tam vivens, quam vita privatus censendus est. Unde *vivens* hic definitur, *qui scit se moriturum.* Cogitatio ergo mortis homini innata est, et quasi manans ab intrinseco animæ et vitæ, ut proinde iugiter eam homo præsentem habere, imo in sinu mentis gestare debeat, eaque se ad omnem virtutem et heroica facinora incitare et perurgere. Hinc Plato philosophiam definivit esse meditationem mortis. Idipsum reipsa ostendit noster B. Franc. Borgia, cuius vita non aliud fuit quam continua mortificatio et commentatio mortis et inferni.

Nec habent ultra mercedem.) Tigurina, *præmium;* Camp. *pretium*, intellige huius vitæ, q. d. Dum viverent, laborabant, laborisque sui mercedem percipiebant in lucris et voluptatibus huius vitæ; at post mortem nihil eorum habent; habent tamen mercedem alterius vitæ, vel in cælo, vel in inferno, quam sibi in hac vita bene vel male operando promeruerunt. Hunc esse sensum liquet ex conclusione, quam ex hac gnome infert v. 7. *Vade ergo, et comede cum lætitia panem tuum etc.* q. d. Utere, fruere laboris tui mercede in vita; nam post eam non licebit ea frui. Unde Campensis vertit: *Neque sunt apud vivos ullo amplius in pretio.*

Rursum non *habent ultra mercedem*, id est meritum, puta tempus merendi mercedem gloriæ cælestis, q. d. Mortui non habent ultra tempus merendi, et comparandi sibi mercedem in cælo. Unde Arabicus vertit: *Non eis conversatio*, id est tempus pœnitendi et convertendi se. Est metonymia: ponitur enim effectus pro causa, puta merces pro merito. Meritum enim est mercedis meritum, ac vicissim merces est meriti merces. Hac gnome confutatur error Origenis, dicentis pœnas damnatorum, æque ac gaudia beatorum non fore æterna, ac proinde posse tam Angelos demereri et damnari, quam damnatos mereri et beari; et error Lutheri, qui censuit animas in purgatorio, utpote imperfectas, per patientiam et impatientiam pœnarum mereri, vel demereri, quod valide confutat Bellarminus libr. 2. de Purgat. capite 2. Igitur vitæ finis est merendi terminus. Vita enim est via et stadium, in quo viator decurrit, laborat et meretur; quo emenso non restat amplius currendi merendique locus et tempus, uti variis similitudinibus docet S. Script. Eccles. 14. 17. et 18. 22. Ioan. 9. 4. Lucæ 16. 2. 2. Corinth. 5. 10. Galat. 6. 8.

Error Lutheri animas in purgatorio mereri.

In Hebr. pulchra est paronomasia: *Mortui non habent ultra* שׂכר *sochar*, id est mercedem; *quia non habent* זכר *secher*, id est memoriam, q. d. Viventes non habent memoriam mortuorum, sed eorum obliviscuntur; unde nullam eis mercedem huius vitæ persolvunt: habent enim eos velut vita functos et mortuos, et non existentes in hoc orbe. Hinc status et regio mortuorum in Scriptura vocatur דומה *Duma*, id est silentium: item *Terra oblivionis*. Psalm. 87. 13. idque reciproce, quia tam viventes mortuorum, quam mortui viventium obliviscuntur. Unde illud Sibyllæ 6. Æneid.

> *Lethæi ad fluminis undam,*
> *Securos latices et longa oblivia potant;*

λήθη enim Græcis est oblivio; unde lethæum, id est, obliviosum flumen apud inferos statuunt Poetæ, cuius latices cum quis gustarit, omnium rerum præteritarum obliviscatur; de quo Lucan. lib. 9.

> *Quam iuxta lethes tacitus perlabitur amnis,*
> *Inferni (ut fama est) trahens oblivia venis.*

Hinc et mors a Latinis dicitur *lethum a leo*, inquit Priscianus, quo veteres usi sunt pro deleo, quia mors omnia delet; vel ut Varro et Festus, a λήθη, id est, oblivione quam inducit.

Lethi etymon

Vers. 6

Amor quoque et odium, et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur.) Pro *invidiæ* hebr. est קנאה *kina*, quod cum Septuag. verti potest *zelus*; Arabic. *zelotypia*; Thaumat. *æmulatio*. Sensus clarus est, q. d. Mortui sunt in terra oblivionis et oblivioni traditi, quia non moventur ultra amore, odio, invidia erga viventes, uti neque viventes erga mortuos, itaque utrique obliviscuntur alterorum. Iuxta illud: *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit;* Unde Campensis vertit: *Nec amicos amplius habent nec inimicos, neque qui æmulentur, etc.* Porro hæc gnome docet monetque affectus et passiones, quorum radices et duces sunt amor et odium, viventi esse frænandos metu mortis; quæ omnes illius exstinguit; unde plene et pathetice sic exponit Titelm. et ex eo Pineda, sicut mors finem amori atque odiis imponit, id est, sicut defunctus iam nec ullo erga viventes amore tangitur; nec facere quidquam potest, unde ametur; præterea ut defunctus frustra odio habebitur a viventibus, utpote a quo nihil sibi timere debent, neque ipse ullo odio in viventes fertur; denique ut idem ipse defunctus nihil facit, quo viventes ad æmulationes provocare possit, neque ulla in illos invidia ducitur; ita sane mortis imminentis cogitatione facile quis aliena odia, amorem, invidiam continest; facile etiam ab amando, invidendo revocabitur.

Nec habent partem in hoc sæculo.) Camp. *Nihil amplius eis commune est cum hoc mundo, quem reliquerunt cum omnibus quæ in eo sunt.* Hugo Card. Lyran. et Dionys. exponunt de mortuis per peccatum, q. d. Mortui in peccatis, puta damnati non participant vivorum suffragia, quibus orant pro defunctis; hæc enim solum prosunt defunctis in statu gratiæ et existentibus in purgatorio, non damnatis in inferno. Verum hoc mysticum est. Ad litteram ergo sensus est, q. d. Quicumque vita functi et mortui sunt, nihil iam habent commune cum hac vita et mundo; ut rebus suis more viventium hic utantur comedendo, bibendo, amando, odiendo, eleemosynas faciendo, nobiscum familiariter, uti solebant, versando; sed huic mundo, omnibusque eius officiis et negotiis defuncti, in alium orbem plane a nostro diversum transiti sunt, ubi alios inveniunt socios, alios mores, alios affectus, aliam vitam. Hoc prorsus, non aliud vult S. August. lib. de Cura pro mortuis, c. 15. et 16. Hunc esse sensum li-

quiet ex v. sequenti, ubi ex hoc infert: *Vade ergo, et comede in lætitia panem tuum, etc.* Quare inepte Novantes hunc locum torquent contra purgatorium et suffragia pro defunctis, ut probent pro iis non esse orandum, et orationes nostras iis non prodesse. Non enim contra eos, sed contra avaros hæc dicuntur, qui opes continuo coacervant usque ad mortem, quasi post mortem iis usuri; quibus aperte respondit Salomon mortuos nullam habere partem nec opes in hoc sæculo; quare avaros nullum habere opum suarum fructum sive in vita, sive in morte; quia in vita eis uti nolunt, in morte non possunt: atque hanc magnam esse vanitatem.

Vers. 7 VADE ERGO, ET COMEDE IN LÆTITIA PANEM TUUM, ET BIBE CUM GAUDIO (Hebr. *in corde bono*, id est iocundo et hilari; et Septuag. Syrus, Arabic.) VINUM TUUM: QUIA DEO PLACENT OPERA TUA.) *Tuum*, id est tuæ naturæ et sustentationi debitum; secundo, *tuum*, id est tuo labore, vel industria comparatum; tertio, *tuum*, id est tibi a Deo assignatum et attributum. Est conclusio, quam ex antedictis infert, q. d. Noli avare congerere opes, iisque parcere, sed iis modeste, moderate, honeste et læte utere, dum vivis; quia post mortem iis uti non licebit. Idem superius iterum et iterum inculcavit. Panis et vinum quemlibet cibum et potum, sed moderatum et frugalem significant.

Allegor. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. Mystag. per panem et vinum accipit Eucharistiam, quam velut epulum divinum, imo Deum ipsum incarnatum summa lætitia, æque ac reverentia et devotione sumere debemus. Consequenter per oleum quod sequitur, accipit sacramentum Confirmationis, cuius materia est oleum balsamo mixtum. Per vestes candidas accipit baptismum; illas enim induebant baptizati. Sic et Olymp. S. Hieron. Albinus et alii per panem et vinum accipiunt Eucharistiam.

Anagog. Chald. « Dixit, inquit, Salomon in spiritu prophetico: A conspectu Domini futurum est ut Dominus mundi dicat singulis iustis in facie uniuscuiusque: Vade, gusta in lætitia panem tuum qui repositus est tibi, propter panem tuum, quem dedisti pauperi et humili qui erat esuriens; et bibe in corde iucundo vinum tuum, pro vino tuo, quod miscuisti pauperi et humili, qui fuerunt sitientes: ecce enim iam beneplacita fuere ante Dominum.

QUIA DEO PLACENT OPERA TUA;] Hebr. *Quia iam vult*, id est amat, probat, rata et grata habet *Deus opera tua*; Syrus: *Quia Deus acquiescit in operibus tuis*; Arab. *in artibus tuis*; Thaumat. *An non vides hæc omnia a Deo concessa?* Tigur. *Iam enim Deus propitius largitur tibi frui operibus tuis.* Aliqui censent esse ironiam, q. d. O voluptuarie, o Epicuree, indulge tuis voluptatibus; quia tu tibi stulte persuades te in hoc ipso cæterisque operibus tuis placere Deo. Ita noster Prado in Ezech. c. 23. 42. Melius alii censent simpliciter serioque hæc dici, q. d. Honeste et modeste utere tuis opibus ad tuos et proximorum egentium usus; quia hæc sunt temperantiæ et eleemosynæ opera, quæ placent Deo. Ita Chald. cuius verba iam recitavi. Aut ut Isidor. Clarius, q. d. Vive hilaris, si piam habes fiduciam de operibus tuis, quod ea Deus approbet, eo quod conscientia non remordeat, nec ullius culpæ te arguat. Aut, ut sit concessio, q. d. Lætus vive, quia ut præsuppono et tibi concedo, placent Deo opera tua. Unde S. Ambros. exhort. ad virgines: *Vis*, inquit, *bonam lætitiam sequi? fac ut Deo placeant opera tua.* Hoc aliqui τὸ *quia* censent dare conditionem lætitiæ, q. d. Fruere tuis opibus, hac tamen lege et conditione, ut Deo placeas per bona opera, præsertim benedictionis mensæ ante cibum, et gratiarum actionis post eum, quo testeris te omnia a Deo accepisse, illique accepta referre, et in eius honorem expendere, uti faciebant primi Christiani, præsertim in Agape, id est, convivio fidelibus omnibus communi post sacram Synaxim. Omnes hi sensus eodem redeunt, ut significant causam veræ lætitiæ esse studium placendi Deo, ubique et in omnibus actibus per puram sanctamque vitam. Celebre est illud S. Bernard. *Vis numquam esse tristis? bene vive. Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est.* Et illud (Causa gaudii est placere Deo. Gnome) Salomonis: *Secura mens quasi iuge convivium*, Proverb. cap. 15. 15. Et illud S. Pauli: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, 2. Corinth. 1. 2. Et illud Psaltis: *Lux orta est iusto, et rectis corde lætitia*, Psalm. 96. 11. Nam ut ait Apost. Galat. 5. 22. *Fructus spiritus est gaudium.* Unde S. Bonav. in Spec. disc. part. 1. cap. 3. *Maximum*, inquit, *inhabitantis gratiæ signum est spiritualis lætitia.* Plura hac de re dixi cap. 3. vers. 12. et alibi sæpius.

OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TUA CANDIDA, ET OLEUM DE CAPITE TUO NON DEFICIAT.) Pro *candida*, Hebr. est לבנים *lebanim*, id est alba; unde luna vocatur לבנה *lebana*, id est alba, serena, lucida; græce λευκὰ, id est alba, item nitida, limpida, splendida. Hinc aqua, ver, æstas, fluvius, sermo, versus vocantur λευκὰ, id est alba, hoc est serena, nitida, lucida. Albedo enim est color, qui multum habet lucis. Unde vestis alba Christi in passione a S. Luca cap. 23. v. 11. vocatur λαμπρὰ, id est, refulgens et splendida. Quod secutus Campens. vertit: *Omni tempore sint splendidæ vestes tuæ, et sit caput tuum assidue delibutum unguento.* Vers. 8

Candore vestium et unctione olei tria notat et suadet, scilicet vestitus honestatem, epularum iucunditatem, et mentis lætitiam. Primo ergo sensus est, q. d. Honesto, nitido et decoro, scilicet candido, splendidoque, utere vestitu, ut tuam dignitatem tuearis, nec ob avaritiam sordido, vilique amictu incedas, ut parcus, vilis et abiectus habearis. Hinc sancti viri honestam curam vestium habuere, ut essent mundæ. Unde S. Bernardo et nostro S. Ignatio paupertas in vestitu semper placuit, sordes numquam. (Vestes candidæ tria notant.)

Secundo, q. d. In balneis et conviviis iucunde epulare, et candidatus oleoque unctus, more gentis, mensæ accumbe, ibique fruere bonis, ac quam suavissime cum timore Dei vitam transige, nec futuro incertoque hæredi opes tuas asserva et conserva. Vestes enim candidæ et oleum sunt symbola balneorum et conviviorum; quia olim convivæ a balneis exeuntes, ad mensam veste alba amicti accumbebant, quam tricliniariam vel cœnatoriam vocabant, quod cum ea cœnarent.

Tertio, q. d. *Esto omni tempore lætus*, ut vertit Vatablus; lætitia enim notatur candidis vestibus et oleo, id est, unguentis odoratis (oleum enim est basis unguentorum) (Unguentorum triplex usus) quibus prisci non tantum Græci et Latini, sed et Hebræi cæteri orientales frequenter uti solebant, præsertim in conviviis; idque tum sanctitatis, tum temperantiæ, ne vino inebriarentur; tum deliciarum, flagrantiæ et mollitiei causa. Nam ut docet Plutarch. in Convival. odores grati, quia calidi, cerebrum frigidum et contractum suo calore et lenitate calefaciunt, resolvunt, roborant, sensusque exsiccant et purificant; quo fit ut facilius fortiusque vaporibus vini, indeque ebrietati resistat, præsertim quia odores crebri meatus laxant, ut per eos vini halitus diffluntur et evaporent; quædam etiam unguenta frigida sunt; unde calorem vini hebetant. Denique omnia pura et pellucidos capitis spiritus fovent et nutriunt. Quocirca veteres dixere Palladem sapientiæ Deam, cui dicata est olea, natam a cerebro Iovis; quo significarunt capiti, id est, menti et sapientiæ multum conferre olei, id est, unguentorum unctionem; et unguentis non solum caput perungebant, sed et subinde ea vino mixta bibebant. Unde Martialis: *Luxuriose bibas si foliata sitis*: et Iuven. Satyr. 6. *Cum perfusa mero spument unguenta falerno.* Hæc omnia pertinent ad præcedentis et sequentis fruitionis opum signa et modos. Salomon enim post recensitas rerum omniumque vanitates, more suo hoc remedium et consilium subiicit: Fruere tuis opibus. Idem fecit cap. 8. v. 15.

Nota: Alludit ad vestem priscorum, primo communem et vulgarem, quæ Romanis aliisque veteribus erat alba, (Vestis priscorum alba, cur) sive quod color albus, ut vult Plato, lætitiæ sit proprius; sive potius quia rude illud sæculum, agrestis et simplex illa prima gens, incognitis vel spretis accersitis coloribus, nativum lanæ retinuit, id est album. Porro hanc vestem albam usu sordidam subinde, maxime in festis, eluebant nitoris causa.

Et cœna toria.

Secunda, alludit ad vestem priscorum non communem, sed festivam et honoratum, præsertim cœnatoriam, quam convivæ mensæ uccumbentes induebant lineum et albam, tum apud Romanos, quam apud Iudæos, uti docet Philo lib. de Vitu theoretica (λευχειμονοῦντες, uit, id est, *albati festorum convivia agitabant*). Num color albus, teste Plutarcho in Probl. cap. 26. maxime est naturalis, simplex, purus, perspicuus et lucidus, ut qui lucis plurimum habeat. Hinc veste alba, sed splendidiore, quam communis et quotidiana erat, utebantur in conviviis, in sacris, in magistratuum petitione (unde eos ambientes incedebant, et vocabantur *candidati*) in manumissionibus, in militia, in festis, in spectaculis, in triumphis, in nuptiis. Vestis enim alba significat, primo, mores simplices; secundo, puros et ingenuos; tertio, lætitiam; quarto, libertatem; quinto, victoriam; sexto, felicitatem. Audi Prudentium contra Symmachum:

Et festa.

Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niveum pietatis amictum
Sumere.

Et Horatium lib. 2. serm. Satyr. 2.

Illa repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Tertull. lib. de Resurrectione carnis cap. 57. *Si famulum tuum, inquit, libertate mutaveris, vestis albæ nitore, et aurei annuli honore, et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur* Cicero lib. de Legib. *Color albus*, ait, *præcipue Deo decorus est, cum in cæteris tum maxime in textili.* Hinc prisci albis induti orabant. Unde illud Persii:

Negata
Iuppiter hoc illi, quamvis te albata rogaret.

Reges vestiebantur candida.

Rursum vestis regum et principum erat candida et pretiosa. Talis fuit Salomonis, de qua Ioseph. lib. 8. Antiq. cap. 2. *At Salomon*, inquit, *regio curru sublimis invectus, amictus veste candida*; unde ei inspersa fuisse lilia insinuat Christus Matth. 6. v. 28 et 29 et docet Pineda lib 5 de Rebus Salomonis cap. 6. Candidus enim fulgor repræsentat maiestatem quamdam cælestem, estque in Deo velut divinitatis ornamentum, Daniel. 7. 9. Lucanus lib. 10. Cleopatræ vestem ita pingit:

Candida Sidonio perlucent pectora filo.

Et Martial. lib. 8. 28 vestem pretiosam et candidam sibi a Parthenio donatam cum liliis comparat:

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tiburtino monte, quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

Denique S. Iacob. cap. 2. v. 2. vestem divitis et nobilis describens: *Si intraierit*, inquit, *in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candida.* Pluribus idipsum ex Platone, Tertull. Lactan. Plauto, Persio, Cicerone et aliis probat Auctor Convivalium lib. 2. cap. 26. et Lipsius lib. 1. Elector. cap. 13. ubi docet Romanorum vestes olim fuisse albas. Hinc Sisinius Novatianorum Episcopus, homo mollis et delicatus, cum bis in die lavaretur, at candida semper veste uteretur, atque ob id reprehensus esset a quodam, excusavit se hac sententia Ecclesiastæ, ac exemplo Mosis et Eliæ, quos albis vestibus usos dicebat, uti refert Socrates l. 6. c. 22. Verum perperam. Nam Ecclesiastes hic non suadet mollitiem, delicias et vitam Epicuream, sed moderationem et honestatem decentem in amictu. Unde Hieron. lib. 2. Epist. 14. *Vestes pullas*, ait, *æque devita ut candidas. Ornatus et sordes pari modo fugienda, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Extrema ergo vitanda sunt, ut vestis nec nimis atra et sordida, nec nimis candida et splendida sit, sed medium inter utrumque teneat. Unde idem Hieron. ad Eustochium: *Vestis*, ait, *nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate notabilis sit;* et Seneca: *Non splendeat, toga, nec sordeat.* Hic est sensus litteralis sub quo alius symbolicus et moralis, isque potior latet.

Tropol. ergo sensus est, q. d. Corpus et membra, æque ac opera (utraque enim sunt quasi vestes animæ) sint alba, id est pura, sincera, nitida, ut per ea fiamus candidati purissimæ et felicissimæ immortalitatis, idque *omni tempore*, q. d. Nulla ætas, nulla dies, nulla hora, nullum momentum, officium nullum, actus nullus, nullum otium et negotium, toto vitæ tempore sint vacua sinceritate et innocentia, sed utraque semper et ubique in te tuisque actibus et gestibus resplendeat. Ita S. Greg. 9 Moral. c. 19. et S. Hieron. *Habeto*, ait, *corpus mundum et esto misericors.* idem lib. 1. contra Iovin. *Candor vestium sempiternus*, ait, *virginitatis est puritas*; sic et S. Ambrosius exhort. ad Virgin. *In omni*, inquit, *tempore sint vestimenta tua candida. Quid candidius virginitate? quid nitidius intacti vestimento pudoris? Bona quidem castitas coniugalis et castitatis viduitatis. Munda omnis castitas: sed forte non omnis candida, aut non candida in omni tempore. Non candida, quando non habet quis sui corporis potestatem, quando ad tempus sequestratur oratio. De virginitate ergo pulchre dicitur: In omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum in capite tuo, ut faces tuæ semper possint lucere, nec exstinguantur, cum cœperit sponsus ille cælestis venire. Quam autem unctionem in capite tuo Ecclesiastes dixerit, de aliis locis colligimus. Quia oculi hominis in capite eius, id est sapientiæ tuæ sensus.* Porro Philo Carpathius in Cantica tom. 4. Biblioth. S. Patrum pag. 671. A *Sint omni tempore vestimenta tua candida; dum fidelis anima*, inquit, *a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie minora peccata cum lacrymis lavat, et a maioribus sibi cavet, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam perpetua servat.* Hoc semper verum, sed maxime ea tempore, quo sumenda est Eucharistia: tunc enim mens omni candore et puritate vestienda est, eamque exteriore vestium nitore repræsentare decet. Unde olim Christiani communicaturi lavabant manus, ut lotis purisque manibus exciperent Eucharistiam; illa enim olim non in os, ut modo, sed in manum communicantium dabatur, quam ipsi deinde ori admoventes, Eucharistiam sumebant; fœminæ vero candido linteo manum obvelabant, eaque Eucharistiam excipiebant. Audi S. August. serm. 252. de Temp. *Omnes viri, ait, quando communicare desiderant, lavant manus, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant. Non est grave quod dico, fratres; viri lavant aqua manus suas, sic eleemosynis lavent conscientias suas. Similiter et mulieres, quando nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant; sic corpus castum et cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Roga vos, fratres, numquid est aliquis qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur?* Candor ergo munditiem, oleum misericordiam notat, æque ac lætitiam spiritualem. Hæc enim se invicem comitantur: candor enim vestium, id est splendor gratiæ, fovetur oleo misericordiæ. ita Olympiod. Salon. Albinus hic. Unde Chald. vertit: *In omni tempore sint vestes tuæ lotæ ab omni contagione peccati, et nomen bonum, quod assimilatur unguento, tibi acquire, ut contingant benedictiones et benedictiones* (id est multæ benedictiones) *super caput tuum, et bonitas tua non deficiat.* Hinc Clemens Alex. l. 2. Pædag. velut Pædagogus instruens Ægypti Ecclesias suadet ut fideles candidis vestibus utantur, cuius quidem institutione Christianos in Ægypto candidis usos fuisse vestibus existimamus, ait Baronius anno Christi 256. Hinc illud accidit, cum S. Antonius martyrii cupidus ad tribunal procedret, alba induit vestimenta, ut ex eis cognosceretur esse Christianus: *Candente præcinctus veste procedentem iudicem sua provocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrii*, ait S. Athan. in eius Vita. Hinc et *Essæi*, qui sub S. Marco mira sanctitate floruere Alexandriæ, *veste alba semper induuntur*, ait S. Euseb. lib. 9 Præp. c. 4. Cæteris tamen in locis Christiani usi sunt veste atra ad modestiæ, gravitatis, et pœnitentiæ significationem. Rursum S. Greg. 2. moral. 27. *Oleum*, inquit, *in capite, est charitas in men-*

Vestis candida est virginitas.

Et pœnitentia.

Olim in manus dabatur Eucharistia.

Christiani in Ægypto olim candidis vestiebantur.

te, et oleum deficit a capite, cum charitas discedit a mente.

Vestis candida est Baptismus, oleum Confirmatio.

Allegorice, Cyrillus Hierosolymit. Catech. 4. Mystag. per vestes candidas censet notari baptismum, per oleum, confirmationem, q. d. Puritatem purasque vestes, quas in baptismo accepisti, illibatus per omnem vitam conserva, æque ac robur gratiæ in confirmatione tibi infusum, ut omnibus contra fidem legemque Dei tentationibus viriliter resistas. Hinc olim adulti, qui baptismum expetebant, cum quadragesimæ initio nomina sua Ecclesiæ dedissent, et toto illo quadraginta dierum spatio atris vestibus, promisso capillo, in sordibus et squalore iacuissent, paulo ante Pascha lavabantur (quod S. Augustinus ep. 118. ad Ianuarium, baptismum ante baptismum vocat) tandemque loti candidisque induti vestibus ad baptismum accedebant. Idem infantium quoque baptizandorum habitus fuit, de quibus eleganter Pontius Paulinus:

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos,
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.

Hos tamen versus Pierius Fortunato tribuit. Et Lactantius in carmine de Resurrectione Dominica:

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Origo agni benedicti.

Hasce candidas vestes gestabant per totam octavam Paschæ, easque sequenti Dominica deponebant, quæ proinde *Dominica in Albis* dicta est, ac tum vestium loco accipiebant agnum ex cera candida et virginea benedictum, quem ad collum appenderant, ut eius intuitu monerentur agninam Christi innocentiam, quam in baptismo acceperant, studiose servare et tueri. Cuius ceremoniæ certum indicium est, quod etiamnum Romanus Pontifex agnos cereos a se benedictos familiaribus et Prælatis distribuit ipsa Dominica in Albis, Acolytho alta voce occinente: *Domine, Domine, Domine, isti sunt agni novelli; qui annuntiaverunt, Alleluia: modo venerunt ad fontes, et repleti sunt claritate, Alleluia.* Ita Iosephus Vicecomes lib. 5. de Ritibus baptismi c. 51. Guilielmus Durantus lib. 6. Ration. divin. Offic. cap. 79. Vincentius Bonardus tractat. de Agno Dei. Hinc et agni cerei iam dicti confici solent ex cereo Paschali puræ ceræ admixto, et sacro chrismate delibuto, uti notat Cardinalis Baronius ad annum Christi 58. De veste alba baptizatorum plura vide apud Iosephum Vicecomitem in Observationibus Ecclesiasticis, lib. 5. c. 4. 5. 6. 7. 8. 12. ubi ostendit Ægyptios vestem candidam in baptismo acceptam gestasse tota deinceps vita, uti paulo ante dixi.

Muritæ facinus.

Memorabile est quod narrat Victor Uticensis lib. 3. Wandal. persec. de Murita Diacono, ipsum scilicet, cum coram iudice Elpidophoro, qui a fide apostataverat, damnandus consisteret, albas vestes, quibus eum in baptismo vestierat, palam ostentasse, omnesque ad lacrymas commovisse; exclamasse enim: « Hæc sunt linteamina, Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem; hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cum cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis fidei sacramentum, etc. »

Albis utuntur sacerdotes, cur.

Rursum, Sacerdotes in albis celebrant. Hinc et Isidorus epistola ad Redemptum, docens corporale, cui sacra hostia imponitur, debere esse ex puro lino, non ex serico: « Sed forsan obiicis, inquit, pannum sericum pretiosiorem esse lineo, et idcirco magis divinis usibus aptum. Ad quod nos in utroque Testamento dicimus candorem vestium maxime approbari, eo quod in eo mentis sinceritas requiratur, quam constat inter cæteras virtutes Deo esse gratiosiorem, ad quam pervenire cupienti charitati vestræ, ut pateat clarius, sacræ Scripturæ testimoniis ostendamus. Dicit enim: Omni tempore sint vestimenta tua candida; Et Domini sacerdotes, Ephod lineo excellentiæ causa erant superinduti. Evangelium etiam in transfiguratione Dominica, quod apparuerunt vestimenta Domini tamquam nix, evidenter testatur. Et in Apocalypsi, qui in conspectu Agni stabant, et qui sequuntur ipsum quocumque ierit, stolis albis perhibentur amicti, et quam plurima alia. Quis inter pannos mundus ut lineus, cui ex ablutione frequenti candor augetur, cum in sericis magis in eadem offuscari videantur? »

Alba vestis typus est gloriæ cælestis.

Anagogice, vestis alba, sive splendida, notat candorem et splendorem gloriæ cælestis, ad quam anhelamus, quamque ambimus, velut eius candidati, ut illa semper nostris oculis et menti obversetur, itaque ineamus vitam sanctam et cælestem. Hinc Christi gloriosi vestis apparuit candida sicut nix, Matth. 17. 2. Angeli quoque annuntiantes Christi non nativitatem, ut notat S. Gregorius hom. 45 in Evangel. sed resurrectionem candidati apparuere Magdalenæ. Hinc et Apocalypsis c. 3. 5. Christus promittit beatis vestes albas: *Qui vicerit*, inquit, *sic vestietur vestimentis albis*, et cap. 7. 9. *Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum*; et cap. 19. 8. *Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido: byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.* Vide quæ illis locis annotavi. Hinc Esseni incedebant albati, ut quasi candidati æternitatis, certam fidem et spem beatæ felicitatis vestium candore repræsentarent.

S. Chrys. moriens vestes albas induit.

Quocirca S. Chrysostomus moriturus communes vestes deposuit usque ad calceos, et candidas induit tamquam martyr candidatus vitæ æternæ. Pridie enim eo invitarat et evocarat eum in visione S. Basiliscus martyr dicens: *Ioannes frater, crastinus dies nos loco coniunget.* Quocirca ipse lætus canensque: *Gloria sit Deo omnium causa*; in eius manus spiritum efflavit Dei visione beandum, anno ætatis suæ 52. Christi 407. Ita ex Palladio Baronius tom. 5 p. 255.

Et martyres.

Hinc denique in Vita S. Montani martyris cum sociis, discipulis S. Cypriani, ab ipsismet spiritu martyrii conscripta, uti refert Surius ad diem 24. Februarii, legimus ipsum omen martyrii per vestem candidam a Deo ostensam accepisse. Sic enim ipse de se suisque narrat: *Visum est mihi venisse ad nos Centuriones. Cumque nos deducerent per viam longam, pervenimus in campum immensum, in quo occurrunt nobis Cyprianus et Leutius. Pervenimus autem in locum candidum, et facta sunt vestimenta nostra candida, et caro nostra commutata, candidior facta est vestimentis nostris candidis, ita autem perlucida fuit caro nostra, ut oculorum visum ad intima cordis admitteret. Et respiciens in pectus meum, video quasdam sordes, et experrectus sum in visione. Et occurrit mihi Lucianus, et retuli illi visionem et aio illi: Scis quoniam sordes illæ illud est quod non statim concordavi cum Iuliano?* Subdit deinde visum Flaviani, qui martyrii socius erat Montano: *Ostensum mihi est*, inquit, *quasi Cyprianum ipsum* (qui paulo ante martyrio erat coronatus cum S. Cornelio Pontifice) *interrogarem, an pati ictus doleret martyr futurus, qui de passionis tolerantia consulebat, dicens: Alia caro patitur* (non caro ipsa martyris) *cum animus in cælo est, et nequaquam corpus hoc sentit, cum se Deo tota mente devovit.*

Vers 3. PERFRUERE VITA CUM UXORE, QUAM DILIGIS, CUNCTIS DIEBUS VITÆ INSTABILITATIS TUÆ, QUI DATI SUNT TIBI SUB SOLE, OMNI TEMPORE VANITATIS TUÆ: HÆC EST ENIM PARS IN VITA ET IN LABORE TUO, QUO LABORAS SUB SOLE.) Hebr. est: *vide vitam*, id est sape, gusta vitam, fruere vita, vitæque suavitate et commodis: honeste tamen et modeste cum coniuge et socia tua. Unde Olympiodorus: *Coniugalis castitas*, ait, *nobis est vitæ æternæ conciliatrix.*

CUNCTIS DIEBUS VITÆ INSTABILITATIS TUÆ.) Hebr. *vanitatis tuæ.* Unde liquet vanitatem huius vitæ esse vitæ instabilitatem quod scilicet instabilis sit, brevis, varia et evanida, eo quod illico in morbo et morte evanescat. Unde Aquila vertit, *vaporis tui*; Vatablus, *frivolæ vitæ tuæ*; Scholiast. *iuventutis tuæ: Vanissima vanitate omnes dies tui pleni sunt.* Thaumaturgus censet hæc omnia dici ex

mente non Salomonis sed Epicuraorum. Unde sausam addit: *Præter hæc enim nil tibi reliquum nec in hac oito, nec post mortem.* Verum videtur oooino Salomon ex sensu suo loqui, uti dixi.

Mystice, uxor est sapientlo et virtus; huic uni tota vita insunde vacaodum est, quia illa soln oos comitabitur post mortem, ac beabit, cæloque locabit. Ita S. Hieronymus: *Sapientiam*, inquit, *sequere et sapientiam Scripturarum, et hanc tibi in soeiugium copela, de qua in Proverbiis cap. 4. dicitur: Amo illum, et servabit te; omplexare illam, et circumdabit te.* Et mox: *Non enim solus poteris sine tali uxore videre vitam, etc. Hæc enim pars nostra est, et fructus hic loboris, si in hac oita umbratili veram* (in cælis) *invenire valeamus*, per sapientiæ et virtutis doctrinam et ductum.

Vers. 10. QUODCUMQUE FACERE POTEST MANUS TUA, INSTANTER OPERARE: QUIA NEC OPUS, NEC RATIO, NEC SAPIENTIA, NEC SCIENTIA ERUNT APUD INFEROS, QUO TU PROPERAS.) *Manus*, id est facultas et potentia operativa; hæc enim licet qnoad inventionem, conceptionem et dispositionem sit in B capite et cerebro; tamen quoad exsecutionem et operationem est in mano, q. d. Quidquid potes operari, instanter operare. Thaumaturgus, qnem sequuntur Caietanus et Arias, censet hæc quoque dici ex mente Epicureorum; unde vertit: *Fruere ergo præsentibus; neque ob inferno tibi metuendum, in quem omnes proficisci dicimur; expers eoim est sapientiæ sensusque. Hæc quidem nagontur vani.* Verum melius S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Bonaventura, Hugo et alii passim censent hæc dici ex mente sapientiæ et sapientis. Sapientissimum enim hic suggerit dogma et consilium, ut, cum vita nostra sit vana et brevis, ac mors nobis instet, quidquid possumus boni operemur, dum vita suppetit: quia, ea exacta, post mortem apud inferos (ad quos illo ævo omnes descendebant, utpote cælo needum per Christi passionem et ascensionem reserato) nil boni, quo cæli gloriam et gloriæ augmentum mereamur, operari licebit, iuxta illud Christi: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit* C *nox, quando nemo potest operari*; et illud Pauli: *Dum tempus habemus, operemur bonum*, Galat. 6. 10. Et: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, 2. Corinth. 6. 2. Huc pertinet proverbium Arabum Cent. 2. num. 13. *Opes et mundus transibunt, et durabunt opera bona*; et num. 41. *Operare bona, qualiscumque potes, domesticis tuis et extraneis; et bono verbo loquere tam bonis, quam malis*; et num. 42 *Mundus transibit tamquam scriptura delebilis, sapientia stabilis est ut scalptura*; et num. 44 *Provide animæ tuæ bona in operibus bonis.* Quæ sententiæ depromptæ videntur ex hoc Salomonis, et ex illo Eccles. 14. 17. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum*; ubi plura hac de re dixi. Addit hoc Salomon, ne quis ex dictis putet hic suaderi ut quis agat vitam iucundam duntaxat, et voluptatem instar Epicuri. Addit ergo ineundæ vitæ iungendum esse studium bonorum operum; felicitatem enim huius vitæ superius definivit in eo consistere.

Pro *facere*, Hebr. est: *invenire ad faciendum*, non casu D et fortuito, ut videtur velle Thaumaturgus, sed studio et destinato consilio. Invenire ergo idem est quod quærere, excogitare et excogitando invenire; est catachresis. Chald. restringit ad eleemosynam, q. d. Iniecta in crumenam manu, quidquid in ea inveneris adducito, et dato pauperibus. Unde sic vertit: *Omnem eleemosynam, quam potest manus tua distribuere pauperi, fac: quoniam post mortem non est viro opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia in domo sepulturæ ad quam tu vadis; et non adiuvabunt nisi solo opera bona et eleemosyna.* Verum generalis hæc sententia ad omnia opera bona pertinet, q. d. Quidquid boni, quidquid virtutis potes excogitare, illud facito; quia brevi finietur vita tua, post quam nil excogitare, nil facere, nil mereri poteris. Unde Nazianz. ait vitam nostram esse mercatum, in quo omnis generis merces venum prostant, ut cuique quantum volet, emere liceat; finito vero hoc vitæ mercatu, merces alio avehi, ut A nec hilum ultra quis emere possit. Quidquid ergo operis, charitatis, patientiæ, humilitatis, orationis, mortificationis et cuiuslibet virtutis adinvenire potes, protinus facito; quia brevi nil ultra facere valebis. Quam vellent beati in cælo habere adhuc spatium merendi! quam vellent damnati habere vel horam pœnitendi et bene operandi! et si haberent, quid non agerent? Sed clausa est eis ianua vitæ et meriti. Qui vivis et sapis, omnem bene agendi occasionem ambabus manibus amplectere, imo novas et novas assidue quære et excogita. Potes enim hic lucra non decem millium, sed multorum millionum quotidie, imo singulis horis et momentis tibi in cælo comparare, si heroicis virtutum actibus insistas. Unde Symmachus vertit: *Omnia ad quæ manus tua pervenit*, id est, ad quæ pervenire seseque extendere potest, *facito.*

INSTANTER OPERARE) Hebr. בכחך *bcochacha*, id est *in virtute tua*, id est totis viribus, tota potentia, toto conatu, operare. Hæc ergo vox notat et exigit, primo, voluntatis omniumque potentiarum et virium studium, conatum et contentionem in operatione virtutum multarum et magnarum; secundo, assiduitatem et perseverantiam; tertio, fervorem; quarto, sollicitudinem et celeritatem, ait Bonav. et Hugo, ut a mane ad vesperam, ab infantia ad senectam studeas bonis operibus; in iisque sedulus sis et sollicitus, ut heroice opereris, easque de virtute in virtutem, donec videas Deum deorum in Sion. Hinc Syrus vertit: *Omne quod potest manus tua facere, in fortitudine tua facias*; Arabic. *fac secundum vim tuam*; Complut. *secundum potentiam tuam*; Olympiod. *quantum patitur facultas tua*; Tigur. *Quantumcumque potes, agito pro virili tua portione*; Camp. *fac fortiter.* Ita sanctus Cassius Narniensis Episcopus, teste S. Gregor. 4. Dial. cap. 16. et hom. 37. in Evang. paulo ante mortem a Deo audivit: *Age quod agis, operare quod operaris, non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam.*

QUIA NEC OPUS (id est operandi et merendi locus et C tempus) NEC RATIO.) Hebr. *nec cogitatio*, q. d. Non erit tempus cogitandi, et quærendi modum ac rationem operandi. Unde Campens. vertit: *nihil consilii*; alii: *nulla computatio*, *nec sapientia*, divina vestigandi, Deumque novis artibus actibusque cognoscendi, amandi, colendi et promerendi. *Nec scientia*, artes et virtutes exercendi. Unde Campens. vertit: *Nec prudentia erunt apud inferos.* Hæc est ratio a priori, cur in vita sit instanter operandum; quia post eam nemo poterit operari; non deliberare, non dignoscere, non diligere, inquit Bonaventura: non operari, non eligere, non rationem nosse laborandi et contemplandi, inquit Hugo Cardinalis: non exterius operari, non mente meditari, non res humanas scire, non divinas, inquit Lyranus. Unde S. Greg. hom. 13. in Evang. *Quia*, inquit, *et extremæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim mors ipsa cum venerit vincetur, si priusquam venerit semper timeatur.* Similis est gnome aeris R. Tarpun. in *Pircke Avoth*, c. 2. D *Dies brevis est, et opus prolixum; operarii tardi et pigri, merces ampla; paterfamilias autem compellens ad finem operis instat et urget.*

Exemplum memorabile est apud Thomam Cantiprat. lib. 1. Apum, cap. 19. n. 6. quod recenset quoque Genebrardus ac Albertus Magnus lib. de Sacramentis: Philippus, inquiunt, Cancellarius Parisiensis, post mortem apparuit velut umbra tetra Guilielmo Parisiensi Episcopo, dixitque se damnatum ob luxuriam et pluralitatem beneficiorum, quodque eorum fructus superfluos in pauperes non erogasset, atque ab Episcopo quæsivit: *Estne*, inquit, *finitus mundus?* Et Episcopus: *Miror*, ait, *te litteratissimum quondam virum hoc quærere, cum me adhuc vivum cernas, et omnes nos viventes adhuc mori necesse sit, antequam mundus instante iudicio finiatur.* Et ille: *Non mireris*, inquit, *quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos venienti.* Et hæc dicens umbra ab oculis mirantis evanuit.

Quo tu properas.) Addit Chald. *Et non odiurobunt te nisi opera bona, et iustitia tantummodo.* Hinc Iob cap. 6. 25. vitam nostram comparat cursori, navibus ut aquilis, quæ sunt velocissimæ et fugacissimæ: *Dies mei,* inquit, *velociores fuerunt cursore; fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierant quasi naves poma portantes* (hæ enim celerrime pertranseunt, ne poma putrescant) *sicut aquila volans ad escam.* Eamdem Sapiens c. 5. 9. comparat avi volanti, nuntio percurrenti, sagittæ emissæ: *Unde et sancti viri,* ait S. Gregor. l. 7. Moral. cap 14 *quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: Pusillum, ait, et non erit peccator.* Ps. 36. *Hinc iterum dicit: Homo sicut fœnum dies eius,* Psal. 102. *Hinc Isaias ait: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius sicut flos agri,* Is. 40. *Hinc mentes præsumentium Iacobus corripit: Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens,* Iacob 4. Ex dictis liquet hæreticos inepte hunc locum torquere contra purgatorium. Tantum enim negat hic Salomon propria merita, non aliena suffragia, atque nulli apud inferos esse locum tempusque operandi et merendi; non autem negat animas in purgatorio expiandas, aliorum viventium precibus bonisque operibus sublevari; quia ipsæ dum vixerunt suis virtutibus id meruerunt, ut post mortem possent vivorum suffragiis adiuvari, ait S. Gregor. 4. Dialog. 39. Adde animas, quæ in inferno proprie dicto, id est, in gehenna sunt, nullis vivorum operibus posse liberari. Ita S. Hieron.

Cur multi non lucrentur indulgentias.

Porro nonnulli sibi blandiuntur de indulgentiis plenariis, quas in hora mortis per medallia benedicta aliave ratione consequuntur, ideoque liberius vivunt, et multa venialia committunt spe huius indulgentiæ, quasi per eam sine purgatorio recta ad cælum ituri; sed hi falluntur seseque decipiunt; tum quia abutuntur indulgentiis ad liberius peccandum, ideoque merentur ut Deus indulgentiis eos privet; tum quia ex historiis et apparitionibus constat paucissimos, post mortem evadere purgatorium. Ratio est, quod indulgentiæ non tollunt culpam, sed pœnam duntaxat culpæ iam remissæ debitam. Iam in multis morientibus hærent culpæ veniales, in iisque multi moriuntur; sive quia moriendo, dum a dæmone vel concupiscentia tentantur, facile in impatientias culpasque veniales, in quas sani crebro incidere solebant, consentiunt, et sic in affectu actuque peccati venialis moriuntur: hoc autem certum est nulla indulgentia purgari; sive quia sani multa venialia perpetrarunt, in quorum reatu et culpis hærent et moriuntur; nam veniales culpæ multo difficilius remittuntur, quam mortales; quia utræque non nisi per seriam detestationem, sive contritionem, et efficax deinceps ab iis abstinendi propositum delentur: facilius autem est serio conteri de mortalibus ob claram eorum turpitudinem, et proponere efficaciter deinceps ab iis abstinere, ob metum gehennæ, quam e venialibus, præsertim tam multis et frequentibus, tamque obviis et consuetis, in quibus non est metus gehennæ, nec apparet tanta turpitudo. In his enim sæpe deesse seriam contritionem et propositum abstinendi liquet, ex eo quod multi post eorum confessionem statim et perpetim in illa relabantur: contritio ergo seria et efficax, quæ se communiter extendere solet ad peccata mortalia et venialia graviora, ea delet: sed quia eadem se non extendit ad peccata venialia leviora et quotidiana, quæ multa sunt, idcirco ea non abolet; manet ergo horum culpa, ideoque et reatus pœnæ luendæ in purgatorio, ubi animæ culpas veniales in iis reliquas, seriam contritionem eliciendo abstergunt, ac deinde pœnam eorumdem purgatorii igne exsolvunt. Ad has igitur abolendas nulla sufficit indulgentia. Cum metu ergo et tremore salutem nostram operemur, ut monet Apostolus, studiose singula venialia vitemus; ac si in aliqua incidimus, seriam illico de eis contritionem eliciamus, qua culpam deleamus, atque tunc reatum pœnæ remanentem tollet indulgentia.

Verti me ad aliud, et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus.) Vers. 11. Breviter sensus est, q. d. Veloces non semper habent in potestate velocem cursum, nec fortes fortitudinem, qua hostem superent in prælio; nec sapientes facultatem comparandi sibi victum, nec doctores comparandi sibi opes, nec artifices gratiam; sed in omnibus hisce valet et prævalet sæpe tempus et casus, qui hæc crebro retardat et impedit, aut incitat et promovet; ac maxime Deus, qui est Dominus temporis et casus. Notat hic vanitatem velocitatis, roboris, sapientiæ, prudentiæ, artis, ac velocium, fortium, sapientium, prudentium, artificum, quod eis sæpe dominetur tempus et casus. Iam

Primo, Moringus et David de Pomis censent hæc adhuc esse verba tum Atheorum et Epicureorum, divinæ providentiæ oblatrantium, eamque negantium; tum ignavorum laborem fugientium, q. d. Ut quid laborabo Deumque colam, cum videam labori sæpe fructum non respondere? Crebro enim qui in agone velociter decurrit, casu aliquo antevertitur a tardiore, qui ei bravium præripit: fortiter pugnantes, imbelles subinde in bello superant: doctis honores, officia et opes auferunt indocti: artificibus eximiis operis gratiam adimunt rudes, loquaces et captatores auræ popularis. Casu ergo omnia aguntur, non certa numinis providentia. Hæc Athei.

Secundo, e contrario Thaumaturg. censet hic corrigi Epicureorum voluptatibus inhiantium sensa et dicta, q. d. Errant hi qui per voluptates decurrunt ad scopum felicitatis. In iisque omne robor, omne ingenium, omnem sapientiam, omnem artem expendunt, ut novas et maiores semper adinveniant; quia per omnia hæc felicitatem et satiem, quam quærunt, non adipiscuntur.

Tertio, planius Olympiod. Bonavent. Lyran. Caietan. Titelm. censent hic Salomonem de more ad aliam vanitatis speciem transire, nimirum quod eventus rerum sæpe non pendeant a robore, sapientia, arte operantium, sed ab occasione, casu et fortuna, quæ in cursu et bravio sæpe præponit lentos velocibus; in bello et victoria, imbelles bellicosis; in opibus et honoribus, indoctos doctis; in gratia et victoria, inertes artificibus. Hisce quatuor complectitur omnes hominum in republica status, ut ostendat omnibus sæpe dominari casum: per veloces enim notat mercatores, qui ad negotia discurrunt, obeuntque terras et maria mercium lucrique causa: per fortes, notat milites, qui rempublicam propugnant: per sapientes, doctores, iurisperitos, causidicos, medicos, consiliarios, qui moderantur rempublicam: per artifices, opifices, qui artes omnes, ut lanificium, pistoriam, sutoriam, sartoriam, fabrilem, etc. exercent ad omnes civium usus. In his omnibus ergo ostendit plus sæpe valere casum, quam consilium, artem et industriam, hoc fine: Primo, ut ostendat omnibus in rebus inesse vanitatem. Secundo ut doceat homines non mirari, si in hac vanitate labori et industriæ sæpe non respondeat fructus, nec præmia meritis, imo opes et dignitates dignis debitæ dentur immeritis et indignis, idque arcanis et inaccessis Dei iudiciis, ait Olympiod. quare cuique exspectandam esse mercedem iustam in altera vita, ut ab hac vanitate ad veritatem, veramque vitam et felicitatem in cælis anhelet. Ita S. Hieronym. Tertio, ut moneat industrios ut sapientes non confidere suæ industriæ, robori, sapientiæ, arti, sed Deo, Deique providentiæ niti: Dei enim est cuique operi felices dare successus et exitus: Dei est regere casum et fortunam. Deus enim omnes causas secundas, etiam contingentes et liberas ita ordinat, combinat, disponit, dirigit, ut licet fortuito, quantum est ex parte sua concurrant, et operentur id quod reipsa evenit: tamen quantum est ex parte Dei, certo consilio et sapienti providentia dirigantur, eo quod omnia a Deo prævisa, provisa, præordinata et disposita sint, ut hoc quod fit, non aliud eveniat: quare reipsa fortuna fortunans, hoc est res omnes dirigens, ordinans, prosperans, non alia est quam Deus

Casus ostendit Dei providentiam.

Deique providentia. Casus ergo et fortuna, quæ non semper quidem, sed sæpe tamen rebus et operibus hominum intervenit, manifeste ostendit Dei providentiam a qua dirigitur; sicut navis in mari fluctuans a nauclero, sine quo mergeretur millies. Sic enim pariter mundus hic: ex tot casibus contrariis et pugnantibus inter se conflatus, everteretur et rueret, ni a Deo regeretur, qui omnia illa in ordinem redigit, et discordia concordat, ac fortuita coordinat; itaque ex omnibus harmoniam pulchram, et quasi concentum quemdam musicum efficit. Ita docet D. Thom. 1. p. q. 75. art. 6. ad 1. Hoc facit vetus dictum: *Rotæ adiota manu fortunam esse implorandam*; quo significatur frustra Numinis opem peti, nisi addas industriam et manum operi admoveas. Ita Plutarch. in Lacon.

Nec velocium esse cursum.) Hebr. *Non est levium cursus*: Campens. *Raro veloces adhibentur ad currendum*; Tigurina: *Celeritas currendi nil affert commodi ad salutem*; Symmachus: *Non est velocium perficere cursum*, sive in stadio, sive in prælio, sive in itinere, sive quo alio loco et modo. Thaumatur. *Neque qui pedibus pernicissimi sunt, cursum hunc magnum perficiant*, ut pertingant ad vitam felicem. Chald. *Nec viri qui veloces fuerint, ut aquilæ, adiuti sunt currenda, ut eriperentur a morte in prælio*, iuxta illud Amos cap. 2. 14. *Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam; et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam. et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die. dicit Dominus.* Et illud Isaiæ 30. 16. *Dixistis, ad equos fugiemus, ideo fugietis. Et super veloces ascendemus, ideo velociores erunt qui persequentur vos.* Tradunt Astrologi, ac inter eos Iulius Firmicus lib. 8. Matheseos cap. 15. eos qui sub sidere Delphini nascuntur, esse veloces: *Erit*, inquit Firmicus, *innata cursus agilitate perspicuus.* Rursum Plinius lib. 11. cap 37. tradit animalia quibus minor est pulmo esse velociora: *Quanto minor*, inquit, *hic corporibus, tanto velocitas maior*; quia scilicet minus respirant: crebra enim respiratio impedit cursum. Addit *peculiare cursus impedimentum esse lienem; quamobrem inuritur cursorum laborantibus; et per vulnus etiam exempta, vivere animalia tradunt.* Unde nonnulli opinati sunt cursoribus excindi lienem, ut sint velociores, sed id non dicit Plinius. Vulgus asserit cursoribus secari eximique lienem, ut velocius et sine defatigatione currant, ac totos dies continue proficiscantur. Sed rem verem male intelligit. Cursoribus enim et splene laborantibus non eximitur, nec exciditur lien, sed secatur, id est cultro ligneo ad id idoneo tunditur et contunditur, ut eius inflatio detumescat, ipseque fiat minor arctiorque, ac minus sanguinis capiat: quo fit ut iam minor, strictior et levior, minus impediat pulmones vicinos, quin libere lateque moveantur, expirent et respirent, itaque iuvatur velocitas ambulandi et currendi; hanc enim impedit difficultas respirandi, quæ in pulmonibus oritur ex tumore lienis vicini, qui eos arctat et gravat, quo sublato leviores sunt, ac libere facileque respirent, ideoque expeditum faciunt hominem ad ambulandum et currendum. Ita Romæ mihi asseruerunt medici et chirurgi, qui idipsum se factitasse, itaque spleneticos curasse affirmabant. Adiungunt medici lienis morbos cursu sanari. Exemplum huius gnomes est apud S. Hieronymum in Vita S. Hilarionis: hic enim aquam lustralem præbens Italico, ipsi in cursu Circensi contra æmulum maleficum, victoriam dedit: *Igitur*, inquit, *dato signo hi advolant, isti præpediuntur; sub horum curru rotæ fervent, illi prætervolantium terga vix cernunt, clamor fit vulgi nimius: ita ut ethnici quoque ipsi concreparent, Marnas victus a Christo est. Indubitata ergo victoria, et illis et Circensibus plurimis fidei occasio fuit.* Huc facit Adagium Hispanorum; *Claudos æque ac sanos in peregrinatione ad S. Iacobum currere, imo claudus eum pervenire, celeres et præproperos tarde aut numquam.* Huc pariter pertinet priscus apologus quem recenset noster Pontanus Progymnas. vol. 3. p. 1 cap. 40. Testudo certamen cum aquila decreto spatio conficiendo suscipiebat. Constituta est meta, ad quam uter ex illis pervenisset prior, ab illo staret victoria. Provolat aquila, ob tarditatem contempta testitudine, fretoque alis suis sæpe desidet, sæpe divagatur alibi et segnius egit, quandoque totam noctem quiescit, et multo iam die volatum init. At testudo laborem nec ad momentum intermittit. Dies noctesque iter facit, et ad locum destinatum prorepit. Vincit aquilam sedulitate sua, non celeritate, metasque tenet, cum adhuc ab iisdem longius distare putaretur.

Lienis contusio iuvat cursum.

Mystice, id verius est in cursu spiritali viæ virtutum, salutis et felicitatis, iuxta illud Pauli: *Non est volentis, neque currentis. sed miserantis Dei*, Rom. 9. et illud Habacuc 3 *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem*: et illud Isaiæ 40. ultim. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient.* Vide quæ illis locis annotavi.

Nec fortium (*qui validi et terribiles existimantur*, ait Thaumaturg.) bellum) Symmachus: *Vincere prælium*; Septuag. *Nec potentibus prælium*; Syrus: *Et non gigantis bellum*, iuxta illud: *Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ*, Psalm. 32. Sic Goliath gigas superatus et occisus est in duello a parvo Davide, 1. Regum 17. 95. Holofernes a fœmina. Chald. *Neque robusti adiuvantur dum ineunt prælium robore sua*, iuxta illud: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei*, Psalm. 146. Minus recte vertit Campens. *Neque robusti adhibentur ad gerenda bella*; melius Tigurina: *Nec fortitudo bellica potest eripere quemquam.*

Per *fortes* ergo hic accipe corpore potius quam animo et fortitudine bellica; nihil enim tam anceps, quam belli exitus; minima enim res, ut ventus secundus vel adversus, victoriam dat vel aufert. Unde in Scriptura dicitur Dei esse victoria, iuxta illud Iudæ Machabæi; *Facile est concludi multos in manu paucorum, et non est differentia in conspectu Dei cœli, liberare in multis et in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est*, 1. Machab. 3. 19. et illud Davidis: *Benedictus Dominus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Psal. 143. 1. Quin et Ovidius 7. Metam.

Inter utrumque volat dubiis victoria pennis,
Mars dubius.

Et Livius lib. 2. *Nusquam minus quam in bello eventus respondet: propterea nihil tam leve est, quod non magnæ rei momentum faciat*; imo subinde solo metu et terrore panico hostibus casu, imo cælitus immisso, parta est victoria inermium, uti fuit illa Gedeonis Iudic. 7. et illa Iosaphat 4. Regum cap. 3. v. 22. Similia exempla perplura exstant in libro Iudicum, Regum et Machabæorum.

Nec sapientium panem.) Symmachus: *Præbere alimentum.* In Hebr. pulchra est allusio et Paronomasia לחכמים *lachacamim*, id est sapientibus congruens לחם *lechem*, id est panis, sæpe deest. Aliqui per sapientes accipiunt agricolas, quibus licet industriis ob sterilitatem, expilationem, vastitatem subinde deest frumentum et panis. Melius accipias litteratos et eruditos, uti sunt Philosophi et Theologi, qui sæpe sunt pauperes; quia toti intendunt speculationi et sapientiæ, quæ præstat opibus, non auro congerendo, quod faciunt illiterati et mechanici. Unde Rabbinorum Adagium: *Fames exstitit, et non transiit per ostium artificis*; quia arte sua sibi victum facile parant artifices. Audi S. Hier. *Non est*, inquit, *sapientibus panis; id multorum quotidie probatur exemplo: qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent*; Chald. *Neque sapiens adiuvabitur a sapientia sua, ut saturetur pane in tempore famis*; Campens. *Quin et sapientibus sæpe deest unde vivant.*

Nec doctorum divitias.) Pro *doctorum* Hebr. est נבנים *nebonim*, id est *intelligentium*, ut vertunt Sept. prudentium, solertium; vidimus enim non raro industrios et solertes depauperari. Campens. vertit, *industrios*; Ca-

ietanue, *intellectiones. Aristophanes in comœdia Plutum inducit cæcum. At Demetrius dicebat, nan solum Plutum, id est divitias, esse cæcum, verum etiam Fortunam Pluti ducem; ut iam illud sit Proverbii: Cæcas cæco dux. Fortuna sæpe largitur indignis saa munera.* Ita Laert. lib. 5. cap. 5. Hinc Thaumaturg. vertit: *Neque sapientiæ cum divitiis aliquid commune esse solet*; Pagninue pro *nebonim* legens נכנים *nechonim* vertit: *Non sunt rectorum divitiæ*, iuxta illud: *Dives iniquus, aut iniqui hæres.* Divitiæ enim per multas fraudes et vitia parantur.

Nec artificum gratiam.) Syrus: *Neque cognoscentibus gloria*; Vatab. *Non semper gratiosos esse qui in aliqua arte periti sunt.* Pro *artificum* Hebr. est ירעים *iodeim*, id est *scientium*, ut vertunt Sept. per quos Olymp. et Vatabl. intelligunt eos qui norunt artes captandi hominum favorem et gratiam. Favor enim sæpe fugit favoris cupidas, æque ac bonor fugit sequentes, sequitur fugientes. Chald. *prudentes*; Thaumat. *sagaces*; Clarius, *expertos* et rerum peritos. Verum quia hi intelligunt nomine *nebonim* quod præcessit; hinc apte Noster vertit *artifices*; scilicet mechanicos, vel mathematicos et similes. S. Bonav. censet duo prima, scilicet velocitatem et fortitudinem esse duas corporis, cætera tria esse animæ: nam sapientiam esse in corde, doctrinam in *ore*, artem in opere. Solent insignes artifices in gratia et pretio esse tum apud principes, tum apud populum; sed non raro casu aliquo sinistro contrarium accidit: atque hæc est vanitas artium et artificum, quam hic notat Salomon. Plutarch.

Apellis casus in pingendo.

l. de Fortuna, narrat Apellem, cum equum anhelantem pingeret, nec anhelitum satis exprimere posset, ira percitum, penicillum in imaginem coniecisse, itaque casu spumæ colorem expressisse, et quod quærebat perfecisse, ut omnium sibi gratiam et admirationem conciliaret.

Seu tempus casumque in omnibus.) Hebr. *Sed tempus et occursus occurrit omnibus illis*; Arabicus: *Sustinet eos omnes*; Chald. *Tempus et casus in sidere earum accidit omnibus.* Chaldæi enim ad astra referebant cursum et casus rerum humanarum; unde de his ex illis divinabant. Campens. *Tempus et casus omnes de medio tollit*; sed hoc alienum et contrarium videtur.

Tempus.) Id est *occasio* commoda vel incommoda ad rem perficiendam: qui enim commodam captat, feliciter rem perficit: qui incommodam, infeliciter: sic qui captat mollia fandi tempora, impetrat quod postulat; qui dura et aspera, repulsam patitur. Tempus ergo et occasio rebus gerendis dominatur, uti dixi c. 3. 1. Occursus est concursus causarum contingentium, quæ dum fortuito concurrunt, producunt casum et effectum fortuitum. Caiet. per tempus accipit motum orbium cælestium, qui efficiunt effectus casuales in rebus sublunaribus. Aben Ezra per casum intelligit Dei providentiam: hæc enim, ut initio dixi, regit omnes casus eventusque fortuitos, ideoque ipsa est fortuna fortunans. Melius alii per casum intelligunt causam et effectum casualem, qui in omnibus rebus non semper sed sæpe accidit. Unde S. Thom. 1. p. quæst. 75. art. 6. ad 1. et quæst. 5. de veritate art. 5. ad 5. notat solerter dici *tempus casumque*; quia, inquit, secundum aliquem ordinem temporis casuales defectus inveniuntur in his rebus, v. g. quod potentiores frequenter succumbunt, ostendit quod victor magis est ex divina providentia, quam ex humana virtute. Præclare S. Augustinus l. 3. de Trinit. c. 4. « Nihil, inquit, fit invisibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque Republica.

Casus quid?

Nota: Casus sive effectus contingentes proprie sunt ii soli qui fiunt a causa libera, puta a Deo, Angelo, dæmone, vel homine: alioqui enim pluviæ, venti, fulmina cæteræque res naturales in causis suis determinatæ sunt et certæ; sed dum a Deo, Angelo, dæmone vel homine libere causæ hæ immutantur et combinantur, tunc ex his prodeunt effectus contingentes et casuales. Hinc Romani, Græci cæteræque gentes mire coluere Fortunam, velut Deam, imo primam Deorum, quæ omnia regat, et hos faciat formosiores, opulentos, felices, illos deformes, pauperes, miseros; hinc tot templa, tot aræ, tot nomina Fortunæ.

Fortuna Dea gentium, unde?

Ipsa, ait, D. Chrys. orat. 73. *bella gerentium est victoria, et pacem agentium concordia, et nuptias contrahentium benevolentia, et amantium voluptas, et breviter bonus in omni re successus.* Servius Tullius, ait Plutarchus quæst. Roman. 74. *templum parvæ fortunæ dedicavit, significans fortunam minimis momentis plurimum posse, multisque usu venisse, ut exiguis plane rebus aut evenientibus, aut contingentibus maxima consequerentur vel perderent, docens animum rebus esse advertendum, nihilque eorum, quæ offeruntur ob parvitatem esse negligendum*; idem rursum: *Sapientiæ*, ait, *in hunc usque diem templum non est, neque temperantiæ, aut tolerantiæ, aut magnanimitati, aut continentiæ: Fortunæ vero templa sunt splendida et antiqua, ac tantum non cum primis Romæ fundamentis posita. Cornelius Sylla,* inquit idem Plutarchus in Sylla, *fortunæ se filium* dicebat. Præ reliquis insignis fuit basilica fortunæ in urbe Fanensi, quæ inde dicta est fanum fortunæ, de qua ita scribit Nicolaus Perottus Episcopus Sipontinus in l. 1. Martial. *A fando fanum deducitur, hoc est templum, quod Pontifex in dedicatione templi certa verba præfari solet; quamvis sint aliqui qui* ἀπὸ τοῦ φανεροῦ *dictum malint, quod significat manifestum, quod a fano responsa dabantur; etc. Hinc Fanum, Piceni urbs dicta in littore Adriatico inter Pisaurum et Senogalliam omnium Italiæ urbium amœnissima, sive loci naturam seu civium ingenia consideres, quod in ea pulcherrimum fortunæ templum fuerit, cuius adhuc reliquiæ conspiciuntur. Hinc Fanenses sive Fanestres appellati.* Huius fortunæ fabricæ præfuit Vitruvius, Architectorum princeps, qui libros suos de Architecture dedicans Augusto Cæsari, utpote principi ædificationi dedito, ab eo beneficiis et honoribus auctus, ita de hoc Fano scribit l. 5. cap. 1. sub finem: *Non minus summam dignitatem et maiestatem possunt habere comparationes basilicarum, quo genere Coloniæ Iuliæ Fanestri collocavi, curavique faciendum, cuius proportiones et symmetriæ sic sunt constitutæ*; eas deinde exacte fuseque describit, additque hoc fanum fuisse iuxta ædem Augusti. Plura de hoc fano vide apud Sigonium et Cluverium in descript. Italiæ. Fani fortunæ Episcopus fuit S. Fortunatus, de quo mox. Hoc enim fanum fortunæ profanum a Christianis conversum fuit in sanctum templum in honorem B. Virginis dedicatum, quæ vera est fidelium fortuna, eos fortunans omnibusque donis cumulans et beans, cuius proinde ac præsertim sacelli unius, Virgini assumptæ dicati magnificentiam æque ac religionem, integro carminum libro miris elogiis celebrarunt plurimi et primi Italorum Poetæ, quorum unus ita orditur:

Fortunæ fuit hoc fanum, nunc Virginis: illa
Est numen (imo nomen) *magni Numinis ista parens.*

Gnome de fortuna.

Seneca epist. 14. *Initium*, ait, *omnium rerum sapiens non exitum spectat. Initia enim in potestate nostra sunt; de eventu fortuna iudicat.* Idem epistol. 38. *Incadit*, ait, *temporatissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus. Eligit aliquid novi casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit horam momentumque temporis.* Nero, ait Sveton. c. 13. *Vitæ eius, iudices, priusquam inciperet reverentissime alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse fortunæ.* Plutarchus in Pseud. *Cantum doctorum hominum consilia hæc devincit Dea fortuna. Atque hoc verum est, perinde at quisque fortuna utitur, ita præcellit; atque exinde sapere eum omnes dicimus.* Livius Decade 1. libr. 9. *Per omnia,* inquit, *humana maxime in res bellicas fortuna potens est*; Æmilius l. 4. *Fortuna arbitrio suo pacem, sed maxime bella gerit. Eadem*, inquit ille, *mari tranquillitatem imponit, æstatem hiemi, celeritatem tardissimis, vires segnissimis.* Denique Iudæi coluere fortunam, in quos proinde invectus Isaias c. 65. 11. *Qui ponitis,* inquit, *for-*

tunæ mensam, et libatis super eam; ubi multa de fortuna dixi.

Moraliter docet hic Salomon res omnes sublunares, utpote fortunæ volubili subiectas, esse vanas variasque, ideoque parvi faciendas, ac consequenter contra omnes fortunæ casus etiam adversos, ipsamque mortem sapienti obfirmandum esse animum fortitudine et constantia. Salomonem velut magistrum de more secuti sunt Plato et Philosophi. Hinc Bion, teste Stobæo serm. 103, dicebat: *Fortunam divitibus opes dedisse, non dono, sed mutuo.* Crœsus consultus a Cyro de bello contra Tomyria suscipiendo, in quo deinde occisus est: *Si*, inquit, *te agnoscis hominem, discito talem rerum humanarum circulum esse, qui rotatus eosdem semper fortunatos esse non sinat.* Demetrius aiebat illum, qui sinistram fortunam ferre nequiret, nec dextram ferre posse. Unde ipse illud Æschyli dicebat fortunæ: *Tu me extulisti, tu ipsa rursus deiicis.* Ita Antonius in Melissa part. 1. c. 70. Romuli vox erat: *Fallacia et caduca sunt omnia quæ fortuna in sua habet potestate.* Ita Maxim. serm. 48. Fabius Maximus Minutii collegæ sui secundam fortunam magis quam adversam pertimescebat, quod fortuna instabilis variet vices, et a secundis ad adversa desiliat, cumque faciem ostendit, mox tergum obvertat. Ita Plutarchus in Vita Fabii. Zeno cum in naufragio omnia amisisset: *Euge*, inquit, *fortuna, quam probe nos ad hoc palliolum redegisti!* Socrates ad omnes fortunæ procellas immotus eadem mente, eodem vultu persistebat. Unde S. Hieronymus ait in virtute Christiana requiri animi robur Socraticum. Seneca de Tranquill. animi, docet sapientem per virtutem vigoremque animi omni fortuna et iniuria esse superiorem. Unde cum recensuisset Heroes casu iniquo occisos ut Socratem, Pompeium, Ciceronem, ac *optimos pessima* pati, remedium subdit: *Tanto fortiores*, inquit, *tanto feliciores; humanos effugistis casus, livorem, morbum; existis ex custodia; non vos digni mala fortuna diis visi estis, sed indigni in quos iam aliquid fortuna posset.* Audi eumdem Epist. 92. et 98. ubi inter alia hæc dat vitæ axiomata: *Adversus fortunam valet ad tolerandam obfirmata omnium mens; mortalia omnia morte damnata sunt, inter peritura vivimus, mortale est omne mortalium bonum. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est; tam necesse est perire, quam perdere. Dic fortunæ: Cum viro tibi negotium est? quære quem vincas. Dic tibi: Ex istis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum. Singula vicere iam multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato; et nos vincamus aliquid.*

Exempla.

Tacite ergo hic monet Salomon ut a rebus sublunaribus, utpote lunationi, id est, variæ per tempora mutationi, casui fortunæ obnoxiis mentem transferamus ad cœlestia quæ superant omnem fortunæ casum et lusum, nesciuntque ortum et occasum, sed in stabili Angelorum et Beatorum degunt ævo. Sapiens utique est et felix, qui id præstat. Præstitit id ipsum S. Fortunatus Fanensis (urbs est antiqua in Pentapoli Umbriæ, dicta Fanum Fortunæ, quod illi esset dicata, uti superius dixi) Episcopus anno Domini 592. coævus S. Gregor. Unde Fanenses hoc ei elogium posuerunt:

Fortunate nimis, qui regnaturus in ævum,
Fortunæ instabilem figis in axe rotam.

Fortunatus ergo fortunæ fuit Episcopus, moderator et rector. Unde iidem adducunt heroica hæc virtutum eius facinora: « S. Fortunatus patriam a spiritibus immundis liberat. Pestem ob eius derelictam basilicam grassantem pellit. Furtim auferentes eius sacrum corpus ventorum et pulveris violentia deterret. Manna e Mausolæo et ossibus Sancti fluens, pila ægris salutem confert, impiis mortem. Arida Urbinas fœmina divinitus admonita, invisens eius corpus sanatur. » Hæc ex publicis Fanensium tabulis accepi, et prægrandi eius imagini Romæ cusæ et approbatæ incisa conspexi. Exstat S. Gregorii epist. lib. 6. Registri, ordine 43. ad hunc S. Fortunatum Fanensem Episcopum, in qua ei concedit ut venumdet sacra vasa pro

A redemptione captivorum, scilicet a Longobardis, ut recte advertit Baronius: hi enim illo ævo vastabant Italiam. Denique cum anno 1107. Fanenses sacra S. Fortunati lipsana requirerent, invenerunt ea mausolæo inclusa cum lipsanis S. Eusebii et S. Ursi Fanensis Ecclesiæ Episcoporum, instar nivis candida, ut iam in illis futuræ per resurrectionem glorificationis imaginem contuearis; præsertim cum tanta odoris fragrantia manaret, ut myrrhæ et balsami omniumque unguentorum odoramenta incomparabili suavitate transcenderet. Ita Sancti dominantur fortunæ omnibusque fortuitis.

NESCIT HOMO FINEM SUUM, SED SICUT PISCES CAPIUNTUR (Septuag. *illaqueantur*) HAMO, ET SICUT AVES LAQUEO COMPREHENDUNTUR; SIC CAPIUNTUR HOMINES IN TEMPORE MALO, CUM EIS EXTEMPLO SUPERVENERIT.) Pro *finem suum* Hebr. est *tempus suum*, id est finem temporis sui. Probat tempus et casum velocibus, fortibus, sapientibus et artificibus dominari, ex eo quod eos capiat, velut pisces hamo et aves laqueo. Capiat, inquam, in fine Vers. 1
B operis quod moliuntur, ut scilicet veloces capiantur in cursu suo, fortes in bello, sapientes in sua sapientia, prudentes in prudentia, artifices in arte; quo fit ut omnibus suis hisce donis sibi concilient non præmia, quæ sperabant, sed damna infamiæ, vinculorum, famis, paupertatis, contemptus, ac subinde necis et mortis, illaque improvisa, ut vertit Arabicus, et inopina, quæ non exspectabant. Per *finem* ergo exitum intellige, tum operis et negotii cuiusque cum Thaumaturgo et Olymp. tum vitæ, puta mortem cum S. Hieron. Vide analogias perplures inter homines et pisces, quas recensui Habacuc 1. 4. ad illa: *Et facies homines quasi pisces maris.*

Tropolog. Esca, hamus et laquens quo inescantur et capiuntur homines, est voluptas. Audi S. Aug. de Agone Christiano c. 7. *Gaudet piscis, quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem*
C *trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.* Porro voluptas hæc multiplex est, sed maxime triplex, scilicet gulæ, opulentiæ et superbiæ. Aliqua enim harum capitur homo, ac delicias ridensque sibi astringit vinculis mortis, ut ait Poeta. Ad laqueum opulentiæ sive avaritiæ spectat axioma, sive apophthegma Pii II. Pont. *Litigatores sunt oves, forum area, iudex rete, advocati aucupes. Quocirca censebat dignitatibus viros dandos esse, non dignitates hominibus. Grave Pontificis onus esse, sed beatum, qui id bene ferat.* Primum enim et summi momenti Pontificis et principis onus officiumque est constituere Episcopos, magistratus, iudices, etc. ab avaritia intactos et tali gradu dignos. Hinc S. Antonius, teste S. Athanas. in vita, totum mundum conspexit laqueis plenum, quos animabus sursum ascendere conantibus tendebant dæmones, illisque eas illaqueabant ac capiebant. Unde dolens oransque: *Domine, quis hos la-*
D *queos evadat?* audivit; *humilitas.* Dæmon enim omnibus in rebus homini tendit laqueos, eosque cuiusque indoli et affectui appositos; guloso enim offert epulas et vina, ambitioso honores, iracundo duella, timido pericula, avaro opes, etc. Audi S. Leonem serm. 7. de Nativitate: *Non desinit hostis antiquus deceptionum ubique laqueos prætendere. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.*

Esca hominum voluptas.

IN TEMPORE MALO (id est misero, difficili, periculoso, calamitoso, exitiali) CUM EIS EXTEMPLO SUPERVENERIT.) Hebr. *Cum ceciderit super eos*; Græca: *Cum supercecideri in eos*, quæ phrasis significat inevitabilitatem et superioritatem repentini supplicii proficisci a causis superiori-

bus, puta e cœlo et Angelis, inquit Caietan. Chald. *In tempore mali, quod ruiturum est super eos puncto uno cœlitus.* Magnum quodvis accipe, sed præsertim mortem et gehennam, quæ maiorum omnium est maximum, iuxta illud Pauli: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita ut veniet. Cum enim dixerint pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient,* 1. Thess. 5. 3. Et illud Christi: *Erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes et non cognoverunt, donec venirel diluvium, et tulit omnes. Ita erit adventus filii hominis,* Matth. 24. 38.

Vers. 13. HANC QUOQUE SUB SOLE VIDI SAPIENTIAM, ET PROBAVI MAXIMAM.) Hebr. *Et magna est apud me*, scilicet quam versu sequenti enarro. Idcotidem Salomon post recensitas vanitates, sermonem reflectit ad laudes sapientiæ, ut eam omnibus commendet, utpote quæ sit veritas veraque huius vitæ felicitas. Simul tamen ostendit ei quoque suam adhærere vanitatem, non intrinsecus, sed extrinsecus: scilicet quod illa ab hominibus opulentis parvi fiat, quodque sapiens cum per sapientiam liberavit civitatem obsessam et desperatam, illico in oblivionem veniat, et in pristinum sui neglectum recidat, ut ad pallium philosophicum, id est ad paupertatem et obscuritatem suam cum Socrate redigatur. Igitur novam ingratitudinis vanitatem hic oculis subiicit. Ita Lyranus, Hugo. Alii aliter, sed varie et minus apte hæc nectunt præcedentibus.

Vers. 14. CIVITAS PARVA (Arab. *delicata*) ET PAUCI IN EA VIRI: VENIT CONTRA EAM REX MAGNUS, ET VALLAVIT EAM, EXSTRUXITQUE MUNITIONES (Septuag. *aggeres magnos*; Symmach. *machinam magnam*; Syrus, *propugnacula*; Arabicus, *propugnaculum cuius turres magnæ sunt*) PER GYRUM, ET PERFECTA EST OBSIDIO.) Est paradigma per modum exempli, sive historiæ, quæ subinde accidit ævo Salomonis, ut ab eo videri vel audiri potuerit. Civitas hic inducitur parva, id est parva habens mœnia, parvas turres et machinas, ut se contra hostem obsidentem tueri non possit, ideoque in ea viri pauci, qui eam propugnare viribus diu nequeant, quin mox animo cadant ac robore deficiant. Unde maior apparet vis et virtus sapientis et pauperis, eam sua sapientia tutantis et liberantis.

Vers. 15. Pauper sapiens salus est urbis. INVENTUSQUE EST IN EA VIR PAUPER ET SAPIENS, ET LIBERAVIT URBEM PER SAPIENTIAM SUAM, ET NULLUS DEINCEPS RECORDATUS EST HOMINIS ILLIUS PAUPERIS.) Testis Archimedes, quem tantopere verebantur Syracusas oppugnantes Romani, ut, si vel funiculum exiguumve lignum ex muro conspicerent, machinam aliquam in ipsos moveri suspicarentur: et Archimedem vociferantes terga verterent, fugerentque, et cogerentur, conflictu et oppugnatione prætermissa, in obsidione longa spem ponere. Ita Plutarchus in Vita Marcelli. Idem de Epaminonda, qui Thebas defendit et imperio auxit, ita scribit: *Ad quadragesimum annum obscurus Epaminondas nulli usui Thebanis fuit. Ut habita est ei fides, suscepto imperio, ruentem civitatem conservavit, ac servientem in libertatem asseruit Græciam, qui in gloria, sicut in sole, virtutem strenuam in tempore præstitit. Refulget enim usu,*

Ubi nobilis mora æris, segne quod diu
Iacuit, resumpsit animum.

Sic Iudith liberavit Bethuliam, occiso Holoferne, Iahel Israelem, occiso Sisara, Iud. 4. 18. æque ac Debora ibidem v. 14. Sic David Ceilam urbem tuitus est: et tamen Ceilani eum tradidissent Sauli, ni, Deo consulto, fugisset. Sic Gedeon liberavit Iudæos a Madianitis; et tamen Iudæi non fecerunt misericordiam cum domo eius, ut 70. eius filios protegerent, dum occiderentur ab Abimelech, Iudicum 8. 35. Sapiens enim totus intendit bono publico, ut eius incommoda hostesque depellat: quare modos urbis salvandæ quærit et invenit, cum insipientes vacant propriis commodis et opibus, ac publica negligunt. Unde Thaumaturgus vertit: *Parvam civitatem a paucis habitatam magnam et frequentatam existimem, si vel pauperem unum sapientem civem habeat.*

Uti Christus. Allegorice, Christus sapientissimus et nostri causa pauperrimus liberavit Ecclesiam, quæ urbs parva est, respectu totius mundi, a tyrannide dæmonis et peccati: et tamen plurimi ingrati hoc eius beneficium non agnoscunt, imo ipsum eiusque gratiam aspernantur, seseque suis voluptatibus dedunt. Ita S. Hieronymus.

Et sensus interior. Tropologice, « Hebræus meus, ait S. Hieronymus, hunc locum interpretatus est. Civitas parva homo est, inquit, qui etiam apud philosophos mundus minor vocatur. Et viri pauci in ea, membra de quibus ipse homo contexitur. Cum autem venerit adversus eam rex magnus diabolus (diabolus serpens est lubricus: cuius si capiti, id est primæ suggestioni non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur; tentationum diabolicarum initia flagitia sunt; non est immissor, sed incensor vitiorum. Unde David: tu fregisti caput draconis) et quæsierit locum per quem possit irrumpere, invenitur in ea humilis et sapiens, et quietus interioris hominis sensus, et eruet urbem, quæ obsessa ab hostibus angebatur. Cumque homo de periculo sive persecutionis, sive angustiarum, sive cuiuscumque adversæ rei atque peccati fuerit erutus; homo ille exterior, qui inimicus est illius pauperis hominis et sapientis, non recordatur interioris hominis, nec subdit se consiliis eius, sed rursum sua fruitur libera voluntate. » Accedit Chaldæus, qui per civitatem parvam accipit corpus hominis; per regem obsidentem concupiscentiam; per virum sapientem et pauperem, inspirationem et cogitationem bonam, quæ concupiscentiæ resistit, hominemque liberat a peccato et gehenna, cuius deinde homo obliviscitur.

Moraliter, nota hic sapientes amare silentium, quietem et paupertatem. Sapiens, ait Plutarchus, ita vivit ut nemo sentiat eum vivere. Rursum sapientiæ magna affinitas est cum paupertate, sicut insipientiæ cum opulentia. Sapiens tamen, cum opus est, patriaque eius ope indiget, se dat in lucem, suamque sapientiam ad eius salutem explicat, ut fecit Ieremias, Isaias cæterique Prophetæ. Sapienter Philo lib. de Sacrificiis Cain et Abel: *Omnis sapiens,* inquit, *stulti est redemptio, mercesque ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua, providentiaque impulsus incolumitati eius prospiceret.* Unde mox infert; *Equidem quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo, aut urbe video, et domum et urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem mansuram perpetuo, tum absentem exspectandam cumulatiorem, Deo ultro modum mensuramque divitias suas in gratiam digniorum, etiam in indignos profundere solito.*

Cur sapientes sunt pauperes? Resp. Porro cur sapientes sæpe sint pauperes, causas varias, easque festivas assignat. Arist. in Problem. sect. 29. cap. 4. Quærit enim: « Cur paupertas apud homines bonos potius esse, quam apud pravos soleat? An quia omnibus odio habetur, atque expellitur, ad probos perfugit, rata maxime apud eos salutem permanendique locum se posse assequi? e contrario, si ad pravos venerit, numquam eos fortunas ista fore contentos, sed vel furta, vel latrocinia actitaturos, quibus rebus futurum ut ipsa amplius apud illos manere nequeat. An quia homines probos optime se nsuros existimat, nec sibi petulanter contumelioseque quippiam facturos? itaque ut nos pecuniarum depositæ tute hominibus bonis credimus; sic etiam hæc sibi dispensat et statuit. An libenter se ad viros optimos confert, quia fœmina est, inopsque proinde et virium et consilii, ut eiusmodi hominibus commendatum se esse magnopere velit atque desideret? An quia mala est, numquam se malis iungere velit? Nam si ita maluerit, omnino malum irremediabile ipsa videtur. » Quærit deinde vice versa c. 8. « Cur divitiæ magna ex parte ab hominibus pravis potius quam bonis habeantur? An quia fortuna cæca est, ideoque discernere sibi, atque seligere quod melius non potest? »

Rursum nota hic beneficia pauperum parere non tantum contemptum, sed et odium ac invidiam: quare salutem ab eis urbi allatam illis auferunt, et in se vel alios potentes transcribunt. Contemnunt igitur, ait Pineda, et pauperem beneficum, quem pudet fateri beneficii auctorem, et beneficium a paupere acceptum pro iniuria æsti-

mant; in hoc plane stulti, in illo perspicue ingrati; in utroque insolenter superbi, quod nolint aliquid deberi pauperi, neque se illius creditores constituere, ullave gratia obstringi ad redamandum pauperem beneficum. Itaque cum illud infestissimum sit, beneficium superbe dare; est et insolentissimum superbe beneficium accipere. Vide Senecam lib. 2. de Benef. cap. 17. 18. 19. Hoc est quod ait Iob de Iusto cap. 12. 5. *Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Denique duces et liberatores patriæ sæpe eam ingratam experiuntur; ut expertus est Scipio, Themistocles, Miltiades, Coriolanus et cæteri, qui post victorias civibus partas, ab eis acti sunt in exilium.

Vers. 16. ET DICEBAM EGO MELIOREM ESSE SAPIENTIAM FORTITUDINE, QUOMODO ERGO SAPIENTIA PAUPERIS CONTEMPTA EST, ET VERBA EIUS NON SUNT AUDITA?) *Sapientia*, scilicet iam cognita et explorata per liberationem civitatis, q. d. Quænam illa hominum ingrata stoliditas, ut, cum viderint se per consilium sapientis evasisse obsidionem et excidium; iam tamen liberati eum spernant, nolintque salubria eius monita et consilia, ad urbis conservationem et salutem spectantia, ulterius audire? quia nimirum externum splendorem et pompam dumtaxat spectant, eamque in divitibus suspiciunt, ideoque sapientiam in paupere hac pompa destitutam despiciunt. Fortitudo hic non animi, sed corporis accipitur, puta in viribus, opibus vel amicis sita: hanc enim significat Græcum δύναμις, Hebr. גבורה ghebura, Chald. כח coach. Unde Septuag. *Bona est sapientia super potentiam*; S. Hieronymus: *super divitias et potentiam*; Thaumaturgus: *super popularem potentiam.*

Pro *quomodo*, Hebr. est *et*, quod Hebræis pro quavis coniunctione sumitur. Unde hic nonnulli vertunt, *et tamen*; alii, *ergo*. S. Hieronym. in veteri editione vertit, *quamvis. Dixi ergo*, inquit, *meliorem esse sapientiam, quamquam nullus meminerit sapientis pauperis, cum læta sunt omnia, sed universi divitias et potentiam admirentur. Ego tamen magis honoro contemptam sapientiam et verba quæ nullus audire dignatur.* Verum in posteriori Vulgatæ versione nervosius vertit, *quomodo*; hæc enim nota interrogationis continet indignationem cum admiratione, incitatque sermonem ad exaggerandam rei indignitatem. Huic gnomæ affinis est illa Sapient. 6. 1. *Melior est sapientia quam vires; et vir prudens, quam fortis.*

Sapientia præstat robore. Gnomæ.

Unde et illa Phocylidis: *Melior forti est vir sapiens; agros enim et civitatem sapientia, æque ac navim gubernat.* Fortem corpore accipe; nam qui animo fortis est, idem est et sapiens. Unde Cicero 3. Tuscul. *docet omnes sapientes fortes esse, et omnes fortes sapientes.* Sapientia enim docet vincere metum, moderari audaciam, in periculis rebusque arduis esse animo excelso, firmoque iudicio et constantia, vitam virtuti postponere, mortemque contemnere, quæ sunt officia actusque pariter fortitudinis. Hoc est quod dicitur Proverb. 20. 4. *Cogitationes consiliis roborantur, et gubernaculis tractanda sunt bella.* Id liquet in stratagematibus bellicis, quibus utuntur callidi, et hostes subiugant.

Vers. 17. VERBA SAPIENTUM AUDIUNTUR IN SILENTIO, PLUSQUAM CLAMOR PRINCIPIS INTER STULTOS.) Hebr *In stultis*; Chald. *Qui imperat stultis clamantibus.* Septuag. *Super clamorem potentium in stultitiis*; S. Hieronymus in vetere editione; *Quam clamor potestatem habentis in stultis.* Pro *in silentio*, Hebr. est *in quiete*; Scholiastes μετὰ πραότητος, id est cum benevolentia, benignitate, suavitate, lenitate, mansuetudine; Syrus: *Verba sapientis cum requie audiuntur quam trepidatio potentis stulti*; Arabicus, *cum tranquillitate.* Iam

Verba sapientum in silentio

I Primo, Aben Ezra et Osorius sic explicant, q. d. Verba sapientum contemnuntur a civibus, dum res sunt prosperæ; at dum imminet obsidio et excidium, præ metu et dolore silentibus, cupide audiuntur.

II. Secundo, Arboreus, q. d. Sapiens non clamat in turba et strepitu, sed secretum a turba quærit, ubi in silentio loquatur et audiatur. Accedit Titelmannus, qui per silentium accipit *submissam et modestam vocem ut moris est sapientum*; et Campensis: *Verba sapientum, etiamsi non multum clament, efficaciora sunt quam principis stulti vociferatio.*

Tertio, Clarius et Dion. censent hic causam dari, cur verba sapientum non audiantur, scilicet eo quod requirant animum silentem, id est quietum, pacatum, liberumque a tumultu passionum, quem populus cupiditatibus æstuans præstare nequit. III.

Quarto, alii censent sapientiam loqui silenter, id est demissa voce vel ex verecundia, eo quod pauper sit, vel ex metu et dolore, eo quod videat se contemni, aut potius ex pietate et gravitate, q. d. Cum, urbe obsessa, gubernator clamose verba facit de urbis periculo eiusque remediis, ac populus tumultuatur, dum hic hoc consilium acclamat, alius aliud; tum sapiens ex sua quiete prodiens, gravitate et sapientia sua populo silentium indicens, omnia sedat, tranquillat, ordinat et componit, ac sanissimum urbi liberandæ remedium proponit. Hic sensus valde est appositus. IV.

Quinto et genuine. Salomon solatur hic sapientem pauperem, ideoque contemptum, ac subinde pusillanimem et dolentem, quod eius consilia et monita non audiantur, ut dixi versu præcedenti. Solatur autem ex eo quod eadem audiantur in silentio, q. d. Etsi vulgus obstreperum et tumultuans verba sapientiæ non audiat; ea tamen audiunt viri cordati et prudentes, eaque excipiunt magno oris silentio, et cordis quiete, atque maiore applausu, approbatione et reverentia, quam clamosi principes vel divites audiantur a stultis adulatoribus, qui coram eis plaudunt, sed eis absentibus plodunt, eosque explodunt et exsibilant. Nota verba sapientis prodire ex animo dicentis silenti, id est quieto, sereno, gravi, pio, prudenti, ideoque ab audientibus cordatis audiri in silentio, id est animo sedato, tranquillo et attento. Sicut vice versa clamor principis auditur cum clamoso applausu stultorum illi adulantium. Opponitur ergo silentium et quies tam sapientis docentis, quam populi audientis, clamori et tumultui tum principis clamantis, quam stultorum ei acclamantium. V. Genuine.

Porro silentium oris sapientis prodit ex quiete et silentio cordis, ac notat eius modestiam, mansuetudinem, benevolentiam, gravitatem, prudentiam, constantiam æque ac efficaciam, quod scilicet ipsius oratio prudens, cordata et nervosa, etiamsi modesta, lenis et submissa, efficacior sit clamosis principum concionibus, mandatis, edictis, eo quod silentium omnibus cordatis indicat, quia et in obsidione et periculis, cum omnia metu et perturbatione sunt plena, pacem et salutem conciliet. Unde aliqui sic vertunt et explicant: *Efficacius est silentium sapientis clamore dominatoris cum stultis suis asseclis*; id est, plus valet ad Reipublicæ salutem una vox sapientis, quam mille clamosæ magistratuum cum populo tumultuantium, quæ tumultum populi compescat, seditiones sedet, unionem efficiat, noxia consilia dissipet, ac sana suggerat ac persuadeat: sapientes ergo in voce, æque ac mente sunt moderati et submissi; insipientes clamosi et tumultuarii. *Anima*, inquit Olympiodorus, *quæ stultitia repleta est, cum clamore et turbulentia sermones profert sine quiete, ordine et constantia*; et S. Hieronymus: *Quemcumque videris in Ecclesia declamatorem, et cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare, scito signum esse insipientiæ tam eius qui loquitur, quam eius qui audit. Verba quippe sapientum in quiete et moderato audiuntur silentio: qui vero insipiens est, quamvis sit potens, et clamorem sive suæ vocis, sive populi habeat acclamantis, inter insipientes computabitur.* Hoc est quod de Christo sapientissimo ait Isaias cap. 42. vers. 2. *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris, etc. Non erit tristis, neque turbulentus*: et cap. 8. vers. 6. *Aquas Siloe quæ vadunt cum silentio.* Sicut enim aquæ leniter fluentes et quasi silentes sunt profundissimæ, sic et homines modesti et taciturni profundi sunt consilii et iudicii.

Silentium præstat loquela.

Anagogice, iusti et oppressi et silentes in iudicio clamabunt contra impios oppressores suos, iuxta illud Sapientiæ c. 5. v. 1. *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Unde Thaumaturgus vertit: *Hic iacet et contemnitur sapientia: cæterum postea audietur altiorem vocem edens, quam principes et tyranni malarum cupiditate flagrantes.*

Vers. 18

MELIOR SAPIENTIA, QUAM ARMA BELLICA: ET QUI IN UNO PECCAVERIT, MULTA BONA PERDET.) Thaumaturg. *Sapientia enim ferro ipso fortior est;* Olympiodorus: *Melius est consilium cuiuscumque prudentis, quam omne auxilium quod ab armis sperari possit.* Sapientia enim est instar ignis, qui omnia transcendit, domat, inflammat et in se convertit. Apposite Franc. Vallesius S. Philos. c. 5. 74. corpus naturale politico, hoc est hominem Reipublicæ comparans, tria utriusque membra primaria ita adæquat: Agricultura, ait, respondet iecori; quia sicut hoc sanguinem membris, sic illa alimenta Reipublicæ suppeditat: bellica ars respondet facultati irascibili quæ est in corde: quia repellit, si quid infertur violentiæ aut impedimenti: sapientia et scientia respondent cerebro, in quo est mens et tota cognitio; mercatura deinde respondet cruribus, quia proficiscendo exteras merces advehit: mechanicæ artes respondent manibus quibus conficiuntur; quantum ergo cerebrum præstat irascibili cæterisque membris, tantum sapientia antecellit artem bellicam cæterasque omnes.

Peccans in uno multa perdit

ET QUI IN UNO PECCAVERIT, MULTA BONA PERDET.) Ex Hebr. το *uno* varie verti potest. Hebræa enim ad verbum habent: *Peccator unus;* Septuag. *Peccans.* Unde Thaumaturgus; *Stultitia unius;* et Chaldæus: *Vir peccator unus, qui est in generatione, est causa ut pereant multa bona ab hoc sæculo;* S. Hieronymus vero in veteri editione: *Qui peccat unum;* Syrus: *Et unum peccatum perdit bona multa;* Arabicus: *Cum peccaverit unus peribit bonum plurimum.* Est antithesis sapientiæ et insipientiæ, sive sapientis et stulti, q. d. Sapientia prævalet armis; quia integras urbes etiam arcte obsessas servet et liberat, omniaque vincit et subiugat. E contrario insipientia vel unius multa bona perdit et corrumpit, adeo ut urbes et regna subvertat. Ita Caietanus qui illud adagium apposite hic citat: *Unus stultus proiicit lapidem in puteum, et mille sapientes non extrahunt.* Unde Thaumaturgus vertit: *Stultitia unius multis periculum accersit, etiamsi multis videatur levis et contemptibilis.* Alii sic exponunt, q. d. Parvus error in principio, nisi statim corrigatur, in multos deducit, ac longe lateque serpit, iuxta illud: *Clavus unus perdit equi soleam, solea equum, equus equitem, eques castra, castra Rempublicam.* Nonnulli hanc gnomen referunt ad bellum et civitatem obsessam, de qua sermo præcessit, q. d. Error unus in bello et civitate obsessa, etiam parvus, non raro castra urbemque perdit. Unde illud tritum: *In bello nihil vel minimum negligendum.* Aut sic, q. d. Melior est sapientia quam arma bellica; si tamen sapientia sit exacta, ut in nullo erret; si enim vel in uno peccat, perdet multa bona, scilicet famam et existimationem suam, ac opes et salutem sibi commissorum. Verum hic sensus arctior est. Etsi enim occasione civitatis obsessæ hæc dicantur, ideoque bellum proprie respiciant; tamen generalis sententia tam in pace, quam in bello locum habet, et ubique vera est. Exempla sunt: Adam unus homo, uno inobedientiæ peccato totam posteritatem perdidit, æque ac Achan tota castra Israel, Iosue 7. Stulta duritia unius Roboam perdidit decem Tribus. Una Iezabel, unus Achab, unus Manasses quot quantaque perdiderunt!

Mystice (quod tamen multi putant esse litterale) qui in uno peccat, ut ab uno vero bono; puta a sapientia recedat, hic perdit bona multa, vel, ut ex Hebræo, cum Septuag. verti potest, *bonitatem multam,* id est, qui unum peccatum mortale committit, perdet gratiam, charitatem cæterasque virtutes; ut hic idem fere dicatur, quod Iacobi 2. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in una, factus est omnium reus.* Ita S. Hieronymus: *Sic, ait, sentiendum est, quod propter unum peccatum multa iustitia retro pereant: et invicem se virtutes sequi, et qui unam habuerit, habere omnes; et qui in uno peccaverit, eum omnibus vitiis subiacere.* Sic et S. Bonav. Hugo, Lyran. Dion. et Olymp. quem audi: *Unus, quicumque is demum sit, dum sese peccati sorde commaculat, et bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant, et multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit.* Sic et Rabanus in Glossa: *Unus stultus,* inquit, *plurimos corrumpit.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Componit et anteponit sapientiam stultitiæ. Inde v. 8. usque ad finem cap. varia sapientiæ documenta assignat, præsertim ne quis alteri struat insidias, aut detrahat maxime regi aut potenti.

1. MUSCÆ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia. 2. Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius. 3. Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. 4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima. 5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis: 6. Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. 7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos. 8. Qui fodit foveam, incidet in eam: et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. 9. Qui transfert lapides, affligetur in eis: et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. 10. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. 12. Verba oris sapientis gratia: et labia insipientis præcipitabunt eum. 13. Initium verborum eius stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? 15. Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere. 16. Væ tibi, terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt! 17. Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. 19. In risum faciunt panem, et vinum ut epulentur viventes; et pecuniæ obediunt omnia. 20. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.

Vers. 1. MUSCÆ MORIENTES (*moritura*. Complutens. *mortuæ*; Scholiastes, *muscarum mors*) PERDUNT SUAVITATEM UNGUENTI.) Hebr. *Muscæ mortis fœtere faciunt, et ebullire*, vel ebullire *oleum pigmentarii*, vel aromatarii sive pharmacopolæ. Muscis enim est gustus omnium saporum, ait Aristot. lib. 8 Histor. c. 11. quod cæteris animalibus non est concessum. Rursum, muscis, imo omnibus insectis oleum est lethale et mortiferum, teste Plinio lib. 11. cap. 19. Galeno lib. 2. de Simplic. facult. c. 20. et aliis. Iam

Muscæ fœdant unguentum. I. Primo, Caietanus sic exponit, q. d. Sicut musca unguentum fœdat; sic insipiens, puta detractor et calumniator, fœdat nomen et famam sapientis. Sicut enim muscæ impuræ impuris cadaveribus insident; sic detractor nonnisi vitiis alienis occupatur, ut vera propalet, et falsa confingat. Rursum, quædam muscæ sunt venenatæ; sic venenata est lingua detractoris. Denique, nota est muscæ æque ac detractoris improbitas et impudentia: hinc dicta est *cynomyia*, id est musca canina, Exod. 8. v. 7. Et Diogenes dictus est Cynicus, id est caninus, quod instar caninæ et cynomyiæ suis dicteriis omnes allatraret et morderet, eisque notam infamiæ aspergeret. Verum nulla hic detractoris fit mentio. Adde *τo morientes* non recte congruere detractori, qui vivit vigetque in maledictis. Simili modo, vice versa; possent per muscas accipi parasiti et adulatores, qui principum animos adulatione corrumpunt. Hi enim similes sunt muscis, quia alienas mensas captant, uti muscæ. Unde Parasitus ille apud Athen. lib. 6. ait:

Quod invocatus cœnitare amo, musca sum.

Ibidem Hegesander narrat, quod cum Alexander dixisset se morderi a muscis (ita vocabat parasitos) iamque conaretur illas abigere, Cinesias unus eius ordinis, qui forte aderat dixerit: *Profecto aliæ muscæ siticulosæ magis urgebunt, semel gustato tuo sanguine.*

II. Secundo, R. Haccados et Ioannes Ferus per muscas accipiunt exploratores et proditores. Musca enim curiose aliena invadit, omniaque obit et lustrat, ut referantur hæc ad bellum et urbem obsessam, de qua c. præc. v. 13. q. d. Sicut muscæ perdunt unguentum pretiosissimum, sic proditores qui curiose omnia explorant, et perfidi consiliarii perdunt urbes et respublicas. Hinc Plautus in Mercatore ita curiosum pingit:

Musca est pater meus: nihil potest clam haberi illum,
Nec sacrum, nec profanum est, quin adsit ibi illico.

Verum hæc omnia remota sunt, alienaque et longe petita.

III. Tertio ergo et genuine, q. d. Sicut musca, oleo se immergens, se ipsam interimit et oleum fœdat; sic una stultitia unius peccati et peccatoris fœdat et perdit tum se, tum suavitatem gratiæ et famæ: hanc enim repræsentat *oleum*, id est unguentum odoratum. Nam gnome hæc pertinet ad finem capitis præcedentis, scilicet ad *τo qui in uno peccaverit multa bona perdet*. (Ita S. Hier. et Olympiod.) ubi dixi hæc spectare proprie ad principes et magistratus, ac similes, qui civitates regunt, et ab obsidione liberant; horum enim error unus non tantum sibi, sed et urbi non raro excidium, vel damnum grave affert; generatim tamen extendi ad quoslibet, qui ex una modica imprudentia, aut vitio gravia sibi suæque famæ, quin et aliis damna accersunt, iuxta illud: *Modicus error in principio, magnus fit in fine.*

Nota, *τo morientes*; muscæ enim fragrantia et dulcedine unguenti illectæ, ad illud certatim advolant, unde illi ceu visco immerguntur, suffocantur, ait Thaumat. et moriuntur. Ita Galen. lib. 2. Simplic. medicam. cap. 20. *Madefactæ*, inquit, *oleo apes, muscæ, vespæ, formicæque intereunt.* Hinc muscas pollere odoratu et memoria docent Physici, quod ad dulcia et suavia et pinguia advolent, et licet sæpius abactæ, semper tamen eodem revolent.

Pro *perdunt* Hebr. est *fœtere faciunt*; Septuag. *putrefaciunt compositionem olei suavitatis*; Syrus et Arabicus: *corrumpunt*; S. Hieron. *exterminant*; Thaumat. *reddunt deformem*; alii: *flaccescere faciunt*; Camp. *corrumpunt, et bullis velut scabie obdormiunt*. Per fœtorem accipe spurcitiem, nauseam et horrorem, quem muscæ morientes in unguento, ingenerant intuenti, odoranti et gustanti; nam proprie muscæ non fœtent, uti reipsa experimur. Sic Exodi 5. 21. aiunt Hebræi Mosi et Aaron: *Fœtere fecistis nomen nostrum coram Pharaone*, id est ingratos, invisos et exosos nos fecistis Pharaoni. Muscarum tamen spurcities retundit fragrantiam et saporem unguenti, ut propter eam minus quam ante sit odoratum et sapidum. Simili enim modo, inquit Vatabl. parva insipientia reddit hominem fœtidum, id est, eum qui bene audiebat, male audientem, hoc est, ut Campens. *Malum æstimationis ei adimit.*

Muscæ symbolum. I. Mystice primo, musca notat improbas, vafras et malitiosas cogitationes a diabolo vel carne et mundo suggestas, quæ mentem sapientis instar muscarum circumvolitant, eamque inquinant. Ita S. Hieron. « Quia, inquit, sæpe calliditati mixta est sapientia, et habet malitiam prudentia, præcipit ut sapientiam simplicem requiramus, mixtaque sit cum innocentia columbarum, prudentes simul ad bonum, simplices autem ad malum. Iusto enim convenit habere parum simplicitatis, et propter nimiam patientiam, dum ultionem reservat, Deo stultum videri, quam statim se vindicantem, sub velamento prudentiæ exercere malitiam. »

II. Secundo, muscæ vitiantes unguentum notant improborum societatem pravaque exempla inquinare alios etiam probos. Significat, inquit S. Hieron. *per unum stultum multa bona subverti, quod sic malus mixtus bonis contaminet plurimos, quomodo muscæ, si moriantur in unguento perdunt odorem illius et saporem.* Et Scholiastes in Catena Græc. *Nam muscæ*, inquit, *suffocatæ unguento, inutile ipsum efficiunt: sic Iudæorum hæreticorumque sensus in bonam Scripturarum fragrantiam incidentes, et seipsos morte afficiunt, et putre fidelibus unguentum apparant.* Sic et S. August. l. contra Fulgentium Donatistam art. 14 per muscas accipit hæreticos: *Muscæ*, inquit, *morituræ Donatistæ circumvolant per totius corporis membra, sic ubi reperiant vulnera; sana pungunt, ægra lambunt, et eorum ulceribus peccatorum vermes fundunt, quæ nec ipsis cadaveribus parcant. Muscæ morituræ, cum oleum exterminant, oleo perimuntur; neque enim vivitis, qui spiritum sanctum efflatis.* Ibidem confutat S. August. Donatistas, ex hoc loco docentes hæreticorum baptismum esse invalidum, ideoque iterandum; unde hanc gnomen sic ex cerebro suo exponebant: muscæ perdunt suavitatem unguenti, id est hæretici perdunt sacramentum Baptismi, in quo baptizati oleo inunguntur. Porro verius S. Epiphanius l. 1. c. 3. Archonticis hæreticis hanc gnomen adaptans: *Baptismum*, inquit, *detestantur, veluti muscæ mortiferæ, et olei odorati compositionem vitiantes. Quemadmodum etiam de his, et horum similibus parabola apud Ecclesiasten dicta est: Nocera enim sunt muscæ interficientes, mortificantes ac putidum facientes aromaticum et unguentarium oleum, hoc est ipsa sancta Dei mysteria.*

III. Tertio, Chald. per muscam accipit concupiscentiam: *Concupiscentia mala*, inquit, *quæ manet iuxta portas cordis, est sicut musca, quod causam afferat mortis in mundo; adeo ut tradat sapientem in tempore quo peccat, et corrumpat nomen bonum, quod simile fuerat ante unguento unctionis suavissimo cum aromatibus.* Concupiscentia apte comparatur muscæ, quia instar muscæ vilis est et exilis, mordax, immunda, spurca, pungens, importuna, infesta, improba et putida; musca enim ex putredine nata in putredine vivit et moritur, omniaque secum putrefacit. Idem facit concupiscentia. Unde S. Bern. ser. 44. in Cant. *Hæ* (concupiscentiæ) inquit, *prorsus muscæ sordidæ et pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis et sollicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suavitatem exterminant.* Rursum musca est brevis ævi; vivit enim paucos dies, imo subinde paucas horas duntaxat, neque in oleo, melle, aliaque re dulci suffocat, vel ad lucem lucernæ aut candelæ advolans adurit; idem facit concupiscentia et homo concupiscens; ipsa ergo est musca mortis, id est res vilis et exigua, sed mortalis, brevique moritura, et mortifera. Ad hæc, musca otiosa est, ideoque

vaga et curiosa, aliena invadit. Unde S. Franciscus: *Si quem cernebat otiosum et vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat*, eo *quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens vilem, et abominabilem omnibus se reddat*, ait S. Bonavent. in Vita eius, cap. 5. Sic et concupiscentiæ et curiositatis, omnisque mali causa et fons est otium. Denique musca est animal insolens, impudens, indocile et indomabile. Cætera enim animalia arte cicurari possunt, musca numquam. Sic et concupiscentia omnem respuit doctrinam, rationem et disciplinam; quare plane exscindenda et eradicanda est, imo ferro et flamma adurenda instar hydræ; alioqui renascitur et repullulat, imo reviviscit velut muscæ. Nam *muscis humore exanimatis, si cinere condantur, redit vita*, ait Plinius lib. 11. cap. 36.

IV. Quarto, S. Greg. 18. Moral. cap. 18. per muscas accipit leves et importunas cogitationes, quæ suavitatem unguenti, id est puritatem, sanctitatem, dignitatem, pacem (et devotionem, ait Bonaventura præsertim in oratione) animi licet non tollant, inquietant tamen fœdant et perturbant: *Ægyptus*, inquit, *quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est, in qua quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?* unde alias dicitur: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; quia cogitationes superfluæ, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem, qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt; quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Ab his muscis*, ait S. Hier. *princeps dæmoniorum appellatus est Beelzebub, qui interpretatur aut idolum muscarum* (q. d. Deus muscarius, quod idolum hoc caput muscæ haberet, aut muscis ad carnes illi immolatas advolantibus, esset refertum) *aut vir muscarum, aut habens muscas*. Dæmon enim hasce cogitationum inquietarum muscas menti nostræ circumvolitantes immittit. Vide quæ de muscarum in Ægypto plaga dixi Exodi 8. 7. Porro Hebræi in *Pirke Avoth*, inter decem Patrum miracula tertium hoc assignant: *Non conspecta fuit unquam musca in domo sanctuarii*, ne ad carnes Deo oblatas et crematas avolans, eas fœdaret.

V. Quinto, Lyran. q. d. Sicut musca perdit unguentum, sic unum peccatum mortale perdit cumulum meritorum, æque ac bonam conscientiam; S. Ephrem vero per muscas accipit dæmones: « Dicit Ecclesiastes, inquit, muscas morientes perdere suavitatem unguenti, ut sancti quidem, peccati ac dæmonis intelligant vilitatem et impuritatem, negligentes autem insidias atque subtilitates. Inducit enim inimicus iis, qui sibi videbantur securi, perniciem. Et Elias Deum Accaron, muscam Baal appellavit. Insidet enim in mentibus impiorum tamquam in rosis et candentibus pascuis, hoc est marcescentibus; exprimitque immundam actionem ipsorum, ut ebullitionis temulentia eorum delectetur. Inter improbos versatur, ut draco; at inter luxu diffluentes, ut musca. Patitur se draco in muscam transformari, ut impietatis sanie miseros delectet. In parvis quoque venenata prævalet consuetudo, quæ animæ detrimentum affert ad omnem draconis dispositionem. »

VI Sexto, S. Bern. serm. in feria 4. Hebd. pœnosæ, hæc adaptat Iudæis Christum crucifigentibus: « Absit, ait, ut muscæ morituræ exterminent suavitatem unguenti quod de tuo corpore fluit; quia apud sinum tuum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Muscæ morituræ miseriæ sunt, muscæ moriturae blasphemiæ sunt, muscæ moriturae insultationes sunt, quas tibi reddit generatio prava et exasperans. In ipsa elevatione manuum tuarum, etc. pro reverentia tua clamas; Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Idem serm. de Triplici custodia manus, linguæ et cordis, applicat linguæ. quæ res modica est, sed magna dat damna: « Vilis, inquit, res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest; substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur; modicum membrum est, sed nisi caveas magnum malum. »

Septimo, muscæ sunt distractiones et sollicitudines negotiorum in oratione occurrentes, quæ cor lancinant et tam importunæ sunt orantibus, quam muscæ conviventibus. Apte dicuntur *morientes*, tum quia orationis gratiam et devotionem interimunt; tum quia, quamvis utiles, cum occurrunt, futuræ postea videantur: tamen post orationem non magis fructuosæ, quam res mortuæ deprehenduntur. Illa simulacra, quæ in oratione magnæ spem utilitatis offerebant, post orationem sic evanescunt, ut trunca et inutilia cadavera relinquantur. Unde constanter a nobis sunt abigendæ. in cuius rei typum cum aliquando Abraham sacrificium ex animalibus Deo offerret: *Descenderunt*, inquit textus, *volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham*, Genes. 15. v. 11. in quem locum D. Gregor. l. 16. Moral. cap. 19. *Sæpe*, inquit, *in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic ergo nos, cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.* VII.

Symbolice S. Eucherius lib. de Formis spirit. c. 5. et Pierius Hieroglyph. 25. cap. 25. per muscam accipit tam cacodæmonem, quam hominem impurum et maleficum. Musca enim Ægyptiis erat Hieroglyphicum importunitatis et importunæ vexationis. Musca enim adeo est impudens et improbe pertinax, ut, licet abacta, semper redeat, teque infestet, ac nullam tuarum occupationum rationem habeat, sive loquaris, sive dormias, sive scribas, sive comedas, sive legas, parata semper adstet, ut in faciem insiliat tuam, infesta, incommoda, noxia, nec alii rei nisi fastidio de se concitando idonea. talis est et dæmon ac homo diabolicus. Hinc Plutarch. Symp. 8. asserit duo tantum esse animalia domestica, quæ numquam humano convictu mansuescant, nec tactum, nec consuetudinem, nec disciplinam admittant, scilicet hirundinem et muscam: utramque enim semper indocilem et feram permanere. Sic ergo Pierius hanc gnomen explicat: *Muscæ morientes exterminant olei suavitatem*: hoc est, adeo malignum est muscarum genus, ac perinde Beelzebub, puta cacodæmon et homo maleficus, ut vel si moriendum sit, nocere eligat et optet; quippe qui vel bonos alicuius mores corrumpat, vel virtutem aliquam infringat se quoque simul perdi pro nihilo habeat.

PRETIOSIOR EST SAPIENTIA ET GLORIA, PARVA ET AD TEMPUS STULTITIA.) Ita legendum cum Roman. Alii enim Codices mire hic variant. Vide Franc. Lucam in Notis ad hunc locum. Sensus videtur planus, scilicet quod sapientia gloriosa præstet stultitiæ, quæ in se vilis est, parva et ingloria; ut sapientia sit nominativi casus, stultitia ablativi. Verum ut taceam hunc sensum esse exilem et frigidum: quis enim hoc nescit? ex Hebræo liquet contrarium, scilicet τὸ *sapientia et gloria* esse ablativi casus, τὸ vero *stultitia* nominativi. Sensus ergo est, q. d. Parva et tempore opportuno congruoque usurpata stultitia præstat rigidæ sapientiæ et gloriæ, quæ subinde in periculis sibi aliisque occasio est magni damni; præstat subinde simulare stultitiam, quam ostentare suam sapientiam et gloriam. Alludit ad pauperem, qui sua sapientia liberavit civitatem obsessam; hic enim a mundanis ob paupertatem ridetur, eiusque sapientia, quia paupertati mixta, videtur stultitia; sed hæc eius stultitia potior est omni mundanorum sapientia et gloria. Hinc illud Horatii lib. 4. Carm. Oda 12.

Misce stultitiam consiliis brevem,
Dulce est desipere in *loco.*

Et illud:

Stultitiam simulare loco prudentia summa est. Prudens desipit suo loco.

Sic David simulans stultitiam coram Achis rege, pericu-

lum mortis evasit, 1. Regum 21. quia et Brutus formam stultitiæ assumpsit, ut adipisceretur imperium, ut tradunt Histor. Roman. Sic Christus huic mundo factus est stultus, dum elegit et docuit paupertatem, humilitatem, patientiam, quæ mundus æstimat stulta; sed hæc stultitia summa est sapientia; unde Paulus: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Et: *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, 1. Corinth. 1. v. 21. et 25. Vide ibi dicta. Sic pariter stultitia qua sancti a mundanis existimantur stulti, pretiosior est omni mundi sapientia et gloria. Unde et Paulus dicebat: *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.* Et noster S. Ignatius: *Desidera stultus haberi ab hominibus, ut sapiens habearis a Deo, ut ipsum lucrifacias.*

Sis populo demens, sic sapis ipse Deo.

Hoc est quod ait Paulus 1. Corinth. 3. 18. *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* Sic ut insipientibus, pueris, rusticis docendo te accommodes necesse est, ut cum iis desipias et quasi repuerascas, iuxta illud Pauli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*, 1. Corinth. 9. 22. Magna ergo sapientia est cum rusticis agere rustice, cum pueris pueriliter, cum insipientibus insipienter: qui enim hoc facere nescit, frustra in iis erudiendis laborat. Sic principi et magistratui necesse est ut humori, capacitati et ruditati plebis se accommodet.

Porro Hebr. sic habent: יקר מחכמה מכבוד סכלות מעט *iakar mechochma miccabod sichlut meat*, quod varie a variis vertitur.

Quadruplex versio.
1. Primo: Pagnin. Vatabl. Clarius, Arias, Caiet. Campensis aliique Hebraizantes hoc hemistichium præcedenti nectentes, totum hunc versum sic apposite nectunt et vertunt: *Sicut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti, sic virum pretiosum ob sapientiam et gloriam perdit parum stultitiæ*; vel sic: *Vir pretiosus ob sapientiam et gloriam fœtet propter parvam stultitiam*, q. d. Parva stultitia perdidit totam hominis existimationem et gloriam, quam ob sapientiam et sapientia dicta factaque adeptus erat. Audi Caiet. Modica stultitia faciet putere et fœtere hominem quemlibet eximium, qui ipsa videbatur pretiosior sapientia et omni honore superior; quemadmodum vel musca, sicut est dictum, nobilissimum corrumpit unguentum. Nam bonum consurgit ex integra causa, et mali licet parvi magna contagio est.
2. Secundo, Lyran. hebr. יקר *iakar*, id est *pretiosus*, vertens *ponderosus*, sic transfert: *Ponderosior præ sapientia et gloria est parva stultitia. Ponderosior*, quia hominem deprimit, deiicit et perdit. Verum hebr. *iakar* ubique pretiosum significat,
3. non ponderosum. Tertio, Septuag. verba traiicientes contrarie vertunt: *Parum sapientiæ pretiosius est, quam gloria magna stultitiæ.* Ita Olympiod. ut sit antithesis cum muscis, q. d. Paucæ muscæ perdunt suavitatem unguenti, at multi magnique stulti non perdunt nec corrumpunt sapientem, licet minus sapientia præcellentem. Parva enim sapientia dignior et fortior est magna stultitia omnique eius gloria, hoc est omni divitum insipientium honore, opulentia, pompa et splendore. Unde Arabicus, Septuag. de more secutus, vertit: *Exiguum e sapientia pretiosius*
4. *est magnificentiis stultitiæ plurimæ.* Quarto, Noster optime ex Hebræo vertit: *Pretiosior est sapientia et gloria parva et ad tempus stultitia*, eo sensu quem initio assignavi. Consentit enim Chald. *Quantum autem sapientium prudentia et divitum opibus præstat is, cuius mediocris est et levis stultitia!* Et S. Hieron. in veteri editione: *Pretiosa est super sapientiam et gloriam stultitia parva.*

Quæres: Quomodo hæc versio cohæret in eodem versu cum muscis perdentibus unguentum? Resp. per antithesin vel exceptionem hoc sensu, q. d. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti: sic pariter stulta veraque stultitia perdit sapientiæ famæque suavitatem. Dico, stulta stultitia: nam sapiens parvaque stultitia, quæ congruo tempore sapienter assumitur, præstat sapienti rigidæque sapientiæ, adeoque eius gloriam offuscat, exterit et perdit. Aut magis directe et quasi ex æquo, q. d. Sicut parvæ paucæque muscæ perdunt suavitatem unguenti; sic parva stultitia, quæ scilicet a mundanis vocatur *stultitia*, cum revera ipsa coram Deo sit vera meraque sapientia superat et perdit omnem suavitatem sapientiæ et gloriæ mundanæ, utpote cum ea sit longe pretiosior et potentior, uti patuit in Christo et Apostolis, iuxta illud: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo*, Isaiæ 29. 14. et 1. Corinth. 1. 19. Alludit enim, ut dixi, ad pauperem sapientem, qui sua sapientia liberavit civitatem, sed ob paupertatem despicitur, et habetur velut musca languida et moriens, id est, homo nullius momenti, cum revera ipse sit apis præstantissima, suavissimum sapientiæ mel distillans.

Tropol. S. Hier. et ex eo Albinus: Pretiosior et utilior est humilis gloria, quam superbi elatio. Melius est ad tempus stultum videri, id est, simplicem quam superbum et gloriosum. Et Lyran. Pretiosior est sapientia cum honore parvo, quam stultitia cum honore magno, iuxta illud c. 4. 13. *Melior puer pauper et sapiens rege sene et stulto.*

Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius.) Hebr. *ad dexteram eius*, etc. et *ad sinistram eius*. Cor omnibus hominibus sive sapientibus, sive stultis est in medio, non corporis (huius enim medium est umbilicus) sed thoracis sive pectoris, ad lævam tamen vergens, ut docet Hippocrates, Galenus, Aristot. cæterique Physici et Medici. Vers. 2

Per *cor* ergo non cor corporis, sed mentem, puta rationem, voluntatem, affectum, eiusque actiones et operationes accipe. Est catachresis; quod enim cor est in corpore, hoc mens est in anima. Sensus igitur est primo, q. d. Sapiens cor habet in dextera, id est omnia sua prompte, Cor sapientis in dextera, stulti in sinistra.
expedite, agiliter, sapienter, feliciter facit; stultus vero 1.
habet cor in sinistra, id est sua facit tarde, impedite, inepte, stulte et infeliciter. Nam in dextera corporis parte ac manu plus est virium et agilitatis, quam in sinistra; hinc dextera symbolum est roboris, promptitudinis, agilitatis, sapientiæ, felicitatis; sinistra vero debilitatis, tarditatis, hæsitantiæ, imprudentiæ, infelicitatis.

Secundo, q. d. Sapiens omnia facit cum ratione et iu- II.
dicio, perinde ac si cor, id est mentem haberet ad dexteram; stultus vero sine ratione et iudicio operatur, perinde ac si cor haberet ad sinistram. Ratio est quod sapiens operetur ex sapientia, id est ex corde, mente, ratione et iudicio: stultus vero operetur ex stultitia, id est ex concupiscentia, quasi hæc sit illi ad dexteram, omnia imperans, iubens, dirigens; mens vero et ratio sit illi ad sinistram. Unde Hebr. est: *Cor sapientis ad dexteram eius, et cor stulti ad sinistram illius.* Nam ut docet Aristot. dextera omnia sunt validiora: hinc dextera pars initium præbet incedendi. Dextera enim pars movere, sinistra moveri apta est, ob eamque rem onera non parti moventi, sed mobili imponi debent; ideoque baiuli illa non dextero, sed sinistro humero imposita baiulant. Ita ipse lib. de Incessu animal. c. 3. Quia ergo in sapiente validior est mens et sapientia, utpote quæ movet alias vires, regitque ipsam concupiscentiam: hinc illi cor, id est mens est ad dexteram, concupiscentia vero ad sinistram. Vice versa in stulto, id est vitioso validior est concupiscentia, quæ movet cæteras vires ad prosequendum opes, epulas, honores quos concupiscit: hinc concupiscentia est ei ad dexteram, cor vero et mens ad sinistram.

Tertio, cor sapienti est ad dexteram, id est ad honesta, III.
meliora, saniora et sanctiora tendit, scilicet ad virtutes et bona opera, quibus perveniat ad felicitatem et vitam æternam. Ita Chald. *Cor sapientum, ait, incumbit ad acquirendam legem, quæ data est manu dextera Dei, et cor stulti ad acquirendas facultates argenti et auri*; et Thaumat. *Sapiens, ait, ad res dexteras et honestas sibi dux est; stultus autem ad res lævas propendet, nec unquam ad res præclaras duce stultitia utitur*; et S. Hieron. *Iustus, inquit, in se sinistram non habet, sed totum in*

Matth. 25. *eo dexterum est. Et cum ad iudicandum Salvator venerit, agni stabunt a dexteris, hædi vero a sinistris erunt.*
Prov. 4. *Et in Proverbiis scribitur: Dexteras vias novit Dominus, quæ autem perversæ sunt a sinistris sunt. Qui ergo sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat, quod ducit ad dexteram. Qui vero insipiens est, de præsenti quod positum est in sinistra. Quæ quidem secutus idem Philosophus et Poeta ait:*

Dextera quæ magni Ditis sub mœnia ducit.
Hac iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.

Firmianus quoque noster in præclaro Institutionum suarum opere, Y, litteræ meminit, et de dextris ac sinistris, hoc est de virtutibus et vitiis plene disputavit. Vide dicta Prov. 4. 27.

IV. Quarto, sapienti cor est ad dexteram, quia circumspecte, efficaciter, ordinate, et perfecte sua facit, ut in nullo erret: stultus vero ad sinistram, quia improvide, languide, præpostere, imperfecte sua peragit; hic semper defectum aliquem operi bono admiscet. Hic sensus recte cohæret cum eo quod præcessit: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Insuper sapiens cor habet dexterum, validum, robustum et constans in bono, ut in eo contra omnes Satanæ, mundi et carnis insultus immotus persistat; stultus vero habet cor sinistrum, id est invalidum, infirmum, inconstans; quia ubi bonum facere cœpit, mox levi tentatione pulsatus ab eo deficit et recidit.

V. Quinto, dextera symbolum est libertatis æque ac liberalitatis; sinistra, servitutis et avaritiæ. Ad dexteram enim incedunt domini liberales et magnifici; ad sinistram servi arcti et avari. Stultus ergo sua facit serviliter, arcte, coacte et avare: sapiens vero libere, ample et liberaliter. Hinc Ægyptii, teste Pierio, dictitabant a dextera Dei promanare omnia bona et beneficia, a sinistra vero omnia mala, omnes plagas et supplicia. Hinc rursum quidam vir eruditus sic exponit, q. d. Cor iusti semper pulsatur et erigitur dextra et felici bonorum spe, at cor impii pulsatur et percellitur sinistra diffidentia, suspicione, metu, pavore et angore.

Denique breviter hæc omnia complectaris sic exponenda: Cor sapientis est in dextera, id est in sapientia, hoc est in prudentia et virtute; illi enim totus intendit, et in ea quasi moratur et habitat: stulti vero cor in sinistra, id est in stultitia, puta in imprudentia et concupiscentia; illi enim totus incidet et incumbit. Hunc esse sensum indicat id quod sequitur.

Vers. 3. Sed et in via stultus (male quidem legit *stulti*, licet ita quoque verti possit ex Hebræo) ambulans, cum ipse insipiens sit (Hebr. *deficiat corde*, id est sapientia; Syrus: *Cor eius pusillum*, id est parvi animi et iudicii est. Arabic. *Indigere facit eum cor suum*, ut sit inops mentis et consilii) omnes stultos æstimat.) Symmachus: *Suspicatur de omnibus, quia stulti sunt;* Campensis: *Quacumque iverit stultus, vecordia eum comitabitur, et obvios omnes stultos appellabit.*

Cohæret apte hæc gnome præcedenti, q. d. Cor stulti adeo est sinistrum, id est stultum, ut cæteros omnes, etiam sapientes stultos æstimet; tum quia ex stulta persuasione et philautia se solum sapere æstimat, reliquos vero desipere, sicut qui palatum habet infectum, saporem dulcem æstimat amarum, et eos qui secus censent, errare et delirare autumat. Hoc est quod dicitur Proverb. 12. 19. *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias;* tum quia cæteros ex suo metitur ingenio et affectu: quare quod ipsi sapit et placet omnibus sapere et placere iudicat; ut si ipse sit gulosus, luxuriosus, superbus, etc. omnes gulosos, luxuriosos, superbos, etc. iudicet; qualis enim quisque est, tales et alios iudicat, ait Aristot. 3 Polit. 6 Sic Nero, libidinibus oppletus, certo sibi persuadebat neminem esse castum, aut ulla sui corporis parte pudicum, teste Sveton. in Vita eius, cap. 29. Sic hæretici censent Catholicos sacerdotes et religiosos impure vivere et caute, non caste, eo quod illis castitatem servatu putent impossibilem, uti sibi impossibilem iudicant. Nam ut ait Seneca: *Omnis affectus hoc habet, ut in quo ipse insanit, omnes furere putet.* Et ut ait Cassian. Qui alicui vitio subiacet, pronus est ut eidem alios subiacere iudicet. Hinc infert Seneca signum viri boni esse, si displiceat malis, nondum est bonum et felicem esse, quem nondum turba derideat.

Pro *omnes stultos æstimat*, Hebr. habent: *Dicit omni, quod stultus est;* quæ verba indefinite varie definiri possunt: primo, q. d. Stultus dicit cuilibet: *Tu es insipiens;* secundo, q. d. Stultus dicit omnibus se esse insipientem, id est quidquid negotietur et agat reipsa ostendit, quod cor id est mens ipsi deficiat, ideo omnibus patefacit suam stultitiam. Hoc secundum secuti Septuag. vertunt: *Etiam in via stultus ambulat, cor eius deficiet, vel retardabitur, et quæ cogitabit, vel ratiocinabitur, omnia stultitia sunt;* Thaumatur. *Cogitatus eius vani sunt stultitiaque referti;* Olympiod. Septuag. sic explicat: *In hac vita, quam vere viam dixeris, stultus perambulans, eum ad sinistra cor habeat, semper cessat, ac posterior invenitur; in vacuum enim pergit, nequaquam sibi proposita supernæ vocationis bravia. In anteriora itaque sese non extendit, nec properat ad finem; sed quamvis ad hæc ipsa pergere videatur, media in cursu deficiet, omnia imperfecte et sine ratione cogitans et aggrediens. Quod si ipsam adeat viam iustificationum, vel ut verius dicam adire se simulet, hoc est divinorum observantiam mandatorum; quia tamen illius mens deflectitur ad sinistra, cessabit prorsus atque deficiet, ut neque quid præceptum sit, intelligat, neque operetur, iuxta legislatoris voluntatem.* Chald. vero vertit: *Etiam in via perplexa tempore quo stultus ambulat, cor eius caret sapientia, ita ut faciat verba quæ non decet fieri, et omnes dicunt ipsum esse stultum.*

Si spiritus potestatem habentis (Hebr. *dominantis.*) ascenderit super te (Symmachus: *supervenit tibi, vel irruat in te;* Thaumat. *Si bellum tibi moveat spiritus adversarius, resistas valide*) locum (S. Cyrill. in 4. Isaiæ legit *cor*, in corde enim est locus sapientiæ et constantiæ) tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.) S. Ambros. legit: *Cura mitigabit delicta magna. Cura*, id est diligentia, ne quo in te desit officio tuo, ait ipse in Psalm. 37. Symmachus: *Quia pudicitia comprimit peccata magna.* Minus recte Aben Ezra, per curationem accipit remissionem animi, otium. item medicinam, qua medicus curat morbos corporis. Septuag. Hebr. מרפא *marpe*, id est *curatio*, vertunt, *sanitas;* Syrus, *medicatio;* Arabicus, *miseria;* Paguinus, *lenitas* Pro *locum tuum*, Tigurina vertit, *stationem tuam;* Vatablus, *locum pristinum.* Iam Vers. 4

Primo, Campensis sic vertit: *Si cupiditas dominandi animum tuum invaserit, locum priorem ne facile deserueris, nam qui ab huiusmodi cupiditatibus animum suum compescet, multa vitabit et gravia peccata.* Accedit Tigurina quæ vertit: *Quoties affectus dominationis* (vel Domini, dominationis aut dominatio) *in te ortus fuerit, ne desere stationem tuam: nam qui affectus sedat, reprimit grandia peccata.* Idque dupliciter exponit Vatablus. Primo, q. d. Si dominandi obrepserit cupiditas, illam cura, id est reprime et castiga; sic enim vitabis peccata multa arrogantiæ, iniustitiæ, rapinæ, etc. in quæ incurrunt ii qui regunt, vel dominari cupiunt. Secundo, si regendi potestas tibi offeretur, noli efferri animo: sed modeste et prudenter ea utere, sic vitabis peccata multa. Favet Hebræus, S. Hieronym. cuius verba mox recitabo, æque ac Pineda. Vere Seneca epist. 84. *Quæcumque*, inquit, *eminere videntur in rebus humanis, per difficiles et arduas tramites adeuntur. Confragosa in fastigium dignitatis via est.* I.

Secundo, Caietan. q. d. Si dominatum et regimen acceptaveris, eris medicus, qui pro tuo munere facies medicinam peccatis, non omnibus tamen magnis: *Politica enim*, inquit, *gubernatio non tollit peccata omnia populi, sed peccata magna; de minimis enim non curat Prætor*, nec curare omnia potest: quod si tentet, audiet illud: *Stulti ad cribrum*, hoc est, stulti conantur omnia minima cribri foramina obturare, sed stulte et irrito conatu. II.

III. Tertio et genuine, q. d. Si ira, vis vel impetus potentis alicuius dynastæ te impellat in aliquod peccatum, ne desere locum et officium virtutis, quem requirit status et gradus tuus.

Quia curatio.) Hebr. מרפא *marpe*, id est medicina, sanitas, lenitas, curatio, quæ curas, ægritudines et passiones animi, tum tui, tum potentis te impetentis, *multa delicta avertet*. Unde Tigurina vertit: *Qui affectus sedat, reprimit peccata grandia*. Alii *marpe* vertunt: remissio, demissio, puta animus demissus, remissus, laxus et solutus, non inflatus, tumidus et superbus. Curatio ergo, sive sanitas; hæc est animi stabilitas et constantia virtutis, qua curas tuam infirmitatem, metum et pavorem, iuncta cum lenitate, patientia et mansuetudine, qua curas et mitigas potentis iram, itaque cessare facis delicta plurima, quæ committeres tu cedendo, et consentiendo improbæ voluntati potentis, sive principis, et quæ ipse committeret te cogendo ad consentiendum, vel te iniuste vexando, torquendo ac subinde necando. Curatio igitur est tolerantia impotentis et iniqui domini, quem qui retinet, avertit multas rixas, odia, simultates, damna, quæ alioqui orirentur. Nam, *patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam*, Proverb. 15. 1. et 25. 15. Vide ibi dicta.

Vox *curatio* significat in dominando intercurrere animi passiones, ægritudines et vulnera, puta in dominante fastum et iram, in eo qui dominatur metum et pavorem: ac utrumque a sapiente, velut a medico curandum esse, hunc constantia, illum lenitate et patientia. Unicum ergo remedium tentationum et persecutionum est animi stabilitas, quies et constantia; ex adverso, earum fomentum est animi levitas, pusillanimitas et inconstantia. Unde Ierem. Thren. 2. 8. *Peccatum*, inquit, *peccavit Ierusalem, ideo instabilis facta est*. Vide ibi dicta. Et Salomon. Prov. 27. 8. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum*. Et Eccles. cap. 11. 22. *Confide in Deo, et mane in loco tuo*. Et Paulus: *Sic state in Domino, carissimi*. Philipp. 4. 1. Idem a Salomone didicere Philosophi. Unde Horat. libro 3. Carm. Oda 3.

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Hic ergo est sanus et validus, imo curans et sanans suas et aliorum animi ægritudines. Ita S. Hieronym. Titelm. Lorinus et alii.

Tropolog. quod tamen nonnulli censent esse litterale, S. Hieron. Salon. Thaumat. et alii per spiritum potestatem habentis accipiunt impulsus et tentationes diaboli ac concupiscentiæ, cui resistendum est per mentis et propositi in bono constantiam; hæc enim est curatio et sanitas animi, quæ cessare facit peccata plurima, ad quæ incitat animam dæmon per motus concupiscentiæ, quos ex ea in ea suscitat. Ita Chald. « Si spiritus appetitus mali, inquit, dominatur tui et confortatur, ut ascendat super te, ne dimittas locum tuum bonum, in quo stare consueveras: quoniam verba legis creata sunt medicina in sæculo, ad dimittenda peccata, et ut oblivioni tradantur coram Domino peccata maxima. » Unde S. Ambrosius in Psalm. 41. « Et si spiritus, inquit, potestatem habentis in te ascendat, ut habes in Ecclesiaste, locum tuum ne derelinquas. Etenim superiorem te Christus constituit, quem ad imaginem Dei fecit. Tene ergo superiorem fidei et pietatis locum quem a Deo accepisti, ut superior factus ascendentem de inferioribus, hoc est de terrenis et sæcularibus, spiritum nequam facile repellas, et signa eius non suscipias in pectore tuo, non occupet animæ tuæ vestibula, nec introitus mentis tuæ, et quasi in sylva lignorum ignibus suis caduca et fragilia populetur, aut securibus suis ianuas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non sylva, sed vinea, ut porta nostri oris et cordis clausa diligentius, ne hostis introeat. Cito deiicit ianuam, si patentem eam invenerit. »

Sic et Cyril. Hierosol. Catech. 2. et Cyril. Alex. l. 12. de Adoratione in spiritu, qui et addit: Si vitia non castigentur, serpere in dies ad maiora, et cor mentemque corrumpere, atque ad summam perniciem perducere. Nam ut ait S. Hieron. citans hanc gnomen tract. de Virg. servanda: *Quasi in procinctu et in acie stamus semper ad pugnam. Vult nos loco movere hostis, et de gradu decedere; sed solidanda vestigia sunt, et dicendum: Statuit supra petram pedes meos, et petra refugium leporibus*, Psal. 39. et 103. Iam particulatim

Spiritus potestatem habentis, quis? Resp. I. Primo, S. Hieron. per spiritum hunc accipit spiritum sive impulsum libidinis, quem curat amor castitatis et constantis pudicitiæ. Unde pro *curatio*, Symmachus vertit, *pudicitia*. Audi S. Hieron. ex Symmacho: *Si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas; quia pudicitia comprimit peccata magna, id est si titillaverit, mentem tuam diabolus, et te ad libidinem concitaverit, ne sequaris cogitationem pessimam et blandientem voluptatem; sed sta fortis et rigidus, frigore castitatis flammam voluptatis extingue. Hebræus in loco tale nescio quid suspicatus est. Si aliquam in mundo acceperis dignitatem, et ordinatus fueris maior in populis, noli relinquere priora opera tua, et antiquarum virtutum ne incipias oblivisci, laboremque pristinum non habere; quia peccatorum tuorum remedium ex conversione bona nascitur, et non ex tumenti et superflua dignitate*. Sic et S. Basil. l. de Virg. per potestatem accipit potestativam cogitationem concupiscentiæ, quæ mentem virginis potenter invadit, et sollicitat ad turpia; sed illa si sapit, loco suo stet eamque excutiat: *Nullius igitur*, inquit, *absentis, nullius præsentis hominis speculum sit virginis anima, nisi sancti sponsi sui, nulla in ea alia, quam sponsi inspiciatur forma*. Et Auctor Caten. Græc. *Si te*, inquit, *superiora petentem spiritus fornicationis malus, vel avaritiæ casu adortus fuerit, omnes illi sensus occludito. Quod si peccaveris, pœnitentiæ pharmacum quære*: ubi per curationem, sive medicinam, vides accipi pœnitentiam. Tunc ergo spiritus habentis potestatem ascendit super aliquem, cum animæ morbos illum impugnat, ac miserabiliter subiicit. Et quod tunc medicamen opponendum? illud certe, ut vitia impugnatus locum suum, id est, modum curationis non deserat: quia uniformis atque assidua curatio peccatis maximis solet mederi, quanto magis minora, aut non nimie radicata curabit?

II. Secundo S. Ambr. l. 1. de Offic. c. 21. per spiritum hunc accipit spiritum iræ: « Ergo, ait, si prævenerit et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non derelinquas locum tuum; locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, et perversitas impulerit ad indignationem; si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, et sequere eam. Pacem illam sancti Iacob vide. Quanta primum sedatio animi? Si non prævalueris, frenos impone linguæ tuæ: deinde reconciliationis studium non prætermittas. »

III. Tertio, S. Gregor. 3. Moral. cap. 13. per spiritum hunc accipit spiritum superbiæ: « Ita namque, inquit, malorum locus est superbia, sicut est e contra humilitas locus bonorum, de quo loco per Salomonem dicitur: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris; ac si aperte dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo prævalere consideras, humilitatem pœnitentiæ non derelinquas. Qui quia locum nostrum humilitatem pœnitentiæ dixerit, verbis sequentibus ostendit, dicens: Quia curatio cessare faciet peccata maxima. Quid enim est aliud humilitas lamenti, nisi medicina peccati? »

IV. Quarto, S. Bernardus serm. de quadruplici debito, per spiritum hunc accipit tentationem dæmonis contra vocationem, ut scilicet ordinem tuum deseras prætextu melioris boni: « Secundum enim impetum, inquit, spirituum vestrorum huic tepido remissiorem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc solum expetens et expectans, ut

quoquo modo tollat eum a concilio iustorum et congregatione. Profecto spiritus ille qui tibi hoc suggerit, spiritus mendax est, spiritus potestatem habens, qui tibi invidet locum tuum. Unde et Sapiens huius rei non ignarus: Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, ait, locum tuum ne dimiseris. Absit enim ut spiritus veritatis, qui te huc adduxit, te reducere velit: quia non est in ore eius, est et non, sed est in illo, est, sicut irrefragabilis auctoritas testatur: Nemo, ait Apostolus, loquens in spiritu Dei, dicit anathema Iesu. Iesus salvator, sive salus, anathema separatio interpretatur. Qui vero tibi separationem a salute submurmurat, nec Dei Spiritus est, nec a Deo; quia Spiritus sanctus non dispergere, sed colligere venit: qui semper revocat dispersos Israel, in terram suam. » Idem sermon. 48. inter parvos, dupliciter exponit, scilicet de duplici animæ portione: « Duo, inquit, loca sunt animæ rationalis, inferior quem regit, et superior in quo quiescit, Deus. De utroque potest recte intelligi quod scriptum est: Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris, vel inferiorem, scilicet regendo; vel superiorem, quiescendo. » Et inferius: « Dicitur si ergo ne ascendente super eam spiritu locum suum deserat, hoc est, ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat. Notandum autem quod dicitur: Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, nihil quippe adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cum eius sit voluntas semper mala, numquam potestas est nisi iusta. Nam voluntas quidem ex seipsa sibi inest, potestatem vero non aliunde quam a Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quam eorum exigunt merita, qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta sint. Cæterum de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis, quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecumque ille tentaverit, ipsa in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. » Et mox: « Hæc, inquam, sententia convenit perfectis, qui iam in sua conversatione quodammodo imitantur statum æternitatis. »

Vers. 5. et 6. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, positum stultum (repete vidi) in dignitate sublimi (Hebr. *Positam stultitiam in excellentiis*, vel *celsitudinibus*, id est *magnis*) et divites sedere deorsum.) Hebr. *Et divites in humilitate* (in humili loco et sede) *sedebant*; Septuag. *Datus est stultus in sublimitatibus magnis*; vetus translatio: *Dari stultum in sublimitatibus magnis*; Chald. *Posuit improbum stultum ut sit in felicitate, et ministret in prosperitate, et cælo alto, et exercitus eius sint sublimes et multi, et populus servituti subditus sub eo*; Arabicus: *Datus est stultus in altioribus* (locis) *et divites sedebunt in statu contempto*. Apposite hæc gnome nectitur præcedenti, q. d. Dixit: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*; quia inter alias mundi regumque et aulicorum vanitates, hæc una non minima est, quod sæpe per errorem principis potestatem habentis pauperes, viles et insipientes exaltentur; divites vero honorati et sapientes deprimantur: quare si idem tibi contigerit, locum tuum ne dimitte, patientiam retine, et mentis constantiam conserva.

Stulti subinde præsunt sapientibus. Ingens utique hæc est vanitas et indignitas, cum cauda assurgit in verticem, pedes cum capite locum commutant, stulti imperant sapientibus, cæci oculatis ducatum præstant, iuxta illud: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem*. Prov. 26. 8. Vide et Symmachum lib. 1. Epigr. 20. applaudentem Ausonio: *Cui morum gravitas et disciplinarum vetustas, curulis sellæ insigne pepererunt*. Error proprie est in intellectu, ut cum princeps ex falsis informationibus putat sapientem et probum esse eum, qui est insipiens et improbus, ac vice versa eum qui est probus et sapiens putat esse improbum et insipientem, ideoque illum elevat, hunc deprimit. Unde Aquila et Theodor. pro *error* vertunt *ignoratio*. Subinde tamen error est in voluntate et affectu, dum ex amore quo insipientem, quia facetus est et adulator, aut suæ cupiditati obsequitur, eum exaltat, atque ex odio quo sapientem, utpote sibi adversum, prosequitur, eum humiliat. Errore ergo principis fit hæc indigna personarum commutatio, et dignitatum officiorumque distributio; at non ex errore Dei, sed ex certa eius providentia, præsertim cum populum, vel principem, vel ipsos stultos aut divites vult castigare aut probare: cuius rei duo exempla illustria recenset Anastas. Nicænus quæst. 15. in Script. Hoc est quod ait Iob 30. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Ad hæc, stulti et impii *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*. Sapientes et pii ex alto labuntur in imum, ut præsentes honores, utpote instabiles, despiciant et futuros in cælis, utpote stabiles et æternos, suspiciant et ambiant. Quia enim fidat rebus et soliis humanis hoc uno constantibus, quod nihil sibi constant. Hesternum decus, hodiernum dedecus excludit. Hesternum gaudium hodiernus et repentinus mœror luctusque obruit. Hesternas opes hodierna inopia ignorat, imo, ex eis stipem poscit et mendicat. Hesternam spem et vitam hodierna mors, et desperatio strangulat et suffocat. O quantum est in rebus inane! o quam angusti sunt mortalium termini! Porro causam, cur Deus permittat stultos dominari et sapientes deprimi, esse eius iram et scelerum vindictam docet S. Chrysostomus homil. 2. de Pœnit. S. Augustinus lib. 19. Civit. 21. sanctus Gregor. 25. Moral. per plura capit. sanctus Cyprian. l. 1. Epist. 3. et 4. S. Bernard. de Convers. Cleric. c. 27. et alii.

Per stultum accipe pauperem et vilem, cui deest; per divitem vero, quem stulto opponit, accipe potentem et prudentem, qui sua prudentia et solertia opes et honores sibi comparavit, quales sunt domini et principes. Unde explicans subdit: *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos*. Est catachresis. Dives enim ponitur pro sapiente, quia divitiæ sæpe animos addunt, et ingenium industriamque acuunt, quod deprimit sternitque paupertas. Adde, divitiæ tam spirituales sunt, ut virtus et sapientia, quam corporales. Hinc nonnulli cum S. Hieronymo divitem accipiunt sapientem, qui sapientia, virtute, meritis animique dotibus dives est. Unde Campensis vertit: *Qui ad res gerendas vehementer idonei erant, in humilitate sedebant*; Thaumat. *Prudentiæ opibus affluentes*; Vatabl. *Divites sapientia et virtutibus*; alii: *Magni in sapientia et scientia*: sed hoc nonnullis mysticum videtur. Prius ergo quod dixi magis litterale est. Unde Aristot. 4. Polit. 8. *Nobilitatem* definit esse *veterem rum virtute opulentiam*; et S. Hieronym. contra Helvidium, esse *inveteratas divitias*.

Exempla huius sententiæ sunt: Reges 70. subditi fuere Adonibezec, sub mensa eius velut canes sedentes, imo iacentes et micas colligentes. Idem ipse facere coactus est victus et captus ab Hebræis, Iudic. 1. v. 6. et 7. Valerianus Imperat. captus a Saporo, dorso suo scabellum ipsi in equum conscendenti præbuit, uti et Baiazetes, Turcarum Imper. Tamerlano. Sic Diocletianus et Maximianus posito imperio humiles fuere, et subiecti Constantino Magno, imo ab eo ad necem adacti. Chald. exemplum dat Israelitas, qui cum essent domini, servire coacti sunt Idumæis aliisque gentibus, ut patet ex lib. Iudic. Sic Heliogabalus Imperator, ait Lamprid. cap. 11. Vitæ eius, libertos fecit præsides, legatos, consules, duces, omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Præclare Plutarchus Orat. 2. de fortuna Alexandri: « Quis, ait, magnus est in potentia constitutus, pravitate et stultitia eum tenentibus? Aufer virtutem a fortunato, prorsus humilem cernes in gratia paranda, ob illiberalitatem: in laboribus, ob mollitiem: erga deos, ob superstitionem: erga bonos, ob invidiam: inter viros, ob timiditatem: inter mulieres, ob libidinem. Sicut enim inepti opifices, dum magnas bases parvis donariis supponunt, eorum parvitatem hoc ipso arguunt; sic fortuna, cum ingenium vile magis ac splendidis rebus extollit, ideo magis demonstrat, atque infamiæ exponit, cum præ levitate labascit atque impingit. »

Sors reges facit servos.

Tropol. Stultus est stulta concupiscentia, quæ erigitur, dum insipiens ei se subiicit: sapiens vero est ratio et mens, quæ humili loco sedet, dum concupiscentiæ servire cogitur. Ita Olympiod. et Auctor Catenæ Græc. *Qui serviunt peccato*, inquit, *admissarii equi facti; qui notam peccato fuerunt dominati, humilem habent sensum.* Rursum princeps est diabolus, qui procurat indignos et impios promoveri ad honores, ut per eos populo dominetur, et sceleribus omnibus viam aperiat. Ita S. Hieronymus qui et addit Hebræum suum per principem intellexisse Deum, qui permittit impios ad honores evehi.

Vers. 7. VIDI SERVOS IN EQUIS, ET PRINCIPES AMBULANTES (pedibus quasi pedites) SUPER TERRAM, QUASI SERVOS.) q. d. Vidi servos gloriosos et superbos vehi phaleratis auroque instratis equis; dominos vero sordidatos incedere pedites, imo pedisequos. Hinc equus symbolum est fastigii et superbiæ; homo enim conscendit equum, ut altior incedat, et cervix equi erecta superbum indicat. Unde illud: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini nostri invocabimus*, Psalm. 19. 8. Thaumaturg. vertit: *Servos peccatorum in equis ferri, et viros sanctos pedibus honeste obambulare, videreque eorum se impios superbientes*, repete quod præcessit, opus est tyranni et diaboli. Exempla sunt in Roboam, cui Ieroboam servus decem Tribuum imperium ademit; in Aman, qui pedes Mardochæum equitem præire coactus est, se quasi præco proclamare: *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*, Esther 6. 9 Præclare Seneca epistul. 47. *Stare*, inquit, *ante limen Calixti dominum suum vidi, et eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Et mox: *Tu tam illum videre ingenuum potes, quam ille te servum. Mariana clade quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit, alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quam transire, dum contemnis, potes* Et paulo inferius: *Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Quoties in mentem venerit quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona ætas est: forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? vive cum servo clementer. In iter quoque et in sermonem admitte, et in consilium et in convictum.* Huius rei symbolo apud Romanos in Saturnalibus, famulis domini serviebant, ancillis matronæ Romanæ mense Martio, teste Macrobio lib. 1. c. 7. 10. et 12. Sapienter Comicus:

Fortuna quando saltat, insultat simul.
Regnante servo, vera regnat servitus.

Vide dicta Proverb. 30. 22. Compertum est, ait Victor. in Diocletiano, *humillimos quosque, maxime ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse.* Hinc Felix ex servo et liberto Claudii Imper. ab eo creatus Iudææ præses, *per omnem sævitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit*, ait Tacitus lib. 5. histor. c. 2. et Romani, teste Svetonio c. 59. Tiberio occlamabant:

Regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exsilio.

Tropol. S. Greg. 31. Moral. 40. « Equi nomine, inquit, dignitas temporalis accipitur, Solomone attestante, qui ait: Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram: Omnis quippe qui peccat servus est peccati; et servi in equis sunt, cum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur: Dormitaverunt qui ascenderunt equos, id est in morte animæ mentis oculos a veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt »

Vers. 8. QUI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM; ET QUI DISSIPAT SEPEM, MORDEBIT EUM COLUBER.

Vers. 9. QUI TRANSFERT LAPIDES, AFFLIGETUR IN EIS; ET QUI SCINDIT LIGNA, VULNERABITUR AB EIS.) Est hæc altera pars capitis, quæ post encomium sapientiæ et vituperium insipientiæ, utriusque dogmata, actus et effectus de more hic subnectit: insipiens enim dum aliis fodit foveam, id est struit insidias, ipse in eamdem insipienter incidit; quare sapientiæ et sapientum dogma est: *Ne fodito alteri foveam*; quam enim aliis fodis, tibi fodis. Ergo quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: ita Chald. qui pergit hæc adaptare Idumæis, qui dolo cepere Iudæos dulnsos; unde Ipsi Idumæi dolose a Chaldæis capti sunt: « Respondit, inquit, mensura iudicii, et sic ait: Ipsi fuerunt causa ut evenirent eis omnia hæc; quemadmodum vir qui fodit foveam in bivio itineris, reus est, ut cadat in eam; gens quæ transgressa est decretum verbi Domini, et tenuerunt pugnam sæculi, ceciderunt in manu regis impii, qui dolosus fuit eis sicut serpens » Ita ipse more suo arcte et Rabbinice.

Apte ergo hæc cohærent cum præcedentibus, q. d. Stulti sæpe deiiciunt sapientes, se servi dominorum sedes occupant per dolum, calumniam aut violentiam; sed hæc tandem in eorum caput recidunt, ut ipsi pariter ab æmulis vel hostibus deiiciantur et sternantur. Aliter Thaumatur. qui censet hic recenseri opera principis, de quo v. 5. puta tyranni vel dæmonis. Quatuor hæ parœmiæ ad eumdem scopum collimant, idemque significant, scilicet vanitatem et insipientiam eorum qui per res difficiles, arduas et periculosas, præsertim per fraudem aut vim, similemve iniuriam magna moliuntur, ex eo quod illa non nisi cum ingenti labore et periculo perficiant; quo fit ut sæpe periculo ipso lædantur et pereant; atque malum quod aliis parant, licet non semper, sæpe tamen in ipsosmet iusto Dei iudicio recidat; dum reciprocante iusta Dei vel hominum vindicta, clades eadem vel similis in eius auctores revolvitur; ut qui alteri pauperiem, spoliationem, carcerem, plagas, vulnera, necem iniuste machinati sunt, in eadem lege talionis incurrant; idque sæpe in hac vita, semper in futura. Caiet. subtiliter has quatuor parœmias ita distinguit, ut prima fossarum spectet ad insidias aliis parantes: secunda dissipantis sepes, ad aliena invadentes: tertia, transferentis lapides, ad eos qui congregationes perturbant: quarta scindentis ligna, ad eos qui unitatem scindunt, schismaque efficiunt; verum, ut dixi, eodem omnes tendunt, idemque in genere omnium est scopus, ac mens eadem. Ita S. Hieron. Thaumat. et alii.

Exempla sunt in Saule, cuius insidiæ contra Davidem in ipsummet revolutæ sunt, æque ac Achitophelis, 2. Reg. 17. 1. item Iezabelis, 3 Regum 21. 5. Caiphæ, Ioan. 11. 49. et aliorum. Sic Maxentius pontem dissutilem super Tiberim insidiose struens insequenti Constantino, ex eodem in Tiberim deiectus mersusque est, teste Eusebio libr. 9. Histor. c. 8. et lib. 1. de Vita Constant. c. 12.

Similes sunt Philosophorum gnomæ. Hinc Pausaniæ Lacedæmonum duci, Plutarchus in Cimone hoc datum narrat oraculum: Gnomæ.

Pœna luenda tibi est: affert iniuria cladem.

Et Pisistratus: *Nemo hominum aliquibus faciens iniuriam pœnam non persolvet.* Rhadamantus apud Arist. 5. Ethic. pronuntiat *iustum esse ut quæ quis fecit* iniuste, *eadem et patiatur.* Unde Pythagoræorum axioma: *Ius rectum fuerit, factis si perferat æqua.* Lex 12. Tabularum: *Si membrum rupit, ni cum eo pacet, talio esto.*

QUI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM.) Id est, qui alteri struit dolum, eodem peribit. Sumpta est metaphora a venatoribus, qui feris, et a militibus, qui hostibus dolose parant fossas, easque cespite contegunt, in quas incauti hostes et feræ incidunt; sed ipsimet venatores non raro incogitanter in easdem prolabuntur. Eamdem ad verbum gnomen habet Eccles. 27. 29. ubi eam explicui. Porro Thaumat. clare vertit; *At qui alteri insidiatur, nescit quod sibi ipsi primum, et soli parat insidias.* Sic sæpe (quod maxime hic spectat sapiens, ut dixi initio versus) qui per fraudem et calumniam viros probos statu suo deiiciunt, illumque invadunt et occupant, eodem ab aliis, quos illis æmulos Deus suscitat, deiiciuntur, imo subinde capite minuuntur et vita mulctantur.

QUI DISSIPAT (Vatabl. *perrumpit*; Tigur. *demolitur*) SEPEM, MORDEBIT EUM COLUBER.) Qui in cavernis vel herbis sepium delitescere solet. Sensus est, quem paulo ante dedi, q. d. Qui aliena invadit et irrumpit, in damnum idem vel simile incurret. Thaumat. *Qui securum alterius demolitur præsidium, in serpentis morsus passim incidet.*

Tropol. Sepes dissipant et lapides transferunt, ut sequitur, qui receptas probasque leges et iura tum politicæ, tum religionis, tum disciplinæ convellunt, ideoque puniuntur vel ab hominibus, iuxta illud Prov. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Et illud Isaiæ c. 58. 12. *Vocaberis ædificator sepium*, id est reformator disciplinæ. Ita S. Hieron. et Olympiod. Sepes, inquit, est fides Ecclesiæ fundata Apostolica prædicatione, quam subvertunt Hæretici: unde et ipsi subvertentur. Rursum sepes est sanctitas animæ, et timor Domini, quem qui dissipat mordebitur a diabolo. Unde Auctor Catenæ Græcor. totum hunc versum, sic vertit: *Qui peccat, ipse eum ipsius animam punit; Qui ergo contemnit præcepta, nal etiam in fallacium rerum cognitionem impingit, divina gratia nudatus mordebitur a peccato.* Insuper sepes sunt monimenta animæ, quibus defenditur a periculis peccandi, uti sunt claustra virginum, præsentia parentum, superiorum vel sociorum, quæ qui amovet facile in diaboli tentationes et morsus incidit.

QUI TRANSFERT (*subtrahit*; Caietan. *commovet*; Campens. *proiicit*; Syrus, *mutabit*; Arab. *tollit*) LAPIDES (id est maceriam aliquam lapidum, præsertim si id facit, ut sepem, vel hortum vel domum alienam diruat aut vastet) AFFLIGETUR IN EIS.) Tum labore, quo eos transfert, tum casu vel ictu lapidis cuiuspiam, quo læditur vel obteretur. Pro *affligetur*, Hebraice est, *dolore afficietur*; Aquila et Symmachus, *dilacerabitur in eis*; Compint. *torquebitur*. Sensus est, q. d. Qui rem periculosam aggreditur, non raro ipso periculo capitur et læditur. Rursum qui aliis damnum infert, sibi ipsi infert. Sic Samson concutiens columnas domus ad perdendum Philisthæos seipsum perdidit, dum eiusdem ruina oppressus est. Iudic. 16. 30.

ET QUI SCINDIT (secat, findit) LIGNA VULNERABITUR AB EIS.) Septuag. *periclitabitur in eis*; Syrus, *dissipatio eius fiet*; Arabic. *claudetur in eis*; alius. *calescet in eis*, id est aduretur et cruciabitur. Iam primo, Chald. hanc parœmiam et præcedentem accipit de Manasse adorante idola lignea, ideoque capto ab Assyriis: « Dixit Salomon, loquit, Propheta: Revelatum est coram me quod Manasses filius Ezechiæ futurus est ut peccet, et ut adoret simulacra lapidea; ideo tradetur in manu regis Assyriorum, ut vinciet eum catenis, eo quod cessare fecit verba legis, quæ scripta fuerunt a principio in tabulis lapideis; ideo tribulabitur in eis, et Rabsaces frater eius futurus est, ut adoret simulacra lignea, et ut dimittat verba legis, quæ posita fuerunt in arca lignorum Setim: ideo futurus est, ut comburatur igni per manum Angeli Domini. » Verum hæc symbolica, Iudaica et aliena sunt. Secundo, Vatabl. et Clarius censent hic significari citra industriam nil recte fieri posse, ac sine sapientia molestum esse quemvis laborem, ut sive quis lapides transferat, sive ligna findat, nisi adhibeat industriam multum sit laboraturus, seque defatigaturus, idque sæpe irrito conatu nulloque effectu. Tertio et genuine, sensus est, q. d. Qui res difficiles et periculosas aggreditur, sæpe earum periculis capitur et obruitur, iuxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum in illo peribit.*

Tropol. qui in Ecclesia vel congregatione facit schisma, eodem affligetur, imo subinde peribit. Alii referunt ad excommunicationem non temere, sed lente et raro ferendam, q. d. Qui temere et cito alium excommunicat et ab Ecclesia abscindit, hic facile ab eodem vel ab amicis vexabitur, et male mulctabitur. Rursum S. Nilus in Ascetico circa medium (exstat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum.) *Qui rationis*, inquit, *acie tamquam securi, res fecerit, et quæ concutienda sunt a coniunctione separans, vera bona a falsis seiungere profitetur, nisi recto undique rationis iudicio utatur, periculum addit, ne scandalum audientibus præbent.* Porro Auctor Catenæ Græcor. sic totum hunc versum convertit: *Qui insectatur cunctos, vel Scripturæ verbo signo adulterino depravat, sibi consciscit interitum. Vel: Qui domum suam virtutibus ædificat, secundum Deum laborat.*

SI RETUSUM FUERIT FERRUM, ET HOC NON UT PRIUS, Vers. 10
SED HEBETATUM FUERIT, MULTO LABORE EXACUETUR; ET (sic) POST INDUSTRIAM SEQUETUR SAPIENTIA.) Pro *retusum fuerit*, Hebr. est קֵהָה *keha*, id est obstupuerit, stupidum et obtusum sit: *keha* uti litteris ita et significatione alludit ad כָּהָה *caha*, id est caligavit, obscuritas est, pertinetque ad oculos et ad visum: quod enim est acies videndi in oculo, hoc est acies scindendi in cultro: unde sicut oculus hebetatus acie dicitur caligare, sic et culter. Hinc Caietan. vertit: *Si obscuratum est ferrum.* Rubigo enim obscurat et hebetat ferrum, a qua dum tergitur, politur, lucescit et splendescit, iuxta illud Ezech. 21. 9. *Gladius acutus est et limatus etc. ut splendeat.* Hebr. est והוא לא פנים קלקל *vehu lo panim kilkal*, quod Pagnin. et Tigur. vertunt: *Nec facies eius fuerit tersa, vel polita*; Vatabl. *Et ipsa scindens non terserit utramque latus*; Syrus: *Et ipsum faciem perturbat.* Noster melius vertit: *Et hoc non ut prius*, scilicet tersum politumque fuerit.

Pro *multo labore exacuetur*, Hebr. est וחילים יגבר *vachaialim iegabber*, quod varii varia vertunt. Septuag. *Et fortitudines confortavit*; Syrus: *Et interfectos multiplicat*; Pagn. *Et vires roborabit*; alii: *Vires roborabit scindens*; Tigur. *Exercitum postulat*; Campens. *Quantumvis fortibus, multum negotii exhibet*; Vatabl. *Tunc vires scindentis evincet ferrum*; Noster optime vertit: *Multo labore exacuetur*; S. Hieron. in veteri editione: *Et virtutibus coronabitur vel confortabitur*: Compint. *Et potentias confortabit*; Thaum. *Per iniustitiam adaugere quærit potentiam brevi duraturam*; alii: *Prævalebit exercitus. Et post industriam sequitur sapientia*; Septuag. *Et abundantia viro, in sapientia*; Syrus: *Lucrum prosperis sapientia*; Arabicus: *Et sapientia virtus roboris*; S. Hier. in vet. editione: *Et reliquum fortitudinis sapientia*; Symmach. *Procedit qui vigorem adhibuit ad sapientiam*; alius: *Præstantia rectificandi sapientia*; Pagnin. *Excellentia sapientiæ super alia est, quod rectum faciat*: Vatabl. *Excellentia rectificationis* (Caiet. *rectitudinis*) *est sapientia*; Campens. *Sapientia res difficiles alioqui, faciles reddit*; Tigur. *Exercitus etiam requirit aliquos, qui reddat eos fortiores*; alius: *Excellentia dirigit se per sapientiam.* Omnia fere eodem recidunt, q. d. Sicut cos acuit rectamque facit aciem ferri, quæ prius torta erat et retusa; sic excellentia, industria, et exercitium sapientiæ, velut cotis, in eo consistit, quod hominem faciat rectum, eumque dirigat in omnibus actionibus, illasque rectas, æquas, iustas sanctasque efficiat. Efficit enim ut homo a recto proposito non deflectat, sed in omnibus iudicium rectæ rationis, ac divinæ legis et voluntatis velut rectissimam operum regulam sequatur.

Denique Hebr. כשרון *kisron* tria significat, scilicet industriam, rectitudinem et congruentiam. Unde tertio vertas: *Et residuum, vel excellentia congruentiæ est sapientia*, q. d. Excellentia sapientiæ et virtutis in eo sita est, si omnia fiant congrue, honeste, decore, ut in omnibus servetur τὸ πρέπον; sed hoc opus, hic labor est mentis pervigilis, omnesque circumstantias loci, temporis, personarum attente lustrantis et circumspicientis. Iam

Primo, Chald. per ferrum accipit cælum ferreum, quod recludit aperitque sapientia, id est sapiens pœnitentium oratio: *Quando*, inquit, *peccavit populus, facti sunt cæli fortes sicut ferrum, ne deducerent pluviam; et quia illa generatio non oravit coram Domino, ideo condemnatum est omne sæculum in fame; et quando conversi sunt, et congregantur per turmas, et prævalent contra concupiscentias suas, et constituunt præpositos, ut quærant misericordiam a Deo cæli, est voluntas eius propter excellentem rectitudinem sapientiæ eorum: voluntas*, id est favor, benevolentia, beneficentia; unde Costus vertit: *Illis cæ-*

lum, propter dignitatem et decorem sapientiæ illurum, omnia ex voto tribuit. Verum nemo non videt hæc mystica esse, imo violentu et coaeta.

Secundo, Septuag. quos sequitur Thanmat. Olympiod. et S. Cyprian. lib. 3. Testim. ad Quiriu. cap. 86. hæc nectunt versui præeed. *Scindens ligno*, inqaiunt, *periclitabitur in eis; si exciderit ferrum, et ipse faciem turbabit*, q. d. Findens ligna periculum adit, ne si ferrum quo secat u manubrio excidat, ipsum turbet, dum ipsum vel alium ferit et lædit.

Tertio, Campensis vertit et explicat per antithesin ferri et sapientiæ, quod ferrum deficiat aliquando, sapientia numquam: *Si retusum*, inquit, *fuerit ferrum, quo secant ligna, quamtumvis fortibus multum negotii exhibebit; sapientia vero difficiles alioqui res, sæpe faciles reddit.*

Quarto, Hebr. חילים *chaialim*, quod Noster vertit, *multo labore*, significat quoque vires, copias, exercitus. Unde Tigurina vertit: *Cum ferrum hebes fuerit, nec facies ri polita, exercitium postulat. Exercitus quoque requirant aliquem, qui fortiores reddat, sed maiore studio optare conveniet sapientiam*; quia, ut superius dixit, plus valet plusque efficit sapientia, quam arma bellica. Sic et Pagnin. Clarius et Vatablus. Aliter quoque Caiet. Olympiod. Maringus, ac fere tot hic sunt versiones, quot interpretes; tot sententiæ, quot capita.

Verum longe melius et verius Noster vertit per homiosin, sive assimilationem ferri cum sapientia, quod sicut ferrum bebetatum per laborem acuitur; sic et sapientia, et virtus per torporem hebetata acuatur per industriam. Unde ait: *Si retusum fuerit ferram*, puta ferreus culter vel gladius: *Et hoc non ut prius*, id est, et hoc non fuerit politum et acutum sicut erat prius, *sed hebetatum fuerit* per rubiginem vel nimiam sectionem, *multo labore exacnetur*; Hebr. *In fortitudinibus*, vel *in multa strenuitate*, virtute et robore *roborabit*, scilicet illud faber: *Et*, id est *sic*, vel simili modo *post industriam sequetur sapientia.*

Sensus ergo est, q. d. Sicut culter vel gladius ferreus rubigine obductus (rubigo enim exedit ferrum) retusus ut hebetatus, erebra et laboriosa confricatione cotis vel chalybis, subinde etiam ignitione et malleatione acuitur; sic pariter mentis acies otio, desidiu, gula, aliave vitio retusa et hebetata, magno rursus industriæ, studii et virtutis exercitio et labore acuenda est, et ad pristinum rigurem revocanda. Cos ergo, quo retusa torpidaque virtus et sapientia acuitur, est animi corporisque excitatio, confricatio et exercitatio; sicut disputatione et confricatione argumentoram acuitur ingenii et veritatis acumen; ignitio est consideratio ardensque meditatio, iuxta illud Psaltis: *In meditatione mea exardescet ignis*, charitatis et zeli. Malleatio est mortificatio, pœnitentia, tribulatio. Ita S. Hieron. « Si se, inquit, aliquis viderit per negligentiam amisisse scientiam Scripturarum, et acumen ingenii eius fuerit obtusum, et conturbatus nequaquam manserit qualis esse iam cœperat: aveoit quippe loterdum, ut cum modicum scientiæ quis habuerit, elatus in superbiam, discere desistat et legere, et paulatim ex eo quod nihil ei additur, subtrahatur, ut vacuum disciplinis pectus remaneat, ferrumque quod acutum fuerat hebetetur: otium enim et desidia quasi quædam rubigo sapientiæ est. Si igitur quis hoc passus fuerit, non desperet remedium sanitatis, sed vadat ad magistrum, ut rursum instruatur ab eo, et post laborem et industriam sudoremque nimium valebit sapientiam recipere, quam amiserat. Hoc est quod in Hebræo significantius dicitur: Et fortitudinibus corroborabitur, id est, labore et industria et quotidiana lectione sapientiam consequetur, ut fortitudo ipsius habebit hunc finem, ut accipiat sapientiam. » Accedunt Albin. Titelm. et alii, qui sic exponunt, q. d. Sicut si otietur ferrum, obtunditur, nigrescit, rubiginum contrahit, consumitur; sic si ars, scientia, virtus non exerceatur, languet, sordidatur, corrumpitur: quod damnum non nisi magno labore et studio reparari potest. Vere Plutarch. in Moral. « Ut culmus, inquit, primum in altum insurgit impetu,

A deinde crebris geniculis intersecatur, postremo in summo venti flatibus laborat: sic quidem initio fervent, deinde subinde subsistunt et offenduntur, in extremo deficiunt defatigati. »

Rursum hanc gnomen applices politiæ, puta rectoribus, magistris, parentibus, q. d. Sicut ferrum bebetatum non a se ipso, sed a fabro per cotem aliudve instrumentum acuitur: sic subditi, discipuli, filii in studio sapientiæ et virtutis hebetes et desides, multo rectorum, præceptorum et parentum labore et industria excitandi, acuendi, poliendi, perficiendi sunt. Unde B. Dorotheus, Climachus, Cassianus cæterique rerum spiritualium magistri docent, superiores debere subditorum virtutem variis exercitiorum industriis pungere et stimulare, itaque acuere, ne si eam otiari sinant, illa pigrescat, torpescat, hebescat: quare eos qui id facere vel ex metu, vel ex desidia negligunt, perinde facere ac si parens filio panem subtrahat; quo fit ut filius non crescat, sed deficiat et arescat: vicissim subditos non debere id ægre ferre, sed eis gratias agere, quod B officio suo, ad quod a Deo obligantur, rite perfungantur ad subditorum bonum. Sicut ergo culter coti non indignatur, sed si loqui posset, eidem gratias ageret, quod sius confricatione licet laboriosa et aspera acuatur, poliatur et splendescat: sic pariter subditos rectoribus gratias agere par est, quod eorum monitis, correctionibus, disciplina, pœnitentiis. etc. in humilitate, patientia, obedientia omnique virtute religiosa acuantur et perficiantur.

Porro S. Bonaventura hanc gnomen applicat non subditis, sed Prælatis, quorum mores mutarunt honores, q. d. Prælati qui antea erant modesti, humiles, probi, et ad omnem virtutem acuti, per Prælaturam facti superbi, liberi, imperiosi, et honori, opibus, ac deliciis vacantes; hi magno correctionis labore indigent, ut ad primævum splendorem et acutum virtutis aciem revocari queant. Ratio est, quod nemo subditorum illos corrigere audeat; et si quis audeat, ipsi eum non audiant. Vide S. Gregor. hom. 18. in Ezech. ubi docet subditos magis oratione et exem-C plo sanctæ vitæ, quam verbo corrigere debere suos superiores.

Denique hanc gnomen applices quibuslibet sive superioribus, sive inferioribus, sive æqualibus, iuxta illud Prov. 27. 17. *Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui*, q. d. Sicut ferrum aciem retinet, dum usu teritur; et dum non teritur, magis atteritur: usu enim ipso acuitur, non usu rubigine consumitur: sic pariter vis animi nostri vel in virtutibus, vel in scientiarum artiumque habitibus concidit, nisi illi in actum revocentur; quare amicus, cum amico dissertans, eius animi vires expolit et exacuit. Porro ferrum notat naturæ nostræ, per corpus et concupiscentiam depravatæ, duritiem et depressionem, ut instar ferri non nisi magno longoque labore, ad virtutem et sapientiam cælestem expoliri et exacui possit. Hinc Isidor. lib. 16. Etymol. cap. 20. ferri hæc dat etyma: Ferrum, inquit, dicitur a farre, quod farra, id est semina frugum terræ condat; alii, quia feratur in agros colendi causa; nonnulli, a feriendo. Additque versum D in opprobrium speciem ferri, quod eo fundatur sanguis humanus, ideoque sanguinem hunc de ferro se ulcisci, cum ferrum sanguine contactum celerius rubiginem contrahat. Audi et Plinium lib. 34. c. 14. « Ferrum, inquit, optimum pessimumque vitæ instrumentum: siquidem hoc tellurem findimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squallore deciso annis omnibus cogimus iuvenescere. Hoc exstruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia non cominus solum, sed etiam missili volucrique nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato, quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa eius non naturæ fiat accepta: et tamen potest innocens esse ferrum. In fœdere illo quod expulsis regibus, populo Romano dedit Porsena, nominatim invenimus, ne ferro nisi in agricultura uteretur. » Hæc ille.

Ferri etyma

ET POST INDUSTRIAM (sequitur) SAPIENTIA.) Industria est animi promptitudo et sagacitas, sive habilitas ad aliquid faciendum, puta ars et solertia ingeniosa ad rem conficiendam: inde pro artis sive ingenii exercitatione accipitur. Unde Festus: Industrium, inquit, veteres dicebant indostruum, quasi quidquid ageret initio strueret et studeret domi. Sapientia ergo et virtus paratur industria, id est primo, labore et exercitio; secundo, sagaci mentis solertia et ingenio. Sic videmus eos qui industrie, id est methodice et artificiose student, parvo labore plus proficere, quam cæteros, qui magno. Ars enim superat naturam et vires. Sic fabri, qui callent artem acuendi ferreos cultros, longe melius et minori labore id faciunt, quam cæteri qui artem illam ignorant. Vere Plinius lib. 9. cap. 4. *Rhombus*, inquit, *et squatina, et rhaia et pastinaca cum tardissimi sint piscium, tamen sæpe reperiuntur habentes in ventre mugilem, omnium velocissimum solertia et ingenio capientes. Ita quidam arte superant longe potentiores opibus aut viribus.* Hinc industria in Emblematibus

Industriæ emblema.

pingitur ut matrona amicta veste pretiosa, artificiose opere phrygionico elaborata; dextra tenet examen apum, altera machinam, quæ pondera in altum elevat: pingitur nudis pedibus: in capite gestat statuam Pluti; quia ipsa parit opes, quibus præsidet Plutus. Idem habet locum in virtute, sanctitate et perfectione. Qui enim novit artem contendendi ad apicem virtutis, parvo labore eum adipiscitur, quem alii magna fatigatione post multos annos vix assequuntur. Tales sunt qui toti sunt in ieiuniis vitæque rigore et austeritate; item qui toti vacant rebus externis, ut curandis infirmis, pauperibus, hospitibus, etc. At qui vacant charitati et orationi, cito ad perfectionem conscendunt. Sanctitas enim in charitate consistit. Rursum industria et praxis accumulandi merita, augendique gratiam et gloriam est, si omnia opera etiam adiaphora facias ex charitate: cui si addas alios aliarum virtutum actus et fines, singulæ eidem actui novum addent meritum: quare viri solertes suos actus faciunt ex imperio charitatis, religionis, humilitatis, obedientiæ, gratitudinis, patientiæ aliarumque virtutum, v. g. Dum edunt, student, docent, etc. initio operis idipsum Deo offerunt, dicuntque Domino: Volo edere, studere, docere, similesque opus facere ex tui amore, ut tibi placeam; ex tui cultu, ut te honorem; ex humilitate, ut me despiciam; ex obedientia, ut iussis tuis vel superiorum meorum obtemperem; ex gratitudine, ut tibi pro beneficiis in me collatis gratias agam, teque laudem et celebrem; ex patientia, ut cruci et passioni tuæ me conformem; ex zelo animarum, ut proximos convertam vel in virtute promoveam: quo enim idem actus a melioribus et pluribus virtutibus imperatur, eo est melior, eoque maiore gratiæ et gloriæ præmio promeretur. Hoc est quod ait sanctus Augustinus: *Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed maior charitas meliorque voluntas auget meritum.* Exstant libri sapientes de praxi et industria virtutes et merita accumulandi, quos operæ pretium est legere et in effectum deducere.

Vers. 11.

SI MORDEAT SERPENS IN SILENTIO (Hebr. *absque murmure, mussitatione, sibilo*) NIHIL EO MINUS HABET QUI OCCULTE DETRAHIT.) Pro *qui occulte detrahit*, Hebr. est בעל לשון *baal lascion*, id est *Dominus linguæ*, vel *habens linguam* per quem Sept. Syrus et Arab. intelligunt incantatorem, qui suo לחש *lachos*, id est mussitatione et murmure, puta suis carminibus vel veneficiis solet excantare serpentes, ne mordeant et noceant. Unde Sept. vertunt: *Si momorderit serpens in non susurro, et non est amplius incantanti*, scilicet remedium contra morsum: quia serpens incantatur ne mordeat; post morsum enim non prodest incantatio. Unde Syrus vertit: *Non est lucrum* (alii, *utilitas*) *in malefico*; Arab. *Non reperietur in malefico bonitas*; Aquila: *Absque incantatore*; Sym. *Absente incantatore*: S. Hier. vero in veteri edit. vertit: *Si momorderit serpens in silentio, non est amplius* (remedium) *habenti linguam*; repete, si habens linguam in silentio maneat, nec lingua utatur: idque exponit de peccatore, qui peccatum commissum silet, nec vult confite-A ri, cui proinde nullum superest veniæ remedium: *Si quem* ait, *serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Sic et Olympiod. Hinc et Thaumat. vertit: *Occultum autem serpentis morsum incantatores non medicabuntur. Mali itaque vani sunt.* Accedit Cassian Collat. 2. cap. 1. ubi Serapion narrat se consuetudinem furandi panem superasse per publicam furti confessionem. Confirmat id ex hoc loco quem sic legit: *Si momorderit*, inquit, *serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori, taciti serpentis morsum perniciosum esse designans; id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spirituali scilicet viro qui carminibus scripturarum mederi protinus vulneri, et extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis,* B *patefacta non fuerint, succurrere periclitanti periturove non poterit.* Superior ergo et confessarius est excantator peccatorum. Verum optime vertit S. Hieron. in Vulgata; nam *baal lascion*, id est dominus linguæ, est detractor. Sensus ergo est q. d. ait S. Hieronym. *Serpens et detractor, æquales sunt. Quomodo enim ille occulte mordens venenum inserit; sic iste clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, et nihil habet a serpente amplius. Cum enim lingua hominis ad benedicendum Deum et ædificationem proximi sit creata, ille eam serpenti æqualem facit, dum virtutibus eius in perversum abutitur. Detractor ergo est serpens.*

Detractor est serpens. I.

Primo, quia sicut serpens abscondite venenum infundit, et cum advertis, invenis te ab illo percussum et veneni pestiferi violentia sauciatum: sic detractorem admittens, et fratris peccata aut defectus audiens, subito amorem quem erga illum habebas, aut vulneratum aut penitus exhaustum invenies. Detractio enim in hoc differt a C contumelia, quod hæc palam et in facie probrum alteri præsenti obiiciat; illa vero furtim, clam et occulte absenti obtrectat.

II. Secundo, morsus serpentis non unum, sed multas plagas morsu suo homini infligit; quia venenum eius per omnia membra proserpit, eaque inficit et cruciat. Sic et detractor sua malevolentia et maledicentia fratrem lædit, pacem turbat, charitatem dissipat, unitatem scindit, audientes scandalizat; odia, lites, rixas et bella suscitat, adeoque subinde cœtus, urbes et regna evertit.

III. Tertio, serpentis lingua est trisulca, ait Plinius l. 11. 37. et Isidorus l. 1. Orig. c. 4. *Tenuissima*, ait Plinius, *serpentibus* (lingua) *et trisulca, vibrans, atri coloris, et si extrahas, prælonga.* Unde mordendo tria vulnera infligit: sic et lingua detractoris detrahentis conscientiam peccato lethali vulnerat, famam proximi sauciat, et audientium aures mentemque malevolentia sua inficit. Unde S. Bernard. ser. de Triplici custodia, manus, linguæ et cordis: « Lingua, ait, maledica illius percutiens conscien-D tiam, et huius vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non viperea est lingua ista? ferocissima plane nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto et acutissima quæ tres penetrat ictu uno: Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris. » Addit deinde quid magni miri: « Nec vero eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis: fodit enim hæc quoque Christi corpus et membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus:

Levis res sermo, tenera, mollis et exigua caro linguæ hominis: quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit. Leviter penetrat animum, sed non leviter exit; profertur leviter, sed non leviter revocatur, facile volat, atque ideo facile violat charitatem. »

IV. Quarto, Horus Apollo detractoris Hieroglyphicum posuit basiliscum, sive regulum, qui solo visu homines interficit; sic et detractor sola voce. Rursum, alii serpentes excantari possunt; regulus vero nequaquam. Unde illud Ieremiæ 8. 17. *Ego vobis mittam serpentes regulos quibus non est incantatio.* Sic et detractor quia occulte detrahit, ab eo qui detrahit impediri nequit, cum ipse purgare nequeat seipsum, ignorans crimen sibi obiici a detractore. Morsus enim detractoris, æque ac serpentis, est furtivus et clandestinus, inquit Thaumaturgus. Rursum, sicut serpentes, v. g. aspides, contra incantationem se præmuniunt, unam aurem terræ admovendo, alteram cauda obturando: sic detractor cor et aures occludit sua malevolentia, ne quis sermonem eius interrumpat aut divertat.

A famam et conscientiam mordet et mordendo perimit: quare virulentia linguæ detractricis vincit virus omne anguium et aspidum; nec tam serpentina est, quam gehennalis et diabolica, uti docet S. Iacobus c. 3. 7. ubi pluribus idipsum ostendi. Quare *dum aures inficit, animas interficit*, ait S. Bernardus ser. 24. in Cantica, ubi eius mores et gestus hypocriticos, quibus amore ficto celat odium virulentum, ita graphice depingit: « Alii, inquit, simulata verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate et tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis et voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tanto persuasibiliore, quanto creditur ab his, qui audiunt corde invito, et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo, cum satis et numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me numquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta est B res, veritatem negare non possum, dolens dico, revera ita est. »

V. Quinto, lingua detractoris est serpentina; habet enim serpens sub lingua vesicam plenam veneno, quæ quando mordet rumpitur. Similem habet detractor sive susurro. Unde illud: *Venenum aspidum sub labiis eorum, linguis suis dolose agebant*, Psal. 139. 4. Hac de causa serpentinis Iudæorum linguis contra Mosen murmurantibus, eique detrahentibus, Deus serpentes igneos immisit, Num. 21. 6. ad quos alludens hic Chald. sic apposite vertit: *Sicut immittuntur serpentes ignei, ut vexent et noceant sæculo propter peccata domus Israel, qui non laboraverunt in verbis legis in silentio; sic non erit amplius viro, qui accusator est et susurro; quoniam igne gehennæ succendetur.*

VI. Sexto, Vatablus sic exponit, q. d. Sicut serpens non præventus, nec impeditus incantatione, obvios mordet: sic natura nostra, destituta sapientiæ incantamento, aliis detrahit, et proximorum famam devorat, rodit et mordet, iuxta illud Horatii 1. ser. Satyra 4.

Absentem qui rodit amicum, etc.
Hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

VII. Septimo, aspidis morsus est lenis, ut vix sentiatur, velut punctura acus, sine tumore: virus tamen eius illico ad sanguinem et viscera pervadit. Unde Cleopatra aspidis morsu se occidit, ut suavissime moreretur, ne cum Antonio marito a Cæsare Augusto post Actiacam de iis victoriam duceretur in triumphum. Sic detractoris sermones lenes sunt, blandi et iucundi: simulat enim asseritque se non ex odio, sed ex amore et studio emendandi vitia proximi recensere; sed illico maledicentia vulnerat famam absentis et conscientiam audientis. Rursum, ex morsu aspidis vix gutta distillat sanguinis clari et rubri, sed obscuri et nigri: sic et detractio nil distillat, nisi famæ et conscientiæ denigrationem; prodit enim ex linguæ eiusque vesica, quæ uti serpenti, sic et detractori fusca est et atra, atroque veneno referta.

VIII. Octavo, Syri iuxta Euphratis ortus, per naturalem complexionis antipathiam, vel, ut alii volunt sympathiam, non mordentur, nec læduntur a serpentibus, æque ac Psylli in Africa, Ophiogenes in Cyro et Hellesponto, Marsi in Italia; hi enim omnes ait Plinius l. 28. c. 3. sunt *terrori serpentibus, tactu ipso levant percussos* (a serpentibus) *suctuve modico*. Vide Delrio de Magia, quæstion. 9. et 13. Sic viri sapientia, fama et sanctitate eminentes, detractorum linguas non metuunt; sed omni detractione superiores sunt, quin imo et alios calumniam passos, unico verbo suæ famæ et quieti restituunt.

Denique pro *non minus habet*, Hebr. est לא יתרון *lo itron*, id est non *amplius habet*, non excellit serpens morsu suo morsum domini linguæ, id est detractoris, sed potius ab eo superatur. Est miosis; minus enim dicitur et plus significatur, q. d. Amplius mordet lingua detractoris, quam serpentis. Occultior, dolosior, nocentior est morsus detractoris, quam serpentis. Hic enim corpus, ille

Vers. 12. VERBA ORIS SAPIENTIS, GRATIA (Comp. *gratiam habent*) ET LABIA INSIPIENTIS PRÆCIPITABUNT EUM.) Hebr. *Deglutient* vel *devorabunt eum*. Ita Septuag. Syrus: *Verba oris sapientis gloria, et labia stulti macelant illum*; Arabicus, *impediunt illum*; alius, *perdunt illum*; Caietanus, *destruent illum*; Campens. *subvertent eum*; Tigurinus, *Ex ore sapientis prodeunt res quæ gratiam conferunt, quam labia stulti velut absorbendo auferunt.*

Pronomen eum dupliciter sumi potest: primo, absolute, ut referat sapientem: secundo, reciproce, ut referat insipientem. Priori modo, est antithesis pugnæ insipientiæ et insipientis contra sapientem et sapientiam, q. d. Sapiens loquitur verba gratiosa: at stultus superbus et invidens contradicit, ac multis verbis et rationibus contra eum pugnat, ut eum præcipitet, supplantet, vincat, confundat et sibi similem faciat. Ita S. Hieronymus qui et addit: *Et re-* Sapiens loquitur gratiosa.
C *vera præcipitatur vir sapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, et verba sine in profundo, ut ita dicam, gurgite pereunt. Unde beatus ille est qui in aurem loquitur sapientium*, Eccl. 25. 12. Posteriori modo, nervosior est antithesis stultitiæ et stulti, impugnantis et præcipitantis non sapientem, sed seipsum, q. d. Sapiens loquitur cum multa gratia, puta sapienter, modeste, benevole, utiliter, amabiliter, iucunde; quo fit ut audientium gratiam sibi conciliet; at insipiens loquitur insipide, immodeste, arroganter, imprudenter, impudenter, petulanter; quo fit ut odium audientium sibi consciscat, quin et lites et rixas, quæ eum in gravia damna, ac subinde in mortem et gehennam præcipitant. Unde Thaumat. *Bonus et sibi et proximo operatur conducibilia: stulto sua garrulitas perniciosa est*: et Olymp. *Sermo sapientis neque inhumanus est, austerusque, neque mollis et dissolutus; sed gratia multa conditus, ita ut pariter cohibeat, neque sinat auditores diffluere.* Ita S. Bonavent. Ratio a priori est quod verba oris sapientis prodeunt ex corde, gratiis et virtutibus fra-
D grante, quod verbis suam fragrantiam aspirat; verba vero stulti prodeunt ex corde stolido, vecordi omnique gratia destituto, quod suam stoliditatem et vecordiam verbis instillat, iuxta illud Senecæ epist. 114. et 115. *Talis hominibus est oratio, qualis vita. Non potest alius esse ingenio* (dictis et factis) *alius animo esse color, et oratio vultus est animi*: quare vox sapientis procedit ex affectu cordis, in gratia oris, in magnificentia operis, iuxta illud: *Diffusa est gratia in labiis tuis*, Psal. 44. v. 3. et illud: *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur*, Ecclesiast. 20. 13. et illud de Christo: *Omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius*, Lucæ 4. 22. et illud Pauli: *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*, Col. 4. 6. et Ephes. 4. 29. et illud Mosis: *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina*, Deut. 32. 2.

Tertio, Chaldæus gratiam non hominum, sed Dei accepit; unde vertit: *Sapientis hominis verba oris, qui quo tempore vindicta orbi impendet, invenitur in generatione; si orat, avertit sane supplicium, et Dominum ad miserationem adducit.*

Hæ gnomæ sunt disparatæ, æque ac illæ in Proverbiis; quare non est necesse unam alteri connectere. Si quis tamen hanc præcedenti nectere velit, dicat detractori omnibus ingrato et exoso opponi hic sapientem, cuius verba omnibus sunt grata et accepta.

Porro Caietanus, Arboreus, Hugo et Dionysius hanc gnomen iis præcedenti apposite attexunt, q. d. Stultus, qualis est detractor, non tantum alteri cui detrahit, sed et sibi ipsi nocet; seipsum enim in gravia et inextricabilia mala ultro præcipitat, quæ eum, velut balæna Ionam, absorbebunt et devorabunt, ut habent Hebr.

Stultus verba præcipitat. Nota: Τὸ *præcipitabunt* notat primo præcipitantiam linguæ in stulto, qua sine consideratione quidquid in buccam venit, præceps eloquitur. Unde Bonaventura: *Ratio præcipitationis*, ait, *est indiscretio: et ratio huius est, quia non considerat. Unde dicitur Proverb.* 22. 29. *Vidisti hominem velocem ad loquendum; stultitia magis speranda est, quam illius correptio.* Hinc Thuanus vertit:

Stultos contra, immoderata loquendi,
Præcipites tota raptat cervice libido.

Secundo, τὸ *præcipitabunt*, ait Lyran. notat loquacem dicacitate sua præcipitem volvi, ac instar eius, qui ex alto monte præcipitatur, per prærupta ruere in exitium tum scelerum, tum damnorum et suppliciorum. Unde Olympiodor. legens, *labia stulti demergent ipsum*; Demersio, inquit, de qua hic loquitur Ecclesiastes, ad æterna referenda est supplicia, q. d. Loquax præcipitat se in profundum abyssi, puta in stomachum imumque ventrem gehennæ, ut ibi sit cibus et pabulum tam ignis quam diaboli. Aliter S. Hier. *Revera*, ait, *præcipitatur vir sapiens, quando in aurem loquitur imprudentis, et verba eius in profundo, ut ita dicam, gurgite pereunt.*

Vers. 13. INITIUM VERBORUM EIUS STULTITIA, ET NOVISSIMUM ORIS ILLIUS ERROR PESSIMUS.) Pagnin. *Insania magna*; Tigur. *Vesania perniciosa*: Caietan. *Tricæ malæ*: Camp. *Furia quæ periculo non caret*: Septuag. *Circumlatio pessima.* Syrus: *Pudenda mala*; Arab. *Perversio incommoda.* *Symmac.* ait Hieron. *transtulit*: *Tumultus et quædam verborum inconstantia, dum non manet in sententia; sed putat in multiplicatione sermonum effugere peccatum se posse. Cum enim nec præteritorum meminerit, nec futura cognoscat, et ignorantiæ tenebris volutetur, falsam sibi scientiam repromittens, in eo doctum se putat et sapientem, si verba multiplicet. Potest hoc et de hæreticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, et initium et finem loquendi vanitate cum multo errore convolvunt, et cum nihil sciant, loquuntur plura quam norunt.* Hæc S. Hieron. Sub initio et novissimo, sive sub principio et fine, velut sub extremis media interiacentia intelligo, q. d. Stultus dum loquitur, incipit stultitiam, qua plenus est, eructare; quoque plus loquitur, eo stultiora profert; quo fit ut tandem errores pessimos effundat: quia quod semel insipienter dixit, hoc pertinaciter tueri et prosequi satagit, iuxta illud Philosophi: *Parvus error in principio, magnus fit in fine.* Stultus ergo tota oratione sua delirat, nec ulla eius pars a stultitia immunis est; quin potius crescente oratione crescunt eius deliria, adeo ut desinant in errores pessimos, v. g. in hæreses, blasphemiam, atheismum. Huc facit illud Cleomenis ad legatos Samiorum: *Quæ primo dixistis non memini, ne media quidem intelligo, postrema non probo.* Ita Plutar. in Apopht. Aliter Thomas. Stultus, inquit, dum os aperit, stulta orditur, statim finem facturus: quia ex amentia non scit prosequi et connectere sermonem. Quare incipit a temeritate, a vana gloria, a voluptatum desiderio, ac desinit in pervicaciam, superbiam, imprudentiam, blasphemiam. Ita Hugo. Rursum alii, q. d. Sapientes oratores maximam curam habent exordii, ut auditorum gratiam sibi concilient, et epilogi, ut persuadeant quod intendunt; et stultus utrumque negligit; nam in exordio insulsa sua dicacitate auditores a se avertit, et in epilogo nil nisi stultitiam omnibus exsibilandam proponit, præsertim dum per stultam mentis inconstantiam facit ut epilogus exordio non respondeat, imo contradicat. Unde Chald. vertit: *Peroratio pravis motibus scatet.*

Vers. 14. Stultus multiloquus. STULTUS VERBA MULTIPLICAT.) Quia rebus et sapientia caret: hinc verba nugacia concervat, idemque importune et clamose sine iudicio cum fastidio audientium millies iterat, iuxta illud Apulei Apol. 1. *Oratio, quæ rebus flaccet, strepitu viget.* Et illud Theocriti de Anaximene perorante: *Incipit verborum flumen, mentis gutta.* Ita Stobæus serm. 34. E contrario sapiens in verbis brevis est, in sensu multus: nam paucis multa significat. Ita Auctor Catenæ Græc. *Et multis pauca dicens*, inquit, *obstreperus videtur ac nugator. Sapiens ergo est pauciloquus, stultus vero multiloquus.* Rursum stultus verba multiplicat; quia etiam dum de virtutibus loquitur, multa vane de iis effutit quæ ipse in corde non habet, nec sentit: quare similis est garrienti picæ vel hirundini, aut loquaci graculo, qui cum labiis assidue garriat, cor tamen sensu vacuum est, nec quidquam eorum, quæ garrit, intelligit. Hoc est quod ait Eccles. cap. 20. *Homo acharis* (id est sine gratia, cuius sermo gratia non est conditus) *quasi fabula vana* (fabulus fabulatur quasi fabula, imo fabula) *et in ore indisciplinatorum assidua erit. Quare ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim illam dicit in tempore suo.*

IGNORAT HOMO QUID ANTE SE FUERIT: ET QUID POST SE FUTURUM SIT, QUIS EI POTERIT INDICARE?) Apte cohæret hæc gnome præcedenti, q. d. Stulti multiplicant verba, quia de iis quæ præterita sunt multa garrire solent, atque etiam futura curiosa pervestigatione nimium sollicite inquirunt, et prædicere audent, cum paucissima sint, quæ certo sciat homo de præteritis, et de futuris pene nulla habeatur certa cognitio: propter quod omnino vanum videtur super huiuscemodi incertis et incognitis (quod faciunt insipientes) multiplicare sermones. Hanc gnomen audivimus cap. 13. 22. et cap. 7. 1. ubi eam explicui. Porro Chald. vertit: *Stultus in inani verborum strepitu, quibus nihil opus erat, totus est, neque scire quisquam potest quid illius diebus, et quid sub eius exitum eventurum est. Quis enim ei renuntiaturus est?* Secundo Tigur. vertit: *Stultus multis verbis utitur, et ignorat homo iste quorsum eat; quis autem ei indicaret quid secuturum?* Et Camp. *Stultus sic verba multiplicat, ut nemo intelligere possit quid velit, et multo minus de futuris aliquid ex illis colligere.* Tertio, Aben Ezra censet ultima verba dici ex persona stulti, q. d. Stultus verba multiplicat de suis voluptatibus, iisque quæ concupiscit, quia nullo tangitur metu futurorum, puta iudicii et gehennæ. Dicit enim: Hæc incerta, imo vana et inania sunt, iuxta illud Epicuri;

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Voluptuarii enim, ut suis cupidinibus libere et secure indulgeant, negant animæ immortalitatem, negant cœlum, negant infernum, negant tandem omne numen. Verum primus sensus maxime appositus et genuinus est.

Vers. 15. In urbem pergere quid? Resp. LABOR STULTORUM AFFLIGET EOS QUI NESCIUNT IN URBEM PERGERE.) Difficilis locus est, ex eo quod difficile sit definire quid significet hæc parœmia: *in urbem pergere.*
1. Primo, Caiet. censet hic redargui principem, qui viam ad urbem suam facit obscuram, anfractuosam et difficilem, cum recta, patens et pervia esse debeat. Et in hoc, inquit, uno labore stulto, omnes similes labores stultorum indecentes et noxii intelliguntur. Verum hoc longe petitum est et a Vulgata alienum.
2. Secundo, Mercerus, et ex eo Delrio in Adag. autumant per urbem proverbialiter significari negotii culmen et finem, q. d. Stulti rem inchoant, et nesciunt eam finire, et ad perfectionem perducere.
3. Tertio, Isidor. Clarius et Campensis vertunt: *Stultus rationem vivendi civiliter ignorat, barbarus est et agrestis, cum sapiens et iustus sit comis et urbanus.* Accedit Morin-

gus, qui censet alludi ad rusticos quorum labor est cassus, si tempestive fructus in urbem non convehant, cum est mercatus, ut eos divendant, aut q. d. Inanis est labor stultorum verba multiplicantium, quia nesciunt composite
4. et urbane loqui, uti faciunt urbis incolæ. Quarto, Aben Ezra et Vatabl. q. d. Stulti versantur et fatigant se circa arduas quæstiones, cum tamen vulgares et obvias ignorent, quod proverbialiter dicitur: *Nescit viam in urbem;* quid enim notius via regia et trita in urbem? Unde Emmanuel Sa: Nesciunt in urbem pergere, hoc est, inquit,
5. notissima ignorent. Quinto noster Pineda *pergere in urbem*, vel ut Arabiens vertit *incedere per civitatem*, accipit pro perambulare urbem, id est regere urbem, ut taxentur hic principes, consiliarii et magistratus insipientes, qui urbes sibi subditas et commissas non visitant, ut abusus tollant, ius dicant et omnia recte disponant. Perambulare enim in Script. est vox notans imperium et gubernationem, uti ostendi Zach. 1. 11. Huic expositioni apte cohæret quod sequitur: *Væ tibi, terra, cuius rex puer*
6. *est!* Sexto, simplicius dicas esse metaphoram a mancipiis damnatis ad labores, vel in ergastulis, vel in agris, vel in fodinis ad effodienda metalla ferri, æris, argenti, etc. qui cum ibi vitam laboriosam degant, ignorant viam in urbem, ut in ea vitam civilem, facilem et commodam (in urbe enim omnium rerum est commoditas et copia) agant; aut a viatoribus et peregrinis, qui eum viam rectam et compendiariam in urbem, ad quam tendant, ignorent, per circuitus, anfractus, et dispendia viarum, vel sero vel numquam ad urbem destinatam perveniunt, q. d. Simili modo stultus laborat, ut sapienter et feliciter vivat; sed frustra, quia viam in urbem, id est, rationem et methodum sapientiæ ignorat, nescit sapienter res suas exsequi, nescit quo in re sita sit sapientia; quærit enim eam in libertate, gula, luxuria, etc. cum sita sit in prudentia et virtute. Tritum est in Italia exemplum de nobili quodam Transalpino, qui contendens in urbem Romanam, cum in hospitiis vina delicata inquireret, ideoque famulos præmitteret, qui vina hospitiorum explorarent; et ubi melius reperirent, ianuæ inscriberent; *est:* cum tandem optimum invenissent inscripserunt: *est est;* quare ibi nobilis tantum potavit, ut ex crapula mortuus sit, nec in urbem pervenerit. Unde famuli sepulcro eius inscripserunt: *Per est est dominus noster mortuus est.* Hinc S. Hieronym. per urbem accipit veritatem et sapientiæ civitatem, atque hanc gnomen primo, exponit de Philosophis: *Lege Platonem*, inquit, *Aristotelis revolve versutias: Zenonem et Carneadem diligentius intuere, et probabis verum esse quod dicitur: Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt; sed quia non habuerunt ducem et prævium itineris, et humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt. De qua in Psalmo* dicitur: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum dissipabis. Omnes enim umbras et diversas imagines atque personas, quas sibi in diversis dogmatibus induerunt, in urbe sua Dominus dissipabit. De qua et alibi scribitur: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Psal. 45. *Et in Evangelio: Non potest civitas abscondi supra montem posita*, Matth. 5. *Et in Isaia: Ego civitas firma*, Isaiæ 27. *quæ oppugnatur; siquidem hanc veritatis et sapientiæ civitatem, cum firma sit et robusta, omnes sapientes sæculi et hæretici impugnare conantur.* Secundo, de hæreticis: *Et quod de Philosophis diximus*, inquit, *hoc idem et de hæreticis sentiendum, quod frustra laborent et affligantur in studio Scripturarum, cum ambulent in deserto, et civitatem invenire non valeant, de quorum errore et Psalmista commemorat dicens: Erraverunt in deserto et inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt*, Psal. 106. Hucusque S. Hieronym. Alludit enim ad urbem Hierosolymam, quæ Iudæis erat urbs sapientiæ, doctrinæ, legis, fidei, religionis, templi, omnisque boni. Unde ad eam ter in anno ex lege pergebant Hebræi ex tota Iudæa, ut Deum in templo colerent et legem audirent; Hierosolyma ergo eis erat urbs sapientiæ, matrix Ecclesiæ, paradisus terrestris et imago cæli: quare qui sapientem, sanctam et felicem volebant agere vitam, pergebant Hierosolymam; qui vero hoc iter nesciebant, vel ruralibus aliisque molestis negotiis occupati extra eam degebant, hi ignorantem vel insipientem, terrestrem, molestam et infelicem vitam degebant. Hisce ergo hic Ecclesiastes stultos comparat, eo quod suis negotiis molestis, vanis tamen et inanibus occupati, quasi in agris laboriose vivant, nec ad quietem sanctamque sapientiæ et virtutis viam, cuius typus erat Hierosolyma (quæ Hebr. idem est ac *visio pacis*) perveniant. Hinc Chal. vertit: *Fatigatio stulti, qua defatigatur in stultitia; ipsa delassat eum, adeo ut non discat ire in civitatem, in qua sapiens habitat, ad quærendum ab eo disciplinam.* Hac de causa Christus iussit Saulo dixitque: *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere*, Act. 9. 7.

Allegor. et Aug. stulti nesciunt viam in urbem, id est in Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem; quia hærent in viis, id est in terra, cupediis et nugis. Nesciunt ergo viam in urbem, id est in cælum ad æternam felicitatem. Ita S. Hieronym. Olymp. Thaumat. et alii. Docet igitur hæc gnome nos in hac vita non esse cives, sed advenas et peregrinos, quorum est pergere ad patriam, puta ad urbem cælestem, cuius artifex et conditor est Deus, Hebr. 11. 10. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, Hebr. 13. 14. Hinc Thaumat. vertit: *Cæterum homo, qui in civitatem bonam concedere nescit, et oculorum suorum et faciei afflictionem exspectat.*

Væ tibi, terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt!) *Puer*, tum ætate, tum potius insipientia, inexperientia et concupiscentia, qui scilicet pueriles habet mores, affectus, conceptus, quales habuit Roboam, cum 40. esset annorum, 3. Reg. 12. Nam aliqui nonnullos reges præclaros electos fuisse pueros legimus, ut Ioas, qui septennis creatus est rex, 4. Reg. 22. et Iosias, qui octennis, 2. Paral. 33. 34. et Salomon, qui duodennis; uti scribit S. Ignat. ad Magnes. licet verius sit Salomonem fuisse circiter viginti annorum, cum regnum inivit. Parum ergo ad rem facit ætas iuvenilis, æque ac prosapia regalis. Hinc Plato in Theæteto ait omnes reges ex servis oriundos, et servos oriundos ex regibus. Quocirca S. Hieron. cum puerum interpretatus esset ætate puerum, subdit: *Verum mihi sacratius quiddam latere videtur in littera; quod iuvenes dicantur in Scriptura, qui a veteri auctoritate desciscunt, et cana præcepta parentum contemnunt: quia neglecto Dei mandato cupiunt statuere traditiones hominum. De quibus et in Isaia Israeli Dominus comminatur, eo quod noluerit aquam Siloe, quæ vadit cum silentio, et veterem piscinam avertérit, eligens sibi fluenta Samariæ et gurgites Damasci; Et dabo, inquit, iuvenes principes eorum, et illusores dominabuntur eis.* Unde pro *puer* Hebr. est נַעַר *naar*, id est puer, iuvenis, insipiens: quare a *naar* Germani acceperunt suum *nar*, id est stultus; pueritiæ enim vitia sunt inconsideratio, inexperientia, ineruditio, ignorantia, concupiscentia, stultitia, levitas, inconstantia. Quapropter Seneca epistola 4. *Adhuc*, inquit, *non pueritia in nobis, sed quod est gravius puerilitas remanet; et hoc quidem peius est quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium: illi levia, hi falsa formidant, nos utraque*. Hinc illa comminatio Isaiæ c. 3. 4. *Dabo pueros principes eorum.* Ubi S. Basil. *Adolescentia*, inquit, *levissima est, et ad flagitia quæque apprime mobilis, cum sint indomitæ et effrænes concupiscentiæ, belluinæ et immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, fastus ex animi elatione;* reliquæ *item affectiones iuventuti vernaculæ et calumniæ, invidia ob exsuperantem alterius eminentiam, suspiciones propter contractam familiaritatem: examina enim innumerabilium vitiorum, se agglomerant et adiungunt iuventuti.* Et S. Ambros. lib. 4. de Interpell. c. 7. *Adolescentia*, ait, *sola et invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis, atque æstu sanguinis vaporantis ignescens.* Accedit Xenophon: *Sicut*,

inquit, *novelli citharædi multas perdunt citharas, sic cupidi iuvenes rempublicam sæpe evertunt.* Occasione stultorum, de quorum insipientia et noxa multa dixit Ecclesiastes, transit ad reges et principes, insipientes et stultos; quorum eo maior est noxa, quo maior est dignitas et potentia. Eorum enim stultitia in totum regnum dimanat illudque pessumdat, præsertim quia, ut ait Claudian. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sapienter Neebodus Episcopus Rhemensis epist. (est 80. inter epist. S. Hildeberti, tom. 3. Biblioth. S. Patrum) ad Andegavensem Episcopum iuvenem, sui male compotem: *Non per ætatem longam*, inquit, *cepisti experientiam, nec adhuc mens tua casuum varietate decocta maturuit*, nimirum: *Exsultat levitate puer, gravitate senectus.* Væ ergo familiæ, domui, urbi, reipublicæ, cuius rex vel rector immaturus est ætate et scientia. Porro Chald. hanc gnomen restringit ad Ieroboam: *Væ tibi*, inquit, *terra Israel, in tempore quo regnaverit super te Ieroboam impius, et cessare faciet a te sacrificium matutinum, et principes tui, antequam offerant iuge sacrificium matutinum, panem comedunt!* Huc facit Symbolum Pythagoreæ: *Puerum aut fœminum stricto gladio vagari*, *omne malum*, id est, *non defuturum malum si gubernatio imprudentibus, ineptis et levibus tradatur hominibus.*

Tropol. Olympiod. Civitas, inquit, est anima, cuius rex est mens et intellectus, qui si levis sit, et gulæ voluptatumque appetens, animam perdet; sin sacris nutriatur disciplinis, eam beabit. Rursum S. Hier. Civitas, ait, est Ecclesia, cuius rex, id est, prælatus vel episcopus puer est infirmitate, insipientia, vita. Symbolice S. Hieron. et S. Augustin. 17. de Civitate, cap. 20. per regem puerum accipiunt diabolum insipientem et impium. Verba S. Aug. recitabo v. sequenti. Tropol. S. Gregor. 16. Mor. 25. «Rursum per mane, inquit, præsentis vitæ prosperitas designantur, sicut per Salomonem dicitur: Væ tibi, terra, cuius rex est puer, et cuius principes mane comedunt! Quia enim mane primum diei tempus est et vespere extremum, nequaquam reficiendi sumus de huius vitæ prosperitate, quæ prævenit, sed de his quæ in fine diei, id est, in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedunt, qui de huius mundi prosperitatibus extolluntur, et dum præsentia vehementer curant, futura non cogitant.»

Et cuius principes mane comedunt.) Id est, intempestiva comessantur cum rege puero; pueri enim mane ante ortum solis mox ut e somno evigilant, ob stomachi calorem famem cibumque poscunt. Tota enim eorum sapientia est in palato et sapore, cum tamen regum et principum sapientia sita sit in cerebro, et cura sapienter administrandi rempublicam; quare temperantes et sobrii sint oportet, nihil enim sapientiæ et consiliis ita contrarium, ut intemperantia et ebrietas. Mane ergo, dum viget ieiuna mens lumenque rationis, ac vivaces sunt spiritus ex nocturno somno, principes dent consultationibus et negotiis tractandis, meridiem vel vesperam refectioni corporis, uti faciebat Augustus Cæsar, teste Sveton. Matutinum enim tempus ad consilia et negotia aptissimum est, quia ipsum est lux mentis æque ac corporis. Hinc *mane* dicitur inchoatio diei et luminis, quod inde *manet* in reliquum diem, ait Varro lib. 5. de Lingua Latina. Adiungit Servius et Festus *manum* priscis significasse bonum; unde immana idem est quod malum, nihil autem tam bonum quam lux. Hinc Græci, cum lumen affertur, dicunt: φῶς ἀγαθόν. Nonnulli tamen *mane* derivant a *manibus*, quod a locis inferioribus, ubi sunt manes, id est, animæ et spiritus defunctorum, cum sole lux emergere et oriri videatur. Quocirca Ierem. cap. 21. 12. *Iudicate*, ait, *mane* iudicium; *mane*, id est sobrii, ait Vatabl. ne per ebrietatem corrumpatis iudicia. Hinc Isaias cap. 5. 11. *Væ*, ait, *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam!* Ratio a priori est, quod rex et principes debeant esse regula totius reipubl. Quare in regenda debent sequi rectam rationem: hanc autem offuscat, imo avertit gula et ebrietas, fovet autem temperantia et sobrietas, præsertim matutina. Hine Salomon Prov. 31. 4. *Noli*, ait, *regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum et mutent causam filiorum pauperis.* Rursum magistratus convivia agitantes, in iis vectigalia et opes civitatis absumunt, ac populum offendunt et scandalizant.

Mane agitanda consilia

Mane etymon.

Ratio a priori.

Exempla regum intemperantium sunt: Sardanapalus totus in epulis et gaudiis, ab Arbace præfecto invasus, seipsum cum regia concremare coactus, vitam cum monarchia Assyriorum (hanc enim Arbaces ad Medos transtulit) perdidit. Sic gula intempestiva perdidit Alcibiadem, Lucullum, Caligulam, Ptolomæum, Philopatorem, Antiochum Magnum, qui ob vinolentiam totos dies dormire solebant, teste Plutarcho in Flaminio, Demetrium Poliorcetem, M. Antonium Triumvirum, cuius tempestivas perpotationes memorat Cicero in Philip. Tiberius Cæsar epulabatur quandoque ac potabat biduum continuum; unde a militibus pro Claudius Tiberius Nero, per scomma vocabatur Caldius Biberius Mero, ait Sveton. in eius Vita cap. 13. et 42. Vitellius vomendi consuetudine se idoneum ad omne cibi genus præstabat, utebaturque ientaculo, prandio, merenda, cœna, comessatione, ideoque post paucos menses vita et imperio privatus est. Nero monstrum fuit naturæ, et voluptatis gulæque mancipium; hinc crudelis in alios, damnatus a senatu in seipsum sævire, ac pugione confodere coactus est. Commodus Imperator cum nimia crapula gustum amisisset, stercus humanum cibis admiscuit, irridens eos qui hanc mixturam exhorrerent ait Herodian. et Lamp. Heliogabalus Imperat. in conviviis assidua pavonum, luscinarum, phœnicopterorum, phasianorum, et psittacorum linguis, ac camelorum calcaneis epulas instruebat: quod de avibus supererat, canibus dabat; ita Herod. et Lamp. Hinc oppressus misere periit. Nam ut sapienter ait Aristot. lib. 5 Polit. cap. 10. Qui se voluptatibus dant facile in contemptum veniunt, et multas se opprimendi occasiones præbent. Unde Alexander Magnus rerum gestarum gloriam sua violentia obscuravit, adeo ut Antigonus ei dixerit ipsum indignum esse qui imperaret; unde ipsa eum vita et imperio privavit. Hausit hoc vitium a patre Philippo, de quo muliercula: *Provoco*, inquit, *a Philippo ad Philippum, sed ab ebrio ad sobrium.*

Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam.) Quidam pathetice vertit: Vers. 17
O beatam terram, etc. Pro *non ad luxuriam*, hebr. est לא בשתי *lo bascetí*, quod nonnulli apud Kimchi vertunt: *Non in stamine*, id est: *Non in mixtione*, ut scilicet sapientia non misceatur vino, sicut tamen miscetur et intexitur subtegmini intexendo; aut ne singuli cyathi singulis cibi bolis misceantur: uti faciunt potatores, cum longe parcius sit bibendum, quam comedendum. Verum nova et coacta est hæc expositio.

Pro *nobilis*, hebr. est בן חורים *ben chorim*, vel ut alii pronuntiant *horim*, (q. d. Heroum) id est, filius candidatorum, hoc est ingenuorum, nobilium, principum (olim enim nobiles et principes candidati, id est, candidis vestibus amicti incedebant, uti ostendi cap. 8. et 9.) puta ingenuus, nobilis, princeps (qualis enim est pater, talis est filius, ac filii nobilium et principum sunt nobiles et principes.) Unde Septuag. vertunt: *Filii ingenuorum*; Syrus: *Filii libertatis*; Arab. *Filius liber*; alius: *Filius Heroum*, חורים *Horim* enim sunt Heroes; Tigur. *Generosus est*; Campensis: *Vir strenuus*. Tales fuere veteres Heroes: *Heros*, inquit Servius ex Hesiodo, *est vir fortis, semideus, plus ab homine habens.* Unde Cicero lib. 1. ad Attic. *Heros ille noster Cato.*

Nobilis.) Intellige nobilitate non tam generis, quam sapientiæ et virtutis, quæ sola, vera et solida est nobilitas, puta animi generositas ad magna et præclara audendum et gerendum, quæ suo genere suisque patribus et avis dignum se nepotem præbeat. Nam ut ait Euripides:

Beatus mihi vir nobilis videtur.
Qui vero non iustus est, licet a patre meliore
Quam Iupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi videtur.

Est antithesis versus præcedentis, q. d. Sicut misere et infelix est terra, cuius rex est puer, id est, puerili et in gulam obiecto, ac proiecto in voluptates animo; sic beata et felix est terra, cuius rex est animo nobili et generoso, qui cum suis principibus generosa spectat moliturque, ac proinde voluptates despicit, nec nisi negotiis publicis confectis suo tempore vescitur, non ad luxum et gulam, sed ad necessariam virium refectionem et sustentationem. Porro Chald. hanc gnomen restringit ad Ezechiam, quem opponit Ieroboam: « Beata erit terra, inquit, in tempore quo regnaverit super te Ezechias filius Achaz, qui erit de genere domus David regis Israel; qui erit vir fortis in lege, et faciet ad quod obligatum est ex præceptis legis; et principes tui, postquam offerent iuge sacrificium, comedunt panem post quartam diei horam, de labore manuum suarum, in fortitudine legis et præceptorum, at non in infirmitate et cæcitate oculorum, in infirmitate studii et præceptorum »

B NOBILIS.) Ex hoc loco Bartolus in l. Honor. §. de Honor. ff. de muner. et honor. docet privilegium nobilitatis, ut ex ea potius quam ex plebeiis familiis assumantur ad honores, dignitates et magistratus, conforme esse iuri naturæ et divino. Idem docet Tiraquel. tract. de Nobilit. c. 20. n. 4. et seq. Quin et Plato in Alcibiade: *Consentaneum est*, inquit, *meliores esse naturas in nobili genere, quam in ignobili; ac necesse est ut bene nati, si bene educantur, ita demum ad virtutem perveniant*. Et S. Thom. in c. 1. ad Hebr. lect. 3. ut fortis quis aliquam dignitatem administret, præter sapientiam exigit ne erret in gubernando, ac virtutis potentiam in exsequendo, generis quoque prosapiam ne contemnatur præcipiendo. Nobilitas enim generis filio nobili dat magnam apud populum auctoritatem; unde Germani nobiles mirifice honorant. Rursum eadem stimulus est filio ut nobiliter vivat, ac digne nobilitate sua avorumque facta gerat. Insuper cum regi vel principi in principatu succedunt filii iure hæreditario, non externi, licet aptiores, iure electionis, tollitur omnis eligendorum ambitio, invidiæ, lites, rixæ, schismata et bella, quæ ex electione consequi solent.

C Ceterum in prælatura Ecclesiastica, licet Aaroni in Pontificatu iussu Dei successerint filii et nepotes, in nova tamen lege Christus voluit Pontifices, Episcopos ceterosque Prælatos non nasci, nec iure hæreditario succedere, sed eligi eos qui sapientia, virtute et dotibus ceteris præstarent. Hoc enim exigebat dignitas, utilitas et maiestas Pontificum et Sacerdotum Christi, utpote qui quasi homines cælestes ceteris viam in cælum præire debeant, ideoque *vivere ut numina, loqui ut oracula*. Unde cum in Pontificis cuiusdam electione commendaretur unus a generis nobilitate, respondit alter: *Piscatori Petro successorem quæri, non Augusto*, uti refert Gloss. cap. quoniam q. 1. verb. *invidia*.

D CUIUS PRINCIPES VESCUNTUR IN TEMPORE SUO AD REFICIENDUM, ET NON AD LUXURIAM.) Hebr. *In fortitudine et non in potatione*, id est, vescuntur ut roborent vires corporis et animi ad laborandum pro republica, non ad compotationem, luxum et crapulam. Hinc Tigurina vertit: *Comedunt ob vires reficiendas, non ut certent poculis*; Campens. *Comedunt quantum satis est ad vires conservandas, non comessationibus dediti*; alius: *Pro necessitate, non pro luxu et ebrietate*. Unde S. Hieron. ait hic eos Iudices prædicari, qui nequaquam voluptatem negotiis civium præferant, sed post multum laborem et administrationem reipublicæ, cibum capere quasi necessitate cogantur. Idem a Salomone didicit sanxitque Plato l. 2. de Legibus, ubi vini usum magistratibus non concedit, nisi reficiendi corporis vel morbi causa. Symmach. vertit: *In probitate virili*, id est, ut comparent sibi virile robur, firmamque valetudinem, ait Olympiod. qui enim tempestive, scilicet horis statis cibum sumit, idque moderate, is sanior et robustior est, teste Thaumatur. Porro Septuag. vertunt: *Principes tui ad tempus comedent in fortitudine, et non confundentur*; Syrus: *Cum prosperitate et non in confusione*.

Principes decet sobrietas.

Hebr. enim בשתי basti si puncto caleph camets subnotetur, ut *beth* initiale sit non radicale, sed servile et nota præpositionis, significat *in potatione*; sed eodem redit sensus: potatio enim vocatur *confusio*, quia inducit crapulam, vomitum, ebrietatem, etc. quæ potantem faciunt confusione dignum, ut coram omnibus pudefiat, omniumque risui et ludibrio exponatur: *Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt!* ait Seneca Ep. 83. Quocirca Dionysius tyrannus se suique similes aiebat esse persimiles caponibus et vitulis, qui saginantur non ad salutem, sed ad perniciem, ut videlicet saginati mactentur et comedantur, uti refert Euseb. 4. de Præp. cap. 5. Tales S. Petrus, Epist. 2. c. 2. v. 12. vocat *irrationalia pecora, in conviviis suis luxuriantes*; et S. Iacob. cap. 5. v. 5. *In luxuriis enutrientes corda sua*.

Exempla principum temperantium sunt: Iulius Cæsar vigil et sobrius, non nisi belli consilia agitans, imperium Romanum obtinuit, imo fundavit. Unde Cato dicebat unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. Ita Svet. in Vita Cæsaris cap. 53. Sobrietate et vigilantia Cyrus Persarum monarchiam adeptus est, et stabilivit. Augustus Cæsar cibo subinde abstinebat usque ad vesperam, assiduitate iuris unicuique reddendi in noctem usque occupatus. Unde ipse in Epist. *Nos*, ait, *in essedo panem et palmulas gustavimus*. Et Epist. ad Tiberium ait se ex itinere domum redeuntem uncias panis sumpsisse. Vide Sveton. in vita eius c. 33. 74. 76. et seq. Ægyptiorum reges cibo vescebantur simplici, ut quorum mensæ nihil præter vinum et anserem inferretur. Vini potandi certa statuta erat mensura, qua neque farciri venter, neque inebriari possent. Denique adeo erant sobrii, ut vita eorum a peritissimo medico ad sanitatem composita videretur, ait Diodor. lib. 1. cap. 6. Agesilaus Spartæ rex quidquid vel insipidi apponebatur, comedebat et bibebat, inquit Xenophon. Annibal sobrius vigilque fuit, ideoque victor, donec Capuanæ deliciæ eum enervarunt et perdiderunt. P. Scipio Æmilianus pane tantum vescebatur. M. Cato cibo potuque quo nautæ, utebatur. Ita Valer. l. 4. c. 3. Traianus in vescendo frugalissimus fuit, teste Alex. lib. 5. cap. 24. Carolus magnus cibi potusque parcissimus erat, teste Grenzio, l. 2. c. 8. Saxon. Alphonsus Aragon. rex vino fere abstinebat. Rogatus cur? *Quia*, inquit, *vino sapientia obscuratur, ideoque non decet regem, ut hoc immodica compotatione extinguat, sine qua imperatoris ac regis nomen rite tueri non potest*. Rursum rogatus cur adeo ebrietatem damnaret? *Ideo*, inquit, *quia furorem et libidinem ebrietatis filios esse non ignoro*. Ita Panorm. l. 2. de Gestis eius. Selymus Turcarum imperator adeo fuit sobrius ut non nisi ex uno ferculo comederet; unde inter tot bellicos labores prospera semper fuit valetudine. Ita Iovius in eius Vita. Emmanuel Lusitaniæ rex vino semper abstinuit, teste Osorio lib. 12. de eius Gestis.

Allegor. Rex nobilis sive filius candidatorum est Christus, cuius principes Apostoli mire sobrii fuere. Ita S. Hieron. « Beata, inquit, terra Ecclesiæ cuius rex est Christus filius ingenuorum, de Abraham, Isaac et Iacob Prophetarum quoque et Sanctorum stirpe descendens: quibus peccatum non fuit dominatum; et ob id vere fuerunt liberi, ex quibus nata est virgo liberior S. Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem loquentem in Cantico Canticorum, Cant. 2. Ego flos campi et lilium convallium. Principes quoque eius sunt Apostoli et omnes Sancti, qui regem habent filium ingenuorum, filium liberæ, non de ancilla Agar, sed de Saræ libertate generatum. Nec comedunt mane, neu velociter. Non enim in præsenti sæculo quærunt voluptatem, sed tempore suo manducabunt, cum retributionis tempus advenerit, et manducabunt in fortitudine, et non in confusione. Omne bonum præsentis sæculi confusio est, futuri vero perpetua est fortitudo. Tale quid et in Isaia dicitur: Ecce qui serviunt mihi bona manducabunt, vos autem esurietis, Isaiæ 65. Et iterum: Ecce qui serviunt mihi lætabuntur, vos autem pudebit. » Sancto Hieronymo succentoriatur S. Augustinus l. 17. Civit. 20. qui ex hoc loco statuit duas civitates, unam diaboli,

alteram Christi, et eorum reges diabolum et Christum: « Væ tibi, terra, inquit, cuius rex adolescens, et principes tui mane comedunt! Beata tu terra, cuius rex filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non in confusione. Adolescentem dixit diabolum, propter stultitiam et superbiam et temeritatem et petulantiam cæteraque vitia, quæ huic ætati solent abundare. Christum autem filium ingenuorum, Sanctorum Patriarcharum, pertinentium ad liberam civitatem, ex quibus est in carne progenitus. Principes, illius civitatis mane manducantes, id est, ante horam congruam, quia non exspectant opportunam, quæ vera est, in futuro sæculo felicitatem, festinanter beari huius sæculi celebritate cupientes. Principes autem civitatis Christi, tempus non fallacis beatitudinis patienter exspectant. Hoc ait in fortitudine, et non in confusione, quia non eos fallit spes, de qua dicit Apostolus: Spes autem non confundit. Dicit et Psalmus, Psal. 24. Etenim universi qui sustinent te, non confundentur. »

Isaiæ.63

Vers. 18 Pigritia dat ruinas.

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.) Campens. *Fiet ut arceri non possit pluvia*. Hebr. est עצלתים *atsaltaim*, nomen duale, q. d. Claudicatio in utroque pede, id est, duplex pigritia, animæ et corporis; vel negligentia rerum præsentium et futurarum; aut socordia tam subditorum, quam superiorum et principum; vel patris et matris, hi enim sunt duo curatores domus, quorum duplex negligentia illam perdit. Ita Chald. aut ut Pineda, una pigritia est regis, altera principum et magistratuum. De utrisque enim sermo præcessit. Aut regis duplex est pigritia, una qua rex est privata persona, altera qua publica, ut significet pigritiam, quæ in plebeio esset simplex, in rege et principe esse duplicem, imo multiplicem. Unde Arabicus vertit: *Ob modos negligentiæ inclinabitur tectum*; Thaumat. *Piger et otiosus domum suam minorem faciunt*. Pro *humiliabitur* hebr. est ימך *immach*, id est, *inclinabitur*, deprimetur, subsidet, corruet. Vatabl. *propendet*; Tigur. *deterior fiet*; Campens. *solvetur*; alii, *marcescet*, *putrescet*. Sic enim Hebr. *iimmach* vertunt Septuag. Levit. 27. 8. Alius, *opprimetur*; alius, *incurvabitur*.

Apposite a comessatione transit ad pigritiam eiusque damna, quia filia gulæ est acedia, ait S. Greg. dum enim stomachus gravatur cibo et cerebrum vino, totus homo fit gravis, torpidus, piger, somnolentus, iners, ignavus. Parœmia ergo hæc significat domum quamlibet tam privatam, tum publicam, puta regnum et rempublicam dissolvi, ruere et everti per pigritiam principum natam ex comessatione, et compotatione, per quam pigri sunt et desides in avertendis parvis noxis et damnis (quot enim sunt rimæ et stillæ, tot sunt pigritiæ in iis avertendis) hæc enim neglecta augescunt, et tandem rempublicam perdunt: sicut domus sensim debilitatur et tandem ruit, si piger sit herus in ea reparanda. *In pigritiis* ergo, id est, ob pigritiam et negligentiam initio parvam, sed diuturnam et multiplicem reficiendi tegulas, tigna, trabes, etc. et sartatecta servandi, *humiliabitur*, id est debilitabitur, marcescet, fatiscet, cadet, corruet et perdetur contignatio, id est, coniunctio trabium in domus fastigio, cuius ruina quassabit parietes subiectos, totamque domum evertet; *et in infirmitate*, id est per remissionem, otium, et ut Septuag. *segnitiem*: Syrus, *depressionem manuum pigrarum et tardarum*, non reparantium minutas rimas et foramina, *perstillabit*, stillas pluviæ depluentis recipiet, quæ continuo cadentes putrefacient trabes, ut iis corruentibus corruat tota *domus*, tam privata, tum publica, scilicet respublica et regnum. Pergit enim perversos reges et principes describere, quorum ignavia et vitio ruit respublica. Unde de iisdem subdit: *In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes*. Cum enim otii vacent, imo mergant se deliciis et voluptatibus, obliviscuntur reipublicæ: cura enim ventris parit incuriam et desidiam mentis. Huc facit illud Comici in Mostel. *Venit imber, lavit parietes, perpluunt tigna, putrefacit aer operam fabri*. Apte fabrica domus statuitur hic typus fabricæ hominis et familiæ, vel reipu-

A blicæ. Nam ut ait Vitruvius: *Non possunt ædes symmetriæ atque proportionatæ rationem habere compositionis, nisi in se hominis bene figurati membrorum habuerint exactam rationem.*

Minus apposite aliqui hanc gnomen nectunt præcedenti, q. d. Cura moderati cibi servat vires corporis, quas incuria destruit, æque ac incuria sarta tecta conservandi destruit domum; et alii qui nectunt sequenti, q. d. Qui in risu epulantur, sensim labascunt corpore et animo, perinde ac labascit domus ex heri vecordia. Utrumque enim inconcinnum est et frigidum. Huic gnomæ similis est illa: *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, Prov. 18. 9. Et illa Oseæ 7. 9. *Comederunt alieni robur eius, et ipse ignoravit*: *Non sentiens*, ait S. Bernard. de Inter. domo cap. 11. *vermem interiorem* (socordiæ et concupiscentiæ) *qui interiora corrodit*, ac subdit: *Et ideo pergens totus in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum meorum, sicut aqua effusus sum, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non*

B *providens. Ingratus sum ad beneficia, pronus ad mala et tardus ad bona*. Quare cum audieris gravem casum viri magni et sancti, noli putare repentinum illud fuisse, sed minora neglecta maiora evasisse, ipsumque tandem e culmine in abyssum præcipitasse.

Mystica ergo hæc gnome verissima est in fabrica spiritualis domus et perfectionis animæ: parvus enim defectus si negligatur, parit maiorem et maiorem, et tandem homo cadit in peccata gravia, ac virtutem cum vitio commutet. Ita Olymp. et S. Hieron. Unde Chald. vertit: *In studio legis et mandatorum vir animo fractus, liberis orbatur suis; fœmina autem si negligentius præcepta, quæ ei imperata sunt, ut a menstruis polluti sanguinis caveret, non servarit, summo animi mœrore afficietur.* Sed audi S. Hieron. *Domus nostra, quæ cum statu hominis erecta est, et habitatio quam habemus in cœlis, si pigri sumus et ad bona opera tardiores, humiliabitur. Et omnis contignatio, quæ debet culmen portare in sublime,*

C *ad terram corruens habitatorem suum opprimit. Cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes desuper tempestates, et imbrium ad nos turba prorumpit.* Addit deinde, applicatque Ecclesiæ: *Porro quod in homine uno interpretati sumus, melius est super Ecclesia accipi, quod per negligentiam principum omnis eius corruat altitudo, et ibi altiorum illecebræ sint, ubi tegmen putabatur esse virtutum.* Hucusque S. Hieronym. Pigritia ergo est tepidorum socordia, qua nolunt minimis peccatis remedium afferre, et infirmitas manuum est eorumdem vana securitas, qua volunt et minora libenter admittere et in maiora non cadere: sed istam pigritiam atque infirmitatem sequetur prius perstillatio domus, deinde ipsius domus misera manifestaque ruina; quoniam vana securitate ædificatio virtutis mollescit, ut cadat, et tandem defectuum leviorum iteratione procumbit. Non quia illa sola virtutem destruant animamque deiiciant, sed quia fortitudinis murum aperiunt, ut importunus hostis irrumpat. Hanc namque mentem esse sapientis Cassianus, alium simul eius-

D dem locum tractans, evidenter expressit: *Eleganter*, inquit, *mentis incuriam domui comparavit, tectoque neglecto, per quod primo quidem velut minutissimo quodam penetrant ad animam stillicidio passionum: quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum; et post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali, id est, tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli expellitur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat.* Hactenus Cassian. collat. 6. c. 17.

Porro contignatio, quæ non est aliud quam *tectura trabium ac lignorum*, ut ait Budæus: Primo, notat sublimiorem Ecclesiæ statum clericorum et regularium, ait Hugo. Secundo, finem ultimum, ad quem cuncta sunt erigenda et apte nectenda, ait Olympiodor. Tertio, virtutum, quæ inter se contrariæ videntur, connexionem, ut spei et timoris, humilitatis et magnanimitatis, paupertatis

Contignatio mystica. 1. 2. 3.

4. et beneficentiæ, actionis et contemplationis. Quarto, virtutum sublimitatem ac soliditatem, ac præsertim charitatis celsitudinem, ait Dionys. Significat ergo *nobis in ænigmate parabolæ Ecclesiastes, per virtutum robur ac firmitatem non cedere fluxionibus tentationum extrinsecus in cor fluentium, per quas nobis pereant quæ sunt reposita*, ait Nyssen. hom. 4. Dum ergo rimam vel minimam in anima sentis, per quam diabolus stillam tentationis immittit, illico eam obtura; alioquin ex rima fiet fenestra, et ex stilla fiet pluvia, imo torrens et flumen, cui
5. resisti non poterit. Quinto, contignatio sive tabulatum significat principes et proceres, qui cæteras inferiores reipublicæ partes sibi subiectas tuentur et protegunt. Hi enim comparantur tignis cedrinis et cypressinis, Cant. 1. uti ibidem explicat sanctus Gregorius, Bernardus, Ru-
6. pertus, Anselm. et alii. Sexto, contignatio sunt consiliarii et officiales principum. Hi enim, dum per concordiam velut contignationem connectuntur, conservant domum reipublicæ; dum vero per invidiam a sese dissident, tam se mutuo, quam rempublicam evertunt. Denique S. Hilar. Cant. 6. in Matth. *In pluviis*, inquit, *blandarum et sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primum fides rimis patentibus immadescit; postquam torrentium procursus, id est graviorum cupiditatum motus incurrit; atque exinde tota ventorum vis circumflantium desævit, universus scilicet diabolicæ potestatis spiritus infertur.* Stillæ ergo est parva voluptas, imo parvus amor rei vetitæ, qui nisi excludatur mentem penetrat, subiugat et perdit, iuxta illud Eccles. 19. 1. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Vide ibi dicta. Porro R. Salomon per domum accipit templum Hierosolymitanum, de quo sic exponit, q. d. Quia Iudæi nimis fuere negligentes in Dei legibus observandis; hinc accidit ut eorum domus, urbs et templum desoletur per Chaldæos et Romanos; cum tamen huic excidio in tempore occurrere, illudque sua diligentia et pietate avertere potuissent.

Vers 19. IN RISUM (ita legendum cum Hebr. et Roman. non in *risu*, uti legunt alii) FACIUNT PANEM ET VINUM UT EPULENTUR VIVENTES (male nonnulli legunt, *bibentes*) ET PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA.) Hebr. *In risu faciunt panem, et vinum* (Septuag. et Syrus addunt, *et oleum*, *lætificat viventes*; Campens: *Ad voluptatem parant cibos*: Tigur. *Apparant convivia cibis magnifica*; alius: *Lætitiam vino atque epulis celebrant, ut epulentur viventes*, id est ut epulentur læti, hilares et gaudentes; nam vivere est gaudere, et vita est gaudium. Ita Nonius: *Viventes*, ait, *veteres gaudentes dixerunt a bono vitæ commodo, sicut qui nunc est in summo lætitia, vivere eum dicimus.* Sic cap. 9. 9. pro eo quod Noster vertit: *Perfruere vita cum uxore*, Hebr. est *vide vitam*, hoc est vive. Sic Psal. 71. 15. de Salomone et eius antitypo Christo dicitur: *Et vivet*, scilicet lætus, hilaris, dives, honoratus, gloriosus. Unde explicans subdit: *Et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper tota die benedicentes.* Sic et Ezech. 16. 6. *Vive dixi, inquam, tibi in sanguine tuo vive.* Vide dicta. Iam

Vivere est gaudere.

Primo, Caiet. hanc gnomen refert ad v. 17. *Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo, etc.* q. d. Ad beatitudinem terræ pertinet panis, vini et pecuniæ abundantia, quæ omnia rex et principes sobrii et providi comparant, ut de rerum copia reipublicæ prospiciant.

Secundo, Chald. hæc refert ad iustorum eleemosynas: unde vertit: « Hilares panem faciunt iusti, ad educandos pauperes a fame confectos, vinum quoque quod scientibus miscent, illis delectationem futuro sæculo afferet. Pretium etiam redemptionis, testimonium iustitiæ futuro sæculo pro eis in luce omnium reddet. »

Tertio, Thaumat. censet hic notari homines pigros de quibus v. præcedenti, ideoque viles, sanniones et gulosos: *Piger*, inquit, *et ignavus domum minuunt. Alios subsannant, ingluvie sua abutuntur omnibus, argento quovis trahuntur, vili pretio nihil non humile et vile facere parati.* Et Auctor Catenæ Græcæ: *Pigri*, inquit, *abdomini vacant, inhiantque pecuniæ ad solam voluptatem et lætitiam respicientes.* Vice versa, R. Salomon et Aben Ezra censent hic dari stimulum pigris ad excutiendam pigritiam, q. d. Seposita pigritia, alacriter laborate; sic enim labore vestro parabitis vobis splendidas epulas et opes.

Quarto et genuine hæc referenda sunt ad vers. 16. *Væ tibi, terra, cuius rex est puer, et cuius principes mane comedunt!* Hanc enim comestionem et comessationem hic exaggerat, q. d. Rex et principes voluptuarii in risum, id est propter risum et voluptatem, ad luxum et luxuriam, ut dixi vers. 17. curant sibi fieri, et delicate præparari panem et vinum, id est quemlibet cibum et potum, ut epulentur viventes, id est dum vita suppetit, per omnem vitam; nam post mortem nihil boni sperant, imo animam superstitem esse non credunt. Igitur quamdiu vivunt, convivia agitant, epulis et vino mensas opipare instruunt, et ad hæc sumptibus non parcunt; sed quidquid in urbe deliciosum, rerum et magnificum est, magno ære comparant. *Pecuniæ* enim *obediunt* et comparentur *omnia*, vel ut ex Hebræo elegantius et nervosius vertas: *Pecunia omnia exaudit*, omnibus respondet et annuit. Est prosopopœia. Inducitur hic pecunia quasi regina quam omnes et omnia sectentur, exquirant et postulent, ac mox sese sistant et offerant, ubi intervenerit Domina pecunia.

Posset quoque τὸ *in risum* referri ad parasitos, adulatores, histriones et moriones, qui mensas divitum ambiunt, easque quasi emunt, dum eas condiunt suis ridiculis facetiis, dicteriis, scommatibus, gestibus, actibus, quibus convivas ad risum et hilaritatem excitant: qua in re abundabant Palæstini, Syri et Alexandrini, teste Capitolino in Ælio Vero.

Mystice, S. Hieron. hæc refert ad Prælatos qui plausum populi captant, ut opes et epulas acquirant: « Accusat eos, inquit, qui loquuntur in Ecclesia et docent populos, sed ea docent, quæ populum audire delectet, quod peccatores palpent in vitio et strepitus concitent audientium. Nonne, quando in Ecclesia lascivit orator, et beatitudinem et regna cælorum multitudini pollicetur, videtur tibi in risu facere panem, et vinum ad lætitiam miscere viventium? sive quod ipsi, qui docent, divitias et cibos et opes per delectabilia promissa conquirant, sive quod Ecclesiæ panem, qui panis lugentium est et non ridentium (beati quippe lugentes, quoniam ipsi ridebunt) in lætitia gaudioque conficiant: » Pergit deinde: « Quod autem sequitur: Pecuniæ vel argento obediunt omnia, dupliciter accipiendum, vel ipsos Doctores postquam adulatione ditati sint regnum in populos exercere; vel certe, quia argentum pro sermone semper accipitur: Eloquia enim Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum; hoc asseveret, quod eloquentiæ, et orationi, quæ verborum sit fronte composita, facile vulgus cedat ignobile. » Idem S. Hieronymus rursum contrarie hæc accipit de Doctoribus evangelicis, qui hilariter evangelium, id est lætum nuntium, bonaque, quæ Christus sponsus illi attulit, inter quæ est pecunia, id est talenta cuique ab ipso distributa, Lucæ 19 annuntiant. Sic et Olymp. eosdem opponit voluptuariis, quod pane vinoque mystico roborati, facile dæmonis insidias rideant, scientes quod orbis universus argento, id est Verbo Dei propter nos incarnato subiectus sit.

ET PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA.) Pro *obediunt* hebr. Pecuniæ obediunt omnia.
est יענה *iaane*, id est, *humiliat et sibi subiicit omnia*,
vel *exaudit omnia*, vel *respondet omnibus*. Hinc primo 1.
Septuag. vertunt: *Et argento humiliationi obedient omnia*, q. d. Argento omnes et omnia se humiliant, se substernunt et obediunt. Unde Arabiens: *Et omnes res humiliantur et obediunt argento;* Syrus: *Argentum humiliat et seducit eos in omnibus;* alius: *Argento humiliant omnes*, quasi adorantes mammonam. Secundo, Symmach.
vertit: *Argentum utile erit ad omnia:* Thaumat. *Argen-* 2.
to quovis trahuntur. Tertio, Tigur. *Pecuniæ subigunt o-* 3.

omnia; alius: *Argentum obtinet omnia*; Vatebl. *Pecunia præstat omnia*; Camp. *Pecunia suppeditat omnia*; Mari-
4. nus: *Argentum auxiliabitur omnibus*. Quarta alii: *Pecunia respondet omnibus*, vel *omnia*, q. d. Si quid cupis, consule pecuniam: hæc et tibi erit tuæ cupiditati tuisque
5. votis omnibus faciet satis. Quinta, alius: *Pecunia exaudit omnia*, ut per prosopopœiam hic inducatur, velut regina potentissima, imo velut numen mortalium, quod invocatum, omnia quæcumque expetuntur imperet et præstet. Unde Poeta:

— Quidquid numeris præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Iovem.

Similis est phrasis Oseæ cap. 2. vers. 21. *Et erit in die illo: Exaudiam cælos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum et oleum; et hæc exaudient Iezrael*, q. d. Præstabo cælis votum quod optant, dando eis pluviæ abundantiam; cæli hanc impertient terræ, quæ illam postulat; terra cupiditati tritici, vini et olei, ut copiose proveniant, annuet; hæc Iezrael ditabunt frugum fructuumque copia, ut ibi sit magna rerum omnium, æque ac animalium hominumque proventus. Nulla ergo res est quæ non conficiatur pecunia; nullum scelus, quod non imperet pecunia. Unde Apost. 1. Timoth. 6. *Radix*, ait, *omnium malorum est cupiditas*; græce φιλαργυρία, id est cupido argenti. Nihil est tam absconditum, quod divitiæ non eruant; nihil tam carum, quod non coemant; nihil tam sublime et inaccessum, quod non obtineant. Ipsæ sunt huius vitæ firma protectio; ipsæ, quibus regibus et principibus huius sæculi ad voluntatem eorum obsequimur; ipsæ, quibus tranquillitatem, libertatem et amplissimos honores meremur; ipsæ tandem nonnumquam homines abiectissimos nobilibus viris similes faciunt, et ad supremum imperium evehunt. Sexto, Noster omnia hæc complexus significanter vertit: *Pecuniæ obediunt omnia*. Ipsa enim est quasi regina, cui vocanti et imperanti omnes et omnia se sistunt, obediunt et imperata faciunt. Unde Thuanus vertit:

Gnomæ *Et passim potitur regina pecunia rerum.*

Hinc Aristophanes in Pluto Act. Scen. 2. idipsum mutuatus est.

Si quid, inquit, *præclarum, aut pulchrum aut gratum denique*
Inter homines existit, per Plutum (Deum opum) *maxima*
Existit: nam pecuniæ obediunt omnia.

Et Horat. l. 1. epist. 6.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat.
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.

Hinc et illud Sallustii in Iugurt. *Romæ venalia omnia esse etiam ipsammet civitatem, si emptorem reperiret*. Vide Senecam l. 3 de Ira cap. 32. et 33. Cicero in Verrem Act. 2. queritur pecuniosum, ut sit nocentissimus, damnari non posse. Epicharmus ait, auro aperiri omnia, ipsas etiam inferni portas. Hesiodus in Ergis pecuniam vocat, hominis animam alteram. Philosophus, sanguinem et vitam. Hinc Iurisconsulti quos citat Tiraquel. de Nobil. cap. 3. n. 5. censent omnes divites vocari posse principes: inde enim divitiæ nominantur facultates, quod ad res omnes facultatem, adeoque facilitatem præbeant. Imo Plutus et Mammona pro diis habiti et culti sunt. Quin et Iudas pro triginta denariis argenti Christum Deum vendidit, prodidit et perdidit. Denique Gentiles Iovem ipsum deorum summum vocarunt pecuniam. Citat eos et redarguit S. August. l. 7. de Civit. cap. 12. cuius verba recitavi Eccles. 10. 9. sub initium. Idem l. 4. c. 21. docet eos coluisse Deum Argentinum, et Æsculanum dictum ab ære; et Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 33. *Iniustitiæ*, ait, *auctorem et dominationem totius sæculi, nummum scimus omnes*. Unde avaritia a Paulo vocatur idolorum servitus: multi enim aurum ut numen colunt et quasi adorant, Ephes. 5. 5. Sapienter Seneca et ex eo Dionysio: *Pecuniæ*, inquit, *imperare oportet, non obedire*, et Cicero 1. Offic. *Nihil*, ait, *est tam angusti animi tamque parvi, quam amare pecuniam.*

Talis enim est mancipium aureum, ait Socrates et Poeta:

Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

Denique Iulius Cæsar potentiam duabus rebus parari, servari et augeri censebat, pecunia scilicet et militibus, easque se mutuo consequi. Ita Xiphilinus in Cæsare. Hinc Flaminius apte ludens in Philopœmenem militibus abundantem, sed opibus vacuum, ait: *Philopœmen manus quidem habet et crura, at ventrem non habet*: per manus et crura significans duces et milites, per ventrem pecuniam, quæ milites nutrit, ideoque belli est nervus. Ita Plutarc. in Apopht. Rom.

Porro S. Thomas 1. 2. q. 2. art. 1. ad 1. quærit an beatitudo hominis consistat in divitiis, ex eo quod pecuniæ obediant omnia, ac respondet: *Omnia corporalia*, inquit, *obediunt pecuniæ quantum ad multitudinem stultorum, qui sola corporalia bona cognoscunt, quæ pecunia acquiri possunt. Iudicium autem de bonis humanis non debet sumi a stultis, sed a sapientibus sicut et iudicium de saporibus ab iis qui habent gustum bene moderatum*. Unde apte Poetæ Iovi dederunt imperium cæli, Neptuno maris, Plutoni inferorum, quia πλοῦτος, id est opes ex imis terræ visceribus eruuntur, et avaros ad infernum deducunt ad Proserpinam Plutonis uxorem. Hinc Pluto dictus est Orcus et Uragus ab Urgendo, ac Dis. Causam dat Cicero libr. 2. de Natura deorum: *Terrena vis omnis*, ait, *atque natura Diti patri dedicata est; qui Dis, ut apud Græcos* πλούτων, (id est dives) *quia et recidant omnia in terras et oriantur a terris*. Pluti nomen et etymon.

In cogitatione tua regi ne detrahas, ut in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti; quia aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam) Cohæret apte hæc gnome præcedenti, q. d. Esto reges et principes conviviis vacent, rempublicam negligant, cives vexent et opprimant; tamen caveat subditus ne eis detrahat: facile enim eius detractio ad aures principis perveniet, qui eum puniet et plectet. « Iubet, inquit S. Hieronym. ne ira et furore superati, in maledictum et in detractionem regum et principum prorumpamus: quia contra spem interdum evenit ut his quibus maledicimus nuntietur, et incurramus periculum immoderatione linguæ. Quod autem ait: Volucres cæli auferent vocem tuam, et habens pennas annuntiabit verbum, hyperbolice intelligendum, quomodo solemus dicere etiam ipsos parietes, quibus consciis loquimur, quæ audierint non celaturos. » Vers. 20.

In cogitatione tua.) Hebr. *In scientia tua*; Sept. *In conscientia tua*; S. Hieron. *In mente tua*; Syrus: *In intellectu tuo*; Chald. *Ne tacitus apud te intimis et abditis cordis regi prava imprecaris*. Ergo *in cogitatione tua*, id est ne occultissime quidem, vel te solo conscio, ut vertit Thaumat. Unde Arabicus vertit: *In lecto tuo*; Caietan. *In separatione tua*. Est catachresis: cogitatio enim sumitur pro summe occulta. Ita Lyranus, Caiet. Vatablus. Adde proprie in cogitatione et mente non esse maledicendum regi; quia quod sæpe cogitamus et mente volvimus, hoc per os, id est per verba et gestus foras erumpit, ut sentiri, et ab audientibus ad regem deferri possit. Ita Lyranus. Unde Campensis vertit: *Ne ausus fueris vel cogitare semel, ut huiusmodi in rege vel principe reprehendas*. Et Thaumat. *Iubet*, inquit, *regni principibus et magistratibus per omnia parendum, ita ut ne dicto quidem quis illis adversetur, aut ad verbulum aliquod, triste obmurmuret.*

Regi ne detrahas.) Hebr. אל תקלל *al tekallel*, id est ne vilipendas, ne extenues, ne leviter loquaris, velut de vili et abiecto, ne vituperes. Septuag. *Ne maledicas, ne execreris*; Symmachus: *Ne conviciis incessas*. Alludit ad præceptum Mosis: *Diis* (id est iudicibus et magistratibus) *non detrahes, et principi populi non maledices*, Exodi, 22. 28.

Diviti.) Id est potenti, principi, præsidi. Ita Vatabl. Caietan. Titelm. et alii, imo et S. Hieron. In Script. enim sæpe dives notat potentem et principem; quin et apud Poetas. Divitiæ enim faciunt potentes et principes, ac quasi

Deos: Unde Deus et Divus dicitur quasi dives, quod abundet et det omnibus, sicut pecuniæ obediunt omnia. Audi Horatium 2. ser. Satyra 2.

Omnis enim res
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam et rex.

Deos æternos dicimus; divos vero qui ab hominibus fiunt, ait Servius. *Divus enim dicitur quasi Dius*, id est ἀπὸ Διὸς *id est a Iove genus ducens*, aut *divus*, quasi divinus. Hinc ditio, quæ est divitum et ditiorum, vocatur potestas et imperium. Unde Cicero 2. de Legib. *Ditione atque numine Deorum geruntur res* Et Act. 3. in Verrem: *Sub imperium ditionemque populi Romani urbes aliquas subiungere.*

QUIA ET AVES CÆLI PORTABUNT VOCEM TUAM, ET QUI HABENT PENNAS (Aquila *alata*) ANNUNTIABUNT SENTENTIAM.) Hebr. *verbum:* Tigur. *maledictionem tuam;* idem dicit posteriori hemistichio per elegantiam, quod dixit priori: aves enim et volatilia habent pennas. Proverbium vulgare est: *Nisi si qua vidit avis*, significans rem esse valde occultam. Unde Aristophanes in Avibus:

Nemo vidit meum thesaurum, nisi si qua avis usquam.

Et Suidas ex Aristophane:

Nemo me contuetur, nisi prætervolans avis.

Est ergo hæc parœmia hyperbolica significans rem occultissimam, puta maledicentiam et detractionem secretam, occulto quodam modo perferendam ad regem, qui multos habet oculos et aures, puta multos corycæos et exploratores. Unde illud:

An nescis longas regibus esse manus?

Simili modo et proverbio dicimus sylvas et sepes habere aures, quæ qui ibidem quasi in loco deserto et secreto dicuntur, sæpe ab aliquo ibidem latitante vel eminus spectante, videntur, audiuntur et cognoscuntur. Rursum cum dicimus, *scelus nullis parietibus posse abscondi;* et: *Si tacuerint, lapides clamabunt.* Litterale exemplum est in Ibyco Musico, ideoque divite, qui cum a latronibus ob opes occideretur, grues prætervolantes testes et vindices necis suæ appellans, per ipsas auctores necis detecti pœnas dederunt. Unde illud Ausonii in Monosyllabis:

Aves revelant secreta. Exemplum.

C *Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.*

Unde Proverbium: *Ibyci grues*, in eos qui insolito casu proditi sceleris pœnas exsolvunt. Ita Plutarchus l. de Sera Numinis vindicta, qui addit simile de Besso cuius parricidium hirundines prodiderunt. De Porphyrione ave tradunt nonnulli, ipsam adulterium uxoris marito detegere. Sic picas, loqui doctas, domi maledicta et facta puerorum vel famulorum absenti patrifamilias sua voce et gestu detexisse sæpius audivimus. Notum est ex Porphyrio, Philostrato et aliis Melampium, Tiresiam et Apollonium Thyanæum se iactasse quod voces garritusque hirundinum aliarumque avium intelligerent, et ex iis secreta dicta factaque cognoscerent. Huc facit illud Iuven. Satyr. 9.

O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur,
Et canis et postes et marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen
E medio: clamant omnes prope, nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

Et Cicero: *Omnis fere sermo*, inquit, *ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus.* Quocirca sapienter S. Eucherius epist. ad Valerianum, ita præcipit; *Etiam in secretis tuis, quod velis homines nescire, ne feceris, quod Deum, ne cogitaveris.*

Per *aves cœli* ergo notat delatores, ut vertit Vatab. et exploratores; aves enim sunt perspicaces, celeres, garrulæ, leves, inconstantes; tales sunt et delatores et curiosi corycæi, qui omnia secretissima explorant, et ut ait Comicus in Trinum: *Id quod in aurem rex reginæ dixerit, sciunt, quod Iuno fabulata sit cum Iove.* Porro Olympiod. et ex eo Pineda per aves intelligit famam: *Maledicta, ait, fama excurrens deferet ad illius aures cui malum imprecatus fueris.* Fama enim a Poetis pingitur alata, vigil, loquax, velox. Audi Virgil. 4. Æneid. hoc famæ ænigma

A vel hieroglyphicum proponentem:

Cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut, summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes,
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Adde (ut ad aves redeam) solere epistolas per aves mitti, cum quid secreto et celeriter absenti et remoto nuntiandum est. De columbis asserit Plinius l. 10. 37. *Internuntias in rebus magnis fuisse, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi, in castra Consulum D. Bruto mittente. Quid vallum et vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cœlum eunte nuntio?* Qua de re plura dixi in Oseam. Denique veteres auguria et divinationes rerum arcanarum captabant ex avibus.

B Porro principi et magistratui expedit habere veraces et probæ fidei exploratores qui ea quæ ubilibet fiunt præsertim secreta, rimentur: sed cavendi sunt leves et fallaces, qui adulationis, odii vel lucri causa crimina confingunt et innocenti impingunt. Unde Sapienter Mecænas Augusto Cæsari de iis ita scribit apud Dionem l. 52. « Quoniam auscultatores et exploratores habere te oportet quorum ope omnes imperii tui res cognoscas, ne quid custodia aut emendatione indigens te fallere possit, memento non omnino statim, quæ ab eis referuntur credenda, sed diligentem considerationem adhibendam esse. Permulti enim eorum, vel odio aliorum, utpote bona eorum affectantes, vel in gratiam quorumdam, vel irati ob postulatam et non acceptam pecuniam, falso crimine seditionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicuius facti vel dicti improbi eos onerant. Quod si enim tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno: festinando autem fieri potest ut peccatum aliquod irreparabile admittas. »

C Mystice, aves cœli sunt Angeli (unde Tigur. *Angeli veloces et alati*) boni vel mali, qui res nostras ad Deum et subinde ad homines deferunt; mali ut accusent, boni ut excusent et gratiam impetrent. Angeli enim cognoscunt cogitationes subinde etiam secretas, non ex se, sed ex signis et coniecturis, vel ex revelatione Dei. Minus vere Hugo censet Angelos cognoscere quidem cogitationes ab ipsismet nobis immissas, an illis consentiamus, non vero cognoscere eas quas nobis caro vel mundus suggerit; minus vere, inquam; nam utrasque æque cognoscunt vel ignorant: utrarumque enim eadem est ratio, et idem indagandi modus. Ita Olympiod. Thaumat. Hugo et alii. Porro Olympiod. per aves quoque accipit conscientiam propriam, quæ, ut vulgo dicitur, est instar mille testium, et Spiritum sanctum. Sed hæc huic loco incongrua sunt. Porro S. Hieron. mystice per principem accipiens Christum et Sanctos, per aves Angelos, sic exponit: « Mundos, inquit, non solum contra Christum temere nihil loquendum, verum etiam in arcanis cordis, quamvis variis
D tribulationibus coarctemur, nihil blasphemum, nihil impium sentiendum. Et quia dilectionem, quam Christo exhibemus, debemus et proximo. Diliges quippe Dominum Deum tuum, sed et proximum tamquam teipsum; etiam nunc iubemur, ne post regem de sanctis quoque facile detrahamus, et eos, quos viderimus sapientia, scientia, virtutibusque dotatos linguæ mordacitate rodamus: quia Angeli qui terram circumeunt et sunt administratorii spiritus, et in Zacharia loquuntur: Circuivimus terram, et ecce omnis terra habitatur et silet; adinstar avium nostra verba et cogitationes ad cælum perferunt, et quod etiam cogitamus Dei scientiam non latere. » Porro Chald. per aves accipit Angelum Raguelem et Eliam. Unde sic vertit: « Tu autem ne tacitus apud te, in intimis et abditis cordis regi prave impreceris, neque in penetrali thalami tui sapienti maledixeris. Raguel enim Angelus omni die super montem Horeb clamat, et in universum orbem vox eius pervagatur. Elias quoque sacerdos magnus, velut aquila

summis alis prædita volens aerem et cælos perlustrat, et fert et denuntiat. » Verum hæc sunt figmenta Iudaica et quæ occulte facta sunt omnibus terram inhabitantibus de- Cabalistica.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Per ænigmata hortatur ad largas eleemosynas. Inde v. 8. monet ut homo assidue memor sit iudicii extremi, ideoque concupiscentias mortificet, ac virtutibus et bonis operibus vacet.

1. MITTE panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum. 2. Da partem septem, nec non et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. 4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, numquam metet. 5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. 6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit. 7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. 8. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. 9. Lætare ergo, iuvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. 10. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua: adolescentia enim et voluptas vana sunt.

Vers. 1. Mitte panem super transeuntes aquas.

MITTE (Syrus, *proiice*) PANEM TUUM SUPER TRANSEUNTES AQUAS: QUIA POST MULTA TEMPORA INVENIES ILLUM.) To *transeuntes* non est in Hebræo, sed subintelligitur: aquæ enim veræ et vivæ sunt fluentes fluxuque suo transeuntes. Salomon secutus Ben Sira, quem Hebræi volunt fuisse nepotem Ieremiæ Prophetæ, Alphabeto 1. littera *zain*: *Sparge*, inquit, *panem tuum in superficie aquarum, et in arida, et tu invenies eum in fine dierum*, q. d. Sicut agricola iacit semen in terram, nulla habita ratione soli humidi vel aridi, sic et tu disperge tuas eleemosynas in egentes, etiam aridos, id est plane inopes, vel immemores et ingratos, ut tibi gratiam referre non possint aut nolint. Iam

I. Primo, Caietan. sic proprie explicat: Mitte tuum panem per maria et flumina ad distantes pauperes. Verum ipse gnomen hanc universalis eleemosynæ ad absentes restringit, nisi sic explices, q. d. Ita dilata tuos animos et eleemosynas, ut non tantum præsentibus eroges, sed et eas ad absentes remotosque quaquaversum mittas, uti fecit S. Gregorius. Chaldæus vero per transeuntes aquas accipit pauperes in aquis navigantes: « Porrige, ait, alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in navibus super faciem aquarum; quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem eius in sæculo hoc et in sæculo venturo. »

II. Secundo, Aben Ezra contrarie vertit; nam pro *transeuntes* vertit: *stantes*, sive *stagnantes aquas*, q. d. Sicut in stagnis et vivariis heri proiiciunt panem, quem pisces devorant, itaque se impinguant, ut pinguiores facti extractique herum pascant; sic pariter proiice panem tuum pauperibus, ut eo pasti vicissim te sua gratiarum actione bonaque precatione reficiant et pascant. Huic sensui affine est proverbium Arabicum: *Bonum operare quod potes, et illud in aquam proiice; quia piscis aliquis educet ipsum aliquando foras in tui beneficium.* Exemplum litterale est in Prato spirit. Ioannis Moschi, cap. 185. ubi narrat quemdam 50. nummos dedisse pauperibus, ideoque eos sextuplicatos recepisse; dum in pisce ex aquis extracto invenit gemmam, quam trecentis nummis divendidit: quare pro 50 piscis reddidit ei trecentos.

III. Tertio, Olympiod. per aquas accipit lacrymas: *Cum lacrymis*, inquit, *et misericordiæ affectu facito eleemosynam.* Possunt quoque accipi lacrymæ pauperum, q. d. Pauperi præ fame et afflictione gementi et lacrymanti dato stipem ut ei lacrymas eius soleris et abstergas.

IV. Quarto et magis apposite, alii censent esse metaphoram a mercatoribus, frumenta et panes per naves transmittentibus in exteras regiones, lucri causa, q. d. Sicut mercator panes et grana per naves transvehit in alias oras, ut ibi ea caro vendat, itaque ingens lucrum domum reportet; sic tu mitte panes et opes tuas in pauperes tam urbanos, quam forenses: inde enim ingens lucrum, puta Dei hominumque gratiam domum referes. Huc spectat illud Proverb. 31. *Navis institoris de longe portans panem suum*; et illud Gen. 49. *Aser, pinguis panis eius, et præbebit delicias regibus.* Huc facit expositio subtilis et sublimis nostri Sebastiani Barradii l. 7. prolegom. c. 14. *Mitte panem super transeuntes aquas*, id est mitte panem tuum in mare, et in longinquam cæli regionem navibus deportetur; et post multa tempora cum effluxeris animam, invenies illum: quæ sunt naves? pauperes. Hinc ait Christus Luc. 18. *Omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo*, q. d. Onera tuis divitiis naves, id est pauperes, hi in cælum viles opes deferent, et cum pretiosissimo thesauro commutabunt. Porro naves hæ numquam patiuntur naufragium, nec spolium, uti patiuntur naves mercatorum, sed certo suam eleemosynam in cælum devehunt. Unde sanctus Chrysostomus hom. 48. in cap. 24. Genes. *Facilis*, inquit, *est hæc transvectio, secure illuc transferimus, et in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus.* Qui ergo sapis, imple tuis panibus opibusque manus pauperum; illæ eos deportabunt in cælum, ubi pro eis centuplum, imo millecuplum recipies.

Rursum, aliqui per *aquas transeuntes* accipiunt animas in purgatorio detentas, quasi pro eis hic iubeat effundere eleemosynas, preces et suffragia; illæ enim animæ transierunt a præsenti sæculo in alterum alterius vitæ, ac e terra in purgatorium, ubi gravissime igne cruciantur. Quare qui misericors est et sapiens, eis omni ope et arte per indulgentias, missas et eleemosynas suffragatur, ut e tantis tormentis eas liberet: illæ enim iam liberatæ in cælum evolabunt, ubi liberatori suo gratæ, ample a Deo dona eidem impetrabunt.

V. Quinto et genuine, q. d. Sicut semen copiose seritur in terra humectata, per quam transierunt aquæ vel pluviæ, Genuine.

vel fluviales, ut ex ea succum sugat, quo germinare et segetem copiosam producere queat; sic tu, o fidelis, o Christiane, panem, id est eleemosynam tuam copiose dispergito in pauperes, ut ex ea copiosos bonorum temporalium et spiritualium fructus colliges. Nam per *transeuntes aquas*, metonymice intellige terram transeuntibus aquis madentem et humidam, ideoque aptam ad recipiendum semen: seritur enim non in aqua, sed in terra aquis humecta. Aqua enim vivifica est, atque omnis fœcunditatis effectrix, ait S. Cyrill. in Isaiæ 32. 20. sic est et eleemosyna. Sensus ergo est, q. d. Postquam aquæ pluviæ transierint, terramque ad opportunum satum madentem præparatamque reliquerint, sementem facito; sic pariter ubi pauperum greges ex paupertate, alieve afflictione egentes, ideoque ad eleemosynam paratos et anhelantes videris, tu illis eam elargire. Ita S. Hieron. *Ad eleemosynam*, ait, *cohortatur, quod omni petenti sit dandum et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim qui super irrigua seminat, fructum sementis exspectat; ita qui largitur egentibus non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem illius præstolans, et cum dies iudicii advenerit, multo amplius quam dederat recepturus.* Hebr. est: *Mitte panem tuum super faciem aquarum*, id est super faciem terræ aquis irrigatam; nimirum ferociesime est miseri et calamitosi hominis facies: *aquis*, id est ærumnis, et lacrymis madefacta; in hac semina panem tuum, et ipsa magno cum fœnore semen reddet.

Denique, τὸ *super aquas* posset exponi *iuxta aquas*, uti Christus *stans super*, id est iuxta, *eam imperavit febri*, Lucæ 4. 39. Felicius enim semen iactum iuxta aquas, et uberiore fruge provenit.

Transeuntes aquæ sunt pauperes.

Nota: Apte comparantur pauperes transeuntibus aquis.

I. Primo, quia homines in hac vita transeunt et præterfluunt, ut aquæ et flumina. Unde illud: *Aquæ multæ populi multi*; Apoc. c. 17. v. 15. et illud: *Omnes quasi aquæ dilabimur*, 2. Regum c. 14. v. 14.

II. Secundo, aquæ notant pauperum multitudinem, confluxum et transitum, quo ab uno ostio in aliud, ab una urbe et pago in alium mendicando et victum quærendo transeunt. Nec enim certo loco consistunt, sed assidue circumeunt et peregrinantur, ut escam conquirant. Ita Olymp. Bonav. Lyran.

III. Tertio, transeuntes aquæ notant non esse spectandam in eleemosyna pauperum recompensam, eo quod illi transeant ut aquæ non redituræ, sæpeque sint ignoti vel impotentes ad retribuendum, imo subinde immemores et ingrati, quare a Deo expectandam esse mercedem, q. d. Licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati, ut in eos quasi in aquas iactum beneficium, et periturum videatur; iis tamen benefacito, quia si non ipsi, certe alii, ac imprimis Deus tibi datum magno cum fœnore reddet. Unde Pagninus vertit: *Mitte panem tuum etiam ignotis, ac si projiceres super faciem aquarum: quia in multitudine dierum invenies illum.* Et rex Salom. *Benefac homini, de quo corde cogitas fore: ut non amplius illum videat, sicut qui cibum suum in aquas proiicit.* Thaumat. vero. *Iustum est panem et cætera huius vitæ necessaria impertiri egenti, tametsi periturum videatur beneficium, ac si quis in aquam proiiciat panem. Apparebit autem procedente tempore, non inutilem tibi fore eleemosynam.* Sapienter Seneca l. 4. de Beneficiis c. 25. *Propositum*, inquit, *est nobis secundum rerum naturam vivere, et deorum exemplum sequi. Dii autem quodcumque faciunt, in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur, nisi forte existimas illos fructum operum suorum ex fumo extortum, et thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliuntur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant, venasque fontium arentes reintegrent, et infusa per occulta nutrimento renovent. Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si exemplari ab suo non aberrat, servet ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium. Gratuitos habemus deos. Do ingratis beneficia.*

Quarto, transeuntes aquæ innuunt copiose dandam esse eleemosynam; quia copiosi et multi affluunt pauperes instar aquarum, et copiosus eleemosynarum erit fructus. Licet enim is modo non appareat sitque occultus, sicut semen copiose proiicitur et occulitur in terra aquis humide; in messe tamen puta in die iudicii copiosus et splendidus apparebit. Ita S. Greg. Nazianzenus Orat. 19. *Huc*, inquit, scilicet ad lætam largamque eleemosynam, *pertinere videtur, quod Scriptura inquit panem in aquam quoque mittendum esse: non enim fore ut distrahatur, aut pereat apud iustum harum rerum æstimatorem, sed eo perventurum esse, ubi omnia nostra collocabuntur.* Simili modo Apostol. 2. Corinth. 9. eleemosynam comparat semini producenti magnam messem: *Qui parce seminat*, inquit, *parce et metet; et qui seminat in benedictionibus*, id est benefice, copiose, largiter, *de benedictionibus et metet.* Vide ibi dicta. IV.

Alludit ad Nilum, qui Ægyptum Iudææ vicinam exundatione sua pertranseundo ablimat, impinguat, fœcundat. Idem facit eleemosyna, quæ dantem ditat et omni bono cumulat. Unde et sequitur: *Da partem septem nec non et octo.* Ubi alludit ad septem sectiones Nili et rivos (ita ut ipsum Nili corpus sit octavum) quibus totidem ostiis in mare decurrit, idque facit ut melius totam Ægyptum in totidem partes dissectam irriget et fœcundet. Hinc a Virgilio 6. Æneid. Nilus vocetur *septemgeminus*, et ab Ovidio 15. Metamor.

Perque papyriferi septemflua flumina Nili.

In Ægypto enim non pluit, sed tota agrorum adequatio fit a Nilo; unde Claudian. Epigrammate 6.

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Denique: τὸ *mitte super transeuntes aquas*, significat eleemosynam faciendam esse; primo, liberaliter; secundo, non tarde, sed cito; tertio, hilari animo, iuxta illud: *Hilarem datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9. unde *Fabius beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat*, ait Seneca l. 2. de Benef. c. 1. et seq. quarto præveniendos esse pauperes, ut, antequam rogent, ultro mittamus in eorum sinum eleemosynam. Audi Senecam loco citato: *Illum melius occupare antequam rogemur, quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat* (alii legunt, *corruat*) *et suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit, sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cuiusque voluntas, et cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est.*

Quinto, τὸ *pavimentum* significat eum dandum esse ex tuo, quem scilicet tuo labore comparasti, non ex rapina vel alieno; rursum *tuum*, id est necessarium, non tantum superfluum. Ad hæc *tuum*, id est eundem quo tu vesceris, non eius micas et crustas decidentes, non panem alterum viliorem et secundarium. *Comedat pupillus de buccella tua.* Iob 31. 17. *Panem tuum cum esurientibus et egenis comede*. Tob. cap. 4. 17. *Frange esurienti panem tuum*, Isaiæ 58. 7. V

Sexto, eleemosynam transeunti, id est occulte et secreto esse faciendam, tum ut vites inanem eius ostentationem, tum ne egenum pudore afficias. Unde Isidorus Pelusianus lib. 2. epist. 151. celebrat Timotheum quemdam, « quod cum eleemosynam singulari quodam amore complecteretur, id tamen studiose captabat, ut obscura et incognita esset ea benignitas. Nam, ei ostentationis particeps est, non benignitatem exhibere, verum eorum qui beneficio afficiuntur calamitates exaggerare, divinumque opus molestissimo morbo labefactare. » Quocirca Timotheum his elogiis ornat: « Revera pudicitiæ ac temperantiæ delubrum erat, prudentiæ sedes, arx fortitudinis, iustitiæ metropolis, humanitatis penu, mansuetudinis templum, atque ut uno verbo complectar, virtutum omnium thesaurus. » VI

VII. Septimo, non semel et iterum, sed assidue et continuo faciendam esse eleemosynam quibuslibet egenis, quotidie affluentibus. Præclare S. Gregorius Nyssenus Oratione de pauperibus amandis: « Studium, ait, promerendi de propinquis tibi ab alio præripi non permittas. Cave ne alius rapiat thesaurum repositum tibi. Calamitate affectum, ut aurum amplectere. Infirmam pauperis valetudinem ita fove, ut in ea et sanitatem tuam, et salutem uxoris, et filiorum, servorum, et totius familiæ positam putes. »

Mystice per panem et eleemosynam corporalem accipias spiritualem, qualis est docere ignorantes, solari afflictos, convertere peccatores. Ita S. Hieronymus: « In quocumque nomine, ait, illum aquam videris de qua dicitur: Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ; ne te pigeat panem sapientiæ, panem rationis, panem præterea sermonis. Si enim hoc frequenter feceris, invenies te non incassum doctrinarum iecisse sermonem. Tale quid et in Isaia dictum puto: Beatus qui seminat super aquam, ubi bos et asinus calcant: Quod ille Magister beatitudine dignus habeatur, qui super irriguum pectus seminat audientium tam ex Iudæis, quam ex Gentium populo congregatum. » Citat S. Hieronymus Isaiam c. 32. 20. iuxta Sep. Vide ibi dicta.

Quia post multa tempora invenies illum.) Quasi rem perditam, vel potius absconditam; sed ut semen mire multiplicatum, invenies *illum*, id est illius mercedem et copiosam retributionem, idque sæpe in hac vita, et semper in futura. Ita Chald. Hebr. est: *Quia in multitudine dierum invenies illum.* Vide S. Chrysostomum hom. *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.* Alludit ad originem Iordanis, qui est fluvius nobilissimus Iudææ. Hic enim, teste Iosepho, lib. 3. Belli cap. 18. Egesippo et aliis, oritur ex Phiala fonte in regione Trachonitide. Hic enim fons miræ profunditatis, aquas copiosas per abditos subterraneos meatus in Dan, sive Paneadem fontem Iordanis elicit et transmittit. Quare in Paneado intuentibus videtur oriri Iordanis, indeque ex confluxu duorum rivulorum, Iordanis et Dan, Iordanis nomen et flumen conflatum est; revera tamen occulte, ut dixi, oritur longe anterius in Phiala fonte. Deprehensum id est a Philippo tetrarcha Trachonitidis. Is namque missis in Phialam paleis, invenit eas apud Panum in fontem Dan redditas; unde antea fluvius Iordanis nasci credebatur. Sicut ergo panis et paleæ coniecti in Phialam fontem, post longos occultosque meatus redduntur in Iordane; sic panes coniecti in sinu pauperum post multa temporum spatia redduntur largienti. Vide Adrichomium in descriptione Terræ Sanctæ in Iordane. Hic ergo quasi in Phiala spargamus panem in aquas, id est in pauperes, ut illæ nobis reddentur in Iordane, id est in fluvio iudicii (hoc enim hebr. est *Iordan*) hoc est iustæ retributionis in cælo, ubi Deus eos, qui miserint panem in transeuntes aquas, et calicem aquæ puræ, vel coctæ in vite aut Cerere, puta vinum aut cervisiam dederint sitienti, fonte vitæ et torrente voluptatis potabit, Psal. 35. v. 9.

Vers. 2. Da partem septem nec non et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.) Pro *partem*, in plurali *partes*, legunt Lyranus. Dionys. et S. Hieron. in c. 44. Ezech. v. 4. et S. Gregor. hom. 16. in Ezech. sed legendum *partem* cum Roman. Hebr. Septuag. Syro, Arabico, Chaldæo et cæteris: τὸ *partem* notat distribuendam esse eleemosynam pro cuiusque necessitate vel merito, et non ita ut esuriat unus, alter ebrius sit, 1. Cor. 12. 21. Iam

Da partem septem et octo, quid? 1. Primo, Chald. hanc gnomen exponit de satione, quasi hic instruatur paterfamilias ut congruo tempore agrum serat, uti de eodem agricolam instruit Columella, Varro, Cato et alii scribentes de re rustica, q. d. Sere semen in agro mense septimo et octavo: « Optimam, ait, partem seminis confer mense Tisri in agrum tuum; neque tamen et mense Kasleu a seminando avoceris, neque exploratum esse potest ipsi terræ imminens malum, primo an secunda sementis superaturo sit. » Verum hic sensus alienus est, et ad propositum non pertinet. Agitur enim hic de eleemosyne.

II. Secundo, R. Haccados per *septem* accipit septem planetas; per *octo*, cælum octavum, sive stellatum; per planetas autem et stellas fixas censet denotari viros eminentes et principes, quasi illis hic iubeat dari partem honoris cuique debiti, illosque colere et revereri, ut benigno favore sui aspectu vicissim nos aspiciant et prosequantur. Verum hoc tam remotum est quam cælum a terra.

III. Tertio, R. Salomon, Aben Ezra et Clarius per *septem* accipiunt septem dies septimanæ; et per *octo*, diem octavum, qui est primus sequentis septimanæ, q. d. Quotidie per septem dies hebdomadæ dato eleemosynam, nec ibi desinito; sed dato die octavo, hoc est primo sequentis hebdomadæ, ut denuo novum septenarium cum nova hebdomada inchoes, et cum ea finias, idque assidue et continuo, q. d. Continuo per omnes dies cuiuslibet hebdomadæ totiusque vitæ facito eleemosynam.

IV. Quarto, Caietanus per *septem*, pauperes septem proprie et præcise accipit: « Forte enim, inquit, tunc temporis familiare erat Iudæis eleemosynariis pascere pauperes septem, ob reverentiam divinarum actionum, quæ septem diebus describuntur a Mose, supputato Sabbato quietis. Da itaque partem mensæ pauperibus septem, hoc est decreto numero pauperum, et etiam octo, hoc est si et alius supervenerit, da etiam ei partem. »

V. Quinto, Osorius et alii per *septem* et *octo* accipiunt septimam vel octavam partem opum et proventuum, quasi hanc iubeat dari pauperibus, uti decimam dari iisdem iubet Moses, Deuteron. 14. 28. Alii per *septem* et *octo* accipiunt septuplam et octuplam, id est multiplicem et copiosam eleemosynam, quasi iubeatur ut homo omnes benefaciendi et bene de proximo merendi occasiones capessat. Ita Osorius et Lyranus qui legit in accusativo: *Da partes septem et octo.*

VI. Sexto, S. Bonaventura censet senarium significare id quod sufficit nobis: quidquid est ultra illud dici, *septem et octo*, q. d. Danda est eleemosyna de eo quod superest, ac large quidem pro facultatibus nostris, ut nostra abundantia aliorum inopiam suppleat.

VII. Genuinus. Septimo et genuine, q. d. Da partem panis, id est cibi et eleemosynæ tuæ *septem*, id est multis pauperibus, imo et *octo*, id est longe pluribus, q. d. Esto liberalissimus in dando, da quotquot egentes occurrunt, da plurimis, imo infinitis, si potes. Nota ex S. Hieronymo in Isaiæ c. 4. et 5. Hebræis septenarium esse familiarem propter Sabbatum, æque ac denarium propter Decalogum. Significat autem septenarius multitudinem et universitatem, eo quod omnes dies septimanæ semper recurrentes non sint nisi septem: idem significat ternarius; unde illud Aristotelis: *Tria sunt omnia*, scilicet prima; non enim duo, sed tria primo vocantur. Iam, si ad tria addas quartum, vel ad septem addas octo, significatur magna et inusitata multitudo. Unde illud: *O terque quaterque*, id est omnimode *beati!* Sic Amos 1. vers. 3. et seq. toties reperitur: *Super tribus sceleribus Damasci et super quatuor*, id est ob plurima et maxima eius scelera, *non convertam eum*. Vide ibi dicta; et Proverb. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, et quartum numquam dicit sufficit.* Simile est Iob 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima*, id est in plurima et maxima, *non tanget te malum*; et Michææ 5. v. 5. *Suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines:* id est, plurimos et maximos principes, uti ibidem dixi. Sic hic dicitur: *Da partem septem et octo*, id est, de multis, imo longe pluribus et innumeris. Hinc Thaumat. vertit: *Da liberaliter et divide pluribus; sua tamen cuique*, q. d. Noli terreri pauperum statim affluentium multitudine, ut nimia neges eleemosynam; quin potius omnibus da, ut crescente numero pauperum, crescat tibi animus et numerus eleemosynarum. Hinc Nazianzenus Orat. 19. laudans patrem suum vita functum ab eleemosynis: *Revera*, inquit, *tamquam alienorum bonorum procurator de bonis suis cogitabat, pauperum inopiam, quam maxime poterat, sublevans, nec superflua duntaxat, sed necessaria quoque iis eam rem sumens, partemque dans,*

non septem dumtaxat, velut Salomonis lex præscribit, verum ei octavus etiam accederet; libentius sua profundens quam alii acquirant. Qua in re imitabatur Deum, qui liberalis est in omnes, nec ullum indotatum relinquit. Vere Cicero: *Homines, ait, ad deos nulla re propius accedunt, quam dando. Nihil habet fortuna melius quam possis, nec natura melius quam ut velis servare quam plurimos.*

Hoc facit vetus proverbium: *Omnia octo*, de quo collector adagiorum, et Bongus in mysteriis Numerorum, cum nihil deesse significatur, sive propter Stesichori poetæ monumentum, inquit noster Lorinus, Catanis ex omnibus octonis constructum, columnis, gradibus angulisque; sive propter distributos a primo conditore Corinthios in octo tribus; sive propter totidem deos summæ rerum imperantes, per quos iurare solitus Orpheus fertur; ignem, aquam, terram, cælum, lunam, solem, Mithram (Persæ confundunt eum sole) noctem; sive quia in Ægyptia columna in signum iustitiæ inscribantur deorum octo nomina: Saturni, Rheæ, Osiris, spiritus, cæli, terræ, noctis, diei; et totidem Xenocrates, ut prodit Cicero, licet diversos deos faciebat; sive propter octonas certaminum species in Olympiis; sive propter aliam causam. Igitur septem et octo nullum non comprehendunt, valetque sententia ista, idem ac quod præcipit Christus: *Omni petenti te tribue*, Lucæ 6. v. 30. Alludit ad veterum comedendi et convivandi ritum, quo, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 7. et Gellio lib. 13. cap. 11. in convivio septem adhibebantur convivæ, et octavus erat rex sive præses convivii. Unde proverbium: *Septem convivium, novem convicium.* Vide Sidonium Apollinarem libr. 1. epist. 11. et Rhodigino lib. 2. cap. 8. Hinc Heliogabalus Imperator, teste Lampridio, ad cœnam invitabat simul octo luscos, octo calvos, octo surdos, octo podagrosos, octo nigros, octo longos, octo præpingues et obesos, ut sibi cuisque risum moveret.

Tropol. Tropol. S. Ambr. in c. 6. *Lucæ*, explicans octo beatitudines: *Beati pauperes spiritu* etc. ita hunc locum applicat: *Mandatum accipis*, inquit, *octo illis partem dare, fortasse benedictionibus*, id est beatitudinibus, ut scilicet partem vitæ demas exercendæ paupertati, quæ est prima beatitudo a Christo proposita, partem mansuetudini, quæ est secunda beatitudo: partem luctui et compunctioni, quæ est tertia, et ita de cæteris. Causam subdit: *Sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est*, q. d. Sicut spes nostra, id est, vita æterna quam speramus perficietur in octava resurrectionis, cum reipsa vitam æternam speratam adipiscemur; ita octava beatitudinum est summa virtutum, id est, octo beatitudines sunt summa perfectio et culmen virtutum omnium. Da igitur ac stude beatitudinibus, ut eas sectaris, connitaris ad octavam, id est, perfectionem virtutum, ac per eam assequeris octavam gloriæ in beata resurrectione. Idem S. Ambros. l. 2. de Iacob c. 11. alludens ad septem candelabri lucernas, et ad octavum quasi omnium uterum, illas applicans septem Machabæis, quorum octava erat mater: *Quam bonus*, inquit, *fidei partus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ septeno fulgens lumine, et octavo utero cunctis luminibus oleum subministrans! De quibus pulchre dicitur: Date partem illis septem et illis quidem octo, eo quod in utroque numero consortium gratiæ consequuntur, in lege nutriti, per gratiam coronati, septem tamquam in Sabbato; octo tamquam in Evangelio. Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in talibus filiis integram pietatis formam parturivit et peperit.*

Secunda, S. Greg. prologo in Psal. 6. Pœnitent. docet dandam esse partem septem, id est vitæ activæ, obeundo septem opera misericordiæ, et octo, id est vitæ contemplativæ: « Da mihi, inquit, Domine, partes septem nec non et octo. Optavit enim ita subditos regere, ut tamen contemplationis divinæ non fraudaretur perfectione. Ipse namque officii administratoria necessitate constrictus, cogebatur temporali actioni insistere; sed suavis eum contemplationis divinæ dulcedo reficiebat in mente. Potest etiam intelligi, quod ille quindecim gradus ad illud divinæ illuminationis templum ascendit, qui sempiternæ virtutis Dei amore conceptus, temporalibus quæ per septenarium numerum designantur gradatim contemptis, per scalas octo beatitudinum ad sublimia provehitur, donec Deus deorum in Sion mentis videatur. » Similia habet Philippus Solitarius l. 3. Dioptræ c. 8.

Rursum Olympiod. per septenarium accipit septem dona Spiritus sancti. Hugo vero et alii accipiunt tres virtutes theologicas, puta fidem, spem, charitatem, et quatuor cardinales, puta prudentiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam, quasi iubeat illis studere in septenario huius vitæ, ut per eas pertingamus ad octavam felicitatis æternæ.

Allegor. Allegor. Hebræi, ait S. Hieron. ita hunc locum intelligunt: *Et sabbatum et circumcisionem* (hæc enim dabatur octavo die infanti) *serva; ne si forte hoc non feceris, inopinatum tibi superveniat malum.* Melius Christiani nonnulli sic explicant, q. d. Serva septem, id est Pascha, et octo, id est Pentecosten. A Paschate enim ad Pentecosten numerantur septem hebdomades, quarum quasi octava est quinquagesima, puta Pentecoste, quo alludens sanctus Gregorius Nazianz. Orat. 43. in S. Pentecosten sub initium: *Da partem septem et octo*, id est, inquit, da partem S. Pentecostæ et futuræ beatitudini. Sic enim habet: « Hic eximius septenarius Pentecostes honorem invexit. Septenarius enim in seipsum ductus quinquagenarium gignit uno die excepto quem ex futuro sæculo assumpsimus, octavum eumdem et primum, vel ut rectius loquar, unum et sempiternum. Illic enim præsens animarum nostrarum sabbatismus desinat necesse est, ut detur pars septem atque adeo octo, sicut iam nonnulli maiorum nostrorum hunc Salomonis locum exposuerunt. »

Rursum S. Hieron. lib. contra Luciferum per septenarium accipit vetus testamentum, per octo novum: *Ecclesiastes, ait, iubet dare partes septem, dare partes octo, id est, utrique credere testamento.* Et S. Isidorus lib. 1. Offic. cap. 24. legens: *Da partem illi septem et illi octo*, sic explicat, q. d. Iudæi celebrant diem septimum, puta Sabbatum, quod erat requies mortuorum; at Christiani celebrant diem octavam puta Dominicam, quæ est dies resurrectionis, ac proinde vivorum, non mortuorum. Eodem modo explicat S. Aug. epist. 119. c. 15. et Olympiod. ac Salonius: *Præcipit*, inquit, *tam veteris, quam novi testamenti servari præcepta.* Denique S. Hieron. scribens in hunc Ecclesiastæ locum: « In Ezechiele, inquit, septem et octo gradus ad templi leguntur ascensum. Et post ethicum illum Psalmum, id est, centesimum octavum et decimum quindecim graduum Psalmi sunt, per quos primum erudimur in lege, et septenario numero expleto, postea per ogdoaden ad Evangelium scandimus. Præcipitur ergo ut in utrumque testamentum, tam vetus scilicet quam novum, pari veneratione credamus. Iudæi dederunt partem septem, credentes Sabbatum; sed non dederunt octo, suscipientes Evangelium, resurrectionem diei Dominicæ denegantes. E contrario hæretici Marcion et Manichæus, et omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partem octo, suscipientes Evangelium: sed eamdem septenario numero non tribuunt, legem veterem respuentes. Nos igitur utrique testamento credamus. Non enim possumus dignos cruciatus, dignamque pœnam iam nunc mente comprehendere, quæ reposita est his qui versantur in terra, Iudæis atque hæreticis e duobus alterum denegantibus. »

Porro Cassian. lib. 2. de Instit. renunt. c. 9. et 10. sic explicat, q. d. Die Sabbati, puta septima, serva ieiunium ex prisco Ecclesiæ ritu: die octava vero celebra festum, puta Dominicam resurrectionis Christi.

Anagog. Anagog. S. Greg. lib. 35. Moral. c. 7. per septenarium accipit præsentem vitam eiusque bona, per octonarium futuram, q. d. Sic dispensa temporalia, ut accipere merearis æterna: « Septenarium quippe, inquit, cum adhuc alius sequitur, ex ipso eius argumento exprimitur, quod finienda temporalitas æternitate concludatur. Hinc est enim quod Salomon admonet dicens: Da partes septem nec

non et octo. Per septenarium quippe numerum, hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expressit, per octonarium vero vitam æternam designavit, quam nos nobis Dominus resurrectione patefecit. Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est Sabbatum, sequitur, a conditione octavus invenitur. Bene autem dicitur: Da partes septem nec non et octo; quia ignoras quid mali futurum sit super terram, ac si aperte diceretur: Sic dispensa temporalia, ut appetere non obliviscaris æterna. Oportet namque ut in posterum bene agendo provideas, qui de venturo iudicio quanta tribulatio sequetur, ignoras. Hinc est quod quindecim gradibus templum ascenditur, ut ex ipsa eius ascensione discatur, quatenus per septem et octo, et temporalis sollicite dispensetur actio, ut provide mansio æterna requiratur. Hinc et etiam quod dum mensa in denarium surgit, centum quinquaginta Psalmos Propheta cecinit. Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium vero æterna signantem super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus sanctus effusus est. Per septem quippe et octo quindecim componuntur, et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vigesimum numerum pervenimus. Qui scilicet effusione Spiritus sancti didicerunt, ut et temporalia tolerando transirent, et æterna inhianter appeterent. »

Symb. I. Symbolice idem S. Gregor. hom. 16. in Ezechiel. *Partes*, ait, *simul septem et octo damus, quando sic ea quæ septem diebus evolvuntur, disponimus, ut per hæc ad bona æterna veniamus.* Ætates enim hominis septimo quoque anno variantur, et per septenarios ad metam decurrunt, puta ad octavum resurrectionis, ait Hugo. *Septimus quisque annus ætati notam imprimit*, ait Seneca. Audi Hippocratem apud Philonem l. de Mundi opificio: « In hominis vita septem sunt tempora, quas ætates vocant: Infans, puer, adolescens, iuvenis, vir, senior, senex. Infans est usque ad septennium, intra quod dentes emittit. Puer usque ad secundum septennium, quo ad geniture emissionem sit tempestivus. Adolescens usque ad tertium septennium et barbæ lanuginem. Iuvenis usque ad quartum septennium, ut accretionem totius corporis. Vir usque ad unum undequinquagesimum, et septimum septennium. Senior usque ad quinquagesimum sextum, et octavum septennium. Senex toto quod reliquum est tempore. » Et nonnullis interiectis: « Præter ea quæ dicta sunt, manifestissimam vim perfectionis designativam in septenario, repræsentant ætates ipsæ ab infantia ad senectutem usque, quæ mensurantur septenario; ac primo quidem septennio enascuntur dentes. In secundo, tempestivitas est ad genituram emittendam. In tertio, barbæ accrementum. In quarto, roboris accessio. In quinto, tempus nuptiarum. In sexto, vigor intelligentiæ. In septimo, utriusque augmentum, intelligentiæ et eloquentiæ. In octavo, utriusque perfectio. In nono, æquitas et mansuetudo, affectibus maiori ex parte mansuefactis. In decimo denique, vitæ exitus optabilis, adhuc integris sensuum instrumentis. Solet enim alioqui senectus longa supplantare et affligere. »

Hinc sequitur septenarium esse ætatum et vitæ definitorem: in eo enim fit sanguinis, humorum, spirituum, colorum et complexionis mutatio. Quocirca nonus septenarius annorum, puta annus vitæ 63. est climactericus, multisque vitæ finem affert. Unde 63. ætatis anno mortuus est Aristot. Cicero, Chrysippus, Boccacius, Card. Cusanus, S. Benedictus, S. Bernardus et alii permulti. Unde et Augustus Cæsar annum 63. velut fatalem extimuit, eoque exacto quasi periculo defunctus sibi gratulatus est. Abraham mortuus est anno ætatis 175. qui 25. septenarios complectitur; Iacob anno ætatis 147. qui 21. David 70. qui decem septenarios in se concludit: eodem permulti decedunt. Nam ut idem ait Ps. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta*, qui octo denarios complectitur, iuxta id quod hic dicitur: *Da partem septem nec non et octo.* Simili modo reipublicæ status per septenarios sæpe mutatur. Hebræorum captivitas in Babylone desiit anno 70. qui est deci-

Annus climactericus quis et qualis.

mus septenarius: omnium monarchiarum series desiit in 70. hebdomade, Danielis c. 9. in qua natus est Christus monarcharum monarcha. Porro 70. hebdomadæ annorum faciunt annos 490. qui est quasi cubus septenarii et denarii: septies enim decem faciunt 70. septies 70. faciunt 490. Atque circiter eumdem annum 490. facta est crebra reipublicæ Hebraicæ, uti et aliarum mutatio, puta prima a Mose et iudicibus in Saulem et reges; secunda a regibus in Zorobabel et duces tempore captivitatis Babylonicæ: tertia a ducibus in Christum. In qualibet enim harum invenies circiter annos 490. uti colligere licet ex tabula chronologica, quam præfixi Pentateucho. Iuxta hunc sensum monet Sapiens ut memores simus septenarii, id est, decursus et finis ætatis, tum nostræ, tum reipublicæ, in eoque agnoscamus utriusque vanitatem, dicamusque: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Sicut enim septenario dierum, puta septem diebus initio mundi Deus omnia creavit: ita septenarius annorum eadem variat et finit. Rursum ut cuique ætati (quæ numero sunt septem) suam demus partem, officium scilicet cuique ætati debitum, puta infantiæ demus innocentiam, pueritiæ obedientiam, iuventuti castimoniam, adolescentiæ studium sapientiæ, virili ætati robur virtutis, senectuti maturitatem, apathiam et perfectionem, decrepitæ meditationem instantis vitæ æternæ.

Virtutes ætati cuique propriæ.

Denique nonnulli, uti superius indicavi, per septenarium accipiunt pauperes viventes, per octonarium defunctos degentes in purgatorio, q. d. Da eleemosynam pauperibus viventibus in septimana huius vitæ, da et defunctis qui ex hac vita transierunt ad purgatorium, ubi exspectant octavam felicitatis æternæ. Rursum nonnulli sic exponunt: *Da partes septem, nec non et octo; quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Hoc est, neminem a commercio laborum tuorum excludas, cum nescias mala, scilicet tentationes hominibus eventuras, quæ si divitem forte prostraverint, pauperculum in bono perseverantem habebis per tui laboris industriam, in quo tamquam in filio sapiens glorieris.

Quia ignoras quid futurum sit mali super terram.) q. d. Multæ calamitates, eæque improvisæ et quasi inevitabiles imminent terræ; ut ergo ab iis te liberes, multas facito eleemosynas: *Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam æternam*, ait Raphael Tobiæ cap. 12. 9. Tales calamitates sunt furum, latronum et hostium incursus, sterilitas agrorum, venti, procellæ, ærugo, pestis, fames, bellum, morbi, mors, hæc sunt mala pœnæ; mala culpæ sunt peccata et peccandi occasiones ac tentationes: contra utraque antidotum est eleemosyna, uti ostendi Daniel. 4. v. 24. Deuter. 26. ubi 22. eleemosynæ fructus recensui. Vere S. Hier. ad Nepotianum: *Numquam*, ait, *memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit.*

Rursum S. Hieron. hic et S. Gregor. homil. 15. in Ezechielem, malum hoc referunt ad examen, sententiam, damnationem et gehennam impiorum in die iudicii, a qua misericordes eximet Christus Matth. 25. Sic et Olympiod. *Modeste age*, inquit, *quæ ad huius vitæ pertinent officia, cogitans assidue et de futuro sæculo. Neque enim nosti quam gravia reposita sint tormenta iis qui neque septenariis partem suam dederant, neque octonariis.* Addit deinde alium sensum dicens: *Vel eleemosynam omnibus confer in cordis tui simplicitate; neque enim nosti quis hominum vere indigeat, quisve simulata paupertate per avaritiam petat.* Verum primus sensus, quem dedi, est litteralis et genuinus. Didicit hic Salomon a patre suo Davide, qui Psal. 40. 4. ita canit: *Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala* (Symmac. *in die afflictionis*; Eusebius: *quandocumque urget calamitas*) *liberabit eum Dominus.*

Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent (Hebræi, *evacuabunt, exinanient*) si (Hebr. *et si*) ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit.) Sensus est, ait Olymp. q. d. *Sicut nubes* Vers. 3.

tamen divino imbrem super omnes homines spargunt, ita convenit eleemosynam cunctis hominibus impartiri; nimirum cor plenum tot divitiis, ita et charitate, eleemosynam copiosam dare oportet, sicut nubes aqua turgidæ copiosam effundunt pluviam. Unde illud Osee 13. 3. *Misericordia vestra quasi nubes matutina*; et Eccles. cap. 35. 26. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore felicitatis*. Vide dicta utrobique.

Prognostica pluviæ.

Porro nubes densæ certum sunt signum pluviæ, æque ac multa alia, quæ Physici assignant. Nam pluviam præsagiunt canes gramina comedentes, eorumque ventres murmurantes; muscæ et vespæ equos acrius compungentes; fumus per camini gulam spissius subvolans; crebriores atrocioresque morsus pulicum. Sunt insuper argumenta pluviarum grues silentio per alta cæli involantes; boves aerem olfactantes, seque contra pilum lambentes; hirundo lacum circumvolitans, summisque alis aquæ superficiem verberans; ranæ insuetum coaxantes; formicæ e cavernulis ova efferentes; arcus cœlestis; corvi et cornices crocitantes; terrestres volucres adversus aquam clangores edentes, seseque perfundentes; oleum lucernæ scintillans, et fungi se inde tollentes; luna crescens obscurior; sol exoriens concavus et maculosus; item sub ortum solis nigræ nubes, rubentibus intervenientes.

Eleemosyna similis nubi.

Apte eleemosyna comparatur nubi; quia sicut nubes a cælo formata, non alium habet finem et scopum nisi pluviam; sic opum a Deo datarum non alius est finis, quam
1\. ut erogentur in egentes. Rursum sicut Deus pluit indifferenter et æqualiter super omnes, sive bonos sive malos, sive amicos sive inimicos; sic et eleemosynarius omnibus benefaciat sine exceptione personarum. Tertio, sicut nubes a pluvia nullam gratiarum actionem exspectat; sic nec dives quidpiam exspectet a paupere, iuxta illud Christi:
4\. *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Quarto, sicut pluvia grata est nubi, ac nubem nubi rependit, dum in terra a se humectata et radiis solis calefacta vapores excitat, qui in aerem elevati, in nubes rursus concrescunt; sic pariter eleemosyna ditat dantem, adeoque eleemosynarius certat liberalitate cum Deo; unde quo liberalior est in pauperes, eo liberaliorem in se Deum experitur, uti se experiri fatebatur S. Ioan. Eleemosynarius, teste Leontio Episc. Neapoleos in Cypro, in eius Vita, qui et addit eum confidenter dicere solitum Deo: *Videbimus quis vincat, an tu mittendo, an ego dispergendo*. Hinc Chald. vertit: *Si repletæ fuerint nubes pluviæ, super terram effundent aquas suas propter merita iustorum. Et si non fuerit iustus in illa generatione, in mari et in deserto descendent, ut non sit utilitas ex eis filiis hominum*. Et sic explicat, q. d. *Serva mandata, quæ tibi superius sunt præcepta, ut nubes super te effundant imbrem suum. Ubicumque enim tibi locum præparaveris, fatumque eedem sive ad Austrum, sive ad Boream, ibi, cum mortuus fueris, permanebis. Aliter: propterea supra diximus: Mitte panem tuum super faciem aquæ, etenim petenti te tribue: quia et nubes, cum plenæ fuerint, divitias suas mortalibus largiuntur*. Nubes ergo misericordiæ nostræ in pauperes elicit et provocat nubem misericordiæ divinæ, ut in nos gratias et dona sua pluat et effundat, iuxta illud: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*, Matth. 5.

Mystice Olymp. *Nubes, ait, sunt viri sancti, quorum unus fuit Moses, qui dicit: Exspectetur ut pluvia eloquium meum*, Deuter. 32. *Sancti ergo repleti divino verbo, quale scilicet factum est ad Osee aliosque sanctos, effundunt fœcundum doctrinæ imbrem non super solam Iudæam, sed et in omnem terram, in quam exivit sonus eorum*. Sic et S. Hieronym. et S. Ambros. lib. 3. Epist. 19. ad Constantium, quem audi: *Quicumque colligit de montibus aquam atque ad se trahit, vel haurit e fontibus, et ipse rorat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuæ, ut terra tua humescat et domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit et intelligit, impletur; qui fuerit impletus, alios rigat; ideoque Scriptura dicit: Si impletæ fuerint nubes, pluviam in terram effundent; sint ergo sermones tui proflui, sint puri, dilucidi, ut morali disputatione suavitatem infundas populorum auribus, et gratia verborum tuorum plebem demulceas, ut volens quo ducis sequatur*. Vide dicta Ezech. 10. v. 4. ubi proprietates nubium recensui, easque Apostolis et prædicatoribus applicui. Igitur nubes fœcundæ et secundæ sunt sancti prædicatores, ait Hugo, quorum est sublimari a terra, pluere doctrinis, tonare minis, coruscare miraculis vitæque exemplo; nubes vero sine aqua, ventisque circumlatæ, ut ait S. Iudas, sunt illi qui gratia vacui plausum auditorum captant, non planctum.

SI CECIDERIT LIGNUM (Arabicus, *trabs*) AD AUSTRUM AUT AD AQUILONEM, IBI ERIT.) Tigur. *In eo permanebit*: Campens. *Erunt qui colligent illud*; Hebr. Septuag. Syrus et Arabicus præponunt copulam: *Et si ceciderit, etc.* ex quo patet hanc gnomen copulandam esse cum hemistichio præcedenti: *Si repletæ fuerint nubes*, eumque eodem versu cohærere, sive per similitudinem, sive per dissimilitudinem. Unde

Primo, Theodoret. vertit: *Non est arbor ulla quæ semper stet; licet enim eamdem homines non succidant, vento tamen olim subvertetur*, q. d. Sicut arbor omnis casu, sic et homo, qui est arbor inversa, morte subvertitur; quare si sapit, antequam succidatur, benefaciat, ut succisus præmium benefactorum recipiat vitam æternam.

Secundo, Aben Ezra, Clarius et Campens. per lignum sive arborem accipiunt fructus arboris, qui maturi ex ea decidunt, q. d. Fructus arboris, v. g. poma et pyra in quamcumque arboris partem latusque cadant, non pereunt, cum non desint qui ea colligant; sic hominis liberalis eleemosyna, in quemcumque locum cadat, non perit, cum nusquam desint pauperes, qui eam colligant, ac eleemosyna ubique suum apud Deum et homines inveniat præmium. Hic sensus satis videtur appositus, cui adde et hunc illi affinem, q. d. Sicut pluvia et fructus arboris decidens non considerat quo cadere debeat, an in terram bonam, an in malam: an ad Aquilonem, an ad Austrum, sed naturali pondere cadit in quamcumque partem sibi proclivem et obviam: sic pariter faciunt viri liberales in danda eleemosyna, scilicet in quamcumque partem, locum et sortem inciderint, ubique sunt munifici, hos et illos et alios quamplurimos alunt, beneficentiam suam in omnes obvios exerunt; nec curiose scrutantur an digni sint, an indigni, an grati futuri vel ingrati, an bene eleemosyna usuri, an male: an eleemosyna sibi futura sit utilis an damnosa; quia in quemcumque tandem illis collata fuerit, ibi erit, danti non perierit, sed ibi illam suo tempore inveniet. Simile est de pane proiecto in aquas præterfluentes, v. 1. Huc accedit R. Salomon qui τὸ *ceciderit* accipit non de casu, id est lapsu, sed casuali sorte, q. d. Sicut arbor, ubicumque eius sors ceciderit, ut plantetur et substat, sive in Australi regione, sive in Aquilonari, ibi fructus suos profert ad incolarum commodum; sic vir liberalis, ubicumque collocetur, ut quocumque eum sors casusve tulerit, omnibus indigenis et advenis beneficum se exhibet.

Tertio, R. Haccados, q. d. Sicut nubes depluunt pluviam in omnem locum, etiam aridum et sterilem, ubi scilicet ligna exaruerunt, et casu aliquo prolapsa sunt: sic pariter beneficus sua beneficia dispertit in omnes, etiam indignos et ingratos, qui ob ingratitudinem exaruisse, et ad omne bonum inutiles esse videntur.

Quarto, Chald. hæc refert ad principes immisericordes, qui ob immisericordiam principatu excidunt, sicut misericordes ad eumdem elevantur, vel prolapsi eidem restituuntur, ut patet in Nabuchodonosore, Daniel. 4. partim ad rerum copiam vel famem, quæ a Deo nunc huic regioni, nunc illi ob virtutes vel vitia; ac præsertim ob misericordiam vel crudelitatem immittitur. Unde sic vertit: « Si decretum fuerit de cælo ut cadat rex et consiliarii eius de principatu eorum, ex auctoritate dicti Domini fiet, et etiam saturitas aut fames in Meridiem aut Septemtrionem, ubicumque decretum fuerit, ut firmetur illud consilium, mittitur ea, ut fiet. »

Quinto, Noster Pineda, q. d. Da eleemosynam pauperi,

dum vivit: quia si moriatur, illum amplius ei dare non poteris. Nam quocumque tandem ceciderit et ubicumque fuerit, non amplius illum revocabit tua beneficentia ad vitam; maturanda igitur, et non procrastinanda eleemosyna indigenti. Qua fere ratione divinam misericordiam allicere conabatur Iob c. 7. 7. dicens: *Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona*; et v. 21. *Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris non subsistam*.

Sexto, nonnulli hanc gnomen attexant præcedenti, quasi illam probet et confirmet ut prius eius hemistichium respondeat priori hemistichio præcedentis, posterius posteriori, q. d. *Da partem septem nec non et octo*, id est da eleemosynam multis, imo plurimis; quia *sicut nubes repletæ*, copiosum *super terram imbrem effundunt*: sic liberales, opibus et liberalitate abundantes et quasi turgidi copiosas dant eleemosynas, adeoque multis, imo omnibus quibus possunt, benefaciunt. Rationem subdit: *Quia ignoras quid mali futurum sit super terram*. Hoc ergo malum omne satage prævenire, et evitare per eleemosynam: quia, *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, ibi erit*, q. d. Ubicumque et in quamcumque plagam ceciderit malum, id est clades et strages a Deo immissa, ibi damna sua infliget, ut illa declinare vel emolliri sit impossibile, nisi per eleemosynam illa a te avertas.

Septimo, magis plane, congrue et proprie S. Hieronym. *Propterea*, inquit, *supra diximus: Mitte panem tuum super faciem aquæ, et omni petenti te tribue, quia et nubes cum plenæ fuerint divitias suas mortalibus largiuntur, et tu quasi lignum, quamvis longævus sis, non eris in perpetuum, sed subita, ut ventorum, ita mortis tempestate subversus, ubicumque cecideris, ibi iugiter permanebis, sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericordem ultimum invenerit tempus*. Hunc sensum exigit antithesis Austri et Aquilonis. Nam, ut notat S. Hieronym. Auster in Scriptura dum opponitur Aquiloni, in bonam partem, Aquilo in malam partem accipitur, iuxta illud: *Dominus ab Austro veniet*, Habacuc 3. Australis enim plaga est mundi dextra, lucida et calida; Aquilonaris vero est sinistra, caliginosa et frigida. Adde: Babylon, quæ per Nabuchodonosor evertit Ierusalem et Iudæam, eidem erat Aquilonaris. Unde illud: *Ab Aquilone* (id est a Babylone) *pandetur omne malum*, Ierem. 1. Auster ergo notat statum misericordiæ, gratiæ et salutis; Aquilo statum immisericordiæ, peccati et damnationis, quod scilicet post casum, id est mortem, ab uno statu ad alterum nus sit transitus, ut qui decedunt in statu gratiæ et salutis, non possint transire in statum peccati et damnationis; nec hi vicissim in illum commeare; magnum enim chaos inter utrumque firmatum est, quod nulli est penetrabile, aut permeabile, ut aiebat Abraham diviti Epuloni, Luc. 16. Huic sensui optime inhæret communis Patrum et Interpretum expositio, qui ligni casum interpretantur hominis mortem; homo enim est arbor inversa, quia radices, puta caput cum capillis mittit sursum, ramos vero, puta pedes deorsum. Unde illud cæci a Christo illuminati: *Video homines velut arbores ambulantes*, Marci 8. 24. Sensus ergo est, q. d. In quemcumque locum et statum homo in morte ceciderit, sive ad Austrum, id est ad statum electorum et beatorum propter opera misericordiæ, quæ fecit in vita; sive ad Aquilonem, id est ad statum damnatorum, propter opera immisericordiæ, ibi manebit in æternum, ut in alterum et contrarium aliorum statum commigrare et transgredi nequeat. Cura igitur ut eleemosynas et merita accumulando cadas ad Austrum, non ad Aquilonem, dum tibi brevi moriendum erit; vide ergo quo inclinat mens tua, an ad avaritiam, an ad virtutes, an ad vitia, et si videris eam propendere ad Aquilonem, omni studio reflecte eam ad Austrum, ut ad illum cadat, non ad Aquilonem. Tota ergo vita tua disce quomodo semel bene moriaris: disciplina autem bene moriendi est sancta vita, sancte ergo vive, si vis sancte mori, ut cadas ad Austrum.

Cadunt ad Austrum sancti, ad Aquilonem impii

Cur?

Apposite Auster, utpote cœli regio dextra et calida, repræsentat felicitatem cœlestem; Aquilo vero, quia sinister et frigidus, damnationem gehennalem. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinus, Salonius et S. Gregorius 12. Moral. 4 quem audi: « Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. In die etenim mortis suæ iustus ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem; quia et iustus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata Angelo, qui dixit: Sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis; in frigido suo corde reprobatur. » Audi S. Bernardum serm. 49 inter parvos: « Sive ad Austrum, sive ad Aquilonem arbor ceciderit, ibi erit. Austri calor et levitas in sacra Scriptura bonam solent habere significationem. Ab Aquilone vero panditur omne malum. Porro homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte, et quocumque ceciderit, ibi erit; quia ibi te iudicabit Deus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter et irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat, quia postquam ceciderit non adiiciet ut resurgat, sed nec ut se sertat. Quo vero casura sit arbor si scire volueris, ramos eius attende. Unde maior est copia ramorum et ponderosior, inde casuram ne dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt, quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint, si carnalia ad Aquilonem. Quæ vero præponderent, medium corpus indicat; ea namque præponderant quæ secum traxerint corpus. » Idipsum deinde apposita similitudine declarat: « Sic enim est corpus inter spiritum, cui servire debet, et carnalia desideria, quæ militant adversus animam, sive potestates tenebrarum, ac si vacca sit inter raptorem et rusticum constituta. Quidquid ille minetur, quidquid intendat, si vaccam non duxerit, rusticus vicit: sic quantumcumque sæviat malignus, quantumcumque prava desideria crucient; si vas suum sibi vindicat animo, vicisse credenda est, ut quemadmodum ait Apostolus: Non regnet peccatum in nostro mortali pectore. Sed sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, sic exhibeamus servire iustitiæ in sanctificationem. »

Tropologice, Galfridus in Tropologia ad hunc locum: In Oriente stat, inquit, qui proficit; in Occidente, qui deficit; in Austro, qui tendit ad cælum; in Aquilone, qui ad infernum. Denique Auster, utpote dextra pars mundi, repræsentat dexteram Christi iudicis, ad quam in die iudicii a Christo statuentur omnes electi, ut beentur; Aquilo vero, utpote sinistra pars mundi, repræsentat sinistram Christi iudicis, ad quam collocabuntur omnes reprobi et damnati.

Obiiciunt hæretici: Ecclesiastes hic tantum nominat duo loca post casum, id est mortem, scilicet Austrum et Aquilonem, id est cælum et infernum: ergo non est medius inter hæc duo locus, puta purgatorium. Respondeo: Nego consequentiam; qui enim nominat duo extrema, media quæ inter extrema intercurrunt non excludit, sed potius includit: sicut hic sub Austro et Aquilone Ecclesiastes includit Orientem et Occidentem, qui medii sunt inter Austrum et Aquilonem; nominat autem hos duos potius quam Orientem et Occidentem; quia hi duo duos respiciunt mundi polos, scilicet Aquilo polum arcticum, Auster antarcticum. Illi ergo qui sunt in purgatorio pertinent ad Austrum; quia certi sunt, peracta purgatione, se ituros in cælum. Sic pariter patres, qui tempore Salomonis erant in limbo, pertinebant ad Austrum, qui exspectabant reserationem cæli per Christum. Rursum, Auster et Aquilo significant duo loca ultima, in quæ post mortem concedunt animæ, ut ibi perpetuo maneant; talia autem sunt tantum duo, scilicet cælum et infernus. Nam purgatorium non est locus ultimus, sed mediatus; quia ex eo omnes animæ transeunt in cælum. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Salonius et alii passim. Hinc Franciscus Suarez hanc gnomen exponit, primo, de duobus locis ultimatis, in quibus ultimo terminatur via viatorum; secundo, de loco consolationis et tristitiæ; purgatorium autem est locus consolationis: vel optime, q. d. Post hanc vitam non est locus amittendi vel recuperandi Dei amicitiam;

Auster et Aquilo includunt Purgatorium. 1.

2.

sed si homo decesserit ad Austrum, id est in divina amicitia, ibi perpetuo manebit: sic et ad Aquilonem, id est in Dei ira, inimicitia, ibi perpetuo erit. Ita Suarez 3. p. tomo 4. disputatione 45. Accedit Salonius: « Per lignum homo designatur, inquit, quoniam unusquisque est quasi lignum sylvæ generis humani; per Austrum qui est ventus calidus, requies paradisi designatur; per Aquilonem, qui est ventus frigidus, designatur inferni supplicium. » Vide Bellarminum lib. 4. de Purgatorio c. 8.

Moraliter, disce hic ingentem stimulum ad eleemosynam, et omnem virtutem esse considerationem æternitatis stabilis et immutabilis, quæ eleemosynariis felicissima, immisericordibus miserrima accidet. Unde hunc stimulum crebro adhibet Ecclesiastes, ut v. 9. et seq. c. 9. v. 10. c. 12. v. 5. Discant ab eo nostri Ecclesiastæ in suis concionibus crebro eodem stimulare auditores. Quid enim æternitate maius, longius, terribilius, felicius vel infelicius? Quare qui ea non movetur, aut saxum est, aut dæmon desperatæ salutis. Vere Beda in Collectaneis: « Tres, ait, mansiones principales constituit Deus: cælum, terram et infernum; et in illis tribus tres res principales: in cælo constituit pacem et æternitatem: in terra constituit fidem, pœnitentiam et remissionem peccatorum; in inferno constituit timorem et æternam pœnam. De terra autem quæ in medio est, replebitur cælum et infernus. »

Vers. 4. QUI OBSERVAT VENTUM, NON SEMINAT; ET QUI CONSIDERAT NUBES (Arabicus, *aerem*) NUNQUAM METET. (Observans ventos non seminat, quid?)
q. d. Qui terretur difficultatibus, et parcit eleemosynæ ob eventus dubios, v. g. quia timet depauperari, vel ne pereat fructus eleemosynæ, hic omittit opera bona frugifera et necessaria. Solent enim prudentes agricolæ observare ventos et nubes, teste Columella, Varrone et Virgilio in Georg. sed moderate: nimia ergo eorum observatio, anxietas et pavor panicus dumtaxat hic carpitur; nam alioqui semen nunc requirit ventum frigidum, ut profundas agat radices in terra, nunc calidum, ut foras in copiosum germen erumpat; sic nunc requirit pluviam, ut crescat, nunc siccitatem, ut se consolidet. Est parœmia parabolice significans nimis meticulosos et anxios de futuro rei successu, otiosos desidere, torpere, nihilque boni agere, q. d. Sicut agricola nimis anxie observans ventos, seminare non audet; cogitat enim secum: Si vento flante seminavero, ventus meum semen difflabit et dissipabit, ut extra agrum, vel in alias agri partes quas seminare nolo, feratur; aut ventus nunc frigidior semen enecabit, vel calidior in nimium germen effundet, itaque frustra et sine spe messis seminabo; quo fit ut numquam seminet, et consequenter numquam metat: semper enim aliquis est ventus, præsertim in hieme, cum tempus est seminandi: qui ergo ventum timet, numquam seminabit, cum numquam aer in hieme sit expers venti. Simili modo, qui considerat nubes, numquam metet; sibi enim anxie persuadet dicitque: Si nunc metam, nubes depluent imbrem, qui segetem a me demessam sua humiditate inficiet et putrefaciet. Exspectabo ergo dum nullæ sint nubes, tempusque omnino serenum et securum: quo fit ut numquam metere audeat, sed seges in agro desiccetur et perdatur. Nam semper in cælo sunt aliquæ nubes; qui ergo eas timet, numquam seminabit: sic prorsus qui nimis anxie timet publicam annonæ caritatem, aut ne quid domi sibi suisque desit, dicendo: Si dedero panes pauperibus, frumentum meum non sufficiet alendæ familiæ per totum annum. Exspectabo ergo rerum copiam ac securitatem quod mihi nil deerit, ea tum large erogabo superflua in pauperes; hic, inquam, numquam dabit eleemosynam, quia semper metu aliquo instantis, vel futuræ necessitatis percelletur, qui illum a dando retrahet manusque eius claudet; unde fiet subinde ut frumentum in horreo putrescat, cuius rei exemplum est apud Moschum in Prato spirituali c. 85. Significat ergo hæc parœmia non nimis anxie cogitanda et metuenda esse pericula et difficultates, quæ occurrunt in exercenda virtute, præsertim eleemosynæ, sed illa committenda et resignanda esse divinæ providentiæ, ac magno animo magnaque in Deum confidentia liberaliter benefaciendum esse cuilibet egenti; sic enim liberalem vicissim erga nos Deum experiemur. Vere Seneca epist. 13: *Plerumque*, inquit, *suspicionibus laboramus*, etc. *non coarguimus illa quæ in metum nos adducunt, nec excutimus, sed trepidamus, et sic vertimus terga, quemadmodum illi quos pulvis motus fuga pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. Nescio quomodo magis vana perturbant; vera enim modum suum habent; quidquid ex incerto venit, coniecturæ et licentiæ paventis animi traditur. Nulli itaque tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt. Cæteri enim sine ratione, hi sine mente sunt.* Quia, ut idem subiicit, *Nonnumquam, nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid prænuntient, animus sibi falsas imagines fingit.* Et nonnullis interiectis remedium metus assignans: *Hic*, inquit, *prudentia prosit, hic robore animi evidentem quoque metum respue. Si minus, vitio vitium repelle, spe metum tempera. Nihil tam certum est ex his quæ timentur, ut non certius sit et formidata subsidere, et sperata decipere. Ergo et spem et metum examina, et quoties incerta erunt omnia, tibi fave, crede quod mavis; si plures habebis sententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina, et perturbare te desine. Ac subinde hoc animo volve maiorem partem mortalium, cum illi nec sit quidquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi, cum cœperit impelli, nec timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit: Vanus auctor est, aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expavescimus dubia pro certis, non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus.* Paulo aliter S. Hieronymus: *Qui considerat*, inquit, *cui benefaciat, et non omni petenti se tribuit, sæpe præterit eum qui meretur accipere.* Olympiodorus: *Tu quoque ne tantopere sis sollicitus, curiose quærendo cui sis eleemosynam daturus, cui non daturus, ut puta fidelisne sit ille aut infidelis, iustusne aut iniustus; etenim, si pendebis animo ista disquirens, amittes sationis tempus, neque invenies in tempore messis quid metas. Sine ulla itaque dilatione temporis, in simplicitate cordis eleemosynam confer.* Denique Thaumaturgus censet hæc dici contra astrologos, qui ex astris de futura fertilitate vel sterilitate et coniectant et divinant; unde sic vertit: *Multi quæ e cælo eventura sint præscire gestiunt, nec deest qui in nubes intuens ventumque exspectans, a messe aut ventilatione abstinuerit, re inani confisus; nec eorum quæ divinitus futura sunt, quidquam cognoscens.* Huc accedit S. Athanasius in Synopsi, qui ex hoc loco arbitratur prosterni a Salomone *Ægyptiorum religionem circa divinationem ex hominis nativitate.* Accedit Chaldæus: *Qui*, inquit, *observat divinos et ariolos, sic temere hac vita res præclaras aget, et qui a sideribus sensum aucupatur, non augebit mercedem; augures enim vento perquam similes sunt, qui hominis palma concludi non potest; at planetæ nubibus cæli comparantur, quæ semper sunt, neque umquam redeunt.* Verum primus sensus, quem dedi, est genuinus.

Tropol. Albinus per ventos accipit eos qui nobis adversantur; per nubes, qui nobis blandiuntur: sic et S. Hier. « Qui tantum, inquit, eo tempore Dei verbum prædicat, quo populus libenter auscultat, et secunda aspirat aura, rumoris sator negligens et ignavus agricola est: in ipsis enim prosperis, dum nescimus adversa, consurgunt. Sed opportune, importune Dei sermo est prædicandus, nec fidei tempore adversariorum nubium consideranda tempestas. De qua in Proverbiis dicitur, Pr. 28. Sicut pluvia (Iuxta Sept.) vehemens et inutilis, sic qui derelinquunt sapientiam, et impietatem laudent. Absque consideratione ergo nubium et timore ventorum, in mediis tempestatibus seminandum est, nec dicendum: Illud tempus commodum, hoc inutile, cum ignoremus quæ via et quæ voluntas sit spiritus universa dispensantis. »

Porro sanctus Gregorius 3. par. Pastor. c. 46. per ventos accipit suggestiones dæmonum; per nubes, persecu- (Mystice.) tiones hominum: *Qui observat ventum*, inquit, *non se-*

minat, et qui considerat nubes, numquam metit. Quid enim per ventum, nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes, quæ moventur a vento, nisi adversitates pravorum hominum designantur? A ventis videlicet impelluntur nubes, quia immundorum spirituum afflatu pravi excitantur homines. Qui ergo observat ventum non seminat, et qui considerat nubes numquam metit: quia quisquis tentationem malignorum spirituum, quisquis persecutionem pravorum hominum metuit, neque nunc grana boni operis seminat, neque tunc manipulos sanctæ retributionis secat. » Similia habet 27. Moral. c. 5. Rursum noster Alvarez de Paz lib. 5. p. 2. cap. 20. de Mediis perfectionis, per ventos et nubes accipit commoditatem et amorem proprium, virtuti inimicum: *Qui observat ventum*, inquit, *non seminat; et qui considerat nubes nequaquam metet*; est ac si dixisset: Qui in omnibus quod sibi commodissimum est, exquirit, et quod iucundissimum est, explere nititur, is profecto semen non seminat, ex quo præmium æternum metat. Seminat enim opera vitio propriæ voluntatis et inordinati amoris infecta, quæ dum soli homini operanti placent fructum æterni præmii non ferunt.

Vers. 5 QUOMODO IGNORAS QUÆ SIT VIA SPIRITUS, ET QUA RATIONE COMPINGANTUR OSSA IN VENTRE PRÆGNANTIS; SIC NESCIS OPERA DEI, QUI FABRICATOR EST OMNIUM.) Pertinet hæc gnome ad eleemosynam, ut patet ex præced. et seq. Ne quis enim timidus vel avarus se ab ea excuset metu, ne forte ipse rebus suis omnibus in alenda familia indigeat, occurrit dicens: *Qui observat ventos non seminat, et qui considerat nubes numquam metet*, q. d. Non oportet tam anxie futuros ventorum flatus et nubium pluvias extimescere, ut propter eos a serendo et metendo congruo tempore avocemur. Deus enim est qui regit ventos et nubes, facitque eos servire hominum usibus, itaque eos moderatur et dispensat, ut sationem et messem non impediant, sed iuvent et promoveant, etsi hominibus id initio non appareat, sed potius contrarium, puta quod obfuturi sint, non profuturi. Deus enim occultos modos et rationes novit, quibus efficit ut prosint, non obsint. Id probat nunc exemplo formationis hominis dicens: *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, etc.* q. d. Sicut ignoras qua ratione embryoni et corpori exanimi in utero matris a Deo inseratur anima, quæ corpus embryonis animet et vivificet, ac singulis membris intime sese uniat, et quasi incorporet. Rursum sicut ignoras quomodo ossa tot tantaque embryonis tam connexe et apposite a Deo formentur et compingantur in ventre matris; sic pariter nescis cætera Dei opera, ac præsertim qua ratione Deus eleemosynariis succurrat, ut cum omnia sua liberaliter erogent, numquam tamen exhauriantur aut depauperentur, sed potius rebus affluant et abundent instar fontium et fluminum, quod sane opus est mirabile divinæ providentiæ et munificentiæ, cuius effectum vides, sed causam et modum non vides. Illi ergo securus te crede et committe, nec metu futuræ inopiæ, eleemosynæ parcito: quia Deus tibi copiose de omnibus providebit. Unde auctor Catenæ Græc. *Oportet*, inquit, *semper bonis operibus esse intentos; nec attendere opportunitates ac tentationes. Ignoramus enim quas dispositiones habemus; quemadmodum et quæ in utero sunt ossa embryonum.* Huic gnomæ similis est illa Prov. 22. 2. *Dives et pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus*, q. d. Deus fecit hunc divitem, illum pauperem; ut dives pauperi succurrat, et pauper pro divite precetur, ut illi opes semper ad erogandum suppeditet. Unde Deus exoratus reipsa idipsum facit et præstat. Dives ergo pauperem alit, ac pauper vicissim divitem ditat, dum ei opes maiores a Deo precatur et impetret.

Via spiritus. I. QUÆ SIT VIA SPIRITUS.) Per *spiritum* multi probabiliter accipiunt ventum, uti vertit Symmach. de quo sermo præcessit: utrobique enim in Hebræo eadem est vox רוח *ruach:* ventorum enim viæ, motus et gyri sunt occulti, ac hominibus impenetrabiles; quia ex arcana providentiæ Dei dispensatione prodeunt, iuxta illud Christi ad Nicodemum, Ioan. 3. 8. *Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis: sed nescis unde veniat, aut quo vadat:* quia ut explicat S. Dionys. Cælest. Hierar. c. 15. venti habent *divinæ actionis imaginem, propter celerem insuperabilemque discessum, et propter principiorum atque finium incognitas nobis, atque invisibiles latebras.* Ita Thaumaturg. Olympiod. Hugo, Arias et alii.

II. Secundo et aptius, per spiritum accipiunt animam, quæ corpus informat. Agitur enim hic de compagine et formatione hominis in utero matris, ut patet ex sequenti. Unde Chaldæus vertit: « Sicut non potest tibi omnino esse perspectum qua tandem via anima spirabilis et vitæ capax in corpus infantis infunditur, et in fœtum, qui visceribus utero gerentis matris continetur, et ignoras plane, donec in lucem edatur, masculusne sit, an fœmina; sic nec iudicare potes opera Domini, quæ omnia summa prudentia perficit; » Ita S. Hieron. « Sicut nescis, inquit, viam spiritus et animæ ingredientis in parvulum, et ignoras ossium et venarum varietates in ventre prægnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diversas effigies artusque varietur et de eodem semine, aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in venis palpitet, et aliud ligetur in nervis, etc. » Ita quoque explicant Lyranus, Hugo, Caietanus, Clarius, Vatablus et alii, qui viam spiritus interpretantur viam qua anima intrat in corpus hominis, dum vivere incipit, ac viam qua ex eodem egreditur, dum moritur. Porro quam occultus et obscurus sit animæ humanæ ortus, eiusdemque in corpus, singulaque eius membra introitus, ostendunt variæ, imo contrariæ hac de re Philosophorum sententiæ. Democritus enim censuit animam, æque ac res cæteras, ex fortuito atomorum concursu conflatam. Plato in Timæo, qui rerum principia numeros fecit, animam quoque ex numeris compositam pronuntiavit. Heraclitus, qui ignem rerum naturalium principium statuit, animam exhalationem calidam etiam opinatus est. Diogenes, et qui ex aere omnia composuere, aerem, Thales humorem, Critias sanguinem, Empedocles harmoniam quamdam et temperaturam elementorum. Hippocrates dixit animam esse spiritum tenuem per corpus omne dispersum. Plura vide apud Theodor. l. 9. de Natura hominis, Nyssen. disp. de Anima, Lactant. l. de Opificio Dei c. 17. Plutarch. lib. 4. de placit. Philos. cap. 2. et 3. Aristot. l. 1. de Anima, c. 2. Cicer. Tuscul. I.

Denique S. August. vir acerrimi ingenii, usque ad mortem dubitavit de animæ origine, an scilicet singulis infantibus singulæ animæ a Deo creentur, an vero sint ex traduce, ita scilicet ut anima filii traducatur ex anima parentis; sicut lumen unius candelæ traducitur et accenditur ex lumine alterius, ut patet ex l. 1. de Origine animæ c. 15. et l. 1. Retract. c. 1. Hoc enim posterius videbatur ei exigere traductio peccati originalis: illud enim cum anima videtur traduci in prolem ab anima parentis; sed contrarium iam definivit Ecclesia, animas hominum scilicet, in nativitate vel potius conceptione cuiusque, a Deo creari et creando infundi. Hinc sapienter mater septem Machabæorum ipsismet ait: « Nescio, inquit, qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam: et singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, etc. » 2. Machab. 7.

III. Tertio, sanctus Bonaventura per Spiritum accipit Deum et Spiritum sanctum, q. d. Ventos et nubes, de quibus sermo præcessit, Spiritus divinus occulte per omnia permeat, format, cogit, movet, dispensat. Rursum idem Spiritus ossa infantis in utero matris, ut sequitur, occulte format, aptat, nectit, compingit. Mystice, idem Spiritus ita occulte per gratiam et operationem intrat in animam, ut homo eum non videat, imo sæpe non agnoscat; iuxta illud Iob. 9. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Unde B. Isaias Abbas (exstat in Biblioth. SS. Patrum) Orat. 19. in medio sic legit: *Quemadmodum compinguntur ossa in ventre gerentis, sic est via spiritus;* sicque explanat de Spiritu sancto: *Nam sicut sancta Virgo gestavit filium Dei in carne, ita qui gratiam*

Spiritus Sancti accipiunt, concipiunt et gestant illum in corde suo.

Et quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis.) *Prægnans* Hebr. vocatur *plena*, scilicet suo fœtu et embryone gravida. Formatio ossium et membrorum embryonis est opus naturæ, vel potius Dei admirabile: unde illud admirantur omnes Philosophi et Medici, ut Galenus lib. de Usu partium, Lactant. de Opificio Dei, Cicero l. 2. de Natura deorum, quin et Psaltes Ps. 138. *Non est occultatum*, inquit, *os meum a te quod fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terræ: imperfectum meum viderunt oculi tui*, hoc est, non incognita tibi ossium compactio meorum membrorumque omnium interiorum in abdito ventris materni (uti vertit Chaldæus) velut in terræ penetralibus, ubi ipse acu pictus sum quasi phrygionico opere, quod attinet ad nervos, carnes, ossa, cutes. Hoc enim est Hebr. רקמתי *rukamti*, id est, velut a phrygione acu pictus sum, quod proinde Itali vocant *ricamo*. Et Iob cap. 10. et sequent. *Nonne*, inquit, *sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Porro præ cæteris partibus et membris, mira est in homine tot tamque variorum ossium compactio, puta formatio, solidatio, nexus, colligatio, articulatio, structura, uti videre est in Anatomia Vesalii et cæterorum. Hoc ergo est opus *Elohim*, ut habent Hebræa, id est Numinis omniscii, sapientissimi et summe providi, quod sua efficacitate et vi omnia permeat, penetrat, agitat, alit, vivificat. Emphasis est in τῷ *ventre prægnantis*, q. d. Dic mihi, si potes, qua ratione venter unus mollis et tener prægnantis, tot ossa dura et solida embryonis efformet? qua arte eadem tot musculis, nervis, tendinibus, cartilaginibus, venis, arteriis, etc. vestit, intexit, compaginat; præsertim cum ipsa prægnans nihil horum sciat, imo non sentiat, quæ tamen tam varia et artificiosa sunt, ut nullus phrygio licet oculatissimus et peritissimus, ea non dico variegando formare, sed nec acu pingendo exprimere et repræsentare valeat?

Denique hæc parœmia significat, quod, sicut Deus ossa diversa et subinde adversa apte in corpore connectit et compingit, ut sese invicem iuvent et firment; sic pariter idem dirigat et connectat ventos et nubes etiam contrarias, ut non obsint, sed prosint semini, ac messi: item omnia adversa et prospera, ac præsertim illa, quæ minantur annonæ charitatem et inopiam, omnesque difficultates et pericula, quæ hominem metu percellunt avocantque ab eleemosyna; quod, inquam, hæc omnia Deus diligat, disponat, combinet, ut non inopiam, sed copiam potius eleemosynario afferant: *Diligentibus enim Deum omnia* (Deo dirigente) *cooperantur in bonum.* Rom. 8. Deus enim omnes causas secundas regit, contemperat, connectit, ut serviant commodis suorum amicorum et electorum.

Vers. 6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul melius erit.) Pro *non cesset*, Symmachus vertit: *Ne dimittas manum tuam*; Hebr. *Ne quiescere facias*; Septuag. *Ne remittat manus tua*. Pro *quid oriatur*, Hebr. est יכשר *ichsciar*, id est *dirigetur*, *proveniet*; Aquila, *proficiet*; Symmach. *reperiet* vel *assequetur*, scilicet manus tua; S. Hieronymus: *Rectum erit*, vel *quid placeat*; Tigurina: *Quid commodius futurum*; alii: *Quid magis conveniat*. q. d. Nescis an matutina eleemosyna, an vespertina sit tibi, æque ac pauperi, utilior Deoque gratior. Chald. hanc gnomen accipit de generatione filiorum: unde sic vertit: *Iuventute ineunte tua, uxorem duc, ut liberos suscipias; sic enim te natu grandiore, illa velut pars tui finem pariendi non faciet. Neque tibi tamen cognitum esse poterit; si unus ex eis ad bonum sit electus, sitne hic vel alter, duove etiam simul recti futuri sint.* Verum hic sensus carnalis est et Iudaicus, nec ad rem propositam facit. Totus enim hic locus pertinet ad eleemosynam et beneficentiam. Sensus ergo est, q. d. Sicut prudens agricola, dum tempus est seminandi, quovis tempore (nam sub mane et vespere quasi sub duobus extremis, omnia media tempora quæ incurrunt intelligit) seminat tam matutino quam vespertino suum semen, ut si unum parum feliciter, alterum felicius germinet et fructificet: aut si utrumque feliciter, duplicem et copiosam colligat messem. Ita tu, o fidelis, omni tempore benefacito, nec ullo ab eleemosyna vel bono opere cessa; quia si unum non succedet, succedet alterum, fructumque optatum afferet: si utrumque plane fies compos voti. Denique utriusque merces tibi certa parata est apud Deum. Ita S. Hier. *Ne eligas*, inquit, *cui benefacias; sed cum benefeceris, numquam a bono opere desistas. Matutinam iustitiam vesper inveniat: et vesperi misericordiam solis ortus accumulet. Incertum est enim quod opus magis placeat Deo, et ex quo tibi fructus iustitiæ præparetur. Potest autem accidere ut non unum, sed utrumque placeat Deo. Aliter: Et in adolescentia et in senecta æquus tibi labor sit. Nec dicas: Dum potui, laboravi, debeo in senectute quiescere. Nescis enim an in iuventute, an in ætate longæva placeas Deo. Nec prodest adolescentiæ frugalitas, si senecta ducatur luxu. In quacumque enim die erraverit iustus, veteres eum iustitiæ a morte liberare non poterunt.* — Semper bene agendum. — Solet enim senium senibus afferre torporem et tenacitatem, ut quia sunt frigidi et timidi, tunc sibi plus comparent viatici, cum minus viæ vitæque superest. Ita Lyranus.

Accedit Olympiod. qui sic exponit, q. d. A principio vitæ stude virtutibus usque ad eius finem, iuxta illud Christi: « Donec dies est, operamini; Ioan. 9. Virtutem aggressus, inquit, persevera usque ad finem, neque enim novisti quænam ex tuis bonis operibus placitura sint iudici, illane quæ iuxta carceres peregisti, an ea quæ iam perductus ad metam. Quod si utraque eodem pariter modo approbentur, bonitatis et perfectionis plena censebitur huiusmodi operatio. Aut aliter ita intellige: Ab ineunte pueritia operare virtutem, neque dixeris: Nunc adolescentior cum sim, fruar deliciis quas habet vita; postea vero cum ad senectutem pervenero ad pœnitentiam me convertam: nequaquam enim nosti quid tibi eventurum sit, aut quando aderit finis vitæ. Est itaque operæ pretium operari semper virtutem, summaque contentione ad hanc assequendam conari. Oportet etiam sæpe Deum precari, ut quæ ipsi operemur, suæ sint Maiestati placita et bonitati. » Nulla ergo vacatio ab opere conceditur homini in hac vita; nam ut ait Iob 5. 7. *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Et Psaltes Ps. 138. *Exibit homo* (mane orto sole) *ad opus et ad operationem suam usque ad vesperum.* Quare crescere debemus in virtutibus æque ac meritis quotidie, usque ad ultimum vitæ halitum. Unde Sapienter Damascen. Orat. de Dormit. Virginis, ait, morte iustos omnino perfici sanctosque effici, quæ id ipsis affert, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat.

Tropol. S. Hier. per mane et vespere accipit vetus testamentum et novum, quod est veluti pluvia serotina et matutina: « Unde nunc admonemur, inquit, ut sic legamus legem veterem ne Evangelium contemnamus; sic quæramus spiritualem in veteri testamento intelligentiam, ne in Evangelistis et Apostolis hoc tantum putemus sonare quod legitur. Ignorare enim nos in quo magis scientia nobis a Deo tribuatur et gratia, feliciusque eum esse, qui utrumque in commune sociaverit, et quasi unum corpus effecerit. Quod qui fuerit consecutus videbit lucem, videbit Christum solem iustitiæ. »

Rursum per *mane* et *vespere* accipias prospera et adversa, sive bonæ sortis ortum et occasum, q. d. Nec in rebus secundis, nec in adversis cessandum est a virtute; in adversis exerce humilitatem, patientiam, fortitudinem; in secundis modestiam, temperantiam, gratitudinem; in utrisque charitatem et beneficentiam; quare nullam bene agendi occasionem præterlabi sinas, ut si priora minus placita sint Deo, posteriora vel postrema magis placeant. Præclare Seneca Epist. 12. *Itaque*, inquit, *sic ordinandus est dies omnis tamquam cogat agmen, et consumat atque expleat vitam.* Et inferius: *In somnum ituri læti hilaresque dicamus:*

Vixi, et quem dederas cursum, fortuna (potius *Deus alme*) *peregi.*

MANE SEMINA SEMEN TUUM ET VESPERE.) Noster Delrio Adag. 300. p. 2. per *mane et vespere* accipit duo tempora serendi, scilicet tempestivum et serotinum; sicut pluvia tempestiva dicitur quæ semen satum humectat, ut germinet; serotina, quæ grana iam formata maturat. Unde Symmachus vertit: *Præcox semina semen tuum, sed et serotinum, ne remittat manus tua.* Verum in Scriptura nusquam fit mentio tempestivæ vel serotinæ sationis, sed tantum pluviæ. Proprie ergo accipe *mane et vespere*, q. d. Cum sole, imo ante solem oriatur nostrum benefaciendi studium; idem non nisi cum sole occidat, ut sol oriens benefacientes inveniat, et occidens benefacientes dimittat. Beneficentia nos mane lecto excitet, vespere lecto reddat. Frigide R. Akiba: *Cum mane,* inquit, *aliquid pauperi dederis, et vespere redierit,* vacuum *ne dimitte.*

ET SI UTRUMQUE SIMUL, MELIUS ERIT.) Hebr. *Et si ambo ipsa sicut unum bona,* q. d. Nescis an utrumque futurum sit paris bonitatis, an unum æque bonum erit ac alterum. Verum Noster τὸ *bona* accipit pro *meliora*; Hebræi enim utuntur positivo pro comparativo quo carent; unde clarius et significantius vertit: *Et si utrumque simul* (oriatur) *melius erit.*

Vers. 7. Lucis oblectatio. DULCE LUMEN ET DELECTABILE EST OCULIS VIDERE SOLEM.) Lux enim nobilissima, iucundissima, cœlestis, utilissima et vivifica est qualitas; sol quoque est oculus mundi, et *vas admirabile excelsi*, Eccles. 43. v. 2. Vide ibi dicta. Vide et Dracontium libr. 1. Hexam. ubi lucem inter alia ita celebrat (Exstat tom. 8. Biblioth. SS. Patrum)

> *Lux iubar æthereum, lux noctis limes et umbræ.*
> *Lux facies rebus cunctis, et lux elementis.*
> *Lux genitis factisque calor, lux gratia solis.*
> *Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ.*
> *Lux fulgor cœli, lux et primordia mundi.*
> *Lux splendor flammæ, lux magni temporis index.*
> *Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris.*

Hinc et Varro libr. 5. de Ling. Latina, *diem*, qui vehit lucem, *a Deo* dictum putat; vel ut Festus, quod *divini sit operis*; vel a *Iove*, quem Δία nuncupant. Hinc et sol a Cicerone lib. 2. de Nat. deor. vocatur *Princeps siderum*; ab Heraclito, teste Macrob. lib. 1. in somnium Scip. cap. 20. *Fons lucis et cor cœli*; a Chalcidio in Timæum Platonis, ac Plinio libr. 2. cap. 6. *Mundi anima, siderum cœlique rector, naturæ regimen et numen.* Numen, id est, nutus et potestas, ait Festus, a *nuo, nuis*, quod veteres pro *volo* usurpabant. Hinc denique nonnulli, teste Plut. lib. *de occulte vivendo*, putarunt animam esse lumen quoddam, eo quod ipsa impense lumine gaudeat, et ignorantiam tenebrasque aversetur. Quocirca Anaxagoras, teste Laertio, dixit hominem natum esse ad hoc, ut videret solem eiusque lucem; et Græci hominem vocarunt φῶτα, id est *lucem*, quod solus luce solis Verbique divini in mente collustratus, eadem et alios collustret. Ita Nazianz. Audi Lactant. l. 3. de Falsa relig. cap. 12. *Tanti est* (*ut Anaxagoræ visum est*) *contemplatio cœli, ac lucis ipsius, ut quascumque miserias libeat sustinere.* S. Hieronymus eiusque sequaces hanc gnomen referunt ad præcedentia, q. d. Mane et vespere, id est, assidue et semper semina semen eleemosynæ bonorumque operum; quia si id feceris, consequeris præmium, scilicet dulcissimum lumen gloriæ, in quo videbis solem iustitiæ Christum Dominum in gloria cœlesti. Verum hic sensus mysticus est et symbolicus, æque ac ille R. Hiscadoe, qui per lumen accipit filios: hi enim sunt quasi lumina parentum, q. d. Semina, id est, genera filios; hi enim erunt lux et splendor tibi tuæque familiæ.

Dico ergo hanc gnomen pendere et pertinere ad sequentia: ibi enim expletur, q. d. Dulcis quidem est hæc vita et lucis usura, in qua solem fulgidissimum iucunde contueris; sed tamen illi brevi succedet mors, quæ nos horridis undique tenebris involvet. Mortis ergo instantis memor, noli dulcedine vitæ ad nimias voluptates abuti; sed ea moderate utere ad omnem virtutem et beneficentiam. Itaque dum vivimus, vita fruendum, vel potius modeste et honeste utendum est, ut quam plurimos officiis et beneficiis adiuvemus, memores imminentis mortis et iudicii.

Nota: Ab hoc loco usque ad finem libri, Ecclesiastes, sive Salomon, amolitur a se omnem suspicionem Epicureismi, ac vitæ voluptuariæ, quam superius, saepius commendando ut quis læte rebus suis utatur dum vivit, nonnullis ingessit. Unde hic serio nos admonet finis nostri, scilicet ut a vanitate ad veritatem, a tempore ad æternitatem mente et affectu transeamus, qui pariter est finis et scopus totius libri, ut patet ex eius principio et fine. Huc accedit Thaum. qui hanc gnomen nectens sequentibus, ita omnes a v. 10. uno nexu apte contexit: « Si autem quis secum ratiocinetur quam pulcher sit sol, quam suavis hæc vita, quam iucundum in summa felicitate longævum fieri. Et quam horrendum perpetuumque malum sit mors, nihil omnino afferens commodi, unde sentiat nos frui debere omnibus præsentibus, utcumque videantur suavia. Insuper et adolescentibus consulat sua ætate abuti, permittere animabus suis omnem voluptatem, indulgere desideriis, vivere ut libet, spectare oblectantia, aversari autem quæ non sunt eiusmodi. Ad quem id tantum dixerim: Insipienter agis, o tu quisquis es, non exspectans futurum in his omnibus Dei iudicium. » Similia habet Auctor Catenæ Græcæ.

Symbolice, dulce est videre lumen et solem, id est contemplari Deum, qui sicut est dator munerum, sic et *pater luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Iacobi 1. 17. Hinc Deus dicitur: *amictus lumine sicut vestimento*, Psal. 103. 2. et lux dicitur proprie eius esse *possessio*. Iob 36. 32. Unde S. Dionys. cap. 4. de Divinis nom. ait solem esse visum Dei simulacrum. Quocirca Christus: *Ego*, inquit, *sum lux mundi*, Ioan. 8. 12. Quin et Plato lib. 6. de Republ. lucem et solem nuncupat boni prolem et filium. Audi Nazianz. Orat. 40. « Ac quidem Deus summum et inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus; eo se magis contemplandum nobis præbens quo accuratius animos purgaverimus; eo rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus; eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus; sese ipse speculans et comprehendens, ac perexigue ad externa diffundens. Lumen porro hoc dico, quod in Patre et Filio et Spiritu sancto consideratur: quorum opulentiæ naturæ identitas est atque una eademque splendoris prosultatio. Secundum lumen est Angelus primi illius luminis velut rivulus quidam, aut participatio per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens: de quo statuere nequeo, utrum pro classis suæ ordinisque ratione splendor ei impertiatur, an potius pro divinæ illuminationis modo hanc vel illam sedem accipiat. Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum et manifestum est; φῶς enim, id est lumen hominem vocant, propter rationis nobis insitæ vim et facultatem. Quo etiam rursus nomine inter nos appellantur, qui Deo similiores sunt propiusque ad Deum accedunt. » Lucis elogia.

Tropolog. Olympiodor. Qui, inquit, solem iustitiæ, puta Christi illuminationem mente sua recipit, plane videt quæ ad eiusdem solis voluntatem sibi agenda sint, quæve dimittenda: idemque idcirco magna voluptate lætitiaque perfunditur, eo quod non solum sibi agenda cognoscat, sed etiam ab eodem sole illustratus, pacatissima mente contempletur pulcherrimas illas species, quæ a materia seiunctæ, solo intellectu percipiuntur. Ad hæc enim comprehendit dies tenebrarum perennes, qui in futuro sæculo impios sunt comprehensuri; atque idcirco omni studio declinat a malo bonumque operatur. Hæc Olymp.

Anagog. Chald. hanc gnomen explicat de lumine gloriæ, quo beantur Sancti in cœlo: « Et suavis, inquit, est lux legis et aptissima certe, quæ oculis caligantibus lumen afferat, ut aliquando dignitatem vultus Domini tueantur, qui divino quodam splendore iustorum faciem est illustraturus, ut pulchritudine cum sole comparari queant. »

Vers. 8 SI ANNIS MULTIS VIXERIT HOMO, ET IN HIS OMNIBUS LÆTATUS FUERIT, MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS ET DIERUM MULTORUM, QUI CUM VENERINT, VANITATIS ARGUENTUR PRÆTERITA.) Cohæret hæc gnome præcedenti eiusque salubrem antithesim suggerit, q. d. Dulce quidem est frui lucis usura, solemque contemplari. Dulce est vivere, vitæque voluptates degustare; at noli illis nimis te oblectare, noli iis securus incumbere, nec per eas Deum offendere, noli perpetuas aut diuturnas existimare, quia brevi succedent illis dies tenebrosi et mœsti senectutis et mortis, qui cum venerint, reipsa ostendent quam præteriti vitæ et voluptatum dies fuerint vani, id est breves, pauci, fugaces, evanidi: tunc enim omnis lux desinet in caliginem, voluptas in ærumnas, lætitia in mœstitiam, vita in mortem. Perinde enim ac sol, dum mane oritur splendidus est et fulgidus, crescitque in meridiem, mox post paucas horas decrescit, declinat, occumbit; sic prorsus et vita nostra, dum nascimur, splendet, crescitque in virilem ætatem; ut post paucos annos decrescit, senescit, occidit. Dum ergo solem orientem et occidentem quotidie intueris, vivum vitæ tuæ simulacrum accipe, in eoque ortum et occasum tuum metire et intuere. Esto annos Mathusalem vixisses, cum illi exacti fuerint, perinde erunt ac si non fuissent, iuxta illud: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit*, Ps. 89. vers. 4.

MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS, ET DIERUM MULTORUM.) Hebr. *Recordetur dierum caliginis, qui multi erunt.* Per quos, primo, accipi possunt dies senectutis, qui licet pauci, quia tamen multis ærumnis referti, senescenti multi longique æque ac tenebrosi, id est, miseri tristesque videntur, sicuti infirmo nox alioquin brevis longa videtur. Adde: senibus caligant oculi, ut eis sol tenebrescere videatur, uti dicet c. 12. 2. Ibi enim fuse hosce dies senectutis tenebrosos describit.

Tenebrosum tempus mortis.

Secundo, dies mortis et sepulturæ: hi enim multi sunt, quia durabunt usque ad diem iudicii, quo a morte resurgemus. Unde Chald. vertit: *Quoniam multi sunt dies, quibus dormiet in domo sepulturæ, et pertinet ei iudicium suscipere de cœlo omni tempore, quo venerit super eum malum, propter vanitatem quam fecit.*

Tertio, dies multi et tenebrosi sunt, dies æternitatis, quos impii miserrimos et perpetuos agunt in tenebris gehennæ. ita Olympiodor. *Reputat*, inquit, *animo tenebrarum dies, qui in futuro sæculo sunt impios comprehensuri, peccaturosque post rerum omnium vanitatem ad æterna venturos supplicia.*

QUI CUM VENERINT, VANITATIS ARGUENTUR PRÆTERITA.) Hebr. *Omne quod venit est vanitas*; S. Hier. *Omne quod venturum est, vanitas*; alii: *Omne quod subsequitur, vanum erit*; Vatablus: *Omnis qui nascitur est vanitas*, q. d. Quidquid venit et evenit in hoc mundo, vanum est: sicut enim præterita evanuerunt; sic præsentia illico transeunt et evanescunt, ac futura transibunt et evanescent. Ex præterita enim rerum vanitate, licet certo conlicere et metiri præsentem et futuram, quod, ut indicaret Noster, solerter vertit: *Qui cum venerint, vanitatis arguuntur præterita.* Sapienter ergo S. Remaclus Episcopus Traiectensis, moriturus, hoc ultimum suis dedit monitum: *Tota sapientis vita quædam debet esse commentatio mortis.* Quin et Plato inquit: *Philosophia* (Ethica) *non est aliud quam meditatio mortis.* Vitam S. Remacli scripsit Notgerus eius successor. Extat apud Surium die 3. Septembris.

Vita sapientis meditatio mortis.

Vers. 9 LÆTARE ERGO, IUVENIS, IN ADOLESCENTIA TUA, ET IN BONO SIT COR TUUM IN DIEBUS IUVENTUTIS TUÆ, ET AMBULA IN VIIS CORDIS TUI, ET IN INTUITU OCULORUM TUORUM, ET SCITO QUOD PRO OMNIBUS HIS ADDUCET TE DEUS IN IUDICIUM.) S. Hieron. hinc inchoat c. 12. Pro *iuventutis* Hebr. est בחורותיך *bechurotecа*, id est, *electionum tuarum*, id est, in ætate plane electa et florida; iuventus enim est ver, decor et flos ætatum omnium: quare tunc cuique eligendus est status et optima vitæ ratio, ut optimam ætatem optime transigat, Deoque optimo dedicet. Septuag. addunt ἄμωμος, id est, irreprehensibilis, immaculatus, inculpatus. Unde vertunt: *Ambula in viis cordis*

A *tui immaculatus.* Sic quoque vertit Arabicus. Rursum pro: *Et in intuitu oculorum tuorum*, Septuag. Romani legunt contrarie: *Et non in intuitu oculorum tuorum.* S. Ambros. vero Exhortat. ad virg. sic legit: *Ambula in viis cordis tui sine macula, et in aspectu oculorum tuorum, et non in audacia oculorum tuorum*, hoc est, inquit, *in aspectu spiritali, non in audacia sæculari.* Verum Complut. legunt eodem modo quo Hebr. Latinus et Syrus, scilicet *in intuitu oculorum tuorum.* Quocirca S. Ambrosius Albin. Olympiod. et S. Greg. 24. Mor. cap. 4. censent iuvenes hic invitari ad gaudium spirituale, ad quod invitat Apostolus Philipp. 4. 4. dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.* Hinc ut Chald. vertit: *Lætare, iuvenis, in diebus iuventutis tuæ, et sit cor hilare in te in diebus adolescentiæ tuæ, et ambula in humilitate in viis cordis tui, et sta admonitus in visu oculorum tuorum, et non aspicias malum, et notum sit tibi, quod pro omnibus adducet te Deus in iudicium.* Verum ambulare in viis

B cordis et in intuitu oculorum significat gaudium non spirituale, sed sensuale et carnale, iuxta illud n. 2. 20. *Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram; et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.* Et hoc quoque non aliud voluisse Septuag. patet ex interpretatione Thaumat. quam recitavi v. præc. ex qua liquet eum in Septug. non legisse τὸ ἄμωμος, id est *irreprehensibilis*; aut si legit, ita interpretari, q. d. Ambula in viis cordis tui irreprehensibilis, id est, vive ut libet, sic ut nemo te reprehendere audeat, utque tu nullius reprehensionem metuas, vel audias et in cor admittas.

Est ergo concessio, q. d. Læta et iucunde fruere, o adolescens, voluptatibus adolescentiæ, ita tamen ut memineris te earum rationem redditurum Deo in iudicio; quod ut recte facias, modeste et honeste iis utere. Huc facit proverbium Arabum, cent. 4. n. 69. *Vive, aselle quamdiu floret pabulum*; fruere pabulo, quamdiu illud obtines:

C brevi enim deficiet, nec obtinebis. Vivere enim est εὐφραίνεσθαι, id est, gaudere et frui, quod Galli dicunt: *Se donner bon temps.* Vel potius est ironia, q. d. O iuvenis qui per adolescentiam ardes sanguine, spiritibus et concupiscentiis, age, in bono cor tuum sit, id est, cor tuum exhilara (bonum enim sumitur pro hilari et iucundo) unde S. Ambros. Exhort. ad virgin. vertit: *Oblectet te cor tuum, ambula in viis cordis tui*, id est, sequere desideria tui appetitus, *et in intuitu oculorum tuorum*, ut quod oculi tui concupiscunt, id prosequaris, indulge tuis desideriis, satia te tuis cupidinibus; sed *scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.*

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

Quare si sapis, metu mortis et divini iudicii refræna tuas voluptates, resiste tuis cupidinibus, amores vanos mortifica, ut iudici, qui concessit earum usum, sed vetuit abusum, congruam reddas rationem. Ita Thaumat. S. Bonav.

D Hugo, Caiet. Titelm. et alii. Adolescentia enim, ut docet S. Ambr. de Interpel. Iob c. 7. et Aristot. 8. Ethic. c. 6. *Calore corporis fervente æstuque sanguinis vaporantis ignescente. ut invalida est viribus, ita consiliis infirma, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.* Quare acribus stimulis timoris iudicii et gehennæ a suis cupidinibus coercenda et refrenanda est. Quocirca S. Anysia Martyr solebat de iuventute conqueri dicens: *O insidiosam ætatem, quæ aut lædit aut læditur. Pulchra res est senectus. Hei mihi! longitudo temporis me mœstitia afficit, quæ tamdiu separat a cælestibus.* Eadem brevissimo somno utebatur dicens: *Malum est mihi dormire, cum meus inimicus vigilat.* Ita habet eius vita apud Surium ultimæ edit. 29 Decembr. Porro ironia et sarcasmus, id est hostilis irrisio, frequens est in Script. præsertim in Prophetis, ut Thren. 4 21. *Gaude et lætare, filia Edom*, cui mox excidium a Nabuchodonosore inferendum intentatur; *ad te quoque perveniet calix*, iræ et vindictæ Dei, *inebriabe-*

ris atque nudaberis. Similia sunt Isaiæ 14. 9. ubi insultat Balthasari, et Ezech. 28. 12. ubi insultat Tyro, æque ac Pharaoni c. 31. 18. et c. 32. 19.

Et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.) *Cuius iudicium*, ait Tertul. l. de Patientia, *non in compede aut pileo vertitur* (servi cuius mali damnabantur ad compedes, boni vero donabantur libertate, cuius insigne erat pileus) *sed in æternitate aut pœnæ aut salutis.* Iudicium autem Dei complectitur, primo strictum examen iuventutis in voluptatibus exactæ; secundo, sententiam iudicis: tertio, supplicium, puta gehennam. Huic gnomæ similis est parœmia Arabum cent. 1. n. 20. *Omnis ovis suspenditur a calcaneo suo in macello*, id est, unusquisque iudicabitur et punietur super moribus suis, præsertim ultimis et finalibus vitæ, iuxta illud Galat. 6. *Unusquisque onus suum portabit.* Huc facit aurea gnome R. Achabiæ filii Mahaleel in *Pirke Avoth*, c. 3. *Tria*, ait, *tibi consideranda sunt, quibus a peccato coercearis: quæ origo tuæ conditionis est, quis finis et ante quem iudicem ratio tibi reddenda est? Unde tibi origo est? e fœtido spermate. Quo tendis? ad vermes et tineas. Cui iudici astare debes sententiam excepturus? Regi regum terribili qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ, Deo sancto et benedicto.* Ibidem R. Eleazarus ait: *Qui nati sunt, oportet eos semel mori; qui mortui sunt, oportet eos rursus in vitam resurgere; et qui surrexerunt, oportet eos iudicari, et scire quod Dominus ipse sit Deus formator hominum, et mundi creator, et gubernator rectorque supremus. Ipse idem et litem movens, et testis ad nos, et iudex. Benedictus sit ille sanctus et iustus in quo non est iniquitas, nec oblivio, nec respectus in faciem, nec munerum aut personarum acceptio: propterea quod omnia eius sunt, ac scito eventura omnia iuxta mensuram eorum, quorum tibi ratio reddenda est. Cave autem ne in vanam et stultam spem ascendas, quasi futurum tibi sepulcrum refugii locum ne quidquam præsumas, et frustra pollicearis; inconsulto enim tu creatus es, inconsulto iterum te genitus es, et vivis et morieris, et ratio tibi reddenda est Regi regum sancto et benedicto.*

Gnomæ de iustitia.

Porro iudicii divini exactum et terribile examen graphice depingit, et ad vivum repræsentat S. Cyril. Orat. de exitu animæ et secundo adventu tom. 4. ubi quinque telonia quasi tribunalia recenset, in quibus anima dæmonibus, seu sævissimis pubblicanis, accusatur de singulis, quæ per quinque sensus peccavit: « Tenetur, inquit, animus a sanctis Angelis per aerem sublimis prætereuns, invenitque quosdam quasi publicanos ascensum custodientes, et ascendentes animos prehendentes prohibentesque. Nam quisque publicanorum propria habet peccata, quæ illis obiiciat: alios perperam dicta, quæcumque ore et lingua commissa sunt, mentiendo, iurando et peierando; quum superflua nugatoria et vana verba, tum helluationes, vinique abusum et luxum, et immodicos indecorosque risus, levia et inhonesta oscula, et impudica cantica. At S. Angeli animum ducentes, proferunt et ipsi quæcumque ore linguaque locuti sumus bona, supplicationes, gratiarum actiones, psalmos, carmina, laudes, divinos cantus, scripturumque lectiones, et quæcumque per os et linguam bona Deo promisimus. Secundum telonium est oculorum visus, quæcumque indecoro aspectu, curiosoque et effrænato intuitu et fallaci nutu committuntur. Tertium telonium est auditionis, et quæcumque per hunc sensum impuros spiritus accipiunt. Quartus est olfactus odoriferorum unguentorum, et suavium odorum, quæ mimos et impudicas decent mulieres. Quintum est eorum, quæ manuum tactu perverse et improbe facta sunt. et cætera vitiorum tabernæ, invidiæ et æmulationis; inanis gloriæ et superbiæ; acerbitatis et iræ; iracundiæ et furoris; scortationis et adulterii et mollitiei; homicidii et veneficii, cæterorumque impiorum et perversorum factorum, quæ in præsentia minutatim persequi non licet, ut in aliud tempus differantur. Breviter eodem modo deinceps suos quisque animi morbus et peccatum pubblicanos habet et tributi quæstores. Animus igitur, qui hæc et his maiora plura que cernit, quanto putas in metu ac trepidatione est, donec sententia feratur, et eius libertas veniat? Illa est hora doloris, periculi gemitusque plena atque inconsolabilis, donec videat quid futurum sit.

Quinque telonia animæ e corpore migrantis.

Vers. 10 Aufer iram a corde tuo, et amove (Hebr. *transire fac*; Syrus, *distare fac*; Arabicus, *spolia malitia humanitatem tuam*) malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.) Ab hoc versu Complut. et Biblia Regia, Chald. Olympiod. Albinus ordiuntur cap. 12. Est conclusio educta ex versu præcedenti, q. d. Quia Deus te adducet in iudicium, ut iudicet te de concupiscentiis cordis et oculorum, aufer et reseca eas a te, præsertim iram et libidinem. Pro *voluptas*, perperam aliqui legunt, *voluntas*. Hebr. est שחרות *sciachrut*, id est nigredo, crepusculum, aurora, indeque iuventus; hæc enim est quasi rosea aurora ætatis et vitæ. Unde Clarius, Vatabl. Caietan. vertunt hoc loco, *iuventus*; Pagnin. *pubertas*; Chald. *dies nigredinis capillorum*; iuvenibus enim nigrescunt capilli, senibus albescunt; multo magis iuvenum mens nigra est, id est obscura, ignorans, cæca, confusa. Septuag. vertunt, *ἄνοια*, id est amentia, stultitia; Noster melius vertit, *voluptas*; hæc enim sunt duo vitia iuventutis, scilicet stultitia et voluptas; stultitia nascitur ex inexperientia et imperitia, voluptas ex fervore sanguinis et flore ætatis. Est catachresis; voluptas enim vocatur *iuventus*, cuius quasi propria est voluptas, cum qua instar auroræ transit et evanescit, iuxta illud Osee 11. 1. *Sicut mane transit, pertransiit rex Israel.* Hinc Varroni adolescentiari, idem est, quod luxuriari, teste Nonio cap. 1. et Terent. in Adelph. ait, *Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari.*

Porro hic taxat duo primaria iuventutis vitia, scilicet iram in corde, et malitiam, vel, ut Ambros. legit, *nequitiam*; Arab. *iniquitatem*, id est libidinem in carne. Præcipua enim carnis malignitas est libido, ait Olympiod. et Thaumat. sub quibus cætera omnia comprehendit; ira enim est filia superbiæ et mater invidiæ; libido filia est gulæ, et mater acediæ; utraque oritur ex calore et ardore ætatis iuvenilis: hic enim calor iuvenem excæcat, et præcipitem agit in voluptates et vitia, ac præsertim in iram et appetitum vindictæ, ac libidinem. Audi S. Hieron. *In ira omnes perturbationes animi comprehendit. In carnis malitia universas significat corporis voluptates. Sic ergo*, inquit, *bonis sæculi huius fruere, ne aut desiderio, aut carne delinquas. Relinque antiqua vitia, quibus in adolescentia tua vanitati stultitiæque servisti, quia iuventus insipientiæ copulata est.*

Similia habent Olympiodor. Hugo, Glossa et Ferus, quem audi: *Ne tristitiis vexetur, neve adversis frangatur; sed assuescat non irasci et indignatione vinci, ubi viderit omnia pessime geri: si quid viderit triste, sciat pertinere ad mundum: sinat alios invidere, ipse nolit perdere iucundam vitam.* Omnes enim passiones sunt in appetitu irascibili, ubi præsidet ira, vel in concupiscibili, ubi præsident amor et libido, atque amor suscitat iram, ut impedimenta, quæ eum vetant frui bono amato, disiiciat. Hinc illud Luciani in Dial. Mere. et Maiæ: *Iracundi sunt, qui amant*; et illud Arist. 2. Rhetor. cap. 12. *Iuvenes*, ait, *omnia nimis amant, nimis oderunt; ad irascendum apti sunt, acutæque iræ, potentesque appetitiones sequi.* Quocirca in Emblematibus iuvenis pingitur ut iuvenis animosus, diversis coloribus amictus, floribus coronatus, manu spargens nummos; ad latus sinistrum astat ei canis venaticus, ad dextrum equus phaleratus. Nam ut ait Horat. de Art. Poet.

Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.

Denique adolescentia et voluptas vana sunt, quia utraque instar floris cito deflorescit, marcescit, corrumpitur, evanescit; unde Poetæ adolescentiam vocant *florem marcescentem*, præsertim dum nequiter, id est luxuriose, vivit, iuxta illud:

*

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.

Per malitiam enim nequitia pute libido accipitur; licet Campensis pro *malitiam* vertat, *molestiam*; melius Tigurina, *vitiositatem*. Unde Thaumat. vertit: *Mala res est intemperantia, libido autem et spurcitia damnum et iniuriam corporibus nostris afferunt. Adolescentiæ comes est insipientia, insipientia vero ducit ad interitum.* Vere Cicero libr. 1. de Legibus: *Ab ea*, inquit, *quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem omnium mater.* Et lib. de Senect. *In voluptatis regno virtus non potest consistere.* S. Chrysost. apud Anton. in Melissa p. 2. cap. 20. *Ira*, inquit, *et cupiditatibus facilius iuvenes ducuntur et circumaguntur; quare maiorem quamdam custodiam requirunt, ac frænum durius.* Ibidem Nazianz. *Inventus*, inquit, *est temporis æstus.* Et S. Basil. *Iuventus est levis, et ad improbitatem proclivis, cupiditas affrænata, belluarum ira, temeritas, iniuria, et inflationes, magnique spiritus congenita et coalita mala, iuventutis hæc sunt; invidiæ adversus rem excellentem, suspiciones de familiaribus. Denique malorum tamquam examen iuventuti connexum et copulatum est; quorum omnium fructum necesse est in subiectos redundare, propterea quod magistratuum vitia subiectis importent calamitatem.* Porro de voluptate iuventutis illecebra ita censet S. Ambros. lib. 4. in Lucam: *Quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, et cum semel adhæserit cupiditatibus, demersa terrenis difficile in altum potest revolare.* Nervosius S. August. lib. 14. de Civit. cap. 16. *Hæc* (libido) *sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto.* Hoc significat illud Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* In quæ verba scribens S. Chrysost. hom. 22. in Gen. *De illis*, inquit, *dictum est, quod ipsi sint carnes; nam licet animam rationalem haberent potiorem sui partem, perinde tamen vivebant sine ratione, ac si sola carne constarent.* Vide S. Gregor. lib. 6. in 1. Reg. ubi de Agag ait: *Caro homo efficitur, quando sensui carnis ratio subiugatur.* Et Cyprian. de Bono Pud. *Impudicitia obscenum ludibrium reddit ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis, totum hominem suum sub triumphum libidinis facit.* Et Lactant. lib. 6. cap. 23. *Mens inquinatur contagione impudici corporis.* Hanc rationis cum iuvenili appetitu, sive spiritus et carnis, vel mentis et concupiscentiæ luctam repræsentarunt veteres per Herculem cum Antheo, id est contrario vel adversario, luctantem. Hercules enim rationis, mentis et spiritus est symbolum; Antheus vero corporis. Herculis pectus sapientiæ est sedes atque prudentiæ, quibus perpetua est cum appetitu et voluptatibus pugna: semper enim appetitus rationi obsistit, nec potest ratio superare, nisi corpus ita in altum, et procul ab terrenarum rerum intuitu extulerit, ut pedes, hoc est affectus nullum amplius fomentum a tellore accipiant, imo cupiditates et affectus, qui terræ sunt filii, prorsus interficiat. Quo de genere mortis loquitur S. Paulus Coloss. 3. cum ait: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et David Psalm. 116. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et Servator ipse: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, Ioan. 12. Et hæc est omnium victoriarum præstantissima. Unde in Scipionis Africani tumulo legitur elegantissimus versiculus:

Maxima cunctarum victoria victa voluptas.

Et Boetius hoc ipsum Herculis factum celebrans ait: *Superata tellus sidera donat.* Porro Fulgentius in Mythologia et Boccac. in Geneolog. Deor. lib. 1. cap. 5. tradunt Antheum fuisse terræ filium, quem sæpius a se prostratum, robustiorem resurgere cernens Hercules, advertens quod e terræ contactu vires recuperaret, iam fessum ulnis in altum extulit, ibique tamdiu tenuit, donec expiraret. Fulgentius per Antheum accipit libidinem, quæ ex sola carne nascitur, quæ tacta, etsi fessa sit, resurgit. Verum ab homine virtuoso castoque carnis, denegato actu, superatur. Anthei meminit S. Aug. in lib. de Civit. eumque vixisse tradit regnante Argis Danao, et Euseb. in lib. de Præpar. Evang.

Gnomæ.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ænigmata senectutis numer. 21

Graphice et ingeniose per varia symbola et ænigmata depingit ærumnas senectutis et mortis, ut iis impellat iuvenes ad spernendas voluptatum vanitates, et sectandam veritatem, verumque Dei cultum, antequam adolescentiam senectute commutent. Unde concludit v. 13. Deum time, et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo. Est ergo hic elegans ænigma senectutis et agoniæ mortis, in quo per 21. symbola notantur 21. defectus, ærumnæ et vitia senectutis. Primus est v. 1. afflictio ex morbis variis; secundus, displicentia et tædium rerum omnium; tertius, versu 2. quod cælestes motus et influxus destituant senes; quartus, continuæ distillationes et catarrhi; quintus, v. 3. custodum, id est sensuum, defectus; sextus, nutatio virorum fortissimorum, hoc est crurum et tibiarum; septimus, minutio molentium, id est dentium; octavus, caligo videntium per foramina, id est oculorum; nonus, versu 4. exilitas vocis ex ostiorum in platea, id est arteriarum in pectore, constrictione et clausura; decimus, tenuitas somni et nocturna vigilia, ut ad vocem avis evigilent undecimus, defectus aurium et auditus; duodecimus, v. 5. timor, pavor et stupor; decimus tertius, canities similis amygdalo floribus candescenti; decimus quartus, tumor ventris, pedum et crurum instar locustæ; decimus quintus, fastidium cibi, cuius orexin excitat capparis; decimus sextus, abitus ex vita, quod scilicet mox ibit in domum æternitatis suæ; decimus septimus, funus, quod communi amicorum planctu celebrabitur; decimus octavus v. 6. ruptura funiculi argentei, id est contractio medullæ spinæ dorsi; decimus nonus, recursus vittæ aureæ, id est contractio meningis, sive involucri cerebri; vigesimus, confractio hydriæ super fontem, id est venarum et sanguinis ex iecore prodeuntium; vigesimus primus, confractio rotæ super cisternam, id est capitis ex corde spiritus haurientis.

Porro hæc vitia et ærumnæ senectutis in omnibus quidem senibus locum habent: unde et de omnibus hic agitur; maxime tamen de iis qui in iuventute per symposia et libidines iuveniles spiritus et vires exhauserunt: hi enim noxas iuventutis luunt per morbos senectutis. Unde de iis totum hoc caput accipit Osorius. Hinc et nonnulli illud applicant Salomoni, quasi ipse hic senii sui ærumnas describat, ex libidinibus adolescentiæ. Vere Cicero: libidinosa intemperansque adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. Aristot. quoque lib. 6. Histor.

Animal. c. 4. et lib. de Longitud. et brevit. vitæ, ac Plinius lib. 10. c. 36. docent animalia salacia et in venerem prona brevis esse ævi. Igitur dicas hic gulæ et luxuriæ iuvenilis damna describi, videmus enim luxuriosorum corpora esse turida, frigida, macilenta, marcida, morbida, mortifera, cerebro menteque minui, ac laborare epilepsia, oculis obtenebrari, palpebras pilosque defluere, custodes domus, id est sensus omnes, hebetari, laborare pituita et catarrhis: iisdem dentes laxantur et decidunt; iidem exsurgunt ad vocem volucris, id est præ doloribus levis parvique sunt somni, minimoque sonitu evigilant; obsurdescunt filiæ carminis, id est aures et auditus iis obtunduntur; floret amygdolus, id est cito canescunt; impinguatur locusta, id est tumescunt cruribus et ventre; dissipatur capparis, id est perit omnis appetitus; pleni sunt nausea, tædia, fastidio. Audi Boetium, lib. 3. de Consol. prosa 5. Quid de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero pænitentiæ? Quantos illæ morbos quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus? Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Et S. Chrysost. homil. Quod nemo læditur nisi a seipso: Qui in libidine, inquit, vitam ducunt, resoluta quidem corpora et omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta; quibusque ad cumulum malorum, podagræ tremor, et immatura senectus succedit, et est eis semper vita cum medicis et medicamentis.

Mystice: Senium, agonia et mors hominis repræsentant senium, casum et occasum regni et reipublicæ, vel urbis, aut orbis totius. Unde Hebr. censent hic per ænigmata describi excidium Hierosol. illatum per Chaldæos et Romanos. Thaumat. vero, S. Athanas. in Synopsi in Ecclesiaste, et Richard. de S. Vict. tract. de Medicandis plagis, quæ circa finem mundi evenient, censent hic describi excidium orbis, ac plagas mundi ultimas, signaque prævia iudicio extremo: imo utrique censent hunc esse sensum litteralem; sed revera est mysticus, ut patet intuenti. Rursum per senium et mortem accipias quamlibet vitæ difficultatem et ærumnam, sive a Deo, sive ab homine immissam, tum publicam, tum privatam, quæ bene operandi facultatem homini adimit; ac proinde suadet hic Salomon ut ante eam homo operetur quidquid boni potest, itaque sibi suæque æternæ saluti tempestive consulat et prospiciat.

Tropol. senium et mors naturalis hominis repræsentant senium et mortem spiritalem peccatoris, dum per peccatum spoliatur gratia, quæ lux est et vita animæ, omnibusque animæ potentiis, et viribus sauciatur et læditur: ac multo magis dum per mortem ex hac vita abit in mortem secundam gehennæ, ubi omnibus corporis et animæ membris miserrime excruciatur et dilaniatur. Hoc ergo ænigma est schema animæ peccatricis et damnatæ. Ita S. Hieron. Albinus, Olympiod. Hugo et cæteri.

1. MEMENTO Creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent
anni, de quibus dicas: Non mihi placent. 2. Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ,
et revertantur nubes post pluviam. 3. Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri for-
tissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina: 4. Et claudent o-
stia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ car-
minis. 5. Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissi-
pabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes. 6. Antequam
rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota
super cisternam, 7. Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.
8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas. 9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit
populum, et enarravit quæ fecerat: et investigans composuit parabolas multas. 10. Quæsivit verba utilia, et con-
scripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. 11. Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum de-
fixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. 12. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plu-
res libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus.
Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo: 14. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iu-
dicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

Vers. 1. MEMENTO CREATORIS TUI IN DIEBUS IUVENTUTIS TUÆ, ANTEQUAM VENIAT TEMPUS AFFLICTIONIS, ET APPROPINQUENT ANNI DE QUIBUS DICAS: NON MIHI PLACENT.) Pro *tempore iuventutis tuæ*, Hebr. est, *tempore electionum tuarum*, id est tempore electissimo et florentissimo, puta tempore iuventutis, quo proinde optima tibi eligenda sunt. Hebræi totum hoc caput accipiunt de Iudæis, eorumque captivitate tum Babylonica, tum Romana, eisque singula sigillatim adaptant. Audi S. Hieronym. a v. 9. cap. præced. hæc et sequentia omnia ex Hebr. sententia iis adaptantem: « Lætare in iuventute tua, o Israel, et fac illa, vel illa, de quibus iam dictum est, antequam captivitas adveniat, et a te tuus honor recedat et gloria, et Iudicea sancti tui, quos in sole et luna, et stellis intelligi volunt, auferantur a te: Antequam veniat Nabuchodonosor, sive Titus Vespasiani filius, accitus a Prophetia, et eorum vaticinia compleantur. In die qua Angeli templi præsides recedent, et turbabuntur robustissimi quique in exercitu tuo, et otiosa erunt eloquia magistrorum, et Prophetæ, qui de cælis solebant visionum suaExplicatur hoc cap. de captivit. Iudæorum.

A rum lumen accipere, contenebrescent: quando claudentur templi ianuæ et humiliabitur Ierusalem, et Chaldæus veniet quasi cantus volucris, ita Ieremiæ vocibus prophetatus; et conticescent filiæ cantici in templo psallentium chori: illo tempore, quando advenientes Hierosolymam, ipsi quoque hostes Dei pertimescent magnitudinem, et in via dubii, Sennacherib interitum formidabunt. Hoc enim dictum putant; et ab excelso timebunt, et formidabunt in via. In illis diebus florebit amygdalus: ille baculus et virga, quam Ieremias in prophetiæ suæ vidit exordio; et impinguabitur locusta, Nabuchodonosor cum suo exercitu; et dissipabitur capparis, amicitia Dei cum Israel. » Et paucis interiectis: « Lætare ergo, Israel, in iuventute tua, antequam rumpatur funiculus argenteus, hoc est donec gloria vestra vobiscum est, antequam recurrat vitta aurea, id est antequam arca testamenti auferatur: priusquam conteratur hydria ad fontem, et convolvatur rota super lacum, id est, donec intra Sancta sanctorum præcepta legis, et Sancti Spiritus est gratia, et antequam revertaris in Babylonem, unde in lumbis egressus es Abrahæ, et in-

cipias in Mesopotamia conteri, unde quondam profectus es omnisque gratia prophetiæ, qua quondam fuisti inspiratus, revertatur ad datorem tuum. » Verum hæc Iudaica sunt, et aliena a litterali genuinoque sensu.

Et de excidio orbis.

Rursum Thaumat. et Richardus de S. Victor. tract. de fine mundi, putant hoc ænigmate describi excidium urbis, eiusque plagas et signa prævia iudicio extremo. Audi Thaumat. « Operæ pretium igitur, ut, cum adhuc sis adolescens, Deum timeas, priusquam miseriis abiciare, veniatque magnus ille et terribilis dies Domini: Quando, neque sol, neque luna, neque stellæ aliæ ultra fulgebunt. Movebuntur autem superæ virtutes, Angeli custodes mundi, in tempestate et turbatione illa universi. Ita ut quiescant tunc tam viri potentes quam mulieres operariæ, et fugiant in tenebrosa domiciliorum penetralia clausis ianuis omnibus: at si qua molendo occupata prohibita fuerit timore nimio, gracili vocula, ut avicula parva clamabit. Omnes autem impuræ mulieres in terram cadent. Similiter et civitates, et dirorum sanguinarii magistratus vindictam superne exspectabunt, argento acerbissimo cruentissimoque illo tempore, quod erit ut amygdalus florens. Tunc ita frequentia aderunt supplicia, sicut multitudo locustarum advolantium; at ita a medio abicientur peccatores, ut nigra despicatissimaque capparis. Et bonus quidem vir in domum suam æternum gaudens proficiscetur. Improbi vero omnia suo luctu complebunt, neque illis repositum argentum, neque probatum aurum proderit. Magnus enim fons comprehendet omnia, quousque apud puteum stent hydriæ et vehiculum rotæ, quum contingel quandoque confringi. Quum igitur cessabit cursus temporum per rotam, et vitæ per aquam signatus, et præterierit sæculum urnam gerens, et iacuerint homines super terram: tum erit una salus, si agnoverint animæ Conditorem suum, et ad eum revolaverint. » Hic sensus commodus est sed mysticus; quare eo ut tali uti possunt concionatores in Adventu, cum agunt de fine mundi dieque iudicii. Sensus ergo litteralis est de ærumnis senectutis, agoniæ et mortis, uti docent S. Hieron. Albinus, Lyran. Hugo, Dionys. Caiet. Vallesius sacræ Philos. cap. 66. et ceteri omnes, uno excepto Olympiod. Plane enim verba significant hic moneri iuvenes, ut iuventutem recte et sancte in Dei creatoris metu cultuque transigant, antequam obrepat senectus et mors. Sensus ergo est, q. d. Adolescens, qui in flore et vigore es ætatis, blanditur tibi voluptas, sollicitat venus, instigant socii, titillat caro, impellit dæmon: quare ne iis succumbas, et teipsum perdas, memento creatoris tui, quod scilicet Deus sit tuus creator, tu eius creatura; quæ totum suum esse, quantum quantum est, debet creatori, ab eoque tota pendet, tam in esse, quam in conservari: sicut enim radius pendet ab assiduo influxu solis, eum assidue producentis, sic et creatura pendet ab assiduo influxu et continua quasi productione creatoris; adeo ut si Deus hunc influxum subtraheret, creatura in suum nihilum, ex quo a Deo per creationem educta et producta est, illico recideret et relaberetur, sicut radius abeunte sole illico perit et evanescit. Conservatio ergo creaturæ est continuatio creationis, et continua quasi eius creatio. Si igitur, homo, creatura Dei es, memento te totum, quantus es, Dei esse, non tuum, non parentum, non alterius creaturæ. Redde ergo Deo quod suum est, redde teipsum, ut illum velut creatorem agnoscas, venereris, ames, colas, eiusque voluntati et legi per omnia obedias; ipse enim tuus erit iudex, ac si ei servieris, cælestem conferet gloriam; sin creaturam Creatori præposueris, ipse hanc sui iniuriam æternis ignibus in te ulciscetur. Itaque creatoris nomen habet emphasim; creationis enim titulus a creatura exposcit et extorquet ut Deo creatori suo velut pleno et absoluto sui hero et Domino præstet omnem submissionem, reverentiam, amorem, observantiam, timorem, fidelitatem, spem, obedientiam. Quocirca Moses acriter expostulans cum Israele: *Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui? Vidit Dominus et ad iracundiam concitatus est*, Deuter. 32. 18. Hinc pro *creatoris*

A Sept. vertunt κτίσαντος, id est, *eius qui creavit*; pro quo Complut. legunt κτησαμένου, id est, *possessoris*, iuxta illud Mosis ad Israelem: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?* Deut. 32. 6. Pro *creatoris tui*, Hebraice est, בוראך *borraecha*, id est, *creatorum tuorum* in plurali, id est, creatoris tui; Hebræi enim de Deo in plurali loquuntur reverentiæ et honoris causa, utque innuant pluralitatem personarum in eadem numero deitate. Hebræi in Midras, sive Glossa, nomine R. Akibæ, per metathesin transponendo litteras, cabalistice sic legunt et exponunt: Primo, memento בורך *borecha*, id est fossæ tuæ, puta sepulcri tui, quod scilicet in eo a vermibus sis exedendus: dum ergo laute carnem nutris, memento sepulcri et vermium qui te corrodent. Secundo, memento בארך *bereecha*, id est putei tui, unde es excisus, quod scilicet in fœtido matris utero ex vili spurcoque semine sis formatus; sic disces te humiliare, carnalia aspernare, cælestia ambire, ac ad Deum anhelare; sic sapientia, virtute et meritis parabis tibi sanctam iucundamque

B senectam. Nam ut ait S. Ambros. lib. 4. Hexam. *Senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas corporis, sobrietas mentis est.*

In diebus iuventutis tuæ.) Semper quidem meminisse debemus Dei creatoris, sed maxime in iuventute, tum quia iuventus cæca est, et immemor Dei, utpote voluptatibus addicta; tum quia a iuventute pendet reliqua vita; quales enim sumus iuvenes, tales erimus et senes: tum quia multi in iuventute præmatura moriuntur, quia mors ita prævolat, ut alias sæpe ætates anteverlat; in quas proinde si memoria creatoris differatur, prorsus aufertur. Sapienter Seneca lib. de Brevit. c. 4. « Non pudet, inquit, te ad reliquias vitæ tibi reservare, et id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! Quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia, et inde

C velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? »

Antequam veniat tempus afflictionis tuæ.) Syrus, *dies malorum*; Arab. *dies mali tui*; Tigur. *tempora periculosa*; Septuag. *dies malitiæ*; Thaumat. *Priusquam miseriis obiiciare*; Campens. *Antequam veniant dies pleni malis*, puta tempus senii et mortis, quando Deo de iuventute tua exactam daturus es rationem, et pro meritis, vel præmia, vel supplicia æterna recepturus. Senectus enim est tempus afflictionis, quia mille morbis, tædiis et ærumnis est obnoxia; unde illud: *Senectus ipsa morbus est*, isque incurabilis, et ut ait Nazianzenus in Carm. de Morbo: *Siculis gravior est scopulis*, imo *Ætna*, ait Cicero de Senect. Audi Nyssen. in funere Pulcheriæ Augustæ: *Sed forsitan angit te, quod ad senectutem* (Pulcheria) *non pervenit. Quid vero, dic mihi, pulchri carnis in senectute? an pulchrum prurire, ac fricare oculos? corrugari genas? et ex ore defluere dentes, et linguæ balbutiem inquinari? manibus subtremiscere? ad terram incurvari? titubare utque subclaudicare pedibus? ducibus inniti? desi-*

D *pere corde ac delirare? voce absurda et inepta pronuntiare?* Et S. Augustin. lib. de Catech. rud. *Cum homines*, inquit, *sibi optant senectutem, non aliud optant nisi longam infirmitatem*. Et Innocent. III. Pontifex l. 1 de Contemptu mundi, cap. 9 *Si quis*, ait, *ad senectutem processerit, statim cor eius affligitur, et caput concutitur, languet spiritus, et fœtet anhelitus, facies rugatur, et statura curvatur, et caligant oculi, et vacillant articuli, nares effluunt et crines defluunt: tremit tactus, et deperit actus, dentes putrescunt, et aures surdescunt. Senex facile provocatur; difficile revocatur, cito credit et tarde discredit? tenax et cupidus; tristis et querulus; velox ad loquendum, et tardus ad audiendum; laudat antiquos, spernit modernos: vituperat præsens, commendat præteritum, suspirat et anxiatur, torpet et infirmatur.* Hinc senium a Philosophis vocatur *hiems ætatum et fex vitæ*. Solon enim rogatus: *quid esset senectus?* respondit: *Est hiems vitæ*. Et Eratosthenes apud Phavorinum ait, ætatis partem vi-

gentem (adolescentiam) esse ver: eam autem partem, quæ vigori et flori succedit (virilem ætatem) esse æstatem et autumnum: senectutem vero esse hiemem. Ita Maxim. serm. 41. ubi et citat Gorgiam, qui rogatus qua ratione ad longam vegetamque senectem parvenisset, respondit: *Nihil umquam ad voluptatem edens, neque faciens.*

Et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.) Id est, qui mihi displicent, quia senium adducit tædium, tarditatem, oblivionem, incuriam, molestiam, ut omnia quæ prius erant voluptati, iam fastidium et dolorem creent, ac proinde sere senem segnem et seniorem segniorem vocare queas; quare tunc virtutis et pœnitentiæ labores, quos in iuventute neglexisti capessere non valse, nec valebis, imo ob insolitus voluptatum consuetudines a peccatis iuventutis tuæ avelli non poteris, uti pulchre docet S. Basil. homil. 4. de Pœnit. unde Campens. vertit: *Antequam veniant anni, quibus nihil licebit boni facere.* Hinc senex omnibus, ac imprimis sibi ipsi est oneri, tædio, fastidio; quia senes sunt morosi, anxii, difficiles, suspicaces, iracundi. *Senium,* ait Nonius, *est tædium, et odium dictum a senectute, quod senes omnibus odio sint et tædio.* Audi Hippocratem et Galenum in Aphoris. Comment. 3. 31. octodecim senectutis ægritudines, singula membra infestantes, enarrantes: *Senibus sunt spirandi difficultates, distillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ alvi, oculorum et narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves.* Addit Com. 2. 39. 40. *Raucedines, nephritis, podagra, morbi articulares, coxendicum dolores, et quæ laxiori intestino, ac spleni frigidæ sunt dispositiones et præterea crebri anhelitus, quos Græci asthmata vocant, tusses, dorsi curvationes, recurvationes et obliquationes, demum quæcumque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent.*

Gnomæ. Vide Stobæum p. 2. serm. 117. cuius titulus est: *Vituperium senectutis,* ubi has Philosophorum decem gnomes citat. Antiphanis: *Senectus est velut ara quædam malorum; ad ipsam enim omnia confugisse videre est;* Philemonis: *Ubi senem videris aut anum aliquam, statim scias quod mali habeat;* Euripidis: *Quid aliud est vir senex, quam vox et umbra? Nos senes aliud nihil quam turba sumus, et figura tantum somniorumque simulacra serpimus. Mens autem non est amplius, putamur vero non recte sapere. Ætas longa parit ægritudines infinitas;* Herod. *Ego vero imbecillis et incurvus sum: senectus enim nos detrahit, et velut umbra assistit;* Menandri: *Molestum est animal senex domi manens;* Sophoclis: *Nihil non mali senectæ longæ inhæret, mens vana, opera inutilia, curæ supervacuæ, senectus morosa est, querula, et pro minimis rebus anxia;* Mimnermi: *Tithono Iupiter malum immortale dedit senectam, quæ vel tristi morte magis est timenda;* Democriti: *Senium commoda imperfectio est: omnia habet et omnibus indiget;* Phavorini: *Longo tempore multum laboris accrescit;* Ionci: *Iacet senex resolutus ætate, cibi potusque abstinens, inamabilis, nulla re enim iucunditate fruens: molestias vero nimis percipiens. Si quando autem in forum progredi ausus fuerit, risum videntibus movet, videns obtuse, clamantes non audiens, et dum eundo sustinere se conatur, concidens, de latere in latus titubando transiliens; quin etiam communem civitatis aerem lædere ac inficere dicitur. Nec si in concione sit inter tribules refertur: neque magistratum gerere potest, tum propter impedimenta iam dicta, tum quia gibbosus, rugosus, deformis et invalidus est. Animo autem, ut proverbium habet, repuerascit. In militia vero quid opus est referre, quam sine omni munere et nudus relinquatur? Non pedes, non eques constituitur, neque remex aut miles in navi. Nam vel sedere solum, imo iacere etiam non sine labore potest, cum coniuncta ei mors sit, et iamiam intra fores suas ipsum ducat.* Unde concludit: *Senecta est Ilias malorum.* His adde versus C. Laberii:

Ut hedera serpens vires arboreas necat;
Ita me vetustas amplexu annorum enecat.
Sepulcro similis, nil nisi nomen retineo.

Et Comicus:

Ad senectam, ut ad cloacam mala cuncta confluunt.
Senex, cum extempla est, iam nec sentit, nec sapit.
Senex quoque curis impar est levissimis.
Senex cavenda multa quæ non vult videt.
Senex ad rem, quam sat est, attentior.
Soles duos videre se putat senex.
Superesse senectus haud potest laboribus.
Suprema vita haud præterit, sed corruit.
Veteres triremes littus abiectæ occupant.

Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, Vers. 2
et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.) Tò *et lumen* exegesin habet: explicat enim quomodo tenebrescat sol, luna et stellæ, quia scilicet eorum lumen seni et moribundo obscuretur et tenebrescit. S. Hieron. hæc refert ad finem mundi et diem iudicii: tunc enim *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur,* Matth. 24. 29. *ac sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis,* Ioelis 2. 31. Sic et Thaumat. Olympiod. Cyrillus, catech. 15. et exactissime Richardus de S. Victor. l. de fine sæculi, qui singula, quæ hic dicuntur, diei iudicii apposite applicat; qui rursum cum Thaumaturgo per siderum observationem accipit pestem, quæ inter alia signa prævia iudicio a Christo prædicta est, Matth. Verum melius idem S. Hieron. et cæteri hæc referunt ad tempus senii et mortis, cuius hic et in seq. viva est hypotyposis et repræsentatio: senibus enim caligant oculi, et hebetatur visus, ut eis solis lux, æque ac lunæ et stellarum, obscurari et tenebrescere videantur. Est hypallage: sol enim in se semper lucidissimus numquam tenebrescit, sed tenebrosis senum oculis tenebrosus videtur; quia ipsi per internas oculorum tenebras internamque caliginem eum vident, ideoque caliginosum censent; et quia solis omniumque astrorum illuminatio usque eis intercipitur ac perit: imo senes præ debilitate visus, deficientibus spiritibus opticis, sive visivis, eorum lucem amplius non valent sustinere. Ita Hebræi, Lyran. Dion. Titelm. et communiter alii. Optime et Chald qui sic vertit: *Antequam mutetur splendor gloriæ faciei tuæ, qui assimilatur soli; et lumen oculorum tuorum antequam obcæcetur, et decor maxillarum tuarum antequam obtenebretur; et pupilla oculorum tuorum, qui assimilantur stellis, antequam extinguantur: Palpebræ oculorum tuorum stillabunt lacrymas, ut nubes post pluviam.*

Huc pertinet adagium Arabum, cent. 1. n. 44. « Accende lucernam tuam ante tenebras, id est, illumina te operibus bonis antequam superveniat tibi mors. Et n. 23. Nate in aqua ante vesperam, id est, purificare pœnitentia ante migrationem e vita. Et cent. 2. n. 45. Cogita ingressum tuum in hunc mundum et egressum tuum ex ipso, quia tu de nihilo factus es homo, et momento fies tamquam non fueris. Item considera qui fuerint ante te reges, præfecti et nobiles; considera quomodo migrarint ex hoc mundo; tu vero sicut illi migrabis. Et n. 33. Memento temporis morbi, et senectutis venientis post te; quia sapientia et scientia melior est quam ensis, et scientia excellentior quam opes, » q. d. Compara tibi sapientiam ut per eam providere et occurrere possis venienti senectæ, mortis iudicio et æternitati.

Symbol. 1. Symbol. R. Salomon ex Chald. solem obtenebrantem interpretatur de senili et corrugata facie, lumen de naribus, quæ in senectute propter defectum spirituum lucidorum, et duritiem densitatemque cartilaginum, fuliginosæ et obscuræ sunt, ac minime translucent, lunam de animo, seu mente in discurrendo, ratiocinando, meditando, memorando languente et tenebrescente. Denique stellas de maxillis fuscis, et denigratis amisso iam vivido illo, et nitido adolescentiæ flore. R. Haccados vero per solem ac- 2.
cipit cor, quod quasi sol virtutis suæ radios in totum corpus diffundit, sed in senibus tenebrescit et deficit: per lu-

men accipit lucidos et vitales spiritus, qui in cordis ventriculo ex purissimo sanguine elaborantur, et universum corpus pervadunt; lunam vero cerebrum, quod rotunditate, candore, frigiditate, humiditate commodissime lunæ imaginem repræsentat: stellas denique corporis sensus tam internos quam externos, quibus suum quoque cognitionis lumen inest. Hæc omnia si languescant, si hebescant, si vires, si robur amittant, si deficiant ac nullum iam aut tenuem homini usum præstent, recte dicas: *Solem, lumen, lunam ac stellas tenebrescere.*

Tropol. Tropolog. senibus tenebrescit et deficit lux mentis et
1. rationis; unde subinde delirant: deficiunt sic quoque doctores et monitores, quia vix ullus audet senem docere
2. vel monere. Rursum Hugo per tenebras accipit adversa et calamitates, item prolapsum ex vita honesta in vitiosam. Sic et sanctus Bonaventura, quin et sanctus Hieronymus, quem audi: « Ne, cum peccaveris, occidat tibi sol iustitiæ meridie, et scientiæ lumen intereat, et splendor lunæ, id est Ecclesiæ, subtrahatur, et stellæ occidant, de quibus scriptum est: In quibus lucetis sicut luminaria in hoc mundo, rationem vitæ habentes, 1. Cor. 15. Et alibi: Stella a stella differt in claritate. Antequam revertantur nubes post pluviam: ne Prophetæ, qui corda credentium suo sermone suisque pluviis irrigant, postquam te imbre suo indignum esse perspexerint, revertantur ad sedem suam, ad eum scilicet a quo missi sunt. » Peccatori enim occæcato Christus, Ecclesia et Sancti omnisque sapientia, virtus et gratia tenebrosa videntur; quare similis est Harpactæ fatuæ, de qua scribit herus eius Seneca epist. 51. « Hæc fatua, inquit, subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram; nescit se esse cæcam, subinde pædagogum suum rogat ut migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus et dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus. »

Et revertantur nubes post pluviam.) Chald. *Palpebræ oculorum tuorum stillabunt lacrymas, ut nubes post pluviam*; Campens: *Et caligo obtegat oculos tuos*; Lemnius: *Caligo et nebula oculorum cum lacrymosa lippitudine.* Thaumat. et Richardus de S. Victore, tr. de fine sæculi, per reversionem nubium accipiunt inundationem maris et fluminum, quæ erit prævia iudicio extremo

Nubes post pluviam sunt catarrhi. et fine mundi. Magis ad literam Franc. Vales. Sacr. Philos. c. 66. per nubes post pluviam accipit iuges catarrhos, ex iugibus stomachi vaporibus generatos, quibus senes laborant ex defectu caloris; debilis enim calor non valet cibos concoquere. Quare illi in cruditates, vapores et fumos abeunt, qui elati in cerebrum eius frigiditate, teste Galeno, in pituitam et catarrhum resolvuntur: nubes ergo significant vapores, pluvia catarrhos; vapores enim in catarrhus densantur, et distillant iugiter in senibus, cum iuvenes vi roboris, quo abundant, eos desiccent et consumant. Addit Titelman. per nubes post pluviam significari caliginem, et obvolutionem cerebri post multum aqueum humorem fletus, spontanei fluxus oculorum nariumque, phlegmatum, excrementorum etc. Sic et Vatablus per nubes accipit caliginem oculorum, quæ solet sequi fletum in senibus. Denique moribundi illacrymant, adeoque involuntariæ morientium lacrymæ signum sunt instantis mortis, teste Hippocrate. Pineda l. 8. de Rebus Salomonis c. 3. censet Salomonem hic describere suos in senio morbos quos ex intemperantissima iuventutis libidine contraxerat, ac hic notare suos frequentes et molestissimos catarrhos, alterum alteri succedentem instar nubium revertentium post pluviam, ideoque ultorе Deo gravi ex mœstitia diem obiisse. Verum, ut initio libri dixi incertum est qua ætate Salomon hunc librum scripserit; præsertim cum in senectute delirarit et luxuriosus idola coluerit, cum tamen hic e contrario Dei unius timorem et cultum ex professo inculcet: quare ante lapsum, qui contigit in senio, hæc dictasse videtur: si enim post lapsum in extrema senectute pœnituisset, utique pœnitentiæ et doloris sui manifesta dedisset signa, quæ tamen nusquam est reperire. Ita multi, licet alii aliter sentiant.

Symbol. Isidor. Clarius *nubes post pluviam* sic explicat, q. d. Serenum quoque post pluvias cœlum senibus quibus oculi caligant, nubilum videtur. Moringus vero per *nubes post pluvias* accipit varios senectutis morbos, sibi vicissim succedentes. Denique Lyranus accipit tribulationem mortis super tribulationem senectutis.

Tropol. S. Hier. accipit defectum doctrinæ, verba eius paulo ante recitavi. Rursum nubes post pluviam sunt minæ et supplicia, quæ Deus peccatori cæco et ingrato immittit, eo quod pluviam cœlestium illuminationum, gratiarum et beneficiorum respuerit; imo iis abusus sit ad suas voluptates contra Deum Deique honorem.

Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina.) Vers. 3. Pro *commovebuntur*, Pagnin. vertit: *commovebunt se*, Caiet. et Tigur. *trement*; Camp. *debilitati fuerint.* Hebræi, qui censent hic describi excidium Ierusalem per Titum, per *custodes* accipiunt Angelos, quorum voces paulo ante urbis excidium in templo auditæ, dicentium: *Migremus hinc*, teste Iosepho lib. 7. Belli, cap. 12. Simili modo Thaumat. qui censet hic describi excidium orbis et signa prævia iudicio, per *custodes* accipit Angelos mundi præsides, de quibus ait Christus: *Virtutes cœlorum commovebuntur*, Matth. 24. 29. Olympiod. vero, Custodes domus, inquit, id est, Prælati et Sancti animi, qui Ecclesiam custodiunt, visis tot plagis, ac præsertim Antichristo, trepidabunt, aliqui etiam a fide deficient. Verum cæteri omnes censent hic describi ærumnas senectutis, prævias morti.

Quæres quinam sint custodes domus, id est corporis, Custodes domus qui sint.
hæc enim est domus, in qua habitat anima, quæ proinde suos habet custodes, qui illam custodiant, ne morbo aut
vi ex ea expellatur. Primo, Caietanus accipit memoriam, 1.
vigilantiam et providentiam, hæc enim suam domum, id est, corpus custodit a cæli, morborum et hostium iniuriis,
atque in senibus vacillat et deficit. Secundo, Olympiod. 2.
accipit oculos ac vires animæ; Moringus, vires corporis: hæ enim omnes in corpore, quasi in domo sua morantur.
Tertio, Hugo accipit vim nutritivam et appetitivam, item 3
nervos et spiritus: R. Hacadus musculos cum nervis, quibus vestiuntur et quasi custodiuntur ossa. Quarto, S. Hie- 4
ronym. Albinus, Glossa et S. Bonav. accipiunt costas et ossa: hæc enim ventrem tenerum et intestina custodiunt et vallant, totamque carnem suffulciunt. Unde Chald. vertit: *contremiscentes coxæ.* Quinto, Dionys. proprie acci- 5.
pit familiares et domesticos, qui senem et moribundum custodiunt. Sexto et magis apposite, Lyran. Titelm. et 6.
Valles. S. Philos. c. 66. accipiunt omnes sensus: omnes enim, sed præsertim oculi et aures, quasi custodes et vigiles excubant, ne quid in corpus noxæ ingrediatur; hi pariter in senibus commoventur, quia hebetantur, læduntur, deficiunt, ut res sensibiles vix percipiant et sentiant, itaque dolore afficiantur et lædantur. Unde Auct. Cat. Græc. *Tunc*, ait, *robusti animæ sensus præ exitus angustiis fluctuabunt.* Audi Plin. l. 7. c. 50. *Natura nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta.* Excipit tamen Xenophilum musicum, quem asserit 105. annis vixisse sine ullo corporis incommodo: subditque *senes minime sentire pestilentiam.* Porro sensus omnes maxime vigent in capite; in eo ergo sunt custodes domus, puta corporis. Hinc Pineda per commotionem custodum accipit tremorem capitis, quo laborant senes. Verum quia præcipui sensus, puta aures et
oculi, notantur v. 4. per filias carminis et videntes per fo- 7
ramina; hisce septimo magis distincte, magisque ordina-

te et congrue cum Clario, Vatab. et Emmanuele Sa, per *custodes* hoc corporis accipias manus et brachia; hæc enim recte iunguntur viris fortissimis, id est cruribus: hæc pariter custodiunt corpus, tum quia ab eo amovent arcentque omnia noxia; tum quia laborando illi victum, vestitum, domum cæteraque ad eius incolumitatem, conservationem et custodiam necessaria vel utilia procurant; tum quia pugnando illud ab hostibus defendunt et propugnant. Porro brachia et manus in senibus commoventur, quia fiunt tremula, chiragrica, contracta, ignava, curva, rugosa, macilenta, rigida.

Tropol. custodes domus spiritalis, puta animæ sanctæ, sunt tum Angeli tutelares, qui eam post negligentiam et contemptum suarum inspirationum deserunt dicentes: *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam*, Ierem. 51. 9. tum sensus spiritales mentis, qui in iusto, tepido et pigro, ac magis in peccatore hebetantur: ita ut nec videat, nec audiat, nec olfaciat, nec tangat, nec gustet res salutiferas, cælestes et divinas; quod certum est signum ac prænuncium instantis illi ruinæ et mortis.

Et nutabunt viri fortissimi.) Hebr. *Et pervertentur viri virtutis*; Septuag. *viri fortissimi*; Symmach. *Pervertentur viri fortes*; Aquila: *Errabunt viri fortitudinis*; Syrus: *Perturbabuntur domini fortitudinis*; Arabicus: *Redibunt viri potentiæ*; Olympiod. *In obliquum depravati fuerint potentes*; Caietan. *Incurvabuntur*; Pagnin. *Incurvabunt se*; Tigur. *Vacillabunt*; Campensis: *Viribus suis destituentur membra, quibus nunc valemus*. Hebræi id exponunt de fortissimis Iudæorum cæsis vel captis in excidio Hierosolymæ. Alii dæmones accipiunt, qui contremiscent in die iudicii, damnandi a Iudice. Alii viros potentes, sapientes et sanctos, qui vel cadent a fide in persecutione Antichristi, vel percellentur signis et plagis terribilibus, quas Deus orbi impio immittet, ut eum deleat et perdat in fine mundi. Verum hæc spectant ad ærumnas senectutis; unde Chald. per viros fortissimos nutantes accipit brachia quæ tremunt in senibus, Caietan. incurvationem et decrementum corporis; Moringus, virium defectum, Carth. proprie ait viros, qui in virili ætate fuerant robustissimi, in senio nutare et robore destitui. Optime per viros fortissimos accipias crura et tibias; hæc enim sunt fortissima hominis membra, quæ in senibus præ corporis pondere vacillant, deficientibus spiritibus animalibus et motivis, ac vigore iuvenili siccato. Hinc crura claudi a Petro sanati vocantur *bases*, Actor. 3. Rursum crura vocantur *columnæ*, Cant. 5. 15. Ita S. Bonavent. Albinus, Lyranus, Hugo, Titelmannus et Valles. c. 66. S. Philos. Accedit Aristot. in Physiog. Quicumque, inquit, habent crura articulata, nervosa et robusta, fortes sunt secundum animam, referuntur ad masculinum. Item qui habent coxas osseas et nervosas, fortes sunt. Qui habent pedes magnos et nervosos, fortes sunt; qui parvos et strictos, molles, pertinent ad fœmineas; quibus digiti pedum curvi sunt, inverecundi, referuntur ad aves curvorum unguium; quibus digiti pedum coniuncti, sunt timidi, referuntur ad coturnices. Additque: Leo fortissimus animalium crura habet fortia et carnosa, gressum iuvenilem; ambulans autem tarde et magnifice incedit, et se in humeris quatit. Hucusque Arist.

Tropol. in iustis torpidis et peccatoribus nutant viri fortissimi, deficiunt labantque, id est virtutes, quæ sunt quasi ossa et nervi, id est, robur et fortitudo animæ, ac præsertim patientia, magnanimitas, constantia; quorum loco succedit impatientia, pusillanimitas et inconstantia levitasque animi, quia temere e bonis ad mala, a virtutibus ad vitia transiliunt.

Et otiosæ erunt molentes in minuto numero.) Hebr. *Et cessabunt molares, quia diminuta erunt*; Symmachus, *Et cessaverint molæ*; sanctus Hieronymus, in priori edit. *Et cessabunt molentes*; Thaumaturgus et alii hæc referunt ad molieres operarias, scilicet ad molitrices quæ iuxta morem Palæstinorum fruges ad molam sedendo conterebant, q. d. Molitrices cessabunt molere ob defectum frumenti, quia erit summa caritas annonæ, qualis A fuit in excidio Ierusalem per Titum, eritque in excidio orbis sub diem iudicii.

Mystice Olympiod. refert ad Iudæos, qui quasi in pistrino molentes grave iugum, tum legis, tum servitutis subeunt: in excidio enim ad paucos redacti, sparsique per omnes gentes, ubique tractantur ut servi vel mancipia.

Verum ad literam notat vitium senectutis, scilicet dentium paucitatem et hebetationem: unde senes vocant *edentulos*: dentes enim sunt quasi molares, qui masticando molunt cibum; horum multi senibus excidunt, deteruntur vel putrescunt, ideoque minuuntur numero et pauci. Hinc Chald. vertit: *Dentes tui hebetiores fient, et ad cibum mandendum infirmi*. Dentes enim in senibus laxantur luxanturque, fiuntque cariosi et corrosi: itaque decidunt, aut ad mandendum fiunt inepti. *Molentes sunt dentes.*

Mystice, S. Hieron. per molitores accipit doctores qui populo doctrinam sacram explicando, velut dentes aperiunt et comminuunt; hi minuuntur, quando per mortem molentium, id est magistrorum, unus assumetur, altera B relinquetur, Matth. 24. 41. Cæteri qui supererunt involventur tenebris, ac quasi per tenebrosa foramina veritatem aspicient. Rursum per dentes qui cibum masticant et ruminant, accipias meditationem et ruminationem S. Script. concionum rerumque divinarum; hæc enim deficit et languet in iusto, pigro, et magis in peccatore.

Et tenebrescent videntes per foramina.) Hebr. בארבות *baarubboth*, id est, *in foraminibus*, vel *fenestris et Speculis*; Syrus: *Tenebrescent visiones in fenestris*; Chald. *Obscurabuntur oculi tui, qui vident per foramina capitis tui*; Auctor Catenæ Græc. *Oculorum pupillæ obscurabuntur*; Campens. *Cum visus deficere cœperit, qui nunc veluti ex cavernulis prospectat*; Tigurina: *Speculantes per fenestras*.

Hebræi per *videntes* intelligunt Prophetas, qui defecerunt in excidio Ierusalem. Thaumat. Sub diem iudicii, inquit, omnes metu plagarum perculsi fugient in tenebrosa domorum penetralia, clausis fenestris omnibus; ita ut nemo, ait Rich. Victor. C audeat ostia domus aperire et per ea aspicere; arescent enim homines præ timore et exspectatione eorum quæ supervenient universo orbi, Lucæ 21. 26. quare tunc hominum commercia cessabunt.

Verum dico *videntes* esse oculos, vel pupillas oculorum cum suis nervis opticis; oculi enim vident per sua foramina, id est concavitates superciliorum quibus inserti sunt: pupillæ vero vident per tunicam corneam, quæ fenestrata est. Iam, tam oculi quam pupillæ caligant in senibus. Unde Chald. clare vertit: *Caligabunt oculi tui, qui vident per cancellos capitis tui*. Nam ut recte docet Valles. cap. 66. senibus tum ex siccitate, tum ex excrementorum congestione crassescunt succi oculorum, ac membranæ anteriores durescunt et corrugantur; unde accedente præsertim inopia, spirituum fulgor amittitur, nonnullis etiam obturantur nervi optici. Senibus ergo tenebrescunt oculi, tum quia exiguo spirituum lumine perfunduntur, tum quia humor chrystallinus crassescit et obscuratur, ait R. Haccados, albumque ipsum oculorum velut nigrescit et D decoloratur. Nam ut ait Galen. lib. 6. de Morbis vulgar. commento 4. 28. *Animalis spiritus* luminosus a cerebro in oculos plurimus proficiscitur; quo deficiente, et ob frigiditatem nigrescente sanguine, nigrescunt pariter et tenebrescunt oculi. Quare rarum et mirum est, quod de Mose moriente anno ætatis 120. dicitur Deuteron. cap 34. vers. 7. *Non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* *Videntes per foramina sunt oculi.*

Porro oculi ultimo formantur in embryone, et primo in homine moriuntur; ex adverso cor est primum vivens, et ultimum moriens: homine enim moriente, sensim vita et vitalis spiritus ab extimis partibus redit ad intima et ad suum principium, puta ad cor; ibique ubi cœpit, emoritur et extinguitur. Denique in oculis lucet cor, anima et vita; unde oculis convolvere, ait Aristot. symbolum est timidi; oculis esse fixis, signum constantiæ et interriti; quibus ab oculis tamquam vesiculæ dependent, amatores sunt vini; quibus vehementer cadunt, amatores somni *Oculi ultimo formantur.*

Oculi parvi indicant pusillanimes, referuntur ad simiam; sicut oculi valde magni stolidos, referuntur ad boves; oculi concavi indicant maleficos, referuntur ad simiam: oculi eminentes, fatuos, referuntur ad asinos; oculi parum concavi, magnanimos, referuntur ad leones; quibus vero plus, mansueti. Hoc usque Aristot. in Physiognom. Et Plinius libr. 11. c. 37. « Oculi, inquit, lucis usu vitam distinguunt a morte; et rursum: Profecto in oculis animus inhabitat. Animo cernimus. Oculi, seu vasa quædam, visibilem eius partem accipiunt, atque transmittunt: sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus visu. Sic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt, animo caligante. » Hisce Salomonis de sene et senectute ænigmatibus similia sunt de homine ænigmata apud B. Alcuinum, sive Albinum Flaccum disp. cum Pipino, Caroli Magni filio: « Quid, inquit, est homo? mancipium mortis, transiens viator, loci hospes. Cui similis est homo? pomo. Quomodo positus est homo? ut lucerna vento. Ubi est positus? inter sex parietes. Quos? supra, subtus, ante, retro, dextera lævaque. Quot habet socios? quatuor. Quos? calorem, frigus, siccitatem, humorem. Quot modis variabilis est? sex. Quibus? esurie et saturitate, requie et labore, vigiliis et somno. Quid est somnus? mortis imago. Quid est libertas hominis? innocentia. Quid est caput? culmen corporis. Quid est corpus? domicilium animæ. Quid sunt comæ? vestes capitis. Quid est cerebrum? servator memoriæ. Quid sunt oculi? duces corporis, vasa luminis, animi indices. Quid sunt nares? adductio odorum. Quid sunt aures? collectores sonorum. Quid est frons? imago animi. Quid est os? nutritor corporis. Quid sunt dentes? molæ morsorum. Quid sunt labia? valvæ oris. Quid manus? operarii corporis. Quid digiti? chordarum plectra. Quid est pulmo? servator aeris. Quid est cor? receptaculum vitæ. Quid est iecur? custodia caloris. Quid est fel? suscitatio iracundiæ. Quid est splen? risus et lætitiæ capax. Quid sunt crura? columnæ corporis. Quid est sanguis? humor venarum, vitæ alimentum. Quid sunt venæ? fontes carnis. »

Tropologice, per oculos corporis accipias oculos mentis, qui sunt intelligentia, vigilantia, fides, prudentia, providentia rerum futurarum, quæ ad salutem pertinent, ac præsertim instantis mortis, iudicii, gehennæ, etc. quæ omnia tenebrescunt et obscurantur in iusto torpido, et magis in peccatore.

Vers. 4. ET CLAUDENT OSTIA IN PLATEA, IN HUMILITATE VOCIS MOLENTIS, ET CONSURGENT AD VOCEM VOLUCRIS, ET OBSURDESCENT OMNES FILIÆ CARMINIS.) Septuag. *In infirmitate vocis molentis*; Syrus: *Per depressionem vocis molentium*; Arabicus: *In imbecillitate vocis molentis.* Hebræi, qui hæc omnia referunt ad excidium Ierusalem, explicant de clausis templi ostiis. Mystice, Olympiodorus exponit de obstinatione Iudæorum, quibus proinde clausum est salutis ostium, dum versantur in platea, id est in foro præsentis vitæ legisque Iudaicæ. Thaumaturgus vero et Richardus Victor, qui hæc referunt ad diem iudicii, accipiunt de timore plagarum ultimarum mundi, quo omnes perculsi claudent ostia domus suæ; aut de fame, ob quam molentes claudent ostia molendini, ne vicini vocem molentis audientes ad rapiendam farinam accurrant. Accedit Hugo Cardinalis, qui accipit de claudendis ostiis domorum, tabernarum ac templorum ob metum Antichristi, ita ut nemo publice docere, et, ut ait S. Bonaventura, fidem profiteri audeat.

Resp. Verum ceteri hæc congruentius ad litteram accipiunt
1. de ærumnis senectutis et mortis. Unde primo, Vatablus
per ostia in platea et humilitatem vocis molentis accipit
os, nares, labia et cibum, qui moli amplius a senibus nequeat,
nec molarum audiri sonus, dum masticatur, et den-
2. tibus (unde et *molares* vocantur) teritur cibus. Secundo,
Olympiodorus per ostia in platea accipit meatus spirituum
vitalium, qui necessarii sunt ad sentiendum, et ad movendum
corpus; hi enim obstruuntur in senibus; unde sequitur
exilis vox, debilis sensus et motus. Unde Chaldæus
vertit: *Et erunt impediti pedes tui, ne egrediantur foras.*
3. Tertio, Hebræi per humilitatem vocis accipiunt ructus et
murmur stomachi, cuius est molere et digerere cibum;
hic enim, cum in senibus sit frigidus et debilis, cibum concoquere
nequit, sed eum in flatus ructusque convertit. Sic
et Clarius per humilitatem vocis molentis accipit debilitatem
facultatis digestivæ ad concoquendum cibum; et Chaldæus;
Auferetur, inquit, *a te appetitus cibi*; debilitatem
enim sequitur inappetentia. Et Campensis: *Ubi claudi
cœperint ianuæ plateæ, per quam it cibus, ubi perierit latratus
stomachi, et homo tam debilis factus fuerit, ut excitetur
ad vocem aviculæ.* Quarto, S. Hieronymus: *Clau- 4.
sas in plateis ianuas*, inquit, *infirmos senis gressus accipi
volunt, quod semper sedeat et ambulare non possit; humilitatem
autem vocis molentis de mandibulis interpretantur,
quod cibum terere nequeat, et vix, spiritu coarctato,
vox eius tenuis audiatur.* Accedit Glossa Interlin. Iuvenes,
inquit, in plateis solent ludere: ac senes hos ineus
fugiunt, et, clauso ostio, mœsti domi desident. Quinto, 5.
Vatablus accipit de duplici narium foramine quasi ostio,
quod senibus sæpe obstruitur pituita, distillante coriza sive
catarrho. Sexto, Pineda censet iecur esse *plateam*, aut fo- 6.
rum, in quo est universi officina, ex quo universum corpus
alimenta capit; *ostia* vero *clausa* esse venas, quæ propter
inopiam sanguinis in senibus flaccescunt, et quasi vacuæ et
exhaustæ complicantur et comprimuntur. Septimo, valde 7.
apposite alii ostia clausa in platea referunt ad meatus vitalium
operationum sensuumque in senio et agonia mortis
occlusos, scilicet ad oculos clausos, os clausum, clausas nares
et aures. Platea vero est facies tota aperta et conspicua,
variis sensuum et facultatum, quasi ostiis et officinis
distincta. Octavo, præcise et genuine ostia interna sunt ar- 8.
teriæ vocales, externa sunt labia, quæ sunt ostia plateæ, Genuine
id est colli et pectoris, quod metaphorice ob latitudinem
forneam patentem et apertam vocatur *platea*, sicut Plato
nomen accepit ob humerorum latitudine, cum antea Aristocles
nominaretur; πλατος enim græce est *latus*. Pro
ostia hebr. est דלתים *delataim*, duale, id est duo ostia,
per quæ proprie notat duo labia; hæc enim proprie sunt
duo capitis pectorisque ostia, per quæ ingreditur et egreditur
aer, halitus et vox; notat quoque duas arterias, unam
stomachalem, puta gulam, qua cibus transmittitur
in stomachum; alteram vocalem, qua attrahitur anhelitus:
utraque in senio et morte clauditur, q. d. Senibus et
moribundis constringuntur et clauduntur labia, æque ac
arteriæ: clauduntur, inquam, tum ob defectum caloris et
spirituum, tum ob pituitam et catarrhum, quo cadente
in arteriam et fauces plerique omnes in morte suffocantur,
dum eum ob defectum virium expuere et eiicere non
valent, ideoque respirare nequeunt, itaque suffocantur.
Denique, per *plateam* optime accipies ipsam arteriam,
tum vocalem, tum stomachalem, sive gulam; quia per stomachalem,
quasi per plateam, cibus ex ore ambulat et
transit in stomachum; per vocalem, halitus ex ore transit
ad pulmones, ut refrigeret cor: iam ostia plateæ erunt
orificia, sive extremitates utriusque arteriæ: sive eius initium,
et finis in stomacho vel pulmone; in senio et morte
utrumque hoc orificium clauditur: quo fit ut homo nec
respirare, nec comedere, nec vivere valeat, *in humilitate*,
id est ob humilitatem, vel cum humilitate, hoc est cum
tenuitate et exilitate vocis, quam causat humilitas, id est
exilitas molentis, id est pulmonis debilitas et contractio;
pulmo enim est quasi respirationis, et vocis mola, sed senibus
vocem debilem efficit, quia debilitatus eis parum aeris
attrahit et inspirat. Ita Caietanus. Aut *molentis*, id est
mandibulæ; mola enim aeris et vocis interior est pulmo,
exterior est maxilla sive mandibula, quæ est sedes dentium:
ii enim cum senibus sint pauci et debiles, spiritum
vocalem non satis repercutiunt; sed sinunt effluere: quo
fit ut vox articulate et distincte non sonet, sed effluat et
confuse audiatur. Ita Lyranus, Hugo Victor, Dionysius et
alii. Rursum, arteriæ in senibus sæpe, distillante pituita,
clauduntur; unde in iis oriuntur raucedines, crebri anhelitus,
asthma et tusses, quæ senes comitantur usque ad
mortem, teste Hippocrate et Galeno; hæc enim omnia vocem
vel raucam, vel exiguam efficiunt. Accedit ad prio-

rem de labiis sensum Vallesius, c. 60. Sacræ Philosophiæ (qui tamen per *plateam* accipit faciem expansam et obviam omnibus) qui senibus ostia claudi ait, dum ipsi labia, ut loqui possint, comprimunt introrsum, sicque vacua loca dentium obturant, ut spiritum vocalem labiis quasi dentibus repercutiant et collidant; itaque vocem edunt, sed humilem, id est mollem et tenuem ob labiorum mollitiem. Nec longe abit Titelmannus, qui per *plateam* accipit spatium inter labia, puta rictum et hiatum oris per quem, tum cibus, tum aer ad respirandum et loquendum ingreditur et egreditur; hic enim arctatur et clauditur in senibus; hinc sequitur humilitas vocis: nam præ nimio frigore sic constringuntur, inquit, morientis labia, sic obdurantur præcordia, ex quibus vox procedit, ut vix tenuem per os vocem emittere queant. Auctor Catenæ Græcæ vertit: *Et omnis vitæ præsentis intercluditur via; ipse vero exsibilante inter dentes voce, loqueris exiliter et obscure.*

Mystice, S. Hieronymus hæc accipit de virginibus fatuis, quæ cum tardarent accipere oleum, ostia domus nuptialis invenere clausa, Matthæi 25.

Tropologice, ostia in platea, id est arteriæ et labia clauduntur in iusto socorde et in peccatore; quia ambo tardi et segnes sunt ad orationem ut Deum invocent, laudent, illique gratias agant, de eoque ac rebus divinis cum aliis colloquantur: hinc colloquia pia fastidiunt et fugiunt, quod signum est mortis animæ imminentis; quod si aliquando ob socios coacti de Deo loquantur, ita invite, frigide, languide, insipide id faciunt, ut quasi molere videantur.

Et consurgent ad vocem volucris.) Septuag. *Consurgent ad vocem passeris;* Chaldæus: *Vigilabunt a somno propter vocem latronum, qui ambulant in nocte.* Hebræi hæc referentes ad excidium Ierusalem exponunt, q. d. Iudæi surgent, ut eant in captivitatem Babylonicam, excitati voce Ieremiæ eamdem prædicentis et comminantis.

Olympiodorus et Auctor Catenæ Græcorum, et S. Cyrillus catech. 15. referentes ad excidium orbis, exponunt de resurrectione, quæ fiet Archangelo tuba canente: *Surgite, mortui, venite ad iudicium; idque iussu passeris, id est Verbi divini, quod carneum corpus assumpsit; qui propter suam solitariam in cruce mansionem de seipso dixit: Factus sum sicut passer solitarius in tecto*, id est in cruce, Ps. 101. 8. Bonaventura exponit de iis qui prædicationem Antichristi excipient in nocte infidelitatis; alii de iis qui eius voce audita, præ metu diffugient. Hic sensus mystice appositus est. Verum ad litteram loquitur Salomon de ἀϋπνίᾳ, et levi somno senum, q. d. Senes ob desiccatum cerebrum, ac debilitatem caloris et defectum spirituum, aut ob vaporum ex stomacho ad cerebrum ascendentium, illudque agitantium copiam, levis exiguique sunt somni; unde ad vocem volucris, v. g. Galli gallinacei aut passerculi expergiscuntur seseque erigunt, ut naturæ necessitatibus, præsertim ad levandam urina vesicam satisfaciant. Ita Hugo, Bonaventura, Dionysius, Titelmannus, Vallesius, Caietan. Arborens et cæteri. Audi S. Hieronymum: *Porro consurgere eum ad vocem volucris ostendit, quod frigescente iam sanguine et humore siccato, quibus materiis sopor alitur, ad levem sonitum evigilet, noctisque medio, cum gallus cecinerit, festinus exsurgat; nequaquam valens strato sæpius membra convertere.*

Tropol. Tropologice, S. Hieronymus per pœnitentiam consurgit a somno vitiorum peccator, excitatus voce presbyteri, vel Episcopi, ac præsertim Christi qui in peccatoris corde clamat: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*, Ephes. c. 5. v. 14. Aptius hæc accipias de iusto torpente et peccatore, qui ad vocem volucris, id est rei sensualis, levis et vanæ excitatur, ut cantilenis, carminibus et fabulis vanis intendat, res veras et salutiferas fastidiens.

Et obsurdescent omnes filiæ carminis.) Syrus, *filiæ gloriæ;* Arab. *filiæ divitis;* Vatabl. *filiæ vocis;* Campensis, *organa cantus;* S. Hieron. in priori editione vertit, *obmutescent*, ut scilicet non possint canere carmina, uti solebant. Hebraice est יָשֹׁחוּ *iscechô*, id est *humiliabuntur, deprimentur, incurvabuntur;* Tigur. *supprimentur.* Hebræi exponunt, q. d. Cessabunt in templo psallentium chori, cum Iudæi abducti fuerint in captivitatem. S. Bonaventura vero, q. d. Tempore Antichristi veritas non audietur, vel potius audita non exaudietur. Plenius Olympiodorus de die iudicii sic exponit: « Tunc humiliabuntur filiæ cantici, hoc est animæ rationales mortalium hominum, quæ in deliciis, et in voce organi, et cantus suavitate musicisque instrumentis oblectatæ nimium fuerint. Aut animas intellige falsa docentium magistrorum ac mendacium Prophetarum, quæ sonora volubilitate verborum, quasi dulci quodam cantico, perniciosa voluptate occuparint aures et animum auditorum. Sed et ipsæ Iudæorum animæ, quæ filiæ sunt cantici Prophetarum, humiliabuntur; quoniam non audierunt canentes Prophetas, et vocantes eos ad fidem Christi, sicut cecinit Isaias: Cantabo dilecto canticum dilecti; et quæ sunt generis eiusdem: omnes itaque prædictæ peccatorum animæ admirabuntur et obstupescent, quando adducentur in viam iudicii, et videbunt ex alto venientem in nubibus Filium hominis in gloria Patris sui. » Hæc apte, sed mystice; ad litteram enim loquitur de defectu auditus in senibus.

Quæres, quænam sint filiæ carminis? Primo, Thaumaturg. accipit cantatrices, quæ molli dulcique cantilena se suosque oblectant: *Omnes impuræ mulieres*, inquit, *in terram cadent.* Secundo, Caietan. accipit musica instrumenta, quorum sonus senibus obsurdescit. Tertio, Vatablus ex Aben Ezra accipit arterias vocales, guttur et labia, quibus canuntur carmina, q. d. Cantus in senibus deficit, quo tamen iuvenes pasci delectarique solebant. Unde Chald. vertit: *Et remittentur labia tua a dicendo cantica.* Quarto, filiæ carminis sunt ipsa carmina, sicut filius hominis est homo, q. d. Senes non canent, nec audient cantum, uti solebant dum essent iuvenes. Quinto et genuine, filiæ carminis sunt aures, tum quia aures ad hoc unum factæ sunt ut voces et carmina audiant, quare ex eis natæ, earumque filiæ esse videntur: obiectum enim delectabile, v. g. cantus, efficit in auribus sensationem, puta auditionem delectabilem; quare eius quasi parens et mater esse videtur. Unde Aquila vertit: *Et inclinabuntur omnia quæ ad cantationem faciunt*, q. d. Omnis concentus musicus omnisque harmonia obsurdescet senibus, quia surdæ ipsorum aures eum vix audiunt, nec amplius eo delectantur: auribus enim senum idem contingit, quod de oculis dixi v. 3. ac insuper in auribus præ senio tabescit internus et congenitus aer, in quo fit sensatio sive auditio, ait Vallesius. Hinc ergo oritur in senibus musices fastidium. Audi S. Hieronym. *Obmutescere quoque, sive ut melius habetur in Hebræo, surdescere filias carminis, aures significat; quod gravior senum auditus fiat, et nulla inter voces valeant scire discrimina, nec carminibus delectari. Quod quidem et Berzellai loquitur ad David, nolens transire Iordanem*, 2. Reg. 19. Vere Plato in Axiocho: *In senectam, ait, quod in natura ruinosum est, ea confertim effundit, ut nullis remediis possit averti, etc. et ob aliis visum, ab aliis auditum, sæpe utrumque tamquam pignus exigit.*

Filiæ carminis quæ? Resp. 1. 2. 3. 4. 5. Genuine.

Tropol. In iusto socorde et magis in peccatore obsurdescunt aures, ut nec monitores, nec Dei inspirationes, nec conscientiæ acclamantis voces de cavendo peccato, de pœnitentia, de emendatione vitæ audiat, quia plane inhiat suis concupiscentiis: quare surdus est ad voces cælestes Angelorum, dum totus intentus est ad cantilenas vanas Sirenum, id est, voluptatum, quibus inescatus et dementatus est.

Vers. 5. Excelsa quoque timebunt et formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes.) Pro *timebunt* hebr. est יִרָאוּ *irau*, pro quo Sept. et Symmachus legentes alio puncto יִרְאוּ *iru* vertunt, *videbunt*. Unde Symmach. *Super hæc etiam de excelso videbunt, et erit terror in via;* Campens. *Tunc e cælo metuent malum in se casurum.*

Vox *excelsa* ab aliquibus accipitur ut nominativus pluralis, q. d. Excelsi quoque et validi timent in senio. Ita Emman. Sa. Aut excelsi et magni omnes timebunt præsentiam Antichristi, ac præ timore illum adorabunt, ut S. Bonav. et Hugo Victor. Excelsa, inquit, corporis membra timent, id est efficiuntur tremula, ut iure senex dicere queat: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ*, Psalm. 54. Aut ut Lyranus et Valles. q. d. Excelsæ animæ vires, puta mens et ratio timebunt mortem ingruentem, ob metum iudicii secuturi, et quia nesciunt quam viam sint ingressuri, an ituri in cœlum, an in gehennam. Verum τὸ *excelsa* est accusativi casus; Hebr. enim habent: *de excelso timebunt.*

Hebræi, qui putant hic prædici excidium Ierusalem, censent hæc pertinere ad trepidationem Iudæorum; quia fugientes Chaldæos et Romanos ad excelsa montium se recipient, sed et ibi formidabunt, nullum sibi ab hoste locum tutum æstimantes. Addit S. Hieron. ex Hebr. sententia: *Advenientes Hierosolymam ipsi quoque hostes, Dei pertimescent magnitudinem, et in via dubii Sennacherib interitum formidabunt.* Thaumaturgus vero hæc referens ad diem iudicii, vertit: *Similiter et civitates et illarum sanguinarii magistratus vindictam superne exspectabunt, urgente acerbissimo et cruentissimo illo tempore, quod erit ut amygdalus florens: timebunt* enim *excelsa*, id est excelsam Dei magnitudinem, præsentiam, iram et vindictam. Rursum, ut Richard. Victor. timebunt etiam in celsis arcibus et rupibus locisque inaccessibilibus, nullam ibi securitatem sibi fore arbitrantes. *Et formidabunt invia* (ita legit ipse, sed perperam, cum legendum sit disiunctim, *in via*, id est in loco plano) quia hæc pervia erunt Christo iudici.

Senes metuunt excelsa, quæ?

Hæc apposita sunt, sed mystica; ad litteram enim pergit describere ærumnas senectutis, agoniæ et mortis. Sensus ergo est, ait S. Hier. (quem sequitur Albinus, Glossa, Vatablus et alii) q. d. Senes *ardua ingredi non valebunt, et lassis poplitibus, ac tremente vestigio etiam in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt.* Accedit Cajet. Senes, ait, verentur alta loca ascendere, quia metuunt ne quid ex alto decidens eos lædat. Clare Camp. *Terrores eos quacumque iverint invadent;* Arias, *et consternati in via;* Tigur. *Altum quoque locum timent et humilia in via.* q. d. Non modo timent alta et ardua, sed et plana ac facilia, quasi enerves et elumbes forent. Et Titelm. *Dicuntur senes,* inquit, *iam morientes excelsa timere et formidare in via: quoniam propter debilitatem et defectionem vehementer fiunt pavidi, statimque ubi vel levem rumusculum audierint, sursum respiciunt, quasi aliquid mali eis desuper immineat, et territamenta, quæ de cælo venire solent, ut tonitrua et coruscationes vehementer horrent. Habent quoque imaginationem defectu debilitatam; unde fit ut frequenter ex imaginatione desuper sibi mala evenire existimeat, aut timeant, cum nihil sit. In via quoque ambulantes semper sunt pavidi.* Rursum senes metuunt *excelsa*, id est res arduas, periculosas, difficiles, quia frigus eos coarctat, facitque timidos et pusillanimes; sicut calor iuvenes facit animosos, imo audaces et temerarios. Unde Aquila vertit: *Tremore timent in via.* id est in loco plano et facili. Sept. *pavores in via;* inde stupores, qui cogunt eos sæpe in via subsistere, ut progredi nequeant ex pavore et constrictione spirituum. Qua in re senes similes sunt animalibus timidis, v. g. anseribus, qui ingressuri per portam aliquam, quantumvis magnam et altam, caput inclinant, ne illud ad postes et superliminaria allidant. Facit id nimius timor, et defectus imaginationis sive virtutis æstimativæ; nesciunt enim comparare longitudinem colli sui cum altitudine portæ, ut æstiment et iudicent hanc illam longe superare, ac proinde nullum esse periculum allisionis capitis: quare timor cogit illos eligere id quod securum est, scilicet ut caput inclinent. Simili modo frigus et timor in senibus facit eos pavidos, læditque eorum vim æstimativam, ut non satis metiantur, nec æstiment conferantque vires suas cum excelsis et arduis, quæ prudenter aggredienda forent, sed ase illis infirmiores et impares iudicent: qua in re sæpe errant, cum pares, imo maiores vires habeant.

Denique S. Bonavent. et Hugo censent hæc pertinere ad tremorem capitis et membrorum omnium in senibus, lassis iam poplitibus, iuncturis, et ossium ligaturis. Alii, q. d. Senes, quia timidi, metuunt excelsa cæli fulgura, ventos, procellas: audito tonitru consternantur. Timent enim præ cæteris ne lapis fulmineus ex tonitrui collisione dissiliens caput ipsorum feriat.

Mystice, senes et moribundi, item torpidi et peccatores, metuunt excelsa, id est iudicium cæleste, vel ut Hebr. est *ab excelso*, id est Christum iudicem venientem ad iudicandum e nubibus cæli, et formidant *in via*, scilicet iudicii, id est quando rapientur ad tribunal iudicis, ut accipiant mercedem secundum opera sua: cælestem, si bona sint; gehennalem, si mala. Ita Olympiod. et Cyrill. Hierosol. catech. 15 Rursum *formidabunt excelsa*, quia videbunt solem, lunam et stellas obscurari, virtutes cælorum commoveri, Angelos et Sanctos cum Christo descendere formidabiles, ad iudicandum et damnandum impios. Addit Chal. Quod metuent excelsa, id est iam præterita quæ superbe contra Deum fecerunt: de illis enim Deus exactam ab ipsis reposcet rationem: *Etiam opera*, inquit, *quæ erant ante hæc, eris timens, an recordatus fueris eorum; et acervus lapidum parvus videbitur tibi sicut mons excelsus, in tempore quo ambulaveris in vita*

FLOREBIT AMYGDALUS.) Symmachus vertit: *Obdormient vigilantes.* Verum dissentit ab Hebræo, Septuag. et cæteris, teste S. Hieron. Hebr. שקד *sciaked* et vigiliam et amygdalum, quæ prima inter arbores evigilat et efflorret, significat. Unde Syrus utrumque complexus vertit: *Et emanabit super illum vigilia* (senex enim laborat noctu vigiliis, et insomnis est) *et germinabit amygdalus.*

Hebræi accipiunt virgam vigilantem (hebr. שקד *sciaked*, id est amygdalinam: amygdalus enim prima arborum a rigore hiemis in vere evigilat, et flores emittit) quam vidit Ierem. c. 1. v. 11. minitantem Hebræis verbera et excidium per Chaldæos. Thaumat. accipit graves plagas et supplicia impiis immittenda a Deo sub finem mundi. Richard. Victor. putat amygdalo florente significari, quod amygdalus cæteræque arbores in fine mundi deflorescent, nec maturescent in fructum, ideoque famem ingentem fore. « Non dicit, inquit, quod fructificabit, sed quod florebit, ut homines sub tanta inopia videant quod sperent, et amplius concupiscant; et cum postmodum amiserint quod speraverant, profundius ingemiscant. Non ergo fructificabit, ut sustentetur famelicorum inedia. » Hæc apta sunt, sed mystica.

Amygdalus notat canitiem.

Verum ad litteram, amygdalus floribus citissime et densissime candescens, repræsentat senectam pilis candidis pluribus subito canescentem, ait S. Hieron. Unde Campensis vertit: *Canis aspergetur caput;* canities enim senibus oboritur ex pituitosa cerebri humiditate. Canities ergo signum est senectæ et mortis instantis. Hinc coniectores, si puer somnierit se canum, eum cito moriturum coniectant, ait Pierius Hierogl. 51. cap. 25. Sic Galbæ futuro Imperatori, dum sacrificaret, accidit ut puero e ministris acerram tenenti capillus repente toto capite canesceret, quod Imperatoris mutationem portendere dixerunt aruspices, successurumque iuveni senem, ac mox Neroni, qui anno 31. ætatis iuvenis sublatus est, successit Galba senex annos natus 73. Ita Svetonius in Galba c. 10.

1. Amygdali flos apte repræsentat canitiem: Primo, colore, qui utrimque est candidus; secundo, celeritate: sicut 2.
prima amygdalus flore candescit, sic iuvenis cito canescit et senescit, iuxta illud Poetæ:

Obrepit properata malis inopina senectus.
Intempestivi funduntur vertice cani.

3. Tertio, sicut flos amygdalo proprius est, sic propria est homini canities. *Canities homini tantum et equis, sed homini semper a priore parte capitis, tum deinde ab aversu*, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Quarto, flos amygdali et 4
violæ nuntiat ver, sic canities senectam. *Florum prima ver nuntiantium, viola alba*, ait Plinius l. 21. c. 11. Quin-

to, flos amygdali cito deflorescens et marcescens, iuvenem admonet instantis mortis. Audi Plinium lib. 21. cap. 1. *Flores odoresque in diem gignit* (natura) *magna* (*ut palam est*) *admonitione hominum, quæ spectatissime floreant,*
6. *celerrime marcescere.* Sexto, Plinius lib. 16. cap. 25. *Arborum flos,* inquit, *est pleni veris indicium, et anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque quam sunt, ostendunt: tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant.* Sic canities, prudentia et sanctitate efflorescens, senem facit venerabilem et maturum cælo, ut in novum hominem eumque gloriosum resurgat.
7. Septimo, amygdalus producens flores, mox ex iis producit fructus; sic senex producens canos, ex iis mox producit mortem: *Cani ergo,* inquit Hugo Card. *sunt flores mortis, illam quasi fructum in propinquo esse denuntiantes, quia sicut flores in fructum, sic cani in mortem desinunt:* mors ergo est fructus canorum ceu florum, per quos senes fiunt candidi et quasi candidati mortis, et per eam beatæ immortalitatis.

Minus recte Chald. vertit: *Germinabit caput spinæ tuæ præ macie sicut amygdalus.* Unde Rabbini quidam, teste S. Hieron. interpretantur sacram dorsi spinam, quod, decrescentibus, inquit, natium carnibus, illa, seu os femoris, succrescat et quodammodo floreat. Et R. Haccados: *Caput ossium ex carne, et exsuccum apparebit;* Pagninus vocat *partem coxæ quæ dicitur anca.* Minus quoque recte Caiet. pro ינאץ ianets, id est, *florebit,* alio puncto legens, ינאץ inats, vertit, *reprobabitur;* alii, *irritabitur;* alii: *Asper erit fructus amygdali,* q. d. Senes laborant cibi nausea et fastidio, quare reprobant amygdala; quia, cum dura sint et duro cortice inclusa, difficulter a senibus edentulis aperiri mandique possunt. Peius Pagnin. et Rabbini nonnulli vertunt, *reprobabitur coitus:* volunt enim amygdalum, quæ prima germinat et floret, esse symbolum generationis; et alii, *reprobabitur vigilia,* q. d. Senex est somnulentus, ideoque odit vigiliam, æque ac custodiam vitæ cuius eum tædium cepit.

Tropol. Tropol. Senes sunt iusti segnes et pigri; item peccatores, qui otio ac mollitie torpidi ac velut elumbes desident, nec quid excelsi vel heroici aggredi audent, iuxta illud: *Excelsa stulto sapientia,* quia ipse illam viribus suis altiorem ex ignavia æstimat. Hinc *floret amygdalus,* id est, senes subinde concipiunt desideria magnarum virtutum: ac florem, id est spem, præbent magni profectus, sed minima tentatione ceu vento flante, hæc omnia decutiuntur; itaque ipsi ad suam segnitiem relabuntur.

Allegor. Allegor. Salonius: Florebit amygdalus, id est, *germinabit radix Iesse, et flos de radice eius ascendet,* Isaiæ 11. puta, nascetur Christus e B. Virgine, qui instar amygdali habentis corium, os et nucleum, habebit carnem et animam, ac efflorebit, id est, coruscabit miraculis. S. Bonavent. vero magis apposite per amygdalum accipit Antichristum, qui florescet signis magnis fictisque miraculis. Unde Dioscor. l. 1. cap. 39. *Vulpes,* ait, *si cum quadam esca eas* (amygdalos) *voraverint, emorientur.* Ita vulpinus et fraudulentus erit Antichristus cum suis, ac suis fraudibus captus peribit. S. Greg. vero 30. Moral. c. 20. v. 12. « Amygdalum, inquit, florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur? quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutum flores aperuit, et ad inferenda poma bonorum operum venturos sanctos, quasi arbusta sequentia prævenit. In qua mox locusta impinguata est; quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ cælestis infusa. Capparis dissipatur; quia cum gratiam fidei vocata gentilitas attigit, Iudæa in sua sterilitate remanens bene vivendi ordinem amisit. » Similia habet Rupert. in cap. 9. Apocal.

Anagog. Anagog. S. Cyrill. catech. 15. per florentem amygdalum accipit resurrectionem corporum futuram post sæculi huius hiemem, cum corpora nostra instar amygdali flore cælesti efflorescent: « Vidit, inquit, hunc Domini adventum Ecclesiastes, et mundi consummationem, dicens: Lætare, iuvenis, etc. » Et post pauca: « Et quid fiet, veniente Domino? florebit amygdalus, et impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Quemadmodum vero interpretes dicunt: Amygdalum florens hiemis transitum significat, sic et corpora nostra post huius sæculi hiemem florebunt flore supercælesti. Et dilatabitur locusta, hoc est anima volucris, quæ nunc corpore est circumdata, et dissipabitur capparis, hoc est, iniqui et spinosi dispergentur. Vides quomodo prædicunt adventum Domini? » Vide quæ de virga Aaronis amygdalina dixi Num. 17. 5. et de virga vigilante Ieremiæ cap. 1. vers. 11.

Impinguabitur locusta;) Syrus: *Multiplicabitur locusta;* Arabic. *Crassabitur locusta:* Apposite amygdalo subiungit locustam, quia tradunt Physici amygdali floribus citius impinguari locustam; sic enim amygdalis valde nutriri hominem experimur. Noti sunt marcipanes, qui ex amygdalis conficiuntur, et principibus sunt in deliciis: simili modo locustæ subiicit capparim, quæ colore, tumore, sapore similis est locustæ, ideoque eiusdem est esca et pabulum.

Hebræi per locustam accipiunt Nabuchodonosor cum Chaldæis, ac Titum cum Romanis, qui instar locustarum depasti sunt Ierusalem et Iudæam, iuxta illud Ioelis 1. 4. *Residuum erucæ comedit locusta.* Thaumaturgus per locustas accipit crebras densasque plagas, quæ præibunt diem iudicii, ac depascentur homines orbemque universum: *Tunc,* inquit, *ita frequentia aderunt supplicia, sicut multitudo locustarum advolantium.* Richard. Victor. proprie accipit locustas, quæ depascentur agros et omnia germina. Unde et S. Ioannes Apocal. c. 9. locustas iudicio prævias fuse describit. Vide ibi dicta.

Impinguabitur locusta, quæ? Resp.

Verum ad litteram hæc omnia spectant ad ærumnas senectæ; sed locustam varii varie accipiunt. Hebr. est, *onerabitur,* vel *oneri erit* החגב *hechagab,* id est *locusta,* vel *tali,* vel *cicada,* ut vertit Tigur. Unde primo, Tigurina
vertit: *Seipsam gestat cicada;* et Clarius: *Gravabitur lo-* 1.
custa; Vatablus: *Oneri est illi locusta,* q. d. Senex adeo
est debilis, ut vel locustam aut cicadam ferre nequeat. Se- 2.
cundo, Caietan. vertit: *Onerabuntur nates;* hæ enim senibus adeo sunt ponderosæ, ut sedentes vix surgere queant.
Pagninus vero: *Onerabitur dorsum.* Tertio, Rabbini cras- 3.
se per locustam accipiunt libidinem et insultus venereos, quibus ob copiam humorum et flatuum, non raro agitantur senes; cruditas enim et flatus sunt stimuli libidinis,
teste S. Hieron. Quarto, Vallesius c. 66. Sacræ Philos. lo- 4.
custa significari putat callosam senum duritiem in cute, quæ instar locustæ in crustam durescit ob siccitatem; ipse enim per locustam accipit marinam, quæ a cancrorum est genere, et carabus dicitur sive ostracoderma, hoc est cru-
stæ testaceæ. Quinto et genuine, S. Hieron. per impingua- 5.
tam locustam significantur, inquit, *crura senum tumentia pituita, et podagræ tumoribus prægravata.* Unde Chald. vertit: *Inflabuntur tali pedum tuorum.* Moringus notat locustas crassioribus esse femoribus, præsertim in India, ubi eas tres pedes esse longas ac instar serrarum secare germina, docet Plinius lib. 11. cap. 29.

S. Bonavent. per locustam accipit tumidam totius cor- 6.
poris senilis inflationem, ob debilitatem caloris, qui nequit Et genuine.
copiam phlegmatum et humorum digerere. Proprie per locustam ventrosam et sparso herbarum succo turgidam, ut totum eius corpus non videatur esse nisi venter, accipias tumidum ventrem senum ex copia cibi indigesti, phlegmatum et humorum crudorum. Unde sequitur alvi mollitudo, humiditas et profluvium. Ita Lyran. Dionys. Titelm. et Lævinus Lemnius, lib. Similitud. et Parabol. cap. 48. ubi ænigmaticas hasce senectutis parabolas physice et medice pertractat.

Impinguabitur locusta.) Id est venter, ait Alcazar Apoc. 9. pag. 525. locusta enim est vorax ac pingui ventre, ut tota venter esse videatur, q. d. Venter iuvenis, qui locustæ instar erat insaturabilis, in senectute tanta satietate afficietur, ut alvus appetentiam, nec amygdala excitare possint, nec cappares; hæc enim duo maxime appetitum provocant. Hoc est quod ait: *Florebit amygdalus,* q. d. Esto floreat amygdalus, ac amygdala producat mol-

lia et sopidissima; locusta tamen, id est, venter iam iacens et debilis, ad carnem esam nequaquam excitabitur, sed præ fastidio et nausea quasi satiatus iam sit, florem fructumque amygdali respuet. Hinc et *dissipabitur*, id est prolicietur, dispergetur ab eo capparis, quæ alias solet provocare et irritare appetitum.

Porro locusta initio gracilis, levis, mobilis, vaga et saliens repræsentat adolescentiam vagam, levem et agilem ad voluptates; eadem vero cibo plena, tumens et turgida repræsentat senium pituita tumidum et cruditate turgidum. Audi Rupert. in cap. 9. Apocal. « Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta; quod idem est, ait, ac si dicat: Qui nunc viridis et rectus incedit, et tamquam locusta salit, canescet, et curvus vix incedere incipiet, habensque crura tumentia, nequaquam ut tunc, levis et gesticulosus in saltu sese excutiet: locusta namque impinguatur, dum transacta levi iuventute crura tumescunt, ut fieri solet senibus. »

Mystice Hugo: *Florebit amygdalus*, id est, inquit, *vis rationalis per fidem, quæ purificando animam floridam facit. Impinguabitur locusta*, id est, vis concupiscibilis per charitatem, quæ est pinguedo et sagina virtutum. *Dissipabitur capparis*, id est, amarities vitiorum in irascibili per zelum, qui omnia vitia dissipat, ut mystice hic describatur senium et mors vitiorum, et iuventus virtutum.

Tropol. Tropol. Salonius per pinguem locustam accipit copiam bonorum spiritualium: Hugo, etiam temporalium, dotem Gentilibus per Christum; sic et S. Gregorius cuius verba iam recitavi. Aptius hæc referas ad senes, id est, senes iustos et peccatores, q. d. Sicut locusta ob ventris onus in terram decidit, sic ægoci subinde impulsi a Deo, vel a Superioribus, aut a sociis animos attollunt, ac desiderio ad cœlestia evolant, sed illico ventris, id est, gulæ et luxuriæ illecebra degravati, ad carnis voluptates recidant.

Anagog. Anagog. Cyrill. catech. 15. per locustam accipit animam, quæ in resurrectione impinguata, græce παχυνθεῖσα, id est *dilatata*, ex angustiis corporis, quasi carceris evolabit ad Deum. Rursum amygdalus densa floribus prænuncia est copiosi fructus. Audi Pierium Hierogl. 54. cap. 23. Amygdalus arbor ante alias omnes floribus induta, non suæ tantum spem ostentat opulentiæ, sed et aliarum frugum annum feracem pollicetur. Unde Maro, cum videret eam primam omnium florere, nihil vel Ianuarii rigore deterritam ex florum eius multitudine lætæ identidem fœturæ spem in frumentis concipere nos posse, monet his versibus:

Contemplator item cum se nux plurima sylvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentes;
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Ita Virgil. Georg. lib. 1. Simili modo senectus gravida meritis æque ac annis, prænuncia est instantis in cælo ingentis coronæ et gloriæ; senex enim probus unum pedem habet in solo et sepulcro, alterum in cælo. Amygdalus ergo symbolum est spei, ac sperati fructus et gloriæ.

Aptius Olympiodorus per locustas accipit corpora damnatorum, gula et voluptatibus saginata, quæ depascetur infernus, adeo ut iis pinguescere videatur.

ET DISSIPABITUR CAPPARIS) Symmach. *Dissolvetur spiritus fortitudo.* Verum dissentit ab Hebræo et a Septuag. ait S. Hieron.

Hebræi, teste S. Hieron. interpretantur dissipationem amicitiæ Dei, ex qua traditi sunt Iudæi Chaldæis et Romanis; hebr. enim אביונה *abiona* significat amorem et amicitiam, ab אבה *aba*, id est voluit, amavit; unde אב *ab* et *abba*, id est pater. Hinc quidam vertit: *Dissipabitur mutua confœderatio.* Thamnat. refert ad diem iudicii, quod illo impii e medio tollendi sint velut nigræ et despicabiles, et spinosæ (ait Cyrill. catech. 15.) cappares: *Ita e medio abiicientur peccatores, ut nigra despicatissimaque capparis*, ait Thamnat. S. Bonav. *Dissipabitur*, inquit, *capparis*, id est, carnales et luxuriosi metu tormentorum Antichristi discedent a fide. Richardus Victor. dissipationem capparis interpretatur famem et penuriam extremam; capparis enim est vilis esca. Unde proverbium: *Cappare victitas qui potes anthia.*

Capparis notat appetitum. Verum ad litteram hæc spectant ad vitia senum. Unde pro capparis hebr. est אביונה *abiona*, id est amor, desiderium, appetitus, aviditas, concupiscentia, indeque capparis: hæc enim excitat orexin et appetitum cibi, præsertim si cum aceto et melle vel oleo sumatur, ut docet Galenus et medici, ac quotidiana experientia. Sensus ergo est, q. d. Senibus perit cibi appetitus, ait Caietanus et Maringus, iisdem perit appetitus veneris et luxuriæ; hunc enim instigat capparis (unde nonnulli capparim derivant a κάπρος, id est, ad luxuriam concito) ait Vallesius: *Quod senum libido frigescat, et organa* coitus dissipentur, ait S. Hieron. Sic et S. Eucher. in form. S. Bonav. Albinus, Hugo, Lyran. et alii. Unde et Chald. vertit: *Prohibeberis a concubitu*; Pagnin. *Dissipabitur concupiscentia*; Tigurina: *Appetitus respuet res oblatas*; Vatablus: *Dissipabitur, vel extinguetur vis illa concupiscibilis.* Denique perit senibus quævis, cuiuslibet rei et voluptatis appetitus: laborant enim tædio et fastidio rerum omnium, quia debilis est in iis vis concupiscibilis, uti et quævis alia. Unde R. David: *Solvit*, inquit, *anima concupiscens fœdus suum cum corpore.*

Paulo aliter Marinus in Lexico vertit et explicat: *Labefactabit*, inquit, *voluntas*, scilicet *senem. Remanet enim in sene sola vis concupiscibilis, eumque torquet, cum nequeat perficere quod concupiscit.* Addit Pineda per dissipatam capparim accipi florentem et apertam, quæ esui est inepta. Nam cum capparis aperitur, videtur dissipari ac veluti dispergi. Commode igitur dissipata repræsentat ætatem devexam, quæ neque in deliciis pretiosa est, neque opportuna deliciis captandis, ut quæ hominem ad turpes voluptates non stimulat, sicut tenera adhuc capparis et clausa: cum sondum se in florem explicuit, contraria omnia efficit et repræsentat.

Denique Vallesius per capparim, quæ nasci solet in locis incultis, parietinis et sepulcris, accipit mortem et funeralia, q. d. Eo tandem senes evadent, ut dissipetur capparis occupans sepulcra, ut scilicet aperiatur sepulcrum, in quod senex iam mortuus inferatur. Verum hæc explicatio incongrua est, imo minus vera, aliena et remota. Agitur enim hic de signis senectutis potius quam mortis; nam mortis signa dabit v. 6. Porro quod carnales censent senii esse vitium, id eius laus est, decus et præmium, quod scilicet in eo sopiatur concupiscentia. Unde Cicero de Senectute ex Platone, lib. 1. de Republ. *O præclarum*, inquit, *munus ætatis! Siquidem id aufert a nobis, quod est etiam in adolescentia vitiosissimum, nempe voluptas.*

Tropol. Tropolog. Dissipatur capparis, cum appetitus cibi cœlestis, puta sanctæ doctrinæ, Eucharistiæ et rerum spiritualium in sene, id est, segne iusto et peccatore languet, adeo ut etiamsi illi delicatissima illarum fercula proponas, velut nauseabunda omnia fastidiat: quare ipse nauseam movet Deo, ut illum ex ore suo evomat. Apoc. 3. 16.

Anagog. Anagogice, Olympiodorus: *Florentibus iustis* (velut amygdalis cœlestibus) inquit, *peccatoribus autem traditis ad æternum supplicium, dissipatur capparis et evanescit, quæ cum amarorem quemdam et caliginem habeat, anxietatem figurat sollicitudinemque peccati. Ipsum vero peccatum privatio quædam cum sit, neque revera subsistat, in nihilum redigetur atque cessabit, cum homines, exacto iudicio, amplius in hoc mundo peccatari non sinet.* Hinc et Syrus vertit: *Dissipabitur capparis et cessabit malitia*, quam repræsentant spinæ capparis. Arabicus: *Dissolvetur superbia.* Capparis enim etsi liennosis, sive splene laborantibus prosit, stomacho tamen et aliis membris obest, teste Plinio l. 20. c. 15. et l. 13. c. 23. agens de cappari: *Cavenda*, inquit, *eius genera peregrina; siquidem Arabicum pestilens. Africum gingivis inimicum, Marmaricum vulvis et omnium inflationibus, Apulum vomitus facit, stomachum et alvum movet.* Addit Dioscorides l. 2. c. 169. *Africa, et præsertim Marmarica capparis vehementer inflat: Apula vomitus facit: et quæ a Lybico, et quæ*

rubro mari defertur, mirum in modum acris est; siquidem in ore pustulas excitat, gingivasque osse tenus exest: quare in cibis non abs re damnatur. Apte igitur capperis notat impios et maleficos, præsertim gulosos et luxuriosos; gulam enim et luxuriem stimulat capparis.

QUONIAM IBIT HOMO IN DOMUM ÆTERNITATIS SUÆ.) Hebr. *Quia vadit homo ad domum sæculi sui:* Chald. *Etenim declinat homo ad eundem in domum sepulcri sui;* Syrus: *laboris sui;* Arabicus: *Profectus est homo ad habitationem sæculi sui;* Camp. *domum alterius sæculi;* Tigur. *domum perpetuam.* Itaque domus æternitatis in quam it homo moriens, prima, est ipse status mortis, ut degat inter mortuos, nec amplius ad vitam et vivos in hoc mundo redeat per omnem æternitatem. Secundo, est sepulcrum. Ita Chaldæus et S. Hieronymus. Unde *perpetuam sepulturam* nuncupat Ulpianus D. de Sepult. violatione, lib. 3. § *Non perpetua.* Trita est vetus sepulcri inscriptio: *Hanc æternam sedem sibi posuit.* Et epitaphium illud Petronii Antigenidis:

It homo in domum æternitatis.

Hæc domus æterna est; hic sum situs; hic ero semper.

Et illud Psalmi 48. 12. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Tertio, est domus æterna piorum in cœlo, impiorum in inferno pro cuiusque merito vel demerito. Huc enim significat τὸ *suæ:* q. d. quam quisque sibi commeruit, suisque meritis comparavit. Ita Richard. de Sancto Victore, qui et ponderat τὸ *æternitatis*, q. d. *Cuncta ibi sunt immobilia, nulla transitoria, et sive immobilia bona, sive immobilia mala.* Ergo, si sapis, *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua* (præsertim æternitatem felicissimam vel miserrimam; alterutra enim te certe manet, imo exspectat) *et in æternum non peccabis.* Eccli. 7. ult.

Mystice Hebræi hoc aptant suæ captivitati, et vere, quia hæc æterna est, et semper durabit usque ad finem mundi. Melius Thaumaturgus refert ad diem iudicii, ac domum æternitatis tribuit iustis et electis; circuitum vero et planctum impiis et reprobis: *Et bonus quidem vir,* inquit, *in domum suam æternam proficiscitur: improbi vero omnia suo luctu complebunt, neque illis repositum argentum, neque probatum aurum proderit.* Sic et Olympiodorus et S. Bonaventura. Hæc cogitans Theodorus Studita, moriturus, condens testamentum, anno Domini 826. illud ita concludit: *Fratres, valete; iter enim ingredior, unde reditus non patet, quod omnes ab ævo ingressi sunt, quod et vos postmodum, hac vita peracta, ingressuri estis. Ignoro autem, fratres mei, quo pergam, et quale iudicium me maneat, aut quisnam me locus excipiet.* Ita Michael Studita in eius Vita. Quocirca Nazianzenus in Tetrastichis, pag. 1359.

Exempla.

Semper, ait, saluti tu quidem stude tuæ.
Potissimum autem sub diem vitæ ultimum,
Venit senectus, exitum præco canit:
Parentur omnes: imminet iudex Deus.

Idem in Distichis: *Sempiterno ævo vive;* et ut Zeuxis, *pinge æternitati.* Æternitatis longitudinem ruminans Theodorus, amplis terræ opibus et gaudiis, quasi caducis et vanis nuntium remisit, ac monasticen complexus est in monasterio sancti Pachomii. Ita habet Vita sancti Pachomii. Sanctus Antonius moriturus ita suis valedixit: « Ego quidem, inquit, filioli, secundum eloquia Script. patrum gradior viam. Iam enim Dominus me invitat, iam cupio videre cœlestia; sed vos o viscera mea, admoneo ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie religiosum studium vos arripuisse arbitramini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. Iesum suspirate, etc. Estote solliciti, ut Domini præcepta servetis, ut post mortem vestram sancti quique, quasi amicos et notos in æterna vos recipiant tabernacula, etc. Valete, viscera mea: Antonius enim migrat, et iam non erit in præsenti sæculo. » Ita refert S. Athanasius in eius Vita.

Magni illius Simeonis Stylitæ quotidiana concio non aliud quam æternitatem et æternam felicitatem inculcabat, *iubens in cœlum suspicere et evolare et a terra discedere, et regnum quod expectatur visione apprehendere et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare,* ait Theod. in Philotheo, c. 28. et c. 30. Domninæ admirabilis hoc dogma commemorat: *Oportet conferre futura cum præsentibus, æterna cum momentaneis, cum afflictione gloriam; illa enim habet id quod est momentaneum; hæc vero id quod est æternum.* Denique, æternitas est domus Dei, qui, proinde est *Sublimis, habitans æternitatem,* Isaiæ 57. v. 15. Sicut enim tempus est mensura durationis hominum; sic ævum est Angelorum, et æternitas Dei, ut docet D. Thomas. 1. part. q. 10. art. 3 et 4.

Simeonis Stylitæ concio.

Nuper Reverendissimus Dominus Godefridus Episcopus Bambergensis (cuius colloquio spirituali Romam veniens Herbipoli fruitus sum) hoc in mente fixum habebat: *Quotidie sto ad ostium æternitatis,* ut in eius domum mox ingrediar. Idem sibi quisque in mente figat, dicatque: Brevi moriendum est tempori pompisque temporaneis; vive ergo æternitati bonisque sempiternis. *Mors,* ait S. Bernardus, *senibus in foribus est; iuvenibus autem in insidiis, ob varios iuventutis casus; adolescentes enim,* ait Macrobius, *facilius in morbos incidunt, gravius ægrotant, tristius curantur.*

ET CIRCUIBUNT IN PLATEA PLANGENTES.) Primo, parentes, cognati et amici defuncti; hi enim feretrum ambire et circumdare solent, ut ultimum defuncto valedicant, ac funebres lacrymas ritusque persolvant. Circuitus hic, ait noster Lorinus, innuit mentem irrequietam, anxiam, amore et dolore inter se confligentibus agitatam, corpus quoque varie vexatum usque ad motionem mentis insaniamque præ mœroris acerbitate. Rursum, τὸ *circuibunt* pertinet ad feretri portitores et præficarum lamentantium discursus; solebant enim præficæ, tibicines et elegiaci canere elegos et nænias ad tibiam vel tubam circa funus discurrendo cum manuum complosione, genarum pilorumque vellicatione, pectoris vestiumque laceratione. Hæc enim erat pompa funeris, et planctus defuncti.

Secundo, proprie accipias hunc circuitum, quia solebant circuire sepulcra, tam Gentiles, quam Christiani; unde S. Hieronymus in c. 40. Ezech. *Dum essem,* inquit, *Romæ puer, etc. solebam cum cæteris eiusdem ætatis, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circuire.* Xiphil. de Severo: *Honoratus est,* ait, *filiorum suorum circumcursione;* Appianus lib. 1. in funere Viriati: *Pedites et equites per turmas in orbem decurrentes, cum armis barbarico ritu illum laudabant.* Dio lib. 46 in funere Augusti, primum locum circumeundi assignat sacerdotibus, alterum equitibus; et l. 59. in funere Drusillæ: *Seorsim,* ait, *equestris ordo circa illius tumulum obequitavit.* Porro in funere ducum et illustrium virorum, solebant milites cæterique ter rogum ambire clangentibus tubis, ac faces, quin et arma in eumdem proiicere, ut amorem erga defunctum luctumque suum testarentur. Audi Virgilium 11. Æneid. in funere Pallantis:

Priscus mos circumeundi funus.

Ritus circuitus.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mæstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Apud Lucan. libr. 8. Pompeius ait se nolle hanc funeris pompam:

Totus ut ignem
Proiectis mærens exercitus ambiat armis.

Valer. Flacc. lib. 3. Argonaut.

Inde ter armatos Minyæ referentibus orbes,
Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum, clangente tuba, iecere supremo
Tum clamore faces.

Decurrebant autem in sinistrum latus, versis signis, luctus causa. Audi Statium libro 6. Theb.

Lustrantque ex more, sinistro
Orbe rogum, et stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos egere sinus, illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Addit Servius in lib. 6. Æneid. *Populi circumstantis corona ad pyram tamdiu stabat respondens planctibus præficæ, id est principis planctus, quamdiu diceretur novissi-*

mum verbum, ilicet, quod ire licet significat. Macrob. lib. 2. in somn. Scipionis cap. 3. ex communi ritu asserit, *mortuos ad sepulturam prosequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hoc, quia post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est ad cœlum redire credantur.*

Symbolice, nonnulli per plangentes in platea accipiunt oculos senum humidos, lippientes et lacrimantes, in *platea*, id est in facie, in qua quasi in platea est omnis sensuum negotiatio et actio.

Mystice, Angeli tum boni quam mali circumstant moribundum, ut eius animam rapiant, ideoque de ea inter se disceptant, ac victores plaudunt, victi plangunt. Ita Chaldæus: *Circumcirca*, inquit, *discurrent Angeli; te ad iudicium repetentes plorantium instar, qui bivia circumeunt, ut sententiæ tuæ rationem ineant;* et Arabicus: *Et electi*, ait, *iam perlustraverunt plateam.*

Vers. 6. ANTEQUAM RUMPATUR FUNICULUS ARGENTEUS, ET RECURRAT VITTA AUREA, ET CONTERATUR HYDRIA SUPER FONTEM, ET CONFRINGATUR ROTA SUPER CISTERNAM.) Symmachus: *Antequam incidatur a funiculo argenti.* Pro *rumpatur* nonnulli codices Hebr. legunt ירחק *ierachec*, id est *elongetur*, hoc est distendatur et distensione rumpatur. Complut legunt ירתק *ieratec*, quod Rabbini vertunt, *colligatur, constringatur, contrahatur*, id est brevior fiat. Melius vertit Noster, *rumpatur*, ut patet ex Septuag. qui vertunt, *evertatur*; Syrus, *disrumpatur;* Arabicus, *dissolvatur.* Est hysterologia, sive hyperbaton, id est perturbatus ordo. Post multa enim ærumnarum senii ænigmata, quæ hucusque recensuit, redit ad scopum et finem v. 1. propositum, eamque inculcat et urget, q. d. Memento, iuvenis, Creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, antequam rumpatur funiculus argenteus. Ita S. Hieronymus, Albinus et alii.

Funiculus argenteus quis? Quæres: Quisnam est funiculus argenteus? Hebræi accipiunt gloriam et magnificentiam Ierosalem, quæ rupta et disiecta fuit in eius excidio per Chaldæos et Romanos. Thaumaturgus et Olympiodorus accipiunt argenteum et opes, quæ avaros velut funiculi multis solent irretire peccatis, rumpendas et abolendas in die iudicii, ideoque contemnendas. Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 15. accipit astrorum complicationem futuram sub diem iudicii, iuxta illud Christi: *Stellæ de cælo cadent;* et illud Isaiæ c. 34. 4. *Complicabuntur sicut liber cœli;* astra enim sunt alba, niteatque instar argenti. Richardus Victor. propria accipit funiculum argenteum, q. d. Solent nobiles res pretiosas appendere funiculis argenteis; at in die iudicii ex pavore et horrore communis vastitatis, eos rumpent et in sterquilinium abiicient, quia ipsa vita omnibus in tædium et odium veniat.

Resp. Verum hæc mystica sunt; ad litteram enim notat ærum-
1. nam aliquam senii. Unde primo, per funiculum argenteum
Chaldæus accipit linguam, sive ligulam linguæ, qua lingua
palato colligatur. Unde vertit: *Antequam obmutescat lin-*
2. *gua tua a loquendo.* Secundo, Caietanus accipit humorum
concatenationem, in qua vita hominis consistit. Lyranus:
Elementorum harmoniam et contemperationem in corpore
3. *humano.* Tertio, S. Bonaventura accipit involutionem et
contractionem nervorum, qui albi sunt et velut argentei,
corpusque cingunt et ligant, atque in senio et morte laxantur
et solvuntur; quo fit ut senes laborent paralysi, spa-
4. smo, apoplexia, chiragra, podagra. Quarto, Hugo accipit
vitæ continuationem; sicut enim funiculus ex continua-
5. tione filorum, sic vita ex continuatione dierum et tempo-
rum contexitur. Quinto, Marinagus accipit φιλαργυρίαν, sive
studium argenti et pecuniæ, hoc est avaritiam, qua velut
funiculo animi hominum avarorum colligantur, qui in
6 morte abrumpitur. Sexto et genuina, funiculus argen-
teus vocatur medulla spinalis dorsi cum nervorum, qui
ex ea oriuntur, distributione; nervis enim velut quibus-
dam funiculis alligantur, et firmantur omnes corporis
partes. Hæc enim medulla candida est, et colore argen-
teo resplendet; eam rumpitur, resolvitur aut laxatur. Si
homo paralyticus (uti multi senes laborant paralysi) ut
in morte semper dissolvitur; prius autem in senibus flectitur, ideoque curvatur dorsum, totusque homo in terram pronus vergit, ac silices aspicit; unde et *silicernium* vocatur. Huc facit illud Cornelii Galli:

Contrahimur, miroque modo decrescimus ipsi:
Diminui nostri corporis esse putes.

Et illud eiusdem:

Fitque tripes prorsus quadrupesque ut parvulus infans,
Et per sordentem, flebile, serpit humum.

Et illud Ovidii lib. 14.

Tremuloque gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu est.

Quocirca Hebræi omnes funiculum hunc interpretantur filum spinæ sacræ dorsi, quod a cerebro in occipitio incipiens ad nates usque protenditur, per octodecim iuncturas et nodos dorsi. Ita Vallesius S. Philos. cap. 66. Hugo et alii. Addit Pineda vocari *funiculum*, eo quod ad dorsi finem pervenit, ac in parvulos quosdam et tenues funiculos, quasi in filamenta caudam equinam referentia, funditur et finditur. Tum etiam nervi, qui per vertebrarum foramina ab illa sacra spina egrediuntur, plurimi atque tenuissimi sunt, et simul per suas coniugationes coeuntes quasi funiculum efficiunt, unicum crassiorem nervum componentes. Refert autem argentum colore albo; tum quia, sicut et cerebrum, exsanguis est; tum propter excellentiam similem cerebri, propterea que vertebris quasi sepimentis quibusdam includitur, et tenui meninge protegitur; tum etiam ut spiritus animales, qui per eam diffunduntur, limpidissimi sint atque lucidissimi. Hactenus Pineda ex Andrea Laurentio lib. 10. Anatom. cap. 12. Huc accedit Ioannes Vitalis Cardinalis, qui vixit ante trecentos annos, in Speculo morali S. Script. verbo *Mors*, qui censet funiculo argenteo denotari continuationem medullæ, quæ ligat ossa spondylia, quæ a quibusdam physicis vocatur *nuca*. Et dicitur, inquit, *funis*, quia extenditur ab ultima parte cerebri, et inde descendit ligans ossa spondylia usque inferius: *argenteus*, propter utilitatem et nobilitatem; quoniam, ut ait Constantinus, sua caliditate frigiditatem ossium temperat, sua unctuositate et humiditate ariditatem eorumdem rigat; sua substantiali proprietate virtutem animalem nutrit atque conservat; mediantibus quibusdam nervis sensum et motum continuum, ad modum argenti vivi, omnibus membris sub collo positis administrat. Hucusque Vitalis.

Symbolice, funiculus argenteus, æque ac vitta aurea, est candida hominis vita, ait S. Hier. et Albin. ac præsertim candida et rosea iuventus, in qua viget floretque homo. Ita et Hugo, Glossa Interl. et Titelm. qui et causam addit: Quia, inquit, sicut et tactu et convolutione fragilis lini fit funiculus; sic vita contexitur ex diebus singulis, sibi mutuo ordine et nexu quodam succedentibus iisque brevibus: argenteus est, quia vita est in pretio, fruiturque luce, qua caret damnatorum vita degens in caligine, pice et igne, ideoque piceo similis funiculo. Beatorum ergo vita est aurea, quia pretiosissima; viatorum argentea, quia in pretio medio; damnatorum plumbea et picea, quia vilissima. Vocatur *funiculus*, non *funis*, quia vita exigua est et brevis iuxta illud Iob 14. *Breves sunt dies hominis.* Accedit Richard. Victor. *Funis*, inquit, *dicitur corpus, quia quibusdam legibus naturæ animam sibi*, ait S. Bonaventura, *ligat.* Symbol.

Anagog. In morte perit funiculus argenteus, id est cessat mundana eloquentia, quæ sonum gratum edit auribus, ac verba verbis nectit et colligat, iuxta illud: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit*, Matth. 22. 12. Rursum, Olympiod. accipit doctrinam S. Script. quæ affectus et vitia comprimit et colligat, quam peccator abiicit et rumpit: ac in morte omnis salubris doctrina obsurdescit et evanescit: moribundis enim hebetatur auditus, omnisque sensus, intellectus, cognitio et cogitatio, præsertim sublimis et cœlestis, quæ ad salutem æternam pertinet. Anagog.

ET RECURRAT VITTA AUREA.) Pro *recurrat*, hebr. est ירוץ *iaruts*; quod si a radice רוץ *ruts* derives, significat *currat, recurrat*: sin a רצץ *ratsats*, significat *conte-*

ratur. Unde Thaumaturg. interpretatur de auro et opibus in fine mundi disperdendis, et igne conflagrationis mundi liquandis. Alius: *Comprimatur rosa auri*; alius: *Frangatur fons aureus*.

Pro *vitta*, perperam Hugo et nonnulli legunt, *vita*. *Vitta* est capitis involucrum, sive linea theca, cui mulieres capillos capitis involvunt: hanc enim significat hebr. גלה *gulla*. Septuag. vertunt, ἀνθέμιον χρυσίου, per quod licet Cyrill. catech. 15. accipiat anthemin, quæ, inquit, nota est herba, habens multa foliorum germina, instar radiorum; Plinius l. 22. cap. 21. ob pomi odorem *chamæmelum* vocari scribit, additque *parvis esse floribus, ut rutæ candidis, aut melinis, aut purpureis*; Dioscor. *in medio floribus esse aureis*. Unde Olympiod. hic vertit, *flos auri*: ἄνθος enim est flos. Lorinus censet esse illam quam vulgo vocant *camomillam*. Vide Dioscor. lib. 3. cap. 154. Hesychius in Lexico vocat *amaracum*. Suidas et Thaumat. vertunt, *alectum aurum*. Melius tamen idem Olympiod. teste Budæo, censet ἀνθέμιον, sive ἀναθέμιον, idem esse quod ἀναθήκη, id est repositorium, et theca, qualis est vitta. Unde Vaticani, æque ac S. Hieron. in veteri editione, sequens Septuag. vertit: *Vitta aurea*. Favet Symmach. qui vertit: *Et percussum fuerit, quod circumstat, et convulneratum fuerit*.

Vita aurea quæ? Hebr. opinio Thaumaturgi. Quæres: Quænam est aurea hæc vitta quæ recurret, id est revolvetur et contrahetur in senio et morte? Hebræi accipiunt arcam testamenti, quæ in captivitate Babylonica perdita fuit, et translata a Ieremia. Thaumaturg. hæc omnia referens ad finem mundi diemque iudicii: *Tunc*, inquit, *sicut argentum reconditum, sic et aurum probum, nil utilitatis habebit*. Sic fere et Richard. Victor. Cyrillus vero catech. 15. explicat: *Priusquam sol obteratur*. Olympiod. interpretatur florem et pulchritudinem auri, aut eius repositorium et arcam, omniaque pretiosa peritura sub finem mundi; imo cuilibet diviti peritura in morte, q. d. Memor esto Dei tui, o adolescens, antequam veniat tempus illud, quo avaritia destruetur, et nihil prodesse poterit aurum, vel argentum. Sic et Titelm. per vittam auri, sive auream, accipit sacculum auri, quo gaudent avari.

Resp. Verum ad litteram hæc spectant ad ærumnas senii et
1. mortis. Unde primo, Hugo per vittam auream accipit latum nervum, qui post decoctionem habet aureum colorem, et in morte rumpitur.
2. Secundo, Caietanus vertit: *Et frangetur fons auri*, id est, colligatio elementorum et humorum, quæ est fons complexionis et vitæ, adeoque pretiosa instar auri, dissolvetur; itaque homo morietur. Ita
3. ipse. Tertio, S. Bonavent. per vittam auream, intelligit involutionem venarum et arteriarum aurearum ob sanguinem, quem continet. Sic Titelm. « Per funiculum argenteum, inquit, intellige protractionem continuam nervorum per omnia corporis membra. Per vittam auream, connexionem venarum et arteriarum, quæ similiter per totum corpus expanduntur. Constat enim ex doctrina Physicorum per totum corpus expansos esse nervos, qui omnia ipsius membra, ad modum funis colligant, sibique invicem cohærere faciunt. Venas quoque et arterias similiter per omnia membra expandi: ut per venas quidem nutrimentum, per arterias vero spiramen ad singula membra perferatur. Et sicut nervus, ex sua naturali qualitate, albus et quodammodo lactens apparet, argenti colorem aliquo modo repræsentans: sic venæ et arteriæ rubicundæ magis sunt, propter sanguinem, et colore magis auro sunt similes. Disperguntur autem venæ et arteriæ per singulas corporis partes, dispositione et artificio admodum mirabili, ad eum fere modum, quo vittas solent per artificiosam compositionem contexere. Atque hinc fit ut nervorum extensionem vocemus funiculum argenteum: venarum autem et arteriarum dispositionem vittam auream. Quomodo autem in morte, et funiculus iste argenteus rumpatur, et recurrat aurea vitta, satis manifestum est consideranti, ut omnia statim post mortem in pulverem
4. dissolvantur. » Hæc Titelmannus. Quarto. Ioannes Vitalis Cardinalis per vittam auream accipit spiritum vitalem, qui est in corde: « Quia sicut vitta mulieris, inquit, continet capillos capitis, ne defluant et dispergantur; ita spiritus vitalis continet omnia quæ sunt in corpore humano, ne corrumpantur, ut proinde aurea nominetur, et ob pretiositatem, et propter perpetuitatem; quia cor semper est in motu perpetuo, quamdiu vivit homo. » Quinto, 5.
Genuine. et genuine, vitta aurea, est meninx, id est membrana tenuis, quæ cerebrum continet, eiusque est involucrum, et quasi vitta illud includens: unde si illa frangatur aut lædatur (uti fit in morte) hominem mori necesse est. Dicitur *aurea*; tum quia refusa est et flava ut aurum; tum quia calida; tum quia pretiosissima est instar auri, adeo ut multi medicorum, inter quos est Franc. Valles. censeant ad illam potius quam ad cerebrum pertinere sentiendi principium. Hinc et ipsa ita indissolubiliter adhæret cerebro, ut eo siccato et imminuto (uti in senibus fit) ipsa quoque contrahatur et corrugetur; itaque a capitis cranio recedat, et in seipsam arctata recurrat. Unde cranium arescit et calvescit, uti terra arefacta, exarescunt eius herbæ et germina. Hæc est ergo causa calvitii. Ita Franc. Valles. Sacræ Philos. c. 66. Clarius Chald. qui vertit: *Et confringatur cerebrum tuum in capite tuo*; Et Vatabl. *Et diffluat collectio aurei liquoris*; Campens. *Pingue illud aureum*.

Symbol. Symbol. S. Hieron. per vittam auream, æque ac per funiculum argenteum, accipit animam et vitam; « Funiculus argenti, inquit, candidam hanc vitam et spiramen, quod nobis de cælo tribuitur, ostendit; Recursus quoque vittæ aureæ animam significat, quæ illuc recurrit, unde descenderat. » Sic et Albinus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Glossa et Titelmannus quem audi: « Vittam puto posse vocari animam hominis; quoniam sicut vitta capillos capitis omnes in unum constringit, ne diffluant; ipsa vero ablata, disperguntur illi in suam multitudinem; sic anima in corpore omnia membra, tam multa, tam diversa, quasi intra suæ virtutis ambitum concludens, simul continet, ne diffluant ab invicem: mox vero ipsa ablata dissolvuntur omnia. Aurea autem vitta merito dicitur ob excellentiam sui rationalis animæ, nimirum quia ad imaginem et similitudinem Dei creata est, magnificam in hac suæ conditionis nobilitate gloriam præ se ferens, formasque omnes corporales præcellens, quemadmodum aurum suo fulgore et nobilitate cæteris omnibus præstat metallis. »

Anagog. Anagog. Vitta aurea est Beatorum gloria, ac vita æterna, sive nobilissima harmonia corporis et animæ, quæ tribuetur electis in resurrectione. Ita Dionysius et Lyranus. Accedit S. Bonaventura: « Vitta aurea, inquit, est insigne sacerdotalis, vel regiæ dignitatis, cui diadema tribuitur; quia tunc recurret utraque ad suum principium; puta ad Christum et ad Deum, qui solus tunc dominabitur in beatis, eosque faciet sacerdotes et reges, » 1. Corinth. cap. 15. vers. 25. Apocalypsis, cap. 5. vers. 10.

Conteratur hydria per fontem, quæ? ET CONTERATUR (Syrus. *frangatur*; Arabicus, *corrumpatur*) HYDRIA SUPER FONTEM.) Caietan. *Rumpetur urceus ad fontem*; alius, *apud scaturiginem*. Hebræi per *hydriam* accipiunt tabulas Decalogi, contentas in arca fœderis, velut in fonte, quæ contritæ sunt in captivitate. Thaumaturgus accipit de fine mundi: tunc enim tantas fore plagas quaquaversum, ut etiam hydrias stantes iuxta fontem evertant. Richard. interpretatur tunc tantam fore hominum malitiam et invidiam, ut hydrias quoque proximorum, quibus aquas a fonte hauserunt, effundant, ne habeant, quod bibant: simili modo rotam, ut sequitur, super cisternam, id est funem, et situlas quibus e puteo aquam hauriebant, disiiciant, ne aquam haurire queant. Verum ad litteram hic agitur de ærumnis senii et mortis. Primo ergo per *hydriam*, Aben Ezra, Hugo et Cla- Resp.
rius accipiunt folliculum fellis; per fontem, hepar. Un- 1.
de Chald. vertit: *Et confringatur fel tuum in iecore tuo*; vel ut Costus, *fel iecoris tui*. Secundo, Caietanus et alii 2.
per *hydriam* accipiunt anhelitum, per fontem pulmones, q. d. Antequam per morbum et mortem intercidatur tibi anhelitus, claudaturque pulmo, qui ad ventilandum et refrigerandum cor, halitum aeremque frigidum attrahit: ip-

3. se enim est ventilabrum cordis. Tertio, multi per *hydriam*, accipiunt corpus; per fontem, quatuor elementa, q. d. Antequam conteratur corpus in morte, difflatque in sua elementa, ex quibus compactum est. Ita Auctor Catenæ Græcor. *Ut hydria*, inquit, *ad fontem confracta, a qua rursus in fontem recurrit; sic solutum corpus in terram revertitur, opifici rerum omnium paratam, ut reformetur.* Sic et Titelman. per contritionem hydriæ super fontem, accipit corporis, quod instar fictilis hydriæ, formatum est a Deo e limo terræ, ad capiendam in se vitæ aquam, dissolutionem in partes, ex quibus conflatum compactumque erat: idque iuxta fontem, quia non perit aqua animæ rationalis, utpote immortalis; sed fracta hydria, puta corpore, recurrit ad fontem, id est ad Deum, qui dedit illam, scilicet ad abyssum divinæ bonitatis, unde effluxit. Porro hydriæ partes non pereunt, sed manent iuxta fontem, quia non annihilatur corpus, sed tantum dissolvitur: unde partes dissolutas Deus in resurrectione rursum uniet et coniunget. Hic sensus appositus est, sed generalis et mysticus: hæc enim ænigmata dispertita, dis-
4. pertitas hominis partes et membra notant. Quarto, Lyranus per *hydriam* accipit compaginem omnium membrorum, quæ a fonte, id est a corde, hauriunt vitam, id est spiritum vitalem, quæ dissolvitur et conteritur in morte. Alius per *hydriam* accipit cor ipsum, quod habet formam hydriæ, ac spiritus et vitam haurit a fonte, id est ab ani-
5. ma. Quinto, R. David per *hydriam* accipit ventrem, qui funditur in fonte, id est in sepulcro; quia sicut homines hydriam deferunt ad fontem, velut ad locum suum; ita ventrem totumque hominem vita functum deferunt ad se-
6. pulcrum ut redeat in terram, ex qua prodiit. Sexto, S. Bonavent. per *hydriam* accipit vesicam, *quæ*, ait, *urinam haurit ab hepate, unde velut ex fonte colamentum sanguinis, et aliorum humorum emanat in corpus universum: vesica autem in moribundis confringitur*, id est dissolvitur. Sic et Valles. et Titelm. quem audi: *Sicut hydria vas est, recipiens aquam a fonte exhaustam; sic vesica receptaculum est humorum procedentium ab hepate; quasi a fonte humorum omnium: inde enim ad cætera membra sanguis, et humores alii derivantur. Conteritur igitur in morte hydria super fontem, quando vesica rumpitur et frangitur, nec ultra accipit humores, ut solet, ab hepate.*

7. Septimo et genuine, per *hydriam* accipe conceptacula
Genuine. illa sanguinis ac venas, quæ a iecore velut fonte sanguinem recipiunt, quæ in morte confringuntur, id est deficiunt et dissipantur; deficiente enim iecore, deficit pariter sanguis, qui totum corpus rigat, humectat, nutrit, et per spiritus vitales, quos subministrat, vivificat, ac cuique corporis membro vim sensitivam, et motivam communicat. Ita Vatabl. In hepate enim est sanguinis et humorum omnium fons et origo; vita autem consistit in humore et calore; mors in siccitate et frigore. Quocirca Ægyptii hydriam præferebant Osiridi deo suo, per eamque significabant humorem, puta aquam et Oceanum, quod aqua omnium rerum, præsertim viventium, esset effectrix, teste Pierio Hierogl. 56. cap. 21. qui et cap. 22. addit certamen Ægyptiorum cum Persis; Persæ enim ignem suum dicebant esse rerum omnium principium, ideoque Deum; Ægyptii vero idipsum aquæ tribuebant. Hydriam ergo aqua plenam, fundo perforato, sed cera obturato, igni supposuerunt. Mox ignis vi liquata cera apertisque foraminibus, aqua ex hydria diffluens ignem subiectum extinxit; itaque se igne potentiorem ostendit: quo actu Ægyptii vicere Persas.

Tropol. Tropol. conteritur hydria super fontem, quando opera sancta, ex mente sancta prodeuntia, evertuntur. Rursum, quando gratia, cuius auctor et fons est Spiritus sanctus, per peccatum mortale deperditur, et ad Spiritum sanctum, velut fontem, recurrit.

Anagog. Anagog. S. Bonavent. accipit evacuationem mundanæ et animalis sapientiæ, quæ hydria curiositatis hauritur; Olympiod. vero evacuationem S. fidei et scientiæ præsentis vitæ, futuram in gloria cælesti; tunc enim cum ipsum scientiæ fontem, puta Deum facie ad faciem videbimus, evacuabitur omnis cognitio obscura, et imperfecta huius vitæ, 1. Corint. cap. 13. vers. 10.

Et confringatur rota super cisternam) Pro *confringatur* hebr. est נרוץ *narots*, quod et *confringetur*, et *transcurret* verti potest, uti paulo ante dixi. Unde Septuag. vertunt: *Et convolvatur rota ad cisternam.* Græce est *συντροχάσῃ*, id est *concurrat*; iam *concurrere idem est ac rotam colligi et frangi, decidereque in lacum una cum hydria*, ait Scholiastes; Syrus, *Et currat* (Arabicus, *gyrat*) *rota super puteum*; alius, *Coarctetur rota super lacum*; alius, *Confringetur*, vel *dissipetur rota in fovea*; Caiet. *Rumpetur rota ad puteum*; Tigur. *Et rota puteo imposita currat.*

Hebræi, confractionem rotæ super cisternam, æque ac Confractio rotæ super cisternam, quæ desig.
hydriæ super fontem, interpretantur confractionem tabularum legis in arca Testamenti contentarum, factam in captivitate Babylonica et Romana. Verum ad litteram, hæc spectant ad ærumnas mortis. Unde primo, Clarius
per *rotam* accipit cranium, quod in sepulcro confringitur, 1.
aut vitam, quæ quasi rotis currit fractis, et præceps ruit
in foveam sepulcri. Secundo, Caietan. accipit halitum si- 2.
ve anhelitum, quo respiramus, quamdiu vivimus, qui in morte tollitur et cessat deficiente respiratione; apte dicitur *rota*, quia halitus attractio, puta inspiratio et exspi-
ratio, fit quasi circulari motu ad puteum pulmonis. Ter- 3.
tio, Ioannes Vitalis in Speculo morali S. Script. verbo *mors*, per *rotam* accipit volubilitatem appetitus sensitivi; quæ est in toto corpore, immittendi et emittendi istam aquam,
scilicet caloris naturalis per omnia membra. Quarto, Olym- 4.
piod. S. Hieron. et alii censent idem significari per confractionem rotæ super cisternam, quod per confractionem
hydriæ super aquam, de qua iam dixi. Quinto, magis appo- 5.
site Valles. c. 66. S. Philos. confractionem tam hydriæ super fontem, quam rotæ super cisternam, accipit de stranguria vel ischuria, id est difficultate urinandi, qua laborant senes. « Fons enim, inquit, est hepar, eiusque meatus et via, per quam emanat urina; hydria est vesica quæ illi superstat; rota est ren qui aquam urinæ trahit, et transmittit in vesicam; cisterna est vena cava, et hepar, unde hauritur serum sanguinis, quod est materia urinæ; quæ omnia in senibus confringuntur, id est debilitantur, luxantur, solvuntur; quare senibus ob debilitatam vim retentricem vesicæ, primo difficulter addunt, deinde omnino non reddunt urinam; itaque sensim aqua urinæ vitalia merguntur et suffocantur, atque homo moritur. » Sic et S. Bonav. Levin. Lemnius et alii. Cum enim renes, qui velut hydria exhauriunt aquosum ex sanguine humorem, calculosi fiunt, et interdum velut testacea fragmenta, decidunt confracti in vesicam lapilli; vel cum etiam in vesica ex siccis excrementis generantur; tunc aut supprimitur urina, aut difficulter excernitur, et guttatim stillat. Titelm. vero, sicut per confractionem hydriæ super fontem, accipit confractionem vesicæ; sic per confractionem rotæ super cisternam, accipit contritionem alvi, per quam egeruntur stercora, sicut per vesicam egeritur urina. « Per confractionem rotæ super cisternam, inquit, intelligi potest destructio meatus impuræ superfluitatis; rota enim instrumentum est per quod de cisterna educitur aqua impura et sordida; cisterna enim plerumque continet aquam lutulentam, et frequenter purgari debet. Ita venter est quasi cisterna quædam impura stercora semper in se continens, quæ debent per secessum emitti, ut purgetur immunda cisterna: rota autem, per quam fit purgatio hæc, meatus, et secessus ipse accipitur. » Igitur duplex ventris spurcities, duplici hoc ænigmate, honesta eleganti que periphrasi describitur.

Sexto et genuine, rota est caput, cisterna est cor, a 6.
quo caput haurit omnes spiritus vitales per nervos, qui Genuine
in capite resident; corde enim deficiente in senibus, deficit quoque cerebrum et caput, atque eodem moriente pariter emoritur. Ita Lyran. Vatabl. Emman. Sa, Dionys. et alii. Hinc in senibus videmus caput tremulum, ac cor palpitans et pavidum.

Nota: Apte cerebrum et caput comparatur rotæ, cor ci-

Cerebrum est rota, cor cisterna
æternæ. Primo, ob rotunditatem; sicut enim rotunda est
rota, sic et caput; hinc a גלגל *galgal*, id est rota, di-
citur גלגלת *gulgoleth*, id est caput. Chaldæi dicunt
1. *gulgolta*; unde *Golgota*, id est locus craniorum et capi-
tum eorum qui morte plectebantur; unde ibidem crucifi-
2. xus est Christus. Secundo, ob volubilitatem: sicut enim
volubilis est rota; sic et caput, quod per colli vertebras
3. in omnes partes se rotat et gyrat. Tertio, ob rotationem,
cogitationum, imaginationum, desideriorum, volitionum,
intentionum, quibus anima hominis in capite assidue ro-
4. tatur et volvitur. Quarto, ob vertigines, quibus in capite
laborant senes ob defectum spirituum et copiam humo-
rum quos cum debilis calor consumere nequeat, agitat et
rotat in orbem, itaque vertigines efficit. Denique, caput
cordi superpositum est, velut rota cisternæ; cor enim est
fons caloris, et vitalium origo spirituum totius corporis,
sed præsertim capitis.

Minus apte Clarius per *rotam* accipit cranium, quod cerebrum continet, eiusque est sedes. In morte enim non confringitur cranium, utpote osseum et durum; imo crania cum cæteris ossibus in cœmeteriis collecta, ad plurimos annos integra perdurant, indeque dicitur cranium, a κρανοι, id est galea, quod instar galeæ cerebrum (utpote natura sua mollissimum) a læsione tuetur, teste Galeno lib. 8. de Usu partium c. 9. ubi cranium vocat immobilem murum cerebro circumdatum.

Symbol. Symbolice per *rotam aquæ ac hydriam*, accipias animam colligatam fonti vel cisternæ, id est corpori, q. d. Sicut rupta hydria ad fontem, et disrupta rota, qua per funem attrahitur aqua ex cisterna, fonte, vel puteo, iam impossibile est haurire ex ea aquam; sic deficientibus et exhaustis in senio facultatibus, viribusque naturalibus et vitalibus, anima et vita retineri non potest; sed anima ad Deum creatorem suum recurrente, corpus cum suis spiritibus et humoribus in suos fontes et cisternas, id est in sua elementa, recurrit et resolvitur. Ita Chal. qui vertit: *Et decurrat corpus tuum in medium sepulcri tui.* Sic S. Iacobus c. 3. 6. ait de lingua: *Inflammat rotam nativitatis nostræ*, id est, omnem vitæ ordinem, cursum, periodum et circulum. Vide ibi dicta. Sic et S. Hieron. qui proinde confractionem hydriæ et rotæ censet esse ænigmate mortis. Et Scholiastes: *Præsens vita*, inquit, *eo quod volvatur, rota est; igitur antequam nos ad inferos detrudat, curam sui gerat* unusquisque. Olympiod. legit: *Antequam convolvatur rota super lacum*, hoc est convolvendo infringatur, et decidat in lacum, sive cisternam, una cum aqua ipsa, quam figuli suo operi superinfundunt. *Rota*, inquit, *accipitur nostra hæc vita, ob ipsas revolutiones ac motus, iuxta illud: Vox tonitrui tui in rota. Innuit ergo, antequam rota huius vitæ nos secum præcipites devolvat in lacum, propriam curemus salutem.* Vide S. Hieron.

Quocirca S. Nilus in Parænesi: *Vide*, ait, *rotam vitæ sine ordine rotatam; cave vero foveam, in quam devolvit dormientes in ipsa vita.* Dormit ergo, et desipit, qui vivit huic vitæ; vigilat vero et sapit, qui vivit futuræ et æternæ.

Vita est rota. Simili tropo Phocylides ait: ὁ βίος τροχός, id est, vita est trochus, quia instar trochi rotatur. Philosophus ille, rogatus quæ et quantula esset vita hominis, non verbo, sed facto respondit; vertit enim seipsum in orbem, innuens eam unius gyri duratione metiendam. Quocirca sapienter Agapetus Diaconus in exhort. ad Iustinian. Imperat. cap. 41. *Circulus*, inquit, *quidam humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas et circumfert: atque his inæqualitas est, eo quod nihil in præsentibus, in eodem statu maneat. Oportet igitur te, potentissime Imperator, in hac rerum versatili mutatione immutabilem habere pietatis cognitionem.* Et Isidor. Pelus. l. 2. epist. 158. *Tempus*, inquit, *rotæ speciem imitatur, utpote quod in sese torqueatur et convolvatur.*

Tropol. Tropolog. Thaumatur. tam per hydriam super fontem, quam per rotam super cisternam, accipit tempus in hac vita nobis datum ad abluenda peccata, tum baptismo, tum lacrymis, et pœnitentiæ Sacramento.

Anagog. Anagog. Titelm. confractionem rotæ super cisternam accipit ut symbolum resurrectionis, q. d. Quemadmodum rota illa, quæ super cisternam posita est, violenter illic detineri debet inclusa ferramentis et clavis affixa: postea vero quam frangitur illa, aut vincula, sive clavi quibus illa hæret affixa, tum in plenitudinem aquæ ruit, et ibi quietem habet; sic anima hominis in corpore isto mortali et corruptibili, quasi violenter detinetur; nimirum quasi in carcere et ergastulo, compage naturali alligata; quibus ligaminibus confractis in morte, anima ipsa in plenitudinem aquæ, puta in abyssum divinitatis transit, ibique plene fruitur requie. Nec mirum videatur, quod rotæ comparetur anima in corpore; quoniam sicut rota in suis retinaculis assidue movetur et circumvolvitur; sic anima in hoc corpore corruptibili raro quiescit, sed continuo volutatur nimia mutabilitate. Et quomodo rota illa, quæ supra cisternam est, per hoc quod se volvit super cisternam, aquam haurit ex ea; non habet tamen requiem, donec collabatur in ipsam: sic anima etiam pro statu corporis huius, dum se ad illam abyssum divinitatis convertit, ac circa illam sese occupanda volvitur, aquas gratiæ ex ea haurit in consolationem et refrigerium; verumtamen non plenam habebit hic requiem, donec rupta ad illam recurrat, ut plene in illam sese possit immergere. Huc facit illud Platonis σῶμα dici quasi σῆμα, quod corpus sit quasi lacus et carcer animæ, ex quo proinde anima evolare gestiat ut libertate sua in cælo potiatur. σωμα σημα

Porro omnes ærumnæ senii et mortis, hisce ænigmatibus repræsentatæ, competunt quidem omnibus senibus et moribundis, sed maxime iis qui iuventutem in voluptatibus exegerunt, ac naturæ vires libidinibus exhauserunt, et corruperunt. Quare Salomon hic maxime monet iuvenes, ut ab iis se contineant, dicendo in fine cap. præcedentis: *Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam* (nequitiam voluptatis et libidinis) *a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt. Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuæ*, ut te ab ira et rixa, æque ac a voluptate et libidine contineas, *antequam* per ea, citius solito, *veniat tempus afflictionis tuæ*, puta ne tibi obveniat præmatura senectus ærumnosa, ac eaque mors.

Igitur singulas has ærumnas ab initio capitis usque ad hunc versum recensitas ex libidine iuventutis provenire, ac per eas senium accelerari, ostendi initio capitis in Synopsi; nunc idipsum ostendam in quatuor ænigmatibus hoc versu commemoratis.

Ergo salacibus et luxuriosis iuvenibus, per gulas et libidines, præmature recurrit *vitta aurea*, id est contrahitur meninx cum cerebro, indeque oritur calvitium, quia semen maxime deciditur e cerebro; quare nimia seminis effusione læditur cerebrum, quo fit ut luxuriosi laborent epilepsia, apoplexia, defluvio capillorum, hemicrania, aliisque cerebri capitisque morbis; sintque obliviosi, tremuli, pallidi, languidi, infirmi, uti medici docent, et experientia quotidiana demonstrat: videmus enim luxuriosos uti liene, sic et cerebro debilitari ac laborare. Quocirca Ætius loco mox citando, asserit libidinem *neque ad animæ ratiocinationes conducere; imo potius congelare et obstupefacere intelligentiam.* Simplicius in commentario Epicteti cap. 47. *Omnis voluptatis corporeæ continentia*, ait, *animum rationis capacem corroborat. Libido*, inquit S. Ambrosius, *a ratione revocat, aufert consilium, omentes inquietat*; et S. Hieronymus, *Amor formæ, rationis oblivio est, et insaniæ proximus; fœdum, minimeque conveniens animo sospiti vitium*; et iterum: *Quis enim cum utatur voluptate ea, attendere animo quidquam potest?*

Inde *rumpitur funiculus argenteus*, id est, contrahitur, læditurque medulla spinæ dorsi, per quam spiritus vitales a cerebro ad partes inferiores commeant; quia medulla hæc oritur ex cerebro in occipitio: cerebro ergo per libidines læso, necesse est et medullam lædi. Unde Plato dicebat semen esse spinalis medullæ defluvium, teste Plut. lib. 5. de Placitis Philos. c. 3.

Rursum, ex nimia luxuria et seminis effusione *conteritur hydria super fontem*, id est, sanguis iecoris effunditur: semen enim est purissimus sanguis; unde semine per

nimiam libidinem effuso, succedit et effunditur sanguis; unde phthisis oritur, et sanguinis sputum. Ita Hippocrat. libr. 2. de Morbis vulg. Celsus. l. 3. cap. 22. Ætius Tetra. I serm. 3. c. 8. quem audi: *Viri multi, ex multa venere sanguinem exspuerunt: partim ob violentam spiritus compressionem et intensionem, partim ob venarum et arteriarum, quæ ad genitales partes deferuntur, communionem.* Deficiente sanguine et spiritu, qui multus in semine effunditur, deficit pariter iecur, stomachus, et cor; unde sequuntur languores, deliquia, cacochymia, pallor, macies, aliaque sanitatis damna, uti idem docent. Ad hæc, salacibus conteritur *hydria super fontem*, id est, renes et vesica morbos contrahunt: in renibus enim est seminis origo: hi proinde per libidines, semine exhausto, deficiunt et fatiscunt; unde oritur stranguria, flatus, calculus, etc.

Denique, iisdem *confringitur rota super cisternam*, id est læditur caput: dum deficiente corde, iecore et stomacho, ex iis nec alimoniam, nec sanguinem, nec spiritus vitales ad motum et sensationem quamlibet necessarios haurire potest. Quocirca, visus, auditus, sensusque omnes hebetantur et deficiunt. Hinc Theotinus, impatiens libidinis, maluit patiens esse cæcitatis, quam medici ei prædixerant, si libidine uteretur. Unde exclamavit: *Vale amicum lumen*, uti narrat S. Ambros. l. 4. in Lucam c. 47.

Luxuriosi laborant capite. Cur autem caput magis sentiat damna luxuriæ, quam cætera membra, duas causas dat Viegas Eborensis Artic. med. c. 47. Prior est, quod cerebrum et caput sit extremum, in quo cessat vis tractoria, quæ ex alia parte non potest trahere; trahunt autem partes infimæ successione continua usque ad cerebrum. Altera, mollities cerebri et medullæ dorsalis, quæ trahentibus partibus facilius cedit, quam partes solidæ. Inde Salaces et libidinosi sunt imminuti cerebri, et exhausti medulla dorsi. Sapienter ergo vereque Galenus l. 2. de Sanit. *Si voluptate esca malorum*, nit, *ad congressum impellamur, futurum profecto est ut non corporis modo, sed animi vires frangantur pene omnes, prorsusque cum vita una pereant: frequens enim venus corporis habitum solvit, senectutem accelerat, canos maturat, nervorum incontinentiam, podagras, arthritides, tremores, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum, succorum cruditatem, ac virium corporis omnium, functionumque ab his manantium infirmitatem facit*, etc. Addit hic Ætius Tetra. 1. serm. 3. cap. 8. *Renum et vesicæ morbos, oris graveolentiam, dentium dolorem, gurgulionis inflammationem, sanguinis sputum, ulcera in membris, febrem, et omnia mala.*

Quare vere concludit S. Isidor. lib. 2. Sentent. cap. 40. *Castitas est securitas mentis, sanitas corporis.* Et Plut. in Præceptis de sanitate tuenda asserit. *Optime dictum saluberrima esse hæc: Alimenti citra satietatem usum, alacritatem impigram ad labores, naturæ seminis conservationem.* Subiungit: *Intemperantia enim coitus, eo quod maxime eam facultatem debilitat, qua nutrimentum conficitur, excrementorum gignit copiam.*

Vers. 7. Et revertatur pulvis in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.) *Pulvis*, id est Adam, sive homo, puta corpus hominis ex adama, id est, ex terra et pulvere aqua mixto, sive ex limo a Deo formatum iuxta illud quod Deus Adæ post peccatum intentavit: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, Genes. c. 3. 19. et c. 2. v. 7. Vide ibi dicta.

Sic S. Paulus primus eremita, teste S. Hieron. in eius Vita, Antonium se invisentem salutans: *Eu*, inquit, *quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities; en vides hominem, pulverem mox futurum.* Et mox instantem sibi mortem prædicens: *Sed quia iam dormitionis meæ tempus advenit; et quod semper cupiebam, dissolvi, et esse cum Christo, peracto cursu, superest mihi corona iustitiæ, tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum contegas, imo terræ terram reddas.* Et S. Maria Ægyptiaca ad Zozimam, qui vitam ex ore eiusdem acceptam conscripsit: *Sepeli, Abba Zozima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, et pulveri adiice pulverem.*

Hinc S. Scriptura mortem vocat *dissolutionem*, scilicet animæ a corpore resolutionem, puta corporis in sua elementa dimissionem, depositionem. Idem imitati sunt Plato et Philosophi: unde Plutarchus in Apol. ad Apollon. mortem vocat *discretionem rei concretæ*, citatque illud Epicharmi:

Concretus est, ac discretus, et rursus abiit, unde venerat:
Terra quidem in terram, spiritus ad supera.
Vivens ergo, sæpe morere, ut mortuus vivas.
Ne moriare, opus est mortem præcurrere morte.

Hinc et Lyriens:

Pulvis et umbra sumus: pulvis nihil est, nisi fumus,
At nihil est fumus: nos nihil ergo sumus.

Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.) Tamquam ad suum sui factorem, sic et iudicem (hunc enim significat Hebr. *Elohim*) ut illi actionum suarum per omnem vitam exercitarum rationem reddat, et pro meritis, vel præmia, vel supplicia recipiat. Aliter ergo pulvis, sive corpus redit ad terram, aliter spiritus, id est anima redit ad Deum. Corpus enim redit, quia corrumpitur, et resolvitur in terram, velut in materiem, ex qua formatum est; spiritus vero, sive anima hominis, non corrumpitur, sed immortalis manens redit ad Deum, velut sui iudicem, utpote a quo creata est ad imaginem et similitudinem eius, puta, rationalis, libera, spiritalis, immortalis, ut bene agendo æternam gloriam, male operando perennem gehennam subeat.

Hinc ergo, et ex similibus locis clare patet animam hominis esse immortalem, utpote quæ non sit ex traduce et semine parentum producta, sed immediate a Deo creata, qui proinde vocatur Pater spirituum. Unde S. Hieronymus: *Ridendi sunt*, inquit, *qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illam, manifestum est Deum patrem animarum esse non homines.* Sic et Cassian. Collat. 8. c. 25. Et S. Aug. Epist. 3. ad Volusianum: *Quis nunc est*, ait, *extremus idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque post mortem futuram?* Idem lib. 10. de Genesi ad litteram c. 9. ex hoc Salomonis loco probat animam primi hominis, puta Adæ, a Deo creatam ex nihilo; dubitat tamen de animabus posterorum, an ita dicantur creatæ a Deo, ut tamen propagentur ex traduce Adæ. Animæ immortalitas demonstratur.

Inculcat Salomon iuveni in voluptates et libidines prono, animæ immortalitatem, ac iudicium ob eas coram Deo subeundum, quia hæc duo acre frænum voluptati et libidini iniiciunt. Unde videmus eos, qui voluptati et luxuriæ totos se dedunt, ut id libere sine metu vindictæ faciant, sensim fieri atheos, ac negare animæ immortalitatem, iudicium, cælum, gehennam imo omne numen. Quocirca Chald. vertit: *Memento Creatoris tui, ut glorifices eum in diebus adolescentiæ tuæ.*

Rursum, ex eo quod anima e corpore exiens redeat ad Deum factorem suum, refellitur error Pythagoræorum, Origenistarum, ac similium μετεμψύχωσις, id est transmigratio animarum ex uno corpore in aliud. Illi enim censuere animam in alia et alia corpora successive transmigrare, aut verti in dæmonem, vel brutum.

Denique S. August. l. 1. de Lib. arb. c. 12. animas redire ad Deum, ad cælum animas redire interpretatur, sed illud retractat et explicat l. 1. Retract. c. 1. « Alio loco, inquit, cum agerem de animo, dixi: Securior rediturus in cælum. Iturus autem quam Rediturus dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cælo lapsos sive deiectus in corpora ista detrudi. Sed hoc ego propterea non dubitavi dicere; quia ita dixi in cælum, tamquam dicerem ad eum, qui eius est auctor et conditor: sicut Cyprianus non cunctatus est dicere. Nam cum corpus e terra, spiritum e cælo possideamus, ipsi terra et cælum sumus. Et in libro Ecclesiastis scriptum est: Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum. Quod utique sic intelligendum est, ut non

resistatur Apostalo dicenti: nondum natos, nihil egisse boni aut mali. Sine controversia ergo quædam originalis ratio beatitudinis animi, Deus ipse est. Qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus e terra. Nam quod attinet ad eius originem, qua fit ut sit in corpore; verum de illo uno fit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an semper ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. »

Ita ipse; sed iam ex Ecclesiæ interpretatione et definitione certum est animas hominum, non a parentibus propagari, sed singulis dum nascuntur a Deo singulas creari, et creanda infundi.

Vers. 8. VANITAS VANITATUM, DIXIT ECCLESIASTES, ET OMNIA VANITAS.) Syrus: *Omnis res vanitas*; Arabicus; *Omnes enim res sunt vanæ*. Hoc est thema, quod Ecclesiastes initio libri probandum proposuit, ac nunc velut probatum repetit, et ex dictis, tamquam conclusionem inductione omnigena firmatum infert et colligit: *Cum enim*, inquit, S. Hieron. *cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perveniat, ut revertatur pulvis in terram suam, et anima illuc redeat, unde sumpta est; magnæ vanitatis est in hoc sæculo laborare, et nihil profutura conquirere*, præsertim cum de his iudicandus sit et adiudicandus gehennæ, si illarum amore Dei legem violarit. Est ergo hic epilogus, in quo Salomon colligit summam totius concionis suæ, ut eam profundius lectoris menti infigat, utque lector sciat quid præcipue ex ea memoria retinere, et opere exercere debeat. Idem imitetur doctor et concionator. Porro Chaldæus magis enucleate vertit: *Quando contemplatus est Salomon rex Israel vanitatem huius sæculi, et vanitates quas operantur filii hominum, dixit Ecclesiastes in verbo suo: Omnia sunt vanitas.*

Gnome hæc fuse explicata est initio libri; quare nihil hic addendum occurrit.

Vers. 9. CUMQUE ESSET SAPIENTISSIMUS, ECCLESIASTES DOCUIT POPULUM (*scientiam* ut addunt Hebr. Sept. Syrus, Arabicus) ET ENARRAVIT QUÆ FECERAT: ET INVESTIGANS COMPOSUIT PARABOLAS MULTAS.) Hebr. est: *Adhuc docuit populum*, q. d. Non tantum contenta hoc libro, sed et multa alia eo non contenta docuit populum. Unde liquet Salomonem multoties eum docuisse, tum viva voce docendo, ut exhortando ad virtutes et Dei cultum: tum scriptis idem facilitanda per omnia sæcula: nam

Vox audita perit, littera scripta manet.

Simili modo Iob docuit populum sibi subditum c. 29. v. 20. et seq. Hæc enim insignis est principis dos et laus.

Thaumat. censet hic queri Salomonem de auditorum oscitantia et perdita vita, ut concionem hanc et similes respuerent: *Cæterum*, inquit, *et hic meus quamvis sapienter concionantis labor sit supervacaneus apud populum illum, iustitiæ negligentem doctrinamque et curam respuentem.*

Hebr. est: *Et amplius, quia fuit Ecclesiastes sapiens, adhuc docuit populum*, q. d. Quo fuit sapientior Ecclesiastes, eo diligentior fuit in docendo; quia sciebat ideo sibi hanc sapientiam datam a Deo, ut eam alios, ac præsertim sibi subditos, doceret: itaque eos probos efficeret, et ad felicitatem æternam proveheret. Unde Hugo: *Non suffocavit*, inquit, *inventa quasi partum in utero; sed in lucem edidit: derivavit fontes suos foras, et aquas suas divisit, sicuti ipsemet docuerat*, Prov. 5. v. 16.

Porro, Thaumat. τὸ *et amplius* refert ad id quod præcessit hoc modo: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia vanitas et amplius*; quod sic explicat Thaum. *Dico igitur, sicut et principio dixi, miram esse vanitatem qua occupantur homines, tamque superabundantem* (hoc illud est, *et amplius*) *ut nemo eam totam animo queat complecti.* Verum Noster et cæteri τὸ *et amplius* melius referunt ad sequent. scilicet ad τὸ *sapiens*, q. d. Cum Ecclesiastes esset amplius sapiens, id est sapientissimus.

ET ENARRAVIT QUÆ FECERAT.) Hebr. ויאזן *vaizen*, id est audire fecit, ut vertit Aquila, id est enarravit; S. Hieron. *audire eos fecit*; Syrus, *auscultatus est*; Pagnin. *et fecit auscultare*; Vatabl. *et commovit studium doctrinæ*. Minus recte Caietan. *et auscultabat*, scilicet populus Salomonem tanta sapientia et gratia docentem. Chald. *et attendit voci sapientum*; alii apud Pagnin. in Lexico, *audiendo perpendit ac investigavit, ponderavit, et libravit verba parabolarum.*

Septuag. pro אזן *izen* alio puncto legentes אזן *ozen*, id est *auris*, vertunt, *et auris* (Salomonis vel potius populi eum audientis) *investigavit ornatum parabolarum*; Arabic. *et incrassata auris eius ornamentum similitudinum.*

QUÆ FECERAT.) Tum fabricando, unde fabricam templi a se ædificati, et officia ministrorum in libro descripsit, ut patet 2. Paral. 35. 4. tum res a se gestas, uti ea enarravit cap. 2. et seq. asserens se in omnibus invenisse vanitatem; tum maxime doctrinam, parabolas et sententias, quas meditando invenerat et composuerat, docuerat, dictarat, et amanuensibus scribenda tradiderat: hæc enim enarrare opus est Ecclesiastæ, id est concionatoris.

ET INVESTIGANS COMPOSUIT PARABOLAS MULTAS.) Apposite, Noster pro חקר *chiker*, id est *investigabit*, alio puncto in Bennai legit חקר *choker*, id est *investigans*, eo quod desit copula vau, id est *et*; eam tamen subaudit et supplet Chald. dum vertit: *Et scrutatus est libros intelligentiæ, et parabolas intelligentiæ multas valde.* Hinc liquet Salomonem, non tantum composuisse parabolas et gnomas novas, et a se adinventas, sed et priscorum sapientum æque ac recentiorum sui ævi audivisse, vestigasse, concinnasse, correxisse, et in meliorem formam redegisse. Hæc enim omnia significat Hebr. תקן *tiken*, quod proprie est rem dirigere, corrigere, concinnare, pangere; ita ut partes singulæ sibi invicem æque ac toti composito harmonice et apte convenientes congruant et respondeant, uti panguntur carmina, rhytmi, odæ. Unde Campens. vertit: *Diligenter scrutando omnia, multa invenit ad sapientiam pertinentia, et multa restituit sapienter ab aliis dicta.* Rursum R. David *ticken* vertit: expendit, ponderavit, res inter se contulit, sicut solent, qui bilancibus duo pondera expendunt: *Inclinabo in parabolam aurem meam*, Psal. 48. 5. Quarto, q. d. Salomon, cum alios audiebat, iudicium et momentum aurium ad ponderandum adhibebat, cum auditoribus suis aliquid enarrabat, inter dicendum etiam ponderabat rerum momenta, et singularum pondus atque dignitatem; ac Davidem patrem dicentem audiebat: quia ipse quoque inclinabat in suas parabolas aures suas. Vide quæ de parabolis Salomonis dixi initio Proverbior.

QUÆSIVIT VERBA UTILIA, ET CONSCRIPSIT SERMONES Vers. 10.
RECTISSIMOS, AC VERITATE PLENOS.) Septuag. *Quæsivit Ecclesiastes, ut inveniret verba voluntatis, scriptum rectitudinis, verba veritatis*; Hebr. *Quæsivit verba voluntatis*, id est beneplacita, grata, et ut Caiet. vertit, *desiderata*, qualia sunt *utilia*, ut vertit Aquila et Noster, quæ scilicet vir sapiens et probus velle debet et solet, quæque, ut ait Olympiod. *conformia sunt voluntati divinæ*, quæ qui sequitur, adipiscitur gloriam felicitatis æternæ. Hinc Vatablus exponit, q. d. *Quæsivit verba voluntatis*, id est notitias veras de expetendis et aversandis, adeoque de summo bono et malo.

S. Hieron. per *verba voluntatis* accipit secreta voluntatis et providentiæ divinæ: « Super hæc, inquit, addidit causas naturasque rerum se voluisse cognoscere, et Dei dispositionem et providentiam; quare unumquodque, vel quomodo factum sit, scire voluisse, ut quod David post dissolutionem corporis et animæ ad cælum recursum se sperat esse visurum, dicens: Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; hoc nunc in præsenti Salomon nisus fuerit invenire, et veritatem soli Deo cognitam, quam corporis vallata septo, mens humana comprehendere non potest. » Chaldæus vero per verba voluntatis accipit secreta cordium: « Quæsivit, inquit, Salomon, qui appellatur Ecclesiastes in sapientia sua, ut iudicaret iudicium de cogitationibus cordis hominis, et absque testibus, tunc dictum

est ei in spiritu prophetiæ a facie Domini: Ecce iam scriptum est in libro legis per manum Moysi magistri Israel, verba recta et fidelia per verbum prædictorum testium stabit omnis res. »

Verum hæc aliena sunt et minus vera: solus enim Deus est cardiognostes, id est secretorum cordis inspector, idque optime sciebat Salomon: quare non est credibile eum illa voluisse scrutari. Optime ergo S. Hieron. in Vulgata vertit: *Quæsivit verba utilia*; unde et sequitur.

Et conscripsit sermones rectissimos.) Hebr. et Septuag. *et scriptum rectitudinis*, repete *quæsivit*, id est volumen legis, inquiunt Hebræi: huius enim studium commendatum est regi a Mose, Deuter. 17. 19. et ipsi Iosue a Deo, Iosue 1. 8. Melius Noster pro כתוב *catub*, id est scriptum, alio puncto legens כתוב *catob*, id est scribere, vertit: *Quæsivit scribere*, id est conscripsit, *rectitudinem*, hoc est sermones rectissimos. Omnia enim hæc spectant ad parabolas et gnomas a Salomone dictatas et conscriptas. Unde S. Hieron. in veteri editione vertit, *ut inveniret verba voluntatis, et scriberet recte verba veritatis*; Aquila, *et conscripsit recte*.

Quod si retinere velis *catub*, id est *scriptum*, expone *scriptum*, scilicet non a Mose, sed ab ipso Salomone. Vatablus vertit: *Scriptura rectitudinis, hoc est*, inquit, *quod recte litteris mandare posset*, vel *stylo æquabili studuit tradere sapientiam*. Melius *verba rectitudinis* expones *verba recta*, id est rectæ rationi, veritati, iustitiæ, legi et voluntati divinæ, velut suæ normæ et regulæ directæ conformia, non obliqua, non torta, non perversa, ut sunt verba impiorum, iuxta illud quod Sapientia de se ait Prov. 8. 8. *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum*. Unde Thaumaturg. rectum exponit, gratum Deo: *Ego*, inquit, *tam grandis natu longumque vitæ spatium emensus, in iis, quæ Deo grata et accepta sunt, per veritatis mysteria exquirendis, animum defatigavi*. Recentior quidam clare vertit: *Conscripta est rectitudo verborum veritatis*.

Vers. 11. Verba sapientum stimuli.

Verba sapientum, sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.) Clare Thaumat. « Comperi universos, non minus sapientum admonitionibus excitari, quam si aculei clavique corporibus infigantur. Unde spero futuros, qui doctrinas illius sapientia plenas, sibique a fideli pastore et præceptore creditas posteris enarraturi sint, multo uberius et ornatius, tamque consonanter, quasi ex uno ore audierint. » Chald. « Verba sapientum comparantur stimulis, et sicut clavi defixa sunt ad docendum scientiam eos, qui sunt vacui absque scientia; sicut stimulus docet bovem. Et principes consilii habentes regulas, et doctrinas, quæ datæ sunt per manum Moysi Prophetæ, qui solus pascebat populum domus Israel in deserto, in manna, in coturnicibus. »

Ostendit Salomon utilitatem, vim et efficaciam suæ sapientiæ et doctrinæ, quod scilicet sapientiæ et sapientum (quorum ipse primus erat) verba animum pungant, ut stimuli vel aculei, ac profunde intimeque menti infigantur, ut clavi. Ita S. Hieronym. « Ne videretur, inquit, post legem Dei temerarius subito præceptor erumpere, et sibi vindicare doctrinam, quam Moyses non tam sua sponte, quam Deo irascente, primum, dehinc inspirante susceperat; dicit verba sua esse verba sapientum, quia in similitudinem stimulorum corrigant delinquentes, et pigros mortalium gressus aculeo pungente commoveant: sicque sint firma, quasi clavi in altum solidumque defixi, nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur humana sapientia, ait eam ab uno pastore concessam, id est, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ auctor unus est Dominus. Facit hic locus adversus eos, qui alium legis veteris, alium Evangelii existimant Deum, quod unus pastor consilium prudentium instruxerit. Prudentes autem, tam Prophetæ sunt, quam Apostoli. »

Deinde apposita, annotanda subiungit: « Simul et hoc notandum est, quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciviam, sed errantibus, et ut supra diximus, tardis pœnitentiæ dolores et vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientum, ut stimuli: quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, et firma sunt, et a consilio sanctorum data, atque ab uno pastore concessa, et solida radice fundata sunt. Hoc stimulo necdum Paulum, sed adhuc Saulum puto in via confossum erroris, audisse: Durum tibi est calcitrare contra stimulum Dei. » Huic sententiæ affinis est gnome quinque veterum Rabbinorum in Pirke Avoth, cap. 2. « Ad ignem sapientum incalesce, si potes: incendiu autem illorum ne ardeas cave: Dentes enim eorum dentibus vulpinis scutiores sunt; pungunt ad instar scorpionum, et verba ipsorum tædarum in modum urunt, ac in cineres solvunt. »

Sic quoque exponit S. Greg. hom. in Evang. *Clavis*, inquit, *ac stimulis sapientum verba comparantur; quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere*. Huc pertinet illud Dei per Ierem. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus: numquid non verba mea quasi ignis? dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?* Ierem. 23. 28. et 29. Ubi D. Hieron. *Pulchre*, inquit, *doctrina perversa paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, sed de manibus stipulis conteruntur*. Et statim docet talem esse hæreticorum doctrinam: *Qui omnes*, inquit, *auditores suos adulatione decipiunt*. Contra vero fidelis prædicator, igni et malleo comparatur, qui ab omni adulationis specie remotissimus. *Nuntiat*, inquit, *futura supplicia ut deterreat homines a peccando, et paleis peccatorum comminatur incendium, ut hæreticorum corda dura, et instar silicis indomabilia, sermonis sui malleo conterantur*. Intellige pigris, tardis et contumacibus hosce stimulos esse adhibendos: nam cum diligentibus, strenuis et obedientibus oportet sermones esse proflivos, puros, dilucidos ac demulcentes, ait S. Ambros. epist. 49. Illi enim aguntur timore, hi amore. Idem de bobus iubet Columella lib. 2. cap. 2. et lib. 6. cap. 2. *Voce*, ait, *potius quam verberibus bubulcus bovem terreat, ultimaque sint opus recusantibus remedia plagæ*. Hæc de veterano bove; at de iuvenco: *Numquam stimulo lacessat iuvencum, quod retractantem calcitrosumque eum reddit, nonnumquam tamen admoneat flagello*. Et iterum: *Boves verentes sint plagarum et acclamationum*.

Sicut stimuli.) Sept. ὡς τὰ βούκεντρα, id est sicut stimuli boum, quo scilicet boves et asini pigri pungantur ad citius incedendum, fortiusque arandum. Audi Olympiod. « Sicut enim stimuli boves pungunt, urgentque aratro sulcum proscindere: ita et Theologorum verba excitant nos, qui ope boum aramus, proscindere sulcum spiritualem; ut cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clavis ignitis atque candentibus, qui altius ac facilius ligna infiguntur: ita et sapientium verba Theologorum, in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. » Syrus vertit, *tamquam ferulæ*, quarum plagis magistri discipulos exstimulant ad studium.

Et quasi clavi in altum defixi.) Hebr. *Quasi clavi plantati*; Septuag. pariter πεφυτευμένοι, id est, *plantati*; pro quo Arabicus et Olympiod. legunt, πεπυρωμένοι, id est igniti et candentes; hi enim, inquit, facilius altiusque ligna infiguntur. Aquila et Theodot. addunt πεπηγότες, id est, *infixi*, scilicet explicant τὸ *plantati* per *infixi*. Hisce sapientum monitis, quasi clavis configimur Christo crucifixo, dum per ea crucifigimus vitia, passiones, omnesque privatarum affectionum et cupiditatum motus: *Nam sicut clavus affixus retinet rem cui affigitur, ita doctrina hominem continet*, ait Vatablus. Syrus pro *quasi clavi* vertit, *tamquam vomeres*. Hoc est quod ait Apostol. Hebr. 4. v. 12. *Vivus enim est sermo Dei et efficax; et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum*.

Quæ per magistrorum consilium.) Hebr. *Per viros vel dominos* vel *auctores collectionum*, vel *congregatio-*

num, qui scilicet colligent veterum sententias et dogmata, vel potius qui in collectione, id est cœtu, collegio et concilio sedent et præsident. Chald. vocat *magistros et doctores viarum*; S. Hier. in veteri editione vertit: *Habentibus cœtus data sunt:* Septuag. *Qui a consiliis dati sunt a pastore uno*; Syrus: *Qui concaci sunt domini liminum, dati sunt a pastore uno*; Arabicus: *Quos intellexerunt ex thesauris operum suorum a pastore uno*; alius: *Verba sapientum sunt quasi stimuli, et clavi fortiter fixi, sustinentes collectam supellectilem.* Verum Hebræi cum Nostro genuine vertunt: *Auctores collectionum, collectaneorum, vel congregationum*, uti dixit Tigur. *Inter folia collectitia*; Campens. *Velut clari viri studiosi, qui aliis inculcant ea quæ donata* (alii, *tradita*) *sunt ipsis*; R. David: *Quasi clavi verba sapientum, qui congregant verba sapientiæ in libris suis*; alius, *magistri collegiorum*, vel *congregationum*; alius, *Domini discipulorum collectorum in schola*, vel *auctores Pandectarum, qui multa hinc inde excerpta in unum volumen conferunt.* Sensus nostræ versionis est, q. d. Per magistrorum congregationes, et *consilium* (pro quo multi codices, præsertim manuscripti apte cum Septuag. legunt, *concilium*, idque habet S. Hieronym.) id est, unanimem consensum, quasi ex uno cuncti loquantur ore, verba sapientum firma et certa sunt tradita, utpote qui omnes ab uno edocti sint pastore et magistro, scilicet Deo et Christo.

Hinc disce dogmata sapientiæ, quæ sunt in Ecclesia, non esse nuper inventa, sed per manus tradita a Deo et Christo primis Prophetis et Apostolis, ac ab iis successive aliis et aliis communicata, tandem ad nos devenisse. Rursum quanta fides et reverentia sit deferenda Patribus cæterisque Ecclesiæ magistris. Porro magistros hos enumerat Caietan. *Abraham*, ait, *primus congregationis auctor, mediante circumcisione; Moses auctor congregationis, mediante lege: Iudices deinde, auctores congregationum ad cultum unius Dei a diversis idololatris: Prophetæ deinde congregantes populum a malis moribus ad Deum. Omnes ergo hi ab uno pastore Deo, dati ad pascendum populum verbo divino.*

Sapienter S. Paulus monet Timoth. epist. 2. c. 2. *Quæ*, inquit, *audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus.* Nam hi magistri, ut ait Thaumat. *Sapientissima illa documenta a bono uno pastore et magistro accepta, quasi ex uno ore omnes, atque inter se concordes dabunt, creditam sibi doctrinam ornatius et copiosius exponentes.*

CONSILIUM.) Iam dixi alios legere, *concilium*. Hebr. אסופות *asuppoth*, significat collectiones, collectanea (uti collectaneas ex philosophis et Patribus sententias collegit Damascenus, Beda, Antonius in Melissa, S. Maximus, S. Bonavent. et alii) congregationes, cœtus. Igitur *magistrorum concilium*, idem est quod magistrorum cœtus, collectio, congregatio, consensus. Sic concilium regium vocatur ipse Senatus regius, sive Consiliarii regis. Septuag. vertunt συνθήματα, id est compositiones, compages, conguentationes; item pacta, signa, tesseræ; aliqui legunt συντάγματα, id est, constructiones, constitutiones: unde Olympiod. *Hæc autem verba tradita sunt nobis ex constitutionibus*; alia vero exemplaria habent: *e compositionibus. Constitutiones autem, sive compositiones, intellige opera Dei, quæ admirabili ac supremo ordine et harmonia disposita et constituta sunt, ex quibus proportione quadam ac similitudine ducimur in aliquam Dei opificis cognitionem. Poteris constitutiones hoc loco accipere pacta utriusque testamenti, veteris scilicet ac novi.*

Pastor unus quis?

A PASTORE UNO.) Campensis: *Ab unico pastore Deo*; Tigurina: *Ab uno pastore Spiritu sancto*; Chald. per pastorem populi accipit Mosen. Melius Salonius et cæteri: Pastor unus, inquiunt, est Deus, magistri sunt Prophetæ et Apostoli: Deum enim hic apposite vocat *pastorem*, ut persistat in metaphora stimulorum quibus pastores boves et iumenta ad progrediendum exstimulant, q. d. Licet plurimi sint magistri, qui populum doceant, unus tamen omnis veræ doctrinæ auctor, fons et origo est Deus et Christus, qui proinde sui vicarium in lege veteri constituit pontificem quasi summum Synagogæ doctorem et iudicem, cui in omnibus auscultari et obediri iussit, Deut. 17. Multo magis in lege nova constituit S. Petrum eique succedentes Pontifices Romanos, Ecclesiæ totius doctores et Pastores, Ioan. 21. 16. ut ab uno pastore unitas fidei et doctrinæ hauriretur et servaretur; nec in varias iretur hæreses et errores, uti solide et eleganter docet S. Cyprian. lib. de Unitate Ecclesiæ. Sic enim hierarchia Ecclesiæ in monarchiam, quæ optimum est regimen, desinit: Monarcha enim est Pontifex. Hinc olim [illegible], id est tessera orthodoxi verique Christiani, erat et etiam nunc est, fide sociari, et obedientia subiici Romano Pontifici. Unde S. Hieron. epist. 57. ad Damasum Pontif. quærens ab eo an in divinis dicendæ sint tres hypostases, an una duntaxat: *A sacerdote*, inquit, *victimam salutis, a pastore præsidium ovis flagito, etc. cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor, ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

Ex dictis liquet perperam Hunnium, Witackerum similesque novatores, ut longius ab hoc loco arceant Romanum Pontificem, per pastorem unum intelligere ipsum Salomonem, quia reges *pastores* vocantur; per sapientes vero sententiarum Salomonis collectores: pastor enim hic vocatur non rex vel rector, sed doctor et illuminator, qui alios pascit sua doctrina, quorum princeps est Deus, a quo omnes magistri et sapientes, etiam qui ante Salomonem exstiterunt suam hausere sapientiam, uti hic ait Salomon. Vide Gretserum in Apolog. Bellar. t. 1. l. 3. c. 4.

HIS AMPLIUS, FILI MI, NE REQUIRAS. FACIENDI PLURES Vers. 12
LIBROS NULLUS EST FINIS, FREQUENSQUE MEDITATIO, CARNIS AFFLICTIO EST.) q. d. Hoc libro hucusque sat superque tibi, o lector, descripsi viam et rationem bene beateque vivendi, quare non est quod his plura requiras, nec alios libros curiose evolves; sicut enim faciendi plures libros, sic et eos legendi non est finis. Curiositas enim hominum est immensa nec habet finem; quare nisi illi modum ponas, limitemque figas, te ab uno vero summoque bono in vana multaque distrahet, et acriter cruciabit; quia frequens meditatio, quam parit frequens lectio ac magis scriptio, est carnis afflictio.

Rursum, *amplius his* scilicet quæ tradita sunt a pastore uno per magistrorum consilium et cœtum, puta per Prophetas, Apostolos, Patres et Doctores, ne requiras: quare superfluum est plures inutiles libros conscribere, aut legere. Ita S. Hier. *Exceptis his verbis*, inquit, *quæ ab uno pastore sunt data, et consilio atque consensu prolata sapientium, nihil facias, nihil tibi vindices; maiorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitas librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem, et legentem multa, frustra faciet laborare. Vel certe docet brevitati studendum, et sensum magis sectandum esse, quam verba adversus Philosophos, et sæculi huius doctores qui suorum dogmatum falsitates conantur asserere varietate ac multitudine sermonum. E contra Scriptura divina brevi circulo coarctata est, et quantum dilatatur in sensibus, tantum in sermone constringitur. Quia consummatum breviatumque sermonem fecit Deus super terram, et verbum eius iuxta est in ore nostro et in corde nostro.*

Hebr. habent: *Et amplius ab his monitus esto*, vel *cave*, scilicet ne plura requiras, uti solerter advertit vertitque Noster et Vatablus. S. Hieron. in veteri editione vertit: *Et amplius ab his, fili mi, cave faciendi libros multos, quibus non est finis et meditatio plurima est labor carnis.* Sic et Septuag. ac Syrus. Contrarie vertit Chald. sic enim habet: *Et amplius, fili mi, ne requiras: faciendi plures libros nullus est finis, frequensque meditatio carnis afflictio est.* Consentit Latina Vulgata. Accedit et Arabicus: *Acceperunt*, inquit, *auctoritatem ex eis. O fili mi, conserva hoc, facies libros multos quorum utilitatis non est fi-*

nis, et in meditatione eorum labor est humanitati.

Denique Thaumat. sic interpretatur: *At quid pluribus? cum multiloquio nulla sit utilitas, sed nec tibi, o amice, consuluerim inutilia, et quæ minus conveniunt describere, cum in eis præter laborem nihil sit reliqui.* Aliter vertit Tigur. *Postremo, fili mi,* inquit, *ex hoc admonitus: non libros multos facere infiniti esset operis;* et Campensis: *His paucis, fili mi, te admonitum puta, ut ouiam omnia perstringantur, nec plurimis quidem libris fieri poterit, et labor multa scribendi corpus defatigat.*

Denique pro *amplius* Hebr. est יוֹתֵר *ioter*, quod verti potest, *excellentius, præstantius.* Unde nonnulli exponunt, q. d. Nil amplius, id est, nil excellentius, nil dignius, nil utilius aliunde, quam ex dictis scriptisque sapientum, ac præsertim ex hocce meo Ecclesiaste requiras: abunde ille tibi suppeditabit excellentissima dogmata et consilia ad bene beateque vivendum, ut philosophorum et profanorum magistrorum sermones, vel libros præ illo parvipendere et despicere debeas. Multo enim plura, eaque sanctiora et diviniora ex hoc uno disces, quam ex cæteris omnibus.

Nullus finis scribendi.

I. FACIENDI PLURES LIBROS NULLUS EST FINIS.) Dicit hoc, non quod taxet scriptores studiumque scribendi, cum post Salomonem omnes Prophetæ, Evangelistæ et Apostoli, item Patres Græci et Latini, ut alios taceam, plures libros Ecclesiæ et reipublicæ utiles conscripserint; sed primo ut ostendat sicut aliis in rebus sic et in studio, puta in scriptione, et lectione suam inesse vanitatem et ærumnam, puto afflictionem cordis; sic enim ipse se explicuit c. 1. v. 17. Ita S. Hier.

II. Secundo, ut taxet pruritum scribendi: multi enim pruriunt, ut scribant edantque libros, vana duntaxat nominis gloria impulsi, cum libri ipsorum parum sint utiles, aut prælo indigni; præsertim dum continent errores, hæreses, superstitiones, obscœnitates, etc. Vere Iuvenalis Satyra 7.

Tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes, et ægro in corde senescit.

III. Tertio, ut sapientem moneat pauca legere et scribere, ac omissis profanis, studio sacræ Script. se dedere. Nam ut ait Hippocrates initio Aphoris. *Ars longa, vita brevis:* brevem ergo vitam, brevibus paucisque, sed salutiferis impende. Relinque ergo vanos et prolixos cæterorum libros. Nam ut ait S. August. l. de Doctrina Christian. c. ult. *Et cum ibi* (in Script.) *invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed illorum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur.* Quia et Cicero Tuscul. 1. *Mandare,* inquit, *quemquam cogitationes suas litteris qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio, et litteris.* Hinc Stobæus ser. 49. narrat Socratem, Aristarchum et Phocionem (qui Plutarchum sibi coævum taxat, quod tam multa scripserit) noluisse quidquam scribere. Et Aristippus Socratis auditor cuidam iactanti se plurima legisse: *Quemadmodum,* inquit, *non illi qui plurimum edunt, melius valent his, qui sumunt quantum opus est; ita non qui plurima, sed qui utilia legerunt, studiosi et eruditi sunt habendi.*

Multorum librorum incommoda.

Rationes eorum sunt. Prima, quod legere, scribereque tot libros ingens sit animi corporisque labor et defatigatio. Secunda, quod tot libri minuant ingenii exercitium, cum homines secure scriptis aliorum indormiant.
1.
Tertia, quod officiant memoriæ, eamque obtundant: dum
2.
enim tam varia studiosi legunt nihil retineat; quia poste-
3.
rius extrudit prius. Unde S. Thomas, rogatus qua via et methodo quis evaderet doctus? respondit: Si unum duntaxat legat librum, uti refertur in Chron. S. Dominici p. 1. l. 3. c. 37. Idem dixit fecitque noster Iacobus Lainez, secundus Societatis Iesu Præpositus Generalis: ipse enim unum duntaxat in cubiculo habebat librum, eumque a capite ad calcem perlegebat, quo facto, eum referebat ad bibliothecam, atque ex ea alium sumebat pari modo evolvendum. Quarta, quod in scriptione et lectione tot librorum multum insumatur perdaturque temporis, per tot 4.
circuitiones involutæ veritatis, quæ breviter et nude tradita facilius clariusque intelligitur. Hæc tamen non vetant quin utile sit plures libros scribere, cum vel quid novi affertur, vel novo et meliori modo explicatur, aut cum necessitas respondendi hæreticis aliisque adversariis id exigit; aut cum res ab iis fuse et confuse traditæ, brevi, clara et ordinata methodo traduntur, uti fecit Iustinianus, qui priscorum Iurisperitorum duo librorum millia, in brevem Iuris moderni Codicem redegit.

Præclare Clemens 1. Strom. *Filii quidem corporis, animæ autem liberi sunt scripta.* In libris ergo animum sapientis intueris. P. Damiani lib. 1. epist. 6. *Tuli librum meum, quem velut unicum filium, ulnis uterinæ dulcedinis amplectebar.* Petrus Venet. l. 1. epist. 20. *Plurimi scripserunt, et in divinas litteras edidere commentarios felices; si iurandi studio laborarunt, sudoresque suos divinæ sacrarunt gloriæ non suæ; vivunt adhuc in suis libris, licet abierint, et operum fructus semper pullulant, dum liber vivit.* Proclus Orat. in Chrysost. *A scribendi munere nos scriptorum copia non avocet, urgeat potius ac provocet, et in exemplum aliorum scriptiones sunt. Bonos libros qui conscribit, retia salutis expandit.* Seneca epistol. 33. *Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multis ex illa etiam futuris relictum est.*

Plurima librorum commoda.

Vincentius Lirin. taxans ex Apostolo profanas vocum novitates adinventas a novatoribus ac hæreticis: *Non dicas nova,* inquit, *sed nove.* Sane nostro hoc sæculo viri eruditi et Religiosi ita suis scriptis illustrarunt Poesin, Rhetoricam, Philosophiam, Mathesin, Controversias, Theologiam Scholasticam et Moralem, Spiritalem quoque et Mysticam, ac præsertim S. Script. ut multa hactenus inaudita evulgarint, multa incognita et clausa reserarint, multos ad scientiarum apicem evexerint; adeo ut a Christo nato, vix ullum sæculum fuerit doctius, subtilius, profundius, idque in omni scientiarum genere.

Ratio a priori est. Prima scientiarum immensa amplitudo, profunditas et obscuritas, ex qua fit ut una explicata et superata semper supersit, et cernatur alia et alia profundior et obscurior, idque sine fine et termino: quo fit ut semper novæ quæstiones explicandi, novosque libros scribendi materia relinquatur. Primæ enim cogitationes aditum patefaciunt, ait Dion. posterioribus commentationibus, iisque melioribus, iuxta illud; δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Nemo exantlat mare et thesaurum immensum sapientiæ. Quare tam verum est illud Terentii Prolog. in Eunuc. *Nullum est dictum, quod non sit dictum prius*; quam nihil ex auri argentique venis erui, nihil ex gemmiferis fluviis educi, nihil laticis liquorisve ex fontibus et fluminibus exhauriri denuo, quod non sit erutum, eductum, exhaustum prius, sed aliis et aliis aquis metallis, divitiis semper affluentibus, aliis, inquam, in individuo, sed iisdem in specie. I.

Secunda est immensa ingenii humani capacitas, curiositas, studiumque sciendi, quæ semper nova vestiget, ut ubi priores desierunt, ibi posteriores incipiant ulterius profundiora scrutari, uti videre est in Philosophia et Theologia Scholastica: in dies enim novi Doctores novas movent quæstiones, et novas inveniunt distinctiones, divisiones, sectiones, subtilitates: hæretici quoque novos inveniunt errores et hæreses, quos scriptis libris confutare opus. Quantum lucis, methodi, profunditatis, ordinis S. Augustino et Patribus addidit S. Thomas et Scholastici? *Quotidie aliquid subtilius, aliquid elegantius cogitat luxuriæ furor, usitata contemnens,* ait Seneca l. 6. Natur. quæst. *Nec vero Aristotelem in Philosophia deterruit amplitudo Platonis,* ait Cicero de Optimo genere dicendi. II.

Tertia est indolum et appetituum diversitas, quæ facit ut huic placeat hic scriptor, alteri alter; perinde ac in mensa, huic placet hic cibus, alteri alter; ac in foro uni placent merces huius mercatoris, alteri alterius; quare sicut in convivio, ut omnium appetitui satisfiat oportet plura proponere fercula, et in foro plures merces: sic et III.

in doctrina plures libros etiam de eadem re tractantes, ut cui unus non sapit, sapiat alter, tertius, vel quartus etc. *Utile est*, ait S. Aug. 1. de Trin. 3. *plures a pluribus fieri libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Denique, ad Dei magnificentiam mundique ornatum, et plenam rerum universitatem pertinet, ut sicut singularum rerum et specierum plura variaque exstent individua: sic quoque artium et scientiarum plures et varii prostent tractatus et libri: hoc enim facit ad doctrinæ varietatem et copiam; quodque enim ingenium, suum sibique proprium habet genium, acumen, iudicium, dicendi scribendique methodum, gratiam, stylum, ac quippiam semper in quo emineat in cæteros superet.

Quocirca Origenes sex millia librorum in S. Script. edidit, teste S. Epiphanio. *M. Varro*, ait S. Aug. *tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, ut vix quidquam legere potuisse credamus.* Hinc illæ magnificæ regum et sapientum bibliothecæ, tot in omni arte librorum præstantium millibus instructæ, ac toto orbe celebratæ, Ptolomæi Philadelphi (quæ quingenta millia librorum continebat, ait Iosephus lib. 12. Antiq. c. 11. et Euseb. l. 8. Præp. c. 1. imo septingenta millia, ait Gellius lib. 6. c. ult.) Traiani, Vespasiani, Origenis, Pamphili, S. Augustini etc. ac modernæ in singulis provinciis numerosissimæ; inter quas, *velut inter ignes luna minores* emicat Biblioth. Vaticana, erecta a Nicolao V. Quam iucundum, quam utile, quam eruditum in iis versari, ac tot sapientum sensa manu, oculis menteque versare? An non hoc est vitam agere inter Musas, in Alcinoi hortis degere, paradisum terrestrem incolere, perpetuis in mentis deliciis convivia agitare?

Porro lectoris est meliores sibique utiliores seligere legereque libros, ac lectos ruminare, et in memoriam, velut mentis ventrem recondere instar convivæ, qui meliores sibique salubriores in convivio seligit, comeditque cibos; scriptoris vero est, non tantum utilia scribere, sed et eximium quid, sive in re, sive in modo methodoque scribendi afferre, ut rara gratia lectorem mulceat: qui enim trita scribunt, aut gratia scribendi destituuntur, ii in angulum detruduntur ubi nec legantur, nec solem aspiciant. Denique *qui ascendit pulpitum* (ad docendum vel scribendum) *incurius, descendit inglorius.* Noli ergo præcox et præceps esse in edendo ingenii tui fœtu. *Sit elephantinus partus, nonumque prematur in annum.*

Mystice, S. Hier. plures libri sunt, qui discrepant ab uno et vero, scilicet a Christo: unus vero liber sunt omnes Prophetæ, Evangelia, Epistolæ, etc. quia unum Christum loquuntur et sonant. *Quidquid enim dixeris*, inquit, *si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, unum volumen est, et innumerabiles libri, una lex, unum evangelium nominantur. Quod si diverso et discrepantia disputaveris, et curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris; etiam in uno libro multi libri sunt. Unde dictum est: Ex multiloquio non effugies peccatum. Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne et veritas certo fine concluditur; malitia vero atque mendacium sine fine sunt, et quanto plus requiruntur, tanto maior eorum series nascitur.* Sic et Olympiod. qui et addit multos vocari libros Gentilium et hæreticorum, eo quod in unum non conspirent; sed sibi invicem adversentur, et quod unus statuit, alter evertat. Concludit deinde: *Quod vero*, ait, *non est finis, intellige sine fine versari circa res vanas, vel quod res vanæ propositum finem fructumque illum non habeant, quem consequi possimus illas persequentes; vel quod infinita est librorum multitudo, qui per orbem terrarum circumferuntur.*

FREQUENSQUE MEDITATIO, CARNIS AFFLICTIO EST.) Pro *meditatio* hebr. est להג *lohag*, quod vix alibi invenitur: unde a variis varie vertitur. Syrus vertit, *sermo*; Pagnin. *doctrina*; Tigurin. *lectio*; Caiet. *eloquium*.

Vers. 13 FINEM LOQUENDI PARITER OMNES AUDIAMUS; DEUM TIME, ET MANDATA EIUS OBSERVA; HOC EST ENIM OMNIS HOMO.) Est anacephalæosis, in qua paucis, imo unica gnome omnia iam dicta summatim complectitur. Unde S. Hieron. in veteri editione: « Finis, ait, sermonis verbi universi auditu perfacilis est, ut scilicet Deum timeamus, et eius præcepta faciamus. Ad hoc enim natum esse hominem ut Creatorem suum intelligens, veneretur eum metu, et horrore, et opere mandatorum. Siquidem cum iudicii tempus advenerit, quidquid a nobis gestum est, stare sub iudice, et ancipitem diu expectare sententiam, et unumquemque recipere pro opere suo, sive mali quid gesserit, sive boni. » Finis libri. Deum time.

Pagnin. *finis verbi omnis auditus est*; Campens. *finem universæ rei audiamus*; Vatabl. *in summa omnia audita sunt*; idque sic exponit, q. d. Omnia te docui, scilicet cuncta, quæ in mundo sunt, esse vana; imo ipsam vanitatem. Aculeum ergo acremque stimulum metus Dei et iudicii divini, hic in fine concionis infigit lectoribus. Idem faciat concionantur, ut in epilogo efficacissime et brevissime totam concionem repetat, ac quæ maioris sunt momenti, menti auditorum infigat. Unde Chald. partim litteraliter, partim mystice vertit: « Finis verbi, quæ facta sunt in sæculo in abscondito, omnia futura sunt ut publicentur, et nota sint filiis hominum: ideo verbum Domini time, et præcepta Domini custodi, et non pecces in abscondito; et si peccaveris, esto admonitus ut convertaris; quoniam sic debet esse via omnium hominum. »

Præclare, S. Ephrem serm. de S. Iuliano Anachoreta, tom. 3. « Quid, inquit, est perfectio? Perfectio est cuiusvis sermonis, et omnis actionis finis. Nam scriptum est; Finis verbi, omni ausculta, Deum time, et mandata eius observa. Quæ enim accidunt unicuique nostrum in hoc sæculo, sive tristia ac gravia, sive bona ac læta finem habent; quapropter etiam a tempore consumantur atque delentur: at quæ post vitæ huius exitum remanent, æterna sunt et immortalia. Diem ergo iudicii et retributionis in mente habeamus, ut voluntas nostra perfecta sit in Domino. » Sic S. Ephr. tom. 3. de Iuliano Anachor.

Porro, idem est finis dicendi Salomoni, qui est essendi homini: sicut enim equus nascitur ad cursum, hicque eius est finis: avis ad volatum: bos ad arandum; canis ad latrandum; ignis ad calefaciendum; aqua ad humectandum etc. sic homo nascitur ad Deum cognoscendum, amandum, timendum et colendum, ut eius tandem visione et possessione fruens beetur. Idem per umbram videre Gentiles, ut Socrates, Plato, Cyrus, Xenophon quorum sensa refert Cicero l. de Senectute in fine. Unde concludit: « Ex ista vita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem, cum in illud animorum concilium cœtumque proficiscar, et cum ex hac turba et colluvione discedam! »

DEUM TIME.) Campensis: *Reverere Deum*; Hebr. *Elohim*, id est Creatorem, gubernatorem, inspectorem, iudicem et vindicem omnium. Hinc S. Clemens epistol. 1. nomen *Deus* derivat a δέος, id est timor. Nam *primus in orbe Deos fecit timor.* Timor autem hic intelligitur, tum initialis et servilis, quo timemus Dei iudicium, vindictam, supplicium et gehennam. Unde sequitur: *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium*: tum potius filialis, quo ex amore et reverentia erga Deum ubique præsentem, eum reveremur, cavemusque ne vel in minimo eius oculos offendamus, sicut filii reverentur parentes carissimos, caventque ne quid faciant quod eis displiceat. Ita S. Hieronymus et alii. Audi S. Bernard. sermon. 1. in Cantica: « Denique universis humanis studiis, ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, eiusque observare mandata. Merito quidem. Vere etenim sapientiæ primum illud initium, secundum consummatio est; si tamen constat vobis non aliud veram et consummatam esse sapientiam, quam declinare a malo, et facere bonum: idemque recedere a malo, neminem posse perfecte, absque timore Dei; nec bonum opus omnino esse præter observantiam mandatorum; idem sermone 20. Valde omnino, inquit, mihi amandus est, per quem sum, vivo, et sapio. Si non amo

ingratus sum, et indignus. Dignus plane est morte qui tibi, Domine Iesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit, et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? propter temetipsum, Deus, fecisti omnia, et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time, et mandata eius observa; hoc est inquit, omnis homo. Ergo, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est omnis homo. Inclina tibi, Deus, modicum, id quod me dignatus es esse, atque de mea misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum: pro his vero quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum, Deus non despicias.

Timor Dei causa virtutum. Hinc patet τὸ *mandata eius observa*, velut effectum pendere a τῷ *Deum time*. Timor enim Dei causat observationem mandatorum Dei; quia enim timemus et reveremur Deum, hinc satagimus mandata eius studiose observare, ne illi vel in minimo displiceamus, sed per omnia placeamus, ipseque in nobis ubique et in omnibus sibi complaceat. Qui ergo Deum timet, studet ita opera sua peragere, ut Deo grata et iucunda sint, Deusque iis quasi deliciis suis pascatur, delectetur et fruatur. Audi Cassianum Collat. 11. c. 13. « Quem timorem, inquit, non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo; quo filius vel indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniux, sollicito reveretur affectu; dum eius non verbera, neque convicia; sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis intepescat. Cuius timoris magnificentiam Isaias unus Prophetarum eleganter expressit: Divitiæ, inquiens salutis, sapientiæ, et scientiæ, timor Domini ipse est thesaurus eius, etc. »

Cur? Qui ergo timet Deum, hic Deum amat, et in omnibus eius voluntatem facit. *Voluntas autem Dei est*, ait S. Cyprian. de Oratione Dominica, *quam Christus et fecit et docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est; timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit: charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter et fidenter assistere; quando de eius nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur, hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.*

Hoc est omnis homo, quid? HOC EST ENIM OMNIS HOMO.) Syrus: *Quoniam hoc est quod ab artifice uno datum est cuilibet*; Arabicus: *At finem sermonis audi, omne negotium: Deum time, et observa mandata eius, quoniam cuilibet homini prodest hoc*; Chaldæus: *Quoniam sic debet esse via omnium hominum*; Scholiastes: *Hoc est enim totus homo*; Vatabl. *Quia hoc spectat ad omnem hominem*; Tigurina: *Nam in hoc consistit omnium hominum perfectio*; Campensis: *Illa enim solo acquiritur, quidquid vere et solide beatum facere potest*; Caietanus: *Hoc dumtaxat divinum est, fixum stabileque bonum in omni homine*; Arias: *Unum agit, hoc opus, hic finis tibi, causaque vitæ*; alius: *Omnis in hoc hominis consistit vita beati.* Simili stimulo Moses urget populum dicens: *Et nunc, Israel, quid Dominus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum etc. custodiasque mandata Domini?* Deuter. c. 10. v. 12. Iam

Resp. I. Primo, noster Lud. Alcazar in c. 1. Apocal. notat. 18. sic explicat: *Hoc est enim omnis homo. Hoc*, scilicet ænigma hominis moribundi, quod toto capite proposui; hoc enim totum summatim hisce verbis, quasi in tabella spectandum proponit Ecclesiastes; perinde ac si concionator quispiam de morte concionans sub finem concionis, ut vivacius mortis schema auditoribus imprimat, proposito cranio defuncti, exclamet: *Hoc est omnis homo*, id est, huc deveniet omnis homo; quisquis ergo es homo, scito te esse moriturum, ac in cranium et ossa nuda abiturum; quare dum vivis et viges, Deum time et mandata eius observa. Verum hic sensus coactus videtur et violentus aut certe symbolicus, ac vim sententiæ enervare. Unde cæteri omnes censent pronomen *hoc* genuine demonstrare non ænigmata præcedentia et remota, sed id quod proxime præcessit; *Deum time et mandata eius observa.*

II. Secundo, noster Cosmas Magalianus in epist. 2. ad Timoth. c. 4. v. 5. annot. 2. num. 3. sic exponit: *Hoc est omnis homo*, id est hæc est definitio hominis, ut si quæras: Quid est homo? respondeat Salomon: Est is qui timet Deum; cæteri enim quidem videntur homines, sed revera sunt leones superbi, harpyiæ tenaces, tigrides truculentæ, voraces lupi, etc. Sic Epictetus ait: *Hominis nomine dignus non est, qui virtutis studiosus non est.* Sed audi Cosmam: Symbolicus ille concionator omnia philosophiæ divinæ placita aureo libello complexus, ad extremam operis sui coronidem, perinde ac si ab aliquo interrogaretur quid esset homo, quem Ieremias nusquam vidit, quemque Cynicus ille philosophus in Atheniensi foro, circumstrepente populi insolita multitudine, præeunte lucerna, non invenit; ita definit: *Deum time, et mandata eius serva; hoc est omnis homo.* Ubi Septuag. planius locuti: *In hoc*, inquiunt, *consistit omnis homo.* Non sunt hominis (palam denuntio) appellatione digni; qui, ut oculis placeant, calamistro utuntur, qui refugos a fronte capillos gerunt, qui holosericati incedunt; qui pallio ab uno in alterum humerum reiecto, protrudere in viis volunt prætereuntes. *Qui Deum timet, et mandata eius servat, hic homo est*, quem quærimus; hic est qui terram implet; hic non ficti hominis larvam gerit, ut molli et intemperantes, sed veri speciem, ut modesti et frugales. Hunc sensum indicat quoque S. Bernardus ser. 1. et 20. in Cantica, cuius verba paulo ante recitavi; et S. Chrysostomus homil. 1. de incomprehensibili Dei natura: *Non sine scientia*, ait, *id quoque ut homines simus amittemus; Deum enim metue, inquit, et mandata eius custodi; quoniam hoc quisque homo est*; et S. Hieronymus hic: *Qui adhuc homo est*, inquit, *et necdum nomen Dei accipit, hanc habet rationem substantiæ suæ, ut in corpore positus Deum timeat.*

III. Genuinus. Tertio, et genuine: *Hoc est omnis homo*, id est huc natus, fictus et factus est omnis homo, ut scilicet Deum timeat, et mandata eius observet; quare nemo se ab eis excuset, per ætatem, sexum, infirmitatem, dignitatem, aut aliam qualitatem: sit puer, sit fœmina, sit æger, sit dives, sit princeps, sit imperator, ea observet oportet; hoc est enim omnis homo, id est ad hoc obstringitur omnis homo, iure naturali, divino et humano.

Rursum, *omnis homo*, id est totus homo, vel integer homo, q. d. Quidquid est, quidquid habet homo, huc impendat oportet, scilicet ut timeat Deum eiusque leges observet: quare omnes sensus, omnia membra, omnes vires animæ et corporis ad hoc unum conferat oportet, iuxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua*, Deuter. 6. 5. et Matth. 22. 37. Intellectum ergo tuum impende ad Deum cognoscendum, voluntatem ad amandum, memoriam ut eius iugiter recorderis, oculos ut legas eius mandata, aures ut audias, manus et pedes ut ea exequaris, etc. Unde S. Augustinus l. 20. de Civ. c. 3. *Quid brevius*, ait, *verius, salubrius dici potuit? Deum, inquit, time et mandata eius custodi: quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei; quoniam qui hoc non est, nihil est: Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis.*

Sæpe enim Hebræi, Græci et Latini per enallagen quantitatis sumunt totum universale pro toto quanto, sive integro. *Omnis* ergo *homo*, idem est quod integer homo, unde rursum per metonymiam, qua res sumitur pro adiunctis rei, puta homo pro bono, perfectione et felicitate hominis, sic exponas, q. d. Omnis homo, id est omne bonum, omne officium, omnis finis, omnis virtus, omne de-

eue et laue, omnis perfectio, omnis felicitas hominis in hac vita consistit in timore Dei et observantia legum ipsius: sive hoc est, quo spectare debet omnis homo, tantus quantus est, in dictis et factis suis omnibus, ac tota vita, ut sibi semper et ubique ob oculos ponat timorem Dei, eiusque præcepta exsequi satagat. Unde Chaldæus vertit: *Talis debet esse via omnium hominum*; S. Hieronymus: *Ad hoc creatus est homo*. Hinc et Salonius explicat, q. d. Qui aliter vivit, exlex scilicet et immemor timoris legisque Dei, non homo est, sed bestia; quia non rationabiliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, scilicet si gulose, ut porcus; si dolose, ut vulpes; si arroganter, ut taurus; si rixose, ut canis; si invide, ut simia, etc.

Platonis emblema: homo bestia

Salomonem de more secutus Plato censet hominem in vitia defluentem, non tam hominem esse quam bestiam. Unde lib. 9. de Iusto, figurat animam hominis hunc in modum: Est aliqua congeries capitum plurium belluarum quasi in globum coacta ferinum, ex hac multiplici capitum ferinorum congerie pullulat quasi stipes aliquis ex radicibus, qui stipes hinc leo est, inde draco. Huic stipiti homo aliquis superponitur clavam manu tenens, qua bestias verberat sævientes. Demum corporis humani pellis omnia illa circumdat, per quam animal unum videatur esse quod est simplex animal. Congeriem plurium bestiarum esse vult insatiabilem concupiscentiæ partem. Stipitem leone et dracone compositum, iracundiæ vim, quæ leo dicitur, cum suffragatur rationi; draco, cum refragatur. Homo est ratio. Post hæc iubet Plato ut interiorem illum hominem nutriamus potius quam bestias illas, ne propter famem, deficiente homine, solæ in nobis supersint bestiæ. Per hæc admonemur ut transitum animarum accipiamus non in varias species, sed in habitus. Erit itaque arbor apud Platonem, qui nutritioni deditus, die nocteque torpebit. Milvus, qui raptu vivet per concupiscentiam; leo, qui egregie militabit; draco, qui crudeliter in genus humanum sæviet; homo, qui ratione civili vivet; heros, qui naturalia perscrutabitur; dæmon, qui mathematica; Angelus, qui divina. Talis enim fit animus, qualem induerit habitum, talis inquam, in corpore, talis et extra corpus. Hinc et illud Platonicum: *Sapienti viro lex Deus est; insipienti vero libido*; et illud: *Beatus ille futurus est, qui humiliter divinæ legi se subiicit; miser vero, qui eam superbe contemnit.*

De officio hominis veri et Christiani vide Nyssenum, oratione: *Quid nomen et professio Christiana requirat*, ubi ait hominem impie viventem, non hominem, sed simiam esse hominis veste indutam. Tum subdit Christianismi definitionem: *Christianismus*, inquit, *est imitatio divinæ naturæ*. Homo enim conditus est ab initio ad imaginem et similitudinem Dei, quo revocetur per Christianismum: tandem subiicit hominem perverse vivere, se bestialibus moribus exprimere Numen divinum, esse gravem Numinis iniuriam; quia, inquit, Numen illis simile videtur, eo quod eius imago, id est homo improbus, talis sit. Vide et S. Hilarium in Psal. 118 ad illud: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me*; sive litteræ iod initio, et Lactant. l. 7. c. 6. initio: *Idcirco*, inquit, *mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum; ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus; quoniam maximis laboribus cultus Dei constat; ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus æternum Dei regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi, a quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem terrestribus et fragilibus se bonis addixerunt, et animas ad cælestia genitas suavitatibus mortiferis, tamquam luto cænoso demerserunt*; et B. Petrum Damianum lib. 1. epist. 17. ad Alexandr. Pontificem, ubi hunc locum pertractans, ait eum qui Deum non timet, aut mandata eius non servat, ratione carere, ac proinde vocabulum quidem hominis habere, sed hominis esse non habere. Exemplum dat S. Chrysostomus homilia 21. ad populum, S. Iob, qui, inquit c. 1.

A describitur, non ex physiognomia, sed ex timore Dei. *Nec hoc dicit*, inquit, *quod duos pedes habebat, et ungues latos, sed indicia pietatis illius præbens, dicebat: Simplex et rectus, ac timens Deum, ut recedens a malo, demonstrans, quod hoc est homo; sicut scilicet et alias inquit: Deum time, et ipsius mandata custodi, quoniam hoc est omnis homo; si autem hoc nomen homo tantam ad virtutem præbet exhortationem; multo magis fidelis: fidelis enim propterea vocaris, quoniam et credis Deo, et ab eo creditam ipse iustitiam habes, sanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, regnum cælorum, et hæc tibi commendavit.* Porro, quod Iob dicitur *rectus*, Sept. vertunt, ἀληθινός, id est, *verus*, eo quod Dei imaginem et similitudinem bonis in se retinuerit moribus, inquit ibidem Origenes, ut non pictus, sed verus esset homo, id est vera Dei imago; Philo lib. de Abraham, explicans illud Genesis 6. 9 *Noe homo iustus, perfectus in generatione sua, Deo placuit: Sciendum est*, inquit, *quod hominem non vulgari loquendi forma, rationale, mortale animal vo-*B*cat; sed per excellentiam eum, qui vere suo nomini respondet eiectis ex animo immansuetis, rabidis ferinisque vitiorum affectibus, argumento est, quod post hominem, addit iustum, dicens: Homo iustus, quia nemo iniustus est homo, sed potius bestia humana forma prædita: in solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit.*

Hos secutus Seneca epist. 77. « Omnia, ait, suo bono constant, vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quam fortia dorso iumenta sint quæris, quorum hic unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi; audacia, si mordere et invadere. Id quoque optimum est cui nascitur, quo censetur. Homo Deo fruendo nascitur, ratione antecedit animantia cætera; virtute ergo et pietate præstare debet.

Denique, *omnis homo*, id est perfectus homo est (quia omne et perfectum idem sunt, ait Arist. l. 1. de Cælo textu 1.) si timeat Deum, eiusque mandata observet: quidquid C præterea habet homo, sive opes sint, sive scientiæ, sive deliciæ, sive infulæ, sive purpura, sive regnum, ventus est, vanitas est, nihil est. Unde Olympiodorus vertit: *Hic est sapiens, integer, perfectus homo*. Sic et Bonavent. Lyran. Moringus et alii. Perfectio enim hominis consistit in adæquatione eius ad suum exemplar, quod est Deus, ut scilicet Deo, eiusque voluntati et sanctitati per omnia se conformet, quod ille vult velit, quod non vult nolit, quod ille amat amet, quod odit oderit. Timor Dei enim hic filialis intelligitur, qui in virtutibus est consummatus, quo solo perficitur et consummatur homo, iuxta illud: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, Eccl. 1. v. 10.

Quocirca, S. Chrysost. in 1. Corinth. c. 9. *Omnem*, inquit, *hominem Paulus exhibebat Deo*, q. d. Unus Paulus erat omnis homo, id est homo perfectissimus, et instar omnium hominum, utpote qui in se uno exprimeret omnem virtutem et perfectionem, quæ in omnibus hominibus simul sumptis inveniri potest.

Huc facit illud Senecæ lib. 3. Natur. quæst. in Præfat. D « Quid, inquit, præcipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complesse, nec in Rubri maris litore signa posuisse, nec deficiente terra, ad iniurias aliorum errasse in Oceano, ignota quærentem; sed animo omne vidisse, et qua nulla est maior victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate, paucissimi qui se. Quid est præcipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunæ. Nihil dignum putare, quod speres. Quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui a divinorum contemplatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quorum oculi in densam umbram ex claro sole rediere. »

Inde deinde cætera educens, uti Salomon hic ex timore Dei, colligit observationem mandatorum eius: « Quid, ait, est præcipuum? Posse læto animo adversa tolerare, quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses ex decreto Dei fieri. Flere, queri, gemere, desciscere est. Quid est præcipuum? Ani-

mus contra calamitates fortis et contumax, luxuriæ non adversus tantum, sed et infestus, nec avidus periculi, nec fugax, prosperitatem non exspectans, sed adversa utrumque intrepidus, et inconfusus, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus. Quid est præcipuum? non admittere in animo mala consilia, puras ad cælum manus tollere, nullum petere bonum, quod ut ad te transeat, aliquis possit amittere; optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem. Cætera magno æstimata mortalibus, etiam si quis domum casus abstulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint. Quid est præcipuum? Altos supra fortunam (alii codices legunt, fortuito) spiritus hominis attollere. Meminisse, ut sive felix eris, scias hoc non futurum diu: sive infelix, scias hoc te non esse nisi cum putes. Quid est præcipuum? liberum animum habere. etc. si tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso? » Uti socio suo dicebat aulicus ille Cæsaris, qui lecta Vita Antonii, relicta aula, eiusdem secessum et sanctitatem imitatus est, cuius exemplo conversum se memorat S. August. lib. 8. Conf. c. 6. « Dic mihi, ait, quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maiorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem esse Dei si voluero, ecce nunc fio. » Subiungit Augustinus sanctum feliciemque rei eventum: « Dixit hoc, ait, et turbidus parturitione novæ vitæ reddidit oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus ubi tu videbas, et exuebatur mundo mens eius, ut mox apparuit. Namque dum legit, et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando et discrevit, decrevitque meliora. Iam iamque tuus ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille adhærere se socium tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia, et sequendi te. »

Vers. 14 Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.) *Cuncta*, intellige quæ fecimus, vel omisimus. Operis enim boni, quod facile facere poteramus, omissionem exiget a nobis Deus. Ita Olympiod. Hebr. *quia omne opus* (Sept. *factum*) *venire faciet* vel *introducet Elohim in iudicium pro omni abscondito, sive bonum, sive malum sit.* To *quia* significat hic alteram causam stimulantem ad Dei timorem, et observationem mandatorum eius, quod scilicet Deus omnes homines, et omnia opera hominum sit citaturus ad iudicium universale, quod fiet publice coram omnibus hominibus et Angelis, ac a singulis omnium operum, etiam secretissimorum rigidam rationem exacturus, ut bonis cælestia gaudia, malis gehennæ tormenta retribuat, idque sine acceptione personarum vel munerum iustissime et irrevocabiliter; ita ut ab eo nulla sit appellatio, nulla fuga, nullæ latebræ, nulla evasio. *Pro omni errato*, scilicet scrutando, discutiendo, expendendo, iudicando, puniendo: hæc verba quasi parenthesi includenda sunt, ut patet ex eo quod sequitur, *sive bonum*: hoc enim cum errato cohærere nequit, sed cum iudicio, quod præcessit, cohæreat oportet. Ita Dion. et Titel. Hebr. est, *pro omni abscondito*; Vatabl. *occulto*; alii, *secreto*, scilicet *errato*, id est, *peccato*, ut solerter vertit Noster: hoc enim quia turpe est occultat se, quæritque secretum et tenebras; cum virtus, utpote honesta, quærat lucem. Symmach. et Septuag. ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, id est, *de omni contemptu*, vel *certe de omni ignoratu: quod etiam de otioso verbo, et non voluntate, sed ignoranter prolato reddituri simus rationem in die iudicii*, ait S. Hieron. Complut. vertit, *in omni neglecto*, id est de omni præcepto et virtute, quam homo exercere neglexit. S. August. lib. 20. Civit. cap. 3. legit: *In despecto, hoc est*, inquit, in omni (homine) *etiam qui contemptibilis videbitur* (*et ideo nec videtur*) *quoniam Deus et ipsum videt, nec eum despicit, nec eam cum iudicat præterit*, q. d. Deus iudicabit omnem hominem, quantumvis vilem et despectum. Arab. vertit: *De omni negotio, quo molestiam intulere.*

Mirum videtur Nostrum vertisse, *pro omni errato* (male aliqui legunt, *reatu*; peius, alii *creato*) unde suspicatur Franc. Lucas in Notis hic legendum, *pro omni celato*. Hoc enim significat Hebr. נעלם *nelam*. Hinc Biblia Regia, Complut. et nonnulla alia legunt *pro omni abscondito*, et sic se vertisse ait sanctus Hieronymus in Comment. Et Chald. *Quoniam*, inquit, *omnia quæ fiunt adducet Deus in die iudicii magni, et futurum est ut manifestet omne verbum quod celatum a filiis hominum, sive bonum, sive malum.*

Passim tamen Biblia Latina legunt, *pro omni errato*: unde hæc lectio, ait Franc. Lucas, non facile auferenda est ex versione Vulgata, nec omnino aliena est ab Hebr. *nelam*, id est *celato*, vel *abscondito*: non enim est error, nisi circa occulta aut abscondita. Rursum, error notat ignorantiam, inconsiderationem et inadvertentiam mentis minus attentæ ad opus, quod agit, ut dispiciat, an bonum sit an malum; quia et opus bonum homo subinde agit minus attente, minusque studiose, quam par est, imo remisse, negligenter, oscitanter. Rursum, error vocatur vagatio mentis, vel corporis, sic vocantur errores Ulyssis, errores viarum, nemorum et labyrinthorum, errans luna, errantia sidera: quia scilicet non recto, ut stellæ, sed obliquo cursu incedunt: ita errat, id est vagatur mens in oratione et opere bono. Hæc ergo errata discutiet Deus in iudicio. Et huc videntur voluisse Septuag. dum vertunt: ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, quia παρορᾶν est incuriose aspicere, vel per incuriam mentis minus attentis oculis præterire, seu per transitum aliquid respicere, negligere, et contemnere, quod proinde ab oculis est absconditum et remotum. Hoc sensu Hebr. *nelam*, id est *absconditum*. Græcum παρεωραμένον, id est neglectum, et Latinum *erratum*, idem denotabunt, scilicet id quod per incuriam et inadvertentiam ignoranter, negligenter et minus attente factum est, uti sæpe fit ab hominibus fragilibus et incogitantibus: quare Deus hæc omnia adducet in iudicium, et diiudicabit an bona, vel mala fuerint ea quæ homo non satis diiudicavit, sed incogitanter et inadvertenter egit. Tunc enim *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, 1. Corinth. cap. 4. v. 5. *Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.*

Hinc Septuag. Hebr. עלם *ulam*, id est abscondere, sæpe vertunt præterire, negligere, despicere, contemnere, ut Levit. 20. 4 Deuteronom. 22. 1. Isaiæ cap. 57. vers. 11. Nahum 3. 11. et alibi. ac subinde vertunt, inique agere, ut Psalm. 25. vers. 4. quod quid est aliud, quam errare? Denique, abscondere oculos, aures, mentem, Hebræis idem est quod non attendere, præterire, negligere, errare, ut patet locis iam citatis.

Vide et mirare hic profundam solertiam et perspicaciam nostri Interpretis, qui per abscondita, intellexit significari errata homini negligenti celata et abscondita. Hinc Psaltes orat Psal. 18. 13. *Ab occultis* (erratis) *meis munda me, Domine.* Et Ier. c. 49. 10. *Revelabit abscondita* (scelera) *eius.* Sic et Daniel. c. 2. 22. Abdias c. 1. 8. Habacuc cap. 3. 14. et Iob. cap. 9. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*; multa enim videt Deus in actionibus hominis, præsertim internis, quæ homo ipse non videt. Quocirca *iudicabit Deus occulta* (errata) *hominum*, Rom. 2. 16. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere*, Ephes. 5. 12. ideoque *abdicamus occulta dedecoris*, 2. Cor. 4. v. 2. Atque hæc est origo et radix incertitudinis gratiæ, et prudentis sanctique timoris: quia enim homo suas actiones, cogitationes, intentiones intime non pervidet, sed tantum obiter, et quasi in superficie: hinc nescit an bona vel mala sint; an Deo placeant, vel displiceant: ideoque timore percellitur, ac cum timore et tremore salutem suam operatur. Esto ergo omne peccatum sit erratum et error, iuxta illud: *Errant qui operantur malum*, Prov. 14. *Errant*, quia non satis considerant et ponderant, quale, quantum et quam

noxium sit malum, quod operantur. Si enim hoc profunde perpenderent, uti rei gravitas exigit, utique non peccarent. Tamen non hæc sola Deus adducet in iudicium, sed et illa, quæ speciem habent boni, hominique videntur bona, imo in se subinde bona sunt; examinabit enim illa, an debita attentione, intentione, contentione, et studio ea fecerimus, v. g. orationem, psalmodiam, meditationem, ieiunium, eleemosynam, etc. peregerimus, ac multis dicet: *Mane, tekel, phares; appensus es in statera, et inventus es minus habens*, Daniel. 5.

Quare, hic insignis est stimulus pungens nos, ut singulis actibus et cogitationibus nostris acriter invigilemus, curemusque ut omni ex parte sint sinceræ, integræ, perfectæ; *quia omnes manifestabimur ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, ait Paulus 2. Cor. 5. 10. Porro, de forma, loco, tempore, personis iudicandis, et iudicatoris, cæterisque circumstantiis iudicii, vide exacte disserentem Franc. Suarez tomo 2. 3. p. disp. 57. sect. 6.

SIVE BONUM, SIVE MALUM ILLUD SIT.) Hæc verba referri possunt ad τὸ errato, eo sensu, quo iam exposui. Aptius tamen ex Hebræo referas ad τὸ *cuncta*: unde ex Hebræo, per hysterologiam usitatam sic clare vertas, ordines, et explices: *Et omne opus, vel factum sive bonum, sive malum illud sit, adducet Deus in iudicium super omni abscondito*, ut videlicet examinet opus, num in eo occulte absconditum sit aliquid errati, id est negligentiæ, inadvertentiæ, omissionis et culpæ: omnia ergo in opere abscondita rimabitur, deteget et propalabit Deus in iudicio, cum scrutabitur Ierusalem in lucernis, Sophoniæ 1. 12. Sic scrutatus est occulta Doctoris Parisiensis, qui publice habebatur vir probus, dum eum iam vita functum publice in templo, ex feretro proclamare iussit: *Iusto Dei iudicio accusatus, iudicatus, et damnatus sum*; qua voce perculsus S. Bruno vanitati mundi valedixit, et in eremum cum sociis se recipiens, Ordinem Carthusianorum instituit, ut veritatem veramque felicitatem sibi assecuraret anno Domini 1092.

Climacus gradu 7. narrat Stephanum Eremitam clarum miraculis in morte cum dæmonibus se accusantibus disputasse, ac subinde dixisse: *Ita sane, sic revera est; sed pro hoc tot annis ieiunavi. Aliquando vero: Non certe, sed mentimini; hoc non feci. Deinde rursus: Ita vera est, hoc ita est; sed flevi, sed ministravi. Ac rursus: Vere me accusatis. In quibusdam aiebat: Ita sane, et quid ad hæc dicam non habeo, ideo misericordia est.* Subdit Climacus: *Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum invisibile illud sævissimumque iudicium, in quo etiam (quod terribilius est) et quod non fecerat illi obiiciebant.* Et post nonnulla: *Hic ipse tamen cum adeo infeste a se ratio reposceretur, carne solutus est; quod iudicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis illius finis fuerit incertum penitus relinquens.* Quam sapit ergo, qui cum S. August. in Confess. ex animo dicit: *Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri iudicii, qui per varias quidem opiniones, numquam tamen recessit de pectore meo.* Idem S. August. in Psal. 49. ante finem: *Veniet*, inquit, *et non silebit, et arguet, quando correctioni nullus locus erit. Statuam te*, inquit, *ante faciem tuam. Modo ergo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat a te confessio, et dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea a Deo iudice fias, ante te, et non sit quo fugias a te, ne quando rapiat sicut leo, et non sit qui eripiat.* Idem in Psalm. 97. *In potestate tua est quomodo exspectes venturum Christum: ideo differt venire, ut cum venerit, non te damnet. Ecce nondum venit, ille in cælo est, tu in terra: ille differt adventum, tu noli differre consilium. Adventus ipsius durus est duris, mitis est piis. Vide ergo modo tu quis sis: si durus, licet tibi mitescere; si mi-*

A *tis, iam gaude venturum.*

Narrat de seipso S. Hieron. epist. ad Eustochium de Custod. Virg. se ob leve iuventutis erratum, quod scilicet Ciceronem avidius legeret, quam S. Script. raptum ad tribunal iudicis: « Interrogatus, ait, de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus; ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum, Matth. 6. Illico obmutui: et inter verbera (nam cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem incœpi: Miserere mei, Domine, miserere mei, Psal. 6. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti qui astabant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ meæ, et errori locum pœnitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, si Gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, et nomen eius obtestans dicere: Domine, si umquam ha-
B buero codices sæculares; si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, et, mirantibus cunctis, oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. » Addit deinde: « Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur: testis est tribunal illud, ante quod iacui, testis iudicium triste, quod timui. Ita mihi numquam contingat in talem incidere quæstionem, liventes fateor me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legerem. »

S. Hieron. raptus ad iudicium.

Si ob lectum Ciceronem in iudicio vapulavit S. Hieronymus, quantum vapulabunt gulosi, qui ventri et veneri serviunt; avari, qui per vim vel fraudem aliena diripiunt; superbi, qui proximis invident, indignantur, calumniantur, officium, famam vitamque eripiunt? Igitur ex hoc Epilogo Salomonis discamus iugiter mentis oculis proponere diem iudicii, ut eius cogitatione et metu singulas nostras actiones ita honeste, sincere, caute et exacte obea-
C mus, sicut optabimus eas obivisse, cum tribunali Christi astabimus, ut rigidam iudicii earumdem rationem reposcenti reddamus, ne quod ipse in eis erratum inveniat. Ibi enim iacietur alea, imo dictabitur sententia decretoria, atque irrevocabilis totius æternitatis nostræ, vel beatissimæ, vel miserrimæ. Sive ergo comedas, sive bibas, sive dormias, sive studeas, sive quid aliud agas, semper cum S. Hieronymo auribus tuis insonet tuba novissima Archangeli: *Surgite, mortui, venite ad iudicium. Quis enim*, inquit S. Clemens epist. 1. *peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei iudicium ponat, quod in fine mundi certum est agitandum?* Et Boetius in fine Consolat. Philosoph. *Magno vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.*

Hoc sapiebat qui dicebat:

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis:
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

D O æterna veritas, vera charitas, chara felicitas, felix æternitas, Deus meus, et omnia! Da ut nulla nos moveat mundi vanitas. Da ut qui hæc legunt sapere discant, ut transeant a vanitate ad veritatem, a terra ad cælum, a morte ad vitam, a tempore ad æternitatem, ab ærumna ad felicitatem, a mundo immundo ad te Dominum Deum nostrum, ut in te quasi in pace in idipsum dormiant et requiescant. Da nobis sapientiam hanc, Domine Iesu, qua vana ut vana despiciamus, vera ut vera sectemur; quia tu es æterna Patris Sapientia: tu via, veritas et vita, donec aspiret dies veræ beatæque æternitatis, et inclinentur umbræ vanæ miseræque mortalitatis: *Tu via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. Sequamur, Domine Iesu, te per te, quia tu es via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio*; ut iucundissima tui visione fruentes in æternum vivamus, beemur et glorificemur, ac in abyssum veritatis deitatisque immersi, Trinitati perenne alleluia concinentes, totis cor-

dium medullis iugiter iubilemus: *Gloria Patri et Filio,* A
et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

O quantum est in rebus inane!

Sperne vanitatem, sectare veritatem: sursum veritas, deorsum vanitas. *S. Bernard. l. 5 vitæ c. 3.*

VIVE ÆTERNITATI.

Quidquid in mortali moliris vita, Æternitati geris vel miseræ, vel beatæ. Hoc ævum horis et diebus fluens, imo fluctuans, cum inani rerum labentium flumine, tendit in vastum Oceanum ÆTERNITATIS.

Memento te unam dumtaxat habere animam, eamque immortalem, ac semel dumtaxat te moriturum, nec a morte ad vitam esse regressurum: unam quoque tantum te habere vitam, illamque brevem, nec etiam quam illam quo modo oteris: ac postea unam solum superesse gloriam, illamque æternam: illi ergo vivere satage. *B. Teresia.*

Unum necesse est, aut bene æternum, aut male.

COMMENTARIA

IN

CANTICUM CANTICORUM.

PROLEGOMENA.

Libri inscriptio.

HEBRAICE liber hic inscribitur שִׁיר הַשִּׁירִים *scir hascirim*, id est *Canticum Canticorum*, sive carmen carminum. Carmina enim suum habent metri harmoniam et quasi concentum, ideoque et voce modulata concini solebant, ut suavius in aures mentesque audientium influerent. Unde S. Dionys. Eccles. Hierar. c. 3. Canticum Canticorum vocat *dulcia carmina divinorum amorum*. Nam ut ait Euseb. l. 12. de Præpar. cap. 14. ex Platone lib. 6. de Republ. carminibus et canticis suaviter instillandus est pueris Dei et virtutis amor; causam addit, dicens: *Ut igitur pueri animus legem ita sequatur, ut una cum ea gaudeat, atque doleat, odas perdiscant, crebroque cantitent, quibus laudes, atque vituperationes earum rerum contineantur, quas lex laudat atque vituperat. Quoniam enim teneriores animi rationem virtutis non suscipiunt, laude atque cantu præparantur. Iure igitur apud nos Prophetarum odæ addiscuntur a pueris.* Hinc et David ignita sua de Deo et virtute dogmata carmine, puta odis Psalmorum conscripsit, ut subdit Euseb. Patrem ergo Davidem hic imitatur filius Salomon. Quocirca in Bibliis Arabicis titulus huius libri est: *Carmen carminum et est laus laudum Salomoni sapienti*, hoc est, cuius proprius auctor est Salomon mortalium sapientissimus. In Syriacis vero hic est titulus: *Sapientia sapientiarum ipsius Salomonis liber*, qui vocatur Hebr. *scir hascirim*, id est, *hymnus hymnorum*, sive *Canticum Canticorum*.

Canticum est carmen divini amoris. Cur?

Porro Canticum Canticorum Hebr. idem est quod Canticum præstantissimum et suavissimum, sicut Sanctum Sanctorum idem est quod templum sanctissimum. Hoc enim Canticum longe superat, non tantum omnia Cantica et carmina Mosis, Debboræ, Annæ, Ezechiæ et Isaiæ, ut explicat Origenes, sed et ipsius Salomonis, ipse enim composuit carmina quinque et mille, 3. Reg. 4. 32. Unde Chald. vertit: Decem Cantica dicta fuerunt in sæculo isto, et Canticum hoc laudabilius est omnibus istis. Primum Canticum fuit Adæ, secundum Mosis, tertium filiorum Israel, quartum Mosis, quintum Iosue, etc.

Est de re præstantissima.

Addit Eusebius Cæsar. cuius verba recitat hic Cosmas Hortolanus, hoc Canticum dici Canticorum; quia canit rem præstantissimam et dulcissimam, eamque velut propheta et vates canendo prædicit, nimirum Verbi incarnationem, *ac per eam Ecclesiæ cum ipso desponsationem*. Audi Eusebium: *Sicut agnum demonstrante Ioanne velut Ioannis gratia sunt lex et prophetæ, sic etiam quæ in Cantico Canticorum significantur, finis sunt omnium quæ in divina Scriptura significantur; ac sicut secundum legem erant Sancta, et post Sancta Sanctorum nullus præterea erat locus; sic et præter Cantica Canticorum, nullum licet exspectare interiorem aut recentiorem promissionem.*

Eadem pene ad verbum habet S. Athanas. in Synopsi, unde ea deprompsit Eusebius. Porro hæc Verbi cum carne nostra desponsatio fuit beneficiorum miraculum et prodigium sæculorum omnium maximum. Illa enim, homo Deo, terra cælo, caro Verbo associata est arctissimo hypostaticæ unionis vinculo, quo fit ut homo sit Deus, et Deus homo. Adam enim audiens a serpente: *Eritis sicut Dii*, appetierat æqualitatem Dei, sed superbe nimis et perperam. Christus ergo, ut hunc hominis excellentiæ appetitum corrigendo expleret, immense se demisit et exinanivit: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, Philip. 2. ut hominem exaltaret, ac faceret Deum: *Christus factus est homo, ut homo fieret Deus*, ait S. August.

« Antequam textum aggrediar, quatuor ex more præmittenda sunt: Primum, de libri auctoritate et auctore; secundum, de operis argumento; tertium, de modo et stylo; quartum, de eius partitione et partibus. »

CAPUT PRIMUM.

CANTICI AUCTORITAS ET AUCTOR.

PHILASTRIUS lib. de Hæresib. c. 133. et Iacobus Christopulitanus Præfat. in Cant. scribunt Iudæos et hæreticos nonnullos asserere hoc Canticum non esse Scripturam Canonicam, nec scriptum esse spiritu Dei, sed cupidinis, eo quod canat amores Salomonis et uxoris eius, puta filiæ Pharaonis, ideoque profanum esse et carnale. Unde in eo nunquam nominari Deum. Id sensit olim Theodorus Mopsuestenus et nunc Anabaptistæ. Idem Castalioni tribuit Beza Præfatione in Iosue.

Canticum reiiciunt hæretici. Cur?

Verum errant, quia multa sunt in Canticis, quæ non reginam Salomonis uxorem, sed rusticanam pastoris coniugem indicant. Unde illud cap. 1. *Vineam meam non custodivi*; et: *Abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos*: et illud cap. 5. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me.* Quis enim ausus fuisset reginam vulnerare? multaque talia passim occurrunt.

Imo Spiritus sanctus, ut ostendat se hoc Cantico per sponsam nullam certam fœminam intelligere, nunc eam, ut rusticam, nunc ut filiam principis inducit, ut Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* nunc eam sponsam vocat, nunc sororem.

Denique, ut ostendat sponsam hanc esse spiritualem, non corporalem, ei dat epitheta, quæ corporalem dedecorent; spiritualem vero decorent et ornent, ut quod dat ei caput instar Carmeli, nasum instar turris, oculos instar piscinæ, dentes instar gregum ovium detonsarum: den-

que quod eam dicat totam esse nigram, sicut tabernacula Cedar. Quare certum est sponsam hic non aliam esse posse, quam Ecclesiam et sponsum Christum, eiusque spirituales nuptias hic cani.

Canticum est liber Canonicus.

De fide ergo est hunc librum esse Canonicam Scripturam spiritu non cupidinis, sed charitatis a Deo dictatam; unde hic liber, tam ab Hebræis, quam a Christianis semper habitus fuit Canonicus, ut patet ex Concilio Florentino, Trident. Carthaginiensi III. et cæteris, qui Catalogum librorum Canonicorum texuerunt.

Auctor est Salomon; unde hebraice titulus libri est: *Canticum Canticorum, quod est Salomonis,* qui occasione nuptiarum suarum filia Pharaonis scripsit hoc Canticum: quare ad eam grammatice alludit, ut, cum eam vocat filiam Principis, et cum ait cap. 1. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Hinc et a Salomone vocatur *Sulamitis*, q. d. Salomonia, sive Salomonis uxor; Salomonem enim grammatico sensu hic intelligi patet ex illo c. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt;* et v. 9. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:* et v. 11. *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, etc.*

Quocirca Honorius Augustodunensis ait sensum litteralem esse de filia Pharaonis, allegoricum de Ecclesia; ubi per sensum litteralem intelligit grammaticum; per allegoricum vero figuratum et metaphoricum, qui tamen in parabolis est litteralis. Alii per sponsam intelligunt reginam Saba, quæ venit ad Salomonem, ut audiret eius sapientiam, de qua Æthiopes narrant ipsam concepisse ex Salomone filium, qui factus sit rex Abyssinorum; unde eorum rex, puta Preto Ioannes, etiam nunc se scribit filium Salomonis. Verum ad litteram genuino sensu, ut patebit ex sequent. per sponsam neutra harum, vel aliarum fœminarum, sed ipsa Ecclesia intelligitur. Ex dictis colligi videtur quod Salomon hoc Canticum scripserit non diu post nuptias suas cum filia Pharaonis, quando donatus a Deo sapientia cælesti, caste et pie Deum colebat. Unde ab eo vocatus est *Ididia*, id est, *Amabilis Domino*, 2. Regum 12. 25. licet Delrio, Hortulanus, Bacharius et alii hunc librum scriptum velint a Salomone post lapsum, eumque ut signum pœnitentiæ ipsius assignent; sed ante lapsum scriptum esse docent Guidacerius, Almonacirius, Soto maior, Dionysius, Carthusianus, Gislerius, Salmeron et Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 5. et alii.

Cur Salomoni a Septuag. inscribitur.

Porro Septuag. Complut. et Regii huic libro dant titulum: *Canticum Canticorum quod est Salomoni* in dativo; scilicet vero Salomoni, puta Christo Domino dedicatum, ait Chrysopolitanus, quodque Salomoni, id est, pacifico et a passionibus vacuo congruit, hic enim omnes affectus, totumque amorem transtulit in Deum, ait Philo Carpathius. Vaticani habent: *Canticum Canticorum quod est Salomon*, id est Salomonis; videntur enim Septuag. τὸ *Salomon* ponere ut indeclinabile, quod proinde cuiusvis potest esse casus. Unde Origenes: τὸ *Salomon*, inquit, vel *Salomoni ostendit hoc opus tantum esse Salomonis.* Hebræi enim, ut Græci, sæpe dativo utuntur pro genitivo, præsertim cum rem alicui propriam esse significant; unde dicunt: Villa, quæ est mihi, id est, quæ est mea; liber, qui est illi, id est qui est illius: sic in titulis Psalmorum, pro *Psalmis Davidis* Septuag. vertunt τῷ Δαβὶδ, id est *Davidi*, in dativo, quia Davidi inspirati et dictati sunt Psalmi a Deo, æque ac Canticum Salomoni. Hinc et arabice hic liber inscribitur: *Carmen Carminum, sive laus laudum Salomoni Sapienti*, hoc est cuius unicus auctor est Salomon; Arabes enim dativo personæ utuntur, cum significant rem alicui esse propriam et peculiarem.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

Argumentum et epitasis.

Salomon in Proverbiis fideles quoslibet docet legem Dei et communia virtutis dogmata. In Ecclesiaste eisdem mundi vitæque vanitatem demonstrat. In Cantico a vanitate avulsos, totos ad veritatem, Deique amorem traducere satagit. In Proverbiis ergo instruit incipientes, in Ecclesiaste proficientes, in Cantico perfectos. Unde S. Hieronymus in Prologo Galeato (qui quasi galea Bibliis præfigitur) trium librorum Salomonis, puta Proverbiorum, Ecclesiastæ, et Cantici Canticorum hoc dat argumentum: *Salomon pacificus et amabilis Domino mores corrigit* (in Proverbiis) *naturam docet* (in Ecclesiaste) *Ecclesiam iungit et Christum* (in Cantico) *sanctarumque nuptiarum dulce canit Epithalamium.* Epithalamium est carmen super thalamo, ait Cassiodorus, Beda et Haymo. Prior id scripsit Origenes, et post eum S. Gregorius Nyssenus et tres Patres anonymi apud Theod. Quocirca Anselmus: *Salomon*, ait, *in Proverbiis est Ethicus, quia tractat de moribus; in Ecclesiaste Physicus, quia agit de natura; in Cantico Theologus, quia divinis incumbit.* Vide dicta in Proœmio Proverbiorum et Ecclesiastæ; nimirum prudentissime Deus, ut ostenderet immensam suam in homines charitatem, quamque ardenti amore Christus homo factus Ecclesiam sibi copulaverit, voluit a Salomone 1013 (tot enim anni fluxere a primo anno regni Salomonis usque ad annum, quo natus est Christus) annis ante canl hoc carmen Christi nuptiale. Igitur Salomon, quasi typus et parens Christi, eius per incarnationem cum Ecclesia fidelium desponsationem hoc epithalamio, id est nuptiali Cantico, sive carmine describit, in quo proinde Christi prædicationem, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, prædicationem Apostolorum et Gentium conversionem, Ecclesiæ fundationem, propagationem et perfectionem, ac præsertim reciprocos Christi et Ecclesiæ spirituales amores graphice depingit. Ita Patres et doctores Græci et Latini unanimi consensu, quin et veteres Hebræi, ac Thalmudistæ ad litteram intellexere hoc Canticum de Messia, sive de Christo et Ecclesia, teste Isidoro Clario hic. Quare temerarium est hoc negare, atque alium sponsum aliamque sponsam hic fingere.

...nium Christi et Ecclesiæ.

Prima sponsa Verbi est humanitas ab eo assumpta.

Ubi nota: Christus in incarnatione, quasi duplex iniit connubium: primum physicum cum humanitate sua, quam physice et realiter sibi univit; secundum ethicum cum Ecclesia, totoque natura humana, quam sibi per humanitatem a se assumptam coniunxit, posterius sequitur ex primo. Quia enim Christus humanitatem suam sibi copulavit, et quasi despondit, hinc in ea et per eam totam pariter naturam humanam et Ecclesiam sibi despondit. Ideo enim humanitatem assumpsit, ut per eam omnes homines et fideles quasi membra sibi copularet et adstringeret utque eorum esset caput et princeps; caput, inquam homogeneum, eiusdem scilicet cum hominibus generis et naturæ. In priori coniugio sponsus est Christus, sponsa est humanitas a Christo assumpta, cui proinde prima et propria adaptari possunt quasi omnia quæ in Cant. de sponsa dicuntur; in posteriori sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia: posterius prioris est finis et terminus: finis enim incarnationis Verbi ex Dei dignatione fuit institutio et sanctificatio Ecclesiæ; quare in institutione Ecclesiæ includitur, et præsupponitur Verbi incarnatio, velut in fine medium et quasi in effectu causa. Quapropter sensu primo, quem de Christo et Ecclesia singulis versiculis assignabo, intelligendum lectori relinquo, eumdem Christo et humanitati ab eo assumptæ, mutato nomine, esse adaptandum, uti sobinde suis locis disertis verbis declarabo, præsertim c. 1. v. 1. Porro prius coniugium longe nobilius est secundo; hinc et prior sponsa longe nobilior est posteriore. Humanitas enim Christi longe dignior, pulchrior et est sanctior tota Ecclesia; quia omni virtute, gratia et gloria longe excellit omnes homines et Angelos etiam coniunctos et simul sumptos, quia ipsa hypostatice unita est Verbo, ac per se primo Deum attingit, ab eoque omnes dotes, virtutes et gratias haurit, quæ Verbum decent, et quas humanitatem Verbo hypostatice unitam habere par est et congruum. Quocirca quæcumque hic dicuntur tam primo sensu de sponsa Ecclesia, quam secundo de sponsa anima, ac tertio de sponsa Deipara, præ omnibus attribue humanitati Christi; ipsa enim uti est caput Ecclesiæ, ita

est et caput omnium animarum sanctarum, ipsiusque Deiparæ; quamobrem ipsa prima est sponsa Verbi, quæ animas sanctas ac Deiparam sponsas efficit, Deoque despondet. Hac de causa humanitas Christi sponsa prima est, si cum Verbo quasi sponso comparetur: sin autem cum Ecclesia anima sancta et Deipara conferatur, iam ipsa non tam sponsa est, quam sponsus. Christus enim non tantum qua Deus, sed et qua homo Ecclesiam, animas et Deiparam sibi ut sponso despondet, ut docet Apostolus Ephes. 5. 32. et 2. Corinth. 11. 2. *Despondi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Ita docent Cassiodorus, Origenes, Theodor. Beda, Nyssenus, Philo Carpath. Aponius, Rupertus, S. Bernardus et alii passim in hoc libro, sed præsertim c. 6. 8. ad illa: *Una est columba mea, perfecta mea, etc.*

Prima ergo Christi sponsa est eius sacratissima humanitas; secunda est Ecclesia; tertia est Deipara; quarta est anima sancta. Causam dat hoc loco Theodoretus, dum ait: « Hoc est bonorum caput, divinæ benignitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis charitas, quod auctor ipse, et effector, et procreator, et Dominus, et Deus, et princeps, atque idem semper luteum hoc animal mortale et corruptibile, et ingratum, atque inutile, a morte et servitute diabolica eripuerit, atque ita libertatem largitus sit, ut non solum nos liberos constituerit, sed in filios adoptarit; neque solum tribuerit adoptionis munus, verum etiam sponsam et vocarit et fecerit, eodemque numero sponsum habuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit; et cubile, et thalamum adornarit et nudam induerit, et denique factus ipse sit sponsæ et amicus, et panis, et potus, et via, et ostium, et vita, et lux, et resurrectio. »

Item Christi et animæ sanctæ. Porro quia singuli fideles et maxime iusti sunt membra Christi et Ecclesiæ; hinc de iis singulis Canticum accipi potest in sensu non tam mystico, quam litterali, sed inadæquato et partiali. Unde de anima iusti ad litteram Canticum explicat S. Iustus Orgelitanus, Ioannes a Iesu Maria Carmelitanus et alii, imo Bellarminus censet hoc epithalamium non tam esse Christi et Ecclesiæ, quam Christi et animæ sanctæ, præsertim eminentis et perfectæ: hæc enim habet sodales, quæ crebro hic inducuntur, cum Ecclesia non habeat sodales, sed subditos et filias.

Denique Christi et B. Virginis. Rursum, hoc Canticum apte congruit Christo et Beatæ Virgini; tum quia ipsa inter iustos eminet, sicut luna inter stellas; tum quia Verbi incarnatio, et per consequens desponsatio Ecclesiæ in ipsa, et per ipsam perfecta est; tum quia caro Christi assumpta a Verbo fuit caro B. Virginis: quare, cum carnem sibi despondit Christus, quasi B. Virginem sibi despondit. Unde de B. Virgine totum hoc Canticum explicat Rupertus, Guilielmus Parvus, Honorius Augustodunensis, Hailgrinus, Card. Alanus, Insul. Placidus, Nigidius et Ioannes Picus Carthus.

Ecclesia est omnium sæculorum. Iam vero per Ecclesiam cum Theodor. Aponio, Beda et aliis hic accipe cœtum fidelium credentium in Christum, tum ex Gentibus, tum ex Hebræis congregatorum, quæ cœpit ab Abel et Adam, propagata est per Abraham, formata per Mosen, ac perfecta est per Christum. Omnes enim veteres Patriarchæ et Sancti, qui in lege tam naturæ, quam Mosaica Deo sancte servierunt, crediderunt in Christum venturum, ac per hanc fidem iustificati et salvati sunt: quare pertinent ad Ecclesiam Christi, ut alibi ostendi ex S. Augustino. Hinc patet perperam nonnullos Canticum hoc arctare ad Christianos natos post Christum, alios ad Iudæos natos ante Christum, uti Chaldæus, R. Salomon et Aben Ezra illud arctant ad Synagogam, quasi hic describatur desponsatio Synagogæ cum Christo, quæ facta est per Mosen; sed eis venia danda, quia cum sint Iudæi, iudaizant.

Igitur hoc Cantico recensentur amores, gratiæ et beneficia a Deo per Christum in Ecclesia collata, a primo iusto Abel non tantum usque ad Christi resurrectionem, ut volunt Cassiodorus, Angelomus, Beda, Hailgrinus, Alcuinus et D. Thomas; sed usque ad finem mundi, quando Ecclesia triumphans Christo in cœlesti gloria copulabitur, beabitur et regnabit in omnem æternitatem. Ita Theodor. Aponius et alii.

Totus ergo hic liber spirat amores divinos, adeo ut amor ipse hic loqui videatur; nimirum in Salomone Deus, et Spiritus sanctus, qui vera est charitas, loquitur. Unde S. Augustinus in speculo asserit Canticum non esse aliud quam carmen amoris et iubilum charitatis: *Sed de illo* (Cantico) inquit, *in hoc opus quid transferre possumus, cum totus amores sanctos Christi et Ecclesiæ figurata locutione commendet, et prophetica pronuntiet altitudine; nisi quod in eo quamvis sit ad intelligendum difficillimus; possumus tamen facile advertere quantum sit divina illa et divinitus infusa charitas appetenda, quantique pendenda; quandoquidem ibi non semel dicitur, sed alio atque alio loco, iterum ac tertio repetitur: Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit: Adiuro vos, filiæ Ierusalem, in virtutibus et viribus agri, si levaveritis charitatem quoadusque velit: Ecclesia quippe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias suas, hoc est seipsam in plurimis constitutam. Ipsa est ager Dei fructuosissimus, cuius virtutes et vires magnæ sunt, ad quas amando Christum martyres pervenerunt.* Quocirca Hebræi nulli Canticum hoc legere permittebant ante annum ætatis trigesimum quæ erat ætas sacerdotalis, teste Origene, ibidem et S. Hieronymo, Præfat. in Ezech. Sobrium et temperantem eius lectorem requirit Origenes, hom. 1. a quibus, cuius iam passiones deferbuere, avulsaque cogitatio et amor a terrenis desideriis, cælestium cupidini adhærescit. Nyssen. homil. 1. eos qui lumbos impatibilitate quadam succinxerint, et veterem concupiscentiæ hominem exuti, novum innocentiæ induerint. Bestiales enim (ait Richardus Victor. in præfat.) nobis affectus exuendi sunt, ne ad sacrum hunc montem accedentes bestiæ, lapidum grandine obruantur, aut cælesti incendio absumantur. Maxime vero liber hic scriptorem, æque ac lectorem requirit charitate ferventem, et amore Dei incensum. Quis enim frigidus, vel tepidus hæc amorum incendia sentiat, vel capiat? Vere Origenes homilia 1. *Beatus*, ait, *is qui ingreditur Sancta. Beatior qui ingreditur Sancta Sanctorum, etc. Beatus, qui intelligit Cantica, et canit ea, sed multo beatior ille qui canit Canticum Canticorum*. Addit Gerson Præfatione in Canticum: *Amor*, inquit, *expositus in Canticum fruitio Dei, vel osculatio oris nominatur aptissime, non solum habitualis et tepidus, sed actualis, fervens, et exstatica, et præcipue seraphica, cuius est immediate ferri in Deum, quamvis ex parte animæ concurrat multitudo habituum et consuetudinum: Omne præterea datum optimum, et donum perfectum descendens a Patre luminum etc. Quæ omnia tamquam virtus univoca (tradente Dionysio) replent et restituunt animam, eamque convertunt ad congregantis Patris unitatem, et Deificam simplicitatem, ubi tunc apex, vel seraph mentis ineffabili, et ignoto Deo ineffabiliter et ignote coniungitur; ignote quidem, quia indefinite et immense, cum virtus cognoscentis et actus, prout et natura, sint finiti.* Amor seraphicus Cantic. Hinc Plato, qui a Mose, et Salomone multa hausit, ideoque ab Eusebio et aliis vocatur *Moyses Atticus*, adde et *Salomon Atticus*, Cantica hæc videtur imitatus in convivio, quod totum est de amore, ubi sic orditur: *Magnus Deus est amor, et apud deos et homines mirabilis*: additque ex Hesiodo: *Post Chaos hæc duo exstitisse, tellurem et amorem*, citatque illud Parmenidis:

Ante Deos omnes primum concepit amorem.

CAPUT TERTIUM.

MODUS ET STYLUS.

Origenes, S. Greg. Nazian. et cæteri Canticum hoc asserunt esse drama sponsale, sive nuptiale carmen. Unde S. Basil. in illud Isaiæ 5 *Cantabo dilecto meo Canticum dilecti mei*, ait: *Canticum Canticorum nuptiale est carmen dramatico opere pertextum*. Drama est rei repræsen-

tatio, setus comœdiarum, sive tragœdiarum fabola. Totos enim liber cootinos est metaphora, sise allegoria conscripta stylo comico et bucolico, quem post Salomonem secutus est Theocritus in Idylliis, et Virgil. in Bucolicis. Inducitur enim hic velut in dramate sponsa, ut virgo pascens oves, quæ pastori suæ sortis desponsata, eum casto amore amat, cum eoque per modum dialogi colloquitur, uti fieri solet in comœdia et tragœdia. Pastoris autem persona hic præ aliis assumitur, tum quia pastorum opus et vita est antiquissima, simplicissima et innocentissima. Unde Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Moses fuere pastores ovium æque ac Rachel, cæteræque uxores eorum, imo olim reges et principes erant pastores et agricolæ, uti fuit Iob, Romulus, Remus, Camillus, priscique Romani; tum quia pastores repræsentant Christum, qui rure, puta in præsepio Bethleemitico inter pastores natus, primo pastores gregum per angelum ad se evocavit. Denique Christus est pastor pastorum. Unde ipse de se ait: *Ego sum pastor bonus: Bonus pastor animam ponit pro ovibus suis*, Ioan. 10. Quocirca ipse impense amat pastores bonos, qui subditos pascunt oratione, verbo et exemplo; hi enim non sibi soli, sed et aliis plurimis prosunt, ac proxime imitantur vitam Christi, atque alios docendo et charitatem accendendo eam in seipsis magis accendunt, sicut ignis ignem accendens, seipsum magis accendit. Unde Christus ad Petrum; *Petre*, ait, *amas me? etc. pasce oves meas*, Ioan. 21. Totus

Canticum est prophetia de Christo.

ergo hic liber est propheticus, adeoque non est aliud quam continua prophetia de Christo et Ecclesia, ideoque obscura, ænigmatica et symbolica.

Duplex sensus Cantici literalis.

Hinc sequitur, sicut in parabolis, metaphoris et allegoriis, sic et in hoc Cantico duplicem quasi esse sensum litteralem, unum grammaticalem, quem præ se fert ipse cortex, ipsaque superficies litteræ, puta verba; alterum realem et profundum, qui est de rebus per verba metaphorica significatis, ut cum ait S. Ioan. Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*. Leo grammatice significat animal robustum et invictum quod dicitur leo; realiter vero significat Christum, cuius fortitudinem repræsentat leo. Hi duo sensus se habent et se mutuo respiciunt, sibique subordinantur, uti verborum sonus et sensus, uti cortex et nucleus, uti umbra et corpus, uti superficies et medulla, uti corpus et anima, uti vestis et homo; unde a nonnullis hisce nominibus vocantur. Vide Canonem quintum, quem præfixi Isaiæ.

Sodales sponsi Apostoli.

Sic in Cantico hoc, sponsa grammatice describitur, ut virgo pastoritis, sponsus ut pastor; sed realiter per illos intelligitur Ecclesia et Christus, Ecclesia sunt fideles, qui Christo velut sponso per fidem et dilectionem copulantur: sponsi sodales sunt Apostoli, virique perfecti, præsertim qui animas Christo lucrantur et despondent, qualis erat S. Paulus dicens: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. Sociæ sponsæ sunt animæ in

Sociæ sponsæ animæ imperfectæ.

fide, virtute et amore imperfectæ, adeo ut needum sponsæ Christi appellari queant, sed sociæ sponsæ dumtaxat, quasi præparantes se et viam virtutis inchoantes, ut ad nuptias Christi sensim provehantur. Sic Abulensis docte conscripsit Paradoxorum emblemata, sive ænigmata quinque scilicet: primum, *vas mirabile*; secundum, *leo mansuetus*, tertium, *agnus insuperabilis*; quartum *serpens innoxius*; quintum, *aquila cœlestis*, quorum primum de B. Virgine, cætera quatuor de Christo fuse et erudite explicat.

Porro Salomon in hoc Cantico imitatur Davidem qui Psal. 44. et 47. simile Drama et Epithalamium sponsi et sponsæ, id est, Christi et Ecclesiæ conscripsit; uterque ergo fuit sacer vates et poeta. Olim enim Poeta vocabatur, qui carmina non quælibet, sed comica, tragica, dramatica fingebat et componebat; a ποιέω enim, id est facio, fingo, dicitur ποιητής, id est factor, fictor, effictor; unde illud Horatii de Art. Poet.

————————*Pictoribus atque Poetis,*
Quidlibet audiendi semper fuit æqua potestas, etc.
Ut pictura poesis erit, quæ si propius stes,
Te capiet magis, et quædam, si longius abstes.

Et Cicero de optimo genere Orat. *Tragicum, comicum,*

A *epicum, melicum et dithyrambicum poema*. Idem lib. 3. de Orat. *claris coloribus picta poesis*. Et Tuscul. 4. Anacreontis quidem poesis tota est amatoria.

CAPUT QUARTUM.

PARTITIO ET PARTES.

Beda Canticum partitur in quadraginta sectiones, sive capita; D. Thomas dividit in tres status Synagogæ, puta Israelis, sive Iudæorum, primo credentis Christo in Apostolis et primis Christianis, qui fuere Iudæi a c. 1. usque ad c. 3. v. 7. inde autem incipere agi de Iudæis excæcatis et persequentibus Christianos usque ad c. 6. v. 10. inde usque ad finem libri agi de Iudæis credituris Christo in fine mundi. Titelmannus alternis capitibus alterne censet loqui sponsum ad sponsam.

Noster Delrio in tres partes dividit, ut primo agatur de fidelibus incipientibus, secunda de proficientibus, tertia

B de perfectis. Alii censent hic describi fideles vitæ activæ, contemplativæ et mixtæ, ac denique cœlestis.

Georgius Ederus in sua Biblior. Œconomia, Canticum hoc in decem dramata dividit; quæ omnia non Ecclesiæ, sed Synagogæ Mosis et Iudæorum attribuit.

Gaspar Sanchez opinatur perturbatum esse ordinem; caput enim quintum præponendum esse primo eo quod sponsa non nisi a sponso evocata, sponsum dicere queat: *Osculetur me osculo oris sui*; evocari autem eam cap. 5. Igitur Cantico hoc censet priscos nuptiarum ritus depingi, ac proinde illud velut drama nuptiale in quinque scenas partitur. Primo, sponsus c. 5. sponsam invitat, ambit et evocat. Secunda, sponsa evocata sollicite quærit sponsum, cap. 6. et c. 1. dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. Tertia, nuptiæ celebrantur cap. 2. sub geniali thalamo de quo ait: *Sub umbra illius*. Quarta, sponsa cap. 3. in ferculo, id est, mobili et geniali lectu componit, movetque pompam curruumque nuptialem in sponsi domum. Quin-

C ta scena quæ est cap. 8. sponsam sistit ad sponsi fores, ibique sancto amoris complexu matrimonium solemni ritu contrahitur. Verum in hac distributione magna est capitum traiectio ordinisque perturbatio et confusio.

Plenius et germanius cum aliis Canticum divides in quinque partes, quæ sunt: Prima, nuptiæ Christi cum humanitate per incarnationem, indeque cum Ecclesia hominum fidelium per fidem et charitatem, puta infantia Ecclesiæ: hanc pertractat ab initio cap. 1. usque ad v. 8. cap. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus*. Secunda, Ecclesiæ propagatio et incrementa: hanc pertractat a v. 8. cap. 2. usque ad cap. 6. v. 6. *Quæ est ista quæ ascendit*. Tertia, Ecclesiæ plenitudo eiusque quasi in culmine positæ summa exaltatio et perfectio; hanc describit a cap. 3. v. 6. usque ad cap. 4. v. 2. *Ego dormio, et cor meum vigilat*. Quarta, Ecclesiæ veterascentis in senium inclinatio; hanc repræsentat cap. 5. v. 2. usque ad cap. 6. v. 3. *Pulchra es amica mea*. Quinta, Ecclesiæ renovatio, et ad summam perfectionem restitutio, eiusque in cœlis glorificatio: hanc

D oculis subiicit a cap. 6. v. 3. usque ad finem libri.

Infantia Ecclesiæ fuit ab ortu et prædicatione Christi usque ad Pentecosten: adolescentia a Pentecoste usque ad Constantinum Imp. Virilis ætas tempore Constantini: senium postea cœpit, grassantibus Arrianis, Nestorianis, Eutychianis, Pelagianis. Renovatio fieri cœpta est a S. Basilio, Chrysostomo, Cyrillo, Augustino, Ambrosio, Hieronymo. Continuatur ab eorum successoribus continue usque ad finem mundi, qui Ecclesiæ fidem et sanctitatem contra hæreticos, Iudæos, Turcas, schismaticos, tyrannos et quoslibet persecutores sartum tectum tuentur, eamque propugnabunt usque ad finem mundi, quando in die iudicii fiet plena Ecclesiæ renovatio, consummatio et glorificatio.

Has quinque Ecclesiæ ætates et status dramatice per quinque dramata, sive quasi actus, quasi in scena repræsentat hic Canticorum liber.

Cantic. repræsentatur 1. Infantia sponsæ.

In primo dramate inducitur Salomon in Libano monte

vicino eoque amœnissimo et fertilissimo obambulans, vel venationi indulgens, incidisse in puellam nobilem, sed more ætatis illius pastoritiam, quam ob formam insignem tam corporis, tum animi, ut sponsam sibi despondit; unde nova nupta ad tanti Regis nuptias et thalamum aspirans: *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui*; *oleum effusum* nomen *tuum*. Mox queritur se sole fuscatam, quod a fratribus coacta sit custodem agere in vineis: solatur, animatque eam sponsus Salomon, pollicens ei equitatum Pharaonis, inde ei quasi novæ sponsæ promittit murenulas et monilia; hinc illa ait sponsum sibi esse quasi fasciculum myrrhæ et botrum cypri; narratque se ab eo introductam in cellam vinariam, ubi amoris vino, quasi ebria indormiens, et quasi deliquium passa petit fulciri floribus et stipari malis, ac sponsus eam excitari prohibet, quæ omnia sunt sponsæ teneræ et novellæ, ac infantiam Ecclesiæ repræsentant. Ecclesia enim nascens nascente Christo petit eius osculum, id est, unionem et amplexum per Verbi incarnationem, in qua ipse fuit quasi oleum salutiferum, in circumcisione et passione effusum; ideoque Iesus, id est, Salvator est appellatus, mox ipsa persecutionem passa a Iudæis fratribus suis equitatu, id est, Apostolorum armis et præsidio a Christo fuit obarmata, ab eoque murenulas legum et consiliorum Evangelicorum ac fasciculum myrrhæ, id est, Christi passionem, et botrum cypri, id est, eiusdem resurrectionem, et cellam vinariam, id est, institutionem Eucharistiæ in ultima eius cœna accepit, cuius gustu quasi deliquium passa, floribus S. Script. et malis bonorum exemplorum stipari se optat, in iisque suaviter indormiens a Christo excitari vetatur. Factum id, cum discipuli ab Ascensione Christi usque ad Pentecosten, in cœnaculo reclusi toti vacabant orationi, Eucharistiæ, et iucundæ contemplationi, nec Iudæi a Christo permissi sunt hanc eorum quietem interturbare.

Repræsentat infantiam Ecclesiæ sub Christo.

II. Adolescentia sponsæ.

Secundum drama, quod incipit cap. 2. v. 6. Sponsa a sponso, ineunte vere, evocatur in agros et vineas, ut ficuum grossis et vineis florentibus uterque pascatur; mox iubet capi vulpeculas, quæ vineas demoliuntur; subducit se sponsus, sponsa eum anxie requirit in lectulo, et mox a vigilibus, sed frustra; quare, iis relictis circumiens vicos et plateas tandem ipsum invenit nec dimittit, donec introducat eum in domum matris suæ. Hæc omnia repræsentant adolescentiam Ecclesiæ, quæ cœpit in Pentecoste: quando Apostoli, recepto Spiritu sancto, cœperunt prædicare Evangelium primo Iudæis, deinde Gentibus, et ubique fundare Ecclesias; unde tunc fuit, quasi ver Evangelii. Vulpes fuere primi Hæresiarchæ, scilicet Simon Magus, Ebion, Menander, Basilides, Caepneras, etc. qui Ecclesiam vastarunt, quibus restitere S. Ioannes cæterique Apostoli. Ecclesia quæsivit Christum in lectulo, id est, in Iudæa, ubi quiete vacabat Deo, et a vigilibus, id est, a Sacerdotibus et Scribis prædicando Iudæis Evangelium, et Messiam in eis natum ab eis requirendo; sed frustra: pauci enim Iudæorum in Christum crediderunt; quare, iis relictis, abiit ad Gentes totius orbis, ibique in eorum fide et obedientia Christum invenit, atque Ecclesiam ubique stabilivit, donec ad eum Christum, id est, omnes gentes Christianas induceret.

Repræsentat adolescentiam Ecclesiæ, quæ cœpit in Pentecoste.

III. Virilis ætas sponsæ.

Tertium drama incipit c. 3. v. 6. ubi dicitur sponsa ascendere per desertum, sicut virgula fumi ex omnibus aromatibus suavem odorem exhalantis; rursum sponsi lectulum ambire sexaginta fortissimos ex Israel. Ferculum item, sive gestamen aureum eiusdem describitur, ac diadema, quo coronatur. Denique sponsæ forma celebratur ab oculis columbinis, capillis hœdinis, dentibus ovinis, labiis coccineis, collo turrito, uberibus capreæ, etc. per quam incolas montium Libani, Amana, Sanir et Hermon allicit, evocatque in Sion, quasi in hortum conclusum, et paradisum nardo, cypro, croco, omnique fructu aromatico abundantem.

Repræsentat virilem Ecclesiæ ætatem, qualis fuit sub Constantino.

Hæc omnia adumbrant virilem ætatem Ecclesiæ, quando ex fide omnium gentium velut virgula fumi crevit et ascendit altissime. Lectulus sponsi, id est Christi, est Ecclesia Romana, in qua quasi in lectulo firma et iucunde conquiescit. Ferculum est magnificentia Ecclesiæ Romanæ magnificentiam Christi et quintuplex eius diadema repræsentans. Oculi columbini notant Prælatos Ecclesiæ vigiles et sollicitos, capilli Nazaræos, sive religiosos, dentes Doctores, labia Prædicatores, collum Pontifices Romanos, ubera sacerdotes et diaconos. Hi populos Gentium evocant de Libano, Amana, Sanir et Hermon, qui erant montes Gentilium, hoc est, avocant eos a gentilismo, ut veniant in Sion, puta ad Ecclesiam Christi, ubi omnium aromatum, id est virtutum spiritualium genera germinant, et suavissimum sanctitatis odorem exhalant. Id factum est sub Constantino Imper.

IV. Senium sponsæ.

Quartum drama incipit c. 5. v. 2. ubi sponsa dormiens, sponso, nocturno rore madido, ostium pulsante eum ei tardaret aperire, luit hanc tarditatem; nam eum abeuntem deinde requirens, a custodibus urbis vulneratur et pallio spoliatur. Mox eius sociæ sponsum quæsituræ petunt ab ea, quis et qualis sit sponsus? quibus illa respondet eum esse candidum et rubicundum, capite aureo, comis nigris, genis aromaticis, labiis liliatis, manibus hyacinthinis, ventre eburneo, cruribus marmoreis.

Repræsentat senium Ecclesiæ post Constantinum.

Hæc omnia notant declinationem et senium Ecclesiæ, cum videlicet per pacem ipsi datam a Constantino, nonnulli eius præsules et fideles dederunt se otio, gulæ, desidiæ; qua occasione Arriani, aliique hæretici, suis hæresibus et blasphemiis in Oriente impetiere Christi deitatem, vel humanitatem. Quare Christus fidem suam ex Oriente transtulit in Occidentem. Unde Ecclesia Orientalis Christum Christique veram fidem requirens a custodibus, id est, a Principibus et Prælatis hæreticis, quales fuere Valens, Hunericus, Dioscorus, Nestorius, læsa et lacerata fuit ac pallio integræ fidei spoliata: quare eius sociæ, id est, sanctæ Angelorum et hominum animæ, ut Christum quærunt, et ab Occidente in Orientem reducant, quærunt a sponsa, scilicet ab Eccl. Orientali, qualis sit Christus: quibus illa respondet eum esse candidum per innocentiam, rubicundum per passionem et patientiam, caput eius esse aureum per divinitatem, capillos, id est, consilia eius nigra, id est, fortia, virilia et charitate quasi tosta, genas binas habere aromaticas, id est, per misericordiam et iustitiam spirare omnem sanctitatem, labia liliata, hoc est, eloquia castissima, manus hyacinthinas, id est, operationes cælestes, et tornatiles, versatilesque ad omne bonum, ventrem eburneum, id est, passiones et affectiones purissimas et fortissimas, crura marmorea, id est itinera validissima, quibus per se et Apostolos totum orbem evangelizando abiens illum sibi subiiciat.

V. Renovatio sponsæ.

Quintum drama incipit cap. 6. v. 3. ubi sponsa pulchra, fortis et perfecta describitur, ac quasi castrorum acies ordinata. Mox sponsus descendit in hortum nucum: sponsa conturbatur propter quadrigas Aminadab; sed sponsus occurrit, aitque: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* ac rursum eiusdem femora, ubera, collum, oculos, caput, staturam, guttur, etc. depingit et dilaudat. Denique cap. 8 sponsa optat sponsum deducere in domum matris suæ, eique intime, semperque coniungi. Cui sponsus: *Pone me*, ait, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Mox sponsa sorori suæ parvulæ prospicere satagens, a sodalibus consilium accipit: *Si murus est*, inquiunt, *ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*. Quibus soror ita respondet: *Ego murus, et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*. Utriusque deinde sororis vineam, eiusque fructum et pretium describit. Tandem sponsus ultimam sponsæ vocem, votumque postulans audit ab ea: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ super montes aromatum*.

Repræsentat renovationem Ecclesiæ factam ab eius Doctoribus.

Hæc omnia repræsentant renovationem Ecclesiæ factam sæculo Patrum, quo scilicet floruere Doctores Græci, S. Basilius, Nazianz. Chrysost. Cyrillus; et Latini, S. Augustinus, Hieronymus, Ambros. Gregorius, eorumque successores, qui ita Ecclesiam ornant et roborant, ut ipsa instar castrorum omnibus hostibus invicta resistat. Quare Christus descendit in hortum nucum, id est, in Ecclesiam

ex duobus populis, scilicet Gentibus et Iudæis coalitam; hæc turbatur propter quadrigas Aminadab, id est, ob conversionem Gentium, vel ob schismata Saracenorum, Antipaparum, ac impiorum Imperatorum et Principum. Sed Christus occurrit, iisque opponit choros castrorum, id est Pontifices, Reges et Imperatores orthodoxos et bellicosos; item Concilia œcumenica et nationalia; ad hæc Academias, quas quasi fidei et pietatis nutrices et propugnatrices in singulis provinciis instituit, insuper Ordines religiosos S. Benedicti, Romualdi, Bernardi, Dominici, Ignatii, quasi castra veræ religionis validissima.

Denique sponsa Ecclesia sub finem mundi, completo iam electorum numero, c. 8. optat cum sponso Christo ire in domum genitricis suæ, id est, cælestis Ierusalem, ut eo fruatur in æternum; cui sponsus Christus: *Pone*, inquit, *me ut signaculum super cor tuum*, id est, mei memoria et amore cor tuum obsignes; instat enim tibi ultima et acerrima Antichristi persecutio, quam non nisi per meam gratiam et charitatem superare poteris; quia aquæ multæ tribulationum non extinguent charitatem, nec flumina persecutionum obruent illam. Mox Ecclesia Gentium sorori suæ parvulæ, id est, Synagogæ Iudæorum in fine mondi per Eliam ad Christum convertendæ, metuens ab Antichristo et Antichristianis, ne Christo in die iudicii displiceat, consilium petit a sodalibus sponsi, id est, a discipulis et asseclis Eliæ qui hoc illi suggerunt: *Si murus est*, etc. q. d. Pars Synagogæ, id est, plebis Iudæorum instar muri firmo et constanti est animo; quocirca illam instruamus eloquiis S. Script. quasi propugnaculis argenteis: pars altera instar ostii est anima exili et versatili, ergo illam constringamus, et roboremus sanctis fidelium exemplis, quasi tabulis cedrinis. Occurrit soror ipsa, scilicet Synagoga, aitque se satis in fide esse validam; ita enim ab Elia esse corroboratam, ut Antichristo eiusque asseclis fortiter sit restitura. Quocirca utraque hæc Christi vinea, scilicet tam Synagoga Iudæorum, quam Ecclesia Gentium, in fine mundi amplissimum dabit fidelium et virtutum omnium fructum, qui mille argenteis, id est, maxima pretio æstimetur. Tandem Christus extremam Ecclesiæ in fine mundi vocem postulans, ab ea hanc accipit: *Fuge, dilecte mi*, a terra hac fœtida *in montes aromatum*, id est, in cælum, eoque me tecum abripe, ut ibi tecum per gloriam fruar in æternum.

Harmonia Cantici cum Apocalypsi.

Porro Cosmas Hortulanus, ut vetus Testamentum novo, hoc Canticum Apocalypsi harmonice adaptat, censet Cantico describi septem status Ecclesiæ, quos per septem sigilla S. Ioan. in Apocalypsi c. 6. et seq. symbolice repræsentat.

Primo ergo Apocalypseos sigillo equi albi et equitis coronam, arcumque gestantis, repræsentatur Christi incarnatio, prædicatio, Gentiumque per Apostolos subiectio; idem repræsentat Canticum, dicens cap. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.*

Secundo Apocalyp. sigillo, per equum rufum repræsentatur status martyrum Ecclesiæ, qui mox post Christum et Apostolos cœpit a Nerone, ac duravit usque ad Constantinum Magnum; eumdem notat Canticum cap. 1. 13. dicens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; et magis ordinate c. 2. 12. dicens: *Tempus putationis advenit, etc. vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Tertio Apocalypsis sigillo, per equum nigrum repræsentatur secunda Ecclesiæ persecutio per Arriam et hæreticos. Eadem in Cantico repræsentatur per vulpes c. 2. 15. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*; et magis ordinate c. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Quarto sigillo Apocal. per equum pallidum repræsentantur hypocritæ, vel potius Mahometani et Saraceni, qui validissime Ecclesiam oppugnarunt et etiamnum oppugnant. Unde contra eos dicitur Cant. 3. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*: et magis ordinate c. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* et v. 11. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab, etc.*

Quinto Apocal. sigillo aperto prodeunt animæ interfectorum propter Verbum Dei, petentes vindictam audiuntque, ut modicum quiescant. Quietem hanc martyrum Ecclesiæ repræsentat Canticum 5. 1. ubi sponsa sponsum in hortum invitat ad colligenda lilia. Et magis ordinate cap. 8. v. 2. *Dabo tibi*, inquit, *poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum meorum.*

Sexto Apocal. sigillo repræsentatur Antichristi gravissima persecutio. Eamdem repræsentat Canticum c. 5. 4. dicens: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius*; et magis ordinate c. 8. v. 6. *Fortis*, ait, *est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, etc. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam.*

Septimo Apocal. sigillo repræsentatur Christi adventus ad iudicium, post quem sequetur Ecclesiæ felicitas et gloria æterna. Idem hic repræsentat Canticum c. 6. 12. dicens: *Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*; et quæ sequuntur usque ad finem libri et præsertim ultima verba: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Analogia Canticorum cum Apocalypsi.

Igitur magna est analogia et similitudo Canticorum cum Apocalypsi: Primo in materia, quia utrobique describitur ortus, progressus, perfectio, inclinatio, renovatio et glorificatio Ecclesiæ. Secundo, in phrasi et stylo, qui utrobique est symbolicus, atque per ænigmata et symbola Ecclesiæ Sacramenta obtegit et obvelat. Tertio, in modo: sicut enim Apocal. capite 7. a primis quinque sigillis ortum et progressum Ecclesiæ strictim significantibus subito vers. 12. sigillo sexto salit ad tempora novissima, illaque fuse prosequitur usque ad cap. 15. puta tempora Eliæ et Antichristi; sic prorsus idem facit Salomon in Canticis, uti ostendam c. 7. v. 1. Quarto in fine: sicut enim Apocalypsis clauditur descriptione cælestis Ierusalem, quasi sponsæ Christi felicissimæ; sic et Cantica. Unde noster Alcazar in allusionibus ad Apocalypsim toto l. 3. Cantica explicat, ut ostendat eorum cum Apocalypsi affinitatem et similitudinem.

CANONES

QUI FACEM PRÆFERUNT CANTICIS.

CANON PRIMUS.

Varia nomina varie Deo tribuit Scriptura.

In aliis libris veteris Testamenti Deus vocatur *Iehova*, *Adonai*, *Elohim*, *El*, cæterisque decem nominibus, quæ recenset et explicat S. Hieronymus Epistol. 136. ad Marcellam; quia in iis Deus agit cum Synagoga quasi cum ancilla, ideoque se Deum, Dominum, Gubernatorem, Fortem, Vindicem, Omnipotentem, Terribilem nominat: in Cantico vero hoc nullum tale nomen Dei est reperire quod terrorem incutiat; quia in eo agit cum Ecclesia, quasi cum sponsa dilectissima; unde se nonnisi Sponsum, Patrem, Amicum, Amantem et Amatum, sive Dilectum nuncupat; quia hæc nomina amorem sponsæ excitant, fovent, acuunt et augent. Ita Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei, cap. 5.

SECUNDUS.

Crebra est hic enallage personarum, qualis solet esse in dramatibus; modo enim loquitur in secunda, modo (idque mox) in tertia persona, etsi una eademque sit.

TERTIUS.

Cum Salomon, hujus carminis scriptor, divini erga homines amoris reseravit arcana, enixus est ex naturali amore universis animis longe notissimo, illius divini vires exprimere, ut inde discamus ex nostri amoris affectibus, in illius quasi augustissima adyta penetrare.

QUARTUS.

Canticum hoc est carmen, ideoque metro astrictum, quod proinde nonnulli elegiacum esse censent ex Hexametris et Pentametris versibus conflatum. Verum prisca Hebræorum poesis periit; unde ratio et metrum prisci eorum carminis ignoratur.

QUINTUS.

Sicut in metaphoris et parabolis duplex est sensus: Litteralis, puta Grammaticalis, qui est corticis litteræ: et Metaphoricus sive Parabolicus, qui est rei per metaphoram vel parabolam significatæ, qui verus et genuinus est parabolæ sensus, ideoque Litteralis, etsi ab Honorio Augustodunensi et nonnullis aliis vocetur Allegoricus, id est, Metaphoricus et Parabolicus.

SEXTUS.

Palæstinorum ritus et mores a cæterarum gentium ritibus et moribus valde differentes effecerunt, ut nonnullæ ex his similitudinibus arcanis ex medio vulgo rerum petitæ, non adeo concinnæ videantur exteris; cum tamen mira sit in illis ad res exprimendas efficacitas, et cum rerum proprietate congruitas.

SEPTIMUS.

In Cantico hoc, æque ac in aliis parabolis, adduntur subinde emblemata ad elegantiam parabolæ, quæ proinde A non est necesse; imo subinde est impossibile applicare rei per parabolam significatæ, ut cum Christus Matth. 25. in parabola talentorum ait herum plura vel pauciora talenta cuique famulorum dedisse secundum propriam virtutem: id enim herus facere solet. At Deus, ibi per herum significatus, id non facit; nam gratiam non distribuit secundum dignitatem et merita naturæ, ut volebat Pelagius, sed mere gratis.

OCTAVUS.

Canticum hoc est drama, in quo multa non verbis et voce, sed actorum gestu et actione repræsentantur, ut cum duellum, pugnam, convivium repræsentant non loquendo sed duellando, pugnando, convivando, in theatro. Quare actio hic collocutioni personarum quæ alioqui obscura et inconcinna videtur, inserenda est, ut eam expleat et explicet. Imo drama sæpe est actio silens, in qua mutæ personæ agunt, nec verbis, sed gestibus rem repræsentant. Rursum dramaticum opus vel poema est, in quo solæ personæ agunt absque Poetæ interlocutione. Quocirca B in Cantico non exprimitur, nec distinguitur, ubi sit vox sponsæ, ubi vox sponsi, ubi vox adolescentularum; sed omnes indiscriminatim commiscentur: atque hæc res magnam parit obscuritatem, quæ Interpreti ex ipsa verborum sententia, et ex antecedentibus et consequentibus solerter elucidanda est, ut cuique suam vocem et loquendi vicem assignet. Drama quid?

NONUS.

Sponsus et sponsa affectibus amoris indulgent: unde non tam concinne et ordinate, quam affectuose loqui satagunt; feruntur enim incendii sui flammis, quocumque eos rapit amor.

DECIMUS.

Totalis et adæquatus sensus Litteralis hic est, de connubio, sive conjunctione Christi et Ecclesiæ per fidem et amorem; Partialis Litteralis est de conjunctione Christi cum anima sancta, præsertim quæ studet perfectioni; hæc C est enim pars et membrum Ecclesiæ; Partialis principalis est de Christo et B. Virgine; hæc enim est præcipua pars, primumque membrum Ecclesiæ.

UNDECIMUS.

Canticum scriptum est instar dialogi, in quo interlocutores sunt sponsus Christus, sponsa Ecclesia, sponsi sodales (puta Apostoli et animæ perfectæ) adolescentulæ comites sponsæ, id est, animæ in virtute needum adultæ, sed teneræ, adolescentes tamen et crescentes in virtute.

Crebro in Canticis vinearum fit mentio, quia in iis sponsus ut vinitor, pastor et ruricola inducitur. Noster Sanchez probabiliter per vineam et vites in Canticis accipit frutices quæ fundunt balsamum, quales ipse censet esse cypros, aliasque arbores aromatiferas: Primo, quia hæ florentes suavem expirant odorem, non vites, nisi paucæ. Secundo, quia S. Hieronymus in epitaphio S. Paulæ ait: *Contemplata est balsami vineas in Engaddi*; et in cap. 27. Ezech. *Balsamum*, inquit, *quod nascitur in vineis* Vinea in Canticis quid?

Engaddi. Tertio, quia Septuag. cùm vineas dicunt florere, utuntur verbo κυπρίζω, quod a cypro deducitur. Quarto, quia hebr. כרם *kerem*, id est vinea, quemlibet agrum vel hortum significat: unde Iudic. 15. vocatur *kerem zait*, id est, vinea olivæ. Et Cantic. 5. pro *messui* Septuag. vertunt: *Vindemiavi myrrham meam.* Hinc et Pœni, indeque Hispani in regno Granatensi *carmen* (quod derivatur ab hebr. *kerem*, id est vinea) vocant hortum quibuslibet arboribus consitum. Hinc et cap. 7. vers. 11 pro *commoremur in villis*, hebr. est בכפרים *baccopherim*, id est in cypris, quæ abondabant in Iericho et Engaddi. Quinto, quia cyprus fundens balsamum similis est viti. Audi Plinium libro 12. capite 25. *Hæc viti similior est quam myrto, malleolis seri dicitur nuper vincto ut vitis, implet colles vinearum modo.* Vineæ ergo sponsi non tam vitis et vini, quam cypri et balsami erant feraces. Hæc sententia vera est, sed partialiter. Vinea enim hæc et cypros et vites et arbores, præsertim aromatiferas continebat: sic Romæ videmus in vineis esse hortos, viridaria, pomaria, agros et segetes. Imo in Lombardia idem ager fert segetes, fructus et uvas, adeoque idem campus est ager, pomarium et vinea; segetibus enim immiscentur vites ulmis innixæ, et utrorumque limites circumcirca sunt arbores fructiferæ. Nam Salomon, qui hic grammatice inducitur ut sponsus, et vineas vitium iuxta Ierusalem, et vineas cypri balsamique in Engaddi habebat, ut patet cap. 1. 13. *Botrus cypri*, ait, *dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* et Eccl. 2. 4. *Plantavi*, inquit, *mihi vineas, et sylvam lignorum germinantium.* Porro an cyprus sit frutex balsami ferax, disseram cap. 1. v. 13.

DUODECIMUS.

Membra corporis in Cantico quomodo intelligenda?

In Canticis subinde membrum corporis significat vestem, qua tegitur aut ornatur, ut cum c. 5. sponsi caput vocatur *aurum optimum*, *caput* sumitur pro corona capitis; hæc enim erat ex auro optimo. Sic cap. eodem, cum *venter* sponsæ dicitur *eburneus*, *venter* sumitur pro zona quæ ventrem tegebat et cingebat: hæc enim facta erat ex ebore. Hanc expositionem exigit honestas. Quis enim credat sponsam castissimam, ventrem nudum spectandum aut describendum exhibuisse? Cant. 7. pro eo quod Noster habet: *Comæ capitis tui sicut purpura;* S. Ambrosius sermone 47. in Ps. 118. legit: *Ornatus capitis tui sicut purpura*, ubi per *comam* accipit ornatum comæ, puta coronam comæ infixam. Sic nonnulli per *ubera* et *umbilicum* intelligunt *mammillare*, puta velum tegens ubera et umbilicum, iuxta illud Catulli in Argonaut.

Non tereti strophio luctantes vincta papillas.

Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum*, id est, super bullam, qua tegitur et ornatur cor tuum: huic enim rem summe amatam, v. g. Deum vel idolum suum Gentiles insculpere solebant, æque ac Hebræi, ut illius intuitu Dei sui semper memoriam refricarent, illumque in corde et mente iugiter cogitarent et amarent. Simili modo apud oratores et poetas sæpe res vestita significat vestem, qua tegitur et vestitur per metonymiam. Sic *collum* significat collare quo tegitur; *crines* significant crinalia; *femur* femoralia; *thorax*, id est pectus, notat vestem qua tegitur, quæque exinde *thorax* dicitur. Sic *pes* significat calceum, quo pes calceatur. Unde quod Deut. 8. 4. dicitur: *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes* (id est calceus) *tuus non est subtritus:* clare exponitur Deut. 29. v. 5. ubi dicitur: *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Hæc et plura noster Sanchez hic Proleg. 9. et 10.

DECIMUS TERTIUS.

Pro diversis nationibus et temporibus diversi mores.

Actiones, gestus et habitus apud Hebræos olim honesti et decori, apud alias gentes inhonesti et indecori æstimati sunt; et vice versa. Quæque enim gens suos habet mores ab aliis diversos; et quod olitanis temporibus placuit, posterioribus displicuit. Hinc Hebræorum vestitus, incessus, modus nuptias contrahendi, sacrificandi, adorandi, comedendi, etc. fuit alius plane, quam Græcorum et Latinorum, ut patet ex Levitico aliisque Scripturæ locis. Sic Homer. l. 3. Iliad. scribit Thetim, mentum et barbam Iovis manu apprehensa demulsisse, ut eum deliniret, quod iam rusticum et barbarum haberetur. Sic Ulysses deprehensus in Troia, supplex Hecubæ reginæ genas tetigit, ut eius clementia mortem evaderet, teste Euripide in Hecuba, quod modo crimen pene læsæ maiestatis haberetur. Sic Amazones nuda mamma incedebant, ut liberius depugnarent. Unde Propertius lib. 3. Eleg.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Turba.

Idem de virginibus Dianæ comitibus tradit Callimachus in hymno Dianæ. Et de Camilla Virg. Æneid. 11. *Nudum exerta latus.* Idem fecisse Hebræas putant nonnulli, ideoque hic cap. 4. v. 5. ubera sponsæ nuda dilaudari. At iam honestas et castitas omnium pene gentium ab hac nuditate plane abhorret. De uberibus quid sentiendum dicam cap. 4. vers. 5.

DECIMUS QUARTUS.

Hebræi, dum indunt nomina, alludunt ad nominis etymon, illudque personæ vel rei, cui nomen indunt competere significant, vel optant. Sic *Adam* dictus, quia formatus ex *adama*, id est terra: *Iacob*, id est supplantator, quia supplantavit Esau, Genes. 27. *Nabal*, id est stultus, quia superbe et stulte respondit militibus Davidis, 1. Reg. 25. v. 25. Sic virgam שקד *sciaked*, id est *amygdalinam*, sive *vigilantem* ostendit Deus Ierem. c. 1. 11 *Quia*, inquit, *ego vigilabo, etc.* Similes allusiones sunt in *prino* et *schino* arboribus, sub quibus Susannæ scelus se deprehendisse mentiebantur senes, Daniel. 13. Simili allusione sponsa hic vocatur *Sulamitis*, id est Salomonia, sive Salomonis uxor, quasi a pacifico, Pacifica. Et c. 1. *Oleum effusum*, inquit, *nomen tuum*, hoc nomen est Messias, sive *Christus*, id est unctus oleo, ita copiose, ut illud in alios effundat. Crebro hic talia occurrent.

DECIMUS QUINTUS.

Res in Scriptura vocatur talis qualis exterius apparet.

Sæpe in Scriptura vocatur res talis, qualis foris apparet, etiamsi revera in se non sit talis. Sic Genes. 1. luna vocatur *luminare maius*, quia ultima terræ vicinia hominibus maior apparet, cum revera omnibus stellis sit longe minor. Sic Exodi 7. virgæ a Magis conversæ dicuntur in serpentes, quia hominibus ita videbatur, cum revera iuxta Nyssenum, Iustinum, Tertullianum et Rupertum, non essent aliud quam præstigiæ, quibus oculis illudebant, ut faciunt præstigiatores. Sic Ioseph vocatur Pater Iesu, et idola vocantur Dii: et dum cometæ discurrunt, dicuntur stellæ de cælo cadere, atque extrema pars mundi et cæli dicitur, quæ nobis extrema apparet, cum tamen in globo rotundo (qualis est mundus) revera nulla pars sit extrema, sed omnes eant in orbem. Sic c. 5. sponsi caput dicitur simile auro, comæ palmis, oculi columbis, genæ aromatibus, labia liliis, manus torno, venter ebori, sponsæ vero nasus c. 7. dicitur similis turri Libani, femora monilibus, umbilicus crateri, ubera hinnulis, venter acervo tritici, oculi piscinis, quia eis similes apparebant, etsi revera tales non essent.

DECIMUS SEXTUS.

Olim uxores a viris nomen accipiebant, ut Caii uxor vocaretur Caia, Cornelii Cornelia, Dionysii Dionysia. æque ac hic Salomonis sponsa ab eo vocatur *Sulamitis*. Rursum a quo insigne quis beneficium acceperat, eius nomen assumebat. Sic S. Cyprianus Cæcilii nomen assumpsit a Cæcilio presbytero, qui eum ad Christum convertit. Eusebius Cæsariens. Pamphili nomen sibi asscivit a S. Pamphilo Doctore et Martyre: Iosephus historicus Flavii prænomen sibi adiunxit, a Flavio Vespasiano Imperatore, qui

eum honoribus auxit. Insuper in Scriptura eidem personæ et rei diversa nomina dantur, iuxta varia idiomata. Sic S. Thomas Apostolus hebraice *Thomas*, græce *Dydimus*, latine *Gemellus* dicitur; S. Simon hebraice *Chananæus*, græce *Zelotes* cognominatur; Iudas chaldaice *Thadæus* (id est uberalis) hebraice *Lebbæus*, id est corculum, nuncupatur, Matth. 10. Tabitha hebraice, græce vocatur *Dorcas*, latine *Caprea*, Actor. 9. Sic hebraice *Salomon* et *Sulamitis*, latine *Pacificus* et *Pacifica* indigitantur.

DECIMUS SEPTIMUS.

Quis hic sponsus et sponsa.

Sponsus hic est Christus, sponsa est Ecclesia, et anima fidelis, non quælibet, aut peccatrix, sed sancta, imo perfectioni studens, et amore Christi flagrans. Hæc enim sola sponsæ Christi nomen meretur, cuius hic spirituales amores et ardores divini describuntur. Ita esse patet ex ipsis Cantici verbis, ut cum dicitur cap. 4. 7. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*; et cum cap. 2. v. 4. ait sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Rursum passim sponsus sponsam vocat Amicam, Dilectam, Pulchram ut luna, Electam ut sol. Et cap. 2. v. 16. ait: *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia*, et cap. 4. 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* Et cap. 6. v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea*, et cap. 8. v. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Denique Canticum non aliud, quam cœlestes amores Christi et animæ sanctæ spirat: peccatorum tamen subinde meminit, cum ab eis persecutionem se passam significat, ut cum ait c. 1. 5. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol, filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Aut cum eos convertere satagit, ut cum ait c. 4. 8. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Audi S. Bernard. serm. 61. *Sponsam nusquam in hoc toto opere adhuc nominarat, nisi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. Quæ cum venerit, et perfecta fuerit, faciet spirituale coniugium, et erunt duo in carne una, sed in uno spiritu, dicente Apostolo: Qui adhæret Deo, unus spiritus est*, 1. Cor. 6. 17. Idem ser. 85. *Quam videris*, inquit, *relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere, quod pariat Verbo quæ possit dicere: Mihi vivere Christus est et mori lucrum, hanc puta coniugem, Verboque maritatam.* Idem docet Bellarmin. lib. 3. de Ecclesia militante cap. 7. resp. ad 1. ac S. Hieron. Epistol. 140. ad Principiam, atque Cassiod. S. Gregor. Beda, Philo, Iustinus, Anselmus, Rupert. cæterique Patres et Interpretes ad illa Cantic. 6. 7. *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea.*

Quatuor amantis gradus.

I. Porro huius perfecti amoris quatuor sunt gradus et status, qui hoc Cantici libro ordine describuntur. Primus status amoris est nitiosæ vitæ, in quo animæ affectibus nondum edomitis Deum quidem odoratur et quasi degustat, currens in odorem unguentorum eius, non eo tamen ad arbitrium et voluptatem suam fruitur. *Et mirabar*, inquit S. August. lib. 7. Confess. cap. 17. *quod iam te amabam, et insistebam frui Deo; sed rapiebar a te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu; et pondus hoc, consuetudo carnalis.* Et infra: *Aciem figere non valui, et repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, et quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem.* Hic amoris status describitur c. 1. et 2. Cantic. Unde ibidem sponsa ait sponso: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum*; et, *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum, etc.*

Secundus amoris gradus et status animæ Deum amantis est vitæ contemplatricis. In hoc collocatur anima, facta sibi ad eum gradu vitiosorum habituum demolitione, passionum propriarum compressione et perfecta rerum omnium suique abnegatione; at in eo constituta non solum sicut in priore statu, Deum aliquando complectitur contemplationis et amoris actu, sed eadem continuato aliquamdiu ipsum contemplans amansque pene possidet, magna mentis tranquillitate; fitque suavissimus lectus pacifici Salomonis, et quasi nuptiale ferculum, in quo sponsus requiescit ac vehitur, animam in se quiescentem fovens. Hic amoris gradus describitur cap. 3. et 4. Cantic. Unde ibidem post primum sponsæ somnum sponsus adiurat adolescentulas, ne quæ illam a somno hoc amoris excitet. II.

Tertius amoris et amantis status est conflatus ex actione et contemplatione. In eo anima, sic iubente sponso, a contemplatione divulsa, se conicit in turbam et gregem pastoris illius, qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos, a sinu Patris in terras descendit, quæsiturus magnis laboribus, et proprio sanguine redempturus aviculas, quæ perierant, procellam nullam acerbissimarum temporum, periculum nullum pœnamve subterfugiens, aut dedecus, dum illas recuperaret. Hic amoris status describitur c. 5 6. et 7. Cantic. Unde ibidem sponsus sponsam ad campos et villas invitat: *Ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes, infirmos lucretur*, ait S. Ambros. lib. de Isaac et anima c. 8. Licet enim ibidem sponsa negligentiæ insimuletur, quod sponso ostium pulsanti non statim aperuerit; tamen mox facti pœnitens ipsa in maiorem sponsi amorem exarsit, periude ac *amantium iræ, amoris redintegratio sunt.* III.

Quartus status est, cum anima vitam supra humanam, ac pene divinam, supradictis longe superiorem, inexplebili desideria appetens, tanto flagrat divini amoris incendio, tantaque veluti zelotypia æstuat, ut manere in carne mors illi sit et peregrinari a Domino alter quasi infernus illi videatur; soleturque propterea exilium suum, ac perferat uno studio laboreque animarum lucrandarum dilectissimo sponso. De qua re sic S. Gregor. lib. 2. super Ezech. hom. 15. *Qui sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili iunguntur, ut eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem, pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere. Mens itaque quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipsa salus corporis quia transfixa est vulnere amoris.* Hic status amoris describitur Cantic. c. 8. Unde ibi post tertium somnum de ea dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? pone me ut signaculum super cor tuum, etc. Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Ita noster Bernardinus Rossignolius de Disciplina Christianæ perfectionis lib. 4. cap. 9. qui deinde singula capita singulosque versus ex ordine, hisce quatuor amoris gradibus alternative adaptat. IV.

COMMENTATORES.

HEBRÆI.

Chaldæus. Primus est Chaldæus Paraphrastes, qui in Cantico fuit R. Ioseph Cæcus; sicut in Pentateucho fuit R. Aquila qui chaldaice Onkelos dicitur; in Prophetis vero R. Ionathan filius Uzielis. Hi omnes, utpote Iudæi, iudaizant, ac præsertim R. Ioseph, qui Canticum non tam vertit, quam explicat, ut non tam interpres quam Paraphrastes, sive Commentator esse videatur. Quare Canticum de Synagoga, deque lege Mosis, tabernaculo, manna cæterisque beneficiis Israeli collatis interpretatur, multaque interserit ex Iudæorum fabulis, et Thalmudistarum figmentis, quæ colligit et excusat Franc. Lucas in Apologia Paraphrasis Chaldææ. Habet tamen suum usum, et veræ interpretationi obsecundat; sicut Synagoga subservit Ecclesiæ, lexque Evangelio et Moses Christo, atque quasi typus præivit.

Rabbini. Scripsere quoque in Canticum R. Salomon, Aben Ezra et R. David Kimchi.

GRÆCI.

Origen. Primus Origenes in Canticum scripsit homilias sex, in quibus *Origenes vicit seipsum*, ait S. Hieronym. qui eas ex Græco in Latinum convertit: quare temere et sine causa ultimas quatuor Origenis esse negat novus (imo Novator et in fide cacodoxus) Origenis interpres. Finit in capite secundo Cantic. v. 15. Floruit anno Domini 226.

Nyssenus. S. Gregorius Nyssenus, frater S. Basilii, edidit in Cantica hom. 15. finit. in c. 6. v. 9. Floruit anno Domini 380.

Philo. Philo Carpathiorum Episcopus constitutus a S. Epiphanio. Exstat tom. I. Biblioth. SS. Patrum, sed multa illi inserta vel infarta sunt a sciolo quopiam ex S. Gregorio, quæ cum reliqua explicatione parum congruunt. Floruit anno Domini 374.

Theodor. Theodoretus docte et genuine Canticum explicat, atque trium aliorum Patrum, quos non nominat, explicationem adiungit. Floruit anno 430. Censet Hortolanus tres hosce *3 Patres* Patres esse Sanctum Gregorium Nyssenum, S. Nilum Monachum, S. Chrysostomi discipulum, et S. Maximum. Hi enim Theodoreto fuere coævi, et horum trium brevis Cantici paraphrasis Commentario Theodoreti in Canticum præfigitur.

Psellus. Michael Psellus S. Gregorii Nysseni est compendiator.

LATINI.

Cassiodor. Primus est Aurelius Cassiodorus, Consul Romanus, ac Theodorici regis Gothorum Cancellarius: unde eius nomine plures scripsit Epistolas tanto viro dignas, qui deinde aulæ pertæsus, mundo valedicens, et monasticen in monasterio a se constructo exercens, totum se pietatis et sacris litteris tradidit, in iisque pie senescens, prope centenarius tandem in fine quievit, ait Baronius anno Domini 562. in fine. Hic ergo scripsit in Canticum breviter, sed clare, ac sæpe seu tangit sententiarum difficultatem, sensumque litteræ genuinum assignat: unde ex eo plura deprompsit Beda, Haymo et alii, sed sciolus quispiam nonnulla Cassiodoro attexuit. Nam cap. 3. v. 11. citat Gregorium Papam, qui centum annis eo fuit posterior. Floruit anno Domini 539. coævus et socius S. Severini Boetii, ac Symmachi Consulis Romani.

Iustus Orgelit. Iustus Orgelitanus Episcopus scripsit in Cant. Extat tomo I. Biblioth. SS. Patrum. Floruit anno 540. sub Iustiniano Imper. Interfuit Concilio Toletano II. Vide S. Isidorum de Scriptor. Eccles. cap. 14. et de Viris illust. c. 34.

Beda. Venerab. Beda prolixum edidit Comment. anno 700. cui et alium subiungit, quem ipse ex variis S. Gregorii locis collegit.

Alcuinus. Albinus, sive Alcuinus Flaccus, Bedæ discipulus, et Caroli Magni magister, anno 750.

Aponius. Aponius docte et graviter scripsit in Cant. anno 800. ait Sixtus Senensis in Biblioth. Possevinus et Bellarm. de A Script. Eccles. Sed anterius vixisse videtur. Nam Aponium citat Beda libro 4. in Cantic. cap. 23. Beda autem floruit anno 700. Finit Aponius in c. 4. Cant v. 7. ad illa: *Tota pulchra es, amica mea:* ac deinde Commentarium Aponii continuavit Lucas Abbas S. Cornelii ex ipsis Aponii verbis, sed succisis et in pauca contractis, unde multi illum citant nomine Aponii.

Angelomus monachus Aponii est abbreviator. Floruit anno 850. tempore Lotharii Imperat. Unde in Præfat. eum laudat, quod relicto imperio, monasticen amplexus sit, in eaque pie defunctus vitam studiumque suum sancte consummarit. *Angelomus.*

Haymo Bedam fere in compendium redigit, ac pene ad verbum transcribit Cassiodorum. Obiit anno 853. *Haymo.*

S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus anno 1081. *S. Ansel.*

Rupertus Abbas Tuitiensis Canticum explicuit de B. Virgine, anno 1119. *Rupert.*

S. Bernardus pie et eleganter explicat Canticum, sed *S. Bern.* B morte præventus, illud non absolvit, unde ei successit Gilbertus Abbas, qui opus prosecutus est. Floruit anno 1130.

Richardus de S. Victore, S. Bernardo coævus et amicissimus, paucas Cantici sententias exponit. *Richard.*

Inter opera S. Thomæ Aquinatis exstat Commentarius in Canticum. Dubitant tamen viri docti, an hic Commentarius sit ipsius, quia stylum eius non redolet, atque ex Cassiodoro et Beda videtur transumptus. Idem plane ad verbum exstat apud Haymonem, qui 450. annis antecessit S. Thomam: quare Commentarius S. Thomæ, quem sub mortem dictavit monachis Fossæ novæ, iuxta Romam, videtur fuisse alius ab hoc. Quocirca diversus plane ab hoc Commentarius in Canticum nomine S. Thomæ prodiit, seorsim impressus a Petro Gualtero anno Domini 1545. soletque iungi Commentario Caietani in Proverbia et Ecclesiasten. Hic magis redolet stylum Scholasticum S. Thomæ. *S. Thomas.*

C Guilielmus Parvus Abbas Beccensis, anno 1170. *Guil. Parv.*

Honorius Augustodunensis Præsbyter, anno 1220. *Honorius.*

Halgrinius Cardinalis Sabiensis, anno 1233. *Halgrin.*

Ex variis S. Ambrosii locis Commentarium integrum in Cantica collegit Antonius Demochares. Exstat in fine tomi 5. S. Ambrosii.

RECENTIORES.

Nicolaus Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Iacobus Iansonius, Ioannes Picus Carthusianus, Placidus Nigidius, Alphonsus ab Orozco, Tuscius, Hieron. Almonacirius, et plures alii, quos Romæ reperi. Cæteris eminent Franc. Titelmanus, Luisius Legionensis, Cosmas Damianus Ortolanus, Philippi II. Hispaniarum Regis Theologus, qui Paraphrasin habet luculentam et succulentam; Ioannes a Iesu Carmelitanus, nostri Gaspar Sanchez et Ludovicus de Ponte. Nasissime et exactissime noster Martinus Delrio, Michael Gislerius et Ludovicus Soto maior; denique nuperrime Ioannes Malderus Episcopus Antuer- D piensis, ac noster Luisius ab Alcazar in allusionibus ad Apocalypsin toto lib. 3. Uterque succincte, sed erudite et nervose.

Ex his omnibus succum exprimam, et pollinem floremque decerpam, Litterale e Mystico discernam, indigesta digeram, confusa distribuam, et cuique quod suum est ordinate attribuam; atque propria plura addam, memor semper solitæ brevitatis et methodi.

Porro Ioannes Gerson Cancellar. Parisiensis Canticum exposuit de amore Seraphico, quo anima pia ardet erga Christum, anno Domini 1429. ac complevit die 9 Iulii et instar S. Thomæ post triduum, puta die 12. Iulii cum Commentario vitam finivit, anno ætatis 66. ut amoribus Christi frueretur in cælo, unde identidem repetens illud Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio*, illi immortuus est.

PRIMUM DRAMA,

SIVE

PRIMA PARS CANTICI,

QUA DESCRIBITUR INFANTIA ECCLESIÆ:

(QUÆ FUIT AB ORTU CHRISTI USQUE AD ASCENSIONEM IN CÆLUM)
A CAP. I. VERSU 1. USQUE AD CAP. II. VERSU 8.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa ambit spirituale sponsi osculum, ubera, unguentum, oleum, cellaria. Mox vers. 5. ait se formosam, sed nigram ab æstu solis et persecutionis. Unde vers. 7. quærit locum sponsi; auditque ab eo ut abeat post greges et pastores. Unde v. 9. eam assimilat equitatui, genas turturi, collum monilibus. Denique v. 12. asserit nardum suam dedisse odorem, præsente sponso, quem comparat fasciculo myrrhæ et botro cypri, cum eoque spiritali laudis affectu dissuaviatur.

1. OSCULETUR me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino. 2. Fragrantia unguentis optimis. Oleum
effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. 3. Trahe me: post te curremus in odorem un-
guentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te, memores ube-
rum tuorum super vinum: recti diligunt te. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Ce-
dar, sicut pelles Salomonis. 5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ
pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. 6. Indica mihi, quem
diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. 7. Si ignoras
te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta taberna-
cula pastorum. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sic-
ut turturis: collum tuum sicut monilia. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 11. Dum es-
set rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera
mea commorabitur. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. 14. Ecce tu pulchra es, amica mea,
ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 15. Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus:
16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

VOX SPONSÆ.

Vers. 1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI.] Inverecunda videtur sponsa, quæ præter morem fœminarum honestarum et verecundarum, prior ambit sponsum sibique spiritale osculum sine ulla præfatione illico poscit; sed amore sancta ebria nescit erubescere: ubi enim amor, ibi non est timor vel pudor. *Præceps amor*, ait S. Bernard. *nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur. Rogo, supplico, flagito, Osculetur me osculo oris sui.* Est tamen hic aliquis in sponsa pudor, dum non ad sponsum dirigit sermonem, ut dicat. *Osculare*, sed alios quasi intermedios alloquitur, dicens, *Osculetur me*, uti notat idem S. Bernard. Sic Magdalena amore ebria, sine pudore, *importuna irruit convivio*, ait S. Ambros. sed *opportuna beneficio*, ut oscularetur non os, sed pedes Christi. Hic autem sponsa non contenta osculo pedum, quod est servorum et subditorum, ambit osculum oris, quod est sponsarum

A et summe amantium; uti parentes osculantur filios, fratres se mutuo, amicus amicum. *O quanta vis amoris!* exclamat S. Bernard. ser. 7. *Quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius quod manifesta caritas foras mittit timorem?* Et S. Aug. in Manuali c. 19. *Amor, ait, dignitatis nescius, reverentiam nescit;* et cap. 20. *Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, etc.* Consonat quod de amore scribit D. Gregor. lib. 6. epist. 24 ad Anastasium, ubi ostendit amorem et potestatem ex æquo præsumere, ac cum auctoritate et imperio libere loqui. Et Chrysolog. ser. 147. *Amor*, ait, *ignorat judicium, ratione caret, modum nescit, non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem. Amor quod amat non potest non videre. Hinc est quod omnes Sancti omnia, quæ meruerant, parva duxerunt, si Dominum non viderent. Hinc est, quod amor qui cupit Deum videre, etsi non habet judicium, habet tamen studium pieta-*

tis. Unde et Moses audet dicere Deo: Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam. Adde, sponsa non prius ambit sponsum, sed excitata et evocata a sponso, ut patebit ex eo quod subdit: *Meliora sunt ubera tua vino*, hæc enim *ubera*, id est viscera misericordiæ a sponso ostensa sponsæ, ipsam avocant, imo audacem reddunt ad petendum osculum, quia mirificum illi amorem fiduciamque sponsi ingerunt. Nam ut ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* per gratiam excitantem et vocantem, ut ex S. Augustino docet et definit Concilium Tridentinum sess. 6.

Osculetur me osculo oris sui) Hebr. *Osculabitur me ab osculis* (Vatablus, *osculis*) *oris sui. Osculabitur*, id est, osculetur: Hebræi enim per futurum significant optativum, quo carent. Sept. *Osculetur me ab osculis* (Origen. interprete S. Hieronymo, habet *ab osculo*) *oris sui*; Arabic. *Osculetur* (Syrus vertit in præterito, *osculatus est*) *me ex osculis oris sui. Osculis* in plurali significat vehemens desiderium et amorem sponsi, ut eius præsentia satiari nequeat, eamque continuam exoptet. Nam ut ait Poeta:

Verus amor nullum novit habere modum;

et, ut ait S. Bernard. *Modus amandi Deum, est amare sine modo.* Plurima Christi et Ecclesiæ oscula fuse recenset hic Tucaius. Silet sponsa personam sponsi, dicitque tantum *osculetur*, quia eum nil nisi sponsum mente pertractet, nil quoque ab aliis mente pertractari opinatur. Unde actum exprimit, personam vero tacet, utpote quam uti sibi, sic et cæteris notissimam, omniumque cogitationibus præsentem æstimet, sicut Magdalena Ioan. 20. rogata a Christo specie hortulani apparente: *Mulier, quid ploras? quem quæris?* respondit: *Domine, si tu sustulisti eum.* Quem eum? utique Christum, qui uti est amor meus, imo mens mea et cor meum, sic et cæterorum esse censeo. Nimirum ipsa tota plena Christo, nec se, nec cæteros de alio quam de Christo cogitare posse putabat.

PRIMUS SENSUS

TOTALIS ET ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Est vox Patriarcharum, ait S. Bernard. ac Synagogæ, ait S. Thom. desiderantis adventum Christi, q. d. Quia Christus toties mihi adventum suum promisit per Prophetas, ego per tria annorum millia avide et anxie eum expecto; veniat ergo ipse et osculetur me osculo oris sui, ut carnem meam et os meum assumens per illud mihi loquatur, seseque coniungat, ut qui olim aperuit ora Prophetarum, nunc os suum aperiat. Audi Origenem: *Quousque sponsus meus mittit oscula per Mosen, mittit oscula per Prophetas? Iam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur sponsi patrem, et dicit ad eum: Osculetur me osculo oris sui. Et quia talis est, ut compleatur per eam propheticum illud in quo dicitur: Adhuc te loquente dicam, ecce adsum: sponsam, sponsi pater exaudit, mittit filium suum. Videns illa eum cuius deprecabatur adventum, orare destitit, et ad eum cominus loquitur: Quoniam bona ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sic quoque Theodor. Aponius et Beda. Addit Theodor. *Cum igitur sponsi pulchritudinem, robur, divitias, regnum, quod in omnes habet, vim eius æternam, incorruptibilem, nullum habituram finem intellexerit; eum videre concupiscit, et in complexum ipsius ruere, atque illi oscula dare spiritalia.* Adde, vox hæc, non tam est Synagogæ, quam Ecclesiæ, quæ post Christi Incarnationem, dicit: *osculetur*, id est osculari me pergat, et osculum hoc amoris sui semper in me adaugeat. Unde hebraice est: *Osculetur me osculis.*

Osculum Christi physi.

Osculum hoc Christi physicum, est ipsa unio hypostatica; hæc enim iunxit carnem Verbo, hominem Deo, sicut per osculum sponsus sponsæ iungitur. Unde osculans, ait S. Bern. est Deus, osculatus est homo, osculum est utriusque unio, per quam fit una utriusque persona, quæ simul est Deus et homo: Osculum enim castissimum est symbolum cognationis et affinitatis. Unde apud omnes gentes parentes osculantur filios, fratres, cognatos, affines. Quocirca Cato fœminas sibi sanguine propinquas amore patrio osculabatur, ut sciret an vinum olerent. Olim enim Romanis fœminis bibere vinum fas non erat: quod si bibissent, intemperantes et impudicæ habebantur, uti multis exemplis ostendit Tiraquellus lib. 9 connub. num. 206. Multo magis Deus osculans et visitans animam inspicit, an illa delicias et vanitates redoleat, de iisque illam castiget, iuxta illud: *Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, ut non est inventa in me iniquitas*, Psal. 16 4.

Osculum unio hypostatica.

Vinum olim mulieribus Romanis prohibitum.

Osculum vero ethicum, sive morale, est affectus et amor intimus, quo Christus Ecclesiæ et animæ fideli arctissime coniungitur. Audi S. Bernard. hic ser. 2. votum hoc osculi in sponsa pie et pathetice exponentem: « Quo mihi ora hæc seminiverbia prophetarum? ipse potius speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio iam Mosen: impeditioris siquidem linguæ factus est mihi. Isaiæ labia immunda sunt: Ieremias nescit loqui, quia puer est, et Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis iam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris, sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia, et admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. »

Osculum Christi ethicum est amor.

Nota. Osculum symbolum est primo: reconciliationis; cum enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum, sicut pater reconciliatus est filio prodigo, Lucæ 15. Secundo, pacis et concordiæ. Tertio, salutationis et bonæ apprecationis. Unde Apostolus: *Salutate invicem in osculo sancto*, 2. Cor. 13. v. 12. Quarto, amoris et intimæ coniunctionis. Unde divinus Hierotheus apud S. Dionysium de Divinis nominib. cap. 4. ait amorem habere vim iungendi, miscendi et uniendi, qui significatur per osculum.

Osculi symbola quatuor.

Omnibus hisce de causis Ecclesia et anima fidelis poscit osculum Christi, q. d. Ait Cosmas Damianus: Quousque tandem irascere supplicibus tuis, optime generis nostri conditor, et pater Deus? quamdiu iratus humano generi promissa tua reposci et nequidquam efflagitari patiere? quem ad finem profusa primum in hominem se contrahet, et in thesauris suis continebit benignitas tua? Nihilne te occupatum a Satana orbis imperium; nihil in servitutem redacti filii; nihil peccandi, et vel in eos, qui in semet ipsi non peccaverunt, moriendi inducta necessitas? Nihil ad vitam data lex mihi cedens in interitum? Nihil data fides, piorum vota precesque movebunt? Iusta est, fatemur, indignatio tua. Iusta sunt, quæ in nos exerces, iudicia; incredibilis namque primum tua fuit in hominem benignitas, amplissimi decreti honores, et quæ in eumdem contulisti ingentia beneficia. Contra vero pro tanta tua benignitate incredibilis nostra erga te exstat impietas, pro amplissimis honoribus atroces iniuriæ, proque ingentibus beneficiis, quam nemo homo præstare possit, noxa gravissima. At iam per tria annorum millia ira tua in totum genus nostrum desævit, in filios, inquam, Adæ, qui acerbum illius pomi esum, patrisque prævaricationem ignorantes ut quasi agni innocentes, sed ex patre nocentes fuunt; iidem potiori iure filii sunt tui. Tuorum miserere, o Domine. Superexaltet ergo misericordia tua iudicium. Veniat Christus Adæ, Abrahæ, Isaac, Iacobo, Mosi, cæterisque Prophetis promissus, induat carnem nostram, ac per illam nobis omnium reconciliationis exhibeat; ipse enim est propitiatio pro peccatis mundi, ipse pax et salus nostra, ipse amor, anima, halitus et vita nostra: *Spiritus oris nostri Christus Dominus*, inquit Ieremias, *captus est in peccatis nostris; cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus*, Thren. cap. 4. vers. 20. Illi ergo me quasi sponsam ab orbis initio pactam, tandem aliquando coniunge. Illius

me amplexibus et osculis exple. Ipse me sacri oris sui attactu sapiat, roseum ac divinum os suum meo iungat ori. Mille mihi figat basia. Ipse pax nostra sit, qui pacem suam mihi tribuat et bonam voluntatem. Eo denique caritatis glutine me sibi adiungat et agglutinet, unus ut cum eo fiam spiritus, et unum corpus; nec iam duo simus, sed unus ex ambobus exstet homo. Te igitur adventantem expecto o optatissime sponse mi, te brevi affuturum præstolor, cuius amplectendi et osculandi a pronubis et paranymphis nostris, quo maior nobis spes fit, eo nobis nostrum gliscit et inardescit desiderium, nosterque medendo ægrescit animus. Desine, oro, iam per legatos me alloqui, per internuncios confirmare; ipse veni, ipse coram loquere. Accipe meam, tuamque vicissim da fidem, tu me amplectere, tu me exosculare, tu qui solus potes præsentissimam facere medicinam, tu, inquam, impotenter amantis misertus, nostro dolori precor ut medeare.

Prophetarum de Christo Ecclesiæ sponso Votum. Idem fuit votum omnium Prophetarum sponsum Christum, sponsamque eius Ecclesiam summe desiderantium. Audiantur pauci e multis. Osee cap. 2. 19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in iustitia, sponsabo te mihi in iudicio, sponsabo te mihi in misericordia, sponsabo te mihi in fide.* Similiter et per Ieremiam c. 2. 2. Prophetam dicitur: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.* Et per Isaiam cap. 61. v. 10. similiter vox Ecclesiæ ait: *Posuit mihi mitram sicut sponsæ, et induit me vestimentis salutis; sicut sponsum decoratum corona, et sicut sponsam decoratam monilibus suis circumdedit me.* Et per Zachariam cap. 9. v. 9. huiuscemodi gloriam trepidanti Ecclesiæ nunciat dicendo: *Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit tibi mitis et mansuetus, sedens super pullum asinæ: Salvator ipse est.* Ita Aponius citat verba Prophetarum. Horum omnium vota ergo hic exprimit Salomon.

Osculum SS. Trinitatis. Symbolice notantur hic tres SS. Trinitatis personæ: per *osculetur* Pater; per *oris* Filius; hic enim est os et Verbum Patris: per *oscula* Spiritus sanctus; hic enim est nexus, amor et quasi osculum, quo se osculantur Pater et Filius. Ita S. Bernard. serm. 7. qui ait Ecclesiam hic petere osculum, id est Spiritum sanctum. Postulat ergo Ecclesia et anima, ut tota SS. Trinitas ipsam osculetur, id est ipsi intime per affectum sese coniungat, ut ipsa fiat templum sanctum SS. Trinitatis, imo ut fiat unus cum eo spiritus: *Qui enim adhæret Domino unus spiritus est.* 1. Corinth. 6. 17. Osculans enim iungit os osculantis ori eius quem osculatur, ut significet animum simili modo animo ipsius coniungi, ut ex duobus amantibus fiat quasi unus animus, una anima, unus spiritus. Sic Verbum osculans nostram carnem et humanitatem, ibi afflavit suum spiritum, suamque divinitatem, ut unus idemque esset Deus et homo, eo quod naturæ binæ, humanitas scilicet et deitas in unam coirent Verbi personam.

Porro Chaldæus per osculum accipit legem datam per Mosen, per hanc enim Deus despondit sibi Israelem, eumque sibi colligavit et obligavit; *Benedictum*, ait, *nomen Domini, qui dedit nobis legem per manum Mosis scribæ magni, scriptam in duabus tabulis lapideis, et loquebatur nobiscum facie ad faciem, sicut vir qui osculatur socium suum.* Hic sensus, licet Iudaicus, subservit nobis, ad eumque hic alludit Salomon, imo eum quasi typicum præsupponit. Moses enim osculum doctrinæ et legis divinæ dans Israeli, typus fuit Christi osculantis osculo oris sui Christianos, quo eos amantissime complexus, legem novam et doctrinam Evangelicam docuit, per eamque illos sibi devinxit, et despondit. Unde per osculum Patres permulti

Osculum doctrina Christi. accipiunt doctrinam Christi, ut osculum idem sit quod oraculum. Ita Origen. Philo Carpathius, Anselmus hic, et S. Hieronym. epist. 146. ad Damasum, et S. Greg. 19. Moral. cap. 22. qui et addit ad osculum hoc allusisse S. Matthæum, cum de Christo ait cap. 5. *Aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, etc. Tunc*, ait S. Gregor. *os suum aperuit qui prius aperuerat ora Prophetarum.*

SECUNDUS SENSUS

LITTERALIS PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Quæ de Christo et Ecclesia iam dixi, animæ sanctæ tribui possunt, mutato tantum nomine Ecclesiæ in nomen animæ, quibus adde hæc exponi posse de anima: primo, pœnitente; secundo, innocente et iusta; tertio, meditante et contemplando in Deum defixa; quarto, amante et extatica.

Quadrupliciter ergo hunc locum de anima exponas: Primo, de pœnitente, q. d. Pater æternus mibi animæ peccatrici, quæ eum graviter offendi, sed per eius unctionem et gratiam iam pœnitenti, reconciliari dignetur, præbeatque osculum pacis, quo omnem offensam abstergat, imo aboleat et deleat, meque sibi reconciliet, et pristinæ amicitiæ gratiæque suæ restituat; sicut enim osculum est duorum orum et corporum, sic pax est duorum cordium arcta coniunctio. Prior ergo Christus animam peccato sopitam gratia sua pulsans excitat, evocatque dicens: *Surge qui dormis, et illuminabit te Christus.* Ephes. 5. 14. sive: *Osculare me osculo oris tui*, iuxta illud Psalmi, quod toties orat Ecclesia: *Converte nos, Deus, salutaris noster*, Psal. 84. 5. Et illud Dei per prophetam Zachariam cap. 1. 3. peccatores ad se evocantis: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Sic Magdalena interius evocata a Christo ad osculum accurrit, ita Concil. Trident. sess. 6. Porro desponsatio animæ cum Deo fit per virtutes, præsertim fidem, pœnitentiam, castitatem, caritatem, iuxta illud: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, Rom. 5. 5. uti fuse ostendi 2. Cor. 11. ad illa: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hinc S. Agnes: *Annulo*, inquit, *suo subarrhavit me Dominus meus Iesus Christus, et nullum præter eum amatorem admittam: tamquam sponsam decoravit me corona; illi sum desponsata, cui angeli serviunt, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur. Amo Christum, in cuius thalamum introibo, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant; quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum.* Ita ex S. Ambr. ser. 90. Ecclesia in officio Ecclesiast. S. Agnetis. Denique quanto studio et amore ad hoc reconciliationis osculum peccatores Deus invitet, graphice depingit S. Dionysius epist. ad Demophilum: *Quid*, inquit, *quod delictis quoque resolutos, ac per id redire differentes benignissime tolerat, rationemque reddere per se ipse dignatur, imo et promissionibus relevat, blanditiisque demulcet. Cumque adhuc procul sint qui ad se redeunt, lætus occurrit atque obvius fit, et totus totos complexus osculatur, nec prioris illos aversionis culpat, verum præsenti conversione contentus et diem festam agit, et convocat amicos.*

Osculum Dei et iusti. Secundo, purgati a peccato et iustificati petunt osculum Christi, quo scilicet eis Christus Spiritum suum inhalat, ut eo a torpore et vetustate, velut aquila renoventur, et in Dei amore accendantur, sicut qui se mutuo osculantur, halitum spiritumque suum sibi mutuo afflant et inspirant. Alludit ad formationem corporis Adæ ex limo terræ, quem Deus quasi osculando: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Genes. 2. 7. Sicut enim anima, dum assumit et quasi osculatur corpus, ipsum exanime animat et vivificat, sic Spiritus sancti gratia osculans animam, eam vivificat, imo deificat, facitque eam Dei filiam et hæredem. Ita S. Ambros. libro de Isaac et anima cap. 3. *Petit*, ait, *sponsi osculum per quod sibi transfunditur spiritus osculantis.*

Spiritus S. osculum. Hinc Symbolice S. Bernardus per osculum accipit Spiritum S. qui est osculum, id est amor Patris et Filii. Audi eum serm. 8. *Petit osculum, id est, Spiritum sanctum invocat, per quem accipiat simul et scientiæ gustum, et gratiæ condimentum.* Et paulo post initium Sermonis: *Sufficit*, ait, *sponsæ, si osculetur ab osculo sponsi, etiamsi*

non osculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo, quod non est aliud nisi infundi Spiritu sancto. Dicit ergo Sponsa: *Osculetur me osculo oris sui*, hoc est Pater æternus Verbi sui spiritu mihi arctissime copuletur, ac me suæ naturæ efficiat arcana ista coniunctione consortem. Per gratiam enim fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus epist. 2. c. 1. vers. 4.

Osculum Dei et orantis. Tertio, orantes et contemplantes petunt et accipiunt osculum, id est, illuminationes, impulsus et ardores divinos Spiritus sancti. Unde S. Ambr. loco iam citato: *Osculum Verbi*, inquit, *est lumen cognitionis sacræ.* Et Nyssen. hom. 1. *Quia verba*, inquit, *sponsi spiritus sunt et vita; quicumque autem conglutinatur spiritui, fit spiritus: et qui vitæ coniungitur, transit a morte ad vitam; propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fonti vitæ, nempe ori sponsi, unde scaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahens.* S. Bern. serm. 4. *Cuius* (Christi) inquit, *utique sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum; sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodammodo indiscreta commixtio superni luminis et illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo unus spiritus est.*

Osculum Dei et amantis. Quarto, amantes et toti amori divino vacantes petunt, et impetrant a Deo osculum ardentis et plenæ caritatis, de quo Nyssenus hom. 1. *Sicut Moses*, inquit, *qui dignus est habitus* (Exodi 33.) *cum Deo loqui facie ad faciem, eiusmodi osculorum maiori tenebatur desiderio, rogans ut videret quem desiderabat, postquam ei toties Deus apparuisset, perinde ac si numquam eum fuisset contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum divinum desiderium insidebat imis penetralibus, numquam suum sisterunt desiderium quidquid eis eveniebat divinitus, quo fruerentur eo, qui desiderabatur, materiam arripientes et fomitem maioris desiderii. Quomodo etiam, quæ nunc quoque Deo coniungitur animo, satiari non potest fruitione, quo copiosiore fruitione impletur, eo vehementiori vigens desiderio, atque adeo dicens: Osculetur me osculo oris sui.* Hinc S. Agnes post mortem gloriose apparens parentibus: *Nolite*, ait, *me lugere; illi enim sum iuncta in cælis, quem, in terris posita, toto corde, toto spiritu, tota mentis devotione dilexi.* Repete hic cætera eius verba superius alia de causa recitata.

Osculum triplex pedis, manus et oris. Hinc fecit quod S. Bernard. serm. 3. 4. et seq. distinguit triplex osculum. Primo pedum, quo pœnitentes cum Magdalena osculantur duos Christi pedes, puta misericordiam et veritatem, ut per veritatem peccata pœnitendo condemnent, per misericordiam confidendo veniam sperent. Secundo, osculum manus, quo iusti et proficientes osculantur manus Christi, dum ei bona virtutum opera afferunt, et vicissim ab eo dona gratiarum recipiunt. Tertio, osculum oris, quo anima perfecta unum Deum sitiens, eique soli inhærere gestiens dicit: *Osculetur me osculo oris sui*, id est, infundat mihi, inhaletque Spiritum sanctum, ut totus uniar amori meo Christo. Ad hoc conantur viri Religiosi et perfectionis studiosi, qui omnium rerum amorem a se abdicant, ut eum totum in Deum transferant, ut scilicet uni Deo vacent, eique se per trina paupertatis, castitatis et obedientiæ vota despondeant. Hinc B. Ægidius socius S. Franc. rogatus, *Quæ esset perfectionis via?* respondit: *Una uni, q. d.* Perfecta erit anima, si una uni Deo totam se iungat et tradat.

Osculum hoc, inquit S. Bernard. *non est strepitus oris, sed iubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; idcirco non competit animæ infantili, ac nuper ad Christum conversæ, sed iam provectæ, et quæ iam ad ætatem perfectam, et nubiles perveniens annos (meritorum, non temporum) facta est idonea cælestis sponsi nuptiis.* Hæc enim sola potest dicere: *Osculetur me osculo oris sui, meliora namque sunt amores tui vino*, ut alii traducunt. Deinde quomodo ad hoc oris osculum gradatim sit ascendendum, S. Bern. ita docet: *Prosterne te prius ad oscula pedum, tuisque lacrymis illos riga, nec inde surgas, priusquam audias: Remittuntur tibi peccata tua,*

A *et deinde quantum profeceris in gratia, tantum in fiducia dilataberis. Inde properare poteris ad osculum manuum, cum experiris iam strenue ac perseveranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demum forsitan audebis os ipsum at gloriæ caput attollere (parcas ne cum tremore dico) non solum speculandum, sed etiam osculandum. Osculum ergo pedum, incipientium est; manuum, proficientium; oris, perfectorum.*

Osculum Eucharisticum. Denique tres Patres anonymi apud Theodoretum, et S. Ambrosius lib. de Sacramentis c. 2. censent hoc osculum esse reale, quod anima sancta expetit, dum cupit sumere Christum sacramentaliter in Eucharistia, ac ardenter eius amplexus desiderat: *Anima*, inquit, *videt se ab omnibus esse mundatam peccatis, et dignam quæ ad altare Christi possit accedere; quid est enim altare nisi forma corporis Christi? Videt Sacramenta mirabilia, et ait: Osculetur me ab osculis oris sui, hoc est osculum mihi Christus infigat. Quare? quia meliora tua ubera super vinum, hoc est, meliores sensus, meliora Sacramenta tua*

B *super illud vinum, quod etsi suavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet, tamen in illo lætitia sæcularis, in te autem iucunditas est spiritualis.* Hinc S. Agnes: *Iam corpus meum*, inquit, *corpori eius sociatum est, et sanguis eius ornavit genas meas: Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo.* Præclare S. Cyrill. lib. 11. in Ioann. cap. 26. et 27. explicans illud Christi ad Patrem de discipulis: *Ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Ioan. 17. 23. docet nos per sumptionem Eucharistiæ fieri unum cum Christo, et per Christum unum cum Deo. Unde hoc axioma elicit: *Nexus igitur unionis nostræ ad Deum Patrem, Christus est; nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter unitus.* Causam subiicit: *Non enim erat possibile corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationeque sui a mortalitatis nostræ terminis ad suum*

C *bonum reformatos elevaret. Consummati ergo sumus, reductique ad unionem Dei Patris mediatione Salvatoris, id est Christi.* Unde concludit: *Mirari ergo debemus divinæ naturæ benignitatem, quæ creaturis, quæ sibi propria sunt, communicare dignetur.*

Porro per osculum hoc hauriunt animæ sanctæ miras cælestis amoris consolationes, gustus et delicias, ut omnes terrenas voluptates fastidiant, dicantque cum Paulo Philip. 3. 8. *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*; quare hoc divino nectare et ambrosia pasti, imo ebrii iam sibi videntur quasi esse in paradiso, ac cum Angelis Beatisque Deo frui. Unde dicunt: *Nostra conversatio*, nostra cogitatio, nostra mens, noster amor, nostræ deliciæ, nostra vita in *cælis est.* Et cum Psalte: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* Psalm. 62. 2. Et: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72. 28. Et: Domine *quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* ibid. v. 25. Hoc Fructus huius osculi.

D est quod animæ piæ promittit Deus per Osee cap. 2. 14. *Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Vide ibi dicta. Hinc quod Vulgata habet Exodi 33. 11. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*, cum scilicet dedit Mosi legem promulgandam Hebræis: Chaldæus hic v. 2. per *osculum* accipiens eamdem legem ore Dei ut Mosis datam Hebræis, sic vertit: *Loquebatur nobiscum facie ad faciem, sicut vir qui osculatur socium suum.*

Audi S. Greg. hic: « Os sponsi inspiratio Christi: osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans, et in amplexum sponsi sui inardescens: Osculetur me osculo oris sui; ac si diceret: Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia cum eius osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in eius similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens

omnia quæ per corpus sentit, et in illa spiritalia tota transmutari concupiscit; et dum ista obstrepunt, in illa fugit, seque abscondere, ne hæc sentiat, appetit; ideoque osculum sponsi quærit; quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat omnino non invenit. Sed pius sponsus anxietatem eius sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit, et ne desiderio tabescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad maius dilectionis osculum accendit.»

Omnia hæc Dei oscula maxime sentiunt, et quasi dissuaviando gustant viri in sanctitate, oratione et contemplatione eminentes, ac subinde exstatici, qui miros Dei influxus et illapsus suavissimos, sed humanis verbis inexplicabiles, nec nisi experto cognitos persentiscunt; quales sensit Paulus, cum raptus est in tertium cælum, ubi quasi in Christum transformatus dixit: *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus*, Galat 2. 20. Id corporaliter per visum experta est S. Gertrudis, quæ ita de se narrat l. 2. Revelat. c. 22. *Quadam vice cum Psalmodiæ tota intenderem, tu, Domine, dedisti decem vicibus et amplius dulcissimum osculum oris animæ meæ. O osculum longe exsuperans omnem aromatum fragrantiam, et omnem mellis dulcedinem!* Aliss sæpe persensit Deum illabi in animam suam, sicut sol illabitur in aerem suo splendore, ex quo illapsu anima sua tum miris gratiarum virtutibus, tum ineffabili serenitate et gaudio perfundebatur; imo intime penetrabat omnes animæ medullas, sensus et potentias.

Mysticum unionis osculum.

Mystici et contemplativi per *osculum* hoc accipiunt summum contemplationis gradum, quo anima prius diu multumque in humilitate, oratione, meditatione, patientia, cæterisque virtutibus exercitata, a Deo elevatur ad immediatam et intimam sui contemplationem et unionem; qua fit ut ipsa iam, nec in virtutibus, nec in consolationibus divinis, nec in discursibus vel phantasmatibus, nec in ulla re creata, sed immediate in solo Deo per contemplationem et amorem conquiescat, dicatque: *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, Psal. 4. 9. Hæc unio fit per illapsum divinum, ut docet S. Dionys. et ex eo S. Bernard. S. Bonavent. Hugo, Richard. Gerson, Laurentius Iustinianus, Taulerus, Roisbrochius, Herphius, Suso et similes, qui de Mystica Theologia scripserunt.

Fit per illapsum Dei.

Quomodo?

Illapsus hic est, quo Deus per se illabitur intellectui et voluntati hominis, illique intime præsens fit, se totum communicat, ostendit, et in ratione obiecti immediate coniungit. Intellectui quidem sub ratione immensæ lucis, sed non ita claræ et apertæ, qualis est in Beatis. Voluntati autem sub ratione summi boni, ita ut Deus voluntatem sibi ipsi suæque essentiæ, tamquam summo bono intime astringat, adeo ut voluntas illius bonitatem immediate gustet et sentiat, illaque delicietur et fruatur. Tunc enim intellectus a Deo mira luce perfunditur et elevatur, ut ipsum altissimo modo, licet non intuendo (hoc enim proprium est Beatis) cognoscat, sicque illum voluntati præsentem exhibeat sub specie summi boni summeque delectabilis; quo fit ut voluntas totaque anima impulsa a Deo, in illud bonum ardentissime rapiatur, illud plene amplectatur, omnesque vires suas in illo amando, sibique astringendo et exosculando exhauriat. Hinc fit ut anima subinde tunc non audiat, non sentiat, non videat, non cogitet, non amet aliud præter Deum, ab eoque tota suspensa pendeat velut in raptu et exstasi; quæ est mystica animæ cum Deo desponsatio et connubium per mutuam inhæsionem et fruitionem; quo, ut ait S. Ambros. anima desponsata Deo, Verbo incubat æterno, ac Verbum illabitur animæ, non in apice, sed in ipso centro fundoque mentis illudque sibi astringit. Hæc capere non valet nisi expertus. Expertus erat S. Bern. qui proinde ser. 31. ait sponsam Dei amore flagrantem, non contentam esse aliis illuminationibus vel revelationibus: *Nisi et speciali prærogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cælitus illapsum suscipiat, habeatque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed efficientem*; et mox: *Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis omnino non aliud hoc modo exhibeat, quam quod est*; et Richard. Victor. tractat. de Gradibus charit. violentæ: *Sæpe*, ait, *sub hoc statu Dominus descendit de cælis, sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis: sic tamen præsentiam suam exhibet ut faciem suam minime ostendat; dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit; infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem.* Particulatim vero B. Teresia tract. de Perf. mansion. 7. c. 1. et 2. *Animæ*, ait, *in illo centro manenti, visione intellectuali mysterium SS. Trinitatis, omnesque tres personæ manifestantur; præcedit tamen hanc manifestationem suavissima quædam spiritus inflammatio, instar lucidissimæ cuiusdam nubis, ibique notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres personæ sint una substantia, una potentia, una sapientia, et unus Deus; ita ut quod fide tenemus, anima quodammodo intuitive cognoscat.*

Eius effectus.

1. Porro effectus huius unionis sunt: Primus, ardor amoris, ut anima amore aestuet, liquescat, et transformetur in Deum, summeque aptet illum videre, eoque frui facie ad faciem. 2. Secundus, mirifica animæ pax, suavitas, lætitia, qua anima gustans: *Quoniam suavis est Dominus*, ita eius suavitate inebriatur et absorbetur, ut cætera omnia contemnat et fastidiat, iamque sibi pene beate esse videatur, nec a Beatis nisi corpore, velut pariete interiecto distare, iuxta illud Isaiæ 58. 14. *Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ*; imo subinde vi ardentis spiritus corpus in sublime elevatur, et versus cælum ascendit, uti contigit S. Magdalenæ, S. Francisco, S. Ignatio et aliis. 3. Tertius, magnus virtutum et gratiarum affluxus, ut anima divinam similitudinem plane nanciscatur, ac fiat pulcherrima, imo deiformis efficiatur, et quasi deificetur, Christoque conformetur. Unde eius pulchritudo in Canticis adeo a sponso celebratur. Quocirca instar Christi ambit cruces et tormenta, gaudet opprobriis, in adversis exsultat, in persecutionibus gloriatur, uti faciebat S. Paulus. 4. Quartus, est sublimis et perfecta divinorum mysteriorum cognitio, ipsiusque Dei illustris, quamvis in caligine, ut ait S. Dionysius, contemplatio, proxime accedens ad claram et aspectabilem Beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud Isaiæ cap. 58. v. 10. *Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam.* 5. Quintus, talis anima Deum quasi semper habet in mente præsentem, cum eoque versatur et colloquitur, etsi eum clare non videat; perinde ac quis colloquitur cum amico in tenebris et loco obscuro, quem audit, sed non videt.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Quadruplex osculum Dei et B. Virginis.

Quæ dicta sunt de anima iusta, longe potiori iure competunt B. Virgini, quæ iustorum omnium fuit antesignana. Præter illa, B. Virgini soli osculum Dei quadruplex proprie competit.

I. Primum, est osculum SS. Trinitatis, quo ab æterno præ omnibus hominibus et angelis, Deus Pater illam sibi delegit in filiam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in sponsam, ut per eam eiusque filium fieret osculum, id est reconciliatio totius generis humani. Hac de causa prima ipsa virginitatis votum Deo nuncupavit, ut totam se in corpore et anima Deo dicaret, ac diceret: *Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, Ps. 72. 26.

II. Secundum, est osculum desiderii et suspirii, quo ipsa præ omnibus Patriarchis ardentissime desiderabat Verbi incarnationem, ad mundi reconciliationem et salutem. Ipsa ergo quasi mater omnium fidelium et sanctorum, totius mundi salutem mirifice exoptans, Seraphicis desideriorum ardoribus dicebat: *Osculetur nos osculo oris sui.* Quare

eum legeret et ruminaret illud Isaiæ oraculum c. 7. 14 *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, exclamabat: Mitte, Domine, virginem hanc, quæ pariet nobis Emmanuelem: Utinam virginem hanc videre, utinam eius ancilla fieri merear! Quocirca flagrantissimis hisce desideriis meruit ipsa de congruo Christi incarnationem, imo eius maternitatem, ut scilicet ipsa una ex omnibus fieret mater Christi, uti docent Theologi, et Franc. Suar. 3. par. q. 2. art. 10. disp. 10. sect. 8. Unde S. Gregor. in 1. Reg. 1. *Meritorum verticem*, inquit, *usque ad solium divinitatis erexit*; et S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium: *Propone*, inquit, *tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur*; et S. Anselm. de Laud. Virg. cap. 8. *Sanctissima puritas, et purissimo sanctitas pectoris eius omnis creaturæ puritatem et sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis plenissime fieret.*

III. Tertium, fuit osculum in Christi incarnatione. Tunc enim Spiritus sanctus eam sibi despondit in sponsam ut in ea et ex eius purissimo sanguine formaret corpus Christi, iuxta illud Gabrielis Archangeli: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, Lucæ 1. 35. *Nonne hoc verbum angeli*, ait Rupert. *verbum et sponsio erat iam imminentis osculi oris Domini?* Quare cum ipsa Spiritui sancto ad Verbi incarnationem consensum summa humilitate, æque ac caritate præbuit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; tunc re ipsa dixit: *Osculetur me osculo oris sui*, id est, assumat ex me carnem, eamque osculetur et sibi intime uniat Filius Dei. Atque eodem instanti, inoperante Spiritu sancto in sacro eius utero peractum est Dei cum humanitate osculum, quo se pax et iustitia osculatæ sunt, cum *Verbum caro factum est*. *Profecto*, ait Rupert. *anima tua liquefacta est, ut dilectus locutus est, scilicet Deus Pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui, cum illo amore suo, Spiritu sancto, tuæ menti, tuo ventri penitus insereret; in quo nec primam similem visa es, nec habere sequentem.* Rursum caro a Christo assumpta, fuit caro B. Virginis; quare dum carnem suam assumpsit Christus, assumpsit carnem B. Virginis, eique quasi osculum unionis hypostaticæ impressit, itaque eam velut deificavit.

IV. Quartum osculum, fuit corporeum in Christi nativitate, quando ipsa peperit Christum, eumque seu mater filium summa reverentia et amore est exosculata atque ex crebris hisce dilecti sui osculis, ab eo miros sibi deitatis ardores afflari sensit. Unde hebraice est, *osculetur me ab osculis oris sui*. Huc facit illud Sibyllæ de Christo ex B. Virgine nascituro vaticinium apud Virgilium Eclog. 4.

Incipe, parve puer, risu *cognoscere matrem.*

Hinc viri pii et graves prudenter existimant B. Virginem, mox ut peperit Christum, eum profundissima reverentia adorasse et salutasse, dicendo: *Bene veneris Deus meus, Dominus meus, et filius meus*, ac illico osculum dedisse pedibus eius quasi Deo, manibus quasi Domino, ori quasi filio; denique vero nudum pannis involvisse, ac uberibus admovisse, eique lac virgineum dedisse, Christum vicissim ore, oculis et vultu læto matri arrisisse et applausisse.

Anagog. Anagogice: Christus in resurrectione osculando quasi corpus mortuum inspirabit illi animam, ut reviviscat, ac Sanctis communicabit suas corporis gloriosi dotes. Huius rei typus fuit Eliseus, qui osculando puerum mortuum illum suscitavit: nam ut dicitur 4. Reg. 4. 34. *Posuit os suum super os eius, et oculos suos super oculos eius*, etc. Unde *oscitavit puer septies, aperuitque oculos*. Idem fecit Elias 3. Reg. 17. 21. Rursum Beati in cœlo osculantur Christum. Unde Paulus Philipp. 1. 23. *Cupio*, ait, *dissolvi, et esse cum Christo*. Hos imitati Gentiles finxere Dianam osculando Endymionem, suscitasse eum a somno lethifero, uti narrat Pierius Hierogl. 50. cap. 29. Insuper quoad animam. Beati in cœlo, ac imprimis B. Virgo videns faciem Dei, per hanc visionem, continuo quasi osculantur Deum; atque ex eo omnes deitatis dotes, delicias et gaudia hauriunt, iuxta illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*, Psal. 35. 9. Refertur de anima cuiusdam Sancti, qui multas in hac vita ærumnas sustinuerat, quod, cum post mortem amico apparuerat, illeque percunctaretur, num tantis doloribus condigna illi reddita forent gaudia, responderit: Ipsa prima cœlitum salutatio, qua me cœlum ingredientem complexi sunt, ac præsertim primum Christi osculum quo me deosculatus est, ita mihi suave accidit, itaque intima mea pervasit, ut illico omnium laborum me oblivisci fecerit, omniumque dolorum memoriam mihi ademerit et absterserit, iuxta illud: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia*, Apoc. 21. 4.

Quam suave Christi osculum.

QUIA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Sanctus Bern. ser. 9. censet hæc verba posse accipi, vel ut sponsi, vel ut sponsæ, vel ut sodalium sponsæ. Verum proprie et genuine hæc esse verba sponsæ, liquet ex το *quia*. Hæc enim vox dat causam cur sponsa adeo expetierit osculum sponsi, quia scilicet experta erat, vel in se, vel in aliis, dulcedinem uberum sponsi, q. d. Quia dulcorem lactis, id est consolationum spiritualium a tuo amore quasi ubere manantium gustavi, cum primitus me ad te allexisti et evocasti, hinc aspiro ad tuum osculum, ut ex eo tuum halitum, spiritum et animam, a qua omnis dulcedo promanat, quasi ex ipso fonte hauriam. *Ubera* ergo lactantia, notant amorem dantem consolationes et suavitates mirificas. Duplex uber est, duplex amor. Unus æternus, quo Deus in caritate perpetua ab æterno sponsam dilexit. Alter est creatus, in humana sponsi Christi voluntate repositus, inde ad sponsam materno affectu fovendam a primo conceptionis suæ instanti, velut ubere a pectore, vel potius e corde erumpens. Hinc S. Agnes: *Mel*, inquit, *et lac ex eius ore suscepi*: et Psaltes Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*: et perfecisti eam sperantibus in te! ait Aponius. Audi Haymonem, et ex eo S. Thomam: *Per ubera Christi, dulcedo Evangelii intelligitur quo velut lacte nutritur infantia credentium. Vinum quippe austeritatem legis significat; sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Evangelii melior est austeritate legis.*

Sponsa loquitur.

Duplex sponsi uber.

Dices, quomodo sponso, utpote viro, tribuuntur ubera, quæ sunt propria fœminarum? Resp. In parabolis nonnulla dicuntur, quæ non tam parabolæ, quam rei per parabolam significatæ conveniunt. *Ubera* ergo non tam corporalia, quam spiritualia per corporalia significata accipienda sunt; hisce enim fideles suos pascit Christus. Rursus sicut Scriptura metaphoras mutuatur ab animalibus, uti Christum vocat Agnum, Bovem, Leonem; sic etiam mutuatur a fœminis, ut ei det ubera, per quæ significat viscera misericordiæ.

Ubera quomodo dentur Christo. Respond. I.

Respond. secundo. Viri nonnulli, qui utrumque habent sexum, puta virilem et fœmineum habent ubera, quales sunt Androgyni. Hisce ergo uberibus significatur, Christum fidelium non tantum esse patrem, sed et matrem pientissimam, utpote qui ut mater, mysticis suis uberibus nos pascat. Hinc Christus vocatur πατρομήτωρ, id est patri mater, iuxta illud quod ipse ut sapientia Patris æterna de se dicit Eccles. 24. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis.* Christus ergo ut significet se non tantum esse sponsum, sed et patrem ac matrem, nominat ubera, quibus Ecclesiam quasi filiam materno affectu et pietate lactat et pascit. II.

III. Tertio, Hebr. דדים *dodim* tam amores, quam ubera significat. Ubera enim sunt symbolum amoris. Unde Hebræi hic pro *ubera* vertunt, *amores*. Hinc Vatablus vertit, *amores tui vinum bonitate superant*. Videtur Noster et Septuag. pro דדים *dodim* legisse דדים *daddim; daddim* enim *ubera* significat; *dodim* vero *amores*, ait Marinus in Lexico. Unde דודים *dodim* cum per *vau* scribitur, ut *daddim* legi nequeat, semper Septuag. et Noster vertunt *amores* vel *dilectus*, numquam *ubera*. Hic vero דדים scribitur sine *vau*, unde legerunt *daddim* id est *ubera*. Alii, teste Origene, vertunt, *meliores sunt loquelæ tuæ super vinum*. Hi pro דודים *dodim* videntur legisse דברים *debarim*, id est *verba loquelæ*; aut certe ubera explicant per loquelas et sermones. Hisce enim nos pascit Christus.

IV. Quarto, amantes, ait Titelman. præ amoris excessu solent verba permiscere, confundere, et quasi inepte loqui; sic hic sponsa ex vehementia amoris, quasi oblita virilis conditionis, sponso dat ubera, ut eius beneficentiam immensam, suumque in eum summum affectum indicet. Amor enim amantes facit amentes.

V. Quinto, per *ubera* Nyssenus accipit cor, quod uberibus tegitur; et Titelmannus: Possemus, inquit, per ubera pectus ipsum, ubi locus est uberum, accipere, ut pectoris Dominici dulcedinem et pietatem, quam dilecto discipulo in cœna illa memorabili super pectus, sive in sinu sponsi recumbenti datum est experiri, commendare intelligatur; quæ etiam ubera et pectus pro sponsa in cruce tandem perfossa sunt, sanguinemque et aquam quasi vinum et lac in regenerationem credentium effuderunt.

VI. Plane. Denique planissime et facillime cum Delrio et Soto maiore, respondeas viros habere parva ubera puta papillas, tum ad munimentum et fomentum cordis, ut docet Galenus de Usu partium, quæ proinde subinde lac quoque edunt, uti diserte docet Aristot. lib. 1 Histor. Animal. cap. 12. et lib. 3. cap. 20. *Viris ait, post pubem exiguam* (lac) *nonnullis exprimitur, sed per succum frequentiorem multum prodiisse aliquibus traditum est*. Unde et S. August. in lib. 4. de Civitat. cap. 12. ait Gentiles Iovi dedisse mammam. Sicut et Hebr. Deum vocent *Saddai*, q. d. mammeum: quin et Isaias cap. 46. 3. Deo dat vulvam uterumque; et cap. 66. ubera et lac. Denique Clemens Alexandr. in Pedagogo cap. 6 congruenter astruit Christum Dominum esse quasi mamillam Dei Patris, id est amores et delicias Dei Patris. Quo sensu etiam ipse Christus Dominus Ioan. cap. 1. affirmat se esse in sinu Dei patris sui; usque adeo sibi in Christo filio suo Deus Pater sibi complacet, et oblectatur præ nimio amore.

Ex virorum uberibus aliquando lac expressum.

Quæres secundo, quid hic *ubera* significent? Primo noster Gaspar Sanchez per *ubera* accipit labia: hisce enim quasi uberibus Christus effudit lac doctrinæ suæ quo nos pascit. Unde quidam apud Origenem vertunt: *Meliores sunt loquelæ tuæ super vinum*. Hic sensus apte cohæret præcedentibus, q. d. *Osculetur me osculo oris sui*, quia *meliora sunt ubera*. id est, labia oris tui vino Hinc et R. Saadias vertit: *Melior est saliva tua vino*. Saliva enim Christi illuminavit cæcum. Ioan. 9. 6.

Ubera Christi, quæ? Respond. I.

II. Secundo, Nyssen. per *ubera* accipit cor, quod circumdant teguntque ubera. In corde enim est sedes amoris, æque ac sapientiæ. Unde Sapiens Prov. 23. 26. *Præbe*, ait, *fili mi, cor tuum mihi*. Audi Nyssen. hom. 1. *Omnino autem, qui cor quidem occultum et arcanam divinitatis virtutem intelligit, non errabit; ubera autem divinæ virtutis pro nobis operationes merito possumus existimare, per quos uniuscuiusque vitam tamquam nutrix alit Deus, unicuique eorum, qui accipiunt, conveniens largiens nutrimentum*. Sponsa ergo petens osculum, petit iungi cordi Christi, imo illud sibi dari postulat, ut totum illud totumque eius amorem possideat; sicut S. Catharina Senensis a Christo petiit sibi dari eius cor, ac obtinuit, non ipsum cor Christi (quis enim hoc credat?) substantiale, sed effectum formatumque a Christo, suoque cordi conforme et simile.

III. Tertio, Titelm. per *ubera* accipit pectus: In eo enim sunt ubera, quæ significant affectum, amorem et beneficentiam Christi, q. d. ait Sanchez: « O dilecte mi, si inter ubera tua, id est, inter lævam et dexteram dormire mihi permittitur, quod sponsæ licet, imo solemne est; aut haurire per legitima oscula suavissimum halitum, qui ex uberibus, id est ex præcordiis tuis expiratur, qui generoso vino atque optimis unguentis longe suavior est: hæc mihi pro omnibus, imo et præ omnibus unguentis præsens erit medicina. »

Hinc Aponius per duo ubera symbolice accipit S. Ioannem Baptistam et S. Ioannem Evangelistam, qui quasi intimus Christo in cœna super pectus eius recubuit, indeque fluenta gratiarum quasi ex uberibus suxit. Audi Aponium: « Non erit inconveniens duo ubera Christi, Baptistam et Evangelistam duos Ioannes intelligi proprie, qui Ecclesiæ post oscula sacramenti prædicti plenissima ubera sunt propinati. Cum alter eum solum peccatum mundi tollentem, agnumque demonstrat Ecclesiæ, alter in principio Verbum Deum apud Deum Patrem manentem: qui per immaculatam vitam ita in amore eius quasi ubera pectori adhæserunt, dum alter adhuc parvulæ et lactenti Ecclesiæ verum hominem sub nomine immaculati Agni ostendit; alter a creandi effectu eum omnium rerum fabricatorem in principio Verbum Deum demonstrat, per quem creata sunt universa. » Et Origen. hom. 1. « Certum est, ait, quod Ioannes in principali cordis Iesu, atque in æternis doctrinæ eius sensibus requievisse dicatur in Evangelio, ibi requirens et perscrutans thesauros sapientiæ et scientiæ, qui reconditi erant in Christo Iesu. »

Duo ubera, duo Ioannes.

IV. Quarto, Origenes, Beda, Iustus, Cassiodorus, Philo Carpath. et Aponius per duo ubera accipiunt duo Testamenta, scilicet vetus et novum, sive doctrinam Prophetarum et Apostolorum: utraque enim quasi duplex uber pascit fideles, pavitque olim Iudæos, æque ac Christianos. Audi S. Ambros. serm. 1. in Ps. 118 « Tamquam despiciens omnes iucunditates et delectationes suas, cælestibus cupiens inhærere mandatis, ait: Quoniam optima præcepta testamentorum tuorum, super omnem appetentiam carnis, et sæculi voluptatem: meminerat enim se in Eva antea sic lapsam. »

Duo ubera, duo Testamenta

V. Quinto, noster Sanchez per *ubera* accipit viscera, ex quibus halitus spirando ducitur: unde Syrus pro *ubera* vertit, *viscera* Cum vero, inquit Sanchez, sponsi halitus c. 5. 16. suavissimus dicatur: id enim valet illud: *Guttur illius suavissimum:* ideo tantopere sponsa expetere videtur osculum: quia per illud sponsi anhelitum atque animam haurit, quæ vino optimisque unguentis longe est suavior. Quod cor uberum nomine significetur, vide cap. 7. ad illud: *Dabo tibi ubera mea*. Aut fortasse (quod magis puto verisimile) significat se valde cupere nuptiarum tempus; quia tunc ex more sponsa cubat in sponsi sinu, id est, inter lævam et dexteram, qui locus est uberum, et sinus vocatur. Sinu autem aut uberibus sponsi ubi somnus capiendus est a sponsa, nil ad sedandum angorem animi potentius. Fortasse *ubera* pro osculis sumuntur: neque hæc loquendi forma dura est, si in uberibus amorem intelligas. Amor enim pro osculo adhibetur ea figura, qua res significata pro signo ponitur, quod in Scriptura sacra sæpe fit. Per *ubera* ergo sponsa poscit sibi afflari suavem et odoratum viscerum sponsi halitum: qua de causa olim viri et fœminæ cultiores mastichen rodebant, ut halitum efflarent suavem et odoratum, teste Clemente Alexand. 3. Pedag. cap. 3. Huic sententiæ favet id quod sequitur, *Fragrantia unguentis optimis*. Hæc Sanchez.

Uberum nomine suavem sponsi halitum expetit sponsa.

VI. Sexto et genuine, *ubera* significant dulcissimam lactandi facultatem et vim: Christus enim dulcissime sua doctrina et gratia, quasi duobus uberibus, dulcissime lactat fideles, ubera ergo Christi sunt ipsa eius sapientia et beneficentia, ex quibus melliloquentia, et doctrinæ, verborumque suavitas, quasi melleum lac profluit, quod omni vino voluptatum carnalium, utpote acri et mordaci, suavius est. Vinum enim notum et causa est libidinis furentis, iuxta illud:

Ut Venus in vinis, ignis in igne furit.

At lac Christi iam dictum, fideles quasi modo genitos in-

Genuine.

fantes, ut ait S. Petrus, ad plenam virtutis ætatem, vitamque perfectam perducit, quia non scaturit ut vitis et vinum ex imo terrenæ sapientiæ vel sæcularis litteraturæ, sed cœlitus ex alto depluit instar mannæ et roris matutini. Rursum sicut ubera cor ambiunt, ex eoque quasi vim suam hauriunt: sic doctrina et gratia ex Christi corde et pectore prodeunt; illudque nobis quasi propinant et exhibent. Insuper sicut ubera sunt sedes amorum et deliciarum, iuxta illud Prov. 5. 19. *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus: ubera eius inebrient te in omni tempore:* sic eorumdem sedes est Christi pectus et cor, plenum omni consolatione et gratia. Sicut ergo in uberibus maternis infantes unus habent suum nutrimentum et solatium, neque aliud extra ea quærunt aut desiderant: ita sanctæ Ecclesiæ, in uberibus divinæ misericordiæ, pietatis et beneficentiæ, situm est omne bonum, omne nutrimentum, omne solatium. Nihil quærit extra, renuit consolari præterquam in Deo. Meliora, inquit, sunt mihi tua ubera,

Vinum deliciæ corporeæ.

quam vinum sapidissimum, quam omne quod in hoc mundo quemcumque aut quantamcumque, aut qualemcumque potest afferre consolationem vel lætitiam. Plus me delectat tua beneficentia, et quod ex te accipio spiritualis nutrimenti aut delectationis sanctæ, quam omnes huius mundi corporales deliciæ. Posteaquam ista semel suxi ubera, postquam semel lac suavissimum degustavi quod ex illis sugitur et trahitur de occultis visceribus misericordiæ tuæ, non possum aliena gustare vel videre ubera, alienas consolationes abominor, renuit prorsus consolari nisi in Deo anima mea. Ita Titelmannus et alii passim. Audi tres Patres Anonymos apud Theodor. « Uberum mentionem facit, quia propinqua sunt cordi, in quo præcipua mentis est sedes, unde doctrinæ fontes emanant: sponsi igitur uberum uti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode, tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur. Eaque dicit esse meliora vino, quod, divinæ Scripturæ testimonio cor hominis exhilarat. Figurate enim vinum lætitiam appellavit ut cunctis humanis voluptatibus præstare declararet lætitiam illam, quæ ex ipsius donis ad pios proficiscitur. Quod si ubera mystice etiam vis intelligere per ubera illa admiranda et vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur. »

Ubera dat Christus in Eucharistia.

Quibus ultimis verbis per *ubera* accipiunt Eucharistiam, in qua sua carne, quasi cibo nos cibat, et suo sanguine quasi potu et lacte nos potat, lactat et inebriat Christus; hæc enim ubera sunt intrinseca Christo, cum cætera sint extrinseca. Unde S. Chrysost. hom. 60. ad Popul. et 83. in Matth. *Quis,* inquit, *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt; quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi coniungit, nosque conglutinat.* Et paucis interiectis: *Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad huius calicis spiritalem accedamus papillam: imo vero maiore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Spiritus sugamus: unus sit nobis dolor, una mæstitia, si hoc alimento spirituali privamur.*

Interna Christi ubera.

Rursum Christus lactat nos sua doctrina, sua gratia, suis miraculis, suis exemplis, sua passione, suis vulneribus. Unde et latus Christi in cruce a Longino lancea fuit apertum, ex eoque velut ex ubere manavit sanguis et aqua instar lactis, quo nos lactet. Ioan. 19. 34.

Externa.

Externa Christi ubera sunt Apostoli, et Evangelistæ (unde Iudas Apostolus cognominatus est *Thaddæus,* id est *uberalis;* תד *thad* enim Chaldaice significat *uber,* et *Lebbæus,* id est *corculum:* לב *leb* enim est *cor;*) de quibus audi S. Iustum Orgelitanum Episcopum. *Ubera Christi Apostolos et Evangelistas non incongrue accipimus; per ipsos enim in fide nutrimur, et spirituali alimento reficimur. Idcirco autem meliora vino probantur, quia Evangelica doctrina eminentior quam lex olim data dignoscitur. Denique illic figura, hic veritas; illic tamquam austeritas vini diligendum tantummodo proximum, et inimicum odiendum ostendit; hic dulcedo gratiæ pro inimicis orandam, et eos, qui nos oderunt admonet diligendos.* Et S. Greg. *Ista,* inquit, *sunt ubera, id est Doctores; quæ in arca pectoris fixa lacte nos potant, quia ipsa arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili prædicatione nos nutriunt.* Hoc est quod canit Isaias cap. 66. 11. *Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis eius* (Ierusalem, hoc est Christi et Ecclesiæ) *et mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Et mox: *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Ierusalem consolabimini.*

Audi Hortolanum hic sponsæ de sponsi uberibus sibi gratulantis voces pathetice et sapienter exprimentem: O ingentem tuam in me, sponse mi, benignitatem! Ecce ego illa, quæ quondam humilis et sordidata, in luctu et squallore iacens mærebam, iam nunc gratuito dono, ex imis sordibus in regiam evecta dignitatem, nitida, compta, diademate omnique ornatu ac cultu regio ornata, summi Regis soror et sponsa incedo, universi urbis miraculum, gratissimumque divinorum omnium spectaculum. Tu ille unigenitus Dei optimi maximi Filius, Deus et ipse optimus maximus, quod unicam in sinu suo cœlestis Pater fovet deliciam, meæ naturæ factus particeps, me humilem et abiectam ancillam tuam tuæ naturæ participem facere, tuis nuptiis nobilitare, in sinu tuo fovere, omnibus deliciis oblectare, in summis tuis deliciis habes et oblectamentis, Deus in terris, homo in cœlis. Angeli cum hominibus in terris, homines cum Angelis in cœlis iungunt chorus. Per te facta est una omnium permixtio. Per te facta est iniuriarum oblivio, sublatæ inimicitiæ, dissolutum repente prælium, Deus placatus hominibus, deletum peccatum, mors interempta, factus aditus in cœlum nobis hactenus inaccessum. Scaturiunt inde omnium gratiarum fontes uberrimi, lactea ex ore tuo manat eloquentia, divina inde spirat, quæ me in cœlestes delicias evehit et rapit, aura. Corpus quidem humi repit, mens tamen mea tecum iam in cœlis versatur, suavissime sponse mi, in cœlo tuis amoribus fruitur, et eius generis bonis, quæ nec humanus oculus videre, nec auris audire, nec noster per se complecti cogitatione valet animus.

Mystice, caritatis ubera meliora sunt vino, quia numquam stringuntur, numquam sunt vacua, sed semper donis affluunt et perefluunt. Ferunt nonnulli Physici corvum, ubi pullos agnoscit suos, cum lac non habeat, eos sua carne et sanguine pascere. Unde Poeta: *Charitatis ubera.*

Et numquam sine lacte caritas:
Lac non aberat, aberat cruorem.

Sic Christus ex ardentissima caritate in cruce uberavit cruorem, quo velut pellicanus suos pullos suos mortuos peccato vivificavit et aluit. Nimirum hæc sunt ubera caritatis.

Audi S. Gregor. « Ubera sponsi, dilectio Dei et proximi. Ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit, et inter tentationum turbines his eam fovet et nutrit, et ut persistat reficit. Quid autem per vinum nisi cura temporalis exprimitur, a qua mens sæcularis cuiuslibet inebriatur, ut ad invisibilia cognoscenda aut ex toto, aut pene insensibilis reddatur? Sed ubera sponsi vino meliora existunt, quia illud necat, hæc nutriunt; illud oculos mentis turbat, hæc acuunt; illud apostatare facit etiam sapientes, hæc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt. Quæ quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrem memoriæ trahit. Caritas enim sancta cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, et ut sedes sapientiæ sit animo inesti, quietem tribuit, et locum præparat. »

Porro S. Bernard. ser. 9. per duo ubera accipit benignam longanimitatem Dei, qua peccatores expectat ad pœnitentiam; et benignam susceptionem, qua iam pœnitentes amplectitur et lactat.

VINO.) Per *vinum,* accipe quaslibet mundi delicias, ut dixi; mystice, austeritatem legis Mosaicæ, ac eruditatem doctrinæ Philosophorum, ait Anselmus: utrique enim præ- *Vinum mundi oblectamenta.*

stat dulcedo lactis doctrinæ Evangelicæ. Insuper nonnulli per vinum accipiunt iram, indignationem, supplicia et vindictam, quæ non raro inter amantes intercurrunt, iuxta illud: *Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem*, id est prophetabo, et propinabo tibi vinum furoris divini: prænunciabo supplicia, quibus Deus te potabit, et quasi inebriabit: Michææ 2. 11. Sic sensus erit, q. d. Meliora sunt ubera dilectionis divinæ, quam vinum indignationis eiusdem, tum quia suaviora sunt, tum quia efficaciora: magis enim trahuntur homines amore, quam timore, dilectione quam indignatione, beneficiis quam suppliciis. Aut q. d. Esto, te offenderim sæpius o sponse mi, tuque merito mihi indignatus sis; tamen uberum, id est misericordiæ et amoris tui, dulcedo superat omnem vini, id est iræ tuæ, acredinem: tibi enim proprium est misereri et parcere: quocirca maiora semper in me dilectionis quam indignationis argumenta ostendisti. Denique S. Bernard. serm. 9. *Meliora sunt ubera tua vino*, hoc est, inquit, *Pinguedo gratiæ, quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritalem profectum, quam mordax increpatio Prælatorum.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima fideli.

Animæ accommodes, quæ dicta sunt de Ecclesia, mutato dumtaxat nomine. Unde Chald. vertit, *præ multitudine dilectionis, qua dilexit nos magis quam septuaginta nationes.* Anima ergo Christo desponsata ei dicit: *Meliora sunt*, o sponse, *ubera tua vino*, id est, melior mihi est, magisque mihi sapit lac tuæ doctrinæ et gratiæ, quam omne vinum consolationis, deliciarum, prudentiæ et astutiæ humanæ: hoc enim mentem æque ac corpus infirmat, emaricat, cruciat, dissolvit animam, decipit, infatuat, dementat, iuxta illud: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*, Thren. 4. v. 5. Et illud: *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis*, Prov. 23. 29. vide ibi dicta. Tuum vero lac super omnes delectationes humanas lætificat, satiat, tuetur a noxiis, firmat a lapsu, roborat in bono, nubila animi dispellit, iras, amores vanos et odia sedat, ac cor implet Dei et proximi caritate. Hoc lac gustarat Psaltes, unde exclamat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20.

Sponsi ubera consolationes spirituales.

Porro *ubera* peculiariter notant consolationes, gustus, et delicias spirituales, quibus Deus animam lactat, exhilarat, roborat, idque indeficienter et assidue. Ubera enim hominis et terrenarum voluptatum, illico exhauriuntur, et exarescunt; at ubera Christi inexhausta perpetuum lac deliciarum fundunt, idque promptissime et largissime. Audi S. Bernard. ser. 9. « Carnis, inquiunt (animæ piæ desponsatæ Christo) voluptatem, qua paulo ante tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis ubera stillant, deliciæ spirituales. Et pulchre vino comparant carnalem affectum. Ut enim uva semel expressa non habet iam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines. Unde Propheta: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius tamquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. Et Apostolus: Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem: Et rursum: Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et has destruet. » Subiicit deinde idem de mundi voluptatibus. « Vide autem ne non carni tantum, sed et mundo forte competat ista proportio. Siquidem et ipse transit, et concupiscentia eius. Et cum omnia, quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non sic. Hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis sæculive amore exeruntur ubera sponsæ, quæ nullo umquam lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus caritatis, et iterum fluunt. Flumina siquidem fluunt de ventre eius, fitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. »

Isai. 40. Galat. 6. 1 Cor. 6. Ioan. 7.

Denique S. Bernard. ser. 10. duo ubera Prælatis assignat, maternum affectum congratulationis, et compassionis, quem præscribit Apostolus, Rom. 12. 15. dicens: *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus*: ut congratulatio fundat lac exhortationis, compassio vero consolationis, utroque vero irrorari matrem spiritualem cum per orationem osculum sponsi haurit.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Quid, ait Rupertus, *per ubera eius, nisi dulcedinem eius recte intelligimus? Et quid est dulcedo eius nisi Spiritus sanctus? Talis dulcedo pulchre in duo ubera discernitur, quia duo sunt data eiusdem Sancti Spiritus. Alterum datum est in remissionem peccatorum, cuius videlicet dati ubere nullus ante hanc Beatam Virginem lactatus est Sanctorum antiquorum. Alterum datum est in diversarum divisiones sive distributiones gratiarum, quo videlicet ubere lactati patres sancti et prophetarunt, et multa miracula operati sunt.*

Ubera sunt maternitas Dei.

Porro ubera proprie a Deo communicata B. Virgini sunt, ipsa maternitas Dei: huius enim insigne sunt ubera: hæc enim, mox ut fœmina parit, fitque mater, intumescunt, lacte replentur ad eiusdem prolem. Deus enim Pater sicut genuit Filium, qua Deus est; sic et B. Virgini seu matri dedit eumdem generare, qua homo, quæ summa est eius dignitas, superans omne vinum excellentiæ creatæ, ac summam requirit gratiarum omnium excellentiam. Nam ut docet D. Thom. 1. part. quæst. 25. art. 6. Deus omnibus rebus a se creatis potest alias creare meliores et nobiliores, exceptis tribus, scilicet humanitate assumpta a Verbo, visione beatifica, et maternitate Dei: hæc enim tria cum Deum habeant pro obiecto, a nulla re superari, et a nullo dono creato transcendi possunt.

Exempla. S. Augustini.

Hinc mulier illa in Evangelio exclamavit: *Beatus venter qui te portavit; et ubera quæ suxisti*, Lucæ 11. 27. Et S. August. inter B. Virginem et Christum crucifixum se constituens: *Hinc, ait, lactor ab ubere, hinc pascor a vulnere.* Hoc uberum suorum lac B. Virgo visibiliter communicans Clerico cuidam Nivernensi sibi devoto, iam animam agenti, eum vitæ et sanitati restituit, uti narrat B. Petrus Damian. l. 6. epist. 29. *Cum enim*, inquit, *velut egressurus in eius pectore spiritus anxie palpitaret; ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter astitit; et sacri uberis papilla lac exprimens eius labiis instillavit, et divinæ virtutis antidoto protinus ille resumptis viribus ex infirmitate convaluit, et mox clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adiit, atque choro psallentium fratrum lætus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam quod adhuc tunc in labiis eius quædam lactis videbantur vestigia.* Hucusque Damianus.

Clerici Nivernensis

Fulberti.

Idem contigit S. Fulberto Episcopo Carnotensi, qui doctrina et sanctitate illustris obiit anno Domini 1028. Cum enim ipse mire B. Virgini devotus existeret, ac igne sacro correpta esset eius lingua, ita ut tota arderet; nocte quadam cum præter morem eo cruciaretur, obtulit se ei visendam matrona nobilis, a qua monebatur ut ei os aperiret: quod cum fecisset, mox ex sacris suis uberibus lac expressit in os eius, quo ita refrigerata est lingua, ut ardorem omnem exstinxerit, et eum perfectæ sanitati restituerit. Ne autem illusio aut phantasma esse putaretur, in Fulberti gena remanserunt guttæ aliquot, quas ipse diligenter sudario exceptas collegit, hodieque in thesauro Ecclesiæ Carnotensis summa cum veneratione servan-

tur. Ita habent Annales Ecclesiæ Carnotensis, et Willielmus Malmesbur. l. 3. de Gestis Anglorum, ac Baronius tomo 12. anno Christi 1028.

S. Bernardi.

Fertur et S. Bernardus eodem lacte B. Virginis ab eadem aspersus, in dicendo et scribendo lacteus et mellifluus evasisse, præsertim ubi de laudibus B. Virginis et Verbi incarnati agit. Unde et hymno eiusdem antiqui initium: *Salve regina, mater misericordiæ*, quem composuit Hermannus Contractus Comes de Vernigem, monasticen professus in monasterio S. Galli sub annum Domini 1040, quemque sub vesperam passim in Ecclesiis ad honorem B. Virginis decantari audimus, mire delectabatur S. Bernardus. Hinc in hymnum hunc plures sermones conscripsit: Ideoque Canonici Spirenses, S. Bernardo Spiræ Ecclesiam B. Virginis ingrediente hymnum hunc decantarunt, ipsomet S. Bernardo ter positis genibus succinente: *O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria*. In cuius rei memoriam hæc ipsa verba tribus æneis inciso laminis iisdem locis humi positis, etiamnum Spiræ visuntur.

Quis auctor hymni, Salve regina.

Vers. 2. Fragrantia unguentis optimis.

Hebr. *ad odorem unguentorum tuorum bonorum*, scilicet antonomastice, id est, optimorum; Syrus, *in odorem suavitatum tuarum*. Unde nonnulli hæc referunt ad *oleum*, quod sequitur, sicque cum eo nectunt: *ad*, id est, *propter odorem unguentorum tuorum, oleum effusum est nomen tuum*. Verum melius Noster τὸ *ad odorem* exponit *odorata*, puta *fragrantia*, refertque ad *ubera*, quæ præcesserunt. Solent enim fœminæ nobiles et lautæ ad pectus et ubera gestare olfactoriola et myrothecas, id est capsulas muscum aliosque odores suaves in se continentes, quæ Psal. 44. 9. vocantur *domus eburneæ*: *domus* enim Hebræis thecam quamlibet significat.

Domus apud Hebræos thecam significat.

Porro Septuag. τὸ *optimorum* explicantes vertunt, *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Si enim unguenta sponsi sunt optima, ergo superant cætera omnia unguenta et aromata. Alludit ad ritum priscorum, apud quos sponsi coronis redimiti, et unguentis delibuti, nuptias inibant. Unde de Christo sponso dicitur Psal. 44. 8. *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*. Huc facit illud Virgilii:

Nec mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos incendet pinus honores.

PRIMUS SENSUS.

De Christo et Ecclesia.

Sensus ergo est, q. d. *Meliora sunt ubera tua vino*, ob fragrantiam, sive quia redolent et fragrant unguentis optimis. Sponsa enim novella uti necdum sponsi oscula, sic nec lac uberum, nisi eminus perceperat; sed eorum fragrantia, id est, fama, incensa et illecta tam lac uberum, quam osculum oris desiderat. Odor enim symbolum est famæ, iuxta illud: *Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa*, Eccl. 7. 2. et illud: *Christi bonus odor sumus*, id est, Christi famam prædicando ubique spargimus, 2. Corinth. 2. 15. Sic Magdalena illecta suavi fama, quæ spargebatur de sanctitate, suavitate et potestate Christi, ad osculum pedum eius accurrit. Unde Chaldæus hæc more suo Synagogæ, id est, Mosi et Iudæis qui fuere typus Ecclesiæ, id est Christi et Christianorum, accommodans sic vertit: *A voce miraculorum tuorum et potentiæ tuæ, quæ fecisti populo tuo domui Israel, commoti sunt omnes populi, qui audierant famam potentiæ tuæ, et signorum bonorum tuorum.*

Odor famæ symbolum.

Hinc rursum unguenta Christi sunt charismata Spiritus sancti: hæc enim suavissimum de eo odorem et famam ubique spargebant. Unde Rupertus: *Optima unguenta*, ait, *sunt charismata hæc, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituum, et cætera, quæ qui habent,*

Unguenta charismata Spiritus sancti.

A *boni odoris sunt, et suaviter fragrant sicut unguentum optimum. Unde Apostolus: Deo Gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Iesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo.* Nam de Christo ait S. Petrus: *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo*, Actor. 10. 38. Unde eius *fama exiit in universam regionem*, Lucæ 4. 14. Et: *Divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis*, ib. v. 37.

Porro versionem Septuag. quæ habet, *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*; et qui eos sequitur, Arabici, *et odor suavitatum tuarum est præstantissimus omnium suavitatum*; sic exponunt Patres. q. d. Christi gratia et virtus, qua unxit eum Pater, superat omnia dona, gratias et virtutes datas, non tantum Mosi, et Prophetis, sed et omnibus sanctis simul sumptis. Nam ut de eo ait Habacuc c. 3. 3. *Operuit cælos virtus eius*, id est, cælestis est, cælosque et Angelos cælestes transcendit.
B Christi enim virtus per se est ipsa virtus; Christi sapientia, iustitia, charitas, etc. per se est ipsa sapientia, iustitia, charitas, etc. ait Nyssenus. Sic et Origenes, Aponius et Theod. quem audi: *Nota*, inquit, *sunt mihi unguenta, quæ Moses confecit, et oleum unctionis, et thymiama compositionis; sed omnium illorum aromatum unguentum tuum est suavissimum. Unguentum hic vocat gratiam spiritalem, qua ille refertus, ex plenitudine sua nobis omnibus impertivit. Quomobrem clara voce beatus Paulus: Christi bonus*, inquit, *odor sumus in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Christus enim a primo instanti conceptionis suæ, infusam sibi a Deo accepit omnem gratiam et virtutem; idque in tanto gradu, perfectione et sublimitate, ut sit gratia capitis, quæ scilicet a Christo in omnes Sanctos, velut a capite in membra derivatur, iuxta illud: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Ps. 44. 8. In Christo enim habitavit non tantum similitudo, sed et *plenitudo divinitatis*, ut ait Paulus
C Coloss. 2. 9. Unde de eius *plenitudine omnes accepimus*, Ioann. 1. 16.

SECUNDUS SENSUS

De Christo et anima sancta.

Christus sponsus ubera sua unguentis et charismatibus optimis fragrantia, communicat sponsæ suæ, puta animæ sanctæ, iuxta illud 1. Cor. 1. 30. *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia et sanctificatio et redemptio.* Unde S. Greg. qui per duo ubera accipit duplicem dilectionem Dei et proximi: *Hæc ubera*, ait, *unguentis optimis fragrant, quia odorem suavitatis per sapientiæ verba, et sanctitatis exempla secum portant. Quicumque enim sancta caritate per gratiam Dei se reficit, is spiritualium donorum, et odorem et suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quosque ad interiora gustanda secum trahit, et ut in amorem*
D *divinum convalescant, istis uberibus nutrit.* Hæc ergo sunt optima, respectu unguentorum carnalium; quia quos inungunt veros reges ac sacerdotes efficiunt. Cæteri qui per ubera Christi accipiunt Apostolos et doctores Evangelicos, dicunt eos fragrantia gratiarum, virtutum sanctorum, operationum et miraculorum, indeque consequentis famæ et gloriæ superare sanctos Prophetas, Patriarchas, sacerdotes et reges Mosaicos: *Quia tantis*, inquit Iustus Orgelit. *virtutibus, tantisque enituere miraculis, ut odor iustitiæ eorum longe lateque diffusus tunc intuentes oblectaret, et usque huc omnes reficiat auditores, sicut unus ex ipsis pronunciat dicens: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, et odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco per nos*, 2. Cor. 2. 14. Et: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, 2. Cor. 1. Vide quæ utrobique annotavi.

Denique S. Bernard. serm. 10. et seq. assignat tria mystice animæ unguenta: primum, contritionis; secundum,

Tria animæ unguenta mystica. devotionis; tertium, pietatis, quæ deinde singula fuse prosequitur: *Primum*, inquit, *est pungitivum, dolorem faciens; secundum, temperativum, dolorem leniens; tertium, sanativum, morbum expellens.* Triplici hoc unguento Magdalena unxit, tum pedes, tum caput Christi. Anima vero sancta maxime eum ungit unguento laudis et gratiarum actionis, quæ omnem suam gratiam, omne meritum, omnem laudem et gloriam attribuit Christo. Idem ser. 22, per *unguenta* accipit quatuor virtutes cardinales, quæ in solo Christo veræ sunt, in Philosophis vero fictæ et falsæ: « Quid vobis, ait, cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubinam vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Ubi vera iustitia, nisi in Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo, qui eius doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui eius vitam imitari student; soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam a Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantiæ, cuius mors insigne est fortitudinis.

TERTIUS SENSUS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus qui hæc uti et cætera omnia totius Cantici, proprie de B. Virgine accipit, asserit ubera charitatis geminæ concessa B. Virgini fragrasse odorem suavissimum virtutum omnium, quas Spiritus sanctus in alios dispertiit, sed omnes in Virgine collegit, idque tanta copia et plenitudine, ut ipsa sola iis omnibus magis fragrarit, quam cæteri Sancti in unum congregati, iuxta illud Eccles. 24. 20. « Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, etc. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me spes omnis vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus (id est fructibus genitis) meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. » Vide ibi dicta.

Vers. 2. Oleum effusum nomen tuum.

Oleum non tantum ex olivis, sed ex quolibet flore, herba, aromate distillatur, quod totam rei substantiam, succum, pinguedinem et vim exugit: unde a medicis vocatur quinta essentia, quæ si cum oleo aliorum aromatum scite commisceatur, unguentum facit præstans et odoratum. Hinc Sept. Vatabl. et alii vertunt: *Unguentum evacuatum nomen tuum*: Syrus, *Unguentum myrrhæ nomen tuum*; *Paraphrasis.* Arabic. *Nomen tuum unguentum suave effusum.* Hebr. enim שמן *scemen*, non tantum oleum, sed et unguentum significat, idque huic loco magis congruit. Explicat enim τὸ *fragrantia unguentis optimis*, q. d. Ubera dulcissima tuæ beneficentiæ, o Christe, meliora sunt vino, id est omnibus mundi voluptatibus et illecebris, quia fragrant optimis unguentis, id est exspirant charismata optima, quæ in omnes effundis, adeo ut oleum, sive unguentum effusum vocari possis, hocque nomen sit tibi peculiare et proprium. Unde in Hebræo pulchra est paronomasia: שם *scem* tuum est *scemen* שמן id est *nomen tuum est oleum*, oleique nomen. Quocirca Hortolan. sic paraphrastice, sed genuine et sapienter exponit, q. d. Hisce cælestibus unguentis tu a Spiritu sancto perfusus totus, Christe fragras, suavissime oles, atque admirandis dictis ac factis tale tantum iam tibi nomen comparasti: sic tua inclyta fama, quæ olim intra cælum se continebat per Evangelii tui prædicationem totum subito pervasit Iudæam et Syriam: sic salutiferum tuum, bone Iesu, nomen magna admiratione innotuit, ut nihil aliud quam unguentum pretiosissimum videatur, quod e cælesti myrothecio in terras effusum, suo odore longe lateque diffuso circumstantes mirifice delectat, et ad sui rapit admirationem et desiderium. *Effusum*, quia liquores cum effunduntur, tum maxime suavitatem sui odoris expirant, eoque astantium olfactum demulcent, alliciunt et recreant.

Nomen Christi, oleum effusum, quodnam? Respond. I. Iehova. Quæres, quodnam hoc nomen? Primo Chald. accipit nomen *Iehova*. *Et nomen tuum sanctum*, inquit, *auditum est in universa terra, quod est electum magis, quam oleum unctionis, quo unguntur capita regum et sacerdotum.* Unde multi nomen hic accipiunt Dei, qui in creatione mundi suam bonitatem et beneficentiam in omnes creaturas seu oleum effudit, ac in eiusdem redemptione viscera misericordiæ suæ, puta Unigenitum suum, in carnem nostram emisit, imo effudit. *Iehova* enim significat ipsum esse, ac essendi oceanum, sive pelagus immensum, primumque omnium principium, a quo res omnes velut a fonte suum esse mendicant et hauriunt: *Iehova* vero in Iesum transmutatus est, cum Deus factus homo, gratiæ et salutis suæ pelagus in fideles omnes effudit. Addit Eusebius lib. 4. de Demonstr. c. 6. *Iehova*, id est Deum Patrem totam suam divinitatem in Filium per generationem effundere: Patrem vero et Filium eamdem in Spiritum sanctum per spirationem transfundere. Unde idem l. 5. de Demonstr. c. 4. Filium vocat fragrantiam Patris.

Porro nomen *Iehova*, id est Dei, olim solis Iudæis notum, ac in Iudæa quasi conclusum per Iesum, id est Verbum incarnatum, sparsum et effusum est per totum orbem, cum ad prædicationem Apostolorum omnes Gentes, etiam atheæ, cognoverunt, amarunt et glorificaverunt Deum. Ita Origenes, Anselmus, et alii. Audi S. Ambrosium libr. 3. de Virgin. post medium: *Semper unguentum hoc erat, sed erat apud Patrem: erat in Patre: olebat tantum Angelis et Archangelis tamquam intra vas cæli. Aperuit os Pater dicens: Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ: descendit Filius, repleta sunt omnia novo odore.* Et annexis interiectis: *Ipse Dei filius in corpore tamquam in vase odorem prima cohibebat suum operiens tempus: sicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciat quando me oporteat dicere sermonem: Venit hora, aperuit os: exivit unguentum, quando virtus exibat de eo. Hoc unguentum exinanitum super Iudæis, et collectum est a Gentibus: exinanitum in Iudæa, et redoluit in omnibus terris.*

II. Christus. Secundo, magis proprie et genuine, nomen hoc est Christus: ipse enim a Iudæis vocatus est *Messias*, a Græcis *Christus*, a Latinis *unctus*, quia in incarnatione, qua homo, per gratiam Dei Patris unctus et consecratus est summus Pontifex, Propheta, Legislator, Rex et Redemptor orbis. *Unguentum gratiæ.* Unde hoc gratiæ suæ unguentum in omnes credentes in ipsum effudit, et in dies effundit: hinc a Christo omnes vocantur Christiani: *Cum enim vim suam et potestatem Apostolis tradidit, totus mundus pietatem sanctissime inoluit*, inquit Philo Carpath. Unde et in Baptismo visibiliter Christiani chrismatis unguento in corpore, et gratia Spiritus sancti in anima invisibiliter perunguntur, ait Theodor. Quocirca Nazianz. orat. in S. Baptisma: *Unguentum illud*, inquit, *nostra causa exhaustum odoremur, spirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati et commutati, ut ex nobis quoque suavis odor effletur.* Sicut enim Magdalena unguentum effundens in caput Christi, totam domum odore suavi replevit; sic Christus gratias suas in fideles effundens, totam Ecclesiam, imo totum orbem, suavissimo Evangelii odore complevit. Sic et Cassiod. Iustus Orgelit. Beda et S. Gregor. quem audi: *Nomen*, inquit, *sponsi Christus est: sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicumque nomine Christiano in veritate censentur, charitate afflant, qua molliuntur: et ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continue suffunduntur.* Et S. Augustin. conc. 3. in

Unguentum misericordiæ.

Psalm. 30. per unguentum Christi intelligens eius misericordiam: *Nec, ait, unguentum misericordiæ tuæ in Ierusalem quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase, unguentum diffusum est per mundum, ut impleretur quod dicitur; unguentum effusum nomen tuum, et ito mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ, id est in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam.*

Simili modo Philo Carpath. per unguentum accipit ardentissimam Dei Christique charitatem in nos effusam et profusam. Hac de causa pontifices æque ac reges et principes oleo unguntur, ut plenam in subditos charitatem effundant. Hinc de Iesu pontifice et Zorobabel principe dicitur Zachar. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Ac de Elia et Henoch dicitur Apoc. 11. 4. *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.* Vide utrobique dicta.

Porro Eusebius lib. 4. Demonstr. c. 15. addit Christum non tantum qua homo est, sed etiam qua Deus est, ab æterno unctum esse oleo, id est accepisse a Patre plenitudinem divinitatis: *Supremæ*, inquit, *atque ingenitæ divinæ essentiæ virtutem illam quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, divinus Spiritus proprio et convenienti exemplo conferens atque accommodans Deo, oleum appellat. Quare et Christum, et unctum eum qui illius particeps est, vocat.* Et paucis interiectis: *Eum*, inquit, *qui solo hoc toto oleo unctus est, quique divinæ, atque eius, quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantiæ princeps factus, et qui solo ex illo genitus, Deus verbum communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus, Christum atque unctum vocavit.*

Verum proprie agitur hic de Christo, qua homo est; sic enim est sponsus Ecclesiæ, ideoque dicitur *Christus*, id est unctus, idque adeo copiose et plene, ut non tantum Unctus, sed et Unguentum ac *Oleum* nominetur: *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*, qua effusione Christianos consecravit in mysticos reges et sacerdotes, iuxta illud 1. Petri 2 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

Christi duplex unctio.

Christus ergo qua homo, duplici oleo, sive unguento, id est duplici gratia, unctus fuit. Prima est gratia unionis hypostatice, per quam caro unita est Verbo et homo factus est Deus. Secunda, ex priore iam dicta consequens, est gratia habitualis infusa animæ Christi, quæ eum non tantum sanctificavit, sed et sanctitatis fontem ac Sanctorum omnium caput et causam constituit: inde enim secuta est omnis gratiæ effusio in cunctos fideles et Sanctos cuiuslibet gentis, ætatis, sexus, conditionis, gradus et ordinis: *Iudæus*, ait S. Bernard. *habet oleum, sed non effusum; habet in codicibus, sed non in cordibus. Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?* At Christianus a Christo accipit pietatem in moribus, qui unctionem Christi accipit in cordibus.

Denique per *nomen* accipitur res et persona nomine significata, q. d. ait Beda: *Oleum effusum nomen tuum*, hoc est recte nominaris, o Christe, id quod es, puta plenus Spiritu, eiusque donis, quæ copiose in alios effundis. *Oleum* enim notat Spiritum sanctum eiusque charismata, quæ Christus in Pentecoste in Apostolos cæterosque fideles large distribuit, iuxta illud: *Effundam spiritum meum super omnem carnem*, Ioelis 2. 28.

III. Iesus

Tertio, nomen proprium sponsi Ecclesiæ est *Iesus*; nomen enim *Christus* est nomen officii; nomen vero *Iesus* est proprium personæ, scilicet huius hominis qui unitus est hypostatice Verbo. Nomen enim Iesus illi impositum est in circumcisione, sicut nobis in Baptismo imponitur nomen Cornelii, Petri, Pauli, etc. *Iesus* enim significat Salvatorem, qualis solus fuit homo Deus, sive Verbum incarnatum; hoc enim gratiam salutiferam, eamque variam et multiplicem in fideles effudit, qua ad salutem et gloriam æternam perveniant, iuxta illud: *Non enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Actorum 4.12. Iesus enim virginibus effundit gratiam castitatis virginalis, viduis vidualis, coniugatis coniugalis, Martyribus aspirat fortitudinem, Doctoribus doctrinam, Religiosis religionem, Anachoretis solitudinem, activis actionem, contemplativis contemplationem, etc. Atque hæc omnia non stillat parce, sed large effundit, idque cum mira suavitatis fragrantia, adeo ut animæ sanctæ nil sit suavius, nil dulcius, quam cogitare, nominare, invocare Iesum. *Iesus*, ait sanctus Bernardus, *mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Nil canitur suavius, nil auditur iucundius, nil cogitatur dulcius, quam Iesus Dei Filius. Iesu dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium et omne desiderium.* Vide totum hymnum S. Bernardi de nomine Iesu.

Dicit ergo Ecclesia et anima fidelis Christo: Tu mihi es Iesus, tu meus Salvator, tu mea salus, tu unguentum salutis tuæ in omnes Sanctos effundis. Hoc enim nominis tui unguentum compositum est ex pretiosissimis aromatibus divinitatis et humanitatis tuæ, puta carnis, sanguinis et animæ tuæ, omnibus donis et virtutibus ornatissimæ, cum divinitate commixtis. Ita sanctus Cyrillus l. 4. et 9. de Adoratione.

Nomen Iesu includit cætera Dei nomina. Quam carum S. Paulo. Et S. Ignatio repetitum.

Ideoque nomen Iesu includit nomen *Iehova*, cæteraque omnia Dei et Christi nomina, quæ sunt, Emmanuel, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, etc. Isaiæ 9. 6. Num. 14. 18. Hinc nomen Iesu ita suave et amabile fuit S. Paulo, ut illud singulis sæpe periodis repetat, cum eoque dissuavietur. Hinc in paucis suis Epistolis illud iterat ducenties decies novies; Christi vero nomen quadringenties semel. Idem fecit S. Ignatius, ut patet ex eius Epistolis, præsertim in Epist. ad Romanos, ubi est illud: *Iesus meus, amor meus crucifixus est.* Sic et S. Dionysius, qui c. 4. Eccles. hierarch. pag. 3. *Scimus*, ait, *Augustissimum Iesum supersubstantialiter odorem fragrantem, spiritualibus distributionibus mentem nostram divina voluptate replere*; et S. Franciscus, inquit S. Bonaventura in eius Vita, *cum nomen Iesu exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum.*

Iesu nomen dicitur תורק *turak*; Septuag. ἐκκενωθὲν, id est, *evacuatum* et *exinanitum*, tum in circumcisione, ubi primitias sanguinis effundens nomen hoc meruit; tum in passione et cruce, ubi totum sanguinem, spiritum et vitam nobis effudit, iuxta illud: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis*, Philip. 2. 7. Unguentum in vase conclusum non sentitur; at effusum fragrantiam in omnes effundit. Sic Iesu nomen in Christo quasi conclusum non sentiebatur; at ubi in circumcisione et cruce sese effudit, suavissimos amoris omniumque virtutum odores in omnes exhalavit, inquit Theod. Philo Carpathius et Aponius: *Sicut aqua*, inquit ipse, *effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.* Psal. 21. 15. Audi S. Ambrosium ser. 1. in Psal. 118. *Unguentum exinanitum nomen tuum, hoc est, totus immundis impuritatibus diversorum facinorum fœtebat hic mundus; nunc spirat ubique suavitate pudicitiæ unguentum fidei, flos integritatis.* Idem lib. de Isaac et anima, c. 3. *Aspirat in verbo odor gratiæ, et remissio peccatorum, quæ in totum diffuso mundum, omnia tanquam exinanito replevit unguento, quia per universos gravis vitiorum colluvies detersa est.*

Alludit ad candelabrum aureum, quod septem calamis, sive lucernis olei ardebat in Sancto ante propitiatorium, Cherubim, et arcam quæ erant in Sancto Sanctorum. Unde et Hebr. nomen ישוע *Iescua*, id est Iesus, mediam præcipuamque litteram continet ש, quæ speciem habet candelabri, sive lucernæ tricipitis. Candelabrum autem eiusque lucernæ repræsentabant Christum, eiusque in vita et doctrina splendorem. Vide dicta Exodi 25. v. 31.

Porro oleum symbolum est, primo, pacis et tranquilli-

Oleum symbolum. I. Tranquillitatis. tatis; unde illud: *Oleo tranquillior*. Oleum enim adeo tranquillum est, ut et mare tumultuans tranquillet: qua de causa urinatores solent oleum spargere descendentes in mare, ut illud tum quietum et serenum, tum lucidum reddant, ut hac luce id quod in eo mersum perditumque requirunt, inveniant, teste Plinio lib. 2. c. 103.

II. Gratiæ. Secundo, oleum symbolum est gratiæ et misericordiæ; unde Græcis vicina sunt nomina ἔλαιον et ἔλεος, id est *oleum* et *misericordia*, ut unum ab altero vim et nomen sumpsisse videatur. Huc facit quod ait Plinius lib. 15. cap. 2. *Olivantibus lex antiquissima fuit: Oleum ne stringito, neve verberato.* Hac de causa sub nativitatem Christi, Romæ fons olei scaturiit, qui per integram diem continue oleum manavit, significans iam nasci Christum, qui oleum suavitatis, clementiæ et gratiæ spargeret per totum orbem. Prodigium hoc narrat Orosius lib. 6. c. 19. et Eusebius in Chronico, Paulus Diaconus, et ex iis Baronius.

III. Caloris. Tertio, oleum symbolum est pinguedinis et caloris, quem affert amor et charitas; oleum enim est aereum, et multum spiritus continet, ideoque aquis supernatat, ait Aristoteles l. 2. de Generat. anim. cap. 2. Hinc et *opimat pecus olea*, ait idem lib. 8. Histor. anim. c. 10. Idem asserit apes gaudere olea, ut mellificent. Addit ex Theophrasto Plinius lib. 15. cap. 2. *Olei causa est calor; quare et in torcularibus, et iam in cellis multo igne quæritur.* Idem cap. 4. *Oleo*, inquit, *natura est tepefacere corpus, et contra algores munire.*

IV. Odoris. Quarto odoris et fragrantiæ boni exempli, nominis et famæ; oleum enim hic non purum, sed ex variis aromatum et odorum speciebus artificiose commixtum, ideoque fragrantissimum intelligitur.

V. Hilaritatis. Quinto, oleum signum est et causa hilaritatis; unctos enim exhilarat, nitidosque et lætos ac lucidos efficit; unde illud: *Ut exhilaret faciem in oleo*, Psal. 103.

VI. Deliciarum. Sexto, oleum, et magis unguentum, symbolum est voluptatis et deliciarum; unde olim in conviviis, convivæ unguentis pretiosis ungebantur ad lautitias et delicias.

VII. Roboris. Septimo, oleum confortat corpus, viresque membris vel lassis itinere, vel labore quolibet defatigatis restituit. Unde Samaritæ, captivos quos ex Iuda abduxerant, monitu Prophetæ cibo potuque refectos, et oleo unctos ad abstergendam defatigationem itineris, in patriam remiserunt, 2. Paralip. 28. Hinc et athletæ in stadio decertaturi, oleo se ad maius robur perungebant, atque victores olea coronabantur. Audi Plinium lib. 15. cap. 4. « Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iulii ex ea coronando; ita minoribus triumphis ovantes; Athenæ quoque victores olea coronabant. » Idem lib. 23. cap. 4. « Omni oleo, inquit, mollitur corpus, vigorem et robur accipit, etc. Venena omnia hebetat. Et lassitudinum perfrictionumque refectio est: tormina calidum potum pellit; item ventris animalia; vulnerariis emplastris utile, faciem purgat, etc. Lethargicis magis auxiliare, et inclinato morbo. Capitis doloribus remedium est: item ardoribus in febri. » Plura addit in hanc rem.

VIII. Medicinæ. Octavo, notissimum est oleum adhiberi vulneribus medicandis; unde est illud Isaiæ 1. *Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Et Samaritanus ille Evangelicus, in vulnere saucii viri oleum infudisse narratur et vinum, Lucæ c. 10.

Hæc omnia præstat Iesus. Hæc omnia præstat nomen Iesu. Nam, primo, iratos tranquillat, et passiones omnes sedat; secundo gratiam et misericordiam affert, imo effundit; tertio animam impinguat et calefacit amore et ardore cælesti; quarto, suavissimam gratiæ decus et famam omnibus aspirat; quinto, mœstos exhilarat; sexto, fideles cælestibus deliciis pascit, imo inebriat; septimo, Martyres et pro virtute depugnantes, ac certando delassatos corroborat, ut omnia tormentorum genera alacriter et generose superent, ac victores coronat; octavo, omnibus animæ vulneribus medetur.

Audi S. Bernardum serm. 15. « Olim, inquit, hoc nomen infusum erat, sed non effusum. Iam cæli habebant illud, iam Angelis innotuerat. Erat autem foris missum, et quod Angelis ita erat infusum, ut esset et privatum; effusum et in homines est, ita ut iam tunc merito clamaretur de terra: Oleum effusum nomen tuum. » Et inferius: « O nomen benedictum! O oleum undequaque effusum! Quousque de cælo in Iudæam, et inde in omnem terram excurrit, et de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum! Effusum plane, quod non solum cælum terrasque perfudit, sed aspersit et inferos, adeo ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur et dicat: Oleum effusum nomen tuum. » Et post nonnulla: « Oleum, ait, lucet, pascit et ungit; fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine; lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Et percurramus singula: unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Et post pauca: « Nec tantum lux est nomen Iesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Iesus, et inde saliat in os: et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia, ut assolet, cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Iesu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? » Denique ex dictis ita concludit: « Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecori fugat pruriginem. Siquidem, cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Iesus. Sumo itaque exempla mihi de homine, et auxilium a potente, etc. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris: Pone me (inquit cap. 8.) signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. » Plura vide apud eumdem serm. 15. et 18.

Superiora B. Virgini et animæ sanctæ aptanda. Hæc omnia quæ dicta sunt de Christo et Ecclesia, facile, mutato nomine, est applicare animæ sanctæ, et magis B. Virgini. Unde Rupertus per nomen accipiens Verbum, sive Filium Patris æterni, per quem creavit omnia: « Quis potest, inquit, æstimare fortitudinem eius? Porro nomen hoc tam forte, tam magnum, ecce est oleum effusum. Mira res! Quid Verbo fortius, et quid oleo suavius! Ergone Verbum est a sua natura immutatum? non; sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio est, hinc pro virtute, illinc vitio diversæ, imo contrariæ sunt. Verbi gratia diabolus in cælo per vitium superbus fuit: Tu Virgo, per virtutem humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diversis, tamque contrariis, vitium, idemque verbum, illi ut fulmen, tibi ut oleum sese exhibuit, iuxta illud; Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam; » et post pauca: « Effusum ergo est oleum, id est nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ Verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis. »

Quænam hic adolescentulæ?

1. Animæ in iustitia novellæ.

IDEO ADOLESCENTULÆ DILEXERUNT TE.

Sanctus Bernard. *serm.* 19. addit *nimis*, sed id non habent Hebræa, Græca et Latina. *Adolescentulas* vocat Ecclesias, et animas in fide et iustitia novellas, ac recenter per baptismum in Christo regeneratas, quæ instar adolescentum sensim uti ætate, ita et virtute proficiunt et adolescunt, ut tandem perfecte Christo sociari, eique spirituali nuptiarum vinculo inseparabiliter copulari mereantur. Ita Cassiodorus, Beda, Haymo, Iustus et alii. Hebraice pro *adolescentulæ* est עלמות *alamoth*, id est, virgines: עלמה *olma* enim vocatur virgo, quia abscondita et viro incognita est, a rad. עלם *alam*, id est, abscondit, uti fuse ostendi Isaiæ 7. ad illa: *Ecce virgo* (Hebr. *haalma*, id est, illa virgo, puta Virgo Deipara) *concipiet et pariet filium*. Sensus ergo est, q. d. Adolescentulæ, hoc est animæ in fide et virtute novellæ, quasi virgines a corruptelis mundi absconditæ, dum fragrantiam olei sive unguenti, hoc est charismatum Christi sponsi, odorantur; dumque sentiunt quam nomen Iesu Christi sit oleum, sive unguentum effusum, idque suavissimum et odoratissimum, B hoc odore et hac suavitate illectæ in eius amorem rapiuntur, eumque tenere diligunt. Unde Chald. vertit: *Et ideo dilexerunt iusti ambulare post viam bonitatis tuæ, ut possideant sæculum hoc et sæculum venturum.*

Notat Cassiod. ac ex eo Beda et Haymo vocari *adolescentulas* fœminine: Quia, inquit, animæ Sanctorum, quo maioris fragilitatis sibi sunt consciæ, eo amplius Christum diligunt. Porro causa dilectionis earum est *oleum effusum*, id est, effusa liberalitas Christi. Unde Rupertus: *Nisi*, inquit, *oleum effusum fuisset, nisi Verbum caro factum esset: animæ imperfectæ ausæ non fuissent diligere Deum, imo nec ausæ fuissent illum audire; unde et dicebant: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, Exodi 19. Sic et Origen. Nisi, inquit, Christus veluti unguentum sese exinanisset, capere eum nullus in sua illa divinitatis plenitudine potuisset, nisi sola fortassis sponsa, q. d. Perfecti capiunt Christum in sua divinitate, et imperfecti in sua humanitate; hinc propter eos Christus se C effudit in carnem factus homo. Et S. Bernard. ser. 19. *Effusio quippe*, inquit, *nomen facit amabile, sed adolescentulis dumtaxat Qui capaciores sunt, integro gaudent, effuso non indigent. Angelica creatura irreverberata mentis acie intuetur divinorum iudiciorum abyssum multam, quorum summæ æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur insuper effectui ea mancipari per suum ministerium, ac palam fieri, ac propterea merito diligit Dominum Christum.*

2. Adolescentulæ animæ perfectæ.

Rursum alii per *adolescentulas* intelligunt animas, non imperfectas, sed strenuas et perfectas, quæ in virtute adoleverunt, ut et eamdem aliis communicare, ac filios spirituales Christo parere possint, quales sunt Martyres, ait Philo Carpath. Sic et Theodor. ac S. Gregor. 19. Moral. cap. 9. Adolescentia enim, id est iuventus, media est inter pueritiam et senectutem, ideoque matura, stata et optima est ætas. Unde aliqui ex Hebræo sic vertunt: *Quia adolescentulæ dilexerunt te, idcirco eis oleum vel unguentum effusum est nomen tuum.* Audi Nyssenum hom. 1. *Sola*, ait, *anima illa, quæ statum transiit infantilem et ad* D *spiritualis ætatis florem pervenit, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid huiusmodi; et neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecilla, quæ adolescentula hoc loco nominatur, ea diligit toto corde totisque viribus illam pulchritudinem, cuius descriptionem, exemplumque et interpretationem non invenit cogitatio.*

Hoc quoque verum est; nam in principio Ecclesiæ tanta effusa fuit in fideles recens baptizatos Christi gratia, ut eos amore Christi incenderet, faceretque illico eiusdem præcones et Martyres. Sensus ergo est q. d. Cum, o Iesu Christe, nomen tuum fecisti oleum effusum, id est, cum te ipsum in passione pro salute nostra totum effudisti et exhausisti, ac nominis huius vim et fidem per Apostolos in omnes gentes effuse dispersisti, atque copiosam gratiam in credentes effudisti; ex triplici hac tui effusione tam liberali factum est, ut ubique terrarum homines cer- A tatim ad tui fidem et dilectionem converterentur, adeo ferventer et fortiter, ut illico fierent Evangelii prædicatores, ac pro eo libenter mortem oppeterent. Id ita contigisse patet ex Pentecoste et prædicatione S. Petri, Actor. 2. et sequent.

Paraphrasis.

Amor ergo Christi effusus in incarnatione et passione inflammavit homines ad eum toto corde redamandum, iuxta illud Christi: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Lucæ 12. 49. Hinc *adolescentulas* has in Hebræo vocat עלמות *alamoth*, id est virgines, id est, puritatis studiosas, quæ mundi gaudia spernentes totum amorem in Christum transtulerunt, nec nisi Iesum suum diligunt: Christus enim et Christianismus orbi invexit studium castitatis et puritatis angelicæ, ideoque ex Virgine natus, virginitate et puritate Angelos omnes superavit. Has de causa primi fideles, ab Apostolis conversi, pleriqne omnes fuere virgines vel cœlibes, adeo ut multi putarent Christi legem vetare matrimonium, et præcipere Christianis omnibus cœlibatum, ut patet ex quæstione quam Corinthii proposuerunt S. Paulo: An Christianis licitus esset usus matrimonii? 1. Corinth. 7. Atque his omnibus vexillum prætulit B. Virgo, quæ prima votum virginitatis Deo nuncupavit, ideoque mater Dei fieri meruit. Nam ut ait S. Bernard. homil. 2. super *Missus est; Deum huiusmodi decebat nativitas qua nonnisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* Itaque per adolescentulas hic omnes fideles intelliguntur, sed maxime virgines: hæ enim fragrantiam Christi præ cæteris sentientes, non alium quam ipsum diligunt; unde et sequuntur Agnum quocumque ierit, Apoc. 14. Tales fuere S. Catharina, S. Cæcilia, S. Dorothea, S. Agnes, cuius mirificum in Christum amorem graphice describit S. Ambr. ser. 9. de quibus canit Psaltes: *Adducentur regi virgines post eam*, Ps. 44.

Adolescentulæ animæ castæ.

Plurimi in primitiva Ecclesia cœlibatus.

Vers. 3. TRAHE ME, POST TE CURREMUS IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM.

Hic incipit vox Ecclesiæ.

Hucusque fuit vox Synagogæ optantis Christi osculum, id est, Incarnationem: iam incipit vox Ecclesiæ, quæ Christo iam nato illecta fragrantia suavissimorum eius charismatum, postulat post eum trahi, ut eius sanctissimam vitam, quam in terris egit, passionem et crucem imitetur. Scit enim se infirmam et impotentem ad Christi sequelam, multo magis ad osculum, nisi ad illud gratia Christi impellatur, imo trahatur, iuxta illud Christi; *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, Ioan. 6. Ita Cassiodor. Beda, Haymo et alii; præsertim quia crux Christi excelsa est, ideoque conscensu difficilis et ardua; unde ipse ait: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, Ioan. 12. 32. Trahe ergo me a vitiis ad virtutes, ab ignorantia ad fidem tuique cognitionem, a carne ad spiritum, a corpore ad fervorem, ab inchoatione ad profectum, a parvis et planis ad magna et ardua, a terrenis ad cœlestia, a timore ad amorem, a voluptate ad crucem et mortificationem. Sept. pro משכני *moschcni*, id est, *trahe me*, aliis punctis legentes משכוני *mascecuni*, vertunt: *Traxerunt me.* Porro codices Sept. hic mire variant. Nam Roman. Nysseo. Theod. et alii legunt: *Propterea adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt te*; S. Amb. l. 4. de Virginit. *Attraxerunt te.* Idem l. de iis qui myster. initiant. c. 6. primum habet: *Et attraxerunt te*, deinde, *attrahe nos post te*; Compl. *Traxerunt me*; Origen. *Attraxerunt te post se.* Verum vera lectio est; *Trahe me, post te curremus.* Sic enim habent Hebræa, Latina, Aquila, Symmachus et Chald. Omnes tamen lectiones eodem redeunt idemque significant, q. d. Tanta est fragrantia tua, o Christe, tamque suave est oleum a te effusum, ut adolescentulæ certatim te ad se trahere percupiant, ac vicissim ipsæ a se ad te trahi mecum exoptent: imo ipsæ me ad te traxerunt ut mecum tibi intime iungantur, ac post te non ambulent, sed currant; quare ego cum illis et pro illis dico, obsecroque: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ubi recte advertit Theodoretus a-

Lectiones variæ.

Paraphrasis.

dolescentulas prius tractas a Christo, Christique amore, deinde per eum satagere vicissim Christum ad se trahere, ut ardentius eum ament, et intimius eo fruantur.

Rursum Hebræa dumtaxat habent: *Trahe me, post te curremus;* Septuag. vero, et eos secutus Noster, addunt: *In odorem unguentorum tuorum;* de eo enim sermo præcessit.

Mens ad se trahens Deum, trahitur ad Deum.

Porro anima ad se trahens Deum per orationem quasi funem, non tam Deum ad se trahit, quam ipsa trahitur ad Deum; sicut qui navim per funem trahit ad rupem, videtur rupem ad se trahere, sed revera ipse non trahit rupem, sed cum navi trahitur ad rupem. Et sicut qui per funem manibus attractum conscendit in cacumen domus, non cacumen ad se detrahit, sed ipsemet ad cacumen attrahitur et ascendit. Utrumque hoc exemplum dat S. Dionysius de Divin. nomin. cap. 3.

Ad quid referatur post te?

Nota: To *post te*, primo, referri potest ad id quod præcedit, *Trahe* me; optat enim sponsa trahi ad sponsum, ut ipsum per omnia sequatur. Ita Aponius, Iustus Orgelit., Chaldæus, S. Bernard. et alii. Secundo et melius, refertur ad το *curremus*, quod sequitur, q. d. Trahe me, ut ego cum adolescentulis post te curramus: ita Hebr. Septuag. Latin. Rom. et passim veteres. Unde notat Origen. Nyssen. Anselm. et S. Basil. in Isaiæ cap. 3. v. 24. sponsam hic loqui in persona, non tam sua quam adolescentularum. Sponsa enim apprehendit dexteram sponsi, ut cum eo pari passu incedit; adolescentulæ vero velut ancillæ et pedisequæ, utrumque a tergo sequuntur; unde optant post utrumque trahi, aiuntque: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Trahe notat renitentiam cupiditatis

Nota secundo: To *trahe* me significat primo, infirmitatem sponsæ, utpote quæ sponsum sequi nequeat, nisi ab eo trahatur; secundo, eiusdem tarditatem ad sequendum sponsum, et progrediendum in via virtutis; tertio, renitentiam cupiditatis, quæ resistit charitati et sequelæ sponsi, ideoque ad eum trahi debet. Tractus enim violentiam significat; trahi enim solent nolentes et inviti, iuxta illud:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Concupiscentia enim nobis innata, resistens rationi et virtuti, facit ut efficaci gratia ad eam quasi nolentes trahi debeamus, iuxta illud Apostoli: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis,* Rom 7. 23. et v. 14. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Optat ergo sponsa trahi a gratia Christi, et per illam impedimentum sequelæ sponsi, puta resistentia concupiscentiæ tollatur, vel superetur, q. d. Vellem te sequi, o sponse, sed concupiscentia reluctante non valeo. Tolle ergo, vel supera eius luctam per tuam gratiam, quæ mihi infusa me efficaciter ad te trahat, ac post te non tantum ambulare, sed et currere faciat. Ita S. Bernard. serm. 21. *Trahe*, inquit, *me post te*, *quia satius est mihi ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quam parcens in meo me torpore male securam derelinquas. Trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem.* Prius enim timore, deinde amore immisso Deus animam ad se trahit, ut traxit S. Paulum Actor. 9. inquit Aponius. Unde Arabicus vertit: *Trahe me a post te*, hoc est, trahe me a tergo ad faciem, ut quæ fui post te, fiam ante te, tuaque societate et facie fruar.

Trahit Deus amore et timore.

Tertio, optat trahi non catenis vel flagris, uti trahuntur boves et asini; sed vi amoris, uti trahuntur homines, iuxta illud Osee 11. vers. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Unde S. Gregor. et Anselmus aiunt nos trahi per Spiritum sanctum. Audi S. August. sermon. 1. de Verbis Apostoli qui citans illud Christi, Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Non dixit*, inquit, *Duxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede et venis, ama et traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam; dulcis est, suavis est, ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic et tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari; ubi credis, ibi venis: ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando.* Idem tr. 26. in Ioannem: *Quomodo, ait, voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porro si Poetæ dicere licuit:*

Trahit sua quemque voluptas;

Virg. in. 2. Eclog.

non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur æterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum tuorum sperabunt: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, et sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, et scit quid dicam: si autem frigido loquor, nescit quid loquar.

Quarto, anima peccatrix præventa a gratia sponsi, optat extrahi ex profundo cœno peccatorum, ac trahi ad pœnitentiam et iustitiam: anima vero iam iustificata optat ab eadem trahi ad iustitiæ incrementum, ad bona opera, ad virtutes heroicas, quales sunt abdicare mundum, vacare cum Magdalena contemplationi et amori divino.

Moraliter.

Tropologice, S. Bernardus hæc verba intorquet in eos qui ambiunt dignitates: « Sponsa, inquit, nec cellam, nec cubiculum ingredi sine rege introducente præsumit: tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus. Trahe me post te, ait illa. Nunc autem trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantes quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio. »

Porro Chald. more suo hæc referens ad Iudæos, duce columna, euntes in terram promissam, sic vertit: « Quando egressi fuerunt populus domus Israel de Ægypto, maiestas dominatoris sæculi erat dux eorum in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem. Dixerunt iusti illius generationis: Dominator totius sæculi, trahe nos post te, et curremus post viam bonitatis tuæ. » Hic sensus Iudaicus est, et quasi grammaticus. Unde sensui Christiano et genuino substernitur et subservit: columna enim ignis et nubis trahens, ducensque Iudæos per desertum in Chanaan, typus fuit Spiritus sancti eiusque gratiæ, quæ Christianos per huius vitæ tentationes et remoras ducit, imo trahit in cælum.

Currere post Christum, cur?

Post te curremus.) Per cursus, id est, vitæ tuæ imitationem. *Post te curremus*, ergo idem est quod te imitabimur, mores tuos actusque agiliter, expedite et proxime sequemur. Velox est sponsus ac currit instar solis: quare qui eum sequi velit, post eum non ambulet, sed currat oportet. Audi S. Ambr. de Isaac et anima, c. 3. « Exsultat tamquam gigas ad currendum viam, et quia egressus eius a summo cælo, et occursus eius usque ad summum eius, videns se imparem tantæ velocitati, dicit: Attrahe nos. Bona anima, quæ non pro se sola, sed pro omnibus rogat. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia: sed quia cursus tuos æquare non possumus, attrahe nos, ut auxilio tuo fultæ, vestigiis tuis possimus insistere. » Unde post pauca concludit: « Vides quod libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes: sed qui vult attrahi, currat ut comprehendat, et currat superiora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens: sic enim poterit Christum comprehendere. »

Alis alacritatis.

Porro anima carni immersa, indeque gravis et torpida, ut currat in cælum, id est ad Christum, indiget alis ma

gnæ alacritatis, quas illi suggerunt divinæ consolationes. Audi S. Bern. serm. 21. « Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus a facie frigoris huius currere modo, sicut heri et nudiustertius. Curremus autem postea, cum reddideris lætitiam salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ, cum sol iustitiæ iterum incaluerit, et pertransierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad levem flatum auræ blandioris solito cœperint unguenta liquescere, et aromata fluere, et dare odorem suum. Tunc curremus, in odore illo curremus, spirantibus, inquam, unguentis curremus, quoniam abscedet torpor qui nunc est, et revertetur devotio: et iam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut sponte curremus. Nunc vero interim trahe me post te. »

Id faciebat Psaltes dicens Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Amor enim dilatans cor, dilatat et pedes gressusque, quos torpor constrinxerat. Unde idem Ps. 54. 7. *Quis,* ait, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Pluribus deinde interiectis, S. Bernardus subiungit: « Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum, qui salit in montibus, transilit colles? Velociter, ait, currit sermo eius. Non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exsultat ut gigas ad currendam viam, non potest suis viribus, et propterea rogat se trahi. Fessa sum (inquit) deficio, noli me deserere, sed trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios, ne curram quasi in incertum. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim: current et adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul: ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odorem unguentorum tuorum curremus. Habet sponsa imitatores sui, sicut et ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter, curram, sed curremus. »

Cur dicat trahe me et curremus?

Quærit deinde S. Bernard. cur sponsa in singulari dicat *trahe me,* non in plurali *trahe nos;* in cursu vero dicat in plurali *curremus,* non *curram* in singulari? ac respondet: « Trahimur, cum tentationibus et tribulationibus exarescimur; currimus, cum internis consolationibus et inspirationibus visitati, tamquam in suaveolentibus unguentis respiramus: ergo quod austerum et durum videtur, retineo mihi tamquam forti, tamquam sanæ, tamquam perfectæ, et dico singulariter: Trahe me. Quod suave et dulce, tibi tamquam infirmo communico, et dico: Curremus. Novi ego adolescentulas delicatas et teneras esse, et minus idoneas sufferre tentationes, et propterea mecum volo ut currant, sed non ut mecum trahantur. Volo habere socias consolationis, non autem et laboris. Quare? quoniam infirmæ sunt, et vereor ne deficiant, ne succumbant. Me, ait, o sponse, corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te: quoniam ego in flagella parata sum, et potens ad sustinendum. Certatim simul curremus, id est sola trahar, sed simul curremus. Curremus, sed curremus in odore unguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum. Nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam etsi quando cucurrimus, voluntarie fuimus, non fuit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. » Aliter S. Gregor. Trahe, inquit, me post te, ut te quasi Deum solum diligam, ita tamen ut simul fideles mei mecum currant ad mutuam proximorum dilectionem et opem.

Planius et plenius respondet Beda sponsam, puta Ecclesiam, de se loqui nunc in singulari, eo quod ipsa sit una per plurium fidelium aggregationem: nunc in plurali, eo quod in ea sint plures fideles, pluresque fidelium ordines et gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, pastorum, subditorum, etc. Ait ergo ipsa de se, id est de suis Prælatis et Pastoribus, qui adolescentulas dirigunt: *Trahe me,* id est, meos pastores, ut ipsi trahant adolescentulas, id est, populum sibi subditum, atque cum eis currant in odorem unguentorum tuorum. Igitur Ecclesia in Apostolis virisque Apostolicis, qui summa sunt Ecclesiæ capita, est sponsa Christi perfecta, atque cum sponso suo pari quasi passu graditur, iuxta illud: *Astitit regina a dextris tuis,* Psalm. 44. Eadem in pastoribus proxime Christum sequitur, ac post se ducit adolescentulas, puta animas infirmiores, minusque perfectas, cum eisque ait: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Simili phrasi et gradatione, Cicero lib. 2. ad Atticum epist. 23. evocans ad se Pomponium, ut illico veniat: *Si dormis,* inquit, *expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola.*

De B. Virgine visitante Elisabeth explicat Rupertus.

Porro Rupertus hæc adaptat B. Virgini visitanti Elisabeth: « Trahebatur, inquit, post Dominum fœmina desideriorum, trahebatur et currebat in odorem unguentorum ac beneficiorum talium, et ipsam currere, id est in montana cum festinatione abire, erat dicere: Trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, et trahitur, et trahi cupit. » Unguenta autem Dei interpretantur beneficia: « Pretiosum, ait, erat unguentum: magnum erat beneficium, quod Dominus dederat sterili; conceptum tanti viri, qui in spiritu et virtute Eliæ deberet præire ante Dominum, et quo maior non surrexerit inter natos mulierum. Tanti ac talis unguenti odorem perceperat: talis ac tanti beneficii famam, sive nuntium ab ipso Angelo acceperat. »

Sic B. Virgo præ omnibus attracta a Christo, tota vita post eum cucurrit, eius sanctissimos mores præ omnibus imitando, suisque actibus repræsentando, ut ipsa fuerit viva imago Christi, ac Apostolis cæterisque fidelibus purissimum speculum vitæ Christianæ et perfectæ, adeo ut nonnulli hæretici censuerint eam esse deam, ac ut deam adorarint. Imo S. Dionys. Nisi, ait, scirem unum esse Deum, hanc deam esse credidissem, ut alibi citavi.

In odorem unguentorum tuorum.) Ita legendum cum Græcis et Latinis. Mirum ergo S. Ambrosium pro *unguentorum* legere *vestimentorum,* idque referre ad resurrectionem, cuius typus et anagoge est Baptismus; sic enim ait lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 6. *Quantæ hodie renovatæ* (per Baptismum) *animæ dilexerunt te, Domine Iesu, dicentes: Attrahe nos post te, in odorem vestimentorum tuorum curremus, ut odorem resurrectionis haurirent.* Urget Origenes τὸ in *odorem,* q. d. Si sponsi odor ita allicit ad sui sequelam et cursum, quomodo alliciet eiusdem aspectus, vox, gustus et tactus, ac quomodo alliciet ipsa eius substantia? *Ego puto,* inquit, *quod si aliquando ad hoc pervenerint, iam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis eius adstrictæ adhæreant ei, ne ultra mobilitatis alicuius ullus in eis resideat locus, sed sint cum eo unus spiritus, et compleatur in eis illud quod scriptum est: Sicut tu Pater in me, et ego in te, ita et isti in nobis unum sint,* Ioan. 17. 21. O quam potens odor, quam iucundus et delectabilis cursus, quando anima percepto virtutum Christi trahentis odore, omnium aliarum rerum, etiam sui oblita, ingenti cum voluptate currit ad paupertatem, ad contemptum, ad labores, ad contumelias, ad mortem, ad crucem! Per *unguenta* accipe Christi gratias et charismata, ac miracula, ait S. Aug. 9. Confess. cap. 7. Vide S. Bernard. serm. 22. Porro hæc Christi fideles percipiunt in Baptismo, quo unguntur quasi Christiani; et in Confirmatione, qua unguntur quasi milites et athletæ Christi, sed præsertim Sacerdotes, Pastores et Prælati, qui in Sacramento Ordinis unguntur et consecrantur quasi duces et doctores fidelium, qui proinde præ cæteris post Christum currere, eiusque vitam et mores quam maxime imitari, et vivo actione exprimere debent: sic enim fragrantia virtutum suarum omnes trahent post se ad Christum; sicut columbarii columbas capiunt emittendo columbam fragranti odore delibutam, quæ cæteras hoc odore illectas ad se allicit, secumque ducit ad columbarium, ait S. Basilius ep. 475. ad Iulittam.

Unguenta, Christi gratiæ, charismata, miracula.

Anagog.

Anagogice: Ecclesia, et anima sancta contemplans Christum in cælum ascendentem, clamat: *Trahe me post te,* ut tecum e valle lacrymarum in montes æternitatis et æternæ voluptatis ascendam. Ita Cassiodor. et S. Bernar-

dus. Audi S. August. in Ps. 90. *Amemus et imitemur, curramus post unguenta eius; venit enim et oluit, et odor eius implevit totum mundum. Unde odor? de cælo; sequere ergo ad cælum, si non falsum respondes quod dicitur sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem.* Ita S. Hieronymus epist. ad Eustochium de custod. virgin. de seipso in eremo Syriæ degente scribit: *Post multas lacrymas,* inquit, *post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse Angelorum, et lætus gaudensque cantabam: Post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Et S. August. lib. 13. Confess. cap. 8. *Da,* inquit, *mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum mihi desit amoris ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia mihi male est præter te, non solum extra me, sed et in meipso, et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Huc facit illud Isaiæ cap. 40. v. ultimo: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Vidi ibi dicta.

Vers. 4. INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA: EXULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM: RECTI DILIGUNT TE.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Colloquium sponsæ et adolescentularum. Sensu grammatico, sive dramatico, sponsa cum adolescentulis sociabus currens post sponsum, ab eo introducta fuit in cellaria, sed sola, adolescentulis foris remanentibus, unde egressa, ad illas conversa narrat ubi fuerit, dicens: *Introduxit me rex in cellaria sua;* cui congratulantes et applaudentes adolescentulæ respondent: *Exultabimus et lætabimur in te;* Symmachus pro *introduxit,* vertit *introducat,* in futuro, vel potius optativo. Est enim prophetia de futura Ecclesiæ introductione per Christum nasciturum. Sic *introduxit* posset accipi pro *introducet;* quia enim sponsa dixerat sponso: *Trahe me post te,* quasi idipsum iam a dilecto suo consecuta sit: *Introduxit,* id est, cito certoque me introducet in cellaria sua intima: amantes enim sunt pleni bona spe, ut videantur sibi possidere quod sperant: amor enim dilatat cor, phantasiam et mentem. Unde illud:

Et amans sibi somnia fingit.

Sponsum, puta Christum incarnatum, nunc vocat regem: quia ipse qua homo, est Rex regum et Dominus dominantium, Apoc. 19, 16. Nunc Pastorem, quia olim reges et principes erant pastores ovium et gregum; talis enim fuit Abraham, Isaac, Iacob, Moses, David. Itaque τὸ *rex* significat cellaria hæc, in quæ inducta est sponsa, fuisse regia, opulenta, omnibusque bonis et gazis referta, ait Origenes.

CELLARIA.) Hebr. חדריך *chadarau,* significat intima sive penetralia, qualia sunt conclavia et cubicula, in quibus herus ipse secreto degit, ac suas opes et thesauros recondit. Unde Syrus vertit: *Introduxit me in thalamum;* Arabicus, *in cubiculum secretum,* proprium et peculiare. *Cella a celando.* Idem significat Græcum ταμιεῖον, ut vertunt Septuag. et Latinum *cellaria.* Cella enim vel cellarium dicitur a celando, quod in ea celentur, quæ volumus esse occulta, ait Servius. Hinc cella significat apothecam frumenti, vini, olei. Unde Donatus: *Cella,* ait, *et cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur.* Et Cicero de Senect. *Semper,* inquit, *boni assiduique domini referta est cella vinaria, olearia, mellaria et panaria.* Hinc cella significat cubiculum secretum, item partem templi secretiorem, in quam ingredi fas non erat; unde Gellius scribit Scipionem in Capitolium venisse iussisseque cellam Iovis aperiri, ibique solum demoratum fuisse. Hinc cella S. Bernardo cara et pretiosa erat velut cælum, utpote in qua liber a mundi strepitu solus cum Deo solo agebat.

Alludit ad cellaria, quæ fabricavit Salomon in templo, in quibus thesauri et opes templi recondebantur, 1. Paral. 28. 11.

Cellaria, quæ? Quæres: Quænam sunt hæc *cellaria* sponsi, in quæ ipse sponsam introduxit? Chald. accipit secretarium divinitatis divinæque sapientiæ, ex quo lex prodiit; unde sic vertit: *Et applica nos ad radices montis Sinai, et da nobis legem tuam de thesauro tuo, qui est in firmamento, et delectabimur et exultabimus.* Hoc Iudaicum est, sed Christiano sensui subservit. *Cellaria, secreta divinitatis.* *Cellaria* enim hic significant secreta divinitatis, in quibus sponsus sponsæ ostendit arcana sua mysteria, æque ac bona et dona recondita, quæ magna et multiplicia sunt. Quare innuit sponsa vota sua exaudita, quibus optarat: *Osculetur me osculo oris sui;* sponsum enim eis annuisse, ac in cellariis hisce osculum ei præbuisse. Ita S. Ambrosius, cuius verba mox recitabo. Ibi quoque gustasse ubera sponsi; nam de iis mox subdit: *Exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum.* In cellis enim sive cellariis reconduntur opes, deliciæ, monilia, thesauri et pretiosa quæque. Igitur sponsa hic significat se a sponso inductam in cellaria, id est, in conclave et intimum penetrale, ubi cum sponso familiarissime agat; secundo, se secretorum eius factam participem; tertio, se gazarum et thesaurorum eius fuisse inspectricem, eorumque factam esse consortem, ideoque mire frui voluptate summisque deliciis.

Quænam hæc cellaria in particulari? Respond. Quæres secundo: Quænam in particulari sunt hæc cellaria? Respond. esse varia et multiplicia. Primo, Theodor. S. Gregor. Iustus Orgelit. et S. Hieronym. epistol. 142. ad Damasum, per *cellaria,* accipiunt S. Scripturam, sive Mosen et Prophetas, quasi sponsa cognitionem mysteriorum in S. Scriptura absconditorum a sponso acceperit, ac præsertim cognitionem deitatis et SS. Trinitatis, sive Dei in essentia unius et in personis trini. *I. S. Scriptura.* Hanc enim accepit Ecclesia per Christum et Apostolos. Unde Christus Apoc. 5. 5. reseravit librum signatum septem sigillis, atque Apostolis dedit sensum, ut intelligerent Scripturas, Lucæ cap. 24. v. 32. et 45.

II. Mysteria incarnationis mortis et resurrectionis Christi. Secundo, S. Ambros. serm. 1. in Psal. 118. ad v. 7. et 8. per *cellaria* hæc accipit secreta sive mysteria incarnationis, passionis, crucis et resurrectionis Christi, in quæ inducta est sponsa, quando eorum cognitionem et fidem per prædicationem Apostolorum accepit: *Quando,* inquit, *introduxit eam rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturæ unguentum, resurrectionis mysterium; ut osculum quasi sponsa acceperit; in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia. Non iam quasi tantummodo desponsata, sed quasi nupta: nec solum thalamum sit ingressa; sed etiam legitimæ claves copulæ consecuta sit.* Et post pauca: *Introduxit enim eam rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claves ut aperiret sibi thesauros scientiæ Sacramentorum, clausas antea fores panderet; cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurgentis.*

Huc accedit Philo Carpath. Cellarium, inquit, sive promptuarium Christi primum est corpus illud, in quo sibi domicilium fabricavit. Verbum enim in carne quasi in cella inhabitavit, iuxta illud: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* Ioan. 1. Unde hæc Christi cellaria explicans Apostolus Coloss. 2. 2. *Instructi,* ait, *in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei et Patris Christi Iesu in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Hæc Philo.

III. Secreta Dei consilia. Tertio, alii per *cellaria* accipiunt secreta Dei consilia et iudicia, quæ Deus Sanctis revelat, inter quæ unum et præcipuum est Sanctis parari cruces et tribulationes, ut purgentur, magisque sanctificentur, ideoque beatos esse patientes, eo quod crux sit recta ad gloriam via, iuxta illud: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* Matth. 5. Ita Philo Carpath.

IV. Cælum. Quarto, alii per *cellaria* vel cellas accipiunt cælum, in quo sunt multæ cellæ et mansiones pro diversitate meritorum, Ioan. 14. quasi sponsa hic acceperit revelationem bonorum et gaudiorum cælestium, quæ Deus præparavit timentibus, et diligentibus se. Ita Cassiodorus, Aponius, Anselm. et Beda, quem audi sponsæ sensa exprimentem. « Ideo deprecor sponsum, ut nos post se currentes data manu ipse, ne deficiamus, adiuvet, quia iam dulcedinem regni cælestis prælibavi: iam gustavi et vidi, quoniam suavis est Dominus; iam bona, quæ mihi in cælis sunt præparata, ipso revelante cognovi. Moxque ad ipsam conversa, ei gratias agens; Exultabimus, inquit, et lætabimur in te; ac si diceret: Nequaquam ipsi de perceptis muneribus extollimur, sed in omni quod bene vivimus, exultamus, imo exultabimus, et lætabimur in tua misericordia.» Rursum, alii per *cellaria* accipiunt paradisum terrestrem, in quem a Deo inductus Adam omnes mundi delicias, omnem scientiam, omnem fidem et spem accepit; sed expulsus ab eo est cum posteris ob prævaricationem: quare Christus eum reduxit, ac homines primævæ iustitiæ, gratiæ et gloriæ restituit.

Paradisus terrestris.

V. Revelationes, visiones, raptus et consolationes, etc. Quinto, S. Ambrosius lib. de Isaac et anima cap. 3. per *cellaria* accipit secreta Dei, puta revelationes, visiones, consolationes, raptus, amores, gaudia cælestia, in quæ anima per contemplationem vel extasim rapitur, uti raptus fuit S. Paulus in tertium cælum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Cor. 12. Audi S. Ambros. « Beata anima, quæ Dei ingreditur penetralia; insurgens namque de corpore ab omnibus fit remotior, atque intra semetipsam divinum illud, si quo modo assequi possit, scrutatur et quærit: quod cum potuerit comprehendere ea quæ sunt intelligibilia, supergressa in illo confirmatur, atque eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum, sed sive extra corpus raptum, sive in corpore nesciebat. Et post nonnulla: Etenim perfectioni studens, solum illud bonum divinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat: quia tenet quod summum est, soloque sibi abundat, quia sola sibi est satis Nec sola aliquando est, cui præsul Dominus adest. Denique in illud divini illius introducta secretum: Exsultemus, inquit, et lætemur in te. Non enim in divitiis auri, argentique thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conviviis, sed in solo Deo exsultat.»

VI. Sacramenta, maxime Eucharistia. Sexto, apposite idem sanctus Ambrosius l. 5. de Sacrament. cap. 2. per *cellaria* accipit Sacramenta, præsertim Eucharistiam, in qua sub orbiculo panis, et specie vini, velut sub cella panaria et vinaria habitat Christus nos pascens sua carne, et potans suo sanguine: *Ubi bona libamina*, ait S. Ambros. *ubi boni odores, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulæ variæ, ubi epulis plurimis tuum prandium condiatur.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Cellaria, attributa divina. Cellaria Dei, in quæ Christus animam inducit, bonisque omnibus replet et inebriat, sunt attributa Dei, inter quæ præcipua sunt duodecim, scilicet Dei infinitas, immensitas, æternitas, omnipotentia, omniscientia, bonitas, sanctitas, amor, dominium, providentia, misericordia, iustitia, quæ erudite et pie pertractat noster Lessius lib. de Perfect. divinis. Hæc enim singula sunt infinita et quaquaversum immensa ac profunda dum in illa per meditationem, contemplationem, raptum et extasim a Christo introducitur anima, velut in abysso bonorum omnium natat, imo mergitur, totaque in amorem et admirationem divinitatis abripitur, ut aliud cogitare, narrare, amare nequeat. Ibi enim, ut inquit Psaltes, *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ps. 35. 9. Ibi Sancti exultant et lætantur in Deo, ibi lactantur ab uberibus dulcedinis divinæ. In hæc deitatis cellaria ingressus

A S. Paulus obstupescens exclamat Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!* Et S. Petrus in transfiguratione Christi, per umbram corporis gloriosi, non tam spectans quam coniectans gloriam divinitatis, gaudio quasi ebrius: *Domine,* inquit, *bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum.* Matth. 17. 4. Et S. Ioannes epist. 1. cap. 1. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, etc. annuntiamus vobis.* Hæc cellaria invenit mulier *compuncta* (Magdalena) *secus pedes* Domini Iesu, ait S. Bernard. *Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti huius gratiam sunt assecuti. Quis nostrum digne distinguere sufficiat has varietates meritorum, vel potius præmiorum? Ne omnino tamen præteriisse, quod ipsi novimus, videamur, prior mulier stravit sibi in lato humilitatis, posterior in solio spei: Thomas in solido fidei,* B *Ioannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis.*

In Dei cellaria exultat anima sancta.

In hæc omnia cellaria præ cunctis deducta fuit B. Virgo. Unde Rupertus refert hæc ad B. Virginem visitantem Elisabeth, eique dicentem: *Magnificat anima mea Dominum, etc. quia fecit mihi magna qui potens est,* Luc. 1. 47. cui responderit Elisabeth: *Exultabimus et lætabimur in te.* Nam ad vocem et salutationem Mariæ Elisabeth impleta est Spiritu sancto, et exultavit infans in utero eius. Huc facit illud: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo,* Lucæ cap. 2. v. 19.

Exsultabimus et lætabimur in te.) Sunt verba adolescentularum congaudentium sponsæ, quod in cellaria tam opima sit inducta: aut certe optantium, ut et ipsæ in illa inducantur, ideoque ad sponsum se convertant, eique dicunt: *Exsultemus et lætemur in te,* ut vertunt Septuag. Symmachus: ἱλαρυνώμεθα, id est *hilares simus, incandemur, exhilaremur in te.* Hoc posterius censent Origen. Nys- C sen. Theodoret. Bernard. et sanctus Anselmus, quem audi: *Quia tu, Domine, sponsam tuam iam in secreta tua introduxisti, ideo et nos præparabimus idoneas, ut cum ea introducamur. Exsultabimus enim, scilicet in corpore bene operantes cum exsultatione, et lætabimur in anima; quia cum lætitia bona cogitabimus: vel lætabimur, si bona fecerimus, non coacte, sed voluntarie, et hoc in te, omnia tibi attribuentes tanquam primæ causæ.*

Plane et concrete magis. Secundo, magis connexe et plane (ne sit tam subita personarum mutatio) hæc verba attribuas sponsæ, quæ egressa e cellariis narrat adolescentulis suas quas in iis delicias hausit, aitque: *Introduxit me rex in sua cellaria,* omnibus opibus et deliciis referta, quæ non mihi soli, sed et vobis, ubi in virtute adoleveritis, præparavit. Agite igitur, o sociæ, mihi æque ac vobis congratulamini, ac sponso gratias agite, mecumque iubilando dicite iugiter: O Iesu bone, *exsultabimus et lætabimur in te.* Venite ergo, exsultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, et in Psalmis iubi- D lemus ei. Exsultabimus, inquam, memores *uberum tuorum,* id est, dulcissimæ tuæ benevolentiæ et beneficentiæ, quam mihi sponsæ communicasti, et meis adolescentulis suo tempore communicabis. Ita Hortolanus.

Porro meminit uberum sponsi, ut a Christo discant Pastores et Prælati subditis se exhibere matres, eosque uberibus lactare. Audi S. Bernardum ser. 23. « Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos. Studete magis amari quam metui. Et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres, fovendo; patres, vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem. Suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? cur morsus a serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis ad quem magis eum oportuerat tamquam ad sinum

Prælati subditis sint matres.

Galat. 6. recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne et ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur, Ezech. 3. sanguinem autem eius (ait) de manu tua requiram.»

Gradus septem ad contemplationem.

Mysticus Bartholom. de Martyribus, Archiepiscopus Bracarensis, in Compendio spiritualis doctrinæ, vere divinæ, cap. 16. in fine, septem gradus assignat, quibus possimus ad hæc Christi cellaria, hoc est ad contemplationem unitivumque amorem ascendere; qui sunt: gustus, desideria, satietas, ebrietas, securitas, tranquillitas. Septimi vero nomen soli Deo innotescere dicit:
1. Gustus. primus ergo merito vocatur Gustus, quod in gustuum mutatione consistat; peccatoribus enim, qui carnales tantum norunt gustus, dicitur Psalm. 33. 9. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*; immutate gustus, nec existimetis cœlestes sapores aliunde quam a Deo provenire posse. Ideo Dominus incipientibus solet spiritus consolationes impertiri, quod sciat infirmam ac fragilem animam vix posse, nisi prævio gustu ad divina evolare. Anima in hoc primo gradu vacet compunctionibus, macerationibus, meditationibus quatuor vitæ novissimorum, ac passionis Christi, præsertim mortificationibus ac eradicationibus malorum cogitationum et consuetudinum, ut in Deum libere transire valeat, quod non sine maximo fit conatu: *Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. non autem pusillanimes et deliciosi.
2. Desideria. Secundus, quia divina, quo plus gustantur, plus appeti solent: ideo gustum consequuntur desideria magis ac magis fruendi Deo, cum externorum rerum omnium saporem cum tædio respuat. Ex his desideriis oboritur studium non solum meditandi, sed etiam Christi vitam imitandi, et ardor per illum incedendi, qui dixit, Ioan. 14. 6. *Ego sum via*. Passus autem quibus debes incedere, hi sunt: humilitas, mansuetudo, patientia, charitas, oratio, eius crux et labores.
3. Satietas. Tertius, satietas; quando anima eo pervenit, ut quæ mundana sunt, abominetur, et intime oderit; mox etiam quiescit anima, et solo divino amore satiatur; re namque ipse experitur nullibi se posse nisi in Deo plene satiari.
4. Ebrietas. Quartus ebrietas: quæ est quædam extasis, et mentalis excessus ex prædicta divini amoris satietate procedens, quæ nullarum imaginationum ac phantasmatum aqua miscetur, a quibus difficillime abstrahimur, nisi Dominus ipse manu ducat animam, atque eam in secretum suum cubiculum, id est in se, intromittat et recipiat, sensibus foras dimissis et eorum muneribus suspensis.
5. Securitas. Quintus, securitas timorem excludens: gustata enim divinæ charitatis perfectione manet anima omnino resignata in divinum beneplacitum, ita ut gehennam ferre perpetuo parata sit, si Deo sic placitum foret. Experitur insuper in seipsa quoddam strictissimum divinæ amicitiæ vinculum adeo firmum, ut separari numquam ab eo se posse existimet.
6. Tranquillitas. Sextus, tranquillitas: scilicet tanta pacis et iubilationis ubertas, ut anima quasi in silentio et somno supra pectus Domini recumbens, vivere credatur.

Variæ lectiones.

Memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.) Hebr. est נזכירה nazkira, quod primo significat, *memores erimus*; unde Syrus vertit: *Recordemur amoris tui præ vino*; Septuag. *diligemus*. Secundo, *commemorabimus*, celebrabimus; unde Vatabl. vertit; *Prædicabimus amores tuos vino præstantiores, quia familiarissime tibi æquitas adiuncta est*. Tertio, nonnulli vertunt: *Olfaciemus ubera tua* (vel amores tuos) quia, ut dixit vers. 2. *Fragrantia sunt unguentis optimis*. Alludit ad id quod dixit vers. 1. *Meliora sunt ubera tua vino*. Unde colligitur ubera hæc esse sponsi, non sponsæ, quæ sponsi dulcedinem, beneficentiam et lactationem denotant, uti ibidem dixi. Rursum, inde liquet τὸ *meliora* hic subintelligi, q. d. Memores erimus uberum tuorum, quæ meliora et suaviora sunt super vinum, id est, super omnes delicias mundique voluptates; in his enim primas tenet vinum. Porro qui ubera sponsæ, non sponsi, hic accipiunt, per *ubera* intelligunt amores, quasi adolescentulæ hic congratulentur sponsæ de coniugio et amoribus sponsi, quod scilicet ei tam fortunata sors, tam felix amor, tam nobile cum Christo coniugium, obtigerit, ut illud perpetuo memorari, commemorare et celebrare decernant. Ita Sanchez. Unde Nyssenus, et Theodoretus sic explicant, quasi adolescentulæ et Christiani quilibet dicant Ecclesiæ: Quia tu dilexisti ubera Christi super vinum voluptatis et sapientiæ mundanæ, hinc nos pariter diligemus ubera, et doctrinam tuam, tamque secure sugemus; quia rectitudo, hoc est Christus, dilexit te: hoc sensu Nyssenus id aptat S. Ioanni, qui super pectus Christi in cœna recubuit.

Sponsa sponsum alloquitur.

Recti diligunt te.) Hebr. מישרים mesciarim, id est, rectitudines, æquitates. Unde Septuag. vertunt: *Æquitas dilexit te*; Arabicus: *Rectitudo dilexit te*: Syrus vero: *Præ rectis dilexi te*. Sunt verba sponsæ ad sponsum, ut dixi, q. d. Exsultabimus in te, o Christe, memores uberum, id est, amorum et dulcorum tuorum, qui suaviores sunt vino, id est, quibuslibet corporis deliciis; quia amor tuus non est carnalis et impurus, sed spiritualis, purissimus et sanctissimus. Nam *rectitudines dilexerunt te*, id est, te omnes rectitudines, id est, omnes virtutes et gratiæ complexæ sunt, ut filius virtutum et gratiarum esse videaris; ac revera talis es, quia es Filius Dei, quem omnes divinæ dotes, omnia decora, omnia charismata ambiunt, ornant et coronant. Ita Origen. Secundo, alii *mesciarim* vertunt in ablativo, *in rectitudinibus*, q. d. Virgines diligunt te rectitudinibus, hoc est amore omni ex parte recto, id est, casto et puro; quia in tui amore summa inest rectitudo, summa æquitas, summa honestas, summum decus. Tertio, R. Abraham *mesciarim*, id est rectitudines refert ad vinum, q. d. Memores erimus uberum, id est amorum tuorum, quæ meliora sunt super vinum rectitudinum, id est super vinum sincerum, purum et præstantissimum. Verum hoc obscurum, frigidum et contortum videtur.

Abstractum hic pro concreto.

Denique Noster optime *mesciarim* vertit *recti*, sive quia *mesciarim* tam rectos, quam rectitudines significat; sive quia metonymice abstractum ponitur pro concreto, puta rectitudines pro rectis. Sensus est, q. d. Iugiter exsultabimus, et iubilabimus, et lætabimur in te, o bone Iesu, sponse animæ nostræ; quia recordabimur ubera tuæ dulcedinis et misericordiæ meliora esse vino, id est, deliciis omnibus totius mundi; hinc enim recti, qui scilicet gustum mentis habent rectum et sincerum, non morbo concupiscentiæ depravatum, qui scilicet omnia metiuntur recta ratione, non prava cupiditate, diligunt te; quia *ubera*, id est, dulcedines tuæ sunt rectissimæ, id est iustissimæ, æquissimæ, planeque rationi, legi, virtuti ac Deo conformes. Hinc Symmachus vertit: *Recti sunt, qui diligunt te*; quia a recta ratione, lege et virtute ducuntur.

Ad rectitudinem duo requiruntur.

Porro rectitudo duo requirit: Primo, ut vita et actio in se sit recta: id est, honesta et iusta; secundo, ut recta intentione fiat. Hinc S. Thomas interpretatur, q. d. *Recti*, id est, qui rectam habent intentionem, qui scilicet uni Deo placere student, eumque sibi vitæ et operationum omnium finem præstituunt; hi, inquam, diligunt te. Censet Origenes hic tacite a sponsa perstringi adolescentulas, q. d. Qui plane in animo et amore sunt recti, ut rectos habeant omnes suos affectus, hi plene diligunt Christum; at adolescentulæ meæ, quia adhuc non plane rectos effecere suos affectus, sed adhuc vinum voluptatum diligunt, ac vitiosæ quid concupiscentiæ in eis residet; hinc non plene diligunt Christum; sed adolescent ac sensim depurabunt suos amores, ut omnino recti evadant, tuncque erunt sponsæ Christi, eumque toto corde totisque animæ viribus diligent. Hinc collige: si vis amare Christum, rectifica tuam mentem, ac tuos amores et mores. Nulli enim nisi recti diligunt Christum. Ita S. Ambr. in Psal. 118. serm. 2. ad v. 1. *Æquitas*, ait, *dilexit te, hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, solus ad te potest iustitiæ trames pervenire. Qui enim diligit iustitiam, non se avertit a Christo*. Rursum hinc collige rectitudinem vitæ et morum esse charitatem et amorem Christi. Hic enim amor rectissimus est, et omnia torta rectificat; quare quod huic amori conforme est, id rectum est; quod difforme, id curvum et tortum. Ita Cassiodor. Iustus Orgelit. Beda et alii. Charitas

Charitas est rectitudo amoris.

ergo est rectitudo animæ omniumque eius virium et potentiarum. Porro huius rectitudinis animam admonet corpus rectum et a Deo rectissimo datum præ cæteris animalibus. Audi S. Bernardum serm. 24. *Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cælos libere suspicere, cælorumque luminaribus oblectare aspectus; spiritualem vero cælestemque creaturam suos e contrario oculos, id est internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum, et quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tamquam unam de suibus, amplexarique stercora. Erubesce, anima mea, divinam in pecorinam commutasse similitudinem; erubesce volutari in cæno, quæ de cælo es. Erubesce, anima, nil corpus, in mei consideratione. Creata similis creanti recta, me quoque accepisti, adiutorium simile tibi, utique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis.*

Moraliter.

Tropologice: Prælatus probus, ait S. Bernard. est vir Apostolicus, qui uberibus doctrinæ suæ alios lactat, sæpe patitur ab impiis et pravis persecutiones et calumnias; sed solatur se, quod recti diligunt eum, ac imprimis Deus, qui est rectorum rectissimus, iuxta illud: *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo,* Psal. 91. 16. quare eo fretus, et testimonio conscientiæ lætus, impiorum iudicia despiciat, dicatque cum Psalte: *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lætentur,* Ps. 33. 3. Rursum S. Greg. hæc accipit de commemoratione passionis Christi, quæ inflammat in nobis Christi dilectionem: *Sancta anima,* inquit, *sponsa Christi in sponsi sui deliciis exsultat, dum corporalia respuit, et in spiritualibus se occultat; eumdemque sponsum delicias suas facit, in cuius respectu mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria uberum agit; quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, et quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris eiusdem sanguinis lacte nutrit, procul dubio magis ac magis in eius dilectionem intendit. Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur; quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis litteram severe prius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur: Recti diligunt te: Soli utique recti Christum diligunt; quia quicumque adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum iustitiæ auctorem Christum omnino diligere non possunt.* Denique Chald. vertit: *Et delectabimur, et exsultabimus, et recordabimur eorum, et diligemus deitatem tuam, et recedemus ab idolis populorum; et omnes iusti, qui faciunt quod rectum est coram te, timebunt te, et diligent præcepta tua.*

Vers. 5. NIGRA SUM, SED FORMOSA, FILIÆ IERUSALEM, SICUT TABERNACULA CEDAR, SICUT PELLES SALOMONIS.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

NIGRA SUM, SED FORMOSA (Hebr. שחורה *scechora,* id est, subnigra et *fusca* sum, uti legit S. Ambros. in Apol. David, scilicet cute manuum et faciei, uti solent quæ in agris oves pascunt: sed facie liberali, et lineamentis decoris, ac totius membris corporis formosa sum et venusta) FILIÆ IERUSALEM, SICUT TABERNACULA (Arabicus, *sicut habitationes*) CEDAR, SICUT PELLES (Aquila et Symmachus, *tentoria,* quæ fiunt a pellibus) SALOMONIS.) Hæc

Cedar, quid?

posterior similitudo priori nectenda est respective et distincte, hoc modo: *Nigra sum sicut tabernacula Cedar,* id est Arabum (*Cedar* enim fuit filius Ismaelis, et pater Arabum, sive Nomadum in solitudine Saracenorum habitantium in tentoriis) *sed formosa sicut pelles Salomonis.* Ita Origen. Theodor. Cassiodor. S. Greg. Rupert. S. Bernard. S. Anselm. et alii: licet Nyssenus et Aponius utramque similitudinem, scilicet tabernaculorum Cedar et pellium Salomonis, referant tam ad nigredinem, quam ad formositatem sponsæ.

Obiectionem præoccupat sponsa.

Est occupatio; dicet enim quis: Quomodo tu, o sponsa pastoritia et rusticana, quæ instar Cedarenorum in tabernaculis perpetuo degis, ut pascas greges, ibique æstu solis adureris et denigraris, audes ambire nuptias Regis, ac dicere: *Osculetur me osculo oris sui?* Occurrit et respondet: Esto exterius nigra sim, ut Cedarenæ pelles et tabernacula; tamen interius pulchra sum ut pelles et pellita tabernacula Salomonis, qui uti in omni re, ita et tentoriis suis (quibus utebatur, dum iter faceret) cultissimus et pretiosissimus erat: unde ea auro et gemmis, picturis pretiosis ornabat. Sic Plinius de Nerone: *Cui,* inquit, *erant sigillata tentoria et aurati papiliones.*

Connexio cum præcedentibus.

Rursum cohærent hæc cum proxime præcedentibus, q. d. *Recte diligunt te,* o sponse Christe, æque ac me, quæ tibi sum sponsa: ut vero pravi multi oderunt et persequuntur, tam me quam te. Nigra ergo sum per ærumnarum caliginem et persecutionum afflictionem, sed formosa per patientiam, constantiam et victoriam, qua persecutores superavi, imo domui, converti, mihique et tibi subieci. Tribulationum ergo nigredo me non turpavit, sed honestavit et illustravit.

Allusio ad uxorem Mosis Æthiopissam.

Alludit ad Æthiopissam uxorem Mosis, ob quam contra Mosen murmurans soror eius Maria, a Deo lepra percussa est, Num. 12. hæc enim typus fuit Ecclesiæ ex Gentibus infidelitate atris a Christo collectæ; ob quam murmurantes Iudæi, a Deo reprobati sunt. Ita Origen.

Porro Orientales et meridionales multi sunt fusci, ut Mauritani, Ægyptii, viciniique Iudæi, Arabes et Æthiopes, qualis erat Andromede, Cephei ipsorum regis filia; de qua Ovidius:

Placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriæ fusca colore suæ.

Fusci apud Æthiopes pulchri, alibi vero deformes.

Hinc apud eos fusci habentur pulchri, alibi vero deformes. Unde Æthiopes Iudam et dæmones pingunt albos, S. Petrum vero et angelos pingunt nigros. Adde fuscum mixtum et medium esse colorem inter album et nigrum; ideoque suam habere elegantiam. Hinc aurora hebr. dicitur שחר *sciachar,* id est subnigra; quia ipsa est confinium noctis et diei, sive tenebrarum et lucis; eadem tamen est pulchra, ob radios solis pulchre inter tenebras splendentes et radiantes. Unde eidem comparatur sponsa c. 6. v. 9. *Quæ est ista,* inquit, *quæ progreditur quasi aurora consurgens: pulchra ut luna, electa ut sol?*

Filias Ierusalem angelos quidam interpretantur: alii Iudæos.

Per *filias Ierusalem* nonnulli cum Aponio Angelos accipiunt, qui cives sunt cælestis Ierusalem, q. d. Nolite, o Angeli, mirari quod non tota candida sim, uti vos estis, sed nigra; quia licet nigra, formosa tamen sum, ut vos. Secundo, alii accipiunt Iudæos qui persecuti sunt Christum et Christianos, præsertim Gentiles, quod fuissent nigri per infidelitatem. Ita Theodoret. et S. Athanas. in Synopsi.

Alii Adolescentulas animas.

Tertio et planius, accipias adolescentulas, id est, animas in fide Christi novellas; hæ enim vocantur *filiæ Ierusalem* allusione ad sponsam, quæ erat uxor Salomonis, qui erat rex Ierusalem.

Ecclesia nigra et formosa. 1.

Quæres, quomodo Ecclesia nigra sit simul et formosa? Nyssenus, S. Gregorius, Philo Carpath. S. Hieronym. in c. 2. Sophon. S. Chrysost. hom. 4. de virtute, et alii passim censent Ecclesiam Gentium dici nigram ob præcedentem idololatriam et scelera, quibus in gentilismo servivit peccato et diabolo; formosam vero, per conversionem et gratiam Christi, qua nigredinem scelerum in baptismo abluit, seque in sanguine Agni dealbavit. Unde S. Ambros. ser. 2. in Psalm. 118. *Fusca,* inquit, *per culpam, decora per gratiam. Fusca per vitium, decora per lavacrum. Fusca sum, quia peccavi; decora, quia iam me diligit Christus.* Idem libro de iis qui myster. initiant. cap. 7. *Nigra,* inquit, *quia ex peccatoribus; decora, fidei sacramento.* Audi S. Bernard. serm. 25. *Sed audiamus unde nigram, et unde formosam se dixerit: An nigram quidem ob tetram conversationem, quam prius habuit sub principe huius mundi, imaginem terrestris hominis adhuc portans; formosam vero de cælesti similitudine, quam postea commu-*

tavit ambulans iam in novitate vitæ? sed si hoc est, cur non est magis de præterito. Nigra fui, et non nigra sum, dicit; si cui tamen placet hic sensus, id quod sequitur: Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis: sic oporteret intelligi, ut de veteri quidem conversatione, Cedar; de nova vero, Salomonis se dixerit tabernaculum. Hoc enim esse pelles. quod tabernaculum Propheta ostendit, dicens: Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ. Sensus ergo est, q. d. Ait Origen. et Nyssenus: Ego Ecclesia Gentium, olim infidelitate fui nigra, ac proinde fui tabernaculum Cedar, id est obscuritatis, in quo habitavit princeps tenebrarum diabolus; nunc autem per baptismum abluta, et per gratiam Christi sanctificata, facta sum formosa sicut pelles, id est tabernaculum Salomonis, quia effecta sum templum Christi, qui verus est et Salomon, et rex pacificus.

Huc accedit Chaldæus, qui more suo hæc refert ad Iudæos vitulum aureum adorantes: « Quando, inquit, fecerunt domus Israel vitulum, denigratæ sunt facies eorum, sicut filiorum Æthiopiæ, qui morantur in tabernaculis Cedar: et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor vultus eorum, sicut vultus Angelorum, eo quod fecerunt cortinas tabernaculi, et resedit in medio eorum maiestas Domini. Moses autem magister eorum ascendit ad æthera. » Simili enim modo Ecclesia transiit a tabernaculis Cedar ad pelles, id est, ad tabernacula Salomonis; cum de errore ad veram fidem, de mendacii caligine ad lucem veritatis, de sanguinolenta iracundia ad pacis tranquillitatem, de propugnatione idolorum ad propugnationem veræ religionis Dei transmigravit, ait Aponius.

II. Secundo, Ecclesia dicitur nigra et formosa, quæ constat ex peccatoribus et iustis; ita Beda et S. August. l. 3. de Doctrina Christiana c. 32. Aut quia constat Gentilibus olim in gentilismo incircumcisis, fœdis et atris; ac Iudæis qui ab olim fuere circumcisi, fideles et populus Dei. Ita Theod. et Philo Carpath.

III. Tertio, S. August. ser. 201. de tempore, ait Ecclesiam et animam fidelem nigram esse per naturam peccato corruptam, id est per concupiscentiam; formosam vero per gratiam. *Unde*, inquit, *est Ecclesia nigra et formosa? Nigra per naturam. formosa per gratiam. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor*, Ps. 50. *Unde nigra? Apostolus dicit: Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati*, Rom. 7. 23. *Unde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, vers. 24. *Vere Ecclesia Gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat.* Et S. Ambros. lib. de iis qui mysteriis initiant. cap. 7. *Nigra est*, inquit, *per fragilitatem conditionis humanæ, decora per gratiam.* Et Aponius: *Ex captiva*, ait, *libera, ex peregrina civis, ex vilissima, regina et sponsa Creatoris, Verbi Dei Christi benignitate effecta.*

IV. Quarto, et valde apposite, nigra est Ecclesia per persecutionum et passionum turbines, formosa per invictam animi patientiam et constantiam. Hunc sensum exigit id quod sequitur: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Nigra ergo est propter ærumnas; formosa, primo, propter decus fortitudinis et humilitatis, aliarumque virtutum, quas patiendo et pugnando conquirit et adauget; secundo, propter coronas pulcherrimas, quas in cœlis sibi meretur; tertio, propter multiplices Sanctorum ordines quibus decoratur, ait Aponius. Et S. Ambros. de Spiritu sancto c. 11. *Nigra*, inquit, *est exercitii sui pulvere, dum prœliatur; decora, dum victoriæ suæ insignibus coronatur.* Et in Psal. 118. serm. 18. *Præmisit*, inquit, *nigram ut augeret decoram.* Sic et Cassiod. Cedar, ait, id est Saraceni, Arabes, hostes Israelis, denotant persecutores Ecclesiæ, qui illam denigrare satagunt; sed illa formosa est, quia ipsa est tabernaculum (quod fit ex pellibus) Salomonis, hoc est Christi, ideoque digna eius visitatione et consolatione; præsertim quia illa assidue studet mortificationi, cuius symbolum sunt pelles, quæ animalium mortuorum sunt exuviæ. Sic et Beda, qui et addit Ecclesiam assimilari Cedar filio Ismaelis, de quo dictum est: *Manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum*, Genes. 16. 12. Simili enim modo Christus prædixit Apostolis et Ecclesiæ: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*, Matth. 10. 22. Exemplum dat Iustus Orgel. S. Paulum: Considera, ait, nigram et formosam in Paulo: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur; deiicimur, sed non perimus*, 2. Corinth. 4. 8. Tabernacula Cedar sunt, cum ait: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema*, 1. Cor. 4. 13. Pelles vero Salomonis, cum ait: *Semper mortificationem Iesu in carne nostra circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali*, 2. Cor. 4. 10. Hæc Iustus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Primo, anima peccatrix et pœnitens nigra est per culpam, sed formosa per pœnitentiam; nigra per torporem, formosa per fervorem. *Speciem enim ei largitur conversio*, inquit Origenes, *cum ab humilibus incipit ad alta conscendere, diciturque de ea: Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Huc accedit Nyssen. docens animam peccato denigratam fieri formosam, quia Christus dilexit illam, iuxta id quod præcessit: *Rectitudo dilexit te.* Audi Nyssen. *Nolite mirari* (o adolescentulæ) *quod me dilexerit rectitudo, sed quod cum nigra essem peccato, et per opera affinis essem et coniuncta tenebris, me pulchram fecit per dilectionem, sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine; in se enim translatis sordibus meorum peccatorum, mihi suam impertiit puritatem.* I. Anima nigra per culpam, formosa per pœnitentiam.

Affert simile noctis et auroræ: nox enim omnia facit tenebrosa et nigra; at aurora, fugatis atris tenebris, candidam pulchramque rebus omnibus lucem inducit. Idem facit Christus, cum animam errore et peccatis tenebrosam, lucida sua gratia speciosam efficit. S. Gregorius vero refert hæc ad animam sanctam, sed cum Magdalena pœnitentem, quæ præteritorum peccatorum memor, vocat se nigram, sed formosam per præsentem Christi gratiam et iustitiam: « Nigram quippe, inquit, et formosam sancta anima se bene dicit, quia semper et turpitudinem peccatorum suorum perspicit, et tamen illius iustitiæ, quam in intimis videt, in exterioribus actibus secum solerter formam gerit. Quæ bene sicut tabernacula Cedar nigra, et sicut pelles Salomonis formosa dicitur; quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis sordidatur. Cedar enim tenebræ interpretatur: Salomon vero, qui Christum significat, Pacificus dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit: quia dum Sanctos quosque, qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudine per similitudines se iungit. » Quare pœnitens, qui futura peccata præcavere, seque in gratia Dei stabilire satagit, iugiter cum S. Magdalena peccata quæ commisit in mente verset, lugeat et defleat; hæc enim humilitas, contritio et compunctio, gratiam Dei conciliabit, quæ ei donum perseverantiæ præstet. Simile noctis nigræ et auroræ formosæ.

Secundo, anima iusta nigra est forinsecus ob defectus et culpas veniales, in quas sæpe incidit; formosa vero intrinsecus per gratiam, charitatem, cæterasque virtutes. Rursum nigra est ob pericula peccandi mortaliter, damnationis et gehennæ; hæc enim pericula suggerunt ei quotidianæ tentationes diaboli, mundi et carnis, ob quæ in humilitate cum timore et tremore salutem suam opera- II. Anima iusta nigra per defectus, formosa per humilitatem.

tur, ideoque formosa est; formosam enim eam facit humilitas et timor sanctus, qui proinde eam confirmat, ut tentationibus generose resistat, itaque victoriam et salutem ei quasi asserurat, uti docet S. Bernardus.

III. *Nigra per luctam, formosa per victoriam.* Tertio, hæc accipias de anima cum concupiscentiis et passionibus luctante, q. d. Nigra sum per fœdos iræ, gulæ, libidinis, omnisque concupiscentiæ motus, sed formosa, quia cum iis assidue fortiter confligo et vinco, itaque per bellum veram pacem, per gratiam Salomonis, id est Christi Regis pacifici, consequor, in qua pace sita est animæ harmonia et pulchritudo. Ita S. Ambrosius de iis qui mysteriis initiant. cap. 7. Idem Exhort. ad Virgin. hæc cuilibet virgini adaptans: Nigra, inquit, per carnem, decora per virginitatem, sicut pelles, id est, tabernacula Salomonis a pellibus confecta, sed auro et gemmis intexta, ac opera Phrygio et Babylonico elaborata.

IV. *Nigra per ærumnas, formosa per patientiam.* Quarto, hæc accipias de anima sancta, quæ æmulorum obloquia, persecutiones, cæterasque ærumnas huius vitæ sustinet; hæc enim nigra est per ærumnas, sed formosa per patientiam; quare nigredo ærumnarum patientiæ eius formositatem adauget. *Felix nigredo*, ait S. Bernard. serm. 25. *quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem.* Et inferius citat exemplum Pauli, 2. Cor. 12. *Libenter*, ait, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed et destitui ac deficere penitus a memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Denique ait: Quando infirmor, tunc fortis sum et potens. Quod cum ita sit, pulchre sponsa convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modo formosam, sed et nigram esse se glorians. Non enim erubescit, nigredinem, quam novit præcessisse, et in sponso, cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exsultationis et salutis: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi. Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed forma et similitudo Domini.*

Porro Theodor. per pelles Salomonis, accipit pelles pretiosas, quibus vestiebatur Salomon, q. d. Ego sum sponsa veri Salomonis, id est Christi, ideoque sum formosa, quia eo eiusque vestibus vestita incedo. Denique audi pelles Sanctorum describentem Paulum Hebr. 11. 37. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B. Virgo quomodo nigra et formosa. I. Primo, B. Virgo nigra fuit non in se, sed in patre suo Adam, qui peccavit, et peccato totam suam posteritatem (excepta B. Virgine) infecit. Est ergo ipsa nigra per denominationem extrinsecam, quia filia peccatoris: in se tamen est formosa per gratiæ plenitudinem. Unde S. Ambros. serm. 2. in Ps. 118. Caro, inquit, peccatrix quam relegavit in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria primævam suam puritatem et decorem.

II. Secundo, Rupertus: B. Virgo, inquit, nigra visa est cum a Ioseph inventa est gravida, qui proinde voluit occulte eam dimittere: sed formosa fuit in veritate, quia concepit obumbrante Spiritu sancto. Rursum, nigra fuit per humilitatem, qua se exterius gessit sicut cæteræ matres, quæ ex viro concipientes et parientes sordidantur, ideoque die quadragesimo purificantur. Sic enim et B. Virgo purificata fuit; sed interius fuit formosissima et pulcherrima, adeoque humilitas hæc tanta novum ei decus novamque pulchritudinem conciliavit.

III. Tertio, eadem Iudæis cæterisque infidelibus vilis et despecta fuit, uti tabernacula Cedar; sed fidelibus imo Angelis et Deo, formosa sicut pelles, id est, tabernaculum (tabernaculum enim Mosis foris operiebatur pellibus, intus vero auro, argento, etc.) et templum Salomonis, quia ipsa fuit templum, imo cælum non manu factum, quod sibi Sapientia Dei, puta Christus, ædificavit, Prov. 9. 1. Ita Hailgrinus, quem audi: « Nigra sum in apparentia, et despecta tamquam mater leprosi, sed formosa in veritatis existentia, et tamquam veri Dei genitrix gloriosa. Nigra sum tamquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis iustitiæ, sed sicut cæteræ matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris et tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata sum, quod interpretatur, tenebræ vel mœror. Verumtamen ego formosa sum sicut pelles dedicatæ vero Salomoni Christo, vero pacifico. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt: sic ego intra mea viscera veram arcam continui, Christum videlicet, cuius caro significatur per arcam, cuius anima designatur per urnam auream, quæ erat in arca, et deitas designatur in manna; et sicut pelles protegebant totum tabernaculum; sic sub umbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam. Ego quidem similis pelli rubricatæ, quia per compassionem doloris tincta sum in passione filii. Similis quoque pelli hyacinthinæ, contemplatione cælestium et amore. »

IV. *B. Virgo nigra et formosa in passione filii.* Quarto, optime Guilielmus parvus et Hailgrinus referunt ad tempus passionis, quando morienti Filio astitit mater dolorosa, et obnubilato sole obnubilatus fuit splendor et decor, quem hæc luna pulchrior de sole suo hauriebat. Censent enim a Spiritu sancto hic exhiberi nobis personam Virginis matris, quasi in veste pulla contemplantem acerbissimos filii cruciatus, q. d. Sicut filius non misere, sed misericorditer moriens, hunc indignum et indecorum sibi luctum dedignabatur impendi; sic et mater felicissima pro affectu commoriens filio, et quodammodo in ipso moriens, quia os ex ossibus eius, et caro ex carne eius ipse: Quid, ait, fletis super me, quasi supra miseram mulierem, et matrem miseri hominis? Nigra nunc sum, quia oportet me cum filio despecto despici, et cum reputato leproso leprosam reputari. Ille iuxta Prophetam sol meus, nunc factus quasi saccus cilicinus in oculis vestris, et cui non est species neque decor; me quoque decet illi conformari, et pullo atroque habitu reorum assimilari; sicut tabernacula Cedar, quasi aliqua de peccatricibus, inquit Honorius.

Anagogice. Anagogice: Anima nigra est, dum in hoc corpore misero velut in vili et atro tabernaculo Cedar degit: sed erit formosa, dum ad pelles Salomonis, id est ad cælum emigrabit: Deus enim *extendit cælos sicut pellem*, Ps. 103. 2. Sicut enim pelles cælaturis, sic cæli stellis et Angelis distinguuntur, ita S. Bern. Quare anima, iugiter aspirans ad beatam vitam, formosa est, quia similis cælo, ait Orig. Audi S. Bern. serm. 27. « Nec immerito inde sumit similitudinem, unde sumpsit originem. At qua ratione huiuscemodi cælis suam comparat formam? quia unum Deum adorat et colit, sicut, et Angeli: Christum super omnia amat, quomodo Angeli: casta est quomodo Angeli, idque in carne peccati, et fragili corpore quod non Angeli; quærit postremo et sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod evidentius cælestis insigne originis, quam ingenitam, et in regione dissimilitudinis retinere similitudinem? gloriam vitæ cælestis in terra et ab exsule usurpari? in corpore denique pene bestiali vivere angelum? cælestis sunt ista potentiæ, non terrenæ. »

Symbolice: Ecclesia et anima fidelis, *nigra* est per labores, distractiones et immunditias vitæ activæ, qualem agebant et agunt Cedareni, id est Arabes, qui proinde nusquam quiescunt, nec sedem fixam habent; sed perpetuo in tabernaculis mobilibus, quæ æstu, imbre, pulvere sordidata nigrescunt, habitant, ac de regione in regionem vagantur, uti faciunt Nomades. Eadem *formosa*, et ut S. Ambros. legit in apolog. David, *decora* est per speciem et quietem vitæ contemplativæ, quam repræsentant

pelles, id est tabernaculum Salomonis, hoc est, Regis pacifici.

Denique Ecclesia et anima fidelis militans nigra est sicut tabernaculis castrensia Cedar, per luctas et vulnera, quæ dat vel accipit, dum assidue cum hostibus confligit. Eadem vero triumphans formosa est, hebr. נָאוָה *nava*, id est expetibilis, amabilis, sicut pelles Salomonis; quia æterna pace, honore, gloria, omnique bono perfruitur. Unde ad illam aspirans Psaltes ingemiscit: *Hei mihi*, inquit, *quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea*, Ps. 119. Dicit ergo Ecclesia filiabus Ierusalem, id est animabus et Angelis in cælo triumphantibus: Videte ne me militantem et pulvere denigratam contemnatis: quia per has luctas generose certando, ad vestros tandem triumphos.

Moraliter. Tropologice: Fideles et sancti exterius apparent abiecti, viles, luridi, atri: sed interius sunt virtutibus et sapientia speciosi. *Sæpe*, inquit ille, *sub vili palliolo latet Philosophus*. Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus cap. 11. 2. *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo*; probat exemplo: *Brevis* (μικρά, id est parva) *in volatilibus est apis, et initium* (græce ἀρχήν, id est *principatum*) *dulcoris habet fructus illius*, puta mel, quod apis conficit. Vide ibi dicta.

Vers. 6. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.

Pro *decoloravit* hebr. est שֶׁשְּׁזָפַתְנִי *scescezaphatni*, quæ vox hic tantum reperitur et Iob. 20. 9. ubi Noster vertit: *vidit*; Septuag. *aspexit*; alii: *intuitus est*. Varii ergo hic varie vertunt. Septuag. *Nolite aspicere quod ego sim nigra*, quia παρέβλεψε, *despexit*, hoc est, oblique aspexit, *me sol*, Symmach. παρακέβλεψε, id est, *torve aspexit*; Theodotion: *Torrefecit me sol*; Aquila: *Combussit me sol*; S. Hieronym. *Quia despexit me sol*, sive, ut melius in Hebræo continetur: *Decoloravit me sol*; S. Ambros. vero l. de Isaac cap. 4. *Quoniam non est intuitus me sol*; παραβλέπω enim significat obliquare oculos: quod sæpe fit, cum homines dissimulant se videre quod vident, et non recta facie, sed transversa intuentur, quod perinde est ac non intueri, item limis torvisque oculis aspicere, inquit Budæus. Vatabl. *Eo quod sol me radiis feriendo intuitus est*; Symmach. *attigit*; Philo Carpathius pro παρέβλεψε, id est *despexit*, legit: περιέβλεψε, id est *circumspexit*, q. d. Nolite considerare me, quod olim in gentilismo fuerim fusca per infidelitatem, quia iam circumspexit me sol iustitiæ, qui sua fide et gratia me circumquaque illuminavit.

(Variæ versiones.)

PRIMUS SENSUS

TOTALIS

De Christo et Ecclesia.

Possunt hæc quadrupliciter exponi, iuxta quatuor sensus versu præcedenti assignatos. Unde per solem accipi potest æstus, primo, peccatorum mortalium; secundo, venialium; tertio, concupiscentiarum; quarto, persecutionum et tribulationum.

I. Sensus. Primo ergo aliqui sic exponunt, q. d. Nolite me mirari meque despicere, quod fusca sim, non per naturam, sed per præterita idololatriæ, libidinis, gulæ, superbiæ, etc. scelera, quia sol, id est æstus tentationum me fœdavit et denigravit, sed has maculas elui Baptismo et Pœnitentia. Ita Nyssen. Apon. et alii. Aponius tamen per solem accipit diabolum, qui fere est incentor omnis tentationis qua decoloramur.

Unde Chaldæus more suo hæc tribuens Iudæis sic vertit: *Dicit cœtus Israel coram populis: Nolite me despicere, eo quod nigrior vobis sum, et quia feci iuxta opera vestra, et adoravi solem et lunam*. Sic et Theodot. Denigrata, inquit, sum, dum creaturas adoro præterito Creatore, et solem hunc visibilem colo præ sole iustitiæ, sed brevi candidabor per Christi gratiam, tuncque exclamabitis: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Cantic. 8. 5.

Porro S. Ambros. in Psal. 118. ser. 2. legens: *Non est intuitus me sol*, puta sol iustitiæ, id est Christus, hunc versum accipit de Synagoga relicta, et ad tempus reiecta a Christo, cum scilicet Evangelium a Iudæis incredulis transtulit ad Gentes. Dicit ergo Synagoga Iudæorum, ait S. Ambr. « Nolite refugere me, quia fusca sum; ideo fusca sum, quia sol me reliquit iustitiæ, qui ante illuminare consueverat; amisi colorem vultus mei, obtusa facta est acies oculorum meorum, quibus ante solem videbam. In tenebris ambulo, quia diem Christi nescio. Nolite tamen despicere me, quoniam, qui reliquit, potest rursum aspicere, misereri iterum. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos. » Et post pauca: « Non est intuitus me sol, et ideo offuscata sum. Sed lucet sol super iustos et iniustos, super iustos pro gratia, super iniustos pro misericordia: illis mercedem meritorum tribuens, istis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat ante, nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebatur mihi: qui illis remisit, remittet et mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuscata sum, quod penitus reliquerit me sol, et iam non intueatur, nec raviat nigram. Dissimulavit a me, quia non servavi mandata eius; reconciliabitur, cum viderit meorum pœnitentiam delictorum. Non vidit me sol, quia non recepi advenientem, non aperui fenestras, ut lumen vitæ intraret. Cum aperuero, illuminabit oculos meos, qui venit ut totum mundum illuminaret et videant etiam non videntes. »

Idem serm. 12. in Ps. 118. idipsum attribuit Ecclesiæ Gentium, quasi ipsa Synagogæ sibi obiicienti gentilismum humiliter respondeat, confitendo priorem suam idololatriæ nigredinem, eo quod sol fidei Christi eam, utpote aspectu eius indignam, non respexerit, q. d. Quia ego ad Christum credendo non aspexi, hinc nec ille gratia sua me respexit, sed præteriit et despexit, inquit Origenes hom. 2. ex quatuor.

Rursum, Origen. homil. 3. παρέβλεψε vertit: *Oblique aspexit*, q. d. Fusca fui, quia oblique et distorte me aspexit sol iustitiæ Christus, eo quod ego prior ipsum oblique et perverse aspexerim: omnis enim obliquitatis et perversitatis causa et origo est a nobis, iuxta illud Levit. 26. 23. iuxta Septuag. *Si incesseritis mecum obliqui, et ego ambulabo in furore meo vobiscum obliquus*. Hæc Origenes.

Secundo. Ecclesia et anima iusta dicit de se: Nolite mirari quod fusca sim per defectus et culpas veniales: hi enim non denigrant, sed offuscant animæ nitorem, quia decoloravit me sol, id est, æstus tentationis. II.

Tertio, q. d. Nolite mirari quod fusca sim per varias passionum fuligines et caligines, quia hasce iugiter exhalat innata mihi concupiscentia, quæ me decolorat. Unde S. Hieron. in cap. 3. Amos notat, quod, sicut corpora otiosa et inertia sole feriente, uruntur et fuscantur: sic quoque otiosi otioque marcentes tentationum æstu flammantur et denigrantur; quæ vero in sole moventur, ambulant et laborant, solis radios parum sentiunt; sic quoque homines laboriosi, qui ad luctas et certamina se præparant, superant mundi iniurias, et benedictionem Spiritus sancti consequuntur, dicentis ad iustum: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*, Ps. 120. vers. 6. III.

Quarto et genuine, q. d. Nolite mirari quod per tribulationes et ærumnas fuscata sim, quia hisce me decoloravit æstus persecutionis; sed idem mihi patientiam et constantiam afflavit, quæ longe magis me illustrat. Ita Cassiod. Beda, Iustus Orgel. et alii. Simili sensu de Nazaræis in excidio Hierosolymæ fame luridis et atris, ait Ieremias: *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis*, Thren. cap. 4. v. 8. Hunc esse sensum liquet ex eo quod sequitur: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*. IV.

Paulo aliter S. Anselmus: Decoloravit, inquit, me sol iustitiæ Christus, quia ob eius fidem et amorem persecutiones hasce sustineo, quibus offuscor. Et S. Gregor. ac

S. Bernard. serm. 28. qui sic explicant, q. d. Candida sum et pura in me ipsa, sed fusca videor, si cum splendore sanctitatis Christi comparer: hic enim tantus est, ut me offuscet et quasi decoloret, sicut stellæ, oriente sole, eius splendore offuscantur.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et animæ iusta.

Hæc omnia quæ de Ecclesia dixi, attribue animæ solo nomine commutato, quibus adde:

Sol, charitas. Symbolice: Sol accendens, itaque quasi consumens et denigrans animam, est charitatis æstus, item ardens desiderium fruendi Deo, atque zelus iustitiæ quo quasi tabescit anima, cum videt Dei offensas et animarum perditionem, iuxta illud Ps. 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me;* et illud Ps. 118. 139 *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Ita S. Bernard. serm. 28. qui et addit charitatem quasi decolorare animam, dum eam urit et cruciat, ut fleat cum flentibus, infirmetur cum infirmis, dicatque cum Paulo: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Cor. 11.

Simili modo desiderium fruendi Deo languorem inducit animæ, indeque quasi pallorem, fuscedinem et deliquium. Audi S. Bernard. « Decolorari a sole, est ignescere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. Vel sic: Sol iustitiæ decoloravit me Christus, cuius amore langueo. Languor iste coloris quædam exterminatio est et defectus in desiderio animæ; unde et dicit: Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus, Psalm. 76. Ergo instar urentis solis desiderii ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem impatientem facit repulsa, et excruciat amantem dilatio. Quis nostrum ita sancto amore ardeat, ut desiderio videndi Christum omnem colorem præsentis gloriæ lætitiæque fastidiat et deponat; illa ei prophetica voce contestans? Et diem hominis non desideravi, tu scis, Ierem. 17. Item cum sancto David: Renuit consolari anima mea Ps. 76. id est, præsentium bonorum inani lætitia despicit colorari? »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B. Virgo fusca. Primo, B. Virgo quoad colorem fuit fusca et subnigra, quales sunt *Ægyptii* et Palæstini, quia sole torrentur. Id liquet ex imagine eius a S. Luca depicta, quæ Romæ in Basilica S. Mariæ maioris religiose colitur. Unde Nicephor. lib. 2. Hist. cap. 23 ex S. Epiphan. sic eius formam describit: *Colore fuit triticeo, capillo flavo, oculis acribus, subflavas et tamquam oleæ colore pupillas in eis habens;*

B. Virginis facies descripta. *supercilia ei erant inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena, facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior, manus simul et digiti longiores.* Eadem habent S. Anselmus et Cedrenus in compendio. Huc facit et Theocritus Idyllio 10. qui Syras fœminas esse fuscas hisce versibus testatur:

Bombyce gratiosa, vocant te omnes
Gracilem sole combustam,
Ego autem solus mel recens.

Secundo, B. Virgo in puritate et sanctitate fuit lucidissima: quæ tamen si cum transcendenti sanctitate Dei et Christi comparetur, videtur offuscari, sicut lunæ fulgor splendore solis hebetatur et fuscatur.

Tertio, fusca fuit, quia gravida fœtum utero gessit, eumque peperit sicut matres cæteræ, quæ dum concipiunt et pariunt, pallescunt et fuscantur: at B. Virgo conceptu et partu hoc non fuscata, sed potius deaurata et quasi deificata fuit; quia concepit et peperit Dei Filium, qui est lux mundi. Ita Rupert. « Nolite, ait, filiæ Ierusalem, considerare me quod fusca sim, id est corrupta; quia quod tumentem habeo uterum, quod inventa sum in utero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco, sed ita decoloravit me sol. Verus sol, et sole Deus longe pulchrior, semetipso me implevit, de semetipso uterum meum tumentem reddidit. Hoccine est decolorari? Non apud vos, o filiæ Ierusalem, quæ habetis oculum simplicem, sed apud superborum cogitationes, quorum nequam est oculus. Non erat nequam oculus Ioseph, sed quamdam excusabilem ignorantiæ nebulam habens, cito purgatus est, dicente sibi angelo Domini, quod sana cuta decolorata essem, quam non flamma ignis de deorsum, sed desuper sol decoloravit, quod salva virginitate gravida essem; quam non vir terrenus, sed Pater cælestis de Spiritu sancto gravidam fecit. » Maternitas ergo virginitatem in B. Virgine non decoloravit, sed summe decoravit.

Denique in passione Christi assistens cruci non tam solis, quam doloris ardoribus fuit fuscata; sed hanc fuscedinem mox abstersit gloriosa Christi resurrectio et apparitio. Ita Hailgrinus et Guillelmus, q. d. Nolite me contemnere propter filii passionem et meam compassionem, aut propter totius vitæ varias contumelias, irrisiones et afflictiones; hæc enim nulla mea vel filii culpa meritove accidere; sed quia decoloravit me sol Iudaicæ invidiæ et æstus afflictionum, eo quod filius meus me suæ passioni conformari et assimilari voluerit.

Vers. 6. Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

Pugnaverunt contra me.) Hebr. נחרו בי nicharu vi, id est *irati sunt,* vel *excanduerunt in me;* alii: *Contenderunt,* vel *rixati sunt contra me;* Origen. *Dimicaverunt* Variæ versiones.
in me; Septuag. *Pugnaverunt ἐν ἐμοί,* id est, in me in ablativo, id est pro me: vel in me, id est contra me, ut passim vertunt alii. Sæpe enim ἐν ἐμοί, id est *in me*, a Græcis sumitur εἰς με, id est, *contra me*, in accusativo; potest tamen *in me* sumi proprie in ablativo, uti mox ostendam; Symmach. *Oppugnaverunt me.*

Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.) Pro *meam*, Hebr. habent, *quæ mihi est,* scilicet propria vel hæreditaria, aut dotalis, aut meis laboribus parta, aut mihi singulariter cara et dilecta; Vatablus: *Filii namque matris meæ excandescentes in me posuerunt me custodem vinearum; ego autem vineam meam non custodivi.*

Grammatice: Sponsa dat causam cur decolorarit eam Grammatice.
sol, quod scilicet fratres persequentes illam coegerint agere custodem in vineis alienis, ut propriam vineam custodire non potuerit: in quibus dum singula lustrando et custodiendo oberrat, radiis solis percussa, decolorata et obfuscata sit. Ita Aben Ezra.

Filii matris meæ) Sunt fratres mei, ex eadem matre et eodem utero geniti, qui proinde me, ut sororem suam uterinam defendere et summe diligere debuerunt; hi tamen contra omne naturæ ius et fas, contra omnem fraternum et maternum amorem pugnaverunt contra me. Magis enim se mutuo diligere solent fratres et sorores ex eadem matre, quam ex eodem patre, sed ex alia matre geniti. Mater enim magis suos filios, uti in suo utero conceptus; sic et iam natos in sua domo continuaque educatione et cura associatos, inter se unit et copulat. Rursum *filii matris* hic vocantur ex alio patre geniti, ideoque dissimiles habentes amores, affectus et mores, ob quos pugnaverunt contra sororem suam uterinam, ab alio patre genitam.

Iam quoad sensum parabolicum et germanum per *fi-* Filii matris qui? Respons.
lios matris, primo, aliqui accipiunt filios Evæ, puta gen- 1.
tes quaslibet idololatras, quæ oppugnarunt Ecclesiam. Lyranus accipit Pharaonem et Ægyptios, qui persecuti sunt

Gentes idololatræ.

filios Israel, Exodi 1. Utrique enim, post descensum Iacob in Ægyptum, erant nati in Ægypto; utrique ergo erant filii eiusdem matris, id est terræ Ægypti.

II. A Iudaismo Apostatæ.

Secundo, alii accipiunt Iudæos qui apostatando a Deo vero et Mose, desciverunt ad idola et ritus Gentium tempore Iudicum, Regum et Machabæorum, ut hæc querela non sit Ecclesiæ, sed Synagogæ, puta Iudæorum rite Deum in Iudaismo colentium, q. d. Fratres mei Iudæi ex eadem stirpe Israelis, et Synagoga velut matre mecum progeniti desciscentes ad idola, me Synagogam fidelium Iudæorum unum Deum colentium oppugnarunt, atque multos ex eis perverterunt, et ad idololatriam suam pellexerunt, quos proinde posuerunt custodes in vineis, id est, præsides et præfectos in adulterinis idololatrarum cœtibus ac perversis Gentium religionibus, ut eas propagarent, omnesque Iudæos ad illas traducerent; quo factum est ut vineam meam, id est, veram Dei religionem, cultum et fidem, veramque Dei Synagogam custodire non potuerim, sed multi ex ea deflexerint ad vineas, id est, synagogas Gentium profanarum, iuxta illud: *Vinea Domini exercituum domus Israel est; et vir Iuda germen eius delectabile: et expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas; et iustitiam, et ecce clamor*, Isaiæ 5. 7. Ita Chald. qui vertit: *Quia Prophetæ falsi fuerunt causa, ut devolveretur ira furoris Domini super me, et docuerunt me, ut servirem idolis vestris, et ambularem in institutis vestris; Domino autem sæculi, qui est Deus, non servivi, neque ambulavi in legibus eius, neque custodivi præcepta eius et legem eius.* Verum sponsa in hoc Cant. libro est Ecclesia Christianorum, non Synagoga Iudæorum; quare hæc verba sunt Ecclesiæ, non Synagogæ.

Paraphrasis Synagogæ.

III. Et genuine, Iudæi.

Tertio et genuine, *filii matris* hic intelliguntur Iudæi persequentes Ecclesiam Christi; hi enim cum ea ex eadem matre, puta Synagoga (ex ea enim natus est Christus, Apostoli, cæterique primi Christiani, qui omnes fuere genere et gente Iudæi iuxta illud: *De Sion exibit lex* (Evangelica) *et verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ 2. 3.) sunt geniti, sed ex alio patre, puta diabolo, cum Ecclesia prognata sit ex Deo et Christo, iuxta illud: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri* (ut me occidatis) *vultis perficere*, Ioan. 8. 44. Sensus ergo est, q. d. Iudæi obstinati in Iudaismo, me Ecclesiam Christi, id est, Apostolos et primos Christianos, oppugnaverunt acerrime, ideoque coegerunt illos Iudæam deserere, ac fugere ad Gentes, ibique erigere et custodire vineas, id est, Ecclesias exteras Gentium: quo factum est, ut vineam meam, id est Ecclesiam in Iudæa sitam, quæ mihi nativa et propria erat, ac unice a Christo commendata, custodire non potuerim: quare ab ea expulsa, oberrare coacta sum per vineas Gentium, ubi varios solis, id est persecutionis, æstus perpessa, ærumnis decolorata, afflicta et affuscata sum.

Paraphrasis Ecclesiæ.

Ubi obiter nota fructum persecutionis Iudæorum; hæc enim causa fuit conversionis omnium Gentium. Dum enim Iudæi, ait Lyranus, voluerunt perturbare Ecclesiam, nolentes effecerunt ut Evangelium latius spargeretur, ac pro una Ecclesia in Iudæa in omnibus gentibus constituerentur. Hoc est quod Iudæis improperat Paulus: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus*, Act. 13. 46. Ita Orig. Cassiod. Beda, Iustus Orgel. Haymo, Anselmus et Bernard. ser. 29. Unde Auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chrysost. homil. 3. *Viperarum*, ait, *natura est rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo Iudæi assidue persequentes Prophetas, corruperunt matrem suam Synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Cant. Filii matris meæ pugnaverunt in me; ideo Ioannes vocavit genimina viperarum*, Luc. 3. 7. Quocirca huc alludens Christus inducit parabolam vineæ, in quam mittens Deus operarios Prophetas, qui omnes a colonia, id est a Iudæis, occidebantur: tandem misit filium, qui ab eisdem crucifixus, Iudæam et Iudæos disperdidit, Matth. 21. 33

Huc accedit S. Gregor. qui per *filios matris* accipit primos Christianos iudaizantes, qui sua importunitate coegerunt primitivam Ecclesiam iudaizare, et servare circumcisionem cæteraque lege veteri præscripta. Huc accedant et illi qui putant hic esse hysterologiam sive inversum ordinem; sic enim recto ordine hæc esse collocanda: *Posuerunt me* (Apostoli) *custodem in vineis*, id est, in Ecclesiis Gentium; quia *vineam meam* (id est Ecclesiam Iudææ) *non custodivi*, id est, custodire non potui; quoniam *filii matris meæ* (Iudæi) *pugnaverunt contra me.*

IV. Hæretici.

Quarto, *filii matris* accipi possunt hæretici, qui Ecclesiam matrem suam, in qua baptizati et renati sunt, oppugnant, affligunt et decolorant, dum adulterinas suas vineas, id est, synagogas Satanæ, in quibus suas hæreses docent, inducunt, eisque custodes, id est, Presbyteros, Doctores et Prædicatores præficiunt: quo fit ut Ecclesia orthodoxa se ipsam custodire nequeat, quin ab eis laceretur et lanietur. De his ait Ioan. 1. ep. 2. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*; et Paulus Actor. 20. *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.*

V. Pravi Ecclesiæ Pastores.

Quinto, *filii matris* accipi possunt pravi Ecclesiæ Pastores, Episcopi et Prælati, præsertim qui ambiunt Episcopatus et Prælaturas, ut constituantur custodes vinearum, id est, præsides Ecclesiarum, non Christi et animarum studio, sed ut opes congerant, ac cæteris superbe præsint et dominentur in cleris; quare hi vineam suam, id est, Ecclesiam sibi commissam, non custodiunt, sed dissipant et evertunt. Ita Origen. homil. 1. et Aponius. Vide S. Bernard. homil. 30. ubi pulchre explicat quomodo animæ sanctæ fugiant custodiam vinearum, id est, præfecturam Ecclesiarum, eo quod dicant: *Vineam meam non custodivi*, id est, meam ipsius animam servare et regere nequeo; quomodo ergo regam alienas in tanto numero? quare si invitæ præficiantur aliis, iugiter mœrent et lugent.

Symbol.

Symbolice: Theodoret. S. Gregor. Philo Carpathius, et Bernard. serm. 29. ac S. Ambrosius in Psalm. 118. sermon. 2. ad vers. 1. per *filios matris* accipiunt Apostolos, qui pugnaverunt contra Ecclesiam, sed in utilitatem Ecclesiæ, ut scilicet eam ab erroribus et vitiis expurgarent, sicut contra Synagogam pugnaverunt Prophetæ.

Idem de Angelis sanctis accipit Origen. hom. 2. qui in nobis pro nobis pugnant contra dæmones, ut scelera destruant, et virtutes inserant. Verum hæc accommodatitia sunt, non litteralia, imo litteræ parum consona.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

I. Sensus.

Primo, filii matris oppugnant fratrem vel sororem suam, cum fideles impii persequuntur virum fidelem et religiosum, v. g. Superiorem, Prædicatorem, Doctorem, etc. qui eorum impietatem et scelera redarguit, castigat et reformat. Quoties in monasteriis, capitulis, societatibus, urbibus, etc. videmus et audimus Religiosos, Canonicos, sacerdotes, cives dissolutos vel ambitiosos oppugnare suum Ordinem, Ecclesiam, congregationem, urbem? ut ipsa suspirans gemensque dicat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*. Vide S. Bernard. serm. 29.

II. Filii matris sensus et concupiscentiæ pugnant contra rationem.

Secundo, *filii matris*, id est, eiusdem animæ, sunt sensus et concupiscentiæ, quæ ex eadem anima pullulantes oppugnant suam sororem, id est, animæ rationem et mentem, dum ei rebellant, eamque ad sua concupita, puta ad bona sensibilia, contra legem Dei, quasi ad vineas adulterinas trahere satagunt, et reipsa sæpe pertrahunt: quo fit ut anima vineam suam, id est, statum gratiæ, charitatis et virtutum, ex quo omnium bonorum flores et fructus germinabunt, non custodiat, sed dissipet et prodigat, iuxta illud: *Oculus meus deprædatus est animam meam*, Thren. 3. 51. Ita S. Ambros. lib. de Isaac et anima cap. 4.

Filii matris pugnaverunt in me. Hoc est, inquit, *impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ decoloraverunt me, ideo sol iustitiæ mihi non refulsit.*

Hoc facit versio Septuag. *Filii matris meæ pugnaverunt in me.* In eadem enim anima sunt concupiscentiæ, quæ luctantur contra rationem et mentem, iuxta illud: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*, Gal. 5. Quocirca Religiosi, qui norunt quam difficile sit homini custodire vineam voluntatis suæ, quæ a sororibus suis, puta a tot concupiscentiis, assidue impugnatur, eam subiiciunt Prælato, illiusque custodiæ committunt. Hinc nonnulli apud S. Bernard. serm. 29. inter quos est Gregorius Nyssen. hom. 2. et Psellus apud Theodor. per *filios matris* accipiunt dæmones, qui primitus creati fuerunt in cælo iusti et recti, quasi filii supernæ Ierusalem matris nostræ; sed a Lucifero seducti rebellantes Deo, ideoque cælo expulsi, fideles Dei odio Vatiniano persequuntur, ideoque in eis excitant omnes pravos concupiscentiæ motus, qui eos decolorant, et sæpe comburunt perimuntque: nam *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, Iacobi 1.

Vinea est anima.

Anima ergo est quasi spiritualis vinea, cuius Pater æternus vinitor et agricola est, Ioan. 15. 1. Quæ proinde rite culta fert botros suavissimos, ex quibus exprimitur vinum exsultationis et confessionis, alioqui *uva eius uva fellis et botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile*, Deuter. 32. 32. Rursum vinea est status cuiusque, v. g. sacerdotium, coniugium, pastoratus, etc. sed præsertim virginitas; hæc enim suavissimas dat uvas et vinum devotionis, orationis, contemplationis, unionis cum Deo et Christo. Unde S. Ambros. Exhort. ad virgin. ante medium: *Nemo*, inquit, *auferat vineam animæ vestræ, et vilia olera serat. Vineæ enim quidam fructus virginalis est, coniugia velut olerum plantoria sunt, in quibus frequens satus est; et ideo sicut olera herbarum cito caduat atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectam vehat continentiæ. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere et exstinguere, nec veniat in vos Iezabel, vanum illud et sæculare profluvium; hoc enim significatur vocabulo vana et vacua redundantia: sed veniat Nobathe, qui venit a patre, sicut significat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, et pro eo mortem offerat.*

Et status cuiusque.

Allusio ad paradisum terrestrem.

Alludit, ait Nyssen. homil. 2. ad paradisum terrestrem, qui quasi vinea tradita fuit Adæ a Deo, ut eum custodiret Genes. 2. 15. sed Adam tentatus a dæmone et Eva, quasi a fratre et sorore sua, nec se, nec paradisum custodivit. Unde peccans, ex eo expulsus totam suam posteritatem perdidit, et peccato originali decoloravit. Idem enim facit homo, qui animam quasi vineam suam non custodit; sed eam peccato decolorat et dæmoni tradit, itaque excolit vineam, non paradisi, sed inferni; non virtutum, sed vitiorum; non legis divinæ, sed concupiscentiæ. Unde Nyssen. censet animam hic lugere casum et ruinam suam, qua a vinea paradisi expulsa est, quando in Adamo expugnata a serpente, non custodivit vineam immortalitatis, impassibilitatis, similitudinis Dei, et aversionis a peccato. Denique S. Gregor. homil. 17. in Evangel. *Vineæ*, inquit, *nostræ sunt actiones, quas usu quotidiani laboris excolimus; sed custodes in vineis positi vineam nostram non custodimus: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

I. Primo, Iudæi sororem suam, id est, B. Virginem genere Iudæam, æque ac Christum eius filium variis iniuriis vexarunt et insectati sunt. Unde nec filii morte mortua sunt eorum odia. Pugnarunt, ait Rupertus, pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium; prædicarunt illis Apostoli et filium meum esse Deum, et me Dei matrem, illum De Spiritu sancto conceptum, me intactam virginem in partu et post partum permansisse. Mihi peculiaris erat cura populi mei; sed eius improbitas coegit me hanc curam alio transferre. Verum Deus pro una vinea plurimas mihi colendas et custodiendas est largitus: quæ omnes custodiam, ait, meam habent, et habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, et pro huiusmodi custodia ad me iugiter clamantes. Sic Rupertus de peculiaribus totius orbis Ecclesiis, non idem optime usurpemus de tot Parthenopæis ubique Sodalitiis, quæ privatæ quædam et peculiares sunt Deiparæ vineæ? ait Delrio.

Aliter Guilielmus: Iudæi, inquit, pugnantes contra B. Virginem eiusque filium Salvatorem mundi, pugnarunt contra suam salutem. Posuerunt B. Virginem custodem in vineis, quia ipsis contra eum usque ad mortem sævientibus, illa animam suam posuit in redemptionem (per Christum) pro multis, et, ut multas vineas custodiret, vineam suam non custodivit, id est, ut multas animas salvas faceret, vitam suam suique filii morti exposuit. II.

Vers. 7. INDICA MIHI QUEM DILIGIT ANIMA MEA, UBI PASCAS, UBI CUBES IN MERIDIE, NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM.

Constructio textus.

INDICA MIHI (tu, o sponse mi, qui es is) QUEM DILIGIT ANIMA MEA (plus quam seipsam, quia tu es anima et vita animæ meæ; Christus enim est filius charitatis, ipsaque dilectio, ait Origen. homil. 2. e quatuor) UBI PASCAS, UBI CUBES IN MERIDIE, (pro *ubi* hebr. est איכה *echa*, quod verti quoque potest, *quomodo*, quasi modum pascendi gregem sponsa doceri postulet a sponso pastore) NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM) Pro *cubes* hebr. est תרביץ *tarbits*, id est cubare, accubare, quiescere facias gregem tuum. S. Ambr. l. de Isaac et anima c. 4. legit, *ubi manes*, ac tres S. Script. sensus hic denotari autumat.

Grammatice, sponsa vineas custodiendo oberrans solis radiis usta decolorata et obfuscata petit a sponso pastore locum, in quo velut umbraculo cum gregibus quiescat et cubet *in meridie*, id est, in ardore solis, ut ad eum se proripiat, ne sole torreatur, sed ibi sponsi sui umbra, quiete et pastu fruatur, ne alioqui umbram quærens, incipiat vagari, incidatque in sponsi sodales, id est, æmulos, rivales et adversarios. Solent enim pastores in meridie greges ad stabula vel sylvas, aut valles umbrosas deducere, ne solis æstu feriantur, sed ibi partim ruminent, digerantque escam quam in agris comederunt, partim novam a pastore præparatam accipiant. Sponsa ergo in æstu meridiei captat umbram qua refrigeretur, nec ullam meliorem putat quam illam in qua cubat sponsus, iuxta quam meridianus fervor timendus non est.

PRIMUS SENSUS.

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Genuinus.

Parabolice et genuine, ad litteram significatur quod Ecclesia æstu persecutionis Iudæorum et Gentium, afflicta et decolorata, petat a Christo sponso suo locum in quo fideles suos pascat, et cum iis refrigerium cubando captet *in meridie*, id est, in ardore tribulationis, ut ibidem a sponso pascatur, animetur, corroboretur, ne alioqui incidat in sponsi sodales, id est, æmulos hæreticos, vel homines impios, a quibus pabulis hæresum, errorum et vitiorum pascatur. Unde Chald. hæc more suo applicans Iudæis, in captivitate ab idololatris vexatis et tentatis, sic vertit: *Quando pervenit tempus, ut Moses dissolveretur ab hoc sæculo, dixit coram Domino: Manifestum est coram me quod populus iste futurus est ut peccet, et vadat in captivitatem; nunc autem indica mihi quomodo gubernentur, et quomo-*

do habitabant inter populos, quorum deserta sunt iis graviora calore et æstu in meridie, in revolutione Tammuz.

Apposite Beda: *Hanc, inquit, cuius præsidium flagitat, Dilectum animæ suæ vocat: quia quo gravius est periculum, de quo eripi cupit, eo amplius illum, per quem se eripiendam novit, diligit.*

Magis pathetice Nyssen. hom. 2. « Renuntia mihi, loquit, quem diligit anima mea; ita enim te nomino, quoniam nomen tuum superat omnem cogitationem et intelligentiam, nec universa natura particeps rationis id effari potest, aut comprehendere. Nomen enim tuum quo tua cognoscitur bonitas, est meæ animæ ad te habitudo; quomodo enim te non diligam, qui me sic dilexisti, etiamsi adeo nigra essem, ut animam tuam posueris pro ovibus quas tu pascis? Non potest cogitari hac maior dilectio, quam tua anima meam permutare salutem. »

Meridies symbolum est. I. Ardentis persecutionis.

Nota: Meridies, cum sol ardet, symbolum est primo, ardoris persecutionis et afflictionis, cum illa quasi est summa et in culmine; tunc enim vel maxime Ecclesia invocat Christum, ut sibi auxilium et refrigerium præstet. Ita Cassiod. et Beda: *Christus, inquit, qui pascit oves suas, inter eas cubat in meridie; quia corda fidelium suorum, ne fervore tentationum intus arescant, memoria supernæ suavitatis reficit, et in eis ipse propitius munera consecrat.* Huc accedit S. Greg. qui per meridiem accipit ardorem vitiorum: *In meridie*, ait, *Christus sub umbra pascit et cubat; quia in refrigeratione Spiritus sancti sibi quasi requiem et pastum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur, per umbram vero spiritualis gratiæ status designatur. Meridie ergo fervante in umbra Christus requiescit; quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ spiritum refrigerii tribuit, et in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi sponsa indicari deposcit, quod nulli umquam declaratur, nisi ei qui idem sanctificatricis gratiæ munus percipit.*

II. Summæ claritatis et charitatis.

Secundo, meridies symbolum est summæ claritatis fidei, æque ac summæ charitatis: in meridie enim clarissima est dies, æque ac ardentissima. Petit ergo sponsa locum sponsi in meridie, hoc est, petit ab aurora, id est, modica Dei cognitione, tradaci ad clarissimam Dei et rerum fidei contemplationem, qua omnes errores Iudæorum aliorumque infidelium velut nebulas illuminando dispellat. Petit quoque ardentissimam charitatem, ut ea succensa ardorem omnem persecutionis et tribulationis vincat et superet, iuxta illud: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, Cantic. 8. 7. Huc facit illud Habacuc 3. *Deus ab Austro veniet; per quod significatur meridies, id est, fervor charitatis et splendor veritatis*, ait S. August. 18 Civitat. 32. Unde Origen. hic hom. 2. e quatuor: *Postulat*, inquit, *sponsa a sponso ut ei locum secreti sui indicet et quietis, quandoquidem amoris impatiens etiam per meridiem cupit audire sponsum eo præcipue tempore, quo clarior lux, et splendor diei perfectus et purus est, ut assistat ei oves pascenti vel refrigeranti.* Idem hom. 1. e duabus: *Non quæro, ait, alia tempora, quando vespere, quando diluculo, quando in solis pascis occubitu. Illud tempus inquiro, quando in florente die, quando plena luce, in maiestatis tuæ splendore versaris.* Et S. Ambros. 4 Hexamer. cap. 5. alloquens Christum sic ait: *In meridiano pascis, hoc est, in Ecclesiæ loco ubi iustitia resplendet, ubi fulget iudicium, sicut meridies, ubi umbra non cernitur, ubi maiores sunt dies, quod eis sol iustitiæ tamquam æstivis diutius immoretur.* Idem serm. 2. in Psal. 118. *Qui receperunt te*, inquit, *sicut salutis auctorem, in meridie sunt. Illis lucet, illis calet gratia tua sicut meridies: illis meridies factus es, qui pascuntur in divitiis tuis, et in te sperant. Ideo ut dicit David: Deduces eorum iustitiam tamquam lumen, et iudicium eorum tamquam meridiem*, Ps. 36. 6. Idem in Exhortat. ad virgin. *Ubi Christus manet, nisi ubi iustitiæ meridies fulget? Ideoque dicitur: In sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 18. 6.

Meridies, id est clara et universalis fidei prædicatio Orthodoxæ Ecclesiæ nota.

Hinc Theodoretus docet hic notam veræ fidei et consequenter veræ Ecclesiæ assignari meridiem, id est, claram, publicam et universalem orthodoxæ fidei toto orbe prædicationem; in ea enim meridiatur Christus, indeque Ecclesia cognominatur Catholica, id est, universalis, sive toto orbe resplendens; cum hæreticorum sectæ latebras et angulos quærant, nec nisi in una alterave provincia delitescant. Sic et S. Aug. lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 14.

III. Meridies Christi nativitas.

Tertio, nonnulli censent Ecclesiam hic petere a Christo ubi cubet in meridie, id est, ubi iaceat in præsepio, cum recens natus est. Licet enim natus sit post mediam noctem in tenebris, tamen iis eadem luce sua illustravit orbem, ut videretur non esse nox, sed meridies, iuxta illud dictum de Angelo annuntiante pastoribus Christi ortum: *Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos*, Lucæ 2. 9.

Meridies Christi crucifixio.

Melius tamen accipias per meridiem Christi crucifixionem; in meridie enim crucifixus est, atque crux Christi Ecclesiæ et fidelibus contra omnes persecutionum et tribulationum æstus, certum fidumque præstat umbraculum et solatium. Aurora ergo vitæ Christi fuit in nativitate; dies in prædicatione; meridies in cruce; vespera in sepulcro. Ita Philo Carpathius. Tacite ergo sponsa, puta Ecclesia et anima fidelis, quæ plene configurari optat Christo crucifixo, eiusque crucem ferre sibique imprimere,

Dies vitæ Christi

petit quomodo (Hebræum enim אֵיכָה *echa* tam *quomodo*, quam *ubi* significat) quomodo, inquam, Christus in meridie, id est, in ferventissimo dolorum et tormentorum æstu, ad horam nempe sextam, in duro crucis lectulo cubuerit, ut ad eius similitudinem animum suum et studium attemperet, se denique totam ad Christi in meridie crucifixi exemplar fingat et formet.

IV. Meridies Ierusalem

Quarto, meridies Symbolum est Ierusalem et Sionis, ubi Christus docuit, et Ecclesiam primam fidelium Sanctorumque instituit, iuxta illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Ierusalem enim vergit ad Meridiem. Primi enim fideles in rebus dubiis et quacumque tribulatione confugiebant ad B. Virginem et Apostolos degentes in Ierusalem, ut ab iis lucem, robur et fervorem acciperent, ut patet Actor. 15.

Meridies, Ecclesia Romana

Rursum, meridies est Romana Ecclesia, ad quam S. Petrus iubente Christo ex Ierusalem et Antiochia transtulit primatum et pontificatum suum; unde ad illam, velut ad umbraculum et asylum, confugiunt ex toto orbe fideles in quavis difficultate et dubio, ut ab ea in fide illuminentur, et in Dei amore accendantur. In ea ergo sunt pabula Orthodoxæ doctrinæ, fidei et rerum divinarum. Hinc Aponius per *meridiem* accipit cathedram Petri, sive Sedem Apostolicam: *Ista*, inquit, *pascua, Evangelicæ scilicet doctrinæ, quæ Apostolorum principi revelata est Petra, non videt anima, nisi quæ vestigia Petri credendo et confidendo prosecuta fuerit.*

Donatistæ refelluntur.

Porro, perperam Donatistæ hoc loco abutebantur, ut probarent apud se in Africa esse veram Ecclesiam, quod Africa sit ad Meridiem sita; sed eos recte refellit S. August. ser. 50. de Verbis Domini secundum Ioannem. Primo, quod hæc sint verba sponsæ, id est Ecclesiæ, quærentis locum sponsi in meridie, non autem sponsi quærentis sponsam Ecclesiam. Secundo, quod Ægyptus, in qua erant examina sanctorum Religiosorum, magis sit ad Meridiem, quam Africa. Tertio, quod in Africa duæ erant Ecclesiæ: una Catholicorum, et altera Donatistarum; quærit ergo sponsa in utra istarum cubet et pascat sponsus, q. d. « O quem dilexit anima mea, annuntia mihi, doce me. Audio enim in Meridie, id est, in Africa, duas esse partes, imo multas conciones. Annuntia ergo mihi ubi pascis, quæ oves ad te pertinent, quod ovile illic me iubes amare, cui me debeo sociare, ne forte fiam velut operta. Illudunt enim quasi latenti, insultant quasi perditæ, quasi nusquam alibi existenti. Ne ergo quasi operta, quasi latens fiam super greges sodalium tuorum Donatistarum, Maximianistarum, Rogatistarum, cæterarumque pestium extra colligentium, et ideo spargentium, rogo te, annuntia mihi, si illic pastorem meum requiram, ut non in gurgitem rebaptizationis incurram. » Hæc August. Vide eumdem lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 14.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima solis, id est tentationis ardore decolorata opem Christi implorat.

Anima sancta solis, id est tribulationis, tentationis et concupiscentiæ, ardore decolorata poscit opem Christi, qui fideles suos velut sol meridianus vera cognitione illustrat, et magno Dei amore inflammat, ut omnes ærumnas alacriter et ardenter superent, iuxta illud Eccli. 34. 19. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani.* Et illud Isaiæ 25 4. *Quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu.* Confugiunt ergo ad Christum, de quo Ieremias ait: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus,* Thren. 4. 20. Unde sponsa id quod hic petit consecuta, c. 2. v. 3 ait: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.*

Hinc meridies notat statum perfectionis, in quo anima diligit Deum ex toto corde, ex tota mente et ex omnibus viribus. Audi S. Augustin. serm. 50. de Verbis Domini secundum Ioannem: *Annuntia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie. Quid signat meridies? magnum fervorem, magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui, spiritu ferventes, doctrina fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia. Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Ergo annuntia mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne incurram in eos qui alia de te dicunt, aliud de te sentiunt, alia de te credunt, alia de te prædicant, et greges suos habent, et sodales tui sunt: quia de tua mensa vivunt, et mensæ tuæ sacramenta pertractant; sodales enim dicti sunt, quod simul edant, quasi simul edales, etc.* Hinc idem S. August. epist. 48 ad Vincentium, per meridiem accipit iustos, *in quibus luce fulgentibus et charitate ferventibus, quasi in meridie requiescit.* In libro vero de Unitate Ecclesiæ cap. 18. Christus cubat in meridie, id est, inquit, in iis *qui habent charitatem, et non dividunt unitatem.*

Meridies sunt charitate ferventes.

Quocirca Aponius per *meridiem* accipit sacras Virgines, Monachos et Religiosos; nam *iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem,* Prov. 4. 18. Audi Origenem hom. 2. e quatuor: *Si quando sol iustitiæ Christus Ecclesiæ suæ excelsa et ardua virtutum suarum secreta manifestat, amœna etiam pascua cubiliaque meridiano videbitur edocere. Nam cum adhuc initia habet discendi et prima, ut ita dicam, ab eo scientiæ suscipit rudimenta, tunc dicit Propheta : Et adiuvabit eam mane diluculo. Nunc ergo quia perfectiora iam quærit, et excelsiora desiderat, meridianum scientiæ lumen exposcit,* iuxta illud Ps. 36. 6. *Revela Domino viam tuam, et ipse faciet, et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tanquam meridiem.*

Meridies est in Eucharistia.

Rursum Nyssen. hom. 2. censet sponsam hic petere pabulum Eucharistiæ, qua roborata viam capesset ad meridiem gloriæ cœlestis: « Doce me, inquit dicere piam animam, ubi pascas, ut salutari percepta pastione æterno implear nutrimento, quam qui non comedit, non potest ingredi vitam æternam, et accurrens ad fontem divinum potum hauriam, quem tu tanquam ex fonte præbes sitientibus, aquam profundens ex tuo latere, ferro hac vena aperta; quam qui gustaverit, fit fons aquæ salientis in vitam æternam. Si enim in his me pascas, me omnino facies cubare in meridie, quando in pace simul dormiens requiescam in luce quæ caret umbra, sole lucente super verticem, in qua tu cubare facis eos quos tu pavisti, quando tu pueros tuos excipies tecum in cubile. Nemo autem hac meridiana requie dignus censetur, qui non fuerit filius lucis, et filius diei: qui autem ex æquo se separavit a vespertinis et matutinis tenebris, hoc est, ubi incipit malum, et in quod desinit, is in meridie, ut in eo cubet, collocatur a sole iustitiæ. » Eucharistia recte vocatur *meridies,* tum quia continet Christum, qui est ipsa lux mundi; tum quia contra omnes tentationes et concupiscentias meridianum præbet umbraculum; tum quia confert plenitudinem charitatis, et deliciarum luminumque cœlestium, iuxta illud: *Iesus, etc. cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem* (amoris, id est extreme) *dilexit eos,* Ioan. c. 13. v. 1.

Meridies est in cœlo.

Anagogice: Meridies typus est cœli et cœlestis gloriæ. Sicut enim in meridie sol totam suam vim illuminandi et calefaciendi exerit, eamque toti terræ communicat: sic Christus in cœlo totam quasi divinitatis suæ vim et gloriam exerit, primo in suam humanitatem, deinde in B. Virginem et Sanctos omnes, quo eos in corpore et anima omni lætitia, voluptate bonisque omnibus replet, cumulat et beat. In hac vita ergo est aurora fidei, in altera meridies visionis et amoris, iuxta illud: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua,* Ps. 16. v. ult. Audi S. Bernard. ser. 33. *O vera meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies! o lumen meridianum! o vernalis temperies! o æstiva venustas! o autumnalis ubertas, et, ne quid videar præteriisse, o quies et feriatio hiemalis! Aut certe si hoc magis probas, sola tunc hiems obiit et recessit. Hunc locum, inquit, tantæ charitatis et pacis, et plenitudinis indica mihi, ut, quemadmodum Iacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima eius,* Genes. 32. *ita ego quoque te in lumine tuo, et in decore tuo per mentis excessum merear contemplari, pascentem uberius, quiescentem securius; nam et hic pascis, sed non in securitate, nec cubare licet, sed stare et vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, et ideo indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Beatum me dicis, cum esurio et sitio iustitiam* Ps. 64. *quid hoc ad illorum felicitatem, qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur et exultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia?* Psal. 67. Et paucis interiectis: *Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, et totum nihil. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo?* Psalm. 15. *Vultum tuum, Domine, requiram, vultus tuus meridies est. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Scio satis ubi pascas non cubans: indica mihi ubi pascas et cubes,* Psal. 26.

Meridies, beata æternitas.

Hinc S. August. in Ps. 54. per *meridiem* accipit beatam æternitatem: « Vespere, inquit, mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam. Evangeliza tu, noli tacere tu, dic quid accepisti. Vespere de præteritis, mane de futuris, meridie de sempiternis. Ideo ad id quod ait, Vespere, pertinet quod exauditur vox eius, finis enim in meridie est, sed inde non declinatur in occasum. In meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, fervor dilectionis. Vespere, mane et meridie. Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo mane vitam resurrectionis, orabo ut exaudias meridie sedens ad dexteram Patris. »

Meridies summus contemplationis gradus.

Mystici et contemplativi per *meridiem* accipiunt summum contemplationis et amoris gradum. Unde S. Laurent. Iustinian. de Ligno vitæ tract. de Orat. cap. 10. sex contemplationis gradus assignat, atque sextum et summum hunc ponit: « Sextus contemplationis gradus est, quando animus illa ex divini luminis irradiatione cognoscit, quibus omnis humana ratio declinat, et intelligibilium intelligentia rationem amittit, et omnem humanam ratiocinationem et intentionem transcendit. Hinc emanans fluminis impetus lætificat animam contemplantis memoria abundantiæ suavitatis Dei: in quo gustu cum ad Deum totis præcordiis amandum facile abducat hominem potentia eius, et virtus et gloria, maiestas, bonitas, beatitudo, ad contemplanda eius amabilia per seipsa in affectum cordis contemplantis elucescentia: hoc potissimum amantem rapit in amabilem, quia ipse in seipso est quidquid in eo amabile est, qui est totum quod est; quia bono amore ipsius boni sic se intendit pius affectus, ut non se inde revocet,

donec unus cum eo spiritus effectus sit: quod cum in eo fuerit perfectum, iam solo mortalitatis velo differt ac dividitur a Sanctis sanctorum, a summa illa beatitudine supercælestium, qua tamen in fide et spe eius, quem amat, in conscientia fruitur. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Sensus I. Primo, Honorius Augustod. sic de ea exponit: « Mariæ anima Christum dilexit, ideo omnia secreta Patris ei innotuere. Castissima virgo fuit meridies, de Spiritu sancto splendens et fervens, in quem Christus declinavit æstum libidinosorum, et cubavit in eius humilitate, pastus est in eius castitate. Ne vagari, etc. Id est, notifica omnibus quod in me requieveris, ne hæretici dilacerent dicentes: Si virgo peperit, phantasma fuit. Et ego vagor per eorum greges, quia in secretis et conventiculis eorum sum Psalmus eorum. » Hæc vera sunt, sed huic loco minus congrua.

II. Secundo, Rupertus hæc adaptat B. Virgini quærenti Christum triduo perditum, eumque invenienti in templo: *Fili,* inquit, *quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te,* Lucæ 2. 48. In templo enim est meridies, id est doctrina veritatis, et ardens prædicatio charitatis.

III. Tertio, idem Rupertus et Guilielmus, atque ex iis Delrio censent his verbis B. Virginem aspirare: Primo, ad cælum. Secundo, ad Christum suum, ut eo fruatur facie ad faciem, q. d. Assume me quo assumptus es, ut tecum pascar, tecum cubem, quæ te olim tam devote pavi, et toties cubitum collocavi. Emissus es olim e sede magnitudinis tuæ, ut mecum esses et mecum laborares: emitte me nunc de carcere ærumnosæ vitæ huius, ut tecum sim, et pausem tecum post tantos labores materni affectus. Tertio, non addere quem pascat, aut quos, ut nostrum exerceat intellectum; quia non tantum illic suos pascit, hoc est, S. Angelos, sed etiam humanitatem suam perennibus deliciis divinitatis suæ. Unde postea dicetur ipsemet pasci inter lilia. Pascit qua Deus, pascitur qua homo. Quarto, addit in meridie, quia ibi sempiterna meridies est, ibi iugis fervor divinæ claritatis est, ubi cubat Iesus, ubi quiescit divinitati unita humanitas. Ibi pia mater petebat pasci ab ipso Deo, pasci cum ipso homine, ibi cum suo Iesu cubare. Quinto, sodales esse Apostolos, qui in Gentium dispersione quasi vagabantur Evangelium toto orbe circumferentes: petere autem piam matrem, ne, iam expletis maternis officiis omnibus, emerita et plena dierum, cum Apostolis novum subire profectionum et prædicationis laborem iubeatur, cui pares erant ipsi Apostoli Spiritus sancti gratia et cælesti luce satis instructi.

NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM.) Pungit sponsa sponsum stimulo zelotypiæ, q. d. Indica mihi locum ubi cubes in meridie, alioqui periculum est, ne vagando in tuos æmulos et corrivales incidam, qui te excluso me sibi in sponsam ambiunt, ut fecerunt sponsi Penelopes. Hebr. *quia cur ero sicut vaga super greges sociorum tuorum?* Pro *sicut vaga,* hebr. est כְּעֹטְיָה *keoteiah,* id est, *sicut amicta, operta, tecta,* vel *sicut operiens se,* aut, *sicut declinans, divertens, vagans, errans;* alii, *sicut increpata et obiurgata.* Ita Pagnin. Unde Septuag. vertunt: *Ne forte efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.* Pro *adoperta,* græce est περιϐαλλομένη. Quod S. Hier. in versione Origenis vertit, *cooperta;* alii, *circumducta.* Symmach. et ex eo Theod. ῥεμϐομένη, id est, *vaga, vacillans* et errans, aut potius *circumagitata et rotata, uti lapis rotatur in funda,* ut eum fundibularius maiori impetu vibret et eiaculetur: ῥόμϐος enim est *funda.*

Variæ versiones.

Adoperta, quintupliciter. I. Meretrix.

Porro, τὸ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi potest. Primo, pro meretrice; hæc enim olim palliolo aut velo se tegere et operire solebat ex pudore, ne agnosceretur, uti patet de Thamar Genes. 38. Unde Vatabl. vertit: *Ne oberrans per greges sodalium tuorum videar palliolata, id est, meretricula;* alii: *Cur ergo quasi quæ declinat, et divertit ad greges sodalium tuorum?* hoc est, eorum qui se dicunt tuos sodales, cum quidvis aliud potius sint.

II. Lugens.

Secundo et melius, *cooperta,* id est lugens: lugentes enim solent caput et faciem velo operire, præsertim viduæ, quæ lugent mortem mariti, q. d. Cur te, o sponse mi, absente, ego sponsa tua videbor vidua, et lugens tui absentiam velut mortem?

III. Modesta.

Posset, tertio, τὸ *cooperta* notare modestiam, honestatem et pudorem virginalem sponsæ, quæ se velat et tegit, ne a sponsi sodalibus conspici queat, uti se velavit et pallio se cooperuit Rebecca, viso Isaac sponso suo, Gen. 24. 65. Sic enim virgines et sponsæ honestæ velant se, iuxta præceptum Apostoli 1. Corinth. 11. v. 5. Vide Tertull. et ex eo S. Cyprian. libr. de Velandis virginibus. et libr. de Habitu mulierum. Ita Origen. homil. 1. quem audi: *Nisi enim tu mihi annuntiaveris, incipio errabunda iactari; et dum te quæro, in aliorum greges incurro: et quia aliorum erubesco faciem, meam absque mora mox contegere incipio. Sum quippe sponsa formosa, et aliis nudam faciem meam non ostendo, nisi tibi soli quem iam pridem deosculata sum.* Et S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium, ex hoc loco docet virgines non ex parte, sed omnino et ex toto debere velare faciem: *Zelotypus,* inquit, *est Iesus, non vult ab aliis videri faciem suam, excuses licet atque causeris; obducto velamine ora contexi, et quæsivi te ibi, et dixi: Annuntia mihi, ne quando efficiar sicut operta super greges sodalium tuorum; tumebit et dicet: Si non cognoveris te,* etc.

IV. Latens, incognita.

Quarto, S. Augustinus epist. 48. ad Vincent. et libr. de Unitate Ecclesiæ cap. 14 *Cooperta,* inquit, id est, obscura, latens et incognita. Ecclesia enim posita est a Christo in meridie, ut omnibus sit visibilis et conspicua: ergo non decet eam esse coopertam, id est, latentem et absconditam, uti sunt Ecclesiæ Donatistarum aliorumque hæreticorum. Sic et Origenes, qui asserit idcirco Ecclesiam, vel animam Dei sponsam, requirere Christi cubicula et plenitudinem scientiæ a Deo postulare, ne videatur esse una e philosophorum scholis, quæ *adoperta* nuncupetur, eo quod veritas apud eos operta sit et incognita.

V. Gemens, vagans, errans.

Quinto et optime, *cooperta* idem est quod vagans et errans, uti vertit Noster: fœminæ enim cum domo abeunt, alioque vadunt, honestatis causa sese cooperiunt et tegunt. Petit ergo sponsa a sponso locum ubi cubet in meridie, id est, in æstu persecutionum, ut ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, ego, id est, fideles mei, qui sunt membra mea, præsertim in primitiva, novella et tenella Ecclesia, dispergantur, et vagando deflectant ad Gentes, idololatras, hæreticos et philosophos, ac in eorum errorem inducantur, qui se iactant sodales Christi et veros pastores, doctoresque veritatis, cum sint socii et ministri diaboli. Unde Chaldæus hæc more suo adaptans Iudæis: *Et quare,* inquit, *erunt transmigrantes inter greges filiorum Esau et Ismael, qui applicant sibi idola sua pro sociis?* Ita Nyssenus, Philo Carpathius, Cassiod. Beda, Anselmus, S. Bernard. et alii.

Hæretici sodales Christi, quo sensu?

Recte notat Theodoretus hæreticos se vocare sodales Christi, quia habitum et nomen Christi circumferunt, nec nisi Evangelium Christi ore crepant, sed corde ei adversantur, iuxta illud Pauli: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes,* 2. Timoth. 3. Rursum hæretici eumdem habent Baptismum aliaque Sacramenta, quæ Christus et Christiani. Denique *sodales* dicuntur, non quia amici, sed quia quasi ex æqualitate cum Christo certare contendunt promittentes eadem bona suis sectatoribus, quæ Christus suis asseclis pollicetur: unde et eos a suo nomine nuncupant, Donatistas a Donato, Arrianos ab Arrio, Pelagianos a Pelagio, sicuti Christiani vocantur a Christo. Quocirca ab his Ecclesia (id est, fideles rudiores in Ecclesia) fit vaga, errones, et circumducitur ac rotatur *omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris,* ait Paulus Ephes. 4. 14.

Sodales, qui? Respond. I. Angeli.

SODALIUM.) Primo, Origen. homil. 2. ex quatuor, per *sodales* accipit Angelos, quibus Deus gentium singularum curam distribuit et demandavit, q. d. Ne per gentes vager, et eorum Angelis præsidibus subiiciar, quæ uni sponso Christo subdita sum, eiusque vicario S. Michaeli. Hic enim nunc præses est Ecclesiæ, uti olim fuit Synagogæ.

II. Scribæ et Pharisæi.

Secundo, Rupertus per *sodales* accipit Scribas et Pharisæos, q. d. Ostende mihi, o Christe, ubi pascas tuos fideles, ne aliquo recidam in priores meos magistros, puta Scribas Mosaicos, qui me ad Iudaismum et Iudaicas traditiones ac superstitiones retrahant, sicut Magi quærentes Christum duce stella, cum eam velut meridiem se occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem et Scribas, qui Christum, et ob Christum Magos alia via in patriam redeuntes persecuti sunt, Matth. 2.

III. Dæmones.

Tertio, S. Bern. ser. 33. accipit dæmones, præsertim meridianos, qui scilicet licet sint nox, id est, tenebrosi per malitiam, tamen Christi meridiem, id est, splendorem et fervorem fraudulenter simulant et ostentant, ut fideles ad se alliciant et decipiant, iuxta illud Psal. 90. « Ab incursu et dæmonio meridiano. Itaque, inquit, nisi cordi illius quem forte aliquod istiusmodi dæmonium tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falsum convincat et prodat; non poterit omnino caveri, sed tentabit et supplantabit sine dubio sub specie boni, pro bono scilicet malum incauto et improvido persuadens. Et tunc meridies, id est maior claritas apparet tentans, cum quasi boni maioris imaginem præfert. »

IV. Optime, hæretici, et cæteri sacerdotal.

Quarto et optime, per *sodales* accipias hæreticos, Philosophos cæterosque errorum magistros, qui discipulorum greges post se trahere satagunt, ac subinde Christianos novellos ad se reipsa trahunt; hoc enim hic devitare cupit Ecclesia. Ita Cassiod. Iustus Orgel. Philo Carpathius, S. Ansel. et Bernard.

Tropol. Sodales, perversi Christiani.

Tropol. S. Greg. per *sodales* accipit perversos Christianos et falsos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis pervertantur: *Vere*, inquit, *in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens quam ille suavis et ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Sed qui sunt sodales Christi, per quorum greges sponsa vagari pertimescit, nisi falsi quique Christiani? qui aut nominis solius, aut etiam Sacramentorum communione fratres Christi vocantur: quia electis, quos ipse fratres vocavit, in Ecclesia cohabitando sociantur. Quorum multitudines bene per exprobrationem greges appellantur: quia dum quasi irrationabilia animalia sine ordine vivunt, seductoribus spiritibus ad devorandum traduntur. Per huiusmodi greges vagatur, quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborum stultitiam per similes cupiditates imitatur.* Concupiscentia enim est vaga, facitque hominem vagum, ut ab una, quam expertus fastidit, transeat ad aliam et aliam sine fine; quia quærit in eis satiem, et non invenit, iuxta illud Isaiæ 57. 17. *Abiit vagus in via cordis sui.* Et illud Ierem. 50. 6. *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.* Concupiscentia ergo circumducit animum ab una voluptate in aliam, ab uno scelere in aliud, eamque rotat, sicut rotatur lapis in funda, ad omnem iniuriam et vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, iuxta illud Sapient. 4. 12. *Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* Hoc significat τὸ ῥεμβασμὸς, id est *circumversa* vel *rotata in funda*, ut vertit Symmachus.

VOX SPONSI

ET SOCIORUM EIUS.

VERS. 8. SI IGNORAS TE, O PULCHERRIMA INTER MULIERES, EGREDERE ET ABI POST VESTIGIA (Hebr. POST CALCANEOS) GREGUM TUORUM, ET PASCE HÆDOS TUOS IUXTA TABERNACULA PASTORUM.

Vatablus

Vatablus et alii hebraizantes τὸ *te*, cum dicitur, *si ignoras te*, censent Hebraico pleonasmo redundare, et elegantiæ dumtaxat causa poni. Unde ipsi ex Hebræo vertunt: *Si ignoras tibi*, id est, *si ignoras*, sicut mox in Hebr. dicitur צאי לך *tsei lach*, id est, *egredere tibi*, id est, *egredere*, et alibi sæpe. Sic *te* vel *tibi* apud Latinos sæpe redundat, ut *tute hoc fecisti, vade tibi, vive tibi, ecce tibi*, id est, *ecce*. Sic sensus erit, q. d. Si ignoras, o sponsa, ubi cubem ego sponsus tuus in meridie, abi et sequere vestigia gregum et pastorum: inter eos enim me invenies quasi pastorum pastorem et principem. Hic sensus valde facilis et planus est, et sententiam alias impeditam expedit, claramque efficit. Ita Titelmannus, Hurtolanus, Sanchez, Sotomaior et alii hebraice periti.

Si ignoras te. I. Sensus

Verum Patres Græci et Latini urgent et ponderant τὸ *te*, æque ac Septuag. vertentes σεαυτὴν, id est, *teipsam*. Sic sensus esse potest: Primo, q. d. Si ignoras te, id est, tuam pulchritudinem, pulchrumque tabernaculum, in quo pasco et cubo in meridie; quia tuum tabernaculum pariter meum est, sicut tua pulchritudo pariter mea est: ubi enim est sponsa, ibi est et sponsus; ubi est Ecclesia, ibi est et Christus. Quare si id ipsum ignoras, egredere et abi post vestigia gregum et fidelium tuorum: tui enim greges, mei quoque sunt; atque ubi greges mei sunt, ibi sum quoque ego earum fidus et individuus pastor: *Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, puta Apostolorum et Doctorum: illos enim ego tibi præsides præfeci et magistros constitui, atque ego in medio ipsorum versor et dego, uti dum viverem in medio ipsorum, a parentibus meis inventus sum in templo, Lucæ 2. 46. iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. 20. Quare per hosce pastores ego te vera doctrina pascam, et in omni solis, id est, persecutionis, ardore solabor et protegam: hos si sequaris, non incipies vagari, nec incides in meos sodales, id est, æmulos et rivales hæreticos, cæterorumque errorum magistros. Ita S. Athan. in Synopsi et Iustus Orgelit. qui recte notant causam ignorationis sponsæ, cur scilicet illa ignoret ubi sponsus cubet in meridie, esse, quod ipsa ignoret seipsam suamque pulchritudinem; quare eam introspiciat, atque in ea sponsum inveniet.

Secundo, Nyssenus censet hæc verba non esse sponsi, sed adolescentularum ad sponsam querentem se solis æstu decoloratam, q. d. Esto tibi decolorata videaris; revera tamen es pulchra per excellentiam, id est, pulcherrima es mulierum; quod si ob persecutiones et ærumnas id ignoras, abi post tuos greges et Pastores, ab illis audies te laudari, tuamque pulchritudinem plenis buccis concrepari. Verum hic sensus videtur impertinens; non enim respondet interrogationi sponsæ quærentis, non, an ipsa sit pulchra, sed ubi sponsus pascat et cubet in meridie. II.

Tertio, Titel. et alii censent hæc dici per ironiam. Pupugerat enim sponsa sponsum stimulo zelotypiæ dicens: *Ne vagari incipiam*; quare sponsus stimulum hunc in eam iocando reflectit, veluti si amator quispiam volens persuadere sponsæ, quod nusquam alibi sic possit, ut apud ipsum, commode et honorifice tractari, ita eam alloquatur: Si ignoras temetipsam, o sponsa mea; si nondum tibi satis cognita est conditio tua, in qua apud me agis; egredere, et abi post amatores alios, illisque operam da tuis voluptatibus et desideriis explendis, ut videas et experientia ipsa tandem cognoscas quam sit dissimilis tua conditio ab illis quæ aliis adhærent amatoribus. Huc accedunt Cassiodor. et Beda, qui exponunt per comminutionem, q. d. Si ignoras, o sponsa, quod pulchra facta sis per Baptismum, et pulchrior futura per tribulationum, quas tibi idcirco immittere decrevi, tolerantiam, egredere a meo consortio, et errantium actus imitare. Et S. Gregor. hic: *Quisquis*, inquit, *nescit se in hoc positum, ut tentationes per sufferentiam vincat*, a *familiaritate Christi recedit; quia in bello positus cum Domino suo pugnare recusat.* III.

Quarto et genuine, videntur hæc esse verba non solius sponsi, sed et sociorum eius; unde et mox socii hi aiunt: *Murenulas aureas faciemus*, in plurali, non *faciam*, in singulari, uti ibidem notant Iustus, Rupert. Anselm. et IV. Genuinus.

S. Bernard. Sponsus ergo non per se, sed per socios suos respondet sponsæ: *Si ignoras te*, id est, tuas vias, tuos gressus, quibus ad me tendis, q. d. Si ignoras iter et viam, quam insistere debeas, ut ad locum, in quo pasco et cubo in meridie, pervenias: *Abi post vestigia gregum tuorum*: Hebr. *Exi tibi in calcaneis ovium*; Septuag. *Egredere tu in vestigiis gregum* (τὸ enim *tuorum* non est in Hebræo, nec in Græco) Symmach. *Egressa vade secundum vestigia gregum*, hoc est, sequere fidem, vitam et mores priscorum fidelium, qui Deo placuerunt, puta Patriarcharum et Prophetarum. Hi enim sunt tui, id est, non tam ad legem veterem, quam ad novam, Christique Ecclesiam pertinent, teste S. August. *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, id est, infirmos tuos fideles et peccatores, qui male olent, ut hirci et hædi ob putidam concupiscentiam, pascito iuxta tabernacula pastorum, id est, iuxta Ecclesias Apostolorum et eorum qui Apostolis successerunt: ab iis enim in fide et virtute firmabuntur, et a concupiscentiis curabuntur; quare ibi invenient sponsum animæ suæ Christum in meridie, id est, fulgore doctrinæ et fervore charitatis, recubantem, suosque fideles per Apostolos virosque Apostolicos pascentem. Alludit grammatice ad hædos, qui naturali instinctu agnoscunt matres, easque ex odore agnoscentes illico ad illas confugiunt. Fingitur enim hic sponsa hædos parvulos et infirmos pascere, et lactare, iuxta tabernacula pastorum, qui hircos et capras adultas pascunt; quare ex hædis, qui ex odore agnoscunt et advolant ad vicinas capras quasi matres suas, agnoscit sponsa pastrix ubi sit sponsus pastor ovium et caprarum.

Paraphrasis. Sensus est ergo, q. d. ait Hortolanus: Si quando, o Ecclesia sponsa mea pulcherrima, inter maximas persecutiones, et rerum omnium difficultates perplexa, et inops consilii hærebis, observa maiorum tuorum fidem, et in perferendis malis infractum animum, quæquo illi his veluti pedibus suis difficiles ingressi vias, reliquerunt impressa vestigia, heroica sua facta, raræ fortitudinis ac constantiæ, tibi tuoque gregi imitanda exempla. Iisdem tu quoque ingredere pedibus, eadem tere vestigia, eam rectam tuque et grex tuus perpetuam tenete viam: ea vos procul dubio, ad mea pastorum Principis aliorumque insignium pastorum perducet mapalia, in virentibus, irriguis et opacis Israeliticorum montium locis fixa. Ibi nullum, qui te deceptam vitiet, aut sollicitat, offendes pseudochristum, nullam pseudoprophetam; sed me ipsum, qui te incorruptam perpetuo servaturus sum et illibatam, verum Christum et legitimum sponsum tuum, meosque, qui gregem meum ex animi mei sententia, doctrina sana et scientia pascant, fidos pastores. Ibi iubeo ut pascas hædus tuos, tuos, inquam, filios tibi recens natos, quin et adultos, sed moribus adhuc et iudicio neophytos, lascivientes, auribus prurientes, rerum novarum cupidos, et voluptatum (quarum virus redolent) magis quam mei amatores. Ibi tuos hædos a meridiani solis incommodis tutos, cum reliquo meo grege iubeo ut facias accubare, prædicando verbum opportune, importune, obsecrando, increpando cum omni patientia et doctrina.

Huc accedit Chaldæus, qui de more Iudæis hæc applicans sic vertit: « Dixit sanctus et benedictus Mosi Prophetæ: Tu postulas ut deleatur illis exilium, Synagoga, quæ comparata est puellæ pulcherrimæ, et quam anima mea diligit, ambulet in viis iustorum, et ordinet orationem suam in ore Præfectorum suorum, et doceat generationes suas, et doceat filios suos, qui comparantur hædis caprarum, ut ambulent in domum Ecclesiæ et in domum doctrinæ: et propter illud meritum sustentabuntur in captivitate, donec mittam eis regem Messiam, qui ducet eos in requiem ad tabernaculum ipsorum, quod est domus sanctuarii, quam ædificabunt ei David et Solomon pastores Israel. »

Minus apposite aliqui pastores non veros, sed falsos hic accipiunt, q. d. Sequere vestigia gregum, id est, fidem et mores priscorum iustorum, sic fiet ut etiam impune hædos, id est, fideles tuos imperfectos, ductare possis circa tabernacula pastorum, perfidorum, inquam, illorum sodalium, quos pertimescebas, ideoque decrevi te similem facere equitatui meo, robori et potentiæ, quam ostendi in curribus Pharaonis, scilicet prosternendis et mergendis in mari Rubro.

Denique solatur sponsus animatque sponsam, compellando eam, *o pulcherrima mulierum*, q. d. Videris tibi, o sponsa sole persecutionum decolorata et obfuscata; at scito te ex dono et gratia Dei esse pulcherrimam mulierum. Id explicat et confirmat, dum subdit: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia*, etc.

Tropolog. primo, *si ignoras te, egredere*, etc. q. d. Cognitio sui ipsius est via ad cognitionem Dei, sicut ignoratio sui est ignoratio Dei; cognoscens enim suam infirmitatem, cogitur agnoscere Dei gratiam et omnipotentiam, eamque supplex invocare. Unde Agapetus Diaconus Admonit. ad Iustinianum Imper. *Qui se novit*, inquit, *Deum noscet. Deum noscens, Deo assimilabitur. Assimilabitur qui Deo dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt: at quæ cogitat loquitur, et quæ loquitur facit.* Vide S. Bernard. lib. 2 de Consider. ad Eugen. c. 3. et S. Ambros. ser. 2. in Ps. 118. et Origenem hic hom. 2. ex quatuor. Unde S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium: *Sis licet pulchra*, inquit, *et inter omnes mulieres species tua diligatur a me sponso tuo, nisi te cognoveris, et omni custodia servaveris cor tuum, nisi oculos iuvenum fugeris, egrediaris de thalamo meo, et pasces hædos, qui staturi sunt a sinistris.* Et S. Aug. serm. 50. de Verbis Dom. secundum Ioann. *Nisi*, inquit, *cognoveris temetipsam, quia una es, quia per omnes gentes es, quia casta es, quia colloquio perverso malorum sodalium corrumpi non debes. Nisi cognoveris temetipsam, quia recte mihi desponsavit ille, virginem castam exhibere Christo, recteque mihi teipsam exhibeas, ne malis colloquiis, sicut serpens Evam seduxit astutia, sic et tui sensus corrumpantur a castitate mea. Nisi ergo talem cognoveris temetipsam, exi. Tu exi; aliis enim dicturus sum: Intra in gaudium Domini tui. Tibi non dicam: Intra, sed, Exi: ut sis inter eos qui ex nobis exierunt, exi tu: sed nisi cognoveris temetipsam, tunc exi; si autem cognoveris temetipsam, intra: si autem non cognoveris, exi tu in vestigiis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. Exi in vestigiis, non gregis, sed gregum, et pasce non sicut Petrus oves meas, sed hædos tuos in tabernaculis, non Pastoris, sed pastorum, non unitatis, sed dissensionis.*

Tropol. I. Cognitio sui est via ad cognitionem Dei.

Secundo, ut homo veniat ad Deum animæ sponsum, oportet egrediatur ex suis affectibus et amoribus inordinatis, ac quasi ex seipso, ut scilicet exuat veterem hominem; sic enim novum, puta Christum, induat. Unde S. Ambr. de anima et Isaac cap. 4. docet animam conciliare sibi Dei præsentiam per sui cognitionem et mortificationem: *Cognosce igitur te*, inquit, *et naturæ decorem, et exi quasi exuta vinculis pedum, et nudo exerta vestigio, ut carnalia integumenta non sentias, vestigium mentis tuæ corporalia vincula non implicent, ut pes tuus speciosus appareat*, etc. *Hoc est ergo quod ait: Exi tu in calcaneis gregum et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum; quia per greges regnum intelligimus, eo quod potestatis sit gregibus præsidere: præsidet autem unusquisque sibi quadam potestate regali, si coerceat in se corporis luxus, et servituti redigat carnem suam. Ideo dictum est. Luc. 17. Regnum Dei intra vos est. Unde pulchre ait ad animam: Exi, id est, exi a servitio, exi a carnis imperio atque dominatu; et exi non in carne, sed in spiritu, exi ad regimen potestatis; ideoque addidit: Pasce hædos tuos, id est, rege ea, quæ in sinistra tua sunt. Nam si non regantur, facile labuntur. Coerce petulantiam et lasciviam tui corporis; edoma leves motus: pasce eos non in eis corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israel, sicut nemora obumbrantia super flumen.* Hoc est quod Deus Abrahæ, dum eum ad se vocaret, præcepit dicens: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui*, etc. Genes. 12. Hinc Ioannes Carmelita sic ex-

II. Exeat homo a vetere homine, ut induat novum.

plicat: Egredere, id est temetipsam interseca, mediamque concide, ita ut mentem ab appetitu distermines, ac duo quasi agmina constituas. Altero quidem in agmine appetitum sentientem, effrænesque ipsius motus recensebis. Ab hoc vero agmine mentem voluntatemque segregabis, alterumque numerabis agmen, in quo teipsam repones, et, indicto bello, agminis primi colloquia commerciumque vitabis. Sic viam arripies luceque frueris. *Abi post vestigia gregum tuorum*, hoc est, post greges gradere, non ut a motibus appetitus effrænis traharis, sed ut quasi verbere inflicto urgeas, et quo mens vocat, recte ire compellas: *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, id est, sensus rebelles hædorum more, dum recens sanguis effervet, exultantes, cum domueris, dictoque iam feceris audientes, ne patiaris otio se tradere, aut tam cito deseras, ac si rebellare nequeant, neque soleant: Sane si eos impune agere permiseris, fœdus rescindent, ac in te uno conatu irrumpent. Præside igitur illis, acriterque cæde, ac simul pasce iuxta casas mapaliave pastorum, qui sunt viri rerum divinarum consultissimi, Apostolorumque posteri ac hæredes, qui saluberrimas spiritualium dogmatum herbas sibi credito gregi carpendas porrigunt: quorum si dogmata toto pectore hauseris, ad meridiem ipsorum ducatu ocyssime properabis.

III. Tertio, anima ut Deum inveniat, debet sequi vestigia gregum, id est, Sanctorum, qui legem Dei sunt secuti, ac eius in sacra Script. dogmata velut pabula depaverunt. Eadem hædos, id est petulantes et effrænes concupiscentiæ motus, refrænet ex disciplina pastorum.

Symbol. Symbolice, S. Bernardus greges Dei, ait, sunt creaturæ, ex quarum vestigiis, id est, consideratione, vestigamus et pervenimus ad earum Creatorem, uti docet S. Thom. 1. part. qu. 5 art. 6. et qu. 47. art. 7. Vide S. Basilium hom. 11. Hexam. S. August. lib. 10. Confess. cap. 6. S. Gregor. 12. Mor. c. 8. Ita S. Antonius per hæc vestigia sponsi cubile, id est, Dei thronum et gloriam agnovit, uti refert Nicephor. lib. 11. cap. 42. Unde S. Antonii hoc erat axioma, imo definitio mundi: *Quid est mundus? Est liber divinitatis. Cœli enim enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Ps. 18.

Porro, Nyssenus legit, *si non cognoscis te ipsam, o Pulchra inter mulieres, egredere tu ex vestigiis gregum, et pasce hædos* in (vel, ut alii codices habent, *pro*) *tabernaculis pastorum:* sicque explicat: *O animo, quæ ex nigra facta es pulchra, si est tibi curæ, ut longo tempore duret gratia et decor tuæ formæ, ne aberres post vestigia eorum qui præcesserunt, sequere rationem, non vulgarem hominum consuetudinem rationis expertem: non aspicias ad pecudum vestigia, quæ per calces eos significant, qui vitæ terrenæ sunt affixi, etc. Non est enim apertum, an sit hædorum semita ea, quæ apparet, quam tu sequeris: propterea quod a te non cernantur, qui vestigiis suis vitam triverunt: postquam vitam transmiseris, et in mortis stabulum incluso fueris, timendum est ne in gregem hædorum ascribaris, qui ad sinistram collocandi sunt, quos ignorans eorumque vestigiis inhærens secuta es.* Et Origen. qui sic exponit, q. d. *Si non cognoveris te, quoniam regis es sponsa, et a me facta formosa, id tibi erit in pœnam, quod novissimo fies in vestigiis pastorum; idque non inter oves et iustos, sed inter hædos et peccatores, cum quibus habitans non poteris habere partem mecum.* Huc accedit

Hædi, immundæ cogitationes. S. Gregor. *Per hædos*, inquit, *immundæ cogitationes designantur: per tabernacula pastorum conventicula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit, iuxta tabernacula pastorum hædos pascit: quia quisquis obsistentibus tentationum gladiis viriliter non resistit, immundas cogitationes quasi hædos lascivos in corde nutrit, et efficitur ei similis, etiam qui a fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habeat, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*

Et S. Bernard. serm. 35. qui hæc accipit ut comminationem, q. d. Si ignoras, id est, si non consideras, non æstimas, non contemplaris immensa bona cœlestia, quæ tibi partim dedi, partim promisi: « Egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos sacrosque veritatis ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas, et magis tamquam una de sæcularibus, pascendis et oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum significant, et in iudicio collocandi sunt a sinistris) dicit vagos et petulantes corporis sensus, per quos peccatum tamquam mors per fenestras intravit ad animam. Cui et bene congruit, quod sequitur in Scriptura, iuxta tabernacula pastorum. »

Denique Rupertus hæc adoptat B. Virgini, quæ pulcherrima fuit omnium non tantum fœminarum, sed et creaturarum omnium, in cuius utero, quasi in templo, imo quasi in cœlo, Christus cubavit, quasi Christus ei dicat: Cum non ignores te ipsam, quod sis mater Dei, ac benedicta inter mulieres, cognoscis pariter ubi ego cubem, nimirum in tua fide et humilitate. Tu enim dixisti: « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ergo ex fide et humilitate, imo fides et humilitas tota pulchritudo tua est, et hic est locus requietionis meæ; locus in quo dilectus tuus pascendo et cubando delicietur in meridie, id est, in hoc tempore plenæ gratiæ, quando figura iam præterita, res illuxit; umbra depulsa, sol veritatis ascendit. » — De B. Virgine.

VERS. 9. EQUITATUI MEO IN CURRIBUS PHARAONIS ASSIMILAVI TE, AMICA MEA.

Equitatus Pharaonis quis? Pro *equitatui* hebraice est לסוסתי *lesusathi*, id est, ut Septuag. τῇ ἵππῳ, id est, *equæ meæ*, vel potius *equitatui meo*: Syrus, *equæ meæ in curru Pharaonis assimilavi te*; Arabicus, *nominavi* (laudavi, celebravi) *te, o proxima mea, in equo meo, in curribus Pharaonis.* Iam

PRIMUS SENSUS.

Respond. I. Primo, nonnulli censent Salomonem hic sponsam suam comparare equæ cuidam currili lectissimæ, generosissimæ, et pulcherrimæ, qua præ deliciis ipse utebatur in agitandis curribus Pharaonis; vel qua Pharao filiam suam curru vexit ad Salomonem, quasi sponsam ad sponsum: quo symbolo significatur, sponsam cum sponso similem esse equo et equæ eumdem matrimonii vitæque currum pari consensu trahentibus; a iugo enim hoc equorum, matrimonium dictum est coniugium, quod coniuges sint, quasi duo equi ad eumdem currum coniugati, ut matrimonii onera paribus humeris sustineant, eiusque difficultates paribus viribus superent. Rursum hoc symbolo significatur sponsam debere se moribus viri accommodare, et hunc vicissim sponsæ infirmitati se attemperare, sicut in curru trahendo equi iugales alter alteri se accommodat. Significatur ergo hac equæ metaphora mutuus sponsi et sponsæ amor, mutua observantia, mutua concordia, mutuus labor, mutua obsequia et officia. Sic Lyricus comparat virginem speciosam equæ:

Quæ velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi.

Notum est proverbium: *Equa Thessala.* Igitur equa notat; Primo, Ecclesiæ velocitatem: equæ enim velociores sunt equis, ut maxime liquet in Hispanicis. Ita Theodoret. Sponsus, ait, cum sponsam amoris æstu percitam, et ad se festinanter currentem cerneret, equæ aeripedi illam similem asseruit. Secundo, eius obedientiam et mortificationem, quod cum in gentilismo viveret indomita, iam iugo Christi cervices submiserit. Ita S. Ambr. ser. 2. in Psal. 118. Tertio, amplitudinem, quod celerrime per totum orbem discurrerit, Christique fidem propagarit. *Cœpit sponsa Christi*, ait ibidem S. Ambr. *concordia et mansuetudine populari, esse sublimis, et toto circumferri orbe tamquam currus, et equis velocibus supra mundum rapta ascendit ad Christum.* Quarto fœcunditatem: Ita S. Ambr. de Isaac et anima cap. 4. *Virtutis labor*, ait, *quærit victoriam, ut possit equæ illi, quæ Salomonis est, comparari; velox ad currendum, habilis ad portum; quoniam fœcun-*

Equa notat quatuor.
1. Ecclesiæ velocitatem.
2. Eius obedientiam.
3. Amplitudinem.
4. Fœcunditatem.

ditas animæ desideratur et quæritur. Huic equæ similis æstimatur hæc anima, hoc est, Propheticæ vel Apostolicæ virtutis; eo quod in eorum annumeretur gregem, qui fœcunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia resperserunt, et quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia.

II. Equitatus bellicus. Secundo, nervosius hæc accipies de equitatu curruum bellicorum. Alludit enim ad equos bellicos, quos sibi ex Ægypto a Pharaone coemebat Salomon: Ægyptus enim optimorum equorum erat ferax. Vide historiam 3. Reg. 4. ubi inter alia dicitur: *Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium*, etc. Sensus ergo est, q. d. Queste es, o sponsa, te æstu persecutorum decoloratam, atque timere, ne Paraphrasis. rursum vagando incidas in sodales, id est, æmulos meos ac tuos: quare quæsisti, ubi cubem in meridie, ut sub umbra mea ab omnibus hostibus tuta securaque quiescens, ac hœdos tuos petulantes pascas et compescas iuxta tabernacula pastorum: video te ad tantas difficultates, persecutores et hostes expavescere; adde ergo tibi animum, dicoque me tibi daturum vires et robur tantum ut similis esse videaris equitatui bellico, quem Salomon comparavit a Pharaone, quo hostes omnes superes. Ad bellum enim te voco, ac per te totum mundum mihi subiugare destino, ut principem mundi diabolum cum toto suo præsidio inde exigam; et quos ille in captivitatem redegit fratres meos, suæ libertati restituam. Nimirum Apostolos virosque Apostolicos ex te submittam, qui velut equi generosi maria terrasque celerrime percurrant, et me ipsis velut inequitantem per medias hostium acies invehant, ac populus undequaque prosternentem circumferant. Per me namque sola mea præpotenti dextera fretus, fortia et admiranda facinora edam, atque arduum et memorabile hoc bellum tua quasi victoris equi et equitatus opera conficiam, vincam et triumphabo. Hinc S. Ioannes mundi per Apostolos ad Christum conversionem vidit repræsentari equo albo: *Ecce*, inquit, *equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Apoc. c. 6. v. 2. Hac de causa sponsam Ecclesiam c. 6. v. 9. comparat castrorum aciei ordinatæ.

III. Currus Pharaonis, in mari rubro submersi. Rursum, *currus Pharaonis* cum Aponio, Beda et S. Bernardo accipi possunt, non quos Salomon emit a Pharaone, sed quos Deus prostravit in mari rubro, q. d. Tu, o Ecclesia mea, a me assimilaberis equitatui meo, quem opposui equitatui et curribus Pharaonis, cum pro Mose et Hebræis pugnans eos profligavi, et in mare demersi. Simili enim modo per te omnes tuos hostes infideles profligabo, sed ita, ut ex infidelibus faciam fideles, ex hostibus amicos, ex rebellibus subditos, ex feris homines, ex mortuis vivos, ex dæmonibus angelos: quare eos per mare rubrum, id est, per Baptismum sanguine Christi quasi rubricatum, deducam in terram promissam, non in terra, sed in cælis. Ita Cassiod. Aca. et Beda, qui et addit, id fieri duce columna ignis, et nubis, id est, gratia Spiritus sancti. Vide dicta Exodi 14. Porro equitatus Dei fuit angelicus: angeli enim pugnantes pro Deo et Hebræis prostraverunt Pharaonem. Unde Ioannes Carmelita sic explicat: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*, hoc est angelo, quo tamquam equo meo vehebar olim, cum in sinu Arabico currus Pharaonis everterem, te similem feci. Huc facit illud Habac. 3. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Et vers. 8. *Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio*, etc. Alludit ad Psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.* Ille enim Psal. 67. idem connubii Christi et Ecclesiæ argumentum tractat, quod Canticum hoc. Ita Chald. quem audi: *Quando egressi sunt filii Israel de Ægypto, secuti sunt Pharao et exercitus eius post eos in curribus, et in equitibus, et erat via clausa eis a quatuor partibus, a dextris et a sinistris erant deserta plena serpentibus igniis: et post tergum eorum erat Pharao impius, et exercitus eius, et similiter ante eos erat mare carectosum. Quid fecit illis sanctus et benedictus? revelatus est in virtute potentiæ suæ super mare, cum suffocatus est Pharao, et exercitus eius, et currus, et equites, et equi eius; et similiter periisset Israel, nisi Moses Propheta extendisset manus suas in oratione coram Domino: et avertisset iram Domini ab ipsis, et aperuerunt ipse et iusti generationis illius os suum, et dixerunt canticum, et transierunt in medio maris carectosi per siccum, propter meritum Abraham et Isaac et Iacob, dilectorum Domini.* Huc accedit Origen. qui sic exponit: *Si vis intelligere, o sponsa, quomodo scire te debeas, cognosce cui te comparaverim, et tunc videbis talem te esse quæ turpari non debeas, cum tuam speciem cognoveris. Assimilata enim es equitatui meo in curribus Pharaonis; siquidem quantum differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tanto melior es filiabus omnibus, tu amica mea.*

Haymo vero, per *equitatum* Dei accipit ipsos filios Israel salvatos in mari rubro, quibus similis fit Ecclesia, quando per aquam Baptismi salvatur.

Symbolice: Sota maior censet hunc esse equitatum amoris, quo sponsa devicit, sibique devinxit sponsum, q. d. Equidem, o sponsa charissima, ut primum te vidi, tantum me penitus tibi devinxisti, et plane animum meum quasi expugnasti eximia specie et pulchritudine tua, usque adeo fortiter et vehementer, ut non minus fortis et potens mihi esse videaris in amore quam equitatus ille meus iunctus curribus Pharaonis, fortis et robustus est in bello ad pugnandum, et vincendum et profligandum populi Dei hostes. Sic Plato in Symposio, vel de Amore, inter alias amoris excellentias hanc ponit præcipuam, quod potentissimus et fortissimus sit, atque etiam ipso Marte, id est, Deo bellatore, et auctore belli fortior. Sic enim ibi ait: *Quod ad fortitudinem præterea attinet, neque Mars equidem amori resistit. Neque enim Mars amorem, sed amor deæ amoris (ut fertur) Martem detinet. Potentius autem est id quod detinet, quam id quod detinetur. Qui vero cæterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus iudicandus est.* Divinius S. Bern. ser. 64. exclamans: *O suavitatem*, inquit, *o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.* Sic Boetius lib. 2. de Consol. metro. 8. ait amorem cælo dominari: *Et cælo*, inquit, *imperitans amor.* Quia et sponsus hic cap. 8. vers. 6. *Fortis*, ait, *est ut mors dilectio.*

Symbol.

Amor triumphat de Deo.

Et cœlo dominatur amor.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Per equum et equitatum primo, Philo Carpathius legens, *equis meis*, et tres Patres apud Theodoretum accipiunt Apostolos, quibus quasi equis insidens Christus profligavit currus Pharaonis, id est, Gentes infideles, easque sibi subiecit, atque in iis velociter et fortiter quasi equitando, currum Evangelii sui illico circumegit per omnes gentes. Sic Eliam curru igneo et equis igneis ascendenti in cælum succlamavit Eliseus: *Pater mi* (tu es) *currus Israel et auriga eius*, 4. Reg. 2. 12. q. d. Tu, o Elia, Israeliticum populum, ut currus, tuis meritis portabas, et, ut auriga, tuis consiliis regebas. Quis, te in cælum rapto, iam Israelem portabit et reget? I. Sensus, equi Apostoli.

Secundo, Nyssenus, Aponius et S. Bernardus per *equitatum* accipiunt angelos, qui uti olim quasi equites Dei prostraverunt currus Pharaonis in mari, ita nunc prosternunt dæmones, et quoslibet homines animam iusti impugnantes. II. Equitatus, angeli.

III. *Equitatus animæ ad fidem conversæ.*

Tertio, Origenes hom. 2. ex quatuor, et ex eo Aponius, per *equitatum* accipiunt animas, quæ ex infidelitate aut peccato per prædicationem Apostolorum et gratiam Christi traductæ sunt ad fidem et sanctitatem, itaque ex equitatu diaboli factæ sunt equitatus et equæ Dei; nam ut hic ait Thomas Cisterciens. *Omnes qui mala agunt, sunt equi in curribus Pharaonis; scilicet diaboli, a quo tamquam auriga diriguntur et agitantur;* sed hi conversi fiunt equi Dei in curribus Christi cum frænum disciplinæ eius suscipiunt, iugum Evangelii portant, et spiritu eius aguntur. Unde Aponius v: *in curribus*, explicat *ex curribus Pharaonis*. Hi enim a Christo sessore sinunt se flecti ad omne bonum, quocumque illi libuerit, atque ab omni malo licet delectabili et concupiscibili refrænari, uti dixi Apoc. 6. v. 2. *Mutato,* inquit Aponius, *magno sessore magni efficiuntur equi, qui portant Spiritum sanctum. Et in quibus solebat sedere Pharao, qui disperdens vel dissipans eos interpretatur, qui utique princeps intelligitur mundi, nunc vehitur in eis princeps cælestis militiæ, Christus: et quos consueverant auctores vitiorum ministri Antichristi trahere per saxosa convallia criminum, nunc a potentibus et mansuetis equis Apostolis, vita, exemplo, et sana doctrina trahuntur per iustitiæ campos, in quibus rotæ sunt voluntas et rationabilis sensus; temones, agens officium, per quem aut Pharaonis aut Christi unusquisque efficitur currus. Et quam sint splendidi veræ conscientiæ auro obtecti, quam refulgentes in omni sancta conversatione hi, qui ex Pharaonis, Christi effecti sunt currus, evidenter agnoscitur, ubi eos Domini equi trahere asseruntur. Quibus etiam pro sublimi laude animam suam assimilat Christus dicendo: Equitatui meo, et reliqua.*

Currus conversorum.

Audi S. Greg. « Scimus quia equitatus Israeliticus currus Pharaonis fugiens in mari demersos reliquit, nec statim terram repromissionis intravit; sed prius multas tentationes in eremo quadraginta annis sustinuit, multos reges multis laboribus expugnavit, et sic tandem quod promissum sibi fuerat, laboriose acquisitum suscepit. Huic sancta anima, sponsi amica, similis efficitur, quæ prius in baptismo omnia peccata sua extincta quasi Pharaonis exercitum reliquit; et post, dum inter huius mundi habitatores, malignos scilicet spiritus, vivit, imminentia vitia quasi reges alienos prosternit, et sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit. » Vide S. Bern. ser. 39. ubi per *currus Pharaonis* accipit cuncta vitia, præsertim malitiam, luxuriam, avaritiam, ac singulis suos aurigas et equos consimiles assignat.

IV. *Equa anima Christi et humanitas.*

Quarto, Origen. hom. 2. ex quatuor et Theod. per equam accipiunt sanctissimam Christi animam et humanitatem, cui insedit divinitas, eamque velut auriga egit per tot heroica virtutum omnium opera (humanitas enim Christi hic primaria est sponsa, quam Verbum, ut sponsus sibi despondit, uti dixi in proœmio c. 2) Christus enim humanitati suæ assimilat animam iusti, quasi eam sic alloquatur: Te animam propinquam meam factam, atque ideo propinquam appellatam, et reipsa nominis fructus assecutam, equæ dico esse similem meæ, qua ego utens Pharaonem intelligibilem submersi, tibique largitus sum libertatem, iuxta illud: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, Philip. 3. 21. Et: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate, in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*, 2. Corin. cap. 3. v. 18.

V. *Equa anima iusti.*

Quinto, S. Hieron. in illud Habacuc 3. 8. *Qui ascendes super equos tuos*, censet animam iusti hic comparari equæ proprie dicto, quod instar equi ratione et voluntate carentis frænari et regi se sinere debeat ab auriga et sessore Christo, ac dicere cum Psalte: *Ut iumentum factus sum apud te*, Psalm. 72. 23.

Anima equitatus.

Plenius S. Bernard. hom. 39. ostendit animam sanctam, non tantum esse equam, sed equitatum potentissimum Dei: *Nec miraberis,* inquit, *unam animam equitatus multitudini similatam, si advertas quanta in ipsa una, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum.* Hinc autem multiplicem de hoste victoriam, ita sigillatim post nonnulla enarrat; *Ibi populus eductus est de Ægypto, hic homo de sæculo: ibi prosternitur Pharao, hic diabolus; ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia et sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur; illi in fluctibus, isti in fletibus: marini illi, amari isti. Puto et nunc clamare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam. Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat cum eo.*

Igitur anima obediens et sancta est equus et equitatus Dei, quia ad obediendum et ad omne opus bonum, quod iubet vel consulit Deus promptissime, velocissime, efficacissime, totoque spiritus impetu procurrit instar angelorum, de quibus canit Psaltes Psal. 103. 4. et Apost. Hebr. 1. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Rupertus per equum et equitatum accipiens virgam Mosis, per quam velut per equitatum Deus Pharaonem prostravit et mersit in mari, asserit per eamdem denotari B. Virginem: « Sicut enim virga illa, ait, virgas maleficorum et incantatorum devoravit, et omnem superbiam Ægyptiacam obtrivit, ac deinde germinavit, fronduit, floruit et fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cælesti supra usum naturæ provecta: sic tu pulcherrima mulierum amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli deiecisti, concepta florida, partu fructifera: virgo in conceptu, incorrupta in partu; virgo ante partum, incorrupta post partum. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? Vere pulcherrima. »

Hinc B. Virgo contrivit caput serpentis, id est, Luciferi, omniumque eius asseclarum. Gen. 3. quales sunt hæretici: quocirca B. Virgini vere et iure accinit Ecclesia: *Quæ sola universas hæreses in universo mundo interemisti.* Id enim vere ei tribui, patet ex omnium hæreticorum ætatumque historia.

VERS. 10. PULCHRÆ SUNT GENÆ TUÆ SICUT TURTURIS: COLLUM TUUM SICUT MONILIA.

PULCHRÆ SUNT GENÆ TUÆ SICUT TURTURIS.) q. d. Tua, o sponsa (id est, Ecclesia et anima fidelis) castitas, ac virginalis pudor relucet in genis tuis, æque ac in genis turturis. Hebr. est תורים *torim*, id est, turturum in plurali. Verum pluralis ponitur pro singulari. Unde *turturis* vertit Noster, et Septuag. Chald. et Rabbini *torim* vertunt, *inaures, gemmas, torques, margaritas, monilia*; R. Abraham, *inaurculas, quæ depictæ erant instar turturis*; alii, *inaurculas ad turturis speciem effigiatas, quæ ex temporibus descendentes usque ad genas, eas mire exornabant.* Unde Vatabl. vertit, *venustæ sunt genæ tuæ inter inaurculas, et collum tuum inter monilia*; Syrus, *speciosæ sunt genæ tuæ cum cincinnis, et collum tuum cum torque.* Verum melius vertit Noster. Hebr. enim תור *tor* proprie turturem significat per onomatopœiam a sono vocis, quem gemendo turtur edit; non monile aut quid simile. Adde, Nostrum et Septuag. in Hebr. legisse כתורים *cattorim*, id est, *sicut turturum*, non בתורים *battorim*, id est, *inter turtures*, vel inaurculas, aut monilia turturibus similia. Denique aptius genæ sponsæ turturibus, quam monilibus comparantur, quia turtures pudici sunt, mansueti (unde et carent felle) modesti et verecundi, idque maxime oculis et genis repræsentant: *In genis enim est sedes pudoris,* ait Plinius lib. 11. cap. 37. Sic cap. 4. 1. ait: *Oculi*

Variæ versiones.

tui columbarum: columbarum enim species una sunt turtures.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Explicat, et per partes confirmat sponsus per suos sodales, quod generatim dixit sponsæ: *O pulcherrima mulierum.* Unde pulchritudinem genarum et colli eius hic repræsentat, q. d. Facies tua a sole fuscata splendet et nitet argenteorum turturum fulgore. Alludit ad illud Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros* (eritis) *sicut pennæ columbæ deargentatæ.* Addit Nyss. ne quis ex eo quod sponsam compararit equæ vel equitatui, ac hædorum eam pastricem dixerit, eam lascivam et luxuriosam æstimet, quales sunt equæ et hædi: hinc ut hoc abstergat, assimilare eam turturi, quæ perennem fidem compari servat, ac castitatis est symbolum.

Communis Patrum expositio est per *genas pulchras* significari hic verecundiam et castitatem sponsæ, puta Ecclesiæ; hæc enim prima et summa sponsarum est dos, quæ maxime in genarum rubore et pudore resplendet. Ecclesia enim non alium sponsum, quam Christum amat, illum unum cogitat et loquitur, ad illum absentem, instar turturis, gemit et suspirat. Ita Origen. Theodor. Cassiod. Nyssen. S. Gregor. Philo, Beda, Iustus, Aponius, Rupert. Anselmus, Bernard. et S. Ambros. serm. 3. in Psal. 118. Unde Septuag. per interrogationem et admirationem vertunt: *Quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis?* ubi Orig. urget τό *factæ sunt*, q. d. Ecclesiæ genæ primitus, dum in gentilismo viveret, non erant speciosæ; at postquam susceperunt osculum sponsi in lavacro Baptismi speciosæ factæ sunt; quia post Christum et per Christum excoli cœpit castitas et virginitas. Notatur ergo hic magna virginum et continentium copia in Ecclesia Christi, per eiusdem doctrinam et exemplum. Unde Aponius symbolice, per turturem accipit ipsum Christum; huius enim virginalem verecundiam imitari satagit Ecclesia, unde sicut turtur, absente compare, gemit assidue, sic Ecclesia continuo gemit et suspirat ad Christum, ut eo fruatur in cœlis. Porro Chald. pro turture vertens, inaurem et frænum maxillæ, censet per illum notari obedientiam Synagogæ: *Quando*, inquit, *egressi sunt ad desertum, dixit Dominus ad Mosen: Quam pulcher est populus hic, ut dentur eis verba legis, et sint sicut inauris in maxillis eorum, ut non recedant a via bona, sicut non recedit equus in cuius maxilla est frænum.*

Turtur Christus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Turturis et animæ piæ collatio.

I. Primo, sicut turtur non nisi unum admittit marem, eoque mortuo, vitam agit vidualem in continuo gemitu et luctu: sic anima sancta, non nisi sponsum Christum diligit, eiusque passionem et mortem luget assidue, ac ad eum in cœlis suspirat; quare eius absentiam deflet, ut crebro eius genæ madeant piarum lacrymarum imbre. Turtur enim monogamus est, et femella, amisso coniuge, aquas vitat limpidiores, ne se in aquis conspectu, coniugis recordetur. Viduæ autem ideo in turturibus frequentiores sunt, quod mares ut refert Aristot. l. 9. Histor. Animalium c. 7. citius mori soleant, et minus vivaces sint. Hinc illud Virgilii:

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

Turtur symbolum monogamiæ, viduitatis, et fidelitatis.

Turtur ergo symbolum est primo, monogamiæ; secundo, viduitatis; tertio, fidelitatis. Unde Goropius Becanus in Saxonicis ab Hebræo תור *tor*, et Latino *turtur*, dictum putat Cimbricum et Belgicum *trou*, id est, fidelitas per metathesin, et *trouwen*, id est, nubere, et coniugi fidem coniugii dare, uti turtur eam dat turturi compari suo. Heliogabali nummus exstat, in quo visitur fœmina gestans turturem cum hoc lemmate: *Militum fides*, q. d. Sicut turtur fida est suo compari, sic miles fidus sit suo duci. *Turtur*, ait S. Gregor. *postquam parem suum perdiderit semel, numquam alteri se iungit, sed semper solitaria habitans in gemitu perseverat; quia quem diligebat non inveniens, quærit. Sic sancta quæque anima, cum a sponso suo absens est, ab eius amore non recedit, sed in eius desiderium semper anhelat et gemit; et dum illum quem valde diligit, non invenit, quin ab omni aliena amore se retrahit, quasi in genarum verecundia castitatem cordis ipso habitu et actu exteriori ostendit.* Et S. Bern. de Modo bene vivendi ad sororem cap. 10. *Pulchræ sunt genæ*, inquit, *sicut turturis. Natura turturis est, ut si per occasionem perdiderit coniugem, alterum amplius non quærat. O sponsa Christi, assimilare et tu huic turturi, et præter Iesum Christum sponsum tuum, amatorem non quæres alterum. O sponsa Christi, esto similis turturi, et luge die ac nocte cum desiderio Iesu Christi sponsi tui, quia iam ascendit ad cælos, ut aliquando faciem illius videre merearis in dextera Patris. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In genis solet esse verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, si præ verecundia Iesu Christi sponsi tui nihil contra voluntatem illius facis; genas habes turturis, si cum amore et reverentia Christi ea quæ illi displicent postponis: genas habes turturis, si præter Christum alterum amicum non diligis.* Similia habet S. Chrysost. hom 8 de turture tom. 5.

II. Secundo, turtur ut castitatem servet, amat solitudinem, ac in locis remotis nidificat, pullosque generat et nutrit, ubi ab hostium incursu sint remoti et tuti. Idem facit anima sancta. Audi S. Bernar. ser. 40. « Omnino supra se est angelorum Domino desponsari. An non supra te adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiamque ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo, qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. » Et post nonnulla: « Solus es, si non communia cogitas, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es.

Turtur amat solitudinem.

III. Tertio, turtur suo luctu repræsentat animam non dissolutam et intemperantem, sed moribus æque ac sermonibus compositam, gravem, temperantem, orationi et compunctioni deditam; quæ gulam et libidinem refrænet per temperantiam, iram per patientiam, pusillanimitatem per fortitudinem, etc. Ita tres Patres apud Theodor. *Turturi enim pro cantu est planctus.* Unde vox turturis fuit vox S. Magdalenæ plangentis sua peccata. Hinc turtur gemebundus notat animam meditabundam, quæ gemit et luget suas aliorumque culpas et ærumnas huius peregrinationis, et exilii nostri. Hinc quoque turtur symbolum est sapientiæ. Nam *cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia* Eccl. 7. 5. Hinc et proverbium: *Caro turturis cibus est sapientum.* Nam ut docet Aldrovandus in turture, turturis caro non crassum, sed tenuem dat succum, qui facile in subtiles spiritus animales convertitur; hi enim appositi sunt planeque subserviunt meditationi et contemplationi. Hinc rursum turtur meditabundus typus est providentiæ, quæ futura præmeditatur et prospicit, teste Pierio in Hierog. Unde illud Ierem. 8. 7. *Turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui.*

Turtur gemebundus.

Turtur symbolum sapientiæ, Cur?

IV Quarto, S. Bern. ser. 40 per *genas*, accipit rectam intentionem, quam Christus oculis comparavit, Matth. 6. 22. oculos autem circumdant et sustinent genæ. Unde Cicero

Genæ, recta intentio.

de Natura deor. Genæ, ait, ab inferiore parte tutantur oculos subiectos, leniterque eminentes. Suntque binæ, quia in intentione considerari debent duo, scilicet res et causa, hoc est, quid intendas, et propter quid intendas. Audi Plin. l. 11. c. 37. *Infra oculos malæ, quas prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi a fœminis eas vetantes; pudoris hæc sedes. Ibi maxime ostenditur rubor; infra eas hilaritatem risumque indicantes buccæ;* et paulo ante: *Graviores alitum inferiore gena connivent. Eadem nictantur, ab angulis membrana obeunte. Columbæ et similia* (ut turtures) utraque conniveut, etc. *Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocavere, unde et supercilia. Hoc vulnere aliquo diductum non coalescit.* Talis prorsus est intentio, æque ac castitas et pudor virginalis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Pulchræ genæ notant eximiam puritatem et verecundiam B. Virginis, quæ ut turtur assidue gemebat mortem turturis, id est Christi dilecti sui. Nam, ut ait S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. *Turtur avis pudicissima, semper habitans in sublimibus typus est Salvatoris.* Hinc et ipsa pro filio in Purificatione obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, Lucæ 2. ac cum Ioseph marito suo servavit castitatem, non tantum coniugalem, sed et virginalem, ac post eius mortem, vidualem. Hinc api comparatur. Apes enim copulam carnalem nesciunt, sed virgines concipiunt pariuntque suos fœtus, uti B. Virgo miro modo in se copulavit virginitatem et fœcunditatem, sive maternitatem. Audi S. Ambros. lib. 1. de Virgin. *Digna virginitas, quæ apibus comparetur; sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virgini est sermo divinus, quia sicut ros, Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura: partus virginis fœtus laborum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis.*

B. Virgo api comparata.

Collum tuum sicut monilia.) Noster cum Septuag. legit כחרוזים *cacharuzim*, id est, *sicut monilia*, alii legunt בחרוזים *bacharuzim*, id est, in *monilibus*, q. d. Collum tuum circumdatum est monilibus. Porro Pagnin. et Rabbini *charuzim* interpretantur torques et margaritas perforatas, filo copulatas. Solent enim matronæ, ut decorem sibi concilient, collum ornare torquibus et margaritarum coronis. At sponsa hæc externis hisce ornamentis non eget; ipsa sibi ornamentum, ipsa margaritum est, ac vere margarita nominari potest. Ita Orig. Theodor. et S. Bern. Huc facit illud S. Hieron. ad Eustochium: *Margarita est sermo Dei, et ex omni parte perforari potest.* Est disparata hic comparatio, prius enim genas sponsæ comparavit turturi, hic collum comparat monilibus. Sic enim Hebræi disparata sæpe combinant. Unde c. 4. 1. oculos sponsæ comparat columbæ, dentes gregibus, labia vittæ coccineæ, genas fragmini mali punici, collum turri, ubera hinnulis. Addunt nonnulli turtures sæpe esse torquetos plumis colli exstantibus, ideoque sponsæ huic turtureæ dari torquem et monilia.

Varia lectiones.

Turtures torquati plumis.

PRIMUS SENSUS.

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Proprie collo, quod oneri et iugo, æque ac capiti subiicitur, significatur subiectio et obedientia Ecclesiæ, quæ Christo sponso, Deique legibus per omnia obedit, quæ eam non tam gravat quam ornat, uti monile; iuxta illud Prov. 1. 8. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* Vide ibi dicta. Hinc sicut collum non est rigidum sed tortile et versatile in omnes partes, quo caput iusserit, ideoque rotundum; sic et obediens, agilis et versatilis est ad omnia opera quæ superior præceperit. Audi Aristot. lib. 4. de Partib. animal. c. 10. *Collum arteriæ gratia habetur; quippe quod eam atque etiam gulam protegat, amplexuque suo tueatur. Hoc cæteris animalibus flexibile et vertebris compactum est; at lupo et leoni osse perpetuo riget. Commodius enim ad robur, quam ad cæteros usus collum iis esse natura voluit.* Unde Chald. vertit: *Et quam pulchra sunt dorsa eorum, ut sustineant dorsum præceptorum meorum, et sunt super eos sicut iugum super cervices bovis, qui arat in aratro, et sustentat se et dominum suum.* Sic et Theod. et alii passim.

Colli monile est obedientia.

Hinc in Scriptura, quin et apud profanos, collum flexile, submissum denotat et obsequentem, collum vero durum, rebellem et contumacem. Unde illud Isaiæ 48. 4. *Scivi quia durus es, et nervus ferreus cervix tua.*

Secundo, sicut collum medium est inter caput et corpus, ac capitis influxum et spiritus excipit, derivatque in omnia membra, atque illa capiti connectit et subordinat: sic et obedientia iungit subditos Superiori, eiusque præcepta et consilia, spiritum et virtutem in illos derivat.

Tertio, sicut collum continet arteriam, qua vitalem halitum trahimus, et gulam, qua in stomachum cibum traiicimus: sic obedientia menti vitam vitalemque spiritum aspirat, ac cibum non corporalem, sed spiritalem voluntati, quæ quasi stomachus est animæ, subministrat. Audi Aristot. l. 1. Hist. animal. c. 12. « Collum quod inter pectus et faciem est, cuius pars prior guttur, posterior gula, quantumque colli ipsius cartilagineum priorem obtinens situm, vocem transmittit et halitum, id arteria nominatum est: at vero quantum interius carneum spinæ præiacet, Gula dicitur: pars autem posterior colli extima, Cervix appellata est. » Idem l. 3. de Part. anim. c. 3. « Collum, ait, capiti subiacet iis, quæ id habent animalibus; non enim omnia habent, sed ea tantum quibus sunt partes illæ, quarum gratia collum conditum est; hoc est guttur, et quæ gula vocatur. Guttur spiritus causa datum est; hoc enim spiritum animalia trahunt et reddunt, et respirando, et expirando, quamobrem quæ carent pulmone, collo etiam carent, ut genus piscium. Gula est qua cibus et potus devoratur: itaque ea quæ carent collo, gulam hæc manifestam non habent.

Hinc sicut genæ notant virgines in Ecclesia, sic collum denotat Monachos et Religiosos, quorum professio est obedientia, iuxta illud: *Collum vestrum subiicite iugo, et suscipiat anima vestra disciplinam.* Eccli. 51. 34. *Iniice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subiice humerum tuum, et ne acedieris vinculis eius,* ibidem c. 6. v. 25. Et: *Liga ea in corde tuo, et circumda gutturi tuo,* Prov. 6. 21. et Sicut enim torques totum collum ambit et complectitur: sic obedientia totum Religiosum, omnesque eius actiones, totamque vitam complectitur, ut nihil ei agere liceat, nisi quod superiori libeat. Insuper sicut torques e margaritis contextus plurimas continet margaritas: sic obedientia omnes virtutes. Sola virtus est obedientia, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit, ait S. Gregor. 35. Moral. cap. 10. Quare obedientia est corona et rosarium virtutum omnium.

Obedientia est corona virtutum.

Porro pro *monilia* Septuag. vertunt, ὁρμίσκους, quod primo S. Ambros. ser. 3. in Psal. 118. vertit, *redimicula*, q. d. Obedientia collum obedientis et religiosi non tam deprimit, quam redimit et instar torquis decorat et coronat. Hinc religio dicitur a religando, quod mentem ante a Deo per peccatum divulsam, religet Deo. Quid autem nobilius quam religari et copulari Deo? Audi S. Ambros. *Cervix tua sicut redimicula. Portate Christi iugum; suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera: attolle ergo oculos tuos ad Dominum Deum tuum, et quære Deum, et invenies. Erige cervicem; redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, et phalerari sibi magis, quam nudari videntur. Genæ sic-*

Religio a religando.

ut turturis præferent insignia verecundiæ: redimicula A *cervicis, libertatis attollunt fiduciam: leve est enim iugum Christi, et ideo cervix eo non premitur, sed levatur.* Hinc Origen. hom. 2. ex quatuor, per *redimicula* accipit *obedientiam Christi usque ad mortem*; hæc enim totam vitam eius redimivit, id est circumdedit et decoravit, obedientiæ ergo Christi censet comparari obedientiam Ecclesiæ. *Magna,* inquit, *in hoc laus sponsæ est, magna Ecclesiæ gloria, ubi imitatio obedientiæ eius exæquatur obedientiæ Christi, quem imitatur.*

Nyssenus autem τὸ ὁρμίσκιον, id est redimicula, derivat ab ὅρμος, id est portus, eo quod torques curventur instar portus, qui lunæ falcatæ formam habet; unde dicta Panormus, nobilis Siciliæ civitas, q. d. Omnis portus, vel per omnia portus, eo quod naves undique illuc conveniant et

Obedientia portus.

confluant. Obedientia ergo Religioso est quasi portus, quia contra omnia pericula et tentationes præstat ei securitatem, ut conscientia quiete et tranquilla vitam omnem exigat in lætitia. Quocirca Climacus gradu 4. *Obedientia,* inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ et proprii cor-* B *poris, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, via humilitatis, et quasi si quis dormienda iter faciat:* idemque addit: *Vivere in obedientia nihil aliud esse, quam suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, et sustentari in aquis ne mergamur, sed sine periculo hoc grande pelagus huius vitæ transeamus, et quidem brevissima navigatione.* Causa a priori est, quod obediens regatur a Deo: Deus enim Superiores illi constituit, per quos eum gubernet. Quia autem errore metuat, gubernante et ducente Deo, imo iubente? Scitum est illud Christi: *Qui vos audit, me audit,* Lucæ 10.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Collum, est humilis, et patiens obedientia.

Collum, id est status subiectionis, monet animam. Primo, obedientiæ, quam debet Deo et Superioribus; secundo, humilitatis; tertio, patientiæ: hæ enim duæ sunt comites, imo fulcra obedientiæ, sine quibus illa stare nequit. Ita S. Ambr. lib. de Isaac et anima c. 4. *Laudatur,* inquit, *animo, quod cælesti sibi illuminante præcepto, iam speciosa, iam pulchra sit, quæ cultu præferat castitatis decorem, et redimicula cervicis attollat in qua sunt patientiæ et humilitatis insignia.* Quocirca S. P. N. Ignatius in regul. modestiæ sancit, ut nostri cervice nonnihil inflexa incedant, ut hac forma humilitatem et modestiam præ se ferant: *Caput,* inquit, *teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo. Oculos demissos ut plurimum teneant.* Ita incessit Christus Dominus, de quo sic scribit Niceph. l. 1. histor. c. 40. *Collum eius sensim declive, ita ut non arduo et extento nimium corporis statu esset.*

Audi et tres Patres apud Theodor. « Collum pulchrum D effectum est sicut monilia. Neque enim tibi ferreum est collum, ut propter superbiam flecti nequeat, sed propter modestiam facile verti possit, ut monilia ex auro elaborata: cuius quidem auri probitatem ac puritatem humilitas tua simplicitate non ficta imitatur. Quod si minime simulatam humilitatem monile significat, ut dictum est, sponsæ Christi collum tamquam monilia commendatum, et virtutum indicat multitudinem, et implicitam in singulis virtutibus humilitatem. Quemadmodum enim monile recte figuræ prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad usum circumflectitur: sic homo virtute perfectus, cum absoluta vitæ moderatione rectus sit, cæteris compatiendo per humilitatem flectitur atque demittitur. » Subdunt deinde collum esse rationem: « At collum humilitate circumdatum, est animi ratio, quæ ut collum reliquo corpori caput coniungit, sic ipsa mentem cum sensibus connectit, dum ex virtutum habitu mentem per

A actiones sensibus applicat, sensusque rursum ex virtutum præscripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatem, dum non ex propria extollitur dignitate, sed ex pulveris ac materiæ abiectione demittitur. »

Hac de causa Religiosi collo iniiciunt *scopulare*, æque ac Pontifices in lege veteri collo iniiciebant *ephod*, quod utrosque admonet obedientiæ et patientiæ, sicut monile e collo pendens virgines admonet pudicitiæ, ac viros generositatis, virilisque virtutis. Inde enim dictum est monile, quod virtutis admoneat. Nam primo ob aliquod egregium facinus dari solebat ingenuis iuvenibus. Unde Ovid. 10. Metamorph.

Religiosorum scapulare obedientiam admonet.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

Monile a monendo dictum.

Sic et Græcum ὁρμίσκος, id est, monile, alludit ad ὁρμήν, id est, impetum et impulsum, quod illum ad præclara virtutis opera viris et viraginibus iniiciat; sicut Hebr. כריז *charuz* id est, monile vel torques, alludit ad חריץ *charuts*, id est, expeditus, strenuus, acer ad heroica facta: tali enim debetur monile et torques. Unde T. Manlius a B torque, quem Gallo ad Anienem occiso detraxit, Torquati cognomen accepit, teste Livio.

Rursum, militibus ob rem strenue gestam, a duce torques aureus in collum iniiciebatur, indeque Torquati dicebantur, erantque duorum generum, simplares et duplares. *Torquati,* inquit Vegetius lib. 2. *Duplares, torquati simplares erant: quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruisset præter laudem, interdum duas consequebatur annonas, duplares duas, simplares unam.* Sic torque et monilibus a Christo sponso decoratam se gloriabatur S. Agnes, dum præfecti Urbis filio suas nuptias ambienti, cum stomacho respondit: *Discede a me fomes peccati, pabulum mortis, nam multo te nobilior ditiorque sponsus subarrhavit me; qui cum sit rex cæli et terræ, aureo vestitu ornavit me, et aures meas decoravit insignibus margaritis, et collum monilibus atque fulgentibus gemmis;* uti fuse refert S. Ambrosius serm. 90.

Torquati qui?

C Secundo, Nyssen. hom 3. per *collum* censet notari circumspectionem, et providentiam animæ sanctæ: *Sicut enim equus, ait, collum in orbem gyrans, ad omnes gressus aspicit, necubi in saxa impingat, aut in fossam ruat, sed inoffenso pede gradiatur: sic anima sancta omnes suas actiones et gressus prospicit, et circumspicit, necubi labatur aut cespitet, sed directo cursu ad Deum festinet.* Huc accedit Iustus Orgel. qui per *collum* accipit contemplativos, qui legem Dei ruminantes, eamdem docendo in alios effundunt: hi enim sunt Ecclesiæ monilia.

Collum est circumspectio.

Tertio, S. Gregor. in Psalm. 5. pœnit. per *collum* accipit fidem: *Collum, ait, fides est, per quam Deo fidelis quisque iungitur, et quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ eius est corpus, unitur: et quia fides sine operibus mortua est, quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur, ideoque ei dicitur: Collum tuum sicut monilia.* S. Bern. vero ser. 41. per *collum* accipit intellectum purum et simplicem: *Annon, inquit, tibi videtur colli vices fungi intel-* D *lectus, per quem tua anima traiicit in se spiritus vitalia alimenta, atque in quædam transfundit viscera morum affectuumque suorum? Hoc ergo sponsæ Collum, id est purus et simplex intellectus, cum nuda et aperta veritate satis per seipsum reniteat, non indiget ornamento, sed ipsum magis tamquam pretiosum monile animam decenter exornat, ac proinde simile monilibus ipsis describitur. Bonum monile veritas, bonum puritas sive simplicitas, bonum plane monile sapere ad sobrietatem, Philosophorum, vel hæreticorum intellectus non habet hunc in se puritatis veritatisque nitorem, et ideo multam curam gerunt ipsum colorare et fucare phaleris verborum, et versutiis syllogismorum, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo.*

Collum est fides.

Collum purus intellectus.

Symbolice, Cassiodor. S. Greg. Beda, Aponius, Philo Carpath. et Anselmus per *collum* accipiunt doctores et prædicatores. Audi S. Greg. hic: « Per collum sponsæ prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus præ-

Collum sunt doctores.

dicatores comparantur; vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt ut pectus monile; vel a rotunditate, id est perfectione; in monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides opera exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit, quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator, et sapientia interius se induit, et opere exterius exercet, quæ in sapientia videt. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia iam dicta præ omnibus eximie conveniunt B. Virgini. Insuper Rupert. per monile colli accipit silentium B. Virginis: « Sicut, inquit, monilia muniunt matronarum pectora pudica, unde et dicuntur monilia, eo quod pectus muniant, ne quis extraneus, id est impudicus, manum suam iniiciat: ita et collum tuum munit verba tua, non solum ne quid otiosum aut noxium, sive inordinatum per vocem erumpat: verum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, divinum mysterium tibi creditum, leviter viam vel vocem inveniat, ut auris alicuiu, sive filia alique, quamvis videatur esse filia Ierusalem, quæ forte custodire nesciret huiusmodi margaritas, sicut custodiri oporteret propter porcos, maximeque propter Herodem et eius complices, intelligat. Vere igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, id est, tam oculorum quam verborum tuorum moderamine decentissimo. »

Vers. 11. MURENULAS AUREAS FACIEMUS TIBI, VERMICULATAS ARGENTO.

Variæ versiones.

MURENULAS AUREAS FACIEMUS TIBI, VERMICULATAS ARGENTO.) q. d. Aureis obedientiæ legibus et regulis argenteæ sapientiæ dispunctis te decorabimus. Hebr. *Catenulas auri faciemus tibi punctatas argento;* Sept. *Similitudines vel simulacra auri* (Symmach. *Insignia aurea;* Quinta editio, *tortilia auri*) *faciemus tibi cum stigmatibus suis distinctionibus argenti;* Symmach. *Cum varietatibus;* Quinta editio, *in miliis*, id est, in punctis minutis *argenti;* alius *cum variegaturis;* Vatablus: *Ornamenta convenientia ex auro faciemus tibi cum notis vel clavis argenteis.* Noster optime vertit, *vermiculatas argento*, id est,

Murenulæ quid?

argenti punctis variegatas, instar vermiculorum quorumdam, quorum tergum variis colorum notis dispungitur; aut qui noctu instar argenti nitent et resplendent. Syrus vertit: *Cincinnos aureos faciemus tibi cum laminis*, vel *bracteis argenti;* Arabicus: *Imagines*, vel figuræ, vel sculptilia *auri fiant tibi, simillima tibi.*

Murena piscis est idem cum anguilla, vel certe illi persimilis, ut patet ex eius effigie, quam exhibet Aldrovandus et Rondeletius de Piscibus in Murena: inde murenula vocatur colli aurum, quod scilicet auro in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, ex piscis utique imagine vocabulo conformata, ait ex S. Hieronymo Cælius Rhodig. lib. 4. cap. 2. Porro sicut murena variis notis quasi punctis distinguitur, sic et murenula vermiculatur et distinguitur punctis argenti. Unde Plinius lib. 9. cap. 23. *In Gallia Septemtrionali*, ait, *murenis omnibus dextera in maxilla septenæ maculæ, ad formam Septemtrionis aureo colore fulgent dumtaxat viventibus, pariterque cum anima extinguuntur.*

Murenulæ ergo *aureæ* sunt virgulæ auri flexuoso contextu, ac punctis et maculis variegatæ, itaque murenæ pisci, qui se flectit in orbem, persimiles, sive manus, sive caput, sive aliud membrum cingant et ornent. Proprie tamen sunt capitis et colli, ut indicat S. Hieronym. ad Marcellam Epist. 15. ubi laudans B. Asellam: *Aurum colli sui*, inquit, *quod murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam flexuosi ordinis catena contexitur, absque parentibus vendidit.* Quem secutus Cassiodorus: *Murenulæ*, ait, *ornamentum sunt colli virginalis et puellaris: videlicet virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnumquam pulchra varietate subtilissimis argenti filis. Et hoc est quod dicit, Vermiculatas argento, hoc est, in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, distinctas et inter se coniunctas. Murenulæ autem dicuntur a similitudine piscis marini, qui murena vocatur.* Unde Aponius legit: *Catenulas aureas faciemus*, quas non collo, sed auribus ornandis tribuunt S. Anselmus et Bern. Melius Iustus Orgelit. Murenulæ, ait, sunt ornamentum a capite descendens, quo cervix ornatur. Denique murena dicitur a μυρειν, id est, fluere, ait Eustathius, eo quod, teste Macrobio, præ pinguedine in summa aqua fluitat, nec se mergere possit, sole nimirum torrefacta. Unde Mart. l. 13. epig. 77.

Quæ natat in Siculo grandis murena profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Sic pariter circa collum fluitat murenula aurea et solis radiis percussa effulgurat.

In Hebræo est תורי *thore*, quam vocem Vulgatus paulo ante vertit, *turturis*. Unde nonnulli hic turturem vel turturellam, sed fluviatilem, puta trutam, accipiunt; hic enim piscis, uti pulcherrimis maculis distinguitur, ita suavissimus æque ac sapidissimus est: hinc et Quinta editio vertit, *tortilia auri*, instar turturis, vel trutæ aut murenæ. Unde et nonnulli censent turturem hebr. dici תור *tor*, quasi *tortilem*; eo quod tortili collo תור *tur*, id est, circumspiciendo iugiter exploret, num alicubi comparem suum absentem reperire et videre queat. Alii *thore* vertunt, dispositiones, ordines, series, quales sunt in nexu annulorum et bractearum in catenulis: Noster optime vertit, *murenulas*, id est, catenulas et torques aureos.

Alludit ad illud Psalm. 67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros* (eritis sicut) *pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri.* Censent S. Gregor. Cassiod. et Beda hæc esse verba sponsi. Melius Iustus Orgel. Anselm. Rupert. et S. Bernardus, censent esse verba sociorum sponsi; unde aiunt: *Murenulas aureas faciemus*, in plurali; non *faciam* in singulari.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Quæritur, quidnam murenulæ aureæ significent?

Murenulæ aureæ, quid sint.

I. Tabulæ decalogi.

Primo, Chald. accipit tabulas decalogi a Deo datas Mosi in Sina, sic enim vertit: « Tunc dictum est Mosi: Ascende ad firmamentum, et dabo tibi duas tabulas lapideas, excisas ex sapphiro throni gloriæ meæ, et splendidas sicut aurum optimum, ordinatas per lineas, scriptas digito meo, in quibus scripta sunt decem verba, quæ expurgata sunt magis quam argentum, quod expurgatum est septem vicibus: dabo autem eam per manum tuam populo domus Israel. »

II. Intelligentia Scripturarum.

Secundo, Cassiodor. S. Gregorius, Beda, Iustus, Aponius et Anselmus, per *murenulas* accipiunt charisma intelligentiæ S. Scripturarum; quæ aureæ dicuntur, vel propter sapientiam claritatemque sensus spiritualis, vel propter charitatem, quam docent; vermiculatæ autem argento asseruntur, vel propter nitorem eloquentiæ, vel propter sonoram prædicationem: vel, ut ait S. Anselmus, ut sciant doctores sacræ Scripturæ sententias dispensare pro cuiusque captu et fructu; vel ut Aponius, *vermiculatæ* dicuntur, quia diversas continent prophetias, alias Christi conceptioni, alias nativitati, alias passioni, alias resurrectioni, etc. congruentes, quæ quasi intertextæ argenti vermiculatione, eleganter coruscent. Huc accedunt Nyssenus, S. Augustinus, Origenes, Theodoretus, et treu Patres, qui per *murenulas* accipiunt cognitionem sacrarum Litterarum, ac præsertim figurarum veteris testamenti.

Hi ergo sequentes versionem Septuagint. quæ habet: *Similitudines auri faciemus tibi ex stigmatibus*, vel *distinctionibus argenti, donec rex sit in accubitu suo*: S. Ambros. *In declinatione sua*, id est, in solio suo, ubi se reclinet, sic explicant: Nyssenus quidem censet murenulas has pertinere ad equam vel equitatum, cui paulo ante sponsam comparavit, quasi socii sponsi angeli, vel sancti doctores eam sic affentur: Tibi, o anima, quæ recte equis es assimilata, faciemus quædam veritatis simulacra, et quasdam similitudines, quæ non possunt accurate et exacte ostendere, qui tibi inest, mentis decorem. Tu autem, his acceptis, fies per fidem subiugale iumentum et habitaculum eius, qui in te est habitaturus: Christi enim eris et sedes et domus. Plenius Origen. homil. 2. ex quatuor, sic interpretatur, q. d. Sacra Scriptura, Deique cognitio priscis patribus tradita fuit per similitudines et ænigmata, usque dum Christus a morte resurgens, accubans recubuit ut leo, Genes. 49. hic enim patefecit sensum Prophetarum et S. Script. Idem ibidem sic Tropologice explicat: Anima imperfecta instruitur de rebus divinis per similitudines et exempla usquequo rex sit in accubitu suo, id est, usquequo in id proficiat talis anima, ut capiat regem, et habeat recumbentem in semetipsa; habitat enim verbum Dei in anima perfecta, iuxta illud Christi: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; Ioan. 14. Ex adverso S. Augustinus libro primo de Trinit. c. 8. sic explicat: *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex in cubitu suo est*, id est, quoadusque Christus in secreto suo est; quia *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus*, inquit Paulus Colos. 3. *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. Quod antequam fiat: *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate*, hoc est in similitudinibus: *Tunc autem facie ad faciem*, 1. Corint. 13.

Murenulæ ergo *aureæ* significant mundum, sive ornatum S. Scripturæ lucentem auro spiritualium sensuum, et argento eloquentiæ nitentem et resonantem. Audi S. Gregor. « Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur, qua designatur prædicatio, quæ auribus inhæret, et eas penetrat. Murenulis monilia collo ligantur, quia et sapientia, et religio a Scripturis sanctis prædicatoribus adiungitur. Per murenulas enim sancta Scriptura intelligitur. Quæ bene auro et argento vermiculatæ dicuntur, quia et sapientia sancta Scriptura fulget, et sonora prædicatione per universum mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. » Huc facit illud Psalm. 11. « Eloquia Domini, eloquia casta (sicut) argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. »

III. Virginitas. Tertio, S. Hieron. lib. 1 contra Iovinian. per *murenulas aureas* accipit virginitatem. Ante Christum, inquit, Ecclesia habebat argentum in viduis et maritatis, sed aurum virginitatis per Christum accepit. Videtur enim hic sponsæ pudicissimæ, ob pudicitiam dari murenula aurea dispuncta argento, ut respiciat id quod dixit: *Genæ tuæ sicut turturis*, id est, summe pudica et verecunda es instar turturis. Huc accedunt alii, qui per *murenulas aureas* accipiunt aureolam dandam virginibus. Hebr. enim תורי *tore*, id est, murenulæ, idem est quod תורים *torim*, id est, turtures. quasi murenulæ hæ fuerint contextæ ex turturum effigiebus, quæ sunt symbolum pudicitiæ; esto a turturibus *torim* extensum sit ad significandas effigies aliarum rerum, ut murenarum et serpentium, e quibus priscorum torques et murenulæ constabant, uti docet Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 11. Unde Sept. *torim*, vertunt ὁμοιώματα, id est, similitudines et simulacra in genere.

IV. Progressus in virtute. Quarto, Psellus per *murenulas* accipit progressum in virtute et sanctitate, quasi angeli ita animam piam affentur; quia futurum est ut rex in te, o sponsa, quæ ipsum caste amas et quæris, requiescat; age, sine te a nobis instrui atque exornari: quamvis enim non ut aurum virtutibus fulgeas, sed adhuc ut argentum splendeas; te ad auri tamen similitudinem decorabimus, similemque reddemus Cherubico et flammeo ac venerando sellio, in quo rex descendens se reclinet et quiescat: hæc Psellus.

Porro, quia hic progressus fit per persecutiones et tribulationes, hinc easdem per murenulas hic denotari censet S. Ambrosius serm. 3. in Psalm. 118. dum ait: « Hæreditas eius diffusa per populos, quo frequentius examinata, eo amplius est probata; crebræ enim persecutiones Ecclesiæ, iustorum nobis titulos, martyrii victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ita Ecclesia cum uritur, detrimenta non sentit, magis fulgor eius augetur, donec Christus veniat in regnum suum, et reclinet caput suum, in Ecclesiæ fide, qui cum venisset ad oves perditas domus Israel, non habebat ubi caput suum reclinaret. »

Huc accedit Philo Carpath. qui per *murenulas* accipit martyria et Martyres, qui catenati fuere olim catenis ferreis, nunc aureis in cælo, suntque aurei ob charitatis soliditatem, ac stigmatibus flagellorum, clavorum et tormentorum dispuncti iuxta illud Pauli: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, Gal. 6. 17. Martyribus ergo quasi murenulis aureis argento variegatis ornatur Ecclesia.

V. Inspirationes sanctæ. Quinto, S. Bern. serm. 41. qui murenulas assignat auribus, per eas accipit sanctas Inspirationes et suggestiones divinarum rerum, quas angeli animæ sanctæ inspirant, sed per similitudines, ut vertunt Septuag. et ænigmata, ut ait Paulus 1. Corinth. 13.

VI. Charitas in proximum divina. Sexto, Titelmanus et alii per *murenulas aureas* intelligunt charitatem Dei exerentem se in amorem proximi, et in opera misericordiæ: hæc enim argento, charitas vero auro repræsentatur; aut charitatem distinctam et dispunctam notis argenti, id est, actibus humilitatis cæterarumque virtutum.

VII. Modestia. Septimo, murenulæ apposite significant modestiam et compositionem externam omnium membrorum, actionum, gestuum, motuum ad probitatem et pietatem, etc. ex quibus fit quasi catena aurea mire ornans hominem, ac præsertim sponsam. Ita Clemens Alexand. lib. 3 Pædag. cap. 1. *Torques*, inquit, *et catenæ sint pudor et modestia. Non alius fuerit mulieri aurium ornatus, quam catechesis, hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo inuncti, et aures ad sensum perforatæ, divinarum rerum auditorem, et sanctarum rerum contemplatorem efficiunt*. Notum est illud S. Ambrosii: *Modestia est purpura virtutum*.

VIII. Optime: Murenulæ sunt præcepta et consilia Evangel. Octavo, aptissime per *murenulas* accipias hic cum S. Bernardo, Sanchez, Hortulano, Ioanne Carmelita et aliis præmium et ornamentum obedientiæ. Cum enim immediate ante dixerit: *Collum tuum sicut monilia*, id est, obedientia tua, qua collum legi subiicis, o sponsa, o Ecclesia, est aureum tuum monile, quod mire interne animam tuam decorat; nunc eiusdem externum ornamentum et præmium assignat, videlicet murenulas ex auro notis argenti intertextas; hæ enim faciunt, ut aurum inter eas magis maiorique gratia resplendeat, ait Nyssenus.

Huc facit quod hebr. תורי *tore*, id est murenulæ, plane alludat ad תורה *tora*, id est lex, et ad תור *tor*, id est dispositio, ordo, series. Unde et Chaldæus per *tore* accipit Decalogum, atque Origenes, Theodoretus, S. Augustinus, S. Gregorius et cæteri in secunda expositione citati, accipiunt S. Scripturam, quæ legem Dei continet et promulgat.

Igitur sponsæ collo tam obedienti Deus in præmium ornatumque iniicit murenulas, hoc est leges suas divinas, quæ, cum ex rationibus æternis, quæ sunt in mente Dei, emanent, in se sapientissimæ sunt, æque ac pulcherrimæ, ut mire obedientem eas acceptantem, non tam ligent quam ornent: sub legibus accipe non solum præcepta, sed et consilia Evangelica, æque ac beatitudines, quæ hominem efficiunt cælestem et angelicum, imo Angelum terrestrem. Ergo murenulæ Christi Ecclesiæ datæ sunt leges Evangelicæ, quas recenset S. Matthæus c. 5. 6. et 7. inter quas primæ sunt beatitudines octo: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites*, etc. Quid enim hisce pulchrius, dignius, nobilius, divinius ex-

cogitari potest? Ecclesia ergo has Christi leges et beatitudines amplectens, iis quasi murenulis aureis inter se apte connexis decoratur; aurum enim, quia præ cæteris metallis flexile et ductile est, symbolum est obedientiæ. Hinc et sententiæ S. Scripturæ, quæ leges hasce continent, sunt murenulæ, ex quarum contextu Ecclesia pulchrescit. Sunt aureæ, quia plenæ spiritu charitatis; sunt distinctæ argento, quia temperantur spiritu scientiæ et discretionis. Unde Beda: *Murenulas, ait, fabrili arte compositas collo circumdat, cum anima quæque fidelis in omnibus, quæ loquitur et agit, imo in omni, quod vivit et quod spirat, continue Scripturis sanctis intendit, sensumque suum et verba diligenter ad earum exemplum dirigit.*

Item actus obedientiæ

Rursum, murenulæ hæ notant actus obedientiæ pulchros et assiduos, quibus quasi donis novis fideles obedientes Christus expolit et exornat, ac toti mundo laudabiles, admirabiles et venerabiles efficit. Auro enim actionum pretium et præstantia; argento earumdem puritas, candor et splendor denotatur. Nam, ut recte noster Sanchez, si hæc obsequentissima sponsa spiritu Dei agitur, æquum est ut Spiritus sanctus, qui cervicibus tamquam auriga et moderator insidet, collum suis donis et virtutibus excolat. Torques enim illi hebraica תורים *torim*, id est, turtures dicuntur vel columbæ, quia divinus Spiritus per columbam significatus illam ut sponsam amat, et ipsius collum ut sponsus tenere stringit et amplectitur.

Et ordo Hierarchicus

Insuper, murenulæ notant ordinem Hierarchicum Ecclesiæ, qui mire eam perficit, et ornat. Hic enim ordo non est aliud quam ordo obedientiæ, quo summo Pontifici subordinantur, subsunt et obediunt Patriarchæ, Patriarchis Primates, Primatibus Archiepiscopi, Archiepiscopis Episcopi, Episcopis Presbyteri, Presbyteris Diaconi, Diaconis Subdiaconi cæterique Clerici, atque his laici. Intuere hunc ordinem Romæ, celebrante Pontifice, cum ei assistunt Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri vestibus sacris amicti, legati regum et principum, etc. ac vere dices ibi impleri hoc oraculum: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Murenulæ enim hebraice vocantur *tore*, id est dispositiones, ordines, series, quales pulcherrimæ apparent in hoc sacro Senatu, uti et in cæteris officiis et ritibus Ecclesiæ.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Murenulæ sunt regulæ monasticæ

Anima sancta, præsertim obedientiam professa et Religiosa, in præmium huius suæ professionis et obedientiæ, ornatur murenulis aureis distinctis argento, id est Regulis, Constitutionibus et ordinationibus Religionis cuique Ordini propriis, quæ non nisi aurum charitatis, et argentum prudentiæ repræsentant, quibus mire Ordo exornatur.

Murenulæ actus obedientiæ

Rursum, murenulæ sunt actus obedientiæ, quibus tota Religiosi vita quasi murenula aurea concatenatur et coronatur, quæ variegantur punctis argenteis, id est actibus humilitatis, temperantiæ, patientiæ cæterarumque virtutum. A mane enim in vesperum religiosus quidquid agit, ex regulis obedientiæ agit. Surgit e lecto, orat, psallit, studet, docet, concionatur, prandet, cœnat, it cubitum, cum signum dat obedientia. Vide Hieronym. Platum lib. 2. de bono status Religiosi, cap. 5, qui et appositum huic loco affert exemplum, lib. 3. cap. ultimo post medium, iuvenis cuiusdam egregii qui a Deo vocatus ad Ordinem Cisterciensem, cum de die in diem differret, cœpit intepescere. Quare, cum ex Compostellana peregrinatione domum rediisset, eadem ipsa nocte apparuit illi Christus Dominus cum duobus Apostolis Petro et Iacobo; Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adolescentis nomen *Ioannes* descriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum: *Dele, ait, istum de libro meo.* Iacobus vero supplicare ei cœpit pro suo, ut appellabat, peregrino, insuper citam illius emendationem promittere.

Exemplum de iuvene ad ordinem Cisterciensem vocato.

At Ioannes hoc de se agi videns pavebat et tremebat, novamque vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem quasi illius inconstantiæ minus credens, fideiussorem illius voluntatis postulavit; quem se obtulit S. Iacobus. Inter quæ, cum iuvenis excitatus esset, secumque hæc admirans rursum obdormisset, iterum est illi eadem obiecta species, idque amplius, quod in libro illo apparuit eiusmodi inscriptio ex Canticis: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Ille igitur et hoc iucundo promisso invitatus, et illis minis exterritus, nulla mora interposita, Cistercium se contulit, ubi, magnis in virtute progressibus factis, primum Abbas Bonævallis, deinde etiam Valentiæ Episcopus factus est. Hæc Platus ex Chronicis Cisterciensium. Huc facit exemplum nostri P. Petri Fabri, qui primus S. Ignatii fundatoris Societatis Iesu socius, cum totam vitam ex obedientia varias provincias peragrando, ac ubique semina pietatis spargendo, religiose transegisset, ex obedientia pariter mortuus est. Unde post mortem apparens Gandiæ personæ cuidam religiosæ, lætissimus dixit, se obedientiæ causa mortem oppetiisse, ac multa de gaudio, quod eam ob causam in cælis obtineret, enarravit. Merito aureola obedientiæ coronatur in cælis, qui obedientiæ victima extitit in terris. Ita noster Orlandinus in eius Vita l. 2. c. 28.

P. Petrus Faber obedientia mortuus.

Rursum, per *murenulas* nonnulli accipiunt charismata, quæ obedientibus et Religiosis impertit Spiritus sanctus, ac præsertim dona sapientiæ et eloquentiæ. Sapientia enim notatur auro, eloquentia argento, quia tinnulo, eius ad instar pulchra resonat. Unde S. Gregorius, S. Thomas, Beda et alii murenulas has dant Doctoribus, quia sicut per collum ex capite ad reliqua vis sentiendi, sic ex capite Christo ad populum per doctores cælestis doctrina derivatur. Hoc vero collum includi atque muniri debet monilibus columbarum imagine notatis, quia Spiritus sanctus collum ambire debet, et doctorum fauces, quasi suam vere tubam inflare.

Murenulæ charismata obedientiæ.

Sit ergo collum hoc charitate, fervore et zelo aureum, ac nitore eloquii argenteum. Porro doctori magnam doctrinæ, eloquentiæ, zeli et spiritus vim atque efficaciam suggerit obedientia et Religio; obediens enim per Superiorem regitur, agiturque a Deo, eiusque spiritu, tamquam eius vox et organum. Unde prisci Ecclesiæ doctores plerique fuere Religiosi, nimirum e quatuor Latinis tres, puta S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius; ac totidem e Græcis, puta S. Basil. S. Nazianzenus, S. Chrysostomus. Tales quoque fuere S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura ac alii plurimi. Vide Hieronym. Platum l. 2. de Bono status Religiosi cap. 25. 30. et seq.

E priscis Ecclesiæ doctoribus, multi Religiosi

Rursum, charisma obedientiæ pene proprium, est gratia miraculorum. Deus enim obedientibus velut instrumentis suis, sibique summa coniunctis utitur ad conversionem animarum, ideoque per eos, cum opus est, patrat miracula. Exempla multa sunt in Vitis Patrum, apud Cassianum et S. Gregor. l. 4. Dialog. cap. 42. et l. 2. cap. 7.

E charismatibus obedientiæ est gratia miraculorum.

Denique, murenulæ sunt pulchri ritus et ceremoniæ tum totius Ecclesiæ, tum Ordinum singulorum, qui mire eos decorant.

Murenulæ item ceremoniæ.

Anagogice, murenula est aureola Doctoribus, Religiosis et obedientibus præparata in cælo, quæ aurea est per gloriam animæ, argentea per gloriam corporis. Unde S. Thomas cum torque aureo e collo pendente pingitur, quia in cælis murenularum harum aureola torquatus est. Hinc et post mortem e cælis quasi gemmatus et torquatus apparuit, uti refert P. Ribadeneira in eius Vita sub finem. Huc pertinet exemplum P. Fabri, quod paulo ante recitavi.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia iam dicta præ cæteris omnibus competunt B. Virgini. Illud ei proprium, quod fœcunditas non læ-

serit, sed ornarit eius virginitatem, sicut argentum ornat aureas murenulas. Rursum, murenula aurea e collo B. Virginis pendula fuit eius filius Christus Dominus, parvulus e collo eius pendens ac sugens, illique vicissim aurum charitatis et argentum humilitatis instillans.

Denique Rupertus: Murenulæ, inquit, sunt sermocinationes Sanctorum sensibus aureæ, elocutionis colore argenteæ: « Faciemus ergo tibi murenulas veritatis, ornamenta benedictionis et gratiarum actionis, benedicendo et gratias agendo, quia sic fecit tibi; ita ut non sit locus, ubi vox laudis huius non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans iugiter te ambiat, et quodammodo de collo tuo dependeat. » Hæc Rupertus. »

VOX SPONSÆ.

VERS. 12. DUM ESSET REX IN ACCUBITU SUO, NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM.

DUM ESSET REX IN ACCUBITU (Aquila, in *recubitu*; Symmachus, ἐν ἀνακλίσει, id est, in *requietibus*, vel *cessationibus*) SUO, NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM,) q. d. Dum sponsus meus, qui est rex Christus, esset in mensa sua nuptiali, ego sponsa ad illum ingressa intuli unguentum nardinum, eoque illum perunxi, cuius odore ille mirifice recreatus est.

Dum,) id est, *donec* ut habent Hebr. Septuag. et S. Gregorius, q. d. Quamdiu rex accubuit in convivio, nardus mea dedit odorem.

Accubitus id est mensa nuptialis. Per *accubitum* accipe non lectum, sed mensam nuptialem, cui sponsus cum sponsa accumbit. Hebr. est מסב mesav, id est, *circulus* vel *orbis*. Olim enim mensæ erant orbiculares, ut plures caperent, utque illi sibi invicem essent viciniores, et commodius cum singulis colloquerentur. Lectuli ergo cœnatorii, in quibus tempore Salomonis convivæ quasi iacentes, sed cubitis innixi mensæ accumbebant, circa mensam in orbem erant dispositi, inde triclinium dictum, quasi trium lectulorum cœnaculum.

Sponsa in triclinium ingressa sponsum nardino unguento perfudit. Pro decore et serie dramatis recte notat Origenes, homil. 2. ex quatuor, sponsam post alloquium sodalium sponsi iam recessitum, qui eam mire laudarunt; ingressam in triclinium, ibique muliebre et mensale donum sponso obtulisse, nimirum unguento nardino eum perfudisse, eiusque odore sponsum oblectasse, idque narrat sodalibus eius post sponsi discessum; unde de eo loquitur in tertia persona, dicens: *Dum esset rex, etc.* Ita S. Bernardus. Olim enim in conviviis convivæ unguentis odoratis ungebantur, ut patet ex Plutarcho in Sympos. Athenæo et aliis. Unde et Magdalena Iesum in convivio iterum et secundo unxisse legitur. Porro apud Orientales, præsertim Iudæos, Samuel Iudæis prædixit, si peterent regem, illum filias illorum facturum suas unguentarias, 1. Reg. 8. 13. Idcirco sponsa hic id sibi officii adsciscit.

Quæres, quid significet hic sponsi accubitus.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Accubitus Christi. 1. Thronus divinitatis. Primo, aliqui per accubitum accipiunt thronum divinitatis, qui est eius maiestas et æternitas. In hac enim velut in throno suo ab æterno sedet et requiescit Deus. Hinc hebr. vocatur מסב mesav, id est circulus: hic enim in seipsum orbiculariter rediens, ideoque principio et fine carens, hieroglyphicum est æternitatis, quæ nec principium nec finem habet. Sic sensus erit, q. d. Filius Dei in sinu Patris ab æterno requiescens, ac residens in solio et triclinio maiestatis suæ cum Patre et Spiritu sancto, ibique requie fruens beatissima et suavissima, dignatus est de excelso illo solio suo ad humilitatem et utilitatem nostram respicere, iuxta quod in Ps. 101. v. 18. dicitur: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum, etc. Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit ut audiret gemitus compeditorum, et solveret filios interemptorum.* Quasi enim nardus nostra odorem dedit coram rege in accubitu suo existente, quando humilitas precum et supplicationum, lacrymarum quoque, gemituum et suspiriorum, ab hominibus piis ad Deum pro humani generis salute effusorum, usque ad nares Dei pervenit, ipsumque ad miserandum inflexit, ut filium suum de cælis mitteret ad terras; ita Titelman. Sic et S. Bernardus serm. 42. *Accubitus regis*, inquit, *sinus est Patris; quia semper in Patre Filius. Nec dubitas regem hunc esse clementem, cui paternus accubitus est paternæ benignitatis diversorium. Merito clamor humilium ascendit ad eum, cui fons pietatis est mansio, est familiaris suavitas, cui substantialis, vel potius consubstantialis bonitas est, cui idem totum quod est, de Patre est, ut nil prorsus in regia maiestate, nisi paternum, humilium trepidatio suspicetur.*

2. Accubitus Verbi incarnati. Verum pressius alii passim per accubitum accipiunt Verbi incarnationem, totamque eius in carne œconomiam et conversationem. Hæc enim fuit quasi convivium nuptiale in quo Christus cum fidelibus epulatus, nuptias quasi cum Ecclesia celebravit, ut patet ex parabola filii regis ad suas nuptias quoslibet invitantis, Matth. 22. 2. et seq. Hæc pariter recte vocatur *accubitus*, hebr. מסב mesav, id est circuitus, tum quia Christi vita fuit circuitus sanctissimarum actionum, virtutum, mysteriorum; tum quia Christus in orbem ivit et rediit, dum ascendens in cælum ad Patrem reversus est, a quo in terram missus descenderat; tum denique quia Christus circuivit Iudæam evangelizando regnum Dei, ad illudque quasi ad nuptiale suum epulum felicitatis æternæ omnes convocando. Unde Christus in Synagoga prædicans, Lucæ 4. 16. illud ex Isaia c. 61. thema desumpsit: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit* (Ecce accubitus) *etc. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Inde nardus Ecclesiæ, puta fides audientium, dedit odorem suum. Nam, ut subdit Lucas v. 22. *Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.*

Est hic ergo, uti et toto Cantico prophetia de Christi incarnatione et œconomia; sponsa enim prima et primaria hic est humanitas Christi, cuius sponsus est Verbum, sive Filius Dei, qui eam in incarnatione assumens sibi despondet, et per eam Ecclesiam, singulasque animas fideles et sanctas, ut dixi in proœmio c. 2. quare præterita hic pro futuris accipienda sunt, uti fit apud Prophetas, q. d. Dum erit rex in accubitu carnis suæ, nardus mea dabit odorem suum.

Paraphrasis. Sensus ergo est, q. d. ait Hortulanus: Ex quo in humanitate sua quasi in hemicyclo suo nobis apparuit regis nostri divinitas, ex quo in Nazaræorum consessu Synagoga, et ad epulas ex Isaiæ cellario depromptas, me Ecclesiam fidelium invitare dignatus est, ego ipsum tamquam sapientissimum veritatis, fidei et salutis magistrum attente audio; filium David et Dei Filium, Regem Israel et Messiam exspectatissimum credo, veneror et prædico. Hunc credo ingenue, publiceque profiteor solo verbo ægrotos quantumcumque desperatos curare posse, et conclamatos ad vitam revocare, ab energumenis dæmonia exturbare et profligare. His ego meæque sodales testimoniis ex cordibus nostris, velut vestibus nardino fidei unguento odoratis, ex eburneis arcis depromptis, Regem in Iudææ Synagogis et templo Hierosolymitano docentem, resque admirandas magna cum gloria et omnium admiratione gerentem, inducimus, mirificeque oblectamus; quod nostrum officium Regius Psaltes his olim versibus adumbravit: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo*, Ps. 44. 9.

Iam ut particulatim accubitum hunc sponsi distribuam.

Particularis Christi accubitus. I. In incarnatione. Primo, per eum Christi incarnationem accipit Cassiodorus, Beda, Aponius et S. Ambrosius in Ps. 118. serm. 3. Audi Cassiodorum et ex eo Bedam: « Nardus Ecclesiæ dedit odorem, quia cum Dei Filius in carne apparuit, Ecclesia in virtutum cælestium fervore exercevit: non quia et ante eius incarnationem spirituales ac Deo devotos viros non habuerit, sed quia absque ulla dubitatione tunc arctioribus se virtutum studiis mancipavit, cum regni cælestis aditum cunctis recte viventibus, mox ut carnis vincula solverentur, patere cognovit. »

II. In prædicatione. Secundus Christi accubitus fuit, cum ipse prædicando circuiret vicos et urbes, ac cum peccatoribus aliisque discumberet, ut eos salvos faceret. Rursum, accubitus Christi fuit in ligno crucis, de quo Ps. 95. *Regnavit a ligno,* quasi a solio regali, *Deus:* item quies in sepulcro. Ita Iustus et Anselmus. Audi Anselmum: *Merito debeo Christum diligere, quia ipse dedit mihi nardum, scilicet virtutes; et hoc dum esset in accubitu suo, id est in passione sua et resurrectione sua, scilicet quia ipse passus est, et resurrexit, ideo virtutes mihi dedit, quæ dederunt odorem suum, id est sibi convenientem, bonam videlicet famam.*

III. In morte. Tertius accubitus Christi fuit in morte: Christus enim moriendo regnum mortis, diaboli et peccati evertit, ac regnum vitæ, gratiæ et Dei nobis contulit. Ita Origenes, Theodor. et sanctus Hieronymus l. 1. contra Iovin. q. d. Post Christi passionem et mortem nardus, id est, virtus Ecclesiæ maiorem dedit odorem quam ante: ex ea enim profluxit Martyrum fortitudo, virginum angelica puritas, Confessorum sanctitas, Anachoretarum perfectio. Ita Philo Carpathius: « Sic grata, inquit, ac memor sponsa clamat ad sponsum: Nardus mea dedit odorem suavitatis, id est tu mihi dedisti suavitatem unguentorum, nempe Martyrum ac illustrium actionum efficaciam, decus et gloriam. Nardus enim dedit odorem suum, id est martyrium et nex tua seu passio, Martyres adhortata est pro te pati; nam et tu pro nobis passus es. »

IV. In resurrectione. Quartus accubitus fuit resurrectionis, quo a sepulcro resurgens accubuit in carne gloriosa, in eaque de morte et inferno triumphavit. Ita Iustus, Anselmus et S. Gregorius 35. Moral. 13. qui ait: *Rege quippe in accubitu suo posito, nardus odorem dat, dum quiescente in sua beatitudine Domino, Sanctorum virtus in Ecclesia magna nobis gratiam suavitatis administrat.*

V. In gloria cælesti. Quintus accubitus Christi est in gloria cælesti quo ad dexteram Dei sedet, velut Rex regum, et Dominus dominantium. Ita S. Gregorius, Rupertus, Bernardus et S. Augustinus l. 1. de Trinitate c. 8. Tunc enim nardus Ecclesiæ dedit odorem suum per orationem, qua orantibus Apostolis et fidelibus pro adventu Spiritus sancti, eumdem impetrarunt, eoque repleti Christi nomen et famam ubique prædicarunt. Audi S. Gregorium: « Accubitum suum rex intravit, quando Dominus noster Iesus Christus corporaliter cæli interiora penetravit. Quo ibi requiescente nardus sponsæ odorem suum dedit; quia virtus sanctæ Ecclesiæ suavem famam bonitatis longe lateque sparsit; ad cælos enim Dominus ascendit et Spiritum sanctum suum super discipulos misit, quo impleti verba salutis mundo prædicarent, et per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. »

Porro Chaldæus per *accubitum* accipit colloquium Mosis cum Deo in Sina; sic enim vertit: « Dum esset Moses magister eorum in firmamento, ut susciperet duas tabulas lapideas, et legem et præcepta, surrexerunt impii generationis illius ut facerent vitulum aureum una cum promiscuis qui erant inter eos, et fœtida fecerunt opera sua, et egressum est eis nomen pessimum in sæculo; quoniam ante odor eorum exibat diffusus per orbem, et postea fœtidi facti sunt ut absinthium, cuius odor quam pessimus est. » Verum perperam Chaldæus per odorem nardi accepit fœtorem idololatriæ; nardus enim suavissimi est odoris.

Quænam hic nardus? Quæres secundo, quid significet nardus sponsæ, puta Ecclesiæ, et quem odorem dederit?

Respondeo: Nardus, ut ex Plinio, lib. 12. c. 12. et aliis, ait Philo Carpath. in c. 4. Cant. v. 14. medicus est fructus Syriæ et Indiæ præstantissimus, colore rufo, comosus, odoratissimus, saporis amari, suavitatem odoris diutissime retinens, calefacit, exsiccat, viresque perpetuo; miscetur antidotis, et efficacissimas vires ad quamplurimos morbos habet.

Porro ex nardi foliis fiebant coronæ, quæ olim in summo erant pretio, teste Plinio. *Ex nardo coronæ.* Rursum, *nardus,* inquit Titelmannus, *herba est humilis et despecta quantum ad faciem attinet, sive radicem intuearis sive folia. Est enim nardus frutex gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique quamvis pingui; aspero sapore, folio parvo densoque. Quæ omnia humilitatem præ se ferunt. Habet nihilominus in cacumine boni odoris gratiam.* *Nardus humilis.* Cacumina enim (ut ait Plinius) in aristas sive spicas sparguntur: unde geminam eius dotem celebrant, spicas scilicet et folia; quoniam ex utrisque bonum unguentum conficitur. Illud tamen quod fit ex spicis præstantius est eo quod ex foliis. Propter quod signanter in Evangelio de oleo illo, quod Maria super caput effudit Domini recumbentis, dicitur, quod fuerit unguentum *nardi spicati pretiosi,* vel (ut alius Evangelista habet) *nardi pistici,* id est fidelis et præstantioris.

Porro Plinius lib. 13. cap. 1. *Unguentum,* inquit, *nardinum constat omphacio, balanino, costo, nardo, amomo, balsamo.*

Nardus. I. Notat humilitatem. Primo ergo nardus notat humilitatem Ecclesiæ, quod scilicet instar nardi, secundum corpus, ac inferiorem hominis portionem admodum humilis est, crassa et contemptibilis; secundum vero partem superiorem, sive secundum spiritum, qui ad Deum sursum respicit, odorem gratissimum de se fundit in naribus Domini sabaoth. Nullus enim odor ita gratus est Deo, Angelis et hominibus, atque ista fidelium humilitas. Ita Rupertus, et Sanctus Bernardus serm. 42. quem audi: « Bonus, ait, humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergat. Est nardus humilis herba, quam et calidæ ferunt esse naturæ hi qui herbarum vires curiosius explorarunt, et ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagrat. Quod propterea sane dico, quoniam est humilitas quam nobis veritas parit et non habet calorem; et est humilitas quam charitas format et inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit; » et inferius: « Sponsæ humilitas tamquam nardus spargit odorem suum amore calens, devotione vigens, opinione redolens. » Addit idem S. Bernard. sponsam a sponso hic falsæ de defectibus suis correptam et castigatam, tumque nardum eius dedisse suavitatem odoris, cum eius humilitas modeste et demisse correptionem hanc tulit, et velut paternum donum excepit.

II. Fidem. Secundo, nardus denotat fidem; hæc enim humiliter intellectum captivat in obsequium Dei revelantis mysteria, quæ omnem hominis captum superant. Unde S. Ambrosius in Ps. 118. serm. 1. *Iam,* inquit, *redolet fides, ideoque dicit Ecclesia: Nardus mea dedit odorem suum; et dicit, cum præsumptione exspectans retributionem, fragrat unguentum gratiæ, ex quo Virgo generavit, et Dominus Iesus Sacramentum incarnationis assumpsit.* Huc accedit Iustus Orgelit. qui per *nardum* accipit fidei professionem et prædicationem, qua ubique odorem, id est, famam Christi passi et resurgentis sparsit Ecclesia.

III. Pœnitentiam. Tertio, nardus amara est pœnitentia, inquit Aponius; hæc enim est filia humilitatis, ac suavissime olet in naribus Dei. Unde quasi ad litteram hunc locum facto suo exposuit S. Magdalena, dum in signum pœnitentiæ unxit pedes Iesu accumbentis in mensa Simonis; ac rursum attulit alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, illudque effudit in caput Iesu recumbentis in domo sua. Quocirca Magdalenæ hunc locum applicant Origenes, Nyssenus, Beda et Aponius. Ex pœnitentia ergo gratissimum Deo paratur ferculum, quale Magdalena Christo attulit, non tam, dum ex alabastro fracto nardinum unguentum, quam dum coi-

liquefactam animam per oculos effudit. Quocirca S. Bernardus serm. 30. in Cantica, lacrymas pœnitentium, vinum Angelorum nuncupat: *Quia in illis est odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas est.*

IV. *Orationem.* Quarto, nardus est humilis oratio et obsecratio. Unde Arabicus pro *nardus* vertit, *thus*, quod est symbolum orationis: *Donec*, inquit, *venerit rex redeundo, thus meum effudit odorem suavitatis ex fasciculo stactæ, quem habeo apud me filio fratris mei.* Audi S. Bernard. serm. 42. *Primitivæ Ecclesiæ potes hunc aptare sermonem, si recorderis dies illos quibus, assumpto Domino ubi erat prius, et sedente in dextera Patris illo suo antiquo, nobili atque glorioso accubitu, discipuli erant congregati in loco uno, perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu, et fratribus eius. Nonne tibi videtur revera tunc temporis, nardum parvulæ et trepidantis sponsæ dare odorem suum? Denique cum factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes: tunc patuit quam gratus humilitatis, et quam beneplacitus odor ascenderat, cui* B *mox tam copiosa et gloriosa remuneratione responsum est.*

V. *Virtutem omnem.* Quinto, nardus est quælibet virtus, ac virtutum omnium bonorumque operum complexio: nam ut ait S. Bern. ser. 71. *Mores colores suos habent et odores.* Ita Cassiod. Origen. S. Gregor. Beda et alii.

Porro pro *odorem suum*, Septuag. habent odorem αὐτοῦ, id est, *ipsius* scilicet regis sponsi, quo significatur omnem Ecclesiæ virtutem, omne decus, omne meritum munere a Christo. Audi Origenem: « Quod si legatur, ut alia habent exemplaria: Nardus mea dedit odorem eius, invenitur adhuc aliquid divinius, ut videatur unguentum hoc nardi, quo unctus est sponsus, non tantum suum, qui nardo inesse naturaliter solet, sed ipsius sponsi odorem cepisse, et ipsius odorem ad sponsam reportasse; ut in eo, quæ unxit eum, odorem sponsi per ipsius unguenti munus acceperit, et hoc sit quod dicere videatur: Nardus mea, qua unxi sponsum, regressa est ad me, et odorem mihi detulit sponsi, et velut superato naturali sui odore, præ fragrantia sponsi, ipsius mihi detulit suavitatem. »

C Unde colligit Origenes, quod ungens Christum nardo devotionis, prædicationis, et cunctarum actionum per hanc ipsam unctionem suscipiat Christi odorem ac spiret, puta gratiam Spiritus sancti, ac maturam fragrantiam doctrinæ spiritualis, æque ac sanctitatis vitæ. Nyssen. vero Τὸ αὐτοῦ, id est, *ipsius*, scilicet Christi, sic explicat, q. d. sponsa: Ex omnibus quas in me conspicio virtutibus, quæ omnes quasi species multæ, aromatum faciunt unum nardi unguentum, pertingo ad cognitionem perfectissimæ virtutis Dei, eamdemque aliis communico et aspiro. Theodoret. vero sic, q. d. Ex hisce meis virtutibus assecutus sum cognitionem Dei, sed odoratu dumtaxat, id est, tenuem et exilem. Tres denique Patres apud Theodoret. sic, q. d. Virtutes meæ, quæ sunt quasi nardus Dei, exhibent mihi speciem Dei per naturam inaccessi, cuius ego speciem et notam gero, ut imago ipsius ac similitudo; quare dum meis moribus illius similitudinem refero, ipsum in me velut exemplar in imagine repræsento.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Anima sancta est accubitus Christi. Omnia iam dicta adapta animæ mutato nomine Ecclesiæ in nomen animæ. Adde, animam sanctam esse accubitum, id est sedem et solium, imo cælum et templum, in quo Christus accumbit et requiescit. Ita Nyssen. et Anselmus. Rursum, per nardum posse accipi ipsum Christum, sicut ille ipse paulo post vocatur *fasciculus myrrhæ*, et *Nardus, ipse Christus et quare.* *botrus cypri.* Unde Septuag. vertunt: *Nardus mea dedit odorem* αὐτοῦ, id est, *ipsius* scilicet sponsi (licet nonnulli legant αὐτῆς, id est suum.) Et eos de more sequens Syrus: *Cum rege in accubitu suo nardus mea dedit odorem*

A *suum.* Sic sensus erit, q. d. In accubitu, id est, in nuptiali mensa, ubi abundant unguenta, flores, nardus, myrrha, et botrus cypri, nihil mihi suave olet, nisi sponsus Christus; præ illo cæteras omnes delicias despicio. Ita Theodor. qui et rationem dat, cur Christus vocetur nardus: *Nardum*, ait, *nominat Christum: quoniam unctus est nardo pistica illa pretiosa, cuius odor replevit totam domum, quæ mundum significat universum; obsequium enim a piis hominibus Domino exhibitum, orbem terrarum implevit fidei suavitate.* Sic et Origen. Psellus, Sanchez et alii.

Nardus ergo herba humilis, sed odora; aspera, sed calida et medica, repræsentat Christi humilitatem, sed suaveolentem; ac passionem, sed charitate flagrantem, omnibusque animæ morbis medentem. Unde Honorius Augustod. *Christus*, inquit, *fuit nardus nascendo, myrrha in moriendo, botrus in resurgendo.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Rex gloriæ fuit in accubitu, id est, cubavit novem mensibus in utero B. Virginis, cum ex ea carnem assumpsit; tuncque nardus, id est virtus et humilitas B. Virginis, dedit odorem suum: « Nam quid, inquit S. Bern. ser. 42. est aliud nardus mea dedit odorem suum, quam placuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est, solitum. Solito placet Deo humilitas, solito plane, atque ex consueto excelsus Dominus humilia respicit, et ideo cum esset rex in accubitu, id est, in excelso habitaculo suo, illuc quoque humilitatis odor ascendit: In altis habitat, inquit, et humilia respicit in cælo et in terra. » *Nardus humilitas Mariæ.*

C Rursum, *cum esset rex in accubitu suo*, id est, cum Filius Dei esset in sinu Patris, sensit fragrantiam nardi, id est, humilitatis B. Virginis, eaque allectus descendit in eius uterum factus homo: « Humilitas, ait Rupert. requies est mentis, et qui hanc invenit, sine dubio requiem animæ suæ invenit. Ego in omnibus requiem istam quæsivi, et vidit, rex respiciens, ubi nardi huius ex me odorem sensit; vidit, inquam, quod requiescere posset hic in suavitate animæ quietæ, id est humilis, descenditque de illo accubitu suo, et requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem mensibus; et cuius erat Dominus, eiusdem ancillæ suæ factus est filius. »

Vers. 13. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.) Hebr. ילין *ialin* id est, *pernoctabit*, q. d. Noctu, cum maxime ingruunt tristes cogitationes, turpes phantasiæ, et tentationes dæmonis, pro D unico certoque omnium remedio, utar hoc myrrhæ passionum Christi fasciculo, illo omnes discutiam, illius odore et meditatione omnes fugabo et profligabo. Græce est αὐλισθήσεται, id est, aulam, sive habitationem et mansionem stabilem iugemque accipiet. Sensus est, q. d. Uti fœminæ in pectore gestant myrrham boni odoris causa, ad confortandum cor et caput; sic ego in pectore gesto sponsum meum mihi unice dilectum, cuius nulla mihi umquam subrepet oblivio; quia ipse est amor meus, odor meus, robur meum, qui cor meum corroborat et caput, totamque animam meam exhilarat; Sept. *Alligamentum stactes, sive guttæ, fratruelis meus mihi, in medio uberum meorum demorabitur*; S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 3. *colligatio guttæ consobrinus meus, botrus cypri frater meus mihi, inter media ubera mea requiescit; nardus cypri consobrinus meus in vineis Engaddi*; Aquila: *susceptus myrrhæ.* Pro *fratruelis* græce est, ἀδελφιδός, quod S. Ambros. vertit, nunc *frater*, nunc *consobrinus*; S. Hieron. in ver-

*

sione Origenis, *fraternus;* alii, *sororis filius*, vel *nepos*. Christus enim natus est ex Synagoga (puta ex Iudæis) quæ est soror Ecclesiæ, cuius hic vox inducitur. Recte ergo Ecclesia hic Christum vocat sororis suæ, id est, Synagogæ filium. Idem significat vox *fratruolis* et *fraternus;* Noster et Symmach. *dilectus meus;* quinta editio, *sodalis meus*. Audi Origenem hom. 2. ex quatuor: *Fraternus meus mihi guttam redolet, et hanc non diffusam, neque ut libet dispersam, sed colligatam et constrictam, quo scilicet odor suus densior reddatur et vehementior. Et hic, inquit, cum talis sit, in medio uberum meorum demoratur et commanet, et requiem ac mansionem suam facit in loco pectoris mei.*

Myrrhæ natura. Myrrha, teste Plinio lib. 12. cap. 15. arbuscula est in Arabia, minor quam arbor thuris, altitudine ad quinque fere cubitos adolescit. Convenit autem inter auctores, qui hac de re scripserunt, eam esse scabram, spinosam, foliis aculeatis, caudice duro et intorto, e cuius vulnere defluit lacryma, gustu acris cum amarore, quæ glutinandi, siccandi et abstergendi vim habet egregiam. Quæ quidem B omnia adeo sunt apta ad vitæ austeritatem pingendam, ut nil aptius afferri queat. Hinc Latinum et Græcum *myrrha* derivatur ab hebr. מֹר *mor*, id est myrrha et amaritudo, quia myrrha est amara.

Myrrhæ liquor, myrrha dicitur. Stacte quid? Porro myrrha arbor fundit succum sive liquorem, qui pariter myrrha dicitur, eumque duplicem; prior est, quem arbor ipsa sponte sudat, qui stacte, id est, gutta dicitur, hæcque est myrrha optima et odoratissima; posterior, quæ ex incisione arboris elicitur. Rursum myrrha, folia et surculos myrrhæ significat. Quare fasciculus myrrhæ proprie videtur significare fasciculum ex foliis, vel ramusculis aut floribus myrrhæ constrictum, seu colligatum. Hebr. Qualis hic fasciculus? tamen צרור *tseror*, et magis Græcum ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς, id est, *alligamentum stactes*, sive guttæ, notat sacculum vel pyxidem olfactoriam, in qua stacte vel liquor condensatus continetur. Unde Nyssen. hom. 3. sic explicat: *Fraternus meus mihi est alligamentum, quod e collo suspendo supra pectus, per quod bonum odorem præbeo corpori.* Hinc et Syrus vertit *crumena*, vel *bursa* C *myrrhæ qui diligit me.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Sponsa regem sponsum suum videns in accubitu suo, id est in incarnatione, passione, cruce et morte, quam pro sponsa sponte obiit, rapta in admirationem tanti amoris exclamat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus.* q. d. Ego Paraphrasis. myrrhæ, id est amoris huius sponsi mei, qui tam amara pro me ultro subiit, semper recordabor; illi grata ero, illum amabo, pro illo vicissim amara quælibet subire non detrectabo, sed amabo et ambiam; amara et ardua eius iussa, quin et obiurgationes ac mordacia verba, imo flagella et verbera ultro suscipiam et capessam. Unde communis hæc Martyrum fuit vox, sensus et spiritus: Ego a- D more Christi pro me tanto passi et crucifixi mortem, crucem, feras, ignes, eculeos et quævis tormenta subire desidero, ut dolorem dolori, amorem amori non ex æquo, sed quoad possum rependam. Nam sine dolore non vivitur in amore. Unde S. Ignatius epist. ad Rom. *Amor meus*, inquit, *crucifixus est;* et S. Paulus: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, Gal. 6. Hac de causa Christus iturus ad crucem, seipsum velut fasciculum myrrhæ, Ecclesiæ in Eucharistia perpetuo visendum colendumque reliquit, ut hæc ipsi esset velut tessera et imago suæ passionis et crucis. Unde Christus instituens Eucharistiam: *Accipite*, ait, *et comedite; hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. 19. q. d. In sumptione Eucharistiæ, ac post eam profunde cogitate, meditamini, expendite, quanta vestri amore fecerim et perpessus sim, ut me vicissim redametis. Et Paulus: *Quotiescumque*, inquit,

A *manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, 1. Corinth. 11. 26. Corpus enim Christi sub specie panis separatim consecratum a sanguine, qui consecratur in calice, ad vivum repræsentat separationem sanguinis et animæ (anima enim est in sanguine, ut ait Scriptur.) a corpore, hoc est, mortem Christi in cruce. Hanc et Magi Christo puero obtulerunt aurum, thus et myrrham: — Christus fasciculus myrrhæ in Eucharistia.

Aurum regi, thura Deo, myrrhamque sepulto,

ait Iuvencus, q. d. Offerimus Christo aurum, ut protestemur eum nostrum esse Regem, cui velut subditi aurum quasi tributum pendimus; offerimus thus, ut protestemur eum esse nostrum Deum; thura enim Deo adolentur; offerimus denique myrrham, ut protestemur nos credere eum pro nobis in cruce moriturum, et sepeliendum; mortuorum enim corpora myrrha condiebantur, ut incorrupta manerent. Ita Theodoret. *Myrrha*, ait, *sponsi mortem, et quæ inde ad sponsam perveniunt, indicat suavitatem.* Unde Philo Carpath. ait, Ecclesiam hic per fascicu- B lum myrrhæ significare, se desponsatam esse Christo per sanguinem et aquam, quæ ex eius latere profluxit.

Christus est myrrha. Myrrha ergo est symbolum Christi: primo, quia repræsentat eius dolores et passiones: tota enim Christi vita fuit fasciculus myrrhæ, id est, continua amaritudo, et congeries laborum et dolorum. — I. Propter dolores.

Secundo, quia myrrha odoris suavitate superat cæteras arbores aromaticas; sic et Christus amoris et gratiæ suæ suavitate superat angelos, homines et creaturas omnes, iuxta illud, quod ipse de se ait Eccli. c. 24. v. 20. *Ego quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* — II. Propter odoris suavitatem.

Tertio, myrrha incorrupta servat corpora; sic Christi passio et mentibus et corporibus incorruptionem aspirat, dum eius recordatione, meritis et gratia, omnes corruptiones concupiscentiæ fidelium mens superat, ac eorum corpora a morte ad immortalitatem in die iudicii resurgent. Huius rei symbolo corpus Christi post mortem myrrha et aloe a Iosepho ab Arimathia perunctum est, Matthæi. 27. — III. Ob incorruptionem.

C Quarto, myrrha cor confortat, et caput exhilarat; multo magis utrumque facit Christi passio. Hinc ait sponsa, *inter ubera;* Septuag. *In medio uberum meorum commorabitur*, q. d. In corde meo, intimoque eius fundo (cor enim situm est inter ubera) iugiter infixa hærebit Christi passio, illaque velut myrrha efficacissima cor meum imbuetur et insuccabitur, ut eius vis ex corde in omnes sensus, vires et membra proserpat, easque corroboret ad omnes amoris agones, ad omnes virtutis labores, ad omne genus mortis et martyrii, pro Christo meo generose et alacriter obeundum. Ex corde enim manat vita, vigor et spiritus vitalis in omnes sensus, vires et membra. Quare cum myrrha passionis Christi cor occupat, per illud vim suam in omnes animæ vires diffundit. Sic ergo fit ut Christus habitet in nobis, ut induamus Christum: ut illi conformemur; Christus enim est quasi anima cordis nostri, et ut ait Ieremias: *Spiritus cordis nostri Christus Dominus*, Thren. 4. 20. Unde ait Paulus: *Christo confixus sum* D *cruci. Vivo autem; iam non ego, vivit vero in me Christus*, Galat. 2. 20. Sicut ergo lana oleo insuccatur, ut ait Columella lib. 7. c. 4. id est, oleo imbuitur, intingitur, inficitur; et sicut panis insuccatur vino, dum vini vim et succum imbibit in offa, quod significanter Itali dicunt *inzuppare;* sic prorsus cor Sanctorum insuccatur doloribus et passionibus Christi, eorumque vim imbibit, quem deinde in omnes animæ potentias sensusque transmittit, ut omnes spirent et exhalent Christum crucifixum. — IV. Propter virtutes.

Symbol. Origen. homil. 2. ex 4. per *fasciculum*, vel, ut ipse ex Sept. legit, *alligamentum myrrhæ*, accipit corpus et carnem Verbi incarnati: *Videtur*, inquit, *alligamentum et vinculum quoddam animæ esse corpus, in quod alligamentum, gutta* (stacte) in *Christo divinæ virtutis et suavitatis astringitur.* Deitas ergo, alligata corpori, est quasi gutta sive stacte alligata in fasciculo, vel constricta in pyxide. Sic et Theodor. *Alligamentum*, inquit, *guttæ eum vocat, quoniam ipse descendit sicut pluvia in vellus*, et

sicut stillicidia stillantia super terram, et a Prophetis etiam vocatus est *stilla*. *Erit ex stilla populi huius, congregatus congregabitur Iacob*. Porro S. Ambros. serm. 3. in Psal. 118 legens, *colligatio guttæ*, sic exponit, q. d. Christus carni se illigavit funiculis charitatis: *Corpus*, inquit, *suscipiens Dominus Iesus charitatis se vinculis illigavit, et non solum se membris nostris et passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit.*

Michææ 5. iuxta Septuag.

Porro Chald. vertit; « In tempore illo dixit Dominus ad Mosen: Vade et descende, quia se corrupit populus tuus; dimitte me, ut consumam eos. Tunc reversus est Moses, et quæsivit misericordiam a facie Domini, et recordatus est Dominus inclinationis Isaac, qui ligatus fuerat a patre suo in monte Moria super altare; et conversus est Dominus ab ira sua, et habitare fecit maiestatem suam in medio eorum sicut antea. » Hæc expositio Iudæi Iudaica est, subservit tamen Christianæ et genuinæ iam assignatæ. Ligatio enim Isaac ad eius immolationem fuit typus ligationis et immolationis Christi in cruce, idque in eodem monte Moria; huius enim pars et collis est mons Calvariæ, in quo crucifixus est Christus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Fasciculus myrrhæ passio Christi.

Anima pia passionem Christi, velut fasciculum myrrhæ in pectore et corde suo recondat, ut eo cor confortet, et caput exhilaret, ad omnes virtutis labores et dolores, omnesque huius vitæ adversitates, imitatione et amore Christi læte et fortiter subeundos. Ita S. Bern. ser. 43. « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Ante rex, modo dilectus. Ante in accubitu regio, modo inter sponsæ ubera. Magna humilitatis virtus, cui etiam deitatis maiestas tam facile se inclinat. Cito reverentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum est; et qui longe erat, in brevi factus est prope. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res, dura et aspera tribulationem significat. Eo sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. » Subdit deinde cur fasciculus dicatur, non fascis: « Propterea denique non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat et doloris. Bene fasciculus, quia parvulus natus est nobis. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim, inquit, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cuius iugum suave est, et onus leve? Non quia leve in se (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo) sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum: Fasciculus myrrhæ dilectus meus; sed mihi, inquit, quem diligo, fasciculus est. Unde et dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, et quia fortis est ut mors dilectio. » Ita S. Elzearius Comes Arriani, hoc myrrhæ fasciculo ad immobilem animi mansuetudinem et tranquillitatem pervenit; cum enim dicteriis, calumniis, irrisionibus, iniuriis, etc. etiam a propriis famulis varie et crebro exagitaretur, illico mente versabat probra, calumnias, iniurias, tormenta irrogata Christo, nec ab hac meditatione cessabat, donec mens in imitatione huius patientiæ tranquille conquiesceret; quo fiebat ut nullum doloris aut iræ signum daret, se videretur bile carere, essetque ἀπαθής; ita habet eius Vita apud Surium. Eodem fasciculo S. Franciscus, S. Elisabetha, aliique plures ad tantam humilitatem, patientiam et sanctitatem evasere.

Actor. 5. 41. Fasciculus myrrhæ, non fascis, cur?

Rom. 8.

Exempla

Fasciculus myrrhæ, mortificatio.

Rursum, *fasciculus myrrhæ* est mortificatio assidua, quam nos docet vita et passio Christi, quæ non aliud fuit quam continua mortificatio; hæc enim omnem concupiscentiæ corruptionem abstergit, omniaque animæ vulnera sanat, eamque ad omne bonum corroborat. Myrrha, inquit Galenus lib. 7. Simplic. medic. purgat thoracem et pulmonem, astringit, concoquit et discutit: atque infrigeratos calefacit. Uberius Dioscorides l. 1. c. 67. *Myrrha*, inquit, *calefacit, concoquit, soporem gignit, etc. decoratur in vetere tussi, laterum pectorisque doloribus, in alvi profluvio et dysenteria, horrores discutit, scabritiem arteriæ expolit, obtusam vocem expedit, ventris tineas enecat, contra gravem oris halitum mandiitur, gingivas et dentes stabilit, vulnera capitis glutinat, medetur fractis auribus ac ossibus nudatis: impetigines ex aceto purgat; diuturnas distillationes lenit, oculorum ulcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem lævigat.* Eadem et plura efficit Christi passio, et mortificatio in anima et spiritu. Unde nullum ea efficacius est remedium contra tentationes luxuriæ, iræ, superbiæ, acediæ, invidiæ, etc. uti perpetua experientia constat. Quocirca Nyssenus homil. 3. censet hic significari quod anima, quæ in corde habet alligatum Christum crucifixum, non possit ullo membro vel sensu peccare: *Illa anima*, inquit, *quæ suscepit bonum Christi odorem, et cor fecit alligamentum huius suffitus, se ita comparat, ut omnia sigillatim vitæ studia, tamquam alicuius corporis membra ferveant spiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate in ullo membro corporis refrigerante dilectionem in Deum.* Et Orig. homil. 2. ex 4. *Alligatura guttæ*, inquit, *dogmatum continentiæ constrictio, ac divinarum sententiarum nodositas intelligitur: innexæ enim sibi invicem sunt fidei rationes, et vinculis veritatis adstrictæ.* Et tres Patres apud Theodor. *Nexus est*, inquiunt, *et conservatio stillæ divinæ gratiæ, quæ mihi communicata est, dilectus meus; per fidem enim*, inquit, *acceptus, spiritualia tuetur, atque conservat Ecclesiæ munera, fidelesque confirmat ac roborat, ne a veritate desciscant.* Et S. Gregor. *Mortuorum corpora*, inquit, *myrrha condiri solent, ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem a putredine luxuriæ restringimus, ne, dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine, escam vermibus æternis faciamus. Sed quid est, quod dilectum suum sponsa non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat, nisi quod, dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex eius imitatione repugnantes virtutes congregat; ex quibus sibi fasciculum myrrhæ aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternam abstergat.*

Myrrhæ virtutes.

Mortificatio ergo, et vitæ austeritas animam purificat, sanctificat, Deoque mire placentem gratamque efficit, quia eam similem facit Christo crucifixo. Quocirca Deus eamdem suis charismatibus ample remunerare solet. Ut alia taceam, lege Vitas Sanctorum, et invenies eos dumtaxat magnis et crebris claruisse miraculis, qui austeræ fuerunt vitæ, quales extitere S. Martinus, S. Antonius, S. Hilarion, S. Benedictus, S. Romualdus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, S. Franciscus Xaverius.

Duo ubera quæ? Novum et vetus testamentum. Doctores.

Igitur Christi passio commoratur inter ubera, id est, in corde animæ sanctæ. Symbolice, inter duo ubera, id est primo, inter novum et vetus testamentum; utrumque enim prædicit et prædicat Christi passionem et crucem, ait Philo Carpathius.

Secundo, inter ubera, id est inter Doctores, qui prædicant Christum crucifixum, ait Iustus Orgelit.

Amor Dei, et proximi.

Tertio, S. Gregorius: Duo ubera, inquit, sunt amor Dei et proximi. Audi eum: *Qui* (sponsus Christus crucifixus) *bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei et proximi habitatio Christi sancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, et proximi amorem sic exsequitur, ut divinum non minuat, procul dubio ubera in pectore sibi lo-*

cat, quibus Christum amplectens, ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hoc gemina dilectione, ut fortius inhæreat, delectatur.

Congratulatio et compassio.

Denique S. Bern. ser. 43. duo ubera accipit congratulationem et compassionem, iuxta illud Pauli Roman. 12. « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quia vero inter adversa et prospera versans, novit utrobique pericula non deesse, medium huiusmodi uberum suorum vult habere dilectum, cuius adversus utraque continua protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia deiiciant. » Subiicit deinde S. Bern. itaque hunc myrrhæ fasciculum suo exemplo omnibus arcte commendat: « Tu quoque, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum de principatu tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens et assidua meditatione revolvens, quo possis dicere et tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et ego, fratres, ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei: primum videlicet infantilium illarum necessitatum; deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in alloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis sylva Evangelica copiosissime noscitur protulisse. » Et post plura, quæ in hanc rem subiicit, ita concludit: « Hæc meditari dixi sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti, tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem. » Hucusque S. Bernard. pie sapienter et pathetice.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo adstans cruci, filium suum Christum crucifixum, velut fasciculum myrrhæ toto corde obtulit Deo Patri in holocaustum, pro redemptione totius mundi, sicut Abraham obtulit suum Isaac. Eadem post Christi mortem et ascensionem eius tormenta cordi alligata, imo insculpta gestans, assidue summo doloris, amoris et devotionis sensu ruminabat: nec tantum ruminabat, sed et reipsa imitabatur, omnes persecutiones Iudæorum, omnesque adversitates fortiter sustinens, ac lacrymis, compunctioni et mortificationi assidue vacans, qua proinde mirificas Dei gratias et dona obtinere meruit, uti ipsa revelavit S. Birgittæ. Hac de causa Calvarium et loca passionis Christi crebro et devotissime obibat: ipsa enim omnia tormenta Christi vehementissime sensit compatiendo, quæ Christus patiendo, idque non semel ut Christus, sed per omnem vitam. Ipsa enim longe magis amabat Christum, quam seipsam. Unde longe maluisset ipsa pati omnia tormenta Christi, quam videre Christum suum eadem patientem.

B. Virgo multoties martyr.

Multoties ergo ipsa fuit Martyr, iuxta illud S. Simeonis ad ipsam vaticinium: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Lucæ 2. Ita Rupertus.

Vers. 14. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Botrus cypri quid?

Quæres quid sit cyprus? Primo, Rabbini et ex eis Tigurina, ex similitudine vocis censent esse caphuram, sive

A camphoram. Camphora autem est gummi cuiusdam arboris in India nascentis tanta magnitudine et proceritate, ut sub eius umbra hominum centuriæ recondi possint. Camphoræ vires et dotes recenset Matthiolus in Dioscor. l. 1. c. 75. Tria vero memoranda de hoc gummi narrant auctores. Aiunt caphuram in aqua flagrare; deinde tradunt eam humore madere, si in recenti et calido pane condatur: aiunt denique, nisi sedulo asservetur, ex operculatis etiam thecis nonnunquam evanescere. Quæ profecto tria sponso impendio conveniunt, ut non immerito *botrus copher* sit appellatus. Etenim in hoc spirituali humani generis cataclysmo, quo aquæ culpæ hiemales, tum origine permanentes, tum voluptate prave erumpentes mundum obruerunt, et ignem charitatis extinxerunt, in medio ipse diluvio exstans et erectus, fluctibus ipsis velut oleo pascitur, et more lampadis accensus flammam charitatis emittit, quam flumina nequeunt obruere. Ita Ioannes Carmelita.

Respond. I. Camphora.

Rursum, R. Abraham per *botrum cypri* accipit dactylos palmæ, qui sapidissimi sunt.

B Dactyli palmæ.

Secundo, *botros cypri* esse uvas in Cypro insula nascentes, vel vites ex Cypro delatas in Iudæam, censent S. Gregorius, Cassiod. Beda, Anselm. Rupert. S. Bernard. Titelm. et alii. Vinum enim Cyprium, æque ac Creticum (vulgo *malvasia*) est præstans, forte et eximium, teste Plinio lib. 14. cap. 1. et 7. Et hic sensus Christo sponso nostro apte convenit, qui tanquam botrus pinguissimus et deliciosissimus vini pretiosissimi et præstantissimi, in torculari amaræ passionis pressus et expressus, sanguinem uvæ, sicut pretiosissimum, ita et copiosum valde effudit, propinavitque sponsæ suæ Ecclesiæ, cuius haustu etiamnum ipsa vivificatur atque reficitur, lætificatur et inebriatur.

II Uvæ Cypriæ.

Huc accedit Chald. qui per *botrum cypri* accipit vinum acceptum ex uvis Engaddi, quod Hebræi in terram sanctam intrantes libarunt Deo: *Ibant*, inquit, *ad vineas Engaddi, et accipiebant inde botros uvarum, et exprimebant ex eis vinum, et libabant ex illo super altare, quartam partem hin super singulos arietes.*

C Vinum Engaddinum.

Tertio, Iustus Orgelit. per *cyprum* accipit cypressum, sive cupressum, vel cyparissum, cuius comæ botri speciem quamdam exhibent. Verum aliud est cyprus, aliud cupressus, ut patet ex Plinio, Dioscoride, Galeno, Theophrasto et aliis.

III Cupressus.

Quarto, Origen. Theodor. Nyssen. et Philo Carpathius *botrum cypri* exponunt botrum floritionis, id est, adhuc florentem, nec fructu, puta uvis, turgentem: κυπρίζω enim est floreo, et κύπρισμος est floritio. Verum nil tale significat Hebræum כופר *copher*, et Latinum Græcumque *cyprus*.

IV Botrus cypri, id est, botrus floritionis.

Quinto, alii per *cyprum* accipiunt balsamum. Ita Aponius, Beda, S. Bernardus, Honorius, Hailgrinus, Sotomaior, Sanchez et alii. Probant primo, quia balsamum est odoratissimum, et proprium Iudææ in vineis Engaddi. D Unde S. Hier. in cap. 27. Ezechiel. *Balsamum*, ait, *quod nascitur in vineis Engaddi*; et in Epitaphio Paulæ: *Contemplata est balsami vineas in Engaddi.* Secundo, quia Ecclesiasticus de more Salomonem secutus, Christum comparat balsamo, Eccli. 24. 21. *Quasi balsamum*, ait, *non mixtum odor meus.* Tertio, quia arbor vel frutex proferens balsamum, similis est viti, teste Plinio lib. 12. cap. 25. *Semen*, ait, *eius est vino proximum gustu*. Et paulo anterius: *Hæc viti similior est quam myrto, malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis, implet colles vinearum modo.*

V. An cyprus sit balsamum.

Verum obstat, primo, quod nusquam balsamum vocetur *copher*, sive cyprus.

Resp. negative.

Secundo, quod balsamum non habeat botros, nec uvas; sed ex incisione fruticis profluit, liquor ille odoratissimus, qui opobalsamum dicitur. Respondet Sotomaior, *botrum cypri* idem esse quod *ramum balsami*. Verum Hebr. אשכול *escol*, et Latinum Græcumque *botrus*, uvam significat, non ramum: balsami tamen hic mentio fit in vineis Engaddi. Probabilius quis diceret *botrum cypri* vo-

eri liquorem ex frutice balsami inciso profluentem, qui instar botri concrescit et coalescit.

Tertio, quod Plinius, Dioscorides, Galenus quin et Iosephus Hebræus lib. 5. de bello Iud. cap. 4. distinguunt cyprum e balsamo.

VI. Genuine. Qualis arbor cyprus. Dico ergo: *Cyprus*, inquit Plinius l. 12. c. 24. *est arbor in Ægypto zizyphi foliis, semine coriandri, flore candido et odorato*. Et, ut ait Philo Carpath. in cap. 4. Cant. v. 13. *Cyprus arbuscula est flore candido, cincinnorum instar pendente coma odoratissima, folio oleæ; ex hac fit unguentum nomine Cyprinum, ad multa commodissimum, habetque folia, flores et fructus et ramos utilissimos. Hæc optima in Ascalone Iudææ et Ægypti Canopo provenit.* Cassiodorus ibidem, *Cyprus*, ait, *arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, id est, album et sublucidum, quod oleo coquitur et inde exprimitur, quod cyprus vocatur; unde regium unguentum paratur.* Dioscorides vero lib. 1. c. 4. Cyprum describens, ei has dat virtutes: *Venarum spiraculo laxat, urinam ciet ad calculos, aquamque super cutem; utilissime bibitur: adversus scorpionum ictus remedio est: perfrictionibus vulvæ, et præclusionibus fotu prodest: pellit menses. Contra ulcera oris etiamsi depascant vorentque, farina eius efficax est; malagmatis calefacientibus, et unguentorum spissamentis bene adiici solet.* Et Galenus lib. 7. Simpl. medic. *Cypri*, inquit, *radices maxime usui sunt, excalefacientes pariter et exsiccantes absque mordacitate. Itaque ulceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittant, mirifice prosunt: habent enim quoddam etiam astringens; quopropter ulceribus item oris conveniunt. Quin et incidendi vim quampiam illis inesse testificandum, qua et calculo vexatis congruunt, ut urinam mensesque provocant.* Addit ibidem Matthiolus iconem cypri, in qua manifeste in cypri cacumine cernuntur minuto folio cum semine exoriri, instar botri vel racemi.

An cyprus sit ligustrum. Porro *cyprum* esse eumdem fruticem cum ligustro Italico ex veriorum sententia docet Plinius lib. 24. cap. 14. ubi asserit ligustrum eamdem esse arborem, quæ in Oriente *cyprus* appellatur. Et Galenus lib. 7. Medic. simpl. *Cypri*, ait, *seu ligustri folia, etc. habent quiddam digerens et astrictorium. Itaque eorum decocto quidam ambusta fovent. Utuntur etiam adversus igneas phlegmonas et carbunculos. Nam absque molestia et morsu desiccant. Quin etiam sponte provenientibus in ore ulceribus, aphthodeni, et ipsis puerorum aphthis, commanso accommodata sunt.* Idem innuit Dioscorid. l. 1. c. 107. *Ligustrum*, ait, *arbor est oleæ foliis circum ramos similibus, etc. flore candido, odorato.* Ac mox subdit: *Cyprinum oleum, quod ex eo fit, odoratum excalefacit, emollitque nervos*; ubi insinuat cyprinum oleum esse ligustricum, ac consequenter ligustrum esse cyprum. Diserte vero id ipsum asserit Ruellius lib. 1. distinct. cap. 94. et Matthiolus in Dioscoridis locum iam citatum. Ubi et de more ideam sive formam ligustri, sive cypri, in imagine spectandam exhibet, in qua plane est videre botros, sive uvas ligustri sive cypri, similes uvis, quæ in vite nascuntur. Additque: *Flores edit candidos muscosusque racemosque et fructum nigrum.* Unde Arabicus pro *botrus cypri* vertit, *racemus florum*; talis enim est in ligustro. Hinc et Theophrastus l. 9. hist. plant. c. 7. cyprinum, sive ligustricum unguentum asserit esse odoratissimum.

Rembertus Dodonæus vero de Stirpibus pemptade 6. lib. 2. cap. 13. etsi ligustrum distinguat a cypro, quod ligustro folia defluant hieme, cyprus vero perpetua fronde vireat, asserit tamen illi esse persimile: ligustrum vero Græcis appellari φιλλυρεαν, de quo Dioscorides: *Phillyrea*, inquit, *arbor est cypro magnitudine similis, foliis oleæ nigrioribus ac latioribus: fructum habet lentisci similem, nigrum, subdulcem, racematim cohærentem*; et tale omnino est ligustrum.

Porro Dictionarium Syriacum asserit, *copher*, id est *cyprum*, esse arborem quamdam, cuius frondes delectæ, et in pulverem massamque redactæ, reddunt manus, crines, cæterasque corporis partes purpureas. Id ipsum censet oculatus testis Petrus Bellonius lib. 2. Observat. cap. 74. ubi ait cyprum Salomonis esse fruticem, quem Arabes *alkanna* sive *henne*, Græci *scenna* vocant, qui ligustro similis copiose provenit in Cayro Ægypti. Hunc, inquit, Turcæ et Mauritani propter florum gratiam (qui densi et clausi botrorum speciem præ se ferunt) et suavem odorem musco similem, diligenter servant. Unde Turcorum Imperator ex eo quotannis vectigal plus quam octodecim millium ducatorum colligit: involuit enim ea consuetudo, ut omnes mulieres manus, pedes, capillorum partem rubro aut flavo, viri autem ungues rubro colore Alkannæ pulvere inficiant. — Bellonii opinio.

Nota. Ut ut est, cyprus ligustro est similis, et in Iudæa fuit odoratissima, et fructus proferens, nimirum botros miræ magnitudinis æque ac saporis, ut patet ex hoc loco et ex cap. 4. 13. Hinc *cyprus* dicta est ab Hebr. כופר *copher*, id est expiatio, scilicet tetri odoris, quod suo odore hominem reficiat, et fœtores arceat, inquit Marinus in Lexico. *Copher* ergo, sive cyprus, est fructus arboris cypri, quem S. Hieronymus testatur odoratum esse, et instar efflorescentis uvæ florere, ex quo cyprinum fit oleum, quod cyprum pariter vocant odoratissimum et saluberrimum, teste Plinio lib. 23. cap. 4. Id verius erat ætate Salomonis; cum floreret Iudæa rerum omnium præstantia et abundantia: tunc enim erat terra melle et lacte manans, quæ modo cernitur scabrosa, sterilis et lapidosa. Quare cyprus et olim arbores aromaticæ, quæ Salomonis arte et cura excultæ præstantes dabant fructus, iam vel exaruerunt, vel a primæva bonitate degeneraruut, uti constat de balsamo, quod olim sola Iudæa possidebat, nunc plane ignorat. Salomon enim vineas habebat, cum iuxta Ierusalem, tum in Engaddi. Ibi enim erant vineæ, tum vitium, tum cypri, tum balsami præstantissimæ, quas ipse sua industria excolendo longe præstantiores efficiebat.

Opinio Delrio. Porro noster Delrio probabiliter per *botros cypri* accepit uvas delicatissimas Engaddinas, quæ ex vicinis cypri aromaticis arboribus cyprinum saporem contrahebant, eumque exhibebant gustanti. Vitium enim et uvarum proprietas est, adsciscere sibi saporem iuxta radices crescentium fruticum, vel herbarum, ut experientia constat; et docet Plinius lib. 15. cap. 16. Sic ergo botri in Engaddi iuxta cypros succrescentes, cypri saporem et odorem sugentes referebant, ideoque in pretio habebantur, sicut hodie in Italia et alibi muscatellini. Hisce ergo botris uvarum odoratissimis et sapidissimis, sponsa sponsum dilectissimum confert. Hæc Delrio. — Botrus cypri, uvæ delicatissimæ Engadditanæ.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Copher, id est, expiatio. AIT sponsa: Sicut sponsus meus Christus ob passionem pro me obitam mihi est fasciculus myrrhæ amaræ, sed odoratæ, qui iugiter inter ubera, id est, in corde meo commoretur, et ab eo commemoretur: sic pariter idem est quasi botrus cypri, quia eius ad instar mihi odoratus et gustu suavissimus est. Sicut enim copher, sive cyprus, expiat fœtores odorum; sic Christus sua passione et gratia expiat fœtores scelerum: כופר *copher* enim hebr. idem est quod *expiatio*; unde vertunt nonnulli: *Botrus expiationis*, vel *redemptionis iniquitatis*, vel *pretii*, vel *propitiationis*. Hæc omnia enim significat *copher*, q. d. Dilectus meus ob passionem mihi est dilectus myrrhæ amaræ; sed hanc amaritiem tegit, expiat et dulcorat fructus redemptionis nostræ per eam acquisitæ: qui instar botri cypri mihi iucundissimus et suavissimus est. Nam ut ait S. Paulus Ephes. cap. 2. v. 4. *Deus qui Dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati) et consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in sæculis superve-*

nientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis salvati per fidem. Item Rom. 3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.*

Engaddi, id est fons incisionis.

Unde Hortolanus sic explicat, q. d. Christus sponsus meus est mihi pro prægrandi botro expiatorio in Engaddinis vineis, uvarum miræ magnitudinis feracibus nato. In regione, inquam, Engaddi, hoc est, in fonte incisionis. Ea enim est mystici verbi vis, et rei gestæ conveniens interpretatio. Siquidem meus Christus semetipsum antilytrum, et summum dedit, quo me redemit, pretium. Is ipse clavis et lancea confixus, atque in cruce quasi in torculari expressus prægrandis botrus, velut fons incisus sanguine manat et aqua. Ex quo ego lavacro lustrata sacrati expiata, et omni deposita vetustate, instar aquilæ innovata, iuvenis et formosa, omni carens peccati macula, omni vetustatis ruga, omni denique vitio emaculata, obque sua ingentia in me merita hunc ego odoratam et efficacem myrrham, imo botrum expiatorium unice diligo, parentibus, propinquis, amicis et omnibus meis fortunis, atque adeo mihi ipsi in amore præfero, et cælum, unde ad me delatum est, summa vi nitor capere: nullos hostes metuens, nulla formidans pericula, ut tu olim Synagoga, mea æmula, habitatores terræ Chanaan; unde miræ magnitudinis botrus ille ad te ab exploratoribus exportatus fuerat, pertimescens, et Deo diffisa, promissas sedes obtinere posse desperasti.

Porro licet Christus dici possit *botrus cypri* in incarnatione, quia tunc ut flos odoratissimus et iucundissimus e radice Iesse, puta ex utero virginali, germinavit et effloruit: unde et Nazarenus, id est floridus, est nuncupatus. Item in passione, ubi velut botrus in torculari crucis pressus, omnem suum nobis effudit sanguinem. Ita S. Ambros. in Psal. 118. et Iustus Orgelit. qui ait: *Engaddi* idem est quod oculus tentationis. Christus crucifixus ergo est botrus cypri in Engaddi, quia in cruce tentationibus Scribarum et Iudæorum est exagitatus. Unde et *Engaddi* ex Hebræo et Syro verti potest, *fons*, vel *oculus incisionis*, aut *scissuræ*. In cruce enim Christi caro concisa fuit.

Engaddi, id est, oculus tentationis.

Christus botrus cypri in resurrectione.

Aptius tamen Christus fuit botrus cypri in fructu passionis, puta in resurrectione et gloria, quam sibi nobisque promeruit et obtinuit. Ita Cassiod. Beda, Rupert. Anselmus et S. Bernard. Unde Honorius Augustod. ait Christum fuisse nardum in incarnatione, fasciculum myrrhæ in passione, botrum cypri in resurrectione. Porro *botrus cypri* florum cypri est congeries et condensatio: sicut grana vinacea densantur in botro uvæ: vocatur tamen hic *botrus* potius quam *flos*, quia botrus significat florum, id est, dotum animæ et corporis Christi gloriosi, multitudinem et condensationem, scilicet impassibilitatem, claritatem, agilitatem, subtilitatem, item liberationem patrum a limbo, ascensum in cælum, missionem Spiritus sancti, Apostolorum prædicationem, conversionem Gentium cæteraque Spiritus sancti charismata, quæ Christus e cælis in Ecclesiam contulit, confert et conferet usque ad diem iudicii, imo in omnem æternitatem. Huic sensui favet interpretatio nominum: nam κύπρος, id est cypros, idem est quod *pulchra*, vel *pulchritudo*. Quid autem pulchrius resurrectione et corpore glorioso? Rursum *Engaddi* hebr. verti potest *fons*, vel *oculus felicitatis*: quid autem felicius cælesti beatitudine, in qua Beati oculis mentis vident Dei essentiam omneque bonum?

Cypros, id est, pulchritudo. Engaddi, id est, oculus vel fons felicitatis.

Porro botrus hic cypri dicitur esse in vineis *Engaddi*, ut significet botrum hunc esse præstantissimum, tum in se, tum in vicinia balsami, aliarumque arborum aromaticarum, quarum vis et virtus illi afflabatur, uti notat Origen. hom. 2. ex 4. Cassiod. Beda, Aponius, S. Bernardus serm. 4. sanctus Hieronymus in Ezech. 27.

Balsamum enim, quod omnia aromata suavitate odoris, æque ac salubritate liquoris superat, teste Plinio, nusquam olim, nisi in Engaddi nascebatur. *Engaddi* enim est urbs et regio iuxta Iericho et mare Mortuum, in tribu Iuda contra Occidentem, gratissimum spirans odorem ex copia arborum odoriferarum, præsertim balsami: unde et *Asasonthamar*, id est, urbs palmarum dicta est, quod palmis et balsamis abundet. Ita S. Hieron. Tradit. in Genes. cap. 14. et ex eo Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ. Balsamum autem odoratissimum, quod corpora male affecta sanat, et mortua a corruptione præservat, optime denotat resurrectionem Christi, immortalitatem, salutem et gloriam æternam, quam suis electis confert. Unde S. Ambros. in Psal. 118. serm. 3. « Engaddi, inquit, locus est in Iudæa, in quo opobalsamum gignitur, si interpretationem quæris, tentatio latine significatur. In illis enim vineis lignum est, quod si quis compungat, unguentum amittit, hic fructus est ligni: si non incidatur lignum, non ita fragrat et redolet; cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam distillat: sicut et Christus in illo tentationis ligno crucifixus, illacrymat populum, ut peccata nostra dilueret, et de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum, dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, Lucæ 23. Tunc ergo in ligno compunctus est lancea, et exivit de eo sanguis et aqua, Ioan. 19. omni unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens, et quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat e corpore. » Et post nonnulla in eamdem sententiam: « Terram movebat, et hærebat in ligno: cælum obducebat tenebris: mundum crucifigebat, et crucifixus caput inclinabat caput, et exibat verbum: exinanitus erat, et replebat omnia: descendit Deus, ascendit homo, Verbum caro factum est, Ioan. 1. ut caro sibi Verbi solium in Dei dextera vindicaret: vulnus inflictum erat, et fluebat unguentum: scarabæus audiebatur, et Deus agnoscebatur. »

Engaddi quid.

Balsamum Engadditanum.

Sic et Beda per balsamum, quod nascitur in vineis Engaddi, accipiens charismata Spiritus sancti: « Et sponsus, ait, in vineis est Engaddi; quia et ipse Dominus in carne apparens, plenus est Spiritu sancto, et eius dona credentibus ipse largitur. » Additque Christum esse nardum, fasciculum myrrhæ, et botrum cypri: « Quia et prima discumbentem in cœna Dominum mulier devota nardo perfudit; deinde discipuli crucifixum ad sepeliendum myrrha unctum linteis involverunt; et post hæc ipse gaudio resurrectionis mox adveniente spiritalia fidelibus dona distribuit. »

Balsamum Engadditanum Spiritus sancti charismata.

Rursum, *Engaddi* idem est quod *fons hædi*; unde notat Baptismum, quo omnes hædi, id est, peccatores et peccata, abluuntur. Ita Cassiodorus, Beda, Aponius, Anselmus, Rupertus, Philo Carpatitus, et S. Gregorius quem audi: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chrismo efficitur quo dona Sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hædi: hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hædi, nisi Baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus mergitur, anima abluitur, et per illius fidem, qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana a peccatis omnibus mundari se credit.* Et S. Bernard. serm. 44. *In fide et lenitate sanctum faciat illum, et dabit illi non oleum, sed balsamum in vineis Engaddi. Nec enim dubium ex fonte hædi profluere charismata meliora, cuius utique unctio hædos vertit in agnos, et de sinistra transfert in dexteram peccatores, abundantius quidem ante perfusos unctione misericordiæ, ut ubi abundaverunt delicta, superabundet et gratia.* Et superius post principium sermonis: *Ergo vineas Engaddi dicit plebes Ecclesiæ, quæ habet balsami liquorem, spiritum mansuetudinis, in quo parvulorum adhuc in Christo teneritudinem blande fovet, et dolores pœnitentium consolatur. Sed et si quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir Ecclesiasticus, qui hunc spiritum iam accepit, curabit huiusmodi mox instruere in eodem spiritu lenitatis, considerans seipsum, ne et ipse tentetur. In hoc typo quotquot baptizandi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali ungere consuevit.*

Engaddi, id est fons hædi, baptismi symbolum.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

I. Botrus cypri est Eucharistia.

CHRISTUS animæ sanctæ *botrus cypri* est in meditatione et imitatione passionis et resurrectionis eius, ac præcipue in sumptione S. Eucharistiæ, quæ est memoriale passionis eius. In ea enim bibitur sanguis Christi sub specie vini. Unde Zachar. cap. 9. Eucharistiam vocat *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*. Ipsa ergo
1. similis botro cypri: primo, quia continet sanguinem Chri-
2. sti, velut botrum expressum in torculari crucis; secundo, quia ipsa est esca suavissima, quæ animam cœlestibus deli-
3. ciis, gratiis et gaudiis inebriat; tertio, quia per ipsam resurgemus ad vitam beatam et immortalem, ut Christus ait Ioann. 6. Audi S. Bernard. serm. 44. *Si dilectus in myrrha, multo magis in botri suavitate. Ergo Dominus meus Iesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione, seipsum mihi saluberrimum temperavit in potum*, in B *lacrymis, in mensura. Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram*, Rom. 4. *ut peccatis mortui iustitiæ vivamus. Itaque tu, si peccata luxisti, bibisti amaritudinem: si autem iam respirasti in spem vitæ vita sanctiori, mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis*, Ps. 103.

II. Est fervor et zelus.

Secundo, idem S. Bernard. per *botrum cypri* accipiens vinum optimum, quod nascitur in Cypro insula, per illud accipit fervorem et zelum iustitiæ: *Etenim*, inquit, *si amas Dominum Iesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, numquid si videris eius iniurias contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poteris? minime: sed mox arreptus spiritu iudicii, et spiritu ardoris, et tamquam potens crapulatus a vino, repletus zelo Phinees, dices cum David: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei; et cum Domino: Zelus domus tuæ comedit me. Vinum est ergo fervidissimus zelus iste, expressum de botro cypri, et calix inebrians Christi amor*. Et post nonnulla: C *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi, hoc est, zelus iustitiæ amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis*.

III. Est Christus incipientibus.

Tertio, Nyssen. Origen. Theodoret. et Philo, qui per *botrum cypri* accipiunt botrum florentem, needum uvas producentem, per eum intelligunt Christum, qui incipientibus exhibet suavitatem quamdam odoris, quo proficiant, ut iam maturis præbeat vinum amoris et fervoris. Audi Nyssen. homil. 3. *Qui natus est puer Iesus in iis qui ipsum susceperunt, diverse proficit sapientia et ætate et gratia; non est idem in omnibus, sed pro modo eius in quo est, quatenus is qui ipsum capit, est idoneus; talis apparet aut infans, aut proficiens, aut perfectus convenienter botri naturæ, qui non semper cernitur in vite in eadem forma, sed formam mutat cum tempore florens, perfectus, maturus, vinum factus. Profitetur ergo vinea fructui suo, quod nondum sit matura et tempestiva ad vinum, sed exspectat plenitudinem temporum; non tamen tamquam omnino expers fruendarum deliciarum. Per florem namque certam significat spem de futura gratia: certa autem spes de gratia est fruitio iis qui per patientiam exspectant*. D Idque *in vineis Engaddi*, hoc est, in loco pingui ubi vites altas radices agunt, hoc est, in profunda cogitatione et meditatione, quæ succum pietatis animæ subministrat, qua crescat, et ex flore in fructum virtutis et charitatis transeat. Audi et Origen. homil. 2. ex quatuor: *Verbum divinum, in quibus vero vitis efficitur, haud repente maturos botros producit et dulces: nec repente ex eis efficitur vinum suave et lætificans cor hominis, sed primo producit suavitatem tantummodo odoris in florem. Botrus vero hic florens esse memoratur in vineis Engaddi, quod interpretatur oculus tentationis, ut gratia fragrantiæ ipsius immittatur in initiis animæ, ut post hæc pati possit acerbitatem tribulationum et tentationum, quæ propter verbum Dei credentibus excitantur, et ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet*. Unde addit Origenes florem cypri ha-

A bere vim calefaciendi. Christum ergo iis esse botrum cypri, quos charitatis igne succendit: hi in Engaddi, id est, in fonte tentationis non succumbunt, sed eam fortiter superant. Hinc Philo Carpath. per *botrum* accipit ipsos Christi fideles: *Botrus*, inquit, *dum maturat, voluptatem affert intuentibus: sic qui cœperunt in Christum credere, nondum tamen maturos fructus capientes, botro florenti comparantur; cum vero iam maturum botrum degustant, veram Christi fidem charitatemque induti, perfecti esse incipiunt, et sponsæ nomine appellantur*.

Quarto, Aponius cyprum interpretans tristitiam et mœrorem, asserit Christum esse botrum cypri peccatoribus, dum iis iniicit spiritum compunctionis et dolorem de peccatis, ut eos evehat ad beatitudinem lugentibus promissam. Matth. 5. *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Hi enim sunt in Engaddi, id est, in fonte hœdi, qui fonte lacrymarum eluunt hædos fœtentes criminum. IV. Est Christus pœnitentibus.

Tropol. In Engaddi, id est, in fonte tentationis invenitur botrus cypri, id est Christus, quia in tentatione et tribulatione floret et exuberat Christi gratia et consolatio, cuius odore et robore anima tribulationibus afflicta mire recreatur et roboratur, iuxta illud Psaltis: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Psalm. 93. 19. Ita Theodoret. *In tentationibus constituta*, inquit, *et a multis oppugnata*, inquit *illa, tuam sentio suavitatem*. Ubi ergo tentamur ab hoste, ibi lætificamur a Christo: ubi divina tentatio, ibi divina consolatio: ubi crux, ibi refrigerium. Hoc enim Christus suis asseclis promisit et promeruit. Unde Paulus: *Sicut*, inquit, *abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, 2. Corinth. 1. 5. Hinc *gloriamur in tribulationibus*, ait idem Rom. 5. easque appetimus et ambimus; quia scimus in iis manna reconditum latere, plus mellis divini, quam fellis humani. Tropol.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

CHRISTUS in cruce B. Virgini fuit fasciculus myrrhæ, in resurrectione vero botrus cypri, cum ei primo apparens omnem passionis mœrorem abstersit, eumque in gaudium exsultationis convertit. Ita Rupert. « Igitur, inquit, dilectus meus mihi et fasciculus myrrhæ, quia moriturus; et botrus cypri erat, quia resurrecturus, ut ultra non moriatur. Botrus inquam, cypri, videlicet terræ vel insulæ, botros prædulces, vinumque optimum afferentis: quia non qualecumque, sed optimum est vinum resurrectionis, et hoc in vineis Engaddi, id est fontis hœdi: hoc enim interpretatur Engaddi. » Causam subiicit: « Cur ergo ita dixerim? Idcirco nimirum, quia meus iste dilectus non iustos, sed peccatores vocare venit, ut resurgant in resurrectione prima, qui fuerant per peccatum mortui: et hoc in fonte hædi, in fonte Baptismi, in lavacro regenerationis, quo regenerati fiunt oves, qui fuerant hædi: fiunt sancti, qui fuerant peccatis obnoxii. »

VOX SPONSI.

Vers. 15. ECCE TU PULCHRA ES, AMICA MEA, ECCE TU PULCHRA ES, OCULI TUI COLUMBARUM.

ECCE TU PULCHRA ES, AMICA MEA, ECCE TU PULCHRA ES.) Septuag. *Ecce es speciosa, proxima* (Symmach. *sodalis*) *mea, ecce es speciosa*; S. Ambros. *bona*; Chald. *Quando faciebant filii Israel voluntatem regis sui, ipse in verbo suo laudabat eos in consistorio Angelorum sanctorum, et dicebat: Quam pulchra sunt opera tua, filia mea! Dilecta mea congregatio Israel in tempore, qua facis voluntatem meam, et laboras in verbis legis meæ.*

Quoad seriem dramatis, sponsus in accubitu suo mensali ingredientem ad se sponsam contemplans, et nardi

eius suaveolentiam sentiens, ac deinde discedens, sed post parietem auscultans, et audiens illam apud suas socias adeo commendare sponsum dicendo: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi,* sese continere non potuit, quin ad illam regressus, illi vices amoris rependeret, eiusque pulchritudinem dilaudaret. Admirans ergo eam iterato ait: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es,* qua geminatione, æque ac adverbio demonstrandi, *ecce,* eximiam et admirabilem eius esse pulchritudinem significat. Sicut enim sponsa geminam sponsi pulchritudinem celebrarat, puta passionem in fasciculo myrrhæ, et resurrectionem in botro cypri: sic vicissim sponsus geminam sponsæ pulchritudinem regerit et rependit. Ita Theodor.

Feminæ dos pulchritudo

Porro propria animarum et sponsarum dos est pulchritudo: unde ipsæ adeo sunt philocosmæ et avidæ ornatus. Hinc Anacreon Poeta: *Natura*, inquit, *dedit tauro cornua, equo ungulas, lepori velocitatem, leoni rictum dentium, natare piscibus, volare avibus, viris prudentiam. Quid fœminis? formositas pro parmis et lanceis est.*

Ut ferrum et ignis percutit,
Quæ vultu pulchro fulminat.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Duplex Ecclesiæ pulchritudo.

Christus dilaudat Ecclesiæ pulchritudinem, eamque iterando duplicem: imo multiplicem esse significat, scilicet internam, et externam, quæ ex interna dimanat: internam sitam esse in fasciculo myrrhæ, et botro cypri, id est, in iugi meditatione et imitatione passionis et resurrectionis Christi; externam vero in nardo, id est, in humilitate et modestia exteriori, quæ omnibus gratum suum odorem aspirat, iuxta illud Ps. 44. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Ita Cassiodor. Beda et Philo Carpath. qui internum sanctitatis decorem collocant in pura sanctaque conscientia, externum in honesta et sancta conversatione. Vera enim pulchritudo sita est in interno decore, a quo externus dimanat; alioquin exterior et ascititius, fucus est, non decor.

Causam amoris addit, dicens: *amica mea*; Sept. *proxima mea*; Symmach. *sodalis mea*; Hebr. רעיתי *raiati*, id est, *commensalis mea*, quæ mecum vivis, et in mensa mea pasceris. Plato dialog. de Amore docet pulchritudinem esse gratiam et venustatem, quæ intuentium oculos animosque ad sui amorem alliciat, indeque græce vocari καλόν, quod omnes ad se καλεῖ, id est, vocet et invitet. Hoc apud homines verum est: ibi enim pulchritudo est causa amoris; at non apud Deum: ibi enim vice versa amor et amicitia est causa pulchritudinis. Deus enim amat homines, non quia pulchri sunt; sed amando eos facit pulchros, ut amore suo digni sint. Amor enim Dei est principium et causa omnis boni et pulchri. Deus enim est ipsa essentialis, immensa et incomprehensibilis pulchritudo; ac quia illa redundat, hinc ex immensa bonitate eam in homines et creaturas cæteras effundit, eoque magis, quo magis sibi vicinæ et propinquæ sunt: qui ergo prope accedunt ad Deum, hi prope eius pulchritudinem participant; et qui propius, hi magis, et qui proxime, hi maxime. Anima enim similis est speculo: quod si rebus pulchris approximet, pulchram in se speciem formamque suscipit; si vero deformibus, deformem. Ita Psellus apud Theodor. quem audi: « Quoniam expulso a tergo vitio, expurgata a Verbo anima, solis circulum in se suscepit, et simul reluxit cum luce, quæ in ipsa apparuit, propterea ei dicit Verbum: Pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquasti, per appropinquationem attrahens dispensationem pulchritudinis. Ecce es, inquit, pulchra, propinqua mea. Deinde cum se exhibuisset, et eam veluti in quadam accessione contemplatus esset pulchritudinis, rursus eamdem repetit orationem: Ecce tu pulchra es, sed prius quidem eam nominavit propinquam; hic autem eam, quæ cognoscitur ex specie oculorum: Oculi enim tui columbæ. » Huc accedit S. Ambros. in Psal. 118. ser. 3. « Quoniam, inquit, cognoverat Ecclesiæ mysterium, et pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Iesum prædicabat, meretur audire: Ecce es bona, quæ me bonum dicis; et ipsa bona es, quæ vidisti gloriæ meæ decorem, et ipsa speciosa es et decora. Quid est Christum dicere: Bona es, et decora es, nisi illud Evangelicum: Constans esto, filia, remissa sunt tibi peccata tua? » Iam sponsa sponsum velut fasciculum myrrhæ collocerat inter ubera, id est, in corde suo: ab illius ergo decore, decora, ab illius fulgore fulgida effecta est.

Amor Dei est causa omnis boni et pulchri.

Anagog.

Anagogice, duplex pulchritudo Ecclesiæ est: Prima, in præsenti vita per gratiam; gratia enim est ipsa venustas animæ, quia facit eam divinæ consortem naturæ, parem Angelis, similem Christo, amicam et filiam Dei. Gratia enim est summa participatio Dei, eiusque sanctitatis et decoris immensi. Secunda, in futura vita per gloriam: hæc enim est pulchritudo non viatorum, sed Beatorum et Angelorum. Ita Origen. homil. 3. et 4. *Speciosa*, ait, *est hæc Ecclesia, cum proxima est Christo, et cum imitatur Christum. Quod vero iteravit: Ecce es speciosa; potest ad futurum sæculum pertinere, ubi iam non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est et speciosa, et ibi dicat esse oculos eius columbæ.* Vere S. August. præfat. in Psalm. 44. *Summa animæ pulchritudo*, inquit, *est iustitia*, quia sicut pulchritudo corporis est iusta inter se membrorum omnium proportio et harmonia, cum quadam coloris suavitate: sic animæ pulchritudo est iustitia, quæ omnibus animæ viribus corporisque membris id quod suum est, assignat; itaque per omnia hominem compositum decorumque efficit, uti patuit in iustitia originali, quam habuit Adam ante peccatum, et magis in iustitia Christi ac B. Virginis. Et Clemens Alexandr. l. 3. Pædag. c. 11. *Pulchritudo optima*, ait, *est pulchritudo animæ, cum fuerit ornata Spiritu sancto, et his quæ ab eo oriuntur, inspirata lætitia, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore, et pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est.* Et B. Isidor. Pelus. libr. 3. epistol. 131. ad Lampetium Episcopum, ubi inter alia sic habet: *Ut corporeæ pulchritudinis norma membrorum apta proportio est; ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea, in virtutum mediocritate consistit*, etc.

Duplex pulchritudo Ecclesiæ.

SECUNDUS SENSUS

PACTIALIS

De Christo et anima sancta.

Duplex item animæ pulchritudo

I. Præter iam dicta, primo S. Gregor. duplicem animæ pulchritudinem assignat, duplicem charitatem, Dei scilicet et proximi: *Bis pulchram*, inquit, *sponsus sponsam vocat; quia cui dilectionem Dei et proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, et quam laudat.*

Secundo, pulchra est anima dupliciter: primo, in actione; secundo, in contemplatione: ita tres Patres apud Theodor. II.

Tertio, pulcher est iustus dupliciter: primo, pulchritudine et sanctitate animæ; secundo, corporis, iuxta illud de virgine: *Ut sit sancta corpore et spiritu*, 1. Corinth. 7. Ita Iustus et Anselmus. III.

Quarto, S. Bernard. ser. 45. duplicem pulchritudinem interpretatur, pœnitentiam et humilitatem per quam innocentia amissa recuperatur. Censet enim S. Bern. sponsam a sponso in accubitu suo residentem de defectibus fuisse reprehensam, sed eum placasse sua nardo; id est, humilitate humilique confessione, unde ab eo hic sponsæ pulchritudinem celebrari. « Etenim præsumptionem, inquit, correptio, correptionem emendatio, emendationem remuneratio secuta est. Adest dilectus, amovetur magister, rex disparet, dignitas exuitur, reverentia ponitur. IV.

Cedit quippe fastus, ubi incalescit affectus. Et sicut quondam quasi amicus ad amicum Moyses loquebatur, Dominus respondebat: ita et nunc inter Verbum et animam, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. » Et post nonnulla: « Decor animæ humilitas est. Non a meipso hoc dico, cum Propheta prior dixerit: Asperges me hyssopo, et mundabor: humili herba et pectoris purgativa, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum rex et Propheta lavari confidit, et sic niveum quemdam innocentiæ recuperare candorem.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Duplex B. Virginis pulchritudo.

Beata Virgo fuit ad miraculum pulchra, tum corpore, tum longe magis anima et mente.

S. Bern. duplicem pulchritudinem B. Virgini assignat, summam innocentiam et summam humilitatem. Post verba enim iam citata subdit: « Verum in eo, qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas; et si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem iungit; nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, et humilitate non caruit. Et ideo concupivit rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ sociavit. Denique respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Ergo beati, qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis et innocentiæ; si tamen et decorem induere humilitatis adiiciant. Profecto audiet, quæ huiusmodi invenitur: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.

Rursum, Rupertus geminam pulchritudinem B. Virginis interpretatur, virginitatem et maternitatem Dei. Vide dicta Proverb. 31. v. 25. ad illa: *Fortitudo et decor indumentum eius.*

Denique Hugo Victor. serm. 2. de Assumpt. qui exstat sub finem tom. 2. duplicem Virginis pulchritudinem accipit, virginitatem et humilitatem: « O qualis, ait, societas, totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Ego totus pulcher, et tu tota pulchra. Ego per naturam, et tu per gratiam. Ego totus pulcher; quia totum quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe est, in te est. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis: in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nivea, mente sincera. » Et nonnullis interiectis: « Nec alia talem decebat; nec alius tali inveniri poterat. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, mater Dei, sponsa Regis æterni. »

OCULI TUI COLUMBARUM.

Columbæ symbolum sunt amoris, fidei et castitatis coniugalis; nam in columbariis mas suæ columbæ soli applaudit, nec aliam quærit. Unde Poeta:

Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus et totum fœmina coniugium.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Pulchritudo hominis maxime cernitur in facie et oculis; in oculis enim relucet cor et animus, omnesque animi affectus. Unde S. August. in Psalm. 41. *Oculi*, ait, *membra carnis sunt et fenestræ mentis.* Et Cicero l. 3. de Orat. *Imago animi vultus est, indices autem oculi.* Sponsam ergo decoram sponsus maxime ab oculis dilaudat quod eos habeat non vulpinos, non lupinos, non vulturinos, id est non obliquos, fraudulentos, et simulatos, non invidos et rapaces, non gyrovagos spectantes ad prædam; sed columbinos, id est, primo, simplices, candidos, ingenuos; secundo, pudicos: ita Origenes; tertio, rectos, columbæ enim non oblique aspiciunt, sed recta; quarto, amantes et amabiles, columbæ enim non torve intuentur, sed blande et amanter; quinto, placidos et mansuetos. Ita Beda: *Oculi*, inquit, *tui columbarum, id est oculi cordis tui simplices et mundi, atque ab omni duplicitate fallendi ac simulandi prorsus immunes. Item oculi tui columbarum quia sensus tui spirituali sunt intellectu præditi. Item oculos columbarum habet amica Christi, quia omnis quæ illum veraciter intus amat, nullo exteriorum rerum appetitu milvorum more accenditur, nulli viventium adversum quid inferre meditatur: quod columbinæ fertur esse mansuetudinis, quæ cuncta quæ occurrunt, simplici, miti et humili corde contemplatur.* Et S. Bern. ser. 45. *Oculi tui columbarum. Iam*, inquit, *non ambulas in magnis, neque in mirabilibus super te; sed instar simplicissimæ volucris contenta es simplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans; et libenter ea quæ sunt de me duntaxat, incarnato et passo, oculo intuens columbino.* Sept. vertunt, *oculi tui* περιστεραί, id est *columbæ*, in nominativo plurali, q. d. Oculi tui adeo belli, candidi, amabiles sunt, ut non tam columbini, quam columbæ ipsæ esse videantur: columbas ergo geris in oculis, quia quidquid pulchrum et amabile est in columbis, hoc oculis tuis exhibes et repræsentas, quale est primo, modestia et pudicitia; secundo quod in amore pro cantu gemit; tertio quod putrida, sordida et fœtentia fugit; quarto, quod in petris sibi nidum construit; quinto, quod gaudet aquis, residetque iuxta flumina. Audi S. Gregor. *Cuius* (sponsæ) *oculi bene columbarum esse perhibentur: quia dum in temporalibus gemit, et ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, et carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur; quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt et lætantur, mens electa in cælesti desiderio atteritur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur.* Subdit deinde: *Possunt etiam per oculos columbarum Ecclesiarum prædicatores intelligi, qui simplicitatem, quam prædicant, servant, et visibilia contemnentes, ad æterna cum magnis gemitibus anhelant.* Et Psellus apud Theod. *Iucundis*, ait, *oculis es prædita columbæ virginis, cum oculos tuos ab errore averteris, et eos in me Creatorem tuum intenderis. Columbæ autem oculos memorat, ut purum virginis obtutum significet. Tam mundos enim oculos habet, ut pariter pulcherrimum sponsum aspiciat.*

Oculi columbæ dotes quinque.

Quinque dotes columbæ.

Symbolice, duo oculi columbæ, memoria et intellectus.

Symbolice, Hugo lib. 4. de Institut. monast. c. 3. per duos oculos columbæ accipit memoriam et intellectum: *Duos*, inquit, *habet oculos, dextrum et sinistrum, memoriam et intellectum: in hoc futuro providet, in illo transacta deflet. Hos oculos clauserunt in Ægypto patres nostri, quoniam non intellexerunt opera Dei, nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ eius.*

Anagog. Filius et Spiritus S.

Anagogice, Origenes per duos oculos accipit Filium et Spiritum sanctum, quos anima videbit in cælo eaque visione beabitur: *In futuro sæculo*, inquit, *ubi anima iam non solum imitatione, sed et ipsa sui perfectione formosa est, dicit esse oculos eius columbas, ut duorum oculorum columbæ duæ intelligantur esse Filius Dei et Spiritus sanctus.*

Mystice, doctores septem dotes columbæ assignantur prædicatoribus.

Mystice, S. Gregor. Anselm. et alii per oculos Ecclesiæ accipiunt doctores et prædicatores, quibus septem columbæ dotes, id est septem dona Spiritus sancti, adaptat Honorius Augustodun. « Columba quippe, ait, in petra nidificat, alienos pullos nutrit, pura grana eligit, felle caret, rostro non lædit, iuxta fluenta habitat, gregatim volat. Sic Ecclesia in petra, id est Christo, fide, et opere ædificat, alienos a verbo Dei, verbo et exemplo nutrit, puras sententias de libris Gentilium vel hæreticorum eligit, malitia invidiæ caret, neminem detrahendo lædit, iuxta fluenta Scripturarum habitat, ut raptus accipitrum, id est dæmonum, evadat, multos secum trahere ad gaudia laborat. » Hæc deinde adaptat Prophetis et Apostolis: « Unius columbæ, id est Ecclesiæ ante adventum Christi, oculi Pro-

phetæ fuerunt, qui ei æternum iamen Christum prævide-runt; unde et Videntes dicebantur. Alterius columbæ, scilicet Ecclesiæ post Christi adventum, de eodem populo oculi Apostoli exstiterunt, qui eam ad verum lumen Christum perduxerunt. Dicit ergo sponsus: O amica mea, cui omnia secreta Patris mei patefeci, quia te nardo carnis meæ sanavi, myrrha mortis meæ redemi, botro resurrectionis inebriavi; ecce in præsentia mea tu es pulchra in fide, ecce coram hominibus tu pulchra es in operatione; quia oculi tui, id est provisores tui sunt simplices sicut oculi columbarum, scilicet et Prophetæ et Apostoli doctores Ecclesiæ. Oculi enim ducunt hominem ne in lapidem offendat: ita doctores ducunt Ecclesiam ad vitam ne in legem Dei in lapide scriptam offendat. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Columba, innocentiæ symbolum. Columba symbolum est innocentiæ, ideoque Sancti vo-
cantur *columbæ*, ait S. Basil. in Psal. 28. Unde S. Chry-
sost. hom. 4. de patientia Iob: *Vir*, inquit, *erat in terra
Hus nomine Iob; columba in medio accipitrum, ovis in
medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio
spinarum, et iustitiæ germen in oppido iniquitatis.* Oculi
Oculus est intentio recta. autem columbæ maxime denotant intentionem sinceram
et rectam animæ sanctæ: columba enim rectum habet in-
tuitum, ut dixi, non obliquum. Oculus enim, prima in-
1. tendit in id ad quod deinde dirigit manus et pedes, ut eo-
dem tendant: oculi vero columbæ toti defiguntur in id
quod aspiciunt: sic anima sancta, primo, tota intendit in
Deum ut finem, ac deinde ad illum omnes gressus et actio-
2. nes dirigit. Secundo, sicut oculus intendens in rem ali-
quam eius speciem in se suscipit, illique assimilatur: sic
anima intendens in Deum, illius formam imbibit, fitque
3. divina, et quasi Deus terrestris. Tertio, sicut oculus im-
mediate aspicit rem quam intendit, nec medium aliud
admittit; sic animu intendens Deum, illum unum spectare
debet, non commoda, non honores, nec quid aliud inter-
medium: quidquid enim medium est, impedit intuitum et
4. intentionem in Deum. Quarto, sicut oculus plures res si-
mul aspicere potest lateraliter vel circulariter dispositas:
sic anima in opere suo plures potest intendere virtutum
fines, ut v. g. dicat: Volo orare, ieiunare, studere, elee-
mosynam dare, ut satisfaciam pro peccatis meis Deo: qui
est actus pœnitentiæ; item ut placeam Deo amori meo:
qui est actus charitatis: insuper ut honorem Deum: qui
est actus religionis; ad hæc, ut proximi egestati succur-
ram: qui est actus misericordiæ, etc. Et quo plures virtu-
tum fines intendit, eo opus est melius magisque merito-
rium: quia hic actus, licet ut elicitus, sit unus; tamen, ut
imperatus, est multiplex, quia a tot virtutibus quot in eo
sunt intentiones, imperatur. Hoc est quod ait Christus:
*Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum
erit*, Lucæ 11. 34. Intentio enim primarium bonitatem dat
operi, adeoque si opus ex se sit indifferens, intentio bona
efficiet illud bonum, sibique simile. Et Zachar. c. 9. 1. *Do-
mini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel*, q. d.
Dominus est obiectum, in quod intendit oculus et intentio
omnium eorum qui veri sunt Israelitæ, id est, servi et cul-
tores Dei.

Oculus columbæ, consideratio rerum spiritualium. Huc facit versio Chaldæi: *Et quam recta sunt opera tua, et occupationes tuæ sicut pullorum columbæ, qui mundi sunt, ut offerantur super altare meo.* Intentio enim placendi Deo, eumque colendi et honorandi in quolibet opere, illud offert Deo, illique facit quasi holocaustum. Hinc notatur per oculos columbæ; columba enim erat victima, quam sibi in holocaustum depoposcit Deus, Levit. 1. Quin et Syri columbas albas tangere, necare et edere non audebant, sed religiose colebant in honorem Semiramidis primæ Assyriorum reginæ, in quam eam post mortem commutatam esse fabulabantur. Unde Tibul. l. 1. Eleg. 1.

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Vide Eusebium l. 8. de Præparat. cap. 7. Ita hunc locum explicat S. Gregor. Nyssen. homil. 4. « Anima, inquit, liberata a corporali (carnali) affectione habet speciem columbæ in oculis, hoc est, characterem vitæ spiritualis, etc. Sic quoniam purus factus est animæ oculus, capax est characteris columbæ et Spiritus sancti, propterea in eum cadit, ut contempletur sponsi pulchritudinem. Nunc enim primum in sponsi formam intendit oculos, quoniam sponsum habebat in oculis. Nemo enim potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. » 1. Corinth. 12. 3.

Huc accedunt Cassiodor. Origen. Beda, Theodor. Philo Carpath. et S. Bernard. ser. 45. qui per oculos columbæ accipiunt intuitum spiritualium, quo scilicet anima in res non carnales, sed spirituales aspicit, easque appetit et intendit. Porro Nysseo. homil. 4. docet oculos columbæ esse pellucidos, et habere vim speculi, adeo ut quia intuentium vultus in iis valent contemplari; sic et animam sanctam, virtutum in quas intendet, formam et speciem in se suscipere: quare cum intendit mansuetudini, simplicitati, puritati, paci, modestiæ, etc. earum characterem et notam menti imprimere, ideoque illam reipsa effici mansuetam, simplicem, puram, pacificam, modestam, etc. Idem est de vitiis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Columba index est Spiritus sancti. Oculi columbæ ergo notant septem dona Spiritus sancti, id est, plenitudinem gratiarum, qua omnes homines et Angelos præcelluit B. Virgo: « Nec est, inquit Rupertus, novum ut ipsa septem dona dicantur oculi; nam et apud Zachariam Prophetam ipsamet significantur per septem oculos, qui sunt in uno lapide Christo. Isti oculi mei sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum. Omnium gratiarum tu facta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescunt omnia prædicta Spiritus sancti dona, ut dicitur apud Isaiam, et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

VOX SPONSÆ.

Vers. 16. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.) Chald. *Quam pulchra est maiestas sanctitatis tuæ! quoniam in tempore, quo tu habitas inter nos, suscipit voluntarie orationes nostras.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Alterna contendunt sponsus et sponsa. Est quasi carmen amœbæum, in quo laus est alterna et reciproca, qualis est inter amantes. Laudarat sponsus sponsæ pulchritudinem, nunc ipsa modeste, verecunde et reverenter laudem omnem in sponsum reciprocat et reflectit, ac ab eo se omnem suam pulchritudinem, hoc est, remissionem peccatorum, lætitiam, gratiam, puritatem, bene operandi merendique efficaciam accepisse profitetur, q. d. Ait Hortulanus: Laudes meas eximias a te, o sponse, cum rubore audio; sed ego te solum illis maxime dignum iudico. Si quid enim in me est pulchritudinis et iustitiæ (quod sentio quam sit exiguum) gratuitum donum est, et ab inexhausto pulchritudinis et iustitiæ, ac bonitatis tuæ fonte in me deductum atque collatum. Tu namque per te solus pulcher es, et nunc maxime resumptu immortali corpore decorus et egregius; imo vero ipsummet es pulchrum, extra aleam pulchrorum omnium Christus pulcherrimus.

positum, paternæ gloriæ refulgentia, et substantiæ expressa idea, cuius participatione quæcumque pulchra sunt, pulchro potius similia, quam pulchra dicenda esse videantur. Sic et S. Greg. Cassiodor. Beda, Iustus, Anselmus, Rupert. qui Christum aiunt pulchrum in divinitate, decorum in humanitate. Et S. Bernard. ser. 45. eumdem pulchrum ait in natura, decorum in gratia: « Quam pulcher es Angelis, inquit, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Patris, et quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ. Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis eminuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quam clara mihi oriris stella ex Iacob, quam lucidus flos de radice Iesse egrederis, quam iucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto! Quam spectabilis et stupendus etiam in virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum! Quam denique rutilans post occasum Sol iustitiæ de corde terræ resurgis, quam formosus in stola tua! Demum rex gloriæ in alta cælorum te recipis. Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Præclare S. August. præfat. in Psal. 44. « Nobis, inquit, iam credentibus ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero virginis, ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu. »

Christus speciosus forma præ filiis hominum.

Denique Christus tam animo quam corpore fuit pulcherrimus, utpote formato a Spiritu sancto, iuxta illud: *Speciosus forma præ filiis hominum*, Psal. 44. Hinc in vultu Christi aliquid sidereum, imo maiestas divinitatis radiabat, ut docet S. Hieronymus in Matth. cap. 9. Sapienter Tertullianus lib. de Cultu fœminar. cap. 2. *Accusandus*, inquit, *decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana.* Unde et Nyssen. Orat. catechet. cap. 6. ait hominem a Deo creatum vultu et specie formosum, ut imaginem exemplaris pulchritudinis, puta Dei pulcherrimi. Verum vera pulchritudo longe magis in animo, quam in corpore consistit. Nam ut ait S. August. tract. 32. in Ioannem: *Sicut anima facit decus in corpore, sic Deus in anima.* Et mox: *Decus ergo corporis animus, decus animi Deus.* Ennodius in Vita S. Epiphanii Ticinensis Episcopi: *Formositas*, ait, *in ipso lucis corporeæ, index animi fuit.* Et mox subdit sacerdotem talem esse debere: *Ut lucem membrorum fulgor exsuperet.* Quin et Seneca epist. 66. *Virtus*, inquit, *magnum decus est, et suum corpus consecrat.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Sanctus Gregor. Nyssen. sic explicat, q. d. « Ecce pulcher es, patruelis meus et formosus. Ex quo enim mihi nihil aliud esse videtur pulchrum, sed aversata sum omnia quæ ante reputabantur in bonis pulchris; non amplius mihi aberrat de bono iudicium, ut aliquid aliud existimem præter te esse bonum et pulchrum, non ullum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam; hæc enim iis, qui aspiciunt ad sensum, boni quidem specie sunt illinita, sed non sunt id quod putantur. Quomodo enim fuerit pulchrum, quod nullo modo consistit? Nam quod in hoc mundo est honoratum, suam habet essentiam in sola existimatione eorum qui esse existimant. Tu autem vere pulcher, non solum pulcher, sed ipsa pulchri essentia, semper talis es, omnino id quod es, nec in tempore florens, nec in tempore rursum florem abiiciens, sed cum vitæ æternitate simul extendens speciem ac decorem, cui nomen fuit benignitas ac charitas in homines. »

Et S. Bernardus ser. 45. docet hic describi quomodo Verbum Dei, puta Christus, et anima in mente spiritualiter colloquantur et dissuavientur: « Et Verbi quidem lingua, inquit, favor dignationis eius; animæ vero devotionis fervor, etc. Verbo igitur dicere: Pulchra es, et appellare amicam, infundere est unde et amet, et se præsumat amari. Ipsi vero Verbum vicissim nominare dilectum, et fateri pulchrum, quod amat et quod amatur, sine fictione et fraude adscribere illi, et mirari dignationem, et stupere ad gratiam. Siquidem pulchritudo illius dilectio eius, et ideo maior, quia præveniens. Medullis proinde cordis, et intimarum vocibus affectionum tanto amplius atque ardentius clamitat sibi diligendum, quanto id prius sensit diligens quam dilectum. Itaque locutio Verbi, infusio doni, responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio. Et ideo plus diligit, quod se sentit in diligendo victam, et ideo plus miratur, quod præventam agnoscit. Unde non contenta est semel dicere pulchrum, nisi repetat et decorum, eminentiam decoris illa repetitione designans. »

TERTIUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et B. Virgine.

Colloquium B. Virginis et Christi.

Beata Virgo, uti præ cæteris notat mysterium divinitatis et incarnationis Verbi in se peractum, ita præ aliis Christi Dei et hominis pulchritudinem admirabatur; unde illam cum Christo ita dissuaviantem Rupertus inducit: « Ille veraciter in me veneratur, quod sim mater et virgo; ego in illo adoro, quod sit Deus et homo. Dico ergo: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Dicis mihi: Ecce tu pulchra es; et ego dico tibi: Ecce tu pulcher es. Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo tu qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam vere in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher et decorus; ita pulcher, ut sis ipsa substantia pulchritudinis; ita decorus, ut sis ipsum decus humanitatis. Vere ergo dicis mihi: Ecce tu pulchra es, et dico tibi: Ecce tu pulcher es, quia tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neque enim virga floris, sed flos virgæ pulchritudo est. »

Et Guilielmus Parvus, q. d. Quia tu pulcher secundum divinitatem, decorus secundum humanitatem. Tu non tantum homo, sed etiam Deus; et idcirco ait Guilielmus: *Ego non tantum mater, sed et virgo; quia æternæ divinitati tuæ temporaliter accessit humanitas, et meæ virginitati non successit, sed accessit fœcunditas. Sicut enim purus homo virginem matrem habere non potest, ita Deus homo matrem, nisi virginem habere non potest.*

LECTULUS NOSTER FLORIDUS.

Pulchrum sponsum et sponsam pulchram decet cubile et pulchra domus; utrumque hic assignat, dicens cubile et lectum herbis floribusque pulchris et odoratis esse instratum, ac domum constare ex tignis cedrinis et tabulatis cypressinis. Licet enim Romæ domus construantur ex solis lateribus et lapidibus, eo quod calx ibi sit tenacissima et solidissima, adeo ut concamerationes templorum et palatiorum faciant maximas et firmissimas ex lapidibus et calce; tamen in Transalpinis regionibus domus fiunt e lignis et tignis, inter se affabre commissis et innexis. Tacite sponsa, quæ oberrando per hortos et vineas senserat

solis calorem, eoque decoloratam se meminerat, invitat sponsum in domum et cubile, ut ibi in pace et quiete semoti a turbis et persecutionibus, vitam agant amœnam et iucundam in mutuo colloquio, consortio et convictu, qualem egunt ii, qui elegerunt sortem Magdalenæ et vitæ contemplativæ: sed sponsus a quiete hac sponsam mox evocat ad labores prædicationis et conversionis animarum, puta a contemplatione ad actionem, a pace ad bellum, a tranquillitate ad persecutiones, ab otio ad negotium, a domo ad agros et campos, ut eius virtutem, merita et decus adaugeat. Unde subdit: *Ego flos campi, et lilium convallium.* Ita Beda et S. Bernardus ser. 46. qui inquit sponsam hic indicare sponso thalamum eius esse ornatum, itaque eum tacite ad illum invitare.

Lectulus noster floridus) Hebraice רענגה *raanana*, id est viridis, hoc est viridibus herbis et floribus coopertus, ideoque virens, florens et vernans; Septuag. pro אף *oph*, id est *etiam*, videntur legisse אל *el*, id est *ad*; unde vertunt, πρὸς κλίνῃ ἡμῶν σύσκιος, id est, *ad lectum nostrum umbrosum*, scilicet accessisti vel accede. Ita legit codex Vatican. Nyssenus, Psellus et tres Patres apud Theodoret. q. d. Tu, o Christe sponse mi, qui amas umbras herbarum et florum, accede ad lectum nostrum iis instratum et umbrosum. Aut, tu o Christe, qui, qua Deus, es immensa lux; qua tamen homo, lucem hanc umbra corporis texisti, ut eam alias inaccessibilem quasi per rimam, imo umbram inspiceremus, ideoque umbrosus vocitaris; accede ad lectum hunc floribus et frondibus vernantem pariterque umbrosum, ne foris uti me, ita et te decoloret solis, id est persecutionis, æstus.

Verum genuina Septuag. lectio videtur esse quam habet Origenes homil. 2. ex duabus. Theodoret. et S. Ambros. in Psal. 118. ser. 4. scilicet: κλίνη ἡμῶν σύσκιος, id est, *lectulus noster umbrosus*. Sic enim habent Hebr. et Vulgata. S. Ambros. tamen, pro πρὸς κλίνῃ per diastolen, legit προσκλίνη per systolen; unde vertit, *acclinatio nostra opaca*.

C

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Lectulus Christi.
Quæres, quisnam sit lectulus virens et floridus, in quo requiescit Christus et Ecclesia?

I.
Est humanitas
Respondent, primo, nonnulli esse humanitatem Christi; in hac enim velut lectulo, sed carne obumbrato et velato tam deitas fulgentissima Verbi, quam Ecclesiæ spes conquiescit. Ita Nyssen. tres Patres apud Theodor. Psellus et Alanus, quem audi: « Lectulus Christi dicitur caro quam assumpsit propter duos lecti usus. In lecto laborat homo in infirmitate, quiescit in sanitate. Similiter Christus in carne humana laboravit in infirmitatibus humanis ante passionem, quievit in eadem carne post resurrectionem. Et eleganter dixit; Lectulus noster floridus, quia caro Christi, quæ prius in vita floruit, per mortem effloruit, at per resurrectionem refloruit. Unde dicitur Psalm. 27. Et refloruit caro mea. »

D

II.
Sacra Scriptura
Secundo, Theodoretus per lectulum accipit sacram Scripturam, quæ veris sententiis quasi floribus vernat, quorum semina in se suscipiens anima sancta profert spiritum salutis. Lectus hic dicitur umbrosus, quia a gratia Spiritus protectus, et ab ardore peccati defensus; quod enim Israeli erat columna nubis, hoc nobis est auxilium Spiritus. Hæc Theodoretus.

III.
Fides charitate formata
Tertio, Gislerus per lectulum accipit fidem charitate formatam, ideoque bonis operibus virentem et florentem; per hanc enim est Deus in nobis, et nos vicissim in Deo conquiescimus. Intellectus enim hominis quærit verum in naturali opinione, coniectatione et argumentatione quasi in lecto, sed inquieto, fallaci et falso; et intellectus viri fidelis quærit verum in fide divina, ibique quasi in lectulo verum, imo Deum invenit. Fides dicitur *lectulus* diminutive, quia lectus, id est plena cognitio, pax et felicitas erit in visione beatifica. Hinc Septuag. hunc lectulum vocant

A

umbrosum et opacum, quia fides obscura est: *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*, 1. Corinth. 13.

Quarto, lectulus Ecclesiæ est integra vita, et bona puraque conscientia fidelium, cuius flores sunt virtutes quælibet; in hac enim tam Christus quam Ecclesia velut in lectulo placide conquiescit, latius quieturus in eodem in felicitate æterna; quare ibi animæ fideles et beatæ erunt lectus omni dote, tam gratiæ quam gloriæ ornatissimus et iucundissimus tam sibi, quam Christo. Huc facit versio Chaldæi: *In tempore quo tu habitas in lectulo nostro dilecto, filii nostri multi sunt super terram, et crescimus et multiplicamur sicut arbor quæ plantata est iuxta fontem aquarum, cuius folium pulchrum est, et fructus eius multus.* Lectulus animæ, ait Honorius, est bona conscientia, in qua ut in lecto, secura quiescit anima cum Christo, quando se orando et legendo exercet, et amore Dei liquescit et floridus est, quando aliis exempla bonæ vitæ præbet. Hic sensus valde appositus est. IV Pura conscientia.

B

Quinto, Cassiodor. per *lectulum* accipit pacem et tranquillitatem Ecclesiæ, quæ dum gaudet, liberius vacat vigiliis, ieiuniis, orationi, contemplationi, adeoque omnibus bonis operibus floret, atque, ut ait Beda, prolem fidelium fidei flore redolentem Deo gignit ex aqua et Spiritu sancto. V Pax Ecclesiæ

Symbolice: Aponius per *lectulum* accipit sepulcrum Christi, quod floridum dicitur ob aromata ex floribus confecta, quibus Magdalena et sociæ unxerunt corpus Christi. Addit Guillelmus Parvus lectulum, id est sepulcrum Christi, dici floridum, quia Christus ex eo tertia die gloriosus resurrexit; tunc enim quasi refloruit caro Christi. Ergo *lectulus noster floridus*, id est reflorescente carne tua, o Christe, vernabit illa floribus novæ resurrectionis, iuxta illud: *Refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei*, Psal. 27. 7. Symbolice, lectus Christi fuit sepulcrum

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

C

De Christo et anima sancta.

Lectulus Christi et animæ sanctæ est mens casta, sancta, et studiis virtutum dedita; quæ flores et fructus omnium bonorum operum progerminat; quare ipsa est decora per ornamenta virtutum, et odorifera exemplis sanctarum actionum. Lectulus hic est *umbrosus*, ut vertunt Sept. quia mens sancta sub umbra Christi in se inhabitantis secura degit, ne uratur vel ardore tentationis, vel algore torporis, vel æstu nimii ferroris; quare illi fidenter dicit: *In umbra tua vivemus in Gentibus*, Thren. 4. Nam sola mens sancta in Christo defixa veram habet quietem; quia mens concupiscentiis dedita, illarum æstibus fluctuat, et mille perturbationum ventis agitatur, iuxta illud: *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus*, Isaiæ 57. vers. ult. Ita S. Ambros. de Isaac et anima cap. 4. *Ubi enim*, inquit, *requiescit Christus et Ecclesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique ubi impudicitia, ubi superbia, ubi iniquitas, ibi, ait Dominus Iesus, Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum*, Matth. 8. 20. Lectulus ergo Christi est castitas, humilitas, patientia, oratio, temperantia et maxime charitas; hac enim Christus animam velut sponsam sibi associat, et eam diligit, et vicissim ab ea diligitur, iuxta illud Christi: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, Ioann. 14. 23. Lectus Christi mens sancta. Et charitas

D

Secundo, Origen. homil. 2. ex duabus, legens: *Lectulus noster umbrosus*: per illud accipit corpus, in quo anima quasi in lecto quiescit; dum illud purum est et castum, ac densitate boni operis nemorosum. II. Est corpus castum

Tertio, S. Ambrosius in Ps. 118. v. 4. legens: *Acclinatio nostra opaca*, per eam tria denotari censet, scilicet Christi gratiam, crucem et spem futuræ gloriæ, quæ quasi umbra ab æstu tentationum nos protegunt. « Merito, III. Christi crux et caro.

inquit, opacam significat acclinationem; quia in Ecclesia constitutos virtus obumbrat Altissimi. Hac umbra David se protegi postulabat, ne eum per diem sol ureret, vel luna per noctem. Hanc umbram spiritalis ministrat gratia, torrida sæculi huius et mundi æstiva fugientibus. Opaca igitur acclinatio Christi et Ecclesiæ sunt, quibus Dei Patris æterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus umbra peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos Domini crux refrigerat, in qua se reclinavit, ut nostra delicta susciperet; si quos culpa lassavit, hos Iesus gremio suscipiat suo, et molli foveat amplexu. Unde audeo dicere quod caro Christi acclinatio sit Ecclesiæ. »

IV. Est vita contemplativa. Quarto, S. Greg. et Cassiod. valde apposite per *lectulum* accipiunt quietem et suavitatem animæ contemplativæ, quæ soli Deo quasi sponso suo vacat et intendit: *Quid*, inquit S. Gregorius, *per sponsæ lectulum, nisi otii quietem intelligimus? Mens enim, quæ sponsum suum Christum singulariter amat in quantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia, quæ temporalia sunt, contemnit, lectulum sibi cum sponso in pace victoriæ facit, ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit, quibus se decorum sponso ostendat.* Huc accedit S. Bernardus serm. 46. qui per *lectulum* accipit monasteria, in quibus Religiosi mundo valedicentes soli Deo serviunt. Pleraque enim in Canticis proprie competunt animæ fideli, non incipienti et imperfectæ, sed proficienti et ad perfectionem tendenti, ut totam se Deo uniat (hæc enim est sponsa Christi) quales sunt Religiosi, ut in proœmio dixi ex S. Bernardo et Bellarmino. Sed audi Bern. hic: *In Ecclesia*, inquit, *lectum in quo quiescitur, claustra existimo esse et monasteria, in quibus quiete a curis vivitur sæculi, et sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis et institutis patrum tamquam quibusdam bene olentibus respersa floribus fratrum conversatio et vita refulget.*

Et monasteria.

Et obedientia. Subdit deinde lectulum, in quo quiescit Christus, esse obedientiam: *Alioquin*, inquit, *non dormiet tecum sponsus in lecto uno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti.* Unde in inobedientes suis orationibus præfidentes insurgens: *Miror valde*, inquit, *impudentiam aliquorum, qui cum nos omnes sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua contumacia et rebellione contempserint, sua inobedientia coinquinaverint; audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ suæ lectulum, omni orationum instantia totius puritatis Dominum invitare.*

Subiicit denique modum, quo animæ hunc lectulum Christo parare et adornare debeamus: « Profecto, inquit, ut primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ, et disceptationis, et murmuris, et livoris, et quidquid omnino adversari cognoscitur aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum, et laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, id est, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad huiusmodi secura vocabis sponsum, quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris et tu: Quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed iustitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. »

Anagog. est vita beata. Anagogice Philo Carpathius legens: *Accubatio nostra in umbra*, per eam accipit transitum a morte ad immortalitatem: « Cum enim, inquit, inclinantur ad mortem, vitam æternam pro temporali morte rependit. Nam de cætero tu nostra umbra eris et protectio, clamat sponsa, secundum illud: Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis. Et: Sub umbra alarum tuarum protege me. Ad te enim solum refugium nostrum et protectio. Tu nostra umbra, tu defensio, tu certa salus et vita. Dicamus cum David: Et si constitero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Trabes domus nostræ cedri, et laquearia nostra cypressina. Ecce pulcher in Prophetis, decorus in Apostolis. Trabes domus nostræ cedri, hoc est, Ecclesiarum Prophetæ. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Lectulus Christi, uterus B. Virg. LECTULUS, in quo Christus novem mensibus requievit et quasi dormivit, fuit uterus B. Virginis, inquit Guilielmus Parvus, atque ex eo salvo virginitatis sigillo, ait Rupert. egressus est flos ille pulcher, de quo canit Isaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.*

Vers. 17. TIGNA DOMORUM NOSTRARUM CEDRINA, LAQUEARIA NOSTRA CYPRESSINA.

SEPTUAG. *Tigna domorum nostrarum cedri, laquearia nostra cypressi*, q. d. Domus nostra pulchra et præstans est, utpote contignata ex cedris et laqueata cypressis. Pro *cypressi* Chald. Vatabl. et Hebraizantes vertunt, *abietes*. Cedrus, inquit Vatablus, quæ putredinem non sentit, et abies, quæ ponderi renititur, Verbum Dei significant. Verum hebraice *abies* vocatur ברוש *berose*, hic vero est ברותים *berotim*, quod alibi non invenitur; hic autem a Septuag. æque ac a Nostro vertitur, *cypressi*, quibus utique magis credendum est, quam recentioribus. Pro *laquearia*, græce est φατνώματα, id est lacus, sive lacunaria et laquearia; unde laqueatæ cœnationes appellantur, quas Servius vocat, *contignationum cælum*; Belgæ et Galli dicunt, *lambris et lambrissé*, id est, laquear et laqueatus. Unde Seneca lib. 14. epist. 91. scribit antiquorum luxuriam versatilia cœnationum laquearia fecisse, et ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, et toties tecta, quoties fercula mutarentur, uti subinde fit in scenis et comœdiis. Sic et laquear, ait Sipontinus ex Servio, diminutivum est a *lacus*; lacus enim est trabs in ædificiis plana, a quo fit lacunar, et per antisticham laquear; laquearia autem cælari et inaurari a divitibus solebant, uti Romæ factum videmus in Templo B. Virginis trans Tiberim, et aliis. Licet ergo nonnulli *per laquearia* accipiant ingentes trabes, quæ unum parietem alteri connectunt, per tigna vero intertignia, quæ trabibus bisce transversim inseruntur, quibus asseres iunguntur, quæque Vitruvius *metopa* nuncupat; tamen contrarium verius est, scilicet per *tigna* hic trabes totumque tabulatum accipi, per *laquearia* vero concamerationes tabularum, quibus trabes et tigna ornantur, ut tabulatum fiat quasi cælum; hæc enim vocantur *lacunaria*, quia per intertignia sive tignorum intervalla, quibus inseruntur, quamdam lacuum speciem exhibent.

Ad litteram grammatice alludit ad domum Dei, sive templum ædificatum a Salomone ex lignis cedrinis et cypressinis, 3. Reg. 7. quod repræsentabat basilicas et templa Christianorum; ex iisdem et similibus arboribus præstantibus ædificanda. Unde Chald. vertit: *Dixit Salomon Propheta: Quam pulchra est domus sanctuarii Domini, quæ ædificata est per manus meas ex lignis cedrinis! sed pulchrior est domus sanctuarii, quæ ædificanda est in diebus regis Messiæ; cuius trabes erunt ex cedris, quæ sunt in paradiso voluptatis, et tigna eius erunt ex abietibus et arceuthis et pinis.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Tigna et laquearia Ecclesiæ. QUÆRES, quænam sint Ecclesiæ tigna cedrina et laquearia cypressina?

I. Corpus et membra Christi. Primo, Guilielmus Parvus censet esse corpus et membra Christi, quod fuit domus, imo templum divinitatis; licet enim hoc ex se esset corruptibile, tamen cedrinum erat et cyparissinum, id est, incorruptibile, sive imputribile ex unione hypostatica cum Verbo, iuxta illud: *Caro mea requiescet in spe; et: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, Ps. 15. 10.

II. S. Scriptura. Secundo, Theodoret. et ex eo Gislerius, sicut per lectulum accipit fidem, ita apposite per *tigna et laquearia*, id est, per domum, accipit sacram Scripturam; in illa enim continentur fidei dogmata quasi tigna, inquiunt tres Patres apud Theodoret. et præcepta quasi lacunaria sibi mutuo connexa et inserta; hæcque sunt in summitate domus, quia e cælo dictata est sacra Scriptura, quasi verbum Dei, ideoque incorruptibilis et æterna est instar cedri et cypressi, atque suis sequacibus confert vitam æternam, puta domos æternas in cælis, 2. Cor. 5. 1. Audi Theod. *Cedrus incorruptione, cypressus odore præstat. Utrumque autem in divina Scriptura licet invenire, quæ quidem nobis non modo lectus est, sed et domus et mensa et cibus, nec solum odoris suavitatem suggerit: verum etiam incorruptionem, et veritatem, et immortalitatem pollicetur.*

III. Prælati, et Doctores. Tertio, alii passim magis apposite et genuine per *tigna domorum*, id est, Ecclesiarum particularium, accipiunt Clerum, Prælatos et Doctores earum, qui scriptis et doctrinis domum Dei ab hæreticis, quasi venenatis serpentibus, et corruptelis verbi Dei, defendunt. Sunt ex cedro, quia recta sunt eorum opera, mens constans, vita incorrupta, mores imputribiles, nomen boni odoris, doctrina dæmones fugat, et animas a vitiorum putredine servat. *Laquearia* sunt subditi iusti et pii, qui se abstinent a lethalibus culpis, hi a trabibus illis dependent, et quasi quædam cæli testudo stellimicantibus ornata signis, renident ipsi cupressini, suo vivendi statu incorrupti, nec ad peccati vomitum canis instar redeuntes, nec cariei veteris hominis cedentes.

Ita S. Gregorius, Theodor. Aponius, Beda, Haymo, Anselmus et S. Ambrosius serm. 4. in Ps. 118. Unde S. Bernard. serm. 46. censet hoc versu omnes Ecclesiæ status denotari, scilicet Monachorum in lectulo florido, prælatorum et principum in tignis cedrinis, cleri et populi fidelis in laquearibus cypressinis. Huc accedit Orig. hom. 3. ex 4. qui per *tigna* accipit Episcopos, per cypressos Sacerdotes: *Et trabes*, inquit, *appellantur cedri, quibus et fortitudo robustior, et odor suavitatis inest, per quod et in operibus solidum, et in doctrinæ gratia fragrantem designat Episcopum. Similiter autem et laquearia cypressos appellavit, ut per hoc incorruptionis virtutem, et odoris scientiæ Christi plenos esse debere presbyteros designaret.* Et S. Gregorius: *Cedrus*, ait, *quæ serpentes reprimit et fugat, sublimiores significat Sanctos, cypressus simpliciores.* Unde mox per *tigna* accipiens prædicatores, per *laquearia* populos: *Tigna*, ait, *tectum sustentant, laquearia vero domum implent et ornant. Sic in sancta Ecclesia prædicatores boni Scripturam divinam in corde et ore portant, quam fidelibus quasi tectum expandentes prædicant, ut, dum Ecclesia prædicatione cælesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem et cypressus imputribilia ligna esse perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur, quia dum temporalia nullo desiderio sectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æterna figuntur.* Addit Beda laquearia affixa esse tignis, ex iisque pendere: *Quia necesse est*, inquit, *ut quicumque in S. Ecclesia sublimes virtutibus splendere desiderant, summorum Patrum dictis atque exemplis, quibus a terrenorum ambitu suspendantur, tota mente inhæreant.*

Huc quoque accedit Philo Carpath. qui per *tigna cedrina* accipit Ecclesiæ Prophetas, per *laquearia cypressina* Apostolos: Quia, ait, sicut delectatio et ornatus domus sunt laquearia, sic Ecclesiæ sunt Apostoli. Audi S. Bernard. ser. 46. « Porro, inquit, domos populares conventus intellige Christianorum, quod hi, qui in sublimitate positi sunt, Christiani utique utriusque ordinis principes, quasi tigna parietes iustis impositis legibus fortiter stringunt, ne sua quisque lege vel voluntate viventes, tamquam parietes inclinati et maceriæ depulsæ dissideant a semetipsis, et sic omnis structura ædificii corruens dissipetur. Laquearia vero quæ a tignis firmiter pendent, et domos insigniter ornant, puto bene instituti cleri mansuetos et disciplinatos mores, riteque administrata officia designare. Quomodo namque stabunt ordines clericorum et administrationes eorum, si non principum tamquam tignorum beneficio et munificentia sustententur et protegantur potentia? » Causam deinde assignat, cur tigna sint cedrina, laquearia vero cypressina: « Et cedrus quidem, quoniam imputribile est, nec non et odoriferum altæque proceritatis lignum, satis indicat quales oporteat assumi, viros in vices tignorum. Ergo validos et constantes necesse est esse eos qui super alios ordinentur, nec non et longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollentes, qui et bonum fidei suæ et conversationis ubique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint: Christi enim bonus odor sumus Deo in omni loco. Cypressus item boni æque odoris, et imputribile similiter lignum, incorruptæ vitæ et fidei, quamvis de clero debere esse demonstret, ut merito decori domus ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum est enim: Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. »

Denique Honorius Augustod. Domus, inquit, cedrinis et cypressinis tignis ab opificibus ædificatæ sunt, claustra a sanctis Patribus regulis et honestis institutis instructa. *Tigna cedrina* sunt Præpositi et Abbates sanctimonia redolentes, qui verbo et exemplo alios muniunt, et vermes criminum eas macerando exstinguunt. *Laquearia vero cypressina* sunt Monachi et omnes Religiosi, quorum sanctitatis exempla templum Dei ornant, et aliorum onera orando portant. Et sicut cypressus præcisa non revirescit, unde et ante feretrum mortuorum solebat portari; ita ipsi numquam sæcularia repetunt, et semper quasi præsentem mortem aspiciunt, et in habitaculum Dei condificari votis et moribus appetunt. Hæc Honorius.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Primo, *tigna cedrina* animæ sunt virtutes solidæ, puta quatuor cardinales, scilicet prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo, ait Honorius; item constans puritas et castitas mentis, ait Nyssenus. Cedrum enim imputribilem commendat æternitas, teste Plinio. *Laquearia cypressina* sunt externa virtutum decora, ut modestia, verecundia, silentium, omnisque exterior morum compositio et decor, iuxta illud Apost. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant*, 1. Corinth. 14. 40. et: *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, 2. Corinth. 8. 21. Maxime vero tignis cedrinis, et laquearibus cypressinis, utpote imputribilibus, notatur virtus constantiæ in duris et adversis, ac consequenter fortitudinis, patientiæ et perseverantiæ, qua quasi tigna duramus; et omnia onera ponderaque imposita sustinemus. Unde Beda de cypresso: *In eo*, inquit, *quod medendis apta est corporum passionibus, quod suæ venustatem comæ nullo ventorum impulsu deponit, constantiam exprimit, eorumque actionem qui altiorum virtutum ornatibus Ecclesiam decorant.* Et S. Ambros. ser. 4. in Psal. 118. *Anima*, inquit, *corrumpi nescit, quæ florentibus membris viget, semper iustitiæ cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat, et ideo non defluit, neque deficit; quia nihil in ea rimosum est atque remissum, nihil mobile, nihil lubricum, quod vitio sermonis ex eo possit effundi.*

Tigna animæ. I. Virtutes cardinales.

Secundo, *tigna cedrina*, ait Hailgrinus et ex eo Delrio, sunt virtutes et gratiæ, sine quibus non est salus; at hæ per humilitatem profundæ radicibus, crescunt ramis in immensum, sunt putredinis nesciæ, ut cedrus. *Laquearia* sunt divisiones administrationum et gratiarum illarum,

II. Virtutes ad salutem necessariæ.

quæ sunt ad animæ decorem, licet non sint necessariæ ad singularum salutem, ut sunt prophetiæ, genera linguarum, virtutes, sanitates, discretio spirituum, et similia quæ si tignis fortiter non inhærerent, ut laquearia iuxta facile corruunt; et sunt *cypressina*, quia licet istæ gratiæ inferius, quæ proximis exhibentur, debeant diffundi et dilatari, semper tamen in conum tendere debent sursum, et in unum illum tendere, atque coangustari sicut cypressus; quæ vere est una, sicut et unum nobis vere necessarium. Porro sicut cypressus immunis est a carie, quia, ut ait Vitruvius lib 2. cap 19. inest ei amarus quidam sapor, qui eam a carie defendit, et vermiculos abigit qui eam gignunt; sic pariter virtutis et constantiæ causa est pœnitentia, austeritas et mortificatio, quæ animam in concupiscentias (hæ enim sunt animæ caries et putredo) prolabi non sinit. Hinc similia de cedro scribit Dioscorid. lib. 1. cap. 88. scilicet simili amaritudine illam se a carie, et cadavera a tabe defendere. ideoque illam a nonnullis *mortuorum vitam* appellari. Huc facit illud: *Ubi rigor, ibi vigor.*

III. Gratiæ divina. Tertio, *tigna* sunt gratia Dei, eiusque variæ species et modi; *laquearia* sunt nostræ actiones, quibus gratiæ Dei cooperantes illum iisdem quasi ornamus, ac ipsa vicissim longe magis opera ipsa exornat et insurnit; quia ipsa illa reddit supernaturalia, divina, grata Deo, ac meritoria præmii æterni.

IV. Potentiæ, et vires animæ. Quarto, *tigna* animæ sunt ipsæ eius potentiæ et vires; ex hisce enim quasi ex tignis ipsa quasi compaginatur et contignatur; *laquearia* sunt potentiarum animæ virtutes, quæ ipsas ornant et roborant, ut ex iis consurgat domus animæ spiritualis, in qua Christus sponsus velut in thalamo sua requiescat. Audi S. Bernardum s. 46. qui animas ita suadet et persuadet: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, 1. Corinth. 3. *Curate ergo, fratres, spiritali huic ædificio (quod vos estis) ne forte cum in superiora proficere cæperit, vacillet et corruat, si lignis fortibus non fuerit subnixum et colligatum*; curate, inquam, *illi ligna dare imputribilia et immobilia, timorem videlicet Domini illum castum, qui permanet in sæculum sæculi: patientiam, de qua scriptum est: Quia patientia pauperum non peribit in finem.* Psal 9. *longanimitatem quoque, quæ sub quavis structuræ pondere inflexibilis perseverans, in infinita sæcula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* Matth. 10. *Magis autem super omnia charitatem, quæ numquam excidit, quia fortis est, inquit, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: studete deinde his tignis substernere et olligare ligna alia æque pretiosa et pulchra, cui tamen illa ad manum fuerint, in opus laquearium ad decorem domus, sermonem scilicet sapientiæ sive scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, et cætera talia, quæ magis noscuntur sane apta ornatui, quam necessaria fore saluti.* Ubi per *tigna* accipit virtutes necessarias ad salutem, per *laquearia* non necessarias, atque ex utrisque ædificandam cuique esse domum mentis asserit.

Anagogice: In cælo, tam anima quam corpus omnibus suis viribus, sensibus et membris erit cedrinum et cypressinum, id est, incorruptibile, æternum, odoratum, gloriosum. Anagog.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo fuit quasi domus, templum et cælum cedrinum et cypressinum, in qua habitavit Verbum. Audi Alanum: Domus hæ intelliguntur corpus Christi, et corpus Virginis, tigna domorum substantiæ corporum, quæ dicuntur *cedrina*, id est imputribilia. Cedrus enim imputribilis est; sicut enim credimus corpus Christi putredine non esse resolutum; unde legitur Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ita probabile est a corruptione putredinis alienum esse corpus Mariæ. Unde S. August. in serm. de Assumpt. Virginis: Non solum, ait, carnem quam Christus assumpsit, sed etiam carnem de qua assumpsit, credimus esse assumptam in cælum. Unde et in oratione edita legitur: *Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, etc.* Et nisi resurrexerit, quare de ipsa dicitur: *Assumpta est Maria in cælum? Laquearia nostra cypressina.* Laquearia, quæ adhærent tignis, significant corporum infirmitates, quæ adhæserunt corporibus Christi et Virginis, quæ eleganter *cypressinæ* dicuntur; quia cypressus solet adhiberi corporibus, quæ comburuntur, et mira ab eis fragrantia redditur. Sic infirmitates, quæ ad mortem pertinent, et in Virgine et in Christo per patientias, quas in infirmitatibus habuerunt, mirabilius redolent. Hæc Alanus. Vide quæ de cedro et cypresso dixi Eccli. 24. 17. ad illa: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsus laudarat sponsam; illa virginee erubescens, laudem reflexit in sponsum. Sponsus ergo, ut modestiæ et pudori eius consulat, laudem eius acceptat et confirmat, seseque vocat florem campi, et lilium convallium: ac deinde eamdem laudem in sponsam liberius, utpote laude sua velatam, derivat. Illa vicissim in laudem et amorem sponsi magis accenditur: quare est hic continuus, alternans et reciprocus amoris sponsæ et sponsi dialogus. Versu enim 1. et 2. sponsus se et sponsam dilaudat. Versu 3. sponsa sponsum deamat, et amore eius languet, ac deliquium animæ patitur. Versu 7. sponsus eam excitari vetat. Versu 8. sponsa a sponso saliente instar cervi evocatur ad vernas paradisi amœnitates, ac vulpes capere iubetur. Denique versu 16. sponsa se totam sponsi amori tradit et dedit.

1. Ego flos campi, et lilium convallium. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. 3. Sicut ma-
lus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et
fructus eius dulcis gutturi meo. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. 5.
Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. 6. Læva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. 7. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare fa-
ciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. 8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:
9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum; en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fe-
nestras, prospiciens per cancellos. 10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea,

formosa mea, et veni. 11. Iam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: 13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum: Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: 14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. 17. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.

VOX SPONSI.

Vers. 1. Ego flos campi, et lilium convallium.

Variæ huius versus lectiones.

Ego flos campi, et lilium convallium.) Arabicus, *torrentium:* lilia enim, quia sicca, gaudent aquis; Septuaginta vertunt ut Noster; Tigurina vero: *Ego sum rosa Saron, et lilium gaudens vallibus;* Vatablus *Saron* interpretatur *saturitatis,* vel potius *abundantiæ.* Sicut Deus, inquit, dicitur *Saddai,* id est uber, et copia omnium bonorum. Saron enim, inquit Adrichom, urbs est et regio campestris, pinguis et fertilissima, saginandis pecoribus perquam apta, ideoque ibi pascebantur regia animalia. Extendit sese a Cæsarea Palæstinæ, et pertingit usque ad Ioppe. Hæc, teste Hieronymo, iuxta soli qualitatem, Petro prædicante fidei continuo fructus germinavit, Actor. 9. quo hic alludit Salomon. Pro *flos* Hebr. est חבצלת *chabatsalet,* quod Pagninus, Marinus et Vatablus vertunt, *rosa;* Septuag. et S. Hieron. hic *flos;* iidem Isaiæ 35. 1. vertunt, *lilium;* unde Syrus pro *flos campi* vertit, *lilium loci fertilissimi;* alii, *vaccinium,* de quo Virgil.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Arborum, florum, gemmarum nomina multis speciebus communia apud Hebræos.

Nimirum Hebræa nomina arborum, florum, gemmarum sunt polysema multis speciebus communia. Pro *lilium* Hebr. est שושנה *scioscianna,* quod Guidacerius hic vertit, *viola;* Chald. vero et Galatinus lib. 7. cap. 5. vertunt, *rosa,* quia nascitur hæc inter spinas, non *lilium.* Unde pro eo quod sequitur: *Sicut lilium inter spinas,* ipsi vertunt: *Sicut rosa inter spinas.* Verum Septuag. Aquila, Symmach. in Psal. 45 v. 1. et S. Hier. Aben Ezra, R. Salomon, Tigurina, Vatablus et alii hic *scioscianna* vertunt, *lilium,* a שש *ses,* id est, *sex,* scilicet foliis quibus ornatur, ait R. David. Hinc et Phœnices Arabesque *lilium* vocant *susanna.* Unde *Susam* Persarum regiam ita dictam, a liliorum ibi nascentium copia, testatur Athenæus libr. 12. Eustath. in Dionys. et alii: sicut a rosa dicta est *Rhodus* insula, quia rosæ speciem exhibet, et a flore *Florentia;* a *Susanna* quoque dictum est oleum *susinum,* quod e liliis conficitur, de quo Plinius lib. 13. cap. 1. Porro Chald. voces invertens sic vertit: *Dixit cœtus Israel: Tempore quo dominator sæculi collocat maiestatem suam inter me, ego similis sum lilio viridi ex paradiso voluptatis, et opera mea pulchra sunt sicut rosa, quæ est in campo horti voluptatis.*

Susanna, id est, lilium.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Theodoret. Nyssenus, S. Ambros. in Psal. 118. ser. 5. Chaldæus, Hebræi, Philo Carpath. item Genebrardus, Vatablus, Luisius Legion. et Osorius censent hæc adhuc esse verba sponsæ, non sponsi. Dixerat enim ipsa: *Lectulus noster floridus;* nunc ostendit unde sit floridus, nimirum, quia *ego,* inquit, sum *flos campi et lilium convallium.* Aut, ut noster Sanchez, sensu a Christo in Ecclesiam reflexo, quasi ei dicat Christus: Tu, o sponsa, floridum esse dicis lectum, et domus nostræ contignationem suaviter olere, utpote e cedro atque cupresso; sed ego tibi flos esse debeo, cui placere aut olere nihil debet præter me. Cui expositioni favet, quod statim adiungitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ac si dicat sponsus: Quid mirum, si a te exigam, o sponsa, ut me pro flore, pro cupresso ac cedro tibi habeas, neque quidquam tibi, aut floreat aut oleat præter me, quando tu mihi eo loco es, ut aliæ filiæ Ierusalem præ te spinæ sint et senticosi frutices, cum liliorum odore atque candore compositæ; quare nihil magnum aut indebitum peto, aut opto, cum talis tibi videri volo, qualis et tu mihi ipsa videris. Cui voci sponsa fidelis obsecuta sæpe canit in hoc Epithalamio: *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

Ecclesia flos et lilium.

I. Propter prophetias et Evangelium.

Porro Ecclesia dicitur, *flos campi et lilium convallium,* variis de causis. Primo, Philo Carpath. hanc affert, q. d. Ego Ecclesia sum flos campi propter vaticinia Prophetarum, lilium vero convallium propter Evangelium quod prædico; hoc enim suavius et salutarius redolet, cum non tantum præcepta, sed et consilia perfectionis suggerat, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites. Beati qui lugent, etc.* Ideoque Christus: *Considerate,* ait, *lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis,* Matth. 6. 28.

II. Ob odorem fidei et operum.

Secundo, S. Ambros. ser. 5. in Psal. 118. v. 1. Ecclesia, inquit, est flos campi, ob fidei aliarumque virtutum odorem; lilium vero, ob splendorem operum. Idem libr. de Instit. virgin. c. 15. Ecclesia, inquit, est flos campi, et lilium convallium, quia in convalle huius mundi gratiam boni odoris exhalat sedula confessione peccati.

III. In Iudæis et Gentibus.

Tertio, tres Patres apud Theodoret. censent Ecclesiam esse florem campi in Iudæis, lilium vero convallium in Gentibus, q. d. Ecclesia: « Ego quoad Gentes, quæ per infidelitatem naturali æqualitate privatæ, et vitiorum turbine depressæ, erant veluti lilium ex imo in sublime consurgens, et ab radice ad idoneam magnitudinem per calamum ascendens, ne vallium profunditate abscondatur, sed excelsam pulchritudinem suam præferat, fide in Christum innitor, et per purgationem ex confusione vitiorum emersi, atque in contemplationis fastigio, virtutum decore sum exornata. »

IV. Ob contemptum.

Quarto, alii censent Ecclesiam hic invitare sponsum ad lectulum, id est otium et secretum contemplationis ex eo quod ipsa in actione evangelizando oberrans Gentes, ab eis contempta et calcata sit uti flos, qui nascitur in campo aperto, et ut lilium in vallibus ab omnibus hominibus æque ac bestiis conculcatur, vel carpitur.

V. Per antithesin.

Denique nonnulli sic exponunt per antithesin, q. d. Ego quidem, quæ sum sponsa, id est, Ecclesia Christi, sum flos, sed campi, non horti, id est, communis, vulgaris, vilis et abiectus: at tu, o sponse mi, præfulges splendore æque ac odore ut lilium convallium candidissimum et odoratissimum.

Christus flos campi et lilium.

Verum melius idem Theodor. Origenes, Aponius, Cassiodor. Beda, Anselm. Rupert. Honorius hic, et S. Ambros. lib. de Anima et Isaac cap. 4. et 5. Cyrillus de Incarn. Unigen. c. 9. censent hæc esse verba sponsi, non sponsæ, idque exigit id quod proxime sequitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias;* quæ verba esse sponsi, non sponsæ, nemo dubitat. Christus ergo est flos campi, vel, ut Hebr. est, *Rosa Saron, et lilium convallium,* ideoque lectulum suum Ecclesiæ facit floridum (eo enim alludit) ut paulo ante dixit, q. d. Recte dixisti, o sponsa: *Lectulus noster floridus,* at scias eum floridum esse, non ex te, sed ex me; *ego enim sum flos campi etc.* Ita Beda: Christus igitur est flos campi.

I. Quia decor mundi. Primo, quia sicut flos est ornamentum campi, sic Christus mundi, ait Origenes, S. Ambros. Beda et alii: Christus enim ita est flos decusque mundi, ut in se omnium florum decorumque speciem, amplitudinem et præstantiam contineat. Unde Iustus Orgelitan. sic exponit: *Ego flos campi, et lilium convallium, id est, ego decus sum mundi in virginitate humilium.* Flos ergo est Christus, ratione eximii decoris et plenitudinis gratiæ, quo speciosus est præ filiis hominum. Flos scilicet ille, de quo apud Isaiam cap. 11. 1. dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.* Flos est numquam marcescens, cuius pulchritudo numquam deficit, numquam minuitur odor, numquam deperit vigor, æque semper candidus et rubicundus, æque semper odoriferus, æque plenus gratia et veritate. Ita Titelmannus.

II. Quia omnibus exponitur. Secundo, quia sicut flos campi multus et multiplex est, nec horto concluditur, sed omnibus carpendus fovendusque exponitur, sic et Christus. Audi Alcuinum: « Campus dicitur humana Christi natura: sicut enim in campo florum pullulat varietas, sic in humana Christi natura virtutum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ rosa, lilium castitatis. Huius campi flos fuit Christus, id est, decor secundum divinitatem, quia et ex virtute divinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem humana Christi natura per campum significatur, propter amplitudinem et planitiem, quia in eo nullus fuit scrupulus erroris. Unde et de eo dicitur: Lilium convallium. Quia perfecta humilitas fuit in Maria, et in humana Christi natura: ideo persona Virginis, et humana natura Verbi valles dicuntur, propter eminentiam humilitatis, et non solum valles, sed et convalles ratione similitudinis, quia Virgo specialiter Christo fuit similis. » Hac de causa Christus extra urbem in campo et agro nasci voluit, æque ac B. Virgo in campo nata est inter ovium balatus, ait Damasc. lib. 4. de Fide c. 15.

III. Quia de Virgine natus. Tertio, sicut flos in campo sponte provenit sine semine, sine aratione; sic et Christus ex virgine natus est sine opera viri. Sicut ergo flos in cælo solem patrem, in terra plantam habet matrem; sic Iesu Pater in cælo est Deus, in solo mater Virgo. Et sicut calore solis, et defluxu roris gignuntur flores; sic sine viri opera, Spiritu sancto inumbrante, et rore divinæ gratiæ defluente, flos iste Iessæus prodiit; flos, hoc est, decus campi. Rursum, sicut flos ex terra et limo nascitur; sic Christus e terra peccatis inquinata quasi flos purissimus germinavit. Unde ipse vocatur צמח *tsemac*, id est *oriens*, scilicet germen et flos, Zachar. cap. 3. et 6. Audi S. Ambrosium lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 5. « Flos, inquit, Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex utero germinavit. Flos odorem suum succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit: ita et Dominus Iesus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit; sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernavit, mori ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans. »

IV. Quia de matre humili et pulcherrima. Quarto, Christus est *flos campi*, hebr. *saron*, id est *planitiei*, quia in plana terra ex humili virgine humilis natus est. Rursus *saron*, id est, *pulcherrimus*, quia in Saron, utpote pinguissima et fertilissima, uti paulo ante dixi, rosæ et flores erant pulchriores et odoratiores, quam aliis in locis, iuxta illud Isaiæ cap. 35. vers. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.*

V. Quia in vere conceptus. Quinto, *flos* notat tempus incarnationis Christi fore ver: in vere enim flores emicant. Sic Christus 25. die Martii conceptus et incarnatus est, qua de causa eo die Ecclesia celebrat tanti mysterii festum sub nomine Annuntiationis B. Virginis. Ita Cassiod. Honor. et S. Bern.

VI. Quia rosa mundi. Sexto, flos hic est rosa, ut vertunt Vatablus et alii. Rosa autem quid pulchrius, quid odoratius, quid salubrius? Sic et Christus decor, odor et salus est mundi. Vide quæ de rosa dixi Eccli. 24. 18. ad illa: *Ego quasi plantatio rosæ in Iericho.* Ergo sponsus Christus est pulcher instar rosæ purpurascentis et lilii candicantis, iuxta illud c. 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus.*

Et lilium convallium.

Verum hic lilium intellige, non flosculum illum odoratum, quem nunc vulgus herbariorum vocat abusive *lilium convallium*. Hoc lilium vocatur *convallium*, quia lilia in vallibus, ad quas e montibus decurrit ros et pluvia, facilius proveniunt, ibique sunt fragrantiora et pulchriora; cum enim sint sicca, multo humore indigent. Sic et Christus est lilium candidum et odoratum, ex humili terra et virgine natum: *In lilio,* inquit Honorius, *quinque considerantur, quia est candidum, habens aureum colorem prominentem, et est odoriferum, et pandulum, et semper incurvum; sic Christus candidus est in humanitate, aureus in deitate, odoriferus in prædicatione, pandulus in suscipiendo pœnitentes, incurvus in condescendendo peccatoribus, et eos sublevando*; ipse est lilium convallium, scilicet ornamentum fidelium. Sicut enim convalles sunt inter duos montes, ita fideles sunt inter duas leges, vel inter duos populos, Iudæos et Gentiles. — I. Christus est lilium.

II. Lilium candidum et aureum. Secundo, folia lilii foris candidissima sunt, intus autem in medio floris trinus apparet radius coloris flavi, et plane aurei; ita Christus foris exhibebat humanitatem purissimam, intus autem continebat auream deitatem, imo et totam SS. Trinitatem: *In ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* Col. 2. 9. Ita Aponius: *Flos campi,* inquit, *fuit Christus ante incarnationem, quia in toto cælorum campo coruscans cælestibus spiritibus exstitit admirandus; post incarnationem vero effectus est lilium convallium, cum descendit in vallem lacrymarum, et tria attulit, abolitionem peccati, abstersionem mendacii, et refrigerium concupiscentiæ; æque ac lilium tria ex se exhibet, candorem, odorem et ad quæque adusta ignibus medicinam.* Et Beda: *Pulchre,* ait, *in lilio prius se candor exterior paulatim aperit, et sic demum aurei coloris, quæ latebat intus, gratia patescit: quia natus in mundo Dominus, prius homo sublimis his qui in eum vere credebant: at tempore procedente, Deus verus innotuit.* S. Ambros. vero in Psal. 118. ser. 5. similitudinem invertens: In Christo, inquit, æque ac in lilio fuit candor divinitatis et rubor humanitatis. Huc accedit Cyrillus Alexan. libr. de Incarn. Unigen. c. 9. qui sic explicat, q. d. Sicut odor invisibilis est in lilio visibili: sic deitas incorporea in Christo homine per hypostaticam unionem fuit quasi corporata.

III. Tertio, S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. 5. Christus, inquit, est flos campi, quia instar floris in passione contritus et laniatus maiorem fragravit odorem.

IV. Lilio nil fecundius. Quarto, magna est lilii fecunditas. Nam illo *nihil est fecundius,* ait Plinius lib. 21. cap. 5. *una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos.* Sic quid fecundius Christo, a quo tot Christianorum millia, imo milliones prognati sunt?

V. Lilium florum celsissimum. Quinto, nullus flos celsior lilio; sic nihil celsius Christo. Audi Plinium illi decus graphice depingentem libr. 21. c. 5. *Nec ulli florum excelsitas maior interdum cubitorum trium, languido semper collo, et non sufficiente oneri. Candor eius eximius, foliis foris striatis, et ab angustiis paulatim in latitudines sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo et semine, stantibus in medio crocis. Ita odor colorque duplex, et alius calycis, alius staminis, differentia angusta.*

Mystice. Mystice, Origenes: Christus, ait, fuit flos inglorius Iudæis, quia ab eis contemptus; lilium vero gloriosum Gentibus, quia ipsæ gloriam Christi agnoverunt et coluerunt.

Symbol. Symbolice, Honorius: Campus, inquit, id est terra inarata, est ordo virginum in Ecclesia, cuius flos est Christus, quia eius delectatio, corona et præmium. Convallis vero est ordo coniugatorum, inter virgines et continentes, quasi inter duos montes sitorum, quorum est Christus lilium, scilicet candor et gaudium: *Et sicut lilium est inter spinas,* decore et odore; sic Ecclesia perfectorum est inter filias Ierusalem, id est, inter imperfectos, con-

uene decorn vitæ et odorn doctrinæ. Perfecti dicuntur, quis omnia mundone reliquerunt, dicente Domino: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus,* Matth. 19. 21. Imperfecti dicuntur, quia adhuc mundo utuntur, de quibus dicitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur.* Psal. 138. 16.

Anagog. Anagogica. Eucherius in lib. 3. Reg. *Christus*, inquit, *lilium propter gloriam resurrectionis. foris candidum propter gloriam corporis, intus vero aureum propter fulgorem animæ. Et ante passionem quidem lilium quasi clausum, propter passionem quippe gloria et honore coronatus est; post passionem vero lilium repandum, quatenus in assumpta humanitate potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem, priusquam mundus esset, ostendit.* Theodor. vero asserit Christum fuisse florem campi in incarnatione, lilium vero convallium in descensu ad inferos; apud inferos enim sunt imæ mundi valles.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

I. Christus in animis flos et lilium. Primo, Nyssenus hom. 4. docet Christum esse florem campi in animabus sanctis, quas gratia sua fœcundat, ut fiant instar campi amplissimi et fertilissimi, qui omnes florum species profert. Addit Origenes hom. 3. ex 4. Christum incipientibus et simplicibus esse florem campi; at proficientibus lilium convallium pro fulgore sapientiæ et pudicitiæ. Ipse enim est candor lucis æternæ, splendor et figura substantiæ Dei, Sapient. 7. 26.

II. Secundo, Cassiodor. Beda et S. Ambr. loco iam citato, dicunt Christum esse florem campi in quibuslibet fidelibus, lilium vero convallium, id est humilium, quia in humilibus magis eius gratia resplendet.

III. Tertio, Ambros. lib. 3. de Virginibus: *Flos campi*, inquit, *Christus, quia parentem simplicitatem puræ mentis frequentat; lilium vero convallium, quia est flos humilitatis et simplicitatis.*

IV. Aptissime. Quarto et aptissime, Christus est lilium in mentibus castis et puris, quales sunt convallium, id est, humilium; humilitatis enim germen et flos est castitas et virginitas. Ita S. Hieron. epist. 8. ad Demetr. *Christus*, ait, *quasi auctor virginitatis et princeps loquitur confidenter: Ego flos campi, et lilium convallium.* Rursum ipsa anima casta est lilium. Nam ut explicat Theodoret. *Lilium cum exteriori decore splendet, tum aureum intus flosculum continet. Talis est anima iustitiæ splendore circumdata, et spiritale sapientiæ cognitionisque donum in intimis penetralibus gestans.*

Anima casta lilium. Hinc et apes castæ et virgines, utpote quæ sine concubitu fœtus procreant et mella conficiunt, delectantur lilio quasi virgineo, teste Plinio lib. 21. cap. 12. Hac de causa angelus e cælo detulit S. Cæciliæ et S. Valeriano, in coniugio servantibus virginitatem, coronas e rosis et liliis, uti habet eorum Vita. Idem accidit Ss. Iuliano et Basilissæ, ut patet ex eorum Vita apud Surium die 9. Ianuarii, atque aliis eiusdem generis et virtutis. Virginibus ergo calathis data lilia plenis.

V. Quinto, Christus est lilium convallium, quia in vallibus, id est humilibus, excitat spem futuræ gloriæ: Deus enim humiles exaltat et glorificat. Lilium enim symbolum est spei. Causam dedi Osee 14. 6. ad illa: *Germinabit sicut lilium.* Convallis ergo humilitatis est lilietum virginitatis, gratiæ et gloriæ.

VI. Denique Christus in Sanctis omnibus ut lilium floret et fragrat, scilicet ut lilium puritatis in virginibus, patientiæ in martyribus, humilitatis in cœnobitis, pœnitentiæ in pœnitentibus, doctrinæ in doctoribus, etc. Unde S. Gregor. *Bene*, inquit, *florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsæ et pulchritudine suæ iustitiæ exornat, et naribus cordis dum cælestis desiderium applicat, interiora animæ quasi odore refocillat.*

A Clarius S. Bernardus serm. 47. *Flos*, inquit, *est virginitas, flos est martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo.* Et post nonnulla: *Ipse flos horti, virgo virga virgine generatus. Idem flos campi Martyr, Martyrum corona, martyrii forma. Denique foras civitatem eductus est, extra castra passus est, in ligno elevatus est, spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus. Ipse item thalami flos, speculum et exemplum totius beneficentiæ.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Hæc omnia præ omnibus eximie competunt B. Virgini. Singulariter vero, quod ex illa velut campo inarato prodierit flos pulcher, scilicet Christus, atque ex eius utero velut convalle humillima natum sit lilium pulcherrimum B et odoratissimum, scilicet idem Christus, ut paulo ante dixi ex Alano et aliis.

Vers. 2. SICUT LILIUM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS.

Pro *lilium* Chaldæus, Vatablus et alii vertunt, *rosa*, quia hæc spinosa est, et e ramo spinoso nascitur, non lilium. Verum non dicit Salomon lilium hoc nasci e ramo spinoso, sed simpliciter esse inter spinas, q. d. Sicut lilium inter spinas positum effulget, sic amica, id est, sponsa mea, excellit inter cæteras mulieres. Rursum sæpe inter sentes et spinas nascuntur lilia, uti cum iuxta sepes spinosas plantantur, vel seminantur. Unde Septuag. vertunt: *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima* (Aquila, *amica*; quinta Editio, *dilecta*) *mea in medio filiarum.*

Chald. explicans de Synagogæ, id est Iudæorum peccantium, captivitate, sic exponit, q. d. Sicut lilium pungi-C tur spinis: sic Synagoga ob peccata punitur captivitate Babylonica, vel Romana; unde ipse accipiens hæc ut verba sponsæ, id est Synagogæ, sic vertit: « In tempore autem, quo ego declino a viis quæ rectæ sunt coram eo, et ipse aufert maiestatem sanctitatis suæ a me, ego comparata sum rosæ, quæ germinat inter spinas, a quibus perforantur et rumpuntur folia eius: sic ego sum compuncta et scissa propter pessimas impositiones in captivitate, inter provincias populorum. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

SPONSUS, vers. 1. nuncupavit sese lilium, nunc idem nomen et laudem transcribit in sponsam, sed addito τὸ *inter spinas.* Lilium vers. 1. explicui, hic explicabo τὸ *inter spinas.* Ecclesia lilium inter spinas.

D Primo, Origen. homil. 3. ex 4. sic explicat, q. d. Sicut lilium, satum inter spinas, ex illis exsurgit et enascitur; sic Ecclesia gentium vocata et nata est ex spinis infidelitatis et gentium infidelium. Christus ergo fecit sicut canis venaticus, inquit Hugo, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos immittit non timens exulcerationem, ut feram capiat: Ecclesiam quasi feram intra spinas, id est intra reprobos latitantem extraxit, sed punctiones spinarum usque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cuius signum coronam spineam portavit in capite super crucem. I. Infidelitatis.

Secundo et magis genuine, q. d. Sicut lilium inter spinas, illas decore, odore et candore longe antecellit; sic Ecclesia antecellit omnibus aliis sectis Iudæorum, philosophorum, politicorum, etc. Ita Origenes, Theodoret. et Iustus Orgel. II. Spinæ Iudæi, philosophi, politici.

Tertio, q. d. Sicut lilium enascitur vigetque inter spinas: sic Ecclesia viget floretque in medio hæreticorum et III.

Spinæ hæretici et mali Christiani. malorum Christianorum, qui illum velut spinæ pungunt et lacerant; sed ipsa nihilominus velut lilium in suo candore, odore et splendore doctrinæ et sanctitatis permanet, imo inter persecutiones maiori odore et fulgore famæ coruscat. Ita S. Gregor. Aponius, Philo Carpath. S. Bern. hic et S. August. lib. de Unitate Ecclesiæ c. 13. Audi Honorium: Sicut ego sum (ait sponsus) lilium convallium, videlicet ornatus humilium: sic eris tu, amica mea, lilium spinarum, id est decus gentium; et sicut ego sum lilium inter spinas, videlicet Iudæos me pungentes et lacerantes: sic eris tu, Ecclesia amica mea, inter gentes filias Babylonis, id est confusionis, quæ te multis spinis cruciatam pungent, et multis pœnis lacerabunt. *Spina cito floret, cito arescit, pungit.* In spina tria notantur, cito floret, cito arescit, aculeis pungit; ita mali cito divitiis florent, in virtutibus cito arescunt, et igni apti sunt, ac malis moribus bonos pungunt.

Anagog. Anagogige, S. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatist. cap. 27. per sponsam accipit Ecclesiam electorum, per spinas cœtum reproborum, q. d. Sicut spinæ circumdant lilium, ita reprobi electos; sed hi inter reprobos gratia et gloria efflorescunt, sicut lilium inter spinas. *Nam filiæ*, ait Rupertus, *cum absolute dicuntur, fere numquam significationem bonam habent, ut in illis: Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperaverunt, etc.* Genes. 49. vers. 22. *et alibi: Multæ filiæ congregaverunt divitias, etc.* Prov. ult. vers. 29. *Itaque spinæ et filiæ blasphemiæ sunt Iudæorum, sectæ sunt hæreticorum.* Porro per *filias* maxime denotat Sionidas, id est, Hierosolymitanas et Iudæas.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Anima pia lilium inter spinas. Primo, tres Patres apud Theodoretum explicant, q. d. Inter filias, id est, animas sæculares et carnales, quæ voluptatibus carnis effœminantur, iisque velut spinis punguntur cruciantur que et ut filiæ natæ sunt ex patre diabolo,

I. effloret anima sancta instar lilii, quod nullam victus aut vestitus curam aut sollicitudinem habet, sed omnem illam transcribit in Deum: quare ab eo miro odore et decore vestitur et pascitur. Simili enim modo anima pia nulla carnis cura tangitur, sed in Dei providentia quiescens ab eo alitur, decoratur et illustratur. Unde Christus hac lilii similitudine suadet fidelibus, ne solliciti sint de victu et vestitu, Matth. 6. Similia habet Origen. homil. 3. ex 4.

II. Secundo, S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. per *lilium inter spinas* accipit compunctionem cordis: sic enim ait: *Tamquam lilium inter spinas. Nonne inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit. quia contrito corde Deus placatur?*

III. Tertio, S. Gregorius per *lilium inter spinas* accipit vitam innocentiam inter nocentes: *Bene*, inquit, *sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur; quia cum multi sint in Ecclesia, qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur; dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cælestem pulchritudinem assurgit, et munditiæ candorem corde et corpore sibi ipsi custodit, et proximos quosque bonæ opinionis odore reficit.*

IV Quarto, Nyssenus homil. 4. sic explicat, q. d. Sicut lilium inter spinas nascitur et efflorescit: sic anima sancta inter tribulationes in virtute crescit, magisque resplendet. Et S. Ambrosius de Institut. virg. cap. 14. Christus, ait, erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorum, qui ipsum calumniati sunt, accusarunt et crucifixerunt. Sui ergo exemplo excitat fideles, ut persecutiones et tribulationes qualibet forti animo tolerent et superent. Ita Cassiod. Aponius et Anselmus. Deus enim totam hanc vitam tot spinis, id est tribulationibus, sepsit, ut anima videns se ubique iis pungi, amorem ab omnibus mundi bonis, utpote spinosis, avocet, eumque totum in Deo sponso collocet. Sic spinæ conservant lilium, id est, puritatem et virginitatem animæ. Audi S. Bern. ser. 48. egregie et sapienter hoc pertractantem: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, o tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum; vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. In terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego vici mundum. Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum tamquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent et nitent. Si fœnum quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic custodit, quanto magis amicam et sponsam suam charissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Subdit deinde quiddam, quod mirifice vim et splendorem lilii huius exaggerat et perficit: *Non mediocris*, inquit, *titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem, et morum lenitatem; magis autem si his, qui oderunt pacem, et pacificum, et amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinem datam de lilio, iure quodam proprietatis specialiter vindicabit, quod ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare et venustare non cessat. Annon proinde lilium tibi videtur implere quodammodo Evangelii perfectionem, qua orare iubemur pro calumniantibus et persequentibus nos, benefacere his qui oderunt nos?* Luc. 6. *Ergo et tu fac similiter, et erit anima tua amica Domini, et laudabit te, de te dicens: Quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Annon hæc magna vis lilii, magna, inquam, virtus animæ sanctæ et Apostolicæ, ut spinas non tantum superet, sed et eas in lilia convertat, ut ex Saulo faciat Paulum, ex persecutore prædicatorem, ex dæmone angelum? Apposite S. Hier. ep. 140. ad Principiam, S. Marcellam et Asellam comparat liliis: *Habes*, inquit, *in studio Scriptur. et in sanctimonia mentis et corporis Marcellam et Asellam: quarum altera te per prata virentia, et varios divinorum voluminum flores ducat ad eum qui dicit in Cantico: Ego flos campi, et lilium convallium;* erat enim Marcella in Script. erudita, ut idem Hieron. docet epist. 16. *Altera ipsa flos Domini* (Asella) *tecum mereatur audire: Ut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Rupertus sic exponit, q. d. Sicut Christus velut lilium spinis Iudæorum et hæreticorum fuit transpunctus; sic et B. Virgo iisdem fuit compuncta et transfixa. *Itaque*, inquit, *hæ spinæ et filiæ blasphemiæ sunt Iudæorum, sectæ sunt hæreticorum. Quæcumque huiusmodi spinæ laceraverunt me: quæcumque huiusmodi filiæ tibi inviderunt, et mihi detraxerunt. Ubi ego spinis compungebar, imo et clavis configebar, tu præsens patiebaris mente convulnerata; et ubi tuæ virginitati a filiabus derogatur, mihi quoque invidiose detrahitur. Verum sicut ego spinas pertuli quidem, sed exsuperavi: ita et de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hæreses interemisti.* Hinc ait S. Augustinus: *Christus Iesus carnem, Maria virgo immolat mentem.* In Revelationibus S. Birgittæ lib. 6. cap. 30. S. Agnes revelavit illi, quasi tot ictus gladii B. Virginem sustinuisse per compassionem, quot in filio suo vulnera et plagas prævidebat ut videbat. Audi quid de B. Virgine scribat S. Birgitta in Sermone angelico cap. 16. Sicut rosa crescere solet inter spinas, ita B. Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes: et sicut rosa crescente, crescunt et spinæ: sic hæc electissima rosa, Maria, quanto plus crescebat æ-

tate, tanto fortiorum tribulationum spinis acutius pungebatur: quænam hæ fuerint eius tribulationes, in sequentibus explicat.

Rursum ex hoc loco censent Gaietanus et Bellarminus tom. 3. l. 4. c. 15. sine ulla originarie labe conceptam esse Virginem. Ut enim ex spinosa planta sine spinis nascitur rosa, in qua mira est et ad aspectum iucunditas et ad odoratum suavitas; sic ex tot peccatoribus nata est innocens et sancta B. Virgo.

Idem dicas de lilio. Quocirca, ut ait B. Petrus Damianus serm. 3. de Nativit. Virgin. « De spinosa progenie Iudæorum nata candescebat munditia virgineæ castitatis in corpore; flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, fragrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. » Spinæ enim, inter quas lilium esse dicitur, et ex quibus rosa originem ducit, Deiparæ prosapiam Patres interpretantur, ex qua ipsa nihil asperum, nihil horridum contraxit: sed tota suavis atque amœna, non secus ac lilium et rosa exstitit. Quare Sedulius lib. 2. de Virgine sanctissima, sic cecinit:

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit,
Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.

Addit Dionys. Carthus. hic: « Quamvis, inquit, fuerint multæ virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebant, et quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus: fuerunt et aliis spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur. Porro Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plene extinctus, et tamen intensa charitate erat repleta; quare intuentium corda sic penetravit sua inæstimabili castitate virginea, quod a nullo potuit concupisci; imo potius extinxit ad horam illorum libidinem. »

Lilium adversus serpentes et venena remedium.

Rursum. sicut lilium valet adversus serpentes et venena: sic B. Virginis invocatio singularis est remedium in omni tentatione vitiorum, et præsertim libidinis, uti experientia constat. Audi Plinium l. 21. c. 19 *Radices*, inquit, *lilii multis modis florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino potæ, et contra fungorum venena.* Diosc. vero lib. 3. cap. 90. ubi agit de lilio: *Folia*, inquit, *herbæ illita serpentum morsibus subveniunt, eadem cocta in aqua ignis adustionibus, et cum aceto condita vulneribus.* Idem Dioscorides lib. 15. c. 1. de alia lilii specie, quæ latine *Iris*, italice vero *Lilium cœleste* appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiol. in Comment. addit eamdem radicem in pulverem contusam, cum aceto potam universaliter adversus omnia venena prodesse.

VOX SPONSÆ

Vers. 3. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.

Sicut malus inter ligna sylvarum;) Arabic. *Sicut malum punicum in arbore sylvæ, sic dilectus meus inter filios;* Vatablus. *inter iuvenes*, q. d. Quanto arbor malus cæteris sylvestribus arboribus emicat, eminet et præstat; quanto præ illis utilem et salutarem aerem impertit, ubi opacat; quanto glandibus sunt meliora poma; quanto homo, qui his vescitur, reliqua omnia animantia, quæ illis vescuntur, antecellit; tanto, atque etiam multo magis sponsus meus cœlestis reliquis omnibus hominibus et dilectis, id est, amatis et amatoribus, præstat. Porro Chald. vertit: *Ecce sicut pulchra et laudabilis malus citrea inter arbores infructuosas, et totus mundus cognoscit illam: ita Dominator sæculi fuit laudabilis inter Angelos in tempore, quo revelatus est in monte Sinai, quando dedit legem populo suo.* Græce μῆλον, latine *malus*, vel *malus*, cui ad verbum *melum* (ut habet interpres Origen. unde et Itali poma vocant *mele*) est arbor pomus proferens poma. Pu-

A ma autem generice sunt omnes fructus, qui cortice sunt molli; sicut nuces, qui duro: quare ficus, pyra, uvæ, persica, cerasa, pruna, sorbæ, mespila, olivæ, dactyli, etc. censentur poma.

Pomum commune multis fructibus vocabulum

Ecclesia laudata a sponso de more laudem in ipsum reciprocat; uterque id facit more bucolico, id est, pastoritio et rurali, petita similitudine a rure et arboribus. Inducitur enim hic sponsus quasi pastor, et sponsa quasi pastrix, pascens gregem, colensque hortos, agros et vineas. Dicit ergo: Laudas me, o sponse, quod effulgeam sicut lilium inter spinas; sed hoc habeo a te, qui prius effulsisti sicut malus inter arbores steriles sylvæ: tu enim decorem et præeminentiam mihi, velut sponsus sponsæ communicasti. Sponsus enim sua bona sponsæ facit communia, imo propria.

Christus est pomus

I. Propter excellentiam, et præeminentiam.

Primo ergo Ecclesia Christum sponsum comparat malo, id est, pomo arbori; quia sicut pomus fructifera excellit reliquis arboribus sylvæ sterilibus et infrugiferis: sic Christus excellit omnes Angelos et homines; omnes enim B ex se sunt velut arbores infrugiferæ; sed ex gratia Christi et Dei habent, quod ferant fructus virtutum, gratiæ et gloriæ. Ita Origenes, Cassiodorus, Beda et alii. Porro S. Bernard. ser. 48. contendit Christum hic conferri et præferri hominibus dumtaxat, non vero Angelis, idque in rigore verum est, uti censent quoque Nyssenus, Aponius, Philo Carpath. Rupertus et alii.

II Propter suavem odorem

Secundo, sicut poma suavem expirant odorem, sic et Christus suo odore et fama omnes ad se trahit. Hinc pomum hebraice dicitur תפוח tappuach a rad. פוח puach, id est efflavit, expiravit, quia poma suavem exhalant odorem. Audi S. Ambros. serm. 5. in Ps. 118. v. 1. *Tamquam malum in lignis sylvæ. Huiusmodi pomum odorem gratum habet, ut cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, qua peccati gravis detersit fœtorem, et unguentum potus vitalis effudit.*

III. Propter varias gratias.

C Tertio, malus sive pomus, varias sub se habet species arborum, quæ proinde diversarum specierum poma et fructus proferunt, æque excellenti sapore, colore et odore, ut sunt mala aurea, medica, granata, persica, cydonia, armeniaca, citria: sic et Christus omnes virtutum et gratiarum species progerminat, ut in virginibus virginitatem, in martyribus martyrium, in contemplantibus contemplationem, etc.

IV. Quia cibus est, quo vescimur.

Quarto, Christus nobis vere est fructus et pomum, id est, cibus quo vescimur et pascimur, tum in Evangelii doctrina, ut Theodor. S. Ambrosius, Beda, Aponius, et S. Bernard. tum proprie, uti censet Philo Carpath. Origen. Nyssenus et Anselmus in Eucharistia. Pomum, inquit Nyssenus, tuos sensus oblectet, puta visum colore, odoratum odore, et gustum sapore. Idem facit Christus. Addit Philo Carpath. pomum dare cibum, dare et potum: sic et Christus, inquit, in Eucharistia dat carnem suam in cibum, sanguinem in potum. Unde Aponius et Psellus per malum hic accipiunt malum granatum, ex quo succus rubeus et D aqueus exprimitur, sicut ex latere Christi in cruce manavit sanguis et aqua. Audi S. Gregorium: « Merito ergo per malum Christus, per sylvestria vero ligna cæteri homines figurantur; quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus, invenimus: in eius verbis et exemplis, animas nostras fructu suavi et salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, quem nobis tribuit. Ipse est, qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit. In cæteris vero si quid refocillationis invenimus, non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus, quia quidquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis procul dubio invenimus. »

V. Quia in nobis inseritur.

Quinto, Nyssen. hom. 4. docet Christum descendisse in sylvam vitæ hujus, ut ex arboribus sylvestribus faceret frugiferas, puta ex infidelibus hominibus faceret fideles, ex impiis pios, ex incestis castos, ex superbis humiles: sicut ramus mali insertus fago, alterive arbori sylvestri, in ea et ex ea producit suos fructus et poma.

Hæc omnia, mutato nomine, applica animæ sanctæ et B. Virgini.

Pomum est crux Christi.

Denique *malus inter ligna sylvarum* est crux, et Christus crucifixus in medio latronum, ait Aponius, Psellus, Theodoretus, Rupertus et S. Bernardus. Idque primo, quia
1. sicut Adam peccavit in malo, comedendo pomum a Deo vetitum; sic Christus satisfecit in malo pendens in cruce, ut ubi culpa commissa fuerat, ibi fieret et satisfactio; ac
2. qui in *ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Secundo, quia malus speciem habet crucis (æque ac malus in navi, cum suis antennis et velis) truncus enim speciem habet trabis, rami vero, ligni transversi in cruce: in ramis enim mali divaricatis, perinde ac in ligno transverso,
3. clavis configi possunt extensa crucifixi brachia. Tertio, quia id ipsum confirmat id quod sequitur: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo*, q. d. Sub malo, id est, sub cruce Christi sedi e-
4. iusque fructus gustavi. Quarto, quia multorum sententia est crucem Christi factam esse ex palma: palma autem est malus, quia profert dactylos, qui cum sint suaves et mol-
5. li cortice, *poma* nuncupantur. Quinto, quia id significatur c. 8. 5. cum dicitur: *Sub arbore malo suscitavi te*, ubi plura hac de re.

Unde huc alludens Fortunatus, et ex eo Ecclesia in Officio Passionis et Crucis, sic de ea canit:

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis;
Nulla sylva talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet.

Dicit ergo sponsa: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*, q. d. cum S. Ignatio: *Amor meus crucifixus est;* nullum diligo, nisi Christum crucifixum. Et cum S. Paulo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, Galat. 6. Audi S. Ambrosium in Ps. 118. serm. 5. v. 4. *Istæ mansiones sunt crucis Christi et sepulturæ, in quibus vulnerata est Ecclesia, sed vulnere charitatis. Vulnus enim est, quod Christus excepit, sed unguentum est, quod effudit; pomum est, quod pependit. Hoc pomum gustavit Ecclesia, et ait: Et fructus eius dulcis in faucibus meis. Et ut scias quia pomum est Dominus, legisti supra: Tamquam malum in lignis sylvæ, ita consobrinus meus.*

SUB UMBRA ILLIUS QUEM DESIDERAVERAM, SEDI; ET FRUCTUS EIUS DULCIS GUTTURI MEO.

SEPTUAG. in (Symmach. *sub*) *umbra eius concupivi et sedi*, id est, umbram eius ardenter concupivi, et concupita fruitus sum, sub eaque iucundissime sedi; Vatabl. *Cuius umbram expetivi, et sub ea sedebo:* Arabicus: *Concupivi obumbrari umbra illius, et sedi.*

Pomi umbra iucundissima

Persistit in similitudine mali. Malus enim meliorem dat umbram, quam platanus, cuius tamen umbra iucundissima æstimatur, teste Plinio, et Platone in Phædro, ubi Socratem sub platano disputantem inducit: *Hæc enim platanus*, inquit, *est admodum patulis diffusa ramis, et procera, et altitudo opacitasque perpulchra nimium et amœna, etc.* Arbores enim frugiferæ, qualis est malus, uti in se temperatiores et suaviores sunt, quam infrugiferæ et agrestes; ita et temperatiorem suavioremque præ iis emittunt umbram: adde, et fructus, quibus viatorum sub iis degentium famem, æstumque et sitim levent.

Hac umbra adumbratur sponsæ desponsatio.

Nota: *Te sub umbra* significat sponsæ desponsationem. Sponsæ enim olim solebant conopæo, sive umbraculo aut pallio sponsi tegi, quo significabatur eam ut sponsam sub sponsi esse cura et tutela. Unde Ruth cap. 3. 9. expetens connubium Booz, qui quasi proximus hæres iuxta legem veterem eam ducere tenebatur, illi ait: *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es*, hoc est, me in tuam umbram, puta in tuam familiam, domum, curam et protectionem, suscipe, uxorem me ducito, me tibi desponde, et in signum desponsationis sub pallii tui umbra et tegumento me tibi associa. Et Deus Synagogæ, Ezech. 16. 8. *Ecce tempus tuum*, inquit, *tempus amantium, et expandi amictum meum super te.* Idem fuit ritus Gentium. Unde Euripides apud Stobæum, patrem ita filiam instruentem inducit: *Cum sub egregii viri pallium veneris, reliqua studia viro sinito.* Denique B. Virgini dixit Gabriel: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, q. d. Spiritus sanctus velut sponsus umbra sua te excipiet, atque in te peraget arcanam Verbi incarnationem. Chald. hæc de more accipiens de lege data a Mose Synagogæ et Iudæis, sic vertit: *Tunc temporis in umbra maiestatis eius desideravi habitare: et verba legis eius dulcia fuerunt gutturi meo, et præmia præceptorum eius servantur mihi in sæculo venturo.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

QUÆRES: Quænam umbra Christi, quam ambit, et sub qua late sedet quiescitque Ecclesia, et anima sancta?

Umbra Christi.

I. *Incarnatio.*

Respondent, primo, nonnulli esse Incarnationem, sive Verbum incarnatum: hoc enim ut unicum mille malorum suorum remedium, per tot millia annorum avidissime exspectabat Ecclesia. Verbum enim est lux et lumen immensum, cuius umbra est corpus et humanitas ab eo assumpta; hæc enim velut umbra celat et velat deitatem et maiestatem Verbi. Humanitas ergo est umbra divinitatis, quæ per illius tenue velamen obscure pellucet et tralucet.

II. *Protectio Ecclesiæ et animæ sanctæ.*

Secundo, proprie et genuine Christi umbra est eius providentia, cura et protectio Ecclesiæ et animæ sanctæ, seu sponsæ suæ, iuxta illud Isaiæ 51. 16. *In umbra manus meæ protexi te, ut plantes cælos, et fundes terram.* Ita Origenes, Nyssenus, Cassiodorus, Ambros. Philo, S. Anselm. et alii. Ex hac Christi virtute quasi animata S. Petri umbra sanabat quoslibet infirmos, Actor. 5. 15. Hinc de Christo ait Ierem. *In umbra tua vivemus in Gentibus*, Thren. 4. 20. et cap. 1. vers. 15. vertunt Septuag. *Ad lectulum nostrum umbrosus*, puta sponsus Christus. Et Psaltes: *Sub umbra alarum tuarum sperabo*, Ps 56. v. 2.

III. *Spiritus S.*

Tertio, umbra Christi est Spiritus sanctus; sicut enim corpus iacit umbram, eaque velatur et obumbratur: ita Christus, qua Deus, spirat Spiritum sanctum eoque quasi velatur et tegitur. Hinc Spiritus sanctus obumbrando B. Virgini, in eius utero Christi, qua homo est, corpus formavit, organizavit, animavit, Verbo Dei hypostatice copulavit, Lucæ 1. 31. sicut gallina, umbra alarum suarum ovis incubans, calore suo format pullum, animat, vivificat et excludit, ait Theophil. in Lucæ 1. Audi S. Gregorium: « Umbra Christi protectio est Spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem, quam replet, obumbrat; quia omnem tentationum fervorem temperat, et dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit, et quam iam fortasse nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat, ut dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustius currat. »

IV. *Lex vetus.*

Quarto, Origenes, Theodor. Philo Carpath. et S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 5. per umbram accipiunt legem veterem, in qua sedisse se ait Ecclesia ante Christum, cum adhuc degeret in Synagoga Mosis; lex enim erat umbra Evangelii, sicut Moses Christi, et Synagoga Ecclesiæ.

V. *Fides.*

Quinto, apposite S. Bernardus serm. 48. per umbram accipit fidem, quæ est umbrosa et obscura: per fidem enim ambulamus et non speciem, sed fides deducit nos ad claram visionem in cælis.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Cristo et anima sancta.

Christus umbra

Anima sancta sub umbra Christi crucifixi non stat sed sedet, id est assidue versatur per meditationem, ora-

est animæ pax. I. tionem, contemplationem, præsertim dum aliqua tentatione vel tribulatione, velut solis ardore cruciatur et premitur: Christus enim crucifixus uti crucis suæ, sic et roboris participium illi communicat, imo magnis sæpe mirisque e cœlo consolationibus eam mulcet, ut malit esse in cruce cum Christo, quam in deliciis cum mundo. Unde et B. Franciscus Xaverius in laboribus et ærumnis Indicis ita cœlesti dulcedine affluebat, ut clamaret: *Satis est, Domine, satis est; nec enim mens mea in hac vita tantum gaudiorum pondus capit.* Ita S. Ambros. in Psalm. 118. ser. 5. Hoc est quod canit Psaltes: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos;* Psalm. 35 8. Notat Theodor. in Philotheo, sive Historia Ss. Patrum c. 9. animam Christo crucifixo devotam, non tantum Christum, sed et vestem eius, domum, calceos et quidquid aliquam, quantumvis tenuem, eius umbram gerit, suspicere, amare et venerari.

II. Eucharistia, umbra Christi. Secundo, Christi umbra est Sacramentum Eucharistiæ: in eo enim sub speciebus panis occulitur Deitas et humanitas Christi: quod proinde avide desiderant fideles, ac sub eo secura conquiescunt. Ita S. Bernard. ser. 48.

III. Sancti. Tertio, umbra Christi sunt Sancti: sicut enim umbra est imago corporis, sed exilis et inadæquata: ita vita Sanctorum est imago vitæ Christi, sed umbratica duntaxat, nec eam adæquans. Quare anima pia dum degit in fidelium et Sanctorum cœtu vel congregatione, ab ea velut umbra protegitur, sanctisque illius exemplis et consiliis confovetur. Ita tres Patres apud Theodor.

IV. Profectus in virtute. Quarto, Origen. putat per umbram notari profectum in virtute: sicut enim umbra a meridie crescit in vesperam: sic et virtus animæ sanctæ in dies crescit et proficit. Rursum umbra deducit ad corpus: *Fac igitur, cum umbra dignus fueris,* ait Origen. *ut possis capere umbram eius, et effectus, veniet ad te (ut ita dicam) corpus eius, ex quo umbra nascitur, tuncque senties fructus eius dulcedinem, dicesque: Et fructus eius dulcis gutturi meo.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Umbra notat desponsationem B. Virginis, uti paulo ante dixi, iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Hæc ergo obumbratio quasi eam despondit Spiritui sancto, qui proinde in ea Christum, Sanctum Sanctorum efformavit, tuncque eam fructu dulcissimo consolationis et contemplationis adimplevit.

Rursum, B. Virginis umbra fuit non tantum Spiritus sanctus, sed et Christus: hic enim vocatur eius dilectus, id est sponsus. Huius enim adventum et incarnationem summe optabat Beata Virgo: quare ante eius adventum sub umbra eius sedebat; tum quia ex fide Christi in se incarnandi omnem suam gratiam, etiam incarnationem præviam hausit, tum quia tota eius spes, desiderium, consolatio, protectio, omneque bonum erat sperare Christum nasciturum, videre et amare nascentem, ac frui iam nato.

Fructus Christi. ET FRUCTUS EIUS DULCIS GUTTURI MEO.) Sept. *faucibus meis;* Vatabl. *estque fructus eius palato meo dulcissimus.* Quæres, quis hic Christi fructus?

I. Resp. Primus Christi fructus est remissio peccatorum, iustificatio, gratia et virtutes. Item prædicatio Apostolorum, et conversio gentium: ita S. Ambros. in Psal. 118. serm. 5.

II. Secundus fructus Christi sunt fructus Spiritus sancti, quos enumerat S. Paulus Galat. cap. 5. v. 22. dicens: *Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas,* etc. Christus enim mittens in Apostolos et fideles Spiritum sanctum in Pentecoste, cum ipso hæc eius dona et fructus pariter misit. Ita tres Patres apud Theodoret.

Tertius fructus realis et corporalis, dulcis gutturi, tam corporis, quam animæ, est Eucharistia, qua nos Christus pascit, eiusque velut mannæ cœlestis dulcedine mentem inebriat. Ita Aponius, Rupertus, et S. Bernard. serm. 48. Amor enim Christi et beneficia, qualis est Eucharistia, variis hic figuris et schematibus repræsentantur. III.

Quartus fructus Christi est eius sermo et doctrina cœlestis, ideoque saluberrima et dulcissima. Unde et Evangelium, id est bonum felixque nuntium appellatur, quia nuntiat regnum cœlorum, modumque eo perveniendi. Ita Nyssenus homil. 4. et S. Ambrosius annotat. ad cap. 16. Exodi. IV.

Quintus fructus est meditatio iugis in lege Domini, ait Origenes, ac magis contemplatio Christi, eiusque deitatis, ac incarnationis, passionis, etc. Ita S. Gregorius, quem audi: *Arbor fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem existit, quam si mens nostra digne diligit, et instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros et utiles gignit. Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates præ eius dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, et inter lacrymas sublevata angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Inde est quod subditur: Introduxit me in cellam vinariam.* Ita contemplatione Christi quasi manna cœlesti pascebatur S. Magdalena sedens ad pedes Iesu; unde ab eo audire meruit Lucæ 11. *Optimam partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Et S. Aug. in Soliloq. c. 22. *Obsecro,* ait, *ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ.* Idem in Manuali c. 20. *Anima amans,* inquit, *trahitur votis, fertur desideriis, dissimulat merito, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, et fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit et excedit a corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, imo rapitur atque labitur a seipsa, ut Deo fruatur ad iucunditatem. Nihil tam iucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus meus.* Et post nonnulla: *Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera; quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluunt. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate.* Ita S. Bonaventura visitatus a S. Thoma Aquinate, rogatusque ex quonam libro tam sapientia, tam pia et dulcia hauriret sensa et verba quæ docendo et scribendo eructabat, ostendit ei effigiem Christi crucifixi, dixitque: *Iste est liber, Pater mi, qui mihi suggerit omnia quæ doceo et scribo. Ad pedes enim huius crucifixi anima mea maiora haurit e cœlo lumina, quam ex omni lectione, disputatione et studio.* Ita noster P. Ribadeneira in vita S. Bonaventuræ ex Chronicis S. Francisci. Crucifixus liber S. Bonaventuræ

Anagogice S. Bern. ser. 48. « Ait, inquit: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Merito eius desideraverat umbram, de quo et refrigerium esset et refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem silvarum ligna, etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus; salus tua ego sum. Non Moyses, inquit, dedit vobis panem hunc de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Propterea ergo Christi potissimum desideraverat umbram, quod solus sit, qui non solum ab æstu refrigerat Anagog.

vitiorum, sed et replet delectatione virtutum. »

Vers. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

Introduxit me in cellam vinariam (Hebr. *in domum vini.* Hebræi enim cellam, stabulum, cubiculum, imo omne vas et receptaculum vocant domum) ordinavit in me charitatem.) Apte ad seriem dramatis postquam dixit sponsa: *Fructus eius dulcis gutturi meo*, subiungit: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, quia fructus, id est cibus et comestio excitat sitim, quam proinde ut levet sponsa, post comestum fructum inducitur in cellam vinariam. Rursum, ut recte S. Bern. serm. 49. « Habito, inquit, pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte, sponsa regreditur ad adolescentulas, aspectu ita ipsius afflatuque refecta atque accensa, quatenus ebriæ similis appareret; et quasi illis stupentibus novitatem, et quærentibus causam, respondit mirum minime esse, si vino æstuaret, quæ in cellam vinariam introisset. Et secundum litteram ita; secundum spiritum quoque non negat ebriam, sed amore, non vino, nisi quod amor vinum est. »

Verba sponsæ ad adolescentulas.

Sunt ergo hæc verba sponsæ ad socias, sive adolescentulas, quibus narrat se a sponso inductam in cellam vinariam, ibique vino charitatis potatam, ordinem pariter charitatis accepisse. Porro Septuag. vertunt, *introducite* (o adolescentulæ, vel potius, o socii sponsi, puta Apostoli et doctores) *me in cellam vinariam; ordinate in me charitatem*, q. d. Ego amore sponsi ardeo, ideoque spirituali siccitate et siti æstuo: Vos ergo, o socii sponsi, inducite me in cellam vini, ubi sitim hanc restinguam, ac simul ordinate in me charitatem, id est ornate me iis vestibus, monilibus, cæterisque ornatibus, quæ me sponso amabilem faciant, quæque sponsam tanti sponsi deceant, ut nuptias cum eo devote celebrare merear. Hinc et Syrus more suo sequens Septuag. vertit, *introduxerunt*; Noster melius cum Chald. Vatablo, et aliis vertit, *introduxit*; hoc enim significat Hebr. הֱבִיאַנִי *heviani.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Inducta est sponsa a sponso ab umbra mali in cellam vini, id est in locum deliciarum et nectaris, ubi bibit vinum charitatis, ut mysteriorum gratiam, et lætitiæ capiat suavitatem, ait S. Ambros. in Psal. 118. ser. 5.

Cella vinaria, quæ? Resp. I. Gymnasia, vel templa.

Quæres, quænam sit hæc cella vinaria? Primo, Origen. homil. 3. et 4. Theodor. et alii accipiunt domum sapientiæ, puta gymnasia vel templa, in quæ inducitur populus fidelis, ut ibi a doctoribus et prædicatoribus hauriat vinum veræ sapientiæ, id est cognitionis, timoris et amoris Dei. Hinc S. Gregorius, et Aponius per *cellam* hanc accipiunt sacram Scripturam: hæc enim vinum sapientiæ cœlestis nobis propinat, et *per hanc*, ait S. Gregorius, in sponsa charitas ordinatur: quia in eius doctrina manifeste discitur, qualiter Deus, et proximus ordinate diligatur. Huc accedit Chald. qui tamen more suo Synagogæ legi Mosis hæc adaptat: *Dixit*, ait, *cœtus Israel*: *introduxit me Dominus in domum gymnasii doctrinæ Israel*, *in montem Sinai*, *ut discerem legem ex ore Mosis Scribæ magni.* Huc facit quod Christus legem veterem vocat vinum vetus; novam vero, et Evangelium vinum novum quod in utres novos mittunt, et ambo conservantur, Matth. c. 9 v. 17.

II. Altare

Secundo, alii melius per *cellam vinariam* accipiunt altare: in hoc enim sacerdotes consecrant, hauriunt et distribuunt vinum Eucharisticum, puta sanguinem Christi, iuxta præceptum Christi. Ita Nyssen. Homil. 4. Psellus, Rupert. et Paschasius Radbertus tract. de Eucharistia cap. 11. Sic sensus est, q. d. Ipsemet rex sponsus me introduxit in apothecam vini, hoc est, iussit introire ad altare Dei, et illic sumere calicem salutaris Domini, qui Deum lætificat, qui hominem vivificat: sic pro vinea quam dereliqui, cellaria melioris nectaris sum adepta. Alludit Salomon hic ad illud Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, etc. *immolavit victimas suas*, *miscuit vinum*, *et proposuit mensam suam.* Vide ibi dicta.

III. Congregatio fidelium in die Pentecostes.

Tertio et valde apposite, *cella vinaria* est congregatio fidelium in Sion, cui e cœlo data est plenitudo Spiritus sancti in Pentecoste, quæ Apostolos et fideles cœlestibus donis, ardoribus et fervoribus implevit, ut velut musto amoris divini ebrii eructarent magnalia Dei, Actor. 2. Ita Iustus Orgelit. et S. Bern. serm. 49. *Annon*, inquit S. Bernard. *tibi cella videtur fuisse vinaria illa domus*, *in qua erant discipuli pariter congregati*, *cum factus est repente de cœlo sonus*, *tanquam advenientis spiritus vehementis*, *et replevit totam domum*, *ubi erant sedentes*, *adimplevitque prophetiam Ioelis? Et nonne unusquisque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius*, *et torrente voluptatis tantæ potatus*, *dicere merito quibat: Quoniam introduxit me rex in cellam vinariam.* Vide eumdem S. Bernard. serm. 3. de Pentecoste. Cella vinaria ergo est plenitudo Spiritus sancti, sive charitatis et zeli.

Symbolice, cella vinaria mysterium incarnationis.

Symbolice, tres Patres apud Theodoretum, per *cellam vinariam* accipiunt mysterium incarnationis, quasi Ecclesia dicat angelis, vel Apostolis et doctoribus: « Introducite me in cellam vini, hoc est, docete me divinas incarnationis rationes; Deum enim Verbum appellat vinum, quod animas gustantium lætitia afficit, ad divinitatemque perducit. Huius cella caro est ab ipso assumpta; quam quidem in cellam Ecclesia introducitur una caro cum Christo futura. Sic enim Apostolus locum illum: Et erunt duo in carne una, interpretatur. Ego autem, inquit, dico in Christo et in Ecclesia. Fidelium enim Ecclesia dum carnis et sanguinis Christi particeps, atque unum cum ipso corpus efficitur, incarnationisque rationes ab angelis didicit, atque eas moribus comprobat, in vini cellam ingreditur. In me introducta ordinate charitatem, illam scilicet divinæ gratiæ communionem, qua vos ordine fruimini, in me quoque, fideles singulos pro cuiusque ratione divinis mysteriis instituentes, ordinate. »

Mystice, cella vinaria, Ecclesia.

Mystice, Theodoret. Cassiodor. Beda et Anselmus per *cellam vinariam* accipiunt Ecclesiam, in qua haurimus vinum sapientiæ et amoris divini. Vide Hugonem de S. Victor. serm 45. Iustit. monast. Ubi singulas animas huius cellæ esse dolia ostendit. Unde Origen. homil. 2. ex duobus, sponsum sic ad novitios loquentem inducit: « Introducite me in domum vini. Cur tamdiu foris maneo? Ecce sto ante ostium, et pulso: Si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Catechumenis pariter loquitur: introducite me, non simpliciter in domum, sed in domum vini. Impleatur vino lætitiæ, vino Spiritus sancti anima vestra, et sic introducite me in domum vestram, sponsum, Verbum, sapientiam, veritatem. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Cella vinaria animæ.

Cella vinaria est domus orationis ac studium orationis et contemplationis; in ea enim Deus proponit fidelibus vinum consolationis, exsultationis, amoris et fervoris divini. Ita S. Gregorius, Cassiod. Haymo, S. Bernard. et alii. Audi S. Gregorium: « Quid enim, inquit, per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spirituali satiantur. Hanc sancta mens, si a sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur gustat. Et si adhuc quia in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat: tamen ex illo minimo, quod cursim sumit, considerat, quantum debeat amare quod amat. » Et S. Bernard. ser. 49. « Si quis, inquit, orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox

redeat divino amore vehementissime flagrans, et æstuans justitiæ zelo, nec non et in cunctis spiritualibus studiis atque officiis perniminm fervens, ita ut possit dicere: Concaluit cor meum intra me, et in meditationibus meis exardescit ignis: is plane cum ex charitatis abundantia, beatam et salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introiisse. Cum enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione; plus esne affectus et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehementis spiritus repletus zelo non plane aliunde, quam e cella vinaria reportantur, et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur; potest in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam.» Idem S. Bern. serm. 23. tres sponsi cellas assignat, aromaticam, unguentariam, et vinariam: primam ait esse disciplinæ; secundam naturæ; tertiam gratiæ. Additque dici vinariam: « quod in ea vinum sit in charitate ferventia reconditur. Nec debet omnino præesse aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorsus hoc vino æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor Gentium æstuabat quando dicebat: Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror? Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi. »

Tres sponsi cellæ

Porro vinum, *quod in cella Dei bibitur est charitas et amor*, inquit Guillel. *Hoc vino nihil castius, sapidius, calidius: castius, quia quo magis bibitur, eo magis extinguit sitim concupiscentiæ; sapidius, quia præbet gustum, quam suavis sit Dominus, et ideo lætificat cor hominis: calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes urit et corda, potenter inebriat animum, et usque ad oblivionem sui inducit, plane tales ebriosi regnum Dei possidebunt.*

Vinum charitas et amor.

Mystici, sive contemplativi, per *cellaria* accipiunt intimam et summam animæ non cujusvis, sed sponsæ, id est, eximie sanctæ et contemplativæ, cum Christo in Eucharistia unionem, quæ non solum per communem charitatis affectum fiat, sed per effectum etiam et realem purissimarum mentium cum Christo conjunctionem, quæ in profundo cordis, et quasi in centro animæ intimo et ineffabili amoris actu, complexuque mutuo perficitur, ad quam ab illa per singularem Dei bonitatem feliciter aliquando transitur, sicut in oratione divina a contemplatione ad realem cum Deo unionem, ejusque complexum nonnumquam pervenitur. Hanc autem felicissimam unionem nihil aliud esse dicunt, quam intimam manifestationem ipsius Christi præsentiæ in hoc Sacramento latentis, non tam per visionem aut revelationem, quam per amplexus dulcissimos, quibus animam ita ineffabiliter ac suaviter adstringit, ut ipsa realem ejus præsentiam, oscula et amplexus certissime percipiat, ejusque bonitatem et ineffabilem dulcedinem in suo fonte degustet. Hæc unio mirabilis, si ex parte Christi consideretur, nihil aliud est, quam illapsus, sive manifestatio ipsius Christi occulte in Sacramento existentis, se tamen ostendentis purgatissimis mentibus sub ratione summæ lucis, et ineffabili quodam contactu ad carnem spiritumque pertingentis: qui contactus nihil aliud est, quam dulcissimus amplexus, et deosculatio Christi, quo sponsam dilectissimam suaviatur. Ex parte vero animæ est mutuus amplexus, quem consequitur experimentalis ipsius Christi perceptio, per quam spiritalis dulcedo in ipso Deo possidetur. Ea porro perceptio nullius hominis meritis, aut dispositioni respondet, cum sit gratiæ gratis, et ex mera Christi liberalitate paucissimis concessa. Ita ex S. Cypriano, S. Bernardo, S. Bonaventura, et aliis noster Salianus lib. 11. de Amore Dei, cap. 12. Longe intimius, profundius, jucundius, ineffabilius animæ beatæ uniuntur Deo per visionem et amorem beatificum, qua in divinitate, quasi in pelago felicitatis bonorumque omnium merguntur et absorbentur, ut aliud cogitare, velle, amare, desiderare nequeant, quam Deum vel propter Deum.

Unio realis cum Christo in Eucharistia, quæ:

Fit per illapsum Christi

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Rupertus B. Virginem asserit in cellam vinariam introductam, cum deficiente vino in nuptiis in Cana Galileæ, vinum delicatissimum per Christi miraculum convivis procuravit; ac in nuptiis totius mundi, id est, in toto genere mortalium procuravit per Christum vinum mysticum, puta incorruptionem animarum et immortalitatem corporum: « Introduxit ergo me in cellam vinariam, inquit, et ordinavit in me charitatem, id est, intelligere me fecit se ad hoc venisse, ut humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, id est, in suæ immortalitatis converteret fortitudinem, et quod affectibus meis divinam voluntatem præferre deberem. Hoc est enim ordinatam habere charitatem, optare quidem ut non moriatur talis dilectus, sed amplius desiderare totius humani generis salutem. »

ORDINAVIT IN ME CHARITATEM.) Hebraice דגלו עלי אהבה *dighlo alai ahava*, id est, *vexillum ejus super me charitas*; Septuaginta videntur legisse (uti et jam legunt nonnulli) alio puncto דגלו *dighlu*, id est, *vexillate*, sive *ordinate*. Unde vertunt, *ordinate super me charitatem*; et Symmach. *coacervate super me charitatem*; et S. Ambr. ser. 5. in Psalm. 118 *constituite in me dilectionem*, et Rabbini veteres: *insignem facite*, vel *magnificate super me charitatem*. Noster omissa ultima littera ו vau, videtur legisse דגל *dagal*, id est, vexillavit, id est vexillum erexit, hoc est, *ordinavit in me charitatem*. Verum non est necesse huc confugere. Ex Hebræo enim *dighlu alai ahava*, id est, *vexillum ejus super me charitas*, si subaudias verbum præsens *est*, recte vertas, *vexillum ejus super me est charitas*, hoc est, *vexillavit super me charitatem*, sive vexillum charitatis super me erexit, quod Noster apte vertit, *ordinavit in me charitatem* eo sensu, quem mox dabo: Septuag. vero subaudientes Optativum vel Imperativum *sit*, vel *esto*, vertunt, *vexillum ejus super me sit charitas*, subaudi et prapone: *Efficite ut vexillum ejus super me sit charitas*, hoc est, *vexillate sive ordinate super me charitatem*. Septuag. sequitur Symmachus, S. Ambrosius, et Rabbini: S. Hieronymus vero lib. 3. in Zachar. cap. 14. legit, *ponite super me charitatem*; Syrus, *ordinaverunt erga me*, vel *contra me amorem*; denique Arabicus, *ordinaverunt adversus me tentationem*, vel *probationem*.

Variæ versiones.

Quæres, cur Noster et Septuag. Hebr. דגל *dagal*, id est, *vexillavit*, sive erexit vexillum, vertant *ordinavit*? Resp. quia τὸ *ordinavit* est hic verbum militare, et significat ordines exercituum, castrorum et acierum. Tota enim vis, totumque robur exercitus consistit in recta ejusdem ordinatione, quæ si servetur, certa est spes victoriæ: sin ordines turbentur, certa ejus est clades et ruina. Audi Vegetium l. 2. de Re milit. c. 13. *Antiqui, quia sciebant in acie, commisso prælio, celeriter ordines aciesque turbari, ne id posset accidere, cohortes in centurias diviserunt et singulis centuriis singula vexilla constituerunt, ita ut ex qua cohorte vel quota centuria esset, in illo vexillo litteris esset adscriptum, quod legentes vel intuentes milites, in quovis tumultu a contubernalibus suis aberrare nossent.*

Idem cap. 20. docet Romanos partem stipendii militum apud proprium cujusque cohortis vexillum deposuisse, ut pro eo fortius dimicarent milites, cum scirent se pro suis stipendiis dimicare. Dicit ergo sponsa: Sponsus in cellam vini me inducens, vinoque charitatis me potans, adeo illa me replevit et roboravit, ut exercitum ex ea validum, aciemque robustam in me videatur instruxisse et ordinasse, qua contra omnes hostes, persecutiones, tentationes, tribulationes, concupiscentias et vitia fortiter æque ac sapienter confligam, vincam, ac invicta de iis triumphem. Officia enim et actus varii charitatis, sunt quasi multi milites charitatis, qui mutui ejus exercitum conflant. Unde Symmach. vertit, *coacervate super me charitatem*.

Ut exercitus sic charitatis robur in ordine consistit.

Porro, sicut in exercitu robur consistit in recte militum dispositione et ordinatione: sic et robur charitatis consistit in recte officiorum et actuum eius distributione, et ordinatione. Primo enim diligendus est Deus, deinde propter Deum anima propria, tertio proximus, iisque suo gradu et ordine. Primo enim diligendi sunt parentes corporales et spirituales, deinde fratres; mox cognati, inde cæteri homines, quisque suo gradu et ordine, quod si ordinem charitatis invertas, charitatem perdis et evertis. *Ordinavit* ergo *in me charitatem*, non aliud est quam si dixisset; Statuit me sub vexillo charitatis, iussit me in hoc ordine militare. Recte vero Noster, sicut et Septuag. usus fuit verbo ordinandi: tum quia (ut ait D. Aug.) *nihil est aliud perfecta et vera virtus, quam ordo amoris*; tum quia sponsa his verbis hoc voluit: Non enim suavi illo nectare dementata, non ebullit in me concupiscentia, non agor in furorem, aut vagor bacchabunda; sed probe mihi consto, sobrius est amor meus, et rerum personarumque quam oportet, æstimationem, et dispositiones, ordinemque plene teneo quia sequor charitatem quasi cynosuram; hæc semper ordinata est, non minus quam acies instructa suis vexillationibus. Sic enim charitas primo loco Deum collocat, se secundo, tertio proximos, et hoc ipsos quosdam in principiis, quosdam in media acie, quosdam in agmine extremo. Ita Nyssenus, Aponius, Honorius, et alii hic, ac S. Fulgentius libro 1. ad Monim. c. 20. S. Aug. vel quisquis est Auctor (stylus enim a S. Aug. dissonat) l. de Substantia dilectionis c. 4. et 5. atque ex iis Delrio. Hoc facit officiorum, velut militum, in Ecclesia distributio et distributus ordo, de quo Apost. 1. Corinth. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* Et post nonnulla: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes et genera linguarum.*

Vexillare charitatem multa notat.

Porro ex Hebr. דגל *dagal*, id est, *vexillavit*, multiplices, iique sapidi et profundi, erui possunt sensus.

I. Primo, Vatablus vertit, *cuius* (sponsi) *vexillum erga me est dilectio*. Solent enim duces vexillo post se trahere milites, ita sponsus sponsam amore tamquam vexillo, ad se suaque castra attraxit.

II. Secundo, sicut in arce capta victoriæ elevatur vexillum, in quo expressum illius insigne conspicitur: sic sponsa victa beneficiis sponsi, iisque capta est et possessa, ut charitas, quæ sponsi est vexillum, super ipsam iam sit erecta. Unde Chald. vertit, *et vexillum præceptorum eius suscepi super me in dilectione, et dixi: Omnia, quæ præcepit Dominus, faciam et audiam.*

III. Tertio, Gislerius, q. d. Introducens me sponsus in domum vini, in domum amoris ac voluptatis, erexit in me, quem in omnibus sequerer, amorem, illum mihi proposuit, quem sequerer, quemque illæsum servarem iugiter, æque ac vexillum sequuntur tutanturque milites.

IV. Quarto, Salomesior, q. d. Sicut in acie bene ordinata solent milites, legiones, cohortes et decuriæ vexillum, seu vexilliferum intueri ad victoriam et gloriam: sic ego sponsum meum semper amori meo, velut scopum propositum habeo. atque omnes actiones meas ad eum dirigo, et exigo ut sint Deo gratæ, honestæ et bene ordinatæ, et denique gloria dignæ, iuxta illud quod præcepit Paul. 1. Corinth. cap. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Labarum Constantini, unde sic dictum.

Porro vexillum charitatis Christi, est vexillum crucis. In cruce enim invictam et summam charitatem, tum erga Deum, tum erga homines Christus ostendit; unde per eam de peccato, morte, diabolo et inferno triumphavit. Quocirca Constantinus Magnus hoc crucis vexillum sibi in cælo cum hoc lemmate ostensum: *In hoc signo vinces*, castris suis contra Maxentium aliosque tyrannos prætulit, ac labarum quasi laborum ὅρος, id est, finem et terminum nuncupavit, nam per illud omnes hostes prostravit, teste Eusebio libro 1. de Vita Constant. cap. 22. et seq.

V. Quinto, Titelmannus ex Chald. vertit, *glutinum eius, sive iunctura ad me est charitas*, q. d. Sponsus per charitatem mihi intime coniungitur, et quasi per glutinum conglutinatur, sicut conglutinantur chartæ.

Sexto, Rabbini vertunt: *Insignivit in me charitatem*: vel *insigne eius ad me dilectio*, q. d. Sponsus non vulgariter sed insigniter me amat; nam insignia et eximia dilectionis officia mihi exhibuit. Aut magnam, insignem et ardentem charitatem qua eum redamem, mihi infudit. VI.

Septimo, nervose præ omnibus noster Sanchez cum Syro vertit: *Amorem contra me tamquam exercitum vexillatum*, id est per acies et vexilla digestum, *instruxit*, q. d. Non potui resistere sponsi viribus, quia ipse omnes amoris vires in me effudit, quia suis officiis et beneficiis me obruit, et quasi sagittis amoris confixit et vulneravit: amore ergo victa, confixa et obruta victori me totam dedo, et devoveo: acies autem, quam ordinavit sponsus in me, et qua munitus animum meum expugnare aggressus est, illa sunt quæ ad redamandum vehementer alliciunt: in primis ipsi sponsi mei mitissimi mores, studium in me singulare, liberale ingenium, eximia forma, amatoriæ blanditiæ, munera exquisita, dotalia vinea, et alia, quæ hoc capite et deinceps explicantur latius. His omnibus tamquam armis oppugnavit sponsam, his telis confixit, his charitatis vinculis attraxit, his illam sibi ipsi violenter eripuit. Accedit quod verbum Græcum τάττω, id plane significet; unde ἡ τάξις, dicitur acies, et idem non obscure innuunt Septuag. dum vertunt, *quia vulnerata charitate ego*, et Symmac. τετρωμένη φίλτρῳ, quod est quasi instrumentum et telum amoris. VII.

Huc pertinet expositio Cassiodori et Bedæ, qui *ordinavit in me charitatem*, sic exponunt, q. d. Deus prior dilexit me, itaque me ad se redamandum compulit. Addit Beda, Deum ordine quodam homines dilexisse, q. d. *Omnia quidem membra mea, omnes electos pia sibi charitate copulavit, sed eminentiora quæque ampliori, ut decet, affectu complexus est. Omnes quippe dilexisse patet ex illis verbis: Cum dilexisset suos, qui in mundo erant, in finem dilexit eos. Et tamen indulgentior in quemdam amor intimatur, cum dicitur: Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Adiungit Beda deinde, Deum suam hanc in Ecclesiam charitatem, quibusdam profectuum gradibus per temporum intervalla monstrasse.

Octavo Septuag. vertunt, *ordinate super me charitatem*, ut sicut sponsus sponsam ambit, sic vice versa sponsa sponsi nuptias ambiens, dicat sodalibus: Eia meam charitatem ordinate, ac velut instructam aciem sponso meo proponite, ut is in amoris domo ab amore meo vincatur, mihique in sponsum se dedat. Unde subdit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, q. d. Significate sponso amoris mei vehementiam, et ex ea languorem, ut is eo vulneratus amori succumbat, meque sui amantissimam vehementissime redamet: charitatis ergo acie et vexillo, non tantum contra omnia adversa, sed etiam contra Deum confligimus et superamus, sicut Iacob cum eo conflixit, indeque vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Genes. 32. 28. Talis charitatis athleta, imo dux et ductor erat S. Paulus, qui proinde charitatis aciem instruens: *Quis*, inquit, *nos separabit a charitate Christi: tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* etc. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*. Rom. 8. v. ult. VIII.

Denique vox *vexillavit*, et *vexillum*, significat Ecclesiam et sponsam esse militantem per totam hanc vitam, ac continuo confligere debere cum dæmone, mundo et carne; sunt enim hæ duæ civitates, scilicet Dei et diaboli, sive piorum et impiorum, inter se contrariæ et hostiles, quæ perpetuo inter se confligunt, ut docet S. Aug. l. de Civit. Unde et noster fundator S. Ignatius in lib. Exerc. spirit. exercitium proponit duorum vexillorum, unum est Christi, alterum Luciferi, ac quisque milites conscribit, et quos potest, ad suum vexillum advocat. Vexilli Christi insigne

Duo vexilla militaria, Christi, et Luciferi.

est charitas, Luciferi cupiditas. Porro in cella vinaria utriusque, bibitur utroque; ubi rursum alluditur ad eos, qui conscribunt milites; hi enim in tabernis hospitantur, ibique adventantibus vina propinantes, sic eos ad nomen militiæ dandum alliciunt. Rursum Cosaki, Hollandi, aliique plures, cum quid arduum et periculosum aggredi volunt, solent dolia vini (idque subinde aducti) militibus proponere, ut vino æstuantes metum mortis ponant, ac animosi in hostem ruant. Sic Christus sanguine suo nos in Eucharistia potat, ut eius amore ebrii, in mortem et martyrium, si opus sit, generose procurramus.

Tropol. charitas vexillum erigit virtutum

Tropologice: Charitas eminet cæteris virtutibus, et super omnes vexillum erigit, ad illudque omnes convocat: quod si illud sequantur, omnia transcendunt, seseque magna laude et meritis cumulant, ut docet Apost. 1. Cor. 13. *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est*, etc. Hinc charitas cæteras virtutes quasi acies Dei ordinat: Primo loco ponit fidem; secundo humilitatem; tertio spem; quarto pœnitentiam; quinta patientiam; sexto misericordiam, etc. Rursum hic ordo charitatis virtutes ipsas stabilit, facitque firmas, et solidas. Unde S. Ambr. Ps. 118. serm. 5. v. 1. legit, *constituite in me dilectionem*, sicque explicat: *Bona stativa* (statio et munitio militaris) *ubi plenitudo est charitatis*. Nyssen. vero homil. 4. Græcum τάξατε referens ad τάξεις, id est, ordines militares vertit, tum *ordinate*, tum *constituite et confirmate*. *Quoniam*, inquit sponsa, *quæ primo fuerat dilecta, per inobedientiam fuit inter inimicos reputata, nunc ad eamdem reversa est vitam, per charitatem Domino coniuncta; ea nunc dicit: Confirmate mihi hanc gratiam, eamque stabilem facite et immobilem, vos amici sponsi, studio et diligentia mihi conservantes propensionem ad id, quod est melius.*

Denique arma, id est officia charitatis sunt invicta, nec quis eis resistere valet, iuxta illud cap. 8. vers. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, etc. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Quin et Philosophi idem senserunt: *si vis amari*, inquit ille, *ama:*

Ut præstem Pyladen, aliquis se præstet Oresten:
Hoc non fit verbis; Marce, ut ameris ama.

Vis ergo inimicum superare, imo subiugare, tibique facere amicum, præveni eum officiis et beneficiis; sic enim *carbones ignis congeres super caput eius*, Rom. 12.

Virtus est ordo amoris, vitium inordinatio.

Hinc S. Aug. l. 15. de Civit. c. 22. docet quod virtus non est aliud quam ordo amoris, nec vitium aliud quam inordinatio amoris. Omnis enim creatura, inquit, cum bona sit, et bene potest amari, et male; bene, scilicet ordine custodito; male autem, ordine perturbato, etc. *Unde mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris, propter quod in sancto Cantico Canticorum cantat sponsa Christi, civitas Dei, ordinate in me charitatem. Huius igitur charitatis hoc est, dilectionis et amoris ordine perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, et filias hominum dilexerunt. Quibus duobus nominibus satis civitas utraque discernitur.* In civitate enim Dei est ordo amoris, in civitate vero diaboli est inordinatio amoris: quia pii amant Deum super omnia, creaturas omnes propter Deum: impii vero plus amant creaturas, v. g. honorem, aurum, delicias, quam creatorem. Porro quia ordo hic charitatis est difficilis, ideo Ecclesia et anima sancta petit ab angelis et viris sanctis: *Ordinate in me charitatem*, iuxta Sept. Unde S. Hier. epist. 8. ad Marcellam: *Dilectio*, ait, *ordinem non habet, et impatientia nescit mensuram. Unde in Cantico, quasi difficile præcipitur: Ordinate in me charitatem.*

Huc accedit S. Bernardus serm. 49. qui per ordinationem charitatis accipit discretionem, quæ temperat et dirigit zelum. « Semper quidem, inquit, zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur: plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. »

Porro Aponius docet ordinatam esse in Ecclesia charitatem, cum ipsa illam didicit ex contemplatione summi A ordinis, qui est in SS. Trinitate: « In quo ordine charitatis, inquit, quid aliud credendum est primum imbui, nisi ut credat et agnoscat primum debere Patrem nominari, in quo Filius semper, ut verbum in voce; secundum Filium, in quo semper Pater; tertium Spiritum sanctum, qui vera ratione de voce et verbo de Patre et Filio procedere comprobatur, secundum illud initio Decalogi: Diliges Dominum Deum tuum, in toto corde tuo; secundus ordo est: In tota anima tua: tertius ordo est: In tota virtute tua. »

Plura de ordine et ordinanda charitate, vide apud S. Bernardum serm. 49. et 50. ubi ordinem hunc dilectionis assignat, ut dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, et in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Additque charitatem meliores semper præponere in affectu, sed non in actu: nam actu maior dilectio et cura adhibenda est magis egentibus, et iis quorum cura tibi commissa est, quam exteris, licet sanctioribus. Sed audi pauca e multis: « Da mihi ho- B minem, qui ordinato Dei intendat amori, respiciens terram, suspiciens cælum, utens hoc mundo tamquam non utens, et inter utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitorie, et id dumtaxat quod opus et prout opus est, curet, æterna desiderio amplectatur æterno: Talem inquam, da mihi hominem et ego audacter illum sapientem pronuntio; cui nimirum quæque res revera sapiunt prout sunt, et cui in veritate atque securitate competit gloriari, et dicere; Quia ordinavit in me charitatem. » Vide et de ordine charitatis sanctum Thomam, et Scholasten tractatu de charitate.

Charitas meliores semper præponit in affectu, sed non in actu.

Hæc omnia facile est aptare, tum animæ sanctæ, tum B. Virgini, in qua adeo fuit ordinata charitas, ut mallet mori filium suum, quam animas perire. Audi Rupertum, qui eam sic loquentem inducit: *Iam dudum docuerat me charitatis ordinem, ut dolorem quidem, et iusti doloris gladium in mente vel anima portarem, non tamen averti propositum Dei cuperem, proventurum ipsi ad gloriam et* C *honorem, et humano generi ad perpetuam salutem.*

VERS. 5. FULCITE ME FLORIBUS, STIPATE ME MALIS, QUIA AMORE LANGUEO.

PRO *stipate me malis*, hebr. est *sternite me in pomis*; Tigurin. *substernite mihi mala*; Vatabl. *corroborate me malis*; Septuag. *constipate me in malis*; Scholiast. *circumdate me malis*; alii, *agglomerate mihi poma*, scilicet odorata, ut aurea, citrina, punica; Syrus, *posuerunt me in deliciis, circumvallarunt me malis, quia amore infirma sum*. Pro *floribus* hebr. est אשישות *asisciot*, quod hebraizantes vertunt *lagenis, scyphis, calicibus vini*. Verum iam in cella vinaria vino oppleta erat sponsa. Quare Noster melius vertit *floribus*, tum quia flores respondent *malis*, tum quia solent deliquium patientes odore leni et suavi, qualis est florum, animam halitumque revocare. Unde et Septuag. vertunt μύροις, id est *unguentis*, quæ e floribus odoratis fiunt: ubi tamen notat Origenes: *in Græco*, inquit, *habetur: Confirmate me in myrrhis; myrrhin genus* D *quoddam arboris nominans, quod Latini putantes myrrha dictum, unguenta interpretati sunt*. Origenes ergo pro μύροις, id est *unguentis*, legit μύρραις id est *arboribus myrrhæ*, hoc est flore vel lacryma myrrhæ: flos enim suo odore refocillat languentes, non arbor. In homilia autem versa a S. Hieron. refertur ex alio interprete. *Oenanthinis*: œnanthe autem est flos vitis, sive labruscæ, cum floret. Vide Dioscor. lib. 5. c. 3. et lib. 1. c. 57.

Variæ versiones.

Rursum clare Symmach. vertit *recumbere me facite in flore*. Videtur ergo Noster æque ac Septuag. et Symmach. hebr. *asiscioth* interpretari *flores*, forte a radic. שוש *sos*, id est *gavisus est*; flores enim sunt veris lætitia, camporum risus, naturæ hominisque gaudium. Sic Isaiæ 16. 7. dicitur: *His qui lætantur* (hebraice est לאשישים *lasciscim*) *super muros cocti lateris*, ubi vertit Noster et Symmach. ut *asiscioth*, vocetur quidquid exhilarat et lætitiam conciliat. Aut certe אשישות *asiscioth* sumpsit Noster pro ציצות *tsitsot*, id est, *flores*: litteræ enim ש et צ cum

sint affines, et eiusdem quasi soni, subinde inter se commutantur. *Aleph* autem initiale sumitur, ut heemantieum et formativum nominis, non vero ut radicale; quare *asciscioth* hic idem est quod *tsitsot*, id est *flores*. Denique *asciscioth*, proprie significat fundamenta sive fulcra, quæ hoc loco languoris intelligenda sunt, puta refocillantia, et animam ex deliquio ad se revocantia: talia autem sunt flores, similesque res odoriferæ.

Constructio. Sponsa in cella vinaria adeo vino amoris divini sese opplevit, ut recedente sponso, ex amoris vehementia linqueretur animo, deficeret et collaberetur. Advocat ergo socias, eisque inclamat: Ferte suppetias, flores et poma labanti admovete, quorum fragrantia spiritum fugientem revocem, aggestu vero quasi throno et cervicalibus erigar et sustenter erecta. Sic languere cœpit Ecclesia, postquam Iesus, instituto in ea venerabili Sacramento corporis et sanguinis sui, Spiritum sanctum misit, qui corda fidelium incredibili ardore charitatis et martyrii et ferventi zelo quamplurimos alios secum ad æternam gloriam perducendi inflammavit. Hinc enim illa medullitus erumpentia: « Cupio dissolvi et esse cum Christo. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Christus. Tu scis Domine, quia amo te. » Ita S. Bernard. ser. 51. « Post ista omnia, inquit, sponso more suo secedente, illa languere amore se perhibet, id est præ amore. Quo enim gratiorem experta fuerat præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit. Subtractio nempe rei, quam amas, augmentatio desiderii est; et quod ardentius desideras, cares ægrius. Rogat proinde ista interim odoramentis florum ac fructuum confoveri, quousque denuo revertatur, quem molestissima sustinet demorantem. »

Floribus et bonis odoribus reficiuntur vires. Porro rebus odoratis ut floribus spiritus animales ali, ac vires deficientes refici et instaurari per halitum suavem rei odoriferæ olfactu attractum, docent medici et physici, ut Hippocrat. lib. de Alimentis sub finem; et Galenus de Utilit. respir. cap. 5. ubi asserit necessarium esse ex ingenti inspiratione per nares, præcipuam alimenti partem animali spiritui suggeri; et Avicenna agens de curatione syncopis affirmat, spiritum maxime nutriri bonis odoribus.

Flores et mala, quæ? Quæres, quinam sint flores et mala, quibus se fulciri petit sponsa?

Resp. I. Christus. Primo, noster Sanchez ac Ioannes Carmelita accipiunt ipsum Christum, qui se vers. 1. vocavit *florem campi, lilium convallium*, et *malum inter ligna sylvarum*. Ait ergo sponsa: *fulcite me floribus*, etc. q. d. Statuite me in sinu atque complexu sponsi. Quod statim magis explicat, describitque quale fulcimentum illud florum, et pomorum stipatio futura sit, dum dicit: *Læva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur* me. Quod nihil est aliud, quam floribus ac pomis, de quibus hic, sustineri atque fulciri: quia super flores et poma, id est supra sponsi sinum, recumbit et quiescit.

Porro Ioannes Carmelita sic explicat, quasi sponsa dicat sociabus: Sponso meo, qui est flos campi et malus inter ligna sylvarum, sustinete me deliquium animæ ob ipsum patientem. Stipate me malis, id est sponso velut igneo vallo me circumdate, ut eius incendio sensim adurar, donec me velut phœnicem morti se devoventem, ignis expeditus absumat. Videtur ergo sponsa phœnicem æmulari, cuius, cum moritura est, hoc est ingenium, ut legat arborum aromaticarum surculos, et florum cacumina, ut nidum construat, in quo iacens excitato comburitur igne. Carpit surculos cinnami, amomi, thuris et arbuscularum similium, nardi aristas et flores assimiles. Sic sponsa ex arbore mali et floribus campi, iuxta sensum expositum concinnari sibi nidum poscit, in quo iacens mortem præstoletur, per ignem sponsi transitura, moritura sibi, ac in sponsi vitam transferenda.

II. Virtutes et dona Spiritus sancti. Secundo, tres Patres apud Theodoret. Philo Carpat. et Nyssen. per flores et *mala* accipiunt virtutes et dona Spiritus sancti, ac præsertim donum fortitudinis, quod animam labantem corroborat. Porro Philo τὸ *stipate me malis*, explicat, q. d. *Sepelite me* in numero iustorum. Alii

A per *flores* et *mala* accipiunt consolationes cælestes, quas Deus animabus sanctis in desolatione immittit.

III. Genuina verba et actiones Christ. Tertio, plane et genuine Titelmannus, flores, ait, et mala, sunt dicta et facta suavissima et mellitissima Christi, quorum memoria et meditatione Ecclesia et anima pia languens eius desiderio, se sustentat et roborat, donec eum facie ad faciem videat, eiusque præsentia fruatur, sicut sponsa sponsi absentia amore languens, illius verbis et promissis litterisque et munusculis, quæ apud se asservat, seipsam consolatur, tempusque fallit, donec is redeat, et ore ad os cum ea colloquatur.

Huc accedit Theodor. qui per *flores*, vel ut ipse ex Septuag. legit, *Unguenta* et *mala* accipit memoriam Christi: *Fulcite* me *unguentis*, hoc est inquit confirmate me et communita sponsi suavitate, ne quid me concutiat et labefactet. Fragrantia illa assidua me cumulate, ne sponsi obliviscar, et ad alia aberrem. Malis, hoc est sponsi fructibus, me constipate, ut sub umbra illius sedens, et unguentis eius delibuta, fructuque constipata, perpetuam ipsius

B memoriam conservem: illius enim amore sum saucia, cum ipse sit sagitta electa, quæ animas transfigit.

Huc quoque pertinet explicatio S. Ambros. in Ps. 118. ser. 5. qui per flores et mala accipit memoriam et meditationem Christi crucifixi; hæc enim animam deficientem sustentat et roborat, utpote in cruce Christi defixam: *Istæ*, ait S. Ambros. *sunt mansiones Christi et sepultura, in quibus vulnerata est Ecclesia; unguentum est, quod effudit; pomum est, quod pependit.* Et S. Bernard. tract. de Diligendo Deo sub initium, per mala accipit passionem, per flores resurrectionem Christi.

Tropol. Tropologice S. Gregorius per flores accipit fideles incipientes, per mala proficientes et perfectos: « Per flores, inquit, teneri quippe et incipientes; per mala vero perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus et stipari malis appetit, quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat tota anxietate perquirit, eo quod perfectionem, dum in carne

C vivit, omnino non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit. Et in hoc solo gaudet si circa se respicit, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem de sua languore recipere possit. » Idem fusius habet l. 2. in Ezech. hom. 15. Sic et Cassiodor. Iustus, Anselmus et S. Bernard. ser. 51. quem audi: « fulcite me floribus, etc. Cum præsto est quod amatur, viget amor, languet cum abest. Quod non est aliud, quam tædium quoddam impatientia desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quem amat, dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Et ideo ista postulat sibi assumulari bonorum operum fructus, cum fidei odoramentis; in quibus moram faciente sponso, interim requiescet. »

Huc accedit Origenes, qui ait Ecclesiam incumbere super catechumenos quasi flores, et super fideles sanctos quasi super mala et arbores. Et Aponius: Ecclesia, inquit, fulciri se optat floribus id est animabus puris et castis: ac malis, id est Apostolis, qui ex Christo quasi ex arbore

D mali per doctrinam germinant.

Denique Rupertus hæc adaptans B. Virgini, asserit eam optare fulciri floribus, id est actibus fidei, et pomis, id est bonis operibus.

Quia amore langueo.) Hebr. *quia infirma charitate ego sum*. Sept. *quia vulnerata charitatis ego sum*; Symmach. *vulnerata enim sum philtro*. Hi Hebræum חולה *chola* derivant non a חלה *chala*, id est *infirmatus est*, sed a חלל *chalal*, id est *vulneravit, occidit*. Sæpe enim verba quiescentia *Aain Vau* commutantur cum verbis duplicantibus *Aain*, id est secundam radicalem, puta *chol* vel *chala* commutantur cum *chalal*, et vice versa, ac unum ab altero sua tempora, coniugationem, ac inflexionem mutuatur.

Porro ex vehementi amore languorem nasci, adeoque morbum, quo corpus macrescit, marcescit, et tabescit, qui proinde vocatur ἔρως, id est amor sive morbus amoris, docent Medici, et patet exemplo Amnon qui deperibat *Languor et morbus ab amore.*

Thamar. 2. Reg. 13. Sic et filius Seleuci amore ægrotans tabescebat, quem morbum omnibus incognitum, ex insolito arteriarum pulsu sagaciter deprehendit Erasistratus Medicus, teste Plutarcho, in Demetrio, et Valerio Maximo lib. 5. cap. 7.

Languor amoris oritur ex liquefactione.

Nota: Languor hic oritur ex liquefactione. Est autem liquefactio amoris effectus, quo anima ipsa mulcetur ac emollitur, ut res quam ardentissime cupit, sibi per amplexum et penetrationem quamdam imprimatur. Quod ut fiat, tota dehiscit, et patet illa ut quasi poris apertis hauriat rem amatam, tamquam recens panis aquam haurire solet. Hanc autem liquefactionem, qua in sponsum hiat anima, consequitur effectus amoris alter, molestissimus sane qui languor appellatur, quem diserte notat illa, dicens: quia amore langueo. Languor ergo hic in anima fideli oritur, quando ipsa sic tota in sponsi amorem fertur, et quasi liquefacta resolvitur, ut sui prorsus oblita quid de se agatur nesciat, et ad omnia, quæ hic inferne aguntur, quasi stupida et insensibilis iaceat, ut nec videre aliud possit aut velit, nec audire, nec gustare, nisi suum dilectum: ita ut dicat cum Apostolo, Galat. 2. *Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Qui etiam languor amoris in sequentibus per liquefactionem animæ videtur significari, dicente eadem sponsa: *Anima mea liquefacta est statim ut dilectus locutus est* Cantic. 5. Quin et Plato ita amorem definit: *Amor est ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viventis.* Hunc languorem charitatis sponsa hausit ex cella vinaria Eucharistiæ, et Spiritus sancti: sicut eumdem post Sacram Synaxim sentiebat S. Catharina Senensis, et similes virgines sanctæ. Quocirca S. Felicula collactanea S. Petronillæ dicentibus tortoribus: *Nega te Christianam, et dimitteris*, respondit: *Non negabo, nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est.* Præclare Boetius: *O felix hominum genus! si vestros animos amor, quo cælum regitur, regat.*

S. Catharina Senensis. S. Felicula.

B. Philippus Nerius: *Charitate Dei vulneratus*, ait Auctor vitæ eiusdem, *languebat iugiter: tantoque cor eius æstuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, contractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit.*

S. Philippus Nerius.

Porro S. Bernardus hic et clarius, tract. de Diligendo Deo sub initium languorem hunc explicat defectum amoris: *Hæc mala*, inquit, *hi flores, quibus sponsa interim stipari postulat et fulciri, credo sentiens facile vim amoris in se posse tepescere, et languescere quodammodo, si non talibus iugiter foveatur incentivis.*

Verum cæteri passim languorem hunc accipiunt excessum charitatis, quo anima ex Dei desiderio tabescit et in carne marcescit, iuxta illud: *Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei*, Psal. 72. 26. Audi S. Gregorium libr. 2. in Ezechielem serm. 15. *Quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili iungitur, ut eius desiderio ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere? Mens itaque quæ iam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Unde et in Canticis dicit: Vulnerata charitate ego sum. Mala autem salus est cordis, quæ dolorem huius vulneris nescit; cum vero anhelare iam in cæleste desiderium, et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute.* Sic et Aponius, Iustus Orgelit. Ansel. et alii languorem hunc proficisci censent ex ingenti desiderio vitæ æternæ, et coniunctionis cum Christo in cælo. Unde languorem hunc sponsæ cum somno et extasi fuisse coniunctum, liquet ex eo quod subdit sponsus: *Adiuro vos, etc. ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam.*

Languor amoris a desiderio vitæ æternæ.

Denique Septuag. vertunt: *vulnerata sum charitatis, vel charitate*; alii: *Occisa, vel mortua sum charitate*, q. d. Amore Christi quasi telo transfixum et saucium est cor meum, ut amore mihi moriar, et in Christum quem amo, transeam, illique soli vivam, sicut S. Franciscus orabat: *Da, Domine, ut amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es mori.* Ita tres Patres apud Theodoretum S. Basilius in Regulis fusius disp. reg. 2. et S. August. in Psal. 37. quem audi: *Vulneratam se dicit charitate. Amabat eum quidem et non tenebat; dolebat, quia nondum habebat; ergo si dolebat, vulnerata erat; sed hoc vulnus ad veram salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non potest pervenire*; et S. Ambros. in Psal. 118. ser. 5. *Vulnerata charitatis ego sum. Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc Christus est, qui dicit: posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo hac vulnerari sagitta, non mediocris mansionis iste processus; non omnes possunt dicere, quia vulnerati sunt dilectione: Dicebant Apostoli, cum pro Christo lapidarentur et Christum prædicarent: Dicebat Paulus, cum ter virgis cæderetur, et die ac nocte Christum adorandum Gentibus disputaret. Dicunt hoc Martyres, qui vulnerantur pro Christo; et qui vulnerari pro eius meruerunt nomine, plus diligunt. Ad hanc ergo veniens mansionem Ecclesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios suos offerat, ut excipiat vulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiens pietatisque fructus, gustavit ipsa, et hortari cœpit cæteros, dicens: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus sicut malum: et in malo vulnus est, sed tamen suave.* Denique vulnus charitatis infligitur a solo Deo: ideoque homini est immedicabile.

Vulnerari amore Dei optabile.

S. Franc.

Symbolice, Origenes per charitatem accipit Christum: Christus enim suo amore velut telo transfigit, sauciatque animam: *Quam pulchrum est*, ait Origenes, *quam decorum a charitate vulnus accipere. Alius iaculum carnei amoris excepit; alius terreno Cupidine vulneratus est: Tu nuda membra, et præbe te iaculo electo, iaculo formoso. Siquidem Deus sagittarius est. Audi ipsum iaculum quid loquatur: Posuit me ut sagittam electam, et in pharetra sua servavit me, et dixit mihi; Magnum est tibi hoc, vocari puerum meum: Intellige sagittam, quid dicat, et quomodo a Deo sit electa. Quam beatum est hoc iaculo vulnerari!* Nervosius, Nyssen. hom. 4. sic animam piam loquentem inducit: *Deus in me sponsam suam, tamquam in scopum unigenitum Filium suum est iaculatus, de quo per Prophetam dictum est: Posuit me ut sagittam electam; sagittam autem ista aculeo fidei in me penetrans, secum simul adduxit sagittarium, iuxta illud: Ego et Pater unum sumus: Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Hæc Nyssenus sparsim.

Symbol.

Huc facit illud S. Hieronymi, epist. 22. ad Eustochium: *Amemus et nos Christum, eiusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, et iaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicamus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est!* Sic charitate vulneratus erat S. Augustinus, ut patet ex Soliloq. cap. 1. et lib. 9. Confess. cap. 2. *Sagittaveras tu*, inquit, *cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus, et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebant nos valide, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non exstinguere.*

Exempla.

Tropologice, Philo Carpath. et S. Ambrosius in Psal. 118. serm. 5. docent Ecclesiam et animam piam vulnerari charitate, cum Christi amore, persecutiones, verbera, vulnera et martyrium libenter sustinet.

Tropol.

Denique, B. Virgo post Christi in cælum ascensum eius desiderio et amore languebat, inquit Rupertus, adeoque hoc languore sensim resoluta, et tandem mortua est sine febri aliove morbo, ut censet Franciscus Suarez, et alii graves Theologi. Id ipsum B. Virgo revelavit S. Birgittæ lib. 6. « Paravi, inquit Deipara, me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat; cumque quadam die animus meus suspensus esset in

B. Virginis languor et mors ab amore.

admiratione divinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exsultatione, quod vix se capere poterat et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. »

Amor vehemens causat languorem, et mortem.

Mystici et contemplativi hæc referunt ad summum contemplationis et amoris quasi extatici gradum. Nam, ut ait Dionys. Carth. tr. de Fonte lucis a. 18. *Ex tanto contemplationis excessu, amorisque impetu, ardore, et ebullitione, generantur per redundantiam quamdam in parte sensitiva ac corpore languor, debilitas, mæror, ac macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usus ac motus membrorum ac sensuum, et totius corporis rigor. Nec in his actibus sanctis mens tempus advertit, moras non percipit, imo in his vehementissime admiratur, nec sufficit admirari anima sancta charitatem, pietatem, dignationem, et munificentiam Dei circa se, et in se, qua tam amorose ac familiariter, tum gratiose et munificenter se sibi ostendit, communicat, applicat et infundit.* Vide nostrum Alvarez de Paz in fine tom. 3. ubi fuse de contemplatione agit, ac quindecim eius gradus assignat: primus est, intuitio veritatis; secundus, secessus virium ad animæ interiora; tertius, spiritualis silentium; quartus, quies; quintus, unio; sextus, auditio loquelæ Dei; septimus, spiritualis somnus; octavus, extasis; nonus, raptus; decimus, apparitio Christi et Sanctorum corporea; undecimus, apparitio Christi et Sanctorum imaginaria; duodecimus, visio Dei intellectualis; decimus tertius, visio Dei in caligine; decimus quartus, admiranda manifestatio Dei; decimus quintus, visio clara et intuitiva Dei, quam S. Augustinus, S. Thomas et nonnulli alii tribuunt S. Paulo, cum raptus est in tertium cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Gradus contemplationis quindecim.

Sic S. Franciscus desiderio Dei et cœli languens et moriens, quasi philomela et cycnus sycnæum cecinit: *Educ de custodia animam meam: me exspectant iusti donec retribuas mihi*: itaque languore amoris deficiens, anhelansque ad Christum immortuus est. Simili languore ex vehementi Christi desiderio mortua scribitur B. Teresia. O sanctam! o iucundam! o beatam mortem! quæ morientes vivificat, amantes beat ut glorificat. Quocirca qui vere Christum amat, et amore eius languet, crebro ad eum suspiret, et per ardentes mentis affectus ad eum aspiret, utque iaculatorias amoris orationes, velut ignis sagittas cum sponsa ad eum assidue iaculetur. Rursum, Richardus de S. Victore asserit culmen et apicem charitatis esse amorem insanabilem sive violentum, cuius tres gradus assignat; primus est, amor vulnerans. Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris sagitta transfixum, intime ardet, æstuat, anhelat, gemit, suspirat, non se cohibere valens ob amoris vehementiam; unde etiam fit ut sæpe pallescat, ac præ amore tabescat; secundus, dicitur amor ligans, videlicet quando animus ita Dei amore adstringitur, ut nihil aliud meditetur, aliorum omnium obliviscatur, quidquid agat, quidquid loquatur, semper præsenti offert Domino; illum enim mente intuetur, perenni retinet memoria, illum dormiens, illum vigilans cogitat, ideo vulnerationem hæc ligatio et strictissima unio sequitur, qua mens solum Deum ipsum sitit, ipsum solum intuetur, nihil ei præter unum Dominum dulce est, in uno tantum quiescit, uno reficitur, si aliud quidvis occurrat quod huic uni non subserviat mox expellit: opprimit ac violenter propulsat desideria, studia, exercitia omnia, quæ ad exoptatum desiderii sui metam comprehendendam non conducunt. Cum vero datur uno suo frui, tunc omnibus bonis se abundare credens, nihil aliud admittit. Post hunc sequitur tertius amoris violenti gradus, languescere faciens, qui languor provenit, quando ex hac amoris vehementia mens in Deum, qui immensa abyssus est, rapitur; ita ut humanus animus hoc temporis articulo omnium exteriorum oblitus, seipsum penitus nesciat, totusque in Deum suum transeat.

S. Franciscus.

S. Teresia.

Tres amoris violenti gradus.

VERS. 6. LÆVA EIUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME.

AMPLEXABITUR,) Id est, *amplexetur*, ut vertit Syrus. Hebræi enim futurum sæpe ponunt pro optativo, quo carent. Unde Vatablus vertit: *Sinistra ipsius supponatur capiti meo, et dextera ipsius sponsi* me *amplexetur*. Solent enim amantes, v. g. parentes filiolis, quos tenere amant sinistram manum capiti supponere, ac deinde dextera totum eorum corpus complecti, suoque sinui et pectori adstringere, q. d. sponsa; pari modo sponsus me sua læva dexteraque complectatur, itaque me totam sibi arctissime iungat et adstringat circulo brachiorum, æque ac amorum. Unde Symmachus vertit: *Dextera eius circumplicetur mihi*. Alludit ad lectulos mensales et nuptiales, in quibus convivæ ita iacebant, id est discumbebant, ut prior sequentis capiti sinistram subiiceret, itaque eum sinu exciperet, ut deinde dextera, si vellet, eum circumplecti posset. Sic S. Ioannes in ultima Cœna in sinu Christi recubuit, quod summi amoris erat signum.

Sponsa amore languens et deliquium passa, quasi in extasi optat fulciri odore florum et pomorum, sed iis utpote medicinis virtutis ad languorem superandum non contenta, illico ad dilectum suspirat, utpote qui solus languorem curare possit. Ait ergo, inquit Hortulanus: Hei mihi, labasco, sponse mi, fer opem, serva me, obsecro! Nutat mihi caput, lævam tuam, quæso, supponito: solvuntur membra frigore, tua potenti dextera medium me, amabo, complectere, in sinu tuo ne concidam, fove: In te unum me reiicio: in te omnem fidem meam et spem colloco. Tu, qui solus potes, spiritum meum impendentium malorum metu fractum, tuo fulci spiritu; infirmam carnem meam immensa potentia tua corrobora, ut integer spiritus meus, integra anima et corpus tibi semper maneant, tibique in tuum ad me serventur reditum.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Læva et dextera quid? Resp. I. Læva, humanitas Christi, dextera, divinitas.

Quæres, quid læva et dextera significent? Læva minora beneficia notat; dextera, maiora: primo ergo, læva humanitatem Christi denotat, dextera Deitatem: sinistra enim imbecillitatis et imbecillæ humanitatis; dextera vero fortitudinis et fortissimæ divinitatis est symbolum. Humanitas Christi sustentavit caput Ecclesiæ, id est Adamum, dum eum eiusque posteros in peccatum prolapsos erexit, et gratiæ, ac meriti restituit. Rursum, eadem sustentavit caput, id est, fidem Ecclesiæ ad acquirendam remissionem peccatorum, iustitiam et salutem; hæc enim omnia contulit humanitas et passio Christi. Ita Origenes et S. Bernardus serm. 4. in festo omnium Sanctorum.

II. Læva, gratia huius vitæ; dextera, gloria futuræ.

Secundo, læva gratiam præsentis vitæ, dextera gloriam futuræ, et æternæ designat, q. d. Christus sua gratia in hac vita me dirigat, et promoveat ad gloriam æternæ felicitatis, ut ibi divinitatis dextera me complectatur, mihique donet coronam regni æterni. Læva ergo sponsi supponitur capiti ad meritum, dextera complectitur ad coronam. Ita Cassiodorus, Philo Carpathius, Beda, et S. Bernardus serm. 4. de Vigilia nativitatis Domini, ubi sic ait: *Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur et iustificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva eius merita, in dextera vero præmia continentur. In dextera, inquam, deliciæ, in sinistra sunt medicinæ.*

Hinc rursum idem sanctus Bernardus hic, serm. 51. hunc versum non optative, sed effective accipiens sic explicat, q. d. Læva Christi caput meum modo sustinet per gratiam; sed dextera eius in cælo me amplexabitur per gloriam; præsens enim gratia est certum pignus gloriæ cælestis, hæc merita huius vitæ dant certam spem futuri præmii: *Non ait*, inquit sanctus Bernardus: *Amplexatur, sed amplexabitur me, ut noveris priori gratiæ adeo non ingratam, ut secundam gratiarum actionem præveniat.*

III. Læva, bona terrena; Dextera cælestia.

Tertio, sanctus Ambrosius in Ps. 118. serm. 14. ad v. 5. per lævam accipit bona terrena et temporalia, per dexteram cælestia et æterna: *Utrumque*, inquit, *sponsi brachium ad utilia extenditur; habent tamen sibi aliquid proprium singulæ manus. In dextera longitudo vitæ est; in*

sinistra autem divitiæ et gloria. Prov. 3. 16. *Læva præsentium remuneratrix, dextera futurorum: læva sub capite sponsæ est, dextera supra, quæ totam complectitur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis præsentis, et ideo Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret, quia cum dives esset pauper factus est.* Hæc eo loco sparsim sanctus Ambrosius. Sic et Beda, ac sanctus Thomas, qui per lævam huius vitæ prosperitatem, per dexteram æternam vitam intelligit. Ubi notat caput sponsæ sustineri a læva manu; ut tamen non deseratur a dextera, et sinistram esse sub capite, dexteram supra; quia hæc inferiora, ita subesse debent, ut non evocent ab æternis, non deprimant caput, sed elevent potius, et nos excitent ad amorem eius, qui nobis ea tam liberaliter largitus est. Sic et Iustus Orgelit. sanctus Anselmus, et sanctus Gregorius, quem audi: *Per lævam sponsi vita præsens; per dexteram vero vita æterna designatur. Per caput autem sponsæ mens, quæ animæ principatur, adsumitur. Sed læva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, et dextera eius amplexatur eam; quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit; vitam vero æternam ut omni modo amplexetur concupiscit. Hæc quippe, quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cœlestibus se occupat. Hæc necessitate tolerat, ad illa summa desiderio quasi brachio dextero sponsi adstricta suspirat. In qua, cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cuius quietis dilectione mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem utique sponsum amplius diligit, et ab eius excitatione improbos quosque repellit,* dicens: *adiuro vos, filiæ Ierusalem, etc.* Huc facit illud Prov. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra eius divitiæ et gloria.* Vide ibi dicta.

IV.
Læva, adversa, dextera, prospera.

Quarto, læva indicat adversa; dextera vero prospera: caput autem Ecclesiæ sunt Episcopi et Prælati: corpus sunt cæteri fideles. Prælatos ergo sanctos Christus læva complectitur, id est adversis exercet et perficit; fideles vero dextera, id est, prosperitatibus et consolationibus mulcet et provehit.

Huc pertinet quod scribit Xenophon lib. 8. Cyripæd. Cyrum voluisse, ut fidei Principes sibi ad lævam accumberent, eo quod læva magis insidiis obnoxia sit quam dextera, vel potius ut cordi suo essent propiores. Cor enim vergit ad sinistram: simili modo Pastores et Prælati sunt ad cor Christi, quia illi summæ sunt cordi et curæ, utpote a quibus salus fidelium pendet.

V.
Læva, lex vetus: dextera Evangelium.

Quinto, læva est lex vetus, quia caput Ecclesiæ sustentat, quia indicat verum Messiam, id est Christum Salvatorem eique testimonium perhibet: dextera est lex nova, cuius gratia totam Ecclesiam ambit et stringit, ut eius efficacia totam legem servet et adimpleat: quare lex nova veterem supplet et perficit, sicut dextera sinistræ imbecillitatem supplet et roborat, ut patet Matthæi 5. et seq. Rursum, lex vetus notatur per sinistram, quia erat lex timoris et pœnarum; nova vero per dexteram, quia ipsa est lex amoris et gratiæ ac gloriæ æternæ. Ita S. Hieronymus in cap. 4. Zachar. et Eucherius lib. 2. in Genesim.

Denique, primaria sponsa in Canticis est humanitas Christi, quam Verbum ut amicam et sponsam sibi in incarnatione despondit, ac læva dexteraque, id est circumquaque complexus est, ut dixi in Proœmio c. 2.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Læva, comminatio supplicii; dextera, promissio regni.

Theodoretus, et tres Anonymi apud ipsum, ac sanctus Bernardus serm. 51. per lævam accipiunt comminationem supplicii; per dexteram vero regni promissionem; utraque enim Christus animam ad se trahit, sibique copulat: *Est autem,* ait sanctus Bernardus, *cum mens nostra formidine pœnæ serviliter premitur, et tunc nequaquam sub capite, sed super caput læva esse dicenda est: nec potest sic affecta anima omnino dicere; quia læva eius sub capi-*
A *te meo. At vero si proficiens ex hoc spiritu servitutis, transierit in quemdam spontanei obsequii digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potius provocetur, quam arceatur suppliciis; magis autem, si amore boni ipsius agatur, tunc indubitanter dicere poterit, quia læva eius sub capite meo, quippe qui illum servilem metum, qui in sinistra est, meliori atque excellentiori habitudine superarit animi, et dignis desideriis etiam ipsi appropiaverit dexteræ, in qua sunt omnes promissiones, dicente Propheta ad Dominum: Delectationes in dextera tua usque in finem; unde et certa spe concepta cum fiducia loquitur: Et dextera eius amplexabitur me;* tuncque exsultans dicit cum Psalte Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam et requiescam, præsertim cum suppetat causa quæ sequitur: Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Hæc sanctus Bernardus. Idem ibidem magis ad litteram per lævam et dexteram accipit omnimodam protectionem, qua Deus animam ad se anhelantam tuetur et complectitur. *Ergo,* inquit, *non sustinet dilecta molestiam, id est, ne-*
B *que enim moram facere potest tantis desideriis evocatus. Et quia illam comperarat donec absens fuit, fidelem ad opera et sollicitam ad lucra, in eo nimirum, quod flores sibi et fructus præceperat adunari, etiam cum propensiori hac vice remuneratione gratiæ est reversus. Denique uno brachiorum suorum sustentat caput iacentis, alterum ad amplexandum parans, ut sinu foveat. Felix anima quæ in Christi recumbit pectore, et inter Verbi brachia requiescit.*

Huc pertinet versio Chaldæi: *Quando,* inquit, *populus domus Israel ambulabat per desertum, erant nubes gloriæ circumdantes eos per quatuor ventos mundi, ut non dominaretur in eos æstus, neque sol, neque pluvia, neque grando.* Columna enim nubis protegens Hebræos in deserto, typus erat protectionis, qua Spiritus sanctus protegit fideles Christi in Ecclesia.

Secundo, Aponius hæc tripliciter exponit: primo, refert ad martyres, quos Christus sustentat sua læva, id est promissione regni cœlestis, ac dextera, id est gratia et
C auxilio suo amplectitur et corroborat: *Tormenta enim omnia,* inquit, *ipsaque mors pro Christo suscepta deliciæ sunt animarum sanctarum pro æternis gaudiis acquirendis; ubi se Ecclesia deliciis resoluta, amplexu dilecti Christi contineri lætatur, ut digna sit pro Factore suo atrocitatem perpeti tormentorum;* secundo, ad animam sanctam, quasi ipsa dicat: Christus sustentat me læva compunctionis, ne deflectam ad sinistram carnis et concupiscentiæ, et dextera tribulationum me continet, ne dilabar ad dexteram superbiæ; tertio, q. d. Læva Christi, id est scutum fidei, est sub capite meo; dextera vero, id est, gladio orationis amplexatur et ubernat me.

Mysticì et contemplativi hanc gnomen accipiunt de summo contemplationis gradu, quo anima intime Deo per contemplationem intellectus, et per ardorem voluntatis unitur, eumque quasi duobus hisce brachiis reciproce stringit et amplectitur. Tunc enim Deus cor allicit, suisque quasi illuminationis et inflammationis brachiis mulcendo, trahit ad altiorem quemdam et puriorem amoris ample- Summus contemplationis gradus.
D xum. Et sicut hic cognitio subtilior, ita et affectio nobilior viget, quæ non adhæret delectationibus divinis, sed iis omnibus animose præteritis, optat in nudis Dei brachiis conquiescere. Hic præ magnitudine voluptatis cor dilatatur, et quodammodo patefactis poris dehiscit, ac læditur, soletque aliquando hæc læsio ita ingravescere, et amoris impetus ita augeri, ut tantis incrementis cor humanum par esse non possit; sed ei morte felicissima succumbat, quod mortis genus sicut beatissimæ Deiparæ, S. Teresiæ aliisque nnnnullis contigisse.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo, Rupertus per lævam accipit solatia, quæ Deus I.
in hac vita concessit B. Virgini; qualia sunt videre Spiri-

tum sanctum descendere in se et Apostolos, Evangelium toto orbe prædicari, Gentes converti ad Christum, etc. *Et dextera illius amplexabitur me*, id est gloria Patris, in qua ipse est, totam circumdabit et implebit me, cum de præsenti sæculo eduxerit et assumpserit me; illa videlicet dextera, qualem Psalmista insinuat, dicens: *Et delectationes in dextera tua usque in finem*, Ps. 15. 11.

II. Secundo, Guilielmus Parvus, et ex eo Delrio per *lævam* accipit acerbitatem passionis Christi, per *caput* mentem Mariæ, per *dexteram* gaudium resurrectionis, ipsa ergo dixit: *Amore langueo*, quia in passione languor iste matris aperte se prodidit. Videt, inquit, mens divinitus illuminata, quam utiliter atque salubriter dulcissimus Filius moriatur; quam breves sit morulas in morte facturus, et quam gloriose post modicum triumphaturus. Et ecce propter hoc: *Læva eius sub capite meo*; non enim supergreditur caput meum, ut ratio cedat affectui, et lugeatur a me Filius meus quasi descensurus in corruptionem, non quasi potestatem habens ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Ego vero certissima sum, quod dextera eius amplexabitur me, quod gloria resurrectionis eius cito me exhilarabit, non tanget tantum, sed amplexabitur, non sicut passio ad modicum contristavit; ita etiam resurrectio perfunctorie, et ad horam exhilarabit; sed conscisso mœroris mei sacco, perpetua lætitia circumdabit me. De morte eius brevi luctus mihi brevis; sed quia resurgens ex mortuis iam non moritur, æterna in me charitas immortali lætitia perfruetur.

VOX SPONSI

Vers. 7. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

Abstractum pro concreto.

Pro *dilectam*, hebraice est אהבה *ahava*, quod et *dilectam* et *dilectionem* significat. Unde Vatabl. vertit: *Ne expergefaciatis amorem*, id est, sponsam summe amantem et amatam; ponitur enim abstractum pro concreto per epitasim ad significandam vehementiam amoris in sponsa, quæ tanta est, ut ipsa non tam amans et amata, quam merus amor esse videatur. Unde Syrus pro *dilectam* vertit, *essentiam amoris*, vel *ipsum esse amoris*; Arabicus, *amorem*.

Sponsa amore languens incidit in somnum et animi deliquium, tota abrepta in desiderium sponsi; quare ab adolescentulis in lectulum delata, in eo obdormiit. Sponsus ergo socias eius adiurat, ne ab hoc sancto suavique somno eam suscitent, sed in eo conquiescere sinant, donec ipsa sponte evigilet, qua adiuratione ostendit, quam sibi hic amoris somnus placeat. Amoris enim languor est dulcis amoris somnus: quare in somni huius lectulo mansit, egitque et dixit omnia quæ sequuntur hoc capite ad finem; nam cap. sequenti, puta 3. v. 1. ait ipsa: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea*. Ita Origenes, Aponius et alii: Septuag. vertunt: *Adiuravi vos in virtutibus et viribus agri, si suscitaveritis et resuscitaveritis* (S. Ambr. in Ps. 118 serm. 5. *elevaveritis et suscitaveritis*; Scholiast. *a somno excitaveritis*) *charitatem quoadusque velit*. Per virtutes, sive potentias et vires, sive fortitudines agri, accipe plantas, arbores et virgulta, et quidquid pulchrum et præstans est in agro.

Chald. more suo referens hæc ad Mosem et Hebræos tendentes in Chanaan, sic vertit: « Post hæc dictum fuit Mosi in Prophetia a facie Domini, ut mitteret nuntios ad explorandam terram, et quando reversi sunt ab explorando, detraxerunt terræ Israel, et demorati sunt quadraginta annis in deserto. Aperuit Moses os suum, et sic ait: Adiuro te, Ecclesia Israel, in Domino exercituum et in fortitudinibus terræ Israel, ne superbe contendatis ascendere ad terram Chanaan, donec sit voluntas a facie Domini, et consumatur tota generatio virorum bellatorum, et moriantur de medio Castrorum; sicut superbierunt fratres vestri filii Ephraim, qui egressi ex Ægypto sunt triginta annis, antequam pervenisset finis, et ceciderunt in manu Philisthinorum, qui habitabant in Geth, et occiderunt eos: sed expectate usque ad tempus quadraginta annorum, et postea ingredientur filii vestri, et possidebunt eam.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Adiurat, id est, obtestatur cum comminatione vel exsecratione sponsus, puta Christus, filias Ierusalem, id est, Iudæos, Scribas, et Principes (unde Hebr. pro *vos* est אתכם *etchem*, masculinum, q. d. Vos, o cives Ierusalem, vos o Iudæi) ne orientis in Iudæa Ecclesiæ, sed ferventis fidem, pacem et profectum interturbent, q. d. Sufficiat vobis, in me sævitum esse, ut lubuit. In suavissimam sponsam meam sævire nondum permitto, quam ego in fidem et tutelam recepi meam, et otioso iussi esse animo. Ecce domi suæ orat angelorum circumsepta præsidio: Per quas sanctas vos obtestor mentes, ne orantem sollicitetis, neve sedato animo meæ fidei, et promissis addormienti, obstrepatis, aut negotium ullum exhibeatis: nisi vultis cœlestes acies, quibus scelerum vestrorum pœnas detis, irritare. Acutius enim ipsis capreis cum cernant, vestra quantumcumque occulta perspiciunt consilia. Capreis et cervis longe celeriores, suis accurrunt ocyssime, atque opem ferunt clientulis. Omnes sunt ministratorii spiritus in meæ Ecclesiæ tutelam et ministerium missi a me propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, Hebr. 1. Sicut enim olim per angelos expuli Chananæos e Iudæa in gratiam vestri; sic per eos pariter vos ex illa expellam in gratiam Ecclesiæ meæ, si illi, puta illius Apostolis et fidelibus Christianis, restiteritis. Sinite ergo Ecclesiam meam iustum pacis et devotionis somnum capere, et quamdiu volet, conquiescere, regnum cœlorum obtinere, et in eo regnare pacifice. Ita Hortul. Titelm. et alii.

Rursum hanc gnomen adaptes Apostolis sedentibus in Sion post ascensum Christi, ac silentio et orationi vacantibus usque ad adventum Spiritus sancti in Pentecoste, quo repleti, sponte rupto silentio, cœperunt publice prædicare magnalia Dei et Christi, idque ex præcepto Christi: *Sedete*, ait, *in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Actor. 1. Vetat ergo Christus, ne quis Apostolorum quietem turbet, usque ad adventum Spiritus sancti.

Insuper proprie filias Ierusalem, id est, fideles singulos, maxime imperfectiores et leviores monet Christus, ne Ecclesiæ pacem discoloribus moribus, scandalis, schismate, aut tumultu perturbent, donec ipse velit, id est, iugiter. Semper enim ipsa volet pacem. Ita Delrio.

Porro capreas cervosque camporum ad litteram ut sonat accipe: Est enim hic iuramentum venatorum, quo sponsus velut pastor campester et ruralis venatores adiurat per cervos et capreas, quos ipsi in agris et sylvis venantur more filiarum, id est virginum Tyri, quibus Iudææ vicinæ sunt, quæ venationi vacabant, iuxta illud Virgil. Æneid. 1. — Iuramentum venatorum sponsi quasi Pastoris.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.

Talis fuit Diana. Solemus enim iurare per res summe dilectas, quales venatoribus sunt cervi sibi summe dilecti, Genes. 42. 14. Hinc Septuag. vertunt: *In virtutibus et viribus*, sive *fortitudinibus agri*, id est, per omne quod est potens aut forte in agris et sylvis, aut per omnem agrorum fœcunditatem, et quæcumque ex eis gignuntur vel aluntur, vel per omne quod vobis charum et iucundum (hoc enim significat Hebr. צבי *tsevi*) est in agro, q. d. Si adiurationem hanc meam exsecratoriam violaveritis, o Iudæi, persequendo Ecclesiam et fideles Christianos, fiet ut vobis cervus pereat, steriles sint capreæ, agri pariter lapidescant et sterilescant, ac quod vos seminaveritis, Titus et Romani demetant, denique tota vestra regio vastetur et evertatur, uti de facto contigit.

Mystice Cervi et capreæ, qui?

Mystice, per cervos et capreas accipe vel angelos, qui velut hinnuli mira celeritate per mundi campos, perque

omnes Ecclesiæ angulos discurrunt, propter ministerium fidelium, et salutem electorum, ac in montibus, id est, in cœlis degunt, atque ut capreæ acutissime vident omnia, quæ in Ecclesia geruntur, et fidelibus de omnibus ad salutem opportunis provident. Ita Origenes, Philo Carpath. Nyssen. et alii. Vel prophetas et Patriarchas, ob eminentiam scientiæ et sublimitatem conversationis, qui velut cervi cum B. Virgine montana virtutum conscenderunt. Ita Theod. et Rupert. Vel Apostolos et Doctores, qui cœlestia docent, et homines ad cœlum transmittere satagunt. Ita Aponius. Vel *Sanctas animas exutas corporibus*, ait S. Bernardus, *propter nimium acumen visus, et saltus celeritatem.* Mente enim saliunt in montes cœlorum, et colles æternitatis, ita Rupert. Porro S. Anselmus sic explicat, q. d. Si vultis habere naturas capreæ et cervi, quas habent sancti, adiuro vos, ne peccatis, et inobedientiis vestris animam amore languentem, et in contemplatione persistentem dimoveatis ab illa quiete. Post deinde naturas dotesque cervi et capreæ prosequitur, easque sanctis et contemplantibus adaptat.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Somnus animæ. I. Virtutis studium. ADIURAT Christus quoslibet, ne animæ sanctæ quietem, virtutis studium et profectum, quo contendit in cœlestem Ierusalem, velut eius civis et filia, verbis, vel factis quomodolibet impediant vel interturbent, sed quisque de alterius profectu quasi de suo gaudeat, ait Aponius. Addit Iustus Orgel. hic doceri voluntaria esse debere bona opera, non coacta: *Tunc enim*, ait, *non suscitatur dilecta, donec ipsa velit, quando sanctorum voto voluntate spontanea Domino offeruntur.*

II. Humanarum rerum oblivio. Secundo, somnus animæ est humanarum rerum oblivio, ut tota Deo et cœlo intendat, qualem agunt Anachoretæ, Monachi, et religiosi. Nam ut ait S. Basilius Interrogatione 6. in Regulis fusius disput. *Nihil est sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque a suis ipsius voluntatibus recessio.* Huiusmodi somnum pluriomum amat Deus, edicitque aliis denuntiatione severa, ne ullum ulla ratione perturbent. Quod si per cervos accipias angelos, pia cogitatio est, ait Sanchez, quæ meditatur hac adiuratione id a puellis peti, ne molestiæ aliquid afferant angelis qui magno studio, et fortasse diuturno eo sponsam adduxerunt, ut in sponsi sinu quiescat: neque privent illos et magna voluptate, et sui laboris fructu. Videant hic qui aliis scandalo sunt, quam graviter Deum, a cuius complexu sponsa divellitur, et angelos, quorum etiam opera effectum est, ut aliorum oblita, unum sponsum amet et curet, irritent et offendant.

III. Oratio, meditatio, extasis. Tertio, somnus animæ est oratio, meditatio, contemplatio, extasis. Vetat ergo Christus, ne ab hoc pietatis somno Magdalenam suam, velut otiosam avocet negotiosa Martha. Unde Ioannes Carmel. sic exponit, q. d. *Obtestor vos, Ecclesiæ filiæ, per memetipsum, qui caprearum ac cervorum similis sum, ne animam, quam ego extasi, vel vitali quovis somno ad me rapio, excitare audeatis ad aliorum salutem curandam, quoadusque, iubente me, ipsa velit.* Ita Cassiod. Beda, Anselm. et S. Greg. quem audi: *Cervi et servæ munda animalia esse perhibentur. Quid ergo per cervos et capreas, nisi fidem, et spem, et charitatem accipimus? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsa Christi, a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit, ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, solaque sponsi collocutione, quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in Ecclesia nonnumquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant; quia eius vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant.* Et post nonnulla: *Hi dilectam excitare sub adiurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacandum Deo se accingit et solis spiritualibus studiis inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, et tenebris curarum terrenarum, oculum cordis eius obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur: quia profecto omni perfectæ animæ discernendum est, et quando cœlesti contemplationi studeat, et quando proximorum utilitatibus inserviat. Hanc vacandi Deo licentiam libentissime sponso suscipit, statimque verbum sponsi amplectitur, et dicit: Vox dilecti mei, etc.* Et S. Bern. ser. 51. *Magna*, inquit, *et stupenda dignatio, quod quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper et custodit ab infestantibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionum et molestiis negotiorum, nec patitur omnino suscitari, nisi ad ipsius utique voluntatem.* Idem fuse prosequitur ser. 51. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte* (non tantum iustorum, uti aiebat Balaam Num. 23. v. 10. sed) *etiam si dici potest angelorum, ut præsentium memoria excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, ut opinor, excessus, aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est: corporum vero similitudinibus speculando non involvi, angelicæ puritatis est;* Et post nonnulla: *Erras, si citra invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis; sed da mihi qui illuc pervenerit, et incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat: Convertere anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Ps. 114.

Porro Septuag. vertunt: *Adiuravi vos, filiæ Ierusalem, in virtutibus* (Alii *in exercitibus*) *et in viribus agri, si suscitaveritis et resuscitaveritis eius charitatem, quoadusque velit*, quasi hæc sint verba non sponsi, sed sponsæ, quibus adiuret adolescentulas, ut excitent amorem suum, nec dormire aut torpere sinant quoadusque ipse velit, id est, ut charitatem suam sponsi voluntati subiiciant. Desiderat autem sponsus ab omnibus amari; venit enim ignem mittere in terram, et quid vult, nisi ut accendatur? Lucæ 12. Ita Origenes, Theodoret. et tres Patres. Verum hæc dissonant a Vulgata, æque ac ab Hebræo, in quo liquet hæc esse verba sponsi de sponsa, τὸ *donec velit*, intellige, non sponsus, sed ipsa sponsa. Hoc enim exigit תחפץ *techpats* id est, *volet*, quod est fœmininum.

Quocirca, minus quoque Hebræo et Vulgatæ respondet expositio Pselli, qui Septuag. secutus, censet hic animam sanctam a capreis, id est, ab angelis opem flagitare, ut ad salutem et charitatis perfectionem (quod unice vult Deus) queat pertingere. Et Nysseni homil. 4. qui putat hic significari, quod in charitatis studio imitari debeamus angelos quousque voluntas Dei, quæ est ut omnes homines salvi fiant, impleatur. Et sancti Augustini (vel quisquis est Auctor) in specul. cap. 3. tom. 3. qui censet hic Ecclesiam excitare fideles ad martyrium, qui est apex charitatis, ad quem eos promovere vult Christus. Et trium Anonymorum apud Theodoretum, qui censent hic animam sapientem hortari infirmiores, ut tamdiu Christum mente gerant, donec ipse eisdem claram sui visionem impertiri velit. Et S. Ambros. in Psal. 118. serm. 5. qui opinatur hic dici, quod Christus per incarnationem suscitatus sit in lucem, per resurrectionem vero resuscitatus: unde per capream et cervos accipit ipsummet Christum: *Vel* inquit, *suscitatur Christus in his, qui primum accedunt, resuscitatur in his, qui postquam accesserint, dormierunt: Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis.* — Variæ huius loci expositiones.

Dormit Christus negligentibus. Oratio quietis quæ. Mystici et contemplativi hæc referunt ad orationem, quam quietis appellant, quia in ea omnes animæ facultates quiescunt: in qua, ait B. Teresia, anima miro quodam modo intelligit Deum iam sibi propinquum, et quasi contiguum esse, ita ut levi conatu possit ad divinam unionem pervenire. Oratio ergo quietis est, qua mens quasi

dormit in Deo, sola voluntatis acie fere insensibiliter operante in amente, sicut infans semidormiens sugit ubera matris, quæ si amoveantur, expergiscitur, et plorat, ac ploratu ostendit, quantum bonum amiserit, quod dormiens non æstimare nec sentire videbatur. Tota enim anima intrat in se, seseque colligit circa Deum, ut nec sentire nec audire videatur, esseque dormiens et semimortua, donec ad se redeat; tunc experrecta sentit quantum bonum perdiderit. In hac ergo oratione quasi dormit, et moritur propria mens et voluntas, ac transit in divinam, ab eaque movetur et agitur, sicut qui navigat, movetur non a se (quia quiescit, et subinde dormit) sed a navi quasi quiescens in patriam, et portum optatum vehitur. Talis ergo est quasi puer dormiens in sinu patris; totam enim suam curam et cogitationem Deo relinquit, cui soli inhæret et

A indormit, dicens: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Psal. 4.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Vide Rupert. qui hæc omnia adaptat silentio, contemplationi, et extasi B. Virginis. Rursum hæc adaptat eiusdem fiduciæ et resignationi in Dei providentiam, qua sciens se Deo et Christo Filio suo summe esse cordi et curæ, inter eius brachia, in eius quasi sinu secura quiescebat, et indormiebat, tum in Christi passione et cruce, tum in Apostolorum et Ecclesiæ post Christi mortem persecutione facta per Iudæos, tum in quibuslibet dubiis et adversis.

SECUNDA PARS CANTICI,

QUA DESCRIBITUR ADOLESCENTIA, ET INCREMENTA ECCLESIÆ

Usque ad Cap. 5. vers. 6. sicut Infantiam Ecclesiæ descripsit a Cap. 1. hucusque.

HÆC ADOLESCENTIA ECCLESIÆ FUIT POST PENTECOSTEN, CUM APOSTOLI, RECEPTO SPIRITU SANCTO, PROFECTI AD GENTES, UBIQUE ECCLESIAS FUNDARUNT. VIDE DICTA IN PROŒMIO CAP. 3.

VOX SPONSÆ.

VERS. 8. VOX DILECTI MEI; ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBUS, TRANSILIENS COLLES

VERS. 9. SIMILIS EST DILECTUS MEUS CAPREÆ HINNULOQUE CERVORUM. EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRUM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.

VOX DILECTI MEI; ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBUS, TRANSILIENS COLLES.) Hebr. מקפץ *mekappets*, id est, *contrahens se super colles:* qui enim fortiter et procul salire volunt, membra et vires contrahunt ut validius saliant. Vatablus, *accurrens per colles.*

SIMILIS EST DILECTUS MEUS CAPREÆ HINNULOQUE CERVORUM.) Chald. more suo hæc refert ad liberationem Hebræorum ex Ægypto: « Quando, inquit, habitabat populus domus Israel in Ægypto, ascendit clamor eorum ad cælos excelsos: tunc revelata est gloria Domini Mosi super montem Horeb, et misit eum in Ægyptum, ut redimeret eos, et educeret eos de oppressione subiectionis Ægyptiorum: et abbreviatum est tempus præfinitum propter merita patrum, qui comparati sunt montibus, et diminuit de tempore servitutis centum nonaginta annos propter iustitiam matrum, quæ comparatæ sunt collibus vers. 9. Dixit cœtus Israel: in tempore quo revelata est gloria Domini in Ægypto in nocte Phase, et occidit omne primogenitum, ascendit super fulgur velocissimum, et cucurrit sicut caprea et sicut hinnulus cervorum, et protexit domos nostras. »

Sensus. Sponsa in suo amoris languore delata ad lectulum ibique indormiens, audit confuse et tenuiter vocem sponsi advenientis, et transilientis montes, ut ad sponsam amore languentem festinanter accurreret; quare vox hæc eius fuit eminus missa, ideoque exilis et submissa, uti docet S. Ambros. ser. 6. in Psal. 118. vers. 4. Sive hæc vox fuerit sponsi indicentis adolescentulis silentium, ne quo strepitu sponsam excitent, ut vult S. Gregor. et S. Bernard. sive aliqua alia, ut vult Origenes. Unde vocem dilecti, indicante amore, agnoscens, et exsultans sponsa exclamat: En dilectus meus adest: hæc enim est vox dilecti mei, quam audio, qui ut video summam mei curam gerit, nec aliud agit, quam ut meum amorem, tranquillitatem, pacem, omneque bonum curet et promoveat: quare instar hinnuli et capreæ celerrime transilit montes et colles, ut mihi adsit et succurrat. Ita Ioannes Carmelita; *Vox*, inquit, *dilecti mei, quæ una id poterit, vi sua divina sonuit, et expergefecit me.*

1. Christus salit in montibus tripliciter. Tripliciter hæc gnome potest exponi: Primo de Christi incarnatione, q. d. Ego Ecclesia Christiana, iam nascente Christo, exoriens in B. Virgine, S. Iosepho, Apostolis et discipulis, amore Christi languens et suspirans, ut ipse genus humanum a peccato et morte redimat, incipio iam audire vocem ipsius tum per se prædicantis, tum per Ioannem Baptistam, uti volunt tres Patres apud Theodoret. Huius enim vox fuit vox Christi; unde ipse ait: *Ego vox clamantis,* scilicet Christi, *in deserto: Parate viam Domini.* Isaiæ 40. et Matth. 3. Ecce ergo Filius Dei venit in carne, ut me redimat, sibique despondeat: *Saliens in montibus, transiliens colles.* Per montes et colles omnes angelorum ordines intellige, quos Christus e cælo saliens in terram transilivit, ac sub omnibus se dimisit factus homo, iuxta illud: *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Psal. 8. 3. et Hebr. 2. 7. et ut ait S. Bernard. ser. 55. *Ut hinnulus quippe apparuit parvulus, qui natus est nobis.* Sic et Cassiodor. et Beda: Christus, inquiunt, est hinnulus, quia factus est humillimus inter homines, et ut ait Isaias c. 53. *Novissimus virorum.* Addit S. Anselmus Christum esse hinnulum, quia nulla carnis mole oppressus, et omnibus virtutibus ornatus, sicut hinnulus maculis distinguitur. *Montes angeli.* Idem vero dicitur caprea, ait Iustus Orgelitan. propter similitudinem carnis peccati, quam assumpsit. Aut per montes et colles intellige sanctos Patriarchas et Prophetas: quia per medias generationes plurimas, inquit Titelman. post longam Patrum præcedentium seriem, tandem de virgine natus mundo apparuit. Quasi enim tot montes et colles transiliit, quot ante ipsum præcesserunt diversæ generationes Patrum præcedentium, ex quibus secundum carnem processit. Saliit videlicet a monte illo sublimi, patre fidei nostræ Abraham in filium Isaac, ab hoc in filium Iacob, indeque in alios, et quasi saltibus singulis nostræ mortalitati factus vicinior: tandem manifestus in carne nostra mortali apparuit. Saltus ergo præcipuus, cuius hic fit mentio, ille est Dei ad homines admirabilis descensus, quo Verbum caro, Deus homo factus est, quo Patris sapientia in assumpta servi forma inter homines apparuit. Christus ergo instar fulguris montes, id est, angelos et colles, id est, Patriarchas, et omnes patrum generationes transmittens, ait S. Bern. ser. 54. in purissimum Virginis uterum desiliit, inde salit in præsepe, inde transiliit in Ægyptum, ait Nazianz. inde rediens saliit in crucem: a cruce et sepulcro resiliit in cælum. Audi S. Ambros. in Psal. 118. ser. 6. v. 4. qui ita sponsam loquentem inducit, « Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puto, et ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: Veni; ille salit et transilit: ego rogo eum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta: et dum venit, incrementa gratiæ secum vehit, et veniendo acquirit, quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, ut ascendat ad sponsam. Sponsæ enim thalamus, tribunal est Christi. Salit super Ecclesiam, transilit super Synagogam. Salit super Gentes, transiliit super Iudæos. Videamus salientem. Salit de cælo in Virginem, de utero in præsepe, de præsepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, in cælum de sepulcro. » Et post multa quæ interiicit: « Salit super Ecclesiam, quæ est domus panis, eo quod fidelium corda confirmet. Merito sicut capreola, quia caprea in altis pascitur. Dorcas dicitur a videndo: Dorcadon enim visus acutior est. Quid hoc aptius Christo, qui Patrem vidit, quem vidit nemo? Aut si quis vidit in Christo, ipse Filius revelavit. Merito sicut hinnulus quasi filius, cui paterna inoleverit vis naturæ, ut eum occulta non lateant, serpentes

Salit Christus e cælo in cœnum. fugiant, venena non lædant. » Christus ergo e cælo desilit in salum et in cœnum, e cœno in tartarum, e tartaro deinde in cœnum, et ex cœno resiliit in cælum. Ita Cassiodor. S. Gregor. Beda et alii.

II. Secundo, potest exponi de missione Spiritus sancti in Pentecoste, q. d. Apostoli et fideles post Christi ascensum in cælum, in Sion ob metum Iudæorum reclusi, ac orationi et contemplationi vacantes, in die Pentecostes senserunt Christi advenientis opem et vocem, cum in eos misit Spiritum sanctum. Tunc enim *factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Actor. 2. 2. Quare hoc spiritu armati annuntiarunt, ac superarunt minas Iudæorum ac Pontificum, imo Gentes omnes Christo subiugarunt. Porro cum Spiritu sancto descendit ipse Filius, æque ac Pater in Apostolos: tres enim personæ sibi invicem sunt consubstantiales, et quod una operatur ad extra, hoc operantur et duæ cæteræ. Unde Christus iturus in cælum Apostolis promisit, dicens, Ioan. 14. 18. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos:* scilicet cum Spiritu sancto in Pentecoste, inquit Rupertus et S. Cyrillus l. 9. in Ioannem cap. 45. Denique Spiritus sanctus fuit quasi vox Christi, quæ per os Apostolorum Christi fidem toto orbe prædicavit, et propagavit; unde de eo ait Christus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.* Ioan. 16. 14.

Spiritus sanctus denique fecit Apostolos, montes, et colles, hoc est, omnes itinerum anfractus, omnes difficultates, omnes persecutiones et tribulationes, omnia impedimenta Evangelii transilire, ut Christi fidem et Ecclesiam toto orbe disseminarent. Unde S. Gregor. hic ait, Christum esse similem capreæ salienti in montibus et transilienti colles, quia sanctas omnes patientiæ operationis suæ transcendit, dum se a morte suscitavit, Spiritum sanctum in Apostolos misit, Gentes ad se convertit. Nyssenus, ait Christum salisse super montes, quia dæmones sibi subiecit. Origenes vero, quia omnia regna mundi omnesque reges, quamvis excelsos suæ fidei subiugavit. Theodoretus autem, quia aras et templa idolorum, quæ erecta erant in montibus, evertit. Unde Symmach. vertit: *Ascendens contra montes, exsiliens adversus colles.* Denique Salomon hucusque descripsit infantiam Ecclesiæ, hic vero depingit eius adolescentiam et incrementa usque ad c. 3. v. 6. uti dixi in Procœmio: hæc autem cœpere in Pentecoste, et deinceps magis sunt aucta.

III. Tertio, Christus transilit montes et colles, cum Ecclesiæ in quavis persecutione et adversitate celerrime a cælo instar fulguris adest, consilium et auxilium porrigit, facitque ut ipsa omnia superet et transcendat, iuxta illud Christi promissum ac oraculum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 16. 18. et: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Psalm. 90. 15.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Christus salit in omnes animæ potentias. Christus per sanctas inspirationes salit in animam: montes et colles, sunt animæ potentiæ per Dei gratiam elevatæ, et anhelantes ad cælestia. Primo ergo salit Christus in intellectum, dum quasi sol radios lucis cælestis illi immittit, ut videat quantum bonum, quam utile, quam pulchrum, quam iucundum sit opus virtutis, v. g. charitatis, religionis, contemptus mundi, martyrii, castitatis, patientiæ, humilitatis, etc. deinde ex intellectu salit in voluntatem, stimulos caloris, id est, sancti amoris impulsus illi inspirans, quibus amet et ardenter velit opus virtutis; tertio, salit in phantasiam, et appetitum sensitivum, gaudium spirituale ei immittens, ut non reluctetur intellectui et voluntati, sed potius ei obsecundet, eamque impellat ad opus hoc complectendum; quarto, salit in manus et pedes, omnesque sensus et membra, dum ea impellit ad bonum opus quod mente concepit, licet difficile et arduum, reipsa exsequendum, iuxta illud Isaiæ 40 v. ult. *Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient;* omnes montes et colles, id est, omnes difficultates et impedimenta generose, et alacriter superando, et transcendendo. Audi sanct. Ambros. in Ps. 118. ser. 6. v. 4. « Exultavit tamquam gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius. Ergo et nunc salit, et nunc currit de corde patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentem, de Septemtrione super Meridiem. Ipse est qui ascendit super occasum, ipse super cælos cælorum ad Orientem. Ipse ascendit super montes, ipse super colles. Utinam ego miser dicam; dicat anima mea: Ecce iste advenit, et advenit non super terrena, non super valles, sed advenit saliens super montes. Deus enim Deus montium est. Ubi ergo salit? Super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Isaiam, salit super Ieremiam, salit super Petrum, Ioannem, Iacobum. Montes in circuitu eius. Si non potes mons esse, nec prævales, esto vel collis ut super te Christus ascendat, et si transilit, transiliat, ut te transitus eius umbra custodiat. »

Christus est caprea et hinnulus. Quare Christus, in animam insiliens, *similis est capreæ et hinnulo:* Primo, ob velocitatem suam, quam pariter animæ communicat, dum eam facit velocem in exsequendo pium propositum. Secundo, quia instar capreæ acutissimi est visus, quo omnia circumspicit, et omnia profutura

1. animæ providet, ac obfutura removet, atque ipsi animæ id-

2. ipsum communicat, ut omnia quæ agenda sunt prius exacte prospiciat et circumspiciat. Ita Theod. et S. Bern. ser. 54. Capreæ enim acutissimos habent oculos: unde græce vocantur δορκάδες ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est, a videndo. Ter- 3.
tio, quia sicut cervi halitu suo serpentes e cavernis extrahunt et vorant; unde vocantur ἔλαφοι ἀπὸ τοῦ ἕλκειν ὄφεις id est, ab extrahendo serpente: sic pariter Christus omnes tentationes carnis, mundi et dæmonis, quas ipse animæ suggerit, manifestat, elidit, discutit et perimit. Ita Philo (margin: ἔλαφος unde dicatur.)
Carpath. Quarto, Christus iudex erit quasi caprea, quia 4.
acutissimo visu omnia occulta hominum dicta, cogitata, facta videbit et iudicabit. Unde S. Bernardus serm. 55. « Verum tu qui adventum desideras Salvatoris, time scrutinium iudicii, time oculos capreæ, time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa, et ego scrutabor Ierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si Ierusalem manet scrutinium? » Et post nonnulla: « Vereor dum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ iustitiæ (ut putantur) peccata appareant. Unum est tamen, si nosmetipsos diiudicaverimus, non utique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto divinoque iudicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. » Quinto, 5.
Origenes; Christus, ait, et sancti capreæ sunt in contemplatione; cervi in actione, qua occidunt serpentes, id est, mortificant passiones et vitia. Asserunt, inquit, medici capream iorem intra viscera humorem quemdam, qui caliginem depellat oculorum, et obtusiores quosque visus exacuat. Merito ipsi Christus comparatur, quia non solum videt ipse Patrem, sed et videri eum ab aliis facit, quorum visus ipse curaverit.

Saltus Christi. Audi S. Gregor. hom. 29. in Evangelium: « Ecce iste venit saliens in montibus, veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam ut ita dixerim saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos eius saltus agnoscere? De cælo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cælum. Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam nobis saltus manifestata per carnem ve-

ritos dedit. Quia exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei diceremus ex corde: Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Unde fratres charissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus; nihil nos iam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. »

Moraliter. Moraliter hinc colligit Aponius animam piam in tranquillitate debere semper aurem cordis erectam attentamque habere, ut vocem Christi sive per prædicatores loquentis, sive per se menti bona desideria inspirantis, sollicite excipiat, ideoque orationi vacare ut gratiam impetret, qua illa exequatur et in opus conferat. Nam, ut ait Nyssenus, hæc vox et inspiratio Christi non stat nec permanet, sed instar hinnuli transilit et præterit.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Christus, transiliens montes et colles Patriarcharum, saliit in uterum Virginis, ex eaque carnem suscepit, cum *Verbum caro factum est,* uti iam dixi. Unde ipse ait: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Eccles. 24. Qua in re capreas, id est Angelos, adeoque ipsum Gabrielem nuntium celeritate prævenit, eodem Archangelo testante, inquit S. Bernard. serm. 54. cum ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum. Quid? quem modo reliquisti in cælo, in utero reperis? quonam modo? Volavit super pennas ventorum. Victus es, o Archangele, transilit te, qui præmisit te.* Idem S. Bernard. serm. 4. de Ascensione, docet Christum in variis virtutum montibus saliisse. Ibat, inquit, de virtute in virtutem ut videretur Deus in Sion: hinc in monte Thabor transfiguratus est, in monte elegit Apostolos, et Evangelium promulgavit, in monte pernoctabat in oratione, in monte Calvariæ crucifixus est, e monte Oliveti ascendit in cælum, in montem Sion misit Spiritum sanctum. Rursum Christus salire fecit B. Virginem in montes, cum eam impulit assidue ad excelsos virtutum actus ac nominatim cum eam incitavit ire in montana ad salutandam Elisabeth.

Christus salit in montibus virtutum.

Tropol. Tropologice, S. Bernard. ser. 54. Christus, inquit, salit in montes, id est in humiles: sola enim humilitas exaltat, sola humilitas est mons et vera celsitudo, transilit colles, id est superbos, quos superbia fecit colles, et non montes: *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* 1. Petri 5. v. 5.

Aliter Ioannes Carmelita: Christus, inquit, salit in montibus, cum grandiores charitate visitat; transilit colles, id est non ita sublimes, simili non afficit voluptate, sed eos quasi præterit. Sic et S. Bernard. loco iam citato, ac Cassiod. Beda, Orig. et S. Ambr. l. de Isaac et anima c. 4. *Super maioris gratiæ animas salit,* inquit, *inferioris transilit,* etc. *qui infirmo corde virtutem eius capere non possunt.* Et S. Anselmus: *Saliens in montibus, hoc est,* inquit, *pedes ponens et habitans in perfectis, et etiam eos salire facit sicut Paulum, quem ex persecutore cito fecit summum prædicatorem. Transiliens quoque colles inferiores montibus, in quibus licet Deus non ita saliat sicut in perfectis, transilit tamen eos; quia quamdam cognitionem mysteriorum suorum ostendit eis, licet non adeo plenam.*

Rursum Origenes ait Christum salire in montibus, id est, in Doctoribus et sanctis eximiis, dum in eis per affluentiam doctrinæ, fit *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam,* Ioan. 4. 14. et Cassiod. *In his montibus,* inquit, *saltus dare dilectum, hos transilire colles perhibetur, quia corda sublimium Dominus crebra suæ visitationis gratia solet illustrare; et pulchre non manere in his collibus, sed salire, vel eosdem transilire dicitur; quia contemplationis internæ dulcedo, quantum alta est propter agnitionem rerum cælestium, tantum est brevis et rara propter gravedinem mentium, carnis adhuc mole detentarum.*

Symbolice, Origenes per montes accipit novum testamentum, per colles vetus: in lectione enim S. Scripturæ eiusque meditatione invenitur Christus, atque in mentes insilit. Hinc Philo Carpath. ait Christum saliisse super Prophetas, transiliisse super Apostolos. S. Bernard. vere saliisse in montibus, id est in Angelis, Patriarchis et Prophetis; ac collibus, cum nonnullis e populo apparuit.

Symbolice Montes novum Testamentum.

Anagog. Anagogice, Iustus Orgelit. per vocem Dilecti accipit tubam Archangeli, qui in fine mundi clamabit: *Surgite, mortui, et venite ad iudicium.* Unde Aponius: Christus, inquit, similis est capreæ, quæ in posteriori parte candorem habet, quia in futuro sæculo suam exhibebit præsentiam. Et S. Bernard. serm. 55. Christus, inquit, similis est hinnulo et capreæ propter misericordiam in electos, et iudicium in reprobos; hinnulus enim significat salientis in alta desiderium, caprea, iudicium.

Moraliter. Moraliter discant hic a Christo Christiani instar caprearum ascendere ad montana orationis et virtutum omnium, ac veloces esse, hilares et agiles ad omnem beneficentiam, omneque opus bonum. Nam, ut ait S. Ambros. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia;* ipse enim est ignis consumens: *Qui proinde facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis,* Hebr. 1. 7. Vere Eccl. c. 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi.* Vide ibi dicta.

Vers. 9. EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRUM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.

Pro *respiciens,* Hebr. est מַשְׁגִּיחַ *masghiach,* id est intente, et cum animi observatione prospiciens, hoc est intuens, observando scilicet omnes *sponsæ* gestus, actus, sermones, idque studiose et exacte. Hebr. מֵצִיץ *metsits,* id est, *efflorescens,* vel *instar floris erumpens et emicans,* seseque tenuiter ostendens, et videndum exhibens *per cancellos.* Apte pulchrum sponsi caput, vultus et oculi comparantur flori; quia et caput capillis velut floribus ornatur, et vultus colore est roseo, et oculi in orbibus suis emicant, quasi flores in calyce suo. Nam ut flores, inquit Lyraeus, cum primo erumpunt, lætiores et nitidiores nobis videntur, quam cum foliorum orbem explicaverunt, nec apparent tunc toti, sed capitulorum tantum acumine ostendunt: sic enim flore omnique rosa pulchrior sponsus, caput fenestræ intulisse, et os roseum aperuisse visus est. Sept. vertunt: ἐκκύπτων διὰ τῶν δικτύων, id est, *prospiciens per retia,* id est, per fenestras reticulatas, sive per cancellos. S. Ambros. serm. 6 in Psalm. 118. legit: *Eminens per retia.* S. Hieron. lib. 3. in Ezech. cap. 12. *Apparens per retia.* Significat sponsum, accurrentem ad sponsam, illam per rimas et cancellos domus clare inspexisse, sed ab illa non esse visum, imo illi nonnisi per cancellos obscure se spectandum exhibuisse, ut maiorem sui reverentiam et desiderium in ea excitaret, ac vicissim honeste, modeste et verecunde illi sese insinuaret. Ita S. Bernard. Qui enim per cancellos prospiciunt, clare alios intuentur, sed ab iis non nisi obscure et tenuiter videri possunt. Ita Orig. Unde Arab. vertit: *Prospiciens per rimas.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Hæc gnome in sensu plane cohæret cum præcedenti: unde et in Bibliis eodem versu cum eadem iungitur. Iuxta illam ergo conformiter exponenda est. Igitur Cassiodor. Beda, S. Ambros. S. Gregor. S. Bernard. et alii, qui præcedentem gnomen de Incarnatione Christi exponunt, hanc quoque de eadem explicant: Paries enim Verbi incarnati, sive deitatis est eiusdem humanitatis, quo Deitatem celat, q. d. Filius Dei veniens in carnem, post eam quasi post parietem stans per eius oculos et sensus, quasi per fenestras cancellatas prospicit in Ecclesiam eiusque fideles, ac per eosdem flos et pulchritudo Deitatis eius translucet et emicat, sed tenuiter, obscure ac per partes et quasi dimi-

I. Expositio. Paries Verbi incar.

[Margin: ...nati est humanitas.]

dinta. Quare Christus, qua Deus perfecte, clare et immediate intuetur nos; nos vero eum per umbram dumtaxat, sive per rimas et cancellos, puta per humanitatem Deitatem eius aspicimus. Deus ergo in carne nascens homo fuit מציץ *metsits*, id est emergens, progerminans et efflorescens rosa, quæ sese aperiens et sensim explicans, roseum Deitatis vultum et odorem suavissimum intus latentem quasi per retia cancellorum, hoc est, per operationes *theandricas*, ut ait S. Dionysius, de Divin. nomin. id est, *Deiviriles*, puta ab homine Deo, sive a Verbo incarnato promanantes umbratice ostentabat, cum Christus homo post parietem, id est, corpore intermedio, Deitatem suam abscondebat, ita tamen ut tenuiter et ex parte quasi per cancellos illam conspiciendum exhiberet, uti fecit in Transfiguratione, in miraculis cæterisque operibus divinis. In cælo vero suam divinitatem sine cancellis, hoc est, clare et facie ad faciem beatis videndam exhibebit.

In hac vita ergo cancelli humanitatis lumen et fulgorem Deitatis eius temperabant, ut loqui et agere posset cum hominibus, ne eorum perstringerentur intuitus; sicut Mosi apparuit et Hebræis tectus caligine et columna nubis, Exodi 13. et 20. Ita Cassiodor. cæterique iam citati, ac S. Bernard. ser. 56. qui et explicat τὸ *stat: Stetit*, inquit, *per divinitatis potentiam, qui per infirmitatem carnis occubuit, dicente ipso: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Matth. 26. 41. Audi S. Gregor. hic: *Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit, quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia eius immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum obiecit; et quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem et cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit: sic et Dominus Iesus Christus, dum et miracula per divinitatis potentiam fecit, et abiecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram et cancellos prospexit: quia in alio latens, in alio quis esset apparuit.* Et S. Bernard. serm. 56. *Porro cancellos*, inquit, *et fenestras per quas respicere perhibetur, sensus (ut opinor) carnis et humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanarum necessitatum. Denique languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Humanis ergo affectionibus sensibusque corporeis, pro foraminibus usus est et fenestris, ut miserias hominum homo factus experimento sciret, et misericors fieret.* Et post nonnulla: *Tot autem in nostro rimoso, et pleno rimarum pariete invenit foramina, quot nostræ infirmitatis et corruptionis in suo corpore sensit experimenta.*

II. Secundo, hanc gnomen aptius ad sequentia expones de Pentecoste et adventu Spiritus sancti. Christus enim seipsum, per Spiritum sanctum a se missum Apostolis, exhibebat per linguas igneas quasi per cancellos, per quas ipse Apostolos clare intuebatur; Apostoli vero ipsum obscure.

[Margin: Christus stat post parietem in Eucharistia prospiciens per cancellos.]

Rursum hanc gnomen refer ad Eucharistiam, quæ a fidelibus maxime post adventum Spiritus sancti frequentari cœpit. In Eucharistia enim Christus non solum Deitatem suam, sed et humanitatem per species sacramentales panis et vini quasi per parietem intermedium abscondit, per easque quasi per cancellos clare nos intuetur, non solum oculis mentis, sed et corporis, uti multi Theologi censent; sed per fidem et ænigma dumtaxat videtur a nobis, puta per species sacramentales, ac multo magis per consolationes, illuminationes, et gustus spirituales, quos manducantibus exhibet tantos ac tam sublimes, ut ipsi Christum non tantum oculis cernere, sed et gustu mentis sapere et gustare videantur, uti contigit S. Francisco, S. Monicæ, S. Catharinæ Senensi, et aliis sanctis.

Huc pertinet versio Chaldæi, qui hæc explicat de Agno Paschali; hic enim expressus fuit typus Eucharistiæ: « Et protexit, inquit, domos nostras, in quibus eramus, et stetit post parietes nostros, et prospexit per fenestras, et aspexit per cancellos, et vidit sanguinem victimæ Phase, ac sanguinem circumcisionis, qui impressus erat in portis nostris, et contemplatus est de cælis excelsis; et vidit populum suum, qui comedebat victimam solemnitatis assam igni cum intestinis, et lactucis agrestibus et azymis, et pepercit nobis, et non dedit potestatem angelo dissipatori, ut disperderet nos. »

Tertio, hanc gnomen accipies de quolibet Christi adventu, quo Ecclesiam et fideles, præsertim in persecutione vel tribulatione visitat, protegit, propugnat, illustrat, q. d. Christus post ascensum in cælum amictus lumine gloriæ sicut vestimento, inde quasi per cancellos intuetur Ecclesiam, eique succurrit et de omnibus providet: et ab illa non videtur nisi per effectus gratiæ, protectionis et auxilii. Ita Aponius, qui docet pariter modum, quo Christus Ecclesiæ et animæ afflictæ nunc se ostendit, nunc se abscondit: « Habet, inquit, invisibiles hostes anima, qui eam intra suæ mentis septum invisibiliter et incessanter circumdatam impugnant; quam ita in ergastulo redigunt vitiorum, ut non possit omnino progredi ad viam mandatorum Dei currendam, quousque eius precibus revocatus, veniens quasi occultus stat, et spectet luctamen eius: et non tantum se ostendit, ne omnino fugatis hostibus cessante pugna, otii torpore depereat; sed velut per fenestras aspicit, suæ visionis adiutorium commodando, ut anima vires recipiat resistendi, et hostis impugnatio, diminuto eius terrore, aliquantulum conquiescat; aspicit autem per fenestras, sensus videlicet illius, quibus corporeas peragit cogitationes, si non sunt polluti sordibus. III.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Cancelli hic non solum sponsi, de quibus iam dixi, sed et sponsæ, puta animæ accipi possunt. Christus ergo est velut sol, qui gestit sua luce illuminare, et suo calore charitatis accendere omnes fideles; sed obstat paries, tum carnis, tum concupiscentiæ, et peccatorum nostrorum, qui radios hosce non admittunt; Christus ergo pro immensa sua animarum siti explorat rimas et cancellos, id est occasiones omnes quibus per pias imagines, conciones, sermones, inspirationes in oculos et aures, indeque in mentem penetret, illique suam lucem et calorem instillet. Ita Aponius, Beda, Rupert. et S. Bernard. serm. 56. Audi Origen. hom. 2. ex duabus, qui legens ex Septuag. « Eminens per retia: Ubi, inquit, non prospicit sponsus, ibi mors invenitur ascendens, ut legimus in Ieremia: Ecce mors ascendit per fenestras vestras. Quando videris mulierem ad concupiscendum eam, iam mors ascendit per fenestras tuas. Eminens per retia. Intellige quod in medio laqueorum ambules, et subtus machinas transeas imminentes. Omnia retibus plena sunt. Diabolus laqueis cuncta complevit. Si autem venerit tibi sermo Dei, et cœperit eminere de retibus, dices: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Eminet igitur sponsus per retia, tibi viam faciens. Iesus descendit ad terras, subiecit se retibus mundi. » Similia habet S. Ambr. in Psal. 118. ser. 6. vers. 3. ubi inter cætera ait Christum eminere super retia, id est peccata, quia solus ab iis immunis est, ideoque aliorum omnia dissolvit: « Plena, inquit, erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentem: in via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Et in libro Sapientiæ Sirach moneris, ut cognoscas quia in medio laqueorum ambulas. Quot vitia, tot retia, quot peccata, tot laquei hæreditarii iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Iesus, ut Adam solveret. Venit liberare quod perierat. » [Margin: Mundus laqueis et retibus plenus.]

Hinc S. Antonius vidit totum mundum laqueis obtensum, in quos incidebant animæ a terra in cælum avolantes, iisque capiebantur velut aves et pisces reti; qua de causa ingemiscens et exclamans: *Domine, quis evadat hos laqueos?* Audivit: *Humilitas.* Ita S. Athanasius in eius Vita. [Margin: S. Anton.]

Rursum, sicut parentes et magistri simulant se abire, ac deinde post ostium et parietem se abscondunt, ut per

rimas et cancellos, vel clathros videant quid filii et discipuli agant, cum se liberos, et a nemine observari putant, ac si modestos studiis intendere conspiciant, eos præmiant; sin vero libris abiectis garrire, ludere, pugnare cernant, eos castigant; sic pariter Christus in cœlum abiens, ibi quasi se abscondit, indeque omnia nostra facta, dicta, cogitata per rimas intuetur, ut videns omnes a nemine videatur, hoc fine, ut bene operantes præmiet, male agentes puniat. Insuper Christus animæ subinde se præsentem ostendit per gratiam et consolationem, qua eam mulcet, tumque anima hilariter fertur ad omne bonum; nam ut ait S. Bernard. *Suaviter equitat quem gratia Dei portat*: quandoque vero ab anima quasi abit, seseque absentat, dum eam in mentis desolatione, ariditate, tentatione relinquit, ut videat eius certamen: quod si illam in bono constantem viderit, illico accurrit, succurrit, et consolatur. Sic S. Antonium in atroci cum dæmonibus forma luporum, leonum, tigridum, aspidum et serpentum apparentibus lucta, ad modicum tempus quasi deseruit, sed eo generose certante, illico in luce fulgida apparuit, eoque conquærente se dicente: *Domine, ubi eras?* respondit: *Antoni, ego hic aderam, teque certantem videbam*. Ita S. Athanasius in eius Vita. Sic sanctus Stephanus luctans cum Iudæis, *intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Iesum stantem* (ad pugnandum pro eo) *a dextris Dei*, Actor. 7.

Margin notes: Christus a nobis quasi se occultat aliquando. — S. Antonius.

Mystice. Mystice, Iustus Orgelitanus; Christus, inquit, prospexit per fenestras et cancellos, cum lancea perforato latere, et egrediente ex eo sanguine et aqua, Ecclesiæ contulit Sacramenta.

Symbol. Symbolice, per parietem Origen. Theod. et Philo accipiunt S. Scripturam; per illius enim litteram, quasi parietem cancellatum inspicimus Deum in illa latentem, et loquentem, ac Deus per illam nobis loquitur, nos instruit, consolatur, exhortatur, roborat, etc. Hinc Philo Carpath. per parietem accipit legem, per fenestras Prophetas, per retia Apostolos, quibus dixit Christus: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4.

Rursum idem Origen. et S. Ambros. in Psal. 118. ser. 2. v. 3. per parietem accipiunt structuram bonorum operum, hanc enim occulte Christus intuetur, dirigit, promovet et perficit. Tres Patres vero apud Theodor. per cancellos sive retia accipiunt virtutum connexionem; hæ enim inter se mutuo contextu munitæ arcent volucrum, id est dæmonum ingressum.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

CHRISTUS in utero B. Virginis incarnatus, quasi post uteri parietem aspiciebat ipsam, et ab ipsa contemplabatur et aspiciebatur. Rursum Christus ex utero matris intuitus S. Elisabetham et S. Ioannem Baptistam, eos implevit Spiritu sancto, quo factum est ut S. Ioannes in utero Elisabethæ absconditus, agnoverit Christum in utero B. Virginis latentem, eumque coluerit et adorarit, iuxta illud: D *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*, Lucæ 1. v. 44.

Margin note: Tropol. cancell. compunctio. Fenestra, laus et gratiarum actio.

Tropologice, S. Bernard. ser. 56. per cancellos, qui angustiores sunt, accipit compunctionem; per hanc enim et in hanc respicit sponsus: *Quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit*, Psal. 50. per fenestras vero, quæ latiores sunt vocem exultationis et laudis: *Quod si, inquit, interdum corde dilatato in charitate pro consideratione divinæ dignationis, ac miserationis libet animam laxare in vocem laudis et gratiarum actionem. Puto me non iam angustam, sed amplissimam stanti post parietem sponso aperire fenestram, per quam (ni fallor) tanto libentius respicit, quanto amplius sacrificium laudis honorificat*. Similia habet Theodoretus.

Anagog. Anagogice, Christus in hac vita stat post parietem carnis nostræ, et in morte eo dissoluto clare se animæ nostræ facie ad faciem videndum fruendumque exhibebit. Ita

A Origen. Cassiodorus, Beda et S. August. 13. Conf. cap. 10. Audi S. Bernard. serm. 56. « Peccata nostra, inquit Isaias cap. 59. separant inter nos et Deum. Et utinam unus mihi tantum obstet paries corporis, solumque obiciat id quod est in carne peccatum, et non multæ intersint maceriæ vitiorum! Vereor enim ne etiam præter illud quod in natura est, quam plurima de propria iniquitate adiecerim: quorum a me interiectu nimium elongaverim sponsum; ita ut si verum dicere velim, post parietes magis mihi illum stare fatear, non post parietem. » Et pluribus interiectis: « Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui aspectu et amplexo dilecti unus tantummodo paries obsistebat, videlicet lex peccati, quam inveniebat in membris suis. Ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit donec in carne fuit. Hac sane uno interiecto pariete non longe peregrinabatur a Domino. Unde et optabat clemens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? sciens se mortis compendio continuo ad vitam perventurum. »

B Vers. 10. EN DILECTUS MEUS LOQUITUR MIHI: SURGE: PROPERA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, FORMOSA MEA ET VENI.

HEBR. est: *Respondit dilectus meus, et dixit mihi: Surge tibi, etc. veni tibi*; ubi bis τὸ *tibi* redundat. Sensus enim est; *Surge et veni*. Nota: To *respondit* subindicat sponsam, cum advertisset sponsum stare post parietem, et per cancellos prospicere, submissis verbis, vel nutibus aut gestibus eum invitasse, ut domum ingrederetur, et coram cum ea colloqueretur. Sponsus huic invitationi respondit se nolle domum ingredi, sed potius sponsam ad se foras evocare in agrum et vineam, quod iam ver appetat, in quo omnia vireant et floreant: quare tempus esse rusticandi, vites putandi, grossos colligendi, etc. Porro S. Bernard. serm. 57. *Venit* (sponsus) inquit, *in Angelis, accelerat in Patriarchis, appropiat in Prophetis, adest in carne, respicit in miraculis, alloquitur in Apostolis. Vel sic: Ve-* C *nit affectu et studio miserendi, accelerat zelo, appropiat humiliando semetipsum, adest præsentibus, prospicit in futuros, loquitur docens et suadens de regno Dei. Sic ergo est adventus sponsi*. Pergit deinde S. Bernard. docere quam vigilanter sponsi adventum cum sponsa observare debemus. Qui enim cum Psalte dicit: *Oculi mei semper ad Dominum; et quia providebam Dominum in conspectu meo semper, nonne hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo? Visitabitur profecto frequenter, nec unquam ignorabit tempus visitationis suæ quantumlibet is, qui in spiritu visitat, clandestinus veniat et furtivus, utpote verecundus amator*.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

CHRISTUS sponsam Ecclesiam in lectulo quiescentem, id D est Apostolos, post ascensum suum in cœlum, in Sion reclusos et orationi vacantes in Pentecoste, misso Spiritu sancto, evocat ut foras prodeant, ac Evangelium audacter et alacriter in Iudæa, et deinde per totum orbem prædicent. Ait ergo: Surge e lectulo quietis tuæ, sat lecto somnoque datum, propera ad evangelizandum. *Amica mea*, id est, sponsa mea, *veni* ad proficiendum per Iudæam et ceteras provincias, ut animas mihi lucreris, et omnes gentes ad me, meamque fidem et cultum adducas; convenit enim te mihi sponso tuo esse similem, qui a Patre sum missus in mundum evangelizare regnum Dei, uti prædixit Isaias c. 61. 1. *Spiritus Domini*, inquit, *super me, eo quod unxit me, ad annuntiandum gentibus misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes*. Hoc ergo fuit aureum Evangelii sæculum, quod ferreo legis Mosaicæ ævo iugoque successit, quo proinde in-

Margin note: Christus hic Apostolos evocat ex Iudæa ad Evangelium disseminandum Gentibus.

vitetur Ecclesia, id est, Apostoli, virique Apostolici, ad intrepide et ardenter evangelizandum ubivis gentium.

Apostoli similes columbis.

COLUMBA MEA.) Apostoli evangelizantes comparantur
columbis. Primo, ob candorem, simplicitatem, iuxta illud
Christi: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sic-*
1. *ut columbæ.* Secundo, ob velocitatem, quia celerrime to-
2. tum orbem evangelizando pervolarunt. Tertio, ob fideli-
3. tatem: columba enim columbo suo quasi coniugi associa-
ta, ei fidem servat, nec alium aspicit. Sic Apostoli fuere fi-
deles Christo in fame, siti, persecutione, etc. usque ad mor-
4. tem et martyrium. Quarto, ob fœcunditatem: columba e-
nim singulis mensibus ova fœtusque parit, cum cæteræ a-
ves semel dumtaxat in anno pullos procreent. Sic Apo-
stoli plurimos filios peperere Christo; nam *in omnem ter-*
ram exivit sonus eorum, Ps. 18. Unde eos prævidens Isaias
c. 60. 8. admirans exclamat: *Qui sunt isti qui ut nubes vo-*
lant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Vide ibi dicta.
5. Quinto, columba, puritatis, castitatis et innocentiæ est sym-
bolum. Columba enim cœnum horret, nec aquam bibit ni-
si puram et limpidam. Unde Varro de Re rustica lib. 3. c. 7.
Aquam, inquit, *puram esse oportet quæ influat, unde bibe-*
re et se lavare possint columbæ; permundæ enim sunt hæ
6. *volucres.* Sexto, columba indulgentissima est erga fœtum
et prolem: unde ipsa est viva imago piæ matris Ecclesiæ
erga omnes, præsertim vero erga filios et domesticos fi-
dei, quos genuit per lavacrum regenerationis. Etenim (ut
tradunt ii qui de rerum natura scripsere) columba sese ad
fovendos fœtus etiam explumat. Nam sæviente frigore ni-
dificans, et partum nido immittens, suas plumas etiam non
gravatur evellere, ut parvuli fœtus mollius incubent. Quo
fit ut ipsa sæpe mater gelu contabescat.

Columba se pro pullis explumat.

Idem facit Ecclesia. Audi Paulum 1. Thess. 2. *Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli, facti sumus parvuli in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.*

Apostoli formosi.

FORMOSA MEA.) Apostoli fuere formosi omni gratia, decore virtutum, ideoque evangelizando omnes ad se et Christum pellexerunt iuxta illud: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Roman. 10. 15. et Isaiæ 52. 7. Vide ibi dicta. Præclare S. Ambros. lib. de Isaac et Anima c. 4. *Surge*, inquit, *veni, proxima mea, id est, surge a delectationibus mundi, surge a terrenis, et veni ad me, quæ adhuc laboras et onerata es; quia sollicita es, quæ sunt mundi. Veni supra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum. Veni prope me iam pulchro æternæ vitæ decore, iam columba, id est, mitis et mansueta, iam tota plena gratiæ spiritalis.* Et S. Bern. serm. 47. *Etenim*, inquit, *merito amica dicitur, quæ sponsi lucra studiose ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Merito columba, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens et supplicans, divinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Merito quoque formosa, quæ cælesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horis dumtaxat, quibus commode et opportune id potest.* Deinde has tres dotes docet repræsentari per Martham ministrantem, Lazarum quasi gementem sub lapide, et Mariam contemplantem.

Anagog.

Anagogice, Origen. hom. 4. ex quatuor, et Iustus Orgel. censent hic Ecclesiam in resurrectione et die iudicii a Christo iudice evocari ad cælum, ut ex militante fiat triumphans. Et S. Ambr. in Ps. 118 serm. 6. v. 8. Ita Christum animam a corpore ad se in cælum invitantem inducit: « Surge a mortuis, exsurge a vinculis, quibus circumdata tenebaris; exsurge, quia ego resurrexi tibi. Solve vincula iniquitatis: quia ego iam solvi tibi. Veni, quia iam retia tibi soluta sunt. Virgo peperit, puer natus ex virgine est. Nihil debet muliebri hæreditate, quia quasi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem maceriæ iam solutum, qui internorum affectuum concordiam dividebat; et in diversum excitabat dissensionem corporalium passionum. Veni ergo secura, ut iam me non per retia videas, sed facie ad faciem, vultibus amatoriis dilecto potiaris. »

A 8. Hieronymus describens mortem S. Paulæ in eius epitaphio: « Statim, inquit, ut audivit sponsum vocantem: Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea: Quoniam ecce hiems transiit et recessit, pluvia abiit: sibi læta respondit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit. Et: Credo videre bona Domini in terra viventium. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

PRIMO. Christus animam piam a somno suæ commoditatis, negligentiæ et pusillanimitatis excitat, iubetque surgere, ut sublimiores charitatis et virtutum gradus conscendat, ad altiora tendat, ac semper in Dei gratia, amore et obsequio proficiat. Perfectio enim huius viæ et vitæ consistit in continuo et perpetuo profectu, ut scilicet iustus Deum vocantem sequatur, in diesque magis ac ma-B gis eius puritati ac sanctitati assimilare se conetur, itaque quietem perennem et coronam gloriæ illustriorem mereatur accipere in cælis. *Surge* ergo, id est, attollere, mora surgentis in altiora contende, currens propera, et ut columba in nidum convola per charitatis incrementa. O sponsa vere formosa, cui et virtutum decor et actuum expeditio venustatem conciliant. Gradere et ad me veni, hoc est: *Specie tua et pulchritudine tua prospere procede.* Hoc est quod ait Psaltes: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion*, Ps. 83. 6.

Quo quis sanctior est, eo ad maiorem sanctitatem aspirat.

Quare quo quis sanctior est, eo magis ad maiorem sanctitatem aspirat, et strenue contendit. Signum enim minoris sanctitatis, imo deficientis et pereuntis sanctitatis est, nolle in ea progredi, sed velle in suo statu graduque consistere; quod est impossibile: nam nolle proficere, est velC le deficere, uti docet S. Bern. epist. 254. Unde S. Paulus post tot agones et cursus: *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendisse: unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo.* Et subdit: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et Rom. 12. 11. *Sollicitudine*, inquit, *non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Ita Origen. hom. 2. *Cur, ait, surge? cur propera? Ego pro te sustinui rabiem tempestatum, ego fluctus qui tibi debebantur excepi: Tristis est facta anima mea propter te usque ad mortem: resurrexi a mortuis, fractis mortis ianuis, et inferni vinculis dissolutis. Ideo dico tibi: Surge et veni.* Et Nyssen. hom. 5. *Surge*, inquit, *veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea. Audit iussum, verbo confirmatur, excitatur, accedit, appropinquat. Pulchra redditur, columba nominatur: pulchra, quia appropinquans ad Deum, instar speculi imaginem in se suscepit divinæ pulchritudinis: columba vero, quia pulchra ob susceptam S. Spiritus ima-D ginem. Amica fit anima cognoscendo Deum: formosa, Christi humilitatem servando: columba vero efficitur, quia nihil de terrenis cupiditatibus absque cibo vilissimo indumentoque corporis requirendo, sed semper columbarum simplicitatem tenens, Spiritui S. se consociat.* Et S. Gregor. *Propter fidem*, inquit, *Christus sponsam suam amicam vocat, columbam propter simplicitatem, formosam propter operationem, etc. Hanc itaque hortatur ut surgat et veniat, quia dignum est ut quicumque ad amorem Christi properat, carnis torporem quantum potest, abiiciat et se ad æterna consequenda celeriter accingat.*

Hic anima a contemplatione evocatur ad actionem.

Secundo, Cassiod. Beda, et S. Anselm. censent hic animam evocari ab otio contemplationis ad negotium actionis, a quiete ad luctam et pulverem, a sorte Magdalenæ ad sortem Marthæ, ut proximorum saluti se impendat, illosque similes faciat et ad cælum perducat. Audi S. Bernardum serm. 57. « Denique audit sponsa, ut surgat et properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc si-

quidem vera et casta contemplatio habet, ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo et desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat: et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit, et item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. »

Christus non imperiose mandat, sed suaviter invitat.

Porro notat S. Bernardus serm. 58. non dici: *Vade*, sed *veni* (imo Nyssen. legit, *veni sponte;* licet enim *τo sponte* non sit in Hebræo, tamen subintelligitur) quia Christus non imperiose mandat, sed suaviter invitat ad labores vitæ activæ. Quærit deinde S. Bernardus, cur sponsus, qui paulo ante vetuit sponsam a somno excitari, mox ipse eam a somno excitet et evocet ad labores: sicut Christus in passione modicum indulgens somnum Apostolis longa vigilia gravatis, illico eum abrupit dicens: «Surgite, eamus; ecce appropinquat qui me tradet » Matth. 26. 45 ac respondet: « Agnoscite, inquit, vicissitudines sanctæ quietis ac B necessariæ actionis; et quia non sit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii et operis cogentior urget instantiorque utilitas. Mors igitur suo sponsus ubi dilectam paululum in sinu proprio quievisse persentit, ad ea denuo quæ utiliora visa sunt trahere non cunctatur. Non tamen quasi invitam; nec enim quod fieri vetuit, faceret ullatenus ipse: sed trahi sane a sponso sponsæ est, ab eo accipere desiderium bonorum operum, desiderium fructificandi sponso: quippe cui vivere sponsus est, et mori lucrum. »

Anagog. Columba symbolum contemplationis. Exempla.

Anagogice, columba symbolum est vitæ contemplativæ, cælestis et beatæ. Unde Varro lib. 3 de Re rustica *columbam* dictam censet a *columinibus* (lego cum Aldrovando, *culminibus*) villæ, in quibus degere solet. Hinc in Vita S. Marinæ legimus columbam ei in martyrio coronam imposuisse, ac dixisse: *Pax tibi, ancilla Dei; nunc confide, cælestem coronam accipiens e manu Altissimi.* Rursum angelus specie columbæ animam S. Amatoris detulit in cælum, C uti narratur in Vita S. Germani c. 5. S. Benedictus vidit animam S. Scholasticæ sororis suæ specie columbæ ascendere ad cælum, uti habet eius Vita. Anima quoque S. Spei Abbatis ut columba evolavit ad superos, ut *Deus ex hac ipsa specie ostenderet quam simplici corde ei vir ille servisset*, ait S. Gregor. l. 4 Dialog. c. 40. Sic et B. Beatricem Estensem columba fixo oculo intuita, transitus ex hac vita ad cælestem illi fuit prænuntia, uti refert Bernardus Scardionius in eius Vita. Sic et S. Fabiani capiti columba insidens, eum Pontificatu digniorem, ideoque eligendum denuntiavit. Eadem S. Chrysostomi Missam celebrantis cervici insidens, eius sanctitatem vitamque cælestem declaravit. S. Radegundis invocata a naufragis, columbæ specie navim circumvolitans, eos periculo exemit, ut habet eius Vita. Plura huiusmodi columbarum exempla recenset Aldrovandus in columba pag. 404. et seq. Denique in Christi Baptismo, Spiritus sanctus specie columbæ in ipsum e cælo dilapsus requievit, Lucæ 3.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus censet his verbis significari ingens desiderium Verbi ad carnem ex B. Virgine assumendam, ac proinde iis eam invitari, ut angelo Gabrieli illam annontianti illico consensum præbeat. « Tu, inquit, amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem, etc. Veni ergo, Maria, veni; nam Eva ad latebras fugit. Veni, et crede angelo evangelizanti: nam Eva credidit serpenti susurranti. Veni et contere caput serpentis: nam Eva et capite illecta, et ventre oblectata, et cauda est obligata serpentis. Veni et dic: Ecce ancilla Domini. Nam Eva se abscondens pariter et defendens; Serpens, ait, decepit me et comedi. Hæc est vox dilecti mei, et hoc

Mariæ et Evæ antitheses.

A loquitur mihi: Surge, propera et veni. Surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem. »

Rursum hisce verbis: *surge, propera*, Christus evocat B. Virginem, primo, ut licet gravida, surgat et abeat in montana cum festinatione ad salutandum Elisabeth, eique serviendum. Ad hæc ut contendat in Bethlehem, ibique pariat Christum, utpote in patria Davidis, et in domo panis: Christus enim est panis Angelorum æque ac hominum.

Denique hisce verbis multi censent Christum suavissime matrem in morte invitasse ad se in cælum, quare ipsam non dolore, sed Christi desiderio et amore sanctissimam animam efflasse.

Vers. 11. Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.

Vers. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra.

B Est periphrasis veris et vernæ amœnitatis, ad quam sponsus sponsam e lectulo evocat in agros et vineas ad earum culturam. In vere enim hiems cum suo frigore, nive, gelu et imbre transiit, flores apparent, putantur vites et frutices, turtures, cæteræque aves cantillant: turtures enim tota hieme ita in antris se abdunt, ut nemo sit, qui in hieme turturem se vidisse asserat, teste Aristot. lib. 8. hist. Anim. cap. 16. quare ubi turtur apparet, certum est signum transiisse hiemem, et incipere ver: simili modo ver pingit Ovidius lib. 1. Fastor.

Turtur, signum veris.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit et in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit et in pratis, luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

Indicia veris.

C Flores accipe non vitium, sed violarum, hyacinthorum, tuliparum, etc. Vites enim non florent, antequam putentur. Hebr. enim est נצנים *nitsanim*, quæ vox non tantum *flores*, sed et prima germina, sive primas baccas et gemmas ex stirpibus et fruticibus progerminantes significat, quales hic etiam in vitibus accipi possunt. Pro *putationis* Hebr. est זמיר *zamir*, quod Vatablus, aliique Hebraizantes vertunt, *cantillationis;* in vere enim cantillant philomelæ cæteræque aves. Radix enim זמר *zamar* proprie significat putare, sive incidere vites et arbores: inde per metaphoram transfertur ad incisionem musicam, sive ad cantum, quo voces certis flexibus, numeris et tonis inciduntur, ut modulationem gratam auribus exhibeant; unde מזמור *mizmor* vocatur Psalmus et psalmodia: hinc et Arabes *zambra* vocant chorum canentium. Verum Noster melius vertit, *putationis*, tum quia cantillationem avium sat significat *vox turturis;* tum quia *putationis* vertunt Septuag. Chald. Aquila et Symmach. tum quia sponsa invitatur hic ad culturam vitium, puta ad putationem, ut D copiosas uvas et vina proferant: tum denique, quia videmus initio veris putari vites ante æquinoctium vernum, antequam gemmescant et floreant, idque vinitori faciendum esse docet Plinius lib. 18. c. 26. *Putationem*, inquit, *æquinoctio peractam habeto*; additque id faciendum, antequam canere incipiat cuculus: cuculus autem canit initio veris, teste Aristot. l. 9. Histor. animal. cap. 49. Unde Oppianus cuculum appellat *primum veris nuntium*. Et Columella libr. 4 de Re rustica cap. 10. et 14. *Putandi*, inquit, *duo sunt tempora; melius autem (ut ait Mago) vernum, antequam surculus progemmet; quoniam humoris plenus facilem plagam, et levem et æqualem accipit*, nec *falci repugnat.*

Vites initio veris putandæ.

Cuculus primus veris nuntius.

Porro noster Sanchez putationem hanc accipit non vitium, sed balsami. Arbuscula enim balsami osse vel vitro incisa stillant opobalsamum suavissimum et odoratissimum, teste Plinio lib. 12. c. 25. et Hegesippo lib. 4. 47. Salomonis enim vineæ præstantissimæ erant in agro Engaddita-

no, in quo solo olim inveniebatur balsamum; putationem vero accipit pro ipsa lacryma seu gutta, quæ putando defluit, puta pro ipso opobalsamo metonymice. Hoc autem stillat non initio veris, sed adulto vere, puta sub solstitium, cum incipit æstas. Id recte competit Christo, qui opobalsamum doctrinæ, charitatis et sanctitatis stillavit in vita, ac sanguinis et aquæ, quibus abluimur in cruce. Unde Eccli. 24. 21. ait: *Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

Verum hic videtur agi de initio veris, cum primum transiit hiems et imber, cumque turtur et aves canere incipiunt; quare potius simpliciter putatio vitium et fruticum hic accipienda videtur. Fateor tamen hic ver non tantum incipiens, sed et proficiens ac adultum, ipsamque æstatem accipi. Nam Apostoli, qui hic notantur, cœperunt prædicare post Pentecosten, uti iam dicam.

Chaldæus, de more referens hæc ad Iudæos ex Ægypto liberatos, sic vertit: « Quoniam ecce tempus subiectionis, quod simile est hiemis, cessavit; et anni, quos dixi Abrahæ inter divisiones, abbreviati sunt; et dominium Ægyptiorum, quod comparatum est pluviæ continuæ, transivit et abiit, et non addetis ultra videre eos usque in sæculum. Vers. 12. Moyses autem et Aaron, qui comparati sunt ramis palmarum, apparuerunt, ut ederent miracula in terra Ægypti; et tempus putationis primogenitorum advenit; et vox Spiritus sancti redemptionis, quam dixi Abrahæ patri vestro. Iam enim audistis quid dixerim ei, et etiam populum cui servituri sunt, iudicabo ego, et postea egredientur cum substantia magna; et nunc volo facere quod iuravi ei in verbo meo. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Hiems, rigor legis Mosaicæ. Imber errorum et vitiorum. CHRISTUS sponsus Ecclesiam primitivam quasi sponsam, puta Apostolos in Pentecoste recepto iam Spiritu sancto avocat, ut vineas, id est, Ecclesias Iudææ ac cæterarum gentium excolant. Dicit ergo: Iam hiems, id est, rigor et timor legis Mosaicæ, inquit Origen. Theodor. et S. Gregor. ac frigus geluque infidelitatis gentium transiit, imber errorum et vitiorum abiit, quia sol vernus, puta Spiritus sanctus, illuxit, qui calore suo tam hiemem, quam imbrem fugavit, ac flante Austro gratiæ suæ flores sanctorum, uti fuere primi credentes, ac martyrum, ut SS. Innocentium, S. Iacobi, S. Stephani, et sociorum produxit in terra nostra: tempus ergo putationis advenit, quo vos, o Apostoli, Iudæorum et gentium ignorantiam et infidelitatem, omnemque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputetis, ut fructus bonorum operum proferant.

Turtur fuit Ioan. Baptista. VOX TURTURIS AUDITA EST IN TERRA NOSTRA.) Turtur hic solitarius, pudicus et gemens fuit S. Ioannes Baptista, ait Nyssenus, cuius vox et vita non aliud fuit quam gemitus et prædicatio pœnitentiæ: *Pœnitentiam*, inquit, *agite; appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. et Lucæ 4. Ioannes ergo fuit finis legis veteris, et exordium Evangelii, iuxta illud Christi: *Lex et Prophetæ usque ad Ioannem; ex eo enim regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit*, Lucæ 16. 16. Rursum vox turturis fuit prædicatio S. Petri et Apostolorum. *Et Apostoli.* Unde, ea audita, Iudæi pœnitentes de Christi a se occisi nece, dixerunt: *Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti*, Act. 2. 37. Idem dixit Cornelio Centurioni, qui primus e gentibus ad Christum a S. Petro conversus, ostium aperuit Apostolis ad obeundum convertendumque omnes gentes, Act. 10. 42.

Ver Evangelii. Tempus ergo legis novæ fuit ver Evangelii, quo Christus quasi sol calore gratiæ suæ omnem infidelitatis et concupiscentiæ hiemem discussit, floresque et fructus bonorum operum produxit: unde tunc apparuerunt flores martyrum, putationes, id est mortificationes et austeritates religiosorum et anachoretarum, turtures viduarum et virginum, quæ se Christi amore castraverunt propter regnum cælorum. Turtur enim castitatis est exemplar, ait Aponius, S. Bernard. et alii. Imo S. August. homil. 33. inter 50. et S. Hieron. l. 1. contra Iovin. et S. Ambros. lib. de Isaac. c. 4. *Ubi*, inquit, *ante impudicitia, ibi castitas.* Ita quoque Cassiodor. Beda, Ansel. Rupert. et alii. Porro per flores Origen. accipit quoslibet credentes, Aponius innocentes pro Christo occisos, S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 6. Apostolos: *Boni flores*, ait, *Apostoli, qui diversorum scripturarum atque operum suorum fuderunt odorem.* Per turturis vocem accipiunt Apostolorum prædicationem Cassiod. Beda et Rupertus; Pauli, Philo Carpathius; Christi, S. Cyrillus l. 15. de Adoratione; Ecclesiæ, Gregorius.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

PRIMO, Christus animam peccatricem evocat ad pœnitentiam et iustitiam, dicens: Surge e lecto peccati; iam enim hiems peccatorum, et imber concupiscentiæ transiit; illuxit enim tibi gratia mea, quæ te amore calefaciat, ac pœnitentiæ virtutumque flores et fructus producat, ut fias formosa instar columbæ Deo tuo. *I. Sensus de anima pœnitente.*

Tres hic Pœnitentiæ actus pulchre adumbrati. Quare notantur hic tres actus pœnitentiæ, puta contritio per flores; confessio per vocem turturis; satisfactio per putationem; contritionis enim actus est quasi emicans flos fidei, spei et charitatis, ex quo nascitur fructus iustificationis. Vox turturis est confessio gemebunda pœnitentis; putatio est satisfactio, quæ per ieiunia, lacrymas, aliaque opera pœnalia castigatur præterita culpa, et futuræ occasio amputatur et succiditur.

Turtur pœnitentiæ symbolum. Hinc fit quod turtur sit pœnitentiæ symbolum; nam post mortem coniugis perpetuo gemit et mœret; quare numquam in viridi ramo uti ante, sed semper in arido residet, numquam in aqua seipsam inspicit, ne comparis sui mortui imago, et memoria sibi occurrat; nec aquam claram et claram uti ante, sed turbidam et limosam bibit, imo aquam limpidam pede turbat antequam bibat, uti tradunt Physici, et ex iis Sanchez. Unde Baptista Mantuanus:

Sicut ubi amisso thalami consorte, per agros
Sola volat turtur, nitidis nec potat in undis,
Ne comitis prisci tristetur imagine visa
Nec viridi posthac fertur considere trunco.

II. Anima sancta. Secundo, Christus avocat animam sanctam ab otio et torpore, ad studium virtutis et bonorum operum, scilicet ut producat flores eleemosynæ, putationem ieiunii et mortificationis, ac vocem turturis, id est, orationem et meditationem, item pios gemitus, et suspiria ex corde devoto, et amoris pleno instinctu columbæ, id est, Spiritus sancti manantes, de quibus ait Apostol. Rom. 8. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Unde S. Bern. ser. 59. *Vox turturis*, inquit, *quare non turturum? Forte Apostolus solvit, ubi ait: Quia ipse spiritus postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Ita est, ipse inducitur gemens, qui gementes facit, et quamvis multi sint, quos ita gemere audias, unius per omnium labia vox sonat.*

Turtur silentii et solitudinis symbolum. Addit turturem notare amantes silentii et solitudinis, et consequenter orationis et gemitus; turtur enim amat solitudinem. In solitudine enim Christus loquitur ad cor, ait Origen. imo Osee cap. 2. Porro quomodo mortificationes iugi et continue, mortificandæ sint cupiditates, ex insita natura corrupta semper repullulantes, pulchre docet S. Bernard. serm. 58. Insuper ut ait S. Ambros. lib. 2. Apol. David. c. 3. *Est hiems non temporis, sed mentis, quæ agrum animæ fœcundum omni flore despoliat, quando anima frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat in mentem, quando interior caligat aspectus.* Hiemem hanc graphice depingit Nyssen. hom. 5. ubi et ait animam sanctificatam per Christi gratiam proferre flores virtutum, fructum vero prolaturam in tempore suo. Sic et Cassiod.

Origen. Bede, Ansel. Bernard, per flores accipiunt virtutes, puta virtutum primordia.

III. *De suspirante ad Deum.* Tertio, vox turturis est gemere, et gemendo suspirare ad Deum. Unde Virgil.

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

Turtur enim castissima, assidue perstans in gemitu, defuncto compare suo, perseverantis amoris simulacrum est, ut docet S. Basil. homil. 8. Hexam. S. Ambros. lib. 5. Hexam. 13. ac Nazianz. Orat. ad Virginem, ait:

—Turtur viduata marito,
Extinctum assiduo gemitu luctuque requirit.
O vere sapiens volucris!

Ita ad Deum gemit, suspirat et anhelat S. August. in Meditat. præsertim cap. 36. ubi inter alia ait: « Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem iugiter emanantem, ut ipsæ quoque lacrymæ, tuum in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se a lacrymis continere, etc. Da mihi irriguum superius, et irriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. »

Anagog. Anagogice, evocatur hic anima sancta, ab exsilio huius vitæ ad cœlestem patriam et gloriam; dicit ergo ei Christus: Veni in thalamum meum, sponsa mea, o anima sancta, iam hiems torpidæ mortalitatis transiit, imber fluxæ concupiscentiæ, æque ac ærumnarum, persecutionum, angorum, sollicitudinum, quæ in hanc vitam assidue, quasi imber e cœlo in homines copiose depluunt, iam abiit et recessit; flores cœlestis gloriæ iam apparent, tempus putationis, quo scilicet omnes vitiorum et miseriarum radices per mortem a te amputentur, advenit; vox turturis, qua ingemiscens ad hanc redemptionem corporis tui multoties suspirasti, exaudita est; veni ergo, ingredere in locum gloriæ et beatæ immortalitatis. Ita S. Gregorius: *Flores*, ait, *apparuisse in terra dicuntur, quia sanctæ animæ cum a corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hiems fuerit, a bono opere non torpuerunt; mox ut recesserunt in terra viventium, gloriose floruerunt. Bene ergo sequitur quod dicit: Tempus putationis advenit, quia quo amplior electorum numerus in cœlo congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tamquam sarmenta, inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur.* Et paulo post: *Quid per turturem, nisi Ecclesia? Quid per terram sponsi, nisi vita illa beata designatur? Sed vox turturis in terra sponsi audita esse dicitur, quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, a Christo in cœlo clementissime exauditur.* Sic et Origen. Iustus Orgelit. Theodor. et alii qui per hiemem accipiunt perturbationes et tribulationes huius vitæ, per imbrem, vitiorum procellas. Addit S. Greg. hom. 16. in Ezech. flores esse cœlestis gloriæ prægustus, quos sancti in hac vita, ac præsertim in morte a Deo hauriunt: *Tunc*, ait, *apparent flores in terra, quia cum de æternæ beatitudinis vita, quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi iam in floribus odoratur exiens, quod postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit.*

Porro S. Ambros. ser. 6. in Psal. 118. pro *tempus putationis* legit *tempus secandi, quo matura*, inquit, *in horrea frumenta conduntur, et qui metit mercedem accipit.* Unde et Philo Carpath. ait hoc esse tempus mortis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Initio veris, puta die 25. Martii sub Æquinoctium angelus Gabriel annunciavit B. Virgini Christi conceptionem, illaque præbente consensum, Verbum caro factum est. Tunc ergo longa hiems Prophetarum et legis durissimæ transiit, abiit imber peccatorum, iræque et minarum Dei, ac ver iucundissimum vernans floribus gratiæ, reconciliationis, et remissionis peccatorum, ac apertionis cœli apparuit, cum ortus est Sol iustitiæ Christus Dominus; tunc pariter fuit tempus putationis, id est gratiæ et pœnitentiæ, per quam amputantur pravæ peccatorum consuetudines et noxiæ concupiscentiarum delectationes præciduntur; per illam enim fit spiritualis circumcisio in spiritu, cuius illa Iudæorum in carne circumcisio typus fuit et umbra, Rom. 2. Tunc vox turturis, id est castissimæ Virginis suspirantis ad Christi incarnationem audita est: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Lucæ 1. Ita Rupertus. Rursum vox turturis fuit exsultatio Ioannis in utero matris, cum illa a B. Virgine iam a Christo gravida salutaretur, Lucæ 2. Ad hæc vox, turturis fuit vox Annæ viduæ, quæ 85. annorum non recedens a templo, loquebatur de Christo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel, ait Iustus Orgelit. Possunt quoque flores Iudææ nuncupari Christus, ait Origen. ut Ioannes in utero matris iam concepti.

Insuper Patres censent hic describi tempus felicissimum, quo Christus in carne (caro enim et humanitas Christi, est primaria hic sponsa Verbi, ut dixi in Procemio c. 2.) cum Iudæis conversatus est ac in vere, puta in Paschate passus est et resurrexit. *Ver. tempus vitæ Christi.* Ita Cassiod. Beda, Origen. Theodor. Nyssen. Philo, Aponius, Rupertus, Bernard. ser. 58. qui docet tempus hiemis fuisse Apostolis, a passione Christi usque ad adventum Spiritus sancti, qui hiems, id est, timoris et torporis frigus suo charitatis ardore resolvit, et in ver, æstatemque divinam convertit; per imbrem vero accipit Iudæorum blasphemias, Pharisaicas traditiones, Philosophorum loquacitatem, Hæreticorum erroneas doctrinas, et omnes turbulentos spiritus: *Christus*, ait S. Bernard. *ut flos e terra surrexit et apparuit, et cum illo multa corpora sanctorum, ut multi flores surrexerunt et apparuerunt multis.* Unde Poeta Christianus ver naturæ et Christi ita depingit:

Vere pubentes renovantur agri,
Pampino gemmæ redeunt, viretque
Frons in arbustis, iuvenescit omni
Gramen in horto.
Verna tempestas viget ante tempus,
Omne ver anni decus et venustas,
Ver et acceptum superis, origo est
Rebus et horis.
Nuncium cœli Deus ad Mariam
Vere dimisit, cruce tunc et hostes
Vicit infernos: Lachesique ferrum
Christus ademit.

Denique Hugo Victor. ser. de Assumpt. B. Virginis sub finem tom. 2. docet vocem turturis esse vocem amoris, quo æstuabat B. Virgo: « Vox turturis, inquit, amori canit et dilectioni, et habet singularem dilectionem turtur cui canit vel præsenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, et non novit aliud præter amorem turtur; et illi singularis amor est, qui soli non adiungit alterum: et æternus, qui nec primo secundum. Ergo vox turturis amori cantat, et amoris canticum est vox turturis; et ardent corda ad vocem turturis; unum est quod sonat vox turturis, et semper illud sonat et resonat, et non fastidit umquam. Semper idem canit, qui semper idem diligit. Et quis dignus erit audire vocem turturis? In solitudine canit, et semper solitudinem diligit turtur, quia singularem dilectionem quærit. » Et paucis interiectis: « O speciosa inter filias Ierusalem, audisti vocem turturis, audisti et intellexisti. Intus loquebatur, et tu intus eras, ideo audivisti et intellexisti, et dixisti: vox dilecti mei. Intellexisti enim quia vox dilecti erat, et de dilectione erat; non enim intellexisses nisi dilexisses, quia dilectionis verbum erat, et non poterat nisi a diligente intelligi. Dilectus loquebatur, et dilecta loquebatur, et dilectio commendabatur. Quia ergo vocem dilecti audisti, et dilectionem intellexisti: Ne differas ultra. Surge velociter. »

Vers. 13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum: surge amica mea, speciosa mea, et veni.

Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes (Symmach. *vitium flos dedit*) dederunt odorem suum:

SURGE AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.) Septuag. *Arbor fici produxit germina sua, vites florentes dederunt odorem suum.* Pro *florentes* græce est, κυπρίζουσαι, id est *cyprisantes*, hoc est, instar cypri florentes et redolentes. Grossi vocantur primæ ficus, qui quandoque immaturi decidunt, sed dant specimen et spem maturitatis et perfectionis cæterorum; quandoque maturescunt, suntque dulces et suaves, teste Columella l. 5. c. 10. grossos ergo hic intellige deciduos, vel potius maturescentes. Hebr. enim est פג *pag*; unde Latinum *ficus*; *pag* autem nonnulli Hebræi derivant a פנק *panac*, elisa media *Nun*, id est *deliciatus est*: ficus enim recentes sunt deliciæ oris et stomachi, præsertim grossi, sive primæ maturæ, de quibus Mich. cap. 7. dicitur: *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* Pro *florentes*, Hebr. est סמדר *semadar*. Quod significat florem, sive folliculum vitis, cum iam granescere incipit, ac minuta uvarum grana producit. Ecce quod vers. præcedenti dixi hic notari ver non tantum incipiens, sed et proficiens sive adultum. Nam ficus proferunt grossos et vineæ florent ac granescunt vere adulto. Nominat præ cæteris arboribus ficum, et vitem, quia harum fructus, puta ficus et uvæ sunt suavissimi et præstantissimi; omnis enim fructus aliarum arborum habet aliquid aquosi, crudi et incocti, sola ficus ob calorem nihil habet crudi, sed omne maturum et percoctum; nec lapillos aut nucleos habet ullos, sed merum succum, edulem, et sacchareum, sive melleum: unde ille ficum aiebat esse bursam mellis. Hisce fructibus sponsus invitat sponsam e lectulo in agrum et vineam.

Ficus etymon.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

APOSTOLIS in vere, puta in Pentecoste, et deinceps prædicantibus, ficus protulit grossos, id est, multi Iudæi ad Christum conversi sunt, et vineæ florentes, id est gentes credere incipientes, dederunt odorem sanctæ vitæ, famæ et exempli suum, indeque spem magnæ fertilitatis, puta conversionis omnium omnino gentium. Porro sicut grossi nonnulli maturescunt, sed perplures immaturi decidunt; sic pauci ex Iudæis in fide fuere constantes; perplures enim ex eis a fide defecerunt, et in Iudaismum relapsi sunt; multos enim ex turba Christus prædicando convertit, sed maior eorum pars ob metum Pontificum et Scribarum defecit, præsertim dum vidit Christum pati, crucifigi, et mori. Similiter Ioannes Baptista multos Iudæorum sua austeritate et efficacia prædicandi convertit, sed multi ex iis in pristina scelera relapsi sunt. Unde Christus Ioannis 5. loquens de Ioanne: *Ille*, ait, *erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*, quasi horariam significans fuisse eorum conversionem. Quosdam vero ipsemet Ioannes arguebat non sincere credentes: *Progenies viperarum*, inquiens, *quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, etc.*

Porro de iis, qui Christo prædicanti crediderunt, quam pauci permanserint fideles, vel ex eo liquet, quod eo adhuc prædicante, multi discipulorum abierunt retro, ita ut conversus diceret ad duodecim: *Numquid et vos vultis abire?* In passionem quoque traditus, etiam ab his ipsis duodecim fuit derelictus, et fere ab omnibus abnegatus, inclamante fortiter universa multitudine Iudæorum ante faciem Pilati: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum. Sanguis eius super nos, etc.* Matth. 26. Denique quam fuerit immaturus ille Iudaicæ pœnitentiæ fructus et grossus, liquet ex eo quod ait Paulus Iudæis: *Vobis oportebat primum loqui regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, convertimur ad Gentes.* Actor. 13. 46. At vero florentes vineæ odorem suum dederunt gratissimum, quoniam videlicet Gentium populi per orbem universum dispersi, qui usque ad Christi adventum infructiferi, quasi in hieme quadam idololatriæ perpetua fuerant, ad prædicationem SS. Apostolorum statim florere

A cœperunt, ac florendo odorem suavissimum gratissimumque in naribus Domini Sabaoth effudere, qui proinde halitu virtutis et famæ suæ, omnia holocausta et thymiamata legis veteris longe superavit. Ita S. Greg. Nyssen. Cassiodor. Beda, Philo, Anselm. Rupert. et S. Bernard. Idipsum facto repræsentavit Christus cum esuriens quæreret ex ficu fructus, nec inveniens illi maledixit, dicens: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuo ficulnea.* Matth. 21. 19. ficulnea enim hæc, æque ac illa, quam herus ob sterilitatem iussit succidi Lucæ 13. 6. repræsentabat Synagogam, puta Iudæorum in fide ariditatem et reprobationem, uti docet S. Hieronym. Gregor. Hilar. cæterique Patres Græci et Latini unanimi consensu.

Audi S. Ambrosium l. 7. in Lucam c. 13. ficum comparantem cum aliis arboribus: « Aliæ, inquit, florem ferunt antequam fructum pomaque ventura prænuntio sui flore designant; hæc sola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos decutitur, et poma nascuntur; in hac poma deB cidunt, ut poma succedant; ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergunt. » Deinde idipsum Iudæis et Gentibus applicans: « Specta nunc, inquit, cultus et animos Iudæorum qui quasi primi fructus male feracis Synagogæ, grossi labentis similitudine corruerunt, ut mensura supra ævum nostri generis poma succederent. Etenim primus Synagogæ populus, quasi radice operum infirmus arenti, ubertatem sapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, ut quasi ex iisdem claviculis arboris fructuosæ de pinguedine religionis antiquæ, novus Ecclesiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat, esse desivit, ut iste inciperet qui non erat. Primi tamen ex Israel, quos naturæ validioris ramus extulerat sub umbra legis et crucis, in utriusque sinu, succo gemino colorati, grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur: Sedebitis super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel, » Matth. 19.

C Huc pertinet expositio S. Anselmi: Ficus protulit grossos suos, id est, ait, legis veteris præcepta, velut fructus inutiles deciderunt. Nam, ut ait S. Bern. ser. 60. *Et vere quid non grossum in gente illa? Nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris erat totus, intellectus in crassitudine litteræ, cultus in sanguine pecudum et armentorum.* Subdit deinde perfectam fuisse a Synagoga Iudæorum hanc grossorum productionem: *Cum Christum occidit, tunc completa est malitia eius, iuxta quod ipse eis prædixerat: Implete mensuram patrum vestrorum. Unde in patibulo traditurus iam spiritum, consummatum est, inquit. O qualem consummationem dedit grossis suis ficus hæc maledicta, et subinde æterna ariditate damnata!* Et pluribus interiectis: *Ex tunc itaque dici potuit, quia ficus protulit grossos suos, cum iam videlicet legitima illius populi esse cœperunt quasi in exitu super summum, ut novis (iuxta veterem prophetiam) supervenientibus vetera proiicerentur. Non aliter sane quam quoD modo grossi cadunt, et cedunt, suborientibus ficubus bonis.* Subdit deinde S. Bernard. Sicut vineæ florentis odore fugantur serpentes, sic fervore primorum Christianorum fugatos esse dæmones; additque: *Cæterum si vinea anima, flos opus, odor opinio est, fructus quid? Martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyris.* Sic et S. Gregorius: *Ficus, ait, protulit grossos suos, quia S. Ecclesia martyres suos ad æternam patriam præmisit.* Sic et Aponius.

Symbol. Ficus est Christus et Crux.

Symbol, ficus est Christus et Christi crux. Primo quia
ficus ramos et folia habet rara, vaga et vilia; ita Christus
et crux specie externa, mundanis vilis fuit et despectus. 1.
Secundo, quia ficus nullos flores emittit, sed pro floribus 2.
illico dat fructus, eosque dulcissimos; sic Christus illico 3.
dedit suavissimos fructus, cum Iudæos et Gentes salvavit.
Tertio, quia multi censent pomum vetitum, quod comedit
Adam, fuisse ficum. Ita Theodoret. Gennad. Isidor. et alii
quos citavi, Genes. 3. Decuit ergo Christi crucem, vel fieri

Multi censent pomum Adamo

Notum, fuisse ficum. ex ficu, vel ea significari, ut ficus quæ mortem dederat inobedienti Adæ filiisque posteris, vitam daret obedienti Christo et Christianis. Hinc Bellonius, qui terram sanctam et totum Orientem peragravit l. 2. Observ. c. 88. subindicat materiam crucis Christi fuisse ficum, quod hæc arbor frequens in Palæstina, frequens quoque esset in fabrorum officinis, licet alii aliter sentiant, uti dicam c. 7. 8. Vites sunt Apostoli, quia vites e toto orbe transplantatæ, copiosas uvas et vinum conversionis Gentium Deo et Christo protulerunt.

Materia crucis Christi fuit ficus ex quibusdam

Grossi, dignitates Ecclesiasticæ. Symbol. rursum S. Bernard. in Declam. per grossos accipit dignitates Ecclesiasticas, quas multi ambiunt; sed vane, quia grossi sunt mox casuri: « Ficus, inquit, protulit grossos suos, quos videlicet, persecutione cessante, inclyta facta sit Ecclesia, posita in superbiam sæculorum. Quam sane excellentiam et sublimitatem dignitatum congrue satis grossum vocat, ut futura in his moneat quam præsentia cogitare; grossi enim præsagia sunt futurorum fructuum; quia quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Ficus et vitis fideli cuilibet excolenda, est anima: hæc enim, si rite colatur, dabit ficus suavissimas mansuetudinis, patientiæ, eleemosynæ, suavitatis morum et sermonum; ac uvas, vinumque charitatis, quod mentem accendit et Dei amore inebriat. Hinc illud Prov. 27. 28. *Qui servat ficum, comedet fructus eius.* Vide ibi dicta. Audi S. Bernar. serm. 60. *Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis est, et ficus nos habere et vineas. Ficus quidem, quia suaviores in moribus sunt; vineas vero, quia spiritu ferventiores. Omnis qui se inter nos communiter socialiterque agit, et non solum sine querela conversatur inter fratres, sed et multa cum suavitate fruendum se omnibus præbet in omni officio charitatis, quidni illum vicem agere ficus convenientissime dicam?* Et pluribus interiectis: *Iam qui vineæ sunt, severiores nobis quam suaviores se exhibent, in spiritu vehementi agentes, zelantes pro disciplina, vitia acerrime corripientes, aptantes sibi congruentissime vocem suam; Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Item, Zelus domus tuæ comedit me, et mihi quidem illi in dilectione proximi, isti in dilectione Dei eminere videntur.*

Ficus sunt mansueti, vineæ sunt zelosi.

Grossi, primi animæ fructus fidei. Generalius Theodoretus per grossos accipit primos animæ fructus fidei, quos sequuntur fructus bonorum operum. Porro qui sint grossi S. Bernard. initio serm. sic explicat: « Vere ficus est populus fragilis spiritu, parvulus sensu, animo humilis, cuius primi fructus (interim nomini alludamus) grossi utique et terreni: nec enim popularis est studii, primum quærere regnum Dei et iustitiam eius; sed ut ait Apostolus, cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeant uxoribus, vel illæ viris; tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi; sed in novissimis non negamus eos fructus fidei assecutos si bonam habuerint novissimam confessionem, maximeque si carnis opera eleemosynis redemerint. Ergo primi plebium fructus, nec fructus sunt, non magis quam ficuum grossi, qui ad nihil utiles sunt, nisi quod secuturi fructus sunt quidam prænuntii, sed immature cadunt et dant locum maturandis, ipsi minime habiles ad crescendum. »

Anagog. Ficus et vitis suavitatem Patriæ cœlestis indicant. Anagogice ficus et vitis repræsentant suavitatem patriæ cœlestis: ibi enim nos Deus ficubus cœlestibus et vino divino potabit, iuxta illud Christi promissum: *Et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam,* Lucæ 22. 30. Et: *Dico vobis, quia non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei,* Matth. 26. 29. Hinc et Christus finem mundi, diemque iudicii et resurrectionis repræsentavit per ficum: *Videte ficulneam,* inquit, *et omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei,* Lucæ 21. 29.

Huc spectat versio Chaldæi, qui hæc refert ad ingressum Hebræorum in terram promissam, ubi quisque quietus, lætusque sedit sub vite et ficu sua. Hic enim ingressus, fuit typus introitus in terram viventium, puta in cœlum. Audi Chald. « Cœtus Israel, qui comparatus est præcocibus ficubus, aperuit os suum et dixit canticum super mare rubrum, et etiam pueri et infantes laudaverunt dominatorem sæculi linguis: illico dixit eis dominator sæculi: Surge tibi congregatio Israel, dilecta mea et formosa mea, vade hinc ad terram, quam iuravi patribus tuis. »

Vineæ florentes angeli. Porro sicut grossi præcedunt ficus, earumque fertilitatem prænuntiant; sic boni virtutis actus prænuntii sunt dulcissimorum fructuum, quibus perfruemur in cœlo. Ita Nyssenus. Hinc rursum Origen. hom. 4. ex quatuor per vites florentes accipit angelos, qui *hominibus,* inquit, *largiuntur odorem suum, id est, doctrinæ et institutionis bonum, quo instruunt et imbuunt animas, donec ad perfectionem veniant, et incipiant capaces fieri Dei.* Et post nonnulla: *Angelicæ,* inquit, *virtutes, quibus electi quique et beati in resurrectione sociabuntur, qui erunt sicut angeli Dei, ipsæ sunt florentes vites et vineæ, quæ odorem suum unicuique animæ, et gratiam quam a conditore susceperint, et nunc iterum perditam recuperarunt, impertiunt, suavitateque cœlestis odoris fœtorem tandem abiectæ ab eis mortalitatis corruptionisque depellunt.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Vineæ, Patriarchæ. *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est,* ait Propheta. Vineæ ergo, id est, *Patriarchæ,* inquit S. Bernard. *Christum in carne nasciturum et moriturum adoraverunt, at non dederant odorem suum, quia secretum suum non publicaverunt. Dederunt autem postea, cum per successiones generationum nascentem ex se Christum secundum carnem, partu virgineo sæculis ediderunt. Tunc plane, inquam, spirituales illæ vineæ dederunt odorem suum, cum apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, et cœpit præsentem habere mundus, quem pauci adhuc absentem prævenerant.* Et post nonnulla: *Dictum est itaque vineas dedisse odorem, sive quia fideles animæ bonam de se ubique opinionem spargant, sive quod palam facta sunt mundo oracula et revelationes Patrum, et in omnem terram exivit odoratus eorum, dicente Apostolo manifeste. Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria,* 1. Timoth. 3. Hinc tres Anonymi apud Theodor. per vinearum, id est, Ecclesiæ florem intelligunt tres Magos, qui fuere primitiæ gentium credentium, dum in Bethlehem venerunt ad Deiparam, ac Christo obtulerunt thus quasi Deo, aurum quasi regi, myrrham quasi mortali, et pro hominum salute morituro.

SURGE AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.) Hac iteratione, inquit Nyssen. suscitatur anima ad progrediendum semper in virtute, et proficiendum in spiritu. *Neque enim ei,* inquit Nyssen. hom. 5 *qui vere surgit, umquam deerit semper surgere, neque ei, qui currit, ad Dominum, umquam consumetur amplum et latum campi spatium, ad divinum cursum perficiendum. Oportet enim semper surgere et excitari, et per cursum appropinquando numquam cessare. Quamobrem quoties dicit: Surge et veni, toties ad id, quod est melius, ascensioni ea, quæ deinceps sequuntur, a Verbo adiiciuntur.* S. Bernard. vero ser. 61. *Commendat,* inquit, *sponsus multam dilectionem suam iterando amoris voces. Nam iteratio, affectionis expressio est, et quod rursum ad laborem vinearum sollicitat dilectam, ostendit quam sit de animarum salute sollicitus, nam vineas animas esse iam audistis.*

Vers. 14. COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ, OSTENDE MIHI FACIEM TUAM, SONET VOX TUA IN AURIBUS MEIS; VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA:

COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ (Hebraice *in secreto illius gradus, vel scalæ.* Vatabl. *in recessu scalarum, vel in abscondito gradus,* id est, *cochleæ*, id est, *Christi*, ait, *per quam ad Christum ascendemus*) OSTENDE MIHI FACIEM TUAM) Sept. Vaticani: *Tu columba mea, in tegumento* (S. Ambros. at Origen. *in celamento*) *petræ iuxta promurale.* S. Ambr. serm. 6. in Psal. 118. *Iuxta præ munitionem.* Compl. *Veni tu, columba mea, in tegmine petræ* (Syrus, *in velamine sepis*) *inhærens antemurali, ostende mihi aspectum tuum.* Columbæ enim agrestes nidificant non in columbariis uti domesticæ, sed in foraminibus rupium et cavernis maceriarum, id est, ruderum, lapidum aggestorum, murorum dirutorum, q. d. Memento, o sponsa, te, æque ac me esse pastores rurales, qui instar columbæ liberæ et agrestis, rure in ruinis ædium et rupium commarantur: quare exi e dumo et urbe, ac mecum in agrum perge, ubi læta rusticabimur, pascemur, oblectabimur. Unde Origenes censet hic non notari terminum *a quo* sed *ad quem*, puta locum ad quem sponsa, invitante sponso, venire debeat, q. d. Veni ut habites mecum in foraminibus petræ: *Addit*, inquit, *hoc, ut ostenderet ei locum ad quem venire debeat, qui locus sub velamento et tegmine saxi sit positus; sit autem idem locus, non tam iuxta murum, quam iuxta promurale quoddam: promurale autem dicitur, cum extra muros, qui ambiunt civitatem, alius ducitur murus, et est murus ante murum.*

Sic sensus erit, q. d. Veni, o sponsa, et egredere e domo et civitate in agros, ibi in umbrosis tabernaculis in petra excisis quieti, lætique commorabimur. Sicut et Rupert. et S. Bernardus, quem audi: *Ne timeas, o sponsa, quasi hæc, ad quam te hortamur, opera vinearum, negotium amoris impedire, seu interrumpere habeat. Erit certe, et aliquis usus in ea ad id, quod pariter optamus Vineæ sane macerias habent, et diversoria grata verecundis.*

Aptius noster Sanchez censet hic notari terminum *a quo*: sponsa enim evocari e foraminibus petræ ad apertum aerem vinearum, ut liberum spiritum ex libero et sereno cælo trahat. Sponsa, inquit, timida et commoditati suæ studens, propter hiemis immite frigus domi se continens, instar columbæ in foraminibus petræ se abscondens, horret cæli aperti. aliqua duri quam gravem putat esse, inclementiam; non audet sub diu pernoctare cum sponso, nubile amat, et ibi se fovet, atque indulget, sicut in suis lustris nonnullæ feræ, et reptile animantium genus in suis cavernis hyberni temporis incommoda declinant. Ex hoc ergo recessu atque mollitie sponsam evocat, affirmans a se satis esse provisum, ne quid sit in his nuptiis, quod timere possit. Quamvis enim in agro subeundi sint imbres, æstus, labores et dolores, imo mors ipsa pro animarum salute, tamen hæc omnia dulcia facit amor Christi pro vobis crucifixi, atque sub fella crucis Deus mel et manna miræ voluptatis abscondit: quo gustato atque explorato sentiens sponsa, quam crux Christi sit dulcis, ultro sponsum in agrum laboris et crucis evocat, c. 7.

Porro Chald. hæc refert ad Hebræos clausos montibus et rupibus, cum transierunt mare rubrum: « Quando, ait, persecutus est Pharao impius populum domus Israel, erat cœtus similis columbæ, quæ clausa est foraminibus petræ, quam serpens coarctat intrinsecus, et accipiter coarctat eam extrinsecus: sic erat cœtus Israel clausus a quatuor partibus mundi; quoniam ante eos erat mare, et post eos persequebatur hostis, et a duobus lateribus eorum erant deserta plena serpentibus ignitis, qui mordebant et occidebant veneno suo filios hominum: illico autem aperuit os suum in oratione coram Domino, et descendit vox de cælis excelsis, et sic ait: Tu congregatio Israel, quæ comparata es columbæ mundæ, et occultata es in clausura foraminum petræ, et absconditis graduum, ostende mihi, etc. »

PRIMUS SENSUS
ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

CHRISTUS Ecclesiam timore Iudæorum perculsam, et instar columbæ in antris petræ latentem, hoc est, Apostolos in Sion post ascensum Christi delitescentes, et orationi meditationique passionis Christi deditos, misso in Pentecoste Spiritu sancto, animosos, fortesque efficiens, foras evocat, ut in publicum prodeant, ibique in agris et villis ipsi et cæteris suam faciem ostendant, ac vocem prædicationis audire faciant, utpote sibi suavem et auditoribus salutarem. Sic olim tempore Decii, Gallieni, Diocletiani Imperatorum fideles persequentium, Pontifices et Christiani se abscondebant in antris, cavernis et cryptis, quæ etiamnum exstant in Roma subterranea, et sacrum horrorem intuentibus iniiciunt.

Quocirca per foramina petræ symbolice, quinque Christi (hic enim est petra 1 Cor. 10) vulnera accipiunt Patres, quin et Zachar. cap. 3 9. vidit lapidem oculatum, cælatum sculptura, id est Christum in passione incisum suis plagis et stigmatibus. Vide ibi dicta. Ita S. Gregorius: « Per foramina petræ, inquit, vulnera manuum et pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam vero maceriæ vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ esse dicitur, quia cum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus. Sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit. Possunt tamen per foramina petræ incarnationis Christi sacramenta signari, et per cavernam maceriæ ipsa protectio angelicæ custodiæ figurari » Et Rupertus: « Videbunt (ait Zechar. cap. 12.) in quem transfixerunt. Clavi enim Christi et lancea sunt animæ meæ vulnera, in illis habito et gemo sicut columba in foraminibus petræ, propter fixuram clavorum; in caverna maceriæ, propter vulnus lateris. Christus enim est petra et maceria, existens enim mortalis et passibilis erat maceria, ubi autem resurrexerit a mortuis, est petra solidissima » Sic et Cassiodorus, Beda, Iustus, Anselmus, et Aponius. qui in hisce Christi plagis, ait absorptum habitasse S. Thomam, cum, apparente Christo post resurrectionem, easque ostendente, exclamavit: *Dominus meus et Deus meus.*

Foramina petræ sunt quinque vulnera Christi.

Audi S. Bern. ser. 61. foramina petræ, ait, sunt vulnera Christi, nam *Petra Christus. Bona foramina quæ fidem adstruunt resurrectionis, et Christi divinitatem, Dominus meus,* inquit. et *Deus meus: Unde hoc repertum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer invenit sibi domum et turtur nidum, ubi reponat pullos suos. In his se columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem.* Et inferius: *Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur: non cado, firmatus enim sum super firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia: sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur?* Et pluribus interiectis: *Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ? Maiorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini.* Subdit deinde: *Quanta in his* (Christi vulneribus) *multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum, etc. Sublimis in regno, sed suavis in cruce. In hac me visione præve-*

niat, in illa adimpleat. Adimplebis me, ait, lætitia cum vultu tuo. Utraque visio salutaris, utraque suavis, sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore; Denique, inquit, et posteriora dorsi eius in pallore auri. Quomodo non in morte pallescat?

Symbol. rursum Theodoret. ait Ecclesiam hic vocari ad tegmen fidei, id est ad doctrinam S. Petri, cui dictum est a Christo: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, atque ad mortificationem carnis; hanc enim innuit, cum dicit iuxta Septuag. *Egredere iuxta propugnaculum*, *q. d. Mortifica membra tua, quæ sunt super terram. Ea quæ sunt a carne remotissima in corpore meditare. Inter perturbationes præsta te a persecutionibus vacuam. Extra præsentem civitatem eiusque muros consistas: nisi enim iuxta propugnaculum exstiteris, consuetudine mea frui non poteris.*

Tropol. — Tropol. Epiph. hæresi 59. censet animam in peccatum prolapsam hic vocari ad pœnitentiam: *Et veni*, ait, *tu, columba mea, in tegmine petræ contiguæ muro. In tegmine petræ*, in benignitate Christi et in misericordia Domini. Hoc est tegmen petræ, tegmen fidei, spei ac charitatis. *Contiguæ muro*, hoc est priusquam claudatur porta, priusquam Rex intra mœnia constitutus, non amplius admittit, post discessum hinc et mortem.

Mystice, caverna maceriæ, S. Scripturæ. Foramina petræ, quatuor Evangelia. — Mystice Iustus Orgelit. per cavernam maceriæ accipit S. Scripturam, et exempla, meritaque Sanctorum, in quibus secura quiescit anima sancta: sic et Aponius per foramina petræ accipit quatuor Evangelia: et per cavernam maceriæ doctrinam Apostolorum, per quam Ecclesia et anima fidelis ad Dei cognitionem et cultum pervenit. Et S. Ambros. in Psal. 118. ser. 6. sequens Septuag. *Veni*, ait (o Ecclesia, o anima Christo desponsa) *iuxta Evangelium, propugnacula fidei tuæ, gesta sunt Christi, muri tui subsidia, verba sunt Domini, passio dominici corporis, tua virtus est.* Similia habet Nyssenus et tres Anonymi apud Theodor. ac Philo Carpath. qui ait, nos hic vocari ad munimen petræ, id est ad Evangelium, quo munimur contra omnes insidias diaboli, cuius antemurale est lex vetus. Utraque ergo lege, tam nova, quam vetere munimur. S. Hieronymus vero lib. 1. contra Iovin. ait, Christum nobis esse firmissimæ petræ antemurale, iuxta illud Isaiæ 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Martyrum robur ex cruce Christi. — Sanctus Bernar. ser. 61. asserit pias et religiosas animas habitare in foraminibus petræ (unde et revera Esseni sub S. Marco, et Anachoretæ in cavernis et cryptis vacabant orationi et Dei laudibus) id est in vulneribus Christi meditanda: Martyres vero imitando, et cum Christo ac pro Christo patienda: « Vult, inquit, benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimvero non sentiat sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians et triumphans tota licet lacero corpore et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? » Idipsum deinde exaggerans subiicit: « Sed neque hoc mirum, si exsul a corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo, inde plane potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians, quam præclarus est? Præclarus, inquam, atque iucundus, non minus Imperatori spectanti quam militi triumphanti. Gaudium etenim Domini fortitudo nostra. Quidni gaudeat ad vocem fortissimæ confessionis? Denique et requirit eam cum desiderio: Sonet (inquiens) vox tua in auribus meis. Nec cunctabitur rependere vicem secundum suam promissionem continuo, ut qui se confessus fuerit coram hominibus, confiteatur et ipse eum coram Patre suo. »

Caverna, cœtus beatorum. — Per cavernam vero maceriæ idem S. Bernard. ser. 62. cum Cassiodor. Beda et Anselmo accipit sanctorum communionem, et Angelorum hominumque beatorum custodiam, qui pios et electos tuentur, ut per eos ruinæ angelorum lapsorum, puta dæmonum, in cælesti patria instaurentur, idque fit per vulnera et merita Christi. In horum ergo meditatione et invocatione, asserit commorandum esse animæ piæ: « Licebit itaque, ait, unicuique vestrum etiam hoc tempore nostræ mortalitatis, cavere sibi quacumque parte volet cavernas supernæ maceriæ, nunc quidem Patriarchas revisere, nunc vero salutare Prophetas, nunc senatui immisceri Apostolorum, nunc martyrum inseri choris, sed et beatarum virtutum status et mansiones a minimo angelorum usque ad Cherubim et Seraphim, tota mentis alacritate percurrendo lustrare, prout quemque sua devotio feret. »

Symbolice. — Symbolice S. Anselmus per foramina petræ accipit benignam providentiam, misericordiam et protectionem Christi, ad quam confugit, sub eaque secura latet anima sancta.

Anagogice. — Anagogice S. Bernardus per petram et maceriem eiusque cavernam et foramina, accipit arcanum cælestis gloriæ Dei et beatorum, in qua anima pia contemplando commoratur: sic enim ait: *Duo liquet contemplationis genera esse, unum de statu et felicitate et gloria civitatis supernæ, qua vel actu, vel otio ingens illa cælestium civium occupata sit multitudo. Alterum de regis ipsius maiestate, æternitate, divinitate: illa in maceria; ista in petra.* Et Orig. secutus Sept. *Evocatur*, ait, *anima extra murum et usque ad promurale perducitur, cum abiiciens ea, quæ videntur, et temporalia sunt, contendit ad ea quæ non videntur, et æterna sunt. Ostenditur autem ei iter istud sub velamine petræ agendum*, id est sub firmis et solidis Christi dogmatibus: *Christi ergo doctrina et fide si obtegatur anima et veletur, tuto potest ad illud pervenire secretum, ubi revelata facie, gloriam Domini contempletur.* Deinde pluribus interiectis subiicit: *Possumus adhuc de loco promurali etiam hoc addere, quod promurale sinus sit Patris, in quo unigenitus Filius positus enarrat omnia Ecclesiæ suæ, quæcumque in secretis et absconditis Patris sinibus continentur. Unde et quidam ab eo edoctus dicebat: Deum nemo vidit unquam: unigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit. Illuc ergo vocat sponsam suam Christus, ut et de omnibus eam, quæ apud Patrem habentur edoceat, ac dicat: Quia omnia vobis nota feci, quæ audivi a Patre meo. Et: Pater, volo ut ubi ego sum, illic sit et minister meus*, Ioan. 12. 26.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Caverna, uterus Deiparæ. — Christus incarnatus est in caverna maceriæ, id est in absconditu ventris virginalis (iuxta illud Isaiæ 51. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis*) et natus in foramine petræ, id est in spelunca Bethlehem, quæ excisa erat ex petra iuxta illud: *Et reclinavit illum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*, Lucæ 2. 7. Unde S. Hier. epist. 18. ad Marcellam, invitans eam ad Bethlehem, ubi ipse cum S. Paula degebat: *Qua, ait, sermone, qua voce speluncam Salvatoris exponam, et illud præsepe, quo infantulus vagiit, silentio magis, quam infirmo sermone honorandum?* Et post nonnulla: *Ecce in hoc parvo terræ* (Bethlehem) *foramine cælorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic vi-*

Et Bethlehem.

sus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a magis, etc.

Et uterus Elisabeth.

Rupertus hæc refert ad Ioannem Baptistam, qui in caverna, id est, in utero matris existens, audiens vocem B. Virginis salutantis matrem Elisabeth, exsultavit in gaudio, quia per eam agnoscens, amans, et adorans Christum in eius utero conceptum, a peccato originali expiatus est, ac repletus Spiritu sancto.

Et sepulcrum Christi.

Denique per foramen petræ accipi potest sepulcrum Christi, quod excisum erat ex petra, e quo gloriosus resurrexit. Hoc enim, æque ac montem Calvariæ, ubi petræ infixa fuerat crux Christi, reliquaque loca, in quibus passus fuerat Christus, crebro devote visitabat et obibat B. Virgo, ut in iis pene habitare videretur.

OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. SONET VOX TUA IN AURIBUS (Septuag. *Auditam fac mihi;* S. Ambros. *Insinua vocem tuam*) MEIS: VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA.) Nyssenus, Philo, et Psellus censent hic loqui sponsam, poscereque sponsi præsentiam et colloquium. Tunc, inquit Philo, Christus ostendit faciem suam decoram, cum Verbum caro factum est et cum transfiguratus est, ac vocem suam dulcem, cum vocavit laborantes, restituit sanitates, et peccata dimisit. Verum cæteri omnes asserunt hæc esse verba sponsi ad sponsam, qui optat et postulat, ut sponsa faciem velatam et velamine petræ obtectam retegat, ac nudam, claramque ostendat, ait Origen. ut in illa quasi in speculo imaginem suam repræsentatam sponsus aspiciat, ait Theodor. atque illam poliat, pingat, et perflet, et ad puram cælestium contemplationem traducat, ut vult Origen. iuxta illud: *Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu*, 2. Corinth. 3. 18. Hisce enim verbis Christus evocat Apostolos timidos et latentes in Sion, ut in Pentecoste faciem suam populo audacter ostendant, illique Evangelium prædicent, uti paulo ante dixi. Quod enim proximis amore Dei facimus, hoc Deo facimus, iuxta illud Christi: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, Matth. 25. Unde sanctus Ambrosius in Psalm. 118. serm. 6. vers. 6. legens: *Ostende mihi faciem tuam, et insinua vocem tuam, quia suavis est vox tua, et facies tua pulchra*: Suavis, inquit, *est vox: quia ore confessio fit ad salutem; et decora facies, quia non erubescit auctorem, non confunditur redemptore. Ostendit ergo faciem suam, signaculum crucis præferens; et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens.*

Prædicatores ergo validi instar Apostolorum prodeant in pulpitum ex foraminibus petræ, id est, ex solitudine orationis et meditationis passionis Christi, ut Christum crucifixum intrepide magno pietatis ardore et spiritu prædicent. Illi ergo ostendant faciem suam, hoc est, Christi solius intuitu, non sui lucri causa prædicent, atque faciem a creaturis omnibus avertant, et ad unum Deum per orationem convertant, ut ab eo illustrentur, illique faciem, id est, conversationem suam conforment, sicut Moses colloquens cum Deo in Sina, ab eo cornutam faciem, id est, corona lucis faciei afflata accepit: Unde Chald. vertit: *Ostende mihi aspectum tuum, et opera tua bona: Fac audire vocem tuam, quoniam vox tua suavis est in oratione in domo sanctuarii modici, et aspectus tuus pulcher in operibus bonis.*

Facies decora puritas fidei et operum. Vox dulcis Prædicatio verbi divini.

Sponsus ergo ab Ecclesia his poscit sibi exhiberi puritatem fidei et operum, quasi faciem decoram; et prædicationem cælestis doctrinæ, quasi vocem dulcem. Ita Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Origenes, Theodoretus, Anselmus, et alii. Audi S. Gregorium: « Quid enim per faciem, nisi fidem, qua a Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit sponsus, ut ei sponsa faciem suam ostendat, quia quicumque se fidem dicit habere, necesse est, ut in bonis operibus se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat, sed et opera necesse est, ut vox prædicationis sequatur, quia quicumque in sanctis operibus perfecta se dilatat, consequens est, ut ad eadem facienda proximos quoque exhortetur. Ideo sequitur: Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Tunc enim, et vox placet et facies decoratur, quando et opera prædicatio sequitur, et rursum prædicationem bona opera comitantur. » Et Cassiodorus: *Tuam*, ait, *faciem mihi ostende*, quam in Baptismo tibi dedi, et quando mundavi te ab omni peccato. *Vox tua*, dicit, *in auribus meis sonet*, at ex sincera intentione dilectionis meæ procedat, ut non propter aliud prædices, nisi propter me. Aponius vero refert hæc ad Iudæos ab Apostolis conversos: « Ad Apostolorum doctrinam, inquit, quasi de antro incredulitatis cœpit faciem suam Ecclesia, iam corde compuncto, ostendere creatori, et quam tanti piaculi collapsu fœdaverat faciem suam, Dominum maiestatis persequendo perfusa sanguine iusti, quem super se suos effuderat voce, dicendo, sanguis eius super nos, nunc conversa ad se dicit: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, etc. Sicque vox eius, quæ horridam, interclusam, impietatis raucedine amarissimam, et lamentabilem revocaverat vocem dicendo: Crucifige, crucifige; tali haustu et medicinali poculo sanguinis, quem effuderat, Christi, ad suavem dulcedinem renovata est, confitendo se credere Deum, quem ut hominem ante Pilatum damnaverat. »

Symbol.

Symbolice, facies decora significat speciem et decorem mentis sanctæ conversantis cum Deo. Hæc enim est facies hominis non externa, sed interna; vox vero significat pios mentis gemitus et suspiria ad Deum: utraque Deo gratissima et iucundissima est, adeo ut illis se Deus pascat et oblectet, iuxta illud: *Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.* Isaiæ 62. 5. Utraque facit prædicatorem potentem et efficacem. Audi sanctum Bernardum ser. 62. *Nam quantum illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, ostendit, cum subinde infert: Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat, si displiceat facies, demonstrat, cum illico subdit: Et facies tua decora. Quid internæ decor faciei, nisi puritas? In pluribus hæc absque prædicationis voce complacuit, illa absque ista in nemine. Impuris non se veritas ostendit, non se credit sapientia. Quid ergo loquuntur, quam non viderunt? Quod scimus, inquit, loquimur, et quæ vidimus testamur. Id ergo tu audes testari, quod non vidisti, et loqui quod ignoras? Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu Evangelium quia evangelizat ut manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructum, sed datum.*

De B. Virgine.

Porro hæc optime B. Virgini adaptat Rupertus: *Ostende*, ait, *mihi faciem tuam*, et ostendendo corrige quod Eva peccavit, et abscondit a me faciem suam in medio ligni paradisi, scilicet in eodem, in quo peccavit, utpote quæ in peccato suo sibi complacuit, et peccatum suum defendit. *Non ostendit mihi faciem suam*, cum dicerem: Ubi es? non sonuit vox eius in auribus meis, vox confessionis quæ sonare debuisset saltem cum dicerem: Quare hoc fecisti? sicut et quando benedixi ei dicens: *Crescite et multiplicamini*; non sonuit vox in auribus meis: nullum enim cantavit canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illam constituebam matrem tantæ generationis, possessuræ tantam hæreditatem regni Dei. Tu ostende mihi, sicut et ostendis, faciem. Sonet vox tua in auribus meis, vox, inquam, confessionis et gratiarum actionis. Vox enim tua dulcis in eo, quod columba mea es, et intenta foraminibus petræ, instar columbæ gemitum pro cantu habes, canendo gemis, gemendo canis, et ipsa exsultatio, qua exsultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo, plena est gemitibus, plena lacrymis: *Facies* vero *tua, decora*, quia magna est fides, magna est humilitas tua. Hæc ad verbum Rupertus, sed nonnullis brevitatis studio recisis. Iam ad litteram Nicephorus ex S. Epiphanio lib. 2 hist. c. 23. ita faciem B. Virginis depingit: *Facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior, etc. Erat fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed præcellentem humilitatem colens.* Similis fuit facies Christi: Christus enim carens patre matrissabat. Audi Nicephorum lib. 1. c. 40. *Non ro-*

Qualis vultus B. Virginis.

Et Christi.

tundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modice rubicundam; gravitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ genitrici.

Anagog. Anagogice, hisce verbis Christus animam piam evocat e caveruis huius vitæ ad cælestem gloriam, uti superius dixi; talis enim animæ facies depurgata est ab omni labe etiam veniali, ideoque decora: vox quoque dulcis, quia vox gratiarum actionis, exsultationis, et iubili.

Vers. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur (Septuagint. *Quæ exterminant*; Symmach. *corrumpunt*) vineas: nam vinea nostra floruit.) Septuag. *Et vineæ nostræ* [Greek], id est, *germinant et florent instar cyprorum*; Arabicus: *Et vinea nostra florebit*, capite vulpeculis quæ eas corrumpunt: τὸ *parvulas* referendum est ad *vulpes*, ut patet ex Hebræo, Græco et Vulgata. Quare mirum est Origenem, Philonem Carpathium, et alios, τὸ *parvulas* referre ad *vineas*. *Iudæa vulpibus abundat.* Iudæa abundat vulpibus, ut patet ex trecentis vulpibus, quas cepit Samson. Iudic. 15. 4. Vulpes autem præ cæteris feris nocent vineis, tum quia eas effodiunt et eradicant, tum quia uvas deprædantur et depascuntur; *Vineis multum nocent vulpes.* parvulæ autem vulpes cum sint petulcæ, nec satis habeant virium ad vites eradicandas, eas cum teneræ sunt et florent, vellicant, erodunt, floresque decerpunt, ac terram iuxta radices suffodiunt, ut vites humore destituantur, ac soli expositæ eius radiis urantur et exarescant. Ad hæc parvæ vulpes grandiores factæ vites eradicant. Insuper vulpes parvulæ, utpote inexpertæ facile decipi capique possunt, ut grandiores factæ non ita: sunt enim astutissimæ, iuxta illud: *Annosa vulpes haud capitur laqueo.*

Denique vulpes capi iubet cum sunt parvæ, et viribus infirmæ: vulpes enim in vere, cum vineæ florent, generant, quare si tunc negligas eas capere et extirpare, valde sobolescent, et multiplicabuntur. Porro Plinius l. 23. cap. 8. scribit vulpes amygdalis amaris necari: *Amygdalis amaris necantur vulpes.* *Aiunt*, inquit, *si ederint eas, nec contingat e vicino aquam lambere, mori.* Chaldæus per vulpes intelligit Amalecitas, qui impedire conati sunt progressum Hebræorum in terram sanctam, ideoque a Mose et Iosue capti et cæsi sunt. Exodi 17.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Vulpes hæretici.

Iubet Christus Ecclesiæ, id est, Apostolis, ut in prædicatione Evangelii et fundatione vinearum, id est, Ecclesiarum capiant vulpes parvulas, id est, Hæreticos iam tum subnascentes: hi enim subdole quasi vulpes fidem et Ecclesiam subvertunt: tales tempore Apostolorum fuere Iudaizantes, qui cum Evangelio volebant miscere et observare circumcisionem, cæteraque legis veteris præcepta. Item Simon Magus primus Hæresiarcha, Menander, Basilides, Carpocras, Ebion, Gnostici, etc. horum ergo fraudes et errores, cum adhuc pusilli sunt et in paucis hærent, detegi, atque argumentis, ait S. Bernardus, non armis revinci et exterminari iubet, ne invalescant, totamque Ecclesiam instar fermenti pervadant et corrumpant. Ita sanctus Gregorius, Cassiodorus, Aponius, Origen. Beda. Theod. S. Anselmus. et alii passim. Audi S. August. in Psal. 80. *Vulpes, insidiosos, maximeque hæreticos fraudulentos significant, dolosos, cavernosis anfractibus latentes, et decipientes, odore et tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apostolus, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Istæ vulpes significantur in Canticis Canticorum, ubi dicitur: Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuosis. Capite nobis, convincite vobis: capis enim eum, quem de falsitate convincis.* Nam ut ait S. Bern. *Cum proditur dolus, cum fraus aperitur, cum convincitur falsitas, rectissime tunc dicitur capta vulpes pusilla, quæ demoliebatur vineas.* Sic Ezechiel. c. 13. 4. *Quasi vulpes*, inquit, *in deserto, prophetæ tui Israel erant. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.*

Vulpes quomodo capiendæ. Porro quomodo capiendæ sint hæ vulpes, id est Hæretici, sic docet S. August. in Psal. 80. « Vulpes solent habere tales foveas, ut ex una parte intrent et ex alia parte exeant. At utrumque foramen captor vulpium retia posuit. Dicite mihi, de cælo est, an ex hominibus? Sentiunt illi eum ex utraque parte tetendisse unde caperet, et aiunt apud se: si dixerimus de cælo, dicturus est nobis, quare ergo non credidistis? Ille enim testimonium Christo perhibuit: si dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia ut prophetam habent. » Et paucis interiectis: « Videamus si et nos quasdam vulpeculas capere possumus: Proponamus ad foramen utrumque, ut unde vulpes exire voluerit, capiatur. *Triumphat de Deo amor.* Verbi gratia, Manichæo facienti sibi Deum recentem, et in corde suo ponenti quod non est, dicamus et interrogemus eum: Substantia Dei corruptibilis, an incorruptibilis est? Elige quod vis, exi qua vis, sed non effugies. Si dixeris corruptibilis, non a populo, sed a te ipso, lapidaberis: si autem dixeris incorruptibilem Deum, incorruptibilis quomodo timuit gentem tenebrarum? Quid factura erat incorruptibili gens corruptionis?

Notat Cassiodorus et Beda post vineas in plurali, nominari vineam in singulari cum ait: *Vinea nostra floruit*, quia omnes Ecclesiæ particulares coeunt, et conflant unam Ecclesiam communem et universalem. S. Bern. serm. 64. urget vo nobis, cum ait, *capite nobis vulpes. Poterat*, ait, *dicere capite mihi, sed maluit nobis consortio delectatus. O suavitatem, o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignitate dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis quæso tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.*

Vulpes parvæ.

I.

Suggestio fraudulenta dæmonis, mundi, carnis.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Vulpes sunt suggestiones fraudulentæ, quas dæmon, caro, vel mundus animæ suggerit sub specie boni ut eam ad malum inducat. Vitium enim palliat velo virtutis: Satanas enim transfigurat se in angelum lucis 2. Cor. 11. quare hæ illico dum oriuntur et parvulæ sunt, capiendæ sunt, ut earum fraus, dolus, et error detegatur, ne adultæ et corroboratæ capi et evelli nequeant.

Notat Nyssen. dæmones, qui hominem tentant non vocari leones, ursos, tigrides, sed vulpes, easque parvulas, quia parvæ et debiles sunt eorum vires, ut ab homine generoso et constante illico repelli et expugnari queant; numeri ergo eos astutia vulpium: quare astutias hasce eorum solerter esse indagandas, et dissipandas. Addit S. Bernardus parvulas dici, quia suggestiones eorum sunt subtiles, nec nisi iis, qui acuta sunt mente visibiles. Audi S. Bern. ser. 63. *Viro sapienti, sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum, nil desertum in se sapiens derelinquet* Et post nonnulla: *Et bona vinea iusti, imo bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Denique gloria nostra hæc est, inquit, testimonium conscientiæ nostræ. Vides apud sapientem vacare nihil? Sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini Sabaoth? Quid denique illi de se perire possit, quando et folium eius non defluet? Cæterum tali vineæ*

Iusto vinea mens sua excolenda.

numquam infestationes, numquam insidiæ deerunt. Nempe ubi multæ opes, multi sunt qui comedunt eas. Sapiens erit sollicitus servare vineam suam non minus quam excolere, nec sinet eam vorari a vulpibus. Harum deinde vulpium ser. 64. et 65. varia recenset exempla, uti Monachi illius, qui a monasterio abiit, ut parentes converteret, sed ipsos non acquisivit et seipsum perdidit. Aliorum, qui e monasterio abeunt, ut concionentur, aut ut sibi soli vivant et Deo. Aliorum, qui cum fœminis conversantur pio prætexta, ut eas in spiritu instruant; sed mox spiritus transit in carnem, nam ut ser. 65. prudenter ait S. Bernardus: *Cum fœmina semper esse, et non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes, et quod maius est, vis credam tibi?*

II. Vulpes parvulæ, relaxationes regulæ et disciplinæ.

Secundo, parvæ vulpes sunt relaxationes regulæ et disciplinæ in rebus parvis, v. g. Cum in monasterio, vel collegio dissimulatur ruptura silentii, usurpatio rerum parvarum, non petita venia, leves inobedientiæ, etc. Hæc enim nisi corrigantur, serpunt, crescunt et magnæ evadunt, ut tandem omnem regulam et disciplinam evertant. Quare faciendum est quod monet sapiens:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Frigus corporis noxium ... [illegible]

Unde S. Bernard. serm. 63. præter vulpes, frigus quoque noxium esse vitibus asserit; eas enim adurit et desiccat: sic frigus, id est, torpor obrepens religioso, virtutem eius adurit et siccat. Ex eo enim: « Mox, ait, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia, et confusione saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. Principium et originem huius pestis, et vel qua arte vitetur, vel qua superetur virtute, non est huius temporis demonstrare. »

III. Vulpes parvulæ detractores, susurrones et adulatores.

Tertio, parvæ vulpes sunt detractores et susurrones, æque ac adulatores, qui vineas, id est, cœtus et societates dissociant, ac fidelium animas subvertunt. Ita S. Bernard. serm. 63. « Pessima vulpes, ait, occultus detractor, sed non minus nequam adulator blandus; cavebit sapiens ab his, dabit operam sane, quod in ipso est, capere illos, qui talia agunt, sed capere beneficiis atque obsequiis monitisque salutaribus, et orationibus pro his ad Deum. Non cessabit istiusmodi carbones ignis congerere super caput maledici, et item super adulatoris quousque si fieri potest, et illi invidiam, et isti simulationem de corde tollat, faciens mandatum sponsi dicentis: Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Herodes Ascalonita fuit vulpes, volens dolose occidere Christum; unde misit in Bethlehem Magos ut ipsi locum nativitatis Christi explorarent, eumque ad se referrent: fingebat enim se quoque velle Christum adorare, ut hac ratione eum caperet et necaret; sed illusus fuit a Magis, dum ipsi, responso cœlitus accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Matth. 3. Unde huius Herodis Ascalonitæ filius Herodes Antipas, vulpini æque ac pater ingenii, a Christo vocatur vulpes: *Ite*, inquit, *dicite vulpi illi*: Lucæ 13. 31. Ita Rupertus: *Nonne videtis*, inquit, *quod teneros palmites fera ista* (ferus Herodes) *momordit, quod infantes be-*A *stia crudelis occidit in Bethlehem Iudæ civitate David? Capite, capite, nam vinea nostra floruit, etc. Fructus eius adhuc flos, et non botrus est, nondum maturuit, et idcirco damnosum nimis est huiusmodi ad vineam, vel florem eius succidi, vel demoliri. Crescat prius et de flore proveniat fructus, condatur Evangelium et cognoscatur de signis et virtutibus venisse Sanctum Sanctorum, atque hoc erit florem venisse in fructum, et maturuisse botrum. Tunc si fuerit succisus huiusmodi botrus, custodiatur, atque in vecte crucis portetur, ut experimento Resurrectionis et dulcedinis eius cognoscatur, qualis terra, quale sit regnum eius, ad quod non pertinent vulpeculæ istæ, quæ vineas demoliuntur.*

Vers. 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Hebr. *qui pascit in liliis*, hoc est, qui pascit oves in pascuis liliorum copia, colore et odore præstantibus. Chald. B vertit: « In illo tempore conversi sunt in pœnitentia. Tunc stetit Moses propheta, et oravit coram Domino, et Iosue minister eius accinctus est, et egressus est de sub alis nubium gloriæ Domini, et cum eo viri iusti, qui similes sunt rosæ in operibus suis, et inierunt prælium contra Amalec, et confregerunt illum et populum eius in nomine Domini, qui occidit et contrivit eos in ore gladii. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Cassiodorus et Beda censent sponsam hic precari, q. d. Utinam dilectus meus mihi sit, vel adsit, et ego illi: utinam dilectus meus dignetur mihi coniungi glutino charitatis, C et ego illi coniungar vinculo obedientiæ, obtemperans præceptis eius, ait Cassiodorus. Verum cæteri omnes censent sponsam hic non optare, sed asserere et affirmare: Dilectus meus mihi est, et ego illi sum, iuxta sensum quem iam dabo. A vers. 8. et 10. hucusque sponsa deliquium amoris passa in lectulo recubans retulit verba sponsi, quibus sponsam ad se in agrum et vineam ad labores pro salute animarum evocat, tenerumque pariter erga eam testatur amorem. Nunc sponsa in sua persona loquens, amorem amori rependit, seseque promptam, ut sponso vocanti pareat et in vineam ad labores exeat, ostendit, aitque: *Dilectus meus mihi, et ego illi*; quia sicut ille *pascitur inter lilia*, sic et ego liliorum, id est candoris et puritatis sum studiosissima: *Dilectus meus mihi*, subaudi totum se tradidit: unde et *ego illi* avide me totam tradam, imo reipsa trado: illi uni vaco, servio et placere satago. Quare quod ipse vult, hoc et ego volo; ipse vult ut a lectulo ad agrum, ab otio ad negotium transeam, idipsum et ego volo; ipsius enim velle et nolle, meum velle et nolle est. Symmach. vertit in genitivo: *Et ego eius*, q. d. Ego tota sum sponsi, sicut sponsus totus est meus. D adeoque ipse est id, quod ego sum, ut non tam duo, quam unus idemque esse videamur. Amicus enim est alter ego, et amantes unum quasi habent cor, unamque animam. Anima enim amantis magis est ubi amat, quam ubi animat, puta magis est in amato, quam in ipso amante.

Hinc civiliter sponsus et sponsa censentur una eademque persona, iuxta illud: *Erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*, Ephes. 5. sicut enim essentia Matrimonii consistit in mutuo coniugum ad coniugium consensu; sic coniunctio Christi et Ecclesiæ, velut sponsi et sponsæ, consistit in mutuo amore, et mystici coniugii consensu, quod scilicet Christus non aliam amet, velitque habere sponsam, quam Ecclesiam, et Ecclesia vicissim alium non amet, nec velit habere sponsum, quam Christum; ex quo deinde sequitur mutuus convictus, ac mutua obsequia et officia per omnem vitam; hæc omnia significat τὸ *dilectus meus mihi, et ego illi*, q. d. Quia Christus dilexit me prior

ut sponsam, hinc ego vicissim diligo eum ut sponsum, imo dilectio eius prævenit meam, eiusque est causa; ideo enim ego diligo ipsum, quia ipse prior me diligens suum mihi inspiravit amorem per gratiam prævenientem, iuxta illud: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Ephes. 5. Abite ergo malæ vulpes, quæ Ecclesiam a Christo separare per dolos conamini. Ego enim Ecclesia Christo sponso meo servo fidem, ut nullum præter eum diligam, ille vicissim mihi servat fidem, ut nullam præter me habeat dilectam; nullam aliam velit habere sponsam. S. Bernard. serm. 68. notat sponsam, scilicet Ecclesiam, et animam sanctam hæc dicere, absente sponso Christo; dicere, inquam, non adolescentulis, sed sibi ipsi, atque ex abundantia affectus, non tam loqui quam eructare amoris copiam, ideoque verba eius esse trunca, manca, imperfecta, ac supplenda hoc modo: Dilectus meus mihi, scilicet totus intendit, et ego illi vicissim tota intendo. *Ille mihi,* ait sanctus Bernardus, *quia benignus et misericors est; ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi, et non alteri, quoniam una sum columba eius; ego illi, et non alteri.* Et ulterius hanc Christi dignationem admirans exclamat: *Quam admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vindicat, dicens: Dilectus meus mihi! Nec eo contenta tamen pergit amplius gloriari, respondere se illi, quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim: Et ego illi. Insolens verbum. Et ego illi,* nec minus insolens: *Dilectus meus mihi; nisi quod utroque insolentius utrumque simul. O quid audet cor purum et conscientia bona et fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itane huic intenta est illa maiestas cui gubernatio pariter et administratio universitatis incumbit, et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imo otia amoris et desiderii huius? Ita plane. Ipse enim est in Ecclesia electorum, de quibus Apostolus; Omnia, inquit, propter electos, et cui dubium, quod gratia et misericordia Dei sit in sanctos eius, et respectus in electos illius? Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus, curam sponsa vindicat sibi.*

Idem S. Bernardus ser. in festo nativit. B. Mariæ sub finem ait, hisce verbis significari luctam amoris qua sponsus cum sponsa luctatur, vincit, et vincitur.

Huc accedunt expositiones aliorum Patrum: Nysseni, quæ talis est: *Vidi facie ad faciem eum, qui semper manet, et qui propter me ex sorore mea Synagoga in humana natura est exortus, et in eo requiesco, et fio eius habitaculum.* Philonis Carpathii: Dicit Ecclesia, inquit: *Dilectus meus mihi,* id est, ipse mihi sapientiam dat, et ego illi cor dabo; ille mihi de cælis sapientiam, ego vero illi de Gentibus, fidei, spei, et charitatis fructum rependam. Sentio enim me ab illo vehementer amari, ob idque firmissime ipsi semper adhæreo. Theodoreti: Sicut sponsus me omnibus prætulit, sic ipsum ego omnibus antepono, eum alio coniugi non patior. Ab istis, qui vulpes et fraudulenti vocantur, abhorreo; absurdum enim est me, quæ tantopere dilecta atque ornata sum, amanti in amore pro viribus non respondere. His simile videtur id, quod ab Apostolo scriptum est: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori.* Iusti Orgelitani: *Habet Christus Ecclesiam in suo corpore, et Ecclesia Christum in suo capite, quæ connexio, quia dissociari non potest, merito dixit: Dilectus meus mihi.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta dicit Christo, inquit Theodoretus: *Dilectus meus mihi vivit; et ego illi vivo, non mihi,* ut ait S. Paulus. Aponius vero: *Dilectus meus mihi, ait anima sancta, præstat gratiam vocationis, redemptionis insignes, adoptionis clarissimam libertatem. Et quid ego illi? Voluntatis obedientiam, conservandæ integritatis studium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conservandæ virginitatis exemplum, nascendo per Virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam denuo nascendo per Baptismum, in toto corde meo servando præcepta, angelicam, cælestemque imitando naturam, ut intactum corpus reddam ad paradisum, quod intacto de utero matris induxerat nascendo in mundum. Nam sicut diabolus cruento iracundia et exsecrando carne libidinis saginatur: ita et Christus misericordiæ, mansuetudinis et castimoniæ liliis pascitur.* Brevius S. Greg. et clarius exponit, q. d. *Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia eius constantem benevolentiam erga me sentio; quia dum eius benignitatem familiarem habeo, durum mihi est quidquid ei adversum inimicos latrantes audio, et dum in eius assiduitate qualis sit video; si quid erroris proferunt adversarii a veritate, quam in eius visione cognovi, non recedo.* Denique amor Christi virgo est, quia ad unum Christum totus pure et virginee dirigitur, iuxta illud Pauli: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo,* 2. Corinth. 11.

Quærit S. Bern. serm. 69 cum Christus sit sponsus multarum, imo omnium animarum sanctarum, quomodo cuilibet totus intendat? ac respondet: « Primo quidem quod habeat in natura simplicissima sponsi divinitas, quasi unum respicere multos, et quasi multos unum. Nec ad multitudinem multus erit: nec ad paucitatem rarus, nec ad diversitatem divisus, nec restrictus ad unum, nec anxius ad curas, nec perturbatus, seu turbulentus ad sollicitudines; sic sane uni intentus, ut non detentus, sic pluribus, ut non distinctus. » Quomodo Christus omnibus et cuilibet totus intendit.

Exemplum appositum est in anima rationali: Hæc enim tota amat, informat et animat omnes et singulas corporis sui partes, ita ut tota sit in corpore, et tota in singulis eius partibus; sic enim Deus totum suum amorem omnibus, et totum dat singulis sanctis. Addit deinde Bernard. Christum ad animam quam sibi despondet, secum adducere Patrem et Spiritum sanctum, ut pariter sibi animam despondeant, iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus,* Ioan. 14. 23 *Quid est,* inquit Bernardus, *venire ad animam Verbum? Erudire in sapientia. Quid est Patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ, ut dicere possit; quia amatrix facta sum formæ illius.* Sapient. 8. *Patris diligere est, et ideo Patris adventus ex infusa dilectione probatur.*

Signa deinde adventus Verbi et Patris subiicit: *Si sensero,* inquit, *aperiri mihi sensum, ut intelligam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certe expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium et uberiores de sursum influere animo meditationum imbres non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, et de plenitudine eius ista accepimus. Quod si et pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet et contemptum, aut ne forte scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me; tunc prorsus paternus sentio agi mecum, et Patrem adesse non dubito; si autem perseveravero huic dignationi, dignis semper, quod in me est, affectibus et actibus respondere, et gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam mansionem apud me faciet, tam Pater enutriens, quam Verbum erudiens.* Signa adventus Dei in animam. Quærit deinde unde anima sciat sponsum totum sibi intendere, ut dicere audeat: *Dilectus meus mihi,* ac respondet, id scire ex eo, *quod se diligere, et vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia studioque, quo incessanter et ardenter invigilat, quemadmodum placeat Deo, æque ac omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis eius: In quo mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* Matth. cap. 7. Et post nonnulla: *Nec dubitat se amari quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit,*

et illius præcurrens intuitio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Nescio enim qua vicinitate naturæ cum semel revelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi se conformari necesse est, atque in eamdem imaginem transformari. Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Quidni æque et cum amante amans, et cum vacante vacans, et cum intento intentus, et sollicitus cum sollicito?

Spiritualis connubii descriptio.

De hoc sponsæ et sponsi spirituali connubio eiusque fructibus, ita scribit Laurent. Iustin. l. de Casto connubio Verbi et animæ cap. 25. pag. 348. litt. H. « Ibi iuge celebratur convivium, et vitulus sæpissime comeditur saginatus. Pax in illa gustatur interna, secura tranquillitas, tranquilla felicitas, iucunditas magna, fides serena, amabilis societas, oscula unitatis, contemplationis delectatio, suavitas in Spiritu sancto. Ibi cœli ianua est, et paradisi porta. Sponsa frequenter de thalamo ascendit in cœlum, et de cælo iugiter sponsus descendit in thalamum. Non pavida, non de salute incerta, ingreditur sponsa in supernorum mansiones, sed tamquam in dilecti domum, et in propriam possessionem. Ut enim illam emeret, vendidit sua, et tradidit egenis; ut illam lucraretur, pugnavit in tentationibus; pugnavit cum spiritibus nequam quotidieque pugnant contra se. Non temerario, sed confidenter in atria intrat sponsi. Nam etsi alias advena illius sanctæ fuerit civitatis, nunc vero civis effecta est sanctorum, et sponsa Verbi; cui ex amoris privilegio, omnia quæ sunt sponsi debentur. Amor quippe verus nil privatum habet, nil proprium; sua æque gratanter impertitur; ea quoque lege, eademque charitate, qua largitur propria, utitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia, tanta est inter Verbum et animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, et conditionis inconsideratio. » Tritum est illud Comici: *Omnis amans, amens.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo dicere poterat Christo: Tu solus mihi es filius unice dilectus, et ego tibi sum mater (imo et quasi Pater) dilectissima, qui pasceris inter lilia virginitatis meæ et Iosephi mariti mei; ex hoc enim virginali coniugio decebat te nasci, quasi virginitatis filium, imo ducem et antesignanum. Hoc est quod ait Isaias cap. 7. *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus.* Ita Rupertus. Audi S. Anselmum libr. de Excellentia Virginis cap. 4. *Amorem*, inquit, *quem pater et mater singuli debent filio suo; amorem etiam, quem debet filius simul suo patri, et matri ille filius vere virginis suæ debet soli matri. Nam sicut alii filii nascuntur ex patre et matre, ita filius eius natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes amor istius matris in filium suum, et istius filii in matrem suam.*

Maternus amor B. Virginis in Filium.

Rursum Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. *Veni*, inquit, *electa mea, et ponam in te thronum meum. Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum.* Et B. Petrus Damiani serm. 2. de Nativit. recensitis tribus modis, quibus Deus est in qualibet creatura, subiicit: *Quarto modo inest uni creaturæ, videlicet Mariæ matri, identitate, quia idem est cum illa. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem. Habitat Dominus in Virgine, cum qua unius naturæ habet identitatem.*

Denique S. Bernard. serm. 71. *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum est. Bonum plane, si omni ex parte adhæseris. Quis est, qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tamquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit diligendo? Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus, inhærent autem undique intima et mutua dilectione inviscerati alterutrum sibi. Per hoc Deum in hominem, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim.* Hoc præ omnibus competit B. Virgini. Idem S. Bernard. ser. 29. *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam, non solum confixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret et esset gratia plena.* Hæc Bernard. Et Hugo de S. Victore, cuius verba refert S. Thomas opusc. 8. *Quia in corde Virginis, ait, amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat, in tantum, quod de ea nasceretur Deus et homo, Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Causam dat S. Bernardus: « Quid mirum, inquit, si Maria præ omnibus diligit, quæ est præ omnibus dilecta? » Plures alias causas dat Sophron. serm. de Assumptione: « Cogitate, inquit, et perpendite, quantis afficiebatur B. Virgo doloribus post Christi ad cœlos ascensum; considerate, quo cruciabatur amore, quove desiderio æstuabat hæc virgo, dum revolveret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognoverat; quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris! quantis movebatur repleta Spiritu sancto cœlestium secretorum incitamentis! quia etsi diligebat Christum ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente, novis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus, tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia, quam totam incenderat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus et ebrietas perfusi amoris eius, qui illius erat et Dominus et filius. Fortassis ergo præ nimio amore, in loco, quo sepultus dicitur, habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus, non quod iam viventem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus, et quem genuerat mortisco, amplectebatur amplexibus. Amor Christi desiderium pariebat, desiderium vero gliscens quasi novis reparabatur ardoribus. »

Qui pascitur inter lilia.] Pro *lilio* hebr. est שושנים *sciosciannim*, quod Chald. et Hebraizantes nonnulli vertunt *Rosas*, uti dixi superius; Symmach. vertit *flores.* Hebr. est; *qui pascit in liliis. Pascit* scilicet tam oves, quam seipsum, hoc est, *pascitur*, ut vertit Noster; quamquam *pascitur* subinde sumitur pro *pascit*, quasi sit verbum generis deponentis. Septuag. ποιμαίνων, id est, *pastorem agens in liliis.* Symmach. *Et ego eius pascentis flores*, id est, qui pascit oves instar candicantium liliorum candidas. Posset quoque ex Hebræo verti, *qui pascit lilia*, id est, alit, fovetque virgines, æque ac virginitatem, et cæteras virtutes, vel *qui pascitur liliis*, id est oblectatur virginibus æque ac virtutibus. *Pascitur* vero *inter lilia*, hoc est pascitur in pascuis lætissimis ac pulcherrimis, qualia sunt, quæ liliis inter herbas florentibus decorantur. Hebr. רועה *roe*, et Græcum ποιμαίνων, id est, pascere sive pastorem agere, notat Christum circa Ecclesiam, et animas fideles, omnia boni pastoris munia sedulo obire, scilicet illam tenere amare, pabulum procurare, familiariter illi adesse, educere ad pascua, et reducere, cibare, potare, curare, regere, a lupis et furibus defendere, etiam cum vitæ suæ periculo ac cætera pastoris officia præstare, quæ describit Psaltes Psalm. 22. et Christus Ioannes 10. Christus ergo et pascit, et pascitur inter lilia, id est inter castas, puras, et sanctas animas, præsertim virgines; pascit illas sua doctrina, exemplo, gratia, Sacramentis, imo seipso in Eucharistia. Audi S. Ambr. in Psal. 118. ser. 14. vers. 1. *Bona pascua divina sunt Sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt sacrarum Scripturarum, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, hoc est in splendore sanctorum.* Addit Nyssen. *Hic est pastor bonus,*

Christus pascit et pascitur inter lilia, id est animas castas et puras.

qui non fœno pascit gregem, sed Spiritu sancto per liliorum puritatem et odorem significato. Accedit Theodor. qui pascua Christi censet vocari lilia, quia candida sunt, pinguia, suavia, et odorata instar liliorum. Idem tamen inferius ait Christum pascere inter lilia, cum per sanctos doctores suas leges purissimas promulgat.

Rursum Christus, non tantum active pascit, sed et passive pascitur inter lilia, id est, oblectatur puris et castis mentibus, præsertim virginibus, earumque puritate, virginitate et virtutibus. Ita S. Gregorius, Cassiod. Beda, Iustus, Anselmus, cæterique Latini: « Quid per lilia, ait S. Greg. nisi mundæ animæ designantur? quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ et in se munditiam carnis conservant, et per nitidas cogitationes eorum eo placent, et exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. »

Hinc illud S. Ambrosii, quod usurpat Ecclesia in officio Virginum:

Qui pascis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsas decorans gloria

Christus, ait S. Bern. serm. 70. qua Deus, regnat super sidera, qua homo pascitur non liliis, sed inter lilia: *Nam qui in altissimis est Dominus, in imis est dilectus, super sidera regnans, et inter lilia amans.* Deinde lilia hæc mystica esse docet veritatem, mansuetudinem, iustitiam, cæterasque virtutes, sed duas præsertim, continentiam scilicet et innocentiam: inter hasce enim pascitur et oblectatur Christus iuxta illud Ps. 44. *Procede et regna propter veritatem, mansuetudinem et iustitiam.* Nempe *quot virtutes, tot lilia,* ait Bern. *Quis finis virtutum apud Dominum virtutum? Quod si plenitudo virtutum in Christo et liliorum: et fortassis propterea ipse se lilium appellavit, quod totus versetur in liliis, et omnia quæ ipsius sunt, lilia sint; conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio. Quid horum non candidum et non suavissime redolens? Tanta denique in conceptione refulsit superni luminis claritas de supervenientis abundantia spiritus, ut ne ipsa quidem Virgo sancta sustinuisset, si non sibi obumbratum foret a virtute Altissimi. Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris, conversationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, sacramenta pietatis arcanum, passionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, resurrectionem martyrum fortitudo, ascensionem exhibitio promissionum.*

Idem serm. 74. docet Christum pasci inter lilia, id est inter puram legum suarum observantiam: « Ergo, inquit, absque liliis numquam est, qui absque vitiis semper est: quia totus et semper est candidus, speciosus forma præ filiis hominum. Tu ergo qui hæc audis, vel legis cura habere lilia penes te, si vis habere habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestentur, moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor. Habent et mores colores suos, habent et odores, etc. Colorem operi tuo det cordis intentio, et iudicium conscientiæ odorem famæ. » Et pluribus interiectis: « Sponsus itaque, et cum sit virtus, in virtutibus complacet sibi: et cum sit lilium, libenter inter lilia commoratur; et cum sit candor, delectatur candidis. Et fortassis hoc est, quod dicitur pasci inter lilia, candore et odore virtutum delectari. Et quidem pascebatur olim corporaliter apud Mariam et Martham et recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominus spiritum reficiebat devotione et virtutibus mulierum.

Docet deinde idem Christo esse pascere, quod pasci, quia ipse pascit nos sua gratia et virtutibus, iisdemque pascitur et oblectatur: « At pascens, ait, ita puto, nihilominus pascitur ipse, et quidem escis quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo, et cum pascit pascitur; et pascitur cum pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, et de nostro æque spirituali profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea, et cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse, etc. Mandor cum arguor, glutior cum instituor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor, unior cum conformor. » Idem S. Bernardus serm. in Nativit. B. Mariæ sub finem aliter explicat: « Attende, ait, quod locum non cibum indicare videtur, nec quibus pascitur exprimit sponsa, sed inter quæ. Forte enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum, nec liliis vescitur, sed in liliis versatur; nimirum odore potius, quam sapore lilia placent, et visui magis sunt apta quam esui. Cæterum, etsi iustus germinet sicut lilium, sed non ad lilium sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem: Ubi, inquit, fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Amat semper media Iesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator. »

Porro pascit Christus animas diversimode, quasque iuxta suam inclinationem, statum, et dispositionem: quare subditis dat obedientiam, superioribus prudentiam regendi, virginibus amorem virginitatis, coniugatis affectum castitatis coniugalis, et robur ad ferendum mores coniugis, filiorum et servorum a suis diversos, martyribus dat invictam in tormentis constantiam, doctoribus acumen docendi, prædicatoribus efficaciam prædicandi, divitibus impulsum ad tolerantiam, etc. Christus quemque pascit pro suo statu.

VERS. 17. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ. REVERTERE, SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES BETHER.

DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR (Septuag. *moveantur,* id est amoveantur) UMBRÆ.) Refer ad id quod præcessit: *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia:* licet nonnulli referant ad id quod sequitur: REVERTERE, SIMILIS ESTO, etc. Uti mox dicam. Nota τὸ *aspiret dies.* Solet enim mane, oriente luce et die suavis aspirare aura, quam efficit calore suo sol oriens in aurora, quasi in auræ rore: hic enim vapores frigore noctis collectos resolvit et commovet, ex iisque flatus et ventos efficit, quare minus recte Theodoret. exponit, q. d. *Donec aspiret dies,* id est donec ardor diei prætereat, et ros salutis aspiret. Iam

Primo, nonnulli per diem accipiunt Evangelium, per umbras legem veterem, quæ typus et umbra fuit Evangelii, q. d. Apparente luce Evangelii evanescent umbræ, id est, observantiæ et ceremoniæ typicæ legis veteris. Ita Iustus Orgelit. et S. August. orat. contra Iudæos c. 6. Dies et umbræ quæ? Resp. I.

Secundo, alii per diem accipiunt claram cognitionem veritatis et æternitatis; hanc enim adepta anima sancta fugat, et pellit a se umbras vanitatis rerum temporalium. Ita Nyssen. II.

Tertio et genuine, per diem accipe futuram vitam et gloriam, per umbras præsentis vitæ tenebras et ærumnas, q. d. Christus pascitur inter lilia, id est, versatur inter puras animas, quamdiu durant umbræ huius vitæ. Nam ubi aspiraverit et illuxerit dies gloriæ, versabitur inter beatos in splendoribus sanctorum. Si enim in valle lacrymarum pascitur inter lilia, inter quæ et quanta pascetur in die nuptiarum et gloriæ sempiternæ? Christus nunc me pascit inter lilia castitatis et gratiæ, at ubi aspiraverit dies felicitatis, pascet me inter lilia charitatis et gloriæ. Tunc amor sponsi absentis vertetur in gaudium et fruitionem præsentis, tunc mutabitur fides in speciem, spes in rem, charitas in claritatem, ærumna in gloriam, mors in vitam, corruptio in incorruptionem, luctus in iubilum. Ita S. Gregorius, Cassiodor. Beda, S. Bernard. et ceteri. Hic ergo anima pia amore corporis pressa gemit, et suspirat, donec aspiret dies æternitatis beatæ, et inclinentur umbræ miseræ mortalitatis: *Hic quippe nox est,* ait S. Gregor. *ibi vero dies erit, quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit.* Porro S. Bernard. serm. 74. ait Christum in hac vita pasci liliis, id est, virtutibus, quia hic mixtæ sunt, rudes et imperfectæ, in cælo iis potari, quia ibi erunt liquidæ, defæcatæ, subtiles, et perfectæ. III. Genuine.

Nonnulli cum nostro Sanchez censent τὸ *inclinentur umbræ*, esse periphrasin vesperæ; in ea enim post meridiem, sole declinante, inclinant umbræ, iuxta illud Virgilii:

Maioresque cadunt altis de montibus umbræ.

Unde et Aquila pro *donec aspiret dies* vertit, *donec cesset dies*; vespera enim, dum cessat dies, aspirat flatus et ventos. Unde Plinius l. 2. cap. 47. *Sol*, inquit, *et auget, et comprimit flatus; auget exoriens occidensque*. Et Aristot. in Problem. sect. 25. quæst. 4. *Flatus*, inquit, *vel ortu solis, vel obitu incipit*. Hinc Virgilius: *Aspirant auræ in noctem*. Unde ex Hebræo verti potest, *donec expiret*, id est, *finiatur dies*. Verba enim Hebræa sunt simplicia, ideoque sumuntur pro omnibus compositis, utpote quibus Hebræi carent. יפוח *iaphuach* ergo significat *spiret, aspiret, perspiret, respiret, exspiret*, et hoc significat Græcum διαπνεύσῃ apud Septuag. q. d. Toto die, id est, toto tempore huius vitæ, *dilectus meus mihi, et ego illi*, idemque toto hoc tempore *pascitur inter lilia*. Verum Noster aptius vertit, *aspiret*, dum enim aspirat dies, finiuntur umbræ et tenebræ nocturnæ. Quocirca magis apposite S. Gregor. et alii passim censent per umbram hic intelligi noctem, nox enim umbrosa est, et mera quasi umbra, quæ inclinatur, id est deficit, et ut Hebr. est *fugit*, id est evanescit, oriente in aurora sole, sed sensim et pedetentim; quo enim magis ascendit sol, eo magis minuuntur umbræ, adeo ut in meridie fere nulla sit umbra. Rursum, oriente sole, aspirat dies, non occidente, tunc enim expirat et finitur.

Symbol. Bern. visio beatifica, umbræ dæmones.

Symbolice S. Bernard. serm. 74. per umbras accipit dæmones, qui electis in die iudicii et beatis inclinabuntur, id est subdentur, ac tamquam victi victoribus subiicientur. Idem rursum per diem accipit visionem beatificam, per quam omnes umbræ errorum, simulationum, ignorantiarum dispellentur. Denique addit cumulum felicitatis æternæ significari per τὸ aspiret. « Ergo, inquit, is cumulus aspirantis erit diei. Ipsa, inquam, adiiciet ad mensuram inspiratæ plenitudinis, ad inspirantis diei copiam supra modum in sublime pondus gloriæ operans, ita ut redundet in corpora supereffluens clarificationis adiectio. Hac de causa enim non spirans, sed aspirans dicta est, quod addat ad inspirantem, hoc significante Spiritu sancto per adiectam (ad) præpositionem; quia quos illa intus illuminat, hos ista adornat foris: et stola gloriæ induit eos. » Et post nonnulla: « Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inspirans pro corporis vita: alter vero respirans in sanctificationis gratia: porro tertius superest aspirans in resurrectionis gloria; claret profecto aliquando adimpletum iri in corpora, quod præcessit in capite, magnum utique pietatis sacramentum, et Prophetæ testimonium, qui ait, Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius. »

Porro distinctio, quæ est in Bibliis Hebræis, cuius auctor non est Salomon, sed Rabbini posteriores sive Masoretæ, hæc verba: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*, connectit cum eo quod sequitur: *Revertere, similis esto, dilecte mi;* atque hæc connexio commoda quoque est, commodosque dat sensus, ut patet sensus iam dandos intuenti, cumiisque hæc verba, *donec aspiret dies*, combinanti.

REVERTERE, SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ, HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES BETHER.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Varii hic sensus.

VARII hic a variis assignantur sensus. Primus est, q. d. Sponsa: Video te, o sponsa mi, delectari pascendis gregibus in sylvis et montibus, quales sunt montes Bether; ibi enim pasceris inter lilia, eoque me invitas et evocas dicens: *Surge, propera amica mea:* ut tuo ergo æque ac meo animarum zelo satisfacias festinus et velociter, instar capreæ et hinnuli *revertere*, hebr. סוב *sob*, id est circuitu, lustrato et visitato greges nostros, puta fideles Christianos, qui pascuntur in Bether, id est in divisione, hoc est in divisis locis et particularibus Ecclesiis per totum orbem diffusis habitant, ac pasce eos tua sancta doctrina, gratia, consolatione, inspiratione, Sacramentis, etc. Ita Theodor. et tres Anonymi apud ipsum. Psellus et Philo Carpathius, qui censent hic obsecrare sponsam, ut sponsus ad pascua revertatur, ut omnes fideles eius conspectu fruantur atque illustrentur, iisque ipse suam suavitatem et amorem impertiat.

Secundus planior et plenior est, q. d. sponsa: Permitto quidem, imo cupio, o sponse, ut fideles nostros toto orbe diffusos visites, instruas, robores, perficias, sed vellim id fieri expedite et velociter, ut per eos decurras celeriter, instar capreæ vel hinnuli, hoc fine, ut, iis visitatis, illico ad me revertaris: ego enim tui præsentiam intime desidero, nec ea satiari queo, atque magis decet sponsum sponsæ, id est Christum Ecclesiæ universali, quam particularibus Ecclesiis adesse et assistere. Hunc sensum exigit τὸ *revertere*, ut vertit Noster et Sept. respicit enim ad id quod dixit v. 8. *Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, ut illico ad me iam ex amore deliquium passam advolet, sustentet, meque mihi restituat; quare *similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*. Ita S. Bernard. Beda et alii. Audi S. Bern. qui hic notat amoris impotentiam nescire impudentiam: sponsam enim revocare illico sponsum, cui paulo ante abeundi dederat facultatem: *Intempestiva*, inquit ipse ser. 74 *revocatio magni unius amoris, magnæ alterius amabilitatis indicium est*. Et serm. 73. *Amor intemperans facit hæc. Nempe is est, qui omnem in se triumphans captivansque pudoris sensum, convenientiæ modum, deliberationis consilium, totius modestiæ et opportunitatis neglectum quemdam, et quamdam incuriam parit. Nam vide nunc quomodo illum pene adhuc incipientem ire, iam tamen redire flagitat. Etiam accelerare rogat, et quidem currere, instar unius alicuius feræ sylvarum velociter currentis, verbi gratia, capreæ hinnulive cervorum. Hic litteræ tenor, et hæc Iudæorum portio.*

Quinam sint montes Bether?

Quæres, qui sunt montes Bether? Resp. esse montes Bethel (uti vertit Arabicus) ubi Iacob vidit scalam e terra in cælum porrectam, per quam ascendebant et descendebant angeli ad Deum scalæ innixum, ideoque locum oleo inungens consecravit, vocavitque Bethel, id est, domum Dei, Gen. 32. Montes vero Bethel dicuntur montes Bether, id est, divisionis, quia divisi sunt et diffissi, ut plures intermedias contineant civitates et valles, ac consequenter plures quasi montes in varios colles dissectos, ita ut capreæ ex uno in alium saliant. Unde a Sept. vocantur montes κοιλωμάτων id est, *concavitatum*. Nonnulli legunt, κυκλωμάτων, id est *circuitionum*, montes, ad quos non est facilis accessus, sed diu eos per anfractus circuire opus, antequam ad culmen pervenias: tales enim quærunt capreæ et hinnuli, ut a venatoribus sint securi. S. Ambrosius libro 3. de Virgin. legit cum Syro, *montes aromatum*; sic enim vocantur hic cap. 8. v. ultim. nam hi montes aromatibus abundant. Audi Adrichom. in descript. terræ sanctæ p. 16. num. 43. *Bethel, seu Bether montes sunt fœcundi, nemorosi et arboribus consiti, gramine et herbis aromaticis pleni, et ideo cervi, capreæ, et hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis.*

Monasteriorum

Symbolice ergo montes Bethel vel Bether, apte repræsentant Ecclesiam universalem in varias particulares divisam et distinctam: Ecclesia enim est, *mons domus Domini in vertice montium*. Isaiæ 2. 2. quia sua fide, spe, doctrina, conversatione et contemplatione cælesti superat omnes sectas Iudæorum, Hæreticorum, Gentilium, adeoque iam non in terra, sed in cælis cum beatis degere videtur, iuxta illud: *Nostra conversatio in cælis est*. Philipp. 3. 20. Quocirca hi omnes peculiariter repræsentant monasteria et collegia religiosorum: Primo, quia monasterium et claustrum est *Bether*, id est, locus divisus et 1.
separatus a consortio sæcularium. Secundo, quia montes 2.
Bether sunt ardui et asperi, ac cavitatibus et salebris in-

3 terrupti. Tertio, sicut capreæ et hinnuli ad præruptos et inaccessos hosce montes fugiunt, ut tuti sint a canibus et venatoribus, sic pariter religiosi fugiunt ad claustra, ut ibi a mundi tentationibus et periculis sint securi et remoti. Ibi ergo Christus pascitur inter lilia puritatis, quæ nascuntur in montibus Bether, id est, separationis, orationis, et contemplationis. Huc facit versio Chaldaica, quæ de sanctis Patriarchis sic exponit: *Et voluit Dominus disperdere eos de sæculo, nisi subiisset memoria coram eo iuramenti sui, quod iuravit in verbo suo Abraham, Isaac, et Iacob, qui erant velocissimi in cultu eius, sicut caprea et hinnulus cervorum, et etiam oblationis, quam obtulit Abraham Isaac filium suum in monte Moriah, et ante hæc detulerat illi oblationes suas, et diviserat eas æqualiter.*

Sancti sunt montes per virtutis eminentiam, et valles per humilitatem

Hinc Philo Carpath. per montes convallium, ut vertunt Septuag. intelligit sanctos, et iustos eminentes: hi enim sunt montes per virtutis excellentiam, quæ supra mundum et mundana omnia eminent; sunt et valles per humilitatem, qua humiliter doctrinam et gratiam Dei, ceu pluviam e cælis valles excipiunt. Sic et Ambr. serm. 14. in Psalm. 118. Tres vero Anonymi apud Theod. per *montes convallium* accipiunt doctores qui discipulis, sicut montes vallibus, longe eminent et excellunt, q. d. *Te illis similem præsta veniens in magistras animas, quæ inter discipulas perturbationum fluctibus depressas montium instar excellunt, ubi ipsarum opera propellas et fuges bestias illis pestiferas quæ naturalem rudium animarum æqualitatem excavant, in eisque sibi latebras constituunt, atque ita illis pristinam æqualitatem redde.*

Ex adverso Theodoret. et Nyssen. homil. 6 per montes convallium accipiunt superbos inter humiles, q. d. Ait Nyssenus: « Vide ut capræ, qui aspicis cogitationes hominum; dele peccati generationem, sicut hinnulus delet serpentis. Curre quam celerrime divinum Verbum ad montes convallium: Quidquid enim extollitur adversus veritatem, est barathrum, et non mons; concavitas et non assurgens fastigium. Si ad hæc accurreris, omnis vallis implebitur, et omnis mons huiusmodi humiliabitur. »

Huc accedit S. Anselmus, qui putat Ecclesiam hic orare Christum, ut iuvet se laborantem in conversione infidelium: « Revertere, inquit, id est, condescende istis, et aspira eos interius, quia aliter labor noster erit infructuosus; Revertere et similis esto capreæ, etc. Natura capreæ hinnulique est, ut licet in summitate montium habitent, descendant tamen in colles, ut ab inferioribus videantur. Cum enim Christus habitet in montibus, id est, in eminentibus propter virtutes, rogatur descendere ex ipsis, et per ipsos ad cognitionem inferiorum.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

CHRISTUS subinde videtur abire ab anima sancta, vel ob eius defectus et lapsus veniales, vel ut eius fidem et constantiam probet, vel ut sui desiderium in ea adaugeat, animamque in Spiritu promoveat et perficiat, dum eam sine gustu, sine consolatione, sine lætitia aridam et siccam relinquit in desolatione, persecutione, tentatione, tristitia, obscuritate, similive afflictione animæ vel corporis. Quare anima hoc stimulo puncta ardentius ad sponsum Christum suspirans eius reditum, opemque inclamat: Revertere ad me, o dilecte mi, et instar capreæ vel hinnuli velociter accurre, ut me consoleris, adiuves, robores, confirmes, promoveas.

Addit noster Sanchez, quod anima pia edocta multa se amori impedimenta opposuisse, et infirmitatis suæ conscia, sibi ipsi parum fidens, oret sponsum, ut quamvis vagetur super montes Bether, id est, inter salebras et anfractus et mille alia impedimenta, quæ ad omnia officia pronum et festinantem retardare potuerint; ferat nihilominus hæc patienter, et quo est animo ad hæc perferenda plane indomito, et lenitate ad condonandum plane admirabili, devoret has molestias, transiliat hæc obstacula, ac tandem quamvis per *Bether*, id est, *confragosa* atque aspera, ad se tamen recta, festinatoque perveniat.

Et Luysius Legion. Postulat, inquit, anima fidelis, cum inclinantur umbræ, id est, inclinato iam ad occasum die, et irruentibus periculorum tentationumque tenebris, sibi auxilietur, nulla mora interposita: *Similis*, inquit, *esto capreæ hinnuloque cervorum.* Quod sine metaphora proprie et litterate David dicebat: *Domine, ad adiuvandum me festina*, et rursus: *Domine, accelera, ut eruas me.* Quodque non solum causa incitandi Deum, et ut auxilium ferre maturet efficiendi, a sponsa dicitur, sed etiam quo nos admoneat, ut in ipso statim pravæ cogitationis initio, ut primum mala libido subire animum cœpit, ad primos hostis aspectus, imo vero ad primos rumores atque suspiciones belli, antequam ob negligentiam turbarum in nobis atque tumultus aliquid oriatur, attollamus ad cælum oculos, et ad Deum cor nostrum penitus convertamus, illud cum lacrymis iterantes: *Revertere, dilecte mi, similis esto capreæ hinnuloque cervorum*; salutemque illi nostram ardentissime commendantes, ut acceleret, atque festinet liberare nos, non a malo solum, sed etiam a suspicione mali, ab ipso petamus. Huc accedit Cassiodor. qui exponit, q. d. O Christe, qui per carnem, quam parvulus ut hinnulus assumpsisti, velut caprea ascendisti in cælorum sublimia, nos tua consolatione et gratia visita, illustra et lætifica.

Porro quomodo Deus animam sanctam visitet, docet S. Bernard. serm. 74. idque ex experientia, qua in sua anima crebro hanc Dei visitationem sensisse se asserit: « Vivum, inquit, et efficax est (Verbum Dei, puta Christus) moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit et mollivit, et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat et male sanum. Cœpit quoque evellere, et destruere; ædificare, et plantare; rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsus, nullis umquam introitum suum indiciis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. » Et post nonnulla, quæ in hanc rem interiicit, subiicit: « Ex renovatione et reformatione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei, percepi utcumque speciem decoris eius, et ex contuitu horum omnium simul expavi multitudinem magnitudinis eius. Verum quia hæc omnia, ubi abcesserit Verbum, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia et frigida iacere incipiunt, atque hoc mihi signum abcessionis eius, tristis sit necesse est anima mea, donec iterum revertatur, et solito recalescat cor meum intra me, idque sit reversionis indicium. »

Quomodo Deus visitet animam

Secundo, Aponius ait sponsum discedere cum sponsæ, id est animæ, peccata castigat; reverti cum pœnitentia placatus ei reconciliatur: « Prolongatio, inquit, Christi in Ecclesia tunc est, quando ad castigandam plebem tribulationem induci permittit, reversio autem eius est, dum precibus inclinatus ad misericordiam, ad vestigia pietatis suæ velocius recurrit, quam prosilierat vindicando; similis factus cursui vel consuetudini capreæ, hinnulique cervorum quorum natura est voce ante se in montibus resonante post tergum emissa, dum obvium sibi opinantur occurrere quidpiam, ad locum, unde abcesserant, velociori cursu reverti. Et hæc est causa, ut exasperatæ ab hostibus consuetam nolint derelinquere sedem, sicut et Christus, quamvis provocatus et exasperatus peccatis hominum, pietatis tamen non dereliquit consuetam sedem. »

Mystice, de Christi ascensione.

Mystice, Iustus Orgelitan. censet hic significari ascensum Christi in cælos: *Dum dilectum*, inquit, *Ecclesia insinuat regredi, similemque capreæ et hinnulo dicit, Christi in cælos ascensionem mundis et velocibus animalibus comparandam demonstrat. Hæc enim celeri cursu montium altiora transiliunt; supergressus est autem Christus*

omnia excelsa; et bene additur *super montes Bethel, id est domus Dei, quia super sanctos omnes elevatus est.* Aponius vero censet hic Ecclesiam orare, ut Christus mortuus a morte resurgat: *Super montes Bethel*, inquit, *quod eum reverti precatur, in cuius finibus Christus crucifixus est, velocitatem resurrectionis die tertia celebrandam prophetasse monstratur.*

Tropol. Tropologice, Beda æstimat hic animam piam ad perfectionem tendentem postulare, ut Christus sibi cælestis felicitatis prægustum exhibeat. « Obsecro, inquit, a generali instructione revertaris sæpius ad illustranda sublimius corda perfectorum, et sicut capreæ, aut hinnuli cervorum rarus quidem, sed cum delectatione conspicientium in montibus solet esse intuitus: sic in excelsis mentibus vestigia tuæ magnitudinis qualiscumque præsentes. Precor ut dulcedinem vitæ immortalis, quam membris omnibus meis in retributione promittis, aliquibus etiam in itinere, quamvis a longe speculandam reveles. Congruit autem et nomen montium mentibus eorum, qui contemplationi cælestium oculos cordis aperire didicerunt, cum dicitur super montes Bether, quod domus consurgens, sive domus vigiliarum interpretatur. »

Anagog. Anagogice, S. Gregorius censet hic animam piam rogare Christum, ut cito veniat ad iudicium, ut in eo ipsa cum piis gloriam; impii, qui pios affligunt, gehennam consequantur: « A nobis, inquit, dilectus tunc corporaliter abiit, quando post resurrectionem in cælos ascendit; tunc autem revertetur, quando in fine mundi resuscitatis omnibus hominum corporibus, in iudicio manifestabitur. Hanc manifestationem hic petunt animæ sanctæ; tunc Christus vere similis capreæ et hinnulo cervorum apparebit super montes Bether, quia in eadem humanitatis forma ad iudicium veniet, quam ab Ecclesia, quæ per capream designatur, sumpsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie, quasi hinnulus cervorum humilis natus fuit; tumque super omnes summos, qui quasi montes excellunt in Ecclesia, quæ domus Dei est, sublimior eminebit. » Similia habet S. Bernardus ser. 73.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Postulat B. Virgo ne Christus tres dies integros RUPERTUS censet B. Virginem hic postulare a Christo iam mortuo, ut resurrectionem suam velut hinnulus acceleret, nec triduum integrum, id est, 72. horas maneat in sepulcro, sed illud decurtet, ut post 33. horas illico resurgat: « Cito revertere, inquit, nulli moras facere, quia A anima mea desiderat te, etc. Tridui quidem tempus breve est, sed dilectæ et columbæ tuæ desideranti et gementi vulnerata mente, non satis, dilecte mi, festinatum est. Abbrevia hoc ipsum triduum, et similis esto in revertendo capreæ et hinnulo cervorum, id est, velocissimus esto ad peragendum cursum tuum. In corde terræ, id est, in sepulcro tuo, non totum expendas triduum. Sufficit ad complendam veritatem Scripturarum, si partem exiguam primi diei, id est, tres horas novissimas et partem aliquam tertii, scilicet sex horas, quod est dimidium noctis, cum die secundo, id est, cum Sabbato iacens in sepulcro transegeris. Nam tres integri dies horæ septuaginta duæ sunt. Hoc esset nimis longum. » Subdit deinde aliam rationem numericam: « Sufficiunt horæ triginta tres, qui numerus ex duobus ternariis, deceno et singulari compositus est. Beatam Trinitatem, cui primus homo peccavit, in te, et per te, et de teipso, dilecte mi, caro mea et sanguis meus, Deus meus et Dominus meus, placare oportet; sed hoc fiat celerrime et multum festinanter, sicut caprea sive hin- B nulos cervorum in montibus celerrimus est; secundum nomen tuum, quo per Prophetam iussus es vocari: Accelera, spolia detrahere, festina prædari. Vix igitur exspectatis triginta tribus horis, Revertere super montes Bethel, id est, resurge et appare principibus domus Dei, scilicet Apostolis tuis et mihi, cuius maxime sicut et illorum, imo et multo plus quam illorum, tu es grande desiderium. » manens in sepulcro

Idem Rupertus censet B. Virginem hic orare pro conversione suæ gentis, puta Iudæorum: *Revertere*, inquit, *similis esto capreæ super montes Bether, id est, prope patres domus Dei, hoc enim interpretatur Bethel*, q. d. Miserere Iudæorum, ipsi enim sunt filii Abrahæ et sanctorum Patriarcharum, qui fuere Bethel, id est, domus, familia et Ecclesia Dei. Rursum Iudæi sunt montes Bether, id est, divisionis et separationis; quia per superbiam diviserunt et separarunt se a fide Patriarcharum, qui in Christum venturum crediderunt, et consequenter a Deo, ab Ecclesia, a cælo, a salute, et omni bono. Similiter B Virgo C etiamnum orat pro peccatoribus, qui velut montes Bether per peccatum superbe separarunt se a Deo Deique gratia, q. d. Revertere, o dilecte, ad animam olim tuam, quæ nunc a diabolo tyrannice possidetur; inspice velut caprea lynceis oculis miserrimam eius servitutem et tyrannidem, qua opprimitur a diabolo, ac velut hinnulus cervorum, qui halitu suo extrahunt necantque serpentes, teste Plinio libr. 8. cap. 32. ab animarum harum cavernis educ Tartareos, non tam serpentes, quam dracones inmanes, qui habitant in montibus Bether, id est, in superbia divisionis, puta in cordibus superbis, æque se in inferno, ubi ob superbiam a Deo et cælo divisi et dissecti sunt in omnem æternitatem.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa in lectulo quærens sponsum, nec inveniens, circuit vicos, ac tandem invenit, nec dimittit. Inde sponsus vers. 5. vetat eam suscitari. Mox vers. 6. inchoatur actus tertius Dramatis, quo [illegible]iantes sponsæ eam laudant, comparantque myrrhæ, thuri et aromatibus. Sponsum vero vers. 7. a robo[illegible] stipatorum, ac vers. 8. a ferculo cedrino, argenteo et purpureo. Denique vers. ultimo iubentur filiæ Sion oculos a ferculo ad sponsum coronatum, qui ferculo vehebatur, convertere. Primis ergo quinque versibus Salomon pergit describere et finire adolescentiam crescentis Ecclesiæ; a versu vero 6. et deinceps describit Ecclesiæ quasi virilem ætatem et perfectionem, uti dixi in Proœmio.

1 In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. 2. Surgam, et
circuibo civitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.
3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? 4. Paululum
cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in
domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. 5. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosque cam-

porum ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. 8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. 9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: 10. Columnas eius fecit argenteas: reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media caritate constravit propter filias Ierusalem. 11. Egredimini et videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis eius.

A

Vers. 1. IN LECTULO MEO PER NOCTES QUÆSIVI QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Vers. 2. SURGAM, ET CIRCUIBO CIVITATEM: PER VICOS ET PLATEAS QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Vers. 3. INVENERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT CIVITATEM: NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS?

Vers. 4. PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QUEM DILIGIT ANIMA MEA: TENUI EUM, NEC DIMITTAM, DONEC INTRODUCAM ILLUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM GENITRICIS MEÆ.

SURGAM, ET CIRCUIBO (Arabicus, *perlustrabo*) CIVITATEM: PER VICOS ET PLATEAS, QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM ET NON INVENI (Addit Arabicus: *Vocavi eum, et non obedivit mihi.*) INVENERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT (Syrus, *qui circuibant*) CIVITATEM: (addit Arabicus: *Et dixi*) NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS?) Syrus: *An essentiam amoris, quam diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; tenui eum nec dimittam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*; Arabicus: *illius quæ me concepit.*

Connexio hæc difficilis. Nexus. I. Difficilis est hic connexio, qua ratione scilicet hæc nectantur præcedentibus, ut servetur decorum Dramatis. Primo, noster Sanchez: In capite primo, inquit, Scriptor sacer desiderium sponsæ, quo in absentem sponsum ferebatur, luculenter descripsit. In secundo, sponsi in dilectam blandimenta atque officia complexus est. In tertio, iam propius accedit ad nuptias; componit enim coniuges in curru, quo de more cum plausu atque symphonia domum reducebantur. Apud Hebræos enim sponsus non accedebat ad sponsam, nisi post traductionem eius in domum sponsi. Sensus ergo huius versus est, q. d. Dolui abesse sponsum a lecto, quia esse in eo non poterat, nisi peractis nuptiarum sacris. Vel, desideravi lecti socium habere, id est, nuptias inire; quia ante illas non sperabat fore ut secum umquam in noctibus haberet quem amabat. In hanc sententiam Bernardus, ser. 75. dicit sponsam, cum esset in lectu, quæsiisse sponsum, non quidem in lecto cubantem, sed cum absentem desideraret, de illo investiganda secum deliberasse. Et consonat valde huic explicationi translatio Septuaginta qui vertunt, ἐπὶ κοίτην, id est, in *lectulum*, q. d. Desideravi ad lectum, seu ad connubium. *Hæc* Sanchez.

Apud Hebræos sponsus non accedebat ad sponsam nisi ubi traducta fuerat in domum sponsi.

II. Secundo, Genebrardus censet hic novum esse Drama, vel potius novum, scilicet secundum actum Dramatis: quare nullam hic quærendam esse connexionem, quod alio tempore, scilicet noctu gesta sint, quæ hic narrantur, cætera vero per diem. Melius Gislerius censet novum hic quidem esse actum, novamque narrationem, sed cum prioribus connexam: sponsam enim post discessum sponsi narrare quid a se factum sit aliquando, cum dilectum suum a se abscessisse animadvertit, quo studio illum quæsierit, quomodo invenerit ac tenuerit, ne rursum abscederet.

III. Tertio, Ioannes Carmelita censet hæc sponsæ verba produci, ut dent causam, cur sponsus ei dixerit cap. 1. v. 10. *Surge, propera, amica mea:* quia scilicet invenit eam in lectulo cubantem vel desidem; hinc ab eo illam evocat dicendo: *Surge, propera.*

IV. Quarto, Gilbertus Abbas, qui continuavit Sermones S. Bernardi in cant. hicque inchoat, sic nectit serm. 1 « De montibus, inquit, se raptim contulerat ad lectulum sponsæ, ubi illa excitata et deficiens ubertate delectationis, obdormivit exhausta inter amplexus dilecti. Oblectata obdormivit somnum dulcem, sed expergefacta non invenit illum hæc mulier deliciarum in manibus suis. Gaudia itaque illa, gaudia ineffabilia silentio transiens, in hanc tamen vocem erupit: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. »

V. Germanus. Quinto, magis apposite Luysius Legionensis censet sponsam ex amore deliquium passam in somnum incidisse, ac in somnis vel semisomnem dixisse adolescentulis sociabus suis: *Vox dilecti mei*, et cætera, quæ a cap. 2. v. 8. usque ad finem capitis narrantur; nunc vero, inquit, soluto somno sponsa atque experrecta, sponsum, quocumque modo loqui sibi per quietem visa est, una secum iacere arbitrata, ipsum quæsivisse, atque eo non invento e lecto exsiliisse, domoque egressa, urbis loca omnia illum quæritando obiisse dicitur. In quo, non quid reipsa gestum sit, commemorasse intelligendus est Salomon, sed quid rei, de qua agitur, natura fieri postulet, accommodate ad ipsam

B

rem exposuisse. Itaque quia intellexit, aut decorum a se negligi, aut bonam huius carminis partem omitti debere, idcirco personam sumpsit de medio, rurique educatam fœminam induxit, quo decore servato exprimeret in ea omnem amoris vim. Quare sponsa, partim amoris, partim timoris (ne quid sponso absenti per noctem mali accidat) stimulis excita, imperare sibi non potuit, ut quoad luceret, domi maneret; sed exsiliit statim, neque tenebris deterrita, neque nocturnos casus metuens, neque sui rationem ullam habens; unumque amorem ducem secuta, virum suum pervestigavit. Nam nuptias iam ante a sponso cum sponsa initas fuisse, ac sponsum ad sponsam accessisse satis liquet ex præcedentibus præsertim ex cap. 1. v. 4. ubi ait sponsa: *Introduxit me rex in cellaria sua*; et v. 12. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum;* et cap. 2. v. 4. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, etc.*

Ex adverso Aben Ezra censet sponsam hic narrare ea

C

quæ somnians videbat, idque probat ex eo quod ipsa ait: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea;* noctu enim dormitur et somniatur: quis enim quærat eum quem scit sibi præsentem, vel absentem in lectulo? et ex eo quod v. 5. iubet sponsus, ne quis eam a somno excitet; iam ergo dormiebat sponsa et somniabat, quod sane probabile est, præsertim ob v. 5. iam dictum. Hoc si sequi placet, dicito novum hic esse sponsæ somnium, priori partim simile, partim dissimile, quo scilicet somniet sponsa, se dilectum suum per vicos et plateas anxie quæsiisse, ac tandem post longos circuitus invenisse, inventum tenuisse, nec dimisisse. Quæ enim quis amat et valde desiderat, de his crebro et varie somniat. Unde et amantes sibi somnia fingunt, ac desideria amantium sunt somnia vigilantium. Hinc S. Anselmus notat non esse mirum sponsam in lecto dormire et simul ascendere, ut virgulam fumi; quia quo magis a terrenis abstrahitur, lisque quasi indormit, eo altius ad cœlestia elevatur.

D

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Primo, Chald. hæc exponit de Iudæis, qui adorantes vitulum aureum perdiderunt Dei gratiam et sanctitatem: sic enim ait: *Et quando vidit populus Domini Israel, quod*

sublatæ essent nubes gloriæ ab eis, et corona sanctitatis, quæ data fuit ei in Sinai, ablata esset ab eis, remanserunt contenebrati sicut nox, et quæsierunt coronam sanctitatis, quæ sublata fuerat ab eis, et non invenerunt illam.

Secundo, Titelman. et alii hæc accipiunt de statu veteris Synagogæ, aut generalius de statu humanæ naturæ ante Christi adventum, ac deinde novæ Ecclesiæ post eius adventum. Nam genus humanum ante Christum ex lapsu Adæ miserum, iacensque in lectulo infirmitatis suæ pigrum et ægrum ad omne bonum, idque in nocte infidelitatis et ignorantiæ, quærebat in lege naturæ a suis Sophis, Sophistis et Philosophis tanti mali remedium, scilicet summum bonum, sive in quo sita esset felicitas hominis, modumque ad eam perveniendi; sed nihil solidi et veri ab eis, utpote cæco mentis suæ ingenio præfidentibus hausit, cum debuisset lectulum suum exire, et ad lucem transire divinæ gratiæ, sine qua frustra quæritur, nec invenitur sponsus, qui solus animam se quærentem et diligentem beat: sic et Synagoga iacuit pigra et infirma in lectulo legis Mosaicæ, et in nocte umbrarum, hoc est, ceremoniarum figuralium, et quæsivit sponsum per vicos et plateas, quando in legis littera confidens, ot ad patrum Abrahæ, Isaac, Iacob, etc. merita exemplaque attendens, per lustrales ceremonias, sacrificiaque animalium, et iudicia illa umbratilia, se iustificare, Deumque promereri contendebat. At ibi eum non inveniens adiit vigiles civitatis, scilicet Scribas et Pharisæos, ab iisque eum perquisivit; sed nullum ab eis conveniens responsum tulit. Postquam ergo vanis eorum traditionibus contemptis, et falsa doctrina repudiata ad novam e cælo cum Christo venientem Evangelicæ gratiæ doctrinam, aures animumque transtulit, invenit tandem Synagoga quem tantopere quæsierat, et tot sæculis expectaverat suum dilectum, verum mundi Salvatorem, patribus ab initio repromissum, et variis ceremoniarum ænigmatibus præsignatum: quem usque tunc ipsa, licet occulte, quæsierat per typica sua sacrificia et ceremoniales observantias, quæ omnia ad Christum mundi Salvatorem quasi ad finem universæ legis respiciebant, iuxta quod Apostolus ait, Christum finem esse legis *ad iustitiam omni credenti*, Rom. 10.

Verum, quia canticum hoc est Epithalamium, non Synagogæ et Mosis, nec status legis naturæ et Dei, sed Christi et Ecclesiæ, uti docent S. Hieronymus, Cassiodor. Beda, Origen. Theodoret. et cæteri passim: hinc de Christo et Ecclesia hæc exponenda sunt. Iam quia, ut dixi in Proœmio, in Cantico ortus, progressus et perfectio Ecclesiæ describitur: ortus autem sive infantia Ecclesiæ descripta est a cap. 1. v. 1. usque ad cap. 2. v. 8. inde autem usque ad cap. 3. v. 6. describitur Ecclesiæ progressus, sive adolescentia, sequitur pariter hæc, quæ cap. 3. v. 1. et sequent. usque ad v. 6. continentur, ad eiusdem adolescentiam referenda esse, hicque eam terminari.

Infantia Ecclesiæ ab ortu Christi usque ad Pentecosten. Inde vero incipit eius adolescentia. Infantia autem Ecclesiæ fuit ab ortu Christi usque ad eius ascensum in cælum et missionem Spiritus sancti, quæ continet gesta Christi a nativitate usque ad mortem, resurrectionem, ascensionem et Pentecosten: inde vero incipit adolescentia et propagatio Ecclesiæ, quam prædicando fecerunt Apostoli. Quare infantia Ecclesiæ describitur in Evangeliis, adolescentia autem in Actis Apostolorum.

Lectulus ergo hic sponsæ, sive Ecclesiæ primitivæ, fuit quies eiusdem, qua post ascensum Christi in cælum, quievit cum B. Virgine et Apostolis in Sion usque ad Pentecosten et adventum Spiritus sancti, ac post eum quievit in Sion et Iudæa per plures annos, quibus solis Iudæis prædicarunt Apostoli (Baronius numerat annos decem, ego vero quatuor dumtaxat, uti ostendi Act. 12. 1.) ima putabat se ibi perpetuo quieturam cum suo sponso Christo; sed ibi Christum non invenit, quia pauci a Iudæis fidem amplexi sunt, cæteri cum Scribis et Pontificibus Christum et Ecclesiam spreverunt, imo persecuti sunt. Quocirca Ecclesia, puta S. Petrus et Apostoli edocti a Christo susceperunt laboriosum iter et onus evangelizandi per omnes Gentes, ibique Christum invenerunt in fide, religione et obedientia omnium Gentium, ut patet ex Actis Apostolorum et ex Historia Ecclesiastica. Concatenatio ergo Cantici, eiusque expositio petenda est ex successu Christi et Ecclesiæ, qui in Evangeliis, Actis et Historia Ecclesiastica describitur.

Sensus et constructio huius loci. Sensus ergo est, q. d. Ego Ecclesia suaviter quiescens in Sion et Iudæa, ibique vacans orationi, verbo Dei, frequenti communioni, sanctitati omnique virtuti et perfectioni Christianæ, ut patet Actor. 2. et sequent. ibi quæsivi Christum, sed non inveni, quia plerique Iudæorum inhærentes legi Mosaicæ Christi fidem respuerunt: Christus autem residet et invenitur in Ecclesia, ac in multitudine et universitate credentium totius mundi. Novit enim sponsa Christum per fidem habitare in cordibus fidelium, ut notat S. Bernardus. Dixi itaque: *Surgam, et circuibo civitatem* Ierusalem, reliquamque Iudæam illi subiectam per *vicos et plateas*, evangelizando *quæram quem diligit anima mea*, Christum scilicet, Christique fidem et cultum: *quæsivi illum et non inveni:* quia Iudæi Christo et Evangelio restiterunt: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem*, scilicet Pontifices, Principes sacerdotum, Scribæ, Herodes Agrippa, et cæteri Iudææ Præsides: interrogavi illos: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Agnoscitisne Messiam patribus vestris promissum? Creditisne in Iesum Christum crucifixum? At illi obticuerunt, ac suo silentio se nescire Christum testati sunt. Quocirca *paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, cum scilicet paulo post persecutionem Pontificum, ac necem sancti Stephani, scilicet anno secundo a passione Christi, Christus S. Paulum convertit, ac doctorem Gentium auctoravit dicens: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus et regibus*, Actor. 9. 15. Et cum Actor. 10. 8. Petro per vas a cælo missum ostendit, non solos Iudæos, sed et Gentes vocandas esse ad Christum et Ecclesiam; ideoque iussit S. Petro ut Cornelium Centurionem, quasi primitias Gentium converteret, et Christo adiungeret. Unde paulo post, scilicet anno Christi 37. qui fuit quartus ab eius passione et resurrectione, Apostoli divisis inter se Gentium provinciis, quisque ad suam profectus, eamdem pariter convertit et Christo adiunxit. Ibi ergo in fide Gentium Apostoli invenerunt Christum, quasi in Ecclesia universali residentem et dominantem. Tunc ergo dixit Ecclesia: *Tenui eum, nec dimittam;* quia fundabo ubique Gentium Ecclesias, itaque sacerdotibus, Episcopis, Sacramentis, doctoribus, prædicatoribus, miraculis, etc. eas in fide Christi stabiliam, ut illi numquam illam abiiciant, sed vel simul, vel alternatim et successive arcte eam retineant, ita ut semper magna pars orbis Christum colat et adoret: *Donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*, hoc est, Synagogæ. *Synagoga, mater Ecclesiæ Christianæ.* Synagoga enim vetus Iudæorum fuit mater, et genitrix Ecclesiæ Christianorum. Primi enim Christiani, puta Apostoli, fuere oriundi a Iudæis. Sensus ergo est, q. d. Transferam Christum Christique fidem et cultum a Iudæis ad Gentes, ibique illum firmabo et stabiliam, donec in fine mundi per Eliam et Enoch convertam Iudæos: sic enim Christum Christique fidem *introducam in domum matris meæ*, id est, in Synagogam Iudæorum, ut omnis Israel salvus fiat, atque ex Iudæis et Gentibus fiat unum ovile et unus pastor. Hoc est, quod ait Apostolus: *Cæcitas ex parte contigit in Israel: donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Iacob*, id est, a Iudæis ex Iacob prognatis. Rom. 11. 25. Ita S. Gregorius: *In domum matris*, inquit, *dilectum introducet, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Iudaicam Christiana Sacramenta immittet. In cubiculum autem, quasi in secretiorem partem domus eum introducet, quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abiiciant, et in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Huiuscemodi homines cubiculum facient sponso: quia dum a se omnes sordes cupiditatis abiicient, quasi secretum locum in mente, in quo de-*

lectetur component. Sic et Cassiodorus, Beda, Aponius, Philo Carpathius, Iustus Orgeliton. S. Anselmus, Rupertus, S. Bernard. et cæteri passim, qui eodem modo, quo S. Gregor. v. 4. *Donec introducam*, etc. exponunt; unde colligas præcedentes quoque tres versus eodem modo, quo exposui, esse exponendos. Hoc enim exigit ipsa historiæ acoluthia et connexio.

Nota: Quod ait sponsa, se sponsum Christum quæsiisse per *noctes*, intellige per tenebras, cum scilicet Ierusalem et Iudæam, totumque orbem occuparent tenebræ infidelitatis et ignorantiæ Dei, Christi et salutis. Audi S. Bernardum ser. 45. « Habet mundus iste noctes suas et non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper versetur in tenebris? Nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis animalisve conversatio? Annon nox, ubi non percipiuntur ea quæ sunt spiritus Dei? Sed et apud hæreticos vel schismaticos, quot sectæ, tot noctes. Frustra per has noctes iustitiæ solem et lumen quæritis veritatis, id est, sponsum, quia nulla societas luci ad tenebras. »

Variæ noctes et pessimæ.

Mystice, lectulus Christi fuit uterus B. Virginis: item præsepium, ac sepulcrum, ubi S. Magdalena et sociæ, æque ac Ss. Petrus et Ioannes quæsierunt Christum et non invenerunt, quia iam ex eo resurrexerat. Audi S. Bernardum ser. 75. « Annon lectulus, tumulus? annon lectulus, præsepium? annon lectulus, uterus virginis? etc. Merito proinde sponsa ponens lectulum, dicit suum: quia omne quod infirmum est Dei, non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit, quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea exspiratio crucifixi, mea sepulti dormitio. Quæ priora transierunt, et ecce nova sunt omnia. In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea. Quid? In tuo quærebas, qui se iam in sua receperat. Num videras filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Iam cælum tumulo commutavit et stabulo, et tu illum in tuo adhuc lectulo quæris? Surrexit, non est hic. Quid quæris in lecto fortem, in lectulo magnum, clarificatum in stabulo? Introivit in potentias Domini, decorem induit et fortitudinem; et ecce sedet super Cherubim, qui sub lapide iacuit. » Et pluribus interiectis, sub finem sermonis urgens τὸ « surgam et circuibo: Quidni, inquit, surgeret, recognito de resurrectione dilecti? Cæterum, o beata, si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt sapias oportet: neque deorsum, sed sursum quæras Christum necesse est, ubi sedet in dextera Patris. »

Lectus Christi quis?

Symbolice, S. Bernard. Ecclesia, inquit, *dicitur civitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oves propter mansuetudinem*. Unde concludit, hocque dat monitum pastoribus Ecclesiæ: *Propterea attendite vobis quicumque opus ministerii huius sortiti estis, attendite, inquam, vobis et pretioso deposito, quod vobis creditum est. Civitas est, vigilate ad custodiam concordiamque. Sponsa est, studete ornatui: oves sunt, intendite pastui. Et hæc tria ad illam Domini trinam sciscitationem, forte non incongrue pertinere dicentur: Petre, amas me? pasce oves meas*, Ioan. 21.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Qualis animæ peccatricis lectulus.

Primo, anima peccatrix quærit Deum, id est, summum suum bonum et felicitatem in lectulo, id est, in voluptatibus carnis per noctes ignorantiæ et tenebrarum peccati; lectulus enim avari est aurum; superbi, honor; gulosi, deliciæ; acedi, ignavia, iuxta illud Proverb. 26. 14. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo.* Hi quærunt eum in nocte, quæ causatur ex obiectu terræ, id est terrenarum cupiditatum, quas ambiunt, quæque se inter ipsos et Deum interiiciunt, et obices obiiciunt, ut eius lucem haurire nequeant. Quare hi Deum non inveniunt, tum quia in tenebris quærunt, tum quia ibi non est locus et quies Dei. Ita Cassiodorus, Philo Carpath. Beda et alii. Quare anima peccatrix, sed pœnitens cum S. Magdalena (cuius actio hic ad vivum depingitur: unde et hæc loco Epistolæ legit Ecclesia in festo S. Magdalenæ) ex hoc lecto voluptatis et concupiscentiæ surgit, ac circuit vicos et plateas sollicite quærens Christum, quem tandem invenit in domo Simonis, id est, obedientiæ, recumbentem in lectulo tempore prandii, ut convivas et hospites pascat divinis suis eloquiis. Ibi ergo a tergo Magdalena lacrymis suis lavans, capillis tergens, ore osculans, manibus ungens pedes Christi, veniam, gratiam et salutem a Christo accepit.

Anima pia quærit Christum.

Simili modo anima sancta quærit Christum in lectulo suo: Primo, cum quærit eum in sua commoditate; sed ibi non invenit, quia Christus non invenitur, nisi in cruce, uti aiebat S. Martinus. Ita Cassiodorus: « Exsurgam, inquit, de strato corporis et carnalis delectationis, et circuibo civitatem huius mundi, maria ac terras peragrando: Per vicos et plateas quæram, etc. id est, per lata itinera gradientes huius sæculi, et suis voluptatibus deditos aspiciam, si forte in illis dilecti mei vestigia inveniam. » I.

II. Secundo, cum quærit eum in propria voluntate; sed ibi non invenit, quia Christus non venit facere voluntatem suam, sed Patris. Unde in horto instante passione oravit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, Matth. 26. Exuat ergo propriam voluntatem, et Divinam induat, sive a Deo, sive a Superiore, qui Dei est vicarius et interpres, ipsi indicatam, qui Deum Deique gratiam invenire cupit.

III. Tertio, cum quærit eum in curiositate, curiose circumeundo et lustrando omnes hominum sectas, artes, status, studia et exercitia: sed ibi non invenit, quia iste circuitus facit hominem vagum, instabilem et erronem. Unde S. Iustinus Philosophus Dialog. contra Triph. narrat se obivisse omnes Philosophorum scholas, puta Platonis, Aristotelis, Democriti, Epicuri, Stoicorum, etc. et nusquam invenisse sapientiam, sed monitum a viro gravi, qui ex improviso sibi apparuit, ut legeret Prophetas; eos lectitando, reperiisse quod quærebat: unde conversus ad Christum, et doctor et martyr gloriosus evasit. Sic hodie, qui mutant status, officia et exercitia pietatis et virtutis, nunc unum, nunc aliud experiendo, nihil proficiunt, sed vagando tempus consumunt. Nihil enim profectui ita contrarium, ac crebra mutatio exercitiorum, uti docet Cassianus, Climacus, Dorotheus, cæterique rerum spiritualium magistri.

S. Iustinus ubi invenit sapientiam, quam quærebat?

Crebra exercitiorum mutatio profectui valde contraria.

IV. Quarto, qui eum quærit in sua pace, otio et tranquillitate, cum Deus ipsum vocet ad bellum, ad negotium, ad labores pro salute animarum obeundos, in ea Deum non invenit; quia Deus cuique apparet sua luce et gratia in eo statu, ad quem eum vocat, non in alio: unde quos vocat ad sortem Magdalenæ, iis apparet in solitudine et contemplatione; quos vocat ad sortem Marthæ, iis apparet in actione, cuique in ea, quæ illi propria est et peculiaris, ad quam eum destinat. Hinc Theodoretus docet Deum non inveniri in lectulo prosperitatis, cum Deus adversa nobis immittat, ut iis nostram patientiam et virtutem exerceat et adaugeat. Audi sanctum Ambrosium libro de Isaac capite 5. *Multi sunt, qui in otio quærunt Christum, et non inveniunt, et quærunt eum in persecutionibus et cito inveniunt, et ideo quasi post tentationes, quia in periculis suorum fidelium adest. Quam modicum, inquit, cum transivi ab eis, et inveni eum!*

Plenius pertractat idem S. Ambros. lib. 3. de Virginib. « Si vis, inquit, et tu tenere Christum, quære iugiter nec pœnam metuens: inter supplicia enim frequenter corporis, inter ipsas persecutorum manus Christus melius invenitur. Quam modicum, inquit, fuit, cum transivi ab ipsis, donec inveni eum! Exiguo enim spatio brevique momento cum persecutorum manus evaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tentari patitur. »

V. Quinto, Deus animæ sanctæ et ferventi subinde suam

præsentiam, ac gratiam illuminantem et consolationem subtrahit, ut eius desiderium acuat et fervorem magis accendat. Ita S. Greg. 5 Moral. c. 4 *Abscondit*, ait, *se sponsus, cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur; et differtur quærens sponsa ne inveniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quærebat*. Nam ut ait S. Bernard. serm. 84. *Magnum bonum quærere Deum, ego hoc nullis in bonis animæ secundum existimo; primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli: cui accedat, quum nulla præcedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, quisve terminus quærenti Deum? Quærite, ait, faciem eius semper, existimo, quia nec si inventus fuerit, cessabitur a quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus, et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit*. Idem ibidem docet animam non posse quærere Deum, nisi eius gratia sit præventa: *Quia Deus prior dilexit nos*, 1. Ioan. 4. 10. *Minime prorsus*, ait, *nisi prius quæsita quæreretur, sicut nec diligeretur, nisi dilecta prius*. Unde sanctus August. in Psalm. 69. *Quære*, inquit, *eum qui prior quæsivit te, et reportavit in humeris suis*, quasi ovem errantem et perditam.

Rursum sanctus Gregorius homil. 25. in Evangel. « Dilectum, inquit, in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus: quia etsi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, et civitatem circumeat, id est sanctam electorum Ecclesiam mente et inquisitione percurrat: per vicos eum et plateas quærat, id est per angusta et lata gradientes aspiciat, ut si qua in eis valeat invenire eius vestigia, exquirat: quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem: quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus; quia redemptor noster etsi humilitate homo inter homines; divinitate tamen super homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur; quia cum Prophetas et Apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, esse supra homines consideramus. » Causam deinde cur Christus quæri velit, subiicit: « Prius ergo non inveniendus quæritur, ut post inventus strictius teneatur. Sancta enim desideria, ut prædiximus, dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Hoc amore arsit quisquis ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque David ait: Sitivit anima mea ad Dominum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » Psal. 41.

Anima quærit Deum septem de causis.

Porro S. Bernard. qui in hæc verba decem sermones conscripsit, imo in iis sermones suos in Cantica conclusit et terminat, docet animam quærere Deum septem de causis; sic enim ait ser. 85. *Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem; cui innitatur ad virtutem: quo reformetur ad sapientiam: cui conformetur ad decorem: cui maritetur ad fœcunditatem; quo fruatur ad iucunditatem*. Secundo, ser. 86. docet animam quærere debere Deum verecunde, caute et secrete, puta in arcano lectuli et noctis. Cum enim *nocturnæ sopor inducit silentium, tunc plane liberior exit puriorque oratio*. Addit S. Bernardus quæri Deum in lectulo infirmitatis, ut eam sanet in noctibus, iuxta illud: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius; universum stratum eius versasti in infirmitate eius*, Psalm. 40. 4. Et in nocte ignorantiæ, ut eam luce sua dispellat: *Et si placet sentire*, inquit, *lectuli quidem nomine humanam figurari infirmitatem, nocturnis autem tenebris ignorantiam æque humanam, consequens est et congruum satis, ut Dei virtus, et Dei sapientia Verbum contra utrumque originale malum instantius requiratur. Nempe quid convenientius, quam ut infirmitati virtus, ignorantiæ sapientia opponatur*. Rursum S. Ambr. ser. 7. in Ps. 118. *Quæsivit*, inquit, *in noctibus, id est, in persecutionibus et adversis. Nox enim est omnibus quibus non est perfecta securitas*.

Anima quærens Deum iam eum aliquo modo habet.

Denique anima quærens Deum iam aliquo modo eum invenit, imo et habet, et tenet: non enim quæreret, nisi eum cognosceret, desideraret et amaret. Invenit ergo eum per fidem et spem: quærit, ut possideat per charitatem; invenit per desiderium absentem, ut præsentem teneat per gaudium: invenit et tenet per patientiam, ut possideat per consolationem: tenet per pii affectus inchoationem, ut possideat et teneat per eius profectum et perfectionem: tenet per amorem, quærit, ut possideat per fervorem. Unde S. Bern. tract. de Diligendo Deo: *Bonus es, Domine*, inquit, *quærenti te; quid ergo invenienti? Sed enim hoc est mirum, quod nemo te quærere valet, nisi qui prius invenerit: vis igitur inveniri ut quæraris: quære, ut inveniaris*. Igitur Deus quæritur per fidei, spei, pœnitentiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum inchoationem, invenitur per earumdem incrementa, præsertim amoris et charitatis, uti docet Richardus de S. Victore, iuxta illud: *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion*, Ps. 83. 8. S. Aug. in Psal. 104. ad illa: *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem eius semper*. Deus, ait, *est sine fine quærendus, quia sine fine amandus*. Et paulo ante: *Sed si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita ista, qua hic vivitur, ex quo nos id facere debere cognovimus quando et inventus quærendus est? Iam quippe illum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes: charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per speciem: ubi tunc sic invenietur ut sufficiat nobis, et ulterius non quæratur*.

Quomodo Deus quæratur et inveniatur.

Symbolice, Deus in triplici creatura invenitur.

Symbolice, Richardus de S. Victore hic docet Deum inveniri in triplici creatura, velut in triplici Dei similitudine: Primo, animalibus, cælis, elementis, mixtis: secundo, in homine: tertio, in angelo, qui est signaculum similitudinis, et in quo ab initio signata perseverat similitudo Dei. Ipse ergo est speculum Dei: « Mundi enim sunt (Angeli) inquit, sicut est mundus ille: sancti sunt angeli sicut est sanctus Dominus Deus eorum, atque adeo de illis mundis transisse ipsam animam ad munditiæ auctorem, et de contemplationibus ad contemplandum, et statim invenisse: quoniam ii adeo vicini sunt, ut nil sit medium, et post hos non sit invenire, nisi illum: invento dilecto, et angelis congratulando, et consecutum per eos beneficium commemorando, dicit: Paululum cum pertransissem, eos inveni, etc. id est illico ut hos pertransivi dilectum inveni; hos pertransivi ut venirem, et per hos transivi, ut invenirem: horum enim occursu et auxilio obtinui quod concupivi, qui et meum provocaverunt et accenderunt desiderium, et dilecti obtinuerunt occursum. »

Symbolice rursum Gilbertus Abbas successor S. Bernardi in explicat. Cantic. serm. 1. ait apte Christum quæri in lectulo otii et tranquillitatis mentis ac in nocte oblivionis curarum et rerum temporalium: *Bene collocaris*, inquit, *in lectulo, si otio quodam ab occupationibus mens tua libere feriatur; libertate et otio quid accommodatius ad usum amoris? et libertas illecebram parit. In otio expeditur affectus, et non parum impenditur illi*. Et post pauca: *E contra insensibilem pene reddit affectum frequens cura mundi, et quasi callum quemdam menti obducit. Animum cura implicat, quies explicat. Explicita desideria in quæ putas incrementa se dilatant? vides quanta bona contineantur in lectulo? Quies, libertas, illecebra. In lectulo enim quietis et vacuitatis vota magis inardescunt. Locus accommodatus oblectamento charitatis, sponsam ad quærendum urget ardentius. Illic enim ægrius caret dilecto, ubi poterat uberius frui. In lectulo, inquit, meo, et per noctes*. Et pluribus interiectis: *Bona ergo nox, quæ prudenti oblivione dissimulat omnia temporalia ad illum, qui æternus est, quærendum; tempus expediens et explicans occasiones, quæ mundi concupiscentiam abscondit, curam, cogitatum; hoc est enim mundum habere absconditum, vel mundo abscondi. Sic etiam abscondi poterimus in abscondito faciei tuæ, Domine*. »

Cura implicat, quies explicat.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

RUPERTUS sic B. Virginem loquentem inducit: « Iam ex quo baptizatus est (Christus) a Ioanne, fieri cœperat in lectulo, sive in cubiculo meo, in illo habitationis meæ secreto, ut non invenirem eum. Nam statim ductus est in desertum a Spiritu, et deinde regressus Evangelium meis præposuit affectibus, ita ut diceret: Quid mihi et tibi est, mulier? Sed et alios docuit, ut similiter facerent, ut scilicet patrem et matrem propter Evangelium relinquerent. Ita desiderio quærebam, et non inveniebam eum, ut solitaria possidorem solitarium. Dixi ergo: Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Dixi et feci sic: cum enim circuiret per civitates et castella, prædicans Evangelium regni Dei, ego sequebar et quærebam eum. Quæsivi illum, et non inveni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam agnoscere quodammodo dissimulavit. » Et post nonnulla, quæ in hanc rem interiicit, subiicit: « Post hæc iuxta crucem eius stati. Sed numquid hoc mihi fuit invenisse dilectum? imo fuit mihi invenisse gladium qui et pertransivit animam meam. Sepultus est, clausum et signatum fuit monumentum; et ego quali mente, quærebam eum? quali desiderio desiderabam eum, sciens eum esse a mortuis resurrecturum? Inde non inveni illum. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Qui vigiles, vel quam custodientes civitatem? Discipuli eius qui ad hoc erant dispositi, ut custodirent, imo ut ædificarent civitatem veram Hierusalem. Et ego inquam: Num quem dilexit anima mea vidistis? etc. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, et non quomodocumque, sed in cælum vidi ascendentem, et Apostolos misso de cælis Spiritu sancto, vidi prædicantes gloriam Domini. » Nunc singula ad eundem revocemus, et penitius secreta nonnulla quæ latent, per singulos versus indagemus.

VERS. 2. SURGAM, ET CIRCUIBO CIVITATEM: PER VICOS ET PLATEAS QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Pro *vicos* Hebr. est שְׁוָקִים *seevakim* plurale, cuius singulare est שׁוֹק *sciok*, id est, *tibia*, sive *pes*, qui a coxendice excurrit ad talos, indeque per metaphoram *vicus* sive *angiportus*, qui a platea aliorsum excurrit, sicut tibia excurrit ex corpore. Unde Septuag. vertunt, ἐν ἀγοραῖς, id est *in foris*. S. Ambrosius 3. de Virg. legit, *in foro*: ἀγορὰ enim est forum, ubi res venales palam omnibus exponuntur, sive ubi fieri solet hominum conventus. Porro in urbe multa sunt fora: scilicet boarium, ubi boves venduntur; olitorium, ubi olera; suarium, ubi sues; frumentarium, ubi frumenta; vinarium, ubi vina, etc. Significat ergo

Sponsus non invenitur in foro.

sponsa se quæsisse sponsum in vineis et foris, ubi solet esse hominum turba: at in turba non invenitur sponsus, qui amat secretum et solitudinem vel certe fidem et ordinem, qualis est in Ecclesia fidelium. Audi S. Ambrosium lib. 3. de Virgin. *Non est Christus circumforaneus. Christus enim pax est; in foro lites. Christus iustitia est; in foro iniquitas. Christus fides est; in foro fraus atque perfidia. Christus operator est; in foro inane otium. Christus charitas est; in foro obtrectatio. Denique forum subinde est furum. Christus in Ecclesia est, in foro idola. In Ecclesia vidua iustificatur; in foro circumvenitur; fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Non enim iniuria tantummodo est non invenire quem quæras, sed etiam plerumque ubi non oportet quæsisse, vulnus est: quæsisse in domibus virorum, qui sibi falso Doctorum nomen assumunt, quæsisse procacius quam verecundius.* Circuit tamen sponsa, quia *domi consistere eam non sinebat amoris flamma*, ait Theod. Ad litteram ut dixi, loquitur de Apostolis circumeuntibus vicos et plateas Ierusalem, evangelizando, ut Iudæos ad Christum converterent: verum in iis non Christum, sed Mosen, non spiritum, sed carnem;

Denique forum subinde est furum.

non veritatem, sed umbram invenerunt. Unde Chaldæus more suo Iudaizans ita vertit: *Dixerunt filii Israel ad invicem: Surgamus, et eamus, circumdemus tabernaculum fœderis, quod extendit Moses extra castra et quæramus doctrinam a facie Domini, et maiestatem sanctam, quæ sublata est a nobis; et circuiverunt per civitates et plateas, et per vicos et non invenerunt eam.*

Mystice plateæ et vici.

Mystice, per vicos et plateas Theodoretus et Aponius accipiunt SS. Scripturas: S. Gregorius vero, Beda et Anselmus exempla Sanctorum, qui vel arctiorem (quam notant vici) vel laxiorem (quam notant plateæ) vivendi rationem secuti sunt.

Anagog.

Anagogice, Nyssenus accipit ordines et status Angelorum et Sanctorum in cælesti Ierusalem. Unde S. Bernard. ser. 76. censet sponsam hic quærere Christum in vicis et plateis, ubi paulo ante prædicaverat, et sanaverat infirmos, sed non invenit, quia Christus a morte resurgens a terrena Ierusalem ascenderat ad cælestem.

Tropol.

Tropol. tres Anonymi apud Theodoret. Civitas, aiunt, est anima pia quæ in seipsa quærit sponsum per fora actionis, et per plateas contemplationis alternatim obambulando, et ab una in aliam vicissim circumeundo; ita Anonymi. Philo vero Carpath. « Per fora et plateas, hoc est, inquit, a præteritis vitæ meæ actionibus surgam: a malorum consuetudine discedam, discutiam conscientiam meam, et diligenter examinabo per circuitum actiones vitæ meæ; recogitabo annos vitæ transactæ, studiose quæram in civitate, hoc est, in Ecclesia, in Scripturis sanctis, in Sanctorum vitis et exemplis, quomodo ad Deum recte ambulare debeam, et quomodo hucusque vixerim et ambularim: per latas enim et apertas peccatorum vias incessi, communes mores et consuetudines aliorum imitata sum: ob idque per fora et per plateas dicit se disquisituram secundum illud: Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua. Ps. 118. In foris enim et plateis exponuntur, venduntur, tractantur omnia corporis voluptati solummodo idonea et grata, quibus animæ Christianorum miserabiliter captantur et occiduntur. Ab iis se quoque vexatam profitetur, et ab iis se prohibitam ne quærendo Dominum inveniret. Arcta est enim via et angusta, quæ ducit ad vitam. » Matth. 7.

Symbol.

Symbolice, anima circuit civitatem, cum cogitatione circuit mundum, contemplans cælum, terram, et omnia quæ in eis sunt, ut Philosophi fecerunt; sed non invenerunt Deum, tum quia cum Deum ex eis per umbram cognovissent, eum tamen ut Deum non glorificaverunt, tum quia luce fidei destituti in multos errores inciderunt, ac circumeundo in suam ignorantiam relapsi sunt, atque creaturæ potius quam Creatori servierunt, indulgendo suis voluptatibus, ambitioni et honoribus, uti docet Apostolus Rom. 1 unde in circuitu contemplationis et experientiæ omnium mundi bonorum, magnam se vanitatem et afflictionem expertum esse docet Salomon Ecclesiastæ 2. 3. et sequent. Quocirca sapienter S. Augustinus in Psal. 3. 8. ad illa: « Exquisivi Dominum, et exaudivit me, inquit: Noli aliud a Domino extra illum quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet: Ecce adsum. Quid est: Ecce adsum: Ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? Quidquid tibi dedero, vilius est quam ego, meipsum habe, me fruere, me amplectere, nondum potes totum, ex fide continge me, et inhærebis mihi. Hoc tibi Deus dicit; Cætera onera tua ego a te deponam, ut totus mihi inhæreas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero, ut sis æqualis Angelis meis, et semper videas faciem meam, et gaudeas; et gaudium tuum nemo auferat a te, quia inquisisti Dominum et exaudivit te, et ex omnibus tribulationibus eruit te. »

Moraliter.

Moraliter, nota hic amorem sponsæ parere in ea ardorem quærendi sponsum; unde licet eum non invenerit in lectulo, nec in vicis et plateis, nec apud vigiles; tandem tamen his omnibus peractis eum reperit. Quare Richardus de S. Victore docet sponsam, hoc suo sollicito circuitu, multum profecisse in amore et ardore quærendi: hic enim repulsam tertio passus magis accensus est, sicut i-

gnis in stipula ventis adversis agitatus magis exardescit: *Frustratio enim rei amatæ, flagellum amoris est amanti.* Unde S. Bernard. serm. de triplici cohærentia vinculorum: *Lætatur*, inquit, *cor quærentium Dominum; si gaudetis ad labores, si indefesso pede curritis viam mandatorum, si quotidie utriusque status recentior est ad proficiendum et perficiendum, quam ad incipiendum, profecto quæritis faciem eius semper.*

Vers. 3. INVENERUNT ME VIGILES, QUI CUSTODIUNT CIVITATEM (*quos interrogavi, dicens*) NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS?

Amoris ardor. HEBR. *Invenerunt me custodes* (excubitores) *qui circumeunt in civitate.* Sic et Sept. Aquila et Symmach. S. Bernard. serm. 79. notat vehementiam amoris in sponsa confundere verba: « O amor præceps, inquit, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus! Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras; totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii iudiciive videtur, triumphas in temetipso: et redigis in captivitatem. Et omne quod cogitat ista, et quod loquitur, te sonat, te redolet et aliud nihil: ita tibi ipsius et cor vindicasti et linguam. Ait: Num quem diligit anima mea vidistis? Quasi vero hi sciant quid cogitet ipsa: Quem diligit anima tua, de ipso sciscitaris? et non habet nomen? Quisnam vero tu, et ille quis? » Unde subiicit: « Amor ubique loquitur, et si quis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiam, amet, etc. Quomodo enim græce loquentem non intelligit, qui græcum non novit, nec latine loquentem, qui latinus non est, et ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. »

Vigiles qui? Resp. I. Pontifices et Principes Hierosolymitani. Quæres, qui sint hi vigiles, sive custodes civitatis? Resp. ad litteram proprie et genuine: sunt Legisperiti, Pontifices et Principes Ierosolymæ; horum enim erat officium populo indicare Messiam, sive Christum advenientem. Hos ergo iure suo interrogarunt Apostoli et fideles de Christo, quando eis Christi doctrinam, vitam et miracula prædicando exposuerunt, ut iis convicti responderent ipsum esse verum Messiam a Prophetis prædictum et Patribus promissum. Verum ipsi Messiam expectabant Regem splendidum et gloriosum, quasi alterum Salomonem: quare cum viderunt Christum humilem, pauperem et crucifixum, eum despexerunt, nec crediderunt ipsum esse Messiam. Vide dicta vers. 1.

Tropol. Tropologice: Vigiles, id est, custodes Ecclesiæ et animæ fidelis, primo sunt Angeli, qui sponsum scilicet Deum clare cognoscunt, imo vident facie ad faciem, eiusque notitiam et amorem hominibus instillant. Unde viri pii eos sæpe invocant, et de dubiis modoque Deum inveniendi, eique placendi consulunt. Ita Theodor. et tres Anonymi apud ipsum, Nyssenus homil. 6. S. Ambros. lib. de Isaac c. 6. S. Bernardus, Psellus et alii.

II. Apostoli, Prælati, Pastores. Secundo, vigiles sunt Apostoli, Pastores et Prælati, qui sollicite invigilant gregi, id est, fidelibus suæ curæ commissis; hi ergo Pastorum suorum indicio et ductu inveniunt sponsum. Ita S. Gregorius, Theodoret. Cassiodor. Beda, Philo et S. Anselmus, qui ait: *Invenerunt*, id est, me quærentem invenerunt, meam affectionem cognoverunt sancti Pastores, qui custodiunt Ecclesiam. Cum dixit se prius inventam, quam invenisse, notat nobis vigilantiam et diligentiam, quam debent habere Pastores in Ecclesia, scilicet ut ex quo movetur aliquis compunctione, parati sint ut eum commoneant, et ad notitiam Dei pertrahant. Verba S. Gregorii citavi v. 1. Nunc audi S. Bernard. serm. 76. « Quam boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris! Quam boni custodes, qui vigilantes animo atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinationes frustrantur! Hi sunt fratrum amatores et populi Christiani, qui multum orant pro populo et universa sancta civitate. Hi sunt, qui multum solliciti pro sibi commissis Dominicis ovibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, et in conspectu Altissimi deprecantur. »

Quocirca idem S. Bernardus ex hoc sponsæ exemplo docet fideles in dubiis debere consulere suos Superiores, iisque obedire; alioqui si sine eorum consilio suæ sapientiæ confidant, periculo lapsus se exponere: « Audiant hoc, inquit, qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi sunt in arte spirituali existentes, et discipuli pariter et magistri. Non sufficit hoc, etiam coacervant discipulos sibi, cæci duces cæcorum. Quam multi ex hoc tramite periculosissime aberrasse comperti sunt. Nimirum ignorantes astutias Satanæ et cogitationes ipsius, factum est ut qui spiritu cœperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. » Unde hoc monitum colligit: « Videant proinde qui eiusmodi sunt, quomodo caute ambulent, et de sponsa exemplum sumant, quæ non prius ad eum, quem desiderabat, ullo modo valuit pervenire, quam ei occurrant, quorum magisterio uteretur ad cognoscendum de Dilecto, certe ad discendum timorem Domini. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. Et qui dimittit oves in pascua absque custode, pastor non est ovium, sed luporum. » Sine duce viam vitæ ingredi periculosum.

Huc facit versio Chaldæi, qui iudaizans per vigiles Synagogæ accipit Mosem et Aaronem. Sic enim habet: « Dixit cœtus Israel: Invenerunt me Moses et Aaron et Levitæ observantes custodiam tabernaculi fœderis, qui circuibant per gyrum, et interrogavi eos de maiestate gloriæ Domini, quæ sublata fuerat a me. Respondit Moses scriba, Princeps Israel, et sic ait: Ascendam ad cælos excelsos et orabo coram Domino, si forte placabitur super peccata vestra, et habitare faciat maiestatem suam inter vos sicut olim. » Vigiles, Moses et Aaron.

Huc pertinet explicatio Aponii, qui per vigiles accipit Isaiam et Prophetas: hi enim tam clare Christi Incarnationem, Passionem et Resurrectionem prædicunt, et prædicant, ut lector in iis et ex iis facile Christum inveniat; et Philonis Carpathii, qui per vigiles accipit iustos, qui vigilanter legem et voluntatem Dei scrutantur et exsequuntur: horum enim exempla consilia et monita nos ducunt ad Christum; puta ad sanctitatem et perfectionem. Isaias et Prophetæ. Iusti.

III. Gentium Philosophi. Tertio, alii per vigiles accipiunt Philosophos, quos Gentiles de Deo et summo bono interrogabant; sed nil nisi incertum et vanum audiebant. Ita Iustus Orgelitan. qui Ecclesiam ita loquentem inducit: Disputaverunt contra me sæculi sapientes, idolorumque cultores, multa inaniter perscrutantes, pluresque libros irritos laboribus conficientes, quibus dixi: Cur incassum superfluo conatu vexamini: *Num quem diligit anima mea vidistis?* quandoquidem falso nomine sapientiæ gloriamini. Stultam fecit Deus sapientiam vestram, quia Christum invenire illic non valuistis.

IV. Hæretici. Quarto, alii per vigiles accipiunt Hæreticos qui pervigilant, ut hæreses suas spargant; ac circumeunt urbes et regna, ut fideles seducant: hos cum pertransit fidelis, pergitque ad orthodoxos Doctores, invenit Christum Christique fidem, et veram Religionem. Ita Gislerius.

V. B. Virgo. Quinto, Rupertus hæc attribuit B. Virgini quærenti Christum vel in Ierusalem perditum inventumque in templo, vel iam mortuum et sepultum: « Et ego quali mente, ait, quærebam eum, quali desiderio desiderabam eum, sciens esse a mortuis resurrecturum! Inde non inveni illum. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Qui vigiles, vel quam custodientes civitatem? Discipuli eius; quia ad hoc erant dispositi, ut custodirent, imo ut ædificarent civitatem veram Ierusalem; de qua, vel ad quam ipse dilectus per Isaiam dicit: Super muros Ierusalem constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Isti vigiles iam tunc vigilabant, quia lugentes et flentes somnum non capiebant; isti vigiles me invenerunt; et mulieres quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, quæ et emerant aromata, ut venientes ungerent

eam, invenerunt me bonum certatim afferendo nuntium, A quod resurrexisset, et quod vidissent eum. Et ego inquam: Num quem dilexit anima mea vidistis? Vidimus, aiunt, vidimus Dominum: surrexit vere, et apparuit Simoni. »

VERS. 4. PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QUEM DILIGIT ANIMA MEA.

HEBR. *Quasi modicum, cum transivi ab eis, quoadusque inveni quem diligit anima mea.* Sic et Septuag. S. Ambros. per interrogationem et admirationem legit: *Quam modicum fuit, cum transii ab ipsis, donec inveni quem diligit anima mea!* q. d. Vehemens amor effecit ut omnis labor, omne iter, omne tempus, quod insumpsi ab interrogatione vigilum usque ad inventionem sponsi, mihi videretur modicum esse et exiguum; sicut de Iacob dicitur Genes. 29. 20. *Servivit Iacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

Porro Chaldæus refert hæc ad fabricam Tabernaculi Mosaici: *Quasi paululum*, inquit, *et modicum fuit et reversus est Dominus ab ira furoris sui, et præcepit Domi-* B *nus Mosi Prophetæ, ut faceret tabernaculum fœderis, et arcam, et collocavit maiestatem suam in medio eius.* Sensus litteralis est, quem dedi v. 4. scilicet Ecclesiam, id est Sanctum Petrum, S. Paulum cæterosque Apostolos, cum pertransissent Pontifices, Scribas et Principes Ierusalem, utpote fidem Christi repellentes, ivisse ad gentes, ibique Christum invenisse in conversione omnium gentium, quæ audientes prædicationem Evangelii, illico illud et in illo Christum amplexi sunt.

Tropol. Vigiles. I. Angeli. Tropologice: primo, anima a vigilibus, id est, ab Angelis erudita ascendit ad Creatorem, qui Angeli Deo sunt proximi: ut si illos pertranseas, illico reperias Deum, uti docet S. Ambr. serm. 7. in Ps. 118. Idem lib. de Isaac c. 5. docet Angelos nonnulla ignorare, ideoque ab iis transeundum ad Deum ut plene illuminemur: *Anima*, inquit, *quæ Deum quærit, etiam custodes transit; sunt enim mysteria, quæ etiam Angeli concupiscunt videre. Unde et Petrus ait: Nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt, Spiritu sancto misso de cælo in quem concupiscunt Angeli prospicere.* Sic et Nyssen. hic hom. 6. docet contemplanti transeundos esse Angelos et Creaturam universam, ut per fidem mentis aciem figat in uno summoque Deo.

II. Apostoli, Pastores, et Doctores. Secundo, anima a vigilibus, id est, Apostolis, Pastoribus et Doctoribus erudita, illisque obediens invenit Christum, sed ita ut illos pertranseat, id est, in illis non hæreat, nec in alio spem suam figat quam in Christo. Ita S. Greg. 18. Moral. c. 27. *Cum redemptorem suum, inquit, Ecclesia quæreret, in antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit: Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Illum quippe invenire non posset, si istos transire noluisset.* Idem S. Greg. hoc loco: *Paululum, inquit, vigiles transit et dilectum invenit anima; quia dum sanctos Doctores puros homines fuisse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique sponsum suum supra homines Patri æqualem cognoscit, quem tunc invenisse se dicit, cum sanctis laboribus adiuta, in eius divinitatis claritatem oculum fidei, tamquam speculum contemplando, aliquantulum figit.* Sic et Cassiodorus, Beda, Philo et alii. Addit Cassiodorus: *Pertransire, ait, vigiles, est eorum dicta et doctrinam diligenter perscrutari.* Adiungit S. Anselmus: *Paululum ideo dicit, quia sine magno labore cognitio Dei habetur: ex quo enim Deus percipit affectionem quærentis, ipse seipsum offert et sponte ingerit.* Verum est tamen illud S. August. in Psalm. 103. concl. 2. *Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri:* uti hic sponsæ contigit, quæ proinde subiungit: *Tenui eum nec dimittam.*

III. Philosophi. Tertio, Iustus Orgelit. per vigiles accipiens Philosophos sic exponit: Cum pertransissem sapientes mundi, intelligens eorum sapientiam esse stultitiam (nam *stultam fecit Deus eius sapientiam*, 1. Corinth. 1. 20.) perveni ad Christum, qui est Dei virtus et sapientia.

IV. Quarto, S. Ambr. l. de Isaac et anima c. 5. urget τὸ *paululum*, q. d. Paulo post tentationes et tribulationes, A adest Christus roborans et consolans: *Multi, ait, in otio quærunt Christum et non inveniunt, et quærunt eum in persecutionibus et cito inveniunt: et ideo quasi post tentationes, quia in periculis fidelium suorum adest. Quam modicum, inquit, cum transivi ab eis, inveni eum, tenui eum, et non dimisi eum. Omnis enim, qui quærit invenit et qui invenerit, adhærere debet, ne possit amittere.*

Allegor. Allegorice, S. Bernar. serm. 79. docet Christum transisse in Resurrectione, pertransisse in Ascensione, ac proinde sponsam per fidem utrobique illum sequi debere, ut inveniat eum sedentem ad dexteram Dei: *Nunc*, inquit, *quoniam iam resurgendo transierat, et adiecerat pertransire utique ascendendo, merito se etiam ista non transisse, sed pertransisse perhibuit; quæ hunc quidem fide et devotione ad cælos usque secuta est. Igitur credere Resurrectionem, transire est, credere etiam Ascensionem, pertransisse.* Et paucis interiectis: *Ergo quod sibi deerat instructa ab illis, quia scilicet qui resurrexerat etiam ascendisset, ascendit et ipsa pariter, hoc est pertransiit et in-* B *venit: quidni invenerit pertingens mente, ubi ille corpore est?*

Denique vis invenire Christum? quære eum in præsepio humilitatis et paupertatis, in cruce patientiæ et martyrii, in vicis et castellis prædicationis et zeli animarum, denique in sinu B. Virginis, id est in puritate et invocatione B. Virginis, ibi eum invenies. Audi Philonem Carpathium. « O quam tenet illum, et (ut ita dicam) cogit fidelium anima, dum beneplacita illi et accepta facit. Delectatur enim sponsus, quemadmodum sponsa, iustorum vita, moribus, societate atque consuetudine: teneturque operibus virtutis, non manibus armatorum, non divitum pompis, non opulentorum iactantia, non elatorum fastu, non gulæ, somni, luxuriæ, invidiæve morbo laborantium, sed operibus misericordiæ, pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ, benevolentiæ, castitatis, et precibus rectorum: tunc in domum matris nostræ volens libentissime introducitur sponsus ».

C TENUI EUM, NEC DIMITTAM, DONEC INTRODUCAM ILLUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM GENITRICIS MEÆ.

SEPTUAG. *donec introduxi eum in domum matris meæ*, et εἰς ταμιεῖον, id est *in cellam* (S. Ambr. *in secretum*. Hebr. אל חדרי *el cheder*, id est *in penetrale*, scilicet in penitissima et intima domus) *eius quæ concepit me.*

In cubiculo et cella servantur cara et pretiosa quæque: ibi quoque amantes secreta quæque dicunt et transigunt; unde ibi conceptam et genitam se asserit sponsa, q. d. Mox ut inveni sponsum meum dilectum et tanto studio quæsitum, apprehendi (hoc enim est Hebr. אחזתיו *achaztiv*) eum tenui, et strinxi, nec dimittam, sed introducam eum in cubiculum genitricis meæ, ut ibi eum quasi rem pretiosissimam concludam, ne amplius a me recedat, sed iugiter cum eo verser, ore ad os colloquar, secrete transigam, totumque amori eius sacro me impendam, illoque fruar: in cubiculo enim est thalamus nuptialis. Ita D Theod.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Domus matris Ecclesiæ est Synagoga. AD litteram significat, ut dixi vers. 4. quod Ecclesia gentium, ubi Christum per fidem et cultum recepit, numquam illum sit dimissura, sed semper in eius fide et amore permansura, donec eumdem introducat in Synagogam, puta in cor et cubile Iudæorum (hæc enim est Mater Ecclesiæ Christianorum) eamque ceu sponsam Christo despondeat: in cubiculo enim degit sponsus cum sponsa. Ita S. Gregor. Cassiodor. Philo, Alcuinus, Beda, Iustus, Aponius, Anselmus, Honorius, Rupertus, S. Bernardus, et passim alii. Audi S. Bernardum: « Qui ingreditur thalamum, sponsus est. Magna amoris potentia; salvator indignabundus exierat de domo et hæreditate sua, et nunc ad huius gratiam

mitigatus inflectitur, ita ut redeat non modo salvator, sed et sponsus. Benedicta tu a Domino filia, quæ et indignationem compescis et hæreditatem restituis. Benedicta tu matri tuæ, cuius beneficio avertitur ira, revertitur salus, revertitur qui dicat illi: Salus tua ego sum. Non sufficit hoc, addet et dicet: Desponsabo te mihi in fide, desponsabo te mihi in iudicio et iustitia, desponsabo te mihi in misericordia et miserationibus. Sed memento quia quæ has conciliat amicitias, sponsa est. Quomodo ergo sponsum, et hunc sponsum alteri cedit, ne dicam, cupit. Non est ita. Cupit quidem illum matri filia bona, non tamen ut cedat illi, sed ut communicet. Sufficit unus duobus, nisi quod iam non erunt duæ, sed una in ipso. Ipse enim est pax nostra, qui facit utramque unam, ut sit una sponsa, et sponsus unus Iesus, etc. »

Ecclesia Romana.

Potest quoque per domum matris et cubiculum genitricis intelligi Romana Ecclesia, cui præsidet summus Pontifex, velut successor Sancti Petri et Vicarius Christi, quæ proinde est mater et matrix omnium Ecclesiarum, quæ scilicet cæteras omnes, vel primitus ad Christi fidem convertit, vel conversas in ea lacte doctrinæ suæ, quasi mater alit, fovet, servat, firmat et promovet, q. d. Sponsa, id est, Ecclesia gentium: Non dimittam Christum Christique fidem, sed eam cum Romano Pontifice et Ecclesia communicabo, illique meam fidem subiiciam et uniam; imo iuramento firmabo et adstringam, quo fiet, ut nunquam a Christi fide et cultu excidere, aut separari queam, sicut Romana Ecclesia ab ea excidere nequit. S. Petro enim eiusque successoribus Romanis Pontificibus promisit Christus: *Ego rogavi pro te* (Petre) *ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Lucæ cap. 22. vers. 32.

Symbol. S. Script.

Symbolice, per domum matris et cubiculum genitricis accipi potest S. Scriptura, quæ magna ex parte a matre Ecclesiæ, puta a Synagoga est accepta, q. d. Solidabo me meosque fideles, quin et Iudæos convertam per S. Scripturam, introducendo eos in illorum dicta et sensa: hæc enim plene veræ fidei dogmata continent et legentibus exhibent. Ita Iustus Orgelit. Hinc Chaldæus more suo iudaizans vertit: *Et populus domus Israel offerebat oblationes suas, et navabant operam verbis in tabernaculo domus doctrinæ Moysis magistri eorum, et in cubiculo Iosue filii Nun ministri eius.*

Anagog. est cælum.

Anagogice sensus est, q. d. Ecclesia et anima sancta: Non dimittam meum Christum, donec ipse me introducat in cælum, quasi in thalamum nuptialem, ut ibi unus cum eo efficiar spiritus. Ecclesia enim cælestis Dei, Angelorum et Beatorum est mater Ecclesiæ terrestris, sive in terra militantis, uti docet Apost. Galat. 4. 26. *Illa*, inquit, *quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Ita Theodor. et Iustus Orgelit.

Porro non ait sponsa: Donec ipse sponsus me introducat in cælum, sed donec ego introducam illum ex confidentia amoris, q. d. Ita sponsum per amorem mihi adstringam et uniam, ut non tam ipse me, quam ego eum introducam in cælum; tum quia amor audax est et imperiosus; amans enim amore imperat amato licet digniori, eumque sibi æquat, imo subiicit. Amans enim obediens amico, eum vicissim sibi obedientem efficit, sicut Iacob angelum, et in eo Deum sibi obedire, eique benedicere coegit, ideoque vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Genes. 32. Hæc est vis amoris et obedientiæ. Unde et de Iosue cap. 10. 12. iusso suo sistente solem dicitur: *Obediente Domino voci hominis*; tum quia anima sancta est sedes et vehiculum Christi in se manentis: quare eum vehit quocumque libet, adeoque in cælum, iuxta illud: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. ult.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Tropol. Domus

Tropologice, anima sancta apprehendit Christum fide et spe, tenet devotione, stringit charitate, nec dimittit, sed introducit eum in domum matris et cubiculum genitricis, id est, in mentem suam, quæ quasi est mater, altrix et nutrix omnium animæ virtutum, sensuum et potentiarum, ut iugiter de eo cogitet et meditetur, cum eoque colloquatur et dissuavietur. Ita Nyssen. Philo, tres Anonymi apud Theodor. et alii. Audi Nyssenum: *Non dimittam amplius Deum mea fide apprehensum, donec fuerit intra meum conclave, quod conclave est ipsum cor meum. Tunc vero id fit, quando redierit ad illum statum, in quo fuit ab initio, quando fuit effecta ab ea quæ concepit.* Subiungit eum a vero non aberraturum, *qui matris nomine intelligat significatam primam matrem nostræ constitutionis, quæ sane haud alia est, quam Deus ipse.* Et Richardus de S. Victore gratiam docet esse piæ animæ matrem, quæ eam spiritaliter regenerat, ac in mente quasi in domo habitat. Anima ergo sancta dicit: Introducam Christum in mentem meam, ut ipse plene et plene illam possideat, ac mens mea a seipsa deficiat, et tota in Christum per amorem quasi transeat: *Tenetur*, inquit Richardus, *Deus devotione, desiderio, importunitate, memoria, prece, fide et exspectatione exauditionis, nec dimittitur, ei ab intentione non cessat, nec vultus amplius in diversa mutentur. Tenet itaque Dilectum, quamvis aurora sit, nec dimittit donec benedixerit ei. Luctata est cum eo tota nocte, qua dormivit, sed cor eius vigilavit; quia scilicet ab exteriori occupatione cessavit, et in quærendo dilectum laboravit: etiam quamvis per noctem ad auroram pervenerit, non cessat a lucta, id est, ab orationis instantia, nec dimittit Dilectum, nisi benedictionem det, ut eat de virtute in virtutem, et videat Deum Deorum in Sion, id est, in speculatione per speculum, et in ænigmate: benedictionem hanc quærit et nominis mutationem, ut non iam Iacob, sed Israel dici possit, nec opus sit ut amplius vitia supplantet, sed ut expugnatis vitiis puritate fruatur virtutum, et Deum contempletur: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hinc S. Anselmus per cubiculum genitricis accipit fideles, qui mentem suam faciunt per sanctitatem lectulum, in quo Christus suaviter quiescat. Huc accedit Hugo de S. Victore lib. 6. Exposit. in Hierarchiam cælestem S. Dionysii, qui sic animam sanctam compellat: *Ergo Deus intrabit ad te, ut tu ingrediaris ad ipsum; tunc enim tu intras ad ipsum, quando ipse ad te ingreditur. Quando amor illius cor tuum intrat et penetrat, et ad intimum cordis tui dilectio illius pertingit, tunc intrat in teipso, et tu quoque intras teipsum, ut ingrediaris ad ipsum. Necesse est autem, ut usque ad thalamum perveniat et cubiculum ingrediatur, et usque ad intima tua is penetret, ibique requiescat. Quin et cubiculum genitoris forte non amat, nisi in cubiculum genitricis introducatur, ubi dilectio magis tenera est et blandimenta dulciora, ut nihil apud te durum et rigidum inveniat virilis truculentia, sed totum liquefiat et mollescat igne dilectionis.* Aponius vero: *Cum legem divinam*, inquit, *mundo legeris corde, et quæ præcepit facienda docueris, exsultantem Christum in domum matris inducis. Cum autem eius mirabilia mysteria disserere fueris dignus, et cæco Iudæo et Gentili gratiæ donum, veram humani generis redemptionem annuntiando, Christum renascentem in cubiculum genitricis introduces.*

Genitricis. Mens.

Cubiculum Genitricis fideles.

Denique S. Bernardus serm. 83. docet sponsum teneri charitate. Amor enim est conformitas, connubii contractus, et complexus sponsi et sponsæ: « Talis conformitas, ait, maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? qua fit ut humano magisterio non contenta, per temet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas; Verbum familiariter percuncteris, consulasque de omni re quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi contractus: Complexus est. Complexus plane, ubi idem velle et nolle idem unum facit spiritum de duobus. »

Connubium Amoris.

Et paucis interiectis subiicit: « Amor sibi abundat; e-

Amoris vis.

mor, ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Ipse qui honori merito, merito stupori et miraculo est, amari tamen plus amat. Sponsus et sponsa sunt: Quam quæris aliam ipsos inter sponsos necessitudinem vel connexionem, præter amari et amare? » Et mox: « Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari, etc. Ipse (amor) meritum, ipse præmium sibi est: amor præter se non requirit causam, non fructum: fructus eius, usus eius. Amo, quia amo, amo, ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat unde iugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. »

Bernard. Ex quibus omnibus demum concludit: *Esto quod honor regis iudicium diligat, sed sponsi amor, imo sponsus amor solam amoris vicem requirit et fidem. Liceat proinde redamare dilectam, quidni amet sponsa, et sponsa amoris? Quidni ametur amor? Merito cunctis renuntians affectionibus aliis, soli et tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore. Nam et cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium?* Denique Richardus de S. Victore, tract. de Gradibus charitatis cap. 1. *Charitas,* inquit, *est vita fidei, spei robur, et omnium intima vis et medulla virtutum. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus prævalens, quæ ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem.* Exemplum dat Mosem, qui ex charitate orans pro populo adorante vitulum, ligavit quasi manus Dei, ut diceret: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra populum istum,* Exod. 32. et post nonnulla: *Sola quæ Deum tenere possit vis amoris est, quæ non solum teneri se patitur, sed quod non teneatur pie conqueritur in Propheta: Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni,* Ezech. 22. Denique ita concludit: *In adversis fortis, sed fortior in prosperis; talis enim Christi amor est, qui ridentis et irridentis fortunæ pure blanditias sprevit et conspuit, sapore dulciori delectatus, cuius respectu omnis dulcedo amara est, omnis iucunditas mæror est, omne pulchrum fœdum, omne suave molestum.* Porro Beda et sanctus Ambrosius Libro de Isaac, capite 5. hæc adaptant S. Magdalenæ, Christi post Resurrectionem pedes tenenti.

Charitas omnipotentem facit quasi impotentem.

Symbol. Symbolice, Philo Carpath. et tres Anonymi apud Theodoretum censent mentem vocari *domum matris,* id est Dei sapientiæ, quæ omnium rerum est causa et mater. Mens enim sapientiæ capax est, quasi domicilium Verbi ob similitudinem: eadem est cubile, propter arcanos virtutum eius thesauros, quos velut imago in se reconditos servat. Unde Philo: « Per domum matris, inquit, cor cælestis sapientiæ ipsius Verbi arbitror intelligi, et per cubiculum genitricis hoc ipsum cor. Nam domum quidem propter aliud puto dictum, quod legitur: Inhabitabo in illis et inambulabo, 2. Cor. 6. 16. Per cubiculum vero (quoniam in cubiculo quæque optima collocantur et pretiosa) fides, spes, charitas, iustitia, fortitudo, temperantia, prudentia, patientia, virtus; hæc quidem non corporis, sed animi sunt ornamenta.

Exempla huius sententiæ sunt David, dicens Ps. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est;* S. Paulus, dicens Rom. 8. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* etc. *Certus sum enim quia neque mors, neque vita,* etc. Præclare S. Bernardus serm. 79. *Glutinum bonum est,* ait Isaias c. 41. *quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissolvitur, nec scinditur gladiis? Denique aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Tenui eum, nec dimittam.* Et S. Patriarcha: *Non te,* inquit, *dimittam, nisi benedixeris mihi. Ita ista non vult eum dimittere et forte magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo,* inquit, *benedictionem tuam, sed te. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Non dimittam te, nec si benedixeris mihi. Tenui, nec dimittam.* Subiicit deinde Christum magis tenere animam sanctam, quam ab ea teneatur: *Nec minus forsitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quodque pollicens ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* Prov. 8. 31. *Quid hoc copula fortius, quæ una duorum tam vehementi voluntate firmata est?* Subdit S. Bernardus Christi introductionem in domum afferre salutem, ingressum vero in cubiculum afferre peculiarem gratiam: *Sufficiebat,* inquit, *ad salutem si domum intraret; at secretum cubiculi signat gratiam. Hodie, ait, huic domui salus facta est. Quidni sit domesticis salus, Salvatore ingresso domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, seorsum habet secretum suum sibi. Salus domui sit, thalamo deliciæ reconduntur.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, anxie quærens Christum perditum, eum inter Doctores in templo reperit, tenuit eum, nec dimisit, donec introduceret eum in domum matris suæ, id est in Iudæam, permittens Christo, orbansque se eius dulcissima præsentia, ut ipse prædicando obiret vicos et castella, animasque sibi per fidem et gratiam copularet. Unde et ipsa fuit causa primi miraculi Christi, scilicet conversionis aquæ in vinum ad nuptias in Cana Galilææ, propter quod multi crediderunt Christo, ut docet S. Ioannes cap. 2. 11. Eadem erit causa, cur Synagoga Iudæorum in fine mundi per Eliam convertatur ad Christum, perinde ac ipsa causa est, cur plerique peccatores pœniteant et convertantur ad Christum, uti patet ex historiis et vitis Sanctorum. Denique ipsa a Christo introducta in cælum eodem animas sibi devotas introduxit, uti docet S. Bernardus, S. Anselmus, S. Germanus, S. Bonavent. et cæteri, qui de laudibus B. Virginis scripserunt.

VOX SPONSI.

Vers. 5. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Hæc verba hic iterantur, iam enim audivimus ea, cap. 2. v. 7. quare videtur sponsa iterato hic in somnum et extasin incidisse. Primo, in eam incidit, cap. 2. v. 4. dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Amor enim vehemens parit extasin: imo extasis est sublimissimus et perfectissimus amoris actus. *Est enim extasin faciens divinus amor,* ait, S. Dion. de divin. nom. Ab extasi hac videtur excitata sponsa hoc cap. 3. v. 1. et 2. dicens: *Surgam, et circuibo civitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea:* sed partim ex labore et circuitu quærendi sponsum, partim ex inventione et præsentia sponsi, de quo mox subdit: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Rursus ex vehementi amore et gaudio quo perfundebatur, et quasi liquescebat fruens sponso unice dilecto in eius sinu corruens et indormiens, incidit in animi deliquium et extasin, a qua sponsus vetat eam excitari, quia ipse ut sponsam amat ardentissime, sic vicissim ab ea se amari, et amando teneri ardentissime cupit. Multa enim in dramate hoc, uti et in aliis subticentur, sed ex adiunctis intelliguntur, et interpreti supplenda sunt. Secunda sponsæ extasis

Parabol. Parabolice, significat Ecclesiam primitivam, id est Apostolos, post laborem et distractionem aliquot annorum, quos convertendæ Iudææ impenderunt, recepisse se per aliquod tempus ad quietem orationis et otium contemplationis, ut vires mentis restaurarent, ac se ardentius ad

novos maioresque labores, puta ad conversionem omnium gentium compararent. Ad hoc enim opus erat ingenti spiritu, quem orando excitare et a Deo postulare par erat. Unde Christus vetat eos ab hoc somno et quiete tam pia excitari. Apostolos imitentur viri Apostolici, ut post labores actionis, subinde ad otium contemplationis se recipiant, ut vires animi restaurent, et novos ardores evangelizandi concipiant.

Cæterum versum hunc explicui cap. 2. v. 7. quare nil aliud hic addendum occurrit.

Hic finitur secunda pars libri, sive secundus actus huius Dramatis; sequitur tertius.

TERTIA PARS CANTICI,

SIVE

TERTIUS ACTUS DRAMATIS.

Sicut actu secundo, qui fuit a cap. 2. vers. 8. hucusque, Salomon descripsit Ecclesiæ adolescentiam, sive incrementa et propagationem; sic hoc actu tertio, qui hic incipit, et protenditur usque ad cap. 5. vers. 2. describit eiusdem virilem ætatem sive perfectionem, qua ad summum quasi fastigium, suumque culmen provecta et exaltata est. In hoc carmine, ait Titelmannus, quod ad finem usque capitis perdurat, Spiritus sanctus loquitur; mirificeque commendat Ecclesiæ pulchritudinem sub diversis comparationibus. Primo, quidem sub similitudine mulieris speciosæ, cum magna gloria sursum ascendentis in magna odoramentorum fragrantia. Secundo, sub similitudine pretiosi lectuli regis Salomonis, fortissimorum virorum semper muniti præsidio. Tertio, sub comparatione pulcherrimi, aspectuque iucundissimi ferculi, sive vehiculi Regii. Post quæ deinde Spiritus idem filias Ierusalem, puta fideles animas ad sponsi debitum cultum concludendo, exhortatur, dicens: Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem. Vide dicta in Proœmio, c. 3.

VOX SYNAGOGÆ

PRIMITUS AD CHRISTUM CONVERSÆ,

De Ecclesia Gentium.

VERS. 6. QUÆ EST ISTA QUÆ ASCENDIT PER DESERTUM SICUT VIRGULA FUMI EX AROMATIBUS MYRRHÆ, ET THURIS, ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII?

QUÆ EST ISTA QUÆ ASCENDIT PER DESERTUM (Syrus et Arabicus, *ex deserto*) SICUT VIRGULA FUMI EX AROMATIBUS MYRRHÆ, ET THURIS, ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII?) Puta aromatarii sive apothecarii, qui aromata in pulverem redigit, commiscet, componit, etc.

Quoad speciem Dramatis, introducitur hic Sulamitis, sive sponsa Salomonis statura procera, decore ac magnifice incedens, atque ex deserto, id est, ex rure et agro suburbano ascendens ad sponsum Salomonem residentem in Ierusalem et monte Sion: ibi enim erat templum et regia Salomonis, q. d. Quæ est ista Virgo rusticana, quæ evecta ad thalamum regium ita splendide incedit? Hoc ipsa comparatur virgulæ fumi aromatum, qui recta ascendit in altum, et suavem exspirat odorem; quare illam videntes, illique obviantes, decorum et magnificum eius incessum admirantes, inter se quærunt et exclamant: *Quæ est ista quæ ascendit*, q. d. Undenam tantæ in deserto deliciæ? Unde tantus in rustica et alienigena puella decor et maiestas? qui crescit ut virgula fumi: quia quo magis in altum vapor fumi aromatum ascendit, eo magis eorum fragrantia percipitur.

Variæ lectiones et versiones. Pro *virgula*, Hebr. est תמרות *temiroth* (quæ vox tantum hic reperitur et Ioelis 2. v. 30. ubi Noster et Septuag. vertunt, *vaporem*) id est, *palmæ*, sed artificiales, uti sunt similitudinariæ et expictæ. Fumus enim recta ascendens similis est palmæ, quæ ex variis ramis coalescens et compacta, arborum omnium est rectissima, densissima et pulcherrima; superne enim ramos circumquaque late diffundit, iisque quasi coma cingitur et coronatur. Simili enim modo fumus ex variis aromatibus exhalans coalescit, et in altum scandit rectissime, densissime et pulcherrime ac superne in varias partes quasi ramos se secans, et in plures quasi vaporum globos sese agglomerans, iis quasi coma variegata ornatur et circumvolvitur. Unde Rabbini et Pagnin. vertunt: *Quæ est ista quæ ascendit sicut columnæ fumi sursum ascendentes sicut palmæ?* Aquila apud Theodor. *sicut similitudo fumi*; Symmach. *tamquam incensi evaporatio*: Sept. ὡς στέλεχη καπνοῦ, id est, *sicut truncus* vel *stipes*, aut *virgula fumi*. Mirum est ergo S. Ambr. epist. 62. legere, *sicut vitis propago*. Noster apte vertit, *virgula*, quia Hebræum *temiroth* est diminutivum a תמר *tamar*, id est palma; *temiroth* ergo est palmula, sive parva palma, aut virgula similis palmulæ. Syrus, *sicut incensum fumi*; Arabicus, *quasi thurificata ramis thuris.*

Rursum pro *ex aromatibus*, Noster cum Symmacho legit מקטורת *mikettoret*, id est, *ex incenso*, ex suffimento, vel suffitu et thymiamate, quod fit ex aromatibus, iam alii punctis legunt מקוטרת *mecutteréth*, id est suffita, vel suffumigata. Sed eodem redit sensus. Quocirca Septuag. vertunt: *Quæ est ista quæ ascendit e deserto tamquam truncus fumi evaporans myrrham et thus, ex omnibus pulveribus unguentarii*: Aquila: *Sicut similitudo fumi ex suffimento myrrhæ et thuris, etc.* S. Ambros. epist. 62. *Sicut vitis propago fumo incensa, odorificata myrrha et thure ab omnibus pulveribus unguenti.*

Grammaticalis ergo corticis literæ sensus est, q. d. Obviantes sponsæ, eamque admirantes dixerunt: Quæ est ista sponsa procera et decora, tam magnifice per agrum incedens versus Ierusalem, ac suavissimum odorem exspirans? quo enim magis incedendo ascendit, eo procerior apparet, ac suaviorem myrrhæ, thuris cæterorumque aromatum exhalat odorem, adeoque persimilis videtur virgulæ, sive columellis fumi, quæ instar palmæ recta ascendunt in altum, ac gratissimum myrrhæ, thuris et aromatum (ex quibus in pulverem redactis commixtæ et confectæ sunt) igne incensorum halitum exspirant, et obviis quibusque aspirant.

Chaldæus de more hæc de Synagoga accipit typice; nam Synagoga typus fuit Ecclesiæ: « Quando, inquit, ascenderunt filii Israel de deserto, et transierunt Iordanem cum Iosue filio Nun, dixerunt populi terræ: Quæ est ista gens electa, quæ ascendit de deserto suffumigata ab incenso aromatum, et adiuta propter meritum Abrahæ, qui servivit et oravit coram Domino in monte Moriah, et extersa

oleo unctionis propter iustitiam Isaac, qui ligatus fuit in domo Sanctuarii, qui vocatus est Mons thuris, et fiunt ei mirabilia propter misericordiam Iacob, cum quo luctatus est usque ad ascensum auroræ, et prævaluit illi, et liberatus est ipse, et duodecim Tribus eius. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

PRIMITIVA Ecclesia ex Apostolis cæterisque Iudæis in Sion et Ierusalem collecta, audita S. Cornelii per S. Petrum, ac Gentium per S. Paulum et Barnabam conversione, admirans exclamat: *Quæ est ista* nova et bella Ecclesia, ex deserto gentilismi tenuiter et graciliter ascendens sicut virgula fumi, sed ex continua fumi ascensione sursum agglomerans sese in magnam crescit amplitudinem, atque suavissimum virtutum exspirat odorem? Spirat enim thura, id est, Christi Deitatem; credit enim Christum esse Deum, illique thura, id est, sacrificia et divinos offert honores; ac myrrham humanitatis et passionis Christi. Credit enim Christum Deum pro nobis assumpsisse humanam naturam, in eaque passum, crucifixum, mortuum et sepultum; ac universum pulverem pigmentarium, id est, reliquam doctrinam Evangelicæ prædicationis exhalat, et quaquaversum diffundit. Ita Philo Carpath. Iustus Orgelit. Theodor. Aponius, Beda, et Anselm. qui censent hæc esse verba fidelium primitivæ Ecclesiæ, licet Rupertus censeat hæc esse verba sponsi Christi, Cassiodor. vero esse sodalium sponsi. Audi Theod. « Non immerito anima pia similis dicitur fumo suffimenti, quæ, ut Apostolus ait, membra sua constituit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; dicitur autem redolere myrrham, thus, ex universis pulveribus pigmentarii; quia Christi humanitatem per myrrham designatam et divinitatem significatam per thus adorat, sponsique tum mortem credit, tum essentiam sempiternam confitetur, sicque ex universis pulveribus pigmentarii myrrham et thus ipsius admirari Angelos sanctos; quoniam etsi ea habeat alias virtutes, ex divina Scriptura tamquam ex pigmentarii officina depromptas, in ipsa tamen excellit myrrha et thus, id est, sponsi divinitatis, et humanitatis cognitio. »

Thus orationem, myrrha mortificationem innuit.

Rursum Ecclesia spirat thura, quia orationi est dedita, et myrrham, quia studet mortificationi affectuum, ut veterem Adam exuat, et novum induat, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, Ephes. 4. 24. ac universum pulverem pigmentarium, id est, humilitatem, obedientiam, eleemosynam, cæterasque virtutes, quæ comites imo filiæ sunt orationis et mortificationis. Sicut enim aromata contrita et in pulverem contusa igneum, quem in se concludebant, halitum exhalantes, suaviorem exspirant odorem; sic et virtutes per humilitatem quasi comminutæ et contritæ, suavius Deo et hominibus redolent. Ita S. Gregor. Beda, Aponius, et cæteri, ac S. Ambros. lib. de Isaac capite 5.

Pulvis pigmentarius, virtutes orationis et mortificationis comites.

Hic sensus liquet ex eventu quem historice narrat S. Lucas, Actor. 10. et seq. ubi fideles Iudæi audientes Gentium conversionem, admirantes exclamaverunt: *Quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Ergo et gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.* Item ex eo quod de hac conversione Gentium prædixit Isaias cap. 35. 1. *Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo et florebit. Germinans germinabit, et exultabit, lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.* Et cap. 41. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ; ponam in deserto abietem, et ulmum et buxum simul.* Et c. 43. v. 19. *Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea; ponam in deserto viam, et in invio flumina. glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo.* Vide ibi dicta. Hoc est quod admiratur Apostolus: *Quod aliquando*, inquit, *vos gentes in carne*, *etc. Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo, nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*, Ephes. 2. 12. imo cadentibus a fide Iudæis, in Ecclesiam subrogatæ sunt gentes. Quod obstupescens Apostolus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!* Rom. 11. 33.

Conversio gentium mira quadrupliciter.

Nota: Conversio gentium fuit admirabilis respectu omnium causarum. Primo, materialis, quia conversi fuere homines superbi, carnales, feri, barbari, et inepti ad disciplinam Christi. Secundo, formalis, quia conversio et sanctitas Christiana consistit in mortificatione passionum, in
humilitate, in castitate, in patientia, in amore inimicorum, 1.
et similibus, quæ naturæ corruptæ repugnant. Tertio, ef- 2.
ficientis, quia facta est ab Apostolis, qui erant piscatores, 3.
pauperes, viles, rudes, illiterati, infacundi, uti docet Apo-
stolus 1. Corinth. 1. Quarto, finalis, quia finem habet glo- 4.
riam, non terrenam, sed cælestem: unde contra naturam quasi in cælum conscendere debet. Hinc

Ascendit Ecclesia.

Dixit, *ascendit*: primo, quia sicut vapor fumi terrestris, vel palustris radiis solis excitatus de deserto ascendit in
altum; sic e deserto gentilitatis, radiis gratiæ Christi ex- 1.
citatus ascendit suavissimus vapor et odor contritionis,
orationis et cæterarum virtutum. Secundo, quia Christus 2.
ascendens in cælum post se trahit Ecclesiam, ut mentem et cor transferat ad superna, ac per cælestem vitam tendat ad cælestem gloriam. Unde ait Apostolus: *Consedere nos fecit in cælestibus in Christo Iesu*, Ephes. c. 2. v. 6. Quocirca Ecclesia non tantum triumphans, sed et militans vocatur *cælestis*, imo *cælum*, quia e cælo a Deo vocatur ad vitam cælestem, ipsumque cælum, iuxta illud Apocal. cap. 21. vers. 2. *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cælo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quia de causa cœtus gentium hic de deserto idololatriæ et gentilismi ascendere dicitur ad Ecclesiam militantem Christi, utpote vocationis altam,
et doctrina vitaque cælestem. Tertio, quia alludit ad ascen- 3.
sum et iter Hebræorum ex deserto Arabiæ, duce Mose in Sion et Ierusalem prævia columna ignis et nubis; hic enim erat typus Ecclesiæ gentium ex deserto infidelitatis ascensuræ ad primitivam Ecclesiam Apostolorum, et fidelium ex Iudæis conversorum in Ierosalem et Iudæa.

Sensus ergo est, quem pathetice exprimit Cosmas Hortolanus, q. d. Primitiva Ecclesia, id est primi fideles a Iudæis conversi, Paulo et Barnabæ, convertentibus gentes ad Christum, Actor. 13. Quid est, o Paule et Barnaba, quod ego de deserto gentium surgere video? quæ est ista nova sponsa, quam vos pronubi ex desertis gentibus ascitam in sponsi mei thalamum inducitis tantopere suffumigatam, myrrhæ et thuris omniumque aromatum unguentarii arte contritorum ac commixtorum suffitum spirantem, ut qui ex ea exhalat vapor, virgulam primum, deinde in altum se agglomerans altissimas palmas et columnas referre videatur? nimirum propter assiduas orationes et omnis generis pia opera, quæ ex fide et charitate qua ipsa tota ardet, cum prodeant, velut suavissimi holocausti nidores, usque in Dei conspectum in cælum continenti caligine sese attollunt, ac sponsum meum vehementer oblectant. Quis umquam credidisset tantam gentium multitudinem olim Christi ignaram, a Republica Israelitica alienam, testamentorum promissionis extraneam, omni spe et vel ipso Deo carentem, nunc civitatis Dei iure esse donatam, quin et repudiata Synagoga matre mea, Christi sponsi mei coniugio nobilitatam? Admirabantur olim, et stupebant plane gentes Chananææ, cum viderent maiores nostros de deserto Arabiæ ascendere, et præcedente eos columna fumea, interdum et ignea de nocte in suas invadere possessiones. Iam nunc vicissim miramur Iudæi,

gentes e deserto infidelitatis ascendere, et fidei ac charitatis suæ caliginosum, suavissimeque olentem fumum instar palmarum et columnarum aromaticarum sursum spirantes, in regnum Evangelicum genti nostræ hæreditarium irrumpere! Sed quas vobis Doctoribus, intelligo cohæredes mihi, et corporales, et compartiripes suæ promissionis, a Deo electas civitatem nostram, omnesque fortunas cum ipsis lubens communico. Quas video virgines animas fide, charitate et consummata iustitia mihi proximas, vobis paranymphis Christo meo desponsatas, et ad ipsum (ut Regium vatem memini prædicere) adductas esse in communem thalamum lætabunda, et præ gaudio gestiens admitto.

Symbol. Symbolice, tres Anonymi apud Theodoretum sic explicant: « Quænam est ista quæ ex habitu a perturbationibus remoto per virtutem et scientiam ad Deum sublata conscendit, velut surculus fumi, qui ab igne sylvam depascente levis in aera tollitur. Sic enim anima spiritu succensa, per actionem quidem carnis crassitudinem, per contemplationem autem rerum species extenuans; probis tum moribus, tum sermonibus levis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur. Hac ratione myrrham et thus ex aromatibus, atque universo pulvere pigmentarii redolens, ad cælestem sponsum provehitur ». Singula deinde singulis ita adaptant: « Virtute igitur quasi myrrha, cum carnis sensum mortificat, fragrat; scientia vero quasi thure, tamquam veritatis notis, seipsam divinam imaginem ostendit. Ita rerum naturas pertransiens, suaviter olet ad earumque tendit auctorem; ex quibus instar pulveris earum rationes et modi excitantur ei, attenuante his veritatis semitis exploratricibus accurato sermone, qui totum hoc tamquam in igne spiritus excoquit. »

ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII.

ID est, omnium virtutum, quæ in singulis fidelibus resplendent: « Quia sicut multa, inquit Aponius, suavissimi odoris aromata in unum pulverem redacta, ad delicias regum a pigmentariis præparantur; et dum sunt multa in unum corpus collecta, una magni odoris virgula, vaporata ignibus redditur: ita unanimitate multorum populorum confessio rectæ fidei et rationum unum suavitatis odorem in conspectu Dei reddere demonstratur, velut pigmentarius rationalis, congregat sensus cælestia aromata. »

Cur Ecclesia odore Aromatum fumo comparata. Quocirca Ecclesia omnibus se spectandam vel noscendam exhibens, suo splendore omnes gentes ad se invitavit et attraxit; hinc comparatur fumo aromatum odoratorum: fumus enim ascendens in omnium, qui oculos habent apertos, aspectum incurrit; odor vero in nares eorum qui cæci sunt, vel oculos habent clausos. Secundo, varietas hæc odoris, id est, famæ omnium virtutum, omnes sibi conciliavit. Alius enim trahitur odore castitatis, alius humilitatis, alius charitatis, alius alterius virtutis. Audi Bedam: « Ecclesia ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus, etc. quia una ex multis personis fidelibus construitur; quia diversis floridæ virtutibus quædam instar myrrhæ amplius mortificandis carnis voluptatibus insistunt; quædam ad figuram thuris peculiarius crebris orationibus vacant; aliæ aliis bonorum operum fructibus desudant, uno tamen omnes igne spiritus inflammatæ, quasi una fumi virgula indiscrete per omnia studio, ac devotione communi vitæ cælestis alta requirunt. »

Tertio, S. Ansel. per pigmentum accipit virtutes; per pulverem humilitatem, quia ut virtutes Deo et hominibus placeant, debent humilitate ornari, ut homo seipsum quasi in pulverem redigat, seque nihil esse nihilque posse reputet.

Quarto, S. Greg. hom. 22. in Ezech. et Cassiodorus per pulverem et pulverisationem aromatum accipiunt subtile examen operum: quia, inquit Cassiodorus, sanctorum actiones magna discretione considerandæ sunt: et tamquam cribro subtilissimæ considerationis eventilandæ, ne quid forte in illis durum resideat.

Ecclesia Gentium palmes est Christo viti insertus. Porro S. Ambros. pro *sicut virgula fumi*, legit: *sicut vitis propago*, quod licet ab Hebræo et Græco dissonet; commodum tamen habet sensum. Ecclesia enim gentium quasi palmes inserta est viti, puta Christo, quia ab eo omnem fidem, gratiam, sanctitatem, sapientiam, spiritum haurit: sicut palmes omnem suam vim et succum haurit a vite. Rursum etsi palmes aliquid e terra necessario capit, illud tamen non sugit vastum atque immundum, quale terrenum est, sed per vitis radices extenuatum prius atque purgatum, et in aliam quamdam puriorem naturam ante conversum.

Sic Ecclesia omnem cibi, potus, vestis et rerum terrenarum usum per gratiam Christi emundat, expolit et perficit, ut ab iis non polluatur, sed sanctificetur, nec terrestris, sed cælestis evadat; quia omnibus iis utitur non ad gustum, sed ad Dei gloriam et suam aliorumque salutem iuxta legem, a voluntatem Dei. Hoc est, quod ait Christus: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. 4. » Audi S. Ambrosium lib. de Isaac cap. 5. « Quæ est ista quæ, cum ante in inferno derelinquebatur, nunc inhæret Dei Verbo; quæ per desertum, nimirum per hunc terræ locum incultum sentibus, et spinis nostrorum obsitum delictorum, ascendit sicut vitis propago in superiora se subrigens, velut fumus natus ex igne atque alta petens? nunc præterea bonis operibus fragrat, odor autem ille orationis piæ redolet suavitatem, quæ tamquam suave piæ precationis fragrat unguentum; quia de æternorum et invisibilium, non de corporalium petitione compositum est; præcipue tamen myrrham redolet et thus, eo quod peccatis mortua sit et Deo vivat. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima tendente ad perfectionem.

ANGELI inquit Nyssen. Theodoret. S. Ambros. aliique et homines talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt: Quænam est ista, quam strenua, quam fortis, quæ cum descendere deberet, eo quod ex Adæ terra compacta est, originisque pondere per ima scelerum præcipitem se dedit, nunc vi nova piaeque mira in virtutis ardua conscendit? Ascendit, inquam, de deserto mundi, ubi solitudo est virtutis et sanctitatis, ubi inter homines animales et crassos, qui nil nisi terrena cogitant et sapiunt, ac inter dracones, id est dæmones, periculose degit et vivit, quos omnes prætergressa, sola in altum perfectionis culmen animose scandit. Persimilis est virgulæ fumi ex myrrhæ thurisque aromate, igne adusto assurgenti; nam mortificationis amarulentæ myrrha, et orationis thus traditum divini amoris incendio, sursum fertur, et ut virga quædam directionis, igneo charitatis motu in Deum extenditur: mortificatio enim carnis pondus, quod mentem degravat, extenuat; oratio vero quæ sponte sua fertur sursum, est spiritualis levitas, qua mens hiat in superus; hisce ergo duabus quasi levitatis alis anima vehitur sursum: *Et universi pulveris pigmentarii*, quia Deus velut scientissimus pigmentarius animam piam tentationibus, tribulationibus, morbis, persecutionibus quasi malleis conterit, humiliat et quasi in pulveres redigit, ut eius patientiam et virtutes probet, acuat et perficiat; hæ enim tot ærumnis quasi attritæ, dum ab igne charitatis corripiuntur et suavius fragrant, et rectius in Deum instar virgulæ fumi feruntur: penetrat enim eas tritas ignis facilius, et in subtiliorem quamdam naturam concurrit, sicut odorati pastilli priusquam acerris vel thuribulis iniiciantur, solent conteri, ac in pulverem redacti prunis iniiciuntur, ut citius excitetur fumus, ocyusque exspirat suavis ille fragrantia, quæ naribus hauriatur. Ita S. Gregor. Cassiod. Beda, Philo, Ioan. Carm. et cæteri. Audi S. Gregor. « In deserto anima sancta vivit, dum regno exsul, inter bestias, dæ-

Deus ut Pigmentarius animam tentationibus, et tribulationibus conterit et humiliat.

mones videlicet, degit. Hic enim etsi non omnino a sponso deseritur, tamen dum in carne est, nondum ad certam eius visionem admittitur, dum ab eo per exsilia et tentationes peregrinatur: quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat: quatenus quoniam perfecte eum in deserto non tenet, vel ipso eius desiderio se reficiat, ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit perveniat. »

Gregorius.

Subdit deinde post nonnulla: « Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur, quia et odorem bonæ famæ et subtilitatem mentis habere dicuntur. » Mox dat causam cur fumus hic est myrrhæ et thuris: « Myrrha quippe mortuorum corpora condiuntur ne putrescant, thura vero accenduntur ut redoleant. Per myrrham ergo carnis mortificatio designatur: per thus vero orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima, dum carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet, ut post iudicium a corruptione æterna sanum permaneat. Cum vero se ad cælestia maiori desiderio accendit, et a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abiicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit, in quo dum per dilectionem virtutes congregat quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suave redoleat, et proximos ad eius amorem concitet. »

Cur dicitur pulveris pigmentarii, non pigmenti? Moralit. Greg.

Denique notat dici *pulverem pigmentarii*, non *pigmentum*, causamque subiicit: « Pigmenta quippe facimus quando virtutes congregamus in corde. Quando vero ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat; tunc procul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus, ut eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Huiuscemodi animæ dilecto suo delectabiles se per eius gratiam faciunt, et dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo sponsus requiescat in seipsis componunt. » Igitur anima sancta sese in holocaustum offerens Deo per orationem quasi thus, et per mortificationem quasi myrrham, et per omnem pulverem pigmentarium, id est, per eleemosynam et quamlibet aliam virtutem charitatis igne succensam, recte ascendit ad Deum, illique fragrantissimum thymiama exhalat in odorem suavitatis quo oblectatur et pascitur Deus.

Desertum. I. Est mundus.

Porro per desertum, primo, notat mundum et mundanos. Primo quia, ut ait Richard. de S. Victore, mundus sterilis est et arescit, nec fructum habet, quia non novit Christum, nec Spiritum sanctum potest accipere. Secundo, quia ut idem addit, amatores eius deserti sunt, quia deseruntur a Deo, et quia ipsum deserunt Deum. Sicque per desertum istud ascendit pia anima, quatenus a malorum consortio se segregat, et ad bonos dilectione transit, eosque imitetur, quatenus inter desertos a gratia, et inter descendentes proficit. Tertio, quia, ut idem addit, seipsum (et sui amatores) deserit et in se deficit; quotidie enim cum tempore gaudia temporis transeunt, et quot dies, tot gaudia dierum prætereunt. Unde cum gaudia ista anima perfecta contemnit, et ad supernum et verum gaudium tendit, per desertum ascendit. Hugo vero de S. Victore: Mundus, ait, est desertum propter copiam malorum et inopiam bonorum. Rursum cor pravum ait esse desertum, quia culturam non habet et germinat noxia et in eo bestiæ habitant. Unde S. Bernardus ser. 59. ex parvis: *Ascendit*, inquit, *animo pœnitens per desertum, terram scilicet inviam et inaquosam, peccatorum suorum recordando.*

II. Est vita solitaria.

Secundo, per desertum Rupertus accipit vitam solitariam, Beda conversionem sanctam: « Quæ a mundi illecebris separata, Dei tantum legi servandæ, et cælestium præceptorum sit observationi dedita, quæ esuriens et sitiens iustitiam manna solummodo verbi cælestis vescatur, et fonte vitæ, qui de spirituali petra emanat, potetur, iuxta illud: Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! In terra deserta, invia et inaquosa, et sic in sancto apparui tibi. » Psal. 62. 2. qualis est vita Religiosorum.

III. Est Cor pium.

Tertio, Hugo Victor. lib. 4. Erudit. Theol. cap. 3. « Desertum, inquit, est cor bonum, quia longe est a strepitu et tumultu, et non conculcatur frequentia terrenarum actionum et cogitationum, sed virens permanens, et floridum, germina virtutum producit, et canit ibi turtur Spiritus sanctus; et non auditur vox hominis, neque ad hominem pertinentis. »

Unde S. Anselmus notat sponsam in lecto dormire ut liquet ex versu præced. et simul dormiendo ascendere; quia, inquit, uno eodemque tempore et soporatur et ascendit, cum ab exterioribus curis desideriisque carnalibus anima se, quantum valet, alienat, et bonæ operationis seu cogitationis profectibus ad visionem sui conditoris appropiat. Ita ipse: sed verius est alium hic esse actum scenæ, quo sponsa vigilans inducitur quasi ascendens, uti dixi.

IV. Est humilitas Christiana.

Quarto, Rupert. et S. Bernard. lib. Sententiarum, per desertum accipiunt simplicitatem et humilitatem Christianam, quia ipsa a multis deseritur: « Quia nullus fere est imitator Christi, qui studeat bonum istud operari. Per hoc desertum necesse est ut ascendamus sicut virgula fumi ex aromatibus, cum virtutum studio et disciplina exciti, proximos nostros ad bene agendi similitudinem incitamus. » Hæc illi.

Anagog.

Anagogice S. Ambros. in Exodi c. 16. sic legit, sicque explicat: « Quæ est hæc quæ ascendit a deserto sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata myrrha et thure ab omnibus pulveribus unguenti? Emole, inquit, et tu fidem tuam, ut sis sicut illa anima, quæ Christi in se charitatem excitat, quam mirantur ascendentem virtutes cælorum, quod sine offensione ascendat cum lætitia et iucunditate, sicut vitis propago, et sicut fumus se ad superna subrigat, fragrans odorem resurrectionis piæ, et suavitatem fidei. Pulchre autem subtilitatem eius expressit pulveris comparatione et unguenti commemoratione, quia in Exodo subtile legimus ex multis compositum thymiama, Exodi 30. illud vero est incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, ut dirigatur in conspectu Domini, sicut et David dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, » Psal. 140.

Virgula fumi quid? Resp.

Quæres, quid symbolice significat virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris, etc.

I. Humilitas.

Primo, Richard. de S. Victore per virgulam fumi accipit humilitatem, quæ ascendit, quia sola sui cultores exaltat. Sponsus non virgæ, sed virgulæ tenui assimilatur, ut velocitas ascendendi notetur: *Virgulæ enim*, inquit, *quæ crescendo grossantur, non nimis in altum ducuntur, sed virgulæ, quæ velocius et sursum crescunt, subtiliores et minores sunt.* Hinc facit, quod balsamum, qui est odoratissimus liquor et præstantissimus (sicut ex certa nobis relatione illorum constat, inquit Titelmannus, qui insignem illum balsami hortum, unicum in toto orbe apud Cayrum in Matharæa viderunt) non ex arboribus colligitur, sed quasi virgultis quibusdam sive viminibus, ad eum fere modum, quo apud nos illa crescunt vimina, in quibus uvæ crescunt, quas Sancti Ioannis appellamus. In eodem quoque horto alia plurima aromata colliguntur potius ex herbis aut viminibus, quæ annuam requirunt culturam, quam ex amplis latisque arboribus.

Hæc omnia designant Deum per humilia et humiles, magna et præstantia operari, in operibus tum naturæ tum potius gratiæ.

II. Anima sancta.

Secundo, Cassiodorus: anima sancta, ait, vocatur *virgula fumi*, quia gracilis est et delicata, disciplinis Spiritus sancti attenuata, subtilis, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Sic et S. Gregor. Ergo anima pia recta esse debet et subtilis, ut in cælum sese porrigat et extendat; *Sicut virgula recta est et gracilis, in longum porrecta*, ait Hugo de S. Victore l. 2. Erud. Theol. c. 110. *Quia tantum sursum tendit, recta esse debet, et quia ar-*

eta est via, gracilis, et quia longa, porrecta. Item non est virgula ligni insensibilis et duri, sed fumi, qui speciem habet, substantiam non habet. Cum enim cernitur, aliquid esse videtur; cum manus opponitur, nihil invenitur. Sic bonus quisque hic esse videtur per carnis speciem, sed hic non est per dilectionem. Item fumus de igne ascendit, quia desiderium ex amore venit. Et qualis fumus? ex aromatibus myrrhæ. Pigmentarius est Christus, pigmenta virtutes, myrrha mortificatio carnis, thus mentis devotio: universus pulvis pigmentarii, virtutum omnium multitudo.

III. Tertio, S. Bernard. serm. 59. inter parvos hæc accipit de ascensu animæ peccatricis per pœnitentiam: *Ascendit*, inquit, *anima pœnitens per desertum, peccatorum suorum recordando. Ascendit sicut virgula eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confessio recte fieri sicut virgula fumi dicitur, quia per plures peccatorum species, tamquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum quod, cum fumus numquam habeat splendorem, nonnumquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quemdam pietatis habeat, innuitur ex his quæ subiunguntur. Ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Confessionem debet semper comitari myrrha et thus, id est, mortificatio carnis, et oratio cordis: alterum enim sine altero aut parum, aut nihil prodest. Nam, qui carnem mortificat et orare dissimulat, superbus est.* Et paucis interiectis subiicit: *Et universi pulveris pigmentarii. Post recordationem et confessionem peccatorum, post mortificationem et orationem exhibendus est fructus eleemosynarum. Quæ bene pulvis dicuntur, quia de terrena substantia fiunt, pigmentarius vero, quia suavissimum odorem emittunt. Hinc est quod Cornelio bene agenti dictum est: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt. Vel universi pulveris pigmentarii, ideo dicitur, quia non solum magna, sed etiam minima quæque peccata conterenda sunt per confessionem, et diluenda per compunctionem.*

IV. Virgula fumi anima ad cælestia anhelans. Quarto, et aptissime S. Gregor. Iustus, Philo, Aponius, Beda et alii per virgulam fumi accipiunt animam ad cælestia anhelantem. Verba S. Gregorii in hunc locum superius recitavi. Audi nunc eumdem homil. 22. in Ezech. sub finem: « Transcendemus per desiderium omnia, ut mente colligamur in unum. Non iam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum. » Cumque subdit: « Sancta quippe electorum Ecclesia, cum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum, quod deserit, ascendit; qualiter vero ascendat, adiungit: sicut virgula fumi ex aromatibus. Fumus de incenso nascitur, quod orationem designat, fumus excutere lacrymas solet. Itaque fumus ex aromatibus, compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio fumi virgula dicitur; quia dum sola cælestia postulat, sic recta progreditur, ut ad terrena ac temporalia appetenda pro terreno studio minime reflectatur. Virgula autem et non virga nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis æstuat vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere, qui illuminatus meruit habere. Bene vero additur myrrhæ et thuris: myrrhæ enim et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem mortificant, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt; myrrham, quia se cruciant, et cruciando a vitiis conservant: thus vero, quia Dei visionem diligunt, ad quam pervenire medullitus exardescunt, seque ipsos ei in sanctis virtutibus exhibent. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus censet hæc esse verba Christi, humilitatem B. Virginis admirantis et celebrantis, q. d. Tu dicis (sicut Abraham) Pulvis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit; et ille dicit, Non, sed pulvis pigmentarius, sive pulvis pigmentarii, pulvis myrrhæ et thuris, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis, et ex myrrha probatissima, quod est mortificatio sive incorruptio carnis. Tu dicis: Fumus ego sum teter coram divinis oculis, qualis de camino sive de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit, et ille dicit, Non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ et thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum, usque ad os et olfactum Domini. Talis fumus, imo talis fumi virgula, tu, o beata Maria, suavem odorem spirasti Altissimo, cælestibus disciplinis erudita atque extenuata; talis ascendisti per desertum, id est, animam habens valde solitariam. Hæc pene ad verbum Rupertus. Porro B. Virgo ascendit sicut virgula fumi myrrhæ, thuris et universi pulveris pigmentarii; quia quotidie per actus plurimos, habitibus suæ gratiæ et virtutum adæquatos (ipsa enim ex æquo cooperabatur gratiæ divinæ, ut cum haberet gratiæ gradus intensos ut centum, eliciebat actus intensos ut centum; itaque merebatur alios centum gradus, idque assidue semper duplicando) mirifice crescebat et proficiebat in mortificatione, in oratione, cæterisque virtutibus, præsertim in humilitate, quam repræsentat pulvis pigmentarii, ita ut in fine vitæ gratiis et meritis longe superarit omnes homines et Angelos, etiam Cherubinos et Seraphinos collectos et simul sumptos, uti docet Franc. Suarez et alii.

Rursum S. Hieronymus tom. 9. epist. 10. ad Paulam et Eustochium de Assumptione B. Virginis, hæc eisdem adaptat: « Quæ profecto festivitas, ait, sicuti B. Maria incomparabilis est virginibus cæteris, ita incomparabilis est omnium sanctorum festivitatibus; et admiranda est etiam angelicis virtutibus. Propter quod ex persona supernorum civium, in eius Ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis: Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Et bene quasi virgula fumi, quæ gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, et desiderio charitatis. Ut virgula, inquit, fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor, etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem Dei genitrix de deserto præsentis sæculi virga de radice Iesse olim exorta; sed mirabantur electorum animæ præ gaudio quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem. »

Adverte hanc Epistolam non esse S. Hieronymi; nonnulli putant esse Sophronii. Baronius tom. 1. anno Christi 48. cap. 10. asserit neutrius esse, præsertim, quia scripta videtur post tempora Nestorii, quia dubitat auctor an B. Virgo tam corpore quam anima in cælum sit assumpta, cum id ipsum certum sit.

Denique omnia iam dicta præ omnibus attribue sacratissimæ humanitati Christi; hæc enim prima et primaria est sponsa Verbi, ut dixi in Proœmio, c. 2.

Vers. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.

Hebr. *Ecce lectulus ipsius, qui est Salomonis* (id est, ecce lectus Salomonis, ut vertit Noster, Septaginta, Chald. et cæteri, ad significandam magnitudinem et excellentiam Salomonis, additur τὸ *ipsius qui est* (*circum quam sexaginta robusti ex robustis Israel;* Septuag. *sexaginta potentes ex potentibus Israel:* Vatabl. *sexaginta heroes ex heroibus Israel.* Syrus vertit: *gigantes;* hi enim fuere fortissimi.

Alludit ad stipatores Salomonis, qui eum tam incedentem, quam domi vel in lecto quiescentem custodiebant, uti Pontificem et principes stipant custodiuntque Helvetii; numerat eos sexaginta, vel quia tot præcise erant, vel quia hic numerus perfectus est, ait Honorius: conflatur enim ex senario, qui ex tribus primis suis principiis, scilicet, ex unitate, binario et ternario, sive ex duplici ternario conficitur, atque ex denario, qui primus est numerus com- Numerus sexagesimus perfectus.

positus: primi enim novem numeri singulis constant notis, v. g. 1. 2. 3. 4. etc. unde *digiti* appellantur; denarius vero, puta 10. componitur ex unitate et cyphra 0. atque denarius primus fons est cæterorum denariorum, puta 20. 30. 40. ac centenariorum 100. 200. 300. etc. ac millenariorum 1000. 2000. 3000. etc. Si enim decem duplices, triplices, vel quadruplices, efficies 20. 30. 40. sin decem multiplices per decem, efficies 100. 200. 300. si per centum, efficies mille, bis mille, ter mille.

Alludit rursum ad 30. fortes Davidis, qui recensentur 2. Reg. 23. in fine, quos Salomon videtur duplicasse, ut essent 60. Unde Hierosolymæ iuxta Regiam, vel in ipsa Regia erat domus fortium. Vide Adrichom. in descript. Ierusalem.

Cuius hæc sint verba?

Aben Ezra censet hæc esse verba sponsi, qui arguat sponsam solam incedentem, q. d. Ego Salomon sponsus tuus incedo stipatus sexaginta fortibus, et tu audes sola per desertum incedere?

Luysius Legion. ex adverso censet hæc esse verba sponsæ, quæ admirantibus suum incessum respondeat, ut oculos a se in sponsum secum in lectulo, id est in lectica vectum convertant, eiusque magnificentiam et pompam sexaginta fortium admirentur.

Verum Patres et interpretes passim, hæc æque ac illa versus præcedentis accipiunt, ut dicta ab obviantibus sponsæ, eiusque pulchritudinem et magnificentiam celebrantibus; aut certe ut Theodoret. et Nyssen. hom. 6. ab amicis sponsi, ut sponsam in sponsi amorem accendant, q. d. Tanta est tui pulchritudo, o sponsa, ut sponsus tuus Salomon pro te lectulo custodes adhibeat sexaginta fortes, ne quis te ipsi eripiat, aut quoquomodo noceat vel affligat.

Chald. per lectulum accipiens templum Salomonis, et per fortes Israel sacerdotes, sic Iudaice vertit: « Quando ædificavit Salomon rex Israel domum Sanctuarii Domini in Ierusalem, dixit Dominus in verbo suo: Quam pulchra est domus sanctuarii hæc, quæ ædificata est mihi per manus Regis Salomonis filii David! et quam pulchri sunt sacerdotes in tempore, quo extendunt manus suas, et stant in suggestu suo, et benedicunt populo domus Israel, et illa benedictio circumdat eos, sicut murus excelsus et fortis, et in ea prævalent et prosperantur omnes fortes Israel! »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Lectulus Christi est Ecclesia Antiochena et Romana.

Sanctus Gregorius, Cassiodorus, Beda, Theodoret., Philo et alii fere ad unum omnes per lectulum Salomonis accipiunt Ecclesiam, præsertim gentium, in qua velut in lectulo Christus, qui est verus Salomon, id est, Rex pacificus, requiescit. Verum quia Ecclesia est sponsa, sponsa autem non est lectulus, sed quiescit in lecto, hinc magis apposite per lectulum accipias urbem primo Antiochenam, deinde Romanam: Antiochiæ enim primo S. Petrus cathedram Pontificiam collocavit, ibique resedit per septem annos; unde ibi primo fideles cognominati sunt Christiani, Act. 11. 26. Sed post septem annos Cathedram Antiochia transtulit Romam, ibique deinceps vivendo et moriendo firmiter collocavit, ac successores sibi constituit S. Clementem, S. Linum, S. Cletum, etc. Sensus ergo est, q. d. Lectulus, id est locus, in quo residet et quiescit Christus et Ecclesia, olim fuit Antiochia, deinde Roma: ibi enim resedit S. Petrus Romanus Pontifex, et Christi Vicarius cum suis Sacerdotibus et clericis, ibique moriendo cathedram Pontificiam et Apostolicam stabilivit, et firmiter collocavit: quare Romana Ecclesia est mater, doctrix et nutrix cæterarum omnium Ecclesiarum toto orbe diffusarum. Hac de causa Christus ei sexaginta fortes, id est, plurimos insignes Pastores, Doctores et Sanctos eximios assignavit et assignat, qui eius illibatam fidem tueantur et propugnent, ne quis in Ecclesia error irrepat; sicut primitivæ Ecclesiæ Antiochenæ assignavit Apostolos aliosque Doctores, qui irrepentem errorem Iudaizantium de servandis legis Mosaicæ ceremoniis damnarunt et confutarunt, Actor. 15. Romanæ vero Ecclesiæ primitus dedit fortissimos Pontifices, Cardinales, Sacerdotes et fideles, qui contra Neronem, Traianum, Decium, Diocletianum, etc. pro Christi fide fortissime decertarunt per 300. annos, ac illius veritatem sanguine suo et martyrio obsignarunt.

Sexaginta fortes Ecclesiæ sunt Pastores, Doctores, et Sancti.

Nam S. Petro, qui Pontificatum Romæ constituit, eiusque successoribus dixit et promisit Christus: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16. 18. Hinc mirabile robur Christus dedit omnibus pene Romanis Pontificibus ad tuendam fidem et propugnandam Ecclesiam, uti liquet ex Histor. Ecclesiasticis et Vitis Pontificum; quare hi vocantur merito *fortissimi Israel*, quia sicut Iacob fortiter luctans cum angelo, illique prævalens ab eo vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Genes. 32. v. 28. Sic quisque Pontifex sanctus roboratus a Christo dominatur tyrannis, inferno, et dæmonibus, ac subinde per ardentes preces et vota ipsi Deo, ut iure Israel vocari possit. Exemplo sint tot Leones et Gregorii, virtute invicti et sanctitate eximii.

Cur caput Ecclesiæ est Roma?

Hinc apte Roma dicitur quasi ῥώμη, id est robur et fortitudo. Unde et Roma olim dicta est Valentia, teste Solino initio Polyhist. Hinc rursum Deus Ecclesiam constituit Romæ, ut esset munitior, quia urbs Romana, si situm spectes, est munitissima; una enim ex parte duplici mari infero et supero, altera Apennino et Alpibus quasi vallo pene insuperabili munitur et cingitur. Tutissima ergo sedes Ecclesiæ est Roma, ut in ea quasi in lecto, Christo tutante, conquiescat. Vide Bosium de signis Ecclesiæ. Sicut igitur vers. 1. Ierusalem et Ecclesiam Hierosolymitanam vocavit *lectulum*, in quo quis secreto dormit, (hunc enim significat Hebr. משכב *miscab*) sic hic Antiochiam et Antiochenam Ecclesiam, ac Romanam inchoantem ac quasi adhuc infantem, vocat מטה *mitta*, id est, lectum extensum et expansum (nam נטה *nata* est extendere, expandere) quia scilicet in ea sedens Petrus fidem Christi et Ecclesiam per Asiam, Cappadociam, Bithyniam, Pontum, etc. extendit: Ecclesiam vero Romanam iam ampliorem et magnificam versu sequenti vocat *ferculum*. Utramque autem stipant sexaginta fortes. Antiochia ergo prima, deinde Roma, id est Ecclesia Romana est lectulus, in quo requiescit Christus et Ecclesia universalis omnium gentium; quia in eius fide, doctrina et regimine secure obdormit. Et sic exponendi sunt Patres, ut S. Gregorius, Philo, S. Thomas, etc. cum per lectulum accipiunt Ecclesiam, ut scilicet intelligant primam et fundamentalem, puta Antiochenam et Romanam, quam tutantur fortissimi tum Angeli, imo Archangeli eius custodes, tum Pontifices, Prælati et Doctores, tum Sancti cælicolæ et terrestres. Nunc audi Cassiodorum: « Lectulus Salomonis dicitur Ecclesia sancta, quia in illa sancti Dei sopitis tumultibus vitiosis, amplexu veri pacifici delectantur. Sexaginta fortes sunt Doctores, qui vel prædicando Ecclesiam moniunt, vel contemplando, ad supernam beatitudinem pervenire desiderant. Sexagenarius numerus ex senario et denario constat: senarius vero perfectionem significat operis; quia sex diebus perfecit Deus opera sua: denarius vero remunerationem et præmium, quod in fine electis dabitur; unde et hi qui in vineam venerunt, denarium accepisse dicuntur. Doctores autem isti, qui Ecclesiam custodiunt, non modo fortes dicuntur, sed ex fortissimis Israel, omnium videlicet in Christo credentium, eumque diligentium, qui Israel, id est, videns Deum appellatur. »

Prælatorum virtus est fortitudo.

Moraliter hic nota in Pontificibus, Prælatis et Principibus maxime requiri fortitudinem: primo, qua suas passiones doment, ne vel metu, vel amore, vel avaritia a recto abduci se sinant. Secundo, qua infidelibus et impiis generose resistant, iuxta illud Ecclesiast. 7. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi virtute* (virili animo et robore) *valeas irrumpere iniquitatem*. Tertio, qua errores et vitia populi severe castigent et avellant. Unde hoc consilium Iethro dedit Mosi: *Provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et con-*

stitue ex eis Tribunos et Centuriones et Quinquagenarios et Decanos, qui iudicent populum omni tempore.

Symbol. Lectulus. Christus. Symbolice S. Ambros. lib. de Isaac cap. 5. per lectulum accipit Christum; in Christo enim Ecclesia et anima sancta conquiescit: *Ea quod ei vero requies*, inquit S. Ambros. *in Christo debeatur; lectus enim sanctorum Christus est, in quo universorum fessa sæcularibus præliis corda requiescunt.* Hinc Apoc. 14. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et de S. Stephano dicitur Actor. 7. *Obdormivit in Domino.* Et in Ps. 4. *In pace in idipsum* (id est in Domino, ait S. August.) *dormiam et requiescam.* Philo vero Carp. per lectulum Christi intelligit sepulcrum, quod custodierunt fortes Israel, id est, milites custodes sepulcri.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Lectulus Christi, mens sancta. Lectulus Christi est mens sancta, quam proinde ambiunt et custodiunt sexaginta, id est, plurimi fortes, tam Angeli, ut Aponius; tum Doctores et Superiores, ut S. Gregorius et Cassiodorus; tum Sancti, ut Philo; Sancti, inquam, tam viventes, quam vita functi, id est, Beati in cælo; hi enim suis meritis, verbis et exemplis tutantur nos; maxime vero lectus Christi, qui est Salomon, id est, Rex pacificus, ait Beda, est anima quieta segregata a mundi tumultibus, quæ edomitis passionum fluctibus tranquillitatem æternæ pacis imitatur. Sic et Philo Carpath. *Quæcumque*, inquit, *sponso cor suum sollicitudinibus mundi purgat ac vacuat, divinoque amore replet, cubiculum sponso suo parat Christo Iesu, et cum eo ab omni perturbatione rerum humanarum requiescit.* Per sexaginta fortes, intelligit Apostolos atque martyres.

Audi S. Gregorium: « Salomon, inquit, id est pacificus, est Christus, de quo scriptum est Ephes. 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Salomoni ergo lectulum facimus; quando a mundi sollicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique ut nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Denarius autem numerus, si per senarium numerum multiplicetur, nimirum sexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum legis accipimus; per senarium hoc totum tempus intelligimus; quod sex diebus operatoriis volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes, omnes perfectos, qui fuerunt ante nos in Ecclesia, intelligimus; qui dum decem præcepta legis, quo spiritalius, eo fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum compleverunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt; quia mentem sanctam, in qua Christus pausat, verbis et exemplis piis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt. » Vide eumdem S. Gregor. lib. 7. moral. cap. 8.

Allegor. Lectus Christi fuit Crux. Allegorice, lectulus Christi, ait Aponius, fuit crux: in illa enim ipse moriens quievit et obdormivit, ac sponsam, id est, animam sanctam in eadem secum quietem capere, et velut in lectulo conquiescere cupit, ut ipsi sit similis et coniux, id est, eiusdem iugi socia; quis enim timeat crucem, cum in ea socium secum cubantem, seque defendentem et confirmantem habeat Christum? Crux ergo est lectulus, ob unionem cum Christo, certamque confidentiam in eius ope et gratia defixam. Denique in cruce et crucis amore est Sanctorum requies. Fortes, qui eam custodiunt, sunt Angeli; hi enim patientibus adsunt, ut eos corroborent, imo plura patiendi sitim suggerant. Hinc sunt ex fortissimis Israel, id est, ex primariis Angelis, quos Deus martyribus et tribulatis submittit, ut ingentes eis vires animosque ad timores, quos dæmon ingerit, et ad acerba quæque superandum subministrent, sicut Tobiæ afflicto submisit Raphaelem, qui ait se esse unum e septem, qui astant ante Dominum, Tobiæ 12. 15. Sic Eliseus circumdatus ab exercitu Syrorum, vidit castra Angelorum venientium ad sui tutelam. Unde ait famulo suo Giezi timore perculso: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*, 4. Reg. 6. 16. Sic Iacob timens Esau cum armatis sibi obvium vidit, castra Angelorum se propugnantium; unde locum vocavit *Mahanaim*, id est castra, Genes. 32. 2. Sic Angeli pro Mose et Hebræis pugnaverunt contra Pharaonem et Ægyptios persequentes, eosque merserunt in mari Rubro. Unde Moses Hebræis trepidantibus ait: *Nolite timere, state et videte magnalia Domini*, Exodi 14. 13. Hoc est quod canit David Ps. 33. *Immittet* (Hebr. חונה chone, id est, *castrametatur*) *angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.*

Tropol. Lectus animæ est Oratio. Tropologice, lectulus in quo anima placide quiescit est Oratio; ibi enim fruitur sponso suo, ac a se deficiens illi toto copulatur affectu; ibi vicissim Christus pacem, robur, gratiam, omniaque dona animæ immittit. Quocirca dæmones omni studio orantes interturbare, et ab oratione avocare conantur; sed Angeli orantibus assistunt, qui vim dæmonum infringunt et orantes in oratione conservant, uti docet S. Nilus tract. de Oratione cap. 44. et seq. ac cap. 69. et 75.

Charitas. Rursus lectulus Christi est charitas, quam defendunt fortes Israel, id est, virtutes omnes, præsertim mortificatio, quæ gladium admovet femori, id est, concupiscentias carnis resecat et iugulat. Rursum sexaginta fortes sunt bonæ cogitationes, quas qui sibi iugiter accersit omnes malas cogitationes arcet, ac charitatem propugnat. Ita tres Anonymi apud Theodor. « Sexaginta fortes, aiunt, sunt cogitationes efficaces, quæ divina virtute undique tuentur animam ad Dei quietem præparatam, adversus fallacias spirituum improborum. Ratio enim quæ quinque sensibus præest simul cum ipsis sensibus accepta, senarium conficit numerum. At cum divina præcepta, quæ sunt decem numero, is qui sensibus ratione imperat, perficit, numerum absolvit sexagenarium ex virtute vivens, ut dictum est. Ex fortissimis Israel hi sunt, omnino veræ mentis Deum videntis notiones, ex quibus constant efficaces illæ cogitationes, ad bonum peragendum ».

Porro *non est mediocris animi fortitudo*, ait S. Ambros. l. 1. Offic. c. 39. *quæ inexplicabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) ave dicat, pecuniam negligat, avaritiam fugiat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effœminet: nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci, etc. Nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia tamquam virtutis venena.*

Obedientia. Insuper lectulus Christi est obedientia et obediens anima, qualis præ omnibus fuit B. Virginis; unde Aponius: « Salomon, inquit, pacificus interpretatur, Israel, mens videns Deum. Et quis alius pacificus nisi Christus? Hic sibi lectum fabricavit in Virgine Maria, quia etiam super animam sibi obedientem requiescere comprobatur. Sexaginta vero Angelorum ministeria demonstrantur, de quibus dicitur: Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei: quod per singulos sensus corporeos, visus, auditus, odoratus, gustus, tactusque quinquies duodecim (hoc est sacrato sexaginta numero) in ea gloriosa mysteria implentur. Fortissimi vero, quod dixit, ostendit plus sanctos posse, quam dæmones. Tenentes gladios: præceptum eos eiusdem creatoris semper tenere edocuit. Ad bella doctissimos, ait, quo per sanctitatis bonum amplius Doctores posse dæmonum prævidere malorum insidias ob custodiam animarum, quam illos nocendi artes excogitare, monstraret. Ex fortissimis Israel; quod ostendit ministeria ista de illo exercitu esse, qui semper faciem Patris vident in cælis. Et quod ait: uniuscuiusque ensis super femur, edocuit Angelos sanctos contra singulos Principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus, spiritualibus armis accinctos propter insidias eorum nocturnas et occultas. » Ex quibus liquet Apon. per fortes Israel, qui animam custodiunt, accipere sanctos tum angelos, tum doctores.

Symbol. S. Script. Symbolice, lectulus Christi est Sacra Scriptura, ait Theodoretus, in qua Deus cum anima mysticum init somnum; ibi enim, inquit, doctrinæ divinæ semina suscipiens concipit et parturit pia desideria, quæ tandem parit ut opus con-

fert; qui enim devote Sacram Scripturam legunt, sentiunt sibi per eam aspirari Dei lucem sanctasque impulsus, ut terrena fastidiant et ad cælestia tota corde anhelent. Hunc lectum oppugnant hæretici, sed tutantur eum fortes Israel, puta Doctores scientia, et Sancti virtute præstantes, qui gladio verbi illos profligant.

Script. Quies cælestis

Anagogice Beda: Lectulus animæ, ait, beatæ est cælestis gloria et beatitudo, in qua felicissime quiescit et quiescet in omnem æternitatem. Ita Nyssenus hom. 6. et ex ea Psellus ac Richard. de S. Victore, qui addit: *Fortissimi ex Israel, id est, ex his qui Deum mente contemplantur et quærunt; et quorum ferventiora fuerint desideria spiritalia, hunc lectulum ambiunt: vehementibus enim desideriis accensi undique circumeunt et aditum quærunt, ut quietem hanc degustent et ad illam aliquatenus intrent; hicque est eorum ambitus, et circa lectum hunc desiderii cursus.* Psellus vero: Sexaginta fortes Israel, inquit, ambiunt lectulum, id est, gloriam Christi, hoc est, sancti quique, qui vere ex Israel sunt, et videre valent Deum: hi vero dicuntur Sexaginta, quia Israeliticus populus dividitur in duodecim tribus et partes. Cum enim unicuique parti earum, quæ unum faciunt Israel, quinque assignentur fortes, quinque nimirum sensus armati ad prælium per mortificationem et temperantiam, hoc ipso apparet esse sexaginta fortissimos ex uno Israel.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Lectulus, in quo Christus Christique Deitas humanitatem sibi desponsans, novem mensibus requievit, est uterus B. Virginis; ita Aponius. Sic et sinus B. Virginis Christi fuit lectulus, in quo ipse iam natus infans sæpe quievit, et placide dormivit; quem proinde stipabant sexaginta fortes, id est, Angeli plurimi Christum Deum suum adorantes et matrem eius venerantes, se utrumque contra Dæmonum, Herodis, Scribarum, etc. insidias tutantes et custodientes: Rupertus vero per sexaginta fortes accipit sexaginta patriarchas et duces, qui Israelem ex quo nata est B. Virgo et Christus, contra hostes quoslibet propugnarunt, quos ipse sigillatim enumerat.

Huc facit illud Psal. 18. 16. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et illud Ecclesiastici 24. 11. *In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor, tunc præcepit, et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Vers. 8. Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores (Arabicus *horrores*) nocturnos) Septuaginta: *Omnes tenentes gladium, docti bellum, vir romphæa eius super femur eius, a pavore in noctibus.* Legerunt אחזי ocheze, id est, *tenentes, apprehendentes*; iam aliis punctis legunt אחוזי *achuze*, id est, *apprehensi* gladio, q. d. ita arcte et scite tenent stringuntque gladium, ut ab eo apprehensi videantur. Unde Vatablus: *Qui universi apti sunt gladio et bello assuefacti, quisque habens ad femur suum gladium ob metum, qui in noctibus oritur.* Porro Chald. vertit, et paraphrastice sic explicat de Sacerdotibus legis veteris: *Porro Sacerdotes et Levitæ, et omnes tribus Israel universi apprehendunt verba legis, quæ comparantur gladio, et ponderant et agitant ea sicut fortes docti in bello, et super unoquoque eorum signata est circumcisio in carne ipsorum, sicut signata fuit in carne Abrahæ, et prævalent et confortantur in ea sicut fortis qui accinctus est gladio super femur suum, et ideo non timent a spiritibus nocivis et dæmonibus, qui ambulant in nocte.* Exaggerat fortitudinem sexaginta fortium, qui ambiunt lectulum Salomonis, dicendo quod sint accincti gladiis, optimeque digladiari et præliari sciant utpote longo bellandi usu in armis exercitati, q. d. Ut sponsus et sponsa in lectulo secure quiescant, excubant circa eum continue sexaginta fortes bellatores gladiis armati, ut ad minimum hostium metum vel motum, imo ad quemlibet strepitum qui noctu facile exoritur, eum vibrent et stringant. Gladius, quo Angeli Ecclesiam tutantur est eorum mira vis et fortitudo. Unde Aponius: *Edocuit, ait, Angelos sanctos, contra singulos principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus, spiritualibus armis accinctos propter insidias eorum nocturnas et occultos.* Gladius, quo Apostoli virique Apostolici, Pontifices et Doctores tutantur lectulum Christi, id est Ecclesiam Romanam, est verbum Dei, ut Paulus Ephes. 6. 18. *Vivus enim est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, etc.* ut idem ait Hebr. 4. 12. Hoc ergo dispellunt timores nocturnos, quos in nocte, id est in tenebris infidelitatis, ignorantiæ et impietatis excitant Hæretici rudesque Christiani et impii, qui maxime Episcopis et Prælatis Ecclesiæ insidiantur; his enim devictis facile fideles cæteros superant. Ita Cassiod. Philo, Iustus, et S. Gregorius l. 10. moral. c. 3. et 4. quem audi: *Nocturni, ait, timores sunt insidiæ tentationum occultæ. Ensis vero super femur est custodia vigilans carnis illecebram premens. Ne ergo occulta et repentina tentatio subrepat, necesse est ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat; sancti enim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti, quippe quibus dicitur: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, ut et de spe exultatio, et de suspicione nascatur tremor.*

Gladius angelorum quis?

Doctorum.

Tropologice, gladius super femur est mortificatio et continentia, sive pudicitia, quæ resecat motus carnis et libidinis, quæ residet in lumbis inter femora; quocirca significat Episcopos et Pastores utraque pollere debere. Unde S. Ambros. l. 10. in Lucam c. 22. *Est gladius passionis, ait, ut exuas corpus, et immolatæ carnis exuviis ematur tibi sacra corona martyrii.* Et S. Gregorius: *Quid,* inquit, *per ensem nisi rigorem conversationis, et quid per femur nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui iam ad perfectionem vitæ provecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt; quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis, quem in nocte huius mundi timent, repente veniens mollem aditum inveniat, et per voluptatis mollitiem eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat.* Vide eumdem 3 Pastor. cap. 33. Idem l. 19. Moral. cap. 29. *Non dicitur,* inquit, *omnes habentes, sed tenentes gladios, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere: habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit; et doctus esse ad bella iam non valet, qui spiritalem, quem habet gladium, minime exercet; nam resistere tentationibus non sufficit.* Denique S. Hier. tom. 3. epist. 140. ad Principiam: *Istum,* inquit, *arbitror ta locum optime intelligere, et accinctam Christi gladio militare: ut autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis et superat voluptates, gentilis quoque error Deos Virgines finxit armatas: accinxit et Petrus lumbos suos, et lucernam habuit in manibus suis.* Unde concludens de Christo hoc subiicit: *Gloria ergo et decore suo, sive specie et pulchritudine divinitatis suæ, carnis opera mortificans, et natus ex virgine futuris virginibus virginitatis princeps fuit.*

Trop. Glad... [illegible]

Insuper gladius est oratio qua fugantur timores nocturni, quos per tribulationes, scrupulos, angores, pressuras fidelibus immittit dæmon. Unde Ieremias Thren. 3. 19. *Consurge, ait, lauda in nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.*

Et oratio.

Tertio, gladius fidelium est amor Dei. Unde Richard. de S. Victore: « Super femur, ait, delectationum, sive voluptatum carnalium habent gladium amoris propter timores nocturnos, id est propter occultos peccandi lapsus: quia si non amant, propter cæcitatem et ignorantiam in multis delinquunt. Amor enim notitiam generat et peccata abscindit, ut eum offendere caveas quem amas. »

Gladius fidelium amor Dei.

Symbol. Symbolice, Psellus per gladium accipit signum crucis; hoc enim percellitur et fugatur diabolus, sicut gladio fugantur hostes.

Denique Rupertus hæc applicans B. Virgini, per fortes Israel accipit Davidem, Iosue, Iudam Machabæum et cæteros principes, qui Israelem fortissime defenderunt et propugnaverunt. Causam subdit, videlicet: « Quia radicem sive arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primum beati seminis repromissio facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium vel regum impiorum gladios excidere, atque exstirpare volebat; unde sacræ historiæ plenæ sunt. Idcirco tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, ut defensaretur genus Abrahæ, ut defensaretur radix Iesse, defensaretur, inquam, et propugnaretur genus et radix David, donec tu B. Virgo nascereris, lectulus, ut iam dictum est, veri Salomonis. »

Moralit. Moraliter nota τὸ *ad bella doctissimi*; significat enim Prælatos Ecclesiæ debere esse in sapientia, prudentia, omnique virtute, qua cum hæreticis, dæmonibus et vitiis confligimus, non tyrones, sed exercitatos et perfectos. Unde S. Cyprianus libr. 4. epist. 2. ad Antonianum, laudat S. Cornelium Pontificem, quod gradatim per singulos Ordinum gradus ad apicem Pontificatus conscenderit: *Non*, inquit, *ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Hac de causa Concil. Trid. sess. 23. c. 23. 11. sancit ut clericis ordines per temporum interstitia conferantur: *Ut eo accuratius*, inquit, *quantum sit huius disciplinæ pondus, possint edoceri; ac in unoquoque munere iuxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina maior accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior quam antea corporis Christi communio maxime comprobabunt.*

Gradatim scandendum per ordines. S. Cornelius Pontifex

Quocirca S. Gregor. lib. 4. epist. 53. graviter hac de re admonet Childebertum regem Francorum, et transultus subiti vitium castigat: « Pervenit, inquit, ad nos obeuntibus Episcopis quosdam ex laicis tonsurari, atque ad Episcopatum præcipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam quod possit docere non didicit, sacerdotium tantummodo gerit in nomine; nam laicus in sermone pristino perseverat et opere: quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non deflevit? Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit, quia dum contradicente verecundia non potest aliis hoc, quod ipse non facit, suadere, quid est aliud, nisi ut plebs Dominica prædonibus depopulanda remaneat, et inde sumat interitum, unde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium? » Hoc autem quam pravum sit et perversum demonstrat exemplo militari: « Certum namque est non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor, eiusque fides probata constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus et sollicitudo aptum esse demonstraverit. Si vero non aliis nisi huiusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum ex istius rei consideratione, seu comparatione bene colligitur. Sed verecundum nobis est, et dicere pudet, quia ducatum sibi sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt. »

VERS. 9. FERCULUM FECIT SIBI REX SALOMON DE LIGNIS LIBANI.

VERS. 10. COLUMNAS EIUS FECIT ARGENTEAS, RECLINATORIUM AUREUM, ASCENSUM PURPUREUM: MEDIA CHARITATE CONSTRAVIT PROPTER FILIAS IERUSALEM.

CHALDÆUS per *ferculum* accipit templum Salomonis, quod fuit typus Ecclesiæ; sic enim vertit: « Templum sanctuarii ædificavit sibi rex Salomon de lignis cedrinis, et arceuthinis, et pinis quæ adducuntur de Libano; et operuit illud auro purissimo. Et postquam consummavit illud, posuit in medio eius arcam testimonii quæ erat columna sæculi, et in medio eius erant duæ tabulæ lapideæ, quas reposuit ibi Moses in Horeb, quæ erant pretiosiores argento purgato, et auro optimo, et extendit et obumbravit super eam velum hyacinthinum et purpureum. »

Pro *ferculum* hebr. est אפריון *appirion*, quod Sept. voce consona reddunt φορεῖον, a φέρειν, vel φορεῖν, id est, gestare. Sic ferculum a ferendo dicitur: ferculum ergo est gestamen, quo persona aliqua aut a bαiulis succollantibus fertur et portatur, aut equis mulisve vehitur. *Appirion* Hebræi vertunt *torum*, sive *lectulum genialem*, in quo sponsus et sponsa commorantur; ita dici volunt a fœcunditate, quod in eo proles generentur: פרה *para* enim est fructificare. Unde *appirion* est lectulus fructificans. Hinc codices Septuag. Vaticani et S. Ambros. l. 3. de Virgin. legunt: *Lectum fecit sibi rex Salomon.* R. David vertit: *Lectum quo deferuntur sponsæ*; R. Salomon: *Thalamum honorificum*; Syrus: *Thronum*; Arabicus: *Ædificium*. Quare hic per lectum accipe lecti vehiculum, sive lecticam ait Luysius Legion. Sanchez et alii, in qua pulvinar molle instar lecti sternitur, quæ et mollitiem habet lecti, et simul throni maiestatem, ait Genebr. Hoc enim significat φορεῖον, id est *ferculum*. Ferculum enim tria significat: Primo, gestatorium vehiculum, sive lecticam; secundo, currum et thronum triumphalem, uti hic accipiunt Nyssenus, Theodoret. Græcique cæteri; tertio, gestamen ad pompam compositum. Tria hæc huic loco apposita sunt, ac ferculum hoc tria hæc, id est trium horum officia in se complexum esse videtur. Porro nonnulli, ut Sanchez et Gislerius, lectum de quo v. 7. censent esse ferculum; melius alii lectum, in quo noctu cubat sponsus, sexaginta fortibus stipatus *propter timores nocturnos*, distinguunt a ferculo, quo per diem ad pompam vehebatur. Lectus enim spectat ad nocturnam quietem, ferculum ad diurnam pompam. Salomon igitur, sicut versu præcedenti explicuit lectulum cubilis sui domestici ad quietem nocturnam: sic hic explicat lecticam regiam sive currum triumphalem, quo in die vehebatur per urbem, suamque magnificentiam et gloriam populo ostentabat.

Ferculum triplex.

Minus recte ergo Aben Ezra *appirion* interpretatur palatium magnificum, et alii (quibus favet S. Greg. Rupert. et Richardus de S. Victore) ferculum, quo dapes mensæ inferuntur. Nam hebr. *appirion* græce, φορεῖον, latine *ferculum* proprie est gestamen quo pompa fieri solet. Unde Svetonius in vita Cæsaris: *Pontico triumpho*, inquit, *inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: Veni, vidi, vici.* Hoc est inter pompæ triumphalis gestamina, quo nomine continentur idola, spolia hostium, coronæ, machinæ, et cætera, quæ in pompa triumphali ferri solent: sicut Titus in triumpho de Ierusalem et Iudæis devictis, circumtulit candelabrum aureum, septem aureis calamis distinctum, uti Romæ in Arcu Titi expressum cernimus. Et Livius lib. 1. *Ipse*, ait, *cum verbis vir magnificus, tum sanctorum ostentator haud minor spolia ducis hostium cæsi suspenso fabricata ad id apte ferculo gerens in Capitolium ascendit.* Hinc vocantur fercula Sacrorum, quibus Deorum simulacra vel Sanctorum imagines, ac præsertim S. Eucharistia, magnifice gestatur et circumfertur.

Pro *reclinatorium* Hebræo est רפידה *rephida*, quod Syrus, Vatablus et alii vertunt, *stratum* vel *pavimentum*. Melius Noster, *reclinatorium*; et Sept. ἀνάκλιτον, id est *acclinatorium*, puta posterior pars in lectica, vel curru, ubi dorso suo acclinati sponsus et sponsa decore et placide recumbunt.

Ascensus hic quid.

Pro *ascensum* Hebr. est מרכב *merchab*, id est *vehiculum*, sella, quadriga. Septuaginta et Noster hic vertunt, *ascensum*, sed Levit. 15. 9. vertunt, *stragulum*; Habacuc 3. 7. *equitatum*. Unde primo nonnulli, ut S. Greg. Philo, Hortolanus per *merchab*, sive ascensum, accipiunt gradus per quos ad ferculum sive vehiculum ascenditur; atque per eos purpureos censent mystice significari passiones et

martyria, sive labores et sanguinem, quibus ad æternam gloriam fit ascensus. Secundo, Genebrardus, Sanchez et alii accipiunt vehiculi integumentum, sive cœlum, quod supra columnas argenteas ascendit, sive extensum est. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *integumentum*, vel *stolamea purpuræ*. Sic Theocritus Idyllio 15. Arsinoes ferculum eiusque velum describens ait: *supraque tapetes purpurei*. Tertio, proprie per *ascensum* accipias sellam sive sedem, in quam ascendebant et sedebant sponsus et sponsa; hæc enim proprie vocatur *merchab*, et hæc solet esse purpurea: purpura enim mollis mollem præbet sessionem; atque ipsa est vestis, stratumque regum et principum. Sensus ergo grammaticalis est, q. d. Ferculum, id est lecticam speciosam, sive currum magnificum ad pompam sibi et sponsæ suæ fecit Salomon, cuius materia erant cedri Libani, latera ornabant columnæ argenteæ, reclinatorium erat ex auro, sella ex purpura.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Ferculum est Romana Ecclesia.

FERCULUM significat Ecclesiam Romanam iam amplam et magnificam, cæterisque Ecclesiis toto orbe sparsis per Romanum Pontificem præsidentem, et instar Salomonis dominantem: sicut enim v. 1. Ecclesiam in Ierusalem et Iudæa conclusam, et quasi dormientem vocavit *mischab*, id est *lectulum*, deinde vers. 7. Ecclesiam Antiochiæ ex Iudæis et Gentibus collectam, ac Romanam sub S. Petro Romæ nascentem, at in tenebris infidelitatis latentem vocavit מטה *mita*, id est *lectum sese extendentem*, et expandentem in vicinas gentes, sed noctu, id est secreto et clanculum *propter timores nocturnos* Iudæorum et Gentium eam persequentium: sic hic Ecclesiam Romanam iam clara die quasi lucentem et splendentem, imo præsidentem, ac de infidelitate et tyrannis triumphantem, vocat *ferculum*, ob eius magnitudinem et magnificentiam, quam maxime adepta est sub tempora Decii et Diocletiani per martyria, sanctitatem, et miracula tot illustrium Pontificum, Cardinalium et fidelium, ut S. Cornelii, Sixti, Urbani, Marcelli, Laurentii, Sebastiani, Ceciliæ, Agnetis, etc. perque conversionem tot Romanorum Senatorum et Principum, ac tandem ipsius Constantini Magni, qui primus Christianus Imperator Romam totam reddidit Christianam, atque in ea Basilicas regias, quales sunt Lateranensis, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Crucis, etc. quasi regia fercula exædificavit, quin et illi quasi totum orbem subiecit, dum eum suo exemplo et iussu Christianum effecit.

Ferculum Eucharistia.

Ferculum etiam dici potest gestamen magnificum, quo Romanus Pontifex in Festo Corporis Christi baiulorum humeris vectus ab omnibus Cardinalibus, Episcopis, Prælatis, totoque clero et populo stipatus, solemni supplicatione Sacram Eucharistiam circumfert. Hic enim honor non tam Pontifici, quam Christo, cuius Pontifex est Vicarius, quemque in Eucharistia circumfert, et populo venerandum adorandumque proponit, tribuitur.

Hoc ergo ferculo depingitur magnificentia Ecclesiæ Romanæ, simul quoque voce ferculi innuitur Cathedram Pontificiam et Ecclesiam Romanam non esse alligatam urbi Romæ, sed mobilem esse, ac instar ferculi posse alio transferri, uti ante ducentos annos translata est Avenionem, ibique hæsit per 60. annos, atque sub finem mundi cum Roma ad gentilismum revertens expellet Pontificem, is tunc alio sedem cœtumque fidelium suorum transferet, uti dixi in Apocalypsi cap. 18. Cathedra ergo et Ecclesia Romana est ferculum, in quo in suo Vicario Pontifice Romano residet Christus: unde facta dicitur ex cedris Libani, id est firmissimum et incorruptibile; cedrus enim non sentit cariem, et *cedrum commendat æternitas*, ait Plinius. Hinc cum in Cathedra Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena sederint Episcopi hæretici, qui fidem et Ecclesiam corruperunt, ut Nestorius, Eutyches,

In Cathedra Romana nullus sedit hæreticus.

A Petrus Gnaphæus, Macedonius, etc. in Cathedra tamen Romana a Christo hucusque per mille sexcentos annos nullus sedit Pontifex hæreticus, Christo ita providente ad illibatam Ecclesiæ fidem.

Columnæ sunt Cardinales.

Columnæ argenteæ notant Doctores et Prælatos, præsertim Cardinales, qui quasi cardines et columnæ sedem et Ecclesiam Romanam suffulciunt æque ac ornant; dum candore sapientiæ æque ac puritate vitæ instar argenti effulgent, verboque et exemplo per urbem et orbem resonant.

Populi Romani pietas.

Reclinatorium aureum est fidelis, piusque Romanorum populus auro, id est aurea pietate et religione conspicuus, in qua suaviter quiescit et reclinat se Christus. Mira enim est populi Romani ad pietatem et devotionem propensio. Ego sane nullam gentem magis ad religionis officia proclivem vidi. Unde vix est dies per annum, in quo Romæ alicubi non agatur solemne festum alicuius Sancti cum amplis indulgentiis, ornamentis, musicorum concentu, magnoque populi concursu.

Ascensus purpureus sunt martyres.

B Ascensus, id est, sella purpurea, ait Iustus Orgelitan. est ingens et quasi immensa multitudo (numerat Bozius trecenta millia) Martyrum fortissimorum, qui Romæ pro fide et Ecclesia, a S. Petro usque ad Constantinum, sanguinem suum profuderunt, in qua iucundissime in sede sociorum et filiorum suorum (Christus enim est pater et princeps Martyrum) recumbit Christus. Unde et B. Virgo Christi mater Romæ locum sibi delegit inter Martyres, cum sub Liberio Pontifice Ioanni Patricio apparens iussit sibi in Exquiliis Basilicam, quæ hodie a magnificentia Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatur, exædificari. In Exquiliis enim erat carnificina Martyrum. Unde iuxta eas erat Ursus pileatus, ubi plurimos Martyrum, vel occisos, vel sepultos in Martyrologio legimus, atque in huius rei memoriam ibidem Ecclesia in honorem S. Bibianæ olim ædificata, nunc ab Urbano VIII. belle restaurata visitur. Si per ascensum malis accipere velum, sive cœlum ferculi, vel currum triumphalem Christi, optime hoc repræsentant

C Martyres, qui suo sanguine Romam et Romanam Ecclesiam velant, obtegunt et ornant, atque de tyrannis infidelibus triumphantes gloriose in cœlum ascenderunt, indeque Ecclesiam Romanam tuentur et propugnant. Ita S. Gregor. Cassiodor. Nyssen. Philo, Iustus, Aponius, Beda, et cæteri, qui per ferculum accipiunt Ecclesiam, puta primariam sive Romanam, in qua velut in ferculo magnifico residet et triumphat Christus et Ecclesia universalis, ceu sponsa Christi. Audi S. Gregor. « Ligna Libani imputribilia esse asseruntur; ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, quia secundum præscientiæ suæ gratiam, Christus Sanctam Ecclesiam de sanctis in æternum permansuris construxit. Columnas eius fecit argenteas, quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, qui et ut eam exemplis sustentarent, magna iustitiæ rectitudine roboravit, et ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii quasi splendore argenti decoravit. Reclinatorium aureum fecit, quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit.

D In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cœlestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis composuit; quia locum in quo refocillantes requiescant, apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur, quia melior est sapientia cunctis opibus, et omnia, quæ desiderantur, ei non possunt comparari. » Ascensum purpureum deinde sic interpretatur: « Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur, ita ut si necesse fuerit etiam sanguis effundi permittatur. Ideo ascensus recte purpureus esse dicitur. Dum enim sancti quique martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt; dum flagella, eculeos, ignes, gladios et alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam per ascensum purpureum ascenderunt? »

Ferculum Deitatis est humanitas.

Symbolice, ferculum divinitatis est humanitas Christi: hæc enim est quasi lectica in qua recumbit et quiescit Deitas Verbi, ait Philo Carpath. utriusque vero ferculum

est Sacra Eucharistia, in qua tota Christi Deitas et humanitas continetur, ac in supplicationibus circumfertur ad Christi gloriam, et fidelium devotionem, ut Deo gratias agant, ac imminentia pericula propulsent, omnemque a Deo gratiam et benedictionem impetrent.

Ferculum hoc factum est de lignis Libani, id est, de purissimo sanguine B. Virginis omnis corruptionis experte. *Libanus* enim hebraice idem est quod *candor*, et candida puritas. Columnæ argenteæ sunt Christi sapientia, eloquentia, vis dicendi et prædicendi, instar argenti sonora et efficax.

Reclinatorium aureum sunt septem dona Spiritus sancti, quæ super Christum requievisse docet Isaias c. 11. v. 1. ac vicissim in iis quasi reclinatus requievit Christus.

Ascensus purpureus est sanguineus Christi sudor, passio, mors et martyrium. Ita Beda, qui per hoc significari ait, quod nullus Ecclesiam ingreditur, nisi Sacramentis Dominicæ passionis imbutus.

Ferculum Christi fuit crux.

Rursum ferculum, id est, lectica, et quasi currus triumphalis Christi fuit crux, ait Aponius: hæc enim facta fuit ex lignis Libani imputribilibus. Unde etiamnum in suis reliquiis, quæ passim asservantur, perdurat. In cruce enim Christus de peccato, morte, diabolo et inferno triumphavit, iuxta illud Apostoli Coloss. 2. 14. *Delens, quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio: affigens illud cruci; et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

Columnæ crucis fuere humilitas et obedientia, iuxta illud: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. 2.

Reclinatorium aureum fuit invicta eius patientia et magnanimitas, cui incumbens, omnes plagas, iniurias, dolores placide tulit et superavit. Ascensus purpureus fuit chlamys purpurea, qua Iudæi eum quasi regem Iudæorum per ludibrium vestiverunt, aut potius sanguinis totius effusio, quæ totum eius corpus cruentavit et purpuravit, iuxta illud Isaiæ 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra. Iste formosus in stola sua*, etc. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus.*

Media charitate constravit.

Hebr. *Medium eius incensum charitate*, quia nimirum currus hic crucis Christi igneus est, et ardens charitate: nil enim nisi amorem in Deum et homines spirat, et eiaculatur; unde hoc curru igneo ipse quasi verus Elias non tantum se, sed et electos suos vehit, imo rapit in cælum. Paulo aliter hæc cruci adaptat Aponius. Sic enim ait: *Ferculum crucis de lignis cedrinis factum, in cuius columnis argenteis verum, immaculatumque a contagio peccati corpus candescit, et gloriosæ animæ auri rutilat fulgor, in qua usque nunc Dei sermo reclinatorium habere probatur, et corporeus regalisque Deitatis coruscat sensus.*

Tropol. columnæ argenteæ, Doctores.

Tropologice, Nyssenus et alii per columnas argenteas accipiunt Doctores, nitore cælestis eloquii refulgentes; per ascensum purpureum, Prælatos et Principes: horum enim decus est purpura; per reclinatorium aureum mentem cui omnes animæ vires innituntur et incumbunt. Cassiodorus vero et S. Gregorius hic per reclinatorium aureum accipiunt cælestem gloriam, in qua æterna sanctorum requies. Idem vero S. Greg. hom. 15. in Ezech. accipit charitatem in qua sancti in hac vita conquiescunt: *Cum columnis argenteis*, inquit, *est reclinatorium aureum, quia per hoc, quod a sanctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem charitatis intimæ, in qua reclinentur, inveniunt: per hoc enim quod luculenter et aperte audiunt, in illud, quod clarescit in corde, requiescunt.*

Reclinatorium aureum martyres.

Denique Philo Carpath. per reclinatorium aureum accipit Martyres, quibus quasi incumbit Ecclesia; dicuntur *aurei*; quia igne martyrii excocti. Ita ipse: alii aliter.

Symbol.

Symbolice, Hugo de S. Victor. ex Miscellan. 2. l. 1. cap. 121. « Ferculum, inquit, est quælibet sanctorum congregatio ad æternum convivium animas ferens. Columnæ argenteæ, qui fortissime operis exemplo alios portant, et luce prædicationis illuminant. Reclinatorium aureum, æternæ felicitatis fulgor, in qua reclinatur et ab omni labore quiescitur. Ascensus purpureus est, quia ad claritatem illius quietis, non nisi per tribulationem venitur. »

Anagog.

Anagogice, ferculum hoc significat Ecclesiam sanctorum triumphantem in cælis, cuius fundamentales columnas, portas, mensuras et gemmas graphice depingit S. Ioannes Apocal. 21. Hanc fecit Deus propter filias Ierusalem, id est Beatos, tam Angelos quam homines: propter Angelos, ut eorum ruinas restauret: propter homines, quia pro eis passus et mortuus est Christus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Ferculum Christi est mens pia.

Mens pia, præsertim mortificationi studens et crucem Christi ferens, est ferculum Christi iuxta illud: *Semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Cor. 4. 10. Et: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, Galat. 6. 17. Et: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. c. 6. 20. Hinc S. Ignatius Martyr vocatus est θεοφόρος et χριστοφόρος id est, Deifer et Christifer, itaque ipse se vocat in titulo Epistolarum suarum.

S. Ignatius martyr.

II. Cor exercitatum in virtute.

Secundo, Hugo de S. Victor. Erudit. Theol. ex Miscellaneorum l. 1. c. 60. « Ferculum Salomonis, inquit, cor exercitatum in studio virtutis. Ferculum, sapientiæ verbum; inde portatur ab ore ad aurem. Lectulus, mens contemplativa: ferculum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem, et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti munda conversatio, in sonoritate dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cælestem, quod non æruginat in æternitate, sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat passionem. Ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Ierusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis tam tener, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferculum Salomonis pertineas. »

III. Mens zelosa.

Tertio, mens charitate, zelo animarum et spiritu Apostolico flagrans, et prædicans Christum crucifixum vocatur Ferculum Christi; Christi enim nomen, fidem et cultum circumfert per omnes gentes. Unde ferculum Christi fuit S. Paulus et Apostoli, inquit Theodoretus, et Hortolanus, et Gislerius, imo Christus ipse Actor. 9. 15. *Vas electionis*, inquit, *est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Fuit enim ipse cedrus Libani alta et superba, dum Iudæus existens persequebatur Ecclesiam; at vero inde succisa et dolata, facta est incorruptibile ferculum et currus triumphalis Christi, iuxta id quod ipse ait 2. Cor. 2. 14. *Deo autem gratias qui semper triumphat* (id est, triumphare facit) *nos, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Columnæ argenteæ eius fuere sapientia et efficacia prædicandi Christum crucifixum, iuxta illud: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam*, 1. Cor. 1. 23. Reclinatorium aureum fuit invicta animi constantia, modestia, mansuetudo, cui incumbens omnes labores, difficultates et adversa fortiter et placide sustinuit et superavit.

Ascensus purpureus fuit continua eius passio, plagæ et ærumnæ, in quibus gloriabatur: *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, Galat. 6. 14.

Lege totum caput 2. Corinth. 11. ubi suas plagas et passiones, velut trophæa et triumphos enumerat. *Media charitate constravit*: quia nil nisi amoris ignes spirabat et eructabat, etiam in Iudæos sibi infensissimos. Vide Rom. 9. 1. Quocirca S. Chrysost. hom. 22. ad Popul. sub initium hæc

Paulo dat elogia: *Paulus terrestris Angelus, cælestis homo, Spiritus sancti receptaculum, zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei curator sollicitus, pietatis orator, imbecillium deductor, credentium pronubus, Iudæorum redargutio, sagena omnium nostrorum, post mortificationem doctor, et post mortem præco qui nobis demonstrat quomodo in cælos ascendere oporteat.* Idem l. 2. de Orat. *Paulus ille insatiabilis Dei cultor, communis parens et progenitor servorum Christi, ille custos orbis terrarum, qui ex hominibus facit templa Christi.* Vide quæ de laudibus S. Pauli dixi proœmio in eius Epistolas, et in Idea S. Pauli, quam præfixi Actibus Apost.

Apposite Nyssen. hom. 7. notat Deum variis modis esse in iustis, scilicet ut in loco, ut in domo, ut in solio, ut in scabello, ut in curru, et ut in equo frænum recipiente: hic vero describi in pia anima esse ut in lectica, materia et opere præstantissima, utpote quæ iam haud sibi vivat, sed Deum deferat in ipsa viventem, iuxta illud Apostoli: *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus,* Galat. 3. 20.

Symbol. I. Symbolice; Primo, S. Ambr. lib. 3. de Virgin. post initium ex Septuag. sic legit, sicque explicat: « Lectum fecit sibi rex Salomon ex lignis Libani, columnas eius argenteas: reclinatorium aureum, dorsum eius gemmarum stratum. Quis est iste, inquit, lectus nisi corporis nostri species? Namque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur; in auro ignis: aqua in argento: terra per lignum, ex quibus corpus humanum quatuor constat elementis, in quo nostra recubat anima, si non aspera montium, non humi arido expers quietis existat, sed sublimis a vitiis ligno fulta requiescat. »

II. Secundo, tres Anonymi apud Theodoretum per ferculum hoc accipiunt Doctores, quibus quasi curru vehitur Christus ad docendos et perficiendos homines: per columnas argenteas accipiunt eloquia Domini; per reclinatorium aureum mentis pacificæ tranquillitatem; per ascensum purpureum cælestem patriam, in qua Rex Christus, quasi Salomon pacificus, omnes Sanctos efficit purpuratos, hoc est, Reges. Huc pertinet expositio Ruperti, qui per ferculum accipiens instrumentum, quo dapes inferuntur in mensam, per illud accipit S. Scripturam, quæ omnis generis epulas animæ subministrat.

III. Tertio, S. Anselmus per ferculum accipit iudices, qui ex cedris Libani sunt, quia incorrupti; et columnæ argenteæ, quia fortiter verum iudicium resonant; et reclinatorium aureum, quia radiant charitate et sapientia; et ascensus purpureus, quia Christo in eis ascendente parati sunt ad quaslibet persecutiones.

Tropol. I. Tropologice: Primo, noster Sanchez per ferculum Christi accipit mortificationem, qua omnis amor sæculi resecatur ab anima, ut fiat sponsa Christi, eique totum suum amorem resignet: unde in ea iucunde requiescit Christus. Quocirca S. Basil. in regul 6. inter fusiores, abnegationem docet esse vitæ spiritalis basin et fundamentum: *Quia ipsa,* inquit, *est summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque a sui ipsius voluptatibus recessio.* Columnæ eius duæ sunt, odium sui, et amor Dei; reclinatorium est patientia; ascensus purpureus est profectus in omni virtute.

II. Secundo, Hugo Victor. lib. 4 Erudit. Theol. cap. 60 et 61. tria fercula distinguit: « Ponamus, inquit, tria, id est, lectulum Salomonis, et ferculum Salomonis et currum Pharaonis; et intelligamus per lectulum Salomonis cor dulcedine contemplationis requiescens; per ferculum Salomonis cor in exercitatione bonorum operum se circumferens: per currum Pharaonis cor in cupiditate carnalium requiescens. »

III. Tertio, Richardus de S. Victore ferculum quo inferuntur epulæ cum Ruperto accipiens, per illud intelligit animam sanctam, quæ Christum pascit et reficit: *Dum ille,* inquit, *bonis eius operibus, studiis ac desideriis, delectatur, sicut scriptum est: Populus meus saturavit me vocibus, implevit me odoribus. Reficit quoque membra eius exemplo, oratione, doctrina, consilio et colloquio.* Hoc factum est de lignis Libani, id est de electis, qui crescunt et fructificant per Christum et in Christo, qui dicitur Libanus, id est, candidatio ob puritatem. Columnæ quatuor sunt quatuor virtutes Cardinales, quæ animam fulciunt, ac coram Deo et hominibus splendidam efficiunt, instar argenti. Reclinatorium est conscientia pura, in qua reclinat se et quiescit Christus. Dicitur *aurea,* quia igne tribulationis excocta. Ascensus purpureus est desiderium cælestium, quo mens ad Deum Christum et Sanctos ascendit. Hæc Richardus fuse, quæ ego in pauca contraxi.

Quarto, S. Bernard. tract. de Gradibus humil. post initium, pariter ferculum dapum accipiens, ait hoc esse ferculum charitatis: « Bonus et vere dulcis cibus, inquit, charitas, quæ fessos alleviat, debiles roborat, mœstos lætificat. etc. Quæ media in ferculo Salomonis consistens diversarum odore virtutum, velut diversi generis fragrantia pigmentorum esurientes reficit, iucundat reficientes. Ibi siquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu sancto, et si quæ sunt aliæ veritatis seu sapientiæ generationes apponuntur in illo. Habet et humilitas in eodem ferculo suas epulas, panem scilicet doloris, et vinum compunctionis, quas primo veritas incipientibus offert, quibus utique dicitur: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ cum vino, quod lætificat cor hominis, ad quæ veritas perfectos invitat dicens: Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, charissimi, » Cantic. 5. 1. IV.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Ferculum Christi fuit uterus et ulnæ B. Virginis, in quibus ipsa gestavit Christum: item præsepium et cunæ exstiterunt quasi ferculum mobile et gestatorium Christi. Columnæ fuere duo brachia B. Virginis, quibus stringebat Christum. Reclinatorium fuit eius sinus et pectus, in quod se reclinabat Christus: ascensus purpureus fuere mens eius, caput, flavique et purpurascentes capilli, qui Christum in sinu quiescentem cingebant, fovebant et velabant. Cætera, quæ de Ecclesia et anima sancta dixi, potiori iure applica B. Virgini mutato dumtaxat nomine.

Media charitate constravit propter filias Ierusalem.

Propter filias.) Refer, tum ad charitatem, quæ proxime præcessit, tum ad totum ferculum. Rursum τo *media* non est ablativus singularis pertinens ad τo *charitate,* uti censuere S. Gregorius, S. Bernardus et Cassiodorus, sed est accusativus pluralis significans ea quæ erant media sive intermedia ferculi: Hebr. enim est תוכו *tocho,* id est, *medium eius stratum,* vel *incensum,* aut, *combustum dilectione eius,* scilicet tum ferculi, quam ascensus purpurei, id est, sedis sive throni, q. d. Thronus ferculi, in quo sedebat sponsus, circumdatus erat purpura; sed in medio, ubi erat locus sponsi, constratus erat lapidibus ignitis charitatem repræsentantibus, aut certe [*medium eius,* id est medium pavimentum ferculi stratum erat gemmis ardentibus.

Pro *constravit* Hebr. est רצוף *ratsuph,* id est, stratum, vel ardens amore: nam רצף *ratsuph* componitur ex שרף *tsaraph,* id est ardere (unde *Seraphim* vocantur summi Angeli, quia amore Dei ardent) et רצף *ratsaph,* id est sterni; unde *ratsaph* significat sterni ad ardendum vel comburendum: hinc רצף *retseph,* est pruna, sive carbo ignitus: רצפה *ritspa* est carbo accensus super pavimento, indeque ipsum pavimentum stratum lapide, v. g. Pario vel marmoreo. Quocirca Septuag. hic et 2. Paral. 7. v. 3. et Esther 1. 7. vertunt λιθόστρωτον, id est, *lapide sectili,* opere vario et tessellato *stratum;* unde vertunt hic: *Intimum eius lapidibus tessellatis constratum;*

S. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Dorsum eius gemmarum stratum;* quinta editio: *Medium eius calculis composuit.* Quare

Varia versio. I. Primo, ex Hebræo sic vertas: *Medium eius constravit lapidibus amoris*, puta gemmis ardentibus, quales sunt pyropi et carbunculi, qui symbolum sunt amoris et charitatis sponsi et sponsæ, æque ac filiarum Ierusalem. Unde Vatabl. vertit: *Intimum eius stratum, vel tectum amore;* Syrus: *Medium eius stratum amore præ filiis Ierusalem;* Arabicus: *Et intrinsecum eius incrustatum gemmis, et id amore filiarum Ierusalem.*

II. Secundo, quia Hebræi carent casibus, quo fit ut idem nomen quolibet casu verti possit; hinc ex Hebræo sic transferas: *Et medium tenet ipse incensus amore*, q. d. *Medium ferculi tenet ardens amore*, puta sponsus, hoc est, Christus. Unde Glossa Hebræorum in illud Gen. 2. *Et germinare fecit Dominus de terra*, sic habet: *In medio thalami Messias filius David, qui est diligens filios Israel, sicut dictum est,* Cantic. 3. *Medium charitate constravit propter filias Ierusalem.* Cor enim Christi erat quasi fornax ardentissima charitatis; unde ipse magis nostri amore, quam dolore assus et tostus fuit in cruce; atque in cruce, quasi in ferculo in medio manuum, pedum et lateris, quinque plagis per clavos et lanceam transfixus et cruentatus, velut quinque purpureis et ardentibus pyropis constratus, ac de peccato et morte triumphans resplenduit. Quare verius quam Cæsar in eo dicere potuit: *Veni, vidi, vici,* non terrore, sed amore; mors interfecit amorem (Christum) sed amor (Christus) moriens vicit et interfecit mortem. Unde dicebat S. Franciscus: *Da, Domine, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

III. Tertio, Sota Maior vertit in dativo: *Medium eius stratum amori*, id est, *media pars ferculi strata erat amori vel charitati,* id est, sponsæ summe charæ ac dilectæ media pars thalami belle adornata erat, vel dicata, et quasi consecrata. In medio enim ferculi velut loco honoratissimo, gemmis vel aulæis strato sedebat sponsa, iuxta illud Virgilii:

Aulæis iam se Regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Constat enim ex Suida et Varrone olim sponsas noviter nuptas, ne erubescerent, noctu lectica vehi solitas in domum sponsi: quare honoris causa medio lecticæ sedebant, ita ut latus dextrum stiparet sponsus, sinistrum quispiam propinquus vel pronubus.

IV Quarto, alii cum Septuag. vertunt in accusativo: *Medium eius gemmis constravit ad amorem a filiabus Ierusalem,* supple, sibi conciliandum; hæ enim gaudent gemmis et curru gemmato. Sic exponi potest versio Septuag. *interius*, vel *intimum eius lapidibus* (gemmis) *stratum, dilectionem a filiabus Ierusalem*, supple, conciliat vel extorquet. Aut sic: *In medio eius posuit amorem vel charitatem*, hoc est, effigiem amoris vel charitatis, ut significaret totum hoc ferculum a Christo compositum esse ex amore, sive causa amoris, ut charitatem suam omnibus manifestaret. Putant ergo nonnulli in medio huius ferculi positam fuisse statuam, vel imaginem charitatis.

Cupidinis effigies. Sic Gentiles animales depingebant Cupidinem in suis thalamis. Unde Pausanias initio Corinthiorum asserit Cupidinis imaginem in curru depictam: In cuius media basi, ait, imago amoris dei (Cupidinis) emergebat, assistentibus utrimque Nereidibus. Alcibiades quoque in suo clypeo aureo et eburneo gestabat Cupidinem insculptum, qui fulmen incurvaret et inflecteret, quo significabat amorem quoque Iovi dominari, eique iras et fulmen extorquere.

V. Quinto, Noster optime vertit in ablativo: *Media eius charitate constravit.* Cum enim in Hebræo nulla hic exprimatur materia, qua medium ferculi sternatur, nisi charitas, utique charitate illud constratum sit, oportet.

I. Sensus. Charitas sumitur pro re chara et pretiosa. Quæres, quis Vulgatæ versionis, *Media charitate constravit*, sit sensus? Primo, noster Sanchez charitatem accipit pro rebus charis et amabilibus, puta pro gemmis, quæ animos intuentium pelliciunt ad sui amorem, q. d. Medium ferculi stratum erat gemmis pretiosissimis et charissimis. Unde Septuag. vertunt λιθόστρωτον, id est, *lapidibus tessellatis constratum;* S. Ambr. *gemmatum stratum;* quinta editio: *a calculis compositum.* Sic c. 5. 16. ubi Vulgata habet: *totus desiderabilis*; Hebr. est *totus est desiderium*, et sic omnino vertunt Septuag. Sic S. Ioannes epist. 1. c. 2. ait quidquid est in mundo esse concupiscentiam carnis vel oculorum, id est esse a carne, vel oculis concupiscibile. Hebræi enim sæpe sumunt abstracta pro concretis; et potentiam, habitum, vel actum pro eius obiecto.

Secundo, alii per charitatem accipiunt effigiem charitatis, q. d. Salomon in medio huius ferculi collocavit statuam charitatis, quasi reginam sacri huius connubii, quæ Christum cum Ecclesia summo et indissolubili amoris vinculo copulavit, quo tropologice significatur, ait Sanchez, charitatem virtutum omnium reginam, tamquam cor in corpore, quo cætera membra vivunt ac vigent, in medio tamquam in suo regno consedisse; a qua virtutes omnes, quas abnegatio mortificatioque inveniunt atque expoliunt, vitam habent et pulchritudinem. Hæc amabilem facit esse thalamum, hæc sua secum affert naturalia ornamenta, virtutes scilicet alias, quæ tamquam asseclæ et administræ ab eius latere numquam discedunt, imo hæc una reliquarum virtutum partes obit. Quod optime docuit Augustin. in tract. de Laudibus charitat. tomo 9. additque Salomonem virum sapientissimum hieroglyphicum hoc ferculum faciendum curasse, quo filiæ Ierusalem in nuptiis uterentur, ut in hanc sancti connubii formam intentæ, acribus amoris et fidei symbolis excitatæ, viros suos colerent et diligerent; idque significari illo, quod sequitur: *propter filias Ierusalem.* II. Charitas sumitur pro effigie seu statua Charitatis.

Tertio, alii per charitatem accipiunt sponsum, puta Christum, qui dicatur *charitas*, quia est summe amans et amabilis, q. d. In ferculo hoc nuptiali medius considebat Christus velut sponsus unice diligens sponsam Ecclesiam, adeo ut ipsissima charitas esse videatur. Et sane si per ferculum accipias præsepium vel crucem, in eius medio non erat nisi Christus nostri amore incarnatus, vagiens ac crucifixus. III. Charitas pro sponso.

Quarto, simpliciter et plane per charitatem accipias imaginem, nomen, vel symbolum, aut emblema aliquod charitatis, uti sunt carbunculi, columbæ, turtures, flammæ, q. d. Medium huius ferculi solium, aut certe pavimentum stratum erat effigie columbarum, vel carbunculorum, vel ignis ac flammarum, quæ sunt insignia charitatis, ac forte ipsa charitatis imago et nomen in ipso pavimento incisa erant, sicut in rationali Pontificis intextum erat *Urim et Tummim*, id est, *doctrina et veritas,* Exodi 28. ut significaretur totum hunc tam splendidi ferculi ornatum non alio spectare, quam ad ostendendum amorem, quo sponsus prosequitur sponsam et filias Ierusalem, sponsæ asseclas vel socias, ut eas vicissim ad illam magis redamandam et colendam alliceret, ut merito ferculum hoc amoris et charitatis, imo ipsa charitas nuncupari possit; unde multi vertunt: *Et medium eius ardebat amore*, vel *erat ardor amoris*, vel *ignitum erat charitate.* IV. Plane Charitas pro symbolo, vel emblemate Charitatis.

Videtur ergo vel sedes vel pavimentum huius ferculi, vel utrumque stratum fuisse imagine charitatis, aut rebus ignitis vel ignis speciem referentibus, uti sunt prunæ, flammæ, carbunculi, etc. Ignis enim symbolum est charitatis et ardoris, iuxta illud Cant. 8. 7. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Hinc et Spiritus sanctus in Pentecoste specie ignis et linguarum ignearum in Apostolos descendit, Actor. 2. Vide ibi dicta.

Porro pingitur charitas hoc schemate: Virgo facie rosea, sed ardenti cyclade coccinea amicta, alis instructa, in capite gestat coronam auream carbunculis distinctam et effulgurantem; digitus ornatur annulo, pyropis radiante: una manu gestat cor rubicundum flammas vibrans, altera arcum et sagittas ignitas; hæc est imago, hoc emblema charitatis: et forte sic expleta fuit in medio huius ferculi. Hæc de sensu grammaticali corticis; nunc ad sensum parabolicum et genuinum sub eo contentum transeamus. Charitatis effigies.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Salomon, id est, Christus, ferculum, id est, Romanam sedem et Ecclesiam mera charitate constravit. Primo, quia

I. Amor Christi in Ecclesiam Romanam.

tanta in illam exuberant Christi beneficia, ut omnia dilectione et charitate constrata esse videantur: in ea enim sedet Christi Vicarius, qui habet plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ in omnes Ecclesias et fideles, ac proinde peccatorum omnium remissionem, indulgentias, et gratias amplissimas concedere potest, et concedit præsertim Ecclesiæ Romanæ. In ea est assistentia Christi et Spiritus sancti, ut in fide et in religione errare nequeat. In eam maiora e cælo charismata depluit. In ea Basilicæ et Ecclesiæ plenæ sunt reliquiis SS. Pontificum, sacerdotum, virginum, adeoque tota pene urbs Romana madet sanguine Martyrum. Unde Christus apparens S. Birgittæ (ut habet eius Vita) iussit eam a Svecia proficisci Romam; ibi enim faciliorem esse viam in cælum aiebat: Paruit et profecta est, indeque in cælum abiit.

II. Secundo, quia Christus mentibus Pontificum et fidelium Ecclesiæ Romanæ illustrem charitatem indidit, et etiamnum indit *propter filias Ierusalem*, ut scilicet animæ fideles et devotæ, velut cives cælo adscripti, hac charitate Romanæ Ecclesiæ illectæ eam ament, colant, sequantur, ac per eam ceu ferculum a terrestri Ierusalem ad cælestem subvehantur: non enim est salus illi, qui est extra Ecclesiam, cuius caput est Ecclesia Romana. Unus S. Gregorius Magnus, ut cæteros prætercam, tantæ charitatis fuit, ut omnes orphanos, monachos pauperes Romæ aleret, ac plurimos per totam Italiam, imo et ultra Italiam, in ipsaque Palæstina degentes. In Iubilæo omnes e toto orbe Romam convolantes (qui ad plura centena millia numerantur) per triduum Romanorum impensis aluntur, et liberaliter ut hospites tractantur.

S. Gregorii Magni charitas.

Populi Romani charitas.

Rursum profusa populi Romani charitas patet tot Xenodochiis, Orphanotrophiis, Hospitalibus, cæterisque locis piis, quibus abundat Roma, ut omittam quotidianas fidelium eleemosynas, quibus sustentantur omnes Ordines Mendicantes, Monachæ plurimæ, pueri, puellæ, pauperesque innumeri. Omitto dotem, quæ quotannis permultis virginibus ad nubendum datur, Ecclesiarum fabricas et ornamenta, sodalitiorum impensas, etc. quæ sane mihi, aliisque tenuitatem Romani populi considerantibus sæpe admirationem moverunt, ut non tam hominum, quam Dei Romanæ Ecclesiæ benedicentis, hæc opera propria esse videantur. Exstant libri hac de re excusi, quibus idipsum clare demonstratur, ac præsertim liber cuius titulus: *Thesauri Romæ absconditi*, item libelli de Iubilæis Romanis conscripti. Ita Cassiodorus, S. Gregor. Aponius, Beda et alii per hæc significari aiunt, Christum, cum pro nobis passus et crucifixus est, constravisse Ecclesiam charitate; quia in illa amorem sui et rerum divinarum accendit. Hæc sunt tapeta charitatis, ait Aponius, quæ media humanæ naturæ, et maiestatis consternunt, propter sanctarum animarum salutem, et gaudia filiarum supernæ Ierusalem. Hæc est utique constrata charitas, quæ *omnia sustinet* secundum Apostolum, 1. Corinth. 13. 7. quæ calcata numquam cedit, sed allisos erigit suæ humilitatis exemplo.

Symbol. Symbolice, ferculum divinitatis, Christi est humanitas: utriusque ferculum est crux æque ac Eucharistia; hæc tria enim charitate constrata sunt, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, Ioan. 3. 16. Et illud: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*, 1. Ioan. 4. 9. Causam dat v. 16. *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo.* Et illud Christi: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Luc. 12. 49. Et illud: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*, Ioan. 6. 57. Eucha-

A ristia enim repræsentat, imo reipsa exhibet nobis manducandam totam Deitatem, et humanitatem Christi, amore nostri in cruce assam et tostam: quare Eucharistia mera est Christi charitas et amor, quo ad se rapit filias Ierusalem, id est, animas devote communicantes: Eucharistiæ autem sacrificium et Sacramentum maxime celebratur et iteratur Romæ, utpote ubi plura sunt sacerdotum millia, nec pauciora religiosorum et monachorum, a quibus ex instituto frequentatur sacra Synaxis. Atque hæc est Romanæ charitatis, quam paulo ante commendavi, scatebra et causa: imo ordo et potestas sacerdotalis consecrandi sacram Eucharistiam derivatur a Romano Pontifice, velut a capite Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Ab ipso enim creantur Episcopi, qui ordinant sacerdotes per totum orbem. Hac de causa cum Pontifex Romam egreditur, alioque proficiscitur, semper eum eo defertur Sacramentum Eucharistiæ, atque olim Episcopis Romam venientibus illud ipsum obviam mittere solebat in signum mutuæ communionis, fidei et charitatis, uti liquet ex e-

Eucharistia præit Pontificem proficiscentem.

B pistol. S. Irenæi ad Victorem Papam, quam recitat Eusebius lib. 5. Hist. cap. 24. ex qua colligit Baron. anno Christi 198. tom. 2. quod Romanus Pontifex ad omnes Coepiscopos Catholicæ communionis olim mittere soleret Eucharistiam, sed qui ea indigni ab ipso iudicati essent, ab omnibus vitarentur quasi excommunicati, utpote qui non communicarent cum Romanæ Ecclesiæ Pontifice. Christus ergo in cruce, æque ac in Eucharistia, est quasi divinum et immensum charitatis simulacrum, ut proinde verius quam Salomon vocetur *Iedidia*, id est, *Amabilis Domino*, 2. Reg. 12. 25. atque eamdem pie communicantibus afflat et aspirat. Unde S. Chrysostomus hom. 46. ad Popul. *Tamquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles et caput nostrum mente revolventes, et charitatem, quam nobis exhibuit.* Huius rei typus erat arca testamenti, cuius operculum erat propitiatorium aureum significans Christum, qui est propitiatio pro peccatis totius mundi. Arca ergo erat in-

C star ferculi huius, in cuius medio erat manna, quod erat figura Eucharistiæ. Unde Chaldæus vertit: *Et inter Cherubim, qui erant super propitiatorium, residebat maiestas Domini, qui habitare facit nomen suum in Ierusalem, magis quam in omnibus urbibus terræ Israel.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima mortificata, et Apostolico spiritu prædicans Christum, est ferculum Christi; ac proinde medium, vel ut Septuag. *intimum* eius, puta cor et mens, charitate constratum est: ardeat enim amore Dei et zelo animarum oportet, qui eas Christo lucrifacere satagit. Talis erat S. Paulus qui ait: *Charitas Christi urget nos, etc. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*, 2. Corinth.

D 5. 14. Et: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio an angustia, etc.* Rom. 8. Et: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*, Rom. 9. 3. Audi S. Chrysost. homil. 32. in epist. ad Roman. in Morali: *Cor Christi erat cor Pauli tabulaque Spiritus sancti atque charitatis volumen, etc. quod Christum adeo diligere meruit, ut illum nemo alius ita dilexerit, quod mortem et gehennam contempsit; quod ex lacrymis illis fraternis conterebatur.* Vide eumdem in homiliis octo, quas in laudem S. Pauli conscripsit, ac præsertim in 2. (exstant sub finem tom. 3.) atque in sermone proxima sequenti, qui est in commemoratione S. Pauli de charitate, ubi inter cætera explicans illud 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*, exclamat: *Vidistine, quæso, animam terrena superantem? omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectabat exhibuit. Quasi enim universum mundum ipse genuisset sic perturbabatur, sic curabat, sic omnes in re-*

gnum Dei festinabat inducere docendo, orando, etc. erigere labentes, stantes firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis intonare terribile, hostes minaciter intueri, more optimi cuiusdam ducis, et medici artis suæ instrumenta gestantis. Mox causam subiicit: *Cum enim celsus consisteret in omnium arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat; ut enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur; sic Paulus, charitate succensus, totus factus est charitas: qui quasi communis totius mundi esset pater, ita amore hominum ipsos eorum imitabatur parentes, imo cunctos non carnales modo, verum etiam spiritales patres sollicitudine ac pietate superabat, et pecunias et verba et animam pro his, quos diligebat, impendens.*

S. Paulus totus erat charitas.

Prædicatores ergo, qui instar Pauli, Christi fidem et amorem fidelibus imprimere satagunt, ardeant charitate Pauli, sic eadem alios incendent. Ita S. Dominicus fundator Ordinis Prædicatorum, et S. Pauli assecla, cum solum S. Matthæi Evangelium per Provincias concionaturus deferret secum, omnesque amore Dei inflammaret, rogatus e quo libro tam suavia et ardentia concionis eloquia depromeret; respondit: *E libro charitatis; huic uni et vos studete, ac simili ardore omnes succendetis.* Verum enim est illud:

S. Dominicus prædicabat e libro charitatis.

B

Ardeat orator, si vult incendere plebem.

Moraliter, charitas omnes virtutes perficit, sibique substernit et rite ordinat, ac omnia vitia prosternit: unde sine charitate nulla virtus prodest ad salutem, iuxta illud 1. Cor. 13. 4. « Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. » Ita S. Anselmus. Unde et Nyssenus hic hom. 7. docet charitatem ornari et coronari omnibus virtutibus, quarum pavimentum ait esse virginitatem; hanc enim virtutem puritate, quasi radiis quibusdam gemmarum, splendescere.

Charitas virtutibus omnibus coronatur.

C

Porro Richardus de S. Victore per *media* intelligens opera indifferentia, quæ sunt inter virtutem et vitium media, uti edere, bibere, studere, ambulare, etc. « Ista, ait, debent esse constrata charitate, ut in charitate fiant et bona intentione; et ut cum charitate fraterna ita fiant, ut infirmi in his non scandalizentur, vel infirmentur; sed ita strata sint, id est, tanta æqualitate et discretione facta, ut incedat anima in his omnibus sine querela, et opportune noverit illa exercere, et iterum intermittere. »

Media sunt opera indifferentia.

Rursum S. Gregorius ex Cassiodoro τὸ *medio* adiective, quasi epithetum charitatis accipiens, censet illam mediam dici; quia illa mediante filiæ Ierusalem, id est, imperfectiores animæ ad sponsi beatitudinem pervenient, si charitatem indefesse observent, etiamsi eis desit reclinatorium aureum contemplationis, et ascensus purpureus martyrii, et columnæ argenteæ prædicationis. Rationem dat Rupertus, qui per ferculum accipiens sacram Scripturam: *Media*, inquit, *charitate constravit*, id est, in medio Scripturarum principatum charitatis posuit, quia ex ea pendent cætera omnia, iuxta illud Christi: *In his duobus mandatis* (diligendi Deum et proximum) *universa lex pendet et prophetæ*, Matth. 22. Causam subdit, quod charitas alienum bonum faciat suum et proprium, v. g. inquit: *Non sunt cunctæ virgines, sed bonum virginitatis in te, o beata Maria, diligendo suum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem, regem tam magnum, tam magnificum: sed illæ, diligendo in te hoc tam grande privilegium, regis eiusdem matres fiunt. Item non sunt martyres, neque sufficiunt inter fortes præliari, et pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suum: sed martyres diligunt, et diligendo illos, gloriam eorum suam faciunt. Amplius dicam: Non sunt dii, sed diligendo Deum, dii, vel filii Dei sunt, sicut scriptum est: Ego dixi; Dii estis, et filii excelsi omnes.*

D

Charitas bonum alienum facit suum.

Denique S. Bernardus de Gradibus humilit. sub initium,

A

ferculum hoc epularum spiritualium, puta charitatis et virtutum, accipiens, mediam charitatem interpretatur, quæ mediis, hoc est, non incipientibus, nec perfectis, sed proficientibus, qui in medio amborum positi sunt, convenit: « Media, inquit, charitate constravit propter filias Ierusalem, propter imperfectas videlicet animas, quæ dum adhuc illum solidum cibum minus capere possunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ sunt. Quæ recte media describitur, quia eius suavitas nec incipientibus præsto est, prohibente timore; nec perfectis satis est pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc a noxiis carnalium delectationum humoribus timoris amarissima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur. Illi iam avulsi a lacte, epulari ob introitu gloriæ gloriosius delectantur: solis mediis, id est proficientibus: ita iam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis, at illis interim pro sui teneritudine contenti sint. Primus ergo cibus est humilitatis, purgatorius cum amaritudine: secundus charitatis, consolatorius cum dulcedine: tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. » Et nonnullis interiectis pathetice subiicit: « Quis me invitabit ad illud, vel medium ac dulce charitatis convivium, ubi iusti epulantur in conspectu Dei et delectantur in lætitia, ut iam non loquens in amaritudine animæ meæ dicam Deo: Noli me condemnare, sed epulando in azymis sinceritatis et veritatis lætus cantem in viis Domini: Quoniam magna est gloria Domini? » Verum hæc ingeniosa magis et pia quam solida et genuina sunt: ferculum enim hoc non est epularum, sed est sedes, vel currus magnificus sponsi et sponsæ: atque τὸ *media* non situm eedemque significat, uti dixi; potest tamen charitas denominari *media* hoc sensu, quod in medio ferculi sit posita et constrata.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beatæ Virginis uterus et sinus fuit ferculum augustissimum, ferens ac baiulans Verbum incarnatum, uti superius dixi, ideoque media charitate constratum propter filias Ierusalem; quia Christus, qui est ipsa charitas, maximam gratiam et charitatem Beatæ Virgini aspiravit, ut ipsa filiabus Ierusalem, id est, animabus devotis ad illam in quavis difficultate recurrentibus opem ferret: quare ipsa est mediatrix Dei et hominum, uti docet S. Bernardus ser. 2. de Assumpt. B. Virginis: *Ipsa*, inquit, *mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscipimus misericordiam tuam, Deus, ipsa per quam et nos Dominum Iesum in domos nostras excipimus.* Quocirca magno pietatis sensu Ecclesia quotidie eam invocat: *Salve, Regina, mater misericordiæ, etc. Ad te clamamus exsules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!*

Audi S. Bernard. serm. 4. de Assumpt. *Dubitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit?* Et paulo post: *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit; nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit.*

Hinc ex Hebræo verti potest: *Et medium tenet ipse incensus amore*, q. d. Christus, qui totus est amor et ardor, medium uteri et cordis B. Virginis occupat, in eoque quasi in throno et solio regali considet, summque charitatem diffundit.

Rursum B. Virgo præsepium stravit charitate, cum Christum, qui est ipsa charitas, recens natum in eo quasi strato collocavit. Quare præsepium fuit quasi tabernaculum charitatis: sicut enim Gentiles finxerunt Cupidinem deum amoris, quasi puerum alatum, gerentem arcum et

Divinus Cupido. sagittas; sic vere pingas charitatem quasi puerum alatum, jacentem in præsepio, flammas ardoris spargentem: Christus enim in cunis est Hieroglyphicum et illicium amoris; ibi enim magnus Dominus et laudabilis nimis, factus est puer parvulus et amabilis nimis: quid enim blandius blandiente omnibus parvulo de Bethlehem, uti Christum vocabat S. Franciscus ex suavissimis amoris deliciis? Porro fideles et Ecclesiæ omnes, sed maxime Romana devota est B. Virgini: unde sola Roma magnificas Basilicas et templa in B. Virginis honorem ad sexaginta tria (quot salutationes Angelicæ recitantur in corona, sive rosario B. Virginis) exædificavit, illaque studiose frequentat et devote colit: quare uti magna est eius in B. Virginem pietas, sic vicissim ingens in eam est B. V. liberalitas ac charitatis et gratiarum effusio.

VERS. 11. EGREDIMINI ET VIDETE, FILIÆ SION, REGEM SALOMONEM IN DIADEMATE, QUO CORONAVIT ILLUM MATER SUA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIUS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIUS.

EGREDIMINI ET VIDETE, FILIÆ SION, REGEM SALOMONEM IN DIADEMATE (Syrus et Arabic. in *corona*) QUO CORONAVIT ILLUM MATER SUA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIUS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIUS.) Solebant enim
Sponsi olim coronabantur. matres coronare filios, cum fierent sponsi in nuptiis. Unde Clytemnestra uxor Agamemnonis apud Euripidem in Iphigenia in Aulide, Achilli objicit filiam a se coronatam esse ad nuptias: *Frustra quidem*, inquit, *verumtamen quasi tibi nuptura esset filia, illam adduxi, ubi prius illam coronassem.* Philo quoque de antiquitatibus Biblicis, filiam Jephte a patre ex voto morti devotam, ita virginitatem
Exempla. suam deplorantem inducit: *O mater*, inquit, *mea, in vanum peperisti unigenitam tuam, quoniam factus est infernus thalamus meus; confectio omnis olei, quod præparasti mihi, effundetur; et alba quam novit mater mea, tinea comedet eam; et corona, quam intexuit nutrix mea, in tempore marcescet.* S. Chrysostomus etiam homil. 9. in 1. ad Timoth. in Moral. docet filios in nuptiis coronari solitos; causamque addit, ut ostendatur illorum animus omnis carnis illecebria altior atque superior; corona enim illa candorem indicat, et puritatem animi, qui numquam libidini
Cur? succubuit: *Idcirco quippe*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint, quod scilicet antea libidini fuerint impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur, quia scilicet a voluptate superati non sunt. Quod si libidine superatus quisquam se ipsum scortis addixerit, cuius tam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla subdiderit?*

Est vox sponsæ, quæ evocat filias Sion, ut e domibus suis egrediantur ad spectandum sponsum, qui ferculo charitate constrato propter easdem filias Sion, sive Jerusalem magnifice vectus, ac diademate a matre in die nuptiarum coronatus exsultans et triumphans incedebat, ut novus rex et sponsus. Sponsi enim, æque ac reges, corona vel florea, vel frondea, vel aurea, vel gemmea redimiri solebant, uti docet Tertull. lib. de Corona militis, Brissonius de Ritu nuptiarum, Alexander ab Alexandro lib. 2. Genialium, cap. 5. et Carolus Paschalius lib. 1. de Coronis cap. 16. Unde Claudianus in nuptiis Honorii Imp. sic canit:

Tu festas, Himenæe, faces, tu gratia flores
Elige; tu geminas, concordia, necte coronas.

Et Tertull. de Corona militis: *Coronant*, ait, *et nuptiæ sponsos*, Alexander Magnus incessit coronatus; cum ipse sponsus unicus, centum Macedonas cum totidem Persidibus legitimo matrimonio copulavit, teste Plutarcho libro de Fortuna Alexandri. Idem Paschalius c. 17. ex Plutarcho et aliis docet, coronas has sponsorum contexi solitas ex asparago et sisymbrio, a verbenis, ex abiete et pino, illasque fuisse indices ac testes lubentiæ, hilaritatis, lætitiæ, et gratulationis; denique moris fuisse, ut nova nupta lanuam viri lana coronaret, juxta illud Proverb. 31. 13. *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Coronas hasce nuptiales fuisse insignes, excelsas, et quasi turritas, indicat illud Lucani l. 2. de Bello:

Turritaque premens frontem matrona corona.

Talis utique fuit corona, qua Alexander Magnus sponsam suam Roxanem coronavit, uti indicat opus Ælii apud Lucianum.

Porro sponsa invitat filias Sion ad hoc sponsi sui spectaculum eo fine, ut eas in illius admirationem, amorem et cultum rapiat. Unde eum Salomonem, id est pacificum nuncupat, eo quod ipse pacem, id est, tranquillitatem, gaudium, opes, honores, salutem, felicitatem et omne bonum (hoc enim Hebr. significat pax) illis ipsis sit allaturus.

Diadema olim fuit primum insigne regum, nec aliud erat quam fascia alba et tenuis cingens caput: διαδεῖν enim est obligare, circumligare: inde διάδημα est obligaculum, redimiculum: postea crescente regum potentia, opibus, et splendore, fascia in coronam auream et gemmatam commutata est. *Diadema*, inquit Cælius Rhodig. lib. 24. c. 6. *erat fascia candida, quæ regum capitibus obligabatur.* Diadema quid?

Quod insigne regium invenit primus, auctore Plinio, Liber pater. Coronam lauream fascia præligatam, quum quidam Cæsaris statuæ imposuisset, Tribuni plebis detrahi coronæ fasciam, et duci in vincula hominem jusserunt. Alexandrum Magnum legimus quandoque sibi diadema detraxisse, vulneri obligando quod in fronte acceperat Lysimachus. Quam rem portendisse illi regnum ferunt, quod et mox sit consecutus. Tradit Ammianus Marcellinus invidiæ Pompeio datum ab obtrectatoribus, quod fascia obligatum crus circumferret ulceris causa, veluti novarum rerum affectationis præsagium id foret. In gente Turcarum reliquias etiamnum antiqui moris servari palam est. Regiæ dignitatis insigne. Exempla.

Porro Chaldæus judaice hæc referens ad ipsum Salomonem, sic paraphrastice interpretatur: « Quando venit Salomon rex, ut faceret dedicationem domus sanctuarii, præco egressus est in fortitudine, et sic ait: Egredimini et videte habitatores Provinciarum terræ Israel et populus Sion diadema, et coronam, qua coronaverunt populus Israel regem Salomonem in die dedicationis domus sanctuarii; et lætatus est in lætitia solemnitatis tabernaculorum, quam fecit Salomon rex in tempore illo quatuordecim diebus. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

QUINTUPLICI diademate sive corona Christus Ecclesiæ Rex, et sponsus redimitus est. Primo stola humanæ naturæ, cum ea ceu corona Deitatem suam vestivit in incarnatione. Nam stola apud Syros regius habitus et regium diadema censebatur, teste Alexandro ab Alexand. lib. 1. Genial. cap. 28. Alludit Salomon ad Epithalamium Christi et Ecclesiæ a Davide patre suo conscriptum, Psal. 118. ubi ipse Christum sponsum comparans soli: *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sol enim cum oritur in aurora, radiis suis in vaporibus nocturnis, et nube interjacente reflexis, speciem capitis coronati exhibet: unde belle coronatus decore procedit, quasi sponsus de thalamo suo. Rursum sæpe sub sole est ea aggestio vaporum et dispositio nubium, ut sol per eas translucens, halonem, id est coronam efficiat, qua ipse cingatur, ornetur, et coronetur: sic pariter Verbum æternum carnem assumens, per illam radios divinitatis suæ evibrans, illa quasi nube translucente et coruscante, velut halone et corona belle redimitus et coronatus processit: Christus enim in incarnatione desponsdit sibi humanam naturam, quam assumpsit inseparabili unionis conjugio; ita ut in æternum illi adhæsurus, nec eam umquam relicturus sit: atque per carnem, quam assumpsit, consequenter sibi despondit, et univit totam humanam naturam, totamque Ecclesiam: hoc enim fine carnem assumpsit, et carnis diademate redimitus incessit. Quintuplex diadema Christi. 1. Coronæ solis.

Porro hac humanitatis stola et corona a matre, puta a B. Virgine vestitus et coronatus est; quia ipse e purissimis suis sanguinibus, obumbrante Spiritu sancto, cor-

pus Christi in utero suo efformavit. Adde, quod Christus per B. Virginem, velut Davidis regis filiam et hæredem, regnum et coronam regiam Israel, quasi hæreditaria successione consecutus videtur. Unde huc alludens angelus Christi incarnationis Paranymphus, B. Virgini inter cætera de eo ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum*, Lucæ 1. 32. Davidi enim hoc regnum Messiæ, sive Christi ex Davide nascituri, promiserat dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Psalm. 131. 4. Ita per diadema humanam naturam, quam in incarnatione Christus assumpsit, hoc loco accipiunt S. Greg. Beda, Alcuinus, Honorius, Cassiod. Philo, et S. Athanas. in synopsi ac S. Ambr. de institut. Virgin. c. 16 qui sic ait: *Beatus Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit, quando formavit; coronavit eum, quando generavit: quia etsi eum sine aliqua operatione sui formaverit, quia Spiritus sanctus supervenit in Virginem: unde et ipse in Psalmo ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui*, Psal. 138. *tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit et peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit, ut per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus*. Audi S. Gregorium: *Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronavit eum diademate, quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit, sicut in Evangelio recitatur, et hoc die desponsationis eius, et in die lætitiæ cordis eius factum esse dicitur; quia quando unigenitus filius Dei divinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit: tunc cum charitatis exsultatione carnem nostram ex matre virgine suscipere voluit: in qua cum doloribus pro tempore vivens, de redemptione nostra vehementer exultavit*. Obiicit deinde S. Gregorius simulque respondet: *Sed cum diadema pro gloria assumatur; in humanitatis autem susceptione, non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscitur; quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur: Sed cum ipsa eius incarnatio vere gloria nostra fuerit, quia membra eius sumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis, scriptura prædixit. Hic itaque quia a sponsa laudatur, et ipse vicissim sponsam laudare dignatur*. Hoc est quod 600. annis ante prævidens Isaias, spiritu exsultans cecinit cap. 61 10. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis et indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Vide ibi dicta.

Dies incarnationis fuit dies desponsationis. Dies ergo incarnationis fuit dies desponsationis, et lætitiæ; tam Christi, quam hominum, et angelorum: Gavisus enim Christus de sua humanitate tam nobili, sancta et perfecta, quod per eam homines reconciliaturus esset Deo. Unde angeli exsultantes tunc cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Lucæ 2. Hoc est, quod præcinuit Sophon. cap. 3. 14. *Lauda, filia Sion, iubila Israel, et lætare, et exsulta in omni corde filia Ierusalem: Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos. Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa dicetur Ierusalem: Noli timere, Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, et exultabit super te in laude*; Septuag. *Et lætabitur in te in delectatione quasi in die solemni*. Vide ibi dicta. In Cantico enim hoc prima Verbi sponsa est humanitas ab eo assumpta, cuius coniugium hic celebratur.

II. Secundo, sicut Christus primo anno et die incarnationis suæ, coronatus est diademate humanitatis suæ die 25. Martii, ita pariter 34. et ultimo vitæ suæ anno, redeunte eadem die 25. Martii coronatus est corona spinea a matre (verius noverca) sua Synagoga, puta a Iudæis Christum crucifigentibus. *Eadem die Christus incarnatus et mortuus est.* Eadem enim die passum et mortuum esse Christum, qua incarnatus est, puta 25 Martii, docet S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 4. Epiphan. hæresi 78. et 79. Franciscus Suarez, et alii permulti: in morte enim Christus solvens pretium redemptionis nostræ Ecclesiam, id est, nos fideles in actu quasi perfecto sibi coemit, desponsit, et copulavit; unde quasi sponsus tunc coronatus est corona, sed spinea, quia patiens et pro spinis peccatorum nostrorum satisfaciens. Unde Isidor. Pelus. lib 1. epist. 93. *Quia*, inquit, *execratione illius, qua terra post mandatum a nobis violatum mulctata est, seges spinea erat; Dominus autem ut omnem in seipso morbum curaret, advenerat, idcirco spinea corona ut victor redimitus est; quemadmodum scilicet clari ac celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum aut instrumentum, cuius ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant. Confidite, inquit Dominus, ego vici mundum*. Christus ergo hac corona spinea quasi triumphali, velut rex Iudæorum, id est, confitentium et laudantium Deum, redimitus et diadematus de passione, cruce, morte, peccato, dæmone, et inferno triumphavit. Hac de causa Christiani olim nolebant coronari rosis, quia Christus coronatus erat spinis, ut docet Tertul. l. de Corona militis. Et Clem. Alex. l. 2. Pæd. c. 5. *A ratione*, inquit, *alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insultantes habeamus capita redimita floribus*.

Quocirca Godefridus Bullonius, qui post receptam terram sanctam primus e Christianis creatus est Hierosolymorum rex, noluit coronari corona aurea dicens: *Se nolle coronari auro in illa urbe, in qua Christus coronatus est spinis*, uti refert Wilhelmus Tyrius de bello sacro, et Paulus Æmilius lib. 4. de rebus Francorum sub finem. Ita diadema hoc de spinea Christi corona exponunt Theodor. Cassiod. Aponius, Anselm. Philo, Iustus Orgelit. S. Bernard. et alii. Audi Theodoretum: *Matrem*, inquit, *appellat Iudæam quantum pertinet ad Christi humanitatem, quæ charitatis coronam illi invita imposuit, spinis enim illum contemptus causa coronavit, ipse vero per spinas suscepit diadema charitatis, fronte enim ignominiam pertulit, atque ultro ad mortis cruciatus accessit; quamobrem dispensationis diem illam vocavit, et diem lætitiæ cordis eius. Tunc quippe nuptiarum communio facta est*, scilicet in cœna ultima quando paulo ante Passionem nuptiale convivium, puta Eucharistiam instituit, uti subiicit Theodoretus.

Porro S. Athan. tr. de Pass. et cruce, docet Christum duabus de causis spinis coronatum. *Duas ob causas Christus spinis coronatus.* I. Primo, ut maledictum illud terræ lueret et auferret: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, Gen. 3. 17.

II. Secundo, ut nostrarum spinarum, id est, curarum et sollicitudinum aculeos in se susciperet: *Ipse enim*, inquit, *in doloribus et curis erat, ut nos doloribus careremus*, etc. *ac pro spinis lignum vitæ daret*. Audi S. Bernard. ser. 2. de Epiphania: *Egredimini, virtutes angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modo caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem eius, sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miseriæ. Siquidem coronatus est et a Noverca corona spinea, corona miseriæ, coronandus a familia sua corona iustitiæ; quando exibunt angeli et tollent de regno eius omnia scandala, quando veniet ad iudicium cum senioribus populi sui; cum pugnabit pro eo orbis terræ adversus insensatos. Coronat eum et pater corona gloriæ, sicut Psalmista ait: Gloria et honore coronasti eum*, Psal. 8.

III. Tertia corona Christi fuit gloriæ, cum die tertia a morte ad vitam in corpore glorioso resurrexit, et die 40. ad cælos ascendit, ac ad dexteram Dei Patris in throno gloriæ, quasi victor mortis, de eaque triomphans divino lumine diadematus consedit, iuxta illud: *Gloria et honore coronasti eum*. Psal. 8. 5. et Hebr. 2. 6. et seq. *Vidimus*, ait, *Iesum per passionem gloria et honore coronatum*. Dies enim paschæ, sive resurrectionis, æque ac ascensionis, fuit dies lætitiæ et desponsationis Christi, qua scilicet

Christus iam non mortalis et moriturus, ut ante, sed immortalis et gloriosus in perpetuum Ecclesiam tum præsentem, tum futuram sibi despondit, et similem ei resurrectionis gloriam spopondit, iuxta illud Psal. 92. 1. *Dominus regnavit, decorem induit.* Causam finalem dat Tertull. l. de Corona militis sub finem. *Ut*, ait (tu o Christiane) *illam Christi coronam æmuleris, quæ postea ei obvenit quia et favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quam rex Iudæorum præscriptus in crucem; minoratus primo a Patre modicum quid citra Angelos; et ita gloria et honore coronatus.*

IV. Quarta, corona fuit dominii et regni, qua coronatus est in die Pentecostes cum, misso Spiritu sancto in Apostolos, per eos multa Iudæorum millia convertit, sibique subiecit, ac paulo post per eosdem Gentes omnes suæ fidei et obedientiæ subiugavit. Tunc enim Ecclesiam tum e Gentibus, quam e Iudæis collectam, quasi per verba de præsenti sibi despondit et coniugio copulavit. Sicut enim Deus in Sina dando legem Mosi et Hebræis in Pentecoste Synagogam sibi despondit; sic et Christus in Sion dando legem novam, eamque promulgando in Pentecoste per Apostolos, Ecclesiam sibi despondit. Hoc est quod ait Ierem. 2. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* Sponsa autem est ornamentum et corona sponsi. Nam, ut ait Sapiens: *Mulier* (sponsa) *diligens corona est viro suo*, Proverb. 12. 4. Ecclesia ergo, quæ est sponsa Christi, eiusdem est corona, sicut fideles et sancti sunt corona Ecclesiæ iuxta illud Isaiæ c. 49. 38. *His omnibus velut ornamento vestieris et circumdabis eos tibi, quasi sponsa*; et cap. 61. 10. *Quasi sponsum decoratum corona*: et c. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, sed vocaberis, voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te, etc. Et gaudebit sponsus super sponsa, et gaudebit super te Deus tuus.* Hinc S. Paulus Thessalonicenses a se conversos vocat suam coronam 1. ep. 2. 19. *Vos enim estis corona nostra et gaudium.* Et Philip. c. 4. 1. *Fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino.* Sic S. Amb. s. 15. in Ps. 115. ait omnes sanctos, omnesque eorum virtutes et coronas esse coronam Christi: *Quæ est*, inquit, *corona, qua coronatur Christus, nisi corona gloriæ? Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitiæ, Petrus fidei, singularum virtutum coronæ sunt; solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum Ecclesia coronavit. In hac corona omnes coronæ sunt; quia gloria non portio unius coronæ, sed præmium omnium coronarum est.* Sic et Aponius ac Nyssen. hom. 7. Quot ergo bona opera facis ex gratia Christi, tot Christi capiti et coronæ rosas innectis. Sicut quot salutationes angelicas recitas B. Virgini, tot eius vertici rosas implectis, ut dat rosarium et corona Virginis.

Porro hæc corona tam triomphalis est, quam sponsalitia et regalis. Nam Christus armis eloquentiæ et gratiæ suæ, per Apostolos omnes Gentes sibi subiecit. Unde eum S. Ioannes comparat equiti, et equo albo, Apocal. 6. 2. *Et ecce*, inquit, *equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona et exivit vincens ut vinceret*, omnes Gentes sagittis amoris configendo sibique subiiciendo. Et c. 14. 14. *Et vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam.*

V. Quinta corona Christi sponsalitia, æque ac triumphalis erit beatorum in cælo. Ipse enim in die iudicii reprobos hostes suos deturbans in tartara, fideles et electos suos ducet ad cælum, ibique perpetuo nuptialis amoris coniugio in æterna gloria eis copulabitur, eisque ceu corona gloriæ coronabitur, iuxta illud Apoc. 19. 8. « Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor eius præparavit se, et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum. Et dixit mihi, scribe: Beati A qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt; et v. 12. In capite eius diademata multa; et v. 16. Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et dominus dominantium. »

Porro hæ omnes coronæ Christi sunt in eius ferculo, puta in Ecclesia Romana. Prima quidem, quia Ecclesia Romana maxime prædicat et celebrat mysterium incarnationis Christi, illudque contra omnes hæreses Nestorii, Eutychetis, Apollinaris, Monothelitarum, etc. acerrime defendit ut patet ex Epistola aurea S. Leonis hac de re conscripta ad Conc. Chalcedonense. Hinc et Romæ in Basilica S. Mariæ Maioris præsepium, in quo reclinatus, ac fasciis, quasi diademate, coronatus est Christus, reconditum est; quia et ædem, in qua B. Virgo nuntium incarnationis accepit, ac Verbum caro factum est; angeli ex Nazareth transtulerunt Lauretum non longe a Roma situm. Coronæ Christi sunt Romæ 1.

II. Secundo, quia S. Helena a Ierusalem S. Crucem, clavos, et spinas coronæ spineæ Christi Romam transtulit, ac in Basilica S. Crucis, quæ inde in *Ierusalem* cognominata est, transtulit; ubi ego cominus illa intuitus et veneratus sum, ac quotannis ex alto eminus populo ostenduntur, et veneranda proponuntur.

III. Tertia, quia Romana Ecclesia resurrectionis fidem constanter prædicat, ac contra quoslibet sectarios propugnat, uti S. Gregorius fecit, qui Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum resurrectionem negantem coram Imperatore convicit et convertit; ac multa martyrum millia Romæ resurrectionem non loquendo, sed ob eius spem moriendo, reipsa constanter confessi, et professi sunt.

IV. V. Quarta et quinta, quia omnes Gentes fideles, sicut corona sunt Christi, sic et corona sunt Romanæ Ecclesiæ, tum quia ab Apostolis et Apostolicis viris, S. Petro et Romano Pontifici subditis, ab eoque missis sunt conversæ; tum quia ipsi sunt subiectæ, ab eaque in fide et moribus instruuntur, et diriguntur ad Ierusalem cælestem, puta ad æternam felicitatem et gloriam. Hac de causa Rom. Pontifex triplici corona redimitur, ut plenum Christi in omnes Gentes regnum, quod ipse quasi vicarius Christi administrat, repræsentet, nimirum, hoc est, regnum sacerdotale, et sacerdotium regale, ut ait S. Petrus ep. 1. c. 29. Vide ibi dicta, vide et Carolum Paschalium l. 9. de Coronis c. ult.

Tropol. Tropolog. S. Ambr. lib. de Isaac et anima c. 5. per diadema accipit charitatem, qua Christum coronavit, id est, undique cinxit et replevit mater Christi, puta ipsa charitas: « Angeli, inquit, canunt Epithalamium, perducta sponsa usque ad sponsi requiem nuptialem, et vocant cæteras cælestes potestates, vel animas ut videant charitatem, quam circa filias Ierusalem habet Christus. Unde et meruit coronari a matre filius charitatis, iuxta illud Apostoli: Deus nos eripuit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii charitatis suæ. Charitatis itaque filius et ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens semper sua substantia, sicut et regnum, de quo dixit: Ego in hoc natus sum; ideoque dicunt: Egredimini, id est, exite de sollicitudinibus et cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, et videte quam rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem, quam gloriosus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, et animas sibi iunxit. Hæc magna est corona certaminis: hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis eius et passio eius. Quis enim plus potuit dare, qui sibi etiam non pepercit? » Sic et Theod. ac Nyssen. hom. 7. qui ait: *Hanc coronam dilecto contexuit.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima fideli.

Egredimini anima fidelis, ut Christum in carne humilitatis corona, et in cruce spinea patientiæ diademate coronatum admiretur, colat, et imitetur, ab eoque discat spineam mortificationis, vel sponte susceptæ, vel aliunde

illatæ coronam non refugere, sed optare, in eaque gloriari; quia hisce spinis configitur noxia voluptas, et concupiscentia ex Adæ peccato nobis innata; dolor enim spinarum extinguit amorem et concupiscentiam epularum. Christus, inquit ille, sanguinem suum pro te fudit; iure ergo sanguinem tuum poscit. Pii ergo gaudent spinis dicentes; *Gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. 3. Impii vero gaudent rosis dicentes: *Coronemus nos rosis.* Sapient. 2. 8. Unde S. Petrus epist. 1. cap. 4. v. 14. *Si exprobramini*, ait, *in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est eius spiritus super vos requiescit*; et Christus; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. Talis fuit *Moyses qui negavit, se esse filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Hebr. 11. 24. *Pudeat*, ait S. Bernard. ser. 5. in festo omnium Sanctorum: *Sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisionis.*

Corona spinea parit gaudium. Cur? Porro spinæ hæ sunt corona gaudii et lætitiæ, quia illud pariunt, tum in hac vita, tum in futura. Unde S. Iacobus initio Epistolæ: *Omne gaudium*, inquit, *existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, etc.* Quocirca S. Catharina Senensis duabus sibi coronis a Christo

Exempla S. Catharinæ Senensis. oblatis, una spinea, altera aurea, ac, optione data, ut eligeret utram vellet, sed sciret alteram post mortem sibi dandam, illico spineam elegit, ut post mortem auream in cælo acciperet, illamque tanta vi capiti infixit, ut graves per multos dies capitis dolores senserit.

Quot ergo iniurias, morbos, inedias, ærumnas, dolores amore Christi patimur, tot capiti nostro coronæ Christi

B. Lydwinæ. spinas innectimus. Unde angelus B. Lydwinæ (ut habet eius vita apud Surium) quæ per 30. annos et amplius gravissimis capitis et corporis morbis afflicta fuerat, sub finem vitæ apparens, ei nuntiavit coronam eius spineam pene esse perfectam, modicum quid dumtaxat restare: quare pararet se ad id patiendum: illo peracto perfectam fore patientiæ coronam, ideoque mox coronam gloriæ illi imponendam in cælo. Uti dixit, ita factum est.

Quocirca Richard. de S. Victor. hic c. 18. urgens, τὸ *egredimini*, docet tribulatos et tentatos debere aspicere coronam Christi spineam: sicut enim hæc peperit Christo coronam gloriæ, sic et ipsis paritura est: *Iudæa*, inquit, *quando Christo intulit martyrium, fabricavit illi coronam et gloriam, etc.* (sic et qui nos affligunt, sunt fabri coronæ nostræ, ideoque amandi non odiendi) *O filiæ Sion, cum adversa patimini, egredimini ab imperfectione vestra, et impatientia; ut leviter feratis illata vobis mala: videte regem vestrum pro vobis passum, et per passionem gloria et honore coronatum: Lætitiam regis vestri considerate. Hoc exemplum vobis proponite.* Hæc Richardus.

Rursum anima pia Christum in Eucharistia diademate, id est speciebus panis quasi fascia candida velatum et coronatum intuetur, suscipit, sibique unit et quasi despondet. In Eucharistia enim celebratur Christi et animæ nuptiale convivium, ait Theod. et Aponius.

Tropol. Tropol. filiæ Sion, id est speculæ, puta animæ devotæ crebro in oratione mente contemplantur Christum natum, passum, et spinis coronatum velut sponsum animæ suæ, itaque mirifice in eius amore accenduntur; quare prius illas egredi oportet de imaginatione et amore rerum carnalium et mundanarum: *Egredimini*, ait S. Bernard. serm. 2. de Epiphan. *de statu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ: Egredimini de terra vestra et de cognatione vestra.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo quasi mater coronavit Christum diademate, sive stola, et fascia candidissima humanitatis, quæ vulnera nostra obligavit patiens in cruce, uti paulo ante dixi. Unde ad eum in præsepio reclinatum intuendum, suspiciendum et adorandum B. Virgo invitat filias Sion, id est omnes angelos et homines. Audi Rupertum: « Quod, inquit, est diadema istud? Clarissima Propheticæ veritatis auctoritas, cuius quot sunt præconia, tot gemmarum est Christi diadema; in die desponsationis illius, quo de utero Mariæ tamquam sponsus processit de thalamo suo, et in die lætitiæ cordis eius, quo spinea coronatus corona laborem consummavit et subsequenti lætificatus resurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, et in die desponsationis illius in illo diademate videndus, et ex illo est diademate, quantus sit agnoscendus.

Unde S. August. l. 4 confess. c. 12. « Processit, ait, ad nos primum in virginalem uterum, ubi ei nupsit humana creatura, caro mortalis, nec semper mortalis, et inde velut sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigas ad currendam viam. Non enim tardavit, sed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum, et discessit ab oculis ut redeamus ad cor, et inveniamus eum.

Addit Hugo de S. Victore Miscellaneorum 2. lib. 1. cap. 49. B. Virginem coronasse Christum corona iustitiæ quæ consistit in ordinatione et adæquatione quatuor animi passionum, puta amoris, et timoris, gaudii et tristitiæ; qui enim has quatuor habet ordinatas, hic iustus, id est, compositus est; qui inordinatas, iniustus: Christus autem eas ordinatissimas assumpsit ex carne purissima B. Virginis, in qua summe erant ordinatæ et compositæ, ipsa enim caruit omni concupiscentia et perturbatione: *Pueri enim ut plurimum matrizant*, ac matris potius, quam patris indolem et mores induunt, uti ex Galeno, Aristotele, Avicenna, Alberto Magno et aliis docet Tiraquellus lib. 2. Connub. num 73. Huc facit illud de Christo prædictum Psal 44. 5. *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam.* Audi Hugonem: *Coronavit eum* (Christum) *noverca, pater, et mater. Noverca Synagoga, mater virgo, Pater eius Deus. Noverca coronavit eum corona spinea et miseriæ, mater corona iustitiæ, pater corona gloriæ. Spinea corona materialiter punxit eum exterius, spiritualiter interius, non pro suis, sed pro nostris criminibus, ut nos pro spinis nostris ei non dedignemur compungi. Matris corona quatuor pretiosis lapidibus eum ornavit. Isti sunt principales quatuor animi affectiones, gaudium, amor, tristitia, timor. Istæ affectiones, sicut dicit B. Aug. ordinatæ, iustitia sunt; inordinatæ iniustitia: Quia itaque sibi ordinatas eas Salomon noster assumpsit de Virgine, ipsa prædicto corona iustitiæ eum coronavit. Ut autem ad plenariam cognitionem tertii diadematis, quo eum Deus pater gloria et honore coronavit pervenire possitis, egredimini a vitiis, videte fide, et operatione, et imitatione eum coronatum corona, qua coronavit eum mater sua, ut ordinatas eius exemplo prædictas affectiones habeatis ipso præstante. Qui, etc.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsus laudatus a sponsa laudes in eam regerit, illamque vicissim dilaudat ab ornamentis non externis et ascititiis (uti faciunt puellæ Psaltriæ cap. 7.) sed internis et a natura, gratiaque insitis, scilicet ab oculis columbinis, capillis caprinis, dentibus ovinis, labiis coccineis, genis puniceis, collo turrito, uberibus capreæ. Deinde vers. 8. de Libano illam evocat in Ierusalem ad coronam; eo quod eius amore sit vulneratus, tum ob dotes iam recensitas, tum ob ubera pulchriora vino, linguam stillantem mel, ac vestes olentes thus. Denique vers. 10. illam comparat horto concluso, malis punicis, cypro, nardo, croco, cinnamomo, myrrha et aloe referto: atque vers. 15. eam assimilat puteo aquarum viventium.

Hisce omnibus, velut Emblematibus parabolice repræsentat Ecclesiæ e Gentibus collectæ, et ad culmen evectæ decorem, sanctitatem, et perfectionem usque ad cap. 5. v. 2. ubi de eiusdem, iam senescentis, rugis, nævis, et maculis agit.

Rursum hisce omnibus depingit perfectionem et pulchritudinem Humanitatis Christi, quam Verbum sibi despondit cum hypostatice eam sibi univit. Hæc ergo primaria est Verbi sponsa, cuius membra et dotes hic celebrantur, uti dixi in Proœmio cap. 2. quod initio capitis hoc loco semel notasse sufficiat, ne in singulis versibus sit repetendum.

1\. QUAM pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua: et eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. 6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. 7. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. 8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. 9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. 10. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. 11. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. 13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus Cypri cum nardo. 14. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. 15. Fons hortorum: puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano. 16. Surge, Aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

VOX SPONSI.

VERS. 1. QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA, QUAM PULCHRA ES! OCULI TUI COLUMBARUM, ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET.

SYRUS et Arabic. *Ecce pulchra es, etc.* Pulchritudinem sponsæ admirans sponsus, eam per partes describit, ac incipit ab oculis, quos columbæ persimiles asserit, puta bellos, lucidos, limpidos, innocentes, simplices,
Oculi sponsæ laudantur. placidos, amabiles, etc. uti exposui c. 1. v. 15. Hic enim id repetit, idcirco quod in fine capitis præcedentis sponsa oculos adolescentularum suarum non in se, sed in sponsum, sponsique diadema, puta humanitatem ab eo assumptam, et coronam spineam intendere iusserat: quare quam oculis esset sincera et fida ostenderat, ut merito oculi eius novum laudum exordium mererentur.

ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET) Hebr. מבעד
Variæ versiones. לצמתך *mibbaad letsammatech*, quod Rabbini, Genebrardus, Pagninus, Clarius, et alii vertunt: *Intra cincinnos tuos;* Marinus: *Intra crinem tuum;* Vatablus: *Extra comam tuam,* scilicet prominentes, q. d. Pulchriores apparent oculi tui, dum passis capillis uti sponsa incedis; sic enim intra crines et cincinnos tuos profluentes, pulchrius emicant et resplendent oculi tui.

Melius R. Iona, et alii vertunt: *Oculi tui columbæ* (id est, similes sunt columbis, adeo ut ipsissimæ columbæ esse videantur) *intra velamen tuum.* Solebant enim Virgines

A iam viro traditæ caput velo obnubere, indeque nuptæ dicebantur, ut significarent, se subditas viro, uti docet Apostol. 1. Corinth. 7. vers. 9. et 10. Hoc velum vocabatur *flammeum nuptiale,* eo quod assidue illo utebatur Flaminica, id est, Flaminis uxor, ait Festus. Unde Martialis libro 12. 38. Flammei etymon.

Præluxere faces, velarunt flammea vultus.

Hebraice vocatur צמה *tsamma* id est, constrictorium, sive vitta, aut velum caput constringens. Unde Symmachus hic vers. 3. et Septuaginta. Isaiæ 47. 2. vertunt *velum,* vel *operimentum.*

Sensus ergo est, q. d. Non solum oculi tui, o sponsa, pulchri sunt ex nitore columbino, sed etiam ob eo, *quod intrinsecus latet,* hoc est, ex eo, quod oculi lateant sub velo, sive flammeo nuptiali: inde enim quasi berylli, vel adamantes emicare videntur, atque obvios quasi ex insidiis incautos adoriri, eosque vulnerare: lumina enim oculorum ita intus recondita, et circumvelata ingens habent decus, ac quasi ex arcano quodam lucis radios ex se, tam-
B quam tela quædam iacere, et vibrare videntur, uti fusius dixi Isaiæ 47. 2.

Adde Hebr. צמת *tsammat,* non tam velum, quam velatum, id est, rem ob pulchritudinem, vel reverentiam velo dignam, obtectamque significare. Id liquet ex eo, quod Noster hic et vers. 3. et cap. 66. constanter vertat: *Quod intrinsecus latet: tsammat* ergo significat rem latentem et sub velo reconditam: Et ex Septuag. Syro, et Arabico qui *tsammat* vertunt, *taciturnitatem,* sive *silen-*

tium, id est, rem latentem et præ sui decore et maiestate silendam et tacendam. Simili Catachresi campi silere dicuntur, cum nondum germinant; et flores silentes, qui necdum se aperiunt, sed suo calyce clausi latent, et luna silens, id est, latens; iuxta illud Virgil. 2. Æneid.

Tacita per amica silentia lunæ.

Igitur τὸ *absque eo quod intrinsecus latet*, idem est ac si dicat, absque interna decoris gratia, quæ in oculis abscondita latet, q. d. Oculi tui, o sponsa, non tantum similes sunt oculis columbinis, eo quod venusti sint, lucidi, simplices, pudici, verecundi, amabiles, sed insuper eximiam in se latentem gratiam ac pulchritudinem continent, quæ per pupillam et angulos, velut per velum tenuiter et obscure pellucet et emicat, ideoque oculos intuentium non implet, sed ad penitius id, quod latet, inspiciendum allicit et rapit, sicut in pyropis et gemmis nonnullis, tenuis quædam nubecula decora et splendida in fundo latens, per extimam superficiem pellucet, quæ oculos intuentium mire oblectat, ac quia non satiat, ad ulterius intuendum invitat, quia sub ea quid rarum et pretiosum celari videtur.

Vis oculi feminei. Mira enim in oculis hominum, præsertim fœminarum inest latens gratia et venustas, quæ intuentes in sui amorem et admirationem rapit. Sicut enim tota pulchritudo fœminæ est quasi collecta in facie, sic tota pulchritudo faciei in oculis quasi videtur: Quocirca vers. 9. sponsus ait

Exempla sanctimonialis cuiusdam. sponsæ: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Sophronius in prato spirit. cap. 60. narrat sanctimonialem quamdam ab adolescente adamatam, cum eam ille ubique prosequeretur, rogasse quid illi tantopere in se placeret; eumque adolescens responderet, oculi; illi enim, inquit, seduxerunt me; mox illa cultro effodit sibi oculos, ne amplius ipsi essent scandalo, q. d. Accipe quod adamasti, et me prosequi desine, compunctus ille animum vitamque in melius commutavit. Sabellicus lib. 4. Exempl.

S. Luciæ c. 8. scribit S. Luciam oculos sibi erutos tyranno se persequenti misisse, velut virginitatis suæ obsides et tutores. Putant nonnulli hanc Luciam esse celebrem illam Syracusanam martyrem, ideoque illam pingi cum oculis in patina exhibitis; sed alia fuisse videtur. Narravit mihi Prælatus quidam in primis probus et sapiens, se a matrona quadam casta et gravi, æque ac prudente monitum, ut sibi subditos sacerdotes et confessarios aspectu et colloquio mulierum cohiberet; quia, inquit, in oculis fœminarum inest occulta quædam gratia et amoris illicium, quod viros etiam sanctos nescientes illicit et quasi dementat. Addebatque: Non est vir tam religiosus et sanctus, cui ego non persuasero quidquid voluero, si per quadrantem horæ cum illo colloquar, illeque oculos meos fixe intueatur. Tanta gratia et vis occulta illiciens latet in oculo fœmineo. Quocirca sapienter monet Eccles. cap. 25. 28. *Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie;* Et cap. 29. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ;* et cap. 36. 24. *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.*

Ratio a priori. Ratio a priori est, quod oculi sint hominis lumina, vicina cerebro, in ipsum desinentia; quare ipsam hominis animam mentemque quasi occupant et possident, ut anima in oculis residere, et per oculos omne suum decus transmittere et ostendere videatur. Hinc in embryone cor primo format cerebrum, deinde oculos, ut docent Arist. Medici et Anatomici.

Idem Aristot. lib. 2. de Gener. animalium c. 5. docet ad generationem maxime concurrere oculos, quasi in iis sit tota anima et totus homo: *Sedes enim oculorum*, inquit, *maxime omnium locorum capitis seminalis est: quod patet, cum sola ipsa per coitum venereum manifeste immutetur, et usu immodico rei venereæ oculi aperte langueant, et subsideant: Causa est, quod natura genitoræ similis cerebro est.*

In oculis animus habitat. Audi Plinium l. 11. c. 37. qui in oculis omnes affectus motusque animi residere, et elucere asserit: *Neque ulla*, inquit, *ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus,* *sed hoc maxime, id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ.* Unde colligit: *Profecto in oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.* Et mox: *Animo videmus, animo cernimus, oculi autem ceu vasa quædam visibilem eius partem accipiunt, atque transmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus visu: Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt animo caligante.* Idem lib. 8. cap. 16. docet leonum vim et robur esse in oculis; ideoque si quis a leone invadatur, unicum esse remedium, ut in oculos eius pallium, aut quid simile iniiciat: velatis enim oculis ipsius ferociam subsidere, ut capi, vinciri et occidi se sinant: *Vix credibili modo*, inquit, *torpescente tanta illa feritate, quamvis levi iniectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis constat in oculis.*

Quia ergo tota vis, gratia, et decor animæ tam naturalis, quam supernaturalis in oculis sponsæ abscondita latebat, et tenuiter dumtaxat per pupillas emicabat, hinc ait sponsus: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra? oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Quinta editio: *Ex multitudine pulchritudinis tuæ;* Sept. *Extra silentium tuum*, q. d. Pulchritudo tua me, omnesque intuentes capit in tui admirationem, ut quasi obstupescens fari nequeam, sed silere cogar, silensque tuum decorem intueri et admirari: plura enim supersunt, quæ in te laudari possint, sed eorum magnitudo silentio magis commendatur. In oculis enim tuis video latere mentem sapientem, virgineam, amore cælesti ardentem, omni gratia et virtute cumulatam, angelicam, et divinam. Unde Philo Carpath. vertit: *Præter ea, quæ de te silentur, seu quæ intrinsecus latent.*

Nonnulli sic exponunt, q. d. Gratia in oculis tuis latens et abscondita tanta est, ut ipsa, te silente, silentium abrumpere, imo silentio suo loqui videatur, ac omnibus tuam modestiam, verecundiam, omnemque pulchritudinem eloqui et eructare. S. Ambr. vero lib. de Instit. Virgin. c. 4. censet hic in virgine commendari taciturnitatem: hæc enim ornat, augetque oculorum modestiam et verecundiam, quam prodit et perdit loquacitas, quæ meretricium aliquid sonat potius, quam pudicum. Unde noster Sanchez putat hic celebrari oculos sponsæ a naturali ipsorum modestia, quia nimirum liberi non sunt, aut vagi, quales esse solent curiosi et petulantes oculi, sed demissi et semiclausi, quales habent verecundæ et pudicæ, quos pætus appellat Porphyrion apud Horatium Satyr. 4. Hæc de sensu grammatico corticis litteræ, iam ad medullarem accedamus.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

QUID oculi columbini Ecclesiæ significent exposui c. 1. v. 15 nunc exponendum τὸ *absque eo quod intrinsecus latet.* Dico ergo per illud significari interiorem gratiam et venustatem in mente latentem, quæ tenuiter per corpus et opera exteriora traluceat, et emicat. Unde primo, candor, verecundia, castitas, modestia, amabilitas exterior, quæ per oculos columbinos notatur, in Ecclesia et cœtu fidelium manat ab interiori candore, verecundia, castitate, modestia, amabilitate, quæ longe maior et pulchrior est exteriore: Quocirca. S. Greg. sic explicat: *Valde honestum est quidquid in exterioribus operatur, quod simpliciter inter homines conversatur, quod ea, quæ videt, temporaliter concupiscere dedignatur, et si quid tamen in hoc mundo placet, post concupiscentias suas ire detestatur; sed vehementer pulchrius et honestius est, quod cordis desiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quod in his, quæ interius videt suaviter requiescit, et mundatur.* Similia habet Nyssen. hom. 7. et Philo Carpath. qui iuxta Septuag. Syrum, et Arabic. legens: *Præ-*

ter silentium vel taciturnitatem tuam, idipsum sic explicat: *Nam præter columbinam innocentiam et sinceritatem, alia quoque pulchritudo et species quædam interior ex taciturnitate huic sponsæ inesse significatur: sæpe multi piorum ore quidem tacent, corde vero clamant, unde Moysi tacenti dictum est: Quid ad me clamas?* Sic Apostolus sæpe mentem internam, eiusque virtutes et sanctitatem vocat interiorem hominem, exteriorem vero vocat corpus, et externa corporis opera.

Externa sola corporis pulchritudo templis Ægyptiorum comparata.

Quia et Lucianus dialogo *Imagines*, opposite eos, qui externam corporis pulchritudinem sectantur, neglecta interna animæ, comparat templis Ægyptiorum quæ exterius videbantur magnifica, ingredientibus autem intro Deum non alium, quam simiam, felem, canem, vel hircum exhibebant. Denique *quod interius latet* est gratia, quæ in mente latet, eamque mire exornat, adeo ut illam in oculis Dei speciosam et gratiosam efficiat, indeque nuncupatur gratia. Gratia autem hæc fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus decoratur, atque aliis donis, et modis in variis varie ornatur, et expolitur.

Secundo, sponsa oculis columbinis intuetur sponsum Christum, diademate humanitatis et coronæ spineæ coronatum, sed maius et pulchrius est quod *interius latet*, puta interior fides, mentis acies, et contemplatio, quæ sub humanitate latentem intuetur divinitatem, eamque credit, ac toto corde amat, colit, et adorat. Hinc tres Anonymi apud Theodor. cum Sept. legentes: *Extra taciturnitatem tuam* sic exponunt, q. d. Anima ex creaturis contemplans creatorem, magis eum veneratur tacito silentio cogitans illum, illiusque attributa ab homine comprehendi non posse: *Columbæ*, inquiunt, *dicuntur oculi piæ animæ, quia per ipsos omnia, quæ creata sunt, refert ad laudem creatoris. Sic autem oculi spirituales sunt, præter ipsius animæ de Deo taciturnitatem; hæc enim magis est spiritualis*; nam in *Spiritu sancto id quod omnem cognitionem superat, cognoscit de Deo*, nempe quod nequeat comprehendi.

Huc accedit S. Ambros. lib. de Instit. Virgin. c. 1. « Oculi tui columbæ, inquit, extra taciturnitatem tuam, eo quod tota spiritalis et simplex, sicut columba (in cuius specie visus est a Ioanne descendere Spiritus sanctus) spiritalia videat, et noverit ea quæ viderit, tacere mysteria. Non enim mediocris virtus, tacere, Eccles. 3. 7. Est enim et tempus tacendi, sicut tempus loquendi, sicut et scriptum est: Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat dicere sermonem. Virginitatis itaque dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio. »

Prophetæ oculi Ecclesiæ unde videntes dicti.

Porro hæc omnia quibusvis fidelibus conveniunt, sed maxime Prophetis, qui quasi oculi Ecclesiæ prævident et præmonent futura, ideoque *Videntes* nuncupantur; ac Episcopis, ait Hortulanus, pastoribus et prælatis, qui pariter sunt oculi, id est, speculatores et inspectores Ecclesiæ, ut quasi pastores illam a lupis tueantur, ac de pabulo cæterisque necessariis et utilibus illi prospiciant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Columbarum oculi sunt admodum lucidi, et innato quodam splendore perspicui; sunt etiam simplices, qui non torve aut malitiose, sed sincere in res obiectas intendunt. His oculi animæ perfectæ sunt similes, nam et sapientia lucent, qua rerum temporalium vilitatem agnoscant; et amabili sinceritate donati sunt, quo iisdem rebus tamquam abiectis non hæreant; sed per eas ad Deum, in quo quasi in propria mansione conquiescunt, transeant.

Oculi columbini ergo notant rectitudinem operis et operationis: τὸ *quod interius latet*, notat rectitudinem intentionis: hæc enim interior est et mentalis, cum opus sit exterius et corporale. Rursum si per oculos columbinos accipias rectitudinem intentionis, uti dixi c. 1. 15. per τὸ *quod latet interius* accipe charitatem, purumque Dei amorem, qui est quasi anima rectæ intentionis, illam spiritualiter animans et vivificans, ac velut deificans: si enim v. g. des pauperi eleemosynam ex intentione misericordiæ, nisi interius eidem iungas intentionem charitatis, quod scilicet velis illam dare ex puro Dei amore, opus eleemosynæ magno decore, magna gratia et merito destituitur. Quocirca S. Aug. serm. de Laudibus charitatis: *Ille*, ait, *tenet et quod latet, et quod patet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus*. Huius rei symbolum sunt oculi columbini, per quos tralucet internus in comparem amor. Unde græce περιστερα, id est, columba dicta est ἀπο του περισσως ἐραν, id est, quod nimis amori indulgeat, uti docet Apollodorus lib. de Diis, et Lexicographi. Nam ut ait Aristot. lib. 6. de Histor. anim. cap. 4. *Columbæ pariunt decies in anno, nonnullæ etiam undecies: Ægyptiæ vero et duodecies. Coeunt intra annum columbæ, quippe quæ semestres noscere incipiant venerem, palumbes et turtures etiam trimestres coire, fætificareque aliqui referunt, argumento, quod largo rerum copia est.* Sicut ergo columba non nisi comparem suum amat, illique totum amorem impendit: sic anima sancta uni intendit Deo, illique totum suum amorem resignat et tradit; nil enim aliud cupit, quam uni Deo summe placere; atque hic est præstantissimus omnium virtutum actus, nec altius mens humana assurgere potest. Ita Iustus Orgelit. et Aponius, qui per oculos columbæ accipiens prælatos: hi, inquit, exinde gloriosiores sunt, quod quidquid agunt intrinsecus, Deo exhibent, laudem hominum fugientes et inanem gloriam, ideoque additur *absque eo quod intrinsecus latet.*

Columba περιστερα unde dicta?

Rursum τὸ *quod intrinsecus latet* notat meditationem et contemplationem, quæ eo in anima sancta maior est et pulchrior, Deoque gratior, quo magis velo sensuum tegitur et obducitur. Quo enim quis magis claudit oculos, aures, linguam, etc. eo altius ad Deum mentem orando, et contemplando sustollit, illumque intime cum Deo unit; unde ab eo miro lumine et sensu, ac quælibet charismata haurit, quæ senate explicans Richard. de S. Victore: « Illa enim, inquit, quæ cum Christo secreta in cubili cordis versas, quis foris exponere queat? illam confabulationem mutuam, ausum loquendi ad eum, consolationem ab eo acceptam sive revelationem, unitatem animorum, concordiam voluntatum, amorem mutuum, zelum iustitiæ et animarum, desiderium visionis et fruitionis Dei, peregrinationis tædium, dissolvendi cupiditatem, quis foris intelligat, vel exprimat verbis? nunc aperitur animæ talis sensus, ut intelligat Scripturas: nunc de occultis sive dubiis instruitur; nunc ita unitur Deo, ut unus spiritus efficiatur cum eo; nunc ita absorbetur a spiritu, ut in carne commorari se non recolat; nunc aliqua arcana divinæ aspirationis cognoscit, quæ prius non agnoscebat. » Subiicit deinde id quod summum et præstantissimum est: « Nunc autem ita iungitur Deo, et iunctum sibi Deum sentit, et omnem voluntatem suam ita in Deum transfert, ut Dei voluntatem, vel intelligat vel ad suam hanc inflectat. Ex ea enim puritate cordis qua Dei voluntati in omnibus concordat, etiam hanc intelligit eamque ad suum placitum flectere digna fit. Nunc ita Deum per amorem sibi iungit et attrahit, ut quasi solum hunc habere credat; nunc in eum ita dilatatur et transit, ut in eo per charitatem omnem hominem comprehendat, omnesque lumine, quo illustratur, videat, et omnibus (quia una et simili charitate) compatiatur et condescendat.

Fructus contemplationis.

Huc facit versio Chaldæi, qui per oculos columbæ accipiens Mosen, Prophetas et Doctores, quos Deus interne illuminat, sic vertit: « Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta super altare, et suscepta est cum beneplacito oblatio eius coram Domino, irruit vox de cælo, et sic ait: Quam pulcher es, cœtus Israel, et quam pulchri sunt principes Congregationis, et sapientes habitatores in Concilio, quia ipsi semper illuminant populum domus Israel, et similes sunt pullis filiis columbæ. »

Anagogice S. Gregor. lib. 9 Mor. cap. 6. per τὸ *quod interius latet*, accipit præmium cælestis gloriæ, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, 1. Corinth. 2. 9. *Eius oculi*, inquit, *columbarum vo-*

Anagog.

cantur, quia magna luce irradiant, quia magnorum signorum miraculis coruscant. At illud de internis miraculum est mirabilius, quod videri non potest, de quo subditur, absque eo quod intrinsecus latet. Magna quippe gloria est aperti operis, sed longe incomparabilis occultæ retributionis. Hoc est, quod ait Apostolus: *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo: cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Coloss. 3. 3. Vide ibi dicta. Empedocles rogatus, *cur viveret?* Respondit:

—— Ut astra
Aspiciam; cælum subtrahe, nullus ero.

Fidelis dicat: Vivo, ut cælum obtineam, in eoque Deum videam, et videndo omne bonum in eo possideam.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus per septem dotes columbæ accipiens septem dona Spiritus sancti infusa B. Virgini, per τὸ *quod intrinsecus latet* accipit interna et ineffabilia lumina ac charismata eidem collata, quæ solus Deus videt. Si enim Paulus, inquit, *dixit raptum se fuisse in paradisum, sive usque ad tertium cælum, ita ut nesciat sive in corpore, sive extra corpus raptus fuerit, et audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui; quanto magis tu, regina cælorum, persæpe cælestibus interfuisti, quippe quam et circumsteterunt obstetricum vice gloriam Deo concinentes Angeli, et inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid quod latet et latere non debet?* Igitur sentit Rupertus B. Virginem raptam esse in tertium cælum, et vidisse arcana mysteria, quæ non licet homini loqui perfectius et excellentius quam Paulus. Quocirca B. Virginem subinde vidisse divinam filii essentiam, uti vident Beati in cælo, præsertim in die incarnationis, nativitatis et resurrectionis Christi, multi probabiliter opinantur, uti S. Antonin. Dionys. Carthus. Gerson, Cassalius, Medina, et alii, quos citat et sequitur Franc. Suarez 3. part. q. 37. art. 4. disp. 19. sect. 4. et Gabriel Vasquez. 1. part. disp. 55. et 56. ubi hanc Dei visionem soli B. Virgini concedit, cæteris omnibus Sanctis in hac Vita, etiam S. Paulo et Mosi adimit.

An B. Virgo viderit Dei essentiam.

Rursum τὸ *quod intrinsecus latet,* fuit interna et ineffabilis B. Virginis humilitas, virginitas, charitas, quæ externo modestiæ, simplicitatis, ac paupertatis velo tecta, aurina coram Deo effulgurabat. Hoc enim Verbum ex sede Patris ad se attraxit, ut in se et ex ea caro fieret.

VERS. 1. CAPILLI TUI SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE MONTE GALAAD.

Sumit comparationem a capris more bucolico quia sponsus hic inducitur ut pastor, sponsa ut pastrix. Iam sponsam mire exornat cæsaries sive capilli, in iisque tria spectantur: primo, longitudo simul et multitudo, sive copia ac densitas; secundo, nitor et compositio, ut scilicet decore sint pexi et discriminati; tertio, color, ut sint flavi vel fulvi, ideoque splendidi, aureique coloris. Unde Virgil. l. 4. de Didone:

—— Nondum illi flavum Proserpina crinem
Abstulerat.

Capilli Heroum flavi.

Et Catullus in Epithal. Iuliæ: *Aureas quatiunt comas.* Ita Messalina uxor Claudii Imperatoris cum procos allliceret nigris capillis suis, per fucum flavos superinducebat, teste Iuvenal. Satyr. 6. Hinc et Horatius l. 1. Carm. Ode 5.

Cui flavam religas comam.

Et Virgil. 8. Æneid.

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Ovid. 15. Metam.

Electro similes faciunt, auroque capillos.

Claudian. lib. 3. de rapto Proserp.

—— Fulvoque nitet coma gratior auro.

Martialis:

A *Quæ crine vicit Bætici gregis vellus.*

Bætis enim fluvius in Hispania capris et ovibus fulvum dat colorem, uti res ipsa loquitur. Homerus priscis illis Heroibus, Menelao Spartano, Meleagro, ac Achilli flavam, sive auream cæsariem assignat. Antoninus Verus Imperator, ait Capitolin. dicitur *tantam habuisse curam flavescentium capillorum, ut capiti auri ramenta aspergeret, quo magis coma illuminata flavesceret.* Medici tradunt eos, qui flavo sunt capillo valde bono esse temperamento. Hinc sicut David et Salomon; sic et Christus subflavo fuit capillo, inquit, Nicephorus l. 1. c. ultimo.

Galaad mons fertilis.

Tales erant capilli caprarum in Galaad. Galaad enim mons est pinguis et fertilis, imo resinæ, stactes et aromatum ferax; quare ibi pascentes capræ densos, nitidos et flavos, vel fulvos villos induebant; præsertim, quia ex affrictu arborum, stillantem ex eis resinam et liquorem flavum ac pinguem, caprarum vellera imbibebant. Argumento est, quod 1. Reg. 19. 16. Michol, ut Davidem, cuius coma erat rufa, ementito eius simulacro tegeret, et a cæde B quærentium liberaret, simulacrum pilis caprarum quasi rufis vestivit. Tonsiles quoque fuisse, ideoque pexos ac nitidos caprarum pilos, liquet; nam ex eis detonsis facta sunt saga, id est operimenta tabernaculi, iuxta illud Exodi 36. 14. *Saga undecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi.* Ita Luysius Legion. Sanchez et alii. Unde pro *quæ ascenderunt,* Hebr. est שֶׁגָּלְשׁוּ *sceggalesciu,* quod R. David vertit: *Quæ defricuerunt,* vel *detorserunt,* aut *depilarunt* se inter arbusta sylvæ et effectæ sunt pulchræ. Marinus et alii: *Quæ glabræ, politæ, leves et teretes sunt;* non strigosæ, quales sunt capræ vel oves bene pastæ; unde a גָּלַשׁ *galas,* per methathesin derivant שֶׁלֶג *sceleg,* id est, nix, quod nix, cum in terram decidit, polita est, levis et teres. S. Hier. c. 6. 3. vertit: *Quæ apparuerunt;* Septuag. *quæ revelata sunt.* R. Ioan, *quæ manicaverunt,* id est, mane apparuerunt, nam cum montis Galaad culmina primo solis splendore illustrantur, collucent tunc caprarum pili nitidi, et ex aromate allito flavescen- C tes. Tigurina: *Quæ glabrum depascendo reddiderunt montem Galaad;* Vatablus: *Quæ aspiciunt in monte Galaad,* id est quæ proponunt se spectandas, vel spectantur, aut cernuntur, q. d. Capillus te ornat, ut grex caprarum adornat montem Galaad, a quo si descenderint videtur mons glaber, ac si esset decalvatus: Τὸ ergo *ascenderunt,* non certum scandendi situm (tam enim oves pascentes in monte descendunt, quam ascendunt) sed existentiam duntaxat, et præsentiam significent, idemque est, quod *extiterunt,* vel *apparuerunt.* R. Abraham: *Quæ prominent et spectantur.* Maluit tamen dicere *ascenderunt,* quia capræ solent pascendo scandere montes usque ad cacumen, ibique degere ac commorari, idque acervatim et ordinate. Delrio *ascenderunt* exponit *recesserunt.* Sic enim hebr. עָלָה id est *ascendit,* Noster vertit *recessit,* 2. Reg. 2. v. 27. et 4. Reg. 12. v. 18.

Capræ pascendo ascendunt.

Alludit ad Iacob, qui fugiens Laban socerum suum cum capris et pecoribus, æque ac Rachele et Lia uxoribus, eorumque filiis montem hunc conscendit; ibique fœdus pan- D gens cum Laban, in eiusque testimonium congerens acervum lapidum, idcirco eum vocavit *Galaad,* id est *acervum testimonii,* dicens: *Tumulus iste erit testis inter me et te hodie.* Genes. 31. 48. Unde Chald. vertit: *Et etiam reliqui filii congregationis tuæ, et populus terræ sunt iusti; sicut filii Iacob, qui collegerunt lapides, et fecerunt acervum in monte Galaad.*

Tales quoque fuisse capillos sponsæ, scilicet longos sive promissos, densos, nitidos, lucentes, ordinatos, pexos, compositos, ac flavos vel fulvos, liquet ex cap. 7. vers. 5. ubi comparantur regiæ purpuræ: et ex vers. 9. huius capitis, ubi ait sponsus sponsæ: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.*

Adde capillos sponsæ præcise et immediate hic non comparari capillis caprarum, sed ipsi gregi caprarum, mediante tamen grege, comparantur eius capillis, quia grex non nisi capillatus apparet, q. d. Sicut capræ gregatim turmatimque pascentes in Galaad, deorsum aspicientibus lon-

gum quoddam vellerum villorumque capillitium repræsentant, illudque perpulchrum et splendidum, tum quia solis repercussu fulvum videtur et aureum, tum quia capreæ bene pastæ ex herbis pretiosis Galaad, ac aquis crebro lotæ niteant et fulgeant: sic quoque sponsæ coma longa est et promissa, æque ac nitida et fulgida.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Capilli Ecclesiæ quinam?

CAPILLI Ecclesiæ sunt infirmi, simplices, rudes, pauperes et abiectæ sortis fideles, puta minuta et plurima plebs Christiana: hi enim ornant Ecclesiam: primo, sua multitudine et densitate: secundo suo nitore, æqualitate, connexione et ordine; tertio, suo colore, quia per fidem, spem et charitatem flavi sunt et fulvi, id est, ignei aureique quasi coloris et decoris. Unde de primis Christianis dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Actor. 4. Ita Iustus Orgelitan. et Philo Carpath. Audi S. Gregor. « Capilli sponsæ sicut grex caprarum esse dicitur: quia populi Ecclesiæ dum præcepta legis ruminantes cœlestia fide contemplantur, munda sunt animalia et in altis pascuntur. Galaad autem acervus testimonii interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem martyrum intelligimus? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium veritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit, quia populus Ecclesiæ eo magis fide se ad æterna suspendit, quo fortius sanctos martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit. » Eadem pene ad verbum habet Philo: quare ex S. Gregorio, cuius stylum redolent, in Philonem transcripta videntur.

Capillis verecundia et pudicitia exprimitur

Addit Nyssenus homil. 7. capillis notari verecundiam et pudicitiam fidelium; capilli enim fœminæ pro velamento pudoris a natura dati sunt. Porro capræ, quia olidæ, notant iustos ex Gentibus idololatris conversos, ait Eucherius de Spirit. formulis c. 5. Sicut enim capræ aquis, sic Gentes Baptismo et Pœnitentia eluuntur et nitescunt.

Aponius vero per capillos accipit divites, sed pios et religiosos: « Qui, inquit, delicatis tegminibus contecti auro gemmisque resplendent, fragrantissimis pulveribus aromatum sparguntur, delibuti unguento, servulorum ministerio stipati, lumine rectæ fidei suæ et misericordiæ decorati, totum Ecclesiæ corpus exornant. Hi enim propter quod in rebus corporalibus iucundantur, et Apostolicam philosophiam gravitate sequi non possunt, caprarum gregibus comparantur. »

Capilli Religiosi.

Ex adverso Gregor. Nyssenus hom. 7. Iustus Orgelitan. et Anselmus hic, ac S. Ambrosius, Paulinus et Eucherius mox citandi, per capillos accipiunt viros perfectioni studentes, quales sunt religiosi. Id quoque aptum est, quia religiosi humilitatem et paupertatem profitentur, ac externa specie et habitu mundanis exiles videntur, viles et abiecti, dicuntque cum Psalte: *Elegi abiectus esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ps. 83. 11. Omnem enim mundi gloriam, opes et pompam calcant mentemque defigunt in cœlo. Causam aliam potiorem iam subiungo.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Capilli bellissimi sunt sanctæ cogitationes.

CASSIODORUS, Beda, Richardus de S. Victore, Rupert. et tres Anonymi apud Theodoret. multique interpretes per capillos pulchros accipiunt sanctas cogitationes: Pri-
1. mo, quia sicut illi a capite, puta a vaporibus, fumisque solidis e capite ascendentibus: sic hæ a corde, quod instar capitis est, et a cordis calore, id est amore et affectu pro-
2. manant, aiunt tres Anonymi apud Theodoret. Secundo, quia eædem cor et mentem ornant non secus ac capilli caput, arborem frondes, et solem radii, qui ab eo oriuntur:

Tertio, capilli illi flavi et fulvi, aurei, igneique sunt; sic co- 3
gitationes hæ cœlestes immissæ a Spiritu sancto, igne charitatis mentem inflammant: cogitationes enim mentis excitant similes sibi affectus in appetitu; unde quales sunt hominis cogitationes crebro recurrentes, tales sunt pariter eius amores et affectus; hoc enim quisque amat, quod sæpe cogitat, menteque revolvit. Quarto, sicut capilli hi 4.
multi, densi, pexi, ordinati et compositi sunt, sic et sanctæ cogitationes; nam a spiritu recte ordinantur, densantur, et componuntur quia in Deum et Christum diriguntur et
ordinantur. Quinto, capilli hi sunt caprarum, quæ ascen- 5
dunt de Galaad, sic cogitationes sanctæ sunt piorum, qui ascensiones in corde suo disponunt, ac de virtute eunt in virtutem, donec videant Deum Deorum in Sion, ut ait Psaltes, Psal. 83. Ideoque quotidie altius in cœlum ad Deum conscendunt. Ita Cassiodor. Galaad, id est, acervus testimonii notat S. Scripturam, ait Iustus Orgelit. ac dicta, facta, et scripta SS. Prophetarum et Apostolorum, ait Philo Carpath. ipsiusque Christi; hisce enim aluntur et accenduntur sanctæ cogitationes. Quocirca multi per Galaad intelligunt Christum, utpote in quem omnia sanctorum tam veteris, quam novi testamenti oracula et testimonia conspirant. Christus enim sua doctrina, exemplo, inspiratione et gratia producit in qualibet anima sancta hasce sanctas de se cogitationes, ac per eas similitudinem et characterem sui ipsius in anima efformat, et quasi sigillo impresso exprimit, iuxta illud cap. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Audi S. Paulinum Epist. 4. ad Severum: *In hisce sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus et linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdemque ipsos statuens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino ederent nummos, et, abolita de nobis figura Cæsaris, vivam regis æterni numisma Signarent, ut spiritu redemptionis inscripti, cervice iam a iugo libera et salutis titulo præmunita fronte caneremus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hæ igitur cogitationes, quæ Christum olent, et a Christi vulneribus tinctæ, et quasi a Christi corde progenitæ sunt, Christi ideam in anima sancta imprimunt, ideoque illam ipsi simillimam et gratissimam efficiunt. Talis ergo anima, ait Richard. Victor. testimonium habet, quod in ea Christus maneat, quia ab illo ascensum harum cogitationum et meditationum habet.

Rursum in Galaad nascebatur resina, et pharmaca efficacia ad quoslibet morbos corporis curandos: sic et a Christo promanat resina pœnitentiæ et gratiæ, quæ omnes animi plagas et ægritudines sanat, iuxta illud Ierem. 8. 22. *Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur obducta non est cicatrix filiæ populi mei?* Unde Theodor. per capillos intelligit pœnitentes. Chaldæus vero Ieremiæ locum ita vertit: *Desiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina.* Elias enim datus fuit a Deo Galaaditis, ut eorum idololatriam, rapinas, cædes, aliaque scelera corrigeret, uti et fecit per se et suos discipulos, quos quasi religiosos instituit, passimque eorum cœtus et collegia propagavit, qui proinde in Scriptura vocantur filii Prophetarum, Eliæ scilicet et Elisei. Elias ergo primus videtur monachorum institutor, tum alibi, tum in monte Carmelo, ubi frequentius degebat. Unde ab eo religiosi Carmelitæ nomen acceperunt, seseque Eliæ discipulos et sequaces profitentur. Insuper sicut lanæ caprarum inter frutices Galaad pascentium elegantiores apparent, eo quod herbis et frondibus implexæ cum ipsis unum quid conflare videantur: sic cogitationes hæ coniunctæ dictis factisque Christi, Apostolorum et Prophetarum pulchriores apparent, quia illis commixtæ, cum iis quasi in unum coalescere videntur. Hinc multi per capillos accipiunt viros sanctos, perfectionis studiosos, ac contemplationi deditos. Nyssen. hom. 7. Iustus, S. Anselm. Rupertus hic, ac S. Ambros. mox citandus, et S. Paulin. epistol. 4. ad Severum: *Studeamus*, inquit, *illis adornari capillis, quos Deus numerabiles habet, sicut et ipse dicit; sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Canus vero ille capil-*

Elias auctor religiosorum.

Capilli sunt contemplativi.

las magis numerare dignetur, quam eius, cuius ipse verticis caput est? de qua dicitur: Caput eius ut aurum Paz, quo nomine probabilius aliquod et purius aurum significari puto, sicut illud de terra Evilath. Hoc enim aurum forma sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo. Et post nonnulla: *Summa igitur ope enitamur ita nos comparare, ut divini capitis (quod nobis per gratiam Dei Christus est) crines et aurum esse mereamur. Ex ipso enim capite pullulat illa cæsaries, de qua scriptum est: Capillatura eius ut greges caprarum.*

Et religiosi, cur? Religiosi ergo sunt capilli, qui caput Ecclesiæ ornant, tegunt et muniunt: hos enim figurabant Nazaræi prisci, quorum religio erat comam alere, et vinum non bibere. Num. 6. 9. Unde Nazianz. Orat. 20. in laudem S. Basilii, religiosos vocat Nazaræos, æque ac S. Thom. 2. 2. q 86. a. 8. Audi Origen. hom. 6. in Levit. *Nazaræi non abscindunt capillum, quia iusti quidquid faciunt prosperabuntur, et folia eorum non decident. Hinc et discipulorum Domini etiam capilli capitis numerati esse dicuntur, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Deum, quia iusti, quia sancti sunt.* Nazaræus igitur, id est, religiosus alat comam capitis, id est, mentem non habeat nudam, sed divinis cogitationibus et scientia comptam; sicut enim capilli e capite oriuntur, sic cogitationes sanctæ e mente sancta germinant, quibus homo sanctior efficitur: hasce autem fovent et nutriunt religiosi, quorum opus est non nisi cœlestia cogitare, loqui et operari. Hisce competit illud Thren. 4. 7. *Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Vide ibi dicta. Talis fuit Samson hominum fortissimus, cuius fortitudo consistebat in capillis suis Nazaræatus: *Ferrum*, ait ipse sæ Dalilæ, *numquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum ab utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea et deficiam, eroque sicut cœteri hominum.* Iudic. 16. vers. 17.

Analogia.
Rursum capilli notant dotes religiosorum, id est humi-
1. litatem. Capilli enim sunt viles et exiles, sic religio est
status et professio humilitatis; quo quis ergo humilior est,
2. eo et religiosior; secundo, sicut capræ villosæ scandunt
summa montium cacumina, sic religiosi est conscendere
cœlestia, et cum Deipara in montana virtutum assidue conscendere. Ita Eucherius de spiritali form. c. 5. *Sicut capreæ*, inquit, *in alto pastum quærunt, sic sancti in supernis pastum desiderant*, iuxta illud: *Nostra conversatio in cœlis est.* Philipp. c. 3. sic et S. Ambr. cuius verba mox
3. recitabo; tertio, sicut capilli densi, nexi et compositi sunt;
sic in religione summa debet esse religiosorum unio, sub-
4. ordinatio et compositio; quarto, sicut capilli intime in-
5. hærent capiti, sic religiosi Christo; quinto, sicut capilli
singuli tenues sunt et infirmi, sed iuncti et plexi funiculum efficiunt fortissimum, sic religiosi singuli per se invalidi sunt, sed amoris unione coniuncti aciem efficiunt invictam et robustissimam, iuxta illud: *Funiculus triplex dif-*
6. *ficile rumpitur.* Eccles. c. 4. sexto, sicut capilli insensibiles sunt, quia vita et sensu carent, ait Nyssenus homil. 7. sic et religiosi, qui mortificaverunt suos affectus, ac velut mundo mortui, terrenis negotiis non implicantur, ait Theod. quasi insensiles videntur, ideoque quasi non sentiunt iniurias, calumnias, afflictiones et ærumnas huius vitæ, quia in terris quasi defuncti, vivunt in cœlis, iuxta illud Coloss. c. 3. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Talis fuit Elias, qui separatus a turba in monte Galaad vitam agebat cœlestem, ibique religiosorum examina, quæ instar capillorum ex uno capite derivabantur, et cacumen Galaad montis occupabant, illudque velut involitantes comæ ornabant, instituit; ideoque terribilis erat regi Achab, Iezabeli, et Pseudoprophetis. 3. Reg. 18. et seq. Unde Rupertus: *Et recte*, inquit, *dicuntur apparuisse, quia institutor illorum Elias, sic repente introducitur, ut antea nusquam Scriptura meminerit, quis, vel unde fuerit progenitus.* Audi S. Ambrosium pleraque ex iam dictis eleganter et acute perstringentem, serm. 16. in Psalm. 118. sic enim legit: *Capillamentum tuum ut grex caprarum, quæ revelatæ sunt a monte Galaad;* sicque explicat: *Vides quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque ubi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum; ubi aliis periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior; spectantur a pastoribus suis damosa de rupe pendentes, ubi luporum incursus esse non possunt, ubi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet uberi lacte distentas, super teneram sobolem materna pietate sollicitas. Ideo elegit eas Spiritus sanctus, quibus cœtum venerabilis Ecclesiæ compararet. Et ut mystica audias: Capillamentum, verbi est altitudo, et eminentia quædam iustarum animarum, quoniam sensus sapientis in capite eius.* Causam illico subiicit: *In altitudinem enim cogitationis humanæ certum est esse sapientiam: et quemadmodum tondentur capræ, ut superflua deponant; ita etiam tonsarum animarum gregem, hoc est, multarum animarum virtutes habet sancta Ecclesia, in quo grege nihil possis insensibile reperire, nihil superfluum; quoniam fides sapientes fecit; spiritalis gratia ab omni superfluorum labe mundavit. Merito igitur revelatæ sunt animæ iustorum, et revelatæ a monte Galaad, hoc est a transmigratione testimonii, eo quod a Synagoga ad Ecclesiam testimonium cœleste migravit. In hoc itaque monte nascitur thymiama, resina et cæteri odores, quos negotiatores illi Ismaelitæ, ut habes in primo libro testamenti veteris, deferebant. Hos odores habet Ecclesia, quos mercatores ex Gentibus congregati fide et devotione vexerunt.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beatæ Virginis capilli, id est cogitatus omnes pulchri erant, sancti, recte connexi et ordinati, quia in caput, id est, in Christum dirigebantur. Rursum, sicut Elias fugiens Iezabelem abiit in solitudinem et montem Galaad, iuxta illud Hebræor. 11. v. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terræ.* Sic B. Virgo magnas ob Christum persecutiones, afflictiones et ærumnas passa est, ac longum in cogitationibus suis, præscia futuræ passionis Filii sui, pertulit martyrium, inquit Rupert. ac Iudæorum turbas fugiens, sola quasi turtur cum Deo et Christo suo degebat in Galaad, id est in acervo testimonii, quem sibi ex S. Scriptura et Prophetarum de Christo oraculis collegerat. Unde ex monte hoc assidue cœlum et cœlestia spectabat.

Deinque Nicephorus B. Virgini flavos pulchrosque tribuit capillos: sic enim ait lib. 2. Hist. cap. 23. *Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, subflavas, et tamquam oleæ colore pupillas in iis habens;* ac mox: *In rebus eius omnibus multa divinitus inerat gratia.* Idem libr. 1. cap. 40 formam Christi depingens, illam matri persimilem fuisse tradit: *Egregio*, inquit, *vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam, etc. Ex oculis subflavescentibus mirifica prominebat gratia, acres ii erant, et nasus longior; barba capillus flavus, nec admodum demissus; capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis præterquam matris, in tenera duntaxat ætate eius. Persimilis denique per omnia fuit divinæ et immaculatæ suæ genitrici.* Vultus B. Virginis qualis.

Vers. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas.

Dentes tui sicut greges tonsarum (Vatablus, *sicut grex concinne tonsarum*, scilicet ovium) quæ ascende-

RUNT DE LAVACRO, OMNES GEMELLIS FŒTIBUS, ET STERILIS NON EST INTER EAS.) Vatabl. *Universæ gemellos pariunt, nec est inter eos effœta*. Hebr. est enim in singulari: *Sicut grex tonsarum*: unde Agathius in Vulgata legendum censet: *Sicut gregis tonsarum*. Sicque ex Hebr. verti potest, sicque Vulgatam exponunt per antiptosin Hortolanus et Titelman. qui censent hic comparari dentes sponsæ dentibus gregis ovium tonsarum, quod sicut oves recens tonsæ et lotæ ob frigus maiorem habent appetitum atque acutiores dentes habere videntur, quibus ardentius herbas carpunt devorantque, præsertim, quia non tantum se, sed et fœtus gemellos, quos pepererunt alere, iisque lac suum præbere debent; sic quoque sponsa stomachum dentesque habeat acutos et validos ad manducandum, quo significatur eam corpore esse sanam et robustam, valentemque ad gemellos, id est, plures proles generandum, eosque lacte doctrinæ suæ nutriendum. Est metalepsis: ex validis enim dentibus intelligitur validus stomachus et appetitus, ex hoc valida natura, ex hac validæ vires ad filios gignendum, alendumque. Hic sensus valde videtur planus et appositus, optimeque connectit τo *omnes gemellis fœtibus* cum dentibus sponsæ, quod scilicet tam acuti et validi sint in pascendo, ut tam sponsam, quam eius gemellos fœtus manducando sustentent, et robustos reddant, quod optime convenit prædicatoribus, qui per dentes hic repræsentantur. Hoc ergo sensu accipienda videtur Vulgata, vel per antiptosin: ut τo *sicut greges* accipiatur pro *sicut gregum*, vel potius ut subaudiatur τo *habeat*, q. d. Dentes tui tales sunt, o sponsa, sicut, vel quales habent greges tonsarum, greges ovium intellige, vel ut S. Ambros. serm. 6. in Ps. 118. caprarum harum enim dentes acuti sunt, et in suo genere belli, non bellicosi. Porro dentium meminit, tum quia dentium nitor, ordo et pulchritudo multum facit ad elegantiam personæ, tum quia ut ait Nyssen. hom. 7. per dentium decorem innuitur suavis oris risus; per hunc enim diductis labiis dentium decor aperitur et ostenditur.

Dentes habemus 32. Denique viris dentes sunt num. 32. e quibus primi quatuor tomici, totidemque eis vicini canini; acuti cibum secant, et bonum a malo secernunt, medii, sive maxillares cibum conficiunt; ultimi sive molares eumdem molunt et plane comminuunt. Ita Plinius lib. 7. cap. 16. qui et addit: *Dentes flammis invicti, cavantur tabe pituitæ. Aliqui vice dentium, continuo osse gignuntur*.

Verum quia Codices omnes Vulgatæ, æque ac Septuag. legunt in nominativo plurali: *Sicut greges tonsarum*, ac passim alii explicant in nominativo, ego quoque similem explicationem subtexam. Dentes sponsæ similes greg. Dentes ergo sponsæ comparentur gregibus ovium tonsarum in copia, ordine, æqualitate, candore, integritate, connexione, quia scilicet multi sunt, ordinati, æquales, candidi, integri et connexi, sicut greges ovium tonsarum; tonsæ enim ob frigus sese uniunt et constipant, ut totus grex unum quid idque exiguum esse videatur. Nam primo, τo *sicut greges* notat copiam et ordinem dentium; sicut enim in grege multæ sunt oves, illæque ordinatæ, sic in ore multi sunt dentes, puta 32. iique recte dispositi et ordinati. Sicut ergo est grex ovium, sic est et grex dentium; secundo, τo *tonsarum* notat dentium æqualitatem et constipationem; oves enim tonsæ villos non habent excedentes, sed æque detonsos; sic dens unus non est longior altero, sed omnes pares sunt et quasi ad libellam secti. Rursum oves tonsæ ob frigus sese densant; sic et dentes densi sunt et constipati; tertio, τo *quæ ascenderunt de lavacro* notat dentium nitorem et candorem; quarto, τo *omnes gemellis fœtibus*, notat eorum integritatem et plenitudinem, de quo mox plura.

QUÆ ASCENDERUNT DE LAVACRO.

Solent enim oves dum tonsæ sunt lavari, tum ut niteant magis, tum ut sudor, vapores et sordes cuti adhærentes eluantur, ne scabiem aut scabrum quid generent; illotus enim sudor corpori adhærescens scabiem gignit. Ita Columella de re rustica libr. 7. cap. 4. Simili modo sponsa dentes sæpe eluit, ideoque eos habet magis tersos et nitidos, non sordidos, immundos, vel scabros. Rursum sicut oves lotæ frigent, ideoque in unum coeunt seseque constipant, ut mutuo calore foveantur; sic quoque dentes sponsæ frequentes sunt, densi et constipati, non rari, non cavi, nec inter eos quid est spatii vacui.

Pro *gemellis fœtibus* hebr. est מתאימות *matimot*, quod Aben Ezra vertit passive *gemellæ*, q. d. sicut oves gemellæ, puta eodem partu genitæ, sibi mutuo similes et æquales sunt; sic et dentes sponsæ. Verum *matimot* est participium, sed activum coniugationis *Hiphil*, ideoque active vertendum *gemellisantes*, id est, *gemellos fœtus edentes*, uti vertit Noster et Septuag. Porro peius R. Salomon legit מתומות *metomot*; vertitque *integræ et impollutæ*; nam legendum est *matimot*, id est, *geminantes fœtus*. Quid differt orba a sterili?

Pro *sterilis* hebr. est שכלה *sciaccula*, id est, *orba*, quæ scilicet suo fœtu privata est, quæ scilicet prolem quam habuit, per mortem vel rapinam amisit; sterilis vero est infœcunda, quæ prolem non peperit. Perperam R. Salomon vertit: *Et macula non est in eis*. Sic mandibula dicitur sterilis, quæ dentem non producit; orba vero, quæ dentem quem produxit, amisit, sive is putridus, vel marcidus sponte exciderit, sive vi excussus sit.

Porro Chald. vertit: « Quam pulchri sunt sacerdotes et Levitæ, qui offerunt oblationes tuas, et comedunt carnes sanctificatas, et decimas, et primitias, et mundi sunt ab omni violentia et rapina, sicut erant mundi greges ovium Iacob, in tempore quo tondebantur, et ascendebant de torrente Iacob, in quibus non erat violentia et rapina, et omnes similes erant ad invicem, et pariebant gemellos in omni tempore; et sterilis et orbata non erat in eis.

Dentes gemelli qui? Resp. I. Quæres, quid ad dentium sponsæ laudem facit, quod omnes hæ oves tonsæ sunt *gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis*? Aliqui id non referunt ad dentium, sed ad ovium laudem, q. d. Oves quibus dentes sponsæ comparo, scilicet non quaslibet, sed integras et fœcundas, quæ scilicet gemellos pariunt. Verum alii passim id ad dentes referunt, idque varie: Primo, aliqui pertinere censent ad dentes maiores et molares, qui bisulci et quasi gemini esse videntur. Alii ad dentes primores, qui licet acuti, mandibulæ tamen bisulcis et quasi geminis radicibus infixi sunt, sicque explicant, q. d. Sicut oves fœcundæ sunt gemelliparæ et geminos gignunt agnos, sic mandibula tua, o sponsa, dentes profert, qui in se gemelli videntur, aut certe bisulcas et quasi geminas habent radices.

Secundo, Gislerius censet hac comparatione dumtaxat æqualitatem dentium significari, quod scilicet dentes sibi similes sunt, et plane æquales instar agnorum gemellorum, qui et sibi invicem pares sunt, et simul spatium vacuum, quod est inter pedes matrum, suo corpore implent et æquant ut grex ovium totus quaquaversum constipatus sit et adæquatus, superne quidem ovium, inferne vero agnorum corporibus. II.

Tertio, Sanchez censet dentes primores, quia diductis labiis apparent, ideoque latiores videntur cæteris, censeri quasi matres; laterales vero et finales, quia minus apparent, ideoque minus videntur lati, censeri quasi agnos, q. d. Sicut matrem comitantur agni gemelli, unus enim ad latus matrem comitatur, alter eam sequitur a tergo, sic primoribus dentibus, quæ quasi matres videntur, ad latus adnati sunt laterales, qui quasi agni matrem comitantur, ac a tergo sequuntur molares, qui quod minus appareant, minores (licet revera maiores sint) videntur, ideoque agnis matrem sequentibus comparantur. III.

Quarto, et magis apposite duplex est ordo dentium. Alii enim sunt superiores, alii inferiores, ac superior quisque inferiori sibi subdito ita æque respondet et incumbit, ut quasi gemellus cum eo fœtus ex eadem mandibulæ radice, quasi matrice prognatus videatur; hi ergo dentes vocantur *matimot*; id est gemellizantes, id est gemellos fœtus imitantes, iisque persimiles. Pari modo dentes primores primoribus, eisque vicini canini caninis, æque ac medii mediis, atque ultimi ultimis, puta molares molaribus IV.

utrimque sibi oppositis ex æquo respondent, adeo ut plane æquales gemelli esse videantur: *Et sterilis non est in eis*, q. d. Non est in matrice dentium, puta in mandibula, locus qui non dentiat, id est, dentem suum producat. Hebr. *non est orbus in eis*, q. d. Non est locus mandibulæ, qui suum dentem, quem primitus produxerit, perdiderit, illoque sit orbatus. Est metaphora poetica. Similibus enim utuntur poetæ etiam Græci et Latini præsertim bucolici, ut Theocritus et Virgilius.

V. *Et planissime.* Quinto, et planissime dentes sponsæ comparantur non gregibus, sed dentibus gregum sive ovium tonsarum, quæ gemellos nutriunt fœtus, quia dentes illarum, ut initio dixi, videntur cæteris acutiores et validiores, utpote quibus et famem suam, quam ob frigus tonsionis maiorem sentiunt, satiare, ac insuper gemellos fœtus quos genuerunt, sustentare et lactare debent, q. d. Sponsa valida adeo validos habet dentes, ut iis cibum carpere et digerere possit, non tantum sibi, sed et suis gemellis fœtibus sufficientem. Hæc de cortice litteræ, nunc de sensu medullæ.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Dentes sunt Doctores. I. Dentes tum cibum digerunt, tum vocem et sermonem distinguunt, et articulant *concentu quodam excipientes ictum linguæ*, ait Plinius lib. 7. cap. 16. Quare repræsentant Doctores Ecclesiæ et magistros fidelium, qui eos in fide et pietate instruunt. Hi enim primo, velut dentes, doctrinam Christi quasi cibum dividunt et masticant, ut eamdem in stomachum Ecclesiæ traiiciant. Prima enim cibi concoctio fit in ore per dentes, estque ipsa masticatio, quæ facit, ut secunda concoctio, quæ in ventre et stomacho fit, sit facilis. Quocirca medici, velut sanitati perutile suadent, ut cibus non deglutiatur per bolos devorando, uti faciunt lupi, sed prius bene masticetur, et comminuatur ore, itaque digestus traiiciatur in stomachum. Hinc dentes ultimi molares vocantur, eo quod cibum instar lapidum molarium, molant et conterant, et quasi in farinam redigant. Unde S. Augustin. libro 2. de Doctrina Christiana cap. 6. docet per dentes notari sanctos homines et perfectos: « Quorum, inquit, vita et moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcidit eos qui ad se veniunt, et imitatione bonorum quodammodo sibi incorporat: qui boni, fideles, et veri servi Dei deponentes onera sæculi, tamquam grex tonsarum, ad sanctum Baptismi lavacrum venerunt, atque inde ascendentes conceptione Sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, Dei et proximi. »

II. Secundo, sicut matres vel nutrices escam solidiorem dentibus præmandunt, extenuant et liquidam efficiunt, itaque in os infantis dentibus carentis ingerunt; ita Doctores solidiora fidei mysteria ita explicando resolvunt, ac plana et liquida reddunt, ut rudes et pueri ea capere et intelligere queant.

III. Tertio, sicut dentes ea, quæ dura sunt, emolliunt; quæ acerba, dulcorant; quæ fastidiosa, temperant et concinnant, ut lactea et suavia esse videantur; sic prædicatores et magistri virtutum illa, quæ in Christianismo aspera, et horrida sunt, sua blandiloquentia extenuando et honestando, iucunda et grata efficiunt. Quid asperius cruce, mortificatione et martyrio? Et tamen magistri fidelium hæc suis dentibus quasi masticando, eadem fidelibus suavia et desiderabilia reddunt.

IV. Quarto, hi non sunt canini, nec lupini, nec etiam leonini, qui cibis quos mandunt, intolerabilem fœtorem et nauseam afflant, teste Aristotele libro 8. de Histor. animalium c. 28. sed ovini et agnini, puta similes gregibus ovium tonsarum et lotarum, quia illarum adinstar, non tantum spurcitiem et maculam omnem, sed et lanam superfluam omnem a se tondendo, id est, mortificando resecuerunt, hoc est, gulam, libidinem, avaritiam, et studium omne rerum terrenarum a sese abiecerunt, ac quasi pœnitentia loti, candidi et mundi cœlestem nitorem præ se ferunt, eumque discipulis suis inhalant et aspirant. Unde Theodor. Dentes tui, id est, Doctores tui, inquit, o Ecclesia, adeo puri et ab omni superflua disputatione, atque iocis et scurrilitate, et mendacio, verborumque obscœnitate mundi atque integri sunt, ut iis videantur similes, qui recens salutari Baptismate digni sunt habiti, similes gregibus tonsarum quæ ascenderunt de lavacro.

Hinc sicut oves tonsæ abluendæ sunt aqua marina, vel pluviali cui sal sit inditum, uti vult Columella lib. 7. cap. 4. sic Doctores mollitiem omnem a se sale asperitatis, crebræque pœnitentiæ et mortificationis defricant, ac vitam austeram agant, quæ fidelibus sit exemplum vitæ continentis, sanctæ et asperæ.

V. Quinto, dentes sunt animalium arma, quibus mordendo se suosque tuentur, ac hostes lacessunt prædamque prehendunt, ideoque duri sunt, fortes et ossei. Unde Arist. libro quarto de Partibus animal. cap. 11. *Mordendi*, ait, *secandique officium dentis est.* Hinc et animalia pugnacia, vel exertos habent dentes, ut apri; vel serratos et pectinatim constipatos, ut leones, pantheræ, canes; vel certe natura superiores dentes in cornua commutat, uti facit bobus, bubalis, arietibus, hircis. Quocirca animalia cornuta carent superiore dentium ordine, quia horum materiam Deus in cornua, quæ validiora sunt arma, transfudit, ut docet Aristotel. libro 2. de Histor. animal. c. 1. Sic pariter prædicator dentibus suis mordeat hæreticos, usurarios, cæterosque improbos; nec ullum licet potentem vereatur, sed ei, cum opus est, instar apri dentes ostendat. M. Curtius cum dentibus natus est, ideoque Dentatus cognominatus est, ait Plinius l. 7. c. 16. Ita dentatus fit concionator, cum vitia insectatur. *Cornuta animalia superiori dentium ordine carent.* *M. Curtius cum dentibus natus inde Dentatus dictus.*

VI. Sexto, dentes omnes inhærent capiti, ab eoque omne suum robur accipiunt; sic Doctores inhærent Christo, ab eoque omnem suam docendi dicendique vim hauriunt. Hinc dentes, si e maxilla luxentur vel corrumpantur et putrescant, non tantum se, sed et vicinos inficiunt, perduntque; imo suum fœtorem et putredinem cibo affricant; sic pariter Doctores, si a Christo, Christique doctrina et lege discedant, incidunt in errores et malos mores, quibus se et discipulos inficiunt et corrumpunt.

VII. Septimo, triplex est dentium series: primores enim acuti sunt, medii lati, ultimi latiores; primores cibum secant, ideoque tomici a Græcis vocantur; ait Galenus lib. 8. c. 1. medii comminuunt, ultimi molunt, et quasi in tenuissimam farinam vertunt; unde et molares nuncupantur; sic Doctores nonnulli doctrinam sacram explicando incidunt, alii magis eam explanando comminuunt, tertii eam plane quasi conterendo commolunt.

VIII. *Animalia, quæ constipatos habent dentes, diu vivunt.* Octavo, animalia quæ densos et constipatos habent dentes, longæva sunt, diuque vivunt, quæ vero raros et laxos, brevis sunt ævi et vitæ, ut docet Arist. in Problem. sect. 10. num. 47. Qui et causam addit, quod dentes rari indicium sint densum esse os capitis, ideoque: *Cerebrum*, inquit ipse, *invalidum est, quia minus sit respirationibus opportunum, itaque celeriter putret, ut quod sua natura humidum sit. Nam et cætera, quæ non moventur, neque exhalant, facile corrumpuntur.* Dentes ergo densi vel rari, symbolum et causa sunt longi vel brevis ævi et vitæ; sic ubi multi sunt prædicatores, recte inter se in eadem fide et charitate connexi et constipati, ibi vivit, vigetque fides pietasque Christiana; ubi vero pauci sunt, nec inter se satis connexi, sed in doctrina et moribus discordes, ac sibi invicem adversi, ibi certa imminet religionis ruina et interitus.

IX. Nono, et maxime, sicut oves validæ geminos pariunt fœtus, ac ad eos alendum validos habent dentes, quibus valide herbam incidant, carpant et masticent, quæ sufficiat non tantum ipsis, sed et gemellis, ipsorum fœtibus nutriendis, sic prædicatores egregii valida polleant dicendi docendique vi, qua gemellos, id est plures spiritales filios Deo procreare, lactare, et robustos efficere valeant; quare in eis nullus est sterilis, sed omnes fœcundi et fertiles.

Porro per dentes significari Doctores et prædicatores,

docent Cassiodor. S. Greg. Beda, Iustus, Aponius. Philo, Anselmus, ac S. August. libr. 2. de Doctrina cap. 6. Audi S. Gregor. « Dentes bene sancti prædicatores vocantur, quia dum sanctam Scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem parvulis, tamquam matres filiis commasticant, quo infirmi ad fortiora convalescant. Hi nimirum bene sicut grex tonsorum, quæ ascenderunt de lavacro, esse dicuntur, quia dum se a peccatis omnibus in Baptismo ablatos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt, ut ad cœlestia consequenda et prædicanda quo liberius, eo facilius gradiantur. De quibus subditur; Omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter illas. Gemellos fœtus omnes ssoeti prædicatores habent; quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines supereminent, geminam dilectionem prædicant, et in ea duos populos Iudaicum et Gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis, quia profecto prædicator non est dicendus, si filios spiritales gignere contemnit. » Huc accedit Gregor. Nyssen. homil. 7 qui notat in dentibus hisce mysticis, id est in prædicatoribus requiri: primo, ut sint tonsi, hoc est nudati pondere terreno; secundo, ut lavacro conscientiæ sint puri et nitidi; tertio, ut semper per profectum ascendant; quarto, ut in nullo genere virtutis et exercitii sint steriles, sed in quolibet fœcundi et fertiles, gemellos vero, quos parere ii debent, dicit esse animæ impatibilitatem, et vitæ corporalis honestatem. Hæc Nyssen.

Gemelli fœtus Charitas Dei et proximi.

Porro per gemellos fœtus Charitatem Dei et proximi accipiunt Beda, Cassiodor. S. Gregor. S. August. in Psal. 3. utrumque enim auditoribus ingenerare debent boni prædicatores; secundo, Theodoretus accipit Contemplationem et Actionem; nam si illa præcedit, hæc alacrior et robustior illius vestigiis insistit: tertio, alii apposite per gemellum partum accipiunt Exemplum vitæ et Doctrinam verbi; prædicator enim alios parit filios Christo per sanctitatem vitæ, alios per vim dicendi. Ita S. Aug. in Ps. 3. Tres Anonymi apud Theodor. ac S. Bernard. ser. 63. inter parvos: *Præcedit*, inquit, *Exemplum, Doctrina sequitur sicut germanus frater, sicut agnus gemellus suus comitatur vel præcurrit matrem, alter eamdem sequitur:* quarto, Richard. de S. Victor. per dentes accipiens discretionem, geminum eius fœtum sive fructum assignat, quod per eam homo tam adverso, quam prospero statu bene uti novit, et ex utroque proficit; item quod et intus cogitationes regat, et foris opus prudenter disponat.

Actio et contemplatio. Exemplum et Doctrina.

Prosperitas et adversitas.

Moraliter.

Moraliter notent hic prædicatores, se gemellos debere parere Christo, nec esse steriles: quare non studeant elegantiæ, sed spiritui et affectui excitando, ut planctum moveant, non plausum; ne audiant maledictionem a Deo Ioachim regi intentatam. Ierem. 22. 30. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* Rursum, sicut dentes primi, qui tomici dicuntur, utile a noxio resecant; sic resecet et concionator, ut sciat quid hoc illoque loco et tempore, coram talibus dicere, vel tacere expediat, quod Apostolus vocat ὀρθοτομεῖν, id est recte scindere, vel secare verbum veritatis: *Sollicite*, inquit, *cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tradentem* (Græce ὀρθοτομοῦντα) *verbum veritatis*, 2. Timoth. 2. Vide ibi dicta.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Dentes animæ sanctæ sunt meditatio et consideratio.

DENTES animæ sanctæ sunt meditatio, consideratio et consultatio, qua rem, quam agere destinat, prius maturo considerat, masticat, ruminat et circumspicit; tum ne quid in ea mali vel periculi lateat; tum ut modos eam prudenter et feliciter exsequendi, ac remoras avertendi excogitat. Rursum, sicut prædicator per concionem populo persuadet studium virtutis: sic anima sibi ipsi persuadet studium rei arduæ per meditationem. Meditatio ergo est quasi privata concio. Meditans igitur imitetur concionatorem, ut quod hic agit apud populum, hoc ipse agat apud voluntatem suam, scilicet proponat et illos rationes et motiva, quibus scit illam permotum iri ad rem quam ipsi persuadere vult, capessendam; esto in se molesta sit, difficilis et ardua, uti est mortificatio et martyrium. Iam meditationi et considerationi facile est novem analogias dentium, quas in primo sensu assignavi, mutato nomine Doctoris in nomen piæ meditationis, accommodare, ac præsertim, quod ipsa instar dentium rem quasi incidendo comminuat et explanet, ut quidquid in ea est boni vel mali cernatur. Ad hæc quod sicut dentes capiti inhærent; sic meditatio et consultatio Christo, Christique invocatione, ope et gratia nitatur oportet. Rursum sicut dentes in se sunt puri, candidi, omnisque sordis expertes, sic consultatio omni sinistro affectu et passione carere debet, solumque rectæ rationis dictamen, Deique lumen intueri. Insuper sicut dentes e molli gingiva prodeuntes, ossei durique evadunt, ut nec igne comburi queant, sic consultatio prudens rem e tenui debilique principio ad tantam molem tantumque robur perducit, ut nulla vi superari queat, quia et gemellos fœtus, id est pulcherrimos, maximosque fructus producat. Nihil enim in ea est sterile, ac nulla cogitatio fructus expers. Ita tres Anonymi apud Theodoret. Nyssen. hom. 7. et S. Ambr. ser. 16. in Psal. 118. Huc accedit Richard. de S. Victor. qui per dentes accipit discretionem spirituum: « Cognoscenda est, inquit, discretio spirituum; dum enim omnia devota anima diiudicat et discutit, quasi quibusdam dentibus discretionis ea conterit, et comminuit. Hi sunt dentes sponsæ, qui assimilantur gregibus tonsorum ovium: detonsiones sunt innocuæ cogitationes exteriora abscindentes, scilicet amorem terrenorum et desiderium habendi prudentiam sæculi. Porro dum discretio post innocentiam et mundanorum abiectionem, atque propriæ voluntatis mortificationem per compunctionis gratiam mundatur, atque ad spiritalem intelligentiam et discussionem eruditur, de lavacro ascendere merito perhibetur. » Geminum deinde discretionis fœtum, sive fructum assignat, quem paulo ante retuli.

Quocirca apte S. Bern. serm. 63. inter parvos per dentes accipit religiosos: hi enim vacant orationi et meditationi, ac consequenter prædicationi: quo enim quis per meditationem ardentius amorem virtutis et odium vitii in mente imbibit, eo efficacius illud ipsum per os et dentes ad populum eloquitur, illique persuadet. Quare religiosi orationi et meditationi dediti, evadunt optimi et efficacissimi concionatores, uti experientia docet. Audi S. Bern. qui primo tredecim dotes dentium ita recenset: « Dentes candidi sunt et fortes, carnem non habent, carent corio; nihil intra se pati possunt, non est dolor sicut dolor eorum, clausi sunt labiis, ne videantur; indecens est cum videntur, nisi ridendo; toti corpori masticant cibum; nullum inde saporem habent; non facile consumuntur; per ordinem positi sunt; superiores alii et alii inferiores; et cum inferiores moveantur, superiores numquam. » Ac deinde primas quinque ex ordine ita religiosis et monachis accommodat: « Quid enim illis candidius, qui totius immunditias spurcitiæ evitantes, cogitationum, sicut actionum peccata deplorant? quid fortius illis quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Corio carent, quia nitorem et distensionem mundanarum sollicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientiis singulorum. » Deinde mox sequentes quinque dentium analogias prosequens, easdem ita religiosis adaptat: « Non est dolor sicut dolor eorum: quia nihil tam horrendum et horribile est, sicut murmur et dissensio in congregatione. Clausi sunt labiis, ne videantur; sic et nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis et accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum: quia nihil turpius, quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi cum illa cogit, quæ operit multitudinem pec-

Dentes sunt religiosi ob tredecim analogias.

catorum. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes: quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet tam vivis, quam mortuis, orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent, nullam sibi gloriam assignare, sed dicere cum Propheta: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non facile consumuntur, quia quanto annosiores, tanto ferventiores, et eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad palmam. » Denique tres ultimas dentium proprietates ad ordinem et situm eorum spectantes, sic iisdem assignat: « Per ordinem positi sunt; ubi enim aliquid ordinatum est, hic non est, ubi cibus et potus, vigilare et dormire, laborare et quiescere, ambulare et sedere, et cætera omnia in numero et mensura et pondere constituuntur. Superiores et inferiores sunt; quia inter nos prælati et subditi sunt, et sic superiores inferioribus iunguntur, ut inferiores a superioribus non discordent. Cum autem moveantur inferiores, superiores numquam moveri debent; quia etsi subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare. Sicut grex tonsarum, inquit: quia bene monachi tonsis ovibus comparantur: quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. Quæ ascenderunt de lavacro. Lavacrum Baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit: Descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis fœtibus, quia et verbo pariunt et exemplo. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B. Virgo Doctrix Apostolorum.

CUNCTA hæc iam dicta præ omnibus conveniunt B. Virgini, quæ candidissimos habuit dentes, quia innocentiæ fuit magistra, ait Rupertus. Ipsa enim Doctrix fuit Apostolorum, cæterorumque fidelium, ideoque assidue meditationi vacabat: mente ergo concipiebat duos fœtus gemellos, scilicet divinitatem et humanitatem filii sui, cuius operationes et mysteria, quæ audiebat, et oculis cernebat, perpetua mente revolvebat et ruminabat, iuxta illud: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, Luc. 2. 19.

B. Virgo prima virginitatis vexillum extulit.

Rursum B. Virgo vitam egit religiosissimam in summa castitate, paupertate et obedientia. Nam ipsa mortalium prima virginitatem suam Deo dicavit, itaque prima virginitatis vexillum extulit, quod deinde cæteræ virgines secutæ sunt, uti docet S. Augustinus lib. de Virgin. cap. 4. et S. Bernardus serm. in illud Apocal. cap. 12. *Signum magnum*. Iam paupertatem eius, et præsepe, et duo pulli columbarum, et cætera multa demonstrant: obedientia vero ipsum coniugium, quod eam viro subiiciebat, cum esset ipsa et sanctitate et sapientia tanto superior, nec marito ad prolem, utpote ex Spiritu sancto concipiendam indigeret, sed tantum ad exercitium obedientiæ. Quocirca ipsa omnes religiosos ordines, puta Carthusianos, Præmonstratenses, Cistercienses, Dominicanos, Franciscanos, ac Societatem Iesu instituit, uti ex annalibus singulorum docet noster Hier. Platus lib. 1. de Bono statu relig. cap. 34. ideoque religiosorum omnium, velut suarum prolium ipsa est tutelaris et patrona, uti plurimis exemplis declaravit. Quocirca B. Virgo gemellos edidit fœtus, quia suo exemplo et verbo docuit servare tam præcepta, quam consilia Evangelica. Ita Rupertus.

VERS. 3. SICUT VITTA COCCINEA LABIA TUA; ET ELOQUIUM TUUM DULCE.

Hebraice נאוה *nave*, id est, *pulchrum*: Septuag. *Sicut funiculus coccineus* (S. Ambr. in Ps. 118. serm. 18. *resticula* coccinea: Aquila *e cocco*) *labia tua, et eloquium tuum decorum*. Hebr. חוט *chut*, et filum, et funiculum, et vittam significat. Unde Vatablus vertit: *Labia tua similia sunt filo coccineo*. Per vittam ergo simul intellige filum quod vittam inferius circa collum stringit, illique adstringit.

Recto naturæ ordine a laude oculorum ad laudem capillorum, inde dentium, mox oris et labiorum descendit. Vittæ comparat os et labia sponsæ, ut indicet illa non nimis prominere et exstare, sed modica et decenti rotunditate arcuata quasi filo vel funiculo coccineo, id est, rubeo circinata, ut decore dentes claudant. Hæc enim tria sunt, quæ labia commendant: primo, situs, si non sint oblonga, crassa, exstantia, aut biantia, sed gracilia, rotunda, et sibi invicem decore compacta instar vittæ; secundo, color, si non sint nigra, vel lutea, aut pallida, sed coccinea, id est, vermiculantia et sanguineo quodam rubore cum dignitate suffusa, qualia a poetis vocantur *purpurea* et *rosea*: hæc enim virginalem pudorem et decorem repræsentant; tertio, clausura, si instar vittæ ne diffluat, funiculo colligata sint et constricta, ne quo hiatu dentes pateant.

Tria labiorum ornamenta.

Notat silentium simul et gratiam in loquendo, q. d. Sponsa labia habet clausa, et silentii est amans; at ubi labia aperit, mira id facit gratia: quare sive labia claudat, sive aperiat, illa exhibet pulcherrima: *et*, id est idcirco, *eloquium eius est dulce*, Hebr. *decorum*; quia miram in dicendo habet venustatem, ordinem, discretionem, gratiam, ut semper servet τὸ πρέπον, quod Cicero, imo S. August. magnopere in oratore commendat. Hoc enim sermoni et venustatem, et pondus, et dignitatem, maiestatemque conciliat.

Allusio ad funiculum coccineum Rahab.

Alludit ad funiculum coccineum, quem Rahab hospita, recipiens exploratores a Iosue submissos in urbem Iericho, ex fenestra suspendit, ut eo signo Hebræi vastantes urbem, domum eius illæsam servarent, Iosue 2. vers. 18. Ita Theodor. Philo et Iustus. Unde R. Salomon censet labia sponsæ comparari funiculo coccineo, ut eo significetur illa esse fidelia in promissis, ut id quod promittit, certo præstet, sicut securitatem, quam Rahab et exploratores sibi reciproce promiserunt, eamque filo coccineo significarunt, utrimque exacte servaverunt.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Vitta est prædicator.

Per labia æque ac per dentes (utrisque enim formatur
vox et sermo) notantur doctores et prædicatores Eccle-
siæ, inquit Cassiod. S. Greg. Beda, Aponius, Iustus, Philo
Carpath. et Ansel. quorum sermo debet esse instar vittæ: 1.
Primo, ut sit tenuis, planus et facilis, non verborum ele-
gantia, fuco et pompa suffartus. Secundo, colligatus, con- 2.
nexus et constrictus, ut non temere, quidquid in buccam
venerit, effutiat, quod Deum vel proximum offendat, sed
tantum dicat, quæ antea prudenter mente quasi Deo gra-
ta et hominibus utilia hic et nunc fore, præmeditatus est,
rectoque ordine disposuit et connexuit; quæ vero tacenda
sunt subticeat. Tertio, sicut vitta concinna est et elegans, 3.
et affabre contexta: sic sermo concionatoris aptam habeat
texturam, concinnus sit, suavis et gratus, ut mulceat, te-
neatque auditores, nec discedere permittat, ait Theodor.
sed instar retis et vittæ reticulatæ homines, ceu pisces ad
se trahat, ac e mari concupiscentiæ avulsos Christo ad-
stringat. Quarto, labiorum sermo similis sit vittæ cocci- 4.
neæ, quæ sanguinei est coloris, hoc est tinctus sit sangui-
ne Christi, quem concionator quotidie in Missæ sacrificio
haurit, ut cum Paulo non se, sed Christum crucifixum
prædicet. Ita Theodor. Nyssen. S. Thom. Cassiodorus, Beda, Anselmus et S. Ambrosius in Ps. 117. serm. 18. vers. 4. qui ait: *Sicut resticula coccinea labia tua. quia in cocco species ignis, et crucis dominicæ sanguis irrutilat: Coccinea labia Domini, quæ passionem propriam loquebantur.*

Audi Theodoretum, qui censet alludi ad funiculum Rahab, uti dixi, sic ait: « Signum hoc sponsus in ore sponsæ, tamquam in fenestra collocatum intuetur, dicens: Sicut funiculus coccineus labia tua; ac si dicat: Duxit colorem ex sanguine meo os tuum et verba profert veritatis,

quibus tamquam funiculo quodam capiuntur auditores et vinciuntur; nam eloquium tuum eos demulcet et retinet, nec discedere permittit, sed labiis tuis cogit inservire. »

Huc accedit Aponius, qui prædicatores vittæ coccineæ assimilari censet: *Quia*, inquit, *quod prædicant, testimonio martyrum confirmant*, ut qui legi, quæ sibi obedientibus vitam æternam repromittit, non credit, testimonio Martyrum qui pro ea sanguinem fudere, credat; sicque eo quasi vitta incredulos constringunt.

Coccus est charitas.

Rursum, sermo sit instar vittæ coccineæ, id est, rubeat, imo ardeat charitate, ut nos nisi Dei et proximi amorem spirat et exhalet, ut quidquid loquitur ore, ex corde charitatis prodeat. Ita S. Greg. Cassiod. Beda. Audi S. Gregorium: « Iidem prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur, quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur, qui bene sicut vitta dicuntur, quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderate diffluant, reprimunt. Sed quid est, quod non tantum vittæ, sed coccineæ comparantur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, qua illi ardent et per alios accenduntur? Per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur: quia dum, quæ dicunt, faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt. »

Discordes unire unum e primis concionatoris muneribus.

Quocirca prædicator dissidentes et discordes inter se et cum Deo mutuo amore unire, et instar vittæ constringere satagat. Hoc enim unum est e primis prædicatoris officiis: ita Nyssenus hom. 7. qui cum Septuag. legens, *funiculus coccineus labia tua*, sic explicat: *Funiculo significatur concordia et charitas, ut ea tota in funiculo sit una et eadem catena ex diversis filis contexta; per coccinum autem ad sanguinem Christi, per quem redempti sumus, respicitur; quatenus illa confessionem habeat in ore eius qui nos suo sanguine redemit.*

Rursum, tres Anonymi apud Theodor. funiculo censent notari mensuram sermonis, hunc enim sua prudentiæ mensura metiendum esse, sicut funiculo rerum longitudinem dimetimur, quod si fiat, eloquium erit dulce et decorum. Ex adverso Psellus funiculo, id est, silentio os claudendum asserit: « Per funiculum, inquit, silentii dotem accipe; per eloquium vero decorum, divinam prædicationem, ac si dicatur: Tu gratia taciturnitatis sic excellis, ut nihil superfluum, nihil absurdum excidat a labiis tuis: si quid enim aliquando vis loqui, quæ ad fidei promulgationem doctrinamque pertinent, loqueris. »

Et eloquium tuum dulce.

Merito, ait Richardus de S. Victore, *devotæ animæ dulce est eloquium et delectat, gratum est et ædificat, quia procedit ex charitate, et profluit ex fonte gratiæ: gustat enim quoniam suavis est Dominus*; unde dulcedinem, quam *experitur, refundit, et plenitudinem, qua fruitur, eructat; quia repletum est cor spiritualibus deliciis, eructat foris verbum bonum dulcedinis, consolationis, instructionis, admonitionis. Cordis promptuaria plena sunt his divitiis, eructantia ex hoc dono gratiæ in illud, ex hac meditatione spirituali in illam.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Vitta est oratio I.

Læta animæ sanctæ sunt instar vittæ coccineæ, cum ardentem ad Deum effundunt orationem. Vitta ergo coccinea est oratio: Primo, quia instar cocci rubet et ardet, tum sanguine Christi, per cuius merita exaudiri se postulat; tum amore et desiderio rei, quam petit, consequendæ: oratio enim ex intimo corde cordisque affectu manare debet, ac ex corde in os et labia erumpere.

II. Secundo, sicut vitta caput tegit, ornat et stringit; sic oratio mentem ornat et protegit, eamque et a cogitationibus terrenis restringit, ac Deo et Christo astringit, ut orans per labia videatur quasi osculari Deum, eumque stringere, ac quasi ligare et cogere, ut præstet id quod ipse postulat. Deus enim pascitur et oblectatur devotione, humilitate, amore, et efficaci ardore orantium, gaudetque stringi quasi et cogi; *Vis hæc illi grata est*, ait Tertul. de Orat. Unde ipsi eorum eloquium est dulce, gratum atque pulchrum.

Tertio, sicut vitta coccinea sub collo astringitur funiculo coccineo; sic oratio astringitur charitate, ut nil petat, nisi quod charitas Dei, vel animæ propriæ, aut proximorum postulat. Charitas enim est quasi funiculus constringens et uniens sibi, tum cæteras omnes virtutes, tum cæteros homines, ipsumque Deum. Hinc Chald. vertit: *Et labia sacerdotis magni deprecabantur in oratione in die propitiationis coram Domino, et verba eius avertebant peccata Israel, quæ similia erant vittæ coccineæ, et dealbabant ea, sicut lanam mundam.* III.

Labia ergo animæ sanctæ, quæ sponsa est Christi, sive cum Deo, sive cum proximis sermocinantis, sint coccinea, id est, rubea et corallina, puta charitate plena, ut non tam ipsi, quam amor in eis, ipsaque charitas per os eorum loqui videatur.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

In labiis tuis, inquit Rupertus, *confessio et pulchritudo est; in labiis tuis sanctitas et magnificentia est. Illa Deo fuit muta, tu autem magnificasti Dominum mente ardentissimo, voce suavissima, et hæc est vitta coccinea: quia charitas est igneo: qua bene cum eo ligata sic Deo adhæsisti, ut unus cum eo spiritus sis. Hinc eloquium tuum dulce, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, et dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius.*

Deinde funiculum Rahab mystice explicans, et B. Virgini adaptans ista subiungit: « Ecce Rahab meretrix dulcis eloquii tui vittam coccineam, sive funiculum coccineum, in fenestra sua ligavit, signum sum fidei, quod nuntios Iosue sive Iesu susceperit, atque salvaverit; dum Ecclesia quondam peccatrix et idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tua Dominum, pignus suæ salutis iugiter personat, et omnem doctrinam Evangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt, integra semper fide prædicat. Et de omni quidem anima quæcumque diversa sentientes ad unitatem sua prædicatione constringit, ut idipsum dicant omnes, et hoc agit in charitate et fide non ficta; verum est dicere, quia labia eius sicut vitta coccinea: sed in ista gratia cæteris omnibus es incomparabilis post me dilectum tuum, cui specialiter Spiritus in Psalmo dicet: Diffusa est gratia in labiis tuis. »

Denique labia B. Virginis ita ex S. Epiphanio depingit Nicephor. lib. 2 Histor. cap. 23. *Labia florida et verborum suavitate plena.* Et paulo ante: *Erat omnibus in rebus honesta, gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens, etc. decenti dicendi libertate adversus homines omnes non est: sine risu, perturbatione, et sine ira maxime.* Labia Deiparæ qualia?

Vers. 3. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.

Pro *fragmen* Hebr. est פלח *pelach*, id est divisio, pars, frustum, fragmen. Quare minus recte Aben Ezra (et antiqua Rabbinorum interpretatio Hispanica, ait Sanchez) non fragmen, sed florem mali punici, qui summe rubet, et pulcherrimus ruboris cyclus videtur, interpretatur: quia ipse pro *pelach*, legit פרח *perach*, id est, flos.

Malum punicum unde dicatur.

Malum punicum est granatum. Dicitur *punicum*, quod a Pœnis, id est, Carthagine sit allatum; *granatum*, a gra-

norum, quibus refertum est, multitudine; vel quod in regno Granatensi abundet. Unde Plinius lib. 13. cap. 19. *Circa Carthaginem, ait, punicum malum cognomine sibi vindicat* (Africa) *aliqui granatum appellant.* Modum quo malogranata rubicunda fiant, tradit Cassius Dion. lib. 10. cap. 33.

Pro *genæ* Hebr. est רקה *racka* quod Luysius, Vatabl. Genebr. et alii vertunt, *tempora*, eo quod delicata sunt et tenuia. Radix enim רקק *racac* significat *attenuari.* Verum melius Noster, Sept. Symmach. et alii vertunt, *genæ*; hæ enim molles sunt, tenues et delicatæ. Hæ primo rotundæ sunt, secundo tument, tertio rubent.

Sicut fragmen mali punici.

Fragmen est cortex: cur?

Septuag. ὡς λέπυρον, id est *sicut cortex mali punici.* Et sic legunt nonnulli codices Vulgatæ, ut Compiut. sicque omnes legunt cap. 6. 6. Unde liquet genas non tam granis, quam cortici mali punici comparari. Dicit tamen fragmen; tum quia pars una mali punici rubet, alia vero virat: genæ autem rubent dumtaxat, non virent; tum quia fragmen præter colorem, odorem quoque suavem granorum intus latentium exhalat, ait Rupertus: tum quia pro *genæ*, Hebr. et Septuag. habent *gena* in singulari; una autem gena non nisi fragmini, id est, dimidio pomi punici comparari potest; aut potius *fragmen vocatur* ipse cortex, quia a pulpa divisus et quasi diffractus est: sic fragmen nucum est ipse earum cortex: hic enim frangendus est, ut nucleus sub eo latens carpi comedique possit. Simili modo Iob 41. 15. in Hebr. פלח תחתית *pelach tachtit* id est, *fragmen inferius* vocatur lapis molaris inferior qui *mola* dicitur, eo quod a lapide superiori, qui *catillus* dicitur, sit divisus et quasi diffractus. Quocirca Philo Carpath. hoc loco legit: *Sicut mali corium malum tuum, propter id quod in te latet.* Hinc *genæ* græce dicuntur μῆλα, id est, *poma*, quod pomis punicis sint similes, ait Nyssen. quia mali orbiculati instar exuberant, ait Pollux.

Absque eo quod intrinsecus latet.

Maior enim est pudor et pudicitia interna, quam inde prodiens rubor et pudor genarum externus. Simile de oculis dixi v. 1. Vide ibi dicta. Sicut enim oculorum, sic et genarum decor vigorque manat a corde et a mente.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Genæ purpureæ notant virgines.

Genæ instar fragminis mali punici purpureæ notant pudorem, castitatem et virginitatem Ecclesiæ, tum litteralem, qualis est in virginibus, tum mysticam, quæ consistit in illibata castaque fide, spe et charitate, qualis est in omnibus fidelibus, uti mox dicam ex S. Augustino: virgines enim Ecclesiæ decus et decorem repræsentant, sicut genæ decorem faciei totiusque hominis. Quocirca virginitas et cœlibatus in primitiva Ecclesia mire floruit, quia Apostoli eam impense fidelibus commendabant, imo pro ea tuenda martyrium subiere S. Petrus, S. Paulus, S. Ioannes, S. Matthæus, S. Clemens plurimique alii Ecclesiæ primores, uti alibi dixi. Hinc et Patres pene omnes integris libris elogia virginitatis amplissime scripsere, ut S. Basilius, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Athanasius, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus. Genæ ergo purpureæ, similes malo punico, significant verecundiam virginum; hæc enim illarum est purpura. Illis enim nullus honestior est color, quam qui a pudore nascitur. Ita Nazianzenus Orat. adversus mulieres se ornantes: *Unicus*, inquit, *color in muliere amabilis est, nimirum rubor ille quem pudor gignit.* Et Orat. 41. de Laudibus Gorgoniæ: *Unus*, inquit, *illa rubor placebat, quem pudor affert; unus candor, quem parit abstinentia; nam pigmenta et fucos et vivas tabulas* (has quidem larvas appellat, quia fucata femina larvata est) *scenicis et trivialibus relinquebat, quibusque probrum ac dedecus est erubescere.* Idem significavit Salomon alia similitudine turturis, cap. 1. v. 10. dicens: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Vide ibi dicta: Christianæ enim fidei et Ecclesiæ mire semper cordi et curæ fuit castitas et virginitas: nam, qui castitatem servat, servat et fidem; qui autem a castitate deficit, facile perdit et fidem. Hinc illa examina virginum in Thebaide, Ægypto, Syria, Roma, Africa, Græcia, de quibus Palladius, Theodor. Cassianus, Sophronius et Baronius, in histor. Eccles. Audi S. Cyprianum de Habitu virginum: *Flos est ille Ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis læta indoles, laudis et honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, gaudium matris augescit.* S. Aug. de S. Virgin. initio: *Christus*, ait, *Virginis filius, virginum sponsus, virginali utero corporaliter natus, virginali connubio spiritualiter coniugatus. Cum ipsa igitur universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus: Quanto digno sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri et Domini sui? nam Ecclesia quoque et virgo et mater est. Cuius enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cuius prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritaliter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fœcunditatem non impedit, in utraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu, quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu?* Idem lib. 2. de Civit. cap. 26. docet Romanos virgineam Deam, puta Vestam suppliciter adorasse. S. Basilius de Laude Virgin. hæc ei assignat encomia: *Virgo, Christi vas animatum, Virgo, castitatis imago, virginitas supra naturæ legem, virginitas hominem Deo simillimum facit; virginitas vitam nostram de corruptione ad gloriam colligit.*

Castitas custos fidei.

Elogia virginum.

Audi Nazianzenum in carmine de Laude virginit. ubi sparsim hæc ei dat elogia:

Virginitatis amor mentes ad sidera tollit.
Virginitas res est omni mirabilis ævo.
Virginitas magni pars inclyta Christi.
Virginitas (Danielis) *fulvos potuit sopire leones.*
Virginitas decoratur coniuge Christo.
Prima Trias Virgo.
Virgo est Angelus alter.

Idem in præceptis ad Virg. Virgo inter homines est id quod

Margaris in saxis, atque inter sidera cœli
Lucifer, in sylvis frondosæ ramus olivæ,
Lilium in herbosis campis, avibusque columba.

Idem in Carm. de Beatitud.

Felix virgineus chorus est, qui carne repulsa,
Non procul a summo Numine purus abest.

Porro pudor hic virginum exterior in genis prodit ex pudicitia et puritate interiori, quæ latet in anima, et hoc significat, τὸ *absque eo quod intrinsecus latet.* Pro quo Septuag. vertunt: *Extra taciturnitatem tui*, vel *tuam*; alii; *Intra velum tuum.* Unde vertunt: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ intra velum tuum;* Symmachus: *Tectæ operimento.* Nam virgines ut pudorem suum tueantur, velo genas et faciem obtegunt; unde velum hoc virginitatis murum et vallum vocat Tertullianus libro de Velandis virginibus cap. 15. *Vera virginitas*, inquit, *confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus iacula scandalorum, adversus suspiciones et susurros, et æmulationem, ipsum quoque livorem*; et cap. 16. *Indue*, inquit, *armaturam pudoris, circumduc*

Velum, vallum virginitatis.

vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Hinc et Eccles. c. 26. 19. *Gratia super gratiam,* inquit, *mulier sancta et pudorata.* Rursum, virginibus loco veli et valli sunt claustra monasteriorum, quæ si exacte serventur, eas ab omni tentatione et periculo castitatis immunes præstant, ut semotæ ab hominibus instar Angelorum, cum Deo et Christo sponso suo assidue conversentur in omni quiete, sanctitate et gaudio, ut videantur degere in paradiso. In claustro ergo abscondita latet, sed Deo et Angelis patet virginum pietas, sanctitas, oratio, charitas, virtus et vita cœlestis; sicut sub fragmine, id est cortice mali punici latet abscondita granorum eius vinosa suavitas et copiosa densitas. Denique B. Virginem genas velasse docet Niceph. lib. 2. Histor. cap. 23. ubi ex S. Epiphanio ita vestes B. Virginis describit: *Vestimentis coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis eius velamen ostendit, et ut paucis dicam, in rebus eius omnibus multa divinitus inerat gratia.* Ita de verecundia, virginitate et cœlibatu hunc locum exponit Iustus Orgelit. *Illi,* inquit, *in facie Ecclesiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundia castitatem observant.* Et Aponius, qui virgines comparat Christo, qui cap. 2. vocatur *malum*, idque, ut ipse interpretatur, punicum: *Quasi malum punicum,* inquit, *inter sylvas, sic dilectus meus inter filias. Quæ arbor profert ex se pomum et visione pulcherrimum, et sapore dulcissimum, et satis commodam languentibus medicinam; quia qui pro hominum salute per virginem mundo ostensus est; integritatis ac castimoniæ flores toto orbe sparsit. Cuius pulchritudinis partem, id est fragmen, virginitatem et continentiam ostendit habere, in quibus Ecclesiæ facies intacti sanguinis conservati pulcherrima demonstratur.* Et Philo in Carpath. *Per malum punicum,* inquit, *ipsa Ecclesia et fidelis anima designatur: quia ut in illo multa suaviora grana, sic et in Ecclesiæ sinu multi fideles populi in unitate fidei continentur; dumque multi ex his divino servitio sese cæteris valentius astringunt, ac dedunt ita, ut omnia mundana contemnunt ac fugiant, voluntates suas abnegent, et vitia sua omnino purgent ac lavent, seque deprimant, cæteros extollant; dum suis exemplis multos Deo alunt ac parant; hi veluti mala punica iam matura plurique gustui suavia, sese proximis in salutarem cibum aperiunt ac potum. Plura autem atque maiora sunt, quæ in his latent: quam quæ fidelium oculis exponuntur, ob idque dixit, Præter id quod in te latet.*

Porro quod Septuag. vertunt: *Extra taciturnitatem tui*, vel *tuam*. Theodor. Nyssen. et Psellus censent commendari silentium, quod summe virgines decet: *Geminam,* ait Psellus hic, *protulit laudem pulchritudinis: genis enim vultus eius a purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem; ut tacceam inquiens silentii decus animæ tuæ.* Vide dicta v. 1.

Genæ purpureæ sunt martyres.

Secundo, per genas similes fragmini mali punici Cassiod. S. Gregor. Philo et Beda accipiunt patientes et martyres; hi enim suo sanguine rubricantur instar corticis mali punici, sed fracto malo interior granorum candor apparet, quia post mortem miraculis coruscant. Adde multas virgines virginitatem sanguine suo purpurasse. Sic et S. Ambros. l. 3. Hexam. vers. 13. quem audi: *Cito florent mala granata, et fructum afferre non possunt, nisi congruis peritorum remediis excolantur; plerumque succus canescit interior, et foris species eius pulchra prætenditur. Quæ non immerito comparatur Ecclesiæ, ut habes in Canticis dictum; ut cortex mali punici genæ tuæ; et infra: Floruit vitis, floruerunt mala granata: Ecclesia enim bonum fidei fulgorem confessionisque prætendit, tot martyrum sanguine speciosa, et quod amplius est, Christi cruore dotata, simul plurimos intra se fructus sub istius pomi sub una munitione conservans, et virtutum negotia multa complectens. Sapiens enim spiritu celat negotia:* Urget Beda τὸ *sicut fragmen; quia, ait, quo amplius illam* (Ecclesiam) *frangi contigerit, eo clarius quot virtutum grana unius fidei tegmine complectatur, refertur. Integro quippe adhuc malo grana videri nequeunt, sed eodem fracto, quam sint innumera clarescunt.* Verum est illud Prudentii: *Martyrum semper numerus sub omni grandine crevit.* Et illud Tertull. in fine Apologetici: *Crudelitas vestra illecebra est magis sectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Nam ut docet S. Cyprian. lib. 4. epist. 3. *Martyres præstant magisterio morum; Confessores initia virtutum.* Hinc S. August. explicans illud Psalm. 67. *Principes Iuda duces eorum,* hoc est martyres, inquit, Iuda enim est confessio: *Martyres namque in Ecclesiis summum locum tenent, atque apice sacratæ dignitatis excellunt.*

Martyres multiplicat persecutio.

Genæ sunt prædicatores.

Tertio, Cassiodorus et Beda per genas accipiunt prædicatores; quia dum, inquiunt, passionem Christi enuntiant, quasi ruborem exterius exhibent; cum autem demonstrant quanta utilitas nostræ redemptionis inde provenerit, et quod homo per passionem Christi non solum iustificari a peccatis, sed etiam divinum consortium adipisci meruerit, quasi candidum est, quod intrinsecus latet. Malum quippe punicum, cum frangitur, exterius rubor, interius autem candor apparet; et quoniam isti venerabiliter agunt memoriam passionis Christi, nec erubescunt crucem eius, iuxta consilium illud Apost. 2. Tim. 1. 8. *Noli erubescere crucem Christi, neque me vinctum eius;* pro rubore enim verecundiæ, qui ex proprio sanguine in genis perfunditur, ipsi perfusi sunt rubore redemptoris sui. Hæc illi. Sic et S. Gregor. Huc accedit versio Chald. *Et rex,* inquit, *qui erat princeps eorum, plenus erat præceptis sicut malogranatum, exceptis præpositis et principibus, qui accedunt ad regem, qui sunt iusti, in quibus non est quidquam mali.*

Porro, cur sacerdotes et prædicatores vocantur *genæ Ecclesiæ*, causam dat S. Gregor. 13 Moral. c. 11. dicens: *Facies quippe S. Ecclesiæ sunt, qui in locis regiminis positi apparent primi, ut ex eorum specie sit honor populi, etiamsi quid in corpore lateat deforme.* Unde colligit quam turpe sit, si ipsi suis pravis moribus Ecclesiam dehonestent, quamque peccent qui illis detrahunt et infamiam afflant. Sacerdotum ergo honor et decor, perinde ac dedecus et inhonoratio, totius Ecclesiæ est decus vel dedecus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Genæ notant: I. Pudorem.

Per genas similes fragmini mali punici, primo, significantur verecundia, continentia, temperantia, gravitas et austeritas animæ sanctæ. Primo, quia ut ait Nyssen. hom. 7. sicut cortex mali punici conservat et nutrit dulcedinem fructus qui in ipso continetur; sic continens, austera et aspera vita custos est bonorum temperantiæ. Sic et tres Anonymi apud Theod. quos audi: *Cortici mali punici similes sunt genæ tuæ, ut severitatis amantes atque ab omni dissolutione remotæ, quando etiam non taces. Licet in congressibus mutuisque sermonibus iucunditas inesse soleat: tu tamen propter tuam in illis temperantiam, quod profusum ac dissolutum est, reprimis.*

II. Patientiam.

Secundo, S. Anselmus accipit sanctos qui persecutiones patiuntur; quia, inquit, instar talis fragminis, quod exterius rubrum est, interius vero candidum, exterius triti sunt multis persecutionibus, et sunt viles mundo, interius vero cogniti inveniuntur candidi; per verba illa: *Absque eo quod intrinsecus latet,* intentio commendatur, quæ longe pulchrior est. Hæc Anselmus.

Huc accedit Richard. de S. Victore, qui per genarum ruborem accipit animam, quæ erubescere non recusat pro Christo, sed libenter pro eo opprobria, ignominias, pauperiem, dolores et labores suffert; quia hæc omnia tantum fragmen sunt, exigua portio, si cum opprobriis et doloribus Christi comparentur: Christus ergo fuit integrum malum punicum, quia totus in pœna rubuit, nec umquam fuit dolor sicut dolor eius. Tales ergo iuxta sanctionem Christi percutienti unam maxillam intrepide porrigunt alteram, Matth. 5. 39. Illustre exemplum est in S. Sotero

Exemplum S. Soteris. nobili virgine et martyre, quam mire celebrat S. Ambros. lib. 3. de Virgin. « Soteris, inquit, persecutionis ætate, servilibus quoque contumeliis ad fastigium passionis evecta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit iniuriæ, et spectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit; et tam fortis et patiens, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quam martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit; non gemitum, non lacrymam dedit; denique cum cætera pœnarum genera vicisset, gladium quem quærebat invenit; » et Exhortat. ad Virgin. « At non Soteris vultus sui curam gerebat, quæ cum esset decora facie valde, et nobilis virgo maiorum prosapia, consulatus et præfecturas parentum sacra posthabuit fide, et immolare iussa non acquievit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio, et valens iniuriæ occurrit vultum offerens ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse testamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare: faciem tamen virtutis eius, et gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt. »

III. Pudorem de peccatis Tertio, idem Richard. per genas rubras accipit erubescentiam de peccatis, quæ tegitur cortice humilitatis, non integro, sed fragmine; quia etsi pœnitens eam celare conatur, per rimas tamen et fragmina se prodit, et foras erumpit.

IV. Eleemosynam secretam. Denique S. Chrys. hom. 8. ex variis in Matth. locis, putat hic notari eleemosynam secreto faciendam: *Huius*, inquit, *fidelis operis eleemosynæ sub religiosæ taciturnitatis silentio, Salomon Ecclesiam collaudans, olim protestatus est dicens: Speciosæ sunt genæ tuæ sicut turturis, propter taciturnitatem tuam, hanc scilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Malogranatum enim proprium est symbolum charitatis, cuius cortex repræsentat beneficentiam externam, pulpa granorum amorem internum. De quo inferius plura.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Aponius per duas genas censet notari duas Marias, quæ fuere principes virginum. Prior est Maria soror Mosi in veteri testamento, altera est B. Virgo in novo, quæ primæ cœperunt, inquit, sponsæ Ecclesiæ genas mirandas efficere, integritatem servando, atque B. Virgo velut cortex nobilissimum fructum, puta Christum intra se continuit. Virginitas enim eius non fuit sterilis, sed fœcunda, uti initio ex S. Augustino dixi.

Plenius Rupertus: « Fragmen mali punici, inquit, et rubet, et amplius quam integrum malum redolet. Sic tu et singulariter verecunda es, et multis per bonam opinionem in bono exemplo proficias. Quid autem est dicere: Absque eo quod intrinsecus latet, nisi ac si diceret, et illud, quod intus in conscientia latet, amplius laudabile est? O vere laudabilis verecundia, ubi et intus conscientia munda et foris facies verecunda est. Nam ubi est aliquid, quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectum faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est nisi religiositas summa? Et hæc virtus sine dubio malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, et interdum suo silentio non minus ædificat, quam sermo prædicationis. » Addit Rupertus id repræsentatum fuisse in veste Pontificis, in qua mala punica mixta erant tintinnabulis, Exodi 28. « Malum quippe punicum in medio tintinnabulorum, religiosum atque operosum est silentium, maxime sexus fœminei in societate fidei vel doctrinæ prædicatorum, qualis tu præcipue fuisti virgo virginum in adiutorio, vel etiam regimine prædicantium Apostolorum, cuius etsi verba non leguntur, vel audiuntur, ubi prædicaverunt; opera tamen vel merita non ignorantur, non minora, imo maiora tinnitu prædicatorum. »

Vers. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Septuaginta: *Omnia iacula potentium.* Moris enim erat olim, ut principes ex turribus clypeos et arma suspenderent, tum ad ornatum, tum ad fortitudinem. Salomon eadem deposuit in domo saltus Libani 3. Reg. 10. 16. Id plane testatur Ezechiel c. 27. ubi de præsidiariis Tyri agens: *Persæ*, inquit, *et Lydii et Lybies erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu, sed et Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum.* Idem fecere Gentiles, uti liquet ex illo Virgil. Æneid. 1. — Clypei et arma e turribus olim suspensa

Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.

Et lib. 10.

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

ubi idipsum docet Servius.

Turris David.) Vel est arx Sion, ut vult Rupertus quam David Iebusæis eripuit, regnique caput constituit; vel potius altior, pulchrior et fortior illa turris, quam David ædificavit iuxta arcem Sion, ut illam a parte Mello, sive Tyropæi, æque ac subiectam illi urbem Ierusalem communiret, uti satis indicatur, 2. Regum cap. 5. vers. 9. Unde Adrichom. in descript. Ierusalem num. 170. Turris David, inquit, munita et excelsa valde, quæ in duarum voraginum angulo, in prærupto rupis colle, ex quadris lapidibus ferro et plumbo indissolubiliter compacta, a Davide rege constructa erat, cuius singularis fortitudo, et egregia pulchritudo ad commendationem sponsæ Christi, quæ est Ecclesia, producitur a Salomone, cum dicitur: *Sicut turris David collum tuum.* Eamdem deinde Adrichom. in imagine Ierusalem oculis spectandam exhibet iuxta portam piscium una ex parte et ex altera iuxta sepulcrum Davidis et regum Iuda. Sic et Brocardus c. 7. num. 43. Wilhelmus Tyrius l. 9. belli sacri c. 3. quin et illius meminisse videtur Esdras l. 2. c. 3. 25 ubi eam vocat *turrim, quæ eminet de domo regis excelsa.* Addit Genebr. hanc esse turrim, de qua ait Michæas cap. 4. ver. 8. *Turris nebulosa filiæ Sion;* sed quænam sit illa ibidem dixi. — Turris David, quid?

Huic ergo turri comparat collum sponsæ, quia illius adinstar erat procerum, rotundum, robustum et validum. Forte etiam turris hæc colli speciem referebat; nam arci Sion adhærebat, seu collum capiti; civitati vero Ierusalem, quæ filia Sion dicitur, eminebat, seu collum cæteris membris sibi subiectis. Unde S. Ambr. in Ps. 118. Oct. 4. v. 4. *Condidit turrim illam David, et super murorum ædificavit excelsa, ut subsidio pariter et decori sit; subsidio, quia hostem prævidet et expellit; decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet.* Quare minus præcise R. Salomon, Lyranus, Soto Maior, Delrio et alii per collum accipiunt totam corporis sponsæ staturam erectam, q. d. Sicut turris David præstat cæteris turribus; sic tu, o sponsa, cæteras fœminas procera et pulchra statura transcendis.

Talpioth quid? Resp. I. Pro cum *propugnaculis* Hebr. est לתלפיות *letalpiot*, quod varii varie vertunt; primo Septuag. et eos secutus Syrus et Arabicus nomen Hebræum quasi proprium loci retinentes, vertunt, *in talpioth*, Sept. sequitur S. Ambros. in Psal. 118 ser. 4.

II. Secundo, R. Salomon et Aben Ezra *talpioth* derivantes ab אלף *alaph*, quod in Piel significat docere, vertunt: *Doctrinam et monumenta*; eo quod turris illa, seu pharus navigantibus portum, viam transeuntibus in urbem ostenderet. Hinc Tigurina vertit: *Ad usum dirigendi homines;* sic enim Ecclesia indicat fidelibus iter in cœlum, uti explicat Vatablus, aut quod insigni opera arteque constructa, doceret modum turris arcisque construendæ, eiusque ideam et formam intuentibus exhiberet, aut quod

in ea essent monumenta eorum qui heroicum quid perpetrassent, uti testatur Philo legatione ad Caium.

III. Tertio, Marinus in Lexico *talpioth* derivat e תל *tel* et פיות *pioth*, id est *cumulus* vel *acervus orum*, quod est plurale ab os oris. Significat ergo ædificia maxima ex lapidibus excisis eo modo fabrefacta, quod vulgo Italice dicitur: *Fatti a diamanti*, id est figura adamantina, quæ est, ut lapides quadrentur eo modo, ut in aciem et conum desinant, itaque ictibus tormentorum non pateant; sed eos lateraliter eludant et respuant, qualia sunt fundamentum Palatii S. Marci Venetiis, et Palatium Card. Estensis Ferrariæ.

IV. Quarto, alii apud Pagninum *talpioth* interpretantur lapides turris, excisos ad similitudinem oris.

V. Quinto, Quinquarborrus *talpioth* dictum putat, quasi לתלות פיות *litlot pioth*, id est *ad suspendendum ora*, id est acies gladiorum, puta ipsos gladios, quasi fuerint in turri eminentes unci, ex quibus penderent gladii, iuxta id quod sequitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Atque hæc etiam propugnacula, ut vertit Noster, nuncupari possunt.

VI. *Genuina.* Sexto et optime, Noster vertit: *cum propugnaculis;* nam et Aquila vertit: εἰς ἐπάλξεις, id est, *in propugnacula, pinnas, seu fastigia*. Et Symmach. vertit: εἰς ὕψη, id est, *in altitudines*, ait Theodor. Pinnæ enim turrim muniunt, ac oris formam exhibent. Alii apud Pagnin. *talpioth* derivant e תל *tel*, id est forte, elevatum, altum, et פיות *pioth*, id est, orum; quod recte convenit pinnis, inter quas medii hiatus, vel fissuræ quasi ora interiacent. Alii per ora intelligunt duas voragines, inter quas sita erat turris David, uti dixi ex Adrichomio. Accedit Nyssen. homil. 7. qui hebr. *talpioth*, quod retinent Septuag. interpretatur *propugnacula*, sive hæc pinnæ fuerint, sive muri, sive quid aliud.

Pro *mille clypei*, ut habent Hebr. S. Ambros. in Psal. 118. serm. 4. legit, *mille ostia*; sed videtur mendosum habuisse codicem, ac legisse θύραι, id est, *ostia*, cum Septuag. legant θυρεοί, id est, *scuta*, quæ sic dicta sunt, quod lata sint et similia ostiis. Porro clypeus insigne est bellicæ fortitudinis. Unde clypeo Agamemnonis, teste Pausania insculptus erat leo cum hoc lemmate: *Clypeus bellicæ fortitudinis insigne.*

Terror hic est hominum, quique hunc gerit, est Agamemnon.

Pro *armatura* Hebr. est שלטי *scilte*, quod alibi Noster et alii vertunt, *peltam*, vel *scutum*. Unde et Germanice *scilt* idem est quod scutum. Quia tamen hic præcessit clypeus, melius vertit Noster, *armatura*. Nam et Septuag. vertunt: βολίδες, id est, iacula, vel missilia; hisce enim milites שלטו *scinletu*, id est, dominantur hostibus. Syrus vero vertit: *Omnes principes potentes*. A שלט *scialat* enim, id est, *dominari*, dicti sunt *Sultani*, id est principes late dominantes. *Sultani unde dicti.*

A turri David, ex qua pendent plurimi clypei, et arma, quæ illam ornant et decorant, uti collum ornant torques et monilia. Hinc Apostolus 1. Timoth. 3. Ecclesiam vocat *columnam et firmamentum veritatis*; columna enim similis est turri, imo subinde revera est turris, quales Romæ sunt columnæ Traiani et Antonini Imperatorum; hæ enim tam latæ sunt, ut sex viri vix brachiis eas amplecti valeant, atque interius concavæ sunt, adeoque ampla, ut per cochleam et gradus, velut in turri, ab imo in summum scandatur.

Rursum per collum et turrim notantur præsules, doctores, Pontifices (qui vocantur Episcopi, id est, speculatores e turribus) qui semper in bello sunt pro defensione S. Ecclesiæ pugnantes, ait Cassiodorus, ac præsertim Pontifex Romanus Christi Vicarius, quia sicut collum medium est inter caput et membra, illa capiti connectens; atque sicut caput per collum spiritus et vitam in membra influit, cibumque in stomachum traiicit; sic Pontifex medius quasi est inter Christum et cæteros fideles ac Christus, seu *Collum sunt Pontifices.* B caput per Pontificem seu collum, suam doctrinam, regimen, robur et spiritum in fideles derivat, illos Christo connectens. Hoc est quod Christus S. Petro eiusque successoribus promisit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; Et tibi dabo claves regni cælorum*, Matth. 16. 18. Et: *Et ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Lucæ 22. 32. Hinc et S. Paulus, S. Petrum, Iacobum et Ioannem velut Apostolos et Præsides vocat *columnas Ecclesiæ*, Galat. 2. 9. In iis ergo est *talpioth*, id est, vera doctrina, monumenta priscæ fidei, summæ potestatis sublimitas, et suspensio orum; quia ab iis fideles cæteri pendent, et hianti quasi ore cibum animæ spiritualem expectant. Invicta ergo fides Ecclesiæ nititur invicta fide S. Petri et successorum eius Rom. Pontificum, qui proinde semper illibati in orthodoxa fide a Christo hucusque perstiterunt, atque omnes hæreses Arrii, Macedonii, Eutychetis, C Pelagii, Priscilliani, Lutheri, Calvini, etc. damnarunt et profligarunt, quin et tam erecta cervice restiterunt Neroni, Decio, Diocletiano, cæterisque tyrannis, ut eam sibi recidi maluerint, quam fidem Christi non prædicare, sed perdere aut prodere. Unde primi Pontifices a S. Petro usque ad S. Sylvestrum, per trecentos annos pene omnes fuere martyres. Quocirca noster Alcazar in allusionibus ad Apocalypsin libr. 3. ubi totum hoc cap. 4. Cantic. explicat de laudibus Ecclesiæ Romanæ antiquæ, per turrim, clypeus et propugnacula, censet denotari Martyrum victoriam, et ministrorum Evangelii admirabilem in persecutionibus sanctitatem. Audi S. Gregor. qui hæc de prædicatoribus accipit: nam et Pontifices præcones sunt Evangelii, illudque vel per se, vel per sacerdotes a se ordinatos et missos, ubique prædicant et propagant: « Bene sicut turris David collum sanctæ Ecclesiæ dicitur; quia sancti prædicatores procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur, et fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur, et libere terrena despicientes, cælestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris vero dicuntur propter fortitudinem et propter excelsam cælestium gaudiorum contemplationem. » Deinde cætera ita ex ordine prosequitur: « Quæ turris recte David esse dicitur: quia David, manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cuius est quidquid forte et excelsum operatur. De qua subditur: Quæ ædificata est cum propugnaculis: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cum propugnaculis turris David ædificata dicitur, quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt, quia ne spiritalibus hostibus succumbant, virtutibus sese defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet: quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus, hostes strenue valet superare. Mille autem hic pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. « Sedes ergo Apo-

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Salomon cap. 1. v. 10. collum sponsæ comparavit monilibus. Unde ibi per collum notavit obedientiam Ecclesiæ; hic vero collum comparat turri David speciosæ æque ac munitæ. Quocirca hic per collum, inquit Titelmann. notat Ecclesiæ invictum robur, fortitudinem et constantiam, qua et tyrannis et hæreticis et persecutoribus omnibus fortissime restitit, imo omnes superavit et subiugavit. Robur enim bovum, equorum et animalium consistit in cervice et collo. Collum ergo symbolum est roboris, item confidentiæ, animositatis et audaciæ; unde illud Ps. 29. *Dominus concidit cervices peccatorum*. Et illud Isaiæ 3. *Filiæ Sion ambulaverunt extento collo*. Et illud Horatii Epist. 13. *Collum roboris et audaciæ symbolum.*

Indomita cervice feros.

Et illud Ciceronis de Nat. Deorum: *Imposuisti in cervicibus nostris sempiternum dominium*. Ita Philo Carpath. et ex eo Delrio: Collum, inquit, Ecclesiæ est columna fidei, quæ Ecclesiam Christo capiti coniungit: hæc similis est

stolica est quasi pharus Ecclesiæ, ut ex en navigantes in hoc vitæ pelago veram Ecclesiam, quæ sana fideles ad Deum et felicitatem ducit, agnoscant; propugnacula eius, item clypei, et omnium armorum panoplia, sunt divinæ Scripturæ, ait Theodor. Cassiod. Beda et alii. Item traditiones Apostolorum et successorum, decreta Conciliorum, Patrum testimonia et exempla, consensus omnium sæculorum, doctrinæ puritas et stabilitas, cæteraque argumenta, quæ Bellarminus et alii pro auctoritate Pontificis et natis Ecclesiæ afferunt.

Nonnulli per mille clypeos accipiunt multorum Angelorum præsidium et tutelam, qui Pontificem et Ecclesiam tuentur. Item omnia divinæ defensionis præsidia, ait Cassiodor. Item sanctorum exempla. Insuper crucem Christi, ait Aponius. Quare sicut collum inhæret capiti, ab eoque omne suum robur haurit, sic Prælatus et Pontifex inhæreat Christo illique familiaris sit per orationem, ut ab eo prudentiam et vires docendi regendique hauriat. Nam ut ait Paulus Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* Et Moses Deut. 5. 5. *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius; timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem.* Quocirca Moses in dubiis adibat tabernaculum, et Deum consulebat, et ab eo quid agendum esset edocebatur.

Audi S. Greg. 2. parte Pastor. c. 5. « Sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus; ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens appetere alta derelinquat. Et c. 6. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus; ut et bonis in nullo se præferat, et cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat; quatenus et honore suppresso æqualem se subditis bene viventibus deputet, et erga perversos iura rectitudinis exercere non formidet. » Ita per collum et turrim David præsules et doctores Ecclesiæ intelligunt Cassiod. S. Greg. Nyssen. Philo, Psellus, Beda, Aponius, Anselm. et Richard. de S. Victore. Hinc et Chald. vertit: « Et princeps scholæ, qui erat magister tuus fortis in iustitia, et magister operum bonorum, sicut David rex Israel, et per verbum oris eius ædificatum est sæculum et in doctrina legis, in qua laborabat, confidebat populus domus Israel, et vincebat in bello, quasi essent tenentes manibus suis omnia genera armorum fortium. »

Porro Nyssenus exemplum dat S. Paulum; « Tale collum, inquit, erat Paulus, qui portavit quidem nomen Domini, factus Domino vas electionis, et ei a Deo accurate adaptatum fuit caput, ut et quæcumque diceret, non amplius esset ipse loquens, sed caput eius loqueretur, prout indicavit Corinthiis, Christum esse qui in se loquebatur, et qui Spiritu verbum dirigebat veritatis. Ita divinis illis eloquiis omnino dulces fiebant fauces, ut qui per se totum nutriret corpus divinis illis documentis. »

Symbol. Symbolice Iustus Orgelitan. et S. Gregorius homil. 15. in Ezech. per turrim David accipiunt S. Scripturam, ex qua petitur armorum panoplia ad debellandos omnes errores et pravos mores.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Collum animæ est oratio.

1. Collum mysticum animæ sanctæ est oratio. Ita Theodor. et tres Anonymi apud Theodoretum, idque apposite. Primo, quia sicut collum erigitur in altum, sic oratio mentem a terra sustollit ad Deum in cælum. In ea ergo est *talpioth*, id est, suspensio oris et mentis, sive animi sublimitas et elevatio in Deum.

II. Secundo, sicut per collum spiritus attrahitur ad interiora refrigeranda et roboranda; sic per orationem attrahimus spiritum Dei, qui æstus concupiscentiæ refrigerat, mentemque animat et corroborat. Unde Psaltes: *Os meum aperui, et attraxi spiritum*, Ps. 118.

III. Tertio, sicut turris urbem communit, sic oratio animam: et sicut turris suis vallatur propugnaculis, clypeis et armis tam defensivis, quam offensivis: sic orationis propugnacula sunt virtutes, quæ illam tuentur et hosti vulnus infligunt, quales sunt constantia et fortitudo: clypei vero sunt quæ hostis iacula illæsa excipiunt et repellunt, qualis est humilitas et patientia. Denique in ea omnis est armatura fortium, id est omne armorum genus, puta omnia gratiarum et remediorum species, quas Deus orantibus suggerit, ut iis roborati et fortes effecti, hostes quoslibet non tantum repellant, sed et propellant ac debellent. Quocirca Cassianus, Climacus, Sophronius et alii contra omnes tentationes carnis, mundi et dæmonum efficacissimum remedium esse orationem unanimiter et constanter docent. Vis exempla? accipe. Ex hac orationis turri Esther contra Amanni potentiam et edictum: ex hac Iudith contra Assyriorum ducem Holofernem, et ex hac innumeri alii: ex hac tandem Christus ad durum mortis certamen armatus processit. Hac muniti Machabæi numero pauci gloriosas de innumeris hostium copiis victorias reportarunt, quam cum non dicuntur præmisisse, gravem ab hostibus plagam accepere, primum lib. 1. cap 6. ab Antiocho Eupatore: iterum ibidem c. 8. ubi Iudas Machabæus extinctus fuit. Ita Sanchez.

Oratio contra tentationes efficacissimum remedium.

Secundo, S. Ambros. in Ps. 118 serm. 4. v. 1. per collum turritum accipit animæ sanctæ constantiam et celsitudinem: *Erecta, inquit, ad Deum cervix, et iugo Christi habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curvetur, sicut Christi regalis est turris, cui iugum suum Nabuchodonosor non possit imponere: condidit enim turrim illam David ille manu fortis, et supra murorum ædificavit excelsa, ut subsidio pariter et decori sit; subsidio, quia hostem prævidet et repellit; decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio vel decori si habeat in se verbi dogmata, velut quædam phalerarum monilia, habeat etiam iacula potentium prophetarum quæ adversus omnem extollentem se altitudinem lacertis quibusdam fidei diriguntur.* Huc accedit Theodoretus, qui per collum turritum accipit mentem, vel rationem, quæ excelsa et cælestia contemplator, cuius clypei et panoplia sunt Prophetæ et Apostoli. Et clarius tres Anonymi apud Theodoretum: *Sicut turris, inquiunt, David est interior mentis tuæ, tum in actione, tum in contemplatione maxime præstantis ratio, quæ per virtutem divinis mandatis ædificata est super propugnacula, id est, super adversarii tentationes; tollitur autem per scientiam in altitudinem contemplatione. David enim significat manu strenuus, et ocer visu. Id vero quod dictum: Quæ ædificata est in Talpioth: Aquila quidem vertit: Super propugnacula; Symmachus autem: In altitudine. Quapropter significatur sponsæ rationem actione quidem hostis consilia superare: contemplatione vero tolli ad veræ cognitionis sublimitatem.*

Collum est constantia.

Collum est charitas.

Tertio, Ioannes Carmelita per collum et turrim accipit
charitatem. Nam primo, inquit, sicut collum excelsum
est, sic charitas omnium virtutum celsissima est et in 1.
Deum erectissima. Secundo, sicut collum sustinet caput, 2.
illudque membris connectit; ita charitas Christum animæ
unit et vincit, adeo ut Christus cæterarum virtutum nexibus,
nisi unius charitatis vinculo animæ non alligetur.
Tertio, sicut collum habet arteriam, per quam spiritus in 3.
viscera admittitur et influit; sic charitas habet gratiam,
per quam spiritum ex cælo haurit et attrahit. Quarto, sic- 4.
ut collum habet fauces quibus cibus traiicitur in stomachum:
sic charitas mysticas pandit fauces. Nam semper
esurit nullumque laboris genus detrectat, sed ardua quæque
velut ignis vehemens iniecta ligna consumit. Quinto, 5.
collum humeris eminet, iisque onera baiulat; sic charitas
latos habet humeros, quibus mores difficiles proximorum,

iniurias, persecutiones, tribulationes, omniaque huius vitæ onera fortiter sustentat et portat. Pari modo charitas similis est turri, sive arci, tum ob celsitudinem, tum ob firmitatem ac robur. *Charitas turris, sive arx.* Nam qui hanc incolunt arcem, vim quamdam plane divinam adipiscuntur, qua fiunt invictissimi, ut de se Paulus ingenue fatetur, dum ait, nec morte, nec vita, nec id genus aliis acerrimis hostibus se a charitate Dei posse divelli. Propugnacula sunt consilia Evangelica, quæ ab iis vigilantissime observantur, qui charitatis arcem tutam esse cupiunt. Quippe obedientiæ, castitatis paupertatisque, et aliorum consiliorum auctores turrim Davidicam Apostolicis vestigiis insistentes optime custodiunt, et ex his velut propugnaculis, hostem sæpissime sauciant, seque reddunt formidabiles. *Charitatis clypei humilitas, et patientia.* Clypei charitatis sunt humilitas et patientia, quibus omnia adversa excipit et repellit; hæ enim ex charitate pendent et quasi prodeunt: *Omnis armatura fortium*, est cæterarum virtutum acies, quæ ex charitate manantes hominem efficiunt fortem et invictum, ut omnia superet et transcendat, ac ad beatam æternitatem victor triumphatorque conscendat. Pro *omnis armatura*, Hebr. est, *omnia scuta fortium*, q. d. Patientia multiplex et varia, quæ similis est scutis, est instar omnis armaturæ, qua omnium hostium tela excipimus ipsosque superamus. Denique in charitate est *talpioth*, id est, *cumulus orum*, quia ipsa amorem suum in tria velut ora partitur, scilicet in amorem Dei, amorem proximi, et amorem sui ipsius.

Collum est humilitas et obedientia.
Quarto, Rupertus et Gislerius per collum turritum accipiunt humilitatem et obedientiam, quæ, primo, adeo sublimis est et excelsa, ut omnibus sit conspicua, omniumque
oculos ad se rapiat. Secundo, instar colli et turris undi-
1. que rotunda est, id est, perfecta, continua et perseverans
2. usque ad mortem. Tertio pariter recta est per rectitudi-
3. nem sanctæ intentionis. Quarto, propugnacula obedientiæ
4. sunt humilitas, mansuetudo et fides, qua quis credit se Deo
obedire, cum obedit superiori, atque per eum a Deo regi
et dirigi. Deus enim dixit: *Qui vos audit, me audit*, Luc.
5. 10. 16 Quinto, clypei et arma obedientiæ sunt invicta; nam
obediens vincit omnes difficultates, tentationes, scrupulos,
diffidentias: quia secure et læte in obedientia iussuque su-
6. perioris sui, velut Dei interpretis conquiescit. Sexto, di-
citur *Turris David*, id est Christi, quia summam Christi
obedientiam refert et imitatur: *Christus enim factus est
obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip.
7. 2. Septimo, obediens est in *talpioth*, id est, in suspensio-
ne oris, quia totus pendet ab ore sui rectoris: quare licet
cæcus videatur ut talpa, revera tamen oculatus est, ut a-
quila.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Collum Ecclesiæ est B. Virgo
Beata Virgo ab Ecclesia in litaniis Lauretanis vocatur et invocatur *Turris Davidica*. Eadem vocatur *collum* in corpore mystico Ecclesiæ. Illius enim caput est Christus, collum B. Virgo, membra cæteri fideles. *Collum*, inquit Hailgrinus, *est eminentia sublimitatis eius, et est sicut turris David, hoc est, a Christo vero David fabricata, ut peccatoribus esset refugium et munimen. Propugnacula huius turris sunt virtutes gratiæ, et prærogativæ, quibus peccatores protegit et inimicum expugnat.*

Plures causas et analogias colli, et B. Virginis accumulat noster P. Pinellus de Laude B. Virginis c. 16. num. 8. Virgo sanctissima, inquit, in corpore Ecclesiæ *collum* dicitur, non tantum, quia ut loco, ita et dignitate Christo capiti est proxima, et reliquis membris eminet, illique coniuncta est; sed etiam, quia omnis vis sensitiva, atque motiva a capite ad corpus per collum transfunditur, et ita Dei misericordia per Virginem ad nos derivatur; et melius quam per collum, quod vim trahendi minime habet, sed solum est via eorum quæ per ipsum mittuntur; cum tamen Deipara suis meritis et precibus Dei misericordiam nobis impetret, et ad nos attrahat. Et quemadmodum, si

A quid a membris ad caput transmittitur, id per collum transmitti debet; ita et nos per Virginis manus mundissimas nos ipsos Christo offeramus, dicentes illi cum S. Bernardo: *Per te accessum habeamus ad filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis*; imo collum est via respirationis, qua animalis vita conservatur: est via, qua cibus nutritioni et augmentationi animalis necessarius transmittitur: in collo est guttur ex præcipuis ad loquendum instrumentis: de collo monilia et pretiosa quæque suspenduntur: matris collum filii ob timorem sive ob benevolentiam apprehendunt; quæ omnia mystice Virgini optime congruere perspicuum est.

Quocirca S. Bernardinus Senensis tom. 4. concl. 61. art. 2. cap. 10. *Plenitudo*, inquit, *gratiæ fuit in Christo, sicut in capite influente; in Maria vero, sicut in collo transfundente*. Et Germanus in serm. de Zona B. Virginis: *Si tu*, inquit, *nos deserueris, quidnam de nobis fiet, o sanctissima Deipara, spiritus et vita Christianorum? Quomodo e-*
B *nim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam sanctissimum tuum nomen, Virgo beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assidue in omni tempore, loco, et modo vitæ, lætitiæ, et auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat et conciliat.* Et S. Bernard. ser. 3. in vigilia nativ. Domini: *Nihil*, ait, *nos Deus voluit habere, quod per manus Mariæ non transiret.* Idem ser. de Aquæductu, dat causam, quia scilicet sic voluit Deus matrem honorari: *Altius*, inquit, *intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens*. Et infra: *Totis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Porro Rupertus per turrim accipit humilitatem B. Virginis: hæc enim illam exaltavit instar turris pertingentis
C ad cælum et Deum, ut fieret mater Dei; « Tuum collum, inquit, nequaquam extentum fuit, sed est sicut turris David, id est, sicut humilitas David per quam ille coram Deo fortis; et contra homines stetit inexpugnabilis: ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui et cum esset rex unctus dixit ad Saul, cum eum ille persequeretur: Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum et pulicem unum. Turris ista ædificata est cum propugnaculis, et mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, id est, hanc eius tantam humilitatem cæteræ virtutes consecutæ sunt, maximeque fortitudo et sapientia: David sedens in cathedra sapientissimus est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. » Et post nonnulla: « Adde illud, quod maximum est, quia Verbi, cuius mysterium consecuta est, ut caneret humilitas patris tui David, Verbi, inquam, eiusdem substantiam concepit, et incarnatam peperit humilitas tua, o filia David. »

Porro Aponius per turrim David accipit Christum; per
D propugnacula, exempla virtutum, quæ Christus in vita edidit: per mille clypeos et omnem armaturam fortium, crucem Christi: *Nemo enim*, inquit, *est fortis, nisi is qui pro scuto cruce Dominica tutus, mentis affectu protectus incedit.*

Vers. 5. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.

Vers. 6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis (id est inter lilia, quæ in campis nascuntur, quale est lilium convallium, de quo c. 2. v. 1.) donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.) Pro *in liliis*, Symmach. vertit, *in floribus*. Hinnuli enim sive capreoli petulci et coruscantes in candenti liliis campo, floribus pascuntur.

Incorruptæ, inquit Hortulanus, *benequæ habitæ puellæ uberum pulchritudinem et laudes, in hic maxime consistere affirmant oculi formarum spectatores: nimirum quod parva sint, rotunda, solida, nec diffluentia, sed contracta, comparia, nitida et succulenta. Atque ex his omnibus notis hoc loco sponsæ laudantur ubera, per eorum assimilationem ad gemellos capreæ hinnulos, electa carpentes pascua. Hinnuli namque capreæ sua parvitate placent: præsertim quum se colligunt, et in orbem contracti erumpere velle videntur, et exsilire. Placent et inde plurimum, quum non macilenti sunt, strigosi aut lutulenti, sed nitidi et succulenti. Tales vero sunt, qui in pratis floridis, minimeque paludosis, inter lilia ibidem crescentia sua carpunt pascua. Placent denique in gemellis, quod uno partu editi compares sunt, et quam simillimi.*

Quomodo ubera apte comparentur hinnulis.

Adde hinnulos suavis esse coloris, æque ac odoris, præsertim dum pascuntur inter lilia odorata, ac sua specie, munditie, agilitate et subsultu festivos, amabiles, et gratiosos apparere, qualia pariter sunt ubera sponsæ. Insuper noster Delrio, Sanchez et Luysius parabolam hanc, quæ prima fronte remota et inconcinna videtur, ita decore concinnant, ut ubera sponsæ comparentur capitibus hinnulorum, quæ liliis eminent. Hæc enim capita sua parvitate, rotunditate et candore similia sunt uberibus. Ora autem eorum modica et subrubentia referunt papillam uberum. Non minus concione Romæ vir religiosus et solers, hanc adaptationem mihi suggessit, scilicet uberibus sponsæ hic comparari non tam capita hinnulorum, quam partem dorsi posteriorem; hæc enim rotunde arcuatur et eminet instar uberum, cum hinnuli demisso capite pascuntur inter lilia; lilia enim caput eorum tegunt et abscondunt dorso eminente, ut sensus sit, q. d. Duo ubera tua, o sponsa, sunt candida, modica, rotunda, turgida et speciosa instar hinnulorum duorum, qui cum inter lilia pascuntur, caputque ad germina demittunt, sola parte posteriore prominent et exstant: hæc enim eorum pars pariter candida est, modica, rotunda, turgida et speciosa.

Denique nonnulli apud Titelmannum censent esse hypallagen, ac per eam non tam ubera sponsæ comparari hinnulis, quam uberibus capreæ quæ sugunt hinnuli; sic ergo verba esse exponenda et adaptanda, q. d. Duo ubera tua sunt sicut duo ubera capreæ lactantia duos hinnulos gemellos, qui pascuntur in liliis; ubera enim capreæ, æque ac sponsæ, sunt succulenta et lacte distenta. Vel hoc modo: Duo ubera tua sunt, ac si duo hinnuli gemelli capreæ unius duobus lactentur uberibus, qui etiam pascuntur in liliis. Atque ita per duos hinnulos intelligunt duos populos; scilicet Iudæos et Gentiles, qui ambo quasi unius capreæ, id est Ecclesiæ gemelli, eodem fonte Baptismatis regenerati, eiusdem uberibus lactantur, uti intelligunt S. Greg. Philo, Aponius, Iustus et Anselmus: Hebræi enim in loquendo simplices sunt et concisi, ac nonnulla subaudienda et adaptanda auditori relinquunt. Sic vers. 1. dixit: *Capilli tui sicut greges caprarum*, id est, capilli tui similes sunt capillis gregum caprarum; et vers. 1. *Dentes tui sicut greges tonsarum*, id est, dentes tui talea sunt, quales habent greges tonsarum. Simili plane modo hic expone: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, id est, duo ubera tua sunt talia, qualia in caprea habent et sugunt duo hinnuli eius gemelli. Aptissime enim ubera sponsæ comparantur uberibus capreæ lactantis hinnulos: nam hinnuli ipsi non habent ubera, neque lactant, sed lactantur. Sicut ergo caprea lactat hinnulos, sic Ecclesia lactat Iudæos et Gentes.

Duo ubera Synagogæ Moses et Aaron.

Porro Rabbini per duo ubera et hinnulos gemellos intelligunt Mosem et fratrem eius Aaronem, qui Israelem lactarunt et rexerunt. Unde Chald. vertit: « Duo salvatores tui, qui te salvaturi sunt, similes sunt Mosi et Aaron filiis Iochabed, qui comparati sunt duobus hinnulis gemellis capreæ, et pascebant populum Israel per merita sua, quadraginta annis in deserto manna, et avibus pinguibus, et aqua putei Miriam. »

R. Salomon vero per duo ubera accipit duas tabulas decalogi, a Deo datas Mosi ad docendum populum.

Denique noster Alcazar in ellusion. ad Apocalypsin lib. 3. primos huius capitis versus ita ad litteræ superficiem explicat, vers. 1. in oculis, eorumdem velandi candorem, castitatemque commendat; in crinibus, quod sint bene promissi; vers. 2. in dentibus, alacritatem et aviditatem mandendi: vers. 3. in labiis Suadam, id est, gratiam persuadendi inibi sessitantem; in malis verecundiam; vers. 4. in torquato collo, accepta obedientiæ trophæa; vers. 5. in uberibus, incessabilem alendi vim.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Ubera fœcunditas et beneficentia Ecclesiæ.

Ubera notant fœcunditatem, vim lactandi, et beneficentiam Ecclesiæ, uti dixi cap. 1. v. 1. fœminæ enim ubera non dant lac, nisi post partum. Notat ergo Ecclesiam, Spiritu Dei prægnantem, multos parere et lactare filios Christo. Porro sicut per collum Pontifices, sic per ubera collo subiecta, denotat sacerdotes et diaconos, inquit Hortulanus, Pontificibus subditos. Sacerdotes enim lactant populum, missas celebrando, Eucharistiam distribuendo, confessiones excipiendo, instruendo, et hortando ad omne bonum. Diaconi pariter lactant plebem duplici ubere, bonorum scilicet temporalium et spiritualium. Diaconi enim ab Apostolis ordinati sunt, Actor. 6. ut præessent distributioni eleemosynarum, ac Apostolis et sacerdotibus subservirent. Hinc Romana Ecclesia olim distributa erat in varias diaconias, quibus singulis præerant diaconi singuli, qui pauperibus suæ diaconiæ eleemosynas distribuebant, ut patet ex epistolis pluribus S. Gregorii. Rursum diaconi absente sacerdote baptizant, Eucharistiam ministrant, et prædicant verbum Dei, uti fecit S. Stephanus et S. Vincentius. Idque statuit Concilium Nicænum cap. 14. et Vasense 2. cap. 2. et S. Greg. lib. 4. epist. 88. Diaconis pariter ex officio competit solemnis recitatio vel decantatio Evangelii, oratio cum Pontifice, cura pacis et silentii in Ecclesia, ut ait S. Clemens lib. 2. Constit. cap. 61.

Diaconorum officia.

Diaconi sunt hinnuli, cur?

Hi ergo similes sunt hinnulis, qui pascuntur inter lilia, quia ætate et virtute florentes, puritate et castitate præeminent, et inter virgines sanctosque degunt, quorum virtutibus et exemplis pascuntur. Unde diaconatui ex institutione Apostolorum annexa est continentia et cælibatus, uti docet Concilium Carthagin. 2. c. 2. et S. Leo epist. 95. Vide dicta Actor. 6. 1. Quocirca diaconi olim in Ecclesia et vita, et doctrina, et martyrio fuere illustrissimi, nec cessere Pontificibus. Tales fuere S. Stephanus, S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sisinnius, S. Cyriacus, S. Largus, S. Smaragdus, aliique plurimi, qui quasi Angeli cælesti conversatione et fervore toti Ecclesiæ præfulserunt, plurimosque ad Christi fidem converterunt, in eaque foverunt et aluerunt. Ubera igitur Ecclesiæ hinnulis gemellis similia sunt diaconi, cum de se humiliter sentiant, ait Hortulanus, seque in arctum contrahant, omnium ministri et alumni, nullo luxu diffluentes, collecti et quasi in orbem contracti, actuosi tamen, et ad beneficentiam oppido quam propensi, ceu cælestium caprearum filii, sua parvitate et beneficentiæ studio placent plurimum. Pura præterea, et omnis puritatis exemplis florentia sacræ Scripturæ prata, ac supersubstantialem mensæ escam (Eucharistiam) summa cum munditia depascentes, cælesti replentur succo: paresque cum sint fide ac moribus, et inter se quam simillimi (quippe quorum sit cor unum et anima una) gemelli videntur, ut uno fidei partu editi. Aspectu iucundi sunt, sciti et gratiosi propter geminum munus suum, pro duobus pulcherrimis uberibus tibi dati. Hæc itaque sunt formosissima tua ubera, parva, rotunda, contracta, paria, nitida, et quibus tuos alumnos abunde alis, succulenta, atque omnibus numeris absoluta; idque *donec aspiret dies* beatæ æternitatis, *et inclinentur umbræ* huius mortalitatis: nam usque ad finem mundi durabit hic Hierarchicus sacerdotum et diaconorum ordo.

Huc accedunt multi Patres, qui per duo ubera accipiunt vetus et novum testamentum; hisce enim legendis, et en-

dis et explicandis vacant, ac fideles pascunt sacerdotes et diaconi; fideles, inquam, gemellos, id est, Iudæos et Gentiles. Ita Aponius, Philo, Iustus Orgelit. et Anselmus, ac S. Gregor. 24. Moral. cap. 40. *Duo ubera vetus et novum testamentum.*

Porro S. Gregorius hoc loco, pluresque alii omnia hæc corporis membra hucusque recitata, attribuunt Ecclesiæ doctoribus ac prædicatoribus, sed ob diversas rationes et respectus, scilicet, ut iidem dicantur oculi Ecclesiæ, quia occulta vident; dentes, quia improbos corripiunt, et castigationis dente confectos in corpus Ecclesiæ ingerunt; collum, quia vitalem gratiæ spiritum, et spirituales cibos reliquo corpori subministrant; ubera, quia lac parvulis in Christo exhibent.

Verumtamen melius alii lata in varios Ecclesiæ ordines, status et gradus distribuunt; omnes enim hi faciunt decus et complementum Ecclesiæ; unde omnes hic describere voluit Spiritus sanctus. Per capillos ergo repræsentantur religiosi, per dentes doctores, per labia coccinea prædicatores et martyres, per genas virgines, per collum Pontifices, per ubera sacerdotes et diaconi, ut dixi. Igitur per ubera notari doctores (quales in populo sunt sacerdotes et diaconi) censent Cassiod. S. Gregor. Nyssen. Theodoret. Philo, Beda, Aponius, Anselmus. Hi enim lacte doctrinæ pascunt populum. Unde instar capreæ acutissime vident, inquit Nyssen. et Theodoret. et ad alta conscendunt, ac sicut hinnuli magis ramos fruticum, quam herbam terræ, id est, magis divinas Scripturas, quam humanas scientias depascuntur, inquit Aponius: suntque gemelli, quia concordes in doctrina et prædicatione, ait S. Gregorius.

Symbol. Symbol. Psellus: Duo ubera, inquit, sunt sanguis et aqua, quæ ex latere Christi in cruce profluxerunt, ex quibus animæ fidelium alimoniam et salutem hauriunt.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Duo ubera est duplex charitas. Duo ubera animæ sanctæ sunt gemina charitas, Dei scilicet et proximi; hisce enim et se et alios lactat et pascit. Ita Philo Carpath. Talis fuit S. Paulus, qui flagrans zelo Dei et salutis animarum, omnibus ubera quasi materna exhibuit. Unde Galatis scribens ait cap. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis;* et Corinth. epist. 1. cap. 3. v. 1. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Quocirca S. Ambros. ser. 68. Paulum nuncupat Ecclesiæ nutritorem, et eius epistolas Ecclesiæ ubera, atque huius rei symbolo asserit, caput eius a cervica recisum pro sanguine lac fudisse, quod etiam testatur S. Chrys. Orat. in Princip. Apost. sed audi S. Ambr. *Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? etc. cuius epistolæ tamquam ubera Ecclesiarum populos nutriunt ad salutem.*

Et duplex eleemosyna Rursum, duo ubera charitatis sunt eleemosyna temporalis, quæ nutrit corpus, et spiritualis, quæ pascit animam. Audi Richard. de S. Victore: « Hæc ubera lacte replentur charitatis, quo iuniores et teneriores reficiunt et quasi matres lactant et alunt. Non habet hæc ubera anima adhuc carnalis, donec crescat in gratia et sanguinem carnalitatis convertat in lac devotionis. Cum vero in gratia creverit et pietatem conceperit; tunc mater fit, lactat teneros, consolatur desolatos; contumeliis pulsata, vel iniuriis affecta, patientiæ et compassionis lac fundit, non sanguinem carnalis commotionis. Quia enim pietatis lacte repleta est, dulcedinem exhibet, quam accepit, magis miseriis se lædentis compatitur, quam iniuria movetur. »

Subdit deinde carnales et imperfectos, dum iniuria afficiuntur, moveri ad iram et vindictam; perfectos ad misericordiam; quia hi habent ubera charitatis, quibus illi carent: *Si ubera haberet tactus, id est, iniuria pulsatus, lac funderet.* De tali dicitur cap. 8. 8. *Soror nostra parvula est, et ubera non habet.* Post nonnulla subiicit Richard. *Duo hinnuli sunt activi et contemplativi, qui utique ad lac gratiæ currere non cessant, et hoc desiderant, et ad perfectum semper tendunt, et superna petunt, semper se novos, semper incipientes, et insufficientes reputant; quia ad interiora se extendunt.* Et mox: *Apud se parvuli semper sunt, id est humiles, et ideo lac gratiæ quærunt, ad hoc tendunt, hoc sugunt; unde quia ad hoc lac indesinenter currunt, hoc percipiunt, et hoc reficiuntur, ac ita dulcedine huius replentur, ut eius abundantia aliorum inopiam supplere sufficiat.* Et post nonnulla: *Hi autem pascuntur inter lilia. Per lilia, quæ nitent et odorem habent munditiam bene viventium et odorem virtutum accipimus. Inter quæ pascuntur hi gemelli, quia in munditia bonorum, et bono odore conversantium delectantur.*

Vide S. Bernardum serm. 10. in Cantic. ubi docet hæc ubera charitatis lacte a Deo repleri in oratione et crebra meditatione.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo suis uberibus lactavit hinnulum divinum, id est, Christum qui gemellus est, ob geminam naturam divinam et humanam. Unde mulier illa in Evang. exclamabat Luc. 11. 27. *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Eadem enim est materia, ex qua formatur proles in utero, et quæ deinde in lac conversa alitur, ut docet Aristot. lib. 4. de Generat. anim. cap. 8. Quare, cum B. Virgo supra naturam ex Spiritu sancto conceperit et pepererit Christum, sequitur illam eiusdem virtute in uberibus lac accepisse, quo Christum pasceret. Unde Ecclesia in festo Circumc. canit: *Sola virgo lactabat ubere de cælo pleno.* Virgines enim naturaliter lac habere et dare nequeunt.

Porro infans, qualis fuit Christus, et candore et statura et gratia similis est hinnulo; ubera vero Virginis comparantur hinnulo, quia Christus sugens ubera matris, prius eadem lacte et gratia replebat; unde ipse lactens, potius erat lactans matrem.

Rursum Rupertus per duo ubera accipit virginitatem et fœcunditatem B. Virginis; utraque enim lactat pascitque Ecclesiam inter lilia puritatis et castitatis. Addit deinde septem ornamenta angelica B. Virginis hucusque recensita, scilicet oculos columbinos, capillos caprarum, dentes tonsarum, labia vittæ coccineæ, genas puniceas, collum turris Davidicæ, ubera hinnulorum, opponi septem deformitatibus diabolicis, quibus fœdantur filiæ huius sæculi, quæ sunt altitudo oculorum, crispatio capillorum, voracitas dentium, incontinentia labiorum, irreverentia genarum, colli erectio nimia, confractionis uberum frequens iniuria, hæc scilicet sunt septem dæmonia, quæ a Magdalena expulit Christus. Lucæ 8. 2. *Septem Virginis dotes septem vitiis adversæ*

Insuper Richardus de S. Victore: « B. Virgo, inquit, habet duo ubera geminæ dilectionis, lac fundentia, quia reis impetrat veniam et iustis gratiam. Quæ ubera sunt sicut duo hinnuli capreæ: hinnulos hoc intelligere possumus Angelos et hominum animas ad regnum iam translatas; qui bene hinnuli dicuntur, quia montem cælestis habitationis conscenderunt, et divinæ contemplationis dulcedine reficiuntur, sicut hinnuli et alta petere solent, et lacte nutriuntur. Hi hinnuli gemelli sunt capreæ, id est, Christi, a quo pariter capiunt et sugunt lac geminæ dulcedinis, divinitatis scilicet et humanitatis. Caprea enim est Christus, quia saliit in montibus et transiliit colles, et ita saltum dedit in uterum B. Virginis; et de hoc in mundum, et de mundo in cælum, ubi pascit hinnulos istos cælesti lacte. Itaque cum tam Angeli, quam sanctæ animæ pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis, quam intercessione subveniant, credendum est B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utramque hanc creaturam, imo utraque potior iudicatur, quia utraque per hanc reparatur, et Angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata. » Et pluribus interiectis: « Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius occurrit eius pietas, quam

invocetur, et causam miserorum anticipat. Hinnulis vero comparatur, quia dulcedinem bonitatis quam impendit, ipsa desuper sugit. » Denique post nonnulla causam fontemque aperit: « Sicut enim, inquit, ubicumque fuerit corpus, congregantur et aquilæ; ita ubicumque fuerit miseria, tua te currit ut succurrit misericordia. A Deo pietate replentur ubera tua, et alicuius miseriæ notitia tactu, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, et non subvenire. Et quid mirum si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti. »

Donec aspiret dies et inclinentur umbræ.

Nonnulli cum Rabbinis, Psellus et Hortulanus hæc referunt ad sequentia: *Vadam ad montem myrrhæ*, etc. idque commodo sensu, q. d. Interim, dum advesperascat, vadam ad montem myrrhæ et collem thuris, ut eorum umbra æque ac fragrantia me pascam et oblectem. Hinc Chal. more suo iudaizans sic vertit: *Et omni tempore, quo populus domus Israel tenebat manibus suis artem patrum suorum iustorum, fugiebant nocentes spiritus tenebricosiores, et matutini ac meridiani dæmones de medio eorum, eo quod maiestas gloriæ Domini residebat in domo sanctuarii quæ ædificata est in monte Moriah, ut omnes dæmones, et nocentes spiritus fugiebant ab odore incensi aromatum.*

Verum melius Patres omnes hanc gnomen referunt ad id quod præcessit, q. d. Hinnuli pascuntur inter lilia, quamdiu durat dies usque ad vesperam, quando cum matribus pasti domum repetunt, iuxta illud Virgilii:

Ite domum saturæ, venit hesperus, ite, capellæ.

Porro hanc sententiam exposui cap. 2. v. ultimo. Quare hic iota non addam.

Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.

Hebr. *Vadam mihi*, q. d. Ibo solus voluptatis et animi causa. Id dicit sponsus, ut sponsæ desiderium secum eundi iniiciat, illaque dicat: volo et ego, sponse mi, ire tecum; tua enim voluntas et voluptas, mea quoque est voluntas et voluptas. Unde Syrus vertit: *Vade*, scilicet o sponsa, ad montem myrrhæ; et Arabicus: *Vadam cum eo*. Sunt verba non sponsæ, ut volunt nonnulli, sed sponsi; nam hic mox versu sequenti redit ad sponsæ laudes, quas hic obiter interrumpit invitando eam ad montem myrrhæ et collem thuris, quem verisimile est fuisse hortum Salomonis iuxta Ierusalem, pulcherrimis et pretiosissimis myrrhæ, thuris, aliorumque aromatum fruticibus, arboribusque ex Libano, Arabia, aliisque regionibus adductis consitum, qui proinde *saltus Libani* dicebatur, de quo 3 Reg. 7. 2. Hinc montes hi vocantur *aromatum*, cap. 8. v. 14. et c. 6. 1. *Dilectus meus*, inquit, *descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.*

Mons myrrhæ et collis thuris fuit hortus Salomonis iuxta Ierusalem

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Myrrha est mortificatio, thus oratio.

Laudarat Christus sponsus Ecclesiam sponsam ab uberum fœcunditate, id est, a zelo animarum; nunc ex ita illis intendat, ut se negligat, illam quasi ad se revocat, ut secum vadat ad montem myrrhæ, quæ gustu est amara, id est, ad studium mortificationis, et ad collem thuris, id est, ad studium orationis; ut per illa seipsam magis purificet, sanctificet, Deo uniat, eiusque spiritu repleat, quem deinde fructuosius in alios effundat. Hinc Hebr. מור *mor*, id est, *myrrhæ*, alludit ad montem Moriah, in quo immolatus est Isaac et crucifixus est Christus, q. d. Eamus ad montem Calvariæ, qui pars est montis Moriah, ibique crucem, clavos, lanceam, plagas, dolores, vulnera, iniurias, probra, quæ pro te, o Ecclesia, o fidelis anima mea, perpessus sum, contemplemur, ut ex iis discas similia pati pro me sponso tuo, teque dare studio mortificationis tam activæ et spontaneæ, quam passivæ et ab aliis illatæ: iuxta hunc montem enim est collis thuris; crux enim et passio docet hominem orare, Deumque in afflictione invocare. Porro quis refugiat myrrham passionis, quam Christus sponte amplexus est; anima enim, quæ sapit, quærit Christum; at non nisi in Calvaria et cruce, hoc est in myrrha mortificationis, et thure orationis eum invenit. Docet hic ergo Christus viam ad sanctitatem esse mortificationem et orationem, nunquam ulteri esse iungendam. Mortificatio enim sine oratione est insipida et horrida, oratio sine mortificatione est sterilis et infructuosa. Mortificatio igitur fulciatur oratione, et oratio condiatur mortificatione. Mortificatio domat et iugulat concupiscentias et passiones, puta cupidinem honoris, deliciarum, opum, commoditatum; oratio vero mentem mortificatam attollit ad Deum, ab eoque cælestes amores, sensus et spiritus haurit; quamobrem mortificatio est quasi myrrha, et sal putredinem concupiscentiarum e carne et mente nostra exsugens, eamque desiccans et a corruptione conservans. Oratio vero est velut thus illam per fumum et ignem Deo adolens, offerens et sacrificans. Ita Cassiodor. Beda, Aponius, Philo, Iustus Orgelit. et alii.

Utraque iungenda

Secundo, Nyssenus, Theodoretus et tres Anonymi apud ipsum, Psellus et Rupertus per montem myrrhæ accipiunt passionem Christi, per collem thuris resurrectionem; imo Philo accipit Christum ipsum passum et resurgentem. Nil enim ita sponsam animat ad sponsi amorem et imitationem, atque eius passio et resurrectio. Porro hæc Christus sponsæ considerandu proponit non eminus, sed cominus, ut scilicet mente et contemplatione adeat ipsum montem Calvariæ, ibique quasi præsens præsentem Christum pro se crucifixum oculis intueatur, perinde ac si rem ipsam olim actam, rursus coram se peragi cerneret. Hæc enim viva et efficax contemplatio Christi patientis et resurgentis mire amorem, spem omnemque virtutem excitat: *Si enim compatimur, et conglorificabimur*, ait Paulus. Audi Psellum: *Age tu mecum, qui cruci affixus sum, crucifigere, ut magna item a Patre gloria mecum afficiare. Sponte enim volo ego saeve mortem oppetere, ut fidelibus diem salutis aspirem, et umbras discutiam impietatis.* Veni ergo in montem myrrhæ, ubi ego mortalitatem exui, ut inde pergas in collem thuris, ubi ego resurgens immortalitatem et gloriam indui. Audi et Theodoretum: *Quando adeo decora es, et amoris erga me vulnere sauciata, pro te mortem oppetam, et myrrhæ montem sponte conscendam; sed iterum surgam, et revertar ad collem thuris, ut per myrrham mortem significet, per thus autem divinam naturam.* Et post nonnulla: *Vadam*, inquit, *mihi ipsi* (sic enim habent Septuag.) *ad montem myrrhæ et ad collem thuris; utrumque enim libens facio, nulla vi, nulla coactae necessitate. Nemo enim tollit animam a me, sed ego pono eam a me ipso, ut iterum sumam eam.* Quærit deinde Theodoretus, cur mortem vocarit *montem*, deitatem vero *collem*, cum hæc longe maior sit illa? ac respondet, quia Deum mori *tam excelsum atque arcanum est, ut ab homine animo et cogitatione nequeat comprehendi.* Clarius docent tres Anonymi: *Mortalitatis enim*, inquiunt, *symbolum est myrrha, thus vero divinitatis.* Corpora enim mortua condiuntur myrrha, uti conditum est corpus Christi: thura vero adolentur Deo, ad quem post resurrectionem reversus est Christus in cælum. Deo enim propria et essentialis est immortalitas et felicitas, ideoque illa repræsentatur per thus, quod proprie datur Deo. Unde cum in igne adoletur, totum per fumum evaporat, et ascendit in cælum ad Deum. Rursum per resurrectionem a mundo agnita est Christi divinitas; unde illum credidit esse Deum, ac proinde illi quasi Deo vero thus obtulit, ait Rupertus.

Myrrha passio, thus resurrectio.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta fit sanctior, dum vadit ad montem myrrhæ, id est, cum Christum crucifixum coram contempla-

tur, et per mortificationem se passionum pro Christo tolerantiam imitatur, ac ad collem thuris, id est, cum orationis, devotionis et religionis incensum Deo offert. Audi S. Gregorium: « Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, et quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrrhæ, et ad collem thuris sponsus vadit; quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, et per mundas et humiles orationes suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus sancta Ecclesia, vel unaquæque anima mundana efficitur; quia, dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, et per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat, ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur, cuius conatum ad effectum sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benigne laudat et dicit: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. »

Mortificationem collocat in monte, quia ardua est et difficilis; orationem in colle, quia facilior et suavior. Rursum myrrham præponit thuri, quia mortificatio præire debet orationem, adeoque ipsa recta est via ad orationem sinceram, puram et ardentem, quæ meretur a Deo exaudiri. Denique mortificatio est meritum boni orationis, oratio mortificationis est præmium.

Symbol. Symbolice, S. Anselmus per montem myrrhæ accipit chorum martyrum; per collem thuris, chorum confessorum. Omnes enim sancti vel martyres sunt, vel confessores. Dicit vero Christus: *Vadam*, cum singulos gratia sua visitat, et ad martyrium vel virtutes confessore dignas excitat: idque *donec aspiret dies* beatæ æternitatis, et *inclinentur umbræ* mortalitatis. Nam in cælo myrrha et fel vertetur in saccharum et mel: thus vero fumosum in clarum visionis et amoris divini incendium. Ita B. Virgo stipata choris beatorum cuidam S. Virgini apparuit, manu tenens B. Hyacinthum Polonum, ordinis prædicatorum, iam vita functum, eumque ducens in cælum suaviter concinebat: *Ibo ad montem myrrhæ, et ad collem Libani cum B. Hyacintho*, uti refert Leander Albertus in eius vita apud Surium die 16. vel 17. August. Porro ipso festo Assumptionis suæ B. Virgo eum assumpsit in cælum.

B. Virgo ducit S. Hyacinthum Polonum in cælum ipso suæ assumptionis die.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, Christum comitans ad crucem in montem Calvariæ, dicebat: *Vadam ad montem myrrhæ*, ac deinde videns eum resurrexisse, conscendit *collem thuris*, incensum gratiarum actionis et iubili offerens Deo. Idem fecit per omnem deinceps vitam; assidue mente contemplans, et corpore obiens montem Calvariæ et Oliveti, ubi Christus passus est, resurrexit et ascendit in cælum. Rursum ipsa fuit vivum exemplar Apostolis cæterisque fidelibus tam mortificationis, quam orationis continuæ.

Denique pro *thuris* hebr. et græce est *Liboni*, id est, thuris candidi, לבן *Laban* enim est album, candidum: vel thuris, quod in monte Libano nascitur. Unde Hugo Victorinus tom. 2. libr. de Amore sponsi et sponsæ, legit: *Ibo mihi ad montem myrrhæ et collem Libani*, sicque explicat: *Ibo*, ait, *mihi*. Sibi vadit, quia singularis amor participem secreti non recipit. Sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, qui non patitur consortem amoris. Myrrha, quæ amara est ad gustandum et corpora mortuorum a putredine servat, significat mortificationem carnis. Libanus, quod nomen interpretatur *candidatio*, significat munditiam carnis. Hæc ergo est via, per quam sponsus ad sponsam venit, mons myrrhæ et collis Libani; quia primum per abstinentiam concupiscentiam carnis occidit, deinde per munditiem cordis ignorantiam mentis abstergit.

Quæres, cur dicatur *ad collem thuris*, non ad montem thuris, uti dicitur *ad montem myrrhæ*? Resp. quoad corticem litteræ videtur in horto Salomonis fuisse collis thuris vicinus monti myrrhæ; id enim verba hæc innuunt: quoad medullam vero: primo, iuxta montem myrrhæ, id est, Calvariæ, ubi crucifixus est Christus, erat collis thuris, id est, hortus ille Iosephi ab Arimathia, in quo sepultus est Christus, indeque tertio die gloriosus resurrexit. Hic enim hortus a loco crucifixionis Christi paucis passibus distat, uti testantur illi qui Hierosolymis fuerunt et viderunt: myrrha enim Christi passionem, thus resurrectionem denotat, uti dixi.

Collis thuris quid? Resp. I.

II. Secundo, mons myrrhæ est mons Calvariæ, cui adiacet ut nonnihil supereminet collis thuris, id est, Sion, in quo Salomon ædificarat templum; hic enim dicitur *thuris*, quia in eo thura, orationes et sacrificia offerebantur Deo. Mons enim Calvariæ et mons Sion sunt quasi duo colles, vel duo iuga eiusdem montis communis.

Mons Calvariæ et mons Sion sunt quasi duo eiusdem montis iuga.

III. Tertio, collis thuris est cœnaculum in monte Sion, ubi Christus resurgens Apostolis et B. Virgini apparuit; dicitur *thuris*, id est, resurrectionis: rursum thuris, id est, orationis, quia in eo orantes et ardentia ad Deum suspiria emittentes Apostoli receperunt Spiritum sanctum in Pentecoste.

Mystice. Mystice Theodoret. Myrrha, id est, passio et mors Christi, vocatur *mons*, thus vero, id est, divinitas vocatur *collis*; quia magis excelsum et admirabile hominibus videtur Deum pati et mori, quam Deum existere.

Tropol. et anagogice. Tropologice, ardua et excelsa est via ad montem myrrhæ, id est, mortificationis et martyrii; inde vero facilis est ascensus ad collem thuris, id est orationis, devotionis et contemplationis: et anagogice ad collem thuris, id est ad cælum, ubi beati perpetuo thus gratiarum actionis et iubilationis offerunt Deo. Martyr enim uno passu tantum distat a cælo: mox enim ut anima e corpore excessit, rapitur in cælum. Unde illud S. Augustini: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Facillimum ergo est martyri ire ad cælum, sed difficile ire ad martyrium: ut igitur Deus patientem et martyrem animaret ad generose conscendendum montem myrrhæ, apposuit ei collem hunc thuris felicissimum, et ascensu facillimum.

Exempla, Margaretæ Midleton. Quocirca illustris illa apud Anglos nostro ævo fidei Heroina, Margareta Midleton, ad atrox supplicium damnata, quod sacerdotes Catholicos hospitio suscepisset, et eos prodere nollet, ad supplicii locum lætissimo vultu processit dicens: *Tam brevis est via, quæ ad cælum ducit, tam hoc quam alio genere mortis*: post paucas horas cælum et solum pedibus calcabo, et ex alto empyrei fastigio exile hoc terræ punctum, omniaque terrena felix et beata despiciam. Quare in terram supina reclinata, dorso supposita petra ingenti, et quidem acutissima; corpori autem iniecta tabula onusta pondere mille librarum, sensim pressa et oppressa, armata cælesti patientia et constantia, gloriosa pro Christo morte occubuit, et ex monte myrrhæ ad collem thuris, uti sperandum est, evolavit. Illius certamen ad vivum repræsentatur in Theatro hæreticæ crudelitatis pag. 77.

Illam ergo iniecti non turbavere molares;
Quin, ait, hos totos membris imponite montes,
Spiritus innocuo transcendet ad astra ruina.

Susanna Iaponia. Simili modo generosa illa apud Iapones virago, nomine Susanna, quæ pro fide intrepide Nangasaci occubuit anno 1626 (quo anno pariter die 20. Iulii P. Franciscus Paciecus Provincialis Iaponiæ cum duobus Patribus et sex Fratribus e Societate Iesu, pro fide gloriosum lenti ignis agonem ibidem, eadem consideratione brevis pœnæ et æterni præmii se suosque obarmans, obivit) se, maritum et socios perpetim ad constantiam in suppliciis quibuslibet animabat hac voce: *Stemus, o socii, in tormentis omnibus pro fide Christi magnanimi; quia brevem vitam et pœnam æterna et immensa excipiet gloria Paradisi.* Quocirca et durum longumque carcerem, et horrendum apud Iapones nuditatis publicæ opprobrium, et inediam, frigoraque, et equuleum, et crucem tam suam, quam filiolæ sibi annexæ triennis et minas stupri, et servitutem, vinculaque sex mensium qualia sunt mancipiorum, ac denique gladium, mortemque pro Christo fortiter sustinuit, ac Deo gratias

agendo et iubilando superavit, uti testantur litteræ Iaponicæ hoc anno Romæ typis excusæ. Digna sane, quæ cum priscis Susannis, Luciis, Cæciliis, Agathis, Catharinis comparetur, utpote quæ viros complures ad martyrium verbis ignitis accendit, ac exemplo suo, dirissima tolerando plusquam virili fortitudine, præivit,

Tanti dux fœmina facti.

Cuius decus et gloriam omnia ventura Iaponiæ sæcula celebrabunt.

Vers. 7. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

Ex pulchritudine singularum partium, puta membrorum sponsæ hactenus recensitorum, concludit pulchritudinem totius corporis. Verba hæc quoad primum hemistichium audivimus cap. 1. v. 15. ubi ea explicui. Hic tantum additur: *Et macula non est in te.* Hebr. מום mum, non tantum maculam coloris, sive nævum, sed et quodlibet vitium, ut vertit Arabicus, sive quemlibet defectum et deformitatem significat, uti ostendi Levit. 22.22. Sic sensus est, q. d. Tota pulchra es, o *sponsa*, *et*, id est *quia* in te nulla est deformitas, sed omnia concinna et formosa.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Pulchritudo Ecclesiæ. I. Tota Ecclesia pulchra est: Primo, pulchritudine legis Evangelicæ, quam profitetur. Hæc enim lex est pulcherrima omnium quæ umquam fuerunt in urbe; in eaque nulla est macula, nullusque defectus, imo in ea traduntur multa consilia Evangelica, quæ summam sanctitatem et perfectionem continent, ut patet Matth. 5. et seq.

II. Secundo, pulchra est pulchritudine cognitionis Dei, veræ fidei, cultus et religionis, quia colit Deum non ritu externo in holocaustis bestiarum, uti Synagoga Iudæorum, sed in spiritu et veritate, Ioan. 4. Unde sacrificium habet nobilissimum, puta Eucharistiam, in qua quotidie Deo Patri Christum crucifixum, eius unigenitum incruente immolat et offert.

III. Tertio, pulchra est, quia pulchras habet ceremonias, ritus, ornatus templorum, organa, concentus, etc. ac præsertim pulchra Sacramenta, inter quæ Baptismus animam ab omni culpa expurgat, ac nitidissimam efficit. Unde Optatus Milevitanus lib. 5. *Baptismus,* inquit, *virtutum est vita, criminum mors, nativitas immortalis, cælestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.*

IV. Quarto proprie et subiective, Ecclesia tota pulchra est per gratiam, et iustitiam inhærentem fidelibus iustis et sanctis, qui soli potissima et perfectissima Ecclesiæ membra sunt, ideoque hic sponsæ nomine censentur, ut dixi canone 17. in his enim nulla est macula gravioris culpæ sive peccati mortiferi, quod solum sponsam deformem, id est, Deo ingratam et exosam reddit. Esto enim nemo immunis sit a culpa veniali, hæc tamen levior est, nec maculæ hoc loco nomine censetur: ab hac tamen quoque immunis erit in altera vita per amorem, gloriam, et visionem beatificam. Unde Beda, Nyssenus, S. August. 1. Retract. cap. 19. S. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. et alii τὸ *tota pulchra es,* attribuunt Ecclesiæ in cælis triumphanti: militanti tamen eo sensu, quo dixi. Idem eidem assignant Cassiodor. S. Gregorius, Beda, Philo, Anselm. et alii.

V. Denique Ecclesia tota pulchra est, quia in singulis suis partibus et gradibus speciosa et sancta est, puta in religiosis, qui quasi capilli eius sunt; in doctoribus, qui quasi dentes eius sunt; in prædicatoribus et martyribus, qui eius labia coccinea sunt; in virginibus, qui eius genæ sunt; in Pontificibus, qui eius collum; in sacerdotibus et diaconis, qui eius sunt ubera; ac consequenter in laicis, qui iis lactantur, uti superius dixi. Ita Iustus Orgelit. hoc est, quod huc alludens Apostol. ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Ephes. 5. 25. Vide ibi dicta.

Huc facit versio Chaldæi: *Et in tempore, quo populus domus Israel faciunt voluntatem dominatoris sæculi, laudat eos in cælis excelsis, et sic dicit: Tota pulchra es congregatio Israel, et macula non est in te.* Pulchritudo enim Ecclesiæ in eo consistit, ut se Dei legi et voluntati conformet; hæc enim est iustissima et sanctissima, ideoque pulcherrima.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta tota pulchra est per eycladem gratiæ, charitatis omniumque virtutum, quam Deus ipsi infundit, ut eam ornet et speciosam efficiat: unde illa hoc gratiæ decore exultans ait: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiæ circumdedit me,* Isaiæ 61. 10. Gratia enim est summus ornatus animæ; quia eam efficit Dei amicam, filiam, sponsam, hæredem, imo divinæ consortem naturæ, ut ait S. Petrus epist. 2. c. 1. v. 4. Causam dat Theod. *Immaculata,* ait, *et pulchra evasit sponsa, quia propinqua sponsi effecta est, atque ita omnes splendores suscepit, et lucida ex ipso luce reddita est.* Audi S. Greg. qui sibi obiiciens; nulla anima immunis est a peccato veniali; quomodo ergo tota est pulchra? respondet: *Dum sancta anima a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, et a maioribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assidue servat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper sint vestimenta tua candida. Et illud: Iustus autem ex fide vivit. Quamvis enim mox ut peccat, a iustitia deviet: tamen dum semper credit in eum, qui iustificat impium, et assidue sub eius fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones iustitiam suam retinet.* Porro S. Ambros. l. 1. de Virginibus, iis specialiter adaptans: *Pulchritudinem,* inquit, *quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur a rege, probatur a iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo? semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino: Tota es formosa, proxima mea, et reprehensio non est in te.*

Denique tres Anonymi apud Theodoretum: « Tota pulchra es, quia pulchra es, inquiunt, mente, et anima, et carne; et quidem carne, quippe quæ repurgata sis a vi et efficacia perturbationum, et ornata virtutum moribus: anima vero, ut quæ liberata sis omni concupiscentiæ vitio, et sermonibus vel rationibus decorata præceptorum: mente vero, ut quæ vilibus cogitationibus liberata, et splendenti in Spiritu sancto per gratiam deificatione refulgeat. Ac ob id macula non est in te, quæ propter perfectionem proxime mihi effecta sis. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo tota pulchra est, imo omnium non tantum hominum, sed et Angelorum pulcherrima, et nulla in ea est macula culpæ vel pœnæ, sive originalis, sive mortalis; sive etiam venialis, uti tota sentit et consentit Ecclesia, teste Concil. Trident. sess. 6. Canon. 23. Unde S. August. de Nat. et gratia cap. 36. cum omnes homines, etiam iustos peccato veniali subiacere dixisset, subdit: « Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstio-

nem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. »

Unde hæc verba Cantici: *Tota pulchra es, et macula non est in te*, B. Virgini soli appropriant Rupertus, Psellus, Hugo uterque, scilicet Cardinalis, et de S. Victore, S. Thomas, Galatinus, et S. Ildephonsus de Laudibus B. Virginis.

VERS. 8. VENI DE LIBANO, SPONSA MEA, VENI DE LIBANO, VENI: CORONABERIS DE CAPITE AMANA, DE VERTICE SANIR ET HERMON, DE CUBILIBUS LEONUM, DE MONTIBUS PARDORUM.

Variæ versiones

Hebræum אִתִּי *itti*, id est, *mecum a Libano sponsa, mecum a Libano venies*. Verum Noster æque ac Sept. pro אִתִּי *itti*, id est, *mecum*, alio puncto legerunt אֲתִי *ati*, id est, *veni*; quamquam eodem redeat sensus: si enim legas *itti*, id est, *mecum a Libano sponsa*, subaudias oportet, *veni*, vel *venies*, quod sequitur. Pro *coronaberis*, Hebr. est תָּשׁוּרִי *tasciuri*, quod Vatabl. et alii vertunt, *aspicies*, q. d. Aspicies de vertice Amana, Sanir et Hermon subjectas valles et campos arboribus, floribus, herbis, fructibus virentes et vernantes; quod secutus Lyran. hæc refert ad Hebræos tempore Iosue, quos ex hisce montibus terram Chanaan sibi promissam contemplatos esse asserit, ut ejus ingrediendæ desiderium in se acuerent. Alii *tasciuri*, vertunt, *cantabis*, præ voluptate et gaudio: שִׁיר *Scir* enim est Canticum. Alii, *ibis*, vel *incedes*. Unde Septuag. *Transibis*, inquiunt, *de vertice fidei*. *Amana* enim Hebr. veritatem et fidem significat. Hinc et Syrus cum Arabico vertunt: *venies et transibis*. Alii *tasciuri* vertunt *dirigeris*, vel *rectificaberis*, aut *recta evades*, a radice יָשַׁר *iascir*, id est, direxit, rectum fecit. Noster pro *tasciuri*, per scin, legit *tasuri*, per שׂ sin תָּשׂוּרִי. שׂוּר *sur* enim significat dominari, regere, imperare: *tasuri* ergo, id est, *dominaberis*, imperabis ac ut regina *coronaberis*.

Libanus notus est mons maximus, Iudææ confinis: dictus Libanus vel a candore nivium, quibus abundat; לָבָן *Laban* enim significat album et candidum; vel a thure, cujus ferax est: *Libanos* enim Hebr. significat *thus*. Unde Philo Carpath. *Veni de Libano* sic explicat, q. d. Veni de thure idololatriæ, quod idolis obtulisti, ad verum Dei in Sionis templo cultum. Amana mons est altissimus trans Iordanem juxta Libanum, Hermon, et Sanir montes situs: Glossa tamen per Amana accipit Amanum montem, qui Ciliciam a Syria disterminat. Sanir pars est vel appendix montis Hermon, ut patet Deuter. 3. 9. Adrichomius in descript. terræ sanctæ pag. 93. num. 83. vult Sanir eumdem esse montem cum Seir: hic enim adiacet monti Hermon: Seir dictus est ab accola Esau, qui dictus est *seir*, id est pilosus, quia hirsutus: Sanir ergo mons celsus est trans Iordanem ad orientalem plagam terræ Hus situs, atque a septemtrione monti Hermon, ab Austro monti Galaad coniungitur: a civitatibus vero Capharnao et Corozaim versus æstivalem solis ortum alicubi quatuor, alicubi sex et pluribus milliaribus distat.

Amana mons ubi situs? Sanir an idem quod Seir?

Hermon quid?

Hermon mons est excelsus ultra Iordanem e regione urbis Paneadis situs, quam ab ortu respicit; a meridie vero monti Seir iungitur, ac vergens versus septemtrionem, qua Trachonitidem regionem circumit, prope Damascum Libano se copulat. unde in sacra Scriptura frequenter habemus, quod terra filiorum Israel trans Iordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon extendatur. Est et alius Hermon mons citra Iordanem iuxta Thabor, et tertius in tribu Aser adeo altus, ut perpetuo nives habeat.

Mons pardorum.

Igitur Libanus, Amana, Sanir, et Hermon sunt montes sibi vicini extra Iudæam, sed Iudææ confines ejusque limites, in quibus erant speluncæ vastæ, ubi degebant leones et pardi: unde hic dicitur: *De cubilibus leonum, et montibus pardorum*; licet Adrichomius ex Brocardo et Bredenbachio in descript. terræ sanctæ pag. 186. n. 20. separatum montem constituat, qui dictus sit pardorum a pardis in eo degentibus, æque ac leonibus, ex quorum cum pardis commixtione nascuntur leopardi: Mons Leopardorum, ait, rotundus et altus est, qui contra Aquilonem a Tripoli duobus, versus Austrum a civitate Arcas tribus, a Libano autem uno milliario distat; additque ibi ostendi ingens in spelunca monumentum, quod incolæ putant esse sepulcrum Iosue, sed verius videri esse sepulcrum Chanaan filii Cham, filii Noe.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

NONNULLI per Libanum, Amana, Sanir, et Hermon montes accipiunt Ierusalem et Iudæam, atque ex ea hic avocari a Christo censent Apostolos et fideles, ut a Iudæis utpote incredulis, et crudeliter instar leonum et pardorum in Christianos sævientibus egrediantur ad gentes, illisque prædicent Evangelium: sic enim per Libanum significatur Ierusalem, Zachar. 11. Ezech. 17. 3. et alibi.

Libanus, Amana, Sanir, et Hermon montes extra Iudæam in Phœnicia siti.

Melius alii per Libanum, Amana, Sanir et Hermon montes, utpote extra Iudæam in Phœnicia sitos, accipiunt Phœnices, id est, Gentiles. Unde S. Athanas. in Synopsi S. Scrip. in Cantic. censet, hisce montibus designari Ecclesiam Gentium; Gentes enim hic avocari ab idololatria et Gentilismo ad fidem et Christianismum, ut Christi Ecclesiæ inserantur, sic et Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 11. Paulo aliter Theod. qui per Libanum, id est, dealbationem censet notari vocationem Gentium, quæ infidelitate atræ, Baptismo ablutæ et dealbatæ fuerunt. Per Hermon vero rorulentum, et Sanir, id est, lucernarum viam significari vocationem Iudæorum, qui legis lucem et rorem a Mose acceperunt: rursus, per leones notari Iudæos audaces, per pardos Gentilium sapientes et sophistas. Hæc Theodor.

Sensus ergo est, q. d. Tu, o Ecclesia Gentium, quæ a me Christo ab æterno prædestinata es, et in tempore destinato vocanda es ad Christianismum, ut fias mihi sponsa; veni de horridis sylvosisque montibus, de Libano, inquam, Amana, Sanir et Hermon, id est, de infidelitate et Gentilismo, ubi inter idololatras, infideles et impios, quasi inter sævos leones et pardos ferarum more vixisti, et inter feras horridam vitam egisti, veni in speciosam Ierusalem et Sion, ubi Deus in templo suo colitur; veni, inquam, ad Ecclesiam et montem myrrhæ, et collem thuris, id est, ad montem Oliveti et Calvariæ, ubi captus et crucifixus est Christus, ut in eum credas; atque ad Sion, ubi cœpit Ecclesia Christianorum, uti illi associeris. Veni ergo ad Christianismum, ibi inter Christianos humiles, mites et benignos, velut inter columbas, hinnulos, et agnos vitam ages suavissimam et sanctissimam: imo ibi coronaberis velut sponsa Regis Christi, ideoque Regina: coronaberis, inquam, in hac vita per gratiam, in futura vero per gloriam. Aut aptius et nervosius, q. d. Tu, o primitiva Ecclesia, quæ per Apostolos eorumque socios et asseclas laboras in Libano, Amana, Sanir et Hermon, id est, in Gentilitate convertenda ad Christum, inde veni cum magnis Gentium a te conversarum manipulis, ut eos adducas in Sion, hoc est, ad Christi Ecclesiam; quod si feceris: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, id est, de Gentibus a te conversis triumphabis, easque quasi in triumphum duces, ac corona triumphali coronaberis. Ita Noster Alcazar in allusionibus ad Apocalypsin lib. 8. ubi ait hoc versu promitti Romæ novæ, id est, Christianæ, perfectam de Roma veteri, id est, ethnica, ac de universo imperio victoriam. Nominat ergo regiones, quarum Ecclesia quasi in triumphorum ferculis ante se latura sit simulacra: primum de Amana, id est, de fide plantata quasi fidei coronam; secundum de Sanir, id est, dente lucernæ (hoc enim Hebr. est *Sanir*) ob prædicatores luce doctrinæ et virtutum splendentes, per quos regiones illas convertisti;

tertium de Hermon sive Chermon, quia Ecclesiam Gentium quasi חרם *cherem*, id est anathema Deo vovisti, consecrasti et sacrificasti; occidisti enim in eis infidelitatem, vitia et diabolum, ac vivere fecisti in eis fidem, virtutes et Christum; quartum de debellatis leonibus et pardis, id est, tyrannis, et persecutoribus, quos tibi, o Ecclesia, subegisti.

Huc facit Chaldæus: « Dixit, inquit, Dominus in verbo: Mecum habitabis, cœtus Israel, qui similis es sponsæ honestæ, et mecum ingredieris in domum sanctuarii, et offerent tibi munus principes populi, qui habitant super fluvium Amana, et incolæ, qui morantur in vertice montis nivis, et gentes, quæ sunt in Hermon, et offerent tibi tributa habitatores civitatum fortium, qui sunt robusti, sicut leones, et munus ab urbibus montium, qui sunt fortiores leopardis. » Ita Cassiodor. S. Gregor. Philo, Beda, et Iustus Orgeliten. qui tamen aiunt Ecclesiam de Libano, id est ex dealbatione Baptismi vocari ad coronam cælestem per infideliam et impiorum conversionem, imo et ad coronam præsentis vitæ, qua decoratur Ecclesia per fidelium turbam, ait Beda.

Simili schemate de subactis et mansuefactis Gentibus Ecclesiæ triumphum depingit Isaias cap. 11. 6. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo, et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos, etc.* Porro quod ait de vertice notat vertices, id est, principes Gentilium, puta illos, qui inter eos, imperio, sapientia, opibus, auctoritate eminebant, convertendos ad Christum tacitèque hic monet viros Apostolicos, ut vertices, id est, principes convertant: iis enim conversis subditi facile convertuntur. Hinc S. Franciscus Xaverius adibat reges et principes Indorum, ac magnum regem Sinarum primo adire, sibique conciliare destinabat, ut ab eo facultatem evangelizandi per totum regnum impetraret; idemque monebat nostros, ut primo prælatos et magistratus sibi devincirent, ut illi conatus eorum promoverent, alioqui frustra laboraturos.

Vertices, id est principes convertendi.

Addit Hurtadus hos quatuor montes sitos esse ad quatuor plagas orbis, respectu Palæstinæ. Libanus enim situs est ad septemtrionem, Amana ad occidentem, Hermon ad orientem, Sanir ad meridiem; hocque situ significari gentes universas ex quatuor orbis plagis venturas ad fidem et Ecclesiæ se subdituras, iuxta illud Isaiæ 43. 5. *Noli timere, quia ego tecum sum; ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terræ.* Et illud Christi: *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno cælorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. 11 Hæc enim omnia, quæ dicuntur Cant. 4. spectant ad virilem ætatem Ecclesiæ, quando illa propagata per omnes gentes, regnum suum spirituale toto orbe stabilivit; unde quasi regina orbis, gentium omnium fide et obedientia coronata incessit, iuxta illud Isaiæ 49. 18. *Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus; quia omnibus his velut ornamento vestieris; et circumdabis*, vel *coronaberis tibi eos quasi sponsa.*

Porro Septuag. versionem, quæ habet: *Venies et transibis ab initio fidei*, sic interpretatur Philo Carpath. *Venies a Gentibus: transibis a lege, a primitiis fidei, a capite Sanir et Hermon. Sanir interpretatur rubus, et Hermon spiritus, sive vox sublimis: principium enim fidei ab eo fuit, qui in rubo locutus est Mosi, et voce sublimi locutus est filiis Israel, cum eos eduxit ex Ægypto, in unumque coegit.*

Aliter S. Augustinus in Ps. 67. sub finem: *Ab initio fidei*, inquit, quia, ut bona opera sequantur, præcedit fides, nec ulla opera bona fiunt, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem: fides enim est principium omnis boni et virtutis. Unde tres Anonymi apud Theod. legentes: *Venies, et pervenies ab initio fidei a capite Sanir, etc.* Sic explicant, q. d. Venire incipies per fidem, sed pervenies ad coronam

A per spem et charitatem, ubi variis tentationibus, quæ leonum et pardorum nomine significantur, exercita fueris. Denique noster Sanchez τὸ *a principio fidei* explicat de B. Virgine, q. d. B. Virgo ab initio conceptionis suæ fuit fidelis, sancta et immaculata, ideoque concepta sine peccato originali, utpote evocante illam ad se Christo. Unde Hebr. habent: *Mecum de Libano venies.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Hæc omnia, quæ dicta sunt de Ecclesia, adapta animæ, commutato nomine. Primo ergo hæc attribui possunt animæ, quæ ex statu peccati et vitiis, quibus bestialiter servivit, a Christo evocatur ad pœnitentiam, virtutes et gratiam, ut iam non serviat concupiscentiæ, sed charitati. Nam, ut ait S. Ioannes Epist. 1. c. 2. 16 *Omne, quod est in mun-*
B *do, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Concupiscentiam carnis notat *Amana*, id est, nutrix: nutrit enim carnem concupiscentia gulæ; concupiscentiam oculorum, id est, avaritiam notat Sanir, id est, iteratio novalis; avaritia enim novis agris et opibus aggregandis inhiat: superbiam vitæ notat Hermon, id est destructio et anathema: superbia enim omne bonum destruit. Ex his ergo vitiorum montibus evocatur anima peccatrix ut pœnitens ad contrarias valles abstinentiæ, paupertatis et humilitatis. Aliter hæc nomina Amana, Hermon, et Sanir interpretatur et adaptat Richard. de S. Victor. et alii, sed minus vere et congrue ad etymon Hebræum.

Secundo, hæc attribui possunt animæ sanctæ, quæ a Christo ad maiorem sanctitatem et perfectionem, ac præsertim ad tria vota vitæ Religiosæ evocatur. Hæc enim ex Amana, id est, gula et luxuria evocatur ad castitatem; ex Sanir, id est, avaritia ad studium paupertatis; ex Hermon,
C id est, superbia ad humilem obedientiam. Hinc ter repetitur τὸ *veni*; primo, ut significetur ardens desiderium Christi, qua optat ut anima se vocantem sequatur, ideoque eam *ter*, id est plene et perfecte vocat; secundo, ut significentur ingentia bona præsentia et futura, ad quæ evocatur; tertio, ut significetur illam evocari ad serviendum sanctissimæ Trinitati per tria vota, et per tres virtutes Theologicas, fidem, spem, et charitatem, ait sanctus Gregorius; quarto, ut significetur ei assidue luctandum esse cum mundo, carne et diabolo; mundum enim significat Sanir, id est, mutatio lucernæ vel novalis: in mundo enim est perpetua mutatio, et successio dignitatum et opum; hæ enim continuo ab uno, vel per mortem, vel per casum aliquem auferantur et alteri conferuntur; quia in mundo assidue gyratur rota fortunæ, ut, his in altum ascendentibus, alii deorsum descendant ut cadant; carnem significat Amana, id est, nutrix, uti iam dixi; diabolum repræsentat Hermon, id est, destructio et anathema, quia diabolus destruit bona omnia, ideoque quasi anathema, æter-
D næ maledictioni, et gehennæ addictus est.

Veni ter repetitur quatuor de causis.

Sanir mundus.

Amana, caro. Hermon, diabolus.

Addit Cassiodorus, et Beda trinum veni, trinum animæ denotare profectum, scilicet in cogitatione, locutione et operatione; sanctus Gregorius vero: primus animæ profectus, inquit, est virtutum progressus; secundus fit per egressum e corpore: tertius per resurrectionem carnis. Porro anima sancta coronatur corona virtutum in hac vita, et corona gloriæ in futura. Hæc deinde ex *Hermon* fit *Herem* vel *Cherem*, id est, mors et consecratio, quia moritur sibi, ut vivat Deo, ac velut anathema totam se consecrat Deo, eique se facit holocaustum. Hæc enim anima paulo ante vocata est tota pulchra, atque evocata fuit in montem myrrhæ, consepulta Christo per Baptismum; ascendit quoque in collem thuris, particeps effecta divinitatis, quæ per thus significatur, per resurrectionem a precatis. Hic autem ulterius evocatur, ut transeat a principio fidei, ut habent Septuag. ad eius consummationem, ut progressum per opera charitatis et virtutum. Ita Nyssenus,

et sanctus Ambrosius lib. de Isaac cap. 5. quem audi: *Egredere*, inquit, *de corpore et totum te exue. Non potes enim mihi adesse, nisi ante peregrinaeris a corpore; quoniam qui in carne sunt, peregrinantur a Dei regno. Ades*, inquit, *ades; bene repetivit, quia sive præsens, sive absens, adesse, et placere Domino Deo tuo debes. Adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præsentes sunt, quorum fides mecum est.* Deinde pulchre idipsum per antitheses explicat: *Adest mihi, qui exit de sæculo; adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum. Adest mihi, qui abfuerit sibi; adest mihi, qui se negaverit sibi; ille mecum est, qui intra se non est; quoniam qui in carne est, non est in spiritu; ille mecum est, qui ex seipso egreditur; ille iuxta me, qui extra se fuerit; ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam suam. Et ideo ades sponsa, transibis, et pertransibis a principio fidei. Transit et pertransit anteros, quæ ad Christum pervenit. Transit fidei merito et operum claritate, quæ lucet sicut Sanir et Hermon, hoc est via internæ transit devictis tentationibus sæculi, et superatis nequitiis spiritalibus, legitimi petens coronam certaminis, et ideo meruit, Christo iudicante, laudari.*

Tropol. leones, dæmones, et tyranni, pardi, hypocritæ et hæretici.

Tropologice, per leones S. Gregor. accipit dæmones, Beda vero superbos, et potentes, uti sunt reges et principes infideles; per pardos maculosos accipit hypocritas, fraudulentos, et dolosos, quales sunt hæretici, ait Philo Carpath. Porro dæmones et tyranni infideles dominabantur Gentibus ante Christum sæve et crudeliter instar leonum: « Hi enim, ut ait S. Greg. vere pardorum varietatem imitantur, quia dum cum virtutibus etiam vitia sectantur, quasi in varia corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus leonum, et de montibus pardorum Ecclesia coronatur, quia dum per eius prædicationem, et crudeles ad pietatem, et hypocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur. »

Anagog.

Anagogice significatur hic avocatio animæ sanctæ e periculis, tentationibus, et ærumnis huius vitæ propter eius patientiam et victoriam, ad cælestem coronam et gloriam. Ita Cassiodorus, Beda, Anselmus, et S. Augustinus in Ps. 67. Unde S. Ambrosius lib. de Virginibus 3. post medium iis adaptans: « Primitias, inquit, vigiliarum tuarum Christo dicato; primitias actuum tuorum Christo immola. Audisti, quia vocavit te dicens: Veni a Libano; transibis et pertransibis a principio fidei. Transibis in sæculum creaturæ, pertransibis ad Christum triumphatura de sæculo. Audisti, quia te a leonum et pardorum, id est, spiritualium nequitiarum incursionibus separavit. »

Similia habet S. Hieronym. lib. 4. contra Iovin. Unde Ioannes Carmelita τὸ *coronaberis de capite Amana* etc. sic exponit, q. d. Coronam de persecutione recipies; dum in Libano vivens, montium, ubi feræ habitant, adversos patieris incursus. Monti quippe amoris persecutionum montes opponi decuit, ut tanta sit laboris probationisque mensura, quanta est tui erga me amoris magnitudo.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo, B. Virgo evocata est ex Libano, Amana, Hermon et Sanir, cum ex Iudæa, et hoc mundo evocata est ad Christum in cælum, ibique coronata regina cæli et terræ cum triplici aureola, scilicet eminentis virginitatis, doctoratus, et martyrii; fuit enim ipsa primiceria virginum, doctorum, et martyrum. Unde secundo, illorum corona est corona B. Virginis, quia eius invocatione, orationibus, et meritis impetrata. Ita Rupert. qui nova, ideoque non satis congrue interpretans nomina Hebræa montium, sic ait: « Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Unde coronaberis? De capite Amana, quod interpretatur nocturnæ avis; de vertice Sanir, quod interpretatur dens vigiliarum; et Hermon, quod interpretatur anathema. Venies de Libano, quod interpretatur candidatio, id est migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo, et coronaberis de omnibus his, id est, de corpore vel membris illius, qui nominibus istis recte denotatur, de regnis mundi huius: Regna namque mundi huius quædam capita, vel quidam vertices recte dicuntur nocturnæ avis, et dentis vigiliarum, et vere anathematizati diaboli a Deo separati, qui cum sit princeps tenebrarum, et tamquam leo rugiens circumeat quærens quem devoret, recte et nocturna avis et dens dicitur vigiliarum. »

Denique per leones et pardos intelligens reges Babyloniorum, Persarum, Medorum et Græcorum, eosdem sic coronæ B. Virginis implectit; reges hi *credant in me* (Christum) *fructum ventris tui: et eorum credentium salus corona tua erit. Ita coronaberis, ut et in cælis regina sanctorum, et in terris regina sis regnorum. Ubicumque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, prædicabitur et de te, quod sis, o dilecta, et mater huius coronati; ac proinde regina cælorum, totum iure possidens filii regnum; atque hoc intuitu reges atque imperatores coronis suis te coronabunt, palatia sua nomini tuo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, ut desinant esse, quod fuerant montes pardorum, cubilia leonum.*

Hinc sanctus Epiph. hæresi 78. lib. 3. beatam Virginem vocat leænam, quæ est regina animalium omnium; quia ipsa peperit Christum quasi leonem divinum, per quem omnes leones terrestres perdomuit, imo ex leonibus agnos effecit. Additque B. Virginem unum tantum edidisse filium, sicut leæna unum edit catulum, et semel tantum parit; leænæ enim non contingit secundus partus. Causa est, inquit, quod leæna catulum utero gestat per 26 menses, quibus catulus adolescit ac perficitur dentibus, unguibusque, quibus matricem divellit et incidit: quare matrem in partu simul cum catulo matricem excernere asserit, ideoque non posse illam amplius fœtum utero concipere, cum conceptionis locum et sedem, puta matricem amplius non habeat. Hæc Epiphanius, sed hoc falsum esse docent physici et experientia, quæ docet leænam pluries et sæpius parere. Vide dicta Ezechiel. 19. 2.

Virgo Leæna.

An leænæ semel tantum pariant.

Vers. 9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

Sponsus, inquit Theodoretus, avocata ad se e Libano sponsa, cum eam, eiusque decorem fuisset intuitus, captum se dicit eius amore, et vulneratum eius oculo et crine.

Pro *vulnerasti* hebr. est, לִבַּבְתִּנִי *libbavtini*, quod deducitur a לבב *levav*, id est, cor. Unde Septuag. vertunt ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, id est, *excordasti nos*, hoc est, ut Vatabl. *Abstulisti mihi cor.* R. David. *Transfixisti mihi cor;* Complut. *Stupefecisti me;* Arabicus: *Inflammasti corda nostra;* alii: *Incordiasti me*, id est, in corde me sauciasti; cordis autem vulnus est summi doloris et mortiferum; sic amor facit, ut anima quasi moriatur in corpore amantis et vivat in corpore amati. Aut *incordiasti me*, id est, ut ait Nyssenus, cor meum mihi eripuisti, et in corde tuo conclusisti et captivasti. S. Ambrosius in Psal. 118. serm. 11. vertit: *Corde nos cepisti.* Idem serm. 16. *Cor meum cepisti.* Symmach. apud Theodor. *Excitasti cor meum.* Quinta editio et Syrus: *Confidere me fecisti;* alii: *Cor mihi indidisti*, cor, id est, mentem, q. d. Ostendisti mihi, quid intueri et amare deberem, scilicet non aliud, quam te. Aut potius, q. d. Cor tuum mihi inseruisti, ut illud in me operetur, atque ego omne id faciam, quod cor tuum desiderat.

In uno (id est, ut Symmach. *per unum*) crine colli tui,) crine non simplici, sed ex multis implicato, puta plexu et fune ex crinibus intorto. Solebant enim capillos in varias plicas, vel potius tricas colligare, uti fecit Samson Iudic. c. 16. v. 13. atque uno alterove ex illis collum circumdare; itaque crines circa collum contorquere. Hebr.

enim est ענק anac, id est *fune* vel *torque*. Unde Septuag. *in uno* ενθέματι id est, *ornamento*, vel *torque colli tui*. Sic et Syrus et Arabicus. Aquila: *In uno serto* (pendente) *e collo tuo*; Symmach *In uno monilium colli tui*. Sic crinem pro vinculo et fune ex crinibus intorto sumit Plinius l. 47. 23. *Iugum*, inquit, *sit pertica*, *aut arundine*, *aut crine*, *funiculove*. Quocirca noster Alcazar in allusion. ad Apocalypsis l. 3. per unum crinem colli, accipit unam ex duabus circulationibus torquis circa collum.

Virgines Solymitanæ ac Arabicæ ita faciem velabant, ut unum solum oculum liberarent.

In uno oculorum tuorum.) Arab. *Propter pulchritudinem oculorum tuorum*. *In uno*, quia sponsa capite velata more nuptiali, non nisi oculum unum ostendebat, utpote quem ad iter et actiones cæteras audare debebat. Idem factitabant virgines Solymitanæ æque ac Arabicæ, de quibus Tertull. l. de Velandis Virginibus sub finem: *Iudicabunt*, inquit, *vos Arabicæ fœminæ ethnicæ*, *quæ non caput*, *sed et faciem quoque ita totam tegunt*, *ut uno oculo liberato*, *contentæ sint dimidiam frui lucem potius quam totam faciem prostituere*.

Adde, quo fertur et aspicit oculus unus, eo consistenter naturæ ductu fertur, aspicitque et alter. Oculus est sedes animi. In oculo enim relucet cor, animus, affectus; quare oculus fœminæ pulchræ, amatis et illicis cor viri intuentis vulnerat, illudque ad se rapit. Oculi enim radios vibrant et quasi sagittas amoris eiaculantur, uti de Helena scribit Theocritus Idyl. 18.

Exempla.

Refert Iacobus de Vitriaco Cardin. sanctimonialem quamdam pulchritudine oculorum ita vulnerasse cor Principis, ut omni modo eam sibi tradi vellet. Quare illam evulsos oculos ad Principem misisse ac dixisse: *Ecce sagittæ*, *quæ cor tuum sauciorunt*. Simile plane aliam virginem fecisse narrat Sophronius in Prato spirit. c. 60. ac simile prorsus de S. Lucia narrat Sabellicus lib. 4. Exempl. c. 8. Idem et subinde magis faciunt crines flavi, comptique fœminarum.

Illex crinis feminæ.

Crescit ergo gradatio ab oculis ad crines, quia crines flavi, fulvi, crocei, aurei et lucentes mire effulgurant, itaque rapiunt oculos intuentium. Unde a poetis Italis comparantur fulguri, et dicuntur fulgurare. Quare Virgilius 2. Æneid. crinem flagrantem nuncupat. Adde fœminas decorem suum ponere in capillis ornandis, poliendis, fucandis, comendis. Unde Comicus: *Dum comuntur, dum poliuntur annus est*; et Catullus: *Splendidas quatiunt comas*. Insuper crines pulchre gyrantur et crispantur: per crinem ergo unum crispationem unam crinium intellige, quæ pulchram cæsariem efficit. Unde Virgil. 12. Æneid. *Vibrati calido crines ferro*, id est crispati calamistro. Ad hæc crines perungebant unguento odoratissimo, unde suavissimum efflabant odorem. Audi Horat. 3. Carm.

Sparsum odoratis humerum capillis.

Et Ovidius Epist. 21.

Non Arabo noster rore capillus olet.

Et Tibullus l. 3.

Spirabat Tyrio myrrhea rore coma.

Et Silius lib. 11.

—— *Crinem perfundit amomo.*

Præterea fœminæ adeo polite crines pectunt, et ita discriminali discernunt et discriminant, ut pulcherrimi appareant, ut patet in sponsis; quorum elegantia in crine polito et belle discriminato sparsoque consistit. Unde Festus: Crines, inquit, a discretione dicti sunt.

Crines a discretione dicti.

Denique crines collo intortos, aureo torque injecto, implectebant et ornabant; nonnulli etiam crines ipsos inaurabant, aut fuco eleganti fulgidos et radiantes efficiebant. Unde Virgil. 4. Æneid.

—— *Cui crines nodantur in aurum.*

Idem lib. 8.

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Idem lib. 10.

—— *Fusos cervix cui lactea crines*
Accipit, et molli subnectit circulus auro.

Et Ovidius 15. Metamorph.

Electro similes faciunt auroque capillos

Et Claudianus l. 3. de raptu Proserpinæ,

—— *Pulchrior auro*
Cæsaries, fulvoque nitet coma gratior auro.

Hisce ergo crinibus adeo elegantibus et fulgentibus sponsæ vulnerabat cor sponsi.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus est obedientia.

Christus sponsus ait: Vulnerasti cor meum, o Ecclesia sponsa, per unum oculorum tuorum, quia scilicet uno totoque oculo, eoque columbino, id est pudico, modesto, et simplici me aspicis: me enim solum spirituali amore diligis, mihi soli placere satagis: *Et in uno crine*, id est torque crinito *colli tui*; hic torques est obedientia, qua collum ultro legi meæ subiicis, uti dixi c. 1. v. 10. hac enim velut torque cor meum ligas, tibique adstringis et alligas. Oculus ergo notat intentionem et amorem; crinis, sive torques obedientiam; hæc enim duo, quasi duæ sagittæ acutæ et ignitæ vulnerant cor Christi, ut illud amore saucium Ecclesiam tam sui amantem summe redamet, imo illum quasi excordant, id est cor illi auferunt, illudque sponsæ traducunt, ut illa ipsum flectat, quo vult, illoque utatur ad libitum, imo ut illa ipso vivat, moveatur et operetur. Sicut S. Catharina Senensis pro corde suo petiit et obtinuit cor Christi, ut illo vegetaretur, viveret et ageret quæcumque agebat. Unde S. Paulus: *Vivo ego*, inquit, *iam non ego*, *vivit vero in me Christus*, puta cor Christi, Galat. 2. 20.

S. Catharina Senensis vivebat corde Christi. Oculi symbola.

I. Cognitionis et fidei.

Porro oculus hic plura notat: Primo, cognitionem et fidem: oculo enim res intuemur et cognoscimus, q. d. Unam, o Ecclesia, in me Christum Salvatorem tuum habes fidem, et cum S. Paulo iam aliud non nosti, quam Iesum et hunc crucifixum: quare cogis me, ut ego vicissim te unam intuear et aspiciam. Quocirca noster Alcazar in allusionibus ad Apocalypsin l. 3. totum hoc caput 4. explicans de laudibus Ecclesiæ Romanæ antiquæ, per unum oculum accipit fidem S. Petri, per unum crinem colli obedientiam S. Pauli, q. d. Totius victoriæ et gloriæ, quam de subactis leonibus et pardis, id est tyrannis infidelibus consecuta est Roma Christiana, origo et causa fuit fides S. Petri et obedientia S. Pauli. Hinc multi per oculum intelligunt contemplationem, per crinem cogitationem piam, quæ fovet contemplationem; aut per crines accipiunt actionem sanctam, quæ ex contemplatione sequitur.

II. Spei.

Secundo, oculus notat spem; quod enim speramus hoc oculo aspicimus. Unde quinta editio vertit: *Fidere me fecisti*, q. d. quia tu, o Ecclesia, totum tuum oculum, id est totam fiduciam in me defixisti, hinc ego vicissim tui quasi sponsæ mihi charissimæ singularem curam habebo, teque ita curabo ac si nil aliud curarem.

III. Amoris.

Tertio, oculus notat amorem; nam quod amamus, hoc oculo fixo intuemur. Unde illud: *Ubi oculus*, *ibi amor*; *ubi manus*, *ibi dolor*. Quod enim membrum manu crebro contingimus, illo dolemus.

Huc facit Chaldæus, qui more suo Iudaizans hæc exponit de Synagoga Iudæorum, quæ fuit typus Ecclesiæ Christianorum: « Infixus est, inquit, in tabula cordis mei amor tuus, soror mea cœtus Israel, quæ comparata es sponsæ, quæ est honesta. Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est iustus, sicut unus de principibus concilii, et sicut unus ex regibus domus Iuda, super cuius collum positum est diadema regni.

Denique Ecclesia dicitur soror Christi, quia ipse quoad carnem ex eodem patre Adamo, quo ipsa, progenitus est. Ita S. Anselmus. Unde S. Isidor. lib. 9. Etymol. c. 6. *Soror*, inquit, *ex eodem semine dicta est*, *quod sola cum fratribus in sorte agnationis habeatur*: licet alii aliud sororis dent etymon. Audi problemata Gelliana apud Iulium Scaligerum num. 94. *Quamobrem soror dicta? An quod seorsim a domo nascatur? An videtur soror quasi adscititia sarcina, et non augere familiam? nam sororiari antiquis fuit turgere; ita quasi familiæ tuber est*: Nonius Marcellus de Propriet. ser. c. 1. n. 258. *Soror*,

Sororis etymon.

sit, *dicitur, quod quasi seorsim nascitur, separaturque ab ea domo, in qua nascitur.* Hoc sororis etymon etiam congruit Ecclesiæ; nam ipsa e domo et familia parentis sui Adæ peccato vitiata separata transiit per Baptismum in domum et familiam Christi. Denique S. Bern. vel quisquis est auctor libri de Passione Domini: *Solent*, inquit, *sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo, amari ardentius quam postea; tempore enim procedente, amor ipse componitur, sponsus ergo noster, ut magnitudinem insinuet sui amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper novus sit; sororem eamdem vocat, ad significandam puritatem et castitatem amoris istius sui, qui nihil carnale sapiat.* Denique Ecclesia Christi est soror castitate, sponsa fœcunditate.

Symbol. Symbolice, sanctus Gregorius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, et alii per unum oculum accipiunt unitatem doctorum, per unum crinem unitatem fidelium, quos velut membra doctores quasi collum Christo capiti coniungunt: *In uno oculorum*, inquit, sanctus Gregorius, *et in uno crine colli sponsæ sponsus vulneratur, quia profecto usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum et plebis in Ecclesia confirmetur.*

Porro Nyssenus, qui censet hæc esse verba non sponsi, sed sociorum sponsi, puta angelorum, ac Græcum ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, vertens *Cordificasti nos*, vel *cor nobis indidisti*, sic explicat, q. d. angeli: Tu, o Ecclesia, et anima sancta, cor, id est mentem et intellectum nobis indidisti; nam in te et ex te intelligimus, et admiramur Dei erga te sapientiam et beneficentiam. Videmus enim Deum tibi indidisse unum mentis oculum, quo scilicet non aliud quam Deum, et verum bonum in omnibus tuis actibus intuearis et spectes, atque torquem colli, id est obedientiam, qua plane eius iussis obedis, et plene eius voluntati te aligas et conformas, perinde ac facimus nos Angeli; sed nos puri sumus spiritus, tu vero carne constas et concupiscentiis laboras.

Melius Philo Carpath. ex Septuag. vertens: *Vulnerasti cor nostrum*, per *nostrum* censet significari tres Personas SS. Trinitatis, quæ amore hominum commotæ decreverunt, ut Filius pro eorum salute incarnaretur.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Iam dicta de Ecclesia applica animæ sanctæ, ac in primis per oculum intellige maxime ad litteram significari intentionem casti amoris, qua anima sancta uni Christo quasi sponso, quem deamat, in omnibus summe placere intendit et contendit; per crinem vero vel torquem crinitum significari obedientiam, qua singulis Dei legibus et inspirationibus, ac prælatorum suorum (hos enim collum denotat) obedire satagit: sicut enim torques crinitus ex multis crinibus intorquetur, sic plena obedientia ex omnium legum et inspirationum prompta executione perficitur. Tam enim intentio amoris, quam obedientia vulnerat mentem Christi, illamque rapit, ut animam sui tam amantem mire redamet. Unde Ioannes Carmelita sic explicat: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*, id est, fide tua per dilectionem operante, velut sagitta quadam sauciasti me: *Et in uno crine colli tui*, id est obedientia tua, quæ est crinis seu torques collum tuum ligans ad obtemperandum, sauciasti me, qui non egeo catenis, seu vinculis ferreis ad te trahendam; uno enim ex crine suavissime quo placet duco te. His adde

Oculus unus symbola. I. Primo, per oculum notari contemplationem cœlestium, vitamque contemplativam, per torquem colli actionem, vitamque activam, ac virtutes illas, quæ in actione consistunt, uti sunt beneficentia, iustitia, patientia, etc. quæ nos proximis uniunt, et quasi crines colligant. Ita Theodoret. et tres Anonymi apud ipsum.

Huc accedit Richard. de S. Victore qui per oculum accipit curam salutis propriæ, qua anima sese unit Deo; per crinem colli curam salutis alienæ, quia sicut collum membra iungit capiti; sic anima curans aliorum salutem, illos, seu membra Christo capiti iungere satagit; ipsa ergo est instar colli.

ii. Secundo, Aponius per unum oculum accipit cor mundum, quo Deus videtur: per unum crinem vel torquem crinitum, fideles uno charitatis vinculo implexos et constrictos, qui per eleemosynam sua in pauperes distribuunt.

iii. Tertio, oculus unus est dexter, qui intendit rebus spiritualibus et æternis: oculus alter est sinister, qui intendit rebus temporalibus, et caducis. Unde Naas rex Ammonitarum volens Hebræis eruere oculum dextrum, ut ad bellum eos faceret ineptos et cæcos (sinistrum enim oculum tegebant clypeo) significat diabolum, qui menti eripere studet studium rerum cælestium, ut ipsa toto oculo quasi sinistro intendat terrenis. 1. Reg. 11. v. 2. Ita Iustus Orgel. et S. Ambr. in Ps. 118 ser. 11.

iv. Quarto, S. Hier. lib. 1. contra Iovin. per oculum dextrum accipit studium virginitatis, per sinistrum coniugium et studium prolium; sicut enim oculus dexter præstat sinistro, sic virginitas coniugio; « Non repudio nuptias, inquit, habes et sinistrum oculum, quem tibi dedi propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non possunt: sed magis mihi dexter virginitatis oculus placet, qui si cæcatus fuerit, omne corpus in tenebris est. Ac ne putaremus Christum sponsum amorem carnis et nuptias significare corporeas, illico exclusit hunc sensum et ait: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; ubi per sororis nomen suspicio omnis fœdi amoris excluditur. »

Porro vulnus, quo Virgo et anima sancta uni Christo intendens, ideoque prius a Christo vulnerata, vulnerat vicissim cor Christi, est vulnus charitatis quod non nisi eundo curatur, quia amando magis sanciatur et crescit: optat enim amans vulnus amoris augeri, quia hoc vulnere vegetatur et vivit; quo enim Christus videt se magis ab anima amari et amore vulnerari, eo magis illam amat, eo magis hoc vulnere amoris deliciatur et gaudet; vulnus enim hoc non est corporale, quod animam lædat, sed spiritale, quod animam amore penetrat, et penetrando in amore corroborat, ideoque animam vicissim vehementius amore vulnerat; sicut enim sol radios vibrat in speculum qui in eo collecti unum quasi radium densatum incidissimum efficiunt, atque a speculo repercussi in solem ipsum retorquentur, eumque quasi vulnerant, sed sola luce non sanguine: sic pariter Christus sol iustitiæ amoris sui radios vibrans in animam quæ illos colligit, et per unam intentionem amoris, velut radium incidissimum et flagrantissimum in Christum reflectit: Christus ipse eodem quasi vulneratur, sed vulnere lucis, non sanguinis, quia sagitta spiritualis amoris transfigitur, ut ardentius quam ante animam ita amantem redamet: quare vulnus hoc spirituale fundit non cruorem, sed amorem. Vulnus charitatis.

Rursum S. Gregorius et Iustus Orgel. τὸ *vulnerasti* referunt ad vulnera, quæ Christus in passione pro nobis excepit, q. d. Tui amor, o anima, me in cruce vulneravit: nam ut te sanctificarem, mihique amore coniungerem, ego clavorum et flagellorum vulnera suscepi: vulnus enim amoris, quod Christus gerebat in animo, impulit eum ad excipienda tot tantaque vulnera in corpore. Unde S. Bernardus, vel quisquis est auctor libri de passione Domini: *Per carnale vulnus*, inquit, *quod Christus in cruce accepit in latere, vulnus spirituale ostenditur, et hoc fortasse significatur dum bis dicitur, vulnerasti. Utriusque enim vulneris ipsa soror et sponsa causa est, ac si sponsus aperte diceret: Quia solo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum: quis enim cor suum pilo vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus percepisset?*

Denique quod Vatabl. et alii pro *vulnerasti cor meum* vertunt, *abstulisti mihi cor*, id est, mentem, significat summum amoris gradum, qui teste etiam Platone est amentia: sicut enim amor mundanus nimius amantes facit amentes ut insanire videantur; sic et amor spiritualis. Iuvenis enim amore amasiæ, mercator amore pecuniæ Summus amoris gradus est amentia.

rum, ambitiosus amore gloriæ captus, illi totum cor et mentem tradit, ut non nisi de ea valeat cogitare; quare sui honoris obliviscitur, omnemque perdit pudorem, nec quidquam eum retinere, aut prohibere potest, non labor, non vexatio, non periculum, non mora, non amicorum consilium, nec timor Dei vel gehennæ; sed omnia hæc illi sunt quasi fabula; sive dormiat, de ea somniat; sive vigilet, de nulla alia re loquitur vel auscultat, adeo ut omnem perdat rationem et sensum, fiatque quasi fatuus, ebrius et insanus; nam *amare et sapere vix Diis concessum est*, ait ille. Sic Christus amore divino hominum captus, exinanivit semetipsum, cum e cœlo et solio deitatis descendit in terram factus homo, nec puduit eum inter homines pauperem vilemque agere vitam, imo pro eorum salute ut latro cruciari, crucifigi, et mori; quare nullos timuit contemptus, nullas subterfugit iniurias, nulla probra, nulla verbera, nec mortem crucis, adeoque a Iudæis æstimatus est sceleratus, a Gentibus stultus. Unde illud: *Triumphat de Deo amor*.

Exemplum Christi.

Christum secuti sunt Christiani in amore perfecti, uti Apostoli, de quibus ait Paulus; *Nos stulti propter Christum*; Et: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*: lege cætera quæ ipse scribit 1. Corint. 4. Hinc Apostoli exsultabant in verberibus, gloriabantur in tribulationibus, triumphabant in persecutionibus. Unde illud 2. Corint. 5. 13. *Sive mente excedimus*, græce ἐξέστημεν, alii vertunt, *sive insanimus*. Et Agrippa ad Paulum ait: *Insanis, Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Actor. 26. 24. Insanire enim Agrippæ regi videbatur Paulus, qui zelo in ipso tribunali, ipsi persuadere volebat fidem in Christum, ob quam ille ibidem vinctus erat, et reus capitis agebatur.

S. Francisci.

Talis quoque præ aliis fuit sanctus Franciscus, qui se fatuellum mundi vocabat, ac at talem in dictis et factis ostentabat. Vera enim Dei sapientia est, sapere Deo et stultescere mundo. Quocirca Gerson tract. de Monte contemplationis cap. 19. 20. pulchre docet ideam perfecti amoris esse amatores mundi, ad quam amorem suum examinare debeat vir spiritualis, ut videat quantum a perfectione amoris Dei distet, adeoque eum qui velit esse perfectus in amore Dei, imitari debere actus amatorum mundi, ut sicut hi ardua æque ac stulta faciunt pro mundo, sic ipse similia faciat pro Deo et Christo, sed illi ex vitio, hic ex virtute. Ubi enim est amor, ibi non est pudor nec timor; amor enim foras mittit timorem, ut ait S. Ioannes. Exemplum litterale est in S. Magdalena, quæ pœnitens et amore Christi saucia, sine pudore irruit in domum Simonis Pharisæi, ibique coram convivis prosternens sese ad pedes Iesu, ipsum vulneravit non uno, sed utroque oculorum suorum, cum ex iis copiosas amoris lacrymas profundens, iis pedes Iesu lavit, et in crine non uno, sed omnibus colli sui, cum capillis suis eos detersit. Unde ab eo meruit audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; Lucæ 7. Abstulerat ergo ipsa cor Iesu, et Iesus abstulerat cor eius, quia cor Iesu vivebat in Magdalena, et cor Magdalenæ vivebat in Iesu, uti pulchre et pathetice describit Origenes hom. de sancta Magdalena, ubi inter alia dicit: *Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat seipsam, oblita erat denique omnia præter illum, quem diligebat super omnia, et quod mirabile est, sic erat oblita, ut etiam ipsum non cognosceret*, cum specie hortulani post resurrectionem primo illi apparuit. Causam inferius subdit dicens: *Denique Ioseph posuit in monumento corpus tuum, Maria sepelivit ibi pariter spiritum suum, et ita indissolubiliter iunxit, et quodammodo univit eum cum corpore tuo, ut facilius posset separare animam se vivificantem a vivificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem a defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quam in corpore suo; cumque requirebat corpus tuum, pariter requirebat spiritum suum, et ubi perdidit spiritum tuum corpus, perdidit cum eo spiritum suum. Quid igitur mirum si sensum non habebat, quæ spiritum amiserat? Quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum quo scire debebat? Redde ei itaque spiritum suum quem habet in se corpus tuum, et mox recuperabit sensum suum, et relinquet errorem suum.*

Et S. Magdalenæ.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus per unum oculorum, accipit unitatem cogitationum et orationum, quas B. Virgo figebat in Deo; ac per unum crinem, uniformitatem humilitatis eiusdem; unde proferens exemplum Annæ matris Samuelis, de qua dicitur 1. Reg. 1. post orationem: « vultus illius non sunt amplius in diversa mutati, subdit: Quid erat illa uniformitas vultuum non se amplius in diversa mutantium? nimirum identitas cogitationum, et valde intenta earumdem perseverantia precum? » Ac deinde idipsum applicans B. Virgini: « Hoc est unum oculorum, inquit, hæc uniformitas vultuum, oculorum spiritualium, vultuum internorum indefessa charitate iustam precem perseverantur, uti cœptum est, dirigere ad Dominum, ac semper cogitare idipsum. Et quia in hac re talis, ut tu, o dilecta singularis, quam solam præ cunctis amantibus totam occupavit, totamque possidet amor dilecti? In hoc uno soror mea sponsa, per fidem soror mea; per Spiritum sanctum, amorem verum, sponsa mea; in hoc uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum, sed et in uno crine colli, id est, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem et indeficientem esse conspexi. Quid uno crine gracilius, et quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius et quid humilitate confractius? crinis unus vix comparet, humilitas tua vix consentit quod computari possit inter homines. »

Addit deinde ipsam, licet honestatis causa nupserit Iosepho, non tamen in ipsum, sed in Deum quasi sponsum oculum totius amoris sui collegisse et fixisse: « Votum egregium, inquit, prima Deo vovisti; votum virginitatis. Attamen sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti, et inter hæc unum oculorum, et illum crinem iam dictum colli tui, magis ac magis in me fixisti fide fortis, spe stabilis, charitate immobilis. »

Beata virgo ergo uno oculorum suorum, id est, uno aspectu mentis suæ, ita se in contemplatione erigebat ad cœlestia, et altissima penetrabat, ut feriret cor Dei, illudque sagitta amoris transfigeret et sauciaret, nimirum:

Magnetem gerit illa oculis operosa pudicis:
Hinc mentem et sensum magnetis more lacessit.

Vers. 10. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora (Hebraice *meliora*) sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.) Arabicus: *Quam pulchra est species uberum tuorum*. Unguenta, intellige aromata suaveolentia et confortantia cor, quæ circa ubera ad pectus gestabat, iuxta illud cap. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Sept. pro שמניך *semanaich*, id est, *unguentorum tuorum*, legerunt שלמתיך *salmotaich*, id est, *vestimentorum tuorum*. Unde vertunt: *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*. Chald. vertit: *Quam pulchræ sunt super me dilectiones tuæ, soror mea cœtus Israel; quæ comparata es sponsæ pudicæ: quam bonæ sunt super me dilectiones tuæ magis, quam Septuaginta nationum, et nomen bonum iustorum tuorum fragrantius est omnibus aromatibus*. Redit sponsus ad laudes sponsæ, ac rursum verba eius labiaque commendat.

Mammæ, sive ubera gemina denotant vim lactandi Ecclesiæ, quæ per doctores, prædicatores, confessores virosque zelosos, alios rudiores et infirmiores lactat, et pascit verbo, exemplo, doctrina et Sacramentis; item du-

Mammæ Ecclesiæ, quænam.

plici eleemosyna spirituali et corporali, uti exposui v. 5. Quare hic ea non repetam. Ita sanctus Gregorius, Cassiodorus, Beda, Theodoretus, Nyssenus, Anselmus, Iustus, Philo et alii. Porro Septuag. vertunt: *Quam pulchra sunt ubera tua*, q. d. Sicut fœminis cum geminos vel plures pariunt filios, ubera inflantur et lacte turgescunt, ut plures sibi natos lactare valeant, quæ uberum est pulchritudo; sic pariter tu, o Ecclesia, cum plurimos iam Christo ob vis gentium Christo pepereris per fidem et Baptismum filios, abundas lacte doctrinæ et copia doctorum, qui tibi natos in fide lactent et enutriant, quæ tua est pulchritudo. Omnia enim hæc spectant ad Ecclesiæ propagationem et incrementa. Hoc enim capite describitur virilis et perfecta Ecclesiæ ætas, ut dixi.

Moraliter hinc discant illi, qui student animabus convertendis, ut earum numero numquam satientur, nec metuant se omnibus illis in spiritu alendis sufficere non posse, quia quo plures pariunt Deo filios, eo plura eis auxilia suggeret Deus, quibus eos alant et foveant; sicut idem mulieri, quo plures parit liberos, eo maiora dat ubera lacte turgentia, quibus omnes lactat.

Hinc *pulchriora sunt* hæc eius *ubera vino*, id est, omnibus deliciis carnalibus; ac mystice *vino*, id est, austeritate Synagogæ et legis Mosaicæ; item vino rigoris iustitiæ, ait Richard. Victorin. Vide dicta cap. 1. ubi idem de Christi uberibus dixit. Similia enim sunt ubera Christi et Ecclesiæ.

Symbol. doctrinæ et prædicationis meliores sola contemplatione.

Symbolice, ubera doctrinæ et prædicationis præstant vino contemplationis; licet enim vita contemplativa perfectior sit activa, tamen utraque perfectior est vita ex utraque mista, puta contemplatio, quæ per actionem aliis se communicat, et in proximos sua quæ a Deo hausit effundit, hæc enim quo magis alios illuminat, eo maius a Deo lumen accipit; hoc enim fine a Deo datur. Hinc illud: *Misericordiam volui et non sacrificium*, Oseæ 6. 6. vide ibi dicta. Et illud Christi: *Diligere proximum tamquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis*, Marci 12. 33. Et illud Eccl. 40. 17. *Gratia* (eleemosyna) *sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet*. Unde Deo ita placet, ut Deus admirans eius decorem exclamet: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*. Ita Nyssen. et Beda, qui docet Deum hic admirari illam animam, quæ alios rudiores fidei rudimenta docere non refugit: *Recte*, inquit, *talem animam sororem sibi ac sponsam Dominus esse testatur, quia nimirum eam cum dilectione ac coniunctione dignissimam iudicat, quam sui operis imitatricem fieri considerat. Nam et ipse ut nos de infirmis fortes faceret, infirmari ad tempus, imo et mori, ut nos viveremus, non refugit. Ipse cum esset panis Angelorum in divinitate lactescere voluit per assumptionem carnis, ut hominum pusillanimitatem nutriret, ac panis eiusdem cœlestis exhiberet capaces.*

Quocirca *odor unguentorum tuorum superat omnia aromata*, id est, bona fama, quam ex tua charitate, misericordia, et zelo animarum consequeris, ac longe lateque dispergis, melior est omnibus odoriferis virtutibus apud Deum, qui, ut dixi, misericordiam præfert sacrificio. Nam ut ait Eccles. cap. 31. 28. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele*. Et Salomon: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*, id est, laudabitur ab hominibus æque ac a Deo. Prov. 22. 9. Vide dicta cap. 1. vers. 1. ad illa: *Meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis*. Causam dat Richard. de S. Victore, quod charitas omnium virtutum sit mater æque ac regina, ideoque illam per ubera hic iterato in sponsa sponsus commendat et ingeminat, imo hebr. דודים *dodim*, id est, *amores*, dicuntur a דדים *dadim*, id est, *ubera*, ait Marinus; ubera enim amoris sunt sedes æque ac symbolum.

Ubera, amoris sedes ac symbolum.

Porro Theodor. et tres Anonymi apud ipsum, ac Philo Carpath. τὸ vino non exponunt comparative *præ vino*, sed effective, *a vino* (sic enim vertunt Sept.) q. d. Tua charitas omnem suam bonitatem haurit a vino, id est, a divinitate et bonitate Dei ac Christi.

Rursum quod Septuag. pro *unguentorum* vertunt *vestimentorum*, quoad sensum eodem redit. Nam unguenta sive aromata animæ sunt eius eleemosynæ, compassio, mortificatio, ait sanctus Ambrosius lib. 1. de Virgin. cæteraque bona opera, quibus illa pariter quasi vestibus pretiosissimis et odoratissimis ornatur; iuxta illud: *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, Col. 3. 12. Ita Nyssen. Theodoretus et tres Anonymi apud ipsum. Hinc Arabicus vertit: *Suavitas odoris vestimentorum tuorum, præstantissima est omnium suavitatum.*

Unguenta Magdalenæ.

Denique nonnulli hæc ad litteram adaptant S. Magdalenæ, quæ tertio unxit Christum. Unde eius unguenta meliora fuere unguentis cæterorum, quia ipsa unxit ipsum Christi corpus, cæteri vero ungunt alios fideles, qui sunt membra dumtaxat Christi. Hinc Rupert. mystice idipsum adaptans B. Virgini: « Hæc, inquit, sunt aromata vera, unguenta pretiosa, esurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, sitienti potum præbere, hospitem sive peregrinantem colligere, nudum vestire, infirmum visitare, et si in carcere est, ad eum venire. Super omnia hæc aromata est odor unguentorum tuorum, id est suavitas eleemosynarum tuarum, quia non ut cæteri in membris meis, sed in memetipso mihi munificentissima exstitisti. Et quidem iure materno, et naturali affectu tu mihi cuncta debuisti; verumtamen fidem et humilitatem, sive charitatem tuam plus quam maternam respicienti mihi, cuncta pro optimis unguentis, cuncta pro suavissimis fuere eleemosynis, ita ut nulla eleemosynarum aromata, quæcumque mihi in meis expenduntur minimis, unguentis illis valeant aliquatenus comparari.

De his unguentis eorumque odore fuse agit Gilbertus, qui continuavit sermones S. Bernardi in Cant. serm. 31. et 32. ubi inter cætera ait: *Ipsa patientia quid aliud est, nisi velut quidam futuræ impassibilitatis odor?* Et rursum: *Conferamus*, inquit, *inter se ista tria: vinum, ubera unguenta. In vino, veteris hominis defectio; in ubere, novi refectio; in unguentis, quædam delectatio. Vino carnalis sensus inebriatur, et sopitur, et obruitur; ubere novus nutritur; unguentis adultus deliciatur. In primo homo vetus conficitur, in secundo novus reficitur, in tertio iam appropinquans ad perfectionem ineffabili lætitia afficitur.*

VERS. 11. FAVUS DISTILLANS LABIA TUA, SPONSA, MEL ET LAC SUB LINGUA TUA: ET ODOR VESTIMENTORUM TUORUM SICUT ODOR THURIS.

SYRUS et Arabicus: *sicut odor Libani*. Nonnulli hæc referunt ad osculum, alii ad halitum oris, cuius studiosæ sunt fœminæ, q. d. Halitum habes suavissimum, ac si mel sub lingua contineres. Melius alii referunt ad sermonis gratiam et suavitatem. *Favi* vocantur cellulæ ceræ, in quibus apes mel suum condunt. Favus ergo nihil est aliud quam mel in cera, ait Cassiodorus. Favi enim sunt apum domus et cellulæ, ita dictæ quod in his sobolem foveant, iuxta illud Virgil. 4. Georg.

Favus a fovendo.

Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras.

Hebraice et Græce: *Favum distillant labia tua*. Sic et Syrus et Arabicus. Unde Willeramus:

Dant tua labra favum, per cerea mella liquatum.

Huc facit illud Comici: *In melle sunt sitæ linguæ vestræ*. Eodem redit sensus, q. d. Labia tua sunt quasi favus, quæ favum, id est, mel favi distillant: hoc est, dulcissimum est eloquium tuum, ut tot mella quot verba ex ore stillare et fundere videaris, perinde ac si apes in ore tuo velut in alveolo favos fixissent. Apte hæc sententia subiicitur præcedenti de uberibus, quia ubera Ecclesiæ, id est, Doctorum, sunt labia stillantia favum sapientiæ et eloquentiæ Christianæ, quibus filios, id est, fideles gignit et genitos pa-

scit, ideoque sola ubera et labia sponsæ hic iterat et congeminat. Nam paulo ante eadem dilaudavit v. 3. dicens: *Sicut vitta coccinea labia tua; et eloquium tuum dulce*, ubi plura hac de re dixi: quare hic brevis ero.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

ECCLESIA, id est, Ecclesiæ Doctores, Prædicatores, cæterique fideles et sancti sunt favus distillans, sive ut et labia habent stillantia lac et mel sacræ doctrinæ; ideoque plena suavitatis et dulcedinis, æque ac discretionis, ut stillent lac teneris et rudibus; mel vero, id est, solidiorem doctrinam magis provectis. Sensus ergo est, q. d. Labia tua, id est, sermo tuus, o Ecclesia, favum stillantem imitatur: ipse enim quædam est instillatio mellis, quod tu, o sponsa, ut cella favi cerea conservas, dum me, qui mel arenæ ob dulcorem appellor, mentis receptaculo condis, indeque, dum eloqueris, effundis. Ita S. Gregor. Cassiodor. Beda, Theodoretus, Aponius, Philo, Iustus, Anselmus et alii. Audi Bedam, qui ostendit quomodo labia prædicatorum sint favus et simul vitta, ut dixit vers. 3 « Cum hic, inquit, satiando fauces delectet, illa crines vinciendo constringat, iste intus reficiat, illa foris liget. Iidem namque Doctores et vittæ sunt in præceptis salutaribus; et favus in promissis cælestibus: Vittæ, cum nos a fluxu carnalium voluptatum refrænant; favus, cum supernorum nobis gaudiorum dona promittunt. Item vittæ sunt in his quæ aperte agenda vel vitanda esse docent; favus, in illis quæ typica gesta vel dicta, quid intus arcani salutaris habent, pandunt. »

Verba ergo ex ore viri sancti fluunt instar favi suavissime stillantia nectare: simili modo de Nestore, ait Homerus, quod ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. Ita S. Agnes, quæ se per votum virginitatis agno immaculato, scilicet Christo desponderat, aiebat: *Mel et lac ex ore eius suscepi, et sanguis eius ornavit genas meas*, uti ex S. Ambrosio de ea canit Ecclesia.

Sermo sanctorum favus mellis.

Sermo sanctorum comparatur favo: Primo, quia sicut favus stillat mel, sic sermo eorum sapientiam et suavitatem.

I.

II. Secundo, sicut favus miro artificio ab apibus construitur, sic et sermo sapientis prudentissime concipitur, connectitur, indeque manat eius gratia et suavitas, iuxta illud: *Argentum electum lingua iusti*, Proverb. 10. 20. Et: *Favus mellis composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium*, Prov. 16. 24

III. Tertio, sicut favus formatur ab ape inhabitante, sic sermo a corde, iuxta illud: *In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet*, Proverb. 14. 33. Et c. 16. 23. *Cor sapientis erudiet os eius, et labiis eius addet gratiam.*

IV. Quarto, sicut apes in favo pariunt, foventque suos fœtus; sic sermo suavis sanctorum multos parit filios Christo: norunt enim sancti verbis suis dare suavitatem et gratiam, ut ea velut melle audientes inescent et capiant, iuxta illud: *Labia iusti erudient plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur*, Proverb. 10. 21.

Quale cor, tale os.

Plures analogias favi et linguæ suavis recensui Prov. 16. 24 et cap. 24. v. 13. ad illa: *Comede, fili mi, mel.* Ratio a priori est, quod sermo oris eiusque qualitas manat ab affectu cordis: quale enim est cor, tale est os et sermo: dulcedo ergo sermonis ostendit, et quasi secum vehit dulcedinem et amorem cordis: quare dulciter loquens alteri quasi cor suum in illum effundit, ac cum eo amorem suum illi oppignorat, imo re ipsa tradit: magnes autem amoris est amor; nulla enim re ita trahuntur animi hominum, ac amore. Qui enim videt se ab alio amari, illius amore quasi cogitur ad illum redamandum, ut eius consiliis obediat, seseque subiiciat. Hoc est quod ait: *Mel et lac sub lingua tua.* Syrus: *Omne mel et lac sub labiis tuis*, q. d. Sub lingua tua latet cor, quod quasi promptuarium mellis et lactis melleam et lacteam suam dulcedinem et amorem linguæ communicat et instillat ut illa promat verba dulcia et amabilia, quibus corda audientium ad se alliciat et rapiat.

Magnes amoris amor.

Verba ergo dulcia prius in corde, et a corde dulci formantur, ac ab eo in linguam transeunt. Quocirca a S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 10. Verba cordis appellantur. Atque hac de causa prædicator, et quisquis alteri virtutem vel opus aliquod bonum persuadere conatur prius in seipso eiusdem affectum et amorem excitare debet, ut illo accensus eumdem facilius et ardentius aliis dicendo imprimat. Hic enim affectus et amor res etiam amaras, uti sunt metus mortis, iudicii et gehennæ, quem prædicatores auditoribus incutere debent, sapida, dulcia et grata efficit. Addit S. Gregorius 15 Moral. cap. 5. prædicatores, cum amarius vitia et vitiosos castigant, debere amaritiem melle suavitatis intermixto dulcorare. Rursum mel et lac sub lingua sponsæ conduntur, q. d. Non temere prodis tuam dicendi gratiam, nec te de ea iactas, sed eam celas et quasi lingua contegis. Ad hæc Ioannes Carmelita notat ideo mel et lac sub lingua sponsæ recondi, ne simul effundat utrumque, si linguæ innatet, nec claustro sepiatur, sed prævia meditatione cunctetur, et ab eo quasi cellario, vel mel promat, vel lac, prout tulerit opportunitas, lac quidem tenellis et adhuc in virtutis infantia versantibus, mel vero grandioribus.

Concionator prius in se eorum, quæ dicturus est, affectum imprimat

Symbolice, favus mellis est sacra Scriptura. Ita Cassiodorus, Aponius, Philo et Theodor. quem audi: *Iam favi mellis, qui in Doctorum gestantur labiis sunt divinæ Scripturæ, quæ continent opes tum ceræ, tum mellis effectrices, sacros nimirum Prophetas et Apostolos, qui per Spiritus S. prata volitantes, et divinarum Scripturarum construentes cellas, easque doctrinæ melle ac nectare distendentes, utilitatem ad nos transmiserunt, ac ceræ quidem littera videtur similis; melli vero sensus, qui in eo reconditus est.* Hinc olim recens baptizatis dabatur lac et mel, ut suavitas doctrinæ vitæque Christianæ eis repræsentaretur. Unde Tertullianus de Corona militis c. 3. *Ter*, ait, *mergimur, inde concepti lactis et mellis concordiam prægustamus.*

Symbol. favus est S. script.

Recens baptizatis olim dabatur lac et mel.

Rursum Hugo de S. Victore erudit. Theol. ex Miscellaneorum lib. 1. tit. 116. « Favus, inquit, Verbum caro factum est in Virgine; distillans, redundantiam significat, et gratiam fundens; quia quod fecit et dixit, doctrina fuit: quod fuit, medicina. Ideo distillans, quia unicuique secundum mensuram gratiæ infundens. »

Quocirca *habet mel et lac sub lingua, id est, refectionem robustorum, et consolationem parvulorum: prægustavit enim dulcedinem futuræ vitæ, ubi reficiuntur animæ divinitatis Christi fruitione, et humanitatis eius lacte. Ex hac abundantia habet anima ubera, quibus perceptam suavitatem proferat, quæ tanto plus capiuat et ædificant, quanto datum est ei discere hæc in experientia et docere ex scientia.*

ET ODOR VESTIMENTORUM TUORUM SICUT ODOR THURIS.) Vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta, ait Cassiodor. S. Gregor. Beda et alii, iuxta illud Apoc. 19. *Byssinum iustificationes sunt sanctorum*; hæc habent odorem thuris, id est orationis, quia referuntur ad Deum Deique gloriam: nam omnis actio, relata ad Deum, tacita est oratio. Notat ergo opera bona debere olere orationem, ut ex ea quasi manare videantur.

Vestimenta Ecclesiæ quænam.

Rursum thuris, id est, divinitatis, cui adoletur thus, q. d. Actus virtutum tuorum externi, quibus quasi vestibus ornaris exhalant quemdam odorem divinitatis. Audi S. Nyssenum: *Tuum, o sponsa, virtutum indumentum imitatur divinam beatitudinem, per puritatem et impatibilitatem assimilata naturæ, ad quam non patet aditus. Talis est enim odor tuorum vestimentorum, ut sit similis thuri, quod Dei honori dicatum est.* Alludit ad fragrantiam vestium Iacob, quam odorans, eique benedicens moriturus pater Isaac: *Ecce*, inquit, *odor filii mei sicut odor agri pleni*; Chal. *sicut odor incensi ex optimis aromatibus.*

Symbol. Christus est Ecclesiæ vestis.

Symbolice, vestis Ecclesiæ et fidelium est Christus, cuius est odor thuris; quia ipse redolet divinitatem, qua homo est. Ita Theodor. unde illud: *Induimini Dominum Ie-*

sum Christum, Rom. 13. Rursum vestis et ornatus Ecclesiæ sunt omnes sancti, de quibus eidem ait Isaias, c. 49. 18. *His omnibus velut ornamento vestieris.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Labia mentalis animæ sanctæ distillant lac et mel, cum preces et orationem dulcibus compunctionis et amoris lacrymis conditam, in aures Dei effundunt: quare tunc anima osculum dat et vicissim accipit a Deo, imo anima spiritum suum quasi in Deum effundit, ac vicissim spiritum Dei accipit et haurit.

Quare tunc *odor vestimentorum* illius est, sicut *odor thuris*, vestimenta sunt virtutes externæ; uti sunt verecundia, modestia, humilitas, reverentia, obedientia: hæ *odorem thuris*, id est, gratissimum in nares Dei exhalant, adeoque ipsæ sunt quasi *thuris*, id est mystica oblatio et sacrificium, quod Deus odoratur, velut odorem suavitatis. Rursum sunt *thus* hominibus quia illis suavissimum virtutum odorem aspirant et inspirant. Comparat illas thuri præ aliis aromatibus, quia thus præ omnibus est odoratissimum, æque ac lucidissimum. Unde Hebr. vocatur לבנון *lobonoa a* לבן *loban*, id est *candidum*. Hinc et thus, quo lucidius, eo melius est et odoratius. Unde Exodi 30. 40. In thymiamate quod Deo adolebatur, jubetur adhiberi thus lucidissimum: sic virtutes in se sunt lucidissimæ, quia purissimæ, aliis autem sunt odoratissimæ. Nam ut ait S. Bernard. *Habent mores suos colores, et odores suos, odorem in famo, colorem in conscientia.* Porro sicut vestis ex multis filis contexitur, sic sanctitas ex multis virtutibus: fila ergo, quibus contexitur, sunt charitas, gaudium, pax, etc. quæ recenset Paulus Galat. 5. 22. Ita Nyssenus.

Thus aromatum odoratissimum et lucidissimum.

Huc facit versio Chald. *Et in tempore, quo erant sacerdotes in atrio sanctuarii, labia eorum stillant favum mellis: Et lingua tua est instar sponsæ honestæ in sermone tuo; cantica et laudes dulces, sicut lac et mel; et odor vestimentorum sacerdotum, sicut odor aromatum Libani.* Audi Gilbertum hic serm. 34. *Qui omnia agit ut ei placeat, cui se probavit, Deo, ut ejus mereatur favorem, utique odor vestimentorum ejus sicut odor thuris. Et quidem thura, nisi Deo soli, nec offerri solent, nec debent, ideo odor vestimentorum ejus, sicut odor thuris, cum quidquid sive palam, sive clam agit, ad impetrationem placationis refert divinæ.*

Denique apposite vestium odorem thuri similem componit sponsus cum mellea lingua sponsæ, tam quia tam sermo linguæ, quam actiones externæ quæ significantur per vestes, spectant ad externum decorem sponsæ, sicut fides, spes, charitas, etc. spectant ad internum; tum quia sermo melleus mire decoratur, et perficitur melleis actionibus externis beneficentiæ, humilitatis, modestiæ, patientiæ, ac præsertim religionis, devotionis et orationis: tunc enim omnes actiones, omnisque habitus et compositio externa redolet thus, cum spirat pietatem et devotionem, atque inde nascitur et profluit dulce et gratiosum linguæ eloquium. Porro hoc cuilibet fideli præsertim zelatori animarum faciendum est, ut omnis ejus sermo et actio exhalet thus religionis, imo thus divinitatis, ut videantur dicta et facta ejus non tam esse humana, quam divina, et a Deo profecta. Quocirca Nyss. tract. *Quid Christiana professio sibi velit*, Christianismum, sive Christianam vitam ita definit: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ*; sive imitatio Christi et Dei incarnati, ut Christus in Christiano vivere, loqui et operari videatur. Si quis ergo, inquit, Christi nomen assumat, sed ejus mores vita non exprimat, hic Christi nomen ementitur; sicut simia imitans hominem, hominis personam mentitur. Christus enim est justitia, puritas et veritas, atque cujusvis mali vitatio: quare Christianus esse nequit, qui harum virtutum communionem et societatem in se non ostendit. Is autem vere Christianus est, qui Christi mansuetudinem, beneficentiam, A devotionem et spiritum in omnibus actionibus repræsentat, et vicinis aspirat, ut qui Christianum videt, Christum in ipso loquentem et operantem se cernere et intueri æstimet. Jam sicut odor thuris est vehemens, acer, copiosus et fervidus, talis pariter fuit omnis actio Christi, et talis sit Christiani, præsertim viri Apostolici, oportet.

Christianismus est imitatio deitatis.

Notat Gilbertus serm. 34. τὸ *distillans* significare primo, animam plenam esse melle, id est sensu rerum spiritualium, ut cogatur eam distillare: secundo, illam discrete et parce pro captu audientium eum dispertiri: « Nec mel fluit, inquit, sed magis distillat. Nec enim passim et intemperanter profundit sublimes illos, et reconditos sensus secretorum cœlestium, deitatis arcana, nec lactis potum sine delectu propinat. » Actus vero hujus distillationis ita recenset: « Remittit, permittit, promittit, præmittit. Delicta remittit, infirma permittit, æterna promittit, et ipsorum primitias quasdam præmittit. Sapientiam loquitur inter perfectos, sapientiam quidem non hujus mundi, sed Dei; sapientiam in mysterio absconditam, et inter B minus spiritualiter sapientes nil arbitrabatur se scire nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. Cohortatur ad perfectionem, non cogit, sed magis consolatur pusillanimes, suscipit infirmos: et si inquietos corripit, correptio jam dulcedinem sapit maternam: peccanti compatitur, converso indulget, nec indulgentiarum numerum, et quasi terminum quem non transgrediatur præfigit, cui præcipitur septuagies septies in die delicta toties confitenti donare. Vide quam magna multitudo dulcedinis in labiis sponsæ, quæ quoties ipse percussus in malam, toties si convertaris, ipsa tibi distillat in bonum, et præbendæ veniæ vicibus non exhauritur. Denique instar Angelorum Dei non insultat, sed exsultat super peccatore pœnitentiam agente. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

C Rupertus hæc B. Virgini ita adaptat: « Tu dulcis in ore, dulcis et in corde. Hoc est, quod nunc dico, favus distillans labia tua, subjungens, mel et lac sub lingua tua, id est in anima tua. Ibi tibimetipsi dulciter sapit favus eloquii tui, favus distillans a labiis tuis, labiis gratiosis. Favus tuus ego sum: mel tuum et lac tuum ego sum, quia Deus tuus et filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia: aliud loqui non potes, quam id quod in pectore habes; ex abundantia cordis labia tua loquuntur. »

Addit deinde labia B. Virginis stillasse mel, cum labiis dulcissima et devotissima Christo parvulo oscula dedit, dixitque: *Osculetur me osculo oris sui.* De odore vero vestium hæc subdit: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, quia plus quam materna charitate pannis me involvisti, et in præsepio reclinasti; sicque in omnibus famulata es mihi mater et virgo fidelis, tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo, quamvis essem ego parvulus tuus, parvulus homo.*

D Hugo Victorinus vero tom. 3. ser. de Assumpt. B. Virginis, addens: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, censet hic ob tres dotes B. Virginem a Sancta Trinitate laudari, scilicet quod in labiis susceperit osculum Patris, in lingua Verbum, puta Filium, in unguentis Spiritum sanctum. Audi eum: « Favus mel et ceram habet; mel divinitas est, cera humanitas: Favus, Verbum caro factum est in Virgine; ac si Deus dicat; ego expertus sum, quod laudo; favus distillans labia tua: ego devinctus tibi charitate, osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, et a dolci dulcedinem expressi. Valde impressi dulcedinem, et vere expressi suavitatem, quando meum tuo in te sociavi, et per tuum os eam meo pariter et tuo exivi. Mea divinitas mel erat, et tua humanitas cera erat, et inde meipsam favum feci. »

Prosequitur deinde cætera: « Mel et lac sub lingua tua, Verbum sub carne tua; sub lingua tua, quia Verbum; sub

carne tua, quia absconditum. Mel et lac Deus et homo; mel divinitas, lac humanitas: mel de cœli rore venit, quia divina natura supra omnia est: lac de carne exprimitur, quia humanitas de deorsum assumpta est. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata: quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas; quia Spiritus in tua humilitate requievit singulariter, qui in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit. »

Vers. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus.

Hortus conclusus (sera vel pessulo, hoc enim est נָעוּל naul, Arabicus, *obseratus*) *soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus:* Hebr. חָתוּם chatum, id est *sigillo obsignatus*. Arabic. *sigillatus*. Intellige notam comparationis vel similitudinis *sicut*, q. d. Sponsa mea est sicut hortus conclusus. Aut sponsa similis est horto concluso et fonti signato, id est, horto plantis lectissimis consito, et arte topiaria ad omnem elegantiam et amœnitatem composito, ideoque concluso ne a viatoribus spolietur, vel a bestiis conculcetur: ac fonti aquas limpidissimas et sapidissimas scaturienti, ideoque signato, ne quo modo inficiatur, turbetur, aut lutescat.

Fons signatus, quis? Porro hortum conclusum Salomonis ad litteram ita ex Iosepho, Brochardo et Bredenbachio depingit Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ pag. 170. n. 189. « Hortus regius, qui hortus conclusus dicitur, hortus erat in suburbanis Ierusalem, muris undique septus et obfirmatus: atque sicut paradisus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum fructuumque ubertate amœnus, mulcendisque ac fovendis sensibus conveniens, et ad secessus voluptuarios idoneus. In quo erat inclytus ille fons Rogel et lapis Zoeleth, quorum frequens in Scriptura mentio fit: Ubi Adonias cum regnare instituisset, immolavit victimas, et una cum suis asseclis convivium fecit, » 3. Reg. 1.

Fons regius. Hinc consequenter fons signatus erat fons regius Rogel, irrigans hortum conclusum, uti iam dixi, a quo rex bibebat. Sicut apud Persas erat fons, ex quo solus rex eiusque filius primogenitus bibebant, adeo ut si quis alius ex eo bibisset, capite plecteretur, teste Athenæo l. 12. c. 3. Similis fons clausus est in Hispania iuxta Complut. ex quo pro solo rege aqua depromitur. Pari modo in locis desertis aliisque ubi est penuria aquæ, fontes clauduntur et signantur, ne aqua a viatoribus exhauriatur, aut luto aliave re inficiatur. Talis fuit fons, quo Rachel adaquabat oves patris sui, Gen. 29. v. 3.

Comparavit superius sponsam thuri, myrrhæ, aromatibus; nunc generatim eamdem comparat horto iis, aliisque frondibus, floribus et fructibus abundanti, ideoque concluso; præsertim, quia talibus se pascebat deliciosus Salomon, ut patet Eccl. c. 2.

Porro pro *hortus* secundo loco Hebr. est גַּל *gal*, quod primo Isidorus, Clarius et R. Salomon vertunt *porta*, ut sit hic triplex comparatio, scilicet ut sponsa comparetur horto concluso, portæ conclusæ (uti et Ezech. 44. 2) et fonti obsignato. Secundo, alii *gal* vertunt, *volutatio aquarum*; (גָּלַל *galal* enim est *volvere, revolvere*) puta scaturigo sive fons; unde hunc versum sic transferunt: *Hortus obseratus soror mea sponsa: fons obsignatus.* Tertio optime Noster vertit, *hortus:* nam et sic vertere Septuag. ac nonnulla exemplaria pro גַּל *gal* habent גַּן *gan* id est hortus, hæcque videtur vera et genuina lectio.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia hortus conclusus. Ecclesia est similis horto, sive paradiso omnibus gratiis et virtutibus, velut plantis cœlestibus vernanti suisque areolis belle distincto, et arte topiaria affabre disposito, ideoque concluso, ne qua hæresis, impietas, aliudve vitium, aut noxa in illum, aut violenter irrumpat, aut fraudulenter irrepat: sed soli Christo integer et intactus servetur, atque omnium virtutum flores et fructus producat, quibus eum oblectet et pascat. Repetitur τὸ *conclusus* bis, ut duplex eius conclusio et sera significetur; prima est, custodia SS. Angelorum et Doctorum: secunda est, tutela ipsius Dei et Christi, iuxta illud Zachar. 2. 5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Ita Cassiod. Beda et alii.

Rursum Ecclesia est similis fonti illimi, limpidissimo et saluberrimo, ideoque obsignato, ne eius crystallinus veritatis et doctrinæ liquor cœno errorum, aut vitiorum conspurcetur. Nam, ut ait S. Ambr. lib. 2. de Virgin. *Ideo clauditur, ne volutabris spiritualium sparso, cœno fluenta turbentur.* Unde Ioannes Carmelita sic explicat: *Bibisti aquam divinæ gratiæ ac vitæ, quam ego tibi dedi, et effecta es fons salientis aquæ in vitam æternam, in quam gratio vi sua conscendit. Et ne aqua ista surriperetur, aut inficeretur, obsignavi te meipso, velut sigillo regio.* Et fons signatus.

Comparat Ecclesiam horto et paradiso, qui omnes sensus oblectat et pascit, scilicet oculos virore plantarum, et varietate florum et fructuum; aures cantu avium, nares odore florum et aromatum, gustum sapore pomorum, tactum contrectatione eorumdem. Sic enim Ecclesia omnes sensus, omnes mentis potentias, omnes animæ vires sua doctrina, suis Sacramentis, suis ritibus et ceremoniis, suis virtutibus, exemplis, cæterisque charismatibus recreat et roborat, quas symbolice explicat, dum subdit: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, etc. Ita S. Gregorius, qui pessulum, quo clauditur Ecclesiæ hortus, censet esse charitatem. *Hortus, ait, S. Ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus, conclusus bene esse dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* Sic et Philo Carpath. censet Ecclesiam dici *hortum*, eo quod omnia generis sanctitatis fructus producat, ut Apostolos, virgines, martyres, viduas, coniugatos, castos, etc. Clausus vero bis dicitur, inquit, eo quod fidei, spei et charitatis vallo munita, diabolo semper claudi, soli vero sponso Christo patere debet. Eadem est fons signatus signo crucis, quod est signaculum et character Christi. Unde non licet ei adulterino diaboli signo insculpi, sic et Lucas Abbas (qui Commentarium Aponii paulo ante finientem prosequitur, sed ipsis Aponii verbis in pauca contractis) censet sigillum, quo fons Ecclesiæ id est Baptismus, obsignatur, esse signum crucis. Sicut, inquit, fons vitæ *signatus* a Patre dicitur Christus, ita et Ecclesia: *fons signatus*, regali videlicet signaculo crucis appellatur a Christo, continens intra se aquam Baptismatis, quam signaculo ex pretioso fonte suscipiunt iniqui, dum lavantur. Fons signatus sigillo crucis.

Huc accedit Chald. qui per hortum conclusum accipit coniugatos honeste viventes, per fontem signatum virgines. Omnes enim fideles in Ecclesia aut sunt coniugati, aut cœlibes: *Et mulieres*, inquit, *tuæ, quæ nuptæ sunt viris, honestæ sunt; sicut sponsæ honestæ, et sicut hortus voluptatis, ad quem nullus vir habet potestatem introeundi, nisi iusti, quorum animæ mittuntur illuc per manus Angelorum. Et virgines tuæ absconditæ sunt, et reconditæ in penetralibus et signatæ sunt, sicut fons aquarum viventium, qui oritur sub arbore et dividitur in quatuor capita fluminum, et nisi esset signatus in nomine magno et sancto, egrederetur, et flueret, et inundaret universum mundum.*

Porro S. August. l. 3. de Baptismo contra Donat. c. 27. asserit Ecclesiam esse hortum conclusum et fontem signatum in iustis et sanctis dumtaxat; nam impios velut spinas illi forinsecus tantum adiacere super numerum.

Addit S. Anselmus bis repeti *hortus conclusus*, quia Ecclesia duplici muro vallatur, scilicet fide et operibus, aut quia constat Iudæis et Gentibus, aut potius, quia vallatur firma fide, ne qua hæresis vel error in eam irrepat, vel irrumpat, ac firma sanctitate, ne quo vitio depravetur.

Duplex ergo eius pessulus est, firmitas fidei, et constantia sanctitatis, utrumque illi præstat vigilantia Episcoporum et pastorum, ac præsertim Romani Pontificis, qui omnes hæreses et abusus subnascentes illico damnat et proscribit. Habet enim assistentiam Spiritus sancti, ut in rebus, quæ fidem et rectos mores concernunt, definiendis sanciendisque errare non possit, quæ utique firmus Ecclesiæ contra omnes errores et hæreses est pessulus.

Alludit ad paradisum voluptatis omnibus floribus et fructibus vernantem, in quo positus est Adam, ibique creata est Eva; sed quia caruit clausura, irrepsit serpens, qui Evam, et per eam Adamum decepit et subvertit: at Ecclesia hortus est clausus, in quem diabolo non est aditus, nec pravis hominibus, ut eum subvertant, uti fuit perversis senibus aditus in pomarium Susannæ, non satis undique clausum, quæ proinde pudicitiæ periculum et infamiam incurrit, Daniel. 13. At non ita Ecclesia, quæ bis, id est, omnimode est clausa et obserata, contra omnes tam dæmonum quam hominum insidias. Ita S. Ambrosius lib. de Bono mortis cap. 5. ubi et addit Platonem in Symposio ex B hoc loco Cantic. æque ac ex Genesi 2. 8. mutuatum esse suam fabulam de horto Iovis: « Hinc hortum illum, inquit, sibi Plato composuit, quem Iovis hortum alibi, alibi hortum mentis appellavit. Iovem enim et Deum et mentem totius dixit. In hunc introisse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia et divitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum, floresque sermonum. Quis autem ignorat quod ex paradiso illo, quem legimus in Genesi habentem lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali, et ligna cætera, abundantiam virtutum puteverit transferendam, et in hortum mentis esse plantandam? Quem in Canticis Canticorum Salomon hortum animæ significavit, vel ipsam animam; sic enim scriptum est: Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus, transmissiones tuæ paradisus.

Fabulam de horto Iovis ex hoc Cantici loco mutuatus est Plato.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima est hortus conclusus, et fons signatus

Anima sancta, præsertim perfecta, est hortus conclusus et fons signatus, quia virtutum omnium quasi florum et fructuum amœnitate vernans, et aquis sapientiæ abundans eas diligentissime custodit, claudit et obsignat, ne diabolus, mundus, aut caro eas surripiat aut inquinet. Audi Richardum de S. Victore: « Hortus est anima, in qua excoluntur virtutum plantaria et spiritualium studiorum germina. Hic hortus tunc foditur, dum a vitiis radicitus extirpantur et mores convertuntur. Qui etiam altius tunc foditur, cum naturam vitiorum et origines cognoscere studet homo. Numquam enim tepidus operator, et naturæ vitiorum ignarus poterit bene mortificare vitia. Fodienda est ergo divinæ Passionis memoria, et clavi illi, D quibus impii foderunt manus et pedes Domini, eam confodiunt, dum horum memoriam habemus, et huic dolori condolemus, et proinde de peccatis nostris dolemus, quibus tantis beneficiis ingratos recolimus nos. » Hinc collige animam sanctam esse hortum Dei, in quo ipse non solum semina florum, id est, sanctorum desideriorum iacit, sed et fructuum, id est, sanctarum actionum spargit.

Pessulus horti, quis? Resp. 1. Recta intentio.

Quæres: Quisnam sit pessulus, quo huius animæ hortus obseratur, et quod sigillum, quo eius fons obsignatur? Primo, sanctus Gregorius recte respondet esse rectam intentionem: « Anima sancta, inquit, est hortus conclusus, quia dum virtutes mittit, flores gignit; et dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur, quia dum bona sua intentione vitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irA rumpere possit. Fons etiam dicitur, quia dum cælestia assidue cogitat, dum scientiam Scripturarum semper in ventrem memoriæ congregat, quasi aquas viventes, sancta mens in se gignere non cessat, quas sitientibus proximis præbere, ut reficiantur, valeat. Unde scriptum est, dicente Domino: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et alibi: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent de ventre eius. Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis absconditur? Infideli enim homini a Domino dicitur: Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat. »

Secundo, Iustus Orgel. censet esse Christi gratiam. Sic et S. August. l. 2. contra Crescon. n. 14. et 15. refellens sententiam Cresconii dicentis signaculum sponsæ Ecclesiæ esse Baptismum, docet signaculum esse spiritum, qui fideles in una Ecclesia copulat: « Huius fontis largo, inB quit, atque invisibili flumine lætificat Deus civitatem suam, de qua Propheta prædixit: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Ad hunc enim fontem nullus extraneus, quia nullus, nisi dignus vita æterna, accedit. Hic est proprius Ecclesiæ Christi, cui tanto ante prophetatum est: Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi. De hac enim Ecclesia et de isto fonte dicitur et in Cantico Canticorum: Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ. » Et post nonnulla: « Ad illum tamen fontem proprium, cui nemo communicet alienus: ad illum fontem signatum, hoc est, ad Spiritus sancti donum, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, nullus latorum nisi mutatus accedit, ita omnino mutandus, ut non sit alienus, sed sit cælestis particeps pacis, sanctæ socius unitatis, plenus individuæ charitatis, civis angelicæ civitatis. » Adverte S. Augustinum hic agere de hæreticis, qualis erat Cresconius et Donatistæ; hos enim negat esse in Ecclesia: cæteri autem mali, si fideles sint, sunt memC bra Ecclesiæ, sed mortua, et non viva; ideoque non pertinent ad Ecclesiam Sanctorum, de qua in Cantico hoc agitur. II. Gratia Christi.

Tertio, Nyssenus et Philo censent esse observationem mandatorum Dei: « Hac enim clauditur et vallatur anima, inquiunt, ne quid boni ob laudes humanas agat; non propter inania hæc terrena et peritura laboret, sed ob sempiterna illa atque cælestia honestissime vivat, quæ nos sola explere possunt atque beare: summo studio circumspiciens ne ad interiora bona rapienda antiquus hostis irrumpat. » III. Observatio mandatorum Dei.

Quarto, alii: Anima sancta, inquiunt, est hortus Dei protectione conclusus, et fons humilitatis studio signatus. IV Humilitas

Quinto, tres Patres apud Theodor. asserunt fontem signatum esse mentem cogitatione et amore Dei, cuius imago est, obsignatam, quæ nullas diaboli, concupiscentiæ, vel carnis cogitationes admittit. Unde S. Ambrosius lib. de Isaac c. 4. *Cave*, inquit, *ne vigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in* D *eius amplexu omnis dissolvatur, et fontem eius aperiat, qui debet esse clausus et septus intentionis studio et consideratione rationis.* V Cogitatio et amor Dei.

Sexto, Richardus de S. Victore asserit seram horti animæ esse silentium et custodiam sensuum: « Per silentium enim, inquit ipse, excolitur in profectu ut iustitia, quia cultus iustitiæ silentium requirit. In quo se cohibet non solum a noxiis, sed etiam ab otiosis et superfluis, quia per minime pervenitur ad meliora, et per otiosa decipitur mens et extra seducitur; sicut dicit Gregorius: Quot supervenientis verbis mens a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Ut ergo in se remaneat et se videat, se cognoscat, et corrigat, ab otiosis et superfluis verbis se reprimit et temperat. Auditum quoque et visum concludit, ne introrsus trahant, quod mentem inquietet vel maculet. » VI. Silentium et custodia sensuum.

Addit deinde etiam animæ seram, scilicet celare sua benefacta: « Non enim solum, inquit, ab exterioribus peri-

culis hunc munit et claudit, sed intra se bona sua celat et hominibus occultat, sciens quod, cum bona opera innotescunt et laudantur, mentem resolvunt et enervant. Difficile est enim aliquem laudari, et venerari, et non aliquatenus laude sua delectari, vel etiam intus gloriari. Difficile est aliquem servum inutilem se reputare, dum bonorum testimonio bonus prædicatur; imo contingere solet, ut deceptus laude magis credat famæ, quam conscientiæ. Incantatur enim anima laudibus, ut mala sua non videat, et de iustitia fallaciter se extollat: » ac pluribus interiectis addit, « per fontem signatum, intelligentiam videlicet spiritualem Spiritus sancti signaculo impressam, et sacræ Scripturæ documentis et Patrum exemplis munitam intellige. Quod enim sapit anima talis et sentit, nec corruptum est a malo spiritu, nec in aliquo a sana doctrina discordat, vel exemplis sanctorum contrarium deprehenditur, vel novitate noxia, seu præsumptione est vitiatum. Hoc fonte irrigantur horti huius plantaria, quia hac scientia informantur virtutes et bona studia, et proficiunt atque discreta fiunt.

Symbol. Symbolice, Nazianz. in Oratione habita ad Gregorium Nyssenum, per hortum conclusum et fontem signatum accipit amicitiam verumque amicum: ad hunc enim in quavis necessitate, quasi ad hortum fructibus salutaribus cuiusvis auxilii abundantem, ac fontem consilii limpidissimi, tutum amico est perfugium: *Amicus fidelis*, inquit, *hortus clausus; fons obsignatus, quæ opportune aperiuntur et communicantur* amicis, non inimicis et hostibus.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo ab Ecclesia in Litaniis Lauretanis vocatur, et invocatur, *Hortus conclusus, fons signatus*. B. Maria, ait Iustus Orgelit. *Virgo concipiens, virgoque generans conclusi horti, et signati fontis intemeratum in se decus exhibuit.* Sic et Nyssenus de Nativit. Domini, S. Epiphanius serm. de Laudibus Deiparæ, S. Ildephonsus, et S. Ambr. de Instit. Virgin. c. 8. et alii docent B. Virginem esse hortum et fontem propter fœcunditatem, sed conclusum et signatum propter virginitatem; unde *ad hunc paradisum serpens aditum non habuit*, ait Damascenus Orat. 2. de Assumpt. et S. Hier. l. 1. contra Iovin. sub medium: *Quod clausum*, inquit, *atque signatum similitudinem habet matris Domini, matris et Virginis; unde et in sepulcro salvatoris novo, quod in petra durissima fuerat excisum nec ante, nec postea quisquam positus est. Et tamen hæc virgo perpetua multarum est mater virginum; sequitur enim: Eaiissiones tuæ paradisus, etc.*

Virgo quælibet est hortus conclusus, et fons signatus. Hinc B. Virginis imitatione et exemplo, quælibet virgo est hortus conclusus et fons signatus; signatus, inquam, custodia virginitatis, custodia oculorum et aurium, virginali pudore, silentio, solitudine, et fuga virorum. Ita S. Ambros. l. 1. de Virgin. « Virgo, inquit, est sicut hortus furibus inaccessus, vitam redolet, fragrat oleam, rosam renidet, ut in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Accingere itaque virgo, et si vis huiuscemodi tibi ut hortus aspiret, propheticis eum claude præceptis: Pone custodiam ori tuo, et ostium circumstantiæ labiis tuis.

Et S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de custodia Virgin. « Rursus, inquit, a sponso audies: Hortus conclusus, etc. Fons signatus. Cave ne domum exeas, et velis videre filias alienæ regionis, quamvis fratres habeas Patriarchas, et Israel parente læteris. Dina egressa corrumpitur: nolo te sponsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis. »

Insuper S. Ambrosius de Instit. Virg. cap. 8. « Hortus conclusus, inquit, es virgo, serva fructus tuos, non ascendant in te spinæ, sed uvæ tuæ floreant, nemo auferat sepem tui pudoris, quia scriptum est: Et destruentem sepem mordebit serpens. Fons signatus es, virgo, nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, ut imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. »

Addit Ruperius B. Virginem esse hortum conclusum ob virginitatem corporis; fontem signatum ob animæ mentisque integritatem inviolabilem; *quia mens eius nulli otio, nulli speciali nequitiæ fuit unquam penetrabilis.*

Audi Sophronium sermon. de Assumpt. Deiparæ: « Sic exivit Christus de Virgine, ut esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omnino clausa: unde canitur in eisdem Canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus: Emissiones tuæ paradisus. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera et odoramenta virtutum; sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus: fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen, quia iuxta Ioannem ipse est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cuius profecto emissio uteri supernorum civium omnium est paradisus. »

Vers. 13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo.
Vers. 14. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani: myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.

Hebraice בשמים *besamim*, id est aromatibus, ex quibus unguenta conficiuntur. Malum punicum, sive granatum in Palæstina frequens est et pulcherrimum, ideoque hic illius præ aliis fructibus meminit.

Emissiones quid? I. Emissiones.) Hebr. שלחיך *sceluchaick*. Primo, referri possunt ad halitum suavem et odores, quos exspirant arbores horti conclusi, q. d. Tu, o sponsa, suavem exhalas odorem, qualem exhalant arbores paradisi; sic ait Martialis:

Olet quod Hybla, Atticique flores.

II. Secundo, ad munera, quæ sponsa quasi dotem misit sponso, vel quæ inter socias suas distribuit. Hæc enim vocantur *emissiones*, sive missilia, q. d. Munera fructuum paradisi, sive horti tui, puta nardum, crocum, cinnamomum, myrrham, etc. misisti mihi sponso tuo. Unde Theodor. *Hæc omnia*, ait, *misisti mihi, et tempore nuptiarum attulisti*. Sic et Origenes. Huc accedit S. Ambrosius libr. de Isaac cap. 5. ubi per emissiones accipit munera, quæ sponsus misit ad sponsam: *Laudat*, inquit, *munera animæ, quæ missa sunt a sponso, quibus dotata veniebat: dos autem piæ animæ boni odores sunt, myrrhæ et aloe, quibus spirat hortorum gratia, et peccatorum fœtor abolatur.*

III. Tertio, Gilbertus Abbas ser. 35. et Titelman. accipiunt *emissiones* aquarum, quas fons signatus in hortum sponsæ emanat, ut eum irriget et fœcundet.

IV. Genuine. Quarto et genuine, *emissiones* sunt propagines plantarum et arborum, puta surculi, quos radices vel rami progerminat, ut folia, flores et fructus producant. Hi enim ex terræ vel arborum sinu videntur emitti. Unde Vatablus et alii vertunt, *plantationes*, vel *plantæ tuæ*; R. Salomon, *areæ tuæ*; alii, *horti tui*, q. d. Plantæ tuæ sese propagantes, o sponsa, tantæ tamque pretiosæ sunt, ut paradisum efficiant, imo ipsæ simul congestæ sunt paradisus malorum punicorum et pomorum omnis generis. Explicat enim quod dixit: *hortus conclusus*, q. d. ideo es hortus conclusus; quia es paradisus pretiosus malis punicis, pomis, cypro, nardo, etc. consitus, quem proinde, ne furibus, vel bestiis carpendus calcandusque pateat, claudi oportet. Unde Arabicus pro *emissiones*, *etc.* vertit: *Hortus pomiferus frondium, ramorum, flores cum varietate colorum Libani.*

Quænam hic poma carpantur. Pro *pomorum* Hebr. est מגדים *megadim*, quod significat fructus optimos, dulcissimos, ipsasque paradisi delicias: *megadim*, enim et litteris et significatu alludit ad מעדנים *maadanim*, id est, deliciæ, voluptuaria, bellaria. Poma ergo hic significant ficus, pyra, cerasa, amygdala, omnesque fructus, etiam nuces: alioqui *poma* vocantur fructus, qui molliori sunt cortice; *nuces* vero, qui du-

riori. Septuaginta vertunt, ἀκροδρύων, quod Complut. et Vaticani vertunt, *nucum*. S. Ambrosius lib. de Isaac c. 5. et S. Hieronymus lib. 1. contra Iovin. vertunt, *pomorum*: ἀκρόδρυα enim vocantur omnes fructus sive poma sint, sive nuces: unde poma hæc particulatim exprimens subdit: *cypri cum nardo, etc.* Hinc et Hebr. est *cypri et nardi* in plurali. Significantur ergo hic fructus fruticis, qui mox vocatur *nardus*, et alterius, qui superius vocatus est *cyprus*. Unde addit: *cum universis lignis Libani*, Hebr. קנה *kana* est calamus aromaticus et odoratus, ut vertunt Septuag. et alii. Alludit ad paradisum terrestrem: hic enim a Deo creatus est in Martio cum omnibus hisce fruticibus et arboribus, simul et eorum fructibus iam maturis.

Pro *Libani* Hebr. est לבנה *lebona*, id est, *thuris*. Unde Vatabl. vertit: *cum omnibus arboris thuriferis*. Sic et Syrus et Arabicus. Sed *lebona* hic sumitur pro לבנון *libanon*, id est, Libanus mons, uti vertunt Septuag. Noster et alii.

Pro *aloe* Hebr. est אהלות *ahalot*, quam vocem retinentes et crasi contrahentes Septuag. vertunt, *aloth*, sed Hebr. *ahaloth* aloem significat. Symmach. vertit, *thymiama*, quia, ut ait Cassiod. *Aloes lignum suavissimi est odoris, adeo ut vice thymiamatis in altoribus adoleatur*.

Combinat cyprum cum nardo, nardum cum croco, fistulam cum cinnamomo, myrrham cum aloe; quia hæ plantæ inter se habent sympathiam quamdam, ac ubi una alteri plantando iungitur, utraque felicius crescit, ut gemellæ sorores esse videantur; hinc et si pistillo tusæ pastillum vel fasciculum efficiant, mire redolent. Simile est illud Virgilii Egloge 2.

Et vos, o lauri, carpam, et te proxime myrthe:
Sic positæ, quoniam suaves miscetis odores.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Per emissiones quidnam significatum.

Emissiones sunt particulares Ecclesiæ, quas universalis Ecclesia eiusque caput, puta S. Petrus, ac Romanus Pontifex per suos sacerdotes et legatos per totum orbem ex Ierusalem, vel Roma missos fundavit, aut fundet, vel promovet in variis Asiæ, Africæ, Europæ, Indiæ regnis et provinciis, iuxta illud quod de Ecclesia sub metaphora vineæ cecinit Psaltes: *Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines eius*. Ps. 79. Ita Cassiod. Hæ enim suavissimum virtutum omnium, quasi arborum et aromatum odorem exspirant, adeo ut paradisi esse videantur, imo reipsa ad paradisum cælestem suos fideles deducunt. Hinc rursum in iis sunt plantæ pretiosissimæ omnis generis, hoc est, omnes sanctorum ordines, qui septem numerantur, iuxta septem aromata, quæ hic nominantur, scilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Pontifices, Doctores, Martyres, Virgines; cum cæteris lignis Libani, id est, cum reliquo iustorum cœtu, qui sua sanctitate suavissime redolent, et ad cælestem paradisum totis viribus contendunt. Ecclesia ergo non est hortus olerum, sed paradisus arborum et aromatum pretiosissimorum.

Quocirca pro *emissiones*, hebr. est שלחים *sceluchim*, græce ἀποστολαί, id est, *apostolatus*. Apostolus enim hebr. dicitur שלוח *scialuach*, chaldaice שליח *sceliach*, latine *legatus*, vel missus. Unde Philo Carpath. *Per emissiones paradisi*, inquit, *quæ* ἀποστολαί, *dicuntur sanctissimi Apostoli, veluti deliciarum horti, lavacrum sacri fontis habentes intelliguntur; qui tamquam mala punica foris rubentes in laboribus et ærumnis, postremo et sanguine martyrii, permultos hominum Christi fidei, veluti grana pepererunt; hisque tamquam parvulis fructus suavissimos arborum cælestium, ad fidei incrementum et charitatis opera præbuerunt*.

Mala punica, quænam?

Emissiones ergo sunt Ecclesiæ particulares a Christo et Apostolis, ac præsertim a S. Petro Pontifice Romano missis, erectæ et fundatæ, in quibus sunt mala punica et pomorum fructus, id est, virtutum omnium tam sublimium, quam mediocrium concentus, ait S. Hie-

A ronymus lib. 1. contra Iovin. et Nyssenus: quia malus punica spinis horret, ait Sanchez, quæ fures arcent, et corticem habet amarum et austerum, qui virtutum optimus custos est. In spinosis autem ramis, atque in amara cortice significari putat continentiam et severum vivendi genus, quod procul a se repellit quidquid punicæ plantæ fructibus insidiatur, id est, virtutibus, quæ et eleganter rubent, et arrident palato. Theodoretus vero per mala punica accipit charitatem, quæ cæteras virtutes in se continet, sicut malum punicum grana plurima inter se complectitur, eaque inter se unit et consociat. S. Gregor. vero, Anselmus, Hugo et alii per mala punica accipiunt martyres suo sanguine rubricatos, quos primos fructus ex se emisit Ecclesia: hi enim omnium virtutum velut granorum congerie abundarunt, hique erant paradisus deliciarum, quia omnia tormenta eis suavia et deliciosa videbantur ex amore Christi. Addit Cassiodorus quosvis fideles, qui memoriam passionis Christi semper in mente retinent et sub uno cortice Ecclesiæ degunt, esse mala punica.

Cyprus quid?

B Iam complexum hunc virtutum in sequentibus particulatim exprimit dicens: *Cypri cum nardo, nardus cum croco*. Cyprus, nardus et crocus notant tres virtutes Theologicas fidem, spem et charitatem; ait Philo Carpath. causamque addit: « Cyprus enim arbuscula est flore candido cincinnorum instar pendente, coma odoratissima, folio oleæ. Ex hac fit unguentum nomine cyprinum ad multa commodissimum; habetque folia, flores, fructus et ramos utilissimos; hæc enim optima in Ascalone Iudææ et Ægypti Canopo provenit. Nardus quoque medicus est frutex Syriæ et Indiæ præstantissimus, colore rufo, comosus, odoratissimus, saporis amari, suavitatem odoris diutissime redolens, calefacit, exsiccat, viretque perpetuo: miscetur antidotis, et efficacissimas vires ad quamplurimos morbos habet. » Pergit deinde ad crocum et cæteros fructus: « Crocus item notissima herba est, cuius probatissimus in Medicinas usus, præsertim qui ex Ciliciæ promontorio, nomine Corycius, maximi est odoris: folio est angusto in ca-

Nardus quid?

Crocus quid?

C pillamenti modum, florem cælestis arcus colore persimilem, calicis modo ab angusta in latum sese explicantem habet: intra quem fructum triplicem veluti spicam coloris flammei ex una radicula, duplici filo lutei coloris hinc inde mantium profert, gaudet calcari et atteri pede, percussusque felicius provenit: ideo iuxta fontes et viarum semitas lætissimus est, nec melli ac dulci, sed vino vel aqua dissolvitur; huic igitur croco exerciati virtute patientiæ et factis charitatis illustres comparantur, qui (veluti triplex croci fructus ex una radice dilectionis emanans) Deo, sibique et proximis utiles exstiterunt; terrenis rebus angusti, sed cælestibus amplissimi: castigati et afflicti corpore, sed anima vegeti, lætissimi et immortales. »

Cyprus, nardus, crocus notant fidem, spem, charitatem.

Has proprietates cypri, nardi et croci facile est applicare fidei, spei et charitati. Cyprus ergo, quia parvula, etc. notat fidem; nardus, quia radice meliore sui parte in terram defoditur, et frigidis capitis, stomachi et lienis morbis medetur, spem frigus acediæ excutientem, quæ quasi vinculum est fidei et charitatis: hinc bis repetitur nardus,

D et cypro crocoque iungitur. Audi Aponium: *Nardus cum frigus de algentibus membris expellit, consolationem Spiritus sancti spemque illius significat, quod dicitur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Crocus, qui tribus aurei coloris filis rubet, notat charitatem in Patrem, Filium et Spiritum sanctum; quæ quo magis calcatur et premitur, eo magis assurgit et crescit. Ita Cassiod. Angelomus, Aponius, Willeramus et Hailgrinus.

Reliqua quatuor aromata quatuor virtutes Cardinales significant.

Reliquæ quatuor aromatum species significant quatuor virtutes Cardinales, scilicet fistula, sive calamus; quia rectus et similis regali sceptro, notat iustitiam: hanc enim administrare debent reges: cinnamomum, quia acre, calidum et sapidum cibos pariter efficit sapidos, significat sapientiam et prudentiam; ita Aponius et tres Anonymi apud Theodoret. Myrrha, quia, amara corruptioni resistit, et corpora mortua servat incorrupta, notat fortitudinem, quæ maxime in invicta acerborum tolerantia consistit: aloe, quæ ventrem corpusque purgat, et noxios humores

e corpore pellit, vel restringit, ideoque morbus sanat, notat temperantiam, quæ singulare est morborum omnium remedium, et sanitatis tam corporis quam animæ pharmacum. Cætera ligna Libani notant cæteras virtutes. Ita Delrio, Hugo Victor. et alii.

Septem aromata sunt septem status Ecclesiæ.

Rursum hæc septem aromata septem virtutes iam dictas repræsentantia, significant septem Ecclesiæ status et sanctorum ordines, quos in litaniis successive invocamus, in quibus hæ septem virtutes respective resplendent. Cyprus ergo notans fidem, repræsentat Patriarchas: in his enim fides venturi Messiæ, gratiæ et Evangelii effulsit: unde *Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam*, Gen. 15. Ideoque dictus est *pater credentium*, Rom. 3. et 4. Nardus notans spem, repræsentat Prophetas, qui sperabant bona Messiæ, quæ prophetabant; unde ex hac spe ad eum suspirans Isaias c. 45. exclamat: *Rorate cœli desuper, et nubes pluant iustum*. Idem faciunt cæteri Prophetæ. Crocus notans charitatem, repræsentat Apostolos: hi enim amore Dei flagrantes, eodem totum orbem accenderunt. Crocus enim rubet, calefacit, siccat, astringit, exhilarat, adeo ut, eo affatim sumpto, homines subinde in risum effusi emoriantur, inquit ex Dioscoride Matthiolus. Eadem fecere Apostoli. Calamus notans iustitiam, repræsentat Episcopos prælatos et principes, quorum est iura privata et publica, sacra et profana tueri. Cinnamomum notans sapientiam et prudentiam, repræsentat doctores et prædicatores. Myrrha notans fortitudinem, repræsentat martyres, qui fortissime omnia adversa tolerantes, usque ad mortem pro fide et religione decertarunt. Aloe notans temperantiam et continentiam, repræsentat virgines et continentes: Aloe enim amara est, corpus calefacit, siccat, et purgat, ac morbis genitalium medetur, inquit ex Dioscoride Matthiolus; idem spiritualiter in anima facit continentia et virginitas. Hæ omnes ecce sunt emissiones, id est, surculi et fructus, quos ex se emittit et progerminat Ecclesia: Ita Cassiodor. S. Gregor. Iustus, Beda, Philo, Anselm. Hugo, Richard. et alii, licet quisque eorum singula singulis aliter et aliter applicet. Unde Honorius, August. et Guilielmus per cyprum abundantem in Ægypto accipiunt continentes et religiosos, quibus olim plena erat Ægyptus. Ibi crescit nardus, ait Honorius, hoc est, humiles et innocentes, qui se coram aliis parvos et despectos faciunt, et odore atque ardore charitatis saucios peccatis ungunt. Ibi crescit et crocus aurei coloris, qui sunt sapientia divina fulgentes. Ibi crescit et fistula robusti et purpurei corticis, quæ ad curandas viscerum molestias valet, qui sunt patientes pro Christo, et pro fratribus suis animam ponere parati. Ibi crescit et cinnamomum cinerei coloris, qui sunt pœnitentes, qui se infirmos reputant, et in cinere pœnitentiam agentes dulcem odorem Ecclesiæ præstant; et cinnamomi cortex nimio fervore solis ab arbore solvitur, hi sunt monachi, qui se a mundo separant amore Christi. Ibi crescunt universa ligna Libani, cedri, et similes arbores quæ sunt universi fideles Christi tum prælati, tum subditi. Ita ipsi.

Huc accedit Chald. qui Iudaice hæc accipiens de Synagoga generante filios fideles Deo, qui repræsentant Christianos, sic vertit: « Iuvenes autem tui pleni sunt præceptis, etc. sicut malogranata, et diligunt uxores suas, et generant filios iustos similes sis, et ideo odor eorum sicut aromata optima horti voluptatis, et sicut cypri cum nardo: nardus et crocus et calamus aromatibus, et cinnamomum cum omnibus lignis thuris: myrrha munda et ligna aloes, cum omnibus speciebus laudabilium aromatum. »

Septem virtutes virginum.

Porro S. Hieron. l. 1. contra Iov. qui per hortum conclusum et fontem signatum, accipit virginitatem et virgines Ecclesiæ, per hæc septem aromata septem virtutes virginum intelligit: *In malogranatis*, inquit, *et pomis omnium virtutum significatur in virginitate concentus*. Alcuinus vero particulatim singula singulis adaptans: *Emissiones*, inquit, *significant bonas operationes, quæ sunt paradisus, id est, delectabiles, quia Hebr. Eden significat hortum deliciarum. Et quidem paradisus malorum punicorum dicitur, quia sicut malum exterius rubrum est, et in una cortice multitudinem habet granorum, sic in virgine multitudo bonarum operationum intra fidem Dominicæ passionis tenetur inclusa. Cum pomorum fructibus, hoc est, honestis et pudicis eius locutionibus, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis processit. Nempe cyprus significans virginitatem, nardus veram charitatem, crocus divinam sapientiam, fistula humilitatem et patientiam, cinnamomum internæ contemplationis dulcedinem, universa ligna Libani omnes alias virtutes, quæ aliquod robur habent, et mentem spiritualiter dealbant, myrrha quæ significat carnis mortificationem, aloe bonam opinionem, prima unguenta Spiritus sancti dona.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Hæc omnia, quæ dixi de Ecclesia, facile est adaptare animæ sanctæ, commutato nomine.

Emissiones.) Ergo, id est, propagines et surculi, quos ex se hortus animæ sanctæ pia disciplina excultus emittit, sunt actus virtutum, tam Theologicarum, quam Cardinalium.

Item sermones sancti, quos ex ore emittit, ut proximos a vitiis ad virtutes eadem, ac ad Christi disciplinam traducat. Ita Cassiodorus, S. Gregor. Nyssenus homil. 9. Beda et S. Ambros. libr. de Bono mortis cap. 5. qui legens: « Transmissiones tuæ paradisus: In illo, inquit, horto sermones boni sunt, alius qui culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat insolentiam et velut sepeliat, quando correptus aliquis erroribus suis renuntiat. »

Iam sigillatim virtutes quas recensui aromatibus singulis eo modo, quo dixi, attribue. Verum quia varii Patres aliter ea attribuunt, idque varie, eorum sensa hic attexere in lectorum gratiam decrevi.

Malorum punicorum.) Gilbertus, qui continuavit sermones S. Bernardi ser. 35. per *mala punica* accipit regularem unanimitatem, sive religiosos unanimiter in eodem collegio, vel conventu sub regulari disciplina viventes: « Pace indiscreta, inquit, facie huius sibi mali grana cohærent, numeri singularitate magis distant quam specie: discamus et nos invicem numero differre, non animo. Non rixantur invicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perrumpere, patienter se sinunt eius quasi sinu concludi, ut quodammodo dicere illud videantur: Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. » Exemplum dat ipsos suos religiosos, quos compellat dicens: An non fratres in hoc ordine nostro, ac si in cortice punico passionis Christi per imitationem color rutilat? Denique velut quædam huius mali grana sunt, qui sibi nativum dicunt sub disciplinæ corio contineri, qui non tam premi se censent, quam protegi. Absit amor proprietatis, absit amor privatæ potestatis, et huius te mali granum exhibes. Discant alii nostro invitati exemplo, quam bonum sit, et quam iucundum habitare in quodam horto communionis, et sub munimine corticis: Charitas uniat et cortex muniat. Quot videtis ordinata collegia, tot intelligite velut quædam mala punica. »

Cypri symbola: Fides, Charitas, Gratia.

Cypri.) Per cyprum accipe fidem, ut dixi. Nyssen. tamen, et tres Anonymi apud Theod. accipiunt charitatem; cyprus enim est calida, charitas autem est calor spiritus. Huc accedunt Cassiod. et Beda, qui per cyprum accipiunt gratiam, quæ e cœlo velut manna depluit: sicut enim manna erat quasi semen album simile coriandro, sic est et cyprus. Secundo, S. Anselm. « Cyprus, inquit, cum sit virga gracilis, quæ crescit in magnam altitudinem, et habet grana, unde fit regium unguentum, sanctos illos significat, qui crescunt in multam altitudinem virtutum et proferunt grana bonorum operum, quibus ungitur et delectatur Deus. »

Patientia

Huc accedit Apponius, qui per cyprum accipit patientiam: hæc enim *opus perfectum habet*, ut ait S. Iacobus

epist. cap. 1. *Unde ergo*, ait Aponius, *bonorum ordines in Ecclesia? tristitia si patienter suscipiatur*, cyprus enim interpretatur tristitia.

Nardi. Spes. Dilectio.

NARDI.) Per nardum cum Aponio accipe spem, Richard. Victor. tamen accipit dilectionem: « Nardus, inquit, de quo unctum est Dominicum corpus, unctionem dilectionis Dei in corde significat: quia sic ungimur, ut tribulationis igne non superemur, cum gratia nos reficit et replet, contra adversa fortes facit. »

Passio Christi.

Huc accedit Cassiodor. « Nardus, inquit, typus est Dominicæ passionis; unde Maria Magdalena nardo pistica caput et pedes Iesu unxit. Tuncque nardus in horto Ecclesiæ est, cum sancti quique memoriam Dominicæ passionis venerantur, atque gratias agunt, quod pro ipsorum amore mori dignatus est. » Secundo, S. Anselm. Hugo et alii per nardum accipiunt humilitatem. Nardus enim est herba humilis et fragrans: talis est et humilitas. Tertio, tres Anonymi apud Theodoretum per nardum accipiunt prudentiam, quæ omnibus virtutibus se miscet, sicut nardus omnibus aromatibus et unguentis.

Humilitas. Prudentia.

Crocus Charitas.

CROCUS.) Ignitas febres refrigerans notat charitatem concupiscentiæ æstus refrigerantem, ait Cassiodor. Aponius, Theodor. et Philo Carpath. uti iam dixi. Nyssenus tamen et Delrio per crocum accipiunt fidem, quia sicut circa verum crocum ob eius falsarios, sic circa veram fidem ob tot hæreses facile errare contingit. Secundo, tres Anonymi apud Theodor. per crocum, quæ mediam habet temperaturam inter calorem et frigus, accipiunt iustitiam, quæ medium inter defectum et excessum in virtutibus statuit. Tertio, S. Ansel. per crocum accipit divinam sapientiam, quæ iungi debet nardo, id est, humilitati. Quarto, Gilbertus serm. 36. per cyprum accipit meditationem, per nardum quietem, per crocum visionem sapientiæ, quia meditatio quiete indiget, et per utramque attingitur visio sapientiæ: *In cypro*, inquit, *intelligitur vestigatio, in nardo vocatio, in croco visio sapientiæ*, etc. *Accipe ergo in cypro studium, in nardo otium, in croco utriusque fructum.* Deinde hæc tria applicans Christo: *Ipse*, inquit, *in cypro patitur, et in nardo sepelitur, et de corde terræ resurgit* in croco. Nam ut ait Plinius lib. 21. cap. 6. *Crocus gaudet calcari et atteri, pereundoque melius provenit; ideo iuxta semitas ac fontes lætissimus.* Sic Christus ambivit crucem, probra, et verbera, itaque pressus et calcatus in summam gloriam die tertio resurrexit. Idem contingit omnibus sanctis Christi asseclis. Crux enim via est ad felicitatem, humilitas ad sublimitatem, contemptus ad gloriam.

Fides. Iustitia. Sapientia divina.

Humilitas.

Denique Ioannes Carmelita per crocum accipit humilitatem, quæ gaudet calcari ut crocus; et sicut crocus ebrietati resistit, sic humilitas superbiæ, quæ mentem vana sui æstimatione inebriat et dementat.

Fistula. Iustitia. Humilitas.

FISTULA.) Notat iustitiam, quæ avaritiæ resistit, sicut fistula hydropisi: avaritia enim est animæ hydrops. Cassiodorus tamen per fistulam accipit humilitatem: « Ex eo, inquit, quod brevis arbuscula est, quæ et cassia vocatur, cortice purpurea, fistula significat sanctos humilitate et patientia præcipuos, pauperes scilicet spiritu, quorum est regnum cælorum. Purpureus autem cortex significat passionem Christi, quam humiles spiritu semper in corde retinent, et imitari satagunt. »

Temperantia.

Secundo, Aponius, et tres Anonymi apud Theodor. per fistulam accipiunt temperantiam, quæ instar fistulæ viscerum infirmitates per abstinentiam humores siccando sanat, et instar fistulæ in altum ad cælestia contemplanda mentem sobriam sustollit. Tertio, Hugo de S. Victore: « Fistula, inquit, sunt compuncti pœnitentes quicumque vel in se, vel in aliis peccatorum intrinsecus latentium molestias per gratiam compunctionis, confessionis, vel etiam efficacioris admonitionis expellunt: fistula quippe ad curandas viscerum molestias utilis est. »

Oratio.

Quarto, Ioannes Carmelita qui per fistulam, vel calamum intelligit cannam continentem saccharum, per eam accipit orationem. Hæc enim est quasi fistula cælestis a Deo sugens suavitatem consolationum omni sacharo dulciorem.

A

Cinnamomum. Sapientia. Prudentia. Humilitas. Pietas.

CINNAMOMUM.) Sua acredine, vivacitate et sapore notat sapientiam et prudentiam, ut dixi. Cassiod. tamen et Anselmus accipiunt humilitatem, quia cinnamomum ex brevi arbuscula cinerei coloris nascitur. Cosmas Damianus accipit pietatem; hæc enim instar cinnamomi suavem expirat odorem, et ad omnia utilis est, ut ait Apostol. Porro cinnamomo nonnulli miras vires attribuunt, ut quod aquæ bullienti iniectum illico eam refrigeret, quod in os dormientis iniectum faciat, ut ille ad omnia interrogata respondeat, etc. quæ recenset Nyssen. et adaptat viris perfectis. Verum hæc fabulosa et falsa sunt. Verius Philo Carpathius per fistulam et cinnamomum accipit SS. Petrum et Paulum, qui fragrantia suæ prædicationis et vitæ sanctæ totum orbem repleverunt. Denique Gilbertus ser. 36. *Fistula est*, inquit, *quando sponsa excedit Deo, cinnamomum, quando contemperans est nobis.* Et post nonnulla: *Esto velut cinnamomum; colloquia tua, conversatio communis gratiam spirent. Et si de voluntate tua et proposito aliquoties reflecteris, ad senioris arbitrium reflexa et quasi*

B

fracta sit voluntas, non murmur resonet, non querimonia; esto cinnamomum confractum, visibile spiramentum emitte, eo quod virtus humilitatis in infirmitate vexationis, et velut fractionis proficit et probatur. Et spiramentum, et visibile dicitur: spiramentum, quia tranquillitas servatur in corde; visibile, quia relucet in facie.

Lignorum Libani Virtutes. Doctores.

CUM OMNIBUS LIGNIS LIBANI.) Quæ significant cæteras virtutes, ut dixi; licet Cassiodor. Anselmus et Richard. per ligna Libani accipiant viros eminentes et doctores. Audi Cassiodor. *Ligna Libani pulchritudine, proceritate, et robore præeminent, ideoque sanctos doctores et perfectos quosque in Ecclesia significant. Pro Libani*, Hebr. est לבונה *lebona*, quod proprie thus significat. Unde Arabicus, Syrus et Vatabl. vertunt: *Cum omnibus lignis thuris*, id est, thuriferis. Porro *thus*, ait Nyssen. symbolum est divinitatis: *Qui ergo in omnibus vitæ studiis*, inquit, *in se ostendit divinæ formæ similitudinem, in se ostendit pulchritudinem omnium lignorum Libani* (thuris) *per quæ exprimitur forma divina.*

C

Myrrha et Aloes. Fortitudo. Temperantia. Mortificatio. Tentationes. Continentia. Castitas. Martyrium. Pœnitentia.

MYRRHA ET ALOE.) Myrrha notat fortitudinem, aloe temperantiam. Theodoret. vero per myrrham accipit mortificationem; per aloem tentationum amaritudinem; Cassiodor. per myrrham accipit continentiam, per aloem castitatem; Anselm. per myrrham accipit passionem martyrii, per aloem mortificationem carnis et pœnitentiam.

Symbolice Nyssen. per hæc, ait, videtur demonstrari sepulturæ Christi societas: nemo enim fit gloriæ Dei particeps, qui non fuerit primum conformis similitudini mortis eius. Sic et Philo Carpath.

CUM OMNIBUS PRIMIS UNGUENTIS.) Id est, cum omnibus præcipuis charismatibus et donis Spiritus sancti. Ita tres Anonymi apud Theodor. S. Anselm. Richard. et Hugo, Victor. Cassiodor. vero per prima unguenta accipit charitatem, de qua ait Apostolus: *Excellentiorem viam vobis demonstro*, I. Corinth. 13. Nyssen. vero per hæc unguenta accipit sincera Ecclesiæ et fidei dogmata.

Hortus conclusus Claustra religiosorum.

Denique hortus conclusus sunt religiones et claustra re-

D

ligiosorum, in quibus omnia virtutum aromata lætissime germinant et suavissime fragrant, uti docet S. Bernard. de Convers. ad Clericos cap. 21. Vide Hieronym. Platum lib. 3. de Bono statu relig. cap. 14. ubi religionem ostendit esse paradisum voluptatis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

BEATA Virgo, inquit Rupert. est hortus conclusus et paradisus deliciarum germinans fructum vitæ, puta Christum, qui septem aromatibus, id est, septiformi gratia spiritus orbem cumulavit: « Nardus, inquit, est humilitas tua, quæ valde oblectavit Altissimum, oblectavit me regem dilectum tuum sicut ipsa dicis, quia dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Quidquid

gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ut ubi erant eius spina et vepres, et carduus, lappa, et tribulus, urticæ et paliurus, universitas nequitiarum, ibi sit cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum, myrrha et aloe, universitas gratiarum. »

Deinde prima unguenta, inquit, sunt cuncta opera corporalia pietatis et misericordiæ, quibus B. Virgo supplet defectum bonorum spiritalium in lignis Libani, id est, in divitibus et potentibus. Audi et Guilielmum: « Emissiones sunt fructus ex ea emissi, unicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est Iesus; sed in uno illo fructu multiplex est fructus. In uno Salvatore omnium Iesu, plurimos Maria peperit ad salutem: pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso quod mater est capitis multorum membrorum mater est. Mater Christi, Mater est membrorum Christi; quia caput et corpus unus est Christus; corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Unde etiam ab omnibus mater appellatur, et ab omnibus cultu debito, ut mater honoratur. »

VERS. 15. FONS HORTORUM, PUTEUS AQUARUM VIVENTIUM, QUÆ FLUUNT IMPETU DE LIBANO.

FONS HORTORUM (Arabicus: *Fons hortus*) PUTEUS AQUARUM VIVENTIUM, QUÆ FLUUNT IMPETU DE LIBANO.) Septuag. *Puteus aquæ viventis et strepentis de Libano.* S. Ambros. in Psalm. 118. sermon. 17. *Et impetus descendens de Libano.* Quinta editio et Vatabl. *Quæ profluunt e Libano*, puta magna copia æque ac impetu: hunc enim efficit copia aquarum ex alto dilabentium. Aquæ viventes vocantur, quæ e venis terræ iugiter manant et scaturiunt, uti fit in puteis et fontibus: hæ enim sunt quasi sanguis terræ, ac instar viventis e suis scatebris ebulliunt, moventur et fluunt perenniter, cum aquæ stagnantes immotæ consistant, ideoque vocantur mortuæ.

FONS HORTORUM.) Nonnulli generatim accipiunt quemlibet fontem, qui hortos plures irriget et fœcundet, quales multi in Libano oriuntur, et in subiectas valles defluunt; imo R. Salomon et Gislerius per Libanum accipiunt quemlibet montem purum ac nitidum, ex quo fontes profluunt. Libanus enim Hebraice idem est quod album et candidum.

Verum alii speciatim accipiunt hæc de certo fonte limpido e Libano scaturiente, et cum suavi murmure in hortos vicinos dilabente, eosque irrigante et fœcundante. Ita Hortolanus, Titelman. Soto maior, et alii. Hunc fontem ex Brochardo, Salignaco, Bredenbachio, et aliis ita describit Adrichomius in descriptione terræ sanctæ, p. 107, n. 48. « Fons hortorum, cuius in Cantico Salomonis fit mentio, ex monte Libano procul a Tripoli sex millibus passuum cum impetu scaturit, ac brevi spatio auctus in vehementem cursuque velocem fluvium excrescit, suisque aquis, quæ limpidissimæ, frigidæ et dulces sunt, omnes hortos (unde et fons hortorum vocatur) totamque regionem, quæ inter Libanum et Tripolim est, irrigat et fœcundat. Præter minores aliquos in tres magnos rivos se dividit, quorum prior inter Tripolim, et montem leopardorum in mare magnum labitur, alter leopardorum montem circumiens, idem mare influit: tertius inter Arcas et Raphaneas Agrippæ regni civitates fluens medius, Antaradumque alluens in prædictum tandem mare se exonerat. » Fluvium hunc Iosephus lib. 7. Belli cap. 24. Sabbaticum appellari scribit, eo quod per miraculum die sabbati copiose fluat, cæteris vero diebus siccetur et arescat.

Fons hortorum quis?

Fons sabbaticus.

Porro fontes non tantum fœcunditatem hortis, sed et intuentibus, ac lavantibus, bibentibusque magnam voluptatem, refrigerium, et satietatem afferunt, præsertim dum ex altis montibus per canales in valles hortenses deducti, ibi in altum usque ad suam originem naturali sua vi et pondere exsiliunt. Per avium et bestiarum ora, fabrefacta erumpunt, atque subinde avium concentum et organorum harmoniam auribus exhibent, quales sunt fontes hydraulici Estenses, Aldobrandini, et similes, quos Tusculi et Tiburo spectamus. Hisce enim sponsam ob elegantiam et venustatem per omnia similem, comparat.

Puteum vero hunc idem Adrichomius ita describit pag. 6. n. 67. « Puteus aquarum viventium, cuius in Canticis Salomonis fit mentio, iuxta viam, quæ Tyrum ducit, situs egregius est et admirabilis, atque versus Aquilonem a Sandalio Castro paulo amplius, quam milliario; versus Austrum vero a Tyro parvo milliario distat. Quamvis autem singulariter puteus dicatur, sunt tamen quatuor fontes quadrati, quorum ille, qui præcipuus est in unoquoque quadrati latere quadraginta; reliqui vero viginti quinque cubitos habent. Omnes muris fortissimis, de durissimis lapidibus insolubili opere obfirmatis conclusi. Unde varii deducuntur aquæductus et rivi, qui totam Tyri planitiem omnesque eius hortos irrigant et fœcundant. Distant hi fontes a mari magno paulo amplius quam arcus iacere potest, in quo tantillo spatio sex molas agunt, et deinde se mari miscent. » Huius putei meminit quoque Guilielmus Tyrius l. 7. Belli sacri c. 22. et l. 13. c. 3.

Puteus aquarum viventium

Alludit ad Iordanem, qui in Libano ex duobus fontibus *Ior*, et *Dan* confluentibus conflatur, et nominatur *Iordan*, sive Iordanes. Hic enim per totam terram Israel defluens, illi miram fœcunditatem æque ac amœnitatem et hilaritatem inducit, iuxta illud: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Psal. 45. Hoc flumen præcise ad litteram sunt aquæ Siloe, quæ hortos Ierusalem irrigant, ad quas hic quoque alluditur. Unde Chald. vertit: *Et aquæ Siloe, quæ ducuntur in quiete, cum reliquis aquis, quæ defluunt de Libano, ut irrigent terram Israel, eo quod navant operam verbis legis, quæ comparantur puteo aquarum viventium, et in lætitia libationis aquarum, quæ libantur super altare in domo sanctuarii, quæ ædificata est in Ierusalem, quæ vocatur Libanus.*

Iordanis unde dicatur?

Aquæ Siloe

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

ECCLESIA est *Fons hortorum et puteus aquarum viventium*, id est, purissimæ sapientiæ, sacræ doctrinæ, et gratiæ, *quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de Christo excelso et candido, aquis iam dictis abundanti, ait Aponius, Richardus, et alii iuxta illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, Isaiæ 12. 3. Et illud Eccles. 24. 35. *Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem et assistens quasi Gehon in die vindemiæ.* Vide ibi dicta: Ecclesia enim omnem doctrinam et gratiam, quam haurit a Christo, derivat in hortos, id est, in Ecclesias et cœtus particulares, præsertim clericorum et religiosorum, qui sunt quasi hortus et paradisus Domini. Eadem dicitur *puteus*, ob profunditatem doctrinæ et mysteriorum, quæ in ea latent, et quibus affluit et effluit in suos fideles. Ita Cassiodorus, Aponius, Anselmus, et alii.

Iam quia Ecclesia suam doctrinam, prædicationem et gratiam Christi haurit e sacra Scriptura, et Baptismo cæterisque Sacramentis, hinc eadem consequenter hic accipi possunt. Unde per fontem et puteum accipiunt S. Scripturam, S. Gregor. Cassiodor. Philo, Aponius, Beda, Iustus, tres Anonymi apud Theodoret. Anselm. et Ambros. de Isaac c. 4. Audi S. Gregorium: « Quid per fontem et puteum, nisi sancta Scriptura designatur? quæ sic aquam sapientiæ generat, ut et potantes semper reficiat, et tamen manare non desistat. Quæ bene hortorum esse perhibetur, quia illorum specialiter est sancta Scriptura, in quorum mentibus virtutum semina oriuntur. Sed quærendum nobis est, quare fons, et puteus, utrumque simul, Scriptura dicatur, cum fons in superficie appareat, puteus vero in imis latens omnes se quærentes maiori labore exerceat: sed sciendum est, quod divina Scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens, et aliquando leviter sicut invenitur

Sacra Scriptura fons et puteus.

tamquam fons potatur, et aliquando magna inquisitione eg... t tamquam puteus, ut inventa sumatur. » A

Addit Cassiodorus dogmata sacræ Scripturæ vocari fontem, et puteum aquarum viventium, respectu doctrinæ hæreticorum, de qua dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas*, Ierem. 2. 13.

Fons Sacramentorum.

Rursum per fontem et puteum aquarum viventium, accipias Baptismum cæteraque Sacramenta: hæc enim sunt quasi septem fontes gratiæ. Ita S. Anselmus. Audi S. Gregorium: « De Libano aquæ putei fluunt, quia in Baptismo electi quique donum Spiritus sancti accipiunt, quo illuminati Scripturæ sacræ sensum intelligunt. Quæ Scripturæ sanctæ scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab huius vitæ amore submoveat, et ad æterna gaudia vi impetus quosque adhærentes traiiciat. Hinc est enim quod in psalmo scriptum est: fluminis impetus lætificat civitatem Dei: impetus enim fluminis civitatem Dei lætificat, cum per donum Sancti Spiritus fortiter inundans Scripturæ sapientia sanctam Ecclesiam, vel animalibet sa- B pientia mentem infusione sua exhilarat. »

Et Richard. Victor. « Per Libanum, inquit, a quo aquæ istæ fluunt, Christum intelligit candorem lucis æternæ, quia a Christo cœpit tempus gratiæ. De Libano, inquit, fluxerunt aquæ istæ, id est, de Christo, quando Spiritus sanctus tamquam torrens discipulis influxit, et suavi eos ubertate donorum inebriavit. Et quando, Christo in cœna benedicente panem, Sacramentum Eucharistiæ celebrari cœpit, et, una passibili præsentia ipsius sublata, multis in locis usque ad consummationem sæculi nobiscum mansit; semel quoque oblatus in cruce, multoties in altari pro nobis offertur. »

Beda per impetum censet notari vim et efficaciam Apostolicæ prædicationis, cui nemo resistere potuit. Porro Theodoretus et Anselmus per Libanum accipiunt Ierusalem et Iudæam, e qua legis fluenta cum impetu Spiritus ad Ecclesiam defluxere. Libanus enim est limes Iudææ.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta fons et puteus.

Anima sancta est fons et puteus aquarum viventium, dum profundam Spiritus sancti doctrinam, et gratiam consecuta, illarum aquis spiritualibus ita redundat, ut easdem in alios refundat. Eadem dicitur puteus, quia ut eas hauriat profunde per humilitatem se inclinare et demittere debet.

Adiungit Richard. Victor. illam esse *Fontem quia fluit, semper nova oriens, et semper in Deo renovata per desiderium ad interiora: fontem non cessantem ebullire et erumpere ad Dei amorem, et de plenitudine qua abundat et infirmiores visitantem et irrigantem.*

Addit Nyssenus animam sanctam inde extolli, quod naturæ divinæ assimilata sit, quæ per aquam sæpius in sacris litteris designatur, imitata quidem fonte fontem, vita vitam, aqua autem aquam, quatenus est promptuarium D continens aquam illam vivam, quæ ex Deo fluit, iuxta id quod in Evangelio significavit, ubi dixit: *A Deo exivi*; nec dubitandum, quin vivat, dum Verbum Dei suscipit, quod Apostolus vivum appellat. Hæc Nyssenus.

Eleemosyna, puteus aquarum viventium.

Porro S. Ambros. lib. de Nabuch. c. 12. per puteum aquarum viventium accipit eleemosynam, causamque dat: « Puteus, inquit, si nihil haurias, inerti otio et degeneri situ facile corrumpitur, exercitatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita et acervus divitiarum, cumulo arenosus, speciosus est visu, otio autem inutilis habetur. Derivetur igitur aliquid ex puteo isto, ignem ardentem restingue, quia eleemosyna resistit peccatis. » Vide dicta 2. Corinth. c. 8. et 9.

Denique S. Anselmus per Libanum accipit perfectos, qui sunt candidati virtutibus a quibus aquæ vivificantes fluunt ad correctionem subditorum magna copia et impetu.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo fuit, et est fons, et puteus aquarum viventium, qui sterilem mundum sic irrigavit, ut eum fœcundum effecerit ac amœnum instar paradisi, iuxta illud: *Ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso, dixi: Rigabo hortum meum.* Eccles. 24. v. 41. Ita Rupert. qui quatuor flumina paradisi B. Virgini mystice accommodat, additque ipsam esse fontem et puteum aquarum viventium, quia ipsa est sacrarium omnium sacrarum Scripturarum. B. Virgo ergo est fons, tum quia Christum nobis genuit, et effudit: tum quia orando apud Filium omnia bona nobis impetrat et communicat. Hinc Methodius in Hypapante B. Virginem sic alloquitur: *Salve humanitatis filii fons, salve humanitatis umbraculum.* Et S. Epiph. orat. de Deipara: *Ave*, ait, *gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias.* Sanctus Ephrem quoque de Laude Deiparæ, ipsam *fontem gratiæ et totius consolationis* appellat. S. Chrysost. *Ave*, ait, *quæ es puteus semper viventis aquæ.* Nam ut ait S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 4. *Ipsa nobis miseris dedit filium suum Deum, captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, et cum ipso dedit nobis regnum cælorum et omne bonum.*

B. Virgo fons et puteus aquarum viventium.

Die sabbati maiora beneficia confert B. Virg.

Denique Fluvius sabbaticus recte congruit B. Virgini. Ipsi enim ab Ecclesia cultus in officio Ecclesiastico, et sacrificio Missæ religiose tribuitur in Sabbato, quo Ipsa, mortuo Christo Ecclesiam quasi columna sustentavit; firmiter credens et sperans Christum die dominica sequenti resurrecturum. Hinc maiora beneficia confert ipsa die sabbati; unde et multi fideles sabbato in honorem B. Virginis ieiunant aliaque pietatis et pœnitentiæ officia obeunt, ut sabbatum, id est, quietem in tentationibus et tribulationibus ab ea consequantur, et ad sabbatum æternæ pa- C cis in cælo perducantur.

Vers. 16. Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

Pro *illius* Septuag. legunt *mea*; S. Hieronym. in Habacuc 3. Theodoret. et S. Ambr. l. 1. de Virginit. *tua*. Utrumque verum, quod enim est sponsæ, hoc etiam est sponsi: sponsis enim omnia sunt communia. Quare Ecclesia sponsa est, hortus et paradisus Christi sponsi sui.

Pro *surge* hebr. est עורי *uri*, id est *excitare, evigila*; Syrus, *Expergiscere*, qui quasi dormis. Hæc vox ambigua est. Primo enim *surge* accipi potest, q. d. Surge ut abeas, matura fugam, cito discede, o Aquilo, quia tu es ventus frigidus et siccus, plantas adurens, siccans et caecans, ut veniat tibique succedat Auster, qui suo calore et humiditate arbores vegetat et fœcundat, ut folia, flores et fructus producant. Hinc *Auster* dictus est, quasi *hauster ab hauriendo aquas*, ait Isidorus l. 13. Etymol. cap. 11. *Unde* D *et crassum aerem facit et nubila nutrit.* Græce dicitur νότος a νοτὶς, id est *humor*, ait Nonius Marcellus. Quocirca, flante Austro, seminandum est, et plantandum non flante Aquilone. Audi Plinium lib. 18. 34. *Hoc* (Aquilone) *flante, ne arato, frugem ne serito, semen ne iacito. Perstringit enim atque percellit hic radices arborum, quas positurus es.* Licet enim Auster Italiæ et Hispaniæ sit gravis et noxius, tamen Palæstinæ et aliis regionibus est gratus, lenis, et salutaris: Aquilo vero suo frigore et rigore molestus. Quocirca *Aquilo* dicitur quasi *aquas ligans*, et congelans, ait Richard. Victor. ideoque in sacra Scriptura in malam partem accipitur, quia sinister et infaustus. Unde Lucifer sedere voluit in lateribus Aquilonis. Isaiæ 14. Auster vero in bonam partem capitur, ideoque hebr. dicitur תימן *teman*, id est dexter et faustus, a ימין *iamin*, id est dextera. Unde eo flante, aromata fluunt, et gratam exhalant fragrantiam, quæ flante Aquilone cohibetur et constringitur. Hinc illud Ierem. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur*

Auster quasi hauster aquarum.

Aquilo quasi aquas ligans.

omne malum. Et Eccles. c. 43. 22. *Flavit Aquilo et gelavit crystallus ab aqua; super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis; et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne.*

Aquilo arborum est saluberrimus, Auster noxius.

Secundo, τὸ *surge* accipi potest, ut referatur ad τὸ *perfla*, q. d. Tu o Aquilo, æque ac tu, o Auster, age, surge, perfla hortum meum. Aquilo enim plantas stringit in hyeme, ut radices magis figant et dilatent in terra; succedens vero in vere Auster eas aperit, laxat, calefacit, ut germinent, et in frondes, flores, fructusque erumpant. Huic sensui apte respondet tropologia, de qua mox. Ita Cassiod. Beda, Iustus, Aponius, Rupertus, Clarius et alii, præsertim Rabbini. Aquilo enim vehemens concutit et flagellat arbores, qua concussione et motu fit, ut earum pori aperiantur, et suaviorem expirent odorem. Hinc Plinius lib. 18. c. 34. docet vites et arbores Aquilonem spectare debere. Idem l. 2. c. 47. *Saluberrimus*, inquit, *omnium Aquilo, noxius Auster.*

Nonnulli, ut Nyssenus. Theod. Psellos, Rabbini, Genebr. et Soto malor censent esse verba sponsæ. Cæteri tamen pene omnes censent esse verba sponsi qui cum sponsam vocasset hortum conclusum, nunc imperat ventis, ut eum perflent, et agitent, ut suavitas aromatum eius magis perspiret, sentiatur, et recreet, tam sponsum et sponsam, quam utriusque sodales et asseclas. Porro Chaldæus per Aquilonem accipit mensam panum propositionis, per Austrum vero candelabrum, quod situm erat ad Austrum in templo. Sic enim ait: *Et in latere Aquilonari erat mensa et super eam duodecim panes facierum; et in latere Australi erat candelabrum ad illuminandum, et super altari afferebant sacerdotes oblationes, et adolebant super illa incensum aromatum.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Iuxta priorem explicationem iam datam, qua *surge* idem est, quod *abi*, et fuge, o Aquilo; sensus est, q. d. Surge, o Aquilo, idest abi, o diabole, qui in Aquilone sedere gestis, ac Aquilonem, id est frigidam infidelitatem, et torporem virtutum induxisti in homines tempore legis Mosaicæ et naturæ. Veniente ergo Christo veniat cum eo Auster, id est, Spiritus sanctus qui suæ gratiæ calore et fervore faciat ut Ecclesia et fideles suavissimum virtutum omnium odorem per sanctas eorum operationes exspirent.

Auster Spiritus sanctus.

Facesse igitur Aquilo procul e nostris hortis, abesto horrida infidelitas et impietas, quæ ut illic plantas, sic tu hominum corda contrahis, et cælesti calore extincto cogis congelascere. Tu vero, Auster, veni, perfla hortos meos, Myrrham et aloem, calamum et cinnamomum, reliquasque plantas nostras aromaticas calefacito, ut calido tuo flatu incalescentes nativum suum calorem proferant, et eiusdem vi colliquatos humores fundant suavissimos. Ita S. Greg. Philo, Rupertus, Anselm. Nyssen. Theodoret. Psellos et S. Ambros. in Ps. 1. Et S. August. ep. 120. ad Honoratum cap. 22. Id re ipsa accidit in Pentecoste cum 120. discipuli, qui plantati erant in domo Domini flatu huius Austri, id est Spiritus sancti per omne genus linguæ doctrinæ fluenta emisere, ait Nyssenus. Additque vi Spiritus sancti fluenta aquarum mutata esse in fluenta aromatum. Audi sanctum Gregorium: « Quid per Aquilonem, qui in frigore constringit et torpentes facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, a bono opere torpere facit? per Austrum vero, calidum scilicet ventum Spiritus sanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat et ferventes facit, ut bona quæ desiderant operentur. Hinc enim dicitur: Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro. Surgat ergo Aquilo et veniat Auster, et perflet hortum sponsi, et fluant aromata illius, ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia, vel ab unoquoque electo anima discedat, et Spiritus sanctus adveniat, qui veniens charitatis ignem cogitationibus infundat, et a torpore negligentiæ, dum se infuderit, solvat. » Mox effectum et fructum subiicit: « Quod dum egit, aromata fluunt, quia dum adveniente sancto Spiritu, cor quod prius torpuerat, ad opere se excitat, mox sanctæ operationis opiniones per proximos quosque suaviter discurrunt, ut quique audientes ad eadem se accendant, et Austro flante, id est Spiritu sancto se infundente, virtutum odores emittant; ut ubique sanctus hortus floreat, et post florem fructus redolentes et reficientes producat. »

Iuxta posteriorem vero expositionem, qua Aquilo iubetur surgere, ut cum Austro perflet hortum Ecclesiæ, primo Iustus Orgelit. tam per Aquilonem, quam per Austrum accipit Spiritum sanctum. Hic enim, inquit, dicitur *Aquilo, dum æstuantibus refrigeria præbet; Auster, dum duros ad credendum vel benefaciendum resolvit. Et quoniam in duobus unus advertitur, non ait perflate, sed perfla hortum meum, et fluant aromata illius: Inspira credentem populum, et redundent bona opera eius.*

Secundo, S. Ambrosius per Aquilonem, qui complectitur vicinum Occidentem, et per Austrum, qui complectitur vicinum Orientem, accipit quatuor mundi plagas, ut sensus sit, q. d. Venite, o mortales, ex omnibus mundi plagis per fidem Christi ad Ecclesiam ut fructus bonorum operum producatis, per quos salvemini. Idem S. Amb. in Ps. 118. serm. 12. per Aquilonem frigidum accipit gentes infideles, per Austrum Iudæos fideles, quasi utrique vocentur ad Christum, q. d. *Exurge, o Aquilo, id est surge qui dormis, et exurge o mortuus populus nationum, qui diu ante dormisti, evigila aliquando, et illucescet tibi Christus.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Aquilo et Auster sunt adversa et prospera.

Iuxta priorem sensum τὸ *surge*, sensus est, q. d. Fuge ex anima pœnitente, o Aquilo, id est o peccatum, o diabole; et veni Auster, id est o gratia Dei, o Spiritus sancte. Iuxta posteriorem vero symbolice, sed apposite, per Aquilonem accipias adversitates, per Austrum prosperitates; utrasque enim in animas fideles immittit vel permittit Christus (vel ut nonnulli, Ecclesia, et anima sancta utrasque sibi suisque immitti optet) quia utræque faciunt ad eius profectum, ut ex ea fluant aromata patientiæ, temperantiæ, modestiæ aliarumque virtutum. Ad hæc enim non minus prodest reflantis persecutionis asperitas, quam afflantis prosperitatis et consolationis suavitas. Causam dat Lucas Abbas continuator Aponii, quia sicut frigus Aquilonis et calor Austri temperatum efficiunt aerem in paradiso, sic frigus tribulationum commixtum cum æstu consolationum temperiem iustam in anima parit, ut nec superbiat in prosperis, nec animo concidat in adversis, sed æqualis constantia utraque superet. Huc accedit S. Ansel. *Aquilo*, ait, *commovens arbores facit eas germinare, ut Auster succedens fructum faciat producere. Ita persecutio, succedente fervore charitatis, gratia Spiritus sancti facit Ecclesiam fructificare.*

Huc pertinet expositio Richardi de S. Victore, qui ait Deum animæ immittere vel permittere Aquilonem, id est, tribulationes et tentationes, sed illico post eum immittere Austrum consolationum, quæ tribulationes et tentationes pellant, vel mitigent et dulcorent, cum scilicet animæ tentatæ et afflictæ *dulcedinem exhibet Spiritus sanctus, ita ut ex ipsismet adversitatibus voluptatem percipiat. Tunc quippe huiusmodi Austro non tantum flante, sed et perflante, id est, totum occupante ipsum animæ hortum, adeo ut in nullo tristitiam habeat, fluunt aromata virtutum illius, tanta utique ubertate, ut qualibet adversa prospera reputet, et exteriora damna in lucrum animæ convertat; fit tunc patientia læta, charitas benigna, humilitas devota, prompta obedientia, virtutesque habet, non tam in desiderio, quam in effectu.* Denique sicut Aquilo oppositus

Austro suo frigore Austri calorem et humorem per antiperistasin auget et intendit; unde, flante Aquilone, Auster calidior est et humidior, ait Arist. in Problem. sect. 26. num. 29. sic tribulatio auget et intendit calorem et consolationem Spiritus sancti, facitque ut fluant aromata lacrymarum piæ devotionis et lætitiæ spiritualis.

Item consolationes, et terrores. Secundo, per flatum Aquilonis accipias inspirationes et impulsus Spiritus sancti terribiles, ut metum mortis, iudicii, gehennæ, quos peccatoribus, vel tentatis immittit, ut eos a malo refrænet; per flatum vero Austri inspirationes blandas, ut spem felicitatis, impulsus amoris divini, desiderium gloriæ cælestis, etc. utrisque enim ceu ventis contrariis Spiritus sanctus agit, urgetque animam ad profectum, ut fluant aromata, id est, opera virtutum.

Porro Cassiod. Beda et Cosmas, tam per Austrum, quam per Aquilonem accipiunt tentationes et tribulationes, sed per Aquilonem sævientem intelligunt persecutiones, minas, et tormenta; per Austrum blandientem vero blanditias ad decipiendum compositas, q. d. *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum*, id est, irrumpite iam (per me licet) in sanctos meos, impii homines, gladios, secures, cruces, bestias, fornaces, ignes, omnes denique pœnarum turbines vestra, o dæmones, arte collectos in meam Ecclesiam immittite, per meæ Ecclesiæ hortos quantumlibet grassamini; nihil aliud quam plantarii quod plantavit Pater meus cælestis calorem excitabitis. Nihil aliud in mediis tormentis, quam fidem meam profitentes, vota precesque pro suis tortoribus fundentes sanctos meos audietis. Nihil aliud in eis quam fidei, charitatis, et magni atque infracti animi documenta videbitis. Non aliud quidquam ex sanctis meis, quam præclara dicta et fortia facta exprimetis: quorum aromatum fragrantia vos æternum cruciet, me vero oblectet supra modum. Præclare S. Basilius epist. 41. ad Nicopol. Presb. « Persecutiones, ait, sunt grandines et torrentes, et quæcumque alia subita sunt ac temporalia, quæ mollia quidem facile lædunt ac dissipant, a solidis vero et resistentibus, si in illa inciderint, magis patiuntur aliquid, quam ut illis incommodent: sic et vehementes illæ tentationes contra Eccle-

A siam motæ, imbecilliores detestæ sunt, quam ut robur fidei, quæ in Christum est, infringerent. Itaque quemadmodum, ubi grandinis nubilum præteriit, et torrens alveo suo effluxit, illud in serenitatem dissolvitur, iste profunde absorptus, viam qua fluxerat siccam et aridam relinquit. Ita et tempestas illa quæ nos iam apprehendit, paulo post non erit, modo sustineamus non inspicere præsentia, sed spem in ea extendere, quæ paulo sunt ulteriora. » Et S. Chrysost. hom. 25. in Matth. « Quicumque, ait, adamantem percutit, magis ipse percutitur, et qui adversus stimulum calcitrat, sine dubio ipse compungitur, suisque propriis ictibus vulneratur: et qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur; et malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutius præliatur: et sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidem non extinguit, vestem vero comburit; ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem omnino perdebant. »

B

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Iuxta priorem sensum τὸ *fuge, Auster*, qui fœcundavit beatam Virginem ut Deum in humanitate pareret, fuit Spiritus sanctus, iuxta illud: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. Ideoque ab eo fugatus est Aquilo, id est, Lucifer, et immissus Auster, id est, Gabriel, qui ei lætum Verbi incarnandi nuntium afferret. Rursum Auster, id est, fervor Spiritus sancti eam assidue impulit ad continuum Dei amorem, et heroicos virtutum actus. *Aquilo, Lucifer, Auster, Gabriel Archangelus.*

Iuxta posteriorem sensum, B. Virginis vita præ omnibus iustis mixta fuit Aquilone, et Austro, id est, adversis et prosperis, desolatione et consolatione, dolore et gaudio, ut patet eam expendenti.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsus a sponsa in hortum invitatus, ibidem cum ea et sociis epulatur. Post epulum v. 2. sponsa noctu cubitum concedens, mane experrecta, narrat sociabus quid sibi dormienti acciderit, scilicet se noctu evocatam a sponso cum sopore torpens, tardius ad illi aperiendum ostium surrexit, illum quasi desidiæ huic et incivilitati offensum alio abiisse: quare se per varia pericula quæsivisse, ac vix invenisse illum qui paulo ante ultro se illi ad fores offerebat. Porro cum in quærendo sponso adolescentulæ sponsæ se socias offerrent, quærunt ab ea, qua figura et habitu sit sponsus, ut eum internoscere queant; quibus sponsa respondet, ac sponsum vivis coloribus depingit; eumque caput aureum habere asserit, oculos columbinos, genas instar aromatum, labia instar liliorum, manus tornatiles, ventrem eburneum, crura marmorea, guttur suavissimum. Denique ipsum per omnia summe esse pulchrum et desiderabilem asseverat.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici et bibite, et inebriamini charissimi. 2. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. 3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius. 5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. 6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est ut locutus est: quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi. 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem: percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. 8. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto,

quia sic adiurasti nos? 10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. 11. Caput eius aurum optimum: Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. 12. Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident iuxta fluenta plenissima. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus distinctus sapphiris. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius ut Libani, electus ut cedri. 16. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. 17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.

VOX SPONSÆ.

Vers. 1. VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM, ET COMEDAT FRUCTUM POMORUM SUORUM.

PRO *dilectus* hebr. est דוד *dod*, quod Septuag. passim vertunt ἀδελφιδός, id est, *fratruelis*, vel *nepos*. Syrus et Arabicus *patruelis* vel *filius fratris* Chald. per hortum accipit templum, unde vertit: *Ingrediatur Deus dilectus meus in domum sanctuarii, et suscipiat voluntaris oblationes populi sui.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

COMPARAT Christus sponsus sponsam Ecclesiam horto concluso, eiusque varios et præstantes fructus celebrarat c. præced. vers. 12. et seq. nunc sponsa sponsum in hortum ita a se laudatum, hoc est, ad seipsam invitat, ut fructibus eius, quos, flante Austro, id est, Spiritu sancto ipse produxit, se oblectet et pascat; totum enim hunc hortum ad unius sponsi obsequium esse compositum, ideoque illi soli patere, cæteris vero esse clausum profitetur; unde ait: *In hortum suum*, non *meum*, q. d. Meus hortus non tam est meus, quam suus; quia ego qui sum hic hortus, non tam mea sum, quam sponsi. Christus enim me Ecclesiam totam, quanta quanta sum fecit, ornavit et composuit; quare quidquid est in me ornatus et decoris, non ex mea natura, sed ex illius dono et gratia habeo, illiquo acceptum fero, et utendum fruendumque una mecum offero ac refero. Ego enim tota sum Christi; quare illi soli totam me dedo, dedico et reddo.

Pro *veniat* Septuag. et Arabicus vertunt, *descendat*, quæ vox summam sponsæ erga sponsum humilitatem et reverentiam, æque ac sponsi celsitudinem denotat, q. d. Dignetur divina Christi Maiestas ex alto divinitatis suæ solio ad me Ecclesiam, quæ ima et vilis eius creatura sum, ne olim peccatis meis graviter eum offendi, descendere, meque sua gratia visitare, corrigere, polire et perficere. Esto enim ego tota opus sim Christi, tamen quia ego operi huic eius per liberum arbitrium cooperata sum, vereor ne qua negligentia, imprudentia, cupiditate opus hoc eius macularim et turparim; ipse ergo descendat, ut maculas hasce meas emaculet, meque totam nitidam et pulchram, ut per omnia oculis eius placeam, efficiat. Unde Syrus vertit: *Veniat patruelis meus per hortum meum in hortum suum*, ut scilicet hortum meum, qua meus est, ideoque defectuosus expurget et perficiat, itaque hortum *suum* id est, sibi per omnia placentem ac conformem efficiat. Audi Nyssenum: *Quia fieri non potest ut aliter assumamur ad Altissimum, nisi inclinetur ad humilitatem et depressionem, quia mites assumit Dominus; propterea sublime ascendens sponsa, accersens deductionem faciendam ab eo qui inclinatur, optat ut ipse descendat sua magnitudine.*

Pro *pomorum* hebr. est מגדים *megadim*, quod ut superius dixi, quoslibet fructus præstantes et delicatos significat, sive molli sint cortice, sive duro, ut nuces. S. Ambros. lib. 5. de Sacram. capite 3. legit: *Pomiferarum suorum* (alii, *deliciarum suarum*) scilicet arborum, per quas ipse animas baptizatas intelligit: *Quæ*, inquit, *sunt istæ*

A *pomiferæ?* ac respondet: *Lignum aridum factus eras in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti.* Ergo per poma accipe virtutes quaslibet, earumque exercitationes, progressus et perfectiones, quas comedit Christus, dum iis se pascit et oblectat. Ecclesia ante Christum erat hortus, non pomorum, sed spinarum et vepriam infidelitatis; tuncque erat hortus, vel potius spinetum et vepretum diaboli; per Christum facta est hortus pomorum, id est, charitatis et virtutum, ideoque hortus Christi: Iesu enim, id est, Salvatoris hortus et cibus, non est alius quam salus hominum, uti docet Nyssenus, et tres Anonymi apud Theodor.

Pro *pomorum* Septuag. vertunt, ἀκροδρύων, quod S. Ambros. lib. 1. de Virgin. vertit, *nucum* (alii, *pomorum*, id est, quorumlibet fructuum, ut superius dixi) *Invitatur*, inquit, *Dei Verbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis et sacerdotalis est gratia, quæ amara in*
B *tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Unde etiam virga Aaron nucea fuit, non tam natura, sed virtute secreta*, Num. 17. 8. Hisce enim nucibus et pomis pascitur Christus, iuxta illud: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*, Ioan. 4. 32. Tanta enim, inquit Philo Carpath. tamque admirabilis est divinæ charitatis coniunctio Creatoris ad creaturam, puta sponsi Christi ad sponsam Ecclesiam et quamlibet animam sanctam, ut iam omnia inter se communia habeant.

Porro invitat Ecclesia Christum ad hortum suum, id est, ad seipsam, cum iam instar horti perfecit omni decore gratiarum, omni varietate statuum ac Gentium, omni splendore virtutum sub tempora Constantini floruit; toto enim hoc capite describitur status perfectus, ac quasi virilis ætas Ecclesiæ. Sensus ergo est, q. d. En ego Ecclesia a Christo fundata per trecentos annos, cum Tyrannis
C Impp. luctata et confligens, germinavi et protuli innumera agmina SS. Martyrum, Doctorum, Pontificum, Virginum, Sacerdotum, etc. Imo ipsos Imperatores, ac in primis ipsum Constantinum fidei et Christo subiugavi, ac Christianum effeci, cuius nutu et imperio iam ubique basilicæ, monasteria et templa Christo exædificantur, populi omnes Christo æque ac Constantino se subdunt, triumphat toto orbe victrix Christi crux, gratia, fides, religio, charitas, etc. Veniat ergo ipse in hunc hortum suum, atque hosce fructus delibet, eosque spiritali gratiæ suæ visitatione irroret, adaugeat, atque perficiat.

Hortus Ecclesiæ quis?

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

D ANIMA sancta sæpe orat ut Christus in hortum mentis suæ veniat, illumque tam gratia sua, quam per se personaliter in Eucharistia visitet; tum ut eius pomis, id est, virtutibus per gratiam eius productis se pascat ac oblectet, tum ut easdem a defectibus expurget, expoliet, augeat et consummet. In Eucharistia enim Christus epulatur nobiscum, et nos cum Christo. Idem facit in quolibet virtutis exercitio, iuxta illud: *Ego sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum*, Apoc. 3. 20. Vide ibi dicta. Nos enim in Eucharistia realiter comedimus Christi carnem sub panis specie absconditam, etsi illam in substantiam nostram non commutemus, uti

Hortus animæ.

commutamus alios cibos, quos manducamus; ac Christus vicissim comedit nos, quia nos sibi magis unit et incorporat, ut fiamus Christo concorporei et consanguinei, imo Christiferi, ait S. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Mystagog. Hinc illud Christi Domini ad S. August. *Non tu mutabis me in te* (uti fit in comestione ciborum corporalium) *sed tu mutaberis in me*. Eucharistia enim est fructus deliciarum, id est, delicatissimus et deliciosissimus. Quare devote communicans induit Christi mores et amores, Christi affectus et effectus, Christi opera et studia. Summa ergo communicatio Christi fit in Eucharistia; ibi enim per essentiam, alibi per inspirationem et gratiam dumtaxat se communicat. Unde hoc Sacramentum vocatur Synaxis et Communio.

Quocirca nonnulli, in S. Synaxi, hac praxi utuntur, ut mentaliter Christum invitent et deducant in hortum animæ suæ, eiusque defectus illi ostendant, rogentque ut ipsos corrigat, virtutes novas inserat, insertas irroret et adaugeat. Alii Christum ut medicum inducunt in hospitale animæ suæ, ibique omnes eius passiones et ægritudines illi demonstrant, rogantque ut illas curare et sanare dignetur.

Hinc animam sanctam esse hortum Christi, in quo ipse pascatur et delicietur liliis castitatis, malis puniceis unionis fraternæ, nucibus fortitudinis, cypro fidei, nardo spei, croco charitatis, etc. docet S. Gregor. *In hortum*, inquit, *dilectus venit et fructum comedit, quando Christus mentes visitat, et bonorum operum delectatione se satiat.* S. Greg. de more sequitur Beda, Iustus Orgel. S. Anselmus, Richard. et alii. Addit Iustus Orgel. Christum proprie comedere fructus misericordiæ et eleemosynarum, quæ dantur pauperibus; has enim comedit, non ore suo, sed per ora pauperum suorum, iuxta illud quod eleemosynariis ipse dicturus est in die Iudicii: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum, etc. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, Matth. 25. 34.

Virginitas est pomum pulcherrimum.

S. Ambros. vero lib. 3. de Virgin. hæc adaptat virginibus: virginitas enim est pomum pulcherrimum, quo delicitur Christus. Unde Lucas Abbas, continuator Aponii, per fructum pomorum accipit primitias virginitatis. Sic enim ait: *Christum invitat sponsa, ut primitias boni operis fructum pomorum virginitatis ipse consecret, ipse delibet procedenda de virginis, ipse gaudii pœnitentiæ pomum susceptum ab Ecclesia angelis transmittat ad cælum.*

S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium virginem urget, ut domi se claudat, nec foris vagetur: « Semper, inquit, te cubiculi tui secreta custodiant. Audies a sponso: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Cave ne domum exeas, et velis videre filias regionis alienæ. Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas; nolo te circumire angulos civitatis. Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso. Zelotypus est Iesus. Non vult ab aliis videri faciem tuam. » Hæc S. Hieron. ibidem, sed sparsim.

Religio est hortus conclusus.

Pari modo hæc adaptes religiosis; religio enim et cœnobium est hortus conclusus et paradisus Christi, quem scilicet Christus per suos vicarios instituit et fundavit, in quo ipse delicjatur religiosorum humilitate, obedientia, paupertate, castitate, etc. Vide nostrum Hieronym. Platum lib. 3. de Bono status relig. cap. 44. ubi ex sancto Basilio, S. Chrys. S. Bernardo et aliis demonstrat religionem esse paradisum Dei, non tantum terrestrem, sed et cælestem. Nam ut ait multisque probat B. Laurent. Iustin. de Perfect. monast. cap. 6. *In rebus humanis et in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cælestis patriæ, quam monastica conversio, et conversatio divino cultui dicata.*

Anagogice, Beda et Hugo Victorin. lib. 3. de Arca mor. cap. 14. hæc attribuunt animæ sanctæ, quæ cupit dissolvi et esse cum Christo, q. d. *Utinam citius veniat Dominus, ut nobis mercedem piæ nostræ devotionis benignus restituat! Et sicut nos semper eum diligere et fructum iustitiæ, quem ipse donavit, reddere ei curavimus; ita nobis felicissimam suæ charitatis recompensationem ad se suscipiendo manifestet.* Hinc et Theod. censet animam idem hic petere, quod petit in Oratione Dominica dicendo: *Adveniat regnum tuum.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Hortus B. Virginis.

Beata Virgo invitavit Verbum æternum initio veris, puta die 25. Martii, sive in festo Annuntiationis, inquit Guilielmus, in hortum suum, id est, primum in uterum suum, ut in eo comedat fructum pomorum suorum, id est, carnem a se præparatam et organizatam assumat, in qua ipse Deo Patri se in holocaustum pro hominum redemptione offerat. Ita S. Athanas. in Synopsi, Rupert. et Cæsarius dialog. 3. Christus enim mox ut carnem in utero Virginis sibi univit, puta in primo instanti conceptionis suæ, sese in victimam piacularem pro totius mundi salute Deo Patri obtulit, iuxta illud: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, etc. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hebr. 10. 5. Tunc ergo revelante Patre prævidens omnes afflictiones, dolores, et tormenta sibi inferenda, ea ultro acceptavit, gustare cœpit, ac Deo Patri obtulit.

Secundo, B. Virgo invitat Christum in hortum animæ suæ, ut ibi puritate Angelica, humilitate Michaelica et charitate Seraphica, etc. quasi virtutibus a se inditis se pascat, iuxta illud: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius*, Ioan. 4. 34. Voluntas autem Patris mittentis est salus, virtus et perfectio beatæ Virginis cæterorumque hominum.

Tertio, B. Virgo invitat Christum, ait Rupertus, q. d. « Eva invitavit virum suum ad comedendum pomum non suum, pomum alienum, pomum interdictum, ego invito dilectum ad hortum suum, etc. » puta ad meipsam: « veniat igitur in hortum suum, et me transferendo in illud tertium cælum, in illum tertium paradisum quo abiit, quo me vidente ascendit, comedat fructum pomorum suorum, perficiat usque in finem, perducat gratiam eorum quæ in me celebrata sunt, operum suorum. Ex quo in cælum abiisti, crebro reverteris in illum, quem dicis paradisum emissionum mearum, et comedis de pomis punicis, quæ optima sunt inter primitias earumdem emissionum mearum. Tot enim iam comedis fragmina malorum punicorum, quot beatas animas martyrum confessorumque tuorum hinc assumis, et transfers in illud vitæ sempiternæ secretum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad illum quem dicis fontem hortorum? Quando ita venies ad me, ut ubi tu es, illic ego tecum sim? »

Cur B. Virgo vocatur Hortus, non ager.

Quæres, quare B. Virgo vocetur *hortus*, non ager, non campus? Nimirum *hortus* (respondet Rupertus) *quod semper ibi aliquid oriatur, quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus numquam sine fructu est: unde ergo hortus es tu, o dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod numquam desinit, numquam marcescit, aut deficit?* Adde; B. Virgo instar horti assidue divinæ gratiæ fluentis irrigabatur, ut pulcherrimos omnium virtutum flores fructusque continuo produceret.

VOX SPONSI.

Vers. 1. Veni in hortum meum, soror mea, sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.

Sponsus invitatus a sponsa in hortum suum ultro acceptat, imo prævenit eius invitationem dicendo: *Veni*, in præterito, hoc est, *iam ingressus sum*, ut vertunt Septuag. in hortum meum, qui non est alius quam tu ipsa sponsa mea, quam c. præced. v. 12. vocavi hortum conclusum. Tu ergo es hortus tibi et mihi, sive tuus et meus; quia quod tuum

est, meum quoque est; tum quia sponsa et sponsæ omnia sunt communia; tum quia quidquid habes boni, hoc habes a me et a gratia mea; tum quia idipsum a te mihi oblatum, et per gratitudinem datum, imo redditum est: tum denique meum, quia meo gustui plane appositum, me mire pascit et oblectat. In te igitur quasi in horto meo, fructus hortenses decerpsi, comedi et bibi, ut sequitur.

Hebraicæ Leonis Etymologia.

MESSUI MYRRHAM MEAM.) Hebr. אריתי ariti, id est, carpsi, decerpsi; unde ארי ari vocatur leo, eo quod prædam discerpat, et ariel, id est, leo fortis, vel leo Dei. Septuag. et Arabicus vertunt, *Vindemiavi*, id est, carpsi, collegi, sive metendo, quod proprie est granorum, sive vindemiando, quod est uvarum, sive carpendo, quod est ramorum et pomorum, sive colligendo, uti ex myrrha incisa liquor defluens, puta stacte, colligitur. Est catachresis. Simili tropo *messem* Poetæ vocant uvarum vindemiam, imo collectionem pomorum, ficuum, mellis, etc.

MESSUI (ergo) MYRRHAM.) id est, collegi liquorem myrrhinum ex frutice myrrhæ stillantem, aut certe carpsi ramos odoratos myrrhæ: tam enim rami, quam liquor suavis myrrhæ odoris gratia ad confortandum cerebrum, et ad delicias adhibebantur in mensis et conviviis, præsertim hortensibus quale hic instruitur.

Chaldæus, ut paulo ante dixi, per hortum accipit templum Salomonis, in quo Deo aromata, puta thus et thymiama, adolebantur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

CHRISTUS sponsus invitatus a sponsa Ecclesia ad hortum, id est, ad ipsammet omnibus aromatibus et virtutibus florentem visendam et fruendam, invitationem acceptat, imo prævenit, ait Nyssenus, dicendo: Iam veni in hortum meum, id est, iam te invisi, o Ecclesia mea, ac primo loco ex te messui, et collegi myrrham meam, id est, pœnitentiam et lacrymas, quæ initium sunt conversionis et vitæ sanctæ. Hinc S. Ioan. Baptista, Christus et Apostoli initio prædicationis, tam apud Iudæos, quam apud gentes omnes clamare cœperunt: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 4. Pœnitentia enim destruit veterem concupiscentiæ vitam, et novam charitatis ædificat; hic ait *meam*, id est a me suggestam; rursum *meam*, id est, mihi gratissimam: quod enim animæ peccatrici et pœnitenti amarum est, hoc Christo suave et dulce accidit, iuxta illud S. Bernard. serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, quia in illis odor vitæ.*

Myrrha Pœnitentia, Baptismus.

Per myrrham ergo accipe pœnitentiam, vel quæ fit in Baptismo, vel quæ in relapsis fit post Baptismum in Sacramento Pœnitentiæ, vel in actu contritionis et satisfactionis. Unde per myrrham Baptismum intelligunt S. Chrysost. hom. 11. ex variis in Matth. et S. Ambros. libr. 9. in Lucam, c. 20.

Messuit ergo Christus myrrham, cum omnes gentes per Baptismum et Pœnitentiam ab idolis et vitiis ad se et vitam sanctam traduxit. In Baptismo enim spiritualiter morimur, et sepelimur cum Christo, ut mersis sepultisque in eo peccatis in novitatem vitæ emergamus, uti docet Apostol. Rom. 6. Sicut ergo Christus, dum sepeliretur, conditus est myrrha et aromatibus a Iosepho ab Arimathia; sic et fidelis in Baptismo conditur pœnitentia cæterisque virtutibus.

Myrrha est martyrium.

Secundo, per myrrham accipias Ecclesiæ persecutiones et tribulationes, ac præsertim martyria et martyres, quæ ad plura centena millia primis trecentis Ecclesiæ annis, Romæ et alibi messuit collegitque Christus ante Constantinum; per aromata accipe Ecclesiæ doctores et confessores tempore Constantini et deinceps. Ita Cassiodor. Beda,

Aromata doctores et confessores.

Honor. et Nyssen. quem audi: *Arbor myrrham ferens erat Paulus, qui quotidie moriebatur, et ipse dabat sibi responsum mortis et per puritatem et divinæ vitæ institutionem aromatizans, fiebat quodammodo odor vitæ iis qui salvi fiunt.*

Myrrha Christi quadruplex.

Symbolice, multi Patres hæc ad Christum referunt, sed varie. Primo, S. Athanasius in Synopsi S. Scripturæ hæc
refert ad Christi incarnationem, in qua ipse mortale cor-
pus assumpsit; myrrha enim mortalitatis est symbolum; 1.
illa enim mortua condiuntur corpora. Quocirca Christo
nato tres Magi obtulerunt thus quasi Deo, aurum quasi
regi, myrrham quasi mortali et morituro pro hominum
salute. Audi S. Athanasium: *In proprium hortum, creatu-*
rarum videlicet ingressus Deus, carnem sibi ex Virgine
assumpsit, et homo factus est. Mortale quidem corpus erat,
verum cum fragrantia sacrosanctissimi Verbi coniunctum.
Sic et Rupertus et Lucas Abbas. Secundo, Philo Carpath. 2.
Rupert. et Cyrill. Hierosol. Catech. 13. hæc referunt ad
Christi passionem: Christus enim in horto orans myr-
rham fudit et messuit, cum in agonia factus præ angore
sudavit sanguinem: rursum cum iam crucifigendus bibit
vinum myrrhatum, ait Cyrillus. Tertio, Iustus Orgelitan. 3.
refert ad sepulturam Christi; tunc enim Christus condi-
tus est myrrha et aromatibus. Quarto, Lucas Abbas ait 4.
Christum collegisse myrrham, cum Magdalenam in vita,
et Latronem in cruce ad pœnitentiam convertit.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

CHRISTUS descendit in hortum animæ sanctæ, ac ex eo collegit myrrham mortificationis et aromata virtutum, quas omnes ipse illi indidit et inseruit. Mortificatio enim passionum præire debet vitam sanctam, ut per eam anima ad cæteras virtutes et perfectionem conscendat. Ita Theodor. Nyssen. S. Gregor. Iustus, Anselm. Audi S. Gregorium: *Myrrham dilectus cum aromatibus metit: quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perductæ, electum suum ab hac vita succidens ad cœleste horreum cum sancta opinione inducit.*

Rursum Iustus Orgelitan. *Invitatur*, ait, *pia anima ad hortum passionis Christi*, ut scilicet illam legat, ruminet, meditetur, ac per mortificationem, tam activam quam passivam, puta per tolerantiam persecutionum et tribulationum imitetur, illamque in corpore suo repræsentet, iuxta illud Pauli: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*, 2. Corinth. 5. 10.

Huc accedit Richard. Victor. qui sic explicat, q. d. « O sponsa, afflictionem pœnitentiæ tolerasti, pugnam tentationum, laborem correctionis morum, et venisti ad messem perfectionis virtutum, de laboriosa vita ad contemplationis tranquilliorem statum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus, quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, et perfecta in te virtutum aromata et cum servatis mandatis profecit sapientia. Cum enim mortificata fuerit carnalitas et propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, et per consummationem et triumphum huius laboris venitur ad culmen perfectionis. Myrrham autem metit Christus, quando præmissos labores perficit in anima, quibus ad virtutes et perfectionem pertingit, et eam suaviter roborat, ut delectabiliter agat, quæ prius horrebat, sicut in Iob legitur. »

Tribulationes Christi dapes.

Moraliter disce hic mortificationem, tribulationes et afflictiones esse dapes et delicias Christi. Illas ergo exemplo Christi non horrere, sed ambire et esurire debet anima Christiana, in iisque exsultare et epulari. Hic enim est calix passionis, quem sitiebat et bibere ardenter optabat Christus, qui proinde hoc dogma ethicum dedit S. Catharinæ Senensi: *Amara pro dulcibus complectere, et dulcia pro amaris.* Quocirca Honorius tropologice docet animam tunc invitari a Christo, quando Christum sedulo imitatur, et eius præcepta servat; metere myrrham quando membra sua mortificat, et se vitiis ac concupiscentiis crucifigit; metere cætera aromata, quando cæteras virtutes accumulat; favum cum melle comedere, quando mansueta et mitis moribus est et conversatione; item quando sacræ

Scripturæ intelligentiam adepta, aliis eam elucidat; vinum cum lacte bibere, quando vino sapientiæ et lacte doctrinæ nutrita nutrit alios; inebriari his, quando non musto, sed Spiritu sancto satura est. Hæc Honorius.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Repete hic quæ de ea dixi hemistichio præcedenti, quibus adde ipsam et Christum in ipsa messuisse myrrham, cum astitit Christo crucifixo et morienti, cumque eius dolores et tormenta tota vita in corde servans assidue ruminabat; unde dicere poterat cum Noemi: *Ne vocetis me Noemi* (*id est, pulchram*) *sed vocate me Mara* (*id est, amaram*) *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth. 1. 20. *Maria* ergo fuit *mara*, id est, *amara*, imo *mor*, id est, *myrrha* mortis, ac mare amaritudinis et dolorum; unde nonnulli hoc nominis eius dant etymon, certe ad illud nomen alludit. Audi Rupert. de Christo et Virgine hæc explicantem, ac quatuor præcipua vitæ eius mysteria hic notantem: *Descendendo quippe in uterum tuum, et assumendo carnem, ut verus homo nascerer, qui verus Deus eram, veni in hortum meum; moriendo atque ad infernum descendendo, reversurus cum omnibus sanctis et electis meis, qui me expectabant ab origine mundi, messui myrrham meam cum aromatibus meis; resurgendo comedi favum cum melle meo; ascendendo in cœlum, bibi vinum meum cum lacte meo.*

COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO, BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO. VERS. 4.

Variæ versiones.

Hebr. יַעְרִי *iari*, id est, *favum meum*: Symmachus *Depastus sum sylvam meam*: יַעַר *iaar* enim quoque sylvam significat. Syrus pro *favum* vertit, *suavitatem*; favus enim est melleus, ideoque suavissimus. Sept. et Arabicus pro *favum* vertunt, *panem*, puta libum, vel placentam mellitam. S. Ambr. l. de iis qui myster. init. c. ult. legit: *Manducavi cibum meum cum melle meo.* Sic Ezech. 16. v. 13. Sponsus ait sponsam comedisse similam et mel, id est, similaginem mellitam. Solent enim nuptiarum festa dulciariis et deliciis condiri, ad inescandum sponsæ affectum. Porro favus dicitur comedi, cum mel in eo contentum sugitur; nec enim cera, quæ proprie facit favum, comedi potest: *Comedi ergo favum cum melle meo*, id est comedi favum non vacuum, sed melle plenum, ex eoque mel meum exsuxi.

Dulciaria in nuptiis

Pro *lacte* Arabicus vertit, *melle*; mel enim vel saccharum solet misceri vino aspero et austero, ut dulcescat. Verum in villis et hortis, ubi est copia lactis convivæ nunc lac, nunc vinum bibunt. Unde vetus proverbium Gallicum: *Vin sur laict fait souhait: Laict sur vin, c'est venin*, id est, *Vinum post lac opto, lac post vinum est venenum.* Alludit ad convivia villarum et hortorum in quibus sub finem mensæ bellaria apponuntur et dulciaria, puta placentæ ex melle confectæ; imo integri mellis favi: item lac variis modis et formis apparatum, sive liquidum, sive densatum, et in caseum conformatum.

Vinum album lac dictum

Porro alienum videtur quod nonnulli Rabbini apud Aben Ezram, per lac accipiunt vinum album; per vinum vero, vinum rubrum, quos secutus Chaldæus vertit: *Suscepta est*, inquit, *coram me libatio vini antiqui et rubicundi, et vini albi.* Nam *lac* subinde vocari vinum docet Alexander ab Alexand. lib. 6. Genial. c. 8. *Cum in sacris Bonæ Deæ*, ait, *vino libetur, illud non suo nomine nuncupant, sed lac dicunt esse; vini tamen amphoram in sacris obvolutam opponunt, quam dixere mellariam* Hinc et illud: *Vinum est lac senum.*

Vinum lac senum.

Verum Hebr. Septuag. et cæteri constanter habent *lac*, non *vinum*. Porro Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 6. docet dulce vinum cum lacte solere misceri ac mixtionem hanc gratam esse et utilem: vinum enim acorem addit dulcedini lactis, lac vero summe nutrit, ut docent Medici et patet in pueris. Audi Clementem: *Miscetur quoque lac vino dulci; est autem dulcis mixtio velut contemperata affectione ad incorruptionem: lac enim a vino serescit et funditur; et quidquid est eius adulterinum, id tamquam per aquæductum emittitur. Eodem modo spiritalis fidei societas* (præsertim in Eucharistia) *se habet ad hominem patibilem* (passionibus obnoxium) *serescere enim faciens carnales concupiscentias, hominem ad immortalitatem contrahit, divinis immortalem efficiens.*

Vinum dulce cum lacte mixtum gratum et utile.

Bibi ergo VINUM CUM LACTE MEO.) Hoc est, bibi vinum et bibi quoque lac, vel bibi vinum cum lacte quod ante comederam, ut lactis frigiditatem vini calore temperarem et digererem.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus post myrrham, id est, Pœnitentiam et Baptismum fidelium, comedit favum cum melle in Eucharistia, in qua corpus suum manducandum nobis reliquit, imo illud ipsum cum Apostolis in Eucharistiæ institutione primus ipse comedit, ut Apostolis et fidelibus illud comedendi et devote communicandi exemplum daret, uti docent S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Beda et alii in Matth. c. 26. et S. Hieronymus q. 2. ad Hedibiam: *Dominus Iesus Christus*, inquit, *ipse conviva et convivium; ipse comedens, et qui comeditur;* atque fructum Sacramenti sensit Christus, scilicet novam actualem delectationem spiritualis dulcedinis, non tamen gratiæ augmentum; hæc enim in eo, cum esset summa, augeri non potuit, uti docet D. Thomas 3. part. quæst. 81. articulo 1. ad 3.

Eucharistia est favus

Porro corpus Christi in Eucharistia recte dicitur *favus*; primo, quia sicut favus continet mel, sic corpus Christi continet animam, inquit Honorius, ac divinitatem, quæ est suavissima, ut mel; quia plena omni bono, gaudio, felicitate, quam et creaturis, præsertim hominibus pie sacram Synaxim sumentibus communicat. I.

Secundo, sicut favus ab apibus, quæ virgines sunt ex floribus in alveari conficitur; sic corpus Christi in utero suo ex purissimis suis sanguinibus formavit B. Virgo inoperante Spiritu sancto: hinc Septuag. et Arabicus pro *favum* vertunt, *panem*, quia Christus sub specie panis carnem suam nobis impertit. II.

Tertio, sicut mel summe dulce est ori et stomacho: sic Eucharistia miram instillat consolationem et delectationem spiritualem, ac ut Syrus vertit, *suavitatem*. Ita hunc locum de Eucharistia explicant Nyssenus, Psellus, Philo, Rupert. hic et S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 3. legens enim cum Septuag. *Manducavi panem cum melle meo: Vides*, inquit, *quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas? Vides huiusmodi esse lætitiam, quæ nullius peccati sordibus polluatur? quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu.* III.

Hac de causa olim recens baptizatis dabatur Eucharistia; ac deinde lac et mel, ut illis suavitatem Christi et legis Christianæ repræsentarent, uti superius dixi.

Lac Christi divinitas

BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.) Id est, bibi cum Apostolis, imo eis præbibi, et exemplum dedi devote bibendi meum sanguinem in Eucharistia latentem sub specie vini: *Cum lacte meo*, lac est deitas Verbi latens sub sanguine, eiusque pinguedo et dulcedo; ac dulcissima doctrina, gratia, inspiratio et consolatio, qua animam in spiritu nutrit, impinguat et exhilarat: sicut enim lac ex mamilla matris profluit, sic Verbum ex vi generativa Patris, quasi ex mamilla procedit, ut homines lactet, doceat et pascat. Ita Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 6. qui id confirmat ex 1. Petri 2. 1. ubi pro *rationabile lac*, græce est λογικὸν γάλα, per quod Clemens intelligit *verbale lac*, hoc est, lac, quod est ipsum Verbum Patris æterni; unde ipse sic legit: *Tamquam modo geniti infantes verbale lac concupiscite, ut in ipso crescatis in salutem, si gustastis*

quod Christus est Dominus, id est, Deus, q. d. Concupiscite bibere sanguinem Christi in Eucharistia, ut simul cum ipso Verbum ipsum eiusque Deitatem, ceu lac divinum bibetis; ita fiet ut crescatis in gratia, quæ vos ad salutem et gloriam deducet; si tamen gustastis, id est, gustu interno animæ ex ipsa dulcedine Eucharistiæ, Christique in animam illapsu cognovistis, quod Christus est Deus. Addit Clemens lac notare sanguinem Christi: lac enim non est aliud quam sanguis concoctus, candidus et dulcis, ad alendum peridoneus. S. Augustinus vero in Ps. 33. 1. docet Verbum esse panem Angelorum, quod scilicet in se purum et merum pascit Angelos, sed panem hunc specie externa videri mutatum in carnem, cum Verbum caro factum est; carnem vero in lac, cum, ut hominibus quasi parvulis lactescat, eosque ut lac nutriat, candidas, et quasi lacteas azymi panis species in Eucharistia induit: *Sicut*, inquit, *quia minus aptus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat* (id est, comedendo et digerendo vi caloris naturalis in carnem vertit) *et per humilitatem mamillæ, et lactis succum de ipso pane pascit infantem*, puta lacte, in quod convertit panem.

Christus Eucharistiam in cœna primus sumpsit.

Porro Christus in ultima cœna personaliter bibit hoc vinum cum lacte; quia Eucharistiam primus ipse sumpsit sub specie tam vini, quam panis: mystice vero idem bibit quotidie in fidelibus devote communicantibus: hi enim sunt eius membra, ut ipse ait Matth. 25. Quare quod ipsi bibunt, idipsum Christus, qui est caput eorum, bibere videtur.

Symbol. Favus est oratio.

Symbolice, favus cum melle notat religiosos orationi et contemplationi (hæc enim ipsis est instar mellis cœlestis et suavissimi) deditos: hi enim in suis cellis latent quasi apes in favis, ibique mellificant, et melleos charitatis, orationis, patientiæ, etc. fructus producunt. Vinum notat viros animosos zelo Dei ferventes, ut vitia castigent, et amorem virtutis ac Dei omnibus instillent: lac notat viros puræ, simplicis et innocentis vitæ, uti docet S. Gregor. Unde et Homerus viros iustos vocat γαλακτοφάγους, id est, *lacte vescentes*, inquit Clemens lib. 1. Pædag. cap. 6. Favet Chald. qui censet Deum comedisse favum et bibisse vinum, cum holocausta, quæ erant quasi cibus Dei, igne cœlesti consumpsit et quasi devoravit: *Misi*, inquit, *ignem de cœlis, qui consumpsit holocausta et victimas sacrificatas; suscepta est voluntarie coram me libatio vini rubicundi et vini albi, quod libaverunt sacerdotes super altare meum.*

Anagog. Favus est resurrectio.

Anagogice Rupertus per myrrham accipit passionem et mortem Christi, per favum resurrectionem, per vinum ascensionem et missionem Spiritus sancti, q. d. Christus: Post mortem resurrexi, et apparens discipulis comedi favum mellis et partem piscis assi: *Bibi vinum cum lacte meo*, id est, lætificatus sum ascensionis gaudio quod mihi omnium præteritorum laborum oblivionem induxit. Item dedi Apostolis Spiritum sanctum, qui unus idemque est et vinum meum, et lac meum: vinum meum, quia gaudium de præsentibus bonis; lac meum quia consolatio de præteritis malis: vinum meum, quia dilectio Dei; lac meum, quia dilectio proximi. S. Athanasius vero in Synopsi per lac accipit opera humanitatis Christi, sicut per vinum opera divinitatis: *Licet*, inquit, *lactis cibum corpori suo admiserit*, incarnatum scilicet Verbum, *tamen illi et vinum suæ perfectionis impertiit; etenim quemadmodum lac comedit, ita et divinitatis opera in ipso perfecit.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Christus comedit in anima sancta, quasi in horto et paradiso suo favum cum melle, cum eius deliciis et consolationibus spiritualibus, quas illi in oratione vel tribulatione, aut martyrio positæ ad solatium et robur immittit, præsertim in sacra Synaxi, se pascit et oblectat; hisce enim ceu melle dulcorat omnem tribulationis amaritiem: sanctorum enim deliciæ et consolationes Christi, qui eorum est caput et sponsus. Hinc Christus *favos post mella gustavit*, Tertull. lib. de Corona militis cap. 14. cum post fel ipsi in cruce propinatum, gloriose resurgens, favum mellis ab Apostolis sibi porrectum comedit, ut hoc facto symbolice doceret animaretque martyres et patientes ad constantiam, considerando sperandoque quod sicut Christus, sic et ipsi favos et mella post fella gustabunt.

Rursum comedit Christus favum cum melle, cum operibus sanctis suorum fidelium ac præsertim eleemosynis, quæ quasi melleæ sunt, et mel egenti instillant, delectatur et pascitur. Ita Nyssen. hom. 10. ubi addit per lac notari puram intentionem, quæ requiritur in danda eleemosyna. Sic et Theod. tres Anonymi et Richardus Victor. quem audi: « Favum comedit cum dulcedine bonorum morum, quam intus habet anima, pascitur: melle reficitur, cum bona opera facit aliquis: mel siquidem est operatio, quæ foris exhibetur. Vinum quoque et lac in anima comedit Christus, cum gemina eius contemplatione, divinitatis scilicet et glorificatæ humanitatis, quæ per vinum et lac designantur, gaudet atque delectatur. Comedit autem bibitque eadem et ipsa pariter anima; sed prius favum et mel comedit, et postea vinum et lac bibit, quia necesse est ut emendati mores, et digna operatio præcedat, antequam contemplationis concedatur gratia. Mundandi enim prius sunt oculi cordis, ut Deus videatur. »

Insuper S. Ambros. de Bono mortis, cap. 5. per favum, vinum et lac accipit sermones blandos, acres et candidos, quibus a superiore, concionatore, aut viro pio peccatoris conscientia lenitur, feritur, compungitur, et quasi vino inebriatur, iuxta illud Prov. 16. 24. *Favus mellis, composita verba; dulcedo animæ, sanitas ossium.*

Symbol. Favus et vinum, concionatores.

Symbolice, Cassiodorus per favum et vinum accipit prædicatores, qui suavia, sed ardentia S. Scripturæ verba aliis instillant; per mel vero et lac accipit auditores, qui melleo et lacteo corde illa suscipiunt: utrisque enim pascitur et delectatur Christus: sicut enim favus continet mel, et vinum continet spiritus calidos, quos bibenti aspirat; sic sacra Scriptura continet divinam doctrinam melle dulciorem et vino calidiorem.

Anagog. Favus sunt beati.

Anagogice S. Gregorius hæc accipit de sanctis, quos Christus quasi comedit, dum eis fruitur in cœlo: *Favum*, inquit, *cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, et ad sanctorum convivium sanctam animam suo delectatione impinguandam transigit. Vinum vero suum cum lacte bibit, quando et perfectione quorumdam se reficit, et innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit.*

Cassiodorus vero et Beda per vinum accipiunt sanctos quoad animam Dei visione fruentes; per favum autem, eos qui tam quoad corpus, quam quoad animam sunt beati, uti sunt Patriarchæ, qui cum Christo resurrexerunt, et in cœlum gloriosi ascenderunt: sicut enim favus continet mel, sic corpus gloriosum continet animam gloriosam: utrosque enim beatos Christus comedit, dum eos corpori suo, id est, Ecclesiæ triumphanti in cœlesti gloria exultanti associat. Denique nonnulli comedere tribuunt meditantibus, qui meditando quasi masticando divina gustant et sapiunt: bibere vero contemplantibus, qui illico contemplando quasi bibendo divina sorbent et hauriunt.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Christus in B. Virgine comedit mel, et bibit vinum cum lacte. Primo, cum puer materno eius lacte et melle pastus est, iuxta illud Isaiæ 7. 15. *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Vide ibi dicta. Secundo, cum suavissima B. Virginis matris suæ conversatione, sanctitate et charitate fruitus est usque ad annum trigesimum. Tertio, cum interna eius puritate, religione, fide, spe, amore cæterisque virtutibus plus quam Angelicis et Seraphicis se oblectavit. Quarto, cum in cœlo

eius gloriosa humanitate elevata super omnes Angelorum choros, usque ad solium SS. Trinitatis assidue perfruitur, et in æternum perfruetur.

COMEDITE, AMICI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI, CHARISSIMI. VERS. 1.

SICUT amicus gaudio plenus et quasi ebrius, illud quasi supereffluens in sinum amici diffundit: sic sponsus hic deliciis mellis et vini quasi ebrius ad easdem amicos invitat.

INEBRIAMINI.) Id est, *satiamini;* et exhilaramini, sed intra limites temperantiæ, citra mentis alienationem, quam facit proprie dicta ebrietas. Sic Ioseph fratres suos inebriavit, id est, copioso vino satiavit et exhilaravit, Genes. 43. 34. sic de sanctis dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, et *torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psal. 35. v. 9. sic Apostoli, recepto Spiritu sancto, videbantur ebrii musto non vini, sed Spiritus sancti, Actor. 2.

Variæ versiones. Pro *charissimi* Hebr. est דודים *dodim*, id est, *amores*, id est, *summe dilecti, et quasi ad ubera pasti*; Sept. vertunt, *fratres*; Symmach. *fraterni*, vel fratrueles; Aquila, *sodales*; Syrus, et Arabicus, *patrueles*; S. Ambros. l. de Cain et Abel c. 5. *patres*. Posset quoque *dodim* accipi in ablativo, ut vertas: *Inebriamini amoribus* vel *uberibus*, q. d. Inebriamini vino, melle et lacte, quod uberali et summo amore vobis exhibent sponsus et sponsa. Sic dicitur de sponsa Prov. 5. 19. *Ubera eius inebrient te.* Alii vertunt: *Amores eius inebrient te.* Et c. 7. 18. *Veni, inebriemur uberibus.* Alii, *amoribus*. Utrumque enim significat *dodim*. Vide ibi dicta: quamquam mihi verius videatur *dodim* significare *amores*; *daddim* vero *ubera*, uti dixi cap. 1. v. 1.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

I. Amici sunt Angeli. PRIMO Cassiodorus, Honorius, Beda, Sanchez, et alii per amicos et charissimos intelligunt Angelos, quasi Christus eos hic invitet, ut sibi congaudeant et quasi coepulentur de profectu, gratia et gloria suorum sanctorum, eique cooperentur ex animo, ut eos quasi in viscera sua traiiciant, ut puta suos fratres et cohæredes.

II. Prophetæ. Secundo, Philo Carpath. per amicos intelligit Patriarchas et Prophetas, qui de Christi passione et morte multa Deo revelante cognoverunt, ut de eius doctrina bibisse videantur: per charissimos vero accipit Apostolos, qui spiritu Christi, quasi inebriati in die Pentecostes, eructarunt magnalia Dei. Huc accedit Iustus Orgelitan. et Anselmus, qui per amicos et charissimos accipiunt doctores et prædicatores, qui comedunt peccata et peccatores, cum eos ad Christum convertunt: qua conversione ita lætantur et gaudio quasi inebriantur, ut omnium dolorum et laborum, quos in conversione sustinuerunt, obliviscantur.

III. Iusti. Tertio, planius et plenius S. Gregor. et alii accipiunt quoslibet fideles et iustos, qui primo hic invitantur a Christo ad S. Eucharistiæ Synaxim; illa enim sua spirituali gustu et dulcedine, quasi inebriat animam, ut omnium oblita non nisi Christum cogitet et amet. Sed ante hanc vini mellisque in Eucharistia degustationem oportet præmittere myrrham, id est, mortificationem, pœnitentiam et confessionem peccatorum, præsertim mortalium, uti definit Conc. Trid. sess. 13. c. 7. Hinc præmisit, dicens: *Messui myrrham.* Ita Nyssen. Philo, Rupertus et alii.

Audi S. Cyprianum epist. 63. ad Cæcilium: *Quia ebrietas Dominici calicis et sanguinis, non est talis qualis ebrietas vini sæcularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians, addidit: Quam peroptimus, quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei, unusquisque resipiscat, et quemadmodum vino isto communi mens solvitur,*

A *et anima relaxatur, et tristitia omnis deponitur, ita epoto sanguine Domini et poculo salutari, deponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mæstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur.* Ebrietas ergo spiritualis, quam inducit sacra Synaxis, est alienatio mentis ab amore carnis et mundi, a curis et sollicitudinibus huius sæculi, eiusque traductio et excessus ad amanda cœlestia, ut uni Christo inhærens et unita, amet cruces, sitiat eum eo multa pati amore Dei. Ebrietas spiritualis ab Eucharistia quænam. *Hæc ebrietas*, ait S. Ambros. l. de Cain et Abel c. 5. *sobrios facit; hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est, lætitiam generat, non titubantiam.* Et S. Bernard. tract. de Diligendo Deo: *Sobria, ait, illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo.* Fuse hanc ebrietatem explicui Actor. 2. vers. 13. ad illa: *musto pleni sunt*, ubi octo analogias ebrietatis spiritualis et corporalis recensui.

B Huc pertinet versio Chald. qui Iudaice hæc accipit de comestione victimarum, quæ typus erant Eucharistiæ: *Nunc*, inquit, *venite, sacerdotes diligentes præcepta mea, et comedite quod relictum est de oblationibus et delectamini bonis quæ præparata sunt vobis.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

CHRISTUS hic secundo invitat fideles ut gaudeant, tum myrrha, id est tribulatione (hæc enim est esca piorum) tum favo, vino et lacte, id est profectu virtutum et consolationibus spiritualibus, quas tum eis, tum eorum proximis Christus immittit. Hoc enim gaudium est cibus, refectio et pabulum Christi et Sanctorum. Ita Cassiodorus et Beda.

C Secundo, tres Anonymi apud Theodor. Richard. et S. Bernardus lib. de Diligendo Deum sub finem, censent hic invitari fideles ad studium meditationis, et contemplationis, ut per eam divina dulcedine perfruantur: unde S. Ambrosius Psal. 118. serm. 13. ad illa: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! Bona ebrietas, ait, quæ ad meliora atque iucunda facit quemdam mentis excessum, ut immemor sollicitudinum animus noster vino iucunditatis hilaretur: Bona mensa spiritualis ebrietas. » Unde S. Gregor. docet amicos bibere, id est communes fideles verba Dei legere et servare, charissimos vero, id est perfectos, iis plane inebriari: « Sunt vero alii, inquit, qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt, vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, sola cœlestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam, et omnia transitoria abiiciant; solummodo Christum sequi, et amplecti concupiscant. Eius desiderio se affligunt ieiuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora magis ac magis extendant. Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur, ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, iure a sponso cœlesti non tantum amici, sed et charissimi vocari merentur? »

D Hinc mystici et contemplativi hæc referunt ad ebrietatem spiritualem, qua contemplator, ut ait noster Salianus de amore Dei, Deo in cor eius illabente, tanto voluptatis torrente perfunditur, ut se continere non possit, sed nutibus gestibusque insolitis ingentem interioris voluptatis vim prodere cogatur. Ebrietas contemplantium. Cor enim in ista prævia unione cum Deo tam acri stimulo divini amoris, et desiderio divinæ fruitionis inflammatur et apertis poris velut ad capiendum Deum, adeo distenditur, ut pectus ei nimis arctum videatur: ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate tamquam oleo nutritur et invalescit, foras violenter erumpit musti ebullientis more, quo novæ lagunculæ dirumpuntur. Quod

olim Apostolis die Pentecostes videtur accidisse, cum Iudæi musto madere putabant, quos Spiritus repleverat. Hinc illa Cantica, gemitus, informesque soni, plausus etiam, saltusque et cursus, quos de quibusdam sanctis B. Francisci discipulis legimus qui motus spiritui divino agitanti potius quam naturali animanti tribui debent.

S. Franciscus. Tales quoque fuere in ipso S. Francisco, cum e Deo revelationem suæ prædestinationis accepit. Tunc enim manibus plaudens, pedibus plodens, totoque corpore tripudians, ita gaudio exsultavit, ut ebrius, imo amens mentisque impos ab astantibus censeretur.

Anagogice invitantur hic sancti ad epulum cœlestis gloriæ et felicitatis, quæ recte vocatur *epulum mellis et vini*, quia in ea percipitur, gustatur, imo penetratur divinæ essentiæ immensa suavitas et dulcedo, idque sine ullo velo, vel intermedio, adeo ut beati ea plane obruantur, absorbeantur, et inebrientur, iuxta illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Ps. 35. Ita S. Bernar. ser. de aquæductu in Nativ. B. Virginis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Christus invitat angelos et sanctos omnes ad hortum et paradisum omnium deliciarum, puta spiritualis vini, mellis et lactis, id est, omnis consolationis, gratiæ et gloriæ, quem plantavit in anima B. Virginis, ut iis se pascant et inebrient, illaque per meditationem et imitationem sibi incorporent, ac in stomacum mentis traiiciant. Qui ergo B. Virgini sunt devoti, eius intercessione et imitatione producunt myrrham mortificationis, aromata pietatis et orationis, favos devotionis et charitatis, lac honestatis, vinum fortitudinis pro Dei obsequio, omnia quantumvis dura et ardua superantis et transcendentis.

QUARTA PARS DRAMATIS,

SIVE

QUARTA PARS LIBRI.

IN QUA DESCRIBITUR ECCLESIÆ, ID EST FIDELIUM DEFECTUS ET DECLINATIO.

Sicut enim primo parte a cap. 1. usque ad cap. 2. vers. 8. descripsit Ecclesiæ infantiam: secunda vero parte a cap. 2. vers. 8. usque ad cap. 3. vers. 6. descripsit Ecclesiæ adolescentiam: inde autem usque ad cap. 5. v. 2. puta hucusque, quasi tertia parte descripsit eiusdem perfectionem, et quasi virilem ætatem: sic nunc ab hoc versu usque ad cap. 6. vers. 3. depingit Ecclesiæ quasi veterascentis declinationem, et velut senectutem. Hanc autem pati cœpit Ecclesia post tempora Constantini, quando, plena pace Ecclesiæ ab ipso data, eiusque iure et dominio per totum orbem propagato, cœpit multorum potentum luxus et ambitio, quæ Ecclesiam in varias hæreses et schismata distraxit: quo factum, ut ipsi cæterique fideles in desidiam, gulam, luxuriam, cæteraque vitia defluxerint. Principium mali fuit Arrius, qui plerosque Episcopos in suam sententiam traxit, adeo ut in Concilio Ariminensi damnatio Homousii, et Nicenæ Synodi, fraude Valentis et Ursatii Arrianorum Episcoporum sit conclamata, totusque quasi orbis, ait S. Hieronymus, Arrianum se esse miratus sit. Origo mali fuit prælatorum nonnullorum negligentia, avaritia, et superbia. Cum enim dormirent homines, inimicus (diabolus) superseminavit zizania, Matth. 13. 25. Unde tunc plerique fideles in voluptates effusi Ecclesiam sua crapula, libidine, improbitate conspurcarunt: sanior tamen Ecclesiæ pars in fide et sanctitate perstitit. Ita Cosmas Damianus.

VOX SPONSÆ.

VERS. 2. EGO DORMIO, ET COR MEUM VIGILAT.

HEBR. *Ego dormiens et cor meum vigilans*, id est, ut Rabbinus Anonymus vertit: *Ego dormiebam, et cor meum vigilabat*. Repræsentat enim rem præteritam quasi præsentem, uti in scena fieri solet, q. d. Ecce ego dormio, id est, dormiebam, etc. cum illico vox dilecti pulsantis insonuit. Narrat enim hic sponsa (ut recte docet Nyssen. et S. Ambros. de Isaac et Anima) meos experrectis sodalibus adolescentibus suis nocturnum somnium sive quid sibi post hesternum cum sponso in horto epulum, eunti cubitum noctu contigerit, scilicet, se dormiente, venisse sponsum ac pulsasse, ac dum ipsa pigritaret, et aperire moraretur, sponsum hac pigritia et inurbanitate offensum alio abiisse: quare illam desidiæ iustas dedisse pœnas, cum lecto tandem surgens diu frustra eum quæsivit, atque a custodibus civitatis mulctata, et pallio privata fuit. Porro noster Sanchez per hyperbaton hinc orditur seriem Dramatis totius Cantici: sponsa enim quærens ingemuit, dixitque: *Osculetur me osculo oris sui*. Unde quæ hic dicuntur videntur eadem esse cum iis, quæ dicta sunt cap. 1. v. 6. et c. 3. v. 1. et sequent. Verum hoc hyperbaton durius videtur, ac totam Dramatis seriem invertere, uti dixi initio.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

PRIMO, R. Salomon τὸ *ego dormio* ad sponsam refert, τὸ vero *cor meum vigilat* ad sponsum, q. d. Dum ego sponsa dormio, sponsus, qui est cor meum vigilat et saluti meæ sollicitus invigilat; solent enim amantes se invicem appellare *cor meum, anima mea, vita mea*, quia se invicem amant, quasi cor proprium, quasi vitam et animam suam. Hinc collige quam animæ Deo unita, et desponsa secure in eo conquiescat, quantisque animi gaudiis exsultet, utpote quæ cor suum in divino, ac divinum in suo corde col-

A locarit. Verum simpliciter et germane utrumque ad sponsam pertinet, q. d. Ego quidem post epulum noctu dormiebam, sed cor meum, id est, imaginatio et mens mea vigilabat, quia semper cor, id est, phantasiam mentemque meam urebat amor, desiderium et memoria sponsi, quare levis erat hic somnus meus, atque adeo dormiens non dormiebam, sed vigilabam, id est, cogitabam vel somniabam de sponso; nam qui plane placideque dormiunt, non somniant, uti docet Aristotel. in Problem. sect. 18. num. 13. Unde Climacus Grad. 30. *Ego*, inquit, *propter naturæ necessitatem dormio, sed cor meum propter amoris copiam vigilat*. Secundo, S. Gregor. Philo, Lucas et S. Ambros. lib. 3. de Virgin. qui legit: *Ego dormivi et cor meum vigilat*; censent hæc esse verba sponsi, illique utramque, scilicet et dormitionem et vigiliam attribuunt. Tertio et genuine Theod. Cassiod. Nyssenus, Beda, Honorius et cæteri, censent hæc esse verba sponsæ, omniaque illi assignant, scilicet aiunt illam dormiisse, sed leviter, semper enim cogitasse et somniasse de sponso: somnus enim infringitur B per somnium, ut dormiens, seu somnians vigilare potius, quam dormire videatur, iuxta illud: *Somnia sunt vigiliæ dormientium; spes autem somnia sunt vigilantium*, quod Platoni tribuit Ælian. lib. 13. de Varia histor. Aristoteli vero Laertius lib. 5. c. 1. Dormiebat Ecclesia, id est, plena pace fruebatur tempore Constantini, sed vigilabat corde, id est, orationi, amori, et contemplationi intendens cum Deo agebat.

Sensum huius loci genuine et particulatim præ aliis exprimit Honor. Augustod. a Hucusque, inquit, plenitudo Gentium intravit: abhinc usque ad ingressum Synagogæ notatur tempus pacis Ecclesiæ: finito itaque convivio victorum, regina ivit dormitum, dicens cubiculi excubitoribus, si Rex me quærit, dicite: Quia ego dormio, et cor meum vigilat, ut eum excipiat. Quasi magnum convivium Ecclesia cum victoribus habuit, quando magnum Concilium Ecclesia cum confessoribus habuit in Nicæa civitate, in quo variæ fercula erant diversa Scripturarum capitula. Quo finito, ivit dormitum, quia ibi damnata est omnis hæresis, persecutio cessavit, quies pacis rediit, et Ecclesia curis sæculi se subtraxit, divina officia instituit, divinæ contemplationi vacavit: quæ modo dicit hominibus imperfe- Somnus Ecclesiæ

etis, terrenis adhuc inhiantibus, meo exemplo terrena postponite, cœlestia quærite; sicut ego dormio, id est, a negotiis et curis sæculi quiesco, et cor meum in meditatione Scripturæ, et in contemplatione æternæ vitæ vigilat, ut mensura bona percipiat. Regina dormiente, dissensio inter milites est exorta, non ab hostibus, sed ab otio nata: qua increscente, rex reginam excitat, monet ut surgat, tumultum militum compescat; scilicet, Ecclesia in contemplatione quiescente, multa vitia inter fideles exorta sunt, novæ hæreses, discordiæ, sectæ, schismata, et alia plura. Unde Christus per Scripturas eam monuit, ut quietem contemplationis intermitteret, tumultum vitiorum exhortando, corrigendoque sedaret. »

Rursum, Cosmas Damianus per dormitionem accipit desidiam, otium et luxum pastorum, et Prælatorum Ecclesiæ, quæ causa fuit cur ipsa quasi senescens declinarit a primo fervore et splendore: sponsus Christus, inquit, cum in cœlum abiret, mihi Ecclesiæ sponsæ suæ, id est pastoribus Ecclesiæ otium et luxum interdixit. Evangelicam functionem, ut pauperum curam iniunxit: sobriam vigilare iussit, et horam qua rediturus ipse sit, sollicitam observare: ego vero, abiecta functione Evangelica, otio nunc et luxu diffluo, commissam meæ fidei sponsi mei familiam suo demenso fraudo; nec iam mihi curæ est, quod alii fame et frigore confecti pereunt; alii odiis et intestinis bellis furentes, mutuo sese conficiunt; alii ignorantiæ tenebris offusi in hæreses, et omnium vitiorum barathrum feruntur præcipites, dum ego purpuram et byssum quotidie induo, auro et gemmis fulgeo, laute prandeo, lautius cœno, cruda luvor, ex balneis suffumigata et peruncta in mollia strata me recipio, ibique clauso ostio nec expectato sponso meo Christo (ut olim adultera Synagoga, hoc ipso turpiter repulso et excluso sponso suo dormiebat) in somnum deferor, nec solem orientem umquam video. At hoc quid aliud est quam, positis vestibus et calceis Evangelicis, dormire vitamque in luxu et somno, Synagogæ more, transire? Verum enimvero conscientia ignaviæ et socordiæ, ac luxuriæ meæ testis perpetuo vigilat; hæc me fortiter accusat, damnat, et velut per insomnia suspensa territat. Quin sponsi mei nomen ut numen imprimis horreo, quem de nocte ad ostium cordis mei pulsantem, atque inclamantem mihi videor exaudire: *Aperi mihi, soror mea.*

Hoc facit illud S. Gregorii 3. p. Pastor. c. 6. Piger recte sentiendo vigilat, quamvis nihil operando torpescat.

Porro S. Gregorius hanc guomen de Christo sponso sic exponit: *Dormit*, inquit, *sponsus et cor eius vigilat; quia dum Christus iam glorificatus in beatitudine quiescit, quicumque eum perfecte diligit* (hic enim est cor Christi) *ut ad ipsum perveniat, laborat.* Psellus vero, et Philo Carpath. dicunt Christum dormisse in morte, vigilasse tamen sua divinitate Apostolos et fideles suos protegendo, et ut ait Philo, Inferos spoliando, unde moraliter discant Prælati, se, etiam cum aliis rebus occupantur, adeoque cum dormiunt, mente tamen debere gregi suo invigilare ut excubare, ne quis lupus aut fera eum invadat.

Huc pertinet versio Chaldæi, qui hæc exponit de virga vigilante Ierem. 1. vers. 11. id est, de Dei vindicta excubante, ut Iudæos castigaret per Chaldæos: *Post omnia*, inquit, *verba hæc peccaverunt populus domus Israel, tradidit eos Dominus in manu Nebuchodonosor regis Babylonis, ut adduxit eos in captivitatem, et erant similes in captivitate viro dormienti, qui non potest expergisci de somno suo: et vox Spiritus sancti admonebat eos per manus Prophetarum, et excitabat eos de somno cordis eorum.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Somnus animæ vigilantis.

Anima sancta mystice dormiens, corde vigilat, cum a concupiscentiis et curis sæcularibus libera, uni Deo eiusque amori et cultui vigil intendit. Ita S. Ambros. exhort. ad Virg. sub medium: *Dormiat*, inquit, *caro tua, vigilet fides, dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi et sepulturæ odorem, ut nihil iis somnus caloris infundat, nullos excitet motus.* Et S. Greg. l. 5. moral. c. 22. *Ego dormio*, inquit, *et cor meum vigilat, quia videlicet sancta mens, quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit: et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, et obdormivit: e terra scalam cælo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoque et descendentes Angelos vidit.* Et pluribus interiectis hanc animæ dormientis vigiliam explicans: *Sancti*, ait, *e mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt quam vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones huius sæculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio per desideria immunda frigescat, ne in ipsis desideriis plus iusto inferveat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo a perfectione languescat. Agit hæc et ab huiusmodi inquieta concupiscentia se penitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, et per quietis studium virtutibus intenta vigilans dormit: neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose subtrahatur*, iuxta illud: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.* Psal. 45.

Rursum, nonnulli per somnum hic accipiunt extasim, qualis fuit somnus Adæ. Genes. 2. v. 21. Extatici enim, sopitis sensibus, quasi dormiunt totique rapiuntur ad contemplanda divina. Ita Soto maior: *Istius vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat; revera dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat*, ait S. Bernardus serm. 52. *Non sopiat*, id est, non extinguat, sicut sopitur ignis, dum iniecta aqua extinguitur. Unde Ioannes Carmelita sic exponit: *Ego dormio et cor meum vigilat:* Ego vix sensibus ad vitam fungor externam: voluntas vero mea in sponsum hians vigilat.

Ad literam anima dormiens vigilat, cum ita per diem sanctis meditationibus, affectibus, et amoribus se implet, ut noctu de eisdem somniet, imo dormiens eosdem iteret, uti faciebat S. Franciscus Xaverius. Quæ enim vigilantes studiose cogitamus, de iis dormientes somniamus. Recurrunt enim in somnis diurnarum cogitationum imagines, sicut ex citharæ pulsu resultat resonantia tinnitusque fidium, quæ auditur, cessante pulsu. Unde Claudian. de raptu Proserpinæ l. 3. canit:

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

Quocirca signum perfectæ virtutis est, de eadem somniare, illamque quasi somniando exercere: unde Aristotel. l. 1. Ethic. cap. 13. ait: *Modestorum quam aliorum meliora fieri visa.* Et Plutarch. lib. de Profectu morum, inter alia signa profectus in virtute hoc assignat: *Si quis noctu nullas fœdas, vel rixosas patiatur phantasias.* Quocirca Cassianus, Climacus, et alii docent perfectum et quasi summum castitatis gradum esse, si quis nil impuri, sed omnia pura et sancta somniet. Audi Climacum Gradu 15. *Pudicus est ille, qui in somnis quidem nullum motum, nullamque status sui mutationem sentit. Pudicus est ille qui et in somnis perfectam semper insensibilitatem in corporum specie et varietate possedit.* Hæc regula, huiusmodi finis est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata sicut inanimata intueamur, atque ita rationabilibus ut brutis corporibus afficiamur. Audiatur Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, tract. de Continentia cap. 6. *Sextus* (ultimus et summus) *castimoniæ gradus est, ne illecebrosis phantasmatibus fœminarum, vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato esse obnoxiam non sit credendum, concupiscentiæ tamen adhuc latitantis medullitus indicium est.* Ergo dicat plane castus: *Ego dormio, et cor meum vigilat:* id est, ita corpus meum dormit, ut habeat suæ puritatis custodem. Cor meum vigilat:

Signum virtutis perfectæ est, de eadem somniare.

illa virtus, quam Deo donante post multos gemitus et postulationes accepi, illa quæ mihi cordi est, quamque non aliter quam proprium cor diligo, vigilat super me, et cingit me propter timores nocturnos; vel cor meum vigilat, hoc est Spiritus Domini, quo ceu corde vivificor et calesco, vigilat cum ego dormio, ut in somno immunda non patiar, sed aliquid simile eis, quæ in vigilia soleo actitare, perficiam.

Est enim, ut ait S. Ambr. l. 3. epist. ad Aasyium: *Sanctorum somnus feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti invehens, placiditatem animæ, ut tamquam soluta nexu corporis se oblevet, et Christo adhæreat.* Plura hac de re dixi Deuter. 6. v. 7. ad illa: *Meditaberis in eis etc. dormiens atque consurgens.*

Porro S. August. tract. 57. in Ioannem, docet studiosos sapientiæ dormire et corde vigilare: « Quid est, inquit, ego dormio et cor meum vigilat: nisi ita quiesco ut audiam? otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. Ego dormio, et cor meum vigilat, vaco et video quoniam tu es Dominus, quia sapientiam scribo in tempore otii, et qui minoratur, actu ipso percipiet eam. Ego dormio, et cor meum vigilat. Ego requiesco a negotiosis actibus, et animus meus divinis intendit affectibus: sed in iis, quæ ista modo suaviter et humiliter requiescunt, dum otiose oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille qui ait: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Tropol. Tropologice Theodoretus; *Licet*, ait, *a natura cogar oculos claudere et somnum capere, mente tamen vigila, et ignoviæ somnum minime suscipio, cum sponsi adventum exspectem, iuxta consilium Domini dicentis? Vigilate quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit.* Matth. cap. 24. vers. 42.

Anagog. Anagogice Iustus Orgelitan. sic exponit, q. d. *Propter Christum mori paratus sum, sed post mortem cum ipso regnaturum me credo. Ergo etiam a temporalibus delectationibus, consopitis quodammodo sensibus, conquiesco, sed futura desidero, æternaque conquiro.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Somnus B. Virginis qualis? BEATA Virgo dormiebat, et tamen corde vigilabat: Primo mystice, quia curis sæcularibus vacua et quasi indormiens, tota rebus cælestibus intendebat. Secundo, quia per diem tanto fervore rapiebatur ad divina meditanda, et ad continuos amoris erga Deum actus ut eosdem dormiendo et somniando iteraret, imo ut illi modicum eius somnum crebro abrumperent, ac ipsa experrecta et vigilans in solitos hosce amoris æstus sese effunderet. Quare tota eius vita fuit iugis et continua quædam contemplatio. Tertio, multi probabiliter opinantur B. Virginem, sopitis inter dormiendum sensibus, per singulare Dei donum mentem habuisse solutam et vigilantem, ut liberos actus eliceret, ac in ardentia orationis et amoris suspiria erumperet. Hoc enim hæc verba: *Ego dormio et cor meum vigilat*, præcise significant, quæ nulli fidelium ita proprie competunt, ut B. Virgini, uti recte explicat Rupertus: *Multarum*, inquit, *animarum fuit et est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est a terrenis curis vacare, et in cælestibus per contemplationem corde vigilare: verum etiam eodem modo, quo et Iacob tunc dormivit, secundum corpus dormire, et secundum animam per somnium cælestia videre, iuxta illud: Senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed, o Tu, cælum Dei, unica sedes Domini in utroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus longe eminentior exstitisti, longe studiosior ad contemplandum eum, in quo desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.* Et S. Ambros. libr. 2. de Virgin. loquens de B. Virgine:

B. Virgo dormiens corpore, vigilabat mente.

Probatur auctoritate.

Dormire, inquit, non prius cupiditas, quam necessitas fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat. Et S. Bernard. tom. 2. serm. 51. art. 1. c. 2. *Somnus*, inquit, *qui abyssat et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo quod talia in Virgine fuerit operatus; sed anima eius libere, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam umquam fuerit aliquis alias, dum vigilavit. Unde ipsa ait Cantic. 5. Ego dormio, et cor meum vigilat, scilicet in contemplatione perfecta a nulla actione debilitata.* Et S. Dionys. Carthusianus: *Hoc*, inquit, *sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplativissimam vitam duxit, et ab exteriori tumultu, omni inordinato strepitu, et cura superflua, atque inquietudine culpæ penitus abstinens et sopita, vigilantissima mente Deo vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibusque virtutum interminæ excellentiæ perfectissimis iugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor eius pervigil fuit, ex assidua assuefactione perfecta insistendi divinis, ex ardentissima et exercitatissima charitate, ex splendidissima et exuberantissima sapientia sibi infusa, et contemplatione in vigiliis, pene aut prorsus continua etiam tempore somni vigili corde fuit Deo coniuncta, et pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessabat.*

Sic quoque de B. Virgine in somnis operante et Deum amante, explicat hæc verba Albertus Magnus, S. Antoninus, et alii, quos citat et sequitur Franc. Suarez. 3. p. quæst. 37. art. 4. disp. 18. sect. 2. sub finem, idque probat: Primo, quia Adæ et Evæ id concessum docet sanctus Augustinus lib. 4. contra Iulian. c. 9. *Tam felicia*, ait, *erant somnia dormientium, quam vita vigilantium:* Ergo Et ratione. 1.
multo magis B. Virgo tam felix fuit dormiendo, quam vigilando. Secundo, quia Angeli ex quo in primo instanti 2.
suæ creationis conversi sunt in Deum, numquam ab illius actuali amore cessarunt; ergo multo magis id credi potest de beata Virgine, Angelorum regina; unde S. Bonaventura, S. Bernardinus, et noster Canisius, tradunt pluribus sanctis revelatum esse, quod B. Virgo integras fere noctes orando et meditando traduceret. Tertio, quia B. 3.
Virgini data fuit scientia per se infusa, qua uti posset sine conversione ad phantasmata: quare etiam nocte dormiens, sopita phantasia, illa uti potuit.

VOX DILECTI MEI PULSANTIS: APERI MIHI, SOROR MEA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, IMMACULATA MEA. VERS. 2.

Q. q. Ego dormiebam, sed corde vigilabam, id est, per somnium cogitabam et sollicita eram de sponso, cum ecce audio eum ad ostium pulsantem mihique dicentem: *Aperi, soror mea*, etc. ubi adverte sponsum tot ictibus pulsare ostium mentis sponsæ, quot ei amoris titulos, et obligationes suggerit, q. d. O sponsa, tu es soror mea, quia ego carnem assumendo dignatus sum fieri frater tuus: Aperi ergo mihi fratri tuo. Rursum amore te præveni, teque amicitia mea dignatus sum: Aperi ergo, *o amica*, adeo amanti te. Adhæc, *columba mea es*, id est, castissime, mihi uni desponsata es, uti columba suo columbo, quæ alium marem non novit: Aperi ergo mihi sponso tuo unico. Denique *immaculata* es, Hebr. תמה *tamma*, Septuagint. τελεια, id est, *perfecta es:* Aperi ergo mihi, qui tuæ puritatis et perfectionis sum auctor, conservator et promotor. Dum enim, te aperiente, per tuum consensum in te ingredior, tuas maculas mea puritate detergo. Iustus Orgel. *Soror*, ait, *Christi est Ecclesia, quia de sanguine eius: amica, quia per mortem eius reconciliata: columba de Spiritu sancto immaculata Baptismi Sacramento.* Phil. Carpath. cum Sept. legit: *Aperi mihi, propinqua mea, soror mea, sponsa mea, columba mea, perfecta mea*, sicque explicat: *propinqua creatione, soror incarnatione, sponsa fide, columba salutaris unda et Spiritus sancti regeneratione, perfecta ex charitate.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Iam sponsa Ecclesia ostium cordis aperuerat sponso, totumque cor illi tradiderat, ut patet ex illo c. 2. 16. *Dilectus meus mihi et ego illi.* Pulsat tamen illud hic sponsus, ut sponsa Ecclesiæ proximorum quoque clausa corda per suos concionatores clave prædicationis aperiat, ait Cassiod. Beda, Honor. Iustus, Haymo, Richard. Anselm. Rupert. et alii.

Porro iam ante cap. 2. vers. 10. sponsus pulsarat ostium sponsæ, sed adolescentulæ adhuc, illamque excitarat ad procurandam Iudæorum in Ecclesia primitiva salutem, hic vero pulsat ostium eiusdem iam adultæ sub Constantino; illamque stimulat ad procurandam omnium gentium, ac præsertim hæreticorum et impiorum conversionem. Sub Constantino enim gaudebat Ecclesia plena pace; quare multi Prælati dabant se otio sanctæ quietis et B contemplationis: ab illo ergo otio hic eos advocat Christus ad negotium prædicationis. Ita S. August. ser. 57. in Ioannem: » Ego dormio, inquit, et cor meum vigilat: ego requiesco a negotiosis actibus, et animus meus divinis se intendit affectibus: sed in iis quæ isto modo suaviter et humiliter requiescunt, dum otiose oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille, qui ait; quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis prædicate super tecta. » Et paulo post: » Pulsat ergo ut excutiat quietem sanctis otiosis, et clamet; aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de Spiritu meo columba mea, de sermone meo, quem plenius ex me didicisti, perfecta mea; aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe, qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? Quomodo enim audient sine prædicante? »

Audi Honor. singula præcise et particulatim adaptantem: » Hæc verba significant Christi sollicitudinem erga negligentes et errantes, ut per spirituales corrigantur, et C Ecclesiæ fervorem ad contemplationem, et tædium ad sæculi administrationem. Christi ad ostium cordis fidelium pulsantis vox est: O Ecclesia, soror mea, quia per me cohæres regni: amica mea, quia per me cælestium arcanorum conscia; columba mea, quia per me Spiritu sancto repleta; immaculata mea, quia per me a peccatis emundata. Aperi mihi exhortando ostium cordis eorum, qui illud pessulo malorum operum clauserunt, et guttæ noctium, id est, membra dæmonum facti sunt, et eris soror mea, si exhæredes per malitiam, per gratiam feceris cohæredes meos: eris amica mea, si inimicos ob perfidiam feceris amicos per fidei constantiam; eris columba mea, si duplices corde feceris simplices; et eris immaculata mea, si maculatos vitiis feceris immaculatos virtutibus. » Prosequitur deinde sequentia in hunc modum: » Quia caput meum plenum est rore, hoc est, fides divinitatis meæ repleta est errore, et cincinni mei pleni sunt guttis noctium, id est, fideles mei repleti sunt peccatis dæmonum; quia caput meum Deus, per caput intelligitur fides divinitatis; per rorem qui in nocte cadit, D et solis ardore recedit, accipitur error infidelitatis, qui de nocte ignorantiæ venit, sed luce veritatis recedit. Cincinni, id est capilli, sunt fideles, per fidem capiti Christo adhærentes. Guttæ noctium sunt lapsi a fidelibus, ut guttæ de capillis in sententias hæreticorum, vel in peccata dæmonum, qui sunt noctes ad æternas tenebras ducentes. Horum cordis ostium aperi mihi, ut intrem per gratiam, et habitem per fidem in cordibus, et mansionem mihi in mentibus eorum faciam per bonam operationem. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta hic vocatur ad maiorem sanctitatem, ut ipsa intima cordis aperiat, illaque ipsius pleniore cognitio- A ne et amore repleat: Ita Nyssen. et S. Ambrosius libr. de Isaac et Anima cap. 6. qui ait Christum pulsare et intrare in animam per ianuam devotionis et orationis: » Etsi dormias, inquit, si modo devotionem animæ tuæ noverit Christus, venit et pulsat eius ianuam, et dicit: Aperi mihi, soror mea, quia nuptiæ spirituales sunt Verbi atque animæ. Aperi mihi, sed extraneis claude, sæculo claude, neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. Aperi ipsam te mihi, noli coarctari, sed dilatare et adimplebo te. »

Audi Philonem Carpath. » Quicumque Deo paret, et illius præcepta studiosissime conservat, is se quotidie ad ianuam cordis acciri et admoneri sentit, ad meliora semper et altiora charitatis opera facienda, quod appellationes ipsæ significant. »

Ait ergo Christus: O anima sancta aperi mihi, ad intimos tuæ animæ sinus penetrare satagenti, quot enim assensus præbes, tot mihi recessus aperis, in quos festinus illabor. Ad recludenda vero ostia moneo te; quia es amica B mea, unde ex amicitiæ lege, anguli sinusque domus tuæ universi mihi tecum debent esse communes, quia soror mea es a patre meo in filiam adoptata, et assumptæ naturæ germanitate coniuncta: quamobrem quos in natura et gratia Deus coniunxit, separari et occlusa ianua nefas est arceri.

Rursum, Christus animam iam proficientem et perfectam pulsat, cum eam impellit ad procurandam aliorum salutem et perfectionem; unde ad hoc quatuor titulis quasi stimulis eam perurget.

Christus animam perfectam ad aliorum salutem procurandam urget quatuor stimulis.

Primo, *soror*, inquit, *mea es*, quia par est, ut assimileris mihi, qui frater tuus sum, ut sicut ego a cælis in carnem descendi, vivensque totum impendi me hominum saluti; sic et tu mecum te totum eidem impendas. Nam, ut ait S. Dionysius, omnium operum divinissimum est Deo in salute animarum cooperari. I.

Secundo, *amica mea es*; si ergo amas me, *pasce oves meas*: Ioan. 21. quare satage, ut et cæteri me ament, mihique fiant amici. II.

C Tertio, *columba*, id est sponsa mea es fœcunda: columba enim singulis mensibus parit; tu ergo quoque assidue mihi filios paries, et partos nutrias. Hinc S. Basilius ad Iulittam epist. 175. docet sanctos debere imitari columbarios, qui columbam fragrantibus odoribus delibutam emittunt ad alias columbas, ut illas fragrantia sua ad se alliciat, et ad columbarium suum perducat: *Animam sanctam*, inquit, *columbam suam appellans, tale quid dicere Deus videtur: Columbam te meam elegi, cælestiumque gratiarum perfudi te odore. Æquum igitur est, ut tu pariter virtutum tuarum odore, et in ea quam prædicatione affundes fragrantia, peccatorum agmen ad columbarum puritatem redactum tecum reducas in columbarium vulnerum meorum.* III.

Quarto, *immaculata*, pura et perfecta es; cur ergo pateris per proximorum scelere, quasi inquinari puritatem tuam? quin potius eos depuras, perficis, tibique, imo et mihi similes efficere satagis? Nonnulli censent hic animam D peccatricem a peccato evocari ad pœnitentiam, iuxta illud: *Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum ipso, et ipse mecum*, Apocal. 3. 20. Ita Cassiod. Beda, Philo et alii. Unde Chald. vertit: *Et vox Spiritus S. admonebat eos per manus Prophetarum et excitabat eos de somno cordis eorum. Respondit Dominator totius sæculi: Convertere ad pœnitentiam, aperi os tuum, et exsulta et lauda me, soror mea, dilecta mea, Synagoga Israel, quæ comparata es columbæ in perfectione operum tuorum.* Verum longe verius est hæc dici animæ sanctæ, imo perfectæ: ipsa enim vocatur soror columba et immaculata. IV.

Anagogice, Cassiodorus et Beda censent hic moneri animam sanctam, ut Christo in morte pulsanti ad exitum, imo ad transitum in cælum invitanti continuo aperiat. *Confestim enim*, inquiunt, *sic Domino pulsanti aperimus, si mortem læti excipimus, neque iudicium eius induci formi-* Anagog.

damus, cui nos in bonis operibus placuisse, quem nos semper honorasse meminimus. Audi S. Gregor. homil. 13. in Evang. *Venit Dominus, cum ad iudicium properat; pulsat vero, cum iam per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat et videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet, et cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo S. Bern. ser. 4. super *Missus est* censet hic pulsari ostium voluntatis Deiparæ, ut consentiat S. Gabrieli nuntianti Incarnationis mysterium: « Aperi, inquit, Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua, surge, curre, aperi: Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem. »

Secundo magis apposite ad sensum litteralem de Ecclesia initio assignatum Rupertus censet B. Virginem hic excitari, ut post resurrectionem Christi, illius fidem omnibus, præsertim mulieribus prædicet: ipsa enim præ omnibus est Christi soror, imo mater, amica, columba, immaculata et perfecta. Audi Rupertum: « Sed tu, o cælum Dei, unica sedes Domini, cunctis præcelluisti: et optabas quidem, mortuo filio, tamquam turtur castissima et solivaga, tamquam columba volare contemplando et requiescere, et fugiens elongari, remotior fieri Baptista, secretior Elia, ubi te soli scirent, solique tibi famularentur Angeli sancti: sed noluisse filium tuum, noeti, ubi nimis amantem subiungis, cum ais, Vox dilecti, etc. dilectum tuum indicas foris stantem sub dio, quasi domo carentem. Nam exclUserat eum synagoga Iudæorum, gentes nondum receperant: ideo petiisse: Aperi mihi os tuum, loquere quæ ad confirmandum sunt apta Evangelium, et in hoc optatæ tibi quietis patere dispendium, ut gratum singulari tuæ pudicitiæ propter me rumpas silentium. »

Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

Guttis noctium.) Aquila et Symmach. *nocturnis*, Arabicus, *quæ perstillant noctu*. Idem q. d. Aliis verbis posteriore hemistichio, quod dixit priori: caput enim continet cincinnos, sive crines capitis: ros sunt guttæ noctium. Ros enim est vapor frigore noctis concretus et resolutus
Ros, quid? Cincinni quid? in guttas, quæ in herbas et plantas distillant. Cincinni proprie, ait Festus, sunt crines intorti, sive cirrati et calamistrati, inde tamen dilatata significatione quoslibet crines denotent. Hebraice enim est קְוֻצּוֹת *kevutsot*, quod alii a קוֹץ *kots*, id est, *spina*, derivant, eo quod crines subtiles et acuti sint instar spinæ. Alii et melius a קָצַץ *katsats*, id est, *præcidit*, eo quod *kevutsot*, id est, extremi capitis crines, qui crispantur in cincinnum, præcidi et resecari soleant. Alii a קָבַץ *karats*, id est collegit, quod crinium multitudo in unum crinem, vel etiam in unam πλοκὴν, id est, plicam et cincinnum colligetur, uti eam etiamnum colligunt fœminæ.

Solent iuvenes amore fervidi, dum sponsam quærunt, noctu ostium sponsæ ambire aditumque ad eam observare, ideoque sub dio ad multas horas pernoctare; quocirca frigore et guttis noctium cruciantur. Id illi faciunt amore carnali, sed sponsus hic id facit amore spirituali: quare rogat sponsam, ut ostium sibi aperiat, ut in domo a rore et pluvia sit immunis, ac guttas roris et pluviæ, quas sponsæ amore noctu contraxit, excutiat et desiccet.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Caput Christi est eius divinitas: cincinni sive capilli, Caput est deus, cincinni humanitas, ros blasphemiæ. qui caput velant sunt eius humanitas et membra, quæ velant divinitatem; item eius sancti et dilecti: ros et guttæ noctium sunt blasphemiæ et iniuriæ hæreticorum et aliorum peccatorum, quas irrogant Christo. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Philo, Iustus, Anselmus et S. August. tr. 57. in Ioannem, quem audi: « Aperi mihi, soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum repletum est rore et crines mei guttis noctis; velut si diceret; tu vacas et contra me ostium clausum est; tu studes otio paucorum et abundanti iniquitate refrigescit charitas multorum: nox quippe iniquitas est, ros vero eius et guttæ, hi sunt qui refrigescunt et cadunt, et faciunt refrigescere caput Christi, hoc est, ut non ametur Deus; caput enim Christi Deus: sed portantur in crinibus, id est in Sacramentis visibilibus tolerantur, sed nequaquam interiora sensus attingunt. Pulsat ergo ut excutiat quietem sanctis otiosis, et clamat: Aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de spiritu meo columba mea, de sermone meo quem plenius ex otio didicisti, perfecta mea, aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente: quomodo enim audient sine prædicante? » Sic caput, id est divinitatem Christi tempore Constantini impugnavit Arrius, dicens Christum esse creaturam, ac consequenter non esse creatorem et Deum. Et Macedonius, adimens Christo spirationem Spiritus sancti, utpote asserens Spiritum sanctum non esse Deum. Et Sabellius, negans SS. Trinitatem, ac consequenter negans Patrem et Filium, utpote affirmans Deum esse unum in persona, æque ac unus est in essentia. Hinc Christus S. Petro Episcopo Alexandr. et martyri apparuit veste discissa: dicens: *Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia dilaceravit:* teste Eusebio lib. 7. Beda et aliis. Humanitatem vero Christi blasphemavit Manes, et eius sectatores Manichæi, docentes Christum assumpsisse carnem non veram, sed apparentem dumtaxat et phantasticam, uti dæmones sæpe assumunt corpora umbratica, puta larvas et spectra. Et Nestorius, negans unionem hypostaticam humanitatis Christi cum persona Verbi. Dicebat enim in Christo duas esse personas, sicut sunt duæ naturæ; ac proinde aliam esse personam hominis, aliam Verbi. Et Eutyches, docens in Christo unam esse naturam, commixtam ex humanitate et deitate, sicut est una persona. Et Apollinarius, tollens a Christo mentem humanam, ac pro ea substituens divinam. Et Polychronius, adimens Christo voluntatem humanam. Et Valentinus, adimens et corpus terrenum: dicebat enim Christum corpus cæleste e cælo attulisse, ac proinde per B. Virginem, non ut per matrem, sed ut per canalem dumtaxat transisse.

Rursum mali Christiani suis pravis moribus, quasi infecto rore contaminant caput Christi, illumque abs se ablegant, dum eius sanctas inspirationes repellunt, itaque Christum a se abiectum quasi sub dio obnoctare compellunt, se suo torpore, suisque concupiscentiis, velut pruina et gelidis guttis noctis hyemalis cincinnos, id est, cogitationes a Christo immissas conspurcant. Audi S. Gregorium: *Caput Christi,* inquit, *plenum est rore, quia multi in Ecclesia positi, et Deum eum credunt, et tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accenduntur; per cincinnos autem eiusdem populos intelligimus, quos in fide divinitatis quasi in capite Christi pendentes et opprimentes scimus; sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium, quia dum in torpore huius tenebrosæ temporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos sponso excitatur, dum spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur.* Sic et Cassiodorus et Beda, qui tamen per cincinnos accipiunt pios et sanctos, qui instar cincinnorum se intra custodiam mentis suæ colli-

gunt, se soli conditoris amori arctius inhærent: hi inquiunt, pleni sunt guttis noctium, dum impii eos premunt frigore asperæ cæcæque persecutionis. Iustus vero et Anselmus per caput Christi accipiunt prælatos rore ignorantiæ plenos; per cincinnos vero clericos, et fideles, qui guttis noctium, id est tenebrarum operibus, v. g. gula et luxuria inficiuntur. Exemplum memorabile refert D. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum, cap. 1. part. 13. nimirum D. Iesum specie pueri elegantissimi in Brabantia apparuisse cuidam religioso Cisterciensi solum in nivis frigore residentem, ac præ algore magnum edidisse ploratum et eiulatum: cumque religiosus causam ab eo exquireret, trementem dixisse: *Heu me! heu me! quare non flerem? quare non eiularem? Ecce vides quod egens solus et in frigore sedeo, et non est qui colligat me, et hospitium præstet.* Quare religiosus ipsum in equum suscepit, sed puer de brachio tenentis exsiliens repente disparuit, magnam cordi eius doloris et amoris stimulum infigens: quis enim hominum sine lacrymis audire potest piaculum tale et tantum, quod Filius unicus Patri Deo, Deus existens, hospitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, et præ abundantia iniquitatis refrigescente charitate multorum, non est qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat petris placitis, benefica voluntate revolvat, foveat devotionis sinu, veste contegat charitatis.

Ros et guttæ sunt persecutiones. — Exemplum. — Pius Christi algentis questus.

Hue dimidia ex parte accedit Richard. Victor. qui rorem opplentem caput Christi accipit abundantiam misericordiæ Dei, per guttas vero noctium super cincinnos accipit hominum peccata et miserias, quasi Christus dicat animæ devotæ: *Quia tanta tibi præstiti, tu quoque beneficiis meis responde; et circa membra mea gratiam, qua specialius es dotata, exerce. Ex eo enim quod Deus sum, abundo misericordia et rore gratiæ, et hi qui mihi in fide inhærent replentur peccatorum guttis et cæcitate.*

Ros et guttæ sunt doctrina Christi et Apostolorum.

Porro alii Patres rorem et guttas noctium in bonam partem accipiunt, puta per rorem capitis intelligunt doctrinam et gratiam, quæ a Christo quasi a capite in fideles distillat; per guttas noctium vero, doctrinam Prophetarum et Apostolorum (addit Philo et Angelorum) quæ ab illis quasi cincinnis Christi profluit ad Christianos. Ita Nyssenus hom. 11. Philo, Richard. tres Anonymi apud Theodor. et S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. sub medium: *Sicut ros cæli*, inquit, *nocturnos amovet siccitates, ita ros Domini nostri Iesu Christi nocturnis et sæcularibus tenebris æternæ vitæ distillavit humorem. Hoc est caput, quod æstu mundi nescivit arescere. Hoc caput rorat aliis, sibi abundat.* S. Paulinus vero Epist. 4. ad Severum, per caput accipiens Christum Deum, per cincinnos autem sanctos Christi, per rorem et guttas sanctorum opera, quibus animam suam in siccitatis siti reficiunt: *Ideo*, ait, *caput tuum Christus tali repletum rore lætatur, et illuminator noctium nostrarum; tamen guttis noctis nostræ crines suos gaudet esse perfusos, quia ipsius refrigerium et refectio est illæ fidelium operationes, quibus vel fratres iuvantur, vel inopes confoventur.*

Anagog.

Anagogice, Philo per caput Christi rore plenum accipit resurrectionem Christi, quæ mane facta est, cum ros in terram descendit: per cincinnos vero accipit populos ad Christi fidem conversos, quasi hos in fide magis erudire, expolire et perficere a Christo iubeatur Ecclesia.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Ros et guttæ tribulationes sanctorum.

Ros capitis et guttæ cincinnorum notant tribulationes et afflictiones Christi ac sanctorum: quare cæteros fideles invitat hic Christus, ut eis compatiantur illasque levent vel mitigent. Ita S. Ambros. de Isaac et Anima c. 6. et in Psalm. 118. serm. 12. *Considera*, inquit, *quando maxime pulsat ianuam Deus Verbum, cum repletum est eius rore nocturno. In tribulatione enim et tentationibus positos visitare dignatur, ne quis forte succumbat victus ærumnis.*

A *Repletur ergo caput eius rore, vel guttis, quando corpus eius laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cum sponsus venerit, recedat exclusus.* Unde Chald vertit: *Quoniam capilli capitis mei pleni sunt lacrymis tuis, sicut vir cuius capilli tinguntur de rore cæli, et cincinnus cæsariei meæ repletus est guttis oculorum tuorum, sicut vir, cuius cincinnus cæsariei suæ plenus est guttis pluviæ, quæ descendunt in nocte.*

Nota hic lacrymas piorum implere caput et capillos Dei, quia ipse eas sentit ac si essent propriæ; quare eis condolet, eos consolatur, roborat, et suo tempore liberat, iuxta illud: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. c. 2. v. 8.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B Rupertus docet Christum hic loqui B. Virgini, eamque hortari, ut prædicet Iudæis fidem Christi, ac rationem asserere quod Iudæi rore inficiant caput, id est divinitatem suam, negantes eum esse Filium Dei; ac guttis noctium, id est tenebrosis sensibus pervertant sacras Scripturas, quæ quasi cincinni inhærent capiti Christi tamquam Verbi Dei: *Sicut*, inquit, *illa nocte* (passionis meæ) *faciem meam conspuerunt, ita nunc pertinaciter blasphemias in caput meum iactitant, et cincinnos meos commaculant, similes ipsi rori cadenti, sive caducis guttis noctium, quia de gratia Dei ceciderunt, dum me Deum Dei Filium esse blasphemantes negant, et Scripturas quæ testimonium perhibent de me, sensu contrario conturbant. Aperi igitur cum aliis testibus meis os tuum, et facito, ut in quibuscumque locum habeam, ubi reclinem caput meum.*

Addit Rupertus initio Ecclesiæ mulieres æque ac viros vitam religiosam instituisse, habuisseque omnia communia, sed mox ortum esse murmur Græcorum contra He- C bræos, quod in distributione alimentorum viduæ eorum posthaberentur: quare B. Virginem iussu Christi murmur hoc sedasse, pacem inter viduas conciliasse, illasque ad paupertatis et perfectionis Evangelicæ studium accendisse.

Vers. 3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Septuag. *Exui tunicam meam, quomodo induam illam?* Sponsa in lectulo suaviter decumbens, surgere et sponso pulsanti aperire detrectat, aut certe moras nectit, uti solent facere semidormientes et semisopiti; quare huic suæ somnolentiæ et torpori excusationem prætexit dicens, non tam sponso (hoc enim nimis inurbanum fuisset) quam sibi ipsi: Ego tunicam exui, difficile est mihi surgere et tunicam induere: lavi pedes meos ne lodices inquinarem; molestum est mihi pedes e lecto tollere, humum calcare, D pulvere terræ sordidare: manebo ergo in lectulo meo: olim enim incedebant nudipedes, aut certe sola solea plantam pedis tegebant, ne illam in saxa illiderent, superiore vero pede nudo ambulabant: quocirca cœnaturi vel cubitum ituri pedes lavabant, ne pedibus pulverulentis vel lutosis stragula macularent. Sic Abraham Angelis forma humana apparentibus parans convivium, prius eorum pedes lavit. Genes. 18. v. 4. Idem fecit Loth iisdem Genes. 19. et Ioseph fratribus suis ante epulum, Genes. 43. Hinc Magdalena in convivio Simonis lacrymis suis lavit Christi pedes, ac Christus ipse discipulis suis in ultima cœna ante S. Synaxim. Idem fecisse Gentiles docet Athenæus l. 12. cap. 5. et l. 15. c. 16.

Olim ituri cubitum lavabant pedes, cur?

Hinc symbolice docet Nyssenus, animæ piæ nudandos esse pedes mentis, ut sine calceis terrenorum affectuum libere incedant ad Deum: calcei enim cum fiant ex pellibus animalium mortuorum, sunt symbola peccatorum, idque probat: Primo exemplo Mosis, qui accessurus ad

Symbol. Calceus typus peccati, cur?

Deum in rubo ab eo iubetur calceos exuere, Exod. 35. Secunda, ex eo quod de calceis sacerdotum nihil e Deo legamus præscriptum, uti de cæteris eorum vestibus: videntur ergo sacerdotes nudipedes ministrasse et sacrificasse. Tertio, quod Christus Apostolis ituris per orbem calceos vetuerit. Lucæ c. 10. v. 5.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

I. Tunica nuptialis, charitas. QUÆRES, quænam sit tunica, qua Ecclesia se expoliavit et veretur eam rursus induere? Primo Noster Sanchez: Deposuerat sponsa, inquit, nuptialem vestem, id est de amore sponsi aliquid remiserat, dum suam mollitiem et somnum plus satis amat. Nuptialem autem tunicam esse charitatem, docet Gregorius homil. 38. in Evang. Illam ergo tunicam, dum suo genio magis quam sponsi voluntati obsequitur, sumere, id est, amare sponsum plus quam seipsam durum videbatur. Huc facit versio Chaldæi, licet de more Iudaica: « Respondit cœtus Israel coram prophetis: Ecce iam abstuli a me iugum præceptorum eius, et servivi idolis populorum: quomodo ergo erit mihi facies ut convertar ad eum? Respondit ei dominator sæculi per manum prophetarum: Ego quoque abstuli maiestatem meam de medio tui, quomodo convertar? tu autem fecisti opera mala. Ego sanctificavi pedes meos ab immunditiis tuis, sed quomodo inquinabo eos inter te operibus tuis malis? »

II. Vetus homo. Secundo, alii ex adverso per tunicam accipiunt veterem hominem, puta veterem in concupiscentiis et peccatis vivendi modum. Sic Apost. Ephes. 4. 21. iubet *deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*. Et mox: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*. Sponsa ergo veterem culpæ tunicam in Baptismo exuta, ac novam innocentiæ tunicam induta, veretur ne veterem rursum induat, si conversioni peccatorum se ingerat, ut dum eos convertere cogitat, ab eisdem pervertatur et in antiquum scelerum cœnum revolvatur. Ita Nyssen. Philo, Psellus et tres Anonymi apud Theodor.

Hinc urgent nonnulli τὸ *expoliavi*; q. d. Veste sordida peccatorum, quasi hostili me expoliavi, illamque quasi spolium hero suo, puta dæmoni reddidi; quare illam repetere mihi est nefas. Audi S. Ambrosium l. 3. de Virg. *Vide anima Deo devota quid dicat, sic se actus corporis et terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere: Quomodo induam illam? hoc est, qua verecundia? quo pudore? quo postrema memoria? Consuetudo enim boni usum pravitatis veteris amisit.* Et post pauca: *Lavi pedes meos; non dicit; Quomodo iterum lavabo eos? sed quomodo iterum inquinabo eos? Quasi oblita maculæ veteris, oblita contagii. Itaque pedes cum semel laveris æterni fontis irriguo, et mysterii mundaveris Sacramento, cave iterum corporeæ cupiditatis illuviem ne lutulenti actus sordibus inquinentur*. Hinc disce quam pœnitenti sint cavenda recidiva peccati, ideoque vitandæ pristinæ eius occasiones et illecebræ.

III. Antiqui Ecclesiæ doctores. Tertio, S. Augustinus epistola 57. et ex eo Delrio per tunicam accipiunt veteres sanctos doctores, qui Ecclesiam quasi tunica vestierant, sed per martyrium iam erant defuncti; per pedes vero doctores iuniores adhuc superstites, q. d. Iubes, o Christe, a me Ecclesia tibi mortalium corda, saxo duriora molliri et aperiri: vellem, sed desunt idonei operarii, certe nondum satis perspexi quid valeant ferre, quid recusent. Priores, quos idoneos noveram, et audacter in pugnam mittebam, eos omnes hostilis turbo sustulit maxime recens, præterita vix Maximiani, Maxentii, Diocletiani et fera continua Licinii crudelissima persecutio. Isti bellatores mihi arctissime coniuncti me stipabant, protegebant et interioris tunicæ more velabant, dum tibi morem gestura, meis non parco, pene nuda spoliataque remansi. Qui reliqui supersunt, pars ævo et laboribus, pars vulneribus, et eculeis fracti: cæteri iuniores, quorum me vis sedulitate velut pedibus per orbem discurrere, recens abluti adhuc teneri sunt, iure metuo ne fatiscant sub onere, saltem ne rursus sordidentur, et sic ego in pedibus meis iterum coinquiner. Hic sensus valde appositus est, sed non tam litteralis, quam symbolicus et anagogicus videtur, ut et ille Philonis, qui hæc refert ad Christi resurrectionem, in qua Christus mortalem humani corporis tunicam exuit, et immortalem induit: *Christus enim resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, Rom. 6. 4. verum hæc sunt verba sponsæ Ecclesiæ, non sponsi Christi.

IV. Quarto et genuine, S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Philo, Anselmus, Richardus, Honorius et alii per tunicam accipiunt occupationes temporales, quibus se ut vestibus necessario implicant: qui curam suscipiunt proximorum, indeque pedes, id est affectus suos inquinant. Ecclesia ergo, id est Prælati Ecclesiæ sub tempora Constantini paci, otio, orationi, vitæ quietæ ac quasi contemplativæ indulgentes, ideoque refugientes laborem prædicandi, confutandi Arrianos cæterosque hæreticos et infideles, ac convertendi pravos Christianos, ad quem ex officio a Christo evocabantur, prætexebant suæ ignaviæ et torporibus hanc excusationem, quod cum essent Deo dicati, nollent rebus temporalibus se occupare, quibus occupatum necesse est defectus et sordes peccatorum contrahere, iuxta illud S. Leonis: *Necesse est de terreno pulvere etiam religiosa corda sordescere*. Audi Honorium: *Hæc non dicit inobediendo, sed sæcularem curam refugiendo; qui enim in sæcularibus proficitur, in spiritualibus deficitur, quia sicut corpus tunica induitur, sic mens sæcularium cura implicatur, quam exutam nolunt spiritales reinduere, sed in spiritalibus soli Deo vacare. Vocati vero a Deo suam voluntatem postponunt, et onus regiminis causa proximorum inviti subeunt: unde gementes dicunt: Lavi pedes meos*, etc. Pedes deinde hosce mysticos explicat subdens: *Pedes animæ sunt affectiones, quibus ad varia desideria transfertur, sicut corpus pedibus graditur, quæ sunt concupiscentia, timor, gaudium, dolor: concupiscit enim terrena, timet ne cupita minime adipiscatur, gaudet de adeptis, dolet de amissis: hos pedes lavit, dum terrenas concupiscentias lacrymis pœnitentiæ abluit, hos iterum inquinare timet, quia qui in sæcularium regimine positus est, vix aut nullatenus sordes peccatorum devitare valet.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

MULTI vitæ quietæ et contemplativæ nimis dediti, licet gratia prædicationis dotati, a Christo per Superiores ad lucrandas Deo animas evocati laborem detrectant, ne a sua dulci quiete avellantur, ac ne in turba hominum in peccandi pericula incidant: qui enim peccatores lucrari satagit, is quoad licet se accommodet oportet, uti Christus cum peccatoribus et publicanis manducabat, ac Paulus *omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret*, 1. Corinth. 9. facile aliquis venialium peccatorum pulvisculus talium adhærescit pedibus, et ut ait sanctus Hieronymus epist. ad Damasum de prima visione Isaiæ: *Proclive est terram calcanti terræ quippiam agglutinari; si feliciter prædicatio succedit, periculum est vanæ gloriæ; si reprehendimur, turbatio: si laudamur, inflatio est metuenda.*

Verum hi errant: tum quia hi pulvisculi leves sunt et facillime absterguntur, imo obruuntur tot actibus et laboribus charitatis, quos in salutem aliorum continuo exantlant: tum quia labor, ex obedientia susceptus, vehit secum gratiam et custodiam Dei, ut sordes pedibus non allinat, sed pedes potius mundos reddat et speciosos, uti patet in Apostolis, quos Deus in gratia assidue confirmabat, iuxta illud Pauli ex Isaia: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Rom. 10. 15. Sic hodie in Societate nostra experimur miram Dei opem in castitate et puritate sociorum, in tot occasionibus, quibus necesse est cum peccatoribus, Indis, fœminis, principibus

etc. agere tuenda et conservanda, præsertim cum ipsi remedia, quæ religio eis suggerit, non negligunt, qualia sunt quotidiana oratio, meditatio, examen, confessio, communio, custodia oculorum et sensuum mortificatio, etc. Hisce enim pedes affectuum suorum assidue lavant nitidosque conservant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus B. Virginem contemplationi addictissimam ita reverenter, sed ardenter Christo ad curam viduarum invitanti respondentem inducit: « Ego dilecto meo pulsanti loquor, sique vota replico, quia singularis ego præ omnibus exul me tunica mea, mente et actu vel habitu reliqui omnia, et ita lavi pedes meos, conscientiam sive intentionem meam emundante Spiritu S. ut jam dicti pulveris nihil omnino residuum sit. Quomodo nunc induar tunica, ut quum mea reliquerim omnia, curem aliena, pro aliis sollicita, et earum, quæ quotidie veniunt, viduarum, vel quæ venturæ sunt virginum materfamilias effecta? Quomodo inquinabo quos lavi pedes meos, id est ad aliqua terrena inclinabo oculos, vel cæteros, quos omnes tibi soli, dilecte mi, dedicavi, sensus vel cogitatus meos. Nam etsi custodia tua semper mecum est, vera tamen humilitas semper sollicita est, et mea potissimum anima, quæ amore tuo singulariter plena est pro pulvere æstimat, pro sordibus reputat quidquid unquam præter te, per aliquam necessitatem dicit, vel cogitat, quamvis licitum sit, quamvis non otiosum, imo et aliquatenus utile videri possit. »

Vers. 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.

Dilectus meus misit manum suam per foramen (Arabicus, de *foramine*) et venter meus intremuit (Genebrardus legi vult, *infremuit*: hoc enim significat Hebræum המו *hamu*) ad tactum ejus.) Dum sponsa pigritans in lecto tardat surgere et aperire ostium, sponsus ipse ad castigandam ejus moram, manu immissa per foramen ostium aperit: quare sponsa confusa et perturbata fuit adeo, ut venter ejus contremisceret ad tactum ejus, quo scilicet sponsus tangebat pessulum, et aperiebat ostium. Unde Hebraice est: *Et viscera mea hamu*, id est *infremuerunt*, resonuerunt, tumultum et strepitum ediderunt *super ipsum*, scilicet sponsum. Septuaginta: *Venter meus turbatus est super ipsum*. Symmachus: *Interiora mea turbata sunt*; Syrus: *Viscera mea commota sunt miseratione in eum*, q. d. Ex intimis visceribus miseratus sum sponsum, dum sensi eum cum nocturno frigore et guttis luctantem, ac laborantem, ut aperirem ostium: quare illico e strato surrexi, eique ostium reseravi; unde Theodoretus vertit: *Venter meus calefactus est*, amore sponsi, æque ac dolore et pudore, quod tardarem ei aperire. Videtur Theodoretus pro המו *hamu* legisse חמו *chammu*.

Foramen, quid?

Per *foramen* R. Abraham accipit rimam ostii, per quam sponsus digitum vel cultrum immiserit, ut pessulum elevaret vel devolveret ad aperiendum ostium. Alii passim proprie accipiunt foramen, puta fenestellam, ut ait Nyssenus, quæ subinde in ostiis fit ad pessulum reducendum, vel seram reserandam. Quare minus vere minusque caste Rupertus, Honorius et alii nonnulli *foramen* ad ventrem sponsæ referunt, cum constet ex Hebræo, Septuaginta et aliis referendum esse ad *ostium*. Accedit quod sponsa erat in lecto; lectus autem non sternitur ad ostium, alioquin aditum ingredientibus occluderet, sed ad parietem ostio obversum.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus misit manum per foramen, cum magnis viris, doctoribus et præsulibus Ecclesiæ sub tempore Constantini monasticen profitentibus, aut Episcopatum refugientibus ex metu et timore peccandi, metum hunc ademit, animosque indidit ad generose capessendum regimen animarum, puta ad resistendum Arrianis cæterisque impiis, et prædicandum, pascendumque gregem Domini.

Foramen animæ, est voluntas.

Foramen animæ est intellectus et voluntas; utrique enim Christus latenter et occulte quasi per foramen manum, id est, gratiam et robur indidit ad id perficiendum; intellectui enim ostendit muneris pastoralis præstantiam, meritum, facilitatem ex ope divina, etc. Voluntati amorem et audaciam immisit ad id amandum et suscipiendum. Ita Episcopatus initio exhorruere et refugere Sanctus Athanasius, cui Alexander Episcopus Alexandrinus moriens dixit, et quasi vates prædixit: *Fugis, Athanasi, at non effugies;* manus Dei comprehendet te, facietque Episcopum, imo athletam et adamantem fidei, ac Arrianorum flagellum insuperabile: item S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, sanctus Augustinus, S. Fulgentius, sanctus Gregorius, aliique plures: sed hi omnes tandem Christo ad regimen animarum vocanti, suumque auxilium promittenti obediverunt, humerosque oneri pastorali subjecerunt, ac generose tot Episcopis Arrianis, eorumque assecl is Imperatoribus Constantio, Juliano, Valenti, etc. restiterunt, atque de iis gloriose triumpharunt.

Exempla fugientium Episcopatum.

Audi Richard. de sancto Victor. « Dum pia anima trepidat actibus mundi implicari, ut suscipiat onus curæ proximorum, et se dedat procurationi salutis eorum; dilectus, qui ipsam ad munus illud excitarat, consolatur eam, et ampliori gratia visitat cor ejus penetrans. Quam gratiæ visitationem sponsa appellat missionem manus per foramen; quia quasi per rimam Christus infundit gratiam, cum non totam animam perfundit, sed quadam mensura gratiæ visitat, et cum sic in parte visitat non plene illustrat. Manus ergo dilecti, operatio hæc gratiæ et donum potest intelligi. Venter vero ipsa mens, in qua cogitationes excoquuntur, sicut cibi in ventre. »

Similia habet sanctus Anselmus: nam ut ait Philo Carpathius, Deus ante oculos animæ ponit certitudinem suæ providentiæ et gratiæ, quæ novit bene olentes rosas inter spinas, et triticum inter zizania conservare, ne lædantur, utpote quæ nullum umquam in se sperantem deseruit.

Hinc tres Anonymi apud Theodoret. per manum accipiunt Spiritum sanctum: « Dilectus meus, inquiunt, demisit a Patre, procedentem ab eo Spiritum ipsi consubstantialem, cujus tamquam manu peragit divina gratiarum munera, per mentem meam velut per foramen aliquod, et pariente me initium sapientiæ, timorem dilecti mei, tamquam judicis, gulæ ventrisque corripitur vitium, unde genus omne nascitur intemperantiæ. »

Symbolice, Nyssenus docet foramen per quod Deus suam cognitionem, timorem et amorem nobis instillat, esse creaturas, puta opera a Deo creata, ex quibus ratiocinando cognoscimus Dei creatoris magnitudinem, omnipotentiam, bonitatem, sapientiam: quare venter noster intremit, dum illa admirantes et obstupescentes supplices laudamus, amamus et veneramur eorum opificem. Unde Theodotion vertit: *Et venter meus calefactus est*. Sic et Theodoretus, qui per foramen accipit sensum, verbi gratia, oculum, in quo manus Dei jam dicta operatur. Sic et sanctus Ambros. l. de Isaac et Anima c. 6.

Symbol. Foramen dentatus sunt creaturæ.

Magis proprie Honorius per manum accipit opus obedientiæ Christi. Nam cum vocanti Christo anima tardat aperire, quia proximorum regimen suscipere formidat, sponsus ei opus obedientiæ suæ perfectissimæ ante oculos proponit, ut perterrita faciat pro proximis, quod Deus fecit pro inimicis. Manus sponsi est opus obedientiæ illius, et per manum opus manuum exprimitur. Foramen cubiculi est auris corporis quod est animæ cubiculum. Manum per foramen mittit, quando per auditum memoriæ ingerit mysterium passionis suæ, quo pacto de gloria cœlestis regni egressus, hujus exsilii labores subivit, et inimicis suis tanto labore et periculo pœnitentiam et regnum cœlorum prædicavit, ut hoc permota exemplo torporem discutiat, et animam pro proximis ponere non extimescat.

Et obedientia Christi.

Et schisma. Porro Cosmas Damianus per manum accipit schisma; sic enim Ecclesiam sponsam loquentem inducit: Impudentia otiosæ et lautæ vitæ meæ vehementer offensus sponsus, ingenti facto schismate, ceu perfossa domo, tribus immissis dubiis Pontificibus, tanti schismatis materia, ceu per effossam domus nostræ foramen immissa manu, me, cum omnium secura et deliciis soporata cubarem, perterruit: regibus et principibus toto orbe in me unam conspirantibus et conforatis ingens metus meum perculit et perterrefecit animum, ut olim exercitus Chaldæorum, gravis illa Dei manus, per effossum murum Hierosolymorum, Sedeciam regem cum tota Synagoga consternavit, 4. Regum cap. 25. Ieremiæ c. 39. vers. 52. Idem deinde in Commentario fusiore, Ecclesiæ, id est nonnullorum prælatorum et fidelium defectus et vitia, ut ambitionem, avaritiam, cupiditates, schismata, bella intestina et externa fuse deplorat, æque ac facit sanctus Bernardus de Consider. ad Eugenium, Ioannes Gerson, Alvarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ, et Bellarminus de gemitu columbæ.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Foramen animæ. MITTIT Christus manum suam per foramen animæ, cum eam occultæ gratiæ inoperatione, sed potenti ad heroica virtutum opera impellit. Unde Cassiod. *Dilectus*, inquit, *manum per foramen mittit et ventrem tangit, cum interna cordis inspiratione cor visitat, et ad profectum virtutum accendit.* Audi quid de se quasi de alio narret hic *Visio Ruperti.* Rupertus, dum noctu vigilans bone Christi manum pectus suum demulcentem, et signo crucis signantem sensibiliter, mira cum animi sui voluptate expertus est: *Dilectus in visu noctis conspicuus, manum suam miro modo pectori eius quasi per foramen iniecit, et cor eius intrinsecus apprehendit, tenuitque aliquamdiu suavissime stringens, et gaudebat ineffabili gaudio cor illud, intra manum illam subsiliens atque tripudians.* Rursum S. Greg.: *Manum*, ait, *dilectus per foramen ad sponsam mittit, ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divinæ virtus, inspirando manifestat; quod videlicet et inter periculo salvare possit: quod etiam in pace, nisi per eum nemo salvus sit: quod in tumultu certaminis sperantes in se non derelinquat. Ad cuius tactum venter sponsæ intremuit: quia sancta anima, quo amplius divinam potentiam per interiorem visitationem præsentialiter sentit, eo districtius iudicat, quidquid in se carnale deprehendit. Quo maiori enim charitate in Deum ardet, quem mente concupiscit, eo timidius ei se subiicit, ne sponsus aliquid in ea inveniat, propter quod eam a se dimittere velit.* Magis præcise et proprie Beda hæc applicat ad curam proximorum: *Et venter meus*, inquit, *intremuit ad tactum eius, quia recordata misericordiæ et operationis Dei conscientia pavescit, iuxta illud Propheticum: Consideravi opera tua et expavi, atque ad curandam proximorum salutem, pro quo Deus incarnatus est et mortuus, pro viribus assurgere festinat.* Audi S. Ambros. lib. 3. de Virg. post medium: *Bonum est ut ad adventum Domini interiora turbentur: si ad angeli adventum Maria turbata est, quanto magis ad Christi nos turbamur adventum? Influentibus quippe divinis, corporeus peregrinator affectus, et usus exterioris hominis exolescit.* Breviter sed acute rem acu tangit Ioannes Carmelita: *Dilectus meus manum misit per foramen*, id est, inquit, *Sponsus meus per arcanum hiantis voluntatis foramen ex assensu* (quo gratiæ Dei prævenienti consentit) *factum intulit auxilii sui manum.*

Foramen tribulationum. Secundo, Iustus Org. « Dilectus, inquit, misit manum suam per foramen, quando eam per passionum angustias transire perducit. Venter vero eius conturbatus est ad tactum illius, quando imminente persecutione infirmiores qui in ipsa erant, contremuerunt acerbitate pœnarum, quæ ipsi illatæ fuerunt ex permissu Dilecti. Tactus namque iste advenientis plagæ intelligitur cruciatus secundum illud libri Iob: Tange ossa et carnem eius, nisi in faciem benedixerit tibi. » Et Lucas Abbas: « Quando, ait, anima in quocumque errore posita pulsanti non aperit, Christus per foramen mittit manum suam, castigando per damna rerum, per famem et reliqua flagellorum genera. Mittit per foramen, ut sentiat quidem, sed non dat, ut videat manum, quæ corripit contemptorem. Intumescit enim venter animæ, id est sensus, quando pro peccatis suis fuerit acerrimis flagellatus. »

Huc facit versio Chaldæi, qui hæc accipit de castigatione impiorum Iudæorum: « Quando, inquit, manifestum fuit coram Domino, quod populus domus Israel nolebat pœnitentiam agere et converti ad eum, extendit plagam fortitudinis suæ contra tribum Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse, quæ erat trans Iordanem, et tradidit eos in manus Sennacherib regis Assyriorum, qui transtulit eos in Lachach et Chabor fluvios Gazan, et civitates Medorum, et tulit de manu eorum vitulum conflatilem, quem posuerat Ieroboam impius in Lesem Dan, quæ vocata est Paneias, in diebus Phaceæ filii Romeliæ, et quando audivi ego, miserationes meæ revolutæ sunt super eos. »

Anagogice, Honorius: *Dilectus manum mittit*, inquit, quando hominem dolore mortis tangit, sed venter ad tactum eius tremit; quia de minimis peccatis, quæ per fragilitatem carnis commisit, metuit: surgit tamen ut ei aperiat, quia visionem eius quæ sursum est exoptat: manus myrrham stillant, quia opera pro quibus hic est mortificata Christo repræsentat, ut pro his æterna præmia recipiat. Hæc Honorius. Sic quoque Philo per manum in foramine intelligit vim divinam, quæ animam Christi et sanctorum in corpus mortuum reduxit et reducet, ut vivum et gloriosum resurgat. *Anagog.*

Tropologice Guillielmus: « Venter animæ, inquit, memoria est; in eo quippe recondimus quæ suo tempore per cogitationem quasi munda animalia ruminemus. Ad hunc tactum dilecti memoria nostra obstupescens expavescit: eo quod ad tantam circa nos dignationem divinam, nihil in se condignum recolit. » *Tropol.*

Symbolice, Philo Carpathius hæc refert ad S. Thomam Apostolum, qui incredulus mittens manum in latus Christi, credidit eum vere resurrexisse, at sacro horrore et amore perfusus intremuit, imo infremuit dicens: *Dominus meus et Deus meus*, Ioan. 20. *Symbol.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

NYSSENUS docet Verbum Dei omnipotens et immensum quasi in angustum se contraxisse, quando manum suam, id est, vim et operationem suam, imo seipsum misit in foramen, puta in exile corpus humanum suis sensibus et organis distinctum, dum illud assumpsit in utero B. Virginis, ideoque illud mysterium cum tremore adorare et admirari corda omnium Angelorum et hominum. Manus ergo in foramine est omnipotentis Verbi in humanitate operans mira et miracula. Sic et Cassiodorus: « Dilectus, inquit, manum per foramen mittit, cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus, quia cum Deus esset, pro nobis homo fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens, cælestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam æternam nobis donaret. Quod cum fit, venter intremit, quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se concutiunt, dum stupere incipimus, quanta dignatione hæc conditor pro nobis agere dignatus est. » Audi Honor. « Dilectus meus Deus, quem elegi præ omnibus, misit manum suam, filium suum in mundum, per foramen, per me (ait Deipara) quæ facta sum ei ad homines venienti foramen humilitate angustum, castitate lucidum, et ideo illi soli pervium; et venter meus intremuit, obstupuit ad tactum, ad ingressum illius. »

Vers. 5. SURREXI, UT APERIREM DILECTO MEO: MANUS MEÆ STILLAVERUNT MYRRHAM, ET DIGITI MEI PLENI MYRRHA PROBATISSIMA.

Vers. 6. PESSULUM OSTII MEI APERUI DILECTO MEO; AT ILLE DECLINAVERAT ATQUE TRANSIERAT.

AQUILA: *declinavit, præteriit*; Symmach. *renuens præteriit.* Pro *pleni myrrha probatissima*, Hebr. est *pleni myrrha transeunte per manus*, id est myrrha probatissima, quæ ut talis omnium manibus teritur, probatur et celebratur. Massoretæ ita dispungunt, ut τὸ *pessulum* referant ad *myrrham*, non ad *aperui*: sic et Septuag. qui proinde vertunt: *Digiti mei* (stillaverunt) *myrrham plenam* (id est perfectam et copiosam) *super manus pessuli*, q. d. Digiti mei tam copiose stillarunt myrrham, ut et pessulum madefecerint, itaque facile illud moveri et aperiri potuit. Sic et Syrus et Arabicus: *Digiti mei*, inquiunt, *myrrham distillaverunt ad seram.* Addit Arabicus: *Præ manu mea clavis, aperui, sed ille iam abierat.*

Loquitur in similitudinem sponsæ delicatæ, quæ manus habet unguento myrrhæ perunctas adeo copiose, ut de manibus et digitis per guttas defluat, cum ad aperiendum ostium, vel aliud aliquid operandum eas cœperit extendere; sponsæ enim mane, dum surgunt, se comunt et poliunt, ac unguentis perungunt, ut suavem exhalent odorem, præsertim præsente sponso, uti hic præsens aderat. Addunt aliqui sponsam accepisse vas unguenti myrrhini, quod est calidum et desiccans, ut illud super caput sponsi rore et guttis madentis effunderet, illoque ipsum calefaceret et siccaret.

Myrrha soporem discutit. Insuper myrrha sua fragrantia et amaritate cerebrum confortat, ac discutit vapores, qui illud opplent et soporant: quare sponsa illa se perungit ut soporem et desidium excutiat, ac cita alacriaque surgat ad illico aperiendum sponso ostium, sed ille iam declinaverat. Hi enim inter amantes sunt lusus amoris: *Vis, nolo: Non vis, volo: Quæris me, abeo: Abis, te sequor.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

ECCLESIA illico ut sensit manum, id est gratiam et impulsum Christi excitantis illam efficaciter ad laborem prædicationis et conversionis animarum, pudore suffusa excussit tarditatem, ac cœpit per suos Episcopos et Doctores opponere se Arrianis, infideles convertere, fideles in fide et pietate roborare, ut apertis cordibus Christus ad inhabitandos proximos veniens, aditum intrandi inveniret, ait S. Gregorius. Quare tunc manus et digiti eius stillaverunt myrrham probatissimam: tum quia laborem prædicandi usque ad defatigationem suscepit; tum quia ab Arrianis, infidelibus, et pravis fidelibus graves molestias et persecutiones, ac subinde mortes et martyria perpessa est: tum quia ultro se dedit operibus mortificationis et pœnitentiæ, ad puniendas et abigendas priores otii sui delicias et lautitias, atque ad impetrandam peccatoribus veniam et gratiam Dei: tum denique, quia iisdem prædicavit et instillavit pœnitentiam, clamans cum Christo: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. et 4. Hinc Septuag. Syrus et Arabicus dicunt sponsam stillasse hanc myrrham usque ad pessulum vel seram ostii: quia nimirum per eam abegit pessulum, id est, torporem et tarditatem, quæ ostium sponso clauserat: pessulum enim notat omne impedimentum, quod anima obiicit Christo, ne ad se ingrediatur. Quocirca tres Anonymi apud Theodoretum per pessulum accipiunt motus appetitus concupiscibilis, qui quasi pessulum aditum Deo occludunt; sanctus Gregorius vero et Beda per pessulum accipiunt voluptates sæculi, quæ cor Deo claudunt. Ita Cassiodorus, Beda, Iustus, Rupertus, Anselmus, Richardus et alii, qui docent manus Ecclesiæ distillare myrrham, cum illius prædicatores student austeritati et mortificationi (hæc enim efficacius prædicat, quam lingua docta et eloquens) vel cum morti se exponunt pro Christo: digitis vero stillare myrrham probatissimam, cum per discretionem diiudicat an recta sanctaque intentione id faciant.

Myrrha persecutionum.

Quocirca Ecclesia pessulum Christo aperuit, dum Episcopi et Pastores torporem excusserent, ac iuxta Christi voluntatem strenue laborarunt in conversione hæreticorum, infidelium et pravorum fidelium: at Christus *iam declinaverat atque transierat*, quia nimirum invalescente Arrianismo, et impietate, ex eo quod Pastores et Episcopi statim totis viribus, ut debebant, illi se non opponerent, ut scintillam hanc suffocarent, Christus ad eorum pœnam permisit, ut Episcopi orthodoxi tardius illi se opponentes scintillam hanc exstinguere nequiverint, illa in magnum proserpserit incendium, quod totum orbem conflagraverit, in quo restinguendo per plures centenos annos laboravit Ecclesia, nec tamen ita exstinxit, quin adhuc hoc tempore eius reliquiæ in Transylvania, Polonia, Hollandia supersint. Ita tarditas iuste tarditate punitur. Idem contigit ampius sequentibus sæculis, quibus Deus novos fidelium defectus et vitia per novos Pseudoprophetas castigavit, uti anno 600. per Mahometem cuius sectæ scintilla, quia initio non est restincta, sensim per provincias grassata magnam orbis partem incendit, eo quod nulli tunc in Oriente exstiterint eximii in sanctitate et doctrina viri, nulli etiam religiosorum ordinum institutores, qui se illi opponerent, uti solerter observavit Thomas Bosius de Signis Ecclesiæ libro 9. capite 4. Mahometem post centum annos secuti sunt Iconomachi, quorum furor in Oriente pervagatus est, prælatis et principibus vel dormientibus, vel hæresi faventibus; sed Deus tandem eis opposuit S. Ioannicium, S. Platonem, S. Bonifacium. Sub annum 900. invaluit secta Nicolaitarum, ac inundavit ubique gula et luxuria, utpote hominibus ultro eam promoventibus, sed Deus tandem eis opposuit S. Romualdum et Camaldulenses, viros vitæ sanctæ et austeræ, et Bernonem Burgundum Comitem, fundatorem Cluniacensium, ac S. Brunonem qui Carthusiam instituit anno Domini 1084. ac S. Bernardum, qui Cisterciensium fuit auctor sub annum Domini 1100. Rursum sub annum Domini 1200. exorta Waldensium hæresi, ac mundo in omnia scelera prolapso, Deus tandem excitavit S. Dominicum et S. Franciscum, qui per religiosos suorum Ordinum vitia castigarent, pristinamque fidem et virtutem restituerent. Post ducentos annos ex inferis in orbem eruperunt Hussitæ, contra quos Deus immisit sanctum Bernardinum Senensem et S. Vincentium Ferrerium. Denique superiori sæculo a Tartaro ebulliit Lutherus, Calvinus, Memnon, qui omnia veterum hæresum monstra renovarunt, quibus Deus opposuit S. Ignatium cum Societate Iesu, aliosque viros doctrina et religione præstantes. Vide Thomam Bosium de Signis Ecclesiæ lib. 9. c. 4. et sequent. ubi ostendit per religiosos ubivis gentium propagatam esse fidem orthodoxam, ac mores fidelium reformatos quovis sæculo.

Tarditas tarditate punitur.

Exempla.

Singulis hæresibus Deus religiosos opposuit.

Porro Chaldæus more suo hæc applicat Iudæis et Synagogæ, a qua ob tarditatem credendi, Deus se et suam fidem et cultum abstulit: unde vertit: « Cum prævaluit contra me plaga fortitudinis Domini, obstupui propter opera mea, et sacerdotes obtulerunt oblationes, et adoleverunt incensum aromatum, et non fuit acceptum cum beneplacito, quoniam Dominator sæculi clausit portas pœnitentiæ in conspectu meo. Dixit Christus Israel: Volui quærere doctrinam a facie Domini ipse autem abstulit maiestatem suam de medio mei. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

IAM dicta de Ecclesia dicito animæ piæ mutato nomine. Anima enim evocata a Christo ad maiorem perfectionem et conversionem animarum, dum torpide et tarde obedit, sui torporis tandem pœnitens offert myrrham, id est, mor-

Tarde respondentis Christo pœna.

tificationem et pœnitentiam Christo, qua desidiam suam castiget; sed ille pertransit, ac priorem illam heroicam gratiam, quam oblatam illa respuerat, negat, ne minorem dat. Rursum negat illi gaudia et consolationes spirituales ac fructum animarum, quem collegisset, si illico Christo vocanti paruisset. Insuper tarda et difficilia dat ei auxilia, idque facit iustis de causis, uti recte notat Titelmannus. Primum quidem ad puniendam præteritam nostram tarditatem et inobedientiam, per quam diu illum pulsantem neglеximus, et foris stare permisimus, quem debuissemus merito ad primum ictum ambabus manibus intromittere, et obviis ulnis excipere. Non enim potest melius ista sponsæ tarditas puniri, quam ut vicissim sponsus eam cogat præstolari, et sicut volente introire sponso, non statim ipsa consensit neque occurrit; sic vicissim sponsa volente coniungi sponso, ipsumque ad se introducere, sponsus non statim obtemperet eius in hoc desiderio. Et quomodo illa inutiles protraxit moras, et iniustas prætexuit occasiones, ne sponsum statim reciperet: sic iustis rationibus iste non statim se ostendat quæsitus, differatque sponsæ illius desideria, ad amplexus dilecti ardenter suspirantis: ita ut cogatur iam quærere cum dolore et labore eum qui se prius ante ianuam ultro videbatur offerre. Secundo id facit, ne Christi sponsi præsentia et gratia animæ vilescat, sed ab ea magni fiat, utpote quam videt se cum tanta difficultate recuperasse: quare eam recuperatam studiose et caute conservet, ne deperditam frustra requirat.

Manus ergo et digiti eius, id est, omnes operationes eius distillent myrrham, id est, carnis mortificationem et pœnitentiam, quæ unica est via ad recuperandam Dei gratiam, præsertim heroicam. Det se ergo talis anima ieiuniis, vigiliis, gemitibus, disciplinis, ciliciis, eleemosynis, etc. ut sponsum revocet.

Porro myrrha debet esse *probatissima*, ut scilicet pro solius Dei honore, pro acediæ et vitiorum exstirpatione, pro fervoris et virtutum augmento, pro animarum conversione, non propter aliquod temporale lucrum vel commodum ultro assumatur; sic per eam sponsam rursus in cordis sui, æque ac proximorum hospitium reducet. Unde Nyssenus: Surrexit, ait, anima pia ad studium mortificationis, ut per illud ostium aperiret Deo. Sic Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus, Iustus, Richardus et S. Gregorius, quem audi. « Sed digiti myrrha probatissima pleni esse perhibentur, quia in omni quod agitur semper necesse est ut mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatissima esse iure dicitur, quando in omni suggestione, quæ ab hoste ingeritur sine cessatione voluptas carnalis cavetur, ne suscipiatur; quod quando fit omnis duritia mentis dissolvitur, et ut sponsus intret ad cor aditus præparatur. » Abit ergo sponsus ab anima sancta per negationem maioris gratiæ, gaudiorum et consolationum spiritualium; idem tamen animæ præsens est per iustitiam et auxilia gratiæ ordinaria: sic sæpe Christus animabus piis sua gratia est præsens, suavitate vero et consolatione est absens.

Vide quam caro constitit sponsæ hæc cunctatio. Unde Theod. *Quantum pariat*, inquit, *detrimenti pigritia*, et *quantum laboris afferat ignavis*, *hinc perdiscimus: dum enim excusat se sponso, nec statim sponso ianuam vult aperire; cogitur paulo post non solum ad ianuam usque progredi, sed civitatem percurrere, et plateas circumire, atque in custodes incidere, a quibus vulnera etiam accepit, et vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda evitasset.* Hinc Angeli pinguntur cum alis et nudis pedibus, ut eorum in obediendo Deo celeritas significetur. Audi S. Dionys. cælest. hierarch. c. 15. *Pennatos sanctorum spirituum pedes Theologia affingit; quippe alis signatur celeritas alte conscendens.* Et statim; *Alarum*, inquit, *levitas id in sanctis Angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi toti absque ullo admixtione vel pondere ad celsa ferantur. Quod autem nudi et discalceati describuntur, hoc significat quod liberi, et absoluti, et expediti, atque exterioris omnis de-*

Angeli pinguntur alati, cur?

iectionis labe sint puri, et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Hæc est pœna, quam tepido et tardo angelo, id est, Episcopo Laodicensi comminatur Christus Apoc. 3. *Quia*, inquit, *tepidus es*, *et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex* ore meo. Quod enim illic est, Episcopum illum instar aquæ tepidæ nauseam excitantis evomere, hoc ipsum est hoc loco cunctantem sponsam præterire, quæ dum nectit moras et tempus trahit, sponso suo stomachum movet. Id vero tum demum illa agnoscit, cum sponso aperuerit, quod antea dum in deliciis ageret et divitiis abuteretur, non cognoscebat se, inquam (ut sæpe memorato Episcopo obiicitur) tum maxime miseram fuisse, miserabilem et pauperem, cæcam et nudam, cum tibi videbatur dives, locupletata et nullius indigere.

Parvi defect. magna impedi. gratiam.

Porro Richard. Victor. per pessulum vel seram accipit parvos et leves defectus: « Sera, inquit, cum parva sit et angusta, latitudinem tamen ostii concludit, ut nisi illa reserata patere non possit. Ita hæc minima, nisi rescindantur, non dignatur dilectus ita venire ad animam, ut perfecta ad eam intret, et perfecta gratia eam repleat: parvæ enim negligentiæ obscurant animam, et impedimentum faciunt amplioris gratiæ. »

Tropologice idem Richardus docet Deum studio sese subducere ab anima sancta, ut malus sui in ea desiderium excitet: « Cum anima, inquit, digniorem se Dei susceptione exhibuerit, non illi se præbet sicut desiderat, sed ab ea declinat, ut in humilitate eam conservet, et desiderium eius amplius excitet ac perfectius impleat. Cum enim ex ipsius declinatione humiliata fuerit, et magis fervens ex hoc et meritum eius crescit, et plenius eum suscipere digna fit. Tunc autem declinare is dicitur, quando præsentiam suam sentire non dat, cum tamen ei præsens sit. » Tropol.

S. Gregorius vero et Nyssenus docent Deum a contemplativis se abscondere: quia qui altius ad Deum contemplando ascendunt, eo altiorem sua contemplatione Deum deprehendunt, ut Deus videatur fugere ab eis, sicut videntur navigantibus fugere montes et sylvæ, cum iuxta eos navigant.

Symbolice Philo Carpath. hæc adaptat S. Thomæ Apostolo: Tunc, inquit, manus illius stillaverunt myrrham, etc. cum ad illud Domini præceptum: Mitte manum tuam in latus meum, etc. latus Iesu manibus suis contrectavit, et in clavorum loca digitos immisit. Distillaverunt autem myrrham gentibus, quando et ipsis prædicavit, quod ad aliorum utilitatem dubitando palpavit. Clauserat ante cordis ostium resurgenti Domino fratri suo, aperuit mox, et manus eius palparunt Christum ipsum, qui dixerat: Dicite fratribus meis, etc. » Symbol.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo, hæc referas ad continuam mortificationem B. Virginis, qua Christo aperuit ostium mentis, ad crescendum quotidie in omni virtute et sanctitate; secundo, surrexit illa, cum Verbo in ventre concepto abiit in montana, ac sua salutatione sanctificavit Ioannem Baptistam et Elisabeth. Audi S. Ambros. lib. de Isaac et Anima, cap. 6. « Postquam in utero concepit anima, et concepit desiderium videndi Deum, surrexit, ut propius eum videret; surrexit autem per vigorem atque virtutem: præsentia enim Verbi habuit anima virtutem, sicut præsentia Mariæ cum utero gravis esset, erudiit Ioannem in utero constitutum, ut exsultaret, præsentiam Domini recognoscens. »

Myrrha B. Virginis.

I.
II.

III Tertio, hæc referas ad studium et zelum quem ipsa habuit, ut per Apostolos aliosque converteret Iudæos et omnes gentes. Unde Rupertus: *Pessulum aperui*, id est, inquit, rupi silentium, aperui os meum, ut erudirem alios: additque primo, manus stillare myrrham mortificationis; secundo, digitos plenos esse myrrha probatissima proba-

tinnis et discretionis; tertio, pessulum, id est, os aperiri ad prædicandum; hic enim congruus est ordo, ut prædicatio sit efficax multosque convertat.

IV. Quarto, τὸ *at ille declinaverat*, referas ad amissionem filii Iesu duodennis, quando tarde, scilicet vespero eum requirens mater non invenit, ac triduo eum magno labore et dolore quærens, tandem reperit in templo inter Doctores. Rursum anagogice referas cum Philone Carpathio et Ruperto ad ascensionem Christi abeuntis in cœlum.

V. Quinto, B. Virgo myrrham stillavit, cum vidit Christum in cruce patientem, eique intimo dolore et amore compassa est. Mater enim passa est in filio. Unde Concil. Hispalense 2. cap. 13. hæc concomitanter et quasi correlative attribuit Christo, cum constet proprie et præcise ea dici de B. Virgine: « Salomon, inquit, in Canticis Canticorum, passionem carnis Christi prædicans, ait: Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei guttam; ubi specialiter ostenditur in manibus ac digitis solam carnem Christi in stipite infixam, sicut in Psalmo 118. Confige clavis timoris tui carnes meas. »

VI. Sexto, B. Virgo stillavit myrrham, cum corpus Christi sui mortuum myrrha per Nicodemum perunxit ad sepulturam. Unde S. Ambr. lib. 3. de Virgin. « Quam, inquit, myrrham distillent manus, nisi illam quam obtulit iustus Nicodemus magister in Israel, qui meruit, lavacri prius audire mysterium, qui attulit mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum, et misit in corpus Iesu? perfectum utique odorem attulit. Hunc odorem fragrat anima, quæ Christo aperire incipit, ut accipiat primum odorem dominicæ sepulturæ et credat, quia caro eius non vidit corruptionem. »

Denique S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 12. novo τὸ *declinaverat* accipit pro *penetraverat in intima mentis*: sic enim inquit: *Potest quidem et sic accipi: Frater meus transivit; sicut legimus quod penetravit dilectæ intima medullarum: et quemadmodum ad Mariam dictum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes.*

Porro Honorius ostium et pessulum sic B. Virgini attribuit: « Sacra virgo, inquit, ostium fuit, per quod Christus in mundum introivit; pessulum autem erat moles peccatorum hominum, quod ideo ab ea apertum dicit, quod a Spiritu sancto præservata, non sicut cæteri in peccato creditur concepta, insuper et sancte vivendo peccata declinavit: sicque dilecto ingressus patuit, quia per ipsam ipsa misericordia in Ecclesiam venit. Quotidie etiam pessulum peccatorum removet, et per eam ingressus gratiæ Christi ad nos venit. » Hæc Honorius in Sigillo.

ANIMA MEA LIQUEFACTA EST, UT DILECTUS MEUS LOCUTUS EST: QUÆSIVI, ET NON INVENI ILLUM; VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI. VERS. 6.

VOCAVI ET NON RESPONDIT (Arabicus, non *obedivit*) MIHI) Hebr. *Anima mea egressa est in sermone eius.* Sic et Arabicus. Est metalepsis. Sicut enim cera igne liquefacta a seipsa quasi exit, id est effluit, et diffluit; sic et anima calore Verbi Dei succensa amore quasi liquescit, solvitur et diffluit, ut e se exire, et in sponsum quem diligit transire et effluere videatur. Sunt verba sponsæ pœnitentis dolentisque de suo sopore et tarditate quod illico sponso pulsanti ostium non aperuerit, q. d. O me miseram, quod sponso illico non aperui, sponso, inquam, qui ex mei amore frigori et rori nocturno se exponens, tam comiter et blande me, ut aperirem, compellabat dicens et obsecrans: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore;* quare ita eius dulci, amoroso et ignito eloquio delectabar, ut mens mea ex se exire, liquescere, viribus destitui et animo linqui videretur. Quamobrem tarditatis meæ sero pœnitens illum quæsivi, sed non inveni; vocavi, et non respondit mihi. Hoc ipsum sapientia comminata est, Proverb. 1. 24. dicens: *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: Ego quoque in interitu vestro ri-*

A *debo, etc. Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me.* Chald. vertit: *Et anima mea desideravit vocem verborum eius; quæsivi maiestatem gloriæ eius, et non inveni; oravi coram eo, et ipse obumbravit cœlos nubibus et non suscepit orationem meam.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

ANIMA prælatorum Ecclesiæ amore et dolore liquefacta est, cum audierunt vocem Christi conquerentis de tot tantisque Arrianorum, Mahometanorum, Lutheranorum, Calvinistarum, etc. impiorumque Christianorum blasphemiis et iniuriis sibi Deoque irrogatis. Quare illis strenue se opponere cœperunt; sed quia initio id facere tardarunt, ac eorum tarditate hæreses et vitia magis propagata et radicata fuere, hinc illa statim eradicare nequivere. Quare
B Christum multis in locis et personis tum quæsierunt et non invenerunt, uti paulo ante dixi. Hic verum est istud: *Noluisti, cum potuisti; non poteris ergo, cum voles.* Hoc enim est iustum Dei iudicium, iustaque tarditatis vindicta. Accedit quod multi Catholici, etiam principes et prælati Arrianos aliosque Hæreticos foverint et defenderint, eisque Ecclesias et ditiones suas prodiderint, adeoque ipsi facti sint Arriani et Hæretici, imo Hæreticorum antesignani; quæ perfidia est et scelus immane, et pene inexpiabile, ob quod Deus in eorum ditionibus hæreses dominari permisit, et etiamnum permittit, quia scilicet pastores ovium facti sunt earum lupi et proditores, easque diabolo devoverunt et tradiderunt; pastores enim suos ultro secutæ sunt oves, ob vitæ carnisque licentiam, quam eas verbo et exemplo docebant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

C ANIMA pia, sentiens internam igneamque Christi in mente loquentis vocem, quasi amore et desiderio ipsius liquescit, quia amor est quasi calor, qui resolvit et liquat cor. Sicut ergo ignis calore liquat ceram, sic Christus amore liquat mentem, omnesque eius vires et potentias. Ita Cassiodor. Beda et S. Gregorius, quem audi: *Ad verbum sponsi liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit, et aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat, et intus miretur quid fuerit, et quid factam subito seipsam videat. Quem liquorem dum sensit, perfectius apprehendere concupiscit; et aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat iam non sentit: unde sollicitatur ad quærendum, ut hoc idem inveniat; sed aliquando cum etiam diu fatigatur non invenit, quod modo tam præsens tenebat.* Idem l. 4. Moral. c. 30. *An non,*
D *ait, robore suo fessam se invenerat quæ dicebat: Anima mea liquefacta est? etc. quia nimirum mens dum occultæ locutionis aspiratione tangitur in statu suæ fortitudinis ipso quo absorbetur desiderio liquatur; inde se apud semetipsum fessum invenit, unde ultra se esse conspicit fortitudinem quam conscendit. Hinc Propheta cum visionem Dei se vidisse diceret, adiungit: Elangui et ægrotavi per dies plurimos. Liquefactio*, ait D. Thom. 1. 2. q. 28. art. 5. *importat quamdam mollificationem, qua exhibet se cor habile, ut amatum in ipsum subintret.* Nam ut ait S. Aug. tr. 2. in Epist. 5. S. Ioan. *Amor quem afficit in illud mutat, in quod amando fertur. Talis*, inquit, *est quisque qualis eius dilectio est; terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris? Non audeo dicere ex me: Scripturam audiamus. Ego dixi; Dii estis, et filii Altissimi omnes.* Hinc sciat se illudi a dæmone, qui interius vel exterius afficitur verbo Dei, si cordis eius durities non liquescat, ut mores in melius mutet. Unde Ioannes Carmelita

Interni affectus animæ quærentis sponsum.

Animæ liquefactio, quænam?

sic explicat, q. d. Quando sponsus pulsans me allocutus est, ipsius igne concepto liquata sum. Anima quippe velut spiritualibus poris solutis, illi tota patuit. Nam frigore corpus constringitur et constipatur; calore resolvitur, porique patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore premitur ac contrahitur: divino vero charitatis calore rarescit, toteque velut poris apertis illa dehiscit, ut sponsum tamquam quædam spongia concipiat.

Rursum Philo Carpath. Cassiod. Iustus, Richardus et alii ex hoc loco docent animam piam desiderare quiete soli Deo vivere, eiusque consulationibus frui: et Deum subinde eam non exaudire, illasque ei denegare: *Pacem*, inquit Philo, *quærit sponsa in molestiis, quibus in hac lacrymarum valle afflictatur, nec invenit in corpore, aut rerum caducarum usu. Vocat nec exauditur, cum orando, meditando dulcedine illius divinæ præsentiæ satiari appetit, nec illi datur quod exoptat. Vellet enim interna illa suavitate assidue frui, sed corruptibili mole corporis impedita sæpe conatu decidit.*

Liquefactio animæ, qua ratione fit.

B Mystici, sive contemplativi, hanc liquefactionem in anima fieri censent, per vehementiam contemplationis et amoris divini, quam ita explicat Rich. de S. Victor. tr. de Gradibus charitatis violentæ: « Tertius amoris gradus est, quando mens hominis in illam rapitur divini luminis abyssum: ita ut humanus animus in hoc statu exteriorum omnium oblitus, penitus nesciat seipsum, totusque transeat in Deum suum, et faciat quod scriptum est: Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. In hoc itaque statu plene compescitur, profundeque sopitur carnalium desideriorum turba, et fit in cœlo silentium quasi hora dimidia; et quidquid molestiæ inest absorbetur a gloria. In hoc statu, dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio undique circumdatur, intime penetratur, usquequaque inflammatur, seipsam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, et inspectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit. »

C Exemplum affert ferri, quod ex se frigidum et nigrum, vi ignis sensim incalescit, candescit, ac tandem plane ignescit, *ita ut totum liquefiat et a seipso plene deficiat, et in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque anima divini ardoris rogo, intimique amoris incendio absorpta, æternorum desideriorum globis undique circumsepta primo incalescit, postea incandescit, tandem autem tota liquescit, et a priore statu penitus deficit.*

Addit Dionysius Carthus. tract. de Fonte lucis cap. 48. « Dum mens contemplationi mysticæ est intenta, inflammato et velut commoto ac irritato amore, incipit amor ipse quodammodo ebullire, ac superfervere, suaque sacra violentia totum corpus concutere. Quod autem fervet, quadam caloris se desiderii sui violentia extra seipsum projicitur, et supra se tollitur, quasi ibi esse dedignetur; unde tam vehementer se iactat: sic et mens transfixa amoris fervore, quasi extra corpus iactare se nititur, et usque ad summum volare molitur. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

D Rupertus docet B. Virginis animam, post Christi ascensum in cœlum, eius recordatione et desiderio liquefactam: « Licet, inquit, Christus abiisset in cœlum, tamen ut ego aperui os meum, et locuta sum de eo, tunc et dilecta mens locutus est eo sensu, quo Paulus ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? et liquefacta est anima mea. Flebam, et præ fletibus erumpentibus non poteram verba contexere; verum fletus delectatio erat mihi. Quoties enim aliquid disserebam, quod a sponso factum esset in terris, toties anima mea liquefiebat, et erat simul ignis amoris et gladius doloris: et sicut gladius fluere facit de corpore sanguinem et ignis adipem liquefacit; sic verba illa animam meam. Atque etiam quoties aperie-A bam mentem ad considerandum, quod dilectus meus discesserat, anima illico liquefacta erat. »

VERS. 7. INVENERUNT ME CUSTODES, QUI CIRCUMEUNT CIVITATEM: PERCUSSERUNT ME, ET VULNERAVERUNT ME; TULERUNT PALLIUM MEUM MIHI CUSTODES MURORUM.

Pro *pallium* Hebr. est רדיך *redid*, id est, *theristrum*, ut vertunt Sept. hoc est peplum seu velum, quo sponsæ nobiles caput et humeros obvelant in signum pudoris et pudicitiæ. Hi custodes diversi sunt ab illis cap. 3. v. 3. ait Theodoretus; hi enim vulneraverunt sponsam, eique pallium ademerunt: illi vero eam iuverunt et faverunt; quare hi custodes erant terrenæ civitatis, illi vero supernæ et cœlestis, puta Ecclesiæ.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

B Sanctus Gregorius hæc in bonam partem interpretatur; unde per custodes accipit doctores et prædicatores, qui fideles in Ecclesia gladio verbi divini ad compunctionem vulnerant, et pallio, sive velo ignorantiæ et sæcularium desideriorum spoliant; sic et Philo, Cassiodorus, Beda, Haymo, Anselmus, Rupertus et Gilbertus hom. 45.

Custodes, qui? Respond. 1. Esse prædicatores.

Huc accedit Nyssenus et Psellus, qui per custodes accipiunt Angelos, qui Ecclesiam et animam piam, sed tepidam, per tribulationes castigant et stimulant ad fervorem. Sic et S. Ambrosius libr. 3. de Virgin. qui et addit hos pallium ei abstulisse: *Quia*, inquit, *actuum corporalium involucram sustulerunt ab ea, ut nuda mentis simplicitate quæreret Christum, quia nemo potest amictu vestitus philosophiæ sæcularis videre Christum; quæ enim Deum visura est, mundo corde incedere debet.* Vide eumdem l. de Isaac et Anima c. 6.

C Melius et germanius Theodor. Iustus, Angelom. Titelmannus et Luysius hæc in malam partem accipiunt; unde per custodes intelligunt reges et tyrannos hæreticos, vel perversos, ac pravos Ecclesiæ prælatos. Hi enim Ecclesiæ et reipubl. ex officio sunt custodes, sed sua nequitia eiusdem sunt proditores. Tales fuere reges Arriani, ut Valens, Theodoricus, Gensericus, Hunericus, cæterique qui in persecutione Gothica et Wandalica, Ecclesiæ orthodoxos doctores et Episcopos bonis, libertate et vita spoliarunt, ac martyres effecerunt. Tales quoque fuere impii Episcopi et prælati, qui in hæresim declinarunt, ut Dioscorus, Nestorius, Eutyches, Pelagius, Priscillianus, etc. qui pallium Ecclesiæ per schisma et hæresim disciderunt, eique suam pudicitiæ et integritatis gloriam (quam pallium denotat) abstulerunt. Addit Theodoretus tyrannos ademisse martyribus pallium, id est corpus, cum eos occidendo corpora spoliarunt. Iustus vero per pallium accipit templa quæ demolita sunt, et S. Scripturam quam combusserunt. De-D nique per pallium accipi possunt insignes doctores, Episcopi, martyres, quos Hunericus et similes vel occiderunt, vel in exilium egerunt. Hi enim Ecclesiam ornabant et defendebant ut pallium. Vide Victor. de Persecut. Wandalica. Evasit tamen Ecclesia sospes manus istorum sponsorum Penelopes, ac per sinceros Episcopos et animosos doctores fidei ac morum integritatem docere et propagare non destitit. Hac de causa Christus, discissa tunica, apparuit S. Petro Episcopo Alexandrino et martyri, dicens: *Arrius tunicam meam discidit*, ut habet eius Vita.

2. Genuine, esse principes hæreticos vel perversos.

Quidnam hic pallium.

Huc accedit Chaldæus, qui Iudaice hæc accipit de Chaldæis vastantibus Ierusalem. Hi enim typus fuere tyrannorum vastantium Ecclesiam: « Comprehenderunt, inquit, me Chaldæi, qui custodiebant vias, et obsidebant in circuitu contra civitatem Ierusalem; quosdam meorum occiderunt gladio, et quosdam meorum duxerunt in captivitatem. Tulerunt torquem regium Sedeciæ regis Iuda de collo eius, et duxerunt eum in Ribla, et excæcaverunt o-

culos eius populi Babylonis, qui obsidebant civitatem, et custodiebant muros. »

Symbol. Symbolice, Lucas Abbas per custodes accipit dæmones, qui animas suis tentationibus vulnerant, easque pallio puritatis baptismalis spoliant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Animæ virtutis et perfectionis avidæ incidunt subinde in fictos pravosque doctores, consultores, confessarios, socios, etc. qui eas perniciosis dogmatibus, consiliis, suggestionibus vulnerant, ut puritatis et innocentiæ suæ damnum vix pallio, instar Ioseph, relicto effugiant: quare piæ animæ tales hypocritas solerter discernere studeant, ac cognitos ut pestes fugiant. Hi enim sunt, non pastores fidi, sed lenones perfidi, qui animas innocentes et puras Deo devotas, Veneri et dæmoni stuprandas per summum scelus offerunt, imo sacrificant et immolant, idque per blande verborum et scriptorum lenocinia, quæ sub fucato melle amarissimum fel, et exitiale virus contegunt.

Tropol. Tropologice S. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. ex hoc loco evincit virginem debere domi se continere, ne, si domo exeat, in pudicitiæ insidiatores incidat, qui ei pudicitiæ pallium adimant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Guilielmus hæc applicat Scribis et Pharisæis, qui blasphemando et vulnerando Christum, blasphemarunt pariter et vulnerarunt eius matrem: « Eo ipso, inquit, quo famam dilecti mei gladio linguæ suæ tam crudeliter lanciaverunt, maternum in me affectum inflictis dolorum vulneribus consauciarunt. Præterea, quod potuere, expoliaverunt me stola gloriæ meæ, pallio laudis, quo operiebar, cum diceretur: Beatus venter, qui magistrum bonum portavit, et ubera quæ sugere dignatus est: hac gloria me audantes, quantum potuerunt, induerunt me diploide confusionis, infamando me tamquam matrem pestilentissimi seductoris; sed evasi horum omnium manus, nec filios meus passus est amplius eos in me sævire. »

Vers. 8. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

Hebraice חולה chola, id est, *infirma sum.* Septuag. *Adiuravi vos, filiæ Ierusalem, in virtutibus et viribus agri, si inveneritis fraternum* (Complut. *nepotem*, græce ἀδελφιδόν, de quo egi superius) *meum, quid annuntiabitis ei? quoniam vulnerata charitatis* (vel *charitate*) *ego sum;* Arabicus efficaciter: *Quia ego sum amor vulneratus.* Quid non agit, quid non patitur amor vulneratus? Similem adiurationem et languorem amoris in sponsa, sed adolescentula audivimus cap. 2. v. 4. et 5. (vide ibi dicta) hic vero fœminæ plenæ statæque ætatis maior est languor.

Amore langueo.) Ergo idem est, quod amore deficio et tabesco tum corpore, tum mente ob dilecti absentiam ex nimio eius desiderio. Languor hic Deo gratissimus est: unde sponsa nil aliud sponso nuntiari iubet, quam *amore langueo;* in hoc enim omnia eius vota continentur: quæ ex hoc satis superque intelliget sponsus. Amor ergo est languor, amor spiritus et vires exhaurit, amor infirmos et ægros facit, sed simul in infirmitate ex amore patientes, potentes et validos. Quocirca Hugo de S. Victore in claustro animæ cap. 12. de Ægrotis fratribus ita loquitur: *Nihil de ordine implere se fatentur, sed nisi fallor, implent totum; infirmitatis claustro coarctantur, disciplinantur anxietatum virgis, et spinis dolorum, ieiunant, vigilant, laborant. quia cibum, somnum, quietem infirmitas negat.*

Amor est languor.

Ægri omnia implent.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Per filias Ierusalem animas sanctiores accipiunt Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Iustus, Anselmus; minus sanctas vel novitios Theod. Honorius et Rupertus; angelos, et homines beatos accipiunt Philo, Psellus, et Lucas Abbas. Plenius cum S. Gregorio, et Haymone hos omnes accipias. Ecclesia enim amore Christi languens et saucia obtestatur omnes sanctos tam angelos, quam homines, sive vivos, sive vita functos, ut Christo hunc suum languorem annuntient ut illi medeatur, mittendo scilicet homines Apostolicos qui hæreticos, infideles, malosque Christianos, qui Christo iniurii Ecclesiam malis mulctarunt, convertant, ut et ipsi Christum ament et colant: quare de eorum iniuria et vi sibi, suisque doctoribus, et martyribus illata non queritur, sed eam silentio tegit, optans eis misericordiam et salutem, non suam de eis vindictam, dicens cum Christo in cruce: *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Et cum S. Stephano: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. Sponsa igitur ad dilectum toto inhians animo, omnem adhibet conatum et suum et externum. Advocat igitur ad sua vota externas etiam preces, quia his adiunctis collectæ vires divinum pectus oppugnant, atque adeo expugnant vehementius. Ita Delrio, Sanchez et alii.

Filiæ Ierusalem quænam?

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima pia obtestatur omnes sanctos angelos et homines, ut pro se apud Christum sponsum intercedant, eique ardens suum desiderium illum magis amandi, illique magis placendi et serviendi annuntient, ut ipse illud expleat, præsertim in zelo animarum, quo languet, ut plurimos, imo omnes ad Christum convertat. Audi Nyssenum hom. 13. *Quia dilectionem suam nobis probavit præclarus animarum sponsus, qua pro hostibus mori non dedignatus fuit; ideo sponsa vicissim amore ergo illum, a quo præventa fuerat, incensa demonstrat his verbis amoris telum imo in pectore latens, nempe divinitatis ipsius communicationem. Nam Deus est dilectio, quæ per fidei vivæ cuspidem in cor penetrat. Nomen autem teli* (*D. Paulo teste*) *est fides per dilectionem efficaciter se declarans.* Tales dicunt cum S. Paulo: *Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo,* 2. Corinth. 11. *Sic non deficientes languescite: sic in amore sponsi mecum adolescite;* ait Guilielm. Languor ergo hic et defectus *non finis amoris, sed incrementum est:* ait S. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 11. v. 1. *Sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit; et quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria maiore quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur et augetur. Hinc ergo colligere possumus quid sit: Defecit in salutare tuum anima mea. Etenim spiritui adhærens anima deficit ab eo quod est anima, et fit unus spiritus; quoniam qui adhæret Domino, unus spiritus est. Itaque sanctus et timens Deum nescit aliud desiderare; nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi se aperit et effundit, et hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Itaque quanto maiore desiderio excitata fuerit anima cupiens adhærere salutari suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur.*

Languore crescit amor.

Languoris huius vim et indolem egregie depingit Gilbertus hic serm. 46. *Non languet amor,* inquit, *sed languet amans. Ubi viget amor, ibi viget languor, si absit quod amatur. Quid est languor, nisi affectio quædam de*

Languoris definitio.

abiente dilecto amantem conficiens? Amor vehemens particulis, simul afficit et carnem et mentem. Illius extinguit lascivium, huius et lætitiam perstringit quodam tristi affectu, et desiderio absentis dilecti languet caro, dum eius languidior et remissior motus efficitur. Languet animus, dum æstuantis voti nimietate conficitur. Deinde paucis interiectis causam assignat: *Nimis exæstuans amor patientis animi vires exhaurit. Quæ est enim humanæ mentis fortitudo, ut sustineat, cum eam ille cœlestis amor sponsi impatienter exagitat? liquefactus in hac exercitatione se fugit animus, amoris violentiam ferre non valens: sic enim in consummata materia et iam deficiente, languidiora redduntur ignis incendia. Et Deus noster ignis consumens est.* Denique languoris huius felicitatem et effectum subiungit: *O potens et præpotens passio charitatis, si non temperatur, non toleratur. Fara potens, quæ animum quem possederit sui ipsius efficit impotem. Cum semel fuerit accensa in mente, attingit a fine usque ad finem fortiter, facit ad quod venit, et prosperatur et crescit, nec deficit, donec deficientem reddiderit animam. Sicut enim hic corporalis languor non est semper æqualis vehementiæ, sed est aliquoties eius intensior passio; sic et amoris affectio, etsi iugi desiderio se tendit ad dilectum, aliquando quidem intensioribus votis exæstuat, hora orationis maxime.* Id re ipsa se per visum expertum narrat Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 12. in cap. 26. Matth. pag. 492. col. 2. initio: *Venit*, inquit, *desuper quasi similitudo viri proni et æqualiter extensi, solam quam maxime faciem suam occultans; et in me demissa totam complevit animæ meæ substantiam eo modo mihi impressa, quem verbis exprimere nullatenus possim, multo citius atque profundius atque cera quamvis mollissima, sigillum fortiter impressum admittere possit. Porro somno, qui vix obrepserat excussus sum, et evigilans sensi dulce pondus; vigilans delectatus sum: et quid dicam? Anima mea liquefacta est, anima mea Domino defecit, pene de corpore effusa est.* Inde vere tanto gaudio se perfusum asserit, ut nisi illa sanctæ voluptatis inundatio cito se continuisset, animam velociter de corpore abstraxisset.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Languebat Virgo amore Christi et zelo animarum, atque desiderio fruendi Christo post eius ascensionem in cælo. Audi Rupertum: « O filiæ Ierusalem, quæ vere estis filiæ Abraham, semen Iuda, filiæ quoque David secundum fidem credendo in eum, qui est Rex supernæ Ierusalem, factusque est filius David secundum carnem, adiuro vos per hanc ipsam fidem qua filiæ Ierusalem factæ estis, si inveneritis ante me, ut sæpe fit, discipulæ ante magistram exeuntes de corpore, intromissæ ad conspectum eius, ut annuntietis ei, quia amore langueo præ magno faciei eius videndæ desiderio, vitæ tædium patior, et vix præsentis exilii moras sustineo. Quorsum hic adiurat? Nonne dilectus cuncta noverat, et in his amorem sponsæ amantis, etc. Quorsum igitur tendit hæc adiuratio? nonne ut percussa percutiat, ut vulnerata vulneret, ut audientes filiæ tantum in matre vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium in mente persentiant et ipsæ talem esse dilectum, ut iure propter ipsum quævis fastidiat hoc præsens sæculum, iamque inter moras præsentis vitæ magis ac magis cupiant eum agnoscere saltem per speculum, saltem in ænigmate. »

Audi Sophronium serm. de Assumpt. *Deiparæ*: « Puto, inquit, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantis movebatur repleta Spiritu sancto cælestium secretorum incitamentis, quia etsi diligebat Christum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, novis tamen quotidie inflammabatur præsentiæ absens desideriorum affectibus: tanto siquidem validius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia: quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus et ebrietas profusi amoris: nam et Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus; maxime tamen ab ea ardentius, cuius et Dominus erat et filius. »

VOX FILIARUM

IERUSALEM

Vers. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

Dilectus ex dilecto.) Hebr. דוד מדוד *dod middod*, quod clare vertas *dilectus præ dilecto*, quolibet scilicet, puta quem præ dilectis quibuslibet diligis. Unde Syrus et Arabicus vertunt *ex dilectis*. Septuag. ἀδελφιδὸς ἀπὸ ἀδελφιδοῦ, id est, *fraternus a fraterno*, sive *fratruelis a fratruele*, vel *nepos a nepote*. Aut præcise Christus dicitur *dilectus ex dilecto*, quia qua Deus, genitus est a Deo Patre, sibi ut filio, dilectissimo, qua homo vero, prognatus est e Davide, qui fuit unice Deo dilectus: imo vir secundum cor Dei, 1. Reg. 13 14. Ita Nyssenus, Philo, Anselmus et Gilbertus serm. 47.

Ecclesiam vocat pulcherrimam mulierum, quia pulchrior est ipsa omnibus cœtibus Gentilium, Synagogis Iudæorum, Academiis Philosophorum, lustris Atheorum, speluncis hæreticorum; hæ enim meretrices sunt dæmonis, ipsa vero virgo et sponsa Christi: sic B. Virgo est mater matrum et Virgo virginum, ait Guilielmus.

Filiæ Ierusalem.) Id est, sanctæ Angelorum et hominum animæ rogatæ ab Ecclesia, ut dilectum a se frustra in animabus impiorum quæsitum reperiant, vicissim rogant, qualis sit eius dilectus, cuius amore languet, non quod hoc ignorent, sed ut eius desiderium in ipsa acuant accendantque, utque ipsi ansam præbeant cum effusissimo laudandi, eiusque formam, dotes et pulchritudinem a capite ad talos graphice depingendi: atque hoc est languoris eius remedium. Nam qui amore languentes recreare cupit, nil præstare potest opportunius, quam cum illis de eo quem amant miscere sermonem. Hinc S. Dominicus amore Dei flagrans et languens, non poterat de alia re, quam de Deo cogitare et loqui.

Tropol. Tropologice docemur hic crebro meditando, orando, legendo ruminare quis, qualis, et quantus sit sponsus animæ nostræ, puta Christus Deus et redemptor noster, ut ex maiori bonitatis eius, magnitudinis, sapientiæ, sanctitatis, etc. cognitione assurgamus ad maiorem eius admirationem, venerationem et amorem. Ita Philo. Hinc filiæ Ierusalem repetunt τὸ *qualis est dilectus tuus ex dilecto*, quia *quo ardentius diligunt*, ait S. Gregor. *eo dulcius verba de eo repetunt, ut per repetitionem dilectionis maximus amor ostendatur.*

VOX SPONSÆ.

Vers. 10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

Sept. et Arabicus, *ex myriadibus*. Hebr. מרבבה *merevava*, id est, *præ myriade*, id est, præ decem millibus.

Sponsa interrogatione vers. 9 icta in laudes sponsi omnes sui amoris sinus, omnes linguæ et vocis sonos expandit. Diligens enim non potest cogitare, loqui, laudare aliud, quam dilectum.

Pro *candidus* Hebr. est צח *tsach*, id est, candidus, nitidus, limpidus, sudus, serenus, purus, instar solis meridiani. Symmach. λαμπρὸς, id est splendens. Nimius enim candor, qualis est nivium; præsertim a radiis solis ictus effulget, et quasi effulgurat.

Pro *rubicundus* Hebr. est אדום *adom*, id est, rufus,

qualis fuit Esau, qui ideo dictus est Edom. Hinc et protoplastus noster dictus est Adam, quia e terra rufa a Deo plasmatus est, Genes. 2. Septuag. πυῤῥὸς, id est fulvus, igneus: sive facie vel oculis igneis, rutilus, rufus.

Pro electus Hebr. est vexillatus.

Pro *electus*, Hebr. est דגול *dagul*, id est antistans, princeps excellens, et instar vexilli cæteris eminens. Sic *Saul* dicitur *electus et bonus*, id est speciosus: *Et non erat vir de filiis Israel melior*, id est speciosior illo; *ab humero et sursum eminebat super omnem populum*. 1. Reg. 9. 2. *Dagul* enim dicitur a דגל *deghel*, id est, vexillum, *daghel* ergo ad verbum, idem est ac si dicas *vexillatus*, magnificatus, insignitus. Marin. vertit, *vexillo insignitus myriadis*, sive decem millium, hoc est, dux sub se habens decem millia. Alius: *Signifer inter decem millia*, qui vexillum decem millibus præfert. Tigurin. *Sub signis habens exercitum decem millium*. R. Salomon: *Multis stipatus exercitibus*. Vatabl. *Vexillatus in decem millibus*, hoc est, inquit, *gerens vexillum* (crucis) *inter omnes Christianos*.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Pulchritudo, sita in duobus.

Pulchritudo, ait Plato, in duobus consistit, primo in suavitate coloris, secundo in apta membrorum harmonia. Sponsa ergo pulchritudinis sponsi elogia inchoat a colore faciei, docetque eum esse pulcherrimum, scilicet candidum rubore mistum et vermiculatum, hoc est, roseum, qualem Adonidi pulcherrimo dant Poetæ. Unde Statius lib. 1. Achil.

Roseus color pulcherrimus fuit Heroum.

> *Niveo natat ignis in ore*
> *Purpureus:*

Et alter,

> *Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,*
> *Et color in niveo corpore purpureus.*

Sidonius de suo Theod. lib. 1. epist. 2. *Lactea cutis, quæ propius inspecta iuvenili rubore suffunditur; namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit.* Plutarch. de Alexandro, *Alexandrum pingens fulmen tenentem, non repræsentavit Apelles colorem eius, magis fuscum et sordidiorem reddidit; cum fuerit, ut aiunt, candidus; qui color in pectore et facie potissimum purpurascebat;* atque eum candirubri coloris *optimam temperaturam*, Galenus docet; notam vero *bonæ indolis et ingeniosi* Aristoteles: *quam acrem et promptam in disciplinis capessendis*, ait Polemon: *continentem, gravem, modestum, magnanimum effecit Alexandrum*, ait Plutarchus. Hæc Noster Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis cap. 40. Talis fuit Christi color, teste Nicephoro lib. 1. cap. ult. Unde Psaltes: *Speciosus forma*, inquit, *præ filiis hominum*. Psal. 44. Rursum Nyssen. hom. 13. Christus, ait, dicitur candidus propter candidissimam carnem, rubicundus propter sanguinem.

Christus fuit roseus.

Symbol.

Symbolice, Christus est candidus, ob purissimam et splendidissimam deitatem, quam ab æterno habet; rubicundus propter humanitatem cum sanguine rubro, quam ex Adam, qui creatus est ex Adama, id est, ex terra rubra, et ex Davide, qui erat rufus, in tempore assumpsit. Ita Theodor. Iustus, et Gilbertus, qui hic sermones suos continuans, expositionem S. Bernardi terminat, ac S. Ambrosius l. 1. de Virginibus et Anastas. Sinaita l. 4. Hexam. ubi Christum vocat Solem mundi purissimum et fulgidissimum: ipse enim est increatum lumen de lumine, Deus de Deo, ut habet Symbolum Nicænum. Ipse enim est *candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius*. Sapient. 7. 26. Ipse est *splendor gloriæ, et figura substantiæ eius*. Hebr. c. 1. v. 3.

Christus candidus fuit per innocentiam, rubicundus per passionem.

Secundo et magis apposite, Christus candidus et splendidus est ob puritatem innocentiæ, et splendorem sanctitatis, qua ex purissima Virgine natus sanctissimus exstitit: rubicundus propter passionem, qua sanguine suo fuit purpuratus iuxta illud: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* etc. *Iste formosus in stola sua*, etc. *quare ergo rubrum est vestimentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Isaiæ c. 63. v. 1. Cassiodorus, S. Gregor. Philo, Anselmus, Rupertus, S. Hier. in cap. 53. Isaiæ, qui et lib. 1. contra Iovin. addit: Christus, inquit, candidus dicitur in virginitate, rubicundus in passione.

Rubicundus ergo color mistus candido notat Christum passum et cruentatum fuisse candidum, id est, purum, innocentem et impeccabilem, imo ob innocentiam et innocentem veritatem, qua se docebat esse Christum, passum esse mortem et martyrium, qui summus est decor et gloria Christianis imitanda, imo ambienda. Pati enim nocentem dedecus est culpæ, pati vero innocentem decus est sanctimoniæ, sanctæque patientiæ. Tunc enim vere dici potest *electus ex millibus*, qualis fuit Christus, qui quasi dux et signifer patientiæ et martyrii, eius vexillum omnibus gentibus et sæculis prætulit, quod alacres secuti sunt, et in dies sequuntur tot millia martyrum, virginum, confessorum, qui calumnias, probra, flagella, tentationes, et ærumnas quaslibet amore et exemplo Christi forti animo sustinuerunt et superarunt, ac in dies superant; adeo ut Christus vocari possit *signifer patientiæ et patientum*. Hæc est imago Christi, inquit S. Ambros. de obitu Valentiniani Imperatoris: *Valentinianus*, ait, *meus candidus et rubicundus, habens in se imaginem Christi*, in qua scilicet innocentia fuit purpurata et occisa. atque hac ratione Christus, non tantum in se fuit candidus et splendidus, sed et omnes in se credentes suo sanguine purpuravit et candidavit, ac suo Patri reconciliavit, dum eos in Baptismo et Pœnitentia a peccatis omnibus per gratiam suam abluit, purosque et sanctos, imo martyres, et in calumniis adversisque quibuslibet exultantes et gloriantes efficit, iuxta illud Pauli, *Gloriamur in tribulationibus*, Rom. 5. vers. 3. Christo ergo competit illud Ecclesiastæ cap. 7. *virum de mille unum reperi*, qui ipse est unicus Dei Filius ab ipso electus et dilectus, in quo ipse sibi complacuit. Matth. 3. Quocirca lib. 4. Esdræ cap. 2. v. 43. ita eum pingit sanctos coronantem: *Et in medio*, inquit, *eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur:* cumque interrogaret, qui visionem videbat, angelum: *Ille iuvenis, quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manibus tradit?* responsum accepit ab angelo: *Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt.* Ita Cassiodorus, S. Gregor. Philo, Beda, Anselm. Richard. Rupertus. Sic S. Agnes Præfecti Romani filio se in sponsam ambienti, Christi sponsi sui longe maiorem pulchritudinem, dignitatem et præstantiam obiecit, aitque: *Discede a me fomes peccati, pabulum mortis: quia iam ab alio amatore præventa sum, qui longe te nobilior, annulo fidei suæ subarrhavit me: cuius est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suavior, et omni gratia elegantior.* Et paulo post: *Cuius mater virgo est, cuius pater fœminam nescit: cui angeli serviunt, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuius odore reviviscunt mortui, cuius tactu sanantur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt: Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo: quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero virgo sum.* Ita S. Ambros. epist. 34. Addit S. Bernard. ser. 28. Christum dici electum ex millibus, quia millia millium dilecto, et decies centena millia circa dilectum, et nemo ad dilectum. Hac de causa Christianos ut Christum imitentur exhortans S. Petrus epist. 1. c. 4. v. 15. *Nemo vestrum*, ait, *patiatur, ut homicida, aut fur*, etc. *Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Et v. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est eius spiritus super vos requiescit.*

Electus ex millibus, quia dux innocentiæ et patientiæ omnibus sanctis.

Mystice.

Mystice Psellus: Christus, ait, dicitur candidus et rubicundus, quia ex eius latere in cruce lancea aperto fluxit sanguis et aqua.

Anagog.

Anagogice S. Hieron. in c. 63. Isaiæ: Christus, inquit, rubicundus fuit in passione, candidus in resurrectione, ideoque electus ex millibus, quia primogenitus ex mortuis.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima est candida per innocentiam, rubicunda per patientiam.

Anima sancta candida est per fidem, rubicunda per charitatem, et ut Philo ait, per Spiritum sanctum. Rursum candida per innocentiam, rubicunda per patientiam, ideoque electa ex millibus, vix enim unus e mille hominibus (si omnes qui in mundo sunt computes) ad veram sanctitatem et patientiæ perfectionem assurgit: unde tres Anonymi apud Theod. Christus, aiunt, est candidus illis, qui ab omni peccatorum sorde sunt mundati: rubicundus vero illis, qui per tentationes, ut igneus auri fulgor, probati fuerint.

Christus candidus in virginibus, rubicundus in martyribus.

Denique quia hic describitur perfecta, imo senescens ætas Ecclesiæ, quando post Constantinum totus pene orbis sub labaro et vexillo crucis Christi militabat, valde apposite sic expones: Christus est candidus in virginibus et confessoribus, rubicundus in martyribus, idemque electus ex millibus, id est, ut Hebr. vertas *signifer et dux myriadum*, hoc est innumerorum fidelium, qui sunt in toto orbe, sub vexilla crucis Christi militantium, quia ut ait S. Hieronymus in epitaphio Paulæ, tam in pace, quam in prælio eadem vincentibus præmia tribuit: *Secura*, ait, *esto Eustochium, magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, et quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est, non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur; sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est: illa corona de rosis, ista de liliis: unde et in Cantico Canticorum scribitur: fratruelis meus candidus, et rubicundus, et in pace et in bello eadem præmia vincentibus tribuens.* Et S. Bernard. serm. 28. in Cantic. *Christus*, ait, *dicitur candidus et rubicundus, quem circumdant flores rosarum et lilia convallium, hoc est martyrum virginumque chori, et qui medius residet, non utique dissidet virgo et martyr.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B. Virgo candida et rubicunda.

Christus suas dotes et laudes communicat matri suæ. Igitur B. Virgo candida fuit virginitate, rubicunda charitate et martyrio, quod subiit in Christo et cum Christo, quare ipsa fuit electa ex millibus, ut esset Virgo Deipara, Christi mater, virginum vexillifera, martyrum antesignana, confessorum signifera. Audi Nyssen. de Christo: « Inter omnes hominum myriades ex quo illi esse cœperunt, et quousque nascentur, solus hic nova partus specie in hanc lucem prodiit, cui ad nascendum natura non est cooperata, sed serviit: cuius nativitas de duorum coniunctione orta non est, partus minime inquinatus, nisus doloris expers; thalamus, Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans; fax nuptialis, Spiritus sancti splendor, cubile, vitiorum expers, conditio, nuptiæ; puritas incorrupta nec voluptate cœpit existere, nec cum dolore in lucem prodiit. Matrem mortis (Evam) decuit propter peccatum in dolore concipere et parere: matrem vitæ (Mariam) utrumque dedecebat, quæ gratia plena fuit. Sic Electus vocatur, propter partum omnis doloris expertem. Ille primogenitus omnis creaturæ, ex patre genitus sine dolore. Ille regenerationis primogenitus, per Baptismi aquam renatus sine dolore. Ille primogenitus resurrectionis ex mortuis, natus ex sepulcro sine dolore. Sic in omnibus generationibus suis partus expers doloris. Et sic optime dicitur: Electus ex millibus. »

Vers. 11. Caput eius aurum optimum.

Aurum paz quid?

Pro *optimum* Hebraice est פז *paz*, quod per Aphæresim idem est quod *ophaz*, puta aurum allatum ex regione Ophaz (In Septuag. legitur nunc *cephaz*, sed videtur ipsi olim vertisse *ophaz*: sic enim habent Hebr.) vel Ophir, quod erat optimum: alii *aurum paz* vertunt aurum soliditatis: פזז *pazaz* enim est solidare, roborare, aurum autem est solidissimum. Alii cum nostro Pineda *aurum paz* vertunt *aurum ductile*; optimum enim aurum est, quod lentescit et in bracteas subtiles est ductile. Vide dicta Ieremiæ 10. v. 9.

Caput sponsi aureum.

I. Tripliciter hæc verba exponi queunt: Primo ut caput accipias pro coma capitis, q. d. Coma et cæsaries sponsi, puta Salomonis et Christi, erat aurea vel aureis ramentis inspersa: hoc enim ephebos Salomonis fecisse testatur Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 7. *Equis*, ait, *optimis Salomonis insidebant equites flos iuventutis, procera statura, prolixoque capillitio conspicui; ad hæc ramentis auri capillos quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum, fulgur a capitibus eorum reflecteretur.* Idem factitasse Commodum, Lucium Verum, et Gallicum Imperatores docent Lampridius, Spartianus, et Trebellius in eorum vita. Verum de coma sponsi mox hic subdit, *Comæ eius sicut elatæ*, quare potius ipsi capiti, quam comæ hoc aurum tribuendum videtur.

II. Secundo, q. d. Caput sponsi erat aurum non reipsa, sed similitudine, id est, simile auro optimo, puta fulgidum, purum, speciosum instar auri.

III. Tertio, q. d. Caput sponsi redimitum erat diademate, vel corona ex auro optimo fabrefacta. Hebr. enim כתם *ketem*, non tam aurum, quam aureum monile, puta diadema aut torquem significat. Id ita esse liquet primo ex Psal. 44. 10. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, בכתם אופיר *beketem Ophir*, quod S. Hieronym. æque ac Theodotion, vertit, *in diademate aureo*. Secundo, quia quinta Editio teste Theod. vertit, *Caput eius insigne auro*. Sic et Theodotion: Aquila vero et Symmach. *Caput eius lapideum auri*. Syrus, *Caput eius petra auri*, id est, *massa auri*, vel potius *gemma auri*, q. d. Caput eius vestitum erat lapidibus pretiosis, sive gemmis aureo diademati intertextis. Vatabl. *Caput eius redimitum est auro obrizo*. Tertio, quia sponsus hic est rex Salomon, regii autem capitis insigne et decus est aureum diadema. Unde cap. 3. v. 11. dixit: *Videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*: Et Psal. 20. 4. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Forma Salomonis et Christi.

Grammatice videtur hic forma et figura speciosa Salomonis, et eius antitypi Christi Domini describi: Salomoni enim persimilis fuisse videtur Christus; uterque ergo fuit colore roseo, id est, candido et rubicundo, uterque habuit caput auro redimitum, comam instar palmæ copiosam et nigram instar corvi, oculos columbinos, nitidos et lacteos, genas roseas et odoratas instar areolarum aromatum, labia purpurea sicut lilia; manus et digitos tornatiles, id est, elegantes et delicatos, amictos annulis aureis cum pala hyacinthorum; ventrem fortem et solidum instar eboris et lucentem instar sapphiri; crura robusta velut columnas marmoreas. Ita Pineda l. 6. de rebus Salomonis, c. 4.

Parabolice caput Christi hominis est divinitas, iuxta illud: *Caput Christi Deus*, 1. Cor. 11. 3. Sensus ergo est, q. d. Humanitas Christi aureo Deitatis, quasi capitis, diademate coronatur. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Theodoretus, Beda, Philo, Anselm. Rupert. Richard. et cæteri passim. Unde Ioannes Carmelita sic explicat, q. d. *Divina hypostasis assumptæ a sponso naturæ, ut caput corpori præsidens motumque divinum impertiens, est aurum, quia regiam habet maiestatem auro notatam. Est aurum optimum seu obrizum, hoc est, omni mistura carens; licet enim hypostasis Verbi naturæ humanæ intime unita sit, non tamen ullo modo permista.* Prima enim et propria Verbi sponsa, est humanitas ab eo assumpta, cuius nu-

ptias hoc Canticorum Epithalamium decantat Salomon, uti dixi in Proœmio c. 2.

Deitas est caput Christi aureum. I. Porro deitas Christi recte comparatur auro paz, id est solido et ductili, ideoque optimo: Primo, quia sicut aurum omnia metalla, sic Deus omnia creata in infinitum transcendit. Quod ergo est aurum in metallis, hoc est Deus in creaturis. Rursum aurum fulgidissimum est; quid splendidius Deitate? Ita Beda, Philo, Iustus, Cassiodor. et S. Gregor. quem audi; *Sponsi caput aurum dicitur, quia eius humanitas ex divinitatis suæ claritate nobis principatur.*

II. Secundo, quia, ut ait Philo lib. Quis rerum divinarum hæres: inter laudes auri multas duæ referuntur præcipuæ. Una, quod non sentit rubiginis iniuriam; altera, quod in tenuissimas bracteas sine scissura deducitur. Merito ergo maiorem naturam significat, quæ diffusa et protensa usquequaque tota per totum plena est, aptissime contexens cætera.

Deitas ergo similis est auro, tum quia nullam sentit corruptionis et mutationis rubiginem, sed eadem, semperque impassibilis et immutabilis ab æterno perseverat, tum quia sicut aurum, quo melius est, eo in subtiliores bracteas deducitur, quæ res quaslibet tegunt, ornant, et exhilarant, tumque magis fulget et radiat: sic Deus suas dotes omnibus creaturis communicat præsertim Angelis et hominibus, maxime dum eos peccato sordidos, gratia sua venustos et fulgidos efficit, perinde ac vile lignum sculptoris arte politum auro vestitur, et longe lateque radiat; qua in re maxime deitatis beneficentia, magnificentia, et gloria resplendet. Proinde hoc aurum nobis omni studio quærendum esse docet Christus Apoc. 3. *Suadeo*, inquit, *tibi emere a me aurum ignitum et probatum, ut locuples fias;* vide ibi dicta. Ita Theodoret. Anselm. Rupertus, Richard. et alii.

III. Tertio, deitas in Christo humanitati ab eo assumptæ hasce suas dotes communicavit: quocirca ipsa omnes creatas hominum et Angelorum naturas sua dignitate longe superat: ipsa solida est et impeccabilis; ipsa se per gratiam omnibus hominibus communicat, *quia in ipso* (Christo homine, puta in humanitate Christi) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. 9. Ita Nyssen.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Sancta anima per gratiam Christi deitatem participat. Audi S. Paulin. epistol. 4. ad Severum: « De quo (scilicet Christo) dicitur: Caput eius ut aurum paz, id est purum; hoc enim aurum forma sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo, quia videlicet eos per examina passionum in huius mundi fornace conflatos invenit, ut scriptum est, dignos se, et in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus et linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdemque ipsos statuens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino cuderent nummos, et, abolita de nobis figura Cæsaris, vivum Regis æterni numisma signarent, ut spiritu redemptionis inscripti, cervice iam iugo libera et salutis titulo præmunita fronte, caneremus: Signatum est super nos lumen vultus tui. Summa igitur ope nitamur ita nos comparare, ut divini capitis, quod nobis per gratiam Dei Christus est, crines et aurum esse mereamur. »

S. Petrus caput aureum Ecclesiæ. Porro Philo Carpath. caput Ecclesiæ ait esse patriarchas et ductores, qui velut aurum sapientiæ in fornace tribulationis excocti resplenduerunt, ac præsertim S. Petrum, qui post Christum fuit caput Ecclesiæ. Unde ipse dictus est *Cephas*, id est, petra Ecclesiæ, perinde ac Septuag. hic vertunt, aurum *Cephaz*. Describitur enim hic Christus, ut caput, dux et rector Ecclesiæ propagatæ per totum orbem, quale vice Christi fuit S. Petrus, eiusque successores Romani Pontifices, ac præsertim tempore Constantini S. Sylvester, eiusque posteri.

Symbol. Symbolice, tres Anonymi apud Theod. caput Ecclesiæ inquiunt, est fides quia sicut animalia et serpentes pro capite tuendo omnia membra periculo exponunt, sic fideles pro fidei puritate tuenda omnia sua, quin et vitam exponere debent. Pari, imo potiori iure caput Ecclesiæ est charitas; hæc enim omnium virtutum est princeps et regina; hæc ut aurum optimum radiat et effulgurat. Denique Chaldæus per caput aureum accipit legem Dei: *Lex eius*, inquit, *desiderabilior est auro obrizo.* (Charitas, caput Ecclesiæ aureum.)

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo esto non sit Deus, nec Dea, tamen præ omnibus Angelis et creaturis proxime ad deitatem accessit, quia mater est Dei: nulla enim maior est coniunctio, imo consanguinitas, quam maternitas. Quocirca ipsa sola colitur hyperdulia, quam nonnulli latriam quamdam esse censent, ut cultus B. Virginis proficiscatur ab eodem habitu religionis, a quo oritur Dei et Christi adoratio. Id valde probabile esse censent Franc. Suarez 3. part. qu. 37. disput. 22. sect. 3. sub finem, et ex eo Mendoza in viridario l. 2. Problem. 4. licet contrarium sentiat Gabriel Vasquez lib. 1. de Adorat. disp. 8. cap. 2. Probantque primo, quia licet excellentia matris creata sit, tamen respicit excellentiam increatam, a qua sumit suum valorem. Unde a S. Thoma 1. part. q. 25. art. 6. ad 4. dicitur in suo genere esse infinita, quia est suprema coniunctio cum persona infinita. Secundo, quia hæc dignitas pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ, ob quam humanitati Christi debetur adoratio latriæ. Ergo ratione eiusdem B. Virgini ut matri Dei eadem adoratio tribuetur, sed inferior: unde Caiet. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. docet B. Virginem habere consanguinitatem cum Christo ut Deo, et ideo illi deberi specialem adorationem, quia *propria*, inquit, *operatione attigit fines divinitatis*, id est, quia concepit, peperit ac nutrivit Deum. Et Patres sæpe asserunt *totum honorem matris ad filium referri.* Tertio, quia in humanis idem habitus, qui inclinat ad adorandum regem, inclinat etiam ad honorandam matrem regis ut sic. Verum hæc adoratio non est absoluta, quæ soli Deo debetur, sed diminuta, participata et respectiva; respicit enim dignitatem et divinitatem filii, ob quam mater Dei ut sic honoretur: quare hic honor non sistit in matre, sed per eam tendit in filium, nec tam mater in se, quam filius in matre adoratur. (Latria quamdam competit beatæ Virgini. Probat. 1. 2. 3.)

Comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Vers. 11.

Pro sicut elatæ palmarum.) Hebr. est תלתלים *taltallim*, id est, tumuli, cumuli, acervi. Septuag. vertunt ἐλάται, quod noster Latinus retinuit vertens *elatas*, addiditque *palmarum*. Compiut. ἐλάται vertunt *ductiles ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν*. Syrus vertit: *Crines eius extensi*. Arabicus hic tacet. Vatablus *densi*: Clarius *condensi*. Agathius, *acervati*; Pagnin. *crispi*. Unde quidam vertunt: *Extremitates capillorum eius elevatæ ut tumulus*, id est *crispæ*. Tigurina: *Cincinni eius ut tilia*; Nyssenus, *ut abies*: nam ἐλάται abietem quoque significat. Unde S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto legens: *Crines eius abietes*, bene comparatos abieti ait sanctos e Christo Ecclesiæ capite pullulantes, cum ex abiete sint naves Tharsis, quæ fluctibus supernatant mundi et tutum remigium salutis exhibent.

Elatæ quid? Respond. I. Quæres, quænam sunt *elatæ palmarum*? Primo, Rupertus: Palmæ elatæ, inquit, dicuntur rami palmarum erecti et elevati (Hebr. enim תלתלים *taltallim*, derivatur a תלל *talal*, id est, elevare, suspendere) ut distinguantur ab iis, qui depressi sunt et incurvati. Dicuntur ergo *elatæ*, quasi *elevatæ* sursum. Ita Rupert.

II. Secundo, melius alii censent ἐλάτας, esse vocem Græcam, et significare germen palmæ novellæ, quod grati eu-

loris est, at perpetuo virens. Ita Galenus l. 8 simplic. Hesychius, Genebr. Unde et Plinius l. 3. c. 4. novalla germina, quæ erecta pallulant a cacumine, comam vocat: *Coma*, inquit, *huius arboris in cacumine est.* Palma enim a radice usque ad cacumen nullos habet ramos, sed nodoso stipite assurgit et crassescit usque ad summum ubi ramos suos multos densosque profert, eosque semper virentes et perdurantes illa forma et serie, ut plane comæ speciem referant: adeo ut palma cum suis ramis videatur esse homo sua coma redimitus. Ita per *elatas*, palmæ ramos, qui quasi coma verticem eius tegunt, et ornant, accipiunt Cassiod. Philo Carpath. Beda, Rupert. et alii. Adverte Hesychium, Galenum, et priscos Græcos scribere ἐλάται, cum accentu in penultima: hoc enim significat palmas, vel germina palmarum, vel abietes: nam ἐλαταί, cum accentu in ultima proprie significat *ductiles*, sed et rami palmarum sunt ductiles, ideoque ἐλαταί.

III. Gemmæ.

Tertio et proprie *elata* est involucrum, sive vaginula fructuum palmæ florentis, ex qua diffissa prodeunt flores numerosi, appensi longis et modice densis villis, qui capillorum et comæ speciem exhibent: flores deinde in fructus, puta in dactylos desinunt. Ita Dioscorid. l. 1. c. 126. ubi Matthiolus ideam palmæ elatæ in icone spectandam exhibet. Idem Æthius, Oribasius, et Rembertus Dodonæus de Stirpibus Pemptade 6. l. 3. c. 27. Audi Prosperum Alpinum lib. de Plantis Ægypti in palma: *Martio mense involucra suis alis adligata aperiuntur, e quibus globus florum infinitorum prosilit, floresque his filis vel capillamentis appensi cernuntur, a quibus dactyli parvi virides uvarum racemos imitantes producuntur.*

Hoc loco per *elatas* tam ramos palmæ, quam involucra villorum, florum, et dactylorum iam dicta accipias. Rami enim speciem comæ exhibent, involucra vero quæ ultra ramos propendent, speciem dant crispationis nodorum, gemmarum, monilium, quæ subinde ab extremitate comæ dependentes, eam exornant: atque hi Hebraice dicuntur *taltallim*, id est tumuli, quia prolixa coma in sui extremitate, puta circa collum vel humeros, in tumulos et cumulos concervatur.

Coma sponsi similis elatis palmæ.

Igitur sponsi crines et coma comparantur *elatis*, id est ramis et fructibus palmarum. Primo, quia earum ad instar longi et prolixi sunt. Secundo, quia a capite in humeros defluunt, ibique copiosi. Tertio, quia in orbem rotundi, itaque pexi et compositi. Quarto, quia quasi in tumulos cumulosque colliguntur. Quinto, quia ibidem crispantur: crispi ergo habent speciem florum palmæ: hi enim similes sunt cincinnis retortulis, itaque sponsi caput primo ornabat coma et cæsaries elegans: cæsariem vero decorabat corona aurea illi imposita, de qua paulo ante dixi.

Nigræ quasi corvus.) Arabicus: *Cincinni eius nigri sicut nigredo corvi*, quia in regionibus calidis maxime probatur coma et barba nigra, ait Vatablus, ac præsertim in Syria et Iudæa, uti mihi Romæ asseruerunt Maronitæ incolæ montis Libani. Rursum nigredo, æque ac coma et crispatio capillorum indicat bonam valetudinis habitudinem, caloris robur, iuventutem, et virilitatem (nigri enim capilli iuvenum longe absunt a canis senum) uti docet Galenus et Medici, unde Martial. l. 3. Epigr. 43.

Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras.

Et Horatius l. 1. Ode 32.

Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.

Idem de arte Poetica.

Spectandus nigris oculis nigroque capillo.

Pro *nigri* Hebr. est שחרות *scechoroth* quod noster Pineda lib. 6. de rebus Salomonis vertit *aurorantes* (שחר *sciachar* enim est *aurora*) id est instar auroræ fuscæ translucente sole refulgentis. Nam ut ait Poeta:

Aurea fulgebat roseis aurora capillis.

Sic et corvi nigri mirifice illuminantur sole, et quam radiis percussi accipiunt lucem, multiplicatis reverberationum radiis reddunt maiorem. Hæc Pineda, qui contendit Salomonis æque ac Christi capillos fuisse flavos, sed nigricantes: *aurorantes* enim idem est, inquit, quod instar auroræ flavescentes: hi enim speciosi sunt, et egregiam naturæ animique indolem, magnumque ingenium indicant, uti docent Apuleius et Physici. Unde Svetonius de Augusto Cæsare: *Quid non, inquit, regalium virtutum promitteret subflava Augusti cæsaries?* Talis quoque fuit cæsaries Vespasiani et Constantini magni, qui inde flavi sunt cognominati. Vide dicta c. 4. v. 1. ad illa: *Capilli tui sicut greges tonsarum.*

Coma flava ingenii signum.

Fuit Cæsarum.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christi effigies.

Grammatice ad litteram Christus comam gessit prolixam, copiosam, rotundam, a capite in humeros defluentem, ibique se crispantem instar Nazaræi, uti dixi num. 6. v. 9. Audi Nicephorum l. 1. Hist. c. ult. Christi formam depingentem: *Egregio vividoque vultu fuit, corporis statura ad palmas plane septem, cæsariem habuit subflavam* (qualis est color dactylorum) *ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem.* Et mox: *Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus: Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis præterquam matris in tenera dumtaxat ætate eius.* Porro prolixa coma sive cæsaries hominis est decus. Audi S. Ambros. 5. Hexam. *Etiam cæsaries veneranda est in senibus, veneranda est in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.*

Capilli Christi sunt eius divinæ cogitationes et affectus.

Parabolice, capilli hi Christi notant sancta et divina consilia Christi, cogitationes et affectus: quia sicut capilli ex capite, sic cogitationes ex mente oriuntur. Christi autem caput est Deus: Quare mens eius erat divina, atque ex Deo divinas hauriebat cogitationes, affectus, amores et ardores, qui instar capillorum erant prolixi, copiosi, rite compositi, inter se connexi et per crispationem quasi in se revoluti, ac flores et fructus non dactylorum, sed sanctorum et divinarum operationum producebant, ut omnis sermo, cogitatio, et actio Christi, esset cælestis et divina.

Nigri, quia viriles.

Iidem *nigri* erant *ut corvus*, tum quia fortes, viriles, et heroici, tum quia calore charitatis ardebant, et quasi torrebantur ac nigrescebant: sicut enim capilli a capite, sic beneficia a Deo et Christo prolixissima, densissima, copiosissima et maxima in homines promanant. Deus enim et Christus est ipsa increata, ardens, et immensa charitas, ac beneficentia.

Mystice.

Mystice Theodoret. capilli, ait, sunt gratiæ omnis ge-
neris, quæ a Christo in fideles profluunt. Tres vero Ano- 1.
nymi apud ipsum: Capilli, inquiunt, Dei sunt varia eius
attributa, ut omnipotentia, omniscientia, bonitas, iustitia,
etc. quæ deitatem, sicut capilli caput, ornant, ac homines
eadem imitantes, divinos et quasi Deos efficiunt. Lucas 2
Abbas autem capilli Dei, ait, sunt angeli innumeri, qui
Deum stipant uti capilli caput, ac instar palmarum sem-
per virent, et in alta nituntur. Denique Rupertus: Capilli 3
Christi, ait, sunt omnes veritates sacrarum Scripturarum, quæ ipsum declarant et decorant. Hæc omnia nigra sunt, quia obscura et subinde impervestigabilia. Ita Theodor. Rupert. et alii.

Deinde Beda: S. Magdalena, inquit, in caput Christi effundens alabastrum unguenti nardini, capillos eius in magnæ devotionis mysterium, elatis palmarum, id est arboribus aromaticis, similes effecit.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Capilli Christi sunt Apostoli et religiosi.

Capilli Christi sunt viri sancti præsertim religiosi et Apostolici: hi similes sunt elatis palmarum, quia instar

palmæ oneri tentationis non succumbunt: sed omnes vincunt ac altius in cælum orando et meditando se erigunt: *nigri* sunt *ut corvus*, quia viles et peccatores se reputant, ideoque magis a Deo exaltantur. Ita Iustus Orgelitan. Beda, Nyssen. Cassiodorus, S. Gregor et Richard. Vict. quem audi: *Elatæ palmarum* sunt spatulæ, id est rami pulchriores semper ad excelsa tendentes. Palmæ inferius aspera est et arctioribus corticibus obvoluta, superius tam visu, quam fructu pulchra. Sic iusti inferius dura agunt, ut adversa patiuntur, et superius in oculis pulchri sunt et fructuosi; per dura quippe corporis se purgant, et proficiunt ad pulchritudinem. In imis, vita eorum quasi multis corticibus volvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur, in summis vero quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis dilatatur: atque dulcedinem supernæ suavitatis (quam repræsentant palmarum dactyli) degustant, ait Cassiodorus. Hinc Psellus comam Christi ait esse S. Petrum et Paulum, intellige cum suis asseclis.

Huc accedit Nyssen. qui legens: *Comæ eius sicut abietes*, per eas intelligit Apostolos, quod sublimes instar abietum facti, inquit, et ad cælum tendentes, non parum sponsi decorem augent, agitati ab aura Spiritus sancti. Addit Paulinus epist. 4. ad Severum: « Quia in Ecclesia, hoc est, in monte Dei verticibus meritorum eminent, ut abietes in suis montibus. Et sicut illæ aptæ navibus contexendis, ita illi Principes populi de monte legis, ut a Libano excisi, arcam Domini sive navem, hoc est, Ecclesiam per huius mundi diluvia navigaturam, e dolatis verbo Dei Gentibus texuerunt, et in compagem charitatis fide stringente coniunctam, fluctus mundi istius imputribiliter secare docuerunt. » Addit deinde continuo: « Sed et nunc eruditæ ad Apostolicam fidem animæ, abietes sunt nigræ et bonæ; nigræ vero iam non de peccato, ut puto, magisque adhuc vel de inhabitatione corporea, vel de exercitationis internæ quasi bellico pulvere, vel pulverulento sudore nigrantes. Bonæ tamen, propter spiritualem etiam in unctibus corporum conversationem. Sic et naves quæ fluctibus mundi supernatant, et fide veri atque opera iusti a dextris (ut scriptum est) et sinistris, velut remis armantur, qui verbo Dei quasi gubernaculo diriguntur, et ad auram Spiritus sancti sensuum suorum sinus pandunt, et cordis sui velum vinculis charitatis, ut funibus antennam crucis stringunt. » Plura de capillis hisce dixi cap. 4. v. 2.

Huc facit Chald. qui per caput accipiens legem, totum hunc versum sic reddit: « Lex eius desiderabilior est super obrizo, et interpretatio verborum, quæ in ea sunt concervata, et eloquia, et præcepta custodientibus ea sunt alba sicut nix: his autem qui non custodiunt ea, sunt nigra sicut alæ corvi. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Causa nigræ comæ est calor.

De capillis B. Virginis litteralibus et mysticis dixi cap. 4. 2. Capilli ergo deiparæ ex Alberto et Constantino Medico fuere temperate nigri: quoniam perfectissima corporis humani dispositio, qua prædita fuit deipara, exigit cerebrum calidum et siccum: a calore enim oritur velocitas apprehendendi, a siccitate vero firmitas retinendi: ex tali autem cerebri dispositione color niger in capillis, et in oculis oritur: oculi porro nigri sunt clariores ad videndum, ac proinde nobiliores propter sensuum utilitatem. Vide S. Antoninum 4. pag. tit. 15. c. 11. ubi fuse de pulchritudine capillorum, cutis oculorum B. Virginis disserit.

Vers. 12. Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident iuxta fluenta plenissima.

Vox *columbæ* non est genitivus singularis, sed nominativus pluralis, ut patet ex Hebr. יונים *ionim*, et Græco περιστεραί: unde et subditur *quæ lotæ sunt* in plurali, non *quæ lota est*. Comparantur ergo duo oculi sponsi duobus columbis, quæ resident super rivulos aquarum et fluenta plenissima; tum quia columbæ delectantur aquis, ut in iis seipsas velut in speculo speculentur, utque iis se abluant; sunt enim nitoris amantissimæ: tum ut in iis videant umbram accipitris, itaque eius ungues avolando effugiant, tum quia oculus in suo orbe et cavitate humida residens et natans similis est columbæ residenti et innatanti aquis; ex orbe enim hoc oculorum stillant lacrymæ, ceu aquæ ex fonte. Unde Hebr. עין oin tam oculum, quam fontem significant; quod enim fons est in terra, hoc oculus est in homine, ille stillat aquam, hic lacrymas: ille orbicularis est, hic rotundus; dicit ergo oculos sponsi explere significatum nominis sui *oin*, quia similes sunt fonti; nam in orbe sive cavitate sua natant, quasi aquæ in fonte; ex eoque aquæ lacrymarum emanant. Unde Ovid. 6. Fastor.

Duo oculi sponsi similes duobus columbis, cur?

Animique oculique natabant.

Et Virg. 5. Æneid.

Natantia lumina solvit.

Humidi oculi notant homines faciles, flexiles, benignos, misericordes, qui facile aliorum postulatis condescendunt, compatiuntur, succurrant. Rursum τὸ *super rivulos aquarum*, notat sponsi oculos esse cæsios, id est, coloris aquei et marini, ideoque vitrei, crystallini, et cælestis. Hinc cæsius dicitur quasi cælius, et cæruleus quasi cæluleus: cæsius enim color cæli habet speciem; unde Cæsares quidam dictos putant. Cæsii oculi symbolum sunt sensus prudentiæ et sapientiæ. Unde Minerva sive Pallas dea sapientiæ ab Homero et Cicerone lib. 1. de Natura Deorum vocatur γλαυκῶπις id est, glaucos sive cæsios habens oculos, quales habent feles. Huc facit quod Christus fuerit albus et candidus, uti dixi vers. 10. Albi autem homines magna ex parte cæsiis sunt oculis, ait Aristot. in Problem. sect. 10. numer. 13. Causamque addit: *Cum oculi*, inquit, *triplici coloris genere distinguantur nigro, caprino, et cæsio, corporis totius colorem oculi quoque color consequitur, itaque haud immerito cæsius est.*

Sponsi oculi cæsii, hoc est prudentes.

Quæ lacte sunt lotæ) Id est, quæ purissimæ sunt et candidissimæ, perinde ac si lacte lotæ lacteum colorem et candorem imbibissent. Lac notat candorem non tam colorum, quam morum: nam in oculis licet una pars sit candida, tamen altera et potior, in qua pupilla et vis cernendi residet, est nigra: quare sicut partem oculi candidam laudat a lacteo candore, ita alteram eius partem a nigrore laudandam relinquit, ait Genebr. Addit Pineda l. 6. de Rebus Salomonis c. 4. §. 8. Oculi Salomonis et Christi referebant lacte lotas columbas, quia non erant sanguinei, qui ebriosorum sunt et petulantium; non valde nigri, qui timidorum et dolosorum; non rubentes ac flammantes, quales iracundorum; cum *rutilis ardescunt lumina flammis*; qui enim iniurias non ferat, sed acriter ulciscatur, appellamus virum sanguinei oculi: non igniti, qui inverecundorum et procacium, quales canum: sed modice flavescentes, qui magnanimorum, quales Cæsaris ex Svetonio, quales et columbarum oculi, quales Constantini, cuius oculi leonini ex Cedreno.

Albi unde oculi, cur?

Oculorum physionomia.

Et resident iuxta fluenta plenissima.) Hebr. *residentes super plenitudinem*. R. Salomon, Aben Ezra, aliique Rabbini per plenitudinem accipiunt cavitatem, palam et sinum, in quo reconduntur gemmæ, v. g. adamantes in pala annuli; hæc Hebr. dicitur plenitudo, quia a gemma impletur, ut patet Exodi 28. num. 17. ubi pro *inclusi auro*, Hebr. est, *erunt lapides in suis plenitudinibus*, id est, in suis palis. Hunc ergo dant sensum, q. d. Oculi sponsi in suis sinibus micabant et radiabant, sicut adamantes in suis palis: sic ergo duplex est hic similitudo: prior, qua oculi sponsi comparantur columbis super rivos aquarum: secunda, qua iidem comparantur gemmis in auro relucentibus. Verum Septuag. Noster et alii priorem dumtaxat similitudinem hic assignant. In Hebr. enim non est τὸ *gemmæ*, vel *adamantes*. Unde Syrus pro *super fluenta* vertit *super quietem*, q. d. Quæ quietissime et placidissime resident in loco suo, v. g. iuxta aquas. Sensus ergo est, q. d.

Oculi sponsi similes sunt columbis, quæ resident iuxta rivos aquarum, sive iuxta fluenta plenissima, id est, quæ resident iuxta plenos et puros fontes, hoc est, cæsii sunt, clari, limpidi, micantes, et fulgidi; item quieti et constantes, non vagi, oberrantes, et furiosi, quales fuere Iuliani Apostatæ, teste Nazianzeno; sed placidi, lenes, benigni qui animi lenitatem et probitatem repræsentant.

Porro noster Pineda l. 6. de rebus Salomonis cap. 5. §. 8. Sponsus Salomon, inquit, et eius antitypus Christus habuit oculos *iuxta plenitudinem suam*, hoc est, opportuna et idonea quantitate implentes suum orbem, ita ut neque multum prominerent turgiduli, nec iotus recederent foveati et concavi, quorum illud stolidorum et inverecundorum est, hoc tristium, pavidorum, maleficorum, quales Caligulæ fuerunt: non valde magni, qui pigrorum et phlegmate atque humiditate abundantium, quales Domitiano: nun valde parvi, qui vulpium et pusillanimium: ergo mediocres *iuxta plenitudinem suam*, summa totius corporis magnitudini concinnitate respondentes; qui optimæ constitutionis sunt. Iidem referebant binas et æquales columbas, quippe minime erant inæquales, qui vel stolidorum, vel nefariorum hominum sunt, sed æquales, qui æqualitatis, æquitatis, et iustitiæ amantium sunt.

Denique Nicephor. lib. 1. cap. 40. *Ex oculis* (*Christi*) inquit, *subflavescentibus mirifica prominebat gratia; acres ii erant, et nasus longior.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Oculi symbolum vigilantiæ et providentiæ.

Oculi limpidi, cæsii, et cælestes significant eximiam, cælestem, et divinam vigilantiam, et providentiam Christi, qua tum per se, tum per suos Episcopos, Pastores, Prophetas, Doctores, etc. (quales post Constantinum fuere S. Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, etc.) prudentissime gubernant Ecclesiam, singulosque fideles, qui lacte, id est, simplicitate sunt loti et candidati. Hi resident iuxta fontes S. Scripturæ, ut inde puritatem et candorem doctrinæ, vitæque Christianæ hauriant, quam in subditos emanent, et transfundant; unde per oculos intelligunt doctores, S. Greg. Cassiodor. Nyssen. Beda, Iustin. Philo, S. Ambrosius, et alii. Quocirca his ait Christus: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Matth. 10. 16.

Videt ergo per doctores Christus, quid in doctrina vel moribus in Ecclesia corrigendum aut perficiendum sit. Videant igitur ipsi, quam in utroque mundi et sinceri esse debeant, quos Christus in facie sua quasi oculos gestat, ne eam dedecorent et obnubilent. Quare resideant iuxta rivos purissimos aquarum S. Scripturæ, non in cœnosis paludibus, nec in turbidis aquis stagnantibus Philosophorum, hæreticorum, politicorum, etc. ut sacra Biblia potius terant, quam Platonem, Plutarchum, Machiavellum. Horum ergo velut accipitrum umbram et insidias, in limpidis S. Scripturæ aquis pervideant et prævideant doctores, ut eas a se et a cæteris fidelibus docendo et monendo amoliantur. Lacte sunt loti, quia candorem in Baptismo acceptum omni studio conservare satagunt. Unde S. Ambros. in Psal. 118. Octon. 16. ad v. 3. « Baptizat, inquit, in lacte Dominus, id est, in sinceritate. Et isti sunt, qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt et puram fidem deferunt, immaculatam induunt gratiam, ideo candida sponsa ascendit ad Christum, quia in lacte baptizata est, quæ est ista quæ ascendit dealbata? » Cantic. 8. 5. iuxta Septuag. Audi Nyssen. « Hi omnem vitiositatis lippitudinem aqua abluere debent: aqua autem non una est, sed plures sunt aquarum rivi: quot enim virtutes sunt, tot et lustrales aquæ: temperantia lustrat intemperantiam, humilitas superbiam. etc. Si autem oculi ad aquarum copias sunt lati, quæ ob simplicitatem et puritatem columbæ comparantur, lacte loti dicuntur, quia in lacte nulla videtur imago, nulla apparet umbra, et in hisce oculis nihil erroneum, sed ipsa rei veritas absque umbratili aliquo simulacro repræsentatur. Sedentes sunt iuxta copias aquarum ob perpetuam attentionem in discendis rebus divinis: tametsi per id et modus pariter inducitur, quo pulchritudinem oculorum consequi possimus, nimirum semper ad aquarum copias sedendo, non ad fluenta Babylonis, et ea quæ Dei, non quæ mundi sunt quærendo. »

Huc facit versio Chaldæi, licet Iudaica, qui per oculos accipit providentiam Dei erga iustos Hierosolymitas, qui legem eius servant: « Oculi eius, inquit, contemplantur semper Ierusalem, ut benefaciat ei, et benedicat ei a principio anni usque ad finem eius, sicut columbæ quæ stant et aspiciunt ad exitum aquarum, propter meritum eorum, qui habitant in Concilio, qui laborant in lege, et illuminant iudicium, ut sit lene sicut lac, et habitant in domo doctrinæ, et disceptant in iudicio, donec consumment, ut iustificent, vel ut eum condemnent. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta, quæ uni Deo orando et meditando intendit, est oculus Christi, qui non nisi sursum ad cælestia et divina aspicit recto sanctæ intentionis oculo. Vide quæ de hisce oculis dixi c. 1. v. 15. et c. 3. v. 4.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, ait Nicephor. lib. 2. cap. 23. *Oculis erat acribus, subflavas et tamquam oleæ colore pupillas in eis habens.*

Symbolice. Symbolice, columba ob puritatem notat Spiritum sanctum, eiusque septem dona. Ita Cassiodor. Beda, Philo, Theodor. Rupert. Richard. et alii. Unde in specie columbæ Spiritus sanctus descendit in Christum, cum baptizaretur a Ioanne in fluentis Iordanis: quot ergo sunt gratiæ Spiritus sancti in sancto, tot quasi in eo resident columbæ cælestes et divinæ: hæ aquis suis a mente detergunt omnes sordes et maculas, easque lacte suo cælesti alunt et nutriunt. His ergo aquis in puris castisque mentibus incubat Spiritus sanctus, easque fœcundas reddit bonorum operum, ac præsertim ut iisdem aquis alios a peccatis abluant, et quasi lacte pascant.

Porro hæc dona copiosissime requieverunt super Christum, et ab ipso in fideles, sed maiori copia in matrem sunt infusa. Hoc est, quod ait Isaias cap. 11. vers. 1. *Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, etc.* Hinc septem hæc Spiritus sancti dona vocantur oculi Christi, Zachar. 3. 9. Et Apocal. 5. 6. *Vidi*, inquit, *Agnum habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, qui discurrunt super omnem terram.* Vide utrobique dicta.

Vers. 13. Genæ eius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis.

Pro *areolæ*, Hebr. est ערוגה *aruga*, quod Septuag. vertunt *phialæ*. Aquila *sulci*, quibus distinguuntur, et irrigantur areolæ herbarum et florum in hortis. Pagnin. *lineæ sulci*. Arabicus *lacus* vel *piscina*. Syrus: *Strata aromatum*. Noster, Tigurin. Marinus, et Vatab. *areolæ*, quæ ordine pulchro disponuntur et ordinantur: ערך *orach*, enim est ordinare, disponere. Litteræ autem *caph*, quæ est in ערך *arach*, et *ghimel*, quæ est in ערוגה *aruga*, sunt affines, et eiusdem pene soni.

Pro *consitæ a pigmentariis*, Hebr. est מגדלות מרקחים

migdelot merkachim, quod Septuag. vertunt *germinantes unguentaria*, R. David, et Pagnin. *flores aromatum;* Tigurin. *Maxillæ eius similes sunt turribus* (id est *pyxidibus turritis*, quæ quasi parvæ turres esse videntur) *seplasiariæ officinæ;* Marinus: *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum;* Vatablus et Hortulanus; *Genæ eius similes sunt pyxidibus* vel *loculis, quales sunt in officinis vel tabernis unguentariis.* Syrus et Arabicus vertunt ut Vulgata. Forsterus: *Genæ eius sicut turres longinquitatum.* Additque, est genus aromatis, quod a turribus habet nomen, eo quod a longinquo fragret, quasi per metathesin מרקחים *merkachim*, id est, aromatum, vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id est, longinquorum. Alii: *Genæ tuæ sunt sicut confectiones aromatum.* Noster pro מרקחים *merkachim*, id est pigmentariorum, alio puncto legit מרקחים *merokechim*, id est, a pigmentariis. Rursum pro מגדלות *migdelot*, id est, turres, cum Septuag. legit מגדלות *megaddalot*, id est, *consita* crescentes, germinantes.

Genæ similes areolis aromatum.

Comparantur genæ sponsi areolis aromatum; primo in forma, quia sicut areolæ sunt tumidæ et cæteræ terræ eminent, sic et genæ iuvenis sponsi sunt tumidæ, et carnosæ, ac præ oculis, temporibus, et mento exstant eminentque.

I.

II. Secundo, in pretio, quia areolæ hæ sunt non olerum vel herbarum, sed aromatum, sic genæ sponsi sunt pretiosissimæ.

III. Tertio, in dispositione, quia areolæ hæ affabre in rotunditatem compositæ speciem genarum exhibent; unde et subinde ab ossibus maxillarum, ab ovibus, bobus, aliisve animalibus occisis acceptarum pulchre dispositis, circumcirca sepiuntur et cinguntur, quales sæpe in Belgio vidi.

IV. Quarto, in odore, quia aromaticum, id est, efficacissimum et suavissimum exspirant odorem.

V. Quinto, in colore, quia genæ sponsi roseæ sunt, id est, candidæ et rubicundæ, ideoque vermiculatæ, sicut areolæ variis floribus candidis et purpureis vermiculantur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Quinque hasce areolarum et genarum analogias, facile est adaptare ad litteram Christo. Ipsius enim, utpote a Spiritu sancto optime efformati, ac in iuvenili florentique ætate constituti, genæ erant tumidæ, pretiosæ, rotundæ, odoratæ, et roseæ. Alexander Magnus, teste Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totoque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore existentes. Multo magis fragrabat corpus Christi, utpote in quo summa esset humorum harmonia, ac calor optime eos concoquens.

Genæ roseæ Christi signum quinque dotum.

Genæ ergo roseæ in sponsa pudorem et verecundiam virginalem significant; in Christo vero sponso: Primo iuventutis et florentis ætatis sunt signum, secundo honestatis, tertio hilaritatis, quarto ingenuitatis, quinto gravitatis et maiestatis coniunctæ cum lenitate, modestia, et pietate exteriore ab interiore promanante, quæ eum fidelibus summe amabilem æque ac venerabilem efficiebant. Ita Cassiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas, et alii. Christo ergo multo magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico, dicens: *In ipso vultu tuo videbam omnia signa virtutum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone iustitiæ.* Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit sermonem Christi pietate et maiestate plenum, qui instar aromatis præstantissimi omnibus animæ morbis medetur, atque est velut suis areolis distinctus, id est, suis materiis ex ordine dispositus, ac suis locis et temporibus sine confusione et perturbatione enuntiatus: *Laudat sponsa in Cantico Canticorum sponsum suum: Maxillæ eius phialæ aromatum. In maxillis sermo accipitur, qui prolatus a Domino varia unguento depromit, et tanta erit boni odoris fragrantia; ut faciat sibi Dominus flagellum de scripturarum textuum testimoniis, et eiiciat de templo vendentes et ementes, et dicat ad eos, scriptum est: Domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis Gentibus, vos autem fecistis eam domum negotiationis.*

Genæ sunt misericordia et iustitia.

Parabolice, genæ binæ Christi sunt misericordia et iustitia, iuxta illud: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, Psalm. 24. 10. Et: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine*, Psalm. 100. 1. Et: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam*, Psalm. 88. 15. Utraque enim in Christo insignis est, speciosa, adæquata, odorata et efficax instar aromatum. Rursum tres Anonymi apud Theodoretum, per genas et areolas accipiunt divinæ providentiæ rationes, quibus Deus homines aspicit, seque amabilem æque ac venerabilem efficit, ut omnes eum timeant et colant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Genæ Christi sunt virgines, virginumque pudor et prudentia, uti dixi c. 4. 10. Genæ I. Sunt virgines.

Secundo, genæ Christi sunt martyres, qui non erubuerunt coram tyrannis confiteri nomen Christi; sed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio constanter exposuerunt, ac suo sanguine Christi faciem et genas ornarunt et purpurarunt. Ita S. Gregorius. II. Martyres.

Tertio, genæ notant doctores, inquit Nyssenus et Anselmus, qui instar maxillarum cibos spirituales, id est, sacræ Scripturæ sensus mandunt et ruminant, ut eos fidelibus proponant et porrigant. Hi sunt quasi *areolæ aromatum*, id est, quasi terra hortensis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliasque cælestes virtutes, *consitæ a pigmentariis*, id est, ab Apostolis et Prophetis instructi, qui quasi pigmentarii pistillo humilitatis omnia conterunt, et ad sui mundique despicientiam reducunt, uti notat S. Anselm. Unde Hortulanus pro *consitæ* vertens pyxides, et per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quasi in genis et facie Christi, futura ostendere antevertit, intus quidem Sancti Spiritus donis, ceu pyxides unguentariorum optimis unguentis pleni, optimeque niteates, foris vero pudibundi, cum sint ingenuo pudore suffusi, quasi pyxides minio aut purpurisso pictæ rubent. III. Doctores.

Huc facit versio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: *Duæ tabulæ*, inquit, *lapideæ, quas dedit populo suo, scriptæ erant decem lineis, similibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutissimos sensus et suaves. sicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. doctores a Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ et expositæ claritatem et suavitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam utriusque testamenti, quia in eis maxime divini sponsi natura cognoscitur.

Quarto Philo et iustus per genas et areolas accipiunt omnes sanctos aromatibus, id est virtutibus fragrantes, a pigmentariis, id est, a probis prædicatoribus consitas. IV. Omnes sancti.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Christus genarum suarum, id est, honestæ conversationis, modestiæ, gravitatis, pietatis decorem et fragrantiam transfudit in suam matrem, utpote cum qua conversatus est familiarissime a puero usque ad annum ætatis trigesimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap. 3. v. 3. et c. 4. 10.

Vers. 13. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

Pro *primam* Septuag. vertunt *plenam*. Aquila *electam*, Hebr. עבר *over*, id est, *transeuntem*, quæ scilicet per o-

a

mnium manus et ora transit, quia ut prima et probatissima ab omnibus laudatur, expetitur, et comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrha;* Syrus, *myrrham et nardum.* Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob similitudinem Iridis, id est, arcus cœlestis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant deam eloquentiæ. Verum alii flores sunt lilia, alii Irides.

Labia Christi ut lilia ob sex analogias. Labia sponsi comparat liliis, primo ob decorem, quia elegantia sunt ut lilia. Unde lilium est insigne regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni, dicebaturque flos Iunonis, æque ac Nymphis. Unde Propertius:

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Secundo, ob formam, quia leviter repanda sunt ut lilia. Tertio, ob colorem: nam exterius candida, interius rubra et splendida sunt ut lilia, quia in Syria lilia purpurea cæteris excellunt, teste Plinio lib. 21. cap. 5. et Dioscor. lib. 3. cap. 99. Quarto, odore, quia odorata sunt ut lilia, ac suavissimum oris anhelitum exspirant. Quinto, subtilitate, quia tenuia et mollia sunt ut lilia, quod magnanimitatis, et eloquentiæ est indicium cum labia crassa labiorum hebetudinem, et tarditatem iudicandi, dicendique significent. Unde Moses Exodi 6. 12. vocat se incircumcisum labiis, id est, crassiloquum et tardiloquum. Hinc et Sydonius suo Theodorico tribuit: *Labia subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata.* Sexto, lilium sua venustate omnes in sui amorem allicit: sic et labia venusta, quæ speciem habent liliorum miram habent vim persuadendi. Unde Homerus ait, Troianorum legatos eloquentissimos comedisse lilia, et de eloquente et blandiloquo vulgo dicitur: *Rosas loquitur et lilia.* Adde, lilia suavem labiis et ori dant anhelitum, pelluntque venena, idem faciunt labia diserti, piique Oratoris.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Labia Christi lilia per puritatem, stillant myrrham mortificationis. CHRISTUS habuit quinque dotes labiorum iam assignatas, indeque pariter in dicendo, docendo et persuadendo liliaIem candorem, puritatemque, ac miram habuit gratiam et efficaciam. Sensus ergo est, q. d. Eloquia Christi casta sunt, et ad omnimodam corporis mentisque puritatem inflammantia, et crucis mortificationem prædicantia: Labia Christi igitur distillant myrrham primam, quia docent pœnitentiam, continentiam, mortificationem et austeritatem vitæ, quæ concupiscentiæ et carnis voluptatibus e diametro adversatur. Prima enim prædicationis eius hæc fuit vox: *Pœnitentiam agite;* item: *Beati pauperes spiritu. Beati qui lugent. Beati qui persecutionem patiuntur. Diligite inimicos vestros et benefacite his, qui oderunt vos,* Matth. 5. Ad hæc: *Non veni pacem mittere sed gladium. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Matth. 10. Ita Cassiodor. Beda, Theodor. Rupert. et alii. Ex adverso mundus et caro labiis suis distillant mel voluptatis, iuxta illud Proverb. 5. 3. *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur illius: novissima autem illius amara sunt ut absinthium, et acuta quasi gladius biceps.*

Symbol. Symbolice, labia Dei Patris similia liliis, sunt Filius incarnatus, et Spiritus sanctus: hi enim Dei Patris voluntatem, puritatem, sanctimoniam nobis annuntiarunt, et instillarunt per myrrham mortificationis et pœnitentiæ.

Lilia symbolum spei. Rursum lilia symbolum sunt spei, tum quia lilia sicca vivunt, crescuntque in spe cœlestis solis et pluviæ: inde enim assidue hauriunt suum succum, odorem, pulchritudinem, incrementum: tum quia lilia eximie florentia prænuntia sunt futuræ fertilitatis, ait Themistius. Unde Virg. 6. Æneid.

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

Vide Pierium Hierogl. 55. c. 9. Sic prædicatores habent labia liliata, quia prædicant futuram felicitatem et gloriam, ac proinde eius intuitu et spe incitant homines ad capessendam myrrham, id est, amaritudinem omnem huius vitæ, quæ via est ad gloriam.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

ANIMÆ sanctæ et puræ ut lilia, sunt quasi labia Christi, quia per illas ea, quæ salutis sunt, puta cœlestia et divina, eloquitur et operatur Christus, qui in eorum mente habitat. Unde Chald. vertit: *Et labia sapientum qui laborant in lege fluunt sententiis ex omni parte, et eloquium oris eorum sicut myrrha electa.* Maxime vero labia Christi sunt prædicatores, ait S. Gregor. Nyssen. Philo, Beda, Rupert. et alii. Hi dicuntur lilia, tum ob candorem vitæ, tum quia prædicant Christi puritatem, innocentiam, sanctimoniam, eiusque pariter stillant myrrham, id est, mortificationem. quæ mentes a putredine concupiscentiarum, et peccatorum instar myrrhæ conservat: *Quia Christi passionem loquuntur,* ait S. Ambros. libr. de Instit. Virg. cap. 14. *ac mortificationem illius in sua corpore circumferunt,* 2 Corinth. 4 12. Myrrha enim prima est passio Christi, ait Richard. Unde Paulus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum,* 1. Corinth. 1. 23. Rursum myrrha prima est patientia in tormentis, ait Philo, et martyrium: hæc enim prima est dignitate: *Quia nullus sic mortificatur, quomodo ille, qui pro Christo martyrio finitur,* ait S. Greg. Addit Lucas Abbas, labia Christi esse confessarios, quia per illos loquitur Christus ad cor pœnitentium, eisque myrrham pœnitentiæ vitæque austeræ instillat, ut vitia emendent, et emendata conservent.

Nota τὸ *distillantia* significat pretium horum labiorum et myrrhæ, scilicet labia prædicantia et instillantia pœnitentiam, mortificationem, et tribulationem et martyrium, nobis communicare passionem Christi, adeo enim hæc pretiosa sunt, ut non instar aquæ profundantur, sed instar myrrhæ, per guttas distillent, et a Christo colligantur, ne vel punctum earum dispereat. Hoc est, quod ait S. Petrus: *Communicantes Christi passionibus gaudete,* 1. Petr. 4. 13. Et Paulus: *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra,* 2. Cor. 1. 5.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

De labiis B. Virginis dixi c. 3. v. 3. de myrrha cap. 1. 13. Breviter sic labia Deiparæ pingit Niceph. l. 2. c. 23. *Labia,* ait, *florida et verborum suavitate plena.*

VERS. 14. MANUS EIUS TORNATILES AUREÆ, PLENÆ HYACINTHIS.

TORNATILES.) Hoc est, ut Septuag. τορευταὶ, id est, *tornatæ,* hoc est, affabre elaboratæ, ideoque rotundæ, politæ, concinnæ, elegantes. Hebr. est, גלילי זהב *ghelile zahab,* id est, *revolutiones, rotunditates vel circuli aurei;* Tigurin. *Manus eius orbes* (Vatabl. *annuli*) *aurei, habentes inclusum hyacinthum;* Marinus: *Manus eius sunt,* vel potius *habent annulos aureos,* in digitis in *quorum talis inclusi erant hyacinthi.* Annulos enim aureos in signum decoris, sapientiæ, et maiestatis gestant coniugati et reges, qualis hic est sponsus. Verum quia non dicit digiti, sed manus, hinc videntur non soli digiti sponsi, sed et ipsæ manus vocari *tornatiles auri,* quia ita affabre erant elaboratæ, politæ, perfectæ, ut aurum torno elaboratum referre viderentur: opus enim tornatum est ad amussim circinatum, et perfectum, in quo nil est, quod elimes vel deleas. Sic ab Horatio vocantur versus tornati, id est, plene elaborati et perfecti, quibus nil addas vel demas. Si-

mili modo vocatur teretes digiti, id est, tornati et rotundi in quibus nihil est exuberans, nodosum, asperum, scabrum. Manus ergo tornatiles sunt carnosæ, succulentæ, molles, plenæ, politæ, perfectæ, in quibus nulla est asperitas, scabrities, macies, nodositas, durities, etc.

Pro *hyacinthis*, uti vertit et Symm. Hebr. est תרשיש *tarscis*, quod mare, et gemmam marini coloris significat. Noster alibi passim vertit chrysolithum, qui est partim aurei, partim marini coloris. Ita vertit Exodi 28. 20. et cap. 39. 13. Ezech. 10. v. 9. et cap. 28. 13. Sic et Aquila et Sexta editio. Septuag. vero *tarscis* in Exodo vertunt *chrysolithum*, in Ezechiele vero *carbunculum*. Nimirum apud Hebræos nomina gemmarum, arborum, animalium communia sunt multis, pluresque eorum species significant.

Hyacintho moderni sunt chrysolithi.

Quamquam hic per hyacinthos accipi possent chrysolithi. Licet enim priscorum hyacinthi fuerint sapphiri, qui cælestis sunt coloris; unde mox venter sponsi hic dicitur distinctus sapphiris; tamen moderni hyacinthi (qui scilicet vulgo iam vocantur hyacinthi) cum sint coloris aurei et mellei, vere chrysolithi sunt, uti ostendi Apocal 24.20. in hyacintho; chrysolithus autem est aurei et vitrei, id est, marini coloris, quia enim aureus color in eo non opacatur, sed pellucet, hinc quasi vitreus est et marinus.

Porro Sept. hic vocem hebræam *tarscis* retinent, vertuntque *plenæ tarscis*. Arabicus; *plenæ auro tarscis*; Syrus *lapidibus auri*. Iam Chald. per *tarscis* accipit duodecim gemmas, iudices duodecim tribuum Israel. Sic enim vertit: *Et duodecim tribus Iacob servi eius, dispositæ erant per circuitum in lamina coronæ aureæ sanctæ, sculptæ in duodecim margaritis cum tribus patribus mundi, Abraham, Isaac, et Iacob: Ruben sculptus erat in lapide sardio, Simeon in lapide topazio, Levi in sapphiro, Iuda in carbunculo, Issachar in smaragdo, Zabulon in iaspide, Dan in beryllo, Nephtalim in achate, Gad in amethysto, Aser in chrysolitho, Ioseph in onychino, Beniamin in ligurio, qui similes erant duodecim signis cælestibus lucidi sicut lampæ, et politi in operibus suis sicut elephantis, et splendentes sicut gemmæ.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Manus Christi tornatiles, id est elegantes.

Ad litteram significantur Salomonis, ac magis Christi manus fuisse nitentes, elegantes et quasi torno politas, hoc est, delicatas et molles quales habent ingeniosi et liberales, digitis paulo longioribus, et invicem distantibus orbiculis, vel articulis digitorum generosis; ad hæc brachiis paulo diductioribus, qualia habuisse Alexandrum Magnum, Artaxerxem, Darium, qui longimani fuere tradunt Strabo cæterique historici. Ita Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis cap. 4. num. 10.

Symbol. Manus, id est, opera Christi ornata et perfecta.

Symbolice, manus est Christus, eiusque operatio et beneficentia divina. Manus enim dicitur *a manando* quod manat e brachio, et ex ipsa manent digiti; sic Christus qua Deus manat a Patre, et ex eo manat Spiritus sanctus auctor bonorum omnium. Hæ manus Christi sunt tornatiles, id est, opera Christi sunt undique, omnique ex parte polita et perfecta, ita ut nil eis possis adimere vel addere, iuxta illud: *Confessio et magnificentia opus eius.* Psal. 110. 3. Et illud: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Marci 7. 37. licet enim Pharisæi assidue per dies et noctes non aliud cogitarent, quam calumniari opera Christi, in eisque aliquem nævum invenire, tamen nullum reperire potuerunt. Unde Glossa interlinearis: *Manus* Christi *tornatiles*, hoc est, inquit, *in nullo reprehensibiles.*

Tornatiles, id est, versatiles ad omne bonum.

Maxime vero manus Christi dicuntur *tornatiles*, id est versatiles גלל *galal* enim est *volvere, versare, revolvere*, et agiles ad omne bonum omnemque beneficentiam, ait Iustus Orgel. quia assidue se versabant et volvebant ad varia et omnigena opera misericordiæ; nunc enim suscitabant mortuos, nunc illuminabant cæcos, nunc multiplicabant panes, nunc aquam mutabant in vinum, nunc Eucharistiam dabant, etc. Tales debent esse manus Christianorum, quales fuere B. Theresiæ, quæ votum edidit se in omni opere facturam id quod foret melius et perfectius. Manus ergo Christi tornatiles ad omne bonum indicabant latentem in eis omnipotentiam, et beneficentiam divinitatis.

Addit Cassiod. Beda, et Rupertus, tornatiles dici ob velocitatem operandi et benefaciendi, quia quod torno fit, velocissime fit. Nam *bis dat, qui cito dat.*

Sunt *aureæ*, quia plenæ charitate, ut quæ manant a divinitate, quæ rebus omnibus eminet, uti aurum cæteris metallis. Unde S. Gregorius: *Manus Christi sunt aureæ*, inquit, *quia quidquid exterius operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur.*

Ungues Christi hyacinthini.

Sunt *plenæ hyacinthis*, scilicet ungues digitorum in carne Christi rosei, et quasi pellucentes erant, velut hyacinthi in annulo. Manibus ergo Christi pulcherrimis venustatem addunt, ait Pineda, ungues instar gemmarum, florumve purpurascentium, qui non lividi aut obscuri, non pallidi, nigri, recurvi, quales rapacium, lividorum et malignorum; sed subtiles, delicatiores, pellucidi, paulo latiores, et sanguinem, animumque clariorem delitescentem purpureo nitore repræsentantes.

Unde Polemon: Ungues, ait, lati, albi, et subrufi indices sunt boni ingenii; item animi liberalis et benefici, adeo ut se depauperet, ut alios locupletet, uti fecit Christus pauperrime natus in stabulo, et vivens in mundo, ut nos sua paupertate ditaret, ut ait Apost. 2. Corint. 8. 9. Hoc notat Hebr. *tarscis*, quod derivatur a רשש *rascias*, id est, depauperavit; hinc Pineda vertit: *Manus eius* (adeo liberales, et omnia erogantes) *plenæ sunt tarscis*, id est, paupertate.

Symbolice, manus Christi plenæ sunt hyacinthis, quia opera Christi erant cælestia, ait Angelomus, ac homines ad spem et amorem cælestium excitarunt: hyacinthus enim cælestis est coloris.

Rursum, hyacinthi significant opera Christi, cur scilicet tali loco, tempore, modo, etc. fierent, fuisse plena cælestibus, divinisque rationibus, consiliis, intentionibus, quod nimirum omnia faceret ad gloriam Patris, et ut homines excitaret ad bona cælestia ambienda, promittendo eis vitam æternam, si suam doctrinam, et vitam sequerentur. Psaltes canit Ps. 110. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio iustorum et congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Et Ps. 138. 14. *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.* Ita S. Gregorius, Cassiodor. Philo, Beda, Iustus, Rupertus, et alii.

Symbol. Concentus operum Christi.

Addit Theod. « Manus, inquit, eas virtutes vocat, quæ in actione consistunt, quas omnibus officiis sigillatim ita diligenter excoluit, ut inde veluti concentus quidam resultaret. Quamobrem ad Ioannem: Sine, ait, modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Aureas appellat, ut pretiosas et eximias; sed et Tarscis propter auri præstantiam posuit; illinc enim dicit Scriptura sincerum et purum, ac probatum aurum deferri. »

Allegor.

Allegorice Philo Carpath. hæc applicat manibus Christi crucifixi: « Tunc, inquit, tornatiles factæ sunt Christi manus, quando is illas extendit in cruce, quando ex clavis perforatæ fuerunt, quæ ob Christi divinitatem, puritatem, atque potentiam aureæ dicuntur; plenæ vero dicuntur tharsis ob multitudinem Gentilium conversorum. Tarscis enim, inquit Philo, conversio gaudii interpretatur; et cum Christus in cruce manus extendit, Gentium Ecclesia magno cum gaudio conversa est. »

Addit Cassiodor. manus Christi sanguine purpuratas fuisse similes flori hyacintho, qui est purpurei coloris. Verum hic hyacinthus gemmam, non florem significat; sed et inter gemmas sunt hyacinthi rubescentes, teste Dioscor. qui repræsentant sanguinem Christi. Adde Hebr. *tarscis* a Septuag. in Ezechiele verti *carbunculum*. Si sic hoc loco vertas, dicas Christi manus plenas fuisse tot carbunculis, quot insignitæ erant plagis vibicibusque funium et flagellorum.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Eleemosyna sit tornatilis, id est, pura et perfecta

Manus Christi tornatiles sunt manus fidelium, quæ vacant actioni, instar sanctæ Marthæ, puta eleemosynis cæterisque operibus misericordiæ, unde olim manus Christi et Ecclesiæ erant S. Stephanus cæterique Diaconi; per hos enim bona Ecclesiæ in fideles et pauperes distribuebantur. Hæ manus debent esse *tornatiles*, ut nil in eis sit vitiosi affectus vel respectus, sed undequaque sint perfectæ virtutis, ut sint opera torno, id est æternitati elaborata. Æternitas enim est circulus, in quo nihil inæquale est, nihil eminet vel deficit, sed omnia in orbem perfectum eunt, et eodem redeunt. Qui ergo dat eleemosynam, illam dat æternitati, Deoque æterno, ut ab homine non quærat retributionem, sed a solo Deo immensam et sempiternam; sic habebit eleemosyna colorem hyacinthi, Hebr. *tharsis*, qui nil habet terrenum, sed ab omni fæce terrena torno quasi resectus et politus, totus est lucidus et cælestis, ait Nyssenus: unde horum manus sunt *aureæ*, quia lucent per divinam sapientiam, et *plenæ hyacinthis*, quia quidquid agunt, id agunt spe et amore bonorum cælestium, non terrenorum, ait Richard. Victor.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Omnia hæc adaptes B. Virgini, quales enim fuere manus Christi, tales fuere et B. Virginis, imo ipsa in utero manus Christi iuxta suas efformavit. Unde Niceph. lib. 2. cap. 23. docet B. Virginem manus et digitos habuisse longiores quales sunt tornatiles; et tales nobis exhibent imagines Deiparæ a S. Luca depictæ, quas Romæ in Basilica S. Mariæ maioris, et in templo B. Virginis in via lata, etc. conspicimus, et veneramur. Quocirca Dionys. Carthus. libr. 1. de Laud. Virg. art. 35. « A planta, inquit, pedis usque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum, imo totum fuit divinæ sapientiæ circino formatum, pulcherrime circumcisum ab omni superfluitate, plenissime ac speciosissime operatum. Nempe sicut Christi humanitatem propter eius personalem cum Deo unionem decuit omni perfectione naturæ et gratiæ perfulgere, ita ipsius genitricis personam post unigeniti sui humanitatem, oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo coniunctionem non est alia tam vicina, ut unio matris Dei cum Deo filio suo. »

Manus Virginis manus Spiritus sancti.

Rursum manus, id est, omnia opera B. Virginis erant tornata, id est, exacta et perfecta, aurea per charitatem, hyacinthina per cælestium desiderium, imo manus eius erant quasi manus Spiritus sancti, qui per manus eius operabatur. Spiritus sanctus enim est digitus et manus Dei Patris et Filii; hi enim per Spiritum sanctum opera sanctitatis in hominibus et angelis operantur; unde Christus ait: *Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Lucæ 11. 20 *In digito Dei*, id est, *in spiritu Dei*, uti explicat S. Matth. 12. 28. puta vi et virtute Spiritus sancti.

Denique manus B. Virginis sunt tornatiles, id est, versatiles, agiles, et expeditæ ad præstanda quævis beneficia, hominibus præsertim devotis eam colentibus et invocantibus, uti exempla innumera testantur.

Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

Hebr. *Viscera eius*, עֶשֶׁת *escet*, id est, *nitor, candor, polities eboris* (Marinus *ebur perpolitum*, R. Abraham, *vas eboris*, S. Hieron. in c. 2. Ezechiel. *tabula eburnea*) *coopertus sapphiris. Viscera*, id est intestina, puta venter, qui continet cor, iecur, hepar, etc. Septuag. *Venter eius pyxis*, vel *tabula* (utrumque enim significat πυξίον) A *eburnea super lapidem sapphirum*, vel *in lapide sapphiro*. Arabicus: *Venter eius ut tabula eburnea* (Syrus *opus eburneum*) *in gemma succini et margaritarum*. Pagnin. *Venter eius ut candidum ebur, obductus sapphiris*. Vatablus: *Viscera eius ut alabastrum eburneum contectum sapphiris.*

Per ventrem ergo totum pectus, cum visceribus accipe. Sapphirus gemma est cærulei sive cælestis coloris, aureis punctis quasi stellis collucens, ait Plinius l. 37. c. 2. Vide plura, quæ de sapphiro dixi Apocal. 21. 19.

Grammatice hæc de Salomone, qui typus, imo parens fuit Christi, ita exponit noster Pineda l. 6. de Rebus Salomonis, c. 4. num. 7. Pectus et thorax, in quo vitalia omnia candida velut pyxidicula eboris, aptissima forma effictа ad servanda viscera, cor, vitalia omnia; si quid enim vitii foret in pectore, dorso, costis, et aliis partibus, quæ circa cor sunt, insigniter dehonestaret pulchritudinem corporis et morum: ergo quemadmodum pyxidicula non est valde lata, non stricta nimium, et neque nimium crassa, B neque nimium gracilis; ita sane pectus sponsi ventre paulo laxiori refert ventrem pyxidis, pectore vero strictiori refert partem superiorem pyxidis paulo angustiorem. Aristot. ad Alexandr. *Mediocritas ventris et pectoris strictura significat altitudinem intellectus, et boni consilii*. Itaque neque habuit pectus valde carnosum, neque fuit ventricosus, quæ sunt hebetum, inertium et minime solertium; non nimium gracile, nimiumque strictum, quod pusillanimium, sed idoneum sapientiæ et cordis domicilium; tum et ventrem ad partem cinguli castigatum, ut strictius cingi posset, quod animosorum et solertium, et qualem Sidonius in suo Theodorico: *In succinctis regnat vigor ilibus, etc.* Et rursus in Panegyr. Maiorani: *Angustam suspendit baltheus alvum*; Et vero quid in pectore sapphiri? certe si ad naturæ ornamenta referantur, erunt in candido pectore nævi aliqui; quis enim sine nævo etiam perfectissimus: si tamen homo? at nævi in sponsa videbantur sapphiri, et maculæ illi erant lumina; quare et de illo dici C potuit:

Nullus in egregio corpore nævus erat.

Forma pectoris in Salomone, et Christo

Rursum pectus continens ventrem in Christo erat nitidum ut ebur et alabastrum, idem tamen pulchre inspersum erat venulis ac musculorum et costarum umbris liventibus, et quasi lucentibus, ita ut sapphiris interpunctum et distinctum videretur. Alii cum Lyrano et Aben Ezra ventrem intelligunt non nudum; hunc enim ostendere vel pingere coram puellis adolescentulis, ad quas hic est sermo, inverecundum videtur, sed tectum et vestitum, vel zona eburnea sapphiris distincta, ut vult Aben Ezra, vel simili ornamento; sicut reges Persarum medium vestis purpureæ albo, et quasi eburneo intexebant, teste Curtio, uti censet noster Sanchez; unde Gislerius: Thorax, inquit, quo sponsus induebatur erat candidus instar eboris, sed segmentis sericis coloris cærulei ornabatur, ita ut sapphiris distinctus videretur; aut q. d. Thorax erat albus nitidusque ut ebur, sed zona sapphiris plena cingebatur. Malim ego utrumque iungere, scilicet laudari Sa- D lomonem tum a pectore candido, sed venulis velut Sapphiris inspersо; tum a thorace pectus vestiente pariter candido, sed sapphiris distincto: hunc enim videre poterant adolescentulæ, q. d. Qualis est vestis sive thorax sponsi, tali pariter est eius pectus. Unde Pineda libr. 6. de Rebus Salomonis cap. 5. docet vestes Salomonis fuisse auratas, sed intertextu liliorum candidatas et liliatas.

Plus satis hæc de cortice litteræ quoad speciem ventris, ne homines animales in ventrem proni, hic carnalia cogitent et concipiant. Ad spiritum ergo et spiritualia transeamus.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Venter, id est, pectus et viscera Christi, notant Christi passiones et affectus omnes internos fuisse puros et can-

Venter, id est, affectus omnes Christi compositi, puri et cælestes.

didos, castos et virgineos, æque ac osseos et fortes instar A eboris, imo divinos et cælestes instar sapphiri, ita ut nulla in eis esset inordinatio, perturbatio, pugna, vel luctа, æque ac nulla debilitas vel infirmitas, sed omnes sinceri forent, compositi, constantes et solidi. In visceribus enim est hepar, in quo residet sanguis, indeque appetitus concupiscibilis, ejusque affectus et concupiscentiæ; et fel, in quo residet cholera, ideoque appetitus irascibilis, ejusque iræ et indignationes; et splen, in quo residet humor melancholicus, indeque tristitia; et cor, in quo residet vitalis spiritus indeque sapientia, q. d. In corpore Christi omnia viscera, indeque omnes affectus, tam facultatis concupiscibilis, quam irascibilis erant puri, et candidi, ideoque inter se compositi, pacifici, constantes, et firmi, quia omnes regebat sapientia cordis, quod ipse in pectore regium et divinum gestabat. Hinc erat distinctum sapphiris, id est, cælestibus cogitationibus, desideriis et intentionibus, ut quidquid cogitaret, diceret, ageret, cælum et Deum, Deique gloriam ac hominum amorem spectare videretur. Sapphirus enim est gemma cælestis coloris, aureis guttis interlucentibus. Quocirca Christus non erat tristis, ut ait Isaias c. 44. 4. nec in risum effusus, sed moderate lætus, non iracundus, nec phlegmaticus, sed moderate gravis, etc. adeoque totus compositus et cælestis, ut non tam homo, quam Angelus esse videretur. Ita Nyssenus hom. 14. Cassiodor. Beda et alii.

Venter, sunt viscera misericordiæ.

Hinc multi per Christi ventrem, vel, ut Hebr. est, viscera, accipiunt Christi misericordiam: hujus enim sedes et symbolum sunt viscera: unde in commiseratione viscera commoventur, q. d. Venter et viscera Christi sunt quasi pyxis eburnea misericordiæ, in qua contra omnes miserias remedia et pharmaca efficacissima continentur, quæ ipse in miseros quoslibet se invocantes, imo sæpe non invocantes, sed incurios et incogitantes effundit, ut eos mentis sanitati, sanctitatique restituat. Christi ergo venter est quasi unguentarium narthecium continens medicinas, aromata et unguenta omnis generis, ad sanandas quaslibet corporis et animi ægritudines. Hoc est quod Zacharias in C ortu Joannis Baptistæ, qui Christi fuit præcursor et index, canit de Christo jam in Virgine incarnato: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

Symbol. I. Symbolice, primo, filius quo Deus Deitatem a Patre accepit, est quasi pyxis divina, in qua Deus omnia sua divina attributa collocavit, juxta illud: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Ps. 109. Uterus enim sive venter Dei Patris est mens et sapientia, qua Verbum concepit, id est filium ab æterno generavit. Ita Joannes Carmelita: *Verbum æternum*, inquit, *rerum universarum rationes in ore cujusdam uteri receptas habens, est velut venter candidus, levis et prægnans, et in eo quasi plures sapphiri, distinctæ rerum rationes lucent.* Sic et Almonacirius.

II. Secundo, humanitas Christi licet ex natura sua carnea, terrea, atra et infirma, in Christo tamen per gratiam Spiritus sancti et inhabitantem divinitatem facta est, quasi ebur, candida per innocentiam et virginitatem; ossea et fortia per constantiam et robur divinum, juxta illud Hebr. 4. D 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato: oportebat enim ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cælis factus.* Ita Cassiodor. Beda et Rupertus, qui sic explicant, q. d. *Fragilitas quidem in illo substantiæ mortalis vera erat, sed hæc lasciviæ mortalitatis penitus expers, divinorum potius operum splendida clarescit insignibus; et bene distinctus hic venter sapphiris asseritur, quia inter passiones assumptæ humanitatis crebra exhibebat indicia perpetuæ divinitatis.* Hinc aliqui per ventrem Christi accipiunt plebem Christianam, quæ tenera est, crassa et rudis ut venter; hæc tamen per gratiam Christi fit candida et robusta ut ebur, ac spiritualis et cælestis ut sapphirus. Sicut enim per Christi caput prælatos, per comam religiosos, per labia prædicatores, per genas virgines; sic per ventrem accipit fideles plebeios præser-

A tim conjugatos, qui in conjugio servant candorem pudicitiæ et fœcunditatem conjugii, ut proles Christo generent et educent. Venter enim sedes est generationis et virtutis generativæ. Conjuges ergo distincti sunt sapphiris, qui cælestia cogitant: divisi igitur sunt, qui partim carni, partim Deo serviunt. Ita S. Anselmus, Richardus de S. Victore et Cosmas Damianus.

Venter Christi sunt conjugati.

Anagog. Anagogice S. Gregorius per ventrem Christi accipit ejus mortalitatem, per ebur immortalitatem, quam sibi et nobis promeruit: *Ebur quippe*, loquit, *valde durabile os habetur, et in ornamenta regum assumitur. Venter ergo Christi eburneus esse dicitur, quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam patriæ sui Regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur.* Et post nonnulla: *Qui vero in ornamento regum assumitur: quia quisquis carnis suæ rex et Dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate et resurrectione, amore cognitionis, et spe immortalitatis ornatur, unde alibi dicitur: Qui gloriatur, in Domino glorietur; sed venter* B *distinctus sapphiris esse perhibetur, quia in nostra corruptione, quam portavit, cælestia opera per miracula, quæ faciebat, passionibus nostris inseruit.*

Mystice. Mystice tres Anonymi apud Theodor. per ventrem accipiunt sapientiam Dei, quæ cum in se sit cælestis et divina ut sapphirus, tamen a Deo impressa, et quasi descripta est in hoc universo a se creato, velut in tabula eburnea purissima et nitidissima.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima pia sua agat polite.

Anima sancta habet pectus et ventrem eburneum, cum omnes animæ appetitus juxta rationem et legem Dei ordinat, componit et corroborat, imo excolit et expolit. Hebr. enim עשׁת *escet* significat nitorem et opus politum, quale C est ebur: hoc enim nitidissimum et politissimum est. Animæ ergo sanctæ student, non tantum honeste et sancte, sed et polite ac eleganter omnes suos affectus in mente componere, in eaque omnia opera sua disponere, ut licet communia faciant, quæ et cæteri, tamen præ cæteris in actionibus eorum relucеat quædam singularis elegantia et gratia, ut opus commune in eis politum, singulare et eximium esse videatur, juxta illud: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Eccles. 33. 23. Ita videmus in religione nonnullos accuratos et insignes, qui in vita communi et regularum observatione excellunt. Singula enim obeunt mira alacritate, dexteritate, elegantia, perfectione, ut etiamsi idem agant quod alii, tamen præ illis excellant, imo novum quid et singulare agere videantur, quia commune agunt novo quodam et singulari modo ac decoro.

Stimuli. Cogita, quam polite, exacte, ac concinne in omnibus suis actionibus clerici serviunt Pontifici, aulici imperatori, famuli principi et regi: quid ergo te facere decet, qui servis divinæ majestati, quæ est Rex regum, et Dominus D dominantium? Apelles rogatus cur tam morose et exacte pingeret? respondit: *pingo æternitati:* ita et tu agis, et vivis æternitati; vide ergo ut opus tuum sit nitidum ut ebur, frigidum ut sapphirus, quod in æternum coram Deo et Angelis resplendere oportet. Cogita qua venustate, quo decore Deo ministrant Archangeli, Cherubini et Seraphini, eadem et tu ministra eidem Deo; quod enim Angeli agunt in cælo, hoc tu agis in terra.

Cor justi tabula eburnea.

Hinc Nyssenus legens ex Septuaginta: *Venter sive tabella eburnea in lapide Sapphiro;* docet cor justi esse tabulam, in qua descripta est lex Dei quasi in ebore et sapphiro, id est, in mente purissima et cælesti. Huc accedit Theodoretus, qui pro *tabula* vertens *pyxidem* (utrumque enim significat Græcum πυξίον) per eam accipit sacram Scripturam, quæ profunda est instar pyxidis ob mysteria arcana, quæ continet; at Philo Carpath. qui per pyxidem eburneam accipit legem veterem, per sapphirum vero legem novam, quæ tantum præcellit veteri, quantum sap-

phiris eburi. Addit Philo ventrem esse mentem iusti, in qua quasi in pyxide eburnea nitidissima, eloquia sacræ Scripturæ et sapientiæ divinæ recondita sunt.

Symbol. venter eburneus sunt prædicatores.

Symbolice Iustus et Lucas Abbas per ventrem eburneum accipiunt prædicatores, quia ipsi et multi alii per omnia hæc emblemata capitis, comæ, genarum, labiorum, etc. accipiunt prædicatores, qui prædicando Ecclesiam propagant. Verum hoc nimis generale et amplum videtur; quare præstat hæc dispertiri et singula singulis statibus apposite accommodare: quid enim habet venter commune cum prædicatoribus? nisi dicas in ventre esse pulmones, qui quasi folles spiritum subministrando, formationi vocis et consequenter prædicationi subserviunt, aut prædicatores cibum verbi Dei in mente ruminare, ut eum fidelibus prædicando dispertiant, sicut esca in ventre concoquitur, et concocta per membra distribuitur: unde hoc ventris apologo Menenius Agrippa plebem a senatu dissidentem illi reconciliavit Romæ in monte Aventino.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

B

Qualis Christi, talis B. Mariæ Virginis venter.

Si Christi venter est eburneus distinctus sapphiris, ergo et talis fuit venter B. Virginis, utpote ex quo totus Christus quantus quantus prodiit; quocirca omnes eius cogitatus et affectus, indeque prodeuntes actiones, erant candidissimi et purissimi ut ebur, ac fulgidissimi ut sapphiros. Addit Rupertus ventrem et carnem Christi (ac consequenter et B. Virginis) mundiorem fuisse carne cæterorum hominum, quia ipse fuit pulchritudo generis humani: *Vere pulcher*, ait, *et decorus venter eburneus: quia sicut ebur magni corporis, scilicet elephantis, tota pulchritudo totumque pretium est: sic iste venter, videlicet humanitas sive caro, quam ex genere humano assumpsit, totius mundi, maximeque generis Abrahæ, de cuius semine nasci voluit, decus et gloria est. Pulchrius nimirum atque pretiosius est ebur carne vel corpore reliquo, de quo eamptum est; et nihilominus caro dilecti huius pulchrior, mundior et incomparabiliter sanctior est omni massa, cuius ex semine sumpta est.* Subiicit deinde quod exinde B. Virgo fuerit *mater in conceptu intacta, in partu et post partum illæsa et integra.* Per sapphiros accipit Christi virtutes et miracula, quibus licet patiens in carne et crucifixus, suam tamen divinitatem orbi ostendebat. Nam *dum compungeretur*, inquit, *hic venter clavis et lancea militis, cælum obscuratum est, et tenebræ factæ sunt, et velum templi scissum est, et terra mota est, et petræ scissæ, et monumenta aperta sunt.*

Sapphyri, sunt Christi virtutes.

C

Vers. 15. CRURA ILLIUS COLUMNÆ MARMOREÆ, QUÆ FUNDATÆ SUNT SUPER BASES AUREAS. SPECIES EIUS UT LIBANI, ELECTUS UT CEDRI.

Hebraice פז *paz*, id est, ex auro *paz* vel *uphaz*, quod erat præstantissimum, ut superius dixi.

D

Parius lapis unde dictus.

Pro *marmoreæ* Aquila et Theodotion vertunt, *Pariæ*; Paros enim insula est una ex Cycladibus, ex qua Parius lapis marmoreus candidissimus et præstantissimus eruitur: unde Virgilius 1. Æneid.

Pariusve lapis circumdatur auro.

Crura sponsi commendat a candore, rectitudine, iusta crassitudine et robore, quod candida sint, recta, crassa et robusta instar columnæ e marmore et Pario lapide; illaque adolescentulæ facile videre poterant, quia olim veteres Hebræi, Græci et Romani sine femoralibus et tibialibus nudis incedebant tibiis et genibus, sed plantam dumtaxat pedis tegebant calceis, sive sandaliis, quæ *caligas* vocabant, uti ostendi Actor. 12. 8. ad illa: *Calcea te caligas tuas.* Sponsus ergo tibias habebat candidas et fortes, ut viderentur esse binæ columnæ Pariæ fundatæ super bases aureas, id est super pedes, qui quasi fulcra et bases sunt tibiarum; pedes, inquam, vestitos et ornatos

Prisci incedebant nudis tibiis.

A

calceis auratis, sive auro gemmisque distinctos. Veteres enim calceos auro gemmisque decorasse docet Plinius lib. 9. c. 35. et l. 37. cap. 2. Sic Demetrium auratis incessisse calceis testatur Plutarch. in eius Vita, Heliogabalum eisdem addidisse gemmas testatur Lampridius, Diocletianum Eutropius, Carinum Vopiscus.

Prisci calceis induebantur deauratis.

Porro crura instrumenta sunt incessus; quare crura marmorea fundata in basibus, id est pedibus et calceis auratis, significant incessum gravem, elegantem et regium qualis erat Salomonis, in quo scilicet sit *species auctoritatis et gravitatis vestigium*, ut ait S. Ambr. l. 1. Offic. nam ut ait Eccles. cap. 19. 27. *Ingressus hominis enuntiat de illo*, et internam animi gravitatem, vel levitatem, prudentiam, vel stultitiam, virtutem, vel vitium significant.

Incessus instrumenta sunt crura.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

B

CRURA symbolum sunt ingressus et progressus; significant ergo Christi itinera, incessus et profectiones, quibus per se Iudæam, per Apostolos vero et viros Apostolicos, omnes gentes evangelizando obivit et circumivit, fuisse puras, rectas, fortes et validas; ita ut nemo eas sistere, remorari vel impedire posset: Christus enim sua vi et potentia omnes Evangelii hostes, remoras et impedimenta disiecit, adeoque ipsos tyrannos et principes illi obsistentes ad se convertit et Christianos effecit. Horum enim Christi pedum bases erant aureæ, quia innixæ divinitati eiusdem (hanc enim repræsentat aurum) eiusque divinis consiliis, decretis et prædestinationibus æternis et immobilibus.

Crura notant itinera Christi pura et valida.

Hinc multi per columnas basce accipiunt Apostolos et viros Apostolicos, qui quasi pedes Christum detulere per totum orbem, adeo fortes et robusti, ut columnæ marmoreæ esse viderentur, fundatæ super bases aureas, tum Christi, Ephes. 2. 20. tum charitatis; charitas enim est quasi aurum solidissimum, quod pedes hosce suffulcit, eosque robustos et invictos instar marmoris efficit. Ita S. Gregorius Nyssenus, Philo et S. Ambrosius in Psal. 118. ser. 5. Hinc Apostoli vocantur *columnæ et fundamenta Ecclesiæ*, Galat. c. 2. v. 9. Ephes. 2. 20 se nominatim S. Petro (de quo hæc accipit Theod.) promisit Christus: *Tu es Petrus, et super hanc* (id est super te) *petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18.

Apostoli per columnas significantur.

C

Symbolice, duo crura Christi sunt misericordia et iustitia; misericordia enim convertit et beavit credentes, sibique obsequentes; iustitia reprobavit et damnavit incredulos, sibique inobedientes. Rursum iustitia castigavit senescentis Ecclesiæ defectus, ut illam priori nitori et sanctitati restitueret. Agitur enim hic de Ecclesiæ senecta, uti superius dixi. Castigavit, inquam, per religiosos et viros Apostolicos, quos quasi reformatores Ecclesiæ suscitavit, uti fuere S. Basilius, S. August. S. Benedictus, S. Bernard. S. Romualdus, S. Franciscus, S. Dominicus. Audi

Symbol. duo crura sunt misericordia et iustitia.

D

Rupertum: *Crura illius viæ sunt illius scilicet misericordia et iudicium, sive misericordia et veritas, sicut ait Psalmista: Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Nam veritas ipsa est iudicium verum. Crura ista, viæ istæ, columnæ marmoreæ, id est rectissimæ sunt atque firmissimæ, nec est qui possit eas infirmare, aut iuste reprehendere; nam iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. Exempli gratia: Loco vel tempore supradicto, cum penderet dilectus iste crucifixus latronum duorum medius, alterum ex eis pœnitentem misericorditer suscepit, secumque in Paradisum assumpsit, alterum blasphemantem iudicio iusto reprobavit.* Et post nonnulla: *Bases aureæ consilia sunt divinæ sapientiæ.* Eorum deinde subdit exemplum: *Flere potuit super civitatem Ierusalem, subversionem et damnationem suæ gentis prævidens, et tamen animum suum inducere non potuit, ut averteret ab eis iram imminentem: stabant quippe inflexibilia crura eius tamquam columnæ marmoreæ super bases aureas, id est non qualis esset hu-*

manitatis suæ voluntas, sed divinæ iustitiæ rationes attendebat.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Crura Christi sunt viri Apostolici.

CRURA Christi et Ecclesiæ, quæ eius fidem, religionem et virtutem sustentant docendo, prædicando, confessiones audiendo, etc. ad hæreticos, Iapones et Indos convertendos proficiscendo, etc. propagant et promovent, sunt viri religiosi et Apostolici; hi per constantiam sunt erecti quasi columnæ, ut nulla spe vel metu a recto deflectant; per fortitudinem sunt robusti ut marmor, per charitatem fulgent ut aurum se simul per eamdem solidantur, ita ut alios in fide et pietate consolident. Ita Richard. de sancto Victore.

Humiles.

Huc accedit Lucas Abbas, qui per crura Ecclesiæ accipit humiles; hi enim, inquit, se humiliando tantæ efficiuntur fortitudinis, ut omnia membra subvehant capiti, ut significavit per Prophetam, dicens: *Super quem respiciam, nisi super humilem?* et in se continent similitudinem illius Petræ, de qua Paulus: *Petra autem erat Christus.* Humilium vero bases aureas esse asserit humilitatem Prophetarum veterumque sanctorum. Hisce enim basibus posterorum et sequacium humilitas innititur et fulcitur.

Sancti.

Denique Iustus et S. Anselm. per crura accipiunt quoslibet sanctos, qui Ecclesiam sua sanctitate et charitate suffulciunt: in quibus proinde inhabitat et graditur Christus; unde S. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 5. *Crura*, ait, *columnæ marmoreæ*, etc. *solus enim Christus inambulat animis et graditur in mente sanctorum, in quibus velati aureis basibus, fundamentisque pretiosis, solidata vestigia Verbi cœlestis hæserunt.*

Symbol. sunt duo præcepta Charitatis.

Hinc symbolice Nyssen. hom. 14. et tres Anonymi apud Theodoret. per duo crura accipiunt duo præcepta charitatis, scilicet: *Diliges Deum ex toto corde, et diliges proximum sicut teipsum*; per hæc enim Christus ambulat in anima, eamque promovet ad culmen sanctitatis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Christi crura quid significant?

CASSIODORUS et Beda per crura Christi accipiunt eius itinera, quibus in uterum Virginis descendere et pro nobis homo fieri dignatus est; hæc fuere marmorea, quia recta et robusta; fundata super bases aureas, quia omnia quæ per Christum, vel in Christo agenda erant, divinitatis consilio præordinata fuere ab æterno. Aurum enim utpote præstantissimum significat Dei consilium. Addit Beda, ut hoc significaretur, idcirco Christo in cruce crura non fuisse confracta, uti fuere latronum.

Mores B. Virginis.

Rursum, crura B. Virginis fortiter processerunt ad omne bonum, et propulsarunt omne malum. Quocirca Damascenus Orat. de Nativ. B. Mariæ, ita mores eius pingit: « Honestus vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens. Gressus gravis ac sedatus, ab omni mollitie remotus. Mores severi, atque hilaritate temperati. Ita comparata eras, ut nullus ad te viris accessus pateret, etc. Animus humilis in sublimissimis contemplationibus, sermo iucundus ex leni anima progrediens. Denique quid aliud quam Dei domicilium? merito te beatam prædicant omnes generationes, ut eximium humani generis decus. Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, virginitatis feracissima planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latissime sese diffudit. »

Rursum, si humiles, si sancti, si Apostoli habent pedes marmoreos per fortitudinem fundatos in basi aurea charitatis, multo magis eosdem habet B. Virgo. Unde eius typus fuit columna ignis per noctem et nubis per diem, ducens et protegens Hebræos per desertum usque in terram promissam: simili enim modo B. Virgo deducit fideles sibi devotos per desertum huius vitæ in cœlum. Ita Patres, quos audi. S. Epiphanius ser. de Laudibus Virginis:

B. Virgo columna ignis et nubis.

Ave, inquit, *gratia plena, nobis columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum.* S. Hieron in Psal. 77. ad illa: *Et deduxit eos in nube diei*, per nubem, hoc est columnam nubis, intelligit B. Virginem. Andreas Episcopus Cretensis Oratione 2. de Deipara: *O columna*, inquit, *vivifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, sed spiritualem, qui deducitur ad increatam lucem cognitionis, divinis illuminans facibus.* S. Ambrosius in Psal. 118. serm. 5 sub initium: *Illa columna nubis*, inquit, *specie quidem præcedebat filios Israel: mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum levi, sicut dixit Isaias*, cap. 19. 1 *hoc est, in Virgine Maria.* Vener. Beda in Exodi c. 13. *Columna ignis in nocte*, ait, *est divinitas in carne Virginis Mariæ.* Sanctus Bonavent. in Speculo c. 3. *Maria*, inquit, *nobis columna est nubis, quia tamquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, protegit etiam ab æstu diabolicæ tentationis. Maria quoque est columna ignis illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficiis.* S. Bernard. tom. 3. ser. 11. art. 1. c. 3. *Columna nubis*, inquit, *aliquando præcedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur, ut mystice patrocinia multa B. Virginis indicentur erga populum electorum et omnium Christianorum.* Celebris est Cæsaraugustæ columna, in qua B. Virgo adhuc vivens apparuit S. Iacobo Apostolo, indicans se eu loci coli velle foreque Hispaniæ protectricem.

SPECIES EIUS UT LIBANI, ELECTUS UT CEDRI.) Hebr. *Aspectus eius ut Libani*: Septuaginta, εἶδος, id est, *forma eius ut Libanus.* Enarratis nonnullis sponsi membris elegantibus, cæterorum deinde, ne longior sit, elegantiam verbo perstringit, dicens: *Species*, id est, forma et pulchritudo eius est instar Libani. In Iudæa enim proverbium erat, ut, cum quid pulcherrimum significare vellent, dicerent: *Pulcher, vel pulchrum est ut Libanus*; quia Iudæa

Iudæorum proverbium.

nil pulchrius habet Libano. Hic enim omnium Syriæ montium est altissimus, amœnissimus et fœcundissimus; unde *mons montium* vocatur; *Nihil Libano in terra repromissionis excelsius est, nec nemorosius usqua condensius*, ait S. Hieron in Osee cap. 14. Hinc de Ecclesia canit Isaias cap. 35. *Gloria Libani data est ei.* Dictus est Libanus a

Libani etymon.

לבן *Laban*, id est, albus, quod toto anno nivibus in cacumine albescat; vel a לבונה *Lebona*, id est, thus, quod thure, pinis, abietibus, cedris, cypressis, aliisque resinosis arboribus abundat: quarum gummi electum olibanum a Medicis nuncupatur. Quare Libanus thuris, resinæ, sacchari, olei, etc. est ferax; omne sylvestrium ferarum canororumque avium genus in eo admodum frequens est.

Fertilitas.

Valles Libani optimo tritico, vineis, pomariis, hortis et uberrimis pascuis abundant. Unde in iis pascebantur animalia in templo Deo offerenda. Denique ex Libano erumpunt plura et magna flumina, puta Iordanis, Chrysorrhoas, Eleutherus, Leon, Lycus, Adonis et fons hortorum. Libanus enim oritur a tergo Sidonis, ac versus Orientem ultra Damascum tendit 1500. stadiis, ait Plinius lib. 5. cap. 20. hoc est, 187. millibus passuum, sive 187. milliaribus Italicis. Vide Osee cap. 14. et Adrichomium in Libano.

Situs Libani.

Porro quia in Libano eminent enodes, imputribiles et odoratæ cedri, hinc addit *electus*, id est, præstans et excellens, *ut cedri.* Chaldæus ad Libani etymon respiciens vertit: *Et ipse impletur super eos miserationibus sicut senis, et dealbat peccata domus Israel sicut nivem, et paratus est. ut faciat victorias in bello contra populos, qui transgrediantur verbum eius sicut leonis fortis, qui robustus est sicut cedri.*

Salomon et Christus similes Libano.

Grammatice ergo Salomon sponsus comparatur hic Libano et cedro. Primo, ob staturæ proceritatem: hæc enim digna est imperio; unde, *staturam imperatoriam* vocat Capitolinus in Pertinace. Hinc Saul *ab humero et sursum eminebat* supra omnem populum, 1. Reg. 9. Similiter proceri fuere prisci heroes et reges, Romulus teste Plutarcho, Priamus, Hector, Aiax, teste Homero. Iulius Cæsar,

1.

Tiberius, et Domitianus, teste Svetonio; Theodoricus, ait A Sidonius, longissimis erat brevior, procerior, eminentiorque brevioribus. Enormis enim proceritas, qualis fuit Caligulæ, solet esse mentis inops, hebes et segnis; mediocris vero et iusta ingeniosa est et animosa, utpote spiritibus abundans. Hinc Aristot. 4. Ethic. cap. 3. *Pulchritudo*, ait, *in magno corpore consistit.* Et Virgil. 8. Æneid.

Sed cunctis altior ibat
Anchises.

II. Secundo, Salomon comparatur Libano in amœnitate; quia eius adinstar erat vultu, oculis, totoque corpore decoro, amœno, ac iucundo.

III. Tertio, in odore, quia instar Alexandri Magni suavissimum ore anhelitum, et e reliquo corpore odorem exspirabat.

Quarto, in fœcunditate; cum enim mille habuerit uxores, plurimos ex eis genuit filios.

V. Quinto, in fabrica, quia Salomon ex lignis Libani ædificavit templum, orbis miraculum, indeque ipsum templum vocatur Libanus, ut a Zachar. c. 11. *Aperi, Libane, portas tuas.* B

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus æque, imo magis quam Salomon, fuit speciosu et procero corpore, puta altitudine septem cubitorum, ait Nicephor. lib. 1. cap. ult. item amœno, iucundo, odorato et fœcundo filiorum non carnalium, sed spiritualium.

Rursum templum factum ex lignis Libani omniaque eius vasa typus erant Christi; unde ipse ait Iudæis: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui*, Ioan. 2. quia sicut templum fuit caput, decus, et Sanctum sanctorum Ierusalem terrestris; sic Christus caput, decus, et Sanctus C sanctorum est Ierusalem cælestis, ait Rupertus.

Denique Christus *speciosus fuit præ filiis hominum*, Psalm. 44. speciosus corpore, speciosior mente, speciosissimus divinitate.

Rursum Libanus idem est quod candidus et candidatio. Quid candidius Christo, qui omnes peccatores in Baptismo dealbat, eosque gratiis odoratos, et virtutibus florentes, honorumque operum fertiles efficit? Ita S. Gregor. Philo et Richard. Victor.

Thure et cedro duplex Dei natura significatur. Porro Theodor. per Libanum intelligit thus, ut duplex hic significetur Christi natura, scilicet divina per thus; thus enim Deo adoletur; et humana per cedrum, quæ non sentit cariem nec corruptionem; unde Plinius: *Cedrum commendat æternitas.* Lucas Abbas vero: *Species Christi*, inquit, *fuit ut thus; quia omnis illius actus sacrificium est acceptabile Patri æterno. Thus quippe a Pontifice super hostiam pro peccato et holocaustum, quod peculiare erat sacrificium, videbatur imponi, et ipse nihil de contagione peccati conversando inter impios contraxit.* D Sic sapientia, id est Christus, comparatur cedro, Ecclesiast. 24. 17. *Quasi cedrus*, ait, *exaltata sum in Libano.*

Christus quare cedrus.

I. Electus ut cedri.) Primo, quia *sicut cedrus pulchrior est et procerior cæteris arboribus, ita et Christus divinitatis gratia* (adde et gratia infusa, utpote quæ gratia fuit capitis derivanda in cætera membra, id est, in omnes fideles) *præcellit omnes sanctos*, ait Cassiodorus.

II. Secundo, quia cedrus odorata est et imputribilis, sic et Christus; unde sponsa, c. 1. 3. *Curremus*, inquit, *in odorem unguentorum tuorum.* Ita S. Gregorius et Philo.

III. Tertio, Lucas Abbas censet cedro notari Christi humilitatem et patientiam, quæ ipsum exaltavit instar cedri, iuxta illud: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* etc. Philip. 2.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta speciosa est, ut Libanus, et excelsa, odorata et imputribilis ut cedrus; quia si adhæremus Christo, per eum sublimes efficimur, ait S. Gregorius, cælestes et immortales. Unde Rupertus: Christus, inquit, fuit electus ut cedri, quia similis extitit Patriarchis omnibus, eorum omnium virtutibus decorus; et quia ex ipso sancti omnes ut cedri e Libano prodeunt. Vide plures analogias cedri et iusti quas recensui Eccles. cap. 24.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Richard. Victor. per Libanum accipit Christum, per cedrum B. Virginem; « Denique, inquit, ipsa cedrus, quæ crevit in Libano, id est Christo, et dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum cedrus produxit, et mons processit ex arbore, cum Deus prodiit ex homine. Hoc est novum et inauditum, quod Deus fecit super terram, ut cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circumdaret virum, id est, Deum, et quem mundus non caperet, hunc virgo in utero suo concluderet. Species itaque Christi sunt virgines, sed beata Virgo specialis eius, quæ speciem suam numquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculavit. Unde speciem eius rex cælestis concupivit, et in ea carnem sumens amplius hanc speciem decoravit, quia ampliori eam gratia replevit. »

In quo beata Virgo Libano assimiletur. Et post nonnulla: *Ipsa igitur singulariter species Christi, præ omnibus speciosa, Christoque simillima, non solum speciem Christi ipsa habens, sed etiam in aliis hanc restituens.* Deinque docet B. Virginem, quæ cum Christo summe se humiliavit, merito humilitatis suæ cum eodem summe fuisse sublimatam: *Exaltata est*, inquit, *hæc Beata quasi cedrus, sublimata est sicut Christus; et si tantum quantum Christus, Christus minimus fuit in regno cælorum, id est, in præsenti Ecclesia, Maria humillima fuit omnium quæ fuerunt in terra, ideo ad hoc sublimata, ut summum omnium conciperet, et post eum summa omnium fieret.*

Rursum species et decor Libani consistit in continua germinatione florum, herbarum, thuris, cedrorum, pinorum, aliarumque arborum amœnissimarum, summe odoratarum et salubrium; sic species B. Virginis consistit in assidua productione virginum, martyrum, doctorum, religiosorum et sanctorum quorumlibet in humilitate, patientia, odore, mortificatione, et quavis alia virtute præcellentium.

Vers. 16. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.

Hebraice: *Palatum*, vel *guttur eius dulcedines, et totus ipse desideria*, q. d. Sponsus ita est formosus et gratiosus, ut summe sit amabilis et desiderabilis, imo ut ipse unus, non tantum in se desiderium, sed omnium rerum desideria esse videatur; continet enim in se eminenter omne id quod in qualibet re est desiderabile et expetibile, et rursum nihil in eo est, quod non sit summe desiderabile et concupiscibile. Hinc Christus a Iacob Patriarcha vocatur: *Desiderium collium æternorum*, Genes. 49. 27. et ab Aggæo c. 1. 8. *Desideratus cunctis gentibus;* Hebr. *Desiderium omnium gentium.* Hebr. consentiunt Sept. nisi quod pro *desideria* vertant, *desiderium*. S. Hieron. l. 1. contra Iovin. legit: *Gustus eius dulcedines, et totus concupiscentia;* Vatablus: *Et quantus quantus est, res sunt expetibiles;* Arabicus: *Anhelitus illius suavitas, et totus est desiderium;* Syrus: *Guttur illius fauces dulcissima et ve-*

stimento eius desideratissima; Chald. *Verba gutturis eius dulcia sicut mel, et omnia præcepta eius desiderabilia sapientibus eius super aurum et argentum.* Per guttur tum anhelitum, qui per guttur e pulmone et stomacho prodit, tum vocem et sermonem intellige. Anhelitus ergo indicat stomachum sponsi cibis odoriferis et valido calore optime concoctis esse refertum: hi enim suavem et odoratum exspirant anhelitum. Unde v. 13. dixit: *Genæ eius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis;* et v. 14. *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.*

Sensus ergo est: Anhelitus, æque ac vox, vocisque sonus Salomonis ac multo magis Christi suavissimus et dulcissimus est, ut mella fundere videatur. Sic *Nestoris oratio erat melle dulcior,* ait Homerus: *Vox igitur eius,* ait Pineda l. 6. de Rebus Salomonis cap. 4. num. 14. *Non fuit raucescens, qualis est libidinosorum; non aspera et absona, quæ agrestium; non acuta et incensa, quæ timidorum; non gravis et magna, quæ conviciatorum: sed media et temperata, et forte etiam paulo gracilior, sed cum dulcedine et suavitate,* quales Aristotelem et Platonem fuisse scribunt Laertius et Plutarchus, quum dicunt eam signum esse pacati animi, suavium et compositorum morum.

Hanc dulcedinem sponsus aspiravit sponsæ. Unde c. 4. 11. ait illi: *Favus distillans labia tua,* ideoque ut hanc animæ et spiritus sponsi suavitatem hauriret sponsa, petebat eius osculum, dicens c. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

GUTTUR, id est anhelitus Christi, notat internos eius affectus, amores et ardores divinos fuisse suavissimos, imo ipsissimam suavitatem, quæ in verba suavissima erumpebat; hinc et præcepta ac consilia eius Evangelica suavissima sunt, non carni, sed rationi, menti et spiritui. Ita Cassiodorus, sanctus Gregorius, Philo, Theod. Beda et alii. Unde S. Gregor. et Philo addunt novum testamentum esse guttur Christi suavissimum.

Rursum Christus *est totus desiderabilis* et amabilis; tum quia pulcherrimus, tum quia ipse prior tenerrime et ardentissime amat omnes homines. Unde S. August. in Psalm. 44. « Pulcher, inquit, Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero virginis: ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem, pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens omnia, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro. Ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehenderis iniustum. Si ubique iustus, ubique decorus. »

Si de placenta mellea aut saccharea, si de cibo quopiam vel fructu sapidissimo, v. g. de ficu, quæ nullos habet acinos, sed tota est edulis et delicata, dicimus: Hæc placenta, hæc ficus est appetibilis, tota irritat orexin; si de vino suavissimo, v. g. falerno, cretico, lacryma, moscatellato, quod intime animam penetrat, et oblectat, dicimus: Hoc vinum summe est desiderabile; hoc vinum sua dulcedine replet os, stomachum, totumque hominis appetitum; quid dicemus de Christo, qui omne desiderium non tantum satiat, sed et longe superat, qui nectar est et ambrosia Angelorum et Sanctorum omnium? Si opponas Isaiam dicentem c. 53. *Vidimus eum despectum et novissimum virorum, unde nec reputavimus eum;* huic calumniæ facile respondet Isaias dicens: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius livore sanati sumus.* Cum ergo intueris Christum crucifixum, et illius sacrosanctum caput spinis acutissime pungentibus coronatum, oculos vigiliis exhaustos, et lacrymis cruore permixtis suffusos, genas alapis cæsas et sordidis sputis deformatas, os illud suavissimum felle amarissimo oppletum, manus tot miraculorum effectrices clavis perforatas, humeros crucis pondere attritos, tergum flagris discissum, pedes clavis etiam transfixos, et totum corpus vulneribus lividum atque cruentum, merito dixeris Christum etiam in cruce pendentem totum desiderabilem; quoniam membra omnia illa tot cruciatibus affecta, nostræ salutis efficacissima quædam medicamenta fuere, et media atque instrumenta nostræ felicitatis. Est ergo Christus totus desiderabilis. Ita Aimonacirina. Unde S. Petrus ait Christo: *Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes,* Ioan. 6.

Hanc suavitatem Deus et Christus aspirat animæ, cum ei interius loquens cælestes cogitationes, divinos impulsus, consolationes et amores suavissimos, ideoque inexplicabiles, nec nisi experto cognitos inspirat; unde David: *Quam magna,* inquit, *multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te!* Psalm. 30. 20. Et: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Psalm. 118. 103. Hinc illius avidus Samuel: *Loquere,* inquit, *Domine, quia audit servus tuus,* 1. Reg. cap. 3. vers. 10. S. Ansel. Richard. Rupert. et alii.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

VIRI sancti, præsertim prædicatores pleni divina sapientia et suavitate, eam eructant, aliisque inhalant, ut mella divina eis instillare videantur, adeoque ut Deus et Christus per guttura eorum loqui, ac suam suavitatem effundere videatur: *Et ideo,* inquit, Nyssenus, *magnus ille Ioannes, rogatus quis esset? vocem se appellavit; et beatus ille Paulus documentum edebat loquentis in se Christi, cui vocem suam locaverat, ex qua nimirum Christus fingeret verba.* Nysseno favet explicatio Pselli, qui Ioannem Baptistam guttur dicit esse Christi: quia ipsius præcursor et præco, et quasi vox fuit. Concionator ergo, ac vir sanctus assiduus sit in oratione et meditatione, ut spiritum Dei hauriat, quem aliis aspiret, ut ipse velut os et guttur Christi, nil leve aut vanum, nil nisi sanctum, cæleste et divinum, a Christo probatum, illique suggestum eloquatur; ut qui eum audit, Christum in eo resonantem audire se æstimet.

Anagogice, beatis vox Dei est suavissima, Deusque ab eis visus totus est desiderabilis, ut præter eum nil cogitare, amare aut desiderare queant. (Anag.) Deus, ait Rupert. totus est desiderabilis, quia cum habetur, tunc magis desideratur, estque visio eius in desiderio, et desiderium in visione; visione enim Dei satiantur beati, sed ita ut semper eum ulterius videre desiderent. Visio enim licet duret per millia annorum, tamen in eis non parit fastidium, sed summum cum plena satie desiderium. Audi hic Richard. Victorin. *Desiderabilis humanitatis eius visio in terris, sed multum desiderabilior glorificata eius humanitas in cælis; desiderabilis vultu, quem desiderat universitas civium supernorum; desideratissimo vero divinitatis suæ contemplatio, cui omne quod desideratur non valet comparari.* Et B. Petrus Damian. opusc. 50. cap. 4. *Totus,* inquit, *desiderabilis, quia humanitatis eius mysterium omne desiderium accendit in mentibus electorum, ut nos videlicet non modo resurrectionis gloria provocet, sed ad imitationem imitationis exemplum ipsa quoque ignominia passionis invitet.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

CHRISTUS si cui mortalium, certe matri suæ dulcissime et divinissime loquebatur, tum voce exterius, tum potius interius in mente; quare ipsa vivens cum eo per triginta annos, præ omnibus hominibus et Angelis divinos illius sensus ac cælestes dulcedines hauriebat, ut ipsi præ omnibus Christus suus totus esset desiderabilis. (Christus præ aliis sese suæ matri communicavit.)

Rursum, in Apostolis ceterisque sanctis multa sunt desiderabilia, at non omnia; laborarunt enim concupiscentia et peccatis venialibus. At B. Virgo tota est desiderabilis, quia omnis concupiscentiæ et peccati expers, ac gratia omnique virtute plena. Unde Damascen. serm. de Nativitate B. Mariæ exclamat: « O desiderabilis, ac ter beata fœmina! o divinum simulacrum, ad quod opifex Deus inventus est, mentem quidem divinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id quod solum expetendum atque amandum est, intentam, iram vero adversus peccatum dumtaxat, ipsiusque parentem. » Deinde id particulatim per inductionem singulorum corporis, virtutisque ipsius membrorum demonstrat: « Oculi, inquit, tui semper ad Dominum, perenne atque inaccessum lumen intuentes. Aures divinum sermonem audiunt, ac spiritus cithara oblectantur, per quas Verbum carnem assumpturum ingressum est. Nares unguentorum sponsi odore deliniuntur, quod quidem divinum unguentum est sponte exhaustum, atque humanitatem suam ungens. Unguentum enim effusum nomen tuum, inquit Scriptura. Porro labia tibi sunt Dominum laudantia, ipsiusque labiis adhærentia. Lingua et fauces Dei verba discernentes, ac divina suavitate ad satietatem usque fruentes. Cor purum, ac labiis expers Deum spurcitie omni carentem cernens, ipsiusque cupiditate flagrans. Venter in quo habitavit is, qui nullo loco capi potest. Lactis ubera, quæ Deum puerum Iesum aluerunt. » Ac paucis interiectis: « Manus Deum gestantes, et genua (thronus Cherubinis sublimior) quorum ope atque adiumento manus languentes, ac genua dissoluta robur contraxerunt. Pedes Dei lege tamquam lucerna deducti, ac post eam irretorto cursu properantes, quoadusque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus. Tota pulchra, tota Deo propinqua. Ipsa namque Cherubinos superans, ac supra Seraphinos evecta propinqua Deo exstitit. O miraculum omnium miraculorum maxime novum! »

B. Virgo secundum tota desiderabilis est, Apostoli vero secundum quid.

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.) Chaldæus: *Hæc est laus dilecti mei, et hæc fortitudo virtutis Domini dilecti mei, o Prophetæ, qui prophetatis in Ierusalem.* Concludit sponsa elogia sponsi, hoc quasi epiphonemate, q. d. Vos, o filiæ Ierusalem adiuratæ a me, cap. 5. v. 8. ut quæratis sponsum, qui a me se subduxit, rogastis dotes et signa sponsi, ex quibus eum quæsitum agnoscere possetis, dicentes: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, etc. quia sic adiurasti nos?* Respondi: Dotes eius vobis hucusque descripsi; scitote ergo talem, tamque pulchrum et eximium esse dilectum meum, quem per plagas et vulnera quæro, de cuius absentia doleo, et cuius amore langueo.

Notat Cassiodorus Christum dici dilectum, dum Ecclesiæ et animæ sanctæ charitatem, qua eum diligat, et vicissim ab eo diligatur, inspirat; amicum vero, dum ei secreta sua communicat, iuxta illud Christi: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, Ioan. 15. 15.

VOX FILIARUM

IERUSALEM.

Vers. 17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit (Hebr. פָּנָה *pana*, id est, *respexit*, ita Septuag. Arabic. *discessit*) dilectus tuus? et quæremus eum tecum.) Adolescentulæ, sive filiæ Ierusalem auditis a sponsa signis et notis sponsi, ex quibus eum cognoscant, instant ulterius, rogantque qua via suspicetur abiisse sponsum cum se subduxit, ut eadem illum quærant ipsam comitatæ.

Christus, ut dixi v. 2. subduxit se quasi ab Ecclesia, eam ob prælatorum negligentiam, vel pravitatem permisit grassari hæreses et scandala, fidemque et pietatem in nonnullis provinciis calcari et passumdari, uti in Oriente factum est post Constantinum grassante hæresi Arriana; adeo ut plerique Episcopi Orientales fierent Arriani. Tunc enim Christus abiit in Occidentem, atque orthodoxam Homusii sui fidem et cultum transtulit in Italiam, Galliam, Germaniam. Unde Occidentales, sive Latini Episcopi orthodoxi, Orientalibus, sive Græcis Arrianis constanter sese opposuerunt. Sic Christus ex Africa abiit in Hispaniam, cum illa vastata est, hæresique infecta a Gothis, Alanis, Wandalis, sic succedentibus sæculis successive a variis provinciis recessit, ac hoc nostro ævo ex Dania, Svecia, Anglia, Scotia, Saxonia, etc. ob hæresim abiit ad Indos, ibique fundavit fidem et pietatem Christianam.

Christus abiit ex Oriente in Occidentem ob Arrianos.

Tunc ergo filiæ Ierusalem, id est, animæ sanctæ, præsertim doctorum et prædicatorum, condolentes Ecclesiæ de hoc Christi ex provinciis Christianis recessu, quærunt ab ea, id est, ab eius prælatis, quo abierit Christus, id est, quo sui fidem, cultum et gratiam transtulerit, ut eam partim ibi stabiliant, partim inde ad suos populares revocent et reducant.

Unde S. Gregorius, Cosmas Damianus et alii hæc accipiunt de Synagogæ, id est, Iudæorum (hi enim proprie sunt filii et filiæ Ierusalem) conversione in fine mundi. Tunc enim ultima erit Ecclesiæ senectus, quæ mox ab Elia, Enoch, eorumque asseclis reformabitur, et renovabitur per Iudæorum omniumque gentium fidem, fervorem et zelum. Unde tunc invenietur et pascetur Christus inter lilia virginum; tunc enim erunt 144 millia virginum, qui Antichristi libidini et impietati usque ad mortem resistent Apocal. 14. v. 4. et seq. Vide ibi dicta; censent ergo S. Gregorius et Cosmas hæc esse verba Synagogæ audita Evangelii prædicatione, volentis converti ad Christum in fine mundi, ideoque interrogantis Ecclesiam ubinam sit Messias sive Christus Ecclesiæ sponsus? cui respondet Ecclesia, id est, Ecclesiæ doctores: *Dilectus meus descendit in hortum suum, etc.* Id facere cœpere Iudæi mox a morte Christi cum misso Spiritu sancto in Pentecoste, ad prædicationem S. Petri illico compuncti, et conversi ad Christum fuere Iudæi, primo ad tria, deinde ad quinque millia. Act. 2.

Huc accedit Almonacirius, qui hac Christi effigie censet describi quadruplicem Ecclesiæ Christi ætatem et statum, perinde ac in statua Nabuchodonosoris describitur quatuor monarchiarum mundi vicaria ætas et successio, Daniel. 2. Christus enim et Ecclesia se habent ut caput et membra; ut sponsus et sponsa; quare quod de Christo dicitur, hoc et Ecclesiæ competit iuxta regulam Ticonii. 1.
Igitur per aureum Christi caput accipit primam Ecclesiæ ætatem quæ fluxit a Christo usque ad Constantinum; hæc enim fuit felicissima et aurea sub Apostolis eorumque discipulis, S. Dionysio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Iustino, Quadrato, Irenæo, etc. Hi habebant oculos columbarum, id est, limpidos residentes ad fluenta S. Scripturæ, atque capillos solvos, quia religiose viventes cælestem in terris vitam agebant. Huic successit secunda Ecclesiæ 2.
ætas a Constantino usque ad sanctum Gregorium, qui floruit anno Domini 600. qua Ecclesia per omnes gentes, etiam barbaras mire fuit propagata; hæc per pectus, brachia, ventrem et femora repræsentatur: ventrem, inquam, non aureum ut caput, sed eburneum; cœpit namque fulgur ille ardentissimæ charitatis nonnihil obscurari, quamquam doctrinæ et sapientiæ puritas maxime vigeret, quæ per ebur optime exprimitur. Retinebat præterea sæculum illud multum de pristina illa et Apostolica morum integritate; unde pectus, brachia, manus, venter et femora auro, gemmis, hyacinthis et sapphiris distinguebantur: fuere namque illa ætate, quæ ipso ebore satis beata erat, S. Athanas. Basil. Gregor. Nazianzen. Gregor. Nyssen. Chrysost. Hieron. Ambros. August. Cyrillus et multi alii Ecclesiæ splendidissima ornamenta. Secundæ huic successit 3.
tertia ætas et non iam aurea, nec eburnea, sed lapidea instar marmoris quidem, significata per crura, constans in fide, sed deficiente charitate frigidior. Hoc est, ut S. Grego-

Quadruplex Ecclesiæ ætas.

rio usque ad tempora Antichristi, quæ a duarum præce-
dentium fervore multum degeneravit. Quarta et ultima
erit tempore Antichristi, sub finem mundi, quando Elias
4. et Enoch Iudæos Gentesque convertent, summque eis fer-
vorem et zelum instillabont: unde hæc notatur per pe-
des aureos. Quare sicut Ecclesia habuit caput aureum sub
Apostolis, sic et desinet in pedes aureos sub Elia et Enoch,
qui primævum Ecclesiæ primitivæ fervorem et spiritum
tum Iudæis quam Gentibus restituent. Ita ipse.

Huc quoque facit versio Chaldæi: *Responderunt Prophetæ, cum audierunt laudes Domini ex ore cœtus Israel, et ita dixerunt: Propter quod peccatum sublata est de medio tui maiestas Domini, o tu quæ pulchra es in operibus tuis super omnes nationes! et ad quem locum declinavit dilectus tuus, quando elevatus est de sanctuario tuo? dixit cœtus Israel: Propter peccata et rebelliones, et proditionem, quæ inventæ sunt in me; dixeruntque Prophetæ: Nunc convertere ad pœnitentiam, et surgamus tu et nos, et oremus coram eo, et quæramus misericordiam tecum.* Notat Beda τo *tecum*, eum aiunt, *quæremus eum tecum*; nam qui Christum, inquit, sine Ecclesia quærit, errare et fatigari potest, at invenire non potest.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Pœnitens, vel pia anima cognoscens quanta sit pulchritudo et gratia Christi, eum omnibus modis quærit, ut eum in dies sibi magis magisque, ac tandem intime uniat, cum eo versetur iugiter, de illo meditetur assidue, etc. unde invocat filias Ierusalem, id est, Angelos et Sanctos, tum beatos in cælesti Ierusalem, tum adhuc militantes in terrestri. Hi invocati rogant quonam abierit sponsus? non quod id ignorent, sed ut indicent animæ quærenti, ut recogitet ubi sit locus sponsi, in quo inveniendus sit, ac si ibi eum quærat, se eam omni ope adiuturos; si enim eum quæreret ubi non est, puta in voluptatibus, honoribus, opibus, etc. neutiquam illi auxiliarentur Angeli et Sancti, sed in castitate, humilitate, paupertate, mortificatione, mundi contemptu eum vestiget, ubi est et invenitur, tunc utique prompti omnes accurrent, ut illi in quærendo et inveniendo opitulentur. Sic fecit Magdalena tum pœnitens, cum Christum quæsivit in domo Simonis, ibique pedes eius lavans et rigans, plenam omnium peccatorum remissionem accepit tum iam conversa, cum post resurrectionem Christi eum quæsivit in sepulcro, ideoque primo invenit specie hortulani sibi apparentem, colloquentem et consolantem.

Notat Cassiodor. primo, Christum quandoque subducere se ab anima, vel potius in mente eius se abscondere ut eius virtutem probet, acuat et perficiat; secundo, animam probam quærere conversationem Sanctorum, in quorum anima Christus requiescit, ut Christum in ea inveniat, eiusque particeps fiat. Sancti enim colloquendo Christum, quem in mente et ore gerunt, audientibus inhalant et inspirant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Quomodo B. Virgo quæsierit Christum perditum, inveneritque in templo, aliaque plura in hanc rem dixi cap. 3. vers. 1. et seq. et cap. 5. v. 6. et seq.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa adolescentibus rogantibus quonam abierit sponsus? respondet se suspicari eum more suo ivisse in hortum, ibique pasci inter lilia: ipsum enim hisce delectari, ideoque frequentem esse in horto. Mox sponsus intelligens quanto desiderio eum quæsierit sponsa, quanta in quærendo passa sit, scilicet flagella, vulnera, et spolium, quantaque ei elogia dederit, vicem ei rependit, ac maiores ei quam ante laudes dotesque assignat. Id audientes adolescentulæ, vers. 10. sponsæ pulchritudinem admirantur. Inde vers. 11. ait sponsus se descendisse in hortum, ut fructus inspiceret. Subiungit sponsa se id nescisse. Denique adolescentulæ sponsam ita laudatam rogant, ut revertatur, seque eis videndam et considerandam præbeat, ut in eius amorem, admirationem et venerationem magis accendantur.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.
2. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia 3. Pulchra es, amica mea, suavis,
et decora sicut Ierusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi
me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5. Dentes tui sicut grex ovium,
quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis. 6. Sicut cortex mali punici, sic ge-
næ tuæ absque occultis tuis. 7. Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est nu-
merus. 8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et
beatissimam prædicaverunt; reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi
aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? 10. Descendi in hortum
meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica. 11. Nescivi:
anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. 12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, rever-
tere, ut intueamur te.

VOX SPONSÆ.

Vers. 1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. (Arab. *ut lilia congreget.* Pro *areolam.* Hebr. est, ערוגות *arugot,* quod Aquila et Symmach. πρασιας, id est, *sulcos, areolas*; Pagnin. *lineas sulcorum.* Septuag. vero vertunt, *phialas,* per quas Nyssen. hom. 15. accipit animas sanctas, quæ virtutum aromata proferunt: hæ enim tales sunt, ut sapientiæ cratères factæ, divinum et incorruptum vinum in se suscipiant, per quod omnem consequantur lætitiam. Unde S. Hier. Psal. 41. 1. pro eo quod Septuag. vertunt: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus*; vertit: *Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum, sic anima mea præparata ad te, Deus.* Vide dicta c. 5. v. 13. Sponsa adolescentulis interrogantibus quonam abierit sponsus? respondet eum abiisse in hortum suum. Ita S. Greg. Nyssen. Theodor. et alii.

Nominat primo hortum, deinde hortos in plurali; quia sicut in magno vastoque horto plures sunt minores, sic in una generali Ecclesia multæ sunt particulares. Ita Gregorius, Beda, et alii.

Porro sponsa indicato adolescentulis sponsi loco, quod scilicet esset in horto suo, illico eo cum ipsis profecta est, ibique sponsum inveniens, ab eo excepta et laudata est, cum dixit: *Tota pulchra es,* ut audiemus v. 3. in Dramate enim verbali actiones silentur, eæque ex sequentibus legentibus intelligendæ relinquuntur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus suam fidem et pietatem ab Arrianis aliisque impiis in Oriente exclusam, transtulit in Occidentem, a Grecia in Italiam, ab Africa in Hispaniam, ab Asia in Indiam, maxime vero in fine mundi eam ab omnibus provinciis transferet in Iudæam, cum eam per Eliam et Enoch convertet, ut dixi in fine capitis præcedent. Iudæa enim proprie est hortus Christi, utpote in qua ipse ex Abraham, David, cæterisque regibus fidelibus natus et educatus, primo fidem et religionem Christianam in eadem fundavit; unde in ea Apostoli et primi fideles mira sanctitate floruere; maior tamen Iudæorum pars mansit in Iudaismo obstinata, et Christo inimica; unde in fine mundi Christus a gentibus sceleratis et impiis exclusus, migrabit ad Iudæos, eosque per Eliam convertet; et tunc *omnis Israel salvus fiet.* Rom. 11. Hinc et Antichristus regni sui sedem figet Hierosolymæ, ut verus habeatur Messias et Christus, Davidis et Salomonis filius, sed ab Elia de falsitate et hæresi convincetur. Quare Iudæi ab Antichristo ad Christum se transferent. Dicit ergo hic Ecclesia, ut Christum sponsum eiusque fidem et cultum ex Oriente et aliis provinciis exulantem, adolescentulæ, id est piæ animæ requirant in Occidente, quasi in horto suo, puta Romæ in Italia, Hispania, Germania, ac in fine mundi in Iudæa, indeque fidei et religionis reformatores, in alias provincias, infidelitate et scelere deformatas evocent, ut eas pristino decori et splendori restituant: areolæ aromatum ergo sunt Ecclesiæ et fideles addicti orationi, mortificationi, cæterisque virtutibus, quibus quasi aromatibus Christus oblectatur et pascitur, ibique colligit lilia castorum et virginum. Vide dicta c. 5. v. 1. et 13. ubi nota fidei et religionis Christianæ propriam, et peculiarem dotem et florem esse lilium, id est castitatem et virginitatem; quare ubi deficit fides, ibi mox deficit castitas, regnatque libido; ex adverso ubi viret fides, ibi floret et castitas, uti alibi fusius ostendi.

Porro Chaldæus hæc Iudaice more suo accipit de reditu Iudæorum ex Babylone; hæc enim Iudæorum et Synagogæ reformatio fuit typus reformationis Ecclesiæ: *Dominator sæculi,* inquit, *suscepit voluntarie orationem eorum, et descendit in Babylonem ad concilium sapientum, et dedit populo suo requiem, et eduxit eos de captivitate ipsorum per manum Cyri, et Esdræ, et Nehemiæ, et Zorobabel filii Salathiel, et seniorum Iudæorum, et ædificaverunt domum sanctuarii, et constituerunt sacerdotes super oblationes, et Levitas super custodiam verbi sanctitatis; et misit ignem de cœlis, et suscepit voluntarie oblationem et incensum aromatum; et sicut vir qui nutrit filium suum dilectum in deliciis, ita delicate nutrivit eos, et sicut vir qui colligit rosas de convallibus, ita congregavit eos de Babylonia.*

Mystice S. Hieron. sub finem comment. in Zachariam, per hortum accipit S. Script. *Hortus,* ait, *et paradisus in quem sponsus descendit ad sponsam, sanctarum lectio Scripturarum est, de quibus lilia, et violas, et rosas, et varia decerpit aromata, ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis lilia defundat.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Hortus et paradisus Christi est anima sancta quæ crebro in areola aromatum, id est in passione Christi omnibus virtutibus refertissima meditando versatur; maxime vero paradisus Christi est animarum sanctarum cœtus, qualis est in cœnobiis et familiis religiosis, ibi enim sunt areolæ aromatum, id est ordines virtutum omnium, ac lilia castitatis, cum in mundo et sæculari vita omnia plena sunt spinis vitiorum et urticis libidinum, unde ab iis sese ad religiosos transfert Christus, eorumque castitate et virtutibus delectatur et pascitur. Quare religiosus qui se totum consecrat, dicatque Deo, dicere potest: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* Hinc et devergentis Ecclesiæ senectutem per florentem religiosorum in spiritu iuventutem reformare solet Christus, uti superius dixi, tuncque impletur illud: *Renovabitur ut aquilæ iuventus,* imo senectus *tua,* Ps. 102. v. 5. Quocirca Deus cum vult reformare Ecclesiam, novam religionem spiritu Apostolico ferventem instituit, aut iam institutam reformat, et ad primævam observantiam et fervorem reducit: lilia quoque, id est virginum cœtus instituit, aut institutos renovat et expolit. Reformatio enim Ecclesiæ maxime consistit in reformatione cleri, religiosorum et virginum; hi enim deinde reformant laicos et plebem Christianam. Exempla sunt in S. Basilio, S. Augustino, S. Benedicto, S. Romualdo, S. Brunone, S. Bernardo, S. Dominico, S. Francisco, S. Ignatio.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo est hortus deliciarum, et paradisus Christi, unde in eius corpore corporaliter novem mensibus, in anima vero et mente spiritualiter quasi in templo suo iugiter habitavit. Quocirca Nyssenus, Theodoret. et Iustus Orgel. dicunt Christum descendisse in hortum suum, cum e cælo descendit in uterum Virginis, et carnem ex ea assumpsit. Christus ergo dum viveret in terra, pascebatur inter lilia virginum, quia delectabatur virginitate B. Virginis, S. Iosephi, et S. Ioannis Apostoli, ac vicissim eos pavit castissimis virginitatis, et cælestis vitæ amoribus et delectationibus. Hosce ergo colat et invocet, qui eorum castitatem imitari, itaque Christum ad animam suam, quasi ad virginem thalamum pellicere cupit.

Exemplum memorabile est in S. Eduardo rege Angliæ, qui eorum inspiratione et dono virginitatem perpetuam cum coniuge sua Editha, usque ad mortem voluit et ser-

vavit. Fuit ergo mire devotus S. Ioanni, adeo ut nulli eius nomine eleemosynam petenti denegaret. Probavit regis animum ipse S. Ioannes, ac specie pauperis ei soli apparens, petiit ab eo nomine S. Ioannis stipem; cumque rex aliud ad manum non haberet, annulum e digito detractum ipsi donavit, quare ingens ab eo liberalitatis præmium tulit. Nam S. Ioannes duobus Anglis Hierosolymam peregrinantibus apparens, per eos annulum regi remisit, dixitque: *Ego ob amorem regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Ioannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrini apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui diem instare, quem intra sex menses visitans eisitabo*, ut *mecum sequatur agnum quocumque ierit.* Ita factum: rex enim e vita hac a S. Ioanne evocatus, anno Domini 4066. die 5 Ianuarii in cælum conscendit. Ita Alredus Abbas in eius vita apud Surium, qui et multa magnaque ab eo post mortem edita miracula recenset.

Porro Philo Carpath. et Lucas Abbas, per descensum Christi in hortum accipiunt descensum Christi ad inferos, de eo enim latroni dixit Christus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Areolæ aromatum fuere prisci patriarchæ et sancti ut Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, David, etc. Addit Philo: *Inde factum est, ut in fragrantissimis mentium humanarum hortis, Christiana fide et charitate flagrantium pasceretur ipse Deus, ex iisque candidissima liliorum odoramenta, ac serta Apostolorum, martyrum et omnium beatorum ad cælestem thalamum adornandum legeret.*

Anagog. Anagogice, Christus collegit lilia, cum virgines, purasque et perfectas animas ex hac vita, velut ex horto terrestri decerpit, ac eas in cælestem paradisum transfert, ubi angelis sociatæ, miro splendore in æterna gloria effulgeant.

VERS. 2. EGO DILECTO MEO, ET DILECTUS MEUS MIHI, QUI PASCITUR INTER LILIA.

Hunc versum explicui cap. 2. v. 16. Chald. vertit: *Et in illo die servivi Domino sæculi dilecto meo, et dilectus meus habitare fecit maiestatem suam in media mei, et nutrivit me deliciis.* Sponsa enim, quia amore sponsi plena erat, identidem eum repetit et inculcat, præsertim hic, ubi cum adolescentulis pergebat ad hortum ad quærendum sponsum; unde forte eo viso, et adolescentulis ostenso, in hæc amoris erga eum verba prorupit.

Nyssenus homil. ultima (hic enim finit ipse comment. in Cantic.) docet sponsam ita se per omnia conformare sponso, ut plane eius similitudinem in se exprimat, eiusque formam induat, adeo ut qui eam videat, sponsum videre se æstimet; perinde ac qui imaginem cernit, exemplar ad quod expicta est imago, cernere se censet: et qui effigiem in speculo aspicit, rem effigiatam non tantum se aspicere putat, sed et re ipsa aspicit. Ibi enim res ipsa se exhibet per sui speciem, et radium non directum, sed e speculo reflexum. Quare qui hanc imaginem Christi in mente suscipere cupit, omnes aliarum rerum imagines ex ea eradat oportet, ut instar speculi tersi et puri, Christi illuminantis colores et radios in eodem excipiat. Talis erat Paulus, dicens 1. Corinth. 3. *Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur*, id est speculorum more Christi in nobis imaginem recipimus, ac reddimus. Et Galat. 20. 20. *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus, id est abrasis quasi poliendo universis, quæ in Christi naturam non cadunt, nihil in me habeo quod non in ipso sit, et ea de causa mihi vita Christus est, qui est sanctificatio, et puritas, et immortalitas, et lumen, et veritas, et huiusmodi alia quæcumque animam meam pascunt,* non *in gramine, vel virgultis, sed in splendoribus sanctorum; id enim significant lilia cum splendido quodam sint ornata colore.* Hucusque Nyssenus.

Mystici sive contemplativi hæc accipiunt de extasi et raptu, quo anima irradiante Dei luce quasi fulgurata, per eam immensam Dei pulchritudinem, bonitatem, sapientiam, etc. quasi per umbram conspicit, ad eamque obstupescit; ita ut tota in illam rapiatur et absorbeatur, adeo ut nulli alteri rei intendere queat, unde præsentia non videt, non audit, nec ullo sensu utitur. Ita D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 2. — Extasis quomodo fiat.

Porro Richardus de sancto Victore l. 5. de Contemplat. c. 5. et sequent. docet tribus causis animam in hanc extasim, sive alienationem abduci: scilicet primo, ob magnitudinem devotionis, amor enim vehemens facit extasim, ait S. Dionysius. Secundo, ob magnitudinem admirationis. Tertio, ob magnitudinem exsultationis. Oritur ergo extasis ex magna devotione, quando anima tanto desiderii cælestis et divini amoris igne succenditur, ut ad ceræ similitudinem liquefiat, et quasi a proprio statu dimota, et instar fumi attenuata ad superna conscendat. Cui devotioni et amori aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando solus devotionis affectus alienationem operatur. Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima divino lumine irradiata, et summæ pulchritudinis et perfectionis divinæ cognitione suspensa tam vehementi stupore concutitur, ut in similitudinem fulguris coruscantis, transcursis sensibus in summa elevetur. Et hæc quidem admiratio et perfecta cognitio interdum animæ non præventæ advenit; interdum in eam in affectus amoris vel in profundam meditationem incumbentem irruit, interdum a lumine incipiens in ardentissimum fervorem desinit. Oritur tandem ex ineffabili exsultatione, quando anima internæ suavitatis abundantia potata, imo et plene inebriata, quid sit, et quid fuerit, penitus obliviscitur, et in alienationis excessum lætitiæ nimietate transfertur. — Tres causæ extasis. Talis fuit raptus S. Francisci, de quo ita scribit S. Bonavent. in vita eius c. 10. *Visus est nocte manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra: et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset.* Tale quid accidit S. Dominico, qui cum in Missa corpus Christi purissimis manibus in altum elevaret, cunctis qui aderant spectantibus et stupentibus, ipse pariter cubiti unius altitudine a terra elevatus, corpus terrenum et grave animi devotione, et spiritu gratiæ sursum attollente. — Exempla. Talis quoque fuit extasis S. Ignatii fundatoris Societatis Iesu, de quo ita scribit Maffeius in vita eius l. 1. c. 7. *Factum est aliquando ut alienatus a sensibus, a completorio sabbati ad alterum usque proximi sabbati completorium, in altissimo quodam excessu superstiterit, in quo de SS. Trinitate per visionem intellectualem ita instructus est, ut de ea, licet adhuc idiota, librum scribere ausus sit.* Talis quoque fuit B. Theresiæ, de qua ita legimus in eius vita cap. 74. *Erat eius oratio non solum assidua, sed adeo fervens, quo statim ac sese in orationem recipiebat, confestim extra se raperetur: sæpe etiam absque ulla præparatione, Spiritus efficacia percussa, ab usu sensuum abstrahebatur: aliquando etiam ex his raptibus cum summis exclamationibus et lacrymis revertebatur, in quibus magnam noctis partem insumebat.* Eadem dictitabat animam perfecte amantis et contemplantis fieri unum cum Deo spiritum, eo modo et similitudine, quo pluvia e cælo pluens in fluvium cum eius aquæ miscetur, unumque quid cum ea fit; aut quo duæ lucernæ duo fundunt lumina quæ in eodem cubiculo coeuntia unum lumen efficiunt; ubi nota non per omnia hæc esse similia, horum enim unio est quasi essentialis; animæ vero cum Christo unio est accidentalis per contemplationem et amorem. Error enim Aimarici et contemplativorum rudium tempore Ruisbrochii fuit, in extasi animam annihilari, et transire in essentiam Dei, uti recenset et refutat Gerson, tractatu de Contemplat. — Error est animam in extasi transire in Dei essentiam.

QUINTA PARS DRAMATIS,

ET

ULTIMA PARS LIBRI.

In qua Ecclesiæ senescentis reformatio, renovatio, perfectio, ac tandem felicitas et glorificatio, aut potius ad felicitatem et gloriam æternam anhelatio describitur.

VIDE DICTA IN PROŒMIO, CAP. III.

VOX SPONSI.

VERS. 3. PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS ET DECORA SICUT IERUSALEM, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA.

Pro serie et decore dramatis, nota sponsum mox ut sponsam invenit in horto, vel in via ad hortum sibi occurrentem, eam reverenter et amanter salutasse, eique narrasse, quanto dolore et studio eum quæsierit; quanta idcirco probra, verbera et spolia a circuitoribus perpessa sit; quibus notis et elogiis adolescentulis eum quæsituris insignierit, quæ omnia utpote iam recensita, hic subticentur, quibus auditis sponsus eam consolatur, ac vicissim laudes et dotes ei c. 4. assignatas confirmat, aliasque insuper adiicit. Ait ergo: *Pulchra es, amica mea, etc.*

Pro *suavis* Hebr. est כתרצה *ketirtsa*, quod primo plane et apposite cum Hebræis, Pagnin. Vatablo, Marino et aliis, vertas *sicut Tirtsa*, q. d. Pulchra es sicut Tirtsa, et decore sicut Ierusalem: Tirtsa enim, sive Tersa, ut vertit Noster in lib. Regum, erat urbs admodum speciosa in tribu Manasse, in alto monte sita. Unde Ieroboam primus rex Israel, sive decem tribuum, thronum suum in ea collocavit, illamque regni caput effecit. Ieroboam secuti sunt eius posteri et successores usque ad Amri patrem Achab, qui ædificata urbe in monte Somer, indeque nuncupata Samaria, quæ postea Sebasta, id est Augusta, in honorem Cæsaris Augusti, ab Herode appellata est, in illam regni caput sedemque transtulit, ut patet 3. Reg. 14. v. 17. et cap. 16. v. 6. 8. 9. 15. 23. et 24. Licet enim Tirtsa tempore Salomonis necdum esset metropolis regni Israel, tamen pulchra admodum erat et amœna. Unde paulo post sub Roboam a Ieroboam facta est metropolis, idque mox futurum prævidebat Spiritus sanctus, qui hæc Salomoni dictavit.

Secundo, Septuaginta, תרצה *tirtsa*, vertunt εὐδοκία, id est beneplacitum, complacitum, benevolentia: רצה *ratsa* enim est velle, complacere, beneplacitum esse, unde transfertur: *Pulchra es, amica mea, et beneplacitum*; Symmachus: *bene accepta*; quinta editio: *Quousque bene probo*; Syrus: *Pulchra es secundum meam voluntatem*. Hinc Noster vertit *suavis*, quia quæ alicui bene placent, hæc illi grata, suavia et iucunda sunt. Alii vertunt *suavitas* in abstracto, q. d. Suavis adeo es ut ipsa suavitas esse videaris, hoc est suavissima et iucundissima es.

Porro Noster Interpres, æque ac Septuag. sæpe pro nominibus propriis vertunt eorum significata cum illa rei, de qua agitur, conveniunt, aut quid mysterii in eis latet: sic pro Simon Chananæus vertit Simon Zelotes, pro Thomas vertit Didymus, pro Cephas vertit Petrus; pro Boanerges vertit filii tonitrui. Sic 1. Paral. 4. 22. pro nominibus propriis *Ioachim, Choseba, Ioas et Saraph* vertit: *Qui stare fecit solem, virique mendacii, et securus et incendens.*

A SICUT IERUSALEM.) Ierusalem enim erat pulcherrima, sive templum, sive domum regiam, sive muros, sive plateas, sive ædes, fora, vicos, sive homines, ac præsertim fœminas et sponsas spectes. Solent Hebræi homines comparare arboribus, hortis, urbibus, ac vicissim urbes hominibus et cœtibus hominum. Unde Ierusalem cœlestis comparatur sponsæ Apocal. 21. 2. *Vidi*, inquit, *civitatem novam Ierusalem descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.*

Porro Chald. hæc de duplici Iudæorum templo accipit: *Pulchra es*, inquit, *hodie tempore secundi templi, sicut accepta fuisti olim tempore primi.* Verum tempore Salomonis necdum erat templum secundum.

TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA.) Syrus *ut electa*, q. d. Sponsa mihi sponso est suavis et amabilis sed hostibus sæva et terribilis, iuxta illud c. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea* Hebr. est *terribilis* כנדגלות *cannidgalot* id est, *sicut vexillatæ*, scilicet, acies et cohortes, hoc est, ut *castrorum acies* B *ordinata*, ut vertit Noster. Sub vexillis enim ordinantur cohortes et acies, atque in recta earum dispositione et ordine consistit castrorum robur et fortitudo: pauci enim milites recte dispositi et ordinati profligabunt multos male dispositos, palantes, et inordinatos.

Septuag. pro אימה *aiumma* id est, *terribilis*, legentes aliis punctis אימה *ama* vertunt θάμβος, id est *pavor, stupor, admiratio.* Unde Vaticani transferunt, *pavor ut ordinatæ acies*; *pavor*, id est, pavenda et pavorem hostibus incutiens. Nysseni, æque ac S. Athanasii in Synopsi interpres, pro *pavor*, vertit *stupor*. Nam pavor parit stuporem, facitque stupidos. S. Ambros. lib. de Virgin. vertit *admiratio ordinata, eo quod*, inquit, *civitatis æternæ universa habet mysteria, et admirationi sit omnibus intuentibus eam, quia plena ut æquitas, atque perfecta est et fulgorem de verbi lumine mutuata. dum in id semper intendit; sit etiam terribilis ordine quodam ad summam pro-* C *vecta virtutum.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

ECCLESIA pulchra effecta est, æque ac fortis et terribilis ut castrorum acies ordinata, quando errores et vitia per Arrianos, aliosque impios in fideles suos inducta, per zelosos imperatores et principes, Pontifices et Episcopos in Conciliis Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, Lateranensi, Florentino, Tridentino, aliisque tum Œcumenicis, tum Provincialibus exstirpavit, et Ecclesiam vel universalem, vel Provincialem pristino fidei et virtutum nitori restituit. Hic enim incipit Spiritus sanctus describere senescentis Ecclesiæ renovationem, quæ sæpius, et varie diversis temporibus et locis facta est per Episcopos et reges eximios, quae

A quibus particulares Ecclesiæ instauratæ sint.

Deus Ecclesiæ reformatores suscitavit. Sic S. Athanasius reformavit Ecclesiam Alexandrinam, ut in omni sanctitate floreret, Deique paradisus esse videretur. Sic Lucifer Caralitanus reformavit Sardiniam, Eusebius Vercellensis Italiam, S. Hilarius Galliam, Dionysius et mox S. Ambrosius Mediolanum ab Auxentio Arriano Episcopo paulo ante deformatum, S. Paulinus Treviros; sic aliis sæculis prolapsos Ecclesiarum particularium mores instaurarunt.

Ecclesia cur similis Tersæ et Ierusalem urbibus?

Maxime vero in fine mundi id facient Elias et Enoch cum suis asseclis, uti paulo ante dixi: unde tunc Ecclesia erit pulchra ut Tersa in Gentibus, et decora ut Ierusalem in Iudæis. Tersa enim erat Metropolis Samaritarum, qui a Iudæis vilipendebantur, ut Gentes et idololatræ; Ierusalem vero Iudæorum: Ecclesia enim similis est urbibus Tersæ et Ierusalem, quia sicut in his erat congregatio et multitudo civium, sic in Ecclesia est fidelium. Rursum *Tersa* idem est, quod complacentia, suavitas, decor, pulchritudo, qualis est in Ecclesia Gentium reformata. Ierusalem idem est quod visio pacis, qualis erit in Iudæis, quando ipsi ad Christum conversi, cum Gentibus in unam Ecclesiam pacifice conspirabunt, ideoque in unam Ierusalem cælestem transferentur. Hinc Ecclesia a S. Paulo Galat. 4. 26 et a S. Ioanne Apoc. 21. 1. vocatur Ierusalem ob causas, quas ibidem recensui. Audi S. Greg. « Pulchra et amica, suavis et decora sicut Ierusalem synagoga esse perhibetur, quia sancta quatuor Evangelia aliquando conversa, sicut Ecclesia sectabitur. Ierusalem quippe visio pacis interpretatur. Per quam bene S. Ecclesia figuratur, quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens, quæ sit pax patriæ cælestis, currendo contemplatur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat: In mundo quidem pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Digne autem synagoga conversa sicut Ierusalem pulchra, et amica, et suavis, et decora dicitur, quia dum S. Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, a quibus pulchritudinem morum accipit, ut placeat; exercitium sanctæ operationis colligit, ut in amicitia hæreat; suavitatem mansuetudinis discit, ut permaneat; speciem decoræ conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. »

Ecclesia pulchra ut Ierusalem.

Porro Ecclesiæ pulchritudo, æque ac fortitudo, quæ eam dæmonibus, hæreticis et impiis facit terribilem, consistit in ordine hierarchico, quo Pontifici subsunt et subserviunt Episcopi, Episcopis presbyteri, presbyteris diaconi, diaconis cæteri clerici et laici, quique in ordine et gradu suo. Hos omnes enim Pontifex per Episcopos regit et dirigit, sicut Angelus cæli primi, quod primum mobile dicitur, illud movens ab Oriente in Occidentem, eodem consequenter et movet cælos inferiores primo subiectos; unde ei nulla vis resistere, aut motum hunc inhibere potest. Tanta est vis obedientiæ et ordinis; ob illum enim Ecclesia dicitur terribilis ut castrorum acies. Hoc est quod præcinuit Isaias c. 26. v. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* Causam affert c. 54. 11. dicens: *Sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris, et ponam iaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles:* quinam sint hi lapides explicat subdens: *Universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis.*

Fortitudo sita in ordine.

Rursum pro *ut castrorum acies ordinata*, Hebr. est *sicut vexillatæ*, scilicet phalanges et acies; quia in Ecclesia universali multæ sunt particulares, et in particularibus multi clericorum et laicorum gradus, multi religiosorum ordines, qui omnes licet vexillis particularibus discreti, omnes tamen militant sub vexillo crucis Christi. Quare ab eo, puta a Christo crucifixo manat omnis eorum pulchritudo, æque ac fortitudo. Unde S. Anselmus: *Terribilis es,* inquit, *quia in te milito, et tu militas in servitio meo, sicut in castris militatur, et es ordinata per institutionem.* In Ecclesia enim sunt validi cunei martyrum, fortia agmina virginum, invicta agmina doctorum, etc.

Addit Cassiodor. Ecclesiam dici pulchram et suavem in virtutibus, terribilem in imperio, quod profert usque ad terminos terræ.

Unio fidelium reddit Ecclesiam invincibilem.

Porro ordo hic unit omnes fideles inter se, æque ac cum capite Christo; atque hæc est causa, cur Ecclesia sit fortissima et inimicis terribilis ut castrorum acies ordinata: quia scilicet summe per charitatem unita est; unio autem tot fidelium est invicta, omniaque pervincit. Audi S. Greg. « Notum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim et concorditer gradiuntur, ab hostibus contravenientibus timentur, quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent hæsitantes non inveniunt; illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt; et ut occidantur appetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est, ut pace charitatis constringatur, qua salva fit, si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet; si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace itaque se muniat, unitate se vinciat, charitate se uniat, ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exsultans sine confusione sequatur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima cur terribilis.

Anima sancta pulchra est per gratiam, suavis per comitatem, charitatem et benevolentiam; terribilis per zelum, quia in omnibus Dei voluntati se conformat, eiusque gloriam promovere satagit; talis terribilis est, ait Beda, quia universam virtutum aciem in se habet instructam; si ergo eum tentet gula, resistet temperantia; si libido, resistet castitas; si ira, resistet patientia; si superbia, resistet humilitas; si avaritia, resistet liberalitas; si acedia, resistet zelus. Audi Hugonem de S. Vict. erudit. Theol. ex miscell. 2. l. 4. « Suavis est, ait, hominibus, decora numinibus, terribilis dæmonibus. Quare? quia ambulat ut castrorum acies ordinata, non dissipata per invidiam, sed constipata per charitatem. Acies est per conventum, castrorum per procinctum, ordinata per consensum. Conventum facit pœnitentia, procinctum ponit vigilantia, consensum præbet concordia. » Unde Chald. vertit: « Quam pulchra es tu, dilecta mea, in tempore, quo vis facere voluntatem meam! pulchra est domus sanctuarii, quam ædificasti mihi similem priori domui sanctuarii, quam ædificavit mihi Salomon, Rex Ierusalem; et terror tuus fuit super omnes populos in die, quo ambulaverunt vexilla tua per desertum. »

Fortitudo animæ est ex pulchritudine.

Nota, fortitudo Ecclesiæ, ac animæ piæ oritur ex eius pulchritudine, ideo enim terribilis est hostibus, quia decora est sicut Ierusalem, id est, sicut visio pacis: pax ergo facit eam terribilem: pax enim omnes eius motus ac affectus componit et ordinat iuxta legem et voluntatem Dei, ut sit quasi castrorum acies ordinata, id est, densa, concors et composita, quam nulla vis perrumpere valet. Hinc anima composita et pacifica est invicta et insuperabilis.

Porro Nyssenus legit: *Pulchra es, proxima, ut beneplacitum vel benevolentia, decora sicut Ierusalem, stupor sicut instructæ acies,* sicque explicat: pia anima, inquit, primo est similis benevolentiæ Christi, qua ipse se exinanivit formam servi accipiens, deditque se pretium pro mundi vita; sic enim anima pia se impendit pro salute proximorum, uti faciebat Paulus: atque in hoc consistit eius pulchritudo.

Secundo, *Formosa est tamquam Ierusalem,* scilicet cælestis: quia cum habeat in se inhabitantem Deum, qui omnem decorem tribuit cælesti Ierusalem, huic quoque in decore similis esse perhibetur.

Tertio, eadem *Stupor est sicut instructæ acies*, quia cum omnia, inquit, faciat ordinate et decore, talem sui excitat admirationem, qualem Angelorum exercitus, qui

in omnibus suis ministeriis sunt ordinatissimi. Sic et Theodor. qui tamen εὐδοκίαν, id est beneplacitum, vertit probationem; ut sicut sponsa sponsum c. 5. v. 16. vocavit desiderium, id est summe desiderabilem, sic sponsus hic vicissim sponsam vocat probationem, id est summe probatam, puram et perfectam. Tres vero Anonymi censent animam piam vocari stuporem, eo quod contemplando immensam Dei pulchritudinem admirando obstupescat, ut faciunt Angeli.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo pulchra est complacentia, quia unice præ omnibus creaturis placet toti SS. Trinitati, Angelis et sanctis, iuxta illud Gabrielis: *Invenisti gratiam apud Deum, o Beata Virgo*, inquit Rupert. *suavis et decora es sicut Ierusalem, in eo quod anima tua semper supernam videt pacem, ut ex visitatione tui discunt animæ plurimæ cælestem ducere conversationem, unde et dicuntur, vel sunt filiæ Ierusalem, quia optimam eligunt partem, iuxta illud: Vacate et videte, quoniam ego sum Dominus*, etc. *Tu quoque terribilis es dæmonibus, hæreticis et impiis, sicut castrorum acies ordinata, in qua summa omnium est concordia, ac proinde nullus in ea per discordiam aditus datur hosti.* Quocirca omnes hæretici qui Christum, etiam beatam Virginem impugnant, ab ea proteruntur: unde de ea canit Ecclesia: *Cunctas hæreses sola in universo mundo interemisti.* Addit Sophron. serm. de Assumpt. *B. Virgo*, inquit, *est sicut castrorum acies ordinata*, quia stipata est innumeris Angelorum et sanctorum agminibus. Hinc Damascenus Orat. 1. de Nativ. *O sanctissima*, inquit, *filia, quæ materni uberis lacte aleris et ab Angelis undique cingeris.* Hinc et S. Bonav. in Speculo B. Virginis c. 3. *Maria*, inquit, *interpretatur Domina; hoc quoque optime competit Imperatrici quæ revera Domina est cælestium, terrestrium et infernorum; Domina, inquam, Angelorum, hominum et dæmonum*, etc. Unde S. August. ait: *Michael dux et princeps militiæ cælestis cum omnibus spiritibus administratoriis, tuis, Virgo, paret præceptis in defendendis in corpore et in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter servientium tibi Dominæ, et die ac nocte se tibi commendantium.* Idem in Cantico: *Te matrem Dei laudamus; tibi*, ait, *omnes Angeli et Archangeli, tibi throni et principatus fideliter deserviunt; tibi omnes potestates et omnes virtutes cæli cælorum et universæ dominationes obediunt.* B. Gertrudis lib. 4. revelat. cap. 49. agens de Angelis, quos videbat coram Deipara, eos qui ad festum assumptionis se paraverant adducere, eosque ab insidiis malignorum spirituum defendere, subiicit: *Quia ad imperium*, inquit, *Dei genitricis multitudo Angelorum undique defendendo protegit omnes gloriosam Virginem invocantes.* Denique S. Germanus Orat. in zonam Deiparæ. *Tu*, ait, *nequissimi hostis contra servos tuos invasiones sola nominis tui invocatione sanctissima repellens, tutos atque incolumes servas.* Vide dicta cap. 1. v. 9. ad illa: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.*

Vers. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Averte oculos tuos a me (Hebr. *a coram me*, vel *e regione mei*) quia ipsi me avolare fecerunt.) Hebr. הרהיבני *hirhibuni*, id est *prævaluerunt mihi.* Pagnin. *fortiores me fuerunt.* Vatabl. *quia ipsi vincunt me.* Tigurin. *Deflecte oculos tuos, ne directe me contueantur, quia me superbiorem faciunt.* R. Salomon et Anonymus, *extollerunt et superbire me fecerunt.* Aben Ezra: *potentiores sunt me, mihi robur et dominationem adimunt*; R. David: *roborarunt me in amore.* S. Ambr. l. de Isaac c. 8. *Ipsi me elevant*, idque sic explicat quasi Christus roget animam perfectam, ne se detineat in elevata contemplatione, sed sinat se descendere ad rudiorum instructionem et salutem. *Etsi tu*, inquit, *perfecta es; aliæ tamen adhuc animæ redimendæ sunt, aliæ fulciendæ: quamobrem averte oculos tuos a me; elevas enim me videndo; ego autem ideo descendi, ut omnes elevem. Quanto enim quis ad Dominum intendit, tanto amplius Dominum elevat, et ipse elevatur.*

Disce ex his omnibus versionibus, quam potentes sint oculi sinceri, casti et amabiles sponsæ, utpote quæ sponso prævaleant, dominentur, eumque quasi captivent, sibique mancipent. Sensus enim est, q. d. Tantus est decor oculorum tuorum, o sponsa, tanta tamque ignea in eis vis, ut me in sui amorem rapiant, ut mihi dominentur, ut amori succumbam, ut mihi mentem quasi eripiant, ut nimietate amoris fugitivum cor quasi avolet et in te transvolet, iuxta illud c. 4. vers. 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Hebr. *excordiasti me.* Vide quæ de vi et illecebra oculorum fœmineorum c. 4. v. 1. et 9. dixi. Nota est illa apud Euripidem in Hecuba lex, ex veterum moribus recepta: *Adversa ne qua fæmina spectet viros.*

Ostendit quod dixit *pulchra es et decora*, ex pulchritudine oculorum, quæ tanta est, ut cor sponsi in sui amorem abripiant; adeo ut sponsus cordis sui impotens, videat illud avolare in sponsam, q. d. Oculi tui adeo sunt pulchri, ut eorum lucem et vim non sustineam; modicum ergo eos deflecte, et ad latus adverte, ut mihi redditos eos quasi ex latere liberius et lentius intuear. Quare frigida est expositio Chaldæi, quæ sic habet. *Fac accumbere magistros tuos sapientes, congregatio magna in circuitu, in conspectu meo; ipsi enim consulebant me in captivitate et constituebant gymnasium doctrinæ legis meæ.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Multi censent hic notari et retundi audaciam et curiositatem Ecclesiæ, vel piæ animæ, quæ oculos mentis nimis profunde vult figere in contemplanda Dei essentia et maiestate, ut incomprehensibilem quasi penetret et comprehendat, cum potius debeat curare negotia domus cum Martha et proximorum salutem: qua in re non proficit, sed magis retunditur et hebetatur oculorum eius acies; sicut qui fixis oculis intuetur solem, excæcatur, iuxta illud: *Scrutator maiestatis opprimetur a gloria.* Proverb. 25. 27. ita S. Greg. Cassiod. Theod. Philo, Beda, Anselmus, Rupert. et S. Ambr. cuius verba iam recitavi. Huc accedit Iostus Orgelit. qui accipit hæc de contemplatione humanitatis Christi q. d. *Non me semper in corpore conspiciendum requiras, quem spiritu per fidem melius cernis. Ideirco enim in cælos ascendi: ut non semper localis tibi apparsam, qui sic omnia divinitatis meæ præsentia repleo, ut ubique adsim, cunctaque contineam et a nullo loco continear.*

Verum hic sensus parum contextui, æque ac Hebrææ phrasi congruit: non enim reprehenditur hic sponsa a curiositate, sed laudatur a pulchritudine et illicio oculorum, per quos pura Ecclesiæ in Christum intentio et amor significatur, ut dixi c. 4. v. 1. Hæc enim intentio uni Christo placendi et inhærendi, mire Christo placet et cor eius abripit, ut diligentem se vicissim diligat, et intendenti sibi totus intendat. Significat ergo Christus charitate Ecclesiæ se victum, ut sui tam amantem mirifice redamet, utque eius amore cursum, tempusque mundi absolvere decernat, quo reliquiæ Israel salventur: de iis enim agit in sequentibus, ut hoc facto Ecclesia Christo sponso suo in æternum copuletur, eoque felicissime perfruatur in cælesti gloria, ubi nuptiarum utriusque erit consummatio.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Quod dixi de Ecclesia, dic de anima commutato nomine. Porro nova et paradoxa est hic explicatio Nysseni ha-

mil. 15. et ultima (hic enim finit Nyssenus) et qui eum sequitur, imo eius abbreviator est Michael Psell. Censent enim hæc esse verba non sponsi, sed sponsæ ad sponsum; atque quod vertunt Septuag. ἀπόστρεψον τοὺς ὀφθαλμούς σου ἀπεναντίον μου, sic transferunt: *Averte oculos meos a contrario mihi.* (Interpres Nysseni vertit *a me* ut τὸ ἀπεναντίον sit idem quod *e regione mei*, id est *a me*, sed aliam esse Nysseni mentem patet ex iis quæ subdit) *Nam illi* ἀνεπτέρωσάν με, id est, *avolare fecerunt me*, sed Nyssenus urgens τὸ ἀνα vertit, *rursum alas mihi tradiderunt.* q. d. Averte, o Christe, oculos tuos ab eo, quod mihi contrarium est, eosque converte ad me, quia lux oculorum tuorum alas gratiæ, quas per peccatum perdideram, rursum mihi reddidit, ut alata et a terrenis cupiditatibus expedita, ad cælum evolem.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Nonnulli explicant de B. Virgine Christum concipiente et pariente, q. d. O Virgo, quæ in altissima et purissima divinitatis contemplatione versaris, ab ea oculos mentis averte, eosque converte ad contemplandum incarnationis Verbi, quod in te peragitur, mysterium. Hi enim puritate mentis tuæ oculi quasi me mihi surripuerunt, ac e sinu Patris in gremium tuum evolare fecerunt. Verum quia ad litteram hic agitur de Ecclesiæ reformatione et Synagogæ conversione, aptius sic exponas, q. d. Pura et ardens intentio tua, o Virgo, qua Ecclesiæ renovationem et Iudæorum conversionem ardentissime intendis, desideras, oras et procuras, adeo mihi placet, ut illam ulterius ferre nequeam, quin potius illi obsecundem, illique quasi me tradam, ut perficiam et opere compleam id, quod tantopere desideras et flagitas.

Hos occultos mentis B. Virginis oculos prodebant oculi corporis augusti, et amore Dei flagrantes. Unde de iis Poeta:

O charissimæ luces,
Nitidissimi soles,
Felicissimæ faces,
Augustissima sidera.

Luces animæ, soles mentis, faces cordis, sidera animi. O vultum! o cælum! tot, tamque divinis lucibus, facibusque cælatum. *O facies magni mihi numinis instar.* Sane vidi Romæ imaginem Deiparæ, a S. Luca depictam, in qua oculi et vultus maiestatem augustam, et plus quam humanam repræsentant.

CAPILLI TUI SICUT GREX CAPRARUM, QUÆ APPARUERUNT DE GALAAD.

VERS. 5. DENTES TUI SICUT GREX OVIUM, QUÆ ASCENDERUNT DE LAVACRO, OMNES GEMELLIS FŒTIBUS, ET STERILIS NON EST IN EIS.

VERS. 6. SICUT CORTEX MALI PUNICI, SIC GENÆ TUÆ ABSQUE OCCULTIS TUIS.

Hæc omnia explicata sunt c. 4. v. 1. Sponsus enim repetit hæc sponsæ elogia, ut ea confirmet et adolescentulis inculcet. Tantum nota Septuag. Arabicum, Symmachum et Aquilam hic addere: *Sicut funiculus coccineus labia tua, et eloquium tuum dulce*, quem versum ex c. 4. v. 3. transcripserunt et huc retulerunt. Rursum pro *sicut cortex mali punici*, Syrus vertit: *Sicut corona mali punici*: hæc enim in corticis vertice coronam patulam gestat. Ad hæc pro *absque occultis tuis*, sive ut c. 4. v. 3. vertit: *absque eo quod intrinsecus latet*, Arabic. transfert: *Præter pulchritudinem silentii tui.*

VERS. 7. SEXAGINTA SUNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCUBINÆ, ET ADOLESCENTULARUM NON EST NUMERUS.

VERS. 8. UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA, UNA EST MATRIS SUÆ, ELECTA GENITRICI SUÆ. VIDERUNT EAM FILIÆ, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERUNT, REGINÆ ET CONCUBINÆ, ET LAUDAVERUNT EAM.

UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA, UNA EST MATRIS (Septung. *matri*) SUÆ, ELECTA GENITRICI SUÆ.) *Unica matris*, id est unigenita, vel unice præ aliis filiabus dilecta a matre. Arabicus: *Perfecta mea una est, et una matri suæ.*

Concubinæ vocantur non pellices aut meretrices, sed legitimæ uxores, licet secundariæ; quia scilicet non erant matresfamilias, nec earum filii in patris hæreditatem et regnum succedebant, sed cum muneribus dimittebantur, uti Abraham Agar concubinæ suæ, eiusque filio Ismael dedit munera; Saram vero habuit quasi uxorem primariam et matremfamilias, cuius proinde filius Isaac Abrahæ fuit hæres ex asse. Vide dicta Genes. c. 25. 6. Concubinæ sunt legitimæ uxores, licet secundariæ.

Adolescentulas accipe virgines honorarias, quæ reginas et concubinas honoris causa comitabantur, earumque faciebant gynæceum; aut quasi in gynæceo servabantur, ut morientibus reginis, vel concubinis, in earum locum succederent, fierentque uxores vel primariæ, vel secundariæ.

Quæres, an hæ reginæ, concubinæ et adolescentulæ fuerint Salomonis, an alterius? olim enim licita erat polygamia, non tantum apud Gentiles, sed et apud Hebræos; unde reges Parthorum, Persarum, Medorum, Assyriorum, Syrorum multas habebant uxores, uti etiamnum habent reges Maurorum, Turcarum, Indorum, Tartarorum, etc. Reginæ Salomonis.

Primo, noster Delrio censet has non fuisse Salomonis, sed alterius, a quo petitur comparatio: *Nunc pastor noster*, inquit, *regum cunctorum opibus fortunisque sortem anteponit suam.* Non placet accipi de Salomone rege, cuius fœminarum mandræ his longe maiores fuere, et contra quam hic legimus, plures habuit reginas quam concubinas (vide 3. Reg. 11.) sed capio indefinite de quovis monarcha potentissimo. *Sit aliquis, ait, qui in gynæceo suo clausas habeat plurimas coniuges primarias ingenuæ conditionis et plures concubinas (sic vocantur secundariæ uxores sine ceremoniis et ritualibus nuptiarum copulatæ, servilis vel libertinæ conditionis) plurimas vero virgines adolescentulas, quæ in alteram thalami sortem mille clavibus asservantur in domus penetralibus, quidquid in tam multis divisim, in mea id coniuge confertim omne reperitur; quare et te, o dilecta, cunctis illis præfero, et me tali rege beatiorem dico.* Olim enim sponsus et sponsa honestabantur nomine regis et reginæ. Unde Plautus in Sticho: *Suus rex reginæ placet, sua cuique sponsa sponso.* Nomine ergo regis et reginæ sponsus et sponsa, licet plebeii, se mutuo honoris et lætitiæ causa compellabant et salutabant.

Secundo, aptius alii has censent fuisse Salomonis, hoc enim ipsa nexus exigere videtur. Ita S. Hieron. l. 1. contra Iovin. Genebr. Soto maior, Gislerius et alii hic, Abul. 4. Reg. 11. q. 9. et seqq. Pineda l. 6. de Rebus Salomon. c. 5. Salomon enim sub initia regni, cum castior esset, et hæc scriberet, sexaginta dumtaxat habuit reginas, et octoginta concubinas, non libidinis, sed regalis magnificentiæ causa, ne viciniis regibus qui amplum illarum gynæceum ostentabant, dignitate videretur inferior: isto enim polygamiæ ævo, regum splendor consistebat in reginarum copia et splendore; at senior factus et intemperantior, septingentas sibi ascivit reginas et trecentas concubinas. 3. Reg. 11. Ait ergo: « Ego Salomon sexaginta habeo reginas, et octoginta concubinas, quæ pluribus stipantur adolescentulis virginibus: at his omnibus præfero filiam Pharaonis: hæc enim mihi prima et summa uxor, hæc reginarum est regina, hæc una mihi plus dilecta quam cæteræ omnes: unde de hac dico; una est columba mea, perfecta mea; sicut eadem una est matri suæ, electa genitrici suæ; quia ob pulchritudinem, tum corporis, tum magis animi, moresque castos, modestos et compositos, tam mihi, quam matri suæ præ cæteris filiabus unice est chara et dilecta. » Quod si hic uxorum numerus in Salomone adhuc sancto et sanctorum Canticorum scriptore plus æquo maior videtur, dicito cum Sanchez, reginas hasce et concubinas fuisse vicinorum regum, quæ honoris causa comitabantur genialem pompam nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis, ac postea sæpe amicitiæ, et forte homagii

causa ipsum intervisebant. Videntur enim hi reges Salomoni fuisse amici vel subditi.

Nominat reginas sexaginta, concubinas octoginta, quia post initia regni præcise tot habuisse videtur, aut quia ponit numerum definitum pro indefinito. Sexagenarius enim est numerus perfectus, quia conflatur ex duobus numeris perfectis, scilicet ex senario et denario in se mutuo ductis et multiplicatis; congrue ergo datur reginis. Octogenarius vero conflatur ex denario qui est perfectus, et octonario qui est imperfectus; apte ergo tribuitur concubinis, utpote uxoribus imperfectis. *Senarius*, ait Iustus, *perfectus est, quia totis suis partibus constat; nam sexta eius pars est unum; tertia, duo; media autem, tria esse probatur.*

Denique Abulensis 3. Reg. 11. q. 12. et Pineda l. 6. de Reb. Salomonis, c. 5. censent Salomonem plures habuisse reginas et concubinas, scilicet usque ad mille, sed præcipuas ex eis magisque familiares Salomoni hic dumtaxat numerari, easque fuisse sexaginta e reginis et octoginta e concubinis. Verum difficile est creditu eum, cum Cantica tam spiritualia scripsit, adeo fuisse carnalem et mulierosum, ut mille habuerit uxores.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Quæ per reginas, concubinas et adolescentulas significentur.

Reginæ, id est Ecclesiæ patriarchales, primates et Metropolitanæ sunt sexaginta, id est multæ; concubinæ, id est Ecclesiæ Episcopales sunt octoginta, id est plures: adolescentularum, id est Ecclesiarum parochialium et cæterarum non est numerus: plurimæ enim sunt et quasi innumerabiles; at supra has omnes eminet Cathedra S. Petri, puta Ecclesia Romana, inquit Cosmas Damian. quæ reginarum est regina, totiusque Ecclesiæ caput et princeps, quæ cæteras omnes moderatur et regit, ne a recta fide et pietate aberrent; et cum aberrant, eas corrigit et reformat; quare hæc est una columba, id est una sponsa Christi, unice ab eo dilecta, perfecta in fide et religione, unica matri suæ, et electa genitrici suæ, id est unice pariter dilecta primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ait S. Anselm. hæc enim ceu mater Romanam genuit, dum S. Petrum, Paulum, aliosque primos credentes Romam misit, ut eam converterent, et caput Ecclesiæ constituerent. Quare Romanus Pontifex, qui in ea præsidet, mittit reformatores per totum orbem, qui veram fidem et religionem in particularibus Ecclesiis collapsam, vel corruptam instaurent, uti S. Sylvester misit Hosium Cordubensem, qui præesset Concilio Nicæno, ubi damnatus est Arrius; Iulius, Liberius et alii miserunt S. Athanasium, Eusebium, Vercellensem, Luciferum Calaritanum et alios, qui Orientales Episcopos in Arrianam hæresim prolapsos, ad veram fidem reducerent; imo Pontifices Romani mittunt viros religiosos et Apostolicos ad Indos, Tartaros, aliosque Gentiles, ut fidem apud eos prædicent et propagent; ac in fine mundi mittent viros eximios in Iudæam et Ierusalem, qui Antichristo resistant, et Iudæos convertant; quare tunc Roma unietur genitrici suæ, id est Hierosolymæ, puta Ecclesia Synagogæ, cum filia matrem aberrantem, puta Roma Hierosolymam, a Mose, æque ac ab Antichristo ad Christum traducet. Tunc implebitur illud Isaiæ c. 19. oraculum: *In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio; benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrius; hæreditas autem mea Israel.* Vide ibi dicta. Et illud Isaiæ 49. 23. *Erunt reges nutricii tui, et reginæ nutrices tuæ vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.*

Unius columbæ nomine venit intelligenda Ecclesia Catholica.

Huc accedunt Patres plerique, qui per unam columbam intelligunt unam Ecclesiam Catholicam, toto orbe diffusam. Huius enim caput et princeps est Ecclesia Romana. Ita S. Gregor. Nyssen. Cassiod. Beda, Ansel. hic, et S. August. tract. 6. in Ioannem, ac S. Cyprian. tract. de Unitate Ecclesiæ. Ecclesiæ ergo proprietas et nota est, quod sit una, licet Catholica et toto orbe diffusa: una, inquam, per unam fidem, spem et charitatem, ac per unum caput, puta Christum eiusque vicarium Romanum Pontificem, a qua unitate qui se separat, schismaticus est vel hæreticus. Vide S. Cyprian. lib. de Unitate Ecclesiæ. Addit Cassiodorus illam dici *columbam*, quia in eam Spiritus sanctus specie columbæ descendit in Baptismo Christi, Matth. 3. matrem vero eius esse cœlestem Ierusalem, ad quam illa a Deo evocata tendit et proficiscitur; hanc enim *matrem fidelium* vocat Paulus, Galat. 4. 26. Nyssenus vero per matrem accipit Spiritum sanctum, qui ut columba ipsam Ecclesiam genuit, velut pullum columbinum parvamque columbam. S. Gregorius autem per matrem accipit gratiam Spiritus sancti quod eodem redit: *Mater nostra*, inquit, *est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur; quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, et ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum et animam unam in charitate se uniunt; ex multis membris unum corpus efficiunt, omnesque in unitatis simplicitate et unitate viventes, una columba existunt: quæ sola perfecta et electa genitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur.* Ioannes Carmelita vero per matrem accipit Christum, qui quasi mater, materno affectu Ecclesiam et animam perfectam unice et tenerrime diligit, iuxta illud quod ipse ait Isaiæ 49. 15. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te. Muri tui coram oculis meis semper.* Denique Guilielmus notat reginas, id est perfectas animas numerari sexaginta; quia hæ legi Decalogi, quam significat denarius, addunt senarium, qui symbolum est perfectionis, quæ acquiritur per consilia Evangelica. Perfectæ enim sunt, quæ non tantum præcepta, sed et consilia Evangelica observant. Concubinæ notant illas, quæ præcepta Decalogi dumtaxat custodiunt: unde his octonarius circumcisionis, id est purgationis peccatorum contra Decalogum admissorum additur.

Porro Chald. more suo iudaizans, hæc accipit de regibus et populis oppugnantibus Ierusalem: « Tunc, inquit, surrexerunt Græci, et congregaverunt sexaginta reges de filiis Esau, indutos loricis, ascendentes super equos et equites, et octoginta duces de filiis Israel ascendentes super elephantes, præter reliquos populos et linguas, quorum non erat numerus, et constituerunt Alexandrum regem super eos in principem, et venerunt ut pugnarent contra Ierusalem. Et in illo tempore erat cœtus Israel similis columbæ perfectæ, et serviebat unanimis Domino suo, et apprehendebat legem, et laborabat in verbis legis in corde perfecto, et puræ erant iustitiæ eius, sicut in die qua egressa est de Ægypto. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Una columba est anima perfectissima.

Reginæ, id est animæ perfectæ, sunt sexaginta, id est paucæ; concubinæ, id est proficientes, sunt octoginta, id est plures; adolescentulæ, id est incipientes, sunt plurimæ, et quasi innumeræ; at vero una est columba, id est paucissimæ, et ex mille vix una est anima perfectissima, quæ singularis sponsa Christi sit, ipsique soli intendat, ac tota quasi in ipsum transeat, qualis fuit S. Paulus, cuius cor erat mare charitatis, quod totum mundum absorbebat, ac omnes gentes, etiam Iudæos sibi inimicissimos salvare satagebat; quem unum proinde pluris faciebat Deus, quam mille sanctos etiam perfectos, religiosos et Apostolicos. Vide S. Chrysost. hom. 8. quas scripsit de laudibus S. Pauli. Ita Orig. hom. 2. Theod. tres Anonymi apud ipsum, Philo, Iustus et S. Ambros. lib. de Isaac et Anima c. 8. *Lau-*

datur, inquit, *quod cum una sit columba habens Spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraque unum, et quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque naturæ. Anima benedicta omnis simplex, quæ imitatur dicentem: Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint. Hæc enim consummatio atque perfectio.* Unde et addidit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in his, et tu in me, ut sint consummati in unum. Hæc est ergo anima columba atque perfecta, quæ simplex atque spiritalis, neque huius turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ, intus timores sunt.*

Hus accedant Nyss. S. Greg. Rupertus et alii, qui per reginas accipiunt animas, quæ ex amore Deo serviunt, et ad cæleste regnum aspirant; concubiuas, illas quæ ex timore inferni alteriusve damni, aut spe mercedis legem Dei servant; adolescentulas, quæ in fide sunt rudes et in opera remissæ. Addit Lucas Abbas: *Rectæ et perfectæ animæ, quæ in se nobilitatem veram, in qua creatæ sunt, reformaverunt, reginæ dicuntur, eo quod regnent peccato, vel regendus eis populus Christo credentium sit commissus, quæ adhærendo verbo Dei et concipiunt et pariunt reges.* S. August. l. 83. quæst. q. 55. *Reginæ*, ait, *sunt animæ regnantes in intelligibilibus et spiritualibus; concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus est dictum: acceperunt mercedem suam adolescentulæ, quarum non est determinata scientia, et diversis dogmatibus peregrinari possunt.*

Perfecti ad unum aspirant.

Symbolice, una columba est anima, quæ uni summoque bono tota intendit; perfecta ergo summe est, si una uni Deo vacet, uti aiebat S. Ægydius socius S. Francisci, imo Christus: *Martha, Martha*, inquit, *sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit*, Luc. 14. Charitas enim mentem uni Deo iungens, illam quasi unum quid cum Deo efficit, ait S. Gregor. Hinc vere sapiens ille: *Qui*, inquit, *perfectionem appetit, ad unionem aspirat; quidquid appetit, ad unitatem contendit. Rara*, inquit B. Laurent. Iustin. lib. de Casto connubio Verbi et animæ sub finem, *inquam, est anima, quæ ex vitæ merito, ex muneris privilegio, ex immensitate amoris sponsa Verbi vocitetur, de qua sponsus in eius laudem dicat: Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suæ, electa genitricis suæ. Quum talem invenit, singulari eam diligit charitate: frequenter visitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, et vix ab illa patitur se absentare. Discedit interdum ab illa non ut iratus, sed ut amore succensus. Quo enim tardius redit, ipsa dilatione vehementius inflammatur, pulsat crebrius, provocat ardentius, et dicit; Surge, amica mea, speciosa mea, et veni; columba mea in foramina petræ, in cavernam maceriæ: ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Præceps namque amor dilationem non patitur, moras nescit desiderio fruendi quem diligit. Amoris artem amandi nescius non capit; solus novit expertus.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Unice et maxime proprie competit hæc sententia B. Virgini; ipsa enim est una columba, id est, una sponsa SS. Trinitatis, præ omnibus hominibus et Angelis electa et dilecta: « Matri suæ, id est, Ecclesiæ Patriarcharum, ait Rupert. et regum iustorum, ex qua progenita est, quorum secundum fidem benedictionis, quæ ad illos repromissa erat, ianua vel materia est. Et illi matri et huic genitrici una et electa est, quia nec inter Angelos, nec inter homines similem vel primam habet vel sequentem habitura est: vere columba, quia gratia plena; vere electa quæ non solum salva existeret, verum etiam ipsam salutem pareret. »

Quocirca SS. Trinitas totum suum amorem in B. Virginem transfudisse videtur, adeo ut eam solam plus diligat, quam totum orbem omnesque Angelos et homines simul sumptos, uti docet Franc. Suarez aliique Theologi. Vide Suarez 3. p. q. 37. disp. 18. sect. 4. ubi quatuor rationibus et plurimis Patrum testimoniis idipsum confirmat. Audi Guilielmum: *Una est columba mea, perfecta mea; una est regina reginarum, domina concubinarum, nutrix adolescentularum: hæc est columba per fœcunditatem, et mea per singularis partus novitatem; columba mea, cui ego singularis pullus sum, perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam et ad gloriam, cuius neque fœcunditas virginitatem defloravit, neque virginitas fœcunditatem ignoravit.* Et post nonnulla: *Est etiam unice electa genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis et regenerationis gratiæ. Insigne quippe, et singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quod ipsum redemptorem sibi nobisque genuit, sibi nobisque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis pia maternæ sollicitudinis sedulitate perduxit.* Audi et Honorium: *Tu una omnium transcendis merita, et ideo præ omnibus sola electa, columba mea, in qua transfudi spiritus charismata; perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera. Hæc una est imitabilis matri suæ, scilicet præsenti Ecclesiæ; electa genitrici suæ, Angelorum frequentiæ. Viderunt eam oculis cordis filiæ Sion, id est Ecclesiæ, et beatissimam prædicaverunt, ut ipsa dixit: Beatam me dicent omnes generationes. Et reginæ et concubinæ, activi et contemplativi, ita laudaverunt eam, dicentes: Quæ est ista, ut sequitur vers. seq.*

Porro Lucas Abbas, Aponii continuator, per unam columbam accipit humanitatem Christi: hanc enim præ omnibus sibi despondit Verbum æternum, cum illam, factus homo, assumpsit ex B. Virgine, cui proinde quasi matri suæ fuit dilectissima. Eadem humanitas dicitur fuisse *electa genitrici suæ*, quia ipsa electa fuit mediatrix inter robur divinitatis et carnis fragilitatem. Hæc Lucas. Humanitas enim Christi fuit prima et proxima sponsa Verbi, uti iam sæpius dixi.

Per columbam unam quibusdam videtur significari humanitas Christi.

Vers. 8. Viderunt eam filiæ (adolescentulæ) et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ (viderunt eam) et laudaverunt eam.

Arabicus: *Post eam reginæ, concubinæ, et laudabunt eam*; quod mirum est, cum et ipsæ sint pulchræ, ac laudem mereantur. Verum sponsæ pulchritudinem longe maiorem admirantes, nec ei invidentes, sed congaudentes, illam uno ore celebrant et prædicant.

Alludit ad Liam uxorem Iacob, quæ cum ex Zelpha ancilla peperisset filium, vocavit eum Aser, dicens: *Hoc pro beatitudine mea; beatam quippe me dicent omnes mulieres*, Genes. 30. 13. Sensus est clarus; nam Ecclesiam Romanam velut matricem laudant omnes filiæ, id est, Ecclesiæ parochiales: et concubinæ, id est, Episcopales; et reginæ, id est, patriarchales et Metropolitanæ. Animam pariter charitate et sanctitate eminentem, uti fuit Moisis et Pauli, cæteræ fidelium animæ mirantur et celebrant.

Denique B. Virginem Deiparam glorificant omnes Angeli et homines, iuxta illud: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti*, Luc. 11. 27. Hoc ipsa prævidens præcinuit: *Beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1. 48. *Prædicaverunt itaque beatam*, ait Guilielmus, *virginitate, beatiorem fœcunditate, beatissimam fœcunditate simul et virginitate.* Fœcunditate, inquam, tum physica Christi, tum spirituali fidelium et Christianorum, præsertim in gloria cælesti, ubi exclamant id quod sequitur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, etc.* Ita Rupertus.

Porro Lucas Abbas per sponsam accipiens humanitatem Christi Verbo desponsam: *Viderunt*, inquit, *eam quæcumque virtutes, cælestis Ierusalem cives charitati paternæ unitam, nascentem in terris, pannis involutam, maiestatis gloria coruscantem, et beatissimam prædicaverunt, dicendo: Gloria in excelsis Deo. Quæ omnes beatitudi-*

nes sola, in terra, inter omnes in integro obtinuisse monstratur.

Denique Chaldæus, hæc accipiens de Machabæorum victoriis et triumphis, sic vertit: *Tunc egressi sunt filii Hasimonæorum, et Mathathias, et omnis populus Israel, et pugnaverunt contra eos, et tradidit eos Dominus in manus eorum. Et cum hoc vidissent habitatores provinciarum, beatos eos dixerunt, et regna terræ, et potentes laudaverunt eos.*

VOX ADOLESCENTULARUM.

VERS. 9. QUÆ EST ISTA, QUÆ PROGREDITUR QUASI AURORA CONSURGENS, PULCHRA UT LUNA, ELECTA UT SOL, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA?

QUÆ EST ISTA, QUÆ PROGREDITUR (Hebr. est נשקפה *niskapha*, id est, *aspicit*; S. Amb. et Hier. *prospicit*; Vatabl. *prospectat*; Pagnin. *videtur*) QUASI AURORA CONSURGENS, PULCHRA UT LUNA, ELECTA (Syrus. *munda*) UT SOL, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA?) Syrus, *ut myriades*, scilicet cohortum et militum: Arabicus: *Ut castra ordinata in horto nucum*: Sept. *pavor, vel stupor* (tam activus quam passivus: utrumque enim significat Hebr. אימה *ema*, in quo Noster et Hebræi aliis punctis legunt אימה *aiumma*, id est, *terribilis*) *ut ordinatæ*, scilicet acies. Optimi enim milites in acie pugnaturi initio pavent et contremiscunt; sed deinde pugnando pavorem superant, eumque hostibus incutiunt iisque fiunt terribiles ut leones: sic iustus pavens timensque Deum terribilis fit hostibus. Symmach. *Terribilis pavoremque incutiens secundum acies*; sexta Editio: *terrefaciens inter magnificatas*: quinta Editio: *Illustris ut magnificata*.

Est vox adolescentularum, concubinarum et reginarum laudantium sponsam, quæ fatentur suam pulchritudinem omnem vinci a decore sponsæ tanto intervallo, quanto auroræ vincit noctem, ac sol et luna superant cætera astra. Cassiod. S. Gregor. Theodor. Beda et alii censent hanc esse vocem Synagogæ admirantis Ecclesiæ pulchritudinem, de qua mox plura.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Symbol. Aurora, luna et sole significatur initium, progressus et perfectio Ecclesiæ.

QUIA aurora est lucis initium, luna autem lucis augmentum, sol vero lucis plenitudo, hinc hisce symbolis significatur Ecclesiæ initium, progressus et perfectio. Unde Honorius: Ecclesia, inquit, ante legem Mosaicam in statu legis naturæ fuit aurora, quando quoddam initium duntaxat legis et divinæ cognitionis habuit, luna fuit sub lege, quia crescebat tunc illa cognitio radiorum solis adhuc indiga; sol fuit sub Evangelio, quia tunc Ecclesia robur suum et vires invictas, vero sole illucente et nocturnas omnes tenebras penitus dispellente, ultimo conatu est exertura. Nam ad Antichristi tempora iam orationem vergere, etiam D. Gregorius docuit, nec dissentit Cassiodorus, qui vult esse vocem Synagogæ in fine sæculi, per prædicationem Eliæ et Enoch ad Christum conversæ.

Progressus Ecclesiæ.

Melius alii hæc omnia ad progressus Ecclesiæ Christianæ referunt; ipsa enim sub Christo et Apostolis exorta est tenuiter, occulte et latenter, quasi aurora in Iudæa; deinde increvit ut luna crescens ad plenilunium, sed luce pallida, utpote per terrores, persecutiones et martyria innumerorum martyrum sub decem imperatoribus eam persequentibus usque ad Constantinum Magnum; quando facta et sol, radios suæ fidei et imperii sparsit per totum orbem: mox cœpit esse et castrorum acies ordinata, quando idololatriam et Gentilismum debellavit, ac Arrii, Nestorii, Pelagii, aliorumque subnascentes hæreses profligavit, atque exorientes inter fideles morum abusus reformavit: maxime vero talis erit in fine mundi, quando cum Antichristo fortissime confligens, per Eliam et Enoch eumdem superabit, et Iudæos convertet, atque mira sanctitatis gloria ubique coruscabit. Unde ad finem mundi omnia hæc referunt S. Gregorius, Theodor. Beda. Cassiodor. Cosmas Damianus, Delrio hic et Franciscus Ribera Apocal. 11. v. 2. et recte; eo enim sequentia spectant. Tunc enim Ecclesia oppressa ab Antichristo et impiis, et pene exstincta, ab Elia et Enoch suscitata consurget quasi aurora, sensimque increscet ut luna, ac tandem radiabit ut sol splendidissimus, eritque ut castrorum acies ordinata, qui omnes antichristianos et impios vel profligabit, vel sibi subiget. Unde S. Ioan. Apocal. 12. 1. et sequent. hue alludens, Ecclesiam futuram in fine mundi describit per speciem mulieris coronatæ 12. stellis, quæ lunam pedibus premit, et sole amicitur, paritque masculum, quem devorare satagens draco, a Michaele profligatur. Vide ibi dicta. Tuncque pariter Christus veniet ad iudicium, quo Ecclesiam militantem faciet triumphantem, ac sole splendidiorem, omnibusque dæmonibus et reprobis formidabilem. Audi S. Gregor. *Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in iudicio ultimo progreditur; quia relictis tenebris corruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur, quia ad eamdem gloriam perducitur, ad quam caput eius Christus, qui Sol iustitiæ esse perhibetur; unde est quod idem Sol ait: Volo, Pater*, *ut ubi ego sum, illic et minister meus sit.*

Audi et Cassiodor. ac Bedam censentes hæc esse verba Synagogæ in fine mundi, admirantis Ecclesiæ pulchritudinem: « Quæ est ista, quæ quasi aurora, transactis tenebris infidelitatis, lumen veritatis habere ostendit, proficiens de virtute in virtutem, totumque orbem cælesti occupans prædicatione. Pulchra ut luna, quia Christi veri solis gratia illuminatur; et quia in vita præsenti aliquando, concessa pace, crescit; aliquando per adversitates decrescere videtur. Electa ut sol in alia vita, ubi perpetuo resplendebit gaudio de visione conditoris sui, atque etiam in vita præsenti, quia Christum verum imitatur solem; quæque charitatis unione unita, terribilis dæmonibus est ut castrorum acies ordinata. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

ANIMA sancta oritur ut aurora, cum a peccati tenebris resurgit ad lucem gratiæ; crescit ut luna, quando ad lucem hanc magis magisque dilatatur, et in omni virtute proficit: denique electa fit ut sol, cum plena charitate et sanctitate resplendet: tuncque est terribilis dæmonibus et impiis, quasi castrorum acies ordinata. Audi S. Gregor. *Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit et in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, et ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque anima dum peccantibus bona exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum vero magis ac magis crescit, et de die in diem per consuetudinem operis lumen iustitiæ tam perfecte accipit ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitanda apparebat, profecto iam luna sol efficitur, quia in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat.* Idem lib. 16. mor. cap. 25. *Mens iusti*, ait, *est aurora quæ peccati sui tenebras deserens, ad lucem iam erumpit æternitatis.* Notat Haymo solem et lunam numquam quiescere, sed perpetuo moveri, et mane continuo crescere usque ad meridiem; idem debere facere fidelem et iustum, iuxta illud: *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem*, Prov. 4. 18. Incipientes ergo lucere incipiunt ut aurora; hinc adhuc mixtas habent tenebras cupiditatum et vitiorum: proficientes magis lucent ut luna, quia sicut hæc noctem, sic ipsi pecca-

Tres gradus virtutis.

tores illuminant: perfecti fulgent ut sol, qui per diem omnes irradiat. Sic enim et perfecti omnes etiam iustos suo splendore illustrant. Ita sanctus Gregorius.

Huc facit versio Chaldæi: *Dixerunt*, inquit, *nationes: Quam splendida sunt opera populi huius sicut mane: pulchri sunt iuvenes eius sicut luna; et pura sunt merita eius sicut sol; et terror eius erat super omnes habitatores terræ, quando ambulabant vexilla eius per desertum.*

Tres gradus castitatis.

Porro Iustus Orgel. hæc accommodat tribus gradibus castitatis: *Coniugati enim caste viventes*, inquit, *fulgent ut aurora; viduæ et continentes pulchrescunt ut luna; virgines radiant ut sol.* S. Bernard. vero serm. 60. inter parvos hæc adaptat tribus religiosorum virtutibus, scilicet, per auroram intelligit humilitatem, per lunam castitatem, per solem charitatem.

Anagog.

Anagogice mens sancta, quæ in hac vita carnali et corruptibili fulget ut aurora et ut luna, quæ variis mutationibus est obnoxia, atque nunc crescit, nunc decrescit; in cælo plena, clara et constanti luce coruscabit ut sol, iuxta illud Christi: *Fulgebunt iusti ut sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. 43. Ita S. Gregor. Theodoretus et S. Ambros. de Obitu Valentiniani, quem audi: *Quæ est ista, quæ prospicit sicut aurora*, etc. *Prospicit*, ait, *sancta anima de loco superiore, tamquam inferiora despiciens, exivit de tenebris istius sæculi, ut luna resplendens, ut sol refulgens.* Sic et S. Hieronym. epist. 22. ad Eustochium: *Tunc*, ait, *Angeli mirabuntur animam* (ad cælos ascendentem) *et dicent: Quæ est ista prospiciens quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol?*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus docet beatam Virginem fuisse auroram in nativitate, lunam in conceptione Christi, solem in assumptione ad cælum: « Quando nata es, inquit, o beata Virgo, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni; quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, et initium diei sequentis: sic nativitas tua, nativitas ex semine Abrahæ, clara ex stirpe David, ad quas cum iuramento Dei facta est repromissio benedictionis; finis dolorum, et consolationis fuit initium, finis tristitiæ, et lætitiæ nobis exstitit principium. Pergit deinde ab aurora ad lunam. Quando autem Spiritus sanctus in te supervenit, et filium Virgo concepisti, Virgo peperisti; tunc tu et ex tunc pulchra pulchritudine divina; pulchra, inquam, non quomodocumque, sed ut luna: sicut enim luna lucet et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta: sic tu, o beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, o gratia plena. Denique a luna transit ad solem. Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu et ex tunc electa ut sol; electa, inquam, nobis, quia sicut ex te natum Dei filium solem verum, solem æternum adoramus et colimus ut Deum verum; sic et te honoramus atque veneramur, ut veri Dei genitricem, scientes quia totus honor impensus matri, sine dubio redundat in gloriam filii. »

Rursum S. Bernard. ser. 4. de Assumptione: *Gloriosa Virgo*, ait, *lampas ardentissima, ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? clarius enim cæteris rutilabat.*

Analogia auroræ et Deiparæ.

Audi analogias auroræ et Deiparæ, quas e Patribus collegit noster Spinellus c. 24. de Deipara, n. 18. Aurora terminus est noctis, et diei principium, solemque adesse testatur; nocturnas aves effugat; diurnas vero ad concinendum invitat: iugiter etiam in splendorem maiorem proficit, eoque tempore decidit ros albus, quo ab æstu refrigerantur sata et fœcundatur terra. Ita Virgo Deipara mundo ignorantiæ et peccatorum tenebris circumfuso illuxit, veluti æternæ caliginis exterminium: Solis iustitiæ non tantum prænuntia et gestatrix, sed etiam genitrix, dæmones veluti tenebrarum aves immundas longe expellit: Dei servos et ipsos Angelos, tamquam aves diei sublime volantes ad Dei laudes excitat, atque invitat, multo melius quam olim tres illi pueri e Babyloniæ fornacis incendio liberi, creaturas omnes ad Deo benedicendum invitabant: cum longe maiora Dei in humanum genus beneficia per Deiparam innotuerint et obvenerint. Est item sicut aurora iugiter consurgens, cum in suis omnibus actibus, dum viveret, maioribus meritorum incrementis semper excreverit, et nunc eius apud homines cognitio, et in eam pietas in dies magis magisque perpetuo propagetur, eiusque precibus divina gratia in hominum animas descendat, veluti ros albus, quo ab æstu tentationum et concupiscentiæ refrigerantur, et ad bona opera germinanda fœcundantur. Ideo Deipara ipsa a S. Germano patriarcha Constant. orat. de Oblat. virgin. vocatur ardoris, qui est in nobis ros divinus, ac exsiccati nostri cordis divinitus irroratus aspersio; aut potius B. Virgo quasi aurora peperit rorem Christum, qui quasi ros æstum concupiscentiæ refrigerat, et animæ hortum fœcundat, ac bonorum operum feracem efficit. Unde Isaias c. 45. *Rorate*, ait, *cæli desuper, et nubes pluant iustum:* puta Christum. Quocirca Durandus in rationali divin. offic. agens de festo Nativ. B. Virginis, asserit B. Virginem natam die 8. Septembr. in sabbato, idque illucescente aurora, iuxta revelationem cuidam viro religioso factam, ut significaretur ipsam fore auroram, quæ solem iustitiæ præiret et pareret. Adhæc B. Virgo contra dæmones est invicta ut castrorum acies ordinata. Audi S. Bernard. apud S. Bonaventur. in specul. c. 3. *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum: Fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram huius nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.*

Symbol.

Symbolice, Philo Carpath. Humanitas (hæc enim prima in Cantico, hoc est sponsa Verbi) Christi, inquit, fulget ut luna; divinitas vero radiat ut sol, iuxta illud: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta*, Psal. 88. v. 38.

Lucas Abbas autem omnia hæc adaptat humanitati Christi; hæc enim primo; *Egreditur*, inquit, *quasi aurora post ignorantiæ tenebras; quasi matutina luce consurgens ad sacrum Baptisma.* Secundo, *per singulas virtutes pulchra ut luna, quæ tot annis* (puta triginta) *sapientia et ætate corporis proficit, quot diebus luna complet orbem et minuit. Quæ ut luna in ortu ostensionis suæ præstat lætitiam viatoribus contristatis, in nuptiis exhausto vino, inter exordia adhuc credentium, splendens ostenditur; et in cuius occasu totum mundum tempestas quassavit, et amoris luminaribus tenebras operuit. Electa ut sol, post resurrectionis gloriam plenissimam, paterna claritate consistens. Possunt siquidem tres isti gradus laudibus pleni in futuro iudicio intelligi. Apparebit iustis in pulchritudine lunæ, cælorum virtutibus in maiestate fulgens; impiis autem deputatis æterno igni terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hæc Lucas, vel potius Aponius; huius enim abbreviator est Lucas.

VOX SPONSI.

Vers. 10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium (Septuag. *genimina torrentis;* Symmach. *ad considerandos fructus convallis*: Arabicus, *fruges torrentis*) et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent (Hebræi et Septuaginta, *floruissent*) mala punica.) Puta arbores malorum punicorum. Septuag. et Arabicus addunt: *Ibi dabo tibi ubera mea.* Theodoret. Cassiodor. tres Anonymi, Genebrardus et Cosmas Damianus censent hæc esse verba sponsæ narrantis sponso cur ad hortum venerit. Verum cum vers. 1. et 2. sponsa insinuet se descen-

disse in hortum, ut ibidem quæreret sponsam, impertinens videtur ut hic aliam causam descensui suo prætexat. Quare aptius S. Hieronym. in cap. 12. Zachar. S. Gregor. Philo, Anselm. Rupert. Lucas Abbas, Delrio, Sanchez, et alii censent hæc esse verba sponsi, qui sponsæ se tam sollicite quærenti reconciliatus offensam dissimulat, ac repentini discessus sui, de quo v. 6. aliam causam prætexit, scilicet ut horti fructus inspiceret, an germinarent vel etiam maturescerent poma; nam aliqua poma, ut cerasa, pruna, quin et poma quædam proprie dicta maturescunt initio æstatis, cum florent vineæ et germinant mala punica.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

CHRISTUS, videns prælatos Ecclesiæ Gentilium negligentes in reformandis erroribus et moribus fidelium, declinat ad hortum nucum, id est ad Synagogam Iudæorum, ex qua natus fuit, et Apostolos collegit, adeoque in ea fundamenta suæ Ecclesiæ posuit, ut Iudæos converteret atque eorum fructus consideret et colliget suo tempore, nimirum nuces pœnitentiæ et patientiæ, ac poma convallium (in convallibus enim ubi sunt aquæ et torrentes, fertilius proveniunt poma cæterique fructus) puta fructus humilitatis, atque uvas et vina devotionis, et mala punica charitatis. Id fecit variis temporibus et locis, sed maxime faciet in fine mundi, cum per Eliam et Enoch plerosque Iudæos efficiet Christianos, imo sanctos eximios. Hoc suo descensu Christus invitat prælatos et fideles Ecclesiæ, ut et ipsi descendant curentque Iudæorum (quos passim negligi videmus) salutem, nec de ea desperent, sed eam longanimiter exspectent. Idem dico de quibusvis obduratis. Ita Philo Carpath. Rupert. Lucas Abbas, Cosmas Damianus, Gislerius, Delrio et alii per hortum nucum accipiunt Synagogam Iudæorum, ad Christum conversorum et convertendorum, præsertim in fine mundi; horum enim magnam curam se gerere ostendit hic Christus, sicut et Paulus Roman. 9. 1.

Hortus nucum est Synagoga Iudæorum.

Nux enim, primo, nullum fert fructum, nisi perticis et lapidibus icta: sic Iudæi olim nil boni egerunt nisi a Deo per plagas et verbera adacti. Secundo, sicut nux amaro cortice, ac deinde duro putamine tegitur: sic Iudæi amarum et durum habent cor contra Christum, ac in Iudaismo suo sunt obstinati. Ita Rupert. Tertio, nux fertur emittere spiritum, qui torporem et veternum immittit, ait Clemens Alex. l. 2. Pædagog. c. 8. Unde et nux Græcis κάρυα, vocatur a κάρος, id est torpore et gravedine, quam inducit: sicut nux Latinis dicitur a nocendo, sic perfidiæ veterno plerosque Iudæos laborare videmus; idque ex Davide asseverat Paulus Roman. 11. v. 9. Quarto, sicut nux facile corrumpitur et putrescit, tumque putida est et noxia; sic olim Scribæ et Pharisæi, ac nunc Rabbini nucleum legis pravis suis interpretationibus corruperunt, et putidum effecerunt: qua de re eos redarguit Christus Matth. c. 5. et cap. 23. Quinto, sicut arbor nucum, teste Plinio, l. 17. c. 12. proximas segetes et plantas gravi sua lædit umbra: sic gens illa alias nationes, quibuscum versatur, improbo vitæ suæ exemplo, impiaque doctrina malo afficit, nec fructus ullos Evangelicos ferre permittit. Sexto, lex Mosis comparatur nuci: « Sicut enim nux arbor, ait Philo Carpath. folia amara, eaque trifida et fructum ipsum, nuces scilicet, cortice amarissimo, quem calicem appellant, et duriore testa, atque arida circumtectas profert, quæ quidem intus nucleum non ingratum quadrispicuum, huncque lignea cartilagine intercursante, et tenui membranula, dum viridis est, septum continent. Ita lex illa digito Dei scripta ex sacrificiis illis carnalibus et ceremoniis, tamquam nux amaris frondibus esse videbatur, quamquam trinum Deum et unum mystice significantibus, et duro admodum sensu, quamquam mystico veluti cortice tecta erat; velatum tamen suavissimum fructum, et maxime salutarem, Christum Iesum cælitus descensurum tenebat inclusum; huncque quadrifido Evangelico sensu, per quatuor cardines orbis propalandum, nec nisi recte et sancte enucleantibus eruendum edendumque sanctissime. »

Tropol. nux typus patientiæ, cur?

Tropolog. nux vel potius fractio et comestio nucis significat patientiam, qua Ecclesia et prædicatores constanter laborant in vincenda pertinacia Iudæorum: nux enim, ut comedatur, debet primo ex arbore, cui tenaciter adhæret, magna vi dejici, et mox decorticari; secundo, frangi; tertio, a cortice nucleus eximi, vel potius violenter extorqueri; quarto, folliculo suo, sive cute sua exui: sic ut Iudæum ut durum quemlibet convertas, magno longoque labore et patientia opus est: *Putamine*, ait Plin. l. 15. c. 22. *clauduntur nuces, corio castaneæ, crusta glandes, cute uvæ, corio et membrana punica, carne et succo mora constant, cute et succo cerasa*; idem c. 22. ait: *Nucem iuglandem gemino protegi operimento; pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis, quæ causa eas nuptiis religiosas fecit, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonumve faciant.* Et post nonnulla: *Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Namque sunt bifidæ putaminum carinæ; nucleorumque illis quadripartita distinctio, lignea intercursante membrana.* Sicut ergo nucem parare ad esum volenti magna est opus patientia, sic eadem opus est sponsis ut sponsas suis moribus accommodent, ac præsertim sponsas spirituales, ut scilicet homines duros et refractos, quales sunt Iudæi, Christianis legibus informent. Hinc proverbium, cuius meminit Plautus in Curc. *Qui e nuce nucleum esse* (edere) *vult, frangat nucem*, id est: Qui commodum appetit, ne fugiat laborem; qui quærit voluptatem, prius experiatur sudorem, sine quo non paratur vera voluptas: *Nux*, ait S. Hier. *foris tum dura est, tum amara, sed intus suavissimum condit cibum. Sicut Moly herba*, ait Homerus Odys. 10. *radicem habet nigram, sed florem lacteum.*

Quocirca nux, vel potius fractio nucis symbolum est perfectæ patientiæ illorum qui animas Christo lucrari et despondere satagunt, præsertim illas quæ callum in perfidia, aut vitio quopiam longa peccandi consuetudine obduxere, ut callus hic sensim et suaviter resecetur. Nam, ut aiunt tres Anonymi apud Theodor. virtutis dulcedo et decus conservatur in medio amaritudinis, laborum, tentationum et asperitatum, perinde ac nucleus nucis servatur in medio duræ corticis. Nux ergo sua duritie in genere duritiem quamlibet repræsentat, quæ si circa obiectum bonum versetur, bona est qualis est in patientia, constantia et fortitudine; si circa malum, mala, qualis est in pertinacia et obstinatione, imo ex malo in bonum sæpe commutatur, uti Iudæi duritiem in perfidia sua ab Elia conversi mutabunt in constantiam fidei admirabilem.

Nux est virtus perfecta.

Hinc Philo lib. 5. de Vita Mosis: Nux, ait, significat perfectam virtutem: ut enim in nuce idem est finis et principium; in quantum enim est semen, est principium, in quantum fructus, est finis; sic et in virtutibus, unaquæque est finis et principium: extremum putamen est amarum, ligneus cortex interior est solidus; sic labor virtutis durus est et difficilis, quo tamen ad felicitatem tam propriam, quam alienam pervenitur. Rursum sapientes et perfecti dum divinam sapientiam et virtutem intra corpora sua constanter retinent, quasi nucleum in fragili testa portant; unde Apostolus: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.*

Sic facit versio Chald. qui Iudaice hæc accipit de templo et Iudæis: *Dixit Dominator sæculi: In domo sanctuarii secunda, quæ ædificata est per manum Cyri, habitare feci maiestatem meam ut viderem opera mea populi mei, et ut viderem si crescant et multiplicentur sapientes, qui comparantur viti, et si germina eorum plena sint operibus bonis, sicut mala punica.* »

Symbol.

Symbolice S. August. ser. de Tempore, serm. in Dominica proxima ante festum Nativitatis Christi docet nucem trina constare substantia, sicut Ecclesia constat Christo, Iudæis et Gentibus: « Nux, ait, trinam habet in suo corpore substantiæ unionem, corium, testam et nucleum. In

corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis: in nucleo interiorem declarat dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum et luminis subministrat officium; in testa lignum interserens crucis, quod non discrevit id quod foris et intus fuit, sed quæ terrena et cœlestia fuerunt mediatoris ligni interpositione sociavit, dicente B. Apostolo: Quia ipse per sanguinem crucis suæ pacificavit omnia quæ in cœlis sunt et quæ in terris, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

Hac accedunt Philo Carpath. Rupert. Lucas, qui Christum aiunt descendisse in hortum nucum, idest, ad Synagogam Iudæorum, cum ex ea carnem assumpsit, ut eam omni sua gratia et virtute cumularet.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Hortus nucum quis sit?

Hortus nucum est anima sancta, patiens et perfecta, præsertim quæ assidue laborat in conversione peccatorum durorum, quales sunt Iudæi, hæretici, concubinarii, simoniaci, etc. Audi S. Gregor. « Quid per nuces, nisi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant? sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue divinæ Scripturæ intendant, quam suavis sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, et ruminantes magis ac magis convalescunt: et tamen foris nescientibus eos viles apparent, quia ignoratur quam dulcem in suis interioribus cibum portent. » Et nonnullis interiectis: « Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem instigat, quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis per illos, quibus præsidet, prospectat. Tunc enim Dominus videre, vel cognoscere dicitur, cum sanctos suos, quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quod non poma montis, sed poma convallis ut videat, descendit? nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit. »

Denique florem vineæ et malorum punicorum sic explicat: « Vineæ florent, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, et ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos ædificant, et in novitatem sanctæ conversationis per prædicationem, et bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, » Galat. 4.

Enucleare nucem est examinare conscientiam.

Symbolice, Cassiodorus, Beda et Theodoretus per hortum nucum accipiunt conscientiam cuiusque, tot operculis et velaminibus, quot habet nux clausam et obvelatam: quare in eam tum mens ipsa per sincerum eius internum examen, tum superior et doctor per externum scrutinium descendit, cum exquirit et indagat, an rite proveniant nuces patientiæ, et poma convallium, id est, virtutes humilitatis asseclæ, uti sunt pœnitentia, obedientia, patientia: et an floreant vites, ad imitandam passionem Christi: et an germinent mala punica fraternæ unionis, concordiæ et charitatis. Descendimus ergo ad hortum nucum, cum fundum cordis nostri ingredimur, in quo ad similitudinem nucum virtutum fructus dolore, et abnegatione, quasi cortice protectos possidemus, cumque nuces ipsas, ablatis omnibus corticibus, enucleamus, aut qualis sit mentis medulla et nucleus inspiciamus, et quod corrigendum est, corrigamus, quod addendum, vel demendum, addamus, vel demamus.

Rursum Iustus Orgelit. et S. Athanas. in Synopsi per nucem accipiunt S. Script. cuius suavis intelligentia pascens animam, tegitur duro et obscuro cortice parabolarum, phrasium et sententiarum.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo descendit in hortum nucum, cum Iudæos aliosque obstinatos in peccato convertit; tunc enim germinare facit in eis poma convallium humilitatis, pœnitentiæ et obedientiæ, nuces constantiæ, uvas et vinum contemplationis, et mala punica charitatis; quare cum quis obduratum in scelere, quasi desperatum mollire satagit, eumdem impense commendat B. Virgini, eiusque Filio, S. Stephano, uti dixi Actor. 7. sub finem, ubi inter alia ex Severo narravi, Iudæos Maioricæ insulæ anno Domini 442. per sacra Lipsana S. Stephani fuisse conversos.

Vers. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

Septuag. *Nescivit anima mea;* Syrus: *Nescivi animam meam,* id est, non cognovi meipsum. Pro *conturbavit,* Hebraice est שמתני *samatni,* pro quo Noster legit שמתני *sciamatni* per scin, illud derivans a שמם *sciamom* id est, obstupefecit, turbavit, desolavit, vertit: *Conturbavit me;* et Symmach. *Anima mea,* inquit, *dubitavit a curribus populi ducentis;* Septuag. vero *samatni* derivantes a שם *sam,* id est *posuit,* vertunt: *Posuit me currus Aminadab.* Sic et Arabicus, Ambros. lib. de Abraham, c. 8. *Posuisti me currus Aminadab.*

Aminadab.) Potest hic accipi, primo, ut nomen proprium viri, non fratris David, de quo 1. Reg. 17. 13. nec alterius, in cuius domo Arca Domini requievit, 2. Reg. 6. 3. hic enim dictus est *Abinadab,* non *Aminadab,* sed illius, qui tempore Mosis fuit dux tribus Iuda, ac filiam suam uxorem dedit Aaroni, et post se filium Nasson sibi successorem reliquit ducem tribus Iuda. Ita Lyranus et Hebræi. Potest secundo *Aminadab,* vel ut Hebr. est *Amminadib,* accipi appellative, ut significet *populum spontaneum, liberalem principem.* Hinc quinta Editio vertit: *Posuisti me in currum populi ducis;* Aquila: *Populi sponte imperantis;* Symmachus: *populi ducentis;* alii: *populi nobilis;* Syrus: *In curru populi parati.* Philo Carpath. *Aminadab* vertit, *patris beneplacitum,* q. d. Anima iusti ex beneplacito Dei est currus vehens se et alios in cœlum.

Hinc nonnulli per currus Aminadab accipiunt currus Salomonis, qui fuit princeps et dux populi Israel; unde Rupert. aliique per Aminadab accipiunt Christum, quasi Salomonis antitypum, qui dux est populi fidelis et sancti. Iam. Chald. vertit: « Cum autem revelatum fuerit coram Domino quod essent iusti, et quod laborarent in lege, dixit Dominus in verbo suo: Non addam ultra humiliare eos, neque faciam cum eis consumptionem; sed consilium inibo in anima mea, ut benefaciam eis, et ut ponam eos excelsos in curribus regum, propter merita iustorum generationis illius, qui similes sunt in operibus suis Abrahæ patri suo. »

Porro mire hic in sensu variant Interpretes. Primo, Sensus
Aben Esra, R. Salomon et Lyranus vertunt: *Anima mea* 1.
posuit me currum populi imperantis; sicque explicant de
Synagoga et Israele, q. d. Dum nescirem ubi esset sponsus, dum scilicet colerem idola, non Deum verum, ductus sum in captivitatem Assyriis et Babyloniis, factusque sum eis quasi iumentum, et currus vectans et baiulans eorum
onera. Secundo, Luysius Legion. Genebrardus, Vatablus 2.
et Almonacirius explicant, q. d. Sponsa: Tanta celeritate rapta sum in hortum ex desiderio sponsi, ut viderer abrepta
quadrigis Aminadab celerrimis. Tertio, Sanchez, q. d. 3.
Verebar ne sponsus Aminadab, id est, Salomon me sponsam in currum suum nuptialem non acciperet, eo quod c.
5. v. 3. tardassem ei pulsanti aperire. Quarto, Soto maior, 4.
q. d. Verebar ne sponsus a me quasi repulsus, nocte oberrans per vicos incurreret in currus Aminadab, id est præfecti urbis qui noctu urbem circuit et vagabundos
comprehendit. Quinto Ioannes Carmelita, q. d. *Dum te* 5.
absentem quærebam in fluctibus ingruentium malorum,

felici, ubi paulo ante sub annum Christi 500. regnante Elesboan rege tempore Iustin. Imperat. mire floruit Christiana religio. Mahomet autem natus est paulo ante annum Christi 600. sub Gregorio Magno Pontifice et Phoca Imperat. cui successit Heraclius Imperat. sub quo Mahomet quasi dux Arabum stipendia meruit; sed cum illis Arabibus non solverentur ab Heraclii præfecto, illi rebellantes occuparunt Phœniciam, Syriam, Mesopotamiam, et Ægyptum, uti ex Paulo Diacono et Simoneta docet Genebr. in Chronol. ac sensim sua arma dilatantes sub annum Christi 1300. mire creverunt. Tunc Ottomannus invasit regnum, primumque se fecit Turcarum imperatorem, atque illud in posteros per 14. generationes, magno assidue imperii incremento, et Ecclesiæ damno hucusque propagavit. Alii per *quadrigas Aminadab*, id est, *populi mei*, accipiunt Antipapas, qui Ecclesiam per schisma disciderunt: tales autem fuere viginti: tot enim schismata sustinuit Ecclesia. Alii accipiunt imperatores schismaticos, vel eos, qui Pontifices et Ecclesiam oppugnarunt, quales fuere Fridericus I. et II. Otho IV. Henricus IV. et V. Hac de causa Christus paulo ante v. 10. ait: *Descendi in hortum nucum*, id est, in Ecclesiam schismate divisam, sicut nux in duo fragmenta scinditur et dividitur.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Christus dicitur Aminadab.

ANIMA sancta est currus Aminadab, id est, Christi: Christus enim, ait Rupertus, et S. Ambr. dicitur *Aminadab*, id est, *princeps populi*, scilicet fidelis Christiani, sancti, et electi. Christus ergo animæ sanctæ seu auriga currui suo insidens eam dirigit in cœlum, uti Elias curru vectus est in æthera, nec tantum se, sed et alios suæ fidei, vel charitati commissos velut currus Christi in cœlum transvehit, ait Philo. Unde tres Anonymi apud Theod. censentes hæc esse verba sponsæ, id est, animæ sanctæ ad discipulos sic explicant, q. d. *Idcirco posuit me currus Aminadab*, *id est, currus me suos constituit Christus*, qui est verus Aminadab, id est, princeps populi, *ut cum in me ipsa disciplinis ad vos habita cujusque vestrum ratione, perferrem.* Audi S. Amb. lib. de Nabut. c. 15. *Si anima*, ait, *currus est, vide ne equus caro sit; agitator autem vigor mentis, qui regit carnem et motus ejus, velut quosdam equos prudentiæ habenas coercet.* Idem lib. de Virgin. *Christus*, inquit, *verus Aminadab, animam justi veluti currum agitat, ascendens verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim ejus veluti quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, et timor, quibus ferentibus, cum cœperit agi, nequaquam seipsam cognoscit. Corruptibile enim corpus animam gravat, et tamquam irrationabilium animalium cursus invitam rapit; volventibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones verbi virtute mitescant.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

BEATA Virgo est currus Aminadab, id est populi spontanei, puta fidelium, quos vehit in cœlum impetrando eis obedientiam et liberalitatem, qua se ultro et libere subjiciant præceptis et consiliis Christi. Quare illi competit id, quod Eliæ curru igneo rapto in cœlum acclamabat Eliseus: *Pater mi* (tu es) *currus Israel et auriga ejus*, 4. Reg. 2 Vide dicta sup. 1. 9 ad illa: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.*

VOX SPONSÆ

VETERIS DE NOVA, HOC EST, ECCLESIÆ DE SYNAGOGA CONVERTENDA IN FINE MUNDI.

VERS. 12. REVERTERE, REVERTERE, SULAMITIS: REVERTERE, REVERTERE, UT INTUEAMUR TE.

REVERTERE (alii vertunt *convertere*) REVERTERE (Arabicus addit tertium *revertere*) SULAMITIS. REVERTERE, REVERTERE, UT INTUEAMUR TE.) Scholast. *intuebimur in te quasi in spectaculum*, id est, quasi in rem miram et spectandam.

Pro *Sulamitis* multi codices legunt *Sunamitis*, itaque legunt Septuag. Vaticani. Porro Rupert. et alii *Sunamitis* vertunt *captiva, despecta*: proprie *Sunamitis* Hebr. est idem quod *mutabilis, variabilis*.

Rursum *Sunamitis* verti potest cum Honorio et Hailgrino hic, et S. Hieron. epist. ad Nepotian. *coccinea*: שָׁנִי *ecini* enim Hebr. est *coccus*. Unde suspicantur nonnulli sponsam, quæ in Dramate Cantic. inducitur quasi *Sunamitis*, induci quasi Tyriam: ibi enim ex sanguine purpuræ pisciculi fiebat pannus purpureus, et ex grano cocci, coccinus: unde illud:

Tyrio vestirier ostro.

Tyrus enim vicina erat Libano, in quo obambulans et venans Salomon puellam hanc pastoritiam invenisse, et ob dotes corporis æque ac animi in sponsam elegisse fingitur; unde illud c. 4. 8. *Veni de Libano, sponsa mea*, etc. Nam vestis coccinea vel purpurea est vestis regum et reginarum, qualis erat Salomon ejusque sponsa. Ad litteram, *Sunamitis*, idem est quod oriunda ex *Sunam* oppido sito juxta montes Hermon et Thabor. Sunamitis enim hæc alludit ad Sunamitidem illam hospitam Elisei, in oppido Sunam cujus proinde ille filium a morte suscitavit, sicut Christus filios Ecclesiæ a morte præsenti et æterna suscitat 4. Reg. 4. Magis tamen, teste Justo Orgelitano hic, et Adrichom. in descript. terræ sanctæ, alludit ad Sunamitidem illam speciosissimam, quæ Davidi seni calefaciendo data fuit quasi uxor et virgo 3. Reg. 1. 2. Simili enim modo Salomoni Davidis filio, data fuit hæc Sunamitis uxor et virgo, ut repræsentaret Ecclesiam virginem virgini Christo desponsandam, juxta illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. 2. Quia ergo illa Sunamitis Davidis fuit forma, fide et moribus spectatissima, hinc Salomonis quoque sponsæ in Dramate hoc idem Sunamitis nomen datur, quia corpore et animo fuit formosissima; utraque formosior est Sunamitis, id est, Ecclesia sponsa Christi.

Sunamitis id est oriunda ex Sunam.

Verum legendum *Sulamitis*; sic enim legunt Hebræa, et Græca, Complut. Regiaque ac Latina Romæ correcta. Jam *Salamitis* idem est quod *Ierusalemitis*, ait Pagninus, Luysius, et Vatabl. Ierusalem enim olim dicta est Salem. Unde *Salamitis* idem est, quod *civis Salem*, sive Ierusalem, hoc est mystice, *habitans in pace*.

Melius Delrio, Genebr. et alii *Sulamitis*, inquiunt, idem est, quod *Salomonia*; id est, Salomonis uxor: sicut enim a Paulo dicitur Paula, a Caio Caia, a Cornelio Cornelia; sic a masculino Salomon dicitur *Sulamitis*, id est, *Salome*; quo nomine vocatur mater septem Machabæorum martyrum, teste Iosepho, vel Salomonis.

Sulamitis eadem quæ Sunamitis.

Porro sicut *Salomon* Hebr. idem est, quod pacificus, perfectus; sic *Sulamitis* idem est, quod *perfecta* et *pacifica*, uti vertit hic Aquila. Theodoret. S. Ambros. et alii. Hebr. habent articulum ה habent enim הַשּׁוּלַמִּית *hasculamit*, id est, illa Sulamitis, illa pacifica, quæ cæteris longe antecellit. Rursum et potius ה hic est articulus vocativi casus, q. d. *O Sulamitis*. Mirum est Symmachum contrarie vertere ἀπεσκυλευμένη, id est, *spoliata*.

Sulamitis id est Salomonis uxor.

Denique *Sulamitis* eadem est quæ *Sunamitis*, per enallagen; quia littera N sæpe mutatur et liquescit in L: sic Itali pro *Panormo*, dicunt *Palermo*, pro *veneno*, *veleno*, pro *Bononia*, *Bologna*. Sic Syri pro *nux* dicunt *Lux*. Attici pro νίτρον dicunt λίτρον, pro πνεύμων πλεύμων, ut Latini *pulmo*. Dorienses, vice versa L mutant in N, ut pro ἦλθον, dicunt ἦνθον, pro βέλτιστος βέντιστος, pro φίλτατος φίντατος, pro φίλτις φίντις. Græci omnes pro σὺν, et λέγω dicunt συλλέγω, item συλλογισμός. Latini pro νύμφη dicunt *Lympha*, pro *bonus bonulus*, *bellus*; pro θρυλλίζω *grunnio*, pro μεγάλως *magane*. Ita Angelus Caninius in Hellenismis. Pari modo quæ hic Hebraice vocatur *Sulamitis* a Septuag. et Latinis plerisque vocatur *Sunamitis*.

Perperem Philo Carpath. pro *Sulamitis* legit *Odollamitis*, id est, inquit, *testimonium aquæ*, quasi hic anima infidelis evocetur ad Baptismum, ut in eo protestetur fidem SS. Trinitatis.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Nonnulli censent hæc esse verba adulescentularum, quæ auditis a sponso cap. 5. laudibus sponsæ, eam abituríentem detinere, et in facie eius decorem contemplari cupiant, uti ab iisdem factitatum audivimus v. 9.

Melius Patres passim censent hæc esse verba Ecclesiæ, ardenter et constanter invitantis Synagogam Iudæorum, quæ iam, audita prædicatione Christi, eum amare incipiebat, uti audivimus, vers. præced. ut se illico ad eum convertat, suamque faciem tam ipsi, quam Ecclesiæ in fide unanimem, serenam et lætam ostendat, ideoque quater repeti τὸ *revertere*, quia Iudæi dispersi per quatuor mundi plagas, inde convertendi sunt ad Christum, audita quatuor B Evangeliorum prædicatione, quæ paulo ante significata sunt per quadrigas Aminadab, ait Rupert. Ita S. Gregor. Cassiodor. Aponius, Philo, Anselm. et alii.

Rursum, q. d. O Sulamitis, id est, o Synagoga prius adversa, iam conversa ad Christum, revertere ad Ecclesiæ e gentibus congregatæ societatem et conversationem, ut Gentes tuum decorem, quem per Baptismum accepisti, intuentes, exsultent, tibique gratulentur, et Deo gratias agant. Hunc sensum innuit id, quod sequitur: *Ut intueamur te*, id est, tuam speciem et pulchritudinem. Et: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Sulamitis quæ? Resp. 1. Anima peccatrix, vel sancta, sed torpida et in veniales defectus prolapsa, invitatur a Christo quater, id est, instanter et continue ad pœnitentiam, vitæ mutationem et fervorem. Ita S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Bene*, ait, *quasi agitator ad currum dicit: Convertere, Sulamitis, hoc est pacifica; quæ enim pacifica est anima, cito se convertit et se corrigit etiamsi ante peccavit: et magis eam Christus ascendit et regere dignatur, cui dicitur: Ascende in equos tuos, et equitatus tuus sanitas.* Habacuc 3. 8. Et S. Bernardus serm. 3. de Annunt. *Propterea*, ait, *forte quater revocat animam, quam respicit, quo nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed nec in tepore et torpore ingratitudinis aut in elevationis* A *cæcitate persistat.* Idem serm. 58. inter parvos: *Revertere*, ait, *primo ab inepta lætitia, secundo ab inutili tristitia, tertio ab inani gloria, quarto a latenti superbia. Inanis gloria est, quæ ab ore venit extrinsecus. Superbia latens oritur intrinsecus.* Huc accedit versio Chaldæi: *Revertere ad me cœtus Israel, revertere ad Ierusalem, revertere ad domum doctrinæ legis meæ, revertere ad suscipiendam prophetiam a prophetis, qui prophetant in nomine verbi Domini.*

Eleganter et acute Hugo Victorin. Miscellan. 2. lib. 2. tit. 24. *Quater*, ait, *dicit ei Dominus revertere, q. d. Revertere a meis quia mirabilia sunt, a tuis, quia prava sunt, a te, quia omnis caro fœnum, ad me, quia summum bonum ego sum: Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid maculæ habes, in facie, turpis es, alienam imaginem portas, munda ergo eam, ut intueamur te.*

2\. Porro Theod. per Sulamitem accipit animam prædicatoris Evangelici, quæ in se pacifica, tentationes tamen et persecutiones multas patitur: illam ergo hic invitari, ait, B ut revertatur ad opus prædicationis et salutem animarum: Deum enim illi adfore, ut ex omnibus eluctetur omniaque evincat.

Anagog. Anagogice S. Ambros. orat. de Obitu Valent. hæc accipit de anima sancta, quæ a Christo et Angelis ex hac vita evocatur in cælum.

Symbol. Symbolice, tres Anonymi apud Theodoret. per Sulamitem accipiunt animam contemplationi deditam, quasi illa hic evocetur a discipulis et sociabus, ut ipsa doceat modum frænandi, regendique quatuor animæ passiones sive perturbationes, ideoque quater repeti, τὸ *revertere*.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Evocatio Mariæ ad cælum. C Beata Virgo in fine vitæ a Christo, angelis, et beatis desiderantibus frui eius dulcissima præsentia, eiusque dotes gratiæ et gloriæ intueri, evocata fuit in cælum, ex quo animam, spiritum, et gratiam omnem hauserat. Rursum ipsa quater, id est ardenter et assidue a pœnitentibus et fidelibus invocatur, ut gratiam impetret, et opem in quacumque necessitate afferat.

Tropol. Tropologice, disce hic quam pulchra, et speciosa sit anima sancti cuiuslibet, ac præsertim B. Virginis, utpote quam tam incensis, et toties iteratis votis optent intueri omnes angeli et beati, ut ex hoc intuitu summam consolationem, gaudium, et iubilum consequantur. Quocirca Theologi censent secundariam felicitatem beatorum consistere in contemplanda et fruenda gloriosa humanitate Christi, sicut primaria eorum beatitudo consistit in visione et fruitione divinitatis.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsus Christus laudat novellam Ecclesiam Iudæorum recens ad se conversorum, quasi choros castrorum: laudat, inquam, tam primo ab incessu regio; secundo, a femoribus instar monilium; tertio, ab umbilico rotundo; quarto, a ventre simili tritico; quinto, ab uberibus quasi hinnulis; sexto, a collo simili turri eburneæ; septimo, ab oculis quasi piscinis; octavo, a naso turrito; nono, a capite instar Carmeli et coma purpurea. Secundo his auditis chorus adolescentularis Synagogæ congratulans vers. 5. succlamat: Quam pulchra es, etc. novaque ei elogia laudesque assignat, scilicet staturam similem palmæ, ubera botris, odorem malogranatis, et guttur vino optimo. Tertio, vers. 10. utrique sponsa novella Iudæorum respondet, ac se totam sponsi amori resignat, sumque invitat ad villas et vineas, quarum omnia poma nova et vetera illi offert.

Caput hoc parallelum et antistrophon est capiti quarto, nam singulorum membrorum elogia quæ ibi tribuit sponsæ Ecclesiæ Gentium, hic tribuit sponsæ Synagogæ Iudæorum partim conversæ, partim convertendæ ad Christum, præsertim in fine mundi, ut patet utrumque caput conferenti.

1. QUID videbis in Salamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia
principis! Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. 2. Umbilicus
tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. 3. Duo
ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. 4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in He-
sebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. 5. Ca-
put tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. 6. Quam pulchra es, et quam
decora carissima, in deliciis! 7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. 8. Dixi: Ascendam in pal-
mam, et apprehendam fructus eius: et erunt ubera tua sicut botri vineæ: et odor oris tui sicut malorum. 9.
Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.
10. Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. 11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.
12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica:
ibi dabo tibi ubera mea. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dile-
cte mi, servavi tibi.

A

VOX SPONSI

DE SPONSA NOVA, SIVE DE SYNAGOGA.

VERS. 1. QUID VIDEBIS IN SULAMITE, NISI CHOROS CASTRORUM? QUAM PULCHRI SUNT GRESSUS TUI IN CALCEAMENTIS, FILIA PRINCIPIS! IUNCTURÆ FEMORUM TUORUM, SICUT MONILIA, QUÆ FABRICATA SUNT MANU ARTIFICIS.

QUID VIDEBIS (Hebr. et Sept. *Quid videbitis*) IN SULAMITE (male multi legunt in *Sunamite*) NISI CHOROS CASTRORUM?) Sept. pro *choros* vertunt χορτον id est *herbam*, sed legendum videtur χορον, id est *chorum*, ut habent Hebr. Chald. Latin. quæ enim est herba castrorum. Unde Septuag. Romæ correcti habent: *Quid videbitis in Sunamitide, quæ venit sicut chori castrorum?* S. Ambr. de obitu Valent. *De qua venit sicut chori.* Symmach. *Spoliatam in vulnerationibus castrorum.* Denique Aquila: *Quid quasi spectaculum intuebimini*, inquit, *in Pacifica?* Pagnin. *Quid videbitis in Sulamite? chorum castrorum.* Chori sunt cœtus exsultantium et cantantium, ac chorea tripudiantium præ gaudio. Quare minus recte Aben Ezra et Laysius Legion. sic vertunt et interpretantur: *Quid videbitis in Sulamite*, o adolescentulæ, quæ ita dispositæ estis *tamquam duo chori castrorum?* Hæc verba pertinent ad finem cap. præced. Unde in Hebræo illi iunguntur: Hebræi enim cap. 7. inchoant a sententia sequenti: *Quam pulchri sunt gressus tui, etc.*

B

Porro chori castrorum sunt choreæ, tripudia et saltationes militum triumphantium. Sulamitis ergo stipata armatis militibus, cum iis videtur ovasse et saltitasse bellicam armorum saltationem, qualis fuit olim illa, quam Pyrricham vocabant. Hic *chorus* dicitur in singulari, collectio, sive cœtus cantantium et saltantium; et *chori* in plurali, distributiva, quia in eo sunt multi canentium et saltantium ordines.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

SPONSUM hic loqui censent S. Gregor. Cassiod. Philo, Aponius, Honorius, Anselm. Alcuinus, Haymo et alii. Sunt ergo hæc verba sponsi Christi (vel ut alii sponsæ Ecclesiæ: hæc enim paulo ante Synagogæ dixit: *Revertere, revertere, Sulamitis*) exsultantis de conversione Synagogæ, id est Iudæorum ad fidem Christianam, quæ plene fiet per Eliam in fine mundi. Id patet ex voce *Sulamitis*, id est, Hierosolymitana, vel Salomonis; qua voce proinde notat Synagogam Iudæorum, ut dixi cap. præced. vers. ult. Videtur enim Salomon præter Pharaonis filiam, quæ repræsentabat Ecclesiam Gentium, etiam habuisse uxorem Sulamitidem, id est, Hierosolymitanam præ cæteris omnibus dilectam, et filiæ Pharaonis valde amore coniunctam, quæ repræsentabat Ecclesiam ex Iudæis colligendam, ait Alcazar in Allus. Apocal. ad hæc Cantic. verba. Salomon enim æque ac Christus, ut patet Lucæ 19. 41. magnam habebat curam suæ gentis iudaicæ, ut illa ingereretur Christo et Ecclesiæ, itaque salvaretur. Sicut ergo ipse descripsit ortum, progressum, et perfectionem Ecclesiæ in Gentibus, sic hic eumdem describit in Iudæis, qui ultimo convertentur, et sic consequenter pergit describere progressum et perfectionem Ecclesiæ; hanc enim consequetur Ecclesia, cum Iudæi convertentur: tunc enim ipsa fiet toto orbe unum ovile et unus pastor.

Quare sicut S. Ioannes describens in Apocalypsi decursum et progressum Ecclesiæ cap. 6. post varios Ecclesiæ status symbolice in quatuor equis adumbratos, illico in sexto sigillo transit ad ultima Eliæ et Antichristi tempora, illaque deinde operose per 14. capita prosequitur, ac tandem cap. 21. et 22. concludit, describendo gloriam sanctorum in cælesti Ierusalem; ibi enim erit Ecclesiæ con- Transitus ad finem mundi.

commatio, triumphus, et glorificatio: sic quoque prorsus facit hic Salomon, uti ex sequentibus constabit.

Igitur sponsus Christus sicut cap. 6. laudavit pulchritudinem Ecclesiæ ex Gentibus collectæ, sic hic laudat decorem Ecclesiæ ex Iudæis colligendæ, q. d. Quid videbis, o Ecclesia Gentium, in Salamite, id est, in Synagoga Iudæorum iam conversa ad suum Messiam veramque fidem, nisi choros præ gaudio tantæ conversionis cantantium et tripudiantium; sed choros castrorum, quæ scilicet ita exsulient, ut simul fortiter contra antichristianos cæterosque infideles et impios decertent: *Castra quippe militantium sunt*, ait S. Gregor. *Castra ergo in Sunamite videbuntur, quia pro fide, quam modo impugnat* (Synagoga) *tunc robuste contra infideles præliabitur.* Unde Syrus vertit: *Quid videbitis in Sunamite, quæ descendit sicut cumulus, vel sicut gaudium castrorum?* de perfidia velut de hoste devicto triumphantium? Arabicus: *Tamquam agentes choros*, (alii *choreas*) *castrorum.* Iudæi enim in fine mundi agnoscentes suum Eliam, et Christum ab eo prædicatum, suam perfidiam damnantes, zelum Eliæ induent, ac Christum acerrime propugnabunt, uti fecit S. Paulus ex Iudæo factus Christianus. Ita de Synagogæ, id est, Iudæorum ad Christum conversione hæc exponunt Cassiodor. S. Greg. Beda. Anselm. Rupert. Honorius, Guillelmus, Cosmas Damianus, Delrio, Alphonsus ab Orozco, Alcazar lib. 3. Allusionum ad Apocalyps. Nonnulli tamen, ut Theodor. Iustus, et S. Ambr. de Obito Valent. de Ecclesia in genere hæc dici putant. Audi Rupertum: *Quid aliud videbitis in Synagoga, cum fides in ipsam redierit? numquid sanguinem victimarum, numquid circumcisionis cauteriam? nihil omnino nisi choros castrorum, id est, laudes seu contiones præliantium, prælia laudantium et cantantium, quod suavissimum, quod vere est pulcherrimum: laudando chori præliantur, præliando castra laudant.* Huc favet nomen *Sunamitis*, ut legunt Septuag. S. Greg. Cassiodor. Beda, Rupert. et alii passim, illudque interpretantur *captiva, despecta*: nullam enim gentem ita vilem, despectam, et ubique quasi captivam sub tributo principibus servire videmus, atque Iudaicam.

Chori castrorum, Ordines militares. Qui per *quadrigas Aminadab* accipiunt Turcas, per *choros castrorum* accipiunt ordines militares Turcis oppositos, uti sunt Theuthonici, Hierosolymitani, Templarii S. Ioannis, S. Iacobi, etc. item Carolum Martellum, Carolum Magnum, S. Ludovicum, Godefridum Bullonium, Balduinum, Carolum V. et alios, qui Saracenos profligarunt. Unde notat Genebrard. in Chronol. eodem fere anno, quo Ottomanus usurpavit imperium Turcarum, Deum creasse Imperat. Christianorum Rodulphum Habsburgensem, a quo Austriaci descendunt, quasi eos Ottomanicis opposuisse videatur; sicut tradunt Hebræi, eo die quo Nabuchodonosor diruit templum, natum esse Cyrum, qui eius posteros delevit. Qui vero per *quadrigas Aminadab* accipiunt Antipapas, et eorum schismata, per *choros castrorum* accipiunt veros Pontifices, Episcopos, reges et principes, qui eos Pontificia sede, quam invaserant, deturbarunt. *Et religiosi.* Qui autem per *quadrigas* accipiunt Imperatores Ecclesiam divexantes aliosque tyrannos, aut libertinos Ecclesiæ dogmata, leges, et sanctiones profanantes; per *choros castrorum* accipiunt Concilia Œcumenica et Nationalia, ad hæc academias apud Christianos contra eos institutas, uti sunt Parisiensis, Oxoniensis, Coloniensis, Salmanticensis, Patavina, Lovaniensis, etc. Item ordines religiosos, quos Deus quolibet ævo ad reformandam fidei morumque sanctitatem excitavit; aut excitatos, sed senescentes renovavit, et ad primævum splendorem fervoremque revocavit. Sic Deus carnalitati sectæ, quæ orbem occupavit ante sexcentos annos, ut plerique se darent gulæ, et luxuriæ, opposuit S. Romualdum et Camaldulenses, qui sua austeritate et exemplo luxum bene castigarent. Sic Abailardo opposuit S. Bernardum, Albigensibus S. Dominicum et Franciscum, Luthero et Calvino S. Ignatium et Societatem Iesu.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta per invictum excelsi animi robur fortiter confligens cum mundo, carne, et dæmone, eosque devincens; ac de iis victis triumphans, agit choros et choreas castrorum, id est, iubilat in Spiritu Deoque quasi victoriæ auctori, psallit et gratias agit: *Quia*, ut ait Theodor. *ex castris fiunt chori: nam cum in castris vicerint milites virtutis pæana canentes revertuntur, et choros ducentes victoriæ præconium laudibus concelebrant*, uti Israelitæ choros et choreas agebant, prostrato Goliath a Davide: unde ei ab illius cæde revertenti occurrerunt, *mulieres de universis urbibus Israel cantantes, chorosque ducentes atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia*, 1. Reg. 18. 6.

Multo maior est chorus et exsultatio animæ pro virtute contra vitia decertantis, illaque debellantis et superantis. Audi ipsum Theodoret. « Sponsa chorus existit, divinas laudes in ore gerens. Quod quidem beatus ostendit David: Vox, inquiens, exsultationis et salutis in tabernaculis iustorum: et rursus: Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornua altaris. Castra vero declarat beatus Paulus: arma, inquiens, nostra non carnalia, sed valida per Deum ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. » 2. Cor. 10. 4.

Porro Philo, et Iustus Orgelitan. per choros accipiunt diversos sanctorum in Ecclesia ordines, cœlestibus angelorum ordinibus similes, qui iugiter in certamine constituti, Deo muniente, semper sunt invicti.

Anagogice S. Ambrosius Orat. de Obitu Valent. hæc accipit de anima victrice, victo mundo, in cœlis triumphante. Audi eum: *Quid videbitis in Sulamite, quæ venit sicut chori castrorum? hoc est, in ea, quæ multum et adversus plurimos in corpore præliata est. Etenim pugnavit adversus extraneos hostes, pugnavit adversus lubricas sæculi mutationes, pugnavit adversus corporis fragilitates, adversus multiplices passiones.* In cœlis ergo castra vertentur in choros tripudiantium, et exsultantium pro victoria. *Anagog.*

Symbolice noster Alcazar lib. 3. Allus. ad Apocalypsin ad hunc Cantici locum, per choros castrorum accipit religiosos ordines, et cœtus præsertim, qui in Ecclesia propaganda, ac contra hæreticos, aliosque infideles defendenda strenue laborant. Hi enim velut milites et invictæ acies Christi cum Elia et Enoch in fine mundi convertent Iudæos, ac certabunt fortissime contra Antichristum. Hos repræsentat Sulamitis, id est, pacifica, quia religiosi, pacatis animi motibus, pacem Christi omnibus annuntiant et conciliant, iuxta illud Christi: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. Hisce recte competit quod chorus cœlestis militiæ Christo nascenti cecinit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 14. Ideo enim religiosi quasi stipendiarii Christi bellum dæmonibus et vitiis inferunt, ut homines divina pace perfruantur: Adverto, inquit Alcazar, recte ab Honorio fuisse observatum, totam quidem universalem Ecclesiam unam esse sponsam Christi; verum in hoc Cantico considerat illam, ut quatuor Christi sponsas: quarum prima sit, primitiæ Synagogæ: Secunda, Ecclesiæ Gentium: Tertia, reliquiæ Iudæorum: Quarta, Gentiles adhuc reliqui, et hæretici omnes superstites, partiarii Antichristi. Sed equidem in hoc Cantico sponsas tres tantum reperio matrem, filiam, neptem. Mater est Ecclesia primogenita, quam pastrix fœmina repræsentavit. Ægyptia repræsentavit filiam, et hæc est Romana Ecclesia. Ecclesia denique religiosa, quam Sulamitis repræsentat, est neptis. Audi Honorium: *Huius* (qui relicto sæculo religionem moriturus ingreditur) *subitam conversionem dum quisque sæcularis miratur: ei a spiritualibus dicitur: Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? in anima prius captiva*

Symbol. chori castrorum sunt religiosi, cur. *Ecclesia simplicis sponsæ rationem habet.*

vitiis, sed nunc ad virtutem conversa; non videbis amplius nisi laudes Dei, et pugnam contra insidias diaboli: conversi quippe semper Deum pro sua conversione laudant, iugiter contra vitia pugnant.

Tropol. Tropologice, S. Hieron. l. 1. contra Iovinianum, per filias *Aminadab*, id est *populi sponte offerentis*, accipit virgines. Hi enim sponte Christo dicant virginitatem. Hæc enim consilii est, non præcepti: verba eius citabo inferius. Virgines enim sunt quasi chori castrorum, assidue contra carnem pugnantium, ideoque ipsi sunt velut quadrigæ Aminadab.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Hæc verba quasi triumphi epinicion accinuerunt angeli B. Virgini in cælum ascendenti; tunc enim eam stipabant omnes angelorum ordines, quasi acies et chori castrorum, iuxta illud Iacob fratrem Esau fugientis, de angelis sibi in præsidium obviantibus: *Castra Dei sunt hæc*, Genes. 32. 2. Rursum *in ipsa*, ait Hailgrinus, *videntur chori castrorum, adhærentes videlicet ipsi acies sanctorum, qui cum ipso pro nobis militant contra hostem*, unde *ipso vas castrorum appellatur* in *Ecclesiast.* ubi *sub lumine lunæ de ipso dicitur: Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriose*. Eccles. 43. 9. Tertio Alanus: *In Virgine*, ait, *fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum; castra vero pugnantium, secundum quod Virgo circumsepta et sanctis disciplinis instructa, vitiorum et dæmonum repellebat insultus.* Hinc quasi typus B. Virginis prælusit *Maria soror Mosis*, quæ, transito mari rubro, demersoque in eo Pharaone, *sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens; Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem eius deiecit in mare.* Exodi 15. 20. Et Iudith, cui post occisum Holofernem eiusque castra dispersa, in Bethuliam reverteuti Ioachim cum omnibus presbyteris accinuit: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, etc. Et ideo eris benedicta in æternum.* Iudith. 15. 10.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis) Hebraice, *filia Nadib* (perperam Phila legit, *Arab.*) Ita Septuag. quasi *Nadab* sit nomen proprium patris sponsæ. Unde S. Hieronym. lib. 1. contra Iovin. *Nadib* accipit quasi decurtatum *Aminadab*, sicut *Emmanuel* a Gallis decurtatur in *Noel*. *Speciosi*, ait, *gressus tui in calceamentis filii Aminadab:* Arabicus: *In calceis filiarum Nadab*; S. Ambr. de Obitu Valent. *In calceamentis filia Aminadab, hoc est, filia principis.* Hoc satis appositum est; ut filia Aminadab sit sponsa Salomonis, qui dictus est Aminadab, id est princeps populi, uti dixi c. 6. vers. 11. In Scriptur. enim sponsus et maritus vocatur pater sponsæ suæ, quia eam ut filiam alit et protegit, iuxta illud Ierem. 3. 4. *Voca me: Pater meus dux virginitatis meæ tu es.*

Nonnulli τὸ *filia* proprie accipientes, censent hanc sponsam vere fuisse filiam Salomonis. Salomonis enim filium fuisse Aminadab, cuius hic cum sua sponsa, quasi cum filia, id est, nuru sua, epithalamium in toto hoc Cantico celebrat pater utriusque Salomon. Ita ipsi nove. Cæteri *Nadab* accipiunt ut appellativum, vertuntque *principis;* Aquila, *sponte dantis, munifici:* Symmach. *ducis*; Syrus: *præparati*; S. Ambr. in Ps. 118. ser. 17. *voluntatis* vel *beneplaciti*; Scholiastes Vatican. *liberalis*, quia, ut ait sanctus Ambros. Deus voluntarius, et beneplacitus, ac liberalis Ecclesiam congregavit. Cap. 6. sponsa laudans sponsum orditur a capite, finit in pedibus; hic ex adverso sponsus laudans sponsam orditur a pedibus, finit in capite. Ratio disparitatis est, quod sponsus deorsum e cælo in terram descenderit, ut sponsam sibi copularet; sponsa vero e terra in cælum per sponsum evocata, sursum ascendat. Laus ergo sponsi est in descensu; laus sponsæ in ascensu: laus sponsi in dignatione evocandi sponsam: laus sponsæ in dignatione gratiæ et gloriæ, ad quam a sponso avocatur. Aliam causam dat Theodoret. sponsi, ait, laus incipit ab oculis, id est, a contemplatione, et desinit in pedibus, id est, in actione: quia eius actio oritur et dirigitur a contemplatione: sponsæ vero laus incipit a pedibus, id est, ab actione, desinit vero in capite, id est, in contemplatione; quia ipsa ab actione incipiat oportet, et ab ea pergat et proficiat usque ad contemplationem.

Per *gressus* tum ipsum incessum, tum pedes, quibus gradimur, accipe; unde Vatabl. vertit: *Quam pulchri sunt pedes tui calceati, filia principis!* q. d. Quam pulchros habes calceos, et cothurnos! quam magnifice iis calceata et cothurnata incedis! olim enim fœminæ nobiles calceos et cothurnos ornabant margaritis, gemmis, et auro, teste Plin. l. 9. c. 35. et Clemente Alex. lib. 2. Pædagog. c. 11. sic oculi Holofernis dicuntur capti sandaliis Iudith. c. 9. et c. 16. 11. *Sandalia eius*, inquit, *rapuerunt oculos eius: pulchritudo eius captivam fecit animam eius.* Et Isaiæ c. 3. 18. *Auferet*, inquit, *Dominus ornamentum* (Hebr. *gloriam*) *calceamentorum.* Sic Catharinæ Lusitaniæ reginæ India pro calceis sive socculis magnum auri pondus pendebat, quod S. Franciscus Xaverius in neophytorum opem ab ea converti postulavit, dicens illam socculis hisce pauperum multo facilius, quam regiis scansuram in cælum, quare idipsum ab ea libenter impetravit.

Tres Anonymi, R. Salomon, Genebr. et Sanchez, censent hæc esse verba adolescentularum celebrantium sponsæ pulchritudinem. S. Greg. censet a sponso Christo laudari hic sponsam Ecclesiam, quod prædicatores miserit ad Synagogam Iudæorum, eosque converterit. Melius alii censent Christum hic laudare Synagogam Iudæorum recens conversam: de ea enim sermo præcessit.

Porro Chald. Iudaice vertit: « Dixit Salomon in spiritu prophetiæ a facie Domini: Quam pulchri sunt pedes Israel quando ascendunt, ut appareant coram Domino tribus vicibus in anno cum calceamentis taxeis, et offerunt vota sua, et oblationes voluntarias suas. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Christus ait Synagogæ Iudæorum, iam in se per prædicationem Eliæ, aliorumque credenti: Quam pulchri sunt gressus tui, quibus ad me et Ecclesiam accessisti! quam celeri promptitudine ad fidem accurristi, nec tantum ad fidem sed et fidei prædicationem! illico enim, ut fidelis facta es, cœpisti esse prædicatrix Evangelii, ac instar Pauli per urbes, et provincias magna alacritate et fervore discurrendo, et prædicando, contribules tuos Iudæos, aliasque gentes ad Christum traducere satagisti. Facient hoc Iudæi sub finem mundi conversi ab Elia, hoc est, quod ait Isaias c. 52. et ex eo Paulus Rom. 10. 15. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Vide ibi dicta. Et: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Ephes. 6. 15. Ita S. Gregor. Cassiodor. Theodor. Beda, Philo, S. Anselmus, Honorius et alii, ac S. Ambr. ser. 17. qui et addit symbolice per calceamenta notari plebeios; hi enim æque ac principes, convertentur ad Christum ac sæpe iis sunt peritiores.

Alludit ad c. 6. v. 11. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*, q. d. Synagoga: Ego olim Iudaizans turbabar quadrigis Aminadab, id est, cursu tam felici Evangelii, quo Gentiles toto orbe quasi Aminadab, id est, populus spontaneus et liberalis ultro se subdebat fidei et Christo: hoc enim videbam et invidebam, putans tantumdem detrahi legi et Mosi, quem sequebar; at nunc illuminata ab Elia exterius, et a Deo interius, credidi in Christum, meque associavi Ecclesiæ Gentium, ac facta sum et ipsa Nadab, sive Aminadab, id est, populus spontaneus et liberalis, ultro me subiiciens Christo et Chri-

stianismo; in eoque gaudeo et exulto, ideoque quadrigæ Evangelii associata, ceu equa illam duco et protraho alacriter, ut Christi fidem, et famam ubique propagem. Aliam causam, cur Ecclesia vocetur *filia Nadab* dat Theodoret. fuit, inquit, Nadab, qui Levit. 10. v. 1. cum ignem alienum in Dei tabernaculum intulisset, vitæ finem accepit. Invenimus igitur et Domini sponsam Ecclesiam divinum in tabernaculum non ignem legalem, sed quem ab ipso sponso susceperat, intulisse. Ignem enim, inquit, veni mittere in mundum, et quid volo si iam accensus est? Ignem hunc novum ex novo testamento in Dei tabernaculum intulit sponsa clamans, et dicens: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Merito igitur vocat eam filiam Nadab, quæ igne novo sacrificium hominum obtulerit: licet enim diverso consilio ignem immutarint, idem tamen ab utroque factum est. Hæc Theodor.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

I. Primo anima, quæ in via mandatorum Dei, et in semita exemplorum SS. Patrum vestigia sua figit, pulchre incedit, rectaque tendit in cœlum; calcat enim omnes res terrenas, omnesque animæ affectiones et concupiscentias calceo mortificationis; calceus enim, quia ex mortuorum animalium pellibus fit, notat mortificationem, quæ recta est via ad perfectionem et gloriam. Ita S. Gregor. « Filia principis, inquit, sancta Ecclesia (ac quælibet in ea anima) dicitur: quia prædicatione Evangelii in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam omni creaturæ, quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi huius munimur, ut per omnes tribulationes, quæ exurgunt, confidenter calceata gradiatur? unde alibi prædicatoribus Paulus dicit: Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt, et nos pedes spiritualiter calceamus, quando a patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi huius tentationes expugnemus ».

II. Secundo et potius hæc tribuas viris Apostolicis et prædicatoribus; unde idem S. Gregor. « Potest tamen, inquit, intelligi quod Ecclesia calceatur, quando in prædicatione sua ad perferenda insurgentia mala morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est principis, quia coram divinis oculis placet officium cuiuslibet electi, secundum exempla Patrum prædicantis. » Ita quoque S. Ambros. in Psalm. 118. ser. 47. v. 5. quem vide.

III. Tertio et apposite ad litteram hanc gnomen intelligas cum tribus Anonymis, Theodoret. et S. Ambros. de modestia, gravitate, et pietate incessus et actionum exteriorum, quæ ex interna affectionum compositione procedit; hæc enim in oculos intuentium incurrit, eosque mire recreat et ædificat, q. d. Quam belle calceata ingrederis, o fidelis anima, quæ uti interius affectus omnes habes compositos; ita exterius modeste, graviter, caste, decore et religiose incedis, loqueris, agis et operaris, ut omnes in tui amorem et admirationem rapias. Commendat ergo externam modestiam et pietatem, quæ animæ sanctæ summe debet esse cordi; tum quia index est internæ compositionis, eamque conservat; tum quia alios ad virtutem allicit. Cum enim homines internas virtutes intueri nequeant, externas intuentur, ex eisque ad illas imitandas accenduntur. Hoc enim est τὸ πρέπον, id est, ad decorum, quod omnes spectant et desiderant. Vide ibi dicta Philip. 4. ad illa: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Unde S. Hieronym. lib. 1. contra Iovin. hunc ingressum in calceis accipit de decore castitatis: *Sponsus*, inquit, *laudatur a sponsa, laudat vicissim virginem sponsam, et dicit ei: speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab, quod interpretatur populi sponte offerentis. Virginitas enim voluntaria est, et ideo gressus Ecclesiæ in castitatis pulchritudine collaudantur.*

Modestia incessus laudatur.

Et S. Ambrosius in Psal. 118. ser. 47. « Bonum, ait, animæ calceamentum est pudicitia: bonus gressus vestigium est castitatis, etc. Utamur ergo corpore tamquam calceamento ad inferiora opera virtutis: ad ministerium, non ad præcipitium; ad obsequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad dissensionem; et in via sapientiæ vestigium collocamus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat. »

Porro additur τὸ *calceamentis*, ut significetur incessus et progressus in modestia, castitate omnique virtute continuus, constans et fortis qui omnes tentationum spinas et adversantium remoras, quasi calceis constantiæ munitus calcet et superet. Sic calceata et in omnibus composita erat B. Asella, de qua S. Hieron. epist. 15. ad Marcellam; « Nihil, ait, illius severitate iucundius, nihil iucunditate severius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius. Ita pallor in facie est, ut cum continentiam indicet, non redoleat ostentationem. Sermo silens, et silentium loquens. Nec citus nec tardus incessus. Idem semper habitus, neglecta mundities, et in culta veste, cultus ipse sine cultu.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo optime fuit calceata, quia summe in omnibus motibus tam animæ, quam corporis fuit composita, ac quasi regina cœlorum angelice ubique processit, adeo ut angelis omnibus fuerit admirationi et stupori: præsertim cum eam tanta gloria et maiestate tam corpore, quam anima in cœlum scandentem viderunt, eamque honoris causa quasi legiones et chori castrorum stiparunt et comitati sunt. Hinc per filiam principis Theodoret. et S. Ambros. accipiunt filiam Spiritus sancti, de quo dicitur Psalm. 50. *Et spiritu principali confirma me.* Quæ enim alia est filia Spiritus sancti, nisi B. Virgo, cui nuntiavit Gabriel Archangelus: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Lucæ 1. Honor. vero: Beata Virgo, inquit, fuit filia principis, id est Davidis regis, cui promissus erat Christus, quod ex eius stirpe prodiret, ac consequenter et eius mater Deipara. Audi S. Ambros. de Instit. Virg. c. 14. *In hoc calceamento* (corporis) *speciosa processit Maria, quæ sine ulla commixtione corporeæ consuetudinis, auctorem salutis virgo generavit; unde egregie Ioannes ait: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius; id est non sum dignus incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absolvere.* Hinc et Isaias dixit c. 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?*

Addit Rupert. nudipedes incedere servos, calceatos vero ingenuos et nobiles. Unde ait: « Idcirco ancillæ (Evæ) calcaneum serpens momordit, tu autem, o filia principis, bene calceata caput serpentis contrivisti; tu maxime o princeps et domina singularis dilecta, et sicut iam dixi: Una columba mea, una genitrici suæ videlicet generationi liberæ, generationi non carnis, sed fidei, quæ me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti, et peperisti patrem vel principem filiorum, non carnis, sed fidei vel repromissionis. »

Pressius Alanus: *Gressus tui*, inquit, *gloriosa virgo, sunt nobilitas generis, integritas carnis et mentis, fœcunditas prolis. Calceamenta sunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desideriis, excessus in gaudiis. Tu autem es principalis filia principis, Dei videlicet, qui est Princeps principum et Dominus dominantium, qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit: ita tamen Dei filia, quod et mater intacta. Vel per pedes et gressus intelliguntur mentales affectus qui omnino purgati et decorati fuerunt in incarnatione Christi, per calceamenta figuratur incarnatio divina.* Et Heilgrinus: *Cogitationes eius* (Virginis) *et opera decora spiritualis devotionis et intentionis, velut pedes in calceamentis*

hyacinthinis resplendebant, iuxta illud: *Calceavi te ianthino*, Ezechiel. 16. 10. Vide ibi dicta.

Denique Guilielmus: « Non, inquit, pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, videns Deum deorum in Sion, etc. Amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Mosis, humilitatem David, patientiam Iob, continentiam Danielis. His ergo et huiusmodi patrum exemplis decentissime calceata, in attritis animi gressibus ibat de virtute in virtutem; et in æmulando virtutes patrum, ipsos etiam patres, quorum se æmulatricem esse gaudebat, præcipua puritate affectuum, et prærogativa actionum transcendebat. Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia (S. Ambros. torques) quæ fabricata sunt manu artificis. Sub iuncturis femorum ipsa quoque femora, sive coxas per metonymiam accipe, quæ instar monilium pulchra sunt, torosa, rotunda et fortia. Rursum iuncturas intelligo tum inferiores, quibus femora inferne cum genibus iunguntur; tum potius superiores, quibus eadem cum ossibus et costis ventris superne nectuntur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Pendent hæc a sententia præcedenti et a choris castrorum (unde omnes hasce tres sententias sub eodem v. 1. comprehendunt Biblia) eorumque dant causam, q. d. Christus: Ideo, o Synagoga, iam ad me conversa procedis ut chori castrorum, id est, pulchri, recti et validi sunt gressus tui; quia pulchræ sunt, rectæ et validæ iuncturæ, sive vertebræ femorum tuorum: ab hisce enim pendet pulchritudo, æque ac rectitudo et robur incessus, ut scilicet quis non claudicet, non caespitet, sed rectis validisque femoribus recte valideque incedat.

Alludit ad tactum Angeli, qui tangens Iacob in femore, luxansque eius iuncturam et nervum, fecit eum claudum, Genes. 32. v. 25. et 31. qua Iacob claudicatio præsignabat posteros eius claudicaturos in fide et religione, ut nunc Deum, nunc idola colerent; nunc Christo adversarentur, nunc eum amplecterentur.

Femorum symbola. 1. At in fine mundi Synagoga, conversa ad Christum, validis iuncturis femorum fortiter adhærebit corpori Ecclesiæ, id est, cæteris gentium fidelibus et capiti Christo: quare tunc amplius in fide non claudicabit, sed recta et fortiter in ea incedet ad eam sequendam prædicandam et propagandam, idque agiliter et flexiliter in omnes partes, quocumque spiritus Christi impulerit: hoc enim significant iuncturæ, sive vertebræ femorum, quæ agiles et flexiles sunt in omnem partem ad nutum hominis.

2. Hinc symbolice duæ iuncturæ femorum, ait Cosmas Damianus, significant veritatem et charitatem, earumque nexum et unionem, prout eas adiungent Iudæi in fine mundi convertendi.

3. Hinc rursum per femora notantur membra generationis femoribus vicina, ipsaque generatio, q. d. Valida habebit femora Synagoga, ideoque validos generabit filios Christo. Ita Cassiod. Philo, Iustus, S. Gregor. quem audi: « Per duo femora sponsæ, duo populi Ecclesiæ, per iuncturam femorum, concordia designatur prædicatorum, quibus populi uniuntur, dum ad fidem Catholicam circumcisio et præputium per eos erudiuntur. Qui ut monilia existunt, quia dum in sapientia, qua refulgent sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt, de quibus sequitur: Quæ fabricata sunt manu artificis. Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri et utiles efficiuntur. » Huc accedit Chald « Et filii eorum, qui egressi sunt de femore eorum, pulchri sunt sicut lapides pretiosi, qui fixi sunt in corona sancta, quam fecit Beseleel artifex Aaron sacerdoti »

Addit S. Ansel. Iudæos et Gentes credentes comparari monilibus, quia se invicem muniunt ut constanter adhæreant Christo, ac muniant contra insidias diaboli.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Iuncturæ femorum notant. I. Modestiam incessus. Iuncturæ femorum significant, primo, decentiam et modestiam in incessu omnique actione externa: unde pro *iuncturæ* Septuag. vertunt ῥυθμοί, id est, rhytmi, numeri, moduli, concinnitates carminum, q. d. Quam concinne et numerose suis numeris, pedibus et modulis progreditur carmen, tam concinnus et compositus sit tuus incessus, sermo omnisque actus externus. Audi S. Ambros. in Ps. 118. serm. 17. v. 5 « Tantus ergo processus Ecclesiæ (et animæ sanctæ) significatur, ut ornamentis pretiosissimis comparatus sit, et torquibus triumphantium; hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Sive ergo generatio Christi ex Virgine, sive Ecclesiæ propagatio specie quidem tamquam manu artificis torquibus adornatis, vere autem virtutis insignis spiritualibus, cervices filiorum coronavit. »

II. Castitatem. Secundo, iuncturæ femorum significant castitatem animæ sanctæ: in actu enim generationis panduntur femora; in continentia vero iunguntur et stringuntur. Hinc noster Sanchez per iuncturas femorum accipit fascias vel fibulas femoralium, vel tunicarum, quibus femora teguntur et vestiuntur. Casti enim femoralia confibulant, incesti ea dissolvunt. Hinc illud Ezech. 16. 25. *Divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas.*

Castitas ergo femora ornat sicut monile pulcherrimum et pretiosissimum, factum manu summi artificis Dei: hanc amplectuntur religiosi, et amplectentur Iudæi in fine mundi, ut efficacius Christum verbo et exemplo prædicent. Unde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi sequentur Agnum in virginitate, Apocal. 14. Ita Philo Carpath. qui et addit castitatem esse opus summi artificis Dei simile illi quod in ventre Virginis fabricavit.

Symbol. 1. Concordiam. Symbolice, duo femora eorumque iuncturæ significant omnium fidelium concordiam, nexum et iuncturam in gemina charitate Dei et proximi. Sicut ergo femora per vertebras cæteris membris cohærent: sic fidelis quisque cum aliis fidelibus vera charitate coniugatur oportet. Ita S. Gregor. Beda et alii; unde Ioannes Carmelita sic explicat, q. d. Societas in charitate filiorum spiritualium, qui a tuo velut femore propagantur, et mutuo amoris nexu vinciuntur, similis est monilibus, seu catenulis, quarum orbiculi mutuo conserti sunt.

2. Consonantiam virtutum. Rursum iuncturæ femorum significant consonantiam virtutum. Ita Philo: *Per consonantias femorum*, inquit, *vitæ temperantiam et morum sanctitatem, veluti cælestem quampiam divinæ sapientiæ harmoniam explicat. Cum hic enim sancta Scriptura consonantias femorum similes torquibus manu, vel opera artificis elaboratis esse dicit; conspirationem unam et voluntatem bene consentientiam populorum ad fidem unam et gloriam opera illius summi artificis complanatam esse demonstrat, qui cælum ac terras fabricatus est.* Sic et S. Ambrosius de Obitu Valent. Imper. *Moduli*, inquit. *femorum tuorum similes torquibus, hoc est, consonans sibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquavit insignia triumphorum.* Hoc est ergo monile, hi torques virtutum, quam S. Petrus fidelibus commendat epist. 2. cap. 1. v. 5. dicens: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

3. Concordiam iræ et concupiscentiæ. Insuper tres Anonymi apud Theod. per iuncturas duorum femorum accipiunt compositionem motuum utriusque appetitus, scilicet irascibilis et concupiscibilis, sive iræ et concupiscentiæ; hi enim compositi ab artifice ratione, vel mente pulchri sunt, sicut monilia ex auro varia arte et flexu fabrefacta.

4. Amorem coniugum. Denique Honorius censet hic in choris castrorum Ecclesiæ notari secundam eorum aciem vel ordinem, qui est coniugatorum, ut iunctura femorum sit amor et concor-

dia coniugum, quæ est opus et donum artificis Dei.

Tropol. Tropologice, idem Honorius: « Femora, inquit, animæ sunt timor et amor, per quæ gignit bonum opus, quod est spiritualis proles, quæ erit regni hæres: per timorem quippe declinat a malo, per amorem facit bonum; horum iunctura fides est, qua credit supplicium, quod timet; et credit gaudium, quod amat. Hæc iunctura est sicut monilis; quia sicut monile pectus ornat et munit, ita fides animam ornat et munit. Hæc manu artificis est facta, quia fides per Christum est data. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Duæ iuncturæ femorum B. Virginis sunt maternitas et virginitas; in harum enim iunctura confibulantur, nectuntur et fundantur omnes eius virtutes, dotes et prærogativæ.

Rursum, quæ dicta sunt de anima sancta, præ omnibus conveniunt B. Virgini; ipsius enim incessus, omnisque actio summe erat modesta, concinna, pia, religiosa. Ad hæc in ea fuit summa virtutum omnium harmonia et consonantia. Insuper angelica castitas et virginitas in ea resplenduit, ob quam meruit eligi in matrem Dei. Ita Philo, S. Ambr. de Inst. Virg. c. 14. ac Rupert. qui sic explicat: « Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia, id est, virginitatis tuæ integritas perpesque pudicitiæ custodia, cælestibus præsidiis est communita. Cuius est hoc opus? cuius virtus? nimirum Dei altissimi. Et hoc ipsum, ait quidam sapiens, sapientia est scire quod continentia donum Dei sit. Dicit igitur non qualiacumque monilia, sed quæ fabricata sunt manu artificis, id est, quæ solus Deus facere et dare potest vel potuit. »

Addit Guilielmus iuxta femora esse sedem et motus concupiscentiæ; sed in Virgine hæc fuisse iuncta, aperta et ornata virginitatis monili, ut nullum in iis motum carnis sentiret; fomes enim in ea fuit exstinctus. Audi Alanum: « Femora solent esse generationis signa. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum fœcunditatum, quæ fuerunt in Virgine; una mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit sicut monile, id est, habuit secum duplicem comitem, virginitatem carnis et virginitatem mentis. Per monile solet notari castitas. Monile enim solet apponi pectori ad ornandum, et in castitatis signum; unde dicitur monile, id est, monens castitatem. Est ergo sensus: Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia, id est, sicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita duplici virginitate. »

Succincte, sed punctim Honorius in sigillo: *Femora tua*, inquit, *felicia, de quibus processit pretiosa margarita Christus, ineffabile monile qui est ornatus totius creaturæ. Artifex est Deus Pater, manus eius Filius per quem fecit omnia, per quem etiam incarnatio est disposita.*

Denique τὰ *monilia* urgens Hailgrinus: *Beata fuit*, inquit, *non sibi tantum, sed et nobis; non sibi tantum casta vel pulchra, sed nobis quoque castitatis monitoria; idea comparatur monilibus, quæ dicuntur monilia quasi castitatem monentia. Nam ad continentiæ munditiam ipsa per exemplum nos commonet et invitat.*

Vers. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.) Id est, *potione:* Hebr. מזג *mazag*, id est, mixtu, puta vino aqua mixto et temperato, uti in Italia, Iudæa aliisque regionibus calidis vina miscentur et diluuntur aqua. Unde Syrus vertit: *Non deficit in eo mixtura*, id est, vinum de more aqua mixtum. Arabicus: *Nulla deficit temperatura*. Minus recte Tigur. vertit: *Numquam indigens fœcunditate.*

Pro *tornatilis*, Hebr. est סהר *sahar*, quod Pagnin. et alii vertunt, *rotunditatis*, id est, rotundus. Aben Ezra et Vatabl. *lunæ*; umbilicus enim similis est lunæ semiplenæ, quæ superne concava est instar crateris, et inferne rotunda instar torni. Noster Sanchez per umbilicum metonymice accipit ornamentum umbilici, puta gemmam vel bullam a collo usque ad umbilicum pendentem, quam Isaias cap. 3. Lunulam vocat, quod speciem haberet lunæ. Nam, ut ibi ait S. Hieron. *Habent mulieres in similitudinem lunæ bullas dependentes.*

Melius Lyrsius, et passim alii, ipsum umbilicum accipiunt; hic enim est instar crateris tornati et rotundi. Iam sub umbilico intellige totum ventrem et intestina; horum enim nodus, catena, nexus et vinculum est umbilicus: *Venarum in umbilico nodus ac coitus est*, ait Plinius l. 11. c. 37. Sicut enim corpus nervis ac ossibus compingitur; sic venter umbilico quasi catena colligatur: unde ruptura illius lethalis est.

Umbilicus enim est corporis quasi centrum, quod si tollas, evanescunt omnes lineæ ab eo ad circumferentiam ductæ, totusque circulus. Quare umbilicus plane rotundus, plenus et perfectus signum est bonæ sanitatis et vegetæ iuventutis. Umbilicus ergo est ligamentum intestinorum, quod mediam fere planitiem ventris obtinet; ad hoc factum, ut per eum fœtus, dum est in utero matris nutriatur. Hinc per catachresin *umbilicus* vocatur quicquid in aliqua re est medium. Sic Reate urbs vocatur *umbilicus Italiæ*. Et Cicero 6. Verrina, Ennensium nemus, ex quo rapta est Proserpina vocat *umbilicum Siciliæ*. Et Livius l. 5. Bell. Maced. Ætoliam nuncupat *umbilicum Græciæ*. Pari modo Ierusalem est umbilicus Iudææ et totius orbis, ut mox dicam. Audi Arist. l. 4. de Histor. anim. c. 13. *Venter infra pectus est parte priore, eiusque radix umbilicus est. Cui radici pars subiecta in latus utrumque, ilia dicitur; quæ autem recte subiungitur, sumen est sive abdomen, eius postremum aqualiculus. Sed super umbilicum hypochondrium est a cartilagine quasi subcartilagium denominatum.* Idem l. 2. cap. 8. docet simias homini esse similes excepto umbilico, quo carent, sed eius loco durum quiddam habere. Iam umbilicus, id est venter sponsæ non indiget poculis, id est potione sive liquore potabili et humore quasi lacteo, quia eo plenus est instar lunæ plenæ, ac instar crateris, qui semper vino refertus est, ut oculos aspicientium recreet, et gustum potantium pascat. Nam alii crateres sæpe vino carent suntque vacui, ac luna sæpe deficit et lumine orbatur, uti patet in novilunio.

Umbilici natura, finis et significatio.

Umbilicus pro centro.

Aliter Sanchez, et Delrio, q. d. Umbilicus tuus est similis crateri tornatili non egenti poculis, id est liquori potabili; quia nullo situ aut squalore scaber, vel sorde aliqua impurus et immundus est, sed plane castigatus et mundus, quia vino mixto recens fuerit ablutus et detersus.

Porro ut recte advertit Alcazar, pro *umbilicus* Hebr. non est טבור *tabbur*, id est umbilicus, sed שרר *sciorer*, quæ vox significat intestinum illud, quod infanti recens nato præciditur, et in umbilico illigatur. Est autem id intestinum, quod in interna omnia vitalia, stomachum scilicet, iecur et præcordia penetrat. Hæc vero vitalia omnia, quo penetrat illud intestinum, comprehendi in sacra Scriptura voce *scior* aut *sciorer*, quam Noster vertit umbilicum, manifestum est. Atque id quidem liquet vel ex loco Iob 40. 11. *Virtus illius in umbilico ventris eius*. Et ex illo Prov. 3. 8. *Sanitas erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.* Umbilicus ergo hic omnia vitalia complectitur, q. d. Vitalia sponsæ plena sunt humore et succo, quo abunde irrigantur, aluntur, ac vegeta, vivida et succulenta conservantur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Omnia hæc spectant ad Synagogæ, id est Iudæorum in fine mundi per Eliam conversionem. Synagogæ ergo æque ac Iudææ, imo totius orbis habitabilis umbilicus, id est

medium et centrum est Ierusalem, iuxta illud Ezechiel. 5. *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras.* Ideoque in illa docere et crucifigi voluit Christus, ac in ea fundavit suam Ecclesiam, ut exinde ipsa quasi ex centro facile quaquaversum, ad cæterarum provinciarum peripheriam sese expanderet, iuxta illud Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Rursum urbs Ierusalem, tempore Christi, speciem habebat umbilici et crateris tornatilis, id est rotundi, ut patet ex eius effigie quam exhibet Adrichomius in descriptione terræ sanctæ. Insuper ipsa quasi umbilicus connectebat totam Iudæam omnesque Iudæos, eorumque ventres, id est concupiscentias per suos Rabbinos, Pontifices et principes restringebat et coercebat. Ipsa denique erat quasi crater tornatilis numquam indigens poculis, quia instar crateris abundabat vino sapientiæ et doctrinæ, illudque in cæteros omnes dispertiebat, iuxta illud Isaiæ: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Unde Ierem. Thren. 2. *Hæccine, ait, est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?*

Ierusalem umbilicus, id est medium terræ.

Igitur significat hic Salomon, quod Ierusalem in fine mundi convertetur ad Christum per Eliam, qui in ea prædicabit contra Antichristum ac in eadem ab eodem occidetur, sed tertio die gloriosus omnibus spectantibus resurget, ut patet Apoc. 11. quod videntes Hierosolymitæ, in Christum ab Elia prædicatum credent, ac deinde cæteros Iudæos ad Christi fidem traducent, eosque in Christiana pietate nutrient, fovebunt et promovebunt: uti factum est primitus tempore Salomonis in lege veteri, cum scribæ Hierosolymis veram fidem docerent, et in novo tempore Christi. Metropoli enim Iudææ, puta Ierusalem conversa, convertetur tota Iudæa, sicut Roma conversa per Constantinum, conversus est totus orbis. Ierusalem ergo tunc abundabit sanctis sacerdotibus, doctoribus, prædicatoribus, et prophetis, qui cum Elia Antichristo resistent, ac Iudæos orthodoxam Christi fidem docebunt, uti abundavit iisdem tempore Apostolorum. Sicut ergo infans in utero matris sugit alimentum a matre per umbilicum, quo cohæret et copulatur matri. Nam ut ait Arist. l. 2. de Generat. animal. c. 4. *Incrementum fætui per umbilicum contingit eodem modo, quo plantis per radices.* Sic Iudæi e matre Ecclesia in fide et pietate Christiana nutrientur per Ierusalem et doctores ab ea submissos. Ita Honorius, Delrio et alii. Hinc per umbilicum intelligi prædicatores docent Cassiodorus, Beda, Aponius, Anselmus et S. Ambros. serm. 6. in Psal. 118. Audi S. Gregor. *Umbilicus sanctorum prædicatorum ordo est, qui bene crater esse dicitur; quia dum per eos populus eruditur, vino spiritali ipsorum officio inebriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur, quia iuxta mores hominum universos necesse est ut lingua prædicatoris volvatur; qui poculis non indiget, quia quod aliis propinat, necesse est ut abundantius cæteris bibat, et plenius, quod dat, contineat.*

Huc facit versio Chald. « Et princeps scholæ tuæ, per cuius meritum gubernantur omnia sæcula, sicut fœtus nutritur per umbilicum in utero matris suæ; splendidus est in lege sicut circulus lunæ, quando venit ad mundandum et contaminandum, et ad iustificandum et condemnandum, et non deficiunt verba legis umquam ab ore eius: sicut non deficiunt aquæ fluminis, quando egreditur de paradiso. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Umbilicus est mens sancta.

Umbilicus animæ piæ est mens fovens sanctas inspirationes, cogitationes et affectiones; hæc enim ventrem, id est, appetitum sensitivum, et ventris illa id est, cupiditates nodo temperantiæ et continentiæ astringit et coercet, instar umbilici. Ita tres Anonymi apud Theodoret. Hæc rursum quasi crater tornatilis abundat cælesti vino sapientiæ, prudentiæ, doctrinæ, gratiæ, consolationis, lætitiæ, quo tam se quam alios potat et subinde inebriat, adeo ut fontem huius aquæ cælestis ventre mentis continere videatur, iuxta illud Christi: *Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*, Ioannis 7. 38. et illud: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Ioan. 4. v. 14. Ita sanctus Ambrosius de Obitu Valent. *Bonus, ait, umbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater, ab ipso fidei auctore ornatus; sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: Venite, edite panes meos, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Hinc Ezechiel. cap. 16. 4. redarguit Synagogam, id est, Iudæos obstinatos dicens: *Et quando nata es in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus*, q. d. Adhærebas pristinis erroribus et idololatriæ matris tuæ: at hic umbilicus præciditur ab anima sancta, et præcidetur a Iudæis in fine mundi. Vide ibi dicta.

Tropologice, præcisio umbilici est præcisio cupiditatis, quæ hominem sanat, sanctificat et beat. Vere Seneca: *Qui desiderium clausit, mehercle cum Iove de felicitate contendit.* Hinc Ioannes Carmelita sic explicat: Umbilicus et venter, id est, intellectus tuus, o sponsa, Dei sapientiam, ut fœtum continens, quia eius potum propinat sitientibus, crater rotundus est ad potandum aptissimus. Tropol. 1.

Rursum Philo Carpath. per umbilicum accipit sacerdotes, et per craterem calicem Eucharistiæ: « Quæ numquam, inquit, caret vero corpore et sanguine Iesu Christi, qui populis per fidem, charitatemque miscetur, id quod per aquam illam, quam sacerdos vino miscet in calice, apertissime docetur. Idemque sacerdotium recta umbilico non absimile, et tornatile esse dixit, ut aperte doceret sacerdotes mundos ac puros, et omni labe deterso, cunctisque virtutibus bene tornatos esse oportere, nec aliud quicquam in tota vita et in omni re gerenda, quam cælestia sapere et meditari atque docere, nostis enim illud: Sacerdotes tui induantur iustitiam, et sancti tui exultent in vitæ rectitudine. » Psalm. 131. 2.

Hinc iterum per umbilicum alii accipiunt castitatem, quam parit Eucharistia, iuxta illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Ita Rupertus, Guilielmus et alii. 3

Honorius vero accipit sobrietatem, quæ mater est castitatis: « Umbilicus animæ, inquit, est temperantia; quia sicut umbilicus medius est inter superiora et inferiora membra, ita est temperantia inter virtutes et vitia media; quæ est crater tornatilis, plena poculis, quia est circumspectione rotunda et sapientia fœcunda; et sicut potus sitim temperat et cor lætificat, sic temperantia ardorem vitiorum restringit, et immoderatum fervorem virtutum reprimit. » 4.

Audi Aponium: « In quo (umbilico) mihi videntur illi laudari, qui non solum a terrenis desideriis renascendo abscissi sunt a peccato, sed iam torno consuetudinis vel desiderii boni admirabiliter expoliti, lætitiæ poculis ultro non indigent, sed aliis indigentibus animæ absolutionem exemplo conversationis ministrant. Nullus enim animam sitientem Deum, post criminum ariditatem ad pinguedinem sanctitatis perducit, nisi qui exemplis laudabilibus poculum subministrat.

Denique Honorius hæc referens ad choros castrorum Synagogæ ad Christum conversæ, de quibus initio capitis dictum est, tertiam eorum aciem hic assignat, scilicet, mollium et delicatorum, sed misericordium: « Quia umbilicus, inquit, est molle membrum et media pars hominis, quæ habet supra se sex partes, nempe caput, oculos, nasum, os, collum et pectus. Septima pars est umbilicus; infra se quoque sex partes habet, pedes, tibias, crus, coxam, femur, ventrem, et septima hic rursus est umbilicus. Significans in Ecclesia eos, qui per septem opera misericordiæ consequuntur septenarium requiei, quæ dabitur per septem dona Spiritus sancti. Hi sunt velut crater tornatilis, numquam indigens (id est, semper plenus) poculis, quia sunt charitate tornati, exercitio virtutis planati: poculis doctrinæ semper pleni: unde sitientes iustitiam, possint abunde inebriari. Hoc ideo dicitur, quia si imper- 5.

feeti tune in Synegoga tales erunt, quales perfecli sunt credendi? »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

I. PRIMO, S. Ambros. de Instit. Virg. c. 14. *Vere*, ait, *alvus illo Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis suæ gratiam divinitatis suæ plenitudine subministrans.*

II. Secundo, Honorius: Umbilicus, inquit, tuus, (subaudi beatus) in quo pependit Dei filius (ut enim in clavo clypeus, sic pendet in umbilico infantulus) qui filius est crater turnatilis, numquam indigens poculis, hoc est, omnibus se sitientibus præbet largiter.

III. Tertio, Rupert. *Viris*, inquit, *in lumbis, fœminis autem in umbilico luxuria est, testante Domino, qui de diabolo loquitur ad B. Iob: Virtus eius in lumbis eius, et potestas eius in umbilico ventris eius. Igitur umbilicus tuus crater tornatilis quid est, nisi ac si diceret: Perfecta est in te virtus castitatis, et liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis?*

IV. Quarto, Alanus: *Umbilicus*, inquit, *est in medio ventris. Per umbilicum igitur Virginis intelligitur vis intelligendi, qua Deum dilexit, scilicet charitas. Hæc in virgine fuit quasi crater, quia ea mediante, virgo mundo lætitiæ vinum propinavit, de quo dicitur: Calix meus inebrians quam præclarus est!* Psalm. 22. et alibi: *Vinum lætificans cor hominis*, Psalm. 103. *Tornatilis dicitur, quia torno facilius operamur. Et ipsa virgo sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia concepit et peperit. Numquam indigens poculis. Minus dicit et plus significat, id est, plenus poculis, nempe mundo propinans vinum dilectionis, vinum salutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ.*

Denique in umbilico illius, ait Guilielmus, salus hominum fuit eo ipso, quo ibi reconciliationis humanæ hostia fuit, atque inde nobis suo tempore, id est quando *Verbum caro factum est*, salus manavit. Nempe umbilicus ille virgineus Dei Filio carnis substantiam, in qua pro hominibus moreretur, per calorem Spiritus sancti ministravit, atque eo ipso quasi crater tornatilis vitam mundo propinavit. Et post nonnulla: *Numquam indigens poculis*. Quotlibet inde hauriant, et quantumlibet hauriant, nequit exhauriri. Nam etsi inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat et redundat.

VENTER TUUS SICUT ACERVUS (Symmachus, *cumulus*) TRITICI VALLATUS LILIIS;) Tigurina: *circumseptus liliis.* S. Ambros. de Instit. Virgin. cap. 14. legit, *sicut acervus tritici minati inter lilia*; sed videtur error typographi, ac pro *minati* legendum *muniti*, uti legit idem S. Ambr. de Obitu Valent. Sicque habent Hebr. Sept. et Latinus.

Idem, vel quasi idem dicit cum eo quod dixit de umbilico (sub eo enim ventrem comprehendit, ut dixi) sed per aliam metaphoram et similitudinem; ibi enim ventrem comparavit crateri, qui vino est plenus; hic vero comparat eum acervo tritici, sed vallato liliis, ut significet eum refertum esse quolibet alimento (hoc enim tam potu, quam cibo, puta tritico constat) eumque tam esurientem abunde cibare, quam sitientem potare. Acervus tritici fertilitatis et fœcunditatis est symbolum, lilia vero castitatis; significat ergo ventrem sponsæ ita esse fœcundum ad nutriendum cætera membra, ut tamen sit purus et castus.

Per triticum, vel grana tritici excussa, et pura, quæ liliis vallentur, vel potius segetem tritici læte in aristis et culmis germinantem, turgentem et tumentem accipe; hæc enim in arvis nobilium, præsertim hortensibus, ad margines vallatur liliis, aliisque floribus pulchre succrescentibus, tum ad amœnitatem et delicias, tum ad odoris suavitatem et fragrantiam. Hæc sunt lilia agri, quæ nominat Christus Matth. 6. v. 28. Huic acervo assimilatur venter sponsæ, quia illius adinstar solido et succido cibi chilique tumore, omni ex parte pleno et æquato turgescit, ac ob eius per vim caloris iustam concoctionem suavem exhalat odorem, uti exhalabat venter Alexandri Magni, et similium.

Porro Sanchez et Alcazar ventrem hic non nudum accipiunt, sed talari vestitum, puta vestem et tunicam ventris; hoc enim honestius et decentius videtur, q. d. Vestis, qua venter tuus operitur, est ex aurea tela cum elevato in ea opere tritici cumulos imitante, ac limbo ex liliis graphice acu pictis. Significat ergo sponsus belle ei quadrare illam talarem vestem, quod speret ipse fœcunditatem suæ sponsæ (ventre nimirum significatam) fore tritici fœcunditati similem, sobole deinde copiosa ad gloriam et exaltationem, quam lilia repræsentant, eamdem evectum iri. Lilia enim symbolum sunt evectionis ex humili loco ad eximiam dignitatem et gloriam, triticum vero fœcunditatis. Nam, ut ait Plinius lib. 18. cap. 10. *Tritico nihil est fertilius; hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alat hominem, utpote cum e modio, si sit aptum solum, centeni quinquagenarii modii reddantur.* Hinc illud: *Benedictus fructus ventris tui.*

Denique Chaldæus vertit: *Et Septuag. sapientes circumdant eum sicut aream rotundam, et cellaria eorum plena sunt decimis sanctificatis, et votivis et spontaneis, quas constituerunt eis Esdras sacerdos et Zorobabel, Iosue et Nehemias et Belsan, viri Ecclesiæ magnæ, qui comparantur rosis, ut sit eis virtus, ut laborent in lege die ac nocte.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

IERUSALEM convertenda ad Christum per Eliam in fine mundi similis erit acervu tritisi, quia plena erit sacerdotibus et prædicatoribus, qui verbo Dei et Eucharistia quasi tritico mystico fideles pascant non ad luxuriam, sed ad castitatem; ideoque vallatur liliis, quia puritatis candorem, æque ac suavitatis odorem exspirat. Hoc enim est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, Zachar. 9. 17. Synagoga enim post mortem Apostolorum et primorum fidelium quasi sterilis remanserat, cum cæteri Iudæi nollent ad Christum converti: sed reliquis in fine mundi per Eliam conversis Synagoga fiet quasi acervus tritici, quia multa grana, id est multos fideles in horreo Domini reponendos producet: quorum multitudo, ait ex S. Ambrosio Delrio, est cumulus in unum vinculo charitatis coacervatus, cylindro iustitiæ æquatus et pudicitiæ, cæterarumque virtutum exemplis vallatus. Tali acervo plenus Synagogæ tunc venter erit, ut et ipsa queat gloriari factam se matrem filiorum lætantem. Certe sicut in Catholica Ecclesia numquam deficit vitalis ille potus, sic nec triticum ad dupliciter omnes cibandos.

Porro S. Greg. per umbilicum prædicatores, per ventrem populum intelligit: *Per ventrem*, inquit, *populi latitudo designatur, qui bene sicut acervus tritici liliis vallatur; quia dum operibus sanctis intendens, in cœleste horreum præparatur, exemplis sanctorum, ut perseveret, undique munitur.* Populus a Deo electus comparatur tritico, Matth. 13. 30. *Triticum*, inquit, (id est electos) *congregate in horreum meum* cœleste. Synagoga ergo continens Iudæos sanctos et electos, est quasi acervus tritici. Audi Philonem Carpat. Acervus tritici est multitudo, sive cœtus Ecclesiæ; quia sicut ex multis granis unus cumulus coacervatur, ita et ex multis populis una omnium fidelium Ecclesia copulatur, unus et idem fide Christi populus; communione unius Baptismatis, et Sacramenti corporis et sanguinis Iesu Christi cogitur, etc. Sed hic primum liliis sepiri et constipari debet, id est in odoratissimis atque frugiferis virtutum actionibus castissimisque colloquiis exerceri, mox ad cœlestem illam patriam fructus aliquid incorrupti deferre secum, ut unicuique detur de fructibus manuum suarum, sinumque refertum virtutibus gerat.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

VENTER mysticus animæ sanctæ est mens in se continens triticum, id est, sanctam doctrinam, qua se et alios enutriat in omni virtute; ideoque vallatur liliis puritatis et castitatis suave fragrantibus. Ita Theodoretus et tres Anonymi. Audi Honorium: *Venter animæ est memoria, in qua recondit cibos sacræ Scripturæ, quæ similis est acervo tritici; quia sicut in acervo grana cumulantur, ita et in memoria multæ sententiæ et imaginationes coacervantur, quæ liliis vallantur, quia mundis cogitationibus stipantur.*

Denique venter, id est, mens sanctorum est acervus tritici, id est, officina et congeries iustitiæ, beneficentiæ, omnisque virtutis.

Symbol. ventre significatur quarta acies coniugatorum.

Symbolice, Honorius censet hic in eburis castrorum Synagogæ per ventrem notari quartam aciem coniugatorum, qui ventre ad prolium generationem utuntur, sed tritico eleemosynarum abundant; hi vallantur liliis castitatis: hi ergo sunt coniugati fœcundi, æque ac sancti, de quibus Psaltes: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Ps. 127. 3. Iudæi enim fœcundi sunt, at fœcundi erunt in fine mundi, ut filios generent Christo lucrendos cælo. Hinc tanta in tot regnis per totum orbem sparsa videmus Iudæorum examina. Quocirca Gislerius apposite censet hunc sensum ad litteram esse primum et primarium.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

VENTER B. Virginis fuit acervus tritici, id est Christi, qui cibus et panis est Christianorum, vallatus liliis, id est, stipatus virginibus, ait Honorius. Hinc de ea dicitur: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui,* Lucæ 1. et: *Beatus venter qui te portavit.* Hic ergo, ait Guilielmus, est *sicut acervus tritici, quia prole distentus et tumidus; sed tamen vallatus liliis, quia perpetuæ virginitatis inanitate, sed veritatis plenitudine tumidus.* Audi S. Ambros. de Instit. Virgin. cap. 14. *In virginis utero simul acervus tritici, et lilii floris gratia germinabat quoniam et granum tritici generabat et lilium. Granum tritici secundum quod scriptum est: Amen, amen, dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum. Et convalles abundabunt frumento. Quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua cælestium munerum esca saturavit. Consummatum est illud prophetici oris eloquium, dicente eodem David: Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. In hoc grano esse etiam lilium divina testantur oracula, quia scriptum est: Ego sum flos campi et lilium convallium, sicut lilium in medio spinarum. Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorum.*

Secundo, Rupertus: « Venter tuus, inquit, sicut acervus tritici, quod videlicet triticum prudenter congregasti meditando in Scripturis, sicut dictum est quodam loco: Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Huiusmodi acervus bene est vallatus liliis, quia profecto pulchritudo castitatis sicut claritudinem sensus ad intelligendum Scripturas efficit, ita et auctoritatem parat omni homini ut dignus sit foris eloqui ea quæ intus reponit, vel contulit verba Dei quasi triticum Domini. »

Membra mystica B. Virginis.

Audi Christum apparentem S. Birgittæ, eique singula B. Virginis membra mystice describentem lib. 5. Revel. eius in fine Interrogationis decimæ: « Venter tuus, o beata virgo, fuit mundissimus sicut ebur, et sicut locus ex virtuosis lapidibus splendidissimus: quia constantia conscientiæ tuæ numquam tepuit, sed nec in tribulationibus potuit vitiari. Huius itaque ventris, id est, fidei tuæ parietes fuerunt quasi aurum fulgentissimum, in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum, et prudentia tua, et iustitia, et temperantia cum perfecta perseverantia, quia ipsæ omnes virtutes tuæ perfectæ fuerunt divina charitate. »

VERS. 3. DUO UBERA TUA, SICUT DUO HINNULI GEMELLI CAPREÆ.

DUO UBERA TUA, SICUT DUO HINNULI GEMELLI CAPREÆ.) Repetitur in Synagoga Iudæorum, quod dictum est de Ecclesia Gentium, cap. 4. v. 5. ubi hæc explicui. Chaldæus vertit: *Salvatores tui, qui te redempturi sunt, similes sunt Moysi et Aaron filiis Iochabed, qui comparantur duobus hinnulis gemellis capreæ.*

Honorius per ubera censet in eburis castrorum Synagogæ quintam eiusdem aciem, scilicet doctorum, denotari. Idem Tropol. « Duo ubera animæ, inquit, sunt sapientia et scientia quibus lactat insipientes et inscios, quæ sunt sicut hinnuli capreæ, qui semper alta petunt, dum ad alta virtutum scandere nituntur; duo gemelli sunt, dum in gemina dilectione cælestia petunt. Hinnulum capreæ dixit ad distinctionem hinnuli cervorum, qui velociter currit, sed non ut ista alta petat. »

Philo per duo ubera accipit religiosos et laicos, et analog. duplicem beatitudinem sanctorum in cælis, scilicet gloriam animæ et corporis.

VERS. 4. COLLUM TUUM SICUT TURRIS EBURNEA. OCULI TUI SICUT PISCINÆ IN HESEBON, QUÆ SUNT IN PORTA FILIÆ MULTITUDINIS. NASUS TUUS, SICUT TURRIS LIBANI, QUÆ RESPICIT CONTRA DAMASCUM.

FIUNT a principibus subinde ad magnificentiam parvæ turres eburneæ affabre elaboratæ, sicut Salomon thronum suum augustum, ut dicitur 2. Paral. 9. 17. fecit ex ebore, imo Achab domum integram ex ebore ædificavit, ut habetur 3 Reg. 22. 39. Adeo enim magni vastique sunt dentes elephantis, ut nonnulli duodecim palmorum, imo decem pedum mensuram excedant. Quocirca ex eis postes in domibus et stabulis fiunt, ait Plinius, qui proinde illos cornua potius quam dentes nuncupat. Atque hæc longævitatis elephanti est caussa, quod scilicet vastis validisque dentibus cibum plane commolat et in farinam redigat, itaque eum optime digerat, digestumque in substantiam suam convertat: quodque diu, scilicet biennio, matris utero gestetur, ut fortis validusque nascatur. Vide Aldrovandum in Elephante, p. 42. 3. et seq.

Elephas longævus, cur?

Repetit in Synagoga Iudæorum quod dixit de Ecclesia Gentium cap. 44. (vide ibi dicta) utrique enim dat collum turritum; sed hic addit quod sit eburneum. Collum turritum significat invictum Synagogæ robur, quo se instar turris generose eriget contra omnes tentationes et persecutiones Antichristi. Item Pontifices, doctores et præsules, qui eidem heroice resistent. Huc facit versio Chaldæi: « Iudex quoque tuus, qui iudicat iudicium tuum, fortis est super populum, ut alliget eos, et ut trahat eos qui condemnantur in iudicio ad carcerem; sicut Salomon rex qui fecit turrim eburneam, et subiecit populum domus Israel, et convertit eos ad dominatorem sæculi. »

Ebur notat elephantinam (elephas enim ferarum et animalium castissimus est) castitatem, puritatem et munditiem, qua pollebunt Iudæi in fine mundi, Apocal. 14. 4. et seq. præsertim doctores et præsules. Ebur enim candidum est, politum, nitidum, teres, rectum, æquabile, firmum. Talis pariter erit virtus et fortitudo Iudæorum: porro quam castus sit elephas, colligit ex indiciis quæ dat Aristot. l. 5. de Hist. anim. c. 14. ubi docet elephantem continuo per triennium manere cœlibem, ac post triennium finito iam fœminæ partu, illi obiter prolis dumtaxat generandæ causa misceri: *Elephas*, inquit, *coitum, triennio interposito, repetit: Quam gravidam reddit, eamdem præterea tangere numquam patitur. Uterum biennio gerit;*

Elephantis mira castitas

parit singulos, fœtum magnitudinis bimestris aut trimestris vituli edit. Caussam dat lib. 9. cap. 49. *Elephas,* inquit, *omnium ferarum mitissimus et placidissimus est; quippe qui per multa officia et erudiatur et intelligat; quando etiam regem adorare condiscit: valet sensu, et reliqua sagacitate ingenii excellit: quam impleverit coitu, eam rursus non tangit. Vivere elephantes mares alii ducentos, alii centum et viginti annos aiunt; fœminas etiam fere totidem; sed florere ætate circa sexagesimum narrant.*

Castitas elephantem facit longævum.

Causa ergo cur elephas sit castus est eius mansuetudo, sagacitas et amor longævæ vitæ; castitas enim vitam prolongat, quam libido abbreviat. Idem lib. 2. c. 1. *Elephas,* inquit, *testes non foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet, quocirca initum celerius agit.* Idem lib. 5. c. 2. *Elephantes,* ait, *coituri solitudines petunt, sed præcipue secus flumina;* adeo pudet eos actus venerei, ut eum flumine abluant. Audi Plinium l. 8. c. 5. *Elephantes,* inquit, *pudore numquam nisi in abdito coeunt, mas quinquennis, fœmina decennis, initur autem biennio quinis (ut ferunt) cuiusque anni diebus, nec amplius, sexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen; nec adulteria novere, nullaque propter fœminas inter se prælia, cæteris animalibus pernicialia.* Atque ex tanta castitate tantum est robur elephanti, ut etiam turres et in iis militum acies dorso vectet. Addit ex Æliano Aldrovandus in Elephante pag. 44. 1. Elephantem adeo homines adulteros et adulteras odisse, ut de eis pœnas sumat, eosque occidat, cuius vindictæ plura ibidem recenset exempla. Adiungit Angelomus, 3. Reg. 10. *Elephas,* ait, *temperanter miscetur fœminæ suæ, et secunda non utitur.* Et Beda in illud Psal. 44. v. 9. *A domibus eburneis:* Domus eburnea, inquit, est cor innocentissimum et castissimum. In ebore est candor, et per candorem designatur innocentia. Elephas enim, cuius est ebur, castissimus est; quia non cognoscit nisi unam uxorem, et illam temperatissime atque ea mortua numquam aliam cognoscit.

Elephas infestus adulteris.

Audi S. Greg. *Collum sponsæ sicut turris eburnea dicitur, quia prædicatores Ecclesiæ et alti per contemplationem, et fortes per sanctorum operum exercitationem, et pretiosi per divinam sapientiam habentur.* Similia habent Cassiod. Beda, Anselm. et alii. Et Angelom. in lib. 3. c. 10. ad illa: *Deferebantur Salomoni dentes elephantorum. Collum tuum sicut turris eburnea, hoc est,* inquit, *Doctores tui fortes sunt propter nitorem sapientiæ.* Philo Carpath. vero per collum accipit Sacerdotes: *Ut enim collum,* inquit, *capiti proximum est atque coniunctum, sic veri ministri Dei sacratissimo corpori, ac sanguini Iesu Christi sanctissime ac proxime adhærent, eorumque ipsius collum maxime eburneum, quoties pura conscientia, et sincera animæ charitate, divina ipsa mysteria immaculate celebrant, atque contrectant: quemadmodum supra pyxis eburnea dicebantur, qui sordes animi nullas admittunt, sed honestissima vita ac moribus divinissimis Sacramentis immaculatissime ministrant.* Sic ille. Aponius accipit martyres, qui collum pro fide subiecere gladio, et post mortem velut ebur refulserunt.

Symbol. Turris eburnea sunt religiosi.

Symbolice, Honorius: « Sextus, inquit, ordo (in choris castrorum Synagogæ) est religiosorum, qui per collum exprimuntur, de quibus subditur: collum tuum sicut, etc. hoc est spirituales, qui Sunamitem Christo verbis et exemplis iungunt, ut collum caput et corpus coniungit, sunt sicut turris eburnea, id est sicut elephas, in virtutibus inexpugnabiles. Solent elephanti turres portare, de quibus pugnatur, sicut in libro Machabæorum legitur: Sic spirituales viri sacram Scripturam quasi firmam turrim portant, ex qua contra hostes regni Dei pugnant. Sed per ebur castitas illorum intelligitur, sicut illud animal castæ esse naturæ perhibetur. »

Huc accedit Alcazar, qui hæc omnia tribuit religiosis, præsertim pro Christo et fide certantibus, et in fine mundi certaturis contra Antichristum. Hi enim collum erigent contra perfidiam, collum autem symbolum est libertatis Christianæ: licet enim religiosi collum iugo Christi et obedientiæ submittant, tamen submissio hæc parit in eis ingentes animos ac libertatem, qua omnia mundana despiciant, nullos tyrannos timeant, sed solam Dei offensam: quare pro Deo libentes collum gladio, si opus sit, subiiciunt.

Rursum, Guilielmus: Caput, inquit, est ratio speculativa, quæ æternorum contemplationi intendit. Membra capiti subiecta sunt appetitus sensuales, qui a ratione reguntur. Medium inter caput et membra, ac utraque coniungens est collum, id est ratio practica quæ actioni rectæ intendit eamque dirigit. Hæc similis est turri eburneæ, ex priscorum patrum exemplis per imitationem exstructæ. Ebur enim os elephantorum est: et hi omnes ut Abraham, Moses, David, etc. Magni quidam, casti fortesque elephanti fuerunt.

Et B. Virgo

Denique Rupertus, hæc adaptans B. Virgini, per collum accipit eius humilitatem, quæ ipsam effecit instar turris eburneæ, fortissimam æque ac pulcherrimam: « Quid, ait, vel quale est collum tuum? utique non extensum, imo amabiliter demissum; et hæc est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Vere sicut turris eburnea, quæ et aspectu amabilis et statura sit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: diabolo autem terribilis et inaccessibilis. Quomodo ipsi Deo fortis? nimirum sicut ex istis comprobatur exemplis: quia si contra Deum fortis fuisti (ait ipse ad patrem suum fidelem Iacob) quanto magis contra homines prævalebis? » Gen. 32. 28. Addit Guilielmus: « Si per eburneam turrim exempla sanctorum illorum, Abrahæ, Isaac, Iacob, Davidis et cæterorum significantur, sane Deiparam verissime talem vocari, quæ multo sublimius cæteris, ex ebore illo antiquo turrim fortitudinis cunctis hostibus tremendam extruxit: quippe antiquorum virtutes in suis moribus non modo perfecte expressit, verum etiam in eisdem virtutibus super excellenti gratia modum antiquorum longe excessit, vicitque singulos non tantum in aliis, sed et in præcipuis eorum: Abraham in obedientia, Mosem in mansuetudine, David in humilitate, etc. »

Subtilius Hailgrinus: B. Virgo, inquit, est *turris,* ad quam in omni periculo confugiunt miseri; *Eburnea,* ob candorem castitatis et firmitatis constantiam: et quia ebur est dens elephantis, cui iuge est bellum cum dracone: sicut B. Virgo vetus ab origine mundi bellum serpenti antiquo ex Dei prædestinatione indixit, Genesis 3. 15.

Audi Christum Dominum, collum B. Virginis mystice describentem S. Birgittæ lib. 5. Revelat. in fine Interrog. 890. « Collum tuum est nobiliter erectum et pulcherrime elevatum, quia intentio animæ tuæ plene est erecta ad me, et secundum velle meum mobilis, quia numquam inclinata fuit ad aliquod malum superbiæ: sicut enim collum curvatur in capite, sic omnis intentio et operatio tua flectebatur ad voluntatem meam. »

OCULI TUI SICUT PISCINÆ (S. Ambrosius, *stagna,* scilicet ex aquis scaturientibus et vivis) IN HESEBON, QUÆ SUNT IN PORTA FILIÆ MULTITUDINIS.) Pagnin. *filiæ nobilium;* רבים *Rabbim* enim et multos, et nobiles, principesque significat. Syrus: *ad portam multorum.* Perperam Lyran. et Rabbini per Hesebon accipiunt Ierusalem: hanc enim dici Hesebon, id est æstimationem; quod urbs esset summæ dignitatis et æstimationis: *Hesebon,* inquit Adrichom. in descript. terræ sanctæ, pag. 127. num. 34. *fuit urbs gloriosa et insignis et munita valde, sita in montibus, cincta muris cocti lateris, cui tamquam dominæ maximus pagorum numerus serviebat; quæ cum fuisset ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli iure possessa est, inque ea Seon habitabat rex Amorrhæorum, quo cum populo suo ab Israeliticis occiso, urbs hæc a filiis Ruben est reædificata et data Levitis, contra quam prophetaverunt Isaias et Ieremias in visione Moab: ætate S. Hieronymi vocabatur Esbus, distans a Iordane viginti milliaribus.*

Hesebon quæ et qualis.

Addit Adrichom. num. 32. iuxta portam Hesebon fuisse insignes piscinas, seu stagna et fontes aquarum, ad quos alludit Hebr. עינים *Enaim:* hæc enim vox et oculos et fontes significat; quod enim sunt oculi in capite, hoc sunt fontes in terra. Rursum sicut piscinarum sive stagnorum

laus est, ait Delrio, si liquido humore abundent, si pelluceant, si speculorum more reddant imaginem intuentis: in oculis primæ laudi respondet copiosus humor aqueus, secundæ vitreus, tertiæ crystallinus: in his tribus tres illas dotes licet reperire: nam et oculi copiose humidi sunt et visionem transmittunt, et longinquam repræsentant. Sensus ergo est, q. d. Oculi tui, o Synagoga, sunt quasi gemini, placidissimi, purissimi, serenissimi, limpidissimique fontes.

Rursum sicut piscinæ cinguntur arboribus, iisque amœno obumbrantur, sic et oculi cinguntur papillis et capillis, atque inter eos emicant vibrantque iucundum lumen, perinde ac ramos arborum piscinis imminentes crystallini aquarum liquores interlucent. Adde: Humor crystallinus oculi similis est piscinæ, quia utriusque origo subtus latenter scaturit, extrema vero superficies quieta, stabilis et serena permanet, adeo ut instar speculi res obiectas repræsentet. Hoc verius est in sponsa, cuius oculi modesti sunt, graves, compositi, constantes: nam oculi inconstantes et gyrovagi indicant animum vel pavidum, vel levem, vel vafrum: piscinæ ergo sive stagna, in quibus aquæ non fluunt, sed consistunt, notant laudantque quietem et serenitatem oculorum. Nam stabilitas ista lumen et splendorem adauget, et indicium est internæ gravitatis, simplicitatis et constantiæ; sicut crebra nictatio palpebrarum, et velox orbium huc illuc motitatio vel organi male affecti, vel animi levis, timidi, fallacis nota reputatur. Ita Delrio.

Oculi modesti indicant modestam mentem.

Porro hæc porta Hesebon vocatur *filiæ multitudinis*, id est porta spectans regionem, in qua erat magna hominum multitudo. Regiones enim delicatæ et elegantes ab Hebræis metaphorice vocantur *filiæ*. Regio hæc erat vel forum; in foro enim magna est hominum multitudo; vel suburbia, et copia pagorum multorum urbi Hesebon subiectorum, uti paulo ante ex Adrichomio dixi.

Porta hæc notat cavitates capitis, in quibus quasi in portis siti sunt orbes oculorum; dicunturque *filiæ multitudinis*, quia intra cavitates hasce capitis multæ sunt cellæ omnium sensuum, tam interiorum, quam exteriorum: multi item spiritus vitales et animales, qui sensibus singulis subserviunt: multæ denique arteriæ, venæ, musculi, nervi, etc. Rursum oculi ipsi hic tacite comparantur portis, quia instar portarum ampli erant et decore aperti. Sic Iuno ab Homero vocatur βοῶπις, id est bovinos magnosque oculos habens. Per symbolum piscinæ ergo significatur triplex oculorum pulchritudo, ait Luysius. Primo, eorum amplitudo, id est iusta et decens magnitudo; deinde serenitas, ex quo existit lumen et splendor. Postremo quies tanquam stabilitas, quæ cum ipsa in oculis gravitatis est et decoris plena; tum certa constantiæ animi atque simplicis est indicium. Nam quorum crebro palpebræ atque oculi magna celeritate moventur, aut timidi sunt, aut omnino vafri atque fallaces.

Symbol. piscinæ triplex oculorum pulchritudo significatur.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Oculi Synagogæ qui sunt.

Oculi Synagogæ conversæ ad Christum sunt eius sapientia et prudentia, sive sincera fides et cognitio, purusque et clarus intellectus tam speculativus quam practicus; item sanctæ cogitationes, ait Theodor. et S. Ambrosius in Psal. 118. ser. 16. ac pura intentio soli Deo placendi. Hinc *Hesebon* Hebr. idem est quod cogitatio, ut vertit Aquila, vel ut Pagnin. idem est quod *festinatio intelligendi* a חוש *chas*, id est festinavit, et בן *ban*, id est intellexit. Vide dicta cap. 4. 4. et cap. 4. 15. Sicut enim ibi oculos Ecclesiæ comparavit columbis, sic hic oculos Synagogæ comparat piscinis. Unde R. Salomon asserit Hebræos et Thalmudicos ברכות *berachot*, quod Noster vertit piscinas, usurpare pro *oculis*.

Rursum oculi Synagogæ in fine mundi erunt Episcopi, Prophetæ et Rabbini sive doctores, ait Cassiodor. Iustus et Anselm. qui filiam multitudinis, id est, congregationem populi Iudaici, Christi fidem et viam docebunt, regent, et dirigent in viam salutis: sapientia enim instar fontis et oculi resplendet in doctore: ipsa enim est, *speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius*, Sap. 26. Hinc Honorius per oculos accipit in choris castrorum Synagogæ septimum ordinem; sive aciem, quæ, inquit, est prælatorum.

Huc facit versio Chaldæi: *Scribæ* (doctores) *tui pleni sunt sapientia sicut piscina aquarum, et sciunt constituere rationes embolismorum, et annos intercalant, et signant principia annorum et mensium in porta domus Concilii magni.* Hinc Cosmas Damianus per oculos accipit Episcopos, eorumque perspicaciam ad contemplanda divina, ac providentiam ad gubernandum oves sibi creditas: hi enim gemini mentis oculi sunt quasi geminæ piscinæ quæ iuxta portam Hesebonis urbis olim populosissimæ, quasi in facie eius sitæ, ingentem saluberrimarum aquarum vim, ex montibus Galaad perpetuo manantium, continentes, innumeratæ multitudini magno erant usui, et admirandas præstabant utilitates.

Porro in τὸ *filiæ multitudinis*, pro quo Hebr. est בת רבים *bat rabbim*, id est, *filia*, hoc est, urbs *multorum* incolarum, videtur aliud latere mysterium et oraculum conversionis Arabum. Nam *bath rabbim*, sive Rabba, erat urbs magna, potens et populosa, ideoque Metropolis Ammonitarum, quam primo expugnavit Og rex Basan, deinde David per Ioab ducem 2. Reg. 11. 12. Denique Ptolomæus Philadelphus post Alexandrum secundus Ægypti rex, a quo Philadelphia est nuncupata, eratque vicina urbi Hesebon. Unde Ierem. cap. 49. 3. in clade Chaldæorum utramque coniungit dicens: *Ululu Hesebon, quoniam vastata est Hay, clamate filii Rabbath.* Sensus ergo est, q. d. Oculi tui, o Synagoga, similes sunt piscinis sitis ad portam Hesebon, quæ respicit Philadelphiam, sive per quam itur Philadelphiam. Ita Delrio, et Vatabl. Sic Romæ porta una vocatur Tyburtina, qua itur Tybur, alia Tusculana, qua itur Tusculum, alia Prænestina, qua itur Præneste, etc. Indicat ergo Salomon oculos, id est, Episcopos Ierusalem et Iudææ in fine mundi respecturos ad vicinam Arabiam felicem, cuius primaria urbs est Philadelphia, ut eam ad Christum convertant, sicut olim eamdem converterunt. Unde Ecclesia Philadelphensis olim suberat Patriarchæ Hierosolymitano. Idem fiet in fine mundi, cum Elias et Iudææ Episcopi ibunt vel mittent prædicatores in Arabiam cæterasque vicinas regiones, ut eas a Mahometo (Mahomet enim fuit Arabs, et dux Arabum) et ab Antichristo ad Christum traducant. Hoc videtur innuere hic Spiritus sanctus per τὸ *bath rabbim*, sive *Rabba*, id est, Philadelphia, quæ perinde ut piscinæ Hesebon dicta est, *urbs aquarum* 2. Reg. 11. et seq. eo quod torrens Iaboc eam circumfluat, ait Adrichomius. Arabiæ felicis ergo præ aliis meminit hic Salomon, tum quia ipsa contermina est Iudææ, tum quia thuris, quod Deo adoletur, myrrhæ, aloes, casiæ, amomi, cinnamomi, nardi, cardamomi, piperis, ac omnis generis aromatum est feracissima, adeo ut ibi non alia ligni genera in usu sint, quam odorata, ait Plinius. Abundat quoque auro, argento, adamantibus, gemmis, margaritis. Nutrit leones, pardos, equos, mulos, camelorum et elephantorum greges. Fertur denique sola Arabia felix Phœnicem avium reginam alere: tum quia tres magi et reges, primi ex omnibus provinciis, ex hac Arabia ad Christum adorandum, duce stella, venere Ierusalem, iuxta illud Psal. 71. *Reges Arabum et Saba dona adducent*, scilicet aurum, thus, et myrrham, quæ puero Iesu obtulerunt, Matth. 2 Denique S. Paulus ad Christum conversus illico in hanc Arabiam abiit, ibique per triennium prædicavit tanto fructu, ut unica illius urbs Beccara, quæ Archiepiscopalis sedes erat, Episcopatus sub se habuerit 35. teste Wilhelmo Tyrio in bello sacro, et ex eo Adrichom. in Arabia.

Arabum in fine mundi conversio.

Arabiæ felicis fertilitas.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Meditatio est piscina. I. Animæ sanctæ bini oculi sunt meditatio et contemplatio: hæ similes sunt piscinis: primo, quia sicut in piscinis aluntur pisces; sic in meditatione nutriuntur piæ mentis affectiones et desideria.

II. Secundo, sicut piscinæ sunt limpidæ, reddontque imaginem intuentis; sic anima in meditatione fit speculum recipiens Dei similitudinem, eiusque imaginem in se repræsentans.

III. Tertio, sicut piscinæ largas emittunt aquas; sic oculi defluunt et depluunt lacrymas devotionis et compunctionis, uti patet in Davide dicente Psal. 6. 7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hebr. אמסה *amse*, id est, liquescere et quasi natare faciam, q. d. Tam copiosas fundam lacrymas, ut iis quasi liquescat et innatet lectus. Et Ieremias: *Ideirco, ait, ego plorans, et oculus meus deducens aquas.* Thren. 1. 16. Audi S. Gregor. *Hesebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo sponsæ sicut piscinæ in Hesebon dicuntur, quia dum de peregrinatione sua contristantur, et mœrore corroborati contra spiritales hostes accinguntur, lacrymis se lavant, ut per eas populi convenienter coram Deo mundentur.*

Sic et Rupert. Beda, et S. Thomas. Audi Aponium: In oculis Hesebon illi videntur ostensi, qui pro suis vel alienis criminibus fontes proferunt lacrymarum. Et Hugo Victor. Annot. in Ioelem: Piscinæ Hesebon, ait, sunt diversa genera compunctionis. Oculi ergo sponsæ sunt piscinæ in Hesebon, quia inde magis magisque clarificantur, unde in piscinis hisce frequentibus lavantur. Sic Iudæi in fine mundi de sua perfidia tam longa compuncti, imbres lacrymarum effundent quasi piscinæ Hesebonis.

IV. Quarto, sicut piscinæ hæ erant iuxta portam filiæ multitudinis; sic meditatio et contemplatio sunt iuxta portas paradisi, ubi est innumera multitudo filiorum Dei, puta sanctorum et beatorum.

V. Quinto, sicut in piscinis aqua est stagnans, ideoque quieta et stabilis; sic meditatio animæ motus componit, facitque stabiles et quietos. Hæ sunt aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, Isaiæ c. 8. v. 6.

VI. Sexto, sicut piscinæ copiosam fundunt aquam; sic meditatio copiosos dat conceptus et affectus, quos in multitudinem quantumvis amplam effundamus.

VII. Septimo, hæ piscinæ sunt in Hesebon; Hesebon Hebr. idem est, quod cogitatio, ruminatio, computatio, supputatio, æstimatio, quia vis et fructus meditationis consistit in profunda et seria ruminatione, æstimatione et ponderatione mysteriorum fidei. Ideo enim multi fideles, licet credant cæli præmia et gehennæ tormenta, iis tamen non moventur ad abstinendum a peccatis, et ad observandum Dei leges, quia illa pro sui gravitate non expendunt, non ruminant, non ponderant. Quis enim auderet furari, fornicari, occidere, si serio et profunde perpenderet et ponderaret æterna gehennæ incendia, quæ certissime sibi accersit? Vide Bernard. in lib. de Considerat. Hinc Hebræi opus *machaschebot*, quod idem est radicaliter cum *chesbon* sive *hesebon*, id est, *cogitationis*, vocant opus artificiosum, arduum, et ingeniosum; quod multa cogitatione et meditatione indiget, quale est opus phrygionicum: sic opera bona, quæ ex meditatione profunda proficiscuntur, sunt elaborata, exacta, eximia, heroica.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

I. Primo Rupert. B. Virginis oculi, inquit, erant velut piscinæ ob compunctionem et lacrymas, quas pro Ecclesia et fidelium miseriis fundebat. Hinc anagogice idem Rupertus per duos oculos similes duabus piscinis, accipit irriguum superius et inferius, quod Axa petiit a patre Caleb, Iudic. 1. « Irriguum enim superius, inquit, accipit anima, cum se in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit: Irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Igitur in his verbis: Oculi tui, etc. Sensus mysticus est, ac si diceret: Oculi tui præ amore vel desiderio dilecti, quo langues et compungeris, fluunt lacrymis, et istæ lacrymæ piscinæ sunt in Hesebon, id est, aquæ manantes cingulo mœroris: ista compunctio terra est irrigua aquis, principium quoddam æternæ dulcedinis et hæreditatis: sicut illa Hesebon et terra trans Iordanem prima fuit possessio terræ promissionis illi filiæ multitudinis, scilicet plebi Israeliticæ, cuius multitudine non pauciores sunt, qui ascenderunt vel ascendunt, ut repromissionem accipiant æternæ hæreditatis. »

Secundo, Alanus: Oculi Virginis dicuntur vita contemplativa et activa: in activa videt quid agendum, in contemplativa quid diligendum. Comparantur istæ piscinis, quia Virginem spirituali refectione satiant, et a macula peccati liberant. Hæ sunt in Hesebon, id est, in cingulo mœroris, pro diuturnitate laboris et miseriæ, et quantum ad contemplativam pro dilatione patriæ; quæ piscinæ sunt in Ecclesia, hoc est, in porta filiæ multitudinis. II.

Tertio, Guilielmus: B. Virgo, ait, similis erat Cherubinis, qui in circuitu et intus pleni sunt oculis, Ezech. 1. 18. « Plena enim erat ipsa oculis providentiæ, sine intermissione providendo bono, non tantum coram Deo, sed coram hominibus omnibus. Plane hos oculos eius nullus unquam vel tenuis carnalis illecebræ pulvis fuscavit: nullus vel modicus æmulationis, sive iracundiæ motus turbavit, sed ad instar aquæ vivæ puri semper atque perlucidi fuere; quia nihil in se turbulentum, sive pulverulentum habebant, sed quamdam aquæ vivæ, id est, cœlestis gratiæ similitudinem exprimebant. » III.

Audi Christum oculos B. Virginis S. Birgittæ depingentem l. 5. revel. in fine Interrog. 9. *Oculi tui fuerunt in conspectu Patris mei sic lucidi, quod se speculabatur in eis, quia in spirituali visu tuo et intellectu animæ tuæ videbat Pater omnem voluntatem tuam, quod nihil volebas nisi ipsum, et nihil desiderabas nisi secundum ipsum.*

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum) Hebr. צופה *tsophe*, id est, *speculans faciem Damasci*. Ita Pagnin. Septuag. *Prospiciens faciem Damasci.*

Turris Libani, ait Adrichomius in descript. terræ sanctæ pag. 100. num. 98. erat turris, quam Salomon in monte Libano (ibi enim eum ædificasse patet 3. Reg. 9. 19. et 2. Paralip. 8. 6) prope Damascum construxit tanta celsitudine, ut inde domus Damasci numerari possent; tanta vero pulchritudine, ut nasus sponsæ illi comparetur. Turris hæc erat loco speculæ, ut ex ea Syrorum, qui Iudæam crebris excursionibus infestabant, adventum, insidias, et conatus prospicere, et Iudæis, dato ignis vel tubæ signo, prænuntiare possent, ut vel fugam, vel arma ad iis occurrendum pararent. Damascus enim erat caput Syriæ, ut ait Isaias c. 7. 8. Turris Libani quæ.

Pro *nasus*, Hebr. est אף *aph*, quod tam faciem quam nasum significat. Unde nonnulli cum Vatablo, et Pagnino vertunt: *Facies tua sicut turris Libani;* quia facies sponsæ rotunda erat, alta et elevata instar turris, ut eminus sua prospiceret. Noster tamen, Septuag. Pagnin. et Hebræi vertunt *nasus.*

Quæres, quomodo nasus sponsæ comparetur turri? videtur enim prima facie hæc enormis, inconcinna et indecora hyperbole. Nonnulli per nasum accipiunt monile ad instar turris Libani efformatum quod e fronte ad nares more orientalium dependebat, illasque ornabat. Hoc enim ornamento priscos nasum decorasse docet S. Hieron. in Ezech. 16. 12. ad illa: *Dedi inaurem super os tuum.* Nasus sponsæ ut turris. 1.

Rursum noster Sanchez censet nasum comparari turri Libani: quia, inquit, hæc eminus spectata parva ob distantiam videbatur, ac habere speciem nasi. Sic rupes iuxta Surrentum vocantur capreæ, teste Plinio lib. 3. cap. 6. quia eminus aspicientibus formam capreæ repræsentant. 2

Et quæ Scylla dicitur, saxum est in Sicilia; quæ Niobe, saxum est in Sypilo; quia Scyllæ et Niobes similitudinem intuentibus obiiciunt.

3. Genuine. Verum hic nasus comparatur turri non tantum quoad speciem et apparentiam, sed quoad veritatem et rem ipsam.

Dico ergo Salomonem in Cantico hoc bucolico, sponsæ membra more Hebræo assimilare rebus ruralibus: sic v. præcedenti oculos sponsæ assimilavit piscinis Hesebon, et v. 5. caput eius assimilat Carmelo: sic hic nasum comparat turri Libani, non quoad magnitudinem, vel altitudinem: quis enim licet gigas et Polyphemus, habeat nasum tam longum, quam alta est turris?

Similitudo nasi et turris. I. Sed primo quoad proportionem, quia quantum e Libano monte eminet hæc eius turris, tantum proportionaliter nasus sponsæ eminet e pectore, cæterisque membris illi subiectis. Rursum sicut magna e Libano exsurgit turris: sic magnus proportionaliter e facie sponsæ exsurgebat nasus.

Magnus nasi index magni iudicii et animi. Indicat ergo sponsam magnum habere nasum, sed decentem et proportionatum faciei. Magnus enim nasus signum est magnæ crisis, prudentiæ, iudicii, discretionis, æque ac celsi fortisque animi. Unde illud Martialis.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Et:

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus:

Et Horatius:

Naso suspendis adunco.

Unde Plinius libr. 11. cap. 37. docet novos mores subdolæ irrisioni nasum dicavisse. Græci mycterismum vocant: μυκτὴρ enim est nasus, sicque vertunt hic Septuag. Hinc nasuti vox, ait Festus, sagacem notat, quod cuiusque rei odorem statim exploret, et prius sentiat quam inspexit. Unde S. Hieron. epist. 100 scribens ad Bonasum nimis nasutum, æque ac nasutum salse perstringens nimiam eius crisim et dicacitatem: *Dabo*, ait, *consilium, quibus absconditis possis pulchrior apparere. Nasus non videatur in facie, sermo non sonet ad loquendum; atque ita et formosus et disertus videri poteris.*

II. Secundo, nasus sponsæ similis est turri Libani comparative, quoad summam et celsissimam turris partem, quia sicut eminebat omnibus vicini Libani arboribus; supra illas enim prospiciebat, et despiciebat mœnia domosque Damasci; sic pariter nasus sponsæ eminet toto corpore omnibusque eius partibus, ac supra eas eminus venientia prospicit et despicit, vel dispicit. Adde in turribus superne sæpe extare, et foras prominere fenestellas, vel domunculas instar nasi tectas, ad hoc factas, ut ex iis liberior sit in omnem partem excubitorum prospectus, quæ plane speciem habent nasi: sunt enim in culmine quasi in capite turris, ac sub eius fronte declivi descensu instar nasi prominent, ut turris nasata vel nasuta esse videatur. Imo Romæ in columna Traiani et altera Antonini Imper. videmus superne peribola, vel mœniana cancellis circumdata, per quæ tota columna circumiri potest, ut in omnem plagam liberrime prospicere liceat.

III. Tertio, in colore; sicut enim turris candida elucebat inter virides arbores ramosque Libani: sic nasus sponsæ candidus inter crines flavos suum candorem ostentat.

IV. Quarto, in officio speculandi: Nasus enim a superciliorum confinio oriens, et quasi æquali porrectus iugo, utramque oculorum aciem simul et discernit et munit. Unde Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Nasus*, ait, *ita locatus est ut quasi murus oculis interiectus esse videatur.* Pari modo turris Libani excubitores, ex ea prospicientes Syrorum adventum, contra eorum vim et insidias muniebat et protegebat; excubitores enim sunt quasi oculi civitatis et civium, qui despiciunt, eos qui veniunt, an sint amici vel inimici.

Nasi officia. Porro nasi duo sunt officia, primum ut per eum respiremus, secundo, ut per eum odoremur uti docet Arist. l. 1. Histor. anim. cap. 11. Elephanti autem promuscis pro nasu est; illaque ingens et prolixa, quia eidem pro manu servit, qua cibum ori admovet, ait Aristot. Insuper nasus a-

A quilinus magni regiique animi est signum, teste Platone, Arist. et Plutarch. qualem habuit Cyrus primus rex Persarum. Qui vero nasum habent simum, uti habent Delphini, lascivi sunt et petulantes: unde Socrates, qui simo erat naso, a natura se in luxuriam propensum fatebatur, sed se naturam vicisse virtute asserebat, teste Platone in Symposio. Addit Aristot. in Physiognomicis: *qui nasum acutum habent iracundi sunt, referuntur ad canes: qui crassum segnes, referuntur ad boves: qui rotundum et obtusum, magnanimi, referuntur ad leones; sic et qui aquilinum referuntur ad aquilam.* Idem Aristot. lib. 5. de Generat. anim. cap. 2. *Nares*, ait, *longius porrectæ; quales sunt catellorum Laconicorum, valent olfactu.* Signa Physiognomica nasorum

Quinto, in rectitudine; sicut enim turris Libani erat et recta et erecta ad perpendiculum, ut nihil in ea esset tortum vel curvum, sic et nasus sponsæ. V.

Rursum, in gravitate et maiestate; sicut enim turris hæc pavorem iniiciebat Syris latrunculis: sic nasus sponsæ gravis et aquilinus adulteros et impios percellebat, et VI.
B procul a se abigebat.

Porro Chald. per turrim Libani accipiens arcem Sion, Iudaice more suo sic vertit: « Et princeps familiarum domus Iuda similis est Davidi regi, qui ædificavit arcem Sion, quæ vocatur turris Libani; quoniam omnis, qui in ea steterit, potest numerare omnes turres quæ sunt in Damasco. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Nasus Synagogæ in fine mundi convertendæ ad Christum instar turris Libani erit ingens et exacta providentia, prospectio, discretio qua longe odorabitur et prospiciet omnes Damasci, id est, diaboli et Antichristi sanguinem animarum sitientis (*Damascus* enim Hebr. idem est quod *saccus* vel *præda sanguinis*) insidias et conatus, eos- Nasus notat providentiam
C que ingenti fortitudinis et magnanimitatis spiritu eludet et superabit. Magnus enim nasus magnum spiritum attrahit, ideoque magnanimitatis est index: unde Hebr. אף *aph*, id est, nasus significat quoque iram et excandescentiam; hæc enim in naso rubente et fumante ostenditur, ac magnanimitatis est index; unde Luysius Legion. per *aph*, sive nasum accipit excandescentiam ac gravitatem oris, quia oritur ex animo magno et excelso. Et R. Salomon per *aph*, accipit totius faciei gravitatem, quæ maxime relucet in fronte sponsæ. Sicut ergo Iudæi olim ex turri Libani Syrorum e Damasco venientium molimina deprehendebant, eorumque consilia et insidias antevertentes eludebant; sic prorsus Iudæi in fine mundi ad Christum conversi, ac præsertim eorum Episcopi et Prælati omnes Antichristi, pseudoprophetarum, hæreticorum et politicorum simulatos et adulterinos mores, et fictam fidem a veris et germanis Christianorum moribus et fide orthodoxa sagacissime et certissime discernent; tamquam emunctæ et acutæ erunt naris, ut eorum secreta, quæ captant consilia et subdola,
D quæ contra Christianos moliuntur machinamenta, statim subolfaciant, præoccupent, ac irrita reddant. Ita Cosmas Damianus.

Antichristus enim erit omnium hominum vaferrimus, eloquentissimus, scientissimus, potentissimus, nequissimus, adeoque erit os et organum diaboli; quare mille dolos, fraudes et artes concinnabit, quibus Iudæos a Christo avertat, et ad se pelliciat, ut dixi 2. Thessal. 2. et Apocal. 11. et sequent. Quare ingenti naso, id est, sagacitate, fortitudine et animo tunc opus erit Eliæ, Prælatis et Iudæis ab eo conversis, ut artes hasce detegant, discernant, declinent, confutent, dissipent.

Hinc rursum per nasum accipias Eliam et Prælatos, præsertim Pontificem Romanum et Patriarcham Hierosolymitanum, qui pro suis Iudæis acerrime se opponet Antichristo, eiusque fraudes solertissime olfaciet, illasque suis Iudæis patefaciet, ac contra eas ipsos omni studio animabit et armabit; sic Pontifices Romani quasi nasi Ecclesiæ, Nasus erit Elias et Pontifex.

odorati sunt hæreses et technas Arrii, Nestorii, Eutychetis, Pelagii, Priscilliani, Wiclephi, Lutheri, Calvini, easque condemnarant et dissiparunt.

Porro Cassiodor. Beda, Philo, Anselmus cæterique Patres more suo omnia hæc symbola, ut superius dixi, assignant prædicatoribus. Audi S. Gregor. « In naso odoris discretio habetur. Per nasum ergo discretio prædicatorum designatur, quia per eos nobis virtutum odores et vitiorum fœtores demonstrantur. Sed nasus sicut turris Libani existit: quia dum semel prædicatores aqua Baptismatis lavantur et quotidianis lacrymis a peccatis quæ contra Deum commiserunt, dealbantur, digni fiunt ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damascum respicit, quia peccatoribus semper sanctus quilibet prædicator contradicit, Damascus quippe sanguineus interpretatur et peccatrici genti dicitur: Manus tuæ plenæ sunt sanguine. » Hinc Philo Carpath. per nasum Ecclesiæ accipit S. Paulum prædicatorum principem, qui altissime odoratus est divina mysteria, eaque e fœtoribus mundi sagacissime discrevit.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Nasus animæ sanctæ instar turris Libani, est eius providentia, vigilantia, solertia et discretio, qua utilia et noxia eminus prospicit, ac virtutem a vitio, inspirationem Dei a suggestione diaboli, spiritum charitatis a spiritu carnis solerter discernit. Ita Theodor. Sponsæ nasus, ait, celsus est ac sublimis et cœlestem suscipit odoris suavitatem, sponsique unguentum percipiens clamat: *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* Idcirco comparata est turri, quæ in Libano sita est, et respicit Damasci faciem. Nam quia diabolus, ut asserit beatus Paulus, in Angelum lucis transfiguratur, unguentique spiritalis speciem sumit, necessario sponsæ nasus erectus ac vigilans respicit faciem Damasci, ne decepta verum omittens unguentum, fallax et adulterinum sequatur. Et inferius: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci.* Prospicis enim, ne diabolus sub specie rerum divinarum te decipiat, et pro veritate mendacium obtrudat. Hæc Theodor. Et S. Ambros. in Psal. 118. ser. 5. v. 37. *Nares tuæ,* inquit, *sicut turris Libani prospiciens faciem Damasci, eo quod unguentum veri sacerdotis, quod descendit de capite in barbam, hoc est, odor ille divinus, odor gratiæ spiritalis, qui de Patre in Christo erat, et sacramento incarnationis descendit in terras, ut omnia fuso replerentur unguento, emineat, præcelsi potestate iudicii ut nares repleat animæ, ut bene olentia discernat et fœtida; olentia sanctorum qui possunt dicere; Christi enim bonus odor sumus Deo: a fœtidis peccatorum.* Nares deinde comparans turri Libani subiicit: *Hæ sunt nares sicut turris Libani præcelsæ supra mundum, et ideo prospicit faciem Damasci, Gentilem scilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum suorum detergit fœtorem. Facies ergo Damasci fides est Gentium nullo obumbrata amictu, nullo adoperta vestitu, nuda ac libera; cœlo magis intenta, quam terris. Hanc speculantur et prospiciunt nares Ecclesiæ, quod suave in ea et odorum est aspirationis et gratiæ colligentes.* Hactenus S. Ambr.

Quocirca S. Antonius in via perfectionis primas dabat discretioni. Audi S. Bernard. ser. 3. in Circumcis. Domini: *Discretio,* inquit, *mater virtutum est et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc est octava dies, qua circumciditur puer: quia discretio vere circumcidit, ut non plus, nec minus fiat. Nam et qui nimius est fructum boni operis abscindit; non circumcidit, sicut qui tepidus est, si minus facit.* Idem ser. 49. in Cant.

Discretionis elogia.

Discretio, inquit, *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam perpetuitatem. Denique ait, ordinatione tua perseverat dies: diem virtutem appellans. Est ergo et discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum ordinatrixque affectuum et morum doctrix: tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbatione magis convertetur, exterminiumque naturæ.* Idem in Resurrect. Domini ser. 2. *Sed cum uterque aderit, videlicet et compassionis affectus et zelus iustitiæ, necesse est, ut adsit spiritus discretionis, ne forte cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, et indiscretio confundat universa. Habeat itaque mens nostra tertium spiritum discretionis, ut miscens apta temporibus tempora, opportune æmulari et nihilominus ignoscere sciat.* Vide Cassianum tota collat. 2. ubi inter alia ait c. 10. *Vera discretio non nisi vera humilitate conquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, si universa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat, et quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat, etc. nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo iudicio, sed maiorum vivat exemplo.*

Similis est naso et turri.

Porro analogiæ nasi et turris, quas paulo ante recensui, aptime competunt discretioni; hæc enim primo proportionaliter debet esse maior omnibus hominis actibus, I. quia de iis iudicare easque discernere et secernere debet, ut bonum e malo, et e bono id, quod melius est, seligat.

II. Secundo comparative; quia discretio non tantum actibus hominis, sed et cæteris virtutibus emineat oportet, ut eas diiudicet, ut necessariam non necessariæ, utiliorem minus utili, meliorem minus bonæ anteferat. Hæc respicit contra faciem Damasci, id est diaboli animarum sanguinem sitientis, ut eius machinationes, illusiones et conatus odoretur, eludat et irritos reddat.

III. Tertio in candore: quia necesse est, ut pura ab omni affectu impuro, totaque candida sit. Ita Iustus Orgel. « Nasus Ecclesiæ, inquit, illi sunt qui odorem iustitiæ (qui est in Christo) percipientes, ad cordis interna traiiciant. Hi qui in magna virtute consistunt, sicut turris Libani disponuntur. Libanum autem candorem esse iam superius diximus; horum proceritatis candor respicit contra Damascum, quia sapientia eorum, quæ ex Deo est, illuminat mundum. »

IV. Quarto, in officio speculandi; discretio enim sagaciter odoratur latentia vitia vel virtutes. Quocirca assidue respicit contra faciem Damasci, id est contra appetitum carnis et sanguinis, ut quidquid carnem et carnalia olet, illico respuat. Omnis enim fere tentatio hominis oritur a carne et concupiscentia. Nam Damascus Hebræum idem est quod sanguinis saccus, vel potus, vel osculum, vel præda. Discretionis ergo officium est solerter discernere an id, quod ipsi in mentem venit, suggeratur a carne, an a spiritu, ut illud refutet, hoc acceptet.

V. Quinto, in rectitudine: discretio enim debet esse recta, utpote quæ virtutes omnes dirigit et rectas efficit; quare rectissima eius intentio sit oportet, ut non nisi Deum Deique legem, gratiam et gloriam aspectet.

Symbolice Aponius: turris Libani, id est, thuris, inquit, est humanitas Christi, quæ suavissimos virtutum odores, quibus vitiorum fœtores repellamus, naribus mentis nostræ aspirat: « Damascus, ait Aponius, idem est, quod osculum sanguinis, vel potus sanguinis. Cum vero diabolus deceptis hominibus cruenta amicitiarum suarum oscula sanguinis propinaret, vel pocula, fecit sibi Deus omnipotens turrim suavissimi odoris, ubi nullus peccati reperitur fœtor, per carnem assumptam de Virgine Maria, unde respiciendo destrueret diaboli regnum. Unde mihi videntur nasus Ecclesiæ intelligi illi, quibus maior zelus, et ardentior fides in destructionem idololatriæ inest. »

Talem nasum, instar turris Libani, habuit S. Magdalena, id est turrita (*Magdal* enim sive *migdal* Hebræo est *turris*) quæ futura prospiciens pœnituit, præsentia calcavit, Christo se consecravit: ideoque *ob sedulitatem et ardorem fidei, Turritæ nomen accepit, et prima ante Apostolos Christum meruit videre resurgentem,* ait S. Hieron. epist. 16. ad Principiam. Idem epist. 140. ad eamdem sub initium: *Maria Magdalena, ait, plorat ad crucem, unguen-*

to parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nuntiat; illi dubitant, ista confidit. Vere τυρσ... *vere turris candoris et Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem scilicet Salvatoris* (quasi mesec, id est, *procuratoris nostræ salutis*) *ad sacram pœnitentiam provocantem.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

PHYSICE B. Virgo naso fuit maiore. Audi S. Epiphanium apud Nicephor. l. 2. Histor. c. 23. formam et figuram Virginis depingentem: *Nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena, facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior: manus simul et digiti longiores.*

Ethice B. Virgo nasum habuit instar turris, quia summa pollebat prospectione et discretione. Rursum B. Virgo prospiciebat futura in cælis sanctorum gaudia, et in gehenna impiorum tormenta; ideoque omnia prospera et adversa huius mundi spe futurorum bonorum contemnebat, aliosque contemnere docebat. Audi Hailgrinum; nasus iste est discretio Deiparæ, quæ et præsentit diaboli malitiam, et a longe quasi de speculo prævidet, ut sicut turris pro nobis se fortiter opponat; et dicitur sita in Libano, ut ostendatur, quod candore virginitatis suæ, tamquam pede valeat serpentis caput conterere. « Fortis, ait Rupertus, est iste nasus discretionis sicut turris Libani, dum rite spernendo visibilia fortiter resistit, neque frangitur visibilium incommodis, iuxta illud: Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici. Quomodo turris ista respicit contra Damascum? nimirum sensui eius sensum habendo contrarium, iuxta illud: Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. » Addit Rupert. Damascum repræsentare servum captum et naso mutilatum, sicut Iudæa privata est urbe Hierosolyma et templo, quasi naso suo a Romanis; ac proinde illi similem esse hominem qui caret discretione; hic enim adeo deformis est, ac est homo, cui nasus præcisus est. Hoc opprobrium Damasci respiciens anima sapiens, nasum, id est discretionem in omnibus conservat.

Symbol. Symbolice S. Bernard. serm. 4. super *Salve Regina:* « Tu, inquit, Domina nasus es speciosus, ad quam dicit sponsus; nasus tuus sicut turris Libani. Nasus duo habet foramina, per quæ spiritum a capite emittit, ita tu Domina virginitate et humilitate tua de cælo eduxisti filium Dei, spiritum oris nostri, dicente Propheta: Christus Dominus quippe, qui ut spiritus oris nostri charitate calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem movet, fide iustificat. Tu ergo nasus Ecclesiæ similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma gravitate: turris es Libani: Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus significat innocentiam tuam. »

VERS. 5. CAPUT TUUM UT CARMELUS, ET COMÆ CAPITIS TUI, SICUT PURPURA REGIS VINCTA CANALIBUS.

CAPUT TUUM (Hebr. et Septuag. addunt *super te*) UT CARMELUS.) Arabicus: *Caput tuum pingue vel crassum sicut mons Carmeli.* Aben Ezra et Pagnin. *Caput tuum rubrum est, e capillis rufis sicut coccinum.* Sic enim *Carmelus* a Sept. a Nostro vertitur *coccinum* 2. Paralip. 3. v. 13. Melius Laysius Legion. q. d. Sicut Carmelus eminet cæteris Iudææ montibus: sic caput tuum, o sponsa, atque ipsa eminet cæteris fœminis. Carmelus mons est in Phœnicia, vinearum et fructuum omnium fertilitate nobilissimus. Ita Theodor. Alcazar et Gislerius per Carmelum accipiunt coronam et floribus Carmeli, qua sponsæ caput coronabatur. Sic c. 5. 11. Christi caput vocavit aurum optimum, id est, corona ex auro optimo redimitum. Sic sensus est, q. d. *Caput tuum ut Carmelus,* id est belle in caput tuum quadrat ex floribus Carmeli contexta corona, ad repræsentandum scilicet hoc caput Carmelo monti eleganter comparari.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

PER caput Synagogæ multi accipiunt Christum, qui instar Carmeli per gratiam altissimus est, amœnissimus et fertilissimus. Ita Cassiod. Beda, Anselmus et alii. Addit S. Gregor. (quem alii sequuntur) *In Carmelo quippe Elias orans obtinuit pluviam, et nos in Carmelo orantes, pluviam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus et a Patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus.*

Addit Iustus Orgel. in Christo quasi Carmelo iusti habitaculum et sapientiæ percipiunt alimentum. Addit et Pagninus, Carmel idem esse quod agnus circumcisus et occisus, qualis est Christus.

Carmelus notat Eliam. Verum Christus generale est caput et commune tam Ecclesiæ quam Synagogæ; particulare vero caput Synagogæ ad Christum in fine mundi convertendæ erit Elias, qui uti olim in monte Carmeli mira sanctitate, orationis efficacia, familiaritate cum Deo et miraculorum gloria resplenduit, ibique religiosam familiam virorum Deo servientium, qui in libris regum filii prophetarum vocantur, instituit. Unde ab hoc monte religiosi Carmelitæ, quasi Eliæ posteri nomen acceperunt. Sic pariter idem Elias in fine mundi eadem et maiora ibidem faciet, ac religiosos omnis generis in aciem contra Antichristum producet. Ita Alcazar. (Inde Carmelitæ)

Elias ergo comparatur Carmelo: primo, quia in eo ora- 1.
tioni vacans versabatur cum Deo. Secundo, quia illum 2.
montem incolebat, ibique monasteria fundabat, ut Carme-
lum occupasse et possedisse videretur. Unde S. Hieron.
epist. ad Paulinum de Monachis agens: *Noster,* ait, *prin-*
ceps est Elias; noster Dux est Elisæus, nostri duces filii
prophetarum. Tertio, quia Elias hirsutus, comatus et co- 3
ma quasi coronatus incedebat, ut patet 4. Reg. 1. 8. Sicut
mons Carmelus frondibus et ramis arborum comatur et
coronatur. Quarto, quia Elias eminebat cæteris prophetis, 4.
sicut Carmelus eminet cæteris Iudææ montibus. Unde Iu-
dæi etiamnum licet perfidi, hoc habent axioma: *Elias ve-*
niet, ille nobis omnia legis dubia resolvet; ille ostendet no-
bis Messiam; quare illo sub finem mundi redeunte ac osten-
dente Christum a Iudæis occisum fuisse verum Messiam, Iu-
dæi pœnitentiam agent, et in Christum credent. Quinto, quia 5.
sicut Carmelus est amœnissimus et fertilissimus: unde abiit
in proverbium, *ut ager valde fertilis.* Heb. vocatur *Carmel.*
Sic Elias gratia et zelo plenus, ferax erit virtutum et bono-
rum operum, omnesque Iudæos ad Christum convertet, ut
Synagogæ competat illud: *Gloria Libani data est ei, decor*
Carmeli et Saron, Isaiæ 35. 2. Vide ibi dicta. Sexto, mons 6
Carmeli erat quasi arx et asylum contra irruentes hostes:
sic et Elias fidelibus asylum fuit contra Achab, Iezabel et i-
dololatras, talisque erit contra Antichristum et antichristia-
nos in fine mundi. Unde Elisæus ei, dum raperetur in cæ-
lum, succlamabat: *Pater mi* (tu es) *currus Israel et auriga*
eius, 4 Reg. 2. Septimo, Elias in monte Carmeli certans 7.
cum quadringentis sacerdotibus Baal, eosque vincens, per
ignem e cælo elicitum, qui suum sacrificium consumpsit,
ad unum omnes occidit ac avitam suius Dei fidem, cultum-
que restituit, 3 Reg. 18. v. 19. et seq. Idem prorsus faciet
in fine mundi, ut patet Apoc. 11. 5. *Et si quis,* inquit,
voluerit eos (*eos*, scilicet Eliam et Enoch) *nocere, ignis*
exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum. Unde Ec-
cli. c. 48 1. inter multa ampiaque Eliæ elogia, hoc pri-
mum assignat: *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis;*
et verbum eius quasi facula ardebat. Et concludens, v. 9.
subiicit: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equo-*
rum igneorum, qui scriptus es in iudiciis temporum (sub
finem mundi) *lenire iracundiam Domini; conciliare cor*
patris ad filium et restituere tribus Iacob. Beati qui te vi-

derunt et in amicitia tua decorati sunt. Ob has ergo analogias et rationes Elias in fine mundi rediturus et Iudæos conversurus, hic caput Synagogæ vocatur, et Carmelo comparatur: unde Chald. vertit: *Rex qui constitutus est super te in principem, iustus est sicut Elias Propheta, qui zelo zelatus est pro Domino cœli, et occidit Prophetas falsos in monte Carmelo, et convertit populos domus Israel ad timorem Domini Dei.*

Porro Aponius per caput instar Carmeli accipit reges Romanorum Christo subiectos.

Rursum Honorius in choris castrorum Synagogæ per acies et ordines distribuendis insistens: Nonus, inquit, ordo est summorum Pontificum, de quibus dicitur: *Caput tuum ut Carmelus*, quia habent scientiam circumcisionis (hoc enim significat *Carmel*) scilicet ut spiritualem et Christianam, quæ in resecandis vitiis consistit, a carnali et Iudaica, quæ in amputanda præputii carne sita erit, secernant et separent.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Animæ sanctæ caput est mens sancta et bonis omnibus referta, ait Theodor. quæ scilicet virtutibus amœna et oratione, et conversatione excelsa, et bonorum operum ferax est ut Carmelus. Audi S. Greg. « Quia sicut a capite membra, sic a mente omnes cogitatus nostri disponuntur: Carmelus autem scientia circumcisionis interpretatur. Caput ergo sponsæ ut Carmelus esse perhibetur, quia quælibet sancta mens novit qualiter digne circumcidatur: novit, quia nihil est quidquid in corpore agitur, si mens immunda fuerit, quæ templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur. »

Apte mens comparatur capiti et Carmelo; quia sicut caput sensum et motum, ac spiritus animales influit in subiecta sibi membra; ac sicut Carmelus suam amœnitatem, frondes, flores et fructus communicat subiectæ sibi regioni; sic et mens suum vigorem, virtutem et gratiam inspirat omnibus animæ potentiis, sensibus et viribus sibi subditis. Ideoque Hebr. est: *Caput tuum super te sicut Carmelus*, q. d. Sicut caput est super membra et Carmelus super terram, quam irrigat et ditat; sic et mens tua est super omnes animæ vires, easque regit, imo irrigat, et bonis omnibus beat.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo per Christum et post Christum est caput fidelium Ecclesiæ, eos irrorans, nutriens, recreans, protegens ut Carmelus. Unde Carmelitæ primi post Christum asseclæ Eliæ, B. Virginem patronam sibi asciverunt, ac in eius honorem Ecclesiam in monte Carmelo ædificarunt, indeque fratres B. Virginis de monte Carmelo nuncupati sunt, uti testatur Trithemius lib. de Laudibus Carmelitani Ordinis cap. 7. Addit Thomas Waldensis gravis Theologus lib. de Sacram. tit. 9. cap. 84. et alii. Carmelitarum ordinem inchoatum iam tum a tempore Apostolorum in monte Carmelo (et argumento est nomen ipsum) in Ecclesia, quæ prima omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata sit, deinceps vero numero et hominum et domiciliorum per totam Palæstinam multiplicato, irruentibus Saracenis dispersum esse, ac dissipatum: sed iis rursum eiectis, anno salutis humanæ millesimo ferme et centesimo refloruisse. Videatur Paulus Maurigis lib. de Origine religionum c. 30. qui inter cætera ait, Honorium IV. Pontificem hoc nomen Carmelitarum a Carmelo inditum, eis confirmasse sub anno Domini 1217. Insuper B. Virginem apparuisse B. Simoni Generali ordinis, viro sancto, eique oranti habitum candidum dedisse, dixisseque: *Accipe hoc scapulare a me tibi, tuoque ordini datum in signum congregationis meæ.*

Audi Christum Dominum B. Virginis caput mystice describentem S. Birgittæ libr. 5. revelat. in fine Interrog. 9. « Caput tuum fuit quasi aurum fulgens et capilli quasi radii solis. Quia tua mundissima virginitas, quæ est in te quasi caput omnium virtutum et continentia omnium illicitorum motuum, placuerunt et fulserunt in conspectu meo, cum omni humilitate, ideo merito vocaris coronata regina super omnia, quæ creata sunt: Regina propter munditiam, coronata propter excellentem dignitatem. Frons tua fuit incomparabilis albedinis, significans verecundiam conscientiæ tuæ, in qua plenitudo est humanæ scientiæ et dulcedo divinæ sapientiæ lucet in ea super omnes. »

Porro censent nonnulli Salomonem hic uti comparationibus in speciem tam disparibus et enormibus, quibus oculos sponsæ comparat piscinis, nasum turri, caput Carmelo, ut significet enormitatem excessus B. Virginis supra omnes fœminas, q. d. Quantum piscinæ superant oculos hominis vulgaris, quantum turris est maior naso et Carmelus capite; tantum B. Virgo eiusque oculi, nasus et caput in dignitate, gratia et gloria excedunt omnes fœminas, imo omnes homines et angelos, adeoque creaturas universas: omniumque oculos, nares et caput. Hinc ipsa ab Isaia c. 2. v. 2. vocatur *mons in vertice montium.*

Symbolice Guilielmus hæc refert ad mysterium circumcisionis Christi. *Carmel* enim idem est quod scientia Circumcisionis, q. d. *Caput tuum ut Carmelus*, id est, mens tua, o B. Virgo, habebat scientiam circumcisionis, ut Christum circumcideres, etsi ex lege ad id non obligareris: « Bene sciebas, inquit, o pia mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, et tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum subdidisti; neque hoc insipienter faciebas, sed divinæ inspirationi per spiritum edocta serviebas. Quippe oportuit me datorem legis factum ex muliere fieri quoque sub lege, et hoc dispensatorie, ut eos qui sub lege erant, redimeram. » Symbol.

Et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta (minus recte Cassiod. S. Greg. Rupert. et alii legunt *iuncta*, etsi fere idem sit sensus) canalibus.) Hebr. *Et tenuitas capitis tui ut purpura; tenuitas*, id est, tenues capilli et cincinni. Tigurina: *Et subtilis evaporatio* (id est crines subtiles qui a capite oriuntur et evaporantur) *capitis tui regiæ purpuræ similis est, quæ in canalibus* (*infectorum*) *ligata est.* Arabicus: *Ligata in amphitheatris.* Septuag. *Plexus* (S. Ambros. in Psal. 118. ser. 17 *ornatus*) *capitis tui sicut purpura. Rex ligatus in transcursibus*, id est, in canalibus, per quos aqua transcurrit. Sic et Pagninus, Isidorus Clarius; *Rex ligatus crinibus.* Hebr. רהטים *rehatim*, et canales significat et trabes, quæ transcurrunt ab uno pariete ad alterum, sicut canales ab uno loco ad alterum. Unde Cosmas Damianus vertit: *Rex ligatus in laquearibus*, id est, inquit, Christus alligatus trabibus crucis. Vatabl. *Coma capitis tui est ut purpura, et est velut rex stipatus canalibus*, id est, habitans iuxta canales, ubi sunt aquæ: quod maxime commendabile erat in terra sancta; in ea enim utpote sicca, summo in pretio erat terra irrigua. Ita Vatablus, sed hoc alienum et longe petitum videtur, ut et illud aliorum, qui vertunt: *Rex stipatus circumcurrentibus* scilicet militibus. Coma sponsæ comparatur purpuræ, quæ vincta sive ligata est in canalibus, ut si quid sordium ex tinctura illi adhæresceat, aqua continuo per canales decurrente abluatur, aut potius ut iam tincta in vasis tinctoriis rursus, magisque tingatur in canalibus, per quos liquor purpureus decurrit in concham, sive vas tinctorium; vasa hæc Plinius lib. 9. cap. 38. vocat cortinas; forte etiam vasa hæc canales hic vocantur, quod cava essent et longa instar canalium.

Sensus ergo est, q. d. Coma sponsæ rubicunda est nitens et splendens instar purpuræ regiæ recens tinctæ, imo

dibaphæ, id est, bis tinctæ, ideoque vividi et flagrantis ruboris. Ita passim Interpretes. Audi Genebr. de Luysium : « Comparat sponsæ comas purpuræ pretiosissimæ, pulcherrimæ, maximeque recenti, quam tinctores adhuc siccant regibus, in summis ædium canalibus, vel quas tingunt in suæ officinæ tubis, iisdemque tubis atque canalibus, in quibus purpureus continetur color illas alligatas tenentes, quo melius colorem suscipiant. »

Aliter Sanchez, qui per canales accipit fascias sive funiculos aureos vel argenteos, qui instar canalium et aquæ per canales decurrentis candicant et candore argenteo collucent. Unde et in Thalmud. cap. 3. de Agno Paschali, argenteæ fasciæ vocantur *rehate hackaseph*, id est, canales argenti. Addit Gislerius vittas vocari canales, quia dum adstringunt et premunt fluitantes capillos, efficiunt, ut quidam quasi rivulus et canalis defluentium comarum per caput decurrat. Sic sensus est, q. d. Capilli sponsæ fulvi sunt sicut purpura, et aureis sive argenteis quibusdam tæniis vel vittis illigantur, non secus ac regiæ tunicæ splendentibus fasciis, aut rectis, aut transversis ornari solent. Non dubium est comas sponsæ non fuisse incompositas, sed decore pexas et aureis fasciis vittisve colligatas; sed simplicius sic comparationem instituat: Comæ sponsæ regiæ fasciis aureis sericisve ita eleganter connexæ sunt, sicut purpura regis funiculis byssinis canalibus alligatis.

Porro quod Septuag. Pagnin. Vatablus, Cosmas, et alii vertunt : *Rex ligatus in transcursibus*, Theodor. et ex eo Titelm. sic explicat, q. d. Coma sponsæ similis est regi corona regia coronato, ac purpura induto, quæ plicaturas habet et strias instar canalium, iisque quasi sulcis apta coaptata et distincta est. Coma sponsæ belle crinibus intortis coronata est, plicata et striata: pulchra ergo est tum ex colore, quia purpurea; tum ex religatione et compositione, quia eleganter vittis vel fasciis aureis religata, flexa et plexa est. Denique purpuræ color est color sanguinis: unde Plinius lib. 9. cap. 38. *Laus ei* (purpuræ) ait, *summa, color sanguinis concreti suspectu refulgens.* Unde Homerus sanguinem vocat purpureum et eum secutus Virgil.

Purpuream vomit ille animam.

Anima enim, id est, vita in Scriptura dicitur esse in sanguine, imo nonnulli Philosophi censuerunt animam non esse aliud quam sanguinem, teste Aristot. l. 1. de Anima.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia sive Synagoga.

Coma purpurea erunt discipuli Eliæ martyres.

Caput Synagogæ ad Christum convertendæ erit Christus et post Christum Elias, ut dixi: Comæ ergo huius capitis erunt viri religiosi et zelosi, discipuli et asseclæ Eliæ: sicut enim capilli oriuntur ex capite, illudque ornant et protegunt: sic hi ex Eliæ disciplina et spiritu prodeuntes, eumdem decorabunt, defendent, adiuvabunt et propugnabunt contra Antichristum et antichristianos; ideoque ab eo occidentur, et sanguine suo quasi martyrii purpura tingentur et decorabuntur. Hæc autem sanguinis purpura similis erit sanguini, quo in passione sua purpuratus est Christus, imo ex eo omnem suam vim, colorem et decorem hauriet, perinde ac si quinque Christi vulneribus velut canalibus alligata, iisdem rubricata et purpurata foret. Egregii ergo fortissimique martyres futuri in fine mundi Christo Regi, ceu coma capiti, per fidem et charitatem iuncti, eiusque sacris vulneribus velut canalibus per affectum et meditationem alligati, ex eis purpuram, id est robur et decorem martyrii augent et imbibent. Ita Alcazar, Cosmas Damianus, Honorius, Delrio et cæteri initio capitis citati; sic et per comam purpuream S. Greg. accipit desiderium martyrii: sic et Iustus Orgel. et Aponius, qui et addit canales significari exemplum virtutis martyrum, quod ad alios transmittunt.

Huc facit versio Septuag. *Rex ligatus in transversalibus*. Cosmas *in laquearibus*, q. d. Christus illigatus trabibus crucis, ex iis quasi canalibus stillat in nos purpuram sanguinis sui, ac per illum nos roborat ad martyrium, ut eodem æque ac ipse sanguine nostro, purpuremur. Sept. ergo hic clare mysterium crucis Christi significant, dum dicunt comam sponsæ concolorem purpuræ, causamque subiiciunt, quod rex illigatus, imo clavis affixus sit supra comam Sulamitis, puta sponsæ, et quod ex vulneribus illius per canales quinque cruor defluat, atque eorum fluxum totum Sulamitis supra crines excipiat: *Rex ligatus in canalibus seu cum canalibus;* nimirum rex cum quinque sanguinis canalibus promanantibus ex plagis suis supra crucem est amoris vinculis adstrictus et clavis tribus confixus, erumpitque ex plagis omnibus purpura, qua Sulamitis Cæsaries eiusdem, id est religiosæ Ecclesiæ devotionem repræsentans, penitus imbuitur. Deservit huic considerationi mirabiliter pia quædam sculptura, quæ ponit D. Magdalenam ad crucis pedes, eam amplexantem, detectam caput, atque ita ut Christi defluens sanguis eius capillamentum inficiat, purpuræ nimirum Tyriæ colore. Ita Alcazar.

Tunc ergo pro Christo IESU Salvatore et Duce suo fortiter usque ad mortem cum Elia contra Antichristum inter alios religiosos certet, et spero certabit Societas Iesu, ac multos in aciem producat fortissimos heroes, qui pro Iesu suo libentes et exsultantes occumbent, ac martyrii laurea purpurabuntur, uti fertur prædixisse B. Teresiam.

Ita S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, cæterique martyres Christi patientis consideratione, exemplo, robore et gratia non tantum fortiter sustinuerunt, sed et ardenter sitierunt martyrium et tormenta atrocissima, ut Christo vices, quas poterant, redderent, ac sanguinem sanguini, amorem amori, mortem morti rependerent. Quare per purpuram regis intelligi passionem Christi docet Theodor. Beda, Rupert. S. Thomas, Honorius, Hailgrinus. Iam vero hæc martyrum corona mire Christum, ceu coma caput, comit et exornat.

Porro quam apte religiosi comparentur capillis ostendi c. 4. 8. ad illa: *Capilli tui sicut greges tonsarum.* Fasciæ sive vittæ, quibus religiosi alligantur, sunt charitas, obedientia et regularis disciplina, quæ omnes alligat et consociat. His apte competit Hebr. דלת *dallat*, id est tenuitas, ipsi enim ex voto elegerunt paupertatem et humilitatem, obedientes Christo dicenti: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5 ita S. Anselm. His etiam congruit, quod vertunt Sept. *Rex ligatus in trabibus*; quia sicut Christus fuit Rex in cruce vincendo et dominans peccato, gehennæ et diabolo; sic pariter religiosos cum Christo crucifixus est rex dominans sibi, vitiis, affectibus, totique mundo, uti docet S. Chrys. Tract. de Comparat. regis et monachi et ex eo noster Hier. Pintus l. 2. de Bono status relig. c. 16.

Huc facit versio Chaldæi : « Et pauperes populi, qui ambulabant apud principem, hinc et inde; eo quod egeni sunt, futurum est ut induantur purpura, sicut indutus est Daniel in civitate Babylonis, et Mardochæus in Susis propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio in dominatorem sæculi; et propter iustitiam Isaac, quem ligavit pater eius, ut offerret eum; et propter dignitatem Iacob, qui decorticavit virgas in canalibus. » Hinc et Cassiodor. ac Beda per purpuram in canalibus accipiunt sanctos in humilitate defixos, in qua æterni regis purpura intingitur, cui sancti quique humilitatem sui Redemptoris imitando passionem illius conformes fieri satagunt, quatenus in purpuræ dignitatem vertantur et laborantes pro Christo, cum Christo et coronari merentur. Vincta autem hæc purpura esse dicitur, quia eorumdem corda fixa sunt et stabilita in timore et amore Redemptoris sui, nec umquam a charitate eius separari possunt. Possent quoque hæc aptari Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ: hi enim velut coma purpurea ornant caput Pontificis, ideoque purpuram gestant, ut hæc illos moneat sanguinem pro Christo profundere, si opus sit, atque in fine mundi cum Pontifice contra Antichristum certantes revera profundent, uti olim profudere S. Laurentius, S. Cyriacus aliique primi Cardi-

nales cum S. Sixto, Marcello, Cornelio, Urbano, cæterisque primis Pontificibus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Coma purpurea animæ est desiderium mortificationis.

Coma animæ purpurea est copia piarum cogitationum et affectionum, ac præsertim desiderium mortificationis et martyrii, quæ ipsa haurit ex guttis sanguinis a Christo in cruce stillantibus, quas ipsa meditando assidue bibit et haurit. Ipsa ergo ceu coma Christi purpurati, ab eoque tota velut a capite dependens, in vulnerum eius canalibus per contemplationem illigata, dilectionis Dei et proximi, ac martyrii dibapho refulget, nec sinitur ad alia cogitando divagari et diffluere. Unde S. Ambros. in Psal. 118. ser. 47. « Ipsa, ait, tamquam bene merita regiue Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est: Et ornatus capitis tui sicut purpura. Sanguis Christi purpura est, quæ inficit sanctorum animas, non solum colore splendens, sed etiam potestate, quia reges facit et meliores reges. quibus regnum donet æternum. » Sic et Theodor. Honorius, Rupert. Audi et tres Anonymos apud Theod. « Coma capitis tui sicut purpura, Christi doctrina videlicet rationum et morum nexu contexta, tamquam regis indumentum est animi tui amictus, in quo ille perturbationibus dominatur, et est rex vinctus in transcursibus, hoc est, nulli subiectus perturbationi, sed divinæ illius quam diximus doctrinæ funiculo ligatus in transcursibus præsentis vitæ, ne rerum sensibilium et caducarum lubrica prolabatur, »

Et meditatio passionis Christi.

Porro passioni Christi mens pia funiculo amoris se alligat; itaque vicissim Christus eodem illigatur; unde Sanchez, per canales accipiens funiculos, docet animam piam per sanctas de Christi passione cogitationes et meditationes, eumdem Christum non invitum, sed volentem ita sibi illigare, ut aliud cogitare, velle, desiderare nequeat, ac vicissim Christus ab eius cogitatione et amore separari se non sinat; quomodo enim mitissimum Christi sponsi animum non capiant, ac teneant desideria, quæ ad ipsum unum aspirant? quomodo non ligent illa vincula, quibus suas cogitationes sponsa fidelis ita continuit, ut omnem sibi nisi de sponso cogitandi facultatem præciderit? O ergo felicia religiosorum, id est religatorum vincula; quibus animi motus atque studia ligarunt, ne a Deo dilapsa abeant in diversa; sibi enim nisi rumpantur vincula, Christum ligant, tamquam sponsum, et regem omnino suum.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Physice coma capitis B. Virginis erat flava purpurascens, uti superius dixi ex S. Epiph. et Niceph. Ethice comæ, id est cogitationes Virginis assidua tingebantur memoria et compassione purpuræ regis, id est, passionis Christi; qua de causa ipsa vere exstitit martyr.

Sensus ergo est, ait Hailgrinus, mens tua prudenter circumcisa, et cogitationes tuæ tinctæ in sanguine Dominicæ passionis, sic affectæ semper fuere, quasi recentem viderent sanguinem de vulneribus profluentem. Fasciculus myrrhæ morabatur inter ubera eius, donec assumpta fuit ad gaudium, quod omnem dolorem absorpsit.

Christus purpuratus suo cruore.

Plenius Guilielmus: « Purpura regis, inquit, est proprio rubens sanguine caro redemptoris; caro illa sacrum verbi indumentum erat, ex quo verbum caro factum, et habitavit in nobis; sed tempore passionis in regalem purpuram hominibus et angelis adorandam, in proprio sanguine tincta est; unde Apostolus propter passionem mortis, ei dicit datum a Patre nomen quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum. Dum autem sacra illa caro, quam sibi de Virgine propitia veritas sumpserat, pro eliciendo pretio redemptionis humanæ clavis et lancea foderetur, iuxta veridici Simeonis prophetiam, piæ matris animam pertransibat gladius. Quot vulnera filius accipiebat in carne, tot pia mater accipiebat in corde; quod quatuor vel tres clavi et una lancea faciebant in carne filii, hoc unus ille gladius faciebat in anima matris. Rubebat caro filii sanguine passionis; rubebant maternæ illæ cogitationes, ut ita dicam, sanguine compassionis; bene ergo illi dicitur: Comæ capitis tui sicut purpura regis. Quod autem additur, vincta canalibus, significat quod tincturam illiam regalis indumenti, quæ facta est in passione, illico secuta est abundantia gratiæ eius, quæ in sacris litteris per aquam signatur. » Vide dicta cap. 5. 9. ad illa: « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno crine colli tui. »

Denique Philo Carpath. Episc. ex Septuag. nove vertens: *Rex tremendus in excursibus*, explicat de Christi e cælis per B. Virginem in terram et inferaum excursu, ac in cælos recursu: « E cælo namque, inquit, excurrit in terram tamquam sponsus de thalamo virginali progressus in orbem; et usque ad inferos descendens, mortem destruxit, et prædam tulit inferni. Ipse solus omnino tremendus in progressibus suis ac gestis, quæ pro salute nostra non ullius necessitatis vinculis coactus egit, sed immensæ charitatis ardore victus et ineffabili magnitudine suæ bonitatis ad hæc mortalia progressus et dolorifica voluntarie accessit; utque nos sua immortalitate donaret, nostra est mortalitate vestitus, nusquam nos deserens, nullibi destituens, sed ubique fovens ac tuens; ait enim: Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. O incomparabilem vim amoris! o summam bonitatem! »

VOX ECCLESIÆ

Ad Synagogam iam in Christum credentem.

Vers. 6. Quam pulchra es, et quam decora charissima in deliciis!

Quam pulchra es, et quam decora charissima in deliciis! Ex Hebræo cum Pagnino vertas: *O quam pulchruisti, et quam dulcuisti, amor in deliciis!* Sponsi scilicet, eum oblectando; aut ad verbum: *Quam pulchra facta es, et quam iucunda* (vel suavis, grata et accepta) *o charitas in deliciis!* Ita Septuag. Hebr. est בתענוגים *battaanaghim*, quod per systolem significat *in deliciis*; per diastolem vero בתתענוגים *battaanaghim*, idem est quod *filia deliciarum*, ut vertunt Aquila et Syrus, id est, delicatissima et deliciosissima; unde Vatablus vertit: *In deliciis primatum obtinens*, quibus scilicet tum teipsam, tum sponsum, tum nos adolescentulas Sionides cæterosque omnes mirifice oblectas. Arabic. *Quam pulchrum est decus tuum, quam delectabilis es, o amor in deliciis!*

Multi censent hæc esse verba sponsi, sponsam Synagogam laudare pergentis. Melius alii censent hæc esse verba chori adolescentularum Sionidarum, id est, virginum et puellarum novæ Ierusalem, et Sionis Christianæ, quæ auditis a sponso tantis sponsæ per singula membra elogiis, eius pulchritudinem admirantes exclamant: *Quam pulchra es*, etc. aut potius esse verba Ecclesiæ Gentium, quæ Synagogæ Iudæorum conversæ ad Christum congaudens congratulatur, exsultansque illi iam in fide sorori applaudit (hoc enim sororem sorori facere decebat) dicens: *Quam pulchra es*, etc. Id ita esse patebit ex v. 9. ubi dicitur: *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* Quæ verba non sponsi, sed chori adolescentularum esse constat; nec enim sponsa de se diceret: *Dignum dilecto meo*; sed *dignum me.* Et ex v. 7. 8. *Statura tua* (o sponsa) *assimilata est palmæ, et ubera tua botris vini. Ascendam in palmam*: nec enim Christus ascendit in palmam sponsæ, sed potius descendit, cum ea longe sit altior.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Chorus adolescentularum, sive puellarum Ierusalem, id est, animarum in fine novellarum et imperfectarum, Synagogæ Iudæorum per Eliam convertendæ applaudet, dicens: *Quam pulchra es, o Domina mea, et quam decora in deliciis!* quibus ipsa frueris, quibusque sponsum Christum, et nos adolescentulas tuas mire oblectas, eoque pulchrior appares quo ex tam longa et atra deformitate perfidiæ, et ignorantiæ Christi salutisque tuæ, ad tam ferventem fidem et zelum subito emersisti, adeo perfecta, ut martyres plurimos et fortissimos Christo dederis, qui, ut iam dixi: *Quasi comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*, illud mirifice comunt et exornant. Hoc est quod præcinuit Isaias exsultans in spiritu, c. 35. 1. *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans: Gloria Libani data est ei; decor Carmeli et Saron: Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.*

Audi S. Ambrosium in Psal. 118. serm. 17. vers. 5. *Quam pulchra*, inquit, *et suavis facta es, charitas in deliciis tuis! Pulchra decore virtutis, suavis iucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, et ipsa iam charitas, quæ diligendo Deum et nomen eius acceperit: quia Deus charitas est.* Cassiodor. Novella sponsa, inquit, est Synagoga Iudæorum pulchra fide, decora operatione futura est. Honorius: pulchra ob opera externa, decora ob virtutes internas. Tres Anonymi apud Theodor. Admirabili, inquiunt, circumdata es pulchritudine, ea nimirum, quæ pervenit ad te ex similitudine et exemplari; nam sponso coniuncta, atque illo fruens referta es incredibili iucunditate spirituali.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta per gratiam et opera heroica, præsertim patientiæ in adversis ac martyrii adeo fit pulchra, ut ait filia deliciarum, hoc est, illicium et delicium Dei, angelorum et sanctorum omnium. Quocirca S. Iacobus cap. 1. v. 1. *Omne gaudium*, inquit, *existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia opus perfectum habet.* Et Paulus: *Gloriamur in tribulationibus*, Rom. 5. Hinc Chald. vertit: *Dixit rex Salomon: Quam pulcher es, cætus Israel, in tempore quo tu portas iugum regni mei, in tempore quo ego corripio te in infirmitatibus propter peccata tua, et tu suscipis in charitate, et videntur tibi deliciæ.*

Deliciæ sex animæ

Deliciæ ergo animæ sanctæ: Primo, sunt tribulationes
et cruces. Secundo, divinæ dulcedines, inspirationes et
1. consolationes spirituales, quas Deus fidelibus sibi devotis
2. et præsertim tribulatis aspirat, ac præcipue spes gloriæ
3. cælestis. Ita Cassiodor. Tertio, Theodor. ait has delicias
esse amoris et charitatis: *Diligis enim*, inquit, *amantem
te sponsum, et in eius amore tuas omnes delicias collocans
4. reliqua omnia despexisti.* Quarto, Rupertus: *Quid est*, in-
quit, *in deliciis pulchram et decoram esse, nisi in abun-
dantia gratiæ mansuetudinem summamque cordis humili-
5. tatem habere?* Quinto, hæ deliciæ sunt sanctæ Scripturæ.
Audi S. Gregor. *Notandum*, inquit, *quod charissima in
deliciis dicitur, quia ad charitatem et familiaritatem Chri-
sti non pervenit, quisquis Scripturæ sanctæ deliciis abun-
dare non contendit. Inde enim dicitur: Omni habenti da-
bitur et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod vi-
detur habere, auferetur ab eo: his enim deliciis qui abun-
dat, reficitur; his refectus, assidue ad maiora percipien-
6. da præparatur.* Sexto, S. August. tract. 65. in Ioannem,
mortem, quam infligit charitas, docet esse suavissimam, hasque esse delicias charitatis, ac charitatem in deliciis. Sic enim ait: *O quam bene cantatur tibi in epithalamio tuo: Quia charitas in deliciis tuis. Ipsa non perdit cum impiis animam tuam, ipsa discernit causam tuam, et sicut mors valida est, et in deliciis tuis est. Quam mirandi generis mors, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper et in deliciis!*

Sponsa vocatur amor quia summe amabilis.

Hac de causa sponsa hic vocatur אהבה *ahaba*, id est *amor*, dilectio, charitas *in deliciis*. Id est, deliciosissime et summe amabilis, dilecta, chara (Noster vertit, *charissima*), adeo ut ipsissimus amor, ipsa pulchritudo, ipsa suavitas, et decor, ipsissimæ deliciæ esse videatur; quia illi charitas in deliciis est, id est quia amat quæ vere amabilia sunt; quia diligit quæ charitate et dilectione digna sunt. Ita Sanchez. Sic tertia filia S. Sophiæ, virgo et martyr, vocata est Charitas, quia summe Deo et hominibus amabilis fuit.

Exemplum S. Liebæ.

Sic S. Lieba, vel Lioba, in Anglia nobilibus parentibus per votum concepta, a prima ætate Deo a parentibus ex voto consecrata hoc nomen accepit, quod Deo et hominibus esset dilecta; *Lieb* enim germanice dilectam significat: quare in monasterio pie educata miræ sanctitatis evasit. Audi auctorem Vitæ eius: *Erat aspectu angelica, sermone iucunda, ingenio clara, consilio magna, fide catholica, spe patientissima, charitate diffusa. Et cum lætam semper faciem præferret, numquam hilaritate nimia resoluta est in risum.* Quocirca in Abbatissam electa, moniales sibi subditas eximia prudentia et sanctitate gubernavit. Quare a Carolo Magno Imp. et uxore eius Hildegarda sæpius accersita, ab eis in honore habita, ac magna reverentia excepta fuit, adeo ut Hildegardis Aquisgrani oculos eius abeuntis exosculans diceret: *Vale in æternum, domina et soror dilectissima, vale, animæ meæ portio pretiosa. Christus creator et redemptor noster tribuat ut nos in die iudicii sine confusione videamus. Cæterum in hac luce mutuo numquam ab hoc die conspectu fruemur.* Pluribus miraculis claruit. Exstat eius Vita a Rodulpho viro gravi scripta apud Surium, die 28. Septembris.

Anag.

Anagogice Honorius: Deliciæ, ait, Ecclesiæ cum Christo regnantis, sunt gaudia paradisi exultationis. In his deliciis est ipsa *pulchra* et *decora*, quia fulget ut sol et luna, et Christo et Angelis est charissima.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Nil pulchrius, nil speciosius, nil iucundius, nil deliciosius in universa creatura, quam B. Virgo. Quocirca Ecclesia in officio hanc antiphonam hinc desumptam illi accinit: « Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. Quam pulchra, ait Hailgrinus, es in maternitate, quam decora in virginitate, quam admirabilis in utroque. » Nam ut recte explicat Guilielmus: « In quantis agebat sancta iucunditatis deliciis, cum Deum verbum maternis amplexibus stringeret, et sacra illi oscula materni oris imprimeret; cum illum, qui in cælo de se pascebat angelos, maternis uberibus aleret, et cætera maternæ pietatis officia pro tempore ministraret! denique in his omnibus divini mysterii et sui privilegii non ignara, optime noverat se esse matrem maiestatis, et hoc nosse, singulares et iuges illi deliciæ erant. »

Porro quod ad rem præsentem spectat, beata Virgo pulchra et decora erit tot Iudæorum ad se et filium suum per Eliam conversionem quam ipsa procurabit quasi *charitas in deliciis*, ut scilicet illis suam charitatem gustandam offerat, et vicissim illorum charitate sanctitateque delicietur, seseque oblectet.

Hinc illa non tantum hominum in terra, sed et angelorum ac beatorum in cælo est delicium, desiderium et gaudium, ut omnes ei succinant: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te, sancta Dei genitrix.*

Denique Philo legens (licet contra fidem Codicum Hebr. Græc. et Latin.) *Quam speciosus factus es et potens*, id ad Christum sponsum refert, qua homo est: *Charitas in deliciis tuis*, id est, inquit, quod ait Sapientia Christus: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, Proverb. 8. 31. Tanta enim nos charitate complectitur, ut nihil aliud quam nos secum semper esse malit; hoc enim de nobis avet, hoc postulat, hoc efflagitat. Unde subdit: *Hæc est magnitudo tua, assimilatus es palmæ*, q. d. Magnitudo immensæ charitatis tuæ assimilata est palmæ; palma enim cordis internum charitatem et virtutem vimque fidei inexpugnabilis ostendit, etc. quæ ad superna et sempiterna cor attollit, nec ullis adversis frangitur, sed inter omnia, imo super omnia invicta perdurat ac regnat.

Vers. 7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.

Hebr. *Hæc statura tua*; Septuag. *Hæc magnitudo tua*, quod Compiut. referunt ad id quod præcessit, hoc modo: *Dilectio in deliciis tuis, hæc magnitudo tua*, q. d. Dilectio tua deliciosa est magnitudo tua. Aquila: αὕτη ἀνάστασίς σου, id est, *hæc suscitatio*, vel *resurrectio tua*, qua scilicet o Synagoga, a perfidia ad fidem, a morte ad vitam, a Mose ad Christum resurrexisti. Symmachus: αὕτη ἡλικία σου, id est, *hæc iuventus*, vel *ætas tua* præsertim florida, valida et militaris, quæ incipiebat ab anno 17. teste Plutarcho in Graccho, notat Synagogæ ætatem vegetam et validam in fide Christi, qua contra Antichristum usque ad mortem est decertatura. Syrus: *Hæc statura tua*, quam scilicet hucusque descripsi. Arabicus: *Magnificentia est forma tua*, vel *natura et indoles, ut palma*; palma enim recta crescit in altum, ac superne caput et comam habet similem humanæ.

Sensus est, q. d. O sponsa novello proceru es, et alto collo ac corpore instar palmæ; hæc enim est ingens dos et laus, quam ambiunt fœminæ, ideo et collum erigunt, et turritos pileos capiti imponunt, et altos cothurnos pedibus subiiciunt, ut proceriores esse videantur. Hinc Ovid. de Galat. l. 13 Metamorph.

Longa procerior alno.

Et ubera tua botris.) Per botros accipe elatas sive spatalia palmarum, in quibus multitudo dactylorum continetur; hæc enim plane figuram habent uberum, æque ac botri uvarum. Ita Theodor. tres Anonymi, Gislerius et Sanchez, licet Aben Ezra, quem sequitur Luysius, Alcazar et Genebrard. botros vitis et uvarum hic accipiant, quas in Iudæa aiunt maritari cum palmis, sicut in Apulia maritantur cum altissimis arboribus; vites enim ibi adeo crassæ et altæ evadunt, ut altissimis arboribus æquari et copulari queant, adeo ut una tot uvas proferat, quot sufficiunt ad vas vini exprimendum. Unde ut sequitur: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius: Et erunt ubera tua sicut botri vineæ*; hi enim non tantum figura, sed et succo similes sunt uberibus; dant enim vinum, sicut ubera dant lac. Unde c. 1. v. 1. et c. 4. 10. dixit: *Meliora sunt ubera tua vino.*

Porro ubera iungit staturæ, quia cum fœminæ statura et ætate grandescit, grandescunt pariter et intumescunt ubera, ut quasi sponsa prolem concipere, gignere et alere queat, iuxta illud Ezech. 16. 7. *Et grandis effecta es, et pervenisti ad mundum muliebrem, ubera tua intumuerunt.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Statura est magnanimitas. Synagogæ ad Christum conversæ, et per Eliam convertendæ, statura similis palmæ notat eius magnum et excelsum animum, quo contra Antichristi minas et blanditias generose sese eriget, illasque contemnendo transcendet et superabit, adeo ut pro Christo mortem oppetere desideret, uti paulo ante dixi. Hinc sicut palma, quo magis onere imposito deprimitur, eo magis sese erigit; sic pariter tunc ad Christum conversi, quo acerbiora ab Antichristo patientur, eo fortiores evadent. Rursum sicut palma, teste Plinio lib. 13. cap. 4. frugifera non est nisi in solo fervido, nitroso, aut salso, ideoque videtur proceritate sua terram despicere et cælum appetere, ac recta eo conscendere vixque humi radicibus niti, quia ibi nihil invenit nisi insulsum; sic et viri sancti mentem habent defixam in cælo, ideoque terrena omnia illis desipiunt, sed crucem Christi adamant, in eaque radices agunt, nutriuntur et crescunt usque ad cælum, ad quod anhelant.

Plures Analogias palmæ et Ecclesiæ, vel animæ sanctæ in perpetuo virore, rectitudine, robore, altitudine, fructu, coma, etc. recensui Eccles. 24. 18. ad illa: *Quasi palma exaltata sum in Cades*. Inter quas illa præ cæteris convenit Synagogæ, quam Nyssenus tribuit S. Gregorio Thaumaturgo Orat. de eo, scilicet, quod sola inter arbores palma, in radice perfecta crassitudine acuminis e terra exsurgat et crescat; cumque in altum recta progrediens proceritatis suscipiat augmentum, nihil ei in crassitudine accedit, sed æque crassa, fortis et inflexilis permanet; pari modo enim Synagoga in fine mundi convertenda ad Christum statim ab initio tantam fidei et virtutis crassitiem roburque accipiet, ut illico perfecta evadat, ac doctores martyresque progerminet, qui instar Pauli animam et vitam pro Christo profundant. Palma radix perfecta.

Symbol. Hinc rursum symbolice per palmam accipies crucem Christi, a qua omnis gratia roburque illis obveniet, ut patebit ex sententia sequenti: *Ascendam in palmam*, etc. q. d. Statura tua, o Synagoga, similis est Christo in cruce exaltato, quia multos ei reddis martyres et crucifixos ab Antichristo. Hoc est, quod prædixit Christus: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, Ioan. 12. 32.

Et ubera tua botris.) q. d. Doctrinæ tuæ lac convenienter et abundanter omnibus tuis filiis suppeditas. Vide symbolum uberum, quæ recensui c. 4. v. 5. et c. 1. v. 1.

Porro Alcazar, qui botros non palmæ, puta dactylos, sed vitis, puta uvas, accipit, sic explicat, q. d. Sicut in Iudæa vites maritantur cum palmis, botrosque et vinum producunt; sic pariter Synagoga conversa ad Christum botrum vinumque cum palma et dactylis, id est, sapientiam cum sanctitate coniunget, ideoque ubera eius erunt similia botris vini, non lactis; quia discipulos suos alet vino perfectæ sapientiæ et virtutis, puta contemptus mundi, zeli, mortificationis, desiderii, martyrii, etc. quo aluntur novitii in bene ordinatis religionibus. Nam et discipuli Eliæ certaturi contra Antichristum erunt, æque ac ipsi religiosi. Hi ergo velut botri, qui hausto e cælis alimento in altum creverunt, æstu persecutionum et tribulationum iam decocti et maturi, ac gravi pondere in torculari crucis compressi, vinum sponso Christo suave præbebunt, quod cor eius lætificabit. Ubera ergo similia botris significant insignem Synagogæ in docendo sedulitatem et constantiam, in lucrandis animis charitatem, in lactandis parvulis largitatem, ait Philo et Honorius.

Symbol. Symbolice Honorius: « Statura, ait, Ecclesiæ (et animæ sanctæ) est perseverantia certaminis, quæ in Abel crescere cœpit et ad ultimum electum perseverabit, sive in Apostolis crescendi sumpsit exordium, et in Synagogæ ultima conversione consummabitur. Palma est inferius aspera, et superius pulchra, et dicitur victoria, et intelligitur Christi vita, quæ hic in terris fuit in asperitate passionum, et post victoriam crucis fuit in pulchritudine cœlorum. Statura ergo sponsæ assimilabitur Christi tolerantiæ. Quia Ecclesia hic fuit aspera in pressuris, sed victoria potita de vitiis, pulchra fulget in cælis: palma etiam conservat folia, et Ecclesia, variante statu sæculi, eadem tenet fidei mysteria. Ubera Ecclesiæ sunt duo testamenta, de quibus sugunt prædicatores lac mysticæ intelligentiæ; qui prædicatores dicuntur ubera, quia rudibus præbent lac doctrinæ, qui assimilati sunt botris; quia sicut botri pleni sunt vino, ita ipsi pleni sunt scientia; et sicut botri pressi inebriant, ita ipsi in mundo pressi lac doctrinæ propinant. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Sanctus similis palmæ.
Anima sancta similis est palmæ, iuxta illud Psalm. 91.
13. *Iustus ut palma florebit.* Primo, quia instar palmæ re-
cta est per iustitiam. Secundo, quia alta per cœlestem vi-
1. tam et contemplationem, iuxta illud Philip. 3. *Nostra con-*
2. *versatio in cœlis est.* Tertio quia semper virens per animi
3. vigorem. Unde S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 17. *Imita-*
re, ait, *homo, palmam, ut dicatur et tibi: Statura tua si-*
milis facta est palmæ. Serva viriditatem pueritiæ tuæ, et
illius innocentiæ naturalis, quam a primordio recepisti,
ut plantatus secus decursus aquarum fructum tuum in
tempore tuo habeas præparatum et folium tuum non de-
4. *fluat*, etc. Quarto, quia adversitatibus obluctatur, et al-
5. tius exurgit. Quinto, quia dactylos, id est, fructus suavis-
6. simos eleemosynæ aliarumque virtutum profert. Sexto,
quia palmæ licet in crassitie trunci non crescat, uti dixi
ex Nysseno, crescit tamen in dilatatione ramorum et co-
mæ. Unde S. Gregor. *Palma*, ait, *dum crescit, deorsum*
stringitur et sursum dilatatur; sic sancta anima ab imis
ad minima incipit, et paulatim ad maiora crescendo usque
ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit. Nemo enim,
sicut scriptum est, repente fit summus. In Psalmo autem
de iusto homine dicitur: Iustus ut palma florebit. Ubera
autem sponsæ duo præcepta charitatis existunt, quæ ani-
mam, quam possident, vino cœlesti inebriant et nutriunt.
Potest tamen per palmam crux Christi intelligi: Palma
enim in sublime valde crescens dulcissimos fructus gignit,
et crux Christi cœlestem cibum nobis præparavit, cui sta-
tura sponsæ assimilatur, quia pro Christo mori non du-
7. *bitat, quisquis Christum valde diligens imitatur.* Septimo,
palmæ symbolum est victoriæ quam sancti pugnando con-
tra carnem, diabolum et mundum obtinent, eiusque præ-
mii quod obtinebant, iuxta illud Apoc. 7. vers. 9. *Et pal-*
mæ in manibus eorum. Ita Cassiodor. *Palma*, ait, *victri-*
8. *cem ornat manum.* Octavo, palma spinosa est et aculeata,
sic aculei et spinæ in iustis sunt increpationes in peccato-
res, ait Philo, quibus eorum vitia castigant.

Rursum palma inferius in trunco aspera est, superius vero amœna in ramis, et suavis in dactylis; sic et *Sancta Ecclesia*, ait Cassiodor. *animaque in inferioribus asperitatem laborum et passionum sustinet pro Christo, in superioribus vero, hoc est, in cœlestibus pulchritudinem et suavitatem exspectat præmiorum.*

Porro anima sancta habet ubera doctrinæ et beneficentiæ quibus alios lactet et nutriat. Unde Theodor. *Cum*, ait, *excelsa sis, adeo ut cœli fastigia attingas; tamen submittas te infirmis discipulis tuis, quibus doctrina indigentibus ubera præbes doctrinæ tuæ: Palma enim fructus pendentes habet.*

Porro Cassiodor. Beda et Iustus per ubera accipiunt doctores: Aponius vero martyres, hi enim sanguinis sui exemplo, quasi lacte fideles minores in fide alunt et roborant.

Huc facit versio Chaldæi: « Et in tempore quo sacerdotes extendunt manus suas in oratione, et benedicunt fratribus suis, domui Israel, similes sunt digiti manus eorum extensi ramis palmarum, et statura eorum est sicut palma. Et Ecclesia tua stat facie ad faciem contra sacerdotes, et facies eorum inclinatæ sunt in terram sicut botri uvarum. »

Denique Philo Carpath. per staturam accipit magnitudinem charitatis, uti dixi in fine versus præcedentis. Unde sic lege: *Charitas in deliciis, hæc est magnitudo tua.*

Symbol. Symbolice, statura palmæ sunt quatuor dimensiones crucis, quas recensui Ephes. 3. v. 18. quibus se admetiri, quoad potest, et commensurare debet anima sancta.

Anagog. Anagogice Honorius: *Animæ gloriosæ statura est æqualitas Angelorum, quæ palmæ est assimilata, quia in terris fuit angustata, in cœlestibus autem dilatata. Eius ubera sunt comparata botris, quia Apostoli et alii doctores eius sunt pleni æternæ dulcedinis.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo physice statura fuit procera, teste S. Epiphanio apud Niceph. l. 2. c. 23.

Ethice statura eius fuit celsitudo animi, præsertim in adversis et passione Christi; unde de ea ait Ioannes cap. 19. 25. *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius. Stabat*, inquit Guillelmus, *illa iuxta Crucem sui Iesu, atque eo ipso sibimet quodammodo erat in crucem erecta, stando iuxta crucem filii, ipsa sibi quodammodo per affectum maternum facta erat crux. Sic ergo cum staret iuxta insignem illam palmam, statura eius assimilata est palmæ; sed clarificato iam filio, a resurrectione eius et deinceps, ubera eius assimilata sunt botris. Unde et sequitur: Ascendam, etc.* Palma non longitudine, sed statura, id est, statumine et firmitate superat cæteras arbores.

Mystice talis est B. Virgo; unde de ea sic scribit S. Epiphanius tom. 3. hæresi 78. *Cum Ioannes in Asiam instituerit profectionem, et nusquam dicit Script. quod abduxerit secum sanctam Virginem, sed simpliciter siluit propter miraculi excellentiam, ut ne ad stuporem perduceret hominum mentem.* Sic et S. Dionys. in epist. ad S. Ioan. dicit se ita ad aspectum et maiestatem Virginis obstupuisse, ut nisi fides eum docuisset unum esse Deum in cœlis, utique hanc Virginem Deum esse credidisset. Et Honorius in Sigillo Mariæ: *Christus*, ait, *fuit palma in cruce, quia per eam homo adipiscitur victoriæ palmam, cui assimilata est statura, id est, altitudo gloriæ Mariæ, quia sicut ipse est Rex cælorum, ita et ipsa regina est Angelorum; et ubera tua botris, id est, merita tua assimilata martyribus, qui sicut botri pressi sunt passionibus.* Rursum statura palmaris B. Virginis fuit rectitudo bonæ intentionis, et sanctæ operationis directio, per quam instar palmæ crucis Christi triumphet de malignis spiritibus, ait Hailgrinus.

Plenissime Alanus: B. Virgo, quasi palma, asperum habuit corticem, quia quantum ad sæcularem honorem fuit infirma, quantum ad divitias temporales paupercula: sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit stipite, quia suspensa in cælum animi intentione, pulchra in culmine in virginitatis et humilitatis celsitudine, delectabilis in flore, quia sine concupiscentia concepit florem campi et lilium convallium. Dulcis in fructificatione, quia sine pœna peperit mundi redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriæ, et exemplum, ut sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum; ita et nos vincamus iuxta posse nostrum. Ubera Mariæ dicuntur virginitas et humilitas, in quibus delectatus est Christus, quæque nobis proposita sunt ad informandum et instruendum, ut sequamur vestigia eius. Et comparentur botris, quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam et reficit, sic virginitas et humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant, calefaciunt in amorem, et reficiunt ad spiritualem satietatem.

Porro hæc omnia quæ de Ecclesiæ, animæ sanctæ et Deiparæ forma et pulchritudine, eiusque membris, puta pedibus, femoribus, umbilico, ventre, uberibus, collo, oculis, naso, capite, coma, statura a versu 1. huc usque dicta sunt, et deinceps dicentur, mutato nomine adapta humanitati in Christo a Verbo assumptæ. Hæc enim prima et intima est Verbi sponsa, quæ Ecclesiam, animas sanctas et Deiparam eidem Verbo despondet, uti dixi in Proœmio cap. 2.

VOX CHORI

ADOLESCENTULARUM.

Vers. 8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius, et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut malorum.

Dixi: Ascendam in palmam (Syrus et Arabicus, *per*

palmam, ad carpendos eius dactylos) ET APPREHENDAM FRUCTUS EIUS, ET ERUNT UBERA TUA SICUT BOTRI VINEÆ, ET ODOR ORIS (Septuag. Pagnin. et Vatablus, nasi; Syrus, *faciei*; Hebr. enim אף *aph* nasum, faciem et os significat) TUI SICUT MALORUM.) Septuaginta: *sicut pomorum*.

Pro *fructus*, Hebr. est סנסנים *sansinnim*, quod Septuag. vertunt, *cacumina*; Arabicus, *altitudines*; Aquila, *elatas*; Symmachus, *ramos*; Vatablus, *palmites*. Omnia hæc eodem redeunt: significantur enim elatæ, sive fructus dactylorum a cacumine ramorum palmæ dependentes, item fructus vitis maritatæ cum palma, puta uvæ et racemi, ut vult Aben Ezra, Alcazar, Delrio et alii.

Ubera recte comparantur botris, quia tumentia, succulenta, rotunda; hinc maiores botri vocantur *bumasti*, id est, bovis sive vaccæ ubera: tam grandia sunt ubera matrum et nutricum mammosarum, qualis hic inducitur Synagoga.

Odor oris vel nasi est halitus sive anhelitus, qui naso et ore efflatur, fragrantia, ait Theod. nam suave olet cum mala, tum punica, ait sanctus Gregorius; horum enim in Canticis crebra est mentio; tum citria, et quævis alia: odor enim pomorum suavis est et acer, ac vinosum quid redolet.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

PRÆSTITIT in similitudine palmæ, q. d. Sicut palma crebris corticum segmentis quasi gradibus intuentes allicit ad ascensum in cacumen, ut ibi botros tum palmæ, id est, dactylos, tum vitis illi maritatæ, id est, uvas decerpant; sic tu, o Synagoga, quæ in palmæ altitudinem et decorem excrevisti, me, puta chorum adolescentularum, id est, imperfectarum in fide et pietate animarum allicis, ut ad tuam celsitudinem conscendam, et ad ubera botris tuis similia pertingam, ex iisque sugam lac, imo vinum doctrinæ sublimis, quod me ad perfectionem vitæ Christianæ perducat, ac simul ex ore tuo hauriam spiritum suaveolentem pietatis et sanctitatis. Ita Hortolanus, Sanchez, Delrio.

Audi tres Anonymos apud Theodoretum: « Mecum ipsa deliberans dixi: Ascendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ, et per contemplationem apprehendam eius sublimitatem. Et disciplinæ tuæ ubera, quæ me naturaliter nutriunt, erunt omnino sicut botrus veræ vitis, qui Christus est, præbentes mihi gratiam divinitatis: quæ vini more a natura mentem dimovet, et supra naturam transfert. Unde etiam odor naris tuæ sicut poma; gratia scilicet Spiritus sancti, mentem implens suavitate, quam tu a sponso susceptam in nos infundis. Sicut poma sunt tum aspectu pulchra, tum odoratu suavia, tum gustatu dulcia; sic ipsa nobis erit et virtutum moribus decora, et odorifera sermonum venustate, et dulcis experientiæ iucunditate. »

Primo ergo per palmam accipe staturam, id est, celsitudinem palmarem Synagogæ; de hac enim sermo præcessit, celsitudinem, inquam, non corporis, sed spiritus et virtutis.

Symbol. Palma est crux Christi. Secundo, symbolice per palmam accipe crucem Christi; statura enim Synagogæ assimilata fuit palmæ tum naturali, tum symbolicæ, hoc est cruci Christi, quia ipsa per crucem ad magnitudinem palmæ in virtute et spiritu excrevit. Unde per palmam crucem Christi intelligunt Cassiodor. Iustus, S. Gregor. Honor. Guilielmus hic, et Tertullianus lib. 3. contra Marcion. et S. Cyprian. serm. de Passione, Petrus Damianus, sermon. de inventione Crucis. Quocirca multi censent crucem Christi confectam fuisse ex palma, idque hic significari, de quo mox.

Hinc rursum Cassiodorus, Philo, Honorius, S. Gregorius, Aponius, Beda, Anselmus, Rupertus et alii plures hæc accipiunt de Christo ascensuro in crucem. Hinc S. Gregorius Nazianzenus tragœdia de Christo patiente censet Christum crucifixum non in terra, sed cruci iam erectæ et firmatæ in terra, per scalas fuisse affixum. Idem censet S. Bern. de Passione Domini (vel quisquis est Auctor) cap. 5. et 8. Bonavent. in fasciculo myrrhæ cap. 3. Contrarium tamen communiter tenent alii, scilicet Christum in terra prostratum fuisse cruci affixum. Id enim facilius et commodius erat; ita censent S. Anselmus lib. de Passione, B. Laurent. Iustinian. serm. de Passione Domini, S. Antoninus in Chronicis parte 1. Lipsius lib. 2. de Cruce cap. 7. et alii, in eamque inclinat Franciscus Suarez; priorem tamen sententiam, quod Christus cruci erectæ sit affixus, confirmat, quod hoc erat maius supplicium, et maior ignominia ad maiorem terrorem; idque sibi in monte Calvariæ oranti a Christo revelatum esse asserit S. Birgitta lib. 7. Revelat. c. 15. Unde S. Ambros. lib. 10. in Lucam docet Christum ascendisse in crucem. Et S. Cyprian. tract. de Passione: *Ascendisti*, inquit, *Domine, palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum*. Idem diserte Nicephor. lib. 1. cap. 30. Toletus in cap. 19 Ioan. Annot. 14. Rutilius Benzonius, Paleottus et alii quos citat Daniel Mallonius Annot. in c. 6. Alphonsi Paleotti de Stigmat. S. Sindonis, et Consalvus Durantus Annot. in lib. 7. Revelat. S. Birgittæ cap. 15. Verum hac de re pluribus agendum Matt. 27. v. 33. Audi Honorium: « Quod statura perseverantiæ tuæ assimilata est palmæ victoriæ meæ, hoc ideo est, quia ego ascendi in palmam, et traxi te post me ad victoriam. Videlicet quia exaltatus sum in cruce, omnia traxi ad me, in quibus et te. Dixi enim, id est, firmiter apud Patrem ante sæcula disposui, quia ascendam in palmam, id est crucem, et vincam tyrannum, et tunc apprehendam fructus eius, scilicet omnes salvandos, quorum pars sunt ultimi Iudæi; et victo tyranno fugitivos ad me retraham. » Et post nonnulla: « Ubera Sunamitis sunt prædicatores, qui lac doctrinæ præbent rudibus. Vinea est Ecclesia, botrus est Christus, in prælo crucis pressus, de quo fluxit vitæ potus. Sic premuntur doctores Synagogæ in Antichristi persecutionibus, et fluunt de eis vitæ pocula fidelibus. Odores vero Sunamitis sunt fama et opinio bonæ operationis et prædicationis, quæ sunt sicut odores malorum, id est, sicut prædicationes Apostolorum. »

Verum ex præcedenti liquet hæc esse verba Ecclesiæ, vel potius chori adolescentularum; harum enim est crescere et ascendere. Ergo chorus adolescentularum, id est, imperfectorum, Ecclesiæ laudibus applaudens et succinens, dicit Synagogæ Iudæorum ad Christum conversæ: Video te, o Domina, per palmam crucis Christi in palmæ arboris altitudinem excrevisse; quia enim credidisti in Christum crucifixum, eique te per omnia conformasti, hinc subito tam procera evasisti, ut doctores illustres et martyres eximios protuleris. Quare ego gestio tecum in hanc crucis Christi palmam conscendere, ut inde tecum tam generosos fortitudinis, sapientiæ et martyrii fructus decerpam, ac ipse quoque doctores et martyres eximios producam, qui tecum pro Christo contra Antichristum usque ad mortem decertent, nimirum ibi *ubera tua* erunt mihi *sicut botri vineæ*, quæ pro lacte parvulorum fundent mihi vinum forte, et ardens doctrinæ et martyrii, quod proprium est in fide adultorum et perfectorum, ut superius dixi: *Et odor oris tui sicut malorum*; quia suavia pietatis et constantiæ exempla et documenta ab ore tuo excipiam, quæ imiter, et aliis admiranda et imitanda proponam; odor enim proprie notat bonam ædificationem bonique exempli et famæ fragrantiam.

Huc facit versio Chaldæi, qui de Iudæorum prophetis more suo ita vertit: « Dixit Dominus in verbo suo: Ascendam et tentabo Danielem, et videbo si potest stare in tentatione hac, sicut stetit Abraham, qui similis fuit ramo palmarum, quem probavi decem tentationibus, et probabo quoque Ananiam, Misael et Azariam: et si possunt stare in tentationibus suis, redimam propter merita eorum populum domus Israel, qui comparatus est botris uvarum: et nomen Danieli, Ananiæ, Azariæ et Misael audietur in universa terra, et odor eorum erit fragrans, sicut odor pomorum paradisi voluptatis. »

Porro palmæ symbolum est victoriæ et imperii, quod

Christus et Ecclesia per crucem consecuti sunt. Causam dat Philo lib. 2. de Vita Mosis; quia vis palmæ (quam non in radice defossam ut cæteræ, sed in summo quasi cor situm in ramorum medio habet) a ramis ipsis circumquaque stipatur, ceu princeps a suis satellitibus, et quia sicut regnum militari munitur præsidio, nec sine labore seu certamine aut acquiritur aut conservatur; sic etiam palma, cuius folia gladiorum præ se ferunt speciem, militari velut præsidio cingitur, nec sine labore fructus eius, qui in summo est, comparatur.

Hinc pro *fructus* Septuag. hic vertunt *cacumina*. Quocirca Rupertus, Honorius et Guillelmus censent Christum *ascendere in palmam et apprehendere fructus eius*, idem esse, quod *exaltari a terra, et omnia ad se trahere*, Ioan. 12. 32. eo quod difficilis Christo fuerit hic in crucem ascensus per clavos, lanceam et spinas, ut eius fructum et cacumen, id est orbis imperium, obtineret.

Audi Rupertum: « Ascendi in palmam manibus militum, qui divinæ dignationi meæ nescientes militant. Quantum in ipsis fuit, crucifixerunt hominem misere moriturum: quod B ad me attinebat, ascendi in palmam tamquam rex triumphaturus. De qua quidem Iudæi divinæ dispensationis ignari descendere monuerunt dicentes: si Rex Israel est, descendat de cruce. Ascenderam in palmam, et ideo nolebam descendere, nondum formatis fructibus (adhuc enim florebat palma, cum ei talia dicerentur) cum autem gustato aceto dicerem: Consummatum est, et inclinato capite traderem spiritum, iam redemptionis mundi fructus in palma erant. »

Crux Christi ex Palma. Hac de causa multi censent crucem Christi saltem ex parte factam ex palma. Unde tritum carmen, quod citat Gloss. in Clement. de Summa Trinit.

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliva.

Imo multi contendunt lignum transversum crucis, cui clavis affixæ fuere manus Christi, fuisse ex palma, ideoque dici *apprehendam* (*manibus*) *fructus eius*. Unde versus:

De cedro est truncus, corpus tenet alta cupressus:
Palma manus retinet, titulo lætatur oliva.

Vide Gretserum l. 1. de Cruce, c. 5. Lipsium l. 3. de Cru- C ce, c. 13. Delrio lect. 10. de Passione Domini.

Huc facit illud iuxta Septuag. olim lectum Psal. 95. v. 9. *Regnavit a ligno Deus.* Unde et Christo ingredienti Ierusalem, quasi Messiæ Regi inaugurando in cruce, occurrit turba cum ramis palmarum accinens: *Hosanna filio David*, q. d. Vivat noster Messias Rex, Davidis filius, et hæres.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima sancta perfectionis avida dicit cum S. Paulo: *Ego me non arbitror comprehendisse, sequor autem, si quo modo comprehendam*, Philip. 3. Quare cum Davide ascensiones in corde suo disponit, ut eat de virtute in virtutem, D ait Theodoret. ac nominatim ascendit in palmam mortificationis et crucis Christi: ibi sugit ubera non lactis, sed vini fortis, scilicet invictæ patientiæ et charitatis, ibi quoque haurit odorem oris Christi, id est fragrantiam modestiæ, obedientiæ, amoris, et orationis Christi orantis pro suis crucifixoribus, ut hasce eius virtutes amet et imitetur. Unde S. Ambros. lib. de Isaac, c. 8. per palmam accipit charitatem: hæc enim est palma virtutum omnium, ideoque in palma crucis Christi maxime resplenduit: *Ipsa charitas*, ait S. Ambros. *palma est, ipsa enim est plenitudo victoriæ: plenitudo legis charitas est*, Rom. 1. c. 13. Idem l. 3. Hexam. c. 13. *Dixi*, inquit, *Ascendam in palmam, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns Verbi, et sperans, quod ad eius altitudinem possit ascendere, et scientiæ summitatem, dixit: Ascendam in palmam, ut omnia inferiora relinquat, et ad superiora contendat ad bravium Christi, ut suaves eius fructus carpat et gustet: suavis enim virtutis est fructus.* Et S. Chrysost. hom. 22. ad populum: *Dic tu quoque*, inquit, *secundum illam sanctam animam: Dixi: Ascendam in palmam ad tenendum sublimitates eius; rectitudinem amantem, et mundum habentem cor, et ad cælestia bona currentem, nec circa terrena tantum distractam. Vide ne stimulos habeat palma tua, contra peccatum redargutiones: sermones enim sapientium tamquam boum stimuli, at qui his punguntur, corde compungantur, et ab omni peccato abstineant: sed diligenter ipsius altitudines retine, ut sine ruina permaneas continue ventorum incursus ferens.* Causam dat Philo, scilicet crucis fructus plurimos et maximos: *Christus enim*, inquit, *tantopere nos amavit, ut acerbissimam crucis mortem subire non dubitarit, eiusque altitudines dolorum omnium et cruciatuum, ignominiæ atque dedecoris, non modo vicerit, verum etiam amabiles reddiderit, et gloriosas, planeque cælestes et salutares.* Hinc Paulus, egregius ille prædicator et doctor, in crucis ignominia et passione gloriatur, cum dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Hinc reliqui Apostoli et cæteri fideles omnes laborum præmia consecuti sunt et consequentur. In hac una tentamenta omnia et ærumnarum tormina sedantur atque vincuntur: per hanc animi perturbationem et vulnera vel lethalia felicissimi curantur. Hinc fit ut quod sequitur habeamus*; ait enim: *Et erunt ubera tua ut botri vineæ, et odor nasi tui, tamquam odor mali odoratissimæ. Ut enim botri vineæ calcati ac pressi, lætissimum liquorem vini suo agricolæ, atque vinitori effundunt; sic viri Dei iusti ac sancti diris cruciatibus, atque pressuris hominum, botrorum instar afflicti ac torti, per victoriam salutarem cultori Deo et Iesu Christo, ac sponsæ cælestem lætitiam de se pariunt ac promunt, sanctitatisque odore atque virtutum ad idem cæteros imitatores Christi alliciunt ac trahunt.* Subiungit Philo: *Sicut mala sive poma cibum de se præstant ac potum, quæ duo simul in se continent; sic et bonus odor Ecclesiæ ex recta fide et sincera charitate mysticum potum ac cibum corporis et sanguinis Christi possidet, ac potat, quod ex sequentibus patet*: ait enim: *Et guttur tuum uti vinum bonum, proveniens fratri meo in rectitudinem, quod satisfacit labiis meis atque dentibus.* Sic et Theodor. hæc refert ad Eucharistiam, q. d. Christo: Tu es vera illa vitis, ex qua salutiferum vinum conficitur spiritalibus prælis expressum: unde calix ille impletur inebrians, asne præclarus.

Tropologice S. Gregor. per mala punica accipit martyres: per os sponsæ, prædicationem Ecclesiæ: « Quæ, inquit, dum virtutes martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat, quid aliud quam malorum odorem in ore portat? quia et ruborem corticis in martyrio ostendit, quod prædicat, et in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide, quasi sub eodem cortice, demonstrat. » Tropol.

Porro martyribus palma debetur. Nam, ut ait S. Ambrosius serm. 38. qui est in Domin. 2. Quadrag. « Præmium quoddam est palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, et victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Est plane palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper parata victoriæ, atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit. »

Anagogice Honorius: « Triumphans Ecclesia, inquit, in palmam ascendit, quia per victoriam crucis ad lignum vitæ pervenit, de quo scriptum est: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Fructus eius iam apprehendit, de quo qui comederit, non morietur in æternum. Ubera eius sunt sicut botrus vineæ, quia gaudia, quibus pro pressuris mundi inebriatur, sunt sicut gaudia Christi in cruce pressi. Ipse enim est botrus vineæ, potus Ecclesiæ, fons vitæ: ab ipso inebriabitur, quando ei dicetur: Intra in gaudium Domini tui; tunc erunt odores eius sicut malorum, id est deliciæ eius erunt sicut angelorum, et guttur eius, sicut vinum optimum, id est laus eius erit sicut laus epulantium. » Anagog.

*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Rupertus cum aliis censens hæc esse verba sponsi ait Christum iturum ad passionem id matri significasse; sic enim Christum loquentem inducit: « Si enim ipsis amicis dixi: Ecce ascendimus Hierosolymam et filius hominis tradetur ad crucifigendum, et alia multa ad hunc sensum pertinentia, imo si et inimicis dixi: Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum: quanto magis charissimæ dixi, aut dicere debui: Ascendam in palmam, et apprehendam fructum eius: et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odores tui sicut malorum; guttur tuum sicut vinum optimum? Hoc erat dicere: Exaltabor in crucem victoriosam, et moriendo morte fructuosa operabor velociter salutem omnium credentium; et deinde doctrina tua, doctrina legalis atque evangelica tempore opportuno palam prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur: et bonus ubique diffunditur odor bonorum operum tuorum, et dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum. » Addit Honorius: « Vinea de qua oblatus est botrus, fuit floridum corpus Mariæ, qui botrus in torculari crucis expressus: et inde fluxit fidelium potus. »

Rursum postquam Christus ascendit in palmam crucis, mox apprehendit fructus eius: nam tertio die a morte gloriosus resurrexit, et die 40. triumphans in cælum ascendit, ac die 50. misit in B. Virginem, et in Apostolos Spiritum sanctum; tuncque ubera B. Virginis facta sunt sicut botri vineæ, quia tunc cœpit conceptionis, nativitatis, pueritiæ, cæteraque vitæ Christi mysteria, præsertim secreta, et sibi soli cognita, utpote in se vel per se peracta, fidelibus, ac præsertim S. Lucæ, qui ea in Evang. conscripsit, revelare: tunc pariter palam cœpit peccatoribus et tribulatis ad se confugientibus vinum pœnitentiæ, consolationis, gratiæ et sanctæ exultationis propinare: *Et odor oris tui sicut malorum*, quia in verbis eius erat non tantum sancta delectatio, sed et vitalis refectio, quæ nimirum ab ore eius, suavi salubritate, et salubri suavitate pleno, Ecclesia primitiva excipiens, verbis simul et litteris transmisit ad posteros; odor hic ergo eius sparsus est per omnes fines terræ, et per omnia temporum sæcula. Ita Guillelmus.

Vers. 9. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.

Guttur tuum sicut vinum optimum (Tigur. *madens vino præstantissimo*) dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus eius ad ruminandum.) Hebr. *Palatum tuum* (o sponsa Synagoga; pronomen enim affixum in חִכֵּךְ chickech, significans *tuum*, est fœmininum) *sicut vinum bonum* (per eminentiam, id est optimum) *quod vadit ad dilectum meum ad rectitudines* (id est recte blandeque ingreditur os eius, ut vertit Noster Proverb. c. 23. v. 31. Pagnin. vertit, *propter bonitatem vini*; Symmach. *conveniens dilecto meo in rectitudinem*; Arabicus: *quo dilectus meus vadit ad rectitudinem*; Tigurina: *Quod meis amoribus reddat idoneam ad ea quæ rectissima sunt*) *loquens* vel *sonans labiis dormientium*, vel ut Pagnin. *loqui aut mussitare faciens labia dormientium*; Agathius: *Eructare faciens labia senum*. Vinum enim præstans post potum ad os et labia redit, illaque ruminare, mussitare et loqui facit, iuxta illud:

Fæcundi calices quem non fecere disertum?

Sic Siculi, ait Nigidius Siculus, hic vinum optimum vocant vinum mortuorum, quod scilicet mortuos quasi suscitat, et loqui faciat. Hinc Noster vertit, *ad ruminandum*, iuxta illud vinolentorum: *Vinum bonum non bibendum, sed mandendum*. Septuag. *sufficiens labiis*: Vatabl. *Et palatum tuum est velut vinum, quod dilecto meo defluit suavissime loquenti sermone dormientium*, id est, sermone balbutiente ac imperfecto, q. d. sermo tuus tam suavis est, o sponsa, quam suave esse solet optimum vinum amico meo, quo epoto, non satis expedite loqui solet. Hæc Vatabl.

Noster, Septuag. et Aquila addunt, *et dentibus*, quia pro יְשֵׁנִים iescenim vel iescanim, id est, *dormientium* vel *senum*, legerunt, וְשִׁנַּיִם vescinaim, id est, *et dentium*. Hos secutus Syrus vertit: *Os tuum sicut vinum bonum, ut vadam ad patruelem meum in rectitudinem, qui movet labia mea et dentes meos*. Nam pro שִׂפְתֵי siphte, id est, *labia*, Septuag. et Syrus, aliis punctis legerunt: שְׂפָתַי saphatai, id est, *labia mea*.

Dignum dilecto.) Alcazar censens hæc omnia esse verba sponsi; per dilectum accipit non sponsum (hic enim dixisset *dignum me*) sed quemvis amicum. Verum Hebr. דוֹדִי dodi, id est, *dilectus meus*, in Canticis ubique significat sponsum.

Quocirca Almonacirius planius cum Rupert. respondet, τὸ *guttur tuum sicut vinum optimum*, dici a sponso, cui deinde sponsa approbando, et laudem in sponsum reflectendo, respondeat: *dignum dilecto meo*. Verum planius et aptius est, ut omnia a vers. 6. usque ad vers. 10. dicamus esse verba chori adolescentularum, qui sponsum vocat dilectum *suum*, id est, *heræ suæ* Synagogæ, vel *suum*, quia ad eius nuptias aspirant; ad easque certo perventuræ sunt, cum uti decernunt, ascenderint in palmam crucis et perfectionis.

Sensus est, q. d. Sponsa non tantum suavem odorem malorum, sed et saporem vini optimi ore et gutture exhalat, optimi, inquam, quod sponso dignum sit ad potandum, imo ad mandendum, et ruminandum.

Porro Chald. hæc ad Prophetas referens, more suo sic vertit: « Dixit Daniel et socii eius: suscipiendo suscipiemus super nos decretum verbi Domini, sicut suscepit super se Abraham pater noster, qui comparatus est vino veteri, et ambulabimus in viis, quæ rectæ sunt coram eo, sicut ambulaverunt Elias et Elisæus Prophetæ, per quorum merita surrexerunt mortui, qui similes sunt vino dormienti: et sicut Ezechiel filius Buzi Sacerdos: quia in prophetia oris sui suscitati sunt dormientes mortui, qui erant in campo Dura.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Synagoga ad Christum conversa gutture vinum optimum exhalabit, cum per Eliam vino Christianæ doctrinæ et charitatis accensa, et quasi ebria illud eructabit; cum scilicet sermonibus suis, et concionibus ardentibus proximus quosque amore Christi inflammabit, quod vinum Christo erit dignum, gratum et iucundum ad ruminandum et crebrius commemorandum. Unde Cosmas Damianus chorum filiarum, sive adolescentularum Synagogæ, heram suam ita loquentem inducit: liceat, oramus, te aliquando osculari, et abditissima divinitatis arcana ex tuo gutture ebibere, quod generosum et optimum vinum spiritualis hominis cor exhilerat, sine vitio inebriat, et virgines Christianas animas succulentas reddit, ac maxime sobrias, ut iam tibi nemo vitio vertat (ut olim illi) quod dum osculum das, vinum propines. Id vero vinum in te prius a sponso tuo, iam mihi charissimo, infusum ex tuo gutture quasi ex euripo quodam, quum in alios docendo refundis ad Christum amores meos (unde prius manavit) tamquam ad suam primam recurrit originem: quod ille summa cum voluptate repetitum bibit, perque os suum versat. Quin et hoc ipsum illud vinum est, quod senes alioqui infantes idiotas disertos reddit et eloquentes, cælesti nimirum calore accensos et recreatos.

Audi S. Gregor. « In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio iterum designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum, sicut dictum est, obliviscantur, et ad anteriora currentes non lassentur. « Et post pauca: « Tale

est sponsæ vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum, quia dum sancta Ecclesia fidem veram prædicat, dum auditores suos ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti bonum esse, verbis et operibus demonstrat, quid aliud, quam vinum suum dignum facit, ut in ore sponsi dulce sapiat? Quod bene Christus potare dicitur, quia a corpore suo, id est, a populis fidelibus amabiliter potatur. » Verba deinde pressius urgens, subiungit: « De quo notandum est, quod omnes potant, sed labia sola et soli dentes ruminant, quia dum Ecclesia per sanctos suos prædicat, omnes quidem audiunt, sed non omnes quanta sit virtus sententiarum, quæ dicuntur, discernunt. Labia vero et dentes ruminant, quia dum perfectiores quique post auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant, quasi ad os revocantes, quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi, quem comederunt, sentiunt. Idcirco in lege scribitur, quia animal quod non ruminat immundum habetur; quia quisquis bona, quæ audit sive legit, non recogitat, vacans a sanctis cogitationibus, necessario immundas congregat. »

Accedit Theodoret. et Iustus Orgel. qui per guttur accipiunt doctrinam Evangelii; per labia et dentes vero prædicatores. Aponius autem guttur Ecclesiæ ait esse S. Petrum. Addit Cassiodorus, Beda, Rupert. aliique, et quoslibet prædicatores. Porro Cassiodor. guttur vini optimi ita distinguit ab odore oris instar malorum, ut per guttur accipiat prædicationem, quæ voce fit, per odorem vero oris eam, quæ scripto vel fama fit: efficacior autem et ardentior est viva vox, quam odor oris: unde ille vino præstanti comparatur, hæc malis et pomis.

Symbol. Symbolice, Philo Carpathius per guttur Metonymice accipit Christi corpus et sanguinem gutturi fidelium exhibitum in Eucharistia, iuxta illud: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Psal. 33. Has igitur, inquit, spirituales escas et salutares, corporis scilicet et sanguinis Iesu Christi gustans Ecclesia, et quæque fidelis anima, guttur habet ut vinum bonum. Hoc enim vinum sancte potum, dolores omnes animi sedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omnesque morbos facillime sanat ac curat, estque æternæ vitæ salutaris unda, fons, et origo in remissionem peccatorum benignissime effusus ac datus ab omni scelerum sorde et gravitate lavans, dicente Domino: Accipite et bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Estque admirabile, quod proveniens fratri meo in rectitudinem, dixit ut ostenderet solis rectis corde hanc lætissimam escam cælestem, panem supersubstantialem, et salutarem potum esse datum: quod ille idem cælestium arcanorum haustor explicat, cum dicit: Lux orta est iusto, et rectis corde lætitia. Et Paulus sanctissimus Apostolus, non temere ad hoc divinissimum convivium accedendum esse admonet, dicens: Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat, etc. O rem miram! o rem tremendam! hæc quæso mecum diligenter sacerdotes attendite; hæc fratres animadvertite; hæc timete semper et cavete periculum.» Hæc et plura Philo.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

CATO, teste Plutarch. osculari solebat uxorem, filias, neptes, ut ex ore earum et halitu vinoso olfaceret, an vinum bibissent, ac meribibulas castigaret, uti S. Monica iunior existens ab ancillis meribibula cognominata, et castigata vini appetitum correxit et abscidit, teste S. August. lib. 9. Confess. At pii pendent ab ore sanctorum, qui spirituali musto divini amoris ebrii eructant magnalia Dei, ut similem spiritum doxologiæ Dei hauriant: uti contigit Iudæis audientibus Apostolos, Christum resonantes post acceptum Spiritum sanctum. Actor. 2. Hoc enim mustum Christo est gratissimum ad hauriendum et ruminandum.

Unde Beda, et Honorius: Guttur animæ, loquuntur, est vox laudis et confessionis eius, quod est sicut vinum optimum, quia non inflat inebriando, sed lætificat cor recreando. Et Guilielmus: « In gutture, inquit, vocis officium est. Habet autem et homo interior guttur suum spirituale, quo plerumque intus in laudem Dei clamosus est homo, nullo corporali sono foris perstrepente. Unde Propheta de sanctis Deum laudantibus: Exsultationes, inquit, Dei in gutture eorum. Porro vinum et in sapore iucundum, et in colore decorum est. Cum ergo formam illam implemus, quam nobis Propheta præscribit: Deo, inquiens, nostro sit iucunda decoraque laudatio: tunc guttur nostrum est sicut vinum. Sane iucunditas laudationis in hilaritate consistit devotionis. Qui ergo laudat Deum hilariter et devote, procul dubio laudat eum iucunde, etc. qui vero cum munditia conversationis hilaritatem Deo exhibet sanctæ piæque devotionis, in gutture suo habet iucundam decoramque laudationem, qualis Deum decet.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

GUTTUR B. Virginis est sicut vinum optimum, quia non nisi laudes Dei eructat, ut cum cecinit: *Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, etc.* Unde Guilielmus eam sic loquentem inducit: *Vere in laudibus dilecti guttur meum sicut vinum optimum: nam quantum diligo, tantum et laudo, et pro mensura dilectionis est modus laudationis*; idque tam in adversis, quam in prosperis, ac præsertim cum cruci Christi astitit. Tunc enim resignata in manus Dei, immensum eius in homines amorem, ac Christi obedientiam admirate laudavit. Secundo, Honorius: guttur, inquit, est doctrina Virginis, qua docuit verbo et exemplo Deum humiles exaltare et superbos humiliare, iuxta illud, quod ipsa ait: *Dispersit superbos, et exaltavit humiles*, Lucæ 1. Doctrina hæc sane est optima et præstantissima. Tertio, Hailgrinus per guttur accipit preces B. Virginis, quæ sunt similes vino optimo, quia ipsa nil petit nisi pium, sanctum, et Deo dignum. Unde eius preces filius non tantum potat, id est, avide haurit, sed et ruminat, id est, iis immoratur, iisque se oblectat. Audi Christum Dominum os et guttur B. Virginis mystice describentem S. Birgittæ lib. 9. Revelat. in fine Interrog. 9. *Os tuum fuit quasi lampas intus ardens et lucens ab extra, quia verba et affectiones animæ tuæ fuerunt ardentes interius divina intelligentia, et exterius splendentes ex dispositione laudabili tuorum motuum corporalium, et concordia pulcherrima tuarum virtutum. Vere mater charissima verbum oris tui traxit quodammodo Deitatem meam in te, et fervor divinæ dulcedinis tuæ numquam separabit me a te, quia verba tua dulcia sunt sunt super mel et favum.*

VOX SPONSÆ NOVÆ

PUTA SYNAGOGÆ AD CHRISTUM CONVERSÆ.

Vers. 10. EGO DILECTO MEO, ET AD ME CONVERSIO EIUS.

Pagninus: *Desiderium eius.* Vatabl. *Ego dilecti mei sum, et ad me desiderium eius*, q. d. Ego Sponsum diligo, et ille vicissim unice me diligit: ego tota illius sum, ille vicissim totus meus est: Ego me totam devovi illius obsequio, ille vicissim se suosque oculos, suam curam, amorem, et officia in me convertit, ac aspicit, quid ego velim vel optem, illudque illico perficit, ut meis votis et desideriis obsecundet: quare se totum meæ potestati et voluntati permisisse videtur. Hoc enim significat Hebr. תשוקתך *tescinkattech*, Genes. cap. 3. 26. quod Noster vertit: *Potestatem*, dicens: *Sub viri potestate eris*, pro quo Aben Ezra vertit: *Et ad virum tuum obedientia tua.*

Porro Chald. vertit: « Dixit Ierusalem: In omni tem-

pore, quo ego ambulabo in viis dominatoris saeculi, habitare facit maiestatem suam in medio mei, et ad me est desiderium eius, et in tempore, quo ego declino a viis eius, aufert maiestatem suam a me, et transfert me inter populos, et ipsi dominantur in me, sicut vir, qui dominatur uxori suæ. »

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Est vox Synagogæ conversæ ad Christum quæ Christi sponsi amori, æque ac adolescentularum laudibus respondet, ac amorem amori rependit atque se totam sponsi esse pronunciat, q. d. Ego tota sum dilecti, sicut ille vicissim totus meus est. Ego meos oculos, mentem actusque omnes ad ipsum converto, omnes cogitationes et intentiones ad ipsum dirigo, ipsi uni placere et satisfacere contendo, illum unum specto, ut illi per omnia serviam; sicut ille vicissim me unam spectat, ut meis commodis votisque obsequatur: ex illius ore nutuque pendeo, sicut ille vicissim meos nutus, os et vota observat. Rursum efficacius τὸ *et* potest accipi causaliter pro *quia*, q. d. Ego totam me ad dilectum converto, *et*, id est, *quia*, ipse quoque totus ad me conversus est: quare omnes amoris remoras, et impedimenta obieci. Simile dat Aristot. Ethic. 4. Sponsa, ait, ad sponsum respicit, ipsumque desiderat; sicut terra arida cælum respicit eiusque imbrem sitit; ac vicissim cælum ad terram respicit ipsique suam pluviam et influxum communicare appetit, ut ipsam gravidam, germinumque et fructuum feracem efficiat.

Audi Theodoret. « Ego fraterno meo me ipsam consecravi, et alienam tum Gentilium, tum Iudæorum, tum hæreticorum consuetudinem contempsi; nam ipse quoque me cæteris antetulit, et ad me sese convertit. Cum enim prius ubi reclinaret caput, non haberet, iam reperit, ubi illud reclinet: cumque multas habeat concubinas, et reginas, et adolescentulas, me omnibus anteponit. Neque vero patior, ut ego sola sacra illius fruar consuetudine, ideo dico: Veni, etc. »

Symbol. Symbolice Cassiodor. per conversionem accipit incarnationem. In illa enim Verbum ad humanam naturam se convertit, ad eamque a summo cælorum excurrit. Hebr. enim תשוקה *tesciuka* significat excursum. Verum a littera hoc alienum et remotum est. Initio enim Cantici egit de incarnatione: hic vero sub fine Cantici egit de fine et consummatione Ecclesiæ.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima, quæ se totam Christo devovet, qualis est religiosorum, vere dicit: *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius*, q. d. Ait S. Gregor. *Quoniam fide ac dilectione soli Christo adhæreo, solum sequor, solum cum Patre, et* D *Spiritu sancto unum Deum videre concupisco, respectionis eius suavitatem, visitationis benignitatem, conversationis dulcedinem gaudenter experiens proclamo.* Huius rei symbolum est herba sive flos, qui dicitur Heliotropium, id est, ad solem conversio. Sicut enim hic cum sole (etiam nubilo die) se circumagit, omnibusque horis cum eo vertitur; sic anima Christum amans in eum iugiter respicit, ut semper cum eo versetur, ac se per mysteria vitæ et passionis eius, quæ toto anno vicissim repræsentat Ecclesia, circumagens, perpetim in eodem omnem suam cogitationem, voluntatem et amorem defigit. Porro sicut sol radiis suis florem hunc circumagit, et ad se convertit, sic Christus animæ ad se unius conversionis primus est auctor: sua enim gratia animam ad se allicit, demulcet, inescat, ut iugiter ab eius quasi matris uberibus pendere se gaudeat.

Notat S. Ambrosius lib. de Isaac et Anima cap. 8. hunc A gnomen in Cantico ter iterari, secundum tres gradus et status animæ. Anima enim sancta primo est incipiens, secundo proficiens, tertio perfecta. Incipienti dicitur cap. 2. 16. *Dilectus* meus *mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Proficienti dicitur 6. 2. *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Tertio perfectæ dicitur hic: *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. In primo*, ait sanctus Ambrosius, *quasi in institutione adhuc umbras videt anima, necdum verbi appropinquantis revelatione commotas, et ideo adhuc ei dies Evangelii refulgebat. In secundo sine umbrarum confusione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requiem in se Verbo ministrat, ut convertatur super eam, et caput suum reclinet atque requiescat, meritoque iam tenens quem antea quæsitum invenire non poterat, invitat ad agrum suum dicens: Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis.*

Addit Iustus: *Ad me conversio eius*, ut scilicet meas preces exaudiat, atque mea bona opera et merita remuneretur, B præmietque in cælo, ait Philo.

S. Birgitta desponsata Christo. Sic in vita S. Birgittæ legimus Christum illi apparentem dixisse: *Esto sponsa mea.* Cui illico ipsa acquiescens a sæculo aversa, totaque ad Christum conversa habitum mutavit et vitam: atque ab eo tempore per annos 28. colloquiis cælestibus fruita est, multasque profundorum Dei arcanorum revelationes habuit, quæ etiamnum exstant, et a pluribus insignibus Theologis magna cum sapientiæ et pietatis laude approbatæ sunt.

Et B. Teresia. Sic et de B. Teresia scribit noster Franciscus Ribera nobilis S. Scripturæ interpres lib. 4. Vitæ eius cap. 40. sæpius ei divinam maiestatem magno amoris indicio dixisse: *Iam tu es mea, et ego sum tuus:* Et alia vice: *Ex nunc eris mihi sponsa, deinceps meum honorem respicies, non tantum ut tui creatoris, et tui Regis, et tui Dei, sed ut tui veri sponsi. Deinceps honor meus erit tuus, et honor tuus erit meus;* Et rursum: *Quia mihi es desponsa, hinc quidquid habeo, tuum est, ideoque tibi dono omnes dolores et labores quos pertuli, ac per illos quasi per rem propriam,* C *postula a Patre quod voles.*

Anagog. Anagogice Philo conversionem Christi interpretatur eius reditum ad iudicium: « Ego, inquit, serviam filio Dei, et ipse affatim me remunerabitur, cum in secundo illo adventu cælitus descenderit iudex sessurus omnium atque discussor, congregans mortales omnes a quatuor angulis terræ per lumen et officium angelorum. Sed illi primum convertamur oportet, et ille ad nos, sicut scriptum est: Convertere, convertere ad me, filia, etc. » Et alibi: « Convertimini ad me, et ego ad vos convertar. Sed ipse primus nos attrahat necesse est, ipse se primum offerat nobis oportet: tunc enim convertemur ad illum et sanabimur, iuxta illud: Sana me, Domine, et sanabor, salva me, et salvus ero, etc. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo, Honorius apposite ad genuinum litteræ sensum hæc verba tribuit B. Virgini oranti filium pro Iudæorum conversione: *Ego*, inquit, *dilecto meo* pro vobis preces effudi, *et ad me conversio eius*, hoc est, per me voluit vos ad misericordiam converti. Secundo, Guillielmus hæc adaptat B. Virgini stanti Christo crucifixo: « Plane, ait, ego dilecto meo per maternum commoriebar affectum, ita ut eius in me martyrium redundaret, et quasi commartyrem faceret. Ego tunc dilecto meo ad declarandam mei in ipsum amoris quantitatem, et eius ad me tunc conversio facta est ad declarandam filialem eius charitatem. Quantum enim me diligeret in ipso passionis articulo præclare ostendit, cum videns me piam matrem et discipulum stantem, quem diligebat, ad me de cruce conversus dixit mihi: Mulier, ecce filius tuus, discipulo autem: Ecce mater tua. Plane illius ad me in tanta non falsorum acerbitate dolo-

rum tam filialis conversio, quem filialem in me animum gereret, insigniter declarabat. » Vide dicta c. 2. v. 16. et c. 6. 2.

VERS. 11. VENI, DILECTE MI, EGREDIAMUR IN AGRUM, COMMOREMUR IN VILLIS.

Hebr. et Syrus: *Pernoctemus in villis*; Arabic. *Egredieris et commoraberis in villis.* Sulamitis, sive Synagoga novelle Christi sponsa sponsum a se iam inventum, et ex agro tendentem in urbem revocat ad agrum, puta ad rus aliquod proprium, ut ibi secretius, familiarius et plenius cum eo colloquatur et converseiur.

Porro Chald. vertit: *Quando peccaverunt populus domus Israel, transmigrare eos fecit Dominus in terram Seir regionis Idumææ. Dixit cœtus Israel: Obsecro te, dominator totius sæculi, suscipe orationem meam, qua ego oro coram te in urbibus transmigrationis meæ et provinciis populorum.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

SYNAGOGA in fine mundi convertenda ad Christum rogabit eum, ut secum in agros et villas prodeat, tum ut ab urbano strepitu et turba semota liberius orationi et colloquio ipsius vacet, tum ut agrestes et rusticanos homines aliosque extra Ierusalem in pagis et villis degentes, ad fidem Christi per eius opem et gratiam convertat. Ita Honorius, Delrio, Hortolanus, et alii. Sic Christus, dum viveret, obibat vicos et castella evangelizans regnum Dei: rusticani enim utpote simplicis, rudis, et innocentis vitæ aptiores sunt Evangelio: unde Christus ait: *Pauperes evangelizantur;* Matthæi 11. Et Isaias c. 43. 20. *Glorificabit me bestia agri, dragones et struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

Docet ergo hic Spiritus sanctus rusticos, viles, et plebeios non esse negligendos, sed catechistas et concionatores debere tam iis, quam civibus et nobilibus prædicare verbum Dei, imo iis, utpote rudioribus, erudiendis diutius oportere immorari, donec doctrinam et præcepta vitæ Christianæ capiant et imbibant, hoc significat, τὸ *commoremur.* Ita Theodoret. et tres Anonym. ac S. Ambros. de Isaac c. 8. quem audi: *Supra ad hortum invitabat, hic ad agrum habentem non solum florum gratiam, sed etiam triticum et hordeum, hoc est solidarum frumenta virtutum, ut fructus eius aspiciat. Qua ratione autem exire eum in agrum vellet, intellectus manifestus est, ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes. Ergo quasi perfecta anima non pro se, sed pro aliis intervenit, ut de sinu patris exeat, ut procedat foras tamquam sponsus de thalamo suo egrediens currat viam ut infirmos lucretur.* In libro autem 3. de Virginit. *Audite,* ait, *quid dicat sacrosancta Ecclesia: Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus* in *castellis.*

Audi et Hugonem Victor. Institut. monast. de Claustro animæ cap. 7. *Egreditur,* inquit, *animus a contemplatione ad sui circumspectionem: egreditur a cura sui ad agendam curam proximi, ut consoletur pusillanimes, corripiat inquietos, ut fiat ager virtutum, qui prius fuerat veprium et spinarum. Commoremur in villis, id est, in illis, qui sunt villani, id est, rudes et tardi ad percipienda documenta curiæ Christi.* Eadem habet Rupert.

Symbolice S. Gregor. per egressum Christi in villas, accipit egressum Christi e cælo in terras per incarnationem: *Ager,* inquit, *teste veritate,* Matth. 13. *est hic mundus; in agrum vero sponsus cum sponsa egreditur, quando Verbum Dei carne suscepta in thalamo Virginis mundo monstratur. In villis commoratur, quando Gentes per fidem visitat quam recipientibus largitur.* Hac de causa Christus non in urbe, sed rure, puta suburbano Bethlemitico quasi puer rusticanus nasci voluit: cuius imitatione ibidem vitam agere et peragere voluit S. Hieronym. S. Paula, S. Eustochium, magnaque pars nobilitatis Romanæ. Unde S. Hieronym. *Mihi,* ait, *oppidum carcer est, solitudo paradisus.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

ANIMA sancta amat agros, id est, solitudinem, ut in ea liberius orationi et contemplationi vacet; ut ex ea ardorem et zelum prædicandi etiam rusticis, rudibus et pauperibus, quem Christus ostendit, concipiat. Ita Honorius, Delrio, et alii. Unde noster Alcazar per agros et villas accipit exteras regiones, ut Iaponiam, Sinas, Cinaloam, in quas proficisci ambiunt religiosi Apostolici, ut gentes derelictas et barbaras ad Christum convertant, eo quod hoc Christo gratissimum esse sciant. Audi Cassiodor. *Iam,* inquit, *mysterio ascensionis, assumptum hominem ad cælos sublevasti: sed veni divinæ maiestatis præsentia me sæpius visitando, egrediamur in agrum mundi huius; prædicemus tuæ incarnationis fidem mundo: in villis ac pagis commoremur, ipsis quoque paganis fidem tuam annuntiantes.*

Addit Cassiodor. *Nemo nescit paganos a villa dictos, quia πάγος Græce, villa dicitur Latine. Inde Pagani dicti, quia longe sunt a civitate Dei.* Licet alii aliud pagani dent etymon. Hinc et Symbolice Philo: Sponsus Christus, ait, pernoctavit in villis, cum in agrestibus Iudæorum mentibus, duris et obstinatis animis, pervicacissimisque et sævis cordibus ad noctem usque mortis peregrinus, invisus, et perosus fuit. Melius hæc accipias de Iudæis ad Christum iam conversis, et in fine mundi convertendis.

Anagogice S. Ambros. orat. de Obitu Valent. hæc accipit de egressu animæ e corpore, et migratione in cælum: « Venisti, inquit, eo ubi diversarum virtutum fructus pro singulorum meritis deferuntur, ubi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum, in quo non vacuus labor, sed fœcundus est proventus gratiarum. Quod in terris seminasti, hic mete: quod ibi sparsisti, hic collige. Aut certe veni in illum agrum, qui est odor Iacob, hoc est veni in gremium Iacob, ut sicut Lazarus pauper in Abrahæ sinu; ita etiam tu in Iacob Patriarchæ tranquillitate quiescas. Sinus enim Patriarcharum recessus quidem est quietis æternæ. Requiescamus in castellis, ubi requies est tutior, quæ septo cælestis refugii munita atque vallata non exagitatur sæcularium incursibus bestiarum. » Sic et Honorius. Anagog.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

IAM dicta apprime competunt B. Virgini, quæ zelo animarum flagrantissimo, omnium etiam agrestium et vilium hominum salutem impense desiderat, et procurat; ideoque excitat viros Apostolicos, qui eis prædicent, viamque salutis ostendant. Guilielmus tamen hæc accipit de B. Virgine suadente Apostolis, ut, occiso a Iudæis Stephano, ab iis tamquam a perfidis et Evangelio resistentibus, egrediantur in villas Gentium, illisque Christum annuntient. Idem habet Rupertus.

VOX SPONSÆ

VETERIS ET NOVÆ, HOC EST, ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ.

VERS. 12. MANE SURGAMUS AD VINEAS, VIDEAMUS SI FLORUIT VINEA, SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, SI FLORUERUNT MALA PUNICA: IBI DABO TIBI UBERA MEA.

MANE SURGAMUS (ut eamus) AD VINEAS, VIDEAMUS SI FLORUIT VINEA, SI FLORES FRUCTUS PARTURIUNT, SI

FLORUERUNT (Aquila *se aperuerunt*: flores enim mali punici se pandunt) MALA PUNICA: IBI DABO TIBI UBERA MEA) Vatabl. *Ibi meum amorem ergo te profundam.*

Pro *si flores fructus parturiant*, Septuag. vertunt: *Si floruit propago*; Philo: *si floruit cyprus*. Ipse enim pro κυπρισμος, id est propago, legit κυπρος, id est, cyprus. Pagnin. *Si aperuit se uva parva*; Vatabl. *uva recens aut parva*; Hebr. enim est, סמדר *semadar*, de quo dixi c. 2. v. 13. et 15.

Pro *mala punica*, Arabicus vertit, *montes*. Alludit ad morem Salomonis, qui ut a curia urbis et regni animum sevocaret, mane in rus et vineas proficiscebatur: *Curru*, ait Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 7. *mane vectari delectabatur in prædium nomine Hetan, hortis et inductis fontibus amœnum.* Mane enim horti et vineæ sunt amœnissimi.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Est hæc vox sponsæ antiquæ, puta Ecclesiæ Gentium, quæ novellæ sponsæ, puta Synagogæ Iudæorum recens conversæ (id est convertendæ ab Elia) congratulatur, eiusque consilium approbat: imo sponsum Christum adhortatur et invitat, ut novellæ sponsæ sororis suæ votis morem gerat. Aut potius Ecclesia vocem suam hic cum Synagoga coniungit, ac utraque simul iam adunata, unaque sponsa, puta Ecclesia, effecta, Christum sponsum obsecrat, ut secum in villas et vineas concedat, ut reliquias Iudæorum et Gentium ab Antichristo vel seductas, vel perculsas ad Christum unanimi consensu traducant, præsertim mortuo et occiso iam Antichristo, tunc enim eius fraudes, et fallaciæ, vanæque spes detegentur, tunc pariter cessabit eius metus et persecutio: quare facile tunc erit ab eo seductos, vel exterritos ad Christum revocare: ideoque Deus post Antichristi mortem concedet lapsis tempus aliquod pœnitendi, differetque diem iudicii, uti dixi Daniel 12. v. 12. Ait ergo: *Mane surgamus ad vineas*, id est, visitemus particulares Ecclesias: *videamus si floruit vinea*, id est, si Ecclesia Hierosolymitana et Iudaica, quæ Synagogæ summe est cordi, in fide Christi floreat: *Si flores fructus parturiunt*, id est, si bona Christi et salutis semina, quæ prædicatores mei Iudæis et Gentibus iniecerunt, et in eorum mentibus quasi seminarunt, quæque in flores bonorum desideriorum eruperunt; si, inquam, hæc semina, *fructus* bonæ et efficacis operationis parturiant: *Si floruerunt mala punica*, id est, charitatis et martyrii, ait Angelomus, desideria, fructus et opera: *Ibi dabo tibi ubera mea*, ubera scilicet sanctæ doctrinæ dabo tibi, o dilecte mi, non sugenda ut a filio, sed ut a sponso amplexanda, dandaque tuis fidelibus, Iudæis, et Gentibus, ut illa sugant, iisque nutriantur in fide et pietate Christiana. Ita S. Gregorius, Philo, Iustus, et alii hæc accipiunt de Ecclesia invitante Christum, ut particulares suas Ecclesias visitet. Rursum *dabo tibi ubera*, id est, cor meum et amores meos, ut vertit Vatabl. Vide quæ de uberibus dixi c. 1. v. 1.

Particulatim vero de Ecclesiis Iudæorum in fine mundi visitandis hæc accipit Honorius: « Nox, ait, fuit tempus persecutionis Antichristi: mane vero tempus pacis post mortem eius. Mane ergo sponsus et sponsa ad vineas surgunt, qui quasi in nocte dormierunt, dum se post necem Antichristi ad faciendas Ecclesias erigunt, vel sub eo destructas renovant, vel dispersas congregant, quas sub eo destrui viderunt, sed quasi dormientes non restiterunt. At nunc dicit: Videamus si floruit, etc. Per prædicatores faciamus eos videre, si vinea scilicet Synagoga in fide floruit, ut eam imitentur; si florentes in fide opera fidei exsequuntur, ut illos imitentur; si imitatores martyrum in patientia florent, ut eos imitentur. In illo agro proferam ad honorem tui omnem doctrinam utriusque legis, quæ sunt ubera mea ut rudes in fide sugant inde lac doctrinæ. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Mane, inquit Philo, est quando adest gratia præveniens, per quam anima a tenebris ignorantiæ Dei et cæcitatis mentis, ac a nocte delictorum vocatur in admirabile lumen religionis et pietatis; tunc vineæ et arbores, id est, habitus virtutum suos producunt flores et fructus sanctarum operationum. Angelomus per florem vineæ accipit fidem cordis, per fructus oris confessionem; per mala punica sanguinis pro fide profusionem.

Anagogice Honorius: « Mane, inquit, surgit Ecclesia ad vineas, dum se erigit ad supernas Ecclesias. Totum quippe tempus huius sæculi est quasi nox ad comparationem futuri sæculi. Dies autem iudicii est quasi mane æternæ diei, quæ melior est super millia annorum, vel vita cuiusque hominis est quasi nox, mane autem vita futura: in quo mane quisque fidelis surgit ad vineas, dum post mortem pervenit ad cælestes Ecclesias. Ibi videt flores vineæ, florum fructus, et flores malorum punicorum, id est, præmia fidelium et donorum, quæ dabuntur bene operantibus, et mercedem, quæ recompensabitur martyribus. Ibi dabit Ecclesia Christo sua ubera, quia doctores utriusque legis repræsentabit in æterna gloria. » Anagog.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo visitat Ecclesias et visitabit eas in fine mundi, ut fructus virtutum proferant: Floret vinea, id est, Ecclesia, ait Guilielmus, in inchoantibus; Flores eius fructus parturiunt in proficientibus. Tuum vero est utrumque videre, id est, approbare in beneplacito tuo, sed multo magis flores malorum punicorum, id est, decus et devotionem martyrum propter te proprio cruore rubentium: *Ibi dabo tibi ubera mea*, id est, in Ecclesia Gentium dabo tibi, quæ et in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi, ubera mea. Vere apud Iudæos dedi tibi ubera corporalia ad pascendum te: porro in Ecclesia Gentium dabo tibi ubera mea spiritualia ad pascendos tuos; spiritualiter enim pascam parvulos tuos lacte maternæ pietatis; olim pavi lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo quod tibi sum mater corporalis, ero tui mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis, materna ibidem cura nutriens eos, donec usque in virum perfectum grandescas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi assidue commendando, et augmenta gratiarum eis piis a te precibus impetrando.

Vers. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma (Septuag. *nuces*; Philo, *fructiferæ arbusculæ*; Hebr. est מגדים *magadim*, id est, delicias, amabilia, delicata, qualia sunt poma elegantia) nova et vetera, dilecte mi servavi tibi.) Hebr. *abscondi tibi*. Ita Aquila et Symmach. τα *in portis* multi referunt ad mandragoras, melius alii ad poma, quæ sequuntur. Unde Arabicus: *omnes fructus arborum stantes ad ianuas nostras.*

Pro *mandragoræ*, ut vertit Noster, Septuag. Aquila, Chald. Aben Esra, Vatabl. Pagnin. et alii, Hebr. est דודאים *dudaim*, quæ vox alludit ad *dodim* et *daddim*, id est, ubera, quia mandragoræ speciem habent uberum: quare perperam *dudaim* Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. cap. 109. vertit *lilia*, R. Salomon *Iesminum*: Alii *ficum*, alii *violam*. Oleaster in Genes. 30. 14. censet esse flosculum, qui vocatur *lilium convallium.*

Alludit ad Rachelem, quæ a Lia accipiens mandragoras, quas in agro invenerat eius filius Ruben, concessit ei maritum Iacob, Genes. 30. 14. Vide ibi dicta. Hinc mandragoram habere vim conciliandi amorem, ideoque Circeiam nuncupari docet Theoph. lib. 9. Histor. Plant. cap. 10. Plinius lib. 5. c. 13. Dioscor. l. 4. c. 71. Unde Hortolanus putat eas Hebr. vocari *dodaim* a *dodim*, id est, amores. Hinc et ait: *ibi dabo tibi ubera mea*; Pagnin. *amores meos*. Sic et poma symbolum sunt amoris, unde de iis ait: *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*, q. d. Quidquid pulchrum, quidquid deliciosum habeo, hoc totum tibi offero. Porro pro *dilecte mi* R. David et R. Anonymus apud Genebr. vertunt, *amorem meum*; sic ergo transferunt: *Omnia delicata poma nova et vetera, amorem meum servavi tibi*, q. d. Pro omnibus, vel cum omnibus deliciis et pomis, tam veteribus quam novis, amorem meum servavi tibi. Si pro *dodi* legas *dodai*, vel potius *daddai*, pro *amorem meum* vertes *ubera mea*, quasi ubera sponsæ sint poma nova et vetera.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Mandragoræ forma et vires. MANDRAGORÆ cum suis pomis in vere aspectu pulchræ et raræ sunt, olfactui odoratæ, gustui insipidæ, ait S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 56. sed in Iudæa, ut aiunt, sapidæ, capiti soporiferæ, vim habent refrigerandi, speciem quamdam habent in radice corporis humani, dempto capite. Unde Pythagoras mandragoram vocabat anthropomorphon, id est, homini similem. Vide Dioscoridem lib. 4. cap. 71. et Galenum lib. 7. Simplic. medicam. *Significatio.* Mandragoræ ergo significant turbam Iudæorum et Gentium cuius caput fuerat Antichristus, quæ, eo mortuo, manebit acephala, id est, sine capite, sed in perfidia et peccatis suis sopita: hæc ad vocem prædicatorum evigilabit, ac suavem fidei et pietatis odorem exhalabit. Sensus igitur est, q. d. En tibi, o Christe, sponsæ mandragorarum odor, quarum frigus hactenus noxium, et odor gravis fuit, quæ steriles ipsæ, et quasi expertes vitæ mortis somno consopitæ iacuerant, humani denique busti potius, quam veri hominis effigiem præbebant, et præter hanc mutilam speciem nihil hominis obtinebant. Legamus illas, maturuerunt: statui tibi soli eas colligere, et vesci tecum. Interea vescere fructibus, quos tibi seposui in corde meo, et ad manum habeo omne genus fructuum hornorum et annosorum, et deliciis tuis repositorum asservavi. Hæc in *portis*, id est, in ipso domus ingressu et ipso aditu, in promptu et ad manum sunt. Ita Delrio per nova et vetera significat utriusque populi, scilicet Gentium et Iudæorum bona opera, aut, ut Hortolanus, mysteria utriusque testamenti novi et veteris, quæ Christo, id est, Christi fidelibus offeruntur, cum per portam Baptismi in eius civitatem, puta Ecclesiam ingrediuntur.

Symbolice vero, ut Cassiodor. Aponius, Beda, quod per Christum et in Christo omnia illa impleta sint, et in dies impleantur. Addit Theod. *Veteris*, inquit, *testamenti præcepta et novi testamenti mandata, quæ a matre mea Spiritus sancti gratia accepi, servavi tibi, et depositum integrum custodivi*. Sic ait Christus: *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*, puta mysteria, dona et opera legis Evangelicæ et Mosaicæ, uti explicant Patres Matth. 13. Ita Aponius, Anselm. Delrio hæc accipiunt de Iudæis et Gentibus convertendis in fine mundi.

Audi Honorium: « Sunamitis (instar Ruben) de castris egressa invenit Mandragoram, regiam puellam sine capite in agro iacentem: cui nimium compassa et ad regem regressa obnixe supplicat, ut secum eat, miseræ subveniat. Per Mandragoram intelligitur multitudo fidelium, cuius caput erat Antichristus, qui est caput omnium malorum: sed caput amputabitur, quando Antichristus occidetur; hanc videns Ecclesia sine capite, optat eam sibi in fidem Christi sociari et capite Christo sublimari; O dilecte, inquit, quem præ omnibus diligo, qui ad me per gratiam venisti, et per præsentiam donorum visitasti, veni etiam nunc per gratiam ad multitudinem infidelium, et visita eam per præsentiam charismatum, et per prædicatores egrediamur in agrum mundi, et spargamus per populos semen verbi Dei, tu inspirando, ego prædicando et operando, et docendo: diu commoremur in villis, in paganorum conventiculis, mane surgamus ad vineas, hoc est mature faciamus Ecclesias. »

Huc accedit Chald. qui hæc accipit de Iudæis Messiam suum agnituris, scilicet per Eliam in fine mundi; hos enim longo ignorantiæ et perfidiæ sopore, imo lethargo per tot sæcula laborantes apposite repræsentant mandragoræ, quæ soporem conciliant, ideoque dantur iis, qui secandi vel urendi sunt, ut dolorem non sentiant, teste Dioscor. l. 4. c. 51. Sic ergo vertit Chald. « Et cum fuerit voluntas a facie Domini, ut redimat populum suum de captivitate, dicetur Regi Messiæ. Iam completus est finis captivitatis, et meritum iustorum suave est coram me, sicut odor balsami, et sapientes generationum constituti in portis gymnasii operam dant verbis scribarum et verbis legis; nunc surge, suscipe regnum quod reposui tibi. »

Mandragora mas et fœmina. Aliam proprietatem mandragorarum assignat S. Ambros. in Psal. 118. ser. 19. v. 4 quod aliæ sint mares, aliæ fœminæ, et hæ gravis sint odoris, sic Iudæi etiam corporaliter fœtent, sed fœtorem istum aqua Baptismi abluti deponunt, uti experientia constat. Audi S. Ambros. *Plerique discernunt quemdam inter mandragoras sexum, ut et mares putent esse et fœminas, sed fœminas gravis odoris. Significat ergo gentes, quæ ante fœtebant, cum essent infirmiores, evitata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpisse, postquam in adventum Domini crediderunt.*

Denique mandragoræ, quia frigus, torporem, tarditatem et somnum inducunt, notant tardos, negligentes, et somnolentos. Hi enim vulgari sermone dicuntur bibisse mandragoram vel helleborum; quare dum hi per gratiam Dei somnum excutiunt, dicuntur mandragoræ quasi post somnum hyemis in vere experrectæ dedisse odorem suum. Apte ergo id hic tribuitur Iudæis et Gentibus tarde et sero, puta in fine mundi convertendis: hi enim longas suæ tarditatis et soporis moras abrumpent, et diligentiæ ac fervoris suavem acremque dabunt odorem et fragrantiam; unde subdit: *Omnia poma nova, et vetera servavi tibi.* Vetera enim sunt veteres Christiani, nova sunt novi, puta veteres Iudæi per Eliam innovandi, et in fine mundi ad Christum convertendi.

Denique nonnulli per *nova* opinantur hic notari novi orbis, puta Americæ ab Americo Vespucio et Christophoro Columbo inventionem, et conversionem ad Christum. Novus enim hic orbis continens Peruanos, Mexicanos, Brasilios, Chilenses, etc. est dimidium totius orbis, ut patet ex globo Cosmographico: quare ipse est in portis, id est, in limitibus et finibus terræ olim cognitæ. Nam plane ante annos 140. fuit incognitus, nec quidquam de Christo eo usque audierat. Iam vero per religiosos S. Dominici, S. Francisci et Societat. Iesu, totus pene subiacet Ecclesiæ. Sic in India Orientali hoc sæculo et præcedenti mire per eosdem propagatur fides apud Iapones, ubi plurimi pro fide certant usque ad martyria lentorum ignium, apud Sinenses, Moluccenses, Ceilanos. Sane Thomas Bozius tom. 1. signo 20. audet asserere, unum Franciscum Xaverium plura apud Indos accumulasse Ecclesiæ, quam Lutherus et totus Septemtrio abstulerit. Æthiopia, sive amplum illud Preto Ioannis Imperium cum suo Imper. et proceribus, per Societatem Iesu subdidit se Romanæ Ecclesiæ, ab eaque Patriarcham accepit anno Domini 1628.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

I. *Mandragora dat animæ* ... MANDRAGORA dat odorem, cum anima prius torpida, tarda, et somnolenta, per gratiam Dei evigilans, alacris et fer-

torporem excutiens

vids bonam virtutum famam operando exhalat. Unde S.
Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 58. ait per mandra-
goræ odorem repræsentari bonam sanctorum famam. Ea-
2. dem soporem inducit, cum anima terrenorum oblita, iis
quasi indormiens cælestia cogitat, meditatur et ambit: ita
3. Theodor. Eadem fœcunditatem conciliat, ait Cassiodor. et
Rupert. cum anima charitatis, patientiæ, humilitatis, obe-
dientiæ, cæterarumque virtutum actionibus incumbit. Ea-
4. dem purgat melancholiam et pituitam, tollit nauseam,
tristitias et dolores sopit, variisque morbis oculorum, ven-
trisque medetur, quos recenset Dioscorid. l. 4. c. 71. eum
anima per pœnitentiam, prudentiam et lætitiam omnes
mentis ægritudines et perturbationes sanat. Ita Theodor.

Hinc Cassiod. Iustus et Beda per nova et vetera accipiunt sanctos novi et veteris testamenti; hos enim servari aiunt Christo, tum quia Christum prophetarunt, prædicarunt et prædirant; tum quia non nisi per Christum eis ad salutem et ad cælum aditus patet.

Audi S. Greg. « Quid per mandragoram, herbam scilicet medicinalem et odoriferam, nisi virtus perfectorum intelligitur? per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur, in fide, quam prædicant, id est, in portis Ecclesiæ, veri medici esse comprobantur: qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuunt, quasi odorem, quo ægroti sanentur, aspergunt. »

Audi Honorium: « Tunc dabunt odorem mandragoræ in portis, quia sæculares iam conversi, qui sine capite fuerunt, dum nullum Prælatum habere voluerunt, famam bonæ operationis in virtutibus, quæ sunt portæ vitæ, spargunt. Omnia poma nova et vetera servant, dum conversi omnia opera antiquorum et modernorum Patrum ad imitandum sibi congregant. »

Rursum per poma nova et vetera notatur donum perseverantiæ, quo omnes actus usque ad finem vitæ sanctos efficimus, Christoque dedicamus. Hoc enim ingens, imo summum est Christi donum. Insuper B. Laurent. Iustin. l. 2. de Spirit. animæ interitu, ante finem: *Poma vetera*, inquit, *habitus, nova vero actus dicit esse virtutum, per quos ad perfectionem conscenditur. Hæc procul dubio per illam scalam, quam in somnis contemplatus est S. Iacob, figurata fuit.*

Denique Philo Carpath per mandragoras accipit doctores: « Quia dum, inquit, bene scrutantur sacras Scripturas et ex iis bonam et suaviter olentem frugem Ecclesiæ filiis parant ac manducant, veræ fidei suavissimum odorem fructumque diffundunt. Per portas autem vires animæ ac humani corporis partes ac membra significari, ut aures, os et oculos, per quorum aditus omnia vitæ et mortis merita ingrediuntur, secundum illius propositum et voluntatem, qui corporis servitio et animi imperio utitur. Per oculos pudicitiæ castitatisque indicia; per aures honestatis atque modestiæ; per os gravitatis et temperantiæ ad mandatorum observantiam, facile dignoscuntur. Quare si Deum vere timemus atque amamus, pudica et honesta oculis spectamus: auribus salutaria et optima quæque percipimus: ore sancta atque necessaria loquimur. Turpibus clauduntur oculi, obscœnis aures occludimus, vana et nocitura silemus. »

Anagog. Honorius: « In extremi, ait, iudicii die mandragoræ in portis dabunt odorem, quia in morte, quæ est porta vitæ, dabunt viventibus suam opinionem, dum miraculis coruscant in terris, quorum animæ vivunt in cælis; qui mandragoræ olim fuerunt, dum diabolum caput omnium malorum amiserunt, et Christum caput omnium bonorum vel iustorum induerunt, et nunc ut mandragoræ multis morbis sunt medicina. Ibi omnia poma, nova et vetera sponsa dilecto servavit, quia omnia opera sanctorum veteris legis et omnia opera iustorum novæ legis, Ecclesia cælestis Christo recompensanda repræsentabit. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Mandragoræ soporiferæ symbolum sunt contemplationis, quæ mentem a terrenis curis rebusque sopit, ut tota Deo fruatur; ideoque a mysticis vocatur quies, sive somnus, de qua dixi c. 2. v. 5. et seq. Hac excelluit B. Virgo ac in ea omnia poma nova et vetera, id est, omnes suas dotes, omnes actus præteritos et præsentes Christo dilecto suo obtulit. Item *nova et vetera*, id est, omnes actus factos ex præscripto legis novæ et veteris (utriusque enim præcepta exacte servavit B Virgo) Christo dicavit.

Rursum ipsa Deo offert omnes sanctos tam novi, quam veteris testamenti, ac in fine mundi offeret Iudæos et Gentes per Eliam et Enoch convertendos, omniaque eorum dona, gratias et virtutes.

Addit Guilielmus, mandragoras Christi et Virginis dedisse odorem suum, cum Christi divinitas per Apostolorum prædicationem et miracula mundo innotuit; tunc enim pariter ex ea eidem innotuit matris Dei virginitas, dignitas et maiestas. Ad hæc illam omnia poma nova et vetera servasse Christo, cum mysteria divinitatis et humanitatis Christi, quæ ipsa viderat, in corde servavit, ac suo tempore Christianis ad eorum salutem et Christi gloriam patefecit. « Nam quod sine corruptione, inquit, es conceptus et editus; quod ab Angelis prædicatus; quod per stellam designatus; quod a Magis mystica dona es odoratus, et huiusmodi, et nova plane erant, et divinitatem tuam declarabant. Porro quod parvulus natus es, quod pannis involutus, quod lacte nutritus, et huiusmodi, vetera erant, quia de vetustate carnis erant, et hæc humanæ in te veritatem substantiæ comprobant. Ego autem conservabam omnia hæc, conferens ea in corde meo, conferens utique nova cum veteribus, et vetera cum novis et utrisque pariter collatis, te Deum simul et hominem comprobans, conservabam omnia verba hæc, et sic omnia poma nova et vetera, dilecte mi, conservabam tibi suo tempore promenda, et expendenda in tuos. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Peroratio est et conclusio Dramatis Cantic. qua sponsa summum erga sponsum amorem demonstrat, optatque ei intime iungi, eoque frui in cælis, ex quo in deliquium et exstasin incidit; a qua eam excitari vetat sponsus vers. 4. Mox vers. 5. populus occurrens, cernens sponsam de deserto ascendentem, deliciis affluentem, et dilecto innixam admiratur. Subiicit sponsus se in malo, id est, ligno crucis eam suscitasse, et tantis deliciis donisque adornasse: quare petit ut ipsa tanto amore sponsi cor obsignet. Inde vers. 8. Ecclesia queritur sororem suam Synagogam esse parvulam, nec ubera habere, cui respondent sodales sponsi: Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Respondet deinde ipsa Synagoga vers. 10. se murum esse, et ubera habere, insuper et vineam. Denique vers. 13. sponsus ultimam sponsæ vocem cantumque epithalamicum poscit. Unde canit illa: Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum, quo velut cycneo cantu poscit sponsa cum sponso ex hac vita rapi in cælos. Igitur sicut S. Ioannes in Apocal. cap. 21. et 22. desinit in gloria Ecclesiæ triumphantis: sic et Salomon Canticum claudit in gloria cælestis Ierusalem: in ea enim perficietur et beabitur Ecclesia, et laboris militiæque suæ recipiet præmia et coronas æternas.

1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et
iam me nemo despiciat? 2. Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et
dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. 3. Læva eius sub capite
meo, et dextera illius amplexabitur me. 4. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis di-
lectam, donec ipsa velit. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?
Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 6. Pone me ut signaculum
super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmu-
latio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. 7. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem,
nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet
eam. 8. Soror nostra parva, et ubera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? 9.
Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.
10. Ego murus: et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. 11. Vinea fuit pa-
cifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. 12. Vinea
mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus eius. 13. Quæ habitas in hortis, ami-
ci auscultant: fac me audire vocem tuam. 14. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum su-
per montes aromatum.

VOX SPONSÆ

ID EST ECCLESIÆ UNIVERSALIS COLLECTÆ EX IUDÆIS ET GENTIBUS, QUÆ IN FINE MUNDI COMPLETO IAM ELECTORUM NUMERO ASPIRABIT AD CÆLUM.

VERS. 1. QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, UT INVENIAM TE FORIS, ET DEOSCULER TE, ET IAM ME NEMO DESPICIAT?

QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, UT INVENIAM TE FORIS (Scholiastes, ἐν ἀγρῷ, id est *in agro*: alii, ἐν ἀγορᾷ, id est *in foro*) ET DEOSCULER TE, ET IAM ME NEMO DESPICIAT?) Hebr. *Quis te det sicut fratrem mihi?* Ita Aquila. Arabicus: *Quis dabit tibi, fili fratris mei, ut sugas ubera matris meæ? cum invenero te extra osculabor te.* Syrus: *Quis tibi dabit me, ut fratri? suxerunt ubera agni mei: laudabo te.*

Pendent hæc a proxime præcedentibus. Pergit enim loqui sponsa, suumque amorem ardentem in sponsum pandere. Sicut enim paulo ante optavit cum sponso ire in agros et villas, ut ibi daret ei ubera sua, pomaque nova et vetera, idque ita factum esse, licet diserte non exprimat Salomon; tamen id tacite innuit, scilicet sponsum annuentem votis sponsæ cum ea concessisse in agros, ibique eius mandragoris et pomis fruitum fuisse: sic eo facto sponsa non contenta, hic ulterius amore sponsi exæstuans plenum eius publicumque poscit complexum, ut omnibus mutuos suos, et sponsi amores palam pandat et patefaciat. Quare ex summo castoque et spirituali amore optat sponsi osculum sanctumque complexum, sed quia honeste in publico id fieri cum grandævo non poterat, optat dilectum suum similem fieri infantulo, sive fraterculo sugenti ubera matris, ut eum sic osculari publice liceat, sicut sorores fraterculos suos pusiones sine verecundia osculari solent. Sponsum vocat fratrem, tum quia summe dilectum; sic enim superius dixit: *Soror* (id est dilecta) *mea sponsa:* tum quia cognatum: coniux enim per coniugium in coniugis suæ transit domum et familiam, ut eosdem quos coniux habeat parentes, sive patrem et matrem. Unde S. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 61. *Si vir*, inquit, *et uxor est una caro, non aliter est nurus deputanda, quam filia;* tum denique, ut significet coniugium hoc non esse carnis sed spiritus, ubi coniuges manent casti instar fratrum et sororum. Sponsus vocatur frater. Cur?

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

EST vox Ecclesiæ sponsæ universalis, id est, collectæ ex Gentibus et Iudæis, cuius vocem cap. 7. v. penultimo et ultimo audivimus. Hæc enim in fine mundi videns compleri electorum numerum, ex vehementis amoris optabit nuptiarum cum sponso consummationem in cælis. Ecclesia enim in terris, seu sponsa, tantum celebrat sponsalia cum Christo sponso per fidem et gratiam; in cælis vero nuptias celebrabit et consummabit per gloriam, summamque visionis et amoris beatifici cum sponso unionem.

Sensus ergo est, q. d. O utinam adsit felix illa hora, quæ

iam appetit, ut coniugii iure te, o dilecte mi, possim appellare fratrem meum; sicut olim in primo tuo adventu in terra nascens, factusque homo mihi frater fieri dignatus es, ac eiusdem matris Synagogæ volui frater meeum lac suxisti: *Quis mihi det, ut inveniam te foris*, id est extra terram, supra mundum in cælo empyreo, ibique publice coram omnibus angelis et sanctis sine pudore, imo cum honore et iubilo perpetim sugam tecum ubera matris, puta cælestis Ierusalem, quæ lac, imo nectar divinum omnis felicitatis effundit, ibique pariter sine intermissione brachiis intellectus et voluntatis per visionem et amorem beatificum, quasi per bina labia te osculer, ut intime te complectar, tibi iugiter inhæream, nec vel ad momentum a te separer, sed per omnem æternitatem te felicissime fruar; ubi nemo Iudæus, Paganus, vel impius me amplius despicere, exprobrare vel vexare poterit! Utinam ex ægris et vilibus hisce terrestribus ad cælestes atque ad supernos aromatum divinorum montes conscendere liceat! Et brevi id dabitur; sed hoc momento, hoc ipso temporis instanti id fieri optarem: amanti enim et amore æstuanti omnis mora amara, prolixa et molesta est. Ita tres Anonymi apud Theod. hæc tribuunt Ecclesiæ et animæ sanctæ optanti secundum Christi adventum, eumque sic affanti: « Quoniam prior adventus tuus me ad te perfruendum præparavit, ecquis tribuat mihi secundo adventu tuo nobiscum in cælesti Ierusalem, quæ mater nostra est, novum bibentem poculum, quod ex ipsa in nos per gratiam sine medio, quasi lac ex matris uberibus, in eius filios fluat? sic enim inveniens te foris deosculabor; cognoscens namque te non ut nunc per fidem, sed per aspectum foris in nostra substantia incorruptionem nobis, et immutabilitatem in communi largientem resurrectione, perfruamur te; et nemo quidem despiciat me; licet nunc a mundi sapientibus aspernar, quod propter tui amorem caduca omnia contemnam. » Sic et Delrio et alii.

Huc pertinet expositio S. Ambrosii, Aponii, Honorii, Ruperti, Anselmi, Hortolani, qui hæc intelligunt de conversione Iudæorum in fine mundi: post hanc enim mox sequetur dies iudicii et gloria sanctorum. Verba S. Anselmi mox recitabo. Quin et prisci Rabbini, teste Galatino l. 3. c. 28. censent hic significari desiderium adventus Messiæ, adventus non primi (hic enim iam factus est per incarnationem, ut dictum est c. 1 et seq.) sed secundi ad iudicium et glorificationem sanctorum.

Symbol. I. Symbolice, primo, S. Gregor. Cassiod. Theod. Beda, Philo, S. Athanas. in Synopsi, et alii hæc tribuunt Synagogæ, id est Patriarchis desiderantibus Christi incarnationem: per hanc enim Christus a sinu Patris foras in carnem prodiit, nobisque frater effectus est, ut eum osculari liceat, per quem Ecclesia iam non despicitur, sed ab ipsis etiam Angelis honoratur: *Quis enim*, ait Guilielmus, *poterit despicere homines in Deo homine facto? Quis vilem iudicabit hominem pretio sanguinis tui pro homine dato?* Unde S. Ambros. de Instit. Virg. c. 1. *Foris*, inquit, *factus est qui erat intus. Vide illum intus, quando legis, quod in eius est Patris; cognosce illum foris, quando nos quærit ut redimat. Foris tibi factus est, ut mihi intus esset, et fieret medicus noster. Ibi ergo simus, ubi Christus medicus est radicatus et fixus in cordibus nostris.* S. Chrysost. vero hom. 12. in varios S. Matth. locos, hæc refert ad Herodem, qui Christum infantem persecutus est. Sic enim legit: *Quis dabit tibi fratrem meum sugentem ubera matris meæ?* q. d. Nemo tibi dabit Christum infantem ut eum occidas; nec enim ullam habebis potestatem adversus eum qui est princeps omnium potestatum; quæ nova est expositio, nec satis consona sensui litterali.

II. Secundo, Philo hæc refert ad passionem Christi: « Tunc enim, inquit, foris inventus est sponsus et osculatus a sponsa, cum humanitate vestitus, et extra Hierosolymam crucifixus, eam ipsam a sempiterna morte redemit per ineffabilem charitatem soluto omni debito, sibimet amantissime reconciliavit et Patri. »

Porro Philo per matrem accipit æternam sapientiam; Theodor. vero Spiritum sanctum, cuius ubera Christus suxisse dicitur, cum fidelibus ea per studium et orationem sugenda esse, ut lac doctrinæ omnisque gratiæ ex iis hauriant, in Evangelio docuit et monstravit. Sic et Rupert. Auctores citati hos sensus afferunt quasi litterales: sed revera symbolici videntur. Ad litteram enim de Incarnatione et passione Christi egit Salomon Cantic. 1. indeque progressus est ad Ecclesiæ exordia, profectus et perfectionem, quam hic gloria cælesti concludit: ibi enim erit finis consummatio et coronatio Ecclesiæ triumphantis, quæ hic sub cruce Christi militat. Hoc enim acoluthia, ordoque Dramatis exigit.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

I. Primo, anima pia optat Christum suscipere in venerabili Sacramento, in quo Christus quasi fit frater noster, nos suo corpore pascens, ibique eum osculamur, dum ore corporis, et multo magis mentis eum suscipimus. Ita Aponius et Gislerius fuse. Eucharistia enim est pignus futuræ gloriæ; per illam enim resurgemus in vitam æternam, uti docet Christus Ioan. 6. Hac de causa Christus specie parvuli apparens S. Francisco, S. Antonio de Padua, S. Edmundo Cantuariensi Episcopo, similibusque sanctis, se illis osculandum dissuaviandumque præbuit. Hoc reipsa in seipso expertum asserit Rupertus Abbas Tuitiensis scribens in c. 26. Matth. l. 52 p. 562. Narrat enim se, cum iuberetur capessere sacerdotium, seque tanto gradu indignum iudicaret, vidisse Christum crucifixum in altari se intuentem et invitantem ad amplexum. Quare: *Altare*, inquit, *per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea, tenui illum, amplexatus sum eum: diutius osculatus sum eum. Sensi quam graviter hunc gestum dilectionis admitteret, cum inter osculandum suum ipse os aperiret, ut profundius oscularer. Plane hoc agebatur, hoc illo significatione parabatur, ut fieret illud, quod in Canticis dilecta exoptans dicit: Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer, et iam me nemo despiciat* Ex hac visione sensit Rupertus sibi desiderium sacerdotii immitti, ut quotidie sacrificans eum Christo in Eucharistia dissuaviaretur, eumque manducando amplecteretur et oscularetur.

II. Secundo, optat anima Christum sibi fratrem fieri forisque osculari eumdem, cum ipsa optat exui carnis mundique affectibus, ut extra se quasi exiens, spirituales mores et amores inducat, itaque osculum pacis a Christo accipere incipiat, quod perficiatur in cælo: hac ratione enim fit quasi soror fratris Christi. Ita S. Ambros. l. de Isaac c. 8. *Bona anima, quæ foris est*, inquit, *ut Verbum intus sit, illa extra corpus, ut Verbum habitet in nobis.* Sic et Rupert. *Porro invenire Christum foris*, inquit, *est exire ad illum extra castra; qui sicut extra portam passus est; ita extraneus factus est fratribus suis et filiis matris eum. Eumdem vero deosculari est improperium ipsius venerari, et sacramenta pietatis eius familiariter cognoscere; nam in quantum illa cognoscimus et diligimus, in tantum illum amabilem amantes deosculamur*, etc. Addit Honorius proprie fratres Christi dici Apostolos et viros Apostolicos, qui animabus lucrandis incumbunt: hi enim sunt similes Christo, eiusque quasi fratres; hoc enim officium fuit Christi; qui ergo alium ad statum religionis et perfectionis pellicere satagit, dicat: *Quis mihi det te fratrem meum*, ut mihi religione et charitate sis coniunctissimus quasi frater, id est fere alter *sugentem ubera matris meæ* (disciplinam et instituta meæ religionis) *ut inveniam te foris* (separatum a sæculo in claustro) *et deosculer te*, id est summe in omnibus religionis officiis et exercitiis tibi coniungar, *et iam nemo me despiciat*, qui talem religioni fratrem, imo filium pepererim? Ita Honor.

Denique S. Anselmus, S. Ambrosius, Rupert. Aponius, Honorius et Hortolanus hæc referunt ad Iudæorum con-

versionem. Audi S. Anselmum: *Utinam quis mihi annuntiet Christum fratrem meum, de carne mea natum, educatum doctrina Synagogæ: conversaque ad ipsummet addat: Ut inveniam te foris, ut hominem te agnoscam, in quo turpiter erravi: et deosculer te, id est, ut delecter in agnita tui humanitate; et iam nemo despicabilem me censeat!*

Hac spectat versio Chald. *Illo tempore*, ait, *apparebit rex Messias Synagogæ Israel, et dicent ei filii Israel: Adesdum, esto nobiscum pro patre, et ascendemus Hierosolymam et sugemus tecum sententias legis quemadmodum sugit infans ubera matris suæ. Quoniam etiam omni illo tempore, quo vagus eram et extorris a mea patria, dum recordabar nominis Dei magni, et tradebam animam meam pro divinitate ipsius populi exteri non me contemnebant.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

RUPERTUS ait hanc esse vocem Ecclesiæ, quæ matri suæ, id est, B. Virgini (hæc enim mater est Christi, et consequenter Ecclesiæ, id est, omnium Christianorum) ac suæ per eam felicitati exultando et admirando applaudit, quod Christum pariendo, eum fratrem nostrum effecerit. Aitque hanc vocem esse similem illi S. Elisabethæ ad B. Virginem se visitantem: *Et unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me?* Lucæ 1. 43.

Congruentius ad sensum litteralem hæc tribunas B. Virgini in hac vita, ad filium in cælis regnantem suspiranti, q. d. Quis mihi det, o fili, ut sicut olim ex me carnem assumens, frater meus omniumque hominum fieri dignatus es, ac sugere ubera mea tamquam matris tuæ, atque ubera mystica Synagogæ, quæ est mater mea pariter et tua, ibique suavissime ego te deosculata sum: sic pariter nunc efficias ut te fratrem, imo filium meum in gloriosa humanitate, quam ex me sumpsisti, in cælis triumphantem aspiciam, ibique te deosculer, ac tecum in summis æternisque gaudiis iugiter dissuavier et delicier.

Addit Hailgrinus: *Invenire desiderat eum solum, in divina videlicet natura, in quo solus est, et humanum non habet consortium. Invenire desiderat eum, ut non solum cognoscat in carnis ergastulo, sed ut immensitatem deitatis inveniat; quæ nullo concluditur termino, et omnia continet et concludit, et ipsum sic invenire desiderat, ut deosculetur eum, ut videlicet eum videndo præsentem tamquam facie ad faciem in eius amore delectetur.*

VERS. 2. APPREHENDAM TE ET DUCAM IN DOMUM MATRIS MEÆ, IBI ME DOCEBIS, ET DABO TIBI POCULUM EX VINO CONDITO, ET MUSTUM MALORUM GRANATORUM MEORUM.

APPREHENDAM (Septuag. *assumam*) TE, ET DUCAM TE IN DOMUM MATRIS MEÆ (Septuag. *eius quæ me concepit*) IBI ME DOCEBIS, ET DABO TIBI POCULUM EX VINO CONDITO, ET MUSTUM (Syrus, *dulcedinem*) MALORUM GRANATORUM MEORUM.) Pro *condito* Septuag. vertunt, *unguentario*: Hebr. *potabo te vino aromatite*, quale scilicet solent in apothecis pharmacopæi componere et condire sacchero, melle, cinnamomo, aliisque aromatibus, quæ dulcem et gratum saporem afferunt etiam pueris, qualis hic optatur esse sponsus. Unde Arabicus vertit: *Potabo te vino suavi.* S. Hier. in cap. 9 Zachar. *Potabis me de vino unguentarii, de rivis malorum granatorum tuorum;* sed in cap. 12. legit: *Potabis me de vino unguentarii* (apothecarii) *de vino malorum*, censetque esse verba Ecclesiæ ad Christum.

Fingitur sponsa sponsum, quem parvulum optabat, cupere osculari, eum assumere et asportare in domum matris suæ, id est, suam, ut ibi a sponso doceatur, eoque contione fruatur, ideoque deliciis suis eum pastura, pota vino aromatite, et musto malogranatorum. Licet enim infantibus et lactantibus non detur vinum, sed lac, tamen datur A subinde vinum melle, vel sacchara conditum; hoc enim est instar lactis. Rursum licet v. 1. optarit sponsa sponsum esse infantulum, tamen sciebat revera ipsum non esse infantem, sed virum perfectum, ac ut tali hic vinum conditum et mustum malogranatorum propinare destinat.

Pendent hæc a versu præcedenti: est enim optatio q. d. *Quis mihi det*, id est, utinam mihi liceret te apprehendere et ducere in domum matris meæ, ut ibi me doceres, et ego vicissim tibi propinarem vinum et mustum, hoc est, utinam, o sponse, me sponsam apprehendas et ducas in domum tuam, ut ibi nuptiæ nostræ consummentur! ad hoc enim solebat sponsus sponsam in domum suam traducere. Est hypallage. Simili arte et phrasi utuntur medici, ut stipem a divitibus extorqueant; et pueri ut a matre liba vel poma, quæ vident, impetrent. Dicunt enim astuti: En, o mater, quam bella poma! utinam haberem pecuniam ut illa coemerem, tibique darem: quo significare volunt, q. d. O mater, eme tam bella poma, eaque mihi dona, quia ea valde concupisco, sed id exprimere non au- B deo; ideoque concupiscentiam meam charitatis velo obtego; amo enim te, sicut tu amas me; ostende ergo mihi amorem maternum, ut ego ostendam tibi filialem.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

SPONSAM audacem et animosam facit amor; quare id sibi tribuit, quod erat sponsi, scilicet inducere sponsam in domum matris suæ, id est, suam: sed hæc sponsæ vota sunt amoris, non effectus potestatis. Pendent hæc a præcedentibus, q. d. Utinam te, o sponse, possem ut infantulum et fraterculum meum osculari, apprehendere et inducere in domum matris meæ, quo per metalepsin, vel potius hypallagen significat sponsa se optare a sponso duci in domum eius, ut ibi nuptias perficiat et consummet, q. d. Utinam, o sponse, me iam laboriosæ et ærumnosæ huius in C villis et hortis terrenis vitæ pertæsam apprehendas, et ducas in domum matris tuæ, id est tuam, puta in Ierusalem cælestem, ut ibi me doceas, imo ostendas divinitatem tuam, illaque me bees, ut videam et gustem quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quodque Deus præparavit diligentibus se! ibi ergo mutuis certabimus officiis, tu me hæc docebis, ego vicissim propinabo tibi vinum conditum laude, gratiarum actione, omnique genere virtutum; et succum malogranatorum meorum, puta sanguinem et doxologiam martyrum meorum. Ita Cassiodor. Beda, Honorius, Alcuinus, Angelomus hic et S. Ambr. lib. 5. epist. 39. ad Irenæum. Audi Cassiodor. « Per fidem, inquit, et charitatem tibi adhærens, prosequar te revertentem in cælum post actum incarnationis tuæ et passionis mysterium (Ascendente namque in cælos Domino, Apostoli oculis illum deduxerunt, pioque prosecuti sunt aspectu, quousque nubes suscepit eum) cum cælo receptus fueris, et me quoque in cælum assumpseris, D ibi me docebis, et in omnem veritatem induces, et divinitatem tuam facie ad faciem ostendes, et ego ostendam quam ferventissima charitate te diligam. potans te charitatis vino condito bonis aliarum virtutum operibus; et dabo tibi mustum malorum granatorum meorum, ostendens in passionibus sanctorum martyrum quanta diligeris charitate: dilectio namque martyrum est mustum malorum granatorum. »

Huc facit expositio eorum qui hæc referunt ad conversionem Iudæorum in fine mundi, quos mox citabo. Post eam completo electorum numero mox sequetur dies iudicii, et glorificatio sanctorum in cælo.

Symbolice Theodor. Beda, aliique, qui versum præcedentem exposuerunt de incarnatione vel passione Christi, etiam hunc de eodem exponunt. Philo vero exponit de Christi morte, sepultura et descensu ad inferos. Sic enim legit: *Apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, et in promptuarium eius quæ me colligit;* domus enim nostra et promptuarium, quod patres olim collige- Symbol.

bat, æque ac Christum, est mors, sepulcrum et infernus, q. d. Christus in mortem et infernum descendit, ut ex eo Patres liberarat. Idem per vinum conditum accipit passionem et sanguinem Christi, quæ se oblatam cum gratiarum actione profitatur Ecclesia.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Domus matris animæ est meditatio.

ANIMA sancta, primo, per orationem et meditationem
Christum sponsum docit in domum matris suæ, id est, in
mentem suam, quæ est quasi mater omnium cogitationum
et actionum; ibi docetur ab eo quomodo in charitate, re-
ligione omnique virtute se perficere possit et debeat; ibi
1. vicissim offert ei vinum ac mustum malogranatorum acris
compunctionis, mortificationis et martyrii; ita tres Ano-
2 nymi apud Theodor. Secundo, Rupertus per vinum con-
ditum accipit sacrificium calicis Eucharistici; per mustum
malogranatorum sacrificium SS. Martyrum. Sic et Philo,
3. qui tertia per *domum matris* accipit SS. Scripturas, qua-
rum mysteria et arcana quasi penus et promptuarium
sunt, in quibus fidelis anima sæpe cum cælesti sponso se-
crete meditatur et loquitur, in iisque sanctissime reficitur
4 vino aromatico divinæ doctrinæ. Idem, quarto: Potatur,
ait, sponsus a sponsa, cum ob eius filiis liquore sanctimo-
niæ atque virtutum laudatur in terris, cum timetur a bo-
nis, colitur a iustis, prædicatur a sanctis quasi auctor vir-
5. tutis. Quinto, Honorius domum matris accipit religionem
vel monasterium: Ibi, inquit, Christum quasi per sanum
apprehendit, et in domum matris suæ inducit, dum opera
bona in claustrum, domum congregationis quasi matris
universorum inducit, et in intellectum regulæ claustralis
suæ nutricis, dum eam intelligere docet. Ibi in claustro
docetur quid conversis in cælo promittatur. Ibi dabitur ei
poculum ex vino condito, id est, *doctrina ex scripturis sapientum composita, et mustum malogranatorum, id est, exempla iustorum.*

Porro S. Gregor. Aponius, Anselmus, Hortolanus hæc referunt ad conversionem Synagogæ, id est, Iudæorum in fine mundi. Audi S. Greg. « Apprehensam in domum matris suæ ducit, quia Synagoga in fine mundi Christum, in quem credit, prædicabit; dumque per prædicationem Ecclesiæ susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit: quia se doceri gaudebit, quando Synagogam iam idem corpus factam erudiri secum videbit. Poculum ex vino conditum Ecclesia dabit, quia ipsi Synagogæ novum testamentum cum veteri prædicabit, et quasi vino poculum condiat, quia dulcedinem Evangelii testimonio legis, quæ aspera est, ut robustius teneatur, cinget. Mustum vero malorum granatorum suorum tribuet: quia fortium virorum, qui unitatem Ecclesiæ etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponet, ut ad eorum similitudinem Synagoga inardescat, et Antichristi persecutionibus martyrum præcedentium exemplis roborata non succumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam subire non dubitabit. »

Huc spectat versio Chald. « Ducam te, o Rex Messia, et introducam te in domum Sanctuarii mei, et docebis me timere a facie Domini, et ambulare in viis eius, et ibi prandebimus prandium, et bibamus vinum vetus quod reconditum est in uvis suis a die, quo creatum est sæculum, et de malis punicis, quæ præparata sunt iustis in paradiso voluptatis. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

BEATA Virgo, Christum infantem pariens, duxit eum in domum matris suæ, id est suam, in Nazareth, quæ ab Angelis Lauretum translata, ubi hodie totius orbis concursu colitur. In ea ab eodem fuit edocta de mysterio passionis, crucis, resurrectionis, etc. et redemptionis hominum, de- A qua traducenda vita angelica, perfecta et divina, idque magis exemplo quam verbo. Rursum ibi Christum iam grandescentem potavit vino condito et musto malogranatorum, tam litterali, tum mystico, puta vino ardentis charitatis, ac musto compunctionis et lacrymarum.

Rursum et magis congrue ad litteram, B. Virgo apprehendit Christum, id est, petit apprehendi a Christo (est hypallage) ac duci in domum matris, puta cælestis Ierusalem, ibique ab eo doceri per visionem beatificam de tota sancta Deitate et Trinitate; utque ibi ei vicissim afferat vinum conditum exsultationis et gratiarum actionis, ac mustum æstuantis amoris et charitatis.

VERS. 3. LÆVA EIUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME.

SPONSA ex vehementia amoris et desiderii fruendi Christo in cælo, quod expressit vers. 1. et 2. incidit in animi deliquium, somnum et extasin; unde quasi collabens et corruens, invocat opem sponsi, ut læva caput, dextera B corpus suffulciat, itaque in sinu eius conquiescat, per quod ad litteram significatur Ecclesiam in fine mundi partim ex æstu amoris in Christum, partim ex multitudine persecutionum et tribulationum suspiraturam ad cælum, ut ibi sponsus Christus eam læva et dextera circumplectatur, sibique facie ad faciem arctissime uniat et astringat; interim vero dum hæc unio differtur, rogaturam ut sponsus se læva et dextera sua protegat, roboret ut deducat, ut moras eius et persecutiones hostium fortiter perferat, donec aspiret dies beatæ æternitatis, et inclinentur umbræ miseræ mortalitatis. Audi Honorium: *Erit læva sponsi sub capite sponsæ, quia omnem gloriam mundi videbit sub potentia Christi, qui est caput eius, et dextera eius amplexabitur eam; quia angelica societas et sanctorum unanimitas, quæ in dextera Christi in iudicio erit, illam sibi associabit: in hac dextera ab omni perturbatione requiescit, et nemo eam ab hac quiete excitabit, quia gaudium eius nemo tollet ab eo.* Porro gnomen hanc audivi- C mus cap. 2. v. 6. ubi eam explicui; quare hic plura non addam, nisi quod ibi illa tribuatur sponsæ infanti, hic vero adultæ et perfectæ.

Denique Chald. Iudaice hæc refert ad frontalia Iudæorum: *Dixit*, ait, *cætus Israel: Ego electa sum supra omnes populos, quia ego alligo frontalia manui sinistræ meæ et capiti, chartulaque infixa est lateri dextero portæ meæ, cuius tertia pars respicit thalamum meum, ut non habeant licentiam dæmones ad nocendum mihi.*

VOX SPONSI.

VERS. 4. ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT.

ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM (Hebr. et Septuag. *charitatem* vel *dilectionem*, id est, summe dilectam) DO- D NEC IPSA VELIT) Sunt verba sponsi, qui videns sponsam in somnum et extasim amoris incidisse, vetat ne quis eam ab illo, utpote suavissimo, piissima, sibique gratissimo excitet, sed placide in eo dormire sinat. Hanc gnomen iam tertio audivimus; nam c. 2. v. 7. tribuitur sponsæ infanti, et cap. 3. v. 5. sponsæ adolescenti; hic vero tribuitur sponsæ perfectæ et grandævæ. Vide ibi dicta. Tertio, eam repetit sponsus, ut ostendat quam sibi placeat sors Magdalenæ præ Marthæ, id est, otium contemplationis præ negotio actionis.

Chald. iudaizans hæc refert ad Gog et Magog, qui repræsentant Antichristum eiusque asseclas: « Dixit, ait, rex Messias: Adiuro vos, populi mi domus Israel, quare contenditis contra populos terrarum, ut egrediamini ex captivitate, et quare vos vultis rebellare contra exercitum Gog et Magog? Sustinete modicum, donec consumantur populi, qui ascenderunt ad belligerandum contra Ierusalem, et postea recordabitur vobis dominator sæculi mise-

rationum iustorum, et erit voluntas a facie eius, ut liberet vos. »

VOX POPULI

OCCURRENTIS.

VERS. 5. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIIS AFFLUENS, INNIXA SUPER DILECTUM SUUM?

Septuaginta et Arabicus pro מדבר *midbar*, id est, *deserto*, legentes מובר *mubar*, vertunt *dealbata*: בר *bar* enim vel *barar* est mundare, purificare, dealbare, licet Complut. in Septuag. legant: *de eremo*.

Pro *deliciis affluens innixa*, Hebr. est una vox מתרפקת *mitrappeket*, quam Vatablus, Pagnin. et alii vertunt, *innixa*; R. David, *adhærens*; R. Salomon et Aben Ezra, *associata*; Septuaginta, ἐπιστηριζομένη, id est *suffulta innixa*; Philo, *confirmata in fratre sua*, id est, quæ Christum habet quasi immobilis suæ speciei et decoris firmamentum. Licet Origen. hom. 4. versa a S. Hieron. et S. Ambros. l. de Isaac c. 8 legant ἐπιστηθιζομένη, id est, *super pectus eius recumbens*. Sicut S. Ioannes in sinu Iesu recubuit, ait S. Ambros. Ex quo nonnulli volunt sponsam hic visam in sinu sponsi dormientem, cum ille eam læva dextraque complecteretur, ut dixit v. 3. sed repugnat vox *ascendit*; in sinu enim non *ascendit*, sed potius portabatur manibus sponsi. Rursum sponsam iam non dormisse, sed experrectam ambulasse, patet ex eo quod ait illi sponsus versu sequenti: *Sub arbore malo suscitavi te, etc.*

Igitur sponsa, quæ prius dormierat in sinu sponsi, iam evigilans et exstasi amoris animosior effecta, pulso omni pudoris et dicteriorum metu, brachiis strinxit collum vel potius humeros sponsi, itaque iis innixa præ amoris deliciis visa est transeuntibus et occurrentibus ascendere de deserto, id est, ex agro suburbano, versus Ierusalem: occurrentes autem viri eam videntes, admirati eius speciem, æque ac amorem et libertatem, exclamant: *Quæ est ista, etc.* id est, *quam beata, quæ ascendit*, ait Honorius, *de mundo ad cælum? et Angeli in consortium suum introducent, ubi deliciis paradisi affluet, quia de bonis Domini gaudebit, cum ipsum Deum, in quem Angeli desiderant prospicere, facie ad faciem videbit, ubi concentum Angelorum, et organa sanctorum audiet, et ipsum odorem suavitatis sentiet; ubi inebriabitur ab ubertate domus Domini, et satiabitur, cum apparuerit gloria Dei. Ibi erit super dilectum suum innixa, quia semper in gaudio Domini erit stabilita*. Est ergo hæc vox non sodalium sponsi vel sponsæ, sed turbæ occurrentis.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia ascendit de deserto

ANGELI et cælites videntes Ecclesiam in fine mundi, conversis iam Iudæis et Gentibus, suis omnibus sanctis et electis esse perfectam, ideoque ad cælum contendere, ut militiæ et victoriæ suæ nanciscatur præmium et triumphum, eius formam, robur et decus quasi admirantes exclamabunt: Quæ est ista virgo tot virginum, martyrum, confessorum, Apostolorum, aliorumque heroum stemmatibus et trophæis insignita, quæ de deserto, id est, inculto huius mundi agro, imo vepreto et senticeto scelerum, malorumque omnium, tam gloriose in cælum ascendit, præ amoris teneritudine ac deliciis innixa super Christum dilectum suum? Ita Honorius, Cassiod. S. Gregor. S. Ambr. in Psalm. 118. serm. 14. v. 5.

Huc accedit Chald. «Dixit, ait, Salomon Propheta: Quando reviviscent mortui, futurum est ut scindatur mons olivarum, et omnes mortui Israel egressuri ex eo, et etiam iusti, qui mortui sunt in captivitate, venturi sunt per viam spinarum sub terra, et egredientur ex monte Olivarum. Futurum est autem, ut impii, qui mortui sunt et sepulti sunt in terra Israel, deiiciantur sicut lapis, quem proiicit homo super terram. Tunc dicent omnes habitatores terræ: Quod est meritum populi huius, qui ascendit de terra in mille millibus, sicut in die quo ascendit de deserto in terram Israel, et deliciis affluunt propter miserationes Domini sui, sicut in die qua visus est sub monte Sinai, ut susciperet legem? »

Τὸ *innixa super dilectum*, significat Ecclesiam scandere in cælum viribus non suis, sed gratiæ Christi: *Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*, Ioan. 3. et quem ille secum in cælum ducere dignatus sit. Vide S. August. in Psalm. 103. et lib. de Gratia et Lib. arbitr. cap. 6. Unde Theod. notat sponsam a Septuag. vocari *dealbatam*, sponsum vero *candidum*; quia ipse natura est talis, sponsa vero prius erat denigrata et fuscata, eo quod illam sol aspexisset; iam vero a sponso dealbata est, et candoris eius particeps effecta, qui sicut lux existens, ipsam lucidam et reddidit et appellavit, et sanctus existens, sanctam et fecit et nominavit; at cum sit resurrectio, resurrectione dignam esse voluit; sic et albedinem suam illi communicavit. Hæc S. Aug. S. Ambros. tamen serm. 14. in Psalm. 118. pro *dealbata* legit, *candida*, idque l. 4. de Sacram. c. 2. refert ad candorem baptismalem, quem admirentur Angeli. Porro candor hic et puritas conscientiæ exhibet animæ delicias Paradisi. Alludit ad ascensum Hebræorum ex deserto in terram promissam, duce Iosue, ait Honorius.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Et anima sancta.

CASSIODORUS, Beda, Anselmus et alii hæc accipiunt de ascensu, id est progressu animæ, ut est de virtute in virtutem: Anima fidelis, ait Honorius, de deserto ascendit, cum malam vitam deserit; et ad spiritualem conversationem per gradus virtutum ascendit. Hæc deliciis affluit, dum ferculis Scripturarum se deliciose pascit; super dilectum est innixa, quia amore soli Christo infixa. Tres Patres apud Theodor. Quænam est hæc, inquiunt, quæ tam perite docens, a rebus arcanis ad magis arcanas reconditasque progreditur ab omni peccatorum macula purgata?

Eleganter Alanus: *Descendit*, inquit, *in desertum per nativitatem, ascendit per desertum, progrediendo de virtute in virtutem, ascendit super desertum, omnem mundanorum contemnens sublimitatem, ascendit de deserto in æternam beatitudinem.*

Urget Rupertus τὸ *innixa super dilectum suum: Nimirum*, inquit, *ut non timeat timorem hominum, ut non deficiat in tribulationibus, quæ illam invenerunt, sive inventuræ sunt, atque persecutionibus inimicorum visibilium et invisibilium, Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum et spirituum malignorum. Quomodo enim inter hæc omnia subsisteret, nisi innixa esset super dilectum suum? Numquid innixa deberet esse super semetipsam, aut super quemlibet alium? tunc utique caderet, stare non posset. Nunc autem dicit: Dominus illuminatio mea est et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Hoc dicere et facere, nimirum est innixam esse super dilectum.* Hinc spei et amoris symbolum est hædera, sic dicta ab hærendo, quod cum per se stare nequeat, ligno se affigens ita adhæret, ut divelli nequeat; sic anima sancta suis viribus diffidens et tota Christo confidens, ita illi adhæret, ut ab eo separari nequeat. Unde hoc est hederæ huius lemma: *Numquam divellar*. Exemplum est in S. Magdalena.

Vis ergo deliciis affluere? innitere tuo IESU, qui est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde, ait S. Bernardus, ipsiusque vitam sequere. De his deliciis vide Isaiam c. 66. v. 11. et sequent.

Audi S. Gregor. « Sancta anima de deserto ascendit, quia in exilio huius peregrinationis posita, ad cælestia

gaudio mente et cogitationibus tendit: unde et Paulus dicebat; Nostra conversatio in cœlis est. Deliciis affluit, quia S. Scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assidue mentem pascit. Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exsilio ad patriam transfertur. » Et S. Ambr. in Ps. 118. serm. 14. v. 5. « Anima, ait, meritis ascendit albentibus, ex isto vitæ huius, ut habent plerique, deserto ad illum florentem semper locum iucunditatis æternæ; mirantur illæ virtutes, ex isto confragoso scopulosoque deserto, aliquam ascendere animam posse sine magnorum labe vitiorum, et ideo gratulantur repertam, quæ vestimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento insipientiæ sæcularis; sed magis sapientiæ spiritalis et gratiæ candore munderit. »

Mysticum desertum triplex, e quo ascendit anima, describit S. Bernard. in sententiis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Et B. Virgo.

HONORIUS Ecclesiam e Iudæis in fine mundi conversam, sic gloriam B. Virginis admirantem inducit: *Quæ est ista*, id est quanta laude digna, quam virtuosa, *quæ ascendit de deserto*, Libano mundi, *deliciis affluens* cœli, *innixa super dilectum suum*, ab eo exaltata super choros Angelorum?

Plenius Hailgrinus: *Ascendit*, ait, B. Virgo per processus meritorum: *Ascendit* per gradus dignitatum, quæ consurgens ut aurora, pulchra ut luna, electa ut sol, ascendit e vitæ præsentis exsilio super choros Angelorum assumpta. Ascendit autem de deserto, scilicet de mundo, quem sic deseruit, et tamquam desertum reputavit, quod ab ipso omnem suum avertit affectum. Affluere autem dicitur gratiarum deliciis et virtutum, et innixa super dilectum. Nam ne perderet delicias affluentes, non suis meritis, sed ipsius innitebatur gratiæ, qui gratiam tribuit, et meritum præmium superaddit.

C

Porro S. Bernard. ser. 4. in festo Assumpt. B. Virginis, hæc tribuit Angelis admirantibus B. Virginis, cum a Christo in cœlum assumeretur, decorem et gloriam, ideoque exclamasse: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

VOX SPONSÆ.

VERS. 5. SUB ARBORE MALO SUSCITAVI TE: IBI CORRUPTA EST MATER TUA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TUA.

SUB ARBORE MALO SUSCITAVI (Arabicus, *sublevavi*) TE: IBI CORRUPTA EST MATER TUA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TUA;) Septuag. *Sub malo exsuscitavi te; ibi cum dolore peperit te mater tua, ibi cum dolore peperit te, quæ genuit te;* Syrus: *Ibi corrupit te mater tua, ibi violavit te genitrix tua;* Arabic. *Dolores partus passa est in te.* Hebr.

D

enim חבל *chibbel*, et Græcum ὠδίνησε, ut vertunt Sept. significat cum dolore parere et eniti. Unde proprie vertas: *Ibi magno dolore parturiit te mater tua.* Ad hæc *chibbel*, significat quoque corrumpere, disrumpere, ut vertit Noster.

Nonnulli censent hæc esse verba sponsæ de sponso, quia Rabbini pro *te* et *tua* supposuerunt punctum ך *cha*, quod est masculinum, idque ne mater sponsi, id est Synagoga eorum dicatur esse corrupta et violata, quod eis videtur esse probrum. Rabbinos sequuntur Hæretici, et nonnulli Catholici, ut Luysius Legion. Agathius, Nannius, Genebrardus; sed varie explicant.

Primo, bucolice: q. d. Ego sponsa sub arbore malo legens poma mea specie, sedulitate et gratia excitavi sponsum ad mei amorem; sic pulchri et gratiosi dicuntur e floribus vel inter flores nati, turpes vero et rustici dicuntur *trunci*, et e trunco excisi. Sic Pastor ille apud Virg.

A

Eclog. 8. Nisus amore se captum sub arbore testatur dicens:

Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem:
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Hinc malus, sive pomus et poma symbola sunt amoris, iuxta illud c. 2. v. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum: sic dilectus meus inter filios hominum.* Hinc et Aben Ezra hic exponit, q. d. Ita suaviter oles, ac si inter poma genita et nata fores.

Secundo, Tigurina vertit: *Sub arbore malo destruxi te*, id est, quia ego Ecclesia malum sive pomum vetitum in Eva matre comedi, causa fui, cur tu, o Christe, in cruce destrueveris et occideveris. Nam Deus Pater voluit tua cruce expiare gulam meam.

Tertio, Vatablus vertit: *Sub malo excitabo te*, id est sub cruce, credendo te esse passum, excitabo te frequentibus precibus, ut crux tua mihi sit veniæ, gratiæ et salutis. Alii aliter.

B

Verum dico hæc esse verba sponsi, non sponsæ, ac proinde in Hebræo substituenda esse puncta, quæ significent pronomina fœminina pro masculinis, ut pro עוררתיך *ororticha* legas עוררתיך *orurtich*, pro אמך *immecha*, אמך *immech*, pro חבלתך *chibbelatecha* חבלתך *chibbelatech*, et ita de cæteris, quæ sequuntur. Nam verba hæc esse sponsi unanimi consensu docent S. Gregor. Theodor. Cassiod. Philo. Aponius, Beda, Iustus, Anselmus, Rupert. Angelomus, Haymo, Alcuinus, S. Thom. cæterique omnes Patres Græci æque ac Latini. Fingitur ergo hic sponsa sub malo legens poma a serpente admorsa, et periclitans de vita a sponso sanata, et ad vitam quasi suscitata. Sic enim Christus Evam, eiusque filios, a serpente diabolo in pomo vetito admorsos et lethaliter sauciós, ad vitam per crucem revocavit.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

NONNULLI sic exponunt, q. d. Sub arbore scientiæ boni et mali comedit Eva pomum vetitum, itaque se et suos posteros perdidit: verum ego Deus infligens illi in pœnam tot labores et ærumnas, ipsam denique mortem, eam ad pœnitentiam revocavi, et a concupiscentia gulæ ad charitatem meam suscitavi. Verum Patres omnes per arborem malum accipiunt arborem crucis; malus enim Latinis quamvis arborem præsertim frugiferam, ut ficum, pyrum, prunum, cerasum, etc. significat. Crux autem Christi nobis summe fuit frugifera. Addunt nonnulli crucem Christi factam ex arbore malo. Imo S. Anselm. ex nonnullis Græcis tradit ex ramis, vel ex semine arboris vetitæ quippiam ex paradiso translatum fuisse in Iudæam, ibique plantatum, atque ex eo succrevisse arborem ex qua facta est crux Christi. Sed hoc incertum et apocryphum videtur. Illud certius quod idem addit, alludi hic ad arborem vetitam; huic enim antitype respondit arbor crucis Christi, sicut pœna respondet culpæ, satisfactio crimini, pharmacum morbo, q. d. Sub arbore vetita, o sponsa, corrueras per culpam; quare ego sub arbore crucis illi vicina te expiavi et suscitavi; arbor enim crucis, obedientiæ et charitatis, expiavit arborem voluptatis, inobedientiæ et cupiditatis.

Sub arbore malo suscitata Ecclesia.

Porro in sponsæ hoc glorioso in cœlum ascensu et triumpho, sponsus mentionem iniicit crucis, ut ostendat unde ei hæc gloria provenerit, scilicet a cruce, idque hoc fine, ut sponsa memor suæ vilitatis ut lapsus, magis se humiliet, sponsumque revereatur, ac in eius amorem magis accendatur, utpote cum se ab eo in cruce a morte æterna redemptam et suscitatam recordatur. Adde, innuit hic Salomon, tanta tamque profunda esse crucis et amoris Christi crucifixi mysteria, ut ea in hac vita ad fundum penetrare nequeamus, quantumvis de ea assidue meditemur et contemplemur: sed id reservari futuræ beatorum visio-

ni in cælo, qui in abysso divinitatis videbunt abyssum charitatis et crucis, in eaque se demergent et submergent.

Sensus ergo est, q. d. O sponsa, o Ecclesia, in hac tua gloria memor esto, quod ego moriens in ligno crucis te a morte suscitarim, eo quod in ligno antistropho pomi vetiti per comestionem et inobedientiam a serpente corrupta sit mater tua Eva, quæ in te, dum te genuit, hoc peccatum originale quasi naturali propagine transmisit: Eva enim consentiendo serpenti, id est diabolo, ei quasi se violandam et corrumpendam prostituit; ibi quoque violata est genitrix tua Synagoga (hæc enim est mater Ecclesiæ, quia ex illa prodiit) dum me suum Messiam et Regem, Pontificem et legislatorem immani parricidio et sacrilegio, imo Deicidio crucifixit: *Quando enim Salvatorem suum in ligno fixit, ibi nefando scelere se corrupit*, ait S. Gregor. *Ipse ergo lignum tunc notavit damna ligni ut solveret*; ut canit Ecclesia in hymno S. Crucis. Voluit enim Deus congruo suæ iustitiæ et sapientiæ decreto, Christum non gladio, non igne, non aliis tormentis, quam ligno crucis occidi, ut commissum in ligno ab Adam et Eva peccatum ligno crucis expiaretur, ut diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, ut canit Ecclesia: *Et unde mors oriebatur, inde vita resurgeret*. Hac de causa crux Christi apparebit in cælo cum Christus ad iudicium veniet, Matth. 24. ac ut multi volunt, in cælo perdurabit in æternum, ut beatos semper memores et gratos tanti beneficii efficiat. Ita sanctus Gregor. Cassiodor. Beda, Iustus, Anselmus, Rupertus.

Audi Guilelmum: « Nam mortua eras in peccatis, vel innatis vel additis, vivificavi te sub ligno crucis. De corpore mei pendentis in ligno, sanguis redemptionis quinque rivis stillavit super te, et ita sub arbore illa, suscitavi te. Quid est sub arbore illa? suspicientem in arborem illam, suspicientem æneum serpentem, id est credentem in Iesum Christum et hunc crucifixum. »

Huc alludens Ezechiel cap. 16. v. 5. et seq. Synagogæ suam priorem vilitatem et sordes, a quibus a Deo erecta, purgata et in sponsam assumpta est cogitandas obiicit: *Proiecta es*, inquit, *super faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die quando nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi, etc. Vive.*

Porro quod Septuag. Arabicus et alii ex Hebræo vertunt: *Ibi magno dolore vel cruciatu parturiit te mater tua*; apte Titelm. sic exponit, q. d. In cruce Christi materna pietas et misericordia, quasi mater puerpera te parturiit immenso cruciatu. Additque posterius membrum verti posse; *Ibi laboravit genitura tua, vel nativitas tua*, hoc est, ibi patuit quanto pretio constiterit tua regeneratio, quanta difficultate peragi potuerit tua a morte redemptio, utpote quæ non nisi per mortem unigeniti Filii Dei potuerit perfici. Unde S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Illic*, inquit, *parturivit te mater tua, sic pariuntur autem in quibus Christi imago formatur; unde quoniam in sponsa formatus erat Christus*, ait: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima saucia.

Et anima sub cruce.

Sub malo, id est, sub cruce per eius crebram meditationem et contemplationem excitatur anima ad amorem et fervorem, ut adeo sui amantem redamet, ac amorem amori, sanguinem sanguini, mortem morti rependat, quia *ibi in dolore te peperit, quæ te concepit*, ut vertunt Septuag. id est, caro Christi, ait Philo, in tormentis crucis passa, sponsam sibi peperit sanguine redemptam, et aqua baptismi, quæ de latere Christi fluxit, ablutam: *Inspice*, ait S. Augustin. lib. de Virg. *Vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc*

A *in statera vestri cordis appendite, ut totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.*

Trita est S. Gregor. sententia: « Nihil Deo grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur. Parva enim toleramus, si recordemur quam dura verba, duriora verbera, durissima supplicia, pro nobis ille passus sit, qui in capite tulit coronam, in oculis velamen, in auribus convicia, in ore fel et acetum, in facie sputa et alapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mœrorem, in visceribus concussionem, in corpore flagella, in membris extensionem, in manibus et pedibus perfossionem. Denique a capite ad pedum plantas usque innumera sustinuit vulnera et dolores. » Addit Philo huius mali arboris fructum, sive pomum esse Eucharistiam, in qua caro Christi, in cruce amore nostri magis, quam dolore assa et tosta, nobis manducanda exhibetur, ut nobis suum amorem, vitam, et spiritum aspiret.

Rursus tres Anonymi apud Theodor. aiunt animam concupiscentia infectam ex arbore vetita, cuius pomum comedit Eva, sanari arbore crucis, ex qua discit voluptatem vincere cruce et mortificatione. Audi eos: « Sub rebus istis procreatis, quæ suavia pomi instar sensus omnes oblectant, te (o anima) desidia ad bonum complectendum inertem, et rerum caducarum studio consopitam excitavi, providentiæ, iudiciique sermonibus et rationibus impellens ad amorem et desiderium mei. Illic enim in affectione rerum fluxarum concepit te prima mater tua Eva generans cum voluptate, et pariens cum dolore. Quibus affectionibus rerum fragilium desiderio laborabas voluptatem sequens, doloremque fugiens, ad voluptatis finem ita contendens, ut a dolore velles separari, quod quidem fieri nullo modo potest. Proinde si cupis ab istis perturbationibus esse libera, pone me ut sigillum, etc. quæ sequuntur. »

Anagogice Honorius: « Animam, inquit, sub arbore mali Christus suscitavit; quia post hanc vitam omne genus ad vitam per victoriam crucis vivificabit, quod per arborem transgressionis mortem subiit. Tunc Ecclesia recipietur in illa gloria, ubi corrupta est per superbiam mater eius, scilicet dignitas angelica, et ubi genitrix eius violata, videlicet numerositas electorum imminuta, quam ipsa redintegrabit, cum incorruptelam possidebit, et numerum electorum implebit: tunc Christum ut signaculum ponet super cor suum, etc. » Anagog.

B

C

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

PRIMO, sub malo, id est, sub cruce suscitavit Christus Evam et Adamum (unde et Adam sepultus est in monte Calvariæ, in quo crucifixus est Christus, ut sanguine e Christo in Adamum sepultum stillante, ipse a morte resuscitaretur, uti passim docent Patres; sicut pellicanus fertur pullos suos exanimes sanguine e pectore suo elicito vivificare) et omnes eorum posteros, inter quos est B. Vir- Et B. Virgo.
D go; sed hæc quia iam a Deo decreto erat mater Christi, hinc a lapsu et peccato originali a Deo fuit præservata; dicitur tamen hic suscitata a lapsu et peccato, non quod actu incurrat, sed quod incurrere debuisset ex propagine communi Adæ et Evæ, nisi per speciale Dei privilegium fuisset exempta. Pulchris similitudinibus id explicat S. August. in illud Psal. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. Prima est: *Quemadmodum*, inquit, *si medicus videat tibi imminentem ægritudinem fore ex aliquo labore, et dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, iis cibis utere: nam, si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris, et salvus eris: recte dicis medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras.* Secunda: *Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum, gratiae agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere.* Tertia: *Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed*

quia talibus meritis agebantur, ut nisi eubaentum esset, ibi essent, inde ce recte dicunt liberari quo per liberatores suos non sunt permissi perdaci.

Secundo, Christus suscitavit sub cruce B. Virginem ad incrementum et fervorem charitatis, ut videns tantum Christi in se et omnes homines amorem usque ad mortem, et mortem crucis, hoc exemplo vicissim incitaretur et quasi incenderetur, flammeo charitatis incendio, adeo ut optaret pro Christo et cum Christo crucifigi, ac ad omne genus tormentorum sese Deo in holocaustum, et victimam pro peccato offerret pro salute hominum.

Tertio, B. Virgo Christo crucifixo astans, eumque in holocaustum Deo offerens pro reconciliatione mundi, dicit Ecclesiæ et animæ sanctæ. Sub malo, id est sub cruce per mortem filii mei, quem pro te Deo in sacrificium obtuli, suscitavi te a peccato, morte et inferno. Idem facit quotidie, dum pro peccatoribus per crucem filii Deum interpellat, eisque veniam gratiam et salutem impetrat.

VERS. 6. PONE ME UT SIGNACULUM SUPER COR TUUM, UT SIGNACULUM SUPER BRACHIUM TUUM; QUIA FORTIS EST UT MORS DILECTIO, DURA SICUT INFERNUS ÆMULATIO; LAMPADES EIUS LAMPADES IGNIS ATQUE FLAMMARUM.

Chaldæus, Arab. Rabbini et Catholici, qui versum præcedentem censent esse vocem sponsæ, hunc quoque eidem assignant quasi ipsa petat, ut sponsus cor suum et brachium iugi memoria, et amore sponsæ tam miseræ et peccato corruptæ, velut signaculo obsignet. Et sane possunt hæc verba tribui sponsæ, quia ipsa imitatur affectum sponsi, ad eumque se suumque animum fingit. Correlativus enim est affectus amorque sponsi et sponsæ. Hinc Chald. vertit: *Dicent filii Israel in die illa Domino suo: Obsecro te, pone nos sicut sculpturam annuli super cor tuum, ut sicut sculpturam annuli super brachium tuum, ut non addamus ultra esse exules.* Denique textus Hebræus significat esse hæc verba sponsæ non sponsi. Habet enim masculinum שִׂימֵנִי *simeni*, id est, *pone me*, *o vir*, o sponse. Si enim essent verba sponsi, dicendum fuisset femininum שִׂימִנִי *simini*, id est, *pone me o fœmina*, o sponsa. Nisi dicas *simeni* esse infinitivum, qui ponatur pro imperativo. Infinitivus enim tam est fœmininus, quam masculinus. Ita aliqui. Nam hæc esse verba sponsi ad sponsam colligi videtur ex dictis vers. præcedentis. Pendet igitur hæc gnome a præcedenti velut effectus a causa, ut gratiarum actio a beneficio, q. d. Quia ego sponsus te, o sponsa, sub malo pomi vetiti, a matre tua Eva comesti, lethaliter sauciam a plaga et morte, per malum et lignum crucis meæ suscitavi; hinc tu vicissim tanti beneficii memor, *pone me ut signaculum super cor tuum*. Prior sensus planus est, secundus obscurior magisque moralis, hinc eum prosequar. Nam Patres censent hæc esse verba sponsi, non sponsæ.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

SPONSUS, ut magis sponsam incitaret ad iugem sui amorem, reverentiam et gratiarum actionem vers. præcedenti iniecit mentionem crucis et mortis pro sponsa Ecclesia obitæ. Unde hic iure suo poscit, ut se crucemque suam iugiter gerat in corde et mente ac in brachio et operatione, eoque quasi signaculo cor et brachium obsignet.

Pro *signaculum*, Hebr. est חוֹתָם *chotam*, quod proprie sigillum et annulum signatorium, quo litteræ aliæque res obsignantur et sigillantur, significat. Radix enim חתם *chatam*, significat occludere, obsignare, sigillo confirmare.

Christus cordis signaculum. I. Primo ergo *signaculum* hic significat sigillum, q. d. Sponsus: me meique memoria et amore, sigilla, o sponsa, cor tuum et brachium tuum, ut iugem mei formam et speciem, velut imaginem in mente et actione tua ex me expressam et impressam conserves. Ita Cassiodor. Beda, Iustus et alii. Unde Guilielmus: *Pone me ut signaculum*, hoc est inquit, *imprime mihi intus, me iugiter cogitando; imprime mihi foris, propter me strenue operando, ut pia cordis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet.*

Rursum, q. d. Ita meos mores et vitam cordi et brachio tuo imprime, ut eorum similitudinem in te, id est, in cogitationibus et actionibus tuis exprimas, ut qui te Christianum viderit, Christum se videre putet; sicut qui videt imaginem in cera impressam, sigillum ipsum et exemplar videre se æstimat; idque tam in agendo, quam in patiendo, iuxta illud Pauli: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Corinth. 4. 10. Ita S. Anselm. et S. Ambros. lib. de Isaac c. 8. et Theod. *Vult, ait, Salvator, ut eum pro signaculo in contemplationibus et in actionibus nostris habeamus, et notam ipsius tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt ut numismata Regia, non adulterina sed regiam imaginem proferentia.* Sic et tres Anonymi.

Audi S. Ambros. « Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus. Signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis: ut si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum quia caput viri Christus; ipse oculus noster, ut per eum videamus patrem; ipse vox nostra, per quam loquamur ad patrem; ipse dextera, per quam Deo patri sacrificium nostrum offeramus; ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis et charitatis insigne, quo diligens pater signavit filium, sicut legimus, Quem Pater signavit Deus, » Ioan. 6.

Secundo, *signaculum* idem est, quod stigma et signum quod herus imprimit suis servis, militibus, ovibus, bobus et rebus, ut ex eis liqueat illas res esse ipsius. Sic Apoc. 7. omnes electi signantur signo crucis. Christus ergo hic sponsæ imprimit suum stigma crucis, ut ex eo liqueat eos esse servos Christi crucifixi, sicut Antichristus suam notam et characterem suis sequacibus in manu vel fronte imprimet, Apoc. 13. v. 16. Ita Aponius. Huc accedit Anselm. *Pone me*, inquit, *regentem cor tuum et cogitationes tuas, ut pateat amicis te continere mea secreta, et inimicis item pateat ab eis secreta, quæ habes, esse clausa, habeasque me ut rectorem in omnibus operibus tuis.* II.

Tertio, *signaculum*, idem est quod claustrum sigillo obsignatum, quo res pretiosas vel charas ita claudimus, ut ab aliorum contactu semotæ heri dumtaxat voluntati, usuique serviant. Sic sponsa quasi hortus conclusus, et fons signatus, uti dixit cap. 4. 12. uni servatur sponso, ut illo solus is fruatur, nec quis alius vel hilum ex ea delibet, sed ipsa totum suum cor, id est mentem et cogitationem ac brachium, id est, omnes suas operationes dedat, et consecret Christo sponso suo. Unde Rupert. sic explicat: *Pone me ut signaculum super cor tuum, etc. Id est, confidat in me cor tuum: roboretur ex adiutorio meo brachium tuum*, sicut Imperiale signum contra Iudæos, Paganos et Hebræos. III.

Hac de causa sponsus dare solet annulum sponsæ, tum ut signum fidei, amoris et fiduciæ; tum ut eo res domesticas obsignet. Audi Clementem Alexand. 3. Pædagog. 2. *Dat ei annulum aureum, nec eum quidem adornatum, sed ut ea obsignet, quæ domi digna sunt, quæ custodiantur; propterea quod servandæ domus ad eam cura pertineat.* Et post pauca: *Atque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes eis domus custodiam permittant, ut quæ eis opitulatrices datæ sunt.* Porro sponsa Ecclesia hic in cælum scandens iubetur merito obsignari sigillo sponsi, ut in cælesti eius thalamo velut res pretiosa, et ad eius solius usum servanda recondatur. Unde S. Hieronym. epist. 22. Ad Eustochium de Custod. Virg. *Quotiescumque*, ait, *te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mente transgredere, esseque incipe quod futura es, et audies a sponso tuo: Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signacu-*

lum in brachio tuo : et corpore pariter et mente munita clamabis et dices : Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, et flumina non operient eam.

IV. Quarta, *signaculum* potest sumi pro imagine signata, q. d. Gesta, o sponsa, mei, qui tuus sum sponsus, imaginem expressam in bulla aurea, quam super portas, et in armilla qua brachium ornas, ut jugiter mei recorderis, nec aliud cogites, ames aut agas, quam de me aut propter me. Unde Honorius : Christum, ait, ponit super cor suum, ut signaculum sponsa, quia eius doctrinam et vitam in corde ita gerit, quasi præsentem semper videat. Sic Cicero l. de Finibus, docet Epicuri discipulos et amicos eius effigiem in annulis gestasse : idem fecere alii aliorum amantes. Ex adverso de Iechonia ait Deus : *Vivo ego, si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Ierem. 22. 24. Atque hinc Ecclesiæ damna omnia nascuntur, quod scilicet multi non Christum, sed mundum, mundique idolum ponant signaculum cordis sui ; quod scilicet ambiant mundanos honores, opes, delicias, non Christi amorem et gloriam.

Audi Hugonem Cardinal. hæc et plura complectentem : *Pone me ut signaculum,* etc. q. d. *Volo ut mei pro te crucifixi memoriam habeas, ut per te nihil nocivum intret, aut exeat* (nam quæ abscondita esse volumus, etiam sigillo munimus) *ut mihi soli arcanum cordis aperias ; ut speciei meæ in te similitudo resultet ; ut mei character amoris te ab omni alieno discernat ; ut in castro tuo meum semper vexillum appareat ;* Et post nonnulla : *Monile pectoris est signaculum cordis, ne affectio indigna surrepat ; armilla brachii signaculum fortitudinis in exteriori operatione ut etiam in corpore nostro stigmata Domini nostri Iesu Christi circumferamus.*

Denique S. Ambr. l. de Isaac et Anima c. 8. *Sigillum,* ait, *Christus in fronte est : ut semper confiteamur : in corde, ut semper diligamus ; in brachio, ut semper operemur, ut si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus,* etc. Idem in Psal. 118 ser. 15 ad illa v. 120. *Confige clavis a timore tuo carnes meas : Fige,* ait cordi tuo *hoc signaculum crucifixi : infige et brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris sed etiam charitatis affigunt, quia valida est ut mors dilectio ; durus sicut inferi zelus. His clavis charitatis configatur anima nostra et caro nostra, ut et ipsa dicat : vulnerata charitate ego sum.*

Porro hanc Christi imaginem in corde imprimi sigillo charitatis docet Guilielmus, dum ait : « Imprimere mihi quasi signaculo per amorem mihi fortiter adhærendo, ut a me quasi signaculo formam accipias, ut meam subtili expressione similitudinem trahas : quanta fuerit impressio amoris, tanta et erit expressio similitudinis : quanto mihi fortius per amorem inhæseris, tanto mihi similior eris. Quanto te mihi impresseris fortius, tanto ego Christus in te formabor expressius, et tanto tu in me reformaberis transformaberisque insignius. » Et inferius : « Charitas hominem mundo conformem transformat : quia ut signaculum, sic et formam mutat, ut qui erat mundanus, fiat deificus et divinus. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Christus crucifixus iubet animæ piæ, ut sui effigiem jugiter in corde et brachio, id est, in mente et operatione gestet, ut nihil non videat, cogitet, amet, operetur quam Christum crucifixum ; sed a mente et affectu omnes alias personas et res quantumvis pretiosas excludat ; se tacite eidem spondet, si id faciat, se vicissim illius memoria et amore obsignaturum cor suum, æque ac brachium, ut assidue de ea cogitet eamque curet, dirigat, propugnet, prosperet. Ita tres anonymi apud Theodoret. Sic Deus ait Zorobabeli, qui fuit typus Christi : *Assumam te, Zorobabel serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi dicit Dominus exercituum.* Aggæi 2. 24. ubi multa hac de re dixi. Sic Christo obsignatus erat S. Paulus, cum diceret : *Ego stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Galat. 6. 17. Et S. Franciscus eadem corpori suo impressa a Christo accepit. Et S. Clara de Montefalco in Italia, cordi suo impressa Christi crucem, clavos, flagella et spineam coronam, etiamnum tot annis post mortem spectantibus exhibet, idque refert Bozius lib. 1. de Signis Eccles. cap. 18. Ita S. Agnes sponsa Christi de sponso suo aiebat : *Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Ubi ex S. Ambros. de ea canit Ecclesia. Porro fidelis ita sit signaculum et sigillum Christi, ut eius ideam, et mores aliis instar sigilli imprimere satagat, uti faciebat Paulus dicens : *Sicut portavimus imaginem hominis terreni, portemus et imaginem cælestis : qualis terrenus, tales et terreni, et qualis cælestis, tales et cælestes.* 1. Corinth. 15. Et : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro,* 1. Cor. 6. 20. Et : *Induimini Dominum Iesum Christum,* Rom. 13. 24. Et : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis,* Gal. 4. 19.

Audi S. Greg. *In corde sunt cogitationes et in brachio operationes. Super cor ergo et super brachium sponsæ dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur. Signum quippe sancta mens interius et exterius Christum portat, quia dum in eius meditatione assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo eius dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat : In hoc cognoscent omnes, quia vere mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. De qua dilectione mox subditur : quia fortis est ut mors dilectio,* etc. Exemplum memorabile est in S. Gertrude, quæ l. 2. Revel. cap. 6 narrat Christum Dominum in specie pueri elegantissimi sibi apparuisse, ac illapsum in animam suam, eam quasi in se transformasse, eique dixisse : *Sicut ego sum figura substantiæ patris in deitate, sic tu eris figura substantiæ meæ in humanitate, quia recipiet in anima quasi deifica dona tibi missa a mea divinitate, eo modo quo aer recipit claritatem solis, ut hoc radio penetrata intime usque ad medullas, apta habilisque fias ad familiarem unionem mecum ineundam ;* Et c. 7. et seq. *Cum,* inquit, *in festo purificationis recepissem S. Synaxim, mente intenta in Deum et in meipsam, percepi et sensi animam meam instar ceræ igne divino liquefactam, talemque effectam ex sigillatione pectoris Christi, ex eo enim impressos accepi thesauros gratiarum, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter ; atque exinde exstiti nobiliter signata charactere splendentis et semper tranquillæ Trinitatis, ut deinceps toto mentis aviditate anhelarem ad summum bonum in seipso, quod es tu, Domine, in veritate tuæ æternitatis, quæ est abyssus charitatis, ex qua immensos amoris, omnisque gratiæ, et virtutis gurgites haurire licet.* Et lib. 1. c. 4. Christus cuidam ostendit monile quoddam splendidum et mire ornatum, quod gestabat cordi suo impositum. Monile hoc erat triangulum instar trifolii : Addiditque : *In signum amoris, quo sponsam meam Gertrudem prosequor, continuo hoc monile gestabo* Et l. 5. c. 3 Imminente morte S. Gertrudis, Christus eam mellifluo hoc promisso consolatus est : *Ecce nunc tandem per meum osculum efficacissima suavitate plenum te mihi acquiram, perque arctissimos divini mei cordis amplexus offeram te meo Patri cælesti,* q. d. Hucusque te in terra detineri permisi maioris tui meriti ergo : at nunc cum fervor dilecti amoris non ferat ulteriores absentiæ tuæ moras, solvam et eximam te velut desideratum mihi thesaurum vinculo carnis, sistamque te tuo creatori, ut deinceps refrigeram in ta magnitudinem mei ardentissimi amoris, secundum dulcissimas deliciarum mearum delectationes.

S. Gertrudis signata Christo.

Porro revelationes S. Gertrudis, æque ac S. Birgittæ. Mart. Delrio agens de Prophetis in Magic. aliisque, multi

viri docti et Critici, qui initio Revelationum S. Birgittæ citantur, laudant et venerantur ut probas et pias, esto multa contineant symbolica; ideoque symbolice interpretanda. Sunt enim a matrona eximie sancta dictata. Quare dicere eas esse conficta, magnæ foret temeritatis et impudentiæ. Non tamen asseruerim omnia, quæ in illis scribuntur, proprie dictas esse revelationes Deique oracula, præsertim quia ipsi Prophetæ subinde falluntur, putantque se spiritu Dei agi, cum spiritu proprio, licet pio, aguntur, uti contigit Nathan Prophetæ, 2. Reg. 7. v. 3. et 4. Hac de causa subinde revelationes hasce cito, sed parce et cum grano salis, ubi res exigit.

Anagog. Anagogice Honorius hæc accipit de Ecclesia in cælis triumphante: « Tunc, ait, Christum ut signaculum super cor ponet, quia ipsum, qui est imago Dei, in seipsa, ut imaginem in cera expressam videbit: super brachium ut signaculum ponet, quia ipsum pro labore operum mercedem accipiet. Ibi fortis est ut mors dilectio, quia sicut mors omnes reprobos traxit ad interitum, ita dilectio Dei omnes electos trahet ad gaudium. Dura est ibi sicut infernus æmulatio, quia sicut infernus omnes sequaces diaboli, sic cælum omnes Dei imitatores Christi recipiet. Ibi omnes electi lampades charitatis erunt, quando, accensis lampadibus, obviam sponso et sponsæ ibunt, qui semper in amore Dei, ut ignis ardebunt: quia in regno patris sui, ut sol fulgebunt.» Hic sensus non tam anagogicus videtur, quam litteralis. Agitur enim hic de Ecclesia et anima in cælos ascendente, ut superius dixi; beati enim in cælo Christum ut signaculum gestabunt in corde et brachio, iubilantes cum eo per omnem æternitatem.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo Christum posuit ut signaculum super cor suum, non tantum ethice per amorem plusquam maternum, sed etiam physice, cum eum novem mensibus in utero portavit, concepit, aluit, genuit. Super brachium vero, cum eum iam natum in ulnis et brachiis gestavit: quare non imago vel similitudo Christi, sed ipsissimus Christus ei fuit signaculum cordis et brachii.

Audi Alanum: « Virgo Maria Christum posuit super cor suum, ut signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est, eiusque gratia consignata. Hoc autem fuit incognitum diabolo, et cognitum angelo: super brachium tuum, id est in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor virginis et super brachium dilectus ponitur ut signaculum, quia in cogitationibus, quæ nutantur per cor, et in actionibus, quæ per brachium, virgo filium imitator. »

Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.) Pro *fortis*, Symmach. vertit, *inexpugnabilis*. *Pro æmulatio*, Hebr. est קנאה *kina*. Septuag. ζῆλος, id est zelus, zelotypia, qua sponsus adeo ardenter amat sponsam ut se pro ea periculis, duellis, mortique ipsi obiiciat: ut nullum patiatur rivalem, sed solus sponsa potiri velit, ac si quis eam sibi eripere velit, acriter in eum insurgat, lædat et occidat: unde Syrus et Arabicus vertunt: *Crudelis sicut infernus zelotypia*.

Sunt verba sponsi, ut patet ex præced. Minus recte Chald. zelum refert ad hostes et persecutores: *Quoniam*, inquit, *fortis est ut mors dilectio deitatis tuæ, et robustus sicut gehenna zelus populorum, qui zelant nos.*

Videtur prima fronte absona et horrida comparatio dilectionis cum morte et inferno; sed hoc loco est consona et commoda, quia amor sponsi per crucem liberavit sponsam a morte et inferno, cui ob peccatum addicta erat. Simili modo Apostol. Rom. 4. potentiorem docet esse gratiam Christi, quam fuerit peccatum Adæ, quod mortem in orbem totum invexit: quia gratia Christi utrumque destruxit. Amor igitur et fortitudo amoris Christi est clausula et finis Cantic. Unde Ioannes Gerson. Cancellar. Paris. finita expositione Cantic. ægrotans, identidem repetens hæc verba: *Fortis est ut mors dilectio*, amori huic et hisce verbis immortuus est, uti initio in Interpretibus dixi.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Tu *quia* dat causam præcedentium, cur sponsus sub malo crucis suscitarit sponsam, ideoque ab ea poscat, ut se ponat signaculum super cor et brachium; causa enim fuit amor verus et merus, q. d. Ideo ego Christus pro te, o Ecclesia, a morte suscitanda cruci et morti me exposui, quia te ut sponsam puro meroque amore et zelo adamavi.

Amor enim fortis est ut mors; zelus durus est sicut infernus. Primo, quia sicut mors omnia domat, sibique subiicit, ut nullum vivens eius vim et imperium effugere queat: Et sicut infernus ante Christum omnes morientium animas absorbebat, nec ulla eius manus evadere poterat, quin in eum descenderet; sic pariter amor Christi vicit omnia flagella, clavos, spinas, crucem, dolores, probra, famem, sitim, nuditatem, omniaque dura et adversa, quæ fortiter perpessus est, ut Ecclesiam sponsam suam a morte redimeret. Sicut ergo morti et inferno nihil resistit: sic et amori Christi forti et duro omnia cesserunt et succubuerunt. Addit Cassiod. et Beda. Sicut infernus nescit misereri, et a pœnis mitigari; sic Christus nequit desistere ab amandis hominibus ob quantumlibet graves eorum improbitates. Amor fortis ut mors I.

Secundo, amor Christi fuit fortis sicut mors et infernus, quia amor eum coegit mori et descendere in infernum: Sed amor Christi fuit fortior morte et inferno, quia animas Patrum morti et inferno eripuit, illasque ex eo liberavit, iuxta illud Osee 13. 14. *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Ita S. Ambros. l. de Isaac c. 8. Cassiodor. Philo, Iustus, Beda et Gregorius. Amor ergo tam fortis est, ut vicerit Deum eumque in carnem et crucem quasi charitatis victimam deduxerit. Quare sicut Iacob prævalens angelo Dei victor in lucta, ab eo vocatus est Israel, id est dominans Deo; sic multo magis amor nuncupari potest Israel, quia *unus de Deo triumphat amor*. II.

Tertio, quia amor facit ut amans, si res amata lædatur, vel ei eripiatur, summe angatur et crucietur ac videatur subire ipsam mortis et inferni agoniam, iuxta illud: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me*. Psal. 47. III.

Quarto, quia Christus omnes hæreticos et impios, qui sponsam suam Ecclesiam violare vel maculare contendunt adigit in mortem et infernum; sicut maritus occidit adulterum, iuxta illud: *Zelus et furor viri non parcit in die vindictæ, nec acquiescit cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*. Proverb. 6. Hunc zelum habebat Moses, cum 23. millia Israelitarum adorantium vitulum aureum occidit. Exod. c. 32. v. 34. IV.

Porro Christus ut sponsus eximium suum hunc in sponsam Ecclesiam amorem illi proponit, ut vicissim similem ab ea exigat, q. d. Dixi: Pone, o sponsa, me ut signaculum, super cor tuum, signaculum, inquam, amoris, quod alias res omnes a corde tuo fortiter excludat: quia sicut meus in te amor fuit fortis ut mors, et zelus durus sicut infernus: sic volo pariter ut tuus sit: amor enim vult redamari: sicut ergo ego te amo ardentissima charitate, sic volo ut eadem tu me ames, nec alium amatorem admittas. Amor enim meus est zelus, quo uti nihil est vehementius, sic nihil est magis ad offensiones etiam leves magis irritabile. Irritatus autem gignit dolores et iras gravissimas, adeo ut præ illis mors et infernus parvi faciendi sint, ait Laysius. Quare volo ut amor tuus sit fortis et durus sicut mors et infernus, ut fuit meus, ut scilicet instar inferni nulli rei vel adversitati cedat, sed omnia domet sibique subiiciat, adeoque ipsam mortem et infernum superet, ei-

biqoe eubsternet. Uude Rop. paucis sic explicuit: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, q. d. Zelum magnum habet æmulatio. » Et Guilielmus: « Postquam dixit: Pone me ut signaculum super sor tuum, ut signaculum super brachiom tuum, id est ad expressionem meæ in te similitudinis fortiter mibi per amorem adhære, apte subiungit: quis fortis est ut mors dilectio, etc. q. d. Nihil impossibile moneo, qoia sola ad hoc charitas sufficit, quæ nimirum instar mortis animam e corpore extorquens, hominem ab amore mundi fortiter abstrahit, et informandum illum mibi ut signaculum imprimit, et pro accepte e me furma tam robustum in so zelum excitat, ut nullis illecebrarum blanditiis, nullis adversitatum violentiis cedet. »

Minus genoine S. Gregorius per æmulationem accipit invidiam Iudæorum in Christum: *Dura*, inquit, *ut infernus est æmulatio, dura exstitit, quia sicut infernus sine misericordia, quos tenet, cruciat; sic Iudaica plebs Christum apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trohebat.* Et Aponius, qui accipit æmulationem hæreticorum: hæc enim, inqnit, dura est sicut infernos, quia superbe æmolando Ecclesiam atque Catholicos, per omnia æquatur diabolo, qui inferni vocabulo nuncupatur, quod instar inferni, neque precibus neque lacrymis potest mulicscere, et ita est durus, ut nequeat a sua duritie molliri.

Mystice, S. Anselmus per mortem accipit diabolum mortis auctorem, q. d. Sicut diabolus invincibiliter damnationem confert, sic dilectio Dei salvationem.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Dilectio similis morti.

I. Anima amore Christi saucia, quod in se sentit hoc dicit, scilicet: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Primo, quia amor inducit mortem; facit enim eam mori omnibus cupiditatibus et rebus temporalibus, ut uni Christo vivat. Ita Theod. Cassiod. Beda, Anselm. et S. Greg. quem audi: *Quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum ut omnia visibilia negligant: et dum mente in æterna tendunt, ad omnia temporalia pene insensibiles fiunt. In his nimirum ut mors dilectio fortis exstitit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ob omni proprio et naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere, mentem alias intentam compellit. Huiusmodi mortuis et vivis dicebat Apostolus: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*; Colos. 3. Et S. Ambr. in Psal. 118. ser. 15. vers. 8. *Valida est charitas sicut mors: Charitas enim culpam et omnia peccata mortificat: Charitas mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus, charitas Dei verbum est, quod est validum et acutius omni gladio acutissimo, neque ad divisionem quidem animæ ac spiritus, artusque et intima penetrans medullorum. Fortis* ergo *ut mors dilectio*, quia sicut mors numquam frangitur, numquam quiescit, donec omnium mortalium vitas sibi subegerit; sic et dilectio non cessat, donec omnes passiones et vitia sibi subiugerit. Nam ut ait S. Chrysost. hom. 1. ad Phil. *Adeo violentus est amor, atque ut ita dicam, tyrannicus, ut nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo neque committat ut ulla afflictio aut ullus dolor superet animum:* nec olli sumptui aut labori parcat.

II. Secundo, quia amor facit animam piam optare mortem pro Christo, uti optarunt martyres. Ita Beda, Philo, et S. Ambr. in Psal. 118. ser. 19. et Theod. Sic S. Agatha lætissima et glorianter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata agonem suum Domino commendabat. Sancti item Marcus et Marcellianus, quorum anniversaria dies 18. Iunii recolitur, cum essent ad stipitem alligati, pedibus clavis confixis: *Numquam*, inquiunt, *tam iucunde epulati sumus, quam hæc libenter Iesu Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus; utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus*, uti habet eorum vita, et acta S. Sebastiani. S. Eulalia virgo et martyr, cum ungulis laceraretur, exsultabat: *Hi*, inquit, *sunt characteres, quibus in carne mea et magis in corde meo inscribitur et imprimitur Christus*: Unde Prudentius hymno 3. περὶ στεφάνων asserit eam dixisse:

Scriberis ecce mihi, Domine:
Quam iuvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, trophæa notant?

Quocirca igne circumdata, flammam ore avide hauriens, martyr in cœlum specie columbæ evolavit. Unde de ea canit Prudentius:

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

Et de S. Laurentio in craticula assato ait S. Leo ser. 1. de eo: *Flammis sævæ crudelitatis, superari charitatis Christi flamma non potuit: Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit.* Et S. Greg. hom. 3. in Evang. loquens de S. Felicitate septem martyrum matre: *Neque*, ait, *filios quos carnem suam esse noverat, sine dolore poterat morientes videre, sed erat vis amoris interius, qui dolorem vinceret carnis.*

III. Tertio, quia sicut morti et inferno nihil resistit, sic nec charitati. Sicut ergo mortem impedire nemo potest, quin veniat et mortificet: sic nec charitatem quin salvet, ait Anselmus. Rursum sicut infernus, ait Cassiod. quos semel receperit numquam dimittit: sic et solida dilectio et zelus animam quam possidet, non deserit; Unde Paulus: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* etc. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum* (nec cœlum, nec infernus, nec superi, nec inferi) *neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*; Rom. 8. 35. Has tres causas affert S. August. ep. 39. ad S. Hier. *Merito*, ait, *charitas dicta est sicut mors, sive quia nemo eam vincit, sicut mortem: sive quia in hac vita est usque ad mortem mensura charitatis, sicut Dominus ait: Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: sive potius, quia sicut mors animam avellit a sensibus carnis: sic charitas a concupiscentiis carnalibus.*

IV. Quarto, sicut infernus suis, quos sinu suo continet, non parcit: sic nec vere amans parcit suis opibus, filiis, et sibi ipsi. Ita S. Ambr. ser. 15. in Ps. 118.

Sancti dolores inferni subiere, ut animas ex eo liberarent. Exempla

Denique charitas compulit multos sanctorum optare sibi mortem et infernum, ut ex eo animas liberarent. Ita S. Paulus optat anathema Christo fieri pro Iudæis, Rom. 9. vers. 1. et 2. Et Moses deleri de libro vitæ, Exodi 32. Sancta Christina mirabiles subibat pœnas inferni, puta purgatorii, ut animas ex eo eriperet; quare in aquas gelidas, in rotas, in fornaces ardentes sese iniiciebat et excruciabat, uti refert Cardinal. Vitriac. in eius vita, et ex eo Surius. S. Agnes ex charitate Præfecti Romæ filium a morte et inferno suscitavit. Idem fecere alii, imo multi censent sanctum Gregorium liberasse animam Traiani imperatoris ex inferno. S. Catharina Senensis optabat corpore suo obstruere os inferni, ne qua anima amplius in illum ingredi posset.

Noster Alphonsus Rodriguez Maioricensis, ex incensa charitate offerebat se Deo victimam, ad patiendum omnia tormenta inferni per totam æternitatem pro salvanda anima cuiuscumque Æthiopis, Indi, aut barbari. Quare meruit videre in extasi omnes viros et fœminas totius mundi, ac audire, quod tam ardenti amoris desiderio tantum me-

fuisset, quantum si totam illam multitudinem convertisset.

B. Iacoponus tempore Bonifacii Octavi Pontificis, magnus sui mundique contemptor et Dei amator ex nobili Advocato factus minorita, et quidem laicus, desiderabat subire omnes omnium damnatorum pœnas, si Deo placeret, ut eos iis liberaret, omnesque salvaret, ita ut ipse omnium esset minimus in cælo, nec quisquam ipsorum illi pro tanto beneficio gratias ageret. Ita habet eius vita in Italia celebris.

Porro Christus charitatem, quæ fortis sit uti mors et infernus, exigit ab anima, non tantum ad se, sed et ad alios salvandos, q. d. Sicut ego tui, o anima mihi desponsa, amore moriens mortem et infernum vici, teque inde liberavi; sic pariter efficito et tu, ut tuo amori in me et fideles meos nec mors, nec infernus prævaleat, vel prædam tibi eripiat: sed tu potius utrumque vincas, et animas velut spolium e faucibus eorum extorqueas.

Hinc S. Anselm. dura, ait, est sicut infernus æmulatio; quia sicut infernus est insaturabilis. Unde illud:

Infernus insatiabiliter cava guttura pandit:

Indeque infernus hebr. vocatur שְׁאֹל seeol, id est postulans, quod semper animas postulet, nec umquam impleatur, dicatque: *Sufficit*. Proverb. 30. 16. Sic pariter cha-

A ritas est insaturabilis; nam quo magis diligit Christum, eo amplius et amplius diligere cupit; ac cum multas ei animas lucratur, eo plures et plures lucrari satagit. Rursum sicut mors et infernus tabescere faciunt corpus et animam: sic et zelus sanctorum, cum vident Deum dilectum suum ab impiis offendi et violari. Testis est David Psal. 118. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et rursus: *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Et Elias 3. Reg. c. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel.* Testis, nostra ætate, B. P. N. Ignatius, qui dicebat non tam horrere se gehennæ tormenta, quam blasphemias, quæ a damnatis inter tormentorum aculeos in Deum iactabantur. Ita Sanchez. Unde R. Salomon, Agathius, et Sota maior sic exponunt, q. d. *Æmulatio et zelus animarum urit æque ac ignis, flammæque infernales.*

Porro S. Gregor. Cassiodor. Beda, Aponius, et Chald. per æmulationem accipiunt invidiam, censentque eam hic opponi dilectioni et charitati, quod charitas fortis sit ut

B mors; invidia vero dura et crudelis ut infernus; ipsa enim est vitium, æque ac tormentum infernale et diabolicum, quod per multas Antitheses pulchre repræsentat noster Hieron. Prado in Ezech. c. 8. v. 2. Eas hic subiicio.

DILECTIO.

Fortis ut mors, quia
Mors interimit.
Efficax in perimendo, ne torqueat.
Si occidit, occidit semel.
Perimit ingenue.
Gloriæ est amare.
Labores consummat.
Alteram donat animam.
Est interitus corporis, vita animæ.
Potitur victoria.
Vivum necat.
Iuste perimit.
Est telum aureum.
Ditat quem traiicit.

ÆMULATIO.

Dura sicut infernus, quia
Infernus cruciat.
Segnis in cruciando, ne perimat.
De pœnis innocentum ridet.
Cruciat ignobiliter.
Ignominiæ est non redamari.
Dolores geminat.
Utramque eripit amanti.
Est corporis, et animi cruciatus.
Spolia detrahit.
Sævit in mortuum.
Inique sauciat.
Est cruciatus igneus.
Spoliat quem urit.

Charitatis et invidiæ antitheta.

C

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Omnia iam dicta præ omnibus competunt B. Virgini, præsertim quod ipsa ex forti amore Dei, pro hominum salute seipsam et Christum suum in cruce morti devoverit, et in victimam piacularem obtulerit.

Rursum, quod ipsa ex amore Christi sibi mortua erat, et uni vivebat Christo; unde et a Theologis censetur, quod non morbo, sed amore, puta ex continuo et ardenti desiderio fruendi Christo et Deo exanimata, et mortua fuerit. Tanta enim fuit coniunctio et unio B. Virginis cum Christo, ut ipsa revelaverit S. Birgittæ lib. 1. Revel. c. 35. *Cum*, inquit, *nasceretur*, (Christus) *ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur et exiret ex me; et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur: sicut enim illud quod dimidium est extra, et dimidium intra, si illud pungitur quod est extra, æque sentit dolorem quod intus est: sic ego, cum flagellaretur et pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur et pungebatur.*

D

Lampades eius (dilectionis vel potius æmulationis zeli) lampades ignis, atque flammarum.) Lampades proprie dictas, quæ infuso oleo lucent, hic accipiunt Cassiodor. Anselm. et alii, per easque accipiunt sanctorum corda, in quibus quasi in vasis dilectio habitat, easque *ignis*, quia intus ardent per amorem, et *flammarum*, quia exterius lucent per operationem. Iustus Orgelitan. vero ait, castos esse lampades, id est, vasa charitatis, dicique *ignis et flammarum*, quia semper sunt splendida, et Spiritus sancti igne ferventia. Verum lampas hic et alibi sæpe idem est, quod tæda, titio, carbo, fax ardens, ut patet Iudic. 7. 16. Nam pro *lampades* Hebr. est, רְשָׁפִים *resciaphim*, quæ

Lampades sunt faces.

vox significat omne id, quod volando adurit, incendit et inflammat. Alludit enim per metathesin ad *Seraphim*, id est ardentes, incendentes: unde significat ignem et fulgetra, quæ instar volucrum celerrime discurrunt et adurunt, ut patet Ps. 77. 48. item faces et sagittas ignitas, quæ volant per aera et domos urbesque incendunt, ut patet Ps. 75. 4. Ex Hebræo ergo ad verbum hoc loco sic vertit Hortolanus: *Carbones vel faces eius, carbones ignis, qui a flamma Dei*, q. d. Faces et carbones charitatis et zeli similes sunt facibus ignitis et flammis ardentissimis et maximis, quæ enim Dei sunt, sunt summa et maxima. Sic vocantur montes Dei et cedri Dei, id est, altissimi et maximi. Hinc *resciaphim*, hoc loco Septuag. vertunt, περίπτερα, id est, *volatilia*, id est, *volantia iacula*, vel *alæ in circuitu*, q. d. charitas circumdatur circumcirca alis igneis, vel sagittis alatis et ignitis. Hinc Christus crucifixus quasi *seraph* alatus apparens S. Francisco, eidem quinque vulnerum suorum, quasi quinque incendii charitatis stigmata impressit. Symmach. vertit: *impetus eius impetus ignis;* Syrus, *radii eius;* Arabic. *Extensio alarum eius sicut alarum ignis;* Pagn. *Prunæ eius, prunæ flammæ ignitæ ardentissimæ.* Sexta editio: *Scintillæ eius scintillæ ignis;* alii, *prunæ scintillantes:* Scintillæ enim volant, et volando ea, quæ contingunt, adurunt. De alis hisce charitatis ita scribit S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Bona charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora et corda sanctorum, et exurit, quidquid materiale atque terrenum est, quidquid vero sincerum est, probat, et quod contigerit, suo igne meliorat. Hunc ignem misit in terras Iesus, et refulsit fides, accensa est devotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda Apostolorum suorum sicut testatur Cleophas. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret scripturas? Alæ igitur ignis in flamma Scripturæ sunt divinæ.*

Charitas ergo et zelus Christi, et eius asseclarum, est

instar ignis et flammarum. Primo, quia illarum adinstar
numquam quiescit, sed semper ardet, lambit, adurit et in-
1. cendit omnia; unde ipse ait: *Ignem veni mittere in terram,*
2. *et quid volo nisi ut accendatur?* Lucæ 12. 49. Secundo,
quia sicut ignis cruciat corpus, sic zelus animum, præ-
sertim, si videat sponsam ab alio amari, vel alium a se a-
3. mare. Tertio, sicut pulvis tormentarius mœnibus domi-
busque subiectus, si incendatur, vi ignis disiicit, imo in al-
tum eiaculatur domos et mœnia horrendo impetu et fra-
gore: sic et zelus omnes obices quantumvis magnos disii-
cit et dispellit.

Emblemata Amoris. Exstat emblema Alciati, in quo amor currui insidet, quem trahunt quatuor leones; et alterum, in quo Cupido pingitur cum alis, arcu et sagittis; depluunt a cælo circumcirca ignem sagittæ, sed fractæ, quo significatur amorem vincere Deum et totum orbem incendere. Unde lemma:

Aligerum fulmen fregit Deus Aliger, igne,
Dum demonstrat, uti est, fortior ignis amor.

Christus ergo quot pro nobis labores exantlavit, quot adversa quoque, quot flagella, vibices et dolores pro nobis pertulit, tot sagittis amoris ardentibus cor nostrum confixit. Tantum enim fuit Christi amoris incendium, talibusque flammeis alis Seraphinus noster in cruce pansus totusque accensus supervolavit, ut nihil non vicerit; nam et mortem fortiter pertulit, ut eam moriendo superaret; et infernum quantumvis durissimum fregit, ut quos dure strictos tenebat, duriter ac potenter ariperet.

Hinc de Cherubinis Christi stipatoribus ait Ezechiel c. 1. 23. *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.* Et v. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Hinc et Christus in Pentecoste misit Spiritum sanctum specie linguarum ignearum, ut ii Apostoli totum orbem succenderent, Actor. 2. Unde Aponius hic lampades accipit flammas Spiritus sancti: *Vivacitas, ait, verbi Deitatis, et flammarum illuminationis mentium illuxit de lampade Spiritus sancti.* Clarius sanctus Anselmus ardores, inquit, sunt dilectionis Spiritus sancti, qui est ignis: suntque tales, ut etiam luceant, quia eos, qui diligunt, lucere faciunt, ut verbo et exemplo illuminent; sed magis ut accendant, qualia præ omnibus fuit B. Virgo. Unde S. Cyrillus homil. contra Nestorium, eam vocat *lampadem inextinguibilem.*

Sic S. Paulus adeo charitate erat refertus et circumvallatus, ut ipsa charitas esse videretur; ideo igneis charitatis alis quasi fulgur urbem pervolavit et incendit. Idem hoc sæculo in Europa et India fecere S. Franciscus Xaverius, Gaspar Barzæus aliique viri Apostolici, et adhuc faciunt. Audi S. Chrysost. hom. 2. in Acta Paulum angelis conferentem, imo præferentem: *Nam et tamquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit; et quasi iam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit; ut tamquam cum ipsis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intentione vigilavit: ut angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa sit, sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernavit, ut Paulus universum gubernavit orbem.* Et mox: *Michaeli gens una commissa est Iu-*
Paulus erat quasi Charitas. *dæorum, Paulo vero terræ ac maria atque universi orbis habitatio.* Et hom. 3. *Cum vero celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipue charitatis ardore vincebat, ut enim missum in ignem ferrum totum profecto ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amare omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imo cunctos non carnales tantummodo, verum etiam spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat, et pecunias, et verba et corpus, et animam pro his, quos diligebat, impendens.* Et hom. 16. in epist. ad Romanos explicans illud cap. 9. *Optabam anathema esse. Etenim,* inquit, *omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabit oratio: sed ille solus eam noverit, quisquis eadem exacte præditus fuerit.* Audi Laurent. Iustin. libr. de Casto connubio verbi et animæ in fine: *Ignitus amor semper meditatur nova, et insueta componit. Impatiens namque cum sit, cogitare non desinit, quomodo ardentius diligat, diligatur dulcius, fortius teneat, familiarius conversetur. Nil secum amari vult, solus cordis concupiscit possidere principatum. Hinc zelotypia, hinc querimoniæ, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum, et absentiæ intolerantia. Nec a clamore vox, nec gemitus a corde, nec ab inquisitione sollicitudo, nec ab intimis conquiescit desiderii ardor, nisi per præsentiam dilecti: qui namque ferventius diligit, fatigatur vehementius, quamvis ipsum amoris immensitas non permittat considerare laborem.* Deinde huius amoris mira gaudia et fructus recenset: *Ex lege igitur amoris, sancti connubii quanta sint gaudia quantaque flagratio charitatis comprobari potuit. Ex eadem quoque sponsæ excellentia atque illius donorum sublimitas, deliciarum opulentia, latitudo cordis, mentis magnanimitas, suavitas spiritus, amoris confidentia, devotionis delectatio, veritatis scientia, conscientiæ puritas, virtutum perfectio, charitatis vinculum, exsultationis tripudium, iubilationis gaudium, desideriorum æstus, pacis abundantia, contemplationis gustus, rectitudinis constantia, morum probitas, sapientiæ fœcunditas, luminis delectatio, humilitatis exercitatio, compassio fraternæ dilectionis, innocentiæ candidatio, munditiæ decor, iucunditas sanctitatis, divinæ magnitudinis laudatio, et verbo sufficienter agnoscitur ipsius inhæsio salutaris.*

Porro Chald. S. Gregor. et alii qui æmulationem in malam partem accipiunt pro invidia et odio, eidem lampades, id est prunas et faces hasce assignant. Unde Chald. vertit: *Et inimicitia, quam reservant nobis, similis est prunis gehennæ, quam creavit Deus, ut succendantur in eo cultores idololatriæ.* S. Greg. de invidia Iudæorum in Christum sic explicat: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum: Sicut enim ignis, quæ incendit, consumit; sic Iudæos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit, de quibus bene alibi dicitur: Et nunc ignis adversarios consumit, ac si diceretur antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumantur, quia in se ipsi ignem invidiæ portant, qui sine portantis combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiamsi in Gentilibus usque ad Christianorum martyria, per mundum universum excrevit: sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Anagogice, beati in cælo erunt quasi lampades ignis at- Anag.
que flammarum, quia fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, ut ait Christus, et æque ardebunt: Erit ibi plenum charitatis incendium, quo Christus ut sponsus et sponsa Ecclesia, puta omnes electi, se invicem ardentissime diligent in omnem æternitatem. Unde Arabicus ad hunc versum nervose addit: *Nec est mensura incendii amoris.* Hic sensus non tam anagogicus, quam litteralis est; agitur enim hic de sponsa suspirante ad cælum, ubi erit nuptiarum spiritualium, æque ac charitatis consummatio: quare hic æstus amoris reciprocus, qui hic describitur, nusquam alibi proprie et plene invenietur quam in cælo. Unde S. Ambr. lib. de Isaac, cap. 8. pro *lampades ignis*, legens ex Septuag. *alæ ignis*: *His alis*, inquit, *evolavit Enoch raptus ad cælum: His alis evolavit Elias curru igneo, et equis igneis ad superna translatus: His alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem: Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbonem de altari, et tetigit os Prophetæ, ut iniquitates eius abstulit, et peccata purgavit.*

Vers. 7. AQUÆ MULTÆ NON POTUERUNT EXSTINGUERE CHARITATEM, NEC FLUMINA OBRUENT ILLAM: SI DEDERIT HOMO OMNEM SUBSTANTIAM DOMUS SUÆ PRO DILECTIONE, QUASI NIHIL DESPICIET EAM.

AQUÆ MULTÆ NON POTUERUNT (ita Roman. Nonnulli legunt, *poterunt*: sic enim habent Hebr. Syrus vero et Arabicus, *possunt*: quia Hebræi per unum tempus, puta fu-

turum, reliqua duo, scilicet præteritum et futurum significant: unde Noster mox vertit in futuro *obruent*; significatur enim hic constantia et vis charitatis Christi et Ecclesiæ, quam nulla adversa exstinguere potuerunt, possunt, aut poterunt (EXSTINGUERE CHARITATEM, NEC FLUMINA OBRUENT ILLAM: SI DEDERIT HOMO OMNEM SUBSTANTIAM (Septuag. *omnem vitam*, id est omnem victum, quo sustentatur vita) DOMUS SUÆ PRO DILECTIONE (Sept. *in dilectione*) QUASI NIHIL DESPICIET EAM) non charitatem, sed substantiam, ut patet ex Hebr. Septuag. *contemptu contemnent eum*, scilicet βίον, id est victum: licet Rabbini referant ad hominem. Unde Vatablus vertit: *Si quis det omnes opes domus suæ pro amore, omnes eum maxime contemnent*, tamquam iniquum et ridiculum emptorem, utpote qui charitatem rem pretiosissimam vilissimis opibus emere velit, q. d. Charitas superat omne pretium, omnem aurum, omnes opes et res pretiosas. Ita Theod. et cæteri. Symm. *pro charitate spretus spernetur*.

Pro *obruent illam*, Hebr. est. ישטפוה *istephuha*, id est inundabunt, ut magna aquarum abundantia æque ac impetu submergent, obruentque eam. Pagnin. *Profundabunt eam*, Arabicus: *Et flumina non possunt obluere vestigia eius. Si homo commutaverit omnem ætatem suam pro amore; non despicient illum*, scilicet amorem, vel hominem. Chaldæus more suo referens hæc ad Iudæos sic vertit: *Dixit Dominator sæculi populo suo domui Israel: Quamvis congregentur omnes populi, qui comparati sunt aquis maris quæ sunt multæ, non poterunt exstinguere miserationes meas a te; etsi congregati fuerint omnes reges terræ, qui comparati sunt aquis fluminis, quod defluit cum impetu, non poterunt evellere te a sæculo. Et si dederit vir omnem pecuniam domus suæ; ut possideat sapientiam in captivitate, ego reddam ei duplam in sæculo venturo; et omnis præda, quam deprædabitur de castris Gog, ipsius erit.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Robur amoris Christi

ADEO fortis fuit amor et zelus Christi erga sponsam Ecclesiam, quam sub arbore malo, id est sub cruce suscitavit, ut nullæ aquæ, torrentes vel flumina persecutionum, tormentorum, dolorum, ærumnarum, contradictionum, ingratitudinum, contemptuum, blasphemiarum, perfidorum Iudæorum, vel Gentilium potuerint eum exstinguere, vel sopire, quin pro illis ipsis maximos labores prædicando exantlaret, et dolores subiret, ac tandem vitam in cruce atrocissima profunderet, etiamsi in cruce ab iis rideretur et blasphemaretur omnique infamia et dedecore velut latro afficeretur; imo potius hisce aquis, et hoc frigidissimo cordium humanorum gelu omnique contrarietate superata, quasi per antiperistasim amor Christi vehementius exarsit, tonavit, fulguravit, et in similitudinem fulguris coruscantis erupit, Ezech. 1. 14. Unde iturus ad passionem, Eucharistiam quasi pignus immobilis æternique amoris instituit, iuxta illud: *Cum suos dilexisset, qui erant in mundo, usque in finem* (tum vitæ, tum amoris, id est extremo summoque amore) *dilexit eos*, Ioan. 13. quin et in ipsa cruce pro crucifixoribus ardentissima charitate cum lacrymis oravit. Unde multi eorum in Pentecoste audita S. Petri prædicatione pœnituerunt, Christique fidem amplexi baptizati sunt, Act. 2. Christi ergo vita in morte fuit exstincta, at non charitas; hæc enim mori non potuit, sed in morte viva permansit. Rationem subiungit: *Si dederit homo omnem substantiam* (Septuag. *vitam*) *domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, q. d. Christus pro charitate Dei et hominum omnia sua profudit, quia charitas est res pretiosissima, transcendens et divina quæ omne pretium tam auri quam laborum et dolorum superat, pro qua omnes opes, omnes vires, omnes sudores, vitaque ipsa expendenda est. Nam ut ait S. Ioannes ep. 1. c. 4. 16. *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Alciatus in Emblem. pingit amorem robur Iovis infringentem, et totum orbem incendentem. Rursum pingit eum nudum humeris, alatum, dextra tenentem piscem, sinistra fasciculum florum. quæ symbola hisce versibus declarat:

Emblemata Alciati.

Nudus amor viden' ut ridet, placidumque tuetur,
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,
Scilicet ut terræ iura det, atque mari.
Nudus amor blandis ideirco arridet ocellis,
Non arcus, aut nunc igneo telo gerit.
Nec temere manibus florem, delphinaque tractat:
Illo etenim terris, hoc valet ipse mari.

Charitas (inquit Marsil. Ficinus) *numen est amatorium: si quem prehenderit, veluti ex speculo eiaculari faciet flammantes radios. Mentem illustrat, voluntatem accendit, reflectitque lucem.*

Simile subinde est videre in amore mundano et carnali, ut nullis adversis, nullis iniuriis etiam amati restinguatur, sed potius iis magis accendatur. Unde illud vulgo iactatum: *Iniuria solvit amores*, falsum esse queritur amator in Epigramm. dicens:

Fabula, quod iactant, iniuria solvit amores;
Namque redardescit sic magis iste furor.

Porro Christus ut sponsus similem a sponsa amorem, imo amoris fortis vices, quibus ab ea redametur exigit: solent enim sponsæ a procis ad adulterium sollicitari vel metu pœnarum, vel spe munerum: utrumque hic sponsus excludit, adeoque fortem a sponsa amorem requirit et constantem, ut nullis tormentis, nullis muneribus vel opibus expugnari possit; quare suo exemplo discat Ecclesia et anima pia, ita cor suum et brachium amore Christi obsignare, ut nullis pœnis, nullis præmiis insitum cordi signaculum exuri, eradi, aut deleri sinat, præsertim in persecutione Antichristi, quæ uti erit ultima, sic et acerrima; ad quam proinde superandam incensa charitate hic Christus suos obarmat. Ita S. Greg. Cassiod. Beda, Anselm. Rupert. et S. Hier. l. 14. in c. 47. Ezech. ubi sic legit: *Aquæ multæ non poterunt restinguere charitatem; et flumina non demergent eam.* Audi S. Ambr. lib. de Isaac c. 8. *Merito Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Aqua multa non poterit exstinguere charitatem. Charitas adamante fortior, et vinculum indissolubile. Nulla diluvia passionum charitatem excludere possunt, nulla eam acerbitatum flumina inundare. Sicut enim arca in illo mundi diluvio totius orbis spatiis innocua ferebatur; ita et in adversus omnium tentationum fluctus immobilis perstas.*

Quare minus aptus et congruus est sensus, quem afferunt Philo, Iustus et Aponius, q. d. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pauperibus *pro dilectione*, hoc est, pro eo ut diligeret; si videlicet eleemosynam externam præposuerit charitati internæ, malens hac carere, et illam habere, quasi nil dederit, *despiciet eum* Christus iudex, eiusque Angeli. Nam, ut docet Apostolus 1. Cor. 13. sine charitate nil prodest ad salutem, nec eleemosyna, nec scientia, nec martyrium.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

CHRISTUS pro animæ salute nullis laboribus vel doloribus se superari permisit, sed pro ea mori et crucifigi voluit. Vicem ergo reddat anima Christo, ut nullis tentationibus, nullis terroribus, nullis promissis, nullis tormentis, nullis voluptatibus ab eius amore vel hilum abduci se sinat, sed fortis, imo fortior et constantior in omnibus evadat, instar asphalti, qui igne non uritur, sed alitur, iuxta illud:

Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis.

Titillet ergo caro, mundus blandiatur, dæmon insidietur, stet verus Christi amator infractus, nec se ullis blanditiis

decipi, nec ullis minis deiici sinat, sed cum Paulo omnia *arbitratur ut stercora*, eaque despiciat, imo exhorreat. Cecidit Petrus tentatus ab ancilla et Iudæis ex metu, ac Christum negavit, quia necdum perfectam habuit charitatem; at ubi eam accepit a Spiritu sancto in Pentecoste, nullas Pontificum minas vel pœnas extimuit, quin Christum palam et animose prædicaret, dicens: *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus*, Actor. 4.

Audi S. Gregor. « Charitate quippe martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei et proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ exstinguere non poterant; quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum esset charitatem exstinguere, si in tribulationibus, quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictæ sint, quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa et vivacitas intelligitur? flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Fluminis ergo maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem super martyres ebullierunt, ad exstinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis exstingui permitteret, ideo multi etiam persecutorum ad eamdem charitatem se convertebant, adeo ut dimitterent quicquid in mundo possidebant, et seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. » Et nonnullis interiectis: « Sed homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit, quando quicquid in mundo possidet, pro Christo distribuit, ut abiiciens quod impedit, Deum diligat, atterso pulvere sollicitudinum oculos aperiat, ut Deum videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit, quia postquam oculum tersit, et Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihil pendit. Hoc Apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. »

Exempla dat Theod. Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph et Mosen: « Abrahæ charitatem, inquit, erga Deum, nec vitæ traductio in terra aliena, neque inopia et fames, neque uxoris ereptio, neque filii oblatio, neque de puteis contentio potuit exstinguere; nec Isaac charitatem molestiæ, quibus afflictus fuit; neque charitatem Iacob assidui labores et dolores vitæ. Quid Ioseph tentationibus acrius? qui a fratribus venditus est, et parentibus a quibus diligebatur, et maiorum suorum privatus est domo, et libertate, et fortunis, et indigne servivit, et pudicitiæ præmium calumniam retulit, et in carcerem coniectus est, et incommoda sustinuit innumerabilia: quibus tamen omnibus charitas erga Deum splenduit illustrior. Atque ut magnum Mosen et Iosue imperatorem et eximios Prophetas Samuelem et Davidem et Eliam et Eliseum silentio prætereamus, quid Babylonis immanius aut truculentius umquam fuit? quid camino ignis ab illis incenso formidabilius? attamen ne ille quidem trium puerorum exstinxit charitatem. Quid leonibus illis quibus B. Daniel obiectus est, sævius aut terribilius? aut illum quoque charitas erga Deum reddidit fortiorem. »

Porro hæc verissima erunt in cælo; ibi enim anima videns divinitatem sponsi sui, ita in illa quasi bonorum omnium abysso absorbebitur, ut omnia cætera nihil æstimet, nec ab ea intuenda et toto corde amanda, vel ad momentum sic avertere possit, adeoque nullæ aquæ, vel flumina tentationum et adversitatum in eam irruere queant. Describitur ergo hic charitatis summa vis et excellentia, quam obtinebit in cælo, ubi non tantum ethice, sed et physice erit invincibilis et inexstinguibilis; imo fulgebit et ardebit sicut stellæ et sol in perpetuas æternitates, Daniel. 12. Unde a כבה *caba*, id est, exstinguere, per geminationem primæ litteræ *caph* deducitur כוכב *cocab*, id est stella, eo quod numquam exstinguatur, sed perpetim noctu, diuque luceat, uti lucet ardetque perpetim beatorum charitas.

Porro, quod Septuag. vertunt: *Si dederit vir omnem vitam suam in dilectione, contemptu contemnent eum*. Theodor. contrarie sic explicat, q. d. Qui victum fortunas et vitam profuderit pro charitate, eum contemnent et ridebunt, velut imprudentem, illi qui charitate sunt vacui, nec eius dignitatem et pretium cognoscunt. Et S. Ambros. ser. 21. in Ps. 118. ser. 5. *Quoties*, ait, *benefacta criminis dantur: quoties virtus opprobrio ducitur; quoties ipsa ingrata est gratia? Vendidit iustus facultates suas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit, contemnitur plerumque in ipsa Ecclesia; quia dives esse desiit, sicut scriptum est: Si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contempta contemptus erit.*

Verum genuinus versionis Sept. sensus est, ut τὸ eum referatur ad βίον, id est victum, non ad hominem: quare idem est sensus Sept. et nostri Vulgati, scilicet is quem paulo ante assignavi.

Denique cum triplex sit charitas: Incipiens, proficiens et perfecta, singulorum horum graduum signa, æque ac actus et officia hic tanguntur, quæ ex S. August. Richard. Vict. S. Gregor. et aliis ita recenset R. D. Bartholom. de Martyr. Archiep. Brac. in aureo suo doctrinæ spiritalis compendio, c. 24. p. 255. *Signa incipientium* Incipientium sunt contritio, delectatio in audiendo verbo Domini, præcepta, promptitudo in bonis operibus, tristitia de defectu spirituali proximi concepta, et lætitia de profectu spirituali fratris proveniens. Charitatis proficientium signa hæc sunt. *Proficientium.* Primum, iusta et frequens conscientiæ examinatio de peccatis venialibus; nam fervori charitatis obsistunt; at proficiens charitas est, quæ omnes has paleas exurere suo nititur calore. Secundum signum, concupiscentiæ temporalium rerum diminutio. Tertium, diligentia in exercitiis spiritualibus internis; sicut etiam exteriorum sensuum exercitationes vitæ corporalis signa sunt. Quartum, studiosa mandatorum Dei observatio. Quintum, si Dominus se tibi revelet, iuxta illud Ioan. 15. *Iam non dicam vos servos*. Unde Richard. Vict. scribit: *Certissimum tibi signum sit, quod dilectum tuum minus diligas, et ab eo minus diligaris, si ad theoricos excessus vocantem sequi nondum merueris*. Signa vero charitatis perfectæ in via hæc sunt. *Perfectorum* Primum, quando quis paratus est, si ita necesse sit, pro proximi salute mortem subire, ut inquit S. Augustinus scribens in epist. S. Ioannis. Secundum, inimicum diligere, et Dei causa illi benefacere, ut docet idem S. August. Tertium, adversa omnia non solum patienter, sed etiam gaudenter suscipere; charitas namque perfecta hominem reddit adeo a sensibus alienum, ut æque prospera ac adversa contemnat, iuxta Greg. sententiam super illud: *Fortis est ut mors dilectio*. Quartum, si homo præsto sit omnibus propter Christum renuntiare, ut liberius charitatis ardoribus vacare possit, atque omnia præter Deum veluti stercora reputare videatur. Quintum, nihil aliud quam Deum solum timere; hoc est, non homines, non pœnas, non tormenta formidare. Hæc signa externa sunt, et quæ exterius conspici possunt; sunt præter hæc alia quinque interna. Primum, profunda et intima suspiria mentis, quando memoria dilecti sui tangitur; sunt enim quasi nuntia amoris fervida, donec dilectum videat. Secundum, sublimia et ardentissima desideria videndi Dominum, ac molestissima ferre vitæ præsentis pondus. Tertium, cogitationes erga omnia temporalia languidæ; fastidit namque terrena omnia, solis æternis invigilans. Quartum, tædium, quod ex expectatione concipit: nam perfecto amanti mora quælibet longa est, et exspectatio onerosa; acerbum enim existimat cruciatum cogitationum, quæ non sint amoris. Quintum, affectiones extaticæ. Est autem extasis mentis excessus: nam cum amor non permittat amantem sui iuris esse, sed in amatum transformari cogat, ideo sæpe producit excessum mentis suspensum, et in dilecto absorptum.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo passa est plus quam martyres et mortales cæteri, imo aliquo modo plus quam Christus; nam post

mortem Christi, in qua finita est Christi passio ipsa usque ad eius resurrectionem in continuis et acerbissimis fuit doloribus, imo per omnem vitam revolvens dolores Christi iis mire cruciabatur. At hæc a Iudæis in odium Christi multa perpessa est: imo omnes Christianorum afflictiones, persecutiones, lapsus, ipsa quasi omnium mater compatiendo intime sensit, dicebatque cum Paulo: *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Cor. 11. 29. Sed hæc omnia nec vel hilum charitatis eius extinguere potuerunt, imo potius eam auxerunt et quasi flabella accenderunt, idque continuo per 23. annos, quibus Christo supervixit. Anno enim ætatis 72 finem patiendi æque ac vivendi fecit, ut habet doctiorum Theologorum et Chronologorum sententia. Ipsa pariter dedit omnem substantiam pro charitate Christi: Primo, quia instar Christi se et omnia sua Deo ex amore dicavit. Secundo, quia Christum suum, qui erat tota eius substantia, Deo Patri in cruce ceu holocaustum obtulit. Tertio, quia omnes suas facultates Ecclesiæ dedit, et in pauperes distribuit. Paupertatem enim professa, cum primis fidelibus et virginibus in communi vixit, et vitam religiosam egit, uti dixi Act. 4. Denique omnia iam dicta præ omnibus competunt humanitati Christi a Verbo assumptæ, uti iam sæpius monui. Ipsa enim prima et propria est sponsa Verbi, per quam animæ fidelium eidem desponduntur: ac proinde ipsa summe amat Verbum et summe amatur a Verbo; nec hunc eius amorem vincere potuerunt flumina tormentorum, quæ in passione et cruce subiit.

VOX SPONSÆ

Adultæ de iuniore, hoc est, Ecclesiæ de Synagoga.

Vers. 8 Soror nostra parva, et ubera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?

Soror nostra parva, et ubera non habet (quinta editio: *Soror nostra es parva, et ubera non habes*) quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?) Hebræa et Septuag. *quando loquetur in ea*; Syrus: *quando loquendum de illa*, ut sponso nuptui tradatur; Arabic. *quando loquetur*; Pagnin. *quando fiet sermo cum ea*. Contrarie Sanchez: *in ea*, vel *in eam*, hoc est, inquit, *contra eam*, cum scilicet proci adulteri contra eam consilia inibunt, ut eam decipiant, et sibi subiiciant. Sic et R. Salomon: *In die*, inquit, *quo gentes consilia agitabant de ea delenda*. Et Rabb. anonymus: *Timeo*, inquit, ne *homines eam despiciant, ut cum creverit, loquantur ad ipsius cor et affectum, despiciantque eam*. In hanc sententiam inclinat Rupertus, qui in illo, *alloquenda est*, intelligit consilia dura, quibus Nero et alii tyranni Ecclesiam adhuc teneram insectati sunt.

Ubera non habet.) Scilicet tumentia, sed depressa: nulla enim est fœmina, quæ non habeat ubera, sed in pubertate illa exstare, intumescere et lacte turgere incipiunt, ut docet Aristot. in histor. anim. Unde S. Ambr. Ps. 118. serm. 22. *Hoc*, ait, *solet signum omnibus virginibus esse nupturis, ut cum ubera cœperint eminere, tunc coniunctioni habiles censeantur*. Sensus est, q. d. Suffarciamus ubera sororis nostræ parvæ iam sponsæ lana, aliove tomento, ut eminere videantur, ac sic ipsa matura viro, dignaque sponso censeatur. Ita S. Ambrosius et Honorius: Sic solent sorores adultiores iam nuptæ de sororibus iunioribus esse sollicitæ, ut et ipsæ honeste et tempestive nuptui dentur.

Cassiod. S. Greg. et alii censent hæc esse verba sponsi. Melius Hebræi et Græci, ut Theodor. tres Anonymi, Philo et alii censent esse verba sponsæ adultæ, puta Ecclesiæ de sponsa novella, puta Synagoga Iudæorum convertenda ad Christum in fine mundi, uti diserte docet Aponius, Honorius, Chaldæus, Hortolanus, Delrio et alii. Audi Chald. « In illo tempore dicent Angeli cœli adinvicem; Gens una est nobis in terra, et merita eius levia sunt, et reges, et dominatores non habet, ut egrediatur ad pugnandum contra exercitum Gog. Quid faciemus sorori nostræ in die qua locutæ fuerint nationes, ut ascendant contra eam ad bellum? » Gog enim erit exercitus Antichristi, ut dixi Ezechiel. 38. et 39.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Cassiodor. Beda, S. Gregor. Rupertus et alii hæc accipiunt ut verba Christi de primitiva Ecclesia ad Patriarchas veteris testamenti, quasi conquerentis quod illa tempore Apostolorum parva fuerit numero et prædicatoribus destituta, præsertim ante adventum Spiritus sancti in Pentecoste. Audi S. Gregorium: « Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum sanctum super Apostolos misit, et eis in interioribus loquens illius omnes mundi loquela multiplici distributione docuit. Sed a quibus hoc quærere intelligendum est, qui omnia novit, nisi a sanctis patribus antiquis, quos ad quærendum Spiritu sancto instigavit. »

Verum primitiva Ecclesia fuit Ecclesiæ infantia, de qua actum est c. 4. hic vero agitur de Ecclesia adulta et perfecta in fine mundi, quæ desponsa Christo ad eum anhelans, mox nuptias cum eo consummatura est in cœlo, uti ostendi initio capitis. Hæc enim timens nuptias hasce differendas propter Synagogam Iudæorum, necdum satis ad eas paratam, aut certe illam a nuptiis excludendam consilium poscit, quo illa illico ad nuptias hasce paretur, ornetur et perficiatur.

Quare melius Aponius, Chald. Honor. Hortolanus, Delrio et alii hæc accipiunt, ut verba sponsæ adultæ conquerentis coram sponso Christo, vel potius coram sodalibus sponsi de sorore sua iuniore, id est Synagoga Iudæorum convertenda in fine mundi. Hæc enim utpote recens nata vel renata Baptismo, parva erit tum numero, tum fide, constantia et virtute, atque ubera prædicationis non tam pandet quam suget. Habebit enim paucos prædicatores suæ gentis, si cum doctoribus Ecclesiæ Gentium conferantur. Licet enim Elias et Enoch suo fervore et zelo nonnullos e Iudæis sint eodem zelo accensuri, et prædicatores alterosque quasi Paulos effecturi, uti dixi c. 7. tamen hi præ reliquis rudioribus et infirmioribus Iudæis, adhuc lacte fidei Christianæ indigentibus erunt pauci. Loquitur ergo hic in persona Iudæorum imperfectorum, utpote numero plurium, easque vocat *sororem parvulam*, quæ ubera non habeat, ut recte advertit Guilielmus. *Sororem*, tum quia de semine eodem descendit, de quo Christus secundum carnem, et Ecclesia secundum fidem; tum quia in novissimis diebus ventura est ad hanc gloriam fraternitatis Christi, ait Aponius. *(Soror iunior Ecclesiæ Gentium est Synagoga Iudæorum)*

Per diem, *in qua alloquenda est*, Honorius intelligit tempus prædicationis Enoch et Eliæ: Aponius vero accipit diem, quo plebs Christiana ab Antichristo, vel eius ministris alloquenda est: an eligat negato Christo sibi infleetere colla, an atrocissimæ morti succumbere. Melius accipias diem iudicii, quando Christus Iudex eam de fide, merito et præmio examinabit et alloquetur, sententiamque beatæ æternitatis proferet, ut sibi copuletur in cœlo et angelorum cœtui inseratur.

Sensus ergo est, q. d. Ecclesia Gentium Christo: Quid fiet de sororcula mea, æque ac tua secundum carnem a te assumptam, puta de Synagoga, id est de Iudæis recens per Eliam ad te conversis, qui pauci sunt numero, et in fide Christiana adhuc rudes, ac in virtute infirmi, in die quo tradetur viro, id est in ultimo iudicii die, quando ad normam charitatis, quam quisque possederit, omnia exigentur? q. d. Decet nunc nos operam dare, ut illam modo idoneo doctrinæ fidei, et operum charitatis instruamus; ne maritus illam tum, ut cœlesti coniugio immaturam, repudiatam spernat. Tuum hoc est, qui potes et vis, dispicere, et eam qualem tunc tibi optasti, talem tempestiva

efficere. Vis ornatam, orna; vis comptam, come; vis ditem, dita. A tua ergo providentia et beneficentia posco ut illud ipsum ei præstes. Iam enim imminet dies iudicii, et nuptiarum in cælo tempus appropinquat. Ita Honorius, Ansel. Apon. et ex iis Delrio. Igitur Ecclesia auditis tantis a sponso charitatis suæ laudibus, æque ac documentis, quodque similem a sponsa charitatem posceret, ipsa ibi de ea recte conscia; uti in sequent. ostendet, ideoque de se silens, illico agi cœpit de sua sororcula, scilicet Synagoga Iudæorum, quod multi ex eis recens conversi in charitate, æque ac fide essent debiles et infirmi. Rogat ergo sponsum, ut eos in ea roboret, crescere et adolescere faciat, ut sponsi nuptiis in cælo mox futuris habiles dignique reddantur.

Decor dramatis tamen magis exigere videtur, ut hæc a sponsa de sorore dicantur non ad sponsum (nec enim ipsa apud sponsum sororem accusasset, quod parva esset nec ubera habens, ideoque ad nuptias inhabilis) sed ad sodales sponsi, puta ad Eliam et Enoch, vel potius eorum discipulos et asseclas (iam enim imminente die iudicii, præsupponuntur mortui Elias et Enoch, et occisi ab Antichristo, uti dixi initio capitis) et ipsi Iudæos in fide et charitate perficiant, itaque eos thalamo Christi in cælis dignos reddant.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Dicat anima sancta de anima tenera et imperfecta: *Soror nostra parva, et ubera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* q. d. Quomodo eam in virtute et charitate adolescere faciemus, ut in die iudicii digna sit alloquio Christi, ut ab eo velut soror et sponsa in consortium cælestis hæreditatis et thalami inducatur, ut scilicet Christus quasi frater eam loco sororis habeat, iuxta illud: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, Rom. 8. v. 29. utque ipse velut sponsus cum ea nuptias in cælo celebret, iuxta illud Apoc. 19. 6. *Audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor eius præparavit se.*

Unde S. Ambros. serm. 22. in Ps. 118. v. 8. censet animam sanctam postulare nuptiarum inducias et longius vitæ tempus, ut eo in virtutibus proficiat, itaque digna Christi nuptiis efficiatur. Sic et Philo Carp. qui et legens ex Septuag. *Quid faciemus sorori nostræ in die, quo locuta fuerit in se*, id explicat de examine conscientiæ, qua anima in seipsa loquens, recogitat omnes actus vitæ suæ. Addit tamen hanc vocem accipi posse, ut Patriarcharum et Apostolorum animæ de tanta felicitate, quod suavissimo nuptiarum cum Christo in cælis colloquio digna sit habita, congratulantium.

Recte enim allocutio Christi accipi potest illa qua animæ sanctæ in hora mortis, et in die iudicii dicet: *Veni sponsa, accipe coronam quam tibi præparavi in æternum. Veni, formosa mea, columba mea, immaculata mea, perfecta mea; intra meecum in gaudium Domini Dei tui.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Primo. Alanus censet hæc ab Angelis dici de B. Virgine ante Verbi incarnationem. q. d. Quid faciemus B. Virgini, cum mox alloquenda a Gabriele legato Christi Filii Dei, audiet ab eo: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum*, ipsa enim per humilitatem est parva; ipsa quoque ubera, ut fiat mater, non habet, quia votum virginitatis emisit; quare non audebit consentire, nec volet violare votum puritatis.

Secundo, aptius ad litteram Honorius hæc refert ad sollicitudinem B. Virginis pro recens conversa Iudæorum Synagoga, et per alloquium accipit prædicationem Eliæ, qui erit legatus Christi ad Iudæos, iuxta sensum quem initio assignavi.

VOX SODALIUM

Sponsi, puta discipulorum et asseclarum Eliæ.

Vers. 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Si murus est, ædificemus (Vatablus, *ædificabimus*) super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.) Septuaginta: Διαγράψωμεν ἐπ᾽ αὐτὴν σανίδα κεδρίνην, id est, *describamus*, vel, *sculpamus super illud tabulam cedrinam*: Symmachus: περισφίγξωμεν, id est, *constringamus, arctemus*, ut hoc proprie significat Hebr. נָצוּר *natsur*.

Pro *murus* Arabicus vertit, *mœnia*. Pro *propugnacula argentea*, idem vertit, *tabulas* vel *tabulata argentea*; Heb. est, *propugnaculum argenteum et tabulam cedri*, in singulari. Locus est perobscurus; unde tot fere hic sunt explicationes, quot interpretes.

I. Sensus. Primo, nonnulli censent hæc esse verba procorum, castitati sponsæ iunioris insidiantium, q. d. Si sponsa in castitate constans est ut murus, ædificemus contra eum propugnacula argentea, puta pecunia aurea et argentea eam expugnemus: sin ipsa est instar ostii, quod facile vertitur et aperitur, polliceamur et tabulas cedrinas, id est, levia vestium vel armillarum ornamenta quibus aditum ad ipsam nobis aperiemus: sunt enim fœminæ philocosmæ, multæque, ut corpus elegantibus vestibus ornent, pudicitiam prostituunt.

II. Secundo, Theod. censet hæc verba esse chori adolescentularum, docentis quæ sint officia uxoris probæ in regenda familia, scilicet ut instar muri et ostii clausi, ea quæ in domo sunt tueatur, custodiat et claudat, ideoque dandum illi esse murorum ornamenta, seu propugnacula argentea, et ostii decora, scilicet tabulas cedrinas.

III. Tertio, Luysius Legionensis censet esse verba sponsi, q. d. Decretum mihi est ut tunc temporis, cum alloquenda est ipsa soror parva, eius vitia naturalia corrigantur arte, et quod illi minus a natura tributum est, suppleatur vestitus, atque ornamentorum exquisito aliquo genere. Quemadmodum si quis vetustos urbis muros reficiens, ei turres atque pinnas addat auro illitas, aut egregia aliqua pictura ornatas, aut si quis ianuæ fores vestiat tabulis cedrinis.

IV. Quarto, noster Pineda in Iob c. 24. v. 16. sic exponit, q. d. Quamvis sponsa muris ac parietibus cincta et munita sit, tamen speciosissimis æque ac fortissimis propugnaculis munienda quæque domus est, ex quibus tamquam e specula observari abigique possint pudicitiæ hostes, et oculi insidiatores atque subsessores. Quod si etiam ostium sit, non nisi ex materia durissima et fortissima compingi et confici debet. Ad quæ sponsa ipsa pudicissima subinfert et respondet: *Ego murus*, etc. id est meam pudicitiam non externi isti parietes, non propugnacula, non custodes custodire sufficiunt, nisi ego ipsa murus essem fortissimus, atque mea pulchritudo adamantina esset et inexpugnabilis.

V. Quinto, noster Sanchez censet hic doceri sponsam in fide et officio continendam esse donis et minis: supra, ait, insinuaverat sponsus duobus solere sponsam a fideli coniugio, atque ab officio abduci, scilicet minis et muneribus, nunc docet eisdem debere in fide atque officio contineri, muneribus scilicet et minis. Si murus est uxor, id est contra omnes machinas et artes munita, quæque nulli præbent ad urbem, id est ad sponsi possessionem ingressum,

quem si pulses, non strepit, neque respondet, neque aperitur, neque quemquam admittit, nisi disiectus ornetur tam fortis murus, si fieri posset, argenteis propugnaculis. Si vero porta est, quæ omnibus pervia, quæ facile versatur, et respondet pulsata, et aperitur, id est quæ tentari se facile patitur et vinci, claudatur tabulis cedrinis, atque ita claudatur, ut neque venire umquam possit in hominum conspectum, neque liberum spiritum trahere.

Huc facit illud vulgo tritum: *Fœmina aut murus, aut maritus.* Et illud Theopompi apud Plutarch. in Apopht. qui, ostenso sibi muro, rogatus *an bellus esset et celsus,* respondit: *Minime, si mulierum est,* si videlicet a viris non viris, sed effœminatis et mulierosis defendatur.

VI. Et geminus. Iam, ut quid mihi, salvo meliori iudicio, videatur aperiam. Dico sponsam iuniorem hic, uti et sponsus sæpe comparari fabricæ, puta muro, in quo sit ostium ad ingressum in domum. Murus autem, quia tabulata et tectum turresque sustentat, symbolum est firmitatis, roboris, constantiæ et perseverantiæ. Unde illud Horatii: *Hic murus aheneus esto.* Et Isaiæ c. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Porro sicut in metaphora fabricæ, tota domus repræsentat totum hominem, tectum vero caput; fundamenta autem tibias et pedes; sic murus repræsentat pectus: hoc enim expansum et quadratum, costis osseis quasi laterculis saxisque incrustatum, solidatumque, speciem quamdam habet muri, in quo ubera eminent exstantque quasi turres, et propugnacula. Id ita esse liquet ex eo quod mox subiicit sponsa iunior, de qua hic agitur: *Ego murus, et ubera mea sicut turris,* q. d. Ego habeo pectus firmum, robustum et immobile instar muri, in quo ubera eminent quasi turres. Idem liquet ex querela præcedenti: *Soror nostra parva et ubera non habet;* cui hic respondetur, dando hoc consilium et remedium: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea,* q. d. Si sponsa iunior pectus habet firmum et solidum instar muri, facile erit super illud ædificare propugnacula argentea et pretiosa, qualia ipsa meretur, quæ uberum defectum suppleant et repræsentent. Murus ergo notat hic sponsæ pectus, id est, animum in fide coniugali firmum et constantem ut uni sponso adhæreat, cæteros omnes excludat.

Ostium ergo, quod muro hic opponitur, notat pectus exile, subtile, mobile, versatile, puta animum facile mobilem et flexilem. Tale enim est ostium, quod facile aperitur, et cuius apertio aditum in domum patefacit, cum murus fortis et durus omnibus sit clausus, omnesque ab ingressu arceat et excludat. Id ita esse liquet, primo ex eo quod sponsa v. 10. dicat se esse murum; et hoc ipso neget se esse ostium, q. d. Ego sum fortis et constans in fide uti murus, non mobilis et vacillans ut ostium. Secundo, ex eo quod hic dicitur: *Si ostium est compingamus,* Hebr. *arctemus illud tabulis cedrinis,* q. d. Si sponsa instar ostii patula est, et omnes venientes admittit, obseremus et claudamus illam tabulis cedrinis, ne cui ad eam pateat aditus, uti fieri solet fœminis in Italia et alibi, utpote ob sexum fragilem levioris naturæ et indolis. Unde illud superius citatum: *Fœminæ aut murus aut maritus.* Nam meretriculæ claudi nolunt, sed in plateis et ostiis spectandas se exhibent, ut amasios ad se alliciant. Ita Hebræi, quibus fere accedunt Honorius, Titelman. Genebrard. Delrio, Gislerius et alii, licet in explicatione ostii discrepent et varient.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Omnia hæc spectant ad robur charitatis, de qua dixit v. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio;* charitas enim est quæ sponsæ et sociis patefacit cœlum, ac in eo cuique pro gradu et intensione charitatis, quam habet, locum et præmium assignabit sponsus. Cum igitur sponsa adulta, puta Ecclesia Gentium obiecisset sodalibus sponsi de sorore iuniore, puta de Synagoga Iudæorum convertenda in fine mundi: *Soror nostra parva, et ubera non habet,* id est, plebs Iudæorum recens conversa adhuc parva est in fide et charitate, nec ubera doctrinæ et doctorum habet, quibus alios lactet, ac proinde necdum habilis est ad nuptias cum Christo sponso celebrandas in cælo. Respondent sodales sponsi, id est, discipuli Eliæ et prædicatores Christi: *Si murus est,* id est, esto sit parva et carens uberibus, si tamen instar muri pectus animumque habet firmum et resolutum credendi in Christum, illique adhærendi, *ædificemus,* Hebr. *ædificabimus super eam propugnacula argentea,* id est, instruemus illam eloquiis sacræ Scripturæ et doctrinæ, pietatisque Christianæ (nam *eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum,* Psal. 11. v. 7.) iisque illam quasi propugnaculis armabimus contra omnes Antichristi et Iudæorum in Iudaismo permanentium insultus, iisdemque quasi uberibus decorabimus eam, ut alios in Christianismo lactare, docere et erudire valeat, itaque se suasque comites in fide et charitate adolescere faciet, ut iam adultæ maturæ sint nuptiis Christi in cælo brevi ineundis et consummandis. Iam inter hæc propugnacula argentea eloquiorum S. Scriptur. præcipua sunt illa quæ de futura in cælis gloriæ magnitudine loquuntur. Nam, ut recte ait Sanchez propugnacula murorum corona sunt; significat ergo sponsæ fidem et constantiam coronandam esse in cælis corona argentea, id est candida et splendida qualem nunc in cælis gestant beati. Huius enim coronæ spes et intuitus sponsam excitat ad incrementa virtutum, et ad heroicos charitatis martyriique actus. Murus notat constantes.

Sin sponsa iunior, id est plebs Iudaica ad Christum conversa *ostium* est non murus, id est si ipsa instar ostii pectus animumque habet exilem, mobilem et versatilem, ut iudaizantibus aures aditumque aperiat, *compingamus illud tabulis cedrinis,* id est sepiamus et muniamus eam exemplis et conversatione piorum Christianorum, qui eam a iudaizantibus custodiant, iisque aditum intercludant, ac piis monitis, æque ac moribus eam in fide et charitate Christiana confirment, ut si ad perfectionem et dignitatem sponsæ non assurgat: mereatur tamen inter adolescentulas numerari, quæ una cum sponsa ad nuptias cælestes cum Christo celebrandas ingredientur. Notat mobile Neophytorum, præsertim Iudæorum ingenium, qui ad Christum conversi facile ad Iudaismum, cui a puero assueverunt, elabuntur. Quare instar ostii sanctorum exemplis velut tabulis cedrinis, id est incorruptibilibus compingendi et corroborandi sunt, iuxta illud: *Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur,* Ps. 91. Ita Philo, Honorius et alii. Audi S. Gregor. *Dicitur Ecclesia ut ostium tabulis cedrinis compingi; quia fidem prædicans populorum multitudinibus decoratur, et dum populi variis virtutibus asperguntur, ut pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur.* Ostium leves et mobiles.

Idem S. Gregor. per propugnacula argentea accipit miracula, quibus prædicatores suam fidem astruunt et propugnant. Et S. Ambr. ser. 22. in Psal. 118. v. 8. « Ædificemus, inquit, super eam tabulas cedrinas, hoc est fidei sublimis bonum odorem; est enim suavis huius materiæ odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materiæ usus eligitur tectorum fastigiis elevandis, formandisque litterarum elementis quibus ætas puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, levis ad onus, suavis ad odorem, utilis ad instrumentum scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æternæ. »

Hunc esse sensum liquet ex antithesi muri et ostii. Cum enim omnes fere patres et interpretes censeant per murum notari firmitatem, perseverantiam et constantiam sponsæ, necesse est ut per ostium muro contrapositum et oppositum accipiamus eiusdem infirmitatem, mobilitatem et inconstantiam.

Porro de Iudæis in fine mundi convertendis hic agi patet ex Acoluthia dramatis, cuius hic est ultimus actus imo ultima scena; idque diserte docet Honorius et alii initio capitis citati.

Huc accedit versio Chald. *Dicat Michael* (hic enim princeps est Ecclesiæ et Synagogæ) *princeps Israel: Si, ipsa steterit sicut fundamentum inter populos, et dederit argentum, ut possideat veritatem nominis Dominatoris sæculi, erimus ego et vos cum scribis eorum circumdantes eam sicut ordines argentei, et non habebunt potestatem populi, ut dominentur in eam, sicut non est potestas vermi ut dominetur argento, et quamvis sit egena præceptis, quæremus miserationem propter eam coram Domino, et recordabitur eius propter meritum legis in qua laborant pueri, quæ scripta est in tabulis cordis et stat contra Gentes sicut cedrus.*

Salomon ergo hic Synagogam facit bipartitam, hoc est Iudæos in fine mundi convertendos in duas dividit classes: Unam, eorum qui maioribus naturæ et gratiæ dotibus, ac præsertim robore et constantia pollebunt, ideoque habiles erunt, ut fiant doctores, prædicatores, catechistæ, cum in S. Scriptura magis fuerint eruditi, hos significat nomine muri, cui inædificantur propugnacula argentea; alteram, eorum qui minores habebunt dotes et robur, sed tamen ab aliis roborati verbo et exemplo, sociis viam in cælum patefacient, hos significat nomine ostii cedro vestiti et decorati.

Iam huic sensui litterali apte, et quasi ex æquo incumbit et respondet tropologia, quam assignant Cassiodor. Beda, Aponius, Anselmus, Rupertus et alii qui per murum et propugnacula argentea, accipiunt prædicatores, qui fidem pietatemque concionando propugnant et propagant; per ostium vero et tabulas cedrinas, sacerdotes et fideles simplices, qui piis monitis et moribus aliis viam virtutis pandunt, ostiumque cæli aperiunt. Hortolanus per murum accipit sacerdotes, per ostium diaconos et ostiarios. Angelomus per tabulas intelligit latitudinem charitatis, per cedros virtutes sanctorum.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Quæ iam dicta sunt de Synagoga, adapta animæ mutato nomine.

Audi Honorium: « Si anima illa murus est, si velit esse stabilis in congregatione, ædificemus super eam propugnacula argentea, instruamus eam sententiis sacræ Scripturæ eloquentia lucidis, quibus se a tentationibus muniat, et alios se a vitiis abstinere doceat: si ostium est aliis verbo et exemplo ad conversionem compingamus illud tabulis cedrinis, id est ornemus illud multis Patrum exemplis, ut multis pateat introitus per illud ad vitam. »

Insuper Theodoret. de Anima sancta sic exponit, q. d. « Cum magno regi copulanda sit, et tamquam murus futura domus ipsius, ut curet et custodiat ea quæ intus sint et tamquam ostium ea quæ recondita fuerint, conservet, tamquam super muro quidem ædificemus argentea propugnacula, hoc est eloquia ratione splendentia: Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, ut in ipsis consistens hostes sagittis petat, et insidias struentes persequatur. Ipsi autem ut ostio tabulas, easque cedrinas, quæ peccati corruptionem suscipere nequeant, imponamus: putredinis enim expers est cedrus. »

Auxesin affert, quod Septuag. pro *compingamus*, vertunt, *describamus* vel *sculpamus super illud*, scilicet ostium *tabulam cedrinam:* ostium enim cordis a fideli inscribi et insculpi debet imagine Christi, ut eius gesta et passiones illi, velut in tabulis cedrinis, id est incorruptibiliter et indelebiliter incidantur, ut ea in cogitationibus, sermonibus, et actibus ubique referat et repræsentet, iuxta illud v. 6. *Pone me ut signaculum* super *cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Simili phrasi imagines et scripta æternitati consignanda cedro digna nuncupantur. Unde illud:

Et cedro digna locutus.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Omnia iam dicta præ universis competunt uni B. Virgini: unde facile cuivis erit illa ipsi adaptare. Habuit enim ipsa pectus virile et forte instar muri, cui quotidie propugnacula argentea eloquiorum S. Scripturæ et inspirationum S. Spiritus inædificabat; ut uberibus et lacte doctrinæ abundaret, lactaretque Apostolos et cæteros fideles. Ipsa quoque est ostium per quod ad Christum in cælum ingredimur, compactum ex tabulis cedrinis, id est ex variis gratiæ et gloriæ incorruptibilis dotibus. Hinc ipsa in Litaniis vocatur et invocatur *ianua cæli*, et ab Ecclesia in hymno composito a S. Ambros. *Intrent ut astra flebiles, cæli fenestra facta es. Tu Regis alti ianua, et porta lucis fulgida.* Ezech. c. 44. 2. de ea ait Dominus: *Porta hæc clausa erit*, etc. *Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Audi Hailgrinum: « B. Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad devotos suos intrent et accedant, sicut volunt, et hoc ostium tot tabulis est compactum a SS. Trinitate, quot in ea sunt virtutes et privilegia dignitatum; et hæ tabulæ cedrinæ dicuntur quia imputribiles sunt et odoriferæ, et per humilitatem in profundum radicatæ creverunt in immensum. Sane per portam orientalem lucidam et semper clausam Maria significatur apud Ezechielem, quo alludens Divus Augustinus sic inducit loquentem: Porta facta sum cæli, ianua facta sum filii Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa. »

VOX SPONSÆ

Iunioris puta Synagogæ.

Vers. 10. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Ego murus et ubera mea sicut turris (Hebr. *turres* in plurali) ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.) Pro *ex quo* Hebr. est אז *az*, id est, *tunc.* Unde Aquila vertit: *Tunc fui coram eo inveniens pacem.* Sic et Septuag. nisi quod Vatic. codex habeat *in oculis eorum* in plurali. Complut. tamen Reg. aliique legunt: *in conspectu eius*, in singulari, ut habent Hebr. Vulgata, Pagn. Vatablus et Syrus: *Tunc*, inquit, *eram in oculis eius ut inveniens salutem;* Arabicus: *Unica pacis, unica salutis.* Noster subintellexit præpositionem *ex*, ut *tunc* sumatur pro *ex tunc*, id est *ex quo*, quod Hebræis est familiare.

Porro Vatabl. nove vertit: *Qua quidem sponsiana visa sum ei satisfacere.* Et Soto Maior sic explicat: Ex quo responso mirifice animum dilecti mei placavi, plene illi satisfaciens, mihique illum devinxi. Alii, q. d. Ego sum murus, habeo ubera instar turrium; id autem ex eo habeo ex quo tibi, o sponse Christe, plene perfecteque placui. Luysius vero Legion. q. d. Muro et uberibus opus non habeo, nam pro iis mea mihi est pulchritudo, qua ita placeo sponso, ut videar ipsi esse murus, ac ubera turrita, cæteraque ornamenta habere.

Sunt verba sponsæ iunioris, nempe Synagogæ Iudæorum in fine mundi convertendæ, quæ audiens timorem sororis adultæ, puta Ecclesiæ Gentium de se quod esset parva, et sine uberibus, ac consilium sodalium sponsi, ut si murus sit, ædificentur in ea propugnacula argentea, quæ in muro sunt, id, quod ubera in pectore; sin ostium sit, compingatur tabulis cedrinis: protinus utrisque animose respondet, metumque omnem adimit, dicens se ex eo tempore, quo sponso reconciliata, et quasi sponsa copulata fuit subito excrevisse instar muri, atque ubera ab eo accepisse ingentia, non solum instar propugnaculorum, sed et instar turrium, ac proinde se iam habilem ad nuptias sponsi.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Synagoga Iudæorum in fine mundi, audiens Eliam et Enoch tanto robore et spiritu concionantes de Christo, ac concionem confirmantes per sanctitatem vitæ et per stupenda miracula, illico in Christum credet, illique tanta fide et amore copulabitur, ut multos Gentiles superet, ac multos prædicatores producat, qui Christum valide et ardenter instar S. Pauli prædicent. Dicet ergo tunc sorori adultæ, puta Episcopis et Prælatis Ecclesiæ Gentium: Non est quod de me solliciti sitis, nec de mea in Christum fide dubitetis: ego enim agnoscens longum meum errorem eumque damnans, ac certo sciens hunc esse Messiam sive Christum, qui a meis patribus indigne crucifixus est, in illum credo. Illique me totam dedo, atque in hac fide firma sum instar muri, ut facilius sit murum dirucre, quam pectoris mei fidem et constantiam infringere; imo in illa instar turrium exstantia habeo ubera doctrinæ et doctorum, qui ut turres fidem propugnare, et ut ubera iuniores et debiliores lactare queant: quare illi brevi in doctrina vitaque Christiana ita adolescent, ut nuptiis Christi cælestibus digni futuri sint. In fine enim mundi Iudæi per prædicationem Eliæ et Enoch, ac per efficacem Christi gratiam mutabunt odium Christi in zelum, ut tam ardenter prædicent et propugnent Christum, quam obstinate eum ante oppugnarunt, ut fecit S. Paulus. Quare maiores et doctores inter illos minores et rudiores ita erudient et perficient, ut et ipsi Christum prædicent. Et tunc *omnis Israel salvus fiet*, ut ait Apostolus Rom. 11.

Porro hæc habeo, id est, habebo, ait Synagoga, non ex me, sed ex gratia Christi, *ex quo* scilicet *facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Cum enim ex quo Christo sponso meo charissimo reconciliata fui, pacemque ab ipso impetravi; ipsum apud me perpetuo omnipotentem, et doctorem omniscium habeo, ab eodem summas vires obtineo, quibus principes et potestates, horumque rectores tenebrarum, omnes denique hostes tam visibiles quam invisibiles possim repellere, atque nec intra mœnia conclusos, ceu civitas munitissima, servare cives meos. Si enim Deus unum Ierem. prophetam cap. 1. posuit ut columnam ferream et murum æreum, quanto magis posuit me, qui iam Ecclesia et sponsa sum Christi, cui ipse promisit os et sapientiam tantam, ut illi nulli possint resistere adversarii, Matth. 10. v. 19. *Nam turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, et exaltabitur*. Proverb. 18. vers. 10. Et hoc est quod mihi promisit Deus Zachar. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu et in gloria ero in medio eius*. Vide ibi dicta. Ita Honorius, tres Anonymi apud Theodor, Cosmas Damianus, Delrio et alii. Huc accedit Chald. *Respondebit*, ait, *cœtus Israel, et dicet: Ego fortis sum in verbis legis, sicut murus, et filii mei robusti sicut turres. Et illo tempore cœtus Israel inveniet misericordiam in oculis Domini sui, et salutabunt eum omnes habitatores terræ.*

Huc quoque referri possunt Cassiod. S. Gregor. Beda, Iustus, Anselm. Rupertus et alii, qui hæc accipiunt de Ecclesia, quæ murus dicitur ob firmitatem, fundatus enim est in petra, id est, in Christo, et constructus est ex vivis et electis lapidibus; nam Synagoga in fine mundi convertenda fiet Ecclesia Christi.

Sionana est Sulamitis, id est, pacifica, cur. Porro pro *pacem* Hebr. est שלום *scialom*; a qua voce sponsus dictus est Salomon, id est, *pacificus*, sponsa vero Synagoga dicta est *Sulamitis*, id est, *pacifica*, q. d. Ex quo verus Salomon, id est, Christus, qui pacem e cælo inter Deum et homines detulit, me Synagogam, quæ Mosi et legi veteri mordicus adhærens eram eius iurata hostis, dignatus est per gratiam ad se vocare, sibique reconciliare, imo Sulamitem, id est, Ecclesiam suam sponsam efficere, illico in tantum fidei et charitatis robur et celsitudinem excrevi, ut quasi sponsa sponso, si non par, certe suppar, esse videar. Unde Arabicus vertit: *Unica pacis, unica salutis*. Quare τὸ *quasi* hic, ut et alibi, non similitudinem, sed veritatem denotat, q. d. *Facta sum, quasi*, id est, vere *pacem reperiens*, vel facta sum sicut illa quæ pacem reperiet. Ita Theodor. *Cum me*, ait, *præsciverit* et *prædestinaverit, quod pacem quæram et persequar eam, et persequens comprehendam, me tum pacificam appellavit, tum Sunamitidem et murum fecit inexpugnabilem, hostibus formidandum, atque ubera mea, id est, doctrinam moralem et theologicam in sublime extulit, et quasi turrem constituit, ut ex eo pugnans sponsi hostes propellam.*

Anagog. Anagogice Honorius: « Ecclesia, inquit, videns de vivis lapidibus ut murum in habitaculum veri Dei ædificari et turrim angelicam cælestis Ierusalem per se reparari, canit exsultans: Ego murus, et ubera mea sicut turris, q. d. Ego sum constructa per opificem Christum, de electis hominibus, murus de lapidibus in ambitum Ierusalem cælestis, ut murus in circuitum civitatis: et ubera mea, id est doctores, qui mihi lac doctrinæ præbuerunt, sicut turres erecti sunt pro angelis, qui inde ceciderunt et ita cœpit ædificari ut civitas per doctos opifices, Apostolos et eorum successores ex illo tempore, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » Ex quo scilicet in Christum, qui vera est pax, credidi.

Symbol. Symbolice Aponius per murum accipit humanitatem Christi, per ubera et turres Apostolos: « Quia, inquit, sicut per eos nutrit, ita per eos defendit Ecclesiæ civitatem; qui ut turris murum, ita doctrinam Christi ornare probantur. Securus ergo in his turribus divinæ scientiæ armis circumdatus consistit, qui in eorum fide immobilis permanet. Nam sicut turris portatur a muris et intra turres arma posita, ita per fidem a Christo sustentantur Apostoli, et per Apostolos fidelium turmæ, in quibus vitæ exemplo et rectæ fidei arma sunt collocata, quæ qui indesinenter tenet, vincit; qui dimiserit, vincitur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Murus est fortitudo, turris oratio. Anima sancta est murus per firmitatem virtutis, et turris per celsitudinem orationis, in qua consequitur ubera mystica, et haurit a Deo lac doctrinæ et spiritus, quod in alios effundat, ibi denique plenam conscientiæ pacem et lætitiam consequitur. Ita Philo Carpath. Episcopus: « Ego, inquit, iam fide munita sum et charitate referta, et ubera mea, inquam (mihi enim donata, et omnibus sitientibus ea) hoc est, duo testamenta et duo præcepta charitatis, itemque duplex vitæ genus (activum scilicet, et quod contemplationis est proprium) iustitiæ officiis comprobate; quæ quidem divina gratia duce ad altissimum probitatis gradum, me turris instar evexerunt; ibique iam aliena prorsus esse cœpi ab omni rerum humanarum sollicitudine, perturbatione ac cura, et requievi: Unde sequitur: Ego sedebam in oculis eius tamquam ea quæ pacem invenit; recte iam sedere se et conquiescere in oculis sponsæ gaudet, postquam divinæ gratiæ munus accepit et pacem, dicente sponso: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Animadvertendum est, quod tempore imperfecto utitur cum dicit: Sedebam, ut ostenderet numquam nos hic posse perfecte quiescere. Non enim habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus, uti Paulus ait Hebr. 13. »

Porro virginibus hæc tribuit S. Hieron. epist. 7. ad Lætam; Virgo, inquit, cum aliquis ostium pulsaverit dicat: *Ego murus et ubera mea turris*. Et S. Ambros. l. 4. de Virgin. *Facesset*, ait, *sacris virginibus metus, quibus tanta prælia dedit primum Ecclesia, quæ teneræ prolis sollicita successu, ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium increvit uberibus, donec soluto obsidionis hostilis incursu, pacem validæ iuventuti maternæ præsidio virtutis acquirat. Unde et Propheta ait: Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Porro in fine mundi erunt 144. millia Virginum, qui se

neque ad mortem antichristi impietati, et libidini opponent, uti patet Apocal. 14. 1. et seq.

Denique Honorius hæc applicat Religiosis: « Anima, ait, doctrinis prælatorum ut lapidibus opificum ædificata et exemplis patrum ornata clamat sæcularibus: Vos qui in sæculi negotiis laboratis, in eo exemplo quasi per ostium in spiritualis vitæ requiem intrate, quia ego prius vobis similis in peccatis labilis, facta sum ut murus in spiritualibus stabilis, et ubera mea, id est doctrina vitæ meæ, ut turris inexpugnabilis, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, id est, ex quo me de tumultu sæculi contuli ad quietem claustralem. Nam quasi in freaita bellorum desudat, qui inter adversa mundi et carnis illecebras laborat, sed quasi pacem coram Deo reperit, dum in spirituali vita requiescit, quam pacem plenam habebit, quando nullam pugnam inter carnem et spiritum sentiens, in æterna pace gaudebit. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Quæ dixi de B. Virgine vers. præcedenti, hic repete: ipsa enim instar muri roborabit Iudæos ad Christum conversos in fine mundi, ac uberibus suæ gratiæ et doctrinæ Prædicatorum, quos eis submittat, lactabit, atque velut turris eosdem propugnabit, tamquam Gentem suam, olim in Patribus Deo dilectam, ex qua tam ipsa, quam Christus carnem assumpsit, idque facit ex eo quod ipsa pacem, id est, veniam et gratiam eis apud filium impetrarit, illosque ei reconciliarit tamquam vera Sunamitis, ac mediatrix et pacificatrix Dei et Synagogæ; quam enim ipsa Deo pariet, eamdem alere, fovere, provehere et perficere satagei. Hoc enim exigit maternus in filios amor. Quomodo B. Virgo sit turris dixi c. 4. v. 4. de eius pietatis uberibus dixi cap. 1. v. 1. et c. 4. v. 5.

Porro Guilielmus sic B. Virginem dulciter et pie loquentem inducit: « Denique mox ut ex carne mea verbum caro factum est, inveni et sensi me habere in utero de Spiritu sancto, et reperi in utero meo quasi pacem, nondum quidem pacem, sed iam quasi pacem, id est, hostiam pacis, cuius immolatio hostiæ plena pax, etc. Porro ex quo sensi me in utero habere de Spiritu sancto, procul dubio tantæ excellentiæ, tantæ potentiæ, tantæque clementiæ facta sum, ut omnibus ad me confugientibus non tantum murus sim ad muniendum, sed et mater ad nutriendum, et talis mater, cuius ubera sunt sicut turris, id est, cuius materna pietas non tantum parvulos nutriet, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt et minus apti ad prælium, hostibus inaccessibiles facit, cum creverint fiducialiter processuros in campum, non tantum carnem et sanguinem, sed et spiritualia nequitiæ in cælestibus provocaturos ad prælium. »

VOX SPONSÆ

Adultæ, puta Ecclesiæ.

Vers. 11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Vers. 12 Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

Hebr. *Vinea fuit Salomoni in Baal Hamon. Hamon* est nomen proprium urbis in tribu Nephthalim sitæ inter mare Galilææ et mare Phœniciæ, quæ data fuit Levitis 1. Paralip. 6. 75. Ita dictæ a frequentia populi et civium. Nam *Baal Hamon* Hebr. idem est quod *habens* vel *possidens populum*. Unde Noster vertit; *In ea quæ habet populos.* Symmach. *In retentione turbæ.* Aquila: *In habente multitudinem.* Septuag. vero retinent ut nomen proprium: *Vinea*, inquiunt, *facta est Salomoni in Beel Amon.* Syrus vero refert ad multitudinem non populi, sed fructuum: *Vinea*, ait, *fuit Salomoni, et fructus eius multus.* Baalmon enim erat locus fertilis. Mirum est quod Arabicus vertat: *Salomon factus est vinea in Baalmon*, nisi sic explices, q. d. Salomon tam copiosas habebat vineas, in eisque excolendis erat tam assiduus et frequens, ut ipse in eas quasi transmutatus dici possit. Videtur ergo Salomon vere habuisse vineam copiosam in Baal Hamon.

Porro multa nomina locorum et urbium, ornatus causa, præpositum habent nomen *Baal*, ut Baal Pharasim, Baal Meon, Baal Salisa, Baal Hasor, Baal Sephon, etc. sive quod olim Baal, id est, Bel vel Belus Lar et Deus tutelaris in iis cultus fuerit, sive quod *Baal* idem sit, quod habens, possidens, sive aliis de causis. Noster Sanchez asserit Baal Hamon esse Engaddi palmis et balsamis abundantem, sed nullo auctore id probat.

Baal præfigitur urbibus, cur?

Chaldæus more suo ad Iudæos, hæc refert: unde per vineam accipit Ierusalem et Iudæam cuius rex fuit Salomon, et post eum rex Iuda fuit Roboam, rex decem tribuum fuit Ieroboam: « Gens una, inquit, attendit in sortem Dominatoris sæculi apud quem est pax quæ comparata est vineæ. Collocavit eam in Ierusalem, tradiditque eam in manum regum domus David, ut custodirent eam, sicut agricola custodit vineam suam. Postquam autem mortuus est Salomon, rex Israel remansit in manu Roboam filii eius, et venit Ieroboam filius Nabath, et divisit cum eo regnum, et tulit de manu eius decem tribus, iuxta verbum oris Ahiæ Silonitæ, qui erat vir magnus. Quando audivit Salomon rex Israel prophetiam Ahiæ Silonitæ, quæsivit occidere eum, et fugit Ahia a facie Salomonis, et abiit in Ægyptum: et in illo tempore dictum est in prophetia Salomoni regi quod dominaretur decem tribubus omnibus diebus suis, et post mortem suam dominaretur eis Ieroboam filius Nabath: et duabus tribubus, videlicet Iuda et Beniamin, dominaretur Roboam filius Salomonis. »

Vinearum in Canticis crebra est mentio, quia Canticum scriptum est more bucolico: unde Salomon hic inducitur ut vinitor, pastor et agricola. Quare uti a vineis incipit, ita et in vineis desinit. Nam c. 1. statim sponsa, sed adhuc iunior, inexperta et debilis ait: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi:* hic vero iam adulta, sapiens et valida ait: *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.*

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Est vox sponsæ adultæ, puta Ecclesiæ Gentium, quæ audita voce sponsæ iunioris sororis suæ, puta Synagogæ Iudæorum asserentis se esse murum, et habere ubera instar turrium, concludit per parabolam vineæ fertilissimæ et præstantissimæ tam de se, quam de sorore sua, quod iam copiosus et completus sit fidelium et electorum tam Gentium, quam Iudæorum numerus, ideoque tempus esse, ut nuptias cum Christo in cælo consummet, quod utraque unice optat, et tacite postulat.

Vineam esse Ecclesiam tam Gentium quam Iudæorum, patet ex parabola Isaiæ, cap. 5. 1. *Vinea*, inquit, *facta est dilecto meo in cornu filio olei*; et Christi: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam*, etc. Matth. 21. 33. Igitur vinea hoc loco tam est Synagoga Iudæorum in fine mundi convertenda, quam Ecclesia Gentium iampridem conversa, sed in fine mundi et populis et virtutibus mire florens, ac numeris omnibus absoluta et perfecta, ideoque bis repetitur nomen vineæ: unde nonnulli valde apposite per primam vineam v. 11. intelligunt Synagogam, per secundam v. 12. Ecclesiam: utraque enim vinea erit paris vel similis fertilitatis, ac plurimos sanctos Christo proferet, sed Ecclesia utpote multo maior, copiosiorem et numerosiorem dabit multitudinem sanctorum. Quocirca per vineam hic Synagogam accipiunt S. Gregor. Aponius,

Chald. Ecclesiam vero Cassiod. Philo, Iustus, Beda, Anselm. et sanctus Ambros. in Psalm. 118. ser. 22. v. 8. qui per custodes accipiunt pastores et doctores, vel etiam Angelos custodes, uti censent Cassiod. et Beda, at custodes dicuntur non coloni, quia colonus proprie est Christus.

Vinea Synagoga Iudæorum.

Applicemus ergo singula primo Synagogæ, deinde Ecclesiæ. Sensus est, q. d. Sicut olim Salomoni regi fuit insignis vinea in Baal Hamon: tum litteralis pendens ei annue mille argenteos; tum mystica, puta Synagoga legis veteris, amplum magnique pretii pietatis Deique cultus fructum proferens; sic Christo qui verus est Salomon, id est pacificus et pacificans Deum ac homines, in fine mundi erit vinea in Baal Hamon, id est in Iudæa, quæ tum abundabit fidelium populis et virtutibus, eritque perfecta magno sanctorum et electorum numero. Unde S. Ioannes vidit ex singulis Israelis tribubus duodecim millia signatorum. Apocal. 7. Tunc ergo Sulamitis, id est Synagoga digna erit quæ sponso Salomoni in cælo copuletur, ac vino gloriæ, quod protulit ipsa quasi vinea, inebrietur. Hanc vineam Salomon, id est Christus *tradidit*, id est tradet *custodibus*, id est Prælatis, doctoribus et prædicatoribus, qui eam in fide et pietate excolant et custodiant. *Vir*, id est quisque custodum, qui scilicet annue eam custodit, puta Pontifex *pro fructu eius* annua pensione *offert mille argenteos*, id est maximum et plenissimum (millenarius enim symbolum est summæ magnitudinis et perfectionis) virtutum et sanctorum numerum, pretiumque offeret Christo, puta multa magna heroicaque opera SS. Martyrum, virginum, religiosorum, clericorum, præsulum, coniugum.

Et Ecclesia Gentium.

Simili modo Christi vinea est Ecclesia Gentium in Baal Hamon, id est in multitudine populorum; complectitur enim omnes nationes, quæ sub cælo sunt, atque in fine mundi plurimis abundabit sanctis et electis martyribus, virginibus, confessoribus iisque perficietur, tum fidelium sanctorumque numero, tum charitatis, omniumque virtutum, bonorum operum et meritorum copia et perfectione, ut illi iam omnino digni sint, qui instar uvarum maturarum, et vini ex illis expressi, in cælesto convivium nuptiarum Christi inferantur. Hoc est quod ait Ioannes Apoc. 7. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis stantes ante thronum, et in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Ita Guilielmus, qui et rationem affert: quia, inquit, Ecclesia gentium multos habet populos; cum Synagoga unum dumtaxat habeat, scilicet Iudaicum; et quia Christus pro Ecclesia potius, utpote tam numerosa, quam pro Synagoga e cælo descendit, mortemque et crucem subiit: et quia Ecclesia longe maiorem fructum numerumque sanctorum, martyrum, virginum, et confessorum Christo protulit et profert, quam Synagoga, quæ a tot sæculis ob perfidiam repudiata a Christo, in fine mundi dumtaxat, ei rursum associabitur. Ita S. Ambros. loco iam citato. Addunt iidem et alii, Ecclesiam factam esse vineam Christi in Baal Hamon, id est, in multitudine populorum in Pentecoste, cum Parthi, Medi, Elamitæ, etc. audierunt Apostolos loquentes magnalia Dei. Verum tunc cœpit Ecclesia, quæ deinde per omnes populos propagata, plene perficietur in fine mundi. Unde Lyranus per virum accipit Constantinum imperatorem, qui, inquit, pro Ecclesia propagande, et uberi eius fructu colligendo mille argenteos, hoc est, innumeras fecit expensas. Nam alii imperatores, tamquam pueri qui præ uno crepundio mille aureos contemnunt, immensas opes pro amoenis suis voluptatibus effundebant. At vero Constantinus tamquam vir, qui non nisi magnis mercibus magnum pretium appendit, ingentes sui imperii thesauros pro thesauro regni cælestis comparando liberaliter suppeditabat. Hæc Lyranus.

Porro valde apposite, ut dixi, per vineam priorem vers. 11. accipias Synagogam, per vineam vero posteriorem vers. 12. Ecclesiam, quæ hic inducitur loqui, et respondere Synagogæ, cuius hæc fuit vox: *Ex quo fui coram ipso pacem reperiens*; ad hanc enim alludens Ecclesia respondet, q. d. Recte, o Synagoga soror, id dixisti: quia Salomon, id est, Christus Rex pacificus te æque ac me plantavit ut vineam pacis, id est, fertilissimam, delicatissimam et præstantissimam, quæ fructus suavissimos omnis virtutis, omnis gaudii, omnis gloriæ, omnisque boni abundantissime produceret: qui proinde mille argenteis æstimantur, id est, summi et maximi sunt pretii. Pax enim apud Hebræos omnium deliciarum, omniumque bonorum copiam et abundantiam significat. Hanc enim apud homines affert pax, aufert bellum.

Baal Hamon quid?

Congrue addit hanc vineam esse in Baal Hamon, quia Hamon erat urbs sacerdotalis, data enim fuit sacerdotibus Aaronicis ad incolendum, qui ceteras urbes per intervalla obibant, ut ubique populum Dei legem cultumque docerent, q. d. Simili modo Synagoga in fine mundi dabit multos sanctos, doctosque sacerdotes Christi, qui plebem in Christiana fide pietateque erudiant et perficiant. Hi scilicet erunt ubera, de quibus ipsa vers. 10. dixit: *Ubera mea sicut turris.*

Vinea mea coram me quid?

Deinde Ecclesia de seipsa subdit: *Vinea mea coram me est*, id est, ut Vatablus: *Vinea mea, quæ ad me attinet, mihi curæ est*, q. d. Tu, o Synagoga soror, vineam tuam habes Iudæam, at ego vineam habeo totum orbem reliquum, puta omnes gentes, quas in fide et virtute Christiana per meos Prælatos, Pastores et Prædicatores assidue excolo: quare opus est, ut tam amplam vineam semper præ oculis habeam, ac magna sedulitate et labore pastinem, putem, vindemiem, etc. uti feci, et facio. Quocirca illa iam tot annis et sæculis a me sic exculta, quotannis ex fructibus Salomoni hero (puta Christo) reddit mille argenteos, id est, maximum pretium: custodibus vero eam excolentibus insuper pro labore reddit ducentos argenteos. Argenteus intelligitur siclus, qui quatuor argenti drachmas, hoc est quatuor Iulios Italicos, sive quatuor regales Hispanicos, hoc est, florenum Brabanticum, sive Belgicum continebat. Hoc est, quod sequitur.

MILLE TUI PACIFICI, ET DUCENTI HIS, QUI CUSTODIUNT FRUCTUS EIUS.

Pro *pacifici* Hebraice est, o *Salomon*. Unde Complut. legunt *pacifice*, in vocativo. *Tui ergo pacifici*, idem est, quod *tui, o pacifice*, o Salomon. Unde Arabicus vertit: *Multa millia Salomonis*. Septuag. *mille Salomoni*. Hinc patet τὸ *pacifici*, non esse nominativum pluralem, uti censent Honorius, Cassiodor. Guilielmus, Rupertus et alii, sed esse genitivum singularem, ac denotare Salomonem, eiusque antitypum Christum.

Sensus est, q. d. Sicut tua vinea Iudæorum, o Synagoga, Salomoni, id est, Christo sponso offert mille argenteos, id est, maximum, maximique pretii fructum charitatis, virtutum et bonorum operum, sic idem prorsus facit mea vinea Gentium; licet enim Gentes, utpote Iudæis multo plures, longe plures quam Iudæi proferent heroicorum virtutum, ac sanctorum martyrum, virginum et confessorum numerum; tamen ad vitandam sororis Synagogæ æmulationem et zelotypiam dicitur tantumdem, quantum ipsa, afferre, scilicet mille argenteos, id est, maximi pretii fructus; sed proportionaliter iuxta numerum cuiusque: Ecclesia enim Gentium, quia numerosior, utique numerosiorem dat, dabitque in fine mundi sanctorum proventum, quam Synagoga Iudæorum.

Ait ergo *mille tui pacifici*, id est, mille tibi, o pacifice, o Salomon, id est, o Christe, argenteos, quos ex fructu vineæ collegi, offero et reddo, quia Christi est omnis Ecclesiæ, puta fidelium et sanctorum, charitas, virtus, perfectio, beatitudo et gloria. Omnia enim hæc manant a gratia Christi, sicut rivus a fonte, radius a sole, calor ab igne: Christo ergo debentur mille, id est, longe potior et maxima bonorum operum dignitas, meritum et præmium. Ecclesiæ vero et sanctis debentur, danturque ducenti, id est sanctitas animæ et corporis, vel charitas Dei et proximi, cui seu præmium in cælo respondet gloria animæ et

corporis, per decem præceptorum decalogi observationem, in corde et opere centies duplicatam, id est, omnimode multiplicatam et perfectam; nam centum duplicata faciunt ducenta. Ita Honorius, et ex eo Delrio, Philo, et alii.

Rursum *mille tui pacifici*, q. d. En, Christe sponse noster, tum Synagoga, tum Ecclesia, utraque sponsa tua affert tibi millenarium, id est, universitatem et plenitudinem sanctorum omnium, quasi fructum, quos per gratiam tuam ex Gentibus æque ac Iudæis collegit: quare completus est iam sanctorum et electorum numerus. Age ergo, huic labori et militiæ nostræ finem impone, duc nos tecum e terra in cælum, e militia ad triumphum, ex agone ad bravium, ut tibi quasi sponso in cælesti thalamo nuptiis beatissimis copulemur. Quare utcumque hanc vineam tuam e solo in cælum transplanta, homines sanctos Angelis iunge, atque sponsam tuam tamdiu in arena hac generose luctantem, effice triumphantem.

Mille notant copiam. Nota, millenarius est cubus atque quadratura denarii; decem enim in se ducta et multiplicata, puta decies decem faciunt centum, decies centum faciunt mille: quare mille notant cel, puta sanctorum hic universitatem et plenitudinem, ait S. Augustinus l. 2. de Civit. c. 7. et alii passim.

Et virginitatem. Rursum millenarius symbolum est virginitatis: virginitatis enim symbolum et causa est unitas, sive simplex, sive composita, uti componitur in 10. 100. et 1000. qui est millenarius. Matrimonii autem symbolum est dualitas (iuxta illud: *Erunt duo in carne una*. Ephes. 5. 31.) sive simplex sive composita, uti componitur in 20. et 200. Quia ergo Ecclesia Christi sponsa, et virgo et coniux est, idcirco argentei eius mille sunt quia virgo, et ducenti quia coniux, ait Petrus Bongus de Num. mysteriis in 200. quæ ipse mutuatus est ex Ruperto hoc loco, qui et aliam rationem addit: *Unitas*, inquit, *virgo dicitur, quia in semetipsa multiplicata, nihil creat; quia semel unus, tantum unus quod alteri numero nulli contingit; nam bis duo sunt quatuor, ter tria novem, atque ita deinceps. Nuptias centenus binarius* (ducenti) *designat, quia hoc felicissime indissolubili vinculo dilecto copulata est.*

Et Christum. Porro Christo proprie competit millenarius, ait Bongus in 400. iuxta illud, *mille tui o pacifice*; Christo, inquam, qui est pax sibi ipsi, et omnia, teste S. Paulo Colos. 1. pacificavit in cælo et in terra, et cuius officium fuit perducere ad hunc finem, in quo est plenissima et felicissima pax, perfectissimus deputatur millenarius. Hic enim iure optimo in eo quod finis et ultimus est numeri ultimi consummati, vere Christo soli convenit, qui est primus secundum divinitatem, antequam nullus, novissimus autem secundum humanitatem, iuxta illud 1. Corinth. 15. v. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Millenarius enim omnium numerorum est periodus, hoc est principium et finis; incipimus enim numerare ab unitate et desinimus in mille. Sic Christus Deus et homo fons, origo et principium primum est, æque ac finis ultimus omnium bonorum, iuxta id quod ipse de se ait: *Ego sum α et ω, primus et novissimus*, Apoc. 21. 22. Ita Theodor.

Et finem mundi. Denique millenarius symbolum est consummationis mundi, iuxta illud: *Sex millia mundus*, resurrectionis et gloriæ beatorum in cælis æternæ, Apocal. 20. 5 Ibi enim sancti Ecclesiæ bibent vinum felicitatis æternæ, ac pace, id est bonorum omnium affluentia perfruentur. Ita sanctus Gregor. Cassiod. Iustus et alii passim.

Porro Philo, Cassiod. Rupertus, S. Greg. et S. Ambros. censent hæc verba: *Vinea mea coram me est*, etc. esse verba sponsi Christi, qui sponsæ respondeat, q. d. ait Cassiodor. *Tu dicis, quia Ecclesiam vineam meam tradidi custodibus: attamen ego semper curam illius habeo. Noli dubia esse pro æterna mercede, quandoquidem tibi paratus est fructus retributionis æternæ. Mille enim tui, id est omnia illa, quæ pro me reliquisti pacifici* (in recto) *id est proficui tibi sunt: porro his, qui custodiunt fructus vineæ meæ, parati sunt ducenti, item pacifici, id est duplicatus fructus redditus est proficuus, quatenus iuxta Apostoli dictum: Presbyteri duplici honore sunt digni, maxime qui præsunt et laborant in verbo*, 1. Timoth. cap. 5. 16. Hæc sententia et expositio probabilis est, sed probabilior prior, scilicet, hæc esse verba sponsæ, iuxta sensum paulo ante recensitum; nam sequitur: *Mille tui pacifici*. Hebr. *O Salomon*, id est, o Christe, quæ esse verba sponsæ ad sponsum, nemo dubitat.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Anima, ait Philo Carpath. *quæ pacem Domini invenit, et requiem a delictis, fit quasi vinea fructifera Salomoni cælesti, qui cuncta beat in cælo et in terra, omniaque quieta, beata, pacifica præstat et servat, modo illi subiecta sint, et morem gerant. Nam nec impiis est pax, nec improbis quies, nec superbis tranquillitas, sed mansuetis et rectis corde. Hi si sponso student placere, non mundo, non homini, suæ animæ ut vineæ custodes præficiuntur; hoc probat Propheta, cum dicit: Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Talis pro mercede accipit mille argenteos, hoc est totius legis et mandatorum plenitudinem salutarem secum defert in patriam, et ibi sine fine victurus comedit de fructu manuum suorum. Nihil Deo acceptius, quam benefacere, et bene cæteros docere exemplo ipsius sponsi, qui de talibus dixit: Ubi ego sum, ibi sit et minister meus.* Ioan. 12. 26. Anima ergo, quæ perfectioni studet, assidue dicit: *Vinea mea coram me est*, ut assidue seipsam inspiciat, examinet, corrigat, perficiat, ceu vinitor vineam.

Porro Honorius, Cassiodor. et S. Gregorius, hæc applicant religiosis, qui omnia bona terrena contemnunt, ut Christo se uniant, et despondeant. Audi S. Gregor. *Pro fructu vineæ vir mille argenteos offert, quia quisquis viriliter in fide, quam suscepit, se habet, libenti mente et perfecte omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus: ideo per eum perfectio rei cuiuslibet demonstratur. Hos argenteos in Ecclesia primitiva illi ferebant, de quibus in actibus Apostolorum scriptum est: Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant, et afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum, quæ vendebant*, Act. 4. Horum præmium sunt ducenti argentei, quia tales centuplum recipient in hac vita, et multo magis centuplum in futura; iuxta illud Christi promissum: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*, Matth. 19. 29. addit S. Ansel. ducentos dari custodibus, quia custodes Ecclesiæ et animarum duplex pretium Deo offerunt, quatenus se immaculatos servant, et alios lucrantur, ideoque et duplex præmium nanciscuntur. Huc facit illud: *Argentum electum lingua iusti*. Prov. 10. 20.

Aliter Theod. qui per vineam accipit animam fidelem, per custodes eius sacerdotes, per mille argenteos Christum, per ducentos vero custodiam quinque sensuum. Audi eum: *Nam numerus millenarius in Christo significat perfectionem, cum sit unitas absoluta, eiusque rationem non solum vi, sed etiam re in se ipso contineat: ab unitate enim incipit, et per unitatem ostenditur, et unitatis effector est. Nam unitatis nota mille et myrias iudicantur. Numerus vero ducenarius naturæ nostræ in seipsam redactæ per observationem mandatorum significat constitutionem: quippe qui decies repetitam per decem mandata vicenarium continet, ex quater quinque compositum, et propterea naturam nostram, quæ ex materia forisque constat, ostendentem.* Sic et tres Anonymi apud Theod. et S. Ambros. in Psalm. 118. ser. 22. vers. 8. ubi sic legit: *Vitis mea in conspectu meo, mille Salomoni, et ducenti servantibus fructum.* Alii ducentos referunt ad duplex præmium duplicis vitæ, scilicet activæ et contemplativæ.

Symbol. Symbolice, Guillelmns per mille et ducentos accipit SS. Angelos, qui cælestis sponsi sunt pacifici et familiares, eique in cure Ecclesiæ cooperantur: nempe pacifici sunt, qui quærunt et iugiter rogant quæ ad pacem sunt Ierusalem. Nam mille et ducenti faciunt duodecies centum: « Et notendum, inquit, quia duodenarius constat ex quatuor ternariis, et quodammodo quadratur eis. Quadratorum autem est, in quamcomque partem inclinentur, firmiter stare. Itaque duodenarius Angelorum, in amore creatricis Trinitatis eorum stabilem insinuat firmitatem. Centenarius vero in litteris sacris solemni ratione perfectionem significat. Cum vero sancti Angeli duodecies centum dicuntur, in amore sui conditoris non tantum firmi, sed et perfecti ostenduntur, nempe illi tam firmiter adhærent, ut nullo tempore, nullo casu in eius valeant amore nutare, et tam perfecte atque integre, ut nihil quod non ipse et propter ipsum ament, valeant cum ipso amare. »

Hæc ipse, non satis apta ad litteram, tum quia mille dantur hic Christo, non Angelis: ducenti vero custodibus vineæ; tum quia *το pacifici*, non est hic nominativus pluralis, sed genitivus singularis ipsumque Salomonem, hoc est Christum denotat, ut patet ex Hebræo, Septuag. Syro, Arabico et aliis.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Vinea est B. Virgo. VINEA, inquit Honorius in sigillo, est Deipara, quam Deus plantavit in Baal Hamon, id est, in Ierusalem et Iudæa populis abundante, quæ patria fuit Apostolorum, eamque custodibus, id est Apostolis, commendavit, ac præsertim S. Ioanni moriens in cruce, cum ei diceret: *Ecce mater tua.*

Rursum et aptius ad litteram, quæcumque dixi initio de Synagoga et Ecclesia, attribue B. Virgini: ipsa enim post Christum utriusque ceu mater, teneram habet curam ac singularem providentiam.

VOX SPONSI.

VERS. 13. QUÆ HABITAS IN HORTIS. AMICI AUSCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM.

QUÆ HABITAS IN HORTIS (male Honorius legit *in portis*, scilicet vitæ et mortis ait ipse) AMICI AUSCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM.) Sept. *Qui sedet* (Symmach. *qui sedetis*) in *hortis, amici sunt intendentes voci meæ: vocem tuam insinua mihi.* Syrus: *Custodes* (de quibus sermo præcessit) *qui habitant* in *hortis* (adsunt) *et auscultant vocem tuam.* Arabicus: *Sedenti* (masculine) *in horto alii auscultant.* Videntur Septuag. et qui eos sequuntur. Syrus et Arabicus pro יֹשֶׁבֶת ioscebet fœminino, id est, *quæ sedes* vel habitas, legisse יֹשַׁבְתָּ *iasciabta*, masculine, id est. *qui sedisti*, id est, *qui sedes.* Est vox sponsi ad sponsam, quam bucolice denotat per *το quæ habitas in hortis*, quasi rustica puella, et nympha quæ sylvas et montes colit, quales a Poetis vocentur Dryades et Oreades de quibus Virgil. Æneid. 1.

Exercet Diana choros, quam mille secutæ,
Hinc atque hinc glomerantur Oreades:

Unde Servius: *Dryades, ait, nymphæ sunt, quæ inter arbores habitant. Hamadryades autem nymphæ sunt, quæ cum arboribus nascuntur, et pereunt.* Sic sponsa hæc quasi castitatis et sapientiæ nympha amat rura, agros, vineas et hortos. Alludit ad id quod vers. præcedenti sponsa de se dixit: *Vinea mea coram me est.* Vinea enim simul hortus est, quia inter vites seruntur herbæ, arbores et plantæ, uti fit in hortis. Iam

Sensus I. Primo, Aben Ezra per amicos intelligens amasios, sive procos et rivales sponsæ sponsique æmulos, sic exponit, q. d. Sponsus: Cave, o sponsa, ne publice canas, quia adsunt proci, qui vocem tuam ambiunt: ita ergo modeste et secreto cane, ut ego solus audiam: sat tibi sit, si vox tua in meis auribus sonet, iuxta illud: *Secretum meum mihi.* Aut ut Vatablus, q. d. Cane palam coram meis æmulis, ut ipsi audiant te cupere me sponsum, non illos, ut ipsi doleant, et de tuis nuptiis desperent.

Secundo, noster Sanchez per amicos accipit testes contractus connubialis, q. d. Clara voce, o sponsa, enuntia et profitere te velle mecum inire coniugium, teque non alium quam me cupere sponsum, ut testes id audiant, itaque coram ipsis ratum et solemne celebremus de more connubium. II.

Tertio et optime, per amicos accipias sponsi sodales et paranymphos, qui optant sponsam sponso copulari, eiusque hac de re votum et desiderium, voce expressum audire: postulat ergo sponsus a sponsa, ut vota sua, quæ de nuptiis cum sponso consummandis hactenus tacite insinuavit, aperte tandem enuntiet coram paranymphis. III. Et genuinus.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

CHRISTUS huc usque dialogismum et colloquium Synagogæ et Ecclesiæ audivit, illudque ei placuit: quare ab utraque iam in fide et religione Christiana unita, unaque Ecclesia effecta, petit ut ultima sua vota et postulata depromat, se enim eis cupere annuere et satisfacere, q. d. Ait Hortolanus: O mea suavissima Ecclesia catholica, quæ et ipsa hortus es mihi gratissimus, et omnium mearum Ecclesiarum, ac singulorum electorum velut hortorum meorum satagis. Ecce iam diu et sæpe sæpius abs te vocatus venio. Adsunt mecum omnes angeli sodales mei, et communes amici nostri. Fare iam, age quid me vis. Quid est, quod teque tuumque spiritum assidue clamare audio; veni, veni, veni Domine Iesu. Ecce iam veni, sicut olim promisi, et merces mea mecum est, ut reddam unicuique iuxta opera sua. Coram sum, quem vocas. Opta quod velis. Tu modo loquere; scis enim me tua oratione mirifice delectari; delectantur et ea hi omnes amici nostri, teque loquentem idcirco audire percupiunt. Hi hactenus preces et vota tua summa cum voluptate auscultarunt, et ad me bona fide retulere, te mihi patrique meo de meliore semper nota commendare soliti, et in hoc (ut aliquando monui) Patris mei cælestis faciem perpetuo observantes. Porro Ecclesia fixe habitat in hortis, id est, assidue versatur in amœnitate Scriptur. in excolendis paradisis iuge virentium, pulchre florentium, et suaviter olentium virtutum. Ita Rupert. Honorius, et alii; *Amici* sunt angeli. Ita Cassiodor. Theodor. Beda, Aponius, Anselmus, Haymo, Rupert. et alii.

Huc facit versio Chald. « Dixit Salomon in fine prophetiæ suæ: Dicturus est Dominator sæculi cœtui Israel in fine dierum. Tu congregatio Israel, quæ comparata es horto minimo inter nationes, et habitas in domo doctrinæ cum sociis Concilii, et reliquis populis, qui auscultant vocem principis scholæ, et discunt ab ore eius verba eius, audire fac legem, vocem sermonum tuorum in tempore, quo tu sedes ad iustificandum, et condemnandum, et assentiar omnibus. »

Symbolice S. Greg. Cassiodor. Beda censent Christum hic cupere audire Ecclesiæ vocem prædicationis (addit Rupertus orationis et precum) ut scilicet hortum fidelium, in quo habitat doctrina S. Scriptur. etc. excolat: hac enim voce se æque ac amicos, id est, angelos et beatos oblectari. Symbol. Habitas in hortis, quid?

Minus recte Iustus Orgel. legit: *Quæ habitas in hortis: Amice, ausculta, fac me audire vocem tuam*, quasi *το quæ habitas in hortis* sit vox sponsi; sequentia vero *amice, ausculta, etc.* sit vox sponsæ ad sponsum, q. d. Fac me, o sponse, audire vocem tuam iucundissimam qua ei, qui sancte vixerit, in die iudicii dices: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 15. 21. Sic et

Theodor. qui legens cum Septuag. masculine: *Qui habitas in hortis*, censet hæc omnia esse verba sponsæ ad sponsum, quæ secundum, inquit, Christi adventum sedulo flagitans atque exspectans supplex eum orat, dicitque: *Audire me fac vocem illam tuam optatissimam: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Tres Anonymi apud Theod. legentes cum Septuag. *qui habitas in hortis, etc.* censent hæc verba esse sponsæ ad sponsum, quem in hortis sedere dicit: *Horti autem*, inquiunt, *divina sunt templa, martyrum monumenta, eorum, qui solitariam amplexi sunt vitam, conventus In his mille argenteos pro fructu vineæ afferentibus, sponsum asserit habitare, atque illum obsecrat, ut non solum cum angelicis virtutibus colloquatur, sed seipsam quoque voce sua dignam efficiat, neve contemnat se, quæ desiderio sitique ardet, fruendi sermonibus ipsius.*

Huc accedit S. Ambros. in Psalm. 118 serm. 12. v. 8. *Unde et nos*, inquit, *si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti: feramus virtutum flores, gratiæ suavitatem, ut disputantem cum angelis Dominum audire possimus.* Verum iuxta textum Hebræum, Vulgatam versionem, Arabicum, et alios liquet hæc esse verba sponsi ad sponsam, puta ad animam piam, quæ ipsi sedulo in omni virtute per omnem vitam servivit, cui proinde in fine vitæ ad cœlum anhelanti dicit: Age, o dilecta, quæ habitas in hortis, quæ scilicet hortum animæ tuæ æque ac proximorum tuorum assidue omni virtutum genere excolere satagisti; postula quod vis, dabo tibi: scio te cupere dissolvi, et esse cum Christo tuo; age, idipsum ardenter eloquere, voti te compotem efficiam: auscultant amici tui, æque ac mei, scilicet angeli, imo arrectis auribus adstant, vocique tuæ intendunt (hoc enim est מַקְשִׁיבִים macscibim) quasi eius sitientissimi, ut eam excipiant et hauriant. Unde Rupert. *Fac*, inquit, *me audire vocem tuam, ut lex Domini semper in ore tuo sit, nunc prædicando, nunc orando, nunc psallendo. His namque modis libenter audio vocem tuam, et ut amplius sapienter et sollicite id facias, ecce dico tibi, amici auscultant etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, sancti scilicet angeli, iuxta illud: In conspectu angelorum psallam tibi.*

Porro hinc, ait S. Ambros. lib. de Bono mortis, cap. 5. « Hortum illum sibi Plato composuit, quem Iovis hortum alibi, alibi hortum mentis appellavit. Iovem enim et Deum, et mentem latine dixit: in hunc introisse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia et divitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Sensus I. Primo, Guilielmus exponit de Christo per Gabrielem poscente consensum B. Virginis ad Verbi incarnationem, q. d. O Virgo, quæ in hortis animæ pasceris liliis puritatis, audire me fac vocem tuam, qua dicas: *Ecce, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Rursum idem Guilielmus exponit de Christo post resurrectionem poscente a matre licentiam e terra abeundi, et ascendendi in cælum, q. d. Audire me fac vocem tuam, qua dicas: *Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum*, ut fugias in cælum, indeque mihi et Apostolis de tuo discessu mœstis mittas Spiritum sanctum.

Secundo, Alanus, q. d. Christus: « O mater mea, quæ habitas in hortis; in horto Ecclesiæ corporaliter: et horto virtutum germinantium in vitam æternam spiritualiter: in horto qui Christus est, per amorem: in horto vitæ æternæ per spem, consequenter habitatura per speciem. Fac me audire vocem tuam, id est, ad me dirige preces de quacumque tribulatione, ut eas impleam, quia inordinate orare non potes. » II.

Tertio, et aptissime ad litteram Haigrinus Cardinal. q. d. « In fine huius operis, in hoc Christus verba concludit: assignat siquidem matri officium quod gerat in patria dicens: o tu dilecta mea, quæ habitas in hortis gratiarum et virtutum, fac me audire vocem tuam in precibus, sonet vox tua in auribus meis, quia amici, scilicet angeli auscultant, ut quod a me petieris, statim officioso peragant ministerio. Beata autem Virgo libenter obsecundans filio, et tamquam gaudens iniuncto tali officio, statim assurgit ad preces, dicens: Fuge, etc. » ut sequitur. III.

VOX SPONSÆ

Vers. 14. Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.) Symmach. *suavitatem:* Syrus pro *fuge etc.* vertit *ut cum venero, dilecte mi:* Chald. *In illo tempore dicent senes cœtus Israel: Fuge tibi, dilecte mi Dominator sæculi, de terra hac immunda, et habitet maiestas tua in cælis excelsis: et in tempore tribulationis, quo nos oraverimus coram te, eris similis capreæ, quæ in tempore, quo dormit, unus oculus eius est clausus, et alter oculus est apertus: aut sicut hinnulus cervorum, qui in tempore quo fugit, respicit post se; sic tu contemplaberis nos, et respicies tribulationem nostram de cælis excelsis, usque ad tempus quo beneplacitum erit tibi in nobis, et redimes nos, et introduces nos in montem Ierusalem, et ibi adolebunt sacerdotes coram te incensum aromatum.*

Est ultima et cygnæa vox sponsæ, qua sponsa cupienti vocem eius ultimam audire, illam edit, et per eam ultima et extrema sua vota sponso insinuat, quæ sunt, ut sponsus fugiat, id est celeriter se proripiat instar capreæ super montes aromatum, eoque secum rapiat sponsam, ut ibi illa ipso solo perfruatur: nec enim amor, qui intimis sponsæ medullis insedit ullas sponsi moras patitur. Fuge ergo, o sponse, mecum e vallibus hortorum in montes rapinm, ex turba in solitudinem, ex cœno fœtorum in colles aromatum.

Rursum *fuge*, id est festina, festinanter abi, et avola in montes. Sic et Hebræum בְּרַח *barach*, id est fugere, subinde idem est, quod festinanter currere, ait R. Ioseph Kimchi, cuius significati plura exempla recenset Pagnin. in thesauro linguæ sanctæ: quia enim fuga fit cum festinatione et velocitate, hinc per metalepsin *fugere* sumitur pro festinare, *fugax* pro veloci, *fuga* pro cursu. Sic Virgil. ait: Fuge, id est festina.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit:

Id est citatissima præterit et avolat. Et Silius:

Fugit ocior Euris

Et Plautus:

Remigio veloque quantum potes festina et fuge.

Unde Seneca epist. 118. sub finem: *Numquam*, inquit, *Virgilius dicit dies ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est.* Fuga enim velocissima est præsertim caprearum et hinnulorum cum eos canes venatici celerrime insectantur. Est ergo emphasis in verbo *fuge*, q. d. Sicut capreæ et hinnuli a canibus agitati effusissime fugiunt: sic tu, o sponse, quæso, ut meæ saluti consulas, mecum fuge, id est, celerrime me tecum abripe in montes aromatum, id est in cælum, ubi extra omne periculum degam, simque beata et te iucundissime perfruar:

Non fugis, ut fugias: at capiare, fugis.

Addit Sanchez *fugere* quandoque significat invadere, sic

Fugere pro invadere.

de Ænea Turnum insequente canit Virgil. 12. Æneid.

Quoties oculos convertit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum,
Aversos toties currus Iuturna retorsit.

Hoc ergo significato innuitur sanctos, duce Christo, per heroica mortificationis, martyrii, charitatis, cæterarumque virtutum opera invadere et obtinere montes aromatum, puta montes æternitatis in cælestibus, iuxta illud Christi: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 12. Fuga ergo hæc notat celerem impetum in agone virtutis, quo sancti cælum invadunt et occupant.

Montes aromatum sunt montes Bether sive Bethel, uti dixi cap. 2. v. 7. ubi Iacob vidit scalam a terra erectam in cælum, et per eam descendentes et ascendentes angelos ad Deum scalæ innixum, ideoque locum vocavit Bethel, id est domus Dei. Genes. 28. 12. *Montes* ergo *aromatum*, vel ut Symmach. *suavitatum*, symbolice denotant cælum, ut exponit Chald. Vatabl. et alii passim, ubi sancti suavissime modulantes iugiter offerunt Deo aromata, id est thu-
B ra et thymiamata laudis, orationis, gratiarum actionis et iubili, ut patet Apoc. c. 5. et seq. Audi Adrichomium in descriptione terræ sanctæ pag. 16. num. 43. *Bethel sive Bether montes sunt fœcundi, nemorosi et arboribus consiti; gramine et herbis aromaticis pleni, et ideo cervi capreæ, et hinnuli illorum cacumina frequentant de quibus in Canticis.*

Montes aromatum sunt cæli.

Sic in cælorum montibus quasi in Bethel, id est in domo Dei, inter angelos et beatos fragrant odoratissimi rosmarini continentiæ, balsama immortalitatis, cinnama exultationis, caryophylla charitatis, piper acre laudis et iubili.

PRIMUS SENSUS

ADÆQUATUS

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia in fine mundi, conversis iam Iudæis, et com-
C pleto sanctorum et electorum numero, qui sedes angelorum lapsorum restaurabunt, et implebunt, toto hoc capite sua ad cælum suspiria a corde sponsi amore ardenti ad eum eiaculatur, ut ibi post tot labores et agones quasi emerita et victrix cum Christo nuptias beatas consummet, eoque gloriose perfruatur in æternum, ac cum sanctis angelis iuge Alleluia concinat. Unde idem suspirium hic iterat, eoque cantico concludit, imminente iam secundo Christi adventu ad iudicium.

Sensus ergo est, q. d. *Fuge*, id est festina et proripe te, o sponse, mox a peracto iudicio, ex valle baclacrymarum, tot sceleribus et ærumnis fœtida et putida, in montes aromatum, id est, ad colles beatæ æternitatis, ad sedes angelorum ubi omnia fragrant thure et incenso laudum et iubilorum, eoque pariter me tecum transfer, uti solent capreæ et hinnuli fœtus suos secum aripere (imo sine iis nolunt se solos eripere) e venatoribus, et transferre in montes aromatibus redolentes. Cur Christus comparetur ca-
D preæ et hinnulo, plures causas et analogias recensui c. 2. 9.

Unde Cosmas Damianus paraphrastice et pathetice sic explicat: O optime, et vita mea mihi charior sponse mi, Domine Iesu Christe, venisti tandem diu multumque vocatus mihi et expectatus. Felix, faustusque sit nobis adventus tuus. Ecce iam exoptata spirat regenerationis nostræ dies: iam te exorto summo Sole et Rege nostro principum omnium et potestatum, ceu liquescentium montium umbræ contrahuntur: iam omnis creatura liberabitur a servitute corruptionis; iam vita nostra, quæ hactenus in te condita latuit, una cum tua vita et gloria universo orbi revelabitur: iam corruptibile hoc corpus induet incorruptionem, et mortale immortalitatem, iam denique tecum de peccato et morte triumphaturi, hostibus nostris Oseæ hoc carmen canentes insultabimus: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, peccatum, stimulus tuus? Bonum certamen certavimus, cursum consummavimus, fidem servavimus, vicimus. Rogamus er-
A go te enixe, ut nos omnes qui sumus electi et dilecti tui, ex quatuor plagis ad te venire iubeas, et in istam nubem tuam lucidissimam rapias teque et nos e conspectu hominum impiorum quam celerrime in cælum, procul e fœtidis huius mundi montibus, ferinum leonum et pardorum virus olentibus, transferas in montes cælestes omnium gratiarum et virtutum tuarum, ac votorum nostrorum aromaticam spirantes fragrantiam. Audiat tandem, te obsecro, tua Ecclesia promissam illam iucundissimam vocem tuam: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, et de montibus pardorum*, cap. 4. 4. Item et illam: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, Matth. 25. 34.

Porro Patres hæc passim referunt ad Christi ascensum in cælum, qui contigit 40. die ab eius resurrectione, quasi Ecclesia, id est, Apostoli et fideles supplicent Christo,
B ut scandat in cælum, sed ita ut inde suos sanctos oculo misericordiæ respiciat, eosque sua gratia et consolatione sæpe visitet: sanctos inquam, qui montes aromatum dici merentur ob contemptum terrenorum, et appetitum cælestium honorum et gaudiorum, ait Beda. Sic et Cassiodor. Philo, Iustus, Aponius, et S. Bernard. serm. 9. in Psal. *Qui habitat*: ubi per montes aromatum accipit omnes angelorum ordines, super quos Christus, quasi homo triumphans in cælum ascendit.

Montes aromatum Christi.

Verum quia de Christi ascensu in cælum iam dudum actum est, cap. 1. in Ecclesiæ adolescentia: hinc melius hic, ubi agitur de Ecclesia iam adulta, imo perfecta, ideoque statim beanda et glorificanda in cælo, fugam hanc sponsi in montes aromatum accipias de secundo Christi adventu, quo scilicet ipse in die iudicii, eo peracto in valle Iosaphat, ex ea cum sanctis gloriose scandet in cælum, eosque secum rapiet, ut ipsos Deo Patri velut fructum crucis suæ offerat. Ita Theodoret. Honorius, Aponius, S.
C Ambros. de Bono mortis c. 5. et S. Bernard. serm. 9. in Psal. *Qui habitat.* Et ex Neotericis Luysius, Nanolus, Osorius, Delrio, Hortolanus, et alii.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS

De Christo et anima sancta.

Et animæ sanctæ.

Primo, S. Gregor. « Christus, inquit, fugiens reprobos, montes aromatum petit, quia perversos dimittens, sanctas animas visitare non desinit, quæ et per contemplationem excelsæ fiunt, et per confectiones virtutum odorifera unguenta secum ferunt; super hos montes dilectus capreæ hinnuloque cervorum assimilatur, quia in cordibus sanctorum virorum manifestat quam pia charitate humanitatem pro nobis assumpsit.

Hinc S. Ambros. l. 3. de Virg. hæc iis adaptans: « Ibi, inquit, filiæ Christum quæramus, ubi quærit Ecclesia, in
D montibus boni odoris, qui excelsorum sublimitate factorum, suavem vitæ odorem pro meritorum verticibus exhalant. Fugit enim plateas, fugit conventus et strepitus fori, iuxta quod scriptum est: Fuge, fraternus meus, et similis esto cervo aut hinnulo cervi in montes aromatum. Serpentinis enim invisus colubris, et effugitans cœnum, atque humi reptantibus infestus serpentibus, nescit habitare nisi in sublimitate virtutum, nescit commorari, nisi in talibus Ecclesiæ filiabus, quæ possunt dicere: Christi bonus odor sumus.

Secundo, aptius ad litteram S. Ambros. libr. de Bono mortis, c. 5. hæc accipit de desiderio animæ evolandi ex hac vita et sæculo in cælum: « Fuge, inquit, frater meus. Hortatur ut fugiat sponsus, quia iam sequi potest etiam ipsa, terrena fugientem. Dicit autem ut similis sit damulæ, quæ evadit de retibus. Vult enim et ipsa fugere et evolare supra mundum. » Et Honorius: « Dilectus, ait, a malis fugit, cum sponsam suam de ærumnis mundi ad gaudia cæli

ducit. Capreæ similis erit, cum electos a reprobis, ut grana a paleis seliget. Hinnulo similis erit cum in sanctis ut hinnulus in umbra requiescet. Tunc vero erit super montes aromatum, quando regnabit super altitudinem angelorum et hominum, in quibus fragrat odor virtutum. Vel ipse caprea cum hinnulo erit super montes aromatum, quando Ecclesia cum populo fidelium possidebit portas inimicorum suorum, scilicet cum hæreditabit loca apostatarum angelorum. Ecce quo illud carmen est deductum, quod humanum genus lapsum deduxit ante Dei conspectum. »

Porro sicut capreæ et hinnuli, qui in montibus aromatum pascuntur, ait Sanchez, odorem habent suavissimum, aut ex ore, quod fragrantes imbuerunt plantæ; aut ex villis, qui assiduo affrictu ad stillantes frutices cum stacta et gutta, quibus delibuti sunt, odorem quoque gratissimum contraxere: sic quoque sponsus in montibus aromatis assiduus, et totus ipse fragrans, purissimos in sponsæ viscera inspirat anhelitus, qui ipsam, quamcumque in partem sese det, spirare faciunt, quam libavit a sponso, suavissimam animam.

Exemplo sit S. Paulus, qui ait: *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus*, Galat. 2. Versabatur enim in cælis assidue cum Christo et Angelis, quare non nisi cælum et cælestia spirabat: *Nostra conversatio in cælis est*, ait ipse Philip. 3. 20. Et: *Iam non estis hospites et advenæ, sed cives sanctorum, et domestici Dei*, Ephes. 2. 19.

Symbolice Rupertus et S. Gregorius censent hic animam piam petere ut Deus se abscondat, ac in suam Deitatis caliginem et incomprehensibilitatem se recipiat, ne plus sita de eo contemplans eum se comprehendisse arbitretur. Audi S. Gregor. 17. Moral. c. 15. *Fuge dilecte mi; fuge, q. d. Tu qui ex carne comprehensibilis es factus, ex divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, et in teipso nobis incomprehensibilis permane.*

Rursum Philo: Cum, inquit, tentaris, o anima dilecta, fuge ad montes aromatum, id est, ad exempla sanctorum, ut iis animata tentationi resistas. Tentaris libidine fuge ad arduum castitatis montem Ioseph Patriarcham, qui in manu heræ se tentantis pallium reliquit, et aufugit. Tentaris ira, fuge ad mitissimum clementiæ collem Davidem, qui Sauli scelus persecutionis ignovit, eumque imitare: *Simus ergo*, ait, *montes aromatum*, id est odoramenta virtutum. Insuper in tentatione, præsertim voluptatis, gulæ et luxuriæ singulare remedium est fuga, ut fugias omnes carnis illecebras, et mulierum species omnesque peccandi occasiones.

Denique S. Ambros. in Psal. 118. serm. 22. v. 8. refert hæc ad fugam in persecutione; fugit enim Christus non in se, sed in nobis, suadetque ut persecutionem fugiendo declinemus: « Propter infirmos, ait S. Ambros. fugit qui tentamenta graviora ferre non possunt, etc. transeat ad montes aromatum qui pro martyrio possint odorem beatæ resurrectionis adferre. Montes aromatum sancti sunt. Ad eos confugit Christus, quia fundamenta eius in montibus sanctis. Ad eos igitur confugit, qui sunt eius stabilia fundamenta. In nobis fugit. In illis fida statione consistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere: Bonus enim odor Christi sumus Deo. Mons aromatum David, cuius orationis odor ascendebat ad Dominum, et ideo dicebat: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. »

Mystici, sive contemplativi, hæc referunt ad mysticos Christi ad animam accessus et recessus; hi enim fugæ assimilantur. Unde noster Alvarez de Paz de Natura contemplat. lib. 3. part. 2 cap. 12. sic explicat, q. d. *Fuge dilecte mi, etc.* quandoquidem, o sponse, fugiturus es, et me tuo amore relicturus, oro ut fugias ad instar capreæ hinnulique cervorum, qui ita insequentes fugiunt, ut frequenter ad eos se convertant, oculisque inspiciant. Vade sed redi, ut sicut discessu tuo humilior, et meam infirmitatem agnosco, ita accessu virtutum augmento exalter, et amoris affectu respirem. Tu te similem fecisti aquilæ.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS

De Christo et B. Virgine.

Et B. Virgine.

Primo, Guillelmus hæc accipit de B. Virgine rogante Christum, ut in cælum ascendat, indeque in se et Apostolos mittat Spiritum sanctum; ascendat inquam, *super montes aromatum*, id est super omnem excellentiam Angelorum, qui facti sunt montes aromatum, cum in amore Dei solidati beari meruerunt: *Propter ineffabiles*, inquit, *quibus perpetuo fruentur, delicias internæ suavitatis, ex contemplatione summæ Trinitatis.*

Secundo, Rupert. docet in quavis necessitate fideli confugiendum esse ad montes aromatum, id est invocandos esse sanctos quoslibet, sed præsertim B. Virginem quæ est Virgo virginum mons montium et Sancta sanctorum: « Levavi, ait, oculos, meos in montes, unde veniet auxilium mihi: sed ad te præcipue convertimur, ad te præsertim oculos nostros levamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum uteri tui sacramentum, et illum qui animam tuam pertransivit, gladium, obtine ut videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum, et ex dilecto dilectum, et simul dilectionem amborum, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Deum unum, vivum et verum, cuius regnum et imperium permanet in sæculum sæculorum. Amen.

Quia symbolica Canticorum obscuritas, et continuum quasi ænigma prolixiorem me esse compulit, ut valde occupatis hæc omnia legere non liceat, aliis etiam non libeat, subiicio breve dictorum summarium, quod totius Cantici harmoniam quasi in ictu oculi menti repræsentet.

COMPENDIUM

SIVE SYNOPSIS SENSUS LITTERALIS

ET GENUINI CANTICORUM

Sensus litteralis et adæquatus Canticorum est, describere coniugium Christi et Ecclesiæ per humanitatem ab eo assumptam: partialis, Christi et animæ sanctæ, non cuiuslibet, sed perfectæ: principalis, Christi et B. Virginis. Primo ergo describit Ecclesiæ et animæ sanctæ infantiam a c. 1. usque ad c. 2. v. 8. Secundo, eius adolescentiam, a c. 2. v. 8. usque ad c. 3. v. 6. Tertio, eius virilem ætatem, a c. 3. v. 6. usque ad c. 5. v. 2. Quarto, eius senectam a c. 5. v. 2. usque ad c. 6. v. 3. Quinto, eius renovationem et glorificationem, vel potius aspirationem ad gloriam a c. 6. v. 3. usque ad finem libri.

PRIMA PARS CANTICI,

QUA DESCRIBITUR ECCLESIÆ ORTUS ET INFANTIA USQUE AD CAP. 2. V. 8.

Hæc infantia fuit a Christi ortu et prædicatione usque ad missionem Spiritus sancti in Pentecoste.

CAPUT PRIMUM.

Vers. 1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI.) Petit Synagoga osculum incarnationis Verbi, quo scilicet Verbum osculetur humanam naturam eam assumendo, ut in ea patiendo, illam Deo Patri ob peccatum exosam reconciliet. Petit anima sancta osculum perfectionis, charitatis et unionis cum Deo. Petit B. Virgo osculum Spiritus sancti, ut fiat mater Christi.

QUIA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO.) Ubera vocat papillas; nec enim viri habent mammas, ut fœminæ; ex papillis autem virorum subinde lac exprimi docent Galenus et Aristot. lib. 1. Histor. animal. cap. 12. et lib. 3. cap. 20. Ubera significant dulcissimam lactandi facultatem et vim; Christus enim sua doctrina et gratia quasi duobus uberibus lactat fideles. Nota τo *quia*; hæc enim vox dat causam cur sponsa ambiat osculum sponsi, q. d. Quia dulcedinem tuorum uberum, id est, tuæ doctrinæ, gratiæ et consolationis gustavi, hinc aspiro ad tuum osculum, ut ex eius halitu spiritum et animam, a quo omnis dulcedo promanat, in ipso fonte hauriam. Hæc ubera meliora sunt vino voluptatum sæculi, æque ac vino, id est, austeritate legis Mosaicæ.

Vers. 2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS.) Puta charismatibus Spiritus sancti præstantissimis. Externa Christi ubera sunt Apostoli et Evangelistæ.

OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM.) Oleum hic ponitur pro unguento et quovis liquore odorato, qualis est balsami, q. d. Nomen IESU, id est, Salvatoris, tibi, o Christe, proprium, effusum in incarnatione, circumcisione, et cruce fragrat instar balsami. Nomen sumitur pro re nominata, q. d. Tu, o IESU, effundens tuum sanguinem et vitam pro nobis ex mero amore redoles suavissime. Ita Origen. Theodor. sanctus Gregor. Haymo et alii.

IDEO ADOLESCENTULÆ (hoc odore tui amoris attractæ) DILEXERUNT TE.) Adolescentulas vocat Ecclesias et animas in fide et virtute Christiana novellas, uti sunt recenter baptizatæ.

Vers. 3. TRAHE ME, POST TE CURREMUS IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM.) Ecce quod v. 2. vocavit *oleum*, hic vocat *unguenta*, q. d. Oro ut tua gratia, Christe, me prævenias et efficaciter trahas ad te, ut sic post te cum meis adolescentulis curram, et sanctissimos ac suavissimos tuos mores imiter.

INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA.) Id est, in intima penetralia domus suæ (hæc enim Hebræi vocant חדר *cheder*) q. d. Christus patefecit mihi arcana sua, et præsertim mysteria, in Prophetis et figuris veteris Testamenti abscondita; item S. Sacramenta, præsertim Eucharistiæ.

EXULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM.) Vatabl. *Prædicabimus amores tuos vino præstantiores;* q. d. Ego sponsa cum meis adolescentulis ebria vino tuæ consolationis, quod bibimus in cellariis tuis, ac lacte dulcedinis tuæ, quod suximus ex uberibus charitatis tuæ: *Exultabimus et lætabimur in te.*

RECTI DILIGUNT TE.) q. d. Tu, o Christe, rectissimus, iustissimus et sanctissimus es; quare qui recti sunt, iusti et sancti, diligunt te; tu enim eorum amorem rectificas et castificas, ut nil carnale ament; sed tantum id quod spirituale est et divinum, quale est omne id quod in te cernunt et admirantur, ut post te currere gestiant.

Vers. 4. NIGRA SUM, SED FORMOSA, FILIÆ IERUSALEM, SICUT TABERNACULA CEDAR, SICUT PELLES SALOMONIS.) Hæc ita combina, q. d. Ego Ecclesia Christi sponsa *nigra sum, sicut tabernacula Cedarenorum*, et Agarenorum, quæ sole torrentur, nigricantia; *sed formosa*, pariter sum *sicut pelles Salomonis*, quia persecutionum et ærumnarum caligo et nigredo me magis illustravit, et formosiorem effecit ob splendorem patientiæ, fortitudinis, charitatis et zeli, cæterarumque virtutum, quas in adversitatibus ostendi et adauxi.

Vers. 5. NOLITE ME CONSIDERARE, QUOD FUSCA SIM, QUIA DECOLORAVIT ME SOL.) q. d. Nolite mirari, quod per tribulationes fuscata sim, quia hisce me decoloravit sol, id est, æstus persecutionis: sed idem mihi patientiam et constantiam afflavit, quæ longe magis me illustrat. Ita Cassiod. Beda et alii.

FILII MATRIS MEÆ PUGNAVERUNT CONTRA ME, POSUERUNT ME CUSTODEM IN VINEIS, VINEAM MEAM NON CUSTODIVI.) q. d. Iudæi, qui sunt fratres mei, utpote ex eadem matre qua ego, puta ex Synagoga geniti, Iudæi, inquam, pugnantes pro suo Mose et Iudaismo, me Ecclesiam Christi, id est, Apostolos et primos Christianos acerrime oppugnarunt, ideoque coegerunt illos Iudæam deserere ac fugere ad Gentes, ibique erigere et custodire vineas, id est, Ecclesias cæteras Gentium; quo factum est ut vineam meam, id est, Ecclesiam in Iudæa sitam, quæ mihi nativa

et propria erat se unice a Christo commendata custodire non potuerim: quare ab ea expulsa oberrare coacta sum per vineas Gentium, ubi varios solis, id est, persecutionis æstus perpessa, ærumnis decolorata, afflicta et offuscata sum.

Vers. 6. INDICA MIHI (tu, o sponse, qui es is) QUEM DILIGIT ANIMA MEA, UBI PASCAS (gregem tuum fidelium) UBI CUBES IN MERIDIE, NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM.) Ecclesia æstu persecutionis Iudæorum et Gentium afflicta et decolorata, petit a Christo sponso suo locum, in quo fideles suos pascat, et cum iis refrigerium cubando captet in meridie, id est, in ardore tribulationis, ut ibidem a sponso pascatur, animetur, corroboretur, ne alioqui incidat in sponsi sodales, id est, æmulos hæreticos, vel homines impios, a quibus pabulis hæresum, errorum et vitiorum pascatur.

Vers. 7. SI IGNORAS TE, O PULCHERRIMA INTER MULIERES, EGREDERE ET ABI POST VESTIGIA (Hebr. *post calcaneos*) GREGUM TUORUM, ET PASCE HÆDOS TUOS IUXTA TABERNACULA PASTORUM.) Pronomen *te* per pleonasmum hebraicum redundat, q. d. Si ignoras, o Ecclesia, ubi ego Christus gregem pascam, egredere et abi post vestigia gregum, id est, fidelium tuorum; tui enim greges mei quoque sunt; atque ubi greges mei sunt, ibi sum quoque ego eorum fidus et individuus pastor: *Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, puta Apostolorum et Doctorum; illos enim tibi præsides præfeci et magistros constitui, atque ego in medio ipsorum versor et dego, uti dum viverem in medio ipsorum a parentibus meis inventus sum in templo, Lucæ 2. 46. iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matt. 28. 20. quare per hosce pastores ego te vera doctrina pascam, et in omni solis, id est, persecutionis ardore solabor et protegam. Hos si sequaris, non incipies vagari, nec incides in meos sodales, id est, æmulos et rivales hæreticos, cæterorumque errorum magistros. Ita S. Athanas. in Synopsi et Iustus Orgel.

Vers. 8. EQUITATUI MEO (Septuag. *equæ meæ*) IN CURRIBUS PHARAONIS ASSIMILAVI TE, AMICA MEA.) q. d. Ad bellum te voco, o Ecclesia, ut totum mihi tibique subigas; quare a me assimilaberis equitatui meo angelico, quem opposui equitatui et curribus Pharaonis, cum pro Mose et Hebræis pugnans eos profligavi, et in mare Rubrum demersi. Simili enim modo per te omnes tuos hostes infideles profligabo, sed ita ut ex infidelibus faciam fideles, ex hostibus amicos, ex rebellibus subditos, ex feris homines, ex mortuis vivos, ex dæmonibus Angelos.

Vers. 9. PULCHRÆ SUNT GENÆ TUÆ SICUT TURTURIS.) Hisce genis significatur Ecclesiæ et fidelium, præsertim virginum verecundia et castitas; turtures enim castæ sunt.

COLLUM TUUM SICUT MONILIA.) Proprie collo, quod oneri et iugo æque ac capiti subiicitur, significatur subiectio et obedientia Ecclesiæ, quæ Christo sponso suo Deique legibus per omnia obedit. Hæc enim eam non tam gravat, quam ornat uti monile.

Vers. 10. MURENULAS AUREAS FACIEMUS TIBI, VERMICULATAS ARGENTO.) q. d. Aureis obedientiæ legibus et regulis, argento obedientiæ dispunctis, quasi murenulis, id est, torquibus aureis argento variegatis, decorabimus te, o Ecclesia, o anima sancta et religiosa.

VOX SPONSÆ.

Vers. 11. DUM ESSET REX IN ACCUBITU SUO, NARDUS MEA DEDIT ODOREM SUUM. q. d. Dum sponsus meus, qui est Rex Christus, esset in mensa sua nuptiali, puta in incarnatione, passione et cruce, ego sponsa Ecclesia, et anima sancta ad illum ingressa, unguento nardino humilitatis, pœnitentiæ, orationis cæterarumque virtutum eumdem perunxi, cuius odore ille mirifice recreatus est. Hoc fit, dum Christi incarnationem et passionem devote recolimus, audimus, legimus et meditamur.

FASCICULUS MYRRHÆ DILECTUS MEUS MIHI, INTER UBERA MEA COMMORABITUR.) q. d. Ego Ecclesia, et anima devota memor incarnationis, passionis et crucis, myrrhæ, id est, amoris sponsi mei, quo tam amara pro me ultro subiit, semper recordabor, illi grata ero, illum amabo, pro illo vicissim amara quælibet subire non detrectabo, sed optabo et ambiam amara et ardua eius iussa, quin et obiurgationes ac mordacia verba, imo flagella et verbera ultro suscipiam et capessam. Vers. 12.

BOTRUS CYPRI DILECTUS MEUS MIHI IN VINEIS ENGADDI.) *Cyprus est arbor zizyphi foliis, semine coriandri, flore candido et odorato*, ait Plinius; præstans erat in vineis Engaddi, ex vicinia balsami in eis germinantis. Notat ergo lætam et gloriosam Christi resurrectionem. Christus igitur fuit fasciculus myrrhæ in passione, sed botrus cypri in resurrectione, q. d. Iugiter recordabor resurrectionis æque ac passionis Christi, ac per consortium passionis tendam ad consortium resurrectionis eiusdem; ipse enim sua resurrectione viam mihi ad eamdem prævivit et aperuit. Vers. 13.

VOX SPONSI.

ECCE TU PULCHRA ES, AMICA MEA: ECCE TU PULCHRA ES.) Sponsus a sponsa laudatus, laudem suam in eamdem reflectit, q. d. A me pulchro tu pariter, o sponsa, pulchra es, quia ego meam pulchritudinem tibi impertivi et afflavi; quare bis pulchra es: primo, in dilectione Dei; secundo, in dilectione proximi. Rursum primo, in actione; secundo, in contemplatione. Ad hæc: primo, in humilitate; secundo, in charitate. Vers. 14.

OCULI TUI COLUMBARUM.) Amicus in oculis elucet. Sensus est, q. d. Oculos (et consequenter mentem et intentionem in eis pellucentem) habes columbinos, id est, simplices, ingenuos, pudicos, amabiles.

VOX SPONSÆ.

ECCE TU PULCHER ES, DILECTE MI, ET DECORUS.) Sponsa amore et honore certat cum sponso, laudesque suas in eum retorquet, q. d. Fateor, o sponse, me esse pulchram, sed hæc pulchritudo non tam mea est, quam tua; quia a te mihi aspirata. Nam tu pulcherrimus es formaliter et causaliter; tu enim es fons et causa omnis gratiæ, decoris et pulchritudinis, quæ in iustis et sanctis reperitur. Vers. 15.

LECTULUS NOSTER FLORIDUS: TIGNA DOMORUM NOSTRARUM CEDRINA, LAQUEARIA NOSTRA CYPRESSINA.) Pulchrum sponsum et sponsam pulchrum decet cubile et pulchra domus, puta contignata ex cedris et laqueata cypressis. Utrumque hic assignat. Sponsa in vineis decolorata, inde sponsum invitat in domum ut in ea quieta et læta mutuo fruantur consortio et colloquio. Lectulus, in quo Christus et Ecclesia, æque ac anima iusta conquiescunt, est pura sanctaque conscientia florens virtutibus, item oratio et vita contemplativa. Domus Christi et Ecclesiæ ad litteram sunt templa et oratoria fabricata ex cedris et cypressis, uti fuit templum Salomonis, ad quod hic alludit. Symbolice tigna, quæ domum continent et sustentant notant bonos Prælatos, qui sunt cedrini, id est, integræ excelsæque vitæ: laquearia, quæ tignis affiguntur ex iisque pendent, notant fideles et sanctos Prælatis suis coniunctos et subditos; hi sunt cypressini, id est, rectis et incorruptis moribus ac frondibus bonorum operum instar cypressi decorentur et coronantur. Vers. 16.

CAPUT SECUNDUM.

VOX SPONSI.

Vers. 1. EGO FLOS CAMPI ET LILIUM CONVALLIUM.) Christus fuit *flos campi*, quia sicut flos in campo sponte provenit sine semine, sine creatione: sic et Christus ex Virgine natus est sine opera viri. Sicut ergo flos non alium habet patrem quam solem in cœlo, nec aliam matrem quam plantam ex qua nascitur in terra; sic Christus in cœlo solum patrem habet Deum, qui est sol increatus, et in terra solam matrem Virginem. Christus quoque fuit *lilium convallium*; *lilium*, per candorem et splendorem vitæ; *convallium*, per humilitatem; tum quia ipse in se fuit humillimus, tum quia humilium et castarum animarum, quas inhabitat, idem ipse est decus et ornamentum.

Vers. 2. SICUT LILIUM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS.) q. d. Sicut lilium enascitur, vigetque inter spinas: sic Ecclesia inter hæreticos, persecutores et impios, qui illam quasi spinæ pungunt, magis crescit, ac maiori sanctitatis fulgore, et odore bonæ famæ coruscat.

VOX SPONSÆ.

Vers. 3. SICUT MALUS INTER LIGNA SYLVARUM, SIC DILECTUS MEUS INTER FILIOS.) q. d. Sicut arbor pomifera, v. g. malogranatorum, excellit arbores sylvæ infrugiferas et colore, et odore, et sapore; sic Christus sapientia, gratia et virtutibus excellit omnes Adæ filios.

SUB UMBRA ILLIUS, QUEM DESIDERAVERAM, SEDI, ET FRUCTUS EIUS DULCIS GUTTURI MEO.) q. d. Christus mihi est quasi malus et pomus sua umbra, id est, sua cura et providentia me ab æstu tentationum protegens, et simul suis dulcibus fructibus me pascens et oblectans. Fructus Christi sunt septem dona Spiritus sancti, ac sancta Sacramenta, præsertim Eucharistiæ.

Vers. 4. INTRODUXIT ME REX IN CELLAM VINARIAM, ORDINAVIT (Hebr. *vexillum erexit*) IN ME CHARITATEM.) Cella vinaria, in quam Christus introduxit Ecclesiam, id est Apostolos et fideles, est altare, in quo celebramus sacrificium Eucharistiæ, ac haurimus calicem Domini, qui mentem cœlesti suavitate inebriat. Ita Nyssenus. Item cella

A hæc est plenitudo Spiritus sancti, data Apostolis in Pentecoste; unde videbantur ipsi esse pleni musto, non vini, sed zeli, ac tum vexillum charitatis palam in Iudæa, et deinde in toto orbe erexerunt. Vide S. Augustinum 22. Civit. 22.

FULCITE ME FLORIBUS, STIPATE ME MALIS, QUIA AMORE LANGUEO.) Apostoli et fideles recepto Spiritu sancto, ac frequentantes Eucharistiam amore Dei ita accendebantur, ut amore languerent, et quasi in deliquium animi inciderent; unde ambiebant flagella, cruces et martyria. Optabant ergo fulciri floribus, id est, suavissimis exemplis Christi et sanctorum Prophetarum, ac stipari, id est, vallari et roborari pomis, id est, precibus eorumdem. Vers. 5

LÆVA EIUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA EIUS AMPLEXABITUR ME.) q. d. Christus sponsus me sponsam amore eius languentem, ac deficientem sustentet; quare læva eius sit sub capite meo, et dextera illius amplexetur me, id est, reliquum meum corpus: læva Christi est humanitas, dextera est deitas. Rursum læva est gratia et Vers. 6

B consolationes præsentis vitæ, dextera est gloria et felicitas futuræ.

VOX SPONSI.

ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM QUOADUSQUE IPSA VELIT.) Est iuramentum venatorium. Sponsus enim hic inducitur ut pastor, et venator insequens cervos et capreas, q. d. Adiuro vos, o Iudæi, per sanctos Angelos, qui celerrimi et oculatissimi sunt, ut cervi et capreæ; Angelos, inquam, custodes Iudææ, æque ac Ecclesiæ meæ in Iudæa nascentis, ne eius amore mei ferventis et languentis fidem, pacem et profectum vestro tumultu, schismate, persecutione interturbetis. Rursum ne illam ab otio sancto, oratione et contemplatione avocetis ad negotia vitæ activæ: sicut Christus Martham conquerentem de Magdalena repressit, dicens: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Luc. 11. Vers. 7.

SECUNDA PARS CANTICI,

QUA DESCRIBITUR ADOLESCENTIA, ET INCREMENTA ECCLESIÆ USQUE AD CAP. 3. VERS. 6. SICUT INFANTIAM ECCLESIÆ DESCRIPSIT A CAP. 1. HUCUSQUE.

Hæc adolescentia Ecclesiæ fuit post Pentecosten, cum Apostoli, recepto Spiritu sancto, profecti ad Gentes, ibi Ecclesias fundarunt.

VOX SPONSÆ.

Vers. 8 VOX DILECTI MEI: ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBUS, TRANSILIENS COLLES.

Vers. 9. SIMILIS EST DILECTUS MEUS CAPREÆ HINNULOQUE CERVORUM.) Inducitur hic sponsa amore languens, quasi incidens in somnium et deliquium, ideoque ab adolescentulis delata ad lectulum, ut patet cap. 3. v. 1. In lectulo ergo somnians videtur sibi audire vocem sponsi salientis per montes et colles instar capreæ hinnulique cervorum. Significatur Christus per Apostolos e Iudæa proficiscens, et discurrens per totum orbem, omnibusque gentibus prædicans Evangelium, ac omnes montium itinerumque anfractus, omniaque Evangelii impedimenta generose superans et transiliens instar capreæ et hinnuli.

EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRUM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.) Christus

C in Pentecoste seipsum exhibuit Apostolis per Spiritum sanctum a se missum, puta per linguas igneas Apostolorum capitibus insidentes: quasi per cancellos, per quos ipse Apostolos clare intuebatur, Apostoli vero ipsum obscure, uti fit in cancellis; tumque Apostoli et fideles frequentare cœperunt Eucharistiam in qua Christus latens sub speciebus panis et vini, per eas quasi per cancellos et per parietem intermedium nos intuetur.

EN DILECTUS MEUS LOQUITUR MIHI: SURGE, PROPERA, AMICA MEA, COLUMBA MEA, FORMOSA MEA, ET VENI.) Christus evocat sponsam Ecclesiam, id est, Apostolos foras, ut scilicet e Iudæa vadant, per universum orbem ad prædicandum Evangelium. *Veni* ergo, id est, vade et lucrare animas, easque ad me adduc. Causam subdit. Vers. 10

IAM HIEMS TRANSIIT, IMBER ABIIT ET RECESSIT. Vers 11

FLORES APPARUERUNT IN TERRA NOSTRA, TEMPUS PUTATIONIS ADVENIT: VOX TURTURIS AUDITA EST IN TER- Vers 12.

EA NOSTRA) q. d. Iam ver est Evangelii; in vere autem omnia prolificant: prolificate ergo et vos, o Apostoli; quia iam hiems, et imber, frigusque infidelitatis et peccatorum, atque ac legis Mosaicæ transiit: sol vernus, id est, Spiritus sancti gratia iam illuxit, omnes gentes præparans, calefaciens, et desiderare faciens suam salutem, Deique amicitiam: quare flores sanctorum desideriorum iam ubique apparent: *Tempus putationis advenit*, quo scilicet vineæ, id est, animæ a Deo electæ amputatis vitiis aptentur ad proferendum uvas virtutum: *Vox turturis*, id est, gemitus gentium pœnitentium, cupientium Deo reconciliari ubique auditur.

Vers. 13. FICUS PROTULIT GROSSOS SUOS: VINEÆ FLORENTES DEDERUNT ODOREM SUUM.) q. d. Apostolis in vere puta Pentecostis, et deinde prædicantibus: *Ficus protulit grossos*, id est, multi Iudæi ad Christum conversi sunt; et *vineæ florentes*, id est, gentes credere incipientes *dederunt odorem* sanctæ vitæ, famæ et exempli, indeque spem magnæ fertilitatis, puta conversionis omnium omnino gentium. Porro sicut grossi nonnulli maturescunt, sed perplures immaturi decidunt, sic pauci ex Iudæis in fide fuere constantes; perplures enim ex eis a fide defecerunt, et in Iudaismum relapsi sunt.

SURGE, PROPERA, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.) Hac iteratione, ait Nyssenus, suscitatur Ecclesia et anima ad progrediendum semper in virtute, præsertim in zelo animarum et propagatione Evangelii. Proprie enim hic agitur de Ecclesiæ profectu.

Vers. 14. COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ: OSTENDE MIHI FACIEM TUAM, SONET VOX TUA IN AURIBUS MEIS: VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA.) Apostoli ante adventum Spiritus sancti, metuentes Iudæos latebant in cœnaculo, sicut columbæ latent in foraminibus et cavernis: inde Christus misso iam Spiritu sancto qui eos animosos reddidit, ipsos evocat, ut in publicum prodeant ibique populis faciem suam ostendant, et vocem prædicationis exhibeant, utpote sibi suavem et auditoribus salutarem.

CAPITE NOBIS VULPES PARVULAS, QUÆ DEMOLIUNTUR VINEAS: NAM VINEA NOSTRA FLORUIT.) Vulpes sunt hæretici, initio Ecclesiæ subnascentes, uti Simon Magus, Menander, Basilides, Carpocras, Gnostici; hi subdole quasi vulpes vineam, id est Ecclesiam et fidem, subvertebant. Iubet eas capi, dum parvulæ sunt, ne adultæ et generando multiplicatæ capi et exstirpari nequeant. Vers. 15.

DILECTUS MEUS MIHI ET EGO ILLI, QUI PASCITUR INTER LILIA. Vers. 16

DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ.) q. d. Vers. 17.
Quia Christus me Ecclesiam et animam fidelem prior dilexit ut sponsam, hinc ego eum vicissim diligo ut sponsum, totaque illi intendo, sicut ille intendit mihi. Abite ergo, malæ vulpes, quæ me a sponso Christi divellere conamini. Christus quasi apis pura *pascitur inter lilia*, id est oblectatur animabus candidis et puris, *donec aspiret dies* claræ et beatæ æternitatis, *et inclinentur umbræ* obscuræ et miseræ mortalitatis, quando eas in æternam suam lucem et gloriam cœlestem transferet.

REVERTERE, SIMILIS ESTO, DILECTE MI, CAPREÆ HINNULOQUE CERVORUM SUPER MONTES BETHER.) Montes Bether, vel Bethel, sunt illi in quibus Iacob vidit scalam a terra in cœlum porrectam, Deumque scalæ innixum, indeque locum vocavit *Bethel*, id est Domus Dei, Genes. 28. 12. Iidem vocantur *montes Bether*, id est divisionis, quia divisi sunt et diffusi in varios colles, per interiacentes valles. Montes ergo Bether sunt Ecclesiæ particulares per totum orbem diffusæ, et a se invicem divisæ; has ut sua gratia visitet Christus, orat hic Ecclesia universalis. Capreæ, hinnuli et cervi amant montes, ac veloces sunt et acuti visus; notant ergo Christi velocitatem et vigilem providentiam, qua Ecclesiis singulis acriter intendit et succurrit.

CAPUT TERTIUM.

Vers. 1. IN LECTULO MEO PER NOCTES QUÆSIVI QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Vers. 2. SURGAM, ET CIRCUIBO CIVITATEM, PER VICOS ET PLATEAS QUÆRAM QUEM DILIGIT ANIMA MEA: QUÆSIVI ILLUM, ET NON INVENI.

Vers. 3 INVENERUNT ME VIGILES QUI CUSTODIUNT CIVITATEM: NUM QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS?

Vers. 4 PAULULUM CUM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QUEM DILIGIT ANIMA MEA: TENUI EUM, NEC DIMITTAM EUM, DONEC INTRODUCAM EUM IN DOMUM MATRIS MEÆ, ET IN CUBICULUM GENITRICIS MEÆ.) Sensus est, q. d. Ego Ecclesia suaviter quiescens in Sion et Iudæa, ibique vacans orationi, Verbo Dei, frequenti communioni, sanctitati, omnique virtuti et perfectioni Christianæ, ut patet Actor. 2. et seq. ibi quæsivi Christum, sed non inveni; quia plerique Iudæorum inhærentes legi Mosaicæ Christi fidem respuerunt. Christus autem residet et invenitur in Ecclesia, id est in multitudine et universitate credentium totius mundi.

Notat enim sponsa Christum per fidem habitare in cordibus fidelium, ut advertit S. Bernardus: *Dixi: Surgam et circuibo civitatem*, Ierusalem reliquamque Iudæam illi subiectam, *per vicos et plateas* evangelizando, *quæram quem diligit anima mea*, Christum scilicet Christique fidem et cultum: *Quæsivi illum, et non inveni:* quia Iudæi Christo in Evangelio restiterunt: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem*, scilicet Pontifices, Principes sacerdotum, Scribæ, Herodes Agrippa et cæteri Iudææ præsides. Interrogavi illos: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Agnoscitisne Messiam patribus vestris promissum? creditisne in Iesum Christum crucifixum? at illi obtinuerunt, ac suo silentio se nescire Christum testati sunt. Quocirca: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea:* eum scilicet paulo post persecutionem Pontificum ac necem S. Stephani, scilicet anno secundo a passione Christi, Christus S. Paulum convertit, ac doctorem gentium auctoravit dicens: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus*, Actor. 9. ac mox S. Petrum ad Cornelium, cæterosque Apostolos ad diversas gentes toto orbe convertendas destinavit. Ibi ergo in fide gentium Apostoli invenerunt Christum, quasi in Ecclesia universali residentem et dominantem. Tunc ergo dixit Ecclesia: *Tenui eum nec dimittam;* quia fundabo ubique gentium Ecclesias, itaque sacerdotibus, Episcopis, Sacramentis, doctoribus, prædicatoribus, miraculis, etc. eas in fide Christi stabiliam, ut illæ numquam illam abiiciant, sed vel simul, vel alternatim et successive arcte eam retineant, ita ut semper magna pars orbis Christum colat et adoret: *Donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*, id est Synagogæ. Synagoga enim vetus Iudæorum fuit matrix et genitrix Ecclesiæ Christianorum. Primi enim Christiani, puta Apostoli, fuere oriundi e Iudæis. Sensus ergo est, q. d. Transferam Christum, Christique fidem et cultum a Iudæis ad Gentes, ibique illum firmabo et stabiliam, donec in fine mundi per Eliam et Enoch convertam Iudæos. Sic enim Christum Christique fidem *introducam in domum matris meæ*, id est in Synagogam Iudæorum, ut omnis Israel salvus fiat, atque ex Iudæis et Gentibus fiat unum ovile et unus pastor.

VOX SPONSI.

ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE Vers. 5

FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELIT.) Hæc verba hic iterantur: ista enim audivimus ex c. 1. v. 7. quare videtur sponsa iterato hic in somnum et extasin incidisse. Primo enim in eam incidit c. 2. v. 5. dicens: *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.*

Parabolice somnus hic significat Ecclesiam primitivam id est Apostolos post laborem et distractionem aliquot annorum, quos convertendæ Iudææ impenderunt, recepisse se per aliquod tempus ad quietem orationis, et otium contemplationis, ut vires mentis restaurarent, ac se ardentius ad novos maioresque labores, puta ad conversionem omnium gentium compararent. Ad hoc enim opus erat ingenti spiritu, quem orando excitare, et a Deo postulare par erat. Unde Christus vetat eos ab hoc somno et quiete tam pia excitari.

TERTIA PARS CANTICI,

QUA DESCRIBITUR ECCLESIÆ ÆTAS VIRILIS, ET PERFECTIO USQUE AD CAP. 5. VERS. 2.

Hæc virilis ætas Ecclesiæ perfecta fuit tempore Constantini Magni.

VOX SYNAGOGÆ

PRIMITUS CONVERSÆ DE ECCLESIA GENTIUM.

Vers. 6. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT PER DESERTUM, SICUT VIRGULA FUMI EX AROMATIBUS MYRRHÆ, ET THURIS, ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII) Id est apothecarii? Primitiva Ecclesia ex Iudæis in Sion et Ierusalem collecta, audita S. Cornelii per S. Petrum, ac Gentium per S. Paulum et Barnabam conversione, admirans exclamat: Quæ est ista nova et bella Ecclesia ex deserto Gentilismi tenuiter et graciliter ascendens, sicut virgula fumi; sed ex continua fumi ascensione sursum agglomerans sese, in magnam crescit amplitudinem, atque suavissimum virtutum exspirat odorem; spirat enim thura, id est Christi Deitatem; credit enim Christum esse Deum, illique thura id est sacrificia et divinos offert honores; ac myrrham humanitatis et passionis Christi: credit enim Christum Deum pro nobis assumpsisse humanam naturam, in eaque passum, crucifixum, mortuum et sepultum, ac universum pulverem pigmentarium, id est reliquam doctrinam Evangelicæ prædicationis exhalat, et quaquaversum diffundit.

Vers. 7. EN LECTULUM SALOMONIS SEXAGINTA FORTES AMBIUNT EX FORTISSIMIS ISRAEL.

Vers. 8. OMNES TENENTES GLADIOS ET AD BELLA DOCTISSIMI: UNIUSCUIUSQUE ENSIS SUPER FEMUR SUUM PROPTER TIMORES NOCTURNOS.) *Lectulus*, in quo requiescit Christus, est cathedra sancti Petri, puta Ecclesia Antiochena, deinde Romana; hanc ambiunt sexaginta id est plurimi fortissimi Pontifices, Cardinales, sacerdotes et fideles qui pro fide Christi fortissime contra Neronem cæterosque tyrannos per 300. annos decertarunt, eiusque veritatem sanguine suo obsignarunt. Gladius eorum fuit verbum Dei, Ephes. 6. 13. quo accincti depulerunt timores nocturnos, quos in nocte id est in tenebris infidelitatis, ignorantiæ et impietatis excitarunt hæretici pravique Christiani.

Vers. 9. FERCULUM FECIT SIBI REX SALOMON DE LIGNIS LIBANI.

Vers. 10 COLUMNAS EIUS FECIT ARGENTEAS, RECLINATORIUM EIUS AUREUM, ASCENSUM PURPUREUM; MEDIA CHARITATE CONSTRAVIT.) *Ferculum* sive gestamen est sella regia, qua quasi in curru regio et triumphali ad pompam gestabatur Salomon. *Ferculum* hoc designat magnificentiam Ecclesiæ Romanæ quæ post persecutiones per Constantinum iam magnifice toto orbe resplendet, in qua summus Pontifex præsidet, et instar Salomonis toti orbi Christiano imperat. In eadem sunt magnificæ basilicæ plurimæ, quasi regia Christi et SS. Martyrum fercula ex lignis præstantissimis, lignis Libani simillimis exædificata. *Columnæ* eius sunt Cardinales et Prælati, qui eam quasi Cardines suffulciunt et ornant. *Reclinatorium* scilicet dorsi et cubitorum, *aureum* est fidelis piusque Romanorum populus aurea pietate et religione conspicuus, in qua suaviter quiescit, et quasi reclinat se Christus. *Ascensus* id est sella purpurea est innumera multitudo martyrum, qui Romæ per 300. annos fortissime pro fide certarunt usque ad mortem, in quibus consedit Christus; *media*, Septuaginta, *medium charitate*, id est pyropis, flammis, similive charitatis hieroglyphico *constravit*, opere quasi tessellato.

PROPTER FILIAS IERUSALEM.) Ut iis se spectandum offerret, easque ad sui venerationem alliceret. Sensus est, q. d. Christus Ecclesiam Romanam tot gratiis et beneficiis dotavit, atque eius fideles tanta charitate, et operibus misericordiæ spiritualis, æque ac corporalis insignivit, ut media et intima eius charitate constravisse videatur, idque hoc fine, ut filias Ierusalem, id est fideles quosque toto orbe sparsos ad eius amorem, honorem et cultum attraheret.

EGREDIMINI ET VIDETE, FILIÆ SION, REGEM SALO- Vers. 11
MONEM IN DIADEMATE, QUO CORONAVIT ILLUM MATER SUA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIUS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIUS.) Ecclesia Romana præ cæteris celebrat, ostentat et prædicat fidelibus omnibus quintuplex Christi diadema. Primum est stola humanitatis, qua Deitas eius vestita et coronata est in incarnatione per Deiparam, quando nostram carnem et Ecclesiam sibi cum summo gaudio despondit et copulavit. Secundum fuit corona spinea, qua coronatus est in passione et cruce. Tertium fuit corona gloriæ, qua amictus fuit in resurrectione. Quartum fuit dominii et regni, quo coronatus est in Pentecoste, quando misso in Apostolos Spiritu sancto, per eos multa millia primo Iudæorum, deinde Gentium convertit, sibique subiecit. De hac maxime hic agitur; describitur enim hic virilis ætas Ecclesiæ. Quintum diadema nuptiale æque ac triumphale Christo accedet in die iudicii, quando Ecclesiam electorum secum triumphans ducet in cœlum, et illi copulabitur in æternum, illaque quasi corona gloriæ coronabitur.

CAPUT QUARTUM.

VOX SPONSI.

Vers. 1. QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA, QUAM PULCHRA ES! OCULI TUI COLUMBARUM, ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET.) Pulchritudinem sponsæ Ecclesiæ admirans sponsus Christus, eam per partes describit, ac incipit ab oculis, quos quasi columbinos, id est limpidos, innocentes, sinceros, placidos, amabiles dilaudat, ita tamen ut interius latens animi pulchritudo, quæ per oculos pellucet, longe magis ab eo laudetur. Oculi notant Episcopos et Prælatos Ecclesiæ, eorumque vigilantiam et sollicitudinem.

CAPILLI TUI SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE MONTE GALAAD.) Capilli Ecclesiæ sunt fideles plebei; hi enim ornant teguntque Ecclesiam, sicut capilli caput, et sicut greges caprarum montem Galaad, idque primo sua multitudine et densitate; secundo, suo situ, æqualitate, connexione et ordine; tertio, suo colore, quia per fidem, spem, charitatem flavi sunt et fulvi, id est, ignei aureique quasi coloris et decoris. Rursum capilli notant religiosos. Olim enim Nazaræi, qui erant legis veteris religiosi, alebant capillos. Num. 6.

Vers. 2. DENTES TUI SICUT GREGES TONSARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE LAVACRO, OMNES GEMELLIS FOETIBUS, ET STERILIS NON EST IN EIS.) Dentes sunt Doctores Ecclesiæ, qui quasi dentes frangunt et præmandunt panem, id est doctrinam fidei et S. Scripturam parvulis: hi ob unionem inter se sunt quasi *greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* Baptismi et crebræ pœnitentiæ, a peccatorum maculis loti et nitidi: *Gemellis* sunt *fœtibus*, qui charitatem Dei et proximi suis discipulis instillant. Mystice, dentes animæ sunt consideratio, meditatio, consultatio, quæ rem agendam prius masticant et ruminant.

Vers. 3. SICUT VITTA COCCINEA LABIA TUA, ET ELOQUIUM TUUM DULCE.) Notat prædicatores, quorum sermo debet esse *sicut vitta*, id est planus, connexus, constrictus, concinnus. *Coccinea* ut rubeat et ardeat charitate, itaque erit suavis et dulcis.

SICUT FRAGMEN MALI PUNICI, ITA GENÆ TUÆ, ABSQUE EO QUOD LATET INTRINSECUS.) Genæ Ecclesiæ sunt virgines, pudorem, et pudicitiam, sanctitatemque in mente latentem, per ruborem genarum repræsentantes.

Vers. 4. SICUT TURRIS DAVID COLLUM TUUM, QUÆ ÆDIFICATA EST CUM PROPUGNACULIS; MILLE CLYPEI PENDENT EX EA, OMNIS ARMATURA FORTIUM.) q. d. Iustæ et erectæ proceritatis es. Nam per collum significat totius corporis habitum erectum et excelsum, per synecdochen. *Collum* denotat celsum animum, roburque invictum Ecclesiæ, quæ tyrannos, hæreticos et impios sibi subdit. Rursum per collum et turrim notantur præsules et Pontifices, ac præsertim Pontifex Romanus, qui quasi collum restitere Arrio, Nestorio, Decio, Diocletiano, cæterisque hæreticis et tyrannis. *Mille*, id est plurimi *clypei pendent ex ea:* clypei hi sunt sacra Scriptura, traditiones Apostolicæ, decreta Conciliorum. Patrum testimonia et exempla, consensus omnium sæculorum, doctrinæ puritas, vitæ sanctitas, etc. Collum mysticum animæ est oratio, per quam a capite Christo spiritum et gratiam haurimus, quam in cætera animæ et corporis membra transmittimus.

Vers. 5. DUO UBERA TUA SICUT DUO HINNULI CAPREÆ GEMELLI, QUI PASCUNTUR IN LILIIS.

Vers. 6 DONEC ASPIRET DIES ET INCLINENTUR UMBRÆ.) Ubera Ecclesiæ sunt sacerdotes et diaconi, qui fideles lactant bonis spiritualibus, et temporalibus. Hi sunt quasi hinnuli, qui pascuntur inter lilia, quia ætate et virtute florentes, puritate et castitate præminent, ac inter virgines sanctosque degunt, quorum virtutibus et exemplis pascuntur, donec aspiret dies beatæ æternitatis, et inclinentur umbræ miseræ mortalitatis.

VADAM AD MONTEM MYRRHÆ, ET AD COLLEM THURIS.) Laudavit sponsus sponsam ab uberum fœcunditate, id est, a zelo animarum, nunc ne ita illi intendat, ut se negligat illam ad se revocat, ut secum vadat ad montem Myrrhæ, id est, ad studium mortificationis, et ad collem thuris, id est, ad studium orationis, ut per utramque maiorem hauriat spiritum, quem deinde in alios maiore fructu effundat. Rursum mons myrrhæ est mons Calvariæ, ubi crucifixus est Christus et myrrha pastus. Collis thuris est idem mons, in quo tertio die resurrexit, et mons Oliveti ex quo 40. die in cælum ascendit: per resurrectionem enim et ascensionem orbi innotuit Christi divinitas, cui thus adoletur. Utrumque mysterium animæ piæ crebro ruminandum est, et imitandum.

TOTA PULCHRA ES, AMICA MEA, ET MACULA NON EST IN TE.) Ex pulchritudine singularum membrorum iam recensiturum concludit pulchritudinem totius corporis. Ecclesia tota pulchra est in iustis et sanctis, qui sunt potior et dignior Ecclesiæ portio. In his non est macula, scilicet peccati gravioris et mortalis; nam venialibus omnibus carere est impossibile. Vers. 7

VENI DE LIBANO, SPONSA MEA, VENI DE LIBANO, VENI: CORONABERIS DE CAPITE AMANA, DE VERTICE SANIR ET HERMON, DE CUBILIBUS LEONUM, DE MONTIBUS PARDORUM.) q. d. Tu, o primitiva Ecclesia, quæ per Apostolos, eorumque socios et asseclas laboras in Libano, Amana, Sanir, et Hermon, id est, in gentilitate convertenda ad Christum, inde veni cum magnis Gentium a te conversarum manipulis, ut eos adducas in Sion, hoc est, ad Christi Ecclesiam: quod si feceris, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, id est, de Gentibus a te conversis triumphabis, easque quasi in triumphum duces, ac corona triumphali coronaberis. Vers. 8

VULNERASTI COR MEUM, SOROR MEA SPONSA, VULNERASTI COR MEUM IN UNO OCULORUM TUORUM, ET IN UNO CRINE COLLI TUI.) Pro *vulnerasti*, Hebr. est *excordiasti*, id est, cor mihi abstulisti, *in uno crine*: Hebr. *in uno torque* (scilicet crines torti faciunt torquem capillorum) *colli tui*, quia nimirum uno totoque oculo (alterum enim velo verecunde obtegis) eoque columbino, id est, pudico, modesto et simplici me aspicis, mihique soli placere satagis. Porro unus crinis, sive torques crinitus colli est obedientia, qua ultro collum legi meæ subiicis. Vers. 9

QUAM PULCHRÆ SUNT MAMMÆ TUÆ, SOROR MEA SPONSA: PULCHRIORA (Hebr. *meliora*) SUNT UBERA TUA VINO, ET ODOR UNGUENTORUM TUORUM SUPER OMNIA AROMATA.) *Mammæ et ubera* denotant vim lactandi Ecclesiæ, qua per suos prædicatores lactat fideles pascitque verbo et exemplo, doctrina et Sacramentis, eleemosyna spirituali et corporali. Quocirca *odor unguentorum tuorum superat omnia aromata*, id est, bona fama, quam ex tua charitate, misericordia, et zelo animarum consequeris, ac longe lateque dispergis, melior est omnibus odoriferis virtutibus apud Deum, qui ut dixi, misericordiam præfert sacrificio. Vers. 10

FAVUS DISTILLANS LABIA TUA, SPONSA: MEL ET LAC SUB LINGUA TUA, ET ODOR VESTIMENTORUM TUORUM SICUT ODOR THURIS.) q. d. Sermo tuus lacteus, melleus et suavissimus est, quo verbo Dei pascis fideles; vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta: hæc habent odorem thuris, id est, orationis, quia referuntur ad Deum, Deique gloriam, Deo enim thus adoletur. Vers. 11.

HORTUS CONCLUSUS SOROR MEA, SPONSA: HORTUS CONCLUSUS, FONS SIGNATUS.) Ecclesia similis est horto, sive paradiso omnibus gratiis et virtutibus velut plantis cælestibus vernanti, suisque areolis bella distincto, et arte topiaria affabre disposito ideoque concluso, ne qua hæresis, impietas, aliudve vitium, aut noxa in illum aut violenter irrumpat, aut fraudulenter irrepat, sed soli Christo integer et intactus servetur, eique omnium virtutum flores et fructus producat, quibus eum oblectet et pascat. Repetit τὸ *conclusus* bis, ut duplex eius conclusio et sera significetur. Prima est, custodia angelorum et doctorum. Secunda est tutela ipsius Dei et Christi, iuxta illud Zachar. 2. 5. *Et ego ero ei*, ait Dominus, *murus ignis in circuitu*. Ita Cassiod. Beda, et alii. Rursum Ecclesia est similis fonti illimi, limpidissimo et saluberrimo, ideoque obsignato, ne eius crystallinus veritatis et doctrinæ liquor cœno errorum, aut vitiorum conspurcetur. Vers. 12.

EMISSIONES TUÆ PARADISUS MALORUM PUNICORUM CUM POMORUM FRUCTIBUS, CYPRI CUM NARDO. Vers. 13.

NARDUS ET CROCUS, FISTULA ET CINNAMOMUM CUM U- Vers. 14.

NIVERSIS LIGNIS LIBANI, MYRRHA ET ALOE CUM OMNIBUS PRIMIS UNGUENTIS.) *Emissiones* vocat propagines et surculos plantarum arborumque, quæ a terræ planta que eius videntur quasi emitti. Pro *pomorum fructibus*, Hebr. est, *cum fructu deliciarum*, id est cum omni fructu deliciarum. *Emissiones* ergo sunt Ecclesiæ particulares a Christo et Apostolis, ac præsertim ab Apostolicis viris, e S. Petro et Pontifice Romano missis erectæ et fundatæ, in quibus sunt mala punica et pomorum fructus, id est, virtutum omnium tam sublimium, quam mediocrium concentus, et sanctitas illorumque; *cyprus*, quia parvula, notat fidem; *nardus*, quia radix ejus alte in terram defoditur, spem; *crocus*, quia aurei est coloris, et totus ille rubet, notat charitatem in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, quæ quo magis calcatur, eo magis assurgit et crescit, uti facit et crocus. Reliqua quatuor aromata notant quatuor virtutes cardinales, scilicet *calamus*, quia rectus et similis regali sceptro notat justitiam; *cinnamomum*, quia acre, calidum et sapidum, notat sapientiam et prudentiam; *myrrha*, quia sua amaritie corruptioni resistit, notat fortitudinem; *aloe*; quia noxios humores purgat, notat temperantiam. Hinc symbolice *cyprus* repræsentat Patriarchas, A in quibus excelluit fides; *nardus* Prophetas, in quibus spes; *crocus* Apostolos in quibus charitas; *calamus* Episcopos et principes, in quibus justitia; *cinnamomum* doctores, in quibus sapientia; *myrrha* martyres, in quibus fortitudo; *aloe* virgines et continentes, in quibus temperantia.

FONS HORTORUM, PUTEUS AQUARUM VIVENTIUM, QUÆ FLUUNT IMPETU DE LIBANO.) Ecclesia est fons irrigans hortos, id est, particulares Ecclesias et cœtus fidelium, ac puteus aquarum viventium, id est, perennis scaturigo purissimæ sapientiæ, sacræ doctrinæ, et gratiæ æque ac Baptismi, Eucharistiæ, cæterorumque Sacramentorum, *quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de Christo excelso et candido, aquis iam dictis abundante. Vers. 15.

SURGE AQUILO, ET VENI AUSTER, PERFLA HORTUM MEUM, ET FLUENT AROMATA ILLIUS.) q. d. *Surge*, id est, velociter abi, o Aquilo, id est, o diabole, qui in hominum sedere gestis, ac Aquilonem, id est, frigidam infidelitatem et torporem virtutum induxisti in homines, tempore legis Mosaicæ et naturæ. Veniente ergo Christo veniat cum eo Auster, id est, Spiritus sanctus, qui suæ gratiæ calore et fervore faciat, ut Ecclesia et fideles suavissimum virtutum omnium odorem per sanctas eorum operationes exspirent. Vers. 16.

CAPUT QUINTUM.

VOX SPONSÆ.

Vers. 1. VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM, COMEDAT FRUCTUM POMORUM SUORUM.) Ecclesia invitat Christum, ut se quasi hortum suum visitet, ac virtutibus et gratiis fidelium, quasi fructu pomorum suorum, se pascat et oblectet.

VOX SPONSI.

VENI IN HORTUM MEUM, SOROR MEA SPONSA, MESSUI MYRRHAM CUM AROMATIBUS MEIS.) Christus invitationem Ecclesiæ acceptat, imo prævenit; ait enim se iam venisse in suum Ecclesiæ hortum, ac messuisse, id est, collegisse myrrham, id est, Baptizatorum pœnitentiam, mor- B tificationem et martyria fidelium cum cæteris aromatibus, id est, virtutibus heroicis.

COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO, BIBI VINUM MEUM CUM LACTE MEO.) His omnibus notat Eucharistiam, quæ suavissima est, ut lac et mel, ac acris et fervida, ut vinum; facit enim zelosos, ardentes, et martyres. Hanc Christus comedit in suis fidelibus et sanctis.

COMEDITE, AMICI, ET BIBITE, ET INEBRIAMINI, CHARISSIMI.) Sicut amicus gaudio plenus et quasi ebrius, illud quasi supereffluens in sinum amici diffundit: sic sponsus hic deliciis mellis et vini quasi ebrius ad easdem amicos invitat: *inebriamini*, id est, satiamini et exhilaramini, sed intra limites temperantiæ, citra mentis alienationem, quam facit proprie dicta ebrietas.

QUARTA PARS DRAMATIS, PUTA CANTICI.

HUCUSQUE DESCRIPSIT VIRILEM ÆTATEM ET PERFECTIONEM ECCLESIÆ: HIC VERO DESCRIBIT EJUS SENECTAM ET DECLINATIONEM USQUE AD CAP. 6. VERS. 3.

VOX SPONSÆ

Vers. 2 EGO DORMIO, ET COR MEUM VIGILAT.) Dormiebat Ecclesia, id est, perfecta pace fruebatur tempore Constantini, sed vigilabat corde, id est, orationi, amori et contemplationi intendens cum Deo agebat in fidelibus et prælatis, sapientibus et sanctis: in insipientibus vero et carnalibus dormiebat, quia indulgebat otio, desidiæ, gulæ, luxuriæ, etc. sed cor ejus vigilabat, quia conscientia minans eis Dei vindictam, eos metu percellebat, et ad emendationem stimulabat. B. Virgo nocte corpore dormiebat, sed mente vigilabat, et continue Deum amabat.

VOX DILECTI MEI PULSANTIS: APERI MIHI, SOROR MEA, COLUMBA MEA, PERFECTA MEA.) Pulsat Christus ostium cordis Ecclesiæ, ut illam avocet ab otio contemplationis ad negotium prædicationis, ut scilicet in pace sibi data per Constantinum corda infidelium, hæreticorum et impiorum per perfidiam clausa clave prædicationis aperiat. Christus pulsat cor animæ peccatoris, ut pœniteat: sancti, ut se magis sanctificet, et aliorum quoque sanctitatem procuret.

QUIA CAPUT MEUM PLENUM EST RORE, ET CINCINNI MEI C GUTTIS NOCTIUM.) Caput Christi est divinitas; cincinni sunt humanitas, item ejus sancti: ros et guttæ noctium sunt blasphemiæ et impietates, item persecutiones, quibus hæretici et impii impetunt Christi Deitatem, vel humanitatem, vel sanctos, quas ut amoveat sponsa, puta prædicatores Ecclesiæ, excitat eos sponsus hac voce ab otio contemplationis ad negotium prædicationis, ut impios convertendo, has injurias a se sanctisque suis avertant et propellant.

EXPOLIAVI ME TUNICA MEA, QUOMODO INDUAR ILLA? Vers. 3
LAVI PEDES MEOS, QUOMODO INQUINABO ILLOS?) Ecclesia, id est, nonnulli Prælati Ecclesiæ pace illis data per Constantinum se dedere otio, quieti, studio et contemplationi, quare detrectantes laborem prædicandi, disputandi, et pascendi gregem Domini, ab eo se excusabant hoc titulo, quod tunicam, id est, occupationes temporales exuissent, nec possent, aut cuperent eas resumere; quodque lavissent pedes; id est, affectus suos, et nollent eos rursus per conversationem cum peccatoribus inquinare. Verum hic erat prætextus lecti, id est, desidiæ. Quocirca

DILECTUS MEUS MISIT MANUM PER FORAMEN (ostii, et Vers 4
pessulum amovit, ostiumque aperuit) VENTER MEUS

INTREMUIT.) Christus pessulum, id est, remoram laborandi pro salute animarum amovit, cum metum inquinandi se Prælatis ademit, itaque effecit, ut monarhi, quales fuere S. Basil. Nazian. Chrysost. Augustin. Gregor. etc. qui antea Episcopatum refugiebant, iam a Deo vocati, eos capesserent, et strenue in vinea Dei laborarent: hinc venter *eorum intremuit*, quia viscera mentis eorum pudore et commiseratione commota sunt, quod non prius Christo vocanti ad curam animarum ostium cordis aperuissent: miserabantur enim tot animarum perditionem cum tot in Deum offensis et iniuriis coniunctam.

Vers. 5. SURREXI UT APERIREM DILECTO MEO: MANUS MEÆ STILLAVERUNT MYRRHAM PRIMAM, ET DIGITI MEI PLENI MYRRHA PROBATISSIMA.

Vers. 6. PESSULUM OSTII APERUI DILECTO: AT ILLE DECLINAVERAT, ATQUE TRANSIERAT.) Prælati Ecclesiæ excitati a Christo ad prædicandum, ei cor per consensum aperuerunt, sed mox myrrha, id est, amaritudo persecutionum et tribulationum progerminans ab hæreticis et impiis, manus et digitos eorum corripuit, in qua Christus quasi alio declinans et transiens, diutius eos reliquit ut tarditatem et socordiam prædicandi tarditate et duratione persecutionis puniret, et castigaret. Rursum myrrha est pœnitentia, mortificatio et castigatio præteritæ tarditatis.

ANIMA MEA LIQUEFACTA EST (amore, uti cera calore liquescit) UT DILECTUS MEUS LOCUTUS EST: QUÆSIVI, ET NON INVENI; VOCAVI, ET NON RESPONDIT MIHI.) Idem dicit aliis et clarioribus verbis.

Vers. 7. INVENERUNT ME CUSTODES, QUI CIRCUMEUNT CIVITATEM, PERCUSSERUNT ME, ET VULNERAVERUNT ME: TULERUNT PALLIUM MEUM MIHI CUSTODES MURORUM.) Custodes sunt principes vel prælati hæretici, uti Valens, Hunnericus, Dioscorus, Nestorius, Pelagius, qui Ecclesiam per schisma sciderunt, eique pallium, id est, integritatis et pudicitiæ gloriam abstulerunt.

Vers. 8 ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, UT SI INVENERITIS DILECTUM MEUM, UT NUNTIETIS EI: QUIA (quod) AMORE LANGUEO.) Ecclesia in persecutionibus afflicta invocat filias Ierusalem, id est, omnes sanctos, tam angelos, quam homines, cives Ierusalem, id est, Ecclesiæ tum in terra militantis, tum potius in cælis triumphantis, ut obsecrent Christum in cælo, ut ipse languori suo medeatur, mittendo scilicet homines Apostolicos, qui hæreticos, infideles, malosque Christianos convertant. Languor enim hic est zelus animarum. Anagogice, anima amore æstuans languet desiderio fruendi Christo in cælo. Talis præ omnibus fuit B. Virgo, quæ ex languore hoc mortua evolavit ad Christum.

VOX FILIARUM IERUSALEM.

Vers. 9. QUALIS EST DILECTUS TUUS EX DILECTO, O PULCHERRIMA MULIERUM? QUALIS EST DILECTUS TUUS EX DILECTO, QUIA SIC ADIURASTI NOS?) Sanctæ angelorum et hominum animæ, quarum opem sponsa imploraverat, ut nuntient dilecto suum languorem, rogant quis et qualis sit eius dilectus, non quod id ignorent, sed ut eius desiderium in ea acuant, ac materiam illum effusissime laudandi ei præbeant: unde ipsa mox idipsum præstat: hoc enim unicum erat languoris eius remedium: amore enim et laude dilecti sanatur, imo pascitur languor diligentis.

VOX SPONSÆ.

Vers. 10. DILECTUS MEUS CANDIDUS ET RUBICUNDUS, ELECTUS EX MILLIBUS) Hebr. *vexillatus*, id est, *instar vexilli eminens decem millibus*. Christus fuit candidus et rubicundus, id est, roseo colore ad litteram, talisque apparuit S. Edmundo Cantuarens. Episcopo, ut habet eius vita. Symbolice fuit candidus ob purissimam et splendidissimam Deitatem, aut potius propter purissimam humanitatis assumptæ innocentiam et sanctitatem. Rubicundus ob carnem, quam cum sanguine rubro ex Virgine assumpsit, aut potius quam in cruce effuso sanguine purpuravit; et ut ait S. Hieron. l. 4. contra Iovinian. *Christus candidus est in virginitate, rubicundus in passione; electus*, Hebr. *vexillatus ex millibus*, quia Christus quasi dux vexillum innocentiæ et castitatis, æque ac patientiæ et martyrii omnibus martyribus, virginibus et Christianis prætulit, qui pariter candidi sunt per innocentiam, rubicundi per patientiam. Unde ex Hebr. vertas, *Signifer et dux myriadum*.

CAPUT EIUS AURUM OPTIMUM.) q. d. Caput Christi erat fulgidum et speciosum instar auri optimi, vel redimitum erat corona aurea. Caput Christi est deitas: *Dicitur aurum, quia eius humanitas et divinitas sua claritate nobis principatur*, ait S. Gregor. sicut enim aurum cæteris metallis, sic Deitas creaturis omnibus longe eminet et antecellit. Tangit hic Arrianos, Eutichianos, et Nestorianos, qui negabant Christi divinitatem. Vers. 11.

COMÆ CAPITIS EIUS SICUT ELATÆ PALMARUM, NIGRÆ QUASI CORVUS.) Elatæ sunt rami et fructus palmarum, qui earum verticem velut coma tegunt et ornant. Sic Christus flavam habuit comam, uti flavi sunt dactili, sed nigricantes. Comæ hæ notant divina Christi consilia, amores et affectus, qui a Deitate eius in humanitatem emanant, sicut coma manat a capite. Caput enim Christi est Deus. Iidem nigri sunt, quia fortes, viriles et heroici, ac charitate quasi tosti et nigricantes.

Mystice, capilli Christi sunt viri religiosi et Apostolici: hi enim Christum quasi crines stipant, coronant et ornant.

OCULI EIUS SICUT COLUMBÆ SUPER RIVULOS AQUARUM, QUÆ LACTE SUNT LOTÆ, ET RESIDENT IUXTA FLUENTA PLENISSIMA.) q. d. Sicut columbæ assident aquis, sic oculi sponsi innatant suis orbibus, suntque coloris aquei et marini, ideoque cæsii, id est, prudentes et sapientes. Lac notat candorem oculorum, et sinceritatem animi per oculos translucentes. Denique oculi Christi comparantur columbis, quia placidi sunt, mites, faciles, benigni, et misericordes. Vers. 12.

GENÆ EIUS SICUT AREOLÆ AROMATUM CONSITÆ A PIGMENTARIIS.) Genæ Christi roseæ et fragrantes instar areolarum aromatum signum erant, primo, florentis ætatis; secundo, honestatis; tertio, hilaritatis; quarto, ingenuitatis; quinto, gravitatis et maiestatis coniunctæ cum lenitate et pietate. Parabolice binæ genæ Christi sunt misericordia et iustitia, quibus aspicit regitque Ecclesiam. Tropol. genæ Christi sunt virgines et martyres; illorum enim genæ roseæ rubent pudore, horum cruore. Vers. 13.

LABIA EIUS LILIA DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM.) q. d. Eloquia Christi casta sunt, et ad puritatem lilialem inflammantia, ac myrrham, id est, mortificationem cupiditatum prædicantia.

MANUS ILLIUS TORNATILES (Septuag. *tornatæ*, id est, affabre elaboratæ) PLENÆ HYACINTHIS.) q. d. Opera Christi adeo perfecta erant, ac si torno elaborata forent, ita ut nil eis posset addi, nil demi. Secundo, manus Christi erant tornatiles, id est, versatiles et agiles ad omne bonum omnemque beneficentiam. Dicuntur aureæ, quia ornatæ charitate; *plenæ hyacinthis*, quia opera Christi erant cælestia et divina, atque ad spem et amorem rerum cælestium excitantia: hyacinthus enim est cælestis coloris. Vers. 14.

VENTER EIUS EBURNEUS, DISTINCTUS SAPPHIRIS.) q. d. Omnes internæ Christi passiones et affectiones erant puræ et validæ instar eboris, ac cælestes instar sapphiri. Symbol. venter Christi sunt coniugati, qui filios ipsi generant aluntque puros ut ebur, cælestes ut sapphiri.

CRURA EIUS COLUMNÆ MARMOREÆ, QUÆ FUNDATÆ SUNT SUPER BASES AUREAS.) q. d. Crura Christi candida sunt, recta, crassa, et robusta instar columnæ marmoreæ, *super bases aureas*, id est, super pedes ornatos calceis aureis, quales habuit Salomon. Crura hæc notant itinera Christi, quibus per se Iudæam, per Apostolos vero virosque Apostolicos totum orbem evangelizando obivit, fuitque pura, recta, fortia, et valida, ita ut nemo ea sistere, vel iis resistere posset, quin gentes omnes sibi subiiceret *super bases aureas*, scilicet, tum divinitatis Christi, tum Vers. 15

charitatis. Charitas enim hosce pedes suffulcit et invictos effecit. Symbolice crura Christi sunt viri Apostolici, qui fidem Christi in India aliisque locis propagant.

SPECIES EIUS UT LIBANI, ELECTUS UT CEDRI.) q. d. Christus instar Libani et cedri fuit procerus, odoratus, imputribilis, et speciosus tum corpore, tum magis mente.

Vers. 16. GUTTUR ILLIUS SUAVISSIMUM, ET TOTUS DESIDERABILIS.) q. d. Anhelitus Christi, æque ac vox e gutture prodiens erat suavissimus, quia non nisi affectus et amores divinos exhalabat et eructabat; quare ipse totus erat amabilis et desiderabilis.

TALIS EST DILECTUS MEUS (qualem hucusque descripsi) ET IPSE EST AMICUS MEUS, FILIÆ IERUSALEM.

VOX FILIARUM IERUSALEM.

QUO ABIIT DILECTUS TUUS, O PULCHERRIMA MULIERUM? Vers. 17.
QUO DECLINAVIT DILECTUS TUUS, ET QUÆREMUS EUM TECUM.) Filiæ Ierusalem adiuratæ a sponsa, c. 5. 8. ut quærerent sponsum, qui se subduxerat, audientes eius notas et signa e quibus eum dignoscant, hic rogant qua via se subduxerit, ut illam ineuntes, eum inveniant. Christus ab orientali Ecclesia ob hæresim Arrii, moresque pravos se, id est, suam fidem et Ecclesiam transtulit in Occidentem post Constantinum Imp. quærunt ergo filiæ Ierusalem, id est, fideles ab Ecclesia, id est Ecclesiæ Prælatis, quo abierit Christus, ut eum in Orientem reducant. Huc refer quæ dixi v. 9.

CAPUT SEXTUM.

Vers. 1. DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT PASCATUR IN HORTIS ET LILIA COLLIGAT.) Sponsa respondet filiabus Ierusalem sponsum ivisse in hortum suum, id est, in Ecclesiam occidentalem, hoc est ad congeriem fidelium orationi, mortificationi cæterisque virtutibus studentium, quibus, quasi aromatibus, Christus pascitur et oblectatur, sed præsertim liliis, id est, castitate virginum. Quare reformatores Ecclesiæ orientalis vocandos esse ex occidentali Ecclesia, præsertim Romana, uti ex eadem in Orientem ea de causa a Pontifice Romano missi sunt S. Eusebius Episcopus Vercellensis, Lucifer Calaritanus et alii. Rursum hortus Christi est religio et cœnobium.

Vers. 2. EGO DILECTO MEO, ET DILECTUS MEUS MIHI.) Hunc versum explicui c. 2. v. 16. Sponsa enim quia amore sponsi plena, hinc identidem eum repetit et inculcat. Amantes enim amatorum amore et laude numquam satiantur, sed eum assidue usque ad nauseam audientium repetunt.

QUINTA ET ULTIMA PARS DRAMATIS,

PUTA CANTICI.

IN QUA DESCRIBITUR ECCLESIÆ SENESCENTIS RENOVATIO, CONSUMMATIO, ET AD CÆLUM ANHELATIO.

VOX SPONSI.

Vers. 3. PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS ET DECORA SICUT IERUSALEM, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA.) Pro *suavis* Hebr. est *sicut Tersa*, quæ erat urbs pulchra, ideoque a Ieroboam facta est Metropolis regni Israel. Sponsa cum suis quærens sponsum in horto ibidem eum invenit, eique narravit, quanta in illo quærendo passa sit, quibus notis et elogiis eum adolescentulis depinxerit: quare sponsus eam consolatur, laudesque ei cap 4. assignatas confirmat et adauget. Igitur sensus est, q. d. Ecclesia pulchra effecta est, atque ac fortis et terribilis ut castrorum acies, quando errores et vitia per Arrianos, aliosque impios infideles suos inducta per zelosos Imperatores et Principes, Pontifices et Episcopos in Concil. Nicæno, Ephesino, Calcedonensi, Lateranensi, Florentino, Tridentino, aliisque tum œcumenicis, tum provincialibus extirpavit, et Ecclesiam vel universalem vel provincialem pristino fidei et virtutum nitori restituit. Maxime vero in fine mundi idipsum præstabunt Elias et Enoch cum suis asseclis.

Vers. 4. AVERTE OCULOS A ME, QUIA IPSI AVOLARE FECERUNT ME.) Hebr. *quia ipsi prævoluerunt mihi*, me in sui amorem rapiendo. Laudat hic Christus sponsam a pulchritudine et illicio oculorum, per quos pura Ecclesiæ in Christum intentio et amor significatur ut dixi cap. 4. v. 1. Significat ergo hic Christus charitate Ecclesiæ se victum, ut sui tam amantem mirifice redamet, atque eius amore cursum temporisque mundi absolvere decernat, quo reliquiæ Israel salventur, de iis enim agit in sequentibus, ut hoc facto Ecclesia Christo sponso suo in æternum copuletur, eoque felicissime perfruatur in cœlesti gloria, ubi nuptiarum utriusque erit consummatio.

CAPILLI TUI SICUT GREGES CAPRARUM.) Hæc gnome et duæ sequentes ad laudem sponsæ hic repetuntur ex cap. 4. v. 1. et seq. ubi eas explicui.

Vers. 7. SEXAGINTA SUNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCUBINÆ, ET ADOLESCENTULARUM NON EST NUMERUS.

UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA, UNA EST Vers. 8
MATRIS (Septuag. *matri*) SUÆ, ELECTA GENITRICI SUÆ) *Unica matris*, id est unigenita, vel unice præ aliis filiabus dilecta a matre. *Reginæ*, id est, Ecclesiæ Patriarchales, Primates et Metropolitanæ sunt sexaginta, id est, multæ: *concubinæ*, id est, Ecclesiæ Episcopales sunt octoginta, id est, plures: *Adolescentularum*, id est, Ecclesiarum Parochialium et cæterarum non est numerus; plurimæ enim sunt, et quasi innumerabiles: at supra has omnes eminet Cathedra sancti Petri, puta Ecclesia Romana. Quare hæc est una columba, id est, una sponsa Christi unice ab eo dilecta, perfecta in fide et religione, unica matri suæ, et electa genitrici suæ, id est, unice pariter dilectæ primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ait S. Anselmus, quia ipsa cæteras Ecclesias regit, ac si a vera fide vel pietate aberrent, corrigit et reformat. Quocirca

VIDERUNT EAM FILIÆ, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERUNT: REGINÆ ET CONCUBINÆ, ET LAUDAVERUNT EAM) dicendo: *Quæ est ista, etc.* ut sequitur.

VOX ADOLESCENTULARUM.

QUÆ EST ISTA QUÆ PROGREDITUR QUASI AURORA CON- Vers. 9
SURGENS, PULCHRA UT LUNA, ELECTA UT SOL, TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA?) Est vox adolescentularum, concubinarum et reginarum laudantium sponsam ab eius ortu, progressu et perfectione. Ecclesia enim oriens in Iudæa sub Apostolis exigua luce fulsit quasi aurora: mox increvit, fulsitque ut luna luce pallida per terrores et persecutiones decem imperatorum: denique toto orbe aurea luce resplenduit ut sol, sub Constantino Imper. ac mox pugnans et profligans Arrianos, Nestorianos, cæterosque hæreticos, et abusus reformans fuit quasi castrorum acies ordinata, talisque maxime erit in fine mundi decertans contra antichristum, eiusque asseclas.

VOX SPONSI.

Vers. 10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.) Christus descendit in hortum nucum, id est, ad Synagogam durorum Iudæorum ut eos convertat, tum per alios, tum maxime in fine mundi per Eliam et Enoch, quando ipsi producent *poma convallium*, id est, fructus actusque humilitatis et pœnitentiæ, ac vinea devotionis, et *mala punica* charitatis.

VOX SYNAGOGÆ.

Iudæorum convertendæ in fine mundi.

Vers. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.) q. d. Ego Synagoga Iudæorum hucusque nescivi Christum a patribus meis, crucifixum esse Messiam, ideoque eum non colui, quia turbaverunt me quadrigæ *Aminadab*, id est, *populi spontanei*, puta Christiani, qui a gentilitate sponte et ultro audita prædicatione Apostolorum credidit in Christum: *Quadrigæ* sunt quatuor Evangelia, quæ celerrime per totum orbem discur-

A rerunt: propter has, id est, quia Evangelia abrogabant Iudaismum et legem Mosi, ego Synagoga Iudæorum hucusque non credidi in Christum; at iam conversa per Eliam in eum credo, et eidem quadrigæ ultro me subdo, imo infero et impono. Nonnulli per quadrigas Aminadab accipiunt Saracenos et Turcas; alii imperatores Ecclesiam oppugnantes; alii Antipapas et Schismaticos.

VOX SPONSÆ

Veteris de nova, hoc est, Ecclesiæ de Synagoga.

Revertere, revertere, Sulamitis, ut intueamur te.) Ecclesia gratulatur Synagogæ de eius ad Christum conversione: *Synagoga* enim vocatur Sulamitis, id est, Hierosolymitana vel Salomonia. Sicut enim a Paulo sponsa dicitur Paula, sic a Salomone sponsa eius dicitur Sulamitis, id est Salomo vel Salomonia. Sensus est, q. d. O Sulamitis, id est o Synagoga Iudæorum iam conversa ad Christum, revertere ad Ecclesiæ e Gentibus congregatæ societatem et conversationem, ut Gentes tuum decorem, quem per Baptismum accepisti, intuentes exsultent, tibique gratulentur, et Deo gratias agant. Vers. 12.

CAPUT SEPTIMUM.

Caput hoc parallelum est capiti quarto; nam singulorum membrorum elogia, quæ cap. 4. Sponsus Christus assignavit sponsæ Ecclesiæ Gentium, eadem hic assignat Synagogæ Iudæorum ad suam fidem in fine mundi convertendorum.

VOX SPONSI DE SPONSA

Nova, id est de Synagoga.

Vers. 1. Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?) Sunt verba Christi sponsi exsultantis de Iudæorum ad se in fine mundi per Eliam conversione, q. d. Quid videbis, o Ecclesia Gentium, in Sulamite, id est in Synagoga Iudæorum iam conversa ad suum Messiam veramque fidem, nisi choros præ gaudio tantæ conversionis cantantium et tripudiantium: sed choros castrorum, quæ scilicet ita exsultent, ut simul fortiter contra antichristianos, cæterosque infideles et impios decertent? *Castra quippe militantium sunt*, ait S. Gregor. Nonnulli per choros castrorum accipiunt fundationes Academiarum, et institutiones religionum tam militarium, uti sunt Theutonici, Melitenses, Hierosolymitani, quam aliarum, uti sunt Bernardini, Camaldulenses, Dominicani, Franciscani, etc.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis?) q. d. Quam pulchri, o Synagoga, sunt gressus tui, quibus ad me et Ecclesiam accessisti? quam celeri promptitudine ad fidem accurristi? nec tantum ad fidem, sed et ad fidei prædicationem: illico enim, ut fidelis facta es, cœpisti esse prædicatrix Evangelii, instar contribulis tui S. Pauli.

Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis) *Iuncturæ tuorum femorum* sunt veritas et charitas, quibus Synagoga conversa adhærebit Ecclesiæ, item eius castitas. Hæc enim ornat femora sicut monile pulcherrimum et pretiosissimum factum manu summi artificis Dei. Hanc amplectuntur religiosi, et amplectentur Iudæi in fine mundi, ut efficacius Christum verbo et exemplo prædicent. Unde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi sequentur Agnum in virginitate. Apocal. 14.

Vers. 2 Umbilicus tuus sicut crater tornatilis, numquam indigens poculis.) *Umbilicus*, id est, medium et quasi centrum Iudææ erat Ierusalem: hæc in fine mundi per Eliam convertenda ad Christum erit quasi crater tornati-

B lis, quia instar crateris abundabit poculis, id est, potione, pota vino sapientiæ et doctrinæ christianæ, quod in Iudæos circumcirca habitantes diffundet. Unde in Ierusalem Elias occidetur ab Antichristo, ac tertia die gloriosus resurget. Apocalypsis cap. 11. v. 8. et 11.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.) Idem dicit per aliam similitudinem ventris, q. d. Ierusalem convertenda ad Christum per Eliam similis erit acervo tritici, quia plena erit sacerdotibus et prædicatoribus, qui verbo Dei et Eucharistia quasi tritico mystico fideles pascant, non ad luxuriam, sed ad castitatem, ideoque vallatur liliis, quia puritatis candorem æque ac suavitatis odorem exspirat.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ) Vers. 3.
Repetit de Synagoga Iudæorum, quod dixit de Ecclesia Gentium cap. 4. v. 5. Vide ibi dicta.

Collum tuum sicut turris eburnea.) *Collum turritum* significat invictum Synagogæ robur, quo se instar turris generosa eriget contra omnes tentationes et perse-C cutiones Antichristi. Item Pontifices, doctores ot præsules, qui eidem heroice resistent. *Ebur* notat Elephantum (Elephas enim castissimus est) castitatem, puritatem et munditiam, qua pollebunt Iudæi in fine mundi. Apocal. c. 14. v. 4. præsertim doctores et præsules: ebur enim candidum est, politum, nitidum, teres, æquabile, firmum.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in Vers. 4.
porta filiæ multitudinis.) Id est, in porta, quæ spectat regionem, in qua magna erat hominum multitudo, q. d. Oculi tui, id est, tui doctores et pastores, o Synagoga, erunt quasi gemini limpidissimi, purissimique sapientiæ fontes, qui filiam multitudinis, id est, congregationem populi Iudaici in fide et pietate Christiana abundanter erudient, et aqua sapientiæ potabunt.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum) q. d. *Synagogæ nasus*, id est, crisis, providentia, et prospectio erit ingens instar turris, quæ longe odorabitur et prospicit omnes Damasci, id est diaboli et Antichristi sanguinem animarum sitientis (*Damascus* enim idem est, quod saccus, vel præda sanguinis) insidias et conatus, eosque ingenti fortitudinis et magnanimitatis

spiritu aludet et superabit. Magnus enim nasus magnum spiritum ottrahit, ideoque magnanimitatis est index.

Vers. 5. Caput tuum ut Carmelus,) q. d. Caput et princeps tuus erit, Elias olim Carmeli incola, et instar Carmeli spiritu excelsus et frugifer.

Et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus) Comæ hæ notant discipulos et asseclas Eliæ, qui eum ut caput cingent, defendent, propugnabunt; ideoque ab Antichristo occidentur, at martyrio sanguinis sui purpurabuntur.

VOX ECCLESIÆ

Ad Synagogam ad Christum iam conversam.

Vers. 6. Quam pulchra es, et quam decora, charissima in deliciis?) Hebr. *O quam pulchruisti, et quam dulcuisti, amor in deliciis?* Sponsi scilicet Christi Domini, cum tua fide et fervore ublectando. Syrus et Aquila *filia deliciarum*. Sunt verba Ecclesiæ Gentium exsultantis et congratulantis Synagogæ de tam subita et perfecta Iudæorum conversione ad Christum, q. d. Quam pulchra es et decora, o Synagoga soror mea, quæ adeo es amabilis, ut charitas deliciarum, et deliciæ charitatis, ac filia deliciarum sis, et vere nuncupari possis, quia totam te charitati et deliciis sponsi impendis.

Vers. 7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.) Statura palmaris Synagogæ et animæ sanctæ, est magnanimitas et celsitudo animi, quæ omnia terrena despicit et æterna ambit, dicitque cum Paulo: *Nostra conversatio in cœlis est:* Ideoque instar palmæ, quo magis premitur, eo fortius altiusque exsurgit: *Ubera Synagogæ* sunt eius beneficentia et doctrina qua quasi lacte rudiores Iudæos lactabit et nutriet: sicut palma licet in altum crescat, tamen se demittit et cum suis botris, id est, dactylis nutrit transeuntes.

VOX CHORI ADOLESCENTULARUM.

Vers. 8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius: et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui, sicut malorum.) Sunt verba chori adolescentularum, id est, animarum imperfectarum, quarum quæque dicit Synagogæ in fide et amore Christi excelsæ, et ferventi usque ad martyrium: Cupio ad tuam sublimitatem, quam per crucem Christi obtinuisti, conscendere, ut ad ubera tua pertingam; ex iisque sugam lac, imo vinum ardentis doctrinæ, fidei et charitatis, ac simul ex ore hauriam halitum suavissimum pietatis et sanctitatis: palma ergo hic ad litteram significat sublimitatem Synagogæ, symbolice vero crucem Christi,

Vers. 9. Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, et labiis eius ad ruminandum.) q. d. Gutture tuo exhalas vinum doctrinæ et charitatis ardentis, quo non solum Iudæos, o Synagoga, inebrias, sed et Christum dilectum meum ita potas et delectas, ut ille illud ipsum assidua mente revolvat et ruminet.

VOX SPONSÆ

Novæ id est Synagogæ.

Ego dilecto meo, et ad me conversio eius.) Est vox sponsæ novellæ, puta Synagogæ, quæ tam laudibus suis, quas Christus recensuit, quam elogiis suis quæ adolescentulæ addiderunt, respondet, laudes hasce in sponsum Christum reflectendo, q. d. Ego quanta quanta sum, tota dilecti mei Christi sum, quia ipse dignatus est oculos suos ad me convertere, meque sua fide illuminare et sua gratia dotare, imo in sponsam sibi dilectam assumere. Vers. 10

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.) Ut ibi eo familiarius et secretius, quo ab urbano strepitu remotius invicem conversemur et colloquamur, atque hominibus agrestibus et rure degentibus Evangelium prædicemus, Vers. 11

VOX SPONSÆ

Antiquæ et novæ, id est Ecclesiæ, et Synagogæ.

Mane surgamus (ut eamus) ad vineas: videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea) Pagnin. et Vatabl. *amores meos*. Est vox Ecclesiæ Gentium congratulantis novæ sponsæ, puta Synagogæ Iudæorum, ac cum ea obsecrantis Christum, ut secum vadat, id est, sibi cooperetur in prædicatione Evangelii, et conversione Iudæorum æque ac Gentium in fine mundi, ut ferant fructus bonorum operum, et mala punica charitatis ac martyrii. Vineam vocat Ierusalem et Iudæam: hæc enim fuit prima Christi vinea. Ibi Synagoga Christo dat *ubera*, id est, ostendit amores suos in eum. Rursum dat ubera Christo, id est, fidelibus Christi, puta Iudæis et Gentibus, quos doctrina sua in fide et pietate lactat et nutrit amore Christi. Vers. 12

Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.) Mandragoræ frigidæ tarditatem, torporem, et somnum inducunt: unde significant Iudæos et Gentes ignorantia Dei, et perfidiæ frigore torpentes et sopitos per Antichristum; sed hi, eo mortuo et occiso, per prædicationem sociorum Eliæ reviviscent in fide et gratia, ac suavem virtutis odorem exspirabunt: hos ergo quasi *poma nova* cum veteribus, id est, priscis Christianis Ecclesia offert Christo in *portis*, id est, in ipso ingressu et aditu Ecclesiæ, puta in baptismo per quem ingressi sunt in Ecclesiam et Christianismum. Nonnulli τὰ *nova* referunt ad novi orbis, hoc est, Americæ, sive Peruanorum et Mexicanorum conversionem. Vers. 13

CAPUT OCTAVUM.

Vox sponsæ, id est, Ecclesiæ universalis collectæ ex Iudæis et Gentibus, in fine mundi, completo iam electorum numero, aspirantis ad cælum.

Vers. 1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et iam nemo me despiciat?) q. d. Utinam te fruar, o Christe, in cælo, sicut frater fruitur suo fraterculo qui adhuc sugit ubera matris, eumque deosculatur, ut scilicet sicut olim factus homo mihi per carnem frater fieri dignatus es, ac sugere ubera matris meæ; tum B. Virginis (hæc enim est mater Ecclesiæ, quia ipsa est mater Christi, et consequenter omnium Christianorum) tum Synagogæ: sic pariter foris, id est, in cælo frater et consors mihi fias in gloria beatitudinis, ibique tecum sugam ubera matris communis, puta cælestis Ierusalem, quæ lac, imo nectar felicitatis effundit, atque te osculer, tecumque delicier, et dissuavier in æternum, ideoque iam me nemo despiciat sed omnes glorificent, et beatificent.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino con- Vers. 2

DITO, ET MUSTUM MALOGRANATORUM MEORUM.) Est vox Ecclesiæ ad Christum, q. d. Utinam te apprehendere possem et ducere in cælestem Ierusalem, quæ est mater nostra, ut ibi me doceres arcana divinitatis, ibi ego vicissim tibi propinarem vinum conditum laudis et gratiarum actionis, ac mustum malogranatorum æstuantis amoris, et iubili felicitatis æternæ.

Vers. 3. LÆVA EIUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME.) Sponsa ex vehementi amore et desiderio fruendi Christo in cælo incidit in languorem, somnum et ecstasim, ac corruens invocat opem sponsi, ut se collabentem læva dextraque fulciat et complectatur, tum iam languentem in terris, tum potius mox gaudentem et triumphantem in cælis. Vide cap. 2. 6.

VOX SPONSI.

Vers. 4. ADIURO VOS, FILIÆ IERUSALEM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM DONEC IPSA VELIT.) Sponsus vetat sponsam ab hoc amoris somno et ecstasi, utpote sibi gratissimo et sponsæ suavissimo, excitari. Vide dicta cap. 2. vers. 7.

VOX POPULI OCCURRENTIS.

Vers. 5. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIIS AFFLUENS, INNIXA SUPER DILECTUM SUUM?) Sponsa a somno evigilans, ex languoris et amoris deliciis, brachiis suis innixa humeris sponsi, cum eo ascendebat ex agro, hortoque versus Ierusalem, id est ex terra in cælum. Occurrunt ei turbæ populi transeuntis, id est angeli et cælites, eiusque speciem, amorem et libertatem admirantes exclamant: quæ est ista sponsa tam gloriosa, quæ tam deliciose, libere, et amorose Christo Domino innixa, e terris in cælos adeo magnifice ascendit?

VOX SPONSI

SUB ARBORE MALO SUSCITAVI TE: IBI CORRUPTA EST MATER TUA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TUA.) Christus Ecclesiam gloriose secum scandentem in cælum monet crucis suæ pro se obitæ, ut eam tanti beneficii memorem gratamque reddat, q. d. Scito, o Ecclesia, hanc gloriam tuam mihi caro stetisse: emi enim eam multis doloribus in ligno crucis, eo quod mater tua Eva comedens ex ligno vetito in paradiso tam se, quam te, id est, omnem posteritatem peccato corruperit et perdiderit. Dei enim iustitia et sapientia decreverat ut in ligno satisfieret culpæ in ligno commissæ, ut diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Et: *Unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

Vers. 6. PONE ME UT SIGNACULUM SUPER COR TUUM, ET SIGNACULUM SUPER BRACHIUM TUUM.) q. d. Iugiter et firmiter quasi sigillo imprime tibi meæ crucis memoriam, meumque quem tibi in ea exhibui amorem, ut ille semper in corde tuo cogitando figatur, indeque in brachium ad recte operandum transeat, ita ut amor meus sit tibi rector, qui omnes tuas cogitationes et actiones dirigat ad cælum ubi ille indelebiliter et profunde cordi brachioque tuo insculpatur, ut in æternum perduret.

QUIA FORTIS EST UT MORS DILECTIO, DURA SICUT INFERNUS ÆMULATIO.) q. d. Causa, quæ me impulit ut te in cruce per tot dolores et mortem meam a peccato, morte et inferno, cui addicta eras, suscitarem, fuit amor et dilectio, qua te ut sponsam summe dilexi: hæc enim fortior est omni dolore, morte et inferno, ac instar mortis et inferni, omnia adversa et tristia sibi subiicit; quare similem, puta fortem a te, o sponsa, dilectionem exigo, ut ponas me ut signaculum super cor tuum, ut scilicet mei intuitu et amore mortem et infernum superes et transcendas, ac instar mortis et inferni nulli hosti, tentationi, dolori, vel adversitati cedas, sed omnia evincas, tibique subdas.

LAMPADES EIUS (dilectionis et æmulationis, sive zeli) LAMPADES IGNIS ATQUE FLAMMARUM.) *Lampades*, id est faces, q. d. Faces charitatis et zeli Christi similes sunt ignibus et flammis ardentissimis, ac similes ipse a sponsa, id est Ecclesia et anima sancta iure suo reposcit.

AQUÆ MULTÆ NON POTUERUNT EXSTINGUERE CHARITATEM, NEC FLUMINA OBRUENT ILLAM. SI DEDERIT HOMO OMNEM SUBSTANTIAM DOMUS SUÆ PRO DILECTIONE, QUASI NIHIL DESPICIET EAM.) *Eam* non dilectionem, sed *substantiam*, q. d. Nullæ persecutiones, calumniæ, flagella, dolores, clavi, spinæ, etc. quæ instar torrentium magna copia et vi irruerunt in Christum potuerunt, aut umquam poterunt obruere, vel exstinguere eius charitatem, imo potius iis crescentibus crevit Christi amor et ardor, sicut per antiperistasin ignis aquis gelidis circumdatus magis se intendit et exardescit. Idem iure suo a sponsa Ecclesia, et anima pia reposcit Christus sponsus. Ratio est, quod charitas sit res pretiosissima, supernaturalis et divina quæ omne pretium, omnes opes, omnem substantiam superat, et præ qua omnes cruces et dolores quasi nihil sunt, nec æstimandi. Vers. 7.

VOX SPONSÆ

ADULTÆ DE IUNIORE, ID EST ECCLESIÆ DE SYNAGOGA.

SOROR NOSTRA PARVA EST, ET UBERA NON HABET; QUID FACIEMUS SORORI NOSTRÆ IN DIE QUANDO ALLOQUENDA EST?) Ecclesia audiens sponsum Christum tam excellentem erga se ostendere charitatem, et similem ab ipsa requirere, tacite assentitur, eamque spondet, uti patebit vers. 10. et seq. sed sollicitat de sorore sua Synagoga, id est de rudi plebe Iudæorum in fine mundi convertendorum, utpote adhuc numero parva, ac in fide recenti et in charitate tenera ut ubera non habeat doctrinæ, quibus alios lactet, sed potius ipsa se adhuc augat: dicit sodalibus sponsi, puta discipulis Eliæ et prædicatoribus Christi: Quid faciamus sorori nostræ Synagogæ, ut in fide crescat et in charitate adolescat, ut in die iudicii, quando a Christo sponso alloquenda est, quasi sponsa in cælestem thalamum inducenda, digna eius nuptiis cælestibus inveniatur, talisque ei appareat, placeat et copuletur. Vers. 8.

VOX SODALIUM SPONSI,

ID EST, DISCIPULORUM ET ASSECLARUM ELIÆ.

SI MURUS EST, ÆDIFICEMUS SUPER EUM PROPUGNACULA ARGENTEA; SI OSTIUM EST, COMPINGAMUS ILLUD TABULIS CEDRINIS.) q. d. Pars Synagogæ, id est plebis Iudæorum instar muri firmo et constanti est pectore: quare illam instruamus eloquiis S. Scripturæ, ut instructa fidem Christi prædicare, propagare et propugnare queat; hæc enim eloquia sunt id quod propugnacula argentea in muro, et quod ubera in pectore; nam ut propugnacula propugnant, ut ubera lactant. Pars altera Iudæorum instar ostii est pectore exili, debili, mobili et versatili: quare illam constringamus et roboremus sanctis Christianorum exemplis, quasi tabulis cedrinis, id est incorruptibilibus ut Iudæi in Christi fide et charitate firmati, si non ut sponsæ, certe ut adolescentulæ comites sponsæ, cum ea ad cælestes Christi nuptias iam imminentes admitti mereantur. Vers. 9.

VOX SPONSÆ

IUNIORIS, PUTA SYNAGOGÆ.

EGO MURUS, ET UBERA MEA SICUT TURRIS, EX QUO FACTA SUM CORAM EO QUASI PACEM REPERIENS.) q. d. Non est quod de me solliciti sitis: ego enim conversa ad Christum, adeo constanter et fervide ipsi adhæreo ut videar esse murus inexpugnabilis. Insuper sicut muro incumbunt turres, sic pectori meo firmo instar muri insistunt ubera doctrinæ et doctorum, adeo valida ut Antichristianos, Iudæos et quoslibet hostes sternere valeant; adeoque succulenta, ut suo lacte omnes meos in fide puel- Vers. 10

lolos laetare queant; idque habeo non ex me, sed ex gratia sponsi mei Christi, ex quo enim ipse ut verus Salomon me sibi dignatus est reconciliare, imo me Sulamitem, id est suam sponsam, cui nomen *pacifica*, efficere, illico in hoc robur et hanc celsitudinem excrevi, ut illi si non par, certe suppar esse videar.

VOX SPONSÆ.

ADULTÆ, PUTA ECCLESIÆ.

Vers 11. VINEA FUIT PACIFICO IN EA QUÆ HABET POPULOS; TRADIDIT EAM CUSTODIBUS, VIR AFFERT PRO FRUCTU EIUS MILLE ARGENTEOS.

Vers 12. VINEA MEA CORAM ME EST. MILLE TUI PACIFICI ET DUCENTI HIS QUI CUSTODIUNT FRUCTUS EIUS.) Pacificus est Salomon, ut habent Hebr. Septuag. et Syrus. Salomon autem hic est Christus. Videtur Salomon Canticum tanto amorum ardore cœptum frigido pacis fine concludere; sed Hebræi per pacem omnem salutem, omne decus, omnem voluptatem, omne gaudium, omneque bonum significant; vinum enim a vite vineæ expressum, hanc pacem afferens, hominem vivificat, lætificat et voluptate sua inebriat. Vinum enim lætificat Deum et homines. Iudic. 9. 13.

Ecclesia resumens vocem Synagogæ, quæ dixit: *Ex quo fui coram eo quasi pacem reperiens*, eam confirmans, respondet dicitque: Vere id dixisti, o soror mea Synagoga, quia sicut Salomon rex pacificus habuit vineam insignem in Baalhamon, id est in urbe ita dicta a populi frequentia; insuper habuit vineam mysticam, puta Synagogam, quarum utraque dedit fructus egregios, qui mille argenteis, id est maximo pretio æstimabantur: sic pariter verus Salomon id est Christus rex pacificus faciet ut vineam suam in fine mundi quæ abundet et numero et virtute fidelium Iudæorum, ideoque fructus mille argenteis, id est, maximi esse pretii censebitur.

Pari modo, *vinea coram me est*, id est ego Ecclesiam similem tui, o Synagoga, habeo vineam, quæ mihi semper præ oculis et summæ curæ est: vinea tua est Iudæa, mea vinea est totus orbis, puta omnes gentes quas in fide et pietate christiana per meos Prælatos et Pastores sedulo excolo, ideoque pari modo ea illa mille argenteos, id est maximum fructum et pretium colligo, illumque Christo meo offero: *mille* ergo *tui pacifici*, Hebr. *mille tui, o Salomon*, id est hos mille argenteos tibi, o Christe rex pacifice, offero tamquam tibi debitos, utpote ex tua gratia partos et productos; *et ducenti his qui custodiunt fructus eius*, q. d. Prælatis, qui hanc vineam coluerunt, debetur et dabitur duplex præmium, scilicet gloria animæ et corporis, ob decem præceptorum Decalogi observationem in corde et opere tam in se, quam in suis subditis, centies duplicatam, id est omni modo absolutam et perfectam. Centum enim duplicata faciunt ducenta.

VOX SPONSI.

QUÆ HABITAS IN HORTIS, AMICI AUSCULTANT, FAC Vers 13
ME AUDIRE VOCEM TUAM.) Bucolice Christus sponsus hic inducitur quasi pastor, cuius sponsa castitatis et meditationis studiosa, velut nympha ruralis habitat in hortis et vineis, easque accolit. Sensus est q. d. Christus: Audivi, o Ecclesia mea sponsa, tui in cælum anhelantis suspiria, sed tecta et obscura: quare velim ut ea clare enunties. Amici enim mei et tui, id est Angeli, avide ea audire desiderant; faciam ergo te votorum compotem; postula, et impetrabis; loquere, et exaudieris; suspira in cælum, et eo te ducam: iam enim imminet finis mundi, et dies iudicii ac beatæ resurrectionis.

VOX SPONSÆ.

FUGE, DILECTE MI, ET ASSIMILARE CAPREÆ HINNU- Vers 14
LOQUE CERVORUM SUPER MONTES AROMATUM.) Qui c. 2. v. ult. vocantur *montes Bether* vel *Bethel*, id est domus Dei, puta cæli, q. d. *Fuge*, id est celerrime instar fugientium caprearum et hinnulorum ex terra hac putida et fœtida, o Christe, te proripe in suaveolentes montes aromatum, id est in cælum, ac me quæso tecum rape, ut ibi invicem fruamur in beata æternitate; sicut capreæ et hinnuli, dum fugiunt venatores secum rapiunt suos catulos, nec sine iis fugam capessunt in montes aromatum, quales sunt in Iudæa, Libano, Syria et Oriente. Unde τὸ *fuge* sumi potest pro *fugere me fac*, per Hebraismum, quo *Cal* ponitur pro *Hiphil*.

Fuge, tace, quiesce.

Fuge ad montes aromatum, ad colles beatæ ÆTERNITATIS.

Quam felix, quæ beat, ÆTERNITAS! (*S. Arsenius*).

Noctem unam (*frigoris*) *cum sempiterno ævo commutabimus*, S. Basilius hom. de 40. Martyr.

Ævum Angelos, tempus homines, Deum sua beat æternitas, Doctor. Angel. 1. p. q. 10.

O regnum vere beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus; ubi victor miles illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione Canticum de Canticis Sion, nobile perpetuo caput amplectente corona, ait S. Aug. in Medit. c. 22.

COMMENTARIA

IN

LIBRUM SAPIENTIÆ.

ARGUMENTUM.

Tria hic de more præmittenda sunt: primum, de auctoritate libri; secundum, de auctore; tertium, de argumento.

Quæritur ergo primo, an Sapientia sit liber Canonicus S. Scripturæ? Negant Iudæi et hæretici, imo nonnulli Catholici, ut Lyran. et Caietan. Iudæi, quia in hoc lib. c. 2. 20. prædicitur mors Christi, illi in cruce infligenda ab impiis Iudæis. Hæretici, quia dum liber hic commendat castitatem, opera bona, martyria, merita et præmia, contrariis eorum hæresibus adversatur; unde eum reiicit Kemnitius in Examine Concilii Trid. sess. 4. imo Calvin. libro 4. Instit. c. 11. §. 8. scribit se in libro Sapientiæ invenisse mendacium, scilicet de inventore idololatriæ, qui c. 14. 15. dicitur fuisse pater lugens filium sibi morte ereptum; quæ Calvino Scriptura indigna est Bibliis, dignaque favillis: sed de hoc fusius agendum c. 14.

Sapientia est S. Scriptura.

Verum respondeo et dico: De fide est librum Sapientiæ esse Canonicam Scripturam. Patet, quia ita definivit Concil. Florent. in unione Armen. et Trid. sess. 4. Carthag. III. cap. 47. Toletan. XI. in Profes. fidei, Sardicense apud Theodor. lib. 2. Histor. cap. 8. Triburiense cap. 34. Pistense c. 1. Nicænum II. act. 4.

Hinc Christus et Apostoli ex libro Sapientiæ testimonia, æque ac ex aliis libris Canonicis mutuati sunt. Nam ex Sap. 3. vers. 7. *Fulgebunt iusti*, citat Christus illud Matth. 13. vers. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Rursum Matth. c. 27. vers. 43. refert id quod habetur Sap. 2. vers. 13. *Filium Dei se nominat.* Et vers. 18. *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit de manibus contrariorum.* Paulus quoque ad Rom. cap. 11. 34. profert illud Sap. 9. 13. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Et ad Ephes. 6. 13. et 17. depromit id quod habetur Sap. 5. 18. et 19. *Accipiet armaturam zelus illius, et induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Idem Hebr. cap. 1. v. 7. et 11. et alibi alludit ad dicta Sapientiæ cap. 4. 6. 7. et 9.

Idem faciunt Patres Græci et Latini, qui Sapientiam citant, ut divinam Scripturam, imo ut librum Salomonis. Loca eorum citabo quæst. 2. nunc sufficiat unius S. Aug. sententia, qui l. 2. de Prædest. Sanctor. c. 14. et lib. 2. de Symbolo ita scribit: *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis Episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.*

Quare vana est Caietani exceptio, dicentis librum Sapientiæ a Patribus vocari Canonicum, id est, regularem, quia valet ad ædificationem fidelium, et non ad stabilienda fidei dogmata: ad utrumque enim valet divina Scriptura, qualem aiunt esse Patres librum Sapientiæ. Vide Melchiorem Canum lib. 2. de Locis, c. 11.

Porro S. Athanas. in Synopsi, S. Epiphan. lib. de Ponderib. et mensuris, S. Hieron. in Prolog. galeato, et ep. 115. et in c. 8. et 11. Zachariæ, et Damasc. 4. de Fide, cap. 18. asserunt Sapientiam non esse in canone Hebræorum, et suo tempore necdum ab Ecclesia receptam ut librum Canonicum; legendum tamen in Ecclesia ad ædificationem plebis. Quare liber hic non est protocanonicus, id est primæ classis S. Script. quales sunt ii de quorum fide numquam est dubitatum; sed deuterocanonicus, id est, secundæ classis, quales sunt ii, de quorum fide dubitatum fuit aliquando, ac postmodum tota Ecclesia, re examinata, eos in canonem admisit. Audi S. Aug. l. 2. de Doctr. Christ. cap. 8. *Illi duo libri, unus, qui Sapientia; et alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Prophetas numerandi sunt.* Et l. de Prædest. Sanctorum, cap. 14. *Sed qui sententiis tractatorum*, ait, *instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur: Raptus est, ne malitia immutaret cor eius, omnibus tractatoribus anteponant; quem sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt.* Addit S. Isidor. l. 1. Offic. c. 12. quem sequitur noster Lorinus, olim librum hunc hebraice exstitisse, fuisseque in canone Hebræorum, sed a posterioribus Iudæis Christicidis abrasum ex eo, et abolitum, legique vetitum, eo quod nimis aperte de Christo, ac Iudæorum contra Christum insidiis et machinationibus oracula contineret. Vide Bellarm. l. 1. de verbo Dei, c. 13. Sixtum Senensem lib. 8. Biblioth. hæresi 9. Iudocum Coccium in Thesauro Catholico, in Sapientia, et Gonsalvum Cervantes proœmio in Sapientiam.

Secundæ classis.

Denique Ioannes Picus Mirand. Præfat. in Heptapl. asserit ab Hebræis legi librum Sapientiæ, a Salomone rege ex medullis Mosaicæ legis hebraice conscriptum, sed alterum et diversum ab hoc nostro, cuius quoque meminit Theophilus Antiochenus l. 3. ad Autolycum.

Quæritur secundo, quis sit auctor libri Sapientiæ?

Prima sententia est multorum, qui censent, auctorem esse Salomonem, imo nonnulli putant id esse quasi de fide. Ita noster Christoph. a Castro hic, et Sixtus Senensis l. 8. Biblioth. hæresi 9. Rugerius l. de Libris Canon. c. 24. ac fuse Gonsalvus Cervantes, q. 1. Prol. in Sapientiam, qui censet Sapientiam hebraice exstitisse tempore Septuag. Interpretum, et ab eis in Græcum, æque ac cæteros S. Script. libros esse traductam.

An Salomon sit auctor?

Probant primo, quia hic liber in Græcis Bibliis inscribitur: *Sapientia Salomonis.*

Secundo, quia multi Patres eum tribuunt Salomoni, vocantque Sapientiam Salomonis, ut Tertull. l. de Præscript. c. 7. Cyprian. lib. 3. Testim. c. 15. 52. 58. et 59. S. Ambr.

l. de Paradiso c. 7. S. Hilar. in Psal. 127. Clemens Alex. l. 6. Strom. post med. Origen. 1. Periarch. c. 2. S. Basil. lib. 5. contra Eunom. c. penult. Nazianz. orat. 49. 8. Athanas. in Synopsi sacræ Script. S. Isidorus l. 1. de Officiis Eccl. c. 12. quin et Conc. Carthag. III. Innocent. I. epist. 3. Evaristus epist. 1. Felix I. epist. 3. Lactant. l. 4. c. 16. Epiphan. hæresi 76. Damascen. 4. de Fide c. 18. Melito Asianus apud Euseb. l. 4. histor. c. 25. vel 26. ubi quinque Salomonis numerat libros, scilicet Proverbia, Sapientiam (græce ἡ σοφια, perperam aliqui legunt, ἡ σοφια, id est, sive *Sapientia*, quasi Proverbia alio nomine vocet Sapientiam) Ecclesiasten, Canticum et Ecclesiasticum. Hinc Euseb. lib. 4. hist. c. 22. *Hegesippus*, inquit, *et Irenæus*, *et omnis antiquorum chorus*, *librum qui oditulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut et Proverbia:* sic enim Eusebii verba ex Græco in Latinum traduxit Ruffinus.

Tertio, quia ipse auctor libri cap. 9. 7. vocat se regem et ædificatorem templi, qui alius esse nequit, quam Salomon: *Tu*, ait, *elegisti me regem populo tuo*, etc. et *dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo.*

Resp. negative. Probatur I. Verum longe verius est Salomonem non conscripsisse hunc librum. Primo, quia, si hic liber esset Salomonis, utique Hebræis fuisset cognitus, et in canone S. Scripturæ positus; iam autem nec in canone Hebr. est, nec hebraice ulli visus fuit: nullus enim est qui eum se hebraice vidisse asserat, ac nemo veterum (excepto uno Isidoro, qui posterior est) eum hebraice scriptum asseverat, uti de Evangelio S. Matthæi asseverat S. Hieron. et alii: cum ex adverso Ecclesiasticus hebraice visus fuerit Iesu Sirach iuniori, utpote qui eum se ex Hebræo in Græcum transtulisse profiteatur in Prologo.

II. Secundo, quia liber hic primitus græce scriptus videtur; redolet enim Græcanicam eloquentiam, teste S. Hieron. in Prologo in libros Salomonis: sicut vice versa Ecclesiasticus, utpote ex Hebræo in Græcum traductus, magis Hebræam, quam Græcam phrasin et simplicitatem redolet. Confer hunc librum cum Proverbiis, et videbis quanta sit styli phrasisque distantia, ac præsertim hic esse elegantes discursus continuos et connexos, cum in Proverbiis sint sententiæ disparatæ, quæ nullum inter se habent ordinem, vel nexum, ut plane ab auctoribus diversis videantur conscripti hi duo libri. Adde Salomonem huius libri non esse auctorem, inde certo colligi quod auctor c. 15. v. 14. dicat hostes populi Dei, puta Ægyptios, imperare illi. Tempore autem Salomonis nemo imperabat Israeli, nisi Salomon, qui et gentibus vicinis vel dominabatur, vel amicitiæ fœdere devinctus erat. Scriptus est ergo hic liber sub tempus Ptolomæi Lagi: hic enim Iudæam oppressit.

III. Tertio, quia veteres tres tantum numerant Salomonis libros, scilicet Proverbia, Ecclesiasten et Cantica. Ita Amphilochius Iconii Episcop. in ora. de legendis S. Script. libris, Isidorus Pelus. l. 4. ep. 40. S. Hier. epist. ad Paulinum, quæ præfigitur Bibliis, et alii.

IV. Quarto, quia ita censent plurimi et gravissimi auctores, ut Lyran. Hugo, Dionys. Abulens. Iansenius, Driedo, Melchior Canus, Michael Medina, Alphons. a Castro, Alphons. Curiel, Paulus a Palatio, Lorinus, Pamelius, Georgius Ederus, Didac. Coverruvias l. 4. Variar. resol. c. 14. Adrian. Finus, Genebrardus et alii, quos citat et sequitur noster Pineda præf. in Ecclesiasten, cap. 2. n. 20. Imo S. Aug. asserit hunc constantem et communem esse fidelium sensum: eius verba mox recitabo.

Denique auctor huius libri alludit subinde ad fabulas poetarum, qui omnes Salomone longe fuere posteriores. Sic c. 1. 14. dicens: *Nec inferorum regnum in terra*, alludit ad fabulam Plutonis et Ditis, qui fingitur a poetis rex inferorum, atque ab inferis ditionis suæ iura in terram extendisse. Rursum alludit ad ritus Gentilium, ut cum ait c. 2. v. 8. ex sententia Epicureorum; *Coronemus nos rosis.* Nam coronas rosaceas apud Hebræos non fuisse tempore Salomonis, imo nec tempore Isaiæ et captivitatis Babylonicæ, censet Tertul. l. de Corona militis c. 9. Videntur ergo illæ posteriori tempore ex commercio cum Gentilibus ad Hebræos permanasse. Sic c. 17. 13. in Græco

A nominat Orcum, et alludit ad Lethen, qui a poetis inducitur velut fluvius inferni, mortuis eo venientibus inducens rerum omnium oblivionem, asseritque ex Orco promanasse tenebras Ægypti. Et c. ult. vers. ult. *manna* in Græco vocat *Ambrosiam*, quæ a poetis fingitur esse cibus Iovis et deorum. Hanc sententiam clare indicat versio Syriaca, dum hunc titulum libro præfigit: *Liber magnæ Sapientiæ ipsiusmet Salomonis filii David, de quo facta est dubitatio, quasi aliquis sapiens ex Hebræis scripserit illum spiritu prophetico, cum nomine Salomonis posuisset, sive condidisset illum: et receptus est.* Puta habitus Canonicus; Arabica sic habet: *Liber Sapientiæ Salomonis filii David, qui regnavit in filiis Israel.*

Ad primum respondet S. Hieron. in Prologo illam inscriptionem in Græcis codicibus esse falsam. *Alius*, inquit, ψευδεπίγραφος, *hoc est falso inscriptus*, *qui Sapientia Salomonis inscribitur.* Et mox: *Apud Hebræos nusquam exstat, et ipse stylus Græcam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affir-*
B *mant.*

Ad secundum respondetur Patres hunc librum citare nomine Salomonis iisdem de causis, quibus Ecclesiasticum tribuunt Salomoni, quas recitavi proœmio in Eccles. ac præsertim, quod auctor huius libri eum scripserit nomine Salomonis, eiusque personam induat, ac illum loquentem et docentem inducat. Sicut Plato suos Dialogos inscribit nomine Socratis, Gorgiæ, Protagoræ, Timæi, etc. quia eos loquentes inducit: et Xenophon suum opus inscribit Cyrum, sive Cyripædiam; et Cicero librum de Claris orat. inscribit Brutum, qui inter oratores excelluit. Sic ergo hic liber adscribitur Salomoni, quia Salomon hic loquens inducitur, qui omnium sententia fuit mortalium scientissimus, et ut ille ait, antistes sapientiæ, Minervæ corculum, prudentiæ ocellus, Themidis os, medulla consilii, Scripturæ anima.

Id diserte docet Euseb. lib. 11. Præp. c. 5. *Hac ratione commotus*, inquit, *qui librum Sapientiæ persona sua* (eius, scilicet Salomonis) *inscripsit; ipse mihi dedit horum*
C *quæ sunt scientiam, ait, veram*, etc. pergitque citare verba quæ habentur Sapient. cap. 7. v. 17. Sic et Origen. in Ioan. tom. 20. *Sapientiæ liber*, inquit, *Salomoni inscriptus.* Ergo hic liber scriptus est, non a Salomone, sed ab alio in persona Salomonis; unde et S. Thom. in 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. ait in hoc libro sermonem esse ex persona Salomonis. Idem expresse docet Alphonsus Curiel. controv. 2. ini. Sapientiæ. Quin et S. August. l. 2. de Doctrina Christ. c. 8. sic ait: *Illi duo libri, primus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur.* Et l. 17. de Civit. c. 20. de eisdem libris, inquit: *Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo; non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.*

Accedit quod auctor Sapientiæ imitatus sit Salomonem, eiusque sensa, forte etiam sententias et verba in libris Hebr.
D illius ævi sparsim repertas collegerit, ordinarit, Græcaque phrasi et stylo expresserit, ut patet conferenti c. 7. et 9. Sapient. cum iis quæ de Salomone dicuntur 3. Reg. 3. 1. Paral. 28. 2. Paral. 1. Prov. 8. etc. Salomon enim locutus est tria millia parabolarum, et carminum quinque millia, ut patet 3. Reg. 4. 32. quæ omnia, nec Proverbiis, nec Ecclesiast. nec Cantico contineri queunt: pars ergo eorum Sapientia contineri potest. Ita censent Bellarm. l. 1. de Verbo Dei, c. 13. Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Salomon*, Adrian. Finus lib. 6. Flagelli Iudæorum cap. 13 et alii.

Ad Eusebium Resp. eius verba perperam traducta esse a Ruffino; græce enim sic habent: Ου μονος και αυτος, αλλα και Ειρηναιος, και πας ο των αρχαιων χορος, πανάρετον σοφιαν τας Σαλομωνος παροιμιας εκαλουν, quæ ad verbum latine sic sonant: *Non solus autem ipse, sed et Irenæus, et omnis veterum chorus, omni virtute refertam Sapientiam Salomonis Proverbia nuncuparunt;* itaque Euseb. non loquitur de libro Sapientiæ, sed de Proverbiis Salomonis, eaque di-

est a multis vocari Sapientiam πανάρετον, id est, de omni virtute tractantem; unde et Ecclesia in officio divino recitans Proverbia Salomonis, v. g. *Dominus possedit me*, ex cap. 8. *Mulierem fortem*, ex c. 31. præmittit: *Lectio libri Sapientiæ.*

Ad tertium iam dixi librum scriptum esse ab alio quidem, sed in persona Salomonis, ac ex multis Salomonis sententiis, quales sunt illæ in argumento propositæ.

An auctor Iesus Sirach? Secunda sententia est S. Augustini, lib. 2. de Doctrina Christ. c. 8. et l. 17. de Civit. c. 20. ubi scribit constantem esse opinionem, auctorem libri Sapientiæ, æque ac Ecclesiastici, esse Iesum filium Sirach, ut patet ex verbis eius iam recensitis. Unde uterque liber a multis vocatur Sapientia. Idem opinantur S. Isidorus et Theod. apud Lipomann. in Exod. cap. 16. Verum hanc sententiam retractat ipse S. August. l. 2. Retract. cap. 4. *De auctore libri*, ait, *quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum sicut Ecclesiasticum, Iesus filius Sirach scripserit, nec ita constare sicut a me dictum est, postea didici, et omnino probabilius comperi non esse eius auctorem.*

An Philo? Tertia sententia est auctorem huius libri esse Philonem Hebræum, qui paulo post Christum vixit sub Caio Caligula Imp. ad eumque legationem obiit pro Iudæis, sed ab eo repulsus conversus ad socios dixit: *Bono simus animo: nam Deus nobis propitius erit, cum infensus est Caius*, uti refert Ioseph. lib. 18. Antiq. c. 10. Hic enim Philo fuit vir doctus et disertus, ac plurimos in Script. edidit libros, totusque moralis est et pius qualis est et auctor Sapientiæ. Unde S. Hieron. in prologo ait: *Nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affirmant.* Ita censent Lyran. Dion. Galatinus l. 1. de Arcan. fidei c. 4. Ludov. Vives in c. 20. l. 17. S. August. de Civit. Adduntque nonnulli Philonem scripsisse hunc librum ad consolationem Iudæorum, quos affligebat Caius Imp. Unde proponit eis exemplum liberationis Hebræorum a tyrannide Pharaonis, quem Deus tot plagis attrivit: ac iusti regis regimen describit, iniusti vero et tyranni culpam eique Dei vindictam comminatur.

Verum hæc sententia plane est improbabilis. Primo, quia hic Philo post Christum mansit Iudæus, id est infidelis, et in iudaismo pertinax, ideoque a Christo alienus et Christianæ fidei adversarius. Quis credat infidelem scripsisse librum tam fidelem, in quo fidei principia traduntur, ac præsertim de Christo patiente ac mortuo, ut patet c. 2. 20.

Secundo, quia Sapientia ab omnibus Orthodoxis totaque Ecclesia numeratur inter libros veteris Testamenti, qui ante Christum scripti sunt; prophetat enim de Christo c. 2. Ergo scribi non potuit a Philone, qui vixit post Christum. Adde stylum Philonis a stylo Sapientiæ longe distare.

Tertio, quia Philo hic valde addictus fuit Platoni; unde illud: *Aut Philo platonisat, aut Plato philonizat.* Hinc ex Platone suos hausit errores, ut cum lib. de Opificio sex dierum censet stellas esse animalia intelligentia; ac cælum a Deo esse factum, ut deorum tam invisibilium (angelorum) quam visibilium (stellarum) sit domicilium: astruit sæpe planetarias divinationes ex Thalmudicis et Genethliacorum deliramentis: dubitat an mundus magis sit ad imaginem Dei factus, quam homo, et an paradisus terrestris revera exstiterit: libro *de congressu quærendæ eruditionis gratia*, insinuare videtur infernum non aliud esse, quam flagitiosi hominis conscientiam eiusque remorsum: lib. *de profugis*, asserit animam rationalem dumtaxat Adæ creatam a Deo, sensitivam autem una cum angelis. Plures Philonis errores recenset Sixtus Senensis l. 5. Biblioth. c. 17. et 93. nonnullos autem refellit auctor libri Sapientiæ.

Quarto, quia liber hic citatur a S. Clemente Pontif. epist. 1. et a S. Dionysio Areopag. c. 4. Divin. nom. ut antiquior, divinus et priscus: S. Dionys. autem, æque ac S. Clemens, coævus Philoni fuit, imo liber Sapientiæ citatur a Christo et Apostolis, qui Philonem antecessere, ut ostendi quæst. 1.

Quinto, quia S. Hieron. lib. de Viris illustribus, et Euseb. lib. 2. histor. c. 17. texentes catalogum librorum Philonis, nullam faciunt mentionem libri Sapientiæ.

An Philo priscus? Hisce rationibus convicti nonnulli censent hunc librum scriptum a Philone, non illo, qui vixit post Christum sub Caio, sed seniore, qui vixit 160. annis ante Christum sub Onia prisco pontifice. Ita Alphons. Curiel controv. 2. Michael Medina libr. 6. de recta in Deum fide c. 12. Driedo l. 1. de Eccles. dogm. c. 4. ad 5. diffic. Canus l. 2. de Locis cap. 11. ad 5. Pamelius in notis ad S. Cypr. l. de Mortal. num. 43. Genebr. in Chronol. anno mundi 3860.

Verum Philonis huius senioris nulla est mentio apud Iosephum, Eusebium, aliosque antiquos scriptores; hi enim tantum meminerunt Philonis Hebræi, qui vixit sub Caio: et Philonis Byblii, id est oriundi ex Byblo civitate Phœniciæ, qui non fuit Hebræus, sed Gentilis, ideoque ineptus ad scribendum res Iudaicas, ac multo magis ad scribendum libros Canonicos. Id diserte docet Euseb. l. 1. Præpar. Evang. c. 6. *Philo*, ait, *non Hebræus, sed Byblius, Phœnicum historiam eorum lingua scriptam in Græcam linguam traduxit.* Eumdem, non alium, citat Iosephus lib. 1. contra Apionem, cuius verba transcripsit Euseb. l. 9. Præp. in fine, ubi ait Demetrium Phalereum, Philonem seniorem (Byblium) et Eupolemum, Gentiles, scripsisse historias Chaldæorum, Syrorum et Phœnicum, ac obiter subinde tangere res Iudaicas, sed in hisce, utpote sibi peregrinis, quandoque hallucinari: *Quibus*, inquit, venia *danda est, quoniam magnam nostrarum litterarum peritiam non habuere*; quod de Philone Hebræo dici nequit. Adde: auctores citati censent Philonem hunc fuisse unum ex 72. Interpretibus: hoc autem dici nequit; nam Aristæas in Historia 72. Interpretum singulorum nomina assignans, nullum inter eos Philonem nominat.

Causa erroris, cur scilicet nonnulli Sapientiam tribuunt Philoni, est quod Salomon a Deo 2. Reg. 12. 25. nuncupatus sit hebr. ידידיה *Iedidia*, id est *amabilis Domino*, qui græce dicitur φίλος: φιλέω enim est amo, φιλία amor, φίλος amicus. Unde et Philo Iudæus a Rabbinis (et nominatim a R. Asaria) hebr. vocatur *Iedidia*. Hebræi enim prisci Sapientiæ auctorem fecere Salomonem, ut patet ex R. Mose Bar-Nachmani, qui contracte *Remban* vocatur, et ante 300. annos floruit. Hic enim in proœmio Pentateuchi, ex magna Sapientia Salomonis velut S. Scriptura, citat illud Sapient. 7. v. 7. *Optavi, et datus est mihi sensus*, ac cetera quæ sequuntur recitat accurate et prolixe. Recitat autem lingua Hierosolymitana, puta Syriaca, qua usi sunt Iudæi post reditum ex Babylone: unde colligas libri huius auctorem illi esse Salomonem, ut tamen a quopiam posteriore post excidium Ierusalem per Chaldæos, scriptus sit stylo proprio et patrio ideoque non pure hebraice, uti sua scripsit Salomon sed corrupte sive hierosolymitane, hoc est Syriace. Aut potius liber hic primitus ab auctore græce scriptus, deinde a quopiam Hebræo in linguam Hierosolymitanam translatus est æque ac liber tertius Machabæorum; sic enim et Iosephus et Philo sua græce scripserunt, quia græce periti Græcis et Latinis scribebant. Stylus enim Sapientiæ plane græcam phrasim redolet, non hebræam. Recentiores ergo Latini nonnulli hunc librum tribuerunt Philoni Iudæo, eo quod Hebræi tribuerent eum Philoni, ignorantes ipsos per Philonem intelligere Salomonem, ob causam iam dictam, non Philonem Iudæum.

Incertus auctor Sapientiæ. Dico ergo: Certum est de fide auctorem primarium libri Sapientiæ esse Spiritum sanctum; incertum vero est quis fuerit secundarius, scilicet Hebræus Scriba et Rabbinus, qui dictante Spiritu sancto eum conscripserit.

Id satis insinuat S. Dionys. Areopag. cap. 4. Divin. nom. ubi citans locum ex c. 8. Sapientiæ: *Imprimis*, inquit, *Scripturæ sanctæ institutionibus invenies quemdam hæc dicentem de divina sapientia; Amator factus sum pulchritudinis eius*: ubi τὸ *quemdam* significat auctorem incertum. Eodem modo Sapientiæ auctorem citat Anast. Nicenus q. 35. in sacram Script. *Quidam*, inquit, *sapiens.* Et S. Gregor. l. 27. Mor. c. 18. *Bene*, inquit, *per quemdam sapientem dicitur*, Sap. 17. 20. *Cum sit timida nequitia*; et l. 23. Mor. c. 16 *Bene quidam sapiens* (Sap. 7. 15) *mihi autem Deus dedit dicere ex sententia.* Simili modo cum citat S.

Chrys. hom. 4. et 47. in Gen. et hom. 40. et 42. in Matth. et S. Cyril. Alex. dial. de Trinitate, et S. Hieron. in Prologo in libros Salomonis: *Apud Hebræos*, inquit, *nusquam est, quin et ipse stylus græcam eloquentiam redolet.* Et Euseb. lib. 11. Præp. c. 5. *Hac ratione commotus*, ait, *qui librum Sapientiæ suæ personæ inscripsit*, scilicet incognitus. Genebrardus quoque ait auctorem Sapientiæ esse anonymum et incertum. Sic et cæteri, quos citat et sequitur Pineda præfat. in Eccles. c. 2.

Scriptus hic liber sub tempus Alexandri Magni

Porro, quia hic liber videtur scriptus græco stylo ab Hebræo quopiam, teste S. Hieron. conjicere licet eumdem scriptum esse paulo post regnum Alexandri Magni, qui Salomone sexcentis et amplius annis fuit posterior: Alexander enim cum imperio linguam Græcam invexit in Judæam, ita ut nobiliores Judæi tunc græce discere cœperint. Hinc paulo post Alexandrum Ptolomæus Philadelphus, secundus Ægypti rex, e Judæa evocavit 72. Interpretes, qui Biblia Hebræa in græcum idioma traducerent: quare tunc Hebræi didicere linguam græcam, ac græce scripsere libros: unde et Jesus Sirach nepos, librum Ecclesiastici ab avo hebraice conscriptum traduxit in linguam græcam, ut ipse fatetur in Prologo Ecclesiastici; illud enim sæculum fuit litteratorum: quare tunc apud Judæos floruit sapientia et eloquentia Græcanica. Igitur textus Græcus hic videtur originarius S. Scriptur. textus. Nam stylus et facundia Græcam magis eloquentiam, quam Hebræam simplicitatem redolet, ut recte advertit S. Hieron. et colligitur ex c. 15. 14.

Videtur ergo quod sub tempore Ptolomæi Philadelphi scriptus fuerit liber Sapientiæ græce, ab aliquo e 72. Interpretibus, vel simili Rabbino, forte in gratiam Ptolomæi Philadelphi: unde toto hoc libro regem instruit, quomodo sapienter et juste debeat administrare rempubl. Hac enim de re ipse Ptolomæus 72. Interpretibus totidem quæstiones, puta singulis singulas proposuit, ut ab iis disceret modum bene regendi, quas recenset Aristæas in Historia 72. Interpretum. Hæc Chronologia et ratio temporis facem præferet huic libro, eumque mirifice illustrabit, ut patebit quæstione sequenti.

Argumentum libri

Quæritur ergo tertio, quod sit argumentum hujus libri? Respond. Liber hic argumentum prodit nomine suo; vocatur enim Sapientia, quia tractat de vera sapientia, ejusque origine, moribus, operibus, effectibus et præmiis.

Sapientia quid

Porro sapientia hic non tam speculative, quam practice accipitur, quæ scilicet est ratio agendorum secundum Deum, ac proinde non aliud est quam vera veri Dei cognitio conjuncta cum ejus timore, religione et cultu, qui hominem ad salutem et æternam felicitatem perducit. Hinc Isidor. l. 3. Etym. Sapientia, ait, est *sapida scientia*. Unde Noster sapientiam bene vertit, εὐσέβειαν, id est, pietatem cap. 10. v. 12. ac sapientiam subinde nominat *justitiam*, quæ generalis est virtus, omnesque virtutes complectitur, illique cap. 7. vers. ultimo opponit malitiam, id est, vitium et peccatum. Id ita esse clare significat Sapiens c. 7. v. 18. *Initium*, inquit, *illius verissima est disciplinæ concupiscentia; cura ergo disciplinæ, dilectio est: et dilectio, custodia legum illius est; custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Unde et Moses Deut. 4. 5. *Scitis*, ait, *quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus, sic facietis ea in terra quam possessuri estis, et observabitis et implebitis opere; hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.* Et Job. cap. 28. v. 28. *Ecce timor Domini*, inquit, *ipsa est sapientia.* Unde Lactant. lib. 3. de Vera sapientia cap. 11. et lib. 4. c. 3. dixit sapientiam et religionem segregari non posse; quod sapere nihil aliud sit quam Deum verum justis ac piis cultibus honorare. Vide dicta Eccli. 1. 1. et Prov. 1. 1.

Apud Philosophos et Theologos Scholast. sapientia aliter varieque accipitur, ut pro rerum omnigena cognitione; pro ea quæ in quovis genere artis est; pro Metaphysica, pro Theologia, pro fide quæ in actionem etiam prodeat; adde, pro uno donorum Spiritus sancti, et increata Sapientia, Verboque divino. Quas acceptiones fuse hic prosequitur noster Christoph. a Castro; sed illæ huc non pertinent, nisi quatenus sapientiæ jam explicatæ sunt associatæ, effectus et præmia, uti patuit in Salomone, qui proinde de se ita scribit cap. 7. 17. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici; omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Auctorem nostræ Sapientiæ imitati sunt Philosophi. Hinc Plato philosophiam nunc definit solutionem animi a corpore, seu mortis commeditationem; interdum conversionem animi ad ea quæ vere sunt et divina. Stoici vero auctore Plutarcho lib. 1. de Placitis philosophorum cap. 1. definierunt philosophiam accommodatæ ad vitam artis meditationem, atque hanc esse unam eamdemque summam virtutem, quæ per Dei imitationem, ut ex Platone adducit Euseb. lib. 12. de Præp. cap. 20. quantum homini possibile est, transitum facit ad fugam terrenorum; imitatur autem Deum justitia, sanctitate, prudentia. Est autem justitia, ut docet Clemens Strom. l. 4. concentus partium animæ; sanctitas vero Dei cultus.

Porro, Stoicorum axioma, imo paradoxum fuit, solum sapientem esse regem, legislatorem, imperatorem, justum, sanctum, Deo amicum, solum divitem, liberum, honoratum, pulchrum. Ita ex Platone in Phædro docet Clemens Alexandrin. l. 1. Strom. quin et Cicero orat. pro Murena. Hinc et Ægyptii non nisi ex sapientibus creabant reges et judices, teste Clemente lib. 5. ex Magis Persæ, ex Gymnosophistis Indi. Ita noster a Castro.

Nota eamdem sapientiam hic et in Proverbiis, et aliis libris Sapientialibus pertractari; sed hic sublimius, divinius et quasi ex radice. Unde etiam agit de sapientia increata, tum essentiali, quæ communis est toti SS. Trinitati, tum genita et notionali, id est, Verbo æterno, ac de ejusdem incarnatione et passione prophetat. Quare cum Sapientiæ nomen huic libro est appropriatum: licet enim tres libri S. Scripturæ vocentur Sapientia; nam Proverbia vocantur Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus vocatur Sapientia Sirach, hic liber vocatur Sapientia Philonis, vel potius Anonymi; tamen hic liber præ cæteris nomen Sapientiæ absolute obtinuit; tum quia agit de Sapientia in genere, ejusque natura, origine, internisque proprietatibus; tum quia in Proverbiis et Ecclesiastico traduntur præcepta sapientiæ ethica, quæ quemvis privatum de moribus et virtutibus instruunt; unde hi duo libri vocantur σοφία πανάρετος, id est, *sapientia omnino virtuosa*: hic vero liber Sapientiæ tradit præcepta politica, quibus reges et magistratum ad bene regendam rempubl. informat, ut patet cap. 1. 1. cap. 6. 2. et seq. Summa enim sapientia, et *ars artium est regimen animarum*, ait S. Greg. initio sui Pastoralis. Adde Sapientiam de cæteris quoque virtutibus cuique propriis tractare, ideoque et ipsa πανάρετος, id est, *omni virtute referta*, a Damasceno lib. 4. de Fide cap. 18. nuncupatur; imo liber hic magis est pius et patheticus, quam sit Ecclesiastes vel Proverbia: passim enim Dei timorem piosque erga Deum affectus spirat, legentique aspirat; tum quia prophetat de Filio Dei, cui Sapientiæ nomen ex vi originis est proprium: unde nobile illud Constantinopolis templum Dei Filio dicatum, Sophiæ nomine fuit insignitum. Et Christus specie adolescentis speciosi apparens Beato Laurentio Justiniano adhuc adolescenti, rogatus quisnam esset, Dei sapientiam se esse respondit, uti habet ejus Vita. Hinc sanctus Athanasius in Synopsi Sacræ Scripturæ bonam hujus libri partem applicat Christo; hinc et liber hic a Patribus inter Prophetales refertur.

Tres libri partes.

Quocirca idem dividi potest in tres partes, sive sectiones: prima, a cap. 1. usque ad cap. 7. elogium sapientiæ continet, et parænesin, vel adhortationem, ad eius amorem, studium et zelum; secunda, a cap. 7. ad 10. originem sapientiæ, quod scilicet a Deo sit orta; tertia, a cap. 10. ad finem eius effectus, et commoda per Patriarcharum Adæ, Noe, Abrahæ, Lot, Iacob, Ioseph, Mosis, Hebræorum exempla enarrat.

Igitur hoc libro est continua et perpetua sapientiæ, id est, iustitiæ et virtutis laus; ac insipientiæ, id est, iniustitiæ et vitii vituperatio, cum intentatione gravissimorum, vel suppliciorum, vel præmiorum. Unde nullus fere liber veteris Testamenti clarius graviusque proponit iustorum æterna in cælis præmia et impiorum æterna in gehenna tormenta, quam liber Sapientiæ.

Iam ut proximius et penitius argumentum et materiam huius libri inspiciamus, meminisse oportet, quod dixi quæst. præced. librum hunc scriptum sub tempora Alexandri Magni et Ptolomæi Philadelphi: Alexander enim pugnaturus contra Darium ultimum regem Persarum (uti paulo post eum vicit, ab eoque et Persis monarchiam ad se et Græcos transtulit) offensus fuit Iudæis, eo quod ipsi Darii partes adiuverant; quare pergens Hierosolymam eis minabatur excidium, sed occurrit ipsi Iaddo pontifex pontificalibus amictus, eiusque iras et animos ad benevolentiam inflexit. Quocirca et ipse primus pontificem salutavit, et nomen Dei tetragrammaton, quod in fronte laminæ incisum gestabat, adoravit; cumque id omnes mirarentur, Parmenio Alexandrum rogavit, inquit Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8. *quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum pontificem? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cuius pontifex esset, honorem eam exhibuisse: Hunc enim, inquit, vidi et antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo et sine mora exercitum traiicere: nam suo ductu potiturum me Persarum Imperio. Quapropter, quia nunc primum talem habitum vidi, agnoscens hunc, et visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, et brevi fore victoriæ compotem, et sublato Persarum imperio cessura mihi omnia ex sententia.*

Alexander Iaddum veneratus est.

Alexandro mortuo, quatuor duces primarii eius diviserе imperium. Antigonus occupavit Asiam, Antipater Macedoniam, Seleucus Syriam, Ptolomæus Lagi filius Ægyptum; quare media inter Syriam et Ægyptum Iudæa utrique, et utriusque (puta Seleuci et Ptolomæi) posteris, fuit pomum discordiæ, imo prædæ, nunc Ptolomæis, nunc Antiochis eam sibi subiugantibus. Igitur Ptolomæus Lagi filius Hierosolymam dolo invadens cepit, ac ex Iudæa in Ægyptum abduxit centum viginti captivorum millia; quare Iudæos graviter afflixit, adeo ut nonnulli Iudæorum in Ægypto a iudaismo ad gentilismum, et idola Ægyptiorum deficerent.

Ptolomæorum persecutio.

Ptolomæo Lagi in regno Ægypti successit filius Ptolomæus Philadelphus; hic patris vestigiis insistens initio pressit Iudæos, at postmodum per 72. Interpretes eis reconciliatus, valde benevolus et beneficus exstitit, quæ omnia fuse narrat Ioseph. lib. 12. Antiq. cap. 1. et 2.

Igitur auctor huius libri videns Iudæorum afflictiones, quas patiebantur a Ptolomæis, scripsit hunc librum ad consolationem et confirmationem Iudæorum, ne a Deo rectaque fide ad idola Ægyptiorum deficerent. Quocirca fuse toto c. 12. 13. et 14. unius Dei cultum stabilit ac idolorum inanitatem demonstrat, uti antea in simili tribulatione fecerat Ieremias, scribens epistolam ad Iudæos ituros in Babylonicam captivitatem, qua eis idolorum vanitatem ostendit, hortaturque ne in Babylone idola mirentur et colant. Exstat hæc epistola Baruch. cap. 6 Hac de causa Sapiens hic cap. 3. et 5. hortatur Iudæos et quoslibet fideles ad constantiam et martyrium pro fide unius Dei, si opus sit, obeundum, eo quod eos maneat in cælis corona gloriæ sempiternæ, uti paulo post sub Antiocho Epiphane, ad idem hortati sunt se invicem cæterosque Iudæos, Mathathias et Machabæi, 2. Machab. 7. etc.

Scopus libri

Rursum, occasione persecutionis Ptolomæorum regum, reges instituit, quomodo sapienter, id est, recte, pieque, ex metu cultuque veri Dei subditos regere debeant, ac iniustis et tyrannis minatur Dei, qui Rex est regum, horrenda supplicia, atque hac de causa, cap. 16. et seq. usque ad finem, per quatuor integra capita Pharaonis Hebræos persequentis historiam, plagas et exitium; Iudæorum vero liberationem, victoriam et miracula fuse commemorat hoc fine. Primo, ut Ptolomæi, qui Pharaoni in regno Æ- 1.
gypti successerant, illum sibi in exemplum et speculum statuant, sciantque se pari modo a Deo castigandos, si Dei populum, puta Hebræos, vexent et persequantur. Ex adverso Ptolomæis cæterisque regibus imitandum proponit Salomonem regem sapientissimum, ditissimum, præstantissimum, qui filiam Pharaonis regis Ægypti duxit in uxorem, ac proinde cum Ægyptiis affinitate fuit coniunctus. Hinc cap. 7. 8. et 9. Salomonis sapientiæ studium et orationem, qua eam a Deo efflagitavit et impetravit, fuse enarrat; ac simul eius scientiam, opes, honorem, magnificentiam et gloriam, quibus a Deo ob sapientiam, id est, iustitiam virtutemque exaltatus et cumulatus est, recenset, ut sciant reges eadem sibi a Deo danda, si sapientiæ,
id est, iustitiæ et virtutis, sint studiosi. Secundo, ut Iudæi 2
a Ptolomæis oppressi in spem liberationis erigantur, dum legunt maiores suos a Pharaone eodem loco oppressos, per tot gloriosa signa et prodigia a Deo mirabiliter fuisse liberatos. Consentit huic meæ opinioni vel suspicioni, quod Iesus Sirach auctor Ecclesiastici cap. ult. v. 7. gratias agat Deo, quod se liberarit *a verbo mendacii, et a rege iniquo,* utique Ptolomæo. Hic enim Iesus fuit coævus auctori Sapientiæ. Unde S. August. in Speculo Sapientiam iungit Ecclesiastico, et utrumque postponit Isaiæ cæterisque Prophetis.

Porro castitatem Sapiens impense commendat c. 4. quia Ægyptii, et præsertim Ptolomæi, salaces erant et luxoriosi: unde sorores suas ducebant in uxores.

S. Macrina studium sapientiæ

Memorabile est quod de S. Macrina sorore sua scribit Nyssenus in eius Vita, scilicet ipsam a teneris didicisse Sapientiam Salomonis et Psalmos Davidis, eosque iugiter, sive oraret, sive comederet, sive studeret, sive cubitum iret, decantasse. Eumelia mater S. Macrinæ: *Illa,* inquit, *quæ ex divino spiritu dictata Scriptura, primæ illi ætatulæ faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat; et in primis Sapientiam Salomonis, idque ex ea potissimum, quod ad vitam et mores maxime conducebat.* Hinc tanta in sanctitate et sapientia evasit, ut ab Angelo matri ex ea gravidæ apparente, S. Theclæ fuerit comparata, Theclaque cognominata; quare ipsa S. Basilii, Nysseni, Petri et Naucratii fratrum suorum fuit pædagoga et magistra ad omnem virtutem.

Origo Pharisæorum et Sadducæorum.

Denique liber Sapientiæ, æque ac liber secundus Machabæorum, maxime videntur scripti ab aliquo Pharisæo contra Sadducæos, qui negabant numen et animæ immortalitatem, indeque futura bonorum præmia, et impiorum supplicia, quæ omnia concedebant et contra Sadducæos propugnabant Pharisæi, ut patet Act. 23. 8. Cum enim Esras scriba collegium Scribarum, id est, sapientiæ studiosorum instituisset, ac tempore Machabæorum, imo tempore Ptolomæi Philadelphi, Iudæi sub iugum Alexandri et Græcorum venissent, factum est ut multi Scribarum Platonis, Aristot. aliorumque Græcorum Sophistarum libros legerent, vel cum eorum posteris et asseclis sermones miscerent; ac, cum viderent hos negare numen et futuram vitam, illos vero utrumque asserere, ipsi quoque in duas sectas divisi sint, nimirum in Pharisæos qui utrumque asserebant; et in Sadducæos, qui utrumque negabant. Pharisæos sequebatur populus, Sadducæos vero optimates, utpote liberiori et licentiori vitæ dediti. Unde Ioannes Hyrcanus, filius Simonis, fratris Iudæ Machabæi, a Iuda Machabæo (cuius fidei exemplum hac de re exstat 2. Mach. 12.) degenerans, in ultima sua senectute a Pharisæo quodam irritatus, et ab altero Sadducæo amico suo incitatus, ad Sadducæos defecit, teste Iosepho lib. 13. An-

tiq. cap. 18. ei acerrime Pharisæos est persecutus. Hyrcanum secutus est filius Alexander, et ex eo nepos Aristobulus; e quibus Alexander uno die octingentos Iudæos coram se cum pellice epulante, crucifigi iussit, teste Iosepho lib. 13. Antiq. cap. 22. Hos secutus videtur Herodes Ascalonita, qui proxime Aristobulo, eiusque fratri Hyrcano in principatu Iudææ successit; nam et ipse plurimos Pharisæos occidit, eo quod in ipsum regem iurare nollent. Mox vero contentiones hæ Pharisæorum et Sadducæorum sedatæ sunt post exsilium Archelai, filii Herodis, cum ei suffecti fuere Præsides Romani; hi enim in neutram harum sectarum partem declinarunt; ac tum utraque pars, licet opinioni suæ inhærens, conspiravit contra Christum quasi communem suum, id est, iudaismi et Synagogæ hostem. Ita Franc. Lucas in Matth. cap. 3. v. 7. Sapiens ergo optimates hac hæresi Sadducæorum (quibus similes sunt nostri Machiavellistæ) infectos, ad sanam numinis fidem metumque revocare satagens, eos compellat, dicens: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate*, id est, bene recte et digne; ac deinceps eis futura impiorum supplicia, et piorum præmia inculcat.

Igitur Sapiens hoc libro maxime celebrat opera sapientiæ, in tutandis protegendisque bonis et fidelibus Hebræis, ac perdendis impiis infidelibus, Deoque rebellibus, Chananæis et Ægyptiis, Pharaonis assectis; qua de causa breviter hic multas Geneseos, Exodi et Numerorum historias perstringit, ac subinde nonnulla, quæ ibi tacentur supplet, ut de origine et auctore idololatriæ, cap. 14. 15. de vespis, quæ missæ a Deo debilitarunt Chananæos ante adventum filiorum Israel, cap. 12. 8. de manna iustis omnem saporis suavitatem varietatemque quam desiderabant, exhibente, cap. 16. 20. de larvis spectrisque, ac igne sibilisque serpentum et bestiarum percellentibus Ægyptios in nona plaga Ægypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, cap. 17. v. 5. 6. 9. de visionibus terrificis primogenitorum, cum occiderentur transeunte Angelo, cap. 18. 19. Ubi adverte auctorem huius libri sæpe salire subito ab uno Dei miraculo ad aliud, ac subito resilire et ad prius redire, idque facit maxime ultimis libri capitibus. Idem sæpe faciunt Prophetæ; hic enim liber scriptus est stylo prophetali, uti docent Patres.

Iam vero S. Hier. qui Auctor est Latinæ versionis Vulgatæ Bibliorum, exceptis Psalmis (in his enim Ecclesia retinuit versionem Septuag. utpote iam omnium ore tritam et decantatam) non videtur fuisse interpres huius libri Sapientiæ et Ecclesiastici, quia eos non videtur habuisse Canonicos; unde nec prologum eis præfigit, uti in cæteris libris a se traductis facere solet; imo passim aliter Sapientiam citat, quam habeat nostra Vulgata, ut patet ex Comment. eius in cap. 55. Isaiæ, et in Zachar. cap. 8. et 12. et alibi sæpius. Versio Sapientiæ non est S. Hieronymi.

Denique a S. August. Cypr. Dionys. Areopag. et aliis S. Hieron. antiquioribus citantur sententiæ e libro Sapientiæ eodem plane modo, quo nunc habentur in Vulgata Latina; illa ergo ante S. Hier. exstiterit oportet. Quare plane verisimile est in Sapientia et Ecclesiastico retentam fuisse ab Ecclesia priscam versionem, qua ipsa usa fuit ante S. Hier.

Adverte, Græca hic æque ac in Ecclesiastico, sæpe incerta sunt et evariant; consulenda ergo est editio Græca Romana correcta a Cardinale Caraffa, et probata a Sixto V. ac multo magis Latina Vulgata, quæ hic purior est, quam sit Græca, ideoque Græcæ præferenda, ac habenda S. Script. authentica, uti sanxit Conc. Trid. sess. 4.

Commentati sunt in Sapientiam S. Bonav. Lyranus, Hugo, Dion. Carthus. Robertus Holcot ex Ordine S. Dominici, Petrus de Alliaco Cardinalis, Petrus Nannius, Hieron. Osorius, Vatabl. Isidorus Clarius, Corn. Iansenius, nostri Ioannes Lorinus, et Christoph. a Castro, Gonsalvus Cervantes ex Ordine S. August. Porro Bellator Presbyter, uti refert Robert. Holcot, scripsit in Sapientiam lib. 24. Matthæus Cantacuzenus brevia, sed insignia in Sapientiam edidit scholia quæ ex Græco in Latinum convertit noster Brunellus. Commentatores.

Brevior hic ero, ne opus Salomonicum nimis excrescat, præsertim quia multa, quæ hic commemorantur, et iterantur, iam a me in Pentateucho, Proverbiis et Ecclesiaste explicata sunt.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invitat omnes, præsertim rectores, ad sapientiam, ad eam viam monstrat, scilicet iustitiam et sincerum Dei sensum cultumque: Deum enim nosse et odisse simulationem, murmurationem, detractionem, mendacium, omnemque pravitatem cordis, oris et operis, quibus iustitia læditur, ac mors provocatur, quam Deus non fecit, sed impii eam sibi ultro accersierunt.

1. DILIGITE iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: 2. Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. 3. Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes: 4. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. 6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ eius auditor. 7. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. 9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. 10. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. 14. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. 15. Iustitia enim perpetua est et immortalis. 16. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam: et æstimantes illam amicam, defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

Vers. 1 DILIGITE IUSTITIAM, QUI IUDICATIS TERRAM. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE, ET IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM.) Vox *diligite* græce ἀγαπήσατε, hebr. אהבו *ahabu*, habet energiam et emphasim; significat enim ingentem et vehementem amorem, et quasi ardorem iustitiæ, qui iudicibus et principibus a natura quasi insitus et connaturalis videtur, sed gratia et exercitio acuendus et perficiendus sit, ut notat S. Basil. in Psal. 44. ad illa: *Dilexisti iustitiam*.

Nota: Sicut Ecclesiastes initio proposuit thema totius libri, dicens: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, quod deinde toto libro prosequitur, probat et confirmat; sic hic Sapiens proponit thema et argumentum totius sapientiæ suæ; hæc enim non aliud tractat, non alium scopum spectat, quam ut doceat omnes homines præsertim principes, diligere iustitiam, Deum cognoscere, amare et revereri, ac simplici corde illum quærere, colere et venerari. In hoc enim consistit vera, cœlestis et divina sapientia, unicum ergo medium ad sapientiam est iustitia; unde Ecclesiast. c. 1. v. 33. *Fili*, ait, *concupiscens sapientiam, conserva iustitiam, et Dominus præbebit illam tibi.*

DILIGITE IUSTITIAM, QUI IUDICATIS TERRAM.) Syrus et Arabicus, *iudices terræ*; Anton. in Melissa, p. 2. serm. 9. legit: *Qui iudicia exercetis inter homines*, q. d. Vos, o reges, principes, gubernatores et iudices, qui iudicatis, id est, regitis terram in suas provincias et urbes distributam, puta regitis cives urbium, et incolas provinciarum, diligite iustitiam. Nam, ut ait Salomon Proverb. 29. 4. *Rex iustus erigit terram, vir avarus destruet eam.* Est synecdoche; ex parte enim præcipua intelligitur totum, puta ex iudicio regimen. *Iudicare pro regere.* Iudicare enim olim erat prima pars regiminis, primumque officium regum: illorum enim erat et est iudicare, id est, dicere ius populis; unde id per se præstitere Iulius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Domitianus, Traianus, Adrianus, Antoninus, Maximus, Commodus, Pertinax, Severus, Caracalla, Iustinianus, Carolus Magnus, S. Ludovicus, aliique imperatores et reges, quos recenset Tiraquellus de nobilit. cap. 28. Rursum, iudicare, est vindicare pauperes a potentibus oppressos, C iuxta illud de Salomone et Christo prædictum: *Deus iudicium tuum regi da, etc. iudicare pauperes in iudicio*, Ps. 71. v. 2. *Cum altercantur homines, ad iudicium confugiunt (ad iudicem autem ire, est ire ad ius ipsum, quippe cum iudex nihil aliud sit, quam ius quoddam animatum) et quærunt iudicem quasi medium et mediatorem*, ait Arist. 5. Ethic. 4. *Iudex est ius animatum.* Idem Arist. ibidem δίκαιον, ait, id est iustum, sive ius dicitur, quia δίχα, id est bifarium, divisum est, quasi δίχαιον, id est bipartitum: et δικαστής, id est iudex, dicitur quasi διχαστής, id est bipartitor; quia utrique litiganti suum ius partitur, dividit et distribuit. Hinc Salomon hic cap. 9. 7. *Tu*, ait, *elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum*; quasi regis proprium sit iudicare, et ius suum cuique partiri.

Emphasim habet τὸ *terram*, q. d. O reges nolite alta sapere, sed fastum, dominatum et tyrannidem premite; non in cœlo, sed in vili terra regnatis: est rex cœli, qui vos aspicit et despicit, vosque iudicabit. Incipit a regibus, D quia qualis est rex, talis est et populus: nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Sic natura primum in embryone format cor, quia cor dat vitam cæteris membris; sic cœli regunt elementa urbesque subiectos; sic Angeli superiores dirigunt inferiores; pari modo reges regunt cæteros homines.

Iustitia hic proprie accipitur pro virtute, quæ cuique reddit ius suum; hanc enim principes tueri debent, velut basim et columen reipublicæ, cuius tutelam si negligant, improbi oppriment probos, potentes imbecillos, divites egenos, etc. indeque orientur schismata, rixæ, bella, et totius reipublic. confusio, exitium et ruina. Quare iudicum et principum prima cura esse debet, ut cuique ius suum servent, illudque ab iniuria quorumcumque tueantur, nec sinant se flecti donis aut minis, ut a vero iustoque vel bilom deflectant, uti fecerunt iudices Areopagitæ, de quibus dixi Actor. 17. in S. Dionysio Areopagita; iustitia enim

A inter virtutes elucet sicut Hesperus, sive lucifer, inter stellas, præsertim in principe, ait Aristot. 5. Ethic. 1. et Philo lib. de Creat. principis, quia, *remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna?* ait S. Aug. lib. 4. de Civit. cap. 4. *Iustitia virtus regum.* Hinc Cant. 1. vers. 3. sponso dicitur: *Recti diligunt te.* Septuag. vertunt εὐθύτης, id est, *rectitudo dilexit te*, q. d. *Rectitudo*, id est iustitia, regia est virtus, ideoque regi Christo, sponsæ Ecclesiæ est familiaris, intima et perchara, ait Orig. Et Isaias cap. 11. 5. hoc Christo Regi regum cingulum assignat: *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius: quoniam*, ut dicitur Ps. 10. 8. *Iustus Dominus et iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Idem per umbram videre Sapientes Gentilium. *Gnomæ.* Plutarch. comment. ad indoctum principem ait, iustitiam esse assessorem Iovis et deorum, adeoque sine ea, ne Iovem quidem recte dominari. Thebis iudicum statuas spectari absque manibus, idem Plutarch. asserit, et eam quæ principem referret, aversis esse oculis, ut iustiB tiam, et a donis alienam esse debere, et nulla mulceri facundia oportere significarent. Apud Simandium iudex ita pingitur, ut e collo eius suspensa veritas pendeat, oculi sint in solum deiecti, octo legum libri circumstent; quo significatur iudices integros esse debere, et solam inspicere veritatem. *Iudicis emblema.* Ita Pierius Hierogl. 41. c. 4.

Alibi passim iustitia pingitur ut virgo velatis oculis una manu libram tenens, altera gladium. *Et iustitiæ.* Audi Pierium Hierogl. 55. c. 61. « Iuniorum inventum est, iustitiæ severitatem atque rigorem per exertum ensem, manu virginea prætentum significare, cui ad æquitatis iudicium, trutinam etiam addidere. Sed enim apud veteres aliter traditum inveni, qui iustitiam cum libratis omnino lancibus in læva figurabant, sed enim dextera non ensem, sed fasces cum adalligata securi statuebant: merita æquaque ex huiusmodi hieroglyphico præmia merentibus impendi atque distribui; hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes. » Subdit deinde alias emblematis partes: C « Sed enim species hæc duas secum mulieres captivas trahit, unam, quæ fractum ensem manu prætendit, alteram, quæ conto innititur; duo ex hoc figmento vitia dominata indicantes, ut ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent, per fractum scilicet ensem, severitatem nimiam retusam cohibitamve intelligentes, per contum lentitudinem ad ferulam revocatam, quia iudicia plus æquo producebantur, inde enim contatio, quæ retardationem significat. Lenti vero sunt, qui nullo, atroci quantumlibet, scelere concitantur, neque publicis, neque privatis iniuriis commoventur. » Hinc iustitia ab antiquis nuncupata est Astræa virgo, quæ cum aureo sæculo descendisset in terras, vitiis in dies crescentibus indignata evolavit in cœlum, et in signum cœleste, cui nomen Libra est, conversa fuit, ut refert Mythologiæ l. 2. c. 2. Natalis Comes, de qua Seneca in Octavia:

Astræa virgo siderum decus.

Et Ovid. in 1. Metamorph.

Et virgo cæde madentes
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Et Hesiodus:

Ipsa autem iustitia est virgo ex Iove nata,
Castaque venerandaque diis qui Olympum habitant:
Et quando quis eam læserit oblique damnans,
Statim apud Iovis patrem sedens Saturnum,
Dicit hominum iniustitiam, donec
Solvat populus iniustitias regum.

Secundo, *iustitia* hic cum Christoph. a Castro et aliis, generatim accipi potest pro complexione virtutum, et sic quælibet virtus est pars, vel species iustitiæ; omnis enim virtus spectat id, quod æquum, iustum et dignum est fieri: præscribit enim ea, quæ ad officium hominis spectant, ut honeste secundum rationem, legem et voluntatem Dei vivat; hoc autem officium quoddam est ius, non iustitiæ commutativæ et strictæ, sed generalis et amplæ, ad quod nos obligat virtus, ratio et lex. Unde Cantacuzenus censet Deum hic loqui hortarique ad iustitiam, id est virtutum

exercitationem, ut per eam ad sapientiæ cognitionem, id est ad Verbi divini mysteria cognoscenda, præparentur. Confirmant ex eo quod Deus Iosue duci populi præcepit c. 1. 7. dicens: *Esto robustus valde, ut custodias omnem legem;* et ex eo quod ait Michæas c. 6. 8. *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sic quoque S. Bern. qui per iustitiam accipit pœnitentiam et patientiam in quavis tribulatione; sic enim ait in Sentent. *Quatuor gradibus,* ait, *distinguitur omnium electorum profectus. Primo enim sit quisque amicus suæ animæ, secundo sit amicus iustitiæ, tertio sapientiæ, quarto sit sapiens.* Secundum deinde ita prosequitur: *Diligendo autem iustitiam transit ad secundum gradum et audit illud Sapientiæ præceptum: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Quam si perfecte dilexerit, debet pro ea patienter ferre omnem pœnam, et quamcumque illatam contumeliam. Duo quippe præstabit si iustitia, unum ut faciat quod debet; alterum ut patiatur quod debet, scilicet ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit, patiatur. Sic miro modo, ne deserenda quidem iustitiam ab ipsa deseritur, dum per ipsam quilibet prævaricationis reatus punitur. Neque enim est, qui se abscondat a calore eius. Hanc autem pœnam non solum vir iustus non horret, verum etiam libenter excipit, dum per eam præteritæ vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim scriptum est. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* Idem lib. 3. de Considerat. c. 2. *Diligite*, inquit, *iustitiam, qui iudicatis terram. Parum est iustitiam tenere, nisi et diligas. Qui tenent, tenent: qui diligunt, zelantur. Amator iustitiæ inquirit iustitiam, et prosequitur eam; porro omnem iniustitiam persequitur.*

Porro Sapiens hic monet principes, ut sicut potestate, sic et iustitia, id est omni virtute, præcellant et præeant subditis. Sapienter Basilius Imper. exhor. ad Leonem filium c. 40. « Cave, ait, ne regni malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas: sed sicut cæteris prælatus es ut omnibus imperares, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas: virtus enim omni principatu omnique auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris; Imperator es in eo, quod minoris excellentiæ est: in eo vero, quod præclarius est, Imperator non es, imo alterius imperio subes. Ne sis ergo veluti suppositilios atque adulterinos dominos, cum te alius præstantior reperiatur; sed verus imperator cum cæteris omnibus virtute antecedas. » Princeps qui id præstat est sol orbis, ac vivum Dei simulacrum, cum ipse semetipsum ad effigiem Dei per virtutem componit, ait Plutarc. comment. ad principem indoctum.

Hunc quoque huius loci appositum esse sensum, patet ex seq. quibus perversas cogitationes, detractiones, murmura, velut iustitiæ, id est sapientiæ et virtuti contraria reprehendit, ut quasi idem hic dicat, quod c. 6. 10. ubi ait: *Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam* (prudentiam et virtutem) *et non excidatis.* Hinc et Vatabl. hoc loco pro *diligite iustitiam*, vertit, *diligite sapientiam.* Unde Naster a Castro sic exponit, q. d. Vos o principes rectoresque hominum, a quibus pendit totius populi salus, diligite virtutem et sapientiam sectamini, de qua mihi sermo instituitur, atque actiones vestras iuxta præcepta illius ad pietatem componite.

Sentite de Domino in bonitate.) Apte dilectioni iustitiæ subiungit sensum bonitatis cultusque Dei velut causam; nil enim ita hominem, præsertim reges in iustitia et officio continet, atque metus cultusque Dei. Unde Philo de Vita Mosis: *Religio una,* ait, *civium animos astringit, et contubernia societatesque confirmat.* Quod usque adeo verum est, ut falsas etiam religiones et sectas ad illigandos civium animos ab infidelibus principibus inventas affirmet S. August. l. 8. de Civ. c. 32. Adde reges esse quasi quosdam deos in terra; sunt enim Dei vicarii, officiales et ministri. Unde Plato et Philosophi docent, reges esse quasi vivæ Dei simulacra; quia et Psaltes Psalm. 81. *Deus,* ait, *stetit in medio deorum, in medio autem deos* (reges et iudices) *diiudicat.* Sensus ergo est, q. d. Vos principes estis Dei vicarii, et quasi dii quidam terrestres; imitamini ergo Dei iustitiam, virtutem et sanctimoniam: illam ergo sentite, id est usu et praxi gustate et sapite, uti legit S. Hieronym. in cap. 55. Isaiæ. Iam

Primo, *sentite de Domino in bonitate*, id est sentite de Deo bona et recta; sic enim Hebræi adverbia significant per nomina, ut *servite Domino in lætitia*, id est læte; *fac tua in fortitudine*, id est fortiter; *in amore*, id est amanter. *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri*, ait S. Ambros. libro 2. de Virgin. Quid nobilius Deo, iustitiæ et sapientiæ magistro? De eo ergo ait, bonitatem, id est bonam opinionem et existimationem, esse concipiendam. *In bonitate*, id est bene sentite de Domino Deo, q. d. Bonum sensum et sententiam de Deo in mente efformate, ut sensus vester de Deo sit ipsi congruus, ipsoque dignus, ut talem conceptum de Deo habeatis, qualem ipse meretur; ut talem vobis in animo fingatis Deum, qualis revera ipse est. Unde S. Cyrill. ep. ad Acac. in Concil. Ephesino legit, vel explicat potius paraphrastice: *Sentite de Domino, quæ vera sunt.* Et tres illi Episcopi Dalmat. in ep. ad Leonem Imper. pro concilio Chalced. *Ad omnem,* inquit, *perfectionem Catholicæ fidei, sufficit doctrina sapientissimi Salomonis; ait enim: Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite eum. Quid ergo pessima calliditatis nequitia faciet, cui ultra bonitatem nequaquam licet excedere?*

Sentite de Domino in bonitate. I.

Ita Dionys. Clarius, Iansenius et Vatabl. Sensus ergo est q. d. O reges curate ut de Deo Deique providentia, maiestate, iustitia, sapientia, potentia, vindicta, cæterisque attributis ita sentiatis et sapiatis, sicut revera ipsa se habent in Deo: bene ergo recte et pie de iis sentite, uti docet fides et Prophetæ, non male, prave et impie cum Epicureis, Politicis et Atheis, qui Deo adimunt providentiam, vindictam aliaque attributa, ideoque ex Deo faciunt, vel truncum, vel cacodæmonem. Unde Arabicus vertit: *Percipite potentiam Domini perceptione recta.* Basis enim et fundamentum reipublic. iustitiæ, regni felicitatis omnisque boni est religio verusque de Deo sensus; hic enim tam reges, quam subditos sacro metu percellit et continet in sapientia et virtute, ut iuste, pure sancteque vivant, ne tantum numen offendant, cuius vindictam extimescunt: Deus enim uti bonorum est præmiator liberalissimus, ita malorum est ultor acerrimus. Unde Iosaphat rex Iuda iudices Dei metu urget ad iuste iudicandum, 2. Paral. 19. v. 6. dicens: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Vidit hoc etiam Plato, qui proinde in Protagora et in Euthyphrone iustitiam et religionem ita coniungit, ut unam eamdemque virtutem existimet: vel ita invicem similes, ut qualis iustitia, talis sanctitas et religio futura sit; et qualis religio, talis administranda iustitia. Nam, quemadmodum salus animæ, ut ait Ecclesiast. cap. 30. 15. est in sanctitate iustitiæ, sic cæterarum rerum salus atque felicitas ex eadem iustitiæ et religionis sanctitate, tamquam ex vero bonitatis fonte profluunt. Ex certa ergo et vera religione, certa et vera iustitia; et ex variis religionibus incerta et falsa omnia, æqualitas, societas, benevolentia, fides id est rerum dictorumque constantia. Si enim magistratus suæ propagandæ hæresis causa, sibi fas esse credant subditos fallere, datam fidem abnegare, iusiurandum violare, fallaciis decipere, dolis illudere, omnia bellis permiscere, quæ inde in rempublicam scelera, quæ flagitia, quæ sacrilegia promanabunt et irrumpent? Quod ius ab iis reddi poterit, si fraudibus rempublicam gubernari, si dolosis artibus et imposturis populos irretiri posse non modo arbitrentur, sed etiam exsequantur? ita Iosephus Stephanus l. de Unica religione c. 44.

Religio columen politiæ.

Secundo, *sentite de Domino in bonitate*, id est in probitate, honestate, virtute, sanctitate: ἁπλότης enim oppo- II.

nitur χρηστα, id est bonitas opponitur malitiæ et sceleri, q. d. Sentite et sapite de Deo, quod ipse sit probissimus, honestissimus, sanctissimus, iustissimus, adeoque fons omnis iustitiæ, probitatis, virtutis et sanctitatis quam habent omnes angeli et homines, ideoque iustitiæ et virtutis tutor et vindex severissimus. Audi S. Bernard. libr. 5. de Consider. Deum ita definientem, vel potius describentem: *Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? Non minus pœna perversorum quam humilium gloria; est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est.* Et inferius: *Deus,* inquit, *est cuius longitudo est æternitas, latitudo charitas, altitudo maiestas, profundum sapientia.*

Pulchra Dei descriptio.

III. Tertio, *sentite de Domino in bonitate*, id est in benignitate et beneficentia, q. d. Sentite et sapite de Deo, non quod ipse sit severus, maleficus, crudelis, tyrannus; sed quod sit benignissimus et beneficentissimus omnium, etiam pauperum, miserorum, pupillorum et orphanorum pater, imo mater, tutor, provisor, protector, ac proinde vos, o iudices, Deum imitantes causas pauperum sincere iudicate, nec eos patiamini a potentibus opprimi, aut eis ex metu vel spe causam contra iustitiam adiudicetis, cogitantes Deum, qui pater est pauperum et pupillorum, acerrimum eorum fore vindicem. Sic ait Psaltes: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius,* Psal. 106. 1. *Bonitas Dei* erga est eius misericordia, clementia et beneficentia. Unde Syrus vertit: *Excogitate de Domino bonitatem.*

Hinc quidam sic exponit: *sentite de Domino in bonitate*, id est experientia discite Deum optimum, maximum, benignissimum esse, et exemplar, unde omnem in vobis exprimere bonitatem debetis; discite iugum illius suave esse; non durum, sed blandum: et onus illius, non ponderosum, sed leve et iucundum; ergo enim si adsint suavitas et levitas, duobus præstat, quibus iure id appeti possit, non detrectari.

Porro reges maxime decet imitari Dei bonitatem, id est benignitatem et beneficentiam. Unde Curt. lib. 8. asserit *imperii maiestatem salutis esse tutelam.* Et Plinius in Paneg. Traiani docet, principum esse bonitatem erga hominum genus, *ut benigni fungantur vice Dei.* Et Theodoricus rex apud Cassiodor. lib. 20. Var. c. 20. *Inter gloriosas,* ait, *reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante princeps suo revolvit corde, cordi quoque suo sit levamen humilium contra potentiam superborum.*

IV Quarto, *sentite de Domino in bonitate*, id est in omni bono quod triplex est, scilicet honestum, utile et delectabile, q. d. Sentite et sapite de Deo, quod ipse per essentiam sit summum, immensum et omne bonum, tam honestum, quam utile et delectabile, tam suum, quam hominis et creaturarum omnium. Ipse enim est fontalis, essentialis, formalis et causalis bonitas. Unde Nazianz. *Bonitas,* ait, *non aliud est quam deitas, iuxta illud Christi: Quid me vocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus,* Lucæ 10.

Ubi Nota hebraismum: Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive mentalis, quale est sentire, construunt cum ablativo, ut tangere in oculo, in pede, in manu, est tangere oculum, pedem, manum. Sentire ergo de Deo in bonitate, est sentire de Deo bonitatem, quod scilicet Deus sit ipsissima bonitas, et ipsissimum bonum, q. d. Vos, o principes, qui estis Dei imagines, æmulamini Deum quasi vestrum exemplar, sentite et sapite eius bonitatem, ut sicut participatis eius potestatem præ cæteris, sic et præ cæteris participetis eius bonitatem; quemadmodum Dei bonitatem omnes creaturæ sentiunt, cum ab eo hauriunt suum esse omneque bonum; sic et subditi haurientes a vobis sua commoda, vestram ubique bonitatem sentiant.

Audi de bono et bonitate Dei divine disserentem Dion. cap. 4. de Divin. nom. initio: « Age ergo iam ad nomen boni nostra veniat oratio, quod præcipue Theologi ab omnibus secretum divinitati, quæ Deum superet, tribuunt: ipsam, ut opinor, divinam essentiam bonitatem appellantes, quod hoc ipso, quod bonum est, ut bonum per se et essentia sua, in ea quæ sunt omnia, bonitatem diffundat. Ut enim sol noster non cogitatione, aut voluntate, sed eo ipso, quod est, omnia illustrat quæ eius lumen pro modo suo capere possunt, sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuræque imagini per se, ipsaque essentia sua iis, quæ sunt, omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit. » Et inferius: « Ex ipso bono lumen est, et bonitatis imago, etc. estque eorum quæ sunt mensura, et æternitas, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, et finis: sic etiam, qui clara expressaque divinæ bonitatis imago est, magnus hic sol totus lucens, ac semper splendidus, pro minima ipsius boni similitudine, omnibus etiam, quæ eius lucem capere possunt, collucet habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, et sursum et deorsum, ac si quid est quod eos non participet, id eius luminis diffusi tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. » Et pluribus interiectis ita concludit: « Omnis infinitas, termini omnes, ordines, præstantiæ, elementa, species, omnis essentia, vis omnis, omnis actio, habitus omnis, sensus omnis, omnis sermo, omnis mentis notitia, omnis tactus, omnis scientia, omnis coniunctio, et uno nomine quidquid est ex pulchro ac bono, et in pulchro bonoque est, atque ad pulchrum bonumque refertur: et quæ sunt ac fiunt, boni pulchrique causa et sunt et fiunt omnia ipsumque omnia intuentur, et ab eo moventur ac continentur, etc. Quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso atque in ipsum sunt omnia, ut divinæ scripta tradunt. Est igitur id, quod pulchrum est et bonum, expetendum, amandum, diligendum omnibus. » Hinc disce quid sit bonitas Dei, de eaque bene digneque sentire.

Bonitatis Dei descriptio.

Porro τὸ *sentite*, vel ut S. Hier. legit, *sapite*, non tantum ad iudicium, sed et affectum pertinet. Unde Apostolus: *sapere ea, quæ carnis vel spiritus sunt,* vocat concupiscere et toto affectu prosequi ea quæ carni vel spiritui commoda grataque sunt. Sensus ergo est, q. d. Sentite Dei bonitatem, non tantum eam mente concipiendo, vel credendo, sed et toto affectu eam prosequendo, ut omnes curas, cogitationes animique vires in eam intendatis, et expromatis. *Hinc fiet,* inquit noster a Castro, *ut qui bono animo sit erga Dominum sapientiæ largitorem, quæcumque excellentia credat de illo, confidat illi in omnibus, etiamsi difficillimis, sustineat eum, etiamsi mala inferat: itaque sentiet de eo in bonitate, dum illi tamquam optimo parenti se credit, tamquam omnipotenti, qui possit ad summum sapientiæ fastigium evehere, et tamquam omniscienti, qui sciat eius utilitati prospicere.*

Moraliter, hic disce verum sensum deitatis, sive de Deo, esse sensum bonitatis, scilicet sentire de eo quod ipse per essentiam sit summum, infinitum et omne bonum ac proinde summe benignus et beneficus in omnes, ideoque summe amandus.

Hac de causa Deus, ut bonitatem et amorem suum immensum creaturis patefaceret, non tantum creavit angelos, cælos, animalia, homines, tantamque rerum varietatem et pulchritudinem, ut quoties intueris bonitatem, et pulchritudinem floris, gemmæ, auri, herbarum, fructuum, animalium, stellarum, cælorum, totiusque mundi, toties in eis velut umbris, immensam Dei bonitatem et pulchritudinem intueri et contemplari valeas; sed et Filium suum unigenitum misit in carnem ut homines peccato perditos et gehennæ addictos, suis atrocissimis pœnis et infami

crucis morte redimeret. Vis ergo scire quanta sit bonitas Dei? considera bonitatem Christi in cruce, quantam scilicet nuditatem sitim, tormenta, dolores, confusionem, infamiam, irrisiones, etc. pro te vilissimo terræ vermiculo, imo peccatore, patiatur, idque sine ullo suo commodo, sed tantum hoc fine et fructu ut tibi benefaciat, ut tu sis salvus, liber et beatus. Christus ergo tua maleficia, infirmitates et tormenta in se suscepit, ac eorum loco tibi sua beneficia, virtutes, præmia et gaudia contulit, ut tibi bene esset: *Crux* ergo *est academia divinæ bonitatis* et amoris purissimi æque ac immensi, ut in ea Christum contemplans cogaris ex stupore exclamare. O bonitas! o amor! quantum me amasti, quam caro pretio me redemisti! quanta bona tuis malis mihi contulisti! quid tibi, Domine Iesu, pro tantis bonis retribuam? omnia ossa mea dicent: *Domine, quis similis tibi?* Amasti me, Domine, nimis amasti; etsi tibi mille animas, mille vitas impenderem, quid hæc sunt ad vitam tuam, quæ vita est Dei? misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. Imitabor tuam bonitatem, ut amore tui quibuscumque possim benefaciam, ad commodum non tuum, sed meum. Imitabor tuam humilitatem, amorem, sanctitatem, ac eam omnibus imitandam proponam, dicamque cum Apostolo: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit* (ex omni factus est quasi inane et nihil) *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Incarnatio opus proprium bonitatis Dei. Philip. 2. 5. Hoc ergo opus incarnationis Verbi, passionis et crucis non indignum, sed omnino dignum fuit Deo Deique bonitate; imo optimum fuit, ideoque divinissimum, et soli Deo proprium: nulla enim re Deus immensam suam bonitatem orbi patefacere potuit, nisi Verbi descensu in carnem et crucem: ut ex eo plane colliges, non Angeli, non hominis, sed Dei solius immensi immensam hanc bonitatem et philanthropiam extitisse, hoc est quod canit Isaias cap. 55. 9. *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.*

Symbolice: *Sentite de Domino in bonitate*, non tantum intellectu, sed et affectu, ut sensui intellectus consentiat sensus voluntatis, ut scilicet bonitatem Dei recte et mente concipiatis, et voluntate ametis, et moribus exprimatis, iuxta illud Ps. 110. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; vel ut legit S. Hieronymus: *Doctrina bona his qui faciunt eam*, ita Cantacuzenus.

Mystice S. Bonav. *Sentit de Domino in bonitate*, inquit, *qui S. Scripturam, quæ Dei est verbum, pie legit ac intelligit, non redarguendo, sed approbando et exsequendo.*

Et in simplicitate cordis quærite illum.) S. Hieron. l. 1. contra Pelag. addit: *In sapientia et simplicitate cordis quærite Deum:* quasi simplicitas sit sapientia. Iam

Simplicitas I. primo, simplicitas hæc opponitur duplicitati, calliditati, hypocrisi, dolo et fictioni; *caret enim merito simplicitatis omne arte elicitum, et fraude compositum*, ait S. Ambros. 3. offic. cap. 9. Unde sequitur v. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, q. d. Quærite Deum corde simplici et sincero non duplici, ficto et simulato; ne de vobis dicatur illud Isaiæ 29. 13. et Matth. 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Nam *væ duplici corde* (qui, ut acute ait Persius satyra 5.

Astutam vapido servant sub pectore vulpem.)

Eccli. cap. 2. v. 14. et: *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis*, Iacob. 1. v. 8. Porro B. Dorotheus doctrina 4. præmium assignat; *si enim*, inquit, *quis quærat Deum Deique voluntatem simpliciter, dabit illi Deus etiam puerum qui eum doceat, si doctor desit, ne ille labatur: sin simulate quis quærat Deum, Deus vicissim dabit ei simulatum doctorem, qui eum in errorem et laqueum inducat.* Audi S. Gregor. in Psal. 5. pœnit. v. 3. *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum; cordis enim simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, non obfuscat dolus; quam lux veritatis illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat: scriptum est enim: Cum simplicibus sermocinatio eius. Deo autem sermocinari est, per suæ præsentiæ illuminationem humanis mentibus, voluntatis suæ arcana revelare. Cum simplicibus igitur Deus sermocinari dicitur, quia illorum mentes de arcanis cœlestibus suæ inspirationis claritate illuminat, quos nulla caligo duplicitatis obumbrat. Quod contra de non simplicibus dicitur: Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Et Salomon ait: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Constat ergo quia istos inhabitando illuminat, illos recedendo excæcat.*

Secundo, *simplicitas* hæc opponitur curiositati, q. d. Nolite curiose scrutari Dei maiestatem, providentiam, essentiam, ceteraque eius arcana, v. g. quomodo sit trinus in personis, et unus in essentia, sed simpliciter credite, quod fides et Ecclesia de eo credendum docet. Ita explicat S. Cypr. l. 3. Testim. c. 53. citatque illud Eccles. 7. 17. *Noli esse iustus multum, et noli argumentari plusquam oportet.* II.
Huc accedunt Glossa, Holcot et Hugo, qui sic explicant quasi moneatur homo Scripturam sacram, per quam Deus agnoscitur, pie, humiliter et studiose legere et intelligere, neque reprehendere, quæ non clare percipit, imo fide certa tenere. Nam iuxta Isaiæ 7. 9. *Si non credideritis, non permanebitis:* Septuag. non *intelligemus*; neve in adversos solis radios noctuæ intueamur, caventes ne *scrutatores facti maiestatis, opprimamur a gloria.* Et quia fidei luce illuminatæ mentes flammam concipere debent charitatis, ideo subiungi aiunt *quærite*, quod fulgore ardentis amoris fit.

Tertio, S. August. l. 4. de Serm. Domini in monte c. 7. *simplicitatem* accipit pro puritate, ut opponitur mistioni; simplicia enim sunt pura, mista sunt impura, utpote ex variis conflata, q. d. Simplici, id est, puro corde quærite Deum. Scriptum est enim: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. *Hoc est mundum cor*, ait S. Aug. *quod simplex cor, et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest.* Hunc quoque esse sensum liquet ex eo quod subdit v. 3. *Perversæ enim cogitationes separant a Deo:* et v. 4. *Nec habitabit in corpore subdito peccatis.* III.

Quarto, plane et plene, Hebr. תום *tom* et תם *tam*, quod Noster vertere solet, *simplicitas* et *simplex*, significat integritatem et perfectionem, atque integrum et perfectum; sic Iob c. 1. 1. dicitur *vir simplex*, id est, integer et perfectus. Ex adverso de idololatris et impiis, ait Osee c. 10. 2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* IV.

Iubet ergo Sapiens, ut homines, præsertim principes, non dimidiato, imperfecto, languido, sed integro, perfecto, constanti fortique corde quærant Deum, ut dimidium cor non dent mundo, dimidium Deo, sed totum quantum quantum est Deo; quod fit per plenam charitatem. Unde Robert. Holcot. per *simplicitatem* accipit charitatem, q. d. Sentite de Domino in bonitate, id est, bene per fidem, et quærite eum in simplicitate cordis per charitatem. S. Hieron. vero in cap. 55. Isaiæ: *Quærite Dominum*, ait, *dum inveniri potest: quærite non loco, sed fide et pænitentia.*

Hinc rursum *simplicitas* a nonnullis accipitur pro candida liberalitate, iuxta illud Rom. 12. v. 8. *Qui tribuit in simplicitate*, et 2. Corinth. 8. 2. *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis* (id est beneficentiæ et liberalitatis) *eorum*, et c. 9. v. 11. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem*, id est, candidam liberalitatem, uti ibidem explicat S. Chrys. Theodor. et alii. Sic sensus erit hoc loco, q. d. Quærite Deum largo et liberali corde, non arcto et stricto: ipse enim uti liberalissimus est, ita liberale cor requirit, id est latum, amplum, ad omnia paratum, magna desiderans et moliens, ut in illud velut vas capax divitias suæ gratiæ et liberalitatis effundat.

Symbol. Dionys. Carthus. *Quærere Deum in simplicitate*, inquit, *est Deum per abstractionem et simplicitatem*

intellectus cognoscere, quod ipse sit summe simplex.

Vers. 2. QUONIAM INVENITUR AB HIS, QUI NON TENTANT (Arabicus, *non contristant*) ILLUM: APPARET AUTEM EIS QUI FIDEM HABENT IN ILLUM) Græce τοις μη απιστουσιν αυτω, id est, *non incredulis ipsi*. Vatabl. *Et iis qui non diffidunt ipsi, exhibet se*; Syrus, *revelatur iis qui credunt in illum*; Arabicus, *qui illum mendacem non efficiunt*; S. Hier. in c. 8. Zachar. legit: *Appropinquat Dominus his, qui non tentant eum: et ostendit faciem suam his, qui non sunt increduli*, id est, hic qui credunt in eum. Est miosis: dicitur enim minus, et significatur maius, scilicet per negationem incredulitatis significatur credulitas et fides, uti Noster solerter advertit.

Confirmat quod dixit: *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum*. Confirmat autem ex fructu et præmio, quod scilicet inveniatur ab his, qui non tentant eum, sed in simplicitate cordis quærunt eum, et appareat his, qui in bonitate de eo sentiunt, hoc est, qui fidem habent in illum. Est enim conversio, quia prius hemistichium respondet posteriori hemistichio versus præcedentis, posterius vero priori: simplicitati enim opponit tentationem, bonitati incredulitatem et diffidentiam. Sensus ergo est, q. d. Simplici et sincero corde, non dubio et tentativo quærite Deum, sic enim invenietis; a talibus enim invenitur: atque recte de eo eiusque bonitate sentite, illi credite, illi fidite; sic enim vobis apparebit. Huc accedit Noster a Castro. Rationem reddit, inquit, eius quod dictum est, Dominum simplici corde et sincero animo quærendum, ac maxime fideli credendo, absque dubitatione ulla, quod possit, sciat velitque largiri, quod postulatur. Namque accedunt ad eum diffisi, potius exploraturi eius potentiam, sapientiam et bonitatem, quod de ea dubitent vel non habeant illam compertam: hi tentent Deum, et gravissime delinquunt: et non solum non invenient quod quærunt, sed tamquam Deo contumeliosi longius repellentur. Addit a Castro: Unde idem est, sentire de Domino in bonitate, et simplici corde quærere illum, quod non tentare, ac fidem habere in illum. Intellige hæc quatuor idem esse, non proprie et præcise, sed ample et finaliter, quia scilicet eodem omnia tendunt.

Tentant Deum multipliciter. Tentant Deum primo, infideles, qui cum Deo, quasi cum idolo lapideo, mortuo et sensus experte agunt; quod proinde externis tantum ritibus et gestibus colunt. Secundo, qui Deo negant scientiam, potentiam, providentiam rerum humanarum, ac iniustitiæ scelerumque vindictam, aut eius periculum facere volunt. Tertio, qui suo ingenio, opibus, viribus confidunt, non Deo. Sic diabolus tentavit Christi divinitatem, Matth. 4. 2. Iudæi eiusdem potentiam, dum ab eo poposcerunt miraculum, Matth. 12. 38. Item iustitiam, dum ab eo postularunt vectigal, Matth. 17. 23. Item sapientiam, dum modum resurrectionis ab eo vestigarunt, Matth. 22. v. 24. Item clementiam, dum ei obtulerunt adulteram ad condemnandum, Ioan. 8. 5. Item obedientiam, dum quærunt: *licet censum dare Cæsari, an non?* Matth. 22. 17.

Porro, credunt in Deum, primo, qui de eo rectam habent fidem, et orthodoxe sentiunt; secundo, qui in eum confidunt: tertio, qui illi fideles sunt, eiusque mandatis fideliter obediunt, iuxta illud Psal. 77. 7. *Ut ponant in Deo spem suam, et mandata eius exquirant.* Sic dicitur Eccl. 1. 36. *Ne sis incredibilis timori Domini*, id est, religioni et cultui Dei fideliter pareto: *Et ne accesseris ad eum duplici*, id est, dubio fictoque *corde*. Hinc S. Gaudentius tract. de Dedicat. probare contendit S. Thomam, antequam Christus post resurrectionem illi appareret non fuisse incredulum. Nam hic dicitur: *Apparet autem eis, qui non sunt increduli*. Igitur quod a Christo culpetur ut incredulus non tam ad Thomam, quam ad posteros spectare, qui credere debeant quod non viderunt, uti Thomas credidit Christum resurrexisse, etiamsi eum non viderat, quia Apostolis dicentibus se eum vidisse credidit. Hæc propria est eius opinio. Nam alii censent Thomam vere fuisse incredulum: hoc enim plane significat reprehensio Christi. Fuit ergo Thomas, partim credulus, partim incredulus. Credulus, quia credidit Christum fuisse Prophetam verum, ac virum sanctum et Messiam: incredulus, quia non credidit eum resurrexisse. Christus ergo apparuit ei quasi credulo, ut reliquum incredulitatis ab eo abstergeret, uti de facto abstersit, cum Thomas tangens eius cicatrices exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus*. Adde, etiamsi Deus ordinarie appareat his qui credunt in eum, non tamen solis his; nam sæpe apparet his, qui non credunt in eum: tanta enim est Dei bonitas, ut sua luce et gratia præveniat infideles, ut credant, et impios, ut convertantur ad Deum. De fide enim est, gratiam Dei prævenire nostrum arbitrium, adeo ut sine illa nil quod ad salutem conducat, efficere queat, ut passim contra Pelagianos docet sanctus Augustinus et ex eo Concil. Trident. sess. 6. Sic Deus prævenit Gentiles, idola colentes, dum ad eos misit Apostolos, qui eos ad Deum verum traduxerunt, iuxta illud Isaiæ c. 65. v. 1. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quæsierunt me*; vel ut Paulus ex Septuaginta citat Rom. c. 10. v. 20. *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*; ubi enim quis gratiæ prævenienti consentiens Deum quærere pergit, tunc utique plenius et perfectius apparet ei Deus per lucem et gratiam maiorem, quæ eum ad iustitiam, sanctitatem, perfectionem et tandem ad gloriam æternam perducit et provehit.

Deus autem quæsitus apparet variis modis. Primo in creaturis omnibus et singulis: in his enim velut suis operibus et effectis relucet ipse creator, iuxta illud Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, et Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* Vide S. Aug. in Soliloquiis c. 31. ubi singulos sensus et singulas creatur[illegible] de Deo, et singulæ respondent: Non s[illegible] qui creavit me, ipse est Deus meus. Deus apparet varie. I.

Secundo, et proprie, in S. Scriptur[illegible] suasque virtutes manifestat, ac præserti[illegible] pientiæ, q. d. Vos, o sapientiæ studiosi, p[illegible] res hominum, quærite Deum, sapientiæ fontem [illegible] pt. ac in hoc Sapientiæ libro: si enim hunc sincere et studiose legeritis, utique quis, qualis et quantus sit Deus, invenietis. II.

Tertio, in Ecclesia. Si enim Ecclesiæ præsides et doctores quis consulat, utique de omni re, quæ ad Deum Deique cultum pertinet, eum instruent. Hac enim de causa Deus in Ecclesia posuit Apostolos, Prophetas, pastores et doctores, scilicet *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, Ephes. 4. 11. III.

Quarto, quæritur et invenitur Deus in oratione et exercitio virtutum, præsertim eleemosynæ. Orationi enim vacantes Deus interius illuminat, ut se et ea quæ sunt salutis cognoscant. Sic invenit Deum Cornelius centurio, cum oranti apparuit Angelus iubens vocari sanctum Petrum, qui eum in fide Christi instrueret, Actor. cap. 10. Simili modo ait sanctus Thomas q. 14. de Veritate, art. 11. ad 1. si quis Gentilis plene servaret legem naturæ, Deumque invocaret, Deus prædicatorem, etiam Angelum, si opus foret mitteret, qui eum de rebus Dei et salutis informaret. In litteris Indicis exstant varia raraque huius rei exempla. Quocirca vere dixit Sixtus, non Pontifex, uti falso censuit Ruffinus, sed philosophus, in Sententiis: *Bona mens chorus est Dei, mala mens chorus est dæmonum. Templum sanctum Deo est mens pii, et altare optimum ei cor mundum et sine peccato.* IV.

PERVERSÆ (Arabicus, *difficiles et perversæ*) ENIM COGITATIONES SEPARANT (Syrus, *elongant*; Vatab. *alienationem faciunt*) A DEO: PROBATA AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.) Pro *perversæ cogitationes*, græce est σκολιοι λογισμοι, id est, tortuosi, perplexi, flexuosi, incurvi, distorti, iniqui, pravi, versuti, maligni, discursus, cogitationes, ratiocinationes, sensus, vel etiam machinationes; opponit enim *sentire de Deo in bonitate*, perversas de Deo cogitationes et sensus, q. d. Sicut boni rectique de Deo sensus hominem coniungunt Deo, sic pravi et distorti de eo eiusque providentia sensus, cogitationes et opiniones Vers. 3.

hominem ab eodem avellunt et separant, ac consequenter separant a vera religione, iustitia et virtute. Idem faciunt cogitationes et machinationes rectorum impiorum, quibus contra ius et fas mira calliditate excogitant modos congerendi opes, suosque status augendi, cum damno subditorum, imo cum iactura fidei et religionis, quales sunt cogitationes politicorum, qui religionem faciunt subservire politiæ et regno. Unde S. Iulius Pontif. epistola decretoria ad Episcopos Orientales, quæ habetur tom. 1. Concil. *Recordamini*, inquit, *Sapientiam, quæ ait: Perversæ enim cogitationes separant (homines) a Deo (quanto magis opera iniqua?) probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos, et docet insipientes.* Succidi verba Iulii, quia prolixiora.

Rursum, quævis aliæ pravæ cogitationes, v. g. de rapiendo, fornicando, calumniando, occidendo, separant hominem a bonitate, virtute et lege, ac consequenter ab eorum auctore et tutore Deo. Unde S. Bern. ser. 3. de Spiritu sancto: *Quia*, inquit, *perversæ et immundæ cogitationes separant a Deo, orandum est ut cor mundum creetur in nobis; quod utique fiet, si Spiritus divinus fuerit in visceribus nostris, in nobis et erga nos sanctus, erga proximos rectus, erga Deum principalis*, Psalm. 50. 12. 13. 14. Præclare sanctus Augustinus, in Psalm. 63. ad illa: *Defecerunt scrutantes scrutinio: Vide*, ait, *quid contingat animæ malæ: Recedit a luce veritatis, et quia ipsa non videt Deum, putat se non videri a Deo; sic et isti recedendo ierunt in tenebras, ut ipsi non viderent Deum, et dixerunt: Quis nos videt?*

Sub cogitationibus intellige volitiones; nuda enim cogitatio prava, si non sit volita, non separat a Deo; sed si voluntas ei acquiescat vel expresse vel tacite, separat a Deo. Certum enim est cogitationes, quæ rationis adver[illegible] voluntatis consensum præveniunt, quales sunt m[illegible] primo primi, non esse peccata; nil autem separat a [illegible], nisi peccatum. Porro cogitationes, nisi illico, cum ear[illegible] inhonestas et turpitudo a ratione advertitur, abiiciantur, incipiunt placere voluntati, eamque deducunt ad delectationem morosam, quæ si in materia graviter vetita versatur, est peccatum mortale. Cogitationes pravæ ergo sunt quasi scintillæ, quæ nisi statim extinguantur, cupiditatis ignem, et tandem ingens incendium excitant. Ad hæc, cogitationes eædem sunt velut gemmæ, sive baccæ arborum primo germinantium, quæ dum aperiuntur, pariunt flores pravarum voluntatum, qui tandem vertuntur in fructus pravorum operum. Sicut vice versa bonæ cogitationes sunt gemmæ, ex quibus prodeunt flores bonorum desideriorum, et fructus bonorum operum, uti docet S. Chrys. homil. 39. in illud Matth. c. 21. 19. *Videns arborem fici, nihil invenit in ea nisi folia tantum.* Summe ergo invigilandum est cogitationibus, eæque, si pravæ deprehendantur, illico ad petram legis divinæ allidendæ et elidendæ sunt, iuxta illud:

Cogitatio est quasi scintilla et quasi bacca.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Hinc de fide est, non solum opus externum, v. g. fornicationem, calumniam, homicidium, sed et internam eorum cogitationem ac volitionem esse peccatum mortiferum, uti contra Iudæorum sensum docet Ecclesia, et satis insinuat Christus Matth. 5. v. 22. et 28.

Hinc infert S. Chrysost. peccatum secum afferre summam pœnam, scilicet separationem a Deo. Audi eum homil. 6. ad Popul. *Magnum supplicium est peccare, etiamsi non puniamur: peccata enim nos a Deo separant*, Sapient. 1. *Pœnæ vero nos ad Deum perducunt. Si quis ulcus habeat, quid timere dignum est, saniem, an medici sectionem? ferrum, an ulceris populationem? peccatum, sanies est; pœna, ferrum medicinale; sicut enim saniem habens, etsi non secatur, male habet, et cum non secatur, tunc est in maioribus malis; ita peccans; etiamsi non puniatur, omnium est miserrimus, et tunc maxime miser, cum non punitur, et grave nihil patitur.*

PROBATA (Arabicus, *exquisita*) AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.) Syrus, *redarguit contemnentes. Virtus* **A** hic non moralis, sed physica intelligitur, puta potentia, robur et vis agendi: hanc enim significat Græcum δύναμις, quod multos interpretes græca ignorantes fefellit, qui per virtutem accipiunt honestatem et probitatem: unde sic exponunt, q. d. Virtus hanc habet vim in eo, qui illa præditus est, ut eum faciat aptum ad corripiendum insipientes, qui per ignorantiam, vel infirmitatem peccant. Ita Lyran. et Dionys. Aut q. d. Fides est, quæ a mente aufert insipientiam. Ita Holcot et Hugo. Verum græce est δύναμις, id est potentia, non virtus ethica, ut dixi.

Sensus ergo est, q. d. Virtus, id est potentia Dei per multos suos actus et effectus probata corripit et castigat insipientes, qui prave de Deo sentiebant, perversasque de eo cogitationes conceperant, q. d. Rectores, iudices et quivis qui insipienter de Deo sentiebant, eiusque providentiam et vindictam negabant, dum vident, vel considerant præteritos vel præsentes effectus divinæ potentiæ et providentiæ, quibus iniustos et impios castigavit vel castigat; hoc argumento et hac experientia adeo probata convicti, **B** possunt debentque agnoscere ac corrigere suum sensum et errorem: ac reipsa sæpe vel inviti, vel sponte cedentes, eumdem agnoscunt et corrigunt. Ita Bonavent. Vatabl. Clarius, Iansen. et alii. Alludit Sapiens ad illud Psal. 32. 10. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum*, etc. *consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione et generationem.*

Accedit Osorius, qui explicat de virtute et potentia, non Dei, sed rectorum et iudicum, q. d. Dum ipsa potentia rectorum a Deo probatur, imminuitur, aufertur; tunc reipsa ipsi corripiuntur et convincuntur, ut negare non possint se insipientes de Deo habuisse opiniones, ac perversas cogitationes et sensus. Unde Vatabl. et Guarinus vertunt: *Potentia dum tentatur, arguit insipientes.*

Verum melius accipias de virtute, id est potentia, non iudicum, sed Dei; hæc enim castigat et corripit insipientes. Igitur sicut puer protervus non timet matris minas, **C** nec servus heri, nec discipulus magistri: cogitat enim minas esse minas, hoc est esse verba quæ aerem, non verbera quæ carnem feriant; cogitat enim matrem esse matrem, ideoque vel non velle, vel non posse, castigare filium adeo dilectum et validum; at dum mater verba vertit in verbera, et virga pulsat pueri dorsum, tunc probat illi suam virtutem, ac puer cogitationem et sensum, quem habebat de matris minis, deponit corrigitque suum errorem et insipientiam. Eodem prorsus modo rectores, iudices et quivis impii, dum audiunt doctorum et concionatorum minas de Dei vindicta, non curant, imo rident: cogitant enim Deum, vel non scire, vel non curare res humanas; aut se suos status ita stabilivisse, ut ab iis, ne a Deo quidem deiici possint; at dum de facto iis exciduut, aut similem Dei vindictam in se vel aliis probant et sentiunt; tunc priores suos perversos λογισμούς, id est discursus, cogitationes et sensus corrigunt, ac vel inviti de Deo Deique providentia et vindicta recte sentire incipiunt. Dei ergo potentia potensque vindicta corrigit insipientes, **D** id est impios, a suis pravis opinionibus, quibus vel impotentiam, vel incuriam rerum humanarum, Deo ascribunt, cum scilicet contrariam eius potentiam et curam vindictamque cum suo dolore et damno experiuntur. Hoc est quod vulgo dicitur: Stulti non credunt Sanctis, donec faciant miracula; hinc præ cæteris credunt S. Antonio, quia crebro potentem eius manum, ignemque sacrum ab eo incredulis immissum persentiscunt.

Paulo aliter explicat Cantacuzenus, q. d. Curiosæ quæstiones deviant a Deo: quare dum curiosi temere Dei potentiam tentant et scrutantur, hac curiositate lædunt aciem mentis, produntque suam dementiam: *Scrutator enim maiestatis opprimetur a gloria*, Prov. 25. 27.

QUONIAM IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA, NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.) Vers. 4.
Pro *malevolam* nervosius Complut. et Pagninus legunt, *malivolam*: græce enim, est κακότεχνον, id est mala fabricantem, mala machinantem, dolos et fraudes versantem,

maleficam, quæ res bonas et sinceras adulterat, vitiat et corrumpit. Unde S. Hieron. legit: *malitiosam;* Syrus: *malis involutam;* Arabicus: *in malevolæ animæ artificium, sive machinationem nullo modo introibit sapientia;* S. Bernard. *malignam;* Vatabl. et Guarin. *contradicentem vero et invidam;* Iansen. *malitiosam et maleficam, quæque mala arte callida nectit:* Hugo Lyran. et Dionys. *complacentem sibi in malitia;* Clarius, *quæ omni studio et arte studet mala*, præsertim quæ iustitiam per vim vel dolum violat, fraudibus alios circumvenit, per fas et nefas se suaque adauget, uti faciunt tyranni.

Probat quod dixit v. præced. perversas cogitationes separare a Deo, ex eo quod in malevolam animam non introibit sapientia, quæ individua est comes, imo sedes et thronus Dei. Unde S. Hier. in cap. 63. Isaiæ sic legit, aut potius paraphrastice explicat: *affixerunt Spiritum sancti eius, quia Spiritus sanctus recedit a corpore subdito peccatis, et in perversam animam non ingreditur sapientia.* Sic sapientia non introiit in parricidalem animam Absalonis, ait S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Sapientia fugit malevolum. Quæ?

Quæres, quænam sit hæc sapientia? Primo, Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioannem c. 4. *Sapientiam hanc, quæ in malevolam animam non ingreditur*, esse ait *cognitionem mysteriorum*, et *malignam animam esse cuiusvis hæretici, hypocritæ, infidelis, etiam ad perspicua caecutientis.* Sic et Chrysost. t. 2. in id Matth. 8. 9. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus*, agens contra hæreticos: *Vide*, inquit, *quomodo homo Gentilis, rusticus et miles veritatis mysteria agnovit, videlicet supremæ potentiæ Christi; et homines Christiani denegant veritatem, qui scripturas portant in ore. Non quia obscura sunt aut profunda mysteria veritatis, nam omnes ea cognoscunt: sed quia perversa sunt corda eorum, et ubi non quiescit spiritus veritatis, veritas fugit ab eis; scriptum est enim: In malevolam animam non introibit sapientia.* Sic et S. Basil. epist. 141. S. Hier. in Ierem. c. 8. et Anastas. Nicen. in quæst. S. Script. quæst. 18.

Secundo et genuine, per *sapientiam* accipe non speculativam, sed practicam, quæ non aliud est, quam prudentia, virtus, probitas, Dei timor et cultus, ut dixi initio; hæc enim non intrat in malevolam animam, cum tamen subinde intret sapientia speculativa. Unde S. Aug. in Retract. lib. 1. cap. 4. retractat id quod in Soliloquiis dixerat: *Deus, qui nisi mundos verum scire noluisti.* Hinc ex diametro sibi adversantur, sapientia et voluptas, puta gula et libido. Unde Plato lib. 12. de Legibus: *Venus*, inquit, dicitur quasi *ουαι* et *νους*, q. d. *Væ menti*, aut *ve*, id est, *sine mente.* Sic *vesanus* dicitur sine, sive carens, *sanitate*, *vecors sine*, sive carens, *corde*, puta excors. Et Cicero, teste Plutarcho in eius vita, negabat se posse philosophari, et simul amari vacare.

Anagog. per *sapientiam* accipe dulcedinem divinæ contemplationis; hanc enim non degustant animæ malevolæ, sed bonæ et puræ. Ita S. Bern. in Scala claustralium et alii. Quocirca S. Gregor. Nyssen. tract. de Forma perfecti Christiani, hanc formam in eo sitam esse docet: *Si quis*, inquit, *vere sit templum Dei, nullumque malitiæ simulacrum contineat, is a mediatore admittatur, cum purus sit, et ad puritatem ipsam suscipiendam idoneus: neque enim in malevolam animam, ut scriptum est, introibit sapientia.* Idem de Virg. cap. 15. *Animus*, inquit, *qui Deo vivit, non ullis rebus se oblectaverit, quæ sibi ex errore quodam non veram honesti speciem præbent, sin ex aliqua affectione vitii maculam cordis contraxerit, specialis ipsa matrimonii iura rescidit, atque ut in divinis litteris scriptum extat: In malevolam animam non intrabit sapientia.* Quocirca Guarinus Abbas qui floruit anno Domini 1170. serm. 4. de Adventu: *Qui igitur*, inquit, *viam Domini parare festinas, prima omnium bona sit voluntas; quoniam in malevolam animam non introibit sapientia.*

Nec habitabit in corpore subdito peccatis.) Græce *καταχρεω αμαρτιας*, id est, peccato obnoxio, oppignorato, ac velut ære peccati oberato et obstricto, atque, ut Syrus vertit, *reo et condemnato.* Est metaphora a debitore ære alieno oppresso: *qui enim facit peccatum, servus est peccati*, ait Christus Ioan. 8. 34. ac proinde diabolo, qui auctor est peccati, obligatus et obstrictus. Unde Apost. Rom. 7. ait se venumdatum sub peccato. Per *corpus*, synecdochice hominem accipe: corpus enim est peccati æque ac supplicii, puta tam culpæ, quam pœnæ, officina. Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 19. n. 4. exemplum dat Salomonem; spiritus enim sapientiæ recessit a Salomonis anima, et corpore voluptatibus inquinato, et libidinibus subdito. Unde S. Aug. lib. 17. Civit. c. 8. *Rex ille*, inquit, *aliquando sapiens sapientiam, quam amore spirituali adeptus fuit, amore carnali amisit:* hi enim duo amores sunt contrarii, et antagonistæ, ut unus alium expellat. Sic et a Davide, ait S. Basil. in Psal. 37. idem spiritus recessit, cum is animam et corpus polluit adulterio et homicidio: unde pœnitens orat Psal. 50. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*, etc. *et spiritu principali confirma me:* libido enim et aelus obcæcant mentem milleque errorum tenebras menti offundit, quas dissipat sapientia, id est pœnitentia, castitas, sanctitas. Noster a Castro per *peccatum* accipit peccatum diffidentiæ, qua quis diffidit Deo, et callide tentat Dei potentiam et providentiam. Alii accipiunt peccata iniustitiæ, tyrannidis, rapinæ, fraudum, etc. Plane et plene accipias quælibet peccata mortalia: hæc enim omnia et singula fugant sapientiam, id est Dei gratiam et charitatem. Unde S. Thom. 2. 2. qu. 45. art. 4. ex hoc loco docet sapientiam practicam, quæ est donum Spiritus sancti, præsupponere charitatem, ideoque non posse consistere cum peccato mortali.

Præclare S. Aug. lib. de Agone Christiano c. 13. « Errat, inquit, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat: nequitia est autem mundum istum diligere, et ea, quæ nascuntur et transeunt, pro magno habere, et ea concupiscere, et pro his laborare ut acquirantur, et lætari cum abundaverint, et timere ne pereant, et contristari cum pereunt. Talis vita non potest puram illam et sinceram et incommutabilem videre veritatem, et inhærere illi, et in æternum non moveri. »

Denique S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. ex hoc loco probat, in B. Virgine nullum fuisse peccatum actuale, ne veniale quidem, quia in eius utero Sapientia Dei corporaliter habitavit. Idem dicas de peccato originali. Qui enim aliquando huic subiacuit, necesse est ut aliquando peccet, saltem venialiter, unde, qui ab omni veniali per totam vitam immunis est, immunis est quoque ab originali. Hanc regulam tradit S. Aug. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. Idem libro de Natura et gratia cap. 36. ait: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quæstionem. Unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Pro *unde* nonnulli legunt *inde*.

Porro ex eo, quod ait, *Spiritus Sanctus*, etc. *non habitabit in corpore subdito peccatis*, a contrario collige: ergo habitabit in anima et corpore subdito charitati et virtutibus, hoc est enim palatium, imo thronus et templum Spiritus sancti.

Vers. 5.

Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate.) Syrus: *Spiritus enim Sanctus et correptio fugit a fraude* (Arabicus, *a dolo*) *et elongatur* (Arabicus, *avolat*) *a cogitationibus eorum, qui sine scientia intelligentiæ sunt.* Græce habent, *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum, sive fictionem.* Unde primo, *sanctus Spiritus disciplinæ*, potest accipi ipsa sancta disciplina, quam v. præced. vocavit *sapientiam:* hæc enim est spiritus, id est spiritualis dos et qualitas, ut probet id quod dixit, sapientiam non intrare in malevolam animam, ex eo quod sapientia sit *spiritus disciplinæ*, id est, aspiret menti disciplinam, id est, vitiorum castigationem, morumque compositionem et candorem, qui contrarius est dolo, fictioni et malitiæ.

Spiritus sanctus fugit fictum. quis? Respond. 1.

II. Secundo, *Sanctus Spiritus* potest accipi ipse Deus Pater, Filius et Spiritus sanctus: Deus enim per essentiam est spiritus, isque sanctus. Unde Seraphini singulis personis acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth*, Isaiæ 6. Probat ergo sapientiam non introire in malevolam animam, ex eo quod Deus, a quo manat omnis sapientia, cum sit spiritus sanctissimus et purissimus, fugiat omnem dolum, fictionem et malitiam.

III. Tertio, per *Spiritus sanctus* accipi potest tertia persona SS. Trinitatis, puta Spiritus sanctus: huic enim appropriatur disciplina, id est morum reformatio, puritas, sanctitas; qui proinde fugit, imo fugat omnem impuritatem, hypocrisim et malignitatem: ita sanctus Hieronymus lib. 7. in cap. 63. Isaiæ et Idacius contra Varimadum, Hugo, Lyranus, Glossa, et alii.

DISCIPLINÆ.) Osorius refert ad τὸ *fictum*, q. d. Spiritus sanctus enim fugit hæreticos et hypocritas, qui simulant et fingunt se studere disciplinæ, cum sint indisciplinati, vacentque suis concupiscentiis. Vere S. Aug. in Psal. 39. initio: *Persecutio*, inquit, *sive a leone, sive a dracone numquam cessat Ecclesiæ, et magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit.* Melius alii τὸ *disciplinæ* referunt ad τὸ *Spiritus sanctus*: hic enim est auctor, amator, tutor et doctor omnis disciplinæ, qua nostros mores ad omnem honestatem confirmat, uti dixi. Ita Hugo, Jansen. et alii.

FICTUM.) Græce δόλον (forte Noster legit δόλιον, idest dolosum, fraudulentum, fictum, versipellem masculine) id est fictionem, fraudem, dolum, item res fucatas et fictas, (Unde Vatabl. vertit: *Id quod fictum est*) omnesque fictos, hypocritas et dolosos, qui vel per fraudes alios compilant, vel errores spargunt, vel quid aliud mali perpetrant. Opponit fictionem hanc simplicitati cordis, qua quærendum esse Deum dixit v. 1. Unde S. Aug. ser. 11. de Verbis Domini, per fictos accipit hypocritas. Idem l. 1. de Baptismo contra Donat. c. 12. accipit eos, qui ficte accedunt ad baptismum, uti accessit Simon Magus Actor. 8 de quo hunc locum accipit Urbanus II. 1. q. 3. c. *Salvator*. Hi enim si plane fingant se velle suscipere baptismum lucri causa, cum revera nolint fieri Christiani, uti subinde eum suscipiunt Judæi, irritus is est et nullus: sin serio velint suscipere baptismum et christianismum, sed fingant se pœnitere de peccatis, quæ dimittere nolunt, recipiunt quidem Sacramentum baptismi, sed non ejus vim et gratiam, nisi postquam per pœnitentiam sublata fuerit fictio, uti passim docent Theologi.

S. Athanas. serm. de passione et cruce, per fictos accipit mendaces et perjuros; S. Bernardus ser. 4. in Cant. incontinentes; Hesychius lib. 2. in c. 10. Levit. simulantes pœnitentiam. Rursum S. Aug. lib. 2. contra Parmen. cap. 10. ut 11. per fictus accipit hæreticos, a quibus collatum baptisma docet esse verum, et sanctificare baptizatos: *Spiritus quidem Sanctus*, inquit, *doloris fugantibus deerat justificandis; sed accepturis credentibus aderat abluendis, per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ utrumque valens facere, illos fugere, istos fovere; illos culpare, istos mundare.* Et mox: *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

Tandem fictio proprie significat dolum, versutiam, fraudem, qua homines, præsertim judices, vel rectores ob munera, vel respectus humanos justitiam pervertunt. Potest tamen fictio accipi quævis iniquitas, ut sequitur: hæc enim simulat et fingit æquitatem et honestatem; verecundatur enim videri et vocari iniquitas et inhonestas.

Unde ad hanc gnomen alludens, imo eam paraphrastice explicans Tertull. lib. de Orat. c. 10. docens eam debere esse liberam ab omni animi perturbatione, ait: *Neque enim agnosci poterit a Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero, nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.*

Porro, Spiritus sanctus maxime fugit fictionem et fictos, qui virtutes nomine vitiorum et vitia nomine virtutum palliant; itaque multos seducunt, dum virtutes in vitia, et vitia in virtutes transformant. Nam ut vere ait Cassiodor. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos et graves: hæc sagitta leviter volat, cito infigitur.* Et Seneca epist. 21. *Per adulationem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur: in his certe magno periculo erramus.*

Denique, sicut spiritus fugit fictionem et dolum, sic amat et ambit simplicitatem, candorem, et amorem. Audi S. August. lib. de Moribus Ecclesiæ Cathol. c. 16. *Dicit Paulus* (Rom. 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Dicit Propheta: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum: ubi enim dolus, charitas nulla est.*

Jam vero dolus, fictio et mendacium omnes dedecet, sed maxime principes et rectores; hi enim fingendo et fallendo perdunt omnem fidem et auctoritatem apud subditos, vicinos et exteros. Unde Leo imp. Exhort. ad filium c. 29. « Maximi, inquit, pendito veracem te esse, et veraces homines in familiaritatem tuam admittere: ita enim firmus et constans in omnibus dictis et factis existimaberis, ac veram et non suspectam suorum erga te benevolentiam obtinebis. Si autem in vanitatis et mendacii suspicionem veneris indigne agere imperatoria majestate, qua auctus es, convinceris, efficiesque ut subditi semper formidolosi, rerumque omnium incerti et titubantes vacillent. Et cap. 36. Dicere autem oportebit se, quæ plane scies, aut ea quæ temporis ratio postulabit; de cæteris omnibus silere satius erit, quam loqui. Nam principem non nisi vera, opportuna, et magni momenti verba proloqui decet. » Fictio dedecet principes.

Rursum, fictio plane indigna est in sacerdote, rebus sacris et Sacramentis; estque peccatum sacrilegii. Unde Hesychius in c. 10. Levit. et habetur de Pœnit. dist. 3. c. 35. *Inter hæc sicut vera pœnitentia*, inquit, *Deum promeretur; ita simulata Deum irritat: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Hoc autem sancti Patres irremissibile peccatum et blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt.* Nam ut ait Clemens Alex. lib. 3. Strom. *hypocrisis est instar nivis, et hypocrita est quasi sterquilinium nive contectum, utpote qui vitia omnia candore simulatæ virtutis, velut nive obtegit.* Talis hypocrita fuit Julianus Apostata, quem proinde S. Greg. Nazianz. orat. 3. contra eumdem, recte comparat chamæleonti: *Sicut*, inquit, *chamæleontem aiunt in quamvis facile mutari, atque omnes colores, candore uno excepto, suscipere (fabulosum enim Proteum sophistam prætereo) sic etiam ille Christianus, præter clementiam, in quidvis se vertebat, et perquam crudelis erat ejus lenitas.* Et sacerdotes.

ET AUFERET SE A COGITATIONIBUS, QUÆ SUNT SINE INTELLECTU.) Græce ἐπαναστήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, id est exsurget, excitabit, eriget se, ut ascendat et avolet a cogitationibus intelligentiæ expertibus, imperitis, imprudentibus, insipientibus, stultis, quales sunt tyrannorum, omniumque injustorum et impiorum. Nannius vertit: *resiliet*; alii: *commigrabit, amovebitur, procul obsistet:* juxta illud Ps. 63. 8. *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*, q. d. Homines versuti alto, id est profundo, corde multas artes, fraudes, impiaque consilia excogitant; sed Deus alto hominum corde longe est altior et profundior; unde eius technas detegit, dissipat, punit, vindicat. Quocirca Aquila, Symmach. et Theod. pro ירום *jarum*, id est *exaltabitur*, aliis punctis legentes ירום *jorem*, id est *sagittabit*, vertunt: *Et altum et cor profundum hominis sagittabit et configet.* Ex adverso sapientia, ejusque auctor Spiritus sanctus, ait Prov. 8. 12. *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus*; vide ibi dicta. Quæ sint cogitationes sine intellectu, quæ cum intellectu, et quomodo utræque formentur et crescant, subtiliter explicat S. Bernardus tract. de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei longiuscule ante finem.

Hinc sapientiæ symbolum est sal. Nam ut ait Plinius l. 31. c. 9. *Salis natura per se ignea, et inimica ignibus; fu-*

giens eos, et omnia erodens; corpora vero astringens, siccans, alligans; defuncta autem et putrescentia ita vindicans, ut durent ita per sæcula. In medendo vero mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissolvens. Sapientia autem ignea est, a calore Spiritus sancti generata, sed igni concupiscentiæ valde inimica, quæ in malevolam animam non introibit, disciplinæ fugit fictum, et aufert se a cogitationibus impudicis, quæ sunt sine intellectu. Affectus humanos erodit, atque ab eis quidquid inordinatum est et effrænatum, detrahit. Corda iustorum astringit, ne in vitia labantur: siccat, ne humore pravi amoris tabescant; alligat, ne in peccata perefflnant. Nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino placuerunt. Animas peccatis mortuas, et sibi ipsis præ humilitate et contemptu proprio putrescentes conservat, et vitam aliam supra captum humanum, et incorruptionis claritatem communicat.

ET CORRIPIETUR A SUPERVENIENTE INIQUITATE.) Græce, ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀνομίας, id est, corripiet, vel corripietur superveniente peccato, inquiunt nonnulli, adduntque ἐλέγχεσθαι verbum esse medium: unde tam active verti potest, *corripiet*, quam passive, *corripietur:* Active accipit Cantacuzenus, q. d. Spiritus sanctus corripiet, arguet, convincet iniquitatem quæ specie æquitatis simulata se velabat et occultabat, eamque deteget et damnabit, iuxta illud Christi Ioan. 16. 8 *Ille* (Spiritus sanctus) *arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio*: Spiritus sanctus enim ostendit eos, qui fraudes et technas nectunt, tunc maxime desipere, cum sibi summe sapere videntur. Unde Syrus vertit: *Corripit omnem tyrannidem quæ evenit:* proprie enim in tyrannos et oppressores hæc dicuntur. Verum ἐλεγχθήσεται, non est futurum verbi medii, sed passivi. Passive ergo accipit Noster et cæteri, vertuntque *corripietur*; quod S. Augustinus lib. contra Adimantum, c. 7. refert ad hominem fictum, q. d. Corripietur homo fictus, scilicet superveniente sibi iniquitate sua, cum ab eo abscesserit Spiritus sanctus; hæc enim iniquitas ipsi ostendet quod deviarit ab æquitate, sapientia et virtute: unde conscientia eum remordebit, castigabit et puniet. Addit Lyran. in peccata graviora sinetur labi; sic enim Deus solet priora peccata castigare per sequentia maiora et turpiora. Denique fictus, inquit Hugo, cum retributionis dies venerit, pro iniquitate corripietur, id est punietur.

Melius alii attribuunt Spiritui sancto, idque liquet ex textu Græco, q. d. Spiritus sanctus ab iniquitate corripitur, id est confutatur, ait Ianseo. ac velut vituperatur et dehonestatur, ait Vatabl. indigne tractatur, ait Nannius (hæc enim omnia significat ἐλέγχεσθαι) ac proinde velut confusus ac probro affectus fugit et discedit. Hinc Arabicus vertit: *reprehenditur cum præsens fuerit iniquitas.* Unde nota tantam esse antipathiam inter iniquitatem (græce ἀνομίαν, id est peccatum, scelus, legis transgressionem) et Spiritum sanctum, ut iniquitas abigat Spiritum sanctum: sicut tyrannus abigit verum regem. Infinitum est enim dissidium et odium inter Spiritum sanctum et peccatum: ita enim odit ipse peccatum, itaque ipsi exosum est, et quasi noxium omne scelus, ut, si ipse posset per impossibile gladio aliquo iugulari, vel veneno aliquo perimi, non alio iugularetur, vel perimeretur, quam peccato: peccatum enim directe violat sanctitatem Spiritus sancti, eiusque angelorum. Unde S. Basil. in Psal. 33. ad illa: *Immittet* (se, hoc est inseret) *Angelus Domini in circuitu timentium eum. Velut fumus*, inquit, *fugat apes, et fœdus odor columbas expellit, sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum, et graveolens peccatum.*

Noster Pineda in Iob c. 35. v. 6. et 7. τὸ *corripitur* exponit *contristatur*, q. d. Contristatur Spiritus sanctus, dum videt animam iniquitatem committere, ideoque quasi mœstus ab ea fugit et discedit: iuxta illud: *Nolite contristare Spiritum sanctum*, Ephes. 4. 30. Peccator ergo dum peccat, quantum in se est, corripit, confutat, conspurcat, contristat, expellit Spiritum sanctum.

Hæc omnia antropopathos dicuntur de Spiritu sancto: ipse enim proprie corripi, probro affici et contristari nequit, cum sit Spiritus sublimissimus, perfectissimus, beatissimus et inviolabilis. Dicitur tamen corripi, vituperari, contristari; tum quia peccata causam ipsi dant doloris, probri et tristitiæ, ita ut, si in eum cadere posset dolor, probrum aut tristitia, utique peccatum ipsum dolore, probro et tristitia afficeret: tum quia ipse peccatum odit, et a peccatore abit et discedit, perinde ac si probro et tristitia affectus fuisset. Est catachresis et metonymia: ponitur enim affectus pro causa, scilicet correptio et tristitia pro odio, quod in hominibus ex tristitia consequitur. (Corripitur Spiritus sanctus. 1. 2.)

Minus recte aliqui sic exponunt, q. d. Corripietur, id est convincetur, Spiritus sanctus ex iniquitate hominis, quod in eo convertendo et sanctificando frustra laborarit. Et alii, qui sic transferunt: Spiritus sanctus investigabitur, deprehendetur et agnoscetur in iniquitate hominis, sicut lux in tenebris magis agnoscitur, et resplendet. Et noster a Castro: Corripere, inquit, est celeriter rapere, iuxta illud Virgilii:

> *Arcumque manu, celeresque sagittas*
> *Corripit.*

Sensus ergo est, q. d. *Spiritus sanctus disciplinæ institutor fugit, quod videt fictum in discipulo, et abscedit a cogitationibus eiusmodi dolosis, et celeriter corripit sese ab animo eius, mox ut advertit similem iniquitatem sese in illum insinuare.* Hæc a Castro. Verum Græcum ἐλέγχεσθαι, non significat celeriter rapere, sed corripere, id est redarguere, increpare, convincere.

BENIGNUS EST ENIM SPIRITUS SAPIENTIÆ (Græca habent, σοφία, id est *sapientia*, sed eodem redit sensus: spiritus enim sapientiæ est ipsa sapientia spiritualis, sive creata, sive increata, quæ est ipse Deus et Spiritus sanctus, uti dixi v. præced. Quare idem est dicere: *Sapientia est spiritus benignus*, cum eo quod dicit Noster: *Benignus est spiritus sapientiæ*) ET NON LIBERABIT MALEDICUM (ita Romana. Minus recte Glossa, Lyran. Dionysius et alii legunt, *maledictum*) A LABIIS SUIS. (Vers. 6.)

Quoad nexum huius sententiæ cum præced. Nota, τὸ enim dupliciter accipi posse. Primo, pro *enimvero, quidem, quamvis enim.* Respondet enim Hebræo, כִּי *ki*, id est quia, quoniam: quod non semper causam reddit, sed subinde sermonem tantum continuat, imo subinde orditur, estque particula expletiva, quæ ornatus dumtaxat causa additur. Sic sensus nexusque erit, q. d. Enimvero benignus est spiritus sapientiæ, vel. Quamvis enim benignus sit spiritus sapientiæ, tamen non liberabit maledicum a labiis suis, id est a culpa et pœna suæ maledicentiæ debita, sed eum acriter puniet. Ita Nazianz. orat. 44. quæ est in S. Pentecosten: *Hic* (Spiritus sanctus) inquit, *et lenitatis spiritus est et tamen in eos qui peccant irascitur: proinde si eum lenem et clementem, at non iracundum experiri volumus, dignitatem ipsius confiteamur caveamusque, ne quid in illum convicii blasphemiæque dicamus, neque velimus eum implacabiliter irascentem videre.*

Secundo τὸ enim magis proprie et nervose accipi potest, ut nota causalis. Dat enim causam, cur sapientia, id est Deus et Spiritus sanctus, fugiat fictos ac puniat blasphemos et maledicos, qui Deo, vel hominibus contumeliosi, et iniurii sunt, q. d. Ideo eos punit, quia benignus et φιλάνθρωπος, id est amator hominum est, ut enim eos a petulantia, maledicentia et iniuria tueatur et vindicet, maledicos severe castigat. Vera enim benignitas et clementia est si ad tutelam piorum castigentur impii in pios contumeliosi et iniurii. Nam ut ait S. Gregorius in 1. Reg. c. ult. disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur. Non enim solum piis, sed et impiis bene fit si per pœnas a malo coerceantur.

Pro *benignus* græce est φιλάνθρωπος, id est singularis hominum amator, qualis fuit Christus pro nobis in carnem et crucem descendens, de quo S. Paulus: *Apparuit*, inquit, *benignitas et humanitas* (græce φιλανθρωπία, id est eximius ille in homines amor) *Salvatoris nostri Dei*, ad Titum 3. 4. S. August. lib. de Mendacio c. 16. legit: *Humanus est spiritus sapientiæ*; Syrus: *amans est enim filios hominum*, qui scilicet se, suam sapientiam et gratiam hominibus communicare impense cupit et optat. Φιλάνθρωπος, (Spiritus sanctus φιλάνθρωπος.)

ait Elias Cretensis in orat. 4. Nazianz. *ille est, qui inimicis etiam blandum ac liberalem se præbet, ac quantum potest Deum imitatur, qui iustos et iniustos beneficiis afficit.* Audi Nazianz. or. 44. in S. Pent. *Hic Spiritus*, ait, *utpote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psaltem efficit pravos spiritus incantantem, atque Israelis regem designat. Si caprarium moros vellicantem, Prophetam reddit, Davidem et Amos cogita. Si adolescentem pulchræ indolis acceperit, presbyterorum iudicem constituit, idque supra quam ætatis ratio ferre videtur. Testis est Daniel, qui leones in lacu superavit. Si piscatores invenerit Christo irretit, orbem universum sermonis retibus complectentes. Petrum mihi atque Andream accipe, tonitruique filios, qui spiritualia intonuerunt. Si publicanos, ad discipulatum elucratur, atque animarum negotiatores efficit. Testis Matthæus heri publicanus, hodie Evangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit, nec minus pios reddit, quam impios ostenderat.*

Et non liberabit (Græce, οὐκ ἀθῳώσει, id est non habebit innocentem, id est non sinet impunitum, sed gravibus pœnis et suppliciis onerabit, est miosis) maledicum.) Græce βλάσφημον, id est blasphemum et contumeliosum, sive in homines, sive in Deum qui scilicet non sentit de Deo in bonitate, nec in simplicitate, sed in dolo quærit eum, ut dixit v. 1. Deus enim discipulos et auditores sapientiæ suæ quærit simpliciter sibi credentes, fidentes et obedientes, qui de ipso dicant, αὐτὸς ἔφα, id est, *Ipse dixit*, uti dicebant discipuli Pythagoræ. Unde Syrus: *Non iustificat populum blasphemantem*; Arabic. *insultantem*.

A labiis suis.) Id est a culpa, petulantia et maledicentia labiorum suorum. Triplex est malitia opposita bonitati et simplicitati Dei, de qua dixit vers. 2. *Sentite de Domino in bonitate, etc.* quæ proinde nos separat a Deo, ideoque summe detestanda et cavenda, scilicet malitia cordis, oris et operis, puta perversæ cogitationes, sermones et actiones: de cogitationibus egit v. 3. hucusque; hic agit de sermonibus, puta murmurationibus, detractionibus, mendaciis usque ad v. 12. ubi aget de operibus, sicque omne genus malitiæ culpat et resecat.

Quoniam renum illius testis (græce μάρτυρ, id est martyr, puta testis) est Deus et cordis illius scrutator est verus (Syrus, *operator veritatis*) et linguæ eius auditor.) *Renes* notant intimas cogitationes et appetitiones (concupiscentiæ enim, libidinis, et seminis origo est in renibus) secretas et occultas. Unde sensus est, q. d. Ne putes secreta tua peccata et maledicta esse occulta: Deus enim intuetur secretissima quæque non solum locorum, sed et mentium: unde vocatur Θεός, id est Deus, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est ab intuendo et contemplando. Hinc explicans subdit: *Et cordis illius scrutator* (gr. ἐπίσκοπος, id est speculator, inspector) *est verus*, puta Deus, qui est ipsa veritas, ac proinde nec falli ulla in re, nec fallere potest (unde Arabicus vertit: *explorator scrutator cordis illius*;) *et linguæ eius*, etiam submisse intra labia mussitantis, murmurantis et maledicentis *est auditor*. Tria enim sunt, inquit Holcot, quæ libet peccator maxime latere, videlicet delectationem suæ voluptatis, cogitationem conceptæ vanitatis, locutionem communicatæ perversitatis: et tamen omnia ista Deus unde videt. Ista autem tria tangit Sapiens per tria corporis organa, videlicet renes, cor et linguam. In renibus viget voluptas, in corde vanitas, et in lingua perversitas. Et respectu istorum trium tres actus Deo attribuit. Nam respectu voluptatis, ipse est testis: respectu vanitatis, ipse est scrutator. scrutari enim est ad interiora et latentia penetrare, iuxta illud Psal. 7. *Scrutans corda et renes Deus*: sed respectu perversitatis, falsitatis ipse est auditor. Et inferius: Notandum, inquit, quod hic tangit Sapiens tria corporis organa, quæ difficillimum est regere ratione, renes cor et linguam; nam in renibus voluptas, in corde vanitas, in lingua falsitas dominatur. Et ideo difficillimum etiam Sanctis, quod se regant perfecte in delectationibus, quæ per renes significantur: in cogitationibus, quæ per cor: in locutionibus, quæ per linguam notantur. Dicit Aristoteles lib. 13. de Animal. Infirmitas renum in homine est difficilis curationis. Moraliter, quia in renibus dominatur voluptas, ideo infirmitas renum carnalem denotat concupiscentiam, quæ vocatur languor naturæ. Hinc renum morbus igne aduri solet, unde illud Psal. 25. 2. *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes et cor meum*, id est ait Glossa, adhibe medicinalem purgationem tribulationis delectationibus meis, ne quid mali delectet me, et cogitationibus, ne quid mali cogitem. Quocirca sapienter David moriturus hoc monitum dat Salomoni filio, sibi in regnum successuro: *Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas hominum cogitationes intelligit*, 1. Par. 28. 9. Hoc ergo age, hoc cogita, hoc elige, quod cupis patere et placere oculis Dei; hoc cogitare, hoc eligere noli, quod scis patere et displicere Deo.

Hinc S. Bernard. l. de interiori domo c. 39. docet summa cura advigilandum ad cogitationes nostras: *Ibi namque*, ait, *est cogitatio tua, ubi est affectio tua: ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum: quoniam illud sæpius in cogitatione volvimus, cuius amore plus affecti sumus.* Vis ergo nosse quid ames, adverte quid sæpe cogites. Subdit S. Bernard. *Si mala cogitas, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus sine intellectu, eritque templum Dei spelunca diaboli, quoniam, quem Deus deserit, diabolus arripit. Et ideo quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non consentias illi, nec sinas eam in corde tuo manere, sed illico repelle. In initio cogitationis iniquæ resiste, et fugiet a te. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicut vipera a filiis suis in utero positis lacerata perimitur: ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt.* Audi S. Augustin. Præfat. in Psalm. 148. *Non potest fieri ut habeat malefacta, qui habet bonas cogitationes: facta enim de cogitatione procedunt. Nec quisquam potest facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra movere, nisi primo præcesserit iussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid iusserit imperator, per imperium Romanorum emanat, quidquid edictis agi per provincias: quantus motus fit ad unam iussionem imperatoris intus sedentis? movet solum ille labia cum loquitur, et movetur omnis provincia, cum fit, quod loquitur. Sic et in unoquoque nostrum intus est imperator, intus in corde sedet. Si bonus bona iubet, bona fiunt, et si malus mala iubet, mala fiunt. Cum ibi sedet Christus, quid potest iubere, nisi bona? Cum possidet diabolus, quid potest iubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus te esse voluit, cui pares locum; Deo an diabolo? Cum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit.* Cogitationi cura adhibenda.

Denique S. Gregor. Nazianz. orat 34. quæ est 2. de Theologia, per sanctum Spiritum accipiens Deum, ex eo probat Deum ita esse immensum, ut omnia circumscribat, et a nullo circumscribatur. Concinit ei Theophilus Patriarch. Alex. patruus et antecessor magni Cyrilli, ac æmulus et iudex S. Chrysostomi. Sic enim ait Theoph. ep. 1. Paschali: *Cur David canit: Quo ibo a spiritu tuo? Quod dicens ostendit a sancto Spiritu omnia contineri, et illius maiestate circumdari: si omnia in omnibus, utique et irrationabilia et inanima. Et alibi legimus; Spiritus Domini replevit orbem terrarum, quod numquam Scriptur. memoraret, nisi irrationabilia quæque inanima illius numine complerentur.* Theophilum patruum sequens S. Cyrillus tract. *Quod Spiritus sanctus sit Deus*, ex hoc loco idipsum probat; tum quia replet omnia, ergo est immensus, ergo Deus: tum quia continet omnia sua vi et potestate: tum quia est super omnia: *Situs est ergo*, inquit, *super omnes creaturas, et naturam eorum, quæ ab ipso implentur ac continentur, transilit: ut Deus est id, quod est super creaturam.*

Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.) Probat quod Deus intima et occultissima, tum cordium, tum sermonum, et præsertim occultas blasphe- Vers. 7.

mias in Deum, et maledicta in homines prolata, perspiciat, indicet et vindicet; ex eo quod eius spiritus repleat totum orbem, ut ubique sit præsens, ac consequenter omnia cominus intueatur et videat, imo omnia manu sua contineat, ac proinde voces quaslibet et verba, etiam mentalia sciat et cognoscat; quia eum non impedit ulla loci distantia, nec vocis vel idiomatis ignorantia.

Spiritus Domini duplex: Essentialis. *Spiritus Domini* accipi potest dupliciter. Primo, cum S. Aug. ep. 57. ad Dardanum c. 5. B. Petro Damiani lib. 4. ep. 6. et aliis essentialiter, ut sit idem quod ipsa spiritalis Dei natura, vis, efficacia, scientia, providentia, operatio, conservatio: hæc enim ubique est per essentiam, præsentiam et potentiam; ac proinde omnia replet, omnia continet, conservat, vivificat. Nam ut ait Athenagoras orat. de resurrectione: *Nihil neque terrestrium, neque cælestium rerum cura et providentia destitutum est: sed in omnia æque, tum quæ in aperto sunt, tum quæ latent, in magna item et parva penetrat creatoris sollicitudo.* Nam Deus, ut ait Philo l. 2. Allegoriarum legis, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens seipso vacuum; et quem locum occupabis, in quo non sit Deus? Itaque nemo potest se ab eo abscondere.

Huic similis est gnome Ps. 93. 9 *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Ita S. August. in Psal. 57. qui ex hoc loco probat Deum esse ubique, iuxta illud Psal. 138 *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Porro spiritus Domini sua subtilitate replet et continet omnia, sicut replet et continet aer, dum omnia subintrat et penetrat: sicut enim voces formantur in aere, et per eum vehuntur ad aures; sic nil potest quisquam loqui, quod non perveniat ad spiritum Domini, utpote in quo vivimus, movemur et sumus, Actor. 17.

Et notionalis. Secundo, Spiritus Domini accipi potest notionaliter, ut sit idem quod Spiritus sanctus, tertia in SS. Trinitate persona. Hic enim est Spiritus Domini, quia productus per spirationem activam Patris et Filii, qui pariter replet orbem, et continet omnia.

Unde ex hoc loco Spiritus sancti immensitatem, ac consequenter divinitatem probant S. Athanas. epist. ad Serapionem, S. Basil. hom. de Spiritu sancto, et lib. 5 contra Eunom. c. ult. S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto c. 8. S. August. lib. 3. contra Maxim. c. 21. Orig. l. 7. in c. 9. ep. ad Rom. Cyrillus Alexand. lib. 8. contra Iulianum, et lib. 7. de Trinit. qui addit idem sensisse Platonem et Platonicos, qui dixere Deum esse animam mundi, iuxta illud:

Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Porro Richardus de S. Victore serm. de missione Spiritus sancti, censet per hoc indicari Trinitatem personarum, cum identitate essentiæ. Nam Spiritus Domini est spiritus distinctæ personæ; sed tamen est hoc, quod continet, id est illud ipsum, quod est ille, a quo sunt omnia; est illud per quem est, id est id, quod Pater et Filius est, a quibus procedit. Verum hoc subtilius est quam solidius. Prior sensus planior et germanior est.

Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis) Græcizat Interpres: quia enim πνεῦμα, id est, *spiritus*, Græcis est generis neutri, hinc tribuitur ei pronomen demonstrativum pariter neutrum, puta τὸ συνέχον, id est, *Hoc continens omnia: hoc* ergo idem est quod *hic* spiritus, uti legit S. Aug. in speculo c. 2. et in Symbolo ad Catechum. c. 4. Unde et Syrus vertit: *Ille qui tenet omnia in scientia, est ei vox eius;* Arabicus: *Qui ambit omnes creaturas, cognoscit loquelam.*

Sensus ergo est, q. d. Et hic spiritus Domini replens omnia, et continens omnia, id est manu suæ potentiæ omnia ambiens, concludens, conservans ne in suum nihil recidant, movens, agitans, *scientiam* græce γνῶσιν, id est *cognitionem*, habet vocis, hoc est, cognoscit omnes voces, etiam occultissimas maledicorum, non tantum ore prolatas, sed et in corde conceptas: omnes enim hasce ipse in se continet, utpote qui omnia, ac consequenter ipsam animam et vitam cuiusque, in se continet: omnes ergo voces fiunt A quasi in ipso spiritu, id est in loco, quem Spiritus sanctus ambit et continet. Hinc aiunt Patres omnia creata esse in Spiritu sancto, sicut omnia dicuntur esse a Patre et per Filium. Præpositio enim *a* tribuitur Patri, quasi primo SS. Trinitatis principio: *per* vero Filio tamquam medio, item verbo et exemplari, per quod facta sunt omnia: *in* vero Spiritui sancto. Sensus enim est, q. d. Voces et verba, tam mentis, quam linguæ, intra ambitum complexumque Spiritus Sancti fiunt, non extra sive foris: quare illum nihil latere potest, ne vel tenuissimum maledici murmur, sed omnium vocum et dictorum exactam habet scientiam et cognitionem.

Deus continet omnia ut fundus. Nota τὸ *omnia continet* solide et profunde explicat S. Dionys. de Divin. nomin. c. 10. dicens: *Omnipotens, vel potius omnitenens* (hoc enim est παντοκράτωρ) *dicitur, quod sit omnium sedes, omnia continens et complectens, et cuncta stabiliens, fundans atque constringens, et universum in se insolubile præstans: et ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se, ut ad omnitenens* B *fundum universa convertens, et continens, ut omnium sedes omnicapax: omnia contenta una præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne tamquam ex sanctissimo domicilio mota dispereant.* Et Greg. l. 2. Moral. cap. 12. *Cælum,* inquit, *palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque rebus cunctis, quas creavit, exterior. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interius supraque: per pugillum, quo continet, exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, et superior per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, atque alia manet interior, sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.* Denique Iob c. 11. 8. C de Deo: *Excelsior cælo est,* ait, *et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura eius* (hebr. *statura eius*) *et latior mari.* Hinc illud Virg. eclog. 3.

Iovis omnia plena.

Et Lucanus lib. 9.

Iupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Porro sicut spiritus, id est ventus favonius flans suo halitu aperit ver, terramque germinare facit, ac omnia fecundat; imo, ut ait Plinius lib. 16. c. 25. et l. 18. c. 34. *Afflatu suo nutritium exercet:* sic pariter Spiritus Dei ita continet repletque omnia, ut ea gravidet, fecundet, fetuque impleat.

Porro minus genuine aliqui, ut Martinus Cantapetrensis lib. 2. Hypotyp. c. 2. col. 116. per *hoc quod continet omnia,* intelligunt mundum, q. d. Spiritus Domini replevit orbem sui cognitione: quia mundus, qui omnes rerum species in se continet, muta voce prædicat Dei creatoris magnificentiam, eiusque cognitionem omnibus ingerit, iuxta D illud Psal. 18. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei, etc. non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Mundus,* ait Pompon. Mela lib. 1. cap. 1. *uno ambitu se cunctaque complectitur.* Unde *eius circumplexu degunt omnia,* ait Plinius lib. 2. c. 1. Verum Græce non est ὁ συνέχων masculine, ut referat κόσμον, id est mundum, sed τὸ συνέχον neutre, quod non nisi πνεῦμα, id est spiritum respicit: si tamen τὸ συνέχον, accipias quasi substantive, posset notare mundum, idque huic loco satis apposite.

Spiritus s. implet omnia. Mystice, Ecclesia in officio Pentecostes, hanc gnomen applicat missioni Spiritus sancti: ipse enim in Pentecoste descendens in Apostolos, replevit eos omnibus virtutibus, donis et gratiis, tum gratum facientibus, tum gratis datis, deditque eis cognitionem omnium linguarum et vocum, ut per eam possent prædicare Evangelium Christi omnibus et singulis gentibus, Actor. 2. Addit Richar. Victor. loco iam citato, Spiritum sanctum omnium non tantum vocum, sed et rerum quæ vocibus significentur, scientiam Apostolorum

lis indidisse. Præclare S. Basil. hom. de fide, Spiritum sanctum comparat Soli totum orbem illustranti, fœcundanti, vivificanti: *Quemadmodum sol*, inquit, *corporibus lucens varie a quolibet sumitur, nec tamen propterea diminuitur; sic et Spiritus sanctus omnibus quidem gratiam præbens, infractus remanet ac indivisus. Omnes ad agnitionem Dei illuminat: Prophetas inspirat, legislatores sapientes reddit, sacerdotes sacris instituit, regibus fortitudinem addit, perficit iustos, ornat modestos, gratiam sanitatum operatur, mortuos vivificat, solvit compeditos, alienos in filios per regenerationem adoptat. Si telonarium deprehendat, credentem Evangelistam constituit. Si piscatorem inveniat, theologum reddit; si persecutorem, pœnitentem: Gentium Apostolum, præconem fidei, vas electionis declarat. Per hunc etiam Spiritum debiles redduntur robusti, pauperes in divitias veniunt, idiotæ ingenio et eloquentia cæteris sapientibus sapientiores evadunt.* Vide dicta Act. 2. et Genes. 1. 2. ad illa: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.*

Homo continet omnia. Hinc rursum S. Bonav. Hugo, Glossa et alii per *hoc quod continet omnia*, intelligunt hominem: homo enim in se continet omnes rerum gradus et species; habet enim esse cum lapidibus, vegetari cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Homo enim afflatus Spiritu sancto cognoscit quaslibet voces et linguas, uti patet in Apostolis. Rursum Spiritus sanctus in eo replet orbem terrarum, id est circuitum potentiarum animæ. Intellectus enim ornatur scientia et prudentia, imaginatio circumspectione et requie, voluntas et appetitus virtute multiplici, corpus sanitate, pulchritudine et robore. Et sicut homo velut centrum circuli est, in quod omnes naturæ rerum, et omnes vires earum tamquam lineæ concurrunt; ita donis multiplicibus decoratur, quibus suo liberalissimo creatori placita obsequia reddat et non beneficiorum oblitus, sed memor et gratus existat. Tunc vero ex omnibus suis viribus Deum diligit, cum omnes creaturarum vires sibi concessas et cuncta dona atque talenta, ex vero et puro Dei amore in eius obsequium et famulatum impendit. Sic de S. Gertrude in eius Vita legimus: *Ipsa non loquitur, sed Spiritus sanctus in ea videtur loqui, et operari: quare venienti quopiam ad illam consilii vel opis petendæ causa, illico Spiritus sanctus suggerit ei, quid consulere et respondere debeat.*

Vers. 8. PROPTER HOC, QUI LOQUITUR INIQUA, NON (gr. οὐδείς, id est *nullus*, quantumvis astutus, parvus, potens vel excelsus sit) POTEST LATERE, NEC PRÆTERIBIT ILLUM (qui loquitur iniqua) CORRIPIENS IUDICIUM.) q. d. Spiritus Domini penetrat, imo implet omnia, totumque universum: hinc nulla iniqua locutio, vel actio, abivis locorum fiat, eum latere potest: quin omnia perspiciat, ac suo tempore iudicet, vindicet et puniat, uti dixi vers. præced. Syrus: *Neque est qui loquatur oppressionem* (tyrannidem) *et abscondatur: neque fugit a iudicio reprehensionis.*

CORRIPIENS IUDICIUM.) Vocat *iudicium*, quod Deus sæpe peragit in hoc mundo, quodque plane et universaliter peraget in fine mundi, quo omnes omnino homines, omniaque eorum dicta et facta, etiam occultissima, in lucem proferet, ac coram omnibus hominibus et angelis ea examinabit et diiudicabit, atque iniqua acriter corripiet, id est castigabit, tum verbis, tum suppliciis, præsertim condemnando ea eorumque auctores ad æterna gehennæ incendia, cum dicet: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*, Matth. 25. Hinc Daniel cap. 7. describens Dei iudicium: *Fluvius igneus*, ait, *rapidusque egrediebatur a facie eius.* Ignis enim notat iudicium Dei esse purum, sincerum, clarum, penetrans, acre et efficax, quod impios ad ignem æternum damnabit. Vide ibi dicta. *Iudicium* tria significat: primo, actionem iudiciariam iniuriarum, quæ apud iudicem agitur actore accusante, reo se defendente, testibus testimonium ferentibus; secundo, sententiam iudicis qua reum iam convictum damnat; tertio, pœnam et supplicium, ad quod eum iudex condemnat. Hæc tria enim significat græcum δίκη. Unde δίκη fingitur a Poetis esse dea iudiciorum, inde dicta, quod lites et contentiones dirimat. Hinc eam asserunt virginem, eo quod iudicium debeat esse purum et intactum. Unde Hesiodus in Ergis: δίκη, inquit, ἐκ Διός, id est, virgo iustitia est a Iove prognata. Et Aristot. vel quisquis est auctor, lib. de Mundo: *Deus*, ait, *e vestigio comitem habet iustitiæ præsidem, quam* δίκην *nominant, divinæ legis vindicem, simul atque quidquam sanctionum eius prætermissum est.*

IN (Syrus, de) COGITATIONIBUS ENIM IMPII INTERROGATIO ERIT; SERMONUM AUTEM ILLIUS AUDITIO AD DEUM VENIET, AD CORREPTIONEM INIQUITATUM ILLIUS.) Arab. *Dominus erit reprehensio impietatis eius.* Pro *cogitationibus*, græce est διαβουλίοις, id est, perplexis et improbis impii cogitationibus. Pro *interrogatio*, græce est ἐξέτασις id est, *inquisitio*, quæ a iudice humano fieri solet interrogando, tum reum, tum testes. Unde Noster hic et alibi apte vertit, *interrogatio*, id est, quæstio, vel inquisitio iudicialis. *Auditio* est fama, rumor, relatio, accusatio. Inducit enim hic Deum ut iudicem et vindicem iniquorum, non solum sermonum, sed et cogitationum, si scilicet cogitata sint volita, se voluntati liberæ, vel expresse, vel tacite placeant, q. d. Deus utpote iudex universi, in omnia omnium facta dictaque exacte inquirit, ut ea cognoscat, ac suo tempore iudicet et præmiet, vel puniat. Inquirit autem, non ut iudex humanus, qui cum multa non viderit, imo nesciat eadem ab aliis interrogando vestigat, sed ut oculus per se omnia videns, et auris omnia audiens, ut ait v. seq. quare Dei interrogatio et inquisitio est ipsa facti visio, dictique auditio; quo fit ut falli nequeat; ideoque ipse simul testis est et iudex. Nam ut ait Iob cap. 42. v. 2. *Nulla* Deum *latet cogitatio.* Sensus ergo est, q. d. Interrogat, id est intuetur et audit, ac intuendo et audiendo inquirit (atque inquirendo intuetur et audit) in omnes cogitationes hominum, multo magis in sermones, ut iniquos corripiat et castiget. Rursum proprie Deus in iudicio interrogabit impium: Nonne murmurasti? nonne detraxisti? nonne iniqua dixisti? qua de causa, qua conscientia id fecisti?

Symbolice, Auctor imperfecti apud S. Chrys. hom. 21. in Matth, et Hugo: In hac vita Deus, inquiunt, in nobis posuit spiritum quemdam scientiæ boni et mali, ut quotiescumque mali quidpiam dicimus, agimus, aut volumus, ille in silentio id ipsum accuset. Spiritus hic est synderesis, sive conscientia eiusque remorsus; hæc enim, dum peccamus, muta voce acclamat: Quare hoc nefas agis? cur Deum offendis? cur eius iram et vindictam in caput tuum accersis? Hæc pariter nos accusabit in die iudicii, iuxta illud Apostoli: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.*

QUONIAM AURIS ZELI AUDIT OMNIA, ET TUMULTUS MURMURATIONUM NON ABSCONDETUR.) Syrus, *auris invidi*; refert enim hæc et sequentia non ad Deum, sed ad suspicacem et invidum, qui omnia secreto auscultat curiose, ut audiat quid quisque de se dicat et murmuret. Verum cæteri referunt ad Deum, de quo sermo præcessit. Unde Arabicus vertit, nemo. Deus non habet corpus, nec membra, ac consequenter nec aures, nec oculos, etc. cum sit merus purusque spiritus; sed anthropopathos ea dicitur habere, quia acie suæ mentis videt et audit omnia, perinde ac si oculos et aures haberet instar hominis: Dei ergo intellectus, sive mens et vis cognoscendi, vocatur *auris* et *oculus*, quia præstat illa Deo, quæ auris et oculus homini, adeoque eminenter continet aurem, oculum omnemque sensum, imaginationem, intellectum et cognitionem omnium angelorum et hominum. *Deus*, ait Plin. lib. 2. cap. 7. *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Vide S. August. tract. de Essentia divinitatis tom. 4. Vers. 10.

Sensus ergo est, q. d. Nihil potest latere Deum, quia eius mens sciendi avidissima et penetrantissima velut auris zelosa Dei zelantis, omnia audit; ac propterea nullum murmur, vel levissimum ab eo abscondi potest; quia auris

Dei, qui tanta cura et sollicitudine zelatur veritatem et iustitiam, æque ac hominum salutem, omnia observat et audit, ideoque indignatur auditis sceleratis impiorum sermonibus, singulaque studiose auscultat, et ponderat instar hominis suspiciosi, qui in angulis et tenebris auscultat quid de se dicatur. Dum ergo Deum auditis, aut cogitatis, zelum ipsum putate: ipse enim est zelantissimus iustitiæ, et acerrimus vindex omnium iniquitatum et tyrannidum. Unde Vatablus hunc versum et duos præcedentes ita convertit et connectit: *Etenim Spiritus Domini replet orbem, et continens universa notitiam vocis habet; quapropter iniusta loquens nequaquam latuerit, nec præterierit eum castigans iudicium. Nam in consilia impii inquiretur, famaque sermonum ipsius ad Dominum perveniet, ad nefaria eius facinora coarguenda; quoniam acris auris et indignabundo audit omnia, et rumor frementium minime clam fuerit.*

Mens Dei est auris zeli: cur?

Quæres cur mens Dei vocetur *auris zeli*? Respondetur, primo, quia ipsa, utpote vivacissima, cupidissima est sciendi, cognoscendi et audiendi omnia. Zelus enim notat aviditatem et cupiditatem, vehementemque et acre rei alicuius desiderium.

Secundo, quia acerrima est, et acutissima ad omnia penetrandum, intimeque cognoscendum; zelus enim acuit aciem mentis, attentionis et cognitionis: ideoque omnia pervadit et penetrat. Hinc Dei mens nihil per incuriam vel ignorantiam dissimulat, aut prætermittit: sed omnia ad vivum resecat, permeat et penetrat.

Tertio, quia zelotypa est, nec patitur rivalem. Pro *zeli* enim græce est ζήλωσεως, id est, æmulationis, ardentis amoris, zelotypiæ. Quare sicut maritus zelotypus curiose et secrete stans post fenestram vel parietem, omnia sponsæ suæ verba, gestus et nutus audit, considerat et ponderat ne illa quem alium amet, aut de alio rivali suo cogitet, vel loquatur; sic Deus animæ a se creatæ, præsertim iustæ et sanctæ, per gratiam sibi desponsatæ, studiose omnia cogitata, dicta et facta audit et considerat, ne illa dæmonem, carnem, vel mundum sibi anteferat, quia solus ac totus ab ea amari cupit; quare non patitur æmulum, nec fert ut illa aliquod contra se suaque iussa murmur concipiat aut sibi ingrata loquatur; sed si id faciat, graviter succenset, indignatur et ulciscitur. Ita S. August. lib. de Essentia divinitatis: *Zelare*, ait, *dicitur Deus, cum creaturam suam, quam non vult perire sæpe castigat, corripit atque flagellat, et flagellando ad se reducit. Vel certe zelare Deus dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus enim est, et ideo omnis iniustitia exsecrabilis est illi, quam, ut dictum est, impunitam nullo modo relinquere patitur.* Dum ergo, o homo, o sacerdos, o religiose, quid mente concipis, lingua dicis, manu operaris; cogita aurem zeli id est, Deum zelantem, te audire et intueri magno affectu et ardore, ut nil nisi ipsi gratum placitumque concipias, dicas, facias. Id cogitabat sponsa, dicens Cant. 2. 9. *En ipse* (sponsus) *stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Huc facit gnome prisci Rabbini in *Pirke avoth* id est, in Apophth. patrum Hebr. cap. 2. *Tria tibi servanda sunt, ut numquam in peccatum labaris. Primo, ut attendas oculum omnia videntem; secundo, ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco verearis: tertio, ut cogites omnia et singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata.*

Tropol. Dionys. Carthus. Deus, inquit, non tantum est zelotes, sed et ipse zelus in abstracto, ob fervidum et eximium zelum animarum, quo pollet iuxta illud: *Zelatus sum zelo magno.* Quare simili zelo erga illum ferri et fervare debemus, ut magno studio et sollicitudine illi per omnia placere satagamus, nec quid dicamus, vel agamus, quod zelotypos tantæ maiestatis, sanctitatis et bonitatis oculos offendat; imo quidquid tale est non tantum in nobis, sed et in aliis quibuslibet, totis viribus amoliri, præsertim cum verba blasphema, maledica, spurca, etc. audimus, laboremus. Ita faciebat Elias, Baal et Baalitas persequens, imo occidens: *Zelo zelatus sum*, inquit, *pro Domino Deo exercituum*, 3. Reg. 19. 10. David dicens: *Tabescere me fecit zelus meus. quia obliti sunt verba tua inimici mei*, Ps. 118. 139. Et Mathathias: *Omnis*, ait, *qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*, 1. Machab. 2. v. 27. ubi vide plura zeli exempla, quæ ipse suis filiis imitanda proponit v. 54. et seq.

Et tumultus murmurationum non abscondetur.) Pro *tumultus* græce est θρους, id est fremitus et strepitus tumultuarius, qualis est grunnitus porcorum, a θροειν et θρουσθαι, sive θορυβεισθαι, id est turbare et turbari, ac tumultuari. Arabicus; *et minæ non abscondentur ab eo.* S. August. lib. de Mendacio, c. 16. accipit tumultum internarum cogitationum, murmurantium contra Deum, vel proximum: hæ enim æque patent Deo, ac si in externum strepitum et tumultum erumperent. Magis ad litteram alii *tumultum* proprie accipiunt. pro voce et gestu tumultuante. Sensus ergo est, q. d. Tumultus murmurationum, etiam illarum quibus impii secreto inter se mussitant contra Deum, vel proximum, non latent Deum, sed eius aures feriunt, et offendunt instar grunnituum porcorum; quare ab eo severe castigabuntur, uti Deus semper castigavit murmura Hebræorum in deserto, cum alia peccata dissimularet, et impunita in hac vita relinqueret, uti patet Exodi 16. vers. 2. et Numer. cap. 11. vers. 1. et seqq. et cap. 12. vers. 8.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam.) Probat cavendum a murmuratione et detractione, tribus rationibus. Prima est, quod illa nihil prosit, sitque ἀνωφελής, id est inutilis, ut habent Græca, imo vehementer obsit, graviaque damna accersat; est enim miosis. Sic Iob cap. 15. v. 16. et Salomon Prov. cap. 6. vers. 12. apostatam, qui nihil boni facit, sed plurimum mali vocat *inutilem*; inutilis ergo, id est plane impius, noxius, scelestus, et ad omne opus bonum reprobus, ut ait Paulus, 2. Timoth. cap. 2. vers. 21. Secunda est, quod sermo obscurus, id est obscure, latenter et secreto dictus, in vacuum non ibit, sed regeretur in os dicentis, illudque verberabit et feriet. Tertia, quod os maledicendo mentiens occidat animam. Murmur intellige, tum contra Deum Deique providentiam, v. g. eo quod immittat sterilitatem frugibus, vitibus, arboribus, aut pestem, vel bellum, similesve calamitates; tum contra proximum per detractionem, vel susurrationem, quæ clancularis susurris dissuit amicitiam inter amicos.

Vers. 11. Tribus de causis cavenda detractio.

1.

2.

3.

A detractione.) Græce est ἀπὸ καταλαλιᾶς, id est, a *contralocutione*, qua contra aliquem secreto loqueris, sumque vel falso, vel iniuste criminaris. Hæc enim comes, imo filia est murmurationis, uti docet B. Antioch. ser. 29. Prudenter detractionem cavendam monet Sapiens, quia ut ait S. Hieron. epist. 14. ad Celantiam: *Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntient: raroque invenies qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam; tantaque huius mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Vide dicta Iacobi 4. v. 11. et seq. Syrus vertit: *A detractore* (vel *propter detractorem*) *parcite linguæ*, q. d. Nolite sermonem miscere cum detractore.

Parcite linguæ.) Hebr. חמל chamal, id est parcere, significat etiam misereri, et commiseratione duci; unde aliqui vertunt: *Miseratione tangimini linguæ*, ac eam temerari patiamini detractione, et obligari flammis suppliciorum, uti contigit diviti epuloni, Lucæ 16. qui forte a vino temulentus, laxabat linguæ maledicæ fræna in Lazarum et Deum; in utrumque dure, sed durius in seipsum desæviens, unde positus in gehenna, linguæ suæ ardenti petiit guttam aquæ, nec impetravit, quia Lazaro negavit micam panis, ait S. August. Hinc Lyran. Hugo et Dion. exponunt, q. d. Nolite hanc iniuriam linguæ vestræ inferre, quæ illi tam noxia erit et damnosa; linguæ enim ius et officium est laudare Deum et proximum: quare lingens

fit ei iniuria, si quis ea abutatur ad vituperandum Deum, vel proximum. Accedit Bonav. Detractor, inquit, primo lædit seipsum, suamque linguam et animam. Verum græce est φείσασθε γλώσσης, id est, abstinete lingua, ne scilicet per eam maledica loquamini: *parcite* ergo, id est, cohibete et coercete prurientem linguam, ne garrulitate sua in murmura et maledicta erumpat. Unde Guarinus vertit: *Linguam ab obtrectatione continete;* alii ad verbum: *A contradictione abstinete.* Sic Virgil. 4. Æneid. *Parce metu, Cytherea*, id est, depone metum. Et Seneca epistol. 115. *Parcere gladio*, id est, abstinere a cædibus. Et Cicero l. 2. ad Atticum: *Dolori et iracundiæ parcere.* Et Lucret. l. 6. *Lamentis parcere*, id est, abstinere. Sic passim dicimus: labori, impensæ, periculo, iniuriis parcere, id est, cohibere se a labore, impensa, periculo, iniuriis.

QUONIAM SERMO OBSCURUS IN VACUUM NON IBIT.) Arabice, non iustificabitur. Pro *obscurus*, græce est λαθραῖον, id est, occultus, latens, secretus, qualis est clancularia detractio et susurratio. Unde Vatablus vertit: *Sermo clandestinus non abibit impune;* Lyranus et Hugo vertunt: *Sermo palliatus, dubius, æquivocus;* S. Bonav. *sophisticus et fallax, licet aureo veritatis colore coopertus.* Non ergo redibit vacuus, sed plenus et onustus pœna et supplicio sibi congruente et debito.

Minus recte Osorius explicat, q. d. Sermo impurus, licet clanculum inter sodales pronuntiatus, non frustra effertur; sed animos audientium impuritate sua inficit et sauciat, purosque et castos facit impuros et incestos. Pro *sermo* græce est ῥῆμα, quod inter alia significat ingeniosam locutionem, sententiosum et breve pronuntiatum, qualia sunt lepida, sed acuta et mordacia detrahentium dicteria et scommata, quæ pariter obscura sunt, id est tecta, amphibologica, dissimulanter et argute vitium eius, cui detrahitur, significantia. Hinc Cicero Offic. lib. 3. virum obscurum vocat astutum et fallacem, cuius consilia obscura sunt et ignota.

Vis laudari? lauda alios.

Sapienter S. Ephrem tract. de Timore Dei: *Sicut*, inquit, *qui bonum aliquod sibi in thesaurum recondit; ita vir, qui celebrat ac laudat proximum in absentia sua.* Ita prorsus sese habet rei veritas per experientiam frequentem comprobata; sed multis abscura, imo paradoxa videtur, eo quod aliorum vituperia suas æstiment laudes, quo in re graviter falluntur. Vis ergo laudari? lauda alios, etiam absentes: imo adversantes, teque vituperantes. Hoc enim te, ut magnanimum et magnificum, omnibus laudabilem et admirabilem efficit.

OS AUTEM QUOD MENTITUR (Syrus *os mendax*) OCCIDIT ANIMAM.) Quod scilicet mentitur murmurando, detrahendo, maledicendo, uti paulo ante dixit. Et hoc significat vox græca καταψευδόμενον, q. d. Os quod contra aliquem mentitur, puta vel contra Deum, blaspheme negando providentiam aliave eius attributa, aut affirmando et attribuendo illi ignorantiam, incuriam, aliave vitia: aut errores et hæreses fingendo et docendo, uti faciunt hæretici; vel contra proximum falsum crimen ei affingendo, vel verum nimis et mendaciter exaggerando: ita S. August. l. de Mendacio c. 16. Unde ex hoc loco non colligas omne mendacium esse peccatum mortale, sed tantum perniciosum, quod scilicet grave damnum vel perniciem famæ, bonis vel vitæ proximi infert: hoc ergo occidit animam dicentis æque ac audientis, præsertim eius qui dicenti consentit, eiusque criminationes cum voluptate audit. Hoc autem contra naturam est, scilicet ut os per quod vitalem halitum attrahimus, lethale detractionis virus in animam transmittat, quod illam occidat. Ergo mendacium officiosum, æque ac iocosum, tantum est peccatum veniale, uti communiter docent Theologi. Quare quod nonnulli, ut S. August. l. de Mendacio c. 6. ait: *Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari, tibi non est mentiendum: quia os quod mentitur, occidit animam, et cum mentiendo vita æterna amittatur, numquid pro cuiusquam vita temporali mentiendum est?* Hoc, inquam, intellige de mendacio pernicioso, quo iniuste vel fidei et Deo, vel proximo nocetur, v. g. si quis ut alium a morte liberet, iuret

Mendacium perniciosum, peccatum mortale, iocosum veniale.

falsum, vel neget fidem, aut dicat eum negasse fidem coram tyranno, qui ob fidem eum ad necem persequitur. Ita enim explicat se S. August. sub finem c. 16. dicens: *Sicut autem quæritur quo ore dixerit: Os autem quod mentitur, occidit animam; ita quæri potest de quo mendacio: videtur enim de illo proprie dicere, quo cuidam detrahitur. Ait enim: Abstinete ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione linguæ parcite. Fit autem ista detractio per malevolentiam.* Et Chromatius in c. 5. Matth. (exstat tom. 7. Biblioth. SS. Patrum) *Periurium*, inquit, *et mendacium divini iudicii pœna damnatur, dicente Scriptura: Os quod mentitur, occidit animam*, quæ verba citantur in iure Canonico 22. quæst. 5. cap. *Iuramentum.* Unde hac gnome refelluntur Basilides et Helsecaitæ, docentes licere in persecutione fidem ore negare, dummodo eam in corde retineas. Vide Alphons. a Castro l. 10. contra hæres. de martyrio.

OCCIDIT ANIMAM.) Græce ἀναιρεῖ, id est tollit, aufert animam, hoc est animæ vitam, puta Dei gratiam et amicitiam. Sicut enim vita corporis est anima, sic vita animæ est Deus, Deique gratia, ait S. Aug. Quocirca conciliat ei mortem et interitum in gehenna. Nonnulli exponunt, *occidit animam*, id est, sæpe aufert vitam corporalem illi cui detrahit. Ita S. Athanas. Apolog. ad Constantium Imper. ait Arianos se persequentes et calumniantes, quantum in ipsis est, cædem facere, quoniam *os, quod mentitur, occidit animam.* Arriani enim petebant vitam Athanasii. Huc accedit noster a Castro, qui sic exponit, q. d. Os mentiens in Deum, eiusque detrahens potentiæ, bonitati aut providentiæ, animam, id est vitam, tum præsentem, tum æternam, interimit. Itaque non evadet pœnam, quantumvis occulte mentiatur, sed gravi scelere irretit animam ad interitum utriusque vitæ. Blasphemus enim et maledicens Deo lege veteri iubebatur lapidari et occidi, Levit. 24. 11. Et Deus ipse ærumnis ingentibus et calamitatibus eumdem affligebat. Minus apposite Arabicus vertit: *Os, quod mentitur, trahit* vel *ducit animam*, q. d. Fabulones suis fabulis alliciunt ad se aures mentesque audientium.

Mendacium est menda mentis.

Porro mendacium materiale est omnis error omneque falsum, quod profertur; formale et proprie est illud dumtaxat, quod contra mentem mentisque conscientiam profertur, cum scilicet ore quis loquitur quod corde scit esse falsum. Unde *mendacium* dicitur quasi *menda*, id est, error vel erratum *mentis*, puta dictum contra mentem. Hoc proprie est mentiri, prius vero est mendacium dicere, ait P. Nigidius apud Nonium: *Qui mentitur*, inquit, *ipse non falsus, alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur quantum in se est. Vir bonus præstare debet ut non mentiatur: prudens, ne mendacium dicat: alterum incidit in homine, alterum non.* Hinc S. Isidorus, lib. 10. Origin. lit. M. *Mendax*, inquit, *dicitur, quod mentem alterius fallat.*

Hanc gnomen citans Clemens Rom. epist. 4. *Præcipiebat*, inquit, *S. Petrus os suum a multo et pravo colloquio custodire, et verba vana et mendacia non loqui: quia os, quod mentitur, occidit animam.* Omnibus quidem cavendum est mendacium, sed præcipue Prælatis et Principibus, quos maxime hic compellat Sapiens, ut patet ex v. 1. Unde S. Thom. opusc. de Principum eruditione, multis probat principi amandam esse veritatem, abominandum vero mendacium: *Cavendum*, ait, *est principi mendacium ut venenum. Caveant ergo principes sibi a corporali veneno, amplius vero cavendum est eis a veneno mendacii, quod adeo mortiferum est, ut adhuc in ore hominum existens occidat, secundum illud Sap. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Hoc venenum habuit in ore serpens, qui Evam matrem nostram decepit, imo hoc venenum occasio dicitur fuisse quod serpens venenum corporale habeat in ore.*

Symbolice Cæsarius Arelat. serm. 33. de Energum. *Os*, inquit, *quod mentitur, occidit animam, quia in se admittit diabolum, qui animæ est interfector.*

Rursus S. August. lib. de Mendacio c. 16. per *os, quod mentitur*, non accipit os corporis, sed os cordis, puta si-

gnaculum mentis: *Cum os dicit*, inquit, *conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet et decernitur quidquid etiam per vocem, cum verum loquimur, enuntiatur, ut corde mentiatur, cui placet mendacium.* Probat id ex simili phrasi Psal. 14. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Et Matth. 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, etc. falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Verum hic sensus symbolicus est; nam ad litteram os corporis hic intelligitur.

Vers. 12. NOLITE ZELARE MORTEM IN ERRORE VITÆ VESTRÆ, NEQUE ACQUIRATIS (græce ἐπισπᾶσθε, id est *attrahatis*) PERDITIONEM IN OPERIBUS MANUUM VESTRARUM.) Syrus: *Ne invideatis mortem in seductione habitationis vestræ, et ne attrahamini iactura* (perditione) *operationum manuum vestrarum.* Lyranus putat hoc dici contra eos qui censent animam esse mortalem, ideoque in rebus adversis ex desperatione sibi necem consciscunt. Verum nulla eorum hic facta est mentio. Spectat ergo hæc gnome ad id quod præcessit: *Os quod mentitur, occidit animam,* q. d. Cum mendacium omnisque iniquitas occidat animam, nolite hæc ipsa zelare et ambire, *in errore*, id est per errorem et insipientiam pravæ vitæ vestræ, suis concupiscentiis, invidiis et passionibus erranter et stolide indulgenti, ideoque a lege, virtute, Deo et salute aberranti. *Errorem* ergo *vitæ* vocat illum, quo quis, ut res, famam et opes vitæ suæ adaugeat, proximo detrahit, eumque calumniatur, ut eius opes statumque invadat. Error enim est, velle vitæ suæ commoda procurare per aliena damna: quia, ut hic ait Sapiens, per hoc non vitam, sed mortem sibi accersit. Verbis suis addit opera manuum; quia ex maledictis venitur ad malefacta, et ex verbis prosilitur ad verbera acriora. Nolite ergo *zelare*, id est vehementer appetere et studiose affectare, neque accersere vobis perditionem per opera linguæ et manuum vestrarum. Τὸ *zelare* sumitur in actu exercito, non signato: nemo enim tam stolidus est, ut signate zelet mortem. Nam, sicut ait Comicus: *Nolens beatus nemo est, nec miser volens.* Miser autem est moriens. Dicitur tamen eam zelare, qui zelat, id est avide ambit, calumnias, detractiones, cupiditates et scelera, quæ mortem animæ afferunt. Sic gulosus et luxuriosus zelando, id est avide inhiando epulis, vinis et veneri, implicite ambit et zelat mortem præsentem et æternam; quia utramque epulæ, vina et veneres adducunt. Sic de homine petulante, qui potentem, vel principem conviciis et iniuriis lacessit, vulgo dicimus: Hic homo sibi verbera quærit, suam necem ambit. Sic peccator zelando suas cupiditates zelat et ambit gehennam, iuxta illud Psal. 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt* (Symmachus, *constituerunt seipsos*) *mors depascet eos:* S. August. *pastor erit eis;* S. Hieron. *Merito,* ait, *pascuntur a morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum:* Theodor. *Supplicia sibi asciverunt, et mortem magis voluerunt quam vitam.*

Τὸ *attrahatis* notat Deum elongasse a nobis mortem et perditionem, eamque quasi religasse in orco et inferno, sed impios magna vi inde eam, solutis eius vinculis, sibi attrahere, imo maiori vi, quam sancti sibi e cælo quasi attrahant felicitatem et gloriam cælestem, quæ ingens est impiorum amentia, imo furor. Græcum ἐπισπᾶσθε, verti potest, *sugatis et attrahatis lac,* q. d. Ne interitum velut lac sugatis, et attrahendo voluptatem maledicendi, vel inique agendi absconsum in ea virus lethiferum peccati et mortis eliciatis: perinde ac insipientes infantes dulcedine lactis illecti, avide capessunt papillas matris clausis oculis, ore biante, ut se alant et pascant, ac cum lacte sugunt, sibique attrahunt morbos et vitia matris. Ita Gonsal. Cervantes, qui decem alias τοῦ ἐπισπᾶσθε, significationes affert, et huic loco adaptat.

Vers. 13. QUONIAM DEUS MORTEM NON FECIT, NEC LÆTATUR (Syrus, *nec vult*) IN PERDITIONE VIVORUM.) Arabicus, *neque percutit percussione vivos,* q. d. Ideo impii zelant et attrahunt sibi mortem, quia Deus eam primitus non fecit, sed potius vitam, quia creavit hominem ad vitam et immortalitatem. Verum homo peccando, mortem sibi accersiit: per peccatum enim Deum Deique iustitiam offendit, quæ proinde iustum mortis supplicium homini peccanti inflixit. Nam ut ait Apost. Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum ergo a Deo quasi invito mortem extorsit: Deus enim sicut gaudet de hominum vita et felicitate, ita dolet de eorum morte et miseria. Id significant eius voces Isaiæ 1. 24. *Heu! consolabor super hostibus meis. Heu* enim est vox et nota dolentis et gementis. Et cum immissurus orbi scelerato diluvium, *tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ,* Genes. 6. 6. Et Christus videns Ierusalem, prævidensque eius excidium, flevit super eam, Lucæ 19. 41. Quod ergo subinde Deus dicitur gaudere de pœna impiorum, intellige eum gaudere non de malo pœnæ, sed de bono iustitiæ iustæque vindictæ. Unde Ezech. 5. v. 13. ait ipse: *Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor.* Similia sunt Deut. 28. v. 63. Isaiæ 1. 24. et alibi. *Mortem* intellige, tum corporis, tum animæ, quæ duplex est: prima, qua anima moritur Deo per peccatum; secunda, qua semper morietur, id est pœnas mortis sustinebit, et tamen numquam erit mortua in gehenna.

Deus mortem non fecit per se.

Deus ergo non fecit mortem per se, sed per accidens, non volens, sed nolens. Fecit enim eam non ut creaturam, v. g. hominem et angelum, sed ut creaturæ recalcitrantis supplicium. Nam ut ait S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum c. 19. *Illius rei Deus ultor est, cuius non est auctor.* Igitur mortem non fecit: *Quia Deus corruptione carentem hominem creavit, et ad æternitatis suæ produxit imaginem,* ait S. Epiph. l. 2. contra hæres. c. 19. et c. 22. *Bona igitur mors, cum plagarum instar ad coercendos pueros reperta sit.* Et c. 18. *Artifices,* ait, *cupiunt facere opus immortale: ergo multo magis id cupiet Deus.* Dat exemplum Phidiæ. *Hic enim,* ait, *cum Olympici Iovis simulacrum finxisse ex ebore, oleum ad pedes ante statuam iussit effundi, quo immortalem illam quantum posset, efficeret.* Et S. August. in sentent. sent. 303. *Iustum Dei iudicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit, et tamen quem morte dignum sensit, occidit. Unde legitur: Mors et vita a Deo est,* Eccli. 11. *Quæ duo inter se non esse contraria videt profecto, quisquis ab operibus divinis iudicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem. Deus quidem mundum fecit, et corpora prorsus omnia, sed ut corpus corruptibile aggravet animam, et caro concupiscat adversus spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna peccati.* Aliqui pro *peccati* legunt *damnati.* Quin et Faustus Rheglensis de Gratia Dei, c. 1. tom. 4. Biblioth. SS. Patrum: *Deus,* inquit, *mortem non fecit: mors itaque peregrinum et adventitium malum, non est ordo naturæ, sed pœna sententiæ.* Vide dicta Genes. 2. v. 17. Ita hanc gnomen quoque exponit S. Chrysost. l. 1. de Providentia, tom. 5. et S. Aug. de Prædest. Sanctor. c. 4. et 5. et S. Thom. part. 1. q. 49. art. 2. et 2. 2. q. 19. art. 1. et q. 161. art. 1.

Rursum Deus mortem non fecit, quia non fecit peccatum, per quod solum mors introduci potuit: mors enim non est aliud quam peccati pœna, uti docet Conc. Trid. sess. 5. et Conc. Arausican. II. can. 2. *Iniustitiam,* inquit, *Deo dare convincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse docet.* Unde S. Aug. passim contra Pelagian. ex morte omnium hominum, etiam infantium, probat peccatum originale ex Adamo transfusum in omnes posteros. Hinc

Symbolice S. Bonav. Dionys. et Holcot per mortem accipiunt peccatum. Analogias utriusque perplures recenset hic Holcot.

Denique S. August. in Soliloq. c. 24. ex hac gnome sapienter et pie ita Deum precatur: *Quod salus nostra ex Deo est, audivimus,* ait, *de tua misericordia Domine, quod tu mortem non facis, neque lætaris in perditione morientium; propter hoc, Domine, oramus te, ne permittas do-*

minari, quod non fecisti, creaturæ tuæ, quam fecisti: si enim deles de perditione, quid te prohibet, Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione?

Dices: Deus creavit hominem constantem quatuor elementis; hæc autem inter se sunt contraria, et se mutuo agendo et reagendo conficiunt et interimunt; ergo creavit in eo causas et principia mortis. Resp. Verum id est si puram hominis naturam consideres: at Deus non creavit hominem in puris naturalibus, sed in creatione naturam eius vestivit iustitia originali, quæ tum animæ, tum corporis actiones et motus ita inter se componebat, et adæquabat, ut homo pacificus, lætus, sanus, sanctusque victurus fuisset per multa sæcula, scilicet donec Deus eum in cælum ad beatam plenamque immortalitatem transtulisset. Adde corruptionis originalem causam in homine cæterisque corporibus, non Deo auctori naturæ, sed naturali rerum ipsarum conditioni et imperfectioni tribuendam esse, scilicet tum ipsis elementis, quæ contrarias habent naturas et qualitates, ideoque se mutuo interimunt, tum ipsi materiæ primæ, quæ novarum semper formarum est capax et avida.

Anagog. S. Ambr. l. de fide resurrectionis: *Deus mortem non fecit; quia*, ait, *Deus mortem non instituit, sed pro remedio dedit*, ut scilicet ipsa mederetur, daretque finem miseriis, æque ac peccatis huius vitæ, ac panderet introitum ad vitam beatam et æternam.

Vers. 14. CREAVIT ENIM UT ESSENT OMNIA.) S. Antonius Magnus ep. 2. *Vocavit ex nihilo, ut essent cuncta*, q. d. Deus creavit res ad esse, hoc est ut essent, et in suo esse conservarentur; non autem ad non esse, ut scilicet moriantur et pereant. Probat Deum non fecisse mortem, ex eo quod sit creator omnium. Creatoris enim officium et opus est res ex nihilo educere et ex non esse transferre ad esse: huic autem adversatur easdem transferre ex esse ad non esse: ergo Deus non creavit mortem, mors enim transfert res ab esse ad non esse, quia esse rerum perimit. Rursum creatio est rei positivæ, puta boni cuiuspiam; mors autem non est quid positivum, sed privativum; est enim privatio vitæ, ideoque ipsa est malum quod Deus per se et primitus non fecit. Verum, quia creatura, puta homo abusus est suo esse, ac peccando Deum privavit honore et cultu sibi debito, hinc vicissim congrua talionis pœna Deus, ut iustus iudex et scelerum vindex, privavit hominem suo esse, eumque morte mulctavit. Mors ergo non est conditio naturæ, sed punitio culpæ.

Porro S. Thom. 1. p. q. 65. art. 2. ad 1. *In hoc ipso*, ait, *quod creatura aliqua habet esse, repræsentat divinum esse, et bonitatem eius. Et ideo per hoc quod Deus creavit omnia ut essent, non excluditur* (sed potius includitur) *quia creavit omnia ad suam bonitatem* creaturis communicandam, manifestandam, amandam, et cum gratiarum actione venerandam.

ET SANABILES FECIT NATIONES ORBIS TERRARUM.) *Sanabiles*, id est salubres, sanativas, quæ possent sanare, non sanari. Hoc enim significat græcum σωτήριοι. Sic *sanare* pro salvare sumitur. Psalm. 40. 5. *Sana*, id est salva, *animam meam, quia peccavi tibi*, Iob 34. 17. Prov. 28. 25. Ierem. 17. 14. et alibi.

Pro *nationes* græce est γενέσεις, id est, *generationes*, uti vertit S. Hieron. in cap. 12. Zachar. hoc est, vires genitales mundi, puta virtutes quas Deus plantis, herbis, animalibus, gemmis, etc. in earum creatione inseruit ad se propagandum, et generandum sibi simile. Item res ipsæ initio a Deo creatæ et genitæ: hæ enim vocantur *nationes*, id est res natæ et productæ, q. d. Deus fecit ut res primitus a se creatæ essent salutiferæ, non mortiferæ. Quæcumque in mundo a Deo creata sunt, ea sunt salutifera. Sic Festus: *In pecoribus*, inquit, *bonus proventus, bona natio dicitur*. Et Plinius lib. 22. c. 24. et lib. 24. c. 6. nationes mellis et resinæ vocat earumdem generationes et proventus. Alludit enim *natio* ad nasci, sicut γένεσις ad γίνεσθαι, et γενεαὶ ad γεννᾶσθαι. Similes est cap. ult. v. 10. *Nationes* ergo *orbis* sunt omnia quæ nascuntur in orbe.

Aut *nationes*, sive *generationes*, vocat natales, origines et ortus mundi, q. d. Deus primordia et natalitia mundi, puta opus creationis hexameron, sive sex dierum, initio mundi fecit salutiferum, non lethiferum. Deus fecit ut, initio mundi, nil ei a se creato inesset noxii, sed omnia salubria; quia *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, Gen. 1. 31. Sic dicitur Gen. 2. 4. *Istæ sunt generationes cæli et terræ*, id est, hi sunt natales et origines, quibus geniti, et in lucem a Deo per creationem educti sunt cæli et terra. Hinc Vatabl. hoc loco vertit: *Initia mundi salutifera sunt*; Syrus: *In generatione mundi vita*; Arabicus: *Et generationes mundi habentes salutem*, supple, *fecit Deus*.

Rursum, S. Hieron. per *nationes*, sive *generationes*, præcise intelligit primos homines a Deo genitos et in mundo natos, scilicet Adam et Evam, ex quibus generationes mundi, omnesque homines nascituri erant, quos Deus sanos creavit et immortales, ita ut mori non possent, quamdiu in Dei obedientia et iustitia persisterent; adeoque ipsi hanc sanitatem et immortalitatem generatione sua in posteros omnes transfudissent. Hoc verum, sed hoc loco duriusculum.

Porro Lyranus sic explicat, q. d. Deus fecit primos homines sanabiles, id est medicabiles, sive remediabiles; quia scilicet contra mortem animæ per peccatum contractam, suggessit eis remedium pœnitentiæ, quæ animam peccato mortuam per gratiam ad vitam spiritualem resuscitat: contra infirmitates vero et mortem corporis suggessit eis, tum varia pharmaca, quæ infirmitates eius sanarent, tum spem resurrectionis ad vitam æternam et beatam. Secus fuit in Angelis: hos enim creavit Deus insanabiles. Unde Lucifer et socii eius in peccatum prolapsi pœnitere, sanari et salvari nequiverunt. *Creavit ergo homines*, ait S. Bonav. *in spirituali sanitate per innocentiam, ad sanitatem reducibiles per pœnitentiam*. Sic et Hugo ac Dion. Unde S. Chrys. hom. 8. et 22. ad Popul. quæ est de pœnitentia, et hom. 24. in Matth. et hom. 24. in Acta, docet multa corporis vulnera esse insanabilia, nullum vero animæ; sed omnia facile, puta per contritionem et pœnitentiam sanari et curari posse. Verum hic sensus non est genuinus, sed symbolicus, aut potius accommodatitius.

ET NON EST IN ILLIS MEDICAMENTUM EXTERMINII.) Primo, *exterminii*, hoc est contra exterminium, puta contra mortem, ait Dion. q. d. Nullum est medicamentum, quod hominem liberet a morte, quam Deus ob peccatum illi inflixit; nulla medicina, quæ hominem a morte in perpetuum præservet. — Medicamentum exterminii quod? Resp. I.

II. Secundo, idem Dion. et Lyran. q. d. Homo per peccatum multas infirmitates et calamitates incurrit; ac non potest ab eis se eximere sese interimendo et occidendo: hoc enim a Deo vetitum est. Verum hæc aliena sunt et detorta.

III. Tertio, S. Bonav. Glossa et Hugo per *exterminium* accipiunt peccatum, quod hominem a gratia, Deo, cælo et mundo, ac vita exterminat, q. d. In natura nationum, sive hominum, Deus non inseruit poculum sive venenum peccati, quod est causa exterminii in præsenti morte; dicitur peccatum *exterminium*, quia ponit extra terminum gratiæ; sic et dicitur mors temporalis, quia ponit extra terminum vitæ; et gehennalis, quia ponit extra terminum gloriæ: hæc illi. Verum hoc mysticum est et symbolicum, non litterale et germanum.

IV. Quarto ergo et genuine, pro *medicamentum* græce est φάρμακον, quæ vox media est, et nunc in bonum capitur pro medicamento, q. d. φέρων ἄκος, id est, ferens medelam; nunc in malum pro veneno, q. d. φέρων ἄχος, id est, afferens tristitiam. Unde illud: — genuine

Pharmaca non vendes pharmacopola mihi.

Pharmacum ergo exterminii, græce ὀλέθρου, id est, *perditionis*, est pharmacum a vita exterminans, perdens, interimens, puta venenum mortiferum. Unde Syrus vertit, *venenum mortis;* Arabicus, *venenum perditionis*.

Sensus ergo est, q. d. Deus in genesi, sive in mundi natalibus vel originibus, omnia creavit salutaria, ac proinde nihil in ea est venenatum, nihil quod exterminet, occidat

nt perimat. Unde Guarinus vertit: *In illis nationibus*, sive *initiis mundi non est venenum perimens*; Iansen. *Non est in generationibus mundi creatum a Deo venenum exterminans*, sive *perdens*, hoc est non est inter creaturas a Deo creatas, creata perditio corrumpens, aut corruptio vel malum perditionis. Vatabl. *Initia mundi salutifera sunt, nec inest in eis medicamentum perniciosum*; S. Hieron. in cap. 12. Zachar. *Creavit ut essent omnia, et salutares generationes mundi, et non erat in eis venenum mortiferum.*

An initio mundi fuerint res venenatæ? Quæritur hic an nulla fuerint venena a Deo creata in genesi mundi, v. g. venenatæ herbæ aut animalia? D. Augusl. l. 1. de Genes. contra Manich. c. 13. censet in genesi non fuisse creatas herbas venenatas, sed post peccatum tantum, idque in pœnam peccati, atque hoc omne videtur hic dicere Sapiens. Et favet Scriptur. Genes. 1. v. 12. et n. 3. v. 17. et 18. Huic affine est, quod docent S. Basil. homil. 3. Hexam. et Ambr. lib. 3. Hexam. 9. Damasc. l. 2. de fide cap. 10. Beda et Raban. in Genes. primum rosam ante peccatum productam fuisse sine spinis, post peccatum vero spinis armatam.

Resp. fuisse. Verum contrarium, ut probabilius, passim sentiunt alii. Dico ergo: primo, probabilius est venenatas herbas et animalia, item rosam cum spinis initio mundi cum aliis herbis et animalibus a Deo creata esse. Ita S. Aug. qui quod l. 1. de Genesi contra Manichæos dixerat, retractat. l. 3. de Genesi ad litt. c. 18. Basil. hom. 5. Hexam. et Ambros. l. 3. Hexam. c. 9. Idem censent de herbis, excepta rosa, D. Thom. 1. p. q. 69. art. 2. ad 2. et ibi Schol. ac passim recent. scribentes in Genesin, vel in opus sex dierum, uti Perer. Molina, Valentia, etc.

Prob. 1. Probatur, primo, quia id plane videtur dici Genes. 2. 2. et 5. ubi Deus dicitur creasse omnem herbam; ergo etiam
2. venenatam. Secundo, quia animalia homini noxia, tum creata sunt, scilicet cete et serpens; idem ergo de lupis,
3. ursis et herbis venenatis dicendum. Tertio, quia hoc exigebat universi perfectio, ut omnes perfectæ rerum species tum crearentur: maxime quia quæ hominibus venenosa sunt, aliis animalibus sæpe non sunt; ut patet de cicuta, imo quæ uno tempore homini sunt venenata, altero sunt eidem salutaria. Ita cicuta sturnis est pabulum, elleborus coturnicibus, mandragora somnum conciliat: opium, sive papaver sedat dolores corporis, ait S. Basil. hom. 5. Hexam. et ex eo S. Ambr. l. 3. Hexam. cap. 9. et l. 6. c. 6. et quia illæ res, licet secundum se noxiæ sint, tamen in medicamentis cum aliis commixtæ, medicinæ sunt hominum et animalium; ac saltem earum scientia homini tum prodesse poterat. Rursum rosa tum nata est cum spinis, quia hæc est rosæ natura, hoc eius bonum et perfectio.

Non tamen nocuissent Adæ. Dico secundo: Hæc tamen venena et venenata ante peccatum hominum, homini non erant noxia, saltem in actu secundo, sive potentia propinqua. Ut enim Sapiens hic dicit, et c. seq. v. 23. Deus creavit hominem immortalem; licet ergo venena in se homini noxia essent; tamen partim, quia homo dominium habebat omnium animalium, partim per scientiam, qua norat omnia venena: et per prudentiam ac dexteritatem, qua facile omnia cavere poterat, præsertim per assistentiam et protectionem Dei homini innocentiam servanti, uti nec gladius, nec ignis, nec saxa, ita nec venenatæ herbæ aut animalia, adeoque nihil nocere poterat. Unde cum serpente innoxie et intrepide loquebatur Eva; Deus enim cohibebat serpentem, ne Evam tangeret et morderet, eique venenum mortiferum infunderet: atque Adam omnibus animalibus, etiam ursis, lupis et pardis, eorum nomina imposuit. At postquam homo peccavit in Deum, sublata illa singulari Dei protectione, omnia libera relicta sunt, et naturæ suæ reddita, ut in hominem tamquam in hostem insurgerent, eique insidiarentur, et nocere conarentur; ac si ex eo tempore bellum indictum fuerit, et publicatum inter animalia noxia et res alias veneficas, ut hominem contra quem armavit se orbis terrarum, atque hoc est quod post peccatum Deus dicitur posuisse inimicitias inter mulierem et serpentem.

Respondetur ergo hic non negari venena simplicia, sed tantum pharmaca (ut habent Græca) venenata esse compo-

A sita a Deo; quia hæc inventa sunt a diabolo et pravis hominibus. Rursum Deus nulli naturæ vel creaturæ particulari indidit venenum, aut quid noxium, quod illam interimeret et mortem afferret.

Resp. secundo, et melius, nullum, neque simplex, neque compositum fuisse venenum, quod homini vel propinarit, vel incauto obiecerit Deus; quin vero diligentissime cavit (ut iam dixi) ne quid tale homini obveniret, ac consequenter, ut nihil in actu secundo homini esset pharmacum mortis; atque hoc proprie intendit hic Sapiens. Tantum enim vult probare mortem non Deo procurante, sed a peccato in orbem invectam. Sic Genes. 1. 13. omnia dicitur fecisse Deus bona, in se scilicet, et respectu totius universi; non autem respectu alicuius particularis, cui mala et contraria esse possunt, ut patet experientia. Sic Gen. 3 maledicta dicitur terra, et spinas productura; quia terra eadem, quæ ante fuerat a Deo benedicta, felix et fertilis, homini ex paradiso expulso, et ad eam excolendam damnato, cœpit esse maledicta et molesta: imo ter-
B ra nativa bonitate et fertilitate, ob peccatum hominis privata est, et degener facta scatens sentibus et spinis.

Nec inferorum regnum in terra.) Pro *regnum* græce est *βασίλειον*, id est, regia, palatium, aula regis; item signum regale, regium insigne, diadema. Græca ergo ad verbum habent: *Neque regia*, vel *regium insigne Orci super terram*. Orcus a Poetis fingitur rex inferorum. Unde Syrus: *Neque inferno est regnum super terram*, q. d. Deus non fecit ut inferi et dæmones haberent in terram, et in homines potestatem; sed id fecit culpa hominum et iniustitia, quia credendo tentationibus diaboli ultro ei consensere, et eius potestati se subiecere. Rursum, *inferorum*, id est, mortis et interitus regnum, sive mortis palatium et arx regia, primitus non erat in terra, sed ex inferis ad nos evocata est arte diaboli, impellentis Adamum in peccatum; huius enim pœna est mors, q. d. Mortis regnum et regia non erat in terra, sed in imis terræ visceribus apud inferos, *ubi umbra mortis, et nullus or-*
C *do, sed sempiternus horror inhabitat*, ut ait Iob. cap. 10. v. 22.

Igitur Adamo et hominibus in statu innocentiæ constitutis dominabatur gratia, vita, cælum et cælites, puta Angeli ac Deus ipse; at postquam peccarunt, eisdem dominati sunt peccatum, mors, infernus, dæmones et Lucifer. Unde omnes, qui ante Christum moriebantur, etiam iusti, descendebant ad inferos. Hinc S. Ioannes Apocal. cap. 6. v. 8. invitatur ut videat: *Et ecce*, ait, *equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame et morte, et bestiis terræ.*

Nota: Pro *inferorum* græce est ᾅδου; ᾅδης autem est Orcus, Pluto, Tartarus, inferi: dictus ᾅδης quasi ἀειδής ab α privativo, et ἰδεῖν, id est, videre, q. d. Locus privatus visu, id est, obscurus, profundus, tenebrosus, solis expers, qui ab Hebr. vocatur צל מות *tsal mavet*, id est, umbra mortis, Isaiæ. 9. 2. Unde Plutarch. tract. in illud λάθε βιώ-
D σας id est, latenter vive: *Qui solem*, inquit, *Apollinem esse credunt ex maiorum et priscorum mysteriis. Delium et Pythium eumdem cognominant. Cæterum qui diversæ partis est dominus, sive Deus is est, sive dæmon, aden, id est Orcum, appellant, quod mortui in locum tenebrosum et obscurum demigremus; ac densæ noctis somnique inertis regem.*

Orcus quis? ᾍδης ergo est inferorum rex, et quasi Deus, qui reipsa non est alius quam Lucifer, cuius regia est in gehenna. Hunc post peccatum Adæ in homines exercuisse potestatem ostendit nomen Orcus, quod Festus ab urgendo derivat, eo quod omnes homines ad mortem urgeat. Idem vocatur Pluto a divitiis, quod dives sit, tum opum, tum animarum peccantium et damnatarum: πλοῦτος enim sunt divitiæ, puta aurum, argentum, gemmæ, quæ in imis terræ visceribus sunt reconditæ. Hinc Poetæ Iovem cæli, Neptunum maris, Plutonem inferni Deum constituunt, atque uxorem dant Proserpinam, de quo Statius ita canit:

Sorte sedens media, regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ.

Idem dicitur Tartarus, et in plurali Tartara, a ταράσσειν, id est, turbare, quod omnia turbet, ac sursum deorsumque misceat, aut a ταρταρίζειν id est, a tremore frigoris, quod sit locus profundissimus et frigidissimus, unde Virgil. 5. Æneid. vocat *intima lethi tartara;* alibi *tristia, funesta, nigra, opaca, profunda tartara.* Hinc idem 6. Æneidos ita canit:

At læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.

Et rursum:

Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras:
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Ergo Orcus, Pluto et Inferus, puta Lucifer, regnum mortis, quod habebat in gehenna, post peccatum Adæ extendit super terram in omnes homines ex Adam nascentes, quos telo mortis transfigit. Nam ut dicet c. seq. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem, etc. invidia autem diaboli mors introivit in orbem.*

Alludit ad Poetas (unde colliges auctorem huius libri non esse Salomonem, utpote, qui Orpheo, Homero, Hesiodo, omnibusque Poetis et Philosophis longe fuit anterior et antiquior) qui Aden, sive Orcum, et Plutonem, asserunt esse inferorum regem, in tenebrosa et horrida regione sub terra dominantem, qui animas defunctorum omnium inevitabilibus vinculis constringat, habeatque pro stemmate regali claves, eo quod infernus ingredientibus adamantinis quasi claustris obseratur, ac nulli in illum ingresso detur egressus, de quo plura Natalis Comes lib. 10. Mythol. cap. 9. Sic auctor. l. Iudith. cap. 16. 8. alludit ad fabulam Titanum, id est, Gigantum cum Iove pugnantium: *Nec filii Titan,* inquit, *percusserunt eum,* scilicet Holofernem.

Mystice Glossa interlin. cuius auctor est Anselmus Laudunensis: *Nihil,* ait, *homini nocuisset diabolus, nisi acquievisset homo.* Et Holcot: *Hominibus,* ait, *in terra existentibus non ita dominantur dæmones, ut eos invitos ad malum impellant.* Rabanus quoque et Hugo: *In natura,* inquiunt, *non est conditum a Deo peccatum, propter quod in hominibus inferi, id est, dæmones regnent.*

Rursum, Lyranus et Dionys. *In præsenti vita,* inquiunt, *non est lex infernalis,* ut scilicet ipsi nequeant pœnitere, resurgere, iustificari et salvari, uti nequeunt damnati in inferno.

Denique alii, q. d. Infernus, sive gehenna, ac impiorum in eo ardor et cruciatus, non est per se primitus institutus a Deo, sed post, et propter peccata hominum, ad ea punienda. Aut, q. d. Peccatum, ob quod infernus et dæmon dominantur homini, non est a Deo, sed a libera et mala hominis voluntate. Aut, q. d. Dæmon non ita pleno iure dominatur peccatoribus in terra, quin ab eius manibus et tyrannide liberari possint, si pœnitere velint.

Vers. 15. IUSTITIA ENIM (Græca habent δὲ, id est, *autem.*) PERPETUA EST ET IMMORTALIS.) Addunt aliqui codices, ut Complut. *Iniustitia autem mortis acquisitio:* quæ verba non sunt authentica textus, sed eius per antithesin exaggeratio et explicatio. Nam ea non habent codices Vaticani, Græci, et cæteri melioris notæ. Probat mortem non esse factam a Deo, ac consequenter nec medicamentum exterminii, ex eo quod Deus homini primitus indiderit iustitiam, quæ est pharmacum immortalitatis. Iustitia enim ex Dei decreto, dono et præmio est immortalis, facietque hominem immortalem. Quare quamdiu Adam in iustitia originali perstitit, mori non potuit: et si semper in ea perstitisset, numquam mori potuisset. *Iustitiam* hic non specialem, uti videtur velle S. Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 9. sed generalem et originalem intellige, quæ erat charus sive complexio omnium virtutum: hæc enim Adæ dabat vitam et immortalitatem; qua eversa peccatum eidem et posteris omnibus inflixit debitum mortalitatis, ipsamque mortem. Iustitia ergo velut sol dat lucem, vitam, lætitiam, felicitatem, felicemque æternitatem. Quis ergo eam non amet et ambiat? Ipsa est ἀθάνατος, facit ergo athanasios, gloriosos et immortales.

Porro Carthusianus *iustitiam* non hominum, sed Dei intelligit, q. d. Iustitia, id est, iusta, benefica et suavis Dei optima providentia, et beneficentia, quantum est ex se esse, quod semel creaturis dedit, non revocat, sed stabilit, facitque ut sit perpetuum. Et noster a Castro: *Iustitia,* ait, *quam servat Deus, dum tribuit rebus iuxta insitam naturam quod illis proprium est, ad earum perpetuitatem, facit illas esse perpetuas.* Et Didymus in epist. 2. S. Ioannis. cap. 2. (exstat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum) *Dei,* ait, *cum sanctis voluntas permansura virtus est, de qua scriptum est Sapient. 1. Iustitia est immortalis.* Verum prior sensus est genuinus.

Quærit S. Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 9. an virtutes huius vitæ maneant in altera, puta in cœlo? *Quibusdam enim,* ait, *visum est desituras; et de tribus quidem prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, nonnihil dici videtur; iustitia vero immortalis est, et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit.* Citat deinde Ciceronem, qui in Hortensio asserit omnes desituras, etiam iustitiam; ac rationem affert: *Nec enim,* ait, *fortitudine egeremus; nullo proposito aut labore et periculo: nec iustitia enim esset nihil quod appeteretur alieni: nec temperantia quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines; nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest, cætera necessitatis esse, unum hoc voluntatis.*

Verum corrigit hoc Ciceronis dictum S. Aug. ac docet certum esse iustitiam mansuram, idemque de cæteris probabiliter esse censendum. Sic enim ait: *Cui* (Deo) *regenti esse subditum, si iustitia est, immortalis omnino est iustitia, nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et maior esse non possit. Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate, ut prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere, vel æquare; fortitudinis, ei firmissime cohærere: temperantiæ, nullo defectu noxio delectari.* S. August. sequitur S. Thom. 1. 2. q. 67. art. 1. ubi resolute docet omnes quatuor virtutes cardinales mansuras in cœlo, velut ornamenta animæ rationalis, ac velut luctæ quam anima cum concupiscentiis in hac vita generose subiit, puta victoriæ eius, præmia et trophæa. Virtutes quatuor cardinales manebunt in cælo.

IMPII AUTEM MANIBUS ET VERBIS ACCERSIERUNT ILLAM; ET ÆSTIMANTES ILLAM AMICAM, DEFLUXERUNT, ET SPONSIONES POSUERUNT AD ILLAM: QUONIAM DIGNI SUNT QUI SINT EX PARTE ILLIUS.) Vers. 16 *Impii,* græce ἀσεβεῖς, id est irreligiosi, nefarii, scelesti, qui Numen non cognoscunt, vel non timent, non venerantur, non colunt, ideoque in omnia scelera se effundunt. *Illam,* scilicet mortem, græce enim est αὐτὸν masculinum, quod non potest referre δικαιοσύνην, id est iustitiam, nec ἀδικίαν, id est iniustitiam, quam nonnulli addunt vers. 15. ut vult S. Bonavent. cum utraque sit feminini generis, sed masculinum θάνατον, id est mortem; *æstimantes illam amicam,* non in actu signato, sed exercito, q. d. Perinde se gerentes erga mortem, uti se gerit amicus ad amicum, dum quæ grata et annexa sunt morti, quæque mortem procurant, puta concupiscentias et scelera sua adamarunt. Simili schemate dixit v. 12. *Nolite zelare mortem.* Pro *defluxerunt,* græce est ἐτάκησαν, id est, *contabuerunt. Sponsiones,* id est, fœdus inierunt cum morte. Alludit ad Isaiæ 28. 15. *Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Vide ibi dicta: *Quoniam digni sunt,* nonnulli codices addunt, *morte,* sed τὸ *morte* delent Rom. et Græci; satis enim illa intelligitur ex eo quod sequitur: *Qui sunt ex parte illius,* scilicet mortis, cum qua fœdus inierunt.

Dixit Deum non fecisse mortem, sed creasse hominem iustum, sanum, sanctum, immortalem; iam veram mortis causam assignat, primorum parentum cæterorumque impiorum vesaniam, qui mortiferas suas cupiditates adeo

ardenter adamarunt, ut mortem, quam in eis repositam sciebant, non exhorruerint; sed ultro illam sibi *manibus* iniqua agendo, cædesque et rapinas exercendo; ac *verbis* murmurando blasphemias in Deum, contumelias in proximos iactando (uti faciunt tyranni, et insolentes principes ac iudices, quos maxime hic taxat, ut patet ex versu 1.) accersierint, quasi illam sibi amicam æstimarint, cum ipsa revera esset eis hostis acerrimus; hinc *defluxerunt* ad suas voluptates, ac ad mortem et interitum in iis repositum, ibique contabuerunt, id est tabem et corruptionem, tam animæ quam corpori induxerunt; quare ita se reipsa gesserunt cum morte, ac si cum illa amicitiam et fœdus iniissent, idque stolide, sed iure, digne et merito. *quoniam digni sunt*, qui partem et societatem habeant cum morte, eiusque ærumnarum et dolorum sint participes, eo quod cum ipsa sponte fœdus inierint. Mortem intellige, primo corporis, ut patet ex versu 14. deinde animæ per peccatum et damnationem in gehenna.

Nota; Singula verba habent emphasim, notentque in impiis singularem æstum vel furorem cupiditatis, quo cæci, velut effrænes et amore insanientes equi, sese præcipitant in mortem præsentem et æternam. Ait ergo: *Manibus et verbis accersierunt illam*, scilicet mortem, hoc est omni conatu et studio, quod vulgo dicitur *velis remisque*, vel *manibus pedibusque*. Solent enim ardentes amantes manuum iactatione, extensione et gesticulatione advocare remotos et procul dissitos. Rursum primi parentes manus extendendo ad pomum vetitum, verbaque miscendo cum serpente, mortem sibi et posteris accersiverunt. Glossa explicat: *Factis et dictis*; S. Bonavent. *Manibus defensionis, et dictis gloriationis*; suas enim cupiditates et scelera manibus propugnant, eademque verbis magnificant et celebrant. Id fecit Eva, cum pomum vetitum porrexit Adæ, eumque ad comedendum allexit; quod ille fecit etiamsi sciret sibi dictum a Deo: *In quocumque die comederis, morte morieris*, Gen. 2. 17. Huic proverbio antistrophe sunt illa veterum: *Mala ad se trahentes velut Cæcias nubem. His qui quærunt bona vix accedunt, mala vero etiam non quærentibus.* Apologus exstat apud Æsopum de baiulo sub onere gemente, ideoque invocante mortem. Sistit se illa. Tum baiulus: *Te*, inquit, *invocavi non ut occidas, sed ut onus mecum in humeros leves.*

Et æstimantes illam amicam.) Non directe sed indirecte et comitanter. Adam enim, et quivis peccator, æstimat amicam non ipsam mortem, sed suam gulam et voluptatem, quam ardenter et perdite adamat, etiamsi sciat illam sibi a Deo vetitam sub pœna mortis. Dum ergo eam cæcus et amore ebrius haurit, mortem ipsam haurit. Rursum proprie mortem amicam æstimant voluptuarii, quia toti suis cupidinibus huius vitæ inhiantes, tandem æstimant omnia in morte finiri, omniaque cum corpore interire, ut dicet initio cap. seq. ideoque libere omnibus voluptatibus in vita indulgent, ac in omnia vitia defluunt. Aliam expositionem addit noster a Castro, q. d. Arbitrati non sibi nocituram accersitam mortem, propter illam serpentis promissionem: *Nequaquam moriemini*, aliter accidisse experti sunt, quam putarent: nam continuo mortis stimulo puncti tabescere, atque in modum labentis undæ ad mortem defluere ac properare cœperunt, atque sic tandem perierunt.

Defluxerunt.) ἐτάκησαν, id est, instar ceræ paulatim liquati sunt, colliquati sunt, perierunt consumpti et in tabem resoluti sunt; Arabicus, *liquefacti sunt*; Syrus, *corrupti sunt*. *Defluxerunt* ergo, id est, instar ceræ colliquati a soliditate iustitiæ originalis, sanctitatis, gratiæ, lætitiæ et immortalitatis, ad fluxum voluptatem, intemperantiam, peccatum, mœrorem, mortem et gehennam se transtulerunt; fluere cœperunt in mortem, primo culpæ, ait S. Bonaventura, deinde pœnæ et gehennæ puta in omnes ærumnas huius vitæ et futuræ, quas sibi omnibusque suis posteris accersiverunt.

Sponsiones posuerunt ad illam.) Id est, ad illius comitem, imo matrem, puta ad voluptatem vetitam a Deo sub pœna mortis; illi enim tanto ardore capulati sunt, ac si cum ea fœdus arctissimum sanxissent, ideoque dicuntur pariter cum morte, quæ voluptati inseparabiliter annexa est fœdus sanxisse. Unde Arabicus vertit: *Et posuerunt cum ea pactum*; Syrus: *Iuraverunt et fœdus constituerunt* cum ea. Rursum proprie cum ipsa morte quasi fœdus inierunt, dum ita secure libidini et tyrannidi se totos tradiderunt, perinde ac si non essent morituri, aut potius ac si non nisi post multa sæcula essent morituri, et in ipsa morte amice et pacifice conquieturi, nullum post eam exspectantes iudicium, nullam vitam, nullum supplicium, eo quod æstimarent omnia in morte consummari, nec aliam superesse vitam; quare læte se morituros putarunt, iuxta illud Iob 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Sic Augustus Cæsar optabat sibi εὐθανασίαν, id est, facilem hilaremque mortem, illaque ipsi obtigit, teste Suetonio. Fœdus ergo impiorum cum morte est, quasi ei dixerint: Ne noceas nobis, o mors, nos vicissim non nocebimus tibi, sed erimus amici. Verum errarunt. Nam ut eis minatur Deus Isa. 28. vers. 18. *Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum cum transierit, eritis ei in conculcationem.*

Quoniam digni sunt qui sint ex parte illius,) Qui scilicet mortis *sint sors*, ut vertit Syrus, pars et hæreditas, qui ut unici filii ex asse sint possessio mortis, eaque tam active, ut scilicet ipsi possideant non vitam, sed mortem; quam passive, quos nimirum ipsa mors hæreditet, ac ut hæreditatem suam possideat, puta in quos ipsa desæviat exerceatque suum imperium, ac mori cogat, ait Anastasius Nicen. q. 16. in S. Scripturam.

Notat S. Bonavent. hic gradus iniquitatis, per quos impii descendunt in profundum malorum, ipsumque gehennæ barathrum: « Nam primus gradus, ait, est impietas in corde per consensum internum mentis; secundus, eadem est impietas in manu per consummationem operis, dum scelus quod mente designarunt opere perpetrant; tertius, eadem est in ore per verbum defensionis et gloriationis, dum scelus excusant, imo de eo gloriantur; quartus, dum impii cum impietate pangunt amicitiam et fœdus, per spem impunitatis; quintus, dum toti in illam defluunt per frequentem peccati iterationem, peccandi consuetudinem et mentis obdurationem; sextus dum ruunt in ipsam mortem, tum impœnitentiæ finalis, tum gehennæ. »

Sex gradus peccati.

Symbolice, vita impiorum non est vita, sed continua mors; unde recte cum ea amicitiam et fœdus iniisse dicuntur; tum quia vita eorum plena est intemperantiis, excessibus, iris, rixis, invidiis, cæterisque animi passionibus et perturbationibus, quæ homini mille afflictiones et dolores mortis afferunt; tum quia vivunt in perpetuis crapulis, luxuriis, odiis, inimicitiis, contumeliis, rapinis, cæterisque peccatis, quæ mortem animæ conciliant; tum quia horum scelerum pœnas, puta luem veneream, catarrhos, nauseam, fastidia, febres, dolores capitis, stomachi, aliasque plurimos, item paupertatem, infamiam, persecutiones, omneque genus malorum sibi accersunt. Unde S. Gregor. de vita hominum quorumlibet post peccatum, sic ait hom. 37. in Evang. *Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis?* Vide ebriosos, qui quotidie potant et se inebriant, advertes eos numquam fere mentis esse compotes, nec ratione uti, sed vivere ut bruta ratione carentia, imo brutis esse deteriores et miseriores; nam noctem vertunt in diem, noctem potando traducunt in ebrietate, se proinde rationis usu se privant: per diem dormiunt, ut crapulam digerant; unde tam die, quam noctu rationis usu ut bruta carent. Vide et contemplare invidos, superbos, ambitiosos, qui nil nisi dignitates, honores, prælaturas somniant, quot curis, æmulationibus, invidiis, suspicionibus, mortificationibus, doloribus, angoribus cruciantur? An non vita eorum mors est potius, quam vita, imo agonia mortis perpetua? Atque hanc ipsi ultro sibi accersunt, amicam æstimant, et cum ea fœdus inviolabile pangunt. O stolidos, o miseros, o vecordes!

Vita impii est mors.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit impiorum qui sapientiæ, virtutisque et veræ vitæ expertes, cum insipientia, vitiis et morte fœdus inierunt, sensa et mores describere, scilicet quod sentiant omnia cum morte finiri, ideoque voluptati, dum vita suppetit, indulgendum, et iustum quemlibet eis adversantem, ac imprimis Christum esse occidendum et crucifigendum. Inde v. 22. ostendit eorum cæcitatem, quod ignorent futura præmia iustis, et supplicia iniustis a Deo præparata: Deum enim creasse hominem immortalem, mortem vero invidia diaboli per peccatum in orbem invectam, quam eius sectatores impii experiuntur, acresque eius aculeos gementes sentiunt.

1. DIXERUNT enim cogitantes apud se non recte: Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis: 2. Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: 3. Qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aer, et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata. 4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. 5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur. 6. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. 7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus; et non prætereat nos flos temporis. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. 9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. 10. Opprimamus pauperem iustum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. 11. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur. 12. Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. 13. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. 15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ eius. 16. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et præfert novissima iustorum, et gloriatur patrem se habere Deum. 17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. 19. Contumelia et tormento interrogemus eum: ut sciamus reverentiam eius, et probemus patientiam illius. 20. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. 21. Hæc cogitaverunt, et erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt iustitiæ, nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum. 23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. 24. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: 25. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Vers. 1. DIXERUNT ENIM COGITANTES APUD SE NON RECTE) A Sed prave, insipienter et impie; τὸ enim notat hic dari rationem præcedentium, cur scilicet impii mortem accersierint, cum eaque fœdus inierint, ideoque digni sint, qui in mortis sorte et societate statuantur. Ratio eorum hæc est: vita nostra, omniaque eius bona et mala in morte finiuntur, ac post mortem nihil erit, quod nos exhilaret vel affligat; ergo dum vivimus, vivamus læte, omnique cupiditati indulgeamus, ideoque aliorum opes et bona diripiamus, ut iis epulemur et voluptuemur. Radix huius eorum paralogismi est cupiditas et voluptas, cui toti inhiant; hanc enim ut impune sectentur et expleant, sibi persuadent animam esse mortalem, ac proinde post mortem nullam timendam esse Numinis vindictam et pœnam. Huius erroris et hæresis auctor fuit Cain, parricida Abelis fratris sui, qui negavit Numen Numinisque vindictam, ideoque fratrem occidit, teste Iosepho 1. Antiq. 3. ac Philone lib. *quod deterius potiori insidietur*, et S. Ambros. lib. de Cain et Abel cap. 9. Hunc secuti sunt posteri eius omnes, ob quos Deus orbem totum mersit diluvio. Post diluvium perfidiam hanc et scelus renovavit Nemrod, tyrannus, auctor turris Babylonicæ, quasi per eam in cælum conscensurus, Deoque bellum indicturus, Genes. 11. Deinde Samaritæ, scilicet Assyrii, qui a Salmanasar ex Assyria traducti sunt in Samariam; hi enim censebant omnia cum morte interire, nec ullam fore resurrectionem, teste Epiphan. hæresi 9. Philastrio hæresi 7. (Cupiditas mater stultitiæ) et aliis. Denique Sadoc, eiusque asseclæ Sadducæi, qui vixit sub Iuda Machabæo, teste Iosepho l. 13. Antiq. cap. 9. Eamdem hæresim ex Gentilibus docuerunt Democritus, teste Plutarcho, l. 4. de Placitis philos. c. 7. et post eum Epicurus, eiusque sectatores Epicurei, quorum hoc axioma:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

teste Plutarcho ibidem. Horum sensa et voces recenset Seneca epist. 124. *Inde*, inquit, *ad hæc pervenitur verba: Virtus, et philosophia, et iustitia verborum inanium crepitus est, una felicitas est bonæ vitæ, facere omnia libere* (alii codices legunt, *facere, esse, bibere*) *frui patrimonio: hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies, et irreparabilis vita decurrit: dubitamus quod iuvat facere, et ætati non semper voluptates decerpturæ, interim dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem, ultra mortem præcurrere et quidquid illa ablatura est, iam sibi interdicere.*

Verum hæc eorum ratio est irrationalis et stolida: hic eorum syllogismus est paralogismus. Nam primo falsissimum est animam rationalem cum corpore mori, cum ipsa ad imaginem Dei creata, ab eo participet immortalitatem. Secundo, esto anima foret mortalis, ac vita omnia finienda esset in morte, tamen illam virtuti, non voluptati, totam impendere oporteret. Voluptas enim est bonum bestiarum, virtus vero sive vivere iuxta doctrinam rationis, est bonum hominum, uti loco iam citato docet Seneca. (Ratio atheorum stolida)

Adde, virtutem, unicam veramque esse hominis voluptatem, sed spiritualem, quæ hominem Deo gratum, lætum, sanum, sanctumque efficit; cum voluptas omnis carnalis hominem bestialem, Deo et Angelis invisum, tristem, morbidum et sceleratum efficiat. Unde prudenter ille iuvenis in Vitis Patrum, dæmoni, qui falso suggerebat ipsum esse a Deo reprobatum, ut eum ad vitam in omni carnis voluptate transigendam impelleret, sapienter respondit: *Si in futura vita mihi non detur servire placereque Deo, serviam saltem placeboque in hac præsenti. Quid enim sanctius, quid melius, quid iucundius, quam placere Deo? servire enim Deo regnare est. Fruar ergo Deo meo in hac vita, si non liceat in altera.*

Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ.) Græce, *exigua et molesta est vita nostra.* Nam pro *cum tædio* græce est λυπηρος, id est tristis, anxia, gravis, molesta, acerba, misera, cui opponitur τερπνος, id est, læta, iucunda, suavis, delectabilis. Sententia hæc expositione non eget, quia clare eam nobis exponit, imo oculis eam cernendam proponit quotidiana cuiuslibet experientia. Vita enim nostra mille affert labores, mille ærumnas, mille tædia et fastidia. Numera labores et dolores, quos subis uno die, ac invenies plures esse, quam sint horæ vel actiones, adeoque quamlibet actionem iisdem undique esse inspersam et refertam. Hoc est quod ait Iacob Pharaoni, quot annorum esset interroganti: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali,* id est, miseri, Genes. 47. 9, et David Psalm. 38. 6. *Mensurabiles* (Hebr. טפחות *tepachot*, Septuag. παλαιστας, id est *palmares*, hoc est, exiguos instar palmi, qui est mensura continens tantum, quantum extensione digitorum manus comprehendi potest, quæ vulgo *spithama* dicitur. Unde Symmach. vertit, σπιθαμας) *posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te.* Consule Iob c. 14. v. 1. et seq.

Vitæ ærumnæ. Vidit idipsum Seneca, qui epist. 100. *Hoc*, ait, *quod inter primum diem et ultimum iacet, varium et incertum est. Si molestiis æstimas, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum et fallax, et omni tempestate mobilius. Iactantur cuncta, et in contrarium transeunt, et in tanta volutatione rerum humanarum nil quicquam nisi mors certum.* Et paulo post: *Propone profundi temporis vastitatem, et universum complectere, deinde hoc, quod ætatem vocamus humanam, compara; universe videbis quam exiguum sit, quod optamus, quod extendimus: ex hoc quantum lacrymæ, quantum sollicitudines occupant, quantum mors antequam veniat optata, quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri, aut rudes, aut inutiles anni. Dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, pericula, et intelliges, etiam in longissima vita, minimum esse quod vivitur.* Et Menander: *Congenita sunt dolor et vita, illaque consenescit vitæ.* Zeno Impar. *Ludibrium Dei est homo.* Alius: *Quid est homo? mancipium mortis, viator transiens.* Arist. *Quid est homo? imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina: reliquum vero pituita et bilis.* Ita refert Stobæus serm. 89. qui totus est de hac re.

Gnomæ. Et non est refrigerium in fine hominis) S. Bonav. Lyran. Hugo et Dionys. exponunt, q. d. Impii post hanc vitam pergunt, non ad refrigerium cœli, sed ad supplicium gehennæ. Verum græce est: Οὐκ ἐστιν ἰασις ἐν τελευτῃ ἀνθρωπου, id est, *non est medicatio*, vel *curatio in obitu hominis.* Vatabl. *Nec est remedium contra obitum*, q. d. Non est medicina, nec remedium ad evadendam mortem, iuxta illud: *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.* Vere Seneca in Consulat. ad Martiam c. 11. *Quid*, ait, *est homo? quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile; iactatum, non tempestate ut dissiperis, est opus: ubicumque arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis fluidisque contextum, et lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus et laboris impatiens; ipso rursus situ et otio iturum in tabem, et semper alimenta metuens sua, quorum modo inopia laborat, modo copia rumpitur.* Et paucis interiectis: *Odor illi saporque et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suæ statim conscium, non omne cœlum ferens, aquarum novitatibus, flatuque non familiaris auræ, et tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, cassum, a fletu vitam auspicatum. Cæterum, quantos tumultus hoc contemptum animal movet? In quantas cogitationes oblitum suæ conditionis venit? Immortalia, æterna volutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit: cum interim longa conantem eum mors opprimit: et hoc, quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.*

Mystice: *Non est refrigerium homini in fine*; quia cum febri quadam hectica, ex cruda illa comestione pomi vetiti, semper æstuemus, non est refrigerium, id est, non est remedium vel pharmacum, quo ardor excitatæ febris restinguatur; ac proinde non est remedium contra obitum hominis: febris hæc est insita homini elementorum contrariorum commixtio, quæ eum lacessendo assiduo corrumpunt et interimunt. Item febris hæc est concupiscentia, quæ hominem ad excessum gulæ et luxuriæ impellit, qua plerique occiduntur.

Et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.) Clarius: *Non est qui post mortem iterum vitæ sit restitutus*, qui scilicet ostenderit se vivere, et aliam post mortem superesse vitam, in qua liceat miserias huius vitæ effugere, et in voluptates commutare, q. d. Incerta et fabulosa sunt, quæ a poetis cæterisque de inferis eorumque pœnis, ac rebus aliis post hanc vitam narrantur; hæc enim omnia sunt aniles fabulæ, et terriculamenta puerorum. Talis est descensus Æneæ ad inferos, indeque reditus duce Sibylla, quam describit Virgil. 6 Æneid. et ille Thespesii Solensis apud Plutarc. lib. de Sera numinis vindicta. Tacite indicant impii animam cum corpore interire, ideoque illi dandas suas cupiditates in hac vita, ut læto vivat, cum post hanc vitam nil amplius illi sit expectandum. Ita nimirum sicut animæ immortalitas impellit hominem ad metum cultumque Numinis per modestam puramque vitam, sic mortalitas animæ homini persuasa, inducit eum ad negandum Numen, omnemque religionem, ut homo libere vivat, sequaturque suas libidines.

Porro hæc impiorum gnome falsa est: quia multi redierunt ab inferis, qui suscitati sunt ad vitam ab Elia, Eliseo, aliisque Prophetis, Apostolis et Sanctis. Vera tamen est hoc sensu, quod illo ipsorum ævo pauci, et forte nulli a morte et inferis ad vitam redierint. Simili modo ait Homerus Iliad. 9.

Obnoxii prædæ sunt boves, et pinguia pecora,
Et tripodes acquiri possunt, et equorum flavicoma capita,
At hominis anima, ut redeat, neque per prædam,
Nec aliter capi potest, ubi semel emigraverit e vallo dentium.

Et Philetas:

Iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrorsum viator redit.

Et Virg. 6. Æneid.

Facilis descensus averni;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Nota: Animæ beatorum in cœlis sæpius in terram redierunt, et apparuerunt mortalibus, ut cum B. Virgo apparuit Ioanni Patricio et Liberio Pontif. iussitque basilicam sibi in Esquiliis exstrui eo loco qui nive tectus erat die 5. Augusti: unde festum B. Mariæ ad nives. Cum eadem apparuit B. Ioanni Damasceno, eique manum, quam Leo Isauricus præscindi iusserat, rogata restituit, in brachio relicta ex vulnere lineola, ut in eius Vita narrat Ioannes Patriarcha Hieros. Cum Ss. Philippus et Ioannes apparuerunt Theodosio Imper. teste Theodor. l. 5. Histor. c. 34. Ss. Petrus et Paulus Constantino Imper. remedium lepræ suggerentes baptismum, teste VII. Synodo act. 2. Sanctorum e cœlo apparentium exempla.

E limbo. Animæ etiam e limbo redierunt ut anima Mosis apparens cum Elia in transfiguratione Christi: anima Samuelis apparens Sauli, eique mortem prædicens, 1. Reg. 28. S. Ieremias et Onias apparuerunt Iudæ Machabæo, victoriam contra Nicanorem prænuntiantes, 2. Mach. 15.

E purgatorio. Animæ quoque e Purgatorio redierunt; nam Pascasius, Apostolicæ Curiæ Diaconus, post mortem in Angulanis thermis, a Germano Capuano inventus est luere delictorum pœnas, uti narrat S. Greg. 4. Dialog. c. 40. Iustus quidam ob retentas pecunias grave supplicium pertulit: qui tandem Commodo fratri apparens se ab illo sanctis sacrificiis liberatum esse exposuit, teste S. Gregor. 4. Dialog. c. 55. Fuit et presbyter, qui Centumcellis in balneis frequentissime apparuit, qui sibi operam gratuitam, si quando lavaret, præstabat. Pro quo ubi, quemadmodum rogarat, Deo sacrificia obtulisset, spiritum fuisse cognovit, cui divina miseratione hoc modo pro peccatis satisfacere et iuvari contigit, ut ibidem narrat sanctus Gregorius.

Ex inferno rarius. Animæ vero ex inferno subinde, sed rarius redeunt et apparent, idque non tam per seipsas, quam per dæmones; ipsæ enim ad carcerem ignemque gehennæ damnatæ, inde exire non sinuntur: unde earum loco apparent dæmones, qui in hoc aere usque ad diem iudicii ad hominum tentationem et exercitationem agere a Deo permittuntur, ut inferni pœnas hominibus repræsentent, earumque metu homines a vitiis coerceant, et ad Deum colendum cogant. Sic visus est sancto cuidam Eremitæ Theodoricus Italiæ rex Arrianus, inter Ioannem Pontificem et Symmachum Patricium vinctis deduci manibus, et detrudi in ollam Vulcani, uti narrat S. Gregor. l. 4. Dialog. cap. 30. Visa est Monialis in Ecclesia S. Laurentii Romæ ante altare per medium secari, teste S. Greg. eodem l. c. 51. Idem c. 36. narrat Petrum quemdam defunctum vidisse tormenta damnatorum in igne gehennæ, eumque et ipse in eumdem proiiciendus foret, angelum vetuisse, dixisseque: *Regredere, et qualiter tibi posthac vivendum sit cautissime attende.* Similia narrat ibidem de Stephano quodam, alioque milite. Curma quidam municipii Tulliensis, cum aliquot dies quasi mortuus iacuisset, rediens ad se mirabilia de mortuorum pœnis et præmiis narrans, eadem certis argumentis confirmavit, uti refert S. Aug. l. de Cura pro mortuis c. 11. ubi et plura similium apparitionum exempla recenset. Sic Iosaphat, conversus a Barlaam, in raptu vidit inferorum supplicia, eoque visu tentationem carnis superavit, uti narrat Damascen. in histor. c. 30. Vide nostrum Petrum Thyræum, l. 1. de Spirit. apparit. cap. 11. Alexandrum ab Alexand. lib. 5. Genial. cap. 23. et l. 2. cap. 9. Marsilium Ficinum lib. 16. de Immortalitate animæ. Traiani Imper. animam a pœnis inferni liberatam precibus S. Gregorii ex Ioanne Diacono censet Ciacconius et alii: verum Baron. Bellarm. et alii emunctioris naris censent hanc meram esse fabulam.

Sed esto nemo ab inferis rediisset, non ideo negandi sunt inferi, animarumque vita et cruciatus in inferno. Nam idipsum S. Scriptura clare docet et comminatur. Unde impiis responderi posset id quod Abraham respondit diviti Epuloni, poscenti Lazarum mitti ad fratres suos, qui illis sua et inferorum supplicia denuntiaret: *Habent Moysen et Prophetas; audiant illos. Nam si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Lucæ 16. 31.

Vers. 2. (QUIA EX NIHILO NATI SUMUS, ET POST HOC ERIMUS TAMQUAM NON FUERIMUS.) Id est ac si non *fuissemus*, ut vertit Syrus; Clarius, *quasi non fuerimus*. Pro *ex nihilo* græce est αὐτοσχεδίως, id est ultro, temere, fortuito, ex tempore, subito, ex improviso, sine Dei consilio, cura, imperio et providentia nati, et in orbem lucemque effusi sumus: Syrus, *extemplo facti sumus*: Reg. *per nos nati sumus*, sicut culices, pulices, fungus, etc. per se nascuntur ex terra sine satione. Probant impii non esse inferos, nec vitam apud eos, q. d. Casus nos genuit, casus nos velut fungos et culices interimet et annihilabit: ergo non sunt inferi, nec inferorum pœnæ, a certa iustaque Dei providentia impiis decretæ: Deus enim uti nos non creavit sic nec curat, gubernat, iudicat, præmiat aut punit quemque pro meritis vel demeritis. Sic Democritus, Chrysippus, Epicurus docuere orbem et homines in eo factos natosque esse ex fortuito atomorum concursu, similive casu, non certa Dei provisione et creatione. Sic Aristot. 2. Polit. cap. 6. ex vulgi sententia loquens ait veteres legislatores, quos carpit, ex pravo semine, vel ex terra esse natos. Similia habet Diodorus Siculus lib. 1. cap. 1. et 2. Sic et Ovidius ac Poetæ fabulantur homines ortos ex lapidibus a Deucalione proiectis.

Verum hos omnes refutat historia creationis hominum et mundi in Genesi a Mose descripta, imo ratio naturalis, quæ docet hominem, anima rationali constantem, esse nobilissimum perfectissimumque animal, ac proinde non fortunæ, sed Dei sapientissimi et potentissimi esse opus: uti ostendit Philo lib. de Creatione mundi, Euseb. l. 7. de Præpar. c. 7. Iustinus in Paræn. Lactant. l. 2. cap. 12. Vide Perer. in Physica lib. 8. cap. 16. et Conimbr. lib. 3. de Cælo, q. 6. art. 3.

Tropol. B. Petrus Damiani epist. 4. cap. 4. ostendit impium, etiam dum existit, videri potius non esse quam esse, magisque pertinere ad nihilum, quam ad ens, eo quod longissime ab eo, qui vere est, et per quem omnia sunt, puta a Deo, recedat et distet. Magis enim distat peccator a Deo, quam non ens ab ente: huius enim finita, illius infinita est intercapedo et distantia. Impius magis non est quam est. Ratio.

Accedit S. Gregor. qui de homine in peccatum prolapso ita loquitur l. 11. Moral. c. 26. ad illa S. Iob. c. 14. *Qui quasi flos egreditur, et conteritur: quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne; sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis: et ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in fœno est. Unde bene per Psalmistam dicitur: Homo sicut fœnum dies eius, et sicut flos agri ita florebit,* Isaias cap. 40. v. 6. *quoque ait: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius sicut flos agri. Homo etenim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico: qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum, Carnis nos viriditas ostendit: sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus: quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta quotidie homo compellitur ad mortem, recte adiungit: Et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Hoc est quod lugubri voce canit David. Ps. 89. v. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor: quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur;* Hebr. *quia tonsio est velox, et avolabimus;* Arias, *resecatur cito, et avolabimus:* Vatabl. *velociter transit, et avolamus.* Unde sanctus Ambros. epist. 42. *tantis malis* asserit *hanc vitam esse repletam, ut comparatione eius mors remedium esse putetur, non pœna. Nam et ideo,* inquit, *Deus illam brevem efficit, ut molestiæ eius, quia prosperitate non poterant, temporis brevitate finirentur.* Huc facit illud Petronii de larva argentea: Mori est remedium malorum.

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.

QUONIAM FUMUS FLATUS EST IN NARIBUS NOSTRIS.) Ita legendum cum Romanis. Perperam aliqui legunt *fumus et flatus*. Minus recte quoque alii, ut Franc. Lucas et Complut. legunt, *afflatus*: licet hoc quasi idem sit quod *flatus*. Peius alii pro *in naribus* legunt, *in auribus*. Unde Herodotus censuit animam habitare in auribus, eo quod bonis auditis corpus recreetur, malis vero auditis ad iram stimuletur. Syrus, *quia tamquam fumus est spiritus in naribus nostris*; Arabic. *quia flatus fumus in oribus nostris.*

Sensus est, q. d. Anima et vita nostra non est aliud quam flatus, id est, anhelitus, quo per nares aerem attra-

bimus et respiramus. Hic autem anhelitus, mox ut fit, subsidit et deficit, ac instar fumi dissipatur, et tenues vanescit in auras; in easdem ergo abit nostra anima in morte, ac proinde post eam nulla nobis superest vita. Sic Heraclitus censuit animam non esse aliud, quam humorum respirationem, sive vaporem et exhalationem, teste Aristot. l. 1. de Anima textu 32. Quin et rude vulgus anhelitum vocat *animam*, nec aliam animam novit. Porro quia communiter respiramus per nares, hinc flatum vel anhelitum narium *animam* appellat. Quo pariter alludens Isai. cap. 2. 22. *Cavete*, ait, *ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est.*

Verum errant impii: anima enim nostra est spiritalis, imo purus merusque spiritus instar angeli, ac proinde nequit esse flatus vel anhelitus, utpote qui corporeus est, sed ipsa anhelitum hunc operatur, ut calorem cordis in quo habitat, refrigeret. Porro apte anhelitus comparatur fumo. Sicut enim ignis causat fumum; sic calor naturalis causat anhelitum et respirationem. Hinc vita nostra, quæ respiratione fovetur, vocatur *vapor ad modicum parens*, Jacobi 4. 15. Hinc et Psaltes: *Defecerunt*, inquit, *sicut fumus dies mei*. Psal. 101. 4.

ET SERMO SCINTILLA AD COMMOVENDUM COR NOSTRUM.) Ita legendum cum Romanis et Græcis, non *scintillæ* uti legunt aliqui. Vide Franc. Lucam notat. 200. Græce enim habent, ὁ λόγος σπινθὴρ, id est, *sermo scintilla*; licet Budæus in Pandec. et Petrus Nannius hic præferant aliam lectionem, quæ rarius invenitur, scilicet ὀλίγος σπινθὴρ, id est, *exigua scintilla*, q. d. Flatus sive anhelitus, quo respiramus et vivimus, est quasi scintilla quædam, id est exiguus calor et vapor, qui tamdiu durat, quamdiu durat motus cordis, vel motus quo movetur et vivit cor nostrum. Vita enim consistit in calore naturali motuque cordis, qui anhelitum velut suî scintillam emittit in altum: imo Stoici censuerunt animam non esse aliud quam calidum spiritum, vel ut Heraclitus, calidam exhalationem, quam asserebant semper fluere ex corde, velut ex caloris naturalis officina, in qua proinde generentur spiritus vitales, per quos fit motus, omnisque sensuum actio. Ita Plutarch. lib. 4. de Placit. philosoph. cap. 3. Hinc sensus commodus est et facilis.

Verum codices plures et melioris notæ legunt, non ὀλίγος, sed ὁ λόγος, id est, *sermo scintilla*. Porro λόγος verti potest, *ratio*, q. d. Ratio et mens, qua homo præ cæteris animalibus pollet, est quasi scintilla quæ movet cor et voluntatem ad omnia quæ agit. Ita Osorius. Verum melius Noster et alii λόγος vertunt, *sermo*.

Significant ergo impii vitam nostram non esse aliud quam vivacem ignem in corde existentem, qui ad motionem, vel, ut græce est, ἐν κινήσει, id est, in motione cordis nostri, emittit de se scintillas, scilicet sermonem et verba, quæ loquimur: ac fumum, scilicet respirationem et anhelitum: sicut ignis, cum movetur, scintillas ejaculatur et fumum.

Rursum, sicut deficiente igne deficit scintilla, abitque in favillam et cinerem; sic deficiente loquela, et consequenter anima, corpus abit in cineres. Quid brevius, quid inanius, quid vanius, quid fugacius sermone et scintilla? quid pariter brevius, quid vanius, quid fugacius vita? Adhæc, sermo movet cor, quia illud nunc commovet ad iram, si asper sit; nunc ad lenitatem, si blandus sit: nunc ad amorem, nunc ad odium, etc. Idque leviter, subito et varie: sicut præcipitanter et tumultuarie scintillæ excitantur et evolant e fornace. Ita Jansen. a Castro et alii. Unde Syrus vertit: *Et sermo tamquam scintilla minima a flamma exsiliens, movet cor nostrum*; Arabicus: *Et sermo scintilla in vapore* (evaporatione) *cordis nostri*.

Addit noster Lorinus quod formatur sermo scintillæ similis, dum movetur cor nostrum: et sicut spiritus, qui est in naribus, ut quo spiramus, est tamquam fumus, qui evanescit; ita spiritus idem, qui est instrumentum quo loquimur, et cujus virtute movetur cor, est veluti scintilla, quæ extinguitur: linguam Jacobus cap. 3. vers. 5 propter sermonem vocet *parvum ignem*. Item dici posset, quod, quem-
A admodum candela, quando extinguitur, mittit in fine scintillam, sic accidat homini morienti in extremo spiritu. Verum hic sensus obscurior et alienior videtur.

Alii, ut Dionys. per *sermonem* accipiunt calorem naturalem; Hugo, animam, quæ sermonis est effectrix, sed obscurius et alienius. Accedit Cervantes: Sermo scintilla, ait, est animæ, quæ declaratur sermone: hæc enim vegetat corpus, et flatum e naribus, quasi fumum e fornace, exhalat et efflat, cordis ac pulmonum, quasi follium, motu; est quasi scintilla fragilis, et cito deficiens, anhelo semper spiritu ex periclitatione: unde timor et trepidatio, et creber anhelitus. Verum et hoc improprie dicitur.

Porro S. Bonaven. et noster Salmeron tom. 11. tr. 2. censent in voce *sermo* alludi ad opinionem Diogenis, qui censuit animam esse aerem; in aere enim, et per verberationem aeris in ore, fit sermo; in voce *scintilla*, alludi ad opinionem Democriti, dicentis animam esse ignem; in voce *ad commovendum cor*, ad opinionem Melissi, vel, ut alii, Thaletis, qui dixit animum esse vim moventem corpus. Ve-
B rum hoc quoque obscurum est, anceps et dubium, nec impiis tantæ doctrinæ subtilitas in mentem venisse videtur.

Analogiæ sermonis et scintillæ, fornacis, et cordis.

Sensus ergo, primo loco assignatus, est planus et ge-
nuinus; ubi nota sermonem apte comparari scintillæ, ha-
litum fumo, cor igni, sive fornaci: Primo, quia sicut for-
nax ejaculatur fumum et scintillas: sic cor ejaculatur ha-
litum et sermonem. Secundo, sicut fornax tumultuarie et
vage evomit fumum et scintillas, eodem modo et cor evo-
mit verba. Tertio, sicut fornax illa effundit pro motu ignis 1.
et lignorum; sic et cor effundit sermonem ex motu affe- 2.
ctus amoris, iræ vel odii, quo agitatur. Unde si moveatur 3.
amore, verba promit amica et blanda; si ira, iracunda et
minacia; si odio, tetrica et funesta; si timore, timida et
anxia, etc. Quarto, sicut fumus et scintillæ certi sunt in- 4.
dices, æque ac effectus ignis; sic et halitus ac verba certa
sunt indicia et effectus vitæ, æque ac affectus dominantis
in corde. Quinto, sicut cessante fumo et scintilla cessat ar- 5.
dor fornacis, sic cessante respiratione et loquela cessat
C vita, vitalisque affectus in corde. Hinc *silere* in Scriptura
est mori, ipsaque *mors* vocatur דּוּמָה *duma*, id est, *silen-
tium* Quare quantum minuitur vis respirandi et loquendi,
tantum decrescit et minuitur vita. Unde senes et moribun-
di graciliter, tenuiter et submisse loquuntur, ut vix intel-
ligi queant, juxta illud Eccles. 12. v. 4. *Et claudent ostia* 6.
in platea, in humilitate vocis molentis. Adde scintilla, li-
cet splendeat et cum stridore emicet, omniumque oculos
ad se convertat, illico tamen dissipatur; sic sermo licet e-
legans et magnificus sit, et omnes ad se rapiat; tamen il-
lico abit ac dissipatur. Hinc contra præfidentes, suique ni-
mium amantes profertur hic apologus: Candens scintilla,
flammæ vi in sublime levata, sibi placebat impensius, ac
mox inter sidera se relatum iri existimabat. Verum ut ad
medium camini gulam ascendit, exstincta et cinis facta de-
cidit. Igitur sicut cito evanescit fumus et scintilla; sic et
halitus, sermo et vita. Si ergo quis quærat: Quid est vita
hominis? quid est homo? respondeas: Homo est sermo,
homo est halitus, homo est fumus, homo est scintilla. Ita
D Joannes Baptista rogatus: Tu quis es? respondit: *Ego* 7.
vox clamantis in deserto, Isaiæ 40. 3. Vide ibi dicta. Rursum sicut parva sæpe scintilla, neglecta magnum excitat incendium: sic sermo exiguus, v. g. convicium in aliquem jactum, magnas sæpe suscitat lites, rixas et cædes. Unde S. Jacobus c. 3. 6. *Lingua*, ait, *ignis est universitas iniquitatis, etc. et inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna.*

Apologus scintillæ, in superbos.

Denique cum S. Bern. tract. de interiore domo cap. 58 per sermonem accipias fabulosum, puta fabulam: *Sicut fabula*, ait, *sic est vita mea, timeo ego ne egomet sic fabulando fabula efficiar, si sine bonis operibus inveniar.* Qui enim multum utuntur ore sermocinando, parum utuntur manu laborando. Animæ enim eorum tota est in ore et lingua. Hinc loquaces et garruli solent esse desides et otiosi. Unde Apost. 2. Thess. 3. 11. *Audivimus*, ait, *inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes;* in scrutandis et narrandis aliorum dictis et factis.

Porro flatui, sive respirationi, recte connectitur sermo, velut effectus suæ causæ; sicut enim flatus in tibiis et organis suavem efficit melodiam; sic anhelitus in ore ad dentes, labra et palatum, linguæ repercussus, efficit sermonem et vocem articulatam. Unde S. Gregorius Nyssen. libr. de Opificio hominis, c. 9. *Mens, ait, humana velut industrius artifex animata organa pulsat, etc.* Et Theod. lib. 3. de Providentia, agens de organo humanæ vocis, ait: *Organo musico, quod æneis fistulis constat, et follium flatu, vel aura inspiratum, artificisque digitis mutum soni consonam vocem edit, plane id simillimum est. Unde aneam accipiens ars tibias fecit, lyras citharasque composuit.*

Pulmo instar follis.

Porro sicut folles in organo flatum, qui melodiam efficit, producunt; sic quoque pulmones faciunt anhelitum, qui sermonem efformat. Unde pulmones velut folles organi flantes, a Galeno l. 9. de Usu partium, *aeris promptuaria* appellantur. Iidem velut folles vitalem ignem, id est, calorem naturalem, ciunt et accendunt. Unde Nyss. lib. de Opific. hom. c. 30. cum dixisset, *cor esse a quo spiritus ignei per corpus diffunduntur, atque id sine intermissione moveri, ac proinde esse igni natura simile*: subiungit: *Instar follium, quibus in officinis suis utuntur fabri, aera semper attrahit e vicino pulmone, aeris receptaculo, et quod igneum est in ipso efflat.*

Vers. 3 QUA EXSTINCTA CINIS ERIT (græca ἀποσβεσθέντος, id est, *evadet*) CORPUS NOSTRUM.) Ita legendum cum Rom. et Græcis; perperam ergo nonnulli, ut Complut. et Regia, pro *qua* legunt, *quia*. Vide Franc. Lucam notat. 201. ubi notat alios legere: *Quia exstinctus cinis erit corpus nostrum*: aut, *post corpus nostrum*; aut, *extinctum*; vel, *exstincta cinis erit corpus nostrum*: alii apud Budæum in Pandect. legunt: *Quia exstinctus cinis erit corpus nostrum*; ipse vero Budæus legendum censet, *qua exstincta*, puta scintilla. Sensus est, q. d. Cum scintilla sermonis nostri in morte exstinguetur ut amplius loqui non possimus, tunc corpus resolvetur in cineres. Sicut enim dum ignis scintillæ deficiunt, deficit pariter ignis, abitque in cineres; sic pariter ubi deserit in nobis sermo, et motus cordis, qui eum efficit, ut amplius loqui non possimus, tunc caro nostra diffluet, redibitque in pulverem, ex quo primitus a Deo producta est. Rursum, sicut fieri nequit ut ignis exstinctus ex cinere excitetur, sic exstincta in corde vitali scintilla, hoc est calore naturali, illa ipsa redire, ac per eum corpus reviviscere nequit, inquit Cantacuzenus; nihil enim tam mortuum, et terrestre, quam cinis.

Animam esse ignem qui putarint

Nota: Multi philosophi censuerunt animam esse ignem, vel igneum quid, teste Lactantio, lib. 2. Instit. cap. 13. et Nyssen. lib. de Anima cap. 4. et Cicerone Tuscul. 1. Unde et nonnulli Hebræum אִישׁ *is*, id est, *vir*, derivant ab אֵשׁ *es*, id est, *igne*. Significant ergo impii exstinctionem vitalis ignis, quo vivens hominis corpus, instar facis accensæ resplendet, ut testantur lumina ex oculis emicantia, scintillæ ex ore salientes, fumus efflatus e naribus, unde totus homo qui quasi flos enitet, ac πῦρ dicitur græce, hoc est lux ignis per mortem talis efficitur, ut cadaver eius sit quasi cinis ex busto relictus.

Hinc dicunt impii animam cum corpore, dum homo moritur, in cinerem abire; in eum enim ignis abit. Rursum in fine mundi omnia corpora exurentur igne conflagrationis, ibuntque in cinerem. Audi S. Clementem lib. 5. Constit. Apost. cap. 8. quod est de resurrect. *Quod si Græci*, ait, *derident nos non credentes nostris Scripturis, saltem fidem habeant vati suæ Sibyllæ, quæ ad verbum ita inquit:*

Atque ubi cuncta cinis fuerint, tenuisque favilla,
Atque idem Deus exstinguet, quem incenderat ignem,
Ossaque restituet rursum, cineresque sepultos,
Et genus omne hominum, ut fuerant, Deus ipse reponet.

Denique Romani aliique populi, teste Alexand. ab Alexand. lib. 3. Genial. cap. 7. corpora defunctorum cremabant vertebantque in cineres, ne fœda tabe diffluerent et putrescerent; alioquin corpus per se non abit in cinerem, sed in pulverem; per cinerem ergo hic pulverem quoque intellige: Hebræis enim vicina sunt עָפָר *apher* et אֵפֶר *aphar*, id est, cinis et pulvis.

ET SPIRITUS DIFFUNDETUR TAMQUAM MOLLIS AER.) *Spiritus*, id est, flatus et halitus, quo respiramus, vegetamur, calescimus, loquimur, de quo dixi v. præced. qui ut ex aere fit, sic in aerem abit, dum homo moritur. Philosophi per spiritum intelligunt animam hominis, quam censent esse corpus quoddam tenue et subtile, quale est spiritus et ventus. Hinc Democritus censuit animam, uti et cætera omnia, ex fortuito atomorum concursu conflatam qui cum perenni motu agitentur, etiam corpus agitent et commoveant. Stoici dixerunt animam esse spiritum calidum; alii perpiores. animam esse aerem censuerunt. Hinc illud Lucretii l. 5.

Varia philosoph. de anima sententiæ.

Aurarumque leves animæ, calidique vapores.

Et Varro in Cosmotoryne: *Datis habenas animæ levi, dum ventus nos flamine suo suavem ad patriam perducit.* Heraclitus animam putavit esse igneum quid, alii esse lumen quoddam, Diogenes esse aerem, Thales humorem, Critias sanguinem, Empedocles harmoniam quamdam et temperaturam elementorum. Hippocrates dixit, animam esse spiritum tenuem per corpus omne dispersum, qui cum ætate et corpore crescat et decrescat, augeatur et minuatur, consumatur et intereat. Ita Plutarch. de Plac. Philos. l. 4. cap. 2. et 3. Vide S. Iustinum in Parænesi, S. Nemesium l. de Nat. hom. c. 2. et Abul. paradox. 5. c. 51. Verum errant. Anima enim rationalis non est corporea, sed purus spiritus, instar Angeli a Deo ad sui similitudinem creatus. *Spiritus* ergo hic non anima, sed anhelitus intelligitur, qui corporeus est, puta aer quem respirando attrahimus, qui in morte dispergitur.

Videntur ergo impii partim ex sententia philosophorum, partim ex sermone et sensu vulgi censere animam non esse aliud quam spiritum, sive flatum, quo respiramus, et quem in morte exspiramus, qui tum instar aeris et vaporis evanescit, ac proinde post mortem non superesse animam, quæ cognitionis, sensus, dolorum et suppliciorum sit capax: eo quod, sicut in morte corpus abit in cineres, sic spiritus et anima abeat et diffluat in auram et aerem ex quo venit. Sic Comicus animam vocat halitum, dicens: *An anima fœtet uxori tuæ?*

Qua in re graviter errant: primo, quia ne in brutis quidem anima est halitus, sed nobilius et spiritualius quid, quo imaginantur, recordantur, concupiscunt res sibi commodas et iucundas: secundo quia in homine manifestum est ex eius operibus animam esse quid sublime cæleste et angelicum, instructam potentiis et dotibus divinis, scilicet intellectu, quo cognoscit non solum corporalia, sed et Angelos ac Deum ipsum; memoria, qua eadem licet absentia et diu præterita reminiscatur; voluntate qua eadem amat et cæteris potentiis, sensibus, membrisque omnibus, vel politice, vel despotice imperat.

Audi Lactant. lib. de Opificio Dei, c. 17. *Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit, nec umquam fortasse conveniet. Etenim alii sanguinem esse dixerunt, alii ignem, alii ventum, unde anima vel animus nomen accepit; quod græce ventus ἄνεμος dicitur: nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur.* Et pluribus interiectis: *Unde apparet animam nescio quid esse Deo simile. At illi qui ventum putant esse hoc, falluntur, quod ex aere spiritum ducentes, vivere videamur. Varro itaque definit: Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Hæc apertissime falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis huiusmodi rerum dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit*: Et post nonnulla: *Anima ergo non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum fœtum in utero necessitas divina formavit; quia adeo vivit intra viscera genitricis, ut et incrementa augeatur, ut crebris pulsibus gestiat emicare.* Audi et S. Isidor. l. 11. Orig. c. 1. *Animus a ven-*

Anima ab ἄνεμος, id est ventus

tis nomen accepit, eo quod ventus sit. Unde et ventus græce ἄνεμος, *dicitur quod ore trahentes aerem vivere videamur; sed apertissime falsum est, quia multo prius gignitur animus, quam concipiatur aer; quia iam in genitricis utero vivit. Non est ergo aer animus, quod quidam putaverunt qui non potuerunt incorpoream eius cogitare naturam.*

TAMQUAM MOLLIS AER.) Græce χαῦνος, id est mollis, laxus, fluxus, solutus, remissus, cedens, inanis, fungosus, vagus, fugax. Alludit ad etymon aeris. Nam ut ait Plato in Cratylo: *Aer unde dicitur? an quoniam* αἴρει *id est tollit sursum ea, quæ sunt in terra? an quoniam* ἀεὶ ῥεῖ, *id est semper fluit? an quoniam ex seipso semper fluente existit spiritus sive flatus? Sic æther dicitur, quasi* ἀεὶ θεῖ, *id est semper currens circa aerem.* Aliis magis placet, ut aer derivetur ab ἄημι, id est spiro; aer enim ventum exspirat, et vento perflatur. Rursum respiratio in homine fit per aerem, inspiratione et exspiratione attractum. Halitus ergo noster est quasi mollis fluxusque aer. Hinc epitheton aeris est quod sit fusus et extenuatus, id est, sparsus, extensus et tenuis. Unde Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Exin mari finitimus, aer, ait, die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur.*

ET TRANSIBIT VITA NOSTRA TAMQUAM VESTIGIUM (græce ἴχνη, id est *vestigia*) NUBIS. Vestigium proprie est similitudo pedis, puta a pede impressa arenæ vel luto. Inde tamen transfertur ad quodlibet signum. Vestigium ergo nubis sunt reliquiæ, signa et effectus nubis, quales sunt stillæ, pluvia, nigredo vel fuscedo in aere apparens, ac præsertim nebula, ut sequitur, quam nubes post se relinquere solet. Unde explicans subdit: ET SICUT NEBULA DISSOLVETUR, QUÆ FUGATA EST A RADIIS SOLIS.) Nubes enim crassior, vel a vento vel raptu cœlorum, vel a sole dissipata, desinit in nebulam subtiliorem, quæ proinde statim a radiis solis disiicitur, ideoque nubes tum prorsus dissipata serenitatis est index: atque cum ex se sit frigida aerem, in quem disiicitur, infrigidat: qua de causa aurora solet esse frigida, quia oriens sol nebulas, vaporesque frigidos noctu collectos per aerem dispergens, eum frigidiorem efficit. Hinc Poetæ dicunt, auroram esse matrem ventorum. Paulo aliter Hugo et Holcot: *Vestigium nubis,* inquiunt, *est exigua nubis particula, quanta est extrema pars pedis, cuius solent in terra vestigia impressa relinqui.* Sic enim 3. Reg. 18. 44. orante Elia: *Nubecula parva, quasi vestigium hominis;* Hebr. *Sicut planta pedis, ascendebat de mari.* Comparant impii vitam suam brevem et fugacem: primo, fumo, v. 2. secundo scintillæ extinctæ et cineri, ibidem; tertio, molli aeri, v. 3. quarto, nubi et nebulæ, ibidem; quinto, umbræ v. 5.

Symbolice, S. Bonav. in fumo censet notari offuscationem intellectus: in vento sive flatu irascibilis perturbationem: in scintilla, concupiscibilis inflammationem: in aere, intentionis vacuitatem: in cinere operum infructuositatem: in nube densiore, oppositionem contra gratiam: in nebula leviore, mentis elationem: in umbra, exteriorem simulationem.

ET A CALORE ILLIUS AGGRAVATA.) Cantacuzenus aliam a præcedenti hic ponit similitudinem, q. d. Vita nostra mutatur et moritur, sicut mutatur nebula cum in hieme radios solis, sed debiliores sentiens, contra eorum calorem per antiperistasin se constringit, aggravat et condensat ut nebula esse desinat et transeat in rorem vel nubem crassiorem.

Melius alii passim censent eamdem esse similitudinem, q. d. Vita nostra disiicitur, sicut nebula a calore solis aggravatur, id est degravatur, premitur, opprimitur et dissipatur, ut vel per aerem dispergatur, vel in stillas et pluviam resolvatur.

Nubis origo. Porro apte vita nostra comparatur nubi et nebulæ, quæ non est aliud, quam vapor humidus calore solis a terra extractus, rarefactus et in altum elevatus, qui raritate sua per aerem expansus, sua magnitudine videtur solem obumbrare, itaque oculos hominum fallit: sed tandem vi solis aut ventorum dispellitur, in nihilum abit et evanescit. Simili enim modo dissipatur et evanescit vita nostra, omnesque eius pompæ, opes et voluptates, iuxta illud Iob c. 7. 9. *Sicut consumitur nubes, et pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Et Osee 13. 3. *Erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario.* Hinc

Symbolice, nubes sunt gubernatores et principes, qui a rege ex humili terræ loco in altum elevantur: hi enim mox ab æmulis aliove casu, vel a morte deiiciuntur. Hinc Hebr. נשיאים nesiim, id est elevati, vocantur tam vapores et nubes, quam principes. Ratio analogiæ, inquit Cervantes, est quia, ut vapores illi de terra elevantur a sole, et ab eodem plerumque dispelluntur; ita terreni principes de terræ pulvere, ac ab extremis terræ suscitantur a rege, qui est veluti iubar, ex quo illi divitiarum, honorum, nobilium stemmatum splendores mutuantur; et ab eodem deiiciuntur ac disperguntur. Sic mundus suos elevat, ut deprimat. Quare Hercules græce dictus ἡρακλῆς, hoc est aeris gloria et illuminatio, qui ex Macrob. 1. Satur. c. 24. sol est Antæum gigantem illum terræ filium procero corpore, hoc est vaporem elevare in sublime dictus est, ut inter radiorum suorum brachia constrictum interimeret. Probat id Macrob. ex nomine. Nam Hercules, sive ἡρακλῆς, idem est quod ἥρας, id est aeris, κλέος, id est fama vel gloria: quæ est autem aeris gloria, nisi solis illuminatio, ait Macrobius libr. 1. Saturn. cap. 24. male enim alii notant cap. 20. Idem dictus est duodecim labores confecisse, quia sol annuo cursu duodecim signa Zodiaci lustrat et conficit. Ad nesiim et nubes hæc facit, quod ait Salomon Prover. 25. 14. *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes vir gloriosus et promissa non complens.*

Hercules est sol, Antæum, id est vaporem, disiiciens.

ET NOMEN NOSTRUM OBLIVIONEM ACCIPIET PER TEMPUS, (græce in *tempore*, id est progressu, lapsuque temporis sive labentibus annis, aut suo tempore, eoque brevi affuturo, scilicet in morte et post mortem, tempus enim omnia obliterat et abolet: unde,) NEMO MEMORIAM HABEBIT OPERUM NOSTRORUM.) Quare non est quod aucupemur famam et gloriam, quæ nobiscum fere interibit, nec quod studeamus augendæ et exaltandæ familiæ, utpote quæ nostri cito obliviscitur; nec quod posteritati consulamus, utpote cuius nullum habebimus sensum; nec quod virtutibus vitæque austeræ incumbamus, utpote cuius nulla erit merces, imo nec memoria. Utere ergo et fruere præsentibus, frustra futura expectaturus. Hæc impii. Vers. 4

UMBRÆ ENIM TRANSITUS EST TEMPUS NOSTRUM.) Syrus: Vers. 5
Umbra quæ transit est incolatus noster: Arabicus: *Quia tempus nostrum est umbra adveniens*, q. d. Tempus vitæ nostræ transit ut umbra, quæ cum sole vel alio corpore, cuius est umbra transeunte pari passu pergit et pertransit. Sic Pindarus dixit: Non umbra, sed *Umbræ somnium est homo.* Quod perurgens Plutar. Consol. ad Apollon. *Quid,* inquit, *umbra debilius? At huius somnium ne alius quidem explicare dilucide queat: totum umbræ robur corporis obiectus est: ita vita tota ex alio pendens quasi illius umbra existit.*

Vita est umbra.

Gnomæ.

Audi Philonem lib. de Ioseph. « Sicut in somniorum visionibus videntes non videmus; audientes, gustantes aut tangentes, nec audimus, nec gustamus, nec tangimus: loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus; sed cum videamur uti motibus et habitibus, nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis veris obiectis, pingente sibi simulacra rerum non existentium, tamquam existentium. Eodem modo etiam in hoc mundo corruptibili vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, et priusquam comprehendantur, avolant. » Idem ibidem: « Cuncta, inquit, quæ sub mundo sunt, umbris, spectrisque sunt similia: et sicut cum pompæ traducuntur prima quæque conspectum prætereunt: item in torrentibus fallente visum celeritate, undæ præterfluunt: sic vitæ totius negotia currentia prælabentiaque, videntur manere, cum ne momentum quidem maneant, numquam non subterfluentia. » Et S. Chrysost. homil. 21. ad Theodorum Monachum: « Omnia umbra,

somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quisplam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, alios tabulæ unius auxilio ex fragmentis navis inventæ a morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus, multiformi genere cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se a tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit: consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quam unam tandem nos sollicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia huiusmodi; pelagus undasque declina et excelsum huiuscemodi pelago quære navigantem: et excelsum locum occupa, a periculo captivitatis immunem. » Idem dixere Poetæ. Sophocles hominem vocat simulacrum et umbram. Horatius:

Pulvis et umbra sumus.

Plures umbræ et vitæ analogias recensui Eccles. 7. v. 1.

ET NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI.) Græce ἀναποδισμὸς, id est repedatio, regressus, reditus, reversio: πόδες enim sunt pedes. Complut. vertunt, *impedimentum:* cui enim pedes sunt impediti, huic non licet regredi, nec progredi, q. d. Nullus est, qui possit impedire et arcere finem, sive mortem nobis imminentem. Verum ἐμποδισμὸς proprie significat impedimentum, non ἀναποδισμὸς, uti hic est. Pro *finis* græca est, τελευτὴ, id est obitus, mors et finis vitæ. Sensus est, q. d. Ubi mortui fuerimus non licebit nobis repedare, sive pedem revocare, ac a morte et interitu regredi ad vitam: ita Vatabl. Idem dixerunt v. 1. *Et non est refrigerium in fine.* Inculcant enim hominis animæque interitum, ut huius vitæ voluptatibus libere, sine metu numinis et vindictæ, indulgeant. Syrus vertit: *Et non est sanitas in exitu nostro;* Arabicus: *Non est morti nostræ mora,* vel *remora et impedimentum.*

QUONIAM CONSIGNATA EST, ET NEMO REVERTITUR.) *Consignata est,* scilicet *reversio,* ne fiat fierive possit, aut clarius *finis.* Finis est tam fœminini quam masculini generis. Unde Virgil. 2. Æneid. *Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum Sorte tulit.* Livius: *Et quænam finis futura tantis cladibus esset.* Cicero l. de Legib. *Neque necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ familiæ.* Hinc Compl. et S. Paulin. epist. 31. ad Alethium, legunt masculine: *Non est reversio finis nostri, quia consignatus est,* scilicet finis et dies obitus nostri, idque S. Paulinus refert ad solatium desperatorum. Syrus: *quia determinatum est, et non est qui revertatur;* Arabicus: *quoniam præceptum* (moriendi cuique) *signatum est, et nemo avertet illud.* Sensus est, q. d. Finis est mors nostra certo definita, et inevitabilis est, nec ab ea ad vitam reverti licet. Solent enim, quæ certa sunt obsignari. Sigillum enim rei sigillatæ dat certitudinem, imo subinde perpetuitatem et æternitatem. Sic enim Apocal. cap. 20. v. 3. diabolus in inferno obsignatus, id est in longissimum tempus conclusus dicitur: *Misit eum,* inquit, *in abyssum et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.*

Porro sigillum, quo obsignata est mors cuiusque, diesque et hora moriendi, est partim naturæ defectus, indeque naturalis necessitas moriendi, partim Dei decretum, quo cuique homini, tam diem nascendi, quam moriendi præfinivit, iuxta illud Iob cap. 14. vers. 5. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Utrumque Gentiles vocavere fatum: utroque velut duabus seris et claustris adamantinis, obsignata et obserata est mors cuiusque eiusque fores occlusæ, ut ex ea ad vitam hanc resurgere sit impossibile. Minus recte Cantacuzenus consignationem hanc accipit illam, quæ fit per lapidem vel tumulum sepulcralem, quo mortui corpus concluditur, iuxta illud: *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Ps. 48. 12. Sic fere et Hugo ac Lyran.

VENITE ERGO, ET FRUAMUR BONIS QUÆ SUNT.) q. d. Post mortem nulla erit vita, nulla voluptas, nullus dolor. Ergo fruamur bonis, id est voluptatibus præsentis vitæ, quia post eam nulla erunt. Hæc Epicuri et Epicureorum est ratiocinatio et paralogismus. Longe secius, imo contrarium, ex vanitate et brevitate vitæ concludit Apostolus 1. Corinth. 7. 29. *Tempus,* ait, *breve est, reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudentes,* etc. *præterit enim figura huius mundi.* Imo vitæ brevitas, acer est stimulus fidelibus ad omnem virtutem, etiam heroicam, eo quod credant et sperent per illam tam brevem et modicam assequi gloriam sempiternam: cum vice versa infidelibus sit stimulus ad omnem voluptatem, eo quod post hanc vitam non credant, nec sperent aliam.

VENITE) Invitant impii se invicem ad convivandum et Vers. 6.
compotandum, etc. quia nullius rei sine socio iucunda est possessio, ait S. Bonav. Idem locum habet in virtute, religione et gloria cœlesti.

FRUAMUR BONIS QUÆ SUNT.) Quia nulla credimus, nec speramus futura; ergo fruamur præsentibus.

ET UTAMUR CREATURA (legit Interpres κτίσει, id est *creatura,* alii legunt κτήσει, id est *possessione,* id est rebus possessis, sive bonis, quæ possidemus) TAMQUAM IN IUVENTUTE CELERITER.) τὸ *tamquam* Primo, accipi potest, ut nota veritatis, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti,* id est gloriam, quæ decebat eum, qui vere erat unigenitus. Sic sensus erit: Fruamur voluptatibus creatis ad nostrum usum gustumque, dum et quamdiu iuvenes sumus, quantum et quamdiu permittit iuventus, in qua reipsa degimus, cum adhuc viget et nos recreare potest tam iuventus quam voluptas: senes enim utramque fastidiunt, uti ait Berzellai ad Davidem 2. Reg. 19. 35. Causam dant per τὸ *celeriter,* q. d. Brevi cum iuventute voluptas gustusque voluptatis transibit et avolabit; ergo utamur ea celeriter, græce σπουδαίως, id est festine, studiose, diligenter, alacriter, serio, attente, accurate, ut nullas recreandi occasiones præterlabi sinamus, nec ulla temporis momenta, utpote adeo fluxi et brevis. Hinc Vatabl. vertit: *Rebus creatis simul ac iuventute utamur;* alius: *Creatura quasi adolescentia utamur;* Vatican. *utamur creatura tamquam in iuventute,* id est hilariter et valenter, uti iuvenes solent propter corpus vegetum, et animi alacritatem. Iuventus enim vegeta et hilaris apta est captandæ cuilibet voluptati eiusque avida.

Tacite ergo significant impii brevitatem et vanitatem, tam iuventutis suæ, quam voluptatis creatæ, quod scilicet utraque illico abeat et pertranseat, ac proinde indicant suam insipientiam, quod res quarum esse non consistit, sed situm est in transitu, adeoque potius non est, quam est, ambiant; res vero consistentes, solidas, durantes, æternas non curent et negligant. Ideo enim bona huius vitæ sibi celeriter arripienda dicunt, quod fugacia sint, avolantia et extemplo non futura. Igitur voluptatis umbras dumtaxat, et inania deliciarum simulacra captant: nam res ipsa nullibi reperitur. Adeo enim fluxa et lubrica sunt bona, quibus mortales tam avide inhiant, ut antequam manibus apprehendantur et teneantur, elabantur et effluant, imo antequam homo ea vix primis labris degustarit, vix oculis, vix auribus acceperit, evanescunt, itaque non modo gustum gustantis, sed et oculos attentissime contemplantis celerrimeque intuentis aspectum, ac aures avidissime auscultantis prætervolent, et velut ludiones deludant. Si ad honorem respicias, quod idolum mortales maxime colunt, teneri manibus non potest, quin effugiat. Vidit Regius Psaltes illum alterum superexaltatum et elevatum super cedros Libani: *Psal. 36. 35.* Et transivit, et ecce non erat: vidit hominem, cum in honore esset, comparatum iumentis, et similem factum illis. *Psal. 48. 21.* Vidit Daniel leænam grandibus alis, aspexit donec evulsæ sunt alæ eius, et super pedes stetit. Dan 6 4. Vidit arborem cum in summa viriditate et proceritate esset, excisam, regem detracto diademate et purpura, de regno ad pastum inter bestias abiectum, etc. Daniel 4. Quid moror? Si ad vitam spectes, ea nihil citius evanescit: vestigio nubis aut fumi et undarum comparatur, ut verum sit illud Iob 15. *An-*

tequam dies eius impleantur peribit. Ita noster Mart. de Roa lib. 2. Singul. cap. 1.

Totum ergo malum hominis est, frui utendis, et uti fruendis: hoc faciunt impii, qui rebus caducis fruuntur, veris et solidis utuntur, ut ea caducis pascant et expleant. Frui est potiri fine, quasi summo bono, in quo beate conquiescas, uti est adhibere media ad finem iam dictum assequendum. Audi S. Aug. l. 8. quæst. 330. « Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur fruendis uti velle atque utendis frui; et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus. » Idem lib. 11. de Civit. cap. 25. « Temporalibus, inquit, magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi qui frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. »

Secundo, noster a Castro *tamquam* accipit proprie ut notam similitudinis. Unde τὸ *tamquam in iuventute* refert ad τὸ *creatura*, quasi eius iuventus et flos captandus sit, q. d. *Utamur creatura* uti *in iuventute*, videlicet est, vel tamquam in adolescentia existente, ne sinamus præterire creaturam dum viget, floret, dum in sua est adolescentia, antequam senio confecta marcescat, quin ea fruamur. Adverbium autem σπουδαίως idem est, quod gnaviter, studiose, nempe ut in eam perfruitionem toto studio ac cupiditate incumbatur. Et hic sensus potior est, tum quia impii, non tantum adolescentiam suam, sed et vitam universam, senio quoque misere confectam, voluptati capiendæ dicavere, antequam morte repellantur: tum quia ex sequentibus constabit, impios sese excitare ac invitare, ut omni studio et cupiditate præripiant creaturam omnem, dum viget floretque, ne per negligentiam quidpiam voluptatis, quod capi possit, eorum aviditatem effugiat, prætereat, aut inscite elabatur.

Aliter τὸ *tamquam in iuventute* explicat Cervantius, refertque ad senes, qui volunt videri iuvenes, ac ut iuvenes luxuriari. Hinc annos vitæ suæ iuveniles simulant miseri, atque canos, monumenta cineris, in quem paulatim abeunt, plumbeis instrumentis, obscurisque pigmentis infuscant, quasi præsagientes carituros se æternitate vitæ felicis et atra inferorum caligine involvendos, qui quamvis annosi et decrepiti senes, numquam senescunt, sed semper pueriliter, imo puellariter, vivunt, atque puellascunt in dies. Quas tres explicationes capit Græca sententia; hanc tertiam, ut pleniorem, reliquis antepono, q. d. Ne sinamus nos senescere voluptatum medicamine, iuxta illud Ovid. in Fastis:

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem, hæc ipse.

Verum hic sensus subtilior est, quam solidior; ac alienior est, quam germanior. Hæc enim vel utrorumque, vel iuvenum potius, quam senum sunt verba; unde subdunt: *Non prætereat nos flos temporis*. Melius alii exponunt, q. d. impii. Sic nos exhileremus, ut maneamus semper hilares sicut iuvenes. Non dedamus nos mœrori et vitæ severæ, ne cito fiamus senes; imo ut numquam senescamus, sed potius ante senium molestum et tetricum, vita eiusque iucunditate defungamur.

Insipiens est hæc impiorum illatio; unde idipsum illi sero agnoscentes, tandem dicent illud cap. 5. 6. *Ergo erravimus a via veritatis.* Sapiens enim est illa Apost. collectio: *Dum tempus habemus, operemur bonum*, Galat. 6. 10. Et illa Davidis Ps. 36. 1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tamquam fœnum velociter arescent.* Unde S. Aug. in Psal. 70. *Cum dixisses*, ait, *Manducemus et bibamus, adiunxisti: Cras enim moriemur*, Isaiæ 22. 13. *Audi contra a me: Imo ieiunemus et oremus, cras enim morimur.* Hinc sapiens ille rogatus, cur adeo parce et sobrie viveret? respondit: *Morituro hoc sufficit.* Viatori enim modicum viaticum sufficit, si via sit modica.

Vers. 7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus.) *Vino* interius bibendo, *unguentis* exterius ungendo. Rursum utrisque interius. Solebant enim deliciarum causa, vino miscere unguenta quædam sapida et odorata, itaque illa cum vino ebibere, uti alibi ostendi. Sic erit hendiadys. *Vino et unguentis*, id est vino unguentoso, iuxta illud Virg. 2. Geor. *Pateris libamus et auro*, id est, pateris aureis. Porro solebant veteres in conviviis prius aqua calida ablui, deinde unguentis inuncti cœnitare, tum deliciarum, tum fragrantiæ, tum sanitatis causa, uti docent Athen. lib. 5. Plutarchus l. 3. Sympos. Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cæterique, qui de priscis conviviorum ritibus scripsere. Vinum autem pretiosum est vinum *Cos*, quod scilicet egregie est coloratum, odoratum, sapidum.

Et non prætereat nos flos temporis.) Primo, *flos temporis*, inquit Holcot, est flos iuventutis, q. d. Utamur flore iuventutis ad omnes voluptates, quas ipsa concupiscit: in adolescentia enim est longe vividior aviditas voluptatis, quam in ætate virili vel senili. Unde Guaria. vertit: *Atque florem vitæ prætereamus*. Verum Græce est, ἄνθος ἀέρος, id est *flos aeris*. Unde

Secundo, Cervantius sic exponit, d. d. Loti inunctique in mollibus culcitris accumbamus mensæ, ut caveamus ne lædi possimus flore aeris, vel aura delicata perflante penetrari, et contrahere catarrhum aliumve morbum, utpote poris corporis per lotionem et unctionem iam apertis. Verum græce et latine est: *Et non prætereat*, non autem, *et non penetret nos flos aeris.*

Tertio ergo, et genuine, flos ἀέρος, id est *aeris*, vel ut alii per metathesin legunt, ἔαρος, id est *veris*; est vernum tempus, quod est quasi flos omnium anni temporum: illo enim cuncta virent et florent, ac grato halitu et odore, quem exspirant, aerem imbuunt, per eumque nares totumque corpus recreant et restaurant; unde aer vernus saluberrimus æque ac iucundissimus est, iuxta illud:

Nunc formosissimus annus.

Et illud:

Omnis aer anni decus et venustas.

Et Ovid. 1. Metamorph.

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Idem 1. Fastorum.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit et in summum seminis herba solum.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager et renovatur aratro.
Hæc anni novitas iure vocanda fuit.

Denique Plinius lib. 21. cap. 1. *In hortis*, inquit, *coronamenta seri iussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate; quando nulli potest facilius esse loqui, quam rerum naturæ pingere, lasciviienti præsertim, et in magno gaudio fertilitatis tam varie ludenti.*

Porro, veri apte respondet iuventus: ipsa enim est quasi ver ætatum. Unde Ovid. 10. Metamorph.

Citraque iuventam,
Ætatis breve ver, et primos carpere flores.

Quarto, plenius, generalius, magisque adæquate ad Vulgatam, flos aeris est flos temporis et vitæ, quo aere et aura hac fruimur. Unde Vatabl. vertit: *Nec florem auræ prætereamus*. Hinc noster a Castro per *florem temporis* aut vitæ, accipit quidquid in tempore deliciosum floridumque reperitur, ne scilicet ulla occasio labi sinatur, nulla opportunitas prætereatur, in qua voluptate frui concedatur. *Flos temporis* ergo est communis voluptas cuiuslibet temporis, in hieme ignes, in vere flores, in æstate viridaria, in autumno fructus, etc. ut *flos temporis* dicatur, quidquid iucundum ac delectabile singula ferunt tempora, ad quorum voluptates sese impii hortantur. Tales autem, ait Bonav. *Nihil curant de fructu animæ cœlestis, sed de flore veris præsentis.*

Porro, vide hic insipientiam impiorum, qui res vanissimas et celerrime evanescentes, puta flores, ambiunt: fructus vero solidos respuunt. Quare eos merito S. Aug. in titulo Ps. 53. vocat *Ziphæos*, id est, *florentes, qui florent*

in sæculo, et arescunt in iudicio, et post ariditatem in ignem æternum mittentur. De quibus Isaiæ 40. dicitur: *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri.* Sept. et D. Pet. 1. 1. 24. *Et omnis gloria hominis tamquam flos fœni.* S. August. in id Psal. 102. *Homo tamquam flos agri sic efflorebit. Totus,* inquit, *splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ flos fœni est: et sicut vix annua est pulchritudo agri, et perexiguo tempore transeunt flores, qui sunt pulchritudo herbarum: sic et humana prosperitas.* Sed de hoc mox plura.

Vers 8. (CORONEMUS NOS ROSIS ANTEQUAM MARCESCANT.) Græce: *Coronemur calycibus rosarum.* Rosæ enim plane opertæ illico flaccescunt et marcescunt: calyculi vero, sive baccæ clausæ rosarum dum sensim sese aperiunt, et folia explicant, diutius durant; et quia conclusi stipatique sunt, hinc densiorem suavioremque odorem exspirant; sed et iidem mox marcescunt. Rosa enim, quia excitatissimi est odoris, hinc citissime marcescit, ait Plutarch. 2 Sympos. quæst. 1. Et Plin. lib. 21. c. 1. *Flores,* ait, *odoresque in diem gignit* (terra) *magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere.* Idem c. 11. *Novissima,* inquit, *rosa, eadem prima deficit inter flores.*

Rosæ recreant ebrietatem, cur? Porro rosæ et coronæ ex rosis a temperantibus adhibentur convivia, tum odoris causa, tum ut sua frigiditate resistant ebrietati, præsertim dum suo halitu suavi poros aperiunt, per quos vapores vini exspirent, ne cerebrum gravent. Audi Athenæum l. 5. *Vinciebant primum capita fasciis ac vittis ex lino et lana: tum ornatus causa frondes additæ floresque: nam adversus incommodum vini præsidio sunt exhalationes florum: si calidi sint, molliter poros aperiendo efficiunt ut perspiret vinum; si leviter frigidi, vapores mediocri sua contactu repellunt.*

Hinc corona rosea sacra erat Musis, teste Plutarcho l. 2. Sympos. quæst. 1. Idem lib. 3. docet rosas mirifice cor cerebrumque recreare, habereque vim astringendi, ac ea quæ caput gravant, odore suo reprimendi. Hinc Ovid. 5. Fastor.

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

Et paulo post:

Annuit, et motis flores cecidere capillis:
Decidere in mensas ut rosa missa solet.

Et Horatius:

Non desint epulis rosæ,
Non vivax apium, non breve lilium.

Rosa regina florum. Est enim rosa regina florum. Unde Leucippe apud Achillem Tatium lib. 2. *Si regem,* inquit, *floribus constituere Iupiter voluisset, non alium certe quam rosam tali honore dignatus fuisset. Hæc est terræ ornamentum, plantarum splendor, oculus florum, prati purpura, pulchritudo coruscans. Hæc amorem spirat, decorem conciliat, speciosis foliis luxuriat, tremulisque delectat, eius frondes Zephyri afflatu rident;* atque adeo usque eo verum est, rosis tribui regnum florum, ut corona e rosis præter cætera designet potentiam, regnum, imperium. Hinc et Virgil. rosam auroræ comparat, imo æquat:

Ambigere, inquit, raperetne rosis aurora ruborem,
An daret, et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum,
Sideris et floris est domina una Venus.
Forsan et unus odor: sed celsior ille per auras
Difflatur; spirat proximus ille magis.

Denique Dracontius de Opif. sex dierum, omnes flores vocat roseos, et ex rosa Deum opificem ita celebrat:

Qui roseis stillare nemus vel floribus agros
Imperat, autumni qui dulcia poma saporat.

Impii vere non hoc fine, sed alio aiunt: *Coronemus nos rosis,* scilicet ut pleno earum odore et colore nares oculosque pascant et impleant incitentque ad omnem voluptatem, præsertim veneream. Hinc subdunt: *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.* Rosæ enim amorem gratiamque conciliant, quæ de causa olim Veneri dicabantur. Unde ex Panassis in Eliacis Natalis Comes l. 4. Mythol. c. 13. *Venus,* ait, *rosea corona solebat insigniri;* et Valerius scribens Ruffino ne uxorem ducat, epist. 44. tom. 9. operum D. Hieronymi: *Placet,* ait, *delectatio, sed pungit dilectum; flos Veneris rosa est, quia sub eius purpura multi latent aculei.*

Rosa Virginitatis symbolum. Quocirca aliqui, inter quos est Iosephus Stephanus lib. de Rosario B. Virg. c. 3. sic exponunt: Coronemus nos rosarum calyculis, seu vasculis, hoc est, virginum amplexu foveamur, antequam decorem ætatis floremque deponant. Nam pudoris ac virginitatis symbolum rosam esse, præter profanos qui id insinuant, affirmat S. Hieron. in epist. 8. ad Demetriadem c. 1. et Ioel. 3. in illa verba. *Et fons de domo Domini* in verbis extremis.

Verum, hic sensus symbolicus est, non litteralis: *Rosæ,* ait Fulgent. l. 2. Mythol. in Vener. *et rubent, et pungunt, ut etiam libido: rubet enim hæc verecundiæ opprobrio; pungit etiam peccati aculeo. Et sicut rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur, ita et libido libet momentaliter, et fugit perenniter.*

Hinc et Cleopatra in luxuriosissimo suo convivio, in rosas expendit talentum, hoc est sex millia coronatorum Francicorum, cum per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimentis undequaque exstarent. Hinc Martianus Capella lib. 1. Veneri plectit coronam e rosis. *Huic,* inquit, *rosis decussatim vinculans sertata contextio.* Et solent meretrices amasius data vel iniecta rosa ad se pellicere. Lucretius lib. 2. de Idæa matre, denso rosarum iactu ab omnibus petita, ita canit:

Ninguntque rosarum
Floribus umbrantes matrum comitumque catervas.

Scripsit Anacreon vetus poeta græcus encomium rosæ, in quo ita canit:

Cum vere patre florum,
Socianda laus rosarum.
Rosa flos odorque divum,
Hominum rosa est voluptas:
Decus illa gratiarum,
Florente amoris hora.

Porro Tertull. lib. de Corona militis c. 9. et ex eo Martin. de Ros lib. 2. Singul. c. 1. negant apud Hebræos fuisse usum coronarum in festis et conviviis, eo quod illarum non meminerit Script. Verum contrarium insinuat Clemens Alex. l. 2. c. 8. idque patet ex hoc loco. Impii enim Hebræi hic dicunt: *Coronemus nos rosis.* Sic iidem hedera coronabantur in honorem Bacchi, ut patet 2 Machab. 6. 7. Nec id mirum, cum illi ipsi declinantes in idola ritusque Gentilium, Venerem eiusque amasium Adonidem adorarint, et sacro planctu coluerint, ut patet Ezech. 8. 14. Quod ergo ait Tertull. Hebræis non fuisse in usu convivales rosarum florumque coronas, intellige ex more proprio, non ab Ethnicis sumpto.

Rosa est voluptas spinosa. Moraliter rosa symbolum est voluptatis avanidæ, et spinosæ, id est multis amaritudinum dolorumque spinis commistæ. Impii ergo florem, imo floris inchoationem duntaxat, puta calyculos rosarum captant; at pii fructum flori anteferunt, iuxta illud sapientiæ: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis.* Eccl. 24. 23. Nullius enim arboris fructus melior, quam vitis: hæc enim profert uvas et vina. Hinc S. Ludovicus rex Franciæ vetuit gestari rosas feria sexta, in honorem coronæ spineæ Christi Domini. Unde S. Basil. hom. 11. Hexam. *Transitoria,* inquit, *ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc desiderantes destituit.* Et S. Ambr. lib. 3. Hexam. c. 11. *Irrutiles,* inquit, *homo, licet splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est, semper inferiora tua respice, super spinas germinas, nec prolixa manet gratia: brevi unusquisque decurso ætatis flore marcescit.* Et huc id Virgil. de rosa pertinet:

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Et Hieron. Angerian. in Epigram.

Pulchra brevi durat rosa tempore, forma brevique
Tempore, sic formæ par, rosa, tempus habes.

Et Horat. l. 2. Carm. ode 3.

Huc vina et unguenta, et nimium breves
Flores amœnæ ferre iube rosæ.

Quocirca Clemens Alex. l. 2. Pædag. cap. 8. asserit usum florum esse noxium, et celeriter præterire supplicio affectum. Additque hinc probari vitæ eorum brevitatem, quod ambo flaccescunt, nempe flos et pulchritudo. Ea re Artemidorus monet, etsi coronæ e rosis per quietem visæ omnibus bonæ sint, id est faustæ, hinc tamen ægrotantes excipi. *Hos enim*, inquit, *occidunt*, id est morituros prædicunt, quod facile marcescant. Ipsa rosa non tantum Locrensis sed quælibet, cum sit specimen omnium florum; tamen eodem prope momento, quo nascitur senescit. Virgil. de hoc flore.

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum nascuntur consenuisse rosas.

Hoc ipsum Latinus Callimachus:

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti,
Sub matutino cocta iacere Noto.

Hanc ob causam Ausonius in Epigram. virginem admonens mortalitatis ait:

Collige virgo rosas, dum flos novus et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Scite a Domitiano dictum est, nec gratius esse quidquam decore, nec brevius. Hinc est, quod Paulus nominans coronas hasce floreas, eas vocat *corruptibiles*. *Qui in agone*, inquit, *contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*, 1. Cor. 13.

Denique Statius l. 3. Sylver. omnem florum hilaritatem funere terminari asserit, dum ita canit:

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut ubi verno novis exspirat purpura pratis,
Illa sagittiferi circum volitastis amores
Funera maternoque rogos unxistis amomo.

Flores quasi fluores. Quæ omnia confirmant id, quod ab Isidoro traditur, nempe *flores* dici quasi *fluores*, quod cito decidant, et cito solvantur: ita ipse lib. 17. Orig. cap. 6. Sic et Græce ῥόδον, id est rosa, dicitur a ῥοῆς, id est fluxu, q. d. fluens odor: eo quod odoris prodiga, ut ait Plutarch. lib. 3. Sympos. quæst. 4. ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφιέναι, id est, ingentem odoris fluxum emittit: hoc ergo suo fluxu ipsa effluit, diffluit, marcescit; sicut planta nimio fluxu humoris, homo sanguinis, diffluit et emoritur. Ita Clemens Alex. 2. Pædag. c. 8. Nuper Leo XI. Pont. Florentinus ex familia Medicea in insignibus gestabat rosam, cum hoc lemmate: *Sic florui.* Verus sibi fuit vates: nam paucis diebus in Pontificatus culmine stetit et floruit, et illico instar rosæ defloruit, moriensque orbi sui desiderium, velut odorem suavem aspiravit.

Christianorum est corona spinea, non rosea. Denique Clemens Alex. loco iam citato docet Christianos non debere coronari rosis, quia Christus coronatus fuit spinis. Idem fusius inculcat Tertull. lib. 2. de Corona militis, ubi et docet Christianos, ut Christum sequerentur, exhorruisse coronas e rosis et floribus. Idem fuit sensus S. Ludovici, uti paulo ante dixi. Sic et Godefridus Bullonius expugnans Hierosolymam anno Domini 1090. ipso die Parasceves, quo Christus in eadem passus fuerat, dum a proceribus communi consensu crearetur et inauguraretur primus e Christianis Hierosolymorum rex, aurea regum corona noluit coronari, eo quod in eadem urbe, eodem die, Christus spineam tulisset; imo nec rex Hierosolymæ, aut Iudææ, sed protector S. Sepulcri nuncupari voluit, eo quod Christi crucifixi titulus proprius fuerit: *Rex Iudæorum*. Ita refert Guillelmus Tyrius in historia Belli sacri, Ioannes Molanus Doctor Lovan. in Militia sacra, et alii. Disce, o Christiane, sub capite coronato, non debere membra esse delicata, nec sub Christo sentibus confixo, decere te rosis deliciisque coronari.

Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.) Hæc sententia non est in Græco, sed in Romanis, ac cæteris Latinis. Prata amœna herbis, floribus, nemoribus apta sunt voluptati. Unde Horatius;

Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium,

Sensus ergo est, q. d. Ubique luxuriemur, ubique voluptemur, ubique in pratis, florum odore, herbarum virore, fontium rivulorumque crystallino decore, nemorum arborumque umbra nos oblectemus, ibique gulæ, ventri et veneri indulgeamus. *Luxuria* enim hic non solam libidinem, sed quemvis luxum epularum, deliciarum et voluptatum significat. Hoc est, quod Iudæis fornicantibus, tum corporaliter, tum potius spiritualiter, puta idololatrantibus, improperat Ierem. c. 2. 20. *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix.* Hic impii indicant radicem sui mali et malitiæ, scilicet impotentem veneris et voluptatis aviditatem et cupidinem usque ad luxuriam. Luxuria enim copiam, redundantiam et effusionem significat. Unde Cicero act. 1. in Verrem: *Quas res*, inquit, *luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis*, etc. *Luxuria*, inquit Festus, *est morum solutio.* Et Ovid. lib. 1. de Arte.

Mens erit apta capi tunc cum lætissima rerum
Ut seges in pingui luxuriabit humo.

Et lib. 2.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Sic vocatur lætitia luxuriosa, id est nimia et profusa. Vites quoque segetes et arbores luxuriantur, cum nimis redundant ramis et germinibus.

Vers. 9. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ.) Græce: *Nemo nostrum expers sit* ἀγερωχίας, id est insolentiæ, luxuriæ, magnanimitatis, superbiæ: Vatabl. *petulantiæ*; Complut. *strenuitatis*; alii, *ferociæ nostræ*, q. d. Quisque nostrum expromat suam cupiditatem, petulantiam, insolentiam, strenuitatem, superbiam; quisque se virum ostendat in suis libidinibus et passionibus; valenter et potenter indulgeamus nostræ lubentiæ nostroque animo ut quidquid illi lubet, et libet, idem liceat, ac licenter, petulanter et strenue id ipsum expleamus. Nam ut ait Eustach. in Iliad. 2. *Infusio et diffusio facilis in id quod lubet, et quo quis gloriatur, insolescat.* Notant animum suum effrænem ad omnes cupiditates explendas, qui duos maxime affectus et passiones continet, scilicet amorem ardoremque voluptatis, ac superbiam, iram et insolentiam ad prosternendum illos qui fruendæ voluptati obsistunt. Amor enim rei cupitæ acuit iram in eos qui obicem obiiciunt, ac ferociam in eos quos spoliare quis vult, ut habeat unde suo ventri et veneri, aut pompæ et fastui satisfaciat; quare cupido sæva est, et quo magis gliscit cupido, eo magis et quasi pari passu crescit ira et sævitia.

Ubique relinquamus signa lætitiæ.) *Signa* hæc sunt flores, odores, epulorum reliquiæ, rami, frondes, cantus, tripudia, etc. Pro *signa* græce est σύμβολα, quod et signa et collationem significat, qua scilicet convivæ conferunt in commune pecunias, vel cibos ad instruendum lautum epulum, q. d. Ubique epulemur, ubique epuli nostri pars exstat, quisque locus de nostro epulo ac lætitia participet, ut omnia nostris deliciis, et gaudiis compleamus. Adeo enim effusi simus in voluptates, ut iis non tantum ventrem et nos ipsos, sed et alios quosque, quin et prata ac locum quemlibet implere satagamus.

Quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.) Vatabl. *hic est fructus noster*, q. d. Post mortem non expectamus, aliam hæreditatem, aliam vitam, aliam voluptatem: sed omnia illa hac vita terminabitur. Ergo dum vivimus, illi indulgeamus. Hæc est enim nostra portio, hæc nostra sors, hæc nostra hæreditas.

Secus plane dicunt pii, qui continentiæ vacantes, post mortem expectant gaudia cælestia, ideoque canunt cum Psalte Ps. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Vers. 10. Voluptas est crudelis: cur? Opprimamus pauperem iustum, et non parcamus viduæ, neque veterani revereamur canos multi temporis.) Voluptatis comes, imo filia, est sævitia et tyrannis. Hinc voluptas est crudelis; qui enim suas opes de-

coxerunt, eosque in gulam et libidines exhauserunt, velut lupi famelici, imo fame rabidi, sæviunt in pauperes, viduas et senes, ut eorum velut infirmorum et impotentium bona invadant et diripiant. Hinc aliqui vertunt: *tyrannidem exerceamus in pauperem, vel per tyrannidem subiiciamus nobis inopem, nec parcamus viduæ, neque canitiem senis longævam revereamur.* Iansen. *nec senis canos annosos revereamur.* Græcum enim καταδυναστεύω significat per tyrannidem aliquem opprimere, sibique subiicere. Vide hic, ut rosæ in spinas transeunt, ac gula in crudelitatem. Audi S. August. in Ps. 52. in explicat. tituli, ubi ait: *Post illam descriptam latius luxuriam, coronemus nos rosis, etc. quid sequitur? Occidamus iustum, etc. lenes iam dudum loquebantur, Coronemus nos rosis. Quid blandius? quid delicatius? de hac lenitate sperares cruces et gladios? Noli mirari, lenes sunt et radices spinarum; si quis eas contrectet, non pungitur; sed quo pungeris inde nascitur.*

Idem fuit sensus et syllogismus Epicuri et Epicureorum, quem graphice depingit et refellit Lactant. lib. 3. cap. 17. « Verum ille, inquit, impunitatem vitiis suis spopondit: fuit enim turpissimæ voluptatis assertor, cuius capiendæ causa nasci hominem putavit. Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis et sceleribus abstineat? Nam si perituræ sint animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus. Quæ si nobis desunt, ab iis qui habent auferamus clam, dolo, vi. Voluptatibus igitur quomodo possumus serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur, ne quia ipsi quandoque perituri sumus, idipsum quod viximus pereat. Hoc ille, licet non dicat verbo, re tamen ipsa docet. » Rationem clarem subiicit. « Nam cum disputat omnia sapientem sui causa facere, ad utilitatem suam refert omnia, quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam; nec a scelere abstinendum, quia maleficio præda coniuncta est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest, quam ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi; inferorum pœnas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidunt, nec ulli omnino sint inferi; voluptatem esse maximum bonum, nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere; neminem esse, qui alterum diligat, nisi sui causa. »

Vers. 11. SIT AUTEM FORTITUDO NOSTRA LEX IUSTITIÆ.) Ita Roman. et Græca. Perperam ergo Compl. et alii legunt: *Lex iniustitiæ*, q. d. Fortitudo nostra nobis sit lex et norma, non iustitiæ, sed iniustitiæ, ut scilicet iusta non iusta, sed iniusta perpetremus, spoliando et opprimendo pauperes, viduas et senes. Verum legendum est, *lex iustitiæ*, uti dixit Arab. *Sit autem fortitudo nostra velox ad iniustitiam.* Sensus est, q. d. Nobis iustum et legitimum habeatur, et quasi lex iustitiæ, non quod ipsa iustitia et recta ratio dictat, non quod senes canitie venerabiles dicunt, sed quod vis et fortitudo nostra efficere et rapere potest; quod vulgo dicitur, iustitia ipsi est gladius, ius suum portat in armis; uti Callicles ait apud Platonem in Gorgia. Hoc est axioma tyrannorum, imo leonum et ferarum, qui non aliam habent iustitiam quam ungues, dentes, vim et rapinam, ac proinde iniustitia ipsis est pro iustitia, et norma vitæ, iuxta illud Iuven. satyra 6.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Talis fuit Nemrod validus venator, non tam ferarum, quam hominum, Gen. 10. 8. Causam subdunt.

QUOD ENIM INFIRMUM EST, INUTILE INVENITUR.) Arabicus: *Quoniam virtus infirma apparet inutilis.* Pro *invenitur* græce est [illegible], id est, arguitur, convincitur, dum infirmitas omnium putet iniuria, q. d. Qui viribus prævalet, hic validus, potens et dives est; qui infirmus et impotens potentiori resistere nequit, sed succumbit, hic ad nihil utilis est, nisi ut alterius sit spolium et præda, uti sunt pauperes, viduæ, senes; idque naturæ videtur conforme. Nam quod validius est naturaliter dominatur invalido, uti in bestiis est videre. Hinc pisces maiores devorant minores; lupi rapiunt oves; leones, lupi, tigrides venantur quævis animalia. Ergo et id in hominibus habeat locum oportet, ut opes infirmorum cedant validis et potentibus. Hoc est principium tyrannorum et atheorum, quod hoc sæculo renovavit Machiavellus, qui religionem, virtutem, iustitiam censuit subservire debere potentiæ et libidini dominandi, ut iis utaris quantum iuvant ad ditiones tuas propagandas, non utaris quantum id impediunt. Hinc olim Christianis obiicere Pagani, quod ipsi utpote humiles, mansueti, tolerantes, quieti, inertes essent et inutiles ad rempublicam armis propugnandam, teste Tertulliano Apolog. pro Christianis.

Verum hoc principium non humanum est, sed ferinum; non Christianum, sed atheum; non divinum, sed diabolicum. Feræ aguntur suo appetitu ferino; at homo agitur ratione et humana æquitate, quæ ei a Deo data est velut lux et dux vitæ: illam ergo sequatur oportet. Hoc est quod deplorat Habac. cap. 1. v. 3 et 4. *Factum est*, ait, *iudicium et contradictio potentior, quia impius prævalet adversus iustum.* Vide Iob cap. 20. et 21.

CIRCUMVENIAMUS ERGO IUSTUM, QUONIAM INUTILIS EST NOBIS, ET CONTRARIUS EST OPERIBUS NOSTRIS, ET IMPROPERAT NOBIS PECCATA LEGIS, ET DIFFAMAT IN NOS PECCATA DISCIPLINÆ NOSTRÆ.) Arabicus τὸ *iustum* accipit in genere neutro, unde vertit: *Condamus, fingamus, fabricemus iustum*, q. d. Lex iustitiæ veræ nobis nostræque cupiditati adversatur; formemus ergo aliam legem iustitiæ, conformem non rectæ rationi, sed concupiscentiæ nostræ, ut iustum sit quidquid nobis libet. Verum Hebræa, Septuag. Vulgata, Chald. Syrus, cæterique omnes accipiunt *iustum* in genere masculino idque exigunt sequentia. Vers. 12.

Ex antecedentibus ergo et subsequentibus liquet, hanc esse vocem impiorum contra quemlibet insigniter iustum ac pium, qui eorum impietatem verbis et vita redarguat, quem proinde ipsi ut sibi invisum, persequantur ad necem, uti factum est omni ævo. Sic enim Cain persecutus est iustum Abel, Sodomitæ Lot, Esau Iacobum, fratres Iosephum, Pharao Mosem et Hebræos, Saul Davidem, Iezabel Eliam, Manasses Isaiam, etc. Qui enim plene et perfecte est iustus, non sibi soli est iustus, sed et toti reipublicæ; ac proinde iustitiæ est hyperaspistes, id est acer propugnator, propagator ac vindex, quem proinde impii pessime oderunt, et ad necem persequuntur. Ita censent Hugo, Lyranus, Osorius, Iansen. hic, ac S. Chrysostom. homil. 5. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum*, et S. Ambr. l. 2. Offic. 6. et 7. Hinc Simeon Metaphrastes in Vita S. Auxentii, in ipso impietum ait illud Sap. 2. *Exterminemus iustum, quoniam inutilis est nobis.*

Prophetia de Christi cruce Probatur.

Verum, secundo, hic esse prophetiam de Christo, eiusque passione, quem impii pontifices et Iudæi, utpote scelerum suorum castigatorem, persecuti sunt usque ad crucem, liquet: Primo, ex ipsis verbis quæ hic plane sunt eadem cum iis, quibus Iudæi Christum in cruce pendentem subsannaverunt, ut patet utraque conferenti, præsertim I.
illa: *Liberet nunc si vult eum; dixit enim: Quia filius Dei sum:* Matthæus 27. v. 43. Quibus respondent hic illa v. 13. *Filium Dei se nominat;* et illa v. 16. *Gloriatur patrem se habere Deum;* et illa v. 18. *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum;* Rursum illa v. 20. *Morte turpissima* (puta crucis) *condemnemus eum;* quæ omnia proprie soli Christo competunt. Adde, Christus per antonomasiam vocatur iustus, quia iustissimus, imo non tantum caput, sed et pater auctorque omnium iustorum, ut patet Ierem. 23. 6. Isaiæ 51. 5. et cap. 41. 2. et 10. et cap. 45. 8. et cap. 62. 2. et Zachar. 9. 9.

Secundo, idem docent passim Patres, S. August. 17. de Civ. cap. 20. et lib. 12. contra Faustum c. 44. asserit hoc loco passionem Christi aptissime prophetari. Sic et S. Cyrill. in Isaiæ cap. 59. S. Cyprian. tract. de Sion et Sina. S. Ambros. 2. Offic. cap. 6. et 7. Auctor imperf. in S. Matthæum, hom. 43. Clemens Alex. 5. Strom. c. 6. Tert. l. 3. II.

contra Marcion. cap. 22. S. Athanas. in Synopsi. Lactant. lib. 4. c. 16 ex hoc loco concludit Iudæos, ac demonstrat Christum ab eis occisum fuisse iustum et filium Dei; « Salomon, inquit, in libris Sapientiæ his verbis usus est; Circumveniamus iustum, quoniam insuavis est nobis, et exprobrat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat, etc. Nonne ita descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut plane interfuisse videatur? Atqui a Salomone, qui hæc cecinit, usque ad id tempus quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. »

Causam dat S. Chrysost. puta Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 43. in Matth. *Ex superbiæ vitio nascitur*, inquit, *ne quis velit ante se meliorem habere, sicut Iudæi Christum; non enim nescientes filium Dei esse occiderunt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut et prophetat de illis Salomon: Venite, circumveniamus, etc.*

Sensus est ergo, q. d. Impii persequuntur iustos insignes a quibus eorum impietas culpatur, et arguitur, sed maxime impii Iudæi persequentur Christum, qui est iustus iustorum, et Sanctus sanctorum, utpote qui acerrime eorum, et præsertim Pontificum ac Scribarum vitia taxabit, ut passim ea taxat in Evangeliis.

Simili modo Moses prophetat de Christo, Deut. 18. 18. dicens ex ore Dei: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui. Prophetam*, id est, Prophetas varios, sed unum ex eis eximium, et cæterorum principem, puta Messiam, sive Christum, hic enim similis fuit Mosi, imo longe eo superior. Ita S. Ambros. in tit. Ps. 35. *Dominus*, ait, *exprobrat Iudæis Ego propter vos pauper, ego pro vobis dolens, et vos mihi manus impias intulistis, dicentes: Tollamus iustum, quia inutilis est nobis; iniiciamus lignum in panem eius. Bene panem dixit, pro carne eius. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarunt.*

Porro alludit auctor Sapientiæ ad Isaiæ c. 3. v. 10. ubi Sept. pro אמרו imru, id est, *Dicite iusto quoniam bene*, legentes אסרו isru, id est, *ligate*, sic vertunt: *Consiliati sunt consilium malum contra semetipsos dicentes; Ligemus iustum, quoniam inutilis* (S. Hieron. ibidem vertit, *iniucundus*; utrumque enim significat δύσχρηστος) *est nobis. Ita fructus operum suorum comedent.* Quæ verba plane competunt Iudæis, capientibus et ligantibus Christum orantem in horto. Hinc et S. Iustinus Dialog. contra Tryphonem legit: *Vinciamus iustum, quoniam inutilis est nobis.* Syrus: *retardemus*, vel *impediamus iustum*; Tertull. l. 3. contra Marc. c. 22. *Auferamus iustum*, scilicet Christum: Clemens Alex. lib. 5. Strom. *tollamus iustum a nobis.* Græce est ἐνεδρεύσωμεν, id est, *insidiemur iusto*, per insidias eum capiamus, ligemus, necemus, opprimamus. Sic Iudæi insidiosas quæstiones proposuerunt Christo, ut eum caperent in sermone, sicut cum quæsierunt ab eo: *Licetne censum dare Cæsari an non?* Matth. 22. v. 15. et 16. Rursum per insidiosam proditionem Iudæ eum comprehenderunt in horto. *Iustum* vocant, non tam ex suo sensu, quam ex communi æstimatione et nuncupatione vulgi.

Porro impius persequendo pium magis sibi nocet, quam pio. Nam, ut ait S. Augustinus in Psal. 36. *Tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas. Nam quidquid in te profert, in illum redit. Eius enim purgatio te facit purgatum, illum reum; cui ergo plus nocet?* Imo impius persecutione sua pio prodest, non obest. Audi S. August. in Psal. 128. *Exercuerunt me, non oppresserunt. Voluerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fœnum. Ignis enim accedens ad aurum sordem tollit, accedens ad fœnum, in cinerem vertit.* Transit flamma et remanet aurum purum; transit persecutio ut somnium, et manet anima patientiæ merito nitida et splendida. Scriptum est enim: *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, Psal. 72. 20. *Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel*, id est, contra Ecclesiam eiusque fideles, quæ dicitur *Ariel*, id est,

A leo Dei, a fortitudine, Isaiæ 29. 7.

QUONIAM INUTILIS EST NOBIS.) Est meiosis, *inutilis* enim, id est, noxius, Græce δύσχρηστος, id est, primo, inutilis; secundo, difficilis, incommodus, morosus, intractabilis, qui nescit se nobis accommodare, et ad vitia nostra connivere, eaque dissimulare. Unde Syrus: *Quoniam non est benignus nobis.* Talis Iudæis videbatur Christus, utpote qui eorum avaritiam, rapinas, libidines, superstitiones assidue verbo et vita castigabat. Alludunt ad nomen Christi per antiphrasin, q. d. Χριστὸς non est χρηστός, id est, comis, benignus, humanus, facilis ad gratificandum, commodus, clemens; sed ἄχρηστος, id est inutilis, imo δύσχρηστος, id est, difficilis, offensus, durus, inflexilis, rebellis, perniciosus, abhorrens a nostra conversatione et vita, imo eam assidue culpans et mordens; ergo tollamus eum e medio. Verum ex parte dicunt, quia Christus Scribis et Pharisæis, utpote sceleratis, impœnitentibus et in malo obstinatis, perpetuus erat hostis, censor et reprehensor; idque ex officio; ad hoc enim a Patre missus erat ad Iudæos, ut eos

B a Patriarchis degenerantes ad avitam fidem et probitatem reduceret. Cæteris vero probis, imo peccatoribus suam fidem et pœnitentiam non aspernantibus, erat dulcissimus et clementissimus, uti fuit S. Magd. S. Paulo, S. Matthæo, Zachæo, S. Petro et aliis plurimis, adeo ut Scribæ hoc calumniæ loco obiecerint Christo, quod cum meretricibus et peccatoribus versaretur. Unde ipse eos ad se blande invitans: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Matth. 11. 18. Sic Christum ob humanitatem et suavitatem laudant Isaias c. 42. 2. et c. 61. 1. Zachar. cap. 9. 9. et cæteri Prophetæ, æque ac Apostoli, ut S. Petrus Actor. 10. 38. *Qui*, inquit, *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo*, Dei enim est benefacere omnibus et suam bonitatem omnibus communicare, imo effundere. Sic

C Christus ægros sanabat, mortuos suscitabat, dæmones pellebat, turbas pascebat, procellas sedabat, imo corpus, vitam, animam, deitatem suam dedit pro nobis, iisque inimicis et peccatoribus, ac in dies eadem dat cuilibet in Eucharistia. Idem in dies sua gratia peccatores prævenit vocatque ad salutem. Quid ergo Christo utilius, suavius, benignius? Hinc hebraice dicitur Messias, græce Χριστός, latine Christus, id est unctus, scilicet a Deo in Regem, Prophetam, Legislatorem, Redemptorem et Pontificem novæ legis; a Gentilibus vocabatur χρηστός, per η, id est utilis, suavis, benignus, beneficus; unde et Christiani vocabantur Chrestiani, id est, blandi, suaves, commodi; quia sicut in Christo nihil fuit, quod non esset utile, suave, commodum hominum saluti; sic et in Christianis esse debet, de quo plura alibi dixi. Vere S. Thom. canit de Christo: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Et S. Bern. *Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Gustate ergo et videte, quoniam suavis est Dominus*, Psal. 33. 9.

D ET CONTRARIUS EST (Syrus, *adversatur, obstat*) OPERIBUS NOSTRIS.) Nostra enim opera sunt impia, iniusta, scelerata, noxia; ipsius iusti vero, ac præsertim Christi, opera sunt pia, iusta, sancta, salutaria. Ecce hic explicant cur Christus eis videatur δύσχρηστος, id est, inutilis, molestus, et perniciosus, quod scilicet taxaret improbos Scribarum mores, eisque *væ*, id est, fulmen æternæ damnationis intentaret, ut patet Matth. toto c. 23. Sic hodie viri Religiosi, quod improborum mores vel verbo vel exemplo castigent, eis sunt odio. Unde Apost. 1. Timoth. 3. *Omnes*, ait, *qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Causam unam inter varias dat S. Augustin. in Psal. 127. *Si mortuus est diabolus*, ait, *mortuæ sunt persecutiones: si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? non minus ont scandala procurat?*

ET IMPROPERAT NOBIS PECCATA LEGIS.) Puta peccata contra legem, a Deo per Mosen datam, a nobis commissa.

Et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ) Græce ἐπιφημίζει, id est cum infamia nostra propalat, evulgat, celebrat. Unde S. August. 17. Civit. 20. legit *infamat*, exprobrat, occlamat nobis peccata, quæ contra disciplinam legemque nobis a Deo datam committimus, ac præsertim, quod eam prava interpretatione per Pharisaicas traditiones corrumpimus, ut quod filios doceamus non honorare, nec alere parentes, sed suas opes offerre templo ad sacerdotum lucrum; quod doceamus inimicos esse odio habendos; quod peccantes excusemus, dum nobis dant munera, etc. quæ Christus recenset et carpit Matth. 5. quodque calices et paropsides mundemus, cum intus pleni simus rapina et immunditia, Matth. 23. 25. Rursum Ioan. 7. 19. *Nonne*, ait, *Moses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?* Vide Luc. 11. v. 39. et seq. Unde v. 45. ait illi quidam ex legisperitis: *Magister hæc dicens contumeliam nobis facis.* Porro, id iuste et sancte fecit Christus. Ipsius enim, velut legati ad hoc a Deo, erat publica Scribarum et Pharisæorum scelera libere carpere, ne populus ea ut licita et sancta æstimaret, ac sequeretur et imitaretur, etiamsi sciret se illos per hoc concitaturum ad necem crucemque sibi inferendam, uti reipsa contigit. Idem fecere Isaias, Ieremias cæterique Prophetæ ad unum omnes, utpote Christi prodromi et antitypi.

Hæc ergo est vera causa odii impiorum in pios, quod eorum impietas horum pietate coarguatur et infametur. Hanc causam assignat et exaggerat Lactant. lib. 5 cap. 9. « Huius tanti, inquit, et tam pertinacis odii quam potissimum causam esse dicamus? utrumne veritas odium parit, ut ait poeta, quasi divini spiritus instinctu: an erubescunt coram iustis et bonis esse nequam? an potius utrumque? Nam et veritas ideo semper invisa est, quod is, qui peccat vult habere liberum peccandi locum, nec aliter se putat malefactorum voluptate securius perfrui posse, quam si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tamquam scelerum et malitiæ suæ testes exstirpare funditus nituntur et tollere gravesque sibi putant, tamquam vitæ eorum coarguatur.» Subdit deinde impiorum ratiocinium: « Cur enim sint aliqui intempestive boni, qui corruptis moribus publicis convicium bene vivendo faciunt? cur non omnes sint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quos coram male vivere pudet, qui peccantium frontem etsi non verbis, quia tacent, tamen ipso vitæ genere distincti feriunt et verberant. Castigare enim videtur quicumque dissentit. Nec est magnopere mirandum, si adversus homines ista fiunt, cum adversus ipsum Deum propter eamdem causam insurrexerit etiam populus in spe constitutus, nec Dei nescius: sequiturque iustos eadem necessitas, quæ ipsum iustitiæ violavit auctorem. »

Vers. 13 Promittit se scientiam (Vatabl. *notionem*) Dei habere.) Græce ἐπαγγέλλεται, id est annuntiat, prædicat, evulgat publice et solemniter, velut cum quid per præconem edicitur, et promulgatur: Christus enim fuit præco Evangelii, qui illud e cælo in terram detulit. S. Bonaventur. ex Glossa explicat, q. d. *Firmiter asseverat se scire omnia, tamquam Deum.* Verum sensus genuinus est, q. d. Christus publice et passim prædicat et præconizat se Deum veramque Dei fidem ac religionem, id est modum recte pieque Deum colendi, illique serviendi et placendi nosse, docere et prædicare, ac proinde improbat nostros Iudaicos ritos et traditiones, quasi parergos et Deo ingratos. Hoc est quod ait Christus: *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me quem nescitis: ego scio eum;* Ioan. c. 7. 28. Et: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;* ibidem v. 16. *Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:* Matth. 11. 27. Et: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum:* Ioan. 17. 3. Et: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro:* Ioan. 8. 24.

Et filium Dei se nominat.) Græce παῖδα κυρίου, id est *puerum Domini: puerum*, id est filium vel servum; hic autem filium accipi patet ex eo, quod sequitur v. 16. *Et gloriatur se patrem habere Deum.* Tota enim contentio Christi cum Iudæis fuit, quod ipse se diceret verum Dei filium, idque miraculis et Scriptur. probaret: ipsi vero id ipsum denegarent, ut patet Ioan. c. 5. et seq. ubi continua est Christi cum Scribis hac de re disputatio. Hinc liquet, hæc, licet ad quemlibet iustum pertineant, qui filius est Dei adoptivus per gratiam; tamen proprie spectare ad Christum qui filius est Dei naturalis per essentiam. Porro hæc fuit potissima causa odii impiorum Iudæorum in Christum, quod diceret se Dei filium; tum quia ipsi erant superbi, ideoque indigne ferebant Christum se Scribis et Pontificibus, imo et Mosi anteferre, uti superius dixi ex S. Chrysost. tum quia eo gravior eis accidebat reprehensio Christi, quo a grandiore persona, puta a filio Dei, proficiscebatur. tum quia ex hoc, quod ipse erat filius Dei, sequebatur eius adversarios Iudæos esse filios diaboli, iuxta illud Christi: *Vos ex patre diabolo estis*, Ioan. 8. 44. atque hæc etiamnum est causa pertinacis odii Iudæorum omnium in Christum, quod scilicet audire et concoquere nequeant se esse filios et hæredes eorum, qui suum Messiam filium Dei occiderunt; hanc enim infamiam tanti sacrilegii, imo deicidii, sibi aspergi, ferre nequeunt.

Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.) Græce, εἰς ἔλεγχον, id est in redargutionem et reprehensionem, q. d. Christus traducit, id est in publicum ducit, propalat, et omnibus carpendas proponit nostras cogitationes, id est nostras intentiones, nostra studia, nostros conatus. Unde alii vertunt: *Hic cogitationum nostrarum index exstitit;* S. Bonavent. *Cogitationes nostras in lucem traducit:* alius: *Factus est nobis ad redarguendas cogitationes nostras.* Christus enim cognoscebat, et revelabat arguebatque pravas Scribarum cogitationes, etiam secretas de ipso redarguendo, capiendo, occidendo, ut patet Matth. 9. 4. *Quid cogitatis*, inquit, *mala in cordibus vestris?* Et Lucæ 6. 7. *Observabant autem Scribæ et Pharisæi, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum etc.* Atque ex hac revelatione secretarum cogitationum ostendebat Iudæis se esse Deum, Deique filium. Nam ut ait Tertull. Apolog. c. 20. *Testimonium divinitatis est veritas divinationis.*

Gravis (onerosus, molestus, infestus, intolerabilis) est nobis etiam ad videndum.) Græce, βλεπόμενος, id est *visus*, q. d. Adeo iustus, præsertim Christus, nobis est exosus, ut non solum eius concio et reprehensio, sed et sola præsentia nobis sit gravis et molesta, ut eum intueri et videre sine tædio et nausea nequeamus. Odium enim et invidia faciunt, ut eum quem quis odit, aspicere non sustineat. Nimirum: *Qui male agit, odit lucem.* Ioan. 3. 20. Tenebris adversatur clara lux solis, ideoque cæcutientes offendit. *Oculis ægris odiosa lux*, ait S. Aug. l. 7. Confess. cap. 6. *Sic non rectis oculis Saul aspiciebat David*, 1. Reg. 18. 9. Ita Tertull. l. de Patientia c. 5. *Quomodo Prophetis*, inquit, *manus intulerant, nisi per impatientiam audiendi: Domino autem ipsi, per impatientiam etiam videndi;* unde ibidem docet: *Omne peccatum impatientiæ esse ascribendum;* Et S. Chrysost. homil. 5. de verb. Isaiæ: *Vidi Dominum. Neminem*, inquit, *mortalium sic aversantur, oderuntque hi qui peccant, atque eum qui parat redarguere, captantque occasiones ut elabantur, cupientes effugere reprehensionem. Obiurgator enim non solum cum promit vocem, verum etiam cum videtur gravis est peccatori. Gravis est, inquiunt, nobis etiam aspectu;* cui lectioni Vatablus adhæsit legens: *Aspectui quoque nostro gravis est.* Hinc illæ voces: *Tolle, tolle*, Matth. 27.

Vers. 14 (printed beside "Factus est nobis…"); Vers. 15 (printed beside "Gravis…").

Accedit, quod Christi modestia, castitas, sanctitas verberabat oculos immodestos, incestos, impuros Iudæorum. Denique fulgor divinitatis ex vultu Christi emicabat, ait S. Hieron. qui percellebat impiorum aspectum; pios vero rapiebat in sui amorem, reverentiam et admirationem. Sic Nero Thraseæ senatoris optimi venerabilem speciem ferre non poterat, ideo eum necavit, ait Tacitus l. 16. Annal. Nam ut sapienter ait S. Chrys. hom. 3. ad Pop. Antioch. tom. 5. *Sanctorum non tantum verba, sed etiam*

aspectus spirituali gratia pleni sunt, ut vel suo aspectu solo aliorum iram extinguere valeant, et emollire corda.

Odii in Christum causæ duodecim.

Nota. Impii hic congerunt duodecim rationes, ob quas se odisse Christum et persequi asseverant. Prima est v. 12. quoniam ipsis inutilis, id est molestus et noxius est. Secunda, quia contrarius est operibus ipsorum. Tertia quod, improperat eis peccata in legem admissa. Quarta v. 13. quod se dicat esse filium Dei ac divinam scientiam doctrinamque docere, quasi maior sit Mose eiusque lege et religione aliam sanctiorem afferat. Quinta v. 14. quod secretas eorum cogitationes iniquas propalet et carpat. Sexta v. 15. quod eius præsentia, gravitas, modestia, sanctitas ipsorum oculos offendat. Septima, quod dissimilis aliis sit vita ipsius. Octava, quod immutatæ sint viæ, id est actiones eius. Nona v. 16. quod ab eo habeantur velut viles, fabulosi et nugaces. Decima, quod abstineat se a viis eorum, quasi immunditiis. Undecima, quod præferat novissima iustorum. Duodecima, quod glorietur se patrem habere Deum. Hæc sunt duodecim capita accusationis, quæ impii intentant iusto præsertim Christo, quibus se mutuo ad necem illi inferendam exhortentur et excitant. Improbi enim pravos quosque diligunt, laudant, et ad scelera excitant, quia similes sibi animos et mores habent: et dum improbitas plures sibi sectatores numerat, auctoritatem inde sumit, atque infamiam sibi congenitam quodammodo eluit ac purgat. Unde sequitur:

Quoniam dissimilis est aliis vita illius.) Christus enim prædicabat beatos pauperes, humiles, mites, lugentes, patientes persecutionem, cum Iudæi, cæterique mundani beatos prædicent divites, arrogantes, imperiosos, gaudentes et dominantes cæteris. Christus prædicabat mortificationem carnis, refrænationem concupiscentiæ, castitatem, abstinentiam, crucem, amorem inimicorum, odium animæ, quæ Iudæis videbantur paradoxa, utpote qui carnales, non nisi carnes, opes et dapes, æque ac honores atque vindictam de inimicis quærebant.

Radix odii morum dissonantia.

Hæc ergo est radix totius odii et invidiæ impiorum in iustum, præsertim Christum, scilicet dissonantia morum et vitæ. Nam, ut docet Aristotel. cæterique Ethnici, sicut amoris et amicitiæ causa est morum similitudo et consonantia; sic odii causa est morum dissimilitudo et dissonantia. Hinc Seneca epistol. 7. *Qui vivit*, inquit, *in multitudine, vel similis multis, vel iis exosus est.* Et Pythagoræ præceptum fuit: *Per viam publicam ne incesseris*, id est vulgi mores ne sequaris, cum ea de causa in eius odium incurras: *Argumentum enim recti est, malis displicere*, ait Seneca.

Hanc odii radicem assignat Christus Ioan. 15. dicens et prædicens Apostolis: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus:* ideoque *si me persecuti sunt*, inquit, *et vos persequentur. Magnum piorum hominum solatium*, ait quidam Doctor, *video in hac esse ratione constitutum. De medio enim electos mundo, et a perditorum universitate discretos, morum dissimilitudo invisos reddit: hoc etenim oderunt illi, quod esse nolunt; atque ex eius rei, quam vehementer improbant, odio, fremunt premuntque persequendo. Habere iniquitas non potest cum iustitia pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, non petulantia verecundiam, non avaritia largitatem. Si caput ipsum ob hanc morum adversitatem persecutus est mundus; profecto et pios omnes qui eodem spiritu vivunt, persequetur.* Ferre ergo Christum impii Iudæi minime potuerunt, quod affectus dissimilis studia vitæ contraria faciebat, alteraque vita alterius erat manifesta damnatio, ideoque fratribus quoque suis, cum in eum nec ipsi crederent, aiebat: *Non potest mundus odisse vos cultores videlicet suos atque amatores; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.* Inde est quod boni improbis semper fuere graves. Hoc est quod S. Prosper canit epigram. 32.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.

Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.

Ut igitur pax esse inter Christum et Belial non potest, ita nec civitates illæ duæ, quarum est altera piorum, altera impiorum, vera iungi concordia possunt. Sanctæ civitatis Christus est conditor, civitatis impiæ diabolus fundator et rector est: illam constituit amor Dei usque ad contemptum sui: hanc e diverso amor sui usque ad contemptum Dei. Sibi enim placens ac tumens, et omnia quæ prosecutione digna sint, in se una posita existimans, loquitur apud Prophetam et dicit: *Ego sum et præter me non est altera.* Isiæ 47. Utitur illa mundo, ut fruatur Deo. Hæc contra Deo utitur, ut mundo perfruatur. Peregrinatur illa hic et manentem fixamque in terris non habens civitatem, futuram inquirit, quemadmodum sanctissimi cuiusdam civis ea declarat oratio, qua dicit: *Advena ego sum in terra et peregrinus, sicut omnes patres mei;* Ps. 38. Hæc vero mundi huius inescata deliciis, in terrena felicitate penitus acquiescit. Eo fit, ut quidquid huic adversum senserit, removere conetur, et propter hanc suam cupiditatem, etiam odio prosequatur et persequatur veritatem: *Omnia*, inquit ille, *mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me: adiuva me.* Ps. 118.

Porro, odium hoc cum tantum sit, necesse est ut illico in bellum et persecutionem erumpat. Ut enim ignis et aqua simul esse, nisi pugnent inter se, non possunt, ita necesse est, ut duæ illæ civitates assidua inter se adversitate confligant. Atque ut in eodem homine contra spiritum caro, et contra carnem spiritus concupiscit; ita in eadem republ. cum bonis mali pacem habere non possunt. Oderunt igitur boni non homines, sed hominum vitia, et si quæ umquam ab illis movetur persecutio, ea non ex odio, sed ex charitate proficisci credenda est, quæ vel malis consulitur ad correctionem, vel certe bonis et integris ad tutelam. Unde illa sunt in Ps. 100. *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam; detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Ecce persecutor bonus non hominis, sed peccati. *Est enim*, inquit S. Ambr. serm. 11. in Ps. 118. *etiam iusta persecutio, si oderimus obscœnos, si infesti simus iniustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si avarum fraudis suæ compendiis exuamus, si execremur insolentiam superborum.* Nam ut est apud Sapientem in Prov. 29. *Abominantur iusti virum impium, et abominantur impii eos, qui in recta sunt via.* At horum terrena civitas non corrigere cupit, sed perdere; nec ei vitia tollere cordi est, sed ingratam sibi et exosam demoliri, atque opprimere veritatem: *Hoc enim est iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera;* Ioan. 3. 19. *Invidentiæ enim diabolicæ*, inquit S. Aug. Lib. 15. de Civit. Dei c. 5. *Qua invident bonis mali, nulla alia causa est, quam quia illi boni sunt, isti mali. Semper enim inimica virtutibus sunt vitia, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur.* Recteque illud Cicero lib. de Amicitia: *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias.* Nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest morum studiorumque distantia.

Et immutatæ sunt viæ eius.) Hugo et alii addunt, *in veritate*. Sed nil tale habent Græca et Romana. Vatabl. *Suisque differt institutis*; Guarinus: *Differentesque sunt semitæ eius;* Glossa et S. Bonavent. *Dissimilia sunt dogmata ipsius et facta*, puta doctrina et vita; alius: *Peregrinæ, insolentes, inusitatæ, inauditæ et a communi norma formaque abhorrentes sunt semitæ, per quas graditur*, id est verba et opera ipsius.

Sensus ergo est, d. q. *Viæ*, id est actiones iusti, præsertim Christi, eiusque modus agendi et vivendi, puta eius doctrina, conversatio, religio, secta plane a nostra discrepat immutata est et diversa. Nostra enim sive Pharisaica,

Iustitia et religio sita est in externa specie, purificatione, nitore, pompa, ostentatione eleemosynarum: at Christi iustitia Evangelica sita est in interna puritate, pietate, charitate, etc. uti docet Christus Matth. 5.

Rursum, per hypallagen: *Immutatæ sunt viæ eius*, id est viæ nostræ per vias eius, q. d. Christus per suum Evangelium immutat et abolet nostram legem, nostra Sacramenta, nostrasque cæremonias et ritus, dum pro circumcisione substituit Baptismum, pro manna Eucharistiam, pro lavacris Pœnitentiam, etc. Denique ipse iudaismum nostrum vult destruere, et convertere in Christianismum. Hæc enim fuit causa summi odii Iudæorum in Christum et Paulum. Unde Iudæi S. Stephanum lapidaturi hoc ei crimini dederunt: *Audivimus*, inquiunt, *eum dicentem: Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moses*: Actor. 6. 14. Et S. Paulo cum eum caperent in templo: *Viri Israelitæ*, inquiunt, *adiuvate; hic est homo, qui adversus populum et legem, et locum hunc, omnes ubique docens insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum*: Actor. 21. 28.

Simili modo hoc tempore, imo omni ævo, viri religiosi et zelosi, qui voluerunt reformare lapsos Religiosorum, Sacerdotum, Christianorum mores, et avitæ puritati restituere, multorum in se odia concitarunt; sed solati sunt seipsos exemplo Christi, eoque confirmati constanter egerunt, ac sua constantia peregerunt, quod moliebantur. Idem sentiunt, qui a sociis se subducunt, ut vacent severiori vitæ, orationi, studio: mox enim socii in eos linguis et cachinnis iovolant, hypocritas, Iesuitas, sanctos nuncupant: quia ægre ferunt se ab eis deseri, superari, taciteque carpi et redargui: sed et hi audiant solamen a Christo: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; Matth. 5. hi dicant: *Amici socii, sed magis amicus Christus, magis amica sanctitas, animæque salus*; Plato aiebat: *Amicus Socrates, sed magis amica veritas.*

Vers. 16 Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis.) Pro *tamquam nugaces*, græce est, ὡς κίβδηλον, id est, in *spurium* vel *scoriam*, aut *æruginem* æstimati sumus ab eo, puta quasi spurii, aut quasi quisquiliæ, nugæ et res nihili; κίβδηλος enim proprie significat aurum, argentum, vel æs non purum, et sincerum, sed cui scoria admixta est, ideoque fucatum, vitiatum et adulterinum. Ita Christus taxavit Iudæos, quod legem suis traditionibus humanis et superstitiosis adulterarent et corrumperent. Unde eos vocavit *Generationem malam et adulteram*, Matth. 12. 39. *mendaces, sepulcra dealbata*, serpentes et *genimina viperarum*, Ioan. 8. 55. Suas enim nugas, et nugaces manuum corporisque lotiones præferebant legi Dei, et Christi. Hinc sanct. Bonavent. explicat, q. d. *Æstimati sumus ab illo tamquam inania facientes ac dicentes*: Dionys. *Perinde ac fatui et mendaces*, Clarius: *Tamquam adulterini*; Vatabl. *Pro adulterinis habemur*; Compl. *In spurium reputati sumus.* Alludunt ad Ioan. 8. 39. ubi Iudæis iactantibus: *Pater noster Abraham est*, respondit Christus: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum*, q. d. Tu, o Christe, negas nos esse filios Abrahæ legitimos, ac proinde spurios et adulterinos ex fornicatione natos videris asserere: qua in re nobis insignem iniuriam et notam inuris, quia nobis alium patrem ab Abraham obiicis, scilicet diabolum, utpote cuius opera sequamur; ut nos falso calumniaris, quia non alius adulter, sed verus pater nobis in terra est Abraham, in cælo Deus, nosque unicum Deum Patrem colimus, æque ut Abraham: falso ergo criminaris nos Deum, ac pietatem et opera Abrahæ non sequi, quasi spurios. Respondit Christus: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, et veni, neque enim a meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Quibus verbis ostendit, et confirmat illos non esse filios Abrahæ, sed spurios diaboli.

Et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis.) Quasi a sordibus, inquinamentis, spurcitiis, q. d. Nostrum vivendi modum refugit et detestatur, velut immundum, pravum, scelestum. Sic Christus Lucæ 12. 1. *Attendite* (cavete) inquit, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, etc.* Sensus est, q. d. Christus sectarius est: a nostra enim religione, tamquam immunda, homines ad suam sectam, velut mundam adducit. Dicunt partim verum, quia Christus Pharisæorum superstitiones et pravos mores confutabat: partim falsum, quia Christus statis diebus frequentabat templum, ibique orabat et docebat, ac legem servabat, servandamque docebat. Sapienter S. Gregor. Nazianz. orat. in laudem S. Basilii, monet cavenda malorum consortia: *Ne, ait, cum flagitiosissimis sodalium consuetudinem habeamus, sed cum optimis et honestissimis, nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis, itaque quorum consuetudo magnos fructus afferat: illud exploratum habentes multo facilius vitium contrahi, quam virtutem communicari: quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur quam sanitas impertitur.*

Et præfert novissima iustorum.) In S. August. 17. Civit. 20. legitur *nobilissima*, sed perperam, ut videtur. Primo Hugo exponit, q. d. Novissimos iustorum præfert nobis, dicens: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi*: Matth. 20. 16. Et: *Væ vobis divitibus, beati pauperes spiritu*; Lucæ 9. Matth. 5. Et: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio, et condemnabunt generationem istam*; Matth. c. 12. 41.

Verum græce est μακαρίζει τὰ ἔσχατα δικαίων, id est, *beatificat extrema iustorum*, id est beatum prædicat exitum iustorum; Complut. et Vatabl. *Extrema iustorum beata prædicat*; Gloss. et Bonav. *Vitam æternam præponit voluptati*, q. d. Christus paupertatem, compunctionem, humilitatem, lacrymas, mortificationem, crucem iustorum beatam prædicat ex fine, quod scilicet ducat eos ad felicitatem et gloriam cælestem: atque hoc ipso condemnat nos, qui in opibus, gaudiis, risu, epulis, libidinibus, fastu, cæterisque huius vitæ voluptatibus omnem felicitatem collocamus: nam iis ipse væ et fulmen æternæ damnationis intentat. Id patet ex historia divitis Epulonis et Lazari, Lucæ 16. Sic et Ecclesiasticus viros gloriosos celebrans cap. 44. vers. 14. ait: *Quorum corpora in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem*: Et Psal. 115. 15. *Pretiosa dicitur in conspectu Domini mors sanctorum eius*; Et Apoc. cap. 14. 13. *Audivi vocem de cælo dicentem; Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur*; Rationem affert Nazianz. orat. in funere patris: *Quia mors, quæ non solum nos a præsentibus malis vindicat, verum ad supernam quoque vitam sæpe traducit, nescio, ait, an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis: una vita est, oculos ad vitam coniectos habere; una mors, peccatum: animæ enim est interitus.*

Et gloriatur patrem se habere Deum.) Ac consequenter nos sibi contrarios diabolo, ceu filios patri assignat. Pro *gloriatur* græce est ἀλαζονεύεται, id est, cum fastu, gloriatione et ostentatione iactat. Alius, q. d. Sibi falso fingit, mentitur, arrogat, ac velut impostor iactabundus, insolens, et ultra modum elatus ostentat patrem Deum. Dixerat enim Christus: *Est Pater qui glorificat me quem vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum*, Ioan. 8. 54. Quare vos, o Iudæi, qui negatis me Filium, negatis et Patrem, ac consequenter negatis Deum vestrum. Hoc stimulo Christi acriter se pungi senserunt Scribæ et Pontifices, ideoque ei necem machinati sunt: quantum enim decus et gloria est Deum habere patrem, et in eo omnia bona; tantum dedecus et infamia est patrem habere diabolum, et in eo omnia mala, tam culpæ, quam pœnæ.

Vers. 17. VIDEAMUS ERGO SI SERMONES ILLIUS VERI SUNT.) Scilicet, quibus iactat se filium esse Dei, Deumque habere patrem, ac veram Dei fidem, legem, cultum docere. Si enim est filius Dei, Deus utique eum proteget, et liberabit e manibus nostris; aut certe occisum a nobis resuscitabit, uti ipse asserit et iactat.

ET TENTEMUS QUÆ VENTURA SUNT ILLI.) Videamus quonam res illius evadant; græce: *Et experiamur quæ in exitu eius*, scilicet erunt; S. Prosper parte 1. de Prædict. cap. 26. legit: *An succedant quæ ventura sunt illi*, an scilicet Deus quem patrem suum gloriatur, liberet eum e manibus nostris aut a morte resuscitet. Unde explicantes subdunt: *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum*; alii vertunt: *Periculum faciamus eventuum eius*, quid scilicet illi tandem eventurum sit, quem finem habiturus sit, in quem terminum et catastrophen tragœdia vitæ et sectæ eius desitura sit: abibit enim in fumum, imo in infamiam.

ET SCIEMUS QUÆ ERUNT NOVISSIMA ILLIUS.) Hæc desunt in Græco, Lactant. et S. Cypr. l. 2. Test. c. 14. legunt tamen Rom. et S. Aug. 17. Civ. 20. Videtur esse epanalepsis, idemque dici aliis verbis. Nam τὸ *tentemus quæ ventura sunt illi*, videtur explicari per id, quod subditur: *Et sciemus quæ erunt novissima illius*, q. d. Christus nobis, nostræque voluptati et felicitati præsenti præfert novissima iustorum, quorum ipse dicit se esse caput et principem. Videamus ergo quæ sint novissima ipsius, ac inde colligemus qualia sint futura iustorum eius novissima. Occidamus eum, et videamus, an ipse a morte resurgat: at sic apparebit inania esse novissima, puta vitæ æternæ gaudia, quæ ipse iustis suis frustra promittit. Ite impii et athei.

Vers. 18 SI ENIM EST VERUS FILIUS DEI SUSCIPIET ILLUM.) Græca et Syriaca: *Si enim iustus est filius Dei*; iustus, tum quilibet, tum per excellentiam, puta Christus, q. d. Si Christus, qui *iustum* se nominat per eminentiam, est vere filius Dei utique; Deus velut pater illum *suscipiat*, id est ruentem in mortem porrecta manu apprehendet, fulciet, roborabit, proteget ne cadat. *Suscipere* enim in Script. significat labenti succurrere, opem ferre, conservare, protegere. Petita sunt hæc verba ex Psal. 21. 9. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum*: quibus impii Iudæi Christo in cruce exprobrarunt, quod filium Dei se dixisset, ut patet Matth. 27. 40.

ET LIBERABIT EUM DE MANIBUS CONTRARIORUM.) Puta de manibus Scribarum et Pontificum illi adversantium, eumque ad crucem et necem adigentium.

Vers. 19 CONTUMELIA (græce, ὕβρει, id est, iniuria, dedecore, contumelia, sævitia, ferocia, vi illata) ET TORMENTO (Lactantius lib. 4. c. 16. legit in plurali, *contumeliis et tormentis*; S. Bonav. *contumelia verborum*, inquit, et *tormento*, sive *cruciatu verborum*) INTERROGEMUS EUM, græce, ἐξετάσωμεν, id est, probemus, exerceamus, exquiramus ab eo veritatem: sic enim iudex a reo per interrogationes et tormenta exquirit crimen, quæ vocantur quæstiones iudiciariæ. Arabicus: *Investigemus eum calumnia et tormento*. Tormenta quæ Iudæi intulerunt Christo, fuerunt plurima, maxima, ignominiosissima: hæc Iudæi dicunt, hic se irrogare Christo, UT SCIAMUS, inquiunt, REVERENTIAM EIUS.) Græce, ἐπιείκειαν, id est, æquanimitatem, modestiam, mansuetudinem, tranquillitatem, compositionem animi, qua iustus, præsertim Christus, iniuste verberatus veretur et horret, non tantum se ulcisci, sed et indignationis, vel doloris, vel impatientiæ minimum signum edere. Probemus ergo eius iustitiam per probra et tormenta quia si vera sit eius iustitia, ostendet se per patientiam: sin fucata sit et simulata, prodet se per impatientiam. Impossibile enim est, ut superbus, hypocrita et fictus, si vexetur et verberetur, non prorumpat in verba maledica, minas, gestusque impatientes. Unde S. Gregorius 1. Dial. cap. 5. *Qualis*, inquit, *quisque apud se latet, contumelia illata probat*. Hinc et Græcum βάσανος, id est tormentum, tortura, quæstio, significat quoque lapidem indicem, sive Lydium et Heraclium, de quo Plinius lib. 33. cap. 8. quod eiusmodi cruciatus tamquam ille lapis manifestat, ut auri præstantiam, excellentiam virtutis: hinc et tormento examinare, est interrogare, quia sicut examinatus a iudice in quæstione respondet, neque celat veritatem, quam extorquent supplicia; similiter illud examen ab iniquis iudicibus contumelia et tormento factum, ostendit veritatem divinitatis, atque doctrinæ Christi, et etiam sanctitatis dignæ vero Deo.

Confer hæc cum passione Christi descripta in Evangeliis, ac dices sapientem hic æque ac Isaiam capite 53. passionis Christi, non tam esse Prophetam, quam historicum et Evangelistam.

Reverentia activa quæ?

Hæc ergo *reverentia* iusti, præsertim Christi, tum activa erat tum passiva. Activa erat sacer quidam pudor et sancta verecundia, qua Christus etiam in atrocissima passione et cruce ex respectu et reverentia, tum suæ personæ, tum ipsius virtutis patientiæ et modestiæ, tum Dei, Angelorum et hominum, in quorum præsentia versabatur et patiebatur, verebatur quid agere vel dicere, non dico impatienter, sed minus digne vel decore, quod scilicet minus deceret virum patientem, modestum, constantem, perfectum, cælestem, divinum: unde nullum gemitum, nullum doloris, infirmitatis, vel timoris signum dedit. Quod considerans Gentilis quidam scriptor exclamavit: *O virum infractum animo, qui nec precem, nec lacrymam fudit!* Hinc Syrus vertit: *Ut agnoscamus diligentiam*, vel *sollicitudinem humilitatis eius, et probemus eum*; Arabicus: *Ut sciamus obedientiam*, vel *subiectionem eius, et probemus vera patientiam eius*.

Passiva.

Passiva erat effectus activæ, qua scilicet activa reverentia, quæ in Christi vultu composito, pio, reverenti et reverendo, omnibusque eius dictis, factis et gestibus elucebat, faciebat eum omnibus venerabilem et reverendum, atque in spectantibus sui reverentiam, amorem et admirationem excitabat, uti fecit in Centurione, qui videns eum tanta constantia, resignatione et pietate mori, dum clamaret: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; exclamavit: *Vere filius Dei erat iste*. Matt. 27. Quin et latro unus in ipsa cruce, Christi sancta patientia commotus compunctusque increpavit socium blasphemantem, et ad Christum conversus coram Iudæis et Scribis: *Memento mei*, inquit, *Domine, cum veneris in regnum tuum*. Idem fecere Iudæi, cæterique, de quibus ait Lucas cap. 23. 48. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud* (quo in Christi morte sol obscuratus est, terra tota contremuit, petræ scissæ sunt, etc. quasi sanctam creatoris sui necem lugentes et indignantes) *et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*. Hinc et Christus Deo Patri tanta obedientia et patientia, quasi sui reverentiam iniecit, ut ab eo obtineret quidquid postularet. Nam *cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. 5. 7.

Simili modo Martyres in martyriis suis, tantam præ se tulere in vultu et verbis æquitatem, constantiam, pietatem, sanctitatem, et hilaritatem, ut suos tortores ad sui reverentiam compulerint, eosque Christianos, imo Martyres effecerint, uti S. Laurentius tormentorum suorum lætitia et alacritate convertit S. Romanum, et Hippolytum cum tota familia, ita ut ad unum omnes martyrium generose obierint. Sic S. Cæcilia sua patiendi hilaritate convertit Maximum, aliosque quadringentos. Sic S. Polycarpus sua veneranda canitie, comitate, promptitudine et sanctitate, militibus ad eum comprehendendum missis, tantum pudorem et timorem iniecit, ut vix auderent eum contingere; teste Eusebio lib. 4. Hist. cap. 15.

Sic S. Thecla leonibus obiecta, virgineo pudore et reverentia eisdem reverenda, illæsa permansit, de qua S. Ambros. lib. 3 epist. 25 ad Eccles. Vercell. *Quo munere*, ait, *venerabilis Thecla etiam leonibus fuit ut ad pedes prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ, sacro deferrent ieiunio, nec procaci oculo virginem, nec ungue violarent aspero: quoniam et ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas*. Idem plenius et elegantius l. 2 de Virg. post initium:

Thecla, inquit, *naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referret.* Gestus deinde leonum reverentes graphice depingens, subdit: *Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia et propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines omiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ; bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere deberent.* Unde per epiphonema exaggerando concludit: *Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulatos ira exasperavit, non usus decepit assuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum virginis nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundan-* B *tibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.*

Disce hic, quam modestia, mansuetudo, pietas et patientia sit reverenda, quamque sui asseclas faciat venerabiles et reverendos: qui ergo sibi auctoritatem et reverentiam quærit, quærat eam non gravitatis ostentatione, non pompa rhedarum et assecLarum, sed mansuetudine, beneficentia et virtute.

Et probemus patientiam illius.) Sic quoque legit S. Cyprianus, Lectant. et S. Augustinus. Aliqui codices pro δοκιμάσωμεν, id est, *probemus*, legunt δοκάσωμεν, id est, *iudicemus*.

Recte impii ad explorandam iusti, præsertim Christi, iustitiam, probant eius patientiam: patientia enim est Lydius lapis, quo probatur vera iustitia et sanctitas. Nam *tange montes*, id est, superbos et impatientes, *et fumigabunt*; exhalabunt enim fumum iræ, iurgiorum, maledicentiæ et vindictæ. Hoc est quod ait Paulus Rom. 5 v. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem proba-* C *tionem, probatio vero spem.* Et S. Iacobus c. 1. v. 4. *Patientia autem opus perfectum habet*, ut ostendat virtutem patientis ad culmen sanctitatis et perfectionis evasisse. Porro in Christo præ cæteris Sanctis et Martyribus, tanta tamque divina in tot blasphemiis, iniuriis, tormentis atrocissimis et immensis, utpote quæ in ipsum Deum iaciebantur, emicuit patientia, constantia, charitas, quæ pro ipsis etiam Iudæis se occidentibus Deum oravit, eisque veniam et salutem impetravit, ut hæc sola sufficeret ad probandum ipsum esse Messiam et Prophetam, imo Deum, et Dei filium, præsertim quia ad hoc ostendendum ipsa a Christo adhibebatur et exhibebatur: virtus enim veritatis est soror, ideoque ab omni fuco aliena: quare testis esse nequit falsitatis, sed solius veritatis index sit oportet.

Vers. 20. Morte turpissima (græce ἀσχήμονι, id est, indecora, fœda, deformi, ut non sit ei species, neque decor, Isaiæ 53. contumeliosa, infami, ideoque turpi per excellentiam, id est *turpissima*, puta crucis) condemnemus eum.) Syrus: *Morti publicæ et infami deputemus eum.* Crucis enim D supplicium, præsertim clavis illi affixorum, erat atrox et longa mors: unde a cruce dictus est cruciatus: idemque erat ignominiosissimum tum Iudæis, tum Gentibus. Iudæis ex lege Deuter. 21. 23. *maledictus*, inquit, *a Deo est, qui pendet in ligno.* Quocirca crucifixus ibidem iubetur eadem die ante vesperam sepeliri, ne contaminet terram. Unde Apostolus Galat. 3. 13. *Christus*, ait, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Similiter apud Romanos et Gentes crux erat infame et horrendum supplicium latronum et scelestorum. Vide Lipsium et Gretserum de Cruce.

Cur Christus crucifixus? Causa ergo cur Christus crucifixus sit, ex parte Iudæorum eum crucifigentium, fuit immane eorum odium in Christum, quo eum ad crucem, velut ad summe infamem et atrocem mortem adegerunt. Ex parte vero Adæ et hominum fuit, quod Adam peccavit in ligno, comedendo sci- A licet pomum arboris vetitæ: quare in ligno Crucis, hoc eius inobedientiæ scelus a Christo expiari decuit et debuit, ut diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur* a Christo. Ex parte vero Dei offensi causa fuit amor iustitiæ, ut per crucem ostenderetur gravitas offensæ Adæ et hominum in Deum, quod scilicet per eam maledictionis æternæ reos se fecerint, adeoque facti sint maledictum: Christus ergo hoc Adæ et nostrum maledictum in se luendum et plendum suscepit, ideoque cruci affixus est; quia pendens in cruce apud Iudæos ex lege iam citata, censebatur maledictus et maledictum. Atrocitas ergo culpæ, quasi ex æque iustitiæ poscebat atrocitatem pœnæ, ut illi condigne satisfieret. Talis autem est pœna crucis. Ex parte Christi, causa fuit immensitas amoris ut per crucem Christus ostenderet quantum nos amarit, utpote pro quibus tam dira et dura passus sit, utque exemplum daret nobis mortificationis, ad assidue crucifigendos concupiscentiæ motus: ac martyrii, ad quamlibet mortem, quantumvis horridam et probrosam, pro ipso et virtute libenter sub- B eundam, uti subiere Martyres, ut Christo crucifixo quod possent par pari, scilicet dolorem dolori, et amorem amori, redderent. Unde S. August. in Psal. 140. *Crucem*, ait, *qua nihil videbatur exsecrabilius, ipse Dominus suscepit, ne discipuli eius mortem quidem, non modo non timerent, sed nec mortis genus horrescerent.* Idem hom. 32. de Sanctis: *Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivatur, crux est atque martyrium.* Plura vide apud Gretserum l. 1. de Cruce cap. 41. 42. et seq. et l. 4. c. 1. et seq. ac D. Thomam, Suarez et Scholast. 3. part. quæst. 48. art. 4. et Cassianum l. 4. de Inst. renunc. c. 34. et 35.

Erit enim ei respectus ex sermonibus illius.) Pro *respectus*, græce est ἐπισκοπή, id est, observatio, visitatio, consideratio, inspectio. Triplex hic potest esse sensus. Primus Clarii, qui vertit: *Ex eius enim verbis et factis inspiciamus quid sit*; et Syri: *Sit autem adversus eum interrogatio ex verbis illius*, q. d. Dum affligetur a nobis, considerabimus, et conspiciemus ex verbis eius qualis sit, ait C Iansen. Aut q. d. Si in cruce potuerimus eum extinguere, cognoscemus mentitum, quando se Dei filium, qui immortalis est, nuncupavit. Ita S. Bonav. Dionys. Lyran. et alii. Aut, ut Osorius et Lorinus, q. d. Crucifigamus eum, ut ex verbis illius, quæ dolor vehemens expresserit, de hominis mente statuamus. Volebant enim Iudæi atrocitate crucis et tormentorum, elicere veritatem ex ore Christi, quasi territus aut cruciatus aliquid locuturus fuerit, quod adhuc noluisset; vel aperte dicturus, quod simulasset, aut dissimulasset. Hic sensus ex græco ἐπισκοπή, respondet, non æque latino *respectus*.

Secundus est Vatabli, qui vertit: *Tractabitur autem secundum dicta sua*, q. d. Quia blasphemavit dicendo Deum suum esse patrem, seque eius esse filium condignas huius blasphemiæ pœnas luet in cruce; et Hugo: *Erit*, inquit, *noster respectus, id est, defensio et excusatio, ut si rogemur cur eum occiderimus, respondeamus. Quia filium Dei se fecit.*

Tertius et magis genuinus est, ut sit ironia, q. d. Deus D respiciet eum et liberabit a cruce, vel suscitabit a morte: hoc enim ipse crebris sermonibus iactavit. Unde Guarinus vertit: *Eius enim ratio iuxta ipsius sermones habebitur.* Hinc et Scribæ obsignaverunt sepulchrum Christi, eique custodes apposuerunt, ne quis corpus furaretur, fingeretque eum resurrexisse: quæ omnia ipsosmet Iudæos condemnaverunt, et Christum verum esse Messiam ac Dei filium demonstraverunt, dum ipse per clausum sepulcrum, præsentibus custodibus, resurrexit, Matth. 27.

Aliter noster a Castro, q. d. Visitabitur et explorabitur a nobis per crucem et tormenta, ut videamus an patientia et constantia ipsius respondeat sermoni. Ipse enim prædicat amorem crucis, patientiæ, constantiæ; experiamur, an ipse in cruce eamdem opere præstet; multi enim prædicant ieiunium bene pasti, continentiam adulteri, humilitatem superbi, mansuetudinem iracundi, crucem lauti et delicati; hoc est ore prædicare, sed opere contradicere.

Hæc cogitaverunt, et erraverunt; excæcavit e- Vers. 21.

NIM ILLOS MALITIA EORUM.) S. Gaudentius serm. 19. legit: *Nequitia cordis eorum.* Lactantius lib. 4. c. 16. *Stultitia ipsorum.* Hucusque verba impiorum, quæ nunc Sapiens acri reprehensione castigat. *Erraverunt*, inquit, et a malitia sua excæcati sunt; malus enim affectus in voluntate trahit ad se rationem et iudicium intellectus, illudque vitiat et corrumpit: facit enim ut ratio ob speciem boni delectabilis apparentem, iudicet id esse eligendum velut melius, quod detestandum est velut peius.

Porro, error hic et cæcitas impiorum multiplex est. Primus, quod voluptatem rationi, vitium veritati, bona caduca æternis præferant. Secundus, quod per hæc mortem et gehennam sibi accersant. Tertius, quod credant hominem instar bestiæ in morte plane interire, nec superesse aliam vitam, eo quod anima hominum sit mortalis, et pereat cum corpore. Quartus, quod iustum, puta Christum, quem ex vitæ sanctitate, prophetiis et miraculis esse filium Dei agnoscere poterant et debebant, velut castigatorem suorum scelerum oderint et crucifixerint. Hi vero in gehenna agnoscunt suum errorem. Unde dicunt c. 5. v. 6. *Ergo erravimus a via veritatis.*

Hinc patet primo, cæcitatem hanc esse gravem, non tantum pœnam, sed et culpam, utpote ex voluntaria malitia promanantem, uti docet D. Thom. 2. 2. q. 15. art. 1.

Secundo, peccatorem proprie et directe seipsum excæcare et obdurare; Deum vero improprie et indirecte. Deus enim, quantum est ex se, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed peccatores hoc lumen recipere nolunt, illique oculos claudunt, eosque aperiunt suis voluptatibus et cupidinibus, quare seipsos vero lumine privant et excæcant: sicut sol radios spargit ubique, sed qui illi fenestram occludit, causa est tenebrarum in domo, non autem ipse sol. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 3. Hoc est quod Iudæis improperat Christus, Ioan. 3. 19. *Lux*, ait, *venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera.* Vide dicta Exodi 7. 3. ubi fuse egi de causa excæcationis et obdurationis.

Vers. 22. ET NESCIERUNT SACRAMENTA DEI, NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT IUSTITIÆ, NEC IUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM.) Ecce hic est impiorum error et cæcitas, isque duplex: Primus, quod *nescierunt sacramenta Dei*; secundus, qui ex primo consequitur, est, quod non *speraverunt mercedem iustitiæ*, nec honorem *animarum sanctarum.* Primum hoc loco prosequitur, secundum cap. sequenti.

Igitur *sacramenta*, vel, ut græce est, mysteria, *Dei*, hoc loco sunt, quæ subiicit, scilicet quod Deus creavit hominem immortalem et ad similitudinem suam; sed homo invidia diaboli deceptus per peccatum illi adhæserit, seque fecerit mortalem et miserum: quodque iustos, quos Deus sinit occidi vexarique ab impiis, præmiet æterna gloria, ut dicet c. sequenti. In cruce ergo latet gloria, et in morte immortalitas. Unde Apostolus: *Mihi*, ait, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* quia in ea *est salus, vita et resurrectio nostra*, ut canit Ecclesia; sed hæc crucis sacramenta ignorant impii, ideoque crucem et Christum crucifixum aspernantur.

Secundo, alii per *sacramenta* accipiunt res quaslibet sanctiores; alii, prophetias et oracula Dei; alii, sacrificia, q. d. impii nesciunt iustos a se occisos esse Dei sacramenta, id est sacrificia et holocausta. Alii aptius accipiunt consilia, iudicia et opera Dei, quibus mundum gubernat, ac præsertim, quibus hominem creavit, ac lapsum per Christi incarnationem et passionem redimere decrevit. Hoc enim operum Dei est summum et maximum; ita Cantacuzenus. De Christi enim nativitate et passione sermo longus præcessit, ac rursum sequitur cap. 18. vers. 14. Magna enim mysteria in passione et cruce Christi sunt recondita, ut Christi resurrectio et exaltatio, Ecclesiæ institutio et sanctificatio, fidelium consolatio, virtus, gratia, gloria, felicitas et omne bonum, quæ ignorarunt impii Iudæi.

Mystice, per *sacramenta* accipias Sacramenta legis novæ, instituta a Christo, præsertim Eucharistiam, cuius typus fuit manna, uti patebit c. 16. 20. Eucharistia enim antonomastice vocatur Venerabile Sacramentum, imo Sacramentorum, quia multa eaque mira Dei arcana continet. Eucharistia mysterium mysteriorum. Unde a Patribus vocatur Sacramentum, mysterium, typus, antitypa; quia sub speciebus panis et vini velat et continet reale corpus, animam, sanguinem, Deitatem et personam Christi, adeoque ipsa est viva repræsentatio, imo exhibitio incarnationis et passionis Christi, de qua hucusque actum est; sicut enim cætera Sacramenta gratiam, quam significant, puta ablutionem a peccatis, reipsa exhibent et conferunt; sic et Eucharistia Christi corpus, quod significat, reipsa exhibet. Sed hæretici nesciunt et non intelligunt hæc Sacramenta Dei, qui volunt ea dumtaxat esse nuda symbola panis, quæ non contineant, sed tantum repræsentent corpus Christi; sed sic longe melius imago pictoris repræsentat Christum, quam aridus modiusque panis et vinum. Et quod, quæso, ibi esset mysterium profundum, divinum et inexplicabile, quod adeo celebrant Patres? repræsentare enim unum per aliud Deo, imo homini, est facillimum. Quare vera Ecclesia et Patres censent hoc Sacramentum esse symbolum rei, puta carnis Christi olim crucifixæ, sed præsentis, non absentis et existentis in cælo. Hoc enim est mirabile, ineffabile, Deoque dignum opus et Sacramentum. Audi Tertul. libro 4. contra Marcionem, sub finem: *Acceptum panem corpus suum illum fecit; Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei; figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus;* quem locum explicui Ierem. 11. v. 19. Et Theod. Dial. 3. qui inscribitur Ἀπαθής, id est, *Impassibilis: Quod si caro in Deitatis naturam*, inquit, *mutata est, quod hæretici* (Eutychiani) *dixere, quamobrem participant antitypa corporis? supervacaneus est enim typus veritate negata.* Pari modo supervacaneus est typus, imo falsus, veritate realis præsentiæ corporis Christi negata. Et Hilarius Papa de consec. dist. 2. *Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis et vinum videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur.* S. Chrysost. homil. 83. in Matth. hoc Sacramentum explicans: *Nos secum*, ait, *in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos corpus suum efficit.* Et S. Cyrillus in illud: *Ego sum vitis. Salvator ait: Qui manducat carnem meam in me manet, et ego in eo. Unde considerandum est, non habitudine solum, quod per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione eius naturali.* S. Ambros. lib. de Mysteriis, et citatur de consecr. dist. 2. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi,* non *ergo corporalis esca, sed spiritualis. Unde et Apostolus de eius typo ait: Quia patres nostri eamdem escam spiritalem manducaverunt. Corpus enim Dei est corpus spirituale: corpus Christi corpus divini spiritus est.* S. Epiphan. contra Melchisedecianos: *Melchisedec*, ait, *proposuit panes et vinum mysteriorum ænigmata, præfiguras et exemplaria.* Nam, ut ait S. Hier. ad Marcellam: *Dum panem et vinum obtulit, mysterium Christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit.* Idem in c. 26. Matt. *Post typicum Pascha ad verum Pascha transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat; ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret.* Et S. Machar. hom. 27. ait: *Quod in Ecclesia operatur panis et vinum, antitypus* (id est, repræsentans præsentem, non absentem) *carnis et sanguinis Domini; et quod qui participant eum, qui apparet, panem, spiritualiter carnem Domini edant.* Eucharistia ergo est mysterium mysteriorum, quia Christum, quem sensibiliter specie panis, seu cibum animæ repræsentat; spiritaliter, id est insensibiliter, quasi Angelum sub specie panis latentem, exhibet vere, realiter et substantialiter.

NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT IUSTITIÆ.) Græce ὁσιότητος, id est, *sanctitatis. Iustitia* enim est complexio omnium virtutum, ipsaque sanctitas.

NEC IUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM.)

Græce ἀμώμων, id est, *irreprehensibilium: sanctæ enim animæ sunt*, quæ in nullo reprehendi possunt. Pro *honorem* græce est γέρας, id est decus, dignitas, præmium, honor, munus, donum, remuneratio. Sensus est, q. d. Impii non secum reputarunt, æstimarunt, uti par erat; quanti honores, quæ coronæ, quæ dignitates, quanta præmia a Deo præparata sint animabus sanctis, quæ in hac vita ipsi servierunt in continentia, puritate, patientia, persecutione, ac proinde ipsarum sortem miseram et infelicem indicantes, tradiderunt se voluptatibus et libidinibus, adeoque ipsas persecuti sunt, bonisque et vita spoliarunt; sed sero experientur agnoscentque suum errorem, quando animæ sanctæ assidentes Christo in iudicio, illorum iudices erunt, illosque condemnabunt ad æternæ gehennæ supplicia, uti explicabit cap. 3. vers. 4. et 5. Aliter explicat Angelus de Paz exposit. in Symb. cap. 23. scilicet, ut per *honorem animarum sanctarum* intelligantur Sancti omnes, quos impii in Christo a se iudicato et damnato tacite iudicarunt et damnarunt.

Vers. 23 Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem.) Græce ἐν ἀφθαρσίᾳ, id est, *in incorruptione*, id est in *incorruptionem*, immortalem, inexterminabilem, qui scilicet mori et a vita exterminari non posset, quamdiu in Dei obedientia et gratia persisteret: Syrus, *sine corruptione*, id est incorruptibilem; sic et Arabicus; Compiut. vertunt, *in integritate*, id est, integrum quoad corpus et animam, vel potius *ad integritatem*, hoc est, ad immortalitatem, et ad statum numquam interiturum. Verti quoque potest: *Deus creavit hominem incorruptioni*, vel *immortalitati*, vel *ad immortalitatem*, si videlicet vellet Deo obedire. Unde S. Athanas. tract. de incarnatione Verbi legit: *Deus hominem condidit ad immortalitatem et imaginem æternitatis suæ, verum invidia diaboli factum est ut mors intraret.*

Post longam de iusti Christique persecutione digressionem redit ad id quod dixit c. 1. vers. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit*, etc. *et non est in illis medicamentum exterminii; impii autem manibus et verbis accersierunt illam*, scilicet mortem. Idipsum deinde longa digressione explicuit, ostendendo quod impii nimia cupiditate voluptatis illecti sævierunt in iustos, præsertim Christum: hac enim ratione accersierunt sibi mortem præsentem et æternam. Eo ergo hic redit. Rursum significat animas non interire cum corpore, quasi illis post hanc vitam nulla restet pro meritis pœna, vel gloria, uti volunt impii et athei, eo quod Deus crearit hominem immortalem, hoc sensu, ut mori non posset, si in sua rectitudine perstaret; quod ergo nunc moriatur, id non ex Deo, sed ex invidia diaboli processit.

Et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.) Legit ὁμοιότητος, id est, *similitudinis*, pro quo Cantacuzenus et Clemens Alex. 6. Strom. legunt, ἰδιότητος, id est, *proprietatis*, q. d. Homo est imago divinæ naturæ, quæ Deo est propria; vel homo est imago divinarum proprietatum, attributorum et dotum, quæ Deo sunt propriæ. Unde Guarin. vertit, *et imaginem propriæ similitudinis fecit illum*; Vatabl. *et eum ad imaginem propriam fabricavit*; alii legunt ἰσότητος, id est *æqualitatis*; alii, ἀϊδιότητος, id est *æternitatis*, q. d. Homo factus ad exemplar Dei immortalis et æterni, pariter immortalis est et æternus. Unde Nicetas in Orat. 42. Nazianz. legit: *Et imaginem æternitatis suæ fecit illum.* Sic quoque legit S. Epiphan. et S. Athan. lib. de Incarnatione Verbi. Distinguunt nonnulli imaginem, a similitudine, quod imago sit naturæ, similitudo gratiæ et sanctitatis: ut homo sit ad imaginem Dei, quia pollet naturali intellectu, voluntate et libertate, sicut pollet Deus: idem sit ad similitudinem Dei, quia conditus est in sapientia, gratia et sanctitate, quæ sunt dotes propriæ Deo. Verum melius sanctus Augustinus in Deuteronom. quæst. 4. et alii censent similitudinem esse eamdem, cum imagine, sed illi addidere auxesin, q. d. Deus creavit hominem ad imaginem similitudinis suæ, id est, ad imaginem sibi valde similem. Hæc imago inchoata sita est in natura, sed plene perficitur in gratia: in natura, quia animæ rationalis in usu rationis, voluntatis, liberi arbitrii, item in incorruptione et immortalitate, similis est naturæ divinæ; in gratia, quia Adam conditus in gratia et iustitia originali, repræsentabat Dei iustitiam et sanctitatem.

Igitur imago Dei in homine invenitur, primo, in ratione et intellectu; deinde in arbitrii libertate, quæ ex ratione velut radice manat, propter quam duo homo capax est omnis dominii. Ita passim Patres, qui proinde contra Origenem docent hanc Dei imaginem in homine etiam post peccatum mansisse et manere. Verum, quia hæc imago primitus a Deo exornata fuit, et simillima facta Deo per gratiam, sapientiam, iustitiam et alias virtutes, quæ peccato deperditæ sunt, hinc subinde S. Augustinus, S. Basilius et Cyrillus dicunt imaginem hanc, aut potius similitudinem Dei in homine per peccatum periisse; imaginem non quamvis, sed apprime planeque similem intelligentes. Vide dicta Genes. c. 1. v. 26. et c. 5. v. 1.

Vers. 24 Invidia autem diaboli (Luciferi, qui tentavit Evam et Adamum) mors introivit in orbem terrarum.) Hic assignatur causa peccati, et mortis ex eo consequentis, scilicet invidia diaboli; quia enim cælo et beata immortalitate diabolus ob superbiam depulsus, vidit sibi cuique in cælo thronis a Deo surrogari hominem, illi, æque ac Deo hanc gloriam invidit, adeoque illum ad comestionem pomi vetiti tentando induxit, et in mortem, tum corporis, tum animæ præcipitavit: ita S. Ambr. lib. de Paradiso, c. 12. et alii. Igitur invidia diaboli fuit, quod ipse lapsus in peccatum et mortem gehennæ, ideoque homini ad lapsum locumque suum reparandum creato, invidens gratiam, vitam et gloriam, eum ad peccatum, indeque ad mortem sollicitavit et impulit. Invidia ergo diaboli facta est malitia hominum. Unde S. Ambrosius lib. de Fide resurrect. legit: *Malitia hominum mors introivit in orbem terrarum.* Additque: *Etsi bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ. Moritur enim natura, malitia moritur. Resurgit quod fuit, atque utinam ut iam peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris*, etc. *Resurget enim natura eadem iam stipendiis mortis honoratior.* Mors enim et miseriæ huius vitæ patienter a Sanctis toleratæ, merentur beatam immortalitatem et vitam gloriæ sempiternæ.

An primum diaboli peccatum invidia? Hinc Patres invidiam vocant *peccatum diabolicum*, ut S. Aug. epist. 28. S. Greg. 31. Moral. c. 34. Cassianus collat. 18. c. 17. et alii. Porro Patres nonnulli censent primum Luciferi peccatum fuisse invidiam, qua invidit homini imaginem Dei. Ita S. Cypr. tract. de Zelo et livore, S. Basil. h. 11. de Invidia, Tertull. l. de Patientia c. 5. Irenæus l. 4. c. 78. Verum melius alii censent primum Luciferi peccatum fuisse superbiam, qua sibi nimis complacens, voluit plus esse quam erat, ac quasi quidam Deus cæteris creaturis eminere et dominari; ex qua secuta est invidia: nisi dicas superbiam Luciferi in eo constitisse, quod humanitati Christi unionem hypostaticam cum Verbo inviderit, eamque sibi appetierit. Aliam enim nullam proprie dictam æqualitatem Dei appetere potuit. Ita S. Bern. ser. 17. in Cant. Rupert. lib. 8. in Ioan. ad illa: *Ille homicida erat ab initio*, Alex. Alensis 3. p. q. 2. n. 13. idemque censent hoc tempore nonnulli Doct. Scholastici, ut Catharinus, Viguerius, Naclantus, Ruardus, Dionys. Molina, Martinengus et alii, quos citat Gabr. Vasq. 1. p. q. 63. disp. 233. c. 4. et Franc. Suarez, l. 7. de Angelis, cap. 13. ubi hanc sententiam valde probabilem asserit, multisque confirmat.

Denique Cæsarius Arelat. hom. 23. asserit *tot dæmonibus esse occupatum hominem, quot vitiis. Qui superbus est*, inquit, *diabolo plenus est; quod autem, qui invidus est, sine dæmone esse non potest, dicit Scriptura: Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* S. Chrysost. vero hom. 22. et 47. in Gen. *Invidiam* dicit *diaboli inventum, pestem perniciosissimam, vitiorum teterrimam; malam bestiam super omnia vastantem salutem nostram.*

Epitheta et damna invidiæ. Unde eapropter concludit S. Basil. hom. de invidia: *Fugiamus ergo, fratres, intolerabile malum; serpentis est*

præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum privatio. Nam et ipso fatentur ore hoc vitium invidi; aspectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, etc. anima ipso morbo suffusa, providentiam in dignoscenda veritate, ac rebus gerendis minime habens. Et S. Chrysost. homil. 45 ad Pop. *Huius, quæso, vitii pestem fugiamus; omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, et ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est inventum; et propterea Sapiens dicebat: Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum.* Et Nyssen. supra: *Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix,* etc. Et Cyprian. lib. de Zelo: *Quale malum est, fratres, quo Angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est is qui decipit?*

Denique S. Aug. serm. 83. de Tempore: « Et ideo, inquit, observemus, fratres, vitii huius incursum, ne forte participes operis diaboli inveniamur, et pari cum illo sententia condemnemur, sicut scriptum est: Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte eius. Quod malum lædit parum aliquid alium eos, in quos intenditur; gravius tamen et perniciosius eos prius a quibus procedit, affligit. Sicut enim ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit et consumit. Et sicut aiunt viperas dilacerato et dirupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci; ita et invidia naturæ illam ipsam animam, a qua concepta est, et consumit, et perdit. Qualis hæc animæ tinea est? quæ cogitationum tabes pectoris? quanta rubigo velare in homine donum Dei, et in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam: velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerant? »

Vers. 25 IMITANTUR AUTEM ILLUM QUI SUNT EX PARTE ILLIUS.) q. d. Impii imitantur diabolum, quasi suum parentem, ut mortem, quam ipse sua invidia in orbem invexit, in se aliosque peccando et invidendo propagent, dum eius pravis suggestionibus consentiunt, uti consensit Adam. Moriuntur ergo, quia diaboli, qui auctor est mortis, instinctus sequuntur: iusti vero, quia Deum Deique inspirationes sectantur, ab eo donantur vita et felicitate æterna. Unde sequitur: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.*

Pro *imitantur* græce est πειράζουσι, id est, *tentant*: qui enim imitatur, tentat et experitur eam rem, quam vult imitari, ait Iansen. Hinc secundo valde apposite sic cum S. Basilio hom. de Invidia, S. Aug. 4. de Bapt. contra Donat. c. 8. et Christ. a Castro exponas: Tentant illum, vel imitantur, aut conantur imitari illum, qui sunt e parte eius; hoc est, diabolus invidia motus mortem invexit in mundum, et protoparentes nostros interemit, et omnes quotquot eius sequuntur factionem, conantur illum imitari occidendo filium Dei, sicut ille occidit Adam Dei filium charissimum; sed frustra id tentabunt aut conabuntur, quia *iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum.* Placuit hic sensus Patribus: Tertull. l. de Bono pacis, c. 5. *Quod enim*, inquit, *ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit et filium ab homicidio incipere;* Cypriano in ep. de Zelo et livore, dum ait: *Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est: Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius. Hinc denique nova fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iustum Cain zelat iniustus; et quod Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit; et quod Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit. Saul quoque rex ut David odisset, quid aliud, quam zeli stimulus provocavit? Et ne longum faciam singulos recensendo Iudæi nonne inde perierunt, dum Christo malunt invidere, quam credere?*

Hoc est quod Iudæis ait Christus, Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio,* q. d. Sicut diabolus occidit Adam, sic vos eius filii me vultis occidere.

Alii græcum πειράζουσι vertunt proprie, *experiuntur,* q. d. Impii experiuntur mortem (θάνατος, id est mors, enim græce est masculini generis) qui sunt ex parte et sorte eius, scilicet diaboli, qui nimirum diaboli, a quo mors est introducta, superbiam, invidiam et scelera imitantur. Et sic fere eodem redit sensus: ita Osorius, Iansen. Vatabl. Unde apte finis capitis connectitur initio sequentis. Sequitur enim per antithesin: *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.*

Huc accedit Cantacuzenus: *Nemo namque magis*, inquit, *mortis malitiam participat, quam qui se prorsus dignum reddidit, qui esset in illius partibus.* Hic auctor, uti et alii τὸ *ex parte illius* referunt ad mortem: eo enim ex Græco referri potest; melius tamen refertur ad diabolum. Utrumque verum. Impii enim, tam sunt partis sortisque diaboli, quam mortis. In regno enim mortis rex est et principatur diabolus. Hinc S. Bonav. explicat, q. d. *Imitantur diabolum, qui sunt ex parte mortis*, id est morti destinati, puta qui sunt mortis pars et pabulum.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iustorum quos impii persequuntur, præsertim Martyrum, describitur felicitas et gloria: impiorum vero infelicitas, ac nominatim in generanda prole sterilitas, vel nequitia, quod scilicet uxores habeant insensatas et adulteras, ideoque filios adulterinos et nequissimos; cum contra pii, casti, castas probasque habeant coniuges ac proles.

1. IUSTORUM autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipientium mori: et æstimata est afflictio exitus illorum. 3. Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. 4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. 6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. 7. Fulgebunt iusti, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. 8. Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. 9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis eius. 10. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt; qui neglexerunt iustum et a Domino recesserunt. 11. Sapientiam enim et

disciplinam qui abiicit, infelix est: et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. 12. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum. 13. Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: et incoinquinata quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. 14. Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ. 16. Filii autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. 18. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. 19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Vers. 1 IUSTORUM ANIMÆ (Arabicus, *animæ beatæ*) IN MANU DEI SUNT, ET (id est, *idcirco*) NON TANGET ILLOS (Syrus, non *appropinquat eis*, vel *non accedit ad eos*) TORMENTUM MORTIS.) Nexus huius capitis cum præcedenti est facilis et obvius. Ibi enim descripsit acerba odia, quibus impii persequuntur iustos usque ad necem et mortem etiam turpissimam. Ne quis ergo impios, velut rerum dominos, felices; iustos vero utpote ab eis oppressos, infelices existimet: idcirco hic contrarium ostendit, ex eo quod iustorum animæ post mortem transeant ad vitam beatam, ubi degunt in domo, imo in manu Dei, cum ex adverso impiorum animæ post mortem primam corporis transeant ad secundam gehennæ, eamque æternam, ubi sunt in domo, imo in manu diaboli. Per *iustos* hic quoslibet, sed maxime pro iustitia patientes, puta Martyres, intellige. Unde Ecclesia hæc legens in officio Ecclesiastico applicat Martyribus. Sensus ergo est, q. d. Mors, a Martyribus obita pro Christo, non eos affligit, sed delectat. Non dolent in exitu, nec horrent in transitu, nec pudefiunt in conspectu et iudicio Domini, quod est mortis triplex tormentum impiorum. Ex hoc loco probat S. Epiphan. lib. 2. contra hæreses c. 36. animam hominis esse immortalem, æque ac resurrectionem corporum. Anima enim in morte non interit sed superest, vivit degitque in manu Dei, ut illam in fine mundi corpori rursus uniat, resuscitet et beet. Rursum Theophylact. in c. 8. S. Matth. Anima, inquit, e corpore egressa in mundo non errat, neque vagatur, uti Gentiles putavere: *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt*, peccatorum vero animæ et ipsæ hinc abducuntur in gehennam, ut anima divitis Epulonis. Sumpsit hoc more suo Theophyl. ex S. Chrysostomo hom. 29. in Matth.

IN MANU DEI SUNT.) S. August. in Ps. 118. ait plures legere, *in manibus tuis*, scilicet, o Deus. *In manu*, id est in peculiari cura, providentia, tutela, protectione, conservatione, corroboratione, directione, remuneratione, beatificatione et glorificatione *Dei sunt*, q. d. Deus iustorum Martyrumque animas in hac vita, et in ipsis tormentis protegit, conservat, corroborat, ut illa superent, fidemque Deo datam servent, ac multo magis post mortem easdem æterna gloria donat et coronat. Hoc posterius magis huic loco est proprium et genuinum.

Iustus portatur manu Dei.

Moraliter portatur iustus manu Dei. Primo sicut puer manu matris vel nutricis, iuxta illud Osee 11. 3. *Et ego*
Ose. *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis,*
I. *et nescierunt quod curarem eos.*

II. Secundo, sicut charta est in manu scriptoris, ut in ea scribat et pingat quidquid velit, iuxta illud Isaiæ 49. 16 *Ecce in manibus meis descripsi te.* Sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos, non calamis, sed clavis, non atramento, sed sanguine, ut amorem suum eximium in eos testaretur, utque eos in gratia confirmaret, et solidaret, iuxta illud Ioan. 10. 28. *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas* (oves meas) *quisquam de manu mea.* Unde sicut Spiritus sanctus dicitur *digitus Dei Patris*, Lucæ 11. 20. sic consequenter Filius dicendus est *manus Dei Patris*, quia medius inter Patrem et Spiritum sanctum, sicut manus media est inter brachium et digitum.

III. Tertio, sicut annulus est in manu regis, æque etiam pretiosa est anima iusti in manu et oculis Dei. Vide Ierem. cap. 22. 24. Eccli. 49. v. 13. Aggæi 2. 24. et quæ illis locis annotavi. Unde Isaias c. 62. 3. *Eris*, ait, *corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.*

Quarto, sicut æger vel debilis est in manu confortantis, IV.
iuxta illud Ezech. 3. 14. *Manus enim Domini erat mecum, confortans me.*

Quinto, sicut lilia, rosæ et flores sunt in manu odorantis: sic etiam animæ sanctæ fragrantem odorem exhalant V.
in nares Dei, Deoque placent in odorem suavitatis: *Christi enim bonus odor sumus Deo*, 2. Corinth. 2. 15.

Sexto, iustorum animæ in manu Dei sunt, sicut materia, vel instrumentum est in manu artificis, ut eos tunsionibus, pressuris, patientia, omnique virtute et gratia expoliat; et sicut gladius est in manu militis ad occidendum hostem. Unde S. Chrysost. hom. in hæc Sapientiæ verba: *Iustorum animæ*, etc. quæ exstat in fine t. 1. *In tua pugna*, inquit, *Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur et victoria tibi adscribitur. Certamen tuum Dei certamen est, prælium tuum Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tua virtute devincas? prehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille qui vinci non novit.* Et post nonnulla: *Alios enim post unum certamen ad alias victorias Dominus servat, alios consummato martyrio iam coronat, alios victores retinet in exemplum, alios iam perfectos transmittit ad cælum, alios frequenter desiderat videre certantes, alios passione iam meritos imponit regnis cælestibus triumphantes, ut imperatoris Christi ab omnibus dignatio collaudetur, qui in suis et semel et frequenter hostem devincit, et quem quomodo pugnare viderit, munerabit; tantum contra hostem excitetur animus, exeratur virtus et devotio præparetur, ut procedens miles ad bellum vel primo prælio coronetur, vel frequentibus tropæis palmarum numero honoretur.* VI.

Septimo, iustorum animæ sunt in manu Dei, quæ scilicet eis coronas imponit, ac lucem, vitam et gloriam espirat. Unde Theodorus Patriarcha Alexand. in Concil. Nicæno II. act. 3. « Sancti, ait, sunt promptuaria Dei, et pura Christi habitacula, Spiritusque sancti immaculata specula: quin etiam animæ eorum in manu Dei sunt, ut scriptum est Sapientiæ 3. Deus enim est vita existens, cum ergo Sancti in manu Dei sint, in vita et lumine necessarium est ut existant. » Et Damascen. lib. 4. de Fide c. 16. « Quod iustorum animæ in manu Dei sint, et non tangat illos mors, dicit divina Scriptura Sapient. 3. Nam mors sanctorum dormitio magis est quam mors: laboraverunt etiam in præsenti sæculo, et vivent in æternum, Ps. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius; at quid pretiosius, quam in manu Dei esse? vita enim est Deus et lux: et qui in manu Dei sunt, in vita et luce existunt. » VII.

Animæ ergo iustæ, ait Damascen. in manu Dei sunt, *dulci somno, mente vigilante dormientes*, sicut puer secure dormit in sinu matris, iuxta illud Isaiæ 51. 16. *In umbra manus meæ protexi te*; et Deut. 33. 3. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Præclare S. Ambros. in Psal. 118. Octon. 3. expendens illud Thren. 4. *In umbra tua vivemus: Christus*, inquit, *vita est, et qui in umbra Christi vivit, in umbra vitæ est. Nobis expandit manus suas Iesus, ut totum mundum obumbraret, quomodo non sumus in umbra, qui crucis eius protegimur velamento? quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus a malignitate sæculi et corporis ardore defendit?* Sancti

ergo in periculis, in tormentis, in morte et martyriis non pavent, sed hilarescunt ac veluti leones impavidi dicunt cum Psalte Psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea* (ex Hebræo vertas: *Dominus lux mea*, puta sol meus, ut *Iesus meus*) *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Et non tanget illos tormentum mortis.) Pro *mortis* aliqui legunt, *malitiæ*: neutra vox est in Græco, qui sic habet: *Et non attinget eos cruciatus.* Sic et Syrus et Arabicus. Noster ergo voci *tormentum* adiecit τὸ *mortis*, quia tormenta ducunt ad mortem, et Martyres occidunt; alludit enim ad illam impiorum vocem c. 2. v. 19. *Contumelia et tormento interrogemus eum*, hoc est, ut mox explicant, *morte turpissima condemnemus eum.* Summum enim tormentum est mors ignominiosa. Sensus est q. d. Quia iustorum animæ in potenti Dei manu et tutela sunt; hinc etiamsi ab impiis affligantur et torqueantur, tamen tormenta hæc vel non sentiunt, uti multi Martyres non sensere suos cruciatus et dolores; vel certe ea forti excelsoque animo superant et transcendunt, ut in iis gaudeant et exsultent, nec dolores, sed favores Dei æstiment. In ipsa vero morte non sentiunt eius agoniam et tormentum, quia iam anima eorum a corpore per desiderium quo ad cælum Deumque anhelant, quasi est separata, ut cupiant optentque dissolvi, et esse cum Christo: multo minus tangit illos tormentum mortis secundæ in gehenna. Abest ergo a iusto angor moriendi, periculosus cum diabolo conflictus, æterna damnatio, neque confunditur cum loquitur inimicis in portis, ait S. Hieron. epist. 34.

Rursum, *tormentum mortis* est, quo impii torquent iustos adiguntque ad mortem, quasi ad plenum interitum summumque malum: censent enim animam interire cum corpore, q. d. Torquebimus iustos, tum tormentis vitæ, tum tormento mortis; ut in morte doleant, quod vitam exegerint in doloribus, pœnis et pœnitentiis, simulque quod in morte omnis eorum vita, spes et voluptas finienda sint, sine ulla alterius vitæ spe vel recompensa: quod sane, si verum esset, esset ingens tormentum adeoque tormentum mortis. Nam si *in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ait Apostolus 1. Cor. 15. 19.

Verum hoc tormentum non tangit iustos, quia credunt certoque sperant alteram vitam et gloriam æternam. Quare potiori iure dicunt id quod Anaxarchus Nicocreonti Cypri tyranno dixit, cum eius iussu in pila tunderetur: *Tunde, tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum* (animam) *enim non tundis*, uti refert Cicero Tuscul. 2. Unde explicans subdit: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

Tormentum mortis. *Tormentum* ergo *mortis* quinque significat: Primo, tormenta acria et mortifera, vel æqualia agoniæ mortis, qualia tyranni intulere iustis: sed hæc eos non tetigerunt in
1. actu perfecto, hoc est non eos penetrarunt, non cruciarunt: sed potius hilares, fortes et gloriosos effecerunt. Sic Christus resurgens ait Magdalenæ: *Noli me tangere*, id est noli hic desidere me tangendo; sed vade, nuntia Apo-
2. stolis mœstis, me resurrexisse, Ioann. 20. 17. Secundo, ipsam agoniam mortis, quando anima separatur a corpore: hæc enim ingens est tormentum impiis, non vero iu-
3. stis ob spem et transitum ad meliorem vitam. Tertio, ipsam animæ mortem et interitum, quam iusto se inferre censent
4. impii, sed errant. Quarto, tormentum gehennæ quæ est
5. mors secunda et æterna. Quinto, tormentum malæ conscientiæ, quod dicitur mortis, quia acerrimum, et quia in morte ob instans iudicium et gehennam maxime moribundum torquet et torquebit in æternum. Audi S. Bern. l. 5.
Gnome. de Consider. « Hic est, ait, vermis, qui non moritur, memoria præteritorum: semel iniectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus; nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori ut non moriantur in æternum? Quid nisi mortem beneficio mortis, aut finire, aut evadere volunt? Denique invocabunt mortem, et non veniet, » Apoc. c. 9. v. 6.

Praeclare idem Bern. ser. 41. inter parvos: « Mors, ait, peccatorum pessima, mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Peior in dissolutione carnis, a qua avelluntur eorum animæ a spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni quando corpus et anima perpetuis simul addicuntur ignibus. E contrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies a labore, fit iucunditas de novitate, fit securitas de æternitate. » Idem alibi: « Est, ait, in morte malorum dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu. Sed certe, inquit Holcot, ista non erunt in morte iustorum, imo pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Unde dicit quidam Sanctus: Mors nihil aliud est quam exitus animæ de carcere, finis exilii, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. »

Visi sunt oculis insipientium mori (interire, tam anima, quam corpore) et æstimata est afflictio exitus illorum.) Pro *afflictio* græce est κάκωσις, id est *malitia*, id est miseria, ærumna, afflictio. Syrus et Arabicus, *æstimata sunt illis* (impiis) *damna* vel *læsiones*, q. d. Sicut miser fuit piorum ingressus in vitam, sic et miser fuit exitus. Misere nati sunt, misere vixerunt, miseri mortui sunt. Tota ergo eorum vita non aliud fuit quam continua miseria, totum esse et existere eorum fuit miserum, ut non nisi ad miserias nati factique videantur. Ita ratiocinantur insipientes sed insipienter. Audi S. Bern. ser. 2. de Petro et Paulo: « Quantos, dum paterentur Apostoli, credimus affuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent: visi sunt enim oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium. Mihi autem (ait Propheta) nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum, Psal. 138. Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in oculis sapientum indicantur potius obdormire. Denique et Lazarus dormiebat, quia amicus erat: et cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, Ps. 126. Studeamus, fratres, vivere vita iustorum, sed morte eorum mori multo magis desideremus. » Vers. 2.

Et ab itinere iusto abierunt in exterminium.) Ita legunt passim codices; quin et Lucifer. Calar. Apolog. pro S. Athanas. sed hæc delent Rom. et Græc. ac Missalia antiqua et codex manuscriptus Montis Amiati.

Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.) Ita lege cum Romanis et Græcis. Vers. 3. Perperam ergo in nonnullis legitur, *extermini*, licet eodem redeat sensus, q. d. Exitus iustorum ex hac vita, quod est quasi iter, quo iusti exierunt *a nobis*, id est a societate hominum, *exterminium* scilicet æstimatum est ab impiis, puta plenus interitus et exitium, quo plane exterminarentur et exstinguerentur; cum tamen hic exitus iustis sit ingressus in pacem, id est in requiem et vitam æternam. Nam ut ait S. Augustinus, 13. Civit. 4. tantam Deus præstitit gratiam fidei, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum sit, per quod transitur ad vitam. Vide hic paradoxum: *Mors iustis est principium et ianua vitæ.* Unde pro *iter*, græce est πορεία, id est profectio, migratio, q. d. Mors non est aliud quam profectio ad vitam beatam. Hinc Themistius apud Stobæum ser. 120. θάνατον, id est mortem dictam censet, quod hominem e vita migrantem ἄνω εἰς θεὸν, id est sursum ad Deum, et ad divinam sedem transferat. Et Cicero Tusculan. 1. *A malis*, inquit, *mors abducit, non a bonis, et mors non est interitus omnia tollens atque delens, sed quædam quasi migratio commutatioque vitæ, quæ claris viris et fœminis dux in cælum solet esse.* Hinc Syrus vertit: *Et tanquam contritus est exitus eorum a nobis*; Guarinus: *Eorumque*

exitus ærumna est existimatus; Vatablus: *Calamitosus existimatur exitus eorum, et discessus eorum a nobis exitialis, cum illi fruantur felicitate.*

Sensus ergo est, q. d. Iustorum exitus ex hac vita tribulationibus et cruciatibus plenos, perinde ab insipientibus æstimatur malus et calamitosus, ac si ob admissum facinus e patria in exilium inviti pellerentur. Sed revera est longe secus; nam a molestissimo exilio in optatissimam patriam placidissime revocantur. Vere enim usurpare possunt illam Apostoli vocem, 2. Cor. 6. 9. *Quasi morientes et ecce vivimus:* et luculenta illa S. Cypriani verba de Mortalitate: *Ad immortalitatem morte transgredimur. Nec potest vita æterna succedere nisi hinc contigerit emigrare; non est exitus iste, sed transitus.*

Pro *exterminium* græce est σύντριμμα, id est contritio, confractio, ducta videlicet metaphora a vasis testaceis, quæ ubi semel casu minutatim confringuntur, reparari deinde ac rursus refici nequeunt, iuxta illud Ier. 19. 11. *Sic conteram civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Sic iustorum obitus mundanis, qui præsentia tantum norunt, æterna ignorant, apparet miserrima contritio, funestissimus exitus, et quasi prorsus irreparabilis interitus. Sed aberrant cæci quam longissime: *scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis,* 2. Cor. 5. 1. Hinc in Martyrolog. dies mortis Sanctorum vocatur dies eorum natalis, quo scilicet mortui vitæ huic, imo morti, renati sunt beatæ immortalitati, atque ex hac vita, tamquam ex utero obscuro, in vivorum regionem evolant, ait Orig. lib. 3. in Iob. Quin et Brachmanes apud Strabon. lib. 15. dixerunt mortem esse nativitatem ad veram felicemque vitam. Vide quam dispar, imo contrarium sit iudicium sapientum, etiam Gentilium et insipientium, sive impiorum, de vita et morte. Nam Plato in Gorgia citat illud Euripidis: *Quis novit utrum vivere mori sit, mori autem vivere?* Et Maximus Tyrius Platonicus, serm. 25. ait: *Hoc quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitatis initium, et futuræ vitæ procreatio.* Et Naz. orat. de vita humana: *Haud scio, ait, an hæc vita nostra mors potius dicenda sit et mors e contra vita nomine nuncupanda, tametsi aliter vulgo videatur.*

Illi autem sunt in pace.) Hebræi *pacis* nomine omne bonum omnemque felicitatem significant. Vita æterna ergo est pax, in qua plene requiescunt iusti liberi ab omni miseria, dolore, periculo, ac pleni omni felicitate, gaudio, securitate; unde dicunt iubilantque perenniter: *In pace in idipsum, dormiam et requiescam,* Psal. 4. Sic Isaias beatitudinem iustorum describit per parem et commoda pacis, cap. 32. 17. *Et erit, ait, opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.*

Adde, ante Christum, quando scriptus est hic liber, necdum iustis patuisse aditum in cælum ad videndum Deum; sed animas eorum descendisse in limbum patrum, puta in sinum Abrahæ, ibique quieta expectasse Christum, qui cælum reseraret. Hic ergo locus quietis recte vocatur *pax;* tum quia iusti a bello quod in hac vita gesserunt cum concupiscentia, eiusque impietate de impiis, transeunt ad pacem: tum quia mors omnibus huius vitæ laboribus, miseriis, passionibus finem imponit, itaque homines constituit in quieta tranquillitate; tum quia iustos deducit ad sinum Abrahæ, in quo erat magna sanctorum patrum pax, lætitia et gaudium, præsertim ob spem futuræ beatitudinis dandæ per Christum. Hinc nomen regni cælorum non invenitur in veteri Testamento, ait S. Chrysost. homil. 4. in Marcum; sed primus illud nominavit et prædicavit S. Ioannes Baptista, dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum,* Matth. 3. Aliis tamen nominibus idipsum priscis fuit agnitum. Crediderant enim et sperarant ipsi resurrectionem mortuorum sanctam et beatam, ut patet Iob 19. 25. Isaiæ 26. 19. Dan. 12. 2. 2. Mach. 7. 9. et alibi.

Gnome

Limbus vocatur pax, cur?

Et si coram hominibus tormenta passi sunt (Græce κολασθῶσιν, id est, puniti, animadversi, castigati, malis affecti sint) spes illorum immortalitate plena est.) Vatabl. *Etenim dum cruciantur in conspectu hominum, spem alunt immortalitatis plenam.* Loquitur de iustis qui tribulationes et persecutiones patiuntur, sed maxime de Martyribus: hos enim in tormentis, sustentat et roborat spes gloriæ, quæ postea mox vertitur in rem ipsam. Tormenta ergo Martyres consecrant, et in ipsa passionis probatione sanctificant, ait S. Cyprianus de Exhort. Martyr. cap. 12. qualia passi sunt Machabæi ab Antiocho, ac Iudæi sub Ptolomæo Lagi, qui primus Alexandro Magno successit in regno Ægypti, ac vicinos Iudæos oppressit, teste Iosepho, sub cuius tempora hic liber scriptus videtur. Ad illorum ergo passiones et martyria hic alludit. Vers. 4

Spes illorum immortalitate plena est.) Primo, *spes* accipi potest metonymice pro re sperata, puta pro mercede et præmio, q. d. Merces iustorum afflictorum et Martyrum, quam in hac vita sperarunt, et iam possident in cælis, est plenitudo immortalitatis, divitiæ non periturae, copia bonorum non deficientium, ait Ioan. Alba Electorum, c. 83. Audi S. Cypr. de Exhor. Martyrum, c. 12. *Quæ spes et merces maneat Martyres, post conflictationes huius temporis et passiones per Salomonem Spiritus sanctus ostendit et prædicavit, dicens: Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Hoc est quod ait Iob c. 11. 17. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Et Apost. Hebr. cap. 11. vers. 35. *Distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt,* etc.

Spes immortalitatis. I.

Secundo, *spes* proprie accipi potest, q. d. Martyres et in vita et in morte, ac multo magis post mortem, parta iam victoria, sperant plenam immortalitatem. Hanc enim sperabant iusti illius ævi vita functi, se brevi adepturos per adventum Christi. Hinc patet in animabus patrum in Limbo, æque ac iis quæ sunt in Purgatorio, manere spem, etiamsi ipsæ certæ sint de sua salute. Probat id Franc. Suarez tr. de spe disp. 1. sect. 8. dicto 3. Primo, quia in eis manet fides et charitas: ergo et spes, quæ media est inter fidem et charitatem. Secundo, quia nondum obtinent beatitudinem; ergo eam sperant. Tertio, quia nulla est in eis causa corruptionis spei, neque sunt in tali statu, in quo spei sint incapaces. Dices: Illis non est ardua consecutio beatitudinis; nam potius iudicant esse necessariam, et impossibile iudicant eam amittere, neque hoc proprie timent. Respondetur non esse necessarium ad spem, ut consecutio boni sperati apprehendatur ut difficilis, id est dubia, vel quæ possit impediri, sed satis est si apprehendatur ut excedens naturæ perfectionem, et hoc etiam modo animabus Purgatorii offertur uti ardua, consecutio beatitudinis. Unde non est de ratione spei, ut possit semper habere coniunctum timorem servilem proprie dictum cum anxietate: quare si etiam in hac vita Deus revelaret alicui suam gratiam et perseverantiam in illa, nihilominus posset vere et proprie sperare, quamvis non posset ullo modo timere. Hinc sequitur in patribus veteris testamenti mansisse veram spem usque ad Christi adventum. Patet ex ratione dicta, et quia peculiariter sperabant adventum Messiæ; unde de illis dicitur vers. 4. *Spes illorum immortalitate plena est.* Et hæc ita sunt certa, ut non sit dissensio ulla. Hucusque Suarez, qui et addit in animabus quoque iam in cælo beatis manere habitum spei, imo et actum secundarium, quia actu sperant resurrectionem et gloriam corporis.

II.

In Purgatorio manet spes. Prob. 1. 2. 3.

Hæc spes excitavit Martyres, ut non tantum tormentis se offerrent, sed et ambirent, ac maiora exposcerent. Audi S. Ephrem Encomio in omnes S. Martyres, sub initium: « Sic quippe S. Martyres toto se corde et animo tradiderant Deo, ut deinceps et ipsam mortem, et cunctas inimicas tyrannorum insidias contemnerent, parati ad perferenda verbera, et tormentorum necessitates, diversosque totius corporis cruciatus. Terga in lororum dederunt

Spes acuit Martyres.

sectiones, et in varias fibrarum atque medullarum concisiones. » Et post nonnulla: « Quin et ossa ipsorum immaniter confringebant; atque ideo virtutem a Deo accipiebant, ut cunctas fortiter passiones sustinerent, et quasi sensus doloris expertes, sese ad quascumque insidias gerebant, et tamquam in alienis corporibus paterentur; imo et principibus ipsis atque iudicibus audacter insultabant, et ad maiorem eos iram excitabant, dicentes: Si graviora habetis tormenta, admovete nobis; hæc enim nullius momenti sunt. Quare etiam illi magis incensi, iraque effervescentes, velut immanissimæ feræ adversus ipsos rugiebant, vocatisque lictoribus vehementius sancta fortium pugilum corpora cædenda dilacerandaque curabant. Illi vero vicissim ad præfectos ac iudices: Ubi sunt, inquiebant, suppliciorum vestrorum minæ? nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, percussores imbecilles, et gladii vestri ligna marcida; nihil quod nostræ respondeat promptitudini atque alacritati, habetis; ad plura et maiora toleranda parati consistimus. »

Exempla. Vis exempla? accipe. Hac spe animatus S. Quirinus Martyr, pater S. Balbinæ virginis et Martyris, sub Alexandro I. Pont. ad Aurelianum Comitem intrepide dixit: *Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod libet; omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, non secus ac famelici ad panem, parati sumus.*

S. Sabina Martyr Antiocho præsidi S. Seraphiam vexanti constanter exprobravit: *Canis rabide Asiatice, noli in tuam perniciem sanctam Dei virginem, et dominam tuam iniuriis afficere.*

S. Hesteria virgo et Martyr Bergomas ad præsidem: *En*, inquit, *cervix mea præsto est, in hanc sævito; hanc pro Christi Domini mei fide libenti animo trado.*

S. Sylverius Pont. et Martyr sub Iustiniano Imp. relegatus in Pontiam insulam, ad Amatorem Episcopum scribens: *Sustentor*, inquit, *pane tribulationis et aqua angustiæ, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.*

S. Genesius ex mimo Martyr sub Diocles. dum in eculeo suspenderetur, ungulis laceraretur, lampadibus ureretur, dicebat: *Non est Deus præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteris.*

S. Eusebius, Pontianus, Vincentius et Peregrinus Martyres Romani sub Commodo Imper. cum in eculeo torquerentur, nervis et fustibus cæderentur, asserebant tortoribus: *Nolite remittere; nunc enim nobis tempus, quum nobis animus pro Christo patiendi, deficiet.* Cumque Vitellius præses constantiam eorum admiratus, eos magis præditos, in tormentis lætari diceret, Vincentius respondit: *Non gaudemus nisi in Domino Iesu Christo.*

S. Achatius centurio et Martyr sub Dioclet. ad præsidem: *En corpus*, ait, *ad flagella paratissimum; utere illo ut libet, animi certe propositum neque tu, neque Imperator, nec omnis dæmonum malitia, ut impuris, id est dæmonibus, sacrificem, evertere poterunt.*

Inter septem fratres Machabæos, qui sub Antiocho gloriosum martyrii agonem subierunt, ordine tertius *linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Eadem spe se cæteri fratres ad martyrium animarunt, 2. Machab. 7.

Denique Apost. Hebr. 11. 1. *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, ubi deinceps toto capite priscos fidei heroes profert, qui hac spe animati heroica virtutum opera ediderunt, ac se suumque nomen immortalitati consecrarunt.

Vers. 5. IN PAUCIS VEXATI, IN MULTIS BENE DISPONENTUR.) Græce eleganter, ὀλίγα παιδευθέντες, μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est in exiguis castigati, multis beneficiis vel felicitatibus afficientur, ut vertit interpres Clementis Alex. l. 4. Strom. Noster videtur legisse εὐτεθήσονται, id est bene componentur, vel *bene disponentur*: quia congrua et æqua merces est, ut qui hic vexati et male habiti sunt, in cœlo optime habeant, optimeque disponantur. Syrus: *Exiguum probavit eos, et multum hæreditabunt*; Arabicus: *Et quia probati sunt paucis conversationibus, benefaciet illis beneficiis multis*; Vatabl. *Leviter vexati ampla beneficia consequentur*; Pagnin. et Arias: *In multis bono afficientur*; alii: *Modice disciplinati*, sive, *parum disciplinæ subeuntes, magnis beneficiis cumulabuntur*. Disciplinam intellige morum castigationem, quam irrogat Deus, vel superior, vel etiam hostis. Cantacuzenus: *Non sunt*, inquit, *tormenta proprie, sed castigatio; nec ea gravis, sed levis; in paucis vexati, non quidem respectu sævitiæ tortorum, sed spei et præmii eorum qui torquebantur*; Iansen. *Correcti ut filii vel discipuli a parente vel magistro.* Proprie ex Græco vertas, *eruditi et educti*; nam effectus tribulationis iustorum est eorum institutio, iuxta illam exhortationem Pauli ad Hebræos 12. 5. ex Prov. 3. et Iob. 5. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris.*

Hinc 2. Machab. 7. 32. ait martyr. *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur; et si nobis, propter increpationem et correptionem, Dominus Deus noster modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur servis suis*; et v. 36. *Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt*; et vers. 38. *In me vero et fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iuste superducta est.* Hinc S. Hieron. epist. 4. ad Marcellam, exhortans eam ad laborum et tribulationum tolerantiam: *Dominus*, inquit, *te in laboribus hominum posuit, et salutifero paternæ pietatis verbere visitavit, ut in paucis vexatam in multis bene disponeret.*

Loquitur Sapiens proprie de Martyribus; consequenter tamen de quibuslibet iustis, qui gravia tolerant et superant per patientiam, fortitudinem, continentiam aliamve virtutem. Quælibet enim virtus suum habet agonem suumque martyrium. Unde S. Nazianz. orat. 20. in laudem S. Basilii: *Citra sanguinem*, ait, *martyr, et citra plagas victricem coronam assecutus.* D. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eustochium: *Mater tua*, ait, *longo martyrio coronata est; non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est*: S. Gregor. in fine hom. 3. in Evang. *Quamvis occasio persecutionis desit*, inquit, *habet tamen et pax martyrium suum; quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus*; S. Bernard. serm. 30. in Cantic. *Genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*; idem serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et Martyribus, nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est?* etc. Idem in sententiis: *Martyrium sine sanguine triplex est: parcitas in ubertate, quam habuit David et Iob; largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua; castitas in iuventute, quæ usus est Ioseph in Ægypto*; S. Hier. ep. ad Demetriad. *Habet et pudicitia servata martyrium suum*; S. Ambr. l. 1. de Virgin. de Beata Agnete: *Habetis in una hostia duplex martyrium, pudoris et religionis*; B. Petrus Damiani de S. Alexio: *Novum martyrii genus novum præbet in admiratione spectaculum; Martyribus enim carcer erat pœna, catena pressura: isti vero propria domus auratis decorata trícliniis, erat materia tentationis. Illos torquebat manus armata carnificum; istum gravius puniebat conspecta quotidie pietas genitorum*, etc. idem in fine ser. de S. Apollinari: *Vis aperte discere qualiter in pace S. Ecclesiæ valeas martyrium invenire?* etc. *ascende tribunal mentis, et temetipsum pertrahe ad iudicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens conscientia velut carnifex feriat; lacrymarum rivus velut vulnus erumpat; sic per martyrii similitudinem ad veram pervenies Martyrum dignitatem.*

Martyrium virtutum Gnomæ

S. Laurent. Iustin. serm. de S. Martino: *Sanctorum*, inquit, *collega exstitit, et Martyrum consors cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*, etc. *Magnum est hoc martyrii genus, ul-*

tro se pro Christi honore dare periculis; et post pauca: *Toties martyrii promeruit palmam, quoties se inimicis fidei disputanda opposuit*; Deinde: *Erat plane et hoc singulare martyrium, ut cum infirmantibus pariter infirmaretur*, etc. *Audi eius ferro Martyrem, ex sola charitate morientem. Quotidie morior* (inquit Paulus) *propter gloriam vestram*; ad extremum: *Merito Sancto huic martyrii non est deneganda corona, qui Ecclesiarum curam gerens, ac proximorum salutem zelans, nec mori timuit, nec vivere recusavit.*

Illustre martyrii exemplum dedit Martinianus cum sociis Martyribus, qui ob heroica fidei et Apostolatus opera, a Genserico rege Arriano dire excruciati, fortes spe coronæ in tormentis perstitere. Audi Victorem Uticensem lib. 1 Persec. Wandal. « Iubet (Gensericus) famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire, ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur; ita deligans, ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum a vicino currentibus Mauris sese mutuo conspicerent, vale sibi in angusto fugæ unusquisque ita dicebant: Frater, ora pro me. Implevit Deus desiderium nostrum, taliter pervenitur ad regnum cælorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emisere, ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Iesus Christus Dominus noster operari. »

QUONIAM DEUS TENTAVIT EOS, ET INVENIT ILLOS DIGNOS SE.) Deus non tentat, id est, non sollicitat aliquem ad peccatum; hoc enim diaboli est opus: *Deus enim intentator malorum est*, ait S. Iacob. cap. 1. dicitur tamen tentare, id est probare et explorare hominum fidem et virtutem, cum eis paupertatem, morbum, infamiam, persecutionem, mortem, martyrium immittit, aut immitti permittit: etsi enim ipse præsciat eorum fidem et virtutem, tamen vult ut ipsi eam exerceant, aliisque testatam faciant, uti ostendi Iacob. 1. Ita S. Gregor. 23. Moral. cap. 18. « Ecce, inquit, inter adversa validius fidei robur emicuit; ecce concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutum. Hinc de eis per Sapientiam dicitur: Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tentati sunt quippe adversitate plagarum, sed digni inventi sunt nudatione ossium. Nam quia hæc eorum illa tentatio est, quæ ex flagellis adhibetur, illic aperte declaratur, dum sequitur: Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. »

Symbola virtutis.

Accipe huius rei elegantia symbola: Anthracites lapis ignitus et carbo, si iaciatur in ignem, velut inter mortuos exstinguitur; at contra aquis perfusus exardescit, inquit S. Isid. lib. 16 Orig. cap. 13. Gagates lapis accenditur aqua, oleo restinguitur, ait Plin. lib. 36. 19. Ita iusti oleo voluptatis peruncti torpescunt; at aqua tribulationis aspersi, in virtute exardescunt, Deoque fiunt gratiores et digniores. Dionysias lapis fuscus est, rubentibus notis sparsus. Idem si aquæ mixtus conteretur, vinum fragrat, et quod in illo odore mirificum est, ebrietati resistit, ait Solin in Polyhist.

Sic prorsus virtus inter adversa exerit vires suas; nam ut vulgato fertur proverbio, παθήματα solent esse μαθήματα, iuxta illud Ovid. Trist. lib. 4. eleg. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple;
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Ita noster Causin. l. 11. Parab. Hist. c. 32. et seq.

ET INVENIT EOS DIGNOS SE.) Sua gratia, amicitia, hæreditate, regno et gloria cælesti. Hinc patet iustos non tantum ex congruo, sed et ex condigno mereri gloriam cælestem; licet enim opera in se nuda spectata, v. g. dare eleemosynam pauperi, non mereantur tantam gloriam, iuxta illud: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Rom. 8. 18. tamen quatenus illa manant a gratia Dei homineque Deo grato, eatenus condigna sunt tantæ gloriæ. Gratia enim commensuratur gloriæ, eiusque est quasi semen et inchoatio. Assignat hic finem, ob quem Deus tribulationes et martyria iustis immittit, aut permittit, ut scilicet eos probet, exerceat, dignosque suo regno efficiat. Audi Luciferum Calarit. tract. *Moriendum esse pro filio Dei: Tormentis namque Martyres confortari*, inquit, *et ipsa probationis passione coronari, aperiunt ita S. Script. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; in paucis vexati, in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se.*

Audi et Euseb. Emissen. hom. de sanctis Martyr. Epipodio et Alexandro, ubi pathetice sic Martyres loquentes et exhortantes inducit: « Num nobis ad cor nostrum clamat cognati viva vox sanguinis? Discite, inquit, ex nobis fidem quærendo acquirere, vivendo excolere, moriendo servare: discite plus peccatum timere, quam gladium; discite propter vitam magis iustitiam amare, quam vitam, fidemque et timorem Dei. Quem nos in media belli tribulatione servavimus, observate, ne vos in pace vel pacis securitate perdatis. Cavete ne anchoram spei ac religionis, quam nos custodivimus in fluctu, vos amittatis in portu. Cavete ne vitam bonam, si quando afflictionibus subditam videritis, miseram iudicetis. Cavete ne in arena mundi, in qua ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem exspectandam putetis. Beatitudo hic parari potest, non potest acquiri. Non hic quæras quod hic nullus Sanctorum consummatus vel consummato labore nullus Confessor obtinuit. Non hic quæras quod hic nec Christus invenit. Si mundus pacem haberet, gloriam Martyres non haberent: si examinatio non præcederet, tribulationis periret occasio. »

Audi et S. Paulinum epistol. 4. ubi citans illud Cant. 5. 11. « Caput eius aurum optimum: Hoc aurum, ait, forma sanctorum est, qui in capita corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo; quia videlicet eos per examina passionum, in huius mundi fornace conflatus invenit (ut scriptum est) dignos se, et in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus et linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdemque ipsos statuens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino cuderent nummos et abolita de nobis figura Cæsaris, Matth. 22. vivum regis æterni numisma signarent, et spiritu redemptionis inscripti, cervice iam iugo libera, et salutis titulo præmunita fronte caneremus, Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Summa itaque ope enitamur, ita nos comparare, ut divini capitis (quod nobis per gratiam Dei Christus est) crines et aurum esse mereamur. »

TAMQUAM AURUM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS.) q. d. Vers 6.
Sicut aurum in fornace expurgatur a scoria, et fulgidius resplendet; sic Deus iustos per tribulationes et martyria, a fæce vitiorum venialium purgat, ac patientia et virtute fortiores clarioresque efficit. Unde Hugo Victor. tract. de filia Iephtæ: *Hanc imitata*, ait, *multa Martyrum millia usque ad mortem pro veritate, certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt: de quibus dicit Script: Tamquam aurum in fornace probavit eos.* Primus hac gnome usus est S. Iob cap. 23. 10. dicens: *Ipse* (Deus) *scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Secundo, David Psalm. 65. 10. *Probasti*, inquit, *nos Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, etc. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Tertio, Salomon Prov. 17. 3. *Sicut igne*, inquit, *probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus.* Quarto, Is. cap. 48. 10. *Ecce*, inquit, *excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Quinto, Daniel c. 11. 35. *Et de eruditis ruent* (in persecutione Antiochi et Antichristi) *ut conflentur, et eligantur et dealbentur.* Sexto, Zachar. c. 13. v. 9. *Ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum.* Septimo, Malachias c. 3. 2. de Christo ait: *Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum; et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum*

et argentum. Unde fit id quod sequitur: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia*, utpote iam plene purificati et iustificati. Octavo, Ecclesiast. cap. 2. 5. *Quoniam*, inquit, *in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles* (Deo accepti) *in camino humiliationis*.

Ut tribulatione purgantur, ut aurum igne.

En tibi tot Prophetarum testimonia, quibus hanc gnomen Deus omni ævo per oracula, æque ac exempla confirmavit. Æterna est lex a Deo sancita, ut iusti omnes tribulatione, velut igne probentur, purgentur, perficiantur; nemo ab ea excipitur, uti multis ostendit Iudith. cap. 8. 21. et Mathathias 1. Machab. 2. 52. Noli ergo et tu excipi, ne pariter excidas a iustitia. Præclare Tertull. in Scorpiaco c. 7. *Audi enim*, inquit, *et alibi dicentem Deum: Uram illos sicut uritur argentum, et probabo illos sicut probatur aurum, utique per tormenta ignium et suppliciorum; per martyria fidei examinatoria*; ut S. Aug. in illud Ps. 61. *Verumtamen Deo subiecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*: *Venit*, inquit, *tribulatio mea, venit et patientia mea, et purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem, fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex: in fornace ardet palea, et purgatur aurum: illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ibi me ponit artifex, tolero; iubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*

In eodem igne aurum rutilat, palea fumat; sic in eadem tribulatione pius sua patientia fulget, impius murmurat, suaque impatientia turpatur; ignis aurum probat, miseria fortes viros. Unde Ennodius Ticinensis:

Mundior excocti fulgescat luce metalli,
Munera disponit qui dare digna Deo.

S. Aug. in Ps. 21. *Fornax aurificis*, inquit, *magni Sacramenti res est; ibi ignis non diversis diversa agit. paleam in cineres vertit, auri sordes tollit*. Sic S. Savinianus Trecensis ad Aurelianum Imperatorem: *Excoque*, inquit, *cornem igne totius tribulationis, ut recudat in me, si quid est æruginis. Nam thus magis flagrat iniectum ignibus*. Rursum S. Aug. ser. de S. Laurentio: *Aurum*, inquit, *purgatur venenis vehementissimis, sicut rosa suavius olet iuxta allia*; Synesius l. de Providentia: *Liquatur cera*, inquit, *et induratur lutum, et tamen non est coloris diversa natura*. Hercules, ut hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Rursum, ut ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit; sic calumniæ vanum aut vacuum absumunt, vera virtute gravem illustrant. Sicut uno eodemque igne lignum nigrescit in carbonem, lapis albescit in calcem:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Nam *quod terrulentum et sordidum, flammis necesse est decoqui*, ait S. Laurentius apud Prudentium. *In fornace aurificis, si aurum non es, simul ardes: si aurum es, palea tua malus: si tu es palea, simul eris et fumus*, ait S. August. ser. 53. de Verbis Domini. Dixerat antea Tertullianus de Habitu muliebri cap. 5. *Terra plane gloriosior, quando in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, in igne nomen terræ reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur*.

Cur aurum igne non crematur?

Imo Sappho poetria aurum vocat *filium solis*, quod nocte ut ignis coruscet et velut ardeat; aurum vero non cremari igne sed purgari propter argenti vivi et sulfuris optimas conditiones, testatur Albertus Magnus l. 3. t. 2. c. 5. de Min. et l. 4. c. 6. Nec fit minoris ponderis in igne, quia constat ex sicco et humido subtilissimis, nec habentibus aliquid impurum aut admixtum, uti docet S. Thomas, 3. Meteorologicorum, digressione de coloribus. Marsilius Ficinus in Plotinum Ennead. 2. l. 1. cap. 6. ait propter arctissimam connexionem aurum esse indissolubile, ut per viscosum humorem liquescere ad ignem; et quia non est terræ particeps, æruginem non contrahere; ac fulgorem sortiri a specie et idea solari; atque quo amplius arserit, et apparuerit igni simillimum colore, eo fieri melius. Idem prorsus dicas de patiente in tribulatione.

Tribulatio ergo est fornax, quæ probat homines; fortes enim ut sancti in ea constantes egrediuntur splendentes ut aurum; pusillanimes vero remanent ut scoria. Memorabile est quod scribit Victor. Uticens. l. 1. Persecut. Wandal. Genserieum Arrianum regem, cum insignem fidei heroem, nomine Masculan, damnasset ad mortem, secreto iussisse, ut, si in mortis articulo fidem negaret, occideretur; si in fide persisteret, liber dimitteretur: *Nam si gladio*, inquit, *peremeritis, Romani Martyrem prædicabunt*; audi Victorem: *Qui* (Masculan) *cum fortis atque invictus maneret, iubet eum subire sententiam capitalem; ita tamen callidus occulte præcipiens, ut, si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne Martyrem gloriosum fecisset; si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille, ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus Confessor, revertitur gloriosus. Et si martyrem invidus hostis noluit facere, Confessorem tamen nostrum non potuit violare*. Quam insipiens et infelix fuisset Masculan, si in morte a fide defecisset! perdidisset enim corpus et animam, et a morte præsenti transiisset ad æternam; nunc autem in fide constans, utrumque ad utramque vitam conservavit, et gloriam æternam in cælo et in terra peperit.

Exempla constantiæ in martyrio.

Subiicit Victor probationem Saturi, procuratoris domus Hunerici regis qui cum et a regiis ministris et ab uxore acerrime tentaretur ad negandam fidem, intrepide respondit: « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris; formidarem, mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo; artificio, coniux diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, exspoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus, totum ei tulerunt, stolam tamen Baptismatis auferre non potuerunt. »

Idem l. 3. narrat Hunericum dolose hoc iuramentum Catholicis obtulisse: Iurate, inquit, vos desiderare ut filius meus Hildericus mihi in regno succedat, et vos Ecclesiis vestris restituam. Sapientiores dolum suspicati, iurare noluerunt, dicentes in Evangelio prohibitum sibi esse iuramentum, Matth. 5. 34. Simpliciores iurarunt. Tum rex his dixit: Ite in exilium, quia contra Evangelium iurastis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnum filii mei non optatis, idcirco iurare noluistis, quam ob causam iubeo vos in Corsicam relegari. Anguinum ergo et vulpinum fuit hoc eius iuramenti postulatum; atque utrimque cornutum, ut certo omnes orthodoxos configeret ut perderet.

Mystice, per *aurum* gloriam divinitatis et felicitatis æternæ accipit Philo Carpathius in Cant. tom. 1. Biblioth. Ss. Patrum, p. 664. « Tamquam aurum in fornace probavit eos, etc. Comparantur auro, inquit, propter fidei probationem; et ærumnarum tentationumque firmissimum argumentum. In his enim et singulis electorum animabus resplendet aurum, dum eis divinitatis suæ potentiæ contemplationem ostendit, ex qua dum pulchritudo cælestium gaudiorum paululum monstratur, quasi reclinatorium aureum fit electis, in quo se vel in hac mortali loco contemplando reficiant, ac requiescant. »

Et quasi holocausti hostiam accepit illos.) Græce, quasi *holocaustum hostiæ*; S. Cyprian. de Exhort. mart. c. 12. et Lucifer Calar. Apol. pro S. Athanas. legunt: *Quasi holocaustam hostiam*: Vatablus: *ut solidum sacrificium excepit*; Anastasius Nicænus quæst. 9 in S. Script.

Martyr est holocaustum, cur? legit: *Et tamquam oblatio eum sacrificii.* Omnes iusti patientes adversa ex amore Dei sunt eius holocausta, sed præsertim Martyres, qui totos se in holocaustum Deo offerunt. Triplex erat Iudæorum hostia, sive victima, uti dixi Lev. 1. 2. et 3. scilicet hostia pro peccato, hostia pacifica, quæ scilicet offerebatur pro pace et salute cuiuspiam, et holocaustum quod totum cremabatur Deo; hoc enim significat græce ὁλοκαύτωσις, cum ex cæteris hostiis solus fere adeps et sanguis cederet Deo; reliqua vero cederent sacerdoti, et laicis hostiam offerentibus. Igitur pœnitentes sunt quasi hostia pro peccato, quia pro eo carnis macerationem Deo offerunt; innocentes sunt quasi hostia pacifica; quia mentis puritatem Deo consecrant. Martyres vero sunt quasi holocaustum, quia et carnis macerationem, et mentis puritatem, et vitam et omnia quæ habent, Deo per martyrium dedicant. Unde Themisthius apud Stobæum ser. 120. ait vicina et cognata esse hæc tria, scilicet τελευτᾶν, id est mori, et τελεῖται id est victimæ, et τελεῖσθαι, id est initiari sacris. Hoc holocaustum martyrii sibi ambiebat S. Ignatius. Unde epistola A ad Tarsenses palam ardenti voce protestatur: *Paratus sum ad ignem, ad bestias, ad gladios, ad crucem, tantum ut Christum videam Salvatorem meum et Deum, qui pro me mortuus est:* et in ep. ad Rom. *Si bestiæ noluerint me vorare, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat.* Pluribus ibidem eumdem testatur ardorem. S. Ambr. in Exhort. ad Virgines: *Quam bonus, ait, est Dominus, pro quo dulces et iniuriæ sunt, et grata mors! Et bene grata, quæ acquirit immortalitatem.* B. Petr. Damiani ser. de S. Petro Apost. *Fortiter diligit, qui cum necesse fuerit, pro Salvatoris fide corpus et animam tormentis exponit. Hic est fructus operis, laboris consummatio, probatio dilectionis, etc.*

Et Religiosi: Simili modo mystici Martyres, æque ac holocausta sunt Religiosi, qui totos se Deo devovent, scilicet bona externa per votum paupertatis, corpus per votum castitatis, animam et mentem per votum obedientiæ, uti pulchre ostendit S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 7. ac noster Hier. Platus lib. 2. de Bono status Relig. cap. 13. et 15.

Et fideles: quia? Porro fideles omnes sunt sacrificia et holocausta Dei, si omnia ad eius legem et honorem referant. Nam ut ait S. Aug. 10. de Civit. c. 6. « Corpus nostrum cum per temperantiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait: Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore, tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima; cum eius bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris eius accensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens quod ex eius pulchritudine acceperit fit sacrificium. Quod idem Apostolus consequenter adiungens: Et nolite conformari, inquit, huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum. »

Vide S. Gregor. hom. 22. in Ezech. ubi docet fidelem esse templum Dei, mentem et cor esse altare, hostiam vero esse corpus. Fidelis enim per tria bonorum operum genera omnia sua dicat Deo, scilicet per eleemosynam offert bona externa, per ieiunium offert corpus, per orationem et devotionem offert animam et voluntatem. Ita sanctus Thom. 2. 2. quæst. 85. artic. 3. ad 7. Quare, qui sic operantur, quæ sunt Dei, ut tamen et quædam sæculi non relinquant, hi sacrificium quidem, sed non holocaustum Deo offerunt, ait sanctus Gregorius homil. 12. in Ezech.

Nota. Pro *holocausti* græce est ὁλοκάρπωμα. quod noster a Castro censet significare oblationem frugum ut dum manipulus spicarum adolebatur Deo die secunda paschatis, cum holocaustum sit animalium, puta boum, A ovium, columbarum, quæ totæ comburebantur Deo. Verum horum quoque animalium sacrificium, sive holocaustum a Septuag. vocatur ὁλοκάρπωμα, ut patet Lev. 1. et seq. Quare ὁλοκάρπωμα idem est quod holocaustum, ita dictum, quod totum per ignem et fumum cederet in καρπὸν, id est fructum, usum, cultumque Dei, uti dixi Lev. 1.

Et in tempore erit respectus eorum.) *Et,* id est *idcirco,* q. d. Quia iusti, præsertim martyres, suam constantiam in tormentis, velut aurum in fornace Deo probavere, seque in holocaustum Deo obtulere, idcirco erit eorum respectus, græce ἐπισκοπή, id est visitatio, inspectio, speculatio, respectus; hoc est, Deus visitabit eos sua beneficentia, præmiando eos corona gloriæ martyrio debita, ac præsertim corpora eorum quæ tam atrocia tormenta sustinuerunt, exornando dotibus immortalitatis, quas mox subdit. Unde Græca hanc gnomen cum sequenti nectunt, sicque legunt: *In tempore visitationis suæ fulgebunt,* q. d. In die iudicii, cum Deus visitabit et examinabit singulorum facta, tunc patientes et Martyres mira B gloria donabit, ut fulgeant velut stellæ in cælo. Tunc ergo respiciet Deus illos, quos nunc despicit mundus. Simili phrasi v. 13. dicitur de virgine vel cælibe: *Habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Et cap. 4. v. 15. *Et respectus in electos illius. Respectus* ergo hic est retributio, merces, præmium, quod intuitu et respectu bonorum operum, præsertim patientiæ, datur iustis et Martyribus. Unde nonnulli vertunt: *In tempore præfecturæ ipsorum refulgebunt.* Hinc et explicans subdit: *Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis.*

Rursum, visitatio hæc et respectus ad præsentem vitam referri potest, q. d. Ad horam latent et deprimuntur iusti; sed ἐν καιρῷ, id est, cum tempus opportunum fuerit, Deus faciet ut palam inspiciantur et celebrentur. Ita fecit, ut Martyrum fortitudo et sanctitas in tormentis eluceret toto orbe, quin et ab ipsis Gentilibus et tortoribus celebraretur. Unde iterum aliqui sic exponunt: *In tempore visitationis,* id est examinationis, tentationis, patientiæ et C martyrii sui, Deus faciet ut patientes et constantes magna virtute, laude et gloria fortitudinis fulgeant.

Fulgebunt iusti. et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.) *Fulgebunt* sicut stellæ, imo *sicut sol in regno patris eorum,* uti huc alludens explicat et testatur Christus, Matth. 13. 43. Stellæ enim in cælo sunt quasi scintillæ in arundineto, quoad similem, tum splendorem, tum colorem, tum multitudinem, tum pulchritudinem, tum efficaciam, tum gloriam, tum varietatem, tum celeritatem. Unde illud Poetæ: *Vos æterni ignes,* id est, vos æternæ stellæ. Vide dicta Daniel. 12. 3. et 1. Corinth. 15. 41. Vers. 7.

In Græco τὸ *fulgebunt* nectitur præcedenti sententiæ, hoc modo: *In tempore visitationis,* vel *respectus eorum fulgebunt.* Unde S. Athan. Apolog. pro fuga, hæc explicat de præsenti vita non futura, refertque ad iustos persecutionem fugientes; qui hac fuga magis, ut scintillæ resplenduerunt, ac populos docuerunt et insigne fortitudinis decus gloriamque obtinuerunt, uti obtinuit ipse, velut eorum D primipilus, per continuam 46. annorum fugam. Quem secutus noster a Castro, hæc et sequentia sic explicat, q. d. *In tempore,* quo erit *respectus,* seu visitatio *eorum,* hoc est, cum tribulatione probabuntur, ut aurum in igne, fulgebunt clariores evadentes, ut aurum ex igne erutum refulget. Nam virtus eorum summaque constantia elucescit, et celebris et admirabilis omnibus fit. Et sicut scintillæ prehendunt paleas, et facile discurrunt inter arundines; ita illi inter improbos, leves et inconstantes attollunt caput, et tangunt invidia sui excellentia eorum, et silentium iniiciunt illis: sic condemnabunt sua virtute infirmitatem nationum, et sua constantia levitatem eructantium eos, et efferent caput super omnes populos, quantum effert civitas supra montem posita et lucerna super candelabrum collocata. Erunt igitur reges populorum, et Dominus rex illorum erit. Hunc sensum verum esse experimento comprobat subiiciens illis verbis: *Namqui fiduciam habent in illum, intelligent,* experienturque hanc veritatem. Hæc ipsa.

Verum alii magis apposite et genuine, hæc et seq. referunt ad futuram vitam et gloriam cælestem, non ad præsentem. Id enim verba plane significant. Id etiam omnino exigit quod ait v. 2. *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace*: quæ verba non possunt accipi, nisi de mortuis et beatis. Ita censent Clemens Alex. l. 4 Strom. c. 6. S. Cyprian. Exhort. ad Martyr. c. 13. S. Bonav. Lyranus, Dionys. Franc. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 48. sect. 1. et seq. et alii passim, qui voce *fulgebunt* censent notari dotem claritatis. voce *discurrent* dotem agilitatis, quæ erit in corporibus Beatorum, præsertim Martyrum, qui obscuritate carcerum claritatem hanc, et suis vinculis agilitatem hanc meruerunt. Porro

Quatuor dotes corporis gloriosi.

S. Bonav. in 4 dist. 49. p. 2. art. 2. q. 1. censet quatuor dotes corporis gloriosi significari hisce verbis, cum dicitur: *Fulgebunt iusti, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Nam *in fulgore*, inquit, *significatur claritas: in iustitia impassibilitas, quia iustitia est perpetua et immortalis, in scintilla subtilitas, in discursu agilitas*. Addit

Earum origo.

deinde subtiliter quod numerus harum quatuor dotum deduci possit ex duplici causa, scilicet formali et materiali. Primo, ex formali, quia cum in corpore nostro, inquit, sit natura et forma duplex, scilicet elementaris, quæ modo dominatur; et cælestis, quæ est natura lucis, quæ erit sicut formalis et completiva corporis gloriosi, hæc dominabitur in resurrectione. Igitur quia lux habet istas quatuor proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat: impassibilitatem, quia nihil ipsum corrumpit; agilitatem, quia subito vadit: penetrabilitatem, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit: sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis quatuor habet dotes. Secundo modo accipitur secundum causam materialem sic: Corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis, et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem. Ab aqua, quæ est elementum humidum et passibile, habet passibilitatem et corruptionem; unde humidum aqueum corpus corrumpit. A terra vero habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne animalitatem, quia calor consumit continue: ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab aere vero habet infirmitatem: aer enim facillime immutatur et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quod corpus sit perfectum perfectione completa, ideo quatuor sunt dotes. Contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas id est agilitas, contra infirmitatem virtus sive penetrabilitas, id est subtilitas. Et hæc ultima sumptio convenientior est inter omnes, quoniam correspondet auctoritati et rationi: auctoritati Apostoli, ita enim sumit Apostolus 1. Corinth. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*; ecce impassibilitas: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*: ecce claritas: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*; ecce penetrabilitas, id est subtilitas: *Seminatur animale, surget spiritale*: ecce agilitas. Unde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos removent. Similiter S. Aug. de Civit. Dei, l. 22. c. 19. Aberit a corporibus nostris, ait, omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem, vel penetrabilitatem, omnis corruptio per impassibilitatem. Hucusque S. Bonav.

Potest quoque τὸ *fulgebunt* referri ad famam posthumam Martyrum, qua gloria, miraculis, festis, templis, imaginibus, cultu, invocatione refulgent in terra æque ac in cælo: *Magna*, enim, ait S. Cyprian. de Laude martyrii, *est claritas, vitam salutis æternæ honestate passionis ornare; magna sublimitas, ante ora Domini aspectumque Christi potestatis humanæ tormenta non horrere, sed contemnere. Sic Daniel minas regis, leonum frementium rabiem per constantiam fidei suæ vicit.*

Denique pro *fulgebunt*, græce est ἀναλάμψουσι, id est

A *desuper resplendebunt*, de superois miro fulgore illustrabuntur, e cælo recepto splendore inflammabuntur, atque instar fulgentissimarum lampadum irradiabunt; quia scilicet a Christo Christique gloria velut sole desuper illuminante, Martyres suæ claritatis radios et fulgores haurient et rapient; ἀνὰ enim in compositione significat re, vel *sursum*.

TAMQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT.) Arabicus: *Fulgebunt iusti tamquam cursus scintillarum in arundineto*; græce ἐν καλάμῃ, id est, *in stipula*; hæc enim crebriores iacit scintillas, quam arundo. Unde illud Ovidii 4. Fastor.

Moxque per ardentes stipulæ regnantis acervos,
Traiicias celeri strenua membra pede.

Sensus est, q. d. Sicut stipulæ, vel arundines siccæ ab igne correptæ, illico in scintillas abeuntes celerrime evolant, et emicant quaquaversum; sic pariter corpora iustorum et Martyrum fulgida, velut quædam fulgetra huc illuc ad libitum agillime discurrent ac velut scintillæ emi-
B cabunt et volabunt.

Tropol. S. Hieron, (vel quisquis est auctor: stylus enim dissidet a stylo S. Hieron.) Epist. 7. de viro perfecto, tom. 9. *Arundinetum, ait, sunt infideles, inter quos iusti in hoc mundo non sistunt, nec pedem mentemque figunt, sed quasi peregrini anhelantes ad cælum discurrunt. Quid est, ait, quod astris per arundineta comparati volitabunt, et in siderei forma fulgoris stirpes terrarum miserrimas permeabunt, cum longe incongrue misceantur, vel fulgores arundinetis, vel arundineta fulgoribus?* ac respondet: *Intellige per arundineti imagines infideles homines et incredulos demonstrari, eorumque corpora superficie grata, at interius cassa virtutibus; quæ ubi primam spiritus vanitatis inflarit, sibilo serpentis imitentur, et sanos partus, viperarum progenies obsequantur. Scintillæ, ait, in arundineto: Sancti ergo inter peccatores, quoniam non omnis caro eadem caro. In arundineto, ait, id est, vacua luce corpora, et alienis arsura fulgoribus, quibus Sanctorum*
C *claritas futura pro pœna est; quoniam Deus ignis consumens est: et iusti in imaginem Deitatis advenient.* Et S. Greg. 33. Moral. c. 3. *Arundinetum, ait, vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt.* Rursum S. Bonav. Hugo et Isidor. Pelus. l. 4. Epist. 5. Impius, inquiunt, est arundo, quia crescit arundo in luto, cedit vento, inanis est, instabilis, sonora, levis, vilis, infirma et igni apta; talis prorsus est impius; inter impios ergo discurrunt iusti similes scintillis ob subtilitatem, parvitatem, agilitatem, processionem de igne magno, et magnam aliarum rerum (puta proximorum) inflammationem, sive per charitatem eos convertendo, sive per zelum iustitiæ eos pudore confusionis, et dolore gehennæ succendendo, fulminata una cum Christo sententia damnationis, qua eos velut paleas et arundines instar iacti fulminis afflabit, et siderabit. Sic Apostoli quasi scintillæ discurrentes in arundinetis, imo spinetis cunctarum gentium, omnes igne amoris divini inflammarunt.

Arundines sunt impii.

D IUDICABUNT NATIONES, ET DOMINABUNTUR POPULIS.) Vers. 8.
Iusti omnes in iudicio universali iudicabunt gentes infideles, et populos impios iudicio, non proprie dicto, sed metaphorico et comparativo; quia scilicet suæ vitæ et virtutum exempla, tacita condemnabunt sceleratam vitam impiorum, quam proinde etiam viva voce redarguent, et dignam gehenna asserent. Sic Christus ait Lucæ 11. 31. *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, et condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plusquam Salomon hic. Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ: et ecce plus quam Ionas hic.* Hac ratione multi ex Patribus acceperunt iudicium Sanctorum, ut S. Hieron. in 50. Isaiæ: *Iudicat*, ait, *quis cum Domino non auctoritate regnantis, sed comparatione virtutum. quomodo et Apostoli iudicant duodecim tribus Israel, et Ninivitæ et regina Saba populum Iudæorum.*

Unde pie et pathetice S. August. in Medit. c. 4. *Tot*, inquit, *iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus.*

Apostolici viri proprie iudicabunt in die iudicii.

Apostoli vero ac viri Apostolici et Religiosi, præsertim Martyres, qui omnia pro Christo reliquerunt, quin et vitam pro illo in holocaustum obtulerunt, in iudicio proprie iudicabunt tamquam Assessores Christi, eius sententiam approbantes et confirmantes. Hoc est enim quod eis promittit Christus, dicens Matth. 19. 28. *Amen*, inquit, *dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Quare in iudicio Martyres iudicabunt et damnabunt suos olim reges et iudices, a quibus inique iudicati et occisi sunt, puta Machabæi iudicabunt Antiochum, S. Petrus et Paulus Neronem, S. Laurentius Decium et Valerianum, S. Sebastianus Diocletianum, etc. Unde S. Cyprianus Exhort. Martyr. cap. 12. *Quando ergo*, ait, *iudicaturos vos, et regnaturos cum Christo cogitatis, exsultetis necesse est, et futurorum gaudio præsentia iudicia calcetis.* Et Tertull. ad Martyres cap. 2. *Iudex exspectatur*, ait, *sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi.*

Et regnabit Dominus illorum in perpetuum.) Pronomen *illorum* non refertur ad τὸ *Dominus*, sed ad τὸ *regnabit*, q. d. Dominus Deus *regnabit illorum*, id est, regnabit super eos, vel *in eis*, ut vertit Vatablus. Est græcismus. Græce enim est βασιλεύσει αὐτῶν, id est quasi rex dominabitur eorum. Significat ergo quod rex iustorum et Martyrum non erit Antiochus, Nero vel Decius, uti fuit olim in hac vita; sed ipse Deus qui in eis regnabit per amorem, et per gloriam, aspirando et communicando eis omne suum gaudium, omnes opes, omne regnum, omnem felicitatem, faciendo eos reges totius universi, iuxta illud: *Regnum et potestas dabitur populo sanctorum Altissimi*, Daniel. cap. 7. v. 27. Quare tunc Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28.

Vers. 9 Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis eius.) Græce πεποιθότες, quod est participium præteritum, q. d. Antea confisi in Deo.

Celebravit hucusque iustorum in adversis fortitudinem, et Martyrum in tormentis constantiam; nunc, qui et quales illi sint ostendit: nimirum qui confidunt in Deo, et fideles sunt in dilectione: quo simul declarat qua vi, quibusque mediis ad illam fortitudinem et constantiam perveniatur; nimirum confidentia in Deum, et amore fideli erga Deum. Sensus ergo est, q. d. Hi sunt iusti patientes, qui ob patientiam fulgebunt, et velut scintillæ discurrent, iudicabunt nationes, et in æternum regnabunt cum Deo, qui scilicet iam ante toti confisi Deo, omnem suam spem in eo locarant. Ex hac enim spe roborati a Deo (Deus enim in se sperantes, seque in adversis invocantes exaudit, solatur et roborat) fortiter adversa et tormenta quælibet sustinuerunt. Hi ergo illuminati a Deo intelligent veritatem eorum quæ dixi, scilicet iustorum animas non interire cum corpore, sed esse in manu Dei, ab eoque confortari, curari et beari in æternum, ut in gloria cælesti velut soles refulgeant, ac velut reges dominentur populis, infidelibus et impiis. Rursum, iusti constantes, patientes quasvis tribulationes, sunt illi qui fideles sunt in dilectione et amore Dei. Hi enim acquiescent illi, græce προσμενοῦσιν αὐτῷ, id est, permanebunt apud eum, id est, ei in hac vita firmiter adhærebunt, eiusque cultui legique obedient. Unde unus ex illis dicebat: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli*, etc. Causam subdit: *Quoniam donum et pax est electis Dei.* Sic quoque legit S. August. in Speculo et codex Vaticanus, q. d. Iusti adeo sunt confidentes in Deum, Deique amantes, ideoque adeo in adversis constantes, quia

A sciunt Deum amicos suos electos numquam deserere, sed iis adesse et opitulari, ideoque suum donum multiplicis gratiæ et virtutis, suamque pacem, id est, omne bonum, ac præsertim requiem æternam in cælo, eis communicare, iuxta illud Rom. 8. 29. *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, hos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Porro Græca iam aliter habent et nonnulla addunt: *Quoniam*, inquiunt, *gratia et misericordia sanctis eius et visitatio*, vel *respectus, in electis eius*. Quæ verba clarius sensum iam datum exprimunt, q. d. Deus sanctis suis dat gratiam patientiæ et constantiæ in hac vita, ac gloriam electis suis in futura. Porro hæc verba habentur in Vulgata, cap. seq. v. 15. et inde videntur huc in Græcum translata, uti solerter advertit Iansen.

Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, et a Domino recesserunt.) Transit a iustis ad impios, horumque sortem cum illorum sorte per antithesin componit, opponit et postponit; quod sicut illorum sors est felicissima, sic horum sit infelicissima, etiam in hac vita. Sensus ergo est, q. d. Sicut pii recipient gloriam secundum suas patientiæ cogitationes et passiones: sic impii recipient correptionem; græce ἐπιτιμίαν, id est, mulctam et pœnam; Vatablus, *mulctabuntur*; alii, *punientur*, secundum suas iniuriæ et scelerum cogitationes et persecutiones, quibus pios spoliarunt, vexarunt, occiderunt. Unde explicans subdit: *Qui neglexerunt iustum*, id est, eum velut vilem et neglectum omnibus probris malisque affecerunt. Est miosis. Vel *neglexerunt iustum*, in neutro genere, id est, iustitiam violarunt, omne ius fasque conculcarunt, idque magis respondet illi, quod explicans subdit: *Sapientiam enim et disciplinam qui abiicit infelix est.*

Vers. 10

B

C Secundum quæ cogitaverunt.) Id est, pro merito pravarum cogitationum et volitionum: ex hisce enim procedunt pravi sermones et pravæ operationes, inquit S. Bonav. Lyran. et Dionys. Aut secundo, q. d. Corripientur et punientur, prout ipsi conscientia dictante dum peccarent, cogitaverunt, id est, augurati et ominati sunt; supplicia quæ timuerunt, reipsa eis obvenient; incident in mala, quæ expaverunt, iuxta illud Iob. 3. 25. *Quia timor, quem timebam, evenit mihi.* Magna enim supplicii pars est, præsagitio, angor, pavor, ingensque formido illius velut capiti imminentis. Nam ut dicitur Prov. 10. 24. *Quod timet impius, veniet super eum: desiderium* (quoque) *suum iustis dabitur.*

Et a Domino recesserunt.) Ad diabolum velut apostatæ perfidique et sacrilegi proditores: unde græce est, καὶ τοῦ κυρίου ἀποστάντες, q. d. Apostatantes a Domino, illique rebellantes, quia spreta iustitia dederunt se totos iniustitiæ et sceleribus. Agit maxime hic et toto libro de tyrannis et iniustis iudicibus, qui ut suæ ambitioni, avaritiæ,

D libidini et tyrannidi plene indulgeant, tandem apostatant a fide et Deo, fiuntque hæretici vel athei, quales multos hoc ævo vidimus. Unde Cantacuzenus legit: *Qui neglexerunt Dominum*, et *a iustitia recesserunt. Primum enim, ait, illud est ut negligatur Dominus, et ab eius gloria simul et cultu recedatur; deinde ut illius quoque præcepta contemnantur.*

Sapientiam enim et disciplinam qui abiicit, infelix est: et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum.) *Disciplinam* græce παιδείαν, id est instructionem, eruditionem, castigationem puerorum, qua scilicet puerilis hominum levitas, petulantia et cupiditas corripitur et castigatur. Hinc et ipsa virga, sive flagellum, ipsaque flagellatio, vulgo vocatur *disciplina*. Rursum omnia adversa quibus Deus iustum erudit, purgat et perficit, sunt disciplinæ Dei. Audi Apost. Hebr. 12. 5. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium,* Vers. 11

quem recipit; quis enim filius, quem non corripit pater? Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. » Nam ut ait S. Cypr. initio libri de Disciplina et habitu Virgin. « Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. Facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo vivere, et ad promissa cælestia, et divina præmia pervenire. Hanc et sectari salubre est, et aversari et negligere lethale. »

Laus disciplinæ.

Disciplina ergo est instructio et formatio morum ad omnem honestatem et virtutem. Hanc *qui abiicit* græce ἐξουθενῶν, id est contemnens, vilipendens, nihili faciens; qui scilicet ea, quæ agere debet, discere negligit; aut si scit, opere non exsequitur, *infelix est;* græce ταλαίπωρος, id est, ærumnosus, miser, calamitosus; quia in multas ærumnas Deo vel homine vindice incidet, iuxta illud Psal. 2. 10. *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.* Ex adverso: *Beatus homo, qui invenit sapientiam;* ut ait et fuse describit Salomon Proverb. 3. 13. et seq. et Eccli. c. 1. 19. et seq. Sapienter S. Leo ser. 7. de Epiphan. *Tota,* ait, *sapientiæ Christianæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, nec in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit.* Paulo aliter legit et explicat S. August. (vel quisquis est auctor, stylus enim dissonat a stylo S. August.) tract. de Bono disciplinæ, cap. 5. ubi sic ait: *Ecce dicit Propheta: Qui spernit disciplinam, odit animam suam. Et vere ut dixit, ita est; nam hostis est et inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, et a quibus numquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulcis disciplina onus est, et leve iugum Domini, quod non gravat, nisi aut perditos, aut perituros.*

Vacua est spes illorum.) Insipientium, id est impiorum, cum sapientum et iustorum *spes immortalitate plena sit,* ut dixit vers. 4. Ratio a priori est, quod impius careat gratia et charitate, quæ est principium et fons omnis meriti de condigno: quare esto impius oret, ieiunet, det eleemosynas, etc. tamen per ea non meretur vitam æternam et gloriam cælestem; opera ergo eius, etiam alias bona et meritoria, in ipso quasi inania, et mercede vacua sunt. Rursum *vacua est spes illorum,* quia opes, gloriam et felicitatem, quam sperant, non assequuntur. Hinc *labores sine fructu,* græce ἀνόνητοι, id est sine utilitate et pretio sunt, imo vero noxii et exitiales; quia laborant serviuntque peccato et dæmoni, ad æternam suam damnationem. Aliqui legunt ἀνόητοι, id est fatui, stulti, insensati sunt labores impiorum, quia ipsi sunt insensati et stulti. Hinc et *inutilia opera,* imo perniciosa, quia impia. Perperam Hugo, Holcot, Dionys. et Glossa legunt, *inhabitabilia opera,* sicque exponunt, q. d. In quibus Deus non inhabitat, vel quæ habitationi, convictui et societati hominum repugnant; vel quæ eos ab habitatione Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis, puta a cælo, excludunt. Verum parerga sunt hæc omnia: græce enim est ἄχρηστα, id est inutilia.

Laborant ergo pii et impii, sed pii parvi laboris magnam referunt mercedem, scilicet æternum gloriæ pondus, ut ait Apost. 2. Corinth. 4. impii vero magni laboris nullam referunt mercedem, sed ingentem pœnam, tam præsentem, tum futuram, puta incendia gehennæ. Quam ergo pii sapientes sunt, impii vere amentes et insipientes!

Vers. 12. Mulieres (uxores) eorum insensatæ (ἄφρονες, id est amentes, stultæ) sunt et nequissimi (græce, πονηροί, id est pravi, nequam per antonomasiam, id est nequissimi) filii eorum.) q. d. Insipientium, id est, impiorum, inter alias hæc sors et pœna est, quod uxores et filios habeant sibi similes, puta insipientes, id est pravos, sceleratos et impios. Maritus enim velut paterfamilias toti familiæ suam insipientiam, id est sua vitia, verbo et exemplo afflicit et instillat, iuxta illud: *Mali corvi malum ovum.* Et illud Senecæ in Hippolyt.

Redit ad auctores genus.
Stirpemque primam degener sanguis refert.

Et illud lib. 4. Esdræ c. 9. v. 17. *Qualis ager, talia et semina: et quales flores, tales et tincturæ; et qualis operator, talis et creatio; et qualis agricola, talis et cultura.*

Secundo, proprie per *insensatas* intelligit adulteras, et consequenter per filios *nequissimos* accipit spurios et adulterinos, q. d. Hæc est pœna impiorum, ut, cum ipsi sint infideles Deo, uxores pariter experiantur sibi infideles et adulteras, quæ proles ex alio viro, puta adultero, susceptas marito quasi proprias arrogent et substituant. De adulteris enim et adulterina sobole in seqq. agitur: ita Iansen. Hinc disce viros, qui fidem Deo datam violant, impleque vivunt, Deo vindice id consequi, ut nec ab uxoribus eis fides præstetur, nec a filiis honor. Docet hoc Apostol. Rom. 1. 21. *Qui,* inquit, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam.* Hinc apud hæreticos eorumque prædicantes tot sunt adulteria, fornicationes et incestus, sed occulti: qui enim fidem Deo non servat, quomodo servabit homini? qui credit vel docet castitatem servatu impossibilem, quomodo eam servabit, imo quomodo credat eam sibi possibilem?

Moraliter discant hic mariti, si probas et castas velint habere uxores et proles, ipsi eis probitatis et castitatis exemplo præeant; hoc enim sequentur ipsæ, ac Deus mariti probitatem, hoc congruo suorum præmio remunerari solet; si enim maritus sit improbus et incestus, improbam et incestam habebit uxorem ac liberos. Rursum, si mater sit impudica, impudicitiam ab ea discet filia. Ita communiter fieri videmus, etsi subinde contrarium per extraordinariam Dei providentiam contingat. Hinc D. Ambros. lib. 3. de Virgin. loquens de Herodiade: *Quid,* ait, *potuit filia de adultera Matre discere, nisi damnum pudoris?* Idemque Ezechiel Propheta c. 16. 44. *Sicut,* ait, *mater, ita et filia eius.* Et in hanc sententiam Gloss. in cap. *Si quis cum militibus,* 6. quæst. 1. adducit versum vulgarem.

Filii sequuntur parentum mores

Gnome.

Insequitur leviter filia matris iter.

Unde et Virgilius in Bucolicis ecloga 1.

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram.

Cuius auctoritate Columella lib. 3. Rei rusticæ: *Nihil,* inquit, *dubium quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit.* In idque alia quædam scribit, trahitque etiam ad vineta. Diogenes Cynicus, teste Laertio, cum ebrium in foro vidisset: *Illius,* inquit, *pater ebrius fuit.* Horat. lib. 4. Carm. ode 24. sic canit: *Dos est magna parentum Virtus.*

Porro adulterorum uxores sæpe esse adulteras liquet, tum experientia, tum ratione. Adulterium enim viri facit uxorem impudicam; tum quia dat illi exemplum libidinis: viri enim mores uxori sunt speculum, quod ipsa imitetur. Tum quia illi suggerit modum se vindicandi: uxor enim videns fidem sibi a marito datam non servari, fidem pariter ei non servat, utque iniuriam per adulterium ab eo illatam vindicet, similem illi iniuriam per adulterium irrogat. Ovidius libro de Art. exemplum dat Agamemnonem et Clytemnestram:

Adulteri uxor fit adultera, cur?

Dum fuit Atrides, inquit, *una contentus, et illa*
Casta fuit: vitio est improba facta viri.

Et mox:

Et male peccantem Tyndaris ulta virum est:

Quocirca Arist. lib. 1. Oeconom. c. 4. *Primum,* inquit, *leges sint viro ad uxorem, ut iniuria cesset, sic nec ipsa iniuriam patiatur. Est autem* (ut ille paucis interiectis scri-

Gnome.

bit) *viri iniuria exteriorum mulierum congressio.* Et ut scribit Seneca ad Lucil. ep. 95. *Gravissimum est in uxorem iniuriæ genus, habere pellicem.* Quocirca sapienter maritum admonet Lactant. lib 6. *Exemplo*, ait, *continentiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare non possis.* Et paulo post scribit uxorem eius, qui circa corrumpendas alienas uxores occupatur, exemplo incitatam aut imitari se putare, aut vindicare. Idque est, quod ipse S. Augustinus similiter in cap. *Si dicimus*, 32. q. 6. monebat, ut, quales volumus uxores nostras invenire, et ipsæ nos inveniant, et si intactas quærimus, intacti simus. Hac de causa Iob ille vir rectus et timens Deum c. 31. 9. *Si deceptum est*, ait, *cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum; scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii.* Sed et Æsopus apud Planudem, ita Ennum filium monet: *Semper uxori tuæ adhære, ac alterius viri periculum velut fugere.* Huc quoque pertinet illud Oseæ 4. 14. *Non visitabo super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur.* Tamquam scilicet quodammodo excusentur mulieres adulteræ, ob virorum suorum adulteria. Hinc Seneca epist. 94. ad Lucilium: *Improbus est*, inquit, *qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum.* Denique S. August. tract. de Decem chordis: *Si caput*, inquit, *est vir, melius debet vivere, et præcedere in omnibus factis suis uxorem, ut illa imitetur virum.* Nam ut ait Pacatus in Panegyr. ad Theod. imperat. *Imperata correctio exasperat, blandissime autem iubetur exemplo.*

Vers. 13. MALEDICTA CREATURA EORUM, QUONIAM FELIX EST STERILIS, ET INCOINQUINATA, QUÆ NESCIVIT THORUM IN DELICTO. HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE ANIMARUM SANCTARUM) Syrus: *Maledicta est progenies eorum, quoniam melius est sterilis quæ non est coinquinata, quæ ignoravit lectum casus, vel ruinæ*; Arabicus: *maledicta conditio eorum, quoniam sterilis quæ non habet maculam, in se beata, quæ nescivit lectum in ruina.*

Opponit piorum prolem proli impiorum, q. d. *Creatura*, græce γένεσις, id est generatio et progenies, puta filii et filiæ sunt maledicti, id est impii et scelerati; tum quia parentes vitia uti corporis, sic et animæ, in proles generando traiiciunt: utrimque enim infectum est semen parentum. Unde videmus, si parentes sint calculosi, podagrici, epileptici, ebriosi, libidinosi, adulteri, filios quoque iisdem morbis et vitiis obnoxios: tum quia parentes impii impie educant suas proles, ac vitiorum, quibus obnoxii sunt, exempla quotidie filiis suis præbent. Quid enim discat filius a parente, quem quotidie rixari, iurare, inebriari videt, nisi ut et ipse rixetur, iuret, seseque inebriet? Paternum enim et domesticum exemplum potens est et efficax in animis filiorum; quare eos suorum vitiorum hæredes relinquit. Ex adverso *felix est mulier sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto*, id est quæ cubile et lectum adulterii et fornicationis ignorat, id est, quæ immunis est ab adulterio et fornicatione: licet enim sit sterilis, tamen non carebit suo fructu et prole in iudicio, quo Deus visitabit, iudicabit, respiciet et præmiabit animas castas et sanctas. Præfert ergo mulierem probam et castam, licet sterilem, impiæ et incestæ, licet fœcundæ et prolibus abundanti: quod hæc proles impias generet, educet et formet; illa vero præmium illustre suæ castitatis consequatur a Deo. Unde Budæus in Pandectas vertit: *Exsecrabilis eorum genitura, quando beata sterilis non inquinata.* Non enim omnem sterilem beatificat, ait Iansen. sed non inquinatam; sicut nec vers. seq. omnem spadonem, sed eum, qui non est operatus iniquitatem, et non cogitavit prava contra Deum. Unde et S. Hieron. in cap.

Beata sterilis, quæ?

56. Isaiæ et 9. Oseæ legit: *Beata sterilis immaculata, quæ non cognovit stratum in delicto*, vel *cubile in peccato*, puta in adulterio; hoc enim ob enormitatem antonomastice dicitur delictum, vel peccatum. Vatabl. *Sane beata est sterilis incontaminata, quæ concubitum flagitio non novit, fructum in cognoscenda animorum causa capiet.* Per *sterilem* nonnulli accipiunt coniugatam, quæ servat castitatem coniugalem, et thorum immaculatum in matrimonio. Ita Hugo et D. Thom. et Noster a Castro, qui apposite et contraposite sic exponit: Maledicta creatura, id est proles impiorum, utpote ex adulterio habita, q. d. Infelix illa uxor, quæ, quod non generet ex viro suo, et ipsa flagitium committit maculando thorum viri sui, et filios generat exsecrandos. Sane multo felicior est infœcunda, quæ contenta orbitate filiorum, non est passa maculare aut coinquinare lectum suum delicto: nempe quod non cognovit thorum seu lectum in delicto, pro non cognovit delictum in thoro per hysteron proteron, hoc est, concubitum flagitiosum: Deum enim prætulit filiis.

Resp. Virgo.

Melius tamen, planius et perfectius alii per *sterilem incoinquinatam* accipiunt virginem: hæc enim sola est *incoinquinata*, id est incorrupta, non marcida, quæ florem virginitatis illibatum servat: mox enim c. 4. 1. in virginitatis laudes excurrit. Nam coniugata in veteri testamento si esset sterilis, non tam benedicta, quam maledicta censebatur, utpote carens communi dono illius ævi, scilicet fœcunditate. Ita de virgine hunc locum accipit Ecclesia in officio Ecclesiastico de Communi Virginum, et S. Hieron. loco iam citato, ac S. Ambros. lib. 1. de Virgin. ubi legit: *Melior sterilitas cum virtute.* Sic et Holcot, Dionys, et noster Gabriel Vasquez, quem audi: Nescire thorum in delicto, non est, non violare thorum per adulterium, sed idem quod esse sine uxore, cum qua quis in eodem thoro cubare posset, eo quod eunuchus vel sterilis sit, et tamen esse plenum bonis operibus: sicut e contra fœcundus, et qui filios habet, etiam ex legitimo thoro, tamen legem Dei non servat, dicitur scire thorum in delicto, id est scire thorum et habere fructum matrimonii, et simul contra legem Dei peccare. Ita Vasquez 3. pag. tom. 2. disp. 124. num. 47.

Idem patet ex versu seq. ubi quod hic dixit de fœmina, dicit de viro, cumque vocat *spadonem*, id est eunuchum, qui nequit aliud esse, quam virgo. Idem exigit præmium eminens utrique promissum vers. 14. *Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima*, quod utique non coniugatis, sed virginibus datur.

Igitor *quæ nescivit thorum in delicto*, idem est quod *quæ nescivit delictum* (puta adulterium, fornicationem) *in thoro*, id est lecto, qualis tum est coniugata per castitatem coniugalem, tum potius virgo per castitatem virginalem, ideoque dicit, non *quæ nescivit delictum in thoro*, sed *quæ nescivit thorum in delicto*, q. d. Virgo adeo abest et abhorret a delicto adulterii et fornicationis, ut ipsum thorum sive lectum concubitus, quo delinqui potest, et quo delinqui solet, ignoret, q. d. Virgo omnem concubitum, omnem copulam ignorat.

Sensus ergo planus et plenus est, q. d. Maledicta est generatio, id est tam parentes, quam proles adulterina et scelerata impiorum, quia ex adverso benedicta et felix est generatio et stirps piorum. Nam felix est uxor incoinquinata, ideoque quoad prolem corporalem sterilis, quæ omnem omnino thorum et concubitum, quo delinqui solet, ignorat; habebit enim fructum copiosum in respectione animarum sanctarum.

Excurrit hic Sapiens in vituperium libidinis, et encomium castitatis et virginitatis, quia sapientiæ comes, imo soror, est castitas et virginitas. Unde S. Gregorio Nazianz. teste Ruffino, per visum utraque specie fœminea et virginea apparuit, illeque fœminas aversans, vultumque avertens, ab eis audivit: *Ne ægre feras, o iuvenis, nostrum conspectum: sorores enim sumus, tibique familiares; uni nomen est sapientia, alteri castitas. Visitare te venimus, quia iucundum nobis in anima tua habitaculum præparasti.*

Visio S. Gregorii Nazianz.

Quocirca amor sapientiæ tuetur castitatem, castitas vicissim incitat ad studium sapientiæ. Olim multis Religiosis hoc dedi consilium, et etiamnum do, ut, si velint puritati animæ, et bono Religionis suæ consultum, in eam induant cum pietate studium litterarum præsertim Theologiæ et sacræ Scripturæ: per hoc enim tollitur otium, quod est causa omnis mali, ac mens a carne carneisque vo-

Studium servat castitatem, cur?

luptatibus elevatur ad cognitionem, et gustum rerum divinarum: tertio, homo fit doctus, ut et alios docere, et ad perfectionem erudire possit: quare experientia constat, nil ita reformare Religionem et disciplinam monasticam, ac studia litterarum pietati iuncta. Sane in Societate nostra multi mirantur hæc tria ita contraria coniungi, scilicet tantam humilitatem cum tanta scientia, tantam obedientiam cum tanta prudentia, tantam castitatem cum tanta iuventute; sed causa post Dei vocationem et gratiam, est assiduum studium sapientiæ. Semper enim discimus et docemus, quo fit, ut casti simus, et tentationes carnis vel non sentiamus, vel per Dei gratiam superemus, iuxta illud S. Hieron. *Ama scientiam Scripturarum, et vitia carnis non amabis*. Tantum curent studiosi sapientiæ, ante omnia studere cognitioni Dei et sui ipsius, ut Deum summe revereantur, seipsos summe despiciant; nam alioqui *Scientia inflat, charitas ædificat*, ait Apostol.

Apologus cœlibatus est phœnix.

Huius sententiæ veritatem insigni phœnicis et viperæ apologo aureis gnomis ceu gemmis insperso, repræsentat Cyrillus l. 4. Apolog. moral. c. 7. « Vipera, inquit, phœnicem solitariam recumbentem reperiens, salutavit, et dixit, ut quid tu sola sedes, ubi est tui generis amica societas? cui illa: quippe sola sum in genere meo, nec ullius in me est sexus discretio: una tantum sum et singularis in mundo. Quo audito, mirata valde vipera dixit: Numquid tibi soli fuit illiberalis natura, cum cæteris animalibus tam sit liberalis in generationis suavissimo gaudio, et gratissimo prolis bono? Ad quid tibi pulchritudo hæc postquam privata es vitæ coniugalis dulcedine, et coeundi delectatione? Nempe si moritura es, tota deficies: sin immortalis, in æternum es tristis. Quid plura? In hac tua castitate, tibi oculis clausis et obturatis, quid malum bonumque sit numquam senties, neque nosti. Ad hæc illi phœnix, venerearum non ignara fastidii, et puritatis non inscia gaudii, minime turbata respondit: Ibi est summa et gaudiosa societas, ubi totius speciei intima est unitas. Igitur quia singularis specie sum assimilata cælestibus, gaudeo intensissime, totam et non partialem me esse exsulto. Tota enim res, tota vis in me una; et omnis bonitas mei, species est clara. Quod si generationis lepore non fruor, etiam aurum, sapphirus, stella, orbis et animus non generant, nec minus inde pretiosa se putant. Indignior enim a primo bonitatis fonte per dissimilitudinem elongata natura, semper in sua unitate esse non potuit: sed ex divisione successivæ generationis pensatur solatium, cur non etiam eius desudationis tormentum? Quamquam enim fœtus una instantanea delectatione concipitur, tamen abominatione fovetur, labore portatur, timore servatur, dolore parturitur, periclitatione gignitur, fœtore nutritur, servitute augetur, anxietate diligitur, et in puncto cum maxima tribulatione amittitur. An forte tu solo gaudeas de generatione, experientia disces, concipies enim delectabiliter, et lethaliter paries; cum prolem nutriveris, tunc propter eam te perdendo ipsam amittes. Atque ita pares tibi, charissima, cibum mortis. Dic amabo, quænam gratia gallinæ est, quæ pullos genitos tanto amoris impetu fovet? Nonne ab eis cum creverint, ignoratur? » Ex quibus castitatem sibi suique similibus gratulans, concludit:

Eius gaudia.

« Hoc ergo meum gaudium est generare meipsam; meum solatium est, fovere meipsam, dum sine divisione et maculatione, igne purificante, meipsam genero; et cum senio gravis deficio, tunc innovata resurgo, et sic verius semper vivo. Cinis enim meæ resolutionis, semen est vivificum novæ vitæ. Ne dicas certe in vacuum me depravasse, vel depurasse naturam, cum sim gemmatæ et floridæ castitatis exemplum; ob hoc non solum delectationem veneream me nescivisse non tribulor, sed inviolabili puritate ligata cam numquam me nosciturum delector. Tua ergo scientia, imo concupiscentia sit boni et mali, quo momentanea dulcedine coitus, furore libidinis insanie, et perdis in æternum vitam et caput. Quo dicto, ab invicem sunt divisi. »

Habebit fructum in respectione (græce rursum est, ἐν ἐπισκοπῇ, id est in visitatione, inquisitione, examine, respectu) animarum sanctarum.) Id est, cum singularum merita visitabuntur, diiudicabuntur et præmiabuntur, uti legit et explicat S. Hieron. in cap. 56. Isaiæ. Τό *sanctarum* non est in Græco, sed subintelligitur; non enim præmiabuntur animæ, nisi sanctæ. Hoc ergo addidit Vulgatus ad contrahendum nomen respectionis, ut significet remunerationem sanctitatis. Sensus ergo est, q. d. Castæ et virgines esto sint steriles, id est careant prole; suum tamen habebunt fructum, id est mercedem, in futuro sæculo, puta in die iudicii, quo Christus omnium dicta factaque visitabit, id est examinabit, iudicabit et coronabit. Potest Secundo, cum Petro Nannio per *fructum* accipi proles: hæc enim merces apte respondet sterilitati, q. d. Virgo licet sit sterilis, nec corporales generet filios, non tamen carebit sua prole spirituali, prole, inquam, virtutum ex castitate manantium, quomodo proles castitatis, est oratio, meditatio, abstinentia, eleemosyna, etc. ac gloria et aureola iis respondens in cælo. Rursum proles virginum sunt alii Sancti, quos virgines suo verbo et exemplo ad sanctitatem et virginitatem impulerunt: hi enim sunt filii spiritus, non carnis. Qua phrasi S. Ambros. lib. de Arca et Noe cap. 4. *Probati viri genus, ait, prosapia virtutis est: et sicut hominum genus homines sunt, ita animarum genus virtutes sunt.*

Alludit ad Isaiæ c. 56. 3. *Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum, etc. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*. Ubi fuse hac de re egi. Quare hic plura non addam.

Nota hic ante Christum in veteri testamento extitisse laudem et consilium Evangelicum cœlibatus et virginitatis; licet enim hæc prophetice accipi possint de novo testamento, ubi hæc verissima esse conspiciuntur; Sapiens tamen in genere loquitur de omnibus castis, etiam sui ævi, ut patet. Unde S. Ignatius epist. ad Philadelph. tradit in veteri testamento virgines fuisse Eliam, Eliseum, Iosue, Ieremiam, Melchisedech et Ioannem Baptistam: virgines quoque fuere filii Prophetarum, de quibus in libris Regum crebra fit mentio.

Præclare S. Gregor. Nazianz. in Carm. de Virginitate, hæc ei dat elogia:

Virginitas res est omni mirabilis ævo.
Virginitatis amor mentes ad sidera tollit.

Prima Trias virgo est, hoc est, prima virgo est SS. Trinitas.

Virginitas magni pars inclyta Christi.
Virginitas promptissima cæli
Semita, consiliisque Dei sapientibus hærens.
Virginitas (Danielis) *fulvos potuit sopire leones.*
Virginitas Angelorum vita.
Virginitas decoratur coniuge Christo.

Et spado (græce eunuchus) qui non operatus est Vers. 14.
per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversum Deum nequissima (repete ex v. præcedenti, *Felix est*. Rationem subdit) dabitur enim illi fidei donum electum) Laudavit virginem fœminam, hic a pari laudat virginem virum, illumque virgini fœminæ combinat et adæquat, q. d. Sicut dixi felicem esse fœminam sterilem et incoinquinatam, id est virginem, sic pariter felicem esse prædico virum virginem: qui scilicet per propositum vel votum castitatis, quasi spado vel eunuchus, se castravit propter regnum cælorum, iuxta consilium Christi Matth. 19. 12. puta, qui ex amore puritatis omnem libidinis usum sibi interdixit, ideoque *Non operatus est per manus suas iniquitatem*, puta pollutionem, tactus impudicos, aliaque scelera, tum libidinis, tum aliorum vitiorum: *Nec cogitavit adversus Deum nequissima*, græce πονηρά, id est mala et prava, q. d. Qui nec per actus manuum, nec per pravas cogitationes mentis in Deum peccavit; qui manus ab opere vetito, et mentem a mala cogitatione, præsertim venerea (hac enim sæpe peccatur etiam a continentibus, per internam libidinis delectationem morosam, etiamsi actus externus absit, imo horrori sit) cohibuit, imo manibus multa bona operatus est, et mente multa pia cogitavit et destinavit. Est miosis. Virgines enim liberæ ab oneribus

coniugii totæ vacent Deo piisque cogitationibus et operationibus, ideoque merentur tantum præmium, quantum subdit.

Minus apposite Dionys. *spadonem* accipit per naturam, qui scilicet natus est eunuchus, vel castratus ab hominibus: *Hic enim*, inquit, *cogitare potest contra Deum, ac murmurando dicere: Cur me creasti eunuchum et impotentem ad generandum?* Ab hoc enim murmure abstinere est præceptum, ideoque laus exigua, quæ tamen magna huic spadoni datur, cum subditur: *Dabitur enim illi fidei donum electum*, etc. Ergo spado hic non per naturam, sed per voluntatem et virtutem intelligitur, puta cœlebs et virgo. Magis apposite Noster a Castro spadonem accipit virum coniugatum, sed orbum liberis, propter uxoris fortasse sterilitatem, qui ita fidelis est legi Dei, ut superet filiorum cupiditatem, quæ adeo populum illum occupabat, ut multi non vererentur ex alienis uxoribus filios sibi procreare contra Dei præceptum. Ille ergo eunuchi nomine hic commendatur, qui ita adhærebat divino præcepto, ut, ne illud transgrederetur, sua fidelitate vinceret amorem filiorum, et opprobrium quod sterilibus eo tempore oriebatur. Nam id ostendit quod dicit: *Felix sterilis immaculata, quæ nescivit thorum in delicto*; et felix eunuchus, *qui non est operatus iniquitatem:* at infelices impii, qui ex adulterio filios procreant. Nam eiusmodi filii profani erunt, et delebuntur tamquam ex iniquo thoro nati. De eiusmodi ergo eunuchis loquitur hæc ipsa. Licet enim spado significet proprie eunuchum, qui nequit esse maritus, utpote impotens ad copulam coniugalem, tamen ad orbum, qui filios alia de causa procreare nequit, extendi potest. Omnia hæc eo spectant, ut præferant carentiam filiorum cum virtute, copiæ filiorum cum vitio: unde consequenter v. 1. Græcus habet: *Melius est esse sine filiis cum virtute.*

Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.) Græce: *Dabitur enim fidei gratia electa, et sors in templo Domini acceptior*, iucundior vel *gratior;* vel ut S. Hieron. in 56. Isaiæ, *delectabilis*. Græce est, θυμηρέστερος, id est animo placentior a θυμῷ ἀρέσκω, id est, *animo placeo*; aliqui legunt: θυμηδέστερος, id est *animo delectabilior*, a θυμὸν ἥδω, id est *animum oblecto*; sed eodem redit sensus.

Donum electum virginis quod? Resp.
Quæres, quodnam *fidei donum electum* hic promittitur
spadoni voluntario, puta virgini? Primo, Lyran. accipit
fidei donum omnibus electis commune. Secundo, S. Bonavent. et Vatabl. accipiunt fidem, non quamlibet, sed effica-
1. cem et eminentem, quæ in spe beatificat, esto necdum in
2. re, atque ex Dei electione datur, ac homines efficit perfe-
3. ctos. Tertio, Cantacuzenus accipit collocationem ad dexteram Christi in die iudicii: hoc enim est proprium et exi-
4. mium electorum donum. Quarto, Dionys. accipit donum
5. puritatis internæ et interioris profectus. Quinto, magis
plene et germane Noster a Castro explicat, q. d. Ut fides, id est fidelitas eius in Deum, qua contra tentationes carnis, quæ creberrimæ et vehementissimæ sunt, constanter dimicavit, coronetur insigni et exquisita gratia Dei, quam explicat, dum subdit: *Et sors in templo Dei acceptissima;* græce, *Gratior et iucundior*. Hæc ergo sors et gratia electa, promissa virginibus, est peculiaris sensus et gustus rerum spiritualium, cælestium et divinorum, quem Deus eis impertitur. Congruum enim est, ut qui amore Dei privant se voluptatibus carnis, spiritus consolationes persentiscant; et qui hominem sponsum renuunt, sponsum accipiant Deum et Christum; ut qui liberos a se abdicant, Angelorum et Sanctorum consortio fruantur: sic enim fruuntur virgines, quæ in templis et oratoriis vacant orationi, lectioni, concioni, meditationi rerum cælestium, ac piis operibus. Hæc est beata sors Magdalenæ, quam ei attribuit Christus, dicens: *Optimam* (id est sanctissimam, perfectissimam, summe meritoriam æque ac iucundissimam) *partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10. 42. Gratia ergo electa virginum est, vita et conversatio angelica, qua liberi et vacui cura coniugum, filiorum, ancillarum, quietam agunt vitam in Dei obsequio et cultu, ubi crebro sentiunt, multitudinem dulcedinis Domini, delicias charitatis, gloriam conscientiæ, pacem et gaudium spiritus: quæ est unctio docens de omnibus, et manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 34. *Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et mox virginitatis fructum et mercedem affert. *Quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*, vel ut alii legunt *observandi*, quod sane est donum electum, imo angelicum, quod summam in cælis laudem et gloriam promeretur. Unde Holcot et Lorinus per *donum electum* accipiunt peculiarem coronam virginum, quæ aureola dicitur: hæc enim dabitur fidei, id est, fidelitati eorum, qui respuentes omnes maritos terrenos, uni Christo, ceu sponso, fidem castitatis dederunt et servarunt, iuxta illud 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hinc rursus *fides* hic proprie accipi potest. Virgines enim, quæ tota vita se continent, et assiduos carnis insultus mortificando strenue pro castitate decertant, merentur fidei donum electum, id est eximiam rerum cælestium, quas fide credimus, cognitionem, amorem, sensum et gustum, ut iam explicui.

Denique *fidei donum electum* posset tribui, non solis virginibus, sed et coniugibus illiberis; utrosque enim opponit et antepont adulteris, prole adulterina abundantibus. Coniugii enim et coniugum donum electum est triplex, scilicet fides, proles, et Sacramentum. Fides est fidelitas et coniugalis amor, qui supplet defectum prolium. Unde Elcana dicebat Annæ uxori sterili: *Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?* 1. Reg. 1. Sacramentum, quia coniugium in nova lege est Sacramentum, et gratiam confert. Verum *donum electum* magis proprie et plene competit virginibus.

Et sors in templo Dei acceptissima) Quænam hæc sors virginibus promissa? Aliqui hanc sortem interpretantur peculiarem curam, et singulare Dei patrocinium. Verum hæc mystica est sors. Litteralis ergo est illa, quam dixi, scilicet peculiaris gratia, quæ datur virginibus, ut vacent et gustent totæ servire Deo, ideoque ire de virtute in virtutem, ut animas suas perficiant, quo plane placeant sponso suo Deo et Christo, quæ est sanctissima, æque ac quietissima et iucundissima sors et vita Magdalenæ, uti iam exposui.

Alludit ad eunuchos per naturam: hi enim velut exsecti, mutili et semiviri, Ecclesia Mosaica arcebantur, Deuteron. 23 v. 1. uti etiamnum iure Canonico arcentur Sacerdotio. Sensus est, q. d. Eunuchi per naturam arcentur templo Dei: at ego eunuchos per virtutem et gratiam in meo templo, id est in mea Ecclesia, tum militante, tum triumphante, velut primos, primo optimoque loco collocabo.

In Ecclesia enim militante a Christo, Apostolis et Patribus, virgines præferuntur viduis et coniugatis. Unde a Tertull. l. de Pudicitia, S. Cypriano, S. Athanasio, S. Basilio, ac S. Chrysost. tract. de Virgin. status virginum vocatur « Flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis, flos Ecclesiastici germinis, gaudium Prophetarum, gloria Apostolorum, Angelorum vita, corona Sanctorum; beata species Deoque digna, cui nihil comparandum, angelica corona, super hominem perfectio. » De Constantino Magno refert Eusebius lib. 4. Vitæ eius, ipsum virginum chorum tantum non adorasse; istic se habere Deum, cui puellæ se devoverunt, arbitratum. Elogia virginum.

Alludit ad Isaiæ 56. 5. *Dabo eis* (eunuchis, id est virginibus) *in domo mea, et in muris meis locum;* Hebr. יד *iad*, id est, *manum*, hoc est separatam et selectam sortem, gradum, locum; *et nomen melius a filiis et filiabus.* Quod S. Hieron. et Cyrill. ac S. Basil. libr. de S. Virgin. interpretantur, ut casti non solum in domo Dei habitent, sed ea etiam gloria et dignitatis excellentia illustrentur, quæ omnem splendorem, quem liberorum procreatio et successio afferre putaissent, longe superat: imo ut docet

S. August. de S. Virgin. cap. 25. gloria quadam propria et excellenti præ aliis Sanctis potiantur, quæ a Scholasticis Aureola nuncupatur. Addit Noster a Castro, olim spadones et castos in templo præcipuis quibusdam ministeriis fuisse deputatos, uti de Rechabitis ob similem sanctimoniam asserit Ierem. cap. 35. v. ult. Videtur ergo cœlibes inter Levitas et Sacerdotes honore et dignitate excelluisse, ac præsertim inter cantores: sicut hodie videmus eunuchos et exsectos in templis, cæteris voce et cantu eminere, idque innuitur v. 16. ut ibi ostendam. Rursum apud Iudæos in templo erat gynæceum, id est locus honoratus virginum, inter quas præsentata et educata fuit B. Virgo. Unde illæ dicuntur excubare ad ostium tabernaculi. Exod. cap. 38. v. 8. 1. Reg. 2. v. 22. 2. Machab. 3. v. 19 ibi enim vacabant orationi, ieiunio, mortificandis passionibus, sanctitati, perfectioni, æque se operi manuali, texendo, sarciendo, ornando vestes et res templi.

Sic pariter apud Christianos nemo admittitur ad ministerium templi, ut sit Episcopus, Sacerdos, Diaconus, nisi virgo aut cœlebs profiteatur castitatem. In monasteriis vero, quæ sunt semnæa et templa Dei solemne ab omnibus fit castitatis votum: quibus proinde miras honos a regibus et principibus omni ævo tributus legitur. Ut taceam alios, S. Helena Imperatrix, Constantini Magni mater, teste Ruffin. l. 2. Histor. c. 8. virgines, quas Hierosolymis reperit Deo sacratas, ad prandium invitatas tanta devotione curavit, ut indignum crederet si famularum uterentur officiis, sed ipsa manibus suis habitu succincta eis cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit.

Virgo angelo fortior.

Audi S. Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepisc. « Quid castitate magis decorum, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate non virtute; sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt neque nubuntur, præbens quodammodo terris cælestis iam illius conversationis experientiam. » Et mox: « Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum, digne dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo et hominibus faciat sacerdotem; cuius quippe memoria, non in carnis successione, sed in spiritali benedictione sit, reddatque similem in gloria Sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum. »

In templis primo loco erant virgines

Rursum in templis olim (uti etiamnum Romæ, et per totam Italiam fit) separatus a viris erat locus fœminarum, in eoque primo loco degebant virgines. Testis est S. Clemens libr. 2. Constitut. Apost. c. 61. *Adolescentulæ*, ait, *si sit locus, seorsum maneant, etc. Virgines, et viduæ, et anus primæ omnium, vel stent, vel sedeant;* S. Gregor. Nazianz. in somnio Anastasiæ: *Sanctæ virgines*, ait, *una cum gravibus matronis e sublimi tecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant.* Clarius et nervosius S. Ambros. ad Virginem lapsam: *Nonne*, ait, *vel istum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ et nobiles certatim currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores et meliores te erant? nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse inscriptus paries ingerebat recordari debuisti? Divisa est mulier, et virgo, quæ non est nupta: cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu. Tu autem in contrarium certens dictum, etc.*

Præclare Tertull. de Cultu fœminarum c. 1. « Cum omnes, ait, templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, eius templi antistes et æditua pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. »

Virginum ergo, præsertim Religiosorum et Religiosarum, *Donum electum*, et *sors in templo Dei acceptissima*, est occupatio nobilissima ac dignissima, puta Deum et sponsum suum Christum assidue contemplari, Deum perfecte amare, cupiditates resecare, animum omni virtute et sanctitate imbuere et roborare, ut tentationibus, dæmonibus, totique mundo superiores existant, iisque dominentur: quia *Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis.* Hi ergo sunt electi et dilecti, quos Deus, ut perfectos, ideoque charissimos filios singulariter amat; B. Virgo, ut prules pulcherrimas, diligit; sancta Ecclesia, ut pretiosissimas gemmas, quibus illustris et splendida ac decora procedit, cordi habet.

Ipsi denique sunt aliis Ecclesiæ filiis meliores et pulchriores, quia curiam Dei ornant, palatium æterni regis ædificant, et nobilitatem Ecclesiæ constituunt. Vide quo pacto perfectio est arctissima cognatio cum Deo, quæ perfectos viros, non utcumque filios Dei facit, sed filios charissimos Dei, et patri simillimos et coniunctissimos efficit. Qui ut filii Dei, et hæredes regni cælestis, omnibus virtutibus, tamquam regalibus indumentis vestiuntur, cibis delicatissimis sanctorum desideriorum et piarum cogitationum reficiuntur, et angelis velut regiis ministris cinguntur, et patris sui occupatione, scilicet divina contemplatione, delectantur, et nihil aliud quærunt, nisi Dei similes esse, et in omnibus Dei filios et servos ob divinum honorem sese exhibere. Ita noster Alvarez de Paz lib. 4 de Dignit. perfectionis p. 1. c. 8. et 9. Ita et S. Hier. in c. 56. Isaiæ, et interpretes hoc loco.

In Ecclesia vero triumphantes virgines proxime sequuntur Agnum quocumque ierit, et cantant canticum novum, quod nemo potest dicere nisi virgo, Apoc. 14. v. 3. Unde de iis subdit: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Vide ibi dicta.

Denique per *fidei donum electum*, et per *sortem in templo Dei acceptissimam*, possunt accipi filii parentum sterilium, quos ob castitatis et sanctitatis meritum Deus parentibus dedit, fecitque gloriosos atque eximios, suos quasi in templo administros, uti fecit Samuelem, Ioannem Baptistam, et Iesum Christum, aliosque de quibus dicam vers. 16.

Audi S. Gregor. 3. part. Past. c. 29 « Eunuchi quippe sunt, qui, compressis motibus carnis, affectum in se pravi operis abscindunt. Quo autem apud Patrem loco habeantur ostenditur, quia in domo Patris, videlicet in æterna mansione, filiis præferuntur. Audiant quod per Ioannem dicitur: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit. » Apoc. 14. 4.

Virginitas mira S. Emerici.

Porro, quia *vita Sanctorum est interpretatio Scripturarum*, ut ait S. Hieron. disce ex vita S. Emerici (quam ex Bonfinio et aliis descripsit Surius 5 Nov.) quam castitas in templo Dei sit clara et pulchra quæ non solum illam possidentes, sed et per illos etiam alios atros et spurcos efficiat Deo speciosos et fulgidos. Nam S. Emericus, filius S. Stephani primi Hungarorum regis, cum nocte orans in Ecclesia S. Georgii, cogitaret quodnam posset gratissimum Deo munus offerre, ecce tibi cum cælesti fulgore vox de cælo: *Præclara*, ait, *res est virginitas. Itaque mentis et corporis virgineam integritatem a te exigo. Hanc offeras Deo, et in ea constanti animi proposito perseveres.* Obsecutus est ille, statuitque virgo permanere. Verum cum pater iuberet ut uxorem forma, genere et moribus spectatissimam duceret, quæ filios regni hæredes pareret: paruit ipse, sed cum uxore quasi cum sorore vixit in perpetua virginitate. Rarum hoc in iuventutis flore et regiis deliciis puritatis exemplum: sed ipse carnem, ne lasciviret, ieiuniis edomabat. Contigit ut Conradus quidam, qui spurcissima et enormia scelera perpetrarat, illorum pœnitens, Pontificis iussu loricam ferream ad nudum corpus astringeret, cum charta, in qua eius crimina scripta erant ac varia Sanctorum sepulcra viseret, donec lorica solveretur, et scriptura obliteraretur. Cum varia visisset incassum, venit tandem ad sepulcrum S. Stephani, ubi orans ab eo audiit: *Surge amice, et Emerici filii mei monumentum, quod iuxta est, adito. Ille quod carnis*

servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua sequunturque Agnum quocumque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum novum. Evigilat homo illico, ad B. Emerici sacellum se confert, fundit preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus, charta resignata nullum habet litteræ vestigium. Id audiens Ladislaus Hungariæ rex, honorifice elevari curavit corpus S. Emerici, eumque Sanctorum catalogo ascribi ad diem 5. Novem.

Vers 15. BONORUM ENIM LABORUM GLORIOSUS EST FRUCTUS, ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIÆ.) *Gloriosus*, qui scilicet non tantum ad præsens tempus, sed et in æternum coram Deo et Angelis duraturam gloriam cumuliat. Virginum labores gloriosi, ideoque gloriosos præmiorum fructus producentes (cuius rei symbolo apud Romanos olim, ad templum honoris non patebat aditus, nisi per templum virtutis, teste Plutarch. in Moral.) sunt assiduæ luctæ cum carne, orationes, ieiunia, eleemosynæ, studium, doctrina, prædicatio, zelus animarum, quibus vacant virgines, quia rebus terrenis non occupantur, etc. Hinc virginibus a Christo assignatur fructus centesimus, viduis sexagesimus, coniugibus trigesimus, Matth. 13. 23. Hinc et Christus noluit virginitatem, utpote rem adeo arduam, præcipere, sed tantum consulere: *Qui potest*, inquit, *capere, capiat*, Matth. 19. 12. Nam ut ait S. Augustinus serm. 250. de Tempore: *Sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria.* Hinc lectulum castum Salomonis ambiunt sexaginta ex fortissimis Israel, Cantic. 3. 7. Quin et veteres Palladem virginitatis et sapientiæ deam, armatam pingebant. Et Astrologi signum Virginis in cœlo medium collocant inter Libram et Leonem, ut indicent virginitatem indigere leonina fortitudine, et librata temperantia. Vide S. Gregor. l. 6. in lib. Reg. cap. 1. et 2.

Pallas armata, cur?

Porro fructus virginitatis sunt eius præmia et aureola, quæ recensui v. præced.

ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIÆ) Græce, *et quæ cadere nequit* (id est firma et stabilis est) *radix sapientiæ*. Dat causam, cur bonorum laborum gloriosus perennisque sit fructus, quia scilicet eorumdem radix est sapientia, quæ numquam concidit, nec marcescit, sed semper viva, virens et vegeta fructus hosce progerminat. Per *sapientiam* intellige non speculativam, sed practicam, puta prudentiam et virtutem præsertim castitatem et cœlibatum. Hæc enim iuges profert orationis, mortificationis, eleemosynæ aliorumque bonorum operum fructus. Hunc fructum apponit et præponit fructui, id est proli, impiorum et luxuriosorum, qui ex alienis uxoribus, vel ex alienigenis (quod lege veteri vetitum erat) proles suscitabant. Unde de iis subdit: *Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt.* Porro *radix sapientiæ* accipi potest ipsa sapientia, uti iam dixi, sicut virtus castitatis est ipsa castitas: vel præcise radix sapientiæ, id est virtutis, est timor Dei, iuxta illud: *Initium sapientiæ timor Domini*, Eccli. 1. 16. Vide ibi dicta. Hic enim timor non decidit, nec deperit, sed manet in æternum. Aliter noster Lorinus, qui per *radicem sapientiæ* accipit cognitionem Dei et sui ipsius: scilicet scire se nihil esse, nec posse esse castum suis viribus, sed hoc esse donum Dei, ut et cætera omnia. Hoc enim practice nosse est radix et causa castitatis, uti docet Sapiens c. 8. v. ult. Additque apposite: Recte autem de castitate prius locutus, quæ est σωφροσύνη, radicem eius dixit esse φρόνησιν. Maxima enim requiritur ad castitatem prudentia et sapientia, eaque est ceu radix illius: rursus vero prudentiam atque sapientiam σώζει, id est conservat et custodit, castitas atque temperantia. Unde illud Apostoli, quod legimus: *Sapere ad sobrietatem*, εἰς τὸ σωφρονεῖν; S. Hieronymus lib. 2. contra Iovin. vertit, *ad pudicitiam*; licet S. August. epist. 47. legat, *ad temperantiam*; Irenæus l. 5. c. 20. *ad prudentiam*.

Sterilium filii illustres.

Posset secundo per *fructum bonorum laborum* accipi proles sterilium; hæc enim directe opponitur proli adulterorum, q. d. Proles quas Deus subinde dat parentibus sterilibus, sed castis et piis, eo quod noluerant quærere proles ex alienis vel alienigenis uxoribus, quia hoc lege erat vetitum, sunt gloriosus castitatis et pietatis eorum fructus, ideoque Deus eas solet evehere, facereque Prophetas, pontifices vel Sanctos eximios et gloriosos: uti Abrahæ et Saræ sterilibus dedit filium Isaac Patriarcham, ex quo prognati sunt Iacob omnesque Patriarchæ et Israelitæ, ipseque Christus: qui proinde recte a Deo vocatus est Isaac, id est risus et gaudium parentum, æque ac posterorum omnium. Sic Deus Manue et uxori sterilibus filium dedit Samsonem, qui fuit robur et vindex Israelis, Iud. 13. Sic Annæ sterili dedit filium Samuelem, qui fuit iudex Israelis, ac sub Heli Deo in templo ministravit, 1. Regum. 2. Zachariæ et Elisabeth sterilibus dedit filium Ioannem Baptistam, qui fuit præcursor et iudex Christi, ideoque in eremo, velut in templo quasi Angelus inter Angelos vixit. Sic denique B. Virgini non ex natura, sed ex voto virginitatis sterili filium dedit Christum Iesum, qui fuit salvator et redemptor totius orbis. Vide ergo ut Deus sterilitatem castam et sanctam remuneretur fructu, id est prole sancta ac gloriosa, quæ Deo velut in templo iugiter assistat, famuletur et obsequatur, uti fecere omnes iam nominati. Ubi nota, omnes qui ex parentibus sterilibus nati fuere, evasisse in viros eximios et gloriosos, utpote dono Dei datos parentibus et mundo, ad eius salutem: ideoque Deus singulis nomen proprium imposuit, quod officium et gloriam eorum præsignificaret. Et hoc est *donum fidei electum, et sors in templo Dei acceptissima*, de qua dixit v. 14. Huic iam opponit fructum, id est prolem, impiorum, qui cum ex suis uxoribus proles non habeant; vel deformes habeant, quærunt contra ius et fas alias pulchras, ut ex iis filios pulchros suscitent. De his ergo ait:

FILII AUTEM ADULTERORUM IN INCONSUMMATIONE (ita legendum cum Græcis et Roman. non *in consummatione*, uti legunt multi, nec inepte. Sensus est enim, q. d. *cito consummabuntur*, id est, consumentur et morientur) ERUNT.) Græce est ἀτέλεστα ἔσται, quod duo significat: Primo, *inconsummati vel imperfecti erunt*, ad consummationem vel perfectionem, sive corporis, sive ætatis, sive prosperitatis, non pervenient. Secundo, *non initiati*, nec *sacri erunt*, sed profani. Unde Tigur. vertit: *Filii adulterorum vero sacris arcebuntur.* Sic et Osorius. Sensus est, q. d. Filii parentum fidelium et castorum solent esse consummati et perfecti, tum in natura, tum in gratia, ideoque sacri et quasi sacerdotes Dei: filii vero parentum adulterorum non semper, sed crebro sunt imperfecti, tum in natura, ut ad plenam perfectamque ætatem non perveniant, ideoque imbecilles, languidi vel manci misere vivunt, ac parum vivaces cito moriuntur; tum in gratia et virtute, ideoque profani et exosi Deo, quasi adulterorum parentum adulterini et impii filii. Sic filius Davidi natus ex adulterio cum Bethsabee, a Deo cita morte percussus est, 2. Reg. 12. 18. Her et Onan filii Iudæ luxuriosi nullos genuerunt filios, sed et ipsi celeri nece a Deo mulctati sunt, Genes. 38. v. 7. et seq. Abimelech filius spurius Gedeonis occidit 70. fratres suos, seque fecit tyrannum Israelis; ideoque paulo post a muliere interfectus est, Iudic. 9.

Vers 16.

Filii adulterini imperfecti.

Causa duplex est: Prima divina, quod scilicet Deus hac pœna congrua puniat adulteros, ut in quo peccaverunt, puta in filiorum generatione, in eodem puniantur. Secunda naturalis, quod adulteri cæterique libidinosi crebro veneris usu spiritus viresque exhauriant, itaque vim generandi debilitent: quo fit ut languidos et debiles, æque ac vitiosos sibique similes generent filios.

Hunc esse sensum liquet, quia sic se explicat Sapiens, cum subdit: *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur*, q. d. Filii nati ex adulterio, vel ex coniugio cum alienigenis lege vetito, ad plenam et perfectam ætatem non excrescent, non pervenient ad statum et gradum honoratum ac stabilem, sed præmature et dedecorose morientur. Causam dat Theognis:

Non etenim, inquit, *e squilla rosa nascitur aut hyacinthus.*
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Rursum, exterminabuntur ab Ecclesia Domini, iuxta legem Deut. 23. 2. *Non ingredietur manzer, hoc est de*

scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem; ita a Castro.

Sic ut alios taceam, hoc sæculo Henricus VIII. Angliæ rex, cum ex Catharina uxore sua non posset habere prolem masculum, eam repudiavit, et duxit Annam Bolenam, ex eaque Elisabetham genuit, sed in ea omnis eius stirps et progenies defecit, etiamsi successive sex duxisset uxores. Sic et principes mystica adulteri, id est apostatæ, puta qui a fide et Ecclesia deficientes fiunt hæretici vel idololatræ, sæpe non habent proles, vel non longævas, quæ in secunda vel tertia generatione deficiant, uti contigit Zamri, Osee, Iehu et aliis regibus Israel idololatris. Lege lib. 3. et 4. Regum. Idem hoc sæculo fieri vidimus in nobilissimis familiis. Quocirca Optatus Milevitan. l. 4. contra Parmen. « Filii adulterorum inconsummati. Hoc, *inquit*, de hæreticis dictum est, apud quos sunt Sacramentorum falsa connubia, et in quorum thoris iniquitas invenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina. Dum Valentinus filium Dei in phantasmate, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrupit. Nativitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de Virgine Maria, et passum in carne. »

Porro Gratian. dist. 58 can. 12. *Cenomonensem*, sic legit, sicque explicat, q. d. Filios adulterorum, utpote vitiosos, iuxta canones, non esse sacris initiandos. Sic enim ait: « Quod autem vitium originis semini imputari negatur, videtur esse contrarium illi sententiæ: Adulterorum filii abominatio sunt Domino; sed, sicut supra dictum est de presbyterorum filiis, ita et hoc de filiis adulterorum intelligendum videtur, ut illi dicantur esse abominatio Domino, ad quos paterna flagitia hæreditaria successione descendunt. »

Unde ibidem c. 9. scribit S. Bonifacius Martyr Anglorum regi, vitia adulterorum in proles proseminari. « Si gens Anglorum, inquit, spretis legalibus connubiis adulterando et luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis fœdum vitum duxerit, de tali commistione meretricum æstimandum est degeneres populos, et ignobiles, et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum universam plebem ad deteriora et ignobiliora vergentem, et novissime nec bello sæculari fortem, nec in fide stabilem nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturum, sicut aliis gentibus Hispaniæ, et Provinciæ, et Burgundiorum populis contigit; quæ sic a Deo recedentes fornicatæ sunt, donec vindex talium criminum ultrices pœnas per ignorantes legem Dei, id est per Saracenos, venire et sævire permisit. «

Obiicit S. Iustinus q. 78. ad Orthodox. qua ratione vera, sit hæc sententia, cum genealogia Christi ducatur ex David adultero? Respondet David pœnituisse, atque Uriæ defuncti relictam viduam, quam prius, vivente viro violaverat, uxorem duxisse, Deumque pœnitentiam David eo quoque modo honorare voluisse, ut mentio nominatim fieret uxoris quondam Uriæ.

S. Ambr. vero ser. 9. de Ioanne Baptista t. 5. adulterorum filios non initiatos, uti ipse pariter legit, interpretatur viles, spurios et infames. Agens enim contra concubinarios sic scribit. « Sed dicet aliquis: Uxorem non habeo, et ideo ancillam mihi sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham: Eiice ancillam, et filium eius; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur ergo quæritur tale coniugium, de quo susceptus filius, nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati filii non matrimonii, sed testes sint adulterii? cur huiusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sint, non honori? Dicit Scriptura: Adulterorum filii non initiati erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur: Mulier igitur quæ talibus moribus prædita est ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem et nomen uxoris, ne tu adulter sis potius quam maritus. »

ET AB INIQUO THORO SEMEN EXTERMINABITUR.) *Iniquo*, id est iniusto, puta adulterino. Adulterium enim est contra iustitiam; adulter enim corpus ex iustitia debitum addictumque uxori, illi subtrahit, datque adulteræ: quare uxori gravem facit iniuriam. Rursum *iniquo*, græce παρανόμου, id est illicito et lege vetito, qualis est copula soluti cum meretrice vel alienigena et idololatra: quæ licet non sit contra iustitiam, lege tamen Dei est prohibita, utpote nocens educationi prolis ac bono reipub. Unde S. Hier. in c. 9. Osee legit: *Ex iniquo concubitu semen peribit:* Vatabl. *Ex illegitimo concubitu semen abolebitur:* Osorius et Certhus. *Coniugati adulteri privabuntur prolis fœcunditate*, aut si quæ proles eis nascatur, infelix vivet, et interibit immatura. Ita sæpe fiebat olim et etiamnum fit, ut non semper, ob alia secreta Dei iudicia.

Porro hæc sententia vera est, non tantum in adulterinis filiis, sed et in legitimis. Sæpe enim ex hac lege sterilitatis a Deo lata contra adulteros fit, ut qui ex alieno thoro filios quærit, neque ex suo quidem suscipiat. *Sic concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ*, quam sibi vindicarat Abimelech, Genes. 20. 18 Quare si adulter fuerit rex, regno deiicietur posteritas; si castus, proles in regno firmabitur. Ita non raro fit.

Vers. 17. ET SI QUIDEM LONGÆ VITÆ ERUNT, IN NIHILUM COMPUTABUNTUR,) q. d. Impii et adulterini impiorum adulterorum filii, si quando diutius vivant, sintque longævi: nullius tamen erunt pretii, viles et abiecti; ET SINE HONORE ERIT NOVISSIMA SENECTUS ILLORUM,) q. d. Quo diutius vivent, eo magis erunt inhonorati et dedecorosi: tum quia cum ætate crescit eorum impietas et infamia: tum quia, cum iuxta legem Deut. 23. 2. velut infames repellantur ab Ecclesia et societate cæterorum Israelitarum; hinc quo diutius vivent, diutius maiusque erit eorum dedecus, infamia et probrum, præsertim quia senectus ipsa tot miseriis onusta, per se solet esse despicabilis et contemptibilis; cui si accedat ignominia natalium æque ac morum et vitæ, duplex, imo triplex et quadruplex consurget turpitudo et infamia. Candorem enim argenteæ quasi canitiei plumbo, imo cœno, inspergunt turpitudinis. Hinc S. Hier. in cap. 9. Osee sic legit: *Cum longi fuerint temporis, reputabuntur in nihilum, et ignobilis in novissimis erit senectus eorum.* Vere Ecclesiast. cap. 25. v. 3. *Tres*, inquit, *species odivit anima mea et aggravor* (nauseo et indignor) *valde animæ illorum; pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum*, græce senem *adulterum et minuentem intellectu*, quales fuere senes illi, quos increpat Ierem. cap. 29. 22 et illi insidiantes Susannæ, Daniel. 13.

Egregie hanc gnomam pertractat S. Fulgent. epist. 2. cap. 3. et 4. ubi Gallam de morte mariti iuvenis consolatur. « Tales, inquit, quantumlibet longævi moriantur, acerbo funere demerguntur, et quamvis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio, immaturæ mentis acerbitatem retentat in corde: Christianus autem, qui in timore Dei vixerit, quacumque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur, sed placita Deo subnixus maturitate transfertur: legimus namque in eodem Sapientiæ libro: Quia senectus honorabilis est non diuturna, neque numero annorum computata; cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Et inferius: « Sicut enim vita mala, quanto magis fuerit temporaliter prolongata tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam; sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirit bene viventibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosque senes demerget in tartarum; vita vero bona defunctos iuvenes maturos perducit ad regnum. »

Vers. 18. ET SI CELERIUS DEFUNCTI FUERINT, NON HABEBUNT SPEM.) Melioris, honoratioris et felicioris vitæ, quia cum in vita vixerint impie et infamiter, nullam post mortem sperare possunt aliam mercedem, nisi supplicium et opprobrium sempiternum in gehenna, iuxta illud Isaiæ cap.

66. v. ult. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

Nec in die agnitionis (græce διαγνώσεως, id est diiudicationis, discretionis, examinis, animadversionis, condemnationis, puta in die iudicii, quo causa cuiusque cognoscetur et diiudicabitur, ac pro meritis condemnabitur) allocutionem.) Græce, παραμυθίον, id est consolationem, q. d. Non habebunt impii in die iudicii ullam allocutionem, quæ vel sua scelera excusent, vel eorum supplicium deprecentur, vel suas miserias consolentur; nec enim ipsi loqui pro se poterunt nec quis alius pro eis loqui audebit; sed omnes obmutescent et obstupescent. Erunt enim ab omnibus omnino hominibus et creaturis deserti, imo omnibus invisi et exosi, ideoque in summa rerum desperatione; omnis enim creatura consurget contra impios ad vindicandam iniuriam sui creatoris, iuxta illud c. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Magna hæc erit damnatorum afflictio, cum nec a Christo, nec a B. Virgine, nec ab angelis, nec ab amicis, nec a parentibus, nec ab ullo mortalium vel verbulum unicum blandæ allocutionis, aut consolationis accipient. Sic *allocutio* pro consolatione, ac doloris lenimine, vel medicamento accipitur a Seneca in Troade:

Alios parentes alloqui in luctu decet.

Ubi vide nostrum Delrio, qui plura huius significationis affert testimonia. Et a Catull. in Hendec. ad Cornific.

Qua solatus es allocutione.

Porro S. Fulgent. epist. 2. c. 3. pro *agnitionis* legit, *magnitudinis* (nescio unde) sicque pie et pathetice explicat: « Non habebunt spem, nec in die magnitudinis allocutionem. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies, in qua non iudicandus, sed iudicaturus veniet Dominus? Nunc enim, cum venit ut pro nobis iudicaretur, non fuit dies magnitudinis; sed minorationis, in qua minoratus est paulo minus ab angelis: tunc autem erit dies magnitudinis, quando secundum Ioannis attestationem, omnes mali abscondi cupient in cavernis montium, dicentes montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu Patris sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum, et quis poterit stare? Apoc. 6. In hac die magnitudinis, mali non habebunt allocutionem, sed increpationem. Non enim audient: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi; sed dicetur eis: Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. »

Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.) Vers. 19
Id est, diri fines, diri exitus, q. d. Impiorum fines et exitus sunt acerbissimi, tristissimi, funestissimi, quia fulminante Christo sententiam damnationis, ibunt in mortem præsentem et æternam, puta in gehennam et ignem æternum. Minus recte nonnulli codices legunt: *Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis,* licet eodem redeat sensus.

Adde adulterium a plerisque gentibus, etiam hæreticis, quin et ab infidelibus, morte puniri, uti ostendit Tiraq. leg. 13. connub. num. 6. et seqq.

Porro harum omnium minarum et pœnarum, quæ hic impiis et adulteris intentantur, exemplum illustre est in filiis Heli, quos propter incestas libidines, adulteria, sacrilegia Deus cum patre Heli hisce pœnis mulctavit: « Ecce dies veniunt, inquit, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel; et non erit senex in domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo; sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua; et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: In die uno morientur ambo, » 1. Reg. 2. v. 32.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit castam piamque sobolem præferre incestæ et impiæ, quod illa sæpe longæva sit, honorata et prospera; hæc brevis ævi, infamis et infausta. Esto enim casti iustique subinde morte cita præoccupentur, ac velut flos purpureus aratro succidantur; tamen excipit eos melior vita, ac maior fama et gloria. Quare ætas senectutis est vita immaculata; et iustus consummatus in brevi explevit tempora multa.

1. O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. 2. Cum præsens est, imitantur illam: et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. 4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur. 5. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. 6. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua. 7. Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 8. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, 9. Et ætas senectutis vita immaculata. 10. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. 11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa: 14. Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: 15. Quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos eius, et respectus in electos illius. 16. Condemnat autem iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata, longam vitam iniusti. 17. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus. 18. Videbunt et contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. 19. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur; et erunt gementes, et memoria illorum peribit. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

Vers. 1 O QUAM PULCHRA EST CASTA GENERATIO (id est casta natio, puta casti homines; hos enim opponit nationi pravæ, de qua c. præcedenti v. ult. generatio ergo significat omnes genitos, sive natos) CUM CLARITATE!) Græce, κρεισσων ατεκνια μετα αρετης, hoc est: *melior est orbitas*, sive carentia, *filiorum cum virtute*; melius est esse illiberem, id est sine liberis, et virtute præditum, scilicet quam habere liberos ex adulterio, adulterinos et improbos, uti præcessit. Unde S. Ambr. lib. 1. de Virgin. legit, *Melior est sterilitas cum virtute*; S. Hieron. in cap. 9. Osee, *Melius est filios non habere cum virtute*; S. Cyprian. lib. de Singular. Cleric. *Melius est esse sine filiis cum claritate*; Syrus, *Melius est esse sine filiis cum gloria*; Arabicus, *Res præclara privatio filiorum cum virtute. Integritas*, ait B. Petrus Chrysol. ser. 146. *est cælestis consortium; virginitas iuncta Christo copula est virtutis.* Virgines ergo sunt angeli terrestres et homines cælestes, ideoque sponsæ Christi.

Noster pro ατεκνια videtur legisse αγνογονια, id est *casta generatio*, vel castitatis, aut castorum generatio; licet enim hæc vox composita Græcis non sit in usu, simplicia tamen, ex quibus componitur, sunt usitata. Auctor enim libri huius multas voces novat, naveque componit. Sane videtur Noster aliud habuisse Græcum exemplar, diversum a modernis. Nam moderna non habent exclamationem *o*, nec το *quam pulchra*.

Aut potius Noster solerter per orbitatem filiorum intellexit, non nudam orbitatem et sterilitatem; hæc enim non est pulchra, sed potius deformis: prudenter ergo adverte sterilitatem ex virtute, puta ex pulchra castitate, manantem. Unde vertit: *o quam pulchra est generatio casta*, id est natio, q. d. O quam pulchri sunt homines casti, o quam pulchra est castitas et castorum cœtus, sive ii sint coniuges, sive cœlibes et virgines. Sapiens enim per antithesin hic opponit et anteponit castos steriles adulteris prole abundantibus; casti enim *cum virtute*, id est ex virtute, puta ex amore castitatis, vel coniugalis, vel virginalis, malunt orbari filiis, quam perdere virginitatem, aut se polluere adulterio, esto ex eo liberos sperare possent. Horum enim virtus, puta castitas et virginitas, clarior et illustrior est omni laude et gloria, quam sperare possent ex filiis. Sensus ergo est, q. d. Melius, id est, præclarius, laudabilius et gloriosius est carere filiis, si iis careas ex virtute, puta ob amorem castitatis, qua non vis adulterari aut perdere virginitatem, quam prolem habere copiosam adulterinam et improbam. Ita S. Ambr. lib. 1. de Virgin. ubi hanc gnomen applicans virginibus, sic videtur explicare, q. d. *Melior est sterilitas*, id est, melior est virginitas. Quia enim illo legis veteris ævo ob exspectationem Messiæ, quem singuli ex sua stirpe nasci optabant, sterilitas erat probrum, censebaturque maledictio et infamia; fœcunditas vero æstimabatur benedictio et gloria; hinc multi, qui uxores habebant steriles, ut ex eis suscitare filios non possent, divertebant ad alias, etiam alienigenas et idololatras, ut ex iis prolem procrearent. Horum insipientiam et perversitatem redarguit hic Sapiens, docetque longe præstantiorem esse castitatem quamlibet, etiam illiberem et orbam, quavis fœcunditate et prolibus, præsertim spuriis, adulterinis et improbis; eo quod castitas sit virtus illaque eximia, fœcunditas vero adulterina ingens sit vitium et scelus; unde pudicitiam et puritatem Ægyptii hieroglyphice denotabant per ignem et aquam, quod his elementis omnis lustratio fiat et expiatio, ait Horus Apollo lib. 2. Hierogl. cap. 41. Iam quantum castitas illustrat et quasi inargentat hominem, tantum libido conspurcat et deturpat, quam enim gloriosa est puritas, tam probrosa est impuritas, quæ ex hominibus facit sues et porcos, uti docet S. Basil. in Psal. 1. Sensus ergo est, q. d. Filius vel filia est pulcher facie; at castus et virgo pulchrior est virtute: filia decora est vultu, at sæpe indecora et impudica mente; virgo vero et vultu speciosa est, et mente virginitate longe speciosior. Pulcher pater pulchrum sibique similem sæpe generat filium, iuxta illud Virgilii 6. Æneid.

Teucri pulcherrima proles.

A Et libro 7.

Satus Herculе pulchro.

Et libr. 4.

Quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum.

At hanc pulchritudinem corporis sæpe deturpat deformitas libidinis: nam *lis est cum forma magna pudicitiæ*, uti deturpavit filias Augusti Imp. de quo Sveton. in eius Vita: *Cuius felicitatem*, inquit, *infelicem fecerunt filia, neptis et nepotes, adeo ut ipse ad eorum mentionem proclamare soleret, utile esse sine nuptiis manere, et absque liberis interire; appellare quoque illos vomicas et carcinomata sua*: qua ratione Euripides dixit, ατεκνον, id est *carentem liberis, infortunio esse felicem*. Ruben, Genes. cap. 49. 3. dicitur *principium*, seu *præcipuum et caput doloris patris*; quia paterni thori violator fuit.

Audi Tertull. lib. de Bono pudicitiæ, cap. 1. *Pudicitia*, ait, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præ*B*iudicium omnis bonæ mentis; quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.* Tertullianum ceu magistrum secutus more suo S. Cyprianus lib. de Bono pudic. *Pudicitia*, ait, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput*, etc. *Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, et beatos efficiens.* Et paulo post impudicitiæ hæc dat epitheta: *Cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans sanguinis et familiæ fidem, alienis affectibus suos inferens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti et corrupti generis inducens.* S. Gregor. Turon. lib. de Gloria Confess. cap. 106. narrat se vocatum ad exsequias S. Radegundis tum defun- C ctæ, aitque de ea: *Sancta facies Radegundis de feretro ita fulgebat, ut liliorum rosarumque sperneret pulchritudinem.* Et c. 51. narrat de S. Severo presbytero lilium ab eo templo oblatum, cum per totum annum iam esset aridum; tamen recurrente eius transitus anniversaria die in vere, quotannis revirescere et reflorere solere.

Porro cum triplex sit castitas, scilicet coniugalis, vidualis, virginalis, quælibet præstat fœcunditate et filiis adulterinis ac infamibus. Castitas enim coniugalis pulchra est, vidualis pulchrior, virginalis pulcherrima. De coniugali hanc gnomen accipit Lyranus et Hulcot, cæteri de virginali, ut sanctus Cyprianus (vel potius Origenes, ut censet Pamel.) tract. de Singular. Cleric. Sanctus Ambrosius libro 1. de Virg. Sanctus Bernardus epist. 42. Petrus Blesensis, epist. 36. imo Ecclesia in Officio Ecclesiast. SS. Virginum. Sic et Cantacuzenus aliique interpretes hic.

Hinc S. Aldhelmus lib. 1. de Virg. narrat angelum triplicem castitatem, scilicet virginalem, vidualem et coniu- (Elogia triplicis castitatis.) D galem, hisce gradibus discriminasse, « ut sit virginitas aurum, castitas argentum, iugalitas (coniugium) æramentum; ut sit virginitas divitiæ, castitas mediocritas, iugalitas paupertas; ut sit virginitas pax, castitas redemptio, iugalitas captivitas; ut sit virginitas sol, castitas lucerna, iugalitas tenebræ; ut sit virginitas dies, castitas aurora, iugalitas nox; ut sit virginitas regina, castitas domina, iugalitas ancilla; ut sit virginitas patria, castitas portus, iugalitas pelagus; ut sit virginitas homo, castitas semiviva, iugalitas corpus; ut sit virginitas purpura, castitas rediviva, iugalitas lana ».

Hanc gnomen insigni rosæ, lilii et ficus apologo graphice repræsentat Cyrill. lib. 1. Apolog. moral. cap. 8. (Apologus fructus et floris.) « Rosa, inquit, et lilium iuxta ficulneam sunt exortæ; quæ cum expandissent floribunda folia, nitore splendentia, et rorem suavitatis manantia, aromaticique odoris fragrantiam effudissent, et illa floris luce orbata acerbam in fructum pariter pullulasset, invidentiæ lacte pruriens

mox invectivam proposuit, dicens: Post tam amœnam rutilantiam floridam, ubi fructus vestri? Vanum quippe est florere sine fructu. Siquidem ligat natura sagax fructum in flore, et ob ipsum vernantem florem germinant. At illæ, mox radicem eloquii subodorantes, pacifice ratione dixerunt: Bene scimus quod propter pruritum generationis perdidisti gloriam floris, et idcirco iam exspoliata es foliis, dum sic loqueris. Nempe fructum paris dulcissimum, sed tamen pateris in radice pruritum, quo florem amisisti. Nobis autem ex plena puritate et suavitate substantiæ, flos ipse fructus est. Unde in nobis flos et fructus minime distinguuntur, quoniam redundante puritatis flore, et odoriferæ sublimitatis humore in nobis idipsum factum est flos et fructus. Nonne vapor terræ purissimus, totus floridum in aurum concrescit, et ros dulcissimus cœli virginitatu vernante in margaritam congemmescit? Igitur rosa, et lilium, et flores fructiferi, et fructus floridi sunt ». Deinde plura in laudem virginitatis subiiciens, eamdem comparat lilio, rosæ, magneti, sapphiro, smaragdo: « Fructus, inquit, est dulcissimus, decor præstantissimus, odor suavissimus, valor totus. Nimirum ipsa est naturæ ac virtutis clarissima gemma, summa temperantia, perfecta victoria, spiritus supra genus, gloria tota. Ut rosa igitur fragrans et lilium rutilans est sancta virginitas, flos et fructus; ad cuiusquidem fragrantiam unicornis attractus suaviter currit, cuius dulcedine ferocitas eius mansuescit, cuius puritate validissima eius potestas delectata, quasi victa in nitido gremio virginali, reverentialiter prostrata recumbit. O virtus magnetica virginitatis, ad se trahens naturam! o sapphirus mirabilis castitatis, omnem fugans et destruens famam venenosam! o smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inviolatæ integritatis amatrix, fœtidam Veneris nullatenus patiens corruptelam! Ad hæc ficulnea stupefacta conticuit ».

Virginitas est flos et fructus.

Pulchra virginitatis exempla.

Vis pulchritudinis sanctæ virginitatis specimen et speculum? S. Pulcheria Augusta filia Arcadii Imp. virgo fuit perpetua et gloriosa, utpote quæ Theodosium Imp. fratrem suum iuniorem, in pietate omnique virtute ad regimen educavit, eoque mortuo ipsi succedens in imperium, nupsit Marciano, eumque creavit Augustum, ut maiori auctoritate regnum administraret; sed virginitatem, quam antea Deo voverat, in matrimonio conservavit, ac totam se fidei tuendæ, et hæresi Eutychetis extirpendæ impendit. Quapropter tota Synodus Chalcedonensis ei acclamavit: *Nova Helena, munimen Orthodoxorum, et gloria Ecclesiarum*. Denique quod in Imperatoribus rarum est, sua castitate, iustitia et sanctitate meruit catalogo Sanctorum adscribi die 10 Septembris.

Talis quoque fuit S. Cunegundis, quæ castitatem pariter cum Henrico Imp. marito suo conservavit, eique in eius testimonium nudis pedibus illæsa super candens ferrum ambulavit, ac mortuo marito monasterium a se fundatum ingressa, monachamque professa, quindecim annos miro humilitate, abstinentia et pœnitentia traduxit. Unde Sanctorum fastis adscripta legitur die 3. Martii. Nimirum in tanto Imperii fastigio castitas, quasi sol toti orbi clarius effulget.

S. Elzearius, comes Arriani, cum coniuge Delphina intactam servavit virginitatem. Quocirca D. Mablina nobilitate et pietate illustris, vidit in Spiritu sanctum iuvenem splendide indutum, per amplam planitiem manibus ferentem vexillum candidum et illustre, cuius elegantia et splendor totum aerem et planitiem illam illuminaret. Sequebatur autem eum innumera multitudo hominum cuiusvis ætatis, sexus et ordinis. Cumque illa visionis explicationem a Deo posceret, audivit: *Hæc est virginitas ut sanctitas Elzearii, quem totus orbis venerabitur, et multi eum sequentur*. Ita habet eius Vita apud Surium cap. 16. ad diem 27. Septembris.

Præclare S. Ignatius epist. 13. ad Heronem: *Virgines*, ait, *serva, ut pretiosa Christi monilia*. Et S. Cyprianus lib. de Habitu virginum: *Flos*, inquit, *est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctitatem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret, Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit*. Sic Vestalium virginitas Romanis erat admirationi, cum tamen illa esset compitis, temporaria, ac fastu plena, ait S. Ambrosius in Symmachum. Nam ut ait Naumachius illustris poeta, sed gentilis:

Pulchrum est corpus castum habere, intactamque manere
Virginem, et puris semper cogitationibus delectari, etc.
Permanere quasi reginam imbecillium mulierum,
Oculum splendidum ad eam vitam erigendo,
In qua gloriosæ veræque sunt nuptiæ, ubi commixta
Divinis verbis lumine plenas meditationes parit.

His virginitatis elogiis accensus S. Casimirus, regis Poloniæ filius, eam ita adamavit, ut, etiamsi medici asseverent eum morbo, quo laborabat, liberari non posse, nisi uxorem duceret, ad idque pater et regni proceres eum urgerent, ipse tamen constanter responderit: *Malo mori virgo quam vivere non virgo*. Dixit, et fecit, ideoque velut virginitatis hostia, in sanctorum virginum album ab Ecclesia inscriptus est die 4 Martii. Fuit ergo ipse velut armelinus, qui a venatoribus luteo aggere circumdatus, maluit capi et mori, quam egredi et fœdari. Unde cives eius Lithuani hoc ei anagramma dederunt: *Casimirus, cum ac iris*, in quam scilicet irradians Sol iustitiæ suum ei castitatis fulgorem afflavit. Et hoc epitaphium:

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire pudoris.
Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Fuit e primis Societatis nostræ Patribus P. Iacobus Ledesma, insignis theologus, ac religiose morum sanctitate conspicuus. Huic sub initium vocationis de perpetuanda castitate formidanti, Brixiæ apparuit B. Virgo sole pulchrior, comitata S. Maria Magdalena, S. Catharina Alexandrina, et S. Catharina Senensi, eique donum castitatis per omnem vitam promisit: qua dum in cœlum rediret, tres eius comites iam recensitæ hoc carmen suaviter modulabantur: *O quantum est donum castitatis, quod Deus confert pietatis!* Ita refert noster P. Franc. Sacchinus parte 2. Histor. Societatis Iesu, lib. 1. num. 65. Lege vitam S. Iuliani et Basilissæ coniugum, sed virginum, ac mira hac de re invenies. Extat apud Surium die 9. Ianuarii.

Vide S. Athanas. Tertull. Cyprian. August. Basilium de laudibus virginitatis, ac Climacum gradu 15. et Cassianum collat. 12.

Audi amicum S. Athanas. hac exclamatione tract. de Virg. concludentem: « Magna virtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt virginitatis præconia. O virginitatis divitiæ incomprehensibiles! O virginitas corona immarcescibilis! O virginitas templum Dei et Sancti Spiritus domicilium! O virginitas margarita pretiosa apud multos latens! a paucis vero vix invenitur. O continentia amica Dei, et apud Sanctos laudata! O continentia vulgo invisa, sed iis, qui te digni sunt, nota! O continentia mortem et inferos effugiens, et immortalitati adhærens! O continentia gaudium Prophetarum, Apostolorum gloria! O continentia Angelorum vita, et sanctorum hominum corona! Beatus qui te tenet, beatus qui per patientiam tibi constanter adhæret; quoniam postquam paululum laboraverit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus ieiunarit, quia in æterna Hierusalyma habitabit; cumque Angelis choreas ducet, cumque sanctis Prophetis et Apostolis requiem habebit ».

Symbolice, quam pulchra est generatio Christi, tum æterna et divina, tam temporalis et humana! utraque enim est casta et virginea, quia æterna facta est sine matre, humana sine patre ex Spiritu Sancto. Unde Christus in cœlis est ἀμήτωρ, id est, carens matre: in terris vero ἀπάτωρ, id est, carens patre. Utraque pariter est clara, imo clarissima. Unde de priori dicitur Psalm. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te*. Ita Angelus de Pax. Expos. in Symbol. cap. 14.

CUM CLARITATE.) Græce cum virtute, inter quas quia eminet charitas, hinc S. Bernard. et Petrus Blesensis epist. 36 legunt; cum charitate. Audi S. Bernardum epist. 42. ad Henricum: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet. Sed, o quam pulchra est (ut Sapiens clamat) casta generatio cum charitate!* cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

Noster vertit, cum *claritate*, quia græcum ἀρετη, et latinum *virtus*, sæpe significat vires, robur, excellentiam, præstantiam, celebritatem, gloriam. Unde illud Virgilii:

Tunc pudor incendit vires et conscia virtus.

Claritas pro virtute. Igitur τὸ *cum claritate*, primo accipi potest, ut sit idem quod græcum *cum virtute*; virtus enim sola parit laudem et claritatem: unde a Poetis *virtus* sæpe vocatur laus, uti alibi ostendi. Secundo et genuine, τὸ *cum claritate* idem est quod *clara*, ac iungendum est cum τὸ *quam pulchra*, q. d. O quam pulchra et clara est casta generatio, sive natio! Castitas enim solet sibi sociare cæteras virtutes; habet ergo laudem, decorem, claritatem et gloriam aliarum virtutum, eo quod sit ἀρετη, id est robur et fortitudo Martis, quæ omnia superat, ac victrix de omnibus cupiditatibus triumphat: quæ sane ingens est eius claritas et gloria.

Mystice, Lyranus accipit *claritatem* conscientiæ, quæ iustis datur præsertim castis; quocirca experientia constat castitatem esse matrem sapientiæ, facereque ut conscientia æque ac ingenium et mens mira claritate polleat et resplendeat.

Virtutis etymon. Porro græcum ἀρετη, id est virtus, indicat castitatem egere magna fortitudine et robore militari, et quasi Martio; Ἀρετη enim dicta est ab Ἄρης, id est Mars. Virgines ergo sunt quasi Martes, qui assidue pro castitate duro ac difficili prælio confligunt. Sic et virtus dicta est a vi, et a viro, quasi virilis: castitas enim facit virgines viriles, et quasi viros, ac virili vi omnibus tentationibus mundi, carnis et dæmonis resistit. Sensus ergo est, q. d. Filii stipantes suos parentes, illis sunt pulchritudini et robori, indeque claritati et gloriæ; at maior est castitatis et virginitatis pulchritudo, robur et claritas, quam ipsa castis communicat, ut ob hasce tres dotes celebris et gloriosa sit, castosque gloriosos faciat apud Deum, æque ac apud Angelos et homines universos.

Denique S. Cyprianus (sive Origenes, ut volunt nonnulli) tract. de Singul. Clericorum, paulo ante finem, totum hunc locum citat, et ex eo probat Clericos et castitatis studiosos non posse habitare cum fœminis. Sic enim ait: « Melius est esse sine filiis cum claritate: non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ paritatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum et fœminam pariter in virginitate conservet; non habet claritatem, quia communitas ipsa non potest nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurare. Singularitas vero ita clara est omnibus et experta, ut cunctis splendore sui candoris pure manifestetur et lucida ».

IMMORTALIS EST ENIM MEMORIA ILLIUS: QUONIAM ET APUD DEUM NOTA EST, ET APUD HOMINES.) Quam proinde nulla temporum, nulla vicissitudinum, nulla sæculorum delebit oblivio; sed eius memoria et gloria perennis florebit tamdiu, quamdiu Dei et Angelorum hominumque omnium durabit æternitas.

Probat castæ generationis, sive nationis et gentis pulchritudinem et claritatem, ex eo quod immortalis sit memoria, et æterna gloria illius apud Deum et homines: quam proinde opponit et anteponit fluxæ et caducæ filiorum propagationi, cuius memoria et fama ad modicum tempus durat, et cum filiis interit. Errant ergo qui per filios quærunt immortalitatem, ac suum nomen et stirpem æternare satagunt, cum vera immortalitas quærenda sit ex virtute et castitate: hæc enim apud Deum et homines æternam habet laudem et gloriam. Generatione perpetuatur corruptibilium species, cum individua perpetuari nequeant, teste Arist. de Generat. at iusti castique memoria, quin et anima, eiusque felicitas et gloria, perpetuatur in ipso eius individuo.

Græca significantius habent: Ἀθανασια γαρ εστιν εν μνημη αυτης, id est *immortalitas enim est in memoria illius*, scilicet virtutis, quam præcessit; virtutis inquam, qua quis sterilis esse mavult et illiberis, ex amore virginitatis vel castitatis coniugalis, quam ex alienis vel alienigenis filios procreare.

Hoc est quod ait Ecclesiast. cap. 44. 14 *Nomen eorum* (iustorum, præsertim heroum, quales sunt virgines et Martyres) *vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia* etc. cap. 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii; in omni ore, quasi mel indulcabitur eius memoria, et ut musica in convivio vini.* Et Psaltes Psal. 111. 7. *In memoria æterna erit iustus.*

ET APUD HOMINES.) Tum probos castosque, tum improbos et incestos, qui virgines et castam vitam suspiciunt et admirantur, ut angelicam et divinam quæ ipsorum omnisque naturæ vires superet et transcendat ut docet S. Ambr. l. 2 de Virg. et S. Basil. de Virg.

Symbolice noster Alvarez de Paz. l. 4. de Dignitate perfect. parte 3. c. 37. totum hunc locum de iustis et sanctis sic exponit: Casta generatio, inquit, non est alia quam multitudo iustorum, quæ mente pulchra est, quia gratiæ decore nitet; et corpore casta, quia honestatis nitore emicat; et luce sapientiæ clara, quoniam rerum cœlestium cognitione resplendet: cuius memoria, nec apud Deum, nec apud homines perit. Non apud Deum, quia Sanctos semper secum habet, et nunquam a proposito eos clarificandi discedit. Non apud homines, quia hi celebrem eorum memoriam non deserunt, quos sibi semper patronos apud Deum et mediatores agnoscunt. Adeo ut, quia non potest Ecclesia omnium Sanctorum festa sigillatim celebrare (sunt enim illi innumerabiles) neque potest omnes perfectos et iustos ex nomine cognoscere, aut eorum specialem memoriam habere, diem festum celeberrimum quotannis instituerit, in quibus (iubente Deo) Sanctorum omnium choros honoraret, et eos ad memoriam fidelium adduceret. Omnes etiam illos frequenter invocat, dum in supplicationibus publicis canit: *Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.*

CUM PRÆSENS EST IMITANTUR ILLAM: ET DESIDERANT EAM, CUM SE EDUXERIT.) S. Cyprianus legit, *cum se abduxerit*, cum scilicet per martyrium aut mortem castorum vel virginum, castitas vel virginitas cum eis se in cœlum subduxerit. Græce est, *desiderant recedentem*, ideoque absentem. Sensus est q. d. Castitas adeo speciosa est, ut cum se præsentem in castis exhibet, multos trahat ad sui amorem et imitationem; cum vero absens est, sui acuat desiderium; præsentia bona enim sæpe fastidimus, absentia desideramus et studiose requirimus, iuxta illud Horatii l. 3. Carm. Ode 24. Vers. 2

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Et illud: *Minuit præsentia famam.* Verum viris probis castitas cum adest, mirabilis et imitabilis est; cum vero abest, desiderabilis. Exemplum est in S. Aug. qui concubinæ astrictus, ab ea se expedivit per exempla sanctarum virginum. Audi eum l. 8. Confess. 11. « Aperiebatur, inquit, ab ea parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et extenderet, ad me suscipiendum et amplectendum, pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ; ibi iuventus multa, et omnis ætas, et graves viduæ, et virgines anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, q. d. Tu non poteris, quod isti et istæ? an vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis.

Quid in te stas, et non stas? Proiice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Proiice te, securus excipiet te, et salvabit te. Et erubescebam nimis. » Quocirca S. Basil. hom. de S. Gordio Martyre ait: « Cum in sanctis voluminibus Mosis vitam, morum lenitatem, nostræ naturæ magnopere optatam audimus, statim æmulamur. Ioseph dum audimus, aut legimus vitam illius, assequi castitatem magnopere cupimus. Si vero Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. »

Et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens) Græce est ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικῶσα, id est, *immarcescibilium* vel *incorruptibilium certaminum*, vel *præmiorum* (ἄθλων enim, si ab ἆθλος masculino derives, idem est quod *certaminum*; sin a neutro ἆθλον, idem est quod præmiorum, quæ certamina merentur) *agonem vincens*, q. d. Castitas, ac præsertim virginitas, quia durum agonem certaminum et tentationum libidinis, quibus ingentia et immarcescibilia a Deo præmia proposita sunt, generose vincit, hinc corona gloriæ, et laurea sive aureola virginitatis coronata in cælis triumphat. Hinc S. Cyprianus legit, *incoinquinatorum certaminum prælium vincens*. Ubi nota. *Incoinquinata certamina* accipi possunt *impolluta*, quæ scilicet cum tentationibus libidinis, multorum corpora et mentes polluentibus, ita ut vix quis eas evadat illibatus et impollutus, a castis ita suscipiuntur et superantur, ut ipsi prorsus maneant ab iis intacti et incoinquinati. Sin vertas, *incoinquinatorum præmiorum*, per ea intellige, *immarcescibilem gloriæ coronam* castis a Deo propositam quæ numquam marcescit, nullo mœrore, dolore aut timore inquinatur, polluitur vel maculatur. Addit Petrus Faber l. 2. Agonist. c. 12. et l. 3. c. 4. *incontaminatos* dici agones sanctarum virginum, qui Deo dicantur, ut distinguat eos a contaminatis agonibus, qui in honorem deorum, id est dæmonum, a Gentilibus celebrantur.

Noster pro ἀγῶνα, id est *prælium* vertit *præmium*, metonymice, quia in agone agonotheta vincenti certamen, sive prælium, bravii loco proponebat præmium, q. d. Castus et virgo in tam periculoso tentationum carnis agone prælium vincens, præmium reportat, scilicet coronam gloriæ, cum qua in æternum triumphat. Posset quoque per hypallagen sic exponi: *Incoinquinatorum certaminum* vel *præliorum præmium vincens*, id est incoinquinatorum præmiorum certamen vel prælium vincens. Sic Psalm. 18. 6. dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, pro: *In tabernaculo suo posuit solem*. Et Ps. 32. 7. *Ponens in thesauris abyssos*, pro: *Ponens in abyssis thesauros*. Sic alibi dicitur: *Misit civitatem in ignem*, pro: *Misit ignem in civitatem*. Et: *Calceamenta habebitis in pedibus*, pro: *Habebitis pedes in calceamentis*, sive *calceatos*, Exodi 12. Quomodocumque vertas et exponas, eodem semper redibit sensus. De corona sive aureola virginitatis vide D. Thomam, S. Bonav. cæterosque Scholast. in 4. dist. 33.

Triumphi virginum. Audi virginum, ideoque Martyrum, gloriosas coronas et triumphos celebrantem S. Ambros. l. 8. epist. 25. ad Eccles. Vercell. sub finem: « Apud nos, inquit, et puellæ in mortis appetentia sublimes, usque ad cælum exexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetem, quid Pelagiam loquar, quæ tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exsultavit, et rudentes bestias exspectavit intrepida. Et ut nostra cum Indorum gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, et flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur, non rogabant ut parceretur, sed invehebantur ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens. » Subiicit deinde rerum S. Pelagiæ fortitudinem: « Quid autem sublimius sancta Pelagia, quæ velluta persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam; nullum prædones lucrum suæ capient insolentiæ: Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam et prosapiam prudentiæ. Quod servum est, hic manebit, nullos in usus debitum. » Dixit et fecit: nam antequam a satellitibus comprehenderetur, ex alto se præcipitans, virgo et Martyr evolavit in cælum, uti refert idem S. Ambr. l. 3. de Virg. S. Chrysos. et alii.

S. Victoria. Audi et triumphos S. Victoriæ virginis et Martyris. Hanc enim hisce verbis ad virginitatem servandam impulit S. Anatolia: « O Victoria vince diabolum, et esto vera victoria! Ego die qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum iuvenem auro diadematum splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie et læto vultu me inspiciens ait: O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ a morte perpetua liberas! O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu avigilans sollicite custodi: quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi ne perdas. » His et similibus verbis et factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suarum et ipsa distraxit pauperibus: sicque factum est ut, agentibus sponsis earum Aurelio et Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt a Decio Imper. urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur, ubi fame et inedia ita afflictæ sunt ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur: nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens post multa miracula facta, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarcho, qui leprosus factus intra sex dies vermibus consumptus exspiravit. Hæc omnia ad verbum habet Ado in Martyrol. die 29. Dec. Huc facit illud S. Hieron. in Epitaph. Paulæ, de duabus coronis, martyrii scilicet et puritatis: *Illa*, ait, *corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis*. Et illud Prudentii Peristephanon hymno 14. Gnome

Duplex corona est præstito Martyri,
Intactum ab omni crimine virgini,
Mortis deinde gloria liberæ.

Hinc et Gentiles in agone certaturi vino et venere abstinebant, ut fortiores evaderent, et victoriæ coronam reportarent: experientia enim constabat fortiores, si veneri vacarent, a debilioribus, si ea abstinerent, superari. Audi S. Paulinum, epist. ad Severum: *Confirmemus*, inquit, *animam castitate, quam Apostolus docet, quam etiam carnales athletæ diligenter tuentur, quo nobis impensiore studio servanda est pro immarcescibili corona illa luctantibus, cum etiam pro temporali et fragili corona decernentibus excolatur*. Et S. Ephrem de Virgin. *Fac sis continens animo, vigil spiritu, abstinens cibo, abstinens risu, cogitationum quoque continentiam servans, ut per omnia veluti perfectus athleta innotescas*. Et de luctamine spirituali: *Continentiam habeto*, inquit, *in habitu, continentiam habeto in cibo, continentiam habeto in lingua: abstinentiam in aspectu, in cogitatu, in risu, ut athleta pietatis perfectissimus in omnibus demonstreris*. Similia habet S. Basil. de Sacr. virg. Porro virgines a Gentilibus florea corona, vel ramis pini (pinus enim est symbolum virginitatis) coronari solitas docet Carolus Paschalius l. 2. de Coronis c. 15. et l. 6. c. 28.

Virginum triplex corona. Denique virginibus triplex debetur corona: prima, virginitatis; secunda, nuptialis, quia nubunt Deo; olim enim virgines, dum nubebant, coronabantur: tertia, athletica, quia instar athletarum difficilem et durum cum luxuria agonem subeunt et superant. Hinc omnes pene gentes virgines, dum moriuntur, rosis et floribus coronant. Virgo enim est libidinis domitor, dæmonum profligator, passionum et sensuum victor. Cui per omnia quadrat illa Machabæi præclara laudatio: « Similis factus est leoni in operi-

bus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos; et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis; et repulsi sunt inimici eius præ timore eius, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt; et directa est salus in manu eius. » 1. Machab. 3. 4.

Vers. 3. Multigena (græce, πολύγονον, id est multiplex, multiplicata, multa) autem impiorum multitudo non erit utilis.) Est antithesis, q. d. Pii et casti sua virtute et castitate pariunt sibi coronas et triumphos æternos; at turba impiorum, esto plurima, inutilis est, imo sua impietate sibi et proximis noxia: sibi enim accersit ignes et tormenta gehennæ.

Dices: Cur ergo Deus creat homines, quos scit fore impios, et cur eos tolerat? Resp. primo, ut in eis ostendat suam iustitiam vindicativam, sicut in piis suam ostendit misericordiam per gratiam et gloriam, quam eis elargitur, uti docet Apost. Rom. 9. utque per iustitiam exercitam in impios, pii magis agnoscant misericordiam sibi præstitam, Deoque maiores gratias agant.

Secundo, ut per impios exerceantur, purgentur et perficiantur pii. Sic Cain exercuit Abelem, Ismael Isaacum, Esau Iacobum, Pharao Mosen, Saul Davidem, Aman Mardochæum, etc. Audi S. Aug. ser. 52. in Evang. S. Ioannis: *Præclare*, inquit, *videtis ergo quia et mali necessarii sunt bonis. In fornace quodammodo aurificis sumus. hoc est in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes; si autem es, palea tua est malus; si et tu palea es, simul artis fumus.* Et in illa verba Psal. 51. *Sicut novacula acuta fecisti dolum: Ecce*, ait, *quid faciunt bonis mali, capillos radunt*, hoc est, ut mox explicat, *ablaturus est malus bona temporalia.*

Tertio, impii piis multa exhibent ministeria circa artes mechanicas, mercimonia, aliasque res temporales, quibus excellunt, utpote toti intenti lucris, fabricis, politiæ, etc.

Et spuria vitulamina non dabunt radices altas nec stabile firmamentum collocabunt.) q. d. Sicut spuriæ plantæ non agunt altas radices, ideoque cito exarescunt et pereunt: sic adulterorum et impiorum adulterini et impii filii cito deficiunt, nec stirpem aut familiam propagant: spuriæ plantæ enim sunt filii nothi et illegitimi. Unde Syrus vertit: *Et qui sunt ex alieno semine, non dabunt radices in profunditate*; Arabicus: *Non fundabunt radices altas germina eorum. Spuria vitulamina* ergo sunt *adulterinæ plantationes*, uti legunt hic S. Bonav. Lyran. Hugo, Holcot et Dionys. has enim significat græcum νόθα μοσχεύματα, id est nothæ, vel spuriæ et adulterinæ plantæ. Nam vox *vitulamina* in nullis lexicis, vel auctoribus classicis modo reperitur. Unde S. Aug. l. 2. de Doctrina Christ. c. 12. *Quia*, inquit, *μόσχος græce vitulus dicitur μοσχεύματα quidam non intellexerunt esse plantationes, et vitulamina interpretati sunt. Qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum: et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis. Namque adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, convenientius dicitur, quam vitulamina, quæ pedibus per terram gradiuntur, et non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cætera contexta custodiunt.* S. Augustinum sequitur Iansen. qui lectionem Vulgatam, quæ habet *vitulamina*, velut vitiatam, aut minus congruam reiicit, uti et S. Bonav. Hugo, Vatabl. Clarius et Polydorus Virgil. in Adagiis Sacris, lib. 2. adagio 379.

Verum *spuria vitulamina* legunt hic omnes codices Vulgatæ editionis, quam, quia authenticam probavit Concil. Tridentin. sess. 4. nulli Catholico iam reiicere fas est. Sic quoque Optatus Milevit. l. 4. contra Parmen. legit: *Spuria vitulamina, et filios adulterarum*. et explicat de hæreticis: *Apud quos*, inquit, *sunt Sacramentorum falsa connubia, et in quorum thoris iniquitas invenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina.* Videtur ergo vox *vitulamina* illo ævo fuisse usu recepta.

Spurii etymon. Porro *spurius* vocatur, qui ex matre nota, patre ignoto vel ignobili nascitur. Unde veteres denotabant spurium per S. P. q. d. *Sine patre*: *Spurius* autem dicitur a σπόρος, id est semen, quod nil habeat a patre nisi semen: nec enim in patris familiam, statum et hæreditatem succedit. Ita S. Isidor. lib. 9. Orig. 5. Plutarch. in Quæst. Sigonius de Nomin. Rom. et alii. Addit S. Isidor. *spurium* dici quasi *extra puritatem*, id est immundum; alii *spurium* dici censent *spurcum*. Verum prius etymon est genuinum.

Dico ergo apte nostrum Interpretem vertisse, *vitulamina*: primo, quia græcizat ac imitatur Græcum, qui a μόσχος vocat μοσχεύματα, id est a vitulo vitulamina; μοσχεύματα, id est, *vitulamina*, Græcis sunt surculi, qui ex arbore dempti seruntur sive plantantur, ut in fruticem arboremve excrescant; item rami tenelli, qui ex arbore in humum deferuntur, ut talea sive clavola ex olea, malleolus ex vite: μοσχεύω enim idem est quod surculis ex arbore demptis sero, ramos tenerrimos ex arbore avulsos planto, plantaria seu viviradices instituo. Sic S. Bonav. ait S. Ambros. in quadam epistola scripsisse: *Vos estis nobilia vitulamina*; dici autem a vite, quæ est generosa plantatio. — Vitulamen unde? — Adde: *Radix* arboris vocatur taurus, cur non et vitulus, vel vitulamen? Audi Quintilianum l. 8. c. 2. *Sicut in his, quæ homonyma dicuntur, ut taurus animal ne sit, an mons, an signum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur.* Sic μόσχος græce et vitulum, et pampinum, et viviradicem, id est plantam, quæ cum viva radice seritur, quasi vivam radicem habens, significat: unde μόσχευμα vocatur stolo, planta tenera, novellus ramus, malleolus vitium, viviradix.

Secundo, quia *vitulamen* est vox latina, et apposite significat vagam, petulantem et instar vituli vitulantem et lascivientem luxuriam spuriarum, plantarum, æque ac adulterorum. *Vitulari* enim Latinis idem est quod lætari, exsultare, lascivire instar vituli: unde vitulamen est ipsa lascivia. Ita Festus, Nonius et alii. Iam sicut homines dicuntur lascivire et vitulari metaphorice, sic et plantæ cum ramis luxuriant. Est enim analogia et similitudo inter propagationem plantarum, bestiarum et hominum: unde sicut vitulari dicuntur homines, cum more vitulorum saltant et lasciviunt, sic et plantæ. Quare apposite Interpres noster a stolida et petulca vituli vitulatione, stolidas et lascive luxuriantes plantas, sive stolones vocavit *vitulamina*.

Paulo aliter Corvantius: *Vox vitulamina*, inquit, *significat degenerantes, infructuosas, stultas, luxuriantesque plantas, quæ ad truncum vitis, a qua nomen accipiunt, nasci solent, et vitibus officiunt, et in pabulum vitulorum a terra proferuntur, a vitulis seu bobus arata: sic impii ignobiles, degeneres, steriles, stulti et molles in adversis sunt, ut eis succumbant facile: et Christo Domino, viti veræ*, Ioan. 15. *et palmitibus eius*, sive Ecclesiæ, vineæ Deo iucundissimæ, speciosissimæ et pretiosissimæ, pro viribus detrimentum afferre amant et ardent; sed non diu vigebunt, non maturescent, ut ingenio respondeant; certa manent supplicia plantas istas, Isaiæ 5. Ieremiæ 12. Ezec. 15.

Sic et alii *vitulamina* non a vitulo, sed a vite deducunt; sed sic potius dicenda essent *vitilamina*, sicut dicitur *vitiligo*, non *vitulamina*, nisi dicas τὸ *vitulamina* ad vitulum, æque ac ad vitem alludere.

Sed cur *vitulamina*, id est plantæ, vel rami, vocantur *spurii*, qui altas radices non agunt?

Resp. primo: Spuriæ herbæ et plantæ sunt, quæ a genuinis degenerant, item falsæ, quæ genuinarum speciem habent, at non vim et indolem. Sic olea in terra sterili sylvescit, et degenerat in oleastrum: spurius ergo ramus oleastri, si inseratur in oleam, vel non coalescit cum ea, nec crescit, vel certe indolem et bonitatem oleæ non capit, nec imbibit. — Spuriæ plantæ quæ? Resp. 1. — Unde Theophrast. l. 1. de Causis plantarum, c. 7. urbanas arbores ait inserendas esse per inoculationem sylvestribus, non vero sylvestres urbanis, puta oleam inserendam esse oleastro, non vero oleastrum oleæ: « Quamobrem, ait, satis oleastris inserere postmodum, vel inoculare præcipiunt; coeunt enim et apprehendunt validius et radix plus attrahens nutrimenti probe fructificare arborem facit. Nam si e contrario sylvestre in urbano severis, tametsi differentia quædam erit, tamen bonæ frugis arbor nunquam profectu reddetur. »

II. Secundo, per *spuria vitulamina*, id est spurias plantas et surculos, accipi possunt rami multiplices et densi, quos arbor vel vitis humore luxurians ad radices suas progignit, sed deinde deficiente humore et succo alere nequit: unde eosdem sua umbra enecat. Audi Plinium l. 17. c. 10. « Natura et plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa, et pariente matre, quos enecet; eius quippe umbra turba indigesta premitur, ut in lauris, punicis, platanis, cerasis, prunis. Paucarum in hoc genere rami parcunt soboli, ut ulmorum palmarumque. Nullis vero tales pulli proveniunt, nisi quorum radices amore solis atque imbris, in summa tellure spatiantur. Omnia ea non statim matris est in sua locari, sed prius nutrici dari, atque in seminariis adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam silvestres: sive arborum quoque, ut hominum natura novitatis et peregrinationis avida est; sive discedentes virus relinquunt, mansuescuntque tractatu (ceu feræ) dum redici avellitur plantæ. » *Pullos* Plinius vocat ramos teneros, qui molles sunt et delicati, instar pullorum et puellorum. Simili modo luxuriosi et adulteri magnam spuriorum sobolem progenerant, sed ob exhaustas libidine vires debilem et infirmam, quam deinde ægre et neglectim alant: unde omnia illa facile deficit et emoritur, vixque sobolem longævam post se relinquit.

III. Tertio, plantæ a nativa sua bonitate et indole degenerent, fiuntque spuriæ, si in alium locum priori dissimilem, vel minus sibi commodum transferentur et transplantentur, tuncque facile exarescunt. Audi Columellam l. 3. c. 5. *Depositæ stirpes valido solo, quamvis celeriter comprehendant atque prosiliant: tamen cum sint viviradices factæ antequam transferantur, retorrescunt, nec adolescere queunt.* Et clarius c. 9. *Tantum retulerit, ut in transferendis seminibus similem statum cœli locique, et ipsius vitis habitum observemus; quoniam plerumque degenerat surculus, si aut situs agri aut aeris qualitas repugnent, aut etiam si ex arbore in iugum defertur. Itaque de frigidis in frigida, de calidis in similia, de vineis in vineas transferemus.*

IV. Quarto, spuriæ plantæ sunt, quæ a vermibus erosæ aut carie exesæ, aut aurugine aliove vitio percussæ, vigorem suum perdidere, ideoque marcescunt et tabescunt. Tales rami sunt stolidi stolones, qualis est talea, sive clavola ex olea; malleolus e vite, qui proinde plantari nequit, ut radices agat et pullulet.

V. Quinto et optime, spuriæ plantæ et rami sunt, qui alterius speciei ramis semine iniecto innascuntur, qui quia in iis altas radices agere nequeunt, hinc crescere non possunt, sed cito exarescunt. Sic Theophrastus lib. de Causis plantarum c. 23. narrat visam esse terebinthum nasci in olea, et polypodium in arboribus, et laurum in platano et quercu, causamque subdit: *Cum enim,* inquit, *in partem arboris putredine pene in terram conversam, semen deciderit, pullulat vivitque, alimentum capiens ex subiecta arbore:* sed quia id modicum est, hinc modice pariter vivit, et crescit. Rursum sunt quædam plantæ, quæ natura D sua non nisi ramis alienæ arboris innascuntur, quas si ab iis avellas et plantes, ut fiant vivi radices, arescunt et moriuntur. Talis est viscus, qui est frutex, ex quo fit viscus sive gluten. Hic enim frutex arborum nonnullarum ramis adhærens, per hiemem virens, baccas autumno ferens, quibus vescuntur turdi, merulæ, palumbes, nascitur in quercu, pomis, piris, tiliis, betulis, salicibus, mespilis, cotoneis et aliis arboribus. Si in terra seratur, non prodit: solius arboris comes est, nec nascitur nisi semine per avis alicuius alvum reddito. Fertur, inquit Athenæus lib. 9. si avis visci semen comederit, super quacumque arbore ventrem exoneraverit, viscum nasci. Unde Virgil. 6. Æneid.

Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova (quod non sua seminat arbos)
Et croceo fœtu teretes circumdare ramos.

Idem docet Theophrastus l. 2. de Causis plantarum, c. 23. et 24. *Hyphear,* inquit, *et stelis in abiete pinoque nascuntur, viscum in quercu, terebintho, etc.* Et cap. 25. docet A quasdam plantas indigere aliis, quibus incumbant, se proinde iis adnasci, quales sunt smilax, serpillum, hedera; quæ proinde si separentur, per se consistere nequeunt, sed exarescunt. Et Plinius lib. 16. c. 44. *Quædam,* inquit, *in terra gigni non possunt, et in arboribus nascuntur. Namque cum suam sedem non habeant, in aliena vivunt sicut viscum.* Tales proprie sunt adulteri, qui ex aliena uxore adulterinos filios progignunt, quasi spuria vitulamina, quæ proinde in terra hac generationis et prosapiæ radices non agunt. Subdit Plinius: *Est et in Syria herba, quæ vocatur cadytas, non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese. Item circa Tempe Thessalica, quæ polypodion vocatur, et quæ dolichos ac serpillum. Oleastro quoque deputato* (amputato, resecto) *quod gignitur vocant phaunos; quod vero in spina fullonia, hypophæstum, calyculis inanibus, foliis parvis, radice alba, cuius succus ad detractiones in comitiali morbo utilissimus habetur. Visci tria genera. Namque in abiete, ac larice stelin dicit Eubœa nasci, hyphear Arcadia. Viscum autem in* B *quercu, robore, ilice, pruno silvestri, terebintho, nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear vocant. In omni arbore, quercu et ilice excepta, differentiam facit odor virusque; et folium non iucundi odoris in utroque visco amarum et lentum.*

Atque hi sunt fructus amari, quos hic subdit Sapiens dicens: *Et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum.*

Concludit Plinius de visco: *Omnino autem satum nullo modo nascitur, nec nisi per alvum avium redditum; maxime palumbis et turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ventre avium non proveniat.* Sicut ergo fungi et viscus innascuntur alienæ arbori, nec ab ea se avelli sinunt; sed si eos avellas et plantes, radices non agunt, quinimo emoriuntur et exarescunt, fructus vero eorum sunt insipidi et amari; sic prorsus impiorum et adulterorum impie et adulterina proles non nisi in adulterio, quasi in alieno solo nascitur; hinc per se vitalis non est, nec per se C consistere, aut stirpem propagare, et familiam propriam fundare prævalet, sed exarescit et deperit; fructus quoque eorum amarus et acerbus est, uti mox ostendam.

Exemplo sit Augustus Cæsar, qui libidinibus et stupris vacans, proles non nisi similes sibi, nempe duas Iulias, filiam scilicet, et ex ea neptem, utramque luxuriosam ad suum probrum reliquit, in eaque eius soboles extincta est. Idem contigit Iulio Cæsari, C. Caligulæ, Neroni, cæterisque Imp. adulteriis et luxuriæ deditis, qui nullam prolem tanti imperii hæredem reliquere. Lege Sveton. aliosque, qui vitas Cæsarum scripsere. Exempla.

S. Augustinus unum ex concubina filium sustulit, nomine Adeodatum; sed et hunc puerum mors sustulit, ita providente Deo, ne tanto Ecclesiæ Doctori futuro infamiam, vel remoram aliquam crearet, de quo ipse ita scribit lib. 9. Confess. c. 6. *Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, creator omnium, et multum potens reformare nostra deformia; nam et ego in illo puero præter delictum nihil habebam, etc. cito de terra abstulisti vitam* D *eius, et securior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini.* Sic Deus occidit parvulum natum Davidi ex adulterio cum Bethsabee. Causam quærit Theodor. in lib. 2. Regum quæst. 16. ac respondet: *Vivus erat futurus argumentum sceleris paterni; pii ergo regis qui erat etiam Propheta, curam gerens Deus, non sivit eum vivere.*

ET SI IN RAMIS IN TEMPORE (id est, ad tempus; græce enim est πρὸς καιρὸν) GERMINAVERINT, INFIRMITER POSITA (græce βεβηκότα, id est ascendentia, succrescentia) A VENTO COMMOVEBUNTUR, ET A NIMIETATE VENTORUM ERADICABUNTUR) q. d. Esto spuriæ plantæ, id est spurii et adulterini filii, ad modicum tempus succrescant et prosperentur; tamen mox vento quopiam adversitatis concutientur et convellentur, eoque crescente eradicabuntur, præsertim dum vident cogitantque se ab infami parentum luxurie progenitos, ab iisdem negligi, et ab aliis contemni; quo fit, ut et ipsi vicissim parentes parvipendant, Vers. 4.

nec ab iis corrigi se sinant, sed libere, æquo ac ipsi, suæ concupiscentiæ et luxuriæ indulgeant; itaque vitam sibi abbrevient, opesque, famam, vitam et animam perdant, idque iusta Dei vindicta, qui impios cum suo semine et propagine funditus exstirpat, sæpe in hac vita, et semper in futura, iuxta illud Isaiæ cap. 64. 6. *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Sapientem de more secutus Siracides de adulterinis filiis, ita ex Deo ominatur: *Non tradent filii eius radices, et rami eius non dabunt fructum; derelinquet in maledictum memoriam eius, et dedecus illius non delebitur, etc.* Ecclesiast. 23. 35. Vide ibi dicta.

Vers. 5. CONFRINGENTUR ENIM RAMI INCONSUMMATI, ET FRUCTUS ILLORUM INUTILES, ET ACERBI (græce ἄωρος, id est fructus intempestivus, immaturus, crudus, needum calore solis percoctus, ideoque acerbus) AD MANDUCANDUM, ET AD NIHILUM APTI.) Idem dicit, aliisque et aliis verbis exaggerat. A cap. enim præcedenti vers. 16. huc usque iterando urget et inculcat adulterinorum filiorum vilitatem, infamiam, sterilitatem et vitæ brevitatem; unde eos vocat ramos inconsummatos, id est, qui non perveniunt ad perfectionem et consummationem; et fructus illorum acerbos, id est proles eorum pravas et malignas; imitantur enim suos parentes, quæ proinde ante maturitatem quasi fructus crudi decerpuntur et avelluntur. Rursum fructus, id est opera, consilia et machinationes eorum aliis sunt acerba, id est noxia et exitialia, τὸ *confringentur*, significat eos mori violenta morte, utpote immatura, et subinde per vim illata. Huc facit illud Iob. 22. 16. de impiis: *Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum.* Ad hanc Sapientis gnomen alludens S. Paulinus epist. 35. ad Desiderium, ita pie precatur: *Deinde ego ad vigilantiam sollicitudinis excitatus, omni hora paratus assistam et Domino ubsente, sim trepidus, ut adveniente securus sim; omni tempore, omni die, me fertilem sibi Christus inveniat, ut numquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus opponam; sed si forte in tempore iracundiæ desideraverit a me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ, nec exspectem ut sol occidat super iram meam, ne occidat cito mea, si ante clauserit vesper diem, quam extinxerit pax furorem.* Causamque subdit: *Et hoc est, quod voluit intelligi per Evangelistam nobis indicando, non suo tempore fructum ab arbore se petiisse, ut omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat; quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, iam et in hoc sæculo vult eum speciem perpetuitatis induere, ut fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.*

Vers. 6. EX INIQUIS ENIM SOMNIS (perperam multi pro *somnis* legunt, *omnis*; græce enim est ὕπνων, id est *somnis*) FILII QUI NASCUNTUR, TESTES SUNT NEQUITIÆ ADVERSUS PARENTES IN INTERROGATIONE SUA) q. d. Filii nati ex iniquo concubitu (qui fieri solet noctu, tempore somni. Sic cap. 7. 2. ait Auctor se conceptum *delectamento somni convenientе*; ubi plura hac de re. Est honesta periphrasis rei turpis; per *somnum* enim recte notat concubitum) *testes* et indices sunt *nequitiæ*, puta luxuriæ et adulterii parentum, de iisque tacite, sed reipsa illos accusant *in interrogatione sua*, id est in inquisitione seu examine, q. d. Si quis inquirat, examinet, aut interroget filios spurios; Quis tuus est pater, quæ mater? intelliget eos fuisse fornicarios, vel adulteros, ideoque sceleratos et infames. Filii ergo spurii *testes* sunt *nequitiæ*, id est luxuriæ et illiciti concubitus parentum; quare parentes, qui suæ famæ consultum volunt, filios spurios celant, et a se ablegant, ac secreto educari curant; qui autem in iis gloriantur, de sua turpitudine et infamia gloriantur. Rursum spurii sunt *testes nequitiæ* parentum, quia sæpe per semen vitiatum parentum, luxuriam, levitatem, iracundiam, aliaque vitia contrahunt, eaque palam ostendunt. Fructus enim mali sunt

Spurii salaces, cur? indices arboris malæ. Hinc videmus non raro spurios esse salaces, versutos, fallaces et vitiosos; qua de causa, atque ac ob infames natales, arceantur sacerdotio et sacris. Adulterina ergo proles est infausta, et laborat infamia, quæ numquam eluitur. Quare de adulterio recte dixit Iob c. 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Legitimi ergo filii probiores sunt spuriis, quia illi virtutem, hi vitium parentum participant. Hanc causam dat Arist. 3. Polit. c. 6. Idem apud Stobæum serm. 88. *Causas*, ait, *iam diximus, quoniam videlicet nobilitas virtus est generis: virtus autem res laudabilis studioque digna est. Item genus in quo multi studiosi bonique fuerunt, laudem studiumque meretur. Fit autem tale genus cum principium eius laudabile fuerit. Principium enim hanc facultatem habet, ut multa efficiat qualis ipsum est. Hoc opus, hæc vis est principii, ut plurima sibi reddat similia. Cum igitur unus talis in aliquo genere fuerit, adeoque bonus, ut virtus ab ipso in multas ætates transfundatur, hoc certe genus omni laude studioque dignissimum erit; sic enim permulti fiant studiosi homines, si genus humanum sit; nam in equis etiam et canibus, aliisque animalibus eadem ratio est.* Plura hac de re dixi Proverb. 30. vers. 16.

IUSTUS AUTEM SI MORTE PRÆOCCUPATUS FUERIT, IN REFRIGERIO ERIT.) Occurrit tacitæ obiectioni. Dixit enim impios et adulteros, eorumque filios, quasi acerbos fructus præmatura morte abripi; abiiciet quis etiam iustos, eorumque filios, subinde præmature mori. Occurrit, et respondet mortem eorum, licet respectu naturæ et ætatis præmatura videatur, ipsis tamen esse maturam, tum quia transfert eos ad quietem et gloriam æternam, tum quia ab ipsis prævisa est, imo expectata et optata; quare mors eos paratos invenit et expectantes eam, quasi transitum ad meliorem vitam. *In refrigerio*, græce *in requie erit*. In Purgatorio enim etiam est requies, ait Dionys. propter certitudinem de salute, suffragia vivorum, et consolationem angelorum. Mors ergo iusto est requies, somnus, cessatio a labore et dolore, recreatio; ideoque non immatura, sed ipsa maturitas. Unde ex Græco verti potest: *Iustus si prævenerit* vel *præoccuparit finire*, scilicet vitam vitæque labores; vel *iustus si assequatur quod contendit*, ut voti compos fiat, si perveniat quo cupit, scilicet ut finiat vitæ labores, *in requie erit*. Vers. 7.

Iustus ergo hoc sensu non præoccupatur morte, quia ipse mente præconcipit, anteverit et præoccupat mortem. Dum enim mane surgit, præmeditatum habet illud S. Antonii: *Cogita hunc diem tibi fore ultimum.* Sic ergo age, sic vive, quasi opera et merita cum vita finiturus hodie. Et illud S. Hier. *Sic vive, tamquam quotidie moriturus; sic stude, tamquam semper victurus.* Quare iustus et sapiens bona quæ destinat, non differt in crastinum, sed eodem die, si potest, exsequitur; si non potest, bonam voluntatem et exsequendi, cum licebit, propositum Deo offert. Memor enim est illius dicti Eccles. cap. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Faciebat id noster P. Ioannes Maldonatus, suo ævo Franciæ oraculum, qui quotidie quater faciebat examen mortis. Examinabat enim conscientiam, num quid in ea esset, quod illi angorem aut molestiam creare posset in hora mortis, et si quid tale inveniebat, illico amovebat. Quare componebat se suasque rationes quotidie, quasi eo die moriturus. Nam ut ait Climacus gradu 6. *Non est præsentem diem pie pertransire, nisi hunc esse ultimam totius vitæ nostræ existimemus.* Mors iusto præmeditata. Examen mortis.

Transit ab hypothesi ad thesin, a specie ad genus, puta a casto ad iustum; qui enim castus est, facile est et iustus; qui vero incestus, iniustus. Ratio est: prima, quod inter ceteras iustitiæ Christianæ partes et virtutes castitas sit difficillima; unde ipsa ut se tueatur et conservet, ceterarum virtutum præsidia indiget. Quare qui eam habet, ceteras quoque habeat oportet; qui vero illas non habet ac proinde iniustus est, difficile, imo impossibile est, ut diu castitatem conservet. Castus est iustus. I.

Secunda, quia sapientiæ (de qua toto hoc libro agit Sapiens) hoc est prudentiæ et virtutis, individua comes est II.

castitas, sicut insipientiæ comes est libido.

III. Tertia, quia omnis probus castus est, omnis improbus adulter coram Deo; violat enim per inobedientiam et peccatum, fidem Deo in circumcisione vel baptismo datam, aut dari debitam, iuxta illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. Quocirca Salomon in Proverbiis, maxime cap. 4. 5. 6. et 7. operose filium sive discipulum, quem ad sapientiam instruit, dehortatur a libidine, utpote summo sapientiæ impedimento.

Audi nunc S. Bernard. epist. 105. ad Romanum: « Iustus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem et iustus, sed secure, quippe cuius mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut iustitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat ut sequatur illa secura. In hac vita quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes a Spiritu, ut requiescant iam a laboribus suis! Non solum autem, sed et succedit iucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. Eia ergo festina, exi, recede, moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant et novissima tua horum similia. O quam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius! Fuge quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? »

Audi et S. Aug. (vel quisquis est auctor) l. de Vita Christiana c. 5. tom. 9. « Sed dicet aliquis: Quid est, quod videmus bonos etiam perire cum malis? Illi non pereunt, sed evadunt, quasi de malorum consortio et persecutionibus liberantur, et ad requiem transferuntur. Illi et plane moriuntur et pereunt, quos de hoc mundo recedentes, maioris adhuc iudicii supplicium exspectat et pœna. Vocantur enim ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis; mali vero vel impii tolluntur, ne bonos diutius persequantur. Iusti de pressuris, tribulationibus et angustiis vocantur ad requiem, iniqui vero de luxuriis, opibus et deliciis rapiuntur ad pœnam. Illi vero vadunt, ut iudicent; isti, ut iudicentur. Illi, ut vindicentur, isti, ut in eos vindicta celebretur, ut scriptum est: Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Et iterum: Vivens inter peccatores translatus est. Et iterum: Placita enim erat Deo anima eius, et ideo properavit de medio iniquitatis eripere eam. Et iterum: Cum impii eunt ad mortem, illi autem sunt in pace. »

Exempla subita, sed sancta mortis. Vis exempla? accipe. Robertus Holcot hoc loco narrat quemdam bene doctum probumque inter libros repertum esse mortuum, cumque adstantes hoc casu perculsi curiosius in eum intuerentur, viderunt eius digitum intentum in hanc sententiam: *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* B. Iordanus, proximus a sancto Dominico Ordinis Prædicator. Generalis, cum navigans Hierosolymam, tempestate navi fracta, fluctibus haustus suffocatusque foret, anno Domini 1236. multique mirarentur et dolerent tam subitum tristemque tanti viri casum, apparuit ipse magna luce æque ac cruce insignitus, dixitque: *Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, et inter Apostolorum choros et Prophetarum evectus sum:* et rursum: *Hoc firmiter teneas, nec dubites, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domino nostro Iesu Christo servierit*, qualicumque morte obierit. Ita habet Leander in eius Vita, quam exstat apud Surium tom. 2. die 13. Februarii. Simeon Stylites (non ille celebris, de quo Theodoret. et alii, sed alius de quo Ioannes Moschus in Prato Spirit. c. 57.) fulgure percussus interiit, cuius animam Iulianus Stylita vidit cum tripudio et exsultatione ascendere in cœlum. Sic S. Fulgent. epist. 2 c. 4 hac sententia: *Iustus si morte etc.* consolatur Gallam de morte mariti in ætate florenti, additque: *His nempe verbis S. Scriptura nos docet, in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam. Et ad cognoscendum quantum possibile est cuiuslibet defuncti meritum, non quantum vixerit, sed qualiter quisque vixerit, intuendum. Sicut enim vita mala quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bono, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirit bene viventibus gloriam.*

Adde, iustos subinde cita et violenta morte abripi ut per eam eam Purgatorium, expientur nonnulla levia eorum delicta. Sic Nadab et Abiu repentino incendio deflagrarunt, ut eorum leviores defectus hoc igne consumerentur, Levit. 10. Idem de Anania et Sapphira a S. Petro subitanea morte percussis, Actor. 5. multi pie opinantur. Cita mors est Purgatorium. Exempla. Exemplum memorabile est, quod narrat Anastasius Nicænus quæst. 17. in S. Script. Contigit, inquit, ut Anachoretæ cuiusdam discipulus ingrediens in urbem, videret principem eius iam mortuum efferri ad sepulcrum cum magna pompa, unguentis et suffitibus. Cum autem rediisset in desertum invenit suum præceptorem ab hyæna devoratum. Cœpit itaque angi animo, et propemodum iudicio cum Deo contendere, ac dicere: Ubi est, o Domine, iustum tuum iudicium? Quomodo sceleratus iste princeps, qui te sæpe ad iram provocavit, mortuus est adeo gloriose? hic autem sanctus, qui tibi multum servivit, a fera captus mortem obiit? Cum his ergo et huiusmodi verbis ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei Angelus Domini et dixit: « Ille princeps cum esset omnino sceleratus, habuit unum opus bonum; et per honorem illum quem assecutus est dum efferretur, accepit mercedem huius unius boni, et illuc abiit absolute ac perfecte condemnatus; tuus autem præceptor cum omnia fecisset quæ Deo erant grata, habebat ipse quoque ut homo parvum aliquod delictum, et per hanc mortem hoc amisit, et abiit illuc plene purgatus et expiatus. »

SENECTUS ENIM VENERABILIS (græce τίμιον, id est pretiosa, digna, honorata, reverenda, veneranda; S. Hieron. in c. 4. Zachar. vertit, *honorabilis*) EST NON DIUTURNA (græce πολυχρόνιον, id est *longæva*; S. Hier. *multi temporis*) NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA; CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS, ET ÆTAS SENECTUTIS VITA IMMACULATA.) Vatabl. *neque enim honorifica senectus est ea quæ longo tempore constat, aut quam annorum numero metiaris, sed canos hominibus sapientia conciliat, et ætas senectutis sine labe vita est*; Syrus, *Canities et intelligentia hominis; status autem senectutis, habitaculum quietum*; Arabicus, *Veneratio senectutis non est in multitudine annorum, quia canities sapientia hominis, et ætas senectutis somen in quo non est macula.* Vers. 8 / Vers. 9

Est hoc alterum discrimen iusti ab impio, quod iustus, etiamsi in ætate iuvenili morte præoccupetur, tamen iam prudentia et virtute sit senex, quia senectus non annis, sed virtutibus et meritis æstimatur; impius vero, etiamsi sit ætate senex tamen ob insipientiam et vitia puerilia vere sit puer, et inter pueros computandus, iuxta illud Isaiæ 65. v. 20. *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.*

Ratio a priori est, quod senectus venerabilis sit duas ob causas; prior est, ob multi temporis experientiam, indeque comparatam prudentiam; posterior ob humorum indeque morum compositionem: in senibus enim fervor sanguinis et caloris deficit, eiusque loco succedit frigus, per quod restinguitur æstus libidinis, iræ, cæterarumque passionum. Quare si cui seni hæc duo desint, scilicet prudentia et mores compositi, hic nil habet e senio quod pretio, æstimatione et veneratione sit dignum; si cui vero iuveni hæc duo adsint, is habet omne id, quod in senio est pretiosum, æstimandum et honorandum. Unde sequitur: *Cani autem sunt sensus hominis*, q. d. Cani capilli puta canities hominis æstimatur et censetur esse non coma cana, sed ipse sensus et prudentia. Nam græce est, πολιὰ δέ ἐστι

φρόνησις ἀνθρώποις, id est *canities autem est prudentia hominibus*. Et ita legit S. Epiphan. hæresi 67. S. Hieron. in c. 8. Zachar. vertit: *Cani* (capilli) *autem sunt hominum prudentia;* idem in cap. 24. Isaiæ legit: *Cani hominis sapientia eius*; alii: *sensata mens hominibus est canities*, id est facit eos venerabiles, perinde ac si senes et cani essent. Hoc est, quod ait Salomon Prov. 16. 31. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur:* et Siracides Eccli. 25. 8. *Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei*. Vide utrobique dicta.

Porro physice aliquos pueros canescere, imo canos nasci tradunt Historici. Unde Cassiod. Senecam putat dici a senis canis, quod ei primum cognomen hoc impositum fuit, canus sit natus; quod et de Numa Pompilio traditur. Tyrrhenum autem, a quo Tyrrhenia, ab ineunte pueritia incanuisse Strabo et alii fabulosum putant. Ego facile crediderim esse verum; etenim patri meo unius noctis lucubratione, adolescenti adhuc idipsum contigisse scio, ait noster Delrio in Herculem Furentem Senecæ, sub initium B actus primi. Idem diserte tradit S. Isidorus et Nonius Marcellus, ac Lipsius in Vita Senecæ c. 1. qui omnes dicunt Senecam idem esse, quod senem vel senecionem.

Canities est prudentia.

Gnomæ Patrum Latinorum.

Hæc sententia est axioma, ab omnibus fidelibus æque ac Ethnicis receptum et probatum. Audi fideles. S. Ambr. epist. 12. ad Valentin. Imper. *Erubescat*, ait, *senectus, quæ emendare se non potest: non annorum canities laudanda est, sed morum*; idem l. 1. Hexamer. c. 8. *Laudanda est senectus in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior*; lib. 3. epist. 21. ad Anysium: *Vere*, ait, *senectus ista venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reverenda canities animæ, in canis cogitationibus et operationibus effulgens. Quæ est enim vera vita senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas? quo enim diuturnior, eo fortior: et quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excrescit*; idem ser. 55. in C Domini resurrect. *Ætates*, inquit, *quædam sunt meritorum. Nam et senectus morum invenitur in pueris, et innocentia infantium reperitur in senibus. Denique quod in iunioribus senectus quædam sit honestatis, dicit Propheta: Senectus enim venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computatur: canities enim est sapientia in hominibus*; idem l. 10. in c. 24. Lucæ sub finem: *Bona senectus*, inquit, *non vitæ longævitate imbecilla ad usum, sed maturitate virtutis ad martyrium præparata, quæ lasciviam corporalium reprimat voluptatum, nec indulgeat cupiditatibus, dulcia quæque declinet, speciosa non appetat. Caro enim concupiscit adversum spiritum et transversorios tramites gradiendi qua velit, diversarum sibi invenit voluptatum. Bona vero mentis senectus quæ non id quod suave corpori, sed quod menti utile putat, eligit, nec voluptuario corporis rapitur appetitu, sed repugnandi moderamine, quasi invita, revocatur*: idem l. 1. de Cain et Abel c. 3. Abel iuniorem præferens Cain seniori: *Seniori*, inquit, *iunior, antefertur; quia etsi tempore iunior, virtute præstantior* D *est. Innocentia enim tempore posterior est quam malitia, et quadam suppar ætate; sed meritorum nobilitate antiquior; senectus enim venerabilis est, non annis cana sed moribus. Et ætas*, inquit, *senectutis vita immaculata. Ubi ergo generatio exprimitur, præveniat Cain: ubi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel.*

S. Anacletus, tertius a S. Petro Roman. Pontifex, ex hac gnoma, æque ac ex simili Proverb. 20. v. 29. ac ex facto Mosis Num. 11. probat in presbyteros eligendos esse seniores, non tam ætate, quam sapientia. Sic enim ait distinct. 84. cap. finali: « Patre Mosi præcipitur, ut eligat presbyteros, id est seniores. Unde et in Proverbiis dicitur: Gloria senum est canities. Hic vero canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentis et amplius annis ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legamus, nullus alius prius appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui A multo paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam ætatem vel senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. »

S. Gregor. l. 2. Dialog. cap. 1. laudans S. Benedictum: « Fuit, inquit, vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus et nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. »

S. Hieronymus epist. 13. ad sanctum Paulinum postea Nolæ Episcopum: « Noli, inquit, frater charissime, annorum nos existimare numero, nec sapientiam, canos reputes, sed canos sapientiam, Salomone teste; Cani hominis prudentia eius. Nam et Moses septuaginta presbyteros iubetur eligere, quos ipse sciret esse presbyteros, utique non ævo, sed prudentia iudicandos. Et Daniel adhuc puer longævos iudicat, atque impudicos senes ætas lasciva condemnat. Noli, inquam, fidem pensare temporibus: ne B me idcirco meliorem putes quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus et vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Iudas, qui quondam audierat: Tu autem homo, qui simul mecum dulces capiebas cibos, dux meus et notus meus, in domo Dei ambulavimus cum consensu; proditor amici et magistri, Salvatoris arguitur voce et nodum informis lethi trabe nectit ab alta. E contrario latro crucem mutat paradiso et facit homicidii pœnam martyrium. Quanti hodie diu vivendo portant funera sua, et quasi sepulcra dealbata plena sunt ossibus mortuorum! Tu, audita sententia Salvatoris: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me; verba vertis in opera, et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Iacob. »

Cassianus collat. 2. c. 13. « Divitiæ senum, inquit, non sunt canitie capitis, sed industria iuventutis, ac præterito- C rum laborum stipendiis metiendæ. Quæ enim non congregasti, inquit, in iuventute, quomodo invenies in senectute tua? Senectus enim honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Unde post pauca subiicit: « Sunt enim nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, maior est multitudo, qui in tempore suo quem ab adolescentia conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi, non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt: de quibus exprobratio illa Domini propria satis dicitur per Prophetam: Et comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. Hos, inquam, in exemplum iunioribus non vitæ probitas, nec ulla propositi huius laudabilis, atque imitanda districtio, sed annositas sola provexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus ad deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos, qui ad viam perfectionis vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari, subvertere, ac decipere exem- D plis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in teporem nos noxium, vel in lethalem desperationem doctrinis eorum institutisque perducens. »

Cassiodorus in Psal. l. 24. et l. 9. variar. epist. *Quidam senes*, ait, *morum levitate maculantur, cum vice versa multi iuvenes morum gravitate maturi, eadem decorentur.*

S. Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonens. *Multos iuniorum*, inquit, *videmus super senes intelligere, et moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deest compensare virtutibus.*

Audisti gnomas patrum Latinorum, accipe nunc antistrophas Græcorum, quas citat Antonius in Meliss. p. 2. cap. 18.

Gnomæ Græcorum.

S. Basilius: *Nihil interest inter ætatem puerilem et mentem pueros imitantem. Novi quosdam, qui cum in iuventute in carnis vitia prolapsi essent, in eis propter consuetudinem ad canos usque perseverarunt.*

S. Greg. Nazianz. *Turpe est ætatis vigorem deferbuisse,*

libidinem autem non deferbuisse. Discit aliquid etiam canities, nec cuiusvis senectus prudentiæ satis nacta esse videri debet.

8. Chrysostomus: *Ergo cum senex iisdem, quibus iuventus morbis laborat, maximum vitium est, ac ne de iuventute quidem excusationem habet, neque enim illa potest dicere: Peccata iuventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Vide igitur, ne propter senilia facta iuvenilium peccatorum venia te prives.*

Philo: *Qui multum ævi in vita corporis contriverint sine ullo virtute et probitate, eos longi temporis pueros appellare licet, ut qui nullis disciplinis eruditi sint senectute dignis. Quousque tandem nos senes adhuc pueri erimus? corporibus quidem propter temporis longinquitatem veteres; animis autem propter ignorationem et hebetudinem adhuc pueri.*

Gnomæ Philosophorum. Salomonem secuti sunt non tantum Patres, sed et Philosophi. Plato in Timæo Græcos vocat pueros ob ignorantiam antiquitatis, iuxta illud: *Bis pueri senes.* Zeno turpe esse aiebat seni ex Commentario sapere, uti refert Seneca epist. 33.

Cicero l. de Senectute: *Non cani, ait, non rugæ repente auctoritatem afferre possunt, sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.* Alexander Magnus apud Curtium l. 9. *Ego, ait, me metior non ætatis spatio, sed gloriæ,* quia ætatis arctæ spatium extendit gloria. Cœpit enim ipse regnare anno ætatis XX. ac anno XXXII. totum pene orbem subiugavit.

Seneca lib. de Brevit. vitæ cap. 8. *Non est,* inquit, *quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim illum multum putas navigasse, quem sæva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem vestigia in orbem egit? Non ille multum navigavit, sed multum iactatus est.* Idem epistol. 36. *Turpis,* ait, *et ridicula res est elementarius senex: iuveni parandum, seni utendum est,* iuxta illud: *Iuvenis congrego, senex erogo.*

Exempla. Vis exempla: Accipe e veteri testamento Salomonem, qui duodennis, ut vult S. Ignatius, vel vicennis puta cum esset circiter viginti annorum, uti verius censent Pineda, Salianus et alii, iudicium meretricum stupenda, et plusquam senili maturitate ac sagacitate peregit. 3. Reg. 3. 16.

Accipe et Samuelem, Ieremiam et Danielem, qui pueri prophetarunt, et senes iniquos condemnarunt, de quibus audi S. Bernard. epist. 42. « Meliores bonæ indolis adolescentes inveteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est, et est e regione senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computanda. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Ac si diceret: Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Bonus et Ieremias, qui ante sanctificatus quam natus, cum se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gentes et regna. Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitavit Deus, ut convinceret iniqua iudicia, et sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis: et ætas senectutis vita immaculata. »

Tobias albescebat, non canis, sed meritis, ait S. Ambrosius lib. 3. epist. 24.

S. Agnes anno ætatis 13. agonem martyrii obiit incredibili sapientia, æque ac fortitudine, de qua proinde ex S. Ambrosio, canit Ecclesia in eius officio Ecclesiast. *Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa.* In ea ergo erat canities, id est candities, non annorum, sed morum: *Canities enim,* inquit S. Isidor. libro 11. Origen. cap. 2. *vocata est a candore, quasi canditics, unde illud: Florida iuventus, lactea (id est candida) canities.*

S. Alexander puer et Martyr, sextus S. Felicitatis filius, iudici obiicienti teneram ætatem, respondit sibi canam esse mentem, uti habet martyrium S. Felicitatis et septem filiorum eius.

Macarius Alexandrinus vocatus est παιδαριογέρων, id est puer senex (puta Seneca, sive senex canus) quod in puerili ætate senex videretur, ac supra ætatem sapientia et virtutibus præstaret, teste Palladio in Lausiaca cap. 47.

S. Dorotheus narrat, Dositheum discipulum suum, pauco tempore æquasse sanctitatem Seniorum, idque se ex Dei revelatione accepisse.

S. Bernardinus Senensis puer ita erat moribus gravis et compositus, ut senex videretur, adeo ut eo viso, condiscipuli eius omnes ad modestiam et gravitatem se componerent, dicentes: *Tacete, Bernardinus adest,* uti habet eius Vita.

Ex Ethnicis: *Demophilus*, ait Pindarus ode 4. Pyth. *Inter pueros erat iuvenis, in consiliis vero senex, consecutus centenale ævum.*

PLACENS DEO FACTUS EST DILECTUS, ET VIVENS IN- Vers 10
TER PECCATORES TRANSLATUS EST.) Clarior erit sensus, si cum Vaticanis ponas comma post *dilectus*, et post *peccatores*; Unde Vatabl. vertit: *Quia Deo placuit ille, charus est habitus, cum inter peccatores viveret, de medio sublatus.*

Sensus est, q. d. Iustus cum placeret Deo, vel quia per iustitiam placuit Deo, hinc ab eo dilectus est, ideoque dum viveret inter peccatores, ab iis translatus est ad cœtum Patriarcharum in limbo, et post Christum ad cœtum Sanctorum in cælo, ne, si diutius inter peccatores degeret, pravis eorum verbis et exemplis, velut contagio afflaretur, corrumperetur, macularetur, et in eorum sortem transiret. Hunc esse sensum liquet ex Græco. Ita quoque se explicat Sapiens dum subdit: *Raptus est ne malitia* (peccatorum, inter quos vivit) *mutaret intellectum eius.* Alludit ad Henoch, qui, ut ait Moses Genes. 5. 24. *Cum trecentis sexaginta quinque annis vixisset, ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quæ verba Septuag. sic transtulerunt: *Et placuit Henoch Deo, et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus.* Quam lectionem secutus Ecclesiasticus, dicit cap. 44. 16. *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Et Paulus ad Hebræos 11. 5. *Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* Tertull. libr. 3. Carmel. contra Marcionem c. 2. Scribit Henoch zelo Dei accensum, scelestissimæ illo ævi gentis, ac præsertim gigantum facinora lugentem, eosque a sceleribus revocare conantem, cum se frustra laborare videret, a Deo tandem cum gemitu et lacrymis petiisse et impetrasse, ut a consortio pessimorum hominum abriperetur in paradisum. Ad Henoch alludi censet S. Ambrosius orat. de obitu fratris Satyri, et scribens in Ps. 40. et 45. Ac eum secutus Iansen. Dixi *alludit,* nam ex præcedent. et sequent. liquet proprie et rigide agi hic non de Henoch vivente, sed de iusto per mortem abrepto. Sensus ergo est, q. d. Sicut Henoch inter peccatores vivens, ne eorum contagio pollueretur præmature, si vitam cæterorum illius ævi hominum spectes, a Deo raptus et translatus est in paradisum: sic quilibet iustus et electus, ne suorum vitiis et colluvie maculetur, a Deo cito abripitur, et in limbum ante Christum, post Christum vero in cælum transfertur.

Est tertium discrimen inter citam mortem iusti et impii, quod iustus rapiatur e colluvie impiorum ad cœtum Sanctorum; impius vero ex colluvie peccatorum rapiatur ad tartara damnatorum.

RAPTUS EST NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM E- Vers 11
IUS (græce σύνεσιν, id est mentem, intelligentiam, prudentiam eius; S. Ambrosius legit, cor eius) AUT NE FICTIO (græce δόλος, id est dolus) DECIPERET ANIMAM ILLIUS.) Syrus, *raptus est ne transmutaret malitia conceptum eius;* Arabicus, *Translatus et raptus est antequam mutaret contemptio intelligentiam eius, aut operiret fraus animam eius:* Vatabl. *abreptus est ne malitia immutaretur sensus eius, neve anima eius fraude circumveniretur,* q. d. Iustus a Deo dilectus raptus est, ne hominum sui ævi pravitas pravis opinionibus mentem eius imbueret

et depravaret, aut ne illa pravis pravæ generationis consiliis consentiret, aut ne ullius dolo deciperetur, sed ut in sua iustitia et gratia Dei persistens usque ad finem vitæ, moreretur et salvaretur. Sic ergo iustus citò raptus antequam mutaretur, est prædestinatus, ait S. Aug. de Corrept. et gratia c. 8. et sequent.

Nota τὸ *fictio*, vel ut græce est *dolus*. Solent enim impii, ut pium pervertant, dolos et fraudes illi nectere, subornando viros in speciem probos; item mulieres quæ eum in sui amorem et peccatum illiciant: *Porro simulata æquitas duplex est iniquitas*, ait S. August. in Psal. 63. est enim iniquitas, est et simulatio. Hac simulatione et fictione plenus mundus; pravæ opiniones mundi sunt, ambiendos esse honores, voluptati indulgendum, si quis te læserit esse vindicandum, etc.

Audi S. Cyprian. de Mortal. « Sed et Spiritus sanctus, ait, per Salomonem docet, eos qui Deo placeant, maturius istinc eximi, et citius liberari, ne, dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima illius. »

Per *malitiam*, proprie dictam puto, nequitiam accipe cum S. Ambrosio in Ps. 45. iuxta illud Isaiæ 57. 1. *A facie malitiæ collectus est iustus*. Nonnulli tamen per *malitiam* accipiunt afflictionem, laborem, molestias huius vitæ, quæ sæpe ad peccatum incitant. Sic Iudas Machabæus exhortans suos ad pugnam ait: *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ*. Sic Possidius ereptum tradit S. Augustinum ex hac vita, tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis civitatis cum dimissionem de hoc sæculo poposcisset a Deo. Anastasium Papam scribit S. Hieronymus epist. 16. idcirco raptum atque translatum esse, ne orbis caput (Roma) sub tali Episcopo truncaretur, et ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.

Hac gnome S. Hier. consolatur S. Paulam mœrentem de obitu Blæsillæ filiæ epist. 25. « Abraham, inquit, Moses, Isaias, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus electionis vas, et super omnia Filius Dei moritur, et nos indignamur aliquem exire de corpore: qui ad hoc forsan raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: placita enim erat Deo anima eius, propter hoc properavit eam educere de media iniquitate, ne longo vitæ itinere devüs aberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si in tabernaculo isto mortis diutius habitemus. Quia quamdiu hic moramur, peregrinamur a Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est a me, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt, et mundus iste sunt tenebræ; quia lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Deinde hæc accommodans Blæsillæ, ista subiicit: « Faveamus Blæsillæ nostræ. quæ de tenebris migravit ad lucem, et inter fidei incipientis ardorem consummati operis percepit coronam. Revera si sæculare desiderium, et quod Deus avertat, delicias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat, et omni lacrymarum fonte ploranda. Nunc vero cum propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitaret; non vereris, ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia tua filia facta est mea filia? indignaris de iudicio meo, et rebellibus lacrymis facis iniuriam possidenti? Scis enim quid de te, quid de cæteris tuis cogitem. »

Expos. Curiel de futuris contingentibus.

Porro Commentatores acutiores, inter quos est Alphonsus Curiel, scribens in hunc Sapientiæ locum, eum sic interpretantur, ut dicant Deum cognoscere futura, non tantum absolute, sed etiam sub conditione, v. g. Quid facturus esset Petrus, si tali loco et tempore tanta carnis tentatione pulsaretur, illine consentiret an non? Scit enim, aiunt, quid in re futurum esset, si conditio tentationis poneretur, etiamsi ipsa numquam reipsa ponatur. Ideo enim iustum sibi dilectum et electum e vita rapit, ne, si vivat, tentatione captus cadat et pereat. Si dicas: Rapit eum ob periculum casus, ut illo eum eximat; Respondent, id verum esse, at non sufficere: non enim dicitur hic quod rapiat Deus iustum, ut eum periculo lapsus subducat, sed ut lapsui revera futuro eum subtrahat, ait enim: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*. Sciebat ergo certo Deus, quod iustus hic nisi raperetur, malitia de facto mutaret intellectum illius, et fictio deciperet animam illius, etiamsi communia et ordinaria gratiæ auxilia, quæ cæteri habent, ipsi non deessent. Alioqui enim si non fuisset mutandus, nec decipiendus, Deus hic contrarium iudicans et dicens, in hoc suo iudicio falsus fuisset et errasset, quod absit: Dei enim cognitio est scientifica, ideoque certa et infallibilis, cum hominum sæpe sit coniecturalis, probabilis et incerta, ideoque fallibilis et erronea. Rursum certa Dei circa iustos æque ac improbos providentia, inquiunt, quam hic Sapiens describit, exigit certam futurorum, etiam sub conditione dumtaxat, præscientiam: illi enim velut fundamento incumbit, et innititur, v. g. Decernit Deus rapere iustum a tentatione, aut tantam gratiam illi dare, qua scit fore ut de facto tentationi resistat, eamque vincat: prius ergo hanc conditionatam sciat oportet: Si Petro taliter tentato tantam dedero gratiam, fiet omnino ut resistat; dabo ergo illi tantam: alioqui enim etiam maiorem illi dare decrevisset. Volebat Deus ostendere suam potentiam et vires in Pharaonem et Ægyptios, cogendo eum ut dimitteret Hebræos, ideoque volebat multiplicare in eos sua prodigia, ac plagis minoribus maiores addere usque ad decem. Sciebat ergo antequam decerneret immittere primas plagas ranarum, sciniphum, muscarum, locustarum, quod, si eas immitteret, Pharao his non flecteretur ad dimittendum Hebræos, itaque ipse occasionem haberet maiores plagas grandinum, pestis, fulminum, et necis primogenitorum in eum immittendi, ac potentiam suam toti mundo ostendendi. Si enim Pharao primis plagis cessisset, et dimisisset Hebræos, Deus iuste non potuisset in eum posteriores et maiores immittere, quod tamen facere destinarat, ut sui terrorem mortalibus incuteret. Præsciebat ergo, antequam primas plagas immitteret, Pharaonis cor iis non flectendum, itaque sibi copiam fore cæteras infligendi. Hoc est quod Mosi prædixit Deus ante omnes plagas: *Ego indurabo*, id est indurari permittam, *cor eius* (Pharaonis) *et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos*, etc. Et c. 9. 16. ait Deus ad ipsum Pharaonem: *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra*. Et c. 10. v. 1. ait ad Mosen: *Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor eius, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, etc. et sciatis quia ego Dominus*. Deus enim scit omne verum: e contradictoriis autem propositionibus de futuro, sive eæ absolutæ sint sive conditionatæ, necessario alterutra est vera. Scit ergo determinate Deus utra pars erit vera, quia scit omne verum. Sicut ergo in absolute futuris scit id, quod absolute futurum erit, ut quod Antichristus peccabit, etiamsi nullum huius rei vestigium exstet, nec exstabit nisi post multa sæcula: ita pariter scit id, quod conditionate futurum erit, ut si Antichristo talis vel talis tentatio obiiciatur, scit quod ille succumbet, vel non succumbet, prout verum erit: par enim et similis utrorumque videtur ratio. In futuris enim sive absolute, sive conditionate necessario altera pars contradictionis est vera, v. g. Si ponatur talis tentatio, erit in Petro consensus, vel non erit: alterutrum enim necessario accidat oportet, ut sit, vel non sit: nullum enim inter hæc duo contradictoria datur medium. Deus ergo, qui scit omne verum, scit determinate quod erit, vel non erit. Ratio a priori est, inquiunt, immensitas mentis et aciei divinæ. Ipsius enim vis penetrandi, cernendi, cognoscendi quoquaversum est infinita, quare plene usque ad fundum penetrat, perspicit et comprehendit omnes

res et causas, etiam contingentes et liberas. Scit ergo quid liberum arbitrium cuiusque hominis vel angeli sit facturum, si hæc illave tentatio aut conditio ponatur; quia propensiones, nutus, actus etiam abditos, latentes et occultissimos, plane et plene pervidet, et comprehendit: perinde ut homo acutissimi visus perspicit omnia, quæ in vitrea pyxide conclusa sunt. Hinc Davide interrogante: *Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul? dixit Dominus: Tradent*, 1. Reg. 23. 12. et tamen de facto non tradiderunt, quia David id a Deo audiens profugit ex Ceila, uti ibidem subditur. Sic Christus ait: *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*, Matth. 11. 21. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi*, Matth. 24. 22. Hæc Alphonsus Curiel et Commentatores iam citati. Verum quæstionis iam dictæ pertractatio proprie pertinet ad Scholasticos. Vide Suarez, Vasquez, Molinam, Gregorium de Valentia, etc. 1. part. quæst. 14. art. 13. et Curiel hic. Mihi enim magnum mare restat arandum, ideoque ad ulteriora pergendum.

S. Aug. hoc loco confutat Semipelagianos. Denique S. Aug. l. 1. de Prædest. Sanctorum c. 14. recte valideque ex hoc loco confutat Semipelagianos, docentes quemque a Deo prædestinari et gratia donari, vel reprobari et gratia privari ex cuiusque merito vel demerito, non absolute, sed conditionate præviso, v. g. Deum hunc parvulum in infantia moriturum prædestinasse, quia præsciebat eum bene operaturum, recteque sua gratia usurum, si supervixisset; illum vero reprobasse, quia præsciebat eum male operaturum, maleque sua gratia usurum, si ei vita superstes fuisset. Directe enim contrarium docet hic Sapiens, scilicet ideo rapi e vita iustum a Deo, ne malitia eum mutet: mutandum ergo prævidebat, Deus, ni prius eum raperet. Rapuit ergo ne mutaretur, sed perstaret in iustitia, itaque eligeretur ad gloriam, et salvaretur; alioqui sic raptus reprobandus erat et damnandus, non prædestinandus et eligendus, iuxta sententiam Semipelagianorum. Audi S. Augustinum: « Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ne tentationum traheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Iob: Numquid non tentatio est vita humana super terram? sed quare aliis concedatur, ut ex huius vitæ periculis, dum iusti sunt, auferantur: alii vero iusti, donec a iustitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis iustis, qui bonos piosque mores usque ad senectutis maturitatem, et diem vitæ huius ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit iustum, ne malitia mutaret intellectum eius, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit iustum, ne malitia mutet intellectum eius. Cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem priusquam caderet hinc posset auferre, iustissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia eius. » Et inferius id probat exemplo parvulorum, a quorum cum alii baptizati, alii non baptizati, vitæ huius terminum sumunt, satis indicant misericordiam et iudicium: misericordiam quidem gratuitam, iudicium debitum. Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non haberent, morte præveniente, sed habituri essent si viverent; nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si ante morerentur, quod nullus dicere Christianus audebit. « Per præscientiam initio nominatam S. August. accipit absolutam, ut patet ex ratione quam subiungit, non conditionatam; hanc enim eum agnovisse liquet lib. de Bono persever. cap. 8. et Enchir. cap. 94. et de Corrept. et gratia cap. 8. et seq. Tantum ergo vult dicere S. August. merita sub conditione futura, non esse vere merita, ac proinde non esse absolute a Deo prævisa, ut propter ea præmium pœnamve decernat.

Tropol. ex hoc loco S. Cyprianus lib. de Mortalitate, quem citat S. Aug. de Prædest. Sanctor. cap. 14 docet mortem iustis esse utilem et appetendam, quia eos eximit periculis et tentationibus huius vitæ, facitque securos et impeccabiles. *Cur non*, inquit ex S. Cypriano S. Aug. *cum Christo futurus, et de Domini pollicitatione securus, qui ad Christum vocaris, amplecteris, et quod diabolo careas gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubricæ ætatis evadunt*. Idemque alio loco: *Quid non*, inquit, *properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita.* Tropol. mors iusto appetenda.

Proprie vero hac gnome docemur petere a Deo, ut nos rapiat e vita cum sumus in iustitia, id est in statu gratiæ, atque ingruunt tentationes, quæ nobis periculum peccandi et a gratia excidendi creant. In hoc enim raptu opportuno consistit nostra prædestinatio, electio et salus æterna, uti docet S. August. de Corrept. et gratia cap. 8. Quem enim Deus ita rapit, is habet magnum illud perseverantiæ donum, cum eoque moritur et salvatur, quod proinde sub meritum non cadit, sed humili prece assidue a Deo flagitandum est, uti ex S. August. docet Concil. Trident. sess. 6. Quot sunt in cælo, qui nisi cito e vita et tentatione rapti fuissent, nunc essent in inferno? et quot sunt in inferno, qui si cito rapti fuissent, modo essent in cælo? Mors ergo tempestiva et congrua non odii, sed summi amoris, imo prædestinationis, et electionis divinæ certum est signum, imo proprius effectus.

Vidit id ipsum per umbram Seneca, qui in Consol. ad Martiam cap. 23. « Facilius, inquit, ad superos iter est, animis cito ab humana conversatione dimissis; minus enim fæcis ponderisque traxerunt: antequam obducerentur, et altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant, et facilius quidquid est illud obsoleti transfluunt. Nec unquam magnis ingeniis chara in corpore mora est. Exire atque erumpere gestiunt, ægre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto assueti humana despicere. Inde est, quod Plato clamat, sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. »

Porro S. Gregor. Nyssen. tract. de infantibus qui prematura abripiuntur, pulchram dat similitudinem. Sicut, inquit, pædagogus sapiens puerum cito abducit a convivio longiore, in quo multæ sunt epulæ et vina delicata, quæ gulam insidiose ad excessum sollicitant, indeque vomitum et crapulam creant: sic Deus infantes ex hoc vitæ convivio cito abducit, ne eius voluptatibus inebrientur et dementetur.

Aliud simile ignis affert Plutarch. Consol. ad uxorem. *Nam sicut ignis, ait, si eum exstinxeris, mox accensus, excitatur, et concipit flammam ocyus: ita animus, si quam citissime hinc avolet,*

pervolat extemplo fera limina Ditis,

prius quam ingenti rerum humanarum amore sit imbutus et delinitus, atque quasi ex veneno contabescat.

Vers 12 FASCINATIO ENIM NUGACITATIS OBSCURAT BONA, ET INCONSTANTIA CONCUPISCENTIÆ TRANSVERTIT SENSUM SINE MALITIA.) Græce ἄκακον, id est malitiæ expertem, insontem, innocentem; Vatabl. *Fascinum enim vanitatis, quæ honesta sunt, obscurat; et concupiscentia vaga sinceram mentem pervertit.* Pro *nugacitatis* græce est φαυλότητος id est malitiæ, improbitatis, nequitiæ, vel vilitatis, vanitatis, levitatis, ineptiæ: nugacitas ergo est malitia nugax, hoc est nugis suis illiciens, fascinans, et in perniciem deducens hominem. Unde Syrus vertit: *Zelotypia mali corrumpit bona*; Arabicus: *Quoniam corpus malitiæ obnigrat bona.*

Fascinum quid? Fascinum est genus incantationis, quo homines ita ligantur, ut liberi non sint nec mentis compotes, sæpe ad extremam maciem deveniant; item quo magi perstringunt oculos et sensus, ut videantur sibi videre, audire, sapere

res pulcherrimas, quas revera non vident, nec audiunt, nec sapiunt. Unde græcum βασκαίνω, id est, fascino, dicitur quasi φασκαίνω, id est, φάεσι καίνω, hoc est oculis (aspectu) occido, iuxta illud Virgilii, Ecloga 3.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinet agnos.

Hinc contra fascinum a Gentilibus colebatur et invocabatur deus Fascinus, de quo Plinius l. 28. cap. 4. *Religione*, ait, *mutatur et Fascinus, imperatorum quoque non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiæ, iubetque eosdem respicere.* Iam

Resp. I. Primo, Franc. Valesius Sacr. Philosoph. c. 68. censet fascinum nihil esse, nisi falsam vulgi existimationem, et superstitiosum timorem, quo ex recepta apud rudes falsa opinione, multi timent infici ab oculis vetularum, vel lipporum, vel invidorum, cum a parte rei oculi hi intuentem lædere nequeant. Sapientem igitur hic a vulgi credulitate, licet falsa, mutuare phrasin et metaphoram. *Fascinatio* igitur *nugacitatis*, inquit, vocatur concupiscentia oculorum, hoc est avaritia et cupiditas rerum alienarum; quia enim is morbus concipitur oculis, vocatur per allegoriam *fascinatio*, dicitur vero *nugacitatis*, quia bonorum fallacium, iuxta illud Psalmi 4. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* hoc est vana et mendacia bona. Itaque concupiscentia oculorum est fascinatio nugacitatis. Hæc obscurat bona, quia ut dicitur 1. ad Timothæum 6. cupiditas radix est omnium malorum, et ut ibidem Sapient. dicitur, instantia cupiditatis transvertit sensum sine malitia. Itaque locutio illa Sapientiæ de fascinatione allegorica est: allegoria vero accipitur a vulgari opinione. Hucusque Valesius.

Idem docet S. Hier. in c. 3. ad Galat. v. 1. ac S. Chrys. ibidem, et S. Basil. hom. 11. de Invidia, et noster Delrio in Magicis l. 1. c. 3. qu. 4 et seq. Hinc aliqui fascinum derivant a φασκαίνω, id est *invideo*; hoc autem idem est quod *nimium video*, qui enim invidet a videndo et invidendo nequit oculos avertere.

Verum hæc vera sunt, si naturam spectes; nullum enim est naturæ fascinum; non autem si magiam, per eam enim dæmon perstringit et fascinat oculos, aures omnesque sensus et membra, eosque inficit, morboque et morte non raro afficit, ut patet quotidiana sagarum experientia. Vide Delrio in Magicis, l. 3. parte 1. q. 3. sect. 1. ubi fuse ostendit fascinum non fieri per naturam, sed per magiam et dæmonem, eiusque esse præstigias. Hinc

II. Secundo, aptius Noster a Castro *fascinationem* hanc tribuit suasioni et consilio impiorum sociorum, vel doctorum, vel consiliariorum, qui mala velut bona suadent et consulunt, q. d. Malitiæ, seu improbitatis fascinum obscurat bona, hoc est lædit et corrumpit, quemadmodum fascinator oculis aspectuque faciem infantis, quem aspicit, ita inficit, ut quandoque enecet: sic pravitas, vel potius improbus homo, lædit ac corrumpit pravis suis opinionibus, quæ bona sunt, ut simplex vir mala putet; et contra bona putet quæ vere mala sunt.

Huc accedit noster Delrio loco iam citato: *Fascinum nugacitatis*, inquit, est fascinum vile, nugax et nihili, phrasi Hebræa. Sic enim significat a vilissimis et a minimi pretii quisquiliis terrenis, maxime a nugatoria et adulatoria laudatione, ita nos præstringi et ludificari, ut ad vera bona prorsus cæcutiamus, ut bona pro malis, mala pro bonis habeamus; terrena cælestibus, sempiternis interitura præferamus: fascinationis vero nomen usurpat, quia vulgus Iudæorum falsam illam fascinationem credebat contingere adeo ut huiusmodi fascinatorem oculum Saræ impii recutiti tribuere non vereantur, quos Abulens. in 21. c. Genes. refellit. D. Bonav. Comment. in v. illum 12. vidit alludi ad fascinationem, et ideo dicit: Secundum quod homines maligni dicuntur laudando pueros fascinare, satis indicans quanti illa faceret. Hæc Delrio.

Huc facit illud Festi Pompei: *Fascinum et fas a fando nominantur*, quia fascinum fiebat per verba loquendo, ac præsertim laudando. Credebant enim Ethnici laudatione fieri fascinum puerorum, vel formosorum. Sic pariter laus fascinat et dementat multos, ut plus se esse æstiment, quam sint, planeque alios et eximios præ cæteris sese autument, quæ magna est nugacitas, tum laudantis, et lepore iocisque suis adulatoriis audientem dementantis; tum eius qui laudibus suis pascitur, et ultro dementari se sinit. Hi ergo laudatores sunt nugivendi, quia nugosas suas laudes vendunt. Sic olim *nugivendus* dicebatur, qui aliquid mulieribus venderet, ait Nonius. Nam omnia quibus mulieres utuntur, pro rebus vanis et inanibus habentur.

Rursum ex adverso βασκανία, id est fascinatio, significat invidentiam, criminationem et obtrectationem; hæc enim sæpe fascinat, tam invidum, quam eum cui invidet, dum eius obscurat et avertit bona opera; dum enim ea criminantur impii, ab iis sæpe cessant pii ex metu humano, ne impiorum maledicentiam in se provocent.

Posset, tertio, quælibet concupiscentia et illecebra peccati vocari *fascinatio nugacitatis*; quia ipsa rationem, virtutem, honestatem obvelat, tegit et obscurat sua nugaci illecebrosaque pulchritudinis et vanitatis specie ac fuco. Species enim voluptatis, qua se obtegit malitia et vanitas peccati, ita fascinat rapitque mentem, ut peccati turpitudinem sub ea latentem non videat, non consideret, multo minus virtutis decorem et honestatem. Voluptates ergo sunt quasi Sirenes, quæ hominem illecebrosa sua specie et cantu fascinant, ligant et negant. III.

Rursum *fascinatio nugacitatis* sunt phantasmata innumera et vivacia, quæ menti suggerit ira, libido, invidia, superbia, cæteræque passiones: hæ enim interius in capite tanta vi, turba, et tumultu perstrepunt, ut animam obnubilent, fascinent, et sæpe a vero rectoque abducant. IV.

Quod ergo dicit Paulus Galatis c. 3.1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus?* q. d. Quis vos incantavit, et oculis aspectu maleficis, veluti præstigio imposuit, ut quod coram cernitis non videatis, et quod non est, id vos cernere putetis? Idem dicas guloso, luxurioso, acedo, iracundo, superbo, avaro: Quis te fascinavit stolide, ut ob fictam et fallacem speciem voluptatis, gulæ, luxuriæ, acediæ, iræ, superbiæ, avaritiæ relinquas et contemnas rationem, virtutem, legem, cælum, ipsumque Deum? quis te suis præstigiis ita dementavit, ut per modicum mellis æternum fel tibi commas? ut per guttam dulcedinis, mare amaritudinis et dolorum tibi accersas? ut ob gustus tactusque exilem titillationem, velis ardere iugiter in æternis gehennæ incendiis? o stupor, o fascinum, o amentia, o vesania! Quis error, quod fascinum, quis furor te cogit nugas pueriles, viles, exiles rebus veracibus, solidis, pretiosis; terrena cælestibus, momentum æternitati, gehennam paradiso, creaturam Creatori anteferre? Vide quæ de nugis et nugacitate dixi Sophoniæ 3. v. 18.

ET INCONSTANTIA (S. Fulgent. epist. 2. c. 4. legit, *instantia*; concupiscentia enim instat, sollicitat urgetque hominem, ut rem concupitam prosequatur) CONCUPISCENTIÆ TRANSVERTIT SENSUM SINE MALITIA.) *Pro inconstantia* græce est ῥεμβασμός, id est evagatio, error (unde gallicum *rêver* et *rêverie*) agitatio, turbo, vertigo, circuitio, gyratio, circumrotatio: hinc ῥέμβω est funda, quæ lapidem rotando iacit. Huic voci pariter affinis est ῥόμβος, id est turbo, rhombus, quod est instrumentum, cui fœminæ fila, quæ neverunt, circumvolvunt: quo pariter pharmaceutriæ, sive veneficæ, utebantur ad fascinum, puta ad lunam tortis filis deducendam. Unde illud Martialis lib. 9.

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,

Et illud Propertii l. 2. eleg. 21.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.

Hinc Cervantius vertit: *Et rhombus* (circumrotans) *cupiditatis mentem simplicem labefacint.* Hæc igitur vagatio et rotatio concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia, græce ἄκακον, id est innocentem, sinceram, simplicem,

Concupiscentia est turbo.

puram. Concupiscentia ergo est turbo, et instar turbinis hominem in orbem gyret et rotat, ut nunc ad hoc, nunc ad illud, nunc ad aliud concupiscendum, instar turbinis volvatur et rotetur.

I. Causa est primo, quod concupiscentia sit pruriens et petulans: unde petulanter ab una voluptate ad aliam transcurrit et transilit, ut curiose exploret ubinam sit voluptas maior.

II. Secundo, quod animum eadem non satiet, utpote vilis et exilis, ideoque illico sui fastidium in eo creet: quare animus, ut se hac satie et tædio levet, aliud et aliud voluptatis obiectum quærit dicens: *Affer, affer*, Proverb. 30. 15.

III. Tertio, quod voluptates æque ac vitia inter se connexa sint. Acedia enim trahit et incitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad iram, ira ad superbiam. Vide dicta Thren. 1. 8. Audi Cassiodor. tract. de Amicitia: *Dum post rei desideratæ obtentum maiori se sentit indigentia laborare, præoptata incipit fastidire, et denuo in alterius rei succenditur appetitus; non tamen satianda, sed alterius falsæ felicitatis imaginatione fallenda. Hic est circuitus impiorum. Hæc est vituperatio multorum commorantium in circuitu. Hæc est mola Samsonis, quam decisis virtutum crinibus, et effossis prudentiæ oculis circumvolvit, sequens cupiditatum circuitum, etiam relicto compendio charitatis Caput, inquit, circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.* Hoc est quod ait Psaltes Psal. 82. 14 *Deus meus, pone illos ut rotam*, q. d. ait Origen. *Sic illos versa et circumvolve, ut nulla sit quies, sicut rotæ hæc est natura, versari et circumvolvi.* Et Euthym. *Fac*, inquit, *eos continue instabiles et crebris mutationibus circumactos. Sic enim rotæ poterunt comparari.* Addit S. August. *Pone illos ut rotam, quod rota ex his quæ retro sunt extollitur, ex his quæ ante sunt deiicitur, sic fiunt omnes inimici populi Dei.* Et S. Greg. 16. Mor. 25. *Ut rota ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea quæ ante sunt negligunt, et ea quæ deserenda sunt sequuntur, et posterioribus elevantur, et in anterioribus cadunt.* Et Procopius in Isaiæ 54. *Est*, ait, *errantium cor instabile, ebriorumque more cupiditatibus agitatur et vacillat; quolibet enim spiritu circumagitur, et quod est in proverbio, rapiuntur cupiditatum* στρόβιλῳ, *id est, turbine.* Vide dicta Isaiæ 57. 20

Quocirca S. Chrysost. hom. 7. in Acta: Πονηρὸς, inquit, *id est malus dicitur* παρὰ τὸ πονεῖν, *id est a laborando; sic videlicet Scriptura malitiam semper vocat laborem, ut quando dicit: Sub lingua eorum fatigatio et dolor*, Ps. 10. 7. Quin et Seneca de Vita beata c. 28. *Nonne*, ait, *nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos nostros rotat et involvit, fugientes petentesque eadem: et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit?* Deluduntur ergo ab infido mundo, et a fallaci dæmone, sicut parasiti ab Heliogabalo Imp. De quo ita scribit Lamprid. in eius Vita: *Parasitos ad rotam aquarum ligabat, et cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat, eosque Ixionios amicos vocavit.* Adulatio ergo, æque ac cupiditas, est Ixionis rota.

Duas ergo mali et peccati radices hic notat Sapiens, scilicet pravitatem opinionum et consiliorum in intellectu, quæ est fascinatio nugacitatis, et vagam cupiditatum intemperantiam in appetitu et voluntate quæ est inconstantia concupiscentiæ. Utraque plenus est hic mundus; quare Deus provida sua benignitate iustum ex eo cito per mortem educit, ne in hosce eius laqueos incidat, capiatur et pereat.

Transvertit.) Id est invertit, pervertit, ut vertit Vatabl. transmutet ex bono in malum, itaque in aliam (hoc enim est ἀλλὸς) speciem transformat et transfigurat, ut vertit Noster c. 16. 25. Græce μεταλλεύει, id est quasi metallis effodit, cavat et eruit, ut Noster vertit Deut. 8. 9. q. d. Sicut fossores fodiendo e terræ visceribus eruunt aurum, argentum cæteraque metalla; sic concupiscentia e visceribus mentis effodit, eruit et exhaurit omnem sensum, omnem prudentiam, omnem sinceritatem, omnem innocentiam et virtutem, eamque per vitium invertit et pervertit; hæc enim est pretiosa ut aurum, imo auro et argento pretiosior: quæ proinde si cum cupiditate et vitio commutetur, plane depravatur, vitiatur et pervertitur; perinde ac si aurum in æs, argentum in plumbum verteretur, et perverteretur, iuxta illud Ierem. cap. 6. vers. 30. *Argentum reprobum vocate eos.* Vide ibi dicta.

Consummatus in brevi explevit (S. Fulgentius legit, *replevit*) tempora multa.) Græce μακρούς, id est *longa*, q. d. Iustus, qui brevi tempore per gratiam Dei, eamque cum ille studiosam cooperationem evasit in prudentia et virtute perfectus, hic censendus est diu et per multa tempora vixisse. Græce est τελειωθεὶς, id est, qui ad complementum et consummationem pervenit, virtutis scilicet, et vitæ iustæ; in hunc enim ceu unicum finem a Deo vitæ spatium mortalibus datum et dimensum est: consummatus ergo in virtute, censetur ad suam mensuram perfectæ ætatis (puta virtutis) pervenisse, licet ætate et annis sit iuvenis. Nam quæ alii per multos annos egissent, hic paucis absolvit, eamque sanctitatem brevi adeptus est, quam alius longo tempore sibi non comparasset, ait Clarius. Unde S. Bonav. explicat, q. d. *Perfectus in gratia modico tempore explevit meritum, quod alii acquirunt per multa tempora.* Pertinet enim hæc gnome ad illam v. 8. *Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Eo enim redit. E adverso de impio dicitur: *Puer centum annorum morietur*, Isaiæ 65. 20. Vers. 13

Consummatus ergo non est idem quod consumptus, mortuus, defunctus, ut vertit Vatabl. et Guarinus: *Exiguo*, inquit, *vitæ spatio perfunctus vel defunctus paucis longa tempora explevit*; sed perfectus in virtute, qui scilicet per crebros, intensos et heroicos virtutum actus, parvo tempore ad culmen sanctitatis evasit. Unde sanctus Ambrosius in funere Theodosii Imper. *Perfecta*, ait, *est ætas, ubi perfecta est virtus.* Tempora ergo multa vocantur, quæ plena sunt bonis operibus; pauca vero aliorum, quæ iis sunt vacua, iuxta illud Iob. 7. 3. *Sic et ego habui menses vacuos.* Ubi S. Gregor. lib. 8. Mor. cap. 6. *In hac vita*, inquit, *quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam vero vacua simul et laboriosa. Amore quippe conditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore autem sæculi voluptatibus solvi, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore vero eiusdem sæculi adversa aliqua perpeti, et vacuum est et laboriosum: quia et ex adversitate mens affligitur, et remunerationis præmio non repletur. In his itaque sancta Ecclesia, qui in ea iam positi adhuc voluptatibus defluunt, et proinde fructu boni operis non ditantur, menses vacuos dicit; quia vitæ tempora sine retributionis munere expendit.* Qui ergo sapis, annos vacuos virtutibus imple. Consummatus, quis.

Sic Christus Dominus vixit tantum 33. annis, totidem fere S. Ioannes Baptista, iisque paucis ad quantum meritorum cumulum pervenit! Sanctus Antonius de Padua, ardens et Apostolicus prædicator, vixit annis dumtaxat 36. S. Casimirus 25. Tres fuere filiæ S. Sophiæ, omnes gloriosæ virgines et Martyres, scilicet, S. Fides duodennis, S. Spes decennis, S. Charitas novennis martyrium fortiter obiit: Ecclesia earum triumphum celebrat die 1. Aug. Sic P. Gaspar Barzeus Zelandus, S. Francisci Xaverii socius, imo vicarius, vir Apostolicus, septem annis quibus in Soc. Iesu vixit, e quibus quinque exegit in India, puta Goæ et Armuziæ, tanta vel multitudine quasi infinita, vel rei magnitudine admiranda perpetravit, vere ut dixerit quidam de eo ex India scribens, quod in brevi consummatus expleverit tempora multa, ait noster Trigautius in eius Vita, cap. 14. Lege Vitam eiusdem, et obstupesces. Is autem quem citat, fuit P. Antonius Quadrius Indiæ Præpositus Provincialis Societatis Iesu, ut patet ex fine Vitæ. Exempla.

Atque ut alios taceam, B. Aloysius Gonzaga, Societatis nostræ Religiosus, consummatus est anno ætatis 24. Quocirca ipse ad raptum hunc et transitum ab hac vita ad cælestem assidue suspirabat. Cum enim Cardinalis Bel-

larminus, eius tum confessarius, cum hortaretur ut a Deo vitam longiorem postularet, quo eius exemplo cæteri instruerentur, venia petita, negavit id exsequi se posse: *Quia non potest*, inquit, *a Deo maior homini conferri gratia, quam ad se illum evocare, dum in gratia reperitur*, in cuius gratia se tunc esse sperabat. Idem in quadam epist. quam recitat B. Virgilius Ceparius in eius Vita, lib. 2. c. 8. in fine: *Dies*, inquit, *lætos transigo, sperans intra paucos dies futurum, ut evocer a Deo e terra morientium ad patriam viventium; ab hominum consortio, ad angelorum sanctorumque societatem*. Fuit enim ipse puritate et sanctitate Angelus. Unde merito Auditores Rotæ, Romæ examinato canonizationis eius processu, eidem titulum *Angelici* dedere. Septennis enim cœpit Deo servire, totumque ei se addicere: novennis virginitatem Deo et B. Virgini dicavit et vovit. Numquam per omnem vitam peccavit lethaliter, numquam stimulos carnis expertus est, numquam distractionem in oratione sensit, uti iidem ex testimonio confessariorum eius, ac nominatim Cardinalis Bellarmini, aliorumque virorum gravium affirmant.

Vidit idipsum per umbram Seneca epist. 69. *Portus petendus*, inquit, *numquam recusandus: in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quam qui cito navigavit.*

Sic Homerus Diomedem inter Græcos nuncupat ætate minimum, prudentia maximum. Demophilum vocat Pindarus annis iuvenem, consiliis senem. Appium Claudium natu minimum, senatoribus natu maximis Livius anteponit. Puer Ascanius a Marone commendatur 9. Æneid.

Ante annos animumque gerens, curamque virilem,

Audi S. Ambr. in Ps. 118. serm. 18. « Liquet igitur, inquit, quod non senectutis longævitas eligatur, sed custodia verborum Dei. Denique ipse Moyses Iesum Nave et Caleb iuvenes præ cæteris approbabat, quorum consilium in terræ electione magis quam multorum seniorum et ipse secutus est, et Deus prætulit. »

Posset rursum τελειωθεὶς verti, primo, *immolatus*; secundo, *consecratus*; tertio, *gloria et honore coronatus*, q. d. Iustus omnes suas actiones et passiones offerens, immolans et consecrans Deo, per eas, licet modicas et breves, æterna gloria coronatur instar Christi, de quo ait Paulus: *Decebat enim eum propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*, Hebr. 2. 10. Vide ibi dicta.

Alius sensus. Aliter bene sententiam explicat S. Bernard. serm. 253. ad Guarinum; nimirum, q. d. Iustus licet parvo tempore vivat, tamen consummat et implet tempora multa; quia animo amplectitur totam æternitatem, ita ut, si in æternum viveret, vellet semper Deo servire, et ire de virtute in virtutem. Audi S. Bernard. *Quomodo enim non explevit omnia tempora, qui transivit ad æternitatem? Quanta sane tempora, non longævitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed devotione et inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicavit. Retinet quippe virtute, quod amisit in tempore. Porro vera virtus finem nescit, tempore non clauditur.* Et paucis interiectis: *Iustus numquam dicit: Satis est; sed semper esurit sititque iustitiam, ita ut, si semper viveret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui.* Unde concludit: *Sempiterna itaque iusti esuries sempiternam meretur refectionem, et licet in brevi consummetur pro tempore, iudicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate.*

Vers. 14. PLACITA ENIM ERAT DEO ANIMA ILLIUS, per iustitiam inhærentem, et gratiam illi infusam a Deo ob merita Christi: PROPTER HOC PROPERAVIT (Dominus, qui præcessit) EDUCERE ILLUM DE MEDIO INIQUITATUM.) S. Fulgent. *de media iniquitate*. Græca habent dumtaxat: *Propter hoc festinavit de medio iniquitatum*, scilicet egredi iustus, uti Abraham ex Ur Chaldæorum, Lot e Sodomis, Moses et Hebræi ex Ægypto. Verum melius Noster τὸ *properavit*

A refert ad Deum, ideoque subaudit τὸ *educere illum*. Deus enim rapuit iustum, uti dixit v. 11. Non ergo iustus eripuit seipsum; Deus enim omnis gratiæ, liberationis, perseverantiæ, bonæ mortis et salutis nobis est origo, fons et causa prima et præcipua.

POPULI AUTEM VIDENTES, ET NON INTELLIGENTES, NEC PONENTES IN PRÆCORDIIS TALIA,) Subaudi, mirati sunt et murmurarunt, vel contra iustum, quasi ipse suis sceleribus meritus sit citam mortem, vel contra Deum, quod iustum innocentem subita morte mulctarit. Simplicius et germanius per hebraismum exponas, q. d. Populi infideles, vel imperiti et rudes *videntes*, id est viderunt, citam iusti mortem, et causas iam dictas *non intelligentes*, id est, non intellexerunt, nec eas cordi habuerunt. Hebræi enim sæpe usurpant *benoni*, id est participium, præsertim præteritum (nam in Græco hic sunt aoristi ἰδόντες et νοήσαντες, qui habeat significationem præteriti, q. d. Cum vidissent, non intellexerunt) pro ipso preterito. Similis enallage est Rom. cap. 12. vers. 11. *Spiritu fer-*

B *ventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes*, etc. hoc est, spiritu fervete, Domino servite, spe gaudete, in tribulatione patientes estote, orationi instate. Et 2. Cor. 10. 12. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes et comparantes* (id est metimur et comparamus) *nosmetipsos nobis*, etc. Hunc esse sensum liquet, quia ita Sapiens se mox explicat vers. 17. dicens: *Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus*, etc.

NEC PONENTES IN PRÆCORDIIS (græce, ἐν διανοίᾳ, id est Vers. 15.
in mente, intellectu, cogitatione, q. d. Non cogitant) TALIA; græce, *tale*, nimirum id quod sequitur, QUONIAM GRATIA DEI, ET MISERICORDIA EST IN SANCTOS EIUS, ET RESPECTUS IN ELECTOS ILLIUS.) q. d. Populi infideles, vel rudes non intelligunt, nec cogitant quod cita mors Sanctorum est insignis Dei gratia et misericordia, qua Sanctos huius mundi periculis eripit, ac respicit visitatque electos suos, transferendo eos a laboribus vitæ præsentis

C ad præmia æterna, quæ sua continentia, mortificatione et virtute commeruerunt. Unde Vatablus, totum hunc versum connectens, clare vertit: *Vulgus autem videns hoc non intelligit, nec animadvertit hoc ipsum* (quod cito e vita rapiantur iusti) *beneficium ac misericordiam in sanctos eius esse, electorumque ipsius habitam rationem*. Putat enim vulgus mortem præmaturam iuveni pulchro, diviti et nobili summum esse malum et maleficium; quia ignorat vitam futuram et gloriosam, in quam transcribitur. Sic hodie mundani, qui vident adolescentes nobiles cito in religione, quam amplexi sunt, mori, æstimant eos infelices et miseros; quia nesciunt, nec cogitant hac morte assecurari eis Dei gratiam et gloriam æternam. Unde Cervantes sic per amplificationem exponit: *Hoc illos latuit, nempe quod gratia, beneficium et favor, ac misericordia, seu affectus tenerrimus atque suavissimus, gratia misericordiosissima, et misericordia gratiosissima Dei sit erga Sanctos suos, et erga electos suos providentia singularis, inspectio, observatio, et visitatio, et illorum ratio maxi-*

D *ma habeatur ab eo.*

Minus recte Hugo et alii per *gratiam* accipiunt gratiam iustificantem, per *misericordiam* gratiam comitantem, vel subsequentem.

ET RESPECTUS (græce, ἐπισκοπή, id est inspectio, observatio, respectus, ratio, cura, visitatio ad præmiandum iusti labores et dolores pro Deo et pietate susceptos, uti dixi cap. 3. 6.) IN ELECTOS ILLIUS.) Quos sibi Deus ab æterno ante omnem prævisionem operum per gratiam prædestinationis elegit, ut per eam toto vitæ tempore perseverantes in iustitia, ab eodem eligerentur et destinarentur ad gloriam æternam, q. d. Deus peculiarem electorum suorum habet respectum, id est rationem, curam et providentiam, ideoque eos rapit antequam in tentationes incidant et peccent, ut eorum iuventutem in pietate exactam præmiet gloria cœlesti.

CONDEMNAT AUTEM IUSTUS MORTUUS (græce, θανὼν Vers. 16.
pro quo Vatican. legit καμὼν, id est *laborans*) VIVOS IM-

PIOS, ET IUVENTUS CELERIUS CONSUMMATA LONGAM VITAM (Lucifer pro S. Athanasio legit, *longævitatem*: græce est, πολυετὲς γῆρας, id est *multorum annorum senectutem*; Vatican. *longævam senectutem*) INIUSTI.) Est hæc condemnatio non verbalis, sed realis per vitæ comparationem et exemplum: *Iusti enim vita redarguit peccatorem, quem tacite auctoritate maiore condemnat, quam si voce loqueretur*, ait S. Ambrosius in Psal. 36. q. d. Iustus mortuus non verbis, sed factis condemnat vivos impios, quia maluit ipse pie mori, quam impie vivere: quod faciunt impii. Pia ergo eorum mors in iuventute obita, reipsa condemnat impiam vitam senis iniusti, qui senium vitiis et sceleribus deturpat et commaculat: quo enim quis diutius et peius vivit, eo magis est vituperandus et damnandus. Loquitur in genere de quolibet iusto, licet Glossa arctet ad Martyrem, Cantacuzenus vero ad Christum a Iudæis occisum: quia iuvenis Christus quamvis interfectus, vitalis tamen mors eius, inquit, in ipsum credentes ab interitu vindicabit, ac immortalitate donabit: illos vero qui non crediderunt, et præsertim qui desævire in ipsum sunt ausi, aperte redarguet atque damnabit; redemptionis quoque mysterium, quod ipse florenti absolvit ætate, peccati legem, quæ consenuerat, de medio tollet. Hæc ipse vere, sed arcte. Loquitur enim Sapiens de quolibet iusto, sed maxime de Christo, qui iustorum est Princeps, et Sanctus sanctorum. Hinc Barlaam septuagenarius, rogatus a Iosaphat quot esset annorum, respondit: Quadraginta quinque: *Quia tot*, inquit, *dumtaxat servivi Deo, reliquos vero quibus servivi mundo, annos non vitæ, sed mortis computo*, iuxta illud: *Vixit dum vixit bene*. Ita Damasc. in eius Vita.

Rursus *condemnat*, id est, in die iudicii condemnabit mortuus iniquos senes, qui diu vixerunt, dum approbabit sententiam Christi eos ob vitia, in quibus consenuerunt, gehennæ dignos iudicantis.

Vers. 17. VIDEBUNT ENIM FINEM SAPIENTIS, ET NON INTELLIGENT QUID COGITAVERIT DE ILLO DEUS, ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS.) Hæc gnome pertinet non ad id quod immediate præcessit: *Condemnat autem iustus mortuus vivos impios*; sed more Hebræo paulo remotius ad τὸ vers. 14. *Populi autem videntes, et non intelligentes*; hæc enim verba illis ex æquo respondent explicantque quid videbunt et non intelligent, scilicet quod populi videbunt finem, id est exitum et mortem præmaturam sapientis, hoc est iusti, et non intelligent eius causam; quare scilicet illum tam cito e medio vitæ cursu et flore rapuerit Deus, quidque de eo facere cogitarit: quia præsentis vitæ amore ebrii, futuræ vitæ gloriam non capiunt: unde mortem citam reputant summam esse infelicitatem.

ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS. Triplex est hic lectio. Prima, Complut. et Regia: *Quare minuerit illum* (vitæ illius annos et dies, ait Rabanus, et ex eo Holcot) *Dominus*. Verum Græca et Latina cætera constanter legunt, *munierit*, non *minuerit*. Secunda est Græcorum iam codicum: *Et quare munierit* σαυτοῦ, id est *seipsum Dominus*, q. d. Quare suum decretum de iusto cita morte rapiendo, tutum firmumque fecerit Dominus. Tertia et genuina est Vulgatæ et aliorum, qui pro σαυτοῦ legentes αὐτοῦ vertunt, *et quare munierit illum Dominus*, id est, quare Deus iustum cito rapiens, eum a peccato, lapsu et damnatione tutum tectumque conservarit; cur eius saluti caverit; omneque ab ea periculum propulsarit. Hoc enim significat græcum ἠσφαλίσατο, id est securitate donarit, caverit tutatusve sit. Hinc Vatab. vertit, *et quorsum eum Dominus tuto conservarit*; Clemens Alex. lib. 6. Strom. *Videbunt*, inquit, *mortem sapientis, et non intelligent quid de eo decreverit: et ad quid eum stabilierit Dominus*. Iustus enim, Deo dante, ut palma omnibus renitentibus obluctatur, et quo magis ceditur, eo altius se erigit, magisque efflorescit, iuxta illud Psal. 131. *Inimicos eius induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*. Ubi Arnobius: *Christus*, inquit, *comparatur ipsi palmæ semper florenti, qui ad dexteram Dei sedens, victoribus suos ramos porrigit, de floribus suis coronam tribuens, et de fructibus perpetua refectione saginam impertiens.*

VIDEBUNT (inquam finem, id est citam mortem iusti) ET CONTEMNENT (græce, ἐξουθενήσουσιν, id est *nihili facient*) EUM: ILLOS AUTEM DOMINUS IRRIDEBIT.) Qui enim iustum contemnit, tacite Deum contemnit. Sicut qui servum vel legatum contemnit, eius herum vel dominum contemnit. Deus autem sicut se suosque honorantes honorat: ita vicissim se spernentes spernit, iuxta illud Dei ad Heli: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. 30. et illud Isaiæ 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis nonne et ipse sperneris?* Alludit ad illud Davidis Psal. 2. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos*; et Psal. 36. 16. *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies eius.* Vers. 18.

ET ERUNT POST HÆC DECIDENTES SINE HONORE) Vatabl. *turpiter corruent*; græce, ἔσονται εἰς πτῶμα; quod primo, cum Nostro vertas: *Erunt in ruinam vel casum vel lapsum inhonorum*, id est honoris expertem, turpem et ignominiosum, q. d. Impii esto ad tempus hic opibus et honoribus exaltentur; tamen tandem ex apice hoc mundanæ felicitatis et gloriæ decident, ruentque in inopiam, miseriam, vilitatem et infamiam, velut in abyssum, præsertim in morte, et post mortem in gehenna. Vers. 19.

Secundo, vertas: *Erunt in vile cadaver*. Mors enim ex vivis, lautis et splendidis faciet turpia et fœda cadavera; quo enim delicatius nutrita sunt corpora in vita eo magis putrescunt et fœtent post mortem. Græcum enim πτῶμα derivatur a πίπτω, sicut cadaver a cado. Ita Iansen.

Tertio vertas: *Erunt sicut oleæ deciduæ*, vel sicut poma ab arbore excussa, et in terram cadentia, vel sicut arbor avulsis radicibus in humum proiecta, abiecta et ingloria. Sic superius v. 3. et 4. comparavit impios arboribus vento agitatis et avulsis. Hæc omnia enim significat græcum πτῶμα. Ita Petrus Nannius hic.

Nonnulli hæc omnia, ut superius dixi, accipiunt de tyrannis occidentibus Martyres: Cantacuzenus vero accipit de Iudæis Christum crucifigentibus: hi enim ob infame hoc Christicidium a Tito excisi, venditi, ad bestias damnati, exsules et vagi, toti orbi ludibrium facti sunt. Verum plene et adæquate hæc accipias de impiis quemlibet iustum persequentibus.

ET IN CONTUMELIA INTER MORTUOS IN PERPETUUM.) Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athanasio legit: *Erunt in contumelia mortis in perpetua*; Vatabl. *Et ignominia inter mortuos perpetua laborabunt*, tum apud homines, tum apud superos, tum apud inferos: ibunt enim in gehennam, ubi erunt ludibrium dæmonum, iuxta illud: *Evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium; ut videant semper*, Daniel 12. 2. Et: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*, Isaiæ 66. v. ult. τὸ *inter mortuos* idem est quod inter damnatos: cadavera enim impiorum putrescent in sepulcro, animæ vero cruciabuntur perpetim in gehenna cum damnatis, iuxta illud Psal. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt* (Theodoretus, *constituerunt seipsos*; unde extricari non valeant) *mors depascet eos*; S. Hieronym. *mors pastor erit eorum*; et subdit: *Merito pascuntur a morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum*, Ioan. 10. Et illud S. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 12. ubi expendit illud Iob. 40. 18. *Luat quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Non morte consumitur*, inquit, *quia si consumeretur vita morientis, etiam pœna finiretur; sed ut sine fine cruciatur, vivere in pœna compellitur, ut cuius vita mortua hic fuit in culpa, illic eius mors vivat in pœna.* Mors viva in gehenna.

QUONIAM DISRUMPET ILLOS INFLATOS SINE VOCE,) q. d. Sicut uter inflatus et vento turgidus, magno fragore diffringitur et rumpitur; sic Deus impios fastu tumidos, in morte magno fragore et dolore disrumpet, facietque ἀφώνους, id est sine voce (aliqui legunt ἀφρόνους, vel potius ἄφρονας, id est amentes, ut scilicet mente, id est consilio et iudicio carere, et omni ratione destituti videantur;) por-

ro *sine voce*, id est elingues et mutos, instar piscium, ut nec loqui possint, nec si possent, mutire vel hiscere audeant, præ confusione et conscientia scelerum. Hinc ille non habens vestem nuptialem in nuptiis cælestibus Agni, obmutuit; unde ligatis manibus et pedibus proiectus est in tenebras exteriores, Matth. 22. 12.

Porro Græca, verba transponunt: sic enim habent: *Quoniam rumpet illos sine voce inflatos*; vel, ut nonnulli legunt, *inflammatos*. Unde Cervantes τὸ *sine voce* refert ad *inflammatos*, sicque explicat: *Sine voce*, hoc est, quasi flamma, blando pariter et acri silentio absumente ac deglutiente impios, emissa cælitus, et absque ulla resistentia, sine huius vel illius rami sese frangentis ac veluti conquerentis fragore, integros illos penitus perdet, profligabit, dimovebit, et igneiræ divinæ sia devorabit, ut transferat quoque de loco suo in infernum.

Interpres noster pro πρηνεῖς videtur legisse πρήσας, a πρήθω, id est *inflo*, vel *inflammo*: unde vertit, *inflatos*, idque apte cohæret cum verbo *disrumpet*. Alii vertunt, *inflammatos*, imo nonnulli pro *inflatos* censent legendum, *inflammatos*: unde πρηστήρ est prester, hoc est igneus turbo. Vatabl. vero et alii legentes πρηνεῖς, a πρηνίζω, id est præcipito, aut in caput propendeo, vertunt, *pronos*, demissos, vel præcipites. Unde Vatablus vertit: *Quoniam conquassabit illos interclusa voce præcipitatos*. Præcipitabit enim eos in tartara. Porro disrumpet Deus impios, primo, in morte, cum animam avellet et abrumpet a corpore: quæ avulsio ob summam animæ cum corpore unionem, est amarissima. Secundo, in iudicio abrumpet, dividet et separabit eos a societate Angelorum et Beatorum. Tertio, in gehenna disrumpet eos tormentis, verberibus, plagis et doloribus acerrimis, ut membratim dilaniari et disrumpi videantur. Alludit ad tormentum rotarum, in quibus latronibus brachia et membra confringuntur; et ad rotas, quibus Martyres circumacti, per suppositos cultros et gladios laniabantur et rumpebantur. Similes enim rotas, sed longe atrociores in gehenna viderunt Sancti, qui eo in spiritu a Deo rapti fuere, quibus damnatorum corpora distorquebantur, et discerpebantur, sed ita ut semper redivivi ad nova tormenta persisterent. Vide auctores, qui de tormentis inferni scripsere, ac præsertim Dionys. Carthus. de pœnis inferni, art. 47. et seq. et de iudicio animæ, cap. 24. et seq. Quarto et genuine, græcum ῥήγνυμι significat enim vehementia et fragore elidere et superne decidere, uti procellosa pluvia et grando solet. Item divelli et abripi, uti terræ hiatu absorbentur arbores, domus, magnæque moles. Simili enim modo corpora damnatorum inflata, crassa et ponderosa instar plumbi ex valle Iosaphat, ubi a Christo iudicabantur et damnabuntur, dehiscente terra magno impetu et fragore elidentur, divellentur, abripientur et corruent in imum tartari, quæ omnia Noster innuit voce *disrumpet*, id est, abrumpet.

Disrumpit Deus impios multipliciter.

ET COMMOVEBIT ILLOS A FUNDAMENTIS,) Id est ut Vatabl. *funditus eos commovebit*, sicut commoventur et conquassantur arbores, domus, vel naiia, cum a fundamentis et cardinibus evelluntur. Alludit ad illud Iob. 22. 16. *Fluvius subvertit fundamentum eorum qui dicebant Deo: Recede a nobis.* Hebr. est, *fluvius effusus* (Septuag. *fluens*) *fundamentum eorum*. Alludit ad aquas diluvii. Fluvius hic significat impetum iræ Dei in improbos, et citam eorum consumptionem, ac inundantium in eos calamitatum immensam vim et molem.

ET USQUE AD SUPREMUM DESOLABUNTUR,) Id est, *extreme desolabuntur*, ait Vatabl. ut nihil eorum salvum remaneat: par enim est ut impii, qui in hac vita summas habuere delicias, consolationes et gaudia, in futura pariter summas habeant mœstitias, desolationes et tormenta.

ET ERUNT GEMENTES.) Græce, *et erunt in dolore multiplici et maximo* qualis est parturientium: hanc enim significat ὀδύνη. Cruciabuntur enim igne et tormentis gehennæ.

ET MEMORIA ILLORUM PERIBIT) Eo sensu, quem superius dedi.

VENIENT IN COGITATIONE PECCATORUM SUORUM TIMIDI.) Vers. 20. Græce, *veniet* ἐν συλλογισμῷ, id est in syllogismo, puta in ratiocinatione, supputatione, collectione, q. d. Impii in mente et memoria sua, dictante conscientia, in unum quasi cumulum colligent omnia sua scelera vitæ anteactæ, quo fiet ut summo timore percellantur, et extremo pudore consternentur. Hinc Vatabl. vertit: *Prodibunt pavidi peccatorum suorum reputatione* prodibunt scilicet, ut rationem singulorum factorum, dictorum et cogitatorum Christo iudici exactam reddant. Unde pavidi secum reputabunt quid Christo sint responsuri, et nihil appositum invenient.

ET TRADUCENT (græce ἐλέγξει, id est palam coarguent et convincent, omnibusque ut reos convictos spectandos proponent,) ILLOS EX ADVERSO INIQUITATES IPSORUM,) ut eas negare, palliare, vel excusare nequeant: conscientia, quæ est mille testes, in die iudicii ostendet, non solum ipsismet impiis, sed omnibus hominibus et angelis omnia eorum crimina, iuxta illud:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Hinc Vatablus vertit: *Suisque sceleribus coram convincentur.* Sic cap. 2. vers. 14. *Factus est nobis*, inquit, *in traductionem*, id est in publicam reprehensionem.

Minus recte Cantacuzenus: Traducent, inquit, hoc est, seorsum ducent, et abducent impios a societate Sanctorum; græcum enim ἐλέγξει idem est quod redarguent. Hoc est quod impio improperat Ierem. c. 2. 19. *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te*, q. d. Non opus erit accusatore vel teste, quia ipsa conscientia sua scelera toti orbi pandet, accusabit et testabitur. Et Iob cap. 15. 24. *Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.*

Expende singula Sapientiæ verba a v. 18. huc usque, et totidem impiorum ac damnatorum in gehenna pœnas reperies: singula enim novum intentant supplicium. Porro Holcot singulas pœnas culpis congrue sibi respondentibus ita apposite adaptat et adæquat. Decidentium impiorum, præsertim tyrannorum, deiectio, inquit, sumet pœnam de ambitiosa eorum superbia: contumelia respondebit contumeliæ qua Sanctos affecerunt, irrisio pariter irrisioni, perpetuitas irrogabitur obstinationi, qua vitam in peccatis perpetuarunt usque ad mortem; disrumpentur, sicut pios diruperunt: erunt sine voce et muti, quia Sanctos inauditos condemnarunt; nec eis spatium se defendendi, aut facultatem loquendi dederunt; commovebuntur a fundamentis, quia funditus pios exstirpare conati sunt; desolatio succedet consolationi carnali, gemitus risui, voluptatibus et deliciis; memoria eorum peribit, quia ipsi obliti sunt Dei legis, virtutis et salutis suæ.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Graphice describit impiorum in inferno veram, sed seram pœnitentiam et complorationem, quod scilicet videntes piorum, quos persecuti sunt, gloriam, et sua supplicia, præterita huius vitæ gaudia vanitatis et fugacitatis accusabunt. Ex adverso v. 16. describit iustorum gloriam, et regnum æternum, quodque Deus in die iudicii pro iis contra impios depugnabit, in eosque omnia iræ suæ tela et fulmina eiaculabitur.

1. TUNC stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, 3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. 6. Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiæ lumen non luxit nobis: et Sol intelligentiæ non est ortus nobis. 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. 8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? 9. Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens; 10. Et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: 11. Aut tamquam avis, quæ transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem; commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius: 12. Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius; 13. Sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. 14. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt: 15. Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur; et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur; et tamquam fumus, qui a vento diffusus est; et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. 16. Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. 17. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. 18. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. 19. Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum: 20. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem; 21. acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. 22. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. 23. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. 24. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet illos; et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.

Vers 1 TUNC STABUNT IUSTI IN MAGNA CONSTANTIA, ADVERSUS EOS QUI SE ANGUSTIAVERUNT.) *Tunc*, scilicet in die iudicii, cum desolabuntur et damnabuntur impii, uti dixit in fine cap. præcedentis.

STABUNT IUSTI IN MAGNA CONSTANTIA.) Hoc est, *cum immobili securitate et insuperabili fortitudine*, ait Dionys. Græca habent in singulari: *Tunc stabit iustus* (scilicet quilibet, hoc est omnes iusti. Est synecdoche) *in multa* παρρησία, *id est loquendi libertate, confidentia, audacia, contra faciem eorum qui afflixerunt eum*, puta contra faciem impiorum qui tunc erunt timidi et pavidi, uti dixit cap. præced. versu ult. Ideoque non stabunt recti; sed tremuli et curvi, hoc est, non levabunt caput, nec cervices erigent, sed veluti pondere scelerum oppressi procumbent, iuxta illud Psal. 1. *Non resurgent impii in iudicio.* Unde S. August. lib. 2. contra Gaudent. cap. 37. Donatistis, qui se iactabant iustos, hoc loco abutentibus respondet: *Absit*, inquit, *ut sicut cum magna constantia, cum stabunt cum tam mala conscientia.* Hunc Syrus vertit: *Stabunt iusti cum magna fiducia ante eos qui angustiaverunt eum*, scilicet Deum, de quo sermo præcessit; Arabicus: *Tunc stabit iustus cum magna fiducia adversus faciem eorum qui eum contristaverunt.*

ET QUI ABSTULERUNT LABORES EORUM.) Id est, bona labore eorum parta, vel labori eorum debita fraudarunt, vel expilarunt. Ita S. Bonavent. Lyranus, Dionys. et S. Augustinus epist. 50. ad Bonifacium.

Minus apte Hugo exponit, q. d. Qui exemerunt illos vita laboriosa, inferendo eis mortem.

A Pro *abstulerunt*, græce est ἀθετούντων, quod secundo verti potest: *qui reprobarunt*, vel *vituperarunt*. Tertio, *qui irritarunt*, id est, cassos et irritos fecerunt labores eorum, ut suo carerent fructu, de quo mox plura. Porro Arabicus vertit: *qui negaverunt laborem* (mercedem laboris) *eius*.

Porro confidentiam et constantiam hanc, ait S. Bonav. iustis afferet iustitia causæ, parata probatio, advocatus Christus, Spiritus sanctus, Beata Virgo, adversariorum impotentia, amicitia affinitasque cum iudice, benevolentia assessorum Apostolorum, familiaritas cum Angelis iudicis officialibus.

Nota, primo, τὸ *stabunt iusti*, scilicet tamquam milites Sancti
victores et triumphatores impiorum. Esto enim in iudicio in cælo
primarii iusti, uti Apostoli et Religiosi, virique Apostolici stant quasi vi-
B cum Christo sedebunt iudicantes duodecim tribus Israel, ctores
id est, omnes gentes, Matth. 19. tamen cæteri communes iusti adstabunt Christo iudici, tum quia ab eo erunt iudicandi et adiudicandi cælo; tum quia vincentium est stare, victorum iacere. *Imperatorem stantem mori decet*, aiebat Vespasianus Imper. teste Suetonio; multo magis milites Christi, puta iustos et beatos, stare decet. Sic S. Stephanus vidit Christum stantem a dextris virtutis Dei, Actor. 7. Beati enim in cælo stant tamquam gloriosi triumphatores, uti ibidem dixi. Lazarus inter cætera iacebat ad mensam divitis, cupiens saturari de eius micis, velut canis, Luc. 16. at in cælo stabit, et dives iacebit.

Nota secundo, τὸ *adversus eos*, vel, ut græce est, *contra faciem eorum*. Primo, idem est quod *coram eis*. Iusti

suam gloriam spectandam obiicient impiis qui eos afflixerunt et occiderunt, ut videant quam dispar sit vitæ ipsorum, ac suæ exitus et terminus, nec ipsos interiisse, sed vitam miseram commutasse in beatam et gloriosam, quod valde impios cruciabit, sicut divitem Epulonem cruciabat gloria Lazari, ad quam ex inferno non poterat emergere. Lucæ 16. Secundo, proprie, τὸ *contra faciem eorum* significat; quod in die iudicii Sancti, præsertim Martyres, insurgent contra tyrannos, qui se cruciarunt et necarunt, eosque coram Christo accusabunt, et cum eo condemnabunt. Unde S. Bonav. et Glossa: *Accusabunt*, inquiunt, *iusti persecutores suos, et sancti Martyres tyrannos qui eos adduxerunt in angustias*. S. Petrus et Paulus ergo in die iudicii impietatis arguent et condemnabunt Neronem, S. Sebastianus Diocletianum, S. Laurentius Valerianum, S. Cæcilia Almachium (unde S. Valerianus, S. Cæciliæ sponsus, Almachio totum hunc Sapientiæ locum recitavit, et minando obiecit) S. Vincentius Dacianum, etc. Unde noster Edmundus Campianus, vere Campianus, hoc est athleta Christi, cum in Anglia hæreticorum Ministros ad disputationem provocaret, invictis decem rationibus armatus, illas ita concludit. Reginam enim modeste, sed libere alloquens: *Veniet*, ait, *Elisabetha, dies ille, qui tibi liquido commonstrabit utri te dilexerint, Societas Iesu, an Lutheri progenies*. Acerbius septem Machabæi fratres excruciati ab Antiocho tyranno, eidem Dei iudicium et tormenta gehennæ comminati sunt, 2 Machab. 7.

Nota tertio: Pro *et qui abstulerunt labores eorum*, græce est, *qui spreverunt, vituperarunt, irritarunt labores eorum*: quod non tantum de bonis et opibus, sed et de laboribus proprie accipias, q. d. Iusti in iudicio redarguent impios, quod labores suos salutares, quibus ipsos aliosque ad Dei cultum et salutem æternam provehere satagebant, spreverint, obscurarint, impedierint, cassos et irritos fecerint, itaque Deo honorem, aliis exemplum, sibi salutem inviderint et eripuerint, dum pia iustorum monita, æque ac mores deriserunt et exploserunt. Quæ omnia tunc magna libertate et fortitudine, iusti exprobrabunt impiis in

Martyrum exprobratio in tyrannos.

os et faciem, dicentque: Meministi, o Nero, o Deci, o Diocletiane, cum coram tuo tribunali vinctus adstarem, me hæc tibi prædixisse; at non credidisti mihi, nunc ergo invitus crede et experire, tum nostram felicitatem et gloriam, tum tuam infelicitatem et gehennam. Hæc est illa dies, quam expectavimus, tibique intentavimus fore, ut passioni et martyrio nostro merces perpetua, tuæ vero tyrannidi incendia sempiterna decernerentur. Nonne veri Prophetæ fuimus? cerne et crede, at sero, ad tuam maiorem confusionem et condemnationem. Recordaris nos ad hunc diem provocasse, nos ad hoc tribunal appellasse, appellationem nostram audire noluisti, sed irrisisti. Audivit et exaudivit eam Christus: tunc nos rei fuimus, tu iudex: nunc vice versa tu reus es, nos iudices. Audi ergo nostram, imo Christi de te sententiam, eamque irrevocabilem, sed iustissimam, ideoque ex zelo iustit. . . non vindictæ in te dictatam. Quia Christi hostis fuisti, Sanctos eius occidisti, Ecclesiam oppugnasti, fidem evertisti; ito, impie, ito, scelesta, ito, maledicte, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.

Vers. 2. VIDENTES (Cantac. addit *eum*, scilicet iustum) TURBABUNTUR TIMORE HORRIBILI.) *Videntes* scilicet, non iusti, sed impii qui iustos afflixerunt. A iustis enim transit ad impios. Græca est aoristus ἰδόντες, q. d. Cum viderint . . . postquam viderint impii tantam iustorum gloriam e. . . constantiam percellentur extremo pavore et angore . . . le- bunt enim iam de se omnique salute esse conclama. . .m et desperatum: videbunt suos esse iudices, qui olim ipsorum fuere rei, damnati ab ipsis ad mortem atrocem: quare iam simile, imo atrocius iudicium et damnationem ab eis expectantes, pavebunt extreme. *Spectabitur illic tortor a Martyribus semper, qui Martyres in suppliciis spectavit ad tempus*, ait S. Cyprianus ad Demetr.

Adde, videbunt maiestatem iramque iudicis, deformitatem corporum suorum, et horridas spectrorum formas a dæmonibus assumptas: unde consternati dicent, *Montibus*

A *et petris: cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni*, Apoc. 6. 16.

ET MIRABUNTUR IN SUBITATIONE (id est in subita adeptione, ait S. Bonav. Hugo. Dionys. et Glossa) INSPERATÆ SALUTIS) Græce, ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, id est stupebunt, et quasi extra se in exstasin rapientur in paradoxo, id est in inopinatione salutis, id est propter admirabilem et inopinatam salutem, gloriamque iustorum, quos ipsi perditos, et in morte piane quoad animam et corpus interiisse existimabant. Παράδοξον enim est quid novum, admirabile, inexspectatum, insolens, præter opinionem hominum, incredibile, qualia sunt paradoxa Ciceronis et Philosophorum. Sic gloria iustorum impiis inexpectata accidet, videbiturque esse aliquod paradoxum, et quasi miraculum; quare eis admirationem, stuporem, pavorem, et quasi exstasin iniiciet. Sic fratres Ioseph, eum a se venditum reputantes mortuum, cum iam vivum et principem Ægypti viderent: *Non poterant respondere nimio timore perterriti*, Genes. 45. v. 3. Nihil enim ita af-

B fligit quam subita commutatio ex summa felicitate et gloria in summam infelicitatem et vilitatem. Rursum nihil ita pungit oculos inimici, quam si ex alto in imum se cadere, inimicum vero ex imo in altum erigi suspiciat, uti contigit Mardochæo cum Aman. Unde S. Bonav. Hugo et Dionys. hanc *subitationem* salutis interpretantur, quod subito, ex improviso et repente iusti assequantur tantam salutem et gloriam.

Vers. 3. DICENTES INTRA SE.) S. Cyprianus et Lucifer pro S. Athanasio legunt, *inter se*. Utrumque significat Græcum ἐν ἑαυτοῖς, et utrumque erit verum. Primo enim *dicent*, id est cogitabunt intra se, deinde ex vehementia doloris in vocem et comploratione erumpent, dicentque imo clamabunt inter se, ita ut iusti eminus positi facile audire queant. Unde codex Vaticanus legit: *Dicent sibi invicem pœnitentes, et propter angorem spiritus gementes*. Lucifer: *Dicant inter se pœnitentiam habentes*. Vatabl. *Pœnitentia tacti*, sed sero. Antonius in Melissa p. 2. c. 74. le-

C git: *Tunc dicent in seipsos*, id est contra semetipsos invehentes et debacchantes acri et vehementi increpatione et obiurgatione.

POENITENTIAM AGENTES.) Talis fuit Antiochi pœnitentia, 2. Machab. 9. 13. et Esau, Hebr. 12. 17. et Iudæ proditoris, Matth. 27. 3. Horum enim pœnitentia ex odio et timore non culpæ, sed pœnæ manavit.

ET PRÆ ANGUSTIA SPIRITUS GEMENTES.) Quia, ut ait Cantacuz. gemitus et suspirii causa est spiritus angustia, et respirandi difficultas: cum enim præcordia dolore comprimuntur, indeque maior spiritus, sive anhelitus vis intercipitur, qui deinde simul totus erumpere satagit, in gemitum et suspirium erumpit. Huc facit illud Isa. 65. 14. *Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis*.

HI SUNT QUOS HABUIMUS ALIQUANDO IN DERISUM.) S. Cyprianus et Lucifer, *in risu*. Græca, S. Cyprianus, Lucifer et alii hæc omnia nervosius legunt in singulari de quolibet iusto, hoc modo: *Hic erat, quem habuimus aliquan-*

D *do in derisum, et in parabolam improperii*, id est in parabolam probrosam, in fabulam ignominiosam, in proverbium contumeliosum, quo utuntur homines, cum volunt culpiam improperare, vel conviciari. Dicunt enim: Fias infamis, deridicula, sisque fabula, ludibrium et probrum hominum, sicut factus est talis, qui simulabat se iustum. Sic Ps. 43. vers. 16 dicitur: *Posuisti nos in similitudinem*, (græce in *parabolam*) *in Gentibus, commotionem capitis in populis*: Et paulo ante: *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro*. Sic Iob queritur cap. 17. v. 6. *Posuit me*, inquit, *quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis*. Et cap. 30. 9. *Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium*, in fabulam. Similia sunt Ierem. 48. 39. Deut. 28. 37. Ezechiel. 16. 44. et alibi. Cantacuzenus hæc omnia refert ad Christum, de quo scriptum est Apoc. 1. 7. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt;*

et plangent se super eum omnes tribus terræ. Verum de quolibet iusto loquitur Sapiens, ut dixi, sed maxime de Christo, qui est iustus antonomastice, utpote Sanctus Sanctorum.

Vers. 4. Nos INSENSATI VITAM ILLORUM ÆSTIMABAMUS INSANIAM, ET FINEM ILLORUM SINE HONORE.) Ita principes Iehu regis de Propheta ad eum misso ab Eliseo, aiunt: *Quid venit insanus iste ad te?* 4. Reg. 9. 11. Et Festus ad Paulum: *Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt,* Actor. 26. 24. Et ipse Paulus: *tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Et: *Nos stulti propter Christum*, 1. Cor. 4. v. 10. et 13. Quin et Christus ipse ob crucem suam Gentibus fuit stultitia, Iudæis vero scandalum, ut idem ait 1. Corinth. 1. 23. Adeoque cognati Christi ipsum æstimantes furiosum, ligare voluerunt, Marci 3. 21. Denique Sancti nonnulli humilitatis, et mortificationis studio stultos se simularunt, uti fecit Simon cognomento Salus, id est stultus.

Mundo vita Sanctorum est insania, cur? Mundani ergo vitam sanctorum æstimant insaniam: quia mundanis insanum videtur carnem domare ieiuniis, ciliciis, disciplinis affligere, mortificare sensus, appetitus coercere. Audi S. Greg. Naz. in laudem S. Gorgoniæ: *O animam corpus propemodum etiam sine cibo, velut expers materiæ retinentem! Vel, ut rectius loquar, o corpus sibi ipsi moriendi necessitatem etiam ante mortem imponens, ut libertatem consequeretur anima, nec a sensibus impedimenti quidquam acciperet!* Et post pauca: *O tenera membra in terram provoluta, seque aspere præter naturam exercentia! O lacrymarum fontes præ tribulatione profusarum, ut in exultatione messem faciant! O nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum pervadentem!* Et S. Paulin. epist. 10. ad Severum de Melania: *Cui refectio in ieiunio, requies in oratione, et panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo et centone, durus in terra, etc. et sanctæ animæ in Domino vigilare requiescere est.* Et S. Hieron. epist. 1. ad Heliodorum: *Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambula.* Huc etiam facit quod de B. Epiphanio Ticinensi Episcopo scribit Ennodius in eius Vita: *Talem bellatrix dextera animæ suæ certaminibus reddebat carnem, ut illi opus esset postea pro necessitate succurri.* B. Petrus Damian. serm. 39. de SS. Donat. et Hilar. Mart. *Mollioris vitæ latitudinem sprevit (B. Donatus) abstinentiæ rigore illecebrosa carnis incentiva calcavit: et antequam per dignitatem sacerdotalis officii eius prædicaret lingua, prædicabat iam efficaciter sub honestis et disciplinatis moribus vitæ.* Et paulo post: *Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut uber segetum proventus erumperet, et illucescente cælestis gratiæ radio fertilius germinaret, etc.*

Vers. 5. ECCE QUOMODO COMPUTATI SUNT INTER FILIOS DEI, ET INTER SANCTOS SORS ILLORUM EST.) Græca non habent τὸ ecce: et cætera habent in singulari hoc modo: *Quomodo computatus, vel annumeratus est* (iustus) *in filiis Dei, et in sanctis sors illius est?* *filios Dei* vocant, non per gratiam solam, sed per gloriam, qui scilicet velut hæredes Christi hæreditatem felicitatis æternæ possident; hæc enim est sors hæreditaria, æque ac beata et felix Sanctorum et Beatorum. Quanta dignitas sit esse filium Dei, multis ostendi Oseæ 1. v. 10. in fine. Vere *nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 16.

Vers. 6. ERGO ERRAVIMUS A VIA VERITATIS, ET IUSTITIÆ LUMEN NON LUXIT NOBIS, ET SOL INTELLIGENTIÆ (ita Roman. sed Regii habent, *sol iustitiæ*; alii, *sol* dumtaxat) NON EST ORTUS NOBIS.) Unde S. Hier. ad Lætam: *Venena, ait, non dantur, nisi melle circumlita, et vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum.* Impii ergo hic damnant seipsos erroris et stultitiæ triplicis: Primo, quod erraverunt a via veritatis, id est veræ virtutis, vel etiam veræ fidei, uti a fide aberrant hæretici, Ethnici et athei. Secundo, quod iustitiæ lumen puta lumen rationis et prudentiæ iis non luxerit, eo quod illud spreverint, volentes degere in tenebris voluptatis et concupiscentiæ. Tertio, quod sol intelligentiæ, id est Deus et Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, iis non sit ortus, eo quod ipsi fenestras cordis clauserint, itaque eius radios ad intelligendum ea quæ sunt Dei et salutis, exclusserint. De hoc sole ait Malach. c. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius.* Ubi plura hac de re dixi. Audi S. Ambr. in Psalm. 21. *Solem hic iustitiæ arbitror designari, hoc est Christum Dominum, qui nobis ignorantiæ tenebris et peccatorum cæcitate submersis cælestis doctrinæ suæ lumen infudit, et quos non habebamus oculos cordis inseruit; et velut radios quosdam Apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentiæ liberarent, et paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum matutina susceptione consuescerent, ut perferti facilius possemus tolerare solis ardorem, hoc est, primum nos præceptis simplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent cælestium secretorum.* Idem ser. 10. de Nativit. Christi: *Hic, ait, est sol novus, qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur. Hic novus est sol, qui spiritu suo vivificat mortua, corrupta reparat, suscitat iam defuncta, vel qui calore suo purgat sordida, exurit florida, decoquit vitiosa. Ipse, inquam, est, qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, et non tam condemnat crimina, quam emendat. Hic plane est sol iustus et sapiens, qui non sine discretione, sicut istius sol mundi, bonis ac malis similiter circumfertur, sed quodam indicio veritatis sanctis lucet, occidit peccatori.* Audi et S. Greg. l. 34. Moral. c. 12. *Omnes impii in extremi die iudicii, cognita sua damnatione, dicturi sunt; Erravimus a via veritatis, et lumen iustitiæ non luxit nobis, et sol non est ortus nobis, ac si aperte dicant: Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde et Ioannes ait: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius. In sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur; quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.* Hoc est quod ait Isaias c. 6. 9. et ex eo Paulus Rom. 11. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant; et aures, ut non audiant.* Vide ibi dicta.

Hunc damnatorum serum et inconsolabilem gemitum graphice exprimit S. Cyrill. orat. de exitu animi, et secundo adventu: « Non posset, ait, ullum hominis os metum illum terroremque declarare; nulla hominis labia satis magnam vim habent, ad dicendum illorum statum atque ploratum: Gemunt continenter et sine intermissione, sed nullus est qui misereatur; vociferantur ex profundo, sed nullus est qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est qui liberet; exclamant et plangunt, sed nullus est qui commoveatur. Tunc ubi huius mundi iactantia? ubi inanis gloria? ubi deliciæ? ubi voluptas? ubi petulantia? ubi apparatus? ubi requies? ubi ornatus? ubi pecuniæ? ubi nobilitas? ubi tunc delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc impudens et effrænata audacia? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi peccandi impura et frivola delectatio? » Vide totam eius orationem.

Similia habet S. Ephrem, qui plenus spiritu compunctionis instar turturis ubique gemit. Audi eum tract. de Variis tormentis inferni: « Tunc amarissime illacrymantes, eiulantesque dicent: O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus! O quomodo illusi sumus! O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque nos ipsos irrisimus! Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, et non attendebamus; hic iam clamamus, et ipse suam a nobis faciem avertit. Quid nobis profuerunt fines mundi? Ubinam qui nos genuit pater? ubi quæ nos peperit mater? ubi filii? ubi amici? ubi divitiæ? ubi substantiæ atque possessiones? ubi turbæ? ubi convivia? ubi varii et intempestivi cursus? ubi reges atque potentes? Quomodo a nullo eorum salvari modo possumus, neque

vero nobis ipsis opem ferre? At penitus derelicti sumus, et a Deo et a Sanctis eius. » Prosequitur deinde ulteriora eorum lamenta: « Quid faciemus? non est amplius pœnitentiæ locus, non valet amplius deprecatio atque intercessio. Nulla amplius lacrymarum utilitas. Non amplius qui oleum nobis vendant, apparent pauperes atque mendici: coloto est enim omnis celebritas. Dum nobis erat tempus, suppeterentque facultates, ipsique venditores alei clamitarent: Emite; obturatis nostris auribus, nec audire nec emere oleum voluimus; modo autem quærimus, et non invenimus. Nulla amplius nobis miserabilibus reliqua est redemptio, nulla amplius misericordia, neque enim sumus digni. Iustum est Dei iudicium. Non iam amplius Sanctorum adspiciemus ordines. Non amplius lucem illam veram contuebimur, orbati sequestratique sumus ab omnibus. » Denique ultimum eorum vale ita pathetice describit: « Dicendum quid restabit? Valete, iusti universi. Valete, Apostoli, Prophetæ, Martyres. Vale, cœtus Patriarcharum. Vale, Monachorum agmen. Vale, crux speciosa atque vivifica. Vale, cœlorum regnum, omni fine carens. Vale, superna Ierusalem, primitivorum mater. Vale, paradise voluptatis. Vale etiam tu domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete, patres ac matres; filii atque filiæ; nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra. Postea vero abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prava sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur. »

Vers. 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.) Græce, *repleti* vel *satiati sumus viis iniquitatis*, id est, ambulavimus per vias iniquas usque ad satiem, puta ad lassitudinem. Saties enim in ambulando est corporis lassitudo, sicut saties in comedendo est ventris plenitudo. Unde Noster solerter vertit: *lassati sumus*. Hinc græci πονηρίαν, id est, malitiam et iniquitatem, derivant a πόνος, id est, labor, et a πονεῖν, id est laborare, eo quod omnis iniquitas plena sit laboris et molestiæ. Unde et in Scriptura ipsa vocatur *labor* et *dolor*, uti docet S. Chrysost. in Ps. 130. et hom. 7. in Acta. Hinc et amor ipse vocatur labor et dolor, quia eum parit. Nam sine dolore non vivitur in amore, præsertim mundano et carnali. Unde illud de senibus Susannæ castitati insidiantibus, Daniel. 13. 10. *Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum: erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam.* Amor ergo est dolor. Huc facit illud Virgil. de Didone, amore Æneæ saucia:

Vulnus alit venis, et cæco carpitur igne.

Idem locum habet in amore sancto et sacro. Unde Cant. 5. ait sponsa: *Quia amore langueo.* Symmach. *Quia vulnerata amore ego sum.*

Et ambulavimus vias difficiles.) Græce διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους, id est *peragrasimus eremos* (Lucifer pro S. Athanas. legit *eremias*) *invios*, puta solitudines inaccessas, et deserta impermeabilia, nimirum mille periculis, mille molestiis obsita; Syrus: *Ambulavimus in deserto sine duce*; Arabicus: *Ambulavimus vias inambulabiles*, vel in *desertis inextricabilibus*. Ita vocant viam iniquitatis,

Via concupiscentiæ spinosa. voluptatis et concupiscentiæ, tum quia meatu est difficillima; tum quia deserta a Deo omnique bono; tum quia per eam via nulla est ad felicitatem; tum quia ducit ad desolationem æternam. Vide Sanctum Gregorium Nazianz. tractat. de Vitæ itineribus. Considera, an non avaro sit difficile maria et terras obire, ut opes congreget? guloso ventrem infarcire, ut capite doleat, stomacho nauseet, membris torpeat, febribus æstuet, crapula milleque morbis crucietur? luxurioso veneri vacare, ut luem veneream, sordes, vomicas et carcinomata patiatur? superbo, irato, invido, ut mille animi æstibus, timoribus et doloribus agitetur, dum se despici, æmulum suspici sibique anteferri videt? Hic verum est illud Ps. 13. 3. *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt.* Nam ut recte ait noster Lorinus, aut fœdantur luto intemperantes aut lapidibus læduntur avari, aut arduo lassantur ascensu ambitiosi, aut spinis cruentantur iracundi, aut tenebris invidi cæcantur, aut turba adulatores comprimuntur malicve exemplis, aut inæqualitate et confragositate accidiosi retardantur. E adverso de via iustorum dicitur Prov. c. 4. v. 18. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Et Prov. 15. v. 19. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum, via iustorum absque offendiculo.* Porro impii difficultatem hanc, quasi amore ebrii et stupidi, sæpe non sentiunt, aut non advertunt. Causam dat Auctor Imperfecti apud S. Chrysost. hom. 28. in Matt. citato enim hoc Sapientiæ loco, subdit: *Ergo laborant multum, et conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt; spiritus enim qui seducit eos, ipsos delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt iugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic et qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat et decipit, ne discedant a malo impii usque ad mortem suam. Ideo dicit Christus: Iugum enim meum suave est, et onus meum leve. Nam etsi corpore non gravantur peccatores, nec laborant; animæ tamen eorum gravatæ sunt et laborant, dicente Propheta de onere peccatorum: Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me. Et iterum Zacharias, iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit*, c. 5. 8.

Viam autem Domini ignoravimus.) Hæc est via regia virtutis, sancti plana et facilis, quæ recta ducit ad felicitatem et cœlum.

Quid nobis profuit (imo vero quantum obfuit) superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis?) Nil nisi mille curas, animi ægritudines, scelera, mordacia conscientiæ tormina, ac corporis mentisque supplicia præsentia et æterna. S. Cyprianus et Augustinus legunt: *Divitiarum iactatio*; Lucifer: *Divitiæ cum exultatione*; Græca: *Divitiæ cum iactantia quid contulerunt?* Vers. 8.
Nam divitiæ sine iactantia multum conferunt ad virtutem, puta ad eleemosynam, per quam divites sibi emunt cœlum; verum iactatio vel iactantia opum non prodest, sed obest, quia excitat superbiam, iram, invidiam, etc. quæ recta deducunt ad tartara. Pro *iactantia* græca est ἀλαζονεία: id est superbia, fastus, insolentia, ostentatio, arrogantia, hæc omnia pariunt divitiæ, ni virtute regantur; unde multos tales videmus divites. Syrus: *Quam utilitatem attulit elatio, aut quam utilitatem attulit nobis habitatio superbiæ nostræ?* Arabicus: *Et quid attulerunt nobis divitiæ cum magnificentia?*

Transierunt omnia illa tamquam umbra (cuius cum Vers. 9.
vita analogias recensui Eccles. cap. 7. 1. et c. 8. 13.) et tamquam nuntius præcurrens.) Ita Rom. et hoc significat Græcum παρατρέχουσα. Quare minus recte alii legunt: *Præcurrens nuntius*: Hic non intelligitur masculine, ut sit idem, quod vir nuntians, sive cursor, sed neutre, ut sit idem quod *nuntium*; græce enim est ἀγγελία, id est annunciatio, nuntium, rumor, fama; nuntium enim cum affertur, tamdiu duntaxat consistit, quamdiu ab ore dicentis ad aures audientis perfertur. Rumores sæpe falsi sunt, et sive veri, sive falsi sint, cito pertranseunt et evanescunt instar somnii. Cum essem Lovanii, quotidie per urbem rumores miri, sed ficti spargebantur, multosque commovebant, sed illico evanescebant. Inquisitum est in auctores, et deprehensi sunt duo, qui quod noctu somniarant, mane in vulgus spargebant. Tales sunt opes et voluptates omnes huius vitæ. Id clare vident singuli in morte. Unde nuper Philippus III. pius Hispaniarum Rex moriturus aiebat: *Nihil prodest regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse.*

Nota primo, impii hic rerum evidentia suaque iactura et damno convicti serio, sed sero, agnoscunt vanitatem suarum opum, honorum et voluptatum, quod scilicet cito abeant et evanescant, nullo relicto sui vestigio. Unde eas comparant rebus summe fugacibus, scilicet primo umbræ; secundo rumori; tertio navi aquam sulcanti; quarto avi per aerem transvolanti; quinto sagittæ emissæ. Quid umbra inanius? quid rumore vanius? quid navi fugacius? quid ave volante velocius? quid sagittæ iactu ocyus et pernicius?

Nota secundo, hic esse mimesin, sive imitationem, non tam verborum, quam sensus impiorum. Imitatur enim Sapiens refertque non tam dicta vel dicenda, quam ipsa sensa eorum; nil enim cogit eos dicere, quod impii in die iudicii complorantes, iisdem hisce similitudinibus omnibus sint usuri; sufficit, quod hisce vel similibus utantur, perinde ac facit S. Gregor. Nazianz. orat. 40. « Eiusmodi, ait, vita nostra est, fratres, qui fluxam vitam ducimus; eiusmodi in terra ludus, ut cum non simus, nascamur; cum nati simus, rursus dissolvamur. In somnium sumus minime consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, et suo tempore marcescens. Homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit. Pulchre S. David his verbis de nostra imbecillitate philosophatus est, quemadmodum et in illis: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Quin etiam dies humanos palmi mensuram esse definit. Nam quid de Ieremia quispiam dixerit? qui cap. 20. etiam matri succenset se in lucem editum dolens, idque propter aliena peccata. »

Vers. 10. ET TAMQUAM NAVIS, QUÆ PERTRANSIT FLUCTUANTEM AQUAM: CUIUS, CUM PRÆTERIERIT, NON EST VESTIGIUM INVENIRE, NEQUE SEMITAM CARINÆ ILLIUS IN FLUCTIBUS.) Pro *carinæ* græce est τορείας, id est, *itineris* (aliqui perperam, legunt τρίβων, id est, semitarum) vel ingressus, aut meatus eius inter fluctus: hunc enim illico ubi navis pertransiit, fluctus obruunt. Verum exemplaria correcta pro τορείας habent τρόπιος, id est carinæ, uti vertit Noster. *Carina* proprie est ima pars navis, eiusque fundus et quasi venter, qui aquam subintrat et sulcat, non relicta semita, sive non terendo viam.

Vox *fluctuantem* et *fluctus* notant pericula navis et navigantium, ut nunc fluctibus in cælum attolli, nunc in abyssum deprimi videantur, iuxta illud Ps. 106. 26. *Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.* Et illud Ovidii:

Tollimur in cælum, nunc imas radimus undas.

Longe maiora sunt pericula huius vitæ, præsertim voluptariæ impiorum.

Apposite voluptas et vita comparatur navi et navigationi ob æquam utriusque brevitatem, fugacitatem, pericula et naufragia. Navis enim est currus marinus, quo multi merguntur. Nota est historia Ionæ natantis et navigantis in ventre ceti, et ad Deum suspirantis, c. 2. 6. *Circumdederunt me aquæ*, inquit, *usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.* Hinc Sodalis apud Stobæum serm. 124. *Mare*, inquit, *omnium mortalium portus est.* Hinc et priscorum sepul-

Sepulchra ad mare. chra erant ad mare et portus, unde ibidem sepulti sunt Aiax et Cato, teste Plutarch. in eorum Vitis, ac Mathathias cum filiis Machabæis, ut patet 1. Machab. 13. 29. Hinc illud Propertii lib. 3. eleg. 6.

Ite, rates curvæ, et lethi contexite causas:
Terra parum fuerat, fatis adiecimus undas.

Et illud Alexidis apud Stobæum serm. 59. *Quisquis*, ait, *mare navigat, is aut insanit, aut mendicus est, aut mori cupit; ex his tribus non fieri potest, quin unum saltem verum sit.* Quibus congruit Plinius lib. 2. cap. 47. dicens: *Nec tamen sævitia tempestatum concludit mare; piratæ primum coegerunt mortis periculo in mortem ruere, etc. nunc idem hoc avaritia cogit.* Addit Stobæus ex Sophocle:

Mare navigantes plane sunt homines miseri,
Quibus neque dæmon, neque deorum aliquis unquam
Divitiarum dignam tribuerit gratiam;
Similes autem urinantibus mergis.
Sæpenumero de navibus mare circumspectantes
Sedemus ad littora conversi, illa vero adhuc eminus
Alluuntur, modicum autem lignum mortem prohibet.

Addit Plin. in Proœm. lib. 19. *Quot velis navigatur, tot modis provocari mortem.*

Porro recte per hanc vitam navigandi methodum docet S. Gregor. Nazianz. orat. 3. de pace: « Ne æmulemini, inquit, mercatores, qui partim nimis mercibus onerata navi ventrem potius disruperint, navimque aquis demerserint, quam ut ex inexplebili aviditate fructum capiant, et dum parva lucra captant, gravissimis damnis afficiuntur; cavendum ergo ne graventur corda, etc. » ut Luc. 21. 34. cavetur. Et S. Chrysogonus Martyr scribens S. Anastasiæ, Christi gratia in vincula coniectæ, sic ait: « Idem omnes mare navigamus, et corpora nostra eius fluctus sulcant, veluti navigia, quæ animæ perinde ac naucleri gubernant; ex his autem navigiis aliqua tam fortia, tam bene compacta sunt, ut perfacile scindant impetu maris undas, et per medios fluctus absque detrimento pertranseant ad portum exoptatum; tam alia fragilia, ut passim de salute periclitentur, gaude ergo, Anastasia; etsi enim tua ista navigatio non sine maximis tempestatibus et periculis agitur, brevi atque feliciter rursus navigationis tuæ finietur, atque in portum exoptatum, Christo fruiturum cum martyrii palma pervenies. »

Vide B. Petrum Chrysolog. ser. 8. de Ieiunio, et S. Chrysost. orat. de S. Philogonio, et S. Maximum hom. 2. de S. Eusebio. Porro Plinius lib. 32. cap. 4. ait: *Licet incredibile dictu, aliqui tradunt tardius ire navigia testudinis dextrum pedem vehentia*; sed hoc fabulosum et superstitiosum videtur, si litteram spectes; verum tamen est, si tropologice intelligas; pes enim testudinis est affectus acedi, tardi et pigri, qui navim et navigationem suam in portum felicitatis sua inertia multum remoratur et retardat. Ergo vitam humanam navigationi esse persimilem liquet, et ex humani corporis fabrica universim ac sigillatim per partes inspecta, et primo, ex loco ubi ea ædificata est a Deo: pene enim ad huius normam generationes cæteræ; secundo, varietate rerum, quibus constat; tertio, ventorum flabris quibus movetur: quarto, ex spina, capite, lingua, umbilico, et id genus aliis, quæ singularem cum carina, puppi, clavo et anchora habent analogiam. Solet navis construi atque compingi ad sinus et ripas aquarum, in quas proximas facile iam perfecta conici possit; sed ita ut machinis opus sit, ut de navibus propter intermissam navigationem in littus subductis, et transacta hieme in mare deducendis a parte totum nominans, canit Lyricus l. 1 ode 4.

Analogiæ hominis et navis.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas.

Sic et corpus Adæ propter, sive iuxta aquas Genes. 2. 7. *Formavit Dominus Deus.* Audi S. Greg. lib. 6. Epist. 26, « Vita nostra naviganti similis est; is qui navigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu navis ducitur: ita et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. »

AUT TAMQUAM AVIS, QUÆ TRANSVOLAT IN AERE CUIUS NULLUM INVENITUR ARGUMENTUM ITINERIS, SED TANTUM SONITUS ALARUM VERBERANS LEVEM VENTUM, ET SCINDENS PER VIM ITINERIS AEREM, COMMOTIS ALIS TRANSVOLAVIT, ET POST HOC NULLUM SIGNUM INVENITUR ITINERIS ILLIUS.) Vers. 11. Græca pro sed *tantum sonitus*, clarius habent, *percussio aero*, seu *ictus turbans verberatum aerem levem, et scissum vi stridoris motis alis pertransiit, et post hoc non est signum inventum meatus in ea.* Πληγῇ in dandi casu habent multi codices cum Vaticano, quod vertitur *ictu* aut *percussione* ut *avis* sit suppositum verbi *pertransiit*; aut ut in Complutensi et Regio legitur, in recto πληγή, *ictus* vel *percussio* Vulgatus sensum recte explicuit. Idem pro πληγή, id est percussio, vertit *sonitum*, quia avis percutiens alis aerem, volando excitat sonitum; est metonymia: *Scindens per vim itineris aerem*, id est, scindens per vim, sive violentiam aerem, quam secat iter faciendo; sive scindens aerem per vim, quam facit itinerando, puta volando. Perinde igitur omnia huius mundi gaudia illico transeunt, imo transvolant, instar avis per aerem transvolantis.

AUT TAMQUAM SAGITTA EMISSA IN LOCUM DESTINATUM (græce in *scopum*, qui sagittariis tangendus præfigitur) DIVISUS AER CONTINUO IN SE RECLUSUS EST, UT IGNORETUR TRANSITUS ILLIUS.) Vers. 12. Tο *sagitta emissa* non est

nominativi, sed ablativi casus, ut patet ex Græco. Noster videtur legisse [illegible], id est, *reclusus est*; aer enim dum in se redit, in se quasi clauditur, unitur et coit, iam legunt ἀνελύθη, id est, *resolutus est*; aer enim sagittæ divisus stringitur et condensatur: et post eam solvitur, laxatur, et in se quasi solutus redit. Sensus est, q. d. Sicut postquam sagitta in scopum destinatum emissa est, illico aer per eam divisus in seipsum revolvitur ac redit, ita ut ignoretur eius traiectus vel transitus: sic prorsus vita nostra, ubi ad mortis metam devenit, nullum sui relinquit vestigium, sed res omnes in sese redeunt, ac opes ad hæredes transeunt, domus ab aliis habitantur, agri et vineæ ab aliis coluntur, perinde ac si herus eorum iam defunctus numquam eas possedisset, sed tantum eas instar sagittæ celerrime pertransisset, vel potius pervolasset. Rursum sicut aer sagittæ divisus, post eam illico coit in sese: sic subdito factioso qui remp. in schismate dividit et secat, illico illa coit in sese, reconciliatur et tranquillatur. S. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 5. iisdem fere similitudinibus inanitatem rerum temporalium repræsentat: « Carnalis gloria, *inquit*, dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus bene solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur. Cumque excrescunt ut appareant, excrescendo peragunt ne subsistant. »

Nota hic gradationem: Primo, enim comparant impii fugacitatem suarum voluptatum umbræ, quæ fugit, sed pedetentim et lente; sequitur enim pari passu suum corpus. Secundo, nuntio, quod velocius est umbra: nuntium enim perferunt cursores. Unde nuntium sive famam ita pingit. Virgil. 4. Æneid.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Parva metu prima, mox sese attollit in auras;
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum,
Progenuit pedibus celerem et pernicibus alis.

Tertio, comparant eam navi, quæ ventis acta velocior est cursore et nuntio. Navis enim est quasi currus marinus ventis elatus et impulsus. iuxta illud Tibulli:

Ipsa levi fecit volitantem flumine currum.

Quarto, avi, quæ volatu suo superat cursum tam navis, quam cursoris. Quinto, sagittæ, quæ omnium est velocissima; maximo enim fertur impetu. Simili gradatione utitur Iob c. 9. v. 25 et 26. *Dies mei,* inquit, *velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum; pertransierunt quasi naves poma portantes* (quæ celerius cæteris navigant, ne poma marcescant) *sicut aquila volans ad escam.*

Ergo re profundius perpensa non est sagitta, quæ tam cito ex arcu in scopum insiliat: non est avis quæ ocyus transvolet: non est navis quæ Aquilone impulsa ita raptim per mare decurrat: non est umbra, tam subito apparens et disparens: non est ventus, tam rapide per terram fluitans; non est fulmen ita velociter e cœlis in terras delapsum, quam velociter ab ortu rapimur ad occasum, a vita ad mortem, a cunis ad tumulum; nec prius ad vivendum, quam ad moriendum in orbem ingredimur; par est progressus vitæ et mortis: nascendo morimur, pulvis sumus et in pulverem statim revertimur. Quicumque ergo mortalis es, et morte damnatus, assidue de morte cogita, et ad mortem te compara.

Tempus velocissimum, ratio a priori.

Tempus itaque velocibus omnibus velocius est, quo decurrit vita nostra, omnisque eius voluptas. Tum quia tempus est mensura motus primi mobilis, qui est velocissimus, quævis enim stella octavi cœli, sive firmamenti in æquinoctiali posita, singulis horis conficit 42. miliones milliarium; longe plus spatii conficit nonum cælum, ac longius decimum, multoque magis undecimum, si quod sit; nam nonnulli Mathematici neoterici plures quam decem cælos se invenisse asserunt. Cogita ergo quam velox sit tempus. Vide dicta Genes. 1. v. 14. Tum quia ex tempore nihil est præsens, nisi nunc, id est, instans vel momentum temporis, tempus enim præteritum non est, sed fuit; futurum non est, sed erit; nunc autem per instans unicum dumtaxat durat; quare in instanti est, et in instanti esse desinit; in instanti ergo, id est celerrime, transit et avolat. Unde sequitur.

Sic et nos nati continuo desivimus esse (Vatabl. Vers. 13.
defecimus) et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.) τὸ *continuo* non est in Græco, sed subintelligitur, uti patet ex iam dictis, et ex similitudinibus allatis; nam motus umbræ, nuntii, navis, avis et sagittæ continuo transeunt et desinunt: ergo et vita nostra, quæ illis simillima est, continuo transit et desinit. « Quotidie morimur, ait Seneca epist. 24. quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis periit; hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit; sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus: Mors non una venit, sed quæ rapit ultima, mors est. » Hinc S. Augustinus lib. 13. de Civit. c. 10. et 11. docet vitam nostram non esse aliud quam continuum cursum ad mortem.

Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere. Non *valuimus,* quia non voluimus; voluntatem enim nostram ita occupavimus voluptatibus ut virtuti vacare non vellet, nec valeret; vires enim eius omnes exhausimus in gustu sensuque voluptatum, quare plenæ et perfectæ virtutis, præsertim eminentis et heroicæ, ac imprimis gratiæ et charitatis divinæ, nullum actum edere potuimus; etsi virtutis humanæ, ut eleemosynæ, aliquos actus ediderimus: sed in malignitate (græce ἐν κακίᾳ id est in malitia) nostra, hoc est primo, propter malignitatem nostram; secundo, nostromet vitio in interitum corruimus; tertio, cum omni astutia et prudentia nostra nescivimus consulere nobismetipsis; sed consumpti sumus,) Græce κατεδαπανήθημεν, id est sumpta et impensa exhausti sumus, q. d. Omnem sumptum, omnem expensam, omne pretium, omne impendium, tum temporis, tum opum, tum sanitatis, tum virium sive corporis sive animæ, impendimus et expendimus in nostras malas et pravas voluptates: quare in iis quoad omnia exhausti et consumpti sumus; o nos dementes! Si enim hæc in Dei obsequium, uti debebamus, impendissemus, non fuissemus consumpti; sed in vita, gratia et gloria consummati. Iam autem opes, famam, corpus, animam, omniaque nostra impendimus, fecimusque pretia nostri exitii; iis enim quasi pretio carissimo emimus et comparavimus nobis tormenta gehennæ; o stoliditatem, o vesaniam nostram, æternis ardentibusque lacrymis deplorandam!

Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt.) Vers. 14.
Hæc verba non extant in Græco, sed subintelliguntur. Ex dictis enim liquet huc usque locutos esse impios. Per *infernum* accipe non gehennam, sed locum inferiorem in valle Iosaphat, in quem conficiendi sunt impii velut rei in die iudicii, ut excipiant sententiam damnationis a Christo, indeque deturbentur in infernum gehennæ. Hæc enim impiorum cum piis disceptatio instituenda est in die iudicii, non in gehenna, ut patet ex dictis; licet eorum comploratio duratura sit in gehenna per omnem æternitatem. Ita Dion. et Noster a Castro. Unde secundo, infernus hic accipi potest pro gehenna, ut impii in die iudicii damnandi, dicantur esse in inferno, quia adiudicati inferno mox in infernum ibunt, ut iam alterum pedem habere videan-

tur in inferno, etsi reipsa in eo necdum sint, nec eius tormenta sentiant, unde nec eorum meminerint; sed ubi in eo illa senserint, continuabunt, et mille eiulatibus augebunt sua hæc lamenta; sicut ergo reus ob scelera suspendendus concionatur e patibulo, ut suo exemplo cæteros a furtis et sceleribus absterreat; sic hic concionantur impii ex inferno, ac sua comploratione omnibus inclamant illud Virg. 6. Æneid.

Discite iustitiam moniti, et non temnere divos.

Vers. 15. QUONIAM SPES IMPII TAMQUAM LANUGO EST, QUÆ A VENTO TOLLITUR; ET TAMQUAM SPUMA GRACILIS, QUÆ A PROCELLA DISPERGITUR; ET TAMQUAM FUMUS, QUI A VENTO DIFFUSUS EST; ET TAMQUAM MEMORIA HOSPITIS

Novem emblemata brevitatis vitæ.

UNIUS DIEI PRÆTEREUNTIS.) Confirmat Sapiens dicta impiorum, quod scilicet voluptates transeunt illico instar umbræ, nuntii, navis, avis et sagittæ, aliis quatuor similitudinibus, scilicet lanuginis, spumæ, fumi et hospitis. Legit Noster Χνοῦς, id est lanugo, alii legunt Χοῦς, id est pulvis. *Lanugo* est mollis lana; item primi genarum barbæque pili, item plumæ, pappi, villi, qui lanæ habent similitudinem. Unde Plinius lib. 25. cap. 13. Senecio herba dicitur, quasi senis lanugine, inquit, et canis pilis vestita, eo quod in pappos abeat, et lanuginem carduorum floribus similem habent; sic villi et flocci arborum, herbarum et plantarum vocantur earum lanugo, quæ per aerem volitat, et vento levissimo impellitur, præsertim in autumno, cum a tenui aura difflatur. Spuma fit ex fluctibus maris vel fluminis inter se collisis, cui similis est illud, *homo bulla;* unde notat hominem opibus, viribus, scientia, honore inflatum et turgidum, cuius inflatio et fastus instar spumæ levi adversitatis procella dissipatur. Fumus ex igne assurgit, notatque ambitionem vel iræ impetum, qui instar fumi quo altius attollitur, eo citius evanescit, iuxta illud: *Deiecisti eos dum allevarentur*, Psalm. 72. 18. et: *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, Psalm. 36. v. 20. *Memoria hospitis diei unius prætereuntis*, cum ipsa die desinit; sic et vita nostra cum ipsis eius diebus, adeoque ultimo eius die desinit. Hospites ergo hic sumus, peregrini et advenæ unius diei, sicut et omnes patres nostri.

Simili modo et schemate Patres voluptates vitæ huius comparant ventis, mari, procellis, somnis ob similem inconstantiam et fugacitatem. Audi Gregor. Nazianz. orat. de Pauperibus amandis: « Nihil est in rebus humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens; sed omnia quadam veluti rota circumvolvuntur, diversas sæpe diebus singulis, etiam horis, vicissitudines afferentia: ut instabilibus ventis, et navigii mare secantis vestigiis, et fallacibus noctis insomniis, quorum brevis est gratia, et his quæ per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quam præsenti hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quod non fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consulunt in futurum; et propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, benignitatem et misericordiam, quæ numquam deficit, complectuntur. »

Audi Nazianzeno perfamiliarem S. Basilium in princ. Proverb. *Sicut mare in eodem statu consistere non diu potest; sed quod vides tranquillum, paulo post ventorum impetu turbatum aspicies: quodque horridum et undis fervens ac tumidum, mox multa quiete consistere videbis: sic humanæ res facile utrimque convertuntur.*

Audi et Orig. hom. 5. in Psalm. 36. *Si naviges, in navi positus vides terras, ac promontoria, ac montes transeuntia, non quod illa continuo moveantur, sed quia tu, vento prospere flante, transis, illa se subducere videntur ac ferri; ita et in hoc sæculo, si Sancto Spiritu mentem tuam perflante et spirante, secundo ac prospero naviges cursu, pertransibis sensu tuo omnia hæc quæ videntur, quia temporalia sunt, et intuens illa quæ æterna sunt, sine dubio dices; quia hæc omnia, quæ videntur, iam non sunt, quia nec futura sunt.*

Vers. 16 IUSTI AUTEM IN PERPETUUM VIVENT, ET APUD DOMINUM (græce *in Domino*, id est apud Dominum, vel proprie q. d. In Domini Dei visione et possessione, sita est

A beatitudo iustorum) EST MERCES EORUM, ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM.) Redit ad antithesin, docetque quam iustorum sors felix antecellat sorti infelici impiorum. Iusti ergo in perpetuum vivent vitam felicem et beatam; impii vero, esto victuri sint in gehenna, tamen quia vivent in perpetuis cruciatibus, hinc vita eorum potius mors dicenda est, quam vita. *Apud Dominum est merces eorum*, scilicet eorum labori et patientiæ decreta et reposita, ut illam eis post mortem tribuat. Rursum *apud Dominum*, q. d. Non homo, sed Deus hanc mercedem tribuet, qui cum sit liberalissimus et magnificentissimus, dignam se mercedem iustis largietur, puta divinam, cælestem, immensam, perpetuam, imo seipsum, iuxta illud Dei ad Abraham: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*, Genes. 15. 1.

Vox *merces* arguit iustos bonis operibus mereri gloriam æternam. Merces enim correlativa est meriti. Merces enim meriti est merces, et vicissim meritum mercedis est meritum. Huc facit illud Christi Apocal. 22. 12. *Merces mea*

B *mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM.) Græce, φροντίς, id est cogitatio, cura, tam active, quam passive accipi potest. Active, q. d. Deus est merces iustorum, quia ipsi omnes suas cogitationes et curas dirigunt ad Deum; non enim aliud cogitant, quam qua ratione ei magis placere queant, eumque magis ament et colant. Rursum iusti non cogitant, nec curant, aut sunt solliciti de seipsis, sed omnem suam sollicitudinem proiiciunt in Deum, ut ait S. Petrus; sciunt enim se Deo esse curæ, dicuntque cum Psalta: *Dominus regit me* (hebr. *Dominus pastor meus*, qui me quasi ovem suam pascit et regit) *et* (idcirco) *nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit*, Psalm. 22. vers. 1. Ita Sanctus Bonaventura, Hugo, Dionysius, et Holcot.

Passive, q. d. *Cogitatio illorum*, scilicet iustorum, id est sollicitudo et cura de iustis, est apud Altissimum, non enim rex, non pontifex, sed ipse Deus, curat res iusto-

C rum, cogitatque quomodo eos gratia et gloria exornet, ac contra omnes hostes omniaque mala tueatur et protegat, atque mercedem laboribus et afflictionibus eorum tribuat condignam, imo superemineutem. Ita Cantuarien. Osorius, Lyranus et alii. Hic sensus magis respondet ei quod præcessit: *Et apud Dominum est merces eorum.* Uterque tamen connexus est; ideo enim Deus cogitat de iustis, eosque curat, quia iusti omnes suas cogitationes, spem et curas a se abdicarunt, easque coniecerunt in Deum, iuxta illud Christi ad S. Catharinam Senensem: *Filia, assidue cogita de me, et ego cogitabo de te.* Notat securitatem et perpetuitatem mercedis iustorum, quod Deus eius in se cogitationem et curam susceperit, iuxta illud Christi: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ioan. 10. 27. Mercedem hanc explicat dum subdit: *Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de ma-*

D *nu Domini.* Cogitationem vero sive curam Altissimi de eis explicat, dum addit: *Quoniam dextera sua teget eos.*

Tropolog. noster Alvarez de Paz tract. de natura contempl. libr. 5. pag. 2. cap. 3. hæc adaptat viris perfectis, et contemplativis. Alii enim imperfecti cum operibus interdum infructuosis intendunt, partim moraliter moriuntur, et partim vivunt. His autem, qui vitam perfectam et in Deo suspensam habent, et omnia quæ agunt ad illum dirigunt, bene dicitur, quod semper vivunt: *Apud Dominum est merces eorum*; quia pro suis laboribus nihil ex mundo quærunt. *Et cogitatio illorum apud Altissimum;* quoniam ex illa simplicissima et purissima inspectione Dei, ita divinis merguntur, ut diebus et noctibus aliud, quam Deum cogitare non libeat.

IDEO ACCIPIENT REGNUM DECORIS (Vatabl. *regnum præclarum*) ET DIADEMA SPECIEI (græce, κάλλους, id est *pulchritudinis*; quare perperam aliqui legunt *spei* pro *speciei*) DE MANU DOMINI: QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS.) Syrus: Vers. 17.

Propterea recipient regnum gloriosum, et coronam pulchritudinis de manu Domini; Arab. *Propterea accingentur regno decoris de manu Dei, et corona pulchritudinis gloriæ*, q. d. Quia merces iustorum est apud Dominum; hinc ab eo accipient *regnum*, non tale quale, sed *decoris*, id est decentissimum, opulentissimum et ornatissimum; *et diadema speciei*, id est speciosissimum, pulcherrimum, elegantissimum. *Diadema* est redimiculum regium et regum insigne, puta fascia candida, qua reges caput circumligabant, cui Romani addebant lauream, id est coronam contextam ex foliis lauri; utriusque loco postea labente Imperio Romano, et Constantinopolitano florente, successit corona textilis ex auro et gemmis, qua reges et imperatores caput redimire solebant, teste Curopalata lib. de Officialibus. *Diadema* est Græca vox, dicta a διαδέω, id est circumligo, cingo, corono. Hæc fascia laurea et corona aurea non erit Beatis in cœlo, sed aliud eis dabitur regni insigne longe nobilius. Igitur *diadema* notat iustos fore reges in cælo; quia scilicet regnum Christi cœleste, omnemque eius gloriam obtinebunt velut victores mundi, carnis et diaboli. Diadema enim insigne est tum regis, tum victoris. Beati autem et victores et reges sunt gloriosissimi; dominantur enim toti cælo, totique terræ. *Diadema* ergo hic gloriam regalem capitis, totiusque corporis et animæ Sanctorum significat. Alludit ad Isaiæ 62. 3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei.* Vide ibi dicta, et Apoc. 2. v. 10. et c. 4. v. 10. et c. 5. v. 10.

Regnum cæli felicissimum. Porro regnum hoc et gloriam Beatorum graphice describit S. Aug. serm. 1. de Verbis Apostoli: *Qualis*, inquit, *sit gloria futura, et quibus divitiis floreat, laudare possumus, explicare non possumus, quia legimus: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus diligentibus se. Quis est igitur ipse Deus, qui talia et tanta præparavit? quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis ultra omnia, extra omnia, præter omnia. Si quæras magnitudinem, maior est; si pulchritudinem, pulchrior: si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si iustitiam, iustior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior.* In cœlo ergo, ut ait Isaias cap. 60. 19. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam*; et ut ait Psaltes Psalm. 144. 11. *Gloriam regni tui dicent, etc. et gloriam magnificentiæ regni tui*; et Psalm. 20. 4. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*; huc facit illud Cant. cap. 3. 11. *In diademate quo coronavit eum mater sua*; et Cant. 4. 8. *Veni, coronaberis.* Beati ergo possident regnum decoris et speciei, hoc est pulcherrimum, opulentissimum, splendidissimum, quietissimum, felicissimum; cum reges in terra regnum possideant molestissimum, miserrimum, infelicissimum, in quo continuis curis, molestiis, periculis torqueantur et æstuant. *Terra miserrimum. Exempla.* Unde Antigonus rex cernens filium ob regnum insolentem: *An non*, inquit, *novisti, fili, nostrum regnum esse nobilem servitutem?* Testis est Ælianus lib. 2. Variar. histor. Simile fuit dictum Cardinalis Bellarmini: *Nescitis*, inquit, *quantæ sub hac purpura lateant spinæ.* Quocirca Antiochus magnus, cum a L. Scipione ultra Taurum montem submotis imperii finibus, Asiam vicinasque ei gentes amisisset, *gratias egit populo Romano, quod magna parte curarum per eos liberatus esset.* Quam ergo desipiunt, qui regnandi ius semper extendere satagunt; quid enim aliud, nisi curas intolerabiles menti, et pericula immensa conscientiæ accersunt? nec enim ullius hominis animus esto vigilantissimus, tot negotiis par esse potest. Adrianus aiebat: *Miseram esse imperatorum conditionem, quibus de affectu tyrannidis, nisi occisis, non credatur.* Ita Volcatius in Avidio. Otho Imp. dicere solebat ad suos: *Nescitis, amici, quid sit Romanorum gubernare imperium; mihi credite iam experto, qui iam mori malo quam imperare.* Saturninus hortantibus militibus, ut imperium susciperet, ait: *Nescitis, o milites, quantum mali sit imperare; gladii ut appendentes cervicibus imminent, hastæ undique, spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio.* Ita Annal. Imp. Denique diuturniora videmus parva imperia et regna, quam magna; hæc enim mole sua ruunt, seque obruunt. Unde Paolus Paruta in Discurs. Politicis, causam cur respubl. Veneta tamdiu steterit, assignat, quod ditioni suæ conservandæ magis studuerit quam amplificandæ.

QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS.) τὸ *sancto suo* iam non est in Græco. Vox *quoniam* est causalis; dat enim causam primo, cur regnum iustis dandum a Deo sit decorum et speciosum, quia scilicet Deus eos ad dexteram suam in die iudicii collocans, eos teget, ne quis hostis, vel quod malum eis ingruere queat; imo Deus hostes eorum, puta impios oppugnabit, omnibusque iræ suæ telis appetet et prosternet, ut sequitur, quo fiet, ut iusti suo gloriæ regno sine ullo hostium vel malorum metu pacifice et iucunde perfruantur in æternum, imo de iusta hostium vindicta gaudeant et exsultent, iuxta illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, Ps. 57. 11.

Secundo, τὸ *quoniam* pertinet ad τὸ *et cogitatio illorum apud Altissimum*, ac per effectum explicat causam, q. d. Iusti omnes suas cogitationes defixerunt in Deo; hinc Deus vicissim eos in suam providentiæ cogitationem et curam recipit. Quocirca, ut curam hanc ostendat, dextera sua teget eos contra omnes hostium et adversitatum incursus, perinde ut gallina vel aquila alis suis tegit pullos, iuxta illud Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos* (ubi Septuag. habent idem verbum, quod hic est scilicet σκεπάσει: *Sicut aquila*, inquiunt, *tegit nidum suum*) *et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum atque portavit in humeris suis.* Et sicut columna nubis obumbrans castra Hebræorum in deserto, eos ab æstu solis omnique aeris iniuria protegebat, Exodi 13. et Num. 9.

Pro *defendet* græce est ὑπερασπιεῖ, id est valide, obiecto quasi clypeo defendet, proteget, propugnabit; unde subdit: *Accipiet armaturam zelus illius, etc. sumet scutum inexpugnabile æquitatem*; ἀσπὶς enim est parma, scutum, clypeus; ἀσπιστὴς est bellator, scutatus ὑπερασπιστὴς, qui scuto suo alium tegit et defendit, velut satelles, stipator, lutro, propugnator. Sic Deus ait Abrahæ Gen. 15. 1. *Ego protector tuus sum*; græce ἐγὼ ὑπερασπίζω σου. Et David ait Deo Psal. 30. 5. *Quoniam tu es protector* (græce ὑπερασπιστής) *meus*, et Ps. 83. 10. *Protector* (græce, ὑπερασπιστὰ) *noster aspice Deus*; et Ps. 17. 3. *Protector* (מָגֵן *maghen*, id est scutum; Septuaginta ὑπερασπιστής) *meus et cornu salutis meæ*: Sic passim in Psalmis David Deum vocat et invocat, quasi suum *maghen*, id est clypeum et scutum; ubi Septuag. semper vertunt ὑπερασπιστής. Noster vero vertit, *Protector*, ut Ps. 27. 9. et 32. 20. et 58. 12. et 113. v. 17. 18. 19. et 143. v. 2. vel iuxta alios, 3. Vox ergo *defendet* bellum Dei in impios non tantum defensivum, sed et offensivum significat, ut patet ex seq. *Defendet* ergo, id est vindicabit, sternet, acriterque puniet. Sic Nabuchodonosor *iuravit quod defenderet*, id est vindicaret, *se de omnibus regionibus his*, Iudith 1. 12. Sic Apostolus ait: *Non nosmetipsos defendentes*, id est vindicantes, Rom. 12. 19. Vide ibi dicta.

ACCIPIET ARMATURAM ZELUS ILLIUS, ET ARMABIT CREATURAM AD ULTIONEM INIMICORUM.) *Vers. 18.* Declarat quomodo Deus egregie armatus, in die iudicii futurus sit iustorum defensor et hyperaspistes; ceri enim impiorum offensione et iustis illata ab illis iniuria irritatus, ultionis armabitur zelo, omneque genus armorum induet, imo omnem creaturam ad vindictam de impiis sumendam incitabit et exstimulabit. Græce est, λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, id est *accipiet armaturam omnem zelum suum*; Vatabl. *pro omni armatura proferet indignationem suam*; hæc enim erit illi pro omni armorum genere, eademque armabit omnes creaturas. Iuxta hanc lectionem panoplia, sive omnis armatura Dei est ipse eius zelus, id est indignatio et cupido iustæ de sis vindictæ: hæc enim eadem est cum iusti-

tia, iudicio certo et æquitate, in quibus omnis Dei panoplia consistit, uti sequitur; atque hæc ipsa Dei mentem et potentiam exstimulat, ut omnia tormentorum genera excogitet, eaque in impios potenter effundat, iuxta illud: *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ*, Prov. 6. 34. et: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, etc.* Ps. 34. v. 2. et: *Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum*, Psal. 7. 13.

Verum melius Noster pro ζῆλον in accusativo legit ζῆλος, id est zelus in nominativo. Nam zelus iustitiæ iustæque vindictæ pro piis de impiis sumendæ, non est panopliæ Dei, sed Deum excitat ut panopliam induat, eaque se

Panoplia Dei. armet ad sumendam de impiis vindictam. Panopliæ Dei enim in sequenti enarratur, cum ait: *Induet pro thorace iustitiam, etc.* q. d. Deus pro thorace ferreo, sive lorica induet iustitiam, pro galea iudicium certum, pro scuto æquitatem, pro lancea iram, pro arcu emissiones fulgurum, pro catapulta vibrationem grandinum. Porro *zelus* notat summam Dei indignationem. Tres enim sunt gradus iræ scilicet ira, furor et zelus, uti ostendi Prov. 27. v. 4.

Describit hic Deum anthropopathῶς, id est humano more, velut regem potentissimum omni armorum genere instructum, qui cum exercitu pergit ad ulciscendum se de hostibus, a quibus magna est affectus iniuria.

Armabit creaturam.) Non ipse Deus armatus ad prælium prodibit, ait Cantacuz. id enim Deo foret indignum, si armis ad hostes profligandos indigeret; pro armis ergo utetur creaturis. Interius igitur, puta in mente sua, Deus induat panopliam virtutum ad vindictam exstimulantium quales sunt iustitia, æquitas, iudicium certum, etc. exterius vero omni genere creaturæ utetur, ad vindictam hanc opere exercendam.

Ratio est, quam dat S. Hieron. in c. 8. S. Matth. *Quod omnes creaturæ*, inquit, *sentiant creatorem non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*

Omnis ergo res creata naturali sensu sentit suum creatorem; quare eodem eius iniuriam vindicare exoptat, idem factura appetitu rationali si eum haberet. Unde ad id faciendum omnes suas vires Deo permittente, imo inoperante et iritante, in die iudicii in impios expromet.

Similem panopliam Deo dat Isaias cap. 59. 17. *Indutus est*, inquit, *iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius; indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli.* Pleniorem panopliam militi Christiano dat S. Paulus Ephes. 6. v. 11. et seq. ut eo a capite ad talos obarmatus omnibus dæmonum phalangibus resistat; nimirum in capite pro galea dat ei spem; in pectore pro thorace, vel lorica, dat ei iustitiam: in lumbis pro balteo, sive cingulo, dat veritatem, id est integritatem; in pedibus pro ocreis, dat alacritatem ad viam Evangelii ineundam et propagandam: in dextra pro gladio dat ei verbum Dei; in sinistra pro scuto fidem assignat. Vide ibi dicta.

Tropol. sapienter S. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Anima*, inquit, *si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa superiori sua subiecta, quoniam talem inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui iniuriam creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subiectam.*

Vers. 19. Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum.) Pro *certum* perperam aliqui legunt, *rectum*; græce enim est ἀνυπόκριτον, id est sincerum, non fucatum, non hypocriticum, carens omni simulatione et dissimulatione, æque ac personarum acceptione, ut nullius prece vel pretio se corrumpi sinat, nullius etiam favore, metu vel respectu a iusto iudicio declinet. Græca ergo habent: *Induet thoracem iustitiam; et circumponet galeam, iudicium sincerum*; S. Chrysost. in Psal. 44. legit: *Induat thoracem iustitiæ*; additque: *Non aliunde operationem suscipit* (Deus) *sed ipse sibi sufficit.*

Thorax, sive lorica Dei recte ponitur *iustitia*, qua Deus iniurias iustis ab impiis illatas iuste vindicabit, eorumque scelera pro meritis castigabit et puniet, ut sic iustitiæ suus decor reddatur, Deique iustitia, iustaque vindicta toto orbe ab omnibus Angelis et hominibus timeatur, colatur et adoretur. Ratio est quod lorica tegat pectus et ventrem; ibi autem est cor et viscera, in quibus est sedes compassionis et misericordiæ. Ergo ne Deus aliqua flectatur compassione, videns tam horrenda impiis supplicia irrogari, pectus, cor et viscera obarmat lorica iustitiæ, quæ nullum misericordiæ sensum admittat, et nil nisi iustum decerni fierique sinat. In hac vita Deus iustitiam misericordia temperat: unde de eo dicitur: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis:* Habacuc cap. 3. v. 2. et Psalm. 76. 10. *Numquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* In futura vero arguet impios in furore et iudicio, Ps. 6. 2. ibi enim erit iudicium sine misericordia, Iacob 2. v. 13. — Thorax Dei iustitia, cur?

Capiti vero congrue pro galea datur *iudicium certum*, id est simplex, sincerum, integrum; quia enim facile iudicium capitis corrumpitur per munera, per favores, per amicitias, per metus, per respectus humanos; hinc ut illos excludat, obarmatur sinceritate, integritate, incorruptione, ut in ferenda contra impios supplicii sententia nil respiciat, nisi demeritorum quantitatem, illique iuste supplicium adæquet. *Certum* enim, teste Sipontino, dicitur a cerno, id est video, idemque est quod clarum et indubitatum, ita ut ipsa rei veritas sit manifesta, oculisque quasi cerni videatur sine ullo fuco, velo aut tegmine; quia ea quæ cernimus, clare et indubitata sunt, nihilque habent fictionis aut fuci. Hinc *certum* opponitur simulationi et hypocrisi, ut certus amor vocatur non simulatus; certa fides ea quæ non est ficta; certus amicus is qui non simulat, sed vere amicum se præstat. — Galea et iudicium certum.

Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem.) Græce, ὁσιότητα, id est primo, sanctitatem; secundo, æquitatem, ius, fas; tertio, religionem et numinis observationem cultumque; quarto, expiationem: Deus enim in die iudicii expiabit terram et mundum, ideoque impios, qui eam suis sceleribus contaminarunt, quasi sordes ex ea everret, eosque quasi catharmata et piacula, terra hiante absorbebit et retrudet in tartara, quasi in imam fœdamque cloacam. — Vers. 20

Sanctitas ergo, id est plena innocentia et puritas, armat hic sinistram Dei, quasi scutum inexpugnabile ut ea indutus a nullo possit sævitiæ vel crudelitatis in impios accusari: impii enim et damnati inclamabunt ex desperatione et furore quasi rabidi canes maledicta in Deum, eumque vocabunt crudelem, tortorem et tyrannum, quod ipsos tam dire excruciet: at Deus omnes has criminationes et maledicta, scuto sanctitatis excipiet et repellet; ostendet enim se non passione, sed sanctitate moveri ad hanc tam atrocem in impios vindictam, atque sancte, æque ac religiose agere causam singulorum: adeo ut qui recto rationis oculo vindictam hanc Dei intuentur, clare videant illam sanctam esse, et a sanctitate sanctoque Deo proficisci. Sic Christi sanctitas in corripiendis et castigandis peccatoribus, præsertim Scribis et Pharisæis tanta erat, ut ipse se suaque facta hostibus iudicanda offerret: *Quis*, inquit, *ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. 46. Magnum sane et impenetrabile est scutum, quod petitur ab innocentia et vitæ sanctitate. Minus recte Dionys. Carth. per *æquitatem* accipit ἐπιείκειαν sive moderationem, qua Deus moderatur supplicia, et citra condignum reprobos puniet: omnia enim hic spirant severitatem iram et vindictam acrem Dei in impios.

Acuet autem duram iram in lanceam.) Græce, in *romphæam*, id est in gladium, vel in lanceam acute ferientem, et vehementer vulnerantem. Ita ergo erit Deo loco lanceæ et gladii, qua feriat, lædat, pungat et penetret impios usque ad ossa. *Dura ira* est dura vindicta, dura pœna a Deo immissa. In Deum enim non cadit ipsa passio iræ, sed eius effectus; scilicet vindicta. Dicitur ergo irasci Deus, cum vindicat et punit, ait S. August. idque facit ex tranquillissimo amore iustitiæ, non ex perturbatione iracundiæ. Huc usque assignavit arma defensiva Dei, scilicet lo- — Vers. 21.

ricam, galeam et scutam: iam offensive depromit, scilicet lanceam, arcum, catapultam, etc. Pro *duram*, uti legunt Rom. alii legunt *diram*. Utrumque significat Græcum ἀπότομος. *Dirus* dicitur, quasi *Dei ira natus*, ait Festus. Et Sipontinus: *Sunt*, inquit, *qui a Deo dirum deductum existiment*, hoc est crudele, infestum, et quasi deorum ira immissum. Hinc illud Livii lib. 40. *Diris funeribus iras deorum contraxit*. Hinc et dira lues, dirus mœror, dirus furor, dira pugna. Diræ quoque vocantur furiæ. Dira ergo Dei ira exagitabit impios, ut diris devoti, ac dirarum omnium, hoc est dæmonum, crudelibus agitationibus et exsecrationibus traditi esse videantur.

Tropol. hæc omnia facile est adaptare iustis generose certantibus contra vitia amentia et insensata pro quibus Deus omni armorum genere depugnat, ut eis victoriam et triumphum conciliet.

Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos) Quando *in pœnam delinquentium et elementorum adversitas militabit*, ait S. Greg. l. 6. Moralium c. 6. Syrus: *Faciet* (Deus) *cum ipso mundo bellum cum contemptoribus*; Arabicus: *Et mundus pugnabit cum illo, et lampades fulgurum ostendet adversus insensatos*. Pertinent hæc ad illud v. 18. *Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum*. Illud enim hic explicat ostenditque omnia et singula elementa in impios insurrectura, et contra eos pugnatura: eo quod omnibus et singulis impii sint abusi in creatoris offensam et iniuriam, ideoque tunc pro eo militabit omnis creatura. Hanc rationem dat S. Gregorius hom. 35. in Evang. *Quia ergo*, inquit, *omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur: et quia in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Omnia namque quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ: sed cuncta, quæ ad usum pravitatis inflectimus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus humanæ securitatis: peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ: salutem corporum redegimus in usum vitiorum: ubertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis: ipsa serena blandimenta aeris, ad amorem nobis servire coegimus terrenæ delectationis. Iure ergo restat, ut simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant, et quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta*. Annon ergo impii fuere amentes et insensati, qui ob modicam voluptatem, pecuniam, honorem, iram vindictamque tantam Dei et creaturarum omnium sibi accersiverunt? qui momentum æternitati, gehennam cælo, dæmonem Deo prætulerunt?

Producit igitur hic Sapiens exercitum instructum multiplici acie creaturarum omnium, quem Deus in impios immittet sub diem iudicii, idque partim paulo ante iudicium, partim in ipso iudicio, vel paulo post iudicium. Ante iudicium enim omnes creaturæ affligent impios antichristi asseclas et præcursores, ut patet Apocal. toto cap. 8. et cap. 16. et cap. 9. vers. 4. Ubi describuntur plagæ mundi novissimæ, eæque gravissimæ, et ex omnibus elementis manantes.

In iudicio vero, scilicet mox ubi illud peractum fuerit (de hoc enim tempore hic agi patet ex v. 1. et ex proxime præcedent. vers. 16 et 17. Non enim impii visuri sunt gloriam iustorum, illisque eam invisuri, nisi in die iudicii) Deus in impios per omnes creaturas horrende detonabit. Data ergo a Christo damnationis sententia in reprobos, illico, ut ex hoc loco colligitur, omnia elementa et cæli in eorum vindictam assurgent, quasi lictores et administri Christi Domini et creatoris sui, nimirum cæli, ignis et aer, vibrando in eos ignem, fulgura, ventos et grandines: mare, effervescendo et exundando, ut eos cum terra obruat: terra, sub pedibus eorum se aperiendo, et blando in infernum. Porro exercitum hunc creaturarum depugnantium contra impios, Sapiens dividit in quatuor turmas, sive acies. Prima est cælorum et angelorum, qui fulmina torquebunt in reprobos. Secunda est aeris, qui grandines instar lapidum vibrabit in impios. Tertia maris et fluminum, quæ aquarum diluvio mergent, obruentque sceleratos. Quarta terræ, quæ ventos, turbines et procellas in eosdem immittet. Quatuor acies Dei.

Rationem a priori dat S. Anselm. lib. de Similitud. cap. 101. « Etenim si servus, inquit, alicuius a domino suo recederet, et inimico domini sui adhæreret, non solum ipsum dominum exacerbaret, sed et totam eius familiam iustissime irritaret. Cum igitur Dominum creatorem cunctorum offenderimus, adversus nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram commovimus. Potest ergo iusta consideratione nobis terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere; quoniam a creatore meo non timuistis peccando recedere, et inimico eius diabolo servire et adhærere. Potest etiam cibus dicere et potus: Non meruistis, ut vos pascere debeamus, imo potius, ut confusionem et necem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque. Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis et fons luminis, penitus coercere. Sic et singulæ quoque creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. » Aliam dat S. Cyrill. l. 2. in Isaiam c. 13. « Semper, ait, irato Deo, simul etiam ad iram excitatur serva creatura, perpetuo eam huc excitante eo qui omnibus imperat. Succensuit enim ille Ægyptiis: creatura autem nihil agere non potuit. Transivit quippe in sanguinem aqua, scaturivit terra ranas, cælum demisit grandinem, profundæ tenebræ trium dierum spatio per totam eorum regionem dissipatæ sunt, sicut scriptum est. Itaque inquit: Irascetur etiam ipsum cælum; et velut a fundamentis terra concutietur propter furorem iræ Domini. Pugnabit etiam una adversus stultos ipsa creatura, et commoto Domino, etiam ipsa ad hoc propemodum instructa est. Omnia siquidem eius supremæ voluntati conspirant atque concurrunt, et nihil est in rerum natura, quod non divino nutu et consilio cadat. » Creaturæ exprobrant impiis sua scelera.

Sic in passione Christi cæli et elementa, quasi indignantia creatorem suum occidi, commota et concussa sunt, ac, nisi Deus illa continuisset, suis telis et fulminibus afflassent deicidas Iudæos. Unde S. Dionys. uti ipse refert epistol. ad Demophil. visa miraculosa solis eclipsi, exclamavit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur*. Sic rursum Deus per Mosen decem plagas Pharaoni et Ægypto immittendo, in eis omnem creaturam contra Ægyptios armavit. Unde S. August. (vel quisquis est auctor: multa enim arguunt non esse S. August.) lib. 1. de Mirab. Scrip. cap. 9. *Istarum*, ait, *plagarum modus ex terra, aquis, animantibus, aere, igne, nubibus, cælo, angelis convenerat, ut ostenderetur quod contra Deo rebelles et contumaces sese pariter universus orbis armabat*.

Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a nube (perperam Hugo legit, *habenæ*, explicatque, q. d. Tamquam si habenis regerentur) curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.) Vers. 22 Græca, *feruntur directa* (Vatabl. *probe collimata*) *iacula fulminum, et tamquam ab intensissimo arcu nubium ad scopum desilient. Directa*, inquit a Castro, vocat directe contorta et collimata, quæ non aberrant. *Iacula* βολίδες hastæ sunt missiles, vel iacula missilia, quæ quod emittantur a Deo, Vulgatus vocavit *emissiones*. Intensissimum arcum, vocat adductum et vehementer inflexum, ut remissus postea maiore torqueat et feriat vi. Huiusmodi ergo iacula desilient in insensatos, ut perdant eos, tamquam in scopum, nec aberrabunt. Addidit Vulgatus, *exterminabuntur*, nempe iacula, cum verbum illud non legatur in Græco ad vim significandam iaculorum, quæ extra nubium terminos eiicientur ex arcu nubium contra impios.

Bene curvato arcu.) q. d. Sicut dum sagittarius arcum profunde incurvat, ut magno impetu ad suum statum rediens, magna vi iaciat sagittam, fortiusque scopum configat: sic Deus arcum iræ et vindictæ suæ vehementer curvabit et intendet, ut vehementes fulgurum sagittas in impios eiaculetur. Alludit ad arcum cælestem, sive

Iridem: hæc enim pluviarum, et comitanter tonitruorum fulminumque, est mater et causa. Unde Seneca lib. 1. Natur. quæst. c. 6. *Arcus*, inquit, *a meridie ortus magnam vim aquarum vehit; si sub occasum refulsit, rorabit.* Plinius lib. 18. c. 35. *Arcus*, ait, *cum sunt duplices, pluvias nuntiant;* Virg. 1. Georg. *Aut bibit ingens arcus.* Ovid. 1. Metamorph.

Nuntia Iunonis varios induta colores.
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Porro Plin. lib. 2. cap. 50. et 55. ait quædam esse bruta fulmina et vana quæque nulla veniant ratione naturæ: iis percuti montes, iis maria, omnesque irritos ictus. Alia esse fatidica, ex alto statisque de causis, et ex suis venire sideribus. Hæc tamen partitio superstitionem magis, quam philosophiam olet. Omnia enim fulmina causam habent physicam, et tam ea quæ montes, quam quæ cætera loca hominesve percutiunt, ad influxum siderum exhalationes evocantium, ut ad causam referri debent: ac nullum ex iis fatidicum est, si fatum sumatur prout significat contextum et seriem rerum humanarum, indeflexa et inevitabili necessitate succedentium, velut Stoici putabant: alioqui certum est fulmina prodire ex certa et directa, ut hic ait Sapiens, providentia Dei; vide nostros Conimbric. in Meteora tract. 2. c. 5. et 6.

Hæc est prima acies et phalanx exercitus Dei, conflati ex omnibus creaturis. Acies, inquam, cælorum et angelorum, qui ex alto tonitrua et fulmina, quasi bombardas horrisonas et igneas explodent et iaculabuntur in impios et reprobos ante diem, et in ipso die iudicii, quibus eos a Christo damnatos adigent in tartara, perinde ac iisdem fulminarunt Sodomitas. Gen. 19. Hæc ergo erit legio fulminatrix, similis illi Christianorum, quæ sub M. Antonino Imper. suis precibus exercitui siti afflicto pluviam, ac simul saxa et fulmina vibrata in hostes a Deo impetravit, teste Eusebio l. 5. Hist. c. 5. et Tertull. Apolog. c. 5.

Hanc Dei aciem graphice depingit Psaltes Ps. 17. 9. *Ascendit*, ait, *fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Et v. 14. *Et intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando, et carbones ignis: et misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Et Iob. c. 37. 5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia.* Noster Lorinus probabiliter censet hisce fulminibus excitandum ignem conflagrationis, quo deflagrabit totus mundus, qui reprobos tum viventes magno cruciatu et dolore comburet, occidetque, ac mox resuscitatos ac iudicatos, damnatosque a Christo convolvet in tartara. Porro mira et inscrutabilis est fulminum velocitas, impetus, efficacia, adeo ut Gentiles consuerint Deum iratum tonare ac fulminare, ut impios, præsertim periuros vel sacrilegos, ulciscatur, ac proinde, quæ fulmine tangerentur, esse nefasta ac mali ominis, teste Plinio l. 14. c. 19. Livio lib. 2. decade 3. Iulio Obsequente l. de prodigiis c. 71. 83. 87. Sic Anastasius Imp. hæreticus fulmine ictus interiit. Hinc fulgura vocantur *sagittæ* Dei, Ps. 7. 14. et 17. 15. et 119. 4. ac fulgurans hasta Dei, Habacuc 3. 11. Huc facit illud in epinicio Deboræ ob victoriam de Sisara: *De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt*, Iudic. 5. 20.

Et ad certum locum insilient.) Quem scilicet Deus ictui sui fulminis destinarit. Hinc fulmen, quasi animatum foret, et unum ab alio discerneret, hunc tangit, non illum, licet vicinum; aurem afflat, illæsa vagina; æs liquat, intacta crumena; embryonem necat, salva matre; vinum absumit, dolio integro; ovum sorbet, intacta cortice. Sic fulmina et plagæ immissæ a Mose tangebant Pharaonem et Ægyptios, illæsis Hebræis, Exodi 9. 26. Sic in die iudicii fulmina Dei insilient in reprobos, non in electos, licet eis vicinos. Hanc plagam sub finem mundi fore docet S. Ioannes Apoc. cap. 16. 17. « Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo a throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: ta-
A lis terræ motus, sic magnus. Et facta est civitas magna in tres partes; et civitates Gentium ceciderunt, et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. »

Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines.) Vers. 23. Græce ἐκ πετροβόλου θυμοῦ πλήρεις ῥιφήσονται χάλαζαι, id est, ab ira petrarum, sive saxorum iaculatrice, puta ab ira Dei petras iaciente, plenæ grandines vibrabuntur, id est densæ, confertæ, graves, ponderosæ, non cavæ, vacuæ, et leves, ut fit cum in grandinatione depluunt saxa. Unde Vatabl. vertit: *Grandinesque confertim et furore lapidante vibrabuntur.* Alludit ad balistas et catapultas, quibus olim saxa in mœnia urbis, vel in hostes vibrabant, de quibus vide Vegetium, Valturium et Lipsium in Poliorceticis.

Secunda est hæc Dei acies aerea, quæ grandines numerosas et ingentes, velut petras et saxa, torquebit in reprobos, sicut easdem contorsit in Ægyptios, Exodi 9. v. B 18. et seq. et in Chananæos sub Iosue c. 10. 11. et Eccli. 46. 6. Unde S. Ioannes Apoc. 16. 21. hanc grandinem sub finem mundi a Deo iaculandam in impios, ita describit: *Et grando magna sicut talentum* (talentaris) *descendit de cælo in homines; et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.* Vide ibi dicta. Hoc est quod ait Iob c. 38. 22. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli?*

Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter.) Perperam aliqui legunt, *candescet*, explicantque, q. d. Candidam spumam eiiciet vel stridebit instar candentis ferri. Τὸ *excandescet* significat, quod magno æstu, impetu et furore mare in impios æstuabit, perstrepet et exundabit.

Tertia est hæc Dei acies marina, quæ horrendas in mari et fluminibus tempestates, fluctuum collisiones, fragores, aquarum elationes, procellas, fremitus et inundatio- C nes excitabit, tum ut impios percellat, tum ut eos mergat et sorbeat, de quibus Christus ait Luc. 21. 25. quod erit *in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.* Et S. Ioannes in Apoc. c. 8. 8. *Et secundus Angelus*, inquit, *tuba cecinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit. Et tertius angelus tuba cecinit: et cecidit de cælo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum: et nomen stellæ dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Et cap. 16. 3. *Et secundus angelus effudit phialam suam in mare; et factus est sanguis, tamquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari;* Et v. 12. *Et sextus an-* D *gelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem: et siccavit aquam eius, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Inter quindecim signa prævia iudicio, quæ ex S. Hier. (sed in eo id non reperitur) recitant S. Bonavent. Holcot et alii, primum est, quod mare quindecim cubitis supra omnes montes se attollet. Idem ex Iudæorum traditione (penes quos sit fides) confirmat Euseb. Emissenus (vel potius S. Eucherius, ut vult Baronius; aut Faustus Regiensis, ut vult Bellarm. aut, ut censent alii, S. Maximus, vel Cæsarius: constat enim ex ipsis homiliis auctorem earum non fuisse Græcum vel Syrum, qualis fuit Eusebius Emiss. sed Latinum, imo Gallum e monasterio Lirinensi promotum ad Episcopatum: hom. 2. de Adventu: *His autem*, ait, *convenire videntur quædam, quæ in Annalibus Iudæorum scripta referuntur, in quibus mare super omnes montes quindecim cubitos altius exaltari narratur stantibus aquis, et in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyssum demergetur, ut vix ab in-*

spicientibus videri valeat. Postmodum vero revertetur in locum suum, et tunc fortasse illa confusio sonitus maris et fluctuum fiet, de qua hic modo loquitur. Neque enim tanta maris fluctuumque commotio, sine magna confusione et sonitu, fieri poterit.

Congrue fervor hic furorque maris punict fervorem et furorem impiorum, quo ipsi æstuarunt ad explendas suas concupiscentias et libidines, iuxta illud Isaiæ 57. 20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum.*

Flumina concurrent (græce συγκλύσουσι, id est inundabunt, mergent, obruent: unde κατακλυσις et κατακλυσμός, est inundatio et diluvium, uti fuit cataclysmus universalis tempore Noe) duriter.) Græce ἀποτόμως, id est rigide, sæve, præfracte, præcipitanter. Unde Vatabl. vertit: *Et Flumina prærupta concurrent*, scilicet sordes terræ, puta impios, qui terram suis sceleribus macularunt, evertent et abradent ab ea.

Vers. 24. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos: et ad eremum perducet omnem terram iniquitas (ita Rom. et Græca; perperam ergo aliqui legunt, *iniquitatis*) illorum, et malignitas evertet sedes potentium.) *Spiritus virtutis* est ventus potentiæ, hoc est, potens, validus et vehemens, qualis est turbo, qui omnia in orbem agit, et rotat, procella, typho et prester: qui adeo validi sunt ut naves, domos et montes evellant, et in alium locum transferant. Pro *dividet* græce est, ἐκλικμήσει, id est, eventilabit, iactabit. Sicut enim vanno eventilantur paleæ, ut sola maneant tritici grana: sic Deus vento hoc eventilabit reprobos, ut soli remaneant iusti.

Pro *ad eremum deducet*, græce est, ἐρημώσει, id est, desolabit, desertam et desolatam faciet terram. De his ventis ait Eccles. c. 39. 33. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua.*

Est hæc quarta acies Dei, ventorum et procellarum, tum super terram, tum sub terra grassantium; super terram enim sternent homines, segetes, arbores, domos, etc. Sub terra excitabunt terræ motus adeoque ut nonnulli censent, totam terram in die iudicii e suo centro convellent, ut impios percellant et obruant. Notum est ex historiis, quantas strages terræ motus ediderint Constantinopoli, in Asia, Bithinia, cæterisque provinciis: at iidem longe maiores edent sub diem iudicii, adeo ut omnes domos, arces, mœnia, urbes, etc. concutiant, deiiciant, et sternant ut totam terram videantur desolare, et in eremum sive solitudinem redigere, iuxta illud Nahum c. 1. v. 3. *Dominus in tempestate et turbine viæ eius*: Et Ier. 23. 18. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Omnes hosce turbines et procellas procurabunt angeli: hi enim sunt administri divinæ providentiæ et vindictæ.

Ad eremum (id est, ad extremam solitudinem et desolationem,) perducet omnem terram) Hoc enim est ἐρημώσει, iuxta illud Isaiæ 13. 9. *Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea.* Quare impertinens est multorum expositio, qui per *eremum* intelligunt infernum, q. d. Iniquitas terram, id est, incolas terræ perducet ad infernum, ubi summa erit desolatio.

Et malignitas, id est, peccatum, non tantum factum ex malitia ut vult Holcot, sed quodlibet: græce enim est κακοπραγία, id est, mala operatio, peccatum, scelus, malitia, ut vertit Vatabl. præsertim fraus et dolus, evertet sedes potentium.) Puta palatia, arces regias, urbes splendidas et magnificas regum et principum. Est epiphonema, q. d. Peccatum est noxa et pernicies hominum, totiusque orbis: ipsum enim evertet in die iudicii omnes terræ arces et urbes, quia propter peccatum omnia hæc diruent angeli.

Porro orbis cuiusque et regni, æque ac orbis, ruina et excidium, a Deo fieri solet ob duo maxime peccata, scilicet iniustitiæ, et religionis violatæ, præsertim per dolum et hypocrisin. Ob utrumque mundus periit diluvio tempore Noe, ac peribit igne sub diem iudicii.

Huc facit, quod scribit Eusebius Emiss. hom. 2. de Adventu: « Terra quoque sua signa dabit, quia terræ motus tam magni fient, ut pene omnia manu facta ruant, omnesque lapides etiam parvi conscindantur. Et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt, nullique nocebunt. Ipsi quoque homines quasi amentes et præ timore arescentes, huc illuc discurrentes tabescent: at his quidem Evangelii verba convenire videntur, quibus Dominus ait: Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reges et principes sui officii serio admonet, quod, si male illud obeant, a Deo iudicandi et graviter plectendi sint: potentes enim potenter tormenta patientur. Unde v. 10. adhortatur eos ad studium sapientiæ legisque Dei, cuius proinde v. 19. elogia, dotes, et effectus (ac præsertim pulchritudinem et comitatem, qua omnes sui cupidos præoccupat, seseque prior iis offert) recenset, quod scilicet præstet incorruptionem, proximum Deo efficiat, et deducat ad regnum perpetuum.

1. Melior est sapientia quam vires: et vir prudens quam fortis. 2. Audite ergo reges, et intelligite, discite iudices finium terræ. 3. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: 4. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. 5. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. 6. Horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. 7. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. 8. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum et magnum ipse fecit et æqualiter cura est illi de omnibus. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. 10. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. 11. Qui enim custodierint iusta, iuste iustificabuntur: et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. 12. Concupiscite ergo sermones meos: diligite illos, et habebitis disciplinam. 13. Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. 14. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illi se prior ostendat. 15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. 16. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus: et qui vigilaverit propter illam, cito securus

erit: 17. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. 18. Initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia. 19. Cura ergo disciplinæ dilectio est: et dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: 20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo. 21. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. 22. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. 23. Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. 24. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit referam: et non abscondam a vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem: 25. Neque cum invidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. 26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: et rex sapiens stabilimentum populi est. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.

Vers. 1. MELIOR EST SAPIENTIA, QUAM VIRES; ET VIR PRUDENS, QUAM FORTIS.) Hæc Gnome iam deest in Græco, ipsa autem initio capitis ponitur quasi thema et argumentum, quod toto capite pertractatur; quia enim reges suum robur et splendorem collocant in viribus et fortitudine suorum militum, urbium et opum, uti fecit primus orbis rex et tyrannus Nemrod, sed imprudenter et frustra; hinc illud elidit, docetque regni firmamentum magis esse sapientiam quam vires, ac proinde eos ad studium sapientiæ incitat. Huic gnomæ similis est illa Proverb. cap. 16. v. 32. *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*; et illa Eccles. 9. 16. *Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine.* Unde putant nonnulli hanc gnomen ex illis esse desumptam. Vide ibi dicta.

Est ergo hic conclusio, educta ex principiis assignatis cap. præced. Ibi enim descripsit impiorum in die iudicii gemitus, quod in vita studuerint vanitati opum, deliciarum et honorum, neglecta veritate sapientiæ, quare sibi iram et vindictam Dei, omniumque creaturarum accersiverunt. Ex quibus hic concludit. Ergo, o reges et principes, si sapitis, si æternam Dei vindictam vitare cupitis, studete veritati, non vanitati; vacate sapientiæ, non cupiditati. Hic enim est scopus totius libri. Unde subdit

Vers. 2. AUDITE ERGO, REGES, ET INTELLIGITE, DISCITE IUDICES FINIUM TERRÆ.) *Audite* meam adhortationem ad studium sapientiæ. Alludit ad illud Psal. 2. *Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.* Reges enim et principes, qui rempub. regunt, totius populi sunt ductores et doctores. Docent enim eum civiliter, id est iuste, probe et concorditer vivere: unde rex Hebr. et magis Chald. vocatur מלך *melech*, id est, consultor. Radix enim מלך *malach*, id est regnare, significat regnum consilio, prudentia, legibus administrare, ac legitime gubernare; hinc chaldaice מלכי *milki*, est consilium meum. Vide dicta Daniel. cap. 4. v. 24. Latine quoque *Magistratus* dicitur, quasi magister populi, ait Varro l. 4. de Lingua Latina. Sicut enim magister docet regitque pueros, sic princeps populum. Rursum sicut anima est auriga corporis, sic princeps populi; ipse enim in eo est id, quod mens, sensus, ratio est in corpore, ac quod sol est in orbe. Instar solis enim subditos omnes lustrat et illustrat, celerique motu et influxu in singulos diffusus cunctis suam lucem, id est, sapientiam, providentiam, vigilantiam et beneficentiam impertit; quare magna sapientia polleat oportet. *Discite* ergo eam, o iudices, id est, principes, *finium terræ.* Olim enim præcipuum munus regum et principum erat iudicare, et lites populi decidere; inde hæc vox per ampliationem ad quodvis regis officium extenditur, ut iudicare sit idem, quod iuste regere et gubernare, uti dixi cap. 1. v. 1. puta præcipere, prohibere, permittere, punire, et præmiare, hi enim sunt quinque dominii et iurisdictionis actus sive officia. Porro, quia nemo nascitur sapiens, hinc sapientia magno studio etiam a regibus discenda est; nemo enim recta docet, nisi qui prius recta didicit. Rursum quia sapientia est vasta et quasi immensa, hinc semper discenda est, etiam a senibus, uti Cato aiebat se discere quotidie, etiam in senio, usque ad mortem, ac senescendo discere et discendo senescere. Te ergo *discite* significat reges debere esse dociles, ut libenter doctiores rerumque peritos audiant, ab iisque ea quæ ignorant discant.

Rex idem quod consultor.

Iudices id est principes, cur

Multi enim dignitate, quam habent, inflati nolunt a quoquam doceri, sed volunt omnes docere, etiam illa quæ nesciunt, quæ magna est superbia, æque ac imprudentia. Quocirca Salomon postulans sapientiam a Deo poscit pariter *cor docile*; hebr. *cor audiens*; Septuag. *cor sapiens*, (nam ut ait Plato: *Sapiens est docilis*) 3. Reg. 3. 9. Et S. Paulus 2. Tim. 2. 24. vult servum Dei esse docibilem, ut sana prudentum consilia audiat, iisque obediat. Multi enim non audent principes monere et docere, quia experiuntur illos monita ægre accipere, et bene monentes aversari. Quocirca Demetrius Phalereus suadebat Ptolomæo regi, legere libros ethicos et politicos; illos enim ideo scribi, quod nemo principibus veritatem dicere audeat. Ita Plutarc. in Apophtheg. Alii suasere regibus, ut secretos fidosque habeant syndicos, qui quæ de ipsis ipsorumque regimine a populo dici audiunt, iisdem referant. Hæc enim est miseria principum, ut sæpe ea, æque ac publicas populi necessitates ac calamitates ignorent, eo quod aulici, ut principi adulentur, ea celent vel extenuent. Hac de causa Franc. Valesius Franciæ rex, mutato habitu, solebat vespere obire hospitia, ac audire quid de se ibidem diceretur, qua in re magnam se colligere regendi industriam asserebat.

PRÆBETE AURES VOS, QUI CONTINETIS MULTITUDINES.) Vers. 3
Continetis, scilicet vestro imperio et gubernatione, seu fræno. Græce enim est, κρατοῦντες πλήθους, id est, qui imperatis et dominamini multitudini, eamque manu quasi iniecta apprehenditis, tenetis, occupatis, vincitis, domatis, ac vestris legibus, edictis, imperiis, quasi vinculis, colligatis, vestroque iussu et nutu, quasi pugno constringitis, ut eam versetis in omnem partem, ac de ea faciatis quidquid vobis lubet et libet, idque non raro imperiose et tyrannice; quibus S. Petrus intonat: *Non dominantes in cleris*, epistol. 1. c. 5. 3. Unde sequitur:

ET PLACETIS VOBIS (græca γεγαυρωμένοι, id est, superbientes, insolescentes, gloriantes, exsultantes, instar equi superbe subsultantis, aut leonis ferocientis) IN TURBIS NATIONUM.) Quod scilicet multis imperetis, idque sæpe pro libito et ex fastu. Quos proinde sapienter monet Ecclesiast. cap. 32. 1. *Rectorem*, inquit, *te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis.* Ubi fuse hac de re egi.

Præclare S. Bernard. loquens in persona Dei: *O homo*, ait, *si te videres, tibi displiceres, et mihi placeres, sed quia te non vides, tibi places, et mihi displices.* Unde subiicit pœnam condignam: *Veniet tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccasti; tibi, quia in æternum ardebis.*

Egregie hoc argumentum tractat S. Gregor. parte 2. Pastor. cap. 6. ubi inter multa hæc de illo dat documenta vel axiomata: *Apostatæ Angelo similis efficitur, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Plerumque ergo, dum ex subditorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur, etc. Quam tamen potestatem ille recte dispensat, qui sollicite noverit et sumere ex illa quod adiuvat, et expugnare quod tentat, et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre*: et post nonnulla: *Cum delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat necesse est ut sollicite attendant, quatenus per disciplinæ debitum culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humi-*

litatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur agnoscant; quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione præferamus.

Huc facit vetus emblema. Lacedæmonii enim pingebant Apollinem sapientiæ præsidem præditum quatuor auribus et totidem manibus, quo significabant sapientiam multarum rerum auscultatione, ac multarum virtutum operatione comparari. Nam, ut ait Horatius:

Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Iovis.

Ita Pierius Hierogl. 33. cap. 25.

Vers. 4. QUONIAM DATA EST A DOMINO POTESTAS (iudicandi, præcipiendi, regendi, imperandi) VOBIS, ET VIRTUS (græce, [illegible], id est principatus, dominatus, dynastia; virtus ergo non moralis, quæ opponitur vitio, sed politica, puta potestas regendi hic intelligitur) AB ALTISSIMO, QUI INTERROGABIT ([illegible], id est examinabit, scrutabitur, inquiret; item ventilabit, discutiet, iudicabit, puniet, cruciabit, et tormenta infliget, uti vertit Noster v. 7. et 9.) OPERA VESTRA, ET COGITATIONES (græce, [illegible], id est, consilia, cogitata, volita) SCRUTABITUR.) Nam, ut ait Apost. Rom. 13. 1. *Non est potestas nisi a Deo.* In Deo enim est eminentissimum et summum in res omnes, tam rationales, quam irrationales, utpote creaturas suas (quæ ab eo omne suum esse per creationem acceperunt, idemque singulis momentis per influxum conservationis accipiunt) ius et dominium, ut omnibus et singulis possit præcipere, quidquid ei libuerit, de eisque disponere pro suo arbitrio. Ipse ergo summus est legislator, a quo omnis lex iuste descendit; ipse potentissimus omnium Angelorum et hominum iudex et vindex; ipse supremus omnium dominus, a quo omne dominium, omnis potestas, omnis iurisdictio in angelos et homines, etiam reges et Pontifices derivatur. Ipse enim est *Rex regum, et Dominus dominantium,* 1. Timoth. 6. Unde Esther c. 13. v. 9. orat. et profitetur: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es.*

Vers. 5. QUONIAM CUM ESSETIS MINISTRI REGNI ILLIUS, NON RECTE IUDICASTIS, NEC CUSTODISTIS LEGEM IUSTITIÆ; NEQUE SECUNDUM VOLUNTATEM DEI AMBULASTIS.) τὸ *iustitiæ* non est in Græco, sed intelligitur. Sensus est, q. d. Putastis, o reges superbi, vos summos et absolutos esse principes, nec cuipiam esse subiectos, cum tamen Dei, qui est Rex regum, essetis vicarii et ministri, imo instrumenta dumtaxat; hinc *non recte iudicastis,* id est iniquas sententias in iudicando, et iniquas leges in imperando tulistis: *Neque custodistis legem iustitiæ,* sed ex avaritia et cupiditate iustitiam pervertistis, ac inique tributa et onera subditis imposuistis: *Neque secundum voluntatem Dei,* sed secundum vestram ambitionem, *ambulastis,* immemores illius moniti Iosaphat regis: *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum,* 2. Paral. 19. 6. Hæc cogitent iudices et principes. Hic enim acer eis est stimulus ad omnem iustitiam et modestiam, quod scilicet Christi tribunali velut rei astabunt, ut ipsi rationem iudicii vel regiminis sui reposcenti exactam reddant.

Igitur tribus hisce sententiæ partibus tria videntur notari vitia iudicum et principum, scilicet corruptum iudicium, iniquum regimen, et neglectus religionis sive cultus Dei: si quis tamen omnia ad unum et idem, scilicet ad corruptum iudicium spectare contendat, contentiosum cum eo funem non traham. Unde S. Bonavent. ex tribus hisce sententiis: *Non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis;* primam esse ait, cum non subest causa iusta; secundam, cum non servatur ordo; tertiam, cum prava intentione quid a iudice fit. Cantacuzenus vero: Prima, ait, significatur ex corruptela munerum acceptorum devians a regula et præscripto rationis iusta sententia; secunda, personarum acceptio, dum non æque omnes iudicis negligentia aut indulgentia, sive spe, sive timore, observant legem; tertia, cum offenditur religio et cultus Dei. Quæ sententia valde apposita et genuina videtur. Minus apte Cervantes primam refert ad officium debitum proximis; secundam ad debitum sibi ipsi; tertiam ad debitum Deo. Porro tales avaros et iniustos principes, necesse est esse hominibus æque ac Deo exosos, ideoque miserrimos. Audi Platonem lib. 9. de Republ. *Animum,* inquit, *tyrannicum, mendicum semper atque inexplebilem esse necesse est.* Et mox: *Longe cunctorum dico hunc esse miserrimum.* Et nonnullis interiectis: *Est autem reipsa, quamvis alicui non videatur, vere tyrannus, vere servus extremæ servituti adstrictus, qui appetitus suos explet numquam, sed plurimis indiget semper, atque inops revera esse apparet, si quis penetralia animi eius inspexerit.* Quocirca Basil. Imper. exhort. ad Leonem filium cap. 27. inculcat ei pecuniæ contemptum, et iustam vectigalium moderationem: *Rempublicam,* inquit, *optime administrabis, si pecuniæ publicæ curam habebis, eique iustis rationibus colligendæ studebis non ex oppressione, vel lacrymis subditorum corradendæ: pecunia enim si iuste colligitur, possidenti multum affert emolumenti, et nervos imperio addit; quæ vero ex lacrymis subditorum, atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iuste collectam dissipabit. Attrahet enim Deum, qui iustitiæ leges condidit, ad vindicandam iniuriam, ignisque non ita celeriter paleam consumit, ut male et iniuste congestæ opes, etiam iure partas in perniciem secum abducunt.*

HORRENDE ET CITO APPAREBIT VOBIS.) Græce, [illegible], id est, instabit, ingruet, imminebit super vos, scilicet summus iudex Deus, sicut iudex instat reo, exactor tributario, creditor debitori, rigidum contra vos instituens examen, rigidius iudicium, et rigidissimum supplicium. Unde explicans subdit. Vers. 6.

QUONIAM IUDICIUM DURISSIMUM HIS QUI PRÆSUNT FIET.) Vatabl. *Quoniam iudicium rigidissimum in proceres exercebitur.* Pro *durissimum* græce est, ἀπότομος, id est *durum,* sed antonomastice et per excellentiam, hoc est *durissimum.* Ratio est, quod graviora sint peccata iudicum et principum, quam sint subditorum et privatorum. Primo, quia sunt personarum sublimium, quarum status et eminentia maiorem virtutem et perfectionem exigit. Unde Psal. 81. 1. dicitur: *Deus stetit in synagoga deorum* (id est iudicum) *in medio autem deos diiudicat.* Secundo, quia toti populo dant scandalum, suntque peccati illecebra. Nam *regis ad exemplum totus componitur orbis.* Tertio, quia eorum iniusta iudicia æque ac leges et edicta gravia damna tum facultatibus, tum corpori, tum animæ inferunt: non uni subdito, sed pluribus, imo toti reipublicæ. Quocirca Deus iussit Mosi, ut principes tribuum Israel fornicantes cum filiabus Moab, et earum idola colentes, suspenderet contra solem in patibulis, Num. 25. 4. Addit Origenes ibidem hom. 20. eos suspensos fuisse, eo quod populum non docuissent, non monuissent, non sollicite arguissent. Unde concludit: *Hæc si cogitarent homines, principatus non ambirent.* Hinc iniqui reges et tyranni horrende metuunt omnia, pleni sunt pavore, ac omnia tuta timent. Graphice hunc eorum horrorem et pavorem depingit Xenophon in Hierone: *Iam vero,* inquit, *metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitis absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac nec inermes illos velle habere apud se, nec armatos videre libenter, an non res est misera? Postremo huc compelli, ut pro liberis habere cupias servos, et ex servis cogaris facere liberos, an non hæc tibi videntur argumenta animi terroribus attoniti perculsique? Porro non solum ipse metus, tunc cum insedit animo, molesta res est; sed dum usquam non adest ac circumfertur, fit omnium rerum iucundarum corruptela.* Exempla sunt in Pharaone, Exodi 1. et sequ. in Athalia, 4. Reg. 11. in Herode infanticida, Matth. 2.

Graviora peccata principum quam privatorum, ob tres causas.

Metus principum.

Hisce de causis viri sancti fugerunt regimen, tum Ecclesiasticum, tum civile. Sic Episcopatus fugere S. Cle-

Fugiendi principatus.

Exempla. mene, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Athanasius, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus, S. Gregorius Magnus, S. Ephrem, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Fulgentius, et plurimi alii: qui tamen Episcopatu fuere dignissimi, eumque præclarissime gesserunt. Unde Leo Imp. (Inviti ordinandi. cur?) anno Domini 469 l. 31. C. de Episc. et Cler. *Profecto*, ait, *non est dignus sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus;* inviti enim apprehendunt Episcopalia oneris magis quam honoris periculum, ideoque in eius officio sunt solliciti et strenui. Certe Canonicus ille S. Victoris, quem memorat Thomas Cantip. l. 1. exempl. c. 20. post mortem apparuit amico, eique dixit: *Si de numero Episcoporum fuissem*, in *damnationis periculum incidissem, et de numero electorum non essem.* Similia dixere plures alii.

S. Thomas Aquinas tria in votis habebat: Primo, cognoscere quid animæ fratris sui Landulfi in bello occisi contigisset, an salus, an pœna; secundo, puritatem mentis primævam; tertio, ad nullos honores, vel prælaturas promoveri. Unde Archiepiscopatum Neapolit. sibi a Clemente IV. oblatum recusavit, atque in morte sibi gratulatus est, Deoque gratias egit quod trium votorum horum se compotem fecisset.

Denique audi S. Greg. epist. 6. l. 6. et l. 7. epist. 110. « Sicut, inquit, is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo descendat? »

(Exempla eorum qui regnum cum monasterio commutarunt) Regnum vero et principatum civilem abdicarunt, ac vitæ quietæ, sanctæ et religiosæ se dederunt S. Iosaphat rex conversus a S. Barlaam, teste S. Damasceno in Histor. S. Carlomannus Caroli Magni patruus, Pipinus Caroli Magni filius primogenitus, Lotharius Imper. Caroli Magni ex Ludovico patre nepos, a quo Lotharingiæ nomen accepit, cum prius Austrasia diceretur: Rachisius Italiæ rex anno Domini 741. Bamba rex Hispaniæ anno Domini 674. Veremundus rex Castellæ anno Domini 786. Ramirus rex Aragoniæ anno Dom. 1150. Sigebertus rex Northumbriæ in Anglia anno Domini 640. Ethelredus ibidem rex Merciorum anno Domini 704. eiusque frater et in regno successor Coenredus, Offa item rex Orientalium Saxonum, atque ac Ines anno 740. Trebellius rex Bulgarorum anno 862. Ioannes Brena Imper. Constant. Henricus rex Cypri, Ioannes rex Armeniæ, S. Ludovicus Caroli II. Siciliæ regis filius anno Domini 1297. ac hoc nostro in sæculo Carolus V. Imp. Plures recenset noster Hier. Platus lib. 2. de Bono status relig. cap. 26. et seq. Nimirum *vita privata, vita beata*. Quam ergo desipiunt, qui principatus et prælaturas ambiunt! cum enim vix animæ suæ rationem Deo reddere queant, onerant insuper eam obligatione tot animarum salvandarum, quot curam suscipiunt, quæ sane stupenda est insania, uti fuse ostendit S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonens. Archiepiscopum.

Vers. 7. EXIGUO ENIM CONCEDITUR MISERICORDIA: POTENTES AUTEM POTENTER TORMENTA PATIENTUR.) Syrus: *Potentes potenter interrogabuntur:* Arabicus: *De potentibus autem investigabitur scrutatione potenti;* græce, *minimus enim* συγγνωστός, id est, *ignoscibilis* vel *veniabilis*, id est, *dignus est venia* et misericordia; validi *autem valide examinabuntur;* item *iudicabuntur et punientur*. Græce est ἐτασθήσονται, quod est futurum primum ab ἐτάζω, cuius verbi significata recensui vers. 4. *Exiguo*, id est pauperi, plebeio, privato; hunc enim sæpe necessitas adigit ad peccatum, vel certe hic peccato suo minus alios lædit, ideoque venia dignus videtur. Unde *exiguo* opponit *potentes*, id est reges et principes, qui sua potentia ad fastum abutuntur, ut alios opprimant. Hinc Vatablus vertit: *Nam plebeius homo venia dignus sit, in potentes autem inquiretur acriter*, id est, severa et rigida ab eis reposcetur ratio, quomodo potestate sibi commissa usi vel abusi sint. Nam cui *plus datum est, plus requiretur ab eo*. Causas recensui v. præced. Ita sanctus Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum n. 112. *Gravius*, inquit, *iudicari de his qui in sæculo plus habuerunt potestatis, apud Salomonem docetur: Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Et* in *Psal. 2. Et nunc reges, intelligite emendamini* (sic enim ipse legit, pro quo nos legimus, *erudimini*) *qui iudicatis terram.* Theodor. quæst. 43. in Deut. in exemplum statuit Mosen. Quærit enim cur Moses ob leve dubitationis delictum a Deo exclusus sit e terra sancta; populus vero gravius peccans in eam sit inductus? ac respondet: *Per hæc docet nos Dominus se summam virtutem a perfectis exigere, et, cum erga alios homines graviter peccantes sit longanimis, sanctis tamen hanc veniam non concedere: quod quidem sapiens dixit aliquis; Tenuissimus venia et misericordia dignus, potentes autem potenter torquebuntur. Et Dominus in Evangelio. Cui modicum datum fuerit, modicum exigetur ab eo.* Eadem ad verbum habet, et ex Theod. transcripsit Anastasius Nicenus q. 85. in Script. Horribilius est exemplum in Pharaone, quem sibi reluctantem nolentemque Hebræos dimittere ex Ægypto, Deus decem atrocibus plagis afflixit, ac tandem eum omnibus copiis mersit in mari rubro, Exodi 7. et seq. et in Nabuchodonosor quem ob fastum Deus transformavit in bestiam, Daniel. 4. et in Antiocho, quem vermibus et diris cruciatibus consumpsit, 2. Mach. 9.

Recentius exemplum præbet Mauricius Imp. de quo ita ex Cedreno scribit Baronius tom. 8. anno Christi 602. pag. 158. in fine. Plane accidit secundum illud Sapientiæ: *Audite, reges, et intelligite; Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Ita quidem patefactum est horrendum Dei iudicium adversus Mauricium imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persolvit pœnam (uti licuit) talionis; dum enim passus esset tot millia innocentium Christianorum a diro barbaro immanissimæ cædi, quas minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxii effusi sanguinis, ipse a tyranno una cum insontibus filiis crudelissime necatus est, nullo adiuvante, eripiente nemine. Sentiens vero ipse manum esse hanc Domini porrectam ad ulciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ Dei, poculum medicinæ, quod prodesset ad peccatorum suorum purgationem et perfectam salutem animæ consequendam. Sed age iam cuncta eodem, quo se habuerunt, ordine recenseamus. Hæc Baronius qui pergit enarrare quomodo Mauricius a Phoca invasore imperii, filiis, regno et vita privatus sit, dicens: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.*

Apposite hanc gnomen sacerdotibus applicat S. Isidorus lib. 2. Offic. cap. 5. « Quapropter, inquit, quia lex peccatores a servitio removet, consideret se unusquisque, sciens quia potentes potenter patientur tormenta: retrahat se ab hoc non tam honore, quam onere, et aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit; et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subiectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere: Ante doce te quæ recta sunt? Quapropter qui negligit recte facere, negligat recta docere. » Et S. Hieron. in cap. 1. epist. ad Titum, cuius verba citantur 8. q. 1. can. 19. « Illud inferendum est, inquit, adversus eos qui de Episcopatu intumescunt, et putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sunt quicumque Episcopi non fuerint ordinati: et ex eo quod Episcopi electi sunt, ipsi se magis existiment comprobatos: sed intelligant propterea quosdam a sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierint. Si autem peccata filiorum iustum ab Episcopatu prohibent; quanto magis se unusquisque considerans, et sciens quia potentes potenter tormenta patientur, retrahit se ab hoc, non tam honore, quam onere, et aliorum locum, qui magis digni sunt, non ambit occupare? »

Denique Glossa in illud Malach. 1. *Maledictus dolosus, qui habet in grege sua masculum, et votum faciens immolat debile Domino.* Aliquando, inquit, homo bene creatus a Deo habet ingenium aptum sacris disciplinis, sed tradit

luxoriæ et inertiæ: habens masculum offert debile, id est, urationem aliqua animi perturbatione corruptam: hic sentiet in se esse completum, quod scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur.*

Vers. 8. NON ENIM SUBTRAHET PERSONAM CUIUSQUAM DEUS, QUI EST OMNIUM DOMINATOR, NEC VEREBITUR MAGNITUDINEM CUIUSQUAM: QUONIAM PUSILLUM ET MAGNUM IPSE FECIT, ET ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS.) Ita habent Græca et multi codices Latini. Sed τὸ *qui est omnium dominator*, delent Romani, ac S. August. in Speculo, et Lucifer pro S. Athanasio.

NON ENIM SUBTRAHET.) Scilicet iudicio suo et vindictæ. Ex Græco nonnulli vertunt cum Iansenio: *Non formidabit vultum alicuius*, non se metu *illius demittet* vel *contrahet*, ut illi cedat, vel illum libere iudicare et damnare non audeat. Hoc enim est ὑποστέλλομαι. Hinc Romani in Addit. ad edit. Septuag. vertunt: *Non subtrahet vultum* (quasi ex pudore vel timore potentis) *omnium Dominus*, q. d. Deus non ducitur gratia vel metu: non enim formidabit, reverebitur, aut dissimulabit peccatum alicuius, eo quod vultum habeat augustum, magnificum, regium; ipse enim est omnium Dominus: quare nullam vultus vel personæ rationem habebit, ut quem rigido suo iudicio eximat: sed æque iuste et rigide de rege, ac de plebeio iudicabit, quia *æqualiter est illi cura de omnibus.* Sic Plato dixit Deum in iudicio, nec Achillis, nec Thersitis habiturum rationem, nec summi, nec infimi. Ubi nota: Τὸ *cuiusquam* non est in Græco, sed tantum *non subtrahet personam* vel *vultum*, sive alienum, uti intellexit noster Interpres; sive etiam suum, ut scilicet Deum ipse ex metu vel pudore cum potentibus personam mutet, et vultum contrahat demittatque (uti nautæ contrahunt vela ingruente tempestate) sicut faciunt timidi iudices, qui cum pauperibus personam leonum induunt, cum divitibus et potentibus personam muris, ut hiscere non audeant; hoc enim est proprie ὑποστέλλομαι. Deus ergo eadem persona et eodem vultu iusto et constanti iudicabit potentes, quo plebeios.

ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS.) Græce, ὁμοίως, id est *similiter, pariter*, προνοεῖται id est *providet, curam gerit de omnibus;* S. August. in Speculo legit, *pro omnibus.* Sensus est, q. d. Deus æqualiter curam habet omnium, scilicet tam vulgarium, quam potentum: non enim ita curat potentes et principes, ut pauperes et plebeios negligat; sed tam horum, quam istorum, adeoque rerum omnium, communem et æqualem habet providentiam, ita tamen ut cuique provideat pro cuiusque statu, conditione et exigentia. Unde non ait: *Æqualis*, sed *æqualiter est illi cura de omnibus.* Sic rex æqualiter curat totum regnum et unam regni urbem, sed inæquali et dispari cura: mavult enim perdere unam urbem, quam totum regnum. Hinc Arabicus omittit τὸ *æqualiter*, sicque vertit: *Propterea providet omnibus, et gubernat omnia.* Sic et Syrus.

Error Averrois circa Dei providentiam. Errat ergo, primo, Averroes in 12. Metaph. com. 51. et 52. docens Deum tantum curare res incorruptibiles, quæ sunt supra lunam; non corruptibiles, quæ sunt sub luna. Idem sensisse Aristotelem censet sanctus Ambrosius 1. Offic. cap. 13. Nazianz. orat. 1. de Theolog. Clemens Alex. 5. Strom Euseb. Epiphan. Theod. et ex iis noster Gabr. Vasquez 1. part. q. 22. disp. 87. c. 1. sed alii, ut Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 15. ab hoc errore liberant Aristotelem. Certe multorum olim fuit hic error, ut indicat Iob c. 22. 14. dicens ex eorum sensu: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat.*

Error Ciceronis. Errat secundo, Cicero l. 2. de Divin. docens Deum non cognoscere futura contingentia, v. g. actiones liberas quas facturi sumus; alioqui, inquit, illæ iam determinatæ forent et necessariæ, non contingentes et liberæ. Nam, ut ait S. Dionys. de Divin. nomin. c. 7. si in rebus est aliquid non cognitum a Deo, oportet ut illud divina providentia vacet. Unde S. Aug. l. 5 de Civit. c. 9 Cicero, inquit, *dum homines vult facere liberos, facit sacrilegos,* imo atheos. qui enim negat in Deo omnem, sive providentiam futurorum, negat Deitatem et Deum: hæc enim duo ita connexa sunt, ut qui astruit vel negat unum, astruere vel negare cogatur et alterum. Neque enim præscientia Dei inducit rebus futuris necessitatem, quia præsupponit res ipsas libere futuras: hæ enim sunt eius obiectum. Ideo enim præscit Deus libere futuras, quia libere ab homine futuræ sunt: non vero ideo futuræ sunt, quia Deus eas prævidet futuras.

Errat tertio R. Moses l. 3. Doctoris dubiorum cap. 18. censens Deum tantum habere curam hominum singulorum, cæterarum vero habere curam quoad speciem, non quoad individua singula, non curare ergo singulos culices, muscas, pulices, etc. Idem videtur dicere S. Hier. in c. 1. Habacuc, sed ibidem ipsum ab hoc errore purgavi. Sapienter S. Ambrosius l. 1. Offic. cap. 13. « Quis operator, inquit, negligat operis sui curam? quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit: Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla iniustitia sit; non curare quod feceris, summa inclementia. » Error R. Mosis.

Error Cassiani. Errant quarto Pelagiani et Semipelagiani, ut Cassianus et Faustus Rhegiensis Episcopus, qui ex hac gnome colligunt, æque in omnium hominum arbitrio esse habere gratiam Dei, ut quilibet sit sanctus, qui voluerit esse sanctus: quia Deus, inquiunt æqualiter se habet ad omnes, omnibusque suam gratiam offert si per liberum arbitrium eam velint petere et excipere. Verum hos refellit S. Aug. epist. 106. et 107. et alibi sæpe, ac Hilarius et Prosper ep. ad S. Aug. Sensus ergo genuinus huius sententiæ: *Æqualiter cura est illi de omnibus*, q. d. Deus non magis amat, nec magis curat magnum quam parvum, divitem quam pauperem, nobilem quam ignobilem, uti homines faciunt; sed æqualem (proportionaliter tamen, secundum cuiusque gradum, officium et meritum. Unde græce est ὁμοίως, id est *similiter:* æqualitas ergo hæc sita est in similitudine) tam horum, quam istorum providentiam habet, ut omnibus per omnia de necessariis provideat: nihil enim subtrahitur a providentia Dei, quia illa res omnes nulla excepta, quantumvis infima et vili, gubernat. Unde aliqui τὸ *æqualiter* exponunt *communiter*. Hinc et Antonius in Melissa, p. 2. c. 2. legit: *Æqualiter omnium commodis prospicit et consulit;* Clemens Alexand. 6. Strom. *Similiter omnibus providet, et omnium curam gerit*, uti sol similiter quantum est ex se, omnia illuminat. Maxime vero Sapiens loquitur de æquali providentia in iudicio, et iusta retributione pœnarum et præmiorum, ut patet ex præced. ubi opponit hanc Dei curam acceptioni personarum, quæ tantum locum habet, cum aliqua qualitas impertinens spectatur, ac propter eam alter alteri præfertur in officio, beneficio, præmio, iudicio: non autem opponit eam liberali Dei prædestinationi, ac liberæ dilectioni et electioni ad bona tum naturalia, tum supernaturalia. Nam secundum hanc Deus alios aliis magis amat et curat, ut iustos quam iniustos, electos quam reprobos, B. Virginem quam communem Sanctum, ut patet Rom. 9. et seq. Deut. c. 4. v. 8. Sapient. c. 4. v. 11. Matth. c. 13. v. 11. Actor. c. 14. v. 15 Ita S. Aug. toto lib. de Prædest. Sanct. et totum Concil. Arausicanum. Sapiens ergo non loquitur de beneficio gratiæ sed de retributione beneficiorum atque pœnarum. Præcedit enim illud: *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Itaque sententia huius loci est, in extremo iudicio Deum non accepturum personas regum et principum, sed ex æqualitate iustitiæ sententiam esse laturum*, ait Bellar. l. 2. de gratia et libero arb. c. 3.

Porro S. Cyprianus l. 3. epist. 8. ad Fidum, docet Deum æqualiter curam habere infantium ac adultorum: quare infantes statim esse admittendos ad gratiam Baptismi, nec exspectandum octavum diem, uti exspectabant Iudæi, ut eos circumciderent; eo quod *Spiritus sanctus,* inquit, *non de mensura* (ætatis et staturæ) *sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem: librata,* id est expensa, considerata, et admensa

pro cuiusque statu, exigentia et conditione.

Denique S. Thom. 1. p. q. 20. articul. 3. docet Deum æqualiter diligere omnia, quia omnia amat uno et simplici actu voluntatis, et semper eodem modo se habente; licet ex parte obiecti voliti magis bonum velit uni, quam alteri, sive quia ex æquali sapientia et bonitate omnia administrat, licet æquali hac cura sua, inæqualia variis bona dispenset. Nam uno actu simplici his maiora, illis minora distribuit. Idem docet 1. 2. q. 112. art. 4. ad 1. et S. Aug. tract. 110. in Ioan. *Omnia*, inquit, *diligit Deus quæ fecit, et inter ea magis diligit creaturas rationales; et illis eas amplius quæ sunt membra unigeniti sui, et multo magis ipsum unigenitum suum.*

Moraliter, disce hic a Sapientia divina minimos et minima non sperni, sed illa æque ac magna et magnos curari; Deus enim creans omnia non dixit: Omittamus culicem, quia vilis et parvus est, sed eum æque ut elephantem creavit, et creatum gubernat. Similiter fac et tu.

Vers. 9 FORTIORIBUS AUTEM FORTIOR INSTAT CRUCIATIO.) Græce, *fortibus* (vel potentibus) *vero valida incumbit scrutatio*, vel *perquisitio*, vel *examinatio*; Vatabl. *Potentes autem vehemens manet inquisitio.* Noster vertit, *cruciatio*, tum quia iudicialis reorum inquisitio fit per cruciatus et tormenta, quæ proinde Quæstiones vocantur; tum quia eius finis est cruciatus, qui reis pro pœna a iudice decernitur et infligitur. Est metonymia et metalepsis: ponitur enim causa pro effectu, et antecedens pro consequentibus: ex examine enim iudiciali sequitur confessio reorum, ex confessione cognitio scelerum, ex cognitione fertur sententia, ex sententia infligitur supplicium et cruciatus.

Noster vertit, *fortioribus et fortior*, pro *fortibus et fortis*, quia sub positivo intelligitur comparativus et superlativus: si enim forti fortis instat cruciatio; ergo ex iusta proportione, fortiori instat fortior, et fortissimo fortissima; idem dicit aliis verbis per exaggerationem, cum eo quod paulo ante dixit: *Potentes potenter tormenta patientur*, q. d. Reges et principes, qui alios sua potentia oppresserunt, potenter pariter a Deo opprimentur et cruciabuntur.

Vers. 10. AD VOS ERGO REGES SUNT HI SERMONES MEI, UT DISCATIS SAPIENTIAM, ET NON EXCIDATIS.) Id est, ne cadatis in peccatum, indeque in iram et vindictam Dei, ne delinquatis, ne offendatis, ne excidatis statu iustitiæ, indeque regno et vita; hoc enim est græcum μὴ παραπέσητε, unde παράπτωμα est delictum, offensa, peccatum.

Rursum reges compellat, ut eos acrius exstimulet ad monita hæc sapientiæ de modestia et iustitia capessenda. Raros enim hac de re habent monitores, ac ob potentiam magnas habent ad fastum et iniuriam illecebras et impulsus. Unde pro *reges* græce est τύραννοι, id est tyranni; Lucifer pro S. Athanasio legit: *o mali tyranni;* S. Augustinus in Speculo, *mali reges*. Tyrannus enim olim vocabatur rex, princeps, dominus, omnem habens in subditos potestatem. Unde illud:

Ad generum Cereris (ad Plutonem) *sine cæde et sanguine pauci*
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Multi enim reges fuere occisi. Sic Aristoph. Iovem vocat Deorum tyrannum, id est regem; ille enim est late tyrannus, id est late regnans et dominans. Reges ergo vocabantur tyranni ob fortitudinem: *Fortes enim reges tyranni vocabantur; nam tyro fortis*, ait Isidor. l. 9. Etym. c. 9. Hinc Athen. l. 13. *O amor*, inquit, *tyranne* (id est rex et imperator) *deorum et hominum*: nihil enim fortius est amore. Stephanus vero l. de Urbibus in voce τυρρηνία, tyrannum dictum putat a Tyrrhenia, quæ olim fuit urbs et provincia iuxta Hadriam, cuius cives vocabantur Tyrrheni: unde tyranni. Porro Tyrrhenia nunc vocatur Hetruria, et Tyrrheni sunt Hetrusci sive Tusci, quorum caput est Florentia, uti fuse demonstrat Philip. Cluverius in descript. Italiæ l. 2. c. 1. Hetruscorum enim colonia fuit Hadria urbs, iuxta Venetias, a qua vicinum mare dictum est Hadriaticum. Olim enim Tusci fuere potentes, et ditionis suæ fines extenderunt a mari Infero sive Hetrusco, usque

Tyranni etymon

A ad mare Superum sive Hadriaticum, teste Livio l. 5. Verisimilius alii censent vocem *tyrannus* derivari ab Hebræis et Palæstinis: Hebræi enim vocant principes שָׂרִים *sarim*, Philisthini vero סְרָנִים *seranim*. Unde quinque satrapæ Philisthiim, puta satrapæ Gazæ, Azoti, Ascalonis, Geth et Accaron, passim in Hebræo vocantur *seranim*. *Seranim* ergo est vox Phœnicia, vel potius Philisthæa: pro qua Chaldæi, qui de more *samech* Hebr. et Syrorum mutant in *tet* vel *tau* dicunt טְרָנִים *turanim*, ut patet Iosue 13. 3. unde *tyranni*. Rursum *seranim* hebr. et syriace significat axes in rotis, quibus rotæ fulciuntur et volvuntur, ut patet 3. Reg. 7. v. 30. hinc principes vocantur *seranim*, quod sint velut axes in rota, id est fulcra populi, et cardines rerum agendarum, sicut græce βασιλεὺς dicitur quasi βάσις λαοῦ, id est basis populi; et hebr. אָדוֹן *adon*, id est dominus, quasi אֶדֶן *eden*, id est fulcrum, sustentaculum, eo quod dominus sit columen et sustentator familiæ vel reipubl. cui præest. Verum crescente fastu, cum superbi reges sua potestate abuti cœperunt, tyranni nomen ad illos solum B restrictum est, qui per insolentiam imperii viribus abutebantur, ac postbabita ratione et æquitatis moderatione, vi et quadam animi libidine dominabantur; libido ergo et crudelitas fecit ut nomen tyranni male audierit. Quocirca reges hic serio monet Sapiens, ne in tyrannos degenerent; sed sapienter, id est modeste et iuste, subditos regant, et rempubl. administrent; sic enim latissime, quietissime et diutissime regnaturos, uti fecere Romani, de quibus Poeta cecinit:

A Palæstinis.

Romanæ spatium est urbis et orbis idem.

Mystice reges sunt, qui suis affectibus imperant, et mundi vanitates calcant, quales sunt Religiosi. Hi ergo ex instituto et professione sua toti vacent sapientiæ, id est contemplationi, virtuti et perfectioni; cætera enim sunt nugæ et vanitas vanitatum.

UT DISCATIS SAPIENTIAM.) *Sapientia* hic prudentiam et virtutem omnem ethicam, ac politicam præsertim, scilicet scientiam recte regendi, complectitur; hæc enim regi C et principi est propria et summe necessaria. Idem suasit Mæcenas Augusto Cæsari, cuius sapientem orationem recitat Dio lib. 52. ubi inter alia ait: « Vives velut in quodam orbis terrarum theatro, nec fieri poterit ut vel minimum peccatum tuum lateat; nihil enim sine arbitris, sed semper in magna hominum multitudine ages; et perscrutari acta principum omnes homines lubentissime solent. Qui si semel compererint te alia aliis præcipere, alia ipsum agere, non iam minas tuas metuent, sed facta imitabuntur. » Unde pluribus interiectis infert: « Ideo splendorem tu tibi præclaris facinoribus para: statuas tibi, neque aureas, neque argenteas fieri umquam sine; nam non modo magnis sumptibus eæ constant, sed insidiis etiam opportunæ, ac parum diuturnæ sunt; benefaciendo autem alias tibi statuas in ipsis hominum animis, nulli interitui obnoxias effice. Templum quoque nullum tibi patere ædificari, quippe in huiusmodi res incassum multæ pecuniæ insumuntur, quas necessariis rebus impendere præstat. Etenim divitiæ magnæ, non tam multa accipiendo, quam D non multos sumptus faciendo colliguntur; et id genus res nullam gloriam adferunt. » Causam et rationem a priori subiicit: « Virtus enim multos quidem diis æquat, sed nemo tamen umquam mortalium suffragiis Deus effectus est. Itaque tibi si bonus sis ac recte imperes, universa terra templum erit, pro delubris omnes urbes, omnes homines pro statuis, quorum in animis semper cum gloria insidebis: qui vero imperium summum male gerunt, eos ista ornamenta, quamquam in omnibus urbibus posita, tantum abest ut decorent, ut etiam reprehensionibus hominum exponant, quum sint trophæa quædam malitiæ eorum, ac iniustitiæ monumenta; quæ quo diutius perduraverint, eo longius quoque infamia istorum permanet. Itaque si revera immortalis fieri cupis, ita ut dixi agendum tibi est. » Denique summatim omnia unico sapientiæ monito concludens: « Unum, inquit, dicam quod caput est et summa omnium eorum quæ vel dicta sunt, vel dicenda restant. Si hæc tua sponte omnia egeris, quæ velles alium in te im-

Mæcenatis regendi præcepta.

perium habentem agere; nulla in re peccabis, omnia prospere conficies, vitamque exinde ut suavissimam et tutissimam duces. Qui etiam non patris ac servatoris loco te omnes et suscipiant et diligant, quum viderint te modestum, vitæ integræ, bello ac pace præstantem? »

Gnome septem sapientum de optimo regimine.

Huc facit disceptatio septem Græciæ sapientum de gloria principis, quæ in re illa consistat; plerique enim eorum asseruere illam consistere in humilitate et modestia. Audi Plutarch. eorum sententias recitantem in Convivio septem sapientum: « Cæterum Solon paululum moratus: Mihi, ait, videtur hac ratione maxime gloriam consecutus, sive rex, sive tyrannus, si unius imperium in popularem reipub. statum civibus convertat. Subiecit Bias: Si primus pareat legibus patriæ. Post hos Thales pronuntiavit: eum sibi principem videri beatum, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anacharsis: Si solus sit prudens. Quintus Cleobulus: Si familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: Si subditos princeps ita condocefaciat, ut non ipsum, sed ipsius causa metuant. Ultimus Chilo: Principem nihil meditari debere mortale, sed omnia immortalia. »

Qui enim custodierint iusta (S. Augustinus in Speculo legit, *iustitiam*) iuste, iustificabuntur (ita Romana et Græca: male ergo quidam legunt, *iudicabuntur*) et qui didicerint ista (ita Rom. et Græca: male ergo nonnulli pro *ista* legunt, *iusta*; licet idem sit sensus) invenient quid respondeant.) q. d. Vos, o reges et principes, audite hæc mea de sapientia, id est de iustitia, puta de virtute et sanctitate, monita; quia qui ea custodierit iuste et sancte, hic in tribunali Christi, ubi, ut præcessit, durissimum iudicium, his qui præsunt fiet, et fortioribus fortior rigidiorque instabit examinatio et cruciatio, iustificabitur, id est iustus et sanctus a Christo pronuntiabitur, ac gloria æterna præmiabitur: *et qui didicerint ista*, iam dicta *invenient quid*, iudici ipsos de vita et regimine reipubl. examinanti, *respondeant*: græce, *invenient apologiam*, qua se contra omnes obiectiones, ac hominum dæmonumque criminationes tueantur et defendant: invenire enim est consilii, *reperire* fortunæ, ait Valla. Unde græce est: Οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται. id est *qui custodiunt sancte sancta, sanctificabuntur*, id est per exercitium operum sanctorum fient sancti, et sanctiores, ac in die iudicii sancti a Christo coram toto mundo declarabuntur, laudabuntur et coronabuntur. Unde Vatablus vertit: *Qui sanctitates sancte coluerint, ii sancti censebuntur.*

Sanctum opus sancte fieri debet: cur?

Nota, non sufficere ad sanctitatem, ut quis faciat opus iustum et sanctum, sed requiri insuper ut id iuste et sancte fiat, v. g. non sufficit dare eleemosynam, sed oportet ut illa fiat ex propria, non ex rapta, vel aliena; item ut fiat recta intentione, non prava, qualis est, cum illam das ut pauperem pertrahas ad hæresin vel luxuriam: sic enim eleemosyna contaminatur, fitque actus imperatus ab hæresi, vel luxuria. Nam ut ait S. Dionys. Bonum constat ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Unde si operi bono aliqua desit conditio requisita, iam non bonum est, sed mancum et defectuosum, uti docet S. Thomas et Scholast. imo Arist. in Ethicis: *Iustum*, inquit, *iuste fieri debet*. S. Cyprian. (vel quisquis est auctor, certe priscus est et gravis) de Singul. Cleric. *Sanctum*, ait, *non est, quod geritur sanctum, nisi sancte peragatur, sicut Salomon asserit dicens: Qui enim custodierint iuste iusta, iustificabuntur. Sinceriter ergo sinceritas ipsa servanda est, et omne quod voti est, etiam in actu signandum est, ne aliud vota commendent, et aliud actus insinuent* Probat ex illo Pauli 2. Timoth. 2. 5 *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit*. Idem significatur Cant. 5. 14. *Manus eius* (sponsi, puta Christi) *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*. In quæ verba commentans Guillelmus cognomento Parvus, sed sensu et sapientia magnus, qui floruit anno Dom. 1200. *Manus*, inquit, *sponsi sunt, qui piis actionibus insistunt. In manibus autem sponsi tria notantur, tornatiles*, id est, *rectæ et probe concinnatæ sine tortuositate, asperitate aut angulis, id est non tantum pie, sed iuste ac pure agentes. Ita enim circa indigentium necessitates relevandas desudant, ne, dum illis prospiciunt, per vim aut dolum aliis noceant: si alios defraudant, ut aliis consulatur; si fœnerantur vel furantur, quod in usus pauperum expendant, tortæ et angulosæ manus sunt: propterea debent esse* aureæ, hoc est, *apud Dominum in cunctis actionibus auro charitatis præfulgidæ*. Tertio, *debent esse plenæ hyacinthis, hoc est decenti, et quasi gemmea quadam actionis specie, etiam foris coloratæ. Duo enim sunt, quæ maxime actionem commendant, animus agentis, et exterior species actionis. Bona intentio commendat opus apud Deum, honesta operis superficies commendat illud apud homines: quando nihil a pietate charitatis alienum in radice intentionis, et nihil indecens in superficie actionis, tunc manus est, non tantum aurea, sed plena hyacinthis*, etc.

Invenient quid respondeant.) *Contemplabor*, ait Habacuc c. 2. 1. *ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me*. Qui ergo sapit, sic opera singula faciat, tam sancte et perfecte, ut possit eorum rationem reddere Christo in die iudicii, nec ipse quid in iis carpere possit: *Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa districtione ultimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis; quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intus animum accusat*, ait S. Gregor. homil. 38. in Evang. Unde tunc impii obmutescentes non habebunt excusationem, qua se defendant, et sua scelera extenuent.

Vers. 12. Concupiscite ergo sermones meos, diligite (græce, ποθήσατε. id est optate et desiderate) illos, et habebitis disciplinam) Græce, παιδευθήσεσθε, id est *erudiemini*, fietis eruditi, acquiretis παιδείαν. id est disciplinam, hoc est morum castigationem et compositionem; sicut pueri per increpationes, verbera et flagella discunt mores suos ad honestatem, tum internam, tum externam componere. Caro enim et concupiscentia nostra est cæca et cupida, instar pueri; unde flagellis castiganda et ad virtutem conformanda est. Hinc flagellum et flagellatio vocatur *disciplina*. de qua prudenter dixit Petrus Blesensis (qui coævus S. Bernardi floruit anno Domini 1160. teste Trithemio) serm. 6. *Duo sunt, quæ hominem mirabiliter a peccato præservant, frequens confessio, et frequentior disciplina*, idemque crebro alibi inculcat, ut epist. 16. 27. 46. 57. etc. Sicut enim caro sine sale putrescit, sic corpus sine mortificatione corrumpitur et ad vitia diffluit, uti alibi pluribus ostendi. Sapienter S. Chrys. hom. 34. ad Popul. *Pœnitentia pharmacum*, inquit, *maximum est nostrorum vulnerum remedium, sic animarum ulcera curans et abolens, ut neque cicatrix, neque verruca appparitura sit, quod in corporis vulneribus non est possibile.*

Moral de mortificatione.

Porro disciplina, tam exterius corpori, quam interius menti ad castigandos eius inordinatos affectus, assidue adhibenda est. Unde Richard. de S. Vict. in c. 2. Cant. n. 2 *Ille*, ait, *perfectæ virtutis est, qui virtute spiritus, et voluntatem carnis, et voluntatem cordis potenter comprimit*. Nam ut idem ait l. de Præp. ad contemp. cap. 32. *Disciplina corporis absque disciplina cordis inutilis est.* Vide Cassian. l. 5. de Instit. renunc. cap. 21. et 22 Sicut ergo studium est via et methodus ad scientiam: sic disciplina et morum affectuumque iuxta legem Dei castigatio et reformatio est via et methodus ad sapientiam divinam. Causam dat S. Bern. serm. 58 in Cant. *Quis enim ita ad unguem*, inquit, *omnia a se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse. Sæpe putandum est, imo, si fieri possit, semper: quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis nolis, intra tuos fines habitat Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari*. Et infra: *Scrutemur*, inquit, *iuxta Prophetam vias nostras, studia nostra, et in eo iudicet se quisque profecisse, non eum non invenerit quod repre-*

hendat, sed cum quod invenerit reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti.

Hinc S. Cyprianus serm. de Ieiunio: « Quotquot, inquit, viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse; nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid a Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere et lacrymis, et pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus, supplices beneficia postularunt. » Pinufius Abbas apud Cassian. lib. 4. de Instit. renunc. cap. 34. et 35. hanc perfectam Christiani, imo Religiosi, ideam proponit: « Mortificatas et crucifixas cum Christo habere concupiscentias et affectus carnales universos. Sicut ergo crucifixus quis, iam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi habet potestatem, ita et nos voluntates nostras ac desideria non secundum id quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. »

Ubi perfecti.

Mortificatione magis indigent, qui in assiduis deliciis, libertate, dominio versantur, quales sunt reges, principes, prælati, divites et opulenti. Theodoretus in Philotheo, c. 28. narrat Thalilæum per decem annos rotæ se inclusisse, ut se erigere non posset, sed semper sederet incurvatus faciem habens genibus affixam. Cumque ab eo percunctaretur Theodoretus cur se adeo affligeret, respondit: *Mortificatio carnis est fuga pœnæ infernalis.* Crebra ergo cogitatio instantis mortis metusque gehennæ docent veram mortificationem et disciplinam, quæ fuit communis vox SS. Anachoretarum.

Vers 13. CLARA (Vatabl. *præclara*) EST, ET QUÆ NUMQUAM MARCESCIT SAPIENTIA, ET FACILE VIDETUR AB HIS QUI DILIGUNT EAM, ET INVENITUR AB HIS QUI QUÆRUNT ILLAM.) Græce: λαμπρα και αμαραντος εστιν η σοφια, id est, *splendida et immarcescibilis est sapientia*, puta ipsa prudentia, virtus et sanctitas: tum quia ipsa in se est qualitas nobilissima, et instar amaranti incorruptibilis et æterna; tum quia sui studiosos nobilitat, claros facit et æternos. Comparat sapientiam amaranto flori vel spicæ: de quo ita scribit Plinius l. 21. c. 8. *Amaranto non dubie vincimur. Est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis, et ipsa sine odore, mirumque in eo gaudere decerpi, et lætius renasci. Provenit Augusto mense: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mirumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit. Summa eius natura in nomine est appellato, quoniam non marcescat.*

Sapientia est amarantus.

Talis prorsus est sapientia, quæ numquam marcescit, sed semper reviviscit, estque purpurea, id est ignea: purpura enim et colore et nomine est πυρ πυρ, id est *ignis ignis*. Huic affine est illud Ps. 11. 7. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Sapientia enim est ipsa lex, sive eloquia et dicta Dei, quæ excipit, amat et opere exsequitur ipsa virtus. Et Ps. 18. 8. *Lex Domini immaculata convertens animas; testimonium* (id est ipsa lex, quæ testatur quid Deus a nobis fieri velit) *Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini Sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Hinc sapientia *facile videtur ab his qui diligunt eam*. Ipsa enim velut fax in Pharo, omnes in hoc sæculo navigantes illuminat, iisque viam ad portum salutis prælucet; qui ergo eam diligit, luci illius aperiat oculos, et eam conspiciat. Nam ut ait S. August. lib. de Moribus Ecclesiæ c. 1. *Scientiam veritatis neque omnes a quibus quæritur, docere possunt, neque omnes, qui quærunt discere, digni sunt. Et diligentia igitur et pietas adhibenda est; altera fit ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.* Philosophia ergo est via ad sophiam, hoc est, amor sapientiæ est via ad sapientiam. Amor enim vires mentis exacuit, et omnes difficultates superat.

Commendat sapientiam a tribus: Primo, a necessitate; secundo, a pulchritudine, splendore et excellentia, æque ac a facilitate et comitate; tertio, ab utilitate. A necessitate commendavit illam ab initio capitis hucusque, quod sine sapientia reges subituri sint terribile Dei iudicium et tormenta. A pulchritudine hic eam commendat, æque ac a facilitate eam assequendi: ab utilitate eam commendabit v. 19. et seq. Hic ergo eam laudat a specie et benignitate singulari, qua prior sese offert sui cupidis, eosque ad se suique studium allicit et invitat: cuius contrarium faciunt speciosæ fœminæ, quæ sua forma superbiunt et quæri volunt, non quærere, iuxta illud:

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Sic et scientia sæcularis inflat.

PRÆOCCUPAT QUI SE CONCUPISCUNT, UT ILLIS SE PRIOR OSTENDAT.) Vatabl. *Ultro se cupidis offert cognoscendam;* Vers 14.
Pagnin. *Præoccupat cupientes, ut prænoscatur;* Clemens Alexandrinus 9. Strom. *Prævenit eos qui cupiunt, ut prænoscant.* Sic de Sapientia ait Ecclesiast. c. 15 v. 1. et seqq. quod quærentibus instititiam *obviabit quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum.* Vide ibi dicta. Dupliciter hæc gnome accipi potest: Primo, ut τo *ut* referatur ad *præoccupat*, et τo *qui concupiscunt*, accipiatur materialiter, q. d. Sapientia, puta Deus Deique gratia, prævenit eos qui se concupiscunt, ita ut illis se prior ostendat, in eisque sui concupiscentiam et desiderium excitet. In hoc enim consistit præventio gratiæ, et præoccupatio Dei, quod ipse omne nostrum desiderium præveniat, imo illud suscitet, uti docet Concil. Trident. sess. 6. item Arausican. et Milevit. et S. August. passim contra Pelag. Pelagianorum enim error erat, initium virtutis et salutis non esse a Deo, sed ex nobis; hominem enim per liberum arbitrium se disponere ad gratiam, eamque a Deo poscere, itaque impetrare: quod plane falsum et erroneum est. Deus enim et Christus est quasi sol, qui sua luce et gratia omnes prævenit, nec ab ullo præveniri potest.

Secundo, ut τo *qui concupiscunt* accipiatur in sensu formali, ac τo *ut* referatur ad *qui se concupiscunt*, q. d. Sapientia præoccupat eos qui eam concupiscunt, et petunt ut illa se præoccupet, et prior se illis ostendat. Præoccupet, inquam, ad ipsam sapientiam confuse iam cognitam, particulatim et distincte cognoscendam; ignoti enim nulla cupido: quare prius est hominem in confuso cognoscere et concupiscere sapientiam, quam ab illa particulatim præoccupari et edoceri; sed illud ipsum confuse cognoscere et concupiscere sapientiam manat ab alia priore præoccupatione sapientiæ, scilicet prima et generali. Primo enim Deus in anima excitat generalem et confusam cognitionem, et concupiscentiam sapientiæ, virtutis et salutis, ut anima illam postulet a Deo. Cum ergo anima illam postulat, Deus illam ei particulatim, sed sensim et per gradus infundit. Primo enim per fidem illam illuminat; secundo, spem salutis ingerit; tertio, dolorem peccatorum immittit; quarto, actum amoris et contritionis excitat: quæ est ultima et proxima dispositio ad gratiam et iustitiam, uti docet Trident. sess. 6. Sic Ecclesia, et fidelis quisque ac iustus, assidue orat ut nova Dei gratia præveniatur ad nova et heroica sapientiæ, id est virtutum, opera edenda. Sed hæc eius oratio manat ab alia priore gratia præveniente, quæ eam ad orandum excitavit. Hæc enim est oratio Ecclesiæ in Dominica XVI. post Pentecosten: *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper et præveniat et sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Uterque sensus verus est, uterque congruus, uterque demonstrat insignem humanitatem, benevolentiam, liberalitatem, sollicitudinem et philanthropiam Dei nostri; qui ipse suo amore, vocatione et gratia nos indignos, imo peccatores et hostes suos prævenit, ut suos amicos, imo filios et hæredes efficiat. Utrobique ergo Deus nos præoccupat; utrobique sapientia, id est Dei illuminatio et gratia, nos prævenit, utrobique primas in studio sapientiæ occupat et anticipat: nam et primitus animæ sese confuse cognoscendam offert, eiusque generalem cupidinem excitat: deinde ab ea confuse cognita et concupita, in ea specialem, eamque ardentiorem sui concupiscentiam suscitat, idque in

dies magis et magis, ut eius munere gliscat animo exorta cupido, donec illa sui fiat cupidissima, totaque eius amore inflammetur. Hinc Christus Ioan. 4. 14. sic de sapientia loquitur Samaritanæ sub aquæ nomine: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Ioan. 7. 38. clamans in templo: *Si quis sitit,* ait, *veniat ad me; et qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Et Apoc. 3. 20. *Ego sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Et S. Aug. 11. Confess. 2. *Per Christum,* ait, *quæsisti nos, non quærentes te; quæsisti autem, ut quæreremus te.*

Mystice, Beata Virgo, velut æternæ Sapientiæ mater, præoccupare dicitur eos qui se desiderant, et obviare illis qui se inquirunt. Quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit; quia ipsa Virgo ad imploratorem suum audiendum velocior præcurrat. Unde Cant. 4. v. 5. hinnulis comparatur; quia, ut hi, interprete Richardo Victorino, veloces sunt ad currendum; ita B. Virgo ad succurrendum. Imo et a D. Epiphanio serm. de eius laudibus, currus Cherubicus appellatur; quia ut hic decem millibus multiplex citatissimus volat: ita et illa innumeris misericordiæ alis elata festinat, ut patrocinetur. Nec mirum, cum matris, non iudicis munere fungatur. Quo nomine velocior aliquando ad auxilium ferendum Virgo mater, quam eius filius Christus Dominus videtur, ut D. Anselmus lib. de Excellentia Virginis, c. 6. asserit: *Velocior, est,* inquit, *nonnumquam salus memorato nomine eius* (id est Mariæ) *quam invocato nomine Domini Iesu;* et rationem reddit, *quia ad Christum, tamquam ad Iudicem pertinet etiam punire: ad Virginem, tamquam ad patronam, non nisi misereri.*

Moraliter disce hic, Christiane, imitari æternam Sapientiam, puta Christum eiusque matrem, ut tam inimicos, quam amicos amore et honore præveniam, iuxta illud Apost. Rom. 12. *Honore invicem prævenientes.* Hoc enim exigit perfecta charitas et beneficentia. Si ergo vis amari, ama: magnes enim amoris est amor: hinc Christus prius homines prævenit, factus homo, ut eos ad se redamandum cogeret. Huc facit illud Luciani:

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia: namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Audi Senec. l. 2. de Benef. c. 1. *Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium, cuiusque proximum sequi, illud melius, occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat* (alii aptius legunt, *corruat*) *et suffunditur rubore; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit. Quandoquidem ut maioribus nostris gravissimis visum est: Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est;* et inferius: *Ideo divinanda cuiusque voluntas, et cum intellecta est, necessitate gravissima liberanda est. Illud beneficium iucundum victurumque in animo scias, quod obvium venit. Si non contingit prævenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur; sed certiores facti statim promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellaremur, ipsa festinatione approbemus.*

Vers. 15. QUI DE LUCE VIGILAVERIT AD ILLAM NON LABORABIT: ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBUS SUIS INVENIET.) q. d. Qui manicaverit, qui mane primo diluculo illam quæsierit orando, invocando, meditando, studendo, non laborabit, ut eam inveniat, quia ipsa mane ad se vigilanti assistit et assidet. Notat matutinum tempus, velut primum et aptissimum, dandum esse sapientiæ, id est orationi, studio et rebus divinis, iuxta illud Ps. 62. vers. 2. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et Proverb. 8. 34. *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Vide ibi dicta. Sed vigilantissimos quosque superat et prævertit vigilantia sapientiæ. Sic S. Magdalena ante auroram ivit ad sepulcrum Christi, ut eum quæreret, ideoque prima et ante Apostolos eum resurgentem videre meruit.

Pro *assidentem,* græce est παρέδρου, quo nomine Philosophi vocabant suos deos et genios familiares. Sicut Socrates genium habuit paredrum, id est assessorem. Sic hæresiarchæ habuerunt dæmones paredros. Tales quoque habent magi in annulis; at iustorum paredrus est Deus, Deique sapientia et gratia, qua de re rursum dicetur c. 9. 4.

Narrat Svetonius in Galba c. 4. et 18. illi hoc omen, tam adepti, quam adempti imperii fuisse datum: « Somniavit, ait, fortunam dicentem stare se ante fores defessam, et nisi ocyus reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram. Evigilans aperto atrio simulacrum æneum deæ, cubitali maius, iuxta limen invenit, et in larario collocatum coluit. Longe post monile pretiosissimum fortunæ destinatum, Veneri Capitolinæ imposuit. Proxima nocte somniavit speciem fortunæ, querentis fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam et ipsam, quæ dedisset; » ac paulo post imperio et vita privatus est. Vera sapientia, et fortuna fortunans est Deus, a quo omnia nostra salus et beatitudo proficiscitur: illum ergo se nobis offerentem cupide excipiamus, exceptum constanter teneamus et colamus, ut ille sua bona et dona in nobis conservet, adaugeat et perpetuet in æternum.

COGITARE ERGO DE ILLA, SENSUS EST CONSUMMATUS: Vers. 16
ET QUI VIGILAVERIT PROPTER ILLAM, CITO SECURUS ERIT.) Pro *cogitare,* græce est ἐνθυμηθῆναι in aoristo, id est, cogitasse, in animo versasse et volutasse, intellexisse et menti impressisse, ut scilicet illa menti iugiter obversetur, ac de ea assidue cogites. Unde Noster apte vertit, *cogitare* in præsenti. Adde sæpe præteritum sumi pro præsenti, præsertim apud Hebræos, qui carent præsenti. Pro *sensus consummatus,* græce est φρονήσεως τελειότης, id est, *sapientiæ perfectio est;* vel *prudentiæ et intelligentiæ consummatio est;* vel *prudentia perfecta est;* quare perperam Hulcot per *sensus,* corporis sensus hic accipit, q. d. Sapientia corrigit et perficit vitia et defectus sensuum corporeorum, puta visus, auditus, gustus, etc.

Sensus ergo primo esse potest, q. d. Qui assidue sensum, id est, sapientiam et prudentiam, eiusque dogmata et dictamina mente versat, ut ea semper ob oculos habeat, et iuxta ea actiones suas instituat et dirigat, hic perfecte sapiens et prudens est: *Et qui vigilaverit propter illam,* ut sapientiam eiusque præcepta cognoscat mentique imprimat, hic *cito securus erit,* græce ἀμέριμνος ἔσται, id est, sine cura (*securus* enim idem est quod *semotus a cura*) sine sollicitudine erit, puta quietus et tranquillus erit, indeque hilaris et lætus; nam *secura mens quasi iuge convivium: quia* talia sapienter, iuxta dictamen sapientiæ vitam instituet; unde securus erit, tum a peccato et lapsu, tum a periculis, quæ actiones difficiles comitari et subsequi solent; hæc enim sapientia prævidet et providet, unde ea vel fugit, vel abigit et propulsat, vel tolerat et fortiter superat. Securitatem ergo et tranquillitatem animo præstat sapientia, cum insipientia et imprudentia mille ei curas, angores, pericula, infelices actionum successus et damna afferat, ait Cantacuzenus. Sapiens est securus: cur?

Posset, secundo, planius sic exponi, q. d. Perfecte prudens est, qui non de rebus mundi vanis, caducis, curiosis et futilibus, sed de vera sapientia, quæ eum ad virtutem et felicitatem perducat, cogitat et sollicitus est, quomodo scilicet illam adipisci queat. Porro securus erit, quod eam adipiscetur, qui ad eam mane *vigilaverit,* id est, qui eam studiose quæsierit et vestigarit: inveniet enim eam sibi ultro occurrentem et assistentem, imo præoccupantem, uti paulo ante dixi: ita a Castro. Unde Vatabl. vertit: *Nempe de illa cogitare ad sapientiæ perfectionem pertinet, et qui vigilaverit propter eam, cito securus fuerit.* Hinc Cicero, teste S. Augustino lib. 1 contra Academ. c. 3. beatum asserit eum qui studet veritati indagandæ, etiamsi eam non assequatur. Multo magis beatus in spe dicendus est, qui in hac vita incipit studere sapientiæ et veritati, quæ Deus est, cognoscendæ, ut in cælo eum perfecte videre mereatur, fiatque beatus in re.

Tertio, Cantacuzenus sic exponit, q. d. Perfecte pru-

dentia et intelligentia est cogitare de vera sapientia discenda et comparanda. Sicut enim finis domus est tectum, hoc est, ea tegi contra cœli hominumque injurias; urbis finis est civium salus; medicinæ finis est sanitas; sic omnis scientiæ et intelligentiæ finis est vera sapientia, quæ hominem recte vivere docet et ad beatitudinem recta ducit.

Quarto, noster Lorinus: Post acquirendæ facilitatem sapientiæ, inquit, felicitatem persequitur in ejus acquisitione. Hæc autem est duplex, perfectio intellectus et mentis securitas; sive tum erroris, tum mali exclusio; ita ut falsas evellat opiniones, inflammando mentes veritatis cognitione, ac demat sollicitudines, et curas inanes expellat.

Ex hisce quatuor sensibus secundus planior et accommodatior videtur, eumque exigit vox illativa *ergo* (licet in Græco sit γὰρ, id est, *enim*, sed γὰρ subinde significat *certe*, *utique*, *nimirum*, *igitur*) quæ hanc gnomen cum præcedenti colligat, ex eaque educit et colligit, q. d. Sapientia adeo prompta et prona est ad se communicandum, ut præoccupet sui cupidos, seseque prior illis ostendat. Ergo cogitare de illa est sensus consummatus, id est perfecta prudentia et sapientia; nam sapientia ex sua promptitudine ultro et illico de se cogitanti occurret, eumque plenam et perfectam sapientiam edocebit: quare qui vigilaverit ad eam, cito securus de sapientia adipiscenda, deque omni alia cura, et re feliciter conficienda evadet. Hunc esse sensum liquet ex causa, quam Sapiens subdit: *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens*, etc. *et in omni providentia occurrit illis*. Est metonymia; cogitatio enim et studium sapientiæ vocatur *sapientiæ perfectio*, non consummate, sed inchoative, quia ad eam est via, ad eamque sensim studiosum perducit. Verba enim et nomina Hebræorum sæpe actum non perfectum, sed inchoatum significant, uti jam sæpius monui. Porro cogitatio sapientiæ inducit sapientiam; quia qui sæpe de aliqua re cogitat, illam deamat: sapientia autem amata ultro occurrit amanti, seseque illi communicat.

Mystice, consummatio sapientiæ et securitas mentis est res divinas diligenter cogitare, meditari, concupiscere, amare. Hanc autem sapientiam a Spiritu sancto progenitam, hanc securitatem a bona conscientia manantem nemo habet, nisi qui charitate erga Deum et proximum pollet.

Vers. 17. QUONIAM DIGNOS SE IPSA CIRCUIT QUÆRENS, ET IN VIIS OSTENDIT SE ILLIS HILARITER, ET IN OMNI PROVIDENTIA OCCURRIT ILLIS.) Dat causam, cur cogitare de sapientia sit sensus consummatus, et cur vigilans ad illam securus sit futurus, quia scilicet illa dignos se, id est, de se cogitantes, seque studiose vestigantes, circuit et quærit, ut ultro *in viis*, id est in omnibus vitæ actionibus, institutis, officiis, tum privatis, tum publicis, ac præsertim in gubernanda republica, hilariter se suaque omnia iis ostendat, et communicet; imo illis occurrit *in omni providentia*, græce ἐπινοίᾳ, id est, consilio, ingenio, solertia, consideratione, excogitatione, inventione, prudentia; q. d. Sapientia mille modos et rationes solerter excogitat et adinvenit, quibus sui cupidis summa cura et providentia occurrat et succurrat. Deus (qui est ipsa sapientia) inquit Nazianz. amat amari, quærit quæri, sitit sitiri, hinc mille modos adinvenit, quibus animas ad se trahat et convertat. Unde Vatabl. vertit: *Summo studio occurrit illis*; Noster vertit, *providentia*, quia sapientiæ et prudentiæ potior pars est prospicere futura, eaque si bona sint, accersere; si mala, avertere. Simili modo, sed contrario fine meretrix luxuriæ et voluptatis occurrit juveni incauto, illumque suis deliciis inescat, dementat, perdit et necat, uti describitur Prov. 7. 14. et seq.

Posset secundo, ἐπινοίᾳ referri, non ad sapientiam, sed ad studiosum sapientiæ; huic enim in omni ἐπινοίᾳ id est cogitatione et deliberatione occurrit, seseque sistit sapientia, q. d. Quandocumque animus prudens aliquid prudenter et provide cogitat et meditatur, ibi statim occurrit sapientia, ipseque Deus; quare saluberrimum est de sapientia, deque Deo et rebus divinis cogitare et loqui: ibi enim illico inserit se Deus, sicut Christus inseruit se discipulis euntibus in Emaus, cum de se loquerentur. Ita Cantacuz. et Jansen.

Hic sensus appositus quoque videtur, satisque respondet Græco: Ta enim in omni *providentia*, vel ut nonnulli legunt, *prudentia occurrit*, respondet τῷ *in viis ostendit*: prudentiæ enim et providentiæ humanæ munus est, ut homini prudenter vias, id est actiones suas naturales, instituere volenti, seseque consulenti, suggerat in omnibus rationes et media opportuna, quibus idipsum efficiat. Prudentia vero et sapientia divina, multo magis id præstat in actionibus supernaturalibus et divinis. Omnes hæ metaphoræ significant Deum suam sapientiam (puta sua præcepta et consilia, sua divina lumina) libentissime communicare his qui eam cupiunt, imo ad hoc gestire, ut ultronea voluntate, et benignissima liberalitate beneficia sua in cupidos profundat: quare par est ut homines simili voto respondeant et occurrant Deo, ut eam ab illo ardenter postulent et exquirant, uti sponsa quæsivit sponsum, dicens: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea*, Cant. 3. 2. Ita Christum quæsivit S. Magdalena, ideoque invenit magno suo bono et felicitate.

Uterque sensus jam datus, congruus est et connexus. Eadem enim est prudentia et providentia, quæ ab homine quæritur consuliturque, et quæ homini quærenti consulentique occurrit, rationesque prudenter operandi in omnibus rebus, præsertim gravioribus et magis arduis, suggerit. Sapientiam matrem suam imitentur viri sapientes, ut zelum ejus induentes circumeant quærentes dignos et dispositos, quibus sapientiam suam communicent, illisque eam ostendant, non tarde, tetrice, morose, sed celeriter, hilariter, jucunde (*hilarem enim datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9.) atque in omni providentia illis occurrant et succurrant, uti fecit Christus Dominus, S. Petrus, S. Paulus, cæterique Apostoli et viri Apostolici ac Religiosi, qui animas ad Dei cognitionem et amorem traducere satagunt.

Symbolice, S. Greg. 26. Mor. c. 8. per *vias* accipit creaturas, quibus ascendimus ad creatorem. « In viis, inquit, ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrit illis. Viæ quippe ad creatorem sunt opera considerata creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a sapientia omni nobis providentia occurritur; quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur; et quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. »

Huic expositioni favet Græcum φαντάζεται, quod Noster vertit, *ostendit*, scilicet quasi per visum et phantasma per phantasmata enim rerum creatarum mens assurgit ad pure contemplandum earum creatorem, ibique quietem, hilaritatem et omne bonum invenit, ut dicat cum S. Francisco: *Deus meus et omnia*. Nam ut sapienter ait S. August. l. 4. Confess 10 *Quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te*.

INITIUM ENIM ILLIUS VERISSIMA EST DISCIPLINÆ CONCUPISCENTIA.) Græce ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη παιδείας ἐπιθυμία ubi τὸ ἀληθεστάτη tam referri potest ad ἀρχὴ, id est *initium*, huc que inclinat articulus ἡ quam ad ἐπιθυμία, id est *concupiscentia*. Ad ἀρχὴ refert Cantacuzenus, Jansenius et Osorius; unde vertunt: *Initium enim illius verissimum est, disciplinæ concupiscentia*, q. d. Varia assignari solent initia sapientiæ, sed verissimum ejus initium est concupiscentia disciplinæ, sive, ut ait Osorius, verissimum sapientiæ fundamentum, illius cupiditate et inflammato desiderio continetur. Vers. 18.

Noster vero, Vatabl. et alii τὸ ἀληθεστάτη referunt ad ἐπιθυμία, unde vertunt: *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia*. Probat enim id quod dixit sapientiam occurrere, imo præoccupare eos qui se concupiscunt, ex eo, quod concupiscentia disciplinæ sit initium sapientiæ: disciplina est enim comes et soror sapientiæ.

Sensus ergo est, q. d. Dixi sapientiam occurrere non omnibus, sed sui cupidis; quia concupiscentia, sive desiderium disciplinæ (quæ parit sapientiam) non quale quale, sed verissimum, id est purissimum, ac plane remotum ab omni simulatione, fuco et cupiditate; item verissimum, id est integrum, quod totum sapientiæ incumbat, nec ad alia desideranda se distrahat (postulat enim totum hominem) est verum et proprium sapientiæ practicæ, salutiferæ ac divinæ initium. Multi enim concupiscunt disciplinam, ut per eam ad honores, opes et status promoveantur; hi non habent concupiscentiam eius veram et sinceram, ideoque non habent initium sapientiæ. Porro disciplina, ut dixi v. 12. est castigatio pravarum affectionum et cupiditatum; per hanc enim datur initium sapientiæ et virtutis, si nimirum disciplina concupiscatur verissime, id est non ambitiose, non curiose, non torpide, non quæstuose, non partite; sed humiliter, candide, ferventer, pie et pure, totaliter et integre. Sicut enim desiderium sanitatis, scientiæ, artis, est initium sanitatis, scientiæ et artis; sic philosophia est initium sophiæ, id est, sic amor et desiderium sapientiæ, sive virtutis, magnum est sapientiæ et virtutis principium, iuxta illud:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

tum quia, qui vehementer aliquid desiderat, totus in illud incumbit, omnes vires explicat, omnes difficultates subit et superat; tum quia virtus consistit in voluntate, cuius actus est desiderium. Quid enim est humilitas, nisi amor et desiderium se demittendi? Quid est patientia, nisi amor patiendi? Quid charitas, nisi desiderium amandi? Quare quantum, quamque ardens et efficax est in voluntate desiderium virtutis, tanta implicite in ea, tamque ardens et efficax est ipsa virtus. Qui ergo in virtute quapiam crescere satagit, eius desideria in se ardentia et efficacia crebro excitet: sic mirifice in ea proficiet. Tantus igitur in virtute es, quantus in ea efficaciter esse vis. Hoc desiderium sapientiæ habebat S. August. lib. 11. Confess. cap. 2. *Sint*, inquit, *castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis.* Hinc et iustificationis initium, et ad illam dispositio est, ut peccator gratia Dei præventus iustitiam concupiscat, illamque a Deo postulet, atque Christum velut iustitiæ fontem diligere incipiat, ait Concil. Trident. sess. 6.

Obiicies: *Initium sapientiæ est timor Domini.* Ps. 110. vers. 10. quomodo ergo hic dicitur, quod initium sapientiæ sit disciplinæ concupiscentia? Respondetur: Timor Domini est disciplinæ concupiscentia, quia timor hic est amor Dei, qui secum affert concupiscentiam et amorem disciplinæ. Vide dicta Eccli. cap. 1. vers. 16.

Initium virtutis est eius desiderium.

Moraliter, hic disce initium et viam ad sapientiam, id est virtutem et perfectionem, esse ingens eius desiderium. Audi nostrum Alvarez de Paz de Perfect. in proœm. Sicut summa humani cordis perversitas a desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitatus et victus malum semel patrat et ex uno peccato in aliud ruit, quousque ad consuetudinem veniat, et ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam miseriam cadat; ita eiusdem cordis summa perfectio a desiderio boni incipiat necesse est, quod desiderium vires accumulans, et mentem hominis sæpe sollicitans in opus prodeat, et ex bonorum operum iteratione virtutis consuetudinem pariat, et ex bona consuetudine in amorem boni propter seipsum, atque adeo in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est ianua, per quam humana mens in sanctuarium, sive in ipsam sanctitatem, ingreditur. Est ventus, quo navigium cordis impulsum, a seipso, et a rebus terrenis discedit, et felici cursu in puritatem enavigat. Est primus gradus, quo quis a malo desciscit, et sensim paulatimque progrediens, tandem in perfectæ virtutis possessione collocatur.

Vers. 19. CURA ERGO DISCIPLINÆ, DILECTIO EST; ET DILECTIO, CUSTODIA LEGUM ILLIUS EST: CUSTODITIO AUTEM LEGUM, CONSUMMATIO INCORRUPTIONIS EST) Ex eo quod dixit sapientiam occurrere iis qui se cupiunt, commendat cupiditatem sapientiæ, et in eius laudes excurrit, atque per gradationem et soritem, id est acervalem syllogismum, eius dotes et fructus eximios enumerat. Pro *ergo* græce est δὲ, id est *autem vero* ut gradatio incipiat v. præced. q. d. Initium sapientiæ est disciplinæ concupiscentia; concupiscentia autem disciplinæ, eiusdem parit curam et sollicitudinem: cura parit dilectionem, dilectio custodiam legum, hæc incorruptionem, quæ facit proximum esse Deo per regnum æternum quod disciplinæ, sive sapientiæ, cupido affert. Aut ut Noster a Castro, q. d. Verissimum initium sapientiæ est eius cupiditas: cupiditas curam auget, cura amorem, amor ad observantiam legis animum accendit: porro observantia divinæ legis certum reddit hominem de futura incorruptione: incorruptio vero ad Deo fruendum perducit; cupiditas ergo sapientiæ deducit ad Dei regnum.

Verum, quia non dicit Sapiens: *Concupiscentia disciplinæ est cura disciplinæ*, sicut dicit: *Cura disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est*, etc. hinc Noster aptius censuit hic inchoandam esse gradationem, atque concupiscentiam disciplinæ esse eamdem cum cura disciplinæ: qui enim aliquid concupiscit, curat et sollicitus est, ut idipsum assequatur. Unde pro δὲ, id est, *vero*, vertit, *ergo*, quæ sæpe est particula non illativa, sed sermonis inchoativa, idemque valet, quod *itaque*. Idem valet subinde Græcum δὲ et Latinum *vero*, ut scilicet sit particula non adversativa, sed expletiva vel ornativa. Unde Terent. in Eunucho:

Id vero, inquit, *quod ego puto mihi palmarium*
Me reperisse.

Ubi Donatus: Nisi, inquit, ornativum esset *vero*, nihil significaret. Sensus ergo est, q. d. *Initium sapientiæ*, et consequenter felicitatis, omnisque boni, est concupiscentia sive cura disciplinæ. Ostendit deinde idipsum per partes gradatim ascendendo usque ad regnum æternum, aitque: *Cura ergo disciplinæ*, etc. q. d. Itaque concupiscentia sive cura disciplinæ est dilectio, id est conciliat dilectionem, sive charitatem; quantum enim per disciplinam et castigationem reprimitur et decrescit cupiditas, tantum dilatatur et accrescit charitas, adeoque plena charitas est nulla cupiditas, ait S. Augustinus. *Dilectio vero custodia legum illius est*, id est, charitas impellit, suadet et efficit custodiam legum; qui enim Deum amat, utique eius mandata custodit: sicut qui amat regem, eius iussa exsequitur; et qui diligit amicum eius voluntatem explet.

CUSTODITIO (græce, προσοχὴ, id est attentio, diligens auditio, et accurata diligentia ad leges Dei, quas audivimus et cognovimus, custodiendas et observandas) AUTEM LEGUM CONSUMMATIO (græce, βεβαίωσις, id est confirmatio) INCORRUPTIONIS EST.) S. Athanas. de Incarnat. Verbi: *Attentio et observatio legum, constabilitio est immortalitatis*; Vatabl. *Observatio legum, integritatis, vel immortalitatis, constitutio est*, id est statumen, basis et firmamentum est. Incorruptio hæc vel integritas, tum generatim pro virtute et puritate accipi potest, q. d. Custodia legum facit, ut homo sit integer et perfectus secundum omnes virtutes, omniumque virtutum leges ac præscripta. Ita Hugo, tum proprie pro castitate, q. d. Custodia legum affert castitatem (hæc enim una est ex legibus a Deo sancitis et cæterorum legum decus et complementum) quæ facit, ut homo sit integer et incorruptus, tam mente, quam corpore. Unde Climacus gradu 15. et S. Basil. l. de Virginit. docent castitatem esse virtutem, quæ homines faciat angelos, illamque esse, tum semen, tum typum futuræ incorruptionis in gloria cœlesti, imo illam homini indere similitudinem Dei integri et incorruptibilis, quantum fas est mortali, mente æque ac corpore Deo assimilari. Unde sequitur: *Incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Hinc et multorum multarumque virginum corpora post mortem incorrupta manserunt, et etiamnum manent. Hinc rursum ex Græco vertas: *Custodia legum est firmamentum immortalitatis*: quia sicut violatio legis, de non comedendo pomo vetito facta ab Adamo, fuit causa corruptionis et mortis, tam eius quam posterorum omnium; sic custodia legum est causa incorruptionis et immortalitatis, quia illam meretur consequi in futura resurrectione. Ita Lyranus et Dionysius.

Nota. Omnes hæ gradationes et gnomæ in sensu, non formali, sed causali explicandæ sunt. Non enim custodia legum est consummatio incorruptionis et immortalitatis formaliter, ut patet; sed causaliter, quia scilicet eam causabit, ac plenam et consummatam immortalitatem Beatis efferet in cælo. Hinc Clemens Alex. l 6. Strom. paraphrastice sic vertit, vel potius explicat: *Ergo dilectio cognitionis facit olicanm ob interitu, et eum qui est regolis prope Deum extollit.* Pro quo Noster vertit.

Vers. 20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo.) Græce: *incorruptio antem facit esse prope Deum*, id est proxime Deo. Sæpe enim positiva pro superlativis usurpantur. Syrus: *Veritas quæ non corrumpitur, et opus quod est sine corruptione, approximant ad Deum;* Arabicus: *Et privatio tentationis ponit hominem proximum Deo;* Arabes tentationem vocant omne malum, omnem corruptionem. Pergit in gradatione, q. d. Integritas mentis, quam affert custodia legum, facit ut homo sit similis Deo per gratiam et sanctitatem, eademque faciet ut homo sit Deo similis in cælo per immortalitatem et gloriam, iuxta illud: *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est,* 1. Ioan. 32. Visio enim Dei nos beabit, facietque ei similes. Unde S. Iren. l. 4. contra hæres. c. 75. *Visio Dei*, inquit, *efficax est, incorruptelæ; incorruptela vero proximum facit esse Deo*, qui et paulo ante: *Subiectio Dei*, inquit, *incorruptelæ perseverantia est; incorruptela autem gloria infecti*, q. d. Incorruptio est dos et gloria propria Deo, qui non est factus sed per se semper exstitit; e quo eamdem participant iusti et beati, illi plane subiecti et uniti. Esto enim damnati sint futuri quoque immortales; tamen erunt in perpetuis tormentis; unde erunt corruptibiliter incorruptibiles, et mortaliter immortales. S. Bonavent. per *incorruptionem* accipit virginitatem: hæc enim facit integros mente et corpore, ac proximos Deo, imo castas animas facit sponsas Dei. Unde virgines proxime sequuntur Agnum quocumque ierit. Apoc. 14. 4. Verum hæc partialis est incorruptio; totalis vero est custodia legum, quæ competit omnibus iustis. Huc facit illud Plinii in Panegyr. Traiani. Nil præstabilius aut pulchrius decorum, quam castus et sanctus, et diis simillimus princeps. Et illud, quod scribit Plutarch. l. Quod enim principe philosophandum sit, Minoem esse Iovis discipulum: *Non enim*, inquit, *privatos homines, vel otiosos deorum voluerunt esse discipulos, sed reges, qui sapientiam et virtutes animi consecuti, ea essent ad utilitatem omnium conversuri.*

Huc quoque facit illud Arist. 10. Ethic. c. 8. « Qui mente operatur, et eam colit, disponitur optime, is et amicissimus diis immortalibus esse videtur. Nam si dii curam humanarum rerum, ut existimatur, aliquam habent, rationi sane consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere quod est optimum, maximeque sibi cognatum, hoc autem fuerit ipsa mens; et in eos, qui maxime hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre, tamquam curam habentes eorum, quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, et recte beneque agentes. At constat hæc omnia maxime sapienti inesse; amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus est; eumdem autem convenient est et felicissimum esse; quare sapiens hoc quoque modo maxime fuerit felix ».

Vers. 21. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.) Hæc est clausula et culmen gradationis, atque soritis, q. d. Concupiscentia disciplinæ, et illi connexæ sapientiæ, facit incorruptus et proximos, imo similes Deo per gratiam et gloriam, itaque tribuit eis regnum Dei perpetuum, eosque facit reges cælestes et æternos; hoc enim regnum debetur, ac paratum et promissum est sapientibus, id est iustis, qui custodiunt legem, ac per integritatem vitæ proximi sunt Deo: hoc enim ut notum Sapiens hic subaudiendum relinquit. Quis ergo non concupiscat, quis non ambiat sapientiam, id est virtutem et sanctitatem, quæ sui studiosos adeo beat, exaltat, glorificat? Noster a Castro censet, hic agi de regno terreno, non cælesti, idque probat ex v. seq. Verum esto superficie tenus

A hæc gnome accipi possit de regno terreno quod longævum et per multa sæcula propagatum præstat sapientia, uti præstitit Davidi; tamen plene et perfecte accipienda est de regno cælesti; hoc enim solum est perpetuum, facitque Beatos, incorruptos, immortales et proximos Deo; licet enim Το *perpetuum* non sit in Græco; tamen satis ex sequenti versu intelligitur. Unde illud legit S. August. in speculo, Cantacuzenus et alii. Nam regnum, non tantum terrenum, ut vult a Castro, sed etiam cæleste promitti Iudæis in veteri testamento liquet ex cap. 5. 17. *Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini;* et Clarius Daniel 7. 27. *Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum*, etc.

Similem gradationem et soritem per similes gnomarum et præmiorum, velut annulos connexum et concatenatum videre est in Codice legum Visigothorum l. 1. tit. 2. c. 6. qui annexus est Cassiodoro: « Sicut modestia principum, inquit, temperatio est legum, ita concordia civium, victo-
B ria est hostium. Ex mansuetudine etenim principum oboritur dispositio legum; ex dispositione legum, institutio morum: ex institutione morum, concordia civium; ex concordia civium, triomphus hostium; sicque bonus princeps interna regens, et externa conquirens dum suam pacem possidet, et alienam litem abrumpit, celebratur et in civibus rector, et in hostibus victor; habiturus post labentia tempora requiem sempiternam; post luteum aurum cæleste regnum; post diadema et purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiat esse rex; quoniam dum regnum terrenum relinquit, et cæleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam, sed auxisse ».

Hoc enim omnibus votis optandum et orandum est regibus, ut cum S. Ludovico de regno isto terreno et caduco ad cæleste et æternum transferantur. Omnis enim gloria regni terreni instar umbræ pertransit, et instar fumi statim evanescit.

C Si ergo delectamini sedibus (thronis regalibus) et sceptris, o reges! (græce, o *tyranni*!) populi diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.) Pro *diligite*, græce est τιμήσατε id est honorate, in pretio habete, raram et charam ducite. Pro *sceptris* S. Aug. in Speculo legit, *stemmatibus*: S. Bonav. *schematibus*, sed perperam. Sensus est, q. d. O reges, si regnum et regnare vos delectat, diligite sapientiam, ut sapienter, id est æque, iuste et probe regnum administretis; sic enim regnabitis in sæculum, ut habent Græca, id est longævum et diuturnum vobis durabit regnum in terris, atque ex eo ad regnum in cælis æternum transferemini. Quid enim vobis proderit, ait Cantacuzenus, si a solio non ad cælum, sed ad exitum gehennæ, si e purpura ad ignem, a sceptro ad vincula, a corona ad ergastula inferorum tradamini? Quid profuit Salomoni tanta regni opulentia, maiestas et gloria? imo quid non obfuit, cum ei sapientiam excusserit, eumque fœminarum et idolorum mancipium fecerit, ut iure de eius salute dubitetur? Audiant ergo omnes sanctum Vers. 22
D Greg. hom 15. in Evang. *Si ergo, fratres carissimi, vere esse divites cupitis, veras divitias amate; si culmen veri honoris quæritis ad cælesta regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate.*

Iterum compellat et adhortatur reges et principes, ad studium sapientiæ, id est prudentiæ et virtutis, ex eo quod sapientia regnum stabiliat et perpetuet. Hinc liquet librum hunc maxime ad principes spectare, eisque scriptum et dicatum esse. Assignat ergo hic verum rationem et modum regni acquirendi, administrandi, conservandi et propagandi, nimirum sapientiam, id est iustitiam et probitatem; cuius reges admonet solium iudiciarium et sceptrum, quod iustitiæ est typus et symbolum. Sceptrum enim primitus erat baculus, vel virga recta. Unde Hebr. vocatur שבט *scebet*, id est virga, baculus, vel pedum pastorum, ut significetur regem esse pastorem populorum, ut ait Homerus, ac proinde eadem æquitate, benignitate, curæ et vigilan-

tia debere regere populum, qua pastor regit oves. Porro baculus hic olim ære, deinde auro ornabatur, non ad severitatem, sed ad firmitatem et durationem, uti ostendit noster Martinus de Roa l. 2. Sing. c. 5. Idem significat pedum pastorale, quo utuntur omnes Episcopi, excepto Pontifice, qui universalis est omnium pastor. Pedum, inquit Paulus Iuriscons. est pastoralis baculus incurvus, ita dictus quia illo oves pedibus comprehenduntur. Baculum habet Episcopus, ait Beda, in Collect. ut subditos regat, infirmos sustineat. Consecrans Episcopum tradit ei pedum, dicitque ut habet Ordo Rom. *Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvendi, et sis in corrigendis vitiis perseverans, iudicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens*; vel ut in eodem libro: *Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasque potestatem erigendi dignos, et corrigendi indignos cooperante Domino nostro.* Hinc carmen de pedo, eius tres partes, trinaque officia significans:

Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pungit.

Vide Ioannem Stephanum Durantum l. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. 9. n. 3*. et seq. et Iosephum Stephanum lib. de Potest. Pontif. c. 8 n. 5.

Sapientia est dos regendi.

Exempla.

Huc facit sapientiæ emblema. Sapientia enim pingitur ut heroina, dextra librum tenens, sinistra sceptrum; liber notat studium quo acquiritur sapientia: sceptrum notat honores et imperium, quos ipsa confert. Unde Cicero l. 1. de Or. et in Tusc. exclamat: *O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti.* Aristoteles l. 1. Rhetor. *Sapere*, inquit, *est quiddam aptum ad imperandum.* Vespasiani Imperat. teste Philostr. l. 5. cap. 10. et 11. hoc erat votum: *O Iupiter da, ut sapientibus imperem, et mihi sapientes. Quocirca sapientibus viris fores patere volo.* Senec. epist. 108. scribit de Attalo præceptore suo: *Ipse se regem esse dicebat, sed plusquam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium.* Plutarch. lib. de Iside tradit, *Ægyptios* solere regem eligere ex sacerdotibus ob sapientiam, vel militibus ob fortitudinem; sed hos sacerdotibus operam navasse, ut disceret sapientiam. Platonis nota vox est: *Florerent et felices forent civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur*, uti fecit Antonin. Imper. Idcirco cognominatus Philosophus, cuius etiamnum scripta philosophica exstant. Theodosius Imp. Arcadium et Honorium filios suos in disciplinam dedit Arsenio, sapientia et sanctitate celebri; quia et Philippus rex Alexandrum Magnum filium suum erudiendum tradidit Aristoteli. Denique ipsa sapientia palam proclamat Prov. 8. *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt. Philosophia*, ait Cicero, *omnia quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque casus contemnit humanos.* Unde Diogenes rogatus: *Quid ei Philosophia boni contulisset?* respondit: *Hoc, ut comparatus sim ad omnem fortunam.* Et Dionysius tyrannus regno Siciliæ pulsus rogatus: *Quid boni a Platone eiusque philosophia hausisset? ut æquo animo*, ait, *hanc fortunæ commutationem feram; ipsa enim docet animo et passionibus imperare et dominari.* Quocirca Zeno dicebat sapientes philosophos, non tantum esse liberos, sed et reges. Cum Cyrus filium Cambysen designaret imperii successorem: *Te, mi Cambyses*, dixit, *scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod regnum tibi conservet; sed amici fideles regibus et verissimum et tutissimum sceptrum sunt. Id negari non potest; at multo melius ab ipsa sapientia præsidium est, per quam reges regnant.* Ita Xenophon l. 8. Cyripædiæ.

Mira posterorum Caroli Magni sanctitas et gloria

Porro quantum sapientia, id est, probitas, pietas, piaque parentum educatio, regales familias prolesque illustret, ac honoribus, opibusque et regnis æque ac sanctitate et meritis adaugeat, in iisque stabiliat et confirmet, liquet ex familia Caroli Magni, quæ continuos per multa sæcula duces, regesque protulit, rerum gestarum gloria in cælo æque ac in terra conspicuos, idque ex pia institutione S. Modoaldi Archiepiscopi Trevirensis, et S. Arnulphi Episcopi Metensis, a quibus prognata descendit. Nam Itta S. Modoaldi soror, pietate præstans, nupsit Beato Pipino primo Brabantiæ Duci, qui Dagobertum regem Francorum, cuius domui præerat, in luxuriam effusum, reprehendit, refrænavit, ac ad vitam castam probamque reduxit. Unde hæc Pipino dantur elogia in Vita S. Modoaldi: *Pipinus probatissimæ vitæ fuit, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via ducum, et disciplina regum.* Eo vita functo uxor eius B. Itta, a S. Amando sacrum velum, sanctæque religionis habitum suscepit, in eoque sancte vitam finivit. Horum proles fuere duæ filiæ, S. Gertrudis monasticen æque ac mater professa Nivellis in Brabantia, ubi etiamnum religiose colitur, et B. Begga, quæ nupta Ansigiso, S. Arnulphi Metensis Episcopi filio, ex eo genuit Pipinum secundum, qui Theodoricum regem Francorum prælio superavit. B. Begga, mortuo marito, monasterium Andanæ construxit, in eoque monasticen professa, meruit in catalogum Sanctorum referri; unde dies eius natalis in Martyrologio recolitur die 17. Decembris. Pipini secundi filius fuit Carolus cognomento Martellus, eo quod Saracenos instar mallei contuderit; unde eius elogium celebratur: *Nolo regnare sed volo regibus imperare.* Martelli filii fuere B. Carlomannus, qui relicto Ducatu, monasticam vitam amplexus in Monte Cassino, humilitatis Religiosæ exemplo præfulsit; et Pipinus tertius cognomento Brevis, qui merito prudentiæ suæ et virtutis, acclamantibus ducibus et populis, a Stephano Papa creatus et coronatus est Francorum rex anno Domini 753. Pipinus hic Romam et Italiam ob Aistulphi regis incursibus liberavit. Pipini huius filius fuit Carolus rerum gestarum gloria Magnus, cui proinde Leo III. Pont. Imperii coronam imposuit. Carolo successit filius Ludovicus, cognomento Pius. Ludovico successit filius Lotharius (a quo Lotharingia, illi subiecta nomen accepit) qui Augustus Imperator, ac paternæ religionis hæres, post plurima tam sapienter, quam fortiter gesta, regnum filiis suis divisit, relictoque sæculo, ac sanctæ conversationis habitu in monasterio Promiensi suscepto, in eodem cursum vitæ feliciter consummavit. Hæc omnia habent Francorum Annales, ac Vita S. Modoaldi, a Stephano Abbate Leodiensi viro gravi graviter conscripta, quæ exstat apud Surium die 12. Maii. Hosce velut avos et atavos imitentur Galliæ reges et principes, cæterique omnes, si regnum perpetuare, ac iustitia et probitate rempubl. efflorere peroptant; erudiantur horum exemplo potentes, qui iudicant terram. Fusius hæc narravi, quia, ut ait S. Hieron. *Vita Sanctorum est interpretatio Scripturarum.*

DILIGITE LUMEN SAPIENTIÆ OMNES QUI PRÆESTIS POPULIS.) Hæc gnome non est in Græcis codicibus, sed Latinis omnibus. Hinc veteres clypeum rotundum dicabant Palladi, quo significabant orbem totum regi a sapientia; sapientiæ enim præses erat Pallas. Unde Martianus Capella de Pallade canit: *Vers. 25.*

Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.

Ita Pierius Hierogl. 42. cap. 42. Dictum est vetus: *Romanorum clypeus fuit Fabius Maximus: gladius vero Marcellus.* Porro principes sunt doctores et ductores populi; quanta ergo eos luce sapientiæ pollere oportet, ut omnes sua doctrina, sanctaque vita illuminent. Unde ab Isaia c. 29. 10) vocantur oculi: *Miscuit*, inquit, *vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros.* Quocirca principes orationi se addicant, ac cum Salomone a Deo sapientiam postulent, ac in dubiis ad Deum recurrant. In oratione enim Moses luce Dei afflatus cornua, id est radios lucis faciei affixos, accepit, Exodi 34. 30. Quia et Augustus Cæsar, inquit Sueton. cap. 79. Vitæ eius: *Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem*

solis vultum submitteret. Tiberius quoque Augusti successor, ut ait Svetonius c. 68. Vitæ eius: *Prægrandibus fuit oculis, et qui (quod mirum esset) noctu etiam et in tenebris viderent, et cum primum e somno patuissent.* Hæc est claritas oculorum corporis, sed illi præstat fulgor oculorum mentis.

Rex similis angelo primo. Sapienter S. Thomas l. 3. de Regimine principum c. 3. regem comparans angelo primo, qui proxime a Deo illuminatur, et cæteros illuminat: *Irradiationis tam dictæ,* inquit, *ad bonum regimen necessaria et in principe et in subditis, motum circularem cognoscimus, rectum et obliquum. Motus rectus ideo dicitur, quia fit per divinam illuminationem super principe ad bene regendum, et a principe in populum meritis principis. Sed obliquus est, quando per divinam illuminationem sic subditos regit, quod virtuose ipsi vivunt et insurgit in eis divina laus et gratiarum actio, ut sit quasi quædam arcualis figura ex chorda recta et arcu obliquo. Sed circularis motus divinorum radiorum dicitur, quando divina illuminatio irradiat principem, et a principe subditum, ex quo quidem elevatur ad Deum contemplandum et diligendum: qui ideo circularis motus vocatur, quia est ab eodem in idem. Nam a Deo in principem, ab hoc in subditos, ab his ad Deum reditur.*

Denique, quam sapientia necessaria sit principi, præclare docet Plato lib. 5. de Republica, Stobæus serm. 46. qui est de regno, Lipsius 4 Polit. c. 10. Tiraquel. lib. de Nobil. c. 5. et noster Pineda lib. 7. de Rebus Salom. c. 9.

Vers. 24 QUID EST AUTEM SAPIENTIA, ET QUEMADMODUM FACTA SIT REFERAM: ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI, SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, ET PONAM IN LUCEM SCIENTIAM ILLIUS, ET NON PRÆTERIBO VERITATEM.) Hucusque fuit parænesis sive adhortatio ad sapientiam, nunc eius originem, naturam et dignitatem, modumque eam assequendi describit, q. d. Hactenus omnes adhortatus sum ad sapientiam; nunc ut efficacior sit mea exhortatio, explicabo eius naturam, originem et definitionem; quidnam scilicet sit sapientia, quomodo facta, græce ἐγένετο, id est, orta sit; tum in se ex Deo, idque præcipue; tum in me, id est, quomodo ego eam adeptus sim per orationem. Loquitur auctor in persona Salomonis, ut patet cap. seq. v. 5.

ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI.) Græce *mysteria*, et τὸ *Dei* non est in Græco, sed intelligitur. Mysteria enim propria sunt Dei, præsertim origo sapientiæ; hæc enim ab æterno in Deo abscondita, ab eo in tempore hominibus revelata fuit, iuxta illud Iob 28. 20. *Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium, etc. Deus intelligit viam eius, et ipse novit locum illius.* Idem videre Philosophi.

Emblema sapientiæ. Nam Plutarch. lib. de Iside narrat templo Minervæ, quæ dea credebatur sapientiæ (in cuius capite et galea sphinx visebatur, teste Pausan. in Attic. sphinx autem implicatarum et abstrusarum rerum erat symbolum) hoc emblema fuisse inscriptum: *Ego sum omne quod exstitit, est, et erit, meumque velum nemo adhuc mortalium revelavit.* Additque Deum ab Ægyptiis nuncupatum Amum, vel Amonem, id est occultum, eoque nomine ab eis invocatum, ut se revelare dignaretur.

SED AB INITIO NATIVITATIS; græce γενέσεως, id est generationis et originis, tum meæ, ut vult Hugo et Lorinus; tum potius ipsius sapientiæ, ipsam INVESTIGABO) Unde Vatabl. *Sed a prima origine cognitionem eius investigabo.* Id facit cap. sequenti, ubi narrat originem sapientiæ, tum in se, quod scilicet orta sit ex Deo v. 25. tum in Salomone, qui ibidem v. 1. et seq. operose narrat exordia nativitatis suæ, atque ex eius ignorantia, tenebris et ærumnis, ascendisse se ad invocandam obtinendamque sapientiam commemorat.

ET PONAM IN LUCEM; græce, εἰς τὸ ἐμφανές, id est in perspicuum, SCIENTIAM ILLIUS (Vatabl. *palam faciam cognitionem eius*) ET NON PRÆTERIBO VERITATEM.) Non parcam veritati, nec eam celabo ex invidia aliove pravo affectu, ut sequitur, sed candide et liberaliter omnibus communicabo.

Mystice, de nativitate Christi hæc accipit Phœbadius in Galliis Episcopus lib. contra Arrianos tom. 5 Biblioth. ubi cum docuisset a Spiritu sancto nobis revelari Filium, omnemque veritatem, adiecit: *Est enim Spiritus notitiæ et veritatis, per quem Salomon de Dominica nativitate Sap. 6. Quid sit, inquit, sapientia et quemadmodum facta sit referam, et ab initio nativitatis investigabo eam;* unde ipse infert: *Ergo per eumdem Spiritum possumus invenire, quod quærimus.*

NEQUE CUM INVIDIA TABESCENTE ITER HABEBO: QUONIAM TALIS HOMO (invidus) NON ERIT PARTICEPS SAPIENTIÆ) Unde liquet τὸ *tabescente* non referri ad τὴν *invidia*, sed ad hominem invidum, q. d. Nulla mihi sit communicatio, nullum consortium cum invido, qui ex invidia sapientiam celat eamque aliis invidet: hic enim nequit particeps vel capax esse sapientiæ, quia invidiæ livor eum excæcat et obnubilat, ut sapientiam, quæ benevola est suique communicativa cernere non possit; qua de causa ipsa sapientia fugit invidum et malevolum, iuxta illud c. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia:* quia sapientia hæc est ipsa sanctitas, bonitas et charitas, cui ex diametro adversatur invidia. Unde Vatabl. *Neque vero tabido invidiæ concessero, qui non potest sanum habere de sapientia iudicium:* hoc est, ut ait Noster a Castro: *Non imitabor invidia tactum, ne communicem sapientiam;* non versabor, nihil commune habebo, nec cum eo agam qui invidia tabescit; quo verbo natura livoris et invidiæ significatur, nam Vers. 23

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,

sapientia enim se omnibus communicat, quia *sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Eccles. 20. 32. et veteres apertas dixerunt Musarum fores, quoniam dona Dei candide ac liberaliter sunt communicanda.

Hinc et Plato asseruit invidentiam procul esse a Deo, et a choro divino. Atque eum de more secutus Philo libr. *Quod omnis probus sit liber:* Sapientia, inquit, cum nihil ea sit divinius, et magis expositum, numquam claudit suum auditorium, sed patentibus ianuis admittit sitientes. Id secutus Salomon cap. seq. v. 13. ait: *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico,* instar solis, qui omnibus lucis suæ radios impertit.

MULTITUDO AUTEM SAPIENTIUM, SANITAS (græce σωτηρία, id est salus) EST ORBIS TERRARUM: ET REX SAPIENS, STABILIMENTUM POPULI EST.) Hoc est, firmus et stabilis populi status consistit in prudentia regia. Dat causam, cur nolit rem habere cum invidis, nec eos imitari, qui sibi soli volunt sapere, caventque ne multi eis in sapientia, evadant similes, quia scilicet optandum est multos esse sapientes: horum enim multitudo est sanitas, id est salus, orbis terrarum, quia sapientes sua doctrina sanctaque vita, omnes ad virtutem et salutem perducere satagunt; quare rex sapiens est stabilimentum, id est basis et columen populi, quia eum in omni virtute et bona eruditione, conservare et promovere satagit: *Non est Scriptura,* inquit S. Aug. lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 5. *multitudo eloquentium, sed sapientium, sanitas est orbis terrarum;* addit tamen S. August. *Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto facilius salubritas prodest.* Quocirca Carolus Magnus instaurans per totum regnum suum studia litterarum, exclamavit: *O utinam haberem duodecim Clericos ita doctos et omni sapientia instructos, uti fuere Hieronymus et Augustinus!* Cui subindignans Albinus Flaccus Caroli magister: *Creator cœli et terræ,* inquit, *similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim?* Ita refert Sangallensis lib. 1. de Gestis Caroli Magni. Vers. 25

Porro vox *sanitas* et *salus* significat sapientem esse medicum, qui curet aliorum infirmitates. Unde S. Basil. regul. 30. inter fusius disputatas, cum quæsisset, qua animi affectione superior aliorum curam suscipere debet? respondet: « Ut qui sauciis multis ministrat, et saniem de Qualis debeat esse rector?

singulis illorum vulneribus abstergit, et pro natura uniuscuiusque mali remedia ei adhibet accommodata; munere illo neutiquam ad animarum elationem uti consuevit, sed ad demissionem potius et sollicitudinem et maiorem quamdam curam; itidem, ac multo etiam magis, is, cuius totius fratrum societatis amandæ provincia est delegata, perinde ut qui omnium minister sit, et rationem de unoquoque illorum redditurus, sic secum agitare animo, et contendere anxie debet. » Cantacuzenus exemplum dat Mosen, qui stetit in confractione, et Deo volenti ob adoratum vitulum perdere populum restitit, eique veniam et salutem impetravit, Exodi 32. et Zorobabel, qui populum e captivitate Babylonica in patriam et libertatem reduxit.

Audi S. Greg. 9. Moral. cap. 10. « Sub qua curvantur, qui portant orbem. Ipsi enim orbem portant, qui curam præsentis sæculi tolerant. Tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Unde et terræ princeps, non incongrue Græco eloquio *Βασιλεὺς* dicitur: *λαὸς* enim populus interpretatur:

Rex basis reipubl.

Βασιλεὺς igitur *Βάσις λαοῦ* vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicitur: quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui mutua illius potestatis pondere fixus regit. Quo enim subiectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. »

Exempla.

Talis fuit Amalasventha (quæ vox gothice et belgice *cæli filium* significat) Theodorici regis Gothorum Arriani et impii Catholica et pia filia, patri, deficiente prole mascula, in regno Italiæ succedens, quæ mira sapientia et probitate illud administravit, ac Symmachi et Boetii (quos pater iniuste occiderat) liberis, bona restituit, Athalaricum filium suum bonis ac doctis magistris instituendum tradidit; sed obstitere Gothi, qui Gothica barbarie iactabant litteraria cultura effœminari animum, ad timorem traduci, abduci ab armis et bellandi audacia, quod rex, qui ferulam magistri timere didicisset, multo magis gladios et tela hostium expavesceret. Quibus illa licet invita cessit, sed magno filii et Gothorum malo, uti exitus declaravit. Ita Procopius lib. 1. Belli Gothici, et Baron. ad annum Domini 526. sub Iustiniano Imper. huic enim coæva et confœderata fuit Amalasventha.

Ludovicus XI. Galliæ rex, Carolum filium omnium expertem artium voluit, ne esset in capiendis consiliis refractior, tenaciorque sensus sui, et sane id accidit; nam iam regem vilissimi duo tresve homuli, hac illac magna cum subditorum indignatione damnoque circumegerunt. Erravit ergo. Vera enim Philosophia, teste Platone, docilis est et sanis consiliis obsequens, adeoque acute inter consilia et consiliarios, discernere novit, ut sciat quæ proba sint, quæ improba, quæ sana, quæ noxia; qui privatum commodum spectent, qui publicum.

Rursum huius sententiæ clarissimum est exemplum in Sodomis, quibus pepercisset Deus, si in eis invenisset decem iustos, Genes. 18. 32. Vide S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 5. « Propter paucorum iustitiam, inquit, impunitatem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sit patriæ vir iustus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temere derogare. Horum etenim nos fides servat, illorum iustitia ab excidio defendit: Sodoma quoque si habuisset viros decem, potuit non perire. »

Ratio a priori.

Ratio a priori est, quod iusti sint membra reipublicæ, eaque nobilissima, quæ totam rempubl. sua iustitia quasi velant, imo ei suam iustitiam communicant, iuxta illud Ps. 118 *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quare Deus toti reipubl. parcit, quia videt in ea plures exstare iustos; sicut enim membrum particeps est totius corporis, sic vicissim corpus participat membri bonitatem et sanctitatem. Adde quod ait S. Ambrosius in Ps. 118. Octon. 10. ad illa: « Qui timent te videbunt me, et lætabuntur; plerisque iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est. Quam pulchrum ergo, ut videaris et prosis? Bonum ergo vir iustus. Propterea denique Paulus Apostolus ascendit Hierosolymam, ut iustos videret; et cum Petro mansit diebus quindecim, ut ex eius aliquid cohabitatione proficeret. »

Probat idipsum similitudine avis quæ dicitur icterus, eo quod ictericos sanet, de qua Plinius lib. 30. cap. 11. *Avis icterus, ait, vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori.* Huc alludens S. Ambrosius ait: *Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis, ita ut mortui quoque corpus eius animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui in huiusmodi inciderint passionem; dubitare possumus, quod iusti sanet aspectus? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem momento exiguo quo videtur; homo iustus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil conferet? Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cum videtur, ita et improbi iustorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides;* et nonnullis interiectis: *Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Ergo si tanta virtus, vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit, possit occidere; non est virtus in oculis iusti, qui repletus virtutis est gratia. cum præsertim tantum operatur fides, ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur, et ille, cui intendit Dominus Iesus, statim ex eius oculis gratiam sanitatis hauriret? Sed qui videt iustum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non, inquam, illum videt nisi eius viderit mentem, nisi eius sermonem intenderit, nisi sensum illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu eius assumere. Tunc igitur lætabitur, cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo et nos sicubi audiverimus iustum, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audivit in domo Pharisæi discumbere Dominum Iesum, et ingressa est, et eius pedes perfudit unguento. Illius imitatores simus; quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicubi ergo iustus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum iustum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest; quod intus est, sanat. Sane et in eo qui foris est, illum qui intus est frequenter aspicimus;* unde tandem concludit: *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant: sed invisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo quod non videtur. Vides ergo, quia inter multas Christi imagines ambulamus. Caveamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam unicuique Christus imposuit.* Qui ergo iustum videt, amat, honorat, imitatur, in eo velut in imagine Christum videt, amat, honorat, imitatur, ideoque ab eo in mente, et sæpe in corpore sanatur ab infirmitate, qua detinetur.

Multitudo igitur sapientum, id est iustorum virtute præditorum, præsertim eminentium, qui doctrina vel consilio pollent, ut alios doceant, et regant, vel dirigant, est salus totius orbis.

ERGO ACCIPITE DISCIPLINAM PER SERMONES MEOS, ET PRODERIT VOBIS,) Imo multa et maxima dona, quæ recenset cap. sequent. conciliabit. Est miosis. Carneades philosophus ita se mirifice doctrinæ operibus addixerat, ut cum sibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur, et Melissa uxor inediæ succurrendi officio, dexteram eius necessariis usibus adaptaret. Cato iunior ne in curia quidem dum senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minus Græcos libros lectitaret; qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. De Varrone scribitur, quod in eodem lectulo et spiritus eius, et egregiorum operum cursus extinctus est. Cleanthis philosophi tam pertinax fuit discendi studium, ut ne diurno tempore a Chrysippi lectionibus abesset, nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Hæc horum hominum circa humanas disciplinas assequendas industria et diligentia, nostram circa res divinas et animæ salutem procurandam, supinam negligentiam et ignaviam, si non vehementer nunc excitat, postea graviter condemnabit.

Vers. 27

Philosophi sapientiæ studiosi.

SECUNDA PARS LIBRI

IN QUA

POST ELOGIA ET PARÆNESIM SAPIENTIÆ

EIUS ORIGINEM OSTENDIT ESSE DEUM.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Auctor in persone Salomonis docet id quod promisit in fine cap. præced. scilicet originem sapientiæ, modumque eam assequendi per suum ipsius exemplum: qui licet rex fuerit, tamen quoad naturam, vitam et mortem plane aliis hominibus sit similis, ut proinde, sicut ipse essecutus est sapientiam, sic cuilibet homini eam essequi liceat. Igitur primo narrat se editum in lucem vitam adeptum fragilem, miseram, abiectam, et morti obnoxiam, ideoque a Deo enixe postulasse et impetrasse culmen sapientiæ, ut per eam vitæ ærumnis mederetur. Inde secundo, v. 11. asserit se per eam adeptum omnia bona, quin et scientiam elementorum, cælorum, stellarum, ventorum, plantarum, omniumque rerum naturalium, quæ sunt in orbe. Mox v. 22. sapientiæ dotes multiplices enumerat, eiusque originem essignat. Denique v. 28. Docet neminem a Deo diligi, nisi præditum sapientia, utpote quæ sole sit speciosior. Ex hisce omnibus colligendum relinquit, quid sit homo per originem et naturam, quid vero per sapientiam et gratiam.

1. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro. 2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente. 3. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. 4. In involumentis nutritus sum, et curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. 7. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ: 8. Et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. 9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniam inexstinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, 12. Et lætatus sum in omnibus; quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. 15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator: 16. In manu enim illius, et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, 18. Initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, 19. Anni cursus, et stellarum dispositiones, 20. Naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. 21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici; omnium enim artifex docuit me sapientia. 22. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus quem nihil vetat, benefaciens: 23. Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. 26. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius. 27. Et cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. 29. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.

Vers. 1. **SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO, SIMILIS OMNIBUS, ET EX GENERE TERRENI ILLIUS** (hominis) **QUI PRIOR FACTUS EST, ET IN VENTRE MATRIS FIGURATUS SUM CARO.**) Arabicus: *Filius sum genitus ex homine terreno, primo creato*; Syrus: *Filius sum primogeniti terræ.* Sub carne, utpote potiori hominis parte, intellige sanguinem, ossa totumque hominem. Est synecdoche. Caro monet hominem suæ infirmitatis; quid enim homini carne infirmius, vilius, sporcius? Vis nosse teipsum, o homo? considera ærumnas, sordes, labores, et dolores innumeros et assiduos carnis tuæ, et scies quis et qualis sis. Hinc S. Ioannes 1. ut ostenderet summam in Verbi incarnatione dignationem et demissionem, non dixit: *Verbum homo*: sed, *Verbum caro factum est*, id est, homo carneus. Sensus est, q. d. Ego Salomon licet sim rex, tamen sum mortalis, et *similis*, græce, ἴσος, id est *æqualis*, cæteris hominibus. Sum enim filius Adæ et Evæ peccatorum, ad mortem cum tota progenie damnatorum, ideoque et ego in peccato originali conceptus, prius ad mortem damnatus, quam natus sum; atque perinde ut Adam sum adam formatus ex adama, id est homo ex humo, terrenus ex terra. Denique in ventre matris *figuratus sum*; græce, ἐγλύφθην, id est *sculptus sum*, caro, q. d. Mater nec potuit, nec scivit modum me formandi in utero, sed Deus velut artifex et sculptor ex informi vilique semine figuravit, imo sculpsit me carnem, id est hominem carneum, suis membris, ossibus, nervis, musculis, venis, etc. mire arte distinctum, et instar imaginis suæ expictum, figuratum et exsculptum. Unde Ps. 138. vers. 15 *Et substantia*
Deus sculptor hominis.
mea in inferioribus terræ: hebr. est רֻקַּמְתִּי *ruckamti* (unde Italicum, *ricamato*,) id est acu pictus sum in utero matris meæ: רקם *rokem* enim est phrygio, qui varie acu pingit arte et opere phrygionico. Pro *qui prior factus est*, græce est, πρωτοπλάστου, id est, qui primus ex luto fictus formatusque est: πλάττω enim est, instar figuli luteæ vasa formo et fingo. Videtur ergo Deus, primo, ex limo finxisse hominis statuam in omnia hominis membra distinctam, deinde eam in carnem humanam convertisse, ac denique in eam animam infudisse, itaque fecisse hominem in animam viventem ut scilicet esset animal vivens, uti dixi Genes 2. v. 7. Unde Esdræ lib. 4. c. 3. v. 5. dicitur: *Dedisti Adam corpus mortuum; sed et ipsum figmentum manuum tuarum erat, et insufflasti in eum spiritum vitæ, et factus est vivens coram te.*

Docet hic Salomon reges et quoslibet homines, ne se ob regiam dignitatem, opes, scientiam, ingenium, artes aliasve dotes extollant, ac dii quidam videri velint, uti voluit Alexander Magnus, Nabuchodonosor, Antiochus, et alii; sed memores suæ originis et naturæ ad ærumnas et mortem damnatæ cristas demittant, ac instar pavonis, non ocellatam suam caudam contemplantes intumescant, sed fœdos suos pedes intuentes fastum deponant, ac similes se cæteris mortalibus agnoscant, Deoque opifici suo humiliter se submittant, eumque colant et invocent. Hæc enim est sapientia, scilicet nosse seipsum, et nosse Deum, ac dicere vere cum S. Francisco: Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, potentiæ, virtutis, omnisque boni; ego abyssus nihili, ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum, omnisque mali.

Reges cogitent se mortales. Exempla.
Idem hoc monitum, teste S. Athanasio, dedit S. Antonius Constantino Magno eiusque filiis Constanti et Constantio litteras suas exposcentibus: *Reges sæculi*, inquit, *ad nos miserunt epistolas; quæ hic Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Illa sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripserit, quod per filium suum propriis Ecclesias ditaverit eloquiis*; et post nonnulla: *Laudavit primum quod Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ne præsentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, et iudicandos a Christo obliviscerentur. Ad postremam clementiæ circa subiectos et iustitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atque unum sempiternum esse regem omnium sæculorum, Iesum Christum epistolis testatus est. His principes susceptis vehementissime lætabantur.* Idem scripsit B. Petrus Damiani Agneti Augustæ lib. 2. epist. 5. ac citans totum hunc Salomonis locum, ex eo ita concludit: *Erubescant ergo cordis elata supercilia, et qui se considerat inter ortum et exitum communi cum cæteris naturæ lege constringi, desinat de sublimiori gloriæ singularitate iactari.* Deinde Agnetem laudans, quod perspecta hac regum misera conditione, relictis Imperii pompis post mortem Henrici II. Imper. mariti sui, appetita a viris principibus ad secundas nuptias, eas refutasset, atque ex Augusta facta esset Sanctimonialis, eam hortatur ut in sancto instituto perseveret, et perseverantiæ pedem immobiliter figat: *Nam quæ dudum*, inquit, *terreni fueras uxor Imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris. Sic igitur ei te in vera cordis humilitate substerne; sic illi glutino fervidæ charitatis unire, ut cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare: Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.*

Quin et Alexander Magnus, qui Iovis Hammonii filius Deusque credi volebat, vulneratus, ex vulnere se mortalem cognovit: *Omnes*, inquit, *iurant me Iovis esse filium, sed vulnus hoc hominem me esse clamat.* Ita Plutarch. in Apophtheg.

DECEM MENSIUM TEMPORE COAGULATUS SUM IN SANGUINE (materno; matris enim semen rubeum est, ac potius sanguis videtur, quam semen, ut patet ex eius residuo sanguine menstruo) **EX SEMINE HOMINIS** (græce ἀνδρὸς, id est viri) **ET DELECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE.**) Vers. 2.
To decem mensium tempore magis pertinet ad τὸ *figuratus sum caro*, quam ad *coagulatus sum*. Nam hæc coagulatio breviori fit tempore; figuratio vero et plena organisatio fit decem mensibus. Sub sanguine non tantum semen fœminæ sanguineum, quod cum semine viri potius habet rationem agentis, quam materiæ elaborandæ; sed et verum sanguinem ab utroque semine attractum, et in prolem elaborandum accipe. Sanguis ergo maternus materiam formando prolis corpori, ac deinde alendo subministrat. Ita Galenus lib. 2. de Natur. facult. cap. 3. Idem lib. 1 de Semine c. 9. quatuor formationis fœtus tempora recenset: Primum, *cum semen nihil aliud quam genitura est*; secundum, *cum substantia factus, carnea iam et non amplius seminalis apparet, quem Hippocrates vocat fœtum*; tertium, *cum iam trium principiorum, cordis, cerebri, iecoris distinctio et formatio evidentior conspici potest, reliquorum autem membrorum obscurior quædam delineatio*; quartum, *cum brachia et crura distincte absoluta cernuntur, neque amplius fœtum, sed infantem appellat Hippocrates, cum eum palpitare et moveri, ut animal iam perfectum incipiat.* Plura vide apud Galenum et Hippocratem, libro de Formatione fœtus.

Communis sententia est fœtum utero matris gestari novem duntaxat mensibus, illudque assignatur 2. Machab. 7. 27. Sapiens tamen hic decem menses assignat. Idem faciunt multi auctores classici, ut Virg. in Pollione: Fœtus in utero est decem mensibus.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et illud Plautinum in Amphitrione: *Decimo post mense nascitur puer.* Quibus concinit Ovidius 1. Fastorum, ubi locutus de Romulo, qui annum decem tantum mensibus complebat, subdit rationem qua ducebatur.

Quod satis est utero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Accedit ius civile. Nam in 6. tit. 29. de posthumis hæred. instit. legitimi hæredes censentur filii posthumi, qui decimo mense a patris interitu nascuntur. Tertull. l. de Anima c. 37. *Legitima*, inquit, *nativitas ferme decimi mensis ingressus est*; et rationem addit moralem: *Ut decem*, inquit, *menses decalogo magis inaugurarent hominem, ut tanto temporis numero nasceremur, quanto disciplinæ numero renascimur.* Consentit D. Ambrosius ser. 15. in Ps. 118. ubi locutus de naturali amore erga parentes: *Non possum*, inquit, *salvo pietatis iure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum, nec matrem, longo decem mensium*

fastidio pii fœtus onera portantem. Idem censet S. Aug. l. 3. de Trin. c. 5. et ep. 3. ad Volusian. Denique B. Petrus Damiani, l. 2. ep. 21. est in ordine 42. refert, *pleroeque Ecclesiæ Doctores* in ea esse sententia, ut asserant *decem mensibus hominem in materno utero coalescere, nec intra novem mensium spatium fateantur exire.* Quod tamen ipse interpretatur de decem mensibus triginta tantum dierum, iisque non impletis, sed tantum inchoatis. Sic enim et Christus Dominus, qui conceptus 25. Martii, et natus 25. Decembris, novem tantum menses implevisse videbatur; in decimum nihilominus dicendus est excurrisse, cum ex illis novem mensibus quinque omnium et triginta dies sortiantur, atque ideo ultra novem menses quinque dies, qui decimum inchoant, supersint. Si igitur decimestre est spatium, quo uterus gestatur, seu fœtus maturescit, recte 4. Reg. 4. 20. in nativitate Samuelis vocatur *circulus dierum*; nam denarius a Mathematicis appellatur numerus sphæralis seu circularis, ut Georgius Venetus de Harmonia mundi. Cantic 1. tom. 8. et c. 3. testatur. Ita noster Alphons. Mendoza in l. 1. Reg. cap. 1. vers. 20.

Adde ex Aristot. l. 7. Histor. animal. c. 4. cæteris animalibus certum et determinatum esse conceptionis et pariendi tempus, homini vero incertum et varium. Nam et septimo mense, inquit, et octavo, et nono, mater parere potest, et quod plurimum accidit, decimo; nonnullæ etiam undecimum attingunt, aliquæ etiam decimum tertium, ait Plinius libro 7. capite 5. quin et subinde decimum quartum, ait Avicenna l. de Anima. Verum hi partus sunt monstruosi, ideoque eos iura non admittunt. Optimi ergo et perfectissimi nascendi fines novem vel decem mensibus terminantur. Adiungit Rabanus, quem citat Holcot, natos decimo mense esse perfectiores, magisque vitales vel ut perfectissimo tempore genitos. Sic et Hippocrates l. de Septimestri partu, et l. de Natura fœtus, præfert cæteris natos mense decimo, non completo, sed inchoato. Unde Theocritus idyllio 24 Herculem virorum fortissimum asserit mense decimo prognatum. Idem de cæteris heroibus docet Pineda lib. 1. de rebus Salomonis, c. 7. Hinc et S. August. l. 83. quæst. q. 56. et l. 4. de Trin. c. 5. ait Christum natum post 276. a conceptione dies, id est post novem menses exactos. et decimum inchoatum per sex dies si cuilibet mensi 30. dies assignes. Idem asserit S. Chrysost. serm. de sancto Ioanne Baptista, etsi dies præcise non numeret. Si tamen omnes dies anni in duodecim menses æqualiter partiaris, cuilibet mensi obvenient 30. dies et decem horæ cum dimidia; quo posito, decimus mensis Christi in utero matris, erit inchoatus tantum per unum diem et sesquihoram circiter. Imo noster Pineda loco iam citato, num. 20. naturalissimum et perfectissimum partum requirere a conceptione decem menses integros, probat ex partu Christi Domini, qui fuit perfectissimus; ipse enim primo conceptionis suæ instanti fuit a Spiritu sancto perfecte formatus, organizatus et animatus, quod in cæteris fœminis tantum contingit die quadragesimo a conceptu; quod si novem mensibus, quibus Christus fuit in utero, hosce 40. dies addas, utique decem menses integros invenias, quos partus perfectissimus exigere videtur. Addit Petrus Bongus in Myster. n. c. 45. primogenitos decem mensibus saltem inchoatis utero gestari. Ergo dum decem menses sibi attribuit Salomon, significat accidisse sibi, quod et primogenitis ut quinque diebus supra novem menses gestatus fuerit, atque adeo, ut in ipsa gestatione iam prænuntiaret fore ut primogeniti iure in regnum paternum successurus esset quamvis minime esset primogenitus.

Aliter hæc conciliat Franc. Valesius S. Philosoph. c. 83. ubi asserit maxime naturalem et communem nascendi periodum esse novem a conceptu menses. Sapientem ergo, cum hic decem menses assignat, non solares intelligere, sed lunares, quibus Hebræi utebantur, eosque non integros, sed novem integros, et decimum currentem; novem vero menses communes, sive solares, quos assignat auctor Mach. l. 2. c. 2. v. 27. faciunt novem menses lunares, et totidem fere dies, qui decimum mensem inchoant. Quare idem in re hic præscribit nascendi tempus, quod 2. Machab. 7. v. 27. Hæc ipse. Porro hæc omnia ærumnosam hominis nativitatem vitamque significant. Nonne enim ærumnosum est latuisse per decem menses in tenebroso et fœdo matris utero, velut in carcere, vel sepulcro?

Audi B. Petr. Damiani l. 7. epist. 5. ad Agnetem Augustam: « Decem mensium tempore coagulatus sum ex sanguine et semine hominis, et delectamento somni convenientis: si non pigeat vigilanter advertere quæ mens hæc audiens typho valeat arrogantiæ superbire, et quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tam obscœnam ortus sui considerat fœditatem, dicens intra se: Quid superbis, terra et cinis? »

Audi S. Bernard. in Medit. cap. 2. *Quid ego sum? Homo de humore liquido. Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo caro facta est.* Porro materiæ huic humanæ multis nominibus arborum et plantarum semina præferuntur. Primo, quod hæc munda sunt, et sine ullo horrore in sinum mittuntur, oculis videntur et manibus atteruntur; illa vero materia adeo impura est et fœtida, ut nec manu tangi, nec oculis sine rubore aspici possit. (Semina plantarum præstant humano) 1.

Secundo, arborum semina purissima quadam emanatione procedunt; sed materia hæc emanat, non sine pruritu carnis, fervore libidinis, et fœtore luxuriæ. Ideo conceptio hominis tenebras amat, et tamquam res obscœna et quæ genitori ignominiæ est, lucem fugit, et aliorum etiam familiarissimorum aspectum exhorret. 2

Tertio, semina arborum atque etiam animalium nullo peccato, nullaque iniquitate inficiuntur; at hæc materia eiusque emanatio sæpissime aliquo peccato, saltem levi fœdatur, quod parentes ex nimia delectatione solent contrahere. 3

Quarto, illa semina durabiliora sunt, ac multis diebus, et mensibus, et annis incorrupta servantur: nam et vidimus aliqua post tres aut plures annos germinasse; hoc vero semen quasi momentaneum, post modicum temporis corruptionem subit, et in corruptelam pertransit. 4

Quinto, tandem arborum semina semel putrefacta, et in arbusculam vel plantulam versa, purissimo terræ humore concrescunt; at semen hominis in corpus humanum coagulatum, cibo spurcissimo augetur. Sed attende, inquit Innoc. l. 1. de Contemptu mundi c. 4. quo cibo conceptus nutriatur in utero. Profecto sanguine menstruo, qui cessat in fœmina post conceptum, ut ex eo conceptus nutriatur in fœmina: qui fertur esse tam detestabilis et immundus, ut ab eius contactu fruges non germinent, arescant arbusta, moriantur herbæ, et amittant arbores fœtus, et, si canes inde comederint, in rabiem efferentur. Ecce, homo, parentes tuos, ex quorum dignitate glorieris, duo hæc semina viri et fœminæ libidinose commixta, in quibus nominandis iam modestiæ et pudicitiæ metas transilimus. Ita noster Alvarez de Paz l. 4. de Cognitione sui, p. 2. c. 5. 5.

Et delectamento somni (græce ὕπνου, id est somno) convenientis.) Ita Rom. et Græca; minus recte ergo S. Ambros. serm. 8. in Psal. 118. et S. Bonavent. hic legunt, *somni* (alii *somnii*) *convenientis.* Græce est, ἡδονῆς ὕπνου συνελθούσης, id est, *ex voluptate* vel *delectatione, quæ venit cum somno,* sive quæ concurrit cum tempore somni, id est quæ noctu peragitur. Honeste periphrasi circumscribit actum generationis. Addit S. Bonavent. et Carthus. actum hunc vocari *somnum*, quia rationem ligat, et illico transit, sicut delectatio somni. Verum prius dumtaxat significat græcum συνελθούσης, ὕπνου, id est *convenientis somno*, id est venientis cum somno, comitantis somnum. Somnus enim post conceptionem, eam adiuvat et promovet, uti docent philosophi et medici. Unde Iob cap. 3. v. 3. *Pereat,* inquit, *dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* Perperam ergo Lyranus, Clarius et Holcot hæc accipiunt de dulci infantium somno, quo iugiter absorpti in utero matris decem transigunt menses. Minus quoque genuine Iansen. delectationem somno convenientem exponit eam quæ decet somnum, quæque congruit nocti ob actus fœ-

ditatem et verecundiam. Positus est enim, inquit, genitivus pro dativo, puta *somni* pro *somno*: hæc ipse. Porro quia Noster vertit *somni* in genitivo, qui referri debet ad τῷ *delectamento*, non ad *conveniente*, id est simul veniente, ut patet ex syntaxi; hinc Salomon ait se coagulatum ex sanguine fœminæ et semine viri, *et delectamento: et* significat, *id est* (est appositio) q. d. Quod est delectamentum somni, id est noctis, *conveniens*, id est simul in unum veniens ut conveniens ad generandam et formandam prolem. Τὸ ergo *conveniens* significat confluxum et concursum seminis virilis ac fœminei, qui fit per congressum viri et fœminæ ad generandam prolem. Sic dicitur Matth. 1. 18. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent;* sic enim honeste vocatur congressus coniugum. Honesta ergo periphrasi circumscribit delectationem actus maritalis quo fit ut delectabiliter concurrat semen tam maris, quam fœminæ ad formandum embryonem, illumque vocat *somni;* tum quia noctu fit, cum solent homines somnum capere; tum quia somnus multum iuvat conceptionem; somnus enim præcedens conceptionem in utroque parente semen concoquit, elaborat et maturat; subsequens vero in fœmina facit ad concepti seminis retentionem, digestionem et perfectionem, uti docent Galenus et medici. Sic cap. 4. 6. ait: *Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur.*

Salomon fœditati materiæ, puta sanguinis et seminis, ex quo formatus est, addit fœditatem actus, quo conceptus est, ut originis suæ vilitatem ac fœditatem ostendat: hic enim actus adeo fœdus est, ut lucem fugiat, ac somnum et noctem, id est tenebras et latebras, quibus se occultet, quærat. Ipse enim homini eripit usum rationis (unde philosophus eum definivit esse modici temporis epilepsiam) eumque quasi in brutum et bestiam transformat. Nullus enim actus magis brutus et bestialis est, quam venereus Unde Alexander Magnus duabus potissimum rebus, quum Deus a multis prædicaretur, se quod mortalis esset deprehendere dicebat, somno ac coitu, quod hæc præcipue proderent humani corporis imbecillitatem; ad cætera invictus erat. Somnus enim mortis imago est, et coitus species est morbi comitialis. Ita Plutarch. in Alexandro.

Porro singula pene verba huius versus et præcedentis habent emphasim, novasque et singulas hominis nascentis ærumnas continent, ut patet sigillatim ea expendenti.

Vers. 3. ET EGO NATUS ACCEPI (græce, [illegible], *attraxi*. S. Ambrosius ser. 8. in Psalm. 118. *hausi*) COMMUNEM non tantum cum cæteris hominibus, sed etiam cum bestiis omnibus, AEREM, ET IN SIMILITER FACTAM DECIDI TERRAM, ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI PLORANS.) Syrus: *Sicut quilibet homo cœpi plorare;* Arabicus, *et veni plorans.* Salomon tres hic nativitatis suæ ærumnas recenset; primam, quod attraxerit aerem communem omnibus, etiam brutis, quasi ab aere tenuissimo penderet eius vita, ac fugientem animam cogeretur respirando fovere et conservare. Vide ergo quam caduca et occidua sit vita, quæ a re tenuissima et fugacissima, qualis est aer, dependet; pendet ergo ex aere et flatu, quasi ex filo, qui si desit, animam efflari necesse est. Nam ut ait Galenus l. de Utilitate respirationis, cap. 1. *Cum ne momentum temporis sine respiratione sufficere possimus, manifestum est eam ad nullam particularem actionem, sed ad ipsam vitam pertinere.* Secundo, quod in similem cæteris terram deciderit, quasi terræ filius ab ea alendus, et in eam seu matrem post mortem rediturus. Tertio, quod prima eius vox fuerit ploratus, quo vitæ ærumnas, quas naturæ instinctu sibi imminere augurabatur, deplorabat.

Rursum hisce tribus innuit se compositum e quatuor elementis; ideo enim aerem attrahit, quia eo constat; iisdem enim rebus res alitur, quibus constat, ait Aristot. Rursum sub aere intellige ignem; ideo enim homo aerem frigidum attrahit, ut ignem, id est calorem cordis et sanguinis refrigeret. Terra intelligitur in eo quod terrestris suo pondere in terram decidit; aqua in ploratu et imbre lacrymarum. Ex quibus colligendum relinquit hominem habere corpus, non cæleste, lucidum, simplex et incorruptibile, sed elementarium, opacum, mixtum, corruptibile, quod defectus et vitia omnia quæ elementis insunt ex iis sugat et hauriat. Unde fit ut homo ex igne trahat levitatem, bilem et superbiam; ex aere, inconstantiam et ostentationem; ex aqua, fluxum et defluxum; ex terra, crassitiem et hebetudinem. *Homo e lementorum trahit vitia.*

Porro infans in utero matris post formatum pulmonem respirat, aeremque internum attrahit, ait ex Hippocrate Galenus lib. *An animal sit id quod in utero est,* c. 3. sed id negat Aristot. lib. de Spiritu, cap. 3. ubi docet fœtum in utero, mox formato corde, habere pulsum, ac deinde ali et nutriri, ultimo respirare: *Nam tum primum respirat,* inquit, *ubi in lucem editus fuerit partus.* Idem docent alii, quibus hic favet Salomon. Rursum Aristot. lib. 2. de Generat. animal. cap. 4. et eius asseclæ tradunt puerum in utero per umbilicum attrahere alimentum ac nutriri, licet aliqui censeant per os nutriri, ideoque mox ut natus est, os mammæ matris admovere, ut lac sugat. Ita Galenus loco citato, et Fortunius Lycetus lib. 1. de Ortu animæ humanæ c. 44. Omittit hic Salomon puerperæ fastidia, partus dolores, infantis pericula, infirmitatem, spurcitiem, de quibus Plutarch. l. de Amore prolis: *Nihil,* inquit, *est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo a partu statim conspectus, cui soli fere ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus taboque oppletus, et occiso magis, quam nato similis, a nemine tangi, tolli, suaviari et amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amorem.* *An embryo in utero respiret?*

ET IN SIMILITER FACTAM (græce [illegible], id est *similiter* vel *similia passam*, ut vertit Pagnin. Arias et Lorinus) hoc est, similibus passionibus, qualitatibus, incommodis, miseriis et ærumnis obnoxiam, quales sunt calor, frigus, æstus, siccitas, fames, sitis, morbi, etc. DECIDI TERRAM) Vatabl. *Et in eiusdem ingenii terram excidi*, q. d. Licet nascerer filius regis Davidis, tamen nascendo effusus sum in terram, non molliorem, neque meliorem, sed similem cæteris, more aliorum hominum et animantium: sicut enim cælum unum est omnibus, sic et una omnes excipit terra, iuxta illud Prudentii: *Una omnes gradiuntur humo,* æque ac unius aeris haustu vivunt. Hinc in terra calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, cæterasque qualitates, mutationes et perturbationes sensi et passus sum, æque ac reliqui homines et animalia.

Porro ne infans dum nascitur allisu ad terram lædatur, excipitur ab obstetricibus. Unde S. Ambros. epist. 64. quæ est ad Syagrium: *Obstetrices dicuntur, eo quod obstent ne fœtus laxatis uteri genitalibus in terram defluat.* Et Claud. lib. 10.

Quem prima meo de matre cadentem
Excepi gremio.

Et Iob c. 3.

Cur exceptus genibus?

Censet noster Pineda lib. 1. de Rebus Salom. c. 12. n. 4. hic respici ad priscorum Romanorum ritum, qui pueros recens natos deponebant in terra, ac Opem deam, ut ei opitularetur, invocabant, teste Festo. Idque primo, inquit Varro lib. 2. de Vita pop. Rom. ut infans auspicaretur vitalis ac rectus esse. Secundo, ut velut filius terræ ac piæ matris opem ac alimenta imploraret, ait Macrobius lib. 1. in somn. Scipionis, et S. Aug. lib. 4. de Civitate c. 11. quem audi: « Ipse (Iupiter sive Deus) opem feret nascentibus, excipiens eos sinu terræ, et vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, et vocetur Deus Vagitanus. Ipse levet de terra, ut vocetur dea Levana. Ipse cunas tueatur, et vocetur dea Cunina. Non sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, et vocentur Carmentes. Præsit fortuitis, voceturque Fortuna. In dea Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. In dea Potina potionem ministret. In dea Edulica escam præbeat. De pavore infantium Paventia nuncupetur. » Tertio, ut terram omnium mortalium matrem esse profiteretur, de qua Philo l. de Mundi opificio. Quer- *Rom. cur recens natos ponebant in terra quatuor de causis.*

to, ut se in terram rediturum præsignificaret, iuxta illud Lucretii l. 5.

Omniparens eadem rerum commune sepulcrum.

Hic Romanorum fuit ritus, verum an idem fuerit Hebræorum, præsertim tempore Salomonis, difficile est credere, difficilius probare.

Nascens primo caput emittit. Porro homo nascens, primo caput emittit, ultimo pedes. Audi Plinium lib. 7. cap. 8. *In pedes*, inquit, *procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægre partos, qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis.* Et infra: *Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens eius scribit Agrippina: Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.*

Audi et Aristot. l. 7. Histor. animal. c. 8. « Situs in utero quadrupedum omnium extensus est; apodum autem obliquus, ut piscium; bipedum vero inflexus contractusque, ut avium: homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. Omnibus æque animalibus caput primum superius est: sed cum creverint et iam exitum appetunt, deorsum deducitur. Ita fit ut omnibus partus secundum naturam in caput; contra naturam in pedes, aut inflexo, circumflexoque corpore agatur. » Et cap. 10. « Nascuntur secundum naturam cætera etiam animalia versa in caput, sed pueri manus quoque ad costas porrectas extensasque habent. Qui cum exierint, vocem statim emittunt, et manus in os admovent. Excrementum etiam reddunt, alii statim, alii brevi, sed omnes intra diem; quod excrementum pluris quam pro infantis magnitudine est. Papavereum hoc mulieres vocant, colore cruentum, atque admodum nigrum et piceum est, mox lacteum iam et albidum redditur; sugit etiam confestim ubera infans. Vocem, antequam egrediatur, numquam emittit; etiamsi cum difficulter egreditur, caput exstet, corpus intus sit totum. »

Et primam vocem similem omnibus emisi (legit cum Complut. et S. Ambrosio [illegible], id est, *emisi;* iam Vatican. et cæteri legunt [illegible], id est *ignis*) plorans.) Græce [illegible], id est, *vagiens*, (quasi [illegible], id est *frangens*, inquit Eustath. in Odys. 4. quia vagitus fit per quamdam membrorum violentam quasi effractionem, seu compressionem) et ut ait Tertull. lib. de Anima, n. 9. *Vagitu vitam salutans.* Nam infantes primis ab ortu quadraginta diebus vigilantes non videot, nec lacrymantur, sed vagiunt: exactis vero 40. diebus lacrymas fundunt, ut docet Arist. l. 7. Hist. anim. c. 10. idem 7. Polit. c. 17. quem sequitur Avicenna, causam physicam assignat, quod vagitus hic ut ploratus faciat ad vocis exercitium, et ad corpus roborandum. Verum causa propria moralis est, scilicet peccatum originale, in quo nascuntur, cuius hic vagitus est index et pœna. Nam cætera animalia in ortu non vagiunt, imo nullam vocem emittunt.

Decent nati vagiunt. Unde notant Lyran. Holcot, Lorinus, Pineda cæterique interpretes, masculos dum nascuntur vagiendo vagitum auspicari ab A, quæ est prima littera nominis Adæ protoplasti; fœminas ab E, quæ est prima nominis Evæ, quasi de eorum lapsu quiritentur. *Causa moralis.* Hinc et Christus, ut per omnia nobis assimilaretur, nostramque culpam lueret et expiaret, vagiendo natus est, iuxta illud Fortunati: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.*

Causa physica. Causa physica est, quod infantes nascendo magnam sentiant mutationem; transeunt enim nudi ab utero molli et calido ad terram duram et aerem frigidum, rursum a tenebris ut somno ad insolentem lucem et vigiliam, etc. quibus omnibus percelluntur, ac dolentes vagiunt. Ita Alexand. in Problem.

Symbol. Causa symbolica est, quod infans præsentiat, præsagiat, et quasi *nesciens prophetet*, ait S. Aug. 21. Civit. cap. 14. mille vitæ ærumnas sibi subeundas, quas deplorat. Unde Lucretius lib. 6. ait:

Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est;
Cui tantum in vita restat transire malorum.

Hac de causa Thraces, Gadenses, Trausi et Causiani nascentes lacrymis, morientes gaudio et risu prosequebantur, teste Alex. ab Alex. l. 2 Genial. c. 25.

Si cui homini Deus revelaret omnes afflictiones corporis et animæ, illi subeundas per reliquum vitæ, horreret, ploraret, et pene desperaret, quidni ergo eas omnes præsentiens infans eiulet? Audi S. Aug. lib. 21. de Civit. c. 14. *Quis non exhorreat et mori eligat, si ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rursus infantia? quæ quidem non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem quod quid malorum ingressa sit nesciens prophetat quodam modo.* Unde Plinius ignorans verum vagitus causam, scilicet peccatum originale, et naturæ per illud corruptionem, naturam ipsam velut novercam accusans, in proœmio l. 7. queritur: *Hominem tantum nudum, ait, et in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus statim et ploratum nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ principio, etc. flens, animal omnibus imperaturum.* Addit que *non fari, non ingredi, non vesci, breviterque hominem scire nihil sine doctrina, non aliud naturæ sponte, quam flere.*

Vatican origo. Priscis Latinis infantes vagiendo va sonare videbantur: unde per onomatopœiam *vagire* dicti sunt, ac Vagitanus (qui et levi nominis flexu Vaticanus dictus est) Deus, ut iis auxilio esset, implorabatur, inquit Varro. Audi Gellium lib. 16. cap. 17. *Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quod pueri simul atque parti sunt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. Idcirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis.* Romæ Deus hic colebatur in monte, qui ex eo etiamnum Vaticanus nuncupatur, quem nunc occupat corpus, sepulcrum et basilica S. Petri, qui omnes Christianos, quasi modo genitos infantes lacte suæ doctrinæ aluit et pavit, verus utique eorum Vagitanus. Unus hinc excipitur Zoroastres, qui in ortu suo non vagiit, sed risit, ut refert Solinus lib. 1. de Mirab. mundi, c. 3. et hoc fuit portentum malumque omen; nam postea fuit artis magicæ inventor. Cardanus lib. de Rerum varietate, cum de hominis natura agit, eum non nisi post aliquot dies ridere tradit, primumque risum, quem edit, non nisi in somnis existere, quo significari sit nullum, nisi confecta huius vitæ curriculo, verum ac certum gaudium esse. Nam ut ait S. Augustinus, omnino nihil aliud est tempus vitæ huius, quam cursus ad mortem. Unde Seneca l. 4. epist. 24. vitam comparat clepsydræ, ex qua aqua vel arena sensim citaque tota defluit et deficit: simili enim modo defluunt dies vitæ, quibus mors succedit.

Denique infantes nati deponuntur in terram quasi matrem, ut eam velut mox futurum sibi sepulcrum salutent, et inter infantiles vagitus funebres mænias ac nænias modulentur, iuxta illud S. Bern. ser. de S. Martino: *In terra*, inquit, *orimur, in terra morimur*, q. d. Prima vivendi sedes est ultima moriendi; nec maiori discrimine ortus et interitus ab invicem separantur, quam hæc duo verba: *Orimur* et *Morimur*, quæ una tantum litterula distinguuntur.

In involumentis nutritus sum, et curis magnis) Vers. 4. Græce, [illegible], id est in fasciis et involucris infantilibus. Unde et Christum, qui est verus Salomon, ut nobis esset similis, [illegible], id est *pannis involvit*, id est fasciavit, Virgo Deipara, Lucæ 2. 7. idque primo, quia cum cætera animalia pilis vestita nascantur, solus homo plane nudus nascitur, ideoque fasciis, quasi vestibus involvendus est. *Infans fasciatur Cur? Causa prima. 1.* Audi Plinium de natura quasi noverca hominis quiritantem in proœmio l. 7. *Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat, cæteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumas, pennas, squamas, vellera; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tutata est; hominem tantum nudum, et in nuda humo natali abiicit die* etc. et Plut. libr. de Amore prolis: *Nihil, ait, est ita imperfectum, inops, nudum, informe et spurcum, ut homo a partu statim conspectus, sanguine in-*

quinatus, taboque oppletus, occiso magis quam nato similis. Hæc sola purpura indutus prodit in lucem princeps æque ac plebeius homo; ex eadem quisque tela conspicitur vestitus.

II. Secundo, fasciis eget infans, ut iis mollia eius membra stringantur, confirmentur et solidentur, ne ex vagitu et ineptis pueri motibus luxentur, labefactentur, aut distorqueantur. Molestæ ergo sunt infanti fasciæ ac quasi compedes eius et vincula, quibus constringitur, sed necessariæ ad salutem. Unde Galenus l. 1. de Sanitate tuenda, c. 7. et 2. de motu musc. c. 7. et de caus. morb. c. 7. docet, *conducere plurimum tuendæ valetudini infantili, ut fasciis deligetur infans, sed corpori prius toti sale modice insperso, ut membra melius consolidentur atque firmentur, et, nisi commode fascientur infantes quorum sunt mollia peneque fluxibilia corpora, facile inverti et corrumpi membri cuiusque figuram.* Catoni propterea Censorino tantæ curæ fuit apud Plutarch. *ut nisi se spectante liberos fasciari permiserit.*

III. Tertio, fasciæ iuvant ut infans, qui quasi quadrupes nascitur, ac manibus pedibusque repit ut rana, cito consolidatis membris et pedibus, iis incedere valeat bipes ut homo. Quam vero hoc sit miserum describit Plinius loco iam citato: « Ab hoc, inquit, lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus; itaque feliciter natus iacet manibus pedibusque revinctus: flens animal cæteris imperaturum, et a suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est: heu dementiam, ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos! » Hæc ille.

Unde hæ fasciæ repræsentant instita, ligamina, sindones et lintea, quibus puer post mortem involvendus est, ut inferatur in sepulcrum. Puer ergo, in cunis fasciatus, speciem habet defuncti iacentis in sarcophago; quia nascitur moriturus, gignitur ut sepeliatur. Sub fasciis cunas cæteraque similia intellige. Accedunt varii dolores, quos ex nimia vel inconcinna fasciatione, multisque aliis incommodis patitur puer et explicare nequit, sed vagiendo et plorando eos prodit: ad quos leniendos tria remedia suggessit natura. Audi Galenum, l. 1. de Sanitate tuenda, c. 7. « Tria hæc doloris infantium remedia nutricibus ipso usu edoctis inventa videamus, scilicet nutricis papillam ori inditam, motum mediocrem, vocis modulationem. Rursusque triplicem excogitatam dimotionem infantium, in cunis, in lectulis pendentibus, in ulnis ipsarum nutricum ulnis. »

Et cunis magnis) To *magnis* iam non est in Græco. Perperam P. Nannius pro *curis* legit, *cunis*, forte in aliquo exemplari pro φροντίσι, id est *curis*, scriptum legit φορτίσι, id est *naviculis onerariis*, quæ cunarum speciem referunt; aut φορμοῖσι: φορμὸς enim est sporta, vas, corbis, quibus similes sunt cunæ. Porro in cunis magnis curis et sollicitudinibus parentum, obstetricum, nutricum, pædagogorum alitur et educatur infans: unde varios morbos, ac non raro mortem subit: quocirca illi servando Gentiles Cuninam deam præficiebant, ait Varro, et ex eo S. Aug. 4. de Civit. 11.

Porro Gentiles heroum filios recens natos ponebant in clypeo, ut ad bellum eos erudirent. Unde positus est in scuto apud Theocritum Hercules, itidemque Iphiclus ab Alcmena parente:

Cum ambos lavisset, et lacte replevisset,
Posuit super scutum æreum quod Pterelæ
Amphitryon, pulchram armaturam ademerat, interfecto.

Quin et Lacenæ in clypeo pariebant auctore Nonno Dionys. 41. Denique curas has extimulat amor, præsertim matris erga prolem; quia enim impense eam amat, hinc impense eam curat. Mensura enim curæ est amor. Unde Anacharsis, rogatus cur coniugio abstineret? respondit: *Quia nimis amarem prolem ex eo natam.*

Vers 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis (græce γενέσεως, id est ortus) initium.) Sub ortu accipe conceptionem, nativitatem, educationem: quæ omnia mille periculis et incommodis, ideoque mille curis et anxietatibus sunt obnoxia in homine, non autem in cæteris animalibus, quibus proinde longe infelicior et ærumnosior est homo: dicit hoc Salomon, non tam ut cæteris regibus, quam ut reliquis hominibus plebeis sese assimilet et adæquet.

Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis (græce, ἴση id est æqualis) exitus.) Idem ergo est hominis principium, idem finis, solis vero mediis vitæ itineribus discrepant; qui ergo sapit, ea præclare obeat. Vers 6. Pro *ergo* græce est δὲ, id est autem; sed δὲ subinde est illativum, et æquipollet *ergo*, ut superius monui. Pro *introitus* græce est εἴσοδος, quæ vox est theatralis, et adaptatur personis scenicis in theatrum prodeuntibus, ut in comœdia agant personam, hic regis, ille servi, iste militis. Unde ἐξόδιον vocabatur carmen, quod in fine comœdiæ canebatur, teste Polluce lib. 4. Similis *est introitus ad vitam*; per eam enim ingredimur in theatrum huius mundi, ut personam comicam agamus, hic sacerdotis, ille principis, iste plebei. Unde August. Cæsar, teste Sveton. moriturus ad amicos ait: *Satisne belle personam nostram egimus?* Illis respondentibus, *belle*, attrahens claudensque lectuli cortinas: *Valete ergo*, inquit, *et plaudite*, uti dicunt scenici finita iam comœdia. Homo ergo in hac vita est mimus et histrio in tragœdia, quæ coram Deo, angelis et hominibus exhibetur, iuxta illud Pauli: *Spectaculum* (græce θέατρον, id est *theatrum*) *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*, 1. Corinth. 4. 9. Quisque ergo videat ut decore personam suam agat, ut Deo illius bene actæ rationem exposcenti exactam reddat.

Comœdia est vita.

Introitus.

I.

II. Secundo, εἴσοδος convenit navigantibus, qui navim ingrediuntur, ut in portum a se prætensum enavigent: sic ingredientes in vitam, ingredimur in mare mille tempestatibus et periculis piratarum obnoxium, ut per illud duce Deo, et afflante Spiritu sancto in portum salutis enavigemus.

III. Tertio, εἴσοδος convenit ingredientibus nundinas et forum, ut in eo merces emant aut vendant. Sic vita nostra est mercatus et nundinæ, ait S. Gregorius Naz. in quem nascendo ingredimur, ut in eo merces virtutum, meritorum et bonorum operum, quibus mereamur salutem et vitam æternam comparemus.

IV. Quarto, εἴσοδος et ἔξοδος, id est ingressus et egressus, competit soli orienti et occidenti, æque ac lunæ et stellis. Mane enim sol oriens ingreditur in nostrum hemisphærium, vespere occidens egreditur. Sic homo celerrime per vitam et mundum hunc pertransit, ut in nativitate quasi mane oriri, in morte quasi vespere occidere videatur. Sicut ergo sol velocissime eodem die transit ab ortu ad occasum; sic homo a vita celerrime decurrit ad mortem, adeoque vita eius non est aliud quam transitus continuus ab ortu ad occasum et mortem.

V. Quinto, εἴσοδος convenit athletis, cursoribus et curribus in stadium pro præmio ingredientibus, in eoque ad metam celerrime decurrentibus. Sic enim vita nostra est stadium, in quo certamus et decurrimus ad metam et palmam cælestem. Quare mors sapientibus et sanctis non tam est finis vitæ, quam mortis, ac veræ vitæ initium, et æternitatis ianua, uti passim docent SS. Patres, quin et Philosophi. Audi paucos e multis. Maximus Tyrius Platonicus serm. 25. *Hoc, ait, quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitatis initium, et futuræ vitæ procreatio.*

Mors ianua immortalitatis. Gnomæ.

Indi Brachmanes apud Strabonem l. 25. affirmant *mortem esse nativitatem ad illam veram atque felicem vitam.* Pallad. l. 1. Floril. *Anima e corpore tamquam e carceribus mortis fugit ad Deum immortalem.* Apoll. Tyaneus apud Phil. l. 7. *Nos*, inquit, *homines in carcere sumus omni tempore, quod nos vitam appellamus, et qui primi domos invenerunt, non animadvertisse videntur, quod alio carcere seipsos circumdarent.* Cicero in Caton. Maior. *Dum sumus in his conclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfungimur; est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium.* Idem in Somnio Scipionis, agens de

Heroibus Ruman. *Qui*, inquit, *e corpore tamquam e carcere evolarunt.* Themistius apud Stob. serm. 121. *Videtur*, inquit, *ipsum* τοῦ θανάτου id est mortis, nomen, *hominem e vita migrantem, non ad locum aliquem sub terram referre, sed extollere* ἄνω εἰς θεόν, *hoc est sursum ad divinam sedem. Sic enim probabile est animam veluti a vinculo corporis quod exspiravit, solutam, tum demum vere respirantem, seque recreantem, Deo sociari, et ab eo pendere.* Idem Themistius ibid. *Mortis, ait, affectum subire, similis est initiationi in magnis aliquibus sacris; quocirca ut ipsa vocabula sic etiam res inter se consimiles sunt:* τελευτᾶν *enim mori est,* τελεταί, *sacra;* τελεῖσθαι, *initiari. Nam post mortem mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri, aut amœna prata defunctos excipiunt, in quibus voces, chorea, et venerabiles de rebus sacris narrationes resonant; illic homo iam perfectus initiatus, sui iuris factus et liber, coronatus obambulans sacra celebrat, et conversatur cum viris sanctis purisque, profanam in terra et impuram turbam inspiciens, quæ in profundo cœno et caligine a seipsa conculcatur et compellitur.*

Ex quibus omnibus recte concludit S. Maximus Episcopus Taurin. in Cent. 3. c. 76. *Non puto finem vitæ huius iustum esse mortem appellare, sed recessum a morte, separationem a corruptione, tenebrarum subductionem, et in summa dicam omnium consummationem malorum.*

Vers. 7. PROPTER HOC OPTAVI, ET DATUS EST MIHI SENSUS: ET INVOCAVI, ET VENIT IN ME SPIRITUS SAPIENTIÆ.) Subdifficilis est hoc loco nexus; non satis enim liquet quid referat τὸ *propter hoc*. Respondet primo Noster a Castro, sicque explicat, q. d. *Propter hoc*, id est propter ærumnas meas iam recensitas, quia scilicet vidi me natum in summa miseria, nec posse meis viribus ac industria sapientiam comparare, in hoc volui præferri aliis, quod confugi ad sapientiæ auctorem et largitorem: cognita ergo infirmitate mea, et Dei summam potentiam et liberalitatem optavi.

Secundo, magis genuine noster Lorinus: Humanæ, inquit, imbecillitatis consideratio impulit eum ad concupiscendam et poscendam a Deo sapientiam, respondique voto ac precibus avectus, et animæ, quam sciebat esse immortalem, accommodatam perfectionem adeptus est: philosophia enim mortalitatis meditatione gignitur.

Tertio, Iansen. quia commune est omnibus initium nativitatis, et quia vidi me sicut reliquos homines natum in ignorantia, ideo optavi sensum et sapientiam, quæ hanc ignorantiam dirigeret, imo depelleret.

Quarto, noster Pineda l. 4. de Rebus Salomonis c. 12. *Propter hoc*, inquit, quod scilicet viderem me ex naturæ primordiis cæteris nihilo meliorem, *optavi* (votum concepi, qua me ratione excellentiorem efficerem) *et datus est mihi sensus.* (Intelligentia, scientia, prudentia.) Nam ea nomina, quæ discrimen aliquod inter homines efficiunt, non sunt naturæ, sed vel fortunæ, ut liberi et servi, regis et subditi, divitis et pauperis; vel virtutis, laboris et industriæ, ut probi vel improbi, sapientis vel stulti, digni indignive laude.

Vivere commune est, sed non commune mereri,

inquit Prudentius disputans adversus Symmachum. Et Felix Minutius: *Generosus es? Parentes tuos laudas: Omnes enim pari sorte nascimur, virtute distinguimur.* Idem Pineda lib. 6. c. 9. Hinc illa, inquit, Salomonis in eam quæ vera ex virtute laus et gloria est, animi erectio et incitatio, vere regio et excelso animo digna; nam cum eadem essent omnibus vitæ primordia, et similes progressiones et exitus: *Propter hoc* (ut aliis excelleret) *optavit, et datus est illi sensus; invocavit, et venit in illum spiritus sapientiæ, et præposuit illam regnis et sedibus.* Sap. 7. 7. atque hæc est illa famæ et nominis immortalitas, quam sibi proponebat et expetebat Sap. 8. 13. *Habebo immortalitatem, et memoriam æternam his, qui post me venturi sunt, relinquam.*

Omnia hæc vera, et huic loco apposita sunt et congrua. Salomon enim, quia duplicem personam sustinebat, duplicem hic postulat sapientiam, scilicet unam, quæ eum ut personam privatam instrueret, alteram quæ eum ut personam publicam dirigeret. Sensus ergo est, q. d. Quia vidi me natum in tanta miseria et ignorantia, optavi et postulavi sensum et prudentiam, quæ me doceret in vita tam misera et cæca recte sapienterque vivere, ac miserias vitæ vel prudenter curare, vel fortiter sustinere: eius vero concupiscentias inordinatas et noxias generose cohibere et frænare; denique a voluptate huius vitæ, utpote brevis et caducæ, mentem avocare, eamque ad futuram vitam in cœlis beatam et æternam ambiendam, totisque viribus prosequendam traducere.

Rursum, quia rex sum (hæc enim oratio videtur esse illa, qua initio regni postulavit a Deo sapientiam ad regendum, 3. Reg. 3.) postulavi sapientiam non plebeis communem, sed regalem, omnibus superiorem et excellentiorem, qua subditis antecellerem, eosque sapienter regerem et dirigerem ad pacem et felicitatem tum præsentem, tum æternam. Rex enim æmulari debet Dei sapientiam et sanctitatem. Nam ut ait Polybius apud Stobæum ser. 6. *Honestum deorum est, aut eorum qui diis proximi censentur.* Et Iamblichus epist. ad Agrippam: *Oportet*, inquit, *legibus præfectum summe purgatum esse, iuxta summam legum rectitudinem, ac neque seductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ulla occasione iniusta allici; nam servatorem et custodem legum, tam incorruptum oportet esse, quam summe fieri potest in humana natura.*

OPTAVI.) Græce ηὐξάμην, id est, optavi, oravi, supplicavi, votum concepi. Optare enim facit orare et postulare; imo desiderium suum patefacere Superiori, præsertim Deo, est orare; iuxta illud Psal. 10. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Hinc solerter Noster vertit, *optavi* potius quam *oravi*, ut orationis fontem indicaret, scilicet optationem et vehemens sapientiæ desiderium; præsertim quia orationem mox exprimit, dum subdit: *Et invocavi.*

Moraliter docet hic, initium sapientiæ et sanctitatis esse ingens eius votum et desiderium, iuxta illud Christi: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*, Ioan. 7. 37. Hinc Christus a Iacob Patriarcha vocatur *desiderium collium æternorum*, Gen. 49. et Apostoli in Pentecoste per decem dies desiderantes, et invocantes receperunt Spiritum sanctum. Idem fac et tu, ac cum Ecclesia ardenti affectu, magnaque obtinendi fiducia suspira et supplica. *Veni, creator Spiritus, reple tuorum corda fidelium.* Ita S. Thomas Aquinas profitebatur se sapientiam suam magis oratione, quam studio impetrasse. Nam *omnis sapientia a Domino Deo est.* Eccli. cap. 1. v. 1.

SENSUS.) Græce, φρόνησις, id est, prudentia, scientia, intelligentia; Noster vertere solet, *sensus*, et scilicet in omnibus sensate, sapienter et honeste me gererem.

ET PRÆPOSUI ILLAM REGNIS ET SEDIBUS (græce *sce-* Vers. 8.
ptris et thronis, quæ regis et regni sunt insignia) ET DIVITIAS NIHIL ESSE DUXI IN COMPARATIONE ILLIUS.) Græce ἐν συγκρίσει, id est, *in diiudicatione illius*, si enim sapientiæ diiudicentur et in iudicio certent utra alteri præstet. Rationem a priori dat ipsa sapientia Prov. 8. 14. dicens: *Meum est consilium, et æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo; per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Et v. 18. *Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et iustitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo.* Vide ibi dicta.

Hinc multi fideles, quin et philosophi (ut Crates, Democritus, Anaxagoras) abiecerunt opes, et abdicarunt regna, ut vacarent sapientiæ et sanctitati, quorum nonnullos superius recensui. Nam opes et regna sæpe invitis eripiuntur, sapientia et sanctitas invito eripi nequit. Sic Apostoli dixerunt Christo, qui est dux sapientiæ: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Matth. 19.

NEC COMPARAVI ILLI LAPIDEM PRETIOSUM; QUONIAM Vers. 9.
OMNE AURUM IN COMPARATIONE ILLIUS, ARENA EST EXIGUA, ET TANQUAM LUTUM ÆSTIMABITUR ARGENTUM IN CONSPECTU ILLIUS.) q. d. Sapientia longe præstantior est

omni auro et gemmis; sapientiæ aspectu obscuratur auri fulgor, infuscatur argenti candor, hebescit margaritarum nitor, et quidquid illustre et pretiosum est, sordescit et vilescit, adeoque ipse Plutus (græce enim est πλουτον) quem gentiles ut opum Deum adorant. Quid enim est argentum et aurum, nisi terra alba et rubra, ait S. Bern. ser. 4. de Adventu. Pro *in comparatione* græce est, ἐν ὄψει, id est in visione, in conspectu. Hinc Plato l. 3. de Republ. sapientes et virtute eximia præditos ait conflatos ex auro et argento, sed cælesti, quod terreno præstet, cæteros ex ære et ferro. Audi eum: *Deus effector hominum principibus reipublicæ, qui cæteros præcedebant, miscuit pectori aurum cæleste, id est virtutes divinas, ut alta quadam et excelsa mente essent: illis autem, qui hos adiuvarent in gubernando rempubl. cæleste pectoribus indidit argentum, id est præclarum virtutum ornamentum, etiamsi substiterint infra dignitatem priorum; ut et ferrum et æs miscuit agricolis et aliis opificibus, qui reipublicæ serviunt.* Addit tamen: *Eos quibus Dominus aurum et argentum cæleste pectoribus miscuit, contemnere debere terrenum aurum et argentum, neque loculos habere oportere, neque sequi opes.*

Alludit ad Iob 28. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro eo, nec appendetur argentum in commutatione eius*, nec sapphirus, nec topazius, nec Indiæ colores cæteraque, quæ subdit. Quare stultorum vox est illa apud Horatium l. 1. epist. 1.

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos,

Pro *pretiosum*, græce est, τιμιον, nonnulli legunt, τιμητον, id est *honorarium*. Sunt qui legunt ατιμητον, id est vilem, inhonorabilem, despectum, quo velit significare quemvis lapidem pretiosum sine honore, ac sine pretio esse, si cum sapientia comparetur. Unde sic legunt: *Non comparavi ei lapidem, tamquam despectui habitum præ sapientia*; sed communis lectio habet, τιμιον, id est, *pretiosum*. Huc faciunt duæ Christi parabolæ, prior de thesauro abscondito in agro Matth. 13. 44. *quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Et de pretioso margarita inventa ibidem v. 46. quam ut compararat industrius negotiator, *abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Nam sapientia thesaurus est et margarita unica. Quod si *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*, Coloss. 2. 3. iure optimo Apost. ad Philip. 3. 8. *Existimo*, ait, *omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Vers 10. SUPER SALUTEM ET SPECIEM (græce, *super sanitatem et formam*, sive *pulchritudinem*) DILEXI ILLAM, ET PROPOSUI PRO LUCE HABERE ILLAM; QUONIAM INEXTINGUIBILE EST LUMEN ILLIUS.) *Proposui pro luce habere illam*, alii vertunt, *præ luce*, q. d. Anteposui illam luci. Hinc græce est προειλομην, id est *elegi*. Unde Vatabl. *nunquam eius luci præoptavi*, vel *prælegi, ut cuius splendor supprimi non possit.*

Noster aptius vertit: *Proposui pro luce:* græcum enim αντι φωτος. Primo, verti potest, *pro luce*, vice lucis, instar lucis; secundo, *super lucem*, præ luce. Duo enim significat Salomon. Primo, sapientiam se præposuisse luci; secundo, se vice lucis non alio lumine usurum, quam ipsa sapientia. Sapientia enim est lux lucidissima, quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, et rite peragenda. *Lucem* hic tum externam solis, tum internam, puta lumen oculorum, accipe, q. d. Sapientiam chariorem habui, non tantum luce solis, sed et meis oculis, et luce visuque oculorum, adeoque seposito visu oculorum, in rebus agendis statui non alio uti visu, non aliis oculis, nisi ipsius sapientiæ; hæc enim per omnes rerum tenebras viam ostendit, secureque deducit ad metam vitæ æternæ.

Hac usque sapientiam præposuit bonis externis, sive fortunæ, uti sunt aurum et argentum; nunc præponit eamdem bonis internis, uti sunt sanitas sive valetudo, forma sive pulchritudo, visus et intuitus lucis; quibus tantum sapientia præstat, quantum corpori animus, cuius ipsa est sanitas, pulchritudo et visus.

SUPER SALUTEM ET SPECIEM DILEXI ILLAM.) Primo plane, q. d. Magis amavi et optavi sapientiam, quam corporis sanitatem, robur et decorem, quia sapientia, utpote spiritalis et dos nobilissima, præstat omni rei et doti corporeæ. Iamuit sapientes sæpe minus pollere robore corporis, et robustos admodum minus pollere sapientia. Sic enim Deus dona sua distribuere et partiri solet. Adde, corpus alias dispositiones exigere ad robur, et subinde contrarias ad sapientiam requiri. Unde illud: Studiosi minus sani: cur?

Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Secundo, Petrus Blesensis epist. 81. censet hic sapientiæ studiosos invitari ad laborem et studium sapientiæ, etiam cum iactura sanitatis et formæ, quod par sit rem tantam, quanta est sapientia, quavis corporis iactura emi. Hinc videmus studiosos laborare stomacho, capite, phlegmate, fierique macilentos, valetudinarios et decolores, indeoque brevis esse ævi; studendo enim exhauriunt optimos spiritus, et calorem a stomacho avocant ad cerebrum, ex quo oritur stomachi indigestio, cruditas, flatus, phlegmata, vertigines, hemicrania, etc. Sic Aristoteles naturali stomachi infirmitate laborabat, eamque calidi olei utriculo ventri admoto levare solebat, ait Ammianus lib. 16. at mirum sit eum ad ætatem 63. annorum pervenisse, et assiduos dolores tamdiu tanta animi virtute sustentasse: *Fuit enim in lucubrando studio infatigabilis*, ait Laertius in eius vita, *qui cum cubitum se conferret, in manu globum aneum capiebat, ut cadentis in pelvim globi sono excitaretur. Aristotelem*, inquit Censorinus de die natali, *ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasque morbidi corporis offensiones virtute animi diu sustentasse, ut magis mirum sit ad annos sexaginta tres eum vitam pertulisse, quam ultra non protulisse.* Blesensem sequitur Pineda l. 3. de Reb. Salomonis c. 3. n. 8. Sapientia, inquit, est mortis et mortalitatis antidotum, Sap. 8. v. 17. Quare quamvis corporis vires sapientiæ studio atque vigiliis extenuentur, et ad mortem celeri gradu sapiens contendat; ex altera tamen parte nominis immortalitate, quæ sapienti debetur, vitæ brevioris iactura abunde compensatur: propterea enim addidit: *Super salutem et speciem dilexi illam.* Sapient. 7. 10. Idem l. 3. c. 10. n. 5. Salomon, ait, exercuit cum labore, attentione et mentis intentione scientias suo labore acceptas; aliquando etiam cum defatigatione quadam virium corporis, stomachi languore, capitisque lassitudine aliqua. Prætervehuntur aliquando ultra modum sapientum vigiliæ et lucubrationes, ut cum ipso Salomone cogantur dicere: *Super salutem et speciem dilexi sapientiam*; ut ne sapientiæ desint, desunt valetudini curandæ, desunt sibi ipsis, ac vitæ necessariis desunt. Verum enimvero moderatio adhibenda est studio, quam ipsa sapientia præscribit, ne vires corporis lædantur, itaque usus et exercitium sapientiæ intercidatur, iuxta illud:

Omnibus in rebus modus est pulcherrima virtus.

Et illud:

Omnis satietas mala; studiorum autem pessima.

Tertio, idem Pineda lib. 3. c. 3. n. 5. censet hic respici ad orationem Salomonis, qua a Deo non postulavit sanitatem, nec pulchritudinem aut pulchras uxores, sed sapientiam, 3. Reg. 3. 11.

Huc facit illustre exemplum in Hermanno, cui a contractis membris cognomen fuit Contractus, qui cum esset filius Comitis, monasticen professus in Ordine S. Benedicti, enixe petiit a B. Virgine, cui erat addictissimus sanitatem sibi restitui; quæ per visum apparens illi hoc responsum dedit: *Fili charissime, tuis precibus sedulis invitata duorum tibi optionem impetravi; elige quod volueris. Contractus permanebis, et omnium Scripturarum scientiam accipies, tam divinorum, quam humanarum; vel sanitatem corporis accipiens idiota permanebis, et Ecclesiasticam cathedram ascendes. Iam alterum ex iis, quod volueris elige, quoniam ambo habere non poteris.* Hermannus autem considerans quod Regina cæli singulariter sua- Hermanni contracti votum sapientiæ.

debat, elegit remanere contractus, et scientiam Scripturarum accipere magis quam corporis sanitatem absque doctrina possidere. Erat enim iam tunc, licet rudis et idiota, devotus tamen et Scripturarum amore accensus. Ex illo tempore in omni doctrina ultra omnes contemporaneos suos proficiens, excellentissimæ opinionis vir factus est; trium linguarum, Latinæ scilicet, Græcæ et Arabicæ, ita peritus exstitit, ac si natus in eis fuisset; floruit anno Domini 1060. auctorque fuit hymni *Salve Regina*, et aliorum plurium. Porro ægritudo illi patientiæ et sanctitatis fuit materia et stimulus. Ita Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib. 2. c. 84.

Porro quam parvi facienda sit sanitas et forma præ sapientia, docet S. Aug. ser. 42. de verbis Domini: « Nam salus hominis quæ reddita est corpori, quanti temporis fuit? Quæ est enim vita vestra, dicit Scriptura? Vapor, inquit, ad modicum apparens, deinceps exterminabitur. Quod ergo illius hominis corpori reddita est sanitas, reddita est nonnulla diuturnitas vapori. Non itaque pro magno illud habendum est; vana salus hominis. Et recolite, fratres, illud propheticum et evangelicum: Omnis caro fœnum, et omnis honor carnis ut flos fœni: fœnum aruit, flos decidit; verbum Domini manet in æternum. » Et post pauca: « Tota quippe ista vita intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animæ non simul torquentes, sed cruciatus alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt timor et dolor. Quando tibi bene est, times, quando male, doles. Sæculi huius quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas. » Utrumque docet et præstat sapientia. Sic gentiles Palladem deam sapientiæ præferebant Veneri deæ pulchritudinis, et Hygiæ sive Valentiæ, deæ sanitatis.

Et proposui (græce προειλόμην, id est iudicavi, decrevi) pro luce habere illam.) Iam dedi huius loci sensum, dixique præferri hic sapientiam luci, tum solis, tum oculorum. Quid charius et lucidius oculis? quid sole, qui est cor, mens et oculus mundi? utique sapientia, cuius aureum iubar solari antecellit: illam ergo prædilexi et prætuli rebus omnibus, quæ lucent et radiant oculis mortalium. Addit Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 4. n. 12. et ex eo Cervantes, per *lucem* accipi ipsos sapientiæ oculos pulcherrimos. Salomon, inquiunt, sapientiam quærit sibi sponsam asserens: *Amator factus sum formæ illius*, sed illius luminibus potissimum captus; nam proposuit pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen eius. Illius lumina mirabiliter radiant, imo tota ipsa candor radius est æternæ lucis, Sap. 7. 26. imo lumen iucundissimum et utilissimum; nam et illa est speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, quæ poetis cœli ac Iovis oculi dicuntur, lucique comparata invenitur prior, illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia. Huius rei symbolo legimus Gen. 29. 17. captum Iacob non tantum decora facie, sed venusto aspectu Rachelis, quam non solum commendabat pulchritudo eximia, sed lumina oculorum, quorum maxime ratio ad speciei illustrationem accidit ex oppositione, velut umbræ Liæ lippientibus oculis. Illorum maxima est vis, Cant. 4. 6. *Averte*, ait, *oculos tuos a me, quia ipsi me avolare*. Hebr. *extolli, superbire fecerunt.* Sapientia ergo est Lucina et lampas, in cursu huius vitæ illuminatrix, vivificatrix, et victrix.

Lux typus regni. Symbol. Idem Pineda ibidem c. 3. n. 8. per *lucem* accipit regnum; huius enim symbolum est lucerna et lux, quia olim regibus præferebatur ignis lucidus, uti ostendi Ierem. 1. 13. q. d. Proposui *pro luce*, id est pro regno, habere illam; *quoniam inextinguibile*, id est perpetuum *est lumen*, id est regnum, et regius splendor *illius*.

Quoniam inextinguibile est lumen illius.) Græce, ὅτι ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος, id est, *quia insomnis, pervigil, irrequietus est fulgor sive splendor, qui ex ea* scilicet procedit et profluit; Cervantes: *Immortale, quod ex hac est iubar*; Vatabl. *Splendor eius supprimi non potest;* alii: *Effulgentia eius nullam subit tenebrarum vicissitudinem*. Sensus est q. d. Proposui sapientiam habere pro luce, quia omnis alia lux solis, lunæ, diei, fundit lumen, sed quod vespere extinguitur deficit, et quasi dormit per noctem usque ad mane, quo rursum sol et dies oritur, at sapientiæ lux fundit lumen quod numquam extinguitur, deficit aut dormit, sed pervigil et luminosum semper perdurat; cum ex adverso lux oculorum pariter cum homine noctu sopiatur et dormiat, lux quoque solis vespere occidat, et, ut vulgus loquitur, eat cubitum et dormitum. Occubitus enim solis plebeis videtur esse eiusdem decubitus, quies et somnus, iuxta illud Virgilii 4. Æneid. Lux sapientiæ inextinguibilis.

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Ita a Castro. Huic luci, inquit, ex sole mananti noctium successione accidit quies et nox, ut ait versu ultimo huius capitis, in qua nocte quiescit homo a labore et somnum capit; at lumen sapientiæ nullo somno intermittitur, numquam quiescit, semper in vigilia est, et in continuum laborem inducit; nam diu noctuque per somnium et per vigiliam ita affulget homini, ut eum ad laborandum in animi cultura excitet et accendat. Et hac ratione lumen sapientiæ dicitur inextinguibile, quia ubi est, numquam non illuminat, quemadmodum de amore dixit S. Greg. hom. 30. in Evang. quod numquam sit otiosus, sed magna operetur, si est, quia semper urget ad operandum.

Causa a priori est, quod sapientia sit radius divinæ lucis, oriaturque et manet a Deo, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Iacobi 1. 17. Vide ibi dicta.

Igitur lumen sapientiæ est inextinguibile. Primo, quia in se numquam extinguitur, deficit aut variatur: sed idem semper et æquale suique simile perseverat. Secundo, quia semper hominem illuminat et inflammat, instigatque ad bona opera, ut etiam noctu legem Dei et verba sacræ Scripturæ ruminet, meditetur, ac de Deo cogitet, eumque adoret et invocet, iuxta illud S. Hieronymi ad Eustochium; *Esto cicada noctium.* Et illud Psaltis; *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Ps. 1. 2. Et illud Mosis: *Meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*, Deut. 6. 7. Vide ibi dicta. Et illud de muliere sapienti et forti: *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, Prov. 31. 18. Tales fuere Essæi sub S. Marco, de quibus Philo lib. de Therapeutis: *Nullæ pene*, inquit, *aliæ inter dormiendum offerebant se illis imagines, nisi rerum cœlestium. Quorum et elapsa in somnis verba iuniores vigilantes attentissimi, scriptis utpote pretiosissima, excipiebant.*

Tales quoque fuere Acœmetæ, id est Religiosi non dormientes, sed iugiter psallentes et meditantes; quales fuere Studitæ, quorum præses fuit magnus ille Theodorus Studita, a iugi meditatione et studio ita cognominati, de quibus alibi dixi. Apud Græcos certamen erat cursus, in quo qui decurrendo lumen lampadis accensum servabat, vincebat; qui vero extinguebat, vincebatur. Audi Pausaniam in Atticis: « Ara est, in qua homines in urbem accensas lampades præferentes decurrunt. In eo autem certamen est, ut in cursu accensæ conserventur: cuius enim fax extincta fuerit, palma in medio relinquitur. » Acœmetæ qui?

Pari modo Christianus lampadem fidei et charitatis oleo bonorum operum foveat, et accensam teneat oportet usque ad ultimum vitæ diem. Nam virgines sapientes oleum habentes, eoque lampades accensas foventes, admissæ sunt ad nuptias cœlestes; eo vero carentes, et lampades habentes extinctas, ab iis exclusæ fuerunt, Matth. 25. 7.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.) Vers. 11.
Omnia bona sunt opes, fama, gloria, regnum, victoria, etc. *innumerabilis*, id est plurima. Est hyperbole; nam omnes opes Salomonis, licet plurimæ, absolute tamen numerari poterant, utpote finitæ.

Ne quis Salomonem temeritatis accuset, quod sapientiam cæteris bonis prætulerit, eamque in sponsam sibi delegerit, ostendit eam non indotatam ad se venisse, sed pro dote attulisse bona omnia. Id ita reipsa accidisse patet 3. Reg. 3. 11. ubi Deus ait Salomoni: *Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut*

animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium; ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens; in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi divitias, scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Unde Christus Matth. 6. adducto exemplo ex gloria Salomonis, conclusit vers. 33. *Quærite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis. Adiicientur* dixit, non sine emphasi, quia exteriora bona, etiam non petentibus, et suis quoque inimicis largitur, quasi adiectanea, imo reiectanea. Sic cum Sapientia increata, puta cum Filio suo Deus nobis omnia donavit, Rom. 8. 32. cum sapientia vero creata id est cum gratia et charitate, reliquæ nobis proveniunt virtutes, velut proprietates ex essentia et natura gratiæ promanantes; externa quoque bona, quatenus prosunt ad gratiam et salutem.

HONESTAS,) Id est virtus, quæ spectat bonum honestum, ac præsertim modestia, ait S. Bonavent. et Dionys. Verum græce est πλοῦτος, id est opes, divitiæ: hæ enim in Script. vocantur *honestas*, quia possidentem faciunt honestum et honorabilem, ut ab omnibus colatur; sic *honorare* vel *honestari*, significat ditare, ut 1. Timoth. 5. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore*, id est stipendio, *digni habeantur*. Et vers. 3. *Viduas honora* (sustenta) *quæ vere viduæ sunt*. Sic *honestas* pro opibus, et *honestare* pro divitem facere, sumitur hoc cap. v. 13. et c. 8. v. 18. et c. 10. 10. et Eccl. 11. v. 14. et 23. Est ergo metalepsis; divitias enim consequitur honestas, victus, vestitus et familiæ. Unde et prisci Latini *honestum* sumebant pro divite, ut docet Asconius in Verrinam 3. et Ulpianus l. 52. D. de furtis, Titium honestum opponit Titio egeno. *Cum*, ait, *Titio honesto pecuniam credere vellem, subiecisti mihi alium Titium egenum, quasi ille esset locuples.*

PER MANUS ILLIUS,) Græce, *in manibus illius*, id est primo, in eius arbitrio et potestate, quasi ab ea manans et pendens; secundo, q. d. Liberaliter per manus illius erogabatur. Manus enim symbolum sunt, primo, potestatis et dominii; secundo, liberalitatis et beneficentiæ. Unde *donum*, græce dicitur δῶρον, quæ vox palmam significat, sive manum explicatam, et extentam, qua dona erogamus. Unde Plinius l. 35 c. 14. *Græci antiqui*, ait, *doron palmam vocabant, et ideo dona munera, quia manu darentur*. Tertio, laboris et operationis; unde per manus sapientiæ innuit eam, non esse otiosam, sed operosam; nec otiosis, sed operosis suas opes conferre. Quarto insuper, contentionis et pugnæ, ut notet sapientiam magnam debere cum insipientia et concupiscentia subire luctam cum eaque crebro manus conserere, ut eam subigat et obsequentem reddat. Hinc Plutus, id est deus divitiarum præses, pingebatur cum signo Fortunæ et Minervæ (quæ dea erat sapientiæ) Erganes, id est operatricis, inquit Plutarch. Hesiodus, Aristoph. et alii. Unde Pausan. lib. 1 et 6. qui est Eliac. ait: *In arce Minervæ fanum est, signumque auro et ebore fabricatum. Phidiæ aiunt opus fuisse; insistit Deæ cocceidi gallus gallinaceus, quod opinor, hæc est avis omnium pugnacissima, vel fortasse quod Minervæ cognomento Erganæ sacra est.* Gallus pugnax et pervigil insistit capiti Minervæ, ut notet sapientiam et opes, non otio, sed assidua vigilia, labore et contentione comparari. Minervæ ergo, sive Palladi armatæ cœli terræque bona, perinde ac duci milites subduntur. Huc facit illud Horatii lib. 1. epist. 1.

Manus, symbola quatuor.
1.
2.
3.
4.

Sapientia laboriosa.

Ad summam sapiens uno minor est Iove, dives
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Hinc Salomon post collatam sibi sapientiam mirabiliter cœpit ditescere: per eam enim naves misit in Ophir, quæ auri copiam ei afferebant, multaque alia solerter adinvenit, quibus immensas opes et gloriam sibi comparavit, uti ostendit Pineda lib. 4. de Rebus Salomon c. 4.

Vers. 12. ET LÆTATUS SUM IN OMNIBUS; QUONIAM ANTECEDEBAT ME ISTA SAPIENTIA.) Quasi dux deducens me ad omnia bona iam dicta. Unde græce est ἡγεῖται, id est, dux est sapientia, q. d. Quoniam sapientia dux est, auctor, caput, fons et mater omnium bonorum; quia Deus scilicet, auctor et amator sapientiæ, ea omnia large elargitur sapientiæ studiosis.

Igitur minus apte ad hunc locum Holcot exponit, q. d. Sapientia quasi dux mihi præibat in omni negotio per sapiens providumque consilium, ut omnia prudenter agerem et transigerem, quia hac de re hic non agitur. Sensus ergo est quem dedi, sic enim se explicat hemistichio sequenti dicens: *Et ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Perperam Complut. pro *horum* legunt *bonorum*, et alii *honorum*. Pro *mater* græce est γένεσις id est *genitrix*; alii legunt γενέσις id est *generatio*, id est generatrix. Sic Philo l. de Profugis asserit, sapientiam esse filiam Dei, sed merito patrem dici posse (symbolice scilicet et emblematice) et esto nomen habeat fœmininum, habere tamen virtutem masculam, imo vires et actiones virorum perfectissimorum. Sic sapientia de se ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei*, Eccli. 24. 24. Vide ibi dicta. Porro quod ait *ignorabam*, intellige antequam eam eiusque dotes plane perspectas haberem, et experientia cognovissem; at ubi ea perspexi et expertus didici, plane agnovi omnium bonorum matrem esse sapientiam.

QUAM SINE FICTIONE (græce ἀδόλως, id est, *sine dolo*) DIDICI, ET SINE INVIDIA (græce, ἀφθόνως, quod per homioptoton pulchre respondet τῷ ἀδόλως) COMMUNICO, ET HONESTATEM ILLIUS NON ABSCONDO.) Vers. 13.

Fictio hæc, sive dolus consistit in eo, quod quis sapientiam non sincere propter ipsam, puta ex amore sapientiæ, sed propter aliud quærat et discat, puta ut per eam opes, honores, status adipiscatur. Sicut Simon Magus ficte et dolose voluit emere Spiritum sanctum, qui est auctor sapientiæ, non ut eo sanctificaretur, sed ut per eum acciperet potestatem faciendi miracula, ex eaque Magni nomen apud homines consequeretur, Actor. 8. 19. Sensus ergo est, q. d. Ego Salomon quæsivi et didici sapientiam, tum a matre et patre meo, tum a Nathan Propheta, tum maxime a Deo, qui mihi illam infudit; quæsivi eam, inquam, non ficte, sed sincere puraque intentione, et recto fine, quem ipsa poscit, scilicet ut per eam recte et sancte viverem, utque eamdem alios docerem: unde sine invidia large et liberaliter eam quibuslibet communico, tum per vocem, tum per hæc scripta mea; et *honestatem*, græce πλοῦτον, id est divitias eius a me per experientiam compertas, ac paulo ante a me recensitas *non abscondo*, sed ubique prædico et propalo. Nam, ut dixit cap. 1. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Vide ibi dicta.

Nonnulli non incongrue τὸ ἀδόλως, id est sine fictione, sine dolo et fraude, passive accipiunt, q. d. Non sum fraudatus opinione, quam de sapientia conceperam, quod bona omnia, quæ mihi promittebat reipsa præstaret. Unde Vatabl. vertit: *Hanc citra frustrationem didici.*

Denique ex hoc loco demonstrat noster Pineda l. 3. de Salomone cap. 27. Salomonem fuisse publicum sapientiæ professorem.

Moraliter hinc disce, vere sapientem non esse invidum, nec arctum, sed liberaliter se suaque communicare et impendere in aliorum commodum et salutem, perinde ac Deus sua large omnibus impertit, ac sicut sol radios lucis suæ omnibus immittit. Sic Apostoli, ait S. Iren. l. 3. c. 14 nulli invidentes, quæ didicerant ipsi a Domino, ultro omnibus communicabant. Sapienter S. Basil. orat. 6. de Instit. et admon. *Discendum est*, inquit, *absque ulla pudore, et docendum absque invidia; et si quid ab altero hauserimus, idipsum non est celandum, sicut improbæ mulieres solent dum spurios partus supponunt, sed grato animo dicti auctor prædicandus atque aperiendus est.* Rabanus Maurus et Alcuinus Flaccus Magister Caroli Magni, Bedæ discipuli, cum scholas Parisiis aperirent, omnes gratis docebant, itaque Academiæ nobilissimæ et antiquissimæ initium dederunt, uti habet eorum Vita. Idem facit Societas nostra, quæ ultro et gratis omnes docet omnia, quæ ad liberales

Sapiens sua communicat.

Exempla.

artes et Theologiam pertinent. Galenus l. 1. Methodi c. 1. asserit se vel unius studiosi gratia omnia dicturum scripturumque. Plato uno Aristotele discipulo contentus sinceriter docebat, illoque præsente etiamsi cæteri abessent, dicebat *Auditorium est*, teste Laertio, Plutarch. et aliis. Plinius l. 25. c. 1. et 2. laudat veteres, ut M. Catonem omnium bonarum artium magistrum, Orpheum, Musæum, Hesiodum, etc. qui ea quæ norant de viribus herbarum scripto vulgarunt. *Nihil ergo*, inquit, *intentatum inexpertumque illis fuit, nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellent. At nos elaborata iis abscondere atque supprimere cupimus, et fraudare vitam etiam alienis bonis. Ita certe recondunt, qui pauca aliqua novere invidentes aliis, et neminem docere in auctoritatem scientiæ est.*

Ratio a priori. Ratio a priori est, quam dat S. Thomas in illud 1. Corinth. 3. *Cum sit inter vos zelus et contentio nonne carnales estis? Zelus*, ait, *et contentio non habet locum, nisi in carnalibus hominibus, quia ipsi ad bona corporalia afficiuntur, quæ simul a pluribus integre possideri non possunt; et ideo propter hoc, quod aliquis bonum aliquod corporale possidet, alius impeditur a plena possessione illius; et ex hoc sequitur invidia, et per consequens contentio. Sed spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul a pluribus possideri possunt, et ideo bonum illius non est alterius impedimentum, et propter hoc in talibus, nec invidia, nec contentio locum habet. Unde Sapiens c. 7. ait, Sine invidia communico:* quod Deus iis, qui libenter alios docent, doctrinam largiter communicet et adaugeat, iuxta illud Christi: *Qui enim habet* (qui dato et habito utitor ad aliorum commodum) *dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet* (non utitur) *et quod habet auferetur ab eo*, Matth. 13. 12. Vide parabolam talentorum, ac præmia eorum qui ea erogarunt Matth. 25. 21. Hinc sapienter R. Ismael in *Pirke aboth*, id est in Sententiis patrum cap. 4. *Qui eo fine discit*, inquit, *ut alios postmodum doceat, illi Deus et discendi gratiam confert et docendi; et qui hoc animo discit, ut suos ipsius mores instruat, dat illi Deus unde discat et doceat, et quod alios docuit, in opus et praxim redigat.*

Exempla. Illustre exemplum est in S. August. qui Florentinæ offerens suam docendi operam epist. 132. « Superest, inquit, ut promas ipsa, si quid ex me quærendum putas. Aut enim scio, quod inquisieris, et non negabo; aut ita nescio, ut nullo fidei salutisque detrimento nesciam, et hoc etiam teipsam, si potuero, faciam reddita ratione securam; aut certe si nescio et tamen sciendum est; vel impetrabo a Domino, ne tibi desim; nam sæpe officium impertiendi, meritum est accipiendi; vel ita tibi respondebo, ut noveris pro hac ipsa re, quam pariter nescimus, ad quem pulsare debeamus. » Et post nonnulla: « Equidem etiam iis rebus, quas utcumque scio, magis te cupio esse scientem, quam scientiæ nostræ indigentem. Neque enim, ut quod scimus doceamus, aliorum ignorantiam optare debemus. Multo quippe melius omnes sumus docibiles Deo, quod utique in illa superna patria, cum in nobis completum fuerit, quod promissum est, perficietur, ut non dicat homo proximo suo: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent eum sicut scriptum est a minore usque ad maiorem eorum. »

Excellens hac in re fuit Cosmas Scholasticus, de quo ita scribit Ioannes Moschus oculatus testis in Prato spirit. c. 172. « Erat, inquit, vir iste humilis, misericors, abstinens, virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis utilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, et quod magnam haberet librorum copiam super omnes qui erant in Alexandria, eosque prompte ac libenter volentibus accommodaret. » Subdit deinde eiusdem vitam et virtutes: « Erat autem et nihil possidens. In tota namque domo eius nihil vidisses aliud, quam libros, et scabelle, et lectulum, et mensam. Licebat vero omnibus ingredi, et interrogare, quæ ad utilitatem pertinerent, et legere. Diebus autem singulis intrabam ad eum ipse, et, teste veritate, numquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos, invenirem. Magno enim fervebat zelo convertendi gentem illam ad veritatem. » Additque, eum talem vitam constanter egisse per 33. annos.

B. Philippus Nerius dictitabat, servum Dei salutis proximorum studiosum debere omnium horarum esse virum, ut quolibet tempore cuilibet sui facultatem præbeat; idque ipse factitabat, eaque de causa adventantibus clavem cubiculi sui tradebat, ut sine pulsu ad se ingredi possent, opis vel consilii petendi causa, quando et quoties liberet.

Denique primos doctores sapientiæ, qui eam studiose posteris tradiderunt, et per multa sæcula propagarunt, fuisse Adam, Noe, Abraham, Ioseph, Mosen, Davidem ostendit lib. 3. de Rebus Salomonis cap. 27.

Vers 14. INFINITUS (græce ἀνεκλειπτος, id est indeficiens, inexhaustus) ENIM THESAURUS EST HOMINIBUS.) Dat causam, cur sine invidia sapientiam ultro communicet, quod scilicet eius thesaurus sit indeficiens, instar fontis vel putei perennis, unde quo plus aquæ exhauritur vel effluit, eo plus succedit rursusque affluit. Quare ne verearis, o doctor, alios docere, metuendo ne tua doctrina deficiat, vel tibi ipsi non sufficiat, quia docendo crescet tibi doctrina, tum ex ipso sius usu et exercitio, tum ex Dei remuneratione et dono; sicut lux candelæ, si aliam et aliam accendat, non minuitur, sed augetur; et sicut oleum Eliæ, quo in plura vasa effusum fuit, eo pariter magis fuit multiplicatum, 3. Reg. 17. 12.

QUO QUI USI SUNT, PARTICIPES FACTI SUNT AMICITIÆ DEI.) Græce πρὸς θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν, id est contraxerunt vel strinxerunt ad Deum, vel cum *Deo, amicitiam*, arctam scilicet et strictam. Vatabl. *amicitiam cum Deo iunxerunt*; Pagnin. *seposuerunt ad Deum amicitiam*. Alia est hæc ratio, cur suum sapientiæ thesaurum aliis libenter communicet, quod scilicet, qui eo utuntur in aliorum bonum docendo, consulendo, etc. propter insignem hanc charitatem, strictam cum Deo amicitiam ineant; Deus enim est primus sapientiæ Doctor, qui alios doctores sibi socios quærit, ut eam in omnes dispergat; quare eos in suum consortium et amicitiam, imo in suum doctoratus officium gradumque associat: *Divinorum enim operum divinissimum est, Deo in salute animarum cooperari*, ait S. Dionys. Atque angelorum munus est alios illuminare, purgare et perficere. Hinc patet, quod vera inter Deum et iustum intercedat amicitia, quæ sita est in charitate. Nam primo, per hanc fimus *divinæ consortes naturæ*, ideoque quodammodo æquales Deo. Secundo, per hanc fit mutuus amor, et mutua communicatio bonorum inter Deum et iustum. Tertio, per hanc singulariter iustus amat Deum et amatur a Deo, idque pure propter Deum, non propter utilitatem propriam. Quarto, per hanc anima intime unitur Deo, iuxta illud: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Ad veram enim amicitiam requiruntur et sufficiunt hæc quatuor, scilicet æqualitas, mutua benevolentia, singularitas et unio. Ita D. Thomas 2. 2. q. 23 art. 1. et ibidem fusius Franc. Suarez, Gregorius de Valentia et alii. Charitas est amicitia hominis cum Deo: cur?

PROPTER DISCIPLINÆ (tradendæ et docendæ) DONA COMMENDATI.) Græce διὰ τὰς ἐκ παιδείας δωρεὰς συστασθέντες, id est, *Propter ea, quæ ex disciplina promanant dona constituti, compositi*, vel *commendati*. Per doctrinam enim et disciplinam auditorum ignorantia dispellitur, errores abiguntur, veritate mens imbuitur, vitia castigantur, virtutes inseruntur, gratia et salus æterna procuratur, quæ omnia doctores Deo, angelis et hominibus mirifice commendant. Quocirca viri sapientes, amici, imo consultores et magistri fuere Regum et Imperatorum, ut Seneca Neronis, Apollonius Augusti, Aristoteles Alexandri Magni, Aristæas Ptolomæi Philadelphi, Lactantius Constantini, Alcuinus Caroli Magni. Alii per *dona disciplinæ* accipiunt bona omnia, quæ paulo ante sapientiam comitari et ab ea profluere asseruit; hæc enim sapientem apud omnes commendant, atque amabilem pariter et admirabilem efficiunt.

Proprie συστασθέντες, quod Noster vertit, *commendati*, idem est inquit Cervantius, quod cum Deo sibi amicissimo

stantes, consistentes, excitati, erecti ex terra, scilicet pulvere, collocati, constituti, secundum Deum stabiliti, firmati, alias ex sese ruituri in barathra errorum. Sic Plato in Timæo, et Polyb. lib. 2. præterea studiose excepti, culti, in cœtum, congressum, colloquium et contubernium admissi, nempe ipsius Dei, quo cum amoris vinculo adstricti. Quæ officia præstamus iis, quos habemus commendatos.

Denique συστάντες sunt cohærentes, conspirantes, concordes et consonantes, certe una cum Deo Deique gratia, atque dono ipsius, eos in tantum fastigium dignitatis evehentis, reddentisque consortes divinæ naturæ, et pulcherrima bonorum harmonia suavissimos. Nam *systema* apud musicos est constitutio et plenum modulationis corpus, ex consonantiarum coniunctione consistens, quale est diapason, diapente, etc. apud Boetium l. 4. de Music. cap. 14.

Moraliter disce his dignitatem doctorum sapientiæ quod scilicet præ cæteris iustis et doctis sint amici Dei, quia plurimos doctos, id est probos, sanctos, Deique amicos, efficiunt. Hi enim sine fictione docent quod a Deo didicerunt, quia non alio fine docent, quam quem Deus et sapientia ipsa requirit, scilicet ad Dei notitiam cultumque propagandum, et ad animas salvandas; qui enim alio fine docet, v. g. ad ambitionem vel lucrum proprium, ficte et dolose sapientia utitur, imo abutitur. Hinc rursum verus doctor sapientiæ sine invidia sua communicat, quia nil tam alienum a sapientia, quam invidia; sapientiæ enim spiritus *suavis est, amans bonum, benefaciens, humanus, benignus*, etc. ut audiemus v. 22. Unde Ecclesiast. c. 20. 32. *Sapientia abscon sa*, inquit, *et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.* Et Ap. Ephes. 4 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores* (non propter se, ut sibi soli sapiant, sed ut alios doceant, nimirum) *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Unde Paulus: *Væ mihi est*, inquit, *si non evangelizavero*, 1. Corinth. 9. 16.

Vers. 15. MIHI AUTEM DEDIT DEUS DICERE EX SENTENTIA, ET PRÆSUMERE DIGNA HORUM QUÆ MIHI DANTUR: QUONIAM IPSE SAPIENTIÆ DUX EST, ET SAPIENTIUM EMENDATOR.) Pro *dedit* S. Greg. et Cantacuzenus legunt, *det*, quod est optantis, cum prius sit asserentis. Declarat quomodo sapientiam sine fictione didicerit, et sine invidia communicet, quod scilicet Deus ei dederit facultatem et donum loquendi ex sententia, ut nimirum animi sui sensa, et quæcumque mente concepit, libero, facili, methodice, clare, gratiose, nervose, eloqui valeat, ut auditores ea facile intelligant, capiant, retineant et exsequantur. Multi enim sunt viri docti in seipsis, sed sua sensa eloqui non valent: unde inepti sunt ad docendum. Docti ergo, ut fiant doctores congrui, egent gratia et facilitate se explicandi influendique in animos auditorum, ut iis illa perspicue ostendant et efficaciter persuadeant. Ita hodie videmus nonnullos doctores, sed mutos et elingues; alios vero disertos et facundos, qualis fuit Salomon. Pergit hic enarrare Salomon quæ et quanta per sapientiam cognoverit, ut deinde v. 22. in eius laudes et elogia sese effundat. Porro id facit non ex fastu, sed ex gratitudine; omnia enim refert in Deum quasi sapientiæ omnisque boni fontem. Nam ut ait S. Aug. in Psal. 85. 2. cum Psaltes ibidem ait: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati; imo et habere te cognosce*, inquit, *et nihil ex te habere, ut nec superbus sis, nec ingratus; dic Deo tuo: Sanctus sum, quoniam sanctificasti me, quia accepi*, non quia *habui; quia tu dedisti*, non quia *merui*.

DICERE EX SENTENTIA.) Græce, εἰπεῖν κατὰ γνώμην. Porro γνώμη multa significat: Primo, sententiam: nam gnomæ vocantur sententiæ graves, parabolæ et proverbia. Hoc secutus Vatabl. vertit: *Deus dedit mihi sententiose loqui.* (Gnome multa significat.) Secundo, voluntatem, qua quis aliquid in mente statuit et decrevit. Unde Budæus et ex eo Iansen. κατὰ γνώμην, inquit, est proprio sponte, libere et lubenter loqui. Hoc secutus S. Bonaventura explicat, q. d. Ut firmus certusque pronuntiem de rebus, non hæsitans, non cunctabundus, sed quasi potestatem habens. Tertio, ingenium, iudicium, consilium. Unde aliqui explicant, q. d. Deus dedit mihi gratiam loquendi ingeniose, subtiliter et erudite, sed simul cum iudicio et consilio utili prudentique quod auditoribus ubique suggero; quo fit ut ubique proferam ea, quæ congrua sunt ingenio, consilio et iudicio prudentiæ. Unde Clarius vertit: *Dei dono habeo, ut loquar erudite quæ sentio.* Quarto, opinionem et existimationem, q. d. Deus dedit mihi ita sapienter loqui sicut congruum est opinioni, quam de me homines conceperunt. Quinto, nonnulli censent gnomen subinde significare gnomonem, indicem et regulam, qualis est stylus in horologio, qui per umbram horas singulas notat et indicat, q. d. Ego in omnibus dictis sequor lucem ductumque rationis et Dei instar umbræ et styli in horologio. Verum hoc alienius videtur. Sexto et genuine, γνώμη significat sensum. Unde Petrus Nannius vertit: *Deus dedit mihi, ut secundum mentem eloquar, et animi sententiam exprimere valeam*, ut scilicet quæ sapienter mente concepi, sapienter ore eloquar, non tantum quoad rem, sed etiam quoad methodum et modum, quo ea in animo et cogitatione mea depinxi. Unde viri sapientes, et egregii oratores apud principes vel populum peroraturi, non tantum puncta dicenda, sed etiam ordinem et modum, quo singula dicturi sunt, mente præconcipiunt, ut unum ex alio dependeat, sicut annuli in catena; ac unum ex alio fluat, sicut latices ex fonte. Porro sapienter dicere tria requirit. Primo, ut quis ea prius præmeditetur, uti iam dixi. Secundo, ut ea proferat sapide, iucunde, hilariter, gratiose. Tertio, ut ea promat cum pondere, nervose, efficaciter et apposite ad persuadendum. Tota enim vis fructusque oratoris et orationis consistit in persuadendo, ait Tullius. (Sapiens oratio tria poscit.)

Porro quam fatua sit eloquentia sine sapientia, demonstrat apologus ranæ et anguillæ, appositis epithetis venustus, apud Cyrill. l. 2. Apolog. mor. cap. 16. cui titulus: Contra arrogantes ex eloquentia: « Ranuncula in fonte genita, inquit, sine voce cum cauda, procedente die dum cresceret, ac mutata forma, perdita caudula, loquacitatis inquietissimæ ampullas accepisset; natantem ibidem aspiciens, sine sono caudatam anguillam, mox eloquii ventu tumens coram illa naturæ cœpit arrogantiæ suæ grates referre, dicens: Gratias tibi ago, quod non solum subtraxisti mihi caudam bestialitatis opprobrium, sed etiam rationalis gloriæ facundiam tribuisti. Hoc autem cum audisset anguilla, et tumorem fastus eius ex ampullosa fabulatione notasset, ut superbam confunderet, e contra subiunxit: Ego sane, soror, naturæ gratias offero, quod acutissimum iactantiæ sonitum a me abstulit, et mihi in effugium salutare longiorem astutiæ caudam dedit. Ut quid, charissima, pestifero vento loquacitatis inflaris? Non attendis, quod inflata lingua dum eructat facundiam, bullit stultitiam? quia flatu superbiæ venenata mox a mente sapientiam fugat. Verum quid est eloquentia sine sapientia, nisi incondita lingua, furiosa potentia, bucca sine fronte, equina dementia, ars incomposita, et dulcedo non modicum venenosa? » Ex quibus concludit, et hoc epimythium colligit: « Malo igitur sine vocis artificio cum formica gaudere prudentia, quam vocis tonitruo insanire cum asino, vel etiam cum iubilo captiva vernare cum philomela. Malo certe in æternum non loqui, quam locutione sempiternum captivando in superbiam erigi. Quo dicto sub limo se abscondit. » (Apologus ventosæ eloquentiæ.)

Salomon ergo eloquentia æque ac sapientia excelluit: et tam illa, quam hæc insignis est regum et principum decus, uti hic ipse insinuat. Unde de Calliope, quæ eloquentiæ erat dea, sic canit Hesiodus in Theogonia,

Quæ reges etiam comitatur rite verendos.

Eloquentes fuere Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius Imp. teste Tacito libr. 13. Annal. sub initium, item Diomedes, Ulysses, Nestor, Pericles et Alexander Magnus,

quem Dio l. 2. de Regno ita patri Philippo loquentem inducit; *Rhetorica quidem opus est regi: nam tu frequenter rescribere cogeris, et contendicere Demostheni rhetori valde vehementi et impostori, atque aliis quoque, qui Athenis rempubl. administrant.* Hæc est illa Gallici Herculis imago apud Lucianum: *Catenulis aureis confertissimam hominum multitudinem trahens, omnes auribus vinctos, et quidem neque de fuga cogitantes, neque omnino resistantes, aut pedibus in diversum enitentes, sed sponte festinantes, innexis tamen catenulis summa Dei linguæ perterebratæ*, et,

Quamvis durissima corda,
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Pyrrhus Epiri rex dictitabat, plures se urbes sobiecisse eloquentia Cyneæ oratoris sui, quam armis, teste Valerio Maximo.

Mystice S. Gregor. 23. Moral. c. 10. vel 17. « Fit plerumque, inquit, ut fortiter dicant, sed tamen iuxta ea quæ dicunt vivere nesciant. Unde bene quidam sapiens dixit: Mihi autem Deus dat hæc dicere ex sententia. Sententia quippe a sensu vocata est. Et recte, quæ intelligit, non ex sola scientia, sed ex sententia dicere appetit; qui nequaquam tantummodo sciendo dicere, sed sentiendo desideret experiri quod dicit. »

Et præsumere.) Græce ενθυμηθηναι, id est cogitare et mente concipere ea, quæ digna sunt donis, quæ mihi a Deo data sunt et in dies dantur, sive quemadmodum decet dona mea. *Præsumere* ergo est præconcipere, sive mente prius comprehendere et complecti ea, quæ pro dignitate rei eloquenda sunt. Qui enim recte vult dicere, prius quid et qualiter dicendum sit præmeditetur oportet.

Aliter Hugo: Cogitare, inquit, digne de datis, est pro donis acceptis gratias agere. Nihil enim dono ita dignum est, ac gratiarum actio. Alii: Cogitare, inquiunt, digne de datis, est cogitare quomodo ea, quæ nobis data sunt ad aliorum commodum, apte in eos dispensemus. Melius noster a Castro: Præsumere, inquit, est præconcipere digna datis. Hoc pertinet ad gravitatem sententiarum, cui illa orationis facultas respondet: Nam sunt, ut ait Cicero de Oratore, qui recte sentiant, cum tamen id quod sentiunt, non possint ornate distincteque dicere. Duo ergo sibi a Deo data gratulatur Salomon, et in loquendo facundiam; et præeligere, quod Vulgatus dixit, *præsumere* ex cogitatis se, quæ dicturus esset gravia et digna tantis donis: id est talia, qualia decet dona a Deo data, et datorem eorum Deum, non levia ac ludicra et inutilia; sed gravia, seria et multæ utilitatis utpote ex sapientia profecta.

Cantacuzenus pro διδομενων, id est *quæ dantur* legit, λεγομενων, id est *quæ dicuntur*, ut enim oratio sit congrua, debet esse digna rebus quæ dicuntur.

Deus ductor. Quoniam ipse sapientiæ dux est.) Græce οδηγος, id est dux viæ, sive itineris, quo scilicet e terra ad cælum cælestemque vitam contendimus; sicut columna ignis per noctem, et nubis per diem præiens castra Hebræorum, eis erat οδηγος id est dux viæ per desertum in terram promissam. Exodi 13. 21. Deus ergo est noster οδηγος, id est viæ in cælum dux, monstrator, inquit Cervantes, præceptor, coryphæus, princeps, auspex suaviter pelliciens, et potentia fortiter impellens æstimator omnia suis momentis librans æqua lance, ac magni æstimans eos, quos instituendos atque regendos habet, moderator, rector, auriga, et gubernator, institutor formatorque eorum, quos sapientia imbuendos suscepit; uti dicitur magister Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæ, imo dux et princeps, v. g. Medicinæ Galenus, Philosophiæ Aristoteles, Theologiæ S. Aug. et S. Thomas, qui ut dux cæteris quos ducit præstat, præitque in via, sicut magister puero, dux militi, strategus exercitui, stella Magis, doctrina et exemplo prælucens. Nam recte dux dicitur sapientiæ, qui discipulorum agmina sicut acies militum ductat, item imperator, primipilus in gymnastica gymnasiorum exercitatione, quasi militari. Gentilibus viæ, æque ac sapientiæ et sermonis, præses et dux erat Mercurius, græce ερμης, id est interpres et nuntius, ita dictus, quasi medicurrius, ait Arnobius, et ex eo Giraldus syntag. 9. hoc est medius currens, quod sermo medius inter homines sit: ideoque et Nuncius dictus, quia per sermonem omnia enuntiantur, ait S. Aug. l. 7. de Civit. 14. Unde Iulianus Apostata, teste Ammiano, nocte dimidiata semper exsurgens occulte Mercurio supplicabat, quem in mundo velociorem sensum esse motum mentium suscitantem, Gentiles tradidere. Verum verus fidelium Mercurius non est alius, quam Deus et Christus.

Et sapientium emendator.) Græce διορθωτης, id est moderator, director, erector, corrector, rectificator, bene dispositor, qui scilicet hærentem et incertum quid agat dicatque moderatur et dirigit, labentem erigit, errantem corrigit, curvum rectificat: διορθοω enim idem est, quod moderor, dispono, dirigo, erigo, corrigo, reparo, rectum facio: sicut pædagogus puerum incongrue loquentem, scribentem vel ambulantem emendat, hoc est, corrigit, erigit, dirigit. Nam Deus tribuit hominibus et sapientiam cordis, qua cogitent et eligant quæ sint dicturi; et eloquentiam sive moderationem orationis: nam corrigit, disponit et moderatur quæ dicenda sunt. Unde subdit quod in manu eius sunt tum nos, tum sermones nostri. Rursum διορθοω est moveo, seu ventus naves, ut recta in portum tendant, teste Athenæo lib. 13. Item prospero, in meliorem statum restituo, et felici successu uti facio. Unde Orthosia dicitur Diana (cuius meminit Pindarus in Olymp. Lycophron et Phavor. teste Giraldo syntag. 12. de diis Gentium) quod vitam hominis erigat, statuat, dirigat, secundet, et parientes, non solum natos, sublevet, expertes dolorum faciat, allevatos dirigat, et felices reddat: et Iupiter Orthosios ab eisdem effectibus, erigendis scilicet excitandisque labescentibus. Deus ergo dicitur σοφων διορθωτης, id est, primo, *sapientum stator*, perinde ac recens natorum infantium, ait Cervantius, qui constituit, servat et format stantes et rectos. *(Deus emendator sapientum)*
1. Secundo, *erector* eorum, qui eos, si in via
2. cespitent, nutent, labascent, corruant, erigit sublevatque,
3. et in locum suum reducit. Tertio, qui illos, qui adversis flatibus e tramite et via sapientiæ deflectere faciles sunt aut amant, spiritu suo velut navim in portum salutis dirigit.
4. Quarto, qui eosdem deprehensos et reprehensos corrigit et emendat, et sic pristino statui, integritati et incolumitati, instar medici et chirurgi restituit, restitutos instituit, et confirmat omni labe purgatos, quibus omnia prospera et votis annuentia contingunt; et sic prosperum iter eis facit Deus salutarium ipsorum, Psal. 67. 20. Ita Deus correxit, vel per Aaronem direxit, vitium linguæ Moysis, quem legatum destinabat ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum, Exodi 4. Sic Christus correxit ignorantiam Nicodemi, Ioannis 3 et Samaritanæ, Ioan. 4. Scribarum et Pharisæorum, S. Petri, S. Ioannis et Iacobi, cæterorumque Apostolorum et discipulorum, ut patet pas-
5. sim in Evangeliis. Denique Deus est sapientum emendator, cum eos de sapientia, vel bonis operibus præsumentes, et vane gloriantes arguit, castigat, humiliat. Ita Lyranus, Hugo et Dionys. Vere Ethicus: *Supra modum si quis sapit, bis desipit. Nemo sapit minus quam qui nimis. Intra modum quisquis sapit, vere sapit.* Hoc est quod Ecclesia et fidelis quisque implorando opem Spiritus sancti, qui verus et summus est sapientiæ doctor, obsecrat: *Veni, creator Spiritus, etc.*

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Et:

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

In manu enim illius, et nos, et sermones nostri.) Vers. 16
q. d. In Dei arbitrio, potestate et providentia (horum enim symbolum est manus) est regere et moderari, tam nos, quam sermones nostros. Pro *sermones* græce est λογοι, quod tam sermones, quam rationes, cogitationes, ratiocinationes, discursus significat: hos enim omnes dirigit Deus. Sed

melius hoc loco Noster vertit, *sermones*, quia agitur de eloquentia. Hinc S. August. lib. 4. de Doctrina Christiana, cap. 6. prædicatorem monet: *ut sit prius orator Dei, quam dictor: quia ut dicatur a nobis, quod oportet et ut oportet, non facit nisi ille, in cuius manu sumus, et nos et sermones nostri, etc.* Et Bernard. epist. 87. ad Ogerium: *Si aliquid forte a me audivisti quod possit prodesse tibi, gratias Deo age, in cuius manu sunt, et nos et sermones nostri.* Nam in manu Dei est vita et flatus noster, Daniel. 5. 23. Ipseque omnia opera, tum naturalia, tum potius supernaturalia operatur in nobis, Isaiæ 26. 12. Omnis enim nostra sufficientia ex Deo est, 2. Corinth. 3. 5. Denique *hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam*, Proverb. 16. 1. Quare initio sermonis cuiuslibet orandum cum Davide: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*, Psal. 50. 17.

Et omnis sapientia.) Græce, φρονησις, id est intelligentia, prudentia, scientia. Significat ergo scientiam speculativam, vel potius prudentiam sibi a Deo infusam.

Et operum scientia, et disciplina.) Ita Rom. græce dumtaxat est εργατειων επιστημη, id est, *opificiorum scientia*; Prosper lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 9. legit, et *operum scientia et disciplina*; Complut. et *operum scientiæ disciplina*. Omnia hæc eodem redeunt et idem significant, scilicet *opificiorum scientiam*, ut habent Græca, id est peritiam artium mechanicarum et agriculturæ. Idem ergo est *disciplina* quod *scientia*, puta cognitio sive peritia. Significat Salomon cum sapientia speculativa sibi inditam a Deo scientiam factivam sive practicam, puta artium mechanicarum, uti architectonicæ mathematicæ practicæ, fabrilis, agriculturæ, nauticæ, etc. Has enim exercuit in fabrica templi, in cultura agrorum, in missione navium in Ophir. Sic Cato exercitus Romani dux peritus erat rei rusticæ, de eaque libros conscripsit, adeoque nulla ars neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, ait Livius lib. 43. 34. Hinc Vitruvius dedicat Augusto Imp. sua scripta de Architectura: *Ut maiestas*, inquit, *imperii publicorum ædificiorum per se nota haberet opera, et egregias auctoritates.*

Operum scientia efficax. Tropol. *operum scientia* est, quæ non tam verbo, quam opere et exemplo docet sapientiam et virtutem, ideoque efficacissima est, de qua S. Hieronymus ad Nepotian. ep. 2. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum*

Gnome. *in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat*; S. Amb. serm. 76. de sanctis Martyribus: *Benefacere, prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur: quod etsi voce aures non excitat, virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt; imo sine factis dicta nihil prosunt.* Plura ibi de eadem re. S. August. serm. 3. de Verbis Domini: *In doctore molesta est causa dicere, nec facere.* S. Gregor. Pastoral. par. 2. c. 3. *Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat;* Tertull. initio libr. de Patientia: *Dicta factis deficientibus erubescunt;* S. Leo Pontif. serm. in Nat. S. Laurentii: *Validiora sunt exempla, quam verba; et plenius est opere docere, quam voce;* S. Bern. serm. 76. in Cant. *Si pastor doctus quidem fuerit, non sit autem bonus; verendum ne non tam nutriat doctrinæ uberi, quam sterili vita noceat.* B. Petrus Damiani ser. de sanctis Apost. Petro et Paulo: *Bonus et perfectus magister* (Paulus) *qui fidem facit verbis opere meliore.* Guaricus Abbas Igniacensis ser. 2. de Pentecoste: *Suspecta mihi hæc est consolatio, si dicam, et non faciam, ut suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ.* Ennodius ad Maximum Episcopum in oratione ei dicenda: *Plus agendo populum instituis, quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, quæ præbentur exemplo.*

Vers. 17. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt (græce των οντων, id est entium vel existentium) scientiam veram.) Græce αψευδη, id est non falsam, non mendacem, sed veram et genuinam. Hoc primo, aliqui docent Salomoni inditam a Deo fuisse scientiam omnium entium, id est Metaphysicam, quæ pro obiecto habet ens, ac considerat latitudinem entis. Secundo, alii scientiam entium realium, etiam quæ actu non existunt, sed tantum sunt possibilia. Ita S. Bonav. Tertio, alii omnium entium, quæ in rerum natura existunt, puta Physicam. Ita Iansen. De his enim se explicat in sequenti. Unde Salomon vocatur *summus physiologus* ab Euseb. l. 11. Præpar. c. 6. Quarto, scientiam omnium entium, tam naturalium, quam supernaturalium, puta Theologiam, quam proinde tempore Salomonis floruisse ex hoc loco docet Melchior Canus. l. 12. de Locis c. 2.

Verius est omnium entium, non possibilium, sed existentium scientiam Salomoni inditam, idque quoad speciem, non quoad individua. Nam individuorum omnium nec ipse Adam habuit, ut sciret quot lapilli iaceant in flumine, quot in individuo nascantur muscæ, apes, culices, quot volatus, gyros et bombos edant, etc. uti docet S. Thomas 1. p. q. 94. art. 3. Idem de Christo sentit Franc. Suarez 3. p. quæst. 12. sub finem. Quia, inquit, hoc non ad perfectionem scientiæ, nec naturalis prudentiæ videtur necessarium. Idem docent Scotus, Gabriel, Almainus et alii.

Ut sciam dispositionem orbis terrarum.) Græce συστασιν κοσμου, id est, ut Anastas. Nicen. quæst. 39. et Iansen. *mundi constitutionem*: alii: *constructionem*, ut scilicet cognoscam qua ratione constructus et constitutus sit mundus: quibus partibus constet, et quo ordine nexuque dispositis. S. Ambros. lib. de Fide resurr. legit: *compositionem*; Origen. hom. 21. in Lucam: *rationem mundi*; noster Lorinus: *Constitutionem ex partibus suis, et secundum variam collocationem rerum quæ in mundo sunt, earumque coagmentationem*, præsertim quoad primarias et præcipuas mundi partes: hanc enim plene cognovit Salomon ex primis principiis et causis, quibus res constitutæ sunt. Id enim innuit vox συστασιν. Rursum S. Ambros. lib. de Salomone, tom. 2. c. 1. *Noverat* (Salomon) inquit, *mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne, quod cernimus, ardua sublimitate suspensum; quemadmodum fieret aeris istius circumiectus, et fusus æquæ moderamine, libratus in medio; quibus modis pigro ad imum delapsa pondere terra subsisteret; quo ratione intra certas littorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exæstuet*, etc. Ita ipse, paraphrastice exponens locum Sapientiæ, de quo agimus; alludens, ut apparet, ad illud Poetæ 1. Metam.

Ignea convexi vis, et sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce,
Proximus est aer illi levitate locoque;
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sua: circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.

Hinc patet Salomonem non tantum fuisse cosmographum, sed etiam geographum, qualem debere esse principem docet Lipsius Exempl. Polit. c. 8. ac talem fuisse Adamum et Noe docet Arias in Apparatu. Denique Abulens. in l. 3. Reg. c. 3. v. 11. docet scientiam Salomonis fuisse indelebilem, eo quod non per actus et species obiectorum esset acquisita, sed a Deo infusa, idque in gradu perfecto; quare nec per cessationem ab actu, nec per actus contrarios, aut deceptionem potuisse deleri.

Et virtutes (græce ενεργειαν, id est energiam, vim, efficacitatem) elementorum.) Quam scilicet vim habeant in agendo singula elementa. Repete ad omnia, *ut sciam*. Primus *Salomon doctrinam calidorum et frigidorum, siccorum et humidorum tradidit*, ait Anastas. Nicenus.

Initium et consummationem (Anast. Nicen. q. 39. legit *finem*) et medietatem temporum.) Origen. hom. 21. in Lucam pro *temporum* legit, *sæculorum*; hæc enim a temporibus conflantur; S. Ambr. l. 2. de Abraham c. 7. legit, *Principium rerum: Quod principium rerum*, ait, *quis finis, quæ sunt media*. Sensus est q. d. Deus dedit mihi ut cognoscerem totum decursum temporis a principio Vers. 18.

usque ad finem, et omnium quæ in tempora naturaliter accidunt, ut scilicet nossem quomodo quisque dies, mensis, annus, sæculum incipiat, progrediatur et desinat. Philosophi enim est rerum principia, progressus et exitus perspicere. Cave ergo hinc inferas, Salomonem cognovisse, quo die finiendus sit mundus et quo die futurum sit iudicium. Hoc enim negat Christus Marci 13. 32.

Vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum.) Ita Græca et Rom. Perperam ergo aliqui legunt: *Consummationes temporum* (alii, omnium) adduntque, *morum mutationes et divisiones temporum*: quæ duo verisimile est ex alia versione, vel alicuius interpretatione in margine prius ascripta, postea relata in textum; S. Ambr. l. 2. de Abraham c. 7. pro his omnibus tantum legit: *Divisiones temporum*; l. vero de Salomone c. 4. legit: *Divisiones et mutationes temporum*; Origen. hom. 24. in Lucam: *Temporum varietates, et translationes mensium*. Pro *vicissitudinum* græce est τροπων, id est conversionum: perperam aliqui vertunt, *morum*: sic enim scribendum esset accentu acuto τροπων; τροποι enim sunt mores, qui huc non pertinent: iam vero scribitur τροπων per accentum circumflexum, a τροπαι, id est conversiones, item solstitia, quod in eis sol cursum mutet et convertat. Nam in solstitio æstivo a Tropico Cancri cursum reflectit ad Tropicum Capricorni: in solstitio vero hiemali a Tropico Capricorni redit ad Tropicum Cancri: nec enim ultra duos hos Tropicos sol progreditur. Unde Vatablus vertit: *Solstitiorum vicissitudines*. Ita Cantacuz. Clarius, Lorinus, a Castro. Hinc et τροπαι vocantur venti solstitiales. Gaza exponit, *flatus tropæos*, id est quos versarios seu reciprocos nuncupamus. Per *commutationes temporum* intellige ceteras temporum vicissitudines, quales sunt dierum ac noctium, ait S. Bonavent. æstatis et hiemis, veris et autumni (quas pariter Cicero Tuscul. 4. vocat commutationes temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, et ad temperationem corporum aptas) item mensium successiones, lunationes, lunæque incremente et decremente.

Vers. 19. Anni cursus, et stellarum dispositiones.) Pro *cursus* græce est κυκλους, id est circuitus vel circulos: anni enim in orbem eunt et redeunt. Unde annus hebr. dicitur, שׁנה *sciana* a revolutione: græce ενιαυτος, quod in se redeat; latine *annus*, quasi *anus*, id est annulus, quod in se revertatur; unde illud:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Pro *dispositiones* græce est θεσεις, id est theses, positiones et situs stellarum seu siderum, eorumque motus, ortus, occasus, concursus, eclipses, etc. quæ naturaliter certo sciri possunt ex astronomia. Fuit ergo Salomon astronomus, at non astrologus iudiciarius, ut ex astris et horoscopo divinaret de futuris contingentibus et actionibus liberis. Hoc enim temerarium est, stultum et impossibile.

Vers. 20. Naturas animalium (tam cicurum et domesticorum, quam ferarum et agrestium) et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum.) *Iras*, græce θυμους, id est animos, iras, furores, qualis scilicet cuiusque feræ sit ira, quibusque rebus irritetur. uti elephanti irritantur viso sanguine, bubali viso colore rubro et purpure. Unde nuper bubalus Romæ furibundus incurrit in Pontificem purpuratum, eumque confecisset, nisi aliquis quidam medium se interiecisset, suaque morte mortem Pontificis redemisset.

Minus recte Vatablus cum Cantacuzeno vertit, *affectus*, exponitque de cicuratione ferarum; esto Salomon, ex plena cognitione naturæ iræ ferarum, potuerit quoque nosse modum eas placandi et cicurandi. Sicut elephanti bilem infringi hausto hordei succo, scribit Plinius l. 8. cap. 7. hordeum enim refrigerat, unde medici febricitantibus hordeatum præscribunt. Hinc morale hoc dogma elicit Seneca epist. 85. *Sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, ignominia, carcer, exsilium, et cætera horrenda, cum ad hunc pervenere, mansueta sunt*.

Denique per φυσεις, id est, naturas animalium, intellige naturales differentias singulorum, proprietates, qualitates, indoles, instinctus, opportunitates ad hominum usus, aliaque id genus. Nam ut ait S. Basil. hom. 9. Hexam. « Animalia singula diversis proprietatibus inter sese variisque non mediocriter distinguuntur. Est enim bos quidem constans strenuusque: asinus autem piger; equus libidine incenditur, petitque impetuose femellam; lupus mitescere nequit; vulpes insidiosa est, et ad dolos natura concinnandos sagax; cervus timidus, laboriosa formica, canis gratiosus est, et initæ semel amicitiæ tenax ac memor: simul enim animalia singula cum sua peculiari natura creata sunt. Una cum leone animositas, et ad incandescentiam iræ propensio illi assignata est, vita solitaria, expers societatis ad ea quæ genus subeunt idem. »

Vim ventorum.) Græca πνευματων βιας, id est, *spirituum violentias*, impetusque violentos, quod tam de ventis, quam de dæmonibus accipi potest. Dæmonum enim maior est vis et impetus, quam ventorum; ideoque nisi Deus eos infringeret, nullus hominum eorum tentationi et impulsui resistere posset. Unde Salomon dicitur scripsisse exorcismos ad reprimendos et expellendos dæmones: multo magis cognovit Salomon ventorum vim et indolem; unde scilicet eorum sit ortus, motus, et violentia, occasus, frigus, calor, humor, siccitas, salubritas vel morbida qualitas, quæ tanto studio rimantur Physici, et probabilia duntaxat afferunt. Porro quanta sit ventorum vis, liquet ex tempestatibus, quas in mari, et terræ motibus, quos in orbe cient. Unde Poeta:

Qua data porta ruunt, et terras turbine perflant.

Hinc a priscis sapientibus Dei maiestas occulta hoc hieroglyphico repræsentabatur. Exhibebatur in tabula vir poplitibus se excipiens, erectis in cælum oculis, vel pronus in faciem, adspirantium ventorum strepitum perhorrescens, cum hoc versiculo:

Ανεμων πνεοντων την ηχω προσκυνει,

Hoc est:

Flantium ventorum sonum adora.

Iamblichus interpretatur, q. d. Deum cum minime videre possis, at certe per res creatas sparsum, et in iis tacito quodam horrore spirantem debes venerari. Porro D. Dionysius Cælestis hierarch. cap. 15. Deum venti nomine commode designari ostendit, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celerem insuperabilem discessum, et nobiliorum principiorum atque finium incognitas atque invisibiles latebras. Ita noster Causin. lib. 4. Parab. histor. cap. 24. Vide dicta Amos 4. 13.

Cogitationes hominum) Solus Deus certo cognoscit et pervidet secretas cordis cogitationes et volitiones. Angeli ergo et homines sapientes eas tantum coniectant ex signis physiognomicis similibusque coniecturis, iuxta illud: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*, Prov. 27. 19. Et illud: *Ex visu cognoscitur vir et ab occursu faciei cognoscitur sensatus*, Eccli 19. 26. Vide utrobique dicta, et Arist. in Physiognomia. Sic litigantibus de prole meretricibus Salomon solerter coniecit, ex amore materno, quænam esset vere prolis mater, 3. Reg. 3. 16. et ex postulatione Adoniæ petentis sibi dari uxorem Abisag, quæ Davidem senem calefecerat, coniecit Adoniam affectare Davidis regnum, 3. Reg. 3. v. 22. Noster a Castro per *cogitationes*, græce διαλογισμους, accipit non singulorum hominum mentis cogitata, sed universim communes dialogismos, discursus, sive ratiocinationes hominum.

Differentias virgultorum (græca φυτων, id est *plantarum*; S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. legit *herbarum*; lib. vero de Salom. cap. 4. legit, *arborum*) et virtutes radicum.) Salomon enim *disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete; et disseruit de iumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus*, 3. Reg. 4. 33. Vide Pinedam l. 3. de Rebus Salomonis c. 23. ubi docet Salomonem medicinæ et magiæ naturalis fuisse peritissimum, id est, exactissime rerum naturas, vires, proprietates, sympathias, antipathias calluisse, prætereaque divinare atque efficere potuisse mirifica quædam, quæ rerum causas ignorantibus, aut præ-

atigiosa, aut miraculo proxima viderentur; quæ est ipsa magiæ naturalis propria ratio; et quæ nomine absconditorum et improvisorum recte possumus interpretari. Vide de his Euseb. 4. de Præpar. cap. 1.

Vers. 21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.) Videtur Noster legisse αφανη, id est, *obscura*, *improvisa*: iam contrarie legunt εμφανη, id est, *manifesta* et *perspicua*, ut vertit Cantacuzenus, Vatablus et Iansen. Aut potius εμφανη vocentur ea quæ subito vel inopinato incidunt, et ex improviso apparent, ut prævideri ac provideri nequiverint, ac proinde causas habent occultas, ut opponantur absconsis, quæ tam quoad substantiam, quam quoad causam latent et sunt abscondita. Talia εμφανη sunt fulgur illico apparens et disparens, parelii, hiatus, cæteraque aeria phænomena: item terræ motus, maris exundationes, procellæ, tempestates, turbines etc. Huc pertinet vis magnetis (licet id neget Gulielm. Gilbertus Angliæ medicus libr. 1. de Magnete, cap. 1. eiusque cognitionem sibi velut primo inventori vane arroget) virtutes gemmarum, lapidum, herbarum, ambræ, succinorum, etc. quas cognitas fuisse Salomoni non est dubium. Ita Lyran. Cervantius et alii. Abulensis vero in lib. 3. Reg. cap. 3. quæst. 9. per *improvisa* accipit somnia, ex quibus medicus et physicus coniicere potest, qualis sit complexio et humorum temperies in corpore.

Ex dictis recte colligit noster a Castro Deum bonorum largitorem affluentius et abundantius donare quam postuletur; siquidem Salomoni sapientiam ad gubernandum postulanti, adiecit scientiam omnium rerum naturalium tam affluenter, ut solo primo parente fuerit hac in parte inferior. Nam in primis largitus est summam eloquentiam, scientiam de moribus, omnes artes, philosophiam naturalem, astrologiam, chronologiam, historiam naturalem, logicam, et demum alia quæcumque nosci possunt. Audi S. Ambr. in c. 30. Prov. sub initium: « Tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cum omnia cognovisset quæ in arcanis abditorum dispositionum tenebantur absconsa, noverat mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne quod cernimus, abdita sublimitate suspensum, » et cætera de elementis, quæ superius recitavi; ac subdit: « Quod principium rerum quis finis et quæ sunt media. Quem iterum divisiones et mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorum mutua vicissitudo, redeunte orbe, succederet; quæ causa varios stellarum ageret cursus, præcedendo se nonnumquam, aut subito subsequendo; unde earum esset ortus, aut obitus; et alia multa, quæ sapientis docente cognoverat. »

Omnium enim artifex docuit me sapientia.) Per artem enim, ideam et industriam sapientiæ divinæ creata sunt omnia, æque ac conservantur et gubernantur. Iuxta illud Proverb. 8. 30. *Quando appendebat fundamenta terræ*, cum eo *eram cuncta componens, etc.*

Porro *sapientia* hæc, tam creata et Salomoni infusa accipi potest, quam increata, quæ est in Deo, sive ea sit essentialis, et tribus personis Sanctæ Trinitatis communis, sive notionalis et soli Verbo, sive Filio, propria, de qua intelleait S. August. l. 4. de Trinit. cap. 20. et S. Ambros. lib. de Incarnat. Domin. Sacram. in fine, Gregorius Bæticus lib. de Fide contra Arrianos, Origen. l. 1. Periarchon c. 2. et alii veteres, qui hinc probant Filium non esse creaturam, sed creatorem, ideoque Deum; imo sic explicat Concil. Sardicense Epistola ad omnes Episcopos, dicens: *Nullus nostrum negat Filium genitum ante omnia, opificem Archangelorum, et mundi et humani generis; quoniam ait: Omnium artifex sapientia docuit me*, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Quia enim Filius a Patre generatur et procedit per intellectum, ut verbum mentis; hinc ei appropriatur ars, idea, scientia, sapientia, quodque ipse sit artifex et principium creaturarum, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 6.

Igitur *sapientia* hic generalissime accipitur abstrahitque, et communis est creatæ et increatæ: ideoque hæc applicari possunt, tum increatæ, sive essentiali, sive notionali; tum creatæ, sive participatæ. Unde subinde Sapiens ab increata ad creatam transit, idque maxime facit initio cap. 9. ubi eam sibi a Deo communicari et infundi efflagitat: hæc enim nequit alia esse, quam donum creatum.

Hinc rursum *sapientia* hic amplissime sumitur pro quavis cognitione rerum, tam cælestium et divinarum, quam agendarum ex virtute et præscripto prudentiæ, atque efficiendarum per artem. Inducitur enim hic sapientia, uti idea, ars et artifex omnium rerum naturalium artificialium et moralium; quare non solum omnem scientiam, omnem ethicam, sed et artem quamlibet complectitur. Unde v. 24. ait: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam.* Sic quoque sapientia sumitur. Proverb. 8. 24. et seqq. ubi dicitur per sapientiam creatos esse cælos, elementa, cæteraque omnia, ac per eamdem regi. (Sapientia hic artem complectitur.)

Denique hæc sapientia v. 23. dicitur habere *omnem virtutem*, id est, vim et potentiam, quod scilicet omnia possit, sitque omnipotens, item quod omnes spiritus capiat, et omnia prospiciat et attingat ubique, quæ proprie competunt sapientiæ increatæ; participative tamen tribuuntur creatæ; hæc enim potest dici omnipotens, quia bona Deus creationi et creaturis omnibus applicat, indit et communicat. Omnia enim in sapientia fecit, et nihil est in cuius sapienti creatione, ordine et dispositione non relucet mira Dei sapientia.

Verum enim vero proprie et genuine loquitur hic Salomon de sapientia increata et essentiali, quæ commune est attributum divinitatis, sive Dei, ac proinde commune tribus personis SS. Trinitatis; huic enim proprie competunt dotes iam recensitæ, de quo S. August. lib. 7. de Trinitate, cap. 2. et 3. per hanc enim Deus et creavit mundum, et eum conservat et providet ac prospicit omnibus rebus, dum divinis sedibus assistit. In hac est spiritus intelligens, hoc est, hæc divina sapientia spiritum cælitus demittit in sui amatores, qui mentem eorum excitat ad intelligendum, sanctitate dedicat, atque cætera donat ac præstat, quæ hominum saluti et divinæ gloriæ conducentia sunt. Hæc autem omnia cum Deus homini tribuat, et non tantum Filius, aut Spiritus sanctus, cumque optime de divino sapientiæ attributo exponantur, quæ artifex omnium est et sedium divinarum assistrix, quæ Filio et Spiritui sancto non apte conveniunt; merito de ea hæc explicanda sunt, ex qua omnia ornamenta et charismata sibi tribui postulabat Salomon, ac suo exemplo nos postulare docet. Ita a Castro, imo S. August. lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 12. et libr. de Natura boni cap. 28. et libr. 1. de Incarn. Verbi cap. 13.

Pulchram et piam de artifice omnium sapientia contemplationem habet noster Alvarez de Paz tom. 3. lib. 3. p. 3. decade 3. contempl. 22.

Vers. 22 Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens.) Effundit se hic Sapiens in sapientiæ laudes per 26. epitheta et elogia, ut cunctis hominibus eius desiderium et studium excitet, utque ostendat merito eam esse omnium artificem, meritoque se ab ea potuisse omnia doceri.

Multi hæc intelligunt de Spiritu sancto, qui est tertia in SS. Trinitate persona, voluntque hic Spiritus sancti proprietates et attributa recenseri. Hic enim est in Sapientia increata et ingenita, puta in Verbo et Filio, ut in sui origine; procedit enim et spiratur a Filio, ac sapientiam suis amicis affluenter largitur, 1. Cor. 12. 11. Ioan. 14. 26. et cap. 16. 13. Nam veteres per sapientiam hic accipiunt Filium, ut dixi; et recte. Ita S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, c. 19. et 23. S. Gregor. hom. 5. in Ezech. S. Aug. Epist. 102. S. Bernard. serm. 3. de Pentecoste, qui hinc probant Spiritus sancti divinitatem, dotesque divinas, S. Bonavent. Cantacux. Lyran. Hugo, Holcot, Dionys. et alii multi. Imo Cantacuzenus asserit auctorem clarius multo,

quam cæteros omnes Prophetas, qui ipsum vel præcesserunt, vel consecuti sunt, de Spiritu sancto verba fecisse: Lyranus et Holcot addunt exponi modum, quo directus sit auctor in supernaturali contemplatione, nempe per Spiritum sanctum a sapientia communicatum.

Spiritus sanctus enim indit suis spiritum, id est impulsum, ad amandum verum et summum bonum, quod est ipse Deus, idque per multiplicia officia et varias virtutes, quæ sequentibus epithetis designantur. Denique Nazian. orat. 44. similia, imo eadem epitheta dat Spiritui sancto: « Erat igitur, inquit, semper perceptibilis, non particeps; perficiens, non ab alio perfectus; explens, non expletus; sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus, ipse semper et secum et cum iis, quibus adiunctus est, idem et æqualis: Invisibilis, temporis expers, nullo loco inclusus, immutabilis qualitate, quantitate, forma et tactu carens, seipsum movens, ac sempiternum motum habens, arbitrii sui per se potens, omnipotens (tametsi ad primam causam, ut omnia ea, quæ Unigeniti sunt, ita etiam, quæ Spiritus sancti sunt, referantur) vita et vivificus, lux et lucis largitor, bonitas ipsa et fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis dominus, mittens, segregans, templum sibi extruens, viam præmonstrans, arbitratu suo operans, gratiasque dividens, Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, prudentiæ, scientiæ, pietatis, consilii, fortitudinis, timoris. »

Secundo, si sapientiam creatam hic accipias (uti posse accipi paulo ante dixi) pariter hæc epitheta competunt spiritui eius creato; in sapientia enim creata, est spiritus intelligentiæ, id est intelligentia creata, hoc est, aspirata vel inspirata a Deo; hoc enim significat τὸ *spiritus*, cum dicitur spiritus intelligentiæ, spiritus sapientiæ, spiritus consilii, spiritus pietatis, spiritus timoris Domini: nimirum hæc dona et virtutes a Deo aspiratas esse Christo et Sanctis, quæ eos instar spiritus et venti impellunt ad timorem, consilium, intelligentiam, et per hæc ad ipsum Deum (ad Deum enim impellit sapientia, omnisque sapientiæ vis et spiritus) ut patet Isaiæ 11. et Exodi 28. 3. et cap. 31. v. 3. Vide ibi dicta.

Tertio plane, proprie et genuine, sicut sapientia hic increata essentialis intelligitur propria Deo, et communis tribus personis SS. Trinitatis; sic et spiritus: ipsa enim est spiritus, id est, spiritalis dos et attributum Dei, hominemque et spiritus impellit ad sui, id est ad Dei, cognitionem et amorem. Ita S. August. lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 12. et lib. de Natura boni cap. 28. et lib. 1. de Incarn. Verbi cap. 13.

Est enim in illa spiritus intelligentiæ.) Græce πνεῦμα νοερόν, id est, *spiritus intelligens*. Unde a S. Dionys. Areop. et a S. Gregor. Nazianz, angeli vocantur νοεραὶ φύσεις, id est, intellectuales naturæ, quæ videlicet sunt intelligentiæ abstractæ, hoc est, a materia seiunctæ, et incorporeæ, puræque mentes et spiritus intelligentes. Et sic nonnulli censent sapientiam, quæ est attributum Dei, æque ac Spiritum sanctum, hic vocari *spiritum intelligentiæ*, eo quod sit immaterialis, incorporeus, spiritalis et intelligens.

Melius S. Greg. Nazianz. orat. 5. de Theolog. *Spiritum intellectilem*, ut ipse vocat, interpretatur spiritum sapientissimum. Unde Vatablus vertit: *Est enim in illa spiritus sagax*; S. Ambros. in Symbol. c. 7. *Spiritus Domini intelligens*; S. Gregor. hom. 5. in Ezech. *Spiritus intellectus*.

Tertio et plenissime, sapientia Dei vocatur *spiritus intelligentiæ*, vel *intelligens*, tam quia intelligit cuncta, ac magna vi intelligendi et penetrandi omnia usque ad fundum, prædita est: tam quia angelis et hominibus tribuit vim intelligendi, iuxta illud Iob 32. 8. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Ita S. August. locis iam citatis. Nam ut ait Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus totus est oculus, totus visus, totus auditus*. Igitur per *spiritum intelligentiæ*, quem sapientia Dei increata intelligentissima, imo ipsa intelligentia in abstracto nobis aspirat, accipias impulsum et amorem intelligendi et cognoscendi ea quæ salutis sunt, quæ scilicet Deo placita sunt, et spirituali profectui necessaria vel utilia. Nam diligere, et sollicitum esse ut intelligas quæ Dei et virtutis sunt, initium est salutis, quo qui caret, incapax est gratiæ et gloriæ. Hoc est quod Salomonem secutus Siracides ait Eccli. 4. 12. *Sapientia filiis suis vitam inspirat*, sive insufflat. Simile est illud Virgilii 6. Æneid.

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates.

Symbol. S. Bonavent. *Spiritus intelligentiæ*, inquit, *est in sapientia*, id est in Christo, secundum humanitatem in eo habitando, secundum divinitatem ab illo emanando.

Tropol. hæc omnia sapientiæ attributa charitati et perfectioni virtutum (quæ summa est sapientia) accommodat noster Alvarez de Paz lib. 4. de Dignit. perfect. p. 1. cap. 1. et 4.

Sanctus.) Hinc multi, uti dixi, hæc accipiunt de Spiritu sancto, qui in se per essentiam et originem, sive vim processionis (procedit enim ut amor Patris et Filii, qui est purissimus et sanctissimus) sanctus est, et sanctificat angelos æque ac homines. Verum cum cætera omnia proprie accipiantur de ipsa sapientia, quæ propria est Deo, et communis tribus personis SS. Trinitatis, hoc quoque *sancti* epitheton Deo divinæque sapientiæ attribuendum est, q. d. Sapientia divina, ipseque Deus, est spiritus summe intelligens et perspicax, sed ita ut simul sit sanctus. Vana enim est sapientia et intelligentia, quæ sanctitate destituitur; finis enim intelligentiæ est sanctitas, ut bonum virtutis, quod intelligis, sancte ames, et pia voluntate complectaris, opereque exsequaris.

Porro *sanctitas*, inquit S. Dionysius de Divin. nomin. c. 12. *est ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas*. Sanctitas ergo est amor Dei: Deus enim est summa puritas; ipse enim est lex æterna rerum agendarum, quæ est obiectum et regula sanctitatis, idque non per qualitatem aliquam advenientem, sed per ipsam suam essentiam et substantiam. Unde Seraphini ei iugiter acclamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria eius*, Isaiæ 6. et Psaltes Ps. 144. *Iustus Dominus*, ait, *in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*. Hinc sequitur, ut, si creatura fieri velit sancta, debeat per amorem iungi Deo; ac quo magis illi iungitur, eo magis sanctificari; sic enim magis recedit et separatur a rebus et affectibus terrenis, quæ eam inquinant, iuxta illud Levit. 11. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Qui ergo sanctitatem optat, a creaturis se sequestret, et in fundum animæ, ubi Deus quasi in templo suo habitat, se recipiat, ut ibi procul a rerum externarum strepitu, in silentio cum Deo suo versetur, ipsum amet, colat et adoret.

Simili modo sapientia et doctrina creata, si vero sit et divinæ imitatrix, omnem suam speculationem et intelligentiam ad sanctitatem suam, æque ac alienam, velut ad scopum et finem referat oportet; quare ipsa doctos facit sanctos. Quocirca Deus hunc suum sapientiæ spiritum intelligentem et sanctum, communicavit S. Patribus et Ecclesiæ Doctoribus, uti S. Athanasio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Hieronymo, S. Ambrosio, S. Gregorio, S. Bernardo, ac deinde S. Thomæ Aquinati, qui tam sanctus fuit, quam doctus et intelligens, indeque dictus est Doctor Angelicus; et S. Bonaventuræ, qui charitatis ardorem sapientiæ coniunxit, ac lectorem tam amore Dei accendit, quam cognitione rerum divinarum illuminat, indeque dictus est Doctor Seraphicus. Hi duo sui ævi fuere quasi oculi, imo soles. Vere Picus Mirandul. in Apol. post initium: Est, inquit, in Ioanne Scoto ingenium vegetum atque discussum, in S. Thoma solidum, et æquale, ideoque moderatum, compositum, ad omnemque honestatem, virtutem et sanctitatem comparatum.

Unicus,) μονογενής, id est *unigenitus*, ut vertit S. Hieron. in cap. 16. Ezech. quod proprie Verbo sive Filio, qui est Sapientia a Deo Patre genita, competit: vel *unigenus*, sive unius generis, qualis est sapientia divina communis toti SS. Trinitati, q. d. Sapientia increata Dei est unius

generis, tum quia in se unica est et simplicissima, utpote eadem cum divinitate: ita Lyran. tum quia in suis actibus et operationibus unum eumdemque tenorem, normam et regulam communem servat, nimirum legem æternam: atque unum eumdemque finem spectat, scilicet Dei honorem et gloriam. Eadem tamen est multiplex ob immensitatem perfectionis, quæ in se licet una et simplex, virtute tamen continet omnes omnium creaturarum, etiam possibilium perfectiones, quæ numero sunt infinitæ, ideoque ad multas imo innumeras species, actus et opera se extendit, et quasi partitur ipsum genus sapientiæ. Omnes enim species et effectus sapientiæ, in uno genere et ratione communi sapientiæ conveniunt, atque in universali dictamine ac legibus communibus sapientiæ coeunt, iuxta illud 1. Corinth. 12. vers. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Vide ibi dicta. Si daretur una gemma purissima atque pulcherrima, quæ simul esset adamas, et carbunculus et smaragdus, et sapphirus et topazius, et cætera quæ in opibus computantur, quam pretiosa esset et admiranda! O igitur substantia simplicissima, quæ omnia es, quam nobis diligenda, et super omnia æstimanda existis! Tu es sapientia, tu bonitas, tu iustitia, tu omnis alia vera perfectio.

Idem imitatur sapientia creata, infusa et participata. Nam, ut ait noster a Castro, sicut divina sapientia una cum sit, tam diversas virtutes et opera ad unam Dei gloriam omnia in mundo operatur ac refert; ita hic spiritus ex illa profectus, omnia hominis munia et omnia officia cuius generis efficit, dum unum omnibus finem præstituit, ad hoc ea omnia dirigens, ut voluntati divinæ subserviant, eamque tamquam reginam sequantur; et uno amoris vinculo omnia colligantur, et tamquam pretioso auro exornentur, atque ex hac parte habet spiritus sapientiæ, ut sit pacificus; nam ita S. Iacobus cap. 3. v. 17. vocavit sapientiam, quæ desursum est, pacificam: et S. Paulus ad Ephes. 4. 3. scribit: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis.* Sic quoque S. Bonavent. Glossa, Lyran. et Hugo.

Tropol. Richard. de S. Victor. in Cant. cap. 33. Spiritus Dei, inquit, unicus est et multiplex, quia cum unus sit, diversis tamen modis mentes visitat et afficit. Nunc animam timoribus et desideriis præparat, nunc iam paratam suis donis promovere non cessat. Non semper uno affectu, sed diversis animam tangit, prout secundum statum et dispositionem suam necesse est. Unde nunc ad salutarem compunctionem, nunc ad amorem, nunc ad gratiarum actionem, nunc ad desideria et exercitationem alicuius virtutis accendit; modo cor tangit, modo semetipsum abscondit, et iterum ut opus perficiat adinvenit. Si non aperiamus, ad ianuam exspectat, et aliquando quidem efficacius pulsat, aliquando vero ob culpam nostram iusto iudicio cessat.

Multiplex.) Græce πολυμερὲς, id est multimembris, multarum partium, multis constans partibus, ut mundum vocat Aristot. Greg. Nazianz. orat. 5 de Theologia, hunc locum referens de Spiritu sancto *multiplex* explicat, *agendi facultate varius* ac multiplex, vel quod, unus cum sit, per singulas mundi partes se quasi per ramos diffundat et multiplicet, ac varios sapientiæ modos in eis efficiendis ac conservandis operetur; vel potius propter varias gratias diversaque dona, et multiplicia officia, quæ unus cum sit, exercet, sive in Ecclesia universa, sive in hominibus singulis.

Hac de causa Spiritus sanctus, descendens in Apostolos in Pentecoste, apparuit supra eos in specie linguarum dispertitarum, sive flammæ dissectæ, ut multiplicitatem donorum, quam eis indebat, repræsentaret. *Multiplex*, ait S. Ambr. in Symbol. c. 7. *appellatur, eo quod multa in se habeat, et per se omnia unus est, nec in aliquid eorum quæ operatur ipse mutatur, sicut imago ex annulo, quæ in ceram transit, et annulum non relinquit.* Audi et S. August. epist. 102. ad Evodium: *Legitur quidem et spiritus sapientiæ multiplex, sed recte dicitur etiam simplex. Multiplex enim quoniam multa sunt, quæ habet; simplex autem, quia non aliud quam quod habet, est. Sicut dictus est Filius habere vitam in semetipso et eadem vita ipse est: homo autem Verbo accessit, non Verbum in hominem convertibiliter accessit; atque ita et Filius Dei simul cum homine suscepto dicitur: unde idem Filius Dei incommutabilis est atque coæternus Patri, sed in Verbo solo: et sepultus est Filius Dei, sed in carne sola*, q. d. Christus, qua Deus, unicus est et immutabilis; qua homo, multiplex, mutabilis et passibilis.

Audi et S. Bern. serm. 3. de Pentecoste hæc adaptantem Spiritui sancto: « Vere multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore eius. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ bonis et malis, dignis pariter et indignis communia bona abundantissime tribuens; ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere. Ingratus, qui in his quoque beneficium Spiritus non agnoscit. Ad miraculum, in signis et prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur; ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram. Nam cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur: contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. »

Denique B. Petrus Damiani lib. de *Dominus vobiscum*, c. 6. *Unus est Spiritus*, inquit, *in maiestatis essentia, multiplex per diversa charismatum dona, quæ dat Ecclesiæ sanctæ, quam replet, ut in universitate sit tota et in cuius partibus sit tota.* Unde colligit, licet Ecclesia personarum sit multiplicitate (adde quoque, rituum nonnullorum) diversa; in unum tamen esse sancti Spiritus igne conflatam, atque ideo etsi per corporalem situm partibus videatur dividi, unitatis tamen intimæ Sacramentum nullatenus a sua valere integritate corrumpi.

Subtilis.) Græce λεπτὸν, id est tenuis, gracilis, macilentus, rarus et extenuatus, quia omnia pervadit et penetrat (unde S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 7. legit, *penetrabilis*) etiam profunda Dei. 1. Corinth. 2. 10. Hoc est quod ait Apost. Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

Apposite post cunctos subiungit, *subtilis*; quia sicut aer purus, æque ac cibus levis et subtilis generat ingenium subtile, ut docent medici; sic pariter sanctitas, id est secretio a rebus terrenis, facit hominem subtilem, spiritualem et divinum. Nam ut vulgo dicitur: *Pinguis venter non gignit sensum tenuem.* Tritum est illud Horatii l. 2. Serm. satyra 2.

> *Corpus onustum*
> *Hesternis vitiis animum quoque prægravat ipsum*
> *Atque affigit humo divinæ particulam auræ.*

[Margin: subtilitatis origo]

Sic Gellius l. 4. cap. 19. ex medicis docet pueros cibo somnoque largiore utentes fieri crassos et obtusos.

Hinc subtilitatis spiritum in speculativis, sapientiæ præ aliis communicavit Ioanni Scoto Ordinis S. Francisci, qui illum ut suum in Theologia et Philosophia magistrum colit et sequitur. Unde vulgo vocatur *Doctor subtilis*; a Scaligero exercit. 324. vocatur *lima veritatis*; ab aliis, coe

[Margin: Scoti elogia.]

ingeniorum, philosophorum phœnix, et inter philosophos quidam Deus; ab aliis, *subtilitatis miraculum, arcanorum Apollo, Seraphicæ Religionis columen, Sorbonæ gloria*. Dubitat Cardanus l. 16. de Subtilit. quis subtilior, an Aristoteles, an Euclides, an Scotus? Porro hæc subtilitas partim ei naturalis fuit a subtilitate ingenii, qua excelluit; partim supernaturalis, opusque gratiæ et Spiritus sancti, cuius ipse utpote Religiosus, fuit instrumentum et organum. Unde Ioannes Maior in 4. distinct. 38. q. 10. eum vocat humillimum, Apostolicum, pauperrimum, imo Summo Pontificatu dignum. Et D. Bern. de Soria in report. impressa Parisiis anno 1517. ita de eo canit:

Scotus adest fidei lampas, Christique Sybilla,
Interpresque Dei, castrum insuperabile veri;
Scriba Iovis, mundique oculus, conviva Tonantis,
Ingenii claro penetravit acumine cuncta.

Porro subtilitas hæc rebus intenta verborum elegantiam respuit. Unde Picus Mirandul. epist. ad Hermolaum, Scotum cum Lucretio comparans: *Est*, inquit, *huic* (Scoto) *os insipidum, illi* (Lucretio) *mens desipiens; hic, infantissimus dicendo, sentit ea quæ laudari dicendo satis non possunt; ille fando eloquentissimus loquitur nefanda.* Cum argueretur a quodam de studio contradicendi, quod ubique sese opponeret D. Thomæ Doctori sancto, subtiliter respondit: Si Doctor est, disputet mecum: si sanctus est, oret pro me. Ego enim studio veritatis, non contradictionis, cum illo disputo. Sicut enim ex collisione lapidum exsilit ignis; sic ex confrigatione ingeniorum per disputationes subtiles elicitur et emicat veritas. Cos ergo subtilis ingenii est contradicentis argumentatio.

Sanctior est subtilitas in practicis, quæ mille modos et praxes virtutum, quibus in dies magis placeat Deo, magnosque meritorum cumulos coacervet, subtiliter excogitat et adinvenit: qualem videre est in Vitis Sanctorum; ut qui eas legit, facile eamdem addiscat et usurpet. Hæc maxime sita est in subtili intentione cuiusque operis, ut scilicet quodque opus optimo fine, puta propter amorem et Subtilitas sanctæ actionis est intentio. honorem Dei, fiat: cui si addas alias aliarum virtutum intentiones et fines, v. g. si comedas, studeas, labores, ambules, ores, ut honores et ames Deum, insuper ut abstinentiam, patientiam et pœnitentiam exerceas, ut proximo prodesse valeas, similesque ob fines, subtiliter et facillime virtutes earumque merita mire adaugebis. Summa subtilitas sanctitatis est, multa magnaque agere et pati pro amore Dei.

Hic multi interserunt aliud epitheton Spiritus sapientiæ, scilicet *modestus*. Ita S. Bonavent. Hugo, Glossa et Holcot. Verum hoc non habent Græca, nec Romana, nec cætera Latina correctiora.

Disertus.) Græce τρανὸν, id est primo, clarus, planus, perspicuus et disertus: Vatabl. *illustris*. Ratio a priori est quod qui bene res intelligit et comprehendit, facile et copiose eas eloqui potest, itaque est disertus; sapientia enim parit eloquentiam. Unde sapientia *linguas infantium facit* τρανὰς, id est *disertas*, ut dicitur c. 10. 21. iuxta illud Ps. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Et illud Psal. 8. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*, uti fecit in ore S. Agnetis, S. Priscæ, S. Viti, S. Celsi, aliorumque puerorum et puellarum, qui tyrannis pro castitate et fide restiterunt usque ad mortem et martyrium; itaque sapienter et diserte eis responderunt, ut fecerint eos obmutescere. Hoc est quod suis promisit Christus dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matth. 10. 19. Sic Naz. Orat. 2. huc alludens Spiritum sanctum vocat τρανὸν, id est perspicuum et disertum, imo τρανωτικὸν πάντων, id est illustrantem omnia: quia quidquid in nobis est luminis, id habemus ex illustratione Spiritus sancti; et quia omnia nobis explicat et illustrat, ut eadem alios clare docere et efficaciter persuadere valeamus, iuxta illud quod Isaias n. 35. 6. prædixit, quod *aperta erit lingua mutorum*, ut Apostolorum, qui Actuum 2. 4. Spiritu sancto edocti *cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Et Actuum 6. 10. Iudæi disputantes cum Stephano non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.

Secundo, τρανὸν verti potest, *integer, solidus, adultus, verus*. Ita Complut. et Cantacuzenus, qui idipsum sic exponit, q. d. Spiritus sanctus est indissolubiliter magnus, integer, perfectus, atque omnis magnitudinis, amplitudinis, integritatis et perfectionis effector, omnem rerum earumdem coagmentationem continendi vim habens, et magnarum rerum efficacissimarum causa. Igitur Spiritus sanctus est integer, solidus, adultus, id est vividus, vegetus, vigorosus et efficax in operando.

Mobilis.) Græce εὐκίνητον (quæ vox in Græco præponitur τῷ τρανὸν, id est *disertus*) id est *bene mobilis*, ut vertit S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, c. 19. (licet nonnulli codices S. Ambros. habeant, *bonus mobilis*, sed perperam) Vatabl. vertit, *vegetus*.

Spiritus est mobilis. Iam primo, noster Lorinus opinatur sapientiam et Spiritum sanctum dici mobilem, eo quod facile a nobis moveri, id est precibus flecti et persuaderi, potest. I.

Secundo, alii τὸ *mobilis* referunt ad τὸ *disertus*, quod præcessit, q. d. Sapientia et Spiritus sanctus faciunt sui compotes disertos, ut linguam habeant mobilem et volubilem ad diserte loquendum et disserendum; at non ita ut properando verba præcipitent, sicut faciunt nonnulli concionatores populares, ut sui admirationem concitent, in quos acriter invehitur Seneca epistol. 4. « Hæc popularis oratio, inquit, nihil habet veri, movere vult turbam, et inconsultas aures impetu rapere, tractandam se non præbet, aufertur. Quomodo autem regere potest, quæ regi non potest? Quid? quod hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet. Remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum præterea habet inanitatis et vani; plus sonat, quam valet. Lenienda sunt, quæ me exterrent; compescenda, quæ me irritant; discutienda, quæ fallunt; inhibenda luxuria; corripienda avaritia. Quid horum raptim potest fieri? quis medicus ægros in transitu curat? Quid? quod ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus. » II.

Tertio et genuine, q. d. Sapientia et Spiritus sanctus est mobilis, id est agilis, motivus et efficax tum in se, quia scilicet in omnes partes facile se movet, atque ad omnia negotia facile occurrit ac præsto adest ut rite gerantur. Sapientia enim cito suggerit sana consilia, præsertim ubi periculum, vel opus difficile ingruit, iuxta illud Boethii de Deo, lib. 3. de Consol. metro 9. III.

Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Tum quia sui compotes facit agiles, alacres et expeditos ad omne bonum, iuxta illud Ezech. 1. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in rotis.* Et illud Pauli Rom. 8. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Hinc Spiritus sanctus descendit in Apostolos specie spiritus, id est venti vehementis, ut significaret se eos impellere ad opera heroica, et ad vehementiam efficaciamque concionandi, cui nemo resistere posset. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, ait S. Ambros. in illud c. 1. S. Lucæ: *Abiit* (Maria) *in montana cum festinatione.*

Denique S. Greg. homil. 5 in Ezech. stabilem eum mobili conciliat: *Omnipotentis ergo Spiritus*, inquit, *ut ubique præsentia signaretur, simul et mobilis et stabilis dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia stabilis; præsentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur.*

Rursum stabilis est in promissis, ut sit impossibile mentiri eum; mobilis in iis præstandis: stabilis, nos contra mala stabiliendo; mobilis, bona communicando: stabilis in contemplatione; mobilis in actione; mobilis in via; stabilis in patria.

Incoinquinatus.) ἀμόλυντον, id est, incontaminatus, immaculatus, impollutus, uti legit S. Ambrosius, carens omni labe et macula, omnibus sordibus et tenebris. Deus enim est mera ac pura lux, et tenebræ in eo non sunt ul-

læ, 1. Ioan. 1. 5. Nam ut ait S. Ambr. lib. de Spiritu sancto cap. 19. et in Symbol. cap. 7. *Sicut lumen tenebras non recipit, sic et Spiritus sanctus per naturam habet, ut omnium sordium incapax sit: sed et omnium sordium,* ut ait Cantac. *expiandarum vim habet, nihilque vel esse, vel permanere inquinatum patitur, ac sine ulla invidentia cunctis rebus illucescit, cunctasque maculas delet.*

Hinc Symbolum sapientiæ et sapientis est apis, quæ purissima est, puros amat, impuros fugit, adeoque fœminas veneri operam dantes invadit et aculeis configit, uti dixi Prov. 6. 6. Præclare S. Gregor. Nazianz. in Carmin. *Pro viribus tuis,* inquit, *teipsum lustrato, vita splendida renovata. Sic enim Deum mentis intelligentia comprehensum percipies. Nec frustra vulgo dicitur, Deum ad templum purum accurrere. Quippe purus cum sit, non nisi purus homo potest ipsius habitaculum esse.* Hinc illud Cant. 4. 11. *Favus distillans labia tua,* quia ut explicat Richard. Victor. *Labia devotæ animæ spiritalis dulcedinis liquore fluunt, et aliis ad ædificationem hunc fundunt. Hunc favum congerunt de diversis Script. floribus: hos perquirit, his insidet, de his suavitatem spiritualis dulcedinis extrahit, scientiam inflantem segregat et contemnit, ædificationem potius perquirit, suaveolentes sententias, non pomposam eloquentiam eligit.* Et Petrus Cellensis lib. 1. epist. 12. *Discurre,* ait, *per amœnissimos Script. campos, lege quasi apis, et reconde in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ rosam, necnon spiritualium charismatum.* Vide quæ de ape dixi Proverb. 6. 6.

Certus.) Græce, σαφὴς, id est *manifestus*, ait S. Ambros. perspicuus, indubitatus; Vatabl. *evidens.* Noster, certus, ut nec ipse erret, nec in errorem inducat sese habentem. Differt ergo a τρανὸν, quod σαφὴς sit certus de veritate, ut in sentiendo non erret; τρανὸν vero sit conspicuus et disertus in eloquendo, ut alios edoceat. Hinc Philoponus l. 1. Poster. sub finem, ὁ σαφὴς censet dici σοφίαν, id est sapientiam, quasi σαφίαν, quia res divinæ circa quas versatur, per se ac natura sua sunt certissimæ et manifestæ. Hinc S. Ludovicus rex Franciæ moriturus inter alia documenta, quæ Philippo filio reliquit, hoc interserit: *Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis a maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, ubi certo id tibi constiterit. Sin autem, dubia res est, cura ut viri sapientes accurate, et sine mora inquirant.* Ita Gaguinus lib. 7. de Gestis Francorum.

Et S. Thomas Aquinas in epist. qua cuidam petenti præscribit modum acquirendi scientiam ac sapientiam: *Tardiloquum,* inquit, *te esse iubeo: conscientiæ puritatem amplectere: orationi vacare ne desinas: omnibus amabilem te exhibe: nihil penitus quære de factis aliorum, etc. ea quæ agis et audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifices.* Intellige quoad fieri potest. Nam multa in hac vita sunt obscura et probabilia dumtaxat, in quibus certitudo et evidentia haberi nequit. Quare sæpe in agibilibus probabilem dumtaxat opinionem sequi debemus: sed hæc in praxi certa est. Cum enim nequimus habere evidentiam, certum est in praxi licere sequi sententiam probabilem dumtaxat. Addit Cervantius: Sepia, inquit, dicebatur Arist. philosophorum princeps et coryphæus, qui velut effuso atramento celabat aliquando veritatem, de qua Sap. 1. 11. est illud, *sermo obscurus:* at Spiritus hic sanctus, et qui eo education sunt, uti doctrinam certam absque errorum aut dubitationum nebulis, veram absque falsitatis tenebris, sinceram absque hypocrisis dolis, claram absque caligine ignorationis, hauriunt; ita ex participatione huius spiritus docentis, certi, veri, sinceri et præclari sunt. Hinc a Christo Spiritus sanctus vocatur Spiritus veritatis, Ioan. 14. 17.

Aliqui *certus* exponunt firmus, fidelis, constans in promissis, propositis, dictis et factis.

Suavis.) Græce, ἀπήμαντον, id est *illæsus*; S. Ambrosius: *inviolabilis*; alii: *incolumis et incolumes reddens:* alii: *prosper*; Vatabl. *innocuus,* qui nocere nequit, et cui noceri non potest. Sic et Cantacuzenus: quod Noster profunde vertit: *suavis,* q. d. Adeo bonus et benignus est spiritus sapientiæ, ipseque Spiritus sanctus, ut non tantum nemini noceat, sed et omnibus prodesse studeat. Adeo enim suavis est, ut omnes incolumes servare, fovere, solari, erigere et promovere satagat. Unde vocatur *Paracletus,* id est consolator, talesque efficit Sanctos, præsertim qui animarum lucro student. Sic ab Ethnicis suis Iupiter dicebatur Apemius (quæ vox alludit ad ἀπήμαντος) qui tristes noxas pellit a foribus, seu qui damna et calamitates avertit: de quo Pausan. in Attic. dicens: *In Hymeto Pluvii Iovis ara, in Parthenete Iupiter ex ære; est etiam ara ibidem alia, ad quam Iovi, quem modo Pluviam, modo Apemion, id est innoxium, appellant, rem divinam faciunt,* etc. Atque huius suavitatis specie, colore et imitatione induti visuntur hoc Spiritu præditi. Est enim, ait hoc loco Holcot: *Facies domini, famulus; magistri speculum, discipulus, regni moderator, rex;* ita et suaves de familia sunt Spiritus sancti, qui et ipse suavissimus est, ac suorum ingenia, mores, sermones suavitate condit eximia, ut nonnisi mel et nectar vultu et ore spirare ac fundere videantur, iuxta illud Pauli: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, etc. in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta.* 2. Corinth. 6. 6. Et: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi,* Galat. 6. 1. Hinc Spiritus sanctus dicitur osculum et suavium Dei, et ut S. Bern. ait serm. 1. de Spiritu sancto; Spiritus sanctus osculum Dei.
Dulcissimum quod est in Deo, iuxta illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hinc et sapientia de se dicit: *Spiritus meus super mel dulcis,* Eccli. 24. 27. Et Sap. cap. 12. 1. *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* Nimirum:

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Hinc Deus apparuit Eliæ in spiritu leni: *Non,* ait, *in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus,* sed in sibilo auræ tenuis, 3. Reg. 19. 11.

Amans bonum.) Græce φιλάγαθον; Vatabl. *boni studiosus,* ut scilicet hominem in virtute omnique bono promoveat. *Charitas* enim (quæ est comes sapientiæ et Spiritus sancti) *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet,* 1. Corint. 13.

Porro φίλος et φιλάγαθος, inquit Cervantius: Primo, est studiosus boni; secundo, amicitiæ fœdere sociatus cum bono; tertio, placitus, gratus, familiaris, charus; quarto, osculans et suavians; quinto, philtro amoris ad se rapiens.

Acutus.) Ὀξὺ, quod nonnulli accipiunt pro ὠκὺς, id est velox, quod secutus Cantacuzenus explicat, q. d. Sapientia et Spiritus sanctus ubique præsto est, velociter invocantibus se sistit; imo eorum orationem prævenit et prævertit, uti dixit cap. 6. 14. Perperam Glossa, Hugo et Bonav. pro *acutus* legunt *actum*, iunguntque præcedenti epithetο, hoc modo: *Amans bonum actum,* vel *actus*, uti alii legunt, in genitivo.

Dicitur Spiritus sapientiæ *acutus*, non hebes vel obtusus. Primo, quod instar acus habeat acumen intelligendi Spiritus sapientiæ acutus.
et penetrandi omnia, etiam occulta, arcana et abscura, sitque perspicacissimus. Secundo, quod intellectus apicem 1.
exacuat, faciatque de qualibet re acute disserere, atque 2
in dicendo et disserendo æque ac in agendo sit argutus, solers, callidus et vafer. Addit Cantacuzenus, quod in rebus minimis, quæ ob exiguitatem dividi nequeunt, totus perfecte ac penitus adsit. Tertio, quod instar gladii acuti 3.
resecet malum a bono, vitium a virtute, fucum a veritate, imperfectum a perfecto, amorem proprium ab amore divino, ut mentis intentionem acuat et rectificet. Quarto, 4.
quod voluntatis aciem exacuat ad bonum, quod melius est et perfectum, totis viribus ambiendum. Quinto, quod sui 5.
sapore gustuque acuto intimos animæ sensus penetret, pungat et feriat: sicut acetum acore suo saporem ciborum exacuit ac palatum pungit feritque; itaque orexin et

appetitum excitat, et quasi stomachum acuit, iuxta illud Plinii ep. 123. *Ut enim, si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus ille et oblitus stomachus his excitaretur.* Talis acutum menti ingerit sapientia, cum illam de erroribus et defectibus suis, vel interius per inspirationem, vel exterius per acrem mordacemque Superioris reprehensionem castigat. Talis fuit S. Ioannes Baptista, et Christus Dominus: unde de eo cecinit Isaia cap. 49. 2. *Posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut*
6. *sagittam electam: in pharetra sua abscondit me.* Sexto, *acutus*, id est acer, biliosus, acerbus, iracundus, indignans. Sic enim ira vocatur acuta. Iram autem Sancti induunt, cum zelantur pro Dei honore, ut eius offensas avertant. Ira enim est cos virtutis et zeli. Sic Act. 17. 16. dicitur: *Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem*; græce παρωξύνετο, id est *acuebatur, inflammabatur, irritabatur spiritus eius in ipso, videns idololatram civitatem existentem.*

Quem nihil vetat.) Græce, ἀκώλυτον, cuius prima et optima versio Vulgati interpretis, est, *quem nihil vetat*; secunda Complut. Dionys. Holcot et aliorum, *qui nihil vel neminem vetat*; tertia S. Ambros lib. de Incarn. *providens possibilis*; quarta Vatabl. *prohiberi nescius*; quinta Isaeen. Pagnini, Montan. *expeditus*; sexta Cantacuz. *cuius potentiæ resisti non potest*; septima, ad Verbum ex Græco *quem nihil reprimit, prohibet, avertit, arcet*, quo minus pergat in eo, quod semel cœpit.

Igitur, quod in multis Vulgatæ exemplaribus olim legebatur: *Quem nihil vetat benefacere*, recte ex Græco et correctioribus Vulgatæ exemplaribus correxerunt Romani: *Quem nihil vetat benefaciens; benefaciens* enim est aliud epithetum, de quo mox.

Sensus est q. d. Sapientiæ divinæ, æque ac Spiritus sancti, tanta est providentia et potentia, ut nullus eam remorari, prohibere, inhibere, sistere vel impedire valeat; sed ipsa potius omnes et omnia sibi obsistentia impediat, sistat, dispellat et disiiciat. Est miosis. Unde S. Ambr. legit, *providens, possibilis*. Et Cantacuzenus: Eius, inquit, potentiæ resisti non potest, permeat corpora, animas, mentes; non impeditur cuiusquam duritia aut repulsa. *Nec est qui se abscondat a calore eius*, Ps. 18. 7. Nulla est tanta malitia, quæ vincat sapientiæ bonitatem, ut dicitur hoc c. v. ult. Sic Saulus illi resistere nequivit, sed ab ea audivit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, ideoque ex Saulo factus est Paulus, Actor. 9. Nullum cor, quantumvis durum, gratiæ Dei efficaci resistit: ideo enim datur, ut cordis durities auferatur, ait S. Augustinus. Unde Noster a Castro ἀκώλυτον exponit, *Expeditus, cui agenti nihil obstat, prohiberi nescius; nullius imperio addictus, qui non possit prohiberi*; ita enim vi sua pervadit omnia, ut impedimenta quæque perrumpat. Greg. Nazianz. explicat. *minime impeditus*, hoc est, *liberam habens potestatem.*

Benefaciens.) Græce εὐεργετικὸν, id est *beneficus*; Pagnin. et Montan. *pronus, celer et velox ad beneficia præstanda*; bene, rite, recte, faciliter, feliciter, apte, præclare faciens, operans, benefaciens; S. Ambrosius, *munificus*, qui liberalis est in suos, eosque pariter facit liberales. *Dat omnibus affluenter, nec improperat*, Iacob. 1. 5. Sic Christus *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo*, Actor. 10. 38. Bonum enim est sui diffusivum. Hinc Deus quia summe bonus, summe pariter se suaque etiam impiis et ingratis communicat, uti docet S. Dionys. de Divin. nomin. in Bono. Proprium ergo Dei et divinitatis opus est, benefacere. Hinc illud epist. 3. Ioan. v. 11. *Qui benefacit ex Deo est*; Et illud Pauli, imo Christi: *Beatius est magis dare, quam accipere*, Actor. 20. 35. Et illud Nazianz. orat. de cura pauperum: *Esto calamitoso Deus*; nulla enim alia dote magis homo accedit ad Deum, quam beneficentia, ut docet ibidem Nazianz. et S. Leo ser. 40. Deus enim est immensus beneficentiæ sol, radios bonitatis suæ in omnes et omnia diffundens. Græcum εὐεργετικὸν proprie idem est, quod *benefactivus*; ita scilicet ut non tantum per se benefaciat, sed et aliis omnibus benefaciendi facultatem simul et voluntatem aspiret, adeoque quod beneficiis eius rite utamur, id ex ipsomet, tamquam ex uberrimo fonte, haurimus: eumque suis bonis et donis eximiis aliquem auget, id eo consilio facit, ait S. Leo ser. 40. ut ille per divitias manum in alios derivet; ut cum aquas in thesaurum sive arcam congregamus, id facimus, ut inde per euripos in multorum domus derivemus. Reges, Imperatores, Pontifices unum aut alterum seligunt, cuius manu fiant eleemosynæ: at Deus tot ei muneri præficit, quot sua bona distribuit. Quocirca veteres, teste Eusebio lib. 4. de Præparat. et Plinio lib. 2. cap. 7. beneficos velut vivas Dei imagines, et simulacra divino numine imbuta, venerabantur, quin et reges vocabantur Evergetæ, id est benefici, ut ait Christus Lucæ 22. 25.

Beneficentia proxime accedimus ad Deum.

Humanus, benignus, stabilis, certus, securus omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis.) Vers. 23.

Humanus, benignus.) Græce est una vox φιλάνθρωπον, id est hominum amator: unde φιλανθρωπία a Paulo ad Titum 3. 4. vocatur insignis ille Christi amor in homines, quo se eorum causa hominem fecit, id est hominum cognatum et fratrem. *Humanus* ergo idem est quod amans homines, ita ut totus eorum saluti incumbat. Sapientia enim divina hominis causa totum mundum creavit, angelos illi custodes dedit; quin et Verbum in carnem, ac Spiritum sanctum in Apostolos cæterosque fideles misit, ac innumera eis dona contulit, et in dies confert. Hinc Philippus Solitarius l. 3. Dioptræ c. 3. et 5. notat Deum nusquam dici φιλάγγελον, sicut dicitur φιλάνθρωπος. Nam *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, ait Apostolus Hebr. 2. 16. Quocirca S. Chrys. Deum magis amasse homines, quam angelos docet homil. 24. in Genes. imo magis in dies amat, præsertim cum seipsum in Eucharistia hominibus in epulum proponit: ibi enim *divitias sui erga homines amoris thesauros in homines effundit*, ut ait Trident. sess. 13. imo S. Ioan. c. 13. *Cum dilexisset suos*, inquit, *qui erant in mundo, in finem* (tum vitæ, tum amoris, id est extremo amore) *dilexit eos.*

Stabilis.) Tum quia spiritus sapientiæ, æque ac Spiritus sanctus, idem semper est, sibique constat, et est immutabilis; tum quia fidelis est, et quæ promisit infallibiliter præstat, tum quia animas, quas inhabitat, facit in bonis propositis et operibus stabiles, constantes et perseverantes, ut in iis confirmentur, sintque sanctæ et sanctæ.

Certus.) Græce, ἀσφαλὴς, id est firmus, munitus, tutus ab omni hoste, adversitate, periculo, ideoque securus, ut sequitur. S. Ambr. vertit *integer*; S. Bonavent. *Constans in bono. Certus* ergo hic aliud significat, quam paulo ante; ibi enim græce est σαφὴς, id est manifestus, perspicuus, evidens; hic vero est ἀσφαλὴς, id est tutus, cautus, carens periculo, integer, bene munitus et custoditus, certus se nihil detrimenti passurum; item minime titubans fallentis pedis vestigio, haud periculosus, qui titubare aut falli nescit, qui frustrari vel frustrare nequit, sed firmus certusque est in omnibus, cui te tuaque omnia indubitanter credere possis; cum homines etiam sapientes et potentes sæpe titubent, vacillent, lapsent, cespitent. Gentiles Neptuno maris Deo cognomen dedere Asphalii, id est tuti et securi, ob navium in portubus tutam a tempestatibus fidamque stationem, eique iuxta portum templum erexere, teste Pausania lib. 3. et 7. Verum hoc Asphalii cognomen, non nisi Sapientiæ Dei et Spiritui sancto competit.

Securus.) Græce ἀμέριμνον, id est *sine cura*: S. Ambrosius, *sine sollicitudine*, tranquillus, quietus, eo quod tutus sit et bene munitus, uti præcessit, ac suos securos, tranquillos ac lætos præstet. Nam *secura mens quasi iuge convivium*, Prov. 15. 15. Sancti ergo in quibusvis periculis, tentationibus et tribulationibus secure dormiunt in providentia et cura Spiritus sancti, sicut infans dormit in sinu matris, iuxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura*

est de vobis. Hinc iustus Spiritu sancto rectus et protectus, *quasi leo confidens* in quibusvis terriculamentis *absque terrore erit*, Prov. 28. 1. nec timet, sed gaudet vitam præsentem perdere, ut beatam et æternam mereatur, Matth. 10. 28. Vide Isaiam c. 4. 6. et c. 32. 18. et c. 48. 22.

Omnem habens virtutem.) Græce παντοδύναμον, id est *omnipotens*, vel *qui omnia potest*, uti legit S. Ambrosius; vel *omnipotentia præditus*, uti vertit idem S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto, q. d. Sapientia Dei omnia potest, adeoque suos facit quasi omnipotentes, iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, Philip. 4. 13. quia *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. Sapientia enim Dei et Spiritus sanctus potest omnia creare, æque ac gubernare, tam quæ naturæ sunt, quam quæ gratiæ; tam quæ artis sunt, quam quæ virtutis; tam quæ iuris, potestatis et dominii sunt, quam quæ medicinæ et sanitatis. Omnibus enim morbis tam corporis, quam animi saluberrima et efficacissima exhibet pharmaca. Denique potest armare validissimos exercitus angelorum, hominum, animalium et creaturarum omnium contra impios hostes suos, uti dixit in fine c. 5. Unde Apostolos induit virtute ex alto, Lucæ 24. 49. ut omnes principes, populos, philosophos, omnes mundi delicias æque ac terrores, omnia tormentorum et martyriorum supplicia forti animo adirent, et superarent.

Hanc sapientiæ divinæ vim veteres Mithologi, et Hieroglyphici repræsentarunt per hastam Palladis. Audi Pierium Hierog. 42. c. 19. Quod Palladem armatam ubique conspicimus, indicat arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur; nam stulto præcipitique ingenio imperatores quot et quantas, et sibi et reipublicæ calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas acceptæ facile ostenderunt. Porro autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit. Unde apud Martianum legas:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Hoc est quod canit Psaltes Psal. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*; ubi per Spiritum S. Basilius et Cyrillus intelligunt Spiritum sanctum.

Omnia prospiciens.) Vatabl. omnia *prospiciens*, græce πανεπίσκοπον, id est, *quia omnia spectat*, vel *speculator est omnium*, uti locis citatis legit S. Ambros. vel *lustrans omnia*, uti legit S. Gregorius; vel ad verbum *omnium episcopus*, id est inspector, q. d. Dei sapientia et providentia, æque ac Spiritus sanctus agit totius mundi Episcopum; nam instar Episcopi ex altissima æternitatis suæ specula omnia inspicit et circumspicit, etiam secreta cordium, omnia scrutatur, et visitat, utrum suo munere rite fungantur. Rursum omnibus prospicit et providet de rebus necessariis et utilibus. Ita Cantacuz. Denique singulis inspirat curam et providentiam futurorum, ut quisque suæ saluti et futuræ felicitati prospiciat. Nam *Circumspicimus præsentia, prospicimus futura*, ut ait Donatus. Idem ergo faciat Episcopus in sua diœcesi, rex in suo regno, dux in suo ducatu, magistratus in sua civitate, paterfamilias in sua domo, ac fidelis quisque in sua anima. Sic quisque in suo officio et gradu imitabitur Dei sapientiam. Unde S. August. tract. 51. in Ioannem fidelem quemque, etiam laicum alloquens: *Cum ergo*, inquit, *auditis, fratres, Dominum dicentem: Ubi ego sum, illic et minister meus erit: nolite tantummodo bonos Episcopos et clericos cogitare; etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus potueritis prædicando; ut unusquisque, etiam paterfamilias, hoc nomine agnoscat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo; et pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua Ecclesiasticum, et quodammodo Episcopale implebit officium ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.*

Huc alludens Ecclesia Sabbato post Pentecosten, ita orat et obsecrat: *Spiritum sanctum, Domine, quæsumus, benignus infunde, cuius et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur*. Nam ut ait S. Chrysost. serm. 1. de Spiritu sancto: *Ipse est spiritualis mentium nostrarum sol, interni nostri hominis lumen, lucifer in pectoris cœlo.*

Et qui capiat omnes spiritus; intelligibilis, mundus, subtilis.) Ita Rom. Verum Græca hæc omnia legunt in genitivo, qui Latine vertitur per accusativum, referuntque ad nomen idemque spiritus sapientiæ officium; sic enim habent: *Et qui omnes capiat spiritus intelligibiles* (Vatabl. *rationales*) *mundos, subtilissimos*; itaque legit Nazianz. orat. 37. cum ait: *Per omnes spiritus penetrans, intellectiles, puros, tenuissimos (hoc est per angelicas, ut opinor, copias) quemadmodum et per Propheticos et Apostolicos*: et S. Ambros. *Et per omnia*, ait, *penetrans spirituum intelligibilium.*

Sic quoque legunt nonnulla Biblia Latina, ac S. Bonavent. Rabanus, Vatabl. Clarius, Iansen. ac Cantacuzenus, qui per tria ultima spirituum epitheta, censet denotari tres angelorum hierarchias, quibus dominatur Spiritus sanctus, q. d. Spiritus sanctus capit, id est perficit (ideoque in eis degit et residet) spiritus intelligibiles, id est angelos perfectissima intelligentia præditos, quales sunt omnes primæ hierarchiæ, puta Cherubim, Seraphim et Throni; item omnes spiritus mundos, id est omnes angelos secundæ hierarchiæ, puta Dominationes, Principatus et Potestates, qui ob puritatem affectuum liberi sunt ab omni animi passione et perturbatione, ideoque idonei ad regendum et imperandum. Denique Spiritus sanctus capit omnes spiritus subtilissimos, id est omnes angelos tertiæ hierarchiæ, quales sunt Virtutes, Archangeli et Angeli, qui, quia sunt spiritus subtilissimi, hinc nobis sunt invisibiles. Favet huic lectioni, quod ipse spiritus sapientiæ paulo ante vocatus sit νοερόν, id est intelligens, item incoinquinatus, id est *mundus*, denique *subtilis*. Ergo id non videtur repetendum hoc loco, sed legendum in plurali, *intelligibiles, mundos, subtiles*, ac referendum ad spiritus creatos, quales sunt angeli.

Verum pleraque exemplaria Latina constanter legunt in nominativo, *intelligibilis, mundus, subtilis*, itaque legit Editio a Romanis correcta. Concludens enim Sapiens repetit et inculcat tria præcipua sapientiæ divinæ et Spiritus sancti epitheta, quæ causa sunt, cur ipse capiat omnes spiritus. Facilis est lapsus ex ο in ω, ut pro νοερὸν scriptum sit νοερῶν; pro καθαρὸν καθαρῶν; pro λεπτότατον λεπτοτάτων, hoc est, pro *intelligibilis* scriptum sit, *intelligibiles*; pro *mundus*, *mundos*; pro *subtilis*, *subtiles*.

Sensus ergo est, q. d. Spiritus sapientiæ, æque ac Spiritus sanctus *capit*, id est intime permeat, penetrat, occupat, continet et complectitur omnes spiritus, tum hominum, tum angelorum, eo quod ipse summe sit intelligens, mundus et subtilis, imo sit ipsa increata immensaque intelligentia, munditia (sive puritas) et subtilitas, ideoque omnis omnium spirituum creatorum, puta hominum et angelorum, intelligentia, munditia et subtilitas ab eo ceu perenni fonte dimanat et profluit, uti paulo ante dixi. Hos ce ergo omnes ipse in se capit et continet; primo, quia omnes eorum dotes et perfectiones, non tantum eminenter sed et formaliter in se continet: verum infinities plenius et perfectius, quam sint in hominibus et angelis, utpote creaturis suis, quas ipse ut creator in infinitum superat, et transcendit; secundo, quia omnes eorum secretissimas cogitationes, volitiones, intentiones scrutatur et pervidet: tertio, quia omnes purgat, illuminat et perficit; intellectum eorum sua luce illustrando, et voluntatem amore inflammando, itaque illas ceterasque animæ potentias agit et impellit ad omne bonum. Denique ipse dat omnibus essentiam et proprietates, imo quidquid habent, sive id sit naturale, sive supernaturale. Insuper eis communicat vim penetrandi et capiendi spiritus quoslibet, indendo eis donum discretionis spirituum, per quod secretas cordium intentiones perspiciant et discernant. Porro Spiritus hic dicitur *intelligibilis*, græce νοερόν, id est summa vi intelligendi præditus, omniaque intelligens et a nobis intelligi faciens. *Mundus*, quia omnis nos tantum pec-

Sapientia capit omnes spiritus 1. 2. 3. 4.

ciat et labis, sed et materiæ est expers purissimusque est spiritus: ita S. Bonav. Item quia omnes hominum sordes, vitia et scelera expurgat et mundat per gratiam; æque ac morbos, miserias et mortem expurgabit et mundabit per gloriam: ita Hugo. Denique *mundus*, quia ipse est lux purissima et splendidissima. *Subtilis*, ob causam superius recensitam.

Denique nonnulli per *spiritus* accipiunt dona Spiritus sancti; hæc enim, ut sua, Spiritus sanctus in se continet, et a se electis et dilectis prout vult dispertit et communicat. Cum ergo deitas, uti docet S. Cyrillus in Concilio Ephesino, omni loco, mensura, circumscriptione, magnitudine superior, a nullo capi comprehendique possit, imo omnia capiat et comprehendat, id attributum sapientiæ infert et confirmat ipsius deitatem.

Proprie, ut dixi v. 21. et 22. hæc omnia epitheta competunt sapientiæ divinæ, quæ divinitatis est attributum commune toti SS. Trinitati, quæque Deo est quasi idea, ars et artifex omnium agendorum, tam in naturalibus, quam in moralibus et supernaturalibus; unde concludens subdit: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia*. Eadem tamen recte tribuuntur Filio, qui est Sapientia Patris genita, ut docent S. Ambros. S. August. S. Nazianz. Chrysost. Basilius et alii; ac Spiritui sancto, qui essentialiter non differt, imo idem est cum sapientia divina, ait Cantacuzenus et Hugo; Spiritus sanctus enim proprie est *Spiritus intelligentiæ, sanctus*, ut dixit v. 22.

Nota. Græce est δια παντων χωρουν πνευματων, quod primo, Noster vertit: *Qui capiat omnes spiritus*; Syrus, *Et omnes spiritus tenet*; Arabicus, *Pertransiens per spiritus castos*; secundo, S. Ambrosius: *Per omnia penetrans spirituum*; tertio, Vatablus: *Omnesque spiritus penetrans*, quarto, Pagnin. et Mont. *Ad omnes capax spiritus*; quinto, Iansen. *Per omnes procedens spiritus*; sexto, Lorin. *Per omnes penetrans spiritus*; septimo, octavo et nono, Cantacuzenus: *Per omnes pervadit spiritus, perficit et peragit, quos omnes infinitis partibus superat*; undecimo, alii vertunt: *Continens omnes spiritus*, sicut locus continet locatum; duodecimo, *comprehendens, perspiciens et intelligens omnes spiritus*; vel passive *comprehensus, perspectus, intellectus ab omnibus spiritibus*; decimotertio: *uniens omnes spiritus*; decimoquarto, *proficiscens per omnes spiritus*. Hæc omnia enim significat χωρειν. Igitur spiritus sapientiæ Dei, ac Spiritus sanctus omnes spiritus, etiamsi sapientissimi sint et astutissimi, comprehendit in astutia sua, eorum excellentias in se continet, eos sua manu ut sapientia, sic et potentia tenet, omnia illorum penetrans et pervadens, imo et perficiens et uniens; et novem hierarchicos ordines ad unius curiæ cœlestis concentum redigens, eos subiectos teneat; et quamvis velut in phalangas et exercitus distributi sint militiæ cœlestis, Luc. 2. et eorum quilibet æquivaleat integro exercitui, iuxta illud Ps. 33. *Immittet*, hebr. חונה choneh, id est, *castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum*; tamen singulos et omnes capit, id est tenet, occupat et comprehendit spiritus sapientiæ Dei, ipseque Spiritus sanctus.

Vers 24. OMNIBUS ENIM MOBILIBUS MOBILIOR EST SAPIENTIA; ATTINGIT AUTEM UBIQUE PROPTER SUAM MUNDITIAM.) Græce παντος γαρ κινησεως κινητικωτερον σοφια, id est, omni motu magis motivum quid est sapientia, q. d. Sapientia vi et celeritate motus sui vincit omnem motum, quantumvis celerem et violentum; sapientia in movendo et operando efficacior et velocior est quovis motu et actione, ac quovis movente et agente. Unde S. Fulgent. in respons. 6. ad Arrianos legit: *Omnium mobilitantium mobilior est sapientia*; et S. August. lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 12. *Motus eius* (sapientiæ) *agilior et celerior est omnibus motibus*, etiam angelorum et cœlorum, adeoque motu primi mobilis. Coniunctio causalis enim dat causam, cur spiritus sapientiæ permeet ac penetret spiritus hominum et angelorum, quantumvis puros et subtiles, quia videlicet celerrima, imo in instanti, pervadit omnia, non minus quam spiritus (ventus vel aer) subtilissimus et tenuissimus penetrat intima quæque domus; et sol sua luce abdita quæque ingreditur et illustrat; nam a sapientia habent quod intelligant et sapiant.

Ita hunc locum explicat S. Gregor. Nazianz. orat. 37. quæ est. 5. de Theolog. *Per omnes*, inquit, *spiritus penetrans, intelligentes puros, tenuissimos* (*hoc est per angelicos, ut opinor, virtutes*) *quemadmodum et per Propheticos et Apostolicos, eodem temporis momento, nec tamen in iisdem locis* (*alii enim eorum alibi fusi ac sparsi erant*) *quod quidem perspicue ostendit, cum nullius loci circumscriptione coerceri*. Quæ verba explicans Elias Cretensis sic ait: *Quamquam enim Prophetæ et Apostoli dispersi essent, alii alibi, nec in eisdem locis degerent, tamen eodem temporis momento Spiritus sanctus omnibus aderat, in aliis prophetiæ munus efficiens, in aliis infinitas rerum divinarum indicationes*. Cito hic Nazianz. ex versione Bibllii, ne mireris lector verba hic Nazianz. diversa ab iis, quæ ex alia versione citavi initio versus præcedentis.

Obiicit S. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. ad 2. Sapientia prima et increata est ipse Deus; Deus autem est immutabilis, et immobilis: quomodo ergo sapientia hic dicitur *mobilior omnibus mobilibus?* Respondet: « Quod sapientia dicitur mobilis esse similitudinarie, secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum; nihil enim esse potest quod non procedat a divina sapientia per quamdam imitationem, sicut a primo principio effectivo et formali, prout etiam artificiata procedunt a sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divinæ sapientiæ gradatim procedit a supremis, quæ magis participant de eius similitudine, usque ad infima rerum, quæ minus participant, dicitur esse quidam processus et motus divinæ sapientiæ in res; sicut si dicamus solem procedere usque ad terram, in quantum radius luminis eius usque ad terram pertingit. Et hoc modo exponit Dion. c. 1. cœl. hierarch. dicens: quod omnis processus divinæ manifestationis venit ad nos Patre luminum moto. »

Moraliter, sapientia Dei ac Spiritus sanctus suos, quos possident, faciunt mobiles, agiles et celeres ad omne bonum, iuxta illud Ps. 103. 4. et Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos sicut flammam ignis*; et illud Cantic. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Sic B. Virgo plena Verbo et Spiritu sancto *abiit in montana cum festinatione*, Lucæ 1. Sic Magdalena, Petrus et Ioannes cucurrerunt ad sepulcrum, Ioan. 20. 4. Sic Abraham cum Sara et famulo cucurrit ad excipiendos hospites, Genes. 18. Nam *Nullus piger est in domo sapientis*, ait S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 5.

ATTINGIT AUTEM UBIQUE PROPTER SUAM MUNDITIAM.) Græce addunt, και χωρει δια παντων, id est, *penetrat et pervadit omnia*. Ita Vatabl. quia sapienter omnia efficit, disponit, conservat, ordinat, alit, fovet, vivificat, gubernat; hi enim sunt actus providentiæ, quæ est pars sapientiæ Dei. Vel, ut Paguin. et Arias, *capax est per omnia* vel *capit omnia*, quasi locus et fundus rerum omnium. Vide dicta in fine versus præcedentis.

Munditiam primo, cum S. Bonavent. intelligas abstractionem ab omni materiæ fæce; secundo, cum Lyran. Rikel. Holcot separationem ab omni defectu, atque permixtione indigna actu illo puro; tertio, *munditiam* cum Carensi capias pro luce scientiæ; quarto, cum Lorino pro simplicitate naturæ purissimæ instar lucis, in qua nullæ tenebræ, 1. Ioan. 1. 5.

Causa ergo cur sapientia omnibus mobilibus sit mobi- Causa agilitatis est munditia, indeque subtilitas.
lior, omniaque attingat et penetret, est eius omnimoda munditia et puritas; hæc enim parit subtilitatem summam, quæ omnia penetrat et pervadit; sicut vapor (hoc enim exemplum subdit Sapiens) sua subtilitate penetrat aquam, terram, aerem et cælum; idem facit ventus; et sicut anima, quia subtilis, insinuat se in omnia corporis membra, ac angelus quia spiritualis, omnia corpora pervadit. Denique sicut sol, inquit a Castro, cum in cælo sit, progredi dicitur usque ad terram, quousque ad illam eius radii perveniant, et luce sua omnia permeat, etiam loca sordida, nec tantillum maculatur: ita quatenus divinæ sapientiæ similitudo gradatim progreditur per effecta a supremis ad

infima, dicitur moveri et omnia pervadere, nec tamen in aliquo e rebus sordidis, in quibus ipsa quoque relucet, inquinatur propter suam puritatem. Quod perspicuum fit in peccatis permittendis, e quibus quam sapienter multa eruat bona, multa hominibus commoda, et Deo multam pariat gloriam divina sapientia, certius est, quam ut a me oporteat explicari. Dei enim sapientia, quæ non est aliud quam ipse Deus, nihil habet materiæ, nihil fæcis, nihil mistionis, nihil potentiæ, ut habent angeli, sed est actus purissimus, ideoque nullis locis, vel limitibus terminatur, sed omnia subit, et per omnia sese expandit. Unde Damascen. lib. 1. de Fide cap. 8. docet Dei essentiam cuncta implere, continere, complecti, præhabere, pervadere sine ullius sordis vel labis contagione; imo omni loco et substantia, quam implet, esse longe sublimiorem et celsiorem, ideoque ab omnibus esse semotam, secretam et separatam. Hinc Holcot elicit, Deum in omni creatura posse adorari, cum in ea realiter existat, eamque contineat et conservet, velut eius anima et spiritus; at ob periculum vel suspicionem idololatriæ id non expedire; quare Deum tantum adorandum esse in iis rebus, quæ vel a Deo, vel ab Ecclesia ex instituto proponuntur ad hoc, ut in iis adoretur. Vide Bellarm. l. 1. et 2. de cultu Sanctorum, et Gabr. Vasquez l. 2. de Adorat. disp. 1.

Vers. 25 VAPOR EST ENIM VIRTUTIS DEI, ET EMANATIO QUÆDAM EST CLARITATIS OMNIPOTENTIS DEI SINCERA; ET IDEO NIHIL INQUINATUM (S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 19. vertit, maculosum) IN EAM INCURRIT.) Pro *vapor* Syrus vertit, *exhalatio*; Arabicus, *facies*.

Probat quod sapientia sit munda, omniaque penetret per munditiam, id est mundissimam subtilitatem, ex eo quod ipsa sit quasi vapor virtutis Dei, et emanatio claritatis Dei, qua occasione simul demonstrat sapientiæ originem, quod scilicet origo eius sit Deus, æque ac naturam, dignitatem et maiestatem, quod scilicet sit divina.

Loquitur proprie, ut iam sæpius monui, de sapientia, quæ est attributum Dei et deitatis, ideoque communis est tribus personis SS. Trinitatis. Hæc ergo est *vapor*, id est similis vapori, instar vaporis, *virtutis*, græce δυνάμεως, id est *potentiæ Dei*, quem scilicet potentia Dei ex se quasi exhalat et expirat, quasi vigorem suum, inquit Origen. 1. Periarchon cap. 2. et ex eo S. Augustinus vel quisquis est auctor. lib. 1. de Incarn. Verbi cap. 13. qui proinde ibidem pro *vapor* vertit, *vigor*. Talis enim est vapor Dei nimirum vigorosus et efficax, cum vapor creaturæ nil sit, nisi fumus evanescens. Unde Eccl. 1. 1. pro *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*; Aquila vertit, *Vapor vaporum, et omnia vapor*. Sapientia ergo proprie non est vapor exhalans ex Deo, cum in Deo nullus sit vapor, nulla exhalatio, nullum accidens, sed omnia sint unum idemque cum Deo Deique essentia; vocatur tamen *vapor* anthropopathicos nostro modo concipiendi, quo concipimus res divinas ex analogia rerum, quas videmus in creaturis. Unde sicut in homine sapientia est qualitas et accidens, quod oritur ex anima accedente doctrina et studio; sic concipimus pariter in Deo deitatem esse quasi substantiam; sapientiam vero esse quasi qualitatem et proprietatem ex deitate manantem, et quasi evaporatam exhalatamque.

Sapientia Dei est quasi vapor.

1. Vapor autem notat Primo, sapientiam eiusdem cum Deo esse substantiæ; vapor enim eiusdem naturæ est cum re, e qua evaporatur, ut docet Aristot. sect. 13 probl. et de
2. Sensu et sensili cap. 2. Secundo, eamdem a Deo oriri sine commistione corporum, sine fæce et labe, esseque plane
3. puram et mundam, sic enim oritur vapor e corpore. Tertio, eamdem esse mobilem, subtilem et sublimem; talis enim est vapor, qui proinde a terra sursum in cælum a-
4. scendit. Quarto, eamdem esse vividam et vigorosam, ne in se habere quidquid est præstans in Deo: sic enim vapor præsertim ex rebus odoratis vel distillatis (quocirca Eccli. c. 24. 20. sapientia se comparat vapori et odori balsami, cinnamomi, et libani, id est thuris) totum earum succum haurit et imbibit: unde mire redolet, estque fragrantissimus. Hinc fit, quod sapientia sit *vapor potentiæ Dei*; q. d. Sapientia totam omnipotentiæ divinæ vim, ex qua

A quasi exhalat, haurit et imbibit. Sensus ergo est, *Vapor est virtutis Dei, etc.* q. d. Sapientia est quiddam subtile et odoratum, quod a Deo efflatur, hominemque divino quodam vapore et odore recreat, ut oleat Deum, eiusque vita et sermo spiret quid divinum.

Primo, ergo sapientia Dei in se est quasi vapor. Ita S. August. loco iam citato, et Origen. 1. Periarchon c. 2.

Secundo, eadem est quasi vapor, quatenus a Deo, Deique potentia et potenti operatione in creaturas emanat et exhalat. Probat enim id, quod dixit sapientiam omnem habere virtutem, omniaque attingere et pervadere, q. d. Ait Noster a Castro: Sicut ex aquarum expiratione, ut ait Cicero lib. 2. de Natura Deorum, solis calore oritur vapor, sive tenuis quædam exhalatio, quæ deinde in terram defluens illam fœcundet, ita ex omnipotentis Dei operante in rebus omnibus, easque producente, statim subtilissime ac purissime prodit sapientia, quæ res omnes Dei potentia factas distinguit, ornat, et pulchras facit, intelligenti cognoscendas et miris modis fœcundas. Supponit

B igitur potentiam Dei omnia operantis sapientia, ut rem speciosam species, et ut dispositio orationis inventionem, et ut orbis universi conditionem ipse ornatus eius, ac dispositio et distinctio; et ut ex proportione partium corporis et mundi prodit pulchritudo et species, ita ex operibus Dei omnipotentiæ prodit sapientiæ eius pulchritudo, instar vaporis cuiusdam.

Idipsum a Salomone didicit Plato, qui sapientiam censuit esse vaporem, sive calorem et ignem cælestem ac divinum. Unde in Protagora fingit Prometheum virum prudentissimum (ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est a providentia nuncupatum) ignem e cælo furatum, quo homines in terra informes ex luto factos fictosque calefaceret, animaret, vivificaret, ut iam cælestes, imo divinæ consortes naturæ, effecti vitam sapienter, id est iuste sancteque, traducerent. Ignis enim hic est sapientia. Addit deinde Iovem e caelo Mercurium in terram misisse, ut hominibus inderet pudorem et iustitiam, utpote quæ sint civitatum ornamen-

C ta et vincula, ac iniurias arceant, et amicitias concilient. Et Plutarch. lib. de Iside, negat hominem vel maius munus accipere posse, vel Deum maius dare, quam veritatem; hanc enim propriam esse Deo, reliqua velut non sibi propria et peculiaria, Deum hominibus elargiri, insuper nec argentum et aurum Deo beatitudinem, nec tonitru et fulmen vim afferre, sed utrumque ei tribuere scientiam et prudentiam.

Tertio, Patres per sapientiam accipiunt genitam, puta Filium: huic enim competunt analogiæ vaporis iam dictæ. Unde Dionys. Sicut, ait, vapor elevatur ab aqua virtute solis; sic ab omnipotenti Patre procedit Filius. Audi Euseb. l. 4. de Demonstr. cap. 3. « Unius ergo Patris unum esse filium oportet. Nam si fragrantiæ genus unum ex aliqua subiecta re proficiscatur, unum quoque et eumdem qui in omnes diffundatur, suavem odorem, non diversos et plures fateri par est. Cum igitur primum illud solumque bonum, qui est omnium regnator Deus, divinam vitalemque fragrantiam, quæ animo et cogitatione dumta-

Filius est quasi vapor Patris.

D xat apprehendi potest, produxit, unam hanc fas est intelligere, plures nefas. Quid enim esse potest, quod quidem ab hac diversum sit, quæ in omnibus Patri similis est, quod non submissius sit ac deterius? quod nequaquam nobis in Filii Theologia introducendum. Vapor enim est virtutis Dei, ac defluentia mera gloriæ omnipotentis. Nam ex beneolenti corpore, verbi gratia ex unguento aliquo, aut etiam ex floribus atque odoramentis, quæ de terra nascuntur, beneolens quidam flatus præter illud primum subiectum corpus, in omne quod extrinsecus ambit, profunditur; ac dum latius refunditur, ipsum quoque aerem complet. Non sane privatione aliqua, aut diminutione, aut sectione, aut divisione eius, quod primum subiectum est, corporis: sed illo manente in propria sede, et eamdem penes se conservante naturam, fragrantiamque illam procreante, nihilo deterius priore, ipsum quoque quod procreatur beneolens et fragrans genus » (hoc est generatio, seu genitum et filius, iuxta id Actor. 17. 28. 29. « Ipsius enim

*

et genus sumus; genus ergo cum simus Dei, etc.) cum proprium habeat sedem atque naturam, hac ipsa, quam maxime fieri potest, id quod simillimum sit naturæ procreantis, imitatur. »

Hinc rursum per *vaporem* accipias halitum qui ex ore afflatur. Unde Nannius vertit: *Siquidem a divina virtute afflatur*, iuxta id, quod de se ait sapientia Eccli 24. *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Filius enim est Verbum illud bonum, quod ore suo eructavit Pater æternus.

Denique subtiliter Origen. 1. Periarch. c. 2. et ex eo S. Aug. vel potius S. Aug. assectator vel affectator, l. 1. de Incarn. Verbi c. 13. hæc omnia exponens de Sapientia genita, id est Filio, sic disserit: « Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriæ omnipotentis, neque æternæ lucis, neque inoperationis Patris, nec bonitatis eius. Neque enim conveniens erat alicui horum ascribi vaporem; sed cum omni proprietate ait virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia et invisibilia, vel instituit, vel continet, vel gubernat, quia ad omnia sufficiens est, quorum providentiam gerit, quia velut unita omnibus adest. Huius ergo totius virtutis tantæ et tam immensæ vapor, et, ut ita dixerim, vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute, velut voluntas ex mente procedat; tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus efficitur. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturæ. Vapor quidem primæ et ingenitæ virtutis Dei. »

Addit deinde Filium esse coæternum Patri, sicut vapor coævus est rei naturæ suæ evaporanti, atque concludit: *Secundum Apostolum vero dicentem, quia Christus Dei virtus est*, 1. Cor. 1. *iam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est.*

Mystice vapor charitatis est B. Virgo.

Mystice et participative, hæc adaptes B. Virgini, quæ vapor est charitatis et candor puritatis divinæ. Unde S. Ildefonsus orat. 1. de Assumpt. *Unde, quæso*, ait, *vos filii imitamini signaculum fidei vestræ, Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit et ignivit; ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei*; et S. Bernard. ser. in illud: *Signum magnum*; *Longe*, inquit, *aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, et tamquam ipso igne concludi* (scilicet igne amoris Dei de hoc enim sermo est) *candidissimus sane et calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Idem in serm. cui titulus: *Laus Mariæ*: *In circuitu eius*, ait, *acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium (siquidem ordinatione tua perseverat dies) sed et innumerabilium beatorum spirituum militiam, ad ministerium tantæ principis delegatam fuisse, nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno regi hospitium alienus hospes invaderet*; S. Bernardo succinit S. Anselm. in lib. de Excellentia Virginis cap. 3. *Nulli*, inquit, *dubium, castissimum corpus et sanctissimam animam, funditus ab omni fuisse macula peccati iugi angelorum custodia protectam, utpote aulam quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, et ex qua hominem in suæ personæ unitatem ineffabili fuerat operatione suscepturus.*

Et emanatio quædam est omnipotentis claritatis Dei sincera.) Græce καὶ ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής, id est *limpidus omnipotentis gloriæ rivus*. Ita Nannius: ἀπόρροια enim est fluxus, effluentia, defluvium, flumen, rivus, qui ex fonte vel scaturigine manat, scaturit et defluit: ἀπόρρέω enim est fluo, defluo, profluo. Vatabl. *Sincere promanat a maiestate Omnipotentis*; S. Anselm. tract. de Spiritu sancto legit: *Manatio Omnipotentis gloriæ.* Noster pro *gloria* hic et alibi vertit, *claritatem*. Utraque enim significat claram et gloriosam maiestatem Dei. Unde Arabicus vertit: *Et gloria continens omnia*; Syrus: *Et stabilitas*, vel *firmitas in gloria eius.*

Comparavit sapientiam vapori a re vapida exhalanti, nunc comparat eam rivo, vel flumini ex fonte manenti et profluenti. Idem facit Eccli. c. 24. 35. ubi sapientiam comparat quatuor fluminibus paradisi, scilicet Tigri, Euphrati, Phison, et Geon; et v. 40. ait: « Ego sapientia effudi flumina; ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi; Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum: et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum; penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. »

Sapientia est quasi rivus Dei.

Porro quod sapientia manet et profluat ex Deo sicut aqua limpida a fonte, notat primo, sapientiæ identitatem in substantia cum Deo; aqua enim manans ex fonte eiusdem substantiæ est cum aqua ipsius fontis. 1. Rursum sapientiæ puritatem; quid enim purius et limpidius aqua, quæ omne impurum abluit? 2. Tertio, τὸ *emanatio omnipotentis Dei*, significat sapientiam esse omnipotentem æque ac Deum. 3. Audi ex Origen. 1. Periarch. cap. 2. S. August. de Incarn. Verbi cap. 13. qui per sapientiam accipit Filium: « Sed quoniam gloriam dixit esse omnipotentis, cuius gloria aporrhœa dicitur, id est sapientia, hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentia gloriæ societatem habeat sapientia, per quam Deus Omnipotens dicitur. Per sapientiam, quæ est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritatem, verum etiam subiectorum spontaneum famulatum; » et post nonnulla: « Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium teneat, id est cœli, et terræ, maris, et omnium quæ in eis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum, quia in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum. Et si omne genu flectitur Iesu, sine dubio Iesus est omnipotens, cui subiecta sunt omnia. Et ipse est, qui potentatum agit in omnibus, et per quem subiecta Patri sunt omnia. Per sapientiam namque, id est verbo et ratione, non vi et necessitate subiecta sunt. Et ideo in eo ipso, quod obtinet omnia, gloria sua est; et hæc est omnipotentiæ purissima ac limpidissima gloria, cui ratione ac sapientia, non vi ac necessitate cuncta subiecta sunt. »

Sincera,) εἰλικρινὴς, id est vera, non fucata, sincera, non ficta; pura, liquida, perspicua, aperta, manifesta, et ad radios solis (qui ἥλιος dicitur) examinata, comparata et probata, q. d. Sapientia est emanatio, seu defluxus omnipotentis gloriæ sincerus, sive purissimus; nam defluit vel emanat sapientia, quasi rivus purissimus ex purissimo fonte gloriæ, aut maiestatis Dei; quomodo enim non pura prodiret ex fonte tam puro? idcirco nihil polluti in eam cadit, propter suam puritatem, ut dictum fuerat. Origenes et S. August. dictis locis de Filio Dei, et hoc intelligunt; nam Dei Filius aporrhœa est gloriæ purissimæ ac limpidissimæ omnipotentis Dei, quia emanat omnipotens ab omnipotente, et gloriosus a glorioso, non gloria mutabili ac caduca, sed purissima ac limpidissima; quæ ex bono prodit immutabili, et quod Deo convenit natura sua. Audi S. August. « Purissima vero ac limpidissima gloria sapientiæ, satis convenienter dictum est ad dictionem eius gloriæ, quæ non pura, nec sincera gloria dicitur. Omnis enim natura, quæ convertibilis et commutabilis est, etiamsi glorificetur in operibus iustitiæ, vel sapientiæ, per hoc ipsum, quod accidentem habet iustitiam vel sapientiam, et quod accidit etiam discedere potest, gloria eius sincera ac limpida dici non potest: Sapientia vero Dei, quæ est unigenitus Filius, quoniam in omnibus inconvertibilis est, et incommutabilis, et substantiale omne bonum in eo est, quod utique mutari ac converti numquam potest, idcirco pura ac sincera gloria eius prædicatur. »

Denique Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis cap. 26. per sapientiam accipit Theologiam Salomoni a Deo cum scientiis naturalibus inditam, ac eidem hæc omnia pulchre ada-

ptet: *Vapor*, inquit, *est virtutis Dei*, q. d. Cum ipsa virtus, et magnitudo potentiæ Dei non possit homini communicari et infundi: hinc ex illa magnitudine suprema efflatur quiddam tenue, quiddam subtile et odoratum, quod divinum est, et Deum olet. Eo cum perfunditur homo, id est cum Theologia imbuitur, divino quodam vapore et odore recreatur. Potentiam Dei tunc si non habet homo, tamen illam olet, tamen cognoscit, tamen percipit, tamen repræsentat, tamen divinus habetur. Est item *Emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*, q. d. Limpidus est omnipotentis gloriæ rivus, quod dictum est, tum propter hanc sinceritatem, tum propter id quod sequitur: *Nihil inquinatum in illam incurrit.* Quod idem est ac si diceret: *Nihil inquinamenti in illam illabitur.* Crediderim dictum cum allusione quadam ad Nilum, qui neque clarus limpidusve emanat, sed ex obscurissima scaturigine erumpens; neque defluit albus et illustris, sed atratus et turbidus. Hæc Pineda.

Vers. 26. CANDOR EST ENIM LUCIS ÆTERNÆ, ET SPECULUM SINE MACULA DEI MAIESTATIS, ET IMAGO BONITATIS ILLIUS.) Syrus: *Splendor est lucis sapientia, et incorruptibile speculum gloriæ omnibus servis Dei, et forma gratiæ illius;* Arabicus: *Quia ipsa est splendor lucis perpetuæ, et speculum operis Dei, in qua non est macula*, q. d. Sapientia est radius divini Numinis, quasi luminis et solis increati.

Sapientia est candor, id est splendor.

Nota. Pro *candor* græca est ἀπαύγασμα, id est splendor, fulgor, exsplendescentia; unde pro *candor* multi vertunt, *splendor*. Ita S. Ambr. lib. 1. de Fide cap. 4. Concil. Tolet. XI. imo ita vertit Vulgatus Interpres Hebr. 1. 3. Sensus est, q. d. Sapientia est candor, id est splendor Dei et deitatis, quæ est lux æterna et increata, hoc est maiestas immensa lucida et gloriosa. Sicut ergo a sole manat radius et splendor; sic a Deo et Deitate manat sapientia, quæ instar radii divini resplendet. Rursum sicut purissimum, quod ex luce solis prodit, est candor seu splendor, qui omnia penetrat absque eo quod ab ulla re inquinetur aut obscuretur; ita ex luce solis intelligibilis Dei prodit purissima sapientia omnia illustrans, omnia ut splendor penetrans, atque ita clarescit in omnibus, ut nihil sit quod eam coinquinet, aut obscuret.

Audi S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Candor lucis æternæ quid aliud est, quam lux lucis æternæ? Candor quippe lucis, quid nisi lux est, et ideo coæterna luci, de qua lux est? Maluit autem dicere, Candor lucis, quam Lux lucis* (interpres Latinus nempe) *ne obscurior putaretur ista quæ manat, quam illa de qua manat. Ac ne minor videretur lux quæ genuit, dictum est, Candor est lucis; nec enim maior ex minore manat.*

Philo lib. 1. de Monarch. *Sicut lux a nullo illustratur, sed seipsa ostendit; sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari potest, divina sua essentia solus seipsum illustrat.* Thalassius ad Paulinum presb. *Quod lux est oculis et visis, hoc Deus est intelligentibus et intellectis.* Plato in Alcib. *Sicut specula evidentiora sunt, quam oculi pupilla, et puriora, sic quoque Deus optima animæ nostræ parte purius quidpiam ac splendidius est.* S. Basil. in c. 1. S. Ioannis Deum comparat soli, cuius pulchritudinem et fulgorem omnes mirantur; sed si quis penitius eum intueri velit, non tantum minus eum videbit, sed et oculorum aciem perdet, atque excæcabitur.

Loquitur proprie de sapientia essentiali, quæ est attributum Dei commune tribus personis. Consequenter tamen loquitur de sapientia notionali, quæ est Verbum sive Filius, uti docent passim Patres, imo Apost. Hebr. 1. 3. Filius enim procedit a Patre, sicut splendor vel radius a sole; unde splendor, qui est eiusdem substantiæ cum luce solis, illique coævus, et ab ea inseparabilis, ac indeficiens, notat Filium esse consubstantialem et coæternum Patri, ab eoque inseparabilem, ac deficere non posse, uti docet S. Chrysost. in epistol. ad Hebræos, cap. 1. 3. S. August. tract. 20. in Ioan. Damasc. lib. 1. de Fide, c. 9. et S. Basil. l. 2. contra Eunom. quem audi: *Totum Patrem in seipso Filius habet, ut imago genita, et splendor maiestatis Dei ex tota eius maiestate resplendens; et absurdum est maiestatem Dei non habere splendorem, et non una cum Deo semper fuisse.* Hinc in Symbolo Niceno Filius vocatur *lumen de lumine, Deus de Deo.* Hæc similitudo splendoris et sapientiæ per multa similis est, et non per omnia; nam splendor est accidens solis, sapientia vero est essentia Dei. Rursum splendor est numero diversus (imo, ut aliqui volunt, etiam specie et essentia differt) a luce solis: at sapientia eadem numero est cum deitate. Ad hæc splendor solis augetur, minuitur, hebetatur et obtunditur per nubes aliaque corpora opaca; at sapientia Dei augeri, minui vel obtundi nequit, sed in eodem semper tenore perdurat.

Porro Filius proprie est splendor Patris, qua Deus, participative etiam, qua homo. In humanitatem enim Christi resplendet gloria deitatis; quia *in ipso* (Christo qua homo est) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ut ait Apostolus Coloss. 2. 9. Unde Honorius III. c. *Sane cum olim*, de Celebr. Missarum iubet Eucharistiam deferri præeunte lumine; quia ipsa est candor lucis æternæ. Et Iulius III. in bulla erectionis Confratern. S. Sepulcri constit. 88. *Cum*, inquit, *in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, puta in aurora, vel clara iam luce.* Vide dicta Hebr. c. 1. v. 3.

Sapiens hic ostendit nobilitatem sapientiæ ex eius origine, quæ est ipse Deus, atque ex eius summa cum Deo coniunctione: unde primo, comparavit eam vapori exhalanti a re calida; secundo, rivo mananti a fonte; tertio, hic splendori quem sol emittit: Deus Pater enim est quasi lux et sol splendorem emittens, ut docet S. Dionysius c. 4. de Divin. nomin. quarto, speculo sine macula; quinto, imagini.

Huc alludens noster Lyricus, docte et eleganter de divina Sapientia ita cecinit:

Diva terrarum pelagique præses,
Pura sinceri soboles sereni,
Mentis arcanæ iubar, et coruscæ
Filia lucis.
Par Patri natum sine matre Numen,
Candor aspecti sine nube veri,
Ingenii proles, genialis almi
Pectoris ardor.
O sacer mundi lepor, o decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis exemplum, liquidi serenus
Luminis imber.
Patris interpres, similisque voci,
Nata fæcundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generosa pulchri
Mater honesti.
Cœlibis Patris generata partu,
Cœlibis matris generanda partu,
Lumen, et verum semel elocuti
Copia veri.

Tropol. candor notat sapientiam, et sapientes esse candidos, sinceros, securos, veraces, fidos; non suspicaces, fictos, dubios, fallaces. Nam ut ait Seneca epist. 3. *Multi fallere docuerunt, dum timent falli; nihilque magis cavendum est, quam ut diffidere videaris.* Et nonnulla interiecta: *Nulli fidem adhibere unum idemque vitium est, atque omnibus credere.* Sapientes sunt candidi.

Audi S. Bernard. ser. 17. in Cantica: *Sapientia*, inquit, *ambiguum et obscurum non admittit. Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ duæ filiæ sunt, falsitas et dubietas; illa miserior, ista miserabilior; perniciosior illa, ista molestior; cum loquitur Spiritus, cedit utraque et est non solum veritas, sed certa veritas: est enim veritatis ille spiritus* (*cui contraria est falsitas*) *et sapientiæ, quæ cum sit candor vitæ æternæ* (explicuit Bern. effectum æternæ lucis, nempe quod sit vita participata ex æterno vitæ fonte, iuxta illud Ioan. 1. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, etc.*) *et ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit.*

Exempla. Idipsum per visum experta est S. Gertrudis. Nam ut habet Vita eius lib. 2. c. 22. vidit ipsa Deum, instar speculi solaris, radios in animam suam vibrare: « Cum, inquit, « Domine, applicuisse mihi in veritate tuam faciem optatissimam, afferendo tecum copiam totæ beatitudinis, ego ex divinis tuis oculis persensi per oculos meos ingredi in intima mea lucem quamdam incomprehensibiliter suavem, quæ penetrando omnia mea viscera, videbatur operari in singulis membris meis virtutem quamdam supra modum admirabilem. Videbatur enim exhaurire medullas ossium meorum, ac deinde ipsa ossa cum carne annihilare, sic ut tota substantiæ animæ meæ non videretur esse aliud, quam splendor ille divinus qui totam animam eiusque sinus oberrans, illi inæstimabilem et iucundissimam afferebat serenitatem. »

Huius candoris æque ac sapientiæ exemplum singulare fuit ipse S. Bernardus, qui candorem internum candore externo vultus, vestium, sermonum, gestuum, actionum repræsentabat; unde eumdem candidis virtutum omnium coloribus ita depingit Auctor Vitæ eius l. 3. cap. 4. « Primum maximumque miraculum quod exhibuit ipse fuit; serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, et, sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus, de omni re magis fidens orationi, quam industriæ propriæ vel labori. Magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, summus in humilitate, præcipuus pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax, numquam tamen minor quam in otio otiosus. Iucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus, affluens denique sapientia et virtute et gratia apud Deum et homines. » Et post nonnulla: « Apparebat in carne eius gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis; in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cælestis; in oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ, copiose perfusus homo quoque exterior videretur. »

Et speculum sine macula Dei maiestatis.) Pro *maiestatis* græce est, ἐνεργείας, id est, energiæ, efficaciæ, inoperationis, in qua relucet maiestas et magnificentia Dei. Unde Origen. et ex eo S. August. de Incarn. Verbi, c. 13. legit: *Et speculum immaculatum inoperationis*, vel *virtutis Dei*, q. d. Sapientia divina est speculum sine macula, id est, levissimum, tersissimum, purissimum, limpidissimum, clare repræsentans Dei essentiam et maiestatem, eiusque vim et energiam, in quo scilicet clare intuemur vim operantem, energiam et efficacitatem Dei, quia ipsa sapientia exerit et palam facit vim efficacem, qua Deus operatur omnia in hoc mundo, quæ, nisi sapientia præsto esset, omnino in opus non prodirent, nec ita efficacitas potentiæ Dei operantis non ostenderetur.

Rursum idipsum de Verbo et Filio interpretatur Orig. lib. 4. Periar. cap. 2. et eum sequens S. August. loco iam citato. Filius enim producitur et gignitur per intellectum Patris, tamquam verbum mentis, ideoque perfecta species, sive speculum, in quo relucet res intellecta et cognita. Audi Origen. et August. « Sed et speculum immaculatum paternæ operationis Dei nominatur sapientia esse. Ergo inoperatio virtutis Dei quæ sit, prius intelligenda est; quæ est vigor quidam, ut ita dixerim, per quem inoperatur Pater vel cum creat, vel cum providet, vel cum iudicat, vel cum singula quæque in tempore suo disponit atque dispensat. Sicut enim in speculo omnibus motibus atque omnibus actibus quibus is qui speculum intuetur, movetur, vel agit, iisdem ipsis etiam ea imago, quæ per speculum deformatur, actibus vel motibus commovetur vel agit, in nullo prorsus declinans; ita etiam sapientia de se vult intelligi, cum speculum immaculatum paternæ virtutis inoperationisque Dei nominatur; sicut et Dominus Iesus Christus, qui Sapientia Dei est, de semetipso pronuntiat, dicens: Quia opera quæ facit Pater, hæc etiam et Filius facit similiter. Et iterum dicit: Quoniam non potest Filius a semetipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quoniam ergo in nullo prorsus Filius a Patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus Filii, quam Patris; sed unus atque idem, ut ita dicam, motus in omnibus est, idcirco eum speculum immaculatum nominavit, ac per hoc nulla dissimilitudo Filii intelligatur a Patre, cum in Evangelio Filius similia facere non dicatur, sed eadem similiter facere. »

Denique sapientia divina in B. Virgine et Sanctis exercens divinas operationes, facit ut ipsi sint specula, in quibus resplendeat Dei puritas, charitas, sanctitas, maiestas. Ita S. Bonav. et Holcot, qui hæc adaptat humanitati Christi: Christus enim qua homo, fuit, ait, planum speculum plane docendo, concavum humiliter moriendo; convexum potenter resurgendo. In concavo ima summaque ordine apparent inverso et ignis a radiis illic allisis excitari solet; quid magis inversum et paradoxum, quam Deum nasci, pati, crucifigi, mori? Unde in hac meditatione exardescit ignis, Psal. 38. 4. Apud Rhodiginum lib. 15. c. 12. Apuleius scribit a *Socrate frequenter ad specula missos discipulos*, ut sic *edocti caverent ne pulchritudinem corporis morum turpitudine dehonestarent.* Et Pythagoras *in speculo se non ad lucernæ lumen, sed illustri sole contemplari iubebat*, id est conferre pedem cum doctissimis.

At sapientia iubet fideles intueri hæc vitæ Christi, B. Virginis et Sanctorum specula iisque mores suos conferre, et quoad fieri potest adæquare, ut et ipsi aliis similia in sese exhibeant sanctitatis specula. Denique castitas est speculum, in quo relucet ipse in creatura Deus.

Et imago bonitatis illius.) q. d. Sapientia Dei adeo bona et benefica est, ut sit clara imago repræsentans bonitatem Dei. Dices: Eadem repræsentat nobis potentiam, providentiam, iustitiam Dei; cur ergo dixit *bonitatis*, potius quam iustitiæ, vel potentiæ? Respondetur: Quia Deo velut summo bono propria est bonitas, ac bonitas est causa cur se et sua communicet creaturis, eaque tam liberaliter effundat. Sicut ergo imago exprimit vultum eius, cuius est imago: sic sapientia divina in res creatas effusa et diffusa clare repræsentat divinam bonitatem, quæ causa est et ratio cur Deus se communicet, et in omnes res creatas diffundat; dans eis quod sint, ac simul quod bonæ et speciosæ sint.

Rursum Patres nomen imaginis attribuunt Filio: *Ipse enim est imago Dei invisibilis*. Coloss. 1. 15 *et figura* (græce, *character*) *substantiæ eius* Hebr. 1. 3. Vide ibi dicta: quare Dei Patris bonitatem perfecte exprimit, imo eamdem cum eo bonitatem habet, ait S. August. loco iam citato; atque ex immensa bonitate Pater se totum communicat Filio, ac proinde bonitatis illius imago est Filius. Porro hic notantur tres Verbi dotes cuique principi consectandæ, scilicet sapientia, potentia, bonitas, quæ quasi sorores se invicem comitantur. Hinc Poetæ pinxerunt sapientiæ deam, puta Palladem sive Minervam, γλαυκῶπιν, id est cæsiis oculis, armatam, et inventricem olivæ et olei; cæsii enim oculi cæruleum cæli purissimi colorem referentes, notant perspicacem sapientiam, arma potentiam, oliva bonitatem et beneficentiam. Tres dotes præcipuæ.

Insuper sapientia Dei facit homines bonos, imo eodem gradu, quo facit eos sapientes, facit pariter bonos, id est Dei amicos et Deiformes, ac divinæ bonitatis imitatores; adeo ut videantur esse dii quidam terrestres, Dei cælestia dotes et virtutes in se exprimentes, ac viva quædam Dei in terris simulacra; *Unde et in operatione Patris*, ait S. August. de Incarnat. c. 18 *quæ esse præstat omnibus clarior ac magnificentior invenitur, cum unusquisque per participationem Christi secundum id quod sapientia est, et secundum id quod scientia est, et sanctificatio est, proficit, et in altiores profectuum gradus venit; et per hoc, quod participatione Spiritus sancti sanctificatus est quis purior ac sincerior effectus, dignius recipit sapientiam ac scientiæ gratiam, ut depulsis omnibus expurgatisque pollutionis atque ignorantiæ maculis, tantam profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc quod accepit a Deo*

ut esset, tale sit quale Deo dignum est; eo quod ut esset utique pure præstitit, ac tam perfecte, ut tam dignum sit id quod est, quam est ille qui id esse fecit. Ita namque et virtutem semper esse atque in æternum manere, percipiet a Deo id is qui talis est, qualem eum voluit esse ille qui fecit. Ita S. August. vel quisquis est auctor; nam phrasis arguit non esse hoc opus S. August. sed alicuius eius discipuli, qui eius stylum affectarit, uti recte observarunt Doctores Lovanienses in censura huius lib. Adde auctorem hunc pleraque, quæ ex eo iam citavi, pene ad verbum descripsisse ex Orig. lib. 1. Periarchon c. 2. uti videbit qui utrumque leget et conferet.

Theologia est speculum Dei. Denique Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 26. per sapientiam accipit Theologiam Salomoni a Deo infusam. Hæc enim, inquit ipse, est candor et splendor lucis æternæ, puta Theologiæ Dei et Beatorum: ac speculum sine macula Dei maiestatis. Sicut enim in speculum incurrunt res obiectæ, ut videri videatur illarum imago; itaque in mente humana, præsertim si limpidam se Deo et sapientiæ præbeat, Deus se conspiciendum præbet, illius maiestas, potentia, virtus et reliqua divinæ naturæ attributa: *et imago bonitatis illius*, non solum quod Theologia de Dei bonitate disserat, sed quod videatur postulare, ut, sicut sapientia in Deo est cum suprema sanctitate coniuncta, ita etiam eadem sapientia cum sanctitate coniuncta sit in hominis animo et divinam bonitatem atque sanctitatem referat. Propterea enim comparatur cum *flumine*, cum *rivulo*, cum *emanatione*, ut significetur ita sapientia extra ex immenso illo sapientiæ et divinitatis pelago, ut quamvis spatietur per hominis animum, et per latissimos rerum cognoscendarum et creaturarum omnium campos, et tandem oporteat ortum suum repetere, et in Deum primum sapientiæ fontem desinere. Hoc si non fiat, si sapiens aliquis desipiat, si Deum non quærat, non colat, mirum non minus quam cum *Iordanis conversus est retrorsum*. Pari enim ratione de Salomone stultescente dictum est 3. Reg. 11. 9. *Iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset* (retrorsum conversa) *mens eius a Domino Deo Israel.*

Mystice, hæc omnia sapientiæ mira et magnifica elogia adaptes B. Virgini. Ipsa enim post Christum, et per Christum, præ omnibus hominibus et angelis est *vapor virtutis Dei et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*. Ipsa est *candor lucis æternæ et speculum sine macula Dei maiestatis: et imago bonitatis illius.* Ipsa habet omnem virtutem, omnia prospicit, et capit omnes spiritus intelligibiles, etiam Cherubim et Seraphim: ipsa enim est mare sapientiæ, et abyssus puritatis, bonitatis ac gratiarum omnium: imo Patres aiunt gratiam et consequenter gloriam eius esse quasi infinitam. Gratia B. Virginis quasi infinita. Sicut enim dos et dignitas maternitatis Dei est quasi infinita: sic pariter velut infinitam ipsa poscit gratiam et gloriam. Nam ut ait S. Thom. 3. p. q. 7. art. 10. in matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata. Audi Patres S. Epiphan. orat. de laudibus Virginis: *Gratia*, inquit, *sanctæ Virginis est immensa.* Divus Anselmus in libro de Excellentia Virginis, c. 8. *Immensitatem*, inquit, *gratiæ tuæ et gloriæ tuæ considerare cupienti, o Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.* Damasc. orat. 2. de Dormitione Virginis: *Virgo*, inquit, *vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.* Luculentissime D. Bonavent. in Speculo, c. 5. *Immensa*, inquit, *fuit gratia, qua Virgo fuit plena; immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud quo est plenum: Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior fuit, continere potuit.* Et post nonnulla: *Tu ergo immensissima capacior es cælo; quia quem cæli capere non poterant, etc. Tu capacior es mundo: quia quem totus non capit orbis, etc. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente! et si capacitas tam immensa fuit oportuit quidem ut illa gratia, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* B. Petrus Damiani serm. de Nativ. Virginis: *Gloria*, ait, *quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem.* Quo sensu. Verum hæc omnia cum grano salis accipe. Nam sicut maternitas Dei est dos et dignitas entitative et absolute finita, utpote quæ in puram meramque creaturam cadit, cuius capacitas limitata est et finita, nec doni absolute infiniti capax; sic pariter absolute finita est gratia et gloria, quæ huic maternitati congrue respondet et debetur. Dicitur ergo illa a Patribus immensa et infinita, non absolute, sed secundum quid, puta obiective et respective. Primo, quia respi- Resp.
cit obiectum infinitum, puta Deum: per illum enim B. Vir- 1.
go vere est mater Dei, sicut visio Dei, licet in se sit qualitas finita; tamen respectu obiecti, puta Dei, in quod tendit, dicitur infinita, ut docet S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6.
ad 4. Secundo, respectu intellectus nostri, quia illum su- 2.
perat copia gratiæ et gloriæ Virginis, ut eam mente definite concipere et adæquare, ac plane comprehendere nequeamus: hoc enim per hyperbolem homines dicunt esse infinitum, quod ipsi comprehendere et definire, sive definite assignare nequeunt. Tertio, quia respectu hominum 3.
et angelorum est infinita. Omnes enim homines et angeli a Deo in tanta naturæ et gratiæ præcellentia creati, et plures qui creari possunt, nullo modo accedunt ad dignitatem et præcellentiam maternitatis et matris Dei, ac consequenter nec ad eius gratiam et gloriam: Deus enim angelis et hominibus admetitur eam gratiæ mensuram, quam eorum capacitas et lex Dei ordinaria postulat: quare ea mensura illis conferi gratiam, ut semper gratiæ plurimum donandum superait, cuius adhuc eorum natura capax est.

Accedit quod iuxta insignes Philosophos ac Theologos, 4.
qui gradus intentionis gratiæ, et cuiuslibet habitus ac potentiæ censent non esse homogeneos, sed heterogeneos, ita ut v. g. gradus secundus intensionis gratiæ sit alterius rationis, et generis a primo, et tertius alterius a secundo, et sic consequenter; plane dicendum est, quod si ulli data est gratia et gratiæ gradus heterogenei, hoc est, diversæ et altioris rationis a nostris, illos datos esse B. Virgini; quia eius maternitas est heterogenea et altioris ordinis, quam omnia alia creata dignitas; et quia actus eius fuere intensissimi et excellentissimi. Quod si verum est, sequitur, quod, licet infiniti a Deo crearentur angeli cum suis donis et gratiis; numquam tamen accederent ad gratiam B. Virginis. Ipsa enim numero graduum gratiæ longe superat singulos angelos creatos et creabiles; cumque hi gradus ponantur heterogenei, inferiores omnes, licet plurium et plurimi, numquam accedunt ad dignitatem et excellentiam superiorum, utpote altioris ordinis, alteriusque naturæ, sicut æs, licet plurimum, numquam accedit ad dignitatem auri. Ponamus ergo v. g. summos angelos singulos habere gratiam ut 50. B. Virginem vero ut mille; quinquagesimus primus eius gradus gratiæ cum sit altioris ordinis, dignitate superabit omnes gradus gratiæ omnium angelorum, utpote qui non transcendunt 50. ac proinde inferioris sunt ordinis, conditionis et naturæ. Multo magis eosdem superabit 52. gradus gratiæ B. Virginis, ac magis 53. 54. cæterique deinceps: quia quo superiores sunt, eo nobiliores pariter sunt et perfectiores, ac proinde altioris sunt ordinis, magisque superant gradus se inferiores, quam hi superent alios sibi subiectos; sicut angeli primæ hierarchiæ magis superant angelos secundæ hierarchiæ, quam hi superent angelos tertiæ: quia quo quis magis accedit ad Deum, eo altius assurgit magisque perficitur et quasi dilatatur. Id clarum est in cælis, qui quo superiores sunt, eo maiorem habent peripheriam, capacitatem et magnitudinem.

Hinc colliges primo, in B. Virgine esse plenitudinem gratiæ singulari sensu et modo, quatenus creaturæ capacitas prædicto modo, iuxta legem Dei ordinariam expleta est. Id voluit S. Cyprian. serm. de Nativit. Christi dicens: Plenitudo gratiæ Virginis quanta. *Matri Dei plenitudo gratiæ debetur;* et Sophronius serm. de Assumpt. *Cæteris datur gratia per partes. Mariæ vero tota se infudit gratiæ plenitudo:* quæ verba usurpant S. Bern. Bonav. Damian. et alii. Secundo, de Virgine ait S. Anselm. *Decens erat ut Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi;* sub Deo accipe Christum: unde S. Bernard. *Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientiæ, ultro quam credi potest, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unio-*

næ creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa; et S. Ambr. quem citat Dionys. Carthus. *Incomprehensibilis,* inquit, *incomprehensibiliter operabatur in matre.* Ratio a priori est dignitas, tum maternitatis, tum mediatricis. Mater enim Dei iure suo a Christo constituta est mediatrix Dei et hominum omnium: quare gratiam non singularem sibi soli, sed universalem velut
Ratio a priori. capitis in omnes fideles refundendam accepit. Docet hoc S. Anselmus lib. de Excellentia Virginis, cap. 9. *Quis igitur,* inquit, *ista perpendens æstimare queat qua laude digna sit, quæ tantarum beneficiorum sola præ cunctis effici debuit mediatrix?* Et Paulo anterius: *Pura,* inquit, *sanctitas, et sanctissima puritas, piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissima fieret:* et S. Laurent. Iustin. serm. de Annunt. *Magna profecto,* inquit, *fuit Mariæ gratia, exuberans atque completa, quæ cœlis dedit gloriam, gaudium præstitit angelis, sæculo pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit. Quomodo non est Maria iuxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quæ effecta est paradisi scala, cœli ianua, interventrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix?* Et S. Bonaventura in Speculo: *Omnia flumina,* inquit, *intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam; flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam,* etc. Ac demum ubi percurrit omnes Sanctorum conditiones: *Quid mirum,* inquit, *si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? ait enim B. Augustinus: Gratia es plena, Maria, quam apud Deum invenisti, et per totum mundum effundere meruisti.* Audi et Sophron. serm. de Assumpt. *Talibus,* inquit, *decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam. Quid mirum si lætitiam et gloriam plenam et superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam et superplenam habet in exilio? Quid certe mirum, si tam in cœlo, quam in terra eius plenitudo super omnem creaturam sit, de cuius plenitudine omnis natura virescit?* Plura hac de re collegi Eccl. 24. et Prov. cap. 31. vers. 10. et sequent.

Vers. 27. Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.) Sapientia Dei in se est unica, sed in viribus, officiis et artibus multiplex, quia potest, imo facit omnia. Nam sine sapientia nihil fit a Deo. Hoc est quod dixit v. 23. *Omnem habens virtutem.* Ipsa ergo est παντοδύναμος, id est omnipotens, ac una et indivisa in se existens infinitorum vim et perfectionem in se continet: quare una sufficiens est omnibus producendis, continendis, conservandis, gubernandis.

Et in se permanens stabilis, immobilis et immutabilis, omnia innovat.) Quia nova semper operatur, ac novos effectus semper producit, tum in natura, tum in gratia. Sic in vere novos producit flores, in æstate novas segetes, in autumno novos fructus, in hieme novas nives, pluvias et glacies: sic innovat omnes hominum gradus et status, novos homines veteribus suggerendo, ac deformatos veteres mores per novos viros religiosos corripiendo ac reformando.

Et per nationes in animas sanctas se transfert.) Pro *nationes,* græce est γενεὰς, id est *generationes,* hoc est primo, ætates et sæcula, q. d. Sapientia per singula sæcula communicavit se sanctis animabus, a se electis et dilectis. Nullum fuit sæculum sapientiæ et sanctitatis expers, sed in quolibet fuere semper aliqui viri sapientes et sancti, amici Dei et Prophetæ, a Deo selecti et consecrati. Unde Vatablus vertit: *Et vicissitudinibus ætatum in animas sanctas se transferens.*

Secundo, per *generationes* accipias cum Nostro, hominum genera et nationes, qui in terra nascuntur, q. d. Nulla est natio, in qua sapientia non habuerit vel habeat aliquos suos discipulos, amicos, et Prophetas, tum proprie dictos, qui scilicet futura et secreta pronuntiabant; vel per catachresin, *Prophetas,* id est viros eximie sapientes et sanctos; tales enim olim erant Prophetæ. Deus enim non est acceptor ætatum, personarum, vel gentium, *sed in omni gente, qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi,* Actor. 10. 35. Hos ergo Deus constituit græce κατασκευάζει, id est primo, ædificat et extruit, tamquam regias basilicas, et animata Dei templa; secundo, instruit, adornat, concinnat, tamquam sacra Dei oracula; tertio, docet, præparat, dirigit, quasi orbis doctores ad eum docendum et convertendum; quarto, munit et armat contra omnes hominum dæmonumque insultus; quinto, probat, confirmat, astruit, stabilit virtutibus et miraculis, quasi certis suis sigillis.

Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.) Tamquam cum uxore et sponsa: nam græce est συνοικοῦντα σοφίᾳ, id est connubio iunctus sapientiæ: συνοίκησις enim, id est cohabitatio vocatur coniugium, quia in eo cohabitant maritus et uxor. Unde c. seq. v. 2. ait: *Quæsivi sponsam mihi eam assumere;* pro quo S. Ambr. lib. de Viduis legit: *Proposui ergo hanc mihi adducere in coniugium.* Vers. 28

Per sapientiam hic et omnibus hisce Salomonis libris, practicam intellige, puta prudentiam, virtutem, sanctitatem, charitatem: cum hac enim una in hac inhabitat sapientia et Spiritus sanctus: *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* 1. Ioan. 4. 16. Et: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus,* Ioan. 14. 23. To *inhabitat* significat sapientem, id est sanctum, familiariter et assidue versari cum sapientia, id est sanctitate, charitate et Deo.

Est enim hæc speciosior (ita Romana et Græca: male ergo aliqui legunt, *pretiosior*) sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.) Pro *speciosior* græce est εὐπρεπεστέρα id est formosior, ornatior, modestior, elegantior, magis composita, decora, exculta, præclara et præstans. Dat causam cur Deus adeo diligat sapientiam, ut nullum diligat nisi propter illam, puta non nisi illa præditum. Causa est sapientiæ pretium, excellentia, species, pulchritudo et claritas, quæ tanta est, ut vincat iubar solis et omnem dispositionem stellarum, quæ fulgent ut totidem gemmæ; adeoque superet et præcedat lucem, tum stellarum, tum cuiuslibet rei, imo primigeniam illam initio mundi ante solem et stellas a Deo creatam et concervatam, ex qua deinde in partes divisa sol et stellæ formatæ sunt, uti dixi Genes. 1. Sol enim, stellæ et lux illa primigenia fuere splendor creatus, finitus, materialis, corporeus, mutabilis et occasui obnoxius: at vero sapientiæ splendor est increatus, infinitus, immaterialis, incorporeus, immutabilis, æternus, divinus. Vers. 29

Huius sententiæ et præcedentis elegans exstat solis et aquilæ apologus, sale sapientiæ conditus, apud Cyrillum lib. 1. Apologorum moralium c. 2. cuius titulus est: « Nihil sibi homo est sine sapientia. In lucidioris aeris, inquit, sublimitatem aquila conscendens, solis fixo contuitu eius mira venustate inspecta, mox eum tali quæstione pulsavit, dixitque: Tu quid es, o vas admirabile, tam decorum? At ille respondit: Nescio. Tunc illa magis mirata, nimirum quod in lucis fonte huius ignorantiæ tenebras invenisset, adiunxit: Quomodo est hoc, quod in splendoribus tuis cætera videantur, et tui tu nescius te non vides? cui dixit: Quippe sapientiæ non sum expers. Sola enim illa sui gaudent notitia, quæ sunt in seipsa conversiva. Ad hoc aquila sic arguens dixit: Quomodo igitur perdita est tibi tantæ luciditatis gloriositas, tantæ pretiositatis dignitas, tantæ virtualitatis causalitas, ac tantæ soliditatis perpetuitas? Ex qua namque te ignoras, tu tibi nihil es; nihil siquidem prudentia est fatuo, rutilantia cæco, et eloquentia surdo. Tunc Titan respondit: Etsi nihil mihi sum, tamen ei sum, cuius sunt omnia, quod est quoddam maximum vas sapientiæ. Ipse enim sapiens, cum solus se cognoscendo sit Apologus humilis Sapientiæ

sons, cunctorum etiam, quæ sibi non sunt, intellectu sapientium sapientia constitutus est dominus. » Rationem claram mox subiicit, aitque : « Homo enim participio sapientiæ eiusdem (Gen. 1. 28.) ex divina imagine decoratus, ab ipso primordio universis rebus mundi visibilibus est præfectus. Nimirum ideo, quia sapientis sunt omnia, cui non prævalet metallorum gemmarumque validitas; quia etiam illi subsidiaria divitiarum servit potestas. Quamobrem (Prov. 3. 15.) pretiosior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, ei non valent comparari. Quibus auditis, mox illa dilectione sapientiæ inflammata, petivit a sole ut quid ea sapientia esset, luce definitionis ostenderet. Cui libenter annuens, inquit : Sapientia quidem est illa mentis veritas, qua summum, quod est Deus, fide recta conspicitur, et casta dilectione tenetur. Hac enim qui donatus est iam mundi est dominus, et possessor est suus. Quibus diligenter notatis, in propria gaudens illa reversa est. »

ET SUPER OMNEM DISPOSITIONEM (græce θέσιν, id est thesin, positionem, situm, collocationem, ordinationem) B STELLARUM.) Primo, a Castro exponit, q. d. Sapientia supra omnem stellarum situm est posita : celsitudine superat stellas et cælos, quia sedet cum Deo in altissimo divinitatis eius solio. Secundo, melius idem et alii explicant, q. d. Sapientia suo splendore, ordine, specie, dispositione vincit omnem omnium stellarum splendorem, ordinem, speciem, dispositionem. Unde Vatablus vertit : *Et omnem astrorum seriem superat, lucique comparata potior deprehenditur*. Nominat *dispositionem stellarum*, quia in earum situ et dispositione mirus est ordo, miraque pulchritudo adeo ut astrorum velut castrorum acies sit ordinata. Unde vocatur *militia cœli*, et exercitus Dei sabaoth, Iudic. cap. 5. 20. Isaiæ 24. 21. Deut. 17. 3 Rursum stellæ dispositæ sunt in cælo, ut lumina et oculi in capite : onde a Poetis vocantur cæli aut Iovis oculi.

LUCI COMPARATA INVENITUR PRIOR.) *Prior*, tum tempore, id est anterior, quia sapientia ab æterno fuit in Deo, illique est coæva, cum lux initio mundi et temporis sit C creata; tum dignitate et præstantia. Unde Vatablus vertit, *potior*. De pulchritudine solis, stellarum, lucis dixi Genes. 1. et Eccli. 43. v. 1. et seq. Hunc sensum exigit ratio, quam subiungit. Porro τὸ *et super omnem dispositionem stellarum*, pendet et nectitur cum eo quod sequitur : *Luci comparata invenitur prior*, q. d. Si ultra ordinem luceumque stellarum, sapientiam compares primigeniæ luci, instar solis totum mundum illuminanti in ipso mundi initio utique sapientia illa luce invenietur prior, tum tempore, tum dignitate, q. d. Si non tantum stellis, sed et luci quæ in mundo fuit prima et maxima, sapientiam conferas, illa invenietur prior et potior.

Vers. 30. ILLI ENIM SUCCEDIT NOX, SAPIENTIAM AUTEM NON VINCIT (græce κατισχύσει, id est prævalet, superat, circumvenit, contendit, coercet) MALITIA.) Dat causam cur sapientia sit prior, id est potior et præstantior luce, non solum solis et stellarum, sed et primigenia mundi, eo quod illa instar solis se movens et gyrans per nostrum hemisphærium, vespere occumberet, et transiret ad alterum adver- D sumque mundi hemisphærium, itaque ei succederet nox, ipsaque lux verteretur in tenebras. At sapientia semper sibi constat nec ipsa in insipientiam, aut malitiam verti potest, nec ab ea vinci. Loquitur proprie de sapientia increata Dei : hæc enim adeo potens est et provida, ut nulla malitia vinci possit, sed potius ipsa omnem malitiam hominum et dæmonum, omnem quoque rerum malitiam, id est duritiem et difficultatem, vincat sibique subiuget. Comitanter tamen et consequenter loquitur de sapientia participata et homini infusa. Esto enim ipsa recedat ab homine, qui a sapientia et sanctitate deficit, transitque ad insipientiam et malitiam; tamen ipsa in se, puta in suo fonte, manet illæsa et intacta apud Deum. Rursum ipsa homini invito et nolenti eripi nequit : quare quamdiu homo eam retinere vult, vinci nequit a malitia.

Hinc patet per sapientiam intelligi prudentiam, iustitiam et sanctitatem : nam illi opponit malitiam : hæc enim

A est practica et summa insipientia.

Pro *malitia* græce est κακία, id est malitia tam culpæ, quam pœnæ, puta tam iniquitas, quam adversitas et calamitas, q. d. Nec culpa, nec pœna vel afflictio ulla vincit sapientiam Dei. Potest quoque abstractum sumi pro concreto, q. d. Malitia, id est mali et impii persequentes pios non possunt vincere eorum sapientiam et virtutem, quamdiu eam sponte non deserunt. Hinc aliqui legunt : *In sapientiam autem non incidit malitia*. — Sapientiam non vincit malitia; quæ?

Exemplum dat S. Bernard. homil 2. super *missus est*, Adam et Evam, Christum et Mariam : illos enim utpote insipientes vicit malitia serpentis et superbiæ; hi vero utpote sapientes vicere tam illorum insipientiam, quam serpentis malitiam : « Quid dicebas, inquit, o Adam : Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi ? Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inve- B nit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba : quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic : Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipsa vivificasti me. » — Exemplum.

Idem serm. de septem donis Spiritus sancti : *Sapientia, inquit, vincit malitiam, dum satanam conterit Dei virtus et Dei sapientia Christus, etc*. Quæ commodius cap. sequenti vers. 1. recitabo. Idem serm. 85. in Cant. dat causam : *Virtus, inquit, est vigor animi immobiliter stantis cum ratione. Vel virtus est vigor animi quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens*; et post plura subiungit : *Et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non a vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte sapientia a sapore nomina-* C *tur, quod virtuti accedens quoddam velut condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo et aspera videbatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definiat. Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare*. Causam subdit : *Quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit. Sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam ecce denuo sapientia mulieris cor et corpus implevit, ut qui per fœminam deformati in insipientiam sumus, per fœminam reformemur ad sapientiam. Et nunc assidue sapientia vincit malitiam in mentibus, ad quas intraverit, saporem mali quem illa invexit, sapore exterminans meliori. Intrans sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum cordis, palatum sanat et reparat*. — Causa.

Porro S. Bonav. in Speculo, c. 3. *Quidam*, inquit, *legunt hic Prior, quidam Purior, Utrumque Mariæ stellæ* D *nostræ competit. Maria enim est prior, id est potior sive dignior. Maria etiam purior est sole et stellis et luce; quia tam dignitate, quam puritate solem et stellas et omnem lucem superat corporalem, imo etiam spiritualem, id est angelicam creaturam, de qua dicitur : Divisit Deus lucem a tenebris, id est Angelos stantes a cadentibus. Hac utique luce Angelis prior et purior est Maria; prior dignitate, et purior sanctitate. Unde Anselmus exclamans ait : O benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate!* Hæc Bonaven. Quocirca S. Ephr. oratione de Deipara, agens de ea : *O omnibus*, inquit, *superis exercitibus gloriosior, omnium Sanctorum ac virginum corona ob fulgorem inaccessa, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella. Per te reconciliati sumus Deo meo*.

Tropol. lux imo sol, suos patitur defectus : modo enim exultat ut gigas fulgida radiorum cæsarie coronatus; modo vero laborat ut Hercules, cæca caligine circumfusus;

et sapientia, id est virtus, invicta inter adversa quælibet, sibique similis perstat. Audi Tertull. l. de Spect. c. 29. *Vis et pugilatus et luctatus? præsto sunt non pauca, sed multa. Aspice impudicitiam devictam a castitate; perfidiam cæsam a fide; sævitiam a misericordia contusam; petulantiam a modestia obumbratam; et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et sanguinis aliquid? habes Christi.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare sapientiam, eiusque dotes et commoda maxima plurimaque recensere, ob quæ Salomon se eam in sponsam delegisse, et summis votis expetiisse asserit.

1. ATTINGIT ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. 2. Hanc amavi, et exquisivi a iuventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. 3. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam; 4. Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius. 5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? 6. Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex? 7. Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim, et prudentiam docet, et iustitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. 8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat, scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum: signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. 10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores iuvenis: 11. Et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me: 12. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. 13. Præterea habebo per hanc immortalitatem: et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. 14. Disponam populos: et nationes mihi erunt subditæ. 15. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, et in bello fortis. 16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. 17. Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ, 18. Et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem. 19. Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. 20. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. 21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis.

Vers. 1. ATTINGIT ERGO A FINE USQUE AD FINEM FORTITER, ET DISPONIT OMNIA SUAVITER.) Syrus: *Extendit enim animam suam a finibus usque ad fines vere, et disponitur cum omnibus suaviter;* Arabicus *Et extenditur a fine deserti, et usque ad finem eius feliciter, et gubernat omnia cum bonitate.* To *ergo* innuit hæc a præcedentibus pendere et educi. Græca habent δὲ, id est *autem*; prosequitur enim cœpta sapientiæ elogia. Hæ particulæ sæpe commutantur: nam δὲ, id est *autem*, sæpe capitur pro οὖν, id est *ergo*; et οὖν sive *ergo* sæpe non illativum est, sed inchoativum et continuativum sententiæ. Unde S. Bernard. Hugo, Pagninus et alii caput hoc octavum inchoant ab ultimis verbis cap. 7. *Sapientiam autem non vincit malitia.* Vatabl. vero et Cantacuzenus omnia hæc referunt ad finem c. 7. et c. 8. inchoant a v. 2. *Hanc amavi, etc.* Sensus ergo est, q. d. Sapientia, ut dixi c. 7. est emanatio claritatis omnipotentis Dei, omnia potest, omnia penetrat, omnia capit, estque invincibilis: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, etc.* Pro *attingit* græce est διατείνει, id est protendit se, extendit, porrigit; S. Aug. 4. de Trinit. c. 44. vertit, *pertendit*; Tigurin. *pertingit*; Budæus in Comment. linguæ græcæ legit διήκει, id est *perspirat.* Unde Vatabl. vertit: *Perspirat ab extremo usque ad extremum firmiter, et administrat omnia commode;* sapientia enim est quasi spiritus perspirans omnia *a fine usque ad finem*; græce, ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας, id est, *ab extremo usque ad extremum.* Quæres quænam sint hæc duo extrema?

Respondetur, primo, esse duo extrema mundi, q. d. Sapientia pervadit omnia a summo cælorum usque ad imum terræ, puta a peripheria mundi usque ad centrum, sive *a convexo cælorum usque ad medium terræ centrum*, ait Hadrianus Pont. l. 3. de Imag. et ut ait S. Bern. *a summo cælo usque ad inferiores partes terræ. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam et ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat et administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate: nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed disponit omnia suaviter, placida voluntate.* Hucusque S. Bern. tract. de gratia et l. arb. post medium. Sapientia attingit a fine ad finem. I.

Unde S. August. ep. 57. ad Dardanum, q. 4. ex hoc loco probat sapientiam divinam, sive Deum, esse ubique. Additque: « Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi sine labore regens, et sine onere continens mundum. » Hoc profunde meditans et admirans S. Bernard. lib. 5. de Consid. exclamat: « O sapientia potens attingens ubique fortiter! O potentia sapiens disponens omnia suaviter! Res una, effectus multiplex, operationes diversæ. Et illa una res est longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. »

Secundo, duo hæc extrema sunt nobilissima et vilissima creatura, q. d. Sapientia pertingit a summo et maxi- II.

mo angelo usque ad infimum vermiculum, ait S. Bernardus de Gratia et lib. arb. omnia conservans, vivificans, dirigens, gubernans. Et S. Dionys. c. 7. de Div. nom. disputans de Sapientia divina: « Ratio quoque, inquit, Deus dicitur in sanctis Litteris, non solum quia rationis, et sensus, et sapientiæ indultor est; sed quia et omnium causas in se uniformiter ante complexus est: et quia per omnia pergit penetrans, ut scriptum est, usque ad omnium finem pertingens a summis substantiis usque ad imas, etc. Idcirco et in omnibus Deus agnoscitur, et seorsum ab omnibus, et ex omnibus quidem, ut dixi, ipsa (sapientia Dei) noscenda est: et ipsa est iuxta Scripturæ fidem effectrix omnium, et semper cuncta coaptans, ipsiusque omnium indissolubilis convenientiæ atque ordinis causa, semper priorum fines subsequentium initiis iungens, unamque mundi conspirationem et congruentiam decentissime moliens. »

III. Tertio, S. Bern. de Gratia et lib. arbit. *Sapientia attingit a fine ad finem*, hoc est, inquit, *ab ortu creaturæ ad finem, quem ei destinavit ipse, sive in quem urget natura, vel accelerat gratia, vel concedit causa.* Rursum attingit a principio operis sui (et cuiusque rei) usque ad finem, q. d. Nihil inchoatum a se relinquit imperfectum, sed quæcumque inchoat perficit, et constanter ad finem a se intentum perducit. Duo enim sunt extrema operis, scilicet principium et finis. Ad S. Bernard. accedit S. Aug. 4 de Trin. c. 14. *Diabolo*, inquit, *insidiante et furente utitur ad salutem fidelium suorum excellentissima, seu celsissima Sapientia Dei, a fine superiore, quod est initium spiritualis creaturæ, usque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter, et disponens omnia suaviter.*

Allegor. Allegor. Sapientia Dei attingit a fine ad finem in Christo: per incarnationem enim iuncta sunt duo extrema, scilicet summum et imum, puta Deus et homo coeuntes in eamdem hypostasin et personam. Ita S. August. loco iam citato, et epist. 3. ad Volus. opus enim incarnationis fuit opus summæ sapientiæ, summæ fortitudinis et potentiæ, summæ quoque suavitatis et misericordiæ, uti ostendit S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1.

Symbol. Symbol. S. Bonav. per duos fines accipit Patrem et Spiritum sanctum: « Secunda persona, inquit, quæ dicitur Sapientia, attingit a Patre usque ad Spiritum sanctum, per identitatem substantiæ. fortiter ob Patrem, cui attribuitur potentia; suaviter propter Spiritum sanctum, cui bonitas. »

Tropol. I. Tropolog. S. Bern. de Gratia et l. arbit. hæc adaptat libero arbitrio: « Sic ergo, ait, liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi, attingens et ipsum a fine usque ad finem fortiter, imperans scilicet singulis sensibus et artubus, tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, » Rom. 6. « Et sic vindicet antiquam dignitatem et libertatem excussa servitute peccati; curetque hæc agere non minus suaviter, quam fortiter, hoc est non ex tristitia aut necessitate, sed prompta et alacri voluntate: hilarem enim datorem diligit Deus, atque ita per omnia imitabitur sapientiam, dum et vitiis resistit fortiter, et in conscientia requiescit suaviter. Verum cuius ad talia provocamur exemplo, indigemus auxilio. »

II. Rursum idem S. Bernard. hæc adaptat charitati. Sic enim scribit serm. 50. in illud Cant. 2. « Ordinavit in me charitatem. O sapientia, inquit, quæ attingis a fine usque ad finem fortiter, in instituendis et continendis rebus; et disponis omnia suaviter, in beandis et ordinandis affectibus, dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit; et dispone, prout tua veritas æterna requirit. »

III. Insuper idem S. Bern. serm. de septem donis Spiritus sancti, iis hæc accommodat; sic enim ait: *Sapientia vincit malitiam, dum satanam conterit Dei virtus et Dei sapientia Christus. Attingit ergo a fine ad finem fortiter, in cælo quidem, deiiciendo superbum; in mundo, superando malignum; in inferno, spoliando avarum. Et disponit omnia suaviter; in cælo stantes Angelos confirmando; in mundo, venumdatos redimendo; in inferno, captivos liberando. Aut si melius placet, accipiamus hoc modo: Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus septiformis. Et primus contra negligentiam timor exsurgit, nimirum ipse est, quo concutitur animus, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Denique qui timet Deum, nihil negligit, sed veretur omnia opera sua*; et pluribus interiectis: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter sapientia victrix, eradicando singula vitia, singulasque inserendo virtutes. Excutitur siquidem negligentia, ut timoris spiritus repleat mentem; abiicitur curiositas, ut succedat pietas; experientia mali fugatur, apponiturque scientia. Sic et concupiscentiæ prævalet fortitudo, et consilium consuetudinem amputat, et intellectus vigens contemptum amovet, et desperante omnino malitia sapientia regnat. Qua quidem triumphante, de cætero miseram illam animam, quam perniciose negligentia soporaverat, peius excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenuerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contemptus in carcerem traxerat, malitia iugulaverat: timor suscitat, pietas blande demulcet, scientia quid actum sit indicans dolorem apponit, quod suum est fortitudo erigit, consilium solvit, intellectus educit de carcere, sapientia mensam ponit, refocillat esurientem, et salutaribus reparat alimentis.*

Denique idem S. Bernard. de Gratia et lib. arb hæc adaptat Christo eiusque gratiæ, quæ omnes animæ fines et vires peccato deformatas sibi conformando reformat: « Et revera, inquit, cui potius id operis congruebat, quam Dei Filio, qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, et unde reformaret deformem, et unde debilem confortaret, dum et de splendore figuræ fugans tenebras vitiorum redderet sapientem, et ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret? Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium, quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat et formatum. Forma autem sapientia est, conformatio, ut faciat imago in corpore quod forma facit in orbe. » IV.

FORTITER.) Græce, ῥωμαλέως, id est valide, robuste, valenter, firmiter, animose, constanter; Vatabl. *ῥωμαλέως*: ῥώω enim, vel ῥώννυμι, idem est quod roboro, valido, confirmo: unde ῥώμη est robur, vis, potentia, sanitas, valentia. Inde et urbis Romæ nomen, quam Solinus initio Polyhist. *Valentiam* prius fuisse dictam Latinis tradit, licet alii Romam derivent a *ruma*, id est mamma lupæ, quam Remus, qui et Romus, eiusque frater Romulus suxerunt.

Noster Antonius Fernandius in Vision. visione 6. censet esse metaphoram a communibus rerum mensoribus, qui ad normam exigentes rerum magnitudines, quæ quibus locis conveniant ante sciunt, ne qua sit in ipsa rerum dispositione perturbatio: attingit ergo Deus a fine usque ad finem fortiter, id est, exacta præscientia metitur res omnes quid possint, quid exigant, unde et quousque sufficiant. Hinc vero sequitur quod disponat omnia suaviter, sibi invicem rebus et earum locis apprime respondentibus. Attingit item fortiter, quia ubi creaturæ vires deficiunt, ipse sufficit, ut eo quo vult pertingat.

Rursum fortitudo sapientiæ, providentiæ et gratiæ Dei cernitur in hoc, quod ipse suam voluntatem certissime implet, et finem intentum obtinet: suavitas vero in eo quod nostram libertatem non lædat, nec naturæ conditionem invertat: non enim cogit liberum arbitrium, sed suaviter alliciendo mulcendoque ei bonum suadet et persuadet. Ita Nyssen. aut potius Nemesius, lib. 7. Philos. cap. 4. Theodor. Epitome divin. decret. cap. de Providentia, Damasc. 2. de Fide, cap. 29. Fortitudo et suavitas providentiæ. I.

Eadem suavitas cernitur in rebus naturalibus: nulli enim Deus vim affert, nihil contra cuiusquam rei naturam facit, sed solum ut poscit cuiusque rei natura. Est enim divina providentia (ut scribit S. Dion. c. 4. de Divin. nom. p. 4.) *cuiusque naturæ conservatrix, eis quæ per se moventur, et libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorum-*

que natura capit, pro modo cuiusque providentissimas bonitates impartiens.

II. Ad hæc divinæ providentiæ suavitas in eo se ostendit, quod per viciniora ac faciliora media res ad suos fines deducat, uti patet intuenti omnia elementa et elementaria. Ita S. Chrysost. in S. Matth. c. 3. Sic Paulus a Deo ignoto Atheniensium sumpsit exordium disserendi de Deo vero et noto, Actor. 17. 23. uti ibidem notat S. Chrysostomus.

III. Insuper insuperabilis sapientiæ et providentiæ divinæ omnia gubernantis fortitudo in eo elucet, quod rebus etiam summe contrariis ad destinatos providentiæ suæ fines utatur, ut venditione Ioseph ad eius principatum, passione et cruce Christi ad eius gloriam et hominum salutem, persecutione tyrannorum ad Martyrum coronas et triumphos, peccatis hominum ad ostendendam suam, vel clementiam in condonando, vel iustitiam in puniendo. Nam ut sapienter æque ac eleganter ait Boethius lib. 4. de Consol. prosa 6. « Sola est divina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.

Sic cum Deus peccatorem a sula concupiscentiis adducit ad pœnitentiam, aut hominem vocat ad Religionem, ad Apostolatum, ad martyrium, etc. non facit id violenter, sed suaviter: immittit enim prius menti pias affectiones, velleitates, desideria pœnitentiæ, Religionis, Apostolatus, martyrii, quibus homo illa aveat ambiatque, ac postulet a Deo dicatque cum Saulo in actu ipso persecutionis: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Id in se expertus S. August. ita gratias agendo exsultat l. 9. Confess. cap. 1. *Domine ego servus tuus, ego servus tuus. et filius ancillæ tuæ Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Dicant, et responde mihi, et dic animæ meæ: Salus tua ego sum.* Et post pauca: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! Eiiciebas enim eas a me, tu vera et summa suavitas, eiiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi atque scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ, Domino Deo meo.*

Disponit.) Græce, διοικεῖ, id est gubernat, administrat, dispensat, tuetur, disponit totum mundum, sicut paterfamilias domum: οἶκος enim est domus. Mundus autem est parva domus magni Dei, quam œconomice regit ut paterfamilias.

Suaviter.) Græce, χρηστῶς, id est, ut Pagnin. *utiliter*; Vatabl. *commode*; item *benigne*, *dulciter*, *suaviter*. Unde Christiani a Gentilibus vocabantur Chrestiani, quasi commodi, utiles, suaves. Huc alludens S. Iustinus Apol. 2. pro Christianis: *Christiani esse accusamur*, inquit, *atqui utile et commodum odisse, iniquum est.* Sapientia ergo Dei disponit omnia utiliter, commode, suaviter; quia ut ait S. August. l. 7. Civit. c. 30. *Sic administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios* (iuxta formam sibi inditam) *exercere et agere motus sinat*, imo iubeat et efficiat; adeo ut nulla res in universo reperiatur, quæ in eo non utiliter suo officio fungatur, et universo commoda sit, dum unaquæque res, quantumvis minima, fines sibi præstitutos a natura adipisci conetur.

Efficax ergo est causa prima, puta Deus, sed sese attemperat causis secundis. Unde S. Dionys. de Divin. nom. c. 4. par. 4. arguens eo qui dicebant oportuisse nos a Deo ad virtutem cogi: atqui, inquit, *Non est providentiæ divinæ violare naturam, sed ea est naturæ cuiusque conservatrix; eis quæ per se moventur, et libero aguntur arbitrio, convenienter providens omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorumque natura capit, pro modo cuiusque providentissimam bonitatem impartiens*, etc, et c. 7. ait *Deum in Scriptura vocari Logon, non solum quia rationis et mentis, sapientiæque auctor est, sed etiam quia causas omnium uniformiter in se anticipat, et quoniam singula transeundo pervadit usque ad omnium finem, quemadmodum tradunt eloquia.*

Æque, imo magis suaviter Dei sapientia, puta Christus disponit et dispensat res supernaturales, ut patet in incarnatione eiusdem, passione et morte, de qua recte S. Bernard. serm. 1. in die S. Paschæ: *Vicit*, inquit, *plane sapientia malitiam attingens a fine usque ad finem fortiter, et suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi.* Et in Eucharistia; hæc enim est *cibus fortium et suavitas mentium*. Unde typus eius fuit manna habens omnem saporis suavitatem, iuxta illud Psal. 22. v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est!* Et illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Vide ibi dicta. Idem patet in donis et habitibus gratiæ creatis; hæc enim Deus homini infundit, ut per ea facile et suaviter operetur actus supernaturales, qui per se homini sunt difficiles, imo viribus naturæ impossibiles. Audi S. Thomam 1. 2. q. 110. art. 2. Deus creaturis naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus. Et sic motus, quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sap. 8. *Et disponit omnia suaviter.* Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum; et sic donum gratiæ qualitas quædam est. Eadem ratione probat dandum esse habitum charitatis 2. 2. q. 23. art. 2. Habitus enim gratiæ et virtutum faciunt, ut earum actus homini sint faciles, suaves et iucundi, ideoque eos homini Deus infundit.

Tropol. hanc sapientiæ divinæ in gubernando universo ideam et formam imitentur reges, principes, prælati, rectores, etc. et fortitudinem suavitate condiant; unde nonnulli hoc sibi lemma sumpserunt: *Suaviter et fortiter*; fortitudo enim dat efficaciam gubernationi: suavitas facilitatem et durationem. Nullum enim coactum et violentum est perpetuum. Quare in regendo timori miscendus est amor; si enim solus sit timor, aget homines, non ut homines, sed ut iumenta et bruta: homines enim magis ducuntur amore, quam timore, et amor non solum suavior, sed et fortior est timore. Nam omnia vincit amor. Huc facit illud: *Blandum imperium imperiosum*, quia quæcumque blando imperat, fortiter impetrat. Gubernandi modus sit fortis et suavis.

Rursum regimen suave æque ac forte et durabile poscit ut rectores sese accommodent subditorum ingeniis, talentis, dotibus et propensionibus quoad fieri potest: nam *nihil invita facies dicesve Minerva*. Sic sapientia Dei accommodat se conditioni causarum secundarum, dum cum necessariis necessario, cum contingentibus contingenter, cum liberis libere, cum audacibus audacter, cum timidis timide, cum infirmis infirme, cum validis valide concurrit et operatur. Superior ergo imitetur Christum, qui fuit leo improbis et obstinatis, agnus vero probis et obsequentibus. Hoc documentum suis inculcavit noster S. Ignatius. Qua ratione.

Huc facit illud c. 12. 18. *Tu autem, Domine, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos.* Et illud Psalm. 24. 10. *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* Unde S. Basil. epist. 165. ad Eustath. profitetur se experientia multarum tribulationum didicisse, quod Deus res nostras suavi sua providentia longe melius disponat, quam nos optare possimus. Idem de seipso asserit S. Ephræm tract. de sui Reprehens. cuius mirabile providentiæ divinæ exemplum fuse recensui Gen. 42. 18.

Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus Vers. 2.

SUM FORMÆ ILLIUS.) Græce κάλλους, id est speciei et pulchritudinis illius; S. Hier. in c. 42. Ezech. legit: *Quæsivi sponsam ducere mihi, et amator fui decoris eius*; S. Ambros. l. de Viduis: *Proposui hanc adducere mihi in coniugium*; S. Hilarius in Psal. 127. *Quæsivi sapientiam sponsam accipere mihi ipsi*. Huc facit illud Isaiæ 61. 10. *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

A IUVENTUTE MEA.) A puero enim mater Salomonis ei instillavit desiderium sapientiæ, id est probæ sanctæque vitæ, ut patet Proverb. 31. 1. præsertim cum Davide patre defuncto illi in regnum successit annum agens circiter 18. Tunc enim illi videns magnam sapientiam requiri ad regendum tantum populum eam a Deo postulavit et impetravit, 3. Reg. 3. 10. Significat veterem sapientiæ amorem, ideoque profundum, radicatum et robustum. Nam fœminæ quæ sponsæ viris teneris ab annis consuescunt, tenere diligi solent, eoque teneriori amore earum ii tenentur, quo a teneriori ætate coniuges convixere, adolescente amore cum ætate: et quo antiquior amor, eo maior esse solet, nobilior, robustior et præstantior, instar arboris et vini, quibus vetustas confert dignitatem, et veluti generis splendorem, gliscente in dies flamma ex consuetudine mutua, quasi ex fomite adiecto. Hinc illud Prov. 5. v. 18. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, cerva charissima, et gratissimus hinnulus; ubera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.*

ET QUÆSIVI SPONSAM.) Hinc opinatur Pineda l. 2. de Rebus Salomonis, cap. 1. sub finem, Salomonem ambiisse sapientiam quasi sponsam, eamque a Deo impetrasse, antequam ambiret filiam Pharaonis eamque sibi desponderet. Verum hoc valde incertum est, præsertim quia l. 3. Reg. c. 3. v. 1. prius narratur eum duxisse filiam Pharaonis, deinde v. 10. subiungitur eius oratio, et impetratio sapientiæ. Adde Salomonem ante regnum iniisse coniugium cum Naama, ex eaque genuisse Roboam; Roboam enim, agens 41. annum, patri Salomoni anno 40. regni morienti in regno successit, 3. Reg. 11. 43. et cap. 14. v. 21. Ergo uno anno ante regnum suum genuit eum Salomon. Sapientia igitur sponsam sese offert, non tantum virginibus, sed et coniugibus, iisque magis necessaria est ad regendum uxores, filios et familiam. Ipsa enim est sponsa alterius et altioris ordinis, scilicet spiritualis, non carnalis.

Sapientia est nympha multipliciter.

SPONSAM) Græce νύμφην, id est *nympham*. Ita græce dicitur sponsa, quasi νέον vel νῦν φαινομένη, id est *nove*, vel *nunc apparens*, id est nova nupta, quæ cum prius ut virgo se absconderet, iam nupta in publicum prodit seseque palam ostendit. Ita Rodig. l. 21. c. 26. ex Eustathio. Ita Salomoni nova e cælo, velut sidus divinum illuxit et apparuit sapientia. Rursum Nymphas antiqui aquarum deas esse putaverunt, quasi lympharum numina: veteres enim nympham dicebant, quam nos mutatione unius litteræ lympham, id est aquam. Quandoque nymphæ dicuntur Musæ, quod aqua currendo musicos sonos efficiat. Hinc nymphæ perhibentur fuisse virgines purissimæ. Talis nympha et musa præ omnibus, imo sola ex omnibus est sapientia. Nymphæ quoque dicuntur apes castæ, cum primum formam cœperint habere, teste Plinio l. 11. c. 6. Apis cælestis est sapientia, fundens mel divinum.

Sponsa hebr. vocatur כלה *calla*, id est perfecta, consummata ab omni pulchritudine et ornatu, quo sponsæ præ cæteris decorantur, præstant et amantur, adeo ut quasi reginæ coronis ornentur et coronentur: hinc græcum κάλλος, id est pulchritudo, quæ pariter omnes in sui amorem καλεῖ, id est vocat, allicit et rapit, ut ait S. Dion. de Divin. nomin. c. 4. Quid pulchrius sapientia, quæ est *calla*, id est perfecta, completa, suisque numeris omnibus absoluta, ut ne hilum desideres, sive animi, sive corporis dotes in sponsa consideres. Solent decem præ cæteris in sponsa dotes laudari et spectari, quas hoc versu et sequentibus ex ordine sapientiæ attribuit Salomon: Prima est ut amori simul et venerationi sit; secunda, ut amœnitate floreat; tertia, ut splendeat nobilitate generis; quarta, ut vigeat sapientiæ dignitate; quinta, ut circumfluat divitiarum opulentia; sexta, ut præemineat sanctitate; septima, ut virtutum varietate distinguatur; octava, ut singulari prudentiæ maiestate nobilitetur; nona, ut ingenii ac morum placida suavitate dulcescat; decima, ut philosophum, seu sapientem cupidum sui omnigena rerum varietate delectet. Atque has omnes dotes, quarum gustum aliquem in superioribus dedit, nunc Sapiens sponsæ attribuit, eam amabilem pariter et venerabilem docens, pulchram, nobilem, sapientem, divitem, sanctam, optimam, præditam quadruplici virtute, eximie singulariterque prudentem, et cum qua in consortium adducta vita transigi possit omni suavitate et voluptate perfusa. Quæ suo ordine novem primis versiculis (exceptis quinto et sexto, qui divitiis dantur) atque singula singulis continentur. Quibus tantæ sponsæ dotibus, atque omnis generis bonis inde profectis, quæ mox describit quasi adiectis igniculis inflammatum se iuvenem, peneque puerum, illius desiderio asserit, ut eam intimis a Deo precibus efflagitarit et impetrarit. Ita Cervant.

Sapientia est sponsa: cur?

Vox *sponsa* significat summum Salomonis erga sapientiam amorem, teneritudinem, desiderium et delectationem. Rursum summam intimamque, et secretam cum ea coniunctionem, conversationem, familiaritatem, unionem, ut cum ea fieret non caro una, sed spiritus unus, iuxta illud: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*, 1. Cor. 6. 17. Et illud Ier. 3. 4. *Amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*. Et illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. Vide ibi dicta.

Hinc S. Dion. cap. 4. de Divin. nomin. ante finem ait: « Amoris quam charitatis nomen esse divinius. Scribit autem et D. Ignatius: Meus amor cruci affixus est; et in primis Scripturæ sanctæ institutionibus invenies quemdam hæc dicentem de divina sapientia; Amator factus sum pulchritudinis eius. » Hæc Dion. Et inferius dicit amorem unire et facere extasin. « Atque hoc amoris verbum, inquit, vim habet faciendi unum, et colligandi præstantique modo res inter se miscendi, quæ in pulchro et bono, propter pulchrum ac bonum ante constitit atque ex bono ac pulchro pulchri bonique causa manat, continetque paria communi inter se coniunctione, et superiora ad inferiorum procurationem impellit: inferioraque cum superioribus conversione corroborat. Dimovet etiam de statu divinus amor, nec suos esse amantes patitur, sed eorum etiam quæ amantur: quod declarant et superiora quæ inferiorum fiunt eis consulendo, et paria mutua inter se cohærentia, et inferiora diviniora ad superiora conversatione. Itaque Paulus ille magnus iam divino amore captus, præditusque eius vi, quæ hominem e statu suo dimovet divino ore: Vivo autem, inquit, iam non ego, vivit vero in me Christus, ut verus amator et « mentis, quemadmodum ipse ait statu dimotus: Deo degit non suam vitam, sed amantis tamquam valde diligendam. »

Mystice B. Virgo est sponsa.

Mystice hæc omnia adaptes B. Virgini, quæ est *calla*, hoc est perfectissima *musa musarum* et *nympha nympharum*, præsertim colentibus, amantibus et invocantibus ipsam, quam proinde, ut alios omittam, sibi per annulum despondit S. Edmundus Cantuariensis Episcopus. Audi auctorem Vitæ eius c. 6.

Exempla S. Edmundi.

Ut autem cura eius (castitatis) *conservandæ maior ei inesset, de consilio cuiusdam sacerdotis coram imagine perpetuæ Virginis sanctissimæ matris Dei, castitatis nuncupavit votum, et illi singulari et incomparabili Virgini se commendans, eam sibi sponsam delegit; atque ut fœdus cum illa initum prorsus firmum et stabile fore declararet, novo quodam modo eam annulo suo tamquam arrhabone, sibi despondit, annulum illum, quem ea de causa fecerat, eius imaginis digito infigens, in quo etiam inscripta erat Angelica salutatio.* Fructum eximium subiicit: *Atque ex eo tempore, ut ipse in suo obitu confessus est, quoties illius clementissimæ Virginis imploravit opem, illa in tentatione exitum, in persecutione solatium, in afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetravit. Habuit vero etiam in digito suo annulum, cum*

quo post mortem, ut solent Pontifices, sepultus est, cui itidem cunctis admirantibus Angelica salutatio insculpta fuit, ut beatissima virgo ipsam suum sponsam et habere et agnoscere dignaretur. Exstat hæc Vita apud Sorium die 20 Novembris.

ET AMATOR FACTUS SUM FORMÆ ILLIUS.) Est hæc secunda dos sponsæ Salomonis, puta sapientiæ, scilicet forma et pulchritudo; quæ magnum est amoris illicium. De hac dictum est c. 7. v. 29. *Est enim hæc speciosior sole.* Loquitur de sapientia essentiali communi tribus personis, comitanter tamen de notionali quoque, puta de Christo, qui qua Deus, est imago, id est pulchritudo patris, qua homo pulchritudo creaturæ, iuxta illud: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ps. 44. Idem a Salomone didicere Plato et Philosophi. Plato enim in Phædro ait: Primum pulchrum omnia pulchra facit; pulchritudo autem hanc dignitatem habet, ut omnium rerum sit illustrissima, idemque summe amabilis. Sapientiæ vero forma, tamquam facies, si oculis cerneretur, mirabiles sui excitaret amores, imo ardores. Idem de virtute ait Cicero lib. 1. Offic. Aristot. quem citat Eugubinus in Ps. 44. *Deus*, inquit, *est potentia fortissima, vita immortalis, virtute optimus, pulchritudine speciosissimus.* Vide S. Dionys. c. 4. de Divin. nom. p. 1. et S. Aug. l. 2. contra Academ. c. 3. et 1. Retract. 1. ubi ait φιλοσοφίαν esse φιλοκαλίαν, hoc est amorem sapientiæ esse amorem pulchritudinis.

Pulchre in hæc verba pieque scribit Theoph. Alex. ep. 1. Paschali: « In sacris, inquit, voluminibus Scripturæ, niveamembra sapientiæ pressis figentes osculis, in eius harenus amplexibus, atsi Dominus concesserit viventes cum ea, in illius perseverantes amore cantamus, Sap. 8. 2. Amator fui pulchritudinis eius. Quotquot enim Scripturas sanctas diligentius legunt, et per picta sermonum cælestium prata discurrunt, hac beatitudine perfruentur, » etc. Vis exempla? Accipe.

Exemplum S. Agnetis.

S. Agnes præfecti Romani filium se ambientem respuens, se illi desponsam dicebat, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur. Idem, si non verbis, certe reipsa dixere ceteræ S. Virgines et martyres. Unde illud S. Ignatii: *Amor meus crucifixus est*, cuius meminit S. Dion. c. 4. de Divin. nom. uti paulo ante dixi.

S. Laurentii Iustiniani.

Hac forma sapientiæ illectus S. Laurentius Iustinianus, primus Patriarcha Venetiarum, eam sibi in sponsam accepit annum agens undevigesimum. Sic enim ipse de se scribit in Fasciculo amoris: « Eram vestri similis, quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inveniebam. Tandem quædam virgo sole splendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Hæc propius accedens venusto vultu, placidoque affatu: O iuvenis, ait, dilecte, cur effundis cor tuum, et pacem sectando per multa variaris? quod quæris, penes me est: quod concupisti, tibi polliceor; si tamen me in sponsam habere volueris. Cum vero nomen ipsius, et genus, et dignitatem scire peroptarem, se ait sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, et datu pacis osculo læta recessit. »

D. Henrici Susonis.

Ita D. Henricus Suso, qui sub annum Domini 1350. doctrina, sanctitate et miraculis claruit, ac mirus sapientiæ fuit amator, unde et Minister æternæ sapientiæ est cognominatus, cum hæc sapientis verba: « Quæsivi eam mihi in sponsam assumere, et amator factus sum formæ illius, » ad mensam legi audiret, tanto eius amore exarsit, ut spiritale cum ea connubium contraxerit. Audi auctorem Vitæ eius c. 4. « Dum his flagraret desideriis, sapientia tali schemate se illi visendam præbuit. Longe super ipsum

Sapientiæ forma.

ferebatur in columna nubis residens in throno eburneo, micans instar luciferi, et tamquam sol lucens in virtute sua; corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis boni satietas. Prope erat et longe aberat, sublimis et humilis, præsens et occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat: excelsis cæli fastigiis erat altior, et abysso profundior: attingebat a fine usque ad finem fortiter, et disponebat omnia suaviter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuvenis præ se ferebat imaginem. Nonnumquam seu artium omnium peritissimam se præbebat amicam, cunctis amabilem. Itaque dulcissime ad eum se convertens, et comiter non tamen sine divina quadam maiestate illi arridens, benigne his eum verbis affata est: Præbe, fili, cor tuum mihi. Tum vero vestigia illius advolutus, medullitus ac humillime illi gratias egit. » Et nonnullis interiectis: « Interim nonnumquam animæ illius sese communicabat ipse propemodum totus boni fons et profluvium, in quo simul reperit quidquid pulchrum, amabile vel desiderabile esset; siquidem id illic modo ineffabili exsistebat. Hinc quamdam contraxit consuetudinem, ut quoties cantiones amatorias dici vel cantari audisset, corde et animo ad suavissimam amicam suam, ex qua quidquid est amabile procedit, abstractu quodam intuitu sese confestim intro reciperet, sive introrsum raperetur. Neque sane dici possit quoties gratissimam illam amicam lacrymantibus oculis, et in immensum expanso cordis sinu circumplexus sit, et suo pectori suaviter adstrinxerit. »

Porro τὸ *amator* intellige per excellentiam. Amor enim formæ est ardens et violentus, ut videre est in amasiis fœminarum, qui earum amore dicunt aguntque admiranda, ut stultescere, et insanire videantur, ac patiuntur quælibet dura, ut iis potiantur. Multo ardentior in Salomone et Sanctis est sapientiæ et sanctitatis divinæ amor, iuxta illud Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Hinc ἔρως, id est amor, alludit ad Ἄρης, id est Mars quod amor sit Martius, et polleat fortitudine Martia, instar ferri edomet omnia, prælia quælibet non reformidet, sed ineat; dura quæcumque fortiter sustineat, vulnera infligat et suscipiat, iuxta illud Cant. 2. 5. *Amore langueo:* Symmach. *Vulnerata dilectione ego sum.* Studiosus ergo sapientiæ, pro ea omnia difficilia capessat, et omnia dura generose sustineat.

GENEROSITATEM (S. Hilar. in Ps. 127. vertit *honestatem*, id est honorem, decus, præstantiam, nobilitatem) ILLIUS GLORIFICAT, CONTUBERNIUM HABENS DEI: SED ET OMNIUM DOMINUS DILEXIT ILLAM.) Tertia post amabilitatem et pulchritudinem est hæc sapientiæ dos, scilicet nobilitas et generositas. Τὸ *illius* non est in Græco; unde sic aliqui explicant, q. d. Sapientia est generosa, ideoque generositatem discipulis suis commendat, imo *glorificat*, id est miris laudibus et encomiis extollit, iubetque omnibus, ut sint animo non abiecto, vili et depresso, sed excelso, nobili et generoso, ac magna magno animo aggrediantur, ut ab heroicis operibus generosi et heroes esse ac nominari possint. Causa est, quod ipsa contubernium habet Dei, id est Deo sit familiaris, cum eoque assidue conversetur; quare a Deo generoso discit generositatem, ut generosa et divina meditetur et molatur. Hinc et suis iubet assidue per orationem et meditationem versari et ambulare cum Deo, instar Henoch et Noe, ut ab eo discant terrena omnia calcare, ac cælestia ambire, nec nisi divina cogitare, desiderare, operari; uti fecere omnes Apostoli, Martyres, sancti Doctores, sanctæ Virgines, etc. Unde S. Hier. *Virtus*, inquit, *poscit animi robur Socraticum*, imo Herculeum; quia et Christus: *Regnum cælorum*, inquit, *vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Huc facit illud Senecæ epist. 112. *At ille qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexsuperabilis et maior adeunti Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas minus apparet longe intuentibus: cum accesseris, tunc manifestum fit quod in arduo summa sint. Talis est, mi Lucili, verus, et rebus, non artificiis, philosophus. In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis veræ: non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more qui mendacio staturam adiuvant, longioresque quam sunt, videri volunt. Contentus est magnitudine sua. Quidni contentus sit eo usque crevisse, quo manum fortuna non porrigit? Ergo et supra humana est. Par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa et difficilia.*

Vers. 3.

Sapientiæ generositas.

Græca ad verbum sic habent, εὐγένειαν δοξάζει, συμβίωσιν Θεοῦ ἔχουσα, quod primo Iansen. sic vertit et explicat:

Sapientia *putat esse nobilitatem habere convictum cum Deo*; δοξάζω enim tam putare, quam glorificare significat: unde δόξα tam opinionem, quam gloriam denotat, et participium ἔχουσα, id est *habens* more græco ponitur pro infinitivo *habere*.

II. Secundo, alii, q. d. Sapientia *generositatem glorificat*, hoc est nobilitatem illustrat, puta familiam generosam et nobilem, illustriorem et gloriosiorem reddit, uti patet in Platone, Aristotele, Cicerone, quos sapientia humana celebres et gloriosos effecit; multo magis id patet in S. August. Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, S. Thoma Aquinate, cæterisque Ecclesiæ Doctoribus, quos sapientia divina apud omnes gentes per omnia sæcula nobilitavit. Nobilitas enim generis est externa, utpote excita ab avis et proavis: nobilitas vero sapientiæ et virtutis est interna et propria, utpote proprio labore et studio parta. Unde Cicero gloriatur: *Ego*, inquit, *mea virtute meis maioribus præluxi*. Verum hos sensus elidit τὸ *illius*, quod addidit Noster, et solerter in Græco subintellexit. Unde

III. Tertio, nonnulli τὸ *illius* referunt ad studiosum sapientiæ, q. d. Sapientia sui studiosos, qui contubernium et conversationem habent cum Deo, velut nobiles et generosos glorificat, id est illustres et gloriosos reddit, uti reddidit Mosen, qui ex consortio Dei radios, et quasi cornua lucis faciei suæ affixa accepit, Exodi 34. 30. Verum græce est fœmininum ἔχουσα, id est *habens*, quod proinde ad virum studiosum sapientiæ referri nequit: sic enim dicendum esset masculine ἔχων.

IV. Quarto, alii τὸ *illius* referunt ad τὸ *forma*, quod præcessit, q. d. Sapientiæ formam sive pulchritudinem, quæ ipsius est decor, ornatus, nobilitas et generositas, illustrat et glorificat contubernium Dei; pulchritudo enim sapientiæ valde exornatur, ex eo quod ipsa habeat consortium et familiaritatem cum Deo. Unde Arabicus vertit: *Pulchritudo eius nobilitat, concedens coniunctionem vel coniugium Dei*; vice versa Syrus vertit: *Et gaudium, et laus, et gloria Dei in participatione eius*. Coniuges enim se invicem amant et glorificant.

V. Quinto et germane, τὸ *illius* refert ad sapientiam, de
germane. qua omnis est hic sermo, q. d. Inde patet quanta sit sapientiæ generositas et nobilitas, quod scilicet ipsa habeat contubernium, vel, ut græce est, συμβίωσιν, id est convictum, hoc est summam consuetudinem et familiaritatem cum Deo, cum eoque commoretur, colloquatur, epuletur, dissavietur, quodque Deus intime illam amet et diligat. Generositatem ergo, id est nobilitatem, eius illustrat et glorificat ipse convictus Dei. Aut, ut alii, q. d. Sapientia habens contubernium seu convictum cum Deo, celebrat eum et glorificat tamquam summam generositatem et nobilitatem. Aut potius, q. d. Sapientiæ generosum genus nobilemque prosapiam, quod scilicet sit orta ex Deo illustrat et glorificat, quod eadem velut contubernalis et sponsa Dei cum eo intime conversetur, convivat, in eodemque cum ea thalamo et mensa degat, velut ei par et æqualis. Græcum enim συμβίωσις, id est convictus, tribui solet coniugibus, quorum iugis est convictus, summaque conversatio, par et æqualis amor. Sapientia ergo inducitur hic quasi filia et simul sponsa Dei, ideoque duplici hoc titulo nobilissima et illustrissima.

Sic mystice B. Virgo glorificatur, quod ipsa sit genitrix, filia, sponsa Dei; genitrix Dei Filii, filia Dei Patris, sponsa Spiritus sancti. Græcum enim εὐγένεια, id est generositas, nobilitas, a γένος, æque ac Latinum generositas a genere generisque nobilitate nomen accepit, uti docet Tiraquellus de Nobilitate, c. 2. n. 47. et seq. Nobilis enim dicitur, quasi noscibilis, vel notus ex genere, puta ex avis et atavis nobilibus, et ex virtute notis. Sic S. Hilarius in Ps. 127. ex hoc loco sapientiam *nobilem sponsam* appellat. Ipsa ergo est eugenia, id est nobilitas æque ac συμβίωσις, id est convictrix et coniunx Dei. Est enim integræ nobilitatis sapientiæ ratio, quod ipsa habeat tantam cum Deo consuetudinem, ut non solum ex eo sit orta, sed et cum eo coniunctissime vivat, eoque potiatur familiariter, ceu sponsa sponso; et quod Deus vicissim eam intime diligat

A ex utroque enim vera summaque nobilitas oritur. Multi enim sunt filii et filiæ regum, qui non in mensa parentum, sed a nutricibus aluntur; unde vix vident, vix norunt parentes, nihilque apud eos possunt. At sapientia ita est filia Dei, ut simul sit contubernalis et conviva Dei, iugiterque mensæ et thalamo eius assideat; plurimum ergo apud eum potest. Est hic ingens stimulus ad sapientiæ studium, quod per eam fiamus generosi, nobiles, contubernales et familiares Dei, ac intime a Deo diligamur. Canonistarum sententia est nobiles, si fiant Religiosi, perdere nobilitatem, utpote iam mundo et sæculo mortuos. Unde lib. 5. Decret. tit. 34. de purgat. canonica, c. 1. *Nobilis*, Glossa ait: *Propter crimen perditur nomen dignitatis, sicut per monachatum amittit quis nobilitatem*. Verum recte Tiraquellus lib. de Nobilit. c. 26. id explicat, ut per nobilitatem intelligantur nobiles honores, tituli et ditiones, uti sunt regnum, Ducatus, Comitatus, Baronatus; horum enim incapax est Religiosus, per votum paupertatis; idem tamen servat pristinam nobilitatem, quæ sita est in iure
An Religiosus perdat nobilitatem.

B sanguinis, quod scilicet prognatus sit ex parentibus nobilibus, Comitibus, Ducibus, Regibus; hæc enim est indelebilis, utpote una cum natura in nativitate accepta. Religiosus ergo nobilitatem suam non amittit, sed alia diviniore auget et duplicat, dum ditiones et regna terræ contemnens, unique vacans Deo, illius fit familiaris et intimus, uti hic docet Sapiens.

Mystice S. Bonavent. Glossa et Hugo: Filius Dei, inquiunt, qui est Sapientia Patris, nobilitatem et generositatem habet ex suo genere et generatione, quod scilicet sit genitus a Deo patre. Unde idem habet contubernium, id est æqualitatem intimamque coniunctionem cum Patre; ille enim est ὁμοούσιος et consubstantialis; unde tam suum, quam Patris genus glorificat, adeoque in omnibus Patris gloriam quærit et propagare satagit, ideoque factus est homo, crucemque et mortem subiit. Quare Deus Pater Filium qua Deum amat amore simpliciter infinito; qua hominem, amore tanto, qui superet amorem omnium crea-
Mystice. Christus est generosissimus.

C turarum simul sumptarum. Nam humanitatem Christi assumpsit ad unionem hypostaticam cum Verbo; quæ est dignitas et gratia tanta, ut longe transcendat omnes dignitates et gratias omnibus creaturis communicatas, etiam unitas et simul sumptas. Christum secutus Paulus, magnus Dei Christique amator et convictor: *Vivo*, inquit, *ego iam non ego, vivit vero in me Christus*, Gal. 2. 20. Quare Deus illum præ cæteris dilexit, eumque suæ gloriæ præconem, et doctorem Gentium effecit.

Symbol. hæc facile adaptes B. Virgini, cuius nobilitas et generositas tanta fuit, ut ex ea genus duxerit, carnemque sumpserit, ipse Dei Filius, cum quo ipsa corporaliter iugem habuit συμβίωσιν, id est convictum, meruitque ipsam Dei Sapientiam ex se incarnatam iugiter videre et audire, eiusque ignitis sermonibus, velut amoris radiis accendi. De quo S. Bern. hom. 1. super Missus est: *Maria*, ait, *matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui Angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium, dicens; Fili, quid fecisti nobis sic?* Et mox: *Et erat sub-*
Generositas B. Virginis.

D *ditus illis, quis? quibus? Deus, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus et Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Iosepho propter Mariam. Mirare sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem; utrimque stupor, utrimque miraculum, et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas sine exemplo; et quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio*. Quo etiam spectasse videtur S. Ildefonsus ser. 1. de Assumptione, ubi cum plurima, quæ Deipara Christo exhibuit obsequia, numerasset, subiicit: *Ergo qui cuncta pascit, cælestia et terrestria simul regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit et nutrivit; ad cuius deinde nutum universi reguntur, sub eius disciplina vel arbitrio infans Deus versatur*. Et mox: *B. Virgo gladio passionis Christi vulnerata est in anima. O sanctissima omnium fœminarum, quæ cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris; et ecce hodie exaltatur apud eum quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in cælis*.

Et S. Epiph. hæresi 78. *Erat*, inquit, *Maria assectatrix Iesu, cum ipso semper existens*. S. Augustinus item l. de Assumpt. (vel quisquis est auctor) c. 7. tom. 9. *Absque dubio*, inquit, *omni opere ministratrix exstitit, quæ hunc in utero gessit, partuque profusum aluit et fovit, in præsepio reclinavit, et a facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, et omnem infantiam eius matris affectu ita prosecuta est, ut usque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentem, ab eius indubitanter ministerio non recesserit; consecuta non solum gressibus pedum, tamquam pro amore filii; verum etiam imitatione morum, tamquam pro reverentia Dei. Maria ergo ministra Christi spiritualium operum qualitatibus sicut devotissima exstitit, ita absque dubio religionis fide, et veræ credulitatis charitate secutrix fuit.* S. Bernard. serm. cui titulus: *Signum magnum: Toties Maria filium audivit non modo turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem; vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit exspirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem.*

Vers. 4. Sapientia est mystes et sacerdos. DOCTRIX ENIM EST DISCIPLINÆ DEI, ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS.) Pro *doctrix* græce est μύστις, id est *mystis*, id est secretorum Dei conscia et quasi secretaria, eorumdemque revelatrix et doctrix, quæ scilicet novit arcana Dei, et quibus vult ea revelat. Rursum *mystis*, id est sacerdotissa et initiatrix; quæ scilicet alios sacris initiat, ac sacerdotes et Prophetas (est enim ipsa prophetis æque ac mystis) constituit, ut dixit c. 7. 27. Secreta enim, sacra præsertim, non nisi sacerdotibus creduntur et committuntur. Unde Vatabl. vertit: *Scientia Dei sacerdos est, et operum eius antistes*; Nonnius, *est enim sacerdos Dei*, id est, mysteriorum Dei conscia et cultrix: Iansen. *est enim arcanorum Dei perita*; Budæus, *initiatrix, dux, interpres*; Catacuzenus, *residens in consilio Dei, et penitus quæ ad illum spectant noscens*, iuxta illud Prov. 8. 12. *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus*: μύστης enim vocatur mysteriorum conscius, qui ea velut arcana celat, et non nisi dignis revelat, ita dictus ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id est ab obsignando ore, quod ea habeat clausum et quasi obseratum. Sicut ergo sacerdos et mystes mysteria celat, et quæ divina sunt pro dignitate tractat; ita et sapientia, ac sapiens sapientiæ beneficio initiatus, Deum digne colit et sancte tractat sancta; quin et alios ad hoc idoneos eadem docet, Deumque digne et sancte colere docet. Simili phrasi ait Celsus iurisconsultus: *Ius est ars boni et æqui, cuius merito nos quis Sacerdotes appellet: iustitiam namque colimus, boni et æqui notitiam profitemur*; hæc autem sacra sunt; ergo eius professores sunt quasi sacerdotes. Dat causam eius quod dixit: *Sed et omnium Dominus dilexit illam*; quia sapientia est quasi quædam sacerdos, et mystica magistra sanctæ Dei disciplinæ et scientiæ. Deum hominibus declarat et manifestat; nam si, ut dicitur Daniel. 12. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates*, quanto magis quæ omnes erudit, et Dei amicos facit? ita a Castro. Rursum, q. d. Deus diligit sapientiam; nam ex eo quod eam amet, fecit eam suam mystin, id est mysteriorum omnium et secretorum consciam, iuxta illud Christi: *Iam non dicam vos servos*, etc. *sed amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, Ioan. 15. 15. summum enim amoris et amicitiæ signum est, communicare alicui sua secreta. Adhæc fecit eam suam mystin, vel mystida, id est doctricem suorum mysteriorum, ac antistitem suorum sacrorum, ac electricem operum suorum; præfecit ergo eam, tam doctrinæ et sacris, quam operibus suis, ut quidquid illa eligit, hoc Deus operetur; quod illa negligit, hoc Deus pariter negligat et non operetur. Utrumque autem summi amoris est indicium.

Est hæc quarta dos sponsæ nostræ, puta sapientiæ, quod scilicet ipsa sit sacerdos et mystis, id est doctrix *disciplinæ*, græce ἐπιστήμης, id est *scientiæ Dei*, quod scilicet instruat, et doceat nos scientiam Sanctorum, qua Deum cognoscamus, colamus, amemus ex fide, religione et pietate, qua tantam maiestatem decet. Id præstitit Christus, qui est sapientia incarnata, ac summus mystes, sacerdos, et pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech; unde de illo ait sanctus Ioan. cap. 1. vers. 18. *Deum nemo vidit umquam; unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: qui proinde Isaiæ cap. 9. vers. 6. vocatur *magni consilii Angelus*, id est nuntius, iuxta Septuag. Unde et Christus Ioan. cap. 7. vers. 16. *Mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed eius qui me misit*. Denique ipse novos mystas, novos sacerdotes, novos legis Evangelicæ doctores, puta Apostolos et discipulos, instituit, instruxit, consecravit, ac per totum orbem misit et in dies mittit.

Theologia nobilitat multipliciter. Symbolice noster Pineda libr. 3. de Rebus Salomonis cap. 26. num. 3. per sapientiam accipiens Theologiam, hæc elogia eidem adaptat: Theologia, inquit, Theologum nobilitat, facitque illustrem: primo, quia ipsa nobilitatem supremam inter omnes scientias obtinet; secundo, assidue conversatur cum Deo, de quo disserit; tertio, conscia est mysteriorum Dei; quarto, divina docet; quinto, tantum excellit scientias naturales, quantum sacerdos laicos; sexto, tam familiaris est Deo, quam huic sacerdos; septimo, quia Cantacuz. in id. *Hanc amavi ex Theologiæ adytis et penetralibus, animam Salomonis contendisse ad huiusmodi amoris afflationem* affirmat.

Sapientia inventrix operum Dei multiformiter. ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS.) Græce αἱρετίς, id est *electrix*; pro quo Anastasius Nicenus in Sacr. Script. quæst. 78. (exstat tom. 6. Biblioth. SS. Patrum) Cantacuzenus et Budæus in Comment. linguæ græcæ, legunt εὑρετίς, id est *inventrix operum illius*. Sicut enim canis venaticus olfacit, et olfactu invenit capitque leporem; sic sapientia solerter indagat, et invenit mille agendi operandique modos et rationes. Unde Vatabl. vertit, *antistes operum eius*, q. d. Sapientia Dei, tum essentialis, tum notionalis, qua Pater æternus produxit Filium, artificiose invenit omnia Dei opera: nam ad miram eius inventionem pertinet ornatus, varietas, summaque pulchritudo operum Dei. Ipsa ergo, quasi sagacitate quadam admiranda in nihilo olfecit, invenitque opera Dei, quæ cum ipsa extra nihilum produxit. Secundo, tantam tamque mirabilem varietatem rerum commentatione et cogitatione adinvenit. Tertio, veluti casu id fecit, hoc est, citra laborem et fatigationem. Quarto, quantum ad opera gratiæ, id fecit inventione crucis, Ioan. 3. et Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim, Ioan. c. 6. et 13. ac sanctitatis animarum, quasi pulchrarum pretiosarumque margaritarum; item resurrectionis, et exaltationis sui corporis veri et mystici, non sine labore, sudore, cruore, nece.

Verum alii passim legunt αἱρετίς id est *electrix*, q. d. Sapientia præest omnibus Dei operibus; quare ex variis quæ sese offerunt, meliora eligit: licet enim duplex sapientiæ, quatenus prudentiam tangit, munus sit, scilicet primo, per eubuliam, id est consultationem et consilium, inquirere et invenire; secundo, per synesin, id est iudicium, commodiora et meliora ex eis seligere, teste Aristotele 6. Ethicor. c. 5. tamen hoc illo potius et præstantius est. Unde S. Hilar. in Psal. 127. vertit, *in labore utilium operum valida*, q. d. Sapientia in mediis ad finem utilibus eligit magis valida et efficacia. Noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis, c. 3. n. 6. vertit, *ponderatrix*, q. d. Sapientia creaturas Dei pro dignitate tractat, eligit optima, negligit viliora; rursum æquissima rationis trutina, cuiusque merita atque dignitatem ponderat et examinat, ac cuique id, quod exigit vel meretur, assignat. Sic Christus ex tot millionibus hominum, ex mera gratia duodecim Apostolos elegit, qui converterent totum orbem. Sic et hodie eligit viros Apostolicos ad infidelium et hæreticorum conversionem, illisque gratias et dotes ad tantum opus necessarias, vel opportunas liberaliter attribuit et assignat.

Vers. 5. ET SI DIVITIÆ APPETUNTUR IN VITA, QUID SAPIENTIA LOCUPLETIUS, QUÆ OPERATUR OMNIA?) Græce: *Et si opes sunt appetibilis possessio in vita*, etc. opes enim ab omnibus appetuntur ad victum et vestitum, et ad vitam honeste et splendide transigendam; ipsæ ergo sunt fulcra et nervi vitæ, baculi et viaticum viæ: tanto ergo sunt in

amore divitiæ, quanto quæ earum subsidio præsente floret, vigente præstat; absente vero languet, flaccescit, decidit vita. Sensus ergo est, q. d. Sapientia ipsa divitias operatur, et est quasi scaturigo auri, argenti et gemmarum; qui illam possederit, omnes divitias possidebit. Confert sapientiam cum rebus omnibus, et ab ea docet omnes, etsi præstantissimas, superari, quod illa sola habeat eorum omnium usum. Ita a Castro.

Est hæc quinta dos sponsæ, puta sapientiæ, quod sit opulenta, opesque sapienti afferat, ex eo quod *operatur omnia*, hoc est primo, quod sit operosa, non deses et otiosa, suosque stimulet ad laborandum, nec sinat otiari; labor autem parit opes, otium vero inopiam, iuxta illud: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*, Prov. 10. 4. Secundo, *operatur omnia*, id est, est prudens, solers, industria, efficax in operando; scit enim omnia ea opera seligere, quæ plus lucri afferant, nec desistit, donec lucrum, quod optat, assequatur. Tertio, *omnia operatur* quæ in mundo sunt, nimirum Deus et sapientia divina; ergo et opes, primum spiritales, deinde corporales, iuxta illud Christi: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adiicientur vobis*, Matth. 6. et illud Isaiæ, cap. 33. *Divitiæ salutis, sapientia et scientia*. Vide dicta c. 7. v. 8. et seq. et Prov. 8. v. 18. Exemplo est Salomon, cui Deus sapientiam postulanti cum ea opes tantas dedit, quantas nemo umquam regum habuit, 2. Paral. 1. 12. Hinc alchimistæ censent Salomonem peritum fuisse artis alchimicæ, quæ alia metalla in aurum transmutat, indeque tantas opes sibi parasse; illam artem Salomonis ævo in usu fuisse colligunt ex illo Psal. 118. v. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; ubi pro *prævaricantes* hebr. est סיגים *sighim*, quod S. Hieron. vertit, *scorias*; Augustinus vero Nebiensis Episcopus vertit, *alchimias*.

An Salomon alchimista?

Resp. negativa.

Verum errant; tum quia nulla est ars, quæ metalla possit in aurum, cuius forma est nobilissima, transmutare; tum quia etiamsi id posset præstare ars, tamen tantos ad id requirit sumptus, ut quicumque ea utuntur, depauperentur, et ex opulentis fiant inopes, ut constat experientia. Unde Ioannes XXII. c. *Spondent*, in Extrav. l. 5. de Crimine falso: *Spondent*, inquit, *quas non exhibent divitias pauperes alchimistæ; pariter qui se sapientes existimant, in foveam incidunt quam fecerunt*. Et nonnullis interiectis: *Alchimistæ verbis dissimulant falsitatem, ut tandem quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum, sophistica transmutatione confingant*. Hinc nonnulli artem chimicham vocant chamicam, id est inventam, a Cham filio Noe impio, quem putant fuisse eumdem cum Zoroastre mago. Plura hac de re vide apud nostrum Delrio lib. 1. Disquisit. Magic. c. 5. Pererium de Magia, Conimbr. lib. 2 Physic. c. 7. Pinedam lib. 4. de Rebus Salomon. cap. 21. Sapientia ergo alias verasque artes et modos ditescendi docuit Salomonem, nimirum mittendo classes in Ophir, effodiendo aurum et argentum e venis terræ auriferis, quas ipsa sua sapientia deprehendit, indicendo vectigalia maiora, agros et vineas totius regni solertius excolendo, mercimonia quæstuosa instituendo, atque omnibus ex rebus sagaciter captando lucrum.

Vers. 6. Si autem sensus operatur; quis horum quæ sunt, magis quam illa est artifex?) Græce τεχνίτης, id est opifex, faber, artifex, qui artificiosa adinvenit et operatur. Pro *sensus* græce est, φρόνησις, id est prudentia, intelligentia, industria.

Iam primo, per φρόνησιν sive sensum, aliqui accipiunt ipsam sapientiam. Unde Vatabl. vertit: *Et si opifex omnium est sapientia, quid illa in rerum natura est artificiosius?*

Secundo et potius, alii per φρόνησιν, id est prudentiam, vel sensum, accipiunt artem et industriam operandi; sic prudentia pro arte capitur, Exodi 28. 3. Ita Iansen. Loquitur, inquit, de prudentia artificum et operariorum, cum qua comparat sapientiam Dei, docens eam magis esse industriam, quam prudentiam artis, q. d. Si per artes mechanicas multa fiunt artificiosa, quanto artificiosior est sapientia, quæ omnes artes adinvenit, et plures adinvenire potest? omnis enim ars, omnisque industria manat a sapientia, eiusque est quasi pars, vel species, ut dixi c. 7. 21. Inducitur hic sapientia ut sponsa. Mire autem ornat sponsam, quod sit artificiosa, ac manibus elaboret opera magnæ artis et industriæ, uti sunt acupicturæ et phrygionica, iisque conficiat pulcherrima et pretiosissima virorum ac mulierum ornamenta, iuxta illud quod de muliere sapiente et strenua dicitur Prov. 31. 13. *Operata est consilio manuum suarum. Manum suam misit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fusum. Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum eius*, etc. Ita a Castro, Lorinus, Iansen. Cervantius et Pineda l. 3. de Rebus Salomonis, c. 3. n. 6. et alii.

Sexta est hæc sponsæ, puta sapientiæ, dos, scilicet quod mira sit artifex; omnia enim artificia et artificiosa opera sapientiæ divinæ, a qua humana dimanat, sunt adscribenda; quare ipsa est inventrix et origo omnium artium. Loquitur toto hoc capite, æque ac præcedenti, de sapientia abstracte et generice, quatenus ipsa idea est et effectrix omnium, tam naturalium, quam artificialium et moralium, ideoque artes omnes æque ac virtutes complectitur, uti superius monui, et idipsum hic locus evincit.

Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et iustitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.) Græce est, *labores huius sunt virtutes*; et ita legit Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. quod vero Clemens addit: *Temperantia enim et prudentia docet iustitiam, et magni excelsique animi virtutem, quibus nihil est in vita hominibus utilius*, quoad priorem partem dissonat a Græco et a Vulgato, ut patet intuenti, ac proinde mendoso S. Script. codice usus videtur. *Vers. 7.* Sensus est, q. d. Sapientiæ labor consistit in arduo, puta in exercenda, comparanda et augenda virtute qualibet, ac præsertim in agendo et patiendo dura et ardua, iuxta illud: *Agere fortia Romanum est, pati fortia Christianum*. Hinc ἀρετή, id est virtus, alludit ad Ἄρης, id est Mars, quod virtus sit Martia, et fortes heroicosque animos requirat.

Ab arte transit ad prudentiam et virtutem, puta a factiva ad activam, docetque sapientiam esse matrem omnium virtutum, æque ac artium, quæ est septima dos sapientiæ. Nominat dumtaxat quatuor virtutes principales, quæ primo, quod sciam, a S. Ambros. lib. 5. in Lucam vocatæ sunt *cardinales*, quasi cardines cæterarum omnium; omnes enim aliæ ad has quatuor, velut ad suos fontes et capita, revocantur, atque in his velut cardinibus honestas omnis nostra revolvitur. Iustitiam ergo, quæ hic primo loco ponitur, generalem intellige, quæ est complexio virtutum omnium, cuius partes sive species primariæ sunt sobrietas, prudentia, iustitia specialis, et virtus, græce ἀνδρεία, id est fortitudo. Quocirca ex hoc loco Theologi colligunt quatuor esse virtutes cardinales, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam, quæ subinde naturales sunt et per actus naturales acquisitæ, uti fuere in philosophis; aliquando vero supernaturales, et a Deo in iustificatione cum fide, spe et charitate fidelibus infusæ, eo quod ad finem supernaturalem dirigantur, uti docet S. Thom. 1. 2. q. 63. art. 3. imo Concil. Trid. sess. 6. c. 7.

Sobrietatem) Græce σωφροσύνην, quæ vox proprie temperantiam in usu tam cibi, quam veneris, cæterarumque voluptatum aliquo sensu sensibilium, indeque sapientiam et prudentiam significat (unde interpres Anastasii Niceni q. 78. in Script. vertit hoc loco, *sapientiam et prudentiam docet*: sed parum apposite, ut patet) hanc enim parit temperantia, quæ proinde dicta est σωφροσύνη quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, id est servans prudentiam vel sapientiam; unde et σώφρων dicitur temperans, quasi σαόφρων hoc est σάος, vel σῶς τὴν φρένα, id est sanus, mente. Temperantia enim est mentis sanitas. Ex adverso Euripides in Hecuba, teste Aristot. 2. Rhet. cap. 24. apte dixit Venerem vocari Ἀφροδίτην quod ἀφροσύνης id est insipientiæ et amentiæ, sit parens. S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. c. 10. legens: *Sobrietatem sapientia docet, per sobrietatem* accipit veritatem contemplationis; sed merito idipsum retractat lib.

1. Retract. cap. 7. ubi docet legendum esse, *sobrietatem et prudentiam docet*, uti habent Græca et Noster.

PRUDENTIAM.) φρονησιν paulo ante vocavit artem, hic vero vocat *prudentiam*, quæ est antistes et auriga virtutum, ut aiebat S. Antonius teste S. Athan. in eius Vita, quin et Socrates omnes virtutes vocabat prudentias. Vide Aristot. 6. Ethic. c. 5. et seq. et S. Thom. 1. 2. q. 57. et 2. 2. q. 47. et sequent.

VIRTUTEM.) Græce ανδρειαν, id est fortitudinem, sive virilitatem, απο του ανδρος, id est a viro: fortitudo enim est virorum, non fœminarum, ac virile requirit robur, quale inter fœminas quoque præstitere viragines. Fortitudo autem, partim est activa, qualis est militum, qui ardua in bello aggrediuntur; partim et potius passiva, qualis est patientium et Martyrum, qui dura et atrocia forti et invicto animo sustinent: unde eius partes potentiales vel integrales sunt, fiducia, magnanimitas, securitas, magnificentia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, ait S. Thom. 2. 2. q. 123. et seq. quem vide.

Omittit hic Sapiens tres virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem, quarum pariter mater est sapientia; unde eius allusione S. Sophia, id est sapientia, mater et martyr, tribus filiabus suis harum trium virtutum nomina indidit vocavitque eas, Fidem, Spem, Charitatem, ac una cum eis nobile martyrium obiit, uti videre est in earum Vita, quæ exstat apud Surium 1. Augusti. Omittit autem eas Sapiens, quia agit hic de virtutibus moralibus dumtaxat, quæ consistunt in operibus et laboribus externis. Hi enim sunt sapientiæ *labores*, qui ut ipse ait hoc versu, *magnas habent virtutes: bonorum autem laborum gloriosus est fructus*. uti dixit c. 3. 15.

Vers 8. ET SI MULTITUDINEM (perperam Hugo et Idacius l. 3. contra Varimadum legunt, *similitudinem*) SCIENTIÆ DESIDERAT QUIS, SCIT PRÆTERITA, ET DE FUTURIS ÆSTIMAT: SCIT VERSUTIAS SERMONUM, ET DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM; SIGNA ET MONSTRA SCIT ANTEQUAM FIANT ET EVENTUS TEMPORUM ET SÆCULORUM.) Clare Vatabl. ex Græco vertit: *Si quis item multarum rerum peritiam desiderat, hæc antiqua novit, et futura coniectat: hæc sermonum strophas callet, et ænigmatum explicationes: signa et prodigia præsagit, eventusque tempestivitatum et temporum.*

Contulit sapientiam cum artibus et virtutibus, iisque omnibus eam prætulit, nunc eam confert et præfert scientiis quibuslibet, imo illas omnes a sapientia eminenter contineri, ac nimiam sciendi curiositatem ab ea temperari asseverat. Est ergo hæc dos nona sapientiæ. Unde Clemens Alex. lib. 6. Strom. citato toto hoc versu concludit: *Vides fontem disciplinarum manare a sapientia.*

Pro *multitudinem scientiæ*, græce est πολυπειριαν, id est *multorum experientiam*; Vatabl. *multam peritiam*; hanc enim gignit experientia. Unde Plato l. 7. de Legibus, πολυπειριαν et πολυμαθειαν, quasi matrem et filiam associavit. Et Sallustius in Iugurtha asserit, nil esse sapientius experientia. Quocirca Philosophi a rerum experientia sæpe- runt philosophari, et rerum causas indagare.

Historia commoda. SCIT PRÆTERITA.) Græce τα αρχαια id est, *antiqua*, q. d. Sapientia novit historias antiquas et diu præteritas; *Historia enim est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis*, ait Cicero l. 2. de Oratore. Et S. Gregor. Nazianz. ad Nicobolum: *Historia*, inquit, *est conglobata quædam, ac velut coacervata sapientia, hominumque multorum mens in unum collecta. Iucundum et securum est ex alienis eventibus, vel lætis, vel tristibus, discere quid tibi in simili casu agendum sit. Salubre est*, ait Livius initio lib. 1. *Omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, ut inde tibi tuæque reipublicæ, quod imiteris, capias. Inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quocirca Basil. Imp. ita præscribit Leoni filio cap. 50. *Per veteres*, inquit, *historias ire ne recusa; ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt; atque illinc hauries, et bonorum virtutes, et improborum vitia, varias humanæ vitæ mutationes, et rerum in ea conversiones, mundi huius instabilitatem, et imperiorum præcipites casus; et ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, et bonorum præmia, quorum illa fugies, ac in divinæ iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur potiaris.*

DE FUTURIS ÆSTIMAT.) Græce εικαζει, id est assimilat, comparat, coniectat, vivam formam exhibet, repræsentat. Ex præteritorum enim experientia, vel cognitione historica fit coniectura prudens de eventu futurorum. Ita Cantacuz. Prudentes enim comparando præterita similia cum futuris, facile de eorum exitu coniiciunt; eorum enim formam et vivam imaginem repræsentant præterita. Unde Idacius l. 3. contra Varimadum vertit, *de futuris præsaga est*; Clem. 6. Strom. *Coniicit futura*, Anast. Nicen. quæst. 78. *Futura exquirit*, Pagnin. *Futura imaginatur*; ergo præter *effata sapientum*, qui anticipatione sapientiæ futura sagaciter prævident, ac salubriter præcinunt: *fata reliqua fatua sunt delirantium pronuntiata.*

SCIT VERSUTIAS SERMONUM.) Græce στροφας a στρεφω (id est verto, verso, versute ago, torqueo, circumago) sicut versutiæ dicuntur a verto vel verso, quod per eas plana res vertatur in obscurum et alienum sermonem, sive per acutas et subtiles sententias, quales sunt parabolæ, ut patet Eccli. 39. v. 9. et 2. Reg. 14. 20. sive per verba dolose et fraudulenter ad fallendum composita, quales fuere quæstiones captiosæ a Pharisæis Christo propositæ, ut eum caperent in sermone; sed a Christo per sapientiam deprehensæ et dissolutæ, Matth. 22. 15. et seq. Talia quoque sunt sophismata sophistarum, præsertim hæreticorum, quæ dissolvit et resolvit Dialectica; unde eius cognitionem sapienti commendat auctoritate et exemplo Christi et Pauli, S. August. l. 1. contra Cresconium, c. 10. et seq.

Audi Clementem Rom. l. 1. Constit. c. 6. ubi lectorem a lectione Gentilium ad Lectionem S. Scriptur. traducit: « Nam quid, inquit, in lege Dei desideras? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus, sive sophistica, id est, quæ argute ad sapientiam referuntur, et Poetica, habes Prophetas, Iob, Proverbia, in quibus plus acuminis, quam in omni poesi et sapientia sophistarum reperies, quod is, qui solus sapiens est, illa effatus est. » Ubi per sophisticam intelligit Dialecticam, qua sophistæ ad sophismata contexenda abutebantur.

DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM.) Ingeniosorum, occultorum et argutorum; unde græce est *ænigmatum*, id est, quæstionum obscurarum et difficilium explicatu, *solutiones*; ænigma enim est gryphus, sive scirpus, id est, sermo nodosus et involutus, sive, ut Valla interpretatur, allegoria obscurior, quam divinare magis, quam interpretari oportent, qualis est illa Sampsonis de favo mellis in ore leonis invento: *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*, Iudic. 14. Vide dicta Prov. 1. 6. Hinc 3. Reg. 10. *Regina Saba, audita fama Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus; et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat; non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei.* Et Iosephus ænigmatum certamen a Salomone cum Hiram rege Tyri initum narrat lib. 8. cap. 2. *Quæstiones ænigmaticas Tyrius rex ad Salomonem transmisit. At ille calleus huiusmodi rerum ac prudentissimus, nihil inexplicatum relinquebat, sed omnia ratione pervincens apertissime declarabat.* Et Eccles. c. 47. 16. *Terram*, inquit, *retexit anima tua, et replesti in comparationibus ænigmata.*

SIGNA ET MONSTRA (græce τερατα, id est, prodigia) SCIT ANTEQUAM FIANT.) q. d. Sapientia præsagit futuras eclipses, æstus, frigora, pluvias, ventos, tempestates, sterilitatem, fertilitatem, pestem, morbos, etc. ex mathesi, et signis metheorologicis ac prognosticis. Ita Cantacuzen. *Prodigia* dicuntur monstra, quod futura præmonstrent. Audi Ciceronem l. 2. de Natura deorum: *Prædestinationes, prædictiones et præsensiones rerum futurarum, quid aliud declarant hominibus nisi ea quæ fiunt ostendi, monstrari, portendi, prædici? etc. ex quo illa ostenta, monstra, portenta et prodigia dicuntur.* Prodigium autem, ait Servius in 3. Æneid. est, quod in longum tempus dirigit si-

gnificationem; ita dictum *quasi porro adigendum*, ait Nonius Marcel.

Eventus temporum et sæculorum.) Græce καιρων και χρονων, id est, opportunitatum et temporum, q. d. Sapientia solerter prævidet et prospicit futuras rerum opportunitates, commodaque tempora ex signis prævils, præsertim metheorologicis iam dictis; unde iis ad suum et reipubl. bonum prudenter et fructuose utitur.

Vers. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei.) Perperam Lyran. Dion. et Glossa legunt: *Ad convivandum*, legendum enim, *ad convivendum*. Nam Græce est προς συμβιωσιν, id est, *ad convictum*, hoc est, ad contubernium, ad familiarem conversationem; S. Ambros. lib. de Viduis legit: *Proposui ergo adducere eam mihi in coniugium*. Coniunx enim est perpetuus conviva sui coniugi. Nam S. Ambrosius eo loco magis videtur ad hunc v. respicere, quam ad vers. 2.

Communicabit de bonis) Græce εσται συμβουλος αγαθων id est, erit consultrix bonorum, quæ scilicet mihi bona dabit consilia, ait Vatablus, vel potius *erit communicatrix bonorum*. Symbola enim vocantur collationes, v. g. convivia, in quibus quisque convivarum suum confert epulum in commune symbolum, de quibus Proverb. 23. 21.

Et erit allocutio cogitationis (græce φροντιδων id est *curarum*, cogitatio enim ex etymo est mentis agitatio, collectio, coactio, ait S. Augustinus 10. Conf. 11. Hinc *cogitatio* in Script. sæpe notat anxiam mentis intra se fluctuantis disceptationem, ut patet Matth. 21. 25. et c. 15. 19. Lucæ 4. 29. et alibi) et tædii mei.) *Allocutio*, id est consolatio: blanda enim allocutio est consolatio afflicti. Græce παραινεσις, id est *exhortatio, consolatio, admonitio*, ut vertit Iansen. *moderatio*, ut Clarius; *lenimentum*, ut Vatabl. *alleviatio*, ut Glossa. Est hæc decima dos sponsæ, puta sapientiæ, quod sponso suo communicet sua bona, eiusque sollicitudines, labores, dolores et mœrores, suavi prudentique alloquio et consilio leniat et soletur; ad hoc enim uxor data est viro, ut sit ei in adiutorium vitæ tam miseræ et calamitosæ, Gen. 2. Hinc illud Osee 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius*, id est, blonde consolabor eam. Adde ex Agrest. Grammat. *Ut loqui est hominis, eloqui oratoris, obloqui obtrectatoris, sic alloqui est suadentis, vel hortantis, vel blandientis*. Hoc est illud celebre; *Laborantis visitatio* (et magis allocutio) *laboris est sublevatio*. Id videre est in ægris et agricolis. Audi S. Gregor. l. 5. Moral. c. 5. *Laborantem consolari, est pariter in labore persistere; quia sublevatio est laboris, visitatio collaborantis; sicut cum in itinere comes iungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis levatur labor itineris*, iuxta illud: *Comes facundus in via pro vehiculo est*. Talis est sapientia.

Tædii mei.) Græce λυπης, id est, tristitiæ, doloris, mœroris mei. Idipsum expertum se fatetur Severinus Boetius in carcere, scribens libros de Consolatione philosophica, atque ac Thomas Morus in carcere Anglicano commentans in Passionem Christi. Idem experiuntur omnes sapientiæ studiosi. Si tantam voluptatis dulcedinem, ait Cervantios, ob amorem sapientiæ ex Ciceronis Hortensio hausisse se fatetur S. Augustinus. l. 3. Confess. 4. *Ut fastidium ac tædium ex aliarum rerum studio, unius philosophiæ amore levaret*; quam Cicero 2. Offic. vocat *oblectationem animi, requiem curarum non modo a sollicitudine abducentem, sed contra omnes fortunæ impetus strenue armantem*; et lib. 12. Epist. fam. in 23. et Tusc. 5 *Vitæ tranquillitatem largientem*: quanto, quæso, id omne præstantius præstat, non studium adumbratæ sapientiæ, quæ est philosophia, sed sophia ipsa, suo contubernali et sponso, seipsa et allocutione sua? Et quam bella hæc omnia convehiunt in eamdem increatam, incarnatam, in Eucharistia nos ad suum contubernium, convictum, coniugium, convivium, communionem, consilia, munera, communicationem bonorum omnium, allocutionem invitantem, et admittentem cupidum sui!

Habebo propter hanc, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores iuvenis.) Pro *claritatem* græce est δοξαν, id est gloriam, splendorem, maiestatem. Pro *honorem* græce est τιμην, id est honorem, pretium, existimationem inclytam. Decem sponsæ dotibus hucusque recensitis, deinceps quatuor alias adiungit. Vers. 10.

Undecima sapientiæ dos hæc est, quod sponso, licet iuveni, conciliet gloriam apud populum et honorem apud senes. Exemplo sit Salomon toto orbe per omnia sæcula, ob sapientiæ famam celebris et gloriosus. Sic Plato in Sophiste ait, sapientem esse divinum ac diis simillimum, ideoque summis honoribus decorandum.

Iuvenis.) Multi id referunt ad sequentia: *Et acutus inveniar*. Verum obstat τo *et*. Quare Romani cæterique emendatiores referunt ad τo *seniores*, quod præcessit, q. d. Sapientia facit, ut sapiens, licet ætate iuvenis, honoretur non tantum a iuvenibus sibi coævis, sed etiam a senibus, a quibus licet superatur ætate, eosdem tamen superat sapientia, uti contigit Salomoni, Iob, Danieli, Ioanni Baptistæ, Christo et Apostolis. Ita Cantacuz. Vatablus, Osorius, Clarius, Iansen. a Castro et alii.

Mystice, sapiens, id est virtute pollens, vocat se iuvenem, esto senex sit, quia in virtute numquam flaccescit, in fervore numquam tepescit, numquam in bonis operibus fit imbecillior, sed dum quotidie proficere satagit, et robustior in bono fieri, floridam sapientiæ iuventam retinet et conservat, iuxta illud: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Ps. 83. 8.

Et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium (græce δυναστων, q. d. Dynastarum) admirabilis ero, et facies principum admirabuntur (Arias, *stupebunt*) me) Ultima hæc pars deest in Græco. Sapientia enim facit homines acutos, ut recte de re qualibet in iudicio, sive forensi, sive privato iudicent, ipsumque punctum difficultatis sagaciter tangant et acute resolvant, uti fecit Salomon in iudicio meretricum, 3. Reg. 3. De quo apposite S. Ambros. 2. offic. c. 8. *Propterea scriptum*, ait, *Audivit omnis Israel iudicium, quod iudicavit rex; et timuerunt regem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium. Nec immerito*, inquit, *æstimatus est intellectus Dei esse in eo, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius, quam internorum viscerum testimonia in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, et velut quamdam genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus?* et c. 10. *Iustum et sapientem* appellat *Salomonem in hoc iudicio, instar censuræ et callidæ inventionis plenæ*; et l. 3. de Spiritu sancto c. 7. *Non nisi Spiritus sancti munere Salomonem potuisse*, dicit, *feminarum latentem conscientiam penetrare, idque gladio spiritus acutissimo*. Addit Ioseph. *Ex illa die populus velut divina mente prædito obtemperabat*. Vers. 11.

Admirabilis ero.) Id est, me meamque sapientiam mirabuntur et obstupescent, ideoque hianti ore excipient et venerabuntur potentes et dynastæ: *Gloria summa*, ait Cicero 2. Offic. *constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam nos honore dignos putat*. Græce est θαυμασθησομαι, id est admirationi ero, admirationem mei concitabo, portentosus ero, instar cœlestis Iridis, quæ ab admiratione hominum, tantam eius colorum varietatem et speciem admirantium, Græcis dicta est Θαυμαντιας, *quasi admiranda*. Sicut enim Iris ex reverberatione radiorum solis suam formam haurit admirabilem, sic ego ex irradiatione sapientiæ divinæ hauriam omnem meum iudicii et ingenii splendorem, quem omnes admirabuntur. Quare Severus Sulpitius l. 1. Sacr. hist. in Salomone sic ait: *Ita in admiratione ingenii prudentiæque eius reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœdusque petiere, parati imperata facere*. Longe veriora sunt hæc in Christo, qui est Sapientia incarnata, cuius sapientiam obstupuerunt turbæ, iuxta illud: *Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum*, Lucæ 19. 48. græce: *Pendebat suspenso animo*; Syrus: *Pendens erat ab eo ad audiendum eum*. Et ministri ad eum capiendum missi, rogati a Scribis, cur eum non adducerent, responderunt:

Namquam sic loculus est homo, sicut hic homo Ioan. 7. 46.

Has ingenii et acuminis dote inter omnes Patres et Doctores Ecclesiæ, velut aquila excellait S. Augustinus, cui proinde iure meritoque hæc elogia assignat S. Prosper l. 3. de Vita contempl. cap. 31. « S. Augustinus Episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ Catholicæ, in quæstionibus solvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, et in explicandis Scripturis Canonicis cautus. » Et Conc. Tolet. VIII. c. 2. anno Domini 653. « Sanctissimus Augustinus, inquit, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus. »

Vers. 12. TACENTEM ME SUSTINEBUNT (expectabunt ut loquar) ET LOQUENTEM ME RESPICIENT (græce, *loquenti attendent*, id est ore et oculis intenti in me, loquentem audient) ET SERMOCINANTE ME PLURA (diutius me perorante) MANUS ORI SUO IMPONENT) Silentium sibi indicentes me attente auscultabunt, præ voluptate et admiratione mearum sententiarum. Audi Cantacuzenum hæc paraphrastice explicantem: *Ero coram dynastis in admiratione, dum ad meam solertiam industriamque respicient, rerum ingeniosam interpretationem et promptam quæstionum facilemque declarationem. Me tacente præstolabantur, et me loquente attendent, neque tumultuabuntur; vel dum me ipse colligo, aut tacitus ad memoriam revoco, quæ sunt mihi dicenda, vel dum pergo dicere, resque illis gratissimas ac iucundissimas porrigo; quod si contigerit, ut in his quoque sim longior, diligenter tamen ad ea, quæ dicentur attendent, et ne hiscent quidem: quin etiamsi adhuc longius feramur impetu quodam, sibi ipsi ora obstruent admota manu.* Sic Ænea perorante, Dido eiusque asseclæ admirantes *conticuere omnes, intentique ora tenebant*, ait Virgil. Æneid 2. Magna enim vis est in ore, oculis et vultu dicentis, ait Plutarch. opusc. de Auditu, atque in ipsa actione et pronuntiatione, quæ oculis magis, quam auribus percipitur; unde intentos in se rapit auditorum aspectus. Quocirca ut ait Cicero in Oratore, prima pars et laus oratoris est pronuntiatio: unde idem in Catilin. 4. *Video*, ait, *in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos.* Sapiens enim orator debet conari, ut vel rerum novitate et insolentia, et gratia et energia dicendi; vel materiæ gravitate, iucunditate et pondere suspensos et intentos in se detineat auditorum animos; sic enim eos faciet sibi benevolos et attentos. Talis erat Iob, qui de se perorante ait c. 29. v. 9. *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo*, etc. *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi*; annuendo et applaudendo. Et Paulus, cuius facundiam et energiam dicendi stupentes Lycaonii, cum quasi Deum, cælo lapsum vocabant Mercurium, Act. 14. Et S. Maurilius, qui indicio columbæ designatus Episcopus Andegavensis, et a S. Martino consecratus, sanctitate et miraculis crebris illustris, omnium in se ora aurresque rapiebat. Unde erat *sermone silens, et silentio loquens, nihilque eius iucunditate severius, et severitate iucundius*, ait Fortunatus in eius Vita.

Vers. 13. PRÆTEREA HABEBO PER HANC, IMMORTALITATEM: ET MEMORIAM ÆTERNAM HIS, QUI POST ME FUTURI SUNT, RELINQUAM.) Uti de facto Salomon reliquit. *Immortalitatem*, græce ἀθανασίαν, accipe, tum nominis et famæ, tum vitæ æternæ, q. d. Nanciscar per sapientiam vitam immortalem apud Deum, et memoriam æternam apud homines, iuxta illud Ps. 111. 7. *In memoria æterna erit iustus.* Sic de Iosia rege ait Eccles. c. 49. 1. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, et ut musica in convivio vini.* Mire enim recreat et animat sapientem, quod memoria eius erit laudi et exemplo apud posteros; immortalitas enim nominis magnum est mortalitatis vitæ lenimentum, imo Cicero Tuscul. 1. inde colligit animæ immortalitatem. Anima enim non desideraret memoriam æternam, nisi ipsa esset æterna, ut sentire posset, quid de ea dictuti sint posteri: quid enim ad illam pertinerent laudes hominum, si nullus illarum in ea foret sensus? Est hæc duodecima dos sponsæ, id est sapientiæ, scilicet immortalitas vitæ æque ac famæ.

DISPONAM POPULOS, ET NATIONES MIHI ERUNT SUBDITÆ) Est hæc decima tertia dos sapientiæ quod docest sapienter regere populos et subditos quoslibet. Per *populos*, accipe Israelitas; per *nationes* græce ἔθνη, id est gentes, accipe Idumæos, Moabitas, Ammonitas, cæterasque vicinas gentes Salomoni subditas, 3. Reg. 4. 24. Vers. 14.

DISPONAM) Græce διοικήσω, id est administrabo, œconomice regam, gubernabo, ordinabo, ordinate collocabo, per ordines digeram, cuique suum locum, munus, officium et gradum assignabo. Optima enim gubernandi ratio est, si omnes ordine suo collocentur, et omnia ordine suo gerantur. S. Aug. lib. de Opere monach. c. 18. ait: *Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus* (sub quibus cæteras intelligit circumstantias personarum, ætatum, viriam, locorum) *distributa gerantur ex ordine* (qui, ut idem ait l. 1. c. 10. ex duobus libris, quos de Ordine scripsit: *Est per quem aguntur omnia quæ Deus constituit*) *ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent.*

Vide dicta Proverb. 8. 15. ad illa: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Vide et Clement. Alex. in Apologia, ubi Amphionis et Orphei incantationes, orationes sapientiæ et eloquentiæ plenissimas fuisse ait, quarum vi homines, qui antea sub humana figura speciem ferinam belluinis moribus gerebant, ad concentum politicæ disciplinæ redacti sunt; quibus præfert, ut lucem umbris, ut veritatem mendacio, Christum Dominum, quem *sanctum et cælestem animarum incantatorem* appellat. Anastas. vero Sinaita l. 4. Hexam. eamdem *lyram cælestem* nuncupat. Denique ex hoc v. 14. Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 34. colligit Salomonem regem regum, sapientiæ beneficio, non solum exteris, sed et suis ius dixisse, iudicando, decidendo lites, et cuique ius suum attribuendo; idque per se, non tantum per iudices a se constitutos.

TIMEBUNT ME AUDIENTES REGES HORRENDI; IN MULTITUDINE VIDEBOR BONUS, ET IN BELLO FORTIS.) Sapientia enim subditis est mansueta, ac rebellibus et hostibus, præsertim tyrannis, horrendis et formidabilibus, est terribilis et horrenda, iuxta illud Virgil. 6. Æneid. de arte regnandi: Vers. 15.

Hæ tibi erunt artes, etc.

Parcere subiectis, et debellare superbos.

Sic Moses metum et horrorem incussit Pharaoni, Exodi 7. et seq. Iosue Chananæis c. 2. 10. Daniel. c. 2. 26. Nabuchodonosori; Ioannes Baptista Herodi, Marci 6. 20. Hinc et sponsa, puta Ecclesia, vocatur *pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, Cant. 6. 9. Nam, ut inquit Nyssen. orat. 13. in Cant. *Ecclesiæ fabricatio ad instar fabricationis est mundi.* Et Cant. 7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

BONUS) Id est benevolus, beneficus, clemens, liberalis. Hæ ergo sunt duæ præcipuæ principis dotes, scilicet beneficentia et fortitudo, iuxta illud Homeri: *Utrumque, rex est bonus et fortis miles;* quod assidue in ore habebat Alex. Magnus, teste Plutarcho in Mor. rex enim in pace bonus et pacificus sit oportet, in bello vero fortis. Huc facit illud Plutarchi l. Ad principem ineruditum, et l. *Cum principe philosophandum: Succenset Deus tonitrua et fulmina, radiorumque proiectus minitantibus: qui vero recta ratione præditi, honestate humanitateque ipsum referre conantur, hos studio eorum delectatus, auget, suaque eos æquitate iustitia, veritate ac mansuetudine impertit, quibus nihil est diuturnius.* Vide Dionem orat. 2. de regno, et orat. 49. quæ incipit: *Humanis et eruditis hominibus, neque iniucundum magistratum gerere, neque difficile.* Et Aristot. in Quæst. Politic. ubi ait: *Princeps inimicis formidolosus est, si armis et exercitu, multoque veluti ad bellum apparatu instructus fuerit; ea tamen omnia diu-*

Princeps sit benignus et fortis.

Gnomæ.

tiva, seu vana, prius quam his utatur, detineat. Nam et Deus ipse antequam maiestatis suæ trepidationem incutiat, inducias quasdam præbet. Quod si id non iuvet, tum demum sua in reos iacula et fulmina contorquet. Audi ex Legibus Visigothorum l. 1. tit. 2. c. 6. sanctionem: *Ex institutione morum, ex mansuetudine principum, eaque ex dispositione legum oriente, et concordia fit civium, et triumphus hostium; atque sic bonus princeps interna regens, et externa conquirens, dum suam pacem possidet, et alienam litem abrumpit, celebratur in civibus rector, et in hostibus victor.* Audi et Senecam Tragœdum in Octavia colloquentem cum Nerone: *N. Ferrum tuetur principem. S. Melius fides. N. Decet timeri Cæsarem. S. At plus diligi. N. Metuant necesse est. S. Quidquid exprimitur grave est. N. Iussisque nostris pareant. S. Iusta impera.* Et Isocratem orat. 2. ad Nicoclem: *Bellicosus sit scientia rei militaris et apparatu, sed pacificus, ut ne quid præter ius et æquum concupiscat sibique vindicet.* Et Musonius apud Stobæum serm. 48. *Commodum est principi*, inquit, *ut subditis amandus potius, quam metuendus sit.*

Vers. 16. INTRANS IN DOMUM MEAM, CONQUIESCAM CUM ILLA: NON ENIM HABET AMARITUDINEM CONVERSATIO ILLIUS, NEC TÆDIUM CONVICTUS ILLIUS, SED LÆTITIAM ET GAUDIUM.) Vatablus: *Nihil enim habet amaritudinis eius commercium, nec quidquam doloris convictus eius, sed lætitiam et gaudium:* cum ex adverso hominum, licet amicissimorum, convictus et nimia familiaritas, sæpe pariat tædium, imo aculeum afferat stimuletque ad iram vel tristitiam.

Est hæc decima quarta sapientiæ laus, quod sapienti, a publicis privatisque negotiis animum ad sapientiam sevocanti, illa afferat ipsi pacem et lætitiam ac tædia et mœrores ex negotiis contracta, leniat vel abstergat. Ita læto semper animo æque ac vultu apparuere S. Antonius, S. Romualdus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Ignatius, ac prisci Essæi, Anachoretæ et Religiosi, sapientiæ et contemplationi dediti. Vide S. Basilium de Constit. monast. cap. 13. et 14.

Causa huius pacis et gaudii est primo, serenitas et sanctitas bonæ conscientiæ: *Secura enim mens est quasi iuge convivium*, Proverb. 15. Secundo, amor et confidentia in Deum. Tertia, spes futuræ gloriæ, quæ omnes vitæ sanctæ, licet asperæ, labores et dolores absorbet. Huc facit illud Eccli. 15. v. 6. *Iucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum.* Et illud sapientiæ de seipsa: *Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Eccli. 24. 27. Discant a sapientia viri sapientes in conversatione non esse tetrici, austeri, abstracti, duri; sed amœni, hilares, iucundi, faciles, obsequentes, ut omnibus libenter aures præbeant, eorumque postulatis benevole, quoad possunt, satisfaciant.

Denique ex τῳ *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius*, D. Thomas 1. 2. q. 35. art. 5. probat delectationem contemplationis esse meram ac puram, nec ullam habere tristitiam sibi oppositam. Experiuntur hoc Ascetæ, qui iugiter cum Deo, cum Christo, cum B. Virgine, cum Angelis et Sanctis versantur: hi enim in terrestri quasi degunt paradiso, et quasi terrestres Angeli, cælestium delicias in carne prælibant, iuxta illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Psalm. 30. 20. et illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psalm. 35. 9.

Vers. 17. HÆC COGITANS APUD ME, ET COMMEMORANS (græce φροντισας, id est *curans*, hoc est cum cura studiose et sollicite considerans) IN CORDE MEO: QUONIAM IMMORTALITAS EST IN COGNATIONE SAPIENTIÆ.) Ita legendum cum Græcis et Rom. Perperam ergo Hugo et Dion. imo S. Fulgent. l. 3. ad Monimum c. 6. legunt, *Quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ:* et alii; in *cognitione sapientiæ*; quam lectionem secutus Idacius Clarus lib. 3. contra Varimad. ut probet Filium esse Patri æqualem et coævum, *id clarius affirmari*, inquit *a Salomone Sap. 8. his verbis: Immortalitas est in cognitione sapientiæ, et amicitiæ illius delectatio bona: item in operibus manuum sapientiæ honestas sine defectione, et in certamine sermonum eius immortalitas, et vita æterna, in communicatione verborum eius claritas perpetua.* Ubi pariter addit τo *perpetua* et τo *immortalitas*, quorum neutrum est in Græco, sed ipse τo *immortalitas* hoc v. 17. positum, in cæteris, quæ sequuntur v. 18. repetendum censuit.

Sensus est, q. d. Ego Salomon studiose considerans sapientiam esse immortalem, et eamdem immortalitatem communicare suis cognatis, id est suis filiis et sponsis, qui eam arcte associare et quasi despondere satagunt; facereque ut sibi cognati, id est coniuncti, affines et devincti, sint immortales: hac de causa ardenter concupivi eam mihi assumere in matrem, imo in sororem et sponsam, iuxta illud Prov. 7. 4. *Dic sapientiæ, Soror mea es: et prudentiam voca amicam tuam.* Græce sunt sorites, λογισαμενος και φροντισας, id est cum reputassem, et sollicite cogitassem, quod sapientia immortales faciat eos, qui secum cognationem vel affinitatem contrahunt, qui scilicet eam sibi devincire et despondere satagunt, iuxta illud c. 15. 3. *Scire iustitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Repetit id, quod dixit v. 13. *Præterea habebo per hanc, immortalitatem, et memoriam æternam*, etc. Huc alludens Thalassius centuria 4. n. 56. *Lignum vitæ*, ait, *est scientia Dei, cuius purus particeps, permanet immortalis.*

ET IN AMICITIA ILLIUS DELECTATIO BONA, ET IN OPERIBUS MANUUM ILLIUS HONESTAS SINE DEFECTIONE: ET IN CERTAMINE LOQUELÆ ILLIUS SAPIENTIA, ET PRÆCLARITAS IN COMMUNICATIONE SERMONUM IPSIUS: CIRCUIBAM QUÆRENS, UT MIHI ILLAM ASSUMEREM.) Vers. 18. Hæc quoque superius recensuit, sed hic repetit per conglomerationem, ut sapientiæ dotes inculcet, et omnes ad eius studium magis accendat.

DELECTATIO BONA.) Id est honesta, non turpis; item *bona*, id est *iucunda*, uti vertit Vatabl. iuxta illud: *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum!*

HONESTAS SINE DEFECTIONE.) Id est opulentia inexhausta, divitiæ indeficientes, sive perennes, ut vertit Vatabl. Vide dicta v. 11. et 14. et Prov. 3. 16. ad illa: *Longitudo dierum in dextera illius, et et in sinistra illius divitiæ et gloria.*

IN CERTAMINE LOQUELÆ ILLIUS SAPIENTIA.) Græce εν συγγυμνασια ομιλιας αυτης φρονησις, id est, *in coexercitatione conversationis illius prudentia:* Vatabl. *in usu colloquii* (ομιλια enim, id est colloquium, dicitur ab ομου λαλειν, id est a simul loquendo) *illius prudentia*, q. d. ait Iansen. Per hoc quod quis exercetur cum ea colloquendo, disserendo et conversando, acquiritur sapientia et prudentia; sicut qui cum viris doctis in gymnasiis colloquuntur et disputant, eorum doctrinam expiscantur et hauriunt: et sicut in disputationibus scholasticis, ubi argumentans rationibus certat cum defendente, acuitur ingenium et veritas elucescit. Unde Eccli. 51. 25. dicitur: *Colluctata est anima mea in illa.* Hinc manarunt Collationes Patrum, de quibus Cassianus, Climacus et alii in Vitis Patrum, in quibus mutua collocutione, et quasi dissertatione de virtutibus, Ascetæ easdem sibi suisque discipulis validius et ardentius imprimebant. Quamquam hic non tam doceatur quomodo acquiratur sapientia, quam quid fructus et commodi illa acquisita præstet, nimirum illam efficere, ut nostri sermones, discursus, dialogismi, disputationes sint sapientes, ac sapientiam ubique spirent, omnibusque aspirent, uti faciebant Patres in suis Collationibus.

PRÆCLARITAS (græce ευκλεια, id est celebritas, nomen, laus, claritas famæ, splendor: unde ευκλεης est inclytus, celebris, præclarus, splendidus) IN COMMUNICATIONE SERMONUM IPSIUS.) q. d. ait noster Lorinus: Bene audit ubique sapiens, eiusque verba tamquam axiomata, apophthegmata et gnomæ audiuntur, circumferuntur, laudantur. Dum communicat sermones, inde præclare celebratur; vel enim decus lausque habetur, cum illo conferre et colloqui. Anagog. id longe verius erit apud Beatos in cælo. Hinc lucet illud Daniel. 12. v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulge-*

bunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Minus recte Lyran. Dionys. et Hugo, *præclaritatem* exponunt claritatem et elegantiam sermonis, q. d. Sapiens claro et eleganter sermones suos eloquitur.

Circuibam.) Hæc vox notat ingens et assiduum in Salomone sapientiæ desiderium: sic enim sponsus circuit, ut sponsam quam ambit nanciscatur. Porro circuivit ipse, ait Gastaeus. *Dum diu multumque elaboraret, dum se in omnibus honestis actionibus exerceret, dum omnes, qui sapientia virtuteque præditi essent, alios observaret atque suspiceret, alios etiam in magistrorum ac pædagogorum haberet loco, ac prorsus in hoc studium totus incumberet.*

Sapientia præstat aliis sponsis.

Ut mihi illam assumerem.) In sponsam et contubernalem, ut dixit v. 2. Confert enim sapientiam cum sponsa carnali, eamque illi præfert. Primo, quod hæc sæpe mor-
1. tem marito afferat, uti attulit Eva Adamo, et Dalila Samsoni; at sapientia immortalitatem conciliat sibi devincto et
2. coniuncto, ut quasi cognato. Secundo, in amicitia cæterarum nuptarum, sæpe est delectatio turpis; at in Sapientia est honestissima. Rursum, cæteræ maritis sæpe exhibent curas, molestias, tædia, iurgia: at hæc iugem sponso præstat delectationem, eamque bonam, id est iucundam
3 et eximiam. Tertio, aliæ sponsæ, ait Cervantius, desidia languent, otioque torpent, ac defluunt in delicias totæ, sæpe illis nulla cura rerum domesticarum, non filiorum filiarumve, non famularum, non item eorum quæ ad victum, quæ ad cultum pertinent, quæ ad opes conservandas, nedum augendas; magni thesauri vix sufficere possunt earum vestibus, monilibus, supellectili: at in *operibus*, sive *ex laboribus manuum illius* (sapientiæ) *divitiæ thesauri indeficientes*, et has non minori virtute ipsa suis manibus, quasi aureis adamantinisque mœnibus tuetur, *honestas sine de-*
4 *fectione.* Quarto, *in certamine loquelæ;* cæterarum enim uxorum contubernio, colloquio, usu, consuetudine et congressu, in palæstra ipsa coniugali, plane virile robur ingeniumque viri languescit: unde suspiciendi admirandique sunt illi, tametsi pauci, qui uxorati una liberis atque libris strenue vacaverunt; sic tamen cælibes et numero et sapientia longe fuere et sunt maiores: at in *certamine loquelæ* sponsæ huius cælestis, *sapientia* atque prudentia
5. florent vigentque. Quinto, ex collatione sermonum cum aliis fœminis coniugibus, et earumdem consortio et societate, vir velut ignis cinere obducitur et obscuratur: quid enim e fœmina et muliere, nisi fœmineum et molle? Sit exemplo Salomon ipse 3. Reg. 11. cuius opulentiæ, et magnificentiæ splendores inaurare non valuerunt, quæ deauravit societas fœminarum contubernalium, ait Cervantius. *At præclaritas est in communicatione sermonum sapientiæ*, coniugis omnium purissimæ, quam proinde sibi in sponsam assumere satagit Salomon.

Hæc omnia mystice rite adaptes B. Virgini, quæ fuit sponsa S. Iosephi, estque etiamnum quasi sponsa omnium fidelium et piorum.

Vers. 19. Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam.) Syrus: *Puer eram lucidus*, vel *clarus;* Arabicus: *Puer eram subtilis, solers, acutus.* Ostendit se ex natura et indole bona ac ingeniosa capacem fuisse sapientiæ, q. d. Cum essem bonæ indolis et ingenii, facile intelligebam quanta esset dignitas sapientiæ, quanta eius commoda iam a me recensita: quare cum illa propensius optarem et cognoscerem tamen me illa viribus meis non posse assequi, adii Dominum, eumque ut illa mihi largiretur deprecatus sum. Sapienter Tertull. *Deus*, ait, *ita naturam disposuit, ut ea gratiæ aptissimum fundamentum existeret.* Vide S. August. lib. 22. contra Faustum c. 70.

Ingeniosus.) Id est boni, magni, acuti et acris ingenii ad res intelligendas et diiudicandas. Unde Cicero lib. 5. de Finib. *Prioris generis*, ait, *est docilitas et memoria, quæ fere omnia appellantur uno ingenii nomine, easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur.* Et S. Isidor. l. 10. Etymol. litt. I. *Ingeniosus dictus*, inquit, *quod intus habet vim gignendi quamlibet artem.* Et S. August. lib. 10. de Trinit. c. 11. *In his tribus*, inquit, *memoria, intelligentia, voluntate inspici solent etiam ingenia parvulorum, cuiusmodi præferant indolem. Quanto quippe tenacius et facilius puer meminit, quantoque citius intelligit, et studet ardentius, tanto est laudabilioris ingenii.*

Sub ingenio ergo hic iudicium, memoriam et voluntatem intellige. His enim quatuor excelluit Salomon, cum alioqui sæpe pollentes ingenio, non polleant iudicio, et vice versa: ingenii enim parens est temperies calida, iudicii frigida. Ingenium lumen est animi; sed huius ipsius luminis lumen, et oculus oculi est iudicium. In ingeniosum cadit subinde error mentis et stultitiæ, numquam in iudiciosum. Malim hebes haberi, quod vitium pugnat cum ingenio, quam insipiens et stultus, quod adversatur iudicio. Audi Maximum Tyrium dissertatione 34. *Plerumque id evenit homini, ut quo facundior est ingenio, eo minus valeat iudicio.* At Salomon ingenio excelluit æque ac iudicio, ut patet 3. Regum 3. et seq.

Pro *ingeniosus* græce est εὐφυὴς, quæ vox tria significat. Primo, eum qui industrius est ac amœni et acris ingenii, uti iam explicui: secundo, eum qui bona est indole, ac natura ad virtutem propensus; εὐφυὴς enim idem est, quod bene natus, natura habilis, bene formatus, bene e natura compositus, ingeniosus, id est naturali quadam ingenii dexteritate ad omnia comparatus: nam φύσις est indoles, puta naturalis ingenii animique bonitas; φύω enim est gigno, produco, planto, in lucem edo. Unde φύσις est natura potentia rei innata, ingenium, indoles, vis nativa, naturæ habitus et mores. Ingenium enim proprie a Latinis vocatur naturæ cuique ingenita, a gignendo; ea vero in pueris indoles dicitur estque non solum probitatis, sed industriæ quoque iudiciique index. Unde S. Isidor. lib. 10. Etymol. c. 11. sub finem, *genium* derivat ex eo, *quod vim habeat omnium rerum gerendarum, seu a gignendis liberis: unde et geniales lecti dicebantur, qui novo marito sternebantur.* Et Festus: *Geniales deos*, inquit, *dixerunt aquam, terram, ignem, aerem: ea enim sunt semina rerum. Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufustius: Genius*, inquit, *est deorum filius, et parens hominum, ex quo homines gignuntur; et propterea genius meus nominatur quod me genuit. Alii genium esse putarunt uniuscuiusque loci deum.* Et Nonius Marcellus c. 4. *Ingenium*, inquit, *est naturalis sapientia. Sallust. Catilinæ bello; ingenium nemo sine corpore exercebat. Ingenium veteres dixerunt et sua sponte, vel natura. Nævius Licurgo: Vos, qui regalis corporis custodiam agitis, ite actutum in frondiferos lucos; ingenium arbusta vincta sunt non obscuritas. Sallust. Histor. lib. 3. Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. Virgil. Georg. lib. 2. Nunc locus arvorum ingeniis, quæ robora cuique, Quis color.* Hoc significatum secutus Petrus Nannius hoc loco vertit: *Puer eram dexteræ indolis.* Vatabl. *dextero ingenio præditus.*

Ingenii genius quæ?

Tertio, εὐφυὴς, teste Hesychio, est arbor, natura aut ingenium virescens, bene germinans, copiose succrescens. Id enim huic loco convenit, q. d. Salomonis natura instar boni soli, radiis cælestis solis, puta gratiæ Dei, sinceritate, probitatis et sapientiæ semina probe concipiebat, concepta confovebat, confota explicabat, et increscentia in dies promovebat; quare maiora in dies suæ bonæ indolis et ingenii documenta edebat, instar Christi, qui proficiebat ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines, Luc. 2. Ita a Castro et Pineda lib. 1. de Rebus Salomonis, cap. 18. *Ut dii immortales*, ait Seneca epist. 95. *nullam didicere virtutem, cum omni editi; et pars naturæ eorum est, esse bonos; ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, et honesta complectuntur, cum primum audierint.*

Denique Aristotel. 3. Ethicorum cap. 9. Is, inquit, est εὐφυὴς, cui est quid innatum bene, qui sit bene a natura formatus et propensus: quemadmodum enim arbor virescens, et copiose succrescens et germinans, ac coalescens dicitur εὐφυὲς φυτὸν, ita ingenium amœnum et acre quod virescit, germinat, et coalescit in virtute, et in his quæ cum virtute et sapientia coniuncta sunt, dicitur bene a

naturæ institutum, et ad bonum proclive.

SORTITUS SUM, hoc est, inquit Pineda loco iam citato, non voluntate, non meritu meo, sed Dei nutu, qui velut sors in manu nostra non est, accepi ANIMAM BONAM.) *Solent*, inquit S. August. lib. 10. de Genes. ad litt. cap. 18. *Quæ sorte dantur, divinitus dari.* Et inferius: *Ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum sortis nomen accessit.* Veru hæc omnia, si sortis nomen presse accipiatur: nam, si ex usu sacri sermonis, sors non sonat illud fortuitum, sed aliquid proprium et velut hæreditarium. Mihi, inquit, attribuit supremus rerum arbiter Deus, optimam corporis et animæ portionem, præclaram quasi hæreditatem et sortem possessionis meæ.

ANIMAM BONAM.) Id est bonæ indolis, ad bonum omne propensam, bonitate naturali, moderatione affectionum, et candore morum præditam. Ita Dionys. Pineda, Iansen. Lorinus, a Castro et alii.

Minus recte Hugo ingenium naturæ, animam bonam gratiæ attribuit; sic et Bonavent. qui id probat ex voce sortis: et Lyran. qui animam bonam assignat puritati affectus, quem hausit Salomon ex institutione Nathan, qui propterea cognomen ei imposuit, *Amabilis Domino*, 2. Reg. 12. 23. Et Holcot, qui putat voce *puer* (puer enim dicitur a puritate) notari munditiem corporis: voce *ingeniosus*, peritiam intellectus; per τὸ *sortitus sum animam bonam*, innui gratiam supernaturalem. Et Hugo Ætherianus lib. de Regressu animarum c. 32. ait Salomonem sortitum esse animam bonam, per datam sibi sapientiæ abundantiam, per quam factus sit magis bonus.

Peius alii censentes animam esse ex traduce, id est animam filii seminari et traduci ab anima parentis, sicut lumen unius candelæ traducitur et accenditur ab alia candela, sic exponunt q. d. *Puer eram ingeniosus*, græce εὐφυής, id est bonæ naturæ et indolis, quia e natura et indole bona animæ parentis mei sortitus sum, et accepi pariter animam bonam, iuxta illud Lucani lib. 5.

Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis.

Horum sententiam recenseo, ut cum dubio sequens S. Aug. l. 10. de Gen. ad litt. c. 17. *Puer autem eram ingeniosus*, inquit, *idipsum explicans, quibus causis ingeniosus esset, continuo subiungit: Et sortitus sum animam bonam, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Denique cum essem*, inquit *magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum; quod si maternum intelligatur, ne hoc quidem, quod dictum est, Veni ad corpus, huic opinioni refragabitur, cum ex anima et corpore paterno veniret ad maternum corpus, accipitur, incoinquinatum videlicet, vel a cruore menstruo; dicuntur enim ex hoc ingenia gravari; vel a contaminatione adulterina*, quæ sæpe obest moribus filiorum, et suam pruriginem in illos transfundit. Verum tradux animarum ab Ecclesia iam velut error damnatus est. Docet enim illa omnes hominum animas a Deo creari infundendo, et creando infundi: atque error iste hic satis refellitur ex eo quod subditur: *Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, quæ verba innuunt animam priorem fuisse corpore, non tempore, sed natura, priusque habuisse suam bonitatem, de qua dixit: *Sortitus sum animam bonam*; ac deinde venisse in corpus incoinquinatum, non igitur a semine corporeo, nec per semen parentis transfusa est anima patris in corpus filii.

Præclare Seneca l. 4. de Benef. c. 6. *Insita sunt nobis*, inquit, *omnium ætatum omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.*

Mystice, S. August. ibid. cap. 18. hæc omnia accipit de Christo, qui verus fuit Salomon, id est pacificus et pax nostra: *Quid ingeniosius*, inquit, *illo puero, cuius in annis duodecim seniores sapientiam mirabantur?* Et inferius: *Et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit?* Et pluribus interiectis: *Et fortasse ideo ait, Sortitus sum animam bonum: si tamen hoc de illo oportet intelligi, quia solent, quæ sorte dantur, divinitus dari; aut quod fideliter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subvecta putaretur, ut cum ea Verbum caro fieret, et habitaret in nobis; ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum, sortis nomen accessit.* Et S. Cypr. l. Testim. contra Iudæos cap. de Nativ. Christi: *Quis*, inquit, *ante nativitatem erat bonus? et quis venit in corpus incoinquinatum et impollutum?* nisi solus Christus, utpote instar roris in Virginem illapsus, in eaque conceptus ex Spiritu sancto.

ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS INCO- Vers. 20.
INQUINATUM.) Syrus: *Et propter gratiam meam veni in corpus purum;* Arabicus: *Cum essem bonus, intravi in corpus illius*, scilicet sapientiæ. Hinc Origenistæ docebant animam extitisse ante corpus, ut pro meritis vel demeritis detrudi ac venire in corpus purum, vel maculatum. Verum hic est error iam olim ab Ecclesia damnatus.

Interpretes Orthodoxi hic se torquent ut varie exponunt. S. Bonaventura: *Cum essem magis bonus*, inquit, per gratiam supernaturalem, quam essem prius ex industria naturali; Holcot: *Cum essem magis bonus*, nempe, quam ingeniosus, et magis in me emineret bonitas moralis, quam bonitas naturalis ingenii (*veni ad corpus incoinquinatum*) id est proficiendo attigi perfectionem virtutum moralium, ita ut servarem corpus incoinquinatum a passionibus vitiorum; Carthusianus: *Cum essem magis bonus*, proficiendo in virtutibus, *veni ad corpus incoinquinatum*, conservans me ab impuritate.

Verum nihil horum satisfacit, nihil hoc loco germanum est ut appositum.

Græce est, μᾶλλον δὲ, id est *magis vero*, vel *imo, potius, cum essem bonus*, ut sit correctio; unde Vatabl. vertit: *Imo bonus ipse cum essem, corpus incontaminatum adeptus sum;* Osorius: *Aut ut rectius dicam, cum ipse natura bonus essem*, nimirum secundum animam, *nactus sum corpus immaculatum:* aut μᾶλλον δὲ, id est *amplius* vel *insuper*, q. d. Cum essem bonus, scilicet quoad animam, quam sortitus sum bonam a Deo, amplius vel insuper veni ad corpus incoinquinatum: bonæ enim animæ, bonum corporis temperamentum, proportionaliter respondet, ideoque naturaliter quasi debetur, ac reipsa a Deo datur. Ita Nannius, Vatabl. et Iansenius, quem audi: μᾶλλον δὲ videtur positum hic, uti et sæpe alibi, pro *vel potius*, ut sit quodammodo corrigentis quod dixerat, et sit sensus: « Aut potius cum essem bonus, veni, id est deveni, ad corpus incoinquinatum. Dixerat: Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Ex quibus verbis cum intelligi posset, eum significasse se suo ingenio consecutum animam bonam, idcirco veluti corrigit illum sermonem, dicens: Aut potius cum essem bonus, vel quia eram bonus, perveni ad corpus incoinquinatum. Significans animæ bonitatem, quam ex Dei munere habuit, fuisse causam munditiæ corporis, non contra corporis dotibus animæ bonitatem esse paratam, et animæ bonitatem præcessisse, non secutam esse. »

Alii, quibus favet S. August. 10. de Genesi ad lit. c. 17. vertunt: *Ut essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Hæc expositio satis græco textui respondet, at non latino vulgato; habet enim: *Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum:* quæ verba licet aliqui, ut sensui suo data accommodent, exponant per traiectionem τὸ *magis*, q. d. *Et magis*, id est insuper, *cum essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, atque dant exemplum Prov. 30. 31. *Nec est rex, qui resistat ei*; hoc est, et *rex*, nec *est qui resistat ei*, uti hæc verba transponendo exponunt Lyran. Dionys. et Iansen. rex enim est quartum animal inter ea, quæ bene gradiuntur; tamen traiectio hæc dura videtur et violenta.

Vulgatæ ergo versioni duplex dari potest sensus magis appositus et concinnus.

Prior est, q. d. Sortitus sum animam bonam, nec tantum animam bonam, sed et corpus bonum. Quare cum magis essem bonus, id est cum a Deo destinatus essem ad maiorem plenamque bonitatem, ut essem magis magisque

bonus, id est melior, imo complete, per omnia scilicet, tam quoad corpus, quam quoad animam bonus, *veni ad corpus incoinquinatum.* Unde græce est: *Magis autem bonus existens, veni ad corpus incoinquinatum*, id est melior, imo perfecte bonus existens, cum anima in se bona, venit pariter ad corpus bonum et incoinquinatum; corpus enim bonum addidit, et perfecit animæ bonitatem: hæc enim ex corpore bono suæ bonitatis complementum accepit: nam animæ officina est corpus: per illud enim ipsa operatur omnia sua. Quocirca ego Salomon, cum quoad animam essem bonus ex Dei creatione et dono, eiusdem munere adeptus sum corpus optime temperatum, et cum anima mirifice congruens, scilicet affectibus moderatum, et animæ conforme ac obediens; hoc enim vocat hic incoinquinatum; passiones enim turbant et inquinant animam. Unde aliqui vertunt: *Quo consequebor maiorem bonitatem, veni ad corpus incoinquinatum.*

Posterior, q. d. *Cum essem magis bonus*, id est cum magis magisque in bonitate crescerem cum in dies in bonitate per actus virtutum proficerem, cum maiora in dies probitatis et præclaræ indolis indicia ederem, cum adolescerem animo æque ac sapientiæ studio, *veni ad corpus incoinquinatum*; id est tunc consecutus sum corporis munditiem et donum castitatis, primo virginalis, deinde coniugalis, in eaque assidue profeci et crevi; nam cum scirem hoc esse donum Dei, illud instanter toto corde a Deo expetii, ut sequitur, et impetravi. Hic sensus est accommodus, eumque multis probat et explicat Noster a Castro, cuius verba paucis comprehensa hunc dant sensum, q. d. Ego quidem, cum a puero bona indole præditus fuissem, bonaque mente et ad virtutem propensa; imo quo magis bene eram institutus, eo magis crevi in corpus immaculatum, illud impollutum conservans: nam bona illa indoles qua me Deus sua miseratione donavit, me inducebat ad conservandum corpus meum incoinquinatum usque ad ætatem nubilem; ut ita aptior fierem ad postulandam impetrandamque sapientiam, quæ non habitat in corpore subdito peccatis. Id fecit Salomon iuvenis; nam senex corpus suum et animam libidinibus inquinavit.

Mystice: Verbum in incarnatione assumpsit animam bonam, imo optimam, ac, ut illa omni ex parte esset in bonitate completa, adaptavit ei corpus optimum, id est purissimum et perfectissimum; Verbum enim mediante anima assumpsit corpus; quare prius natura (non prius tempore) assumpsit animam, quam corpus, ut docet D. Thom. 3. p. q. 6. art. 3.

An anima una sit per se melior altera? Ex hac gnoma multi probabiliter colligunt animas humanas, licet omnes eiusdem sint speciei, non tamen in naturæ dignitate esse pares, sed unam alia esse meliorem et perfectiorem essentialiter; intra tamen latitudinem eiusdem speciei; atque animam Christi nobilissimam esse præ animabus omnium hominum: non autem a corpore solo melius organizato hanc animæ et indolis diversitatem provenire, uti volunt Durandus, D. Soto, Soncinas, Henricus a Gandavo, Toletus, et nostri Conimbricenses in l. 2. de anima, cap. 1. quæst. 5. ac Philippus Solitarius in Dioptra, c. 2. et seq. ubi docet eam, quæ in hominibus est, functionum diversitatem oriri non ex animo, sed ex vario corporis crisi seu temperamento: sicut imber idem aliud operatur in olea, aliud in vite et sic de aliis; et sicut sol idem nunc illuminat magis nunc minus, si liber sit a nube vel caligine, aut iis obductus: et sicut eadem aqua per varios cuniculos, hic amara, alibi dulcis est.

Resp. affirm. Verum Salomon videtur hic contrarium significare. Ait enim se sortitum esse animam bonam præ cæteris, id est cæteris meliorem a Deo inditam accepisse. Rursum ingeniosum ait se fuisse ex animo bono et ingenioso. Unde ex Græco εὐφυής, sic vertas: *Puer eram bonæ indolis, et* (id est, *quia*) *sortitus sum animam bonam.* Nec dicas hanc animæ bonitatem illi a corpore provenisse; subdit enim: *Et cum essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum*, q. d. Prius natura in me fuit bona indoles ex anima bona, deinde ea perfecta fuit per corporis bonitatem et puritatem, cum in corpus hoc anima ingressa est.

Ratio est: Primo, quia si in corpore humano unum alio est melius et perfectius, ergo idem longe magis dicendum in anima. Unde S. Thom. 1. p. q. 85. art. 7. in corp. *Manifestum est*, ait, *quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam:* tum quia Deus animas attemperat corpori: ergo in nobilius corpus nobiliorem animam infundit: tum quia sic corpus habet hanc graduum latitudinem pulchramque varietatem; ergo multo magis eamdem habet anima, quæ longe corpore est præstantior et sublimior. Prob. 1.

2. Secundo, quia in angelis eiusdem chori et speciei, unus, v. g. summus, angelus est præstantior alio, v. g. ultimo; id autem provenit ex anima, ut ita dicam, angeli: non autem a corpore, utpote quo carent: ergo idem dicendum de anima hominis, quæ est naturæ intellectualis et angelicæ. Licet enim D. Thomas opinetur omnes angelos inter se specie differre, tamen alii passim aliter sentiunt docentque in eadem specie plures esse Angelos sola differentia individuali discretos. Ita censent Alensis, Albertus, Bonavent. Scotus, Gabriel, Durandus, Marsilius, Molina, Vasquez et Suarez l. 1. de Angelis, cap. 15.

3. Tertio, quia in geminis, v. g. in Esau et Iacob, ubi idem est semen, sæpe est diversissima indoles: ergo illa provenit ex anima dispare.

4. Quarto quia animas fœminarum dispares esse ab animabus virorum, imo initio dispares fuisse in creatione Adami et Evæ, nemo negarit. Et quis dicere audeat Iudam habuisse animam tam nobilem quam habuit Christus?

5. Quinto, id ipsum arguere videtur tanta ingeniorum, indolis, studiorum, inclinationum varietas et propensio. Videmus enim alios ad studium philosophicum et theologicum, alios ad medicinam, alios ad eloquentiam, alios ad mathesin esse propensos et aptos; ad alias vero scientias ineptos, imo aversos; alios ad speculationem ferri; alios ad praxim; alios ad misericordiam proclives; alios ad severitatem et rigorem; alios ad castitatem, alios ad libidinem; in aliis summam esse memoriam, sed parum acuminis et ingenii; aliis magnum esse acumen ingenii, sed parum iudicii et memoriæ; quæ omnia non videntur a solo corpore provenire.

6. Denique si aurum auro præstat, bos bovi, aqua aquæ, terra terræ, lapis lapidi, cur non et anima una præstantior sit altera, præsertim cum anima spiritalis sit, ideoque elevatior et magis illuminata. Accedit articulus Academiæ Parisiens. quem recitat Henricus Gandav. quodlib. 3. q. 5. et Durand. in 2. d. 32. q. 5. qui sic habet: *Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat; quoniam alias anima Christi non esset perfectior, quam anima Iudæ.* Ita docent Magister Sententiarum in 2. distinct. 32. et ibidem S. Bonav. Albertus, Richard. Ioannes Maior, Capreolus, Ægidius Ferrar. l. 4. contra Gentes, c. 3. Caiet. 1. p. q. 85. art. 7. Abulens. in c. 15. Matth. q. 656. ac Petrus Nannius, Ians. et Vatabl. hic, atque favet S. August. l. 4. contra Iulian. cap. 3. dum ait: *Cum* (Dei) *occulto iudicio, nec iniusta, alii fatui, alii tardissimi ingenii et ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoresve noscuntur, alii utroque munere præditi*, etc.

Corpus incoinquinatum tripliciter. CORPUS INCOINQUINATUM.) Id est primo, castum et purum; secundo, carens labe, vitio et imperfectione, quæ nocere ingenio aut indoli posset; sed perfectum, bene constitutum, bonæ habitudinis, idoneum frugibus sapientiæ virtutisque secundum aptam symmetriam et proportionem, ut regi aptarique facile posset ab anima; tertio, per catachresin et metalepsin, *corpus incoinquinatum* est corpus integrum, perfectum, pulchrum, elegans, formosum æque ac vegetum, validum, nervosum, robustum, ideoque pulchra validaque sponsa, puta sapientia dignum. Nam

Gratior est pulchra veniens de corpore virtus.

Castitas facit formosos. Castitas enim quæ sapientiæ est soror, valde promovet speciem, decus et formam, æque ac robur corporis. Hinc similis est amianto (quæ vox hic est in Græco) lapidi qui igne non læditur, illique resistit, et integer in igne perdurat, teste Plinio lib. 36. c. 19.

Huc facit illud Boetii l. 4. de Consol. prosa 6. *Sacri hominis corpus*, ait, *virtutes ædificarunt;* et nonnullis interiectis: *Est alius cunctis virtutibus absolutus sanctusque ac*

Deo proximus: hunc contingi quibuslibet adversis, nefas providentia iudicat; adeo ut ne corporis quidem morbis agitari sinat. Hinc Plato dialog. 6. initio, et uberius in fine dial. 3. Heroas vocat diis genitos, eorumque conflandis corporibus materiam non nostratem, sed humana nobiliorem, et quasi lapsam e cœlo assignat: itaque non inquinatam communi fæce mortalium, sed fictam ex purissimo divinitatis auro mentem afflat. Ut enim idem in Opificio mundi philosophatur: Ex anima lectissima, simul et corpore præstantissimo, raritatis excellentia paribus, oritur in homine primum admirabilis ille concentus et harmonia valetudinis optime temperatæ, et pulchritudinis augustæ, quæ separari non possunt: tum exquisita solertia sensuum, et affectionum moderata tranquillitas: tum etiam ad intelligenda divina, et ad humana tractanda, miræ celeritatis et capacitatis ingenium: et ex his ingenuus ac castus philosophiæ et Musarum amor, sine quo nec aliquis potest esse pulcher, nec bonus. His autem si proba educatio et doctrinæ lumen accesserit, extolli sit altius humana dignitate fastigium, hominemque divinæ musicæ participem, ad commune generis humani bonum bonarum artium choros in terris, et virtutum omnium choreas instituere: hæc Plato. Corpus ergo integerrimum est vivum Dei templum, divina fundens oracula.

Vers. 21. ET UT SCIVI (ex inspiratione sapientiæ, ut sequitur, puta Dei) QUONIAM ALITER NON POSSEM ESSE (græce, *aliter non ero*) CONTINENS, NISI DEUS DET, ET HOC *IPSUM* ERAT SAPIENTIÆ, SCIRE CUIUS ESSET HOC DONUM: ADII DOMINUM, ET DEPRECATUS SUM ILLUM EX TOTIS PRÆCORDIIS MEIS.) Pro *continens*, græce est ἐγκρατής, quod tria significat: Primo, voti compotem; secundo, castum; tertio, continentem: quæ tria huic loco congruunt.

Continens tria significat.

I. Primus ergo et genuinus sensus est, q. d. Ut cognovi quod non possem esse continens, id est compos voti, potens, et in potestate habens sapientiam, ut scilicet obtinerem illam adeo desideratam; nisi Deus eamdem mihi daret, ipsum adii et pro ea deprecatus sum. Totum enim Salomonis votum erat de sapientia consequenda, ut patet ex dictis. Unde et cap. seq. orans et hoc votum suum explicans, non nisi sapientiam a Deo postulat. Ita Nannius, Vatabl. Iansen. Cantacuz. Osorius, a Castro, Emman. Sa, Lorin. et cæteri. *Continens* enim idem est quod tenens, compos, possidens, q. d. Cum scirem me meis viribus non posse obtinere sapientiam, nec obtentam retinere, nec retenta bene uti, nisi per Dei gratiam, hanc imploravi. Sic Eccli. 6. 28. dicitur: *Et continens factus eius*, id est tenens vel possidens sapientiam, *ne derelinquas eam;* et c. 15. v. 1. *Et qui continens est iustitiæ*, hoc est compos iustitiæ, vel qui adeptus fuerit iustitiam, *apprehendet illam*, sapientiam. Et cap. 27. 33. *Ira et furor, utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum*, id est compos aut particeps illorum erit, vel illis obnoxius. Hinc Arabicus hoc loco vertit: *Et cum cognovissem me non alio modo tenere illam, si Deus non dedisset mihi.*

II. Secundo, *continens* idem est quod castus, qui se continet et refrænat a libidine, cuius stimuli sunt vehementissimi. Salomon enim postulare videtur castitatem, quasi individuam sapientiæ comitem, metuens ne per libidinem, ad quam natura propendebat, perderet sapientiam, uti in senio eam perdidit: quod hic præsagire videtur. Pertinet ergo τὸ *continens* ad id quod præcessit: *Veni ad corpus incoinquinatum;* illud enim in puritate sua continere et conservare satagebat. *Continens igitur* idem est quod in potestate tenens, frænans et coercens venereas corporis voluptates, earumque domitor, victor et dominus (hoc enim est ἐγκρατής) quod fit virtute castitatis. Ita Glossa, Dion. Holcot, Hugo Æther. de Regressu animarum cap. 32. ad Tertull. de Veland. virgin. c. 13. et S. August. l. 6. Conf. c. 11. et epist. 89. q. 2. ubi ex hoc loco docet continentiam non esse virium liberi arbitrii, sed gratiæ Dei: *Cum scirem*, ait, *quod nemo esse potest continens, nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam. Iubet per legem, dat per gratiam, iubet per litteram, dat per spiritum;* et epist. 143. ad Iulianam matrem Demetriadis, cui virginitatis propositum gratulatur, sed monet hoc esse insigne donum Dei, ideoque ab eo infimis precibus lacrymisque postulandum. Idem docet Prosper contra Collat. c. 36. Continentia ergo hic significat castitatem, non solum virginalem, sed et vidualem et coniugalem. Triplex enim hæc castitas est donum Dei, imo coniugalis sæpe maius est donum, quam virginalis. Experientia enim libidinis in coniugio, vehemens est stimulus ac tentatio ad eam extra coniugium ex speciosioribus corporibus captandam. Salomon enim cum postulavit hanc continentiam et sapientiam, iam erat maritus, adeoque iam genuerat Roboam, uti superius ostendi. Ita Bellarm. l. 2. de Monachis c. 31. et l. 5. de Gratia et lib. arb. c. 7.

Rursum loquitur hic Salomon, non solum de actu continentiæ sive castitatis, sed etiam de habitu, sive ille sit acquisitus, sive infusus: omnes enim habitus, licet acquisiti, sunt dona Dei, qui est auctor omnium bonorum naturalium. Minus recte ergo Scholastici nonnulli ex hoc loco probant præter virtutes acquisitas, dari virtutes morales a Deo infusas. Etsi enim id verius sit, tamen non satis solide ex hoc loco et similibus probatur. Ita Gabriel Vasquez l. 2. disp. 86. num. 12. Magis tamen loquitur hic Sapiens de actu continentiæ, qui quotidie homini exercendus est, inter tot tamque graves libidinis occasiones et tentationes; ad quas superandas non sufficit natura, nec habitus naturalis, sed opus est peculiari gratia Dei, eaque frequenti et potenti, ut docet S. August. locis iam citatis, qui ex hoc loco idipsum probat.

Moraliter hic disce quod humilitatis humilisque orationis præmium est castitas, sicut superbiæ condigna castigatio est luxuria, uti docet S. Gregor. 26. Moral. 13. *Nam multis*, inquit, *sæpe luxuriæ seminarium superbia fuit; quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit. Hi enim secreto prius elevantur; sed postmodum publice corruunt; quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis.* Humilitas ergo est custos pudicitiæ. Quocirca S. Ignatius epistol. ad Philip. *Qui castus est, vel continens*, inquit, *non extollatur, ne perdat mercedem suam;* S. Hieron. epist. ad Demetriad. *Non solum putas tuam esse, quod tuum est, sed earum, quæ suam in te expressere pudicitiam* (matris atque aviæ) *et honorabilium nuptiarum, cubilisque immaculati pretiosissimum germinasse te florem, qui perfectos afferet fructus, si humiliaveris te sub potenti manu Dei;* S. August. ser. 53. de Verbis Domini: *Audeo dicere: Superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur;* S. Fulgent. epist. 3. ad Probam, de virgin. c. 18. *Ut integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis. Si quæ enim vere virgo est Christi, non potest Christo nisi humilitate coniungi, etc.* S. Bernard. hom. 1. super Missus est: *Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis; nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem;* et paulo post: *Ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis, virgo superba? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate, et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? Respexit humilitatem ancillæ, etc. Expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere.* Rursum Cassian. l. 2. de Instit. cen. c. 18. *Sicut*, ait, *sine humilitate castitas obtineri non potest, ita sine castitate scientia obtineri nequit;* utriusque ergo, imo omnis virtutis omnisque boni centrum est humilitas, humilisque oratio. Unde S. Chrysost. apud Anton. in Melissa, p. 1. c. 46. *Oratione*, inquit, *acquiritur conversatio Dei; seiungitur autem a Deo, qui non se coniunxerit ei per orationem. Qui vero separatur a Deo, illum prorsus necesse est adversario coniungi. Oratio custodia est temperantiæ, virginitatis sigillum, iræ castigatio, superbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, invidiæ demolitio, pacis confirmatio.*

Superbia mater libidinis, humilitas castitatis. Gnomæ.

Vis exempla? Accipe. Abbas Serenus apud Cassian. collat. 7. c. 2. cum pro perfecta castitate impetranda iugi supplicationi ac lacrymis indefessus insisteret, adveniens

Exempla.

ad eum angelus in visione nocturna, eiusque velut aperiens uterum, quamdam ignitam carnis strumam de eius visceribus avellens, ac proiiciens, suisque omnia ut fuerant locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abscissa sunt, et obtinuisse te noveris hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter poposcisti. »

S. Thomas Aquinas iuvenis tentatus a scorto, a fratribus submisso, titione illud fugavit, moxque orans pro dono castitatis, vidit angelum zona sibi renes stringentem, dicentemque: *Accipe cingulum castitatis*, ac deinceps per omnem vitam sensu libidinis caruit, uti habet eius Vita.

S. Cæcilia cilicio armata, cum gemitu orans cum Psalte Ps. 118. *Fiat, Domine, cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar*, castitatem angelicam, eiusque custodem angelum meruit obtinere; quin et eamdem Valeriano sponso, Tiburtio eius fratri, multisque aliis aspiravit, ac velut apis argumentosa virginum mella favosque contexuit.

Simile exemplum de Abbate Mose recenset Palladius in Lausiaca c. 22. de Pacone c. 29. Vide S. August. de S. Virgin. c. 39.

Illustre recensque exemplum exstat in Vita S. Elzearii Comitis Arriani, cap. 36. Hic enim cum sponsa sua Dalphina in flore ætatis, ipso festo S. Magdalenæ post Synaxim flexis genibus, iunctisque super Missale manibus, perpetuam Deo vovit virginitatem, hac forma: *Domine Iesu Christe, a quo omne bonum et donum proficiscitur, ego peccator fragilis et infirmus, sine tuo speciali dono non possum caste et continenter vivere: sed de tuo singulari adiutorio confidens, voveo et promitto tibi, et sanctissimæ matri tuæ, atque omnibus Sanctis, toto tempore vitæ meæ me caste victurum, et virginitatem servaturum, quam huc usque tua benignitate in me custodivisti, atque huius promissionis exequendæ causa, paratus sum quascumque afflictiones et pœnas, atque etiam mortem ipsam perpeti.* Denique S. Virgo Dalphina consimili modo virginitatis votum, quod iam ante secreto fecerat, publice repetivit. Subiunxit D. Garsenda eius nutrix illud S. Urbani Pont. de S. Cæcilia: *Domine Iesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Dalphina virgine seminasti.*

Porro mire ad castitatem iuvat implorare opem B. Virginis; hanc enim statuit virginum reginam et castitatis præsidem; unde Ecclesia eam invocans supplicat: *Nos culpis solutos, mites fac et castos: vitam præsta puram.*

III. Tertio, *continens* hic non solum castum, sed et a quolibet alio vitio continentem et abstinentem significat. Unde Syrus vertit: *Agnovi autem quod non possem domare animam meam.* Continentia enim generalis est virtus, quæ, ut docet Arist. toto l. 7. Ethic. iram, gulam, superbiam, avaritiam, acediam, omnemque aliam pravam mentis affectionem, sive concupiscentiam, coercet et refrænat, facitque ut homo in suis actionibus sit moderatus, modumque debitum in omnibus teneat. Huiusmodi autem moderatio est vera sapientia, quam sequenti petit oratione. Unde dicit de sapientia: *Deducet me in operibus meis sobrie*, id est, temperate et moderate, ita scilicet ut in omnibus modum teneam. Hinc Lyran. bene exponit: *Non possem esse continens a vitiis.* Et S. Aug. l. 10. Confess. c. 29. locum hunc tractans, *continentiam* interpretatur abstinentiam ab omnibus vitiis; sic enim Deum alloquitur et obsecrat: *Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes, et iube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et cum scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes et nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, et iube quod vis. Iubes certe, ut contineam a concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitione sæculi; iussisti a concubitu, et de ipso coniugio melius aliquid, quam concessisti, monuisti.* Similia habet l. 4. contra Iulian. cap. 3. et lib. de Peccat. merit. c. 5. et l. de Continentia c. 1. Porro Aristot. l. 7. Ethic. distinguit continentiam a temperantia, quod hæc plena et perfecta sit virtus; illa vero inchoata dumtaxat, eo quod adhuc versetur in lucta et pugna vitii contrarii, ac cum rebellione, et quasi seditione passionum confligat. Verum Salomon hæc duo non distinguit, sed *continentem* vocat temperantem et moderatum in omnibus.

Et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum.) Ita legunt cum Romanis et Græcis; quare minus recte alii legunt: *Et hoc ipsum erat summa sapientia;* alii, *sapientiæ.* Pro *sapientia*, græce est φρόνησις, id est prudentia, intelligentia, sapientia; pro *donum*, græce est χάρις, id est *gratia*; castitas enim est donum gratiæ Dei, idque unum e maximis, ob eius difficultatem, et tentationes carnis assiduas et periculosissimas. Quam hoc verum sit docet S. August. qui in concubinatu et hæresi existens, putabat continentiam a concubitu sibi esse impossibilem, eo quod illam quæreret in viribus liberi arbitrii. Sic enim ait l. 6. Conf. c. 1. *Propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te iactarem curam meam.* Unde idem conversus iam sapientior factus, epist. 143. *Non tantum*, ait, *in hoc nos adiuvat Deus sua gratia, ut amando agamus quod discendo iam scimus; sed ut sciamus quid agendum sit. Ita ut nemo possit esse continens, nisi Deus det, et neque hoc ipsum sciens.* Quin et Cassian. Collat. 12. c. 4. *Sciens*, ait, *impurissimæ colluvionis aspergine se protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio divina discesserit, ac proinde pro perpetuitate eius, cum omni contritione et humilitate cordis indefessis est orationibus excubandum.*

Hinc et S. Aug. eadem epist. 143. docet, non tantum in fidelibus, sed etiam in Gentilibus, continentiam esse donum gratiæ Dei, affertque exemplum Polemonis, qui audiens Xenocratem de abstinentia disserentem, ex ebrioso factus est sobrius.

Ex totis præcordiis meis.) Græce, *ex toto corde meo*, id est, ex toto cordis mentisque affectu, gemitu, desiderio et suspirio, additis quoque ieiuniis, vigiliis, chameunia, id est humi cubatione (hæc enim carnem macerant, orationem acuunt, et ad castitatem disponunt) ait Cantacuzenus. Qui sic serio, ardenter et quasi toto corde petunt a Deo donum castitatis, impetrant: qui vero frigide, dubie et dimidio dumtaxat corde petunt, non impetrant, quia impetrare nolunt. Talis ante conversionem erat S. Aug. quem audi lib. 8. Confes. c. 7. *At ego adolescens miser valde, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram a te castitatem, et dixeram: Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo* (en cor non integrum, duplicem animum, inconstantem in viis suis, non directum a Deo) *timebam enim ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quam exstingui.*

Hæc oratio Salomonis est illa de qua 3. Reg. 3. Ex hoc loco discimus eum multis ante diebus in desiderio habuisse, ac in votis sapientiam, eamque a Deo postulasse: unde in nocte dormienti in Gabaon, volens Deus votis eius satisfacere, iussit ut peteret quod vellet: et postulavit sapientiam, ut sæpe alias postulaverat, ac data est illi tam eximia, ut præiret omne genus hominum, ut ait S. Hieronym. in 12. Eccles. (etsi in cap. 2. eiusdem libri dicat Salomonem non fuisse sapientiorem Abraham, Mose et cæteris Sanctis, sed iis qui fuerunt ante se in Ierusalem) quia *postulavit in fide, nihil hæsitans, et postulavit a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat*, ut dixit c. 1. suæ Canonicæ S. Iacobus. Ita a Castro.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Oratio Salomonis pro impetranda sapientia, cuilibet religioso et sapientiæ studioso, præsertim prælato et principi, usurpanda. Est enim oratio hæc piis affectibus, æque ac rationibus efficacissimis plena, docens sapientiam esse necessariam, tam ad se, quam ad populum sapienter regendum, eo quod ipsa norit omnia, ac sine ea homo ignorans et imbecillus nihil efficiat, quod feliciter succedat. Videtur hæc esse illa oratio qua Salomon impetravit sapientiam, de qua 3. Regum 3. vers. 9. Ex hac oratione D. Henricus Suso sub annum Domini 1330. confecit Horas de æterna Sapientia, eius studiosis perutiles æque ac pias. Exstant inter opera eius, et in Hortulis animæ.

1. Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, 2. Et sapientia tua con-
stituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, 3. Ut disponat orbem terrarum in æ-
quitate et iustitia, et in directione cordis iudicium iudicet: 4. Da mihi sedium tuarum assistricem sa-
pientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: 5. Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo in-
firmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum. 6. Nam et si quis erit consummatus inter fi-
lios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, et
iudicem filiorum tuorum, et filiarum: 8. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate
habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio: 9. Et tecum sapientia
tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis
tuis, et quid directum in præceptis tuis. 10. Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut me-
cum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: 11. Scit enim illa omnia, et intelligit, et de-
ducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. 12. Et erunt accepta opera mea, et dispo-
nam populum tuum iuste, et ero dignus sedium patris mei. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei?
aut quis poterit cogitare quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ no-
stræ. 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa co-
gitantem. 16. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt: et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ
autem in cælis sunt quis investigabit? 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et mise-
ris spiritum sanctum tuum de altissimis: 18. Et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi
placent didicerint homines? 19. Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio.

Vers 1. DEUS PATRUM MEORUM, ET DOMINE MISERICORDIÆ, QUI FECISTI OMNIA VERBO TUO.) Τὸ *meorum* non est in Græco: Holcot legit, *nostrorum*, puto Davidis et Patriarcharum, præsertim Abrahæ, Isaac et Iacob, qui totius Israelis, id est populi fidelis et religiosi, fuere patres eumque optime et sapientissime rexerunt; qua in re ipse illos imitari cum velit, iure idem sapientiæ donum ab eodem auctore Deo postulat. Rursum hi ob fidem et sanctitatem Deo fuere charissimi, adeo ut Deus eorum nomine glorietur, eoque vocari et invocari voluerit, dicens ad Mosen et Hebræos Exodi 3. 15. *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem.* Atque sic Deus humano generi suum nomen elargitus est, auctore Philone in libro de Abrahamo, ut habentes refugium ad preces et supplicationes, a spe bona non excluderentur, tribus illis patribus ob Dei oculos præmissis: quod melius facit nunc nomen Iesu Christi Domini nostri quo nostras omnes preces claudimus et obsignamus. Nam maiorum merita, et præcipue Sanctorum, Deo proponere ad postulandum quidpiam, consuevere probi in primis viri. Ita Cantacuzenus, a Castro, Pineda et alii. Deus enim patrum est pariter Deus filiorum quos ipse patribus dedit, ut filius propter patrum merita se æque ac patribus Deum propitium exhibeat, præsertim quia id olim ipse promiserat patribus, ut cum dixit Abrahæ: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno; ut sim Deus tuus, et seminis tui post te*, Genes. c. 17. 7. Et: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, etc. et benedicentur in semine tuo omnes gentes*, Gen. 22. 17.

DOMINE MISERICORDIÆ.) Vatabl.: *beneficentiæ*; Pagn.

A *pietatis*, id est summe benefice; pius, misericors et miserator, qui peccatum homicidii et adulterii patri meo Davidi, et matri meæ Bethsabee misericorditer remisisti, ait Lyran. Unde Lucifer Calar. legit: *Domine misericordiarum.* Hoc titulo gaudet Deus, eoque invocatus postulata audit et exaudit. Misericordiæ enim proprium opus est miserorum misereri, eisque opem ferre; atque omnes indigent Dei misericordia ut eam velut sibi patrocinantem coram Deo allegare possint et debeant. Sic pauperes, ut stipem emendicent a divitibus, solent eorum misericordiam et liberalitatem allegare et dilaudare. Emphasim habet τὸ *Domine*, q. d. Tu es Dominus, ac dominaris infinitæ tuæ misericordiæ, æque ac immensæ miseriæ nostræ: illam ergo velut ditissimus et liberalissimus Dominus in nos eroga, ut miseriæ tantæ succurras; abyssus enim miseriæ nostræ invocat abyssum misericordiæ tuæ. Tu enim es primus et summus omnium eleemosynarius, imo *tu es pater misericordiarum, et Deus totius consolationis*, 2. Cor. 1. 3.

B Rursum, Deus proprie dicitur *Dominus misericordiæ*; quia dominium suum ostendit miserendo potius, quam puniendo, vel aliud quid agendo, iuxta id quod orat Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas:* patiens enim et clemens est potens iræ, animique sui et rerum omnium, uti ostendi Prov. 16. 32. ad illa: *Melior est patiens viro forti.*

QUI FECISTI.) Conciliat sibi hoc versu Dei benevolentiam tribus Dei attributis, scilicet primo, allegando Dei amorem et fidelitatem, quod scilicet sit Deus patrum suorum, eisque promiserit se eorum posteris benedicturum, id est benefacturum: rogat ergo ut idipsum nunc fideliter, ac reipsa posteris egentibus et invocantibus præstet, ac amorem, quo prosequitur patres, testetur et extendat in filios; secundo, allegando Dei misericordiam, ut eam

sibi misero, eam poscenti more suo exhibeat; tertio, allegando Dei potentiam, quod scilicet omnia verbo suo fecerit et crearit, ac proinde ei perfacile sit rem hanc petenti annuere. Docet ergo nos hisce tribus titulis stringere, et quasi cogere Deum ad præstandum id quod petimus; vult enim efficaci ardentique oratione et desiderio stringi et quasi cogi Deus a nobis.

VERBO TUO.) Solo iussu tuo, puta in mente dicendo: Fiat lux, fiant luminaria, etc. Genes. 1. Mystice, Verbo, id est Filio tuo: per hunc enim Deus Pater fecit omnia. Itaque *verbum* notat tum facilitatem, tum sapientiam, qua Deus cuncta creavit. Vide dicta Gen. 1. Verbum denique, id est Filium Dei, tacite doctorem sibi poscit Salomon qui per incarnationem futurus erat doctor Israelis et gentium omnium. Unde 3. Reg. 3. 9. cum apparuit Deus Salomoni, non Patrem, sed Filium apparuisse censet Pineda et alii. Imo concil. Sirmiense docet in omnibus Dei apparitionibus veteris Testamenti, Filium dumtaxat apparuisse, ut suæ incarnationi, qua visibilis hominibus appariturus erat, præluderet.

Præclare S. Basilius l. 1. contra Eunomium: *Nonne*, inquit, *cum de Deo audimus, quod in sapientia omnia fecit, conditricem tunc eius artem docemur? cum vero quod aperuit manum suam, et implet omne animal benedictione.* Ps. 144. *providentiam eius, quæ per omnia transit? cum vero quod posuit tenebras latibulum suum*, Ps. 17. 12. *invisibilis naturæ eius admonemur? Cum rursus a persona ipsius Dei dicitur*, Malach. 3. 6. *Ego sum, et non alteratus non sum, identitatem æternam, incommutabilitatemque divinæ substantiæ discimus?* Quin et Plato: Bonus, ait, est Deus; omnia ergo sibi simillima fieri voluit: nam bonus nullius umquam rei invidia tangitur. Et Seneca l. 4. de Ben. *Non mentiar, si dixero neminem non amare beneficia sua, cui non causa sit iterum dandi beneficii, semel dedisse. Cui initio non fuisset ratio præstandi, aliquid ei præstamus quia præstitimus.*

Vers. 2. ET SAPIENTIA TUA CONSTITUISTI HOMINEM, UT DOMINARETUR CREATURÆ, QUÆ A TE FACTA EST.) Græce, *creaturis a te factis.* Incipit iam urgere Deum rationibus ad sapientiam sibi communicandam, ut officio regnandi sibi a Deo imposito, recte perfungatur. Unde ablativus *sapientia tua* potest referri, tum ad Deum qui sapienter hominem creavit velut mundi regem et dominum, ut illum regeret; tum potius ad hominem, quem Deus sapientia imbuit, ut sapienter mundum gubernaret: id enim magis servit Salomonis proposito, quo Deum stimulat ad sapientiam sibi dandam, velut sibi debitam ad sapienter regendum. Unde pro *constituisti*, græce est κατασκευάσας, id est reformasti, adornasti, concinnasti, docuisti, instruxisti rebus necessariis, sicut vas (hoc enim græce dicitur σκεῦος) aliquod plene per omnia formatur, concinnatur, adornatur, ut sit elaboratum, perfectum et expolitum ad suos usus. Sic enim Deus in hominis corpus ex limo plasmatum infudit animam rationalem, eique sapientiam indidit, ut homo esset perfectus et idoneus ad regendum orbem.

Prima ergo est hæc ratio, q. d. Domine, qui ineffabili tua sapientia Adamum creasti velut regem mundi, ut dominaretur cæteris creaturis, ne illæ ratione æque ac rectore destitutæ inter se confligerent, aut carerent debita subordinatione, dispositione et gubernatione, ideoque Adamum, ut idipsum præstaret, sapientia tua ipsi indita adornasti et instruxisti, quæso te, ut eamdem mihi quoque indas et communices: me enim constituisti regem Israelis, id est populi fidelis et Ecclesiæ tuæ; ut ergo munus regium mihi a te impositum rite obeam, sapientiam ad hoc debitam et necessariam mihi elargire: ego enim sum filius hæres Adæ; ac non solum urbis tuæ sanctæ, puta Hierosolymæ, sed et quodammodo orbis totius a te constitutus sum rector; tum quia me destinasti orbis magistrum, ut rerum omnium naturas perscruter, et hominibus explicem: tum quia me urbis tuæ sapientis et sanctæ regem designasti, ut ex me orbis totus veri regis ideam, verumque regendi exemplar hauriat et capiat. Quocirca Salomon Adæ in sapientia, æque ac iure regnandi fuit par vel suppar. Facilius enim fuit Adæ in iustitia originali regere creaturas ratione carentes ad nutum obedientes, quam Salomoni post lapsum regere Hebræos duræ cervicis, et concupiscentiis suis addictos. Unde apud interpretes problema est, utrius sapientia fuerit maior, Adæ an Salomonis? et adhuc sub iudice lis est, aliis Adæ, aliis Salomoni primas sapientiæ assignantibus.

Vers. 3. UT DISPONAT ORBEM TERRARUM IN ÆQUITATE (græce, ἐν ὁσιότητι, id est in *sanctitate*) ET IN IUSTITIA, ET IN DIRECTIONE CORDIS IUDICIUM IUDICET.) *Disponat* id est gubernet; gubernatoris enim est omnia suis locis, ordinibus, gradibus, temporibus, modis et conditionibus ordinare et disponere. Simile est vers. 12. Unde græce est διέπῃ, id est dispenset, administret, curet, præsit, moderetur, regat: hinc Deus ab Aristotele (si tamen is est auctor) l. de Mundo vocatur ὁ τὰ σύμπαντα διέπων, id est omnia administrans, disponens, gubernans. Talis fuit Adam velut Dei vicarius in terra, iuxta illud Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur*, seu *præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Hoc est, faciamus hominem, præditum libero arbitrio, ratione et sapientia, in quo sit nobis similis, ut gubernet mundum in sanctitate et iustitia, hoc est in cultu et religione veri Dei, et in conservatione iustitiæ erga alios homines.

ET IN DIRECTIONE CORDIS IUDICIUM IUDICET.) Græce εὐθύτητι ψυχῆς, id est in *rectitudine animæ*, vel ut Lucifer pro S. Athanas. legit, *animi*: per quam S. Bonav. et Hugo intelligunt rectam intentionem, Holcot clementiam, Lyran. dictamen rectæ rationis. Melius Osorius animi æquitatem et rectitudinem accipit, q. d. Adam constitutus est a Deo rector mundi, ut animo æquo et recto, ac ab omni sinistro affectu, passione, personarum acceptione libero, in neutram partem propendendo, iustum suum iudicium exerceret, et ius suum cuique diceret ac tribueret: rectitudo enim hæc adversatur obliquitati, qua quis ob metum vel favorem deflectit, a recta iustitiæ norma et regula, cuius fons et origo est lex æterna in mente Dei: qui proinde iudici in mente assidue cogitandus est, ut recte iudicet, iuxta consilium Iosaphat regis 2. Paralipom. c. 19. v. 6. Unde Iob. c. 34. v. 14. *Si dixerit*, inquit, *ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.* Addit noster Lorinus rectitudinem vel directionem cordis posse significare promptitudinem, facilitatem, ac quasi explanationem et levitatem asperitati, hæsitationi et obscuritati contrariam. Multi enim in iudicando sunt obscuri, implexi, hæsitantes, tardi, asperi, cum iudex debeat esse clarus, resolutus, expeditus, planus, æquus et facilis.

Hinc tropol. infert Cantacuzenus: Ille, ait, erit perfectus rex, qui ex prima mundi administratione et regno homini a Deo commendato, rationem addiscit gubernandi *in æquitate*, id est sancte quoad se; in *iustitia*, quoad cognoscendas aliorum naturas et necessitates ad reddendum unicuique quod suum est, instar Adami cognoscentis singula, et dominantis in omnia; et *in directione cordis*, se omniaque sua conferentis in veri Dei religionem et cultum: hoc enim affert *cor rectum*. Rectus enim illud totum, quantum quantum est, dirigit in Deum.

Vers. 4. DA MIHI SEDIUM TUARUM ASSISTRICEM SAPIENTIAM.) Syrus: *Da mihi sapientiam a conspectu sedis tuæ*: Arabicus: *Da mihi sapientiam eorum qui frequentant te*; græce, Δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν, id est: *Da mihi tuorum thronorum paredram* id est, *assidentem sapientiam.* Cantacuzenus per *thronos* accipit tertium ordinem Angelorum primæ hierarchiæ, qui vocantur Throni: his enim insidet Deus post Seraphim et Cherubim, iuxta illud Ps. 79. 2. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim.* Magis ad litteram per *thronos* accipias sedes regales; reges enim sedent in thronis regiis; unde in iisdem metaphorice sedere dicitur Deus, qui est Rex regum et Dominus dominantium; quo significatur summa et eminentissima Dei potestas et dominium in omnes reges et principes, imo in omnes Angelos totumque orbem.

Paredri iudices, qui? **Assistrices.**) Græce πάρεδρον. Alludit ad assessores iurisperitos, qui ex veteri more dantur iudicibus iunioribus vel imperitioribus, ut ex eorum admonitu sententiam rectam dicant: hi enim vocabantur πάρεδροι, deinde συμπάρεδροι, teste Ulpiano ff. de excus. lib. 10. et Modestino ff. de offic. Assess. lib. 1. nisi malis alludi ad angelos vel genios paredros: sic enim reges habent suos Archangelos paredros, qui eos in regendo dirigant. Unde Michael Archangelus erat paredrus Hebræorum, alius Archangelus erat paredrus Græcorum, alius Persarum, Daniel. 10. Sic et Socrati suus fuit genius paredrus, id est Angelus vel dæmon, cuius consilio omnia agebat, teste Platone et Laertio in eius Vita. Sic magi habent paredros dæmones, qui eis arcana revelant. Sic S. Irenæus, lib. 1. cap. 9. et 20. docet Simonem Magum et Marcum habuisse genios paredros, qui utique non alii erant quam dæmones familiares; qualem etiam se habuisse asseruit Lutherus lib. de Missa angulari, et Zuinglius libr. de Supplemento Eucharistiæ, et Calvinus epist. ad Bucerum. A Bucero enim monitus ipse ut conviciis abstineret, respondit hunc sui non ingenii, sed genii esse morbum. Vide Feverdentium in Irenæum loco iam citato, ubi variis ex antiquitate exemplis docet quod, sicut Ecclesiæ paredrus adest Spiritus sanctus et sapientia, sic et hæresiarchis paredrus assideat dæmon.

Est prosopopœia. Sapientiæ enim hic datur persona, quasi angeli vel consiliarii, qui Deo assistat, ut sapienter omnia disponat, ac ab eo mittatur in terram, præsertim ad reges et principes, ut eos dirigat doceatque sapienter munus suum obire, ac subditos regere, Prov. c. 1. v. 20. Iob c. 28. v. 12.

Sic Poetæ fingunt Iovi assidere Θέμιν καὶ Δίκην, id est æquitatem et iustitiam, quam velut virginem integram asserunt esse deam iudiciorum præsidem, quod lites dirimat et decidat. Unde Arist. lib. de Mundo: Deus, ait, e vestigio comitem habet Iustitiæ præsidem, quam Δίκην nominant, divinæ legis vindicem; simul ac quidquam sanctionum sit prætermissum est.

Orat ergo Salomon dicitque: Da, Domine, ut sapientia, quæ tibi quasi summo omnium gubernatori assistit, mihi quoque regi consilii indigo assistat, tam in regendo, quam in iure dicendo: nam sine sapientiæ consilio, reges nihil agere, nihil decernere debent. Da igitur mihi illam velut πάρεδρον, imo πρόεδρον, id est præsidem et antistitem, quæ mecum in solio regali sedeat, imo sola illud occupet; lubens enim omne illud ipsi cedam, ut iuxta eam considentem, ego velut discipulus astem. Continue ergo mihi adsit, assideat et præsideat, nec umquam a meo latere discedat, ut eius magisterio erudiar, et discam quid dicere, quid discernere, quid iudicare debeam; illi enim velut magistræ in disciplinam me dedo, ipsi ut reginæ me subdo; illa ergo ceu regina a dextris mihi assistat, meque in omnibus regat et dirigat, necubi errem aut caespitem.

Et noli me reprobare a pueris tuis.) *Puer* in Scriptura vel filium, vel servum significat, electum et dilectum. Sensus ergo est, q. d. Noli me reiicere ex numero filiorum et famulorum tuorum, quos velut tibi dilectos tua sapientia donasti et dotasti; nam ego sum tibi filius familias, natus ex ancilla tua, ut sequitur. Iam primo, Canticum
Pueri triplices. 1. Cantica per pueros accipit angelos, præsertim supremos Deo assistentes, puta Cherubinos (qui a scientia et sapientia nomen acceperunt) et Seraphinos, qui a Deo lumen accipiunt, quo alios inferiores illuminent. Hi enim sunt proximi Deo, quasi primi eius familiæ pueri, id est filii vel famuli. Simili enim modo optat Salomon pro tanto regis munere, instar Angeli Cherubini et Seraphini Deo familiarissimus esse, et lumen ab illo accipere, quod in sibi sub-
2. ditos et populares refundat. Secundo, et magis ad litteram, per pueros accipias patres et patriarchas divinorum scientia præstantes, puta Abraham, Isaac, Iacob, Davidem, etc. cum quibus etiam ut annumeretur velut filius et hæres, ac
3. sapientiæ dono insigniatur, Salomon obsecrat. Tertio, alii apposite per pueros accipiunt reges, iudices et principes, qui familiares Dei esse videntur, et quasi a secretis, a consiliis, quibuscum providentiæ suæ arcana communicat, iuxta illud Psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga deorum* (hebr. *elohim*, id est principum et iudicum) *in medio autem deos diiudicat*. Principes ergo et iudices sunt pueri e familia *elohim*, id est, Dei omnia iudicantis et gubernantis, ut sensus sit, q. d. Soles, o Domine Deus, regibus assistricem tuam communicare sapientiam, uti Davidi patri meo communicasti; noli ergo mihi eius filio et hæredi, pariterque regi eam denegare, ne ineptus sim qui Israelem regam, ac regio munere et nomine indignus inveniar. Noli ergo me gradu hoc, ordine et potestate movere; noli me eiicere, abdicare, ac veluti censura notare, præterire, et inter eiectos præteritosque censere; hoc enim est ἀποδοκιμάζειν; unde Senatores, qui ob insipientiam culpamve senatu submovebantur, vocabantur ἀποδεδοκιμασμένοι, teste Festo et Budæo in Comment. linguæ græcæ, p. 68. Orat ergo ne ex regum sapientum albo reprobetur et eradatur ob imperitiam, ignorantiam vel insipientiam, velut indignus et reiectaneus, iuxta illud Isaiæ 32. 5. *Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, Princeps; neque fraudulentus appellabitur, Maior; stultus enim fatua loquetur, etc.*

Tropolog. *Noli me reprobare a pueris tuis*, id est, ne sinas me labi in peccatum, ut priver tua gratia ac statu graduque filiorum Dei, fiamque servus et mancipium diaboli, ac fomes mortis et gehennæ. Ita noster Alvarez de Paz, de Vita spirituali l. 1. p. 1. c. 7. Quid est, inquit, Noli me reprobare a pueris, nisi noli permittere ut a sapientia derelictus, quæ omnis bonitatis est fons, servi et amici tui, o Domine, dignitatem amittam? Nam sine sapientia, id est, sine luce divinitus indita, nec peccatum agnosco, unde nec detestor, nec virtutis decorem video, unde nec amo, nec sequor, nec amplector. Non est autem aliquis servus tuus et amicus tuus, sine odio peccatorum, et sine amore virtutum.

Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ Vers. 5.
tuæ.) Puta Bethsabee, quæ post adulterium cum Davide pœnitens probam vitam duxit, nec tantum sapientiæ, sed et prophetiæ spiritu a Deo dotata fuit, uti ostendi Proverb. 31. 1. Usurpat verba patris sui Davidis Psal. 115. 6. Rursum et potius per τὸ *ancillæ* insinuat suam infirmitatem, et sapientiæ necessitatem, q. d. Ego sum filius *ancillæ tuæ*, id est, mulieris miseræ, ex qua tamquam ex fonte quidquid infirmitatis, aut imbecillitatis, vel ignorantiæ est in me, profectum est. Nam ut dixit Iob 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Unde statim subditur: *Homo infirmus, et exigui temporis.*

Secunda est hæc ratio, qua Salomon urget, et iure servitutis obstringit Deum ad dandam sibi sapientiam, q. d. Ego in familia tua dego, et inter domesticos tuos censeor, imo quasi verna in tui obsequio et servitute natus sum; quasi fidelium parentum te colentium fidelis filius, verusque tui cultor, sed ancillæ miseræ miser filius. Tua ergo interest ut ego servus tuus sapiam, et sapienter negotia mihi a te commissa administrem. Heri enim honor, utilitas et lucrum, pendet ex servi sapientia et industria, si scilicet solerter res eius obeat, administret et peragat. Unde officium servi allegans David orat: *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*, Psal. 118. 125. Heri enim est servo de necessariis providere; provide ergo mihi de sapientia necessaria ad regendum.

Porro Salomon in hac oratione ita se amatorem sapientiæ cupidum prodit, ut eam tamen iam magna ex parte videatur consecutus (hæ enim rationes eius sapientissimæ sunt) perinde ac is, qui amorem Dei a Deo ardentissimis votis efflagitat, amoris divini iam compos est. Is enim in eo inhabitans, ipsum ad tam ardentem postulationem exstimulat, summe desiderans ut in dies magnis incrementis augeatur et inardescat.

Tropologice rex et princeps, qui servit Deo, subditorum quoque se servum agnoscat, ut eorum commodis serviat; qui enim serviunt Deo, serviunt et proximo propter Deum. Hinc Pontifex vocat se servum servorum Dei.

Allegor. Christus quatenus homo, est servus Dei, Isaiæ 49. 5. et filius B. Virginis, quæ se vocat ancillam Dei, Lucæ 1. Ita Glossa interlin.

Homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum) *Infirmus*, Græce ἀσθενής, id est, debilis viribus, tum corporis, tum animi, præsertim iudicii, ingenii, fortitudinis et constantiæ ad resistendum potentibus pauperes opprimentibus ac ad ferendum tot tantaque regni onera.

Et exigui temporis.) Tum quia Salomon iuvenis sub annum ætatis vicesimum iniit regnum, cum sapientiam a Deo postulavit, uti hic postulat. Unde ipse pro ea orans ait 3. Reg. 3. 7. *Ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum*, hoc est, quid agam, quomodo rem ordiar, quomodo finiam nescio; modicam enim et pauci temporis habeo experientiam, et consequenter modicum prudentiæ et sapientiæ; hanc enim parit experientia: tum quia vita mea brevis est, ideoque non sufficit ad addiscendam sapientiam tam variam et multiplicem, quæ requiritur ad gubernandum, iuxta illud Hippocratis: *Ars longa, vita brevis.* Unde Tigurina vertit: *Breviquo tempore duraturus, et minor ad intellectum iudicii et legum;* Vatablus: *Adeoque iunior, quam ut iustitiam legesque possim intelligere.* Rursum et potius *minor*, græce ἐλάττων, id est, *minus sufficiens, et succumbens intelligentiis iudicii et legum*, id est imbecillior quam ut iudicia et leges possim intelligere, quibus regem instructum esse oportet. Regem enim Israel oportebat nosse omnes leges Dei, morales, cæremoniales, et præsertim iudiciales (iuxta has enim iudicare debebat) uti iubet Deus Deut. 17. 18. et Iosue 1. 8. Adde his leges municipales et ius consuetudinum, ac similia quorum rex et iudex peritus esse debet. Porro leges a Deo Iudæis in Pentateucho sancitas dividunt Hebræi in affirmativas, easque numerant 248. et negativas, easque numerant 365. teste R. Mose in Duce dubiorum cap. 56. et 57.

Est hæc tertia ratio urgens Deum ad dandam sapientiam, petita ex humili confessione propriæ infirmitatis, indigentiæ et necessitatis. Confitetur enim suam ignorantiam, ut sapientiam nanciscatur. Nam *oratio humiliantis se penetrat nubes*, Eccli. 35. 21.

Moraliter Cantacuzenus censet dici hominem infirmum, et minorem ad intellectum iudicii et legum: quoniam ex quo semel legem transgressus est, tum ad servandam legem, tum ad exigendam legis observationem imbecillus et inefficax est; ergo sapientia, quæ legem servare docet, eadem ipsa bene imperare docet; quæ a subditis legem exigit, prius illam exigit ab ipso exactore, cui prius imperat facienda, quam subditis.

Vers. 6. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.) Est hæc quarta ratio petita a necessitate sapientiæ, q. d. Sapientia adeo homini, præsertim principi necessaria est, ut, licet sit vir, imo senex, omnibus corporis animique dotibus instructus; si tamen careat sapientia, nullius sit pretii, et nihili æstimandus; quanto magis ergo mihi, qui iuvenis sum infirmus, inexpertus omniumque indigus, opus est sapientia? Huic affinis est gnome c. 13. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Qui enim Deum practice noscit, hic vere sapiens est, vere magnus, vere beatus, licet cætera nesciat; qui vero Deum practice nescit, nihil scit, etiamsi cætera sciat. Unde illud:

Qui Iesum noscit, sapit, etsi cætera nescit:
Qui Iesum nescit, nil scit, si cætera noscit.

Vers. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum et filiarum.) Quinta et potissima est hæc ratio, quod Salomon a Deo electus sit rex non Gentilium, sed Israelis, id est populi sapientis, fidelis et religiosi; quare regem populo longe sapientiorem, fideliorem et religiosiorem esse oportebat, ut populum in sapientia, fide et religione promoveret; alioqui grave scandalum illi daturus et grave supplicium in Dei iudicio subiturus. Hinc patet Salomonem a Deo electum esse in regem, ut Davidi in regno succederet, idque satis insinuatur, 1. Paralip. 29. 1 quare licet ætate esset minor, prælatum tamen fuisse Adoniæ cæterisque fratribus natu maioribus, ideoque unum ipsum e populo Dei electo fuisse electissimum: unus enim ex omnibus electus fuit in regem populi a Deo selecti et dilecti, quem proinde Deus hic vocat suos filios et filias; quo significat eum ipsos regere debere non ut tyrannum, nec tam ut regem, quam ut patrem, et patrem filiorum Dei, hoc est magno amore, cura et reverentia. Quocirca ex hac electione Salomon Deum urget ad dandam sibi sapientiam, q. d. Tu, Domine, me elegisti in regem Israelis; tuum ergo est dare mihi sapientiam ad hoc regimen, non tantum necessariam, sed et utilem commodamque. Hinc rursum patet hunc librum esse Salomonis, eo modo et sensu, quo in proœmio exposui.

Moral. hic disce, fidelis et Christiani esse regere Israelem, id est populum Dei, ut in Dei lege, cultu, obsequio eum contineat et promoveat, dirigatque ad veram salutem et felicitatem æternam. Huius rei causa voluit Deus Salomonem ædificare sibi templum ut in eo coleretur, ut sequitur, adeoque templi fabrica præcipuum fuit Salomonis opus, ob quod Deus eum videtur regem creasse. Regum ergo fidelium est primo religionem, deinde iustitiam et rempublicam curare et stabilire. Huius enim basis et columen est religio et pietas. Ita fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, etc. qui proinde felicissimi et gloriosissimi evasere.

Ut alios taceam, hæc in re enituit olim Angliæ regum devotio, qui regnum Angliæ Ecclesiæ et Pontifici Romano subiecerunt, ac tributarium effecerunt. Ita ad Leonem IV. Pont. sanctitate illustrem, qui vita functus est anno Domini 855. ex Anglia venit Ageiulphus rex cum filio, regnumque suum Romanæ Ecclesiæ, singulis familiis nummo aureo in singulos annos imposito, tributarium fecit. Ita Platina, Baron. et alii. — Regum Angliæ prisca pietas. Exempla.

S. Richardus Angliæ rex, dimisso regno, ac filiis apud S. Bonifacium Moguntiæ relictis, vili vestitu incognitus peregrinatus est, Romamque contendit; sed in itinere morbo correptus, Lucæ vita functus, ad cæleste regnum migravit anno Domini 774. ac miraculis claruit. Ita rex patriæ exsul factus, mundi spretor, et sui contemptor, regiam coronam pro æterna vita disposuit, ac purpuram cum sacco commutavit. Filii eius fuere S. Willibaldus qui deinde creatus est Episcopus Eistatensis, et alter Winibaldus, electus Abbas Heidenhemensis; filia vero Walpurga facta monialis creata est Abbatissa, atque omnes ob præclara gesta Sanctorum catalogo ascripti sunt. Ita habet eius Vita et Arnoldus Wion in Ligno vitæ l. 4. Philip. Ferrar. in Catalogo Sanctorum Italiæ et alii.

Eduardus III. Angliæ rex, adeo in Deum et Ecclesiam Rom. pius extitit, ut cæleste a Deo privilegium acceperit, illudque velut hæreditarium ad posteros Angliæ reges transmiserit, nimirum ut manuum tactu sanent strumas, annulisque certo ritu consecratis, membrorum stupori medeantur, teste Polydoro Virg. l. 8.

Denique Anglia pius reges in Sanctorum catalogum ascriptos, numerat duos Eduardos, Edmundum Martyrem, duos Ethelbertos, Oswaldum, Chenelmum, et Richardum iam recensitum. Qui præsens Angliæ schisma spectet, an non iure exclamet: *O domus antiqua quam dispari domino dominaris!* Considerent hæc Angli, et postliminio ad avitam patrum fidem, pietatem, felicitatem et gloriam revertantur. Legant ampla duodecim privilegia, olim Angliæ regibus Catholicis a Deo concessa, quibus iam per hæresim privati sunt apud Thomam Bozium de signis Ecclesiæ, signo 92. l. 21.

Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.) Sexta est hæc ratio, quod Salomon a Deo iussus sit ædificare ipsi templum, iuxta ideam a Deo Mosi in fabrica tabernaculi præscriptam; eius ergo symmetriæ, id est proportiones et dimensiones, per omnia fuere divinæ; quare ad hoc fabricandum magna opus erat sapientia. *Montem sanctum* vocat montem Moria, quem sanctificavit Abraham, offerendo in eo filium Isaac; et postea Christus, dum in eius colle, puta in Calvaria, seipsum Ver. 8

Deo obtulit ad nostram redemptionem et sanctificationem. Vide dicta Genes. 22. 14.

SIMILITUDINEM (græce μιμημα, id est imitationem) TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PRÆPARASTI (id est prius parasti, et iam ante fabricasti) AB INITIO.) Synagogæ institutæ, quando scilicet per Mosen populum hunc ex Ægypto eduxisti, tibique in Ecclesiam selegisti, q. d. Iussisti me ædificare templum adinstar tabernaculi, quod Moses fabricavit, iuxta ideam ipsi a te in monte Sina ostensam, Exodi 25. et seq.

Tabernaculi partes et vasa.

Tabernaculi duæ erant partes Sanctum et Sanctum sanctorum. In Sancto erat altare thymiamatis, candelabrum septem calamis et lucernis lucens, et mensa panum propositionis. In Sancto sanctorum erat arca testamenti (in qua erant tabulæ decalogi digito Dei inscriptæ, virga Aaron, et iuxta eam manna) cum Cherubim, et propitiatorio. Ante Sanctum sub dio erat altare holocaustorum, in quo Deo mactabantur victimæ. Unde præ cæteris meminit huius altaris, quia illud erat præcipuum templi decus et instrumentum ad sacrificandum colendumque Deum. Porro altare Mosis in Tabernaculo habebat quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine. Verum Salomon pro toto Israele, imo pro exteris e toto orbe religionis ergo ad templum profluentibus, maius et capacius altare erexit, servata tamen proportione altaris tabernaculi. Nam ut dicitur 2. Paral. 4. v. 1. *Fecit altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.* Vide dicta Exodi 25. et seqq. Porro templum erat domus Dei et imago cœli, in quo Deus colebatur assiduis victimis et thure, sive thymiamate; idem erat imago regni sacri et divini; in templo enim Deus, velut in suo regno regnabat, omniaque suis legibus et cæremoniis dirigebat ad sui cultum, et populi religionem. Quare iussit Deus Salomoni fabricare templum, ut ex eo acciperet ideam regnandi. Nam in templo omnia erant suis locis, ordinibus, gradibus concinne et religiose disposita; ac Pontifex velut vicerex Dei, imperabat tot millibus sacerdotum et Levitarum, atque laicis omnibus ad templum venientibus: adeo ut aspicere Levitarum et sacerdotum ordines idem esset, ac cernere militum sacrorum aciem optime ordinatam. Hinc in templo summa erat quies, summa pax, summa unio, quæ omnia in regno imitari et procurare debet rex. Vide nostrum Villalpandum tom. 2. de Templo p. 2. l. 5. disp. 2. c. 29. 30, et 31. ubi docet templum habuisse similitudinem tabernaculi et castrametationis populi, idem quoque ad similitudinem mundi, cœli, et hominis extructum fuisse.

Vers. 9. ET TECUM SAPIENTIA TUA, QUÆ NOVIT OPERA TUA, QUÆ ET AFFUIT TUNC CUM ORBEM TERRARUM FACERES, ET SCIEBAT QUID ESSET PLACITUM OCULIS TUIS, ET QUID DIRECTUM IN PRÆCEPTIS TUIS.) To *tua* non est in Græco. Nonnulli hanc gnomen absolute sine nexu, ut per se consistentem accipiunt, q. d. Ac tecum, o Domine, ab antiquis temporibus erat sapientia, quæ novit opera tua, et tibi adfuit cum orbem creares, uti ipsa de se profitetur Prov. 8. 27. *Quando præparabat cælos, aderam, etc. cum eo eram cuncta componens;* Hebr. אמון *amon,* id est eram apud Deum quasi alumnus et nutritius creaturarum eas alendo, fovendo, gubernando. Illam ergo mitte e cœlis ad me, ut mihi pariter sit *amon,* id est nutritius et rector.

Verum aptius Græcoque consonantius, alii hanc gnomen nectunt præcedenti, puta fabricæ tabernaculi, q. d. Tu, Domine, olim fabricasti tabernaculum per Mosen, et nunc templum per me Salomonem, ac tecum idipsum fabricavit sapientia tua; hæc enim tibi suggessit ideam et exemplar pulcherrimum tabernaculi et templi, iuxta quam ædificares illud. Hæc enim *novit opera tua,* id est operum tuorum rationem, formam, dispositionem, æque ac scopum et finem. Unde eadem tibi *affuit tunc, cum orbem terrarum faceres.* Meminit fabricæ orbis, quia hæc fuit idea fabricæ templi; mundus enim est imago templi; ac templum vicissim est quasi parvus mundus, unde illud c. 18. 24. *In veste poderis; etc. totus erat orbis terrarum.* Hinc sicut templum, sic et mundus est domus augusta Dei, et, ut Philo ait: *Mundus est templum sanctum Domini.* Rursum, sicut sapientia primitus condiderat et disposuerat mundum quasi regnum, in quo Adam, sive homo, velut rex, omnibus creaturis dominaretur sobrie, modeste, sancte, iuste et religiose, uti dixit v. 3. Sic eadem his designat et disponit templum, sive Ecclesiam Israel velut regnum, in quo regnet Salomon pacifice, pie et iuste. Quare eamdem sapientiam ad perficiendam templi fabricam æque ac ad regni regimen iure sibi deposcit Salomon, præsertim cum eamdem olim Deus indiderit Beseleel et Ooliab architectis ad fabricandum tabernaculum, Exodi 31. 2.

ET SCIEBAT, id est olim sapientia sciebat, cum orbem conderet, et etiamnum scit QUID SIT PLACITUM OCULIS TUIS, ET QUID DIRECTUM; græce ὀρθὸς, id est rectum IN PRÆCEPTIS TUIS.) Id est quid rectissime velis, decernas, iubeas et præcipias, q. d. Da ergo et mihi hanc sapientiam, ut sciam quid tibi sit placitum gratumque, quidque directe voluntati tuæ, legi et præceptis concordet et consonet, ut idipsum tum in fabricando templo, tum in administrando regno exacte sequar et exsequar. Pro *placitum* græce est [illegible], unde Gallicum *arrest,* id est decretum Curiæ, sive placitum. Significat sapientiam habere absolutissimam cognitionem voluntatis divinæ, atque consiliorum et præceptorum eius, quæ vel nobis dedit, vel rebus a se factis indidit.

MITTE ILLAM DE CÆLIS SANCTIS TUIS, ET A SEDE MAGNITUDINIS TUÆ.) Græce, *et a throno gloriæ tuæ mitte illam.* To enim *mitte* repetit, ut ardorem desiderii significet. Vers. 10.
Anthropopathos, hæc dicuntur: Deus enim cum sit purissimus spiritus, non eget throno, nec in eo sedere potest, cum hoc sit corporum. *Thronus gloriæ* ergo vocatur locus, puta celsitudo cœli empyrei, ubi Deus Beatis gloriam suam ostendit et communicat. Inducitur ergo hic sapientia ut persona sapientissima quæ throno Dei assistat, illique suggerat omnia quæ agenda sunt, ac deinde eadem sapientissime exsequatur. Eamdem sibi mitti postulat Salomon, ut throno suo in terris assistat secum æque in regendo dirigat ut sciat quid agendum sit, ac deinde idipsum sapienter secum exsequatur. Sapientiæ enim duæ sunt partes: prima prudenter rem mente concipere et designare: secunda rem sapienter conceptam, sapienter exsequi et peragere. His omnibus significat se obsecrare, ut Deus increata sua sapientia sibi assistat, eiusque rivulum et radium, scilicet sapientiam creatam menti suæ aspiret et indat, ut prudenter omnia prospiciat, ordinet et perficiat, tum quæ ad templi fabricam, tum quæ ad populi gubernationem spectant; certus nihil operari sine illa ac per illam omnia referre ad Dei gloriam, ac suam populique salutem.

Symbolice, petit Salomon, sibi mitti Filium, cui ceu Verbo attribuitur sapientia, ut eam se doceat. Ita D. Thom. 1. p. qu. 43. art. 5. Nam *mitti personam divinam,* ait, *ad aliquem per invisibilem gratiam, significat novum modum inhabitandi illius personæ, et originem eius ab alia,* quod scilicet filius oriatur et gignatur a Patre. Vide ibidem Scholast. et Magistrum l. 1. Sentent. dist. 14. et seq. Deus Pater enim per Filium sapientiam, gratiam, omneque bonum nobis elargitur. Hac de causa Ecclesia omnes suas orationes et Collectas ad Deum Patrem concludit hac forma: *Per Dominum nostrum Iesum Christum, etc.* Cuius consuetudinis origo antiquissima est, ut patet ex Canone Missæ, cuius auctor perhibetur S. Petrus: in eo enim omnes orationes clauduntur hoc modo: *Per Christum Dominum nostrum.* Idem videre est in Liturgia S. Iacobi et S. Marci, licet non tam crebro quam in Canone. Initium et radix huius formulæ, fuit illud dictum Christi: *Petite in nomine meo, et accipietis;* et: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* Ioan. 16. 23. et sequent. Unde Christi præceptum secutus S. Paulus ita sancit Hebr. 13. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.* Et alibi passim docet Christum esse nostrum mediatorem apud Patrem, intercedere pro nobis, etc. Unde ipse crebro et alternis sæpe versibus interponit et ingeminat nomen *Iesu Christi.* Idem fecit S. Petrus cæterique Apostoli. Postea ve-

ro, cum Pelagius hæresiarcha tempore S. August. gratiæ Christi detraheret, Ecclesia ut illum confutaret, omnes pene orationes concludit: *Per Dominum nostrum Iesum Christum* etc. Itaque fecit S. Gregorius, qui plurimas Officii Ecclesiastici Collectas composuit, ut patet ex eius Antiphonario. Plura vide apud Amalarium, Walafridum, Durandum, et cæteros qui de Officiis Eccles. scripsere.

Subtiliter S. Bonav. « Sapientia increata, inquit, dicitur esse in sinu Patris, gigni ex utero, ex ore procedere; primum, propter occultationem; secundum, propter consubstantialitatem: tertium, propter manifestationem: et de cœlo mitti, propter illuminationem; sedere in animo, propter tranquillitatem. »

Ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.) Et ubi scivero exsequar. Græce, ἵνα συμπαροῦσα μοι κοπιάσῃ, id est ut *simul præsens*, vel *assistens mihi laboret*, id est *mecum laboret*, vel *collaboret*, ut legit Cantacuzenus. Sapientia enim et gratia Dei, non sola operatur bonum opus, ut vult Calvinus, sed simul cum mente et libero arbitrio hominis, cum illa cooperetur. A gratia enim habet opus quod sit sanctum gratumque Deo; a libero vero arbitrio, quod sit humanum et liberum. Unde huc alludens Paulus; *Abundantius*, ait, *omnibus laboravi, non ego autem* (solus) *sed gratia Dei mecum*, 1. Cor. 15. 10. hoc est, ut explicat S. August. lib. de Gratia et libero arbitrio cap. 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Græcum κοπιάσῃ, significat laborem cum molestia et fatigatione; per hanc enim homini paranda est virtus, et servorum (qualem se esse fassus est v. 5.) est assidue laborare pro hero. Petit ergo sapientiam quæ secum non solum laboret, sed et laborare doceat, ac labori præsit, illumque urgeat et exigat. Unde noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis cap. 6. n. 3. censet esse metaphoram ab exactoribus, qui servis laborantibus assistunt, opus exigunt, et in laborando instant, nec sinunt servos aut dormire, aut segniter agere. Ait itaque, Nec me permittas torpescere aut dormitare in regio munere exercendo, quippe qui regnant, Dei munus et opus faciunt. Exigat igitur a me sapientia mei laboris pensum, instet, et sicut ego, quippe rex, in medio sum populi instar exactoris et episcopi inspectantis subditos, atque urgentis ut opus peragant, itaque videor cum illis laborare; ita cum *servus sim ego tuus*, laboranti mihi, ut opus tuum peragam, adhibe exactricem, assistricem, inspectatricem sapientiam. Sapientia ergo est velut rex aut regina apum, quæ assidue alveare obit et circumit, ut omnes apes urgeat ad laborem assiduum, ut scilicet favos quasi domos continuo extruant, in iisque mella conficiant et condant. Eadem facit, ut labor suum sortiatur effectum et fructum. Nam sapientia adiuvante et dirigente, quis labor non felix, aut non fructuosus fuerit? Eadem cum laborante collaborans magnum illi præbet solatium æque ac auxilium. Quis enim laborem subterfugiat, cui secum humerum subiicit, et quasi succollat Deus? *Magna corona est communionem habere cum Deo*, ait S. Chrysost. homil. 11. in epist. ad Rom. et S. Hier. epist. 2. ad Heliodorum, eum impellens ad vitam religiosam: *Paupertatem*, inquit, *times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet*, q. d. Hæc una Dei societas, ut cæteras absint consolationes, quidquid tibi laboriosum accidere potest, demulcebit. Et S. Ambros. l. 2. de Abraham: *Exercitata*, inquit, *mens, non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi, et in Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.*

Laborantı collaborat sapientia.

Vers. 11. Scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.) Græce, *in sua gloria*, id est gloriosa potentia: nam ut ait Sallust. proœmio in Catilinam: *In maxima imperio, maxima est gloria*. q. d. Sapientia me custodiet per suam potentem gloriam et maiestatem, ut gloriam sibi comparet vel ex meis actionibus vel ex mei gubernatione et custodia, ut scilicet Deus gloriosus appareat in suo ministro.

Tria hic munia sapientiæ notat, eaque sibi dari deposcit. Primum est, scientia et intelligentia rerum agendarum, sive per virtutem, sive per artem, puta architectonicæ et fabricæ templi; secundum, in exsequendo et operando, prudentia, discretio, regula, norma et modus: quem significat τὸ *sobrie*, græce σωφρόνως, id est moderate, discrete, sapienter, prudenter; postulat ergo auream mediocritatem, quæ omnium actionum nostrarum debet esse norma; hæc enim modum præscribit operationi, ne remissius aut ardentius quis operi incumbat, quam recta ratio flagitat; tertium est, actionis et operis custodia, ne ab hoste vel alia causa impediatur; hanc enim præstat pervigil sapientiæ providentia, indeque potentia, quæ omnia impedimenta solerter prævidet, et potenter discutit.

Tria officia sapientiæ.

Vers. 12. Et erunt accepta (Deo et hominibus) opera mea, et disponam (moderabor, administrabo, gubernabo, ut dixi v. 3. græce, διακρινῶ, id est diiudicabo, hoc est, ius suum cuique tribuam; est enim hoc verbum forense et iudiciale) populum tuum iuste, et ero dignus sedium (græce, *thronorum*) patris mei.) Sedes sive throni in plurali, notant multas provincias et iudiciorum tribunalia, quibus per suos iudices et præfectos præsidebat Salomon. Optat ergo ille omnia a sapientia dirigi, quia omnium ei cura ex officio incumbebat, ut imitetur Davidem patrem suum, qui sapienter et sancte Israelem totum gubernarat. Nam sæpe filii a parentum, præsertim principum, virtute et moribus degenerant, cuius rei causam dedi in Proverbiis. Unde illud: *Heroum filii noxæ*. Et illud Homeri Odyssee 2.

Principum filii degeneres.

Pauci enim filii similes patri sunt,
Plures peiores, pauci autem patre meliores.

Augustus Cæsar, Iuliæ filiæ et neptis dedecora, quasi vomicas perosus, teste Sveton. exclamabat:

O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem!

Plutarch. in Apophth. Lacon. narrat Demetriam filium, qui in bello inerter se gesserat, occidisse, cum diceret: *Nequaquam concessit, ut ex fortissimis parentibus natus filius ignavus superstes esset.* Idem fecit simili filio altera Lacæna, de qua hoc apud eumdem exstat epigramma:

Germen iners abeas ad tartara, teque perosus
Eurotas cervis nec det aquam timidis.
Ignavus catulus, mala sors, hinc vade sub orcum:
I Sparta indignus, quem nec ego peperi.

Vers. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?) Septima est hæc ratio petita a celsitudine Dei, q. d. Rex a Deo constitutus est eius in terris vicarius et interpres; quare ex Dei voluntate et mente populum regat oportet. At quomodo illam adeo arcanam expiscabitur et reseiet, nisi internuncia eius sapientia? Illam ergo, o Domine, mitte ad me. Ad hanc gnomen allusit, imo eam quasi citavit S. Paulus Roman. c. 11. v. 14. dicens: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* et 1. Corinth. 2. 16 *Quis enim cognovit sensum Domini?* Hinc Moses in omnibus dubiis populi regimen concernentibus, confugiebat ad tabernaculum, ibique Deum consulebat, et ab eo responsa accipiebat. Idem a Deo iubetur facere Iosue per pontificem Eleazarum, Numeror. c. 27. v. 21. Utrumque imitentur Principes et Prælati, ut in rebus perplexis Deum per orationem consulant.

Pulchre hunc locum perurget S. Cyprian. de Singular. cleric. docetque Dei consilium et voluntatem unicam esse iustitiæ normam, iustique regiminis formam. Sic enim ait: « Cuius (Dei) ita sunt mandata servanda, ut si aliquid iusserit, quod secundum homines iniustum esse videatur, iustum credatur et fiat; et si iustum iusserit, iustum reputetur et fiat, cum sine iustitia non potest esse, quod mandat, qui potens est iniustitiam iustificando vocare iustitiam, et iustitiam reprobando iniustitiam probare trans-

Dei voluntas norma iustitiæ.

versum, cuius voluntas est sola et vera iustitia. » Rationem subdit: « Si enim totum quod gerimus ad hoc tantummodo gerimus, ut Domino placeamus, profecto hoc solum erit iustum, quidquid voluerit, et iusserit, et probaverit Deus, cui placere gestimus. Nam cum servi non possint a semetipsis scire, quid suis Dominis placeat, nisi dominorum sequantur imperia; et utique homines hominum similium sibi non valeant utilitates agnoscere, nisi acceperint quod observent; multo magis mortales nesciunt immortalis Dei iustitiam comprehendere, nisi ipse iustitiarum suarum dignetur iudicia demonstrare, sicut Salomon approbat, dicens: Quis enim hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. »

Vers. 14. COGITATIONES ENIM MORTALIUM TIMIDÆ, ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ.) Syrus: *Cogitationes enim mortalium imbecillæ, neque firmæ sunt conceptiones eorum*; Arab. *Cogitationes mortalium sunt timores, et conceptiones*, vel *visiones eorum periculosæ*. Probat homines, præsertim reges, debere niti consilio sapientiæ et providentiæ Dei, eamque assidue implorare, ex eo quod hominum cogitationes, græce λογισμοὶ, id est ratiocinationes, discursus et consilia sint timida; græce δειλοί, id est misera, timida, debilia, ignava, ut metuant de rei successu, ideoque tarde et segniter eam aggrediantur et prosequantur, imo non audeant ardua tentare et moliri, præsertim quia nesciunt, an Deus id velit et gratum habeat, ut conatus nostros secundet et prosperet.

ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ.) Putamus enim nostris ratiunculis et consiliis invenire media ad rem conficiendam apposita, et in executione invenimus ea debilia, infirma, defectuosa, fallacia, ac in infelicem exitum desinere; quare consulere debemus Dei providentiam, utpote securam et certam, ab eaque toti pendere. Græce ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν, id est, *fallaces nostræ opiniones*, ut vertit Vatabl, quia nil fere certo scimus, sed tantum opinamur; alii: *Periculosæ adinventiones nostræ*; alii: *Instabiles conceptiones nostræ*; alii: *Periculo subiacent excogitata a nobis consilia*; tum quia pendent a circumstantiis pluribus et sæpe ignotis; tum quia mille casibus et modis impediri evertique possunt; tum quia in discursu sæpe hallucinamur, et paralogizamus ex mentis debilitate et cæcitate. Hinc interpres S. Chrysost. in Ps. 143. vertit: *Rationes hominum timidæ, et labiles inventiones eorum*. Octava est hæc ratio, petita ab infirmitate, ignorantia et improvidentia hominis; hæc enim directione sapientiæ et providentiæ Dei indiget. Unde prudenter Iosaphat rex: *Cum ignoramus*, ait, *quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paral. 20. 12.

Vers. 15. CORPUS ENIM, QUOD CORRUMPITUR, AGGRAVAT ANIMAM, ET TERRENA INHABITATIO DEPRIMIT SENSUM MULTA COGITANTEM.) Syrus: *Corpus enim corruptionis gravius est anima*, vel *grave est adversus animum*; Arabicus: *Corpus corruptibile onerat animam, et terrenum habitaculum valde aggravat intellectum multiplicis sollicitudinis*, vel *anxietatis*; græce, *corpus enim corruptibile degravat animam* (incorruptibilem) *et terrenum habitaculum, sive tabernaculum, deprimit mentem* πολυφρόντιδα, id est, *multarum curarum, multa curantem*, ut legit S. Aug. l. 2. contra Iulian. Pelag. et multis curis æstuantem. Dat causam, cur cogitationes hominum sint timidæ, et incertæ providentiæ, quia scilicet corpus degravat mentem, ut non videat verum spirituale, sed tantum umbras corporeas, quæ sæpe fallaces sunt, oculumque intuentis fallunt et decipiunt. Audi S. Bernard. serm. de Septuag. *Sane non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat, ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris exstitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa et infima versans, et in illa excederet sine difficultate, et ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet; illa penetrans naturali vivacitate et puritate mentis; hæc auctoritate diiudicans præsidentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea, non ipse aliqua curiositate ductus est, ut videret ea. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim et ab infimis visco quodam captiva tenetur, et a summis indigna repellitur; ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa sine magno gemitu, vel raro queat admitti.*

Pro *deprimit* græce est βρίθει (quasi βαρύζει, a βαρὺ id est gravis) id est præ gravedine cibi vel potus, quasi dormitat corpus, et mentem pariter dormitare facit, ut caecutiat, et quasi somnians phantasmata confundat, ut unum pro alio, falsum pro vero, dubium pro certo, fucatum pro sincero imaginetur, eligat et amplectatur. Sic enim prorsus experimur mentem, dum speculari vult verum, præsertim cæleste et divinum, degravari gravitate et pondere corporis, ac velut in somno variis phantasiis falsis et erroneis agitari, quibus offuscata dum credit et fidem adhibet, quasi nesciens et sopita decipitur, et in errorem inducitur, uti videmus fieri in phreneticis, et ebriis ac dormientibus; hi enim quod imaginantur et somniant, licet insulsum et stultum, verum tamen et prudens putant. Idem prorsus accidit homini vigilanti, præsertim curis et cupiditatibus æstuanti. Cupiditates enim phantasiam ita afficiunt et imbuunt, ut quod illæ cupiunt, hoc phantasiæ pulchrum, verum et eligendum videatur. Hinc sæpe bonus dormitat Homerus, mens scilicet alioqui sapiens obnubilatur, confunditur, hallucinatur et errat; videt enim rem quasi per nebulam et fumum vaporum, qui e stomacho ascendunt ad cerebrum, illudque miris phantasmatibus imbuunt, quibus res prorsus alia videtur, quam in seipsa sit; nam pro vera rei specie phantasiæ, indeque menti (quæ tota pendet a phantasia) obtruditur fictum falsumque phantasma, pro vera ratione sophisma, pro vero syllogismo paralogismus, pro certa scientia opinio apparens sed fallax; quo fit ut homines subinde, dum maxime sibi sapere videntur, tum maxime desipiant.

Corpus obnubilat mentem. Cur?

TERRENA INHABITATIO, græce γεῶδες σκῆνος, id est terreum tabernaculum; ita vocat corpus; in eo enim, quasi in tabernaculo modico tempore habitat anima, quia in eo peregrina est tenditque ad cælum, unde originem accepit; corpus vero, quia terreum, et ex terra factum, animam cælestem ad terrena DEPRIMIT.) *Sensum*, id est mentem, πολυφρόντιδα, id est multarum curarum vocat, multasque res meditantem, et multis curis agitatam anxiam et sollicitam, qualis est regum et principum, quæ proinde hinc curis pressa, inde corporis pondere degravata, ponderi et errori succumbat oportet, ni sapientiæ et gratiæ divinæ præsidio erigatur et fulciatur; quam proinde assidue implorandam docet Salomon. Huc alludens S. Paulus 2. Corinth. 5. 1. *Scimus*, ait, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis: nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.* Vide ibi dicta. Hinc et Plato in Cratylo censet corpus dici σῶμα, quasi σῆμα, id est sepulcrum, tamquam in eo anima, eiusque vis quasi in tumulo sepulta iaceat. Unde philosophus ille miseram animæ suæ sortem miserans:, *Animula*, inquit, *sensitivum cadaver gestas*. Porro multiplex est analogia corporis et tabernaculi; nam instar tabernaculi corpus nostrum pelle tegitur, contra externas iniurias cæli: nervis seu funiculis distenditur; ossa velut malus aliave armamenta sustentant illud; clavorum instar, quibus figatur firmeturque, videntur pedes; avellitur morte hoc tabernaculum; corrugatur cutis, laxantur nervi, nutant pedes. Ita Pineda in Iob c. 18. v. 14.

Corpus ergo aggravat animam et mentem, quia eam uni rei, puta veritati et Deo, intentam, deorsum abstrahit ad res corporeas et sensibiles, eamque distrahit per varias imaginationes et phantasmata, quibus phantasia instar equi vagi in campo pabulum carpentis assidue oberrat. Unde S. August. 10. Confess. c. 40. ad uniendam cum Deo mentem suspirans: « Neque in his omnibus, ait, quæ percurro, consulens te, invenio tutum locum animæ meæ, Ratio 1.

nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo. Miser utrobique; » et Nazianz. in Carm. 9.

Nunc, ait, *cum collecta est ratio, iamque ipsa senecta*
Ad metam accessi, miser heu! velut ebrius erro,
Ac sæva obliquus pugna me deprimit anguis,
Et recte consulta rapit furtimque palamque;
Interdum mea mens ad regem fertur olympi:
Interdum in mundum devexo corpore vergit,
A quo animæ graviter læsa est pars maxima nostræ.

Vide Cassian. collat. 23. cap. 7.

II. Secundo, quia corpus mentis aciem sua gravitate hebetat et obtundit, eamque sibi quasi similem, crassam, gravem et onerosam efficit, iuxta illud Virgil. 6. Æneid.

Noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

III. Tertio, quia eam fatigat et delassat, ut diu non possit continuare speculationem, orationem, meditationem; sicut lorica et arma Saulis degravabant et lassabant Davidem, ut non posset progredi.

IV Quarto, quia eam suis phantasmatibus obnubilat, illudit et decipit, uti initio dixi. Ad hæc corpus animæ quasi vincula et compedes inlicit, ne sursum avolare possit.

V Quinto, quia eum mente appetitum et voluntatem ad bona spiritualia anhelantem, deprimit ad amanda sectandaque bona corporea, terrena et caduca. Unde Apost. gemens suspirat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 23. Et sponsa amore sponsi languens, ad eum suspirat, *donec aspiret dies* beatæ æternitatis, *et inclinentur umbræ* corporis et miseræ mortalitatis, Cant. 2. 17. Et Iob c. 7. 20. *Factus sum*, inquit, *mihimetipsi gravis.* Vide S. Prosperum epist. ad Demetriad. non longe a fine, ubi docet, tentationes homini oboriri a corpore, eiusque concupiscentia degravante, sed eas vinci a charitate mentem ad Deum sublevante. Hinc videmus longe maiorem partem hominum, per omnem pene vitam occupari circa corpus, ut illi de victu, vestitu, cæterisque commodis et voluptatibus provideant; ita ut parum et raro de anima, eiusque æterna salute cogitent. Quocirca ex hac gnome S. Cyprian. de Singular. Cleric. probat cavenda esse fœminarum consortia, ne iis Clerici cohabitent: *Tunc ergo*, inquit, *cavenda sunt fœminæ participio, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia; quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis provocat, et illic parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda sua, temporalis vitæ cogitationibus senserit paululum relaxari, sicut Salomon asserit dicens: Deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.* Nam ut solerter advertit S. Bernard. ser. 81. in Cant. *Peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur aggravet animam, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens et iacens, amorem iustitiæ pariter non admittit.* Deinde quomodo voluntas hæc fiat necessitas, pulchre declarat: *Ita nescio quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit; ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis eis quædam premendo blandiens, ac blandiendo premens; unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere iam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis sub onere necessitatis huius; Domine*, inquit, *vim patior, responde pro me.*

Gnome

Hac de causa apposite S. Gregor. Nazianz. corpus vocat echeneidem, sive Remoram; sicut enim hic piscis exiguus affigens se navibus earum cursum remoratur et sistit; ita et corpus animam. Sic enim canit in Præceptis ad Virgines:

Nec vitæ ipsa tuæ immittas echeneida carnem,
Quæ velut invicta properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.

Unde suadet arctandam esse mentem et amorem; sicut enim arctata aqua in exiguo canali sursum exilit, ita arctata mens exilit ad Christum:

Non secus, inquit, *ipsa tuum qui sic arctatur, amorem*
Te iubeo ad Christum sublato tollere fluctu.

Porro Remora est piscis magnitudine cubiti, fusco colore, similis anguillæ, ait Oppianus lib. 4. de Piscibus. Addit Plutarch. in Sympos. decade 2. c. 7. Remoram retardare navim, quia auget eius humiditatem; sic et corpus animam facit humidam, ideoque gravem et cæcam; nam anima sicca est sapientissima. Anima ergo in corpore velut in ergastulo inclusa tenetur, et membris eius quasi compedibus prægravatur. Est animæ corpus pro nebula, quæ illam cœlestia clare videre non sinit. Est ei pro illecebra, quæ ad malum et vetitum pertrahit. Est ei pro catena, quæ affectuum pennis vix ad sublimia volare permittit. Unde suspirat Psaltes: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?*

Denique audi S. Bernardum serm. 3. de Ascens.: « Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Per sensum hic arbitror intellectum designari, qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam et unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cuius participatio eius in idipsum. Huiusmodi intellectum oportet deprimi, et distrahi per multa multis et multiplicibus modis. Animam vero hic æstimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari numquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, et tendat ad unum. Duo ergo sunt, quæ in nobis purganda sunt, intellectus et affectus; intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. » Subiicit deinde exempla Eliæ et Henoch: « Felices et vere felices illi duo viri, Elias et Henoch, quibus omnes materiæ et occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant aut affectum, quia soli Deo viventes, nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique et de Henoch legitur: Quia raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius; intellectus noster turbatus erat, ne dicam excæcatus, affectus inquinatus erat, et multum inquinatus; sed Christus intellectum illuminat, Spiritus sanctus affectum purgat. »

QUOD CORRUMPITUR.) Dat causam, cur corpus aggravat animam, quia scilicet est corruptibile. Nam primo, Ratio a priori.
1. quod est corruptibile, hoc est materiale et terrestre (res enim immateriales et cœlestes sunt incorruptibiles) ideoque grave et ponderosum, sicut terra est gravis et ponderosa;
2. secundo, quia corpus corruptibile et terrestre in dies corrumpitur, et in terram, ex qua formatum est, devergit, et in eam ceu matrem et originem suam redire gestit; unde secum animam deprimit, ut in terrena devergat et propendeat;
3. tertio, quia corpus corruptibile hominem occupat, ut corruptioni eius continuo occurrat, itaque e cœlestibus avocat. Corpus enim dum famet, cogit hominem cibum sumere, ut fami succurrat; dum sitit, cogit hominem bibere; dum fatigatur, cogit hominem quiescere; dum friget, cogit calefacere; dum dormitat, cogit dormire, etc. Hæ sunt necessitates corporis, quibus anima invita servire cogitur. Unde pro iis orandum cum Psalte: *De necessitatibus meis eripe me.* Ps. 24. 17. Clarum hoc est in ægrotis, qui toti sunt in corpore curando, eiusque valetudine recuperanda, ut nec studere, nec meditari, nec laborare, nec quid aliud egere valeant. Imo et in-

sanis; hi enim tertiam fere diei vitæque partem, dormiendo transigunt; duas reliquas diei partes sæpe labori manuali, prandio, cœnæ, recreationi, confabulationi, etc. impendunt, ut vix dimidiam horum inveniant, quam dent orationi et Deo. Hinc Origenistæ et Pythagorici censuerunt, animam a Deo creatam perfectam ante corpus, sed ob peccata a se admissa detrusam in corpus quasi in carcerem, ut scelerum pœnas lueret. Manichæi vero, inquit S. August. lib. de Hæresibus, in 46. *Etsi utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitant, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis ligetur in prole.* Verum hæ sunt Manis maniæ et vesaniæ.

Vers 16. Et difficile æstimamus (græce, εἰκάζομεν, id est imaginamur, conjectamus) quæ in terra sunt; et quæ in prospectu (græce, *quæ in manibus*) sunt invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt quis investigabit?) Græce, ἐξιχνίασε, id est *investigavit*, q. d. Nemo investigavit, nemo etiam investigabit per se, sine duce sapientia. Cantacuzenus per εἰκάζομεν, id est *imaginamur*, censet notari sensus, tum externos, tum internos, per quos a rebus sensibilibus hauriuntur imagines, id est species, quæ menti imprimuntur, ut res cognoscat, non uti sunt in se sua que essentia sed per species quasi per colores, quibus res vestiuntur, depinguntur et quasi colorantur; quare naturas et substantias rerum non cognoscimus, sed tantum externas earum formas et picturas. Omnia hæc ostendunt, quomodo corpus degravet animam et mentem.

Vers 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis?) Pro *sciet* græce est præteritum *scivit*; S. Cyprian. de Singular. Cleric. legit, *scit*; per præteritum enim cætera tempora denotat, puta præsens et futurum. Hinc et S. Hieron. in cap. 12. Zachar. pro *dederis* et *miseris* legit, *dedisti* et *misisti*. Pro *sensum*, græce est βουλήν, id est consilium, mentem, voluntatem. Spiritus sanctus, tum creatus hic sumi potest, puta gratia et charitas; tum increatus, puta tertia persona Sanctæ Trinitatis. Huic enim appropriatur illuminatio et sanctificatio; unde Ecclesia eum invocans ait:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Et sic (male Lyranus et Dionysius legunt, si) correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines?) Notat duplicem effectum sapientiæ et Spiritus sancti. Primus est, quod doceat ea, quæ sunt grata Deo; secundus, quod ad ea opere explendum, gratiam roburque suggerat, per quam mentes reformat, et mores corrigit. Pro *correctæ*, S. Cyprianus de Singular. Cleric. legit *directæ*. Vers 18.

Nam per sapientiam sanati sunt quicumque tibi placuerunt a principio.) Hæc ultima verba desunt in Græco. Pro *sanati sunt*, græce est, ἐσώθησαν, id est servati vel salvati sunt, hoc est, liberati sunt a periculis mortis, tum corporis, tum animæ. Unde horum exempla deinceps recenset usque ad finem libri. Quocirca ab hoc versu caput decimum inchoant nonnulli. Simili modo Sapientem imitatus S. Paulus Hebr. 11. toto capite probat omnes, qui ab origine mundi salvati sunt, per fidem fuisse salvatos. Vers 19.

TERTIA PARS LIBRI

IN QUA

SAPIENTIÆ, EIUSQUE FRUCTUUM EXEMPLA E PATRUM HISTORIA RECENSET: QUIBUS SAPIENTIÆ PRÆSTANTIAM AC DOTES HACTENUS RECENSITAS CONFIRMAT.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salutem, quam per sapientiam adepti sunt Adam, Noe, Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, Moses, Hebræi, transeuntes mare rubrum, mersis in eo Ægyptiis, commemorat.

1. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, 2. Et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. 3. Ab hac ut recessit iniustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit. 4. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans. 5. Hæc et in consensu nequitiæ cum se nationes contulissent, scivit iustum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit. 6. Hæc iustum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: 7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. 8. Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. 9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus liberavit. 10. Hæc profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. 12. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. 13. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam, 14. Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. 15. Hæc populum iustum, et semen sine querela, liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. 16. Intravit in animam servi Dei: et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. 17. Et reddidit iustis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem: 18. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, 20. Et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter: 21. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.

Vers 1 HÆC ILLUM, QUI PRIMUS FORMATUS EST A DEO PATER ORBIS TERRARUM, CUM SOLUS ESSET CREATUS, CUSTODIVIT.) *Hæc*, scilicet sapientia, de qua hic omnis est sermo: græce: *Hæc protoplastum mundi patrem, solumque creatum conservavit*, q. d. Sapientia Adamum, qui primo solus a Deo fuit creatus et plasmatus, ut esset pater omnium hominum totius mundi, custodivit, ne quo casu læderetur aut interiret, præsertim ne a feris, serpentibus, venenatis herbis, fulminibus et procellis, vel a dæmonibus occideretur, itaque tota hominum stirps exstingueretur, sed ut viveret vegetus, sanusque perseveraret ad annum ætatis 930. Itaque genus humanum per multos filios et filias, ac nepotes et neptes propagaret. Adam vocatur *protoplastus*, quia corpus eius a Deo ex luto plasmatum

A et efformatum est, sicut a figulo finguntur et formantur vasa et simulacra ex luto et creta; ac deinde Deus in plasma, sive corpus hoc, animam inspiravit et infudit, itaque factus est homo in animam viventem, id est animal vivens, homoque rationalis. Vide dicta Gen. 1. et 2. Unde homines Deo fictori et factori suo obmurmurantes, quod alios se non formarit, nec alio meliore modo et conditione eos finxerit, ut aliam sortem, statum et gradum eis daret, redarguens Isaias cap. 29. 16. *Perversa, ait, est hæc cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet; et dicat opus factori suo: Non fecisti me; et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.* Quo alludens S. Paulus Rom 9. 20. *O homo, ait, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non ha-*

bet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Claro vero et fuse Ieremias cap. 18. 6. *Ait Dominus: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* Et v. 11. *Ecce ego fingo contra vos malum.* Deus ergo est nostri corporis, conditionis et sortis plastes, sive figulus; lutum est terra et limus; plasma sive figmentum est corpus nostrum. Vide dicta locis iam citatis. Idem a Mose didicere Plato et Philosophi. Unde Aristophanes: πλάσμα, inquit, πηλοῦ ἄνθρωπος, hoc est, *plasma, sive figmentum, luti est homo.* Et Lucianus in Prometheo ait Minervam, quæ est dea sapientiæ, finxisse hominem implendo spiritu lutum, et plasmata, hoc est simulacra sua e luto efficta animando. Et Cicero pro Murena de Catone iuniore ait: *Finxit te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum.*

A Deo.) Concurrentibus tamen ad materiam præparandam angelis, ut dixi Gen. 1. et 2. Το *a Deo* iam deest in Græco.

Pater orbis terrarum.) Id est, pater omnium terrigenarum, hoc est omnium hominum, qui ex terra formati, terræ destinati sunt incolæ et domini, ideoque propter eos terra, totusque hic mundus corporeus a Deo productus est. Denique tam Adam, quam quisque homo ex eo prognatus, est mundi imago, imo microcosmus, id est parvus mundus. Porro hæretici Paterniani, inquit S. Augustin. libr. de Hæresibus in 85. inferiores partes humani corporis, non a Deo, sed a diabolo factas opinantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, impurissime vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant. Verum hæc est hæresis veneres.

Ad litteram ergo *pater orbis terrarum* fuit Adam, a quo omnes terrigenæ prognati sunt. Mystice est Christus, a quo omnes terrigenæ redempti et regenerati sunt. Rursum, patres tales sunt Apostoli et viri Apostolici, qui orbem ad Christum converterunt. Ab uno exemplo disce omnes. Inter eos in Pentapoli Italiæ, urbeque Fanensi (ita dicta e prisco Fortunæ fano) eminuit S. Paternianus, anno Domini 300. sub Diocletiano Imp. qui patre Ovinio Paterno Consule Romano genitus, Diocletiani sævitiam fugiens, angeli Raphaelis ductu, velut alter Tobias, in silvam semotam concessit; ibique cum multis asseclis monasticen exercuit, suumque ductorem æmulatus, vixit purissime instar angeli, ac creatus Abbas miram virtutum fragrantiam per totam illam Italiæ oram sparsit; atque inter alia fortitudinis facinora, diabolum specie puellæ profugæ se ad nefas sollicitantem, manum igni ardenti imponens, velut fulgur in diabolum intorquens, eum fudit fugavitque. Insuper, dum rerum inopia cum monachis laboraret, patritius Senogalliensis ab angelo monitus, iumenta cibis onusta ad easdem misit, quæ, cum locus esset incognitus, angelo duce recta ad ipsum deducta sunt. Miraculis perpluribus claruit, claudis gressum, cæcis visum, energumenis libertatem, sanitatemque restituit. Creatus Fanensis Episcopus, qua verbo, qua exemplo, ac præsertim incensa in omnes charitate, velut pater omnium, solari singulos, hortari, instruere et ad salutem traducere satagit. Erat enim fide eximius, spe magnanimus, charitate flagrans, sapientia plenus, in eleemosynis largus, humilitate mitis, iustitia severus, sanctitate singularis. Hinc factum ut omnes ei acclamarent: *Pater noster es tu*, iuxta illud Elisæi ad Eliam: *Pater mi, currus Israel et auriga eius*, 4. Reg. 2. Quibus in laboribus pietatisque officiis cum 42. annos sanctissime exegisset, ab angelo mortis tempus modumque edoctus, magno omnibus relicto sui desiderio, gloriosus ad Deum migravit die 13. novembris, corpore suavem exhalante odorem. Quocirca e cælo paternum in suos Fanenses conservans affectum, persæpe factiones civium dissipavit, inimicitias sustulit, pacem redintegravit, cædes impedivit, pestem famemque depulit; quin et hostes profligavit, ac nominatim cum Urbinates Fanum obsidione cinxissent anno Domini 1517. habitu pontificali vultuque augusto, spectandum se exhibens, civibus animos addidit, hostesque terrore perculit et in fugam egit; perinde ac S. Iacobus sæpius Hispaniam, S. Ambrosius Mediolanum a Conrado Imp. obsessum, S. Benedictus Nursiam, S. Faustinus et Iovita Brixiam ab hostium incursu defenderant et propugnarant. Sacrum eius corpus, sepulcro eius reserato anno Domini 1551. sub Iulio III. Pont. post mille ducentos annos, repertum est integrum, vultu hilari et angelico; perinde ac si recenter sepulturæ fuisset traditum, miram undique fragrantiam spargens, cuius odore multi ægri sanitati restituti sunt. Quocirca Fanenses imagini eius hoc epigramma supplices posuere:

S. Paternianus pater urbis et orbis.

O Pater, o custos; nostris qui raptus ab oris,
Invitus visus cedere, mane redis.

Cum enim sacrum eius corpus Forosempronienses pio furto sustulissent, illudque tota nocte curru Forum Sempronii versus vexissent, mane tamen eodem loco unde sublatum fuerat inventum est. Eius templum auxit et decoravit Iustinianus Imper. ad quod dum mora suo devotionis ergo contendit agricola, Argillam flumen sicco pede pertransiit. Hæc ex publicis Fanensium tabulis accepi, ac ingenti imagine expressa, Romæque excusa et approbata conspexi. Basilica Sancti peramplis, tum prædiis, tum privilegiis, dotata fuit a Zacharia aliisque summis Pontificibus, ac a Friderico Imper. diruta, restituta ab Innocentio IV. Pontif. Iure ergo S. Paternianus Italiæ, imo urbis terrarum, pater spiritalis et cælestis nuncupari potest.

Cum solus esset.) Adam enim primo solus a Deo formatus est, deinde ex costa eius fabricata est Eva, ut ex ea filios procrearet, et genus humanum propagaret, quæ proinde dicta est *mater viventium*; præsertim quia ex ea nascitura erat B. Virgo, quæ Christum auctorem vitæ erat paritura; Christus enim ex fœmina, puta ex B. Virgine, Evæ filia, natus est sine opera viri, ex virtute Spiritus sancti.

Custodivit.) Adamum custodem paradisi, tum quoad corpus, ne quo casu læderetur aut moreretur, uti dixi; tum quoad animam, ne peccaret in statu innocentiæ, antequam deciperetur ab uxore; ac, postquam ab ea deceptus peccavit, et innocentiam ac iustitiam originalem deperdidit, custodivit eum ne plane interiret et damnaretur, sed gratiam et pœnitentiam ei suggessit, qua a peccato resurgeret et salvaretur. Unde sequitur:

Et eduxit illum a delicto suo.) Complut. legunt ἐξείλατο, id est exemit, extulit; alii, ἐξέτεινεν, id est extendit vel extraxit, asseruit, aut vindicavit eum a delicto et lapsu suo; Syrus: *Liberavit eum a casu animæ illius*; Arabicus: *Et redemit eum a seductione eius.* Hinc patet Adam pœnituisse de suo inobedientiæ, qua pomum a Deo vetitum comedit, peccato, ideoque illud ipsi fuisse remissum; imo veteres ex communi Ecclesiæ traditione et consensu tradunt Adamum esse salvatum: quare temerarium est id negare, et favet hic Sapientiæ locus. Hæc omnia docet S. August. epist. 99. ad Evodium, ubi sic ait: *De illo primo homine patre generis humani, quod Christus, cum descendit ad inferos, inde eum liberavit, Ecclesia fere tota consentit; quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hic expressa non proferatur auctoritas.* Idem tradit S. Irenæus l. 3 cap. 34. Epiphan. hæresi 46. S. Hilar. in Psal. 119. et Canone 8. in Matth. S. Hieron. in Psal. 98. et in c. 20. Matth. Nazianz. orat. in S. Cyprian. S. Athan. ser. de cruce. S. Basil. Exhort. ad baptismum, Origen. in c. 5. ad Roman. S. Thom. l. 4. contra Gentes, c. 52. et 53. Hugo Victor. in Gen. c. 3. qui id probat ex illis Dei verbis: *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, etc. Gen. 3. 15. ac cæteri unico excepto Ruperto in c. 3. Gen. c. 31. cui assentiuntur veteres hæretici, ut Tatianus, Saturninus, Severus, Marcion, Valentinus, qui dixerunt Adamum esse damnatum, teste S. Epiphan. hæresi 46. et aliis. Addit S. August. l. 2. de Peccat. merit. c. 34 (et refertur de Pœnitent. dist. 4. cap. 83. *Sicut primi homines*) quem sequitur S. Anselm. libr. *cur Deus homo*, c. 16. de utroque parente, hoc est de Eva æque ac Adamo, merito id credi. Probat idipsum Iren. l. 3. cap. 37. et Tertull. lib.

Vers. 2.

Adam est salvatus. Hæc est traditio Ecclesiæ.

Et Eva.

Rationes.

de Pœnitentia in fine, ex eo quod confessi sint peccatum, quodque induerint se perizomatis et foliis ficulneæ, quasi sacco et cilicio in signum pœnitentiæ. Et S. Ambros. asserit Adam post culpam statim eiectum de paradiso, separatum a deliciis, et ut ageret pœnitentiam, vestitum tunicam pelliceam, non sericam. S. Chrysostomus idipsum probat ex singulari amore, quo Deus ipse convenit lapsum et erexit. S. Gregorius l. 6. epist. 31. ad Eulogium, scribit Adæ animam in peccato mortuam non a substantia vivendi, sed a qualitate vivendi; tamen postmodum per pœnitentiam ad vitam rediisse. Leo IX. cap. *Hi duo*, de consecr. dist. 1. reddit rationem cur *Gloria in excelsis* et *alleluia* in Septuagesima intermittantur? Quia, inquit, peccavit primus homo; cur in Paschate repetantur? Quoniam Christo resurgente resurrexit ille lapsus protoplastus. S. Epiphanius quoque hæresi 46. *Castigatione*, inquit, *non vulgari plexus est, et a regione paradisi in exilium actus, quo memor esset bonæ vitæ per pœnitentiam in memoriam revocatæ.* Quin et Hebræorum sententia est, in suo diuturnissimo exsilio Adam se consolatum Psal. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est*, etc. a se composito.

Adamus sepultus in Calvariæ monte.

Denique communis est Patrum sententia, Adamum in monte Calvariæ esse sepultum, ut qui primus peccati fuerat auctor, primus vim sanguinis Christi in eodem crucifixi sentiens salvaretur. Ita censent S. Athanasius, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et alii quos citat noster Pererius lib. 7. in Genes. cap. 46. Porro quod obiicit Rupert. Adamum opponi Christo, Roman. 5. et alibi, quod Adam peccati, mortis et damnationis fuerit auctor; Christus vero gratiæ, vitæ et felicitatis æternæ, verum est quoad initia Adæ quando peccavit, non quoad sequentia, et præsertim exitum vitæ, quando per gratiam Christi illi promissi et ex illo nascituri, pœnitens veniam et salutem consecutus est. Decebat enim Deum, qui eum crearat, non sinere opus suum, puta protoplastum perdi, sed eum a lapsu elevare, renovare et quasi recreare. Decebat quoque Christum, qui genus humanum redimere venerat, ut generis humani caput et patriarcham, ideoque suum quoque patrem, redimeret et salvaret: *Ut, cum salvatur homo*, inquit, S. Irenæus l. 3. c. 34 *oporteat salvari eum qui prior formatus est homo.* Unde Adamum a Christo descendente in limbum ex eo fuisse eductum, ac cum Christo resurrexisse, docent Orig. tr. 35 in Matth. S. Athanas. orat. de Passione, S. August. qu. 161. in Gen. S. Macarius hom. 11. Vide Bellarm. libr. 3. de Amissione gratiæ et statu peccati cap. ult. et Pererium l. 7. in Gen. Narratur in historia Passionis Christi, sub nomine Nicodemi, Christum in inferno, id est in limbo, manum Adam tenuisse et dixisse: *Pax tibi cum omnibus filiis tuis iustis meis;* Adamum vero respondisse Christi genibus advolutum cum lacrymis et voce magna (tamen nondum receperat corpus, imo non certo constat adhuc an receperit) *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum*, Ps. 29. 1. et seq. Verum hic Nicodemi liber est apocryphus. Complut. et Regil, nec non Hugo, Lyran. Dionys. hic addunt: *Et eduxit illum de limo terræ.* Verum idipsum delent Græci et Romani. Probabiliter suspicatur Franc. Lucas in Notis hic, verba hæc hoc modo irrepsisse. Quispiam, inquit, pro illis verbis: *Et eduxit illum a delicto suo*, supposuit, *et eduxit illum de limo terræ*; conveniunt enim litteris *delicto* et *de limo*, et in aliquibus libris legitur tantum: *Et eduxit illum de limo terræ.* Postea retulit alius utramque in textum, nempe id quod iam dixi, et illud: *Et eduxit illum a delicto suo.*

Resurrexit cum Christo

ET DEDIT ILLI VIRTUTEM CONTINENDI (Syrus et Arabicus, *tenendi*) OMNIA.) Scilicet suo dominio et imperio; nam græce est κρατῆσαι πάντων, id est *dominandi omnibus*, sicut rex dominans omnibus omnia continet arbitrio: Deus enim Adæ dedit potestatem in omnia animalia cæteraque terrena, iuxta illud Gen. 1. 28. *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram;* quæ potestas homini post peccatum reddita et renovata est, licet non ea plenitudine et perfectione qua data fuerat primitus Adæ, dum Deus post diluvium dixit Noe et filiis eius: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram; omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.*

Tropolog. Deus dedit Adæ robur et vires κρατῆσαι, id est superandi omnia vitæ pericula, adversa et tentamenta, quæ post peccatum eum undique invaserunt et quasi circumvallarunt; ad illa enim vincenda, Deus illi gratiam et fortitudinem suggessit.

Quare immerito Rupertus, loco iam citato, auctorem huius libri errasse dicit, eo quod Adæ tribuat virtutem continendi omnia, quæ soli Christo competit, ideoque librum hunc esse apocryphum. Iam enim ex decreto Concilii Tridentini constat hunc librum esse Canonicum.

AB HAC UT RECESSIT INIUSTUS IN IRA SUA, PER IRAM Vers 3
HOMICIDII FRATERNI (male aliqui legunt, *fraternitatis;* et alii, *fraternitas*) DEPERIIT.) Græce, *ab hac* (sapientia) *apostatans iniustus* (Cain) ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, id est, *fratricidalibus simul deperiit furoribus*, indignationibus et furiis; quia scilicet ira et furor Cain duos perdidit, nimirum Abelum cæde, et ipsum Cainum scelere, inquit Nannius; dum enim Cain Abeli corpus transfodit, suam ipsius animam confodit. Hinc Philo lib. *Quod deterius potiori insidietur: Insurrexit*, ait, *Cain in Abelem fratrem suum, et interfecit ipsum. Prima quidem specie Abelum occisum subindicat; sin autem diligentius rem expendas, ipsum Cain, a seipso; proinde sic legendum: Insurrexit Cain, et occidit seipsum*, etc. Ita ipse more suo symbolice, non genuine ad litteram. Nam Cain mox a cæde Abel cœpit cum iugi tremore et pavore velut furiis agitatus huc illucque vagari, omnibusque fuit abominabilis et exsecrabilis, ut tradunt Hebræi. Unde videtur Cain in scelere perseverasse impœnitens, ac ex uno in aliud corruisse, ideoque periisse, esseque damnatus. Addunt Paulus Burgensis, Dionys. et Oleaster in Genes. cap. 4. Cainum mersum esse diluvio tempore Noe. Verum hoc est improbabile. Sic enim Cain vivere debuisset plus mille et sexcentis annis; tot enim fluxere ab Adam et Cain usque ad diluvium. Illud tamen verum est posteros Cain patris sui homicidium imitantes, omnes periisse diluvio, ac proinde Cainum pariter ea periisse, quia eo tota ipsius prosapia periit et exstincta est; imo Cain suo scelere totum orbem perdidit diluvio, uti dicatur versu 4. Sensus ergo est, q. d. Cain recedens a sapientia per iram, ex invidia in Abelem fratrem concitatam; quia scilicet respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit, furore quo fratrem interfecit, et ipse periit, dum fraternæ charitatis iura violavit, et prior ipse mortem peccato in orbem inductam intulit fratri, quam ipsa natura. Itaque destitutus a sapientia fratrem interfecit, et ipse in gravissimum barathrum decidit fratricidii.

Ostendit sapientiæ necessitatem et dignitatem a contrario, puta ex damnis insipientiæ; impii enim destituti sapientia, velut luce et duce, in gravissima scelera corruerunt: cuius rei exemplum est Cain primogenitus Adæ, qui per summam stultitiam fratrem suum Abel, non alia de causa occidit, quam quod Deus eius innocentia et sacrificio fuerit delectatus, et ut ait Ioannes sua ep. 1. c. 3. 12. *Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta.* Unde Paulus ad Hebr. 11. 4. *Fide*, ait, *plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.* Refertur hæc historia fratricidii Cain Genesis 4. cap. Sicut ergo Romulus Romæ conditor, Remum occidens, fratricida fuit; sic et primus Adæ filius, et primus urbis Henoch in orbe conditor, perempto Abele, fratricida exstitit. Addit Cantacuzenus Cainum simili nece punitum; occisum enim esse eum casu a Lamech nepote suo in venatione, cum Lamech cæcutienti Tubalcain filius, Cainum sub herbis latitantem

pro fera ostendisset, ideoque et ipsum Tubalcain a patre Lamech indignante interfectum. Verum hæc habent parum probabilitatis, uti ostendi Gen. 4. 23. Vide de scelerata vita Cain Iosephum 1. Antiq. c. 3. de infelici vero morte. S. Ambros. lib. 2. de Cain, cap. 9. et 10. et S. Augustinum serm. 104. de Temp.

Vers. 4. PROPTER QUEM (Cain) CUM AQUA DELERET TERRAM, SANAVIT ITERUM SAPIENTIA, PER CONTEMPTIBILE LIGNUM IUSTUM GUBERNANS.) Græce: *Propter quem demersam diluvio terram sapientia iterum servavit, cum iustum exiguo ligno gubernasset*; Origen. tomo 20. in Ioannem, *vili ligno iustum gubernans*; alii, *per vile lignum iusto gubernato*. Græce enim est εὐτελοῦς, id est simplex, vile, tenue lignum, quod tanto diluvio, et aquarum vi molique per se resistere non poterat, ideoque *contemptibile*, ut vertit Noster, præsertim quia homines illius ævi contemnebant arcæ fabricam, ac Noe eius fabricatorem velut delirum deridebant. Ita S. Bonavent. et Lyran. Græca hic variant; nonnulli enim legunt δι' ὅν, id est *propter quem*, scilicet Cain: alii δι' ὅ, id est *propter quod*, scilicet scelus parricidii sive fratricidii Cain. Eodem ergo redit utraque lectio. Sensus est, q. d. Impios homicida, hoc fratricida Cain, suo exemplo posteros ad idem scelus, cæteraque quælibet impulit; quo factum est ut Deus, tot tantaque eorum scelera perosus, impiam gentem totumque orbem diluvio merserit. Verum sapientia iustum piumque Noe tunc servavit in arca, ut ipse esset seminarium humanæ posteritatis, ne illa diluvio tota interiret, sed per eius filios et nepotes servaretur et propagaretur. Vide dicta Genes. 6. et seq. Hinc Origen. in Ioannem tom. 20. paulo post initium: *Quod vero, inquit, diluvium seminis Cain delendi causa factum fuerit, Sapientiæ liber Salomoni inscriptus his verbis docet: Recedens autem ab ipsa (sapientia) iniustus in ira sua periit, cum animis fratricidis, per quem inundatam terram rursus servavit sapientia, vili ligno iustum gubernans.* Est hoc tertium exemplum, idque geminum. Per antithesin enim bifariam ostendit quanta sit utilitas sapientiæ; nam orbem perdidit insipientia et impietas Caini et posterorum eius gigantum, inducendo diluvium: hunc servavit et restauravit sapientia et iustitia Noe per arcam; unde nonnulli cum Iansenio illud Genes. 4. 15. de Caino dictum: *Septuplum punietur*, sic intelligunt, q. d. Deus differet Caini punitionem usque in septimam generationem; tunc enim Caini posteri mensuram peccatorum eius implebunt, qua impleta Deus toti orbi inducet diluvium, ut eo impios cum impietate submergat. Cain ergo fuit dux, pater et princeps impiorum, ob quos Deus immisit diluvium. Audi Ioseph. lib. 1. Antiq. c. 3. *Cæterum tantum abfuit ut hac castigatione in melius vitam mutaverit, ut peior etiam sit factus, suis voluptatibus vel cum aliorum iniuria indulgens, et facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum et nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem excogitatis mensuris et ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem et generositatem ignaram talium artium, in novam quamdam versutiam depravavit.* Et post pauca: *Superstite etiam tum Adamo Caini soboles sceleratissima evasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solum imitatur priorum vitia, sed et superat.*

Nota τὸ *sanavit*, q. d. Cain cum posteris, per diluvium vulnus pene lethale et irreparabile inflixit toti orbi totique humano generi; sed sapientia huic vulneri manum medicam adhibuit, illudque sanavit servando Noe per contemptibile lignum, id est per vilem et exilem arcæ fabricam, ut ille esset pater novi mundi et sæculi, ac orbem pene deletum obrutumque suis ruinis et cineribus, velut phœnicem redivivum suscitaret. Hoc est quod de Noe inter eius elogia recenset Ecclesiast. c. 44. 17. *Noe inventus est perfectus, iustus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri posset diluvio omnis caro.* Et Paulus ad Hebr. 11. 7. *Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum; et iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus*; vide ibi dicta.

Porro S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 25. Noe a quatuor virtutibus cardinalibus celebrat: « Noe, inquit, quam sapiens, qui tantam fabricavit arcam? quam iustus, qui ad semen omnium reservatus solus ex omnibus, et præteritæ generationis superstes est factus, et auctor futuræ, mundo potius et universis quam sibi natus? quam fortis, ut diluvium vinceret? quam temperatus ut diluvium toleraret? quando introiret, qua moderatione degeret, quando corvum, quando columbam dimitteret, quando reciperet revertentes, quando exeundi opportunitatem agnosceret? »

Nota, secundo, τὸ *gubernans*: Noe enim arcæ undique tectæ erat inclusus, totusque pendebat a Dei providentia et gubernatione; quare non alius potuit esse arcæ nauclerus et gubernator, quam Deus. Audi S. Chrysost. hom. 24. in Genes. « An non, inquit, arcam hinc et illinc moveri, et non submergi a tanta aquarum vi, cum nullus esset gubernator, supernæ erat gratiæ? Non enim dicere potes quod fuerit ad modum navis, ut arte quadam illius iter dirigi potuerit (velis vel remis). Arca erat undequaque clausa et munita, et propter præceptum conditoris, non solum eam lædere non potuit aquarum impetus, sed sublimior illis facta inhabitantes admodum securos fecit. » Similia habet S. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 27. et S. Ambros. lib. de Arca et Noe cap. 21. Simile exemplum senis naufragi, quem in navi fluctibus in varias oras iactatum miro providentia gubernavit Christus, narrat S. Paulinus epist. ad Macarium.

Tropolog. simili cura Christus iustum et electum quemlibet gubernat, ut per tot huius vitæ procellas salvus enatet vel enaviget ad portum salutis. Quare iustus dicat cum Poeta:

Per tot discrimina rerum
Tendimus in cælum, sedes ubi fata quietas
Ostendunt nobis.

Denique nota τὸ *iterum*, q. d. Adam primo perdidit orbem, dum peccavit, ac peccatum in omnes posteros transmisit; merebatur enim ipse cum omnibus posteris a Deo perdi et occidi, sed sapientiæ divinæ bonitas eum a peccato eduxit, ac posteris de Christo salvatore providit. Secundo, Cain cum posteris orbem perdidit diluvio, sed iterum eum salvavit sapientia, per Noe diluvium superans, et orbem restaurans.

HÆC ET IN CONSENSU NEQUITIÆ (aliqui legunt, *superbiæ*) CUM SE NATIONES CONTULISSENT (alii legunt, *extulissent*; aliqui, *confudissent*) SCIVIT IUSTUM, ET CONSERVAVIT SINE QUERELA DEO, ET IN FILII MISERICORDIA FORTEM CUSTODIVIT.) Pro ἔγνω, id est scivit, aliqui legunt εὗρε, id est invenit. Pro *sine querela* græce est, ἄμεμπτον, id est *inculpatum*, idque *Deo*, qui scilicet adeo erat integer vitæ scelerisque purus, ut ne Deus quidem in eo aliquod crimen notare et culpare posset. Pro *cum se nationes contulissent*, græce est, ἐθνῶν συγχυθέντων, id est, *cum se gentes confudissent*, id est commiscuissent, coniunxissent, conspirassent, scilicet ad ædificandam turrim Babel duce et instigatore Nemrod, primo orbis rege et tyranno, ut scilicet hac turri altissima a diluvio, si quando rursus ingrueret, se defenderent, ut vult Iosephus; aut potius, ut Nemrod superbus ibi regni et tyrannidis suæ arcem locaret, ex qua in omnes dominari, omnesque sibi subiectos continere et coercere posset, ait Hugo Victor. in Gen. imo ex qua ipse in cælum conscendere, ac contra Deum se defendere posset, ut indicat S. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 4: Unde Poetæ fabulati sunt Titanes cum Iove pugnantes, montes montibus imposuisse, ut in cælum conscenderent, iuxta illud Virgilii 1. Georg.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam:
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

Tunc Deus *scivit*, id est cognovit, amavit et conservavit, iustum *sine querela*, ut superbiæ, atheismo et tyrannidi Nemrod et fabrorum turris Babel, non consentiret, sed in Dei fide et cultu fidelis persisteret: unde Deus illum unum sibi delegit, cum reliquos omnes eversurus, illorum linguas

confudit, itaque fabricam Babel impedivit, fabrosque per totum orbem dispersit: lingua ergo puniti sunt, quia lingua peccarunt. Nam ut ait S. August. l. 16. de Civit. c. 4. *Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo. Sic illa conspiratio dissoluta est.*

Quæres, quis fuit hic iustus? Nonnulli putant fuisse Heber: illius enim ævo facta est fabrica turris Babel; unde ipse filium tunc natum vocavit *Phaleg*, id est, *divisio*, eo quod tunc a Deo fabrorum Babel confusæ et divisæ sint linguæ. Hinc S. August. l. 16. de Civit. c. 11. docet Heber immunem fuisse ab impietate fabrorum horum, et consequenter a confusione linguarum, ideoque ipsum eum vera Dei fide et pietate pristinam linguam retinuisse, quæ proinde ab Heber dicta sit Hebræa.

Verum quod sequitur: *Et in filii misericordia fortem custodivit*, clare notat Abraham, non Heber. Quare nonnulli putant hic notari bellum Abrahæ, quod gessit contra quatuor reges totidem gentium, cum iis cæsis liberavit Lot, Genes. 14.

Melius alii referunt ad vocationem Abrahæ, quando omnibus gentibus ad idololatriam deflectentibus Deus eum evocavit ex Ur Chaldæorum in Chanaan; ut ibi sibi soli serviret. Hæc gentium a Deo apostasia et defectio ad idola, cœpit in fabrica turris Babel, quæ facta est sub annum centesimum, vel potius centesimum septuagesimum, a diluvio, ac deinde in dies crevit et propagata est usque ad Abraham, qui natus est anno 292. a diluvio; quare alludit hic ad fabricam Babel, sed per eam designat ævum idololatriæ, quæ tunc cœpit et duravit per multa sæcula, a qua Deus Abraham eiusque posteros evocavit, et sibi in populum fidelem, suamque Ecclesiam et Synagogam separavit. Alludit enim ad illud Genes. 15. 7. *Ego* (sum) *Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum.* Vide Iudith c. 5. v. 7. Unde colliges Abrahamum numquam coluisse idola, licet id opinetur Sanctus Chrysostomus, at semper Deum verum, uti pluribus ostendi Genes. c. 11. v. 26.

Addunt Hebræi in *Seder olam* fabricam turris Babel factam esse ultimo anno vitæ Phaleg, qui fuit annus a diluvio trecentesimus et quadragesimus (vixit enim Phaleg 239. annis, Genes. 11. 18) quo anno Abraham, utpote natus anno 292. a diluvio, iam erat 48. annorum; quare aiunt Abraham æque ac Noe, qui tum adhuc vivebat, interfuisse fabricæ turris Babel: Heber enim indidisse filio nomen Phaleg spiritu prophetico, quo prævidebat sub finem vitæ eius fabricandam turrim Babel, ideoque dividendas linguas: hæc Hebræi. Verum verius est turrim Babel fabricatam anno centesimo, ut vult S. August. vel potius anno centesimo septuagesimo a diluvio, ob rationes quas attuli Gen. 10. 25. quare fabrica hæc 122. annis præcessit nativitatem Abrahæ.

Sapientia roboravit Abrahamum.

ET IN FILII MISERICORDIA FORTEM CUSTODIVIT.) Ita legendum cum Romanis et Græcis. Quare minus recte Complut. legunt: *Et in filius misericordiam fortem custodivit;* alii: *Et in filius misericordia fortem custodivit*, q. d. Deus postquam confusione linguarum punivisset impios fabros Babel, ascivit sibi Abraham, suamque gratiam et misericordiam in eius posteros firmam stabilemque conservavit. Ita Lyran. Hugo, Holcot et Dionys. Verum legendum est cum Romanis in *filii misericordia*; græce, ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις, id est in *filii visceribus*, quod nonnulli ein exponunt, q. d. Deus Abrahamum eo affectu complexus est, quo pater solet filium prosequi; Deus ob intimum et visceralem erga Abraham, quasi filium suum, amorem fecit eum resistere peccatoribus undequaque circumfusis, eumque ad sceleris communionem tentantibus; unde Vatabl. vertit: *Et ut erga filium animata, conservavit constantem.* Sic Apostolus ait Philippens. cap. 1. v. 8. *Testis mihi est Deus quomodo cupiam vos in visceribus Iesu Christi*, quod scilicet vos diligam eo affectu, quo Christus vos in *visceribus*, id est intime, diligit.

Secundo et genuine, q. d. Deus Deique sapientia effecit ut Abraham fortiter vinceret visceralem amorem et commiserationem erga filium suum Isaac, quando Deo iubente eum immolare voluit, Genes. 22. Vide ibi dicta. Abraham enim ex intimis visceribus diligebat Isaac; unde summa commiseratione commota sunt eius viscera, cum iussus est eum mactare; sed fortitudo obedientiæ et amoris divini vicit omnem amorem et miserationem humanam, etiam filii unigeniti, qualis erat Isaac. Magno enim animi robore opus fuit Abrahæ, ut immolaret filium unicum per miraculum natum, totamque suam spem posteritatis. Deus enim promiserat Abrahæ propagandam eius posteritatem per Isaac, ex eoque nasciturum Christum. Quare Abraham *contra spem* naturæ *in spem* gratiæ et promissionis divinæ *credidit*, scilicet ex Isaac a se immolato nascituram sibi prolem a Deo promissam; credebat enim Deum Isaac a morte suscitaturum, Roman. 4. 18. Heb. 11. 19. Annon hæc fuit magna fortitudo fidei et obedientiæ? Hinc Abraham a S. Ambrosio vocatur *pater fidei, pater omnium credentium, princeps familiæ gentium et generationis Domini, pater electionis et piæ confessionis.* Unde Philo l. de Abraham, eius virtutem et robur longe extollit super omnes Gentiles, qui se aut suos amore parentum vel patriæ morti obtulerunt, aut devoverunt, uti fecere Codrus rex Athenarum, Menœceus, Aristogiton, Iphigenia, Leonidas, Epaminondas, Iunius Brutus et Decii. Hi enim partim ex vanæ gloriæ studio, partim inviti et coacti, ad graviora mala cavenda id fecerunt. At Abraham non coactus, sed sponte et ultro unius Dei amore, ut eius voluntati satisfaceret, suum Isaac propria manu iugulare, mactare et concremare Deo destinabat. Quocirca vere de Bruto primo Romæ consule, filios, eo quod cum Tarquiniis contra rempublicam conspirassent, ad mortem condemnante cecinit Virg. 6. Æneid.

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido,
Infelix, utcumque ferent ea fata minores.

Secus fuit in Abraham, qui vicit amorem filii sobore amoris divini. Unde mira eius ex misericordia et fortitudine harmonia digna est, quæ magnis laudibus celebretur: nam filium sine misericordia iugulare, tyrannicum esset, imo et belluinum: sine obedientia illæsum custodire, impium esset et penitus iniustum: utrumque vero coniungere, et cum misericordia erga filium, obedientiam erga Deum conciliare, fortis ac generosi animi indicium singulare. Qua de causa Deus hanc Abrahæ in obediendo fortitudinem quasi admiratus, cum iuramento ei promisit Genes 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me.* Quocirca S. Ambros. l. 2. de Cain et Abel, c. 1. de hac oblationis Abrahæ fortitudine sic scribit: *Quem* (Isaac) *sacrifici modo obtulit pater nullius motu passionis inflexus humanæ, mundam offerens Deo hostiam vacuamque formidinis, et corporeæ cupiditatis immunem cum ipsa pietas patris devotioni cederet immolantis*, q. d. Devotio Abrahæ erga Deum vicit pietatem erga filium Isaac, ut eum pro Deo immolare destinaret. Idem l. 1. Offic. c. 25. *Adverte*, ait, *hic omnes virtutes in uno facto. Fuit sapientiæ, Deo credere, nec filii gratiam anteferre auctoris præcepto: fuit iustitiæ, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius: tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit et quarta virtus temperantia. Tenebat iustus et pietatis modum, et executionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit ut filium reservaret.* Et S. August. ser. 73. de Tempore: *Hilarius*, inquit, *accingebatur, qui nec timorem facinoris formidavit, nec implere quod iussus est degener animus dubitavit: spes illa futura tot gentium iubetur occidi paterna manu. Devotus pater eo voto suscepit parricidium, quo susceperat filium: nec refert utrum impendat, aut perdat, dum quoquo modo quod acceperat reddat. O Domine piissime, quem scis patri dilectum, quid imperas victimandum?* Et post nonnulla: *Videte, fratres, Abraham pa-*

tientia fortem, devotione constantem, non cum aliqua fera luctantem, sed cum natura pugnantem. Devotio dicebat: Percute; pietas clamabat: Parce. Illa revocabat, ista provocabat. Filius tunc moriturus iacebat, erigit dexteram feriturus.

Paulo aliter vertit Syrus: *Et Abraham filium misericordiarum* (id est summe misericordem) *custodivit.* Deus enim misericordes tuetur et custodit. Unde Arabicus: *Et custodivit eum in clementia*, vel *pietate illius in filium suum*, q. d. Deus Abraham ob pietatem in filium quem tenerrime amabat, custodivit, ut, dum iussu Dei vellet eum immolare, eum tamen actu non immolaret, sicque et filium patri, et patrem filio a morte servavit et custodivit, dum per Angelum sistit eius manum et gladium, ac præceptum de immolando filio revocavit.

Allegor. *in visceribus filii*, id est per viscera Christi Abrahæ filii; eius enim meritis, eius misericordia viscerali præstitum est Abrahæ, ut suum Isaac Christi antitypum, Deo fortiter immolare vellet. Ita a Castro. Est hoc quartum sapientiæ exemplum editum in Abraham, sequitur quintum editum in Lot et Pentapolitis.

Vers. 6. HÆC IUSTUM (Lot) A PEREUNTIBUS IMPIIS LIBERAVIT FUGIENTEM, DESCENDENTE IGNE IN PENTAPOLIM.) Celebrat liberationem Lot, qua, dum igne sulphureo, et quasi fulmineo siderata conflagraret Pentapolis ob eius scelera, præsertim libidinis contra naturam, ipse castus iustusque per Angelos hoc incendio eductus et liberatus est. Pentapolis vocabatur illa regio, quia erant in ea quinque civitates, scilicet Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim et Segor, licet ultimæ Segor parcitum sit a Deo, ob preces Lot in eam confugientis. Iam tota Pentapolis versa est in mare salsum sive mortuum, quod a bituminis copia vocatur lacus Asphaltites. Vide dicta Genes. 19. *Pentapolis* ergo græca idem est quod latine *quinque urbes*, sive regio complectens quinque urbes. Porro Pentapoles in variis

Pentapoles variæ. orbis partibus fuere variæ. Prima hæc fuit in Palæstina, cuius quinque urbes infanda libidine infames, ideoque cælesti igne crematæ, fuere iam nominatæ. Secunda fuit in Africa, de qua Plinius l. 5. c. 5. in qua celebrarunt Concilium anno Domini 411. Episcopi quinque urbium, scilicet Berenices, Arsinoes, Ptolemaidis, Apolloniæ et Cyrenes. Tertio, Ptolomæus l. 5. aliam Pentapolim ponit cuius quinque urbes recenset, Laodiceam, Antiochiam, Amaseam, Ptolemaidem, Palmiram. Quarto, in Concilio Ephesino invenitur Zenobius Episcopus Barræ civitatis in Pentapoli. Quinto, Italiæ Pentapolis fuit in Umbria, puta in Gallia Senonum, sive agro Gallico ad mare Adriaticum, testibus Reginone, Paulo Diacono, Nicephoro ac Sigonio libro de regno Italiæ, cuius quinque urbes sunt, Ancona, Senogallia, Fanum, Pisaurum, Ariminum. Et quia Fanum erat meditullium cæterarum quatuor; hinc ea in urbe erat supremum tribunal huius Pentapolis, quæ proinde dicta est *Urbs iuris*, pro quo corrupte nonnulli legunt *uris*, cuius Episcopi sanctitate celebres, ideoque tutelares fuere S. Paternianus anno Domini 300. S. Eusebius anno Domini 500. sub Symmacho Pontif. S. Fortunatus anno Domini 592. S. Ursus anno Domini 625. cuius festum Fanenses celebrant 15. Maii; quod dum spernit agricola nomine Leo, monitusque superbe obstreperet: *Si ille est Ursus, ego sum Leo* (vel, ut alii verius, *ego sum canis*) terra dehiscente, vivus cum bobus et aratro absorptus est: voraginis vestigium in hodiernum diem exstat in villa dicta *de Bellocchi.*

DESCENDENTE IGNE.) Ut Pentapolitæ, qui arserant libidine, arderent igne, utque terra adeo nequam cremaretur, ne quod malum semen in ea restaret, quod fructum perversum germinaret. Unde Origen. in Ioan. tom. 20. citans hunc locum, Sodomæ conflagrationem magis tribuit bonitati, quam iræ Dei: « At certe, ait, Dei boni officium fuit Sodomorum terram delere, et quidquid relictum fuisset ex ea humiditatis, arefaciendo, ne in posterum oriretur vitis Sodomorum, neque malleolus Gomorrhæ, neque uva iræ, neque botrus amaritudinis, ac ne vinum quidem, furor draconum, et venenum aspidum insanabile. Simile

A quiddam dices etiam de Ægyptiis, de quibus dictum est: Occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Boni enim Dei est interficere vineas Ægyptiorum, et moros impiorum. »

QUIBUS IN TESTIMONIUM NEQUITIÆ FUMIGABUNDA CONSTAT DESERTA TERRA, ET INCERTO TEMPORE FRUCTUS HABENTES ARBORES, ET INCREDIBILIS ANIMÆ MEMORIA STANS FIGMENTUM SALIS.) Tria profert impiorum Pentapolitanorum nequitiæ, æque ac divinæ in eos vindictæ testimonia, quæ permanserunt et permanent usque in hodiernum diem, ut divinam in impios iram mortalibus testentur, eosque a sceleribus absterreant. Primum est *terra deserta* fumigans: hic enim fumus iudicii Dei in ea acti, puta incendii, quo conflagravit Pentapolis, index est, ac symbolum incendii infernalis, quo ardent Sodomitæ cæterique impii. Sensus ergo est, q. d. In Pentapolitanorum sceleris vindictam et testimonium *constat*, id est, exstat terra eorum in solitudinem redacta, quæ etiamnum fumigat, quasi ignis e cælo pluvii, quo deflagravit, reliquias Vers. 7.

B adhuc servans. Exhalat enim continuum fumum et sulphur, ut ait Philo lib. de Abraham: Exhalat, inquam, tum mare Mortuum, sive lacus Asphaltites, tum terra illi adiacens et vicina, uti mox ostendam. Unde Borchardus lib. 1. Histor. c. 5. et 6. *Mare Mortuum*, ait, *semper est fumans et tenebrosum, quasi os inferni, sicut oculis meis aspexi, ob tetrum vaporem inde fumantem, qui quocumque deferente vento pertingit, cuncta sterilefacit.* Pentapolis ergo est umbra et imago gehennæ. Spectate eam, pæderastæ, ac in ea, quod vos manet supplicium intuemini. Discite munditiam moniti, ac horrere Tonantem.

Secundum est: *Incerto tempore fructus habentes arbores*; gr. ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, id est, *imperfectis tempestatibus fructus ferentes plantæ*: ὧραι ἀτελεῖς dicuntur tempora frugum inchoata, numquam perfecta. Plantæ ergo Pentapoleos ita semper se habent, ac si numquam esset certum tempestivumque maturis frugibus tempus, id est ferunt fructus, qui numquam ad maturitatem per-

C veniunt. Terra enim a Deo maledicta vim maturandi non habet: unde aliqui vertunt: *Imperfecta maturitate fructus ferentes plantæ*; ὥρα enim significat tempestivitatem maturitatis, sive tempus maturandis frugibus a natura destinatum, quod in Pentapoli semper est imperfectum, id est intempestivum et immaturum, ideoque semper producit fructus immaturos, imperfectos, ac needum plene formatos. Unde Origen. tom. 20. in Ioannem habet: *Et plantæ intempestivum fructum ferentes.* Sic et Vatablus noster vertit: *Incerto tempore*, quia nullum certum tempus est, quo in Pentapoli fructus maturescant, uti fit in aliis regionibus, quia semper sunt immaturi: fructus ergo incerti temporis sunt intempestivi et immaturi. Nam fructus qui certo et a natura statuto tempore, v. g. in autumno non maturescunt, numquam maturescunt. Ad maturationem enim requiritur calor, sed temperatus; calore caret hiems, temperie æstas: quare hiems fructus maturare nequit; æstas vero eos non maturat, sed adurit. Unde Arabicus: *Et plantæ eius fructificabant in temporibus fructus*

D *imperfectos*; Syrus: *Et arbores quæ sunt intra eas civitates fructus non faciunt.* Nota, Pentapolim, quæ olim erat amœnissima et fertilissima, ut vocaretur Paradisus Dei, post scelera et ultionem Dei versam esse, partim in lacum Asphaltitem sive mare Mortuum, partim in terram exustam, in qua, ut ait Ioseph. l. 5. de Bello, c. 5. *Adhuc divini ignis reliquias, et oppidorum quinque videre licet imagines, et renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur et cinerem.* Idem tradit Solinus Polyhist. c. 37. et Tacit. l. 5. Hist. ac Tertull. in Car. de Sodoma, et S. August. 21. Civ. cap. 8. Denique Iansen. ex Græco clare vertit: *Et imperfecta vel inconsummata pulchritudine et maturitate fructificantes arbores*; ὥρα enim hic, inquit, non tam tempus significat, quam pulchritudinem et maturitatem; unde ὡραῖος, id est pulcher vel maturus.

Tertium est, *incredibilis* (græce, ἀπιστούσης, id est incre-

dulæ) *animæ memoria*: græce μνημεῖον, id est monumentum, *stans figmentum salis*; græce στήλη, id est *columna salis*, vel simulacrum salis, aut titulus salis, uti sunt lapides titulares, qui in memoriam personæ vel rei alicuius eriguntur. Designat uxorem Lot, quæ cum eo fugiens e Sodoma, ac contra præceptum angeli curiose respiciens retro, ut conflagrantem Sodomam aspiceret, ob incredulitatem et inobedientiam versa est in statuam salis, metallici scilicet, quod imbribus resistit, et soliditate sua ædificiis est utile, teste Plinio. Vocatur *incredula*, quia non credidit quidquam referre ad incolumitatem et salutem suam, si respiceret retro, necne. Iusserat autem Deus per angelum, ne retro respiceret, tum ad obedientiam eius exercendam, tum ut citius fugeret a Sodoma, tum ut omnem misericordiam, communionem et memoriam impiissimorum Sodomitarum ei adimeret. Hinc liquet statuam hanc superfuisse tempore Salomonis, imo Iosephus eam se vidisse docet lib. 1. Antiq. quin et etiamnum eam exstare inter Engaddi et mare Mortuum docent oculati testes Borchardus, Bredenbachius, Saligniacus, et ex iis Adrichomius in Descriptione Terræ Sanctæ. Addit Tertull. in Carmine de Sodoma, duo de statua hac rara et inaudita.

1. *Quia etiam si quis mutilaverit advena formam,*
   Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
2. *Dicitur et vivens alio iam corpore sexus,*
   Munificos solito dispungere sanguine menses.

q. d. Patitur menstrua more mulierum. Sapienter S. Prosper. lib. 1. de Prædict. et promis. c. 16. *Hæc salis statua*, inquit, *suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto, qua tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere.* Eamdem causam cur in sal potius, quam in quid aliud sit versa, dat Rupert. Et S. Aug. ser. 29. de Verbis Domini secundum Lucam: *Nihil ergo*, inquit, *tam inimicum spei quam retro respicere, id est, in eis rebus quæ prælerlabuntur et transeunt, spem ponere; sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ quandoque, quæ nunquam transibunt*, non sperare. *Quando autem scatet tentationibus mundus velut pluvia Sodomæ sulphurea, metuendum est exemplum uxoris Lot. Retro enim respexit, et ubi respexit, ibi remansit. In salem conversa est, ut prudentes condiret exempla.* Deinde spem comparans ovo, ex quo speratur pullus, qui nondum est; *Ovo tuo*, inquit, *scorpium time; vide, quia de cauda percutit, quam retro habet. Non ergo perimat scorpius ovum tuum, mundus iste spem tuum*, etc. *ut retro respicias, id est, ut in rebus præsentibus spem ponas, et ab eo quod promisit Christus, et nondum dedit, sed, quia fidelis est, dabit, avertas animum tuum.* Plura de Pentapolis strage dixi Genes. 19.

Vers. 8. SAPIENTIAM ENIM PRÆTEREUNTES, NON TANTUM IN HOC LAPSI SUNT UT IGNORARENT BONA, SED ET INSIPIENTIÆ SUÆ RELIQUERUNT HOMINIBUS MEMORIAM, UT IN HIS QUÆ PECCAVERUNT, NEC LATERE POTUISSENT,) Id est possent. Pro *prætereuntes* græce est, παροδεύσαντες, id est extra viam excedentes, exorbitantes, scilicet a sapientia. Pro *lapsi sunt* græce est, ἐβλάβησαν, id est læsi sunt, damnum incurrerunt, in detrimentum lapsi sunt. *Ut ignorarent bona*, græce καλά, id est honesta, item utilia et iucunda honestis annexa. Sensus est, q. d. Impii Pentapolitæ cæterique eis similes sua insipientia duplex sibi damnum accersiverunt. Prius, quod vera bona virtutis, ac consequentis ex ea felicitatis et gloriæ, ignorarint, ideoque in scelera Deique vindictam acerrimam inciderint. Posterius est publicum dedecus et infamia, quod scilicet eorum scelera latere non possint, sed statuta sint in publicum toti mundo paradigma et exemplum, per monumenta vindictæ, quæ Deus superesse totique orbi ostentare voluit, ut eorum exemplo cæteri sapiant, ac Deum timeant, et ab eius offensa se coerceant.

Vers. 9. SAPIENTIA AUTEM HOS, QUI SE OBSERVANT, A DOLORIBUS (græce, *a laboribus*, sed labores post lapsum hominis sunt dolorosi, æque ac dolores laboriosi) LIBERAVIT.) Pro *qui se observant* græce est, θεραπεύοντας αὐτήν, id est religiose illam colentes et venerantes. Unde a S. Dionys. de Eccles. hierarc. Religiosi et monachi vocantur θεραπευταί, quasi religiosi Dei eiusque cultores, totique eius obsequio addicti. Sapientia enim sacra est, utpote divina, imo idem cum Deo: sacrum ergo et divinum cultum sibi deposcit. Est antithesis, q. d. Sapientia suos desertores, v. g. Sodomitas, castigavit; ac suos cultores, ut Lot, ab ærumnis malisque liberavit.

Huc usque protulit exempla Cainitarum qui suis sceleribus diluvii causa exstitere, et Pentapolitarum, qui suis libidinibus incendium e cælis in se provocarunt, quæ sunt exempla vindictæ, quam exercuit sapientia in sui contemptores. Deinceps vero profert exempla proborum, qui sapientiæ obsequentes et devoti, per eam a malis liberati sunt, ac bonis ditati. Primus eorum est Iacob, de quo subdit.

HÆC PROFUGUM IRÆ (ab ira, ob iram) FRATRIS IUSTUM DEDUXIT PER VIAS RECTAS, ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI, ET DEDIT ILLI SCIENTIAM SANCTORUM: HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS, ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS.) q. d. Sapientia Iacobum fugientem iram fratris, Vers. 10
dum scilicet fugeret fratrem Esau, sibi ob præreptam patris Isaac benedictionem infensum et iratum, recta deduxit ad pacem et felicitatem. Deduxit enim eum ad domum Laban avunculi sui, ubi et opibus, et uxoribus et prolibus locupletatus est. Quare fecit ut Iacob tantum iter, quantum est ex Chanaan in Mesopotamiam, ubi habitabat Laban, per tot pericula, anfractus, difficultates et insidias, quas illi parabat Esau, illæsus et securus perageret; nam *semitis*, ut habent Græca, *rectis*, id est securis, tutis, facilibus, expeditis, deduxit eum ad suos amicos et cognatos, iuxta id quod ei pollicitus erat Deus: *Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc; nec dimittam nisi complevero universa, quæ dixi*, Genes. 28. 15. Vox ergo, *deduxit per vias rectas*, significat singularem et continuam Dei curam et providentiam, quæ Iacobum per vias omnes tam difficiles et periculosas, necubi laberetur, caperetur, etc. salvum, vegetum et lætum perduxit ad suos; perinde ac mater deducit infantem, et pædagogus discipulum, per vias lutosas et salebrosas tutum et incolumem.

Quocirca S. Ambros. l. 2. Offic. c. 25. Iacobum ab omnibus quatuor virtutibus cardinalibus dilaudat: « Quid, inquit, sapientius sancto Iacobo, qui Deum vidit facie ad faciem, et meruit benedictionem? Quid iustius, qui ea quæ acquisierat, oblatis muneribus, cum fratre divisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita et locis et temporibus deferebat, ut filiæ iniuriam mallet prætexere coniugio, quam vindicare: eo quod inter alienos positus amori potius consulendum, quam odia colligenda censebat. »

Tropol. S. Bern. ser. in hæc Sap. verba: « Iustum deduxit Dominus, ait, et non alius, quia ipsius est de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, et deducere per eam. Per vias, ait, rectas. Viæ Domini, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ sine sorde, quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus iam mundus est intra Christi sagenam. Planæ sine difficultate, quia donant suavitatem; iugum enim eius suave est, et onus eius leve. »

ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI.) Cum scilicet Iacob, ut dicitur Genes. 28. 12. *vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum; Angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi*, etc. *Benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ, et ero custos tuus quocumque perrexeris.* Qua visione significabatur Deum curare res Iacob, eumque singulari sua providentia per angelos ducturum in Mesopotamiam, indeque salvum reducturum in Chanaan. *Regnum Dei* ergo vocat cælum, in quo scalæ innixus consistebat Deus; Deus enim in cælo regnat, regitque omnia cælo subiecta per angelos. Scala ergo hæc erat symbolum regnantis et regentis omnia Dei. Unde rursum *ostendit illi regnum*, id est regimen Dei, q. d. Ostendit ei modum regendi Dei, quo scilicet Deus a

cœlo sua providentia, per angelos euntes et redeuntes, subiectum hunc mundum regit et administrat. Hinc Iacob ait: *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.* Unde et locum vocavit *Bethel*, id est domus Dei. Quocirca nonnulli putant tunc Iacobo a Deo revelatam fuisse suam prædestinationem et electionem ad cœlestem gloriam. Vide dicta Gen. 28. Hinc Arabic. vertit: *Fecit illum hæreditare regnum Dei.*

Alleg. S. Aug. ser. 79. de Tem. « Scala, ait, ad cœlos attingens, crucis figuram habuit. Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur. Angeli ascendentes et descendentes per eam, Apostoli et Apostolici viri, et omnes doctores Ecclesiarum intelliguntur; ascendentes, quando perfectis perfecta prædicant; descendentes, quando parvulis et imperitis simplicia quæ intelligere possint, insinuant. »

Tropol. S. Bernard. loco iam citato: « Et ostendit illi regnum Dei. Regnum, ait, Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, in glorificatione percipitur. Unde est illud: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apostolus: Quos prædestinavit hos et vocavit; et quos vocavit, illos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in iustificatione lætitia, in magnificatione est gloria. »

Et dedit illi scientiam (græce γνωσιν, id est cognitionem) sanctorum.) In neutro genere, id est rerum sanctarum, vel *sanctorum*, scilicet mysteriorum Dei; Iacob enim in illa visione scalæ, quasi in raptu mentis illuminatus a Deo, multo cognovit divina mysteria, præsertim Dei providentiam, quam habet erga suos, concernentia. Unde tunc ei, id est posteris eius, a Deo promissa est possessio terræ Chanaan, filiorum ac nepotum propagatio, imo Christus ex semine eius oasciturus, qui benedicturus erat omnes gentes, ut patet Genes. 28. 13. Quare Iacob hac revelatione excitatus fuit ad pietatem, sanctitatem, atque ad Deum toto corde amandum et colendum. Unde ibidem altare Deo erexit, illique votum decimarum nuncupavit, ac locum ungendo oleo Deo consecravit, vocavitque *Bethel*, id est domus Dei, ubi proinde posteri Deum magna veneratione coluerunt. Hinc Syrus vertit: *Dedit illi scientiam veritatis*, id est veræ iustitiæ, religionis et sanctitatis.

Scientia sanctorum quæ?

Moral. disce *scientiam sanctorum* esse scientiam practicam, qua quis studet Deo per omnia servire et placere. Hæc enim est scientia, non mundanorum, non politicorum, non etiam philosophorum, nec Theologorum, sed *sanctorum*, quam primitus docuit Ioannes Baptista qui a Deo missus est, ut *convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Lucæ 1. 17. Audi S. Bern. loco iam citato: *Scientia Sanctorum est, hic temporaliter cruciari, et delectari in æternum. Et* in contrarium *scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi, quæ docet vanitatem, et alia scientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tamquam pater, ista tamquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, et omnem prorsus laborem claudit a filio suo; sic caro incrassata, impinguata, dilatata recalcitrat, nec minimis saltem digitis patitur se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc illucque discurrere, ut addiscat unde aliquando magnificetur; sic et mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde superbiat, unde infletur, et desipiat de vanitate in idipsum.*

Honestavit illum in laboribus.) Græce, ευπορησεν αυτον εν μοχθοις, id est *ditavit in ærumnis*, vel *per ærumnas*, et molestos labores, quos Iacob per quatuordecim annos subivit pascendo greges Laban, ut Rachele uxore potiretur; sed per hos labores valde ditatus est ovibus æque ac prolibus, uberemque proventum honoris æque ac sobolis adeptus est. Sic sæpe *honestas* in Script. sumitur pro opulentia. *Honestas* enim dicitur, quasi *honoris status*, ut aiunt Iurisconsulti; honorem autem conciliant opes: divites enim ab omnibus coluntur et honorantur.

Et complevit labores illius.) Græce, επληθυνε, id est *multiplicavit*, hoc est, multiplici mercede et fructu compensavit labores illius, dum scilicet greges Iacob præ gregibus Laban, copiosa fœtura et proventu adauxit et multiplicavit. Sic igitur Deus labores Iacobi, qui primis annis steriles et fructu vacui videbantur, posteriori tempore magnis ovium opumque incrementis cumulavit, Gen. 30. 43. et c. 31. 9.

Tropol. et mystice, Ecclesia in officio Eccles. hæc adaptat Ss. Confessoribus et Martyribus. Unde S. Bonavent. censet hic notari insignia sex beneficia, quæ Deus iustis et Sanctis confert. Primum est, iustificare: id notat vox *iustum*: secundum, deducere in profectu conversationis; tertium ostendere regnum in gratia vel secreto contemplationis; quartum dare scientiam Sanctorum, instruendo in agnitione divinæ voluntatis: quintum, honestare in laboribus, ditando meritis: sextum, complere labores, tribuendo præmium cum perseverantia. Sex dona iustorum.

Accedit S. Bern. loco iam citato: « Et complevit, inquit, labores illius, vel hic in perseverantia, ut usque ad finem iustitiam non relinquat; vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completio cum et hic moritur iustus plenus dierum; et illic oritur in plenitudine dierum utrobique plenus, et hic gratia, et illic gloria, quia gratiam et gloriam dabit Dominus. » Beatus ergo est is, cui Deus multiplicat labores et dolores; sic enim et multiplicat eorum fructus ac coronas.

In fraude circumvenientium illum affuit illi.) Vers. 11.
Græce εν πλεονεξια κατισχυοντων αυτον παρεστη, id est, *in avaritia iniqua et fraudulenta* (Compl. *in superioritate*) *invalescentium*, vel *prævalentium, illi astitit*; πλεονεξια enim est plus habendi acquirendique cupiditas immodica, avaritia, quæ sibi partem iusto maiorem præcidit, improba alieni cupiditas, et vitium eius, qui in omni re præcipuum quippiam habere vult, ita dicta a πλεον εχειν, id est a plus habendo, quam ius postulet aut permittat, cum scilicet quis fraudatis aliis, plus sibi usurpat, quam par est. Unde a Cicerone vocatur *fraudatio* et *circumscriptio*. Sic Laban hic fuit fraudator et circumscriptor Iacobi. Sensus enim est, q. d. Cum Iacob a Laban socero, et filiis servisque eius per avaritiam et fraudem opprimeretur, sapientia et Deus affuit Iacobo, fecitque ut fraus hæc in eius bonum cederet, eumque locupletaret. Unde sequitur: *Et honestum fecit* (græce, επλουτισεν, id est ditavit) *illum*. Historia narratur Gen. 31. v. 6. et seq. Vide ibi dicta.

Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus (græce ενεδρευοντων, id est insidiatoribus) tutavit illum.) Vers. 12.
Scilicet a Laban socero, qui Iacob fugientem cum uxoribus ac filiis insecutus est: dixit enim illi Deus in somniis: *Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Ab Esau quoque, qui illi insidiabatur; tum etiam a Chananæis, a quibus in magno periculo fuit, ne penitus cum universa familia deleretur, cum Simeon et Levi filii eius furore perciti, ob sororem Dinam a Sichem violatam, Sichimitas omnes crudelissime occiderunt, Gen. 34. a quibus periculis sapientia eum tutata est.

Et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.) Syrus: *Et in forti certamine iustificavit eum* (Arabicus: *Et gubernavit illum ingruente ei forti certamine, ut sciat quod bonus cultus* (id est pietas et devotio) *factus est fortior omnibus rebus*; græce αγωνα ισχυρον εβραβευσεν αυτω id est, *agonem durum subire et vincere dedit illi*; Vatabl. *obeundum ei arduum certamen constituit.* Ubi nota το εβραβευσεν, q. d. Sapientia et Deus, quasi brabeuta, instituit et proposuit Iacobo, quasi agonistæ et certatori duram luctam et certamen, æque ac condigna certaminis victoriæque præmia et bravia; dum scilicet eum obiecit avaritiæ Laban, atque iræ et persecutioni Esau ac Chananæorum, cæterorumque hostium, dum obiecit ei angelum, cum quo luctans et vincens, ab eo benedictionem omnium bonorum fertilem accepit, ac gloriosum nomen adeptus est; nam colluctator eius angelus, sinens se ab eo vinci, nuncupavit eum *Israel*, id est *prævalens* vel *dominans Deo*, Gen. 32. 28. vide ibi dicta. Deus ergo Iacobo cæterisque suis athle-

tis, ac præsertim Martyribus, durum obiicit agonem et certamen, hoc fine, ut vincant, et victores coronentur, quæ de causa idem ipse vires ei suggerit ad vincendum. Hoc enim significat τὸ *ut vinceret*, q. d. Ideo Deus fortia et dura suis obiicit certamina, ut quo durior est lucta, eo gloriosior sit eorum victoria, ac illustriores coronæ et trophæa. Audi S. Bernard. ser. de S. Martino, celebrantem hanc eius vocem: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua;* illum enim admirans exclamat: *O vere sanctissimam animam, o inæstimabilem charitatem, o obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; de reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie iustus iudex; et adhuc dicis: Non recuso laborem; fiat voluntas tua.* Deinde ipsum comparat cum Abraham: *Obtulisti plane Isaac, unicum illum, quem diligis, quod in te est iugulasti; immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus iterum redire in pericula, innovare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, et diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in huius mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari; postremo (quod maximum est) a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset.*

Idem ser. de S. Clemente, qui proxime sequitur, sic ait: « Beato Clementi certamen forte dedit, ut vinceret et disceret quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, responde ei qui forte durius locutus est, ut satisfacias desiderio tuo; nec dicitur cuiquam: Nisi hæc feceris, morieris: sed ut multum, cum difficultate et labore resistes animo tuo: et quis sustineret tanta? Hæc enim totus audire, hæc respondere consuevimus exhortantibus nos, aut foris homini aut intus Spiritui sancto. Si ergo in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? Si iunci fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, et sicut solent mulieres aut parvuli pugnantes, laudamus alios, pugnare ipsi non possumus. » Considera, quam forte certamen obierit S. Laurentius in craticula, S. Vincentius in eculeo, S. Sebastianus in scopo, S. Agnes in rogo.

Mystice, certamen forte est, quo homo vitia debellat, concupiscentiam subiugat, imo suos affectus ac seipsum superat, itaque virtutem ipsam, quin et Deum quasi vincit, sibique devincit. Magnum est hoc certamen, quo homo Deum insuperabilem superat; ideo tamen superat, quia ipse vult superari, atque a luctante et laborante possideri.

Et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.) Pro *sapientia* græce est εὐσέβεια id est pietas, religio, Dei cultus, devotio, ut vertit Arabicus, q. d. Deus forte certamen dedit Iacobo, ut ipse ex eo disceret, quod omnibus certaminibus, luctis et hostibus fortior sit Dei cultus et religio; hæc enim Deum sibi devincit et obligat, ut religiosum sui cultorem faciat in omni certamine superiorem, victorem et triumphatorem. Hinc liquet, quid toto hoc libro per *sapientiam* intelligatur, nimirum εὐσέβεια, id est verus Dei cultus, per vera officia hominis fidelis Deum timentis amantis et colentis, qui omnia, quæ Deus iubet, vel sibi grata fore significat, illico magno ardore amplectitur et exsequitur, uti dixi initio libri, ac sæpe alias toto operis decursu. Intellige hæc de sapientia creata, quæ homini tribuitur. Nam increata in Deo est ipsa eius immensa sapientia et sanctitas, a nobis summa reverentia et pietate colenda et veneranda, quæ ideo est et artifex rerum omnium tum naturalium, tum moralium, tum supernaturalium, uti dixi cap. 7.

Vers. 13. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam.) Transit a Iacobo patre ad filium Ioseph, quem a fratribus venditum sapientia custodivit et evexit ad principatum Ægypti. *Peccatores* vocat fratres eius, qui ex invidia eum occidere cogitabant, sed ad preces Iudæ eum vendiderant Ismaelitis. Græce est ἐξ ἁμαρτίας, id est a *peccato*, scilicet adulterii, liberavit sapientia Iosephum; ad hoc enim illecta eius pulchritudine sollicitabat eum hera, uxor Putipharis; sed sapientia tantam illi dedit castitatem et constantiam, ut responderet: *Quomodo ego possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* Genes. 39. 9. Hinc S. Ambr. lib. de Ioseph. c. 4. *Iure,* inquit, *mirandus* (Ioseph) *qui hoc fecit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret iniuriam; sed gratiam pro contumelia solveret; quod post Evangelium omnes didicimus, et servare non possumus.* Et cap. 5. *Ille dominus, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit; qui maluit liber criminis mori, quam potentiæ criminosæ eligere consortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre.* Et post nonnulla: *Itaque vestem exuit, crimen excussit, et relictis quibus tenebatur exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.* Suspicatur noster Lorinus, notari hic peccatum pæderastiæ, ad quod fratres Iosephum, ob insignem eius formam, sollicitarint; unde ipse eos apud patrem accusavit de crimine pessimo. Genes. 37. 2. vide ibi dicta. Vere S. Aug. serm. 83. de Temp. *Magnus,* inquit, *plane vir* (Ioseph) *qui venditus servire tunc nescivit, ingeniam adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit.*

Descenditque cum illo in foveam.) Græce *in lacum,* id est in cisternam, in quam fratres eum proiecerant, inquit Hugo. Rursum *in lacum,* id est in carcerem, in quem herus Putiphar eum, ob uxore accusatum de adulterio, coniecit: unde per epexegesin mox explicans subdit: *Et in vinculis non dereliquit illum.* Ita passim interpretes. Sic Ieremias a Iudæis in lacum coniectus est, quasi in carcerem. Ierem. 37. 15. et cap. 38. v. 6. et seq. Disce hic non timere carceres, cruces, ærumnas, quaslibet pro Deo, quia Deus ad illas tecum descendit, illas tecum subit et superat, iuxta illud: *Cum ipso sum in tribulatione,* Psal. 90. Et: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es,* Ps. 22. Et illud: *Deus in medio eius, non commovebitur,* Psal. 45. 6. ubi S. Augustin. *Sæviat,* inquit, *mare, conturbentur montes, Deus in medio eius, non commovebitur.* Vide S. Bern. epist. 42. ubi inter alia ait: *Ipsam denique si necesse est intrare gehennam, securus medias penetrans flammas læta decantat conscientia; et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant: et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam.) Vide hic potentiam et beneficentiam sapientiæ, quæ Iosepho vincula convertit in sceptra, compedes in stolam byssinam, catenas in torquem aureum, carcerem in solium regium. Pro *sceptrum* græce est *sceptra,* quæ vox notat multiplex et omnigenum Iosephi imperium in Ægypto: Pharao enim eum evexit, ut esset omnium quoad omnia in tota sua ditione gubernator et princeps, adeoque regis quasi rector et rex; quare etsi non regio nomine regia tamen dignitate et potestate eum ornavit. Nam, ut dicitur Genes. 41. 42. « Tulit annulum de manu sua et dedit eum in manu eius, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone ut omnes coram eo genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. » Vers. 14

Moraliter, disce ex Iosepho labores et cruces, certam esse viam ad gloriam et regnum; dum ergo in iis versaris, easque superas, certus esto de victoria triumpho et gloria, quam tibi adornat Christus, qui in te et pro te certat et vincit. Audi S. Bern. serm. 47. in Cant. *Utrumque*

Labor est via ad gloriam.

es mihi, Domine Iesu, et speculum patiendi, et præmium patientis, seu, ut paulo ante dixerat: *Pugnantis forma, et gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium, exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia maiestatis: sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solum coronantem, sed etiam coronam, in utroque mirabiliter tibi me allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendum.* Et S. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 5. *Non turbentur*, inquit, *innocentes cum falsis criminibus appetuntur, cum oppressa iustitia traduntur in carcerem. Visitat Deus et in carcere suos, et ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum memoravit? In carcere, inquit, eram, et non venistis ad me*, Matth. 25. v. 43. Et Philo l. de Ioseph. *Iam locus*, inquit, *non tam carcer erat, quam disciplinæ meditatorium*. Unde S. Cyprian. lib. 1. epist. 1. ad Martyres ex veteri editione: *O beatum*, inquit, *carcerem, quem illustravit vestra præsentia! O tenebræ sole ipso lucidiores, ubi constituta sunt Dei templa!* Quin et Seneca Consol. ad Albinam: *Carcerem, ait, intravit Socrates ignominiam ipsi loco detracturus; neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.*

Et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.) Græce καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, id est *et potentiam eorum*, id est in eos, *qui eum tyrannice exercebant contra ipsum*. Τὸ enim τυραννούντων duo significat: primum, *qui dominabantur ei*; secundum, *qui tyrannizabant eum*, id est qui tyrannidem in eum exercebant, qui tyrannice eum opprimebant; Ioseph enim factus Ægypti princeps a fratribus, qui eum tyrannice vendiderant, adoratus est. Idem heram suam et herum Putipharem (si adhuc in vivis erant) eiusque famulos et administros, qui eum de adulterio accusarant et in carcerem compegerant sibi subiectos habuit.

Et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum.) Græce τοὺς μωμησαμένους αὐτόν, id est qui eum accusarant, criminati erant, falsoque adulterii insimularant. Horum enim falsitatem et mendacium ostendit. Primo, per insignem castitatem et sanctimoniam Iosephi, quæ adeo in vultu, gestibus et actibus omnibus elucebat, ut videretur angelus quidam terrestris; secundo, per donum prophetiæ, ob quod a Pharaone evectus est ad principatum; hoc enim donum non nisi castis datur; tertio, aliis indiciis et signis, quæ tacet Script. Putiphar cognovit uxoris mendacem accusationem, et Iosephi innocentiam. Forte etiam ipsa uxor virtutem Iosephi admirata, vel coacta a Deo facti pœnitens crimen et criminationem suam falsam confessa est, uti aliis sæpe accidit, Deo cogente falsos accusatores, præsertim in crimine fornicationis, falsitatem suam aperire et confiteri, cuius rei passim exstant exempla in Vita S. Marinæ, S. Eugeniæ, S. Irenes Lusitanæ, etc.

Et dedit illi claritatem (græce, δόξαν, id est gloriam) æternam.) Ioseph enim in Ægypto ac per totum orbem tantum nomen obtinuit, ut vocaretur Salvator mundi, Gen. 41. v. 45. Eiusdem virtus et gloria etiamnum perennat, et perennabit in omne ævum. Anagog. gloriam felicitatis æternæ in cælo adeptus est Ioseph. Ita S. Bonav. qui et Tropol. in sex iustis hucusque recensitis, notat sex tentationum species et modos a quibus eripit sapientia, iuxta illud Iob 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Adam vel Eva sunt a diabolo liberati; Noe a fomite, quo corrupta erat omnis caro; Abraham ab interna superbia, cuius exemplum turris ædificatores præbebant: Lot ab externo pravo exemplo, et improba sollicitatione Sodomitarum; Iacob a dolis ac inimicitiis; Ioseph ab adversitatibus mundi. Rursum notat inimicum triplicem, diabolum, carnem, mundum quos adumbrabant tres hostes Salomonis, variis nos modis adoriri. Nam diabolus aggressus est primos parentes visibiliter; Abraham invisibiliter. Carnis tentatio secundum naturalem usum obiecta est Noe; Lot contra naturam. Mundus fraudibus egit cum Iacob; vi atque sævitia cum Ioseph.

Hucusque exempla sapientiæ recensuit ex Genesi, quod sequitur petitum est ex Exodo.

Hæc populum iustum, et semen sine querela (græ- Vers. 15
ce, ἄμεμπτον, id est irreprehensibile, inculpatum) liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant.) Græce, θλιβόντων, id est *affligebant*, tribulabant, stringebant, elidebant, q. d. Sapientia liberavit Israel puta Hebræos, ex Ægypto, duce Mose cum Ægyptii eumdem opprimerent. Lege Exodi c. 1. et seq. Hebræos vocat *populum iustum*; græce ὅσιον, id est *sanctum* et inculpatum: primo, ob Dei vocationem et electionem, quia Deus Hebræos ex omnibus gentibus selegerat sibi in populum, id est in Synagogam et Ecclesiam, ut ab eo sacrificiis et legibus a se sancitis coleretur. *Sanctum* ergo, id est fidelem et Dei cultui deputatum; item *sanctum*, id est sanctorum patriarcharum stirpem et posteritatem. Nam *si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami*, inquit Apostol. Roman. 11. 16. Sic Apostolus initio Epist. Romanos, Corinthios, Ephesios etc. vocat sanctos, quia vocati erant ad Dei fidem, cultum et sanctitatem. Unde et Ecclesia dicitur sancta; secundo, quia inter priscos primosque Hebræos multi erant sancti, ut Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, Iosue, et cæteri, qui a Pharaone opprimebantur. Oppressio enim facit sanctos, cogitque ad Deum confugere; unde non leguntur Hebræi in Genesi et Exodo coluisse idola, usque ad exitum ex Ægypto, cum in Sine, absente Mose, fabricarunt et adorarunt vitulum aureum. Exodi 32. Sic Ecclesia dicitur sancta, quia multi in ea sunt sancti, etsi plures sint impii. A potiori enim et digniori parte res denominatur.

Intravit in animam servi Dei (Mosis) et stetit Vers. 16.
contra reges horrendos in portentis et signis.) Græce; *restitit regibus terribilibus per miracula et signa. Reges* vocat regem Pharaonem, qui unus licet, sua tamen fastu, tyrannide, dolo et fraude multiplici erat instar multorum. Sic de David unum Goliath necante cecinerunt; *Percussit Saul mille, et David decem millia*, 1. Reg. 18. 7. Et Nicetas in orat. 40. Nazianz. *Adversus spiritualem Goliath strenue ac fortiter pugna*, inquit, *atque multiplices illius vires et machinas velut chiliados quasdam et myriados in portem redige.* Est enallage frequens Hebræis præsertim poetis. Notat decem plagas Pharaoni et Ægypto inflictas a Deo per Mosen, quibus eum coegit dimittere Hebræos; vide dicta Exodi 7. et seq. Deus enim animam Mosi possidebat, per eumque omnia loquebatur, iubebat et operabatur tam mira et portentosa.

Et reddidit iustis (Hebræis, fidelibus Dei cultori- Vers. 17.
bus) mercedem laborum suorum.) Servierant Hebræi Ægyptiis in operibus agriculturæ et fabricis, sed debita mercede eos defraudarant Ægyptii; hanc ergo iubente Deo, sibi recompensarunt Hebræi, spoliando Ægyptios; quare hoc spolium, non tam spolium fuit, quam iusta debitaque laborum et iniuriarum merces. Acceperunt enim mutuo vasa aurea et argentea, vestes aliasque res pretiosas ab Ægyptiis, quas numquam reddiderunt, sed exeuntes ex Ægypto secum ea detulerunt; vide dicta Exodi 12. 36.

Et deduxit illos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce (græce εἰς φλόγα, id est in *flammam*) stellarum per noctem.) Syrus: *Et deduxit eos per mare rubrum terribile, et deambulare eos fecit per aquas fortes, et fuit illis in tabernaculum per diem, et pro luce stellarum in nocte*; Arabicus; *Et deduxit eos per viam mirabilem, et facta est illis in die lux, et noctu pro ortu stellarum splendor.* Notat iter Hebræorum per desertum in Chanaan, quod sane fuit mirabile multis

Miracula Dei in deserto.

titulis. Deus enim omnes Hebræos, quorum numerus ascendebat ad tres milliones, sive tricies centena millia hominum, per 40. annos aluit in deserto arido et sterili, cibo cælesti, puta manna, ac aqua e petra scaturiente potavit, atque vestes omnium servavit incorruptas, imo fecit, ut vestes cum pueris crescerent; conservavit eos ab omni iniuria aeris, et incursu hostium; dedit eis columnam ignis et nubis, quæ velut dux iter præiret, ducente eam angelo, puta S. Michaele, qui olim Synagogæ, nunc Ecclesiæ est custos et præses. Unde quocumque movebatur columna,

Miracula columnæ

eo iter intendebant castra Hebræorum; ubicumque vero consistebat columna, ibi castra figebant et ipsi. Porro hæc columna per diem opaca erat ut nubes, ut Hebræos protegeret a radiis et æstu solis; per noctem vero splendida ut lux, ut in tenebris lumen eis præberet. Fuit ergo eis *in velamento diei*; græce, *in velamentum per diem*, quia columna hæc cum iter agerent, per diem expandebat se, ut ait Nyssenus, et quasi aliam nubem, quæ tota Hebræorum castra obumbrarat, et contra radios solis obvelaret, ex se spargebat; noctu vero contrahebat se, lucebat ut stella; imo ut stellarum congeries et multitudo. Unde fuit eis *in luce*, id est pro luce et splendore, *stellarum*, vel ut græce est, *in flammam siderum*: coruscabat ergo hæc flamma in columna, sicut lux flammea Hesperi, aut sicut fax flammea in Pharo, ut a totis Hebræorum castris eminus videri posset quod difficile fuisset in igne: ignis enim obscurius et hebetius lucet; vide dicta Exodi 13. 21. et Numer. 9. 15. et seq.

Mystice, mira est Dei via, modus et ratio, qua electos suos in huius vitæ deserto, per tot casus, insidias, pericula, hostes, ærumnas, labores, tentationes, cruces, martyria deducit ad terram viventium eis promissam in cælis. Huius itineris dux est columna ignis et nubis, id est Spiritus sanctus, qui Sanctos in dubiis illuminat, ut lux, in adversis et ardore tentationis obumbrat, refrigerat et protegit, ut nubes; in tepore et frigore pusillanimitatis accendit et inflammat, ut ignis et flamma. Consideret quisque iustus et religiosus modos et vias, quibus per omnem vitam Dei sapientia et providentia eum in via iustitiæ deduxit, servavit, promovit, et miras agnoscet, admirabitur et obstupescet immensasque Deo gratias aget. Id faciunt Beati in cælo, ubi clare vident pericula plurima salutis in quæ incurrerunt, quæque Dei providentia salvi et incolumes evaserunt, ideoque perennes Deo laudes canunt.

Vers. 18. TRANSTULIT (græce διεβίβασεν, id est traiecit, transmisit, traduxit) ILLOS PER MARE RUBRUM, ET TRANSVEXIT ILLOS PER AQUAM NIMIAM.) Loquitur de transitu Hebræorum per mare rubrum, non quod ipsi supra aquas maris ambularint, ut vult R. Samuel Marochianus lib. de Adventu Messiæ cap. 15. sed quod Deus per Mosen virga percutiens mare rubrum illud diviserit, ita ut per siccum eius alveum illæsi transirent. Historia narratur Exodi c. 14. Unde Vatabl. vertit: *Dedit eis transitum per mare rubrum, et per aquas plurimas traduxit eos.*

Vers. 19. INIMICOS AUTEM ILLORUM DEMERSIT IN MARE.) Dum, postquam mare sicco pede transiissent Hebræi, Deus aquas maris in suum alveum revolvit, iisque insequentes Ægyptios cum Pharaone obruit et submersit, Exodi 14.

ET AB ALTITUDINE INFERORUM EDUXIT ILLOS.) Vatabl. vertit: *Undis autem obruit hostes eorum, et imas profundi scatebras in eos emisit*; melius alii, *ex profunditate abyssi ebullire*, id est æstu maris impellente ascendere *fecit illos*, quod Hugo, Lyranus, Dionysius et alii intelligunt de Hebræis, q. d. Deus Hebræos descendentes in alveum siccum maris rubri quasi in abyssum, inde eos incolumes ascendere fecit et eduxit. Simili enim modo ait Ecclesiast. cap. 51. 7. se eductum a Deo *de altitudine ventris inferi*. Melius Cantacuzenus, Iansen. et alii exponunt de Ægyptiis, q. d. Deus Pharaonem et Ægyptios in mare rubrum, quasi in abyssum et voraginem profundissimam iam demersos et suffocatos, rursum æstu maris in superficiem eius egurgitavit, et velut despumavit in littus, ut ibi eorum arma et spolia diriperent Hebræi, uti dixi Exodi 14. 31. et hic sequitur. Hoc enim significat græcum, ἀνέβρασεν, id est efferbuit, exæstuavit, æstuando expulit, æstu et agitatione eiecit, egurgitavit; unde ἀναβράσεις, vocantur æstuaria, hoc est fossæ, sive concavitates marinis aquis ex inundatione pelagi refertæ, per quas in mediterranea instar fluviorum navigantes ascendunt ad vicina, præsertim oppida. Idem accidisse testatur Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. ult. et Philo lib. de Vita Mosis, nimirum Ægyptios mari rubro mersos, vi ventorum et fluctuum eiectos in littus, ut de eorum cæde victores exultarent Hebræi, eorumque spolia diriperent. Hoc est quod subdit:

IDEO IUSTI (fideles Hebræi) TULERUNT SPOLIA IMPIORUM.) Ægyptiorum iam mari rubro mersorum, et vi fluctuum in littus eiectorum. Unde Iosephus lib. 2. cap. ult. asserit, altera post submersionem die, cum æstus et ventus arma Ægyptiorum in littus expulisset, Mosen ea collegisse, et in Hebræos viritim distribuisse. Hic impletum est illud Proverb. 13. 22. *Custoditur iusto substantia peccatoris.* Ex hoc loco probat S. Augustinus epist. 48. ad Bonifacium, hæreticos iuste posse puniri privatione bonorum, eaque transcribi ad fideles Orthodoxos.

ET DECANTAVERUNT, DOMINE, NOMEN SANCTUM TUUM, ET VICTRICEM MANUM TUAM LAUDAVERUNT PARITER.) Vers. 20.
Græce est ὕμνησαν, id est hymnum cecinerunt. Pro *victricem*, græce est ὑπερμαχοῦντα, id est super pugnacem, id est pugnacissimam, fortissimam, bellicosissimam. Pro *pariter*, græce est ὁμοθυμαδόν, id est uno animo, uno ore, communi omnium consensu, unanimi omnium voce et consonantia; unanimiter concinentibus omnibus, viris, mulieribus et pueris. Cecinerunt enim Deo carmen eucharisticum, quo triumphantes Deum victoriæ tantæ de Pharaone merso auctorem, omnes unanimiter collaudarunt, viri quidem omnes præeunte et præcinente Mose, fœminæ vero, præcinente Maria sorore Mosis: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; equum et ascensorem deiecit in mare*, etc. Ex. 15. 1. et seq.

QUONIAM SAPIENTIA APERUIT OS MUTORUM, ET LINGUAS INFANTIUM FECIT (græce ἔθηκε, id est *posuit*) DISERTAS.) Vers. 21.
q. d. Sapientia Hebræorum, qui prius obsessi a Pharaone præ metu videbantur muti, et infantes elingues, ac hiscere non audebant, mersis Ægyptiis, animos laxavit, oraque resolvit ut epinicion iam libere, diserte et alacriter Deo canerent. Rursum nihil obstat, inquit Noster a Castro, verba *mutorum* et *infantium* proprie accipere, ac affirmare pueros balbutientes et adhuc infantes, simul cum parentibus et cæteris viris ac fœminis, laudes quoque cecinisse gratulatorias, cum infantium maxime loquelis delectetur Deus; nam *ex ore infantium et lactentium perfecit laudes, propter inimicos tuos et ultores*. Ps. 8. Sic et Dionys. Carthus. opinatur forsitan aliquos naturaliter mutos, tunc supernaturaliter loquendi canendique usum recepisse, ac in nonnullis infantibus anticipatum fuisse linguæ usum.

Mystice, Ecclesia in officio Eccles. totum hoc caput adaptat Confessoribus et Martyribus, ac apposito sensu de iisdem illud explicat Dionys. Carthus. et interpolate Hugo.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur sapientiæ paternam providentiam erga Hebræos post exitum ex Ægypto, ac eamdem per antithesin comparat cum vindicta, quam eadem sapientia inflixit Ægyptiis. Unde primo, celebrat miraculum aquarum e petra iussu Dei scaturientium, ad levandam sitim Hebræorum, illudque opponit miraculo, quo Deus aquas Ægypti vertit in sanguinem, ad potandum puniendumque Ægyptios, qui pueros Hebræorum occiderant. Secundo, v. 19. docet Deum punivisse Ægyptios per viles bestias, ut ranas, muscas, serpentes, quos antea ipsi coluerant quasi deos, ut eorum superbiam castigaret, et suam potentiam ostenderet. Deinque v. 21. ostendit miram Dei clementiam, qui cum sua omnipotentia potuisset solo nutu afflare et annihilare Ægyptios; modice tamen per exilia et vilia animalia eos castigarit, ut converterentur ad pœnitentiam, et veniam impetrarent. Omnia enim, inquit, in mensura, et numero, et pondere disposuisti.

1. DIREXIT opera eorum in manibus prophetæ sancti. 2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: et in locis desertis fixerunt casas. 3. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. 4. Sitierunt, et invocaverunt te, et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro. 5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, a defectione potus sui, et in eis, cum abundarent filii Israel, lætati sunt; 6. Per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est. 7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti iniustis. 8. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate. 9. Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. 10. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impii tormenta paterentur. 11. Hos quidem tamquam pater monens probasti: illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. 12. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur. 13. Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum. 14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. 15. Quem enim in expositione prava proiectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt: non similiter iustis sitientes. 16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes, et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam: 17. Ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones. 19. Aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: 20. Quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed et aspectus per timorem occidere. 21. Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti: 22. Multum enim valere, tibi soli supererat semper: et virtuti brachii tui quis resistet? 23. Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. 24. Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 25. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. 26. Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? 27. Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

Vers 1. DIREXIT OPERA EORUM IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI.) Mosis. Pro *direxit* græce εὐόδωσεν, id est bene direxit, bona via duxit, prosperavit, fecit ut felices exitus haberent opera et itinera Hebræorum in deserto, per spatium quadraginta annorum: *In manibus*, id est per ductum, actionem, directionem et gubernationem Mosis, ac, ut verbo dicam, per Mosen velut Dei ministrum et instrumentum. Manus enim est instrumentum instrumentorum: unde in Scriptur. causam instrumentalem designat. Sic in Prophetis sæpe dicitur: *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. Isaiæ, Zachariæ, etc.* id est, per Aggæum, Isaiam, Zachariam, qui erant manus, id est instrumentum, puta os Dei. Prophetia enim proprie fit ore, non manu. *In manu* ergo, hoc est opera et ministerio Mosis Deus Hebræos feliciter gubernavit, et deduxit per vastas Arabiæ solitudines, ut in deserto arida abundarent cibo, potu, veste, cæterisque rebus necessariis. Sic in manu Iudæ Machabæi *directa est salus*, id est opera et ductu Iudæ parta est Hebræis victoria, 1. Machab. 3. v. 6. Salus enim populi pendet a duce, rege, principe bono et sapiente. Sic salus Hebræorum consistebat in Mose, utpote Propheta, eoque sancto. Felices resp. et regna, quæ reges habent sanctos et sapientes, quales plures hoc ævo habemus, per quos provide Deus populos eis subditos benedicit, hæreses profligat, fidem orthodoxam restituit, Ecclesiæ iura et fines propagat. Illi sit laus et gloria. Porro, quomodo sapientia direxerit opera Hebræorum, explicat dum subdit.

ITER FECERUNT PER DESERTA QUÆ NON HABITABANTUR, ET IN LOCIS DESERTIS FIXERUNT (male multi legunt, *fecerunt*) CASAS.) Græce ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς, id est, *in inviis fixerunt tentoria*, puta in Arabia deserta, cuius proinde incolæ, eo quod non in domibus sed in tentoriis habitant, dicti sunt Scenitæ, teste Plinio lib. 6. 18. et Nomades, eo quod pascant greges, indeque victitent. Vers 2.

Alludit ad Deuteronom. 32. 10 *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.* Ubi Sept. vertunt, αὐτάρκησεν, id est *sufficientia*, vel *necessaria tribuit ei in deserto, in siti æstus, in terra inaquosa*, id est aquis carente et arida: *in siti æstus*, id est siti æstuosa, siticulosa, et calore solis æstuante et exusta; Aquila ἐν ἀτάκτῳ, ἀοικήτῳ, τεθορυβημένῃ, id est *in terra inculta, inhabitabili, horroris plena*.

STETERUNT CONTRA HOSTES, ET DE INIMICIS SE VINDICAVERUNT.) Hebræi enim in deserto, duce Deo, hostes permultos iter suum impedientes repulerunt et prostra- Vers 3.

verunt, quales fuere Amalecitæ, Exod. 17. Arad rex Chananæus, Numer. 21. v. 1. Moabitæ Numer. 25. Madianitæ Numer. 31. vers. 2. Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan, Deuter. cap. 2. vers. 32. et cap. 3. vers. 1. et similes.

Vers. 4. SITIERUNT, ET INVOCAVERUNT TE, ET DATA EST ILLIS AQUA DE PETRA ALTISSIMA, ET REQUIES SITIS DE LAPIDE DURO.) Pro *altissima* græce est ἀκροτόμου, id est *abrupta*, q. d. *ab alto secta*, ideoque *dura*, ut alii vertunt. Alludit ad Deuteron. 8. 15. ubi Noster vertit, *de petra durissima*; Septuag. vero quos more suo sequitur Sapiens, vertunt ἀκροτόμου: erat enim hæc petra sita in alto monte Oreb, qui est iugum montis Sinai, Exodi 17. vers. 6. Quare non est necessum dicere, Nostrum pro ἀκροτόμου legisse ἀκροτάτου, id est *altissima*, licet id opinetur Iansen. *Requies sitis*, græce ἄκος δίψης, id est, *remedium*, vel *curatio sitis* (nam sicut cibus famis, sic aqua sitis remedium et levamen est) *de lapide dura*. Notat miraculum petræ, quæ per Mosen percussa, Hebræis in deserto sitientibus largissimas fudit aquas, easque limpidissimas et dulcissimas, ait Iosephus, idque bis; semel in Raphidim et Oreb, Exod. 17. altera vice in Cades, Num. 20. v. 11. Tradunt Hebræi, et ex eis Cantacuzenus, petram hanc curru impositam vectamque, comitatam fuisse Hebræos per desertum quocumque pergerent, ac ubique iugi suæ aquæ profluvio eos potasse, idque videtur innuere Apost. 1. Cor. 10. vers. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra*; idque ibidem dicere videtur S. Chrysost. Ambrosiaster, Photius apud Œcumen. et S. Thom. qui vel petram ipsam, vel certe rivum aquarum ex petra scaturientem Hebræus secutum innuunt. Verum id fabulosum videtur, et alius est Apostoli sensus, ut ibidem ostendi. Æque fabulosum est, quod iidem tradunt, Hebræis datas aquas propter merita Mariæ sororis Mosis; columnam nubis quæ præiret castra, propter merita Aaronis; manna vero propter merita Mosis: quare post mortem Mariæ cessasse aquas; post mortem Aaronis evanuisse columnam; post mortem Mosis defecisse manna: id enim falsum esse liquet ex historia Mosis in Pentateucho, uti ibidem ostendi.

Vers. 5. PER QUÆ ENIM POENAS PASSI SUNT INIMICI ILLORUM,
Vers. 6. A DEFECTIONE POTUS SUI, ET IN EIS, CUM ABUNDARENT FILII ISRAEL LÆTATI SUNT; PER HÆC, CUM ILLIS DEESSENT, BENE CUM ILLIS ACTUM EST.) Sensus est, q. d. Sicut in Ægypto Ægyptii per aquas omnes a Mose versas in sanguinem, siti cruciati sunt; Hebræi vero aquas habentes puras, easque bibentes, lætati sunt: ita et post exitum ex Ægypto, cum iisdem Hebræis deessent aquæ in deserto, bene cum illis actum est, dum petra a Mose percussa largissimas eis profudit aquas, quare per quæ puniti sunt Ægyptii, per hæc Hebr. beneficio affecti sunt: aquæ enim sanguineæ cruciantes Ægyptios, cum puræ et largæ datæ sunt Hebræis, eosdem mire recrearunt in deserto uti eosdem ante recrearant in Ægypto. Hunc esse sensum liquet ex sequent. et ex Græco, qui sic habet, *per quæ enim cruciati sunt inimici illorum, per hæc ipsi indigentes beneficium acceperunt*. Noster vero, ut prius hemistichium plenius explicaret, addidit: *A defectione potus sui, et in eis, cum abundarent filii Israel, lætati sunt*. Vide historiam Exodi 7. Igitur τὸ *cum abundarent*, intellige, Hebr. in Ægypto aquis puris et potabilibus, quibus carebant Ægyptii, utpote aquis versis in sanguinem. Licet Noster a Castro id intelligat de Hebræis aqua e petra elicita a Mose potatis, non in Ægypto, sed in deserto. Sed prius aptius est magisque respondet Græcis, qui totum priorem versum accipiunt de plaga aquarum versarum in sanguinem quæ contigit in Ægypto, non in deserto, iuxta sensum iam assignatum.

Vers. 7. Ægyptii sanguinolento sanguine potati. NAM PRO FONTE QUIDEM SEMPITERNI (græce, ἀενάου, id est perennis, iugiter fluentis) FLUMINIS (Nili) HUMANUM SANGUINEM DEDISTI INIUSTIS.) q. d. Pro aquis Nili dedisti Ægyptiis bibere humanum sanguinem, dum aquas Nili vertisti in sanguinem, Exodi 7. v. 19. Græce est αἵματι λυθρώδει, id est *sanguine cruento*, sanioso, tabido, turbati, scilicet Ægyptii. Male Isidorus Clarius legens λυτρώδει, vertit, *redemptorio sanguine*, explicatque de sanguine agni paschalis, qui illitus postibus domorum Hebræorum, eos servavit intactos ab angelo percutiente primogenita Ægyptiorum; aut de aquis Nili versis in sanguinem: hic enim sanguis signum erat, Deum velle ulcisci innocentem sanguinem infantium Hebræorum occisorum ab Ægyptiis, ideoque velle eos ex Ægypto liberare et educere.

QUI CUM MINUERENTUR IN TRADUCTIONE INFANTIUM OCCISORUM, DEDISTI ILLIS ABUNDANTEM AQUAM INSPERATE.) q. d. Cum Ægyptii ob aquas versas in sanguinem, indeque consequentem sitim, viribus, vita et numero minuerentur (multos enim necabat, vel sitis, vel potus aquæ sanguine corruptæ, teste Philone et Iosepho) idque iuste, utpote *in traductione*, græce ἐλέγχων, id est ob correptionem et ultionem infanticidii Hebraici: aquis enim sanguineis merito puniti sunt Ægyptii, qui eas sanguine et morte infantium Hebræorum macularant. Tunc *Dedisti illis*, scilicet Hebræis in deserto siti laborantibus, *abundantem aquam* scaturientem ex petra. Vers. 8.

Græca significantius habent, εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, id est *ad redargutionem vel exprobrationem infanticidalis edicti*. Aquæ enim sanguineæ reipsa exprobrabant Ægyptiis infanticidia Hebræorum. Unde Vatabl. vertit: *Ad exprobrandum illis de occidendis infantibus edictum*. Hinc patet nonnullos perperam τὸ *qui cum minuerentur*, referre ad Hebræos, q. d. Cum Hebræi ob infanticidia suorum prolium minuerentur numero. Ex Græco enim liquet referendum esse ad Ægyptios eo sensu, quem dedi. Ita Cantacuzenus, Osorius, Vatabl. Iansen. Clarius, a Castro et alii. Vide dicta Exodi 7. 20.

Porro interpres noster Græca non ad verbum, sed ad sensum fideliter et clare reddidit: Græca enim ad verbum sic habent: *Pro quidem fonte perenni fluminis sanguine cruento perturbati, in correptionem infanticidalis præcepti dedisti illis abundantem aquam insperato*. Ubi τὸ ταραχθέντος, id est *perturbati*, per hebraismum (Hebræi enim carent casibus: unde uno casu et terminatione exprimunt omnes) idem est, quod *perturbatis*, vel, cum perturbarentur et consternarentur Ægyptii, quod Noster vertit, *cum minuerentur*, animo scilicet, æque ac viribus, vita et numero.

OSTENDENS PER SITIM, QUÆ TUNC FUIT, QUEMADMODUM TUOS EXALTARES, ET ADVERSARIOS ILLORUM NECARES.) Græce ἐκόλασας, id est *castigasti*, dum scilicet eos morte mulctasti, q. d. Fecisti ut Hebræi in deserto sentientes sitim, ex eaque cognoscentes quantum malum sit sitis, inde discerent quam in eos beneficus fueris, o Domine, dum eos aqua e petra miraculose potasti et exaltasti; hostes vero eorum, puta Ægyptios, siti et aquis sanguineis necasti. Ægyptii enim carent pluvia, quia Ægyptus fœcundatur exundatione et oblimatione Nili. Quocirca Ægyptii Nilum pro deo suo habebant, teste S. Athanas. or. contra idola, et Plinio l. 8. c. 46. Unde illa vetus Nili salutatio: *Iupiter Ægypti Nile*, de qua Rhodiginus l. 27. c. 6. quare ingens Ægyptiis fuit pœna, cum Nilus, qui prius eis dabat messem et vitam, iam sanguine vitiatus eis afferret sterilitatem et mortem. Vers. 9.

Porro τὸ *necares* idem est quod *necasses*, et si opus fuisset deinceps necaturus fuisses: nex enim Ægyptiorum per sitim, annum et amplius antecessit scaturiginem aquæ e petra datæ Hebræis in deserto. Sapiens enim pulchra antithesi ostendit providentiam Dei benignam in pios, et ultricem in impios, per eamdem aquam, licet diverso tempore exhibitam.

CUM ENIM TENTATI SUNT: ET QUIDEM CUM MISERICORDIA DISCIPLINAM ACCIPIENTES, SCIERUNT QUEMADMODUM CUM IRA IUDICATI IMPII TORMENTA PATERENTUR.) Vers. 10
Exaggerat quod dixit, q. d. Cum Hebræi tentati et afflicti sunt per modici temporis sitim, per eamque misericorditer a Deo castigati in deserto, ex ea didicerunt quanta ira Deus in Ægyptios exarserit, utpote quos longa siti afflixit, et tandem enecavit, q. d. Ideo Deus piis cruces immittit modicas et breves, ut ipsi discant illas æquo animo ferre, cum eas comparant cum crucibus longe maioribus, quibus Deus impios torquet, eisque animam et vitam ex-

torquet: quare de sua sorte non querantur, sed ex contenti Deo gratias agant, nec impiis invideant, sed potius condoleant, onde expliesns subdit.

Vers. 11. Hos quidem (pios Hebræos) tamquam pater monens probasti: illos autem (impios Ægyptios) tamquam durus rex interrogans, id est examinans per quæstionem et torturam sitis, condemnasti) Græca invertunt, condemnans interrogasti, vel ad damnationem examinasti, et in quæstione exagitasti: hoc est, de Ægyptiis quæstionem habuisti, eos sitis cruciatu, quasi tormento adhibito torsisti vel examinasti; aqua enim sanguinea et sitis fuit quasi tortura, qua Ægyptios torsit et examinavit Deus, q. d. Quare vos, infantes Hebræorum in aquas proiecistis? cur eos aquæ mersistis et necastis? cur sanguine innocenti aquas fœdastis? Fœdastis illas, fœdatas nunc bibite; cruciastis eos aquis, nunc eisdem cruciemini et vos; aquis illos necastis, nunc et aquæ vos necent, et innocentem necem vindicent.

Vers. 12. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur) q. d. Ægyptii sive absentes ab Hebræis, sive iis mixti et præsentes, eadem siti torquebantur. Ex eodem enim Nilo, vel fonte, aquas sanguineas et impotabiles hauriebant Ægyptii, ex quo Hebræi puras et limpidas, ait Ioseph. 2. Antiq. c. 13. ita Cantacuzenus. Aut potius, q. d. Ægyptii ab Hebræis iam Ægypto egressis, et in deserto aquam e petra bibentibus absentes, æque ac illis in Ægypto adhuc degentibus præsentes cruciati sunt. Modum cruciatus explicat in sequentibus. Hunc verum esse sensum patebit ex eo quod sequitur: *Et gemitus cum memoria præteritorum;* Et: *Non similiter iustis sitientes.* Ita Iansen. Lorinus, a Castro. Quarto, minus apposite Lyranus exponit, q. d. Ægyptii, sive præsentes Pharaoni, sive ab eo absentes; et Holcot, sive præsentes essent aquis, sive absentes, siti torquebantur; et Hugo, qui hæc accipit de Chananæis et Amalecitis.

Vers. 13. Duplex enim illos acceperat tædium et gemitus cum memoria præteritorum.) Primus enim dolor Ægyptiorum erat sitis, quod non possent bibere aquas cruentas et saniosas. Secundus erat dolor invidiæ, quo cruciabantur videntes Hebræos ex eodem fonte haurire aquas limpidas, ex quo ipsi hauriebant tabidas. Accedebat *memoria præteritorum*, qua Ægyptii memores præteritarum plagarum a Mose sibi immissarum, a quibus intacti fuerant Hebræi, hac memoria, per plagam sitis renovata cruciabantur. Ita Cantacuzenus et Osorius.

Aut potius conformiter ad sensum secundo loco versu præcedenti assignatum, primus dolor Ægyptiorum erat, quo ipsi ex invidia, aliena, Hebræorum hostium suorum scilicet, felicitate, audita miraculosa aquæ e petra eis scaturientis copia, cruciabantur. Secundus dolor erat ex malis propriis, scilicet sitis et aliarum plagarum, quas propter Hebræos passi erant: quæ licet iam transissent, illarum tamen effectus et memoria eos adhuc torquebat: multi enim per sitim macie et morbis confecti ægre trahebant animam, alii per sitim afflictos vel exstinctos lugebant suos fratres, filios, parentes, uxores, amicos, etc.

Minus recte Lyran. hæc de Hebræis accipit, q. d. Hebræi duplici dolore cruciabantur: primo, ex tolerantia præsentis calamitatis sub Pharaone; secundo, ex memoria præteritæ felicitatis sub Iosepho. Nam ut ait Boetius: *Infelicissimum infortunii genus est fuisse felicem.*

Et gemitus cum memoria præteritorum.) Ita legunt codices Latini, Græcique Romæ correcti; Complut. legunt, και στεναγμος μνημων των παρελθοντων, id est, *et gemitus memoriarum præteritorum;* Vaticanus, μνημων των παρελθοντων, id est *memoriarum præteritarum;* Iansenius vero mallet legi μνημων cum accentu acuto, indeque verti: *Et gemitus memor præteritorum.* Verum omnia eodem redeunt, dantque sensum quem paulo ante assignavi.

Vers. 14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum.) Id est *cum illis* (hoc enim significat græcum αυτους) unde Græca sic habent, *Cum enim audirent per propria tormenta illos* (Hebræos) *beneficio affectos, senserunt Dominum.* Sic sæpe alibi pronomen reciprocum sumitur pro absoluto, et vice versa, ut Lucæ 1. 51. *Dispersit superbos mente cordis sui,* id est *eorum,* ut patet ex Græco. Sensus est, q. d. Cum Ægyptii intelligerent suas plagas et calamitates verti et cedere in bonum et felicitatem Hebræorum, quos persequebantur, scilicet se aquarum penuria cruciatos; Hebræos vero aquarum copia donatos, *commemorati sunt Dominum,* id est compulsi et coacti agnoverunt Deum Hebræorum, eiusque vires et potentiam confessi sunt: unde græce, *senserunt Dominum mirantes in finem exitus,* id est *eventus,* ut sequitur, q. d. Ægyptii admirati sunt tragicum suæ pertinaciæ finem et exitum, puta suam suorumque cladem et stragem; indeque agnoverunt omnipotentem Dei manum et vindictam; sed sero: agnoverunt enim easdem res, v. g. aquas, sibi esse noxias et exitiales; Hebræis vero commodas et vitales: quare Deum pugnare pro Hebræis, ac propter eos se oppugnare, imo expugnare censerunt.

Quem enim in expositione prava proiectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter iustis sitientes.) Ita Græca et Roman. Perperam ergo Complut. Regii et alii pro *sitientes* legunt *faciens,* q. d. Deus non similiter fecit Ægyptiis et Hebræis, quia illos siti enecavit, hos aqua e petra potavit. Verum corrigendum est *sitientes.* Sensus est, q. d. Ægyptii *Dominum,* puta Deum, quem antea, cum servorum eius, scilicet Hebræorum, infantes in Nilo exponi et submergi cogerent, proiecerant, id est, abiecerant, nihili æstimarant, imo deriserant; græce απειπον χλευαζοντες, id est, *negaverant subsannantes;* hunc *in finem eventus,* id est, ut græce, *in fine* vel *exitu* eventuum, cum scilicet tandem acrem eius per tot plagas vindictam experirentur, admirati sunt, *non similiter iustis sitientes,* q. d. Eo quod aliam in sua siti experti sint Deum, quam Hebræi: nam hi aquam divinitus acceperunt; illi pro aqua sanguinem impotabilem hauserunt. Ita Iansen.

Secundo, pressius τὸ *quem* referas ad Mosen, q. d. Ægyptii Mosen, quem infantem exponi coegerant, et ut abiectum riserant; hunc tandem mirati sunt in exitu, quo Hebræos eduxit ex Ægypto: tunc enim eius plagas, quas Deo auctore ipsis inflixit, senserunt, ac præsertim cum ab eo aquis sanguineis et siti percussi sunt; Hebræi vero minime. Videtur notare insidias Ægyptiorum, quibus coactus est Moses aulam regiam Pharaonis deserere, et fugere in Madian ne interficeretur, ut referunt Iosephus lib. 2. Antiq. c. 5. et Philo lib. de Profugis, et lib. 1. de Vita Mosis, et Paulus ad Hebr. 11. 24 *Fide,* inquit, *Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Quo verbo indicat improperatum fuisse Mosi, se risu et sannis exceptum ex Ægypto profligatum. Ita Lyran. Dionys. Lorinus, a Castro et alii.

Minus recte Lyran. exponit de Hebræis, q. d. Hebræi Mosen, quem initio ut imbecillem riserant, postea plagas inferentem Ægypto mirati sunt. Hucusque de plaga sitis, sequuntur aliæ per bestiolas Ægyptiis immissæ.

Vers. 15. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes, et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam.) q. d. Quia Ægyptii fuere superstitiosissimi, ideoque pro diis coluere bestias varias: hinc Deus ad castigandam hanc eorum superstitionem et idololatriam, per Mosen immisit in eos bestiolas varii generis, quæ eos cruciarent. Secunda enim plaga Ægypti fuit innumera multitudo ranarum, Exodi 8. 2. Tertia fuit sciniphum, Exodi 8. 16. Quarta fuit muscarum, Exodi 8. 21. Octava fuit locustarum, Exodi 10. 4. vide ibi dicta.

Pro *iniquitatis,* perperam aliqui legunt, *iniquitates,* adduntque, *prodeunt.* Ita Glossa Interlin. vel *secutæ sunt.* Ita Hugo. Pro *mutos,* græce est, αλογα, id est expertes sermonis, id est mutos; vel expertes rationis, id est irrationales: λογος enim et sermonem et rationem significat: at-

quo animalia, quæ carent ratione, carent et sermone: sermo enim est index rationis et mentis.

Pro *bestias supervacuas*, græce est κνώδαλα εὐτελῆ, id est bestiolas viles: κνώδαλον enim significat animalia omnis generis, tam terrestria, quam aquatica et aerea: dicta sunt κνώδαλα a κινεῖν ἀλίσκεσθαι, id est quod canibus capiantur, ait Aristophanes in Vespis. Unde Homerus Odyss. ρ.

Κνώδαλ' ὅσσαπερ ἤπειρος τρέφει ἠδὲ θάλασσα,

hoc est, *bestias, quas terra nutrit vel mare.* Significat Ægyptios omnis generis animalia coluisse. Nam, ut ait S. Bonaventura, sub specie serpentis colebant Æsculapium, Iovem sub arietis, Mercurium sub canis, Apim sub bovis. Proprie tamen κνώδαλα, ait Nannius hic in c. 16. 1. sunt marina sive aquatilia animalia, ita dicta a κινεῖσθαι ἐν ἁλί, id est quod moveantur in mari. Sub quibus Sapiens intelligit ranas, muscas, scarabæos, aliaque finitimæ naturæ. Nicander in Theriacis κνώδαλα pro insectis et reptilibus usurpat. Oppianus vero certum serpentum genus facit, sub quo has species constituit, αἱμοῤῥοΐδες, quibus a sanguinis fluxu nomen est: κεράστας quorum corniculata capita: τριχοφθόρους a defluvio capillorum dictos: et τοιχόρυς quod parietem perfodiant.

Ægypti coluerunt serpentes. Porro Ægyptios pro diis coluisse ex terrestribus animantibus leones, cynocephalos, canes, feles, lupos, serpentes et aspides, tradunt Philo in lib. de Decalogo, Tertull. in Apolog. cap. 24. Cyprian. lib. ad Demetrian. n. 5. et Athenagoras in Apolog. pro Christianis; ex aquaticis, crocodilos et pisces alios; e volucribus, ibides et accipitres, eodem Philone auctore liquet. Hinc illud Virgilii lib. 8. Æneid. de Ægypto:

Omnigenumque Deum monstra et latrator Anubis.

Hac de causa Christus infans fugiens Herodem delatus fuit in Ægyptum, ut eius deos everteret, ac de eis triumpharet; unde eo ingrediente idola Ægypti corruerunt uti prædixerat Isaias cap. 19. 1. *Ingredietur Ægyptum*, inquit, et *commovebuntur simulacra Ægypti*; vide ibi dicta. At vero nusquam legimus Ægyptios adorasse ranas, sciniphes, muscas, locustas, quas Deus per Mosen eis immisit. Cum ergo ait Sapiens eos per mutas bestias punitos, quia mutas bestias adoraverunt, intellige bestias easdem in genere, non in specie. Denique Ægyptios non tantum canem, arietem, vulturem, sed et scarabæum coluisse quasi numen docet Euseb. lib. 3. de Præparatione, c. 2.

Vers. 17. Ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.) Syrus, *retribuetur*; Arabicus: *Ut sciant quod iis rebus, quibus homo peccat, crucietur*, q. d. Quia Ægyptii bestias coluerunt, hinc per viles bestias, non easdem, sed alterius speciei puniti sunt. Causam subdit Sapiens versu sequenti. Huic gnomæ succenturiantur leges talionis latæ, tum a Deo, tum a principibus. Notum est illud Dei mox a diluvio: *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*, Genes. 9. 6. et illud Christi: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. 52. et illud Isaiæ 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Et illud Habacuc 2. 8. *Quia tu* (o Babylon) *spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis.* Denique, *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Lucæ 6.

Culpa fit pœnas Gnomæ.

Moraliter hic disce quodlibet vitium sibi ipsi esse supplicium, suumque sibi afferre tormentum. Sic gula parit crapulam, vigiliam, dolores capitis et stomachi, quibus ipsa punitur. Hinc dives Epulo lingua in igne gehennæ punitus est, quia lingua peccarat. Libido parit luem veneream, pluresque morbos, quibus ipsa plectitur. Avaritia parit mille curas, sollicitudines, ærumnas, dolores, quibus ipsa mulctatur. Superbia parit innumeros angores animi, quod honoribus quos ambit non potiatur, sed potius ubique humilietur et deprimatur. Ira parit mille animi tumultus et fremitus, qui iratum assidue lancinant ac lacerant. Acedia parit inopiam, famem, nuditatem, quibus ipsa castigatur. Invidia invidum magis torquet, quam æmulum; nam instar viperæ invidi viscera dolore et angore rodit et corrodit. Quare vere recteque S. Augustinus: *Iussisti,*

A *Domine, et ita est, ut sibi pœna sit omnis inordinatus animus.* Et S. Chrysostom. in Psalm. 3. *Unde est fons peccati*, inquit, *illinc est plaga supplicii.*

Rabbini viros quinque recensent, qui iis in rebus quibus excelluerunt, et forte superbierunt, puniti sunt. Primus est Samson, qui in suo robore; secundus Saul, qui in collo altiori; tertius Absalon, qui in coma densa et venusta, unde ex ea suspensus interiit; quartus Sedecias rex, qui in oculis bellis, ideoque excæcatus est; quintus Asa rex, qui in pedibus, unde pedum languore percussus est, 3. Regum 15. 23. Ita ipsi: *Plerumque ea in quibus peccamus, fiunt flagella peccantium*, ait Rupert. in c. 2. Ioannis, ac vitia ipsa fiunt supplicia. Pulchro emblemate idipsum repræsentant nonnulli, qui pingunt equum, quem stimulat insidens Cupido, fugere, sed alligatum caudæ suæ lapidem molarem post se reptare, de quo carmen:

Ut fugit, et semper sequitur sua damna caballus,
Qui trahit heu scabræ pondera dura molæ:
Sic fugiet, semperque miser sua damna sequetur,
B *Qui fugit ultorem post sua terga Deum.*

Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones.) Vers 18 *Impossibilis*, id est *impotens*; οὐ γὰρ ἠπόρει, id est *non aporiabatur*, id est non angustiabatur, non arctabatur.

Pro *materia invisa*, græce est ἀμόρφου, id est, *informi*, uti legit S. August. de Fide et symbolo c. 2. Syrus, *ignota*. Aliodit ad Genes. 1. 2. *Terra autem erat inanis et vacua*: ubi Septuag. vertunt, *invisibilis et incomposita*; Aquila et Theodotion, *inane et nihil.* Unde primo, Eugubinus ibidem ait mundum creatum esse ex materia invisa, id est ex nihilo; nihil enim est invisum, quia quod non est, videri nequit.

Mundus factus ex materia invisa quomodo. Resp. I.

II. Secundo, Seleuciani et Hermiani, hæretici, teste S. August. et Epiphanio lib. de Hæresibus, hinc opinati sunt materiam primam ab æterno Deo coexstitisse, ex qua ipse C in tempore mundum formavit induendo materiæ formam, vel potius formas, quas iam habet. Verum hæc est hæresis.

III. Tertio, Philo lib. de Mundi opificio per *materiam invisam* accipit ideam ex qua factus est mundus: hæc enim invisibilis præexstitit in mundo intelligibili, puta in mente Dei. Verum hoc symbolicum est et mysticum.

IV. Quarto, alii dicunt præpositionem *ex* significare ordinem non temporis, sed naturæ. Materia enim prius natura creata est a Deo, quam forma: materia enim est subiectum, cui inhæret forma, q. d. Manus tua, Domine, creavit orbem terrarum constantem ex informi materia, quam eadem manus tua prius natura condidit, ut ex ea totum orbem formaret. Verum hoc subtilius est et extra propositum: Deus enim non eduxit formam mundi ex eius materia, sed simul tam tempore, quam natura materiam et formam ex nihilo creavit, univitque. Adde, etsi materia in genere causæ materialis prior sit forma, tamen vicissim forma in genere causæ formalis prior est materia: forma D enim dat esse rei, ac proinde materiæ dat certam naturam et speciem.

V. Genuine. Dico ergo Deum creasse κόσμον, id est mundum, non quoad substantiam, sed quoad eius ornatum (hunc enim significat κόσμος) et species *ex materia invisa*, id est informi. Assignat enim Sapiens hic causam materialem non creationis mundi, sed rerum et specierum creatarum. Nam primo mundi die, Deus ex nihilo creavit hæc tria, cœlum, terram et abyssum, id est copiam immensam aquarum, sed rudia et informia; deinde sequentibus sex diebus ex iis velut ex materia invisa, id est rudi et informi chaos, omnes mundi res et species formavit, ornavit et figuravit. Græcum enim κτίζω quod Noster vertit, *creare*, significat generatim fabricare, condere, formare. Quare, per *materiam invisam*, non intelligit Sapiens materiam primam omni omnino forma carentem (huius enim nec in Genesi, nec alibi ulla fit mentio) sed corpora simplicia, quæ invisa erant propter tenebras, quæ erant super faciem abys-

si, ac ob carentiam decoris et ornatus sui. Unde eadem dicuntur informia, quod carerent forma non substantiali, sed accidentali.

Primo ergo mundi die cælum et terra create sunt rudia et informia, id est inornata, ac deinde suis formis accidentalibus, puta luce, motu, sole, luna, stellis, omnique alio ornatu, reliquis diebus decorata, pulchra facta sunt et spectabilia. Sic Apostolus ad Hebr. 11. 3. ait non creata, sed *aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent;* quia primo mundi die, antequam lux fieret, terra non erat aspectabilis, omni etiam ornatu carebat: nec enim eam vestiebant herbæ et plantæ, non homines et animalia incolebant, aquis quoque cooperta erat: quare nec videri poterat, nec videri digna erat. Ita passim Patres et Interpretes in Genes. 1. vers. 2.

Audaces leones.) Interpres Origenis 4. Periarch. c. penult. vertit, *feroces leones*. Ferocia enim facit eos audaces.

Vers. 19. Aut novi generis ira plenas (græce, νεοκτίστου θυμοῦ, id est recenti, vel recens creato furore plenas: non enim erat opus Deo ad hanc vindictam novas creare bestias, sed suffecisset iam creatis novam indere sævitiam et

Vers. 20. furorem) ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed et aspectus per timorem occidere.) Pro *vaporem ignium spirantes*, græce est, πυρπνόον φυσῶντας ἆσθμα, id est *ignivomum*, vel *flammivomum*, *spirantes anhelitum*, uti spirarunt serpentes igniti flatuque ardentes a Deo immissi in Hebræos murmurantes, Num. 21. 6. Deuter. cap. 8. vers. 15. Hinc pisces dicti Physeteres quasi flatores, quos Strabo lib. 15. scribit fluctum maximum et accumulatum, ac caliginem reflationibus excitare, ut navigantes ea, quæ præ oculis habent, cernere nequeant.

Fumi odorem proferentes.) Græce, βρόμους λικμωμένων (alii legunt λικμωμένους) καπνοῦ, id est *sonitus ventilati fumi*, id est spirantes cum sonitu, fremitu et stridore fumum, reciprocatu anhelitus ventilatum. Ita Nannius et Iansen. iuxta illud Ovidii 7. Metamorph.

Æripedes tauri vulcanum naribus efflant.

Et de Leviathan sive balæna ait Iob c. 41. 9. et seq. *Sternutatio eius splendor ignis, et oculi eius ut palpebræ diluculi*. Tales esse balænas in Norwegia scribit Olaus Magnus lib. 21. c. 5. Tales ergo bestiæ fremunt, et cum fremitu fumum exspirant, utroque terribiles, ut audientes et intuentes percellant et pene exaniment.

Horrendas ab oculis scintillas emittentes.) Græce ἀστράπτοντας, id est fulgurantes, quasi fulgure et fulgetro vibrantes: nam ex oculis emicans ardor indicat internum furorem, a quo promanat.

Vers. 21. Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.) q. d. Quinimo poterat Deus sine ursis, leonibus, aliisque bestiis, uno spiritu, id est uno flatu, imo uno verbo soloque nutu et nutu suo, efflare et occidere Ægyptios: sed iram tuam moderatus es, Domine, quia omnia certa quadam ratione, moderatione et æquitate moderaris, temperas et mensuras.

Pulchre pieque Rupert. lib. 4. in Exod. c. 34. *Grande*, inquit, *spectaculum Deus universo orbi præstitit, cum superbiam Ægyptiorum, non de leonibus et ursis, sed de ranis domuit et muscis*. Et rursus cap. 38. *Ecce*, inquit, *quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra complevit Dominus pugnando pro Israel: ranæ, cyniphes, muscæque locustæ fuerunt castrorum eius acies: et ex eiusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios composuit legiones, singuli milites secundum se breves quidem et infirmi, verum pro exercitibus Pharaonis satis valentes, duce imperio Dei. Namque quod multus hominum exercitus facere non potuisset, leta phalanges locustarum strenua peregere militia.*

Uno spiritu.) Cantacuzenus per *spiritum* accipit ventum validum, v. g. presterem vel ecnephiam, qui domos, arbores, turres sternit, imo evellit et alio transfert. Alii angelum: hic enim in castris Sennacherib una nocte occidit 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19. 35. Simplicius accipias flatum vel anhelitum: hic enim magis significat Dei vim et potentiam, qui tam facile poterat Ægyptios omnes necare, quam facile homo respirat. Sic enim ait Iob c. 4. 8. *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ eius esse consumptos.*

Persecutionem passi ab ipsis factis suis.) Græce, ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες, id est, *a iudicio*, vel *a causa criminali* (qua eorum scelera a iudice cognoscuntur, damnantur et plectuntur. Unde Noster vertit, *ab ipsis factis suis*) *impulsi* vel *propulsati*, q. d. Poterant Ægyptii occidi a Deo solo halitu, sola voce, sola sententia, sicut iudex persequitur, condemnat et occidit reum sua sententia, qua eum ob malefacta morti addicit; sed iudex hanc sententiam physice inefficacem ad occidendum exsequitur per carnificem, qui reum plectit: Dei vero sententia non eget executore vel carnifice, quia per se ipsam efficax est, et ultionem reipsa peragit. Nam Dei dicere, est facere. Unde *verbo Dei cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Sic S. August. l. 2. contra ep. Petiliani c. 19. illi conquerenti quod Catholici persequerentur Donatistas, respondet, non Catholicos, sed malefacta et scelera Donatistarum persequi ipsos velut auctores.

Et dispersi per spiritum virtutis tuæ.) λικμηθέντες, id est agitati quasi ventilabro, q. d. Poterat Deus solo flatu suæ potentiæ, velut vanno vel ventilabro, Ægyptios dispergere, id est dispellere, disiicere, perdere, sicut disiiciuntur paleæ cum eventilantur, ut tenues vanescant in auras. Simili tropo ait Ieremias cap. 15. 7. *Et dispergam eos*, ait Deus, *ventilabro in portis terræ; interfeci et disperdidi populum meum*. Et Isaias cap. 41. 16. *Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos*. Et Zachar. cap. 1. 19. *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Iudam et Israel*. Et Daniel. cap. 8. 4. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem.*

Sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.) Loquitur proprie de pœnis Ægyptiis a Deo inflictis, earumque congrua moderatione. Unde Syrus vertit: *Omnia in mensura noxia, et in ordine, et in pondere induxisti in eos*; Arabicus: *Quoniam omnia ordinasti cum numero, et potentia, et mensura*, vel *pondere*, id est summa æquitate et ratione disposuisti omnia, ac admensus es pœnas Ægyptiis iuxta tuam non potentiam, sed sapientiam et æquitatem. Est metaphora ab humanis negotiationibus, in quibus æquitas et iustitia servatur in mensurando, numerando et ponderando. Sensus ergo est, q. d. Ideo Deus Ægyptiis immisit non leones et ursos, qui eos laniarent, sed muscas et ranas, quæ eos duntaxat vexarent, quia non volebat eos occidere, sed moderate castigare et emendare, iuxta illud Isaiæ 28. 17. *Ponam iudicium in pondere, et iustitiam in mensura*. Punire in mensura, ait S. Bonavent. hic, est punire non plus quam exigat culpæ quantitas; in numero non plus quam multiplicitas; in pondere non plus quam peccati ferat conditio sive qualitas. Huc pertinet sententia in Baltassarem lata: *Mane, tekel, phares*, Daniel. 5. 25. Vide ibi dicta. Hinc S. Michael iudicii divini circa animas administer, pingitur cum gladio et statera, quasi meritorum et demeritorum, præmiorum et suppliciorum libripens, qui omnia ad amussim libret et adæquet.

Huc facit exemplum blasphemi, qui ut narrat Nicephorus lib. 1. c. 20. armatus Deum provocabat ad duellum; immisit ei Deus exilem muscam, quæ per galeæ foramen ita assidue eum exagitavit, ut cum ea luctando fessus victusque, suam amentiam confiteretur. Nam, ut ait Philo lib. 1. de Vita Mosis: « Homines cum bella gerere volunt, auxilia sibi consciscunt potentissima, quibus infirmitatem suppleant: Deus vero omnipotens et nullius egens, si quando vult tamquam instrumentis quibusdam uti ad exigenda supplicia, non valida eligit, sed vilia parvaque et-

que ita noxios plectit; quod tunc etiam Ægyptiis accidit. »

Verum hæc sententia generalis, non solum in pœnis et præmiis, sed in omni omnino re locum habet, ac verissima est; et quo modo et sensu?

Omnia in mensura numero et pondere.

I. Primo, S. Aug. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 3. 4. 5. hæc tria applicat ipsi Deo, per eaque accipit ideas divinas, iuxta quas omnia iuste apteque fecit et disposuit. Deus enim est prima et increata mensura omnia mensurans, et numerus omnia numerans, et pondus omnia ponderans; unde ab eo omnes creaturæ suam mensuram, numerum et pondus mutuantur et hauriunt. Hæc enim est cuiuscumque rei mensura, numerus et pondus, quæ idea sua in mente Dei respondet, quamque illi Deus sua sapientia et providentia admetiri decrevit. Audi S. Aug. Dialogo qu. ad Orosium, qu. 39. « Numerus, et mensura et pondus, ipse Deus est; ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus; ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura; ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus. Omnia ergo in numero, et mensura et pondere disposuit tamquam si diceret: Omnia in se disposuit. »

Idem S. August. (vel quisquis est auctor) libro Sententiarum unius et viginti cap. 18. mensuram attribuit Patri, numerum Filio (qui est numero secunda persona) pondus Spiritui sancto, qui et Amor dicitur. S. Bonav. per mensuram sumit clementiam Spiritus sancti omnia conservantis: per numerum, sapientiam Filii ordinantis; per pondus, potentiam Patris operantis.

Huc accedit S. Bernard. ser. 4. de Septuag. ubi asserit Deum in hac vita omnia disposuisse in mensura, numero et pondere; in futura vero, puta, in cælesti beatitudine, sine mensura, numero et pondere; quia ibi omne bonum nostrum erit Deus, qui quaquaversum est immensus; etsi idem ipse, ibi quoque iuste et certa mensura, meritis cuiusque commensa, singulis Beatis se suamque gloriam communicabit. Quocirca S. Bernard. ibidem cælestem Patrem alloquens ait: *In te nec pondus utique nec mensura, sed satietas est et affluentia summa; sed nec habes numerum,* scilicet qualem habent res terrenæ, sed alium cælestem dignum Deo et beatis.

II. Secundo, idem S. Bernard. ser. 54. inter parvos, mensuram attribuit loco et tempori, cuique rei attributo et admenso; numerum partibus rei corporeæ, aut varietati et mutabilitati rei incorporeæ; pondus dignitati rei.

III. Tertio, auctor Hypognosticon (apud S. Aug. t. 7.) l. 6. c. 4. per mensuram accipit rei qualitatem, per numerum quantitatem, per pondus rationem peræquatam.

IV. Quarto, magis apposite S. August. lib. 4. de Gen. ad litteram, cap. 3. *Mensura, ait, omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit.* Igitur Deus disposuit omnia in mensura, numero et pondere, id est in modo, specie et ordine. Idem August. lib. de Natura boni c. 3. *Hæc tria,* ait, *modus, species et ordo, tamquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis; et ita hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva, parva bona sunt; ubi nulla, nullum bonum est.* S. Augustinum sequitur S. Th. 1. p. q. 5. art. 5. ubi docet omnem rem, sive omne bonum habere mensuram, quæ cuilibet rei certum modum ex determinatione suorum principiorum, sive causarum, tam efficientium, quam materialium, præscribit et præstat; habere numerum, qui cuique rei suam formam et speciem præbeat; habere pondus, id est inclinationem ad suos actus suumque finem, ac proinde hoc pondus rem ipsam ad suam quietem et stabilitatem trahere. Idem quæst. 45. art. 7. *Mensura,* ait, *refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, et pondus ad ordinem,* indeque evincit in qualibet re esse vestigium, sive repræsentationem SS. Trinitatis. Nam *secundum quod res est quædam substantia creata,* inquit, *repræsentat causam et principium, et sic demonstrat personam Patris, qui est principium, non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, in quantum est amor, quia ordo est effectus ad aliquid alterum, ex voluntate creantis.* Rationem a priori dat Plato dialog. de natura, quod fas non erat, nisi pulcherrimum facere eum qui est optimus; pulchritudo autem consistit in iusta ratione et proportione, puta in mensura, numero et ordine. Ratio a priori.

Huic gnomæ antistropha est illa 4. Esdræ 4. 36. *In statera ponderavit sæculum,* et *mensura mensuravit tempora, et numero numeravit tempora.* Omnia ergo plane suis constant numeris, appenduntur ponderibus, mensuris discreta subsistunt. Gnomæ. Pythagoras omnia quæ fiunt, numeris constare asseruit, ex eorumque harmonia et concentu universa generari. Est autem numerus, ait, extensio atque actus seminalium rationum in unitate regnantium; numerus præterea est in divina mente consistens, a quo et ex quo omnia componuntur et permanent, ordine quodam indissolubili invicem distributa. Pythagoram magistrum secuti Pythagorici censuerunt omnia fieri per numeros; hosce enim rebus omnibus dare harmoniam et concentum pulcherrimum; Deum ergo mundum hunc numerosa et summe concinna proportione administrare instar citharœdi, qui citharam ad numeros scitissime pulset, ac suavissimam efficiat harmoniam et melodiam. Et Plato in Timæo docet mundum factum esse per cubum ternarii, id est per 27. in quo numero omnis harmonia et consonantia consistit; nam ter tria faciunt novem, ter novem faciunt 27. ex quo Valentinus hæreticus suos triginta Æones quasi numina accepisse videtur, de quibus Tertullianus libro contra Valentinum. Virg. vero l. 12. Æneid. de bilance fatorum Æneæ et Turni, ita canit:

Iupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere lethum.

Igitur, ut rem in summam genuine, clare et methodice colligam: Deus primo disposuit omnia in *mensura*, dum fecit ut res quælibet habeat suam quantitatem et mensuram, in longitudine, latitudine et crassitie, v. g. ut homo habeat mensuram sex pedum in altitudine, sesquipedem in latitudine, pedem in crassitie, ut hæc arbor tantam habeat mensuram altitudinis, alia aliam, ut cæli sint tam magni, non maiores nec minores, etc.

In numero.) Ut verbi gratia cæli sint undecim, non plures; elementa sint quatuor, non plura, nec pauciora; tot sint species animalium, piscium, avium, serpentium, totque singularum individua, non plura, nec pauciora; tot angeli, tot homines, tot electi, tot reprobi, tot metalla, tot arbores, tot flores, tot arenæ non plures.

In pondere.) Ut quodque habeat suam gravitatem, locum et ordinem, v. g. ut terra sit ponderosissima, ideoque ima, deinde super eam sit aqua, super aquam sit aer, super aerem sint cæli suo quique ordine et gradu. Rursum ut quodque habeat suum pondus, id est inclinationem, propensionem, impulsum, impetum. Vide Valles. S. Philosoph. cap. 70.

Secundo, dum fecit ut res quælibet in entitate sive genere entis et rerum, suam habeat entitatis mensuram, numerum et pondus.

Tertio, dum fecit ut eadem habeat in suis potentiis, qualitatibus, accidentibus, dotibus, actibus. Creavit enim Deus substantias non nudas, sed vestitas accidentibus sibi propriis, et congruis ad suas operationes, atque omnes inter se velut chordas discordes in cithara ita coordinavit, ut concordem harmoniam efficiant. Vide quam aurum sit fulvum, quam gemmæ aurescant, quam lilia albicent, quam rosæ purpurascant, quam aves suis coloribus et plumis sint distinctæ. Hinc Hugo Cardinalis hoc loco ex Rabano interpretatur de veritate, iudicio, iustitia; quoniam Deus rebus dedit verum esse, distinctionem sine confusione, debitam cuique perfectionem. Holcot hæc tria exponit, limitatam perfectionem, tam in essentia quam in potentia; distantiam certam a Deo quomodo numeri ab unitate distant; sunt enim essentiæ sicut numeri: naturalem appe-

titum ad id in quo natura perficitur, quod est rei cuiusque pondus.

Denique huc facit illud S. Bernardi ser. 3. in Pentecoste: « Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sunt creata. Sana in modo ipso sapientia singularis elucet; quod hæc quidem sursum, hæc vero deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. Si vero ad quid factus sit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata. »

Moral. de ordine et modestia

Moraliter, disce a Deo Deique providentia ordinem, modum et modestiam. Deus enim tam apposite singula inter se ordinavit, ut inter ea summus sit ordo, decor, concordia, harmonia, quies et modestia, iuxta illud: *Concentum cæli quis dormire faciet?* Iob 38. 37. Inter aves vide pavonem caudam suam ocellatam explicantem, et tot gemmis, quot oculis distinctam; vide simul incessum pavonis, qui lentus est, maturus et modestus; hic docet te in tua sapientia et dotibus non exsultare, sed modestiam præ te ferre. Vere quidam dixit: Religiosus sit turtur in cella, accipiter in schola, in mensa passer, ut communia comedat, in ambulacro pavo, ut quiete incedat, ne quem turbet vel excitet. Universum ergo est speculum et typus modestiæ, adeoque modestia originem habet a Deo, qui per essentiam modestissimus et quietissimus est. Unde S. Amb. 1. Off. c. 18. *Dives, ait, est modestia, quia portio Dei est.* Mundus ergo totus quietus, silens et modestus inclamat nobis studium quietis, silentii et modestiæ. Rursum hic ordo et quies est sepes et munimentum singularum creaturarum, ne everti aut lædi nequeant. Sic modestia est sepes, munimentum, custodia et tutela omnium virtutum internarum. Insuper hic ordo et compositio est decor creaturarum. Vide ut aves suis plumis decora vestiantur et muniantur; poma, pyra, nuces, etc. suis corticibus, animalia suo pelle et pilis: tua vestis, tuus color, tuus decor, tuus custos et tutor est modestia.

Porro, sicut creaturæ omnes et singulæ, non in una parte et actione dumtaxat, sed in omnibus et singulis sunt rite ordinatæ et compositæ; ita et tua modestia extendere se debet ad totum corpus, ut omnes eius partes, motus, actiones, gestus ad modestiam fingat et componat, iuxta monitum S. Petri epist. 1. c. 1. v. 15. *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Et illud sponsi de sponsa: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Cant. c. 7. lib. 1. Intuere reginam in publicum procedentem: vide quam sit composita, quam ornata, quam modesta; nihil in ea invenies incompositum; ita et corpus tuum per modestiam compone. In Vita S. Mechtildis legimus eam ita modestam et silentem fuisse, ut videretur esse muta: et si cum ea loquereris, putares te cum angelo loqui.

Hoc est quod ait Eccl. 27. 12. *Sanctus in sapientia sua manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur.* Sicut ergo sol quaquaversum per suos radios suum decorem ostendit, ac per nubem transparet, et in ea parelium quasi alium solem efficit: ita quisquis es fidelis, præsertim Religiosus vel sacerdos, animam sapientiæ et virtutis sole illustra, ut ille in omnibus tuis moribus et actibus, quasi parelius transpareat et resplendeat. Esto quasi quidam in terra obambulans sol, imo Deus et quasi sanctus in carne angelus. Tale fuit Verbum incarnatum, quod radios divinitatis per humanitatem evibravit. Unde S. Hier. in c. 9. 9. Matthæi agens de eius vocatione et sequela Christi: *Certe,* inquit, *fulgor ipse et maiestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Et in c. 21. dans causam cur nemo restiterit Christo, cum flagello eiecit vendentes e templo, mensas evertit, aliaque fecit, quæ infinitus non fecisset exercitus: *Igneum enim quiddam,* inquit, *atque siderum radiabat ex oculis eius, et divinitatis maiestas lucebat in facie.* Tu, o sacerdos, tu o fidelis, habes Christum in animo tuo per gratiam habitantem; tu sæpe, imo quotidie, Christum in Eucharistia recipis: ostende ergo Christum habitare in anima tua, sicut habitavit in humanitate a se assumpta; fulgor virtutis eius in tuo vultu, in tuis verbis, in tuis moribus, in tua modestia resplendeat: *An nescitis,* inquit Apostolus, *quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti,* etc. *et non estis vestri? Empti estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro,* 1. Cor. 6. Esto ergo templum Dei; tua mens sit Sanctum sanctorum, tuum corpus sit sanctum Spiritus sancti, ut in eo sit altare thymiamatis, puta devotionis et divinæ laudis, candelabrum scientiæ et doctrinæ, mensa benignitatis et beneficentiæ. Ita tulit Christum in suo utero B. Virgo Deipara, ac proinde in eius oculis, voce, membris, totoque corpore effulgurabat eius maiestas, sanctitas, puritas, modestia, devotio, *ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis,* ait S. Amb. l. 2. de Virg. Narrat Dionys. Carth. in c. 3. de Divin. nom. S. Dionysii Areopagitam, hunc a Græcia in Iudæam venisse; ibique B. Virginem convenisse, ac tanta claritate fulgentem eius vultum conspexisse, ut præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque: *Nisi ratione naturali et fide, cognovissem unicum esse Deum, hanc ipsam Virginem pro dea haberem.*

Hac de causa iusserat olim Deus pontifici ingressuro in templum sub pœna mortis, ut vestiret se tunica hyacinthina, ex qua inferne circumquaque dependerent tintinnabula 72. *Ut audiatur sonitus,* inquit, *quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur,* Exodi 28. 35. Causam dat S. Hieron. de Vestibus Pontif. *Ut gressus,* inquit, *pontificis, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum.* Omnia ergo sua membra, omnes actiones et sermones, gestus et motus, in mensura, numero et ordine disponat, ut in suo microcosmo referat et repræsentet macrocosmum, imo auctorem macrocosmi Deum æternum et Sanctum sanctorum.

Vers. 22. MULTUM ENIM VALERE TIBI SOLI SUPERERAT (minus recte Complut. legunt, *superat,* id est superest et restat, licet eodem redeat sensus) SEMPER; ET VIRTUTI BRACHII TUI QUIS RESISTET?) Græce: *Multum viribus pollere tibi adest semper, et robori brachii tui quis contra stabit?* Vatabl. *Etenim ampla* (alii, *magnifica*) *penes te potestas semper est,* etc. Brachium datur Deo anthropopathos, ac symbolum est Dei potentiæ, fortitudinis et roboris invicti, imo omnia vincentis et sternentis.

Vers. 23. QUONIAM TANQUAM MOMENTUM STATERÆ, SIC EST ANTE TE ORBIS TERRARUM (græce non est τὸ *terrarum,* sed tantum *totus mundus*) ET TANQUAM GUTTA RORIS ANTELUCANI (græce ὀρθρινῆ, id est matutini, quæ mane ante luce ex frigore nocturno condensata constrictaque, radiis solis refractis tepescens, liquatur, ac rorulenta delabitur in terram) QUÆ DESCENDIT IN TERRAM.) Vatabl. *humi delapsa.* Sic et Syrus; Arabicus vero: *Et omnis orbis terrarum coram te, tanquam depressio ligulæ bilancis,* etc. *Momentum* ergo est minima inclinatio, depressio nutus aut devergentia bilancis ad imum vergentis. Græce enim est ῥοπὴ ἐκ πλαστίγγων, id est vergentia vel inclinatio ex lancibus vel trutinis, quæ scilicet cum semper agitentur, semper hinc una pars præ alia magis minusve est pendula; una enim elevata, altera inclinatur, dependet et deprimitur. Probat Deum multum valere, id est esse robustum et potentem, ex eo quod totum orbem, omnesque eius vires manu contineat velut stateram. Sensus ergo est, q. d. Sicut propensio et inclinatio lancis res minima est et minimi momenti, sic etiam minimus est mundus universus respectu Dei. Secundo, sicut instabilis et transiens est lancis inclinatio, sic et mundus transit et præterit coram Deo. Tertio, sicut lanx e iugo sive librili suspensa, minimo motu et quasi atomo tenentis eam potest agitari, et in adversam partem inclinari; sic et mundus totus est in manu Dei

Orbis coram Deo est quasi gutta.

per omnia, ut quocumque Deus vult, eo mundus illico inclinetur, vergat et propendeat. Sicut ergo libripens regit dirigitque lances; sic Deus librat regitque mundum, omnesque homines, angelos, cæteraque quæ in mundo sunt. Simile est de gutta roris, quæ ante lucem descendit, et statim orto solis siccatur; sorbetur enim vel a terra, vel a sole, et evanescit: talis plane est orbis coram Deo. Si enim Deus ab orbe retraheret suum concursum, quo eum sustentat, illico orbis in nihilum suum relaberetur. Vide dicta Isaiæ 40. v. 12. 15. 17. ubi ait: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Addit S. Ambros. in Psal. 1. stateram hanc notare Deum omnia cum iustitia condidisse, atque in nobis divinæ iustitiæ tantum esse momentum.

Ite nunc, reges et principes, ad hoc stateræ momentum; ite et in sceptris vestris, si lubet, superbite, regna regnis adiicite, imperium Asiæ et Europæ ambite. Heu! quid agitis? pro momento belligeratis, in puncto luditis, guttam immensa cupiditate sititis. Ite mortales, terræ et terrenis velut talpæ inhiate, prædia ampla concupiscite, palatia æternitati figite, opes opibus, honores honoribus accumulate. Quid tantis vitæ totius impendiis molimini? Ut punctum hoc terræ in millies millena puncta partiamini, ut puncti centies millesimam partem occupetis. Quin Dei favorem et gratiam ambitis? ille digito claudit et librat totum hunc terræ cælique globum; ille mille mundos, imo milliones mundorum longe hoc perfectiores in instanti condere potest. Ille in se continet opes, honores, voluptates infinities maiores, quam totus hic mundus ostentet. Ille in se sperantes facit omnipotentes, ait S. Bernard. Ille se amantes efficit felices, et beat æterna gloria. Ille vastissimum cæli empyrei ambitum, imo totius orbis dominium vobis promittit; cur ergo momentum immensitati, guttam mari, instans æternitati antefertis? O quam magnus
Deus immensus. es, Domine, in cuius conspectu totus orbis est instar momenti et guttæ? *Domine, Dominus noster, quam admira-*
Ps. 8. *bile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata*
Ps. 18. *est magnificentia tua super cælos. Cæli enarrant gloriam*
Ps. 144. Baruch. 3. *Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis. Magnus est, et non habet finem, excelsus et*
Gnomæ. *immensus.* Nam, ut ait S. Gregor. Nazianz. Orat. in Natalitia loquens de Deo: *Universum esse in seipso, numquam inceptum, numquam desiturum complexus continet, tamquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus.* Et in Carm. *In te omnia permanent, ad te confertim festinant omnia.* Et S. Dionysius de Divin. nom. c. 5. *Deus,* inquit, *non quovis modo est ens, sed simpliciter et incircumscripte totum esse in se pariter complexus et anticipans.* Et S. Cyprian. l. Quod idola non sunt dii: *Mundi unus est rector, qui universa, quæ sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu maior est, et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Vidit, imo a Salomone didicit, idipsum Plato, et ex eo Seneca, qui Præfat. l. 1. Natur. quæst. *Cum te,* inquit, *in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, et quasi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere: It nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, minima etiam, cum illis utrimque oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt in quorum possessionem animus admittitur; at ita si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit.* Et nonnullis interiectis: *Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? quod vides totum, et quod non vides totum. Si demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet.*

Vers. 24. Sed miseraris omnium (hominum: græce enim est πάντων, quod est masculinum, non neutrum) quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam) q. d. Cum posses perdere Ægyptios cæterosque peccatores, ex eo quod totum orbem velut momentum stateræ manu contineas: tamen iis pepercisti et parcis, quia misericors es, et misereris omnium: tua enim misericordia æquatur tuæ omnipotentiæ, imo ea vestitur et armatur, quare per eam fit immensa et omnipotens: quocirca per eam dissimulas peccata hominum, hoc fine, ut ipsi pœnitentiam agant, itaque eos in gratiam recipias, ac viscera misericordiæ in eos effundas.

Nota illationem: non dicit, *misereris omnium,* quia misericors es; sed *quia omnia potes,* id est quia omnipotens Omnipotentia est causa summæ misericordiæ. es. Ratio est prima, quia Deus ex eo quod omnipotens est, omnia quasi nihilum, ideoque indigna sua ira et indignatione reputat, iuxta illud Poetæ: 1.

Dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet.

Sic leo latratus canis non æstimat dignos ira sua. Secunda, quia iram posse cohibere, et peccantibus posse parcere, excelsi et generosi est animi, et qui non impotens sit sui, sed potens maxime ad sibi, quidquid tandem acciderit, imperandum: quo fit ut hæc in Deo excellens natura, eius animi magnitudinem et omnipotentiam declaret. Unde S. Fulg. ep. 7. ad Venantium c. 4. *Deus,* ait, *multus est ad ignoscendum; in hoc multa nihil deest, in quo est omnipotens misericordia et omnipotentia misericors; tanta est autem benignitas omnipotentiæ et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod solvi, aut non possit relaxare converso.* Denique idem canit Ecclesia, cum dicit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas.* Vide et Senecam libro de Ira, et in sapiente: *Sapiens,* inquit, *iniuria superior est.* Hinc Cato, alapa percussus, negavit ad se iniuriam pervenisse. Idem Seneca l. 1. de Clementia, c. 3. *Nullum,* ait, *ex omnibus clementia magis, quam regem et principem decet. Istæ enim virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est, pestifera vis est valere ad nocendum.* Tertio, *misereris,* id est condonas peccatori pœnam et culpam propter pœnitentiam, ut sequitur, *quia potes omnia*: quia condonare peccata opus est summæ potentiæ, ac maioris, quam sit creare cælum et terram, ob rationes, quas cum S. Chrys. et S. Aug. affert S. Thomas 1. 2. p. 114. art. 9. Sic iudex potest, imo tenetur punire reum, sed non potest ei culpam indulgere; hoc enim est regis aut summi principis. Ergo maioris potentiæ est misereri, quam punire; hoc enim rex inferioribus committit, illud quasi opus regium sibi reservat. Huc facit illud S. Fulgentii ep. 7. c. 13. Si misericors est Deus, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, a qua non omnis malitia vincitur. Quarto et optime, *misereris omnium,* scilicet creaturarum, dando eis quibus indigent, *quia omnia potes,* q. d. Quia tu, qui ditissimus es et potentissimus, potes supplere et ditare omnium creaturarum indigentiam et miseriam; tu enim in omnibus potes omnia; aut potius, q. d. Licet possis perdere orbem terrarum solo nutu, ut præcessit; tamen id non facis, sed misereris, id est eum et peccatores in eo conservas, quia potes omnia, uti creare, ita et in suo esse misericorditer conservare. Nam ut ait v. 27. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt, Domine.* Hoc est quod ait c. 12. 16. *Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Ita a Castro. Dei enim misericordia est omnipotens, tam in miserendo, quam in operando; nulla enim tanta est miseria, quam curare non valeat velitque Dei misericordia. Quare sicut miseriæ hominum sunt infinitæ; sic pariter misericordia Dei est infinita. Quocirca abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum divinæ misericordiæ. Ideo enim Deus permittit vel immittit tot tantasque miserias hominibus, ut habeat obiectum, in quod exerat divitias misericordiæ suæ. Hæc enim omnes omnium hominum et creaturarum miserias, in immensum superat et transcendit. Unde illud Psaltis: *Misericordia Domini plena est terra.* Et: *Miserationes eius super omnia opera eius.*

Et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.) Græce *in*, vel *ad pœnitentiam*, q. d. Deus dissimulat et punire differt peccata hominum hoc fine ut ipsi culpam agnoscant et pœnitentiam agant, iuxta illud Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis eius, et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* id est adducere cupit et conatur. Et illud Isaiæ 30. 18. *Expectat Dominus ut misereatur vestri.* Ita Cantacuzenus, Vatabl. Osorius et Iansen.

Quare minus genuine multi sic explicant, q. d. *Dissimulas*, id est condonas peccata hominum propter pœnitentiam, quam ipsi egerunt vel agunt.

Hinc S. Thomas, 3. p. q. 86. artic. 1. docet erroneam esse opinionem illorum qui sentiunt aliquem in hac vita pœnitentiam agere et mores suos emendare non posse.

Pœnitentiæ natura, et etymon.

Porro pœnitentia non est nuda resipiscentia, et morum mutatio, ut volunt Lutherus, Beza et Erasmus in c. 3. S. Matthæi, et 1. Cor. 7. et Calvinus l. 3. Instit. c. 3. §. 5. sed et dolor, contritio et detestatio peccatorum commissorum, eorumque punitio, castigatio et satisfactio. Quare iidem perperam etymon pœnitentiæ dant, ut dicatur a *pone*, id est post vel posterius, quasi *pœnitere* idem sit quod *posterius consilium tenere*, cum Patres et prisci Latini *pœnitentiam* a *pœna* derivent, ut idem sit quod *pœnæ tenentia*, ut ait S. Aug. libro de Vera et falsa pœnitentia c. 19. et S. Isidor. l. 3. Etymol. c. ult. Unde Ausonius, epigram. 22. de occasione et pœnitentia, eam ita loquentem inducit:

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas,
Ut te pœniteat, sic metanœa vocor.

Et Lactant. l. 6. c. 24. *Resipiscit*, inquit, *ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum.* Vide Bellarm. l. 1. de Pœnit. c. 7.

Vers. 25. Diligis enim omnia quæ sunt (omnes res a te creatas, quæ a te suum esse acceperunt: peccatum autem Deo ita exosum non est res a Deo creata, sed ab homine facta; unde explicans subdit) et nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti) Græce, κατεσκεύασας, id est, præparasti et ordinate composuisti. Sept. Romæ correcti habent: *Neque enim odio habens aliquid constituisses;* et sic legit S. August. q. d. Misereris omnium, quia omnia diligis velut opera tua; ergo illa odio prosequi nequis; condidisti enim ea ex amore: ideo enim ea fecisti, ut tuam bonitatem eis ostenderes, tuumque esse eis communicares. Hinc Genes. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Nam, ut docet S. Thomas 1. p. q. 20. a. 2. amor noster amat res, quia bonæ sunt. Deus vero amat res, non quia bonæ sunt, sed ut eas faciat bonas: amor enim ipsius est causa bonitatis rerum. Pro *odisti* græce est ἐβδελύξω, id est abominaris, adversaris, exsecraris. Apage ergo, Calvine, qui doces Deum reprobos creasse ad damnationem et gehennam, ideoque ad peccatum, quo mererentur gehennam. Facis ergo Deum auctorem peccati; ac proinde Deus tuus, non alius quam diabolus sit oportet. Diabolus enim est auctor omnis mali; sicut ex adverso Deus omnis boni est fons et origo. Et si Deus odit, et in gehenna castigat peccatum, quomodo illud facit? *nihil enim odisti, Domine, eorum quæ fecisti;* et ut ait S. Fulgent. *Deus non est illorum auctor, quorum est ultor.* Quare Deus diligit omnes homines, qua homines sunt; odit vero nonnullos, qua peccatores sunt; quia scilicet peccata, quæ ipse odit, instigante diabolo perpetrarunt. Odit ergo opus nostrum, quod peccando fecimus nos; amat vero opus suum, quod ipse fecit, scilicet naturam et gratiam, ait S. Aug. tract. 110. in Ioannem.

In Deo vere est actus amoris, quo amat creaturas. Obiectio.

Ex hoc loco et similibus patet in Deo verum et proprie dictum esse actum amoris, quo non tantum amat seipsum, sed et omnia creata, præsertim angelos, animas et homines sanctos. Dices: Ergo actus amoris quo Deus amat creaturas, cum sit liber, et possit abesse a Deo, addit aliquid ad actum amoris, quo Deus amat seipsum, imo ille actus huic accedit; ergo Deo eiusque actui potest aliquid addi; quod est absurdum, cum omnia, quæ sunt in Deo, sint idem cum Deo et Dei essentia infinita, cui nihil addi potest.

Resp.

Respondetur, exterius tantum addi actui Dei obiectum, puta creaturam, quæ amatur: interius vero nihil addi actui Dei, quo amat seipsum. Hic enim cum sit infinitus, purissimus, simplicissimus, perfectissimus, sine ulla sui mutatione, vel additione, extendit se ad amandum creaturas, cum eas vult amare, ideoque eas creat et beat. Actus enim ille est velut pelagus immensum, quod creaturam velut guttam absorbet sine ullo sui incremento. Nam ut dixit v. 23. *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani.* Quocirca, uti profunde et clare præ aliis explicat illustrissimus Dominus Augustinus Oregius, Sanctissimi Domini Nostri Urbani Octavi Eleemosynarius, æque ac Theologus, tract. 1. de Deo uno c. 14. q. 1. Si Deus ab æterno voluisset amare et creare, quæ de facto noluit, et vice versa noluisset, quæ voluit; in Deo nulla fuisset futura mutatio. Nam per eumdem indivisibilem suæ voluntatis actum, qui est divina substantia, æquivalens infinitis volendi aut nolendi actibus, voluisset quæ noluit, et noluisset quæ voluit. Non enim ex eo quod voluntatis divinæ mutetur obiectum secundarium, ad quod libere terminatur, sequitur mutari Deum sed sat est mutari creaturas. Et sicut non mutatur Deus ex eo, quod coexistat per sui immensitatem iis rebus, quibus antea non coexistebat: ita pariter non intelligitur mutari Deus, si intelligatur voluisse ab æterno esse ea, quæ non sunt, vel non esse quæ sunt. Ob infinitam enim perfectionem actus divini intellectus et voluntatis, potest Deus unico, simplicissimo et indivisissimo actu intelligere ab æterno habituras existentiam res omnes, quæ sunt eam habituræ in quacumque temporis differentia; et per eumdem etiam actum cognoscit, non habituras existentiam res, quæ non existent. Ita per eumdem simplicissimum actum vult ea existere, quibus decrevit dare existentiam, et non vult existere ea, quæ non decrevit producere, sed voluit remanere tantum intra numerum rerum possibilium. Non intelligeretur ergo mutari Deus, si ab æterno intelligeretur voluisse, quæ noluit et quæ voluit noluisse; sicut uno eodemque actu vult ea, quæ vult, et non vult ea, quæ reprobat, et quibus decrevit non dare existentiam.

Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?) *Vocatum*, id est, creatum, et voce Dei ex nihilo in rerum naturam et existentiam evocatum; Dei enim dicere est facere, Dei vocare est creare. *Dixit enim et facta sunt* omnia. Ita S. Athanas. serm. 3. contra Arrianos. Simili phrasi Apostol. Rom. cap. 4. v. 17. ait de Deo: *Qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, dum ex non entibus facit entia, et ex non existentibus existentia; non entia enim ita parent Deo, sicut entia, quare si a Deo vocentur, illico se sistunt et existunt. Probat Deum diligere opera sua, etiam homines peccatores, v. g. Ægyptios: quia illos et illa conservat. Nam sine Dei concursu illa sustentante permanere non possent, sed illico redirent in nihilum ex quo a Deo evocata et creata sunt. Conservatio ergo hominum et creaturarum est quasi continuatio primæ creationis, et quasi continua eorum creatio. Sicut ergo Deus primitus illa creavit ex amore, sic eadem conservat ex amore. Vers. 26.

Deus conservat res quadrupliciter.

Porro, ut erudite notat noster Lessius lib. 10. de Attributis divin. c. 3. Hæc creaturarum a Deo conservatio, licet unica sit et unius modi; quadruplici tamen modo concipi potest: primo, per modum sustentationis, quasi creatura Deo, veluti firmissimo fundamento et fundo, sit innixa et ipse eam inferne quasi sustineat, ne in centrum sui nihili recidat. 1. Sic S. Dionysius de Divin. nomin. cap. 10. Deum vocat sedem omnipotentem, fundum, fundamentum omnium. Et S. Gregorius 2. Moral. c. 12. ait Deum esse infra omnia, et subtus creaturam sua entare. Secundo, per modum suspensionis: Deus enim creaturam ex abysso nihili quasi trahit sursum versus seipsum ad esse et ad ope- 2.

eiam certam et in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suam abyssum, unde educta est, recidat. Tertio, per modum influxus et subministrationis. Sic D. Aug. libr. 4. de Genesi ad lit. c. 12. et S. Dionysius supra, conservationem vocant operationem, largitionem indesinentem, subministrationem esse et naturæ. Idem significatur, cum Deus dicitur omnium esse, omnium vita. Quarto, per modum connexionis et constrictionis. Sicut enim res fluxu, nisi assidue constringatur et connectatur suis partibus, statim diffluit et dissolvitur, ita nisi Deus interius constringat et connectat particulas omnes minimas, aut totalitates rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres cum dicunt, Deum omnia continere et constringere.

3.

4.

Vers. 27. Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.) Syrus: *Quia tua sunt, Domine, omnia, diligis animas*, propter quas cætera omnia creasti. Hæc est altera ratio, quare Deus Ægyptios cæterosque peccatores non illico occidat, sed moderate castiget ut resipiscant et salventur; quia scilicet res omnes, ac præsertim animæ, sunt possessio et peculium Dei: quia enim Deus omnes creavit, hinc in omnes velut res suas plenum habet proprietatis dominium, omnesque ut sui iuris ex asse possidet. Nam, ut sapienter ait Cantacuzenus, boni heri et possessoris est, ita res suas procurare, ut iis parcat, nec temere eas perdat, aut inutiliter sine fructu prodigat et consumat. Quare si nos, in quibus viget concupiscentia et luxus, res nostras non prodigimus sine utilitate et commodo, quanto magis omnium procurator, ut qui omnia providet procuratque Deus, qui omnes capillos nostros in numerato habet, curabit res nostras, non tantum ut sint, sed et ut bene riteque constitutæ sint?

Unde Nota. Pro τῷ *Domine, qui amas animas* græce significantius est δέσποτα φιλόψυχε, id est, *Domine, animarum adamator:* Deus enim animas, ut cæteris omnibus creaturis nobiliores et pretiosiores, singulariter amat et diligit; ipse enim proprio ore animam homini inspiravit, eamque ad suam imaginem sibi simillimam condidit, Genes. 2. 7. Ipse propter animas, puta propter homines, totum mundum, et omnia quæ in eo sunt, creavit; ac ne animæ ipsæ in peccatum perirent, Christum in carnem et in crucem misit. Vide ergo, o homo, quam animam tuam diligere, eiusque salutem curare debeas, ac deinde animas quoque cæterorum hominum, quas ita dilexit Deus, quasque Christus pretioso suo sanguine redemit; nimirum hæc fuit φιλανθρωπία, id est, eximius ille amor Dei in homines, quem adeo celebrat et inculcat Apostolus ad Titum cap. 3. v. 4. Hoc est, quod Deus per Ezechielem proclamat, c. 18. 4. *Ecce omnes animæ meæ sunt; ut anima patris, ita et anima filii mea est.* Hinc recte colligas Deum cuique animæ dare auxilium sufficiens ad salutem. Deus φιλόψυχος cur?

Rursum, tu *Domine, amas animas*, id est vitas etiam Ægyptiorum cæterorumque impiorum, ideoque eos non statim occidis, sed moderate castigas, ut resipiscant et mortem evadant, ac vitam assequantur, præsentem longævam, futuram vero æternam. Idipsum illustri visione Christus demonstravit Carpo, quam recenset sanctus Dionysius epistola 8. ad Demophilum.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur idem argumentum Dei bonitatis et clementiæ, quomodo scilicet Deus impios Chananæos illico non perdiderit, sed modice castigarit, et ad pœnitentiam invitarit, ut hoc exemplo cæteris peccatoribus spem veniæ daret, eosque ad pœnitentiam et morum correctionem alliceret.

1. O Quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! 2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine. 3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, 4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et sacrificia iniusta, 5. Et filiorum suorum necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis a medio sacramento tuo, 6. Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum, 7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra. 8. Sed et his tamquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent. 9. Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare: 10. Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. 11. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. 12. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? 13. Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium. 14. Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti. 15. Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas a tua virtute. 16. Virtus enim tua iustitiæ initium est: et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. 17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. 18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse. 19. Docuist autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse et humanum, et bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ. 20. Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quæ possent mutari a malitia; 21. Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum? 22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus iudicantes: et cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam. 23. Unde et illis, qui in vita sua insensate et iniuste vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. 24. Etenim in erroris via diutius erraverunt, deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes. 25. Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 26. Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt. 27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cum exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod et finis condemnationis eorum venit super illos.

Vers. 1. O QUAM BONUS ET SUAVIS EST, DOMINE, SPIRITUS TUUS IN OMNIBUS!) Scilicet rebus creandis, conservandis, alendis, gubernandis; ac præsertim in hominibus, tam in decernendis pœnis, quam in assignandis præmiis huius vitæ, quin et futuræ; nam Deus præmiat Beatos in cœlo ultra meritum, et damnatos in inferno cruciat citra demeritum: merentur enim illi amplius torqueri. Syrus: *Quoniam spiritus tuus bonus inhabitans est in omnibus*; Arabicus: *Quoniam spiritus tuus bonus est in omnibus*; Græce: *Nam incorruptibilis spiritus tuus est in omnibus*, omnia scilicet conservans, etiam impios, sed ita ut ab eis non vitietur, nec polluatur. *Incorruptibilis* ergo est, tum quia nec ab ira, nec a vindicta, aliave passione vinci et corrumpi se sinit, sed ingenitam in omnes bonitatem et suavitatem iugiter custodit, ut vertit Noster; tum quia res e se factas, etiam homines impios non perdit, nec corrumpit, sed conservat, ac ad pœnitentiam et salutem invitat; tum quia sceleribus hominum, quos creat, alit et conservat, non maculatur, nec corrumpitur; tum quia res corruptas, ac præsertim homines peccato perditos, per pœnitentiam reficit et restaurat.

Spiritus Dei incorruptibilis quintupliciter.

Spiritum Dei accipe, communem tribus personis SS. Trinitatis, q. d. O Domine, quam in omnibus rebus, etiam impiis, ostendis te suavem et benignum ex ingenito tibi suavitatis et benignitatis spiritu. Tu enim es φιλόψυχος, id est singularis animarum amator, uti paulo ante dixit. Es autem talis in *omnibus*, quia omnes afflas et impellis ad bonum, omnibus inspiras pietatem, omnes incitas ad virtutem, ad pœnitentiam et ad odium vitiorum. Potest quoque accipi spiritus notionalis, puta Spiritus sanctus; huic enim, utpote per amorem procedenti a Patre et Filio, appropriatur bonitas et suavitas. Unde ex eo quod Spiritus hic vocatur *incorruptibilis*, probat S. Athanas. epist. ad Serapionem, Spiritum sanctum esse Deum.

Tropol. Methodius in Catena Iob cap. 27. per spiritum incorruptibilem, accipit conscientiam incorruptam, quam Deus cuique indit; quæ facit, ut de Deo, etiam cum peccata punit, recte sentiamus, nec eius severitatem, sed nostram malitiam accusemus.

Spiritus hic suavitatis et bonitatis connaturalis est Deo, ideoque illi commensus, infinitus et immensus, ac proinde infinito honore colendus, et infinito amore, si fieri posset, redamandus, æque ac imitandus. Præclare S. Leo serm. 10. de Quadragesima: *Si dilectio Deus est*, ait, *nullum debet habere terminum charitas, quia nullo potest claudi fine divinitas.* B. Laurentius Iustinianus serm. de S. Andrea: *Est inquieta res amor, non contenta limitibus, singularitatem non patiens, numquam dormitans, semper operans, evidentissimis per se manifestata indiciis, quæ nescit modum personarum*, etc. Amor enim transformat hominem in Deum. Nam, ut ait Sanctus Gregorius Nyssenus, orat. de pueris præmature mortuis: *Homo a Deo factus est, ut esset divinæ virtutis animatum quoddam simulacrum.*

Dulcedo Dei mira.

Has delicias suavitatis divinæ gustavit Psaltes dicens: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20. Et sponsa, cum iis ebria exclamabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. Et S. Magdalena, cum pœnitens et amans suavissimas funderet compunctionis lacrymas. Easdem sentiunt vere pœnitentes et compuncti. Noster S. Franciscus Xaverius in mediis persecutionibus, ærumnis et laboribus Indicis, iis ita abundabat, ut cor eius non caperet, unde hæ eius erant voces: *Satis est, Domine, satis est.*

Dei dulcedo omnia amara dulcorat.

Hanc spiritus divini suavitatem senserat S. August. unde in Solilоq. c. 22. ita cum ea disnaviatur: « Renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis; quia iustum est ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quam in te. Et obsecro, summa veritas, te per te, ne permittas me in aliquo consolatione vana consolari, quam in te; sed peto ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit, tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamavit quasi ebrius, dicens: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. » Unde concludit: » Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam exspectamus daturum te nobis, pro qua tibi, Domine, continue militamus, pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus. » Matt. 17.

Regula discretionis spirituum.

Rursum ex hac gnome disce regulam discretionis spirituum, qua scilicet discernas spiritum tuum et cuiusque alterius, an bonus sit, an malus. Vis scire quo agaris spiritu, præsertim in corripiendo et castigando, vide an id quod agis, facias suaviter, an dure; benigne, an rigide; leniter, an aspere; modeste, an imperiose. Si prius invenias, scito esse spiritum Dei; si posterius, esse spiritum mundi vel diaboli. Spiritus sanctus enim in homine suavitatem et dulcorem quemdam sibi similem efficit, tam in dicendo, monendo, imperando, quam in agendo et operando; spiritus vero mundi, duritiem et asperitatem; nam Spiritus sanctus est suavis, benignus, lenis, modestus; spiritus vero mundi est, durus, rigidus, asper, imperiosus. Unde Apostol. Galat. 6. 1. *Fratres*, inquit, *etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Et S. Petrus epist. 1. c. 3. 4. Christi spiritum ita describit, eumque in Christianis deposcit: *Qui absconditus est cordis homo*, inquit, *in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Vide utrobique dicta.

Vers. 2 IDEOQUE EOS, QUI EXERRANT, PARTIBUS (male legit Hugo *patribus*, q. d. Qui a patrum doctrina aberrant) CORRIPIS, ET DE QUIBUS PECCANT, ADMONES ET ALLOQUERIS (Lucifer pro S. Athanas. *Admonens alloqueris*, leniter castigas, ut non tam castigare, quam eos admonere, et suaviter alloqui, id est consolari, videaris) UT RELICTA MALITIA, CREDANT IN TE, DOMINE.) *Credant*, id est, te agnoscant, colant, ament, revereantur, et per omnia obediant. Qui enim vere credit Deum esse Deum, illumque apprehendit et æstimat pro dignitate, uti par est, hic utique eum reveretur, amat et colit. Ita S. Bonavent. Lyran. Hugo et alii.

Porro aliter Dionys. Errantes, inquit, *corripis partibus*, id est per partes, dum non simul omnes e medio tollis, sed tantum illorum partem aliquam, quæ cæteris statuatur in exemplum.

Vatablus pro διὸ, id est *ideo*, per diæresin legit δι' ὃ, id est *per quem*, scilicet πνεῦμα, id est *spiritum*, q. d. Per spiritum tuum suaviter corripis et admones eos, qui errant et peccant. Spiritus tuus suavis causa est et administer moderatæ pœnæ, qua paulatim castigas impios.

Vox *alloqueris* notat internam Dei inspirationem et locutionem; qua ipse in animis peccatorum loquitur, et in memoriam reducit, quanta et quam gravia peccata commiserint, quorum ipsi non recordantur, ideoque se posse, et ex iustitia debere, eos acriter punire ac perdere pro meritis; sed ex clementia malle se moderate castigare, ut resipiscant et salventur; quod si id facere negligant, maiora, imo æterna, eos manere supplicia, aliaque his similia salubriter inspirat quæ eos ad pœnitentiam moveant, qualia amicus amico suggereret, ut eius bono consulat.

Vers. 3. ILLOS ENIM ANTIQUOS INHABITATORES TERRÆ SANCTÆ TUÆ, QUOS EXHORRUISTI.) Græca μισήσας, id est *odio habens*, vel cum *odio habuisses*. Pendent hæc et sequentia a verbo *perdere voluisti* v. 6. Significat Chananæos incolas Palestinæ ob enormia eorum scelera, a Deo per Iosue et Hebræos fuisse eiectos et excisos.

Vers. 4 QUONIAM ODIBILIA OPERA TIBI FACIEBANT PER MEDICAMINA.) Græce διὰ φαρμακειῶν, id est *per veneficia*, per quæ tum venena proprie dicta accipe, q. d. Chananæi veneno homines necabant, uti etiamnum faciunt nonnulli Barbari apud Indos; tum incantationes et maleficia, quibus sagi et magi ope dæmonis incantant, perdunt et occidunt homines, animalia, segetes, etc. q. d. Deus perdidit Chananæos, quia dediti erant veneficiis et maleficiis, erantque magi et malefici; hæc enim scelera præ cæteris exosa sunt Deo.

ET SACRIFICIA INIUSTA.) Græce ἀνοσίους, id est, non sancta, non pia, sed impia et scelesta. Est miosis. Talia sunt quæ fiunt diabolo vel idolis in iniuriam veri Dei, item quæ fiunt ex victimis hominum, ut sequitur, aut ex rebus obscœnis et impuris, qualia erant sacrificia Veneris, Priapi, Bacchi, etc.

Pro *sacrificia* græce est τελετὰς, quæ vox secundo, significare potest initiationes aut sacra, quibus quis initiatus sit, aut alios initiet, q. d. Chananæi erant sacerdotes sacris impiis initiati, et alios iisdem initiantes et consecrantes.

Vers. 5. Vers. 6. ET FILIORUM SUORUM NECATORES SINE MISERICORDIA, ET COMESTORES VISCERUM HOMINUM, ET DEVORATORES SANGUINIS A MEDIO SACRAMENTO TUO, ET AUCTORES PARENTES ANIMARUM INAUXILIATARUM PERDERE VOLUISTI PER MANUS PARENTUM NOSTRORUM.) Pergit recensere scelera Chananæorum, ob quæ Deus eos disperdidit. Primum est, quod filios suos necarent sine misericordia, præsertim dum eos immolabant idolis.

Secundum, quod homines hominumque viscera comederent; per *viscera* non sola exta, sed et carnem omnem intellige, iuxta illud Virgilii:

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Unde visceratio priscis erat carnis crudæ distributio, quæ fieri solebat in festis solemnibus, vel in funere excellentis personæ. Hinc lib. 8. Livius refert, populo viscerationem datam a M. Flavio in funere matris. Itaque Chananæi turpius in hoc delinquebant, quod viscerationem dabant carnium, non aliorum animantium, sed humanarum, et fortasse filiorum, quos immolabant; quo quid immanius et horribilius? Ita a Castro.

Tertium, quod vorarent sanguinem *a medio sacramento tuo;* græce ἐκ μέσου μυσταθείας σου, id est, *interposito iuramento tuo*, q. d. Chananæi cum fœderibus, aliisque contractibus et rebus interponerent iuramentum, illud sanciebant potu sanguinis humani, uti etiamnum Barbari nonnulli faciunt, atque olim fecit Catilina in sua coniuratione contra patriam, puta Romam, uti asserit Cicero in Catilin.

Aut potius *a medio sacramento*, id est sacrificio, *tuo*, q. d. Chananæi cum Deo, qui tu solus es, Domine, sacrificarent homines, quin et filios, sacrificium illud consummabant epulo sive convivio, in quo carne et sanguine humano oblatis et sacrificatis vescebantur; hæc ergo tollebant de *medio sacramento*, id est sacrificio, uti etiamnum faciunt Brasilii; atque olim Gentiles Saturno filios suos devoranti, humana hostia, imo filiis suis immolatis sacrificasse notissimum est ex Plutarcho, Eusebio, Clemente Alex. Cyrillo et aliis; uti et istud sacrificantes, scilicet de sacrificiis suis comedisse. Sane Chananæos, et illorum exemplo Hebræos, filios suos immolasse Moloch, liquet 4. Regum 23. 10 Psalm. 105. 37. Levit. 18. 21. et 27. ubi fuse hac de re egi. Sensus ergo est, q. d. Non satis erat Chananæis mactare filios per parricidium, sed et eorum mactatione voluerunt litare Deo, eumque placare et venerari per sacrilegium, quæ summa erat Dei iniuria et blasphemia. Hac enim immolatione significabant Deo placere hæc parricidia, imo per ea Deum coli velle, cum hoc diaboli sit proprium, qui non nisi sceleribus pascitur et colitur.

Posset quoque devoratio sanguinis non solius humani, sed cuiusvis animalis immolati, puta bovini, ovini, caprini, accipi. Sanguinem enim quemlibet bibere, nota et censa est crudelitatis. Unde Iudæis Deus vetuit esum sanguinis,

A iussitque sanguinem omnem sibi soli libari et effundi. Sanguis ergo Deo debitus erat et sacer, quia anima et vita sita est in sanguine. Sicut ergo anima Deo quasi sacra est, sic et sanguis. Vide dicta Gen. 9. 4. Levit. 7. 26. et Deuter. 12. 23. et seq. Quare τὸ *a medio sacramento tuo*, exponi posset, *a medio sacra lege tua*, q. d. Hi voratores sanguinis sanguinem tibi ex lege tua sacrum et sanctum, sacrilege sibi surripuerant et potaverunt. Quocirca in Græco elegans et nervosa est antithesis, θοίνας αἵματος, id est, convivium vel convivas sanguinis; θοίνα enim dicitur hoc epulum a θεός et οἶνος, quod in festis deorum largius vinum bibere solerent, ait Athen. l. 2. q. d. in θοίνα, id est, in convivio sacro, fit Dei epulum ex vino; at hoc Chananæorum fiebat ex sanguine. Erat ergo convivium non vini, sed sanguinis, ideoque cruentum, horrendum, ac Deo invisum et exosum.

Lectio varia. I. Nota Codices Græci hic mire variant. Primo enim Iansen. legit μύστας ἐκ μύσους, θιασημόνου, id est, mystes et sacerdotes exsecrandi cultus tui, quo scilicet Chananæi te B colebant humana victima et sanguine. Aut ἐκ μύσου, μύστας τε θείας σου (ut habet Aldina editio) sic ut τὸ ἐκ μύσου referatur ad αἵματος, q. d. Exsecrandi sanguinis erant devoratores; deinde subdatur μύστας τε θείας σου, id est, *et quoque erant mystæ*, id est, occultatores et suppressores. veri *cultus tui*, quem ipsi acceperant a Noe, Abraham, cæterisque patribus, qui olim ibidem verum Deum vera religione coluerant.

II. Secundo, Petrus Nonnius legit καὶ σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοίνας, id est, *et intestina vorare* soliti erant, nimirum *humanarum carnium epulas*. Deinde καὶ αἵματος ἐκ μύσου, id est, *et sanguinem obligurierunt*. Mox μύστας τε θιάσου, id est, *et sacrificos, sive flamines thiasi*. Est autem thiasus proprie chorus bacchantium, sive Mænadum; dictus, θίασος, ἀπὸ τοῦ θεῖα ᾄδειν, id est, *divina cantare*; aut ἀπὸ τοῦ θεῖν, id est *a currendo*; currebant enim quasi lymphatici. Hinc θιασεύειν et χορεύειν, id est choros ducere, saltare, tripudiare. Unde Virgil. ecloga 5. in Bacchide: Thiasus quid ?

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

C Erat ergo thiasus saltatio, chorea et pompa, quæ Baccho in sacrificio exhibebatur; item convivium sacrum et conviventium cœtus. Unde Clemens Alexand. orat. Protrep. thiasum vocat insanum, puta thyrsum Bacchicum. Hinc et Romani in editione Græca, in Notis annotant quosdam legere hic, ἐκ μέσου μύστας θιάσου, id est, *mystas e medio initiatos thiaso*, id est choro bacchantium, sicque legit Cantacuzenus.

Tertio, alii pro θείας σου legunt θειασμόν, id est, furorem divinum, quo aguntur fanatici, quem Plato ἐνθουσιασμόν vocat. Unde Vatabl. legit, μύστας τε θειασμοῦ vertitque, *et sacerdotes divini furoris*, vel *sacerdotes fanaticos*. Nam θειάζειν est numine afflari, nec compotem esse sui; unde θειασμός, est afflatus, divinatio, convivium. III.

Quarto, Vaticanus codex correxit ἐκ μέσου μυσταθείας σου, q. d. *E medio sacramenti tui*, vel *arcani divini tui*; ut vox μυσταθείας novata (nam alibi non invenitur, et Auctor huius libri plura alia novat) et conflata sit ex μύστης et θεῖος, D q. d. Arcanum divinum. Sic videtur legisse, vulgatus interpres, nisi malis ipsum legisse, ἐκ μέσου μυσθειασμοῦ σου, id est, *ex medio mystico cultu*, id est sacramento, vel sacrificio, *tuo*. IV.

Quare alienum et coactum videtur, quod Lyran. Hugo, a Castro et nonnulli alii censent, per *sacramentum* accipi terram sanctam, eamque vocari *medium*, quia sita erat in medio climate terræ habitabilis, q. d. Hos omnes idolorum cultores voluisti perdere e medio sacramenti tui, id est e medio terræ, in qua tua sacramenta constituisti, arcana tua, aut cultum tuum; nempe e medio cultorum tuorum, non enim decens erat, ut in medio tot impiorum pius populus moraretur, aut inter tot exsecranda sacra cultus Dei verus exerceretur. Unde Compl. et Regii verba transponunt sicque legunt: *Et devoratores sanguinis, et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti e medio sacramento tuo*, id est, e media terra sancta.

Minus quoque proposito satisfacit, quod suspicetur no-

ster Lorinus, μυστώδας, positum videri pro μυσταθίας: μυσταθία autem a Phavorino vocatur collegium, societas sive cœtus vatum, hincque a Nostro vocari *sacramentum*, quasi sacrilegi hi Chananæi fuerint *ex medio sacramenti*, id est, sodalitii sacri Deo, hoc est sacerdotum, qui rite quondam coluissent Deum, sed ab iis defecissent ad idola, et deos Gentium, eorumque sacra sacerdotia et fana profana.

Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti.) *Auctores* scilicet cædis et necis filiorum; hos enim paulo ante vocavit, *filiorum suorum necatores*, idque significat Græcum αὐθέντας, quod Gaza, Budæus, aliique vertunt αὐτόχειρα, id est eum, qui sua manu sibi aut suis manus infert, et mortem consciscit. Sic enim Euripides, Æschylus, aliique prisci hanc vocem usurpant, sed posteriore ævo vox αὐθέντης usurpata fuit pro auctore, imo ab ea derivant nomen *auctor*, licet Servius in illud libr. 12. Æneid. *Auctor ergo audiendi*, *auctor* derivet ab *augeo*. Unde αὐθεντέω est approbo, auctoritatem addo; et αὐθεντία est potestas, auctoritas; et αὐθεντικὸς, id est *authenticus* idem est, quod cum auctoritate, vel auctore certo. Pro γονεῖς, id est *parentes*, Vatablus legit φονεῖς, id est *occisores*; sed omnia exemplaria habent γονεῖς. Verum tamen est, quod apud Chananæos γονεῖς erant φονεῖς, id est parentes erant filiorum cæsores, ideoque non tam parentes, quam perditores. Rursum, pro αὐθέντας Cantac. legit λυθέντας, idest *solutos*, quippe qui vincula naturæ, inquit, perruperint, ut genitores esse desinere viderentur quorum erant interfectores.

Sensus est, q. d. Apud Chananæos ipsimet parentes, qui filios suos inauxiliatos, id est, quibus nemo alius auxiliabatur (quis enim auxiliaretur filiis, quos parentes ipsi sacrificabant, qui in eos summum ius et potestatem habebant?) iure naturæ, imo iure paterno, maxime tutari, et a nece vindicare debuerant, cum et ursi, pardi, cæteræque bestiæ pro catulis tuendis usque ad mortem depugnent; hi, inquam, illos ipsos filios suos, sua manu mactabant et immolabant. Ita Romani in suis Notis, Iansenius et Nannius, qui pro ἀβοηθήτων, id est *inauxiliatorum*, legit βουθυτούντων, id est, *mactatorum instar boum*, vel taurorum. Proles vocat *animas* synecdochice et metonymice, quia parvuli a parentibus tenere diliguntur, quasi ipsorum forent animulæ; ideoque barbari et plusquam ferini sunt, qui eas necant, præsertim inauxiliatas et omni ope destitutas. Unus fuit S. Franciscus Xaverius, qui Bernardum Iaponium hospitis sui in Iapone filium a patre paupere, quod eum alere non posset, neci destinatum eripuit, aluit, instruxit, et in Societatem Iesu admissum, Romam ad S. Ignatium transmisit; bis utique Bernardi pater, quod vitam tam corpori, quam animæ dederit. At quis dabit nobis plures Xaverios?

Perdere voluisti per manus parentum nostrorum.) Per manus Iosue et Iudicum, qui eum secuti sunt.

Vers. 7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.) Primo, Lyranus per modicam verborum metathesim, id est transpositionem, sic exponit, q. d. Patres nostri, puta Iosue et Hebræi, expulere Chananæos, ut ipsi locum expulsorum occuparent, ac perciperent *peregrinationem*; græce ἀποικίαν, id est, coloniam *puerorum*, id est, servorum et filiorum *Dei*, puta Abraham, Isaac et Iacob in terra Chanaan, *quæ tibi omnium charior*, id est charissima, *est*; in illa enim peregrinati sunt Abraham, Isaac et Iacob, unde eamdem Deus ipsis, id est, eorum posteris promisit, ideoque eamdem, expulsis Chananæis, Hebræis per Iosue donavit et tradidit.

Secundo, q. d. Ideo expulisti impios Chananæos, ut eorum *terra*, id est, terræ et regiones, quæ tibi cæteris erant chariores, perciperent novam dignamque se peregrinationem, hoc est peregrinorum et advenarum coloniam; coloniam, inquam, filiorum Dei, id est, fidelium et piorum Israelitarum. Hunc sensum exigunt Græca, quæ habent verbum singulare: *Ut dignam reciperet coloniam filiorum Dei, quæ tibi omnium pretiosissima*, vel *honoratissima est terra*. Ita vocatur Iudæa propter Dei electionem et benedictionem, quia Deus eam elegerat, ut in ea conderet sibi templum in quo habitaret, æque ac Synagogam sive cœtum populi fidelis, a quo ritibus et sacrificiis a se sancitis legitime coleretur. Denique, quia in ea nasciturus, prædicaturus et moriturus erat Christus, itaque genus humanum redempturus, æque ac B. Virgo, Apostoli, cæterique primi fideles, ob quæ terra ista tot sanctorum hominum, totque sacrorum mysteriorum ferax, merito Sancta vocatur.

Quare impertinens est Hugonis et aliorum interpretatio, qui τὸ *perciperent* interpretantur *intelligerent*, q. d. Ut intelligerent Chananæi, æque ac Hebræi, Chananæos indignos esse hac terra, utpote impios et idololatras; Hebræos vero illa esse dignos, utpote pios et veros verique Dei cultores.

Sed et his (Chananæis impiis) tamquam hominibus pepercisti, ut non statim eos perderes et occideres per Iosue et Hebræos, sed prius leniter castigasti, quasi admonens eos vocansque ad pœnitentiam; et (idcirco) misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.) q. d. In Chananæos præmisisti vespas et crabrones ante adventum Iosue et Hebræorum, tum ut Chananæis dares tempus pœnitentiæ; tum ut, si pœnitere nollent, eos ita attereres, ut facile vinci et occidi possent per succedentes Iosue et Hebræos. Has vespas se præmissurum Mosi promiserat Deus Exodi 23. v. 28. vide ibi dicta. Notat ibidem Oleaster hebr. צִרְעָה *tsira*, id est, vespa vel crabro, derivari a צרע *tsara*, id est, leprosus fuit, quod vespæ hæ cum lepra cognationem habuerint, vel in colore, vel in odore, vel potius quod molestæ essent leprosis, esseque muscas magno longoque corpore deserta colentes, vario colore, similes leprosis, iumentis infestas, atque ab apibus parum differre. Aut potius, ut alii: quod acrem figant aculeum, eoque ita carnem pungant, ut eam leproso similem efficiant. Vers. 8.

Hinc et latine vocantur *crabrones* vel *cabrones*, a *cabo*: id est caballo, ait Isidor. libr. 12. Etymol. cap. ult. quod ex caballi carne putida nascantur, sicut de tauris et bobus nascuntur apes, de mulis fuci, de asinis vespæ. Unde et vespæ et crabrones carne vescuntur, teste Aristot. et Plinio. Scaliger tamen Comment. in Varronem, et ex eo Aldrovandus malunt a *cracio* id est gracilis sum, Ennio dici *Craber* et *Crabro*. Sicut σφηκώδεις gracdes dicuntur apud veteres Comicos: hinc crabrones græce vocantur σφῆκες, quia gracili sunt corpore, et circa ventrem quasi in cuneum contracto. Addit Plinius lib. 11. cap. 53. crabrones comedere serpentes et viperas, ideoque morsus eorum esse venenatos. Adde, eos ira et furore fervere, eamque bombo æstuante et susurro, quasi indignante furenteque significare; ideoque maxime audaces esse agiles, celeres, pertinaces, ac figere aculeum pestilentissimum. Hinc adagium: *Noli irritare crabrones*. Novem enim crabrones sufficiunt ut suis aculeis equum occidant. Audi Plinium lib. 11. c. 21. *Ictus eorum haud temere sine febri est. Auctores sunt ter novenis punctis interfici hominem*. Denique crabrones sunt vespis similes, sed maiores, alati, spiculisque armati; Galli *Frelons* vocant, Belgæ *Horselen*, Itali *Calabroni*, Hispani *Tavarros*, Germani *Horlits*; Septuag. et ex iis Sapiens hic vocat σφῆκας; Chald. Exod. 23. nuncupat parvas aviculas, quæ oculos Chananæorum impeterent; crabrones enim maiores apibus, similes sunt parvis avibus. Crabronis etymon.

Porro, crabrones Deum in Chananæos præmisisse, testatur Iosue c. 24. 12 dicens: *Misique ante vos crabrones, et eieci eos de locis suis etc.*

Simili modo S. Iacobus Nisibites, Saporem Persarum regem abegit ab obsidione Nisibis, immissa divinitus in eius exercitum infinita multitudine culicum et sciniphum, qui in equorum hominumque oculos, aures, nares, ora involantes, eos pene ad insaniam adigebant, itaque fugere compulerunt, ut narrat Theodoret. in Philotheo, sive in Histor. Patrum cap. 1. Vide hic rursum, ut superbiam et ferociam hominum sternat Deus per viles et exiles vespas et crabrones. In Italia, aliisque locis, nonnulli montes sunt inculti et inhabitabiles, ob copiam et insultus vesparum. Crabronum iræ exempla.

*

Cum Amurates Turcarum rex Albam Græcam oppugnaret, oppidani teste Bonfinio lib. 4. dec. 3. præter alia, etiam apum examina in Turcas mittebant, ut aculeis petiti graviter angerentur. Iuno Henrici Imp. Dux, obsessus a Giselberto Lothariagiæ rege (lego *Duce*) irrumpentes equites obiectis apum alvearibus inhibuit, quarum aculeis in furorem versi equi, sessores, ut ait Vitichindus libr. 1. Gest. Sax. vel excussere, vel ad pugnandum inutiles reddidere. Anno salutis 1512 auspiciis Emmanuelis Lusitaniæ regis, Lupus Barriga in Mauritaniæ oppidum Xiamaticense, quod appellant *Torali*, impetum fecit, referente Osorio l. 8. Rerum Emman. hostes cum se in ultimum discrimen adductos cernerent, alvearia apum innumerabilia, quibus abundabant, incensa e mœnibus dimisere; Lusitani et alveariorum flammis ambusti, et apum aculeis stimulati, oppugnationem deserere coacti sunt.

Vers. 9 Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sævis, aut verbo (male Dionys. legit, *bello*) duro simul exterminare.) Græce: *Non impotens in instructione aciei*, vel *in acie instructa* (Vatabl. *Dimicatione prælii*) *impios sub manum*, vel potestatem *iustorum tradere, aut feris truculentis, aut verbo severo simul abolere*, q. d. Immisisti in Chananæos vespas, non quod maiora in eos vibrare non posses; poteras enim prælio eos conterere, leonibus, pardis, ursis obiicere. Imo unico verbo, id est, nutu et iussu, disperdere et delere. Male Pelicanus pro *verbo* vertit *peste*: licet enim hebr. דבר *dabar*, id est verbum, si aliis punctis legas דבר *deber*, significet pestem; tamen Græcum λογος non pestem, sed verbum duntaxat significat. Hic autem liber primitus scriptus est græce, non hebraice. Adde, hic notari facilitatem potentiæ divinæ, quæ non peste, nec bestiis, nec aciebus, sed solo verbo poterat eos annihilare. Idem dicit de Ægyptiis per ranas, sciniphes et locustas a Deo castigatis cap. præced. v. 18.

Vers. 10. Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ,
Vers. 11. non ignorans quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.) q. d. Potuit Deus omnes impios Chananæos simul disperdere, sed noluit, ut *partibus*, id est, per partes paulatim (hoc enim est Græcum κατα βραχυ) eos *iudicans*, id est, puniens et castigans per vespas, daret, eis *locum*, occasionem et tempus *pœnitentiæ*. Porro, tanta fuit Dei clementia, ut Chananæorum improbitate vinci se non permiserit, ut licet sciret eos ita ingenita sibi perversitate perversaque indole depravatos, atque a sua prima origine impios errores, velut cum lacte suxisse, nec non domesticis malis exemplis institutisque aluisse, sed et ob diuturnam peccandi consuetudinem, sic esse morbum illum in eorum animis confirmatum, ut sanari nullo modo propter contumaciam tantam posset; denique adeo dira exsecratione devinctum, ut omnem respuerent disciplinam; licet, inquam, hæc omnia probe nosset, tamen tanta fuit in eos Dei benignitas, ut noluerit eos illico exterminare, sed per vespas castigare, ac per partes merita supplicia in eos immittere; non quod aliquem timens, vel alicuius personam respiciens, eis veniam daret; sed ut ostenderet immensam suam in eos clementiam, ac ex parte sua faceret quidquid opus erat, quod eos ad pœnitentiam allicere posset.

Nequam est natio eorum.) Græce, prava γενεσις, id est generatio, origo, prosapia, natales, parentes ac avi eorum; ac similis generationi educatio et institutio. Erant enim Chananæi posteri Cham, eiusque filii Chanaan, quasi corvini corvorum pulli, ac impiorum parentum impii filii. Aut generatio vel *natio*, significat totam Chananæorum stirpem et gentem, quæ in Cham et Chanaan progenitoribus fuit corrupta, et in corruptione hac continue propagata.

Et naturalis (græce εμφυτος, id est ingenita, insita, innata,) malitia ipsorum.) Non quod aliqua natura a Deo creata sit mala, ut calumniabantur Manichæi, et nuper Illyricus Lutheranus: sed *naturalis*, tum quia in eam natura hominum, peccato originali depravata est proclivis et prona; tum quia eam a suis parentibus imbiberant, et longa consuetudine, quasi in naturam converterant. Ita S. Aug. l. 2. de Nuptiis et concub. c. 8. qui hinc contra Pelagianos probat peccatum originale.

Hinc tales dicuntur alienari a Deo, sive peccare a vulva et errare ab utero, Ps. 57. 4. quia vix nati dedunt se sceleribus, ex prava complexione, et ex vitiosa educatione parentum, et ex assidua consuetudine peccandi. Consuetudo enim est altera natura.

Non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.) Id est, ut græce ου μη αλλαγη, id est, *quod nequaquam mutaretur*, nec facile mutari posset, ita radicata et quasi ingenita improbitas; absolute tamen mutari poterat. Cur enim alioqui dedisset eis Deus locum pœnitentiæ, ut dixit v. 10. si non poterant mutari et pœnitere?

Nil ergo habent hic hæretici contra liberum arbitrium, aut ii qui censent obduratos et obstinatos in malo carere auxilio sufficienti, ut cor suum emolliant et sensim convertantur, pro rigida hac sua sententia.

Semen enim erat maledictum ab initio.) Non tam in Adam per peccatum originale omnibus posteris ab eo ingeneratum, uti explicat S. August. loco iam citato; sic enim omnes homines in Adamo fuere maledicti, cum hic soli Chananæi vocentur *semen maledictum*; quam in parentibus suis Cham et Chanaan. His enim Noe pater ab eis irrisus maledixit, dicens Genes. 9. v. 25. *Maledictus Chanaan* (cum patre suo Cham, qui Noe parentem suum ex temulentia incauta nudatum illusit) *servus servorum erit fratribus suis*. Qua maledictione non soli Cham, sed filio eius Chanaan et Chananæis ex eo nasciturís, ac impietatem et scelera eius imitaturis maledixit; vide dicta Genes. 9. v. 25. Hæc maledictio etiamnum durat: unde videmus Æthiopes et Mauros, quos vulgo Nigros vocant, qui ex Cham prognati sunt, magna ex parte esse mancipia, esseque obtusioris ingenii et vilioris præ cæteris servis conditionis.

Nec timens aliquem veniam dabas.) q. d. Solent timidi iudices et principes iudicia pervertere vel suspendere ex timore, ne damnatus, eiusve cognati et amici damnantem damno simili vel maiore afficiant. At Deus hanc impunitatem et dilationem pœnæ non tribuit Chananæis, eo quod aliquid timeret vel revereretur, cum ipse omnibus sit terribilis et reverendus, iuxta illud Iob cap. 22. 4. *Numquid timens arguet te, et veniet tecum in iudicium?* Deus enim non est sicut homo et tyrannus: qui ut ait Tragicus: *Timet timentes, metus in auctorem redit.*

Rursum sic exponas, q. d. Tu, Domine, nullius rei timore adduci potuisti, ut Chananæis veniam dares: quare licet supplicium differres, ut eos ad pœnitentiam allicere; tamen cum eos impœnitentes et obstinatos vidisti, pleno et plene illud eis irrogasti, eosque omnino disperdidisti. Hic sensus verior videtur: illum enim exigunt ea quæ sequuntur.

Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?) Probat quod dixit; *Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum*, scilicet quod Deus nullius timore pepercerit Chananæis, sed ad tempus supplicium distulerit, ut pœniterent, quod cum facere nollent omnino eos delevit per Iosue et Hebræos. Hac de causa quatuor rationes et modos timoris assignat, quibus iudices timidi solent iudicium pervertere, ac reis veniam dare, illasque omnes a Deo removet, ut eius iudicium rectum, forte et incorruptibile ostendat; quia, ut solerter advertit Holcot, declinant iudices a iustitiæ rigore, aut propter superiorum iudicum revocationes, aut propter interpositas appellationes, aut propter futuras visitationes, aut propter sequentes persecutiones. Deus est iudex supremus, ut non sit qui cognoscere valeat et revocare sententias eius vel ad alium appellare, vel irritare decreta, vel ob pœnas, Vers. 12.

quos de noxiis sumpserit, intentare quid molestum.

Quis enim dicet tibi: Quid fecisti?) Quis quasi te superior rationem facturum a te reposcet? Omnes enim et omnia tu fecisti, imo ex nihilo creasti: *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* Isaiæ 45. 9. Quare omnes et omnia dicant oportet cum eodem Isaia c. 64. 8. *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu et opera manuum tuarum omnes nos.* Nullus ergo te est superior, sed omnes subditos tibi sese fateantur planeque substernant oportet.

Quis stabit contra iudicium tuum?) Græce, *aut quis resistet*, vel *opponet se iudicio tuo*, quo damnaveris vel deleveris Chananæos, ut ab eo ad alium iudicem appellare audeat?

Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?) Græca hoc membrum sequenti postponunt, sicque illud efferunt; ἢ τίς εἰς κατάστασιν (male Aldina editio habet κατάστασιν, id est *in constitutionem*) σοι ἐλεύσεται ἔκδικος κατὰ ἀδίκων ἀνθρώπων, id est, ut habet editio Romana, *aut quis ad standum contra te veniet vindex pro iniquis hominibus?* Minus recte Vatabl. *Aut quisnam contra te vindex iniustorum hominum intercedat?* Melius Iansen. *Quis veniet tibi in oppositionem et resistentiam, ut vindictam sumat de te pro iis malis, quæ impiis intulisti?* Agitur enim hic non de mediatore vel intercessore, sed de ultore, defensore et vindice; hic enim vocatur ἔκδικος: unde et Latinis *Ecdici* vocabantur Tribuni plebis, qui plebis causam contra vim et iniuriam optimatum tuebantur pleno iure et potestate, teste Cicerone lib. 13. ep. 56. et Budæo in Pandect. At nullus talis Ecdicus, nullus Tribunus plebis Chananæis cæterisque impiis contra Deum dari potest.

Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?) Græce τίς δὲ ἐγκαλέσει σοι, id est, *Quis vero accusabit te, aut in crimen vocabit,* quod perdideris Chananæos, quorum iure creationis plenus summusque vitæ et necis es Dominus, iure vero legislatoris scelerum ipsorum supremus es iudex et vindex. Quare si Deus omnes angelos et homines sanctos beatosque, qui in cœlo sunt, vellet addicere æternis gehennæ tormentis, nullam illis aliisve faceret iniuriam vel iniustitiam, quia faceret Creator de creaturis suis, quod figulus facit de vasis suis luteis. Sed hoc non esset conforme eius bonitati, æquitati et clementiæ, quæ summe est φιλάνθρωπος et φιλόψυχος uti dixi cap. præcedenti v. ultim. imo tormenta illa proprie pœnæ rationem habere non possent, nec Deus diceretur punire beatos, sed cruciare dumtaxat et affligere; pœna enim esse nequit, ubi non est culpa. Pœna enim et culpa sunt correlativa. Unde pœna est culpæ pœna, sive punitio; vicissim culpa omnis pœnæ est meritoria; omnis enim culpa meretur condigne pro sua quantitate puniri et castigari, ac vice versa pœna omnis condignam et commensam sibi culpam exigit et præsupponit.

Vers. 13 Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium.) q. d. Nullus enim est te superior, qui te in iudicium vocet. Hic enim superior deberet esse alius Deus, isque te maior; quod fieri nequit. Græce, *Non enim est Deus præter te, qui curam habes omnium, ut ostendas quod recte iudicasti.* Nota. Cum ait: *Cui cura est de omnibus*, probat alium nullum esse Deum, ex eo quod nullus alius curam habeat omnium. Hæc enim cura soli Deo competit; hic enim solus omnium habet providentiam. Quare providentia sive numen, est de ratione et essentia Dei ac divinitatis. Unde qui providentiam Deo adimit, adimit ei quoque divinitatem. Hinc Vatabl. vertit: *Neque enim præter te Deus est alius, qui curam agat omnium, quo te demonstras non iniuste iudicare.* Quia enim Deus summam omnium habet curam et providentiam, hinc impossibile est, ut iniuste iudicet, ut scilicet innocentem condemnet et puniat, nocentem vero absolvat et præmiet. Hinc colligendum relinquit, Deum a nemine posse reprehendi, vel iniustitiæ accusari, quod Chananæos similesque impios puniat et disperdat, eo quod ipse omnium habeat curam, ac proinde omnium sit pater et provisor, æque ac iustissimus iudex et vindex.

Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.) Græca significantius habent ἀντοφθαλμῆσαι, id est ex adverso obtueri, vultum vultui opponere, fixe oculos in alterum intendere, ut ei se opponat vel litem moveat, velut illi iratus et indignans, uti solent in iudicio litigantes se mutuo, ac iudicem, facie obversa torvaque aspicere et intueri, q. d. Nullus rex sive legitimus, sive illegitimus et tyrannus, audebit te tuumque iudicium ex adverso intueri ut contra illud se opponat ac rationem exposcat, cur Chananæos, cæterosque impios perdideris et perdas. Unde Vatablus vertit: *Neque rex aut tyrannus pro iis quos punieras* (hoc enim est κολάσας;) *oculos contra te attollere audeat.* Vers. 14.

Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis.) Græce διέπεις, id est regis, moderaris; Vatabl. *gubernas.* Notat S. Thom. 1. p. quæst. 21. art. 1. in Deo non esse iustitiam commutativam, quia non potest commutare aliquid cum quoquam, quod prior ipse non dederit, iuxta illud Rom. 11. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* sed distributivam. Nam ut ait S. Dionysius c. 8. de Divin. nom. *Oportet videre in hoc veram Dei esse iustitiam, quod omnibus tribuit propria, secundum uniuscuiusque existentium dignitatem et uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine et virtute;* idem S. Thom. 1. 2. q. 61. art. 5. *Fortitudo Dei,* ait, *est eius immutabilitas, iustitia vero Dei est observatio legis æternæ in suis operationibus.* Vers. 15.

Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute.) Ita corrigendum legendumque cum Romanis et Græcis. Perperam ergo multi codices contrarie habent: *Ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, et exterum æstimas a tua virtute,* idque varie explicant. S. Greg. 3. Mor. cap. 11. mystice explicat de Christo, q. d. Christus quæ non rapuit, exolvit, et eum Pater puniendo, cuncta recte disposuit, ac iustificavit peccatores, quorum ille iniustitiæ damna sustinuit. Alii ad litteram exponunt, q. d. Deus subinde eos, qui iudicio hominum videntur iusti, nec puniendi, punit et condemnat; quia occulta in eis peccata videt, quæ homines non vident. Alii, q. d. Deus subinde castigat eos qui peccatis suis id non meruerunt, ut eos maiori gratia et gloria donet, uti fecit S. Iob. Ita Lyran. Alii hinc probant peccatum originale, q. d. Deus parvulos, qui non debent puniri ob propria peccata, quæ nulla commiserunt, condemnat et reprobat ob peccatum originale, quod contraxerunt ex Adamo. Idem de adultis reprobis ex hoc loco et similibus censent Durand. Gregor. Marsil. et alii, quos recenset et refutat Vasquez. 1. p. disp. 95. art. 7. num. 3. et 37. Hi hunc locum sic exponunt, q. d. Deus ante omnem prævisionem meritorum vel demeritorum, damnandos reprobavit, id est exclusit a suo regno et gloria cœlesti. Verum hæc non solum dura, sed et huic loco impertinentia, imo aliena et violenta sunt. Totus enim hic locus commendat æquitatem et clementiam Dei.

Deus innocentem damnare nequit.

Longe durius, imo plane barbarum et tyrannicum est, quod ex hoc loco probare contendit Calvinus l. 3. Instit. c. 21. et sequent. scilicet Deum ante omnem peccatorum prævisionem eos qui damnandi sunt positive destinasse ad pœnas gehennæ æternas. Hoc enim non Dei foret opus, sed diaboli. Longe secius, Deique immensa bonitate dignius S. Paulus 1. Timoth. 2. 4. *Deus,* inquit, *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Probat id ex Deo et Christo, dum subdit: *Unus enim Deus; unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, q. d. Christus pro omnibus hominibus redimendis natus et crucifixus est; ergo vult omnes salvos fieri, quantum est ex parte sua. Et S. Aug. ep. 106. docet Deum ante peccatum neminem reprobare vel damnare; hoc enim esse iniquum. Audi eum: *Hæc massa* (posterorum Adæ) *si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam;* et inferius. *Quamquam vero immo-*

ritum, et nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.

Quocirca S. Aug. lib. 83. quæst. q. 53. expuncto *non*, sic legit: *Eum quoque qui debet puniri condemnas*, etc. sic enim in S. August. restituerunt Doctores Lovanien. cum prius legeretur addito *non*. Verum cum Romanis et Græcis plane legendum est contrarie: *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute*, id est potentia, ut habent Græca vel robore, q. d. Esto sis potentissimus, o Domine, et robustissimus, tamen potentia tua non uteris ad plectendum innocentes, imo eos plectere exterum et alienum æstimas a tuo robore; tuum enim robur et potentia est æquissima et iustissima, æque ac benignissima, adeoque omnipotentia tua in re idem est cum tua bonitate et clementia. Multi enim homines, ut videantur potentes, innoxios vexant; sed hæc potentia est tyrannis, magnaque animi impotentia; Dei autem potentia vera est potentia, quia vera est æquitas veraque iustitia.

Unde Concil. Arausicanum can. 3. *Iniustitiam, ait, Deo dare convincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato* (Adæ et originali) *quod est meritum mortis ad nos transire dicit.* Iniustitiam intellige, posita iam lege ac pacto Dei cum Adamo, quo illi eiusque posteris, si in iustitia perseverasset, promisit gratiam, gloriam et vitam perennem; alioqui absolute iure creationis poterat Deus Adamum non peccantem, et in iustitia persistentem, cum posteris omnibus morti addicere, uti dixi v. 12.

Porro, sicut alienum est a Dei potentia condemnare innocentem, sic et alienum est a Dei sapientia ignorare innocentem; quemcumque ergo ipse condemnat, ille certo nocens est. Secus fit apud homines, ubi iudices ob ignorantiam, sæpe per tormenta cogunt innocentes se confiteri nocentes, ac confessos condemnant. Quam humanæ ignorantiæ miseriam deplorans S. Aug. l. 19. de Civit. c. 19. « Cum quæritur, inquit, utrum sit nocens, cruciatur; et innocens pro incerto scelere luit certissimas pœnas; non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. »

Vers. 16. VIRTUS ENIM TUA IUSTITIÆ INITIUM EST; ET OB HOC QUOD OMNIUM DOMINUS ES, OMNIBUS TE PARCERE FACIS.) Sic et Syrus. Arabicus vero: *Et dominatio tua efficit in omnibus, ut propitieris omnibus.* Pro *virtus* græce est ἰσχὺς, id est vis, robur, fortitudo; quare perperam Holcot, Hugo et alii per *virtutem* accipiunt pietatem et misericordiam. Lyran. vero explicat, q. d. Deus per omnipotentiam suam iustificat impium. Nam, ut ait S. Augustin. maius opus est iustificare impium, quam creare cælum et terram. Verum hac de re hic non agitur. Dat enim causam cur insontem, qui non debet puniri, condemnare, exterum sit a Dei virtute et potentia; quia scilicet in hominibus et animalibus, fortitudo sæpe est initium iniustitiæ et tyrannidis, ut opprimant debiles et pauperes: at in Deo fortitudo est principium, imo principatus (utrumque enim significat græcum ἀρχὴ) iustitiæ et clementiæ, ut sequitur. Ratio est prima, quod in Deo potentia iuncta mixtaque sit iustitiæ, æquitati et clementiæ, ita ut una sine altera esse nequeat, sed ubi una est, altera quoque adsit oportet: unde una alterius est quasi initium quia illam secum adducit, in hominibus vero, qui multum habent cupiditatis, et modicum roboris ac potentiæ: ideoque dominandi, et fines imperii extendendi sunt avidi, potentia sæpe excludit iustitiam et clementiam, ideoque ferina est et tyrannica, et idcirco impotens, invalida, et parum durans.

Robur Dei est initium iustitiæ. Ratio I.

II. Secunda, quod potentia in Deo nostro modo concipiendi, oritur ex ipsa divinitate, quæ perfectissima est et sanctissima, ac rectæ rationi, virtuti et legi æternæ summe conformis; quare talis quoque eius potentia sit oportet ideoque optima, piissima, et æquissima, ac omnis iustitiæ initium et fundamentum. Adde quod in Deo potentia sit summa et immensa, ut ei nil addi possit, nisi ut eam ostendat et communicet creaturis per æquitatem et beneficentiam: quare eius fons est, principium et origo. Deus ergo summe beneficus est quia summe plenus, summeque potens; sicut flumen exundat, agrosque fœcundat quia summe plenum est et validum. Hanc rationem dat Sapiens v. sequenti.

Tertia, quia vera potentia est magnanima et generosa; magnanimi autem sunt æqui et clementes: quare summa potentia est summe æqua et clemens, imo est summa æquitas et clementia. Hoc est quod subdit: *Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis*, q. d. Tua potestas summumque omnium dominium te impellit ut omnibus parcas, et in omnes sis beneficus et clemens: quia ut ait Glossa interlin. *qui præest potentia, mitescit natura*; ut quo maior est, eo sit clementior, quæ est virtus boni principis, nempe ut et dominus sit subditorum et pater, sicut Christus dixit Matth. 11. 12. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ;* nam potentiam domini libere opprimere potentis, patris affectus frænat ac temperat. Unde priscos Romanos quasi leoninos, tum robore, tum clementia laudat S. Aug. l. 5. de Civit. c. 12. quorum hoc erat axioma teste Virgilio 6. Æneid. III.

Parcere subiectis, et debellare superbos.

Vide Senecam lib. de Clementia, ubi vocem Neronis initio regni extollit; qui cum subscriberet sententiæ rei capite plectendi, exclamavit: *Utinam nescirem litteras!* Vera ergo potentia debet niti iustitia, ut duret, iuxta illud: *Iustitia firmatur solium*, Proverb. 16. 12. Potentia igitur carens iustitia, impotentia est, citoque perit, uti patet in tyrannis. Vide dicta, cap. præced. v. 24. ad illa: *Misereris omnium, quia omnia potes.*

Moraliter, discant a Deo pugnaces et duellatores, qui quod viribus et arte digladiandi polleant, obvios quoslibet provocant ad duellum, vires suas metiri æquitate et iustitia, ne leones et tigrides potius esse videantur, quam homines; tigrides enim ius suum metiuntur robore. Quocirca iusto Dei iudicio, provocantes ad duellum, sæpe in duello succumbunt et vincuntur ab infirmioribus. Provocati vero ad duellum respondeant quod Augustus Cæsar Antonio ad id provocanti respondit: *Antonio si perire velit, esse multas ad interitum esse vias.* Ita Plutarchus in Antonio.

VIRTUTEM (ἰσχὺν id est robur, potentiam) ENIM OSTENDIS TU, QUI NON CREDERIS ESSE IN VIRTUTE (δυνάμει; id est *potentia*) CONSUMMATUS, ET HORUM, QUI TE NESCIUNT, AUDACIAM TRADUCIS.) q. d. Vires tuas et robur, o Domine, ostendis et exeris in eos qui non credunt te esse in potentia consummatum, esseque omnipotentem, quales fuere infideles impiique Sodomitæ, Ægyptii, Chananæi, qui tuum brachium irritare teque quasi ad duellum provocare ausi sunt: unde eorum audacem temeritatem *traducis*, punis et castigas. Nam ut paulo ante dixi, vera fortitudo est, *parcere subiectis, et debellare superbos*, ut illi scilicet coacti tuum robur et numen omnipotentem agnoscant, colant et revereantur. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Et tu dominator omnium virtutes demonstrasti, et non crediderunt; tantummodo virtutibus consummationis eos, quos agnoscis, potenter redarguis.* Vers. 17.

ET HORUM, QUI TE NESCIUNT, AUDACIAM TRADUCIS.) Complut. Regii aliique codices habent; *Et hos qui te nesciunt, in audacia traducis*; græce ἐξελέγχεις, id est arguis, punis, castigas; Lyran. Hugo et alii legunt: *In audaciam traducis*, q. d. Infideles, qui te nesciunt, sinis audaciores fieri, et in audacia obfirmas, ut audacter ex uno scelere in aliud corruant. Verum *traducis* idem est quod corripis et flagellas, uti iam dixi. Græca contrarie habent: *Et in scientibus audaciam redarguis.* Unde et S. Aug. l. 83. quæst. 53. legit: *Sed in iis, qui sciunt audaciam traducis*; Vatabl. *Et contumacia præditos redarguis*; Syrus et Arabicus: *Eos quos agnoscis potenter redarguis.* Verum in Græco excidisse videtur negatio, μὴ id est *non*, quam legit Noster, ideoque vertit: *Qui te non sciunt* id est nesciunt. Utraque tamen lectio conciliari potest; impii enim sciunt Deum Deique potentiam speculative, at non practice, quia eam non satis sunt experti, ideoque eam non timent, nec verentur; quare Deus eorum hanc audaciam traducit, id est acriter corripit et plectit, ut eum timere discant,

uti de Philosophis *qui cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt*, docet Apost. Rom. 1. Ubi nota Deum maxime solere in audaces et insolentes sævire, quales fuere Pharao, Ægyptii et Chananæi, ut eorum superbiam, insolentiam et audaciam retundat et frangat, faciatque humiles, modestos, et sibi reverenter subditos. Unde aliqui quod est in Græco: *Qui sciunt audaciam*, exponunt, *eos qui sunt audaces*, corripis et plectis.

Vers. 18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse.) Deus dicitur *dominator virtutis*, hoc est primo, qui dominatur suæ potentiæ, ut vertit Vatabl. æquo ac animo, ac suæ iræ et zeli sapientissimus est moderator. Unde græce est δυνάστεύων ἰσχύος, id est dominans roboris aut potentiæ; secundo, per hebraismum, q. d. Dominator potentissime et robustissime. S. Aug. loco citato legit: *Tu autem Dominus virtutum*, id est exercituum, qui scilicet angelis, cœlis, elementis, omnibusque creaturis dominaris, easque cum vis in aciem contra hostes tuos educis. Tu enim sub tua potestate omnem aliorum potentiam contines, ne limites excedat, cohibes, ac pro libito laxas et remittis. Sensus est, q. d. Etsi quandoque potentiam tuam in eos qui eam non credunt exeras, ut te dominatorem virtutis, id est potentissimum, ostendas, tamen id facis, non ex passione iræ, sed cum tranquillitate animi, iustitiæ studiosi, ideoque cum *magna reverentia*, id est moderatione, velut reveritus nos, disponis et gubernas nos, ut omnes intelligant te non iuxta potentiam et iram, sed iuxta æquitatem et clementiam punire peccatores; si enim iuxta potentiam eos plecteres, illico omnes disperderes et annihilares. *Subest* (πάρεστι, id est *adest*) *enim tibi, cum volueris, posse*, ut quidquid velis possis et opere perficias. Potentia enim tua adæquatur tuæ voluntati; unde tanta est quanta est voluntas tua.

Deus dominator virtutis, dupliciter.

Cum tranquillitate (Arabicus: *Cum simplicitate*) iudicas.) Græce ἐν ἐπιεικείᾳ, id est, in epiikia, cum mansuetudine et æquitate, non pro potestate, vel ira; cum moderatione et temperamento, non pro rigore iustitiæ; quia dum peccatores punis, non exeris omnes tuas vires, nec indulges iræ, nec scelera pro gravitate et merito castigas; sed iustitiam clementia temperas, punisque citra condignum, ideoque *cum tranquillitate iudicas*, ut solerter vertit Noster. Licet ergo Deus sit zelator iustitiæ, tamen zelus hic, qui in nobis perturbationem affert, in Deo summam habet pacem et tranquillitatem ob eius eminentem, tum sanctitatem, tum omnipotentiam. *Subest enim tibi, cum volueris, posse.*

Et cum magna reverentia disponis nos.) Dionysius *reverentiam* non hominum, sed Dei accipit, q. d. Deus magnifice gubernat, uti decet eius maiestatem omni reverentia dignam; secundo, Salvianus lib. 2. de Providentia, reverentiam hominum accipit, q. d. Deus respicit culmen dignitatis humanæ, illudque honore prosequitur et quasi reveretur.

Reveretur quasi Deus homines; quomodo.

Verum dico: Græce est μετὰ πολλῆς φειδοῦς, id est *cum multa parcitate*, parcendi studio, parsimonia, indulgentia, venia, misericordia gubernas nos, parcens culpæ et pœnæ, si non in totum, certe magna ex parte, perinde ac si nos revereris. Est catachresis. Sic parens cum castigat filium tenere dilectum, reverenter id facit et coactus; unde manus ei tremunt, ac post verbera eas retrahit et cohibet; sic pædagogus, qui regis filium regni hæredem flagellat, cum tranquillitate et reverentia id facit, ut muneri sibi a patre rege iniuncto satisfaciat. Sic et tu, Domine, quasi reverenter nos punis, quia ut filios tuos aspicis, et *in virga virorum* (hebr. אנשים *anascim*, id est infirmorum, debilium, id est debili et languida castigatione) arguis, atque in plagis filiorum hominum, 2. Reg. 7. v. 14. Et sicut, qui lavat purgatque vitrum, caute id facit, ne vitrum rei cuipiam illidat ut frangat; et sicut figulus delicate tractat purgatque vasa lutea, ne ea rumpat; sic et Deus caute nos tribulationis sale fricat, ut sordes defricet, non ut corpus luteum rumpat. Ita Cantacuzenus. Hinc Syrus vertit. *Et cum omni pietate* vel *benignitate gubernas nos*; Arabicus: *Multa pietate moderaris nos.* Reverentia ergo, ut vertit Noster, est pietas, benignitas, moderatio, indulgentia, uti notant Romani in notis ad Græcam versionem.

Subest enim tibi, cum volueris, posse.) Arabicus: *Et cum volueris, potentia apud te est*; Syrus: *Si volueris, parata est virtus*; Vatabl. *Nempe tibi cum vis, potentia præsto est*, q. d. Non castigas illico scelera, nec condigne pro meritis, quia id potes quando et quomodo vis; cum enim volueris, nullus effugiet tuas vires et manus. Notat S. Bonav. potentiam præcedere voluntatem, dici hic tamen vice versa, *subest tibi, cum volueris, posse*; quia licet potentia præcedat in essendo, voluntas tamen præit in agendo; quia applicat potentiam ad agendum; Deo enim tam facile est posse, quam velle. Rursum hæc omnipotentia in Deo est ratio; quare zelo vindictæ, dum scelera castigat, non perturbetur, sed cum tranquillitate iudicet et puniat: *Subest enim tibi, cum volueris, posse*, q. d. Ideo non turbaris, si adversum te, aut adversus tuos aliqui insurgant, sed quoad congruit, hominum audacias tranquillius expectas. Cum autem tempus est obsistendi, et molestiam tuis afferendi, et iniquos puniendi, ita resistis et punis exterius, ut in summa pace maneas, et interius nullo motu, a quo longissime abes, indignationis effervescas. Catellus adversus leonem oblatrat, hic vero quietus transit, quia prorsus nullum malum ab eo sibi inferri timet; et cum oportet, manum levat, et quasi nihil agens, illum discerpit. Sic universi hostes tui et servorum tuorum nullius momenti catelli sunt, quos velut irridens, eos absque ulla perturbatione compescis. Respicis terram, et facis eam tremere; tangis montes, et fumigant; et per Ieremiam ais: *Numquid me ad iracundiam provocant?* q. d. Non, *sed semetipsos in confusione vultus sui*, Ierem. 7. 16. Ita noster Alvarez de Pax tom. 3. contemplat. 29. de pace Dei.

Moraliter, discant hic a Deo principes, iudices superiores modum regendi, iudicandi, puniendi. Si enim Deus cum tranquillitate iudicat, et cum magna reverentia disponit nos, cum quanto homines, qui eiusdem naturæ et conditionis sunt, cum subditis et reis idipsum facere par est? uti subdit Sapiens. Quare graviter errant, qui ex imo in summum honoris gradum evecti insolescunt, ac superbi insolenter potestate sua ad aliorum perniciem utuntur et abutuntur; quo fit ut omnium odia, ac non raro ruinam, imo necem sibi adsciscant. Audiant Auson. Exhort. ad modestiam:

Rectores modeste regant.

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progredière loco.

Præclare S. August. lib. 1. Confess. cap. 4. Deum principem, iudicem et vindicem ita pingit: *Amas, nec æstuas; zelas, et securus es: pænitet te, et non doles: irasceris, et tranquillus es.* Homo ergo cum sit imago Dei, debet esse imitator Dei, ut eius sanctitatem, beneficentiam et perfectionem imitetur, iuxta illud: *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, Matth. 5. v. 48. et illud: *Serve nequam, etc. nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Matth. 18. 33. S. August. in Psal. 102. Deum ita loquentem inducit: *Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores.*

Hoc sapiebat Theodosius iunior Imper. qui rogatus cur eos, a quibus lædebatur, supplicio capitis non mulctaret? *Utinam*, ait, *mihi liceret et mortuos ad vitam revocare!* Rodulphus Imp. cum post morum mutationem clementior suis fuisset, quam ab initio imperii, obiurgatus ob id: *Severum*, inquit, *et immitem fuisse me aliquando pænituit, lenem et placabilem numquam.* Ita Æneas Sylvius lib. 2. Comment. de gestis Alphonsi. Alphonsus Aragonum rex, cum argueretur aliquando quod nimis mitis se lenis esset erga suos, ut qui nonnumquam etiam iis, qui vel graviter in ipsum deliquissent, ignosceret: *Malo*, ait, *multos mea clementia servare, quam paucos mea severitate perdere. Hominis sane clementia est, belluarum autem feritas. Quare principem in privatis iniuriis facilem ad ignoscendum, in iis autem quæ lædunt rempubl. severum esse oportere, ita tamen ut non hominem, sed crimen ipsum in-*

Exempla.

sectari et punire videatur. Ita Panorm. lib. 2. de Gestis Alphonsi, qui et lib. 3. has eius cælestes voces recenset: *Per iustitiam bonis gratus sum, per clementiam malis; nihil enim ita adversariorum animos flectit, quam lenitatis et placabilitatis nomen.*

B. Franc. Borgia dux Gandiæ, et viceroy Cataloniæ, cum ex officio sontes plectere cogeretur, illacrymabat, ac ut pie morerentur satagebat; pro plexorum animabus vero triginta Missarum sacrificia in singula capita offerri curabat. Idem factus societatis Iesu Generalis, delinquentium pœnas magna ex parte in se recipiebat, et cruciatu corporis sui expiabat. Idem a Salomone didicere Philosophi, quorum axiomata refert Anton. in Melissa, Plutarch. in Apophtheg. et alii, ut Demonactis: *Non esse irascendum*

Gnomæ. *hominibus, sed vitiis. Nam hominis est peccare, Dei vero aut hominis Deo proximi peccata emendare;* Antigoni regis Macedon, *Clementia plus potest, quam violentia.* Cato senior admonebat eos qui potentes essent, ut parce uterentur sua potestate, quo semper uti possent, sentiens clementia et comitate potentiam fieri diuturnam, ferocia brevem. Cum Cæsar rerum potitus, Pompei statuas deiectas honorifice reposuisset: *Cæsar*, inquit Cicero, *dum Pompei statuas reponit, suas stabilit*, sentiens illum hoc non in Pompei gratiam facere, sed ut sibi clementiæ simulatione favorem apud cives conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret. Plutarch. in Rom. Apophtheg. Traianus Imp. cum a suis nimiæ lenitatis argueretur, *talem se Imperatorem esse privatis*, respondit: *Quales sibi esse Imperator privatos optaret.* Eius successor Adrianus: *Principibus*, ait, *in privatis offensis debet esse satis, potuisse ulcisci.* Alexander Severus Imper. cum eius improbantes humanitatem et clementiam Mammæa mater, uxorque Memmia, sæpe dicerent: *Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem imperii fecisti*, respondit: *Sed securiorem et diuturniorem.* Ita Vita Cæsar. Thyrræum Pittaci filium Cumis faber quidam ærarius impacta securi occidit: Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, ut de eo supplicium sumeret. At ille cognita causa dimisit hominem, dicens, *ignoscentiam esse potiorem pœnitentia*, sentiens utilius esse condonare, quam meminisse iniuriæ et ulcisci. Sunt qui referant homicidam ab Alcæo fuisse dimissum, cum hoc elogio; *Melius est ignoscere, quam punire.* Ita Laert. lib. 4.

Magni agunt omnia pacifice. Porro eadem pax et tranquillitas non in sola punitione, sed in omnibus actionibus adhibenda est, præsertim ubi multæ occupationes hominis animum distrahunt et perturbant. Tunc enim viri sapientes et spirituales omnem spem in Deo defigentes, omnia ordinate, quiete et tranquille peragunt. Audi S. Gregor. 18. Moral. cap. 25. vel iuxta aliam edit. 29. Explicans enim illud Iob 28. *Et mare, non est*

Qua ratione. *mecum. Cum occupationes*, inquit, *extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur; atque occupationum tumultus exterius perstrepentis dispensat interius præsidens iudex ratio, et tranquillo moderamine, ea quæ circa se sunt, minus tranquilla disponit. Sicut enim vigor mentis frænandis præest motibus carnis, sic sæpe super impositos tumultus occupationis bene regit amor quietis; quia exteriores curæ, si perverso amore non appetuntur, non confuso, sed ordinato animo ministrari queunt.*

Vers. 19. DOCUISTI AUTEM POPULUM TUUM PER TALIA OPERA, QUONIAM OPORTET IUSTUM ESSE ET HUMANUM, ET BONÆ SPEI FECISTI FILIOS TUOS; QUONIAM IUDICANS DAS LOCUM IN PECCATIS PŒNITENTIÆ) q. d. Tuo hoc, Domine, clementiæ in Ægyptios et Chananæos, exemplo docuisti fideles tuos, iustitiæ miscere humanitatem et beneficentiam; item spem eis dedisti veniæ, et cum peccarent, si de peccatis vere pœniteant, iterum eos sis in gratiam recepturus; hanc enim uti Chananæis obtulisti, ita multo magis servis et filiis tuis offers; quia tu, Domine, es pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, 2. Cor. 1.

OPORTET IUSTUM ESSE ET HUMANUM.) Te et non copulat, sed auget, valetque *etiam quoque*; nam græce est, δει τον δικαιον ειναι φιλανθρωπον, id est, *decet eum, qui iustus est, esse quoque humanum*, imo philantropum: iustitia enim humana est; quæ vero inhumana et sæva est, potius crudelitas et sævitia est, quam iustitia; hinc summum ius, summa est iniuria: *Noli esse iustus multum*, ait Eccles. c. 7. 17. *Misericors et miserator, et iustus Dominus*, Psal. 111. 4. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatæ sunt*, Ps. 84. 11. Debet ergo iustitia misceri benignitate, ut neque nimia severitate subditos exacerbet, neque nimia lenitate et laxitate disciplinam solvat, uti docet S. Gregor. 20. Moral. c. 8.

BONÆ SPEI (bene sperare) FECISTI FILIOS TUOS) Græce, ευελπιδας εποιησας, id est, *bene sperantes effecisti, quoniam das in peccatis pœnitentiam:* Vatabl. *Bona spe filios tuos imbuis, qui locum concedis pœnitentiæ peccatorum.* *Filios* vocat Hebræos, quia fideles et veri Dei cultores, ac vocatos ad Dei hæreditatem, puta ad eius gratiam et gloriam. *Quoniam iudicans*, id est puniens, *das locum in peccatis pœnitentiæ*, q. d. Ita punis, imo ideo punis, ut peccantes moveas ad pœnitentiam; quare magnam nobis das spem veniæ, ut, si peccemus, de ea non desperemus, sed pœniteamus, et confidenter tuam indulgentiam imploremus. Ita S. Bonavent. Aut simplicius, q. d. Cum iudicas, id est sententiam fers in aliquem, eumque ob peccata ad meritam pœnam condemnas, non illico illam executioni mandas, pœnamque ei decretam infligis, sed longanimis eam differs, ut reus imo damnatus pœniteat, pœnamque pœnitens et supplex evadat. Ita a Castro.

Vers. 20. SI ENIM INIMICOS SERVORUM TUORUM, ET DEBITOS
Vers. 21. MORTI, CUM TANTA CRUCIASTI ATTENTIONE, DANS TEMPUS ET LOCUM, PER QUÆ POSSENT MUTARI A MALITIA; CUM QUANTA DILIGENTIA IUDICASTI FILIOS TUOS, QUORUM PARENTIBUS IURAMENTA ET CONVENTIONES DEDISTI BONARUM PROMISSIONUM?) Est argumentum a minori ad maius, aut potius a minus verisimili ad magis verisimile; q. d. Si Chananæos hostes servorum tuorum, puta Hebræorum, *debitos morti*, id est morti obnoxios, mortis reos, morti addictos, ob suas scelerum culpas et debita, cum tanta cruciasti *attentione*; græce προσοχης, id est circumspectione, cautione, moderatione, provida cura et attentione, ne modum excederes in puniendo, atque modicas eis pœnas easque sensim infligeres, quæ non tam læderent eos, quam provocarent ad pœnitentiam, itaque tam mentem a malitia, quam corpus a plagis liberarent, ac sanitati restituerent; cum *quanta diligentia*, græce, ακριβειας, id est, sollicita, exacta, exquisita consideratione, animadversione, cautione, cura et studio; unde Vatabl. vertit, *sollicitudine;* alii vertunt, *tenacitate et parcitate* (sic enim tenaces ac parcos vocamus sollicitos, et attentos ad rem) *iudicasti*, id est *rexisti;* ut vertit Vatabl. *gubernasti;* item peccantes castigasti, punivisti; *filios tuos*, fideles Hebræos, *quorum parentibus*, Abraham, Isaac et Iacob, *iuramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum*, id est, promisisti et pactus es cum iuramento te posteris eorum daturum terram promissam lacte et melle manantem, omnemque tuam benedictionem? Id fecisse Deum patet ex historia Exodi, Numer. et Deuter. unde Vatablus vertit: *Quanta sollicitudine rexisti filios tuos, quorum patribus bonas promissiones iureiurando pactionibusque firmasti?*

Ad το *attentione*, Græci Vaticani addunt δεησεως, id est *deprecatione*, et ut nonnulli Latini codices legunt, *obtestatione*, item *parsimonia et indigentia*, quasi Deus ex nimia clementia indigeret careretque suppliciis, quibus eos afficeret; qua figurate significatur Deum ultum esse de Chananæis, cum tanta attentione, quantam diximus, et cum tanta obtestatione, petendo ab illis, et obtestando, nisi sibi consulerent, tandem perituros, et cum tanta parsimonia, moderatione, indigentia, ac si Deus illis indigeret, ac propterea nollet eos perdere. Quod ostendit summam Dei nostri sustinentiam ac clementiam. Est catachresis et charientismus. Hinc illud Apostoli: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, 2. Corinth. 5. 20. Vide et obstupesce dignationem, demissionem et clementiam Dei nostri, qui quasi iniuriam fecerit, non acce-

perit, obsecrat peccatores, ut ad se salutemque suam redire velint.

Vers. 22. CUM ERGO DAS NOBIS DISCIPLINAM, INIMICOS NOSTROS MULTIPLICITER FLAGELLAS, UT BONITATEM TUAM COGITEMUS IUDICANTES; ET CUM DE NOBIS IUDICATUR, SPEREMUS MISERICORDIAM TUAM.) q. d. Cum tu, Domine, peccantes velut pueros (hoc enim est παιδεύων) tuos virga disciplinæ castigas, ut emendes, tunc nostros inimicos, quales fuere Chananæi cæteræque gentes idololatræ, multis magnisque suppliciis flagellas, ut cogitemus, et iudicantes discernamus quanta sit bonitas tua in nos, ac sævitia tua in hostes nostros idololatras; eaque de causa cum rursum peccantes a te iudicamur, id est corripimur et castigamur, speremus similem a te clementiam et misericordiam, ideoque tibi nos humiliter corde contrito subdamus, ac constanter adhæreamus, nec ad idola deosque Gentium declinemus; si enim id fecerimus, cum ipsis longe gravius a te flagellabimur. Hæc enim eo spectant, ut Dei cultum et idolorum ac gentium idololatrarum odium in Hebræis, ad idola proclivibus, stabiliat, ut patet ex sequenti.

B MULTIPLICITER.) Græce, ἐν μυριότητι, id est in multis millibus, in myriadibus: μυρία enim sunt decem millia. Unde myrias significat innumeram et quasi infinitam multitudinem. Dices: Quomodo ergo superius laudavit Dei clementiam, quod Chananæos paucis modicisque plagis castigaret? Resp. Initio fuere illæ paucæ et modicæ, ut invitaret eos ad pœnitentiam; at ubi illi impœnitentes in suis sceleribus se obfirmarunt, Deus plagas plagis addidit sine fine, donec eos contereret.

UT BONITATEM TUAM COGITEMUS IUDICANTES.) Pro *cogitemus*, græce est μεριμνῶμεν, id est simus solliciti, ne scilicet bonitatem tuam gravius offendamus, et ab ea excidamus, itaque pro bonitate iram et sævitiam tuam cum impiis Chananæis incurramus, sed eam iusto rationis veritatisque iudicio iudicantes, appendentes et æstimantes, eidem firmiter agglutinemur, ut cum iterum ob delicta quæpiam a te iudicati, id est puniti fuerimus, *speremus*, græce, *exspectemus* pristinam in nos *misericordiam tuam*,
C ad eamque confidenter recurramus, ut illam implorantes delictorum veniam et gratiam consequamur. Hic maxime genuinus et simplicissimus est sensus. Huc pertinet expositio Cantacuzeni, q. d. *Ut cogitemus iudicantes*, id est ut assidue meditantes bonitatem Dei, iudicemus nos ipsi, ac prudenter æstimemus quot quantaque simus a Deo bona consecuti. Et Dionys. q. d. Ut prudenter discernamus correctionem nostram a reproborum perditione; quare flagella Dei in piis generant spem, in impiis desperationem.

Secundo, tamen apposite Nannius, Iansen. Vatabl. a Castro, et alii sic exponunt, q. d. Ideo nos leviter ut pueros virga disciplinæ iudicas, id est punis et castigas, ut nos pariter iudicantes, id est cum iudicia exercemus, aliosque iudicamus et castigamus, huius tuæ lenitatis et bonitatis simus memores, eamque imitemur, ac severitatem lenitate temperemus; nec rigidi simus reorum censores et iudices, sed benigni correctores. Sic enim vicissim a te vel
D ab aliis *iudicati*, id est censi, reprehensi, puniti, moderationem et misericordiam tuam nobis sperare poterimus, iuxta illud Christi: *Nolite iudicare* (severe et rigide) *et non iudicabimini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7. 1. Huc accedunt S. Bonav. Lyranus et Hugo, qui censent nos hic moneri docerique ut cum alios iudicamus et punimus, faciamus hoc modeste; sicut Deus modeste nos punivit et punit, iuxta illud Apostoli Ephes. 4 ult. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis*, id est, condonavit omnia peccata per merita et gratiam Christi.

Vers. 23 UNDE ET ILLIS, QUI IN VITA SUA INSENSATE ET INIUSTE VIXERUNT, PER HÆC, QUÆ COLUERUNT, DEDISTI SUMMA TORMENTA.) Græce: *Quamobrem eos, qui in insipientia vitæ vixerunt iniuste, per proprias cruciasti, vel torsisti, abominationes*, id est per res abominandas, quas scilicet ipsi coluerunt ut deos; Vatabl. *Quocirca et iniustos in stolida vita versatos homines per suas ipsorum im-*
A *puritates excruciavisti*, q. d. Chananæos impios acriter torsisti per viles bestiolas, puta vespas et crabrones, quas vel quarum similes ipsi pro diis coluerant, itaque numina reorum vertisti eis in supplicia et fulmina. Notum est in Script. *abominationes* vocari idola et idololatriam, utpote res summe abominandas et execrandas. Redit enim ad ostendendum atroces pœnas, quibus Deus idololatras afflixit ob nefas idololatriæ quod proinde sequent. cap. exaggerat multisque insectatur. Sic c. 11. v. 16 dixit Ægyptios punitos per serpentes quos coluerant ut deos, *ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*.

ETENIM IN ERRORIS VIA DIUTIUS ERRAVERUNT, DEOS ÆSTIMANTES HÆC, QUÆ IN ANIMALIBUS SUNT SUPERVACUA, INFANTIUM INSENSATORUM MORE VIVENTES.) Græce, φενακισθέντες, id est decepti, ludificati more infantium. Perperam pro *animalibus*, Complut. legunt, *animabus*; et alii, *manibus*, q. d. Chananæi lignea idola manibus resecta coluerunt. Græce enim est ζώοις id est *animalibus*. Sensus est, q. d. Chananæi per idola errando et vagando, eo amen- Vers. 24.
B tiæ, progressi sunt, ut *animalia supervacua*; græce τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα, id est *hostium vilia*, hoc est, apud hostes vilia et infamia, tum quia hostilia, tum quia in se vilia et spurca, velut numina adorarint, quasi infantissimi et stolidissimi pueri, qui cum araneis, vespis, apibus, bufonibus, aliisque bestiis vilibus et mortiferis ludunt, ideoque ab eis punguntur, et subinde necantur. Sic enim Chananæi coluere Beelzebub, id est Deum muscam; habebat enim caput muscæ; crocodilos, feles, cynocephalos et canes, qui homines mordent, lacerant, necant, vorant, ideoque ea vocavit ἐχθρά id est hostilia, et ἄτιμα id est vilia, inhonora, fœda, infamia.

Nota. Græce est: τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν, id est, *longius errarunt quam erant erroris viæ*; hoc est, longius, ipsas etiam erroris vias egressi, errarunt quam videbatur fieri posse, ut homo erraret. Est hyperbole. Sic ait Virgil. 6. Æneid.

Extra anni solisque vias, ubi cælifer Atlas
C *Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.*

Sic valde stultum vocamus stultiorem ipsa stultitia; valde sapientem, sapientiorem ipsa sapientia, per hyperbolen; ita Iansen. a Castro et alii. Verum Noster æque ac Nannius, Vatablus et alii subaudiendo præpositionem μετά, vel ἐπί simplicius vertunt: *In erroris via diutius erraverunt*.

PROPTER HOC TAMQUAM PUERIS INSENSATIS IUDICIUM IN DERISUM DEDISTI.) Græce: *Propter hoc velut pueris ratione carentibus iudicium, sive pœnam, in ludibrium misisti*. In Græco est pulchra paronomasia; παῖς enim, id est puer, dicitur quasi παίζων, id est ludens; ἐμπαίζω est illudo, ludifico; ἐμπαιγμός (quæ vox hic in Græco est) ludificatio; ἔμπαιγμα ludificamentum quo alicui illudimus, q. d. Quia Chananæi velut pueri, pueriles res et bestiolas pro diis coluerunt; hinc eosdem, quasi pueros per easdem, puta per vespas et crabrones, quasi puerilibus et ridiculis pœnis, sed acribus, castigasti et quasi ludificasti. Vers. 25

D QUI AUTEM LUDIBRIIS ET INCREPATIONIBUS (id est, *ludibriis increpationis*, ut habent Græca. Est hendiadys) NON SUNT CORRECTI (græce, μὴ νουθετηθέντες id est; *non sunt admoniti*, non sunt hac admonitione emendati) DIGNUM DEI IUDICIUM EXPERTI SUNT.) Græce, *experientur*, id est experti sunt. Loquitur enim de Chananæis præteritis, q. d. Chananæi, qui ludicris vesparum pœnis non sunt emendati, hi durum iudicium, id est supplicium, subierunt, cum a Iosue et Hebræis funditus sunt excisi, et ad internecionem deleti. Pro *ludibriis*, græce est, παιγνίοις; παίγνιον autem est ludicrum, lusus, ludibrium, uti sunt aviculæ, apes, muscæ, ranæ, quibus ludunt pueri; iisdem enim quasi ridiculis et puerilibus nugis, Deus castigavit Ægyptios et Chananæos. His opponit dignum *Dei iudicium*, id est serium graveque supplicium mortis et exterminii totius gentis Chananæorum, quo Deus toti mundo suam in puniendo omnipotentiam, æque ac iustam iram et vindictam ostendit. Vers. 26

IN QUIBUS ENIM PATIENTES INDIGNABANTUR (multi co- Vers.

dicea addunt, imo præponunt: *In his enim quæ patiebantur, molesta ferebant,* quæ verba videntur addita ex alia versione: unde Romani ea delent; idem enim dicunt et repetunt) PER HÆC QUOS PUTABANT DEOS IN IPSIS CUM EXTERMINARENTUR VIDENTES, ILLUM, QUEM OLIM NEGABANT SE NOSSE, VERUM DEUM AGNOVERUNT; PROPTER QUOD ET FINIS CONDEMNATIONIS EORUM VENIT SUPER ILLOS.) q. d. Chananæi, dum paterentur acres morsus vesparum et vilium bestiolarum, indignabantur quod per illas, quas, vel quarum similes, ut deos coluerant, exterminarentur; quare *videntes* et sentientes, id est animadvertentes, Deum Hebræorum, quem olim negabant se nosse, has plagas sibi infligere, eum ut verum Deum agnoscere coacti sunt, ut patet Iudith 5. 20. Iosue 2. 9. sed sero, et invite ac coacte: quocirca æquum fuit ut extrema clade plecterentur, quare *finis condemnationis*, id est extrema damnatio, excidium et exterminium, *venit super eos*, cum scilicet a Iosue et Hebræis per bella funditus sunt aboliti. Alii hæc referunt ad Ægyptios qui a Mose mersi sunt in mari Rubro. Sed de Ægyptiis egit, c. 11. hoc vero c. 12. agit de Chananæis. Ita S. Bonav. Dion. et alii.

Pro *patientes* Complut. et Regii legunt, *impatientes*. Utrumque verum, patientes enim corpore fiebant impatientes animo. Unde ex Complut. sic clare vertit Iansen. *Nam cum in his, in quibus patientes indignabantur, in his scilicet quos putabant esse deos, quando per ea puniebantur, sensissent eum quem olim negabant se nosse, tunc verum agnoverunt Deum.* Significare vult Pharaonem cum suis, qui prius dicebat: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam*, priusquam ranis et muscis, quas pro diis colebant, eos Deus afflixisset, non sine magna illorum indignatione, qui ægre ferebant se a suis diis affligi, et a rebus tam levibus; tum demum agnovisse Dominum, ita ut diceret: *Peccavi: Dominus iustus, et ego et populus meus impii. Orate Dominum*, etc. Verum iam dixi hic agi proprie de Chananæis. Si quis tamen per complexionem cum Cantacuzeno, hæc tam de Ægyptiis, quam de Chananæis accipi malit, non repugnabo: nam in sequentibus de utrisque mistim loquitur.

Pro *venit* multi legunt, *veniet*, scilicet in die iudicii *finis condemnationis* reproborum, qui damnabuntur et detrudentur in gehennam. Verum græce est, ἐπῆλθε, id est *venit*, in præterito. Loquitur enim de transacto Chananæorum excidio.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione Ægyptiorum et Chananæorum, quos Deus ob scelera præsertim idololatriæ excidit, incipit tractare de idololatria; hæc enim maxime primæ veritati et principio sapientiæ, quod est agnoscere, timere et colere Deum verum, quasi ex diametro repugnat. Triplicem autem idololatriæ speciem assignat: primam, qua animalia viva colebant pro diis; secundam, qua elementa et corpora cælestia; tertiam, qua imagines et idola; ac de his omnibus mistim pertractat per quatuor capita. Igitur hoc cap. insectatur eos qui ex creaturis non agnovere Creatorem, sed creaturam quasi Creatorem coluerunt a v. 1. ad v. 10. Inde ad finem capitis gravius increpat eos, qui idola lignea, lapidea, testacea ab artifice efformata ut deos adorant, invocant, de futuris consulunt, eorumque opem implorant.

1. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: 2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. 3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit. 4. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: 5. A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri. 6. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire. 7. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt: et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. 8. Iterum autem nec his debet ignosci. 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo huius Dominum non facilius invenerunt? 10. Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ. 11. Aut si quis artifex faber de sylva lignum rectum secuerit, et huius docte eradat omnem corticem, et arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ. 12. Reliquiis autem eius operis, ad præparationem escæ abutatur: 13. Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, et verticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis, 14. Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, et rubicundum faciens fuco colorem illius, et omnem maculam, quæ in illo est, perliniens: 15. Et faciat ei dignam habitationem, et in pariete ponens illud, et confirmans ferro, 16. Ne forte cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adiuvare se: imago enim est, et opus est illi adiutorium. 17. Et de substantia sua, et de filiis suis, et de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est: 18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adiutorium inutilem invocat: 19. Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

Vers. 1. VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES, IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI: ET DE HIS QUÆ VIDENTUR BONA, NON POTUERUNT INTELLIGERE EUM QUI EST, NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT QUIS ESSET ARTIFEX.) Hoc est thema totius capitis et trium sequentium, nimirum ostendere tum vanitatem idololatrarum, Philosophorum cæterorumque hominum, qui creaturis fruuntur; tum oppositam veritatem fidelium Dei cultorum, Vani sunt qui non noverunt Deum.

qui Deum agnoscere, colere et amare satagunt: hæc enim vera est sapientia, cum prior sit vana, imo mera vanitas et insipientia. Græce: *Vani* enim, vel *stulti* (utrumque enim significat ματαιοι, unde Italorum *matti*, id est stulti) *sunt omnes homines natura, in quibus fuit ignorantia Dei. Natura*, græce φυσει, id est naturali indole, propensione, corruptione; item per se, sponte sua. Sicut enim omnis res creata, quatenus ex nihilo creata est a Deo, vana est, et ad sui nihilum vergens et propendens; sic et homo, præsertim post lapsum Adæ, quo natura humana corrupta est, mortique obnoxia effecta. Ex hoc enim lapsu enata est in homine concupiscentia, quæ eum ad res vanas, noxias et mortiferas inclinat, atque ignoratio Dei rerumque divinarum, quæ ad salutem et felicitatem ducunt; ex quo progenita est multitudo idolorum, hæresum, errorum et scelerum. Syrus: *Vani sunt homines, qui non agnoscunt Deum;* Arabicus: *Quoniam omnes homines, in quibus est defectus scientiæ, vere vani sunt;* το *quoniam*, vel ut græce est, μεν γαρ, id est *siquidem, etenim*, dat causam cur Chananæi in tot tantaque scelera prolapsi sunt, tamque graviter a Deo puniti; quia scilicet Deum verum non agnoverunt nec reveriti sunt.

Scientiam Dei intellige non tantum speculativam, sed et practicam coniunctam cum Dei cultu, timore, obedientia et amore. Vani ergo et stulti fuerunt idololatræ, qui Deum ignorantes, idolum coluerunt et colunt. Vaniores et stultiores fuere Philosophi, qui cum Deum per scientiam naturalem cognovissent, cum tamen non ut Deum ea pietate et puritate, qua par erat, coluerunt et glorificaverunt, quos proinde acriter castigat Apostol. Rom. 1. Vanissimi et stultissimi sunt fideles, qui cum Deum per fidem cognoscant, certamque ex ea habeant spem æternæ felicitatis, cum tamen eiusque legem spernunt, ut illicitis suis voluptatibus perfruantur. Hi enim verbis Deum confitentur, sed factis negant; quare quo maiorem habent Dei cognitionem, eo maiorem malitiam, ideoque maiorem damnationem sibi accersunt. Nam *servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non facit*, etc. *vapulabit multis*, Lucæ 12. 47. Vide dicta Eccles. 1. 1. ad illa: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire*. Hoc est quod queritur Isaias cap. 5. 13. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*. Et Osee c. 6. 4. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam; quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Et Baruch c. 3. 28. *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*. Huc facit illud alibi a me citatum, sed huic loco proprium, ideoque iterandum:

Qui Christum noscit, sat scit, si cætera nescit:
Qui Christum nescit, nil scit si cætera noscit.

Talis fuit S. Paulus qui 1. Cor. 2. 2. *Non enim*, inquit, *indicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum*. Et S. Gregor. Nazianz. qui in carm. de Beatitudinibus ita canit:

Felix a mundo abstractus, qui vivit eremo
In vigila, et mentem tollit ad astra suam.
Felix qui multis iunctus, non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.

Igitur, sicut uter vel follis, vino vacuus, sed vento turgidus, vanus est, quia nil in se habet solidi; sic philosophus, orator, Theologus Dei practica cognitione, gratia et amore destitutus, et inani scientiæ vento fastuque inflatus, vanus est et stultus; bulla est vento tumida, quæ mox ab aere diffiabitur; pappus est, cuius villos mox aura disperget; vapor est, fumus est, qui mox tenues vanescet in auras.

O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas! Tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte; ait S. Aug. l. 7. Conf. et S. Bernard. moriens apparens Guilielmo de Monte Pessulano dixit se in Montem Libanum (in cœlum) ascendere, addiditque: *Nulla hic scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitio veritatis*. Ita habet eius Vita.

Quin et Philo, lib. de Temulentia: Sicut sol, ait, exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis; ita quoties animæ oculi sincero, puro fulgidissimoque luciferi Dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere. Affulgens enim eius qui est cognitio nihil non illustrat; ut etiam quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur.

Denique S. Iustinus initio Dialog. contra Tryph. docet veram philosophiam et sapientiam consistere in Dei cognitione et cultu, eamque frustra se quæsivisse apud Platonicos, Stoicos, Epicureos, cæterosque Philosophos ac tandem admonitu cuiusdam Sancti invenisse in S. Script. puta in libris Apostolorum et Prophetarum.

Et de his quæ videntur (perperam in Regiis contraria legitur, *quæ non videntur*) bona, non potuerunt intelligere eum qui est.) Græce: *Et de bonis visibilibus non valuerunt cognoscere* τον οντα, id est, *existentem*. Deus enim græce dicitur το ον, id est, *ipsum ens*, in genere neutro; vel ὁ ων, id est *qui est*, in genere masculino; quia Deus est primum, summum, increatum, æternum, immensum ens, quod per se existit, et a seipso suum esse habet, in quo est omnium entium rerumque plenitudo et perfectio, vel formaliter, vel eminenter: denique a quo omnia et singula totum suum esse accipiunt; quare ipse est essendi oceanus, et essentiæ pelagus infinitum. Porro ait: *Ex his quæ videntur bona*, id est ex entibus visibilibus, quæ a Deo creata sunt bona. *Vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, Gen. 1. Bonum enim et ens convertuntur. Bonum enim est passio et proprietas entis: quare quantum est ens, tantum est et bonum; unde Deus, qui est summum ens, pariter est summum bonum. Sensus est, q. d. Idololatræ non valuerunt ex entibus bonisque finitis cognoscere ens et bonum infinitum, a quo illa omne suum esse omnemque bonitatem hauserunt: non *valuerunt*, quia non voluerunt: *excæcavit enim illos malitia eorum*, ut dixit s. 2. 21. quia scilicet magis amarunt tenebras, quam lucem: vanitati enim et vanis concupiscentiis addicti, noluerunt aperire oculos Soli iustitiæ, puta Deo, ut eum agnoscerent sancteque colerent. Nam eos ex creaturis potuisse et debuisse agnoscere creatorem, clare asserit v. 5. Deus enim est suum et aliorum omnium esse: si ergo tuum et aliorum esse cognoscas, atque oculos ad eius auctorem velis attollere, illico cognosces et Deum, a quo tuum et aliorum esse magis dependet, quam a teipso, et a tua essentia: nisi enim Deus hanc continue conservaret, illico ipsa in nihilum suum rueret et rediret. Quare si rogeris: *Quis es tu?* respondeas cum S. Ioanne Baptista. *Ego sum, qui non sum*. Sicut Deus a Mose rogatus: Quis es, Domine? vice versa respondit: *Ego sum, qui sum*.

Nomen Dei est ens. Nota. Proprium Dei nomen est *ens*, vel *qui est*, unde illud Deo dederunt Prophetæ, Apostoli et Theologi, æque ac Philosophi. Prophetæ. ut Moses, qui interrogans Deum quo nomine vocaretur, ab eo audivit: *Ego sum qui sum*, sive *Ego sum Iehova*, id est, *qui est*, Exod. 3. 14. et c. 6. 3. vide ibi dicta. Iob c. 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* David. Ps. 101. 28. *Tu autem idem ipse es*. Ierem. cap. 51. 19. *Qui fecit omnia, ipse est, et Israel sceptrum hæreditatis eius. Dominus exercituum nomen eius*. S. Ioan. Apoc. 1. 8. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est*. Esther. c. 14. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum*, inquit, *his qui non sunt*, id est idolis et idololatris. Solus enim Deus proprie pleneque est; idola vero et res cæteræ potius non sunt, quam sunt; tum quia ex se non sunt, et quod sunt a Deo acceperunt; tum quia peccati malitia est quodammodo infra nihil, ideoque primus eius auctor diabolus, vocatur *is qui non est*, et peccatores vocantur *socii eius qui non est*, Iob 18. 15. Unde Ezechiel. c. 28. 19. loquens de superbo rege Tyri qui erat typus diaboli: *Nihil*, ait, *factus es, et non eris in perpetuum*.

Gnome Prophetarum.

Theologorum. Theologi, ut S. Iustin. initio Dialogi contra Tryphon. qui Deum ita definit: *Quod in eodem similique habitu ac statu semper est; cæterisque omnibus causa est cur sint, id Deus est*. S. Greg. Nazianz. Iambico 15. *Quid est Deus? Est*, inquit, *ens, primum omnium et summum bonum. Quid*

est angelus? prima Dei creatura. Quid dæmon? devians a bono. Quid est materia? formarum basis. Quid forma? materiæ decor. Quid cælum? rerum caducarum et firmarum limes. Quid astra? flamma, circuli cursum tenens. Quid ævum? quod absque tempore assidue fluit. Quid tempus? mensura motus, quem sol facit. Quid homo? figmentum et imago nobilis Dei. Quid vita? nexus carnis et mentis. Quid mors? utriusque divulsio. Quid mens? visus interior nullum terminum habens. Quid voluntas? motus mentis. Quid ratio? quæ verum vestigat. Quid sermo? qui idipsum eloquitur. Quid liberum arbitrium? velle moveri quo libet. Hæc Naz. S. Anselm. in Proslog. cap. 22. plenius et profundius de Dei esse et essentia philosophatur, quem audi: *Tu solus Dominus es quod es, et tu es qui es. Nam quod aliud est in toto, et aliud in partibus, et in quo aliquid est mutabile, non omnino est quod est: et quod incepit a non esse et potest cogitari non esse; et nisi per aliud subsistat, redit in non esse, et quod habet fuisse, quod iam non est, et futurum esse, quod nondum est, id non est proprie et absolute. Tu vero es, quod es, quia quidquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus et semper es, et tu es, qui proprie, et simpliciter es, quia nec habes fuisse aut futurum esse, sed tantum præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse*, etc.

Hinc Evagrius apud Socratem lib. 6. Tripart. cap. 21. ait Deum non posse definiri, eo quod non habeat genus, aut differentiam, aut speciem; sed sit plenitudo entis omniumque generum, specierum et rerum. Attalus Martyr apud Euseb. lib. 6. Histor. c. 3. a tyranno rogatus: *quod nomen Deus haberet? Qui plures sunt*, inquit, *nominibus discernuntur, qui autem unus est*, non *indiget nomine.*

Philosophorum. Philosophi, ut Plato, qui in Timæo Deum vocat τὸ ὄν, id est ipsum ens. Arist. lib. 8. Phys. Deum nuncupat primum ens, causam primam, primum movens, quod cætera omnia movet. Unde idem moriturus dicitur sic Deum invocasse: *Nudus in hunc mundum veni, miser vixi, dubius morior, quo venturus sim nescio: attamen tu ens entium, causa causarum, miserere mei.*

Thales Milesius rogatus, quid in rerum natura esset vetustissimum? respondit: Deus, quia numquam esse cœpit. Idem rogatus, *Quid esset Deus?* respondit: *Quod principia et fine caret;* vel *Quod semper est*, teste Laertio l. 1. in eius Vita.

Apuleius lib. de Mundo: *Quid est Deus? Quod*, inquit, *in triremi est gubernator, in curru rector, præcentor in choris, dux in urbe, imperator in exercitu, hoc est in mundo Deus.*

Alexander Magnus, cum in Ammonis templo a vate dictus esset Iovis filius: *Nihil*, inquit, *mirum: nam Iupiter omnium quidem natura pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit.*

Pythagoras, teste Philosopho l. 1. de Cælo: *Ipsa tria*, ait, *omnia sunt; ipsum vero ter est ipsum, sive id quod omni ex parte est.* Unde aliqui suspicantur eum SS. Trinitatem cognovisse, saltem per umbram et obscure.

Orpheus Deum vocavit principium, medium et finem universi. Principium, inquam, ut omnia producentem: medium, ut producta ad se trahentem; finem autem, ut perficientem ad seipsum redeuntia.

Trismegistus Dialog. 5. loquens de Deo: *Nihil*, ait, *est in omni natura, quod ille ipse non sit. Est ille siquidem, quæ sunt; est ea etiam, quæ minime sunt: quæ quidem sunt, deduxit in lucem; quæ vero non sunt, occulit in seipso.* Hinc Suidas asserit Hermem, sive Mercurium, Ægyptiorum sapientissimum, qui Mosi fuit pene coævus, dictum esse Trismegistum, quod de SS. Trinitate divino quodam spiritu locutus sit, dicens: *Et erat lumen intellectuale, et erat semper mens luminosa, et spiritus omnia continens. Extra hæc non est Deus, non angelus, non substantia ulla alia: omnium enim est Dominus, et Pater, et Deus, et fons, et vita, et potestas, et lumen, et mens, et spiritus, et omnia in ipso et sub ipsum sunt;* licet alii per hæc ipsum dumtaxat attributa deitatis notasse velint. Verius Clemens Alex. lib. 6. Strom. eum Trismegistum, id est ter maximum, cognominatum ait, quod maximus esset rex, philosophus et sacerdos.

NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT, QUIS (qualis et quantus) ESSET ARTIFEX.) *Quis* scilicet cælos, stellas, elementa, omniaque quæ in mundo sunt ex nihilo crearit, tamque artificiose quoad omnia efformarit; quis eadem tanto ordine disposuerit, tantaque concordia consociarit; quis illa ipsa continue conservet, foveat, augeat, propaget, uti pulchre docet Nazianz. orat. 34. quæ est secunda de Theolog. qui et apposite Deum comparat citharœdo, in domo citharam scite pulsanti, cuius melodiam foris audis, eiusque peritiam miraris, sed personam non vides. Sic enim Deus hunc mundum quasi citharam harmonice movet, ac suavissimum ex omnium quæ in eo sunt consonantia concentum efficit, quem omnes stupent, eiusque auctorem admirantur, sed personam intueri nequeunt.

Vers. 2 SED AUT IGNEM, AUT SPIRITUM, AUT CITATUM AEREM, AUT GYRUM STELLARUM, AUT NIMIAM AQUAM, AUT SOLEM ET LUNAM, RECTORES ORBIS TERRARUM DEOS PUTAVERUNT.) Idololatria veterum in eo sita fuit, quod solem, cælumque et alias creaturas coluerint pro creatore; Causa idololatriæ. cuius origo et ratio fuit. Prima, 1. quod nihil esse crederent præter visibilem hunc mundum. Quare negabant esse Deum, qui esset spiritus invisibilis. Ita Plato in Cratylo, quem citat Euseb. lib. 3. de præpar. cap. 1. *Vetustissimos Græcorum*, inquit, *cælum, stellas, solem et lunam, quæ nunc etiam multi barbarorum colunt, deos putavisse manifestum est.* Sic et *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum*, ait S. Lucas Actor. 23. 8. Putabant enim nihil esse ultra ea, quæ oculis cernimus; ac quod non est spectabile, non esse in rerum natura, uti etiamnum putant athei, ac homines crassi et animales. Secunda causa fuit pulchritudo, utilitas, vis et efficacia 2. creaturarum, ut solis, cæli, siderum, aquæ, ignis, terræ; hæc enim illexit rudes homines ad ea colendum et invocandum, quod iis indigere se sentirent, earumque vim et opem experirentur. Ita Euseb. lib. 3. de Præpar. c. 2. Accessit, et errorem adiuvit Philosophorum mystica Theologia, et Poetarum elegantes fabulæ, qui ignem vocavere Vulcanum, spiritum æthereum Iovem, aerem Iunonem, aquam Thethym vel Neptunum, terram Cererem, solem et lunam Phœbum et Dianam. Sic et stellis nomina deorum dederunt, eisque mundi dominium assignarunt; inde ortus error, ut alii cælum, alii solem, alii aerem, alii ignem, alii terram, alii aquam, alii quid aliud mundi et rerum omnium primum principium ponerent et crederent, teste Arist. l. 1. Physic. Inde eadem superstitioso rudique vulgo pro diis habita, et ut numina adorata fuere, uti docet S. Aug. l. 4. de Civit. c. 10. et Euseb. lib. 3. de Præpar. c. 2. quem audi: *Ægyptii Osirim et Isim solem et lunam esse aiunt, Iovem spiritum, qui per omnia transeat, Vulcanum ignem, terram Cererem, Oceanum humiditatem, ac Nilum fluvium asserunt, cui deorum generationem attribuunt; aerem Minervam appellarunt; quos quandoque deos acro dico, aquam, ignem, terram et spiritum per universum orbem transire contendunt, et in varias formas hominum atque animalium commutari, quorum cognomines apud se homines floruisse, Solem, Saturnum, Opim, præterea Iovem, Iunonem, Vulcanum et Vestam, quæ omnia Manetho latius scripsit; compendiosius autem Diodorus his verbis: Osiris et Isis sol et luna secundum Ægyptios sunt, a quibus trinis temporibus vere, æstate ac hieme, invisibili modo circumductis mundus gubernatur, et omnia nascuntur, aluntur et augentur.*

Hæc Euseb. ex Diodoro, idemque confirmat ex Plutarcho; subiicit deinde ex Porphirio: « Aquam deinde atque ignem apprime venerantur, et in omnibus sacris adhibent, quia maxime salutis humanæ causa hæc elementa sunt. » Denique ita concludit: « Ita generosa Græcorum ac Ægyptiorum Theologia ad sublimiora nos perducere fabularum allegoria pollicita, ad corpora rursus deduxit: nec aliud quam ignem et aquam, et partes mundi colere adhortata est. Quomodo igitur Salvatoris nostri Evangelium mirabile non est, quo solis et lunæ, totiusque mundi crea-

torem docenti fide colere, nec elementa corporum, nec visibilia quædam, sed eum, qui per hæc invisibiliter cognoscitur, creantem intellectum solum admirari, solumque adorare didicimus? qui per omnia penetrans, cum sit incorporalis, solo intellectu percipitur: imo vero ineffabilis, et incomprehensibilis est. Panditur autem atque perspicitur per ea, quæ facit, quæ producit, gubernat, conservat, omnibus invisibiliter assistens, non cælestibus solum, verum etiam terrestribus, magnificentiam operum suorum per hæc ostendens, quæ illi deos putarunt.»

Elogia ergo et nimiæ laudes, ac quasi adulationes Poetarum, quibus ipsi res creatas quasi divinas ac deos celebrarunt, rude vulgus impulit, ut eas deos crederet et adoraret, uti docet Lactant. l. 1. c. 10. et 11.

SPIRITUM.) Aerem subtiliorem, aut ventum; ventos enim quasi deos cultos fuisse docet Seneca l. 4. Natur. q. c. 17. Hinc Æolus ventorum deus et rector. Denique Plato censuit Deum esse spiritum et animam mundi. Unde Virgilius:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Et alius:

Iupiter est quodcumque vides.

Adorabant ergo solem, lunam, stellas, elementa, velut corpus et membra Dei. Audi S. August. lib. 4. de Civit. c. 11. « Ipse in æthere sit Iupiter, ipse in aere Iuno, ipse in mari Neptunus; in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina; in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus; in sideribus sol, luna et stellæ; in divinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Iano initiator, in Termino terminator; Saturnus in tempore, Mars et Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in sylvis, Minerva in ingeniis. »

Stellæ pro diis habitæ cur?

AUT CITATUM AEREM.) Græce, ταχινον αερα, id est, celerem mobilemque aerem, quæ dicta est Iuno; nam ex αερ, id est aer, fit ηρα, id est Iuno. Unde Macrob. l. 1 in Somn. Scip. c. 17. *Iuno*, ait, *aerea cognominata est, quod ipsa aer putaretur, et aeris arbitra*. Ratio est, quod Anaximenes, aliique plures censuerint omnium rerum principem esse aerem, sicut Thales censuit esse aquam, Heraclitus ignem, Democritus atomos, Pythagoras numeros, teste Aristot. l. 1. Physic.

AUT GYRUM STELLARUM.) Id est stellas Zodiaci, hic enim est gyrus et circulus, ac quasi zona et cingulum cæli. Ita Lyran. Hugo, Dion. et alii. Hæ enim stellæ, ac præsertim sol obiens Zodiacum, fruges, fructus, omnesque res in terra producunt. Unde ζωδιακος, dicitur a ζωη, id est vita, quod motu suo vitam rebus sublunaribus conferat. Hinc constellationes Zodiaci præcipue sunt duodecim, quæ et signa vocantur, quia animalium quamdam habent similitudinem, de quibus carmen:

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

Secundo, planius et plenius per *gyrum stellarum* accipe constellationes, quæ ex multis partialibus stellis integrantur, itaque quasi gyrum stellarum conficiunt, aut potius orbem stelliferum, sive cælum stellarum, puta cælum octavum, scilicet firmamentum; hoc enim tot tantisque stellis, velut pyropis aut ignibus distinctum et variegatum, multi censuerunt esse Numen et Deum. Unde in Scriptura vocatur *militia cæli*, quam adorarunt ipsi quoque Iudæi, ut patet 4. Reg. 23. 5. Ita S. Bonavent. Osorius, et alii. Hinc Planetis dedere nomina deorum; summum enim Planetam vocavere Saturnum, secundum Iovem, tertium Martem, quartum Phœbum, quintum Dianam, sextum Venerem, septimum Mercurium. Ita S. Aug. lib. 7. de Civit. cap. 15. et 16. « Apollinem, inquit, quamvis divinatorem et medicum velint, tamen ut in aliqua parte mundi statuerent, ipsum etiam solem esse dixerunt; Dianamque germanam eius similiter lunam, et viis præsidere; unde et virginem volunt, quod via nihil pariat: et ideo ambos sagittas habere, quod ipsa duo sidera de cælo radios terras usque pertendant. Vulcanum volunt ignem mundi, Neptunum aquas mundi, Ditem patrem, hoc est Orcum, terrenam et infimam partem mundi; Liberum et Cererem præponunt seminibus, vel illum masculinis, illam fœmininis; vel illum liquori, illam vero ariditati seminum. Et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Iovem, qui propterea dictus est progenitor genitrixque quod omnia semina ex se emitteret, et in se reciperet. » Subiicit Minervam esse summum ætherem, Vestam esse ignem mundi leviorem, Cererem esse terram.

AUT NIMIAM AQUAM.) Græce βιαιον υδωρ, id est, *violentam aquam*, puta mare fluctibus agitatum, exundans omniaque obruens. Hinc Thales censuit, aquam esse rerum omnium principium, imo cælos, aves, pisces, animalia, etc. facta esse ex aquis, sive ex abysso primigenia, plurimorum est sententia; uti ostendi Genes. 1. sub initium. Hinc et *aqua* dicitur, quasi *a qua omnia*. Porro, aquam nomine Tethyos vel Neptuni, ut deum coluere Persæ, et Germani, sed maxime Ægyptii, qui Nilum suum, utpote agros exundatione sua irrigantem et fœcundantem, velut Deum coluerunt, teste S. Athanas. orat. contra Gentes. Unde Claud. ep. 6.

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipse vehit, Niloque redundat.

AUT SOLEM ET LUNAM.) Græce, φωστηρας ουρανου, id est, *luminaria cæli*, quorum unum, scilicet sol præest diei, alterum, scilicet luna, nocti, Gen. 1. Horum enim præ stellis species et fulgor dementes hominum mentes rapuit, ut deos esse censerent. Hinc Persæ solem coluerunt nomine Mithræ, Ægyptii nomine Osiris, et lunam nomine Isidis; alii nomine Phœbi et Dianæ; alii nomine Apollinis et Lucinæ. Unde et Plinius l. 2. c. 6. et 7. de Deo dubitans: *Si quis*, inquit, *sit Deus, non alius erit quam sol*.

RECTORES ORBIS TERRARUM.) Græce, πρυτανεις. Ita Athenis vocabantur primi magistratus, qui civilia et sacra procurabant. *Rectores orbis* ergo vocat deos mundi gubernatores, quibus Gentiles tribuebant summam potentiam, providentiam et divinitatem, Deo uni et vero propriam.

QUORUM SI SPECIE DELECTATI, DEOS PUTAVERUNT, SCIANT QUANTO HIS DOMINATOR EORUM SPECIOSIOR EST, SPECIEI ENIM GENERATOR HÆC OMNIA CONSTITUIT. AUT SI VIRTUTEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT, INTELLIGANT AB ILLIS, QUONIAM QUI HÆC FECIT, FORTIOR EST ILLIS.) Pro *speciosior*, græce est βελτιων id est *melior*; S. Cyprian. l. 3. Test. cap. 59. *pretiosior*. Pro *generator*, græce est γενεσιαρχης, id est *generationis auctor* vel *princeps*. Unde ad verbum vertas, *nam pulchritudinis genesiarcha creavit ea*. *Genesiarcha*, id est auctor, sive prima origo, vel princeps pulchritudinis generandæ. Vers 3. Vers 4.

Mundus græce dictus est κοσμος, id est *ornatus*, a sui specie et pulchritudine. Unde Lactantius l. 1. de Ira Dei c. 10. *Opus mundi*, ait, *quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem*. Vide dicta Gen. 1. Verum erraruut Gentiles, quod in hac creaturarum specie defixi constiterint, nec assurrexerint ad rimandum earum opificem et creatorem. Scire enim poterant et debebant, quod creaturæ seipsas producere et creare nequiverint, ac proinde quod creatæ sint ab alio, puta a Deo. Unde S. Athanas. l. de Incarn. *Mirum est*, ait, *quod nihil ex rebus creatis errabat in Numine intelligendo, præter solum hominem; non sol, non luna, non cælum, non astra, non aqua, non æther immutant suum ordinem, sed agnoscentes suum opificem et principem, Rationem, Verbum Dei, eo tenore permanent, quo condita sunt. Soli autem homines aversi ab illa bona statione veritatis iisque quæ non erant, affectis Dei honorem, ac eius cognitionem dæmonibus et hominibus in lapide effigiatis dedicaverunt.*

Deus pulchritudo immensa

Hinc S. Diony. de Divin. nomin. c. 4. ait Deum esse pulchrum, et per omnia pulchrum, et supreme pulchrum et semper eodem modo pulchrum, et universi pulchri principalem pulchritudinem in seipso ante omnia habere, ac proinde ipsum esse fontem omnis pulchritudinis, et cau-

sam omnium pulchrorum quæ in mundo sunt.

Et Boetius l. 3. de Consol. metr. 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Unde et Plato epist. 2. ad Dionys. regem, Deum nuncupat causam pulchrorum omnium. Platonem de more sequitur Philo libro de Opificio mundi. Quocirca pathetice exclamat S. Aug. l. 10. Conf. c. 27. *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi; et ecce intus eras: et ego foris; et alibi te quærebam, et in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam.* Idem in Soliloq. c. 31. *Circuibam*, inquit, *omnia quærens te, et propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram si esset Deus meus, et dixit mihi, quod non, et omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare, abyssos et reptilia, quæ in eis sunt, et responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos eum. Interrogavi stabilem aerem, et inquit universus aer cum omnibus incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogavi cælum, solem, lunam et stellas: Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus his, qui circumstant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo, quod vos nescitis, dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogavi proinde mundi molem; dic mihi si es Deus meus, an non? Et respondit voce forti; Non sum, inquit, ego, sed per ipsum sum ego: quem quæris in me, ipse fecit me; super me quære eum, qui regit me, qui fecit te. Interrogatio creaturarum, profunda est consideratio ipsarum; responsio earum, attestatio ipsarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit, quoniam, ut ait Apostolus: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur.* Et post nonnulla: *Tu, Domine, principium omnium atque finis, qui es ante primordia sæculorum, et ante omnes sæculorum origines. Tu es Deus meus, et Dominus omnium bonorum, quæ creasti, et apud te omnium stabilium sunt causæ, et omnium mutabilium apud te immutabiles sunt et manent origines, et omnium rationalium et irrationalium atque temporalium sempiternæ vivunt rationes.* Eadem habet l. 10. Confess. c. 6. ubi et addit: *Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te; sed et cælum et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce mihi undique dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, et misericordiam præstabis, cui misericors fueris: Alioquin cælum et terra surdis loquuntur laudes tuas.*

SI VIRTUTEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT.) Græco: εἰ δὲ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ἐκπλαγέντες, id est, *Si potentia et efficacia perculsi sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit fortia, fortior est illis*, q. d. Si miram vim agendi in sole, cælis, stellis, igne, herbis, plantis, ventis, procellis, fulminibus, etc. idololatræ admirentur, ideoque ea colunt; multo magis mirentur et colant omnipotentiam Dei, qui has vires creaturis indidit, sed ita ut sibi longe maiores reservarit, unde et alias creaturas iis quas creavit, longe efficaciores et fortiores creare potest: ac vires, quas iam creatis dedit, ad libitum revocat et adimit, uti igni ademit vim urendi tres pueros fideles in fornace Babylonica, leonibus ademit ferociam, ne nocerent Danieli, cap. 6. soli lunæ et cælis ademit motum et cursum, cum ea stitit ad imperium Iosue cap. 10. 13. mari ademit suam continuationem et alveum cum illud divisit ad imperium Mosis, ut Hebræi sicco pede transirent. Exodi 14.

Trismegistus in Pimandro Deum comparans agricolæ: « Aspice, ait, agricultorem semina in terræ gremium diffundentem, alibi quidem triticum, hordeum alibi, alibi vero reliqui generis semina. Aspice eumdem vites, malosque et ficus repastinantem atque amputantem. Eodem modo Deus ipse, in cælum quidem serit immortalitatem, in terram vero mutationem, in totum denique mundum vitam ac motum. » Lactantius lib. 7. c. 3. « Si Deus, inquit, fecit mundum, fuit ergo sine mundo; si regit, utique sicut mens corpus regit, sed tamquam dominus domum, navimque gubernator, auriga currum; nec tamen misti sunt iis rebus, quas regunt. »

A MAGNITUDINE ENIM SPECIEI ET CREATURÆ COGNOSCIBILITER POTERIT CREATOR HORUM VIDERI.) Vers. 5. Græca hic variant: Vaticana enim habent, *a magnitudine enim speciei, vel pulchritudinis creaturarum*; Complut. et Regia, *ex magnitudine enim, et pulchritudine, et creaturis*; S. Chrys. hom. 4. in Gen. *ex magnitudine et specie creaturarum universi conditor decenter consideratur*; S. Gregor. 26. Moral. c. 28. *Per magnitudinem creaturæ et speciem potest intelligibiliter creator videri.* Pro *cognoscibiliter*, græce est ἀναλόγως, id est analogice, sive per analogiam, comparationem, proportionem, collationem, illationem. Sensus ergo est, q. d. Ex magnitudine pulchritudinis et molis, virtutisque creaturarum, analogice cognosci potest, quanta sit magnitudo, tam pulchritudinis, quam immensitatis, perfectionis et omnipotentiæ ipsius creatoris: tum quia ex effectu cognoscimus causam, ac *ex operibus agnoscitur opifex*, ait S. Athanas. l. 1. contra Gentes: tum quia, si tanta est pulchritudo, quantitas, perfectio et potentia in angelis, sole, cælis, aliisque creaturis finitis et limitatis, quanta debet esse in creatore infinito et quaquaversum illimitato, qui cælum et terram implet sua essentia, præsentia et potentia, imo supra cælum per spatia illa vacua sua immensitate in immensum se extendit? Hæc enim est analogia, et comparatio analogica creaturæ cum creatore. Hinc Dei magnitudo, maiestas, potentia, cæteraque attributa absolute sunt infinita, ita ut eis nil addi possit; adeo ut totus mundus ne vel hilum Deo adiiciat, sed Deus solus tantus est, quantus est Deus cum mundo coniunctus: quia Deus est immensus plane et infinitus: infinito autem nil addi potest. Sicut ergo umbra solis soli nil addit lucis, sic nec mundus quidquam bonitatis vel perfectionis addit Deo. Mundus enim est umbra Dei. Mundus est umbra Dei.

Alia similitudine idipsum declarat S. Iustin. in Resp. ad Orthodox. « Sicut, ait, quod unum vel unitas est numeri principium, nil confert ad eius perfectionem; nam et cum non esset numeri principium, perfectum erat, et factum principium numeri, non auctum est: sic Deus ante creationem erat perfectus, et post creationem non est auctus. Nihil ergo eorum, quæ ex creatione sunt, Deum auget. » Deus est quasi unitas in numero.

Quocirca ex hac Sapientis gnome, et ex illa Apostoli Rom. 1. 20. *Invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, certum est viribus naturæ cognosci posse Deum esse, esseque unum. Vide rationes naturales, quibus idipsum probat Damasc. lib. 1. de Fide c. 5. Richard. de S. Victor. l. 1. et 2. de Trinit. S. Thomas. l. 1. contra Gentes c. 43. Hoc est quod ait S. Dionys. c. 7. de Divin. nom. Deum conspici ex ordinatissima creaturarum omnium dispositione. Idem epistol. ad Titum: Mundi fabrica, ait, divinarum rerum, quæ non videntur, est integumentum. Et Plato in Sympos. asserit ex pulchritudine rerum creatarum pulchritudinem quamdam admirandam divinitatis cerni. Nam *cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum;* Ps. 18. 1. Et: *Plena est omnis terra gloria eius;* Is. 6. 3. Unde huc alludens Apostolus Rom. 1. 20. ait: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas*, ubi plura hac de re annotavi.

Vide Theodoret. serm. 1. et 2. de Providentia, S. Prosperum lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 4. S. Ambros. et Basilium in Hexamer. Vide et Iob c. 38. et seq. ubi Deus ex magnitudine terræ, maris, nubium, pluviarum, tonitruorum, fulminum, Behemot, id est elephantis, ac Leviathan, id est ceti, sive balenæ, etc. suam magnificentiam arguit, imo S. Iob ad oculum repræsentat.

Porro S. Cyrill. l. 1. contra Iulian. haec de Deo uno et vero recitat Gentilium Philosophorum et Poetarum sententias. Orphei: « Unus est, per se existens, unius progenies omnia facta sunt. Ipse autem in illis melior est. Neque illum quis intuitus est ex mortalibus, ipse vero omnes Philosophorum de Deo uno gnomæ. Orphei.

videt. Et post elle iterum: ipsa enim firmatus est in æreo cælo, aureo in throno, super terram autem pedibus vadit. Manumque dexteram ad fines Oceani undequaque extendit: tremunt enim in circuitu montesque magni, et flumina, civitates, profundumque iucundi maris. »

Pythagoræ. Pythagoræ: « Deus quidem unus et ipse non, ut quidam suspicantur, extra mundi gubernationem, sed in ipso totos in toto circulo, omnes generationes consideret, contemperatio existens omnium sæculorum, et lux suarum virtutum et operum, principium omnium, lumen in cælo, et pater omnium, mens et animatio omnium, circulorum omnium motio. »

Platonis. Platonis: « Nam patrem et factorem universi huius invenisse, arduum opus est; et inventum omnibus enuntiare impossibile. » Rursum, ait, sensit Plato « de uno Deo, nomen quidem illi nullum congruere, neque humanam cogitationem posse comprehendere; sed appellationes, quæ de eo dicuntur, a posterioribus esse; abusiveque de ipso dici. Quod si omnino aliquid nominibus quibus utimur de eo dicere audendum, magis appellationem unius, et boni ei tribuendam; nam illud insinuat circa ipsum simplicitatem, atque per hoc sufficientiam: nullo enim opus habet, nec partibus, nec substantia, nec virtutibus, nec efficaciis, sed est omnium horum auctor. Boni autem vocabulum commendat nobis, quod ab ipso omne quod bonum est, dum sibi pro virili imitantur illius, si ita licet dicere, proprietatem, perque illam salutem accipiunt. »

Trismegisti. Mercurii Trismegisti, sive Hermetis ter maximi: « Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile, si cui etiam intelligere possibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, et perfectum imperfecto comprehendere non possibile, et sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Nam hoc quidem semper est, illud autem prætergreditur; et hoc quidem verum est, illud sub apparentia adumbratur: quantum igitur infirmius a fortiore, et minus a meliore distat, tantum etiam a divino et immortali mortale. Proinde si quis incorporeus oculus egrediatur a corpore ad contemplationem pulchri, et subvolet ac contempletur, non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconvertibile, quod ipsum omnia et solum, quod unum, quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile; quod neque alii simile est, neque sibi dissimile. Et iterum ille: Itaque de illo uno et solo bono intelligens, nihil impossibile dixeris. Omnis enim virtus ipse est; neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem. Ipse enim est qui sine termino omnium est terminus; et qui a nullo comprehenditur, omnia in se comprehendit. Quoniam quod discrimen est corporum ad incorporea, et genitorum ad ingenitum, et necessitati subditorum ad libere existens, vel terrenorum ad cælestia, et corruptibilium ad sempiterna? non quod aliud quidem libere existat, aliud autem necessitati subditum? Quæ autem infra imperfecta sunt, corruptibilia sunt. »

Sophoclis. Sophoclis: « Unus verissime unus est Deus, qui cælum ordinavit, et terram ingentem, pontique lucudam undam, et ventorum vim. Plerique autem mortales corde errantes, extruimus in animarum iacturam deorum imagines ex lapidibus et lignis, vel ex auro fabricatis, vel elephantinis figuris, sacrificiaque illis et ferias otiosas apparantes, eos colere arbitramur. »

Xenophontis. Xenophontis: « Igitur manifestum quod magnus sit et potens, omniaque concutiat et confirmet, ignotum autem qualis sit figura: neque enim videtur esse lucidissimus sol, neque hic videtur permittere, ut ipse cernatur: sed si quis imprudenter eum spectet, oculis privatur. »

Moraliter hic disce a creaturis assurgere ad creatorem, ac in singulis Deum intueri. In iis enim Deus suam pulchritudinem expressit, vel potius adumbravit, uti sol seipsum exprimit in perelio. Lege Bellar. lib. de Ascensu mentis in Deum. Hinc mundus hic S. Antonio, S. Bened. S. Bern. cæterisque Anachoretis fuit volumen delitiis, in quo scilicet ipsi Deum Deique magnificentiam legerunt et contemplati sunt. Præclare S. August. in Ps. 26. « Circuivi, ait, et immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Immolamus hostiam iubilationis, immolamus hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis, quæ verbis explicari non potest. Immolamus autem ubi? In ipso tabernaculo eius, in sancta Ecclesia. Quid ergo immolamus? Abundantissimum et inenarrabile gaudium, nullis verbis voce ineffabili. Hæc est hostia iubilationis. Unde quæsita, unde inventa est? Circumeundo, inquit, circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Circumeat animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectaverit in arte, artificem commendet, magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit, semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circui adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas. Undique tibi omnia resonant conditorem. Et ipsæ species creaturarum voces sunt quædam creatorem laudentium. Quis autem explicet laudibus universam creaturam? quis illam explicet laudibus? quis digne laudet cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt? » Et post nonnulla: « Quis digne laudet Angelos, Sedes, Dominationes, Principatus et Potestates? quis digne laudet hoc ipsum, quod in nobis viget vegetans corpus, movens membra, sensus exercens, et memoria tam multa complectens, intellectu tam multa discernens, quis digne laudet? at si in istis creaturis Dei sic laborat humanus sermo, in creatore quid agit, nisi solo restat sermone deficiente iubilatio? Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. » Idem ser. 143. de tempore: « Interroga, inquit, pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aeris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem siderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia, quæ moventur in aquis, in terris, quæ volant in aere, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, invisibiles regentes: interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce, vide, pulchra sumus: pulchritudo eorum confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in seipso? »

Quid ergo est *mundus? est liber divinitatis*, ait Trismegistus ac S. Basil. hom. 11. in Hexam. et S. Chrysost. in Ps. 148. Quid est *sæculum? est speculum divinorum*, ait idem Trismegistus; imo S. Paulus 1. Cor. 13. in quo resplendet divina maiestas. Quid est mundus? est *lyra* vel *cithara* suavem edens divinæ providentiæ concentum cuius lyricen vel citharœdus est Deus. Ita S. Athanas. orat. contra idola, et S. August. 10. Confess. c. 6. Quid est orbis? est *pictura* pulcherrime variegata (instar campi, qui est quasi tapes floribus herbisque varie coloratus) cuius Apelles et pictor est Deus. Ita S. Athanasius et S. Aug. locis iam citatis. Quid est orbis terræ? *est mundi totius templum*, ait Trismegistus apud S. Aug. l. 8. de Civit. c. 23. Quid est mundus? est colossus, est basilica, imo civitas pulcherrima, cuius artifex et conditor est Deus, Hebr. 11. 10. Quocirca S. Basil. orat. de S. Iulitta ait: *Nox ubi nova precandi Numinis argumenta subiiciat. Cum cælum suspicis, et in siderum pulchritudinem intueris, rerum aspectabilium Dominum rogo, et optimum huius universitatis opificem Deum venerare.* S. Paulin. epist. 4. ad Sever. *Omnia sub sole vanitas. Proinde super solem veritas. Ita qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conversatione cælesti, et astrorum choros, vel cælorum polos evolantes spiritu scandunt et supervadunt, celsioresque elementis agunt, etc.* B. Laurent. Iust. ser. de S. Marco: *Oculis aspiciebat in cælum, ubi cordis sui repositum sciebat esse thesaurum. Est enim Christus Dominus humilium thesaurus, pauperumque divitiæ. O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius!* Baruch 3. 24. Si terram et terrena et calcas, pun-

etum cælo vastissimo commutas. Quanta vero est summa illa Dei cælo præsidentia magnitudo et maiestas? Si totum cor ei dedas totum, das quod potes, sed reipsa parum das. Etiamsi Deo mille dares corda, etiamsi immensis animis et ardoribus Seraphicis illi servires, etiamsi mille millionibus annorum ad sudorem pro eo laborares, quid hæc sunt ad Deum? quid ad tantum charitatis et magnificentiæ profluvium?

Vers. 6. Vers. 7. SED TAMEN ADHUC (*adhuc* non est in Græco) IN HIS MINOR EST QUERELA. ET HI ENIM FORTASSE ERRANT, DEUM QUÆRENTES, ET VOLENTES INVENIRE. ETENIM CUM IN OPERIBUS ILLIUS CONVERSENTUR, INQUIRUNT: ET PERSUASUM HABENT, QUONIAM BONA SUNT QUÆ VIDENTUR.) Pro *querela* græce est μεμψις, id est reprehensio, culpa.

A prima specie idololatriæ eorum, qui coluerunt solem, lunam, aliasque creaturas, progreditur ad secundam speciem eorum, qui coluerunt idola, id est statuas arte hominis factas, hancque illa deteriorem et graviorem ostendit, ut præ hac illa veniabilis et venia quodammodo digna, vel certe minus indigna videatur. Sensus est q. d. Solicolæ, cœlicolæ, cæterique aliquam creaturam divino honore colentes, minus culpandi videntur præ illis, qui idola fecerunt et adorarunt. Forte enim ipsi idcirco in cultu solis alteriusve creaturæ erraruni, quod eum Deum quærerent et vellent invenire, solem, stellas, aliasque res creatas ob eximiam pulchritudinem considerantes, illis inhæserint, nec ad Deum, quem oculis videre non poterant, mentem sustulerint: quare soli aliisque rebus eximie pulchris, quibus nil pulchrius aspiciebant, divinitatem tribuebant.

Nota τα *fortasse*, non referri ad *errant* præcise: certum est enim eos errare in cultu et adoratione creaturarum, sed ad τα *errant Deum quærentes*, q. d. Forte hi aliqua ratione a gravitate sceleris idololatriæ, si non in totum, saltem in parte excusari possunt, quod fortuitus eorum fuerit error: cum enim quærerent Deum, fortuito inciderunt in speciosas creaturas, cumque alium Deum non reperirent nec aspicerent, illas pro diis habuerunt. Ita Dionys. Iansen. Cantacuzen. et alii. Unde ait: *Cum in operibus illius conversentur*, id est, cum occupent se operibus Dei considerandis, *persuasum habent*; græce, πειθονται τῃ οψει, id est *persuadentur aspectu*, credunt oculis, *quoniam bona*; græce, *pulchra*, *sunt*, *quæ videntur*, q. d. Lenocinio oculorum decepti pulchras has creaturas coluerunt, cum pulchrius nil cernerent, nec Deum pulcherrimum oculis contueri possent.

Vers. 8. Vers. 9. ITERUM AUTEM NEC HIS DEBET IGNOSCI. SI ENIM TANTUM POTUERUNT SCIRE, UT POSSENT ÆSTIMARE SÆCULUM; QUOMODO HUIUS DOMINUM NON FACILIUS INVENERUNT?) Est Correctio. Ne quis enim, ex eo quod extenuavit solicolarum etc. culpam, eos culpa liberet, idcirco hic eorum errorem arguit, ac venia dignum negat, q. d. Ne hac quidem excusatione studii, et intentione quærendi Deum veniam merentur; quia ex sæculo, id est ex mundo, hoc est ex mundi creaturis, facile potuerunt et debuerunt ascendere ad opificem, et agnoscere creatorem: unde ad eum debuerunt oculos mentis attollere. Pulchra claraque ratione et similitudine idipsum demonstrat Trismegistus Dialogo 5. *Etenim cum statuam et imaginem absque fabro et pictore fieri nullus asserere audeat, miram mundi huius constructionem sine conditore constitisse putabimus? o cæcum homunculum! o nimis impium! o profundis obrutum ignorantiæ tenebris! Cave, cave, o fili mi Tati, ne umquam artificium prives artifice.*

ÆSTIMARE SÆCULUM.) Græce στοχάσασθαι, id est primo, observare, consulere, et sagacitate tua penetrare naturam huius mundi; secundo, coniectare et coniectura assequi, ac per effectus et signa cognoscere *sæculum*, id est mundum, ac res naturales, quæ sunt a Deo creatæ in mundo; tertio, collimare, in scopum intendere, ac mundi indolem, dotes et proprietates, velut album collimatori propositum, acie mentis figere. Sic enim Aristot. et Philosoph. tota mentis intensione naturas elementorum, animalium, aliarumque rerum physicorum scrutati, easdem intellexerunt et comprehenderunt; sed ibi defixi ad opificem et creatorem Deum oculos non sustulerunt, ideoque *evanuerunt in cogitationibus suis*, ut ait Apost. Rom. 1. Idem hodie videre est in multis Philosophis, Astrologis, Mathematicis, mercatoribus, artificibus: adeoque maior pars hominum creaturæ alicui inhæret, et obliviscitur Creatoris, quæ magna et summe miseranda est mortalium vanitas et cæcitas.

INFELICES) ταλαίπωροι, id est miseri, ærumnosi, calami- Vers. 10.
tosi) AUTEM SUNT, ET INTER MORTUOS SPES ILLORUM EST, QUI APPELLAVERUNT DEOS OPERA MANUUM HOMINUM, AURUM ET ARGENTUM, ARTIS INVENTIONEM, ET SIMILITUDINES ANIMALIUM; AUT LAPIDEM INUTILEM OPUS MANUS ANTIQUÆ.) q. d. Idololatris iis qui colunt solem, lunam, aliave res creatas, longe miseriores sunt et infeliciores idololatræ illi, qui colunt idola et simulacra ex auro, lapide, ligno, argilla ab artifice humana arte efformata: quia illi colunt opera Dei; hi vero opera hominum, puta fabrorum, figulorum, pictorum, etc. Ita S. Athanas. orat. contra idola, qui et addit, quod fabri non possunt fabricare deos, sed fabriles dumtaxat statuas, easque inanimas, quas animare et vivificare nequeunt, multo minus deificare. Deus autem inanima potest animare, humana deificare, et ex hominibus deos efficere, iuxta illud: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes*; Ps. 81. 6. Imo Deus hominem uniens Verbo in Christo, illum vere Deum effecit. *Nimis enim stultum est credere, deos quos fecerunt homines, plus valere apud eos, quos fecit Deus quam valent ipsi homines, quos idem ipse fecit Deus*, inquit S. Aug. l. 8. de Civit. c. 24.

INTER MORTUOS SPES ILLORUM EST.) Græce, *in mor-* Idololatrarum spes inter mortuos.
tuis spes illorum sunt, hoc est primo, q. d. Hi idololatræ
in idolis inanimis et mortuis spes suas defigunt ac deos non
vivos, sed insensibiles invocant. Hinc secundo Vatabl. ver- 1.
tit, *mortua est spes illorum*, id est carent omni spe, quia 2.
illam defixerunt in idolis mortuis, quæ eos iuvare, imo audire nequeunt; quare spes eorum est desperati, ideoque
non est spes, sed desperatio. Tertio, q. d. Adeo sunt de- 3.
sperati, ut quasi in numero damnatorum, qui omnem salutis spem abiecerunt, esse videantur. Aut, q. d. Sicut mortui non habent spem vitæ, sic idololatræ non habent spem salutis; sed sicut illorum vita, sic horum salus est desperata, quia carent fide et cognitione Dei, a quo solo salvari
possunt. Quarto, q. d. Non sperant, hoc est non expectant 4.
nisi mortem et damnationem, ut inter mortuos et damnatos deputentur: hoc enim et nil aliud eos manet et expe[illegible] de fidelibus et iustis dixit cap. 3. 4. *Spes* [illegible] *plena est.* Omnes hi sensus veri sunt et appositi, sed primus planior et simplicior videtur. Hoc est quod canit [illegible]: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Psalm. 113.

AURUM ET ARGENTUM (puta aurea et argentea simulacra, statuas ex auro et argento fab[illegible]atas; statuas, inquam, in animas deorum, imo hon[illegible] defunctorum) DEOS APPELLAVERUNT.) Fovit [illegible]orem et superstitionem diabolus, qui, ut ex Trismegisto docet S. Aug. l. 7. de Civ. c. 6. et l. 8. c. 23. et seq. in simulacra se insinuans, per illa loquebatur, dabatque responsa et oracula: unde illa velut numina a populo consulta et culta sunt. Sed audi Aug. *At ille* (Trismegistus) *visibilia et contrectabilia simulacra, velut corpora deorum esse asserit. Inesse autem his quosdam spiritus invitatos qui valeant aliquid, sive ad nocendum sive ad desideria eorum nonnulla complendo, a quibus eis divini honoris et cultus obsequia deferuntur. Hos spiritus invisibiles per artem quamdam, visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata et subdita simulacra; hoc esse dicit deos facere, eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem.*

Nota hic Gentilium sapientissimos, qualis fuit Trismegistus, censuisse idola esse corpora et membra deorum, puta dæmonum: itaque ea adorasse, sicut nos adoramus humanitatem et corpus Christi. Porro quis, quantus et quam antiquus fuerit hic Trismegistus, ita declarat idem S. August. l. 18. cap. 39. « Nam quod attinet ad philoso-

phiam, quæ se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris eiusmodi studia claruerunt, longe quidem ante sapientes vel philosophos Græciæ; sed tamen post Abraham, Isaac, Iacob et Ioseph, nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse repertor Atlas ille magnus astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii maioris, cuius nepos fuit Trismegistus ille Mercurius. »

Trismegisti ætas

Artis inventionem.) ἐμμελέτημα, id est meditationem, excogitationem, fabricationem, hoc est opus ingeniosa arte excogitatum et elaboratum. Refer hæc ad *aurum et argentum* per appositionem, q. d. *Aurum et argentum arte fabricatum, etc. deos appellavere.* Sic et S. Paulus idolum vocat *sculpturam artis et cogitationis hominis*, id est simulacrum ab homine artificiose excogitatum et sculptum, Actor. 17. 29. S. August. vero apte idola vocat phantasmata hominum: nam libro de vera relig. cap. 37. cum dixisset alios adorare solem, alios lunam, alios stellas, subiicit: *Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui universam simul creaturam, id est, mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, et vitam qua spiratur et animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt. Hoc ergo totum simul unum Deum magnum esse arbitrantur, cuius partes sint cætera. Non enim universæ creaturæ auctorem conditoremque noverunt. Inde est quod in simulacra præcipitantur, et ab operibus Dei usque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt. Est enim alius deterior et inferior cultus simulacrorum, quo phantasmata sua colunt, et quidquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerunt, religionis nomine observant.*

Quocirca apposite idem S. August. q. 29. in Iosue, ait mystica et maxima idola esse phantasmata cordis et cupiditatis nostræ, cum quis scilicet sectatur et colit honores, opes, delicias, quas sibi imaginatur, et ut summum bonum repræsentat: quæ proinde plane demolienda et eradicanda esse asserit.

Aut lapidem inutilem.) q. d. Non tantum aurea et argentea simulacra, sed et lapidea ex inutili et vili lapide efformata, *deos appellaverunt*, uti etiamnum Romæ videmus priscorum deorum vivos in marmore vultus.

Opus manus antiquæ.) Simulacro enim venerationem auxit, quod esset opus antiquum antiqui artificis; sicut etiamnum Romæ et alibi priscæ Romanorum statuæ, ob vetustatem maioris sunt pretii. Accessit vetularum et vulgi superstitio: credentium simulacra post certam annorum periodum miram sortiri virtutem; de qua vide Gulielm. Parisiens. lib. de Legibus c. 23. et Delrium in Magic.

Porro primi ex Gentilibus Christiani in odium idololatriæ tunc grassantis, ut longissime ab idolis pristinis se recessisse testarentur, nullis imaginibus, præsertim Dei, utebantur in templis, unde a Gentilibus vocabantur athei; quam calumniam refellunt S. Iustinus, Arnobius, Athan. August. Tertull. et alii qui apologias pro Christianis contra Gentes scripsere. At cum per Constantinum idololatria sublata fuit, ut iam non foret recidivæ in illam periculum, fideles induxere imagines Christi, B. Virginis et Sanctorum in templa, uti Romæ vetustissimas, tum in templis, tum in cryptis conspicimus, quarum usum probavit Ecclesia, sanctumque definivit in Synodo VII Generali, quæ fuit Nicæna II. ut Trident. sess. 25. sub initium. Imagines enim sunt rudium libri, in quibus legunt gesta Christi et Sanctorum, ut illa imitentur, et illos venerentur.

Hactenus de simulacris ex auro, argento, lapide fabricatis; nunc subiicit similia ex ligno fabrefacta, quæ crebriora sunt, ac eorum vilitatem et indignitatem demonstret, ait ergo:

Vers. 11 Aut si quis artifex faber de sylva lignum rectum secuerit, et huius docte eradat omnem corticem; et arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ, reliquiis autem e-
Vers. 12 ius operis ad præparationem escæ abutatur.) *Aut si qui*, repete ex v. præc. *appellaverunt deos opera manuum hominum*, puta simulacra, uti ex auro, argento et lapide, sic et ex ligno fabricata, quorum vanitatem vanamque superstitionem graphice hoc versu et sequenti depingit, quod scilicet faber lignarius secans arborem, illamque decorticans, ex illa fabricet, arcam, mensam, fenestram, aliudve instrumentum utile ad communes usus huius vitæ: ex eius vero reliquiis et reiectamentis, partim accendat ignem, quo escam coquat; partim faciat idolum, hoc est effigiem hominis vel animalis, quam perpolitam in templo collocet, clavisque ferreis aræ affigat, ne labatur et corruat. Eodem plane modo idolorum fabricam depingit et subsannat Baruch toto c. 6. Ierem. c. 10. et Isaias c. 44. 9. et seq. quos hic Sapiens imitari videtur. Quare quæ ibi dixi, hic non repetam ideoque paucis, quæ sequuntur perstringam.

Artifex faber.) Græce ὑλοτόμος τέκτων, id est *materiæ cæsor*, faber materiarius vel lignarius, qui materiam parat ad aliquod opus. At verbum ὑλοτόμος idem est quod sylvam cædens; silva enim dat arbores quasi materiam fabris ad opera fabrilia: ὕλη enim est sylva, indeque materia: Latini enim sæpe græcam aspirationem vertunt in litteram S, ut pro ὑπέρ dicunt *super*, pro ὗς dicunt *sus*, pro ὕλη dicunt *silva*; unde ὕλη significat quamlibet materiam, sed præ omnibus cæduam. Sensus est q. d. Mechanicus et vilis faber fabricavit idolum: Ipse ergo præstantior est idolo, quia opifex præstat suo opere, et animo præditus præstat idolo inanimo; unde puderet fabrum adorare idolum a se factum, quia scit idolum omnem formam et pulchritudinem a se accepisse; quare cum ipse non sit Deus, multo minus idolum esse Deum, cum ipse deos fabricare nequeat.

Lignum rectum.) Græce, εὔτηκτον φυτὸν id est plantam vel arborem, quæ facile colliquescit (τήκω enim est liquo, mollio, tabefacio) resolvitur, putrescit, corrumpitur. Alii legunt εὔτυκτον, id est facilem factu, elaboratam eleganter; Vaticani legunt εὐκίνητον, id est bene mobilem, quod facile obediat manui artificis; non enim a quercu solet exscindi simulacrum. Alii εὔτεκτον, id est bene genitum, recte natum et formatum.

Noster apposite vertit, *rectum*, quia quæ recta sunt facilius formantur: unde dicuntur εὐτεθοντα δένδρα, *Arbores quarum venæ et fibræ recte fluunt.* Hinc Complut. vertunt, *rectum*; Vatabl. *eximiam*; alii: *accommodatum, aptum, tractabile*: Cantacuzenus exponit idoneum, rectum, agile.

Pro *diligenter*, græce est, εὐπρεπῶς, id est decenter, decore, concinne, eleganter. Pro *utile* perperam Lyranus, Hugo, Dionys. legunt *inutile*.

In conversationem vitæ.) Græce εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς, id est *in ministerium vitæ*.

Pro *reliquiis*, græce est ἀποβλήματα, id est rescissamenta, reiectamenta, residua e ligno resecta. Græca ergo sic habent, *Reiectamenta vero operis in præparationem escæ expendens satiatus est.* Exaggerat vilitatem materiæ idolorum; siquidem ex eodem ligno conficitur idolum, ex cuius remanentiis, seu ramis cibus coquitur, quo recreetur et saturetur.

Abutatur.) Id est utatur. Sic Cicero Action. 3. in Verrem, et lib. 9. epist. 6. ait, se tempore et vacatione, quam sibi respub. concedebat, abuti, id est uti ad studium. Sic Iurisconsulti dicunt, nos uti rebus, quæ usu non consumuntur; abuti vero iis quæ usu consumuntur, qualia hic sunt ligna, quibus ignis ad coquendum accenditur. Unde Cato de Re rustica c. 76. ait: *Donec omnem caseum cum melle abusus eris*, id est consumpseris. Rursum abuti apud Ciceronem et alios classicos est abunde vel copiose uti; sicut lignis multis ad ignem culinæ copiose utimur, ideoque abutimur.

Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, et verticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis.) Pingit hic fabrum lignarium sculpentem simulacrum, sive idolum, ut ostendat illud nil habere numinis, Vers. 13.

sed merum esse figmentum cogitationis et operationis artificis, ad illius arbitrium et libitum fabrefactum. Singula pene verba habent emphasim, et peculiarem idoli vilitatem denotant. Unde ait primo: *Reliquum horum*, græce, τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπόβλημα, id est eorum *rejectamentum*, q. d. Id est quod ex lignis rejicitur, quasi segmentum ineptum ad formandum vas, et ad struendum ignem, hoc fecit simulacrum et idolum. Secundo, *quod ad nullos usus facit*, q. d. Inutile ad omnia. Tertio, *curvum* græce σκολιὸν, id est tortuosum, obliquum, distortum. Quarto, *vorticibus plenum*; græce, ὄζοις συμπεφυκὸς, id est cum nodis natum, nodosum, ramosum: ὄζος enim est nodus, indeque ramus enascens. Noster nodos vocat *vortices*, vel, ut Vatican. habet, *vertices* (idem enim sunt *vortex* et *vertex*) quod in seipsos vertantur et contorqueantur instar rotationis et vertiginis, uti faciunt vortices aquarum, juxta illud Ovidii l. 4. de Ponto, *Crebro vertice tortus Halys.* Lignum enim enode planum est, pulchrum et facile elaboratu; nodosum vero, asperum, deforme et difficile. Quinto, quod illud *sculpat diligenter per vacuitatem suam*; græce ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, id est in diligentia, cura, industria otii sui. *Vacuitas* ergo hic non lignum excavatum, ut vult Lyran. nec vacuum et inanem laborem, ut vult S. Bonavent. nec vacuum cerebro sive amentem, ut vult Dionys. sed otium significat, q. d. Lignum idoli adeo rude est, ut a fabro magno studio, cura et arte sculpi polirique debeat, sed ipse aliis rebus ad familiæ sustentationem necessariis occupatus, idipsum sculpit sculpitque tantum per otium, cum scilicet ab aliis operibus magis urgentibus otiatur. Idolum ergo est opus otii, ideoque neglectum, impertinens et nullius momenti. Sexto, addit quod *per scientiam suæ artis figurat illud*; græce, ἐν ἐμπειρίᾳ συνέσεως, id est *in experientia intellectus*, hoc est, per experientiam, qua crebro sculpendo, scientiam et artem affabre sculpendi sibi comparavit. Igitur idolum ignorans et carens mente, indiget scientia, mente et arte hominis sculpentis, ejusque est opus et figmentum: hic enim dat illi suam formam et figuram, omneque decus, at divinitatem, quam non habet, ei tribuere nequit. Septimo, *assimilet illud imagini hominis*, q. d. Idolum adeo non est Deus, ut ne quidem sit homo vivens, sed imago tantum mortua hominis vivi ab homine efficta. Ergo non verus, sed fictus pictusque est Deus. Unde Horatius illud ridens l. 1. Serm. satyra 8.

Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum.

Pleraque ergo idola habuere speciem hominis, quia deos omnes constat fuisse homines; homines enim insignes ob fortitudinem, imperium, beneficentiam, aut beneficium reip. præstitum, a populo relati sunt inter deos. Audi Tertull. lib. de Idol. c. 15. *Recogitemus omnem idololatriam in homines esse culturam, cum ipsos deos nationum homines retro fuisse apud suos constet.* Idem docet S. August. toto cap. 26. lib. 8. de Civit. et S. Cyprian. lib. *quod idola non sunt dii.* Constat Saturnum, Jovem, Minervam, Mercurium, Cererem, Venerem, fuisse homines, uti fuse docet Tertull. Apolog. 11. ubi pariter ostendit quod iidem fuerint scelerati.

Porro tam operose Sapiens æque ac Prophetæ vanitatem idolorum vilitatemque describunt, quia primitus idololatria consistebat in adoratione deorum in templis vacuis, sine ullis eorum simulacris, tumque parcior et rarior erat; postea vero cum deorum fabrefacta sunt simulacra, eaque eleganter sculpta, depicta, et auro gemmisque ornata; tunc illa, utpote oculis conspicua, passim ab omnibus coli cœpere, itaque valde per idola crevit idololatria, ut docet Tertull. lib. de Idololatria, c. 3. Unde et S. Aug. l. 4. de Civ. c. 30. ait Ciceronem risisse idola et idololatras, et cap. 31. asserit Varronem Romanorum doctissimum censuisse Deum non esse idolum, sed *animam motu et ratione mundum gubernantem*; ac mox de eodem subjicit: *Dicit etiam antiquos Romanos plus quam annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur.* Cujus *sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat: Qui prima simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse, et errorem addidisse, prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quod vero non ait: errorem tradiderunt, sed addiderunt, jam utique fuisse etiam sine simulacris intelligi vult errorem.* Idem testatur Plutarchus in Vita Numæ Pompilii secundi Romanorum regis, qui Romulo successit: *Hic*, inquit, *Romanos prohibuit existimare imaginem Dei aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neque ficta Dei prius species, sed in prioribus centum et septuaginta annis, templa quidem ædificabant, sacraque tuguria erigebant; simulacrum vero corporeum nullum dicabant. Perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilare, neque aliter atque intelligentia Deus percipi posset.* Idem docent Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Euseb. et alii. Post Numam ergo Tarquinius Priscus, vanitate et stultitia Græcorum superstitionum Hetruscorumque domi imbutus, Romanos edocuit simulacra diis ponere; unde ipse Capitolium ædificavit, illudque Jovi dedicavit.

Imo prisci Gentiles prima simulacra deorum fecerunt absque effigie hominis vel animalis, in rudi trunco, vel informi ligno, maxime dum ea figerent ad discriminandos agrorum ditionumque terminos. Unde Lucanus libr. 3.

Simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsisque exstant informia truncis.

Postea deo Termino faciem hominis dedere, sed truncam sine manibus, brachiis, pedibus, etc. uti adhuc videre est Romæ in priscis Termini imaginibus. Denique crescente arte æque ac superstitione, deos pinxerunt et sculpserunt plena et perfecta effigie hominis, eamque coloribus, purpura, coronis aureis, sceptro ornarunt, ut eam venerabilem rudibus efficerent; atque tum idololatria adeo increvit, ut idola etiam plateas, forum, balnea, stabula et domos replerent, uti testatur Tertull. lib. de Spectac. c. 8. unde addit: *Totum sæculum Satanas et Angeli ejus repleverunt.*

AUT ALICUI EX ANIMALIBUS ILLUD COMPARET, PERLINIENS RUBRICA, ET RUBICUNDUM FACIENS FUCO COLOREM ILLIUS, ET OMNEM MACULAM, QUÆ IN ILLO EST PERLINIENS) Crevit superstitio idololatriæ, ut idola fingerent effigie non hominis, sed animalis cujuspiam ejusque vilis et abjecti (hoc enim est græcum εὐτελεῖ) puta canis, felis, simiæ, muscæ, qualis erat Beelzebub. Vers. 14

PERLINIENS RUBRICA.) Græce μίλτῳ, id est *minio*, sicut prisci librorum vel capitum titulos rubeo colore notabant, qui inde rubricæ sunt dicti. Prisca ergo idola tingebantur rubeo colore, velut purpureo et igneo; purpura enim est vestis regum; ignis vero index divinitatis, ut significarent deos esse reges universi, fulminaque et ignes vibrare. Porro hunc colorem vocat *fucum*, quia eo obducentes statuam idoli tegebant omnes ejus maculas, fœdos colores et sordes; ut subdit Sapiens; quod erat facere fucum populo. Fucus enim vocatur *unguentum* vel *pigmentum*, quo mulieres tinguntur et colorantur, ut pallorem luridum ac vitia corporis obtegant; quare fuco rubrum vel roseum colorem faciei inducunt. Unde Comicus:

Nam isthæc veteres, quæ se unguentis unctitant
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant.

Denique fucus quolibet colore fieri potest. Totum hunc locum a versu 11. clare et eleganter vertit Vatablus hoc modo: *Aut cum quis faber materiarius eximiæ arboris succisæ, omnem circa corticem scite destrinxit, et inde vas usui vitæ profuturum artificiose pulchreque fabricavit; opificii vero recisamentis apparando cibo consumptis satiatus, resectum inde nullius usus ineptum sumpsit truncum ramisque nodosum, per otium sculpsit diligenter, et vacans perite formavit, adeoque hominis figuravit effigie, aut animalis cujuspiam vilis simulacrum affinxit. Deinde minium et fucum illinendo, conciliavit ei ruborem, et omnem in eo maculam abduxit.*

ET FACIAT EI DIGNAM HABITATIONEM, ET IN PARIETE Vers. 15.
PONENS ILLUD, ET CONFIRMANS FERRO, NE FORTE CA- Vers. 16.

DAT, PROSPICIENS ILLI, SCIENS QUONIAM NON POTEST ADIUVARE SE: IMAGO ENIM EST ET OPUS EST ILLI ADIUTORIUM) q. d. Deinde idolo quasi numini extruit sacellum, altare, templum, aut potius ædiculam, tabernaculum, vel thecam, cui includatur, uti Demetrius argentarius faciebat ædiculas argenteas Dianæ, Actor. 19. 24. primitus enim non erant templa; nam primus Salomon Hebræis templum erexit, imo Xerxes Magorum consilio templa combussit; quod, ut scribit Cicero libr. 2. de Legibus, mundus totus esset templum, nec domibus includendi forent dii, sed ipsis omnia patentia deberent esse ac libera, ideoque oraturi altos montes conscendebant; idola ergo domestica in domorum cubiculis, puta in Larariis vel Oratoriis collocabant (omnia enim hæc spectant ad vilitatem idolorum demonstrandam) ibique in pariete illa collocabant, ac clavis affigebant firmabantque, providentes illis ne caderent, quia sciebant illa non posse seipsa sustinere, sed ope aliena indigere eo quod idolum non aliud sit, quam imago imbecillis, quæ opus habet alterius auxilio et sustentaculo. Idem idolis improperat Ierem. cap. 10. 4. *Clavis*, inquit, *et malleis compegit, ut non dissolvatur*, etc. *portata tollentur, quia incedere non valent.* Et Baruch cap. 6. 26. *Si ceciderint*, ait, *a semetipsis non consurgunt; neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit.* Vere S. Aug. serm 29. de Verbis Domini: *Deus aureus*, ait, *et Deus ligneus ad pretium dispares sunt; at habere oculos, et non videre pares sunt.*

Vers. 17. ET DE SUBSTANTIA SUA ET DE FILIIS SUIS, ET DE NUPTIIS VOTUM FACIENS INQUIRIT NON ERUBESCIT LOQUI CUM ILLO QUI SINE ANIMA EST.) Græce: *Tandem pro possessionibus, pro nuptiis suis et pro liberis illis* προσευχόμενος, id est, *orans vel vota nuncupans, in animum cerba facere non erubescit.* Ita Vatabl. Quare τὸ *inquirit* non est in Græco, sed subauditur et sententiæ vim adauget, q. d. Quænam est illa vesania, ut idolo ligneo et stupido vota faciant ad hoc, ut felices sortiantur nuptias, liberos et possessiones, ab eoque inquirant num eas assecuturi sint, an non; cum idolum inanime, nec loqui, nec audire, nec intelligere, multo minus prophetare valeat? Vide Baruch cap. 6. 33. et seqq. Porro Hebræos, Gentiles et Christianos, cum quid a Deo vel ab idolis postularent, solitos precibus addere vota, ut facilius rem impetrarent, notissimum est. Audi Valer. Max. l. 1. cap. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur; cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, voto; cum solvendum, gratulatione; cum inquirendum, vel extis, vel sortibus; impertito cum peragendum solemni ritu sacrificio; quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.*

Vers. 18. Vers. 19. ET PRO SANITATE QUIDEM INFIRMUM DEPRECATUR, ET PRO VITA ROGAT MORTUUM, ET IN ADIUTORIUM INUTILEM INVOCAT. ET PRO ITINERE PETIT AB EO QUI AMBULARE NON POTEST; ET DE ACQUIRENDO, ET DE OPERANDO, ET DE OMNIUM RERUM EVENTU PETIT AB EO QUI IN OMNIBUS EST INUTILIS.) *Infirmum*, non ægrum, sed invalidum et impotentem; hoc enim est ἀσθενές. *Mortuum*, id est, anima et vita destitutum. Est catachresis. Proprie enim *mortuus* dicitur, qui aliquando vixit, vitæque est capax: idolum autem vitæ est incapax. *Inutilem*, græce ἀπειρότατον, id est, inexpertissimum, ignarissimum et ignavissimum, utpote, qui numquam potuerit experiri, et per experientiam aliquid cognoscere. Petrus Nannius legit, ἀπορώτατον, id est, egentissimum, et ope consilioque destitutissimum, ut totus sermo per antitheses decurrat, q. d. Pro ope invocat opis indigum, et ut Vatablus vertit, *extreme inopem.* Noster videtur legisse ἀχρειότατον id est, *inutilem*; aut ἀναπηρότατον, id est, summe cæcum, mutilum et mancum; aut ἀπηρότατον, id est, pera et crumena extreme destitutum, hoc est, pauperrimum.

ET PRO ITINERE PETIT AB EO QUI AMBULARE NON POTEST.) Vatabl. Pro *itinere faciendo*, ne *gradum quidem facere valenti supplicat*, q. d. Idololatra, ut felix habeat iter, invocat idolum velut ducem itineris, qui nec pedem quidem movere potest, iuxta illud: *Pedes habent, et non ambulabunt*, Ps. 113. Sic Romani Deum itineris *Iterducam* et *Domiducam* vocabant et invocabant; Fessi vero Deam *Fessoniam*, teste S. August. 7. de Civit. cap. 3.

DE ACQUIRENDO) etc. Græca clare et eleganter habent: *Pro quæstu, opificii successu, manuumque dexteritate et prospero successu, ignavissimum manibus rogat gnavitatem, agendi facilitatem, dexteritatem potentiam et efficaciam*; hæc enim omnia significat εὐδρανίαν, vel, ut alii legunt, εὐδράνειαν, cui pulchre opponit ἀδρανέστατον, id est, ignavissimum, imbecillimum, impotentissimum idolum. Porro pro acquisitione opum et quæstu, Gentiles invocabant Deum Plutum (πλοῦτος enim est pecunia) sive ditem, quasi divitem. Sic pecuniæ præerat Dea pecunia, æri Æsculanus, argento Argentinus, cur non et auro Aurinus? ait S. Augustinus 4. de Civit. cap. 21. qui et libr. 7. cap. 12. ait Iovem ipsum vocatum Pecuniam: *Pecuniæ enim obediunt omnia.* Rursum Arnobius lib. 4. contra Gentes, vocat Deus Lucrios lucro præpositos. Vide dicta Eccles. 10. 19. Pro opere vero, operisque successu invocabant Mercurium, Minervam et Vulcanum.

Ex dictis patet turpissime errare Calvinum, qui lib. 4. Instit. c. 11. §. 9. et 10. asserit Gentiles non fuisse tam stupidos, ut lapides et ligna adorarent. Quare Sapientem et Prophetas, cum idola eorum reprehendunt, reprehendere id quod Christiani iam faciunt, videlicet quod Deum in ligno et lapide, id est, in lignea vel lapidea imagine carnaliter venerentur, falsissimum esse patet ex toto hoc loco, et clarius ex c. 6. Baruch, et Isaiæ c. 44. et Ierem. 10. et Psal. 113. Hi enim Prophetæ fuse et operose ex vilitate materiæ, artificii, sculpturæ, etc. toti sunt in eo, ut rudi populo eximant opinionem Deitatis idoli, et persuadeant in idolo nil esse Numinis, nil Divinitatis. Unde Baruch, post singula argumenta, crebro iterando infert et concludit: *Unde vobis notum sit quia non sunt dii.* Ex quibus clarissimum est Gentiles ipsa idola lapidea et lignea, velut deos et numina coluisse. Idem clarissime docent omnes Patres, qui contra idola scripserunt, ut Tertull. S. Iustin. S. Athanas. S. Cyprian. Athenagoras, Arnobius, Felix Minutius, S. August. et alii, qui passim rident Gentiles, quod lapides et ligna pro diis colant. Idem disertis verbis, quæ ex S. Augustino recitavi v. 10. docet Mercurius Trismegistus, summus et antiquissimus Gentilium Philosophus et Theologus.

Calvini error.

Refellitur.

Neque mirum homines simplices tam stupidos fuisse, ut idola adorarent, quia etiamnum tales esse scimus in Iaponia et Indiis: nam error hic tot sæculorum usu roboratus, atque oraculis, quæ dæmones per idola loquentes reddebant, aliisque eorum gestibus et ludificationibus circa idolum factis; quibus illa animata imo divina esse populo persuadere conabantur, confirmatus, quasi de manu in manum tradebatur posteris; uti et alia non minus stupenda ipsorum infamia crimina, quæ proinde ipsi licita putabant, sicut legimus apud Laertium, Plutarch. et alios.

Ubi nota Gentiles sagaciores et doctiores, uti asserit Trismegistus apud S. August. lib 8. de Civit. cap. 23. existimasse *quosdam quidem deos, scilicet idola fieri manibus hominum, unde et plurima esse et eiusdem Dei, v. g. Iovis*; sed idola hæc esse corpus Dei; Deum vero esse spiritum inclusum in idolo, quasi ipsius animam, quem spiritum alii putabant esse animam hominis mortui, cui idolum erigebant; alii dæmonem, sive ab idoloplastis invocatum, sive sponte se hominum superstitioni et idolis inserentem, uti loco citato ait Trismegistus; alii vero esse animam universi, aut animam solis, lunæ, terræ, etc. uti refert Euseb. lib. 3. de Præpar. cap. 3. et S. August. 7. de Civit. c. 5. et sequent. Plura vide apud Gyraldum de diis Gentium Syntagm. 1.

Porro, quibus quantisque artibus et actibus dæmones ludificarint Paganos, ut idolorum animæ esse crederentur, declarat S. Cyprianus lib. de Idololatr. non longe a principio: « Hi ergo spiritus, inquit, sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris

semper involvunt; nam et falluntur et fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium et rogis pecorum saginati remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum illorum cesset injuria; nec aliud illis studium est quam a Deo homines avocare, et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere, cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. »

An in idolo adorarint Deum.

Dices: Sapientiores Gentilium agnoverunt Deum verum, cumque in idolo coluerunt, sicut Christiani eum colunt in imagine; atqui illi reprehenduntur hic ut idololatræ, ergo et Christiani. Resp. Vix invenies aliquem, qui Deum verum coluerit in idolo: nam qui Deum verum agnoverunt, spreverunt et riserunt idola, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Lucretius; aliqui tamen ex metu populi, ne occiderentur, uti occisus fuit Socrates quasi deorum contemptor, ea publice coluerunt, non sponte, sed quasi coacti: cum privatim et secreto ea aspernarentur, et unum Deum creatorem omnium colerent. Sed demus nonnullos in idolo Deum verum adorasse, illi errarunt in eo quod putarent idolum esse corpus Dei, uti iam dixi, eoque Deum delectari, seseque in eo includere et occultare; aut certe Deum idolo esse similem, vel habere similia membra humana, vitulina, serpentina; ideo enim hæc membra idolo dabant; et variis varia, ac consequenter Deo vero affingebant corpus, membra, aliaque quæ falsa sunt; sicque consequenter colebant Deum non verum, qui purus est spiritus, sed corporeum et falsum. Denique censebant idolum esse aliquid Dei, ac proinde habere aliquid virtutis divinæ, aliquid Numinis, aliquid Divinitatis, quidquid illud esset. Quid enim illud esset in particulari, ipsi nec exprimere, nec intelligere, nec capere poterant.

Nil tale habent Christiani; nec enim in imagine, etiam Dei, aliquid numinis, aut spiritus et vitæ, aut corporeæ similitudinis collocant, sed nudam repræsentationem Dei, eamque analogicam, quatenus scilicet res et imago corporalis spiritualem repræsentare potest, quæ propria et nuda est ratio imaginis, scilicet repræsentare suum prototypum; ac proinde recte Theologi ex S. Basilio et Damasceno docent honorem imaginis natura sua referri ad prototypum. Porro imagines hominum visibilium, puta Christi et Sanctorum, crebræ sunt apud Christianos; Dei vero invisibilis paucæ, ne rude vulgus censeat Deum habere corpus imagini simile. Quocirca non est pingendus Deus, nisi eo modo et forma, qua ipse in S. Script. legitur Sanctis, ut Abrahæ, Mosi et Prophetis apparuisse, ac rudibus explicandum est quid sibi illa forma velit; Deum enim esse incorporeum, omnique forma et figura carere, uti docet Synodus VII. Act. 3. et seq.

Denique, si qui sapientum Deum verum in idolo, ut in mera imagine coluerunt, proprie hic non taxantur, nec peccarunt formali et proprie dicta idololatria; sed peccarunt, tum peccato scandali, quod suo exemplo populum in idololatria sua confirmarint, tum peccato professionis falsæ fidei et idololatriæ: participando enim cum idololatris in communi et publico cultu idoli profitebantur exterius fidem et cultum idoli, etiamsi interius non idolum, sed Deum in idolo, ut in imagine adorarent. Adde idolum esse imaginem non veri Dei, sed falsi; nec enim cuiquam licet Deo vero imaginem dare, quam ipse illi affinxit; sed quam Deus et Ecclesia approbant. Quare qui idolum colit, Deum non verum, sed falsum colit, quem scilicet idoloplastæ et idololatræ sibi finxerunt et formarunt, neglecto Deo vero creatore cœli et terræ; quicumque ergo idolum colit, Deum falsum colit, et idololatra est. Unde et pleraque idola tam deformia et horrida sunt, ut ipsa sui forma et specie dæmonis simulacra esse videantur. Atra enim sunt instar Æthiopum, capite bovino, vultu sævo et minaci, oculis ingentibus et scintillantibus, fronte taurina, et subinde cornuta, naso thrasonico, labris crassis et porcinis; rictus oris est diductus velut canis ringentis, os patulum et hians instar lupi, idemque ingens et concavum instar furni, ut scilicet in eo facilius dæmon voces articulatas formaret, quibus responsa et oracula ederet. Qualia Romæ præsertim in Vaticano permulta conspicimus.

Mystice, hæc omnia adaptes hæresi, et cuivis cupiditati. Idolum enim hæretico est hæresis, superbo honor, avaro aurum, guloso venter, luxurioso venus, acedo somnus, iracundo vindicta, invido livor, uti docent S. Augustinus, S. Gregorius et cæteri Doctores, imo S. Paulus Philip. c. 3. vers. 19. et Ephes. cap. 5. vers. 5.

Idolum est cupiditas.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur invectivam in idola, eamque inchoat ab exemplo navigantium, qui insipienter nave vilius idolum invocant, qua occasione navis inventionem per arcam Noe Deo auctori tribuit et celebrat. Inde vers. 14. idolorum initium et originem, ac propagationem, et incrementa assignat. Denique vers. 23. sacrilega idololatrarum sacrificia, imo parricidia, adulteria, furta, periuria recenset, ac idololatriam omnium scelerum esse fontem, imo cloacam asseverat.

ITERUM alius navigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum
1. invocat. 2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientia fabricavit sua. 3. Tua autem,
Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam, 4.
Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare. 5. Sed ut non essent vacua
sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per
ratem liberati sunt: 6. Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens,
remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata. 7. Benedictum est enim lignum, per quod fit iu-
stitia. 8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud: quia ille quidem opera-
tus est: illud autem cum esset fragile, deus cognominatus est. 9. Similiter autem odio sunt Deo impius et im-
pietas eius. 10. Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur. 11. Propter hoc et in idolis na-
tionum non erit respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum,
et in muscipulam pedibus insipientium. 12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: et adinventio il-
lorum corruptio vitæ est; 13. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. 14. Supervacuitas enim
hominum hæc advenit in orbem terrarum: et ideo brevis illorum finis est inventus. 15. Acerbo enim luctu dolens
pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum co-

lere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. 16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. 17. Et hos quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine. 18. Provexit autem ad horum culturam, et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. 19. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret. 20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt. 21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. 22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed et in magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant. 23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes. 24. Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit aut adulterans contristat: 25. Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et periurium, tumultus bonorum, 26. Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitiæ. 27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis. 28. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt iniuste, aut peierant cito. 29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, male iurantes noceri se non sperant. 30. Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, et iuraverunt iniuste, in dolo contemnentes iustitiam. 31. Non enim iuratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper iniustorum prævaricationem.

Vers. 1. Vers. 2. ITERUM ALIUS NAVIGARE COGITANS, ET PER FEROS FLUCTUS ITER FACERE INCIPIENS, LIGNO PORTANTE SE, FRAGILIUS LIGNUM INVOCAT. ILLUD ENIM CUPIDITAS ACQUIRENDI EXCOGITAVIT, ET ARTIFEX SAPIENTIA FABRICAVIT SUA.) Græce: *Rursus quis ad navigandum se comparans, et feros pertransiturus fluctus, navigio ipsum portante, putrius lignum inclamat. Nam illud quidem lucrorum cupiditas excogitavit, artifex autem sapientia confecit: tua vero, pater, providentia gubernat.* In Græco enim non est τὸ *sapientia sua*, sed tantum *artifex sapientia*, quæ dicitur fabricasse navim, quam, in mari Dei providentia gubernat. In Latino est τὸ *sapientia sua*, q. d. Artifex, puta faber, per sapientiam suam fabricavit navim. Sensus est, q. d. Vide et disce hic novam idololatrarum dementiam. Ecce tibi nautæ navim construunt ex lignis solidis, et artificiose compactis, ut sævis maris fluctibus, ventis et procellis resistat: hi autem pro felici navigatione invocant idolum ex viliore ligno, uti ostendi cap. præced. v. 13. et seq. confectum: nautarum enim Deus et idolum est Neptunus, item Castor et Pollux, Actor. 28.

Navigantium patroni. 11. Sicut Christianorum in mari periclitantium non dii, sed apud Deum advocati sunt B. Virgo, S. Petrus, S. Clemens, S. Nicolaus, S. Elmus, S. Franciscus Xaverius, uti dixi Actor. 28. 11. Ut quid ergo Neptunum e ligno vili et putri fabricatum colunt? cur non potius navim suam e ligno forti et pulchra rite compactam invocant? illam enim cupiditas lucri per transvectionem mercium, quæ navi fit, conquirendi ingeniose excogitavit, et artifex puta faber lignarius per suam sapientiam, id est ingenium et artem industrie affabreque fabricavit; ideoque robustiorem æque ac elegantiorem, quam sint idola effecit. Unde Propertius l. 3. de Navi et Naufragio:

Ergo sollicitæ, inquit, *tu causa pecunia vitæ es:*
Per te immaturum mortis adimus iter.
Natura insidiam pontum substravit avaris.

Navis inventor quis? Gentiles navis inventionem tribuunt Iasoni et Argonautis, navigantibus Colchos ad rapiendum vellus aureum, utpote antiquissimis. Ita Plinius l. 3 cap. 26. Tertull. lib. de Corona militis c. 8. tribuit Minervæ; Clemens Alex. 1. Strom. Atlanti, alii Danao, alii Neptuno, alii Prometheo, qui Mosi fuit coævus, uti superius dixi ex S. August. alii Phœnicibus, alii Cretensibus; diversis enim in locis diversi eiusdem rei potuerunt esse auctores. Verum his omnibus anterior fuit arca Noe, Gen. 6. Hæc ergo prima, quod sciamus, fuit orbis navis, etsi ante eam homines navigasse in ratibus, truncis arborum excavatis, uti etiamnum faciunt Indi, et scaphis sit verisimile. Vide Plinium l. 7. c. 56. et Polydorum Virg. 3. de Invent. c. 15.

Præ cæteris ponit exemplum navigantium, quia hi ob assidua vitæ pericula proni sunt ad invocandos deos. Nam ut ait Psaltes Psalm. 106. 26. *Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, etc. Unde illud vulgo tritum: *Qui nescit orare, naviget mare.* Vide Ionæ cap. 1. Hinc Cato, teste Plutarch. de tribus dolebat: primo, quod in hac vita tam incerta et brevi vel unus dies sine fructu illi effluxisset; secundo, quod secretum suum credidisset mulieri; tertio, quod navigio fecisset iter, quo terrestri via poterat pervenire. Eadem hæc tria vota Aristoteli tribuit Antonius in Melissa part. I. serm. 47. et Alexandro Magno Stobæus; sed loco primi ponunt, quod unum diem intestatus mansisset. Tres Catonis dolores.

TUA AUTEM, PATER, PROVIDENTIA (multi addunt, *cuncta*, sed illud delent Romani et Græci) GUBERNAT, scilicet lignum, hoc est, navim iam dictam: QUONIAM DEDISTI ET IN MARI VIAM, ET INTER FLUCTUS SEMITAM FIRMISSIMAM. OSTENDENS QUONIAM POTENS ES EX OMNIBUS SALVARE, ETIAMSI SINE ARTE ALIQUIS ADEAT MARE.) Pro *sine arte*, uti legunt Rom. et Græci perperam alii legunt *sine rate*, licet eodem redeat sensus: per *artem* enim, nauticam intelligit, in qua primæ fuere rates. Noster a Castro providentiam hanc Dei restringit ad Hebræos quos Deus sine navi per mare Rubrum a se divisum sicco pede deduxit. Melius alii attribuunt navi, de qua sermo præcessit, q. d. Frustra nautæ invocant sua idola, puta Neptunum et Castores: tua enim providentia, o Domine, qui es pater omnium, navim in mediis fluctibus, æque ac cætera cuncta, gubernat et dirigit; quæ tanta tamque potens est, ut etiam Hebræis in mari Rubro sine navibus patefecerit viam, ut inter eius altissimas aquas et fluctus per semitam firmissimam, græce ἀσφαλῆ, id est, tutam, securam, puta per siccum maris alveum illæsi transirent: quo miraculo ostendisti te posse homines ex omnibus maris periculis salvare, perque illud dare iter pervium cum volueris, etiamsi quis sine arte et rate illud adierit. Unde S. Chrysostom. hom. 11. Genes. obstupescit Dei sapientiam et providentiam, quæ docet nautas et naucleros tempus, viam, et diverticula in vastissimo æquore, ut sciant, in qua plaga mundi versentur, quam viam inire, quæ diverticula capessere debeant. Vers. 3. Vers. 4.

Moraliter, hic disce quanta quamque singularis sit Dei providentia, quæ singulas naves, et navigantes in medio mari gubernat, ac pari ratione singulos homines, animalia, plantas et creaturas alias, adeoque totum mundum regit et gubernat. Mundus enim est quasi navicula, cuius nauclerus est Deus, uti docet Aristot. (vel quisquis est auctor) lib. de Mundo. Exemplum admirabile Senis cuiusdam naufragi, cui nomen Vaigius, vel Victor, qui in navi sociis atque carinæ retinaculis amissis, per varias regiones undis maris iactatus, mira Dei providentia servatus est, narrat

S. Paulinus epistol. ad Macarium. Simili modo in cæteris navigantibus vastum, cæcum, et procellosum mare in navi tam exigua et invalida, singularis elucet Dei cura et providentia. Navigantes enim vix tribus palmis (quibus navis eminet mari) distant a morte. Unde Iuven. satyr. 14.

I nunc, ait, *et ventis animam committe, dolato*
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda,

id est, pinus, ex qua fit navis; et Ovidii l. 2. de Ponto:

Nam prope tam lethum, quam prope cernit aquam.

Sic et Anacharsis apud Laert. ait navigantes quatuor digitis, quibus crassa est navis, distare a morte.

Errores circa providentiam. I. Errarunt ergo primo, Epicurus, Heraclitus et Democritus concedentes quidem Deum, sed ei adimentes providentiam, eo quod putarent omnia evenire ex necessitate naturæ, teste Lactantio l. 1. de Ira Dei, c. 9. et 10.

II. Secundo, erravit Cicero, qui eamdem Deo ademit sed alio ex capite, quod scilicet adimeret Deo cognitionem futurorum contingentium, putans illam repugnare libero hominis arbitrio, teste S. August. l. 5. de Civit. c. 9.

III. Tertio, errarunt alii, qui singulas res pendere censuerunt a suis causis, non a Dei providentia; Deum enim movere primum mobile; cætera vero ab illo moveri, uti ait Aristot. 12. Metaphys. c. 2. textu 37. Unde hunc errorem Aristoteli tribuunt Naz. orat. 4. de Theolog. Clemens VIII. Stromat. Ambros. l. 1. Offic. c. 13. et alii: videbatur enim Aristoteli indignum Deo curare res singulares etiam minimas, ut culices, pulices, etc.

IV. Quarto, errarunt illi qui dixerunt Deum per se curare res universales et incorruptibiles; particulares vero et corruptibiles curare per intermedios genios, sive angelos; quem errorem Platoni tribuit Nyssen. lib. 8 Philos. c. 3. et 4. Plato tamen lib. 10. de Legibus fuse ostendit Deum curare res minimas: perfectissimus enim artifex, inquit (qualis est Deus) etiam minimorum in arte cognitionem curamque habet.

Hos errores recensent et confutant S. Chrysost. libris sex, et Salvianus libris octo de Providentia, S. Ambros. 1. Offic. c. 13. S. August. lib. de Civit. c. 9. et 10. S. Thomas l. 3. contra Gentes, c. 74. et seq. ac Sapiens hoc loco.

Gnome Patrum de providentia. Porro huic Sapientis gnomæ consonant omnium patrum et probatorum Philosoph. sententiæ. S. Basil. in Hexam. homil. 7. *Nihil est prorsus*, ait, *quod sub providentiam Dei non cadat: nihil est omnino, quod a Deo neglectum sit: omnia explorat, omnia conspicit oculus ille pervigil: omnibus adest, facultatem salutis cuique præstat.* S. Hieron. in caput Ieremiæ 9. *Omnia*, inquit, *Dei providentia atque iustitia gubernantur.* Et in Matth. 7. *Si parva et vilia animalia absque Deo auctore non decidunt, et in omnibus est providentia, et quæ in his peritura sunt sine Dei voluntate non pereunt, vos qui æterni estis non debetis timere, quod absque Dei vivatis providentia.* S. Ambros. 1. Offic. lib. c. 13. *Quidam putant*, inquit, *Dei providentiam usque ad lunam descendere. Et quis operator negligat operis sui curam? quis deserat et destituat quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclementia. Revera, si in Deo vivimus, movemur, et sumus, ipsumque per terras mare, per tractus maris, cælumque profundum aiunt; quare optimam illius dignitatem, nempe providentiam ab eo auferendam esse arbitrantur?* S. Aug. l. 3. Conf. cap. 11. *O tu, bone Omnipotens*, inquit, *qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures, et sic omnes tamquam singulos.* Et l. 5. de Genesi ad litteram, c. ult. *Quid absurdius et insulsius sentiri potest, quidque dementius quam putare nullum esse divinæ providentiæ iudicium de moribus hominum, qui curat etiam minutissima animalia, dracones, abyssos, grandines, nives, imbres, et tempestates, quæ faciunt verbum eius?* Ps. 148. S. Chrysost. in Psal. 124. *Deo*, inquit, *multa debemus, quod nos fecerit, quod tales creaverit, quod factos regit et continet, et quod quotidie tam privatim, quam communiter providet, nostrique curam gerit, idque clam et aperte, nobisque*
A *scientibus et nescientibus.*

Huc accedunt gnomæ philosophorum. Trismegistus: *Deus*, inquit, est factor et provisor omnium; unde hac de re libr. scribens eum indigitat *Pimander*, id est, Pastor hominum, qui scilicet homines regit, sicut Pastor oves. Gnome philosophorum. Orpheus de Deo sic ait: *Omnia intus inspicis, omnia intus audis, omniaque distribuis.* Sed quomodo fieri potest ut Deus sit, agat vero nihil? Si enim Deus est, aget aliquid præclarum, inquit Cicero; nihil autem est præclarius mundi administratione. Mundus ergo et a Deo conditus est, et Dei administratione gubernatur; unde in calce libri primi de Natura Deorum: *Si maxime talis est Deus*, inquit, *ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat; quoniam nihil propitius homini facere potest.* Stolte igitur dictum est a Lucretio:

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Lactant. l. 1. c. 2. Democritus omnia fortuito regi ac fato dicebat: cuius sententiæ confirmator est Epicurus, sed et antea Protagoras, qui deos in dubium vocavit, et postea
B Diagoras, nonnullique alii qui non putaverunt deos, quos tamen cæteri philosophi, ac maxime Stoici retuderunt, dicentes nec fieri mundum sine divina ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Euripides in epistol. ad Sophoclem, quod tempestate non periisset, in Dei providentiam retulit. Maro, Æneid. 6. Elysios campos decantat. Phocylides ait: *Si tu mala iudicaveris, te Deus postea iudicabit.* Hippocrates pluribus Gentium diis sacra decrevit, et supplicationes varias instituit. Theophrastus in Metaphysicis omnia divinæ providentiæ retulit: Deum divinum esse principium ait, per quod omnia sunt et permanent. Ammonius librum de Interpretatione expositurus, exoptat sibi divinitus provideri. Aristoteles 1. Ethicor. ait felicitatem Deorum muneri acceptam referri debere. In 5. vero Ethicor. precibus postulandum censuit, ut quæ simpliciter bona sunt, iis ipsis etiam, qui optant, essent bona; iusti, quod est a lege, partem esse sacrificia facere; unde post paululum, divina decreta humanis præ-
C stantiora sanxit. In 10. Ethicor. ait hominem, qui mentem excoleret, Deo esse amicissimum.

SED UT NON ESSENT VACUA SAPIENTIÆ TUÆ OPERA: PROPTER HOC ETIAM ET EXIGUO LIGNO CREDUNT HOMINES ANIMAS SUAS, ET TRANSEUNTES MARE PER RATEM LIBERATI SUNT.) Dat causam cur Deus, qui sine navi poterat homines per aquas transferre, uti transtulit Hebræos, voluerit usum navis et navigandi introducere, scilicet, ut insulani cum cæteris hominibus haberent commercium familiare. Vers 5.

Græce est elegans paronomasia, ne *essent Sapientiæ tuæ* αργα εργα, id est, *otiosa negotia* et inutilia opera, quæ scilicet in insulis et transmarinis regionibus creasti, formasti, collocasti; idcirco navis et navigandi usum hominibus inspirasti, ut quæ in insulis sunt pretiosa, ibique quasi delitescunt, per naves ad nos adveherentur, ac vicissim nos nostra, quibus carent insulani, ad eos transveheremus, itaque esset mutuu mercium et bonorum communicatio. Hoc fine, et hac de causa, exiguo ligno, id est
D navigio credunt homines animas, id est, vitas suas, sperantes se per illud, tua providentia duce, incolumes navigaturos, ac maris pericula superaturos: unde per eamdem plerique transeuntes mare, per ratem liberati sunt ab hisce periculis, et in dies liberantur. Ita Lyran. Holcot, Dionys. et alii. Secundo, Osorius, Iansen. et a Castro verius et ad sequentia conformius explicant de arte navigandi, et naves conficiendi, in qua maxime elucet divina sapientia, q. d. Voluisti, o Domine, hoc fieri per navigationem, ne opera tua essent otiosa, hominesque inertia languerent, sed potius laborarent, et industriam adhiberent in fabricandis navibus, et scientia navigandi, et siderum observatione, ac marium, littorum, insularum, et transmarinarum regionum lustratione. Huc facit illud Senecæ in Medea Act. 2.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,

Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias,
Nimium gracili limite ducto.

Gnomæ de navigationis periculis.

Pittacus, rogatus quid fidum esset? respondit: terram. Quid infidum? mare. Plato assidue monebat fugiendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum. Laodamas ille Homericus nihil miserius esse dicebat, quam virum fortem ponto exagitari. Anacharsis dubitabat an navigantes inter vivos vel mortuos essent referendi, teste Laertio lib. 1. c. 6. Callimachus dicebat iucundissimum esse mare, sed si quis e terra illud contempletur, quem imitatus Horatius ait:

Neptunum procul a terra spectare furentem.

Eadem mystice dicas de mundo, qui est mare magnum, mille habens tentationum, tribulationum, periculorum, calamitatum fluctus, syrtes et æstus.

TRANSEUNTES MARE.) Græce est κλύδωνα, id est tempestatem, fluctus, procellam, hoc est mare fluctibus et procellis æstuans.

PER RATEM.) Pro ratem, græce est σχεδίαν, id est, navis ex tempore facta, ac tumultuario et subitario opere compacta, quales fuere primæ naves, quæ non erant aliud nisi rates, id est, arbores, sudes vel trabes colligatæ. Cantacuzenus hæc accipit de cymba, quæ naufragio facto, ex residuis navis partibus tumultuarie a naufragis compingitur, ut per illam periculum evadant, et quasi enatent.

Vers. 6. SED ET AB INITIO CUM PERIRENT SUPERBI GIGANTES, SPES ORBIS TERRARUM AD RATEM CONFUGIENS, REMISIT SÆCULO SEMEN NATIVITATIS, QUÆ MANU TUA ERAT GUBERNATA.) Perperam pro *spes*, ut habent Romani et Græci, nonnulli legunt *spem*. Probat usum et utilitatem navis ex arca, per quam Noe cum tribus filiis, et totidem uxoribus, evasit diluvium immissum orbi ob scelera, præsertim ob fastum et tyrannidem gigantum, idque ductu Dei. Arcam enim gubernare non poterat Noe, utpote arcæ undique clausæ inclusus; sed solus Deus, qui id more suo faciebat ministerio angelorum. Arca ergo fuit prima ratis, id est, navis mundi, cognita saltem et publica. Unde Ioseph. lib. 1. Antiquit. c. 3. arcam appellat *navim*. Noe enim longe antecessit Iasonem, Argonautas, Danaum, Neptunum, cæterosque omnes, quibus Gentiles navis et nauticæ artis inventionem tribuunt. Porro Noe vocatur *spes orbis terrarum*, quia cæteris omnibus aquis diluvii mersis, ipse solus cum suis filiis in arca servatus est, ut post diluvium genus humanum generando propagaret, ne illud intercideret et interiret. Sic Ascanius Æneæ filius a Virgil. 12. Æneid. vocatur *spes altera Romæ*. Et pater filium unicum vocat spem baculumque senectutis suæ, Tobiæ 5. 23. Noe ergo *remisit sæculo semen nativitatis*; græce, *reliquit mundo* σπέρμα γενέσεως, id est *semen genitale*, vel *generationis*. Tres enim eius filii fuere quasi tria semina, ex quibus succrevit tota propago, et posteritas hominum. Fuit ergo Noe Ianus bifrons, ac novi sæculi parens, æque ac primus navis et nauticæ artis inventor. Vide dicta Gen. 6.

Vers. 7. Benedictum lignum, quid? Resp.

BENEDICTUM (Vatablus, *Felix*) EST ENIM LIGNUM, PER QUOD FIT IUSTITIA.) Syrus: *Benedictum est lignum, ex quo apparet vel videtur iustus*. Arabicus: *Quoniam benedicta trabs, per quam fit iustitia*.

I. Primo, aliqui apud Iansenium per *lignum* accipiunt furcam vel patibulum, quo fit iustitia de sontibus; fures enim et latrones in eo suspenduntur publice, ut quicumque eos vident, metu similis suspendii contineant se a furtis et latrociniis, quod est magnum reipubl. bonum et benedictio.

II. Secundo, alii hæc accipiunt de navi qualibet, qua quis recte utitur ad iusta mercimonia, et commoda reipublicæ. De navi enim est hic omnis sermo. Per navim ergo fit iustitia, id est, exercetur iusta mercatura.

III. genuine. Tertio, et genuine, per *lignum* accipias arcam Noe, q. d. Benedicta sit arca, per quam iuste condemnati sunt scelerati gigantes, totusque mundus, ac servatus fuit iustus piusque Noe; impii enim ex arca eliminati, et quasi profligati, periere diluvio, ex quo pius Noe per arcam evasit. Opponit ligneam arcam ligneis idolis, quod hæc neminem a diluvio aliove malo liberaverint, aut servare potuerint; a quo tamen Noe, totamque posteritatis spem, et semen liberavit arca; illa ergo sit benedicta, idola vero maledicta, ut sequitur. Unde S. Ambrosius in Psal. 118. ser. 8. legit: *Benedictum lignum, quod fit per iustitiam; maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum*, quale est idolum. Verum recte Romani in editione S. Ambros. id correxerunt, ut legatur: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia*, uti habet editio Vulgata et Græca. Ita enim legisse S. Ambros. ex verbis, quæ subiicit, liquet.

Addunt aliqui iustitiam per arcam esse factam, eo quod Sem fuerit idem cum Melchisedech, qui ex etymo fuit rex iustitiæ, ac ex diluvio evadens fuit publicus doctor ac ductor iustitiæ. Verum Melchisedech alius fuit a Sem, longeque eo posterior, ut ostenditur Genes. 14.

Mystice benedicta est crux Christi.

Mystice: *Benedictum lignum, per quod facta est iustitia*, iustaque satisfactio pro peccato Adæ, et peccatis totius mundi, est crux Christi, quam proinde repræsentavit arca Noe; hæc enim crux idola et idololatriam destruxit; unde iis hic opponitur, atque gratiam, iustitiam, et salutem omnibus in Christum crucifixum rite credentibus, contulit. Unde S. Chrysost. Orat. de Festo crucis legit: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia*; S. German. de Exaltat. Crucis legit: *Benedictum lignum, per quod fit salus*; Leontius, qui floruit anno Christi 620. Orat. de cruce Christi: *At Salomon ait: Benedictum est lignum, per quod salus comparatur*; Anonymus apud Gretserum, tom. 2. de Cruce legit: *Benedictum sit lignum, per quod facta est salus in medio terræ*. Sic et S. Bonav. Holcot, Hugo, Dionys hic per *lignum* accipiunt crucem Christi, æque ac S. Aug. 15. de Civit. 26. Clemens. Alex. 6. Strom. cap. 4. Cyrillus Ieros. Catech. 19. et plures alii: Christus ergo in cruce nostram maledictionem in se suscepit et expiavit, ac convertit in benedictionem, iuxta illud Galat. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno, ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem*. Vide ibi dicta. Porro S. Ambr. loco iam citato, acute, per *iustitiam* accipit misericordiam: *Benedictum*, ait, *lignum, per quod fit iustitia*, id est misericordia: hanc enim Christus in cruce exercuit, dum suo cruore nos abluit, nobisque veniam impetravit. Additque misericordiam vocari *iustitiam*, quia Deus *sciens secundum corporis fragilitatem corruptelæ patere hominem, quasi iustus, fragili lubricæque naturæ delicta concessit*, præsertim in posteris Adæ, qui peccatum non fecerunt, sed ex Adamo dumtaxat nascendo contraxerunt: *In illum* (Adamum) inquit, *iusta severitatis processit sententia, quia scire voluit quod scire non profuit. Nobis autem, qui hæreditario vinculo tenemur astricti, qui in hac carne sumus, quæ priorum iudicio detrita iam atque assuefacta peccatis, non poterat emergere, quasi iustus indulsit. Iuste enim ignavit hæredi, qui præiudicio laborabat auctoris. Est ergo iusta misericordia*.

Denique, per lignum crucis facta est iustitia, id est, iustum sacrificium pro peccato, quod ex æqualitate iustitiæ, ob dignitatem victimæ immolatæ, puta Christi crucifixi Filii Dei, satisfaceret offensæ Dei, ac honorem illi per peccatum ablatum restitueret, dum Christus moriendo in cruce eius rei causa, infinitam reverentiam cultumque Deo exhibuit. Sicut enim offensa Dei facta peccato Adæ cæterorumque hominum, ob personam et maiestatem immensam Dei, quæ offenditur, fuit infinita; sic pariter infinita est persona Christi, quæ se in victimam Deo obtulit ad huic offensæ satisfaciendum. Adde: infinita humiliatio Verbi, qua se humiliavit descendens in carnem et crucem, ut peccata expiaret, ex æquo respondit infinitæ vilitati, contemptui et iniuriæ, quam Adam superbiens peccando Deo irrogavit, imo eam longe superavit. Ex adverso idolum est lignum, per quod fit summa iniustitia et iniuria Deo, dum divinitas Deo adimitur, et transcribitur in idolum, ac aræ, templa, religio, cultus, sacrificia uni Deo debita trans-

feruntur ad idolum. Benedictum ergo est lignum crucis, per quod fit summa iustitia; maledictum vero lignum idoli, per quod fit summa iniuria Deo.

Vers. 8. PER MANUS AUTEM, QUOD FIT IDOLUM, MALEDICTUM EST ET IPSUM, ET QUI FECIT ILLUD: QUIA ILLE QUIDEM OPERATUS EST, ILLUD AUTEM CUM ESSET FRAGILE, DEUS COGNOMINATUS EST.) S. Ambros. legit: *Maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum*; Græce: *At manufactum* (lignum manu artificis fabrefactum, puta idolum) *maledictum ipsum, et qui fecit illud; quoniam hic quidem effecit, illud vero Deus nominatus est, cum esset corruptibile*; Vatablus: *Felix enim lignum, per quod iustitia exercetur; manufactum autem infelix est, tum ipsum, quam eiusdem fabricator. Hic ut operis auctor; illud, ut nomen Dei, cum corruptioni obnoxium sit, adeptum.* Sensus est, q. d. Benedictum sit lignum arcæ, per quod salvatus est iustus Noe; iniusti vero gigantes mersi diluvio; æque ac lignum crucis Christi, per quod iustificatus et salvatus est mundus; quare omnes illud benedicant, laudent, venerentur. At maledictum sit lignum idoli, æque ac eiusdem fabricator, ut omnes utrumque detestentur et exsecrentur; idolum quidem ut summe Deo iniurium, ac hominibus exitiale, cum illos alliciat ad idololatriam, quæ summum est flagitium; fabricator, quia opus tam Deo iniurium et hominibus noxium fabricatus est. Notat S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 2. proprie non benedici vel maledici creaturæ alicui nisi rationali, irrationali vero dumtaxat in ordine ad rationalem. Idolum ergo irrationale maledicitur, quatenus rationali homini est occasio idololatriæ. Rursus quatenus idoli maledictio refertur et cadit in dæmonem, qui idolo insidet et præsidet: Dæmon enim maledictionis, id est, damnationis æternæ et exsecrationis Dei, angelorum et hominum ob suam malitiam est reus, illique addictus et obnoxius.

Mystice, benedicta est crux, id est, mortificatio carnis et cupiditatis, per quam fit iustitia; quia per illam caro subditur spiritui, cui ex iustitia subiici debet. Maledictum vero lignum scientiæ boni et mali, quod Evam et Adamum illexit ad inobedientiam, gulam, summamque Dei iniuriam et offensam. Similiter maledicta radix, et arbor concupiscentiæ, quæ iniuste se opponit rationi et spiritui, ut illi dominetur cui servire debet.

Vers. 9. SIMILITER AUTEM ODIO SUNT DEO, IMPIUS ET IMPIETAS EIUS.) Græce: *Nam ex æquo invisi sunt Deo impius et eiusdem impietas.* Ita Vatablus. Dat causam cur idoloplastes, æque ac idolum, sit Deo invisus; quia scilicet tam exosus est Deo impius, quam impietas. Impius autem est idoloplastes, qui idolum velut impietatem, id est, impiæ idololatriæ obiectum et causam fabricatus est. Porro impietas formaliter et materialiter invisa est Deo; impius vero formaliter tantum, quatenus scilicet impius est, invisus est Deo; non vero materialiter: Nam impius quatenus Dei creatura et substantia est puta homo, vel angelus a Deo amatur et diligitur, quia ut pulchre ait S. Hieron. (vel quisquis est auctor) Epist. 6. ad amicum ægrotum tomo 9. *Amat Deus hominem, ut artifex fabricam, sed odit mala opera, quibus fabrica urgetur in lapsum, et cogitur in labinam* (quæ est labi in lapsum et ruinam) *et qui mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem, sicut Salomon sapientissimas protulit: Odio sunt,* inquit, *Deo impius et impietas eius*, talis enim est opifex, quale est opus; quare si opus sit pium Deoque gratum, opifex eius, pariter erit pius Deoque gratus; sin opus sit impium, Deoque invisum, opifex pariter, et ut Græca habent ἐν ἴσῳ, id est in æquali, ex æquo, æqualiter erit impius, Deoque invisus. Præclare S. Cyrill. Alex. hom. 12. *Rebus creatis*, ait, *Conditoris sui gloriam impertiri nihil aliud est, quam Conditorem ipsum in rerum creaturum ordinem referre.*

Vers. 10. ETENIM QUOD FACTUM EST, CUM ILLO, QUI FECIT TORMENTA PATIETUR.) Græce κολασθήσεται, id est, *punietur.* At quomodo idolum inanime tormenta pati potest? Resp. primo Cantacuzenus, quia idolum, et idololatris puniuntur non in se, sed in ipso idololatra, dum is a Deo in gehenna cruciatur; sicut furtum, et homicidium punitur in fure, et homicida, qui suspenditur; secundo, Lyranus respondet idolum puniri, dum dæmon eius præses, et per illud responsans in inferno punitur et uritur; tertio, idola Saturni, Iovis, Martis, Veneris torquentur, dum ipse Saturnus, Iupiter, Mars, Venus in gehenna cruciantur et ardent: hi enim idololatriæ et scelerum hominibus fuere auctores; quarto, ipsum idolum punitur, dum a fidelibus conspuitur, deiicitur, frangitur, destruitur, comburitur, uti fecere primi Christiani et Martyres.

PROPTER HOC ET IN IDOLIS NATIONUM NON ERIT RESPECTUS; QUONIAM CREATURÆ DEI IN ODIUM FACTÆ SUNT, ET IN TENTATIONEM ANIMARUM HOMINUM, ET IN MUSCIPULAM PEDIBUS INSIPIENTIUM.) Græca iam contrarie habent: *Quapropter et in simulacra gentium* ἐπισκοπὴ ἔσται, id est, *inspectio, inquisitio, visitatio, punitio erit.* Vatablus: *In simulacra inquiretur.* Noster videtur legisse negationem οὐκ, id est, *non erit inspectio vel respectus.* Sed eodem redit sensus, q. d. Deus non respiciet dignitatem idoli, quod scilicet ab idololatris colatur ut Numen; quare illi non parcet, sed illud puniet, diruet, comburet velut lignum vile, et flammis addictum. Aut, q. d. Tempore Christi cum gentes ab idolis ad Deum verum convertentur, tunc non amplius respicient nec reverebuntur, aut colent idola; sed ea vilipendent et confringent. Tunc ergo nullus respectus, nullus honor, nulla reverentia deferetur idolis. Quare alienus videtur sensus S. Bonavent. Lyran. et Dionys. qui exponunt, q. d. Deus idola, id est, dæmones puniet æternis ignibus; quocirca amplius ad eos non respiciet, ut misereatur et parcat, quia sicut culpa eorum est irremissibilis, sic et pœna interminabilis. Vers. 11.

QUONIAM CREATURÆ DEI IN ODIUM FACTÆ SUNT.) Græce εἰς βδέλυγμα, id est, *in abominationem*, q. d. Aurum, argentum, æs, lignum, quæ sunt inter creaturas Dei præcipuæ, magisque in usu hominum, ab impiis conversa sunt in abominationem, dum scilicet ex iis fabricarunt abominanda idola aurea, argentea, ærea, lignea, quibus attribuerunt divinitatem, ac sacrificia et honores divinos cum summa Dei iniuria, et Creatoris contumelia; unde propter ea pariter idoloplastæ et idololatræ incurrerunt in odium Dei, angelorum et hominum recte sentientium. Quocirca Græca habent: *Quoniam in creatura Dei ad abominationem facta sunt*, scilicet ipsa idola, q. d. Cæteræ omnes creaturæ sunt bonæ, et a Deo benedictæ, at sola in iis idola sunt maledicta, et abominanda, tum Deo, tum angelis et hominibus. Addit Cantacuzenus etiam sibi ipsis et propriæ naturæ, eo quod aurum, argentum, lignum per abusum idololatriæ, qua ex eis fabricata, et culta sunt idola, degeneraverint a suo fine, qui est Deo creatori suo servire, ac deinde hominibus ad salutem eorum opitulari; quo factum est, ut non tantum Deo, sed et hominibus sint in abominatione. Unde Syrus vertit: *Et fecerunt ea in immunditiam*: Arabicus: *Quia facta in creatura contemptio.* Vatab. *Quoniam in opificio Dei ad nefas deformata sunt.*

Minus genuine ergo Lyran. et Dion. per creaturas accipiunt dæmones, qui, inquiunt, secundum bonam naturam creaturæ sunt Dei, adeoque bonæ; at per propriæ voluntatis perversitatem facti sunt in odium, quia seipsos fecerunt Deo odibiles et eos, quos tentando superant, ac ad idololatriam pelliciunt, Deo faciunt exosos. Minus quoque apte Hugo per creaturas accipit homines, qui faciunt, vel colunt idola.

ET IN TENTATIONEM ANIMARUM HOMINUM) Græce: *In scandala animabus.* Syrus: *In offendiculum vel offensam animorum hominum.* Arab. *Seduxerunt animas hominum*, dum idola pulchritudine et pretioso ornatu suo, rudium animas pellexerunt in superstitionem et idololatriam.

ET IN MUSCIPULAM PEDIBUS INSIPIENTIUM) Sicut enim mures insipientes capiuntur muscipula, dum illecti nidore casei eam apertam subeunt, sed lignum quod illam sustinet (scandalum dicitur; unde nomen scandali translatum ad quodvis offendiculum) tactu casei incaute evertentes, a muscipula in se revoluta concluduntur, et opprimuntur; sic pariter homines pulchritudine idolorum, æ- Creaturæ sunt muscipulæ fatuis.

que ac dulcedine vini, Veneris, honorum illecti, illam ambiunt illaque se inebriant; itaque mentem et Dei gratiam, ac salutem, vitamque præsentem et æternam sibi adimunt.

Pro *in muscipulam*, græce est, *in laqueum*. Vatablus: *Ad pedes insipientium illaqueandos*; Syrus: *Retia pedibus stultorum*; alii: *In decipulam* vel *tendiculam*. Loquitur proprie de specie auri, argenti, colorum, et ornatus idolorum, qua illecti rudes et insipientes homines ea deos esse censuerunt, et ut Numina coluerunt, indeque in fornicationem, omniaque scelera prolapsi sunt, ut patet ex ratione, quam subdit. Generatim tamen hæc sententia de quolibet creatura ad quodlibet illiciente accipi potest. Ita enim videmus homines, post lapsum, ab auro illici ad avaritiam et furtum, a vino delicato ad ebrietatem et crapulam, a dignitatibus ad ambitionem et fastum, a scientia ad curiositatem et superbiam, a specie mulierum ad luxuriam, etc. Unde S. Antonius teste S. Athanas. vidit totum mundum plenum laqueis; cumque rogaret Dominum: *Quis illos evadet?* audivit, *humilitas*. Hoc est, quod ait Iob cap. 18. 8. *Immisit impius in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo; etc. abscondita est in terra pedica eius, et decipula eius super semitam*. Et S. August. in soliloquiis c. 16. *Inimicus*, inquit, *ut occidat, semper vigilat sine somno, et nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare a somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, et omnes vias nostras variis replevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet? laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, et in vigilia; laqueos posuit in verbo, et in opere, et in omni via nostra. Sed tu, Domine, libera nos de laqueo venantium et a verbo aspero, ut confiteamur tibi dicentes; Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus*. Subdit deinde laqueos hos tendi in tenebris; unde, ut eos videat et caveat, poscit lumen a Deo: *Et tu quidem Domine lux mea, illumina oculos meos; ut videam lumen, et ambulem in lumine tuo, et non impingam in laqueos eius. Quis enim evadat laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarum laqueos suos abscondit in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes, qui sunt in tenebris suis, qui sunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat non timebit: qui enim ambulat in die, non offendit, qui autem in nocte ambulat, offendit, quia lux* non est in eo.

Apposite S. Thom. 1. p. q. 65. art. 1. ad 3. notat creaturas natura sua ducere homines ad creatorem, quod vero ab eo abducant, ducantque ad malum et ruinam, id fieri non creaturarum vitio, sed culpa eorum, qui insipienter eis utuntur. Idem 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. Cum dicitur: *In tentationem*, τὸ *in*, inquit, *non ponitur causaliter, sed consecutive. Non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum. Unde subditur; et in muscipulam pedibus insipientium, qui scilicet per suam insipientiam utuntur creaturis ad aliud, quam ad quod facta sunt.*

Vers. 12. INITIUM ENIM FORNICATIONIS EST EXQUISITIO (græce ἐπίνοια, id est, excogitatio) IDOLORUM, ET ADINVENTIO ILLORUM CORRUPTIO VITÆ EST.) Dat causam, cur dixerit *creaturæ*, puta aurea, argentea, et lignea idola *factæ sunt in odium et in tentationem animabus hominum*, quia scilicet idola eadem sunt initium et causa fornicationis, ac corruptionis morum totius vitæ. Idololatria enim invexit libidines, ebrietates, et omnem scelerum colluviem. Hugo, Holcot, Dionys. et alii per fornicationem intelligunt idololatriam; hæc enim est mystica fornicatio, qua anima relicto Deo sponso, idolis et dæmonibus, quasi adulteris adorando se substernit. Hinc idola vocantur *Baalim*, id est, mariti, sed adulterini. Unde Prophetæ passim idololatriam vocant fornicationem, vel adulterium, ut Ezechiel c. 16. 26. Ierem. c. 2. 16. Osee 2. 5. Nahum 3. 4. etc. Sic sensus est, q. d. Exquisitio et fabricatio idolorum, est causa fornicationis, id est, idololatriæ; ad hanc enim invitant et alliciunt idola.

Verum hic sensus tum alienus videtur, tum exilis: quis enim nescit idola allicere ad idololatriam? Malim ergo fornicationem proprie accipere, præsertim quia ei iungitur corruptio vitæ, id est, morum omnium licentia et vitiatio, quæ communiter fornicationis solet esse somes, imo proles et filia. Sensus ergo est, q. d. Idola et idololatria est initium et causa fornicationis (sub qua cæteras libidinis species accipe per Synecdochen) indeque omnes probos honestæ vitæ mores depravat et corrumpit. Fornicatio enim secum inducit commessationes, ebrietates, rixas, pugnas, cædes, omnemque criminum catervam. Idololatria est causa omnis sceleris.

Causa est prima, quod idololatria sit summa apostasia et recessus a Deo, qui est ipsa sanctitas et puritas, et transitus ad dæmonem, qui est quasi ipsa impuritas et pravitas. Dæmon enim obstinatus in malo ob odium, quo prosequitur Deum et homines, qui sunt Dei imagines, ac destinati ad gloriam cælestem, ex qua ipse excidit, per invidiam furit, ut homines ad omne nefas, præsertim ad libidinem, in quam scit eum ex natura corrupta summe esse proclivem, pertrahat; quare sicut Deus castitate coli vult, sic dæmon libidine; ut patet ex sacris Priapi, Veneris, etc. Hinc sicut veros fideles videmus puritatis studiosos et castos; sic idololatras et hæreticos cernimus incestos, quare cum quis labitur in luxuriam, gradum facit ad hæresim. Causa. I.

II. Secunda, quod nemo castus esse possit sine peculiari et continuo adiutorio gratiæ Dei. Gratia autem est comes fidei: Fide ergo destituti carent pariter et gratia castitatis: Deus enim gratiam hanc tam singularem fere, non nisi fidelibus sanctisque impertitur.

III. Tertia, quia, ut ait Ambrosiaster in cap. 1. ad Roman. Idololatræ *Deum incuriosum colentes, atque per hoc negligendum, magis hebetati sunt, et ad omnia mala admittenda facti promptiores*; quia magnum frænum scelerum hominibus est metus Numinis, puta veri Dei, ne ab eo pro meritis castigentur; quo per idololatriam ablato, laxant idololatræ fræna cupiditatibus ruuntque in omnia dedecora. Non enim timent idola lignea et muta, nec ab eis vindictam exspectant. Hoc est quod ait Apost. *Desperantes* (destituti fide et spe) *tradiderunt semetipsos impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ*. Ephes. 4. 17.

IV. Quarta, quia idololatræ colunt Iovem, Priapum, Venerem, etc. qui fuerunt homines impurissimi, ac adulteriis et libidinibus infames; quare putant sibi non tantum licere, sed decori esse, si adulterentur et luxurientur, ut deos suos imitentur. Unde ille Adolescens apud Comicum: *Ego*, inquit, *non faciam quod Iupiter fecit?* uti fusius narrat S. August. lib. 2. de Civit. cap. 7. Hinc S. Athanas. Orat. contra Idola, docet institutam esse idololatriam *desideriis eorum, qui stupris et propudiis pleni in figmentis repræsentantur*. Fabulæ enim, comediæ, et tragœdiæ Poetarum plenæ sunt hisce Iovis, Martis, Veneris, etc. libidinibus, qui eas, quasi Deorum facinora decantant et celebrant. Quocirca turpissimam Deorum vitam cultores idolorum imitandam sibi proposuerunt. Addit S. Athanas. originem idolorum investigans: *Fere omnes civitates omnibus libidinibus scatent ob immanitatem morum, quam in suis diis conspiciunt. Neque est in hoc genere Deorum, quem castum appelles. Olim certe Phœnissæ* mulieres *ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quæstum, persuasæ meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem rerum inde nasci*. Idem factitarunt mulieres Babyloniæ, Persicæ, Armeniacæ et aliæ, ut dixi Baruch 6. 42. Prosequitur S. Athanas. *Viri quoque abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectaverunt, tamquam ita honorifica gratumque matri Deorum facturi essent; omnes autem in turpissimis vivunt, et certamen inter se pravitatis suscipere videntur, et ut dixit S. Paulus: Mulieres eorum mutaverunt usum*. Lege S. Paulum Roman. 1.

Notum est Isidis Sacerdotes fuisse impiissimos. Scitum est Paulinam matronam castam a Decio Mundo appetitam, cum eam pellicere non posset, per Sacerdotes Isidis ei persuasisse Deum Anubin se frui velle; itaque pro A-

dubium Decium se substituisse, eaque abusum esse. Rem narrat Ioseph. lib. 18. Antiq. 4. et Hegesip. l. 2. c. 4.

Hinc Balaam Moabitis hoc consilium dedit vincendi Hebræos, scilicet, ut speciosas virgines ad castra Hebræorum submitterent, quæ eos ad fornicationem simul, et cultum Beelphegor pellicerent; itaque factum, ut patet Numer. 25. uti ibidem ostendi.

Symbolice, idolum est phantasma speciosæ virginis vel meretricis, quod hominem adigit ad fornicationem. Homines enim carnales, qui oculos iaciunt in formam fœminarum, eam velut idolum sibi imprimunt, quod adeo versant et adamant, ut de alia re cogitare nequeant; quare cum eo fornicantur mente assidue, ac corpore, cum fœmina potiri possunt; quocirca amasias, quasi deas quasdam suspiciunt, colunt et venerantur. Qui ergo castus manere cupit, claudat oculos, et idola hæc a mente excludat, ut dicit S. Ioh c. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Huc facit, quod ait S. Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 39. et citatur 32. q. 7. can. 15. *Non solum. Non solum,* inquit, *de commisso fornicationis peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectetur atque animum teneat, procul dubio regnat. Fornicatio carnis, adulterium est. Fornicatio animi, idolorum est servitus. Est autem spiritualis fornicatio, de qua Dominus ait: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. 28. Idem applices cuilibet alteri phantasmati, iræ, vindictæ, gulæ, superbiæ, avaritiæ, quod iracundus, gulosus, superbus, avarus, velut idolum colit, ut illud opere expleat, eiusque usu et voluptate fruatur. Vide S. Cyprianum Prolog. de Cardin. operib. pulchre de his concupiscentiæ idolis disserentem.

Vers 13 NEQUE ENIM ERANT AB INITIO, NEQUE ERUNT IN PERPETUUM.) Probat idola esse corruptionem vitæ, quia primitus cum Deus naturam instituit, vitamque homini dedit, non erant idola; quare illa non sunt conformia, sed difformia naturæ, vitæque hominum, illamque corrumpunt: quapropter ipsa quoque non erunt in perpetuum, sed ut corruptelæ totius vitæ corrumpentur, destruentur et peribunt; præsertim prædicante contra illa Paulo, et Apostolis. Demonstrat idololatriam esse inventum hominum, non autem institutionem naturæ, vel eius auctoris Dei, quia id quod hominem detorquet a Deo, et hominis naturam corrumpit, Deo congruere, ac naturæ conforme esse nequit. Porro idola saltem publica non fuisse ante diluvium multi sentiunt, idque tum ob recentem creationis et creaturæ mundi memoriam, tum quia eo tempore nullus erat rex vel tyrannus, qui ad idolorum cultum plebem cogeret, sed quisque pro suo vivebat arbitratu, ita affirmat S. Clemens Roman. l. 4. Recognit. et l. 4. Sub finem, Epiphan. Præfat. lib. de Hæresib. et in initio Panarii, Damasc. initio lib. de Hæresib. ac cæteri, qui originem idololatriæ sæculo diluvium secuto assignant, inter quos præcipuus est, S. Cyrillus l. 4. et 3. contra Iulian.

An idola fuerint ante diluvium?

Intellige hoc de idololatria, quæ sit nota ex S. Script. vel aliis historiis, uti seipsum explicat S. Cyrillus, et cæteri. Nec enim Scriptura, nec ulla historia clare asserit, idololatriam fuisse ante diluvium. Nam ex signis et coniecturis valde probabiliter coniicere licet contrarium, scilicet idololatriam fuisse ante diluvium, imo fuisse causam diluvii; idque diserte docet Tertull. lib. de Idololatria. Et probatur primo, quia Genes. 6. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam.* Hæc autem corruptio naturaliter inducit Atheismum et idololatriam, uti post diluvium induxit. Hinc Serenus Abbas apud Cassianum Collat. 8. cap. 24. docet filios Dei, id est filios Seth, cum ingressi sunt ad filias hominum, id est filias Cain addixisse se maleficiis, superstitionibus et dæmones coluisse, qui cum non sint visibiles, verisimile est in simulacro et idolo se hominibus videndos et colendos præbuisse, uti fecerunt apud Gentiles post diluvium; et etiamnum faciunt apud Indos. Similia narrat Serenus de Cham filio Noe. Secundo, quia Gigantes, propter quos Deus induxit diluvium, fuere impiissimi, imo Athei et Theomachi, uti de suis Titanibus, quos Gigantes fuisse non est dubium, narrant poetæ. Gigantes enim cum Numen Deumque spernerent, ac suo robore et fastu omnes opprimerent sibique subiicerent, videntur voluisse haberi et coli tamquam dii, uti fecit Mezentius ille dicens apud Virgilium:

Dextra mihi est Deus et telum quod missile libro.

Porro memoria Creatoris Dei et creationis mundi cito, diuque ante diluvium ex animis impiorum evanuit uti iam dicta demonstrant. Adde diluvium tarde, puta post 1600. annos a creatione mundi contigisse. Hinc et Hebræi in Bereschit Rabba, id est Genesi magna ad cap. 4. Gen. v. 17. tradunt tempore Enos, qui fuit nepos Adæ ex Seth filio, homines illius ævi abiurasse fidem unius Dei, suaeque idololatriam incepisse, ideoque se illi opposuisse Enos, ac cœpisse invocare nomen Domini, scilicet proprio et publico cultu: licet alii aliter sentiant.

SUPERVACUITAS (græce κενοδοξία, id est inanitas, vana gloria et ambitio, hæc idolorum scilicet et idololatriæ) ADVENIT IN ORBEM TERRARUM.) q. d. Per vanitatem et ambitionem hominum ingressa est in orbem terrarum idololatria; ipsa enim non est aliud, quam mera vanitas et ambitio, ideoque cito peribit et evanescet. Nam homines ambitiosi honores divinos sibi appetentes, idola in mundum invexerunt. Pro *advenit,* ut habent Roman. et Græca, alii legunt *adinvenit:* sed eodem redit sensus. Unde alii legentes κενοδοξίᾳ, in ablativo vertunt: *Vana gloria,* vel *ambitione idola ingressa sunt in mundum.* Ita S. Athan. orat. contra idola, et Vatabl. *Quippe hominum ambitione,* inquit, *in mundum introducta sunt.* Quamvis autem ambitio prima fuerit homini causa idola effingendi, eisque sacrificandi; tamen invidia diaboli, odiumque quo Deum hominesque prosequitur, ut scribit Tertull. in lib. de Idololatria, hunc ignem accendit et auxit. Vers 14.

ET IDEO BREVIS ILLORUM FINIS EST INVENTUS.) Pro *inventus,* græce est, ἐπενοήθη, id est excogitatus, destinatus est, scilicet a Deo. Ita Clarius, Vatabl. et alii. Unde et S. Athan. legit: *Et ideo compendiaria eorum consummatio excogitata est,* q. d. Sicut vanitas vanaque ambitio excogitavit idola, ita Deus ex adverso huic vanitati et malo coercendo statim excogitavit remedium, quo illa sensim attereret et consumeret, nimirum vocando Abraham ad sui cultum, ac in eius familia et gente erigendo Synagogam, veramque unius Dei fidem et religionem, quæ ex diametro idololatriæ obsisteret, donec eam deleret per Christum et Apostolos. Alioqui enim constat idololatriam diu durasse, scilicet usque ad Christum per tria pene millia annorum, nisi quis dicat hic esse prophetiam de re proxime futura, si spectes tempus auctoris, qui hæc scripsit, ut τὸ *inventus sit,* prophetice capiatur pro *invenietur,* q. d. Brevi finis idololatriæ invenietur aderitque: instat enim adventus Messiæ, qui eam abolebit. Hic enim liber Scriptus videtur sub tempora Ptolomæi Philadelphi et Septuaginta interpretum, ducentis annis ante Christum, qui subvertit idola.

Porro Petrus Nannius pro διὰ τοῦτο, legens διὰ τὸ, sic vertit et explicat, q. d. Propter brevitatem vitæ hominum excogitata sunt idola, seu imagines mortuorum, ut scilicet brevitatem vitæ suorum longævitate memoriæ eorumdem, per imagines et idola compensarent. Verum Codices plerique omnes habent διὰ τοῦτο, non διὰ τό.

ACERBO ENIM LUCTU DOLENS PATER, CITO SIBI RAPTI FILII FECIT IMAGINEM: ET ILLUM, QUI TUNC QUASI HOMO MORTUUS FUERAT, NUNC TANQUAM DEUM COLERE COEPIT, ET CONSTITUIT INTER SERVOS SUOS SACRA ET SACRIFICIA.) *Sacra* intellige festa, templa, altaria, thura, aliosque sacros culturæ modos et ritus. Ita Dionys. Pro *acerbo* græce est, ἀώρῳ; ἄωρον autem vocatur id quod in fructibus est intempestivum, ideoque acerbum, utpote immaturum, quod calore solis non est coctum, sed adhuc acerbum manet: transfertur ad vitæ incommoda, et mala, et ad hominis celerem decessum, ut patet c. 10. v. 7. Luctus ergo acerbus seu intempestivus dicitur, quod filius ante tempus raptus lugeretur. *Sacra,* græce, *mysteria et sacrificia,* hoc est cæremonias et ritus, et quidquid ad Vers 15.

cultum pertinet, paravit, sacrificiaque constituit. Hinc Arabicus vertit: *Quia genitor propter dolorem suum ingemiscit gemitu infinito, propter subitam ablationem filii sui: exemplo fecit illi simulacrum, et hominem permanentem ab initio venerati sunt tamquam Deum.* Obscurius Syrus: *Sacrificium enim mæstitiæ sumpsit pater cum tremore animantium, atque filius eius tollatur quia fecit formam homini, tunc mortuus est, et fecit nunc eum comparationem Dei. Et dedit iis qui sub manu sua sunt mysteria ministerii.*

Probat idola non semper fuisse, sed esse nuperrimum hominis inventum, ex eo quod illa adinventa sint a parentibus, ad leniendum dolorem conceptum ex præpropera morte filiorum vel charorum, quod scilicet ut eorum memoriam sibi ad aliquale solatium conservarent, fecerint eorum imagines, easque velut idola cum suis coluerint. Amor enim parentum in filios est cæcus et amens, ut filiorum aspectu, cultu et laude non satientur, donec divinos honores eis tribuant; O magna generis humani calamitas! Amoris signa transtulit in incitamenta peccati, et quod primo charitati serviebat, fecit ut tantæ Dei iniuriæ deserviret. Triplex ergo nefas imprudenter et sacrilege commisit. Primum, quod filii imaginem velut idolum ad doloris lenimentum asservarat, cum eo potius dolorem auxerit. Nam per imaginem redeunte filii memoria, renovabatur patri dolor de eius morte: ac quoties eam aspiciebat, toties velut ictu cultri cor eius perforabat. Nimirum ignorabat, quod dolorum et miseriarum medicina sola sit oblivio; secundum, quod amore et honore filii excluserit amorem et honorem Dei, ac idolum filio quasi Dei, æmulum, in summam eius iniuriam constituerit, atque a suis per sacra et sacrificia coli voluerit; tertium, quod posteris fuerit causa idololatriæ omniumque scelerum, quæ ex illa oriri nata sunt. Quocirca Olympias Alexandrum Magnum filium eum se Iove natum venditaret, festive castigavit. *Nam cum is,* inquit Gellius libr. 13. cap. 4. *ad matrem ita scripsisset: Rex Alexander Iovis Ammonis filius Olympiadi matri salutem dicit. Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: Amabo, inquit, fili mi, quiescas, neque deferas me, neque criminere adversum Iunonem. Malum mihi* C *prorsum illum magnum dabit, cum tu me litteris tuis pellicem illi esse confiteris. Ea mulieris scitæ atque prudentis erga ferocem filium comitas, sensim et comiter admonuisse eum visa est, deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis et adulantium blandimentis, et rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Iove.*

Quando cœperunt idola?

Gravis est hic et obscura quæstio de origine idolorum et idololatriæ, a quo scilicet, quando et quomodo inceperint? Calvin. l. 1. Institut. c. 11. § 8. ex hoc loco contendit librum hunc non esse canonicum, et auctorem falsi insimulat, eo quod Rachel, inquit, legatur furata idola patris sui. Gen. 31. 19 quæ tamen non erant imagines mortuorum: illud autem contigit, antequam in consecrandis imaginibus mortuorum consuetudo invalesceret. Verum utrumque Calvino est probandum; utrumque enim est falsum: Prius, quia idola Rachelis vocantur Hebr. *theraphim*, quæ simulacra sunt hominis vel hominem repræsentantia, ut patet 1. Reg. 19. 13. ubi Michol pro Davide marito suo, D qui a servis Saulis quærebatur ad necem, ut eos similitudine corporis humani falleret, in lecto supposuit *theraphim*, id est simulacrum hominis, ac proinde Davidi simile. Posterius quoque falsum est, quia longe ante Rachelem Ninus Primus rex Assyriorum, cuius anno regni 43. natus est Abraham avus Iacobi, cuius uxor fuit Rachel; Ninus inquam, Belo Patri suo vita functo posuit imaginem et idolum ad adorandum, uti mox ostendam. Porro Calvinum refellit S. Athanas. libr. contra idola, qui hanc de origine idolorum Sapientis sententiam disertis verbis citat et probat; æque ac cæteri doctores et interpretes, atque tota Ecclesia, quæ hunc librum ut canonicum, et a Spiritu sancto dictatum recepit, ac in Concil. Trid. sess. 4. talem esse definivit.

Idololatria fuit ante idola.

Pro resolutione quæstionis, suppono idololatriam posse esse sine idolis, imo fuisse ante idola, scilicet cum dii sine simulacris, aut solis templis, et ædibus vacuis colerentur, A ut diserte docet Tertull. initio libr. de idololatria, et Plutarch. in Vita Numæ docet ex illius præcepto annis 170. ab Urbe condita nullam in templis Romæ imaginem, neque pictam, neque fictam fuisse conspectam. Idem habet Dion. Halicar. addens Tarquinium Priscum docuisse Romanos simulacra dii ponere. Hos enim vult Varro apud August. 4. de Civit. 31.

Idololatria cœpit mox a diluvio.

Dico primo, idololatria videtur statim cœpisse a diluvio, non tamen idola. Probatur primo: quia Nemrod filius Chus, filii Cham, filii Noe Gen. 10. superba tyrannide populum sollicitavit, ut a Deo deficeret ad se. Ita Ioseph. Antiq. lib. 1. et S. August. 16. de Civit. 4. et passim alii consentiunt, eum auctorem fuisse, et præfectum ædificandæ turris Babel contra Deum, unde ipse cum suis punitus est a Deo, quando ut ait S. August. l. 16. de Civit. c. 11. Solus Heber tunc cum suis, quasi Dei populus pristinam linguam, puta Hebræam æque ac fidem et pietatem retinuit: Nemrod vero cum reliquis sibi obsequentibus utraque fuit spoliatus. Addit Hugo de S. Victor. in Gen. c. 10. Nemrod B homines ad idololatriam induxisse, ut ignem quasi Deum colerent, quem errorem postea Chaldæi sunt secuti. Unde Abraham liberatus dicitur de Ur, id est de igne Chaldæorum. 2. Esdræ 9. v. 7. Secundo, quia Cham filius Noe homo pessimus, artis Magicæ fuit auctor (Magi autem dæmonem colunt.) Ita Cassian. Col. 8. 21. et Berosus Annianus et alii, qui Berosus docet eum inde Zoroastrem dictum, eiusque pestifera dogmata secutos Ægyptios, qui illum sibi fecerunt inter deos Saturnum adolescentiorem. Favet ratio, nam videmus pessimos mores, quales fuerunt Cham et posterorum, fere in infidelitatem, hæresim, aut atheismum degenerare.

Ninus primus idolum publicum patri erexit.

Dico Secundo: Ninus primus rex Assyriorum, primus pariter idolum celebre Beli patris sui mortui, qui aut Nemrod fuit, aut eius successor, publica regis auctoritate sub annum trecentesimum post diluvium proposuit, illudque asylum reis constituit. Ita S. Ambros. in c. 1. ad Roman. S. Cyrill. l. 3. contra Iulian. non longe ante finem, S. Hieron. in Osee 2. Euseb. in chronico et alii passim, indeque C prisca idola dicta sunt Bel, Baal, Baalim, Belial, Beelphegor, Beelzebub et plurima talia; significat autem *bel*, vel *baal*, Hebraice Dominum, quomodo nos Deum Dominum vocamus Antonomastice. Vide dicta Gen. 10. v. 10. Quare quod Græci teste S. Cyrillo l. 1. contra Iulian. volunt Cecropem eorum regem primum finxisse simulacrum idque nominasse Iovem summum Deorum, aras illi statuisse, et bovem immolasse, vel falsum est, vel intelligendum primum fuisse in Græcia. Sic et quod S. Hieron. Proœmio in epist. ad Titum, ac Dydimus l. Exegesis asserunt, a Cretensium rege Melisso cœpisse idololatriam, Diodor. et Euseb. a Phrygibus, Lactant. l. 2. de Falsa religione a Chananæis, quia eorum conditor Chanaan ab avo Noe maledictus, primus a veri Dei cultu ad simulacra defecit. Hæc, inquam, vel falsa sunt, vel intelligenda sic, quod suis in locis et provinciis dumtaxat fuerint primi idololatriæ auctores. Sic Atlantides Africæ populi primum apud se cognosse Deum οὐρανὸν, id est, *cælum* falso gloriabantur. D Phœnicibus vero æque falso Theologiæ et religionis initium arrogat Sanchuniathon Berytius apud Euseb. lib. 1. præpar. Hinc pariter liquet errare Hebræos, qui teste Isidoro lib. 8. Etymol. c. 11. tradunt primum idoli factorem fuisse Ismaelem, quia et idolo nomen Ismael fuit.

Dico tertio, ante hoc Nini idolum celebre et universale, fuerunt alia privata, imo et publica, sed non tam universalia, quam Nini. Patet nam Ninus fuit coævus Abrahæ. Abraham enim est natus anno 43. Nini. Ita Euseb. S. Hieron. August. Cyrill. Beda, Isidor. Ante Abraham autem fuisse idola patet, quia Thare pater eius et reliqui Chaldæi erant idololatræ, ut habet communis Hebræorum traditio et patet Iosue ult. vers. 2. Rursum Epiphanius initio libr. 1 de Hæresib. atque ex eo et Philone Suidas Verbo *Sarug*, docent idololatriam in cultu imaginum sive picturarum cœpisse a Sarug, qui avus fuit Thare, et Septimus a Noe. A Sarug ergo videtur cœpisse idololatria imaginum, non tamen statuarum.

Sarug Auctor imaginum.

Dico quarto, causa et initium idolorum fuit fabrica imaginum defunctorum. Fecerunt enim idola, ut filiorum, aut maiorum, aut regum, aut inventorum artium, aut beneficorum et amicorum memoria servaretur. Tales ergo homines defuncti habiti sunt dii, cum ipsi quasi in cœlum recepti colerentur, pro quibus deinde se in terris dæmonia colenda supposuerunt, et sibi sacrificari a deceptis et perditis hominibus flagitarunt, inquit August. 12. contra Faustum 17. Cyprian. initio libr. de idol. Vanitate. Herodot. lib. 1. Tertull. Apolog. c. 21. Euseb. 7. Præpar. 7. Lactant. lib. 1. c. 17. Idem de Sarug docet Suidas supra; *Hoc*, inquit S. Cyprian. *ita esse, Alexander Magnus insigne volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis sibi proditum de diis hominibus, a sacerdote secretum, quod maiorum et regum memoria servata sit, inde colendi et sacrificandi ritus inoleverit.* Hinc et a sepulcris regum et clarorum virorum templorum originem deducit Eusebius lib. 2. de Præpar. c. 8. Lectant. et Clemens Alex. in Protreptico: *Superstitio*, inquit, *templa condere persuasit: quæ enim prius hominum sepulchra fuerunt, magnificentius condita, templorum appellatione vocata sunt.* Sic et apud Christianos templa erigebantur ad sepulcra martyrum, indeque martyria vocabantur, uti dixi Apoc. 6. 9.

Hac de causa S. August. 18. de Civit. 4. docet, Serapidis simulacrum digito ad os admoto, indicare solitum, ut taceretur Serapidem fuisse hominem, imo et pœnam mortis constitutam iis, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cum tamen vere hominem fuisse constaret. Ritum apotheoseos Cæsarum sive relationis Cæsarum in Deos habet Herodia l. 4. initio. Neque aliud vult hic Sapiens. Tantum enim vult dicere, ex nimio affectu et dolore suorum initium sumpsisse idololatriam, quod apud varias gentes diversimode factum, apud quosdam patre extruente imaginem filii, apud alios filio patris, apud alios marito uxoris, apud alios aliis defunctis, ut insinuat Sapiens v. 21. Idolum ergo finxit defunctorum amor et ambitio, provexit adulatio et metus principum; firmavit fraus dæmonum, splendor idolorum, tot sæculorum error et usus.

Primum idolum posuit pater filio. Probatur.

Dico quinto, magis obvium et proclive est, ut filio pater, quam ut filius patri aut alteri imaginem et idolum erigat, ac consequenter idolum filii, vel primum, vel inter prima fuisse videtur. Probatur primo, quia huc inclinant
1. Verba Sapientis, cui nihil ei antiquitate contrarium efferri potest, et alia ex parte omnino est verisimile auctorem huius libri virum ubique pium, doctum, et gravem traditione accepisse hanc suam sententiam; secundo, quia patres
2. magis amant filios maxime teneros, quam filii ament patres: ergo proclivius amor et dolor parentum, iis excussit imagines erigendas filiis defunctis, quam contra; maxime cum patres per filios quasi semper esse et vivere cupiant, non contra. Probatur tertio, exemplis. Nam Lactant. l. 1.
3. de falsa religion. cap. 15. ex Cicerone docet ipsum Tulliolam suam filiam defunctam, deam facere conatum erecto illi simulacro, idque imitatione veterum; ergo veterum hic mos fuit. Rursum Fulgent. libr. 1. de Diis gentium initio cap. de idolo, ex Diophante Lacedæmonio antiquissimum habet exemplum idoli, quod Synophanes Ægyptius splendidus filio demortuo erexit, additque inde idolum dictum quasi εἶδος ὀδύνης, id est species doloris: hic autem in morte filiorum acerbissimus est.

Synophanes primus filio idolum fecit.

Huc accedit Noster Hieronym. Prados in cap. 8 Ezechiel. sub finem, ubi primo asserit, hunc Synophanem fuisse primum (quod etiam asserit Holcot) idololatram, eumque eum, quem hic notat Sapiens, et hinc Hebr. idola dici *atsabim aven*, id est dolores, labores; secundo, Ægyptios auctores idololatriæ exstitisse; tertio, hunc filium videri esse Adonidem: εἶδος ὀδύνης enim corruptum videtur in nomen Adonis. Unde Stephanus libr. de Urbibus: Amathus, inquit, fuit urbs Cypri vetustissima, in qua Adonis Osiris colebatur, qui cum Ægyptius esset, Cyprii et Phœnices perpetuum sibi fecerunt; quarto, Epiphan. initio lib. de Hæresib. et ex eo Suidas voce *Abraham* docet Thare, qui avum habuit Sarug, et Abraham filium primum arte Saturnum, Iovem, Rheam, ac Iunonem et alios deos, sta-

Ait Thare.

A tuas ex luto arte figulari, id est, idola statuarum fecisse, illumque esse primum, cuius filium scilicet, Aram Script. meminit ante patrem esse defunctum, quasi innuat, id ideo factum quod Thare primus filio defuncto idolum erexerit, ideoque a filio Abrahamo de idolorum cultu gravissime reprehensum. Et sane si Thare primus statuas idololatricas finxit mortuis, non dubium, quin vel maxime filio Aram, et parvulo defuncto, si quem talem habuit, finxerit; quæ si vera sunt, videtur hic Sapiens notare hunc Thare, quod primus statuam filio defuncto erexerit. Nam Sapiens hic de imagine statuæ loqui videtur. Unde v. 17. Græce vocat γλυπτά, id est sculpta; et v. 21. lapidea et ligna. Si tamen ad imagines pictas Sarug quis hæc referat, non repugno sed vellem auctorem priscum, qui Sarug imagines filio defuncto primum erexisse diserte asserat. Quare quod Iulius Hyginius l. 1. Fabularum c. 274. ait Dædalum Eupolemi filium primum Deorum simulacra fecisse, accipiendum est inter Græcos, vel Athenienses: nam ante hunc fuerunt Chaldæi, Thare et Sarug.

B Denique Victor Massiliensis docet, Nemrod doloris gratia statuam posuisse filio, quem unicum amiserat, ac ad eam sacra fecisse, hostias immolasse, et idololatriæ auctorem exstitisse. Huc accedit noster Sebast. Barradius tom. 4. in Evang. part. 503. qui opinatur, Ninum, vel quem alium primum filio suo, qui ab avo vocatus sit Belus vel Baal, idolum publicum constituisse; nec enim de privato, sed de publico idolo loqui hic Sapientem. Idem opinatur Guiliel. Parisiensis lib. de Legibus c. 23.

Verum Euseb. S. Aug. Cyrill. et cæteri docent Ninum Belo patri suo, non filio primum idolum posuisse.

Porro, quod Lactantius l. 1. Instit. c. ult. ex Theophilo et Thalo ait, Belum Saturno, qui sator fuit Deorum tempora fuisse æqualem, et utrumque uno tempore adolevisse, cæteri passim confutant. Saturnus enim et Iupiter longe posteriores fuere Belo, Nemrod, Nino et Abrahamo: Saturnus enim in Creta regnavit, ac inde fugatus a Iove filio, in Italia et Latio, centum annis ante bellum Troia-
C num, quod contigit sub tempora Samsonis, qui multis sæculis non tantum Belo et Abrahamo, sed et Mose fuit posterior, teste Euseb. in Chron. Unde Epiph. Præfat. l. 1. contra Hæreses sic ait: *Postea* (post Thare et Abraham) *deificarunt, aut infelices tyrannos, aut præstigiatores spectra orbi terrarum exhibentes, monumenta ipsorum venerantes, at longo tempore postea, Saturnum et Iovem, Rheamque ac Iunonem, et alios deinceps.* Accedit, quod Saturnus et Iupiter sint Latina nomina, Latini autem Babyloniis, Assyriis et Hebræis, qualis fuit Nemrod et Bel sive Belus, longe fuere posteriores: dicitur enim Latine Iupiter, quasi iuvans pater; Saturnus, quasi satur annis, teste Cicerone l. 2. de Natura Deorum. Quin et Lactant. ipse loco citato: *Agamemnon*, inquit, *qui gessit bellum Troicum* (Troianum) *Iovis abnepos fuit, et Achilles Aiaxque pronepotes, et Ulysses eodem gradu proximus fuit.* Ergo non diu ante bellum Troianum vixit Iupiter, cum Bel sive Belus multis sæculis ante illud exstiterit. Bellum enim Troianum exstitit paucis annis ante Samsonem. Imo
D Noster Salianus in Annal. Troiam captam asserit anno ultimo Abialon Iudicis Israel, cui successit Abdon iudicans Israel octo annis, deinde Samson. Unde Eusebius in Chronico a nativitate Abrahæ, qui natus est anno Nini (qui Belo successit) 43. usque ad captam Troiam numerat annos 835. a nativitate vero Mosis ad captam Troiam numerat annos 340.

Saturnus et Iupiter quando vixerint.

Error inde accidit, quod cum Latini suum Iovem et Saturnum censerent esse primos et antiquissimos Deorum, ac talem pariter apud Assyrios audirent esse Belum, inde concluserint Belum fuisse eumdem, vel certe coævum Saturno, cum Belus longe anterior fuerit, æque ac Assyrii anteriores fuere Latinis. Inde rursum factum, ut nonnulli nomen Iovis extenderint ad Belum, eique dederint nomen Iupiter Belus, ac Beli patrem vocent Saturnum: sed nimirum nominibus abutuntur, et hic abusus parit confusionem Deorum et temporum. Audi S. Cyprian. initio lib. de Idololatria: « Antrum Iovis in Crete visitur, et sepul-

erum eius ostenditur, et ob eo Saturnum fugatum esse manifestum est: inde Latium de latebra eius nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, inde ærarium Saturni vocatur, et rusticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens pingitur; hunc fugatum hospitio Ianus exceperat, de cuius nomine Ianiculum dictum est, et mensis Ianuarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus, annum incipientem pariter et recedentem spectare videatur. »

Dii Græcorum et Latinorum vixere sub tempora belli Troiani. Denique Saturnus fugiens Iovem regnavit in Italia, cui successit filius Picus, post quem Faunus, qui fuit pater Latini, Æneæ soceri. Hinc collige, quam parum abfuerit Deorum ætas a Troiano sæculo, inquit Genebr. in Chronol. Æneas enim capta Troia fugit in Italiam. Tunc ergo simul floruere præcipui dii, id est, homines inter deos relati a Græcis et Latinis, qui fuere numero duodecim, quos Ennius bis duobus versibus complexus est:

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Saturnum et Bacchum addit Euseb. lib. 4. de Præp. Horum sepulcra olim extabant in Græcia et Latio, ac præsertim Iovis in Gnoso urbe Cretæ. Ita Euseb. Clemens, Lactant. S. Cyrillus, et alii iam citati. Porro multi ex his fuere filii Saturni, qui proinde Sator Deorum vocatur. Saturnus enim ex Rhea, sive Ope genuit Iovem, Cererem, Iunonem, Neptunum, Plutonem, etc. teste Lactant. lib. 1. c. 14. ex Ennio.

Vers. 16. Denique S. Thom. 2. 2. q. 94. ex hoc capite colligit quatuor causas et origines idololatriæ. Primo, fuit nimius amor vel timor. Homines enim nimie filium, patrem aut principem amantes, vel nimis venerantes honorem divinum ei impenderunt; secundo, fuit pulchritudo imaginis, qua naturaliter delectantur et capiuntur homines; tertio fuit ignoratio Dei, quia enim Deum alium non inveniebant, hinc creaturis divinitatem attribuerunt; quarto, fuit fraus dæmonum, qui in idolis coli cupientes per ea dabant responsa, vel mira quædam patrabant.

DEINDE INTERVENIENTE TEMPORE, CONVALESCENTE INIQUA CONSUETUDINE, HIC ERROR TAMQUAM LEX CUSTODITUS EST, ET TYRANNORUM IMPERIO COLEBANTUR FIGMENTA.) Pro *iniqua*, ut habent Græca et Roman. perperam nonnulli legunt *antiqua*: τὸ *hic error* non est in Græco, qui sic habet: et *impia consuetudo quasi lex custodita est*, scilicet ab impiis: nam pii sciunt impiam consuetudinem numquam præscribere, nec ulla temporum longitudine roborari, ut vicem legis obtineat. Pro *figmenta* græce est γλυπτα, id est, *sculpta*, scilicet idola. Prima enim idola fuerunt sculptilia, puta imagines Regum, aliorumve

Causa idololatriæ. 1. hominum, in auro, ære, ligno exsculpta. Significat ergo primo idola domi fuisse culta ad libitum, sed idololatriam hanc privatam roboratam fuisse publica consuetudine et regum imperia, ut iam amplius libera non esset, sed consuetudine quasi lege sancita, et tyrannorum vi coacta. Sic Ninus coegit suos adorare idolum Beli patris sui. Sic Nabuchodonosor statuam sibi erigens in ea se adorari iussit, Daniel 3. Sic Nero, Decius, Diocletianus, cæterique Imper. coegerunt idola Iovis, Apollinis, Martis etc. adorari, ideoque Christianos id facere recusantes ferro et flamma persecuti sunt per trecentos annos, a Christo scilicet usque ad Constantinum, tumque multa centena martyrum millia gloriosa de tyrannis, æque ac idolis victricum trophæa retulere.

Vers. 17. ET HOS, QUOS IN PALAM HOMINES HONORARE NON POTERANT, PROPTER HOC QUOD LONGE ESSENT E LONGINQUO FIGURA EORUM ALLATA, EVIDENTEM IMAGINEM REGIS, QUEM HONORARE VOLEBANT, FECERUNT, UT ILLUM QUI ABERAT, TAMQUAM PRÆSENTEM COLERENT SUA SOL-

2. LICITUDINE.) Græce: *Ut absenti tamquam præsenti adularentur studiose.* Hæc est altera causa idoli et idololatriæ, scilicet adulatio; multi enim ut regibus aliisque potentibus adularentur, eorumque gratiam aucuparentur, fecerunt eorum imaginem *evidentem*, græce εμφανη, id est claram, manifestam, et ad vivum expressam, eamque ut Numen colere cœperunt.

Audi S. Cyprian. initio tract. de Idololatria: « Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra: quibus et immolabant hostias, et dies festos dando honores celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia. Et videamus an stet hæc apud singulos veritas: Melicertes et Leucothea præcipitantur in maria et fiunt postmodum maris numina. Castor et Pollux alternis moriuntur, ut vivant. Æsculapius ut in Deum surgat, fulminatur. Hercules ut hominem exuat, Œtæis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. »

PROVEXIT AUTEM AD HORUM CULTURAM ET HOS, QUI IGNORABANT, ARTIFICIS EXIMIA DILIGENTIA. ILLE ENIM VOLENS PLACERE ILLI, QUI SE ASSUMPSIT, ELABORAVIT ARTE SUA, UT SIMILITUDINEM IN MELIUS FIGURARET. MULTITUDO AUTEM HOMINUM ABDUCTA PER SPECIEM OPERIS, EUM QUI ANTE TEMPUS TAMQUAM HOMO HONORATUS FUERAT, NUNC DEUM ÆSTIMAVERUNT.) Tertia, est hæc causa idololatriæ, scilicet industria artificis insigne, pulchrumque idolum efformantis. Hæc enim pulchritudo idoli hebetes et rudes allexit ad eius contemplationem, admirationem, et adorationem. Vers. 18. 19. et 20. 3.

Pro *eximia diligentia*, græce est, φιλοτιμια, id est amor honoris, ambitio, puta ambitiosa, et ut Vatabl. ait, affectata diligentia artificis, qui ut ab imperitante, vel hero, cæterisque ex arte laudem, ac eximii artificis nomen et decus consequeretur, studiose et ambitiose simulacrum elaboravit, uti faciebat Apelles, qui proinde rogatus, cur tam morose, lente, et exacte pingeret? respondit: *Pingo æternitati.*

Pro *ei qui se assumpsit, etc.* græce est: *Ille enim volens placere* κρατουντι, id est *dominanti*, puta Principi, qui idolum formandum dedit. Ita Vatabl. Iansen. Osorius; aut potius κρατουντι, id est suo hero et domino, qui illum quasi prehendit, et pretio ad formandum Principis idolum conduxit. Agitur enim de eo, qui Principi absenti adulans, eius imaginem quam elegantissimam confici curat. Unde Noster soleter vertit: *Et qui se assumpsit.* Ita Lyran. Hugo, Dionys. et alii.

ELABORAVIT.) Græce ἐξεβιάσατο, id est, vi per artem effecit, vel summo vi artis incubuit, summam vim et contentionem in elaborando adhibuit, toto conatu efformavit. Ita Nannius: *Ut similitudinem in melius figuraret.* Græce: *Elaboravit arte similitudinem in pulchrius*, vel ad maiorem pulchritudinem et venustatem, id est, quam pulcherrime et elegantissime effinxit, in eaque omnem vim artis ac facultatis adhibuit, et quasi extremum potentiæ exercuit.

MULTITUDO AUTEM ABDUCTA.) Græce ἐφελκόμενον, id est, attracta, illecta. Unde Iansen. censet legendum *adducta*. Sed Romani significantius legunt *abducta*, id est, illecta, seducta, decepta *per speciem operis*; græce *per gratiam operis, eum qui ante tempus*, græce προ ὀλίγου, id est, ante modicum tempus, sive paulo ante, *tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt*, græce σέβασμα ἐλογίσαντο, id est *rem cultu dignam*, puta Numen *reputarant.* Unde Vatabl. vertit: *Vulgus autem opificii venustate illectum, quem nuper ut hominem honorarat, nunc Numen existimavit.*

ET HÆC FUIT VITÆ HUMANÆ DECEPTIO; QUONIAM AUT AFFECTUI, AUT REGIBUS DESERVIENTES HOMINES, INCOMMUNICABILE NOMEN LAPIDIBUS ET LIGNIS IMPOSUERUNT.) Vers. 21. Græce: *Et hoc fuit vitæ* εἰς ἔνεδρον, id est, *in insidias*, hoc est *insidiosum*, scilicet ad capiendos rudes homines elegantia idoli, ut illud numen esse crederent, itaque agerentur in ruinam et exitium vitæ, tum præsentis, tum æternæ. Pro *affectui aut regibus*, græce est, ἢ συμφορᾷ ἢ τυραννίδι, id est, aut *calamitati aut tyrannidi*; *calamitati* hoc est affectui exorto ex calamitate filii aut cognati, vel parentis amissi et mortui. Refricat enim quod dixit versu 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem.*

INCOMMUNICABILE NOMEN LIGNIS ET LAPIDIBUS IMPOSUERUNT.) q. d. Nomen *Iehova*, id est Dei, soli Deo vere proprium, tribuerunt ligneis et lapideis idolis, quæ vocarunt deos, iisque divinitatem ascripserunt, quæ summa fuit stoliditas, æque ac Dei veri iniuria.

Tropol. idem facit peccator, dum creaturam Creatori anteponit, ut in ea omnem suum amorem figat, in eaque felicitatem et ultimum suum finem constituat. Talis enim suas opes, honores, veneres, delicias, etc. velut sua idola et numina colit: quare illis quasi divinitatem tribuit, eamque Creatori adimit, cum summa eius offensa. Nam ipse ait: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus*, Isaiæ 42. 8.

Tentationi, id est, idolo resistendum. Exempla. Quocirca cum te creatura quæpiam sui specie velut idolum ad idololatriam, puta ad peccatum allicit, animose illi resiste ac responde, quod martyres tyrannis responderunt. Tres pueri Hebræi Nabuchodonosori ad suam statuam adorandam urgenti, minantique fornacem Babyloniam generose replicarunt: *Non oportet nos de hac re respondere tibi: Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti non adoramus.* Dixerunt et præstiterunt; ideoque in mediis ignibus Deo tutante illæsi, Eucharisticum ei cecinerunt. Daniel. 3. vide ibi dicta.

S. Marius, eiusque filii Audifax et Habacuc, Persæ et Martyres generosi, cum idola irridentes, Romæ per urbem colligatis manibus circumducerentur præcone clamante: *Deos nolite blasphemare*, exclamarunt: *Non sunt Dii, sed dæmones, qui et vos perdent et principem vestrum.* Ita habent Acta S. Valentini apud Surium die 14. Febr.

S. Publia Matrona nobilissima et præstantissima (quam Græci in Menolog. asserunt fuisse matrem S. Chrysost. et insinuat Theod.) audiens illac transire Iulianum Apostatam idolorum patronum, ut eum rideret cum suo Virginum choro cecinit: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis*; cumque Iulianus indignans iuberet eas tacere, Publia cum suis maiori alacritate idem occinuit. Quare tyrannus præcepit eam alapis cædi et cruentari. Verum illa contumeliam hanc pro summo honore ducens domum revertitur, et tyrannum ut assolebat spiritualibus cantilenis perstringit, ait Theod. lib. 3.

Trinitas Martyrum et virginum sub Diocletiano fuere S. Menodora, Metrodora et Nymphodora sorores, et quasi tria virginitatis dona, quarum de idolis æque ac tormentis triumphum colit Ecclesia die 10. Septembris. Menodora dum per duas horas a quatuor lictoribus cæderetur, Præcone clamante: *Deos cole iisque sacrifica*, intrepide respondit: *An non vides, quod me totam Deo meo sacrificavi? quænam enim est meo sanguini utilitas, dum descendo in interitum, si non eum prius meo sponso sacrificavero?* Quare virginis ossa conterebantur, et confringebantur rosea genæ martyri, quæ magna voce clamans: *Domine Iesu Christe mea exaltatio, meus amor, ad te, spem meam, confugio, accipe in pace animam meam*, purpuream in eius manus emisit spiritum. Metrodora idola irridens, et Deos velut dæmones subsannans, per duas horas lampadibus ustulata, et ferreis vectibus contrita sororem secuta, Martyr ascendit ad sponsum. Nymphodora iussa idolis sacrificare, dum ferreis ungulis discerperetur: *Ego*, inquit, *me domino sacrificavi, propter quem pati est voluptas, et mori lucrum*; quare vectibus ferreis pariter confracta, victrix evolavit ad Christum. Felices nymphæ, quæ angelorum vitam æmulantes, imo superantes duplicem virginitatis et martyrii lauream meruerunt, atque angelorum manibus in cælitum choros translatæ triumphant. Vitæ earum exstat apud Surium die 10. Septembris.

Vers 22. ET (Græce εἶτα, id est, *deinde*) NON SUFFECERAT ERRASSE EOS CIRCA DEI SCIENTIAM (Græce γνῶσιν, id est, *cognitionem*) SED ET IN MAGNO VIVENTES INSCIENTIÆ (græce ἀγνοίας, id est, *ignorantiæ*) BELLO TOT ET TAM MAGNA MALA PACEM APPELLANT) q. d. Ad tam perniciosum de Deo errorem accedit quidam quasi errorum circa mores, et vitiorum exercitus, qui tamen obcæcatis idololatris pacatus tranquillusque videtur [illegible]atos, et in tanto scelerum dissidio, tumultu, rixa, et pugna, velut in iucunda pace conquiescunt. Ita Lorinus.

Quæres, quodnam sit hic magnum inscientiæ bellum? respondent: Primo nonnulli esse bellum, quod idololatræ velut novi Titanes insipienter gerunt cum Deo, dum idolis et Lucifero adhærent, atque sub eius signis contra Deum militant. Verum hoc bellum paulo ante expressit dicens: *Et non suffecerat eos errasse circa Dei scientiam*, cui iam addit et quasi opponit, quod in *magno inscientiæ bello* vixerint. Unde alii accipiunt bellum, quod idololatræ Creatori repugnantes susceperunt cum omnibus eius creaturis: hæ enim pro Creatore suo stantes contra omnes eius hostes, quales sunt idololatræ, depugnant. Idololatra enim (et mystice peccator quilibet) lacessens et provocans Deum, hoc ipso lacessit, et quasi ad duellum provocat omnes eius creaturas. Nam ut ait Sapient. 5. 21. *Pugnabit cum illo* (Deo) *orbis terrarum contra insensatos*. Inscientiæ bellum quod? Resp. I.

Secundo, alii bellum inscientiæ sive ignorantiæ interpretantur, quod idololatræ indicunt ipsi veritati et sapientiæ dum idololatriam veri Dei cultui, superstitionem religioni, falsitatem veritati, hæresim fidei, dæmonem Deo anteponunt. II.

Tertio et genuine, inscientia sive ignorantia hoc loco non speculativa, sed ethica et practica accipitur, idemque est quod insipientia, imprudentia, error in vita et moribus, vitium, malitia, scelus. Bellum ergo ignorantiæ est illud quo vitium cum virtute, æque ac cum opposito sibi vitio confligit. Nam prodigalitas v. g. confligit cum liberalitate, æque ac cum avaritia; superbia confligit cum humilitate, æque ac cum pusillanimitate; gula confligit cum temperantia, æque ac cum nimia abstinentia, etc. conflictus hosce singularum virtutum et vitiorum graphice depingit S. August. libr. de Conflict. virt. et vitior. et Prudentius in Psychomachia. Sensus ergo est, q. d. Impii idololatræ ex idololatria et errore, quo idola Deo vero prætulerunt, inciderunt in alios errores practicos circa res agibiles, puta in vitia omnia scilicet in sacrilegia, in invidiam, in adulteria, in periuria, etc. quæ explicando subiicit, ac præsertim in parricidia et homicidia, quibus præteritis pietate naturali et iustitia, impie se cædibus maculaverunt, imo filios proprios sacrilege idolis mactarunt et sacrificarunt. In sequentibus enim hoc bellum explicans enarrat scelera, quæ cum infidelitate et idololatria, et iam cum hæresi, et secta Politicorum Atheorumque coniuncta sunt, aut inde consequuntur. *Hæretici* enim, ut ait S. Hieronymus in c. 4. Michææ, *quotidie quod colant reperiunt, ac idola* (errorum) *sibi artifici manu et curiosa mente confingunt*. Bellum ergo hoc idololatrarum est, quo contra omne ius et fas naturæ, proprios filios Moloch et Saturno immolarunt; item quo alienos thoros invaserunt, ac vicinorum uxores per adulteria vitiarunt; quo bona proximorum rapuerunt, aut per artes et fraudes occuparunt, quo denique in omnem iniustitiam, libidinem, cupiditatem, impietatem se proiecerunt, utpote idolum mutum et ligneum eiusque numen et vindictam non metuentes. Atque hac ratione tam Deum, quam angelos ac homines contra se concitarunt, ut in perpetuis odiis, litibus, rixis, periculis vitam degant. Et tamen tam cæci et stolidi sunt, ut in his tam secure vivant, ac si in plena pace omniumque amicitia degerent. Cantacuzenus τὸ *pacem appellant* explicat quod idololatræ Deos suos pacificos inscriberent ac celebrarent, ut amicitiæ pacisque præsides ut penates ac gentilitios ὁμογνίους καὶ φιλίους, id est, consanguineos et amicos, quæ Iovis erant epitheta. III. Genuine.

Tropol. bellum ignorantiæ est, quo cupiditas cæca confligit cum charitate, sensus cum ratione, caro cum spiritu, amor mundi cum amore Dei. Ita Hugo: Concupiscentiæ enim sunt quasi quidam tyranni, qui regi suo, puta menti rebellant, ac contra rationis arcem bellum movent, ideoque perpetuos in anima cient tumultus, rixas, seditiones, conflictus, uti experiuntur illi qui eas edomare nolunt,

aut non possunt; et tamen adeo cæci sunt, ut eos non animadvertant, non agnoscant, sed se in pace et hilaritate iucundam agere vitam æstiment. Vide S. August. vel quisquis est auctor lib. de Conflictu virtutum et vitiorum.

Symbolice, ignorantiæ bellum est, quo studiosi scientiæ contendunt et desudant, ut veritatem tot tenebris, tot nebulis, tot opinionibus, tot erroribus quasi hostibus circumseptam, iis profligatis eruant et in lucem educant. Hinc videmus quanto labore et conatu pueri ad scientias enitantur. Notum est bellum Grammaticale, æque ac Logicale.

Vers. 23. et 24. AUT ENIM FILIOS SUOS SACRIFICANTES, AUT OBSCURA SACRIFICIA FACIENTES, AUT INSANIÆ PLENAS VIGILIAS HABENTES, NEQUE VITAM (vitæ castitatem et honestatem) NEQUE NUPTIAS MUNDAS IAM CUSTODIUNT, SED ALIUS ALIUM PER INVIDIAM OCCIDIT, AUT ADULTERANS CONTRISTAT.) Græce: *Aut enim sacrificia quibus filios occidunt* (Vatablus, *per parricidia liberorum*) *aut secreta mysteria, aut insanas ex aliis ritibus vel legibus commessationes* (Vatablus, *bacchationes*; alii: *agentes bacchanalia*. Notat bacchanaliorum et bacchantium insanias et ritus) *agitantes neque vitam iam, neque connubia conservant pura, sed alter alterum, aut insidians occidit, aut adulterans tristitia afficit.* Ecce hoc est ignorantiæ idololatrarum bellum, quod proximis, imo filiis ipsisque naturæ movent per parricidia, homicidia, adulteria, etc. sine ullo Numinis (utpote quod putant esse ligneum et inanime; tale enim est idolum) metu. Per *obscura sacrificia* notat clandestina, lucifuga et nocturna sacra Veneris, Bacchi, Priapi, Cybeles, Isidis, Proserpinæ, etc. quæ plena erant libidinibus et obscœnitatibus, ideoque in occultis, umbrosis, vel subterraneis locis, sæpe etiam nocte tantum agebantur, de quibus 2. Machab. 6. 4. Reg. 27. 7. Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 4. Tertull. Apolog. cap. 15. S. Aug. l. 6. de Civit. cap. 7. Gyraldus de Diis gentium. Hinc apposite græce vocantur, μυστηρια απο του μυσους, quod sint abominanda, inquit Clemens Alex. in Protrept. adeoque μυστηρια, eorum sunt μαστρυλλια, id est prostibula et lupanaria, puta scortationes et obscœnitates. Nam ut ait Apostol. Ephes. 5. 12. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* Hoc est quod ait Minutius Felix in Octavio: *Ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Delphis etiam publicæ, sive meretriciæ Veneris templum primus Solon erexit, ut scribit Philemon apud Athenæum lib. 13. c. 9. in quo domicilio prostitutæ fœminæ quæstum faciebant. Hinc Iuvenalis satyra 9.

Nam quo non prostat fœmina templo?

Talia sunt hodie Anabaptistarum nocturna et lucernalia sacra, in quibus exstincto lumine promiscui fiunt concubitus.

Causa fuit quod Iupiter, Venus, Bacchus, Priapus, etc. Dii gentium, fuerint homines impurissimi, ideoque gentes putabant eos colendos omni gula et luxuria, utpote iis gratissima, ut superius dixi. Unde Cantacuzenus vers. 24. de ipsis Diis accipiens: Nam Dii, inquit, vitam non custodiunt mundam, seu ζωας, id est vitas, propter βιας, id est violentias et impetus, inquit, quos tradunt fabulæ filiorum in parentes, fratrumque inter se, propter vincula absurda et reliquas insidias; non nuptias, propter impudicitiam, quæ Diis affingitur, ac turpes amores et illegitimas cum filiabus, matribus, sororibus commistiones atque mutuos immanes complexos: βιος ergo Deorum fuit βια, id est vita eorum fuit vis et violentia, ideoque impura et scelerata.

Vers. 25 et 26. ET OMNIA COMMISTA SUNT, SANGUIS, HOMICIDIUM, FURTUM ET FICTIO, CORRUPTIO ET INFIDELITAS, TURBATIO ET PERIURIUM, TUMULTUS BONORUM, DEI IMMEMORATIO, ANIMARUM INQUINATIO, NATIVITATIS IMMUTATIO, NUPTIARUM INCONSTANTIA, INORDINATIO MOECHIÆ ET IMPUDICITIÆ.) Græce: *Omnia* (alii *omnes*) *autem mixtim*, vel *promiscue habet sanguis et cædes, furtum ac fraus, corruptela, infidelitas, turbulenti motus, periurium, tumultus bonorum; gratiæ oblivio, animorum inquinatio, generationis immutatio, nuptiarum inordinatio, adulterium et impudicitia.* Vatabl. *Omnia denique occupat sine discrimine sanguis et cædes, furtum et dolus, etc.* Clare Cantacuzenus: *Omnia simul,* inquit, *apud idololatras mala sunt permista,* vel mixtim sequuntur ex idololatria. Coacervat crimina, quæ ex idololatria prodeunt; quorum primum est: Sanguis et homicidium; hæc duo enim pene idem sunt, sed ad auxesin additur *sanguis*, quod in homicidio fiat fœda et horrida sanguinis effusio. *Sanguis* ergo idem est quod sanguinis effusio. *Fictio*, græce δολος, id est dolus et fraus, q. d. Omnia apud infideles et idololatras plena sunt insidiis et fraudibus. *Corruptio*, id est corrupta concupiscentia, ait auctor Bonavent. corrupta fides sive fidelitas, ait Dionysius: alii *corruptio*, id est defloratio virginum. Melius Vatabl. *corruptela*, tum quæ in iudiciis, tum quæ in mercibus, contractibus, commerciis, cæterisque rebus fit. q. d. Omnia apud idololatras sunt plena corruptelis. *Infidelitas* est violatio fidei sive perfidia. *Turbatio*, græce ταραχος, id est tumultus, q. d. Apud infideles omnia abundant turbis, tumultibus, dissensionibus, seditionibus. *Tumultus bonorum* est bonarum rerum perturbatio et confusio; vel bonorum hominum vexatio, dum contra fideles, et pios tumultuantur infideles et impii. *Dei immemoratio*, q. d. Non sunt memores Dei, occupat eos Dei oblivio. Græca iam habent χαριτος αμνηστια, id est, *gratiæ vel beneficiorum oblivio.* Ita Vatabl. Ingratus enim est teste Seneca, qui beneficium non reddit: ingratior qui obliviscitur; ingratissimus, qui accepisse se negat, quod accepit. Unde Franc. Lucas in notis hic pro eo quod in Vulgata legitur *Dei*, legendum suspicatur *doni immemoratio.* Verum Romani cæterique Codices habent *Dei* non *doni*, idque genuinum esse contendit et Nannius, linguæ græcæ publicus olim Lovanii Professor.

ANIMARUM INQUINATIO.) Per gulam, crapulam, et libidinem S. Bonav. intelligit internos luxuriæ motus et delectationes morosas. *Nativitatis*, græce γενεσεως, id est generationis actusque generandi *immutatio*, per præposteram libidinem, sive cum masculis, sive cum fœminis, vel etiam bestiis, uti Iupiter suum habuit Ganymedem, Traianus Hadrianum, Hadrianus Antinoum, teste Spartiano. Vatabl. vero vertit, *alienatio progeniei*, cum scilicet proles genita patri non vero, sed falso et alieno ascribitur, uti faciunt adulteræ.

NUPTIARUM INCONSTANTIA) Græce αταξια, id est inordinatio, dum scilicet infidelis uxorem repudiat, et aliam aliamque ducit, ut singulis annis, imo mensibus novum ineat coniugium, idque temporarium dumtaxat, uti faciunt nonnulli Æthiopes; aut dum uxores suas aliis viris concedunt, uti fecit Cato; aut cum uxoribus aliorum suas permutant, aliisque modis similibus.

INORDINATIO MOECHIÆ ET IMPUDICITIÆ) Græce *Mœchia et lascivia*, id est omne genus impudicitiæ. *Inordinatio* addit emphasin *mœchiæ*, ut ei atque mœchiæ addi incestum, sacrilegium, aliudve scelus: impudicitiæ vero addi varios novosque luxuriosos osculandi et contrectandi modos.

INFANDORUM ENIM IDOLORUM CULTURA, OMNIS MALI CAUSA EST, ET INITIUM ET FINIS.) *Infandorum*, græce ανωνυμων, id est innominatorum, hoc est exsecrandorum, adeo ut nec nominari debeant; *infandorum* ergo idem est quod non fandorum, de quibus velut anathematibus fari non licet. Vers. 27.

Est epiphonema generatim complectens quod particulatim iam recensuit, scilicet idololatriam esse causam omnium scelerum, initium et finem. Causam dat, quia omnia scelera nasci solent ex infidelitate et idololatria, ac Numinis vindicis contemptu, uti iam ostendi. Simili sensu ait Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Græce φιλαργυρια, id est avaritia, 1. Timoth. 6. 10.

INITIUM ET FINEM.) *Initium* idem est quod causa vel occasio. Simili sensu ait Eccles. c. 10. 15. *Initium omnis peccati est superbia*, quia ex superbia velut ex matre nasci et oriri solet quodlibet peccatum; sic et ex idololatria. Ex ea ergo velut initio et fonte scaturit omne malum, et

Idololatria causa omnium scelerum.

vicissim in illam ceu in finem et terminum desinit, q. d. Omnia mala nata sunt oriri ex idololatria, ac vicissim in illa terminantur et desinunt. Ita Dion. Qui enim libidinibus aliisque sceleribus sese opplent, tandem fiunt infideles, idololatræ et athei; ut enim sine scrupulo et metu Numinis Deique vindictæ suis cupiditatibus indulgeant, excutiunt fidem Dei eiusque providentiæ, iuxta illud: *Dixit insipiens in corde suo; Non est Deus.* Sic hodie videmus homines carnales et sceleratos fieri hæreticos ac tandem atheos, eo quod in hæresi nil vere fidei, sed mera eius figmenta inveniant. Vide Stanislaum Rescium de Atheismis hæreticorum. Ita S. Thom. 2. 2. q. 94. art. 4. ad 4. *Dicitur*, inquit, *idololatria esse causa, initium et finis omnis peccati; quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idololatria non producat vel expresse inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initii, vel per modum finis, in quantum peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum, sicut occisiones hominum, et mutilationes membrorum, et alia huiusmodi. Et tamen aliqua peccata possunt idololatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt.* Audi Tertull. initio l. de Idololatria: *Principale crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota causa iudicii, idololatria.* Subdit deinde in idololatria inesse crimen homicidii, adulterii, stupri: *Idololatres*, inquit, *idem homicida est. Quæris quem occiderit? si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, sed seipsum. Quibus insidiis? erroris sui. Qua tela? offensa Dei. Quot plagis? quotquot idololatriis. Qui negat idololatrem periisse, is negabit idololatrem homicidium fecisse. Proinde adulterium et stuprum in eodem recognoscas; nam qui falsis Diis servit, sine dubio adulter est veritatis; quia omne falsum adulterium est. Sic et in stupro mergitur. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus et constupratus incedit? Atque adeo Scripturæ sanctæ stupri vocabulo utuntur in idololatriæ exprobratione. Fraudis conditio ea est, opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget, et utique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est. At enim idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegans, et conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam coniungat;* ac post nonnulla eidem inesse alia scelera ita docet: *In illa et concupiscentia sæculi. Quæ enim idololatriæ solemnitas sine ambitione cultus et ornatus? In illa lasciviæ et ebrietates, cum plurimum victus, et ventris, et libidinis causa frequentantur. In illa iniustitia. Quid enim iniustius ea, quæ iustitiæ patrem nescit? In illa etiam vanitas, cum tota eius ratio vana sit; in illa mendacium, cum tota substantia eius mendax sit. Ita fit ut omnia in idololatria, et in omnibus idololatria deprehendatur.*

Tropol. Tropolog. Idem dices de idolo avari, quod est phantasma auri; ac superbi, quod est phantasma excellentiæ; ac luxuriosi, quod est phantasma amasiæ; ac gulosi, quod est phantasma epularum et vinorum. Dum enim quisque hoc suum phantasma velut idolum amat et colit, ut illo fruatur, ruit in omnia scelera. Ut ergo illa caveas, idolum hoc tuum, quod in mente et phantasia tibi fabricasti, evelle, contere et confringe.

Vers. 28. AUT ENIM DUM LÆTANTUR INSANIUNT, AUT CERTE VATICINANTUR FALSA, AUT VIVUNT INIUSTE, AUT PEIERANT CITO.) Ostendit ex idololatria nasci quælibet scelera, ac præcipua enumerat, q. d. Idololatræ effundunt se in ineptas lætitias, bacchantur, et insaniunt, aut fingunt oracula, quibus se suosque ad vitæ licentiam et luxuriam impellunt; aut vivunt iniuste aliorum opes diripiendo, fraudando, perdendo, aut temere citoque peierant. Causam subdit:

Vers. 29. DUM ENIM CONFIDUNT IN IDOLIS, QUÆ SINE ANIMA SUNT, MALE IURANTES NOCERI SE NON SPERANT.) Id est, lædendos se non timent. Sic Virgil. *At sperate*, (id est timete) *Deos memores fandi atque nefandi*, q. d. Idololatræ, ideo cito peierant ruuntque in quævis scelera, quia non timent suos deos, puta sua idola, utpote inanima et lapidea vel lignea, quæ iniuriam sibi per periurium aliaque scelere factam non sentiunt, ideoque ulcisci nequeunt: sicut ergo *primus in orbe Deos fecit timor*, ita ex adverso, audax Deorum vel Numinis contemptus, principium et causa est periurii omnisque nequitiæ.

UTRAQUE ERGO ILLIS EVENIENT DIGNE, QUONIAM MALE SENSERUNT DE DEO, ATTENDENTES IDOLIS, ET IURAVERUNT INIUSTE, IN DOLO CONTEMNENTES IUSTITIAM.) Vers. 30. *Utraque*, id est, utrorumque retributio, scilicet idololatriæ et periurii condigna pœna et supplicium obveniet idololatris. Græce est: Ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια, id est, *utraque illis evenient iuste*, scilicet *supplicia*. Aut *utraque ipsos punient iusti*: μετέρχομαι enim subinde idem est quod κολάζω, id est, punio. Ita Lexicographus ex Synesio et Thucydide. Vatican. vertunt: *Utraque autem illos insequentur iura.* Omnia hæc eodem redeunt. Sensus ergo est, q. d. Utraque (utriusque criminis, scilicet idololatriæ et periurii) iusta vindicta eos invadet, aut pœnam de illis sumet. Utraque supplicii iusta causa, ratioque eos corripiet, iusque suum exsequetur: utrumque hoc ad supplicium illis imputabitur, et quod de Deo male senserunt, et quod peieraverunt. In Græco plurale est: *Utraque iusta comprehendent eos*, videlicet supplicia, vel quia duo hæc scelera illos pœnis subiicient. Pro *iustitiam*, græce est, ὁσιότητος, id est sanctitatem, puta religionem iuramenti, hoc enim sanctum est et sancte servandum, ideoque nuncupatur Sacramentum. Licet enim idololatra iuret per idolum quod non est Deus, ac proinde in reipsa non iuret nec peieret, tamen ex mente sua, qua credit idolum esse verum Deum, iurat et peierat. Error enim idololatriæ, quo quis idola sua putat veros esse deos, efficit ut peierando sacrilegus habeatur et iniustus, ait S. August. epist. 154. ad Publicolam, et habetur 22. quæst. 1. c. *Movet*.

NON ENIM IURATORUM VIRTUS (græce δύναμις, id est, *potentia*) SED PECCANTIUM PŒNA PERAMBULAT SEMPER INIUSTORUM PRÆVARICATIONEM.) Vers. 31. Pro *iuratorum* græce est, ὀμνυομένων, quod est vocis mediæ, tamque active verti potest, *iurantium*, uti legunt Complutenses et Regii, quam passive, *iuratorum*, id est idolorum, per quæ iuratur, idque huic loco aptius convenit, q. d. Esto idola, per quæ iurant idololatræ, nullam habeant virtutem, id est vim et potentiam puniendi eorum periuria, ideoque ipsi etiam idololatræ et periuri ea contemnant, sciantque imbecilla esse et invalida ad se castigandum, tamen *peccantium*, præsertim idololatrarum et periuriorum, pœna a Deo iis intentata *perambulat*, puniens *iniustorum prævaricationem*, scilicet idololatriam et periurium, quo tum falso, tum per falsos deos iurantes duplicem Deo vero iniuriam faciunt. Primo, quod Deo vero opponant, et præponant idola et deos falsos; secundo, quod per ea, quæ æstimant Deum esse verum, falso iurant et peierent; iurant enim et peierent per ea, perinde ac si per Deum verum iurarent, eumque in testem falsi vocarent; quæ insignis est Dei veri iniuria et contumelia.

Pro *pœna* græce est, δίκη, id est, causa forensis, quæ apud iudicem agitur, lis, actio, iudicium, ius, sententia, pœna, item iusta vindicta. Unde Δίκη a Poetis fingitur esse Dea iudiciorum, inde dicta quod iuste lites dirimat, et sontes puniat. Hinc dicitur esse virgo, quia iustitia et vindicta pura debet esse, et integra; unde Hesiodus: *Virgo iustitia*, inquit, *prognata est Iove.* Hoc ultimum significatum huic loco est aptissimum, q. d. Δίκη, id est, vindicta divina per idololatras, periuros et scelestos perambulat, ut eos comprehendat ac pro meritis feriat et plectat, sicut prætor forum perambulat, ut fures capiat et suspendat. Hinc Deus dixit Caino fratricidæ: *Nonne, si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Id est, peccati ultio, velut lictor te persequetur et plectet. Unde Vatabl. hoc loco vertit: *Non enim eorum* (idolorum) *per quos iuratum est potentia, sed ultrix peccatorum iustitia, prave factorum pœnas ab iniustis semper exigit.* Sic et Cantacuzenus, Iansenius et alii. Hinc pro *perambulat*, græce est, ἐπεξέρχεται, id est, ut Budæus in Comment. linguæ græcæ p. 90. percurrat, invadit, infestat, populatur, in ius rapit, iudicat et ulciscitur.

Deus vindicat periuria. Porro solet vindicta Dei maxime persequi periuros, utpote læsi Numinis et Nominis divini reos. Hinc qui S. Antonium in testem invocando falsum iurant, solent ab eo sacro igne feriri. Olim in causa dubia reos mittebant ad Ad Oratoria Sanctorum. Oratorium S. Stephani, ut se iuramento de crimine obiecto purgarent; ac si peierabant, illico cælitus castigabantur. Idem de Oratorio S. Martini scribit Greg. Turon. l. 8. Histor. c. 16. ubi inter alia narrat incendiarium quemdam incendium a se commissum negantem, et peierantem in æde sancti Martini, ultricibus e cælo flammis fuisse absumptum. Idem fiebat in Oratorio S. Processi et Martiniani, de quibus ait S. Greg. hom. 32. in Evang. *Ad exstincta eorum corpora viventes ægri veniant et sanantur, periuri veniunt et a dæmonio vexantur.* Et in Oratorio S. Felicis Nolensis, ad cuius Ecclesiam S. August. uti ipse refert ep. 137. ad Hippon. misit Bonifacium presbyterum de crimine accusatum, ut se ibi per iuramentum purgaret; et si reus esset, per solitam Dei vindictam se proderet. Additque S. August. *Nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter et terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eius locum venerat, ut falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, et quod abstulerat reddere.* Tale quoque fuit Oratorium S. Apollinaris Ravennæ, ubi Maximus de Simoniæ crimine per iuramentum se purgavit, teste S. Greg. l. 7. epist. 7. et seq. ac super omnes Basilica S. Petri, supra cuius corpus iuramento se purgare solebant Episcopi sceleris accusati, teste S. Greg. l. 2. epist. 23. et l. 11. epist. 8. Idem experti sunt gentiles per idola sua iurantes; unde Hesiodus in Ergis l. 2. v. 38.

Quintas (dies cuiusque mensis) ait, *vitato, quia difficiles et graves.*
In quinto enim aiunt furias obambulare
Iuramentum vindicantes, quod contentio genuit demum periuris.

Et Tibullus:

Ah miser! et si quis primo periuria celat,
Magna tamen tacitis pœna venit pedibus.

Exempla. Vis exempla? Accipe. Cleomenes cum Argivis septem dierum pepigerat inducias addito iureiurando; nocte dein tertia eos invasit multosque occidit, dicens se pactum de diebus, non de noctibus. Ultio eum secuta est. Nam et urbe, cuius gratia violarat conventa, frustratus est, eo quod mulieres, detractis e templis Deorum armis illum ulciæ sunt; perinde quasi Diis ipsis, quos contempserat, pœnas de ipso sumentibus. Postremo versus in dementiam, ipse sibi gladiolo quodam fodit et incidit corpus a talis usque ad loca vitalia, itaque vitam finiit ridens et ore diducto. Agesilaus barbaros, qui iurisiurandi religionem violassent, laudare ac probare solebat, dicens illos nulla re magis Deos sibi infestos reddere, quam si Sacrosanctum iusiurandum temere violarent. Ita Ælian. l. 14. de Varia hist. Pericles Atheniensis amico roganti, ut pro se falsum diceret testimonium, cui adiunctum erat iusiurandum, hoc est periurium, respondit se quidem amicum esse, sed usque ad aram; sentiens aliquousque gratificandum amicis, sed citra iuramenti violationem. Denique S. Aug. l. 1. de Civit. c. 15. celebrat nobilissimum exemplum M. Attilii Reguli, qui captivus apud Carthaginenses ab iis missus est Romam, ut ageret cum Senatu de commutandis utrimque captivis, prius præstito per Deos, iuramento, ni id impetraret, se ad eos rediturum. Cumque id non impetrasset, imo ipsemet Senatui hanc commutationem dissuasisset, ut iuramenti fidem servaret, ad Carthaginenses rediit, etiamsi sciret se ab iis excarnificandum, uti et factum est. Addit S. August. alterum de Saguntinis in Hispania exemplum, qui ut fidem Romanis iuratam servarent, vivi cremari maluerunt, quam urbem dedere Carthaginensibus.

Ex hisce omnibus disce quanta reverentia nomini divino sit adhibenda, quamque veraciter, parce et circumspecte Deus sit nominandus, et in testem invocandus. Quod enim nomini divino defertur, hoc Deo ipsi, cuius est, nomen defertur. Unde Ierem. cap. 10. 6. *Non est,* inquit, *similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium?* Et Daniel c. 3. 52. *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæculo; et benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum et laudabile et superexaltatum in omnibus sæculis.* Et Eccl. cap. 39. 19. *Benedicite Dominum in operibus suis; date nomini eius magnificentiam.* Et Psaltes: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia solus, et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, et replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat.* Ps. 71. 18.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur insectari idola et eorum figulos sive idoloplastes. Igitur initio gratias agit Deo, quod Israelitas ab idololatria puros castosque in sui fide et cultu conservarit; deinde vanitatem et fallaciam idolorum ex ipsis eorum figulis coarguit.

1. Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia. 2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. 3. Nosse enim te, consummata iustitia est: et scire iustitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis. 4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, 5. Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. 6. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt. 7. Sed et figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus. 8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat 9. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus et argentariis: sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit. 10. Cinis est enim cor eius, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita eius: 11. Quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem. 12. Sed et æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere. 13. Hic

enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, et sculptilia fingit. 14. Omnes enim insipientes, et infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, et imperantes illi: 15. Quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum; 16. Homo enim fecit illos: et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. 17. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem nunquam. 18. Sed et animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. 19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, et benedictionem eius.

Vers. 1. Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia.) Vatablus: *Tu autem Deus noster, benignus es et verus, et longa patientia* (vel lenitate) *misericordiaque gubernas omnia.* Pro *suavis* græce est χρηστός, id est, bonus, benignus, probus, humanus, facilis ad gratificandum, commodus, clemens; item utilis, fructuosus, officiosus, egregius, strenuus. Talis fuit Χριστός, id est, Christus noster, qui proinde a Gentilibus vocabatur Χρηστός id est Chrestus, et Christiani vocabantur Chrestiani, quia erant benigni et benefici omnibus. Sensus est, q. d. Idololatræ colunt Deos inutiles, imo maleficos; tales enim sunt dæmones, qui a magis invocati exilem opem præstant, ut eisdem maiorem noxam tum in corpore, tum in animo inferant. At Deus noster est utilissimus, æque ac benevolentissimus et beneficentissimus, qui nos omnibus bonis cumulat. Gratulemur ergo nobis de tali Deo Optimo Maximo, quodque nos a Diis pessimis liberarit. Ita Cantacuzenus, qui notat esse Antithesin inter Deum et idola, qualem assignavi.

Tu autem Deus noster.) Non sola creatione (sic enim et idololatrarum et infidelium est Deus) sed et vocatione, religione, et cultu: ad tui enim fidem et cultum nos Israelitas ex omnibus gentibus vocasti, et tibi selegisti.

Verus.) q. d. Idola sunt dii falsi, ideoque mendaces et fallaces; unde consulti fallunt, et quæ promittunt, opera non præstant. At Deus noster est Deus verus, ideoque verax et fidelis; unde falli vel fallere nequit, sed quæcumque dicit verissima sunt, et quæcumque pollicetur fidelissime adimplet.

Patiens.) Græca μακρόθυμος, id est, longanimis, longa patientia multaque tolerantia pollens, ut non statim ad iram concitaris, et ad vindictam prosilias, brutaque iactes fulmina, sed patienter offensas toleres, ut hac patientia et misericordia provoces peccantes ad pœnitentiam, uti superius dictum est. Unde sequitur: *Etenim si peccaverimus,* etc. Longanimitati enim opponitur præceps ira, impatientia, et vindicta, qua pleni sunt dæmones, ideoque furunt, et leves sui neglectus graviter ulciscuntur, ac idololatras et magos minus sibi obsequentes, pessime excipiunt et mulctant.

Nota hic quatuor dotes Dei in gubernando: primam, benignitatem et suavitatem; secundam, veritatem et fidelitatem; tertiam, longanimitatem et patientiam; quartam, misericordiam et clementiam. Hasce a Deo discant et poscant reges, rectores et gubernatores.

Vers. 2 Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam.) Græce τὸ κράτος σου, id est, robur, vim et *potentiam tuam,* uti legit S. Augustin. lib. de Fide et operib. cap. 22. qua scilicet potes nos punire, cum idola id facere nequeant, ut dixit in fine cap. præcedentis, qua quoque potes nobis peccata condonare, ut ostendas te in gratia et misericordia non minus, ac in vi et robore esse potentem, magnificum, liberalem et divitem, uti Apostolus ait Roman. 10. 12. et alibi; summæ enim potentiæ est peccata remittere, uti superius ostendi. Sensus ergo est: primo, q. d. Idololatræ intrepide peierant et peccant, quia non timent idola sua muta et bruta; sciunt enim illa non posse ulcisci periurium aliaque scelera; at nos fideles tui, o Domine, si ex fragilitate peccaverimus, sive venialiter, sive etiam lethaliter, profitemur ingenue quod non possimus te effugere, ut putabant idololatræ effugere se posse Deos suos; quia tui sumus, tuoque dominio subiecti. Et scimus summam tuam potentiam, qua nos punire potes quocumque tandem fugerimus, aliter quam idola imbecilla et impotentia. Nam ut ait David Psalm. 138. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.*

Et si peccaverimus, tui sumus.) Quoniam scilicet bonum et magnum Deum habemus, qui velit atque possit pœnitentium peccata sanare; non qui nequaquam audeat permanentes in malignitate disperdere. Unde subdit: *Scientes potentiam tuam,* cui se subtrahere nequeat aut occultare peccator. Ita S. Aug. loco iam citato, qui proinde recte monet peccatorem non debere sibi blandiri de securitate, cogitando se esse Dei.

Moraliter: *Si peccaverimus, tui sumus.* Tui per pœnitentiam, confessionem, castigationem: tui per contritionem et charitatem, uti tua fuit S. Magdalena, de qua S. Paulin. epist. 4. ad Severum: *Non unguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua prudenter impudens et pie improba, sine opprobrii et repulsæ metu, extraneam sibi domum Pharisæi non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cælorum, et tantum verbi cælestis esuriens, non ad opes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit et cibavit; atque ipsos sibi pedes ærarium, ut ita dixerim, et altare constituit; in quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu.* Pœnitens ergo est Dei, quia per contritionem amat Deum, illique se dicat et consecrat. Unde vicissim a Deo in gratiam, amorem et favorem pristinum recipitur. Sic de gentibus a diis ad Deum per Christum convertendis ait Isaias c. 44. 5. *Iste dicet: Domini ego sum, et ille vocabit in nomine Iacob, et hic scribet manu sua, Domino.* Et David Psalm. 118. 94. *Tuus ego sum,* ait, *salvum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisivi.*

Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati.) S. Aug. legit, *deputati.* Græce, *tui censemur,* hoc est, si non peccemus, magis tibi chari, magisque tibi cordi et curæ sumus. Tu enim iustos et innocentes quasi amicos, imo filios tibi dilectissimos præ toto mundo amas, protegis, dirigis, promoves ad salutem et gloriam omneque bonum. Si ergo peccemus, tui sumus per potentiam, quia in manus potentis iustitiæ tuæ incurrimus: si non peccemus, tui sumus per gratiam et adoptionem. Sive ergo peccemus, sive non peccemus, tui sumus; tu enim es Dominus Deus noster, cuius manus effugere non possumus, sed in eas incidimus quidquid agamus. Legit Vulgatus in Græco εἰ, id est *si*; iam illud deest in Græco, qui proinde sic habet: *Non peccabimus autem cum sciamus nos tibi æstimatos,* vel tibi curæ et in pretio esse. Hoc enim maxime quemlibet nostrum a peccato avocare debet, quod sciamus nos Deo curæ, charos et in pretio esse, ac a Deo inchoate saltem prædestinatos, ut simus sui filii et hæredes, ac cohæredes Christi; Deus enim omnes fideles et iustos destinavit ad gloriam, itaque inchoate eos prædestinavit. Ita S. August. de Fide et Oper. cap. 22. qui legit in præterito: *Non peccavimus,* uti correxerunt Lovanienses, licet contextus exigere videatur, *non peccabimus,* ut habent Græca. Quis enim cogitans se in Dei amicitiam, familiam et familiaritatem adscriptum peccare audeat, ut tantum bonum pro vili cupiditate vendat et prodigat? Quis serio reputans se a Deo electum et vocatum

ad tantam gratiam et gloriam, non contendat totis viribus digne vocatione tanta vivere, ut dignum se cœli civem et angelorum socium exhibeat? *Quis digne cogitans habitationem apud Deum, in quo omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non conatur ita vivere, ut tali habitationi congruat?* ait S. August. loco citato. Secundo et magis genuine, noster a Castro. Videtur, inquit, Salomon loqui de populi electione præ aliis populis (non de prædestinatione) de qua Moses Deuter. 32. 8. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Hæc igitur cognitio et persuasio, quod sumus de numero populi Dei: et quod sumus adscripti in Catalogum fidelium eius, maxime nos continet, aut continere debet in omni pudore ac timore ne peccemus, et eo magis quo magis in eius familiaritatem insinuamur.

Favet græcum λελογίσμεθα, id est, tuis rationibus adscripti sumus, tuo computui assignati, tibi computati: λογίζομαι enim est verbum arithmeticum, et Mercatorum computus designat.

Vers. 3 NOSSE ENIM TE, CONSUMMATA IUSTITIA EST: ET SCIRE IUSTITIAM ET VIRTUTEM TUAM, RADIX EST IMMORTALITATIS.) Τὸ *iustitiam* non est in Græco, sed tantum, τὸ κράτος, id est *virtutem*, id est vim, robur et efficaciam. Syrus: *Iustitiæ perfectio est, ut quis agnoscat te, et ut quis sciat veritatem tuam, radicem immortalitatis.* Arabicus: *Quia cognitio in te est iustitia perfecta, et agnitio potentiæ tuæ radix est privationis mortis.* *Nosse te*, scilicet non tantum speculative, ut cognovere Philosophi, sed et practice, uti nosse Deum decet et par est, ut scilicet notitia Dei pariat affectum et amorem Dei; in hoc enim amore, sive charitate sita est perfecta iustitia: *et scire iustitiam et virtutem* id est potentiam tuam, *radix*, id est principium *est immortalitatis;* hæc enim scientia, qua scimus Deum esse iustum et omnipotentem, ideoque posse et velle omnia scelera pro meritis punire, ingenerat nobis sanctum Dei timorem, qui nos facit abstinere ab omni peccato, quod est mortis omnisque corruptionis origo, ideoque inducit omnem virtutem, quæ est radix immortalitatis, felicitatis et gloriæ æternæ. Porro scientia hæc, sive notitia Dei habetur per fidem. Unde Apostolus passim ait nos per fidem iustificatos et salvatos, quia fide inchoatur cursus ad iustitiam, salutem et immortalitatem, Roman. 1. 17. et c. 3. 28. et c. 5. 1. etc. Vide ibi dicta.

Nosse Deum est perfecta iustitia. Qua ratione.

Denique τὸ *nosse enim* dat causam præcedentium, cur scilicet professus sit suam de Deo notitiam et fidem, dicens v. 1. *Tu autem Deus noster suavis et verus es*, etc. Et v. 2. *Scientes magnitudinem tuam.* Sed proprie et potissime dat causam eius, quod immediate præcessit: *Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati;* vel ut Græca habent: *Non peccabimus autem, ut qui sciamus nos tibi æstimatos, vel tibi curæ esse.* Scientia enim potentiæ et providentiæ Dei causa est, quæ facit nos sedulo cavere omne peccatum, ac exstimulat, ut toto nisu studeamus iustitiæ ad hoc ut Deo placeamus, et ab eo immortalitatem beatam assequamur. Vide dicta c. 13. v. 1. et Prov. 1. 7. Sensus ergo est, q. d. Confessio illa fidei nostræ, qua paulo ante professi sumus te summe benignum, patientem, potentem, misericordem, ac ut talem toto corde amamus et colimus, ideoque vicissim a te amamur, velut toti tui, tibique arctissimo fidei, religionis et charitatis vinculo copulati; hæc inquam. est nostra perfecta iustitia, ex qua velut radice, pullulat fructus immortalitatis et felicitatis æternæ. Sic Christus ait Ioannis 17. 3. *Hæc est vita æterna* (id est via ad vitam æternam eiusque quasi principium et inchoatio) *ut cognoscant* (per fidem) *te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Fides enim est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, Hebr. 11. 1. Vide ibi dicta.

Tropolog. B. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venet. dictitabat, *veram hominis scientiam esse scire hæc duo, scilicet Deum esse omnia, et se nihil.* Ita habet eius Vita. Ex hac enim scientia et fide sequitur diffidentia sui, et confidentia in Deum; inde odium sui, et amor Dei, quæ est consummata iustitia consistens in tribus virtutibus Theologicis, puta in eximia fide, spe et charitate.

Hinc S. Ioannes Apocal. 15. 2. vidit sanctos futuros in fine mundi, visis septem novissimis orbis plagis, in quibus consummabitur ira Dei, obstupescere, eosque concinentes et exclamantes audivit: *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustæ et veræ sunt viæ tuæ, rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quoniam tu solus pius es: quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.* Similes eorum voces sunt post excidium Babylonis, c. 18. v. 8. et seq. et c. 11. v. 17. et c. 14. v. 7.

Antistropha Salomoni est gnome Ieremiæ, cap. 9. v. 3. *Non glorietur Sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur scire et nosse me.*

Anagog. nosse Deum per visionem beatificam est perfecta iustitia; perfecta, inquam, in gratia et gloria, ideoque confirmata, ut in æternum beatus nulla tentatione, nullo casu ab ea excidere queat. Ita Hugo, qui tamen minus recte addit per Deum intelligi Patrem, q. d. Deum filium agnovimus in incarnatione, Spiritum sanctum in Pentecoste, dum apparuit in linguis igneis. Item in baptismo Christi, dum apparuit in specie columbæ; at Deum patrem simili symbolo non cognovimus in hac vita, sed cognoscemus in futura; unde tunc erit perfecta Dei cognitio, amor et iustitia. Hoc enim alienum est a mente et scopo Sapientis: hoc etiam non est verum. Nam pater apparuit in veteri Testamento, æque ac Filius, ac Spiritus sanctus; cum tres Angeli apparuerunt Abrahæ repræsentantes tres personas divinas. Item in Baptismo Christi vox patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. c. 3. v. 17. Eadem vox Patris audita est in transfiguratione Christi, Matth. 17.

NON ENIM IN ERROREM INDUXIT NOS HOMINUM MALÆ ARTIS EXCOGITATIO, NEC UMBRA PICTURÆ, LABOR SINE FRUCTU, EFFIGIES SCULPTA PER VARIOS COLORES) Gratias habet Deo, quod non fuerit ipse quoque in eorum numero, qui falsa numina venerantur, ac fictis decipiuntur hominibus: sed loquitur Sapiens in persona totius Israelis sive populi fidelis, pii, iusti et sancti. Etsi enim multi, imo longe maior pars in Israele esset iniusta, et in statu peccati mortalis; tamen totus populus vocatur iustus et sanctus, tum quia vocatus erat a Deo ad iustitiam; tum quia populus hic erat prosapia et posteritas Abrahæ, Isaac et Iacob, qui vere erant sancti. Erant ergo sancti, id est sanctorum Patriarcharum filii; tum denique quia multi in populo erant iusti. Simili sensu dicitur Ecclesia sancta, et Apostolus omnes fideles initio Epistolarum suarum vocat sanctos, ut ibi dixi. Vers. 4.

MALÆ ARTIS EXCOGITATIO.) Puta ars sculptoria et pictoria pulchrorum simulacrorum et idolorum, quæ mala dicitur, quia allicit ad ea colendum et adorandum. Græco κακότεχνος ἐπίνοια, id est malevola, malefica, maligna: item dolosa, adulterina, perniciosa, et ad exitium hominum comparata, artis sculptoriæ idolorum adinventio. Vatabl. *Insidiosum inventum.* Iansenius: *Maligna adinventio*, qua scilicet per elegantiam sculpturæ idolorum, rudes incitantur ad idola velut Numina colendum. Noster a Castro, κακότεχνος, ad verbum ex etymo vertit, *malum texens*, malum moliens, aut mali artifex, *excogitatio*, q. d. Inter cætera beneficia. quibus cumulasti populum tuum, illud eximium est, quod a fallacibus ac perniciosis hominum inventis conservasti eum, qui contra Dei legem multa excogitant, multaque constituunt.

NEC UMBRA PICTURÆ.) Legit Interpres enim Complut. Regiis aliis per diastolen duabus dictionibus, σκιὰ γραφῶν, id est *umbra picturæ.* Iam Vaticani per systolen legunt planius et clarius una dictione, σκιογράφων, id est *adumbrantium*, idque nectunt sequenti *labor sine fructu*, q. d. Non decepit nos pictorum, qui pingendo res adumbrant et as-

Origo picturæ fuit umbra.

simulant, labor infructuosus. Sed eodem redit sensus. Vocatur umbra picturæ ipsa adumbrata, vel umbrosa, idque primo, quia origo picturæ est umbra: nam prima naturalis corporis effigies sive imago est ipsa eius umbra; unde ex umbra didicerunt homines pingere, et pingendo adumbrare. Quocirca Quintil. l. 10. *Non esset,* ait, *pictura, nisi quæ lineas extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscripserat.* Hinc primæ picturæ fuerunt meræ linearum corporis depicti delineationes, sive circumscriptiones. Audi Plinium l. 35. cap. 3. *Græci,* inquit, *alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam* (picturam) *affirmant, omnes umbra hominis lineis circumducta. Itaque talem primam fuisse* (qualem etiamnum Romæ in priscis operibus cernimus) *secundam singulis coloribus et monochromaton,* id est unicolorem, *dictam.* Tertia successit ex variis coloribus et polychromatos, id est multicolor. Pergit Plinius: *Inventam linearem dicunt a Philocle Ægyptio vel Cleanthe Corinthio,* etc. *Primus invenit colorare testa* (ut *ferunt*) *trita Cleophantus Corinthius.* Idem libr. 35. c. 5. *Utraque* (scilicet ars statuaria et pictoria) *cum Phidia cœpit 83. Olympiade, post annos circiter 332.* ex quo cœpit ars sculptoria, vel sculptoria in marmore.

Secundo, quia in pictura magnæ artis est bene pingere umbras; per illas enim repræsentantur rerum altitudines, profunditates, montes et valles, distantiæ et intervalla. Sane vidi Romæ per umbras in parietibus alternatas, ita ad vivum hæc repræsentari, ut quemlibet intuentem dubium redderent, an vere in pariete foret ista eminentia et profunditas, an vero per picturam et artem tantum esset efficta et adumbrata. Unde ipsa pictura vocatur *adumbratio,* et pingere *adumbrare,* ac σκιαγράφοι appellantur, qui lineamenta umbrasque inducunt, quibus ea quæ plana sunt, in pictura eminere videantur.

Effigies sculpta per varios colores.) Pro *effigies* græce est εἶδος, id est forma, species, figura. Unde diminutivum εἴδωλον, id est idolum, q. d. Diminuta figura, exilis forma, species parva et contracta. Deiculus, parvus Deus, exiguum Numen.

Pro *sculpta,* græce est σπιλωθέν, id est maculata, id est variegata variis coloribus. Maculæ enim vocantur tum notæ, quibus pictores solent imagines et picturas distinguere ac illustrare; tum colorum variegationes. Unde Seneca epist. 126. *Delectant nos,* inquit, *ingentium maculæ columnarum.* Adde: Sapiens hac voce suggillat idola quasi coloribus, non tam depicta quam maculata et sordidata sint, ut ea in odium adducat; tum quia colores ipsi in se sordidi sunt et maculosi; tum quia si Deum spectes, utique idola hæc Dei coloribus depicta maculata dici debent. Deum enim, qui merus est spiritus, ideoque coloris expers, terrestribus fœdisque coloribus picturæ inficiunt et maculant, adeoque Deum exhibent non spiritalem, sed corporeum et coloratum. Noster profundius, σπιλωθέν, vertit *sculpta,* tum ut innuat prisca idola fuisse statuas affabre exsculptas, quæ deinde variis coloribus pingebantur; tum quia ipsa coloratio et pictura per catachresin vocatur Sculptura; pictor enim pingendo rem variis coloribus, nunc albicantibus et claris, nunc nigricantibus et obscuris, præsertim dum iis rerum eminentias vel profunditates, sive montes et valles repræsentat (unde græcum σπίλος, non tantum maculas, sed et eminentias resque eminentes, uti sunt rupes, scopuli, insulæ in mari, significat) rem ipsam quasi exsculpit, uti videre est in vitris affabre expictis. Hinc idola quælibet, etiam expicta duntaxat, vocantur *sculptilia* in Scriptura ut Exodi 20. 4. *Non facies tibi sculptile,* id est idolum; Ps. 105. 19. *Et adoraverunt sculptile;* Isaiæ 42. 17. *Qui confidunt in sculptili,* et passim apud Prophetas.

Per varios colores.) Græce, χρώμασι διηλλαγμένοις, id est coloribus variis et distinctis, varie dispositis et distributis; mira enim in idolis colorum variegatio rudis populi oculos in admirationem, indeque in cultum et venerationem rapiebat. Unde sequitur:

Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima) Græce ἄπνουν, id est sine spiritu et respiratione, id est inanimam et mortuam.

Vers. 5. Cuius.) Scilicet effigiei sculptæ, hoc est idoli. Græca habent in plurali ὧν id est *quorum,* scilicet colorum aspectus, eodem sensu. Pro concupiscentia græce est εἰς ὄρεξιν, id est in appetitum, in orexin, in concupiscentiam. Ita Complut. et Regii, licet Vaticani legant εἰς ὄνειδος, id est in opprobrium, q. d. Aspectus et cultus idolorum colentibus vertitur in probrum. Sensus Vulgatæ est, q. d. Effigies idoli coloribus variegata et ornata irritat rudium concupiscentiam et appetitum, ut simulacrum tam elegans pulchreque coloratum adament, colant et venerentur.

Secundo, apposite ad Græca noster Pineda in Iob cap. 40. v. 16. num. 4. per concupiscentiam accipit libidinem, q. d. Dæmones in idolo latentes, homines idolum forma masculi aut fœminæ pulchræ depictum et coloratum, intuentes, excitant ad turpem concupiscentiam luxuriæ, ut etiam turpi amore diligant ipsam idoli imaginem mortuam et inanimem, uti Pygmalio rex Cypri, teste Arnobio l. 6. contra Gentes, idolum Veneris adamabat ut fœminam, ac cum eo, quasi cum fœmina amplexus, oscula, aliosque libidinosos gestus tactusque exercebat. Simile alterius exemplum narrat Plinius l. 36. c. 5. Hinc idololatria in Scriptur. vocatur fornicatio, non solum mystica, sed et realis, quia iuxta templa idolorum erant fornices et meretrices, cum quibus advenæ scortabantur. Sicque Pineda explicat illud Iob c. 40. 16. *sub umbra dormit,* id est, sub idolo, inquit, latet dæmon qui proinde vocatur Baal, id est, maritus excitans ad turpem sui amorem; unde pro *diligit,* græce est, ποθεῖ, id est, desiderat, concupiscit.

Vers. 6. Malorum amatores, digni sunt (Addunt Lyran. Hugo, Dion. *morte,* sed τὸ *morte* dele cum Roman. et Græcis) qui spem habeant in talibus (perperam aliqui legunt in *tabulis*) et qui faciunt illos, et qui diligunt (græce ποθοῦντες, id est, qui desiderant) et qui colunt.) q. d. Iusta idololatrarum mala, imo pessime idola amantium pœna est, ipsa idololatria, quod scilicet in diis, hoc est in idolis mutis et brutis, imo diabolicis, ideoque exitialibus, et nocentissimis, spem suam ponant; utpote a quibus nihil boni sperare possint, sed omne malum, idololatrarum, inquam omnium tam eorum, qui Deos illos faciunt et fabricant, quam qui eosdem amant et colunt. Vatabl. *Malorum amatores, talesque spes habere digni talium opifices, amatores, cultores.* Lucas Burgensis in Notis explicat, q. d. Malitiæ omnis uberrimum fontem amant et ii, qui faciunt idola, et ii qui fieri colique desiderant, et ii qui colunt, ac proinde digni sunt, qui vanas atque inanes spes in illis habeant. Noster vero a Castro sic: *Malorum amatores,* hoc est capti amore studioque idolorum, et digni qui vanam in illis habeant spem, hi sunt, tam qui ea faciunt, quam qui desiderant, vel amant, vel colunt. Omnia hæc eodem redeunt.

Vers. 7. Sed et figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his contraria; horum autem vasorum quis sit usus iudex est figulus.) Pendet hic versus a sequenti v. 8. *Et cum labore,* etc. Ostendit inanitatem et vilitatem idoli ex vilitate materiæ et artificis, puta figuli, q. d. Videte, hoc manibus tangite quam idola sint vilia et lutea, imo merum lutum. En tibi figulus ex eodem luto vasa facit alia munda et pulchra, v. g. patinas quibus cibi inferantur in mensam; alia contraria, puta sordida et spurca, v. g. matulas ad excipiendum urinam, quod Paulus Roman. 9. ait, *Ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;* atque huius discretionis et diversitatis index, moderator, et arbiter est figulus, qui iudicat et eligit hanc luti partem ad formandum ex ea patinas, illam vero ad formandas matulas, aliaque vasa ad alios usus, prout ipsi libuerit et visum fuerit. Atqui figulus ut subdit v. 8. simili modo ex eodem luto fingit idolum, iudicatque et eligit ad hoc partem luti, quæ ipsi aptior videtur. Ergo idolum si materiam spectes plane simile, imo idem est cum materia

Figuli causa idololatriæ.

patinarum et matularum, quæ vilissima est, puta lutum; sin artificem spectes, idem est figulus qui idolum, et qui matulam fingit. Quam ergo vilis est figulus et vile lutum, tam pariter vile est opus eius, puta idolum ab eo plasmatum. Quare recte Arnob. lib. 6 contra Gentes, idololatras hoc argumento velut telo pungit et perimit: *Quænam est ergo ratio*, inquit, *ut si omnia hæc corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate cælesti, ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia continuo dii fiant, et in ordinem cælitum referantur, et censum? Novitatis aliquid fictio corporibus hic addit, ut adiectione ipsa cogamur, aliquid vis credere divinitatis maiestatisque collatum?* etc.

Præ cæteris idolis aureis et æreis meminit luteorum tum quia hæc plurima erant, et a pauperibus passim parvo pretio comparabantur; tum quia luteorum vilissima est materia, sordidissima plasmatio, sordidissimus artifex; qui tamen plenum in ea habet dominium et imperium, ut mira facilitate ex luto molli formet et fingat illa ea forma et figura, quæ ipsi libitum fuerit; quæ omnia vilitatem summam idolorum coarguunt. Unde subdit:

Vers. 8. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto ille, qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se, unde acceptus est, repetitus animæ debitum, quam habebat.) q. d. Quæ insania est luteum idolum a figulo ex eodem luto, quo patinæ et matulæ sunt formatæ, effectum censere esse Deum, cum et ipse figulus sit homo mortalis ex simili luto et terra a Deo in Adamo protoplasto formatus et plasmatus, ac mox in eamdem terram moriens sit rediturus, cum Deus animam, quam dedit, ab eo repetet. Nec enim homo qualis est figulus, potest formare Deum, nec mortalis immortalem, nec luteus cælestem; qua ratione enim figulus statuis luteis a se plasmatis Numen inspiret, et divinitatem tribuat?

Solerter Hugo advertit, iustum congruumque Dei iudicium et vindictam, qua fit ut figulus et idololatra, qui de terra factus animam, id est rationem sequi noluit, quæ Deum dictabat colendum, et propter quam similis erat ipsi, viliorem ipsi partem, nempe terrenum corpus auscultando, luteum quoque adoret, proprio corpori similem, Deum. Idem mystice faciunt gulosi, luxuriosi cæterique peccatores. Pro *labore vano* græce est κακόμοχθος, quod Osorius vertit: *Operarius laboriosus et impius*; alii: *male laborans*. Vatabl. *pessime locans operam.*

Reducit se.) q. d. Figulus brevi moriens redibit in terram, ex qua corpus eius formatum est, *Repetitus animæ debitum*, moriendi scilicet seu e corpore discedendi; nempe cum Deus ab anima repetit debitum migrandi e corpore, et ad se redeundi, ut debitorum, id est, culparum commissarum, ac præsertim idololatriæ et idolorum a se fictorum rationem exactam Deo vero reposcenti reddat, q. d. Quam vanum et stultum est credere, quod figulus fingat Deum, qui a Deo suum esse accipit, brevique illud Deo datori restituit, ac rationem illius bene vel male expensi reddet? Hinc Mor. disce animam et vitam non esse nostram, sed Dei, qui illius Dominus eius usum dumtaxat nobis concessit, eamque quasi mutuo dedit ut illa scilicet utamur ad Dei voluntatem et laudem; quod si abutamur ad idolum quodpiam honoris, superbiæ, avaritiæ, aut luxuriæ nobis effingendum, acrem in iudicio a nobis rationem sui dati, vel potius mutui reposcit, eiusque abusum æternis ignibus puniet, iuxta parabolam talentorum, Matth. 25. 15. tunc abutens audiet a Christo iudice illud: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cuius erunt?* Lucæ 12. 20. Deus ergo est creditor, homo debitor, debitum est animæ eiusque culpæ; mors est debitum naturæ, gehenna est debitum culpæ; quare qui peccat, fructum facit morti secundæ, id est, fructificat gehennæ, ait S. Ambrosius in cap. 7. Roman. Simili modo terra ab hominibus morientibus repetit debitum corporis ex se accepti, iuxta illud Eccl. cap. 2. v. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Vide ibi dicta. Hinc S. Ambrosius lib. de Bono mortis c. 10. Probat animæ immortalitatem: *Nunquid dixit*, inquit, *moriatur in te anima tua? Non: sed revocatur a te; quæ data est, reposcitur, vel repetunt a te: repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur manet; quod interimitur non manet.*

Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus et argentariis; sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.) Vers. 9.

Prosequitur ostendere dementiam figuli, sive idoloplastæ, q. d. Figulus fingens idolum luteum, nec labori parcit, nec vitæ. Nam non curat nec cogitat laborem, qui ei magnus subeundus est, ut singula membra idoli, instar membrorum hominis distincte, perfecte et eleganter efformet. Rursum, non curat nec cogitat, quod ei brevis vita supersit, quæ rebus utilioribus et saluti æternæ procurandæ erat impendenda, sed lucrum dumtaxat spectat et honorem, ut audiat: Ecce hic est insignis idoloplastes. Quare ambitiose certat cum aurificibus, argentariis et ærariis, ut æque perfecte, imo perfectius idola effingat ex luto, quam illi ex auro, argento, et ære. Contendit ergo in arte et forma æquare vel superare illos, esto in materia ab iisdem superetur. Iuvenalis ridet Ægyptios, quod allia et porros pro diis colerent; aitque:

O Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Simili modo rideas idoloplastas, iisque dicas:

O Sanctos plastos, qui lutea numina plasmant,
O sanctas palmas, queis condere numina fas est,
O deos digitos, qui possunt fingere divos.

Non quia laboraturus est.) Labor hic a variis varie accipitur. Primo, et genuine pro eo, quo figulus operose laborat in formando idolo, singulisque eius partibus et membris, iisque conservandis ne rumpantur vel frangantur, uti iam dixi. Secundo, quo laborat morbo, quem ex nimio plasmandi labore diurno et nocturno contrahit: Unde Petrus Nannius hic: *Laboraturus*, inquit, id est, *ægrotaturus*. Κάμνοντες enim vocantur ægri vel mortui, q. d. Figulus intentus lucro, et gloriæ, nimio labore se conficit, perdit et interimit. Tertio, quo laborabit in morte, cum repetetur ab eo animæ debitum, et in gehenna, ubi ardebit ob sua idola, quæ finxit. Ita Iansen.

Concertatur.) Græce ἀντερείδεται, id est, contra adversarium vel æmulum contendit, certat, pugnat, ut artis suæ excellentia plus lucri et gloriæ referat.

Gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.) Id est, ut græce: *Gloriam æstimat quod κίβδηλα*, id est, *adulterina fingit*. Vatabl. *Gloriæ sibi ducit, quod fingat imposturas*; alii, *quod fingat adulteria*, id est, res adulteratas et falsatas, puta idola, quæ non sunt numina, sed numinum figmenta et portenta, ideoque sunt dii adulterini et falsati, hoc est adumbrati, picti, ficti et falsi. Græcum enim κίβδηλον, significat rem adulteratam, ementitam, fictam et proprie dicitur de nummis subæratis, cum scilicet aureis æs miscetur, quod eos vitiat et adulterat: Simili enim modo idolum est Deus, non verus, sed ementitus et adulteratus. Quocirca Tertull. l. de Idolol. c. 7. asserit, Christianos artifices qui lucri causa simulacra fingunt idololatris, eiiciendos esse ab Ecclesia, imo manus eis esse amputandas: *Tota die*, inquit, *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum: his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur; eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant; sed etiam ipsæ tradunt aliis, quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt; O manus præcidendæ! Viderint iam, an per similitudinem dictum sit: si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini corpus scandalizatur?*

Hac de causa S. Claudius, Nicostratus, Symphorianus, Castorius et Simplicius, sub Diocletiano Imper. gloriosum obiere martyrium, quod cum essent summi Sculptores, nullo modo adduci potuerunt, ut idolorum statuas facerent; et ad Solis simulacrum ducti, ut illud venerarentur, numquam commissuros se dixerunt, ut adorarent opera manuum hominum. Quamobrem in carcerem coniecti, scorpionibus cæsi, demum vivi plumbeis loculis inclusi in flumen deiecti, corpora solo, animas cælo resignarunt, ac gloriosum de idolis triumphum egerunt. Celebrat Ecclesia illorum diem natalem in octava omnium Sanctorum, ac reliquias eorum veneramur Romæ in Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum.

Vers. 10 CINIS EST ENIM COR EIUS, ET TERRA SUPERVACUA SPES ILLIUS, ET LUTO VILIOR VITA EIUS.) Vatabl. *Pulvis est cor illius, spes item terra vilior, et argilla abiectior vita illius.* Loquitur non de idolo, sed de idoloplaste sive idoli figulo, q. d. Figulus fingens idola, in quibus gloriatur, et iactat suam artem plasmandi, fingit res *supervacuas*, id est viles, falsas et fictas, quia totum *cor*, id est, cogitationem et curam defigit in luto et cinere, ut scilicet ex luto formet vasa et idola lutea, eaque deinde in fornace coquat urendo ligna, quæ abeunt in cinerem, quare totus luteus et cinereus est, præsertim quia ipse quoque in morte in pulverem et cinerem redibit, iuxta illud Adæ eiusque posteris intentatum a Deo: *In pulverem reverteris.* Genes. 3. 19 Sapiens crebro idem hic aliis verbis, iisque obscuris inculcat, ut idolorum odium lectoribus imprimat, uti faciunt Concinnatores, cum vitium aliquod prædominans in populo insectantur. Cogor ego Auctorem interpretando assectari, idemque explicando repetere; ne ergo quis me πολυλογίας accuset.

Pro *cinis*. græce est, σποδὸς, et non simplex, qui τέφρα dicitur, sed sordidus; et in quo extincti carbones permixti sunt, et aliarum rerum reliquiæ, puta fragmenta testarum, quæ igne ardentiore in fornace sæpe dissiliunt et franguntur. In his ergo est totum cor, id est cogitatio et occupatio figuli, ut ipse totus cineri et luto immersus, vitam inter cineres non humanam et vitalem, sed cineream et funebrem agere videatur. Ita Lyran. Cinis, inquit, est cor figuli per affectionem, quia ut ait S. August. Diligis terram, terra es; diligis cælum, cælum es; diligis Deum, quid dicam? divinus, imo Deus es: amor enim transformat amantem in amatum; anima enim magis est ubi amat quam ubi animat. Idem S. Aug. lib. 2. de Ser. Domini in Monte, cap. 9. « Quemadmodum, inquit, terra appellatus est peccator, cum ei dictum est; Terra es, et in terram ibis: sic cælum iustis e contrario dici potest: Iustis enim dicitur, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Quapropter si in templo suo habitat Deus, et sancti templum eius sunt, recte dicitur, qui in cælis es, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter iustos et peccatores, quantum corporaliter inter cælum et terram. Cuius rei significandæ gratia, cum ad orationes stamus; ad Orientem convertimur, unde cælum surgit: non tamquam ibi sit Deus, et quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est, ad Dominum, cum ipsum corpus eius quod est terrenum ad corpus excellentius, id est ad corpus cæleste convertitur ». Et post nonnulla: « Ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ; cælestia etiam corpora excedere, magis eum quærat in anima quam in corpore etiam cælesti ».

TERRA SUPERVACUA SPES ILLIUS EST.) Id est, terram vilem sperat, puta vile lucrum, vile aurum et argentum; hæc enim nil aliud sunt, quam terra alba et rubra, ait S. Bern. græce est: *Terra vilior spes illius, et luto abiectior vita eius*, quia spem vitam habet in luteo idolo, quod ideo terra ipsa vilius est; nam terra uti a Deo creata est, manet id quod est; at idolum habet id, quod non est; existimatur enim Deus cum minime sit. Unde et abiectius figulus vivit, quam est ipsa terra seu lutum idoli, quia luto se subiicit, ut servum Domino, et ut creaturam creatori suo. Denique Syrus vertit: *Terra spes eius et luteum improperii habitaculum illius.* Figulus enim perpetim tractat lutum, ut in eo velut domo sua habitare videatur.

Tropolog. notantur hic tria primaria vitia. Cinis enim, qui ex igne gignitur, notat iram et superbiam; terra, quæ producit fruges et opes, avaritiam: lutum quod inficit et maculat, gulam et luxuriam. Avari enim idolum est aurum, superbi honor, gulæ et luxuriæ vina, et veneres; sed hæc omnia lutea, id est vilia et fragilia sunt, ac in terram cineremque cum ipso homine abeunt, iuxta illud Iob 30. 19. *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.* Calor enim naturalis velut ignis hominis radicale humidum depascitur. Quocirca moritur homo, corpusque abit in cinerem et terram. Unde cap. 2. 3. dixit: *Quo* (scintilla) *extincto, cinis erit corpus nostrum*, quasi cremium ex igne residuum. Vide ibi dicta. Tropol.

QUONIAM IGNORAVIT QUI SE FINXIT, ET QUI INSPIRAVIT ILLI ANIMAM, QUÆ OPERATUR, ET QUI INSUFFLAVIT EI SPIRITUM VITALEM.) Vers. 11. Græca: *Quoniam eum, qui se finxit, nescivit, et qui inspiravit illi operantem animam, et qui insufflavit spiritum vitalem*, q. d. Figulus totum cor habet in idolo quod fingit, quia adeo cæcus est, ut ignoret Deum verum, qui se finxit, imo ex nihilo creavit, quique illi inspiravit animam, quæ semper aliquid operatur, ac spiritum vitalem ei insufflavit. Dat rationem, cur dixerit, quod cor figuli sit cinis, ideoque ipse sit terra vilior, et luto abiectior, quia scilicet luto se subiicit quasi suo idolo: non enim cognoscit Deum verum, vitæ suæ et omnium bonorum auctorem et datorem. Pro *quæ operatur* græce est ἐνεργοῦσαν, id est operantem, vegetam, efficacem, quæ non sit otiosa et cassa, sed semper est in actu et semper agit aliquid, quod suam vim et vigorem vitalem demonstrat; quam proinde Cicero Tuscul. 1. continuatam quamdam et perennem motionem nuncupat. Anima enim est vitæ et vitalis operationis, quæ ex vita iugiter manat, fons et origo. Sicut enim fons semper scaturiens numquam quiescit aut sistit; sic et anima numquam quiescit, sed semper corpus vegetat, membra vivificat, cerebrum animat, ac in singulas partes corporis per spiritus vitales et animales, vegetationem, vitam, sensum et motum influit; cuius rei index est pulsus, qui in perpetua est agitatione et motu quamdiu homo vivit: qui si cesset, homo moritur. Item *spiritus vitalis*, id est, vis respirandi, et respiratio continua per omnem vitam, qua desinente homo extinguitur et desinit. Quare perperam nonnulli ex hoc loco censuerunt in homine plures esse animas, scilicet duas aut tres, nimirum vegetativam, sensitivam, et rationalem. Una enim est in homine anima rationalis, sed virtute triplex; ipsa enim sola obit omnia munia, quæ in plantis obit anima vegetativa, et in animalibus anima sensitiva, et in angelis anima, ut ita dicam, rationalis. Ipsa ergo vegetat hominem ut crescat; ipsa videt, audit, sentit; ipsa intelligit et ratiocinatur. Posset quoque per *spiritum vitalem* accipi ipsa anima; hæc enim dicitur anima; quatenus corpus animat et vivificat, eadem dicitur *spiritus:* tum, quia ipsa est spiritalis et incorporea; tum, quia homini tribuit vim respirandi; tum quia spiritus vitales et animales capiti, totique corpori producit et subministrat.

SED ET ÆSTIMAVERUNT LUSUM ESSE VITAM NOSTRAM, ET CONVERSATIONEM VITÆ COMPOSITAM AD LUCRUM, ET OPORTERE UNDECUMQUE ETIAM EX MALO ACQUIRERE.) Vers. 12. Vatabl. *Verum isti ludicram vitam nostram existimant, et cursum ætatis lucrosam nundinationem*, ut qui dicant *undecumque, etiam ex malo rem faciendam.* Syrus: *Et reputaverunt habitaculum vitæ suæ risum, et habitaculum suum tamquam tempus et venditionem mercatoris, et omnis mercatura eius in malo.* Arabicus: *Et censuerunt ætatem nostram lucrum ad induendam* (vel *lucrum confusionis*) *et quia dicunt se indigere, hinc lucrantur ex malo.* Assignat radicem mali, puta cur figuli fingant idola, quia scilicet censent omnia, quæ in vita hac geruntur, non esse res serias, a quibus pendeat salus et æterna bo-

minis felicitas, sed ludicros, quibus homines ceu pueri suis pupis modico tempore, quo vivunt, ludant: ideoque idola quasi pupas fingunt, ut iis quasi diis ludicris, ludant et illudant hominibus, eorumque opes et bursas, sive per fas, sive per nefas emungant, dum figmenta hæc sua ludicraque idola caro quibuslibet vendunt. Pro *lusum* enim græce est παίγνιον, id est, ludicrum, lusus, ludibrium, ac præsertim delectamenta, quibus ludunt pueri, uti sunt imagunculæ et effigies, præsertim quas ipsi formant ex terra vel luto: a παίζω enim, id est, ludo dicitur παῖς, id est, puer, quasi lusor; et παίγνιον, id est, res ludicra, qua puer ludit: vel certe a παῖς, dicitur παίζω, id est, ludo, iocor instar pueri. Perperam pro *lusum* nonnulli legunt *luxum*. Unde Lyran. per *lusum* accipit luxum, puta delectationem carnalem. Hugo vero per *lusum* accipit derisum, quo impii pios derident. Dionys. autem, q. d. Idololatræ et impii sectantur bona huius vitæ, quæ ludicra sunt, negligunt vero bona futuræ vitæ, quæ vera sunt et solida. Verum sensus genuinus est, quem initio dedi, cui adde, lusu hoc notari Atheismum, q. d. Idoloplastæ ludunt suis idolis itaque ditescunt, quia putant hanc vitam merum esse lusum, nec eius ut rei seriæ rationem exigendam a Deo. Lusus enim merus est lusus, nec ad alium finem refertur, ait Aristot. 10. Ethicor. c. 6. Sic et hi putant vitam hanc non referri ad futuram, sed ea finita animam cum corpore interire. Quare secure epulantur, ludunt, scortantur, etc. uti dixit cap. 2.

Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2. ad 2. censet hoc loco redargui eos, qui immoderati et nimii sunt in lusu, ut in eo summum bonum et felicitatem constituere videantur, quos ipse redarguit ex dicto Cicer. lib. 1. de Officiis dicentis: *Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius, et ad quædam studia graviora atque maiora* (idem asserit Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 6.) et ex illo S. Chrysost. hom. 6. in Matth. *Non dat Deus ludere* (lusu nimio vel vitioso) *sed diabolus. Audi quid ludentes passim sunt. Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere,* cum adorarunt vitulum aureum, Exodi 32. Quocirca

Eutrapelia ludorum.

S. Thomas, ibidem assignat virtutem Eutrapeliam, cuius officium est moderari iocos et ludos, ut nec nimii sint, nec nimis parci, quo fit ut homo, nec nimis levis et ludicrus, nec nimis serius, stoicus et tetricus, sed festive gravis, et graviter festivus evadat: citatque illud Ciceronis lib. 1. de Officiis: Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno, et quiete: cætera tunc cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus, iuxta illud Catonis:

Lusu ut somno utendum.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Memini in Belgio nonnullos ad leniendum dolorem ex publicis calamitatibus conceptum, instituisse societatem ludi, et ioci, cuius hoc axioma, et hæc norma erat: *Nec nimis iocosus sis, nec nimis gravis; nec nimis sæpe, nec nimis desipe.* Sapienter Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 11. *Non sapit*, inquit, *cui ludus habetur pro serio.* Unde Ierem. cap. 15. 7. *Non sedi*, inquit, *in consilio ludentium.* Et Tobias cap. 3. 17. *Numquam*, ait, *cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant participem me præbui.* Ludit mundus cum suis amatoribus, sicut meretrix cum suis amasiis, quos deludit et expilat, perinde ac felis ludit cum mure. Sic Ismael lusit cum Isaac eum persequendo, ideoque domo patris Abrahæ iussu Dei expulsus est. Gen. 21. 10.

Lusitaniæ etymon et antiquitas.

Denique Lusus Bacchi fuit socius, a quo Lusitaniam nomen accepisse asserit Plinius lib. 3. cap. 1. *Varro*, inquit, *tradit Lusum Liberi patris ac Lyssam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ, et Pana præfectum eius universæ.* Lusus autem apud Celtiberos regnavit eo tempore, quo Pharao mersus est in mari rubro. Ita Berosus l. 5. Vide hic antiquitatem Lusitaniæ, quæ tempore Mosis et Pharaonis a Luso rege nomen accepit.

Vita est ludus.

Symbolice, vita nostra lusus est puerorum, comœdia est, tragœdia est, sed videat quisque, ut in ea personam suam decenter agat, et lusum hunc sapienter ludat, quia ab illo pendet cuiusque salus et felicitas perpetua. Iacimus enim aleam de tota æternitate, eaque vel felicissima vel miserrima, idque irrevocabiliter. Hinc Epictetus Enchir. 23. Tota vita nostra, inquit, mimus est, scena et fabula. Idem dixit Augustus Cæsar moriturus, teste Svetonio.

Gnomæ.

Plato vitam nostram, præsertim adolescentiam iam liberam, comparabat ludo tesserarum, vel ludo aleæ, ubi et iaciendum est, quod sit commodum, et iactu quod cecidit, recte usurpandum: ac iacere quidem hanc aleam non esse in nostra potestate, sed Dei, fati, aut fortunæ. Si vero recte sapimus, penes nos esse; quæ fortuna obtulit convenienter accipere, et suo quodque disponere loco, ubi et propria maxime condecant, et quæ præter voluntatem eveniunt minime offendant: alioquin ii, qui nulla arte adhibita, nulla prudentia vitam degunt, cum res secundæ afflant, sortem suam extollunt, cum adversæ, deiiciunt. Itaque in utraque fortuna turbantur et numquam quieti sunt quo modo ægrotos videmus neque calorem ferre posse, neque frigus. Platonem secutus Plut. l. de Animi tranq. confert hominis vitam ludo tesserarum; quid iactu cadat, ait, non est in nobis situm; at quod cecidit recte disponere, in nobis est: sic eventus in nobis non est: quod evenit id in bonum vertere, nostri muneris est. Synesius lib. 1. de Providentia: *Sicut*, ait, *in Scena tragœdus, quamcumque ei personam fabulæ choragus, imponit, hanc cum bello agere postulat: Ita Deus nobis et fortuna diversa vitæ genera, quasi personas quasdam in hac ingenti mundi fabula induit: neque unius conditio, quam alterius quidquam est, vel melior vel deterior. Eam unusquisque gerit ut potest. Potest autem vir bonus omni loco se recte gerere, sive mendicum ille, sive regem agat. Neque de persona altercari solet. Nam et in tragœdo ridiculum fuerit, hanc illum refugere aut alteram eligere. In aniculæ enim persona, si placeat, corollas et præconia consequitur: contra vero si in regia se turpiter det, exploditur et exsibilatur; nonnumquam etiam lapidibus petitur.* S. Chrys. hom. 47. ad Populum: *Vita*, ait, *præsens, ludus est, imo quid peius; futura vero non ludicra. Quid enim a pueris differimus ludentibus et domos ædificantibus, nos splendidas erigentes domos? Quid autem a prandentibus illis nos deliciate viventes? Nihil nisi quod cum pœna hæc facimus. Si vero nondum rerum veritatem conspicimus, mirandum non est: nondum enim viri facti sumus; cum autem facti fuerimus, sciemus quod hæc sunt puerilia: quoniam et illa viri evadentes dimittimus. Cum autem pueri sumus seria esse putamus et testas et lutum coagmentantes, non minus magna erigentibus sepia solliciti sumus, verumtamen statim pereunt et collabuntur: et neque si starent, usquam nobis utilia forent, sicut nec istæ splendidæ domus. Cœli namque civem admittere non possunt.* Subdit deinde cœlites hos hominum in terra ludos ridere: *Neque cœlestem habens patriam, in his morari sustineret, sed quemadmodum nos hæc pedibus destruimus, ita et ille iudicio subvertit. Et sicut nos pueros in subversione lugentes ridemus, sic et cœlites nos hæc ingemiscentes non tantum rident, verum et deflent, et quoniam misericordia sunt ipsorum viscera, et hinc multum est damnum. Efficiamur ergo viri. Quousque solo repimus in lapidibus et lignis altum sapientes? Quousque ludimus, et utinam tantum luderemus. Nunc autem et nostram perdimus salutem. Et sicut pueruli cum in his studium agunt, litteris neglectis, multa sustinent verbera; sic et nos in his omne studium impendentes, dum spirituales exigemus disciplinas, tunc per opera, nec quas præstamus, habebimus, extremam dabimus ultionem, nec ullus erit, qui nos eruat, sive pater, sive frater.* Eodem habet homil. 24. in Matth. Idem epist. 6. *Non est*, inquit, *theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam ut illic ille imperatoris, hic iudicis, alter et militis implet officium; ubi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit, iudex videtur, nec miles postea, qui prius miles; ita unusquisque nostrum in illius sæculi die non personis, sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem.* Ludite mortales, lusu non vitiorum, sed virtutum. Ludit avarus suis nummis, dum per usuras, fraudes, fas et nefas

eos coacervat. Ludit ambitiosus suis officiis et honoribus, quos illicitis artibus sibi comparat. Ludit gulosus suis epulis; luxuriosus suis muliereulis; sed lusum hunc tristis excipit catastrophe, plausum hunc funestus sequitur planctus, dum a lusu itur ad luctum, a locis ad focos gehennæ: nec meminit cælestis moniti: *Udo, Udo cessa a ludo, lusum satis Udo*, nisi dum finita vitæ lusu, post mortem cum Udone Magdeburgensi ad tartara damnatur: orbi fit ludus, et ludibrium dæmonum. Hanc vili numme, exili honore, spurca fœminæ larva iacitur alea gehennæ, prodigitur beata cæli gloria, luditur, inquam, immensa et interminabilis Æternitas? o pudor, o stupor, o mens amens, o cor vecors! quam sapientius, sanius, iucundius et felicius ludunt, qui humilitate, charitate, patientia, cæterisque virtutum officiis ludum, ut ea ubeant læti et ludibundi ob certam spem æternæ felicitatis! Quam bene lusum vitæ suæ lusit S. Paulus dicens: *Spectaculum facti sumus mundo, angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, etc.* 1. Corinth. 4. 9. Quam bene eumdem lusere S. Athanasius, S. Chrysost. S. Antonius, S. Franciscus cæterique Sancti! Quam bene suam personam agere in hac vitæ comœdia et fabula!

Et conversationem vitæ compositam ad lucrum.) Græce, τον βιον πανηγυρισμον επιτηδειον, id est, vitam seu vivendi modum, esse nundinas paratas ad lucrum, vel nundinationem quæstuosam, unde Syrus vertit: *Venditionem mercatoris*, id est, mercatum. Sic Pythagoras, teste Cicerone Tuscul. 5. dixit: vitam hominum similem nundinis, quæ in publicis ludis toto Græciæ concursu celebrabantur, ad quas confluebant omnes, hi ut emerent, illi ut venderent. Sensus est, q. d. Idoloplastæ non aliud cogitant, quam lucrum. Formant ergo idola, ut ea vendant, itaque opes coacervent: nec enim alias opes spirituales norunt, nec futuram vitam cogitant aut credunt. Similí modo S. Greg. Naz. in Tetrastichis dixit, vitam hanc esse mercatum spiritualem, in qua cuilibet emere liceat merces virtutum, quibus vivat in futuro sæculo. Finita enim in morte vita, quasi finitis nundinis, nonnulli fas esse quippiam amplius comparare. Sed audi Nazianz.

Vita est nundinatio.

Hanc esse vitam nundinas credas velim,
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus:
Post tempus illud alteram non suppetat.

Et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.) Græce πορίζειν, id est, quæstum facere, q. d. Idoloplastes totus lucro intentus illud captat ex malo, puta ex idolis, quæ fingit, quæque quasi numina carius vendit, quam aut materia aut opera eius mereatur. Sic rude et cupidum vulgus hodie soli lucro intentum, illud ex qualibet re, etiam mala aucupatur. Avari enim in quæstu summum bonum constituunt, ideoque lucrum sibi proponunt quasi Deum.

Vespasianus Imper. ad rem attentius ex rebus etiam sordidis, uti ex urina captabat vectigal et lucrum: cum nonnulli obiicerent hoc vectigal esse sordidum, respondit: *Lotium fœtet, at aurum non fœtet, ex qualibet enim re bonus et suavis est odor lucri.* Honestius et cordatius Chilon apud Laertium lib. 1. cap. 4. *Lucrum, ait, scelere partum, damnum est, non lucrum.*

Vers. 13. Hic enim scit se supra omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa et sculptilia fingit.) Probat quod dixit, idoloplasten *ex malo acquirere*, ex eo quod ipse sciat se non posse ex luto, ex quo fingit matulas et patinas, formare et fingere Deos. Quare præ cæteris idololatris et idolorum opificibus, puta argentariis, aurariis et ærariis peccat, quod illi sæpe ignorantia laborent, ac ex argento, auro, ære fabricent idola; in quæ proinde pronius se insinuat superbus dæmon, quæ deinde ad alios quoque usus servire possunt, puta ad repræsentandos reges, vel homines virtute præcellentes, aut si confringantur, aurum, argentum et æs, in pauperes erogari potest: idolum vero luteum ad nihil valet, nisi ut confractum conteratur pedibus. Vilitas ergo et fragilitas terræ ac luti, figulum idoli de sua impietate convincit, si nolit prorsus cæcutire et insanire. Scit enim figulus Deos suos esse fictiles; scit pariter illud vulgo tritum: *Figuli opes, fictiles divitiæ:* scit enim opes suas consistere in vasis figulinis, quæ proinde cum iis facile confringantur et pereant. Quæ res ipsum admonet, ne pro lucro tam fragili tantum idoli nefas committat et fabricet.

Omnes enim insipientes, et infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, et imperantes illi.) Vers. 14. Perperam Biblia Benedicti habent: *impetrantes illi.* Sensus est, q. d. Idololatræ hostes populi tui, v. g. Ægyptii, Ammonitæ, Philisthæi, etc. sunt superbi, insipientes, et infelices, *supra modum animæ*, id est, ut græce est, *super omni anima*, sive præ omni anima, id est, præ omni homine: quia cæteri homines esto sint idololatræ, non tamen Deum Deique veri cultores, puta Israelitas persequuntur, uti faciunt Ægyptii et Philisthini, qui proinde gravissime in hac vita vel in futura a Deo punientur. Græce est, *super animas infantium*, velut Vatic. *infantis excordis.* Nil enim insipientius anima infantis, quæ etsi sit rationalis quoad potentiam, ratione tamen ob organorum debilitatem uti nequit; sed infans prorsus est insipiens, et quoad actum irrationalis instar bruti. To ergo *omnes* non potest referri ad τὸ *animæ*, cum anima sit fœmininum. Pro *omnes* vero sit παντες quod est masculinum.

Magis proprie et presse S. Bonavent. Lyran. et Dionys. hostes inquiunt, Israelitarum dicuntur superbi *supra modum animæ*, id est plusquam anima cuiuspiam possit præsumere et sese extollere, iuxta illud Isaiæ 16. 6. *Superbia eius* (Moab) *et arrogantia eius, et indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Hoc enim videtur innuere. Τὸ *supra modum animæ*, etsi in Græco sit *super animas infantium*, q. d. Præsumentes supra id quod valeat concipere, uti faciunt pueri stulti et insipientes. Rursum Vatabl. per infantes accipit stultos. Unde vertit: *Stultorum animis miseriores sunt omnes populi tui inimici, qui eum potentia premunt; eo quod omnia simulacra gentium pro Diis habeant.* Pro *omnes enim*, græce est, παντες δε id est, *omnes vero*. Sed hæ particulæ sæpe inter se commutantur, ac δε sumitur pro γαρ, id est, *enim*, et vice versa, uti superius ostendi. Occurrit enim tacitæ obiectioni, q. d. Ne mihi idola et idololatras insectanti obiicias, hostes Israelis esse sapientes et felices, idque per idola et Deos suos, quos colunt et invocant, eo quod ipsi iam dominentur imperentque populo Dei, puta Israelitis. Dico enim illos præ cæteris Gentibus esse insipientes et infelices, quia colunt muta et stupida idola, non tantum sua, sed et quarumlibet gentium quantumvis fœda et spurca, quo quid insipientius, vel infelicius? Nam ne Hebræi ex vicinia Ægyptiorum, eorum idololatria inficerentur, præsertim cum eos viderent rerum dominos sibi imperare, hinc contra eos insurgit Sapiens, ac sequent. cap. eorum insipientiam et infelicitatem demonstrat. Eadem de causa Baruch cap. 6. detonat in idola Babyloniorum, ut Iudæos in Babylonicam captivitatem ituros ab iis colendis avertat. Pro *imperantes* perperam Lyran. Hugo et alii legunt *improperantes*, græce enim, est, καταδυναστευοντες αυτον, id est, *potentia et vi opprimentes illum*, scilicet populum Dei. Huc facit oratio Esther cap. 14. vers. 7. et sequent. *Et nunc non eis* (Persis hostibus nostris) *sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa, et aperiant ora Gentium, et laudent idolorum fortitudinem, etc.* Id Gorionides narrans, sic Esther facit loquentem: Ecce ipsi non dicunt te (o Deus) nos in suas manus tradidisse, sed idolis acceptum hoc ipsum ferunt, eaque adorant dicentes: Vos in manus nostras Iudæos dedistis.

Ex hoc loco liquet, Salomonem non esse Auctorem huius libri. Nam eius ævo nullæ gentes dominabantur Israeli, sed potius Israel per Salomonem dominabatur cæteris gentibus, præsertim vicinioribus. Quare videtur liber hic scriptus sub tempora Septuag. interpretum, quando Ptolomæus Lagi pater Philadelphi, ac Ægyptii idololatræ imperabant Iudææ, uti dixi in Proœmio. Unde cap. seq. Ægyptios insectari pergit. Quod enim Lyran. censet aucto-

rem libri esse Philonem Iudæum, qui post Christum vixit sub Caio Caligula Cæsare, qui Caius misit statuam suam per totum orbem, quin et Ierosolymam, ut in ea a Iudæis cæterisque gentibus adoraretur, ac Iudæis id facere renuentibus, multas facessivit molestias, qua de causa ad eum a Iudæis missus Philo repulsam tulit. Hoc, inquam, parum verisimile videtur. Quis enim credat hominem Iudæum iam abrogato Iudaismo infidelem et perfidum, esse auctorem libri canonici sancti et sacri?

Vers. 15. QUONIAM OMNIA IDOLA NATIONUM DEOS ÆSTIMAVERUNT, QUIBUS NEQUE OCULORUM USUS EST AD VIDENDUM, NEQUE NARES AD PERCIPIENDUM SPIRITUM, NEQUE AURES AD AUDIENDUM, NEQUE DIGITI MANUUM AD TRACTANDUM, SED ET PEDES EORUM PIGRI AD AMBULANDUM.) Græce ἀργοί, id est otiosi, inefficaces, inepti ad ambulandum. Pro usus, ut habent Græca et Roman. perperam aliqui legunt visus, etsi idem sit sensus. Alludit ad Psal. 113. 4. et Psal. 134. 16. Verba ex se clara sunt et patent ex dictis S. Cyprian. l. 3 Testim. c. 59. pro *digiti manuum*, legit *digiti in manibus*. Sensus est, q. d. Ægyptii omnium gentium Deos coluerunt, puta idola, quæ nec veros digitos, nec veros pedes, nec veras manus habent, sed sunt sicut stipites et trunci, quibus, si ipsi eorum figuli similes fierent, homines esse desinerent. Hinc patet Ægyptios utpote valde superstitiosos, non tantum suos, sed et aliarum gentium Deos coluisse: idem post eos fecere Romani, ut Deos gentium sibi haberent propitios, itaque per eos gentes omnes sibi subiugarent. Sapienter S. August. l. 1. de Civit. c. 2. *Nec ideo Troia*, inquit, *periit, quia Minervam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerva perdiderat, ut periret? An forte custodes suos? hoc sane verum est: illis quippe interemptis potuit auferri. Neque enim homines a simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quomodo ergo colebatur, ut patriam custodiret et cives, quæ suos non valuit custodire custodes?*

Vers. 16. HOMO ENIM FECIT ILLOS, ET QUI SPIRITUM MUTUATUS EST, IS FINXIT ILLOS.) q. d. Idoloplastes ex luto fecit idola, idemque, qui spiritum a Deo mutuo dumtaxat accepit, ut illum ei in morte reddat et resignet, hinc finxit Deos illos luteos: ergo illi non sunt veri Dii, sed ficti.

NEMO ENIM SIBI SIMILEM HOMO POTERIT DEUM FINGERE.) Græce πλάσαι, id est formare instar figuli, q. d. Nullus idoloplastes potest idolo suo spiritum inserere similem illi, quem ipsi a Deo accepit. Quare non potest sibi similem Deum formare, id est non potest formare idolum, quod habeat animam animæ suæ similem, puta non potest facere idolum animatum et rationale, q. d. Idoli faber et figulus non potest efficere, ut suus Deus, puta idolum sit homo vivus sibi similis; ergo multo minus potest efficere, ut idolum sit Deus et Numen. Si enim non potest illi animam, quam habet inserere, multo minus poterit ei afflare Deitatem, quam non habet: Græca hic variant et mendosa sunt. Quare standum vulgatæ, quæ optimum sensum reddit.

Vers. 17. CUM ENIM SIT MORTALIS, MORTUUM FINGIT MANIBUS INIQUIS. MELIOR ENIM EST IPSE HIS QUOS COLIT, QUIA IPSE QUIDEM VIXIT, CUM ESSET MORTALIS, ILLI AUTEM NUMQUAM.) q. d. Idoloplastes non potest sibi similem, puta vivum fingere idolum sive Deum, quia cum sit mortalis, non potest fingere, dareque idolo animam immortalem (huius enim creator est solus Deus immortalis) quare ipse idolum inanimum, et quasi mortuum fingat oportet, qua de causa nefarius est, et iniquis manibus nefas operatur: *Melior est* enim *ipse his quos colit*. Græce σεβασμάτων αὐτοῦ, id est, suis culturis, puta suis idolis et diis, quos ipse ut fabricavit, sic et adorat et colit: idola enim numquam habuerunt animam et vitam, quam habet, vel habuit ipse eorum opifex: animatus autem animaque præditus, longe re inanimi melior et præstantior est. Quid ergo magis nefarium et iniquum, æque ac stultum quam ut opifex effigiem a se factam et inanimem, ideoque se vivo longe deteriorem extollat super se, faciatque suum Deum, ac ut talem supplex invocet et adoret? Unde S. Cyprian, loco citato pro *melior enim* planius legit *melior autem*, quia ut iam dixi

A hæ particulæ *enim*, *autem*, inter se commutantur. Noster tamen profundius vertit *enim*, quia dat causam cur dixerit idoloplasten facere Deum *manibus iniquis*. Causa enim est, quod iniquum sit, ut homo vivus adoret rem mortuam se longe viliorem, infirmiorem, et invalidiorem, atque ut opifex adoret opus suum, cui ipse dedit esse.

SED ET ANIMALIA MISERRIMA COLUNT. INSENSATA ENIM COMPARATA HIS, ILLIS SUNT DETERIORA.) Pro *miserrima*, græce est, ἔχθιστα, id est, inimicissima, odiosissima, infestissima, ut serpentes, feles, canes, crocodilos, mures et vermes, quos coluerunt Ægyptii, qui tamen hominibus sunt summe noxii et infesti, ideoque miserrimi. Miserrimum enim est animal, quod homini, qui suus est herus æque ac finis, cui proinde obedire et servire debet, est rebelle et infestum, utpote a suo fine et scopo, ad quem conditum est a Deo creatore, plane aberrans et devium. Lyran. pro *miserrima* legit *miserrimi*, idque licet minus genuine tamen apposite, q. d. Miserrima animalia pro diis coluerunt Ægyptii, ideoque miserrimi et ipsi effecti sunt. Vers. 18.

B Talis enim evadit quisque, qualis est Deus, quem colit.

INSENSATA ENIM COMPARATA HIS, ILLIS SUNT DETERIORA.) Lyran. pro *miserrima*, quod præcessit legens *miserrimi*, sic explicat, q. d. *Insensata* animalia *comparata his*, scilicet hominibus, sunt ipsis hominibus *deteriora*, ut reddat rationem, cur dixerint miserrimos esse, qui colunt animalia, quia scilicet insensata sunt hominibus se colentibus, utpote sensu et ratione præditis deteriora. Alii explicant, q. d. *Insensata*, puta lignea et lapidea idola *comparata his*, nempe animalibus, *sunt ipsis deteriora*, q. d. Ligneum idolum est deterius animali bruto: Si ergo brutum non est Deus, multo minus idolum ligneum est Deus.

Verum hæc parerga sunt, et a Græco dissonantia. Græcus enim sic habet: [illegible], id est, *dementia enim comparata aliis, sunt deteriora*. Unde et nonnulli Codices Vulgatæ pro *illis*, habent *aliis*: Ἄνοια Græce proprie est nomen substantivum singularis numeri, significans dementiam, amentiam, furorem. Verum Auctor huius libri, qui subinde verba Græca

C novat noveque accipit (uti superius vidimus) videtur ἄνοια accipere adiective in plurali et in genere neutro, ut sit idem quod ἀνόητα id est, amentia vel *insensata*. Sensus ergo est, q. d. Quæcumque animalia insensata vel amentia, si cum his comparentur quæ colunt Ægyptii, inveniemus hæc illis deteriora; hoc est, animalia ab Ægyptiis culta, cum, si aliis comparentur, amentia inter rationalia sint habenda, hinc illis deteriora sunt; nam cum omnia expertia rationis sint, illa alia magis cum mente humana consonant, quoniam benigna sunt, hominique utilia: hæc vero sunt illi inimica, quod venefica sint, et illi infestissima, ut mireris quæ colunt homines, suæ obliti humanitatis. Ita Cantacuzenus, Osorius, Emmanuel Sa, et Christophorus a Castro.

Rursum, si substantive et proprie Græcum ἄνοια translato accentu ex antepenultima in penultimam accipias in casu dativo, qui Græcis servit pro Latino ablativo, ut ἀνοίᾳ, sit idem, quod cum *amentia*, per amentiam, pro-

D pter amentiam, amenter, stulte et *insensate*, uti nonnulli in Vulgata legunt pro *insensata*, sic sensus erit, q. d. Hæc animalia infestissima, quæ colunt Ægyptii, amentia hac, seu propter hanc amentiam, qua capti Ægyptii cultum eis exhibent, comparata cum cæteris animalibus, eis sunt deteriora, quod illa Deo placeant, cum usibus humanis deserviant, ad quos sunt creata; hæc vero exsecranda, cum usui sibi indebito usurpatæ divinitatis accommodata sint. Hinc Vatabl. vertit: *Ut quæ aliis comparata, deteriora sint propter hanc dementiam*. Ægyptiorum scilicet, qui animalia tam vilia, et exitialia præ aliis animalibus salutiferis pro Diis colunt, ideoque ea coram Deo deteriora, eique magis exosa, utpote quasi divinitatis æmula efficiunt. Dementia enim fuit crocodilos et serpentes comparatos cum equis, bobus, et aliis animalibus, ob hoc pro Diis eligere, quod deteriora sint et magis homini inimica. Hæc enim est demens et insana comparatio et electio. Unde nonnulli legunt *insensate*, id est, insane *comparata*, ut dixi.

Addit Cantacuzenus, Ægyptios pro diis coluisse muscas et vermes ex putri materia prognatos, ideoque naturæ quasi errata ac peccata, quos proinde initio mundi Deus cum cæteris animalibus non creaverit, nec bonos nominaverit, nec eis benedixerit dicens: *Crescite et multiplicamini.* Hæc enim sunt animalia plane insensata, et cæteris omnibus deteriora. Verum quid de horum generatione, vel creatione sentiendum sit dixi Genes. 1.

Vers 19. SED NEC ASPECTU ALIQUIS EX HIS ANIMALIBUS BONA POTEST CONSPICERE. EFFUGERUNT AUTEM DEI LAUDEM, ET BENEDICTIONEM EIUS.) Pro *conspicere* Codex Montis Amiati legit *concupiscere*. Pro *aliquis* nonnulli manuscripti legunt *aliquid*, q. d. Animalia nil boni possunt conspicere. *Tamquam bona*, id est, tamquam pulchra: Hoc enim est, Heb. טוב *tob* et Græcum καλὸν, q. d. Nemo Ægyptiorum crocodilos et serpentes colentium, illorum aspectu delectatur, sed potius exhorret et abominatur ea ut turpia, deformia, et horribilia. Quis ergo credat illos esse Deos, qui sunt pulcherrimi et suavissimi? aut quod eodem redit, q. d. Sed nec, si quis aspiciat aliqua ex his animalibus, bona ea vel pulchra potest conspicere: nulla enim prædita deprehendit pulchritudine, ut propter eam sint amanda et colenda, sed potius videt ea tetra et horrida, ideoque aversanda et explodenda. Græce est: *Neque eatenus ut desiderentur tamquam in conspectu animalium bona sunt*, id est, crocodili et serpentes inter cætera animalia bona, pulchra, et speciosa, non sunt boni, desiderabiles et delectabiles conspectu; ergo multo minus boni sunt cultu, ut colantur scilicet quasi Dii.

Aliter Cantacuzenus, q. d. Deus initio mundi non creavit muscas et vermes, quos colunt Ægyptii. Unde cum Deus omnia a se creata vidit esse bona Genes. 1. inter hæc bona non vidit nec numeravit muscas et vermes. Addit Vatabl. ex Græco animalia, quæ colebant Ægyptii, puta crocodilos a cæteris animalibus, ut fœdos et teiros vitari ac horreri, q. d. Ergo multo magis iidem ab hominibus non colendi sunt, sed vitandi et cum horrore aversandi, ne animalibus stupidiores esse videantur. Sic enim vertit Vatablus: *Quæque ne animalibus quidem videantur pulchra, ut eorum desiderio tangantur.*

EFFUGERUNT AUTEM DEI LAUDEM, ET BENEDICTIONEM EIUS.) *Effugerunt*, non Ægyptii idololatræ, sed animalia, ut crocodili et serpentes ab iis pro Diis culti: Græce enim est, ἐκπέφευγε, id est, *effugit* in numero singulari, quod græca syntaxi eleganter concordat cum neutro plurali ζῶα, id est, animalia, q. d. Animalia quæ colunt Ægyptii, aliena sunt a Dei laude et benedictione. Colunt enim ipsi serpentes: serpenti autem iam olim Deus maledixit eo quod seduxerit Evam dicens: *quia fecisti hoc, maledictus eris super terram*, Genes. 3. Sensus est, q. d. Ægyptii pro Diis colunt serpentes, non tantum exitiales et horridos, sed et a Deo maledictos. Quid ergo boni ab iis sperare possunt? Sunt enim serpentes exosi Deo, hominibus, et animalibus omnibus, ideoque fugiunt lucem, ac hominum, et animalium æque ac Dei aspectum, atque in tenebras et latebras sese abducunt. Hoc notat τὸ *effugerunt*. Ita Osorius, Iansen. Sa, et alii. Rursum effugerunt Dei laudem, quia coguntur ab idololatris eos colentibus negare quodammodo Deo laudem et benedictionem, quam res omnes creatæ reddunt Creatori suo.

Secundo, Noster Lorinus significantius, q. d. Animalia ab Ægyptiis culta *effugerunt*, id est, effugaverunt a se Dei laudem et benedictionem, cum ipsamet sibi Dei laudem usurpaverunt, quando eis delata est ab illis, qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis, non tantum corruptibilis hominis, sed et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. Rom. 1. 23.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite 12. et 13. docuit veram sapientiam (quæ huius libri est obiectum et argumentum, unde et ei nomen dedit) consistere in Dei veri fide et cultu, quare ei ex diametro repugnare cultum idolorum, ideoque ad idola digressus, eorum vanitatem et perfidiam a cap. 13. huc usque operose demonstravit: nunc redit ad cap. 12. ubi ostendit quanta beneficia Israelitæ per Dei unius, quem colebant, providentiam et beneficentiam sint adepti, Ægyptii vero colentes crocodilos, serpentes, aliaque animalia, per eadem, vel illorum similia sint puniti. Idem ergo argumentum hic repetit et prosequitur, docetque Ægyptios idololatras per bestias, quas colebant, esse exterminatos: Hebræos vero Deum colentes in deserto liberatos a serpentibus, cælesti esca, puta manna, et coturnicibus fuisse pastos.

1. Propter hæc, et per his similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. 2. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometram. 3. Ut illi quidem concupiscentes escam propter ea, quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam. 4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. 5. Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. 6. Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. 7. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem: 8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. 9. Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiuscemodi exterminari. 10. Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos. 11. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adiutorio. 12. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. 13. Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis: 14. Homo autem occidit quidem per malitiam, et cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est: 15. Sed tuam manum effugere impossibile est. 16. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem

consumpti. 17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum. 18. Quodam enim tempore, mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia: sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. 19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret. 20. Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. 22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans. 23. Hic autem iterum ut nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est. 24. Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos: et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. 25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant. 26. Ut scirent filii tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. 27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. 29. Ingrati enim spes tanquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua.

Vers. 1. PROPTER HÆC (græce διὰ τοῦτο, id est, *propter hoc*, scilicet scelus idololatriæ, vel *propter hanc causam*) ET PER HIS SIMILIA PASSI SUNT DIGNE TORMENTA, ET PER MULTITUDINEM BESTIARUM EXTERMINATI SUNT.) Ita legendum cum Romanis et Græcis. Male ergo multi codices omisso τὸ *per* legunt, *propter hæc et his similia*. Nec enim sensus est, q. d. Propter hæc et similia scelera puniti sunt Ægyptii, sed q. d. Propter hæc animalia, quæ quasi Deos coluerunt Ægyptii, *et*, id est *etiam*, vel pariter *per* animalia his quæ coluerunt *similia*, puta per ranas, sciniphes, locustas, etc. *digne*, id est iuste et congrue, *tormenta passi sunt* et *exterminati*; nam quia bestias coluerunt, hinc bestias ultrices senserunt: *quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, ut dixit c. 11. 17. Hæc enim est lex talionis peccato decreta a iusta Dei providentia et vindicta. Redit ad plagas Ægypto ob idololatriam per Mosem inflictas, de quibus actum est cap. 11. et 12.

Pro *exterminati sunt*, græce est, ἐβασανίσθησαν, id est, *cruciati sunt*, scilicet extreme usque ad mortem et exterminium. Eodem sensu sæpe in hoc libro hæc vox græca sumitur, ideoque ab interprete nostro vertitur, *exterminati sunt*.

Vers. 2. PRO QUIBUS TORMENTIS BENE DISPOSUISTI (græce εὐεργέτησας, id est, beneficio affecisti. Vide dicta cap. 3. v. 5) POPULUM TUUM QUIBUS DEDISTI CONCUPISCENTIAM DELECTAMENTI SUI NOVUM SAPOREM, ESCAM PARANS EIS ORTYGOMETRAM,) q. d. Tu Domine, Ægyptios idololatras hostes tuos punivisti ranis, locustis, muscis, etc. hæc enim animalia implebant totam Ægyptum, omnesque cibos et aquas inficiebant et conspurcabant, ut nec esurientes comedere, nec sitientes bibere quidquam possent sine ingenti horrore et nausea; at populo tuo, puta Hebræis in deserto, non solum manna in escam dedisti, sed et cum carnes concupiscerent, dedisti eis concupiscentiam delectamenti, et rem concupitam et deliciosam, puta delicias carnium, quas concupierant, puta ortygometram, id est copiam coturnicum. Unde græce est: *Quibus in concupiscentiam appetitus peregrinum gustum* (saporem) *præparasti ortygometram*. Vatablus: *Cum avidæ ipsius appetentiæ, cibum novi saporis paravisti coturnicem*, sive *ortygometram*. Itaque sensus est: Dedisti ac præparasti cibum avide appetentibus, pro cibo novi et adhuc ab ipsis antea non degustati saporis, ortygometram sive coturnicem. Peccarunt Hebræi gula et murmure, dum pluente e cælo manna illud velut levem et tenuem cibum fastidientes, murmurarunt contra Mosem, et petierunt solidas crassasque carnes. Sed Deus gulæ eorum indulsit, ac per ventum impulit exercitum coturnicum in castra Hebræorum, ut eas caperent, coquerent, et comederent, idque fecit quotidie per spatium unius mensis: quo facto punivit eorum gulam et murmur plaga, qua plerosque occidit. Unde locus vocatus est *sepulcra concupiscentiæ*, Num. 11. 34. Unde:

Tropolog. S. Aug. tractat. 73. in Ioannem, sapienter neque ac eleganter docet iræ Dei signum esse, si concupiscentiæ nostræ sua vota concedat, misericordiæ vero si neget. Sic enim ait: « Dicit Iacobus Apostolus c. 4. Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus. An non vidimus Israelitas malo suo impetrasse quod culpabili concupiscentia petierunt? Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cælo. Fastidiebant quippe quod habebant, et quod non habebant impudenter petebant; quasi non melius peterent, non ut cibus qui deerat indecenti desiderio præstaretur, sed ut ille qui aderat sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala et non delectant bona, rogare potius debemus Deum, ut delectent bona, quam ut concedantur mala. »

NOVUM SAPOREM.) Carnium, puta coturnicum, quia manna levius Hebræis amplius non sapiebat. Rursum novus sapor non solum est is quem nondum sis expertus, sed etiam pretiosus et iucundus. Sic vocatur canticum novum, id est, pulchrum et iucundum; vinum novum, mandatum novum, ut diligamus invicem; novum, hoc est eximium et suavissimum. Ita Noster Lorinus. Adde, cum Deus escas alicui mittit, solere dignas se, id est, non communes et vulgares, sed præstantes et eximias mittere, ideoque novum saporem eis indere, ut cæteris escis similibus longe suaviores et sapidiores videantur. Sic vinum, quod ex aqua Christus fecit in Cana Galilææ, fuit optimum et sapidissimum, Ioannis 2. 10. Exemplum plane simile est in Vita S. Columbani c. 29. S. Columbanus enim Theodoricum regem Francorum reprehendens ob concubinatum, ab eo pulsus in exilium, cum sociis fame laboravit: « Sed quamvis alimonia deesset, manebat intemerata atque inconcussa fides, quæ necessarias res a Domino impetraret. Cumque iam triduana inedia laborarent, tanta avium copia eis oblata est, quanta Israelitarum castra coturnicibus advolantibus operuit, ita ut omnem locum illum aves implerent. Intellexit autem vir Dei ob suam suorumque necessitatem has dapes exhiberi; quippe quæ non nisi illo, quo ipse degebat, loco invenirentur. Iubet ergo primum suos laudes et gratias agere conditori, ac deinde dapes capere. Erat profecto mirum illud et stupendum miraculum: Capiebantur aves ut iusserat pater, nec illæ pennigero instructæ volatu se subducebant, sed triduo permansit illud manna avium. Quarto deinde die, quidam Pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam divino instinctu beato Columbano transmisit. Mox igitur ut advenit frumentum, aves illæ Deo iubente omnes avolarunt. Porro Eustachio, qui id temporis sub viri Dei obedientia cum aliis erat, referente cognovimus, neminem tum inter ipsos fuisse, qui se ante illud tempus eiusmodi aves vidisse meminisset. Earum autem talis erat sapor, ut dapes regias vinceret. » Hucusque vitæ Auctor.

Escæ a Deo missæ sapidiores sunt.

Exempla.

*

Ortygometra quæ?

ORTYGOMETRAM) Ὀρτυγες græce vocantur coturnices ab Ortygia insula, quæ est in Græcia, ubi primum visæ sunt, ait Isidorus lib. 12. Etymol. c. 7. sed quid sibi vult τὸ parelcon *metrum*? Primo Ians. *metram* censet deduci a μετρον, id est, mensura; quod ortygometra cæterarum coturnicum in volando, dum loca mutant, sit mensura et moderatrix. Verum μετρον scribitur per ε breve, μητρα vero per η longum.

Dico igitur *metram* deduci a μητρα id est matrix, vel μητηρ, id est mater: ortygometra ergo est coturnicum matrix, sive rex aliis coturnicibus maior et nigrior, qui agmen coturnicum præit et ducit, quem proinde cæteræ ut ducem sequuntur non aliter, quam apes suum regem. Ita Plinius lib. 10. 23. et Aristoteles lib. 8 Historia Animalium, c. 12. Hesychius, Gaza, et alii. Sub ortygometra ergo velut sub duce totum coturnicum exercitum accipe, ut patet Num. 11. 31. ubi Noster Hebr. שלו scholan vertit *coturnices*; Septuag. vero *ortygometram*. Septuag. de more sequitur hic Sapiens. Hinc ortygometram Itali vocant, *il re delle quaglie*. Galli, *le roi* ou *mere des cailles*. Ita Aldrovandus in Coturnice.

Addit Petrus Nannius hoc loco: Video, ait, illud parelcon *metra* adiungi quibusdam animalibus, quando grandiora in eo genere designantur, ut echinometra, id est, echinus maior et spinosior, de quo Plinius l. 9. c. 21. leonimetra, id est, leo grandior, de quo Gesnerus in Leone: sic ortygometra est coturnix maior et crassior; verisimile enim est coturnices illas miraculosas missas ad Hebræos, quasi Dei opus, fuisse aliis maiores, pinguiores, suaviores, excellentiores. Plura de tota hac historia dixi Exodi 16 v. 12. et Num. 11. v. 31.

Vers. 3. UT ILLI QUIDEM CONCUPISCENTES ESCAM PROPTER EA, QUÆ ILLIS OSTENSA ET MISSA SUNT, ETIAM A NECESSARIA CONCUPISCENTIA AVERTERENTUR: HI AUTEM IN BREVI INOPES FACTI, NOVAM GUSTAVERUNT ESCAM) Pergit ostendere disparitatem escæ Ægyptiorum et Hebræorum, q. d. In Ægyptios immisisti ranas, muscas, locustas, etc. Hebræis vero dedisti manna et ortygometram, *ut illi*, scilicet Ægyptii, cum per famem concupiscerent escam, *propter ea*, scilicet animalia iam dicta, *quæ illis ostensa*, id est, exhibita et *missa sunt* in pœnam, ut escas eorum fœdarent et conspurcarent, hac fœditate et spurcitie nauseantes, *etiam a necessaria concupiscentia*, id est, a cibo concupito et necessario averterentur, eumque fastidirent et exhorrescerent, itaque fame et inedia contabescerent. *Hi autem*, Hebræi scilicet, *in brevi inopes facti*, Græce *ad breve* tempus, *penuria affecti*, puta modico tempore famem experti, *novam gustaverunt escam*, puta ortygometram quæ novo gratoque sapore mire eos recreavit, q. d. Ægyptii ob immissas ranas, muscas, sciniphes quæ in mensas cibosque turmatim irruebant, eosque inficiebant, non solum iis non sunt satiati, sed et necessarii cibi appetitum amiserunt, ad eumque nausearunt; at Hebræi novi et cælestis cibi, puta coturnicum delicatissimarum missa novam orexin senserunt novamque novi saporis in edendo suavitatem perceperunt. Vide dicta Exodi 8. 3. Coturnices enim sunt præpingues et optimi saporis, ac cæteris pinguiores et sapidiores fuere hæ a Deo Hebræis missæ.

Pro δειχθεισαν, id est *ostensam*, scilicet τροφην, id est escam, cum nimirum pro cibis Deus Æyptiis ranas, quasi escas ostendit et exhibuit. Vatican. nervosius legit, ἀηδίαν, id est *deformitatem odiosam et detestabilem*, scilicet ranarum, et ciborum quos ranæ fœdabant; propter hanc enim Ægyptii etiam necessariorum ciborum concupiscentiam et appetitum omnem aversati sunt: esto enim urgeret eos fames, tamen ciborum spurcities tantam eis nauseam ingerebat, ut omnes abominarentur, ideoque inedia enecarentur. Ita Cantacuzenus, Lyrao. Dionys. et alii. Quare minus genuine S. Bonav. et Hugo priorem huius versus partem accipiunt, non de Ægyptiis, sed de Hebræis, q. d. Deus dedit Hebræis novam escam, scilicet ortygometram, ut per eam, concupiscentiam ciborum, quibus in Ægypto assueverant, illis adimeret. Nam est an-

A tithesis manifesta cum ait: *Hi autem*, scilicet Hebræi, quos opponit Ægyptiis; de quibus iam locutus erat.

OPORTEBAT ENIM ILLIS SINE EXCUSATIONE QUIDEM SUPERVENIRE INTERITUM EXERCENTIBUS TYRANNIDEM; HIS AUTEM TANTUM OSTENDERE, QUEMADMODUM INIMICI EORUM EXTERMINABANTUR.) Græce ἐβασανίζοντο, id est, *cruciabantur*, de quo dixi vers. 1. Sensus est, q. d. Deus immisit Ægyptiis ranas aliaque noxia animalia, quæ eos per fastidium ciborum, indeque per famem et defectum necessarii alimenti perderent, eo quod tyrannice opprimerent Hebræos: Hebræis vero modica fame cruciatis dedit pingues et sapidas coturnices, ut ex modica sua fame metirentur longam et internecinam famem Ægyptiorum, quam scilicet illa ipsos torserit, dum multos eorum examinavit: indeque recrearentur, ac Dei erga se providentiam agnoscerent, scirentque se Deo curæ cordique esse, imo Deum pro se contra Ægyptios cæterosque hostes pugnasse et pugnare. Vers. 4.

SINE EXCUSATIONE.) id est inexcusabilem, inevitabilem,
B indeprecabilem (hoc enim significat græcum ἀπαραίτητον, item severum, crudelem, sævum; quod huic quoque loco congruit) ut loquitur Gellius lib. 6. cap. 16. *Interitum*, græce ἔνδειαν, id est *penuriam*, scilicet cibi, quæ causat mortem et interitum.

ETENIM CUM ILLIS SUPERVENIT SÆVA BESTIARUM IRA, MORSIBUS PERVERSORUM COLUBRORUM EXTERMINABANTUR. Vers. 5.

SED NON IN PERPETUUM IRA TUA PERMANSIT, SED AD CORREPTIONEM IN BREVI TURBATI SUNT, SIGNUM HABENTES SALUTIS, AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS TUÆ. Vers. 6.

QUI ENIM CONVERSUS EST, NON PER HOC QUOD VIDEBAT SANABATUR, SED PER TE OMNIUM SALVATOREM) *Sæva bestiarum ira* est furor serpentum, quos Deus immisit Hebræis ob murmur. Vers. 7.

Alio exemplo ostendit quam dispari pœna Deus punierit Hebræos et Ægyptios. Ægyptios enim per ranas, locustas, sciniphes inevitabiliter occidit et perdidit, Hebræis
C vero contra immissos serpentes remedium assignavit. Cum enim Hebræi in deserto, ob itineris laborem murmurarent contra Deum et Mosen, Deus in murmurantes misit serpentes ignitos, qui suo morsu multos occiderunt; sed cæteris eorum exemplo perculsis et pœnitentibus, orante Mose Deus illico contra morsum assignavit remedium, iubens a Mose erigi serpentem æneum, quem qui aspiciebant sanabantur, Num. 21. v. 4. et sequent. Vide ibi dicta; nec enim ea hic repetere opus est. Non ergo voluit Deus perdere Hebræos hac plaga, uti perdidit Ægyptios, sed modica castigatione ad officium et pœnitentiam revocare, ac paucorum supplicio sua iussa publicamque disciplinam sancire.

Apposite in murmurantes immisit serpentes, quia murmurans et detractor in occulto sibilat quasi serpens, ac virus pestiferum maledicentiæ lingua sua pestifera audientibus afflat, iuxta illud Eccles. 10. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Vi-
D de ibi dicta. Pro *perversorum*, græce est, σκολιῶν, id est. *tortuosorum*.

AD CORREPTIONEM,) εἰς νουθεσίαν, id est, *in admonitionem*, ut hac pœna monerentur ne murmurarent, sed Deo et Mosi patienter et constanter obsequerentur.

SIGNUM (græce *symbolum*) HABENTES SALUTIS.) Notat serpentem æneum iussu Dei a Mose erectum, ad sanandum serpentum morsus. Hic enim serpens vocatur *signum* et *symbolum*, quia ipse, utpote æneus et inanimis non poterat esse causa sanitatis eamque conferre: unde eius tantum erat signum, quo qui utebantur morsi a serpentibus ignitis, id est, suo morsu urentibus, scilicet eum aspiciendo, hi illico a Deo sanabantur. Hoc est, quod subdit: *Qui enim conversus est*, id est, qui faciem obvertit serpenti æneo, eum intuendo: *Non per hoc quod videbat*, id est, non per serpentem *sanabatur*, *sed per te omnium salvatorem*. Hic ergo serpens signum erat *salutis*, idque *ad commemorationem mandati legis tuæ*, ut scilicet per illud

Hebræi memores fierent, et recordarentur divinæ clementiæ in pœnitentes, ac vindictæ in rebelles et legi inobedientes. Secundo, sic exponas, q. d. Sicut obedientes mandato Dei iubentis aspicere serpentem æneum, si vellent salutem adipisci, sanabantur; ita ex hoc ipso scire poterant et debebant non posse se a cruciatibus, et ab infligendis malis eripi, nisi aspicerent in legem, et eius mandatis parerent, vel nisi divinis præceptis amplius non obloquerentur, sed assuescerent parere Dei ministris, aut certe se non posse sanitatem comparare, nisi aspicerent in auctorem legis, et a malis liberatorem Christum, quia

Serpentis ænei typus. *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3.

Allegor. Allegorice, hic serpens quoad figuram similis serpentibus veris et vivis, sed carens illorum veneno, significabat Christum innocentem æstimatum tamen noxium et sceleratum, pro nobis crucifixum; unde æneus erat, ut significaret divinitatem et æternitatem Christi, item crucis Christi claritatem, instar æris tinnuli toto orbe resonantem. Ita S. Aug. Theodor. Nyssen. imo Christus ipse Ioan. 3. 14. cuius verba iam recitavi. Quocirca Cæsarius Arelatensis hom. 4. de Paschate: *Medela*, inquit, *si volumus, etiam modo nobis completur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, et crimen criminis confessione aboletur; ac sic homo quando dicit cum Propheta, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me* (coram me) *est semper, quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis, per serpentis aspectum.*

Ophitæ, id est, cultores serpentis. Porro veri Ophitæ, id est serpentini (ὄφις enim est serpens) fuere prisci Hæretici, qui ex eo quod Gen. 3. dicitur serpens fuisse callidissimus, ac seducendo Evam scientiæ boni et mali occasionem dedisse, serpentem colebant ut Deum, eumque Christo anteferebant, dictitantes quod ipsa sapientia facta sit serpens. Quocirca Mosen illius potentiam et maiestatem admiratum, imaginem eius fecisse serpentem æneum, quem quicumque morsus a serpente aspiceret, sanaretur: imo Christum serpentis huius vim æmulatum, illi se comparasse dicendo: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, Ioan. 3. Vide Irenæum l. 1. contra hæres. c. 36. Epiphan. hæres. 37. Tertull. August. et alios in hæresi Ophitarum.

Vers. 8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es qui liberas ab omni malo.) Pro *ostendisti*, græce est ἔπεισας, id est, *persuasisti*. Impii enim et pervicaces, quales erant Ægyptii, non credunt verbis, sed credunt plagis et verberibus assidue iteratis, ut vel inviti coactique credant te Deum servatorem tuos liberare a malo, hostes vero eorum perdere. Pergit exaggerare Dei severitatem et vindictam in Ægyptios eiusque clementiam in Hebræos. Æqualis enim beneficentiæ est liberare a malo et morte, ac conferre bonum et vitam.

Vers. 9. Illos enim (Ægyptios) locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ (vitæ) illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari.) Refricat plagam locustarum et muscarum, Pharaoni et Ægypto a Deo per Mosem inflictam, Exodi 8. 24. et cap. 10. 6. Vide ibi dicta.

Vers. 10. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos.) q. d. Hebræos vero, qui tui erant cultores ideoque filii dilectissimi, morsi a serpentibus, morsus hosce excusserunt aspiciendo serpentem æneum, quem tua misericordia ad sanandum eos suggessit. Hebræos vocat *filios*, tum ob professionem veræ religionis et cultus Dei, tum quia morsu serpentum pœnitentes de murmure ad iustitiam se disponebant, eamque reipsa obtinebant, quicumque verum contritionis actum eliciebant.

Dracones vocantur serpentes maiores, annosiores, ideoque sæviores, adeo ut cum elephantis depugnent, teste Plinio lib. 8. cap. 11. Tales fuere qui momordere Hebr. murmurantes. Unde Philostratus lib. 3. de Vita Apollonii Thyanei cap. 2. narrat dracones ignitos montem mari rubro (iuxta quod castra metabantur Hebræi) imminentem occupare, ac horrende sibilare ut eminus audientes percellantur.

Pro *adveniens* græce est, ἀντιπαρελθὼν, id est *ex adverso adveuit*, tua misericordia, *occurrit opposuitque* se plagis lethiferis a serpentibus inflictis, easque discussit et sanavit. Rursum ἀντιπαρῆλθε, id est *intercessit, opem tulit, in discrimine venit in auxilium* contra dracones, ne ita morderent ut interimerent; aut si momordissent, tua miseratio præsentaneum eis assignavit remedium serpentem æneum, cuius intuitu sanabantur.

In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adiutorio.) Vers. 11.
Pro *in memoria* perperam Hugo, Dionys. et Holcot legunt *immemoria*, id est oblivio, q. d. Ob immemoriam, id est oblivionem sermonum tuorum Hebræi pœnis examinabantur et cruciabantur. *In memoria* græce εἰς ὑπόμνησιν, id est in monitionem, in recordationem, in memoriam, ut scilicet sermonum tuorum obliti, eorumdem rursum recordarentur, essentque memores, pœnis *examinabantur* et excitabantur. *Examinabantur*, ita legendum cum Romanis, non *exterminabantur*, uti legunt nonnulli, vel *exanimabantur*, uti legunt alii. Græce est ἐξεκεντρίζοντο, id est, *extimulabantur*, quod eodem redit, quo nostrum *examinabantur*. Obliviosis enim additur examen et interrogatio, quasi stimulus ad recordationem rei oblitæ; tardis vero et pigris, uti bobus et asinis subditur stimulus ad diligentiam et velocitatem, ut celerius incedant. Complut. vero et Cantacuzenus, ἐνεκεντρίζοντο vertunt *inserebantur*, sicut ramus unus arboris alteri inseritur et inoculatur. Simili enim modo Deus memoriam legis ab Hebræis, quasi ablatam et oblitam per pœnas eis restituit et rursus inseruit. Sensus est, q. d. Hebræi immemores tuæ obedientiæ et tuorum præceptorum, per morsus serpentum excitabantur, ut eorumdem recordarentur. Hi enim morsus velut aculei et stimuli, quibus pungebantur, excitabant eos ab oblivionis somno et veterno. *Vexatio enim dat intellectum.*

Ne in altam (græce βαθεῖαν, id est profundam: sic alibi sæpe profunda vocantur *alta*, quia alta sunt non sursum, sed deorsum) incidentes oblivionem (tuorum promissionum et præceptorum) non possent tuo uti adiutorio) Græce: ἵνα μὴ ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας, id est ne *immobiles*, *vel irretractabiles, aut potius irretrahibiles fierent tuo beneficio*; qui scilicet eo retrahi non possent, quod Noster clare vertit: *Non possent uti tuo adiutorio*. Forte etiam Noster, ait Iansen. legit, ἀνυπερασπιστοι, id est *indefensi*, qui scilicet clypeo beneficentiæ tuæ, Domine, non tegerentur, nec a malorum incursu defenderentur. Sensus est, q. d. Morsu serpentum, ac miraculosa eorum per serpentem æneum sanatione, excitasti, Domine, Hebræos, ut recordarentur tui tuæque legis, ne in altam eius oblivionem incidentes, non possent vel præteritis, vel futuris tuis beneficiis ad frugem revocari, itaque desperata foret eorum salus, ut non possent amplius uti tuo adiutorio. Alta enim Dei legisque divinæ oblivio inducit impœnitentiam, obdurationem, et desperationem salutis; quo fit ut Deus tales deserat, suumque adiutorium ab eis subtrahat. Hinc e peccatis, et morte ac gehenna, in quam proni ruunt, retrahi nequeunt: nam *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*, Prov. 18. 3.

Secundo, exponi posset, q. d. Ne obliti Dei, ideoque vicissim a Deo oblivioni traditi, velut iam proscripti et perditi, ulterius Dei auxilium experiri non possent, quomodo de mortuis dicitur: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Ps. 87. 6.

Tertio, Cantacuzenus explicat, q. d. Ne immemores non possent cogitare de tuis beneficiis, et ab eorum cogitatione detraherentur, nec ab eis traherentur ad eorum, Deique benefactoris cogitationem et recordationem.

Quarto, alii, q. d. Ne tui obliti, non possent tuo amplius uti adiutorio, id est, beneficio, quo eos sanasti. Deus enim non sanabat percussos a serpentibus, nisi qui hoc stimulo excitati oblivionem excutiebant, et ad Deum pœnitentes opis causa recurrebant: impœnitentes enim indigni erant Dei adiutorio.

Quinto, Noster a Castro, apposite et annexe: His verbis, inquit, redditur ratio novi beneficii, contenti in adverbio *velociter salvabuntur*. Non enim Deus contentus erat eo beneficio, quod filiis suis conferebat, ut scilicet stimulati venirent in memoriam mandatorum transgressorum; nec diu differebat, uti poterat, sanitatem; sed hoc etiam uberius addebat, ne sanitas differretur multis ac diuturnis medicamentis adhibitis; ut adhibere solent homines, et differre in multos dies curationem et sanitatem, sed statim, celeriter, uno aspectu ænei serpentis sanabantur: cuius rei hæc erat ratio, ne si diu sanitas differretur, obliviosi facti legis Dei, difficile postea retraherentur ab ea oblivione, beneficio sanitatis, quæ ab eis tunc non Deo, sed medicamentis ascriberetur. Huic expositioni favet ratio quam subiungit.

Physice rursum sic exponi posset, q. d. Velociter sanati sunt a morsu serpentum, ne si lente tardeque sanarentur, ardens (erant enim serpentes igniti et urentes) virus serpentum cerebrum invaderet, eosque ageret in phrenesim, maniam et furorem, sicut morsi a canibus rabidis, nisi statim plagæ occurratur, aguntur in rabiem. Acti enim in phrenesim fuissent incurabiles. Insani enim serpentem æneum aspicere non voluissent, sani aspicere non voluissent: præsertim quia aspectus hic debebat fieri ab homine libero, et de murmure suo pœnitente, ac veniam opemque Dei poscente, quod facere nequivissent phrenetici: unde tunc in altum remedii et curæ sui ipsius oblivionem incidentes, non potuissent uti Dei adiutorio, puta serpente æneo dato sibi ad mali remedium.

Ex omnibus hisce explicationibus prima videtur plenissima, cui si addas utramque ultimam, evadet illa plena et perfecta, q. d. *In memoria*, vel ut Græca habent: *In memoriam sermonum tuorum examinabantur*, hoc est, ut murmurantes Hebræi fierent memores tuorum præceptorum ac obedientiæ tibi, o Domine, debitæ, morsibus serpentum, quasi examine quodam tuo pungente *stimulabantur*, ut habent Græca; sed et pœnitentes *velociter sanabuntur*, ut agnoscerent scirentque hanc serpentum plagam a te, et murmurantibus immitti, et a pœnitentibus revocari. Si enim diutius sanitatem distulisses, cogitassent hanc serpentum pœnam, vel a te non immissam, sed casu ex loci natura accidisse; vel a te non sanatam, sed ab æneo serpente, aut aeris temperie aliove casu; aut certe ignito serpentum veneno subito cerebrum penetrante, in phrenesim acti, in oblivionem tui, rerumque omnium incidissent, nec ab utraque revocari, aut tuo amplius auxilio et serpentis ænei beneficio uti potuissent, utpote rationis iam per phrenesim impotes, deliri et insani.

Vers. 12. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.) Probat Hebræos a morsibus serpentum in deserto velociter sanatos a solo Deo, ut illum agnoscerent et colerent, eo quod in deserto arido et sterili non erant herbæ medicæ, v. g. Dracontea et serpentina, ex quibus fiunt malagmata et emplastra ad curandos hosce morsus. Et esto fuissent, non poterant illa velociter et subito morsus curare, sed lente et pedetentim. Multo minus id facere poterat serpens æneus; hic ergo signum dumtaxat erat curationis, at non causa. Causa ergo sanationis fuit sermo, id est iussio Dei, qui, ut unico verbo dat homini esse et vitam, sic et eumdem morbo aut plaga afflictum solo verbo utcumque, cum ei libitum fuerit, restaurat, iuxta illud: *Misit verbum suum et sanavit eos*, Psal. 106. v. 20.

Mystice, verbum Dei, præsertim S. Scripturæ curat animæ plagas et ægritudines. Nam ut ait S. Aug. in Ps. 36. *Omnis morbus animæ habet in Scriptura medicamentum suum*. Idem docet S. Chrysost. homil. 12. in Genes. Unde S. Paula quaslibet animæ suæ passiones et afflictiones, appositas ad eas S. Scripturæ sententias ore menteque revolvendo sanabat, uti refert S. Hieron. in eius Epitaph. Idem asserit S. Basil. epist. 1. ad Gregor. Theolog. idque exemplis confirmat. Si enim quis, inquit, tentetur luxuria, habet in Script. Ioseph, quem pro castitate usque ad carcerem depugnantem imitetur. Si morbis vexetur, habet patientiam Iob sibi in speculum propositam. Si iniuriis hominum appetatur, habet Davidem persecutiones Saul sustinentem. Si a subditis probris exagitetur, habet Mosem mansuetissimum, quem æmuletur.

Malagma.) Græca vox est significans medicamentum leniens, sive fomentum, a μαλάττω, id est mollio, mitigo, subigo, foveo. Unde Galen. libr. 5. Simplic. Facult. docet malagmata esse pharmaca emollientia, quæ concretas duritias emolliunt: has autem concretiones tumoresque, inquit, fiunt maxime circa musculorum capita, atque eorum tendones. Additque hæc pharmaca, ut quod concretum est, commode fundant, et sensim per evaporationem discutiant, nec admodum calida, nec admodum sicca esse oportere. Talia sunt ammoniacum, bdellium, butyrum. Porro malagmatum diversæ sunt species, et diversis partibus accommodatæ ad multiplices effectus: quædam enim digerunt materiam, quædam extrahunt, quæ ἐπισπαστικὰ vocantur; quædam aperiendi vim habent, ideoque στοματικὰ nuncupantur: pleraque certis membris aptantur, ut iecori, lieni, articulis. Sunt malagmata ad strumas, phymata, parotidas, ad aquam intercutem, ad sistendum sanguinem, et id genus alia. Malagma quid?

Insuper medici malagmata distinguunt ab emplastris, quod illa proprie sint emollientia, ideoque maxime fiant ex floribus, eorumque surculis: malagmata enim sunt fomenta rei duræ, v. g. Apostemati superposita, ut illud emolliant; emplastra vero sunt pharmaca, quæ cutis meatus constipant, obstruunt et obturant, ideoque componuntur ex rebus metallicis contusis, aut materia viscosa et tenaci; qualis est amygdalum, pompholyx, cerussa, calx lota, cimolia et id genus, de quibus Galenus l. 4. et 5. simplic. Facult. Dicitur emplastrum ab ἐμπλάττω, id est, subigo, in massam formo, illino, infercio, ferrumino, obstruo, impleo.

Verum alii Scriptores sæpe malagma sumunt pro quolibet emplastro, et vice versa, ita hic videtur sumi. Ex dictis colligitur Deum noluisse coli serpentem æneum, sed tantum aspici velut signum, ut omnis curationis laus et honor daretur Deo. Quare licet Catharinus et Sanderus l. 2. de Imag. cap. 3 putent Hebræos inclinatione capitis et submissione corporis venerationem exhibuisse serpenti, tamen verius est id eos non fecisse serpenti, sed Deo coram serpente; imo noster Vasquez, 3. p. q. 25. disp. 104. negat eos se inclinasse coram serpente, sed nude eum dumtaxat aspexisse contendit, potuisse tamen illi aliquam venerationem exhiberi asserit S. Aug. l. 3. de Trinit. c. 10.

Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis.) q. d. Tu, Domine, sanasti Hebræos lethaliter a serpentibus saucios, quia tu solus plenum habes ius et imperium in vitam et mortem, ac consequenter in vivos et morientes, vel mortuos: quare ad libitum potes vitam in mortem, et mortem in vitam commutare, atque viventes ad portas, id est, ad limina mortis deducere, indeque ad vitam et sanitatem reducere, uti reduxisti Hebræos: portæ mortis enim vocantur metaphorice certa et proxima pericula mortis, qualia afferunt lethales infirmitates, plagæ et vulnera: per has enim velut portas, ingressus est ad ipsam mortem et regionem mortuorum, puta ad sepulcrum et infernum, sicut per portas ingredimur in domum vel urbem. Alludit ad illud Davidis: *Qui exaltas me de portis mortis*, id est, qui liberas me de periculis mortis proximis, Psal. 9. 14. Et: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis, quod vulgo dicimus ad fauces mortis*. Porro dicit *portas* in plurali quia plurimæ sunt viæ et modi, quibus ingredimur ad mortem. Rursum, sicut varii sunt introitus ad mortem, sic et varii disparatique sunt exitus. Patres enim ante Christum morientes ibant ad sinum A- Vers. 13. Portæ mortis quæ?

brahæ, pueri ad limbum, peccatores ad infernum, iusti veniali culpa infecti ad purgatorium, atque in singulis hisce locis varii sunt sinus, gradus, ordines et loca, pro cuiusque merito vel demerito. Porro ad litteram, mors hic æque ac vita intelligitur corporalis, mystice spiritualis. Spiritualiter enim vivit Deo anima per gratiam, et beate per gloriam; moritur vero per peccatum, et damnatur ad mortem secundam per supplicia gehennæ. Unde Cantacuzenus censet anagog. hic notari resurrectionem, q. d. Deus mortis et vitæ est dominus, hinc electos suos in resurrectione a morte suscitabit ad vitam beatam et æternam.

Antistropha huic gnomæ est illa Annæ matris Samuelis: *Dominus mortificat et vivificat; deducit ad inferos et reducit.* Et utraque anterior illa Mosis, Deuteron. 32. 39. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me: Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo.* Hinc et Christus dicitur habere claves mortis et inferni, Apoc. 1. 18. Vide ibi dicta.

AD PORTAS MORTIS.) Græce Ἅδου, id est, *inferni*, quia olim ante Christum morientes omnes ibant ad inferos, saltem ad limbum patrum. Unde infernus vocatur regio mortuorum, sive quam incolunt mortui. Porro Noster e Castro per *portas inferni* accipit ipsam mortem: mors enim est quasi porta, per quam ingressus est in infernum. Unde idem sic explicat illud Christi Matth. 16. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, q. d. Nullum est genus mortis, quod poterit confessionem Petri et fidem Ecclesiæ abolere, ut non sit in Ecclesia fidelis et sanctus, qui non libenter mortem oppetat pro ea tuenda. Verum illius loci alius magis genuinus est sensus. Atque hic *portæ inferni*, vel ut Noster vertit *mortis*, non mortem ipsam, sed pericula mortis et inferni significant. Nec enim Hebræi a morte ipsa, sed a periculis mortis reducti sunt ad sanitatem.

Vers. 14. HOMO AUTEM OCCIDIT QUIDEM PER MALITIAM (nonnulli Codices addunt *animam suam*; sed id delendum cum Græcis et Romanis) ET CUM EXIERIT SPIRITUS, NON REVERTETUR, NEC REVOCABIT (male Hugo legit *revolabit*, et Glossa *revelabit*) ANIMAM QUÆ RECEPTA EST.) Componit, opponit et postponit hominem Deo, q. d. Deus habet vitæ et mortis potestatem. Unde ad libitum potest vivos morti tradere, et mortuos ad vitam revocare. At homo potest quidem per malitiam alterum occidere, eique vitam et spiritum vitalem adimere; sed non potest spiritum, postquam egressus est, reducere, nec animam vitamque revocare *quæ iam a Deo recepta*, in aliam vitam, suoque loco pro meritis in æternum assignata, iuxta illud Eccles. 12. 5. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Pro non *revertetur*, græce est οὐκ ἀναστρέψει, quod Iansen. active vertit, non *faciet reverti*, scilicet occisor animam in corpus occisi; ut respondeat Hebrææ coniugationi *Hiphil*, quæ verbis neutris dat significationem activam.

Pro nec *revocabit* Noster forte legit, οὐ δὲ ἀνακαλέσει, iam legunt οὐ δὲ ἀναλύει, vel ut Aldina habet, οὐ δὲ ἀναλύσει, quod verti potest *non revocabit*, scilicet occisor animam occisi; propria tamen multi vertunt non *resolvit*, id est non extinguit animam, q. d. Occisor occidendo resolvit corpus, illudque ab anima separat; at non potest resolvere animam: anima enim simplex est et incomposita, ideoque incorruptibilis et æterna, iuxta illud Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. 28.

Porro S. Hieron. in c. 7. Daniel. et S. Ambros. epist. 21. censent animas morientium omnium, tam bonorum, quam malorum suscipi ab Angelis; sed verius videtur animas bonorum suscipi ab Angelis, ducique in cælum, uti anima Lazari ab iis ducta est in sinum Abrahæ, Luc. 16. animas vero malorum suscipi a dæmonibus, ut eas secum rapiant in tartara. Exempla Chrysaorii et aliorum recenset S. Gregor. l. 4. Dialog.

Vers. 15. SED TUAM MANUM EFFUGERE IMPOSSIBILE EST.) q. d. Anima hominis occisi effugit manum occisoris, qui corpus occidere potest, at non animam; sed tuam manum, o Domine, effugere nequit; nam ab ea recipitur, ac pro meritis, vel cælo, vel inferno addicitur, aut in corpus, si ita tibi placitum fuerit, reducitur ut homo resurgat et reviviscat; vel si lethaliter læsus sit, uti fuere morsi a serpentibus, a te, Domine, sanatur. Similiter occisor, et quilibet impius manum tuam vindicem effugere nequit: tu enim omnium, adeoque vitæ et mortis absolutus es Dominus: quare amplissimis providentiæ tuæ brachiis omnes mundi fines, et omnia quæ in iis sunt amplecteris, imo tribus digitis molem terræ appendis, et velut in aere suspensam detines, ac palmo concludis, Isaiæ 40. 12. Unde Psaltes: *Quo ibo*, inquit, *a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*, Psal. 138. 7. quod secutus Ovidius Poeta ita canit:

Quo fugis, Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Iove semper eris.

NEGANTES ENIM TE NOSSE IMPII, PER FORTITUDINEM BRACHII TUI FLAGELLATI SUNT: NOVIS AQUIS, ET GRANDINIBUS, ET PLUVIIS PERSECUTIONEM PASSI (græca addunt, ἀπαραιτήτως, id est *inevitabiliter*, ut se evitare et manum Dei effugere non possent) ET PER IGNEM CONSUMPTI.) Probat neminem posse manum Dei effugere exemplo Pharaonis et Ægyptiorum, qui rebellantes Deo, immissa ab eo plaga septima grandinis horrendæ, adeo ut non tantum herbas, sed et homines ac animalia, quæcumque in agris erant sterneret, ipsius vim, potentiam et numen agnoscere coacti sunt, adeo ut Pharao, qui prius Exodi 5. 2. dixerat Mosi: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam*, post plagam grandinis humiliatus et resipiscens dixerit: *Peccavi etiam nunc, ego et populus meus impii*, Exodi 9. 27. Licet enim ibi v. 23. 24. grando tantum nominetur, tamen grandini mixtas fuisse aquas et pluviam, liquet ex hoc loco et ex Ps. 104. 32. *Posuit pluvias eorum grandinem*; et ex Philone l. 1. de Vita Mosis, qui grandini addit imbres, procellas, turbines, collisiones nubium, continua fulgura, tonitrua specie prodigiosa: refertque insolitis tempestatibus arbusta segetesque vastatas periisse, animalia enecta non pauca partim frigore, partim grandine lapidum in morem, partim fulmine: si quæ vero superessent ex animalibus ambusta circumtulisse vulnera ad terrorem videntium. Vers. 16.

Pro *novis aquis*, græce est, νοὶς ὑετοῖς, id est, *pluviis*. Pro *pluviis* vero græce est ὄμβροις, id est, imbribus; a græco enim ὄμβρος deductum est latinum imber: *novas* vocat, tum quia in Ægypto vel raro, vel numquam pluere solet: quare novæ hæ fuerunt et insuetæ in Ægypto immissæ a Mose pluviæ: tum quia ingentes fuere et horrendæ, quæ segetes cæteraque plane prosternerent. Porro ὑετός, id est, pluvia, differt ab ὄμβρῳ, id est, imbre, quod pluvia lenior sit, et subtilior et rarior; imber vero vehementior, grandior et densior. Unde ὄμβρος dicitur ab ὁμοῦ ῥεῖν, id est, a simul fluendo, quod in imbre aquæ turmatim confluant et depluant.

ET PER IGNEM CONSUMPTI.) Grandini enim mixtus erat ignis, qui omnia adurebat, ut patet Exodi 9. 24. *Et grando et ignis mixta pariter ferebantur.* Et Psal. 104. 32. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.* Addit Philo et alii ignem hunc fuisse fulgura ignita, quæ ignem, id est, ignitas sagittas, prunas et carbones ardentes, mixtos procellis et tempestatibus in Ægyptios iaculabantur et evibrabant. Vide dicta Exodi 9.

QUOD ENIM MIRABILE ERAT, IN AQUA, QUÆ, OMNIA EXTINGUIT, PLUS IGNIS VALEBAT: VINDEX ENIM EST ORBIS IUSTORUM. Vers. 17.

QUODAM ENIM TEMPORE MANSUETABATUR IGNIS, NE COMBURERENTUR, QUÆ AD IMPIOS MISSA ERANT, ANIMALIA: SED UT IPSI VIDENTES SCIRENT QUONIAM DEI IUDICIO PATIUNTUR PERSECUTIONEM. Vers. 18.

ET QUODAM TEMPORE IN AQUA SUPRA VIRTUTEM IGNIS, EXARDESCEBAT UNDIQUE, UT INIQUÆ TERRÆ NATIONEM EXTERMINARET.) Exaggerat iam dictam grandinis pla- Vers. 19.

gam, eiusque mira, et quasi miracula commemorat, quod scilicet in eo res inter se summe contrariæ, scilicet aqua et ignis fœderarentur, contraque impios Ægyptios conspirarent, adeo ut cœlum omnisque elementa, puta ignis, aer, aqua et terra in eorum perniciem coniurasse viderentur. Ait ergo: *Quod enim mirabile erat*, græce παραδοξότατον, id est, summe paradoxum, summe novum et mirum, superans omnem opinionem, æque ac naturæ vim *in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat*, q. d. In plaga grandinis, aqua quæ solet ignem extinguere, adeo eum non extinguebat, ut ab igne vinceretur, imo ut aqua igni robur et vires adderet; in ea enim maiori vi exardescebat ignis, quasi aqua velut oleo aleretur, iuxta illud Tragœdi: *Alit unda flammas.* Sic in sacrificio Eliæ, ex victima aquis perfusa exarsit ignis, 3. Reg. 18. 34. æque ac ex sacrificio adaquato Nehemiæ, 2. Machab. 1. 20. Sic naturaliter ignes artificiales, qui vulgo Græci vocantur, aqua non restinguuntur, sed potius aluntur; quin et calx aqua non sopitur, sed accenditur, quod velut naturæ miraculum obstupescit S. August. lib. 21. Civit. cap. 4.

Porro, quod ait hoc esse παραδοξότατον, verum est. Nam naturaliter omnis ignis comburit et consumit ranas, muscas et cætera animalia. Quare licet Aristotel. Plinius et ex iis S. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 4. asserant Salamandram vivere in igne, id tamen sic accipi debet, quod ob suum frigus et lentorem aliquamdio resistat igni, et in eo duret; nam si diutius in eo perseverat tandem ab eo consumitur, uti diserte docent Galenus lib. 3. de Temperam. c. 4. Dioscorid. lib. 2. cap. 16. Albertus Magnus lib. 25 de Animal. et alii. Pyraustæ tamen, quæ sunt animantes alatæ, et grandioribus muscis persimiles, in fornacibus ardentibus naturaliter vivere degereque solent, uti tradit Aristotel. Plinius et alii, sed ita ut nec ex igne generentur, nec ea alantur. Ignis enim nullum animal gignit, inquit Aristot. l. 5. Histor. anim. c. 19. Denique animalia omnia sunt corpora non simplicia, sed mixta, ideoque composita ex mixtione quatuor elementorum: quare ex uno solo elemento gigni aliqua nequeunt. Quod ergo scribit S. Thomas, de virtutibus et vitiis, Chamæleontem ex aere vivere, talpam ex terra, halecem ex aqua, Salamandram ex igne, ex communi vulgi sermone acceptum, et in rigore falsum videtur; sed hoc sensu verum, quod Chamæleon, modico cibo contentus, vivat ex rore et muscis in aere volitantibus, halex ex aqua non pura, sed terrestribus vaporibus, aliisque rebus mixtis victitet; talpa ex radicibus terræ se pascat, Salamandra in igne aliquamdiu duret.

Salamandra igne consumitur.

Pyraustæ in igne vivunt.

Chamæleon non vivit ex aere

Vindex enim est orbis iustorum.) Dat causam iam dicti miri vel miraculi conspirationis, scilicet aquæ et ignis contra Ægyptios, quod videlicet orbis, et quidquid in eo est, Deo vindici ad nutum subserviat ad castigandum impios, qui iustos, puta fideles Hebræos affligebant. Vide dicta cap. 5. 18.

Quodam enim tempore mansuetabatur (græce ἡμεροῦτο, id est, mansuescebat, mitescebat, mitigabatur) ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia.) Nonnulli exponunt, q. d. Ignis cum grandine cœlitus missus in Ægyptios, comburebat Ægyptios, at non animalia, puta ranas, locustas, muscas, quas Deus iis in pœnam per Mosem immiserat. Verum tempore plagæ septimæ, quæ fuit grandinis, iam ante ad preces Mosis cessarant plagæ præcedentes ranarum, locustarum, muscarum.

Dico ergo loqui Sapientem de igne non cœlesti, sed naturali, q. d. Cum Ægyptii ignem ubique accenderent, ut eo obiecto sese a ranis, muscis, sciniphibus et aliis bestiis liberarent, quas Deus immittebat opera Mosis, ut eos plecteret iis plagis afficeret; tunc nullam vim ignis in animalia illa exercebat, sed divina virtute continebat sese ne illa combureret, ut illa Dei voluntati per omnia parerent, ac Ægyptios cruciarent.

Porro hoc mirum sive miraculum, licet a Mose non sit conscriptum in Exodo, ita tamen a Sapiente suppletur et exprimitur, æque ac de manna v. 20. quod habuerit omnem saporis suavitatem ad libitum comedentium; quare quia id revera contigerit dubitare non licet. Ita Dionys. Rycen. et alii; de Ægyptiorum enim plagis omnis est hic sermo, de quibus etiam accipit S. Bonavent. sed hoc sensu, q. d. animalia Ægyptiorum, quæ erant in agris, a grandine et igne consumebantur; quæ vero erant domi in stabulis, ab utroque manebant intacta. Verum hoc non erat paradoxum, nec mirum.

Ex dictis liquet minus recte Lyranum hæc accipere de Hebræis, q. d. Hebræi aspicientes serpentem æneum non lædebantur ab igne, id est, ab igniti serpentibus; longius quoque abire Holcot, qui per animalia accipit tres pueros socios Danielis, qui in fornace Babylonica illæsi ab igne manserunt, Daniel. 3.

Sed ut ipsi (Ægyptii) videntes (muscas et ranas igne non absumi) sciant, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.) Græce ἐλαύνονται, id est, exagitantur, vexantur, cruciantur a ranis, muscis, locustis, etc. q. d. Deus ranas et muscas a se immissas illæsas in igne conservabat, ut infestarent punirentque rebelles sibi Ægyptios, ut ipsi id videntes agnoscerent hoc non fieri naturæ vi, sed Dei miraculo, ideoque Deum timerent et colerent, eiusque populum, puta Hebræos dimitterent.

Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis, exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.) q. d. Ignis obsequens Deo ad puniendum Ægyptios se in omnes puniendi partes modosque versabat. Nam parcebat ranis et muscis vexantibus Ægyptios, uti dictum est v. præced. at vero in septima plaga, grandini mixtus ignis, supra omnem naturæ vim exardescebat, ut Ægyptios eorumque sata exterminaret. Per *nationem* nonnulli accipiunt homines et animalia, a grandine et igne percussa. Melius accipias gramina et segetes a terra nascentes, quas in agris consumpsit grando et ignis, sive grando ignita. Græce enim est γεννήματα, id est, genimina sive germina, puta herbas et sata, quæ percussit grando, ut Ægyptios frumenti penuria et fame affligeret. Ita Iansen. a Castro et alii.

Minus recte Holcot accipit ignem, quo conflagravit Pentapolis, ac natio Sodomitarum exterminata et combusta est.

Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Vers. 20.

Vers. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.) Pro *omnis saporis suavitatem*, græce est, *ad omnem gustum*, ἁρμόνιον, id est, *accommodatum*, sive *ut omni gustui congrueret.*

Opponit beneficentiam Dei in pios Hebræos; maleficentiæ et vindictæ eiusdem in impios Ægyptios, q. d. Tu Domine, sicut Ægyptios punivisti sterilitate et fame, vastando eorum segetes per plagam grandinis ignitæ, sive igni commixtæ; sic vice versa Hebræis in deserto omnium rerum inopia laborantibus, dedisti manna cæleste et suavissimum. Unde manna vocat *panem angelorum*, non comedentium, sed producentium illud ex materia, ad id in nubibus ab ipsis disposita, qua de causa *panis cœli*, id est, aeris et nubium vocatur, Ps. 77. 24. quia manna in aere ab angelis formabatur. Hinc et vocatur hic panis *sine labore*, scilicet hominum in arando, serendo, metendo, ab angelis applicando activa passivis confectus.

Nota: manna hoc miraculosum primo erat instar granulorum pruinæ, sive roris conglaciati; secundo, erat rotundum ut semen coriandri; tertio, sapore erat melleum; quarto, colore candidum et simile crystallo, ut habent Septuag. quinto, illud collectum pilo, et mola tundebant, et in farinam comminuebant, ex qua tortulas aut panes faciebant, et igne coquebant, uti nos ex farina tritici facimus, et in furno coquimus; sexto, quotidie ex cœlo, id est, ex aere depluebat manna excepto Sabbato. Unde Hebræi die Veneris duplum manna colligebant, scilicet quod sufficeret duobus diebus, Veneris et Sabbati. Aliis diebus si quis servasset manna in crastinum, illud scatebat vermibus; septimo, quilibet sive multum manna, sive parum

Mannæ dotes octo.

collegisset, cum domum rediens illud mensurabat, reperiebat eamdem mensuram, scilicet Gomor, Deo occulte demente ex manna, quod hanc mensuram excedebat, vel adjiciente quod huic mensuræ deerat: quare Deus uno eamdem mensuram manna viris, parvulis et fœminis admetiebatur, ac tantumdem comedebant parvuli quantum viri; octavo, cum sol incaluisset, liquefaciebat et consumebat manna, sicut sorbet et consumit rorem. Unde ante ortum solis illud colligere debebant. Vide dicta Exodi 16. ubi omnia quæ ad manna spectant, fuse et exacte pertractavi, illudque expressum fuisse typum Eucharistiæ, maxime quoad rem contentam et effectum, ex S. Cyrillo, Nysseno, Ambrosio et aliis ostendi. Cur enim ibi dicta hic repetam?

Nota: manna vocatur *panis angelorum*, quia angelorum erat opus, et quia cibus erat delicatissimus et præstantissimus; quæ enim angelorum sunt, præstantissima sunt, adeoque si angeli cibo corporali vescerentur, manna vescerentur.

Alleg. manna Eucharistiæ est angelorum esca, quia idem Christus, qui nos pascit in Eucharistia, pascit beatque angelos in visione beatifica. Hinc angeli sacerdoti celebranti reverenter assistunt et ministrant, uti multis exemplis ostendi Num. c. 4. in fine capitis.

Angeloptis exemplum. Memorabile est quod legimus de S. Ioanne Episcopo Ravennæ, qui cognominatus est Angeloptes, id est angelorum conspector, eo quod angelis familiaris esset, nimirum illi celebranti affuisse angelum, qui calicem sanguinis Christi de manu Diaconi ereptum, omnibus videntibus et mirantibus, ministrando porrexit; unde ab angelis in cælum receptus est anno Domini 432. Ita ex monumentis Ecclesiast. Ravennatis Hieronymus Rubeus, Philip. Ferrar. et alii. Præclare vereque S. Gregor. 4. Dialog. c. 58. *Quis*, ait, *fidelium dubium habere possit; in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illa Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?* Idem asserit S. Chrysost. lib. 3. et 6. de Sacerdotio, ac exempla affert, qualia etiam exstant in Vita ipsius S. Chrysostomi et S. Basilii.

Manna est Oratio. Tropol. manna est oratio: hac enim ceu pane cælesti fruuntur angeli cælestes, æque ac terrestres, puta viri pii et sancti; hæc quoque miram in anima efficit suavitatem, dum cælestes a Deo haurit consolationes, instinctus et inspirationes omnium virtutum. Vere S. Bernardus de Consider. ad Eugen. *Oratio*, inquit, *fontem, id est mentem, de quo oritur, purificat; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ornat.* Quocirca post filios Israel reali manna nutritos, legimus nonnullos sanctos orationi et contemplationi deditos, præsertim Anachoretas, qualis fuit Gherardus, qui ausu S. Lydwinæ sive Lydwigis secedens in eremum, non nisi manna quod cælitus in cellam eius impluebat, alitus est. Vide Vitam S. Lydwinæ longius ante finem. Vide et Nostrum Alvarez de Paz tract. de Oratione p. 1. c. 6. et seq. ubi fuse omnes mannæ dotes orationi adaptat.

Rursum manna est sapientia, ac S. Scripturæ, præsertim Psalmi, qui affectuum omnium suavitatem nobis exhibent. Ita S. Amb. l. 1. Epist. 1. *Esca*, ait, *et delectatio alimenti cælestis sapientia est, qua vescebantur in paradiso locati, quæ erat indeficiens animæ cibus, quem vocavit manna divinus sermo.* Et S. Gregor. 31. Moral. c. 10. *Manna*, ait, *est verbum Dei, et quidquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profecto in ore comedentis sapit.* Et l. 6. c. 9. *Manna*, ait, *omne delectamentum et omnem saporis suavitatem in se habuit, quia divinus sermo in omnibus congruit, et a seipso non discrepans, qualitati audientium condescendit.* Et S. Aug. serm. 91. de Tempore: *Nunc ergo festinemus cælestia manna suscipere. Istud enim manna prout vult quisque, talem saporem sapit. Audi enim et Dominum dicentem his qui accedunt ad se: fiat tibi secundum fidem tuam. Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, toto fide et tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras. Verbi gratia, si tribularis, consolatur te dicens: Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Si lætaris, prospere cumulat tibi gaudia dicens: Lætamini in Domino et exsultate iusti. Si iracundus es, mitigat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus erigit de terra inopem, et de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris.*

Denique S. Hieronymus in Ps. 147. *Quidquid volueris*, inquit, *ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Iudæi, quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusque, sic sapiebat in ore.*

Anagog. manna significat ineffabiles regni cælestis delicias, quas prælibant sancti pro iis certantes in hac vita, iuxta illud: *Vincenti dabo manna absconditum.* Apocal. 25. 27. vide ibi dicta.

OMNE DELECTAMENTUM IN SE HABENTEM, ET OMNEM SAPORIS SUAVITATEM.) Alii vertunt: *Ad omnem voluptatem valentem, et ad omnem gustum congruum, adaptatum et accommodatum.* Nam ut sequitur, manna cuilibet saporem exhibebat, quam ipse sapere et gustare desiderabat. Unde Syrus vertit: *Suaviorem omni dulcedine, et gustabiliorem præ omnibus gustabilibus;* Arabicus: *Panem fortiorem suavitate* (id est, suaviorem) *et præ omnibus delectabilibus.* Unde et cap. 19. 20. manna in Græco vocatur ambrosia, quæ a Poetis dicitur esse suavissimus Deorum cibus.

SUBSTANTIA ENIM TUA DULCEDINEM TUAM, QUAM IN FILIOS HABES, OSTENDEBAT.) Ita legendum cum Græcis et Roman. Perperam ergo multi Codices habent in accusativo: *Substantiam enim tuam et dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.* S. Gregor. Nazianz. orat. 49. legit: *Substantia mea dulcedo mea est*, indeque probat contra Arrianos in Deo esse substantiam, filiumque esse ὁμοούσιον, id est, consubstantialem Patri: *Quæ est enim*, inquit, *substantia Dei, nisi ipsum quod Deus simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum? An tu putas inane aliquid esse et vacuum, quod Deus est? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta consistunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit; cuius nutu et imperio universa reguntur, cuncta deserviunt. Et bene quod de Deo in lege scriptum est: Ego sum, qui sum; et: Qui est, misit me.* Exod 3. Intelligit ergo Nazianz. per substantiam Dei naturam, quæ est dulcissima et suavissima, adeoque ipsa suavitas et dulcedo increata et immense, quæ proinde seipsam communicans Hebræis, ipsis dulcissimum manna quod omnem saporis suavitatem continebat, exhibuit. Hic sensus valde congruit Græco: *Tuo enim hypostasis, id est, tua subsistentia, tuam in filios ostendebat dulcedinem.* Dat enim causam, cur dixerit *paratum panem.* Quæret enim quis, quomodo Hebræi in deserto arido quotidie invenerunt manna velut paratum cibum per continuos quadraginta annos? Respondet causam fuisse Hypostasin Dei, quod scilicet Deus idem semper, sibique similis consistens et subsistens, quotidie et continuo cibum hunc Hebræis apparabat. Huc accedunt Victor Uticensis l. de Cat. Fide, et S. Fulgent. contra Arrian. ad 4. obiectionem, qui per *substantiam* accipiunt *filium Dei* suavissimum, qui manna hoc Hebræis parabat; unde et eius typus ac figura erat manna, iuxta illud Ioannis 6. 32. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum*, quem explicans v. 35. et 51. *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Sic et Optatus citatus a Glossa, hunc locum explicat de filio Dei, qui est substantia Patris, ac illius figura et imagine, inquit, panis cælestis populo Israel cælitus apparet profluxisse. Passim tamen interpretes, ut Cantacuzenus, Hugo, Iansen. Vatablus per substantiam accipiunt manna, idque non incongrue; manna enim vocatur substantia Dei, quia Dei iussu per angelos formabatur, dabaturque Hebræis; unde paulo ante manna

Substantia Dei qualis?

Manna erat substantia, cur?

vocavit angelorum escam, et paratum panem de cælo. Vox *substantia*, notat manna fuisse solidæ substantiæ, ita ut non deluderet palatum Hebræorum, sicut deludit dæmon sagas et magos, dum eis phantasticum exibet omnium epularum convivium, in quo videntur sibi laute comedere et bibere, sed post convivium æque inanes se sentiunt, et æque famem et sitiunt ac ante, uti vir quidam nobilis in Belgio ad simile convivium a Mago invitatus, sibi contigisse narrare solet. At manna non erat phantasma, sed substantia ac res vere subsistens, quæ proinde Hebræos vere pascebat, alebat, roborabat, ut sani, vegeti, fortes consisterent; quare eius sapor et suavitas pariter realis erat, et, ut ita dicam, substantialis, non phantasticus et fictus. Hinc pro *substantia tua*, græce est ὑπόστασίς σου, id est, *substantia tua*. Sensus ergo est, q. d. *Substantia tua*, id est manna, quod erat substantia et res solida, a te, Domine, formata, *dulcedinem quam in filios habes ostendebat*, id est, sua dulcedine testabatur, imo repræsentabat ac re ipsa exhibebat dulcedinem amoris et benevolentiæ, qua filios, id est, Hebræos fideles tuos complecteris. Causam subdit modumque exponit dicens: *Et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur*. Sic Christus in Oratione Dominica, Lucæ 11. 3. docet nos petere panem quotidianum, græce ἐπιούσιον, id est, essentialem et substantialem, id est, hominis substantiæ necessarium; pari modo manna vocatur hic substantia, id est, panis substantialis, quia Hebræis per 40. annos aluit et sustentavit in deserto.

Denique Osorius per ὑπόστασις, id est substantiam, accipit constantiam benignitatis, bonitatis et beneficentiæ divinæ, qua continuo per 40. annos Hebræos aluit manna: ὑπόστασις enim est quasi basis, et fundamentum solidum et constans. Pineda vero in Iob c. 22. v. 3. in Digress. per substantiam accipit potestatem sustentandi. Sic et alii perplures.

Et deserviens uniuscuiusque voluntati (Græce ἐπιθυμίᾳ, id est, desiderio, concupiscentiæ) ad quod quisque volebat convertebatur.) Pro *uniuscuiusque* græce est προσφερομένου, id est obiati vel offerentis se, accedentis, assumentis et edentis, quod Noster apposite vertit, *uniuscuiusque*, scilicet sumentis et comedentis manna. Pro *convertebatur*, græce est μετεκιρνᾶτο, id est, *transtemperabatur*; Syrus: *Et pro cuiusque desiderio miscebatur*, sicut cibi miscentur et condiuntur melle, sale, saccharo aliisque condimentis, ut sint sapidiores, ac ad palatum comedentis attemperentur; ac sicut vina austera miscentur, et dulcorantur aqua, aut alio vino dulciori. Arabicus clare: *Et ministrabat perfectionem desiderii sui in quocumque cibo, quem volebant.*

An manna mutarit substantiam an tantum saporem? Ex hoc loco censent nonnulli manna, non tantum saporem, sed et substantiam mutasse ad cuiusque libitum, ut manna in piscem revera converteretur ei, qui vellet gustare piscem; in perdicem ei, qui vellet gustare perdicem; in ovum ei, qui vellet gustare ovum; ac sic manna perfecte, et quasi ex æquo repræsentasse Eucharistiam, in qua fit transsubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, remanentibus dumtaxat speciebus, sive accidentibus panis et vini. Simili enim modo in manna censent remansisse accidentia manna, sed internam substantiam fuisse mutatam ad cuiusque comedentis libitum et gustum. Ita censent Claudius de Sainctes de Eucharistia Repart. 7. c. 3. Nicolaus Villagagnon l. 3. contra Calvin. c. 52 Thomas Bozius l. 12. de Notis Ecclesiæ c. ult. Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 3. §. 4. Favet nonnihil S. Aug. l. 3. de Trinit. c. 4. ac S. Amb. de iis, qui initian. myst. c. 9 sed obscure et remote. Probant ex v. 25. *Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant.*

Respond. Saporem tantum mutasse Probat. 1. Verum contrarium longe est verius, manna scilicet mutasse saporem dumtaxat, non autem substantiam ad libitum appetentium. Probatur primo, quia tantum hic dicitur manna habuisse in se omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem, et ad hunc exhibendum appetentibus se convertisse in quoslibet sapores, iuxta eorum appetitum.

II. Secundo, quia transsubstantiatio est miraculorum omnium summum, ideoque soli Eucharistiæ proprium.

III. Tertio, quia sic manna non fuisset simile, sed dissimile Eucharistiæ; nam gustu corporali in Eucharistia tantum sapimus saporem panis; gustu vero mentali tantum sapimus corpus Christi; at in manna Hebræi non sapiebant saporem manna solius, qui erat panis oleati et mellis, sed piscem, perdicem, ovum prout quisque volebat. Si ergo in aliam et aliam substantiam piscis, perdicis, ovi, etc. assidue ad libitum comedentium fuisset conversum, dissimile fuisset Eucharistiæ, in qua non est alia substantia, quam corporis Christi.

IV. Quarto, hæ substantiales transsubstantiationes in manna fuissent plurima et continua miracula, sine necessitate et causa facta a Deo. Ad exhibendum enim cuique saporem, quem volebat, non erat necessum mutare substantiam, sed accidens tantum; sufficiebat enim saporem illum manna indere, quem quisque appetebat.

V. Quinto, quia Hebræi ad manna nauseabant, suspirantes ad cepas et ollas carnium in Ægypto; unde dicebant: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*. Num. 11. 4. et cap. 21. 5. Ergo revera eis manna non mutabatur in cepe et carnes. Si enim ea habuissent, non ad ea suspirassent. Dices, et retorquebis hoc argumentum: idem est de sapore: in manna enim sapiebant cepe et carnes, et tamen ad ea suspirabant. Resp. suspirabant, quia carnales erant et gulosi quibus non sufficit sapor, sed præter eum requirunt res ipsas sapidas et solidas, puta veras carnes, veros pisces, etc.

VI. Rursum, si manna habebat dumtaxat speciem externam manna, interius vero vertebatur in piscem, carnem, ovum ad libitum edentium, frustra id fiebat. Nam edentes videbant speciem externam manna, non vero internam substantiam piscis, vel carnis sub manna absconditam: sicut nos in Eucharistia videmus species panis, at non videmus sub iis latentem Christum, sed fide credimus, hanc autem fidem in manna non habebant animales Iudæi.

Si dicas, manna plane et per omnia mutatum fuisse in piscem, carnem, etc etiam quoad speciem externam, ita ut omnino manna desineret tam quoad substantiam, quam quoad speciem externam, repugnat S. Script. quæ ubique asserit Hebræos comedisse, vidisse, sapuisse manna, se manna habuisse omnem saporis suavitatem. Alioqui enim manna non potuisset esse typus Eucharistiæ, in qua panis transit in corpus Christi, sed remanentibus speciebus panis

Denique, sicut Auctores contrariæ sententiæ per mutationem manna in substantiam piscis vel carnis, melius repræsentant transsubstantiationem in Eucharistia, ita nos dicentes eamdem in manna mansisse substantiam, sed accidentia saporis fuisse variata, melius per hoc demonstramus in Eucharistia accidentia panis et vini manere, ac alere hominem sine illorum substantia. Rursum Eucharistiam unam et eamdem omnem virtutum, rerumque cælestium saporem et gustum communicanti pro eius desiderio exhibere. Porro v. 25. mox suo ordine explicabo.

Nota, pro *convertebatur*, græce est μετεκιρνᾶτο, id est transtemperabatur, et miscendo transfundebatur; Syrus: *miscebatur*; alii: *temperabatur*. Radix enim κιρνάω idem est, quod misceo, inficio, tempero, infundo vinum. Unde Medici ὀξύκρατον, vocant potum ex aceto et aqua mixtum et temperatum. Sic vinum purum et immistum vocatur ἄκρατον; et εὔκρατον, quod rite dilutum et temperatum est. Τὸ ergo μετεκιρνᾶτο, significat modum varietatis saporum in manna, quod sicut vinum, si aqua vel alio vino quolibet misceatur, quemlibet vini saporem exhibet. Si enim vino dulci infundas vinum acre, amarum vel alterius saporis, vini dulcedinem inflectes ad acredinem, amaritiem, aliumve saporem. Sic pariter Deus in manna nativum eius melleum saporem, affuso alio sapore ad saporem piscium vel carnium, pro desiderio cuiusque comedentis inflectebat. Manebat ergo nativus manna sapor, sed temperatus, dilutus et inflexus ad saporem eius rei, quam quisque gustare desiderabat. Hoc enim insinuant Hebræi murmuran-

A tes, dum dicunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo;* sentiebant ergo et sapiebant levitatem et mollitiem mannæ, et insuper saporem ciborum, quos appetebant; *nec* levitas illa, mollities, et dulcedo mannæ movebat eis nauseam. Cogita te saccharum vel mel effundere piscibus, carnibus reliquisque cibis, et apprehendes quomodo mellea dulcedo mannæ sapori piscium, carnium reliquorumque ciborum mista, affusa et contemperata fuerit, sed eo modo itaque parce vel largiter, sicut palato et desiderio comedentium congruebat; illi enim suum saporem attemperabat manna. Atque hæc videtur fuisse causa nauseæ et murmuris Hebræorum de manna, quod scilicet, esto in eo saperent omnem saporem, quem vellent, tamen simul saperent saporem mellis, qui erat nativus ipsi mannæ; mel enim, saccharum cæteraque dulcia si longius comedantur, facile pariunt nauseam et fastidium. Denique manna per se ubique suum retinebat saporem, sed in palato vescentium, saporem, quem quisque optabat, efficiebat, itaque ad eius votum quasi transformabatur, id est, aliam saporis formam et rationem suscipiebat et induebat.

Sapor mannæ cuique quomodo attemperatus.

B Quocirca minus verum videtur, quod censet Holcot hanc varietatem saporum non fuisse in ipso manna, sed in palato comedentium dumtaxat, secundum apparentiam et iudicium eorumdem. Sic enim fuisset fucatus et phantasticus sapor mannæ, non realis et substantialis, uti dixi v. 21. nec manna, in se habuisset omne delectamentum et omnis saporis suavitatem, nec deserviens cuiusque voluntati ad id, quod quisque volebat, fuisset conversum, quod tamen asseruit v. 4. Denique sic manna non fuisset appositus Eucharistiæ typus, utpote quæ substantialiter nobis exhibet Christum, omni gratia et delectatione spirituali pollentem, et eamdem sumentibus communicantem. Ita cæteri interpretes. Cum ergo quis Hebræus desiderarat comedere piscem, carnem, ovum, Deus ipsi mannæ indebat saporem piscis, carnis, ovi, quem saperet comedens, perinde ac si piscem, carnem, ovum comederat.

Manna sapor verus non apprehensus.

C Tropolog. panis omne delectamentum in se habens, et omnis saporis suavitatem, est oratio et contemplatio. Anagogice est gloria cælestis. Allegor. est Caro Christi in Eucharistia. Unde S. Thomas Opusc. 57. in Officio Venerabilis Sacramenti ad Magnificat, hos illi assignat versus:

Manna est Oratio et Euchar.

Gnomæ.

Panem de cælo præstitisti eis,
Omne delectamentum in se habentem.

Et mox hanc Antiphonam: *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittis inanes.* Et lect. 4. *Suavitatem huius Sacramenti nullus exprimere sufficit; per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit excellentissimæ charitatis.* Ante lectionem vero hos præmittit versus:

Cibavit eos ex adipe frumenti,
Et de petra melle saturavit eos.

Hinc de nonnullis sanctis devote communicantibus legimus, in S. Synaxi eos favum quasi mellis gustasse. Idem in Antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis: D *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Idem in hymno ad laudes: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Vis exemplum? accipe.

Exempla.

In Vitis Patrum lib. 6. Libello 18. de Providentia. c. 47. *Dixit Abbas Pastor: Scriptum est, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Quoniam igitur cervi in solitudine serpentes plurimos glutiunt, et cum accensi eorum veneno fuerint, ad aquas pervenire desiderant; bibentes autem tentantur a fervore serpentini virus; ita et monachi in solitudinibus habitantes, accenduntur dæmonum malignorum veneno, et propterea desiderant Sabbato Dominico venire ad fontes aquarum, hoc est ad corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, ut purgentur ab omni amaritudine dæmonum malignorum.*

S. Maria Ægyptiaca cum 47. annis in eremo vitam angelicam egisset, sub mortem sacram Synaxim a S. Zosima suscipiens, in cælum extensis manibus ingemiscens cum lacrymis præ gaudio clamabat: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum,* itaque prælibans delicias cælestes, mox emoriens, ad eas tota mente hauriendas evolavit in cælum. Ita habet eius vita scripta ab eodem Zosima. Simile legimus de S. Maria Magdalene in eius ad Christum transitu.

Fertur S. Monica post sacram Synaxin quasi deliciis ebria exclamasse: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Quid hic ago? volemus in cælum?*

S. Ioannes eremita tantas in Eucaristia sentiebat delectationes, æquo ac robur et vires, ut eam dominica dumtaxat die sumens, nihil per totam hebdomadam aliud comederet; teste Palladio in Lausiaca c. 61.

S. Franciscus, ait S. Bonav. in Vita eius cap. 9 *Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans maximo illam charissimam dignationem et dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, et tam devote ut alios devotos efficeret dum ad immaculati agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.* Hinc in Christum crucifixum optabat, per excessivi amoris incendium, totaliter transformari; uti et ipsi contigit, dum per Seraphinum sub alis suis crucifixum continentem, sacra quinque vulnerum eius stigmata carni suæ impressa, raro Christi dono accepit.

S. Catharina Senensis, uti in eius vita scribit Raymondus ipsius confessarius: *Videbat frequenter in manibus sacerdotis infantem, interdum puerum grandiusculum, quandoque fornacem ardentem, sæpe etiam inæstimabilis suavitatis odores sentiebat. Quoties autem illud summum Sacramentum vel vidisset, vel sumpsisset, novum, idemque ineffabile gaudium in eius animo existebat; ita ut non raro in eius pectore cor exiliret, idque cum tanto sono, ut sociæ circumstantes clarissime audirent; nec erat sonus ille usitatus, sed valde singularis et præter naturæ morem. Solebat autem sancta virgo dicere Thomæ Confessario suo: Tantum gaudium obtinet mentem meam, ut valde admirer posse durare animam in corpore; addebatque: Tantum ardorem sentio in anima mea, ut ignis materialis mihi frigere potius quam urere videatur. Ex hoc autem ardore existit quædam in anima mea renovatio puritatis et humilitatis, ita ut videar mihi rediisse ad ætatem quatuor vel quinque annorum. Tantus quoque inde in me accenditur amor fraternus, ut non solum libenter, sed etiam hilariter, pro quocumque proximo velim mortem oppetere.* Et nonnullis interiectis: *Cum autem sacram Eucharistiam ex eius manibus perciperet, facie erat rubicunda et micante, tantaque cum devotione eam accepit, ut maximum stuporem et devotionem ipsi Confessario adferret. Ipsa vero ita fuit in Deum absorpta, ut toto illo die, etiam postquam ad se rediit nullum potuerit verbum eloqui. Dixit autem postea fratri Thomæ Confessario, cum ex eius manibus sumpsisset sacram Eucharistiam, tale aliquid se vidisse, quod mentem eius adeo ad se pertraxerit, ut alia omnia, quæ hic habeantur, velut abominanda stercora ipsi visa sint, non solum opes et voluptates corporis, sed etiam consolationes spirituales; tumque ipsi oranti præstitit id Deus quod diximus, puta mentem inter omnia immotam, quod est revera munus excellens et eximium,*

NIX AUTEM ET GLACIES SUSTINEBANT VIM IGNIS, ET NON TABESCEBANT: UT SCIRENT, QUONIAM FRUCTUS INIMICORUM EXTERMINABAT IGNIS ARDENS IN GRANDINE ET PLUVIA CORUSCANS. Vers. 22.

HIC AUTEM ITERUM, UT NUTRIRENTUR IUSTI, ETIAM SUÆ VIRTUTIS OBLITUS EST. Vers. 23.

CREATURA ENIM TIBI FACTORI DESERVIENS, EXARDESCIT IN TORMENTUM ADVERSUS INIUSTOS, ET LENIOR FIT AD BENEFACIENDUM PRO HIS, QUI IN TE CONFIDUNT.) Vers. 24.

Redit ad septimam Ægypti plagam, quæ fuit grandinis

*

igni, id est, fulminibus mixtæ, qua Deus percussit sata et fruges Ægyptiorum, itaque sterilitate et fame eos mulctavit. Sicut enim dixit vers. 17. in plaga ista ignem non fuisse aquis, id est, grandine et pluvia extinctum; sic vice versa hic ait ignem non liquasse nivem et glaciem, sed utrumque velut deposita contrarietate naturali, inter se fœdus iniisse, ac conspirasse in perniciem Ægyptiorum. Unde Philo l. 2. de Vita Mosis: *Grando*, inquit, *intermixta ignibus nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed utraque eodem deferebantur impetu.* Itaque *nix et glacies,* hoc loco idem sunt, quod grando; grando enim non aliud videtur esse, quam aquæ vel nix congiaciata. Forte etiam cum grandine, uti mixta fuit pluvia, sic et nix, uti sæpe videmus hæc tria convenire et simul e cælo descendere, quia hæc tria ex aqua nascuntur, et mox in aquam redeunt. Unde glaciei ænigma hoc dat Symposius.

Ænigma glaciei.

Unda fui quondam, quod me cito credo futuram:
Nunc rigidi cœli duris connexa catenis,
Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.

Ut scient.) q. d. Ut intelligerent filii Israel, ad quorum hæc referuntur et amplificantur utilitatem, fructus Ægyptiorum ab igne, inter grandinem et pluviam coruscante, fuisse absumptus: unde, escis sublatis, in famem ingentem deciderunt miseri.

Ignis ardens in grandine, et (repete cum Dionys. τὸ in) pluvia coruscans) Hoc enim erat mirum in plagæ grandinis, quod in ea arderet ignis, idemque in pluvia grandini mixta coruscaret et effulguraret, cum tamen natura ignis grandini æque ac pluviæ ex diametro repugnet, ac grandinem perimat, vel ab ea extinguatur et perimatur.

Hic autem) *Hic,* scilicet ignis. Græce est, τοῦτο neutrum, id est, *hoc,* quia refert πῦρ, id est, ignem, quod Græcis pariter est generis neutrius. Componit et comparat ignem, quo coquebatur manna, cum igne grandine mixto, quo percussa est Ægyptus, idque apposite, quia manna erat instar roris congiaciati, ideoque specie externa referebat grana grandinis, vel sacchari. Sensus ergo est, q. d. Sicut in gratiam Hebræorum fecisti, o Domine, ut ignis cum grandine conspirans perderet sata Ægyptiorum, sic vice versa fecisti, ut ignis cum manna quod erat instar grandinis conspirans, illud non liquaret et absumeret, sed coqueret et solidaret, ut eo velut pane a se cocto pasceret Hebræos. Manna enim molitum vel pistum formabatur in panes vel tortulas, quos igne coquebant, ut patet v. 27. et Num. 11. Manna ergo rorulentum, et instar grandinis constrictum et congiaciatum sustinebat vim ignis, dum vel aquis calidis elixabatur, vel in sartagine frigebatur, vel sub cinere, aut in clibano furnove in panem coquebatur. Quare tunc ignis ut τρέφωνται (alii minus apte legunt στραφῶσι, id est *verterentur*) id est, *nutrirentur iusti,* scilicet fideles Hebræi, *etiam suæ virtutis oblitus est,* qua solet liquare, et absumere grandinem et glaciem, cui similis erat manna, quod tamen ignis non liquabat, nec absumebat, sed durabat et solidabat.

Creatura enim.) Dat causam, cur ignis non absumpserit grandinem percutientem Ægyptius, nec manna pascens Hebræos, quia scilicet ignis erat creatura Dei, qui proinde ipsi ut suo creatori, per omnia deservit et obedit. Quare, illo iubente, conspiravit cum glacie ad torquendum iniustos, et in manna velut lentior leniorque factus, illud fovit coxitque, ut eo pascerentur Hebræi, qui in Deum credebant et confidebant. Ita Noster a Castro. Reddit, ait, generalem rationem duorum tam contrariorum effectuum eiusdem ignis, qui nocuit Ægyptiis et profuit Israelitis. Nam creatura suo obsequens creatori, vim suam ad eius voluntatem exerit ac remittit, operamque dat ut supplicio afficiat iniustos; iustos vero summa cum benignitate conservet et tractet. Unde ex Græco clare ad verbum vertas: *Creatura enim tibi effectori subserviens,* ἐπιτείνεται, *id est, intenditur ad pœnam adversus iniustos, et* ἀνίεται, *id est, remittitur ad beneficium pro his qui in te confidunt.*

Vers. 25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebant, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant. Vers. 26.

Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.) Repetit et inculcat quod dixit de manna vers. 21. scilicet ipsum suum saporem commutasse ad desiderium comedentium. *Transfigurata,* scilicet creatura, quæ præcessit; sed ibi per creaturam intellexit ignem, hic vero per eam intelligit manna igne coctum. Græce est μεταλλευομένη, id est, transformata, in aliud commutata, transfigurata. S. August. lib. 3. de Trinit. cap. 11. vertit, *se transfigurans,* q. d. Propter hoc, ut scilicet ostenderes tuam beneficentiam in fideles Hebræos, fecisti ut creatura tua, id est, manna a te creatum se transformaret, et quasi transfiguraret in omnia, id est, in omnes saporum formas, differentias, et species pro appetitu cuiusque comedentis; quia manna, æque ut cæteræ creaturæ, *nutrici gratiæ,* id est beneficentiæ et beneficæ providentiæ tuæ, *deserviebat ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant,* ut pro voluntate et desiderio cuiusque exhiberet eum saporem, quem quisque optabat, et desiderabat sibi in manna a Deo exhiberi.

Moralit. nota hic creaturas iustis transfigurari, id est, aliam formam et figuram exhibere, quam exhibeant impiis; iustis enim exhibent formam, vultumque serenum amici et benefactoris, impiis vero exhibent formam, vultumque severum inimici et ultoris. Sic mare rubrum salvavit Hebræos, mersit Ægyptios. Sic diluvium absorpsit impios, servavit Noe. Sic ignis perdens Sodomam, pepercit Lot, quia creaturæ conformant se suo creatori, qui benignum se ostendit piis, ferocem impiis.

Omnium nutrici gratiæ tuæ.) Græce τῇ παντοτρόφῳ σου δωρεᾷ id est, *omnia nutrienti tuo dono,* pro quo noster vertit *gratiæ;* δωρεὰ enim est donum, gratia, dos, largitio. Gratia ergo hic significat gratiosam Dei voluntatem, providentiam et beneficentiam, vel omne beneficium gratiæ ab illa proveniens. Quocirca S. August. in Psal. 144. et epist. 93. docet duplicem esse gratiam, unam creationis, alteram salvationis; sive unam naturalem, alteram supernaturalem. Vide Suarez tom. 1. de gratia Prolog. 3. cap. 2. num. 2 et c. 3. num. 5 ubi per *nutricem gratiam* accipit amorem gratuitum Dei, sive ipsam Dei charitatem, quæ est primum Dei erga nos donum et maxime liberale ex sola Dei misericordia promanans. Unde idem S. Aug. de Prædest. Sanct. c. 15. *gratiam,* vocat, *gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem*

Unde aliqui hic vertunt: *Omnia almæ, vel altrici* (*almus* enim dicitur quasi *alens,* ab alendo, ait Festus: unde alma Ceres, alma parens, alma tellus, quia omnia alit) *tuæ benignitati deserviebant;* hæc enim omnium est nutritia; quare Dei benignitate plena est terra, iuxta illud: *Imples omne animal benedictione.* Psal. 144. 16. Et: *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod sanarem eos.* Osee 11. 3. Quocirca merito de ingratis hominibus queritur Deus: *Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* Isaia 1. 2. Et: *Obliti estis Deum qui nutrivit vos, et contristastis nutricem vestram Ierusalem.* Baruch 4. 8.

Ad voluntatem eorum qui a te desiderabant.) Puta Hebræorum esurientium et desiderantium cibum. Perperam nonnulli legunt: *qui a te desiderati sunt,* id est, quos desiderasti et amasti. Græce est δεομένων, quod tam *egentium,* quam *desiderantium* verti potest. Egestas enim facit desiderare, et desiderare facit orare, ut obtineas id quo egestatem leves. Audi S. Hieronym. in Psal. 147. *Manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusque, sic sapiebat in ore, ac si dixisset: Qui manna comedebat, si desiderabat mala, si pirum, si uvam, si panem, si carnes, secundum qualitatem et voluntatem comedentis, ita et sapor in manna erat. Sic et in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est Scripturarum sanctarum interpretatio, sicut volumus, ita et cibum accipimus. Si sanctus es, invenis refrigerium, si peccator es, invenis tormentum.*

Ultimis hisce verbis insinuat S. Hieron. iustos duntaxat sensisse in manna hanc saporis varietatem ad libitum, iniustos vero tantum gustasse nativum mannæ saporem, qui erat instar panis oleati et melliti. Idem magis diserte et expresse sentiunt S. August. lib. 2. Retract. c. 9. et 20. S. Greg. l. 6. Moral. c. 9. Abulens. Lyran. Dionys. et alii.

Manna sapiebat etiam malis id quod volebant. Verum tam malis, quam bonis hanc gratiam, uti et coturnices, columnam ignis, aquam e petra, etc. fuisse concessam innuit τό *uniuscuiusque* v. 21. quod tam malos, quam bonos complectitur; itaque censet S. Cæsarius Arelat. homil. 7. in Pascha, Hugo Victor. Tornielius, Lorinus et alii, ob rationes quas recensui Exodi 16. v. 31. Divina plane vis, bonitasque digna Deo, et nisi sacris litteris aperte constaret, plane incredibilis; ut se Deus ad innumerabilem hominum multitudinem quotidie, imo singulis horis ac momentis ita attemperaret, ut in unius cibi temperamento centum sapores disparatos, atque ex difficillimis primarum qualitatum harmoniis toties dispartitos in palatis Hebræorum produceret, ac in stomacho membrisque omnibus nutrimentum generaret.

Ut scirent filii tui (fideles Hebræi) quoniam non nativitatis fructus (Græce γενεσεις των καρπων, id est nativitas vel generationes fructuum, hoc est fructus geniti et nati, sive nativi) pascunt homines, sed sermo tuus, græce ρημα σου, id est *verbum tuum*, puta iussio tua, decretum tuum, hos qui in te crediderint conservat.) Dum scilicet viderunt se in deserto sine pane, solo manna cœlesti vixisse per 40. annos, uti Christus in simili deserto ieiunans et orationi vacans sine pane vixit 40. dies, ideoque diabolo tentanti, dicentique Matth. 4. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant;* respondit: *Scriptum est.* Deut. 8. vers. 3. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* id est omni re, quam iusserit et ordinarit Deus, sicut iussit Hebræos ali manna. De manna enim loquitur Moses, Deuter. 8. 3. Denique non cogitanti de alio sapore et cibo, manna exhibebat saporem panis oleati vel farinæ mellitæ; cogitanti vero et desideranti alium quemlibet saporem, illum ipsum exhibebat. Quocirca probi, cum ex nativo mannæ sapore mellito sentirent sibi obrepere nauseam, indeque murmur, illi resistebant cogitando se in manna quidvis sapere posse, si eius desiderium conciperent; improbi vero et ingrati cedebant nauseæ, ob eamque murmurabant. Vide dicta Exod. c. 16.

Vers 27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat.) Cantacuzenus explicat de plaga grandinis; hæc enim igni mixta cum eo conspirabat ad vastandas segetes Ægyptiorum, eadem tamen solis radiis liquabatur. Verum alii passim hæc accipiunt de manna; de eo enim omnis est hic sermo, q. d. Mirum, imo miraculum erat in manna, quod ipsum igne coqueretur et solidaretur; radiis vero solis calefactum liquaretur uti iisdem naturaliter liquatur grando et glacies, cui simile erat manna; quare hoc posterius non erat miraculum, licet id velit Abulens. in Exod. cap. 16. qu. 8. sed prius; nam glaciem, cui similis erat manna, igne non liquari, cum sole liquaretur, utique miraculum est. Ignis enim calidior est sole. Vide dicta Exodi c. 16. v. 21. et Numeror. c. 11. v. 8.

Vers. 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.

Vers. 29. Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua) q. d. Quia manna, sole incalescente, liquescebat; hinc ante ortum, vel ad ortum solis oportebat illud colligere; qua re significabat Deus, oportere nos prævenire solem ad benedictionem Dei excipiendam, et vicissim ei per gratiarum actionem reddendam, atque summo mane ad ortum lucis Deum laudare, adorare et invocare; qui enim piger et ingratus huic divinæ oblationi, qua Deus mane orantibus offert gratiam, æquo ac Hebræis mane offerebat manna, speret post somnum et pigritiam sese Dei gratiam, cum sibi licebit reperturum, fallitur, sicut Hebræi stertentes fallebantur, dum post ortum solis manna quærebant, nam reperiebant illud solis radiis liquatum et dissolutum; liquabatur enim, sicut glacies in hyeme sole incalescente colliquescit et tabescit, id est in vaporem abit et evanescit.

Mane excipienda orandi Dei gratia.

Simili modo ingrati spes *disperiat tamquam aqua supervacua*, id est ut Græce, *sicut aqua inutilis diffluet.*

Ad benedictionem tuam.) Benedictio hic reciproca accipitur, scilicet tam ipsa Dei beneficentia, qua Hebræis mane dabat manna, ac mane orantibus dat gratiam, quam Hebræorum et nostra, puta gratiarum actio, qua ob manna, omnemque gratiam a nobis Deo agendæ sunt gratiæ. Ita Franc. Lucas Brugensis in Notis hic, Vatabl. Iansen. Clarius, et alii. Unde græce est επ' ευχαριστιαν σου, ευχαριστια autem et gratiam et gratiarum actionem significat. Hinc Venerabile Sacramentum dicitur Eucharistia, quia summam gratiam, puta Christum omnis gratiæ fontem continet, ideoque summam a nobis gratiarum actionem requirit; unde per antithesin subdit: *Ingrati enim spes*, etc. ubi manifeste ευχαριστον, id est gratum opponit αχαριστω, id est, ingrato. Porro hac voce ευχαριστια, præludit et alludit ad mysticum manna legis novæ, scilicet ad corpus Christi in Eucharistia.

Et ad ortum lucis te adorare) Græce est, εντυγχανειν, id est, occurrere (scilicet Deo) interpellare, orare, intercedere pro rebus tum privatis, tum publicis, q. d. Si Deus adeo diligens est, ut primo mane nobis manna et gratiam suam afferat, utique decet nos simili diligentia Deo occurrere, ut illius gratiam grate excipiamus.

Ortus hic non significat cœli situm, puta Orientem et orientalem cœli plagam. Hebræi enim orabant conversi non ad Orientem, uti faciunt Christiani, sed respicientes ad Sanctum Sanctorum, quod erat ad Occidentem, uti docet S. Hieron. in c. 8. Ezech. Ortus ergo hic solis, lucisque exordium significat, puta mane et auroram: tum enim colligendum erat manna, nam post solis ortum eius radiis liquabatur, ut discerent Hebræi non stertere, sed mane surgere ad orationem et ad parandum cibum, nam diligentibus occurrit, et succurrit Deus. Vult enim iure suo Deus cæteris curis, rebusque anteponi, ac primitias diei sibi dicari, ut ab eo totius diei felicem decursum impetremus. Unde S. Athanas. in Psal. 5. *Magnum*, ait, *certaminis decus, a lecto ipso Deo sistere seipsum, et prævenire in gratiarum actione solem.* Et S. Chrys. in Ps. 5. ad illa: *Mane exaudies vocem meam*, sic ait: *Ab initio diei David dabat Deo primitias. Oportet enim*, inquit, *ad gratias tibi agendas solem prævenire, et ante ortum lucis te interpellare. Tu autem in Imperatore quidem minime patiaris eum, qui est inferior, ante te adorare: nunc autem, sole oriente, ipse dormis, et cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam prævenis, quæ propter te facta est, nec ei agis gratias, sed cum surgis, manus et faciem lavas, animam autem immundam negligis*, etc.

Adorandus est Deus oriente sole.

Idem sanxit Moses Deuter. 6. 7. *Meditaberis in eis*, etc. *dormiens atque consurgens*, ubi plura hac de re congessi. Ergo esto, o Christiane, o Sacerdos, o religiose philomela auroræ, imo *esto cicada noctium*, uti scribit et præscribit S. Hieron. Eustochiu. Sicut enim aves diluculo canunt, ac philomela sua melodia solem prævenit, et venientem quasi allicit, et salutat; sic pariter fideles mane solem iustitiæ suis hymnis et precibus salutent oportet. Id facere Essæi et primi Christiani, qui, teste Plinio, antelucanos Christo canebant hymnos; quin et Iudæi quotidie mane offerebant iuge sacrificium, uti etiamnum fideles mane dicunt, vel audiunt Missæ sacrificium.

Esto cicada noctium.

Porro hac de causa Christiani orant, non tantum mane in aurora sub ortum solis, sed etiam conversi ad eum Orientem, sive ad orientalem mundi plagam, idque faciunt ex Apostolica traditione, ut ait S. Basilius de Spiritu sancto c. 27. Athanasius, vel potius Anastasius Nicænus in quæst. S. Scripturæ quæst. 18. et alii.

Primo, ut beneficium solis, qui ortu suo hominibus, totique mundo lucem, hilaritatem, calorem, vitam et fœcunditatem affert, agnoscant, Deoque gratias agant. *Causa.* I.

Secundo, quia Oriens est nobilior pars mundi: ab Oriente enim oritur lux et sol, qui symbolum et hieroglyII.

phicum est Dei. Unde et Oriens pro ipse sumitur. Haus sausam dat S. Iustin. lib. quæst. quæst. 118. S. Dionys. de Eccles. Hier. p. 2. c. 2. et S. Cyril. Catbec. 1. mystag. Quod igitur Oriens fons veiut quidam luminis baberetur, atque Occidens esset hieroglyphicum tenebrarum, inde etiam ea vetus fuit in Ecclesia observatio, ut baptismate initiandus, diabolo prius renuntiaturus, Occidentem versus statueretur, sicque positus, tertio illa renuntiantis verba proferret, idemque postea Christum Dominum confessurus ad Orientem conversus, id totidem vicibus faceret. idque non tantum S. Dionysius, sed et Cyrillus testatur.

III. Tertio, quia paradisus ex quo eiecti sumus in Adamo et ad quem suspiramus situs erat ad Orientem. Ita Damasc. libr. 4. de Fide sap. 13. at S. Cyrillus ioco iam citato, ac S. Basilius et Nyssenus apud Moysem Barsepha, libro de Paradiso p. 1. cap. 14.

Quarto, quia Christus crucifixus respiciebat Occidentem, nam dorsum obvertebat Ierosolymæ et Orienti, faciem vero convertebat ad Occidentem, puta versus Romam et Europam; dum ergo oramus conversi ad Orientem in Christum crucifixum respicimus, illique occurrimus. Rursum, Christus ascendens in cælum ad ortum efferebatur, ibique adoratus est a discipulis, atque ita Iuda venturus est ad iudicium, uti eum ibidem ascendentem in cælum conspexerunt Apostoli, iuxta illud Zachariæ 14. 4. *Stabunt pedes eius in die illa supra montem olivarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Et illud: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*, Psal. 131. 7. Hinc et Christus ipse vocatur Oriens. Zacbar. 6. 12. Hasce omnes causas affert S. Athanas. in quæst. ad Antiochum qu. 37. sed præsertim primam; *Adoramus*, ait, *ad Orientem, quia Deus est lux vera, eamque ob causam ad lumen conversi creatum istud, non creatum illud lumen, sed eius luminis creatorem adoramus, et ex elemento* omnium *splendidissimo, omnium elementorum splendidissimum creatorem Deum veneramur.* Adverte tamen has quæstiones non esse S. Athanasii Alexandrini. Nam q. 13. auctor citat S. Athanas. Alex. et q. 129. S. Gregor. Nazianzen. qui S. Athanasio fuit posterior, imo in iisdem citatur S. Chrys. Scala Ioannis Climaci, Maximus, Nicephorus. Unde liquet auctorem longe posterioris ævi fuisse, ut recte advertit Bellarm. Sixtus Senensis, Possevinus et alii Scriptor. Eccles.

Priscillianistæ Porro ex hoc ritu orandi ad Orientem factum est, ut nonnulli rudes Christiani ac Priscillianistæ Hæretici solem orientem adorarent, quos redarguens S. Leo serm. 7. de Nativitate: « De talibus, inquit, institutis (Priscillianistarum videlicet) illis etiam generatur impietas ut sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeo religiose se facere putant, ut priusquam ad Beati Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo et vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum areæ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem deflectant, et, curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus et dolemus: quia etsi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura venerantur, abstinendum tamen est ab huiusmodi specie officii. » Hæc ille idcirco, ne quid commune cum Priscillianistis atque Gentilibus fideles haberent. Vide Baron. t. 1. anno Christi 58. n. 86. Porro Gentiles solebant Diis primam boram nuntiare, quasi iis matutinæ et primæ salutationes essent gratissimæ. Iidem fores principum mane obsidebant, ut egredientibus obviam prodirent, ac salutem precarentur, uti multis exemplis ostendit noster Pineda in Iob cap. 31. vers. 36. num. 9 *adorabant solem orientem*

INGRATI ENIM SPES TANQUAM HYBERNALIS GLACIES TABESCAT.) S. Thom. 2. 2 q 107. articul. 4. notat hac gnome significari, quid ingratus pati mereatur, quidque iusto Dei iudicio sæpe illi accidat, scilicet ut ob prioris beneficii ingratitudinem, posteriori, quod sperat, privatur, eiusque spe frustretur. Nam alioqui, inquit, fidelis et liberalis viri est benefacere, etiam ingrato, nisi per beneficia fieret peior et ingratior; tunc enim ad vitandum hoc malum cessandum est a beneficio. Probat exemplo Dei, qui benefacit ingratis assidue, *dum solem suum oriri facit super bonos et malos, ac pluit super iustos et iniustos*, Lucæ 6. et Matth. 6 Confirmat et ratione, quia, inquit, fidelis debet tendere ad hoc, ut de ingrato faciat gratum, quod si facere nequit primo beneficio, forte faciet secundo, tertio, vel quarto, citatque Senecam lib. de Benef. c. 7. qui et cap. 5. causam ingratitudinis, quam tangit hic sapiens assignat dicens: *Memoriæ minimum tribuit, quisquis spei plurimum*, q. d. Ideo ingrati sunt immemores beneficii præteriti, quia toti sunt pleni spe futuri; quia enim toti anbelant inhiantque novis donis, quæ aucupantur et sperant, hinc obliviscuntur præteritorum.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. 15. ostendit verum sapientiam consistere in cultu veri Dei, insipientiam in cultu idolorum. Id c. 16. probavit exemplo Ægyptiorum, quibus Deus aquas in sanguinem vertit; ac Hebræorum, quos velut sui cultores Deus in siti aqua de petra potavit, ac in fame coturnicibus et manna cælesti cibavit; nunc idipsum prosequitur et demonstrat per aliam Ægypti plagam, scilicet tenebrarum, quæ ordine fuit nona, in qua Hebræi fruebantur clara luce, Ægyptii vero degentes in densis tenebris, variis spectris, æque ac timoribus exagitabantur. Graphice ergo depingit tenebras Ægyptiacas, ac terrores malæ conscientiæ.

1. Magna sunt enim iudicia tua Domine, et inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. 2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ iacuerunt. 3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati. 4. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. 6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: et timore percussi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur: 7. Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. 8 Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant. 9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium et serpentium sibilatio-

ne commoti, tremebundi peribant: et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. 10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia, 11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum. 12. Et dum ab intus minor est expectatio, maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat. 13. Illi autem qui impotentem vere noctem, et ab infimis, et ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes. 14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis et insperatus timor supervenerat. 15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. 16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem. 17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, 18. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo: deficientes faciebant illos præ timore. 19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. 20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

Vers. 1. MAGNA ENIM SUNT IUDICIA TUA, DOMINE, ET INENARRABILIA VERBA TUA: PROPTER HOC INDISCIPLINATÆ ANIMÆ ERRAVERUNT.) Græce: *Magna enim tua iudicia, et narratu difficilia; propterea imperitæ animæ in errorem inductæ sunt,* q. d. Iudicia tua, Domine, quibus fideles tuos Hebræos bonis, v. g. coturnicibus et manna cumulasti, infideles veros Ægyptios malis, v. g. aquis sanguineis cruciasti, sunt alta et arcana, ideoque inenarrabilia sunt *verba*, id est, opera tua iam dicta, quæ verbis tuis, puta iubendo dumtaxat effecisti, ideoque imperitæ animæ, quales erant Ægyptiorum, dum superbe volunt ea scrutari et comprehendere, in errorem inductæ sunt. Nam æstimarunt hæc, vel casu, vel natura, vel fato fieri, non libera Dei providentia et vindicta, ideoque Deo se opposuerunt, nec Hebræos, ut ipse iubebat, voluerunt dimittere. Quocirca in graviores pœnas ab eo inflictas, puta tenebrarum, imprudentes inciderunt. Hunc esse sensum liquet ex iis quæ sequuntur.

Vers. 2. DUM ENIM PERSUASUM HABENT INIQUI, POSSE DOMINARI NATIONI SANCTÆ, VINCULIS TENEBRARUM ET LONGÆ NOCTIS COMPEDITI, INCLUSI SUB TECTIS, FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ IACUERUNT.) Describit nonam Ægypti plagam, quæ fuit densissimarum tenebrarum, q. d. Dum iniqui Ægyptii putarunt se, invito Deo, *posse dominari genti sanctæ*, id est, populo Dei, eiusque cultui dicato, puta Hebræis, tenebris nocturnis velut vinculis constricti, domorum suarum tectis inclusi, velut extorres et alieni a Dei providentia, quasi vincti et incarcerati iacuerunt. Unde Lucifer pro S. Athanas. legit: *Vincti tenebrarum catenis, et longa nocte compediti.* Erant enim hæ tenebræ horribiles adeoque densæ, ut viderentur palpabiles, idque per tres dies. Unde tunc: *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco suo, in quo erat; ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat,* Exodi 10. 22. ubi fuse de hisce tenebris egi; quare ibi dicta hic non repetam. Addit Philo lib. 1. de Vita Mosis, Ægyptios hoc tenebrarum triduo adeo fuisse perculsos, ut nec loqui, nec audire, nec comedere possent, sed per silentium fame cruciatos non nisi de tenebris cogitasse. Sic qui habitant sub polo arctico, continuam habent noctem ab æquinoctio verno usque ad æquinoctium autumnale, puta a die 21. Martii usque ad diem 23. Septembris, uti testantur Plinius lib. 2. cap. 7 Solinus cap. 20. et 24. S. Isidor. lib. 1. Orig. c. 6. Olaus Magnus in Historia Septentr. Id ad oculum in sphæra demonstrat noster Clavius.

INCLUSI SUB TECTIS.) Septuag. et Philo habent *sub lectis*, quasi toto hoc triduo Ægyptii non ausi fuerint surgere e lectis; qui enim timent, in lectis tutiores se æstimant.

Fugitivi providentiæ, qui? Resp. I. FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ) Græce, φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας, id est, *exsules a perpetua providentia;* Vatabl. *ab æterna providentia profugi.* Primo, noster Lorinus sic exponit, q. d. Ægyptii, cum se putarent posse fugere Dei providentiam et vindictam, ab ea velut rei servique fugitivi comprehensi, tenebrarum velut catenis constricti, quasi in carcerem compacti sunt.

A Secundo, Iansen. q. d. Ægyptii in tenebris iacuerunt quasi fugitivi, id est, destituti et exsules a providentia Dei, quæ perpetuo homines per solem illuminat. Sic et a Castro: Fugitivi, inquit, hoc est expulsi ac profligati a Dei providentia, quæ per singulos dies homines visitat solis claritate, qua toto illi triduo caruerunt. II.

Tertio, Petrus Nannius, q. d. Ægyptii in tenebris fuere fugitivi, id est, ignari et expertes æternæ providentiæ, ac ab eius cognitione relegati, utpote de cuius oculis et aspectu male sentiebant. Negabant enim Dei veri numen, providentiam et vindictam. Unde explicans subdit: *dum putant se latere in obscuris peccatis.* Omnia hæc huic loco congrua et apposita sunt. III.

Hinc tropol. Cantacuzenus: Fugitivi, inquit, perpetuæ providentiæ sunt qui contemnunt mandata Dei, perpetuam habentis rerum omnium providentiam.

IACUERUNT.) Ita Romana et Græca. Perperam ergo nonnulli legunt, *placuerunt;* alii, *latuerunt;* in quibus proinde interpretandis frustra desudant S. Bonaventura, Hu-
B go, Lyranus et Dionysius.

ET DUM PUTANT SE LATERE IN OBSCURIS (Græce, ἐπὶ κρυφαίοις, id est, *occultis*) PECCATIS, TENEBROSO OBLIVIONIS VELAMENTO DISPERSI SUNT, PAVENTES HORRENDE, ET CUM ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI.) Græce, καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, id est, *et phantasmatibus* vel *spectris conturbati*. Sensus est, q. d. Quia Ægyptii multa in tenebris scelera, ut sacrificia dæmonum, ait Cantacuzenus, de quibus c. 14. 23. perpetrabant, hinc congrue tenebris densissimis puniti sunt, q. d. eis Deus: Tenebriones estis, lucifugæ estis, tenebras ambitis, tenebras quas amastis accipite: lucem fugitis, fugiat ergo pariter lux a vobis. Tenebras Ægyptiacas vocat *tenebrosum* λήθης, id est, oblivionis *velamentum;* quia illæ Ægyptios eorumque oculos velabant, ut invicem non viderent, ac metu perculsi suorum etiam parentum, filiorum, uxorum, fratrum obliviscerentur, cum de se suaque salute quisque esset sollicitus et anxius; hinc dispersi et separati ab invicem toto tenebrarum
C triduo manserunt, Exodi cap. 10. vers. 23. Vers. 3.

Rursum, hæ tenebræ velabant Ægyptios, ut a Deo per solis radios non aspicerentur, utpote qui Dei eiusque providentiæ ignorantia, velut cæcitate velatos habebant mentis oculos. Notat ergo hic triplex velamen: primo Dei, quo Deus solem suum velabat, ne Ægyptios aspiceret vel ab eis aspiceretur; secundo Ægyptiorum, quo tenebris velatos habebant oculos; tertio peccati, quo Ægyptii non credentes Dei providentiam, et impune peccantes, infidelitate et sceleribus velabant animi oculos. Triplex velamen.

Porro Petrus Nannius τὸ λήθης accipit ut nomen proprium, significans Lethen fluvium inferni, qui eo descendentibus omnium rerum oblivionem inducere perhibetur. Unde vertit: *Obscuro Lethes operculo*, quia in sequentibus v. 13. asserit Sapiens noctem illam ex ᾅδου, id est orci penetralibus emersisse, quasi illa caligo vere umbra mortis extiterit, et ex nebulis Lethes contexta fuerit; unde ex Græco Lethe Latini Lethum, id est mortem, deducunt, in quo est summa caligo et rerum omnium oblivio, tam Lethe fluvius quis?

activa quem passive. Morientes enim obliviscuntur omnium, et vicissim ab omnibus oblivioni traduntur. Censet ergo Nannius Sapientem hic alludere ad Lethen fluvium, quem apud inferos esse Poetæ tradiderunt, cuius aquas si quis gustaverit, illico omnium rerum præteritarum obliviscitur. Hinc απο της ληθης, id est, ab oblivione nomen habet. Datus est huic fabulæ locus, quia morientibus omnium rerum oblivio surreait. Constat autem Lethen fluvium exstare in Africa circa extremum Syrtium cornu, ac Berenicem urbem alluere: sed apud omnes fama est ad ea loca ex inferna inundatione prorumpere. Unde Lucanus lib. 9.

Quem iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
Infernis (*ut fumo*) *trahens oblivia venis.*

Sic sensus erit, q. d. Ægyptii Cimmeriis hisce tenebris adeo erant obvelati et obcæcati, ut omnium rerum obliti, ex Lethæo inferni amne oblivionem ipsam potasse viderentur. Unde Abulens. in Exodi c. 10. ait Ægyptios summa caligine circumfusos anima, memoria et imaginatione perturbatis, nec ubi esset cibus, nec ubi potus, nec ubi mensa, aut sedes, vel quid simile recordari potuisse.

Dispersi sunt.) Non quod Ægyptii vagabundi oberrarent quærentes lucem; nam præ pavore *nemo movit se loco in quo erat*, Exodi 10. 23. sed *dispersi sunt*, id est, disiuncti et separati ab invicem manserunt, ut nemo alium adire, iuvare, solari posset, nec vicissim ab eo opem vel consolationem in tanto metu accipere. Nam *nemo vidit fratrem suum*, Exodi 10. 23.

Paventes horrende.) Tum ob tenebras, tum ob spectra, de quibus mox; ob utraque enim ita erant pavidi et consternati, ut nescirent quo se verterent, imo nec loqui nec hiscere auderent, nec de cibo, potu, veste aliave recogitare possent. Ita Abulensis in Exodi 10. q. 2.

Cum admiratione nimia perturbati.) Græce est, ινδαλμασιν, id est simulacris, visis, larvis, phantasmatibus, spectris conturbati; quibus ita percellebantur, ut ab iis se necandos putarent, si loco se moverent, ac deteriora quæque in singula momenta formidarent et exspectarent. Unde *admiratione nimia*, ut vertit Noster, id est stupore et consternatione insolita, *perturbati*, videbantur attoniti et mentis impotes.

Quænam fuerint hæc spectra in sequenti explicat. Porro spectra hæc partim pariebat pavor et scelerum conscientia; hæc enim, æque ac pavor, tristes vehementesque imaginationes menti obiicit, adeo ut pavidus eas sibi auribus audire et oculis cernere videatur; partim ea immittebat eis Deus per angelos vel dæmones.

Vers. 4 Neque enim, quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.) Vatablus: *Neque enim latebra, qua continebantur, securos reddebat ipsos, sed sonitus pavore percellens eos circumstrepebat, et larvæque tristi aspectu truces offerebantur*: alii, *spectra tristia mœstis vultibus apparebant*. Pro *spelunca* Græce est, μυχος, id est latebra, recessus, penetrale, intima pars domus vel loci, quale est cubile et lectus, in quo attonitos iacuisse Ægyptios docet Philo et Sept. Exodi c. 10. 23. Adde: Quivis locus abditus et obscurus per catachresin vocatur *spelunca*, quia spelunca ob suas cavitates et cavernas, summe est abdita et obscura; unde illud Poetæ: *speluncis abdidit atris*, id est, obscuris et profundis; profunda enim sunt obscura, et obscura videntur esse atra et nigra. Est metalepsis. Non ergo Ægyptii fugerunt ad speluncas proprie dictas, ut vult S. Bonavent. cum nemo ausus fuerit se loco movere, uti dicitur Exodi 10. Simili schemate v. 3 hæc cubicula et loca Ægyptiorum, ob tenebras et pavorem vocavit *carcerem*. Adde initio tenebrarum, sensim lucem adimentium et increscentium, aliquos ex metu fugisse ad antra et speluncas, ibique terrificis sonis et spectris magis fuisse perculsos ob loci horrorem. Ita a Castro.

Quoniam sonitus descendens perturbabat eos.) Græce: Ηχοι δε καταρρασσοντες αυτους περιεκομπουν, id est, sonitus autem perturbantes eos circumstrepebant, vel cum impetu et fragore (quales edit aqua ex apertis fractisque cataractis impetuose erumpens) ipsis obstrepebant, vel soni cum vehementia decidentes et percellentes strepebant circum eos; hoc est, fragores instar tonitrui circumstrepebant, et terrorem incutiebant; videbatur enim eis, quod tonitru ex alto eos feriret, quodque Deus fulmina in capita eorum vibraret. Soni percellentes, qui.

Et personæ tristes illis apparentes.) Græce, φασματα, id est visiones, apparitiones, spectra, larvæ mœstis deiectisque vultibus tristes et truces eis offerebantur, quæ phasmata, sive phantasmata valde augebant terrorem tenebrarum Ægyptiorum: licet enim hæ essent densissimæ, ut visionem omnem impedirent, tamen in iis subinde intermicabant ignis, ut sequitur v. 7. cuius lumine spectra ab Ægyptiis conspici poterant. Spectra Ægyptiorum quæ?

Porro personæ hæ et spectra, non solum imaginaria erant, ut vult Dionys. et S. Bonavent. qui dæmones hominesque defunctos censet obiectos phantasiæ Ægyptiorum; sed et realia, quæ oculis corporeis cernebantur, non tantum noctu in somnis, sed et per diem in vigiliis, uti docet Abulens. Exodi 10. qui censet tenebras has vocari *horribiles*, propter horribiles umbrarum et larvarum visiones. Rursum spectra hæc videntur fuisse infantium Hebræorum, quos iniuste Ægyptii in Nilo merserant, grandium quoque iuvenum et virorum, quos iidem nimiis laboribus, flagellis et iniuriis occiderant; item dæmonum, quos in idolis suis variis larvis et formis coluerant, uti Apin specie vituli, Anubin specie canis, Hammonem specie arietis, etc. Iuste ergo larvis puniti sunt, qui infantes occidendo, animas eorum in umbras et larvas transire putaverunt, ac larvas dæmonum venerando adorarunt. Insuper larvæ hæ sæpe ab angelis vel dæmonibus effinguntur; subinde tamen sunt ipsæ animæ defunctorum existentes in purgatorio vel inferno, quæ a Deo sinuntur egredi et apparere vivis, ad eorum vel admonitionem vel castigationem, uti dixi cap. 2. v. 1. ad illa: *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Denique umbræ et spiritus, qui apparent, maxime solent esse eorum qui fuere tyranni, violenti, pauperum oppressores, in parentes impii, aut crudeliter occisi, aut misere in fraudem inducti et seducti, uti multis exemplis deprehensum est. Vide nostrum Delrio in Magicis et Thyreum in visionibus. Animæ apparentes quorum?

Nota: Hic multa supplet Sapiens, quæ Moses tacuit in Exodo. Primo enim harum larvarum Moses non meminit; secundo, vers. 16 ait Sapiens ignem in tenebris intermicantem perstrinxisse et perculisse Ægyptios, de quo altum est in Exodo silentium: tertio, v. g. ait sibilos serpentum, et strepitus fremitusque bestiarum (de quibus nil habet Moses) miro exterruisse Ægyptios in densis tenebris pavidos, præsertim cum earum rerum causam ignorarent, ut v. 13. habent Græca. Unde per catachresin tenebras hasce vers. 2. et 18. vocat *catenam*; adeo enim per eas terrebantur, ut nemo se loco movere auderet, perinde ac si catena fuisset vinctus. Timor enim homines et animalia ita obstupefacit, ut movere se nequeant, sed quasi stupefacti et attoniti consistant immobiles; quia in timore calor et spiritus animales, qui motus sunt causa, recipiunt se a cerebro ad cor, ut illud velut sedem roborent et muniant: quare cerebrum iis ad motum et sensum, uti vix potest. Porro eo maior Hebræis erat consolatio et gaudium quod eodem tempore in clarissima luce degerent, ut dicitur vers. 13. Multa supplet hic sapiens. Timor facit stupidos. Cur?

Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam) Vers. 5. Græce στυγνην, id est tristem, molestam, mœstam, odiosam, terribilem, tum ob densitatem tenebrarum earumque continuationem per tres dies, tum propter spectra horrenda tenebris sese immiscentia. Aben Ezra et Caiet. in Exodi 10. per ignem accipiunt lucem cælestem solis et stellarum, de quibus sequitur, q. d. Ægyptiis lucem dare non poterat sol, luna et stellæ; eisdem tamen domi lucem præbebant candelæ et lucernæ, ad quas edere, bibere, operari et ambulare poterant. Verum hoc contortum et violentum est. Quare pro-

prie accipiendus est ignis, uti accipiunt cæteri interpretes q. d. Adeo densæ Ægyptiis erant tenebræ, ut nullæ faces, nullæ tædæ, nullæ lucernæ, nulli ignes sua vi, græce βια, id est, violentia (ignis enim vis est violenta, et violenter omnia illuminat et inflammat) posset eas dispellere vel illuminare, tum quia Deus eis concursum suum, qui necessarius est ad agendum et illuminandum, subtrahebat; tum quia, ut ait Philo l. 1. de Vita Mosis: *Ignis, quo quotidie utimur, splendor vel aere turbato extinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris, ita ut salvis oculis summe necessarium videndi sensum, tamquam exoculati requirerent.* Ubi nota: Omnis lux terrestris est mixta igni, imo ex eo prodit velut eius dos et proprietas; quare lux candelæ, lucernæ, facis, etc. revera ignis est lucidus, sive lucens. Idem multi sentiunt de luce cœlesti solis et stellarum, uti dixi Eccles. cap. 43. v. 3. unde Sapiens hic vocat limpidas siderum flammas.

NEQUE STELLARUM.) q. d. Uti nullus ignis terrestris, sic nulla lux cœlestis Ægyptiis lucem dare poterat, ob causas iam dictas. Unde pro neque *poterant*, græce est, ουτε υπεμενον, id est, non *sustinebant, non audebant,* scilicet contra Deum niti, et tam arduum opus aggredi, ut tam densas tenebras ab eo inductas dispellere præsumerent. Creatura enim Creatori obniti et reluctari non audet, nec valet. Unde Philo: *Serena,* inquit, *die repente offusæ sunt tenebræ, continuis densisque nubibus cœlum subtexentibus, et nimia constipatione interclusis radiis siderum, ut dies nil differret a nocturna caligine; tantus enim fuit horror, id est, densitas aeris caliginosi, ut non admitteret lumen siderum propter horrendam crassitiem.* Iuste Ægyptii omni luce cœlesti privantur, qui lucem divinæ cognitionis in Mose et Hebræis extinguere satagebant, uti docet c. 18. 4.

Allegor. hæ tenebræ Ægyptiacæ vivæ erant imago, adeoque præludium tenebrarum inferni. Ita Hugo. Tropol. vero significabant cæcitatem mentis in malo obstinatæ, ait Origen. in Exodi 10. v. 23. quam nec ignis beneficiorum Dei, nec focus gehennæ, nec flammæ concionum, nec sidera inspirationum discutere, aut illuminare valent. Pro *limpidæ flammæ* græce est, ειλικρινεις φλογες, id est, *splendidæ,* fulgidæ, illustres *flammæ:* ita vocat radios solis et stellarum, quia flammarum habent speciem æque ac vim illuminandi et calefaciendi; unde Plato cum suis censuit stellas vere esse ignes; quem secutus Poeta:

Vos, inquit, *æterni ignes* (id est, sidera) *et non*
violabile numen
Testor.

Vers. 6. APPAREBAT AUTEM ILLIS SUBITANEUS IGNIS TIMORE PLENUS: ET TIMORE PERCULSI ILLIUS, QUÆ NON VIDEBATUR, FACIEI, ÆSTIMABANT DETERIORA ESSE QUÆ VIDEBANTUR.) Ita Græca et Romana. Perperam ergo multi in fine legunt negative, *quæ non videbantur.* Sensus est, q. d. Cum nullus ignis terrestris, nec ulla lux stellarum Ægyptiis posset dare lucem, quæ eis voluptatem facultatemque comedendi, ambulandi et operandi afferret; Deus tamen immittebat eis intermicantes ignes quasi fulgetra, non ad voluptatem, sed ad terrorem, scilicet ad hoc ut spectra horrenda, quæ ipse submittebat, ignis huius luce videre et spectare possent. Unde *timore perculsi eius, quæ non videbatur,* scilicet plene et perfecte (utpote impedientibus tenebris) *faciei,* puta spectrorum, *æstimabant deteriora esse quæ videbantur,* q. d. Cum spectra hæc imperfecte, et quasi dimidiata tantum, se suasque facies ostentarent Ægyptiis, ipsi spectra hæc, quæ videbant, æstimabant in se esse deteriora, quam oculis videbantur; putabant enim aliqua peiora, quæ non videbant quasi abscondita latere sub iis quæ videbant. Id faciebat horror et metus: hic enim semper deteriora, quam a parte rei sint, apprehendit, metuit et auguratur, uti videre est in meticulosis et hydrophobis, qui phlegmate frigido abundantes umbras, imo omnia tuta timent, v. g. ne domus ruat, ne flumen eos abripiat, ne quod animal eos invadat et lacerat, etc.

Pro *apparebat autem illis subitaneus ignis,* græce est,

A διεφαινετο δ' αυτοις μονον αυτοματη πυρα, id est, *apparebat autem illis solis* vel *solum spontanea pyra:* ubi singula verba habent emphasim, et novam terroris causam ingerunt. Primo enim, διεφαινετο, id est apparebat, interlucebat, intermicabat, translucebat, significat ignem hunc obiter et in transcursu, inter tenebras emicuisse, instar coruscationis et fulguris et mox disparuisse, ac post modicum subito et inopinato rursus coruscasse: itaque hac sui ostentatione et disparitione continuum Ægyptiis pavorem incussisse: Fulgura enim et fulgetra mire homines percellunt. Rursum ignem hunc non e longinquo uti fulgura, sed e vicino apparuisse, ita ut Ægyptiorum prope afflaret oculos, ac pene adureret.

Secundo, το *solum* notat Ægyptios solos hæc vidisse, non Hebræos; rursum nil nisi fulgura cum spectris Ægyptios aspexisse, quoad reliqua vero fuisse densissimas tenebras, quæ omnia simul iuncta terrorem augebant; nam et fulgura in tenebris magis exhorrescimus, quam in lumine.

Tertio, το αυτοματη, significat coruscationem hanc fuisse
B fortuitam, spontaneam, casualem, improvisam, sine prævia causa vel impulsu. Improvisa autem mala magis terrefaciunt: prævisa enim tela minus feriunt.

Quarto, πυρα significat ingentem fuisse hunc ignem adeo ut pyram, id est ingentem acervum ignium collucentium efficerent, quæ eis omnium rerum incendium comminabatur. Pyra enim hæc erat fulminea, adeoque non aliud quam conglobata fulmina esse videbatur. Unde merito metuebant ne fulminibus hisce afflarentur et necarentur, sicut fulmine afflatus fuit Simeon stylites vir miræ orationis, teste Ioanne Mosco in Prato spirituali, c. 57.

ET TIMORE PERCULSI EIUS, QUÆ NON VIDEBATUR, FACIEI, ÆSTIMABANT DETERIORA ESSE, QUÆ VIDEBANTUR.) Pro *faciei* græce est, οψεως, id est *visionis,* hoc est rei visæ, puta ignis qui videbatur, et facierum sive spectrorum, quæ per ignem videbantur. Unde Græce ad verbum habent: *Exterriti vero non visa* (plene scilicet et perfecte) *illa visione putabant peiora, quæ cernebantur,* q. d. Magis terrebantur Ægyptii ex eo quod ignem et spectra non
C plena, sed subobscura facie et superficie viderent: unde putabant ea deteriora et horribiliora esse, quam revera erant; quia imaginabantur sub visis occultari alia maiora, quæ sese videnda non præberent, e quibus sibi damna gravissima, imo mortem et exitium imminere paventes augurabantur, maxime vero timebant ne larvæ et spectra eos invaderent et enecarent. Unde Cantacuzenus exponit eos ignem hæc spectra ostendentem ita exhorruisse, ut mallent esse in densis tenebris, quam in luce tam formidabili, totque spectris horrenda.

Nota το *eius, quæ non videbatur, faciei.* Solent enim umbræ et spectra faciem habere umbrosam, atram, obscuram, ac sæpe veste aut velo obtectam instar lugentium; imo subinde non nisi per tenuem umbram sese videnda exhibent, quin et sine umbra, sive facie et specie, solo motu, strepitu, aut voce se auditui obiiciunt: ita ut non videantur, sed audiantur dumtaxat, uti sese exhibuit umbra Samuelis videndam Pythonissæ, sed audiendam dum-
D taxat Sauli. 1. Reg. 28. 14.

ET MAGICÆ ARTIS APPOSITI ERANT DERISUS, ET SA- Vers. 7.
PIENTIÆ GLORIÆ CORREPTIO CUM CONTUMELIA.) Græce: Μαγικης δε κατεκειντο εμπαιγματα τεχνης, id est: *Magicæ autem artis ludibria iacebant,* vel significantius *apposita erant,* q. d. Non tantum magicæ magorum Pharaonis artes ad avertendas tenebras, cæterasque plagas a Deo per Mosem Ægypto inflictas, *iacebant,* id est, infirmæ erant et invalidæ ad eas avertendas, sed et in derisum appositæ et expositæ sunt; ac in ludibrium abierunt. Deus enim irrisit magiam Ægyptiorum hoc tenebrarum timore, et hisce earum spectris, quæ magi omni sua arte et dæmonum ope, nec a se, nec ab aliis depellere potuerunt; quare ipse Pharao cæterique Ægyptii magos velut impotentes et fallaces obiurgarunt et irriserunt, teste Iosepho l. 2. Antiq. c. 5. vel iuxta aliam sectionem 13. ipsique magi cum cæteris Ægyptiis in tenebris hisce et spectris trepidationem et pavorem, quem dissimulare et tegere non valebant, præ

se ferentes, ridiculos sese præbuerunt cuivis aspicienti, utpote qui superbe iactassent se per magiam omnia Mosis opera thaumaturga, instar telarum araneæ discussuros; ita se explicat Sapiens, dum subdit: *Illi enim qui promittebant timores expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.* Quocirca hic proprie non agitur de tertia Ægypti plaga, quæ fuit sciniphum, licet id nonnulli velint, in qua victi magi, cum ea instar Mosis producere non possent, suam imbecillitatem confiteri coacti exclamarunt: *Digitus Dei est hic*, Exodi 7. v. 19. sed agitur hic de nona plaga tenebrarum et spectrorum, quæ mirum non solum Ægyptiis, sed et magis ipsis incussit terrorem, itaque ipsos cum magia deridiculos ostendit, omnibusque risu et cachinno exsibilandos proposuit. Igitur ex hoc loco constat magos Pharaonis, licet tertio sciniphum signo a Mose victos, non cessasse tamen Mosi obsistere, ideoque in nona hac tenebrarum plaga, cum per magiam eam discutere vellent nec possent, ridendos sese omnibus exhibuisse, qua in re magiæ suæ pœnas dederunt. Ita Cantacuzenus.

Huc accedit Vatablus qui vertit: *Interim ludibria artis magicæ iacebant cum calumnia per iactantiam sapientiæ contumeliosa.* Et Iansen. qui sic explicat, q. d. Illæ magorum illusiones, quibus patrando eadem mira, quæ patrabat Moses, illudebant Pharaoni cæterisque Ægyptiis contra Mosem, iam iacebant, id est, victæ succumbebant, nec poterant Moysi resistere. Id significant Græca. Hic sensus verus est, at non adæquat, nec exhaurit fundum Script. quæ insuper asserit artes magorum cum magia abiisse in derisum et ludibrium.

Secundo, Noster a Castro apposite sic exponit, q. d. Appositi erant derisus, id est ludibria, illusiones et præstigiæ aderant; larvæ enim et spectra ludificabant, et perstringebant oculos magorum et Ægyptiorum, ut putarent se videre horrenda, quæ revera non videbantur: hisce ergo ludibriis oculi magorum, inani et falsa specie rerum capti tenebantur, idque congrua talionis pœna, ut scilicet hisce spectris illuderentur illi qui suis imposturis alios deluserant, ac præstigiis præstringerentur ipsi præstigiatores. Digreditur hic Holcot lect. 189 ut ostendat magicis artibus addictos rideri, non tantum a Deo, angelis et hominibus, sed et ab ipsis suis dæmonibus.

Et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia) Id est, contumeliosa *correptio*, vel redargutio *gloriæ*, id est, gloriationis *sapientiæ*, id est de sapientia, repete *opposita* erat, q. d. Magi gloriabantur et iactabant se potentiores esse, quam erat Moses et Deus Hebræorum: dictitabant enim se nosse magiam, id est, artem magis arcanam et mirificam, quam non norat Moses: sed Deus per Moysem hanc inanem et superbam gloriationem magorum corripuit, et redarguit cum eorum dedecore et contumelia, dum eis tantum per tenebras et spectra terrorem incussit, ut expallescerent et contremiscerent, a quo omni sua arte magica se liberare, et expedire non valuerunt: quare suo malo didicerunt omnem suam magiam nil valere contra Dei virtutem; nec suas artes posse amoliri supplicium, quo premebantur. Hunc esse sensum liquet ex Græco, qui habet: Και της επι φρονησει αλαζονειας ελεγχος εφυβριστος, quod Compl. vertunt: *Et in prudentia iactantiæ correptio contumeliosa*; Vaticani: *Et iactantiæ de sapientia* (Iansen. *de prudentia*) *erat correptio cum contumelia.* Clare Clarius: *Et arrogantis iactantiæ correptio cum contumelia. Nam ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia: ubi autem est humilitas, ibi et sapientia*, Proverb. 11. 2.

Pro *correptio* græce est ελεγχος, id est redargutio stringens, ratio convincens, demonstratio ostendens vitium et falsitatem. Pavor enim et tremor magorum ad oculum eos redarguebat, eorumque infirmitatem et fallaciam omnibus ostendebat.

Vers. 8 Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.) Græce: *Hi ridiculo timore languebant*; alii: *Hi eodem timoris morbo ridicule afficiebantur*; Vatablus: *Iidem ridicula formidine laborabant*; minus recte Cantacuzenus vertit: *Ridicula religione*, vel potius *reverentia* (hanc enim significat ευλαβεια) *laborabant*, q. d. Magi, ut suam infirmitatem tegerent, dicebant se religione et iussu suorum Deorum prohiberi ne obsisterent Mosi. Hoc enim dicere erat ridiculum, cum Moses unius veri Dei cultor Ægyptios cum omnibus suis diis ad certamen provocaret, et per tot plagas oppugnaret, ac expugnaret. Sensus ergo est, q. d. Magi promittentes se tenebras cum spectris, indeque natos timores penitus depulsuros, hi ipsi iisdem timoribus percellebantur, ut pavidi, anxii, pallidi, tremuli, nescirent quo se verterent. Vocat *ridiculum timorem*, quia timebant umbras et spectra rerum, quæ revera non erant, nec reipsa exstabant, uti pueri percelluntur inani umbrarum metu, iuxta illud Psal. 52. 6. *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.) Vers. 9. Pro *nihil ex monstris*, Noster cum Regiis legit, ουδεν τεραχωδες, id est *nihil monstrosum*: sed Complut. et Vaticani legunt, ουδεν ταραχωδες, id est, *nihil turbulentum* vel terrificum; unde vertunt: *Etsi nihil illos terrificum terruisset*; sensus eodem redit, q. d. Etsi a parte rei nihil esset monstrosum vel terrificum quod Ægyptiis terrorem incuteret; tamen cum in tenebris audirent voces, et sonitus animalium transeuntium ad quærendum pabulum, ac præsertim serpentium præ fame et tenebris sibilantium, trepidantes pene exanimabantur; adeo ut nec aerem inevitabilem, quem scilicet nemo vitare potest, vellent vel auderent respicere, sed eum velut monstris spectrisque plenum horridumque refugerent, optantes in antris abdi et claudi. Qui enim timore percelluntur, fugiunt videre et videri, adeoque cœlum, aerem et terram oculis aspicere metuunt et horrent. Est metonymia et catachresis. Aer enim, quia subtilissimus, proprie aspici et videri nequit; dicuntur tamen timidi eius aspectum refugere, tum quia ea quæ in aere visibiliter fiunt, uti spectra et monstra, videre nolunt; tum quia aerem ipsum vitare cupiunt angulosque et latebras quærunt, quibus se a rebus terrificis, quæ in aere fiunt, subducant et abscondant.

Cum enim sit timida nequitia dat testimonium condemnationis) Vers. 10. S. Gregor. 27. Moral. cap. 18. legit, *condemnationi*; Complut. et Vaticani, *condemnata*; alii: *Data est in omnium condemnationem*; alii pro μαρτυρει, id est *dat testimonium*, legentes μαρτυρι, id est *teste*, vertunt: *Propria teste condemnata.* Græca enim addunt ιδιως, vel ιδιω, id est *proprie*, vel *proprio*, quo caret Vulgata. Omnia hæc eodem redeunt, ac significant nequitiam, id est pravam sceleratamque conscientiam esse timidam pavidamque, ac timere ultionem pœnasque scelerum, etiam ubi nullæ sunt, eo quod ipsa agnoscat, sibique testificetur se esse ream ac obnoxiam condemnationi, ideoque mereri pœnas quas timet et expavescit. Ipsa ergo nequam conscientia, velut testis et iudex hominem condemnat. Nam tacita confessione mutaque voce clamat ac reo occlamat: Tu talia et tanta scelera perpetrasti, ergo mereris talia et tanta supplicia, quæ sine dubio Deus tibi irrogabit, ac forte nunc in hisce tenebris, et terroribus irrogare destinavit. Hinc Syrus vertit: *Quoniam malitia eorum testatur de illis, et condemnat eos, quia fecerunt mala.* Arabicus: *Quia malum est proprietas fraudis, qua testatur illi, et iudicat de eo.*

Huic gnomæ affines sunt illæ: *Nocens metuit pœnam innocens nec casum. Nec spina bonus lædit, nec mus improbum. Mali principii malus finis. Nocens se iudice nunquam absolvitur.* Moral. disce hic quanta sit vis conscientiæ, utpote quæ hominem beatum vel miserum efficit. Gnomæ de timore impiorum.

Audi S. Ambros. lib. 1. Offic. *Non*, inquit, *secundum forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium et flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra.* Et uberius S. Chrysost.

hom. 1. in epist. ad Rom. *Animi*, inquit, *tranquillitatem et lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre consuevit, præter quam conscientia bona, quam certe qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur; tamen tranquillior beatiorque est iis qui inter delicias degunt.* Quocirca merito exclamat Auctor ser. 40. ad fratres in Eremo apud S. Augustinum: *O conscientia sancta, in terra adhuc es, et in cælis habitas! Gaude, o anima sancta, sancta conscientia decorata, gaude cælesti et æterna gloria.* Vis exempla? Accipe S. August. l. ad Secundinum Manich. c. 1. *Senti*, ait, *de Augustino quidquid libet, sola me conscientia in oculis Dei non accuset.* S. Greg. Nazianz. Orat. 27. *In omnibus*, inquit, *rebus consiliarii loco rationem, Deique testificationes habeo, a quibus plerumque etiam nullo accusante convincor, et rursus condemnantibus multis absolvor.* S. Bern. ad Eugen. *Quid*, inquit, *in terra quietius et securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur quam deprimitur.* Denique S. Iob c. 16. v. 20. bonæ conscientiæ testimonio in tot afflictionibus exsultat: *Ecce*, inquit, *in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis.*

Semper enim præsumit sæva (græce χαλεπά, id est gravia, molesta, sæva, difficilia, aspera, acerba, dura et dira) perturbata conscientia.) Nonnulli Codices addunt: *Frequenter enim præoccupant pessima redarguente conscientia*; sed id delent Romana et Græca. Videtur enim esse alia versio vel certe explicatio sententiæ iam dictæ. Arabicus vertit: *Et ille* (impius) *accipit semper res difficiles et perversas. Præsumit*, scilicet *timida nequitia*, quæ præcessit: hæc enim perturbatur et terretur a conscientia propria. Nam *conscientia*, hic est ablativi casus. Græce est, συνεχομένη τῇ συνειδήσει, id est, contenta intra conscientiam, vel latens in conscientia, aut coniuncta conscientiæ, cuius vocem et testimonium sibi iugiter occlamans nequitia, et nequam effugere nequit. Alii legunt συνερχομένη, q. d. Malitia præsumit sæva, quæ malæ conscientiæ congruunt et conveniunt. Alii nervosius legunt, συναγχομένη τῇ συνειδήσει, id est, nequitia constricta, coarctata, vel compressa a conscientia, sicut reus constringitur laqueo, dum strangulatur et suffocatur: simili enim modo conscientia nequitiam et hominem nequam coarctat, angit et strangulat: ἄγχω enim idem est quod strangulo, stringo, obstricta gula coerceo, obtorto collo in vincula duco, præfoco, ango, constringo fauces sive guttur. Hoc Noster secutus vertit: *Perturbata a conscientia*, q. d. Nequitia et homo nequam, ubique pavidus, semper timet sibi imminere scelerum pœnas; quia constringitur pavoribus conscientiæ, quæ illum suæ nequitiæ arguit, et ad pœnam condemnat. Conscientia enim velut tortor nequitium et hominem nequam, quasi reum mille timoribus, angoribus, mœroribus, suspicionibus seu laqueis constringit, coarctat, angustat, strangulat, suffocat. Conscientia strangulat reum.

Pro *præsumit*, græce est, προσείληφε, id est assumit, ad se sumit, sibi velut reo applicat, sibi repræsentat: item adiungit et auget, ut mala ingruentia maiora suspicetur esse quam revera sint.

Noster videtur legisse, προείληφε, id est, præsumit, præoccupat, antevertit, præsagit, præcognoscit, prævidet, anticipat animo et mente supplicium, prius quam reipsa inferatur et ingruat. Nam ut ait Plutarch. lib. de Tranquill. animi: *Facinorosa conscientia in anima instar est ulceris in corpore, utpote, quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, percellentemque animam.* Et in libro de Sera Numinis vindicta: *Malitia*, inquit, *coniunctum assiduoque ipsam torquentem ac affligentem gestat dolorem; quemadmodum enim flagitiosus quisque ultimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, sic improbitas ex se ipsa supplicium sibi struit, etc.*

Moral. mala conscientia est timida. Moraliter, quam mala conscientia sit timida et pavida graphice describit Iob c. 15. 21. dicens: *Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Et Salomon: *Fugit impius nemine persequente*, Prov. 28. 1. et S. Cyrill. l. 11. in Ioan. c. 32. *Magna quædam res conscientiæ certæ stimulus est qui quando perperam aliquid agimus, etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.* S. Ambrosius vero lib. 1. Offic. cap. 12. *Peccator*, inquit, *quamvis foris abundet et deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi, ut somnium, aperuit oculos, transivit requies eius, evanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit: viventes enim in infernum descendunt. Vides convivium peccatoris? Interroga conscientiam eius, nonne gravius fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam? introspice ulcera, et cicatrices animæ eius, cordisque mæstitudinem;* alibi: *Nihil est quod tam summo dolori sit, quam si unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit. Ita gravis culpa est conscientiæ, ut sine iudice se puniat, et velare se cupiat, et tamen apud Deum nuda sit.* Gnomæ. Elegantissime autem S. Chrysost. hom. 1. de Lazaro, de divitis conscientia ita loquitur: *Explica mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, ingentem metum, tempestatem, turbationem. Videbis veluti in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, et tamquam iudicem quempiam sedentem, et cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem ungulis, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit.* Rem vero exemplo illustrans, sic prosequitur: *Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus se ipsum accusare, et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus. Timor undique ac tremor, suspicio et anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, et virum, quem affecit contumelia, obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Idem patiuntur et qui rapinam exercent, et qui fraude lucrum faciunt, hoc et ebriosi, et summa, quotquot in peccatis vivunt.* Porro S. Aug. in Ps. 45. *Inter omnes*, ait, *tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio quam conscientia delictorum.* Idem in Ps. 36 conc. 2. *Quisquis*, ait, *malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est: ipsa enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet?* Denique Seneca, licet ethnicus: *Bona*, inquit, *conscientia prodire vult et conspici, ipsas nequitia tenebras timet. Prima et maxima peccantium pœna est, peccasse: nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Proprium est nocentium trepidare.* Hæc ipse epist. 27.

Exempla. Exempla sunt in Adam et Eva, qui post peccatum audientes vocem Dei ambulantis per paradisum, pavidi absconderunt se, Genes. 3. In Cain, qui occiso Abele urgente conscientia; *Omnis* inquit, *qui invenerit me, occidet me* Genes. 4. 14. In fratribus Ioseph, qui ab eo dure accepti: *Merito*, inquit, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, Genes. 42. 21. Vide Senecam in Oreste, cuius furias ipse graphice depingit. Et Ciceronem pro Roscio Amerino, ubi sceleratorum et scelerum furias graphice pingit, flammas et faces describit. Ex adverso *charitas* (quam parit probitas, probaque conscientia) *foras mittit timorem*, 1. Ioan. 4. 18. Et: *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit*, Prov. 28. 1. Vide ibi dicta. Nam ut ait S. Greg. lib. 12. Moral. c. 21. *Nil simplici corde felicius, quia quod innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. Unde bene per Salomonem dicitur: In*

timore Domini fiducia fortitudinis: qui et rursum ait: Secura mens quasi iuge convivium. Quasi enim continuatio refectionis est, ipsa tranquillitas securitatis.

Vere S. Ambros. in Psal. 39 *Quis*, ait, *puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior quam is quem animus bene sibi conscii, et mens innocentis epulatur? Hinc illud: Secura mens quasi iuge convivium*, Prov. 15. 15. Vide ibi dicta. Nihil ergo timidius peccatore, nihil audacius iusto.

Causa 1. Causæ sunt tres. Prima, quod concupiscentiæ et passiones animi, quæ peccata creant, animum emolliunt et effœminant. Earumdem vero victoria, quæ fit per virtutem, animum fortem virilemque efficiat.
2. Secunda, quod conscientiæ stimuli mentem peccatoris iugiter lancinent, rodant, eiusque vigorem exedant: iusto vero virtus ipsa quam exercet,
3. et conscientiæ probitas animos addant. Tertia, quod peccator e gratia Dei deseratur, iustus vero eadem polleat; gratia autem Dei est omnipotens: nam per eam omnia fieri possunt, quantumvis ardua sine illa vero nil boni effici potest; unde iustus est magnanimus et confidens, peccator autem pusillanimis et timidus instar muris.

Vers. 11. Nihil enim est timor nisi (nonnulli Codices hic interserunt, *præsumptionis adiutorium*. Vatablus, *Temeritatis adiumentum*; sed hæc delent Romana et Græca) proditio cogitationis auxiliorum.) Τὸ *cogitationis* in Vulgata potest referri ad τὸ *proditio*, q. d. Timor non est aliud quam proditio et perditio cogitationis et mentis, quæ si libera esset a timore, excogitare posset plura auxilia, quibus rem, quam timet depelleret: iam autem plena timore id præstare nequit. Græca tamen τὸ *cogitationis* referunt ad τὸ *auxiliorum*. Sic enim habent: *Nil enim aliud est timor, nisi auxiliorum a cogitatione vel ratione proficiscentium proditio.* Sed eodem redit sensus. Timor enim ideo prodit et perdit hæc sui auxilia et remedia, quia perdit et adimit homini cogitationem et rationem, ne possit auxilia hæc excogitare. Metus enim adimit ligatque mentem, motum, memoriam et linguam. Unde pavidi fiunt mentis inopes, immobiles, immemores, elingues, ut nec intelligere, nec movere se, nec recordari, nec loqui valeant, sed corpore et animo quasi obstupescant. Causam dat Aristot. in Problem. sect. 27. quod in metu spiritus et calor confugiant ad roborandum cor: unde extremæ partes frigent et rigent. Hinc pallor in facie, tremor in manibus et labris, stupor in capite et pedibus, algor in cute, rigor in lingua.

Pavidi obstupescunt.

Causa.

Probat quod dixit, timidum esse nequitiem, ideoque sæva semper præsumere, ex eius rei causa, quæ est, quod timor adeo malum quod timet apprehendat et metuat, ut illi quasi victus succumbat, seseque dedat: quare de eius auxiliis et remediis adinveniendis cogitare nequit; sed eorum quasi est proditor et perditor. Est metaphora sumpta a militibus timidis in arce obsessis, qui ex timore arcem hosti obsidenti produnt et dedunt. Simili enim modo timor arcem rationis et mentis, quæ varios malum quod timetur, evadendi modos et vias excogitare posset, ita debilitat, stringit et ligat, ut eam prodat tradatque hosti, puta malo quod timetur, ac desperationi, quo fit ut pessima quæque sibi imminere auguretur, eaque vitatu esse impossibile sibi persuadeat. Timor enim rationi et menti sobesse, ac ab ea se regi et moderari sinere debuerat, quare fidem illi debitam fallit, imo illam prodit, dum illi consilium et fiduciam adimit, illamque facit sui impotem, pavidam, anxiam et desperantem. Quocirca hæc timoris proditio in re non est aliud quam inopia consilii, ac cogitationum defectio et desertio, quod scilicet homo per trepidationem æstumque timoris ita abripiatur, ut prodatur, id est, deseratur a cogitationibus mediorum et auxiliorum, quibus posset malum, quod metuit, evadere. Unde nonnulli ex Græco vertunt: *Nihil est metus, nisi defectus vel desperatio excogitandi consilii.* Sic enim milites timidi, dum ducem deserunt, eum hosti produnt et tradunt. Hinc et prodere Latinis subinde idem est quod abiicere, deserere, dimittere, repellere. Prodere enim idem est quod porro dare, id est, proiicere, propellere, excludere, ait Servius. Unde Virgil. l. 1. Æneid.

A *Navibus (infandum) amissis unius ob iram,*
Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris.

Prodimur ergo idem est quod *disiungimur*. Sic quoque hic accipi patet ex v. 14. ubi ait: *Animæ deficiebant traductione*, græce προδοσία, id est, *proditione*.

Moral. de noxa timoris. Moral. hic disce quantum malum sit timor, utpote qui hominem prodat et perdat. Unde *semper in prælio iis maximum est periculum, qui maxime timent, audacia pro muro habetur*, ait Sallust. de Coniur. Catil. *Quodcumque additur subsidio, id corrumpitur timore fugientium*, ait Cæsar. lib. de Bello Civili: *Plerumque in summo periculo timor misericordiam non accipit*, ait idem l. 7. *Hæc natura est magnis timoribus, ut quod accenit deterius credant*, ait Tacit. Annal. l. 15. *In periculis Reipublicæ, qui singulatim pertimescunt, in timore potius quam in virtute opprimentur*, ait Iul. Capit. in Max. et Balbino: *Timor mentem agens attonitum non sinit utiliora decernere*, ait Procop. de Bell. Pers. l. 2. *Montium vertices hostium speciem præbent, animo semel timore oppresso*, ait G. Pachim. histor.

Gnome.

B lib. 4. *Timidi et ignavi ad desperationem formidine properant*, ait Tacitus l. 2. Histor. *Qui natus est eiusmodi, ut metuat omnia, etiamsi mus strepitum edat, belluarum simili quadam ignavia timidus habendus est, et qui mustelam vi morbi timeat*, ait Aristot. 3 Ethic. c. 7. *Sine animi præsentia ars contra periculum nihil prodest. Timor enim memoriam excutit et ars amittitur animo languefacto*, ait Thucydides libr. 2. *Principum timiditas maxima est causa cædium: fiducia sui placidos eos et mansuetos, et a suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque, quæ a cicuratione sunt alienissimæ, timidæ sunt et omni strepitu terrentur: generosa autem non aspernantur huiusmodi blandam tractationem, qui propter fiduciam sui facilius aliis se committant*, ait idem in Artaxerxe: *Hæsitabunda et formidolosa peritia, egregium aliquid audere haud quaquam consuevit*, ait Procop. de Bello Goth. lib. 2. *Timiditas est corrupti legitimi iudicii de rebus metuendis, aut non metuendis, sive ignorantia terribilium et non terribilium, et neutrorum*, ait Hierocles lib. de Iustitia.

C Pavidi enim minora mala timent, at maiora non apprehendunt, nec timent: quare dum fugiunt minora, incidunt in maiora. Sic peccator timens amittere opes, famam, vitam peierat, scelerаque patrat, quibus cælum et æternam felicitatem amittit: sapiens vero et constans timenda timet, non timenda non timet. Timenda vero timet eo modo et moderatione, qua oportet et recte ratio dictet.

Aliter Lyran. Proditio, inquit, hic idem est quod ostensio et manifestatio. Timor enim in facie efficiens pallorem prodit, id est, manifestat cogitationem auxilii: quia significat quod timens auxilium desiderat et cogitat de illo. Verum hoc frigidius est. Porro Syrus aliud habet: *Quid*, ait, *est timor, nisi consummatio malitiæ, et adiutor cogitationum, qui est interius?* Vicinius Arabicus: *Quia timor*, ait, *non est aliud, nisi formido tormentorum propter cogitationem.*

Mystice Hugo: Impius, inquit, timens non cogitat de auxilio Dei; si enim hoc cogitaret, utique diceret: *In Deo*
D *speravi, non timebo quid faciat mihi homo*, Ps. 55. 12. Et *In Domino sperans non infirmabor*, Ps. 25. 1.

Et dum intus minor est exspectatio, maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat.) *De qua*, scilicet nequitia, sive malitia supplicium, quasi meritum culpæ fructum, et stipendium sibi producit et exhibet. Pro *inscientiam*, alii legunt per diastolen, *in scientiam*, id est, propter scientiam; alii, *conscientiam*; alii, *potentiam*. Qui *in scientiam* legunt, hunc non ineptum dant sensum, q. d. Dum in timore interne minor est exspectatio mali eventus secundum se, hanc tamen animus meticulosus maiorem æstimat, quod novit et anxie considerat causam, de qua tormentum sibi præstet, id est, torquetur, pavet, angitur, ex eaque conlectat eventus pessimos, et peiores quam eventuri sint, eosque sibi fingit. Verum legendum est per systolen, *inscientiam*. Græce enim est, ἄγνοιαν, id est, *ignorantiam*. Sensus est, q. d. Quia timor est proditio, et defectio ex- Vers. 12

cogitandi contra malum, quod timetur auxilii; hinc dum intus in mente timentis minor est exspectatio auxilii, fit ut magis apprehendatur malum quod timetur, præsertim dum eius causa nescitur et ignoratur. Ignorantia enim causæ metum auget, eumque maiorem efficit. Timidus enim metuit ea in causa, quam non satis perspectam habet, multi effectus pessimi et molestissimi lateant, quos ipse excepturus sit. Unde S. Chrysostom. hom. de Patientia Iob, docet ignorantiam causæ, quæ pœnam affert, valde augere calamitatem. Sic hoc loco Ægyptii ignorabant causam tenebrarum, spectrorum, mugitus animalium, et sibili serpentium, ideoque putantes in ea deteriora latere multo graviora et duriora sibi imminere formidabant. Hinc Vaticani vertunt: *Maiorem computant inscientiam* (id est ignorantiam) *præbentis tormentum causæ.*

Posset quoque verti in ablativo: *Maiorem putant ignorantiam præbente tormentum causa*, q. d. Dum minor est exspectatio evadendi malum quod timetur, tunc qui timet maiorem putat ignorantiam, hoc est, malus suspicatur esse malum ignoratum quod futurum sibique obventurum metuit, dum ipsum cruciat causa. Ideo enim magis timet malum imminens ignoratum; quia tam in se habet causam cruciatus, quam plurium malorum a se ignoratorum, pari modo causam fore metuit et auguratur. Animus enim meticulosus nil nisi tristia, quæ metum augeant suspicari potest.

Quocirca Ægyptii in densissimis tenebris positi, et horridis spectris ac ignibus intermicantibus perculsi, nil nisi funestum, ominosum, minax et horrendum cogitare poterant. Unde Iosephus addit: *Illa*, inquit, *metu imminente, ne forte penitus ab ea caligine absorberentur:* Forte etiam antiquum chaos et mundi confusionem et dissolutionem quamdam formidabant, quasi mundus esset periturus, et in primævum chaos suum rediturus. Sciebant enim Deum sibi esse infensissimum, ac proinde ab eo omnia irarum et dirarum fulmina pavidi exspectabant.

Perperam Vatabl. pro ἀγνοίαν legit ἀγνείαν ab ἁγνὸς quod significat donis incorruptum, qui a iusto dimoveri nulla ratione potest, adeoque implacabilem; unde vertit: *Cum intus residens exigua spes magis reputat causæ cruciatum, moventis implacabilitatem*, vel *potentiorem imaginatur implacabilitatem;* nam omnes Codices legunt ἀγνοίαν, non ἀγνείαν: neque ἀγνεία Græcis significat implacabilitatem, sed puritatem et sanctimoniam.

C

Minor est expectatio) Auxiliorum. Ita passim interpretes, licet Nannius, Clarius et Iansen. minorem accipiant exspectationem futuri mali. Nam, inquiunt, pro *minor* græce est, ἥττων, id est inferior, victa et oppressa est exspectatio, sive spes in timidis et pavidis per desperationem. Græce est elegans paronomasia: timor, inquit, est προδοσία, id est, proditio auxiliorum, ideoque in eo minor est, προσδοκία, id est, exspectatio et spes evadendi.

Causæ de qua tormentum præstat.) Quæ scilicet timido tormentum præbet, ut habent Græca, sive ob quam timidus se torquet et cruciat. Causa impiis timidis tormentum præstans est triplex. Prima, est propria culpa, puta scelerum multitudo, gravitas et magnitudo, quam impius non satis perspicit, sed maiorem, quam ipse sciat esse metuit. Ad hæc maius tormentum est pati ob culpam, quam pati ob iustitiam et innocentiam; ob hanc enim pati et occidi est decus et gloria martyrii. Secunda, est quæ impium castigat et punit: sicut Ægyptios hic cruciabant tenebræ et spectra, quorum vim, numerum et quantitatem ipsi perspicere non poterant. Tertia, est Dei ira et vindicta, quæ multo minus ab impiis perspicitur: quocirca semper metuunt ne illa irrogato supplicio non contenta, alia et alia graviora infligat.

Tres causæ motus impiorum.

1\.

2\.

3\.

D

Porro Syrus hic alio prorsus abit; sic enim vertit: *Et quod minus est eo* (timore) *abscondit, et ipse est præstantior eo quod ignotum est;* quæ verba obscura sunt et Œdipo indigent.

Vers. 15. Illi autem, qui impotentem (perperam nonnulli per diastolen legunt, *in potentem;* græce enim est, ἀδύνατον, id est, *impotentem.* Vide Franc. Lucam hic varias vitiatasque lectiones recensentem) vere noctem, et ab infimis, et ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes.

A

Vers. 14 Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis et insperatus timor supervenerat.) Græce: *Illi autem impotentem vere noctem, ac ex impotentis Orci speluncis advenientem, eodem somno dormientes, tum monstris phantasmatum agitabantur, tum animæ dissolvebantur defectione, subitus enim nec exspectatus timor eis supervenerat.*

Noctem impotentem vocat triduanas et densissimas tenebras Ægypti, quæ fecerunt, ut Ægyptiis continua et triduana esset nox. Sed cur vocatur *impotens*? Primo, Iansen. *impotens*, inquit, passive, id est tolerari non potens, intolerabilis: *impotens* ergo, supple, *tolerotu.* — Impotens nox. I.

Secundo, *impotens* nox active dicitur, quæ superari et illuminari non potest, puta ineluctabilis. Aut rursum passive nox *impotens*, id est, invalida et devicta, quæ scilicet tenebras per radios solis vincere et dispellere non poterat, sed ab iis plane vincebatur. — II.

B

Tertio, *impotens*, id est, debilis et infirma nox dicitur metonymice ab effectu, inquit a Castro, quod Ægyptios impotentes et invalidos redderet ad quodvis opus humanum, vel tenebrarum caligine impeditos, vel metu debilitatos instar eorum, qui somno compediti nihil operantur. Nam propterea dixit Ægyptios per totam illam noctem eumdem somnum dormisse. Eadem ratione orcum seu infernum vocat impotentem, quod suos hospites reddat impotentes et imbecilles ad quodvis opus. — III.

Quarto, et nervosius, nox dicitur *impotens*, id est, nimis potens, nimia, immoderata, quæ scilicet sua vi toti Ægypto densissimam et insuperabilem caliginem inducebat, quæque Ægyptios potentissime et validissime per tenebras, larvas, spectra, famem, sitim, pavorem, et angorem cruciabat, nullamque eis dabat requiem vel somnum, uti faciunt aliæ noctes. — IV. Geminus.

C

Denique dicitur *impotens* nox, ait Cantacuzenus, quia quasi exorta videbatur ex profundissimis speluncis inferni impotentis, qui non potest ullum modum imponere malis, quibus afficit eos, quos in se continet, nec cruciamenta moderari ac temperare, sed cæco quodam impetu omnes exerceat. Itaque merito nox illa impotens filia Orci impotentis putabatur. Orcus enim vocatur obscuritas inferorum, ac infernus ipse eiusque præses Lucifer, qui nullius miseratur, iuxta illud Horatii lib. 3. Carm. — V.

Victima nil miserantis Orci.

Impotens enim idem est, quod nimis potens, ait Donatus. Sic vocatur, impotens dominatus, vel tyrannus, id est, nimis potens et imperiosus; unde Quintilianus: *Decemviri*, inquit, *quorum principatus erat immoderatus, a Livio impotentes Domini nuncupantur.* Et Cicero Philip. 5. *Advolabat*, inquit, *ad urbem a Brundusio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes cives cum exercitu Antonius.* Et rursum: *Impotens, iracundus, contumeliosus, superbus.* Sic vocatur amor, animus, lætitia impotens, et motus animi impotentes, id est, prævalidi, quos homo frænare nequit, sed potius ipsi potentes homini dominantur, ac ad id quod appetunt prosequendum, velut equum stimulis ardenter adigunt, coguntque.

D

Quare nimis frigide nonnulli noctem impotentem interpretantur inanem; quia inquiunt non erant veræ tenebræ, cum toto reliquo orbe esset dies, et Hebræis esset clara lux; verum Ægyptiis a Deo obcæcatis videbantur esse tenebræ. Hoc enim falsum est: Erant enim veræ et meræ summæque tenebræ, uti ostendi Exodi 10.

Et ab infimis. et ab altissimis (id est, profundissimis) inferis supervenientem.) Græce: *Et ex impotentis Orci speluncis advenientem.* q. d. nox hæc et caligo erat summa et quasi infernalis. Nota, Script. sicut lucem nostram tribuit cælo, sic tenebras inferno; tum quia infernus est regio et matrix tenebrarum, sicut cælum lucis; perinde ac dicitur regio ferax auri, argenti, etc. tum quia a dæmonibus inferni præsidibus hæ Ægypti tenebræ, per — Infernus regio tenebrarum.

densationem aeris et vaporum ex imo terræ eductorum, producebantur. Potissima tamen tenebrarum causa fuit Deus, subtrahens concursum suum soli et luci, ne lumen spargeret in Ægyptios. Simili phrasi dicimus Ætnam, Vesuvium, Heclam, aliosque montes flammivomos, esse os, ostium, fenestras inferni. Sic Virgil. infernum pingit 6. Æneid. dicens:

Umbrarum his locus est, somni, noctisque soporæ.

EUMDEM SOMNUM DORMIENTES.) Quia licet Ægyptii in tenebris pavidi essent vigiles, tamen quasi dormientes, attoniti et sopiti ab omni operatione vacabant, et vanis somniis, monstris, græce phantasmatibus, visis et spectris conturbabantur. Hic ergo erat idem quasi somnus insomnis omnium. Rursum idem, id est, similis nocti impotenti, erat somnus impotens omnium.

INSPERATUS (id est, inexpectatus, inopinatus, improvisus) TIMOR SUPERVENERAT.) Et irruerat in Ægyptios.

DEFICIEBANT.) Græce παρελύοντο, id est, dissolvebantur, et fiebant quasi paralitici animo magis quam corpore. Nam a παραλύω, dicitur Paralysis, id est, dissolutio nervorum, membrorum et virium, quæ instar ceræ liquefactæ liquentur et diffluunt.

TRADUCTIONE ANIMÆ.) Græce est, προδοσία, id est, proditione, uti paulo ante v. 11. vertit Noster; hoc est defectu, derelictione, desperatione, q. d. Ægyptii ex pavore quasi deficiebant animo, et patiebantur deliquium mentis. Minus recte nonnulli per traductionem accipiunt separationem animæ a corpore, puta mortem, et alii punitionem.

Vers. 15. DEINDE SI QUISQUAM EX ILLIS DECIDISSET, CUSTODIEBATUR IN CARCERE SINE FERRO RECLUSUS.) q. d. In tantis tenebris, si quis Ægyptius casu aliquo in foveam vel terram collapsus fuisset, præ pavore, et stupore surgere, aut erigere se non volebat, nec valebat, sed hærebat in ea quasi conclusus in carcere, idque *sine ferro*, id est, sine catenis et vinculis ferreis: timor enim instar catenæ eos colligabat et vinciebat. Græce est, εἰς ἀσίδηρον εἱρκτήν, id est, *in inferratum* (ferro carentem) *carcerem inclusus*. Ita Lyran. Osorius et alii passim. Hunc sensum exigit, quod habet Vulgata conditionate: *Si quisquam ex illis decidisset*; pro quo græca habent: *Si quicumque illic erat collabens, vel decidens*, scilicet in illas tenebrarum, spectrorum et terrorum angustias, hic in iis quasi in carcere inclusus continebatur, ut se iis expedire aut loco movere non posset, sed in iis immobilis consisteret. Unde sequitur.

Vers. 16. SI ENIM RUSTICUS QUIS ERAT, AUT PASTOR, AUT AGRI (græce *in deserto*, id est, loco solitario, qualis est ager, pratum, sylva) LABORUM OPERARIUS PRÆOCCUPATUS ESSET (tenebris) INEFFUGIBILEM (id est, inevitabilem, quam nemo fugere, multo minus fugare posset: unde Hugo legit *ineffugabilem*) SUSTINEBAT NECESSITATEM.) Tenebras has tam horribiles tolerandi, ob easque in agro manendi, otiandi, non laborandi, formidandi: nemo enim se movere loco, aut domum redire audebat vel poterat, utpote in densissimis tenebris constitutus, et quasi incarceratus.

Vers. 17. UNA ENIM CATENA TENEBRARUM OMNES ERANT COLLIGATI. SIVE SPIRITUS SIBILANS, AUT INTER SPISSOS ARBORUM RAMOS AVIUM SONUS SUAVIS, AUT VIS AQUÆ DECURRENTIS NIMIUM.

Vers. 18. AUT SONUS VALIDUS PRÆCIPITATARUM PETRARUM, AUT LUDENTIUM ANIMALIUM CURSUS INVISUS, AUT MUGIENTIUM VALIDA BESTIARUM VOX, AUT RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO, DEFICIENTES FACIEBANT ILLOS PRÆ TIMORE.) Græce: *Siquidem omnes una tenebrarum catena constricti erant. Sive flatus sibilans, sive densos inter ramos avium sonus suavis ac numerosus, aut murmur aquæ euntis vi; aut sonus validus præcipitatorum saxorum; aut salientium animalium cursus non aspectabilis, aut ululantium immanissimarum ferarum vox, sive Echo montium cavernis repercussa, metu illos exanimabat.* Explicat necessitatem jam dictam, eamque vocat *catenam tenebrarum*, quia earum horrore, pavore, et angore ita percellebantur Ægyptii ut velut attoniti fierent stupidi, et immobiles, perinde ac si catenis in carcere fuissent colligati. Causa a priori erat, quod timor causet frigus, imo ut ait Aristot. 2. Rhetor. 13.

Timor frigiditas quædam est.

Frigus autem hominem stringit et quasi ligat, ut se loco movere nequeat. Unde Plautus in Amphitr.

Timeo, inquit, *totus torpeo:*
Nunc ubi terrarum sim nescio.
Non miser me commovere possum præ formidine.

Et in Truculento:

Neque vivus, neque mortuus sum, neque quid nunc faciam scio,
Neque ut hinc abeam, neque ut ad hunc adeam scio, timore torpeo.

Mystice, catena scelerum contexitur ex septem vitiis capitalibus quasi e septem annulis, quorum unus trahit alium, illique innectitur; gula enim trahit luxuriam, luxuria iram, ira invidiam, invidia superbiam, superbia avaritiam, avaritia acediam. Ita Hugo, aut ut S. Bonav. Suggestio diaboli parit cogitationis delectationem, delectatio consensum, consensus operis perpetrationem, hæc iterationem et pravam consuetudinem, consuetudo inverecundam de peccato gloriationem et jactantiam. *Catena* enim dicitur, quod *se capiendo teneat;* quia in ea annulus annulum capit et tenet.

SPIRITUS SIBILANS.) Puta ventus vel aura leniter perstrepens, aut halitus, et stridor animalis respirantis. Refer hæc omnia ad finem. v. 18. *Deficientes faciebant eos ex timore.* Pavidi enim in tenebris omnia tuta timent, iisque quasi animo deficiunt et exanimantur. Audi Senecam ep. 13. *Nos et venturo torquemur et præterito, multa bona nostra nobis nocent, timoris tormentum memoria reducit, providentia anticipat, nemo tantum præsentibus miser est*, etc. *Plura sunt quæ nos terrent, quæ premunt, et sæpius opinione amplius laboramus. Cito accedimus opinioni, et sic vertimus terga, quemadmodum aliquos pulvis motus fuga pecorum exegit castris, aut quos fabula aliqua sine auctore conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent. Verisimile est aliquid futurum mali, non statim verum est; quam multa inexpectata venerunt: quam multa expectata numquam comparuerunt.*

AVIUM SONUS SUAVIS.) Id est concentus avium, præsertim philomelarum et merularum, quæ suavissime canunt initio veris, puta sub Pascha, quando Hebræi egressi sunt ex Ægypto, ac paulo ante hæc plaga tenebrarum contigit; illa enim et cæteris coactus fuit Pharao, et Ægyptii Hebræos missos facere. Pavidis enim et tristibus omnia jucunda, omnesque melodiæ, videntur mœstæ et funestæ.

Pro *mugientium*, græce est, ὠρυομένων, id est, *ululantium*, quod proprie est luporum, sicut mugire boum, hinnire equorum, barrire elephantorum, grunnire porcorum, rugire leonum, quæ omnia hic per τὸ *mugientium*, Synecdochice intelligit (unde Vatabl. vertit *rugientium*) puta quaslibet quorumlibet animalium voces et fremitus. Omnia enim animalia ad hasce tantas, tamque diuturnas tenebras percellebantur, quia in iis impediebantur a quærenda præda et esca; unde præ fame et siti horrende mugiebant, et, latrante ventre, rugiebant: quare tot tantisque rugitibus paventes Ægyptii pene exanimabantur. Qui enim timet, percellitur, itaque trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur, quæ res efficit, ut quam hic a metu vincitur, tam illic a fiducia deseratur, nec solum viribus defectus, verum etiam spe destitutus. Siquidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoque destitui. Habet enim metus animi fractionem, et quasi fugam: itaque meticulosos non res solum atque pericula, verum rumores etiam ipsi incerti et vani, et rosæ, ut dicitur, umbra persæpe terret.

RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO.) *Altissimis*, id est, profundissimis. Græce enim est ἐκ κοιλοτάτων, id est, ex concavitate montium. Echo enim fit cum vox cavernis repercussa in se redit, sibique quasi respondens id, quod dixit refert et repetit, ita ut rudibus et rei ignaris videatur esse in cavernis absconditus vir responsans, et vocem repetens: quare ipsi mirantur et percelluntur. Echo ergo

Echo quid? Eius causæ.

fit dum aer, indeque sonus in læve concavumque corpus illisus, velut pila repercussus resilit; ob hanc enim repercussionem fit sonus resonus, sive *resonans*, ut apte vertit Noster. Resultans enim aer voces reciprocas, id est primæ similes reddit. Unde Evodius l. 4. Epigr. Echo vocat, *imitatricem sermonis, vocis fæcem, verbi caudam.* Echo vox Græca est, ἠχώ, id est, sonus, Echo resonantia, ab ἠχέω, id est, sono, resono, clango. Unde Ovidius 3. Metam. Echo poetice velut Nympham describens, hoc eius dat ænigma, quo simul insinuat per eam cervos timore percelli, et in retia a venatoribus adigi: sic enim canit:

Ænigma. *Aspicit hanc trepidos agitantem in retia cervos*
Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.

Ausonius vero Theodosii Imper. familiaris, Echo hoc dat ænigma:

Aeris et linguæ sum filia, mater inanis
Indicii, vocem quæ sine mente gero:
Extremos pereunte modos a fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetralibus Echo,
At si vis similem pingere, pinge sonum.

Rudes ergo et impii mala sibi conscii timent Echo; quasi vocem secretam in cavernis ab angelo, aut sententiam a Numine missam ad scelus castigandum. Nam ut ait Statius Thebaid. 3.

Invigilant animo, scelerisque parati
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor.

Vers. 19. OMNIS ENIM ORBIS TERRARUM LIMPIDO ILLUMINABATUR LUMINE, ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR.

Vers. 20. SOLIS AUTEM ILLIS SUPERPOSITA ERAT GRAVIS NOX, IMAGO TENEBRARUM, QUÆ SUPERVENTURA ILLIS ERAT.) q. d. Totus reliquus orbis claro solis resplendebat lumine, cum in sola Ægypto densissimæ essent tenebræ, imo in ipsa Ægypto apud Hebræos splendida erat lux, ut dicet c. 18. 1. Sic et plaga septima, quæ fuit grandinis, et quinta quæ fuit pestis, ac cæteræ omnes solos tetigere Ægyptios, nullos autem Hebræos, ut patet Exodi 9. 4. et 26. Idem testatur Philo et Iosephus. Pro *limpido*, græce est, λαμπρῷ, id est, splendido, nitido, fulgido.

Ex dictis liquet, non recte Iansen. ex τῷ *omnis orbis* colligere, etiam totam Ægyptum luce solis fuisse illustratam, sed eam non vidisse Ægyptios, eo quod oculi eorum essent obcæcati. Nam a toto orbe mox excipit Ægyptios, dicens: *Solis autem illis superposita erat gravis nox.* Adde, hæ tenebræ fuere palpabiles, ut dicitur Exodi. 10. non ergo consistebant in oculis Ægyptiorum, nec in sola subtractione concursus Dei, qua luci subtrahebat suam cooperationem ad illuminandum Ægyptios, sed insuper erant crassa caligo, vapor et nebula a Deo inducta, ut dixi Exodi 10.

ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR.) Id est distinebatur, occupabatur, q. d. Incolæ totius orbis in luce degebant, seque in suis officiis et operibus late continebant et occupabant: nil enim erat, quod opera eorum impediret, cum tenebræ impedirent Ægyptios, ne quid operari possent. Unde Vatabl. vertit: *Et expeditis frequens erat operibus*, q. d. Reliqui omnes erant in luce, ideoque negotiosi, soli Ægyptii erant in tenebris, ideoque otiosi.

IMAGO TENEBRARUM QUÆ SUPERVENTURA ERAT ILLIS.) Tum in morte et sepulcro, tum magis in inferno et gehenna; longa ergo illa et atra nox Ægypti erat umbra et imago mortis, quæ illi imminebat in gehenna. Sic Iob c. 10. 22. sepulcrum vocat *Terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

IPSI ERGO SIBI GRAVIORES ERANT TENEBRIS) Ob peccatorum conscientiam, indeque mentis perturbationem, excæcationem, pavorem et angorem. Nullum enim malus est tormentum morsu et remorsu sceleste conscientiæ. Igitur Ægyptii laborabant duplici caligine, scilicet corporis et mentis, sed hæc illa longe erat gravior, ipsosque magis cruciabat.

Notat hic sapiens triplices imo quadruplices tenebras. Tenebræ quadruplices.
Primæ sunt oculorum, secundæ mentis et peccati: tertiæ mortis, quartæ gehennæ. Primæ privant luce solis; secundæ privant gratia Dei; tertiæ privant vita; quartæ visione Dei. Porro tenebræ peccati reliquarum trium tenebrarum sunt causa. Vide ergo quam tenebrosum, horridum et horrendum sit peccatum. Sicut enim ob tenebras Ægyptiis lux videbatur illucida, luna illunis, cœli cæci, sol insolens: sic peccatoribus Deus, cœlum, angeli, virtus, sapientia omniaque bona videntur obscura, atra, tetra, horrida.

Quocirca S. Aug. in Ps. 45. *Inter omnes*, ait, *tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum.* Et S. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 12. asserit *ipsam, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requiem, in inferna esse: Viventes enim in infernum descendunt.* Et S. Bern. ser. 4. de Assumpt. B. Virgin. *Infernus quidem*, ait, *et carcer animæ, rea conscientia.* Hoc est quod Deus impiis minatur Levit. 26. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folii volantis; et ita fugient quasi gladium: fugient, nemine persequente.* Ubi plura hac de re congessi.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit componere, opponere, et præponere Hebræos Dei cultores Ægyptiis idololatris. Primo, v. 1. quod in densis Ægyptiorum tenebris Hebræis lux esset clarissima. Secundo, v. 3. quod Hebræi ducem viæ a Deo acceperint, columnam nubis per diem et ignis per noctem; Ægyptii vero sine duce mersi sint in mari rubro. Tertio, v. 6. quod cæsis ab Angelo Ægyptiorum primogenitis, Hebræi nil passi sint. Quarto, v. 20. quod, cum ob seditionem Core Deus immisisset ignem in populum, per thurificationem et deprecationem Aaronis placari se permiserit, plagamque stiterit, cum Ægyptiis fuerit implacabilis, eosque variis plagis per Mosem attriverit, et tandem Pharaonem cum omnibus assedis in mari suffocarit.

1. SANCTIS autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te: 2. Et qui ante læsi erant, quia non lædebantur gratias agebant; et ut esset differentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti. 4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari. 5. Cum cogitarent iustorum occidere infantes: et uno exposito filio, et liberato, in traductionem illorum,

multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida. 6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus iuramentis crediderunt animæquiores essent. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio. 8. Sicut enim læsisti adversarios; sic et nos provocans magnificasti. 9. Absconse enim sacrificabant iusti pueri bonorum et iustitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter et bona et mala recepturos iustos, patrum iam decantantes laudes. 10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. 11. Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. 12. Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. 13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse. 14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, 15. Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit. 16. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cælum attingebat stans in terra. 17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. 18. Et alius alibi proiectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. 19. Visiones enim quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. 20. Tetigit autem tunc et iustos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. 21. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum, et testamentum commemorans. 23. Cum enim iam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam quæ ad vivos ducebat viam. 24. In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum: et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. 25. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit; erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

Vers. 1. SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX, ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT, SED FIGURAM NON VIDEBANT; ET QUIA NON ET IPSI EADEM PASSI ERANT MAGNIFICABANT TE.) Sanctos vocat Hebræos, quia fideles ad sanctum sancti Dei cultum, ipsamque sanctitatem a Deo vocati erant, eique quasi addicti et consecrati, iuxta illud Psal. 103. *Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius. Maxima erat lux*, non quod maior naturali foret et miraculosa, sed *maxima*, comparatione Ægyptiorum, qui in densis erant tenebris, quodque Deus, dissipatis omnibus nebulis et nubibus clarissimos solis radios Hebræis exhibuerit. Adde Hebræis ob disparitatem hanc exsultantibus lucem hanc fuisse maximam, sicut cum iidem per Esther c. 8. 16. a morte liberati sunt, ipsis *nova lux oriri visa est gaudium, honor et tripudium*. Vide dicta Exodi cap. 10. v. 23. Fuere ergo Hebræi Dei cultores filii lucis, Ægyptii vero idololatræ filii tenebrarum.

ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT.) Addunt nonnulli *inimici*, sed id delent Romani et Græci. Verisimile enim est ex commento nonnullorum in textum irrepsisse. Multi enim hæc referunt ad Ægyptios, q. d. *Horum*, scilicet Hebræorum in luce exsultantium *vocem* iubilationis *audiebant eorum inimici*, scilicet Ægyptii, *sed* ob tenebras, quibus involuti erant, eorum *figuram non videbant*: quare eos quia non *et ipsi eadem*, puta easdem tenebras, spectra et terrores *passi erant*, quae Ægyptii patiebantur, *magnificabant te*. Græce *beatificabant*, id est beatos prædicabant. Ita S. Bonaventura, Dionysius, Cantacuzenus et alii.

Alii tamen æque apposite hæc referunt ad Hebræos, q. d. *Horum*, scilicet Ægyptiorum, in tenebris flebilem vocem, gemitus et suspiria *audiebant* Hebræi; sed eorum *figuram* ob caliginis densitatem non *videbant*, quocirca se beatos prædicabant, et *magnificabant te*, Domine, eo quod tenebras non paterentur, quas patiebantur Ægyptii. Uterque sensus verus est et appositus. Secundus tamen magis respondet Vulgatæ, quæ habet: *magnificabant te*. Hebræi enim exsultantes magnificabant Deum, cum Ægyptii suas ærumnas miserrime deplorarent.

Vaticanus Codex legit affirmative: *Quoniam quidem et ipsi*, scilicet Ægyptii *passi erant*. Complut. vero et Vulgata nervosius legunt negative: *Quia non et ipsi*, scilicet Hebræi *eadem passi* erant, quæ Ægyptii.

Pro *magnificabant te*, græce est ἐμακάριζον, id est, *beatificabant*, id est beatum prædicabant, tum Israelem, tum eius ductorem Deum. Beatitudo enim Dei in eo sita est, quod ipsa ita affluat bonorum omnium copia, ut eamdem in creaturas, præsertim homines et angelos effundat, nihilque ab eis recipere valeat, quod significat Hebr. Dei nomen *Saddai*, id est sufficientia, copia, abundantia; hoc est quod ait Psaltes: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Psal. 15. 4. Hinc *Beatius est magis dare, quam accipere*. Dare enim est Dei abundantis, accipere vero est hominum indigentium. Actor. 20. 35. Vide ibi dicta. Beatitudo Dei in quo sita?

ET QUI ANTE LÆSI FUERANT, QUIA NON LÆDEBANTUR, GRATIAS AGEBANT, ET UT ESSET DIFFERENTIA DONUM PETEBANT.) Rursum nonnulli ad Hebræos, alii ad Ægyptios hæc referunt; Græce enim est: *Et quia ante læsi, non nocent, gratias agebant*, q. d. Ægyptii gratias agebant Hebræis, quod eos in tenebris positos non læserant, cum ab iis ante fuissent læsi et oppressi. Unde Vatablus vertit: *Quod autem iniuria lacessiti non læderent, gratias agebant ipsis, et inimicitiarum veniam rogabant*. Poterant enim Hebræi Ægyptiis in tenebris quasi colligatis talionem rependere, et iniurias suas ulcisci, eosque vexare et cruciare, si voluissent. Vers. 2.

Verum Vulgata exigit hoc accipi de Hebræis, q. d. Hebræi qui ante læsi erant ab Ægyptiis, dum viderent se tenebris et plagis Ægyptiorum non tangi, nec lædi, adeoque ab ipsis Ægyptiis amplius lædi non posse, gratias agebant Deo. Et hoc significat Græcum, *quia non nocent*, id est quia Ægyptii Hebræis amplius nocere non poterant. *Et ut esset differentia donum petebant*, q. d. Hebræi petebant a Deo, ut hoc discrimen differentis providentiæ, puta castigationis Ægyptiorum et servationis Hebræorum continuaret, ac perpetuum faceret, scilicet ut plagæ, quæ tangebant Ægyptios, non tangerent Hebræos; hoc est quod ait Moses Exodi 11. 7. *Ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios ab Israel*.

Porro S. Bonav. Lyran. Hugo, et Dionys. sic legunt: *Ut esset differentiæ donum, te Deum* (Holcot *te Dominum*) *donum petebant*. Græce pro *differentia* est διενεχθῆναι, id est *differendi*, quod Vatabl. et Nobilius accipiunt pro *dissidendi*, unde vulgo differentias unius ab altero vocamus dissidia: hinc vertit: *inimicitiarum gratiam vel veniam rogabant*. Χάρις enim et donum et gratiam significat, vel ad verbum, ut recte ait Noster a Castro: *Et quod ini-*

micati essent, sive *quod se inimice erga ipsos gessissent*, aut *differentias*, hoc est contentiones et inimicitias *contra ipsos exercuissent*, *gratiam orabant*, puta petebant, ne ipsos Israelitæ ut inimicos tractarent, ut possent; nolebant enim Israelitas habere inimicos, quos metuebant. Videbant illos habere summam ulciscendi facultatem, deerat tantum voluntas, quæ in animo offenso atque inimico inest. Idcirco postulabant hanc gratiam ab illis, ne inimicarentur, ne scilicet inimicitias ad ipsos exercerent, quod dixit Vulgatus *ut esset differentia*, hoc est, ut longius secederent, et a seipsis discederent, postulabant; sæpe enim plagis affecti, ut calamitatibus propter eos afflicti, eos abire compellebant. Unde Exod. cap. 10. v. 7. *Dixerunt servi Pharaonis ad eum: Usquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo: Nonne vides quod perierit Ægyptus?* Et cap. 12. v. 33. *Urgebant Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* Hæc a Castro, qui hisce verbis tertium innuit sensum, quo differentia sumitur pro distantia et discessu. Ægyptii enim petebant ut Hebræi propter quos tot plagis a Mose afficiebantur a Pharaone dimitterentur, itaque Ægypto egrederentur, ne loco a se differrent et distarent, ne quid amplius ob eis paterentur. Verum prior sensus planior est et plenior.

Vers. 3. PROPTER QUOD IGNIS ARDENTEM COLUMNAM DUCEM HABUERUNT IGNOTÆ VIÆ, ET SOLEM SINE LÆSURA BONI HOSPITII PRÆSTITISTI.) Vatablus: *Quippe tu columnam igneam itineris ignoti ducem, et ad magnificam peregrinationem solem innocuum his exhibuisti.*

Pro *propter quod*, græce est ἀνθ' ὧν, id est, *propter quæ*, vel *pro quibus*, quod primo Vatabl. opponit *quippe*, vel *propterea quod*. Rationem reddit, inquit, cur lux ampla suppeteret sanctis, quia scilicet lux hæc fuit columna ignis lucidissima, quæ noctu tota Hebræorum castra illuminabat. Verum lux illa ampla vel maxima, de qua v. 1. fuit tempore tenebrarum triduanarum Ægypti, iis enim opponitur; columna ignis autem data fuit Hebræis post egressum ex Ægypto; quare lux illa maxima nequit esse columna ignis.

Secundo et genuine, τὸ *propter quod* referas ad id, quod proxime præcessit, *et ut esset differentia, donum petebant*, q. d. Quia Hebræi luce maxime differebant et præcellebant Ægyptios in densa caligine positos, petebantque hanc differentiam et præcellentiam sibi Dei dono continuari et perpetuari: propter hoc Deus preces eorum exaudiens, continuavit eis hanc lucis statusque differentiam, dando eis columnam ignis lucidissimam, quæ Hebræis noctu lucem clarissimam præberet, quando Ægyptii nocturnis obvolvebantur tenebris: et sic columna hæc ignis tenebris Ægypti, per quamdam prorogationem continuando, opponitur.

Tertio, Noster a Castro, tertiæ *differentiæ* explicationi paulo ante datæ insistens: Quia Ægyptii, inquit, postulabant Israelitas abire ut longe a se recederent constricti angustia plagarum, quibus afficiebantur; propterea tu, o Domine, eduxisti eos de Ægypto, et itineris ducem te præbuisti per columnam ignis et nubis.

Quarto, idem τὸ ἀνθ' ὧν, id est *pro quibus* refert ad Hebræos, pro quibus, o Domine, ducendis tuendisque illa itineris adjumenta præbuisti, quæ referuntur Exodi 13. 21. illis verbis: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis; ut dux esset itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.*

Quinto, Noster Lorinus, *propter quod*, quia scilicet Hebræi læsi noluerint se vindicare, se lædere Ægyptios. Aut quia Deo grati gratias agebant gratias: Præmium, inquit, hoc fuisse scribitur, sive benignitatis Hebræorum se, cum possent, non ulciscentium de Ægyptiis, quos oppresserant tenebræ; sive potius grati adversus Deum animi. Solet enim gratus animus benefactorem ad nova conferenda beneficia provocare. Simile fuit cap. 16. 20. cum post famem Ægypti subjungit per antithesin: *Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum.*

Pro *ignis ardentem*, græce est una vox πυρφλεγῆ, id est ignardentem, ignitam, igniflammeam: quia speciem habebat flammæ, ut frigus noctis dispelleret suo calore, sed ita moderato, ut Hebræos non ureret. Adde *ardentem* per catachresin idem esse, quod splendentem, fulgurantem instar ignis. Sic vocamus castra ardentia, id est fulgurantia. Et Virgil. 4. Æneid. *ardentem*, id est splendentem *murice lanam*.

HABUERUNT.) Hæc vox non est in Græco, ubi τὸ *columnam*, cæterique accusativi pendent et reguntur a verbo *præstitisti*, sed in hoc verbo intelligitur τὸ *habuerunt*. Unde Noster claritatis causa id expressit.

SOLEM SINE LÆSURA.) Id est non lædentem, non urentem. Græce ἀβλαβῆ, id est innocuum, ita vocat columnam ignis per appositionem, q. d. Columna ignis, quæ Hebræorum dux iter eis præibat in deserto, noctu clarissima luce totis Hebræorum castris præfulgebat, adeo ut videretur esse sol quidam nocturnus solisque jubar, ita tamen ut Hebræos non torreret, nec læderet: sol, inquam, *boni hospitii*, græce φιλοτίμου ξενιτείας, id est honorificæ peregrinationis, magnifici pretiosique hospitii, quia scilicet columna hæc, quasi sidus cœleste, magnifice Hebræis prælucebat ad peregrinationem continuam in terram promissam, ac bona hospitia, id est commodas stationes in deserto, per 40. annos eis indicabat. Insuper eos per diem velut hospitii tectum, nube sua tegebat contra solis æstum. Nam columnæ dux, præses, auriga et motor erat angelus, qui columnæ ignem ita noctu attemperabat, ut Hebræos illuminaret, non vero ureret, se per diem columnæ nubem ita dilatabat, ut tota Hebræorum castra operiret, easque ab æstu solis velut umbraculum superne protegeret. Hinc vocatur columna nubis per diem et ignis per noctem: quia per diem erat opaca ut nubes, per noctem splendida ut ignis. Ipsa ergo erat quasi sol magnificæ peregrinationis, id est lux et dux magnifici exercitus Hebræorum peregrinantis in terram sanctam. Hic enim exercitus incedebat quasi acies cœlestis ordinatissima, ut quasi tota Ecclesia Israelis militans Deo, ideoque invicta, cui nil resistere poterat, quia omnia sibi subigeret; nam Deus per angelum columnæ præsidem eam ducebat, tegebat, regebat, ac pro ea pugnabat.

Columna nubis fuit sol boni hospitii.

Alludit ad solem, qui uti temporum et tempestatum; sic et locorum ac hospitiorum, commodorum vel incommodorum dat signa, imo velut causa illa ipsa efficit. Nam cum sol mutat in vultu suo colorem, mutat et temporum locorumque sortes ut ait Virgil. 1. Georg.

Sol signat dies et loca.

Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere.

Et post pauca:

Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis.
Sol tibi signa dabit, solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et operta tumescere bello.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Et Claudianus in fratres:

Sol qui flammiferis mundum complexus habenis,
Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore coma.

Hinc læta sunt hospitia, ubi lucidi sunt soles; tristia et mœsta, ubi obscuri et nubili. Sol enim luce sua locis omnibus lætitiam et vitam aspirat.

Allegor. Simili modo stella ducens Magos ad Christum, fuit eis et gentibus sol magnificæ peregrinationis. Unde de ea canit Prudentius: *Stella quæ solis rotam vincit decore et lumine.*

Qui fuit stella Magis dux ad Christum.

Tropol. talis pariter est fides, ac illustratio et vocatio Spiritus sancti, qua hunc ad martyrium, illum ad religionem, istum ad sacerdotium, etc. vocat et impellit. Vide dicta Exodi 13. et num. 9. 15. et seq.

DIGNI QUIDEM ILLI CARERE LUCE, ET PATI CARCEREM TENEBRARUM, QUI INCLUSOS CUSTODIEBANT FILIOS TUOS, PER QUOS INCIPIEBAT INCORRUPTUM LEGIS LUMEN SÆCULO DARI.) Pro *incipiebat dari*, græce est ἤμελλε δίδοσθαι, Vers. 4.

id est, *dandum erat*. Vatabl. *prodendum erat;* alii: *debebat dari;* alii: *Per quos integerrimum legis lumen orbi erat impertiendum*. Hebræis enim a Deo data est lex, et vera Dei religio in Sina, Exodi cap. 19. quæ deinde ab eis toti orbi communicata est.

Sensus est, q. d. Iuste et congrue Ægyptii, puniti sunt densis tenebris, eo quod ipsi Israelitas, per quos lux legis divinæ toto orbi spargenda erat, captivos detinerent, itaque simul ipsam quasi lucem legis incarcerare, obscurare et extinguere conarentur. Quocirca ob extinctum, quoad ipsis licuit, duplex lumen, primo scilicet externum, id Hebræis eripiendo; secundo internum, veræ religionis cognitionem respuendo; duplici caligine puniti sunt, materiali scilicet in corpore, et spirituali in mente.

Legem vocat incorruptam; primo, quia integra est, iusta, pura, sancta, immaculata, convertens animas. Psal. 18. v. 8. Secundo, quia numquam corrumpitur, vel abolетur, sed semper durat, vel in se, vel in suo antitypo, quod repræsentat. Lex enim vetus ceremonialis, durat in Christi mysteriis et Sacramentis legis novæ, quæ per veteris ceremonias fuerunt significatæ et adumbratæ; tertio, quia sui observatores ducit ad vitam incorruptibilem et felicitatem æternam.

Vers. 5. Cum cogitarent iustorum occidere infantes, et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida.) Græce: *Cum decrevissent autem ipsos sanctorum occidere infantes, unusque expositus puer* (Moses) *ad castigationem eorum esset servatus, tu multitudine liberorum orbasti illos, aquarumque vi simul omnes perdidisti*. Pro *in traductionem*, græce est, εἰς ἔλεγχον, id est, in correptionem, redargutionem, castigationem. Sensus est, q. d. Cum Pharao et Ægyptii consilium cepissent Hebræorum infantes, puta masculos omnes mergere in Nilo, unus ex eis a matre expositus a Deo servatus est, puta Moses, qui Ægyptiorum tyrannidem castigaret, ac vicissim eos multitudine filiorum privaret, occidendo primogenitos eorum, ac deinde omnes, qui Hebræos persequebantur, mergeret in mari Rubro. Congrua enim fuit hæc talionis pœna, ut qui Israelem primogenitum Dei populum afflixerant, primogenitis suis mulctarentur; et qui infantes Hebræorum merserant in Nilo, ipsi pariter mergerentur in mari Rubro. Vide dicta Exodi 1. et 2. Ita Cantacuzenus, Vatablus, Iansen. et alii. Quare perperam nonnulli veteres Græcæ linguæ imperiti, per traductionem accipiunt eductionem Hebræorum ex Ægypto.

Vers. 6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere (Græce, ἀσφαλῶς, id est, secure et certo) scientes quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.) Græce ἐπευθυμήσωσι, id est lætarentur, hilarescerent, animosiores, et fidentiores fierent. Sensus ergo est, q. d. Nox illa Paschalis, qua ab angelo percutiente occisa sunt omnia primogenita Ægyptiorum, tam in hominibus, quam in animalibus, prævisa et prædicta fuit, tum a Mose Exodi 4. v. 22. et clarius c. 11. v. 5. tum quoad rem, puta quoad stragem Ægyptiorum et liberationem Hebræorum; licet non quoad modum et tempus noctis, præcognita, et a Deo cum iuramento promissa fuit Abrahæ Genes. 15. v. 14. et sequent. et Isaac Genes. 26. v. 3. et Iacob Genes. 28. v. 13. et seq. Idque hoc fine, ut Hebræi videntes hæc Dei promissa impleri, ei plane crederent et confiderent, ac in eo, eiusque singulari providentia læti et securi acquiescerent, non dubitantes, quin Deus simili modo ipsis cætera sua promissa opere compleret, ac reipsa daret illis terram Chanaan possidendam lacte et melle manantem, qui erat scopus promissionum Dei, et terminus peregrinationum Hebræorum.

Vers. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio.) Græce: *Suscepta est autem a populo tuo, salus quidem iustorum, hostium vero perditio*. Explicat τὸ *animæquiores essent*, velut græce est, *lætarentur*, q. d. Populus tuus vidit et cum gaudio excepit salutem iustorum, id est, suorum primogenitorum, quos salvasti et illæsos custodisti ab ange-

A lo percutiente, ac simul vidit interitum iniustorum, id est, primogenitorum Ægypti infidelium, quos idem angelus nocte Paschali morte percussit. Unde Vatabl. vertit: *Populusque tuus et salutem iustorum vidit, et hostium interitum*. Magnum enim et duplex, imo triplex fuit Hebræorum hic gaudium; primum, quod se viderent illæsos a plaga; secundum, quod viderent hostes suos Ægyptios eadem lædi et occidi; tertium, quod viderent eos occidi propter se, ut videlicet hac plaga perculsi victique cederent Mosi et Deo, ac Hebræos liberos ex Ægypto abire permitterent, uti reipsa permiserunt. Sic in Script. crebro legimus, quod quoties Deus populum suum ab hostibus liberavit, id fecerit cum hostium ultione et pernicie, ut hac ratione amorem curamque paternam erga populum suum ostenderet, eique gaudium, hostibus vero mœrorem duplicaret et triplicaret. Ultio enim hostium oriebatur ex amore amicorum et filiorum, puta Hebræorum. Id videre est passim in libris Iudicum, Regum, Machabæorum cæterisque historialibus.

B Paulo aliter explicat noster Lorinus, q. d. Concepit populus spem ex illis iureiurando firmatis divinis promissis fore, ut consequeretur quidem ipse salutem; adversarii vero interitum; vel reipsa postea deprehenderunt veritatem promissorum, licet aliquando addubitassent.

Sicut enim læsisti adversarios, sic et nos provocans magnificasti.) Idem dicit et exaggerat: Pro *provocans* græce est, προσκαλεσάμενος, id est advocans, convocans, provocans, scilicet Deus per Mosem Hebræos ad sui cultum et amorem, Exodi 12. Pro *sic* Noster legit οὕτως, iam legunt, τούτῳ, id est, eo. Pro *læsisti*, græce ἐτιμωρήσω, id est castigasti, punivisti, vindicasti iniuriam populo tuo, ideoque tibi ab Ægyptiis illatam, q. d. Sicut castigasti Ægyptios populo tuo, ideoque honori tuo iniurios, sic vice versa eadem castigatione provocans, et convocans Hebræos ad tui cultum magnificasti, id est magna gloria illustrasti, cum eos, victis Ægyptiis, gloriose per tot signa et portenta ex Ægypto armatum eduxisti, et trium-
C phantem in Chanaan induxisti. Unde ex Græco legendo τούτῳ et ὡς id est *sicut*, accipiendo pro eum, sic vertas cum Vatabl. *Cum enim inimicos nostros ultus es, tum nos convocatos gloria illustrasti*. Et significantius cum Nostro a Castro: *Cum enim punivisti adversarios, eo vel ea in re nos vocatos gloria affecisti*, hoc est, cum supplicium sumpsisti de inimicis, ea re nos gloria et honore affecisti; nam in ea quidem ultione et amor Dei erga suos, et honos, quem illis habet, perspicitur. Castigatio ergo et depressio inimicorum est amicorum exaltatio et glorificatio. Ideo enim Deus castigat infideles, ut fideles suos exaltet et magnificet.

Abscondite enim sacrificabant iusti pueri bonorum, et iustitiæ legem in concordia disposuerunt. Similiter et bona et mala recepturos iustos, patrum iam decantantes laudes.) Græce: *Occulte enim sacrificabant sancti pueri bonorum, ac divinitatis legem in concordia disposuerunt; eorum pariter et bonorum et periculorum participes futuros iustos, patrum iam præcinentes laudes*. Vers. 9.

D Explicat τὸ *provocans magnificasti*, q. d. Cum nos ad tui cultum per Mosem in nocte Paschali vocares et provocares, ut nos magnificares et exaltares, nos Mosi tibique obedientes, vocationem et provocationem tuam secuti sumus. Nam iuxta tuum Mosisque iussum abscondite, id est clanculum ob metum Ægyptiorum, pro felici exitu ex Ægypto immolavimus et sacrificavimus tibi agnum Paschalem, nos, inquam, qui sumus *iusti*, id est fideles tui; *et pueri bonorum*, id est filii sanctorum Patriarcharum Abrahæ, Isaac et Iacob, tumque *iustitiæ legem* græce *divinitatis*, id est *divinam legem in concordia disposuimus*, id est concorditer unanimi consensu statuimus legem Dei servare: *Similiter bona et mala recepturos*, ut scilicet similiter et æqua sorte pateremur mala et bona pro lege Dei, ac constanter et unanimiter omnia adversa, etiam exilium et mortem pro ea subiremus, ideoque inter epulum agni Paschalis decantavimus *laudes patrum*, qui pro Deo constantissime persecutiones et ærumnas quaslibet pertulerunt.

Lex divinitatis quæ? Resp. 1. Et iustitiæ græce θειότητος, id est *divinitatis* legem.) Quæres, quænam sit lex divinitatis? Primo, aliqui accipiunt legem de immolando agno Paschali a Deo sancitam. Ita Glossa, S. Bonavent. et Hugo. Secundo, alii accipiunt
2. legem a Mose de præparando se ad exitum ex Ægypto Hebræis præscriptam, et quamvis aliam a Deo in Sina
3. præscribendam, Exodi 19. Ita Lyran. Tertio, pressius noster a Castro accipit legem iustitiæ legalis, sive concordiæ civium, quam subiicit sapiens, qua se omnes Hebræi coram Mose et Aarone ad Dei cultum, et pro eo ad omnium rerum communionem constringebant, et in egressu, et in profectione, et in ingressu terræ promissæ divinitatis legem vocat, quod obedientes præcepto Dei præcipientis, ut omnes simul exirent, uno consensu statuerunt et in mortem et in vitam abire, ut tamquam unus populus, et bonorum eorumdem, et periculorum similiter fierent participes. Sic et Iansen. ac Vatabl.

Accedit Cantacuzenus, qui asserit Hebræos nocte Paschali inter sacrificandum promisisse se leges Dei, sive quidquid Deus præciperet servaturos. Et Osorius: Lex, inquit, iustitiæ et divinitatis erat, ut vitæ officia dirigerent ad sanctitatis legem, sive ad rationes iustitiæ et sanctitatis æternæ, quæ sunt in mente et voluntate Dei. Tunc enim Hebræi ab Ægyptiis idololatris se sequestrantes, quasi in unum Dei populum unamque Ecclesiam militantem coeuntes, reipsa professi sunt se velle Deo vero servire, ac in illius religione cultuque quasi sacramento militari se obstrinxerunt, scilicet se pro lege Dei unanimiter decertaturos usque ad mortem. Hoc enim fuit vetus Testamentum, sive pactum cum Deo ab Hebræis initum, sicut novum Testamentum, sive pactum est, quod Christus cum Apostolis et fidelibus instituit, præsertim in ultima cœna, illudque sanxit sacrificio sui corporis Eucharistia.

Similiter et bona et mala recepturos iustos.) Vatablus: *Sanctos eorumdem bonorum et periculorum ex æquo consortes fore*, sicut socii in bello promittunt et iurant sibi fidelitatem, omniaque bona et mala singulis fore communia, ut eadem pericula et adversa omnes subeant usque ad mortem. Sic enim in sancto hoc fœdere Hebræi conspirabant, et quasi coniurabant in Dei veri cultum et obedientiam, ac in mutuam societatem, ut omnia tristia æque ac læta unanimiter subirent; quod erat divina in Ecclesia societatem confœderari, et quasi contesserari.

Patrum iam decantantes laudes.) Minus recte Lyran. legit. *Patri omnium*, id est Deo. Et Bonav. et Hugo. *Patrias laudes*. Græca enim et Romana habent *Patrum laudes*, græce est, πατέρων ἤδη προαναμελπόντων αἴνους, id est: *Patribus iam præcinentibus laudes*, id est patribus inchoantibus hymnos, quos deinde filii prosequerentur, uti factum est post transitum maris Rubri Exodi 15.

Verum Complut. et Vulgata legunt, προαναμέλποντες, id est, *præcinentes*, ubi τὸ *præ* innuit Hebræos cœpisse canere has laudes, antequam Ægyptii sua lamenta ob primogenitorum cædem inchoarent. Unde Vatabl. hanc clausulam ad sequentia eorum lamenta referens, iisque per antithesin opponens, sic vertit: *Et patribus iam hymnos præcinentibus, inimicorum contra clamor inconditus clarescebat, comploratioque miserabilis puerorum exoriebatur;* idque magis patebit v. sequenti, ubi pro *resonabat*, græce est, ἀντήχει, id est, ex altera parte, et quasi ex altera choro sonabat et respondebat.

Laudes Patrum 1. Porro *laudes patrum* accipi possunt. Primo, laudes, quibus Hebræi patres suos, qui hanc posterorum ex Ægypto liberationem prædixerant, imo sua sanctitate meruerant, laudabant. Ita Cantacuzenus, q. d. Hebræi celebrantes epulum agni, ut, eo peracto, egrederentur ex Ægypto, visa cæde primogenitorum Ægypti, seque ab illa immunes existere, laudabant suos patres Abraham, Isaac et Iacob, quibus hic exitus a Deo fuerat promissus, itaque se mutuo beatos prædicabant, quod tales habuissent patres, qui omni laude digni essent. Unde sibi mutuo congratulantes de iis deque eorum prophetia, quam iam adimpleri cernebant, exsultantes Deo Eucharisticum carmen modula-
2. bantur. Secundo, per *laudes patrum* accipi possunt hymni a patribus ad Deum laudandum compositi, ut posteris per manus suorum traditi, ut ii quoque instar patrum Deum laudarent. Tertio per *laudes patrum* intelligi possunt hy- 3.
mni a Mose et Aarone compositi ut iis Hebræi inter sacrificium epulumque agni Deum laudarent, ipsique gratias agerent; quales hymni et doxologiæ exstant etiamnum apud Hebræos in rituali Paschæ, atque ab iis in celebratione agni Paschalis canuntur. Unde et Christus, celebrato Pascha, *hymno dicto exivit cum discipulis in montem Olivarum*, Matth. 26.

Graphice hic depingit ultimam plagam Ægyptiorum, puta cædem primogenitorum tam hominum, quam animalium cæterorum, quæ plane discriminavit et dispescuit Hebræos ab Ægyptiis. Angelus enim percussor transiens et transiliens domos Hebræorum quos velut Dei populum reveritus tangere non audebat, insiliebat in domos Ægyptiorum, eorumque primogenita omnia occidebat, indeque institutum et nuncupatum est festum Paschæ. Pascha enim Hebr. idem est quod transitus vel transultus, scilicet, angeli percutientis; radix enim פסח *pasach* significat transire, vel potius transilire.

Similis transitus et percussio angeli fuit Romæ sub Agathone Papa, anno Domini 680. quo Paulus Diaconus l. 6. de Gestis Longobard. c. 5. scribit visibiliter multis Romæ apparuisse bonum et malum angelum noctu per civitatem pergere, et quoties ex iussu boni angeli malus venabulo, quod in manu ferre videbatur, ostium domus alicuius percuteret, tot de eadem domo die sequenti homines interirent: tuncque per revelationem cuidam dictum esse pestem non prius quieturam, quam in Basilica sancti Petri ad vincula poneretur altare sancti Sebastiani martyris; eo vero facto pestem protinus cessasse. Hæc ille. Exstat autem ibidem hactenus integrum ipsum altare, nec non eiusdem sancti martyris imago musivo opere expressa; sed et ex hoc propagata ad posteros religio est ut pestis tempore, voti causa imago eiusdem sancti Sebastiani diversis in locis pingi soleret, atque in eius memoriam altaria erigi et Ecclesias fabricari. Angeli percutientes Romæ.

Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus (græce οἰκτρὰ id est *miserabilis*) ploratorum infantium.) Pro *resonabat* græce est ἀντήχει (unde nomen *Echo* id est resonantia, vocisque reverberatio) id est ex adverso sonabat, et quasi ex altero choro, ἀντίφωνος, antistrophe responsabat; ponit enim hic quasi duos choros sibi responsantes, sed dissonos voce et tono, ideoque sibi adversantes, unum Hebræorum, præ gaudio incolumitatis suæ hymnos canentium, alterum Ægyptiorum mortem primogenitorum suorum miserabiliter deplorantium. Ita Vatabl. cuius versionem et verba iam recensui. Hinc pro *inconveniens* græce est ἀσύμφωνος, id est inconcinnus, inconditus, dissonus, q. d. Erant hic φωναὶ non σύμφωνοι, sed ἀσύμφωνοι, id est erant soni non consoni, sed dissoni; quare mirum non symphoniam et consonantiam, sed dissonantiam efficiebant. Complorationi enim Ægyptiorum responsabat exsultatio Hebræorum. Male autem et inconcinne respondet chorus exsultantium choro complorantium, iuxta illud: *Musica in luctu importuna narratio*, Eccles. cap. 22. 6. Pro *audiebatur* græce est διεφέρετο, id est quoquaversum differebatur et spargebatur. Pro *ploratorum* græce est θρηνουμένων, quod aliqui vertunt active, *plorantium*, puta primogenitorum, qui plorabant, cum occiderentur ab angelo percutiente. Verum angelus eos subito occidit, nec eis tempus plorandi dedit (exceptis paucis, quos in pœnam parentum ad tempus semivivos reliquit, de quibus v. 18.) Unde Exodi c. 12. 29. referuntur parentes dumtaxat planxisse cædem suorum primogenitorum, non vero ipsi primogeniti. Quare melius Noster vertit passive, *ploratorum*, quorum scilicet necem parentes deplorabant. Vers. 10.

Simili autem pœna servus cum Domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus) q. d. Strages hæc primogenitorum fuit universalis omnibusque communis; tam enim primogenita servi vel popularis, id est plebei, quam domini vel regis Pharaonis occisa sunt ab angelo, ut patet Exodi 12. 29. Nullus ergo, ne rex quidem ab hac plaga immunis exstitit. Vers. 11.

Vers. 12. SIMILITER ERGO OMNES, UNO NOMINE MORTIS, MORTUOS HABEBANT INNUMERABILES. NEC ENIM AD SEPELIENDUM VIVI SUFFICIEBANT: QUONIAM UNO MOMENTO QUÆ ERAT PRÆCLARIOR NATIO ILLORUM EXTERMINATA EST.) Pro *similiter* græce est ὁμοθυμαδὸν, id est uno animo, communi consensu, communi voce et comploratione. Nam ut narrat Philo libro de Vita Mosis: « Prima luce cum quisque suos charissimos inopinata nece sublatos videret, cum quibus superiore die suaviter usque ad vesperam convixerat, ut in publico luctu gravissima comploratione impleverunt omnia. Cum enim nemo esset expers eius calamitatis, unus erat clamor omnium, unusque luctus detinebat regionem universam quacumque patebat. Qui tantisper dum intra privatos parietes se continebat, singulis aliena mala ignorantibus, privatus etiam tum videbatur. Ubi vero alii didicerunt, ex aliis geminabatur comploratio, in tantum gravante dolore publico ut nullus consolator existeret; quis enim solaretur alterum, indigens ipse consolatione? »

UNO NOMINE MORTIS.) Hoc est eodem mortis genere puta eadem plaga inflicta ab angelo; quia enim eadem omnium Ægyptiorum erat culpa, puta oppressio Hebræorum, ac præsertim infantium occisio: hinc pariter eadem omnium fuit pœna, eaque crimini congrua, puta primogenitorum cædes. Sic nomen sumitur pro genere vel specie apud Virgil. cum ait:

Omnia pœnarum percurrere nomina (id est genera) *possem,*

Et: — *Tibi nomina mille.*
Mille nocendi artes.

Nomen pro causa et culpa.

Rursum *nomina* vocantur debita eorumque syngraphæ, ait Budæus; unde *nomina exigere*, est debita repetere apud Ciceronem. Quare *in nomine*, id est in culpa et debito mortis: nam, ut dixi omnes Ægyptii erant rei mortis ob oppressionem Hebræorum. Denique proprie *uno nomine*, id est eadem de causa, puta ob idem crimen; nomen enim sæpe pro causa usurpatur.

NEC ENIM AD SEPELIENDUM VIVI SUFFICIEBANT.) Nulla enim erat domus, in qua non esset mortuus sepeliendus, imo in eadem sæpe erant plures primogeniti, v. g. primi filii fratrum, sororum, ancillarum, qui omnes occidebantur ab angelo. Accedit quod Ægyptii in sepeliendo, ungendo, reliquaque pompa funeris et sepulturæ erant morosi, longi et exquisiti præ cæteris gentibus, ut patet Genes. 50. 2. Insuper angelus occidit primogenita animalium æque ac hominum, ut patet Exodi 11. v. 5. hæc autem sepelire debebant, ne aerem tabe inficerent.

PRÆCLARIOR NATIO ILLORUM.) Id est proles honoratior: tales enim sunt primogeniti, qui cæteris prolibus anteferuntur.

Vers. 13. DE OMNIBUS ENIM NON CREDENTES PROPTER VENEFICIA, TUNC VERO PRIMUM CUM FUIT EXTERMINIUM PRIMOGENITORUM, SPOPONDERUNT POPULUM DEI ESSE.) Græce: *Qui enim nihil credebant propter veneficia, in primogenitorum interitu confessi sunt Dei filium populum esse.* Vatabl. *Nam cum propter præstigias omnia credere recusarent, post cladem primogenitorum populum Dei filium* (id est Deo charissimum) *esse confessi sunt.* Nonnulli legunt, *beneficia*; sed legendum cum Rom. et Græcis, *veneficia*, quæ scilicet sunt maleficorum et sagarum beneficia. Græce est φαρμακείας, id est incantationes, præstigias, magicas artes, quibus Magi Pharaonem et Ægyptios ita dementarent, ut Mosi per Deum tot plagas inferenti fidem non adhiberent, nec Hebræos esse populum Dei crederent.

SPOPONDERUNT.) Græce ὡμολόγησαν, id est confessi sunt *populum Dei esse*, q. d. Cum Pharao et Ægyptii antea nollent credere Mosi et Deo, eo quod viderent Magos suos suis veneficiis et incantationibus quædam mira facere similia iis quæ faciebat Moses, postea tamen videntes tantam tamque universalem et conformem cædem primogenitorum, adeo attoniti et perculsi fuere, ut confessi et palam professi sint Israelem esse populum Dei, idque adeo certo et firmiter ut pro eo spondere auderent, seque vades et sponsores exhibere, præsertim cum eadem nocte, qua egressus est Israel ex Ægypto, omnia Ægypti templa vel fulminibus, vel terræ motibus eversa sint, uti tradunt Hebræi, et ex iis S. Hier. ep. 127. ad Fabiolam. Quo circa Ægyptii Hebræos Ægyptos exire non tantum permiserunt, sed et urserunt ac coegerunt.

Templa Ægypti corruere.

Vers. 14. CUM ENIM QUIETUM SILENTIUM CONTINERET OMNIA, ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET.

Vers. 15. OMNIPOTENS SERMO TUUS DE CÆLO A REGALIBUS SEDIBUS, DURUS DEBELLATOR, IN MEDIAM EXTERMINII TERRAM PROSILIVIT.

Vers. 16. GLADIUS ACUTUS, INSIMULATUM IMPERIUM TUUM PORTANS ET STANS, REPLEVIT OMNIA MORTE, ET USQUE AD CÆLUM ATTINGEBAT STANS IN TERRA.) Syrus: « Silentium enim et quies tenebat omnia, et in media nocte factus est stupor; verbum tuum, quod omnia potest, de cælo venit e throno regni admirabilis, bellatores mediæ perditione evertit super terram, gladium acutum præcepti tuo, quod non accipit personam, attulit, et perfecit omne præceptum, atque ad cælum pervenit, et stetit super terram. » Arabicus: « Quoniam aqua apprehendit universas creaturas silentio quietis, et æquata (vel facta) est illa nox in æquilibrio: vicit verbum tuum bellipotens, terribile, omnipotens de cælis usque ad medium inimicorum habentium regna, in perniciem eorum, ex terra, accinctum præcepto tuo imperante, carente simulatione, gladio terrificante. »

Pergit exaggerare ultimam Ægypti plagam, nempe cædem omnium primogenitorum tam in animalibus, quam in hominibus, quæ contigit nocte Paschali post 14. lunæ, sive 14. die mensis primi, qui dicitur Nisan sub medium noctis, uti narratur Exodi 12. 29.

Sensus ergo est, q. d. In media nocte Paschali, cum alta esset nox indeque quies et silentium, cum scilicet Ægyptii secure altum dormirent, ecce tibi repente de cælo sermo tuus, id est iussio tua sive edictum, sententia et mandatum tuum severum et pugnax, in Ægyptum exterminio a te destinatam desiliit: gladius, inquam, acutus, non fictum, sed sincerum tuum imperium portans, qui replevit omnia cæde et morte primogenitorum omnium, adeo, ut videretur e cælo porrigere se in totam Ægypti terram. Hunc esse sensum liquet ex ipsis Script. verbis, atque ex antecedentibus et consequentibus. Ad litteram ergo loquitur de strage primogenitorum Ægypto inflicta a Deo per Mosem, non de nativitate Christi: illi tamen allegorice hæc omnia accommodat Ecclesia in Officio Ecclesiastico Nativitatis Christi (et Epiphaniæ) quam proinde statim post medium noctis die 25. Decembris iam inchoante contigisse, communis est Doctorum et Ecclesiæ sensus; qua de causa ipsa statim post mediam noctem Missam inchoat in festo nativitatis Christi, ex decreto S. Telesphori Papæ, in sua epistola decretali c. 2. quod et notavit Damasus Pont. in Vita Telesphori. Vide Suarez 3. part. quæst. 35. sub finem. Idipsum satis colligitur ex illo Lucæ c. 2. *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Nimirum nocte nascitur Christus, quia venerat noctem infidelitatis et peccatorum mundi sancto suæ nativitatis fulgore discutere et illustrare. Porro allegoria hæc apposita est et congrua. Sicut enim olim Deus sermone, sive verbo, id est iussu suo; vel verbo, id est per vindicem Sapientiam, ac per filium suum liberavit Hebræos ex Ægypto, cædendo primogenita Ægyptiorum, atque per hanc operationem et vindictam dicitur de cælo descendisse in Ægyptum; ita pariter in nativitate Christi propria Verbum Dei descendit ad unionem hypostaticam cum carne et humanitate a se assumpta in terra, puta in utero B. Virginis, ut homines liberaret per suam redemptionem, passionem, crucem et gratiam, exterminando et debellando peccatum, mortem et diabolum. Ita S. Anselm. in Elucidario, Idacius contra Varimadum, Petrus Blesensis ser. 6. de Nativ. Domini, imo Tertull. l. 5. contra Marc. c. 9. et S. Aug. in Ps. 109. idem probant ex illo v. 3. *Ex utero ante Luciferum*, id est ante auroram, *genui te*.

Nocte natus est Christus.

Cur?

Adde incarnationem Verbi, quæ fuit quasi prima nativitas Christi, quæ proprie de regalibus cælorum sedibus descendit in uterum beatæ Virginis factus homo, contigit

Christus incarnatus est

In Paschate 25 Martii. nocte Paschali, puta 25. Martii, quo die Ecclesia in tanti mysterii memoriam celebrat festum Annuntiationis B. Virginis. Nam 25. die Martii uti mundus olim a Deo fuit creatus, ita post quatuor annorum millia eodem die fuit recreatus per Verbi incarnationem; ac eiusdem post 34. annos eodem die crucifixionem et mortem. Hæc enim tria mysteria contigisse die 25. Martii docui proœmio in acta Apostolorum initio Chronotaxeos.

Noctis Paschalis Elogia. Hac de causa prisci Rabbini in libris Cabalæ, quos citat Yateila in Exod. c. 13. v. 11. disp. 2. ita scribunt: *In eadem die* (15. Nisan, puta in Paschate) *redimendus est Israel in diebus Messiæ, sicut redempti sunt eadem die, de qua scribitur: In diebus egressionis tuæ ostendam mirabilia.* Quod nota ad Iudæos eorum Rabbinorum dictis revincendos. Hinc Ecclesia, in benedictione cerei Paschalis, nocti Paschali hæc concinendo dat elogia, partim litteralia, partim mystica: *Hæc enim sunt festa Paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, cuius sanguine postes fidelium consecrantur. Hæc nox est, in qua primum patres nostros filios Israel eductos de Ægypto, mare Rubrum sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgavit. Hæc nox est, quæ hodie per universum mundum in Christo credentes, a vitiis sæculi et caligine peccatorum segregatos reddit gratiæ, sociat sanctitati. Hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Unde admirabunda et exsultans in hæc paradoxa exclamando prorumpit: *O mira circa nos pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tradidisti. O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! O vere beata nox, quæ sola meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab Inferis resurrexit! Hæc nox est, de qua scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Huius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, et reddit innocentiam lapsis, et mæstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, curvat imperia, etc. O vere beata nox, quæ spoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos!*

Anagog. ex hoc cædis primogenitorum Ægypti media Paschali nocte peractæ typo, S. Chrys. Theoph. et S. Hieron. (qui ait hanc esse Apostolicam traditionem) asserunt Christum eodem mediæ noctis tempore venturum ad iudicium, ad maiorem terrorem reproborum, ut eos exterminet et deturbet in tartara. Alii tamen summo mane venturum putant. Nunc singula verba expendamus.

Vers. 14. CUM ENIM QUIETUM SILENTIUM CONTINEBAT OMNIA (Ita Romana et Græca. Alii legunt, *continerent.* Utrumque verum; quies enim et silentium noctu occupat omnia, uo vicissim occupatur ab omnibus) ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET.) Græce: *Et nocte in propria velocitate dimidiata*, id est, sub mediam noctem, vel paulo post dimidium noctis. Tunc enim facta est ab angelo cædes primogenitorum Ægypti, Exodi 12. 29. Causa fuit ut eo terribilior esset cædes, quo magis erat improvisa, obscura et nocturna, ut hoc terrore perculsi Ægyptii obstinationem excuterent, ac missos facerent Hebræos. Unde Petrus Blesensis silentium hoc vocat *conticinium*, quod est tempus mediæ noctis post galli cantum.

Dei silentia sunt opera, Cur? Causa tropologica fuit, ad arcanam divinæ maiestatis vim et efficaciam repræsentandam. Nimirum Dei arcani et invisibilis arcana et obscura decet esse opera. Rursum Deo loquente sileant omnes creaturæ oportet, iuxta illud: *Sileat a facie eius omnis terra*, Habacuc 2. 22. Et: *Silete a facie Domini mei*, Sophon. 1. 7. Et: *Sileat omnis caro a facie Domini*, Zachar. 2. 13. Hinc Syrus vertit: *In media nocte factus est stupor.* Moral. hic disce opera Dei et virorum divinorum non se ostentare, sed peragi in quiete et silentio; ita generatio Christi divina, qua gignitur a Patre, est summe arcana; ac humana, qua conceptus et natus est ex B. Virgine, fuit secretissima. Quocirca Christus comparatur aquis *Siloe, quæ vadunt cum silentio*, Isaiæ 8. v. 6. ubi multa de fructu silentii dixi, ac plura Isaiæ (Sapientes silentes.) 30. v. 15. ad illa: *In spe et silentio erit fortitudo vestra.* Hinc silentes sunt profundi cordis: *Altissima flumina minimo sono labuntur*, ait Curtius. Ex adverso loquaces levi sunt corde, nimirum: *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum*, Eccles. 21. 29. Vide ibi dicta.

OMNIPOTENS SERMO.) Græcum λογος, et sermonem et verbum significat, puta iussionem et sententiam Dei, q. d. Sententia dura et aspera lata a Deo in solio cælesti, per angelum bellatorem in media nocte exsecutioni mandata, e cælo desiliit. Ita a Castro. Vers. 15.

Allegor. *Sermo* hic est ipsum Verbum incarnatum.

DE CÆLO.) Complut. addunt *exsiliens*, sed id merito delent Romani et Græci; mox enim sequitur *prosilivit.*

DURUS.) αποτομος, id est asper, sævus; Arab. *terribilis.*

DEBELLATOR.) Græce, πολεμιστης, id est *bellator;* Arabicus, *bellipotens*, quia ut vertit Syrus: *Bellatores* (Pharaonem et Ægyptios) *media nocte evertit*, iuxta illud Exodi c. 15. v. 3. *Dominus conterens bella*, id est, bellatores inimicos. Chald. *Dominus victor bellorum.*

IN MEDIAM EXTERMINII TERRAM PROSILIVIT.) Nimirum in Ægyptum exterminio a Deo addictam; græce est ολεθριας, id est exitialis, vel perniciosæ terræ, ut vertit Vatablus, ideoque exitio addictæ. Te *prosilivit*, velut Vatablus *desiliit*, notat Dei vindicis Ægyptios invadentis velocitatem, vim, iram, impetum et efficaciam inevitabilem.

Allegorice, Christus ingenti virtutis et amoris saltu e cælo in terram desiliit factus homo, iuxta illud: *Ecce venit iste saliens in montibus, transiliens colles*, Cantic. 2. 8. In quæ verba commentans S. Bern. serm. 53. in Cant. *En quantum saltum*, inquit, *dedit a summo cælo ad terras.* Saliit enim magno saltu desultim e cælo in cænum, e cæno in crucem, e cruce in infernum, inde resiliit in terram, ac e terra in cælum.

Vers. 16. GLADIUS ACUTUS INSIMULATUM IMPERIUM TUUM PORTANS.) Græce: *Omnipotens sermo tuus, etc. gladium acutum* (puta) *insimulatum imperium tuum portans;* φερων enim cum sit masculinum ad λογος, id est *sermo*, referri debet, non ad ξιφος, id est *gladium*, cum sit generis neutrius. Noster videtur legisse neutre φερον, itaque retulisse ad gladium; sed eodem redit sensus, q. d. Sermo tuus, o Domine, fuit quasi gladius acutus, qui *imperium tuum insimulatum*, græce ανυποκριτον, id est, non hypocriticum, non simulatum, non fictum, non comminatorium, sed verum, sincerum, apertum, certum et efficax planeque exsecutioni mandandum (angelus enim percutiens non finxit se nolle percutere, cum revera percuteret, sed quod fecit, hoc præ se tulit; nec tantum comminatus est se velle occidere, sed reipsa occidit) portavit, et detulit in Ægyptum. Porro gladius in Scriptura significat quodlibet instrumentum, et quamlibet modum cædis, puta omnem cladem et stragem. Nam ut ait Varro lib. 4. de Lingua latina: Gladius dicitur a clade, quod sit ad hostium cladem, dum eos ferit, secat et necat: nam omnis corporis dolor consistit in sectione, sive divisione continui; nec enim angelus cædens primogenita Ægypti usus est gladio, aut eo opus habebat, sed per se immediate primogenita Ægypti suffocando, lacerando, aliove modo lædendo necabat. Unde dicitur acutus, quia, ut ait Apost. Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* (Gladius dicitur a clade.)

ET STANS.) Scilicet, λογος, id est sermo; græce enim est στας masculinum, quod ad λογον masculinum referri debet, non ad ξιφος, id est gladium, quod est neutrum. Statio hæc irrevocabilem et immobilem decretoriam Dei iussionem significat, æque ac insimulatum imperium eiusdem auctoritatem, ait S. Bonav.

REPLEVIT OMNIA MORTE.) Nempe cæde primogenitorum Ægypti.

ET USQUE AD CÆLUM ATTINGEBAT STANS IN TERRA.) Græce: *Et cælum quidem attingebat; descenderat vero, vel ingrediebatur vero in terram*, q. d. Magna, potens, cælestis atque ex cælo manans, ideoque ingens et inevitabilis erat hæc cædes et vindicta; quare esto in terra perageretur, vim tamen sortiebatur e cælo, imo eam inchoabat in cælo. Nam Verbum Dei mandavit angelo in cælo, ut illico in terram descendens percuteret primoge-

nita Ægyptiorum; quare vim suam omnipotentem explicuit, tam in cælo, quam in terra. Aliter Dion. q. d. Angelus executor vindictæ divinæ vim suam extendebat usque ad cælum aerium, quousque scilicet ambitus virtutis activæ eius se porrigere poterat. Aliter quoque noster Lorinus, q. d. Vix ea dicta dedit Deus in cælo, vix increpuit sonus in cælo iussionis divinæ, cum reipsa peracta est; simul voluit ipse ut primum dixit, illico quod imperavit factum est. Quod vulgo dicimus: *Dictum, factum;* et Scripturæ de aliis divinis operibus: *Dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt,* Ps. 148. v. 5. Sic et a Castro. Notat, inquit, hac phrasi celeritatem completi verbi Dei, quod adeo celer fuit angelus percussor in percutiendis primogenitis, et complendo præcepta Dei, ut needum cælo relicto, unde mittebatur, iam terram pede calcaret et iussum exsequeretur.

Angelus stans supra maria et terram.

Porro Vatablus vertit: *Et stans omnia morte, cælum partim attingens, partim solo insistens, complevit;* quibus verbis innuit angelum hunc, ut Dei Domini sui plenum in cælum et terram imperium ostenderet visum a nonnullis pedem unum collocare in terra, alterum in cælo, id est in aere, uti angelus visus S. Ioannis Apoc. 10. v. 2. et 6. *Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, etc. et iuravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.*

Hoc allegorice recte convenit Verbo incarnato, quod qua Deus cælum Deumque attingit, qua homo terræ figitur. Unde eius typus fuit scala Iacob, e terra in cælum porrecta, cui innitebatur Deus; Christus enim instar scalæ, qua Deus tangit cælum, qua homo terram. In seipso enim iunxit cælum cæno, Verbum carni, Deum homini.

Angelus S. Gregorii.

Simili modo tempore sancti Gregorii, uti ipse refert l. 4. Dialog. c. 36. sagittæ cælitus lapsæ, pestem Romæ inflixerunt, quam ipse litaniis et publica processione, deferens imaginem B. Virginis a S. Luca depictam, sedavit. Cum enim ad molem Adriani (quæ exinde dicta est Castellum sancti Angeli) procedendo pervenisset, visus est angelus in signum reconciliati Numinis, gladium nudatum in vaginam reponere, eoque symbolo lues cessavit, uti ex priscis monumentis refert Baronius tomo 8. anno Christi 590.

Et Davidis.

Simile contigit Davidi offerenti sacrificium ad sedandum pestem, ab angelo percutiente ob numeratum a Davide populum Israeli inflictam. 2. Reg. ult. 16. Vidit enim Deum dicentem angelo: *Sufficit, contine manum tuam.*

Vers. 17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati.

Vers. 18. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

Vers. 19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, præmonebant ne inscii quare mala paterentur, perirent.) Noster legit δεινων, id est, gravium, puta malorum; iam legunt δεινως, id est, graviter. Ex Græco clare sic vertas: *Tunc repente visiones quidem somniorum graviter turbarunt eos, timores vero institerunt inexpectati. Et alius alio abiectus semimortuus, quam ob causam moreretur ostendebat. Nam somnia quæ turbaverunt eos hoc præsignificabant, ne, ignorantes cur mala paterentur, perirent.*

Pro *proiectus* græce est, ῥιφεις, id est, iactatus, disiectus, eiaculatus magna vi et impetu: nam ῥιψις est proiectio, iactus, impetus. Significat ergo hæc vox primogenitos nonnullos tanto impetu ab angelo fuisse proiectos, humique afflictos et allisos, ut consternati prostratique iacerent velut exanimes et semimortui.

Igitur hi tres versus significant cum cæde primogenitorum Deum immisisse terrifica spectra in somnis, indeque timores et angores Ægyptiis, præsertim nonnullis primogenitis, quos non statim occidit, sed semivivos reliquit, eisque in somnis causam tantæ mortis et stragis primogenitorum revelavit, ut ipsi eamdem parentibus indicarent, scilicet se occidi, quia ipsi oppresserant Hebræos, eorumque infantes masculos occiderant; Hebræi enim, sive Israel, erat primogenitus Dei populus. Iure ergo Ægyptii primogenitos suos perdiderunt, qui paulo ante primogenitum Dei populum perdiderant. Audi Mosem Exodi 4. 22. *Hæc dicit Dominus* (tibi, o Pharao) *filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut serviat mihi, et noluisti dimittere eum; ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Hunc sensum plane significat τὸ *causam demonstrabat mortis: visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii quare mala paterentur, perirent;* ne scilicet stragem hanc tribuerent casui, epidemiæ, pesti, alterive causæ naturali, sed Deo vindici ob afflictum Israelem, ideoque eum liberum ex Ægypto in Chanaan abire permitterent, uti cæsis ex primogenitis suis cognito de facto abire permiserunt. Hoc enim hac plaga ab eis extorquere intendebat Deus. Porro idipsum tacet Moses Exodi 12. sed Sapiens hic supplet, uti alia plura, quæ vel maiorum traditione, vel Dei revelatione accepit.

Hinc moraliter disce Deum, eum quem punit et plectit, solere non raro eidem causam et culpam, ob quam eum plectit, indicare; sicut iudex, eum reum ad furcam condemnat, assignat ei furtum aliudve scelus ab eo commissum, ob quod eum condemnat, ut ipse cæterique sciant quodnam scelus puniatur, itaque illud deinceps caveant. Sic Antiochus, morbis lethalibus afflictus, Deo indicante fassus est se puniri ob clades Hebræis iniuste illatas, 2. Machab. 9. 11. Sic Fratres Ioseph afflictionis suæ causam Deo suggerente agnoverunt esse, quod ipsi prius afflixissent Ioseph: *Merito,* inquiunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco venit super nos hæc tribulatio,* Genes. 42. 21. Sic Moses Exod. 7. 8. et 9. iussu Dei Pharaoni et Ægypto infligens decem plagas, eidem revelavit causam, scilicet quod nollet Hebræos dimittere. Sic Samuel, Sauli ex Deo intentans privationem regni et vitæ, causam addidit, quod Deo præcipienti disperdere Amalecitas non obedivisset, 1. Reg. 15. 19. et sequent. Sic passim in libro Iudicum, causam oppressionis Hebræorum peractæ a Philisthæis, Madianitis, Moabitis, etc. Deus assignat cultum Baal, Astaroth et Idolorum. Ægyptii ergo videntes primogenita sua occidi, partim ex Mosis prædictione, partim ex primogenitorum cum occiderentur revelatione et confessione, scivarunt se hac plaga puniri, eo quod ipsi primogenitum Dei populum, puta Israelem afflixissent et occidissent.

Deus cum punit, causam revelat. Exempla.

Nota τὸ *visus somniorum malorum turbaverunt illos.* Nam Hippocrates lib. de Somn. docet *somnia nocturna diurnis exercitationibus respondentia esse bona, sanitatemque significantia, propterea quod anima in diurnis consiliis perseverat, neque repletione, neque evacuatione aliqua, aut alia forinsecus allapsa re victa. Cum autem insomnia diurnis actibus adversantur, et de ipsis pugna oboritur, cum sane hoc contigerit, turbationem in corpore significat, et si quidem fortis fuerit, forte est malum; si vero levis, debilius.*

Præterea turbidæ imaginationes et pavores diurni turbida gignunt somnia nocturna, iuxta illud Senecæ in Octavia:

Quæcumque mentis cogitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer et arcanus refert,
Veloxque sensus.

Tetigit autem tunc et iustos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis, sed non diu permansit ira tua) Pro *tunc* Noster legit τοτε, iam legunt ποτε, id est, *aliquando.* Codices Vaticani utrumque omittunt. *Tunc,* id est, prisco illo tempore egressionis Israel ex Ægypto, etsi diverso. Nam tentatio hæc contigit in deserto, diu post cædem primogenitorum in Ægypto. Vers. 20.

Tertia est hæc antithesis Hebræorum et Ægyptiorum, estque simul tacita occupatio, q. d. Dicet quis: Sicut Pharao et Ægyptii resistentes Mosi a Deo contriti sunt; sic et Hebræi, puta Core, Dathan et Abiron, eorumque symmystæ et socii: ergo par utrorumque fuit conditio, par in utrosque ira Dei. Respondet negando consequentiam. Ira enim Dei exterminavit Ægyptios ut disperderet eos; Hebræos vero dumtaxat castigavit, ut emendaret: unde

paucorum cæde sanxit cæterorum vitam, obedientiam et disciplinam. Congrue transit a Pharaone et clade primogenitorum Ægypti ad Core, Dathan et Abiron, tum quia sicut Pharao restitit Mosi, sic et Core cum suis eidem seditiose rebellavit, tum quia Core, Dathan et Abiron erant primogeniti, ideoque prætendebant sibi deberi Pontificatum, quem Moses contulerat Aaroni fratri suo, eo quod in lege naturæ primogeniti fuissent sacerdotes; tum quia cæsi sunt ab angelo percutiente, æque ac primogeniti Ægyptiorum. Historia fuse narratur Num. 16. nimirum cum Core, Dathan et Abiron ambientes Pontificatum rebellarunt Mosi et Aaroni, Mose Deum invocante, vivi a terra absorpti descenderunt ad inferos: alii pariter eis adhærentes numero 250. cælesti igne afflati interierunt. Quocirca totus populus murmuravit contra Mosem et Aaronem, dicens: Vos occidistis populum Domini; qua de causa Deus ignem in populum immisit, qui quatuordecim millia et septingentos combussit; cumque serperet incendium, ut plures combureret, Aaron iussu Mosis inter occisos et vivos medium se statuens, orans et thurificans stitit plagam, iramque Dei sedavit. Vide dicta Num. 16.

IUSTOS.) Ita vocat Hebræos fideles, utpote Dei cultores, et ad iustitiam vocatos, ut superius dixi.

TENTATIO MORTIS.) Ergo tentatio hæc non fuit sollicitatio ad peccatum, sed pœna peccati, puta invasio mortis, qua mors invasit et corripuit iussu Dei Core, Dathan et Abiron cum sociis, ac cæteros Hebræos invadere destinabat; quibus tentatio hæc fuit comminatio, et discrimen mortis intentatum ab angelo puniente. Unde Nannius: Tentatio, inquit, græce πεῖρα, idem est quod periculum mortis. Sic enim dicimur tentari febre, catarrho, calculo, id est periclitari, exagitari, cruciari febre, etc. iuxta illud Horatii:

Cum latus aut renes morbo tentantur acuto,

id est, periclitantur, cruciantur. Triplex ergo est tentator et tentatio. Dæmon enim tentat hominem, ut ad peccatum alliciat; Deus tentat, ut hominis animum, fidem et virtutem probet; mors tentat, ut occidat et perire faciat; unde a *perire* dictum est *periculum*. *Tentatio mortis* ergo est plaga mortifera Core cum sociis et Hebræis murmurantibus a Deo immissa.

COMMOTIO.) Græce θραῦσις, id est, confractio, concussio, quassatio, quo nomine plagam hanc vocant Septuag. Numer. 16. et Ps. 105. 30. Ita vocatur plaga immissa in populum ob cultum Beelphegor, quam, suo zelo occidens principem durcemque sceleris, sedavit Phinees. Num. 25 1.

Vers. 21. PROPERANS ENIM HOMO SINE QUERELA DEPRECARI PRO POPULIS, PROFERENS SERVITUTIS SUÆ SCUTUM ORATIONEM, ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS RESTITIT IRÆ. ET FINEM IMPOSUIT NECESSITATI, OSTENDENS QUONIAM TUUS EST FAMULUS.) Narrat modum quo cohibita est plaga, scilicet quod Aaron Pontifex iussu Mosis orando, et thymiama offerendo restiterit iræ Dei, plagamque ignis stiterit, ne plures afflaret. *Homo sine querela*, græce ἄμεμπτος, id est, irreprehensibilis, quia scilicet Aaron inculpate vivebat, et sancte Pontificis munus obibat.

DEPRECARI PRO POPULIS.) Græce προεμάχησε, id est *propugnavit*, sicque legunt nonnulli Codices Latini. Porro arma Pontificis sunt, non gladii et bombardæ, sed oratio et thymiama, ut sequitur: hisce enim pugnat pro populo contra iram et vindictam Dei, eamque expugnat.

PROFERENS SERVITUTIS, græce λειτουργίας, id est liturgiæ, sive publici sui et sacerdotalis ministerii SCUTUM,) puta *orationem*: nam λῄτος, est *publicus*, ἔργον *opus*: unde λῃτουργος et λειτουργος, est publicus minister, publicum obiens opus, puta sacerdos sacrificans pro toto populo.

ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS.) Perperam nonnulli legunt; *alligans*. *Allegans*, græce κομίζων, id est adducens, afferens, offerens, et mittens ad Deum; græce est: *Et thymiamatis propitiationem*, vel *placationem offerens*. Hinc petita est prisca thuribuli benedictio,

Benedictio thuribuli.

quæ habetur in vetere ordine Romano; sic enim habet: *Domine Deus, qui dum filios Israel in deserto murmurantes, ob rebellem suam audaciam, durum castores incendium, Aaron sacerdotem tunc orantem, arrepto de igne altaris thuribulo tibi incensum ponentem exaudire, eosque de incendio liberare dignatus es; benedic, quæsumus, hoc thuribulum, et præsta, ut quoties thus in eo adolebitur, votum populi tui tibi boni odoris efficias, atque fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, et immundarum abscessio cogitationum. Per Dominum, etc.*

RESTITIT IRÆ DEI.) Græce ἀντέστη θυμῷ, id est ex adverso stetit, contendit, opposuit se iræ Dei, eamque expugnavit et cohibuit. Talis ergo sit sacerdos, tantæque virtutis et meriti, ut iræ Dei in populum grassanti sese medium interponere et opponere, eamque cohibere valeat.

FINEM IMPOSUIT NECESSITATI.) Græce τῇ συμφορᾷ, id est, calamitati et plagæ incendii. Sic Noe *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Eccl. 44. v. 17. quia scilicet sua sanctitate et oratione stitit diluvium toti orbi immissum. Sic S. Leo Attilam flagellum Dei ab Italia suis meritis avertit; S. Gregorius pestem acerrimam suis litaniis sedavit; S. Sylvester infidelitatem et persecutiones decem Imperatorum compescuit, dum Constantinum Magnum sanavit, convertit et baptizavit. Vide qua ratione Moses restiterit iræ Dei, volentis perdere Hebræos ob adoratum vitulum aureum, Exodi 32. v. 10. et sequent. Ex adverso de falsis Prophetis graviter queritur Deus per Ezechielem cap. 13. v. 5. dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*. Vide ibi dicta.

Sancti resistunt iræ Dei. Exempla.

Præclare S. Nazianz. Orat. 1. Sacerdotis dignitatem describens: « Quis est, inquit, qui cum angelis stabit, cum archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, et ut id quod maius est dicam, Deus erit aliosque Deos efficiet? »

VICIT AUTEM TURBAS, NON IN VIRTUTE CORPORIS, NEC ARMATURÆ POTENTIA, SED VERBO ILLUM, QUI SE VEXABAT, SUBIECIT, IURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM COMMEMORANS.) Græca: *Vicit autem vastatorem, non viribus corporis, nec armorum efficacia, sed verbo punientem subiecit, iuramenta patrum et testamenta commemorans.* Vers. 22.

Pro *turbas* Noster cum Romanis legit ὄχλον, id est *turbam*, vel *turbas*; iam Compl. Reg. et Vaticani legunt ὀλοθρεύοντα, id est *vexatorem*, uti omnes legunt v. 25.

Primo ergo per *turbam* vel *turbas* accipiae turbationem et tumultum populi, sive multitudinis murmurantis contra Mosem ob stragem Core, Dathan, Abiron, ac 14700. e plebe combustorum, q. d. Aaron sedavit hunc tumultum populi robore, non corporis, nec armorum, sed orationis, qua Deum flexit ad amovendum ignem et incendium, ob quod murmurabat et turbas movebat populus. Addit Cantacuzenus Aaronem, gravi oratione habita ad populum, eius tumultum compescuisse.

Secundo, per *turbas* accipias plagam ignis, quæ turbabat populum; hanc enim vi orationis repressit Aaron.

Tertio, per *turbas* accipias angelum turbantem, id est punientem et vexantem populum per incendium a se immissum. Unde Græci habent ὀλοθρεύοντα, id est vastatorem; et hunc mox exprimit subdens, *eum qui se vexabat*, q. d. Aaron suo λόγῳ, id est sermone, quem orando ex intimo cordis affectu ad Deum effudit, cohibuit angeli vastationem et plagam ignis, quæ se, id est, populum suum vexabat et puniebat. Græce enim est κολάζοντα, id est punientem; sic Iacob luctatus cum angelo, lacrymis et oratione eum flexit et vicit, indeque dictus est Israel, id est *dominans Deo*, id est angelo Dei vicario, Genes. c. 32. v. 28. Fieri etiam potest ut Aaron ardore fidei animose se converterit ad angelum, ipsumque ignem, eique nomine Dei imperarit ut cessaret a plaga. Sicut S. Michael altercans cum dæmone de corpore Mosis imperavit ei silentium dicens: *Imperet tibi Dominus*, ut ait Iudas in epist. v. 9. Hic angelus vel fuit bonus (solet enim Deus per bonos exsequi sua iussa tam iræ et vindictæ, quam gratiæ et beneficentiæ, ut patet passim ex Daniele, Zacharia et Apocalypsi, præsertim c. 5. et 16.) vel potius fuit malus et dæmon, tum quia vocatur vastator, vexator, extermi-

Angelus percutiens bonus ne an malus?

nator, quem Aaron devicit, sibique subiecit; tum quia v. ultimo dicitur extimuisse Aaronem sacerdotem; tum quia Deus dæmonibus quasi lictoribus crebro utitur ad puniendum impios potius, quam angelis bonis, iuxta illud Psal. 77. 49. *immissiones per angelos malos.*

Arma sacerdotis sunt preces. Moraliter hic disce arma sacerdotis esse orationem et sacrificium, eaque validissima: unde his Moses vicit Amalec, Exodi 17. Quocirca Paulus militem Christianum panoplia, id est, omni armatura a capite ad talos obarmans: *Galeam*, inquit, *salutis assumite, et gladium spiritus* (*quod est verbum Dei*) *per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu; et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione, pro omnibus sanctis et pro me, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Sic S. Ambros. tract. de Basilicis non tradendis, asserit sua et sacerdotis arma contra milites invadentes, esse preces cum lacrymis. Et S. Ephrem, sermone de Panoplia spirituali, orationem vocat *arcum*, quo sagittas ignitorum desideriorum ad Deum emittimus, quibus hostes confugimus. Unde Orig. hom. 11. in Exodum ubi orationi adaptat id quod Balac de Hebræis dixit, iuxta Septuag. 22. 4. *Nunc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro, sicut ablingeret vitulus virentia de campo:* ita ut ablingere denotet orationem lingua formatam: per quod, ait ille, ut a maioribus accepimus, indicatur populum Dei, non tam manu et armis, quam voce et lingua pugnare, id est orationem ad Deum fundendo. Hue facit illud Ps. 19. 8. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus*, q. d. Nostri equites, nostri falcati currus, nostra arma sunt invocationes Dei, ac preces, quas velut ignita tela in hostes intorquebimus. Nil ita dæmonem vincit æque ac tentationes, atque oratio. Unde S. Cypr. ep. 57. *Incumbamus*, ait, *gemitibus assiduis et deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cælestia, quæ stare et perseverare fortiter faciunt: hæc sunt munimenta spiritualia, et tela divina, quæ protegunt.* Est ipsa quasi armamentarium Ecclesiæ, ad quam accurrunt celeriter iusti, cum volunt adversus vitia et peccata pugnare. Imo est velut generalis quædam officina, in qua vita spiritualis invenit quidquid ad se *conservandam et augendam et tuendam opus habet.* Ita noster Lorinus. Quocirca Cassian. Coll. 9. c. 1. *Omnis*, ait, *Monachi finis, cordisque perfectio ad iugem atque indiruptam orationis perseverantiam tendit, et quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem.*

Denique *oratio* est *oris ratio*, ait S. Hier. ep. 139. ad Cyprian. quia ratio per oris sermonem se prodit, multo magis per orationem ad Deum fusam. Oratio enim homini a Deo pro ratione data est, quia quod ratio peccato obscurata non assequitur, hoc oratio ad Deum fusa consequitur.

ILLUM QUI SE VEXABAT.) Græce τον κολαζοντα, id est punientem, torquentem, castigantem, puta ignem, vel potius angelum per ignem, *se*, id est illos, puta Hebræos; vel *se*, id est suum populum, cuius plagam intimo cordis dolore per compassionem sentiebat, sibique arrogabat Aaron Pontifex, æque ac Paulus dicens: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Corinth. 11. 29.

IURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM, græce διαθηκην, id est pactum, COMMEMORANS.) q. d. Aaron orans Deum pro venia allegavit pacta a Deo cum patribus, Abraham, Isaac et Iacob inita, quibus Deus promiserat se fore eorum ac posterorum Deum protectorem, liberatorem, provisorem, etc. strinxit ergo Deum suis ipsius pactis et iuramentis, quibus eum vicit, et veniam populo impetravit.

Vers. 25. CUM ENIM IAM ACERVATIM CECIDISSENT SUPER ALTERUTRUM MORTUI, INTERSTITIT, ET AMPUTAVIT IMPETUM, ET DIVISIT ILLAM QUÆ AD VIVOS DUCEBAT VIAM.) Græce: *Acervatim enim iam mortuis iacentibus aliis super alios, in medio stans præcidit iram, et interrupit ad vivos viam.* Sensus patet, q. d. Cum incendium grassaretur in populum murmurantem, Aaron interstitit, id est inter incendium et incensos ac populum reliquum adhuc vivum, medium se stitit, atque orando illud inhibuit, ne ulterius in populum proserperet, itaque *divisit* (perperam nonnulli legunt, *dimisit*) *illam quæ ad vivos ducebat viam*, q. d. interclusit igni viam, ne a succensis et mortuis ad vivos progrederetur; stitit ergo se medium inter vivos et mortuos, ut vivos ab igne et incensis disparceret, eosque illæsos et intactos conservaret. Unde S. Hieronymus, in cap. 13. Ezech. ait Aaronem adversus ignem Israelis populum devorantem occurrisse, et stetisse medium, et opposuisse se murum pro salute populi.

Allegor. Aaron hic expressus fuit typus Christi mediatoris. Audi S. Ambrosium epist. ad Felicem Comensem Episcopum, quæ in editione Romana ordine est 60. « Ubi Christus, inquit, ibi omnia; ibi doctrina eius, ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viventium. Et Aaron quidem semel stetit in medio eorum, obiiciens se ne mors transiret ad viventium agmina a funeribus mortuorum. Hic autem quasi verbum semper stat in singulis, quem nos non videmus intra nos, separans rationabiles virtutes a cadaveribus passionum lethalium, et pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundum venerit, ut aculeum mortis hebetaret, devoratorium eius obstrueret, viventibus æternitatem gratiæ daret, defunctis resurrectionem concederet, » etc. Hinc Christus in cruce medius inter cælum et terram pependit, seseque inter medium stitit, ut velut mediator, cælum terræ, id est homines Deo et angelis reconciliaret, utque sagittas iræ Dei vibratas in homines in seipso reciperet, ne ad homines pervenirent, sed unus ipse omnium hominum scelera in corpore suo lueret, ac vicissim in cruce, velut in arcu brachia corporis, æque ac cordis expandens, ignitas orationis et amoris sagittas ad Deum eiacularetur, quibus cor eius vulneraret, ad gratiam hominibus largiendam.

Ubi Christus, ibi omnia.

Christus in cruce medius. Cur?

IN VESTE ENIM PODERIS, QUAM HABEBAT, TOTUS ERAT ORBIS TERRARUM; ET PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULPTA, ET MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT.) Vers. 24.

Græce: *In talari enim tunica vestimenti erat totus mundus, et patrum gloriæ in quadruplicis ordinis lapidum sculptura, et maiestas tua in diademate capitis illius.* Syrus: *Quoniam vestis eius est totus populus, et honor patrum erat insculptus super quatuor ordinibus lapidum, qui erant super humeros eius* (vel et *gloriæ patrum super collum eius*) *et corona maiestatis tuæ super caput eius.* Arabicus *Quoniam totus orbis terrarum super flexus vestimentorum eius, et super collum eius lapides gemmarum insculpti.*

Pro *orbis terrarum* græce est κοσμος, id est ornatus et orbis sive mundus, qui ab ornatu nomen accepit; nec enim solam terram, sed et totum mundum veste sua repræsentabat Pontifex. Minus apte Vatabl. vertit: *Siquidem omnigenus ornatus tunicæ qua induebatur, inerat.* Dat enim causam cur Aaron Pontifex medium se stiterit inter vivos et mortuos, curque Deus ab eo permiserit se exorari, ut plagam incendii sisteret. Causa erat, quod Deus Aaronem constitueret Pontificem, id est mediatorem et deprecatorem inter se et populum, ut scilicet ipse iram Dei sisteret, populumque Deo reconciliaret; atque ut hoc visibili populo significaret, iusserat in podere, id est in veste eius Pontificia, poni symbola omnium elementorum, totiusque orbis, ut meminisset se esse mediatorem inter Deum et mundum. Rursum iusserat ut in rationali gestaret duodecim gemmas, eisque sigillatim insculpi curaret nomina duodecim tribuum Israel, ut hoc signo moneretur se omnes tribus in pectore, id est, in corde et cura gestare, ac pro eis assidue Deum deprecari debere.

PODERIS.) Est vestis talaris atque ad pedes et talos demissa, eratque Pontifici duplex: una linea communis omnibus sacerdotibus; altera hyacinthina propria Pontifici, illaque hic intelligitur, ac per eam ceteræ omnes vestes Pontificiæ. Est synecdoche. Ita S. Bonav. Hugo, Holcot et Dionys.

Poderis, id est talaris.

Dicitur poderis, απο του ποδος καταρων, q. d. pedi adaptata, eo quod usque ad pedes protenderetur.

Quæres: Quomodo in podere, id est veste Pontificis, repræsentabatur totus orbis?

In podere erat totus orbis. Quomodo?
Respondetur: Poderis hæc erat tunica texta ex lana
hyacinthina, sive violacei coloris, ut Pontifex vestem suam
inspiciens, illa moneretur cogitationem et vitam suam debere
esse cœlestem; hinc in fimbriis habebat 72. tintinnabula,
et totidem mala punica alternis inserta. Rursum tunicæ
huic imponebatur Ephod, cui ad pectus annexum erat
rationale, in quo erant 12. gemmæ, quibus inscripta
erant nomina 12. tribuum Israel. Porro quinque primariæ
erant vestes Pontificis. Primo enim induebatur femoralibus
lineis; secundo, tunica linea, quam zona succingebat;
tertio, tunica hyacinthina cum simili zona; quarto, Ephod
cum Rationali, Urim et Tummim, id est doctrina et veritas;
quinto, tiara cui affixa erat lamina aurea inscriptum
habens: *Sanctitas Iehova*. Hæc repræsentabant totum or-
Resp. bem. Nam primo, femoralia linea figurabant terram, ex
1. qua linum nascitur. Secundo, zona figurabat oceanum, qui
2. quasi zona terram cingit. Tertio, tunica hyacinthina figu-
3. rabat aerem, in qua erant mala punica, id est fulgura; et
4. tintinnabula, id est tonitrua. Quarto, Ephod varium figurabat
cœlum sidereum: duo in Ephod lapides onychini erant
duo hemisphæria, vel sol et luna; duodecim gemmæ
5. in pectore, erant duodecim signa in zodiaco. Quinto, tiara
figurabat cœlum empyreum, lamina tiaræ aurea habens
Tres huius rei causæ. inscriptum nomen Tetragrammaton, figurabat Deum o-
mnibus præsidentem; idque Primo, ut hoc suo vestitu et
1. ornatu Pontifex ostenderet se Creatoris mundi esse ministrum
et indicaret omnem creaturam Dei misericordiæ indigere;
ipseque pro ea tam habitu et veste, quam voce et
2. mente precaretur. Secundo, ut considerata universi, quam
gestat, imagine, vitam præstaret a natura non degenerem,
sed sicut elementa aliaque creata Deo per omnia o-
3. bediunt, ita obediret et ipse: ita Philo. Tertio, ut operando
sacris totum mundum, quem in veste quasi gestabat,
deprecatorem secum apud Deum allegaret. Hæc omnia
pene ex Iosepho et Philone habet S. Hieronymus
et brevissime S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 9 qui
Tropol. orbis vestium Pontificis. et tropologiam addit pari brevitate: Femoralia, inquit, significant
castitatem; tunica linea significat vitæ universæ
puritatem et innocentiam; zona moderationem discretionis;
tiara rectam intentionem, et hæc communia sunt
omnibus sacerdotibus. Pontifici vero propria erat lamina
aurea cum nomine *Iehova* significans iugem Dei memoriam
in contemplatione, quam debet habere Pontifex;
secundo, Ephod id est compassio, qua suis quasi humeris
ferat infirmitates populi; tertio, tunica hyacinthina, id est
conversatio cœlestis; quarto, rationale id est cura et cha-
Mundus est templum Dei. ritatis viscera erga subditos. Ubi nota: totus mundus est
quasi templum quoddam sanctissimum et Deo dignum, ut
aiebat Diogenes et Philo 2. de Monarchia et Lact. l. de Ira
Dei c. 14. Hinc et Baruch ait c. 3. 24. *O Israel quam magna
est domus Dei!* scilicet hic mundus in quo quasi divini
templi antistes sacerdotio functurus pro universis creaturis,
homo est constitutus, ideoque Hebræorum Pontifex
in sua veste totum repræsentabat orbem. Pontifex ergo
erat quasi legatus totius orbis ad Deum, iuxta illud Pauli:
*Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo
exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini
Deo*, 2. Cor. 5. 20. Quin et Philo loco citato asserit,
idcirco Pontificem totius mundi portasse in vestibus imaginem,
ut sciret se mundi totius esse mediatorem apud
Deum, et orare debere, non pro necessariis tantum et amicis,
sed pro toto humano genere, pro omnibus naturæ
partibus, cœlo atque elementis; atque gratias agere, supplicationesque
pro omnibus offerre omnium conditori; præterea
vita, doctrina, virtutibus in seipso exprimere universi
ordinem, ornatum, consentum, ut sit μικροκοσμος,
minoris ita mundi repræsentans in moribus imaginem,
sicut gestat in vestibus. *Hoc cultu*, inquit Philo, *Pontifex
utitur totum mundum referens ornatu mirando, vel
menti vel oculis; admonet enim Pontificem ut considerata
universa, quam gestat imagine, vitam præstet a natura*

A *non degenerem; deinde ut operando sacris totum mundum deprecatorem alleget. Decet enim ut patris sacerdos filium eius mundum hunc ad preces votaque adhibeat.* Idem Philo libr. de Somniis, censet idcirco Pontificem in veste gestare similitudinem cœli ac mundi, ut mundus una cum sacerdote operetur, et homo cum hac rerum universitate efficacius vota et sacra faciat. Vide dicta Exodi 28. ubi hasce vestes fuse ad litteram alleg. et tropol. explicui.

Sacerdotii orbis sit vestium, id est, virtutum. Tropolog. sacerdos vestire se debet orbe vestium, id est orbe virtutum, ut universis sit ornatus, itaque earum circulo velut corona cingatur et coronetur, uti paulo ante dixi. Hinc sacerdos et religiosus intuens habitum suum pullum, tonsuram, ac vestes sacras, ab iis sentiat se moneri ut gravitatem, luctum, opum contemptum, cœlestium desiderium, omnemque morum compositionem exhibeat. Hinc noster Alvarez de Paz, de Vita Spirituali, l. 4. part. 3. c. 26. In veste Aaron, inquit, totus erat orbis terrarum; quia vir per religiosum statum Deo consecratus, debet, quod ad conversationem externam attinet, omnibus,
B prout fuerit possibile, se accommodare, ut omnes ad Christum trahat, et ad virtutis amorem invitet. Sic vestitus erit discoloribus, hoc est veste quadam, quæ una cum sit, multarum virtutum necessitatem supplet et earum diversas pulchritudines defert. Sic ad exemplum Pauli omnibus omnia factus est, non mentientis actu (ut inquit Anselmus) sed compatientis affectu. Non mala aliorum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordiæ medicinæ diligentiam procurando.

PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULPTA.) Græca: Πατερων δοξαι επι τετραστιχων λιθων γλυφης, hoc est: *Patrum gloriæ*, sive *decora in quatuor ordinum lapidum sculptura.* In rationali iudicii erant quatuor ordines lapidum. In primo versu sardius, topazius, smaragdus; in secundo carbunculus, sapphirus, iaspis; in tertio ligurius, achates, amethystus; in quarto chrysolithus, onychinus, beryllus; omnes inclusi auro, et habentes nomina filiorum Israel, seu duodecim tribuum.

Magnalia patrum in rationali quomodo?
C Pro *magnalia*, græce est, δοξαι, id est, gloriæ, excellentiæ, victoriæ, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus filii et posteri iure gloriabantur. Signa ergo sacra et hieroglyphica Ægyptiorum insculpta erant in singulis lapidibus rationalis, non vero litteræ nominum Patriarcharum, sive tribuum fuerunt exaratæ, inquit Noster Hieron. Pradus initio Comment. in Ezechielem. Stemma enim Iudæ erat leo, Beniamin lupus, Dan coluber, Ioseph bos, etc. quæ eis assignavit Iacob pater in morte, singulis benedicens, Genes. 49.

Verum Exodi 28. 21. ostendi non stemmata, sed nomina ipsa tribuum gemmis fuisse insculpta, idque hoc fine, ut Pontifex ipso habitu et nominibus ostenderet se esse legatum duodecim tribuum, id est, totius populi, ac pro ea velut mediator apud Deum intercederet et supplicaret. Hæc ergo nomina vocantur δοξαι, quia magnifice magnificis gemmis insculpta erant in veste, puta in rationali summi Pontificis, quæ magna erat eorum gloria, laus, et decus.

MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS
D SCULPTA ERAT.) Vatabl. *Maiestasque tua in diademate capitis ipsius*; Syrus: *Et corona maiestatis super caput eius.* Tiara enim erat rotunda instar coronæ, q. d. Pontifex in capite gestabat tiaram cum lamina aurea, cui inscriptum erat *sanctitas Iehova*, ut meminisset se Dei divinæque maiestatis esse Pontificem, ac eius sanctitatem vita et verbo debere repræsentare. Symbolice, tiara hæc cum lamina referebat cœlum empyreum, cui præsidet Deus, ex eoque omnia subiecta sapienter et sancte moderatur; quo rursum significabatur Pontificis, velut Dei in terra vicarii, dignitatem et potestatem, superare omnem dignitatem hominum, etiam Regum et Imperatorum. Vide dicta Exodi 28.

HIS AUTEM CESSIT QUI EXTERMINABAT, ET HÆC EXTIMUIT.) Vers. 25.
Non ignis ut vult Lyran. πυρ enim, id est, ignis, est neutrius generis, ολοθρευων vero, id est, exterminator, masculini; sed angelus incendium in murmurantes Hebræos immittens, sive bonus is fuerit, sive potius malus, ut censent Hugo et Holcot. Hic enim nomen Dei tetragrammaton et ineffabile, puta *Iehova*, laminæ aureæ in-

sculptum, ac tantam Pontificis maiestatem, potestatem, orationem, et thurificationem reveritus, cessit, et ab incendio, plagaque cessavit. Reveritus ergo est ille exterminator ineffabile Dei nomen, cui universa se prosternit natura, cessit sacerdoti summo deprecanti, et mundum universum deprecatorem alleganti, ac merita gloriamque patrum ante Dominum proponenti, ut misereretur. Ita a Castro. Sic sæpe in Script. timor sumitur pro reverentia, et timere pro revereri. Nam vere reverentia non est aliud, quam religiosus timor.

Sic Alexander Magnus iratus Iudæis, cum ei obviam prodiret Iaddo Pontifex pontificalibus indutus, tanta maiestate quasi cælesti telo ictus, ac sacro horrore percussus et perculsus, eum reveritus, iram in benevolentiam vertit, uti narrat Iosephus lib. 11. Antiquit. c. 8. Idem fecit Attila Leoni Pontifici, uti habet vita S. Leonis. Vide Baron. anno Christi 452.

Codex Vatican. et alii legunt *extimuerunt*, quasi plures fuerint angeli vastatores.

A Erat enim tentatio iræ sufficiens.) Pro *tentatio*, græce non est, πειρασμός, id est, *tentatio*, sed πεῖρα, id est, *experientia* iræ sufficiebat ad correctionem, q. d. Sola erat Hebræis quod experti essent tuam iram, ut qui plagam et incendio senserant, se corrigerent, et de murmure suo pœniterent. Tentatio ergo hic idem est, quod tentamentum, experimentum, periculum, aggressio, invasio; hæc enim omnia significat, πεῖρα, q. d. sufficiebat Hebræis periculum fecisse, et expertos esse aggressionem iræ divinæ; mox enim illi cesserunt et pœnituerunt: unde noluerunt eius vim ulterius experiri; nec eius impetum usque ad internecionem desævientem amplius sentire.

Quare perperam Lyran. contraria explicat, q. d. Tentatio seditionis populi sufficiens erat ad totum eum igne perdendum, nisi Aaron supplex intercessisset. Et Hugo, q. d. Plaga ignis sufficiebat ad delendum Hebræos. Et Holcot, q. d. Timor et pavor incussus populo per plagam ignis, satis erat ad delendum murmuris crimen. Hæc enim omnia hoc loco parerga sunt.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in antithesi fidelium Hebræorum et infidelium Ægyptiorum; unde multa supplicia Ægyptiis inflicta, ac præsertim submersionem in mari rubro recenset, iisque opponit varia beneficia Hebræis collata, tum in Ægypto, tum in deserto. Unde colligit, Deo elementa omnia servire, tam ad puniendum impios, quam ad præmiandum pios, eique ad nutum obedire, ac tandem pro omnibus gratias agens librum concludit.

1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim et futura illorum;
2. Quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, et cum magna sollicitudine præmisissent illos, conse-
quebantur illos pœnitentia acti. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta
mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: et quos rogantes proiecerant, hos tamquam fugitivos
persequebantur: 4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: et horum, quæ acciderant, commemoratio-
nem amittebant ut quæ deerant tormentis, repleret punitio. 5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi
autem novam mortem invenirent. 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis
præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi. 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quæ ante erat, terra
arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio: 8. Per quem omnis
natio transivit quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra. 9. Tanquam enim equi depaverunt
escam, et tanquam agni exultaverunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos. 10. Memores enim erant ad-
huc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas,
et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. 11. Novissime autem viderunt novam creaturam avium
cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis. 12. In allocutione enim desiderii, ascendit illis de
mari ortygometra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis per
vim fulminum: iuste enim patiebantur secundum suas nequitias. 13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem in-
stituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. 14.
Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos. 15. Qui au-
tem cum lætitia receperunt hos qui eisdem usi erant iustitiis, sævissimis afflixerunt doloribus. 16. Percussi sunt
autem cæcitate: sicut illi in foribus iusti, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui
quærebat. 17. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum
sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certo potest. 18. Agrestia enim in aquatica convertebantur: et quæ-
cumque erant natantia, in terram transibant. 19. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua extinguentis
naturæ obliviscebatur. 20. Flammæ e contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium,
nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti popu-
lum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore, et in omni loco assistens eis.

Vers. 1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim et futura illorum.) Græce: *Impiis autem immisericors indignatio institit: prævidebat enim eorum et futura.* Pendent hæc a fine capitis præcedentis; pergit enim in antithesi Hebræorum et Ægyptiorum, q. d. Hebræi in seditione Core murmurantes igne puniti a Deo mox resipuerunt; quare paucorum strage cæteri cautiores evaserunt. Sola enim tentatio, id est, experientia iræ sufficiens erat ad correctionem eorum: quare plaga ignis in eos non ad extremum desævit, sed tantum modica ad eorum probationem et emendationem. At vero impiis Ægyptiis vindicta Dei usque ad internecionem, sine ulla misericordia supervenit; videbat enim Deus eorum pervicaciam, quod scilicet essent incorrigibiles, nullisque minis vel pœnis mores mutaturi es-

B sent; quare ad unum omnes mersit in mari rubro.

Quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent (id est, ut abirent ex Ægypto) et cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur (Græce διώκουσι, id est, *persequuntur*) illos pœnitentia acti.) Vers. 2.

Perperam Complut. legunt *pœnitentiæ actus*, etsi eodem redeat sensus. Actus enim pœnitentiæ fuit Ægyptiorum persecutio, ut Hebræos ad se revocarent. Græce: *Quoniam ipsi cum permisissent abire, atque cum studio præmisissent illos, pœnitentia ducti essent persecuturi*. Pendet sententia, a τὸ *prævidebat*, quod præcessit, q. d. Prævidebat Deus, quod Ægyptii, etsi ob cædem primogenitorum perculsi permitterent, imo cogerent Hebræos exire ex Ægypto, ne ob eos graviores Dei plagas sentirent, mox tamen pœnitudine ducti eos persequerentur, ut reduce-

rent in Ægyptum, uti de facto persecuti sunt usque ad mare rubrum, in quo proinde Deus omnes submersit. Lege Exodi c. 14.

Vers. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, et quos rogantes proiecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur, q. d.) Ægyptii Hebræos, quos paulo ante velut Dominos cum precibus emiserant, hos, mox mutato consilio, velut servos fugitivos persecuti sunt. Sic sæpe alibi eiicere significat emittere.

Pro *inscientiæ* Græce est, ἀνοίας, id est, stultitiæ, amentiæ: stulte enim eos persecuti sunt, quia persequendo mersi sunt in mari rubro; quare fuit hæc cogitatio *inscientiæ*, id est, insipiens, stultum et insanum Ægyptiorum consilium.

Vers. 4. Ducebat autem illos ad hunc finem digna necessitas: et horum, quæ acciderant commemorationem amittebant, ut, quæ deerant tormentis, repleret punitio.) Græce: *Traxit autem eos digna ad hunc finem necessitas, et eorum, quæ acciderant oblivionem iniecit ut quæ restabat tormentis adimplerent pœnam.*

Commemorationem.) Id est, memoriam; pro *ducebat*, Græce est εἷλκε, id est, *traxit*, q. d. Ægyptios ad hunc exitum et exitium, puta ad submersionem in mari protraxit necessitas divinæ ordinationis, seu punitionis in eos a Deo decretæ, qua scilicet decreverat Deus eos excæcare, ut dum insequuntur Hebræos per mare rubrum a Deo divisum, illius alveum ingressi revolutis in eos aquis obruerentur. Et quia priorum plagarum a Mose Ægyptiis immissarum memoria eos a persequendo Hebræos revocare potuisset, Deus illarum oblivionem illis iniecit, ut sic implerent mensuram suæ tyrannidis, suorumque scelerum, qua impleta ipse pariter repleret, id est, impleret cumulum pœnæ, omnes mergendo in mari, ac deinde in igne gehennæ. Vide dicta Exodi 14.

Necessitas exitii Ægyptiorum. 1. Nota ductum et tractum necessitatis huius, quo Ægyptii a Deo trahebantur in suam perniciem, non fuisse naturalem, antecedentem et perfectum; hic enim opponitur libertati liberoque arbitrio, sed moralem et consequentem, qui innititur certæ Dei præscientiæ, qua Deus præsciebat, quod, si ipse Hebræos poneret in arcto, puta in angustiis rupis et maris rubri, ut naturaliter evadere non possent, Ægyptii eos libere persequerentur, ut comprehenderent, etiam per mare rubrum: quo facto, ipsi ibidem necessario ex vi sui decreti, quo eos punire et mergere volebat, reipsa mergerentur et suffocarentur.

2. Rursum *digna necessitas* accipi potest commerita sors, conditio quædam cum illorum ingenio et natura coniuncta, ut fatalis quædam necessitas videri potuisset, ait Pineda libr. 6. de Rebus Salomonis, cap. 15. numer. 40. Hæc necessitas est ex parte rei, cuius culpa exigit iustam pœnam, sicut prior fuit ex parte Dei eiusque decreti ac iustitiæ vindicativæ, quæ quasi necessario poscit iustam reatus vindictam, ut iustitiæ satisfiat: prior ergo posteriori est correlativa, et antistrophæ respondet: nam culpa exigit pœnam a iustitia, et vicissim iustitia pœnam iustam culpæ reque infligit, ut non remaneat dedecus culpæ sine decore pœnæ, iustæque vindictæ: hæc enim illam adæquat et quasi obliterat.

Vers. 5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret (Græce παράδοξον ὁδοιπορίαν περάσῃ id est, *paradoxum, inopinatum mirabile iter, vel perfectionem transiret.* Vatablus et alii legunt πειράσῃ id est, tentaret. Vide dicta c. 10. 17. illi autem, Ægyptii, scilicet, novam, græce ξένον id est, peregrinam, novam, insolitam, mirandam) mortem invenirent.) Submersionis in mari rubro.

Vers. 6. Omnis enim creatura ad suum genus (id est secundum vel iuxta genus suum, id est, ut Græce, *in genere suo*) ab initio figurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.) q. d. Omnes creaturæ, quas adhibuisti ad puniendos Ægyptios, et servandos Hebræos novam induere figuram et formam, ut quæ prius extiterat talis vel talis conditionis, iam alia esse inciperet, et quasi novum esse ab initio acciperet. Explicat id exemplis columnæ, nubis, maris, mannæ, et cæterorum quæ subiicit; omnia enim hæc in gratiam Hebræorum videbantur mutare suam indolem et naturam, ut Hebræis commoda, Ægyptiis vero noxia evaderent. Unde Vatabl. vertit: *Siquidem res omnes creatæ, commissæ sibi curæ subservientes in genere suo, aliam de integro figuram, ut illæsi filii tui conservarentur, induere.* Secundo τὸ *ab initio* explicat S. Bonaventura q. d. *Creaturæ recuperarunt* eam conditionem, quam habuerunt in statu innocentiæ, scilicet ut essent innoxiæ, nec nocerent Adæ innocenti, v. g. aqua submergendo, ignis comburendo, spinæ pungendo, nubes obscurando, etc. Nam pro *ab initio*, græce est πάλιν ἄνωθεν, id est, rursum desuper, sive ex alto: vel rursus ab integro, sive ab initio; vel rursum a principio ab antiqua origine, uti erat olim in sui initio et creatione. Hæc tria enim significat ἄνωθεν Hoc tertium sequitur S. Bonavent. Et Noster a Castro: Revocabatur, inquit, creatura ad initium creationis, quasi de novo crearetur et reformaretur in gratiam Israelitarum; videbatur enim rursus reformata a Deo, a quo facta fuerat in initio. *Deserviens tuis præceptis.* Græce *propriis mandatis*, hoc est, inserviens certis et propriis officiis, quæ Deus illi ad commodum Hebræorum demandabat.

Per *refigurabatur*, græce est, ἀνετυποῦτο, id est, ad suum typum sive formam revocabatur, ad primævam suam ideam reformabatur, de novo suo typo applicabatur, ut novam formam et figuram acciperet. Typus enim sive forma rerum creaturum est idea, quæ est in mente et voluntate divina; iuxta hanc enim Deus omnia creat et recreat, format et reformat.

Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, et in mari rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio.) Græce: *Nubes castra inumbrabat; quæ autem aqua prius fuerat, sicca emergens terra visa est; e mari rubro via non impedita, et viridem herbam ferens campus e gurgite violento.* Vers. 7.

Deus creaturas transformat ad commodum piorum. Exempla.

Exemplis ostendit quod dixit, scilicet Deum in gratiam Hebræorum creaturas quaslibet transformasse, et commutasse. Primum exemplum est columna præiens castra; hæc enim formam mutabat quotidie, dum per noctem splenderet ut ignis ad illuminandum tota Hebræorum castra, per diem vero opacaretur ut nubes ad castra obumbrandum, et ab æstu solis protegendum.

Secundum est, quod *ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit: et in mari rubro via sine impedimento.* Græce: *ex prius autem existente aqua, aridæ emersio terræ visa est, vel sicca emergens terra apparuit, et ex mari rubro iter expeditum*, cum scilicet Deus per Mosem virga percutientem mare rubrum, illud divisit, ac ventum validum induxit, qui alveum eius plane siccaret, atque resectis (si quæ ibi erant) silvis, carectis, saxis, etc. illud complanavit, ut Hebræi etiam pueri, et fœminæ, sicco pede, facile, molliter et exultanter illud transirent. Unde Isaias c. 63. 13. *Qui eduxit eos*, inquit, *per abyssos quasi equum in deserto non impingentem*, q. d. Sicut equus in hippodromo, ubi omnia ad cursum æquata et complanata sunt, facile decurrit, nec uspiam impingit, sic Hebræi per alveum maris rubri a Deo complanatum, molliter transierunt. Pergit Isaias: *Quasi animal in campo descendens: Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Et Psaltes; *Et increpuit mare rubrum, et exiccatum est, et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.* Psal. 105. 9.

Huc facit quod ait Philo lib. de Vita Mosis, fundum maris rubri antea limosum, et lutosum concrevisse: *Suis mirantiis*, inquit, *induruit velut pavimentum constratum silices*, intellige quantum sufficiebat ad firmandos et solidandos in eo gressus, dum alioqui erat instar campi germinantis, ut sequitur.

Magnum hoc fuit prodigium et beneficium quo Moses virga sua, sive baculo suo secuit, et stitit aquas maris rubri in gratiam Hebræorum.

Simile fecit S. Sabinus Episcopus Placentinus, qui Padum restagnantem litteris ad eum scriptis in suum alveum repulit, de quo audi S. Gregor. 3. Dialog. cap. 10. « Sabinum fuisse asserunt miræ virtutis Episcopum. Cui S. Sabinus Padum repulit.

dum die quadam suus diaconus nuntiasset, quod cursus sui Padus alveum egressus Ecclesiæ agros occupasset, totaque illic loca nutriendis hominibus profutura aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vitæ Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade et dic ei: Mandat tibi Episcopus, ut te compescas, et ad proprium alveum redeas. Quod diaconus eius audiens despexit et irrisit. Tunc vir Dei accersito notario dictavit, dicens: Sabinus Domini nostri Iesu Christi servus, commonitorium Pado: Præcipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut de alveo tuo in locis istis ulterius non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Atque eidem notario dicens subiunxit: Vade, hoc scribe, et in aquam eiusdem fluminis proiice. Quo facto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alveum reversa, exire ulterius in loca eadem non præsumpsit. Qua in re Petre, quid aliud quam inobedientium hominum duritia confunditur? quando in virtute Iesu, et elementum irrationale sancti viri præceptis obedivit.

S. Attala Bobium. Simili modo S. Attala Abbas Bobiensis, cum Bobius fluvius Monasterii molendinum alluendo suffoderet, Sinoaldo Diacono dixit: *Sumpto baculo quo sustentor, vade ad Bobium fluvium, et facto crucis signo dicito illi, ut has ripas desinat perfodere.* Quod cum fecisset, fluvius obediens recessit, et ad adversam molendini ripam cursum inflexit. Ita Surius in vita eius, et Philip. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad diem 10. Mart.

S. Greg. Thaum. paludem. Denique S. Gregor. Thaumaturg. quem S. Basilius Mosi comparat, paludem inter fratres causam discordiarum exsiccavit, ac Lycum fluvium perniciose agros inundantem ad ripam, quo sustentabatur baculo, qui statim vivantem evasit in arborem, coercuit, ut postea ultra eum terminum non effluxerit, uti refert S. Greg. Nyss. in eius vita.

Ex dictis patet, Hebræos non ambulasse super mare, sed in fundo maris sicco. Quare quod canit Tert. l. 2. contra Marc. c. 3 — *Calcavit fluctus, hostes demersit in undis.* Poetice dictum est *calcavit*, id est, superavit fluctus maris iam divisi; perinde ac si pedibus eos calcasset.

Et campus germinans de profundo nimio.) Græce: *Et viridem herbam ferens campus e gurgite violento*, vel *ex tempestate vehementi.* Vatabl. *Et herbosus e fluctu violento campus.* Unde Poeta:

Prosilit herbosus violento e gurgite campus;

Syrus: *Et conculcata est via in mari rubro, et planities plena omni herba occurrit illis;* Arabicus: *Et de gurgite profundo campus distinctus varietate herbarum;* Nonnius: *Herbiferus campus ex undis procellosis gignebatur.* Primo, S. Bonavent. Lyran. Holcot, et Iansen. censent hæc figurate dici per hyperbolem, ac tantum significare, quod via illa in mari rubro fuerit Hebræis loco campi germinantis, eo quod cum summa alacritate et lætitia per eam transierint. Simili schemate Baruch lætitiam Hebræorum redeuntium e captivitate Babylonica depingens c. 5. ait: *Obumbraverunt autem et sylvæ, et omne lignum suavitatis Israel mandato Dei. Adducet enim Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia et iustitia, quæ est ex ipso.* Vide ibi dicta.

Mare rubrum Hebræis fuit quasi campus floridus.

In maris fundo sunt sylvæ. Secundo, magis proprie et germane Syrus, Arabicus et alii censent, alveum maris rubri vento siccatum apparuisse herbosum et floridum, instar campi germinantis et vernantis, et Hebræis transeuntibus illud in Paschate, quando ver est, quo omnia virent, florent et vernant, miram amœnitatem, odoris suavitatem et iucunditatem afferret. Nam in fundo maris, præsertim rubri germinat alga, herbæ et flores, quin et lauri, arbores, ac sylvæ, uti docet Plinius l. 13. c. 25. *Nascuntur*, inquit, *et in mari frutices, arboresque minores in nostro. Rubrum enim, et totus Orientis Oceanus refertus est sylvis.* Et nonnullis interiectis: *Eodem tractu insularum sylvas operit æstus, quamquam altiores platanis populisque altissimis. Folia iis lauri, flos violæ et odore et colore. Baccæ ut oleis, et ipsæ odoris iucundi autumno nascentes, foliis nunquam deciduis. Harum minores totas integit mare: maximarum cacumina exstant, ad quæ naves religantur: et cum recessit æstus, et radices. Alias quoque arbores in alto ab iisdem accepimus eodem in mari visas, semper folia retinentes, fructu earum lupino simili.* Accedunt recentiores et novi orbis repertores, qui narrant Parium mare herbis florentibus sic implicitum, quasi coronatum et concatenatum esse, ut navigari nequeat, lingua adeo longis, ut a radice ad cacumen numerentur palmi sexaginta, ac quocumque vertuntur fluctus, eodem pariter converti herbas et flores, ut fluctus herbarum potius et florum, quam aquarum et maris esse videantur. Ita Ovet. lib. 2. c. 5. et Simon Maiol. colloq. 10. et ex iis Pineda in Iob. cap. 26.5.

Porro Deus Hebræos deduxit in mari rubro ex parte et loco, qua maior erat planities ac lætissima herbarum viriditas, florum amœnitas, atque minor copia arborum et sylvarum; hæ enim iter tantæ multitudinis, ac multo magis equitum et curruum Pharaonis insequentis impedivissent et retardassent. Tacet hoc Moses Exodi 14. sed multa hic supplet Sapiens, quæ ibi reticentur.

Denique, Sapiens hic significat Deum in gratiam Hebræorum mira patrasse prodigia, omnesque creaturas transformasse, ut eis beneficæ forent, ac voluptatem afferrent. Quare plane verisimile est eum effecisse, ut transitus eorum per alveum maris adeo læti, qui alias fuisset difficilis, utpote arenosus, lutulentus, et glaber, germinantibus herbis et floribus eis esset amœnus, hilaris et iucundus, ne, ut alias, itineris tam longi et fastidiosi eos tæderet. Hæc est suavis benigna et munifica Dei nostri erga suos providentia, providaque cura: ita nostri, a Castro, Lorinus, et Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis c. 13. num. 6. Nec ad hoc opus erat miraculo. Sufficiebat enim alvei maris rubri natura et conditio, uti ex Plinio dixi.

Per quem omnis natio (gens Hebræorum) transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes (singuli e natione sive gente hac) tua mirabilia et monstra.) Vers. 8.
Græce: *Per quem tota gens transierunt, quæ tua manu protegebantur conspicientes miranda portenta*, scilicet maris rubri divisi dissectique, columnæ nubis præeuntis, item angeli medium sese inter Hebræos et Ægyptios interponentis, ac in hos iaculantis fulmina, quibus currus, equos, et equites prostravit, et mersit in mari rubro. Exodi c. 14.

Tamquam enim equi depaverunt escam, et tamquam agni exsultaverunt magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.) Vers. 9.
Græce: *Tamquam enim equi hinnierunt, et quasi agni exsultaverunt laudantes te, Domine, qui liberasti ipsos;* Arabicus: *Quoniam depasti sunt velut equi, et exsultaverunt tamquam tauri, glorificantes te, o Domine, qui liberasti eos.* Legit Noster cum Complut. Reg. et Vatican. [illegible], id est, *pasti sunt*, pro quo alii legunt [illegible], id est, *hinnierunt.* Sensus est, q. d. Hebræi transeuntes mare rubrum herbis floribusque germinans et vernans, videntes Ægyptios in eo mersos, mire gavisi sunt, et exsultaverunt instar agnorum salientium, et equorum hinnientium, præsertim cum mox a transitu, in deserto arido viderunt sibi assidue paratam a Deo escam suavissimam, scilicet manna et coturnices, quam avidissime et iucundissime depasti sunt: conglomerat enim hic Sapiens beneficia et miracula a Deo præstita Israel, ideoque ab uno salit ad aliud, licet diverso loco et tempore editum, nimirum a transitu maris rubri salit ad coturnices, unde eas mox nominat v. 11. et ad manna: hoc enim celebrat v. 20. Alludit ad equos depascentes gramina in campo, et agnos in eo exultim ludentes. Nam v. 7. herboso campo comparavit alveum maris rubri, q. d. Tam læte et festive gaudentes et epulantes Hebræi transierunt alveum maris rubri, quam equi transeunt per campos et prata herbis florida, quæ ipsi avide depascuntur, quamque agni in iisdem gaudent et exsultant. Simili enim modo Hebræi in transitu maris rubri herbis, floribus, rebusque omnibus ad eorum voluptatem, gustumque comparatis, quasi escis pasti et recreati sunt. Forte enim piscibus, ostreis, pomis et fructibus, etc. in mari rubro inventis, et a Deo præparatis proprie pasti sunt. Sicut enim Deus Hebræis paravit mensam in deserto. Psal. 77. 19. sic et parare potuit in mari rubro.

Denique per catachresin *pasti sunt*, id est, velut equi bene pasti et saginati exsultarunt, et ut nonnulli legunt

ἐχρεμέτισαν, id est, *hinnierunt*, id est, gaudentes et iubilantes hymnos Deo cecinerunt, ac præsertim Canticum Mosis, quod hac de re exstat Exod. c. 15. Maxime autem notat manna et coturnices, ut dixi. Sicut enim herba in campo ab equis et agnis, utpote mitibus et lanigeris animalibus, ideoque benigni dentis, carpta et depasta mox repullulat et renascitur; depasta vero a feris, utpote veneneti dentis non regerminat, sed tabescit, et velut enecta a virolento dente in radice arescit: Sic pariter Israeli fideli et pio collectum, et quasi depastum in campo manna quotidie recrescebat et renascebatur, cum impiis et virulentis Ægyptiis omnia tabescerent, exarescerent et perirent, iuxta illud Prov. 21. 20. *Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti; et imprudens* (impius) *homo dissipabit* (Hebr. *depascet*) *illud.* Sensus ergo est, q. d. Hebræi in vasta solitudine cibo cælesti, puta manna pasti et lautissime enutriti, exsultarunt instar equorum et agnorum, qui in pinguissimis et amœnissimis pratorum pascuis trifolia sibi cupidissima depascuntur.

Porro insulsum est, quod ait Holcot: *depaverunt, id est, audacter et sine pavore se habuerunt.* Minus recte quoque Lyran. et Dionys. *depaverunt*, inquiunt, id est, diripuerunt arma et spolia Ægyptiorum mersorum in mari rubro: arma enim non erant esca.

Denique portentum hoc divisi maris rubri, et transitum Israelis celebrans Psaltes Psal. 113. sic canit: *Montes exsultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium*, quod S. Basil. sic exponit: Per hyperbolem montes tripudiantes et lætantes inducit, ut magnitudinem gaudii Hebræorum significet. Sic et Euthymius, multique alii. Rabbini

Montes exsilierunt Hebræis transeuntibus

tamen ad litteram ut iacet accipiunt. Tradunt enim Montem Sina terræ motu concussum se vertisse, et curvasse super Hebræos instar Tinæ, eisque applausisse, inquit R. Isaac apud Genebrardum in Ps. 113. et Genebrardus: ob maris, inquit, et Iordanis exsiccationem tam stupendam vicini montes quasi tripudiarunt, partim admirantes prodigium, partim gratulantes populo; quin et Theodor. Montes, inquit, id est, Mons Sina cum suis collibus et iugis partim præ gaudio divinæ præsentiæ *gestiit*, ut legit S. August. et Roman. partim præ metu et reverentia contremuit et subsiliit, cum Deus in eo Israeli paulo post transitum maris rubri daret legem, ut patet Exodi 19. 18 *Erat*, inquit, *omnis mons terribilis.* Chald. *contremuit totus mons.* Pagnin. *Et commotus est mons valde* Vatabl. *Et totus mons vehementer contremuit.* Sic et Hebræi. Unde et sequitur in Ps. 113. *Terra mota est.* Aquila *parturiit.* S. Hieron. *contremiscit*, scilicet ut parturiens. Hebr. enim est חולי *chuli*, id est, *instar parturientis contremuit.* Tropolog. S. Aug. S. Hier. et Cassiod. in Ps. 113. Cum inquit, conversi sumus a vanitate ad veritatem, a creaturis ad creatorem: mare fugit, id est, omnia sæculi impedimenta cesserunt; terra, id est, terrenum hominis cor pœnitentia compunctum et commotum est: montes et colles gestierunt, id est, Apostoli et prædicatores exsultarunt conversione gentium, spe cælestis gloriæ, et reverentia Dei.

Vers. 10. MEMORES ENIM ERANT ADHUC EORUM, QUÆ IN INCOLATU ILLORUM FACTA FUERANT, QUEMADMODUM PRO NATIONE ANIMALIUM EDUXIT TERRA MUSCAS, ET PRO PISCIBUS ERUCTAVIT FLUVIUS MULTITUDINEM RANARUM.) q. d. Hebræi exsultaverunt, tum quia magnifice a Deo habiti et pasti, tum quia memores erant, quanta paulo ante pro eis contra Ægyptios Deus portenta patrasset, in *incolatu*, cum scilicet adhuc incolerent Ægyptum, dum pro *natione animalium*, Græce γενέσεως, id est, fœtu, sobole vel generatione pecorum, terra produxit muscas, ac Nilus fluvius *pro piscibus*, Græce, pro *aquatilibus*, dedit copiam ranarum, quæ omnes Ægyptiorum domos, mensas et lectos oppleverunt et conspurcarunt. Vide dicta Ex. 8. 4. et sequent. Pro *in incolatu* græce est ἐν παροικίᾳ, id est, *in peregrinatione vel peregrinitate* sua, puta in Ægypto, in qua peregrini erant et peregrinabantur Hebr. iuxta oraculum a Deo Abrahæ datum Genes. c. 15. v. 13.

Vers. 11. NOVISSIME AUTEM VIDERUNT NOVAM CREATURAM AVIUM, CUM ADDUCTI CONCUPISCENTIA POSTULAVERUNT ESCAS EPULATIONIS.

Vers. 12. IN ALLOCUTIONE ENIM DESIDERII, ASCENDIT ILLIS DE MARI ORTYGOMETRA; ET VEXATIONES PECCATORIBUS SUPERVENERUNT, NON SINE ILLIS, QUÆ ANTE FACTA ERANT, ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM; IUSTE ENIM PATIEBANTUR SECUNDUM SUAS NEQUITIAS.) Græce: « In novissimo autem viderunt et novam generationem avium, cum concupiscentia adducti postulassent cibos deliciarum. Nam ad consolationem eorum ascendit de mari ortygometra; ac supplicia peccatoribus supervenerunt, non sine factis signis vi fulminum; iuste enim patiebantur suis nequitiis. »

NOVISSIME.) Græce ἐφ᾽ ὑστέρῳ, id est, deinde, postea. Hebr. enim אחר *achar*, significat sequens, posterius, quod Noster vertere solet *novissimum.* Explicat escam, quam depaverunt Hebræi, scilicet eam fuisse coturnices sapidas et delicatas.

NOVAM CREATURAM.) Ita vocat coturnices nove a Deo productas, et in desertum adductas, quæ novi et exquisiti erant saporis, æque ac magnitudinis et pinguedinis, ita S. Bonavent. Unde eas vocat *escas epulationis.* Græce *escas deliciarum*, id est, delicatas, quæ in epulis lautioribus solent apponi ad epulandum delicate et voluptuose.

IN ALLOCUTIONE.) Græce εἰς παραμυθίαν, id est *in consolatione.* Allocutio enim itinerantis et laborantis est solatium itineris et laboris.

ORTYGOMETRA.) Ita vocatur coturnicum dux indeque agmen, uti dixi c. 16. 2.

VEXATIONES) τιμωρίαι, id est supplicia quæ irrogantur ad vindicandum τιμήν, id est honorem, ait Gellius l. 6. 14 puta Dei hoc loco quem læserant Ægyptii, Deo et Mosi rebellantes.

NON SINE ILLIS, QUÆ ANTE FACTA ERANT, ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM.) Ita Roman. et Græca; male ergo nonnulli legunt, *fluminum.* Transit, vel potius redit ad ultimam plagam Ægyptiorum, qui cum Pharaone mersi sunt in mari rubro, q. d. Ultima hæc plaga eis inflicta fuit post præcedentia argumenta iræ Dei, quia scilicet antequam Deus eos mergeret, iaculatus est in eos tonitrua et fulmina, quibus currus eorum, equos et equites subvertit, uti dixi Exodi 14. 25.

Audi Iosephum lib. 2. Antiq. c. 7. « Ergo cum iam universus exercitus introgressus esset, refunditur iterum mare, et Ægyptios fluctibus involvit, ventis etiam eodem impellentibus: accesserunt et imbres de cælo, et asperæ tonitrua fulguribus simul intermicantibus, fulmina quoque deferebantur, ut nihil omnino deesset eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. »

Aliqui censent hæc dici de Sodomitis: in hos enim Deus e cælo iaculatos fulmina, eos igne cælesti sideravit. Verum durior est tantus tamque subitus iste saltus, ut subito ab Ægyptiis transiliat ad Sodomitas: ad eos tamen alludit. Tacite ergo confert Ægyptios cum Sodomitis, q. d. Sicut olim Dominus *pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur, et ignem a Domino de cælo, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem.* Genes. 19. 24. Sic pariter in Ægyptios iaculatus est fulmina et ignes cælestes, quibus castra eorum subvertit in mari rubro, idque ob similes eorum nequitias præsertim inhospitalitatis, qua in suos hospites barbari erant et truculenti, uti sequitur.

ETENIM DETESTABILIOREM INHOSPITALITATEM INSTITUERUNT: ALII QUIDEM IGNOTOS NON RECIPIEBANT ADVENAS: ALII AUTEM BONOS HOSPITES IN SERVITUTEM REDIGEBANT) Vers. 13.
Inhospitalitatem accipe non negativam, sed positivam; græce enim est, μισοξενίαν, id est, odium *hospitalitatis et hospitum.* Pro *instituerunt*, græce est ἐπεδείξαντο id est, *exercuerunt.* Pro *ignotos*, græce est ἀγνοοῦντας id est, *ignorantes*, qui scilicet non norant ipsos, nec ab ipsis erant cogniti, q. d. qui nullum cum eis commercium habebant, unde nec in eos benefici exstiterant. Unde Noster apte vertit *ignotos.* Vatabl. vertit: *Nam alii eos qui errabant apud se, vel ignotos non recipiebant.* Osorius: *Nam vel homines tantæ immanitatis ignaros non recipiebant.* Pro *advenas* Noster legit παριόντας, iam legunt παρόντας, id est, *præsentes.* Pro *bonos*, græce est, εὐεργέτας, id est, *benefactores*

Comparativus *detestabiliorem* significat hic comparatio-

nem institui inter inhospitalitatem Ægyptiorum et Sodomitarum, ad quam v. præcedenti allusit, ut dixi. Sensus ergo est, q. d. Sodomitæ sibi lauti, aliis fuere crudeles, ac præsertim in hospites duri et sævi. Unde Ezechiel cap. 16. 49. *Ecce,* inquit, *hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum eius, et manum egeno et pauperi non porrigebant.* Sed tamen magis inhospitales fuere Ægyptii: Nam Sodomitæ angelos hospites missos ad Lot Gen. 19. non receperunt hospitio utpote ignotos, quia ignorabant eos esse angelos, ac nullum cum eis commercium habuerant, nec ullum sciebant ab eis se recepisse beneficium. At vero Ægyptii *bonos,* Græce *benefactores* hospites, puta Hebræos, a quibus multa receperant beneficia, ac imprimis a Ioseph, qui totam Ægyptum in fame aluit et ditavit, Genes. 41. 47. et sequent. in *servitutem redigebant,* iisque quasi mancipiis ad agros colendos, ad Nili alveos et fossas repurgandas, ad piramides extruendas, etc. tyrannice abutebantur. Quocirca magis puniti fuere a Deo inhospitales Ægyptii, quam Sodomitæ: hi enim solo igne, illi vero igne et aqua siderati sunt, cum fulminibus icti, mersi sunt in mari rubro. Hanc comparationem plane significant Græca, quæ sic habent: *Nam et graviorem inhospitalitatem exercuerunt: illi enim ignotos non recipiebant præsentes: hi autem bene meritos hospites in servitutem redegerunt:* ubi τὸ *illi* opponitur τῷ *hi: illi,* scilicet Sodomitæ; *hi,* scilicet Ægyptii.

Busiris hospites immolabat. Porro quam Ægyptii fuerint in hospites sævi, liquet ex Busiride Pharaone, qui Thasium immolavit ad arcendam Ægypti sterilitatem: idem faciebat cæteris hospitibus, teste Eusebio in Chron. et S. August. lib. 18. de Civit. c. 12. *Illo,* ait, *tempore* (quo Danaus imperabat Argivis, Athenis Minos, Atticæ Herichthonius, Græciæ Dionysius sive Liber Pater, Hebræis Moses et Iosue) *vel rex, vel potius tyrannus Busiris, suis Diis suos hospites immolabat, quem filium Neptuni perhibent;* qua de causa ab Hercule occisus est. Unde et Virgil. Georg. 3.

——*Quis,* ait, *aut Euristhea durum,*
Aut illaudati (id est infamis) *nescit Busiridis aras?*

Idem patet ex crudelitate, quam Ægyptii exercuerunt in Mosen et Hebræos hospites, Exodi 1. et sequent. atque ex iis, quæ de Ægyptiis narrant Arnob. lib. 8. contra Gentes, Minutius in Octavio, Diod. Sicul. lib. 2. c. 4. et alii.

Vers. 14. ET NON SOLUM HÆC, SED ET ALIUS QUIDAM RESPECTUS ILLORUM ERAT, QUONIAM INVITI RECIPIEBANT EXTRANEOS.

Vers. 15 QUI AUTEM CUM LÆTITIA RECEPERUNT HOS, QUI EISDEM USI ERANT IUSTITIIS, SÆVISSIMIS AFFLIXERUNT DOLORIBUS.) Græce: *Et non solum, sed quædam visitatio erit illorum, quoniam odiose recipiebant extraneos. Alii vero, quos cum festivitatibus acceperant, eos iam eiusdem iuris participes factos gravibus afflixerunt laboribus.*

Pro *respectus,* græce est, ἐπισκοπὴ, id est, visitatio, inspectio, consideratio, respectus, q. d. Ægyptii non solum hospites, in servitutem redigebant, sed et in eis alia culpa, et inhospitalitas consideranda, et respicienda occurrit, quod scilicet *inviti,* græce ἀπεχθῶς, id est odiose, inimice, invite, tetrice *recipiebant extraneos,* cum hospites hilari ore et vultu sint recipiendi. Potest quoque *visitatio* accipi pro ratione agendi, more, consuetudine vivendi.

Aliqui hæc accipiunt de Sodomitis, ut sit secunda antithesis, quod Sodomitæ invite receperint hospites: Ægyptii vero festive receptos sæve afflixerint, ut sequitur. Verum nec in Græco, nec in Latino ulla hic insinuatur antithesis. Ergo de Ægyptiis loqui pergit.

QUI AUTEM CUM LÆTITIA.) Græce μετὰ ἑορτασμάτων, id est, *cum festivitatibus:* Iansen. *Festivis et solemnibus gaudiis:* Vatabl. *Gaudiorum celebritate;* Osorius: *Hilari fronte inter solemnia sacra diebus festis.*

QUI EIUSDEM USI ERANT IUSTITIIS.) Ita legendum non *institutis,* etsi eodem redeat sensus. Græce enim est, δικαίων, id est, *iustis* neutre, hoc est, iuribus, q. d. Ægyptii Hebræos quos primitus in gratiam Ioseph festivis gaudiis, ludis, et festis exceperant, quosque in suam Rempublicam receptos sui iuris fecerant participes, ac quasi cives civitate donarant, hos mortuo Ioseph, contra omne ius et fas *sævissimis afflixerant doloribus* et laboribus, qui recensentur initio Exodi. An non hæc summa erat inhospitalitas, summaque barbaries fulminibus ferienda, et aquis maris rubri suffocanda?

Moral. disce hic, quam immisericordia et inhospitalitas Deo displiceat, utpote propter quam inter alia scelera Sodomam, totamque Pentapolim igne cœlesti combussit. Ezec. 16. 49 ac Pharaonem cum totis castris fulminavit, mersitque in mari rubro. Ex adverso misericordia et hospitalitas Abrahæ ita placuit Deo, ut meruerit angelos hospitio recipere, qui ei et Saræ sterili filium Isaac promiserunt. S. Greg. factus Pontifex ob eleemosynas.
Gen. 18. Sic et S. Gregorius ob eleemosynas et hospitalitatem angelum hospitio excepit, qui ei edixit Deum propter eam elegisse ipsum in Pontificem, uti habet eius vita. Idem S. Gregorius 3. Dialog. c. 11. narrat Carbonium Populonii Episcopum, eo quod milites hospitio excepisset et abscondisset, a Totila Gothorum rege ursis obiectum, sed ursos deflexa cervice, submissoque humiliter capite eius pedes lambere cœpisse. Quo portento permotum Totilam et Gothos, odium in amorem, et contemptum in honorem vertisse, ipsumque ut Sanctum magna in veneratione habuisse. Carbonii hospitalitas remunerata. Quocirca S. Paulus Hebræos cap. 13. 2. exhortatur dicens: *Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt* (alii legunt *placuerunt*) *quidam angelis hospitio receptis,* ubi plura hac de re annotavi. Ad eamdem omnes urget S. Basilius hom. 8 Hexam. exemplo cornicum, quæ ciconias alio avolantes sub hyemem comitantur, et secure ad hospitium deducunt: *Cornices,* inquit, Cornices cum hospitalitas.
nostrates velut lictores, satellitiisque ipsas comitantur atque deducunt. Quin ut mihi videtur, et socias se offerunt, auxiliaresque adversus aves ipsis adversarias atque hostes. Cuius rei argumento sunt illa; Primum, quod nostris in provinciis illo tempore nulla prorsus cornix conspicitur: deinde cum vulneribus redeuntes, aperta præstitæ tutelæ indicia nobis afferunt. Quis apud ipsas hospitalitatis iura præscripsit? Audiant hæc homines hi qui nullo hospitio homines excipiunt, ianuasque suas occludunt, et neque hyeme, neque noctu solo tegmine peregrinos, advenasque suscipiunt.

Magnus ille S. Pachomius cum adhuc gentilis esset et miles, visa Christianorum in milites transeuntes tam profusa hospitalitate, ad Christi fidem conversus tantus evasit, ut religionis fundator Regulam ab angelo accipere meruerit. Ita habet eius vita. Ingens fuit primorum Christianorum hospitalitas, præsertim Pontificum et civium Romanorum, ut liquet ex Annalibus Baronii, quin et etiamnum Romæ eadem viget, ut videre est in tot tamque copiosis hospitalibus, ac Episcoporum, sacerdotum, religiosorum cæterorumque peregrinorum hospitiis, quibus præter alia plurima, similis generis tota urbs referta est.

PERCUSSI SUNT AUTEM CÆCITATE: SICUT ILLI (Sodomitæ) IN FORIBUS IUSTI (Lot) CUM SUBITANEIS OPERTI ESSENT TENEBRIS (Græce, ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει, id est, vastis, vel immensis, vel stupore plenis, quæ Ægyptios reddebant perculsos et stupidos, vallati, vel circumdati et circumfusi tenebris) UNUSQUISQUE TRANSITUM OSTII SUI (Græce ἑαυτοῦ θυρῶν, id est, *ostiorum suarum*) QUÆREBAT.) Vers. 16.
Aliqui ut S. Bon. Lyran. Hugo et Ribera in Sophon. 1. numer. 84. hæc omnia accipiunt de Sodomitis qui cum invaderent ostium Lot, ut hospites, puta angelos raperent ad suam libidinem, ab angelis percussi sunt cæcitate, ut ostium Lot invenire nequirent. Addit Ribera ex hoc Sapientis loco liquere, Sodomitas etiam ostia propriarum ædium reperire non potuisse.

Verum melius alii passim hæc accipiunt de Ægyptiis, de quibus sermo præcessit: hos enim comparat Sodomitis, quod sicut hi cæcitate percussi ostium Lot invenire non poterant, Gen. 19. 10. sic et Ægyptii triduanis tenebris (de quibus egit cap. 17. 2. et seq.) involuti, ostia suarum domorum, per quæ transire solebant, videre nequirent. Hoc enim plane verba significant, præsertim τὸ *sicut illi.* Pro *cæcitate,* græce est, ἀορασίᾳ, id est, evidentia, cæcitas; fuit hæc dispar in Sodomitis et Ægyptiis. In Sodomitis enim fuit interna, quæ scilicet eorum oculi tenebantur et obscurabantur, ut videntes ostium Lot non viderent, id est, non agnoscerent illud esse ostium Lot, sed puta-

rent esse communem parietem, vel quid aliud. In Ægyptiis vero fuit caligo et tenebræ æternæ quæ visum communem impediebat.

Iuste et congrue inhospitales, qui hospites videre non poterant, privantur oculorum (quibus abutebantur) usu et visu.

IN SE ENIM ELEMENTA DUM CONVERTUNTUR, q. d. Dum elementa inter se commutantur, non natura et substantia, sed conditione et qualitate (subaudi *sic se habent*) SICUT IN ORGANO QUALITATIS SONUS IMMUTATUR, ET OMNIA SUUM SONUM CUSTODIUNT.) q. d. Sicut in psalterio, cithara, lyra, aliove musico instrumento sonus cuius chordæ, et variatione modulationis et soni aliarum chordarum, aliam et aliam harmoniam, æque ac nomen sortitur, licet eædem sint chordæ, idemque in se maneat singularum sonus: ita Deo quasi ludente, psallente, et citharizante in elementis Ægypti, idem elementum suam naturam, proprietatem et ordinem retinens, iunctum alteri elemento, in eius naturam et usum transire visum est. *Agrestia enim in aquatica convertebantur*, uti explicans subdit. Quod dixit v. 6. Deum in gratiam Hebræorum vim et conditionem naturalem elementorum immutasse. Idipsum hic apta similitudine instrumenti musici declarat. Sicut enim in eo dum pulsatur, manente eodem sono cuiusque chordæ et vocis ex concursu soni et vocis aliarum chordarum mutatur harmonia et concentus: sic pariter in elementis manente eadem cuiusque natura, Deo operante et singula quasi pulsante, mutatur earum operatio et actio, operisque harmonia et concentus, quo omnia consonabant et conspirabant in salutem piorum Hebræorum, ac in perniciem impiorum Ægyptiorum.

Pro *organo*, græce est, *psalterio*: organum enim est vox generalis significans quodlibet instrumentum musicum, ita dictum quasi ἔργανον, id est, operatorium, puta instrumentum quod operatur opus, v. g. sonum et harmoniam operatur, efficitque.

UNDE ÆSTIMARI EX IPSO VISU CERTO POTEST.) Hoc est, ut habent Græca. *Quod ex ipsa rerum factarum visione, vel inspectione perfecte licet conicere.* Patet ex seq.

Vers. 18. AGRESTIA ENIM IN AQUATICA CONVERTEBANTUR: ET QUÆCUMQUE ERANT NATANTIA IN TERRAM TRANSIBANT.) Id est, ut græce: *Terrestria enim in aquatilia convertebantur, et natatilia in terram transibant.* Nimirum Hebræi, eorumque iumenta terrestria, quæ in agris degere, arare et pascere solebant, per mare rubrum sicco pede transeuntia, videbantur naturam et conditionem piscium tranantium induisse. Vice versa ranæ, quæ solent in aquis natare, invadentes domos, mensas et lectos Ægyptiorum, videbantur naturam et locum mutasse, atque ex aquaticis et natatilibus facta esse terrestria. Sapienter S. Isidor. l. 1. Sentent. c. 9. docet: *Cum creaturarum stimulis, et elementaribus adversitatibus homo exacerbatur, peccati hoc exigere pœnam, ut Deo superbiens homo, ea quæ infra ipsum sunt, patiatur adversa, iuxta illud: pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.*

Vers. 19. IGNIS IN AQUA VALEBAT SUPRA SUAM VIRTUTEM, ET AQUA EXSTINGUENTIS NATURÆ OBLIVISCEBATUR.) Græce: *Ignis in aqua virtutem habebat, propriæ facultatis oblitus, et aqua exstinctivæ naturæ obliviscebatur*; Syrus: *Ignis inflammabatur in aquis, et non comburebat secundum suam virtutem, et aquæ virtute sua non extinguebant ignem*; Arabicus: *Et ignis potentiæ invaluit in aquis, et aqua abscondit suam naturam.* Loquitur de igne misto pluviæ et grandini, qui hanc non extinguebat, nec ab ea exstinguebatur, sed velut cum ea sororians, eam quasi per antiperistasin acuebat et intendebat, ac vicissim ab ea acuebatur et intendebatur. Vide dicta c. 16. 22 et Exodi 9. 23.

Potentia obedientialis activa. Ex hoc loco et similibus Franc. Suarez 1. part. quæst. 13 art. 4. disp. 31. sect. 5. et 6. probat in creaturis esse potentiam obedientialem, non tantum passivam ad recipiendum in se qualitates supernaturales quas Deus in iis operatur imprimitque, ut vult Gabriel Vasquez, sed etiam activam, ad operandum per eas effectus, qui naturales earum vires superant, sicut operatur per ignem inferni corporeum, facitque ut is agat in animas et spiritus dæmonum, elevando eius activitatem naturalem comburendi corpora, ut supernaturaliter cruciet uratque spiritus. Neque dicas cum nonnullis, ignem ibi nihil agere, sed Deum ad præsentiam ignis per se totum facere, urereque spiritus, quia Scriptur. ait passim eos cruciari, torqueri, uri ipso igne. Sic pariter a Deo elevatur intellectus beatorum supra naturam, ut Deum ipsum per essentiam clare videat et amet visione et amore supernaturali, itaque beetur; hæc enim visio Dei beatifica non tantum est passio, sed et actio vitalis intellectus et voluntatis. Rursum sicut homo utitur calamo quasi instrumento ad scribendum, adeo ut sine eo scribere non posset, unde quo melior est calamus eo melior est scriptura: sic pariter creatura Deo cooperatur quasi instrumentum, ad omnem eius voluntatem et actionem supernaturalem. Tanta est creaturæ ad Deum creatorem subiectio et obedientia, tanta vicissim Dei operantis potentia, et intima cum creatura qualibet præsentia et coniunctio, nimirum maior quam sit formæ cum materia, et animæ cum corpore. Ratio a priori igitur huius potentiæ obedientialis est, Omnipotentia Dei, qua ipse potest uti sua creatura ad omnem effectum, et secundum omnem modum et rationem non involventem contradictionem; sicut per eam humanam naturam sibi hypostatice univit, ac per eam sanavit cæcos, surdos, claudos, mutos, paralyticos. Sic et per Sacramenta operatur gratiam in anima suscipientium illa, quam operationem S. Thomas aliique asseclæ censent esse non tantum moralem, sed et physicam, etsi alii id negent. Hoc est quod ait hic Sapiens: *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua exstinguentis naturæ obliviscebatur, etc.* Sic etiamnum si Deus vellet facere ut ignis frigefaceret et aqua calefaceret. Vide dicta c. 16. 17. et seq. Unde ibidem causam subiiciens ait: *Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat.*

FLAMMÆ E CONTRARIO CORRUPTIBILIUM ANIMALIUM NON VEXAVERUNT CARNES COAMBULANTIUM, NEC DISSOLVEBANT ILLAM, QUÆ FACILE DISSOLVEBATUR SICUT GLACIES, BONAM ESCAM.) Vers. 20. Græce: *Flammæ e contrario facile corruptibilium animalium non marcescere fecerunt carnes inambulantium, neque liquabile glaciale formæ liquefaciebat genus ambrosii cibi.*

Primo, S. Bonav. per flammas accipit columnam ignis et nubis, quæ Hebræos secum ambulantes non comburebat, sed protegebat ab æstu solis.

Secundo, alii accipiunt serpentes ignitos in Hebræos murmurantes a Deo immissos: horum enim serpentium corpora non urebantur ab igne in eis contento, ait Holcot: hi pariter non mordebant, nec urebant Hebræos, eorumque iumenta, cum æneum serpentem a Mose erectum inspicerent, ait Hugo, Lyran. et Dionys.

Tertio, Osorius, Flammæ, inquit, in Ægyptios immissæ eos lædebant, non vero cætera animalia, ut liqueret ipsas esse peccatorum supplicium, ac in homines nocentes, non in animalia innoxia immitti.

Quarto, et genuine, q. d. Animalia a Deo in Ægyptios ad eos cruciandos immissa, non lædebantur ab ignibus et fulminibus in eosdem immissis, sed utraque quasi coniurantia in Ægyptiorum excidium conspirabant. Rursum, cum Ægyptii vellent igne comburere immissas a Deo in se ranas, locustas in rogos congestas, ignis quasi naturæ suæ oblitus illis pepercit, cum in medio ignis illæsæ inambularent, iuxta illud cap. 16. 18 *Quodam etiam tempore mansuetabatur ignis, ne combureret, quæ ad impios missa erant animalia, sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.* Ita Cantacuzenus, a Castro, Lorinus, et alii.

NEC DISSOLVEBANT ILLAM, QUÆ FACILE DISSOLVEBATUR SICUT GLACIES, BONAM ESCAM.) q. d. Mirabile, imo miraculum erat, quod flammæ non liquabant manna, quod simile erat glaciei, sive rori concreto; nam manna pistum et in tortas panesque efformatum, coquebatur et durabatur igne, uti coquuntur et durantur panes nostri; cum tamen idem manna ad æstum solis, eo incalescente dissolve-

retur et liquaretur instar glaciei. Vide dicta c. 16. 20. et Exodi 16. 14. Græca est οὐδὲ τηκτὸν εὔτηκτον (mians recte Compl. et alii legunt, εὔτηκτον, id est, *facile liquabile*, cum illud idem sit quod τηκτὸν) κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς, id est, *nec liquabile liquabant crystallo*, id est, *glaciei simile genus ambrosianæ escæ*: crystallus enim similis est glaciei, imo multi censent crystallum non esse aliud, quam glaciem induratam, indeque dici κρύσταλλον quasi διὰ κρύους συσταλλόμενον ὕδωρ, id est, *per frigus conglaciata aqua*. Unde Dionys. de Situ orbis ait, in mari Caspio gigni crystallum: manna ergo simile erat crystallo, id est, glaciei, quia erat quasi ros frigore constrictus, qui ardore solis liquabatur. Rursum erat candidum et albicans lucensque instar crystalli. Talis mystice est Eucharistia, cuius typus erat manna, quia continet Christum, qui est agnus nivens omni crystallo candidior et lucentior, talesque efficit eos, qui ipsum pie manducant, nimirum virgines, imo angelos, iuxta illud Zachar. 9. 17. *Quod enim bonum eius est, et quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?*

Manna simile crystallo.

Magis Eucharistia.

Rursum Eucharistia homines carneos, id est, infirmos et quasi aqueos, qui facile quibusvis fluctibus, id est, tentationibus cedunt et dissolvuntur, indurat et obfirmat, instar crystalli, ut nulla tentatione liquari, aut vinci queant.

Manna erat Ambrosia.

BONAM ESCAM.) Græce γένος ἀμβροσίας τροφῆς, id est *genus Ambrosii cibi*, vel, *Ambrosianæ escæ*, id est, escæ delicatissimæ, cælestis, et divinæ. Ambrosia enim a Poetis dicitur esse esca delicatissima, ac deliciæ Iovis et Deorum, sicut nectar esse eorumdem potus. Unde Martialis:

Iupiter Ambrosia satur est, et nectare vivit.

Ambrosia Deorum esca.

Idem lib. 8. Epigr. 50. Domitiano Imper. qui Deus haberi volebat, pro epulis dat Ambrosiam:

Vescitur, inquit, *omnis eques tecum, populusque patresque,*
Et capit Ambrosias cum duce Roma dapes.

Et Ovidius l. 4. de Ponto eleg. 11.

Nectar et Ambrosiam, latices epulasque Deorum.

Et Catullus Epigr. 94. ait:

Ambrosia dulci dulcius.

Nam Ibicus apud Adagiographum ad illud *Nectar spirat*, ait, Ambrosiam dulcedine mel novies superare.

Eius etymon.

Hinc dicitur *Ambrosia* ab α privativo et βροτὸς, id est, *mortalis* interposita μ vocalitatis gratia, eo quod mortales eam non edant, vel quod qui eam ederint, immortales evadant. Quocirca *Ambrosia alendus* dicitur is, qui cæteris eminet, quasi Diis æquandus, apud Ciceronem l. 2. de Oratore, et Ambrosius græce idem est, quod immortalis, divinus, suavissimus, et dulcissimus. Sic nectar dicitur a νη et κτείνω, quod non eorum qui moriuntur, sed immortalium Deorum sit potus, aut quod νέους, id est, iuvenes, vegetos et florentes efficiat, ut ex Plinio et Dioscoride ait Matthiolus l. 3. c. 112.

Nectaris etymon.

Manna ergo vocatur Ambrosia: Primo, quia erat delicatissimi saporis; secundo, quia erat cibus cælestis et divinus ab angelis confectus, iuxta illud c. 16. 20. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum*. Et Ps. 77. 25. *Panem Angelorum manducavit homo*; tertio, quia Hebræos omnes in deserto aluit per 40. annos, eosque fecit vegetos, fortes, et quasi immortales per totum tempus peregrinationis suæ. Quocirca videntur Gentiles ab Hebræorum ligno vitæ, vel manna mutuati suam Ambrosiam, æque ac *nepenthes*, ita dictum, quod quasi νη πένθος, omnem luctum adimat, ac *Moly*, quod Senes iuventuti restituere perhibebant. Vide Plinium lib. 25. c. 4.

Ambrosia est Eucharistia

Allegorice, longe verius Ambrosia est Eucharistia, quia primo, piis præbet omnem virtutum, gratiarum et consolationum divinarum suavitatem; secundo, est Angelorum hominumque beatorum (qui, qua homines, in cælo humanitate Christi pascuntur et beantur) imo Dei ipsius cibus.
1.
2.
Quo enim pascitur et delectatur Pater æternus, æque ac Spiritus sanctus, nisi contemplatione Verbi sive Filii, in
3. quo sunt omnes rerum ideæ, species et deliciæ? tertio, quia Eucharistia cibus est cælestis a Christo confectus, ac fideles facit immortales, cælestes et divinos, imo quasi Deos quosdam terrestres, quia nos transformat in Christum, iuxta illud: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*. Et: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ioan. 6. v. 57. et 59.

A

Quare in his verum est illud Hesiodi et Aristot. l. 3. Metaph. textu 15. cæterorumque priscorum Philosophorum et Poetarum: *Mortales esse, qui non vescuntur nectare et ambrosia, qui vero iis vescantur esse immortales.* Hoc enim diserte de Eucharistia asserit Christus loco iam citato. Quare Eucharistia est Sacramentum Sacramentorum, sacrificium sacrificiorum, deliciæ deliciarum, miraculum miraculorum, quod quotidie patrat sacerdos in Missa consecrans, si non advertit.

IN OMNIBUS ENIM MAGNIFICASTI POPULUM TUUM, DOMINE, ET HONORASTI, ET NON DESPEXISTI, IN OMNI TEMPORE, ET IN OMNI LOCO ASSISTENS EI.) Est conclusio, qua confitetur Sapiens paternam Dei in Israelem providentiam, curam, patrocinium, exaltationem, cibationem per manna, cæteraque beneficia, quæ celebrat pro iisque Deo gratias agit. Idem facit Moses, Deut. 4. 7. Multo maiora beneficia, miracula, sacramenta sunt, quæ Deus præstat Christianis in Ecclesia militante, ac maxima erunt,

B

quæ præstabit in triumphante. Ipsi sit honor, decus et gloria in omnes æternitates. Amen.

Hinc patet sapientiam, de qua toto hoc libro egit, tum regum et magistratuum, tum regnorum et rerum publicarum, tum fidelis cuiusque sitam esse in Dei cultu, virtute et pietate: eamque adducere Dei favorem, beneficentiam, felicitatem omneque bonum. Unde Moses moriturus Israelitis id inculcans Deut. 4. 6. « Hæc, inquit, est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta ut habeat cæremonias, iustaque iudicia, et universam legem, quam ego proponam hodie, ante oculos vestros? Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. »

C

Concupiscentia dilabitur et alternat. Sola sapientia beat et æternat. — Transit sceleris voluptas, manet gehennæ ÆTERNITAS. — Transit virtutis labor, manet gloriæ ÆTERNITAS. — Transit honor, fugit aurum, tempus avolat, stat firma ÆTERNITAS. — O nimis longa, lata, alta, et profunda ÆTERNITAS.

Vita tua, o Philothee, brevis est, mors certa, dies incerta, anima tua immortalis est, post mortem ad vitam redire non licet, in ictu oculi clauduntur omnia, clausa est pœnitentiæ ianua: longa te excipiet et immensa æternitas: Cæli gaudia immensa et æterna sunt; intoleranda gehennæ tormenta perennant. Alterutra te certo expectant. Utraque in tua optione et manu sunt. Elige. Alterum enim e duobus eligere te cogit Deus.

Si sapis, o Philopsyche, amico sincero te, tuamque perennem salutem diligenti, ausculta. Non te decipiat falsa libertas novantium, non inescet fugax illecebra voluptatum carni blandientium, non illudat momentaneus honoris

D

fumus, nec fallax plausus adulantium; in momento hæc omnia abibunt, et te mœstum deserent. Memento te æternum, et creatum, natumque æternitati. Temporaria despice, æterna suspice: si secus faxis, æternum te pœnitebit.

Illam ergo, o Philothee, nunc fidem, illam vitam amplectere, illud nunc crede, illud elige, illud operare quod in hora mortis, quod in die iudicii, cum tribunali Christi iudicandus astabis, quod in omni æternitate te credidisse, elegisse, dixisse, fecisse optabis: ut a iusto iudice Christo non gehennæ, sed cælo adiudiceris, ut iugiter animæ tuæ optime sit, non pessime: ut non miserrimus, sed felicissimus sis in omnem ÆTERNITATEM. Hæc est vera Salomonis, imo Christi sapientia, hæc vera et beata ÆTERNITAS.

O Deus æterne, qui nos æternos ad tuam beatam æternitatem ab æterno prædestinasti, et in tempore creasti, da nobis hæc sapere, hæc assidue meditari, huc omnia nostra cogitata, dicta, facta dirigere; ut nulla mundi fallax nos dementet vanitas: sed sola tuæ fidei, ut virtutum pascat veritas, ut post caducam hanc vitam te perpetim videre, te frui, te beari mereamur: quia tu es sola veritas, vera charitas, chara felicitas, felix ÆTERNITAS. Amen.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
QUÆ
IN HOC VOLUMINE EXPLICANTUR, VEL ELUCIDANTUR

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: literæ additæ ea, quæ columnis interiecta sunt, denotent.

EX LIBRO ECCLESIASTEN.

EX PROVERBIIS.

EX CANTICIS.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX THRENIS.

EX BARUCH.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX IOELE.

EX AMOS.

EX MICHÆA.

EX NAHUM.

EX HABACUC.

EX AGGÆO.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

EX LIBRO II. MACHABÆORUM.

EX NOVO TESTAMENTO

EX S. MATTHÆO.

EX S. MARCO.

EX S. LUCA.

EX S. IOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

EX CANTICO CANTICORUM.

EX IEREMIA.

EX THRENIS.

EX EZECHIELE.

EX NOVO TESTAMENTO

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES

EX EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

EX EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA S. IACOBI.

EX EPISTOLA 1. S. PETRI.

EPISTOLA II. S. PETRI.

EX EPISTOLA I. S. IOANNIS.

EX APOCALYPSI.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX NUMERIS.

EX DEUTERONOMIO.

EX IOSUE.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EX ECCLESIASTE.

D

E

P

Q

R

*

S

T

U

V

EX CANTICO CANTICORUM.

A

B

C